S.n Z.l N.o 9

707
707-XII
2.117

D. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI,

ORDINIS PRÆDICATORVM,

PRIMA PARS

COMMENTARIORVM IN PSALMOS.

PROPIEDAD INTELECTUAL - BIBLIOTECA PROVINCIAL Y DE LA - PALENCIA

PRÆFATIO.

Triplex interpretatio loci huius. Prima de incomprehensa Dei sapientia & operatione.

ALTITVDO diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt Iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. *Rom.* 11. *Hæc Apostoli verba, si simpliciter considerantur, exprimunt admirationem Apostoli super sapientia Dei vniuersaliter, & operatione. Si autem diligentius attendantur, exprimunt admirationem eiusdem super illa parte scientiæ specialiter, quæ traditur in Prophetis, & super electione ipsorum Prophetarum ad officium prophetandi. Si autem intimius perscrutentur, exclamatio est super altitudine, & vtilitate illius sapientiæ, quæ traditur in Psalmis Dauidicis singulariter, & eiusdem electione ad excellentiorem gratiam prophetandi. Quibus consideratis in his verbis relinquitur, quæ sit materia, quæ vtilitas, quis modus agendi, & quis auctor. Exponentes ergo primò hæc verba secundum acceptionem primam, dicamus primò Apostolum admirari quod pertinet ad totam sacram scientiam: secundò quod pertinet ad Dei operationem:* Quam incomprehensibilia: *& vtrobique duo. In parte enim prima primò admiratur altitudinem diuinæ sapientiæ, quando dicit,* O altitudo: *secundò eiusdem pretiositatem cùm addit,* Diuitiarum. *Verè autem admirabilis est altitudinis: est enim gladius de quo* Sap. 18. *qui pertingebat vsque ad cælum stans in terra: nec tantum vsque ad cælum aereum, sydereum, vel empyreum, sed vsque ad cælum cælorum penetrat, cælum scilicet sanctissimæ Trinitatis. Est enim scala quam vidit Iacob pertingentem vsque ad cælum, & summitati eius ipsum Dominum innitentem. Eleuatur enim à sensu historiæ ad sensum tropologicum & allegoricum, vsque ad sensum anagogicum, qui propriè de diuinis est pretiositatibus: & est admirabilis: sunt enim partes eius, quasi quædam talenta, & quædam mnæ, imò quasi quædam margaritæ: ait enim* Matth. 25. *quòd homo peregrè proficiscens, & tradens bona sua seruis suis, vni dedit quinque talenta, alij verò duo, alij autem vnum. Nec dubium quin talenta appellentur sacræ dona sapientiæ, vnicuique secundum capacitatem proprij ingenij distributa. Hoc idem per decem mnas ad negotiandum distributas* Lucæ 19. *& tandem* 7. Matth. *Nolite, inquit, sanctum dare canibus, nec margaritas sacras, hoc est, pretiosas sacræ Scripturæ sententias spargatis ante porcos.*

Circa diuinam operationem duo ſimiliter admiratur, Dei ſcilicet iudicia, quæ nihil aliud ſunt, quàm operum à Deo exeuntium rationes, & opera ipſa ab ipſis iudiciis exeuntia, cùm addit, & inueſtigabiles viæ eius. *Verè incomprehenſibilia ſunt Dei iudicia: ipſa enim in Deo ſunt ipſe Deus, de quo dicitur* Ieremiæ 32. *quòd magnus eſt conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu. Et noſter Pſalmiſta dicit: Iuſtitia tua, ſicut montes Dei. Et alibi, Iudicia tua abyſſus multa. Abyſſus, in quantum omni rationali naturæ imperſcrutabilis.* Iob 38. *Nunquid ingreſſus es profundum maris, & in nouiſſimis abyſſi deambulaſti? Quaſi diceret, Non: hæc enim abyſſus nobis eſt tenebris ignorantiæ cooperta.* Geneſ. 1. *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. Hanc autem poteſt illa ſapientia cuius non eſt numerus, penetrare.* Eccleſiaſtici 24. *Gyrum cæli circuiui ſola, inquit, & profundum abyſſi penetraui.*

Pſalm. 35.

Inueſtigabiles ſunt etiam viæ eius, ſcilicet opera, quæ viæ appellantur. Iob 40. *Ecce Behemoth quem feci tecum: & paulò poſt, Ipſe eſt principium viarum Domini, id eſt, operum Domini & creaturarum pulchriorum, & excellentiorum in natura. Et* Iſaiæ 55. *Sicut exaltantur cæli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, id eſt, opera mea à veſtris operibus elongata, dicit Dominus. Operum autem Dei, horum ſcilicet inferiorum, quis ſaltem vel modicum poterit perſcrutari? verè nullus.* Eccleſiaſtæ 8. *Intellexi, quòd omnium operum quæ ſub ſole fiunt, nullam homo rationem poterit inuenire. Multò ergò minus horum quæ ſunt ſuper cælum.* Sap. 9. *Quæ in terra ſunt, difficilè cognoſcimus, quæ autem in cælo quomodo inueniemus?*

Secunda interpretatio loci de electione & illuſtratione Prophetarũ.

Specialius iſta verba, ſicut tactum eſt, ad illam partem Scripturæ ſacræ pertinent, quæ traditur in Prophetis, quantum ad primam partem: ad eorum autem electionem, & miſſionem quod ſequitur in ſecunda. Verè enim admirabilis eſt altitudo ſapientiæ Prophetarum: hæc enim propriè eſt de futuris contingentibus non habentibus cauſas in inferioribus, ſed in ſola Dei præſcientia occultatis: & quantò occultiora, tanto ſunt proculdubio altiora. Hæc ſunt quæ ad ſolam Dei cognitionem pertinent. Propter quod ſubſannando idolis dicitur. Iſai. 41. *Quæ ventura ſunt indicate nobis: annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quoniam Dei eſtis vos.*

Hæc eſt illa ſapientia de qua propriè poteſt intelligi illud Eccleſiaſtici 7. *Alta profunditas, quis inueniet eam? Et de qua* 1. Eccleſiaſtici. *Sapientiam Dei præcedentem omnia (quæ eſt ſapientia de futuris) quis inueſtigabit? Hæc eſt quæ ſicut dicit* Iob 28. *Nec in terra ſuauiter viuentium, nec in mari, nec in abyſſo, nec in aliqua creatura poteſt penitus inueniri. Hæc eſt non minus pretioſa, quàm alta. Vnde ſcientia & ſapientia diuitiarum poteſt rectiſſimè appellari: cùm enim Iob eius altitudinem oſtendiſſet, oſtendit & pretioſitatem: ait enim ibidem, Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius, nec conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi Sardonycho pretioſiſſimo, vel Sapphiro. Et vt breuiter ad vnum ſit dicere, neſcit homo pretium eius.*

Si ergo tantæ profunditatis, & tantæ pretioſioſitatis, imperſcrutabilia ſunt Dei iudicia homines eligentis, verè inueſtigabiles viæ mittentis eos ad hanc ſcientiam promulgandam. Quis enim non miretur pollutum labiis Iſaiam in ſexto, Ieremiam puerum in primo, & elinguem: Ezechielem iuuenem captiuatum, Amos paſtorem pecudum, dono ſapientiæ prophetiæ adimpleri.

Vltima interpretatio de auctore huius libri.

Intimius autem hæc ipſa verba perſcrutantes, ea poſſumus huic ſapientiæ, quæ per Dauid nobis in Pſalmis traditur, adaptare. Admiratur ergo Apoſtolus huius ſapientiæ altitudinem, quod ſpectat ad materiam: admiratur pretioſitatem, quod ſpectat ad vtilitatem, vel finem: admiratur Auctoris dignitatem & electionem, & modum prophetandi, quod pertinet ad cauſam officiendi & formalem. Verè ergo hæc eſt ſapientia altitudinis admirandæ. Si enim magnæ ſit altitudinis tota ſacra ſcientia: ſi maioris quantum ad illam partem quæ traditur in Prophetis: maximæ altitudinis eſt quantum ad illam quæ traditur ſpecialiter in Pſalmis. Non enim hîc ſicut in Prophetis aliis, futura bella, captiuitas Babylonica, & reuerſio de illa, tanquam intentum principaliter prophetantur, ſed

Commendatio Pſalmorũ ab argumento & altitudine.

Chriſti

Chriſti myſteria, Incarnatio, Paſſio, Reſurrectio, Aſcenſio, & cætera myſteria quæ tantæ altitudinis erant, & vt ita loquar intantum in Dei viſceribus profundata, vt ipſos etiam Angelos, qui ſemper vident faciem Patris Matth. 18. *laterent.* Iob 18. *Volucres cæli latet. An non latebat ſanctos Angelos Aſcenſionis myſterium, cùm dicebant* Iſai. 52. *Quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? Quod tamen Prophetæ Dauid erat clarius reuelatum. Aſcendit, inquit, Deus in iubilo. Et alibi, Aſcendit Chriſtus in altum, captiuam duxit captiuitatem.* Pſalm 46. Pſalm. 67.

Hæc ergo eſt ſapientia quæ verè poteſt dicere illud Eccleſiaſtici 24. *Ego in altiſſimis habito, & thronus meus in columna nubis, hoc eſt, in Chriſto, qui eſt columna nubis, ſuis præſtans refrigerium in ardore tentationis: & nubis lucidæ, illuminans eos in nocte ignorantiæ, iuxta illud* Sap. 10. *Reddet Deus iuſtis mercedem laborum ſuorum, &c. Ex his patet quæ ſit materia in hoc libro, quia myſteria de Chriſto.*

Eſt etiam non tantùm admirandæ altitudinis, ſed pretioſitatis: eſt enim diuitiarum ſcientia, iuxta illud quod ipſe Dauid ait, Eloquia, inquit, caſta, argentum igne examinatum, &c. Nec dubium, quin de prolatis per ſe eloquiis loqueretur. Alibi etiam dicit de Domino loquens, Congregans ſicut in vtre aquas maris, ponens in theſauris abyſſos, id eſt, theſauros in abyſſis. Aquas enim maris Dominus in vtre congregauit, quando ei gratiam contulit dolendi in amaritudine pro peccatis. Theſauros autem in abyſſo poſuit, quando profunditati cordis eius gratiam intelligendi ſuper omnes docentes ſe, & ſuper ſenes tribuit, & gratiam prophetandi. Pſalm. 11. Pſalm. 32.

Hæc eſt ergo diuitiarum ſapientia, imò ſuper omnes diuitias, vt verum ſit de ipſa quod dicitur Prouerb. 3. *Pretioſior eſt cunctis opibus, & omnia quæ deſiderantur, ei non valent comparari. Benè diuitiarum ſcientia: quia per hanc nobis ſpem firmiſiſmam comparamus, ſecundum illud ad* Rom. 16. *Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus. Comparamus & deuotionis gratiam, ſicut ſignificatum eſt* 4. Reg. 3. *Quia cùm percuteret Eliſeus pſaltem, facta eſt magnæ copia pluuiæ, quamuis maxima ſiccitas præceſſiſſet. Comparamus & veram ſcientiam perueniendi ad ſalutem, ſecundum illud quod dicitur in* Pſalm. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me. Sic ergo apparet huius ſcientiæ vtilitas, ſiue finis.* Vtilitas huius libri.

Admiratur poſteà huius prophetiæ electionem, non tantum in regiam dignitatem, ſed etiam in excellentiam gratiæ Prophetalis. Si enim, ſicut tactum eſt, mirandum eſt de electione Iſaiæ, Ieremiæ, Ezechielis, & Amos, multò amplius iudicia Dei admiranda & inſcrutabilia, quod Dauid tam ingratum, vt poſt exaltationem in regnum, & Saül eiectionem, adulterium, & in ſeductione homicidium perpetraret 2. Reg. 11. *eligere voluit in Prophetam. Sed & viæ eius inueſtigabiles ſunt: cum enim ad alios Prophetas per Angelos loquutus ſit, ſicut Moyſi.* Exod. 19. 20. 24. *& 32. Lex enim data eſt miniſterio Angelorum, ſicut aſſerit Stephanus* Act. 7. *& ſimiliter* Zacharias 2. *Ecce, inquit, Angelus qui loquebatur in me, egrediebatur. Aliis autem in figuris & imaginationibus: ipſi tamen Dauid Spiritus ſanctus loquutus eſt per ſeipſum, cordi eius infundens ſynceriſſimam veritatem, & ipſum mouens ad ea eloquendum in exultatione oris & operis, quæ interiùs inſpirabat: percutiebat enim in Pſalterio, & ore metricè decantabat. Hoc eſt quod ait: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Et* 2. Reg. 23. *Spiritus Domini loquutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam. Et rurſus ibidem, Dixit Deus Iſraël mihi, loquutus eſt fortis Iſraël, dominator. Modum enim loquutionis determinans ſubiungit: Sicut lux Auroræ oriente ſole, manè abſque nubibus rutilat. Quaſi dicat, Apertè mihi loquutus eſt: vnde ſine nubilo figurarum. Talis autem via ſpiritus, qui Dominus eſt, inueſtigari non poteſt.* Ioan. 3. *Spiritus vbi* Mira electio huius Prophetæ. Pſalm. 84.

vult ſpirat, & vocem eius audis, ſed neſcis, &c. Iob 9. *Si venerit ad me, non videbo eum, ſi receſſerit, non intelligam.*

Cauſa huius libri.

Ex dictis patet quæ cauſa efficiens huius libri, quia mouens & non mota Spiritus ſanctus; mouens autem & mota, ipſe Dauid. Patet & quis modus agendi, quia metricus & iucundus, & hoc ſecundum Hebraicum: in tranſlatione autem metrum non potuit obſeruari.

D. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI,

ORDINIS PRÆDICATORVM,

IN PRIMVM PSALMVM

COMMENTARIVS.

1. *Hic Pſalmus de Chriſto interpretandus & eius corpore Eccleſia.*

BEATVS vir. Conſtat, quòd totus liber iſte de Chriſto eſt, vt patet ex cauſis & ex titulo, qui eſt talis, *Incipit liber hymnorum, vel Soliloquiorum Dauid de Chriſto.* Sed Chriſtus totus eſt caput & corpus. *Epheſ.* 1. Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus eius. Et ideo in hoc libro agitur de Chriſto capite, & Eccleſia corpore. Et cum omnis doctrina artificiosè tradita incipiat à diffinitione aliqua ſubiecti vel notificatione: ſimiliter iſta. Et quia nomen Chriſti vtrique parti eius non conuenit, ponit nomen quod conuenit cuilibet parti Chriſti, ſcilicet *Beatus vir.* Sed per prius capiti, demum cæteris partibus: & ſimiliter diffinitio ſecundum illud nomen: ipſe enim eſt in fine beatitudinis. *Pſal.* 15. Delectationes in dextera tua vſque in finem. Nos verò per ipſum ſuæ beatitudinis participes ſumus, quia vnus ſpiritus cum eo ſumus. *Hebræ.* 3. Participes Chriſti effecti ſumus.

Sed cùm conſtet iſtum Pſalmum loqui de Chriſto, & de impiis, ita quòd quatuor primi verſus de Chriſto ſunt, tres verò reſidui de impiis, quid eſt, quòd tam diſtantia in vnum coniungit? 1. *Corinth.* 2. Quæ communicatio ſancto homini ad carnem. 2. *Corinth.* 6. Quæ ſocietas lucis ad tenebras? quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? quoad capita: aut quæ pars fidelis ad infidelem? quoad membra Chriſti & diaboli. Reſponſio. In principiis doctrinalium duo conſueuerunt fieri. Primum eſt ſubiectum diffinire: ſecundum per diffinitionem alia à ſubiecto ſecernere, maximè quæ videntur ſubiecto attinere, quod eſt diffinitionis conuertibilitatem oſtendere, ſicut in poſterioribus ſyllogiſmus demonſtratiuus diffinitur, & falſigraphus ab eo ſecernitur. Sic cùm reprobi conueniant cum toto Chriſto in natura, in principio huius doctrinæ, quæ eſt de toto Chriſto, ſubiectum deſcribit, & reprobos ſecernit: vnde primus Pſalmus diuiditur in duo ſecundum hoc, & ſecundum eſt ibi. *Non ſic impij, non ſic.* Et verò quia prius naturale eſt carere malo, quàm bono abundare. *Pſal.* 30 Declina à malo & fac bonum: ideò Chriſtus primò diſtinguitur ab omnibus hominibus, per hoc quod caruit omni malo, non pœnæ, quia *Threnorum* 1. dicitur, O vos omnes qui tranſitis per viam, &c. ſed culpæ. *Iſa.* 53. Iniquitatem non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius: quod de nullo alio poteſt dici propter originalem culpam contractam ad minus. *Rom.* 3. Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. *Iob* 1. Non ſit ſimilis ei in terra, &c. Quod autem omnino culpâ caruerit, oſtendit inducendo in triplici genere culpæ, quæ inductio in tribus negatiuis continetur: *Non abiit, non ſtetit, non ſedit.*

Cur Chriſtus dicatur vir.

Vir. Vir dicitur Chriſtus propter excellentiam virium, & propter coniugium. De primo *Iſidorus* lib. 4. capite vltimo, Vir autem dicitur à virtute: ſed Chriſtus omnes virtutes excellenter habuit. *Iſa.* 4. Apprehendent ſeptem mulieres, id eſt, ſeptem virtutes, virum vnum in die illa. Vir etiam dicitur à viribus: vnde Rabbanus, Vir nuncupatur, quia in eo vis eſt maior quàm in fœminis. In Chriſto autem fuit excellentia virium in agendo, & in patiendo. In agendo. *Pſal.* 85. Non eſt, inquit, ſimilis tui in diis Domine. Et alibi, Conturbati ſunt montes à fortitudine eius. Propter hoc dicitur *Eccl.* 9. Inuentus eſt in ea vir pauper & ſapiens, & liberauit eam. Dicitur & vir à fortitudine in patiendo. *Caſſiodorus*, Vir à viribus dicitur: quia neſcit aduerſa tolerando deficere, aut ſe in proſperis elatione

Pſal. 45.

iactare : ſed animo ſtabili defixus,& cæleſtium contemplatione firmatus , manet ſemper impauidus. Talis eſt Chriſtus. 1. *Petri* 2. Cùm maledicererur , non maledicebat : cùm pateretur,non comminabatur. *Iſa.* 53. Deſideraui-mus eum virum dolorum,ſuſtinentem & ſcientem infirmitatem. Vir etiam dicitur propter coniugium. *Iſidorus* libro 9. cap. 4.Vir ſexum ſignificat, non coniugium, niſi ex adiectis.Sic Chriſtus vir Eccleſiæ nunc dicitur , & priùs Synagogæ. 2. *Corinth.* 10. Deſpondi vos vni viro virginem caſtam , &c.*Ieremiæ* 4.Conuertimini filij reuertentes, quia ego vir veſter. Propter hoc frequenter dicitur in Scriptura vir. *Zachariæ* 7.Ecce vir , Oriens nomen eius. Vir ſecundum humanitatem : Oriens ſecundum diuinitatem. Quin potiùs Oriens , quàm ortus : quia ſemper à Patre oritur: & in Chriſti ortu vir eſt , non poſt ortum vt cæteri. *Ieremiæ* 31.Nouum fecit Dominus ſuper terram: Mulier circundabit virum. *Eccla.* 8. Virum de mille vnum reperi.

Beatitudo quinque partibus conſtat, quæ omnes Chriſto cõpetunt.

Beatus. Nota quinque quæ faciunt verè beatum. Primum,vt quod vult,habeat : vnde *Auguſtinus* de beata vita , Continuò autem miſeri ſunt, qui non habent quod volunt. Secundum eſt,vt tantùm bonum velint:vnde *Auguſtinus* de beata vita , Aiunt eſſe beatos qui viuunt vt ipſi volunt:id quidem falſum eſt.Velle enim quod non decet , idipſum miſerrimum eſt. Nec tam miſerum eſt non adipiſci quod velis , quam adipiſci velle quod non oporteat. Plus enim prauitatis affert voluntas , quàm fortuna. Tertium eſt , vt poteſtas ſatiandi deſiderium ſit in voluntate. *Auguſtinus* de beata vita, Plena ſatietas animorum eſt beata vita. Quartum eſt , vt ipſum bonum ſit ſatians, ſit ſemper manſurum. *Auguſtinus* de beata vita,Nullo modo dubitamus ſiquis beatus eſſe ſtatuit , illud eum comparare ſibi velle, quod ſemper manet, nec vlla ſæuiente fortunâ eripi poteſt. Et ideò mundana non poſſunt facere beatum. 1. *Ioan.* 2. Tranſit mundus , & concupiſcentia eius : ſed ille ſolum, apud quem non eſt tranſmutatio , nec viciſſitudinis obumbratio *Iacobi* 1. Quintum eſt ſecuritas non amittendi illud bonum. *Auguſtinus.*Quonam modo beati eſſe poſſint non video,quorum incerta eſt beatitudo.1.*Ioan.* 4. Timor pœnam habet.

Lib.13 de Trin. cap. 5. in quæſt. de beata vita & epiſt. 121.ad Probã.& lib. de ve a innocentia. cap. 62.

Lib.13.de Trin. cap.8.

Hæc autem quinque fuerunt in Chriſto, etiam viatore. *Pſal.* 65. Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti. Nec hoc obſtat,ſi etiam viator fuerit in magna miſeria & afflictione,ita vt videretur etiam mortem nolle. *Matth.*26. Pater,ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.Volebat enim voluntate rationis paſſiones & miſerias , & ipſam naturam hoc nolle. Si enim pati nollet voluntate rationis,ſcriptũ non eſſet *Iſa.* 53. Oblatus eſt, quia ipſe voluit.& *Ierem.* 31 Somnus meus dulcis eſt mihi.& *Matth.* 29 Mortem ſuam calicem appellauit.Et nota,quod eſt beatitudo patriæ. *Lucæ* 14.Beatus qui comedit panem ſuum in regno Dei. Et viæ , & dupliciter: ſiniſtræ , *Pſal.* 143. Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt: dextræ , *Matth.*5. Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum , &c.

*Qui non abiit.*Propoſito nomine deſcribendi,ſubiungitur deſcriptio : primò in remouendo malum culpæ : ſuntque in eo duo : auerſio ab incommutabili bono : hoc remouet cùm dicit , *Non ſedit.* Vel ſic ſecundum Caſſiodorum , Abire in conſilio impiorum , eſt peccare cogitatione : ſtare in via peccatorum, eſt peccare opere : & hæc duo quantum ad ſeipſum. Sedere in cathedra peſtilentiæ , eſt peſtilentis dogmatis venena ſeminare,vel verbo vel exemplo.Hæc omnia remouet à Chriſto.

Dicit ergo, *Qui non abiit* , à Deo recedendo , cogitatione peccando , ſicut ille de quo dicitur *Iſa.* 57. Abiit vagus in via cordis ſui. Non abiit in conſilio impiorum, carnis,mundi , & diaboli. Caro conſulit voluptatem,hoc eſt conſilium ſenum *Daniel.* 13. Commiſcere nobiſcum, &c. Mundus temporalium congregationem. *Pſal.* 143 Beatum dixerunt populum , &c. *Iſa.* 5. Væ qui coniungitis domum ad domum. *Prouerb.* 1. Si dixerint , Veni,inſidiemur ſanguini, omnem pretioſam ſubſtantiam reperiemus. Diabolus appetitum honorum : hoc eſt conſilium Achytophel 2.*Reg.*17. *Iob* 21. Conſilium eorum longe ſit à me. *Geneſ.* 49.In conſilium eorum non veniat anima mea. *Eccli.* 27. A malo conſiliario ſerua animam tuam.

Et in via peccatorum non ſtetit , delectando in malo,& ipſum opere adimplendo. *Iſa.* 55. Sicut exaltantur cæli à terra , ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris , dicit Dominus. Viæ enim malorum immundæ ſunt. *Ierem.*2. Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas. Duræ ſunt. *Eccli.* 21. Via impiorum complantata lapidibus. Tenebroſæ. *Prouerb.* 4. Via impiorum tenebroſa.Periculoſæ. *Prouerb.* 22. Arma & gladij in via ſuperbi. Et iterum tortuoſæ. *Pſal.* 11. In circuitu impij ambulant. Sed via Chriſti & ſuorum eſt munda.*Pſal.*17. Impolluta via eius. *Iſa.* 14. Scopabo eam in ſcopa , à terrenis. Pacifica. *Prouerb.*. 3. Viæ eius viæ pulchræ , & ſemitæ eius pacificæ. Et in quarto , Ducã te per ſemitas æquitatis, quas cum ingreſſus fueris , non arctabuntur greſſus tui, & gradiens non habebis offendiculum. Lucida. *Prouerb.* 4. Semita iuſtorum quaſi lux ſplendens. Recta. *Iſa.* 40. Rectas facite ſemitas Dei noſtri. In tali via ſtetit Chriſtus per eam ambulando. *Pſal.* 28. Exultauit vt gigas ad currendam viam. *Ierem.* 14. Quare quaſi colonus factus es in terra , & quaſi viator declinans ad manendum?

Via peccatorũ multipliciter mala & viis Chriſti oppoſita.

Et in cathedra peſtilentiæ non ſedit. Aduerte figuratum modum loquendi pulcherrimum, quando diuerſa verba diuerſis nominibus in ſingulis clauſulis adiunguntur. Abiit , ſtetit, ſedit. Item in conſilio , via, cathedra. Et item impiorum, peccatorum, peſtilentiæ.

Elegans antitheſis.

Non ſedit, inquam , in malo perſeuerando, & alios verbo & opere corrumpendo , tanquam magiſter in cathedra. *Prouerb.* 29. Homines peſtilentes diſſipant ciuitatem. *Eccli.* 2. Attende tibi à peſtifero. Et *Ieremiæ* 51. Ecce ad te mons peſtifer , qui corrumpis terram. Non ſic Chriſtus , cuius verba ſanatiua ſunt, non corrumpentia. *Sap.* 16. Neque herba,neque malagma ſanauit eos , &c.

Eſt

Compoſitio cathedræ moraliter applicata.

Eſt autem cathedra forma ſedibilis ex materia compoſita, quæ nos curuatos molliter à dorſo ſuſcipit, ſuoque gremio demiſſos vehit, habilis theca complectitur, & eſt proprie doctorum, ſicut tribunal iudicum, & ſolium regum. Huius autem cathedræ ſpiritualis peſtilentium quatuor ſunt pedes. Primus, malitia cùm malum diligit. *Michææ* 3. Odio habetis bonum, & diligitis malum. Secundus, contemptus Dei. *Pſal.* 13. Non eſt timor Dei ante oculos eorum. Tertius, impudentia. *Ierem.*16.Non ſunt confuſi, & erubeſcere neſcierunt. Tertio eiuſdem,Frons meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere. Quartus, aſtutia ad conſummationem malitiæ, vt miſceat melli acetum, oleo venenum. *Ierem.* 4. Sapientes ſunt vt faciant mala: bonum autem facere neſcierunt. Puluinar vt molliter ſedeat,eſt adulatio. *Pſal.* 9. Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur. *Ezech.* 4. Væ qui conſuitis puluillos ſub omni cubito. Scabellum ſunt ſuſtentatores eius in malum.

Sed in lege Domini. Hic notificat Chriſtum per affirmationem,oſtendens in eo triplex bonum: mentis in hoc verſu:ſecundò operis in ſequenti tertio, *Et erit tanquam*: & oris in quarto, *Et folium*: vt ſint hæc contraria tribus quæ remota ſunt. Cùm autem in mente duo ſint, affectus & aſpectus, primò commendat eum à bonitate affectus,ſecundò aſpectus, *Et in lege eius meditabitur.* Dicit ergo,His malis caret, nec hoc tantum, *ſed in lege Domini voluntas eius.* Vbi notandum, quòd quadruplex eſt habitudo voluntatis ad legem Dei. Eſt enim quædam voluntas ſuper legem, ſcilicet voluntas diuina quæ in Chriſto eſt inquãtum eſt Deus:& ſecundũ hanc eſt legis auctor. *Iſa.* 33 Dominus legifer noſter,&c.Et in hoc ſingularis eſt, & diſcretus ab alio quocumque homine. *Iacob.* 4. Vnus eſt legiſlator & iudex, qui poteſt perdere & liberare. Et eſt voluntas in lege,quæ eſt ex ſolo amore in legis operibus & mandatorum Dei conuerſari. *Pſal.* 118. Manus meas ad mandata tua.Et *Deutero.* 27. Maledictus qui non permanet in ſermonibus legis. Sic voluntas Chriſti hominis, & membrorum perfecta charitate ei adhærentium fuit in lege. *Roman.* 7. Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem, quoniam bona eſt. Tales experiuntur illud quod dicitur *Eccli.* 23. Nihil dulcius quam reſpicere in mandata Dei.Et eſt voluntas ſub lege in illis quibus lex eſt onus: quia opera legis implent ex timore,quod ſeruus facit.*Pſal.*118. Statue ſeruo tuo eloquiũ tuum in timore tuo. Tales lex opprimit & onerat *Act.* 17. Hoc eſt onus,quod nec nos, nec patres noſtri portare potuimus. Sed prædictos dirigit. *Roman.* 6. Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia. Et *Galat.* 5. Si ſpiritu ducimini,non eſtis ſub lege.Et eſt volũtas contra legem in malis, qui audientes mandata, faciunt contraria. *Iudicum* 2. Audientes mandata Domini, omnia fecerunt contraria. Et tali dicitur propriè lex aduerſarius. *Matth.*5. Eſto conſentiens aduerſario tuo dum es in via.

Voluntatis ad legem habitudo quadruplex:ſupra legem, in lege, ſub lege, contra legem.

Primæ voluntati eſt lex ſubiecta, ſecundæ via, tertiæ onus,quartæ aduerſarius.

Et in lege eius meditabitur,cogitando,conferẽdo,*die ac nocte*,ad literã: quod intelligitur de capite Chriſto,ipſe enim ſolus fuit,qui vigilando & dormiendo in lege Domini potuit meditari. *Cant.* 5. Ego dormio,& cor meum vigilat. Sed nec ipſe Nehemias meditari poterat in lege Domini dormiendo:vnde *Nehemiæ* 8. legitur, quòd cum legiſſet in libro legis tota die, remiſit populum,& in craſtino reuerſi ſunt maiores,vt interpretarentur quod lectum fuerat. Si autem hoc legitur de corpore,ad bonos reſpicit, qui die ac nocte in lege Domini meditantur, hoc eſt, quandocumque meditandi tempus & locus eſt,meditãtur. Vel meditantur in die proſperitatis,& in nocte aduerſitatis. *Iſa.* 21.Si quæritis in aduerſitate, quęrite in proſperitate.Propter hoc præceptũ erat *Deuteron.* 17. quòd rex deſcriberet ſibi Deuteronomium legis, legeretque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ſcilicet in proſperis & aduerſis:aliter enim nec ſeipſum poteſt regere, neque alium.2. *Paralip.* 23. Dederunt in manu eius tenendam legem, & conſtituerunt eum regem. Propter hoc dicitur *Eccli.* 15. Beatus qui in ſapientia morabitur, & qui in iuſtitia meditabitur. *Prouerb.* 8. Beatus qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie.

Continua meditatio commendatur.

Et erit tanquam lignum. Hic commendat Chriſtum à bono opere ſub metaphora arboris fructiferæ,quam commendat à tribus: primò ab aptitudine fructificandi, ſecundò à fructificatione,ibi *Fructũ*:tertio ab opportunitate fructificandi, ibi *In tempore.* Dicit ergo:Talis eſt in mente,vel erit:ſed quantum ad opus erit tanquam lignum, non quodlibet, ſed *quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.*Chriſtus lignum eſt.*Prouerb.*3.Lignum vitæ eſt his qui apprehenderint eam. Dicitur de ſapientiâ Dei,quæ eſt Chriſtus *Apocalyp.*2. Qui vicerit, dabo ei edere de ligno vitæ. Lignum,inquam, poſitum in medio paradiſi *Geneſ.* 2. hoc eſt, in medio Eccleſiæ. Eſt autem arbor, cuius ſurculus,hoc eſt, diuinitas, inſertus eſt in trunco naturæ humanæ.*Iacobi* 18. In manſuetudine ſuſcipite verbum inſitum, quod poteſt ſaluare animas veſtras,&c.

Et plantatum eſt,non in arido & ſicco, ſed *ſecus decurſus aquarum*,ſecus omnem plenitudinem gratiarum.De quibus aquis *Ioan.*7.Qui credit in me,flumina de vẽtre eius fluent aquę viuæ. Vel ſecus decurſus populorum:populi enim & gentes aquæ ſunt, iuxta quas Chriſtus plantari voluit,aſſumens carnem ſimilem peccati,non verè peccatricem, ſicut dicit *Paulus Rom.* 8. *Apocalip.* 17. Aquæ quas vidiſti, populi ſunt & linguæ. Nec tantum ipſum caput in ſe, ſed in quoliber iuſto membro ſuo lignum eſt:dicit enim *Iſidor.* lib.17. cap.6. quòd ligna dicta ſunt,quæ incenſa conuertuntur in lumen: vnde lignum quaſi lucens & ignitum. Dicitur autem de vno iuſtorum *Ioan.* 5. quòd erat lucerna ardens & lucens.*Ierem.*17. Erit tanqum lignum quod tranſplantatum eſt ſecus aquas, ſcilicet charitatis.*Epheſ.* 3. In charitate radicati & fundati

Vel radix ceu terra in qua plantatur, dicitur charitas. Decurſus autem aquarum, ſunt fluenta Scripturarum. *Prouerb.* 18. Aqua profunda verba ex ore viri. Ex ore illius, inquam, viri, de quo ſupra, *Beatus vir.* & torrens inundans, fons ſapientiæ eſt. Et eſt aqua decurrens ſacra Scriptura, id eſt, deorſum currens, ſcilicet ab illo fonte altiſſimo, de quo *Eccli.* 1. Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis. Et *Sap.* 10. Data eſt illis aqua de petra altiſſima. 1. *Corinth.* 10. Petra autem erat Chriſtus.

Quod fructum ſuum dabit. Triplicem, inquam, fructum ſynceræ eruditionis & defæcatæ ab omni fæce erroris, tanquam vitis bona. *Eccl.* 24. Ego quaſi vitis fructicaui, &c. & *Ioan.* 15. Ego ſum vitis vera, &c. Ficum dulcis conſolationis, & promiſſionis æternorum bonorum, quæ dulciter ſapiebat guſtui audientium. *Iſa.* 41. Et erit fructus eius in cibum. Hæc eſt ficus, quam decorticauerunt Iudæi veſtimenta auferendo, ſicut conqueritur Dominus per *Ioel.* 1. Ficum meam decorticauit. Hæ ſunt ficus bonæ, bonæ valde *Ierem.* 24. Et oleum mitigationis & curationis, ad literam miracula faciendo. *Ierem.* 11. Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, vocauit Dominus nomen tuum. & in *Pſal.* 51 Ego quaſi oliua fructifera in domo Domini. Abundantiam huius fructus ſenſerat qui dicebat *Cant.* 1. Oleum effuſum nomen tuum.

Sed hos fructus dedit *in tempore ſuo.* In tempore, inquam, plenitudinis gratiæ. Ad *Galatas* 4. Vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus, &c. Sed tandem dabit fructum optimum, ſcilicet ſeipſum, quem nunc dat præguſtandum in Sacramento altaris. *Pſal.* 126. Filij merces fructus ventris. Ille, inquam, fructus ſublimis, de quo *Iſa.* 4. Et fructus terræ ſublimis. Sic fructum dat & quilibet iuſtus, ſciens illud *Matth.* 3. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. & illud *Lucæ* 13. Ecce iam anni tres ſunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio, vt quid ergo terram occupat? Succidite illam. Fructum autem debet facere dignæ pœnitentiæ. *Matth.* 3. Facite fructus dignos pœnitentiæ. Hi autem fructus ſunt quos enumerat *Apoſtolus ad Galatas* 5. Charitas, pax, & patientia, &c. Et benè dicit *ſuum* contra hypocritas, qui ſi bona multa faciant, aliorum ſunt, quibus proficiunt, & non ſua. *Matth.* 16. Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Nec mirum ſi ſua non ſunt: quia non dant ea quæ ſua ſunt, ſicut hic dicitur de iuſto, quòd fructum ſuum dabit: imò vendunt pro laude humana. *Matth.* 6. Amen dico vobis, acceperunt mercedem ſuam.

Dat & iuſtus *in tempore ſuo fructum ſuum*, ſcilicet in hac præſenti vita, quam ſcit ſibi datam ad bene operandum. *Ioan.* 9. Me oportet operari opera eius qui miſit me, dum dies eſt. Venit nox quando nemo poterit operari. *Eccl.* 9. Quicquid poteſt manus tua, inſtanter operare, &c. Poſt hanc autem vitam erit tempus recipiendi mercedem pro opere. 2. *Corinth.* 5. Omnes non manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum ſiue malum.

4. *Cõparatio cõcinna foliorũ cum verbis.*

Et folium eius. Hic commendatur à bono oris: folium enim dicitur verbum, quia vmbram facit, & refrigerat in ardore. *Eccli.* 18. Nonne ardorem refrigerat ros, & verbum melius quàm datum? Hoc refrigerium ſentiebat quæ dicebat *Cant.* 2. Sub vmbra illius quem deſideraueram, ſedi. Item ornat arborem quando viride eſt, & adhærens. Sic verbum bonum ornat loquentem. *Eccli.* 5. Honor & gloria in ſermone ſenſati. Item tegit, & protegit fructum, ne ab exteriori intemperie corrumpatur. Sic bona verba boni operis ſeruant fructum, & liberant à corruptione. *Prouerb.* 10. Os iuſtorum liberabit eos. Et maximè Chriſti verbum folio comparatur: eſt enim in folio quaſi quoddam filum medium percæſum vſque ad cõſummationẽ eius, ex quo hinc multò ſubtiliora fila protenduntur, & ex illis iterùm ſubtiliſſima, ſuper quæ totum corpus folij contegitur & fundatur. Filum ergo medium in verbo Chriſti eſt præceptum de dilectione Dei & & proximi. *Matth.* 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Ramificatur autem & diſtinguitur in decem præcepta Decalogi, de quibus *Exodi* 20. Et illa vlterius in quædam minora & ſubtiliora *Exodi* 21. 22. & deinceps.

Cõpoſitio folij accommodata charitati.

Verborum boni vſus quomodo ſectandus.

Chriſti ergo folium non defluxit, ſed permanens eſt, & fuit, & erit. *Matth.* 24. & *Lucæ* 30. Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt. Sic & iuſti verbum non debet diffluere. *Prouerb.* 10. Iuſtus quaſi virens folium germinabit. Et *Ierem.* 10. Et erit folium eius viride, & in tempore ſiccitatis non erit ſollicitum. Cauendum autem ſummopere, vt non cadat verbum vel defluat à veritate per falſitatem. *Sap.* 1. Os quod mentitur, occidit animam. *Ioan.* 17. Sermo tuus veritas eſt. Et ne defluat ab opportunitate per loquutionis ſuperfluitatem. *Leuit.* 24. Seminifluus immundus eſt. Ab apertione per obſcuritatem. *Sap.* 1. Sermo obſcurus in vacuum non ibit. Ne defluat ab vtilitate per otioſitatem. *Matth.* 12. De omni verbo otioſo quod loquuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij. Et ne defluat à recta intentione per cupiditatẽ. 1. *Reg.* 3. Nõ cecidit ex verbis eius omnibus vllum ſuper terram, dicitur de Samuele. Sed de malis dicitur *Ioan.* 3. Qui de terra eſt, de terra loquitur. Et *Iſa.* 29. Humiliter loqueris, & de humo muſſitabit eloquium tuum. Qui ab hõc defluxu cauet, perfectus vir eſt. *Iacobi* 3. Qui non offendit in verbo, hic &c. Et nota, quòd fluimus per malam voluntatem, ſed defluimus per inordinatam electionem, pereffluimus autem per peruerſam operationẽ. *Hæbr.* 2. Abundantius oportet obſeruare quæ audiuimus, ne forte pereffluamus.

Cauſa naturalis defluxus foliorum, excidij charitatis ſymbolum.

Cauſſa autem defluxus folij naturalis hæc eſt. Recedente calore ſolis quemadmodum fit in hyeme, colligitur naturalis calor, quia modicus eſt, ad radicem arboris, & ſicut poteſt, attrahit nutrimentum: cum autem non poteſt abſtrahere ab exteriori, abſtrahit à ſuperioribus partibus arboris, & ſic humore ad inferiora recurrente,

recurrente, fit deſiccatio, & ſic fit caſus foliorum. Sic recedente calore veri ſolis, de quo *Malach.* 3. Vobis timentibus Dominũ orietur, &c. charitate videlicet, cito cadit vel defluit verbum à veritate, & conditionibus aliis bonis. *Matth.* 24. Refrigeſcet charitas multorum: & ſic ceſſabit honeſtas verborum & maturitas. *Iacob.* 1. Siquis putat ſe religioſum eſſe non refrenans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt religio, &c.

Et omnia quæcumque faciet. Hîc breuiter recolligit in ſummia omne bonum. Ac ſi dicat: Omne opus eius, interius in corde, exterius in corpore erit vtile. *Iſa.* 55. Verbum quod egredietur de ore meo, ſcilicet Filius, qui dicit de ſeipſo *Eccli.* 24. Ego ex ore Altiſſimi prodiui, non reuertetur ad me vacuum, ſed hoc proſperabitur in omnibus ad quæ miſi illud. Et in *Pſal.* 88. Quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita.

Si ergo verba creata non irritantur, multo fortiùs nec increatum. Sic & in iuſto, quæcumque facit, proſperantur. *Rom.* 8. Omnia cooperantur in bonum his, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti, &c. Non tantum voluntas interior, ſed ſermo exterior, & etiam actus. *Eccli.* 47. Erit fructus eius in cibum, & folia eius in medicinam.

5. *Non ſic impij non ſic.* Hîc eſt ſecunda pars totius Pſalmi, in qua reprobos ſecernit à Chriſto, & primò ſecernit eos à capite, ſecundò à corpore, *Ideo non reſurgent*, vt pateat, quod ad Chriſtum non pertinet, qui non adhæret capiti nec corpori. In prima parte duo. Primò oſtendit, quòd nihil impiis inſit eorum quæ dicta ſunt de Chriſto. Secundò oſtenditur vnde hoc ſit, & etiam quid eis inſit, *Sed tanquam puluis.*

Dicit ergo: Talis eſt beatus vir, ſed *non ſic impij*, vt careant dictis malis. Quia *Prouerb.* 5. Iniquitates ſuæ capiunt impium. *Non ſic* vt participantes dictis bonis, meditentur in lege. *Eccli.* 21. Audiuit luxurioſus, & diſplicebat ei. *Gregorius*, Qui vitium reſecat, auditum malorum grauat: *Prouerb.* 18. Non recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi ea dixeris, quæ verſantur in corde ſuo. *Eccli.* 13. Quomodo communicabit cacabus ad ollam? Infrà, Sicut communicabit lupus agno aliquãdo, ſic peccator iuſto. Quæ communicatio ſancti ad canem? 2. *Corinth.* 6. Quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? aut quæ conuentio Chriſti ad Belial? Nulla prorſus. *Iſa.* 54. Sicut exaltantur cæli à terra, ita exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris. Et nota, quòd loquens de beatitudine iuſtorum, in ſingulari loquitur: loquens autem de infidelitate impiorum, in plurali: boni enim ſunt in paucitate & vnitate: mali autem multi ſunt & diuiſi. *Matth.* 22. Multi vocati, pauci verò electi, &c. *Eccli.* 11. Stultorum infinitus eſt numerus.

Lib. 8. moral. cap. 4. *Fit plerumque vt cum verum dicitur, vita proximi grauetur.*

Sed tanquam puluis. Hi ſcilicet, qui prædicta non habent. Sed quid ipſi ſunt? Tanquam puluis, puluis, inquam, malus. Eſt enim puluis indifferens. *Geneſ.* 3. Puluis es, & in puluerem reuerteris. Hic eſt puluis humanæ fragilitatis, de qua *Eccli.* 10. Quid ſuperbis terra? Eſt enim puluis bonus humilitatis, de qua *Geneſ.* 18. Loquar ad Dominum meum cum ſim puluis & cinis. Et eſt puluis malus, ſcilicet peccatum. *Matth.* 10. Exeuntes de domo vel ciuitate, excutite puluerem pedum veſtrorum: & hoc peccatum veniale eſt. Quandoque etiam peccatum mortale dicitur puluis: excæcat enim oculum rationis. *Iſa.* 41. Dabo quaſi puluerem in gladio eius. Gladius enim eſt verbum Dei. Huic gladio puluis datur, quando peccatum mortale verbo Dei deſtruitur. Puluis peccator ipſe dicitur. *Iſa.* penultimo, Leo & bos comedent paleam, & ſerpenti puluis panis eius. Et verè puluis peccator dicitur: ſunt enim peccatores incompacti, carentes glutino charitatis. *Exodi* 2. Exiſtentes in Ægypto diſperſi ſunt ad colligendas paleas. *Prouerb.* 15. Cor ſtultorum diſſimile erit. Contra quod iuſtus dictus eſt *lignum*, ſunt & inſtabiles & leues. *Eccli.* 27. Stultus vt luna mutatur. *Theſ.* 2. Non citò moueamini à veſtro ſenſu. Contra hoc quod dictum eſt, *Plantatum eſt*, aridi. *Pſalm.* 21. Aruit tanquam teſta virtus mea. *Ezechiel.* 38. Oſſa arida audite verbum Domini. Contra hoc quod dictum eſt, *Secus decurſus aquarum*, ſunt & ſteriles. *Ierem.* 49. Circundabunt eum ſalices torrentis. Contra hoc quod dictum eſt, *Et fructum ſuum dabit*, ſunt & *puluis, quem proiicit ventus.* Ventus, inquam, ſuperbiæ, de quo *Iob.* 1. Venit ventus vehemens à regione deſerti, &c. Et *Matth.* 7. Venerunt flumina, flauerunt venti. Et vndecimo: Arundinem vento agitatam. Hic ventus quo paſcuntur diuites huius mundi. *Oſeæ* 10. Ephraim paſcit ventos. Proiicitur autem à facie terræ, ſcilicet libertatis propriæ, de qua *Geneſ.* 2. Maledicta terra in opere tuo, &c. Vnde ad hanc terram reuocatur. *Iſa.* 46. Redite prænaricatores ad cor. Proiicitur & à facie terræ viuentium, Eccleſiæ ſcilicet triumphantis, de qua *Geneſis* penultimo: Vidit requiem quòd eſſet bona, & terram quod optima.

Cur cælum terra dicatur.

Terra autem dicitur ipſum cælum empyreum ratione ſtabilitatis. *Eccli.* 1. Generatio præterit, generatio tranſit, terra autem in æternum ſtat. Ratione fructificationis: dat enim frumentum, vinum, & oleum. *Deuteron.* penultimo, Oculus Iacob in terra vini, frumenti, & olei. Item ratione nutritiuæ habitationis hominis interioris, ſicut materialis terra exterioris. *Philip.* 3. Conuerſatio noſtra in cælis eſt. Item ratione receptionis mortuorum: recipit enim eos qui ſæculo moriuntur. *Matth.* 5. Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Ab hac ergo terra peccator vento ſuperbiæ eiicitur, ſicut caput eius eiectum eſt. *Ezechiel.* 28. Peccaſti, & eieci te ô Cherubin. *Pſalm.* 35. Expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare.

Multiplex puluris acceptio in bonam & malam partem.

Ideò non reſurgent. Hîc agit de reproborum ſeparatione à corpore, quæ rectè ſequitur: eo enim quòd vento ſuperbiæ proiecti ſunt à capite, rectè ſeparantur à corpore. Et eſt duplex ſeparatio à corpore. Corporalis, quæ primò tangitur, & erit in futuro: ſpiritualis quæ ſecundò, & eſt in præſenti, ibi, *Quoniam nouit &c.* Item reprobi dupliciter ſunt infideles, qui

6.

qui propriè dicuntur impij, corrupti in moribus, ſed finem tenentes, qui propriè dicti ſunt peccatores. Tangitur ergo ſeparatio impiorum, poſtea peccatorum, ibi, *Neque peccatores*. Ait ergo: Sicut ſeparati ſunt à capite reprobi, *Ideo impij* inter illos, ſcilicet infideles, *non reſurgent in iudicio*. Contra. 1. *Corinth.* 15. Omnes quidem reſurgemus. Reſponſio. Reſurgent quidem impij corpora reſumendo, ſed non reſurgent in iudicio vt iudicent, vel vt tunc etiam iudicentur, quia iam iudicati ſunt. *Ioan.* 3. Qui non credit, iam iudicatus eſt. *Rom.* 2. Qui ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt. Quod ſi adhuc opponitur, *Ioel.* 3. Congregabo omnes gentes in valle Ioſaphat, & diſceptabo cum eis. Reſponſio. Intelligitur congregatio omniũ gentium quantũ ad genera ſingulorum, non quãtum ad ſingula generum. Non eſt enim gens vel lingua de qua non ſint aliqui reprobi Chriſtiani. Iuſtum enim eſt vt ſiue iudicio tunc damnentur, qui toties Dei percuſſiones & iudicia aduertere noluerunt. De quo iudicio dicitur 1. *Petri* 4. Tempus eſt vt iudicium incipiat à domo Dei.

Neque peccatores, fidem habentes, ſed eam moribus deformantes, *in concilio iuſtorum* cum Chriſto iudicantium, *reſurgent*, vt ſupra, quamuis reſurgant cum multitudine iudicanda ordinandi. Ad huius autem intelligentiam notandum, quòd Dominus ad iudicium veniet in fine mundi iudicaturus eos qui fidem eius profeſſi fuerint. *Michæ* 7. Audite iudicium Domini fortia fundamenta terræ: quia iudicium Domini cum populo ſuo: & cum Iſraël diiudicabitur, &c. Tunc tanquam illius iudicij aſſeſſores cum eo accedent perfecti. *Iſa.* 3. Dominus ad iudicium veniet cum ſenatoribus populi ſui. Et implebitur promiſſio eis facta. *Matth.* 19. Amen dico dico vobis, quòd vos qui reliquiſtis omnia, & ſequuti eſtis me, in regeneratione, &c. & illud *Iob* 36. Iudicium pauperibus tribuit.

Quod ſi aliquis dicat, quòd hoc etiam omnibus bonis competit: omnes enim Dei iudicium approbabunt, quod eſt officium aſſeſſoris. Reſpondeo, quòd aſſeſſores propriè iudicium approbant, vt fiat: boni autem approbabunt iam factum: peccatores autem nec erunt in concilio aſſeſſorum vt fiat iudicium, nec in concilio bonorum vt approbent factum, ſed erunt in iudicio pro omnibus erratis præmia recepturi ſecundum illud *Eccl.* Pro omni errato adducet Dominus in iudicium. Præmium autem erit, vt ſeparentur à capite Chriſto & corpore eius, perpetuò cruciandi. *Iſa.* 14. Quaſi cadauer putridum non habebis conſortium. *Apocalyp.* vltimo: Foris canes, & venefici, & impudici, homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis qui amat mendacium. *Matth.* 25. Ite maledicti in ignem æternum, &c. Ab hoc autem iudicio liberi eſſent, ſi in præſenti diiudicantes conſcientias ſuas, à morte peccati reſurrexiſſent, ſecundum conſilium *Apoſtoli Epheſ.* 5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, &c. *Apocalyp.* 20. Beatus qui habet partem in reſurrectione prima. Propter hoc dicit *Apoſtolus* 1. *Corinth.* 10. Si nos diiudicaremus, non vtique diiudicaremur. Et nota, quòd quamuis vilius ſit præſentari Chriſto in iudicio, quod erit in impiis: tamen durius erit ab eo obiurgari, quod erit in peccatoribus. *Matth.* 25. Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare, &c. Et hoc iuſtum eſt: magis enim puniendi ſunt, qui magis peccauerunt. 2. *Pet.* 2. Melius erat illis viam veritatis nõ agnouiſſe, quàm poſt agnitam, retrorſum conuerti ab eo quod traditum illis eſt, ſancto mandato.

Multiplex iudicij acceptio.

Ex dictis poteſt colligi, quòd in fine mundi erit iudicium authoritatis, quo iudicabit tota Trinitas. 1. *Reg.* 2. Dominus iudicabit fines terræ. Iudicium miniſterij & promulgationis ſententiæ. Sic Chriſtus homo *Ioan.* 5. Pater omne iudicium dedit Filio. Iudicium aſſeſſionis, quo iudicabunt perfecti. *Sap.* 3. Iudicabunt ſancti nationes. & illud *Matth.* 19. Sedebitis iudicantes, &c. Iudicium comparationis melioris facti. *Matth.* 10. Regina Saba ſurget in iudicio, & condemnabit generationem iſtam. Et iudicium diſceptationis, quo iudicabuntur omnes fideles ſiue boni, ſiue mali, & non infideles, de quo hic dicitur, *Non reſurgent impij in iudicio*. Iudicium retributionis, ſecundum merita ſingulorum, quo iudicabuntur omnes tam fideles, quam infideles: tam boni fideles, quam mali: tam boni perfecti, quam imperfecti. *Daniel.* 8. Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt. 2. *Cotinth.* 6. Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque prout geſſit in corpore, ſiue bonum, ſiue malum.

Quoniam nouit Dominus. Hîc agitur de ſeparatione reproborum ſpirituali à corpore, quæ etiam cauſa eſt corporalis. Hæc autem ſeparatio eſt: quia hi approbata à Deo fecerunt, illi reprobanda. Et ſecundum hoc duo dicuntur in hoc verſu. Primò operum iuſtorum approbatio, ſecundò reprobatio operum impiorum, ibi. *Et iter.* Ait ergo: Sic ſeparabuntur corporaliter. *Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum. Nouit.* Quia nihil ignorat. *Hebræ.* 4. Omnia nuda ſunt & aperta oculis eius. Nouit etiam vias. *Prouerb.* 16. Omnes viæ hominum patent oculis eius. *Eccli.* 23. Oculi Domini multo plus lucidiores ſole, circunſpicientes omnes vias hominum. *Ierem.* 30. Oculi tui aperti ſunt ſuper omnes vias filiorum Adam. Sed iuſtorum nouit notitiâ approbationis. *Prouerb.* 4. Vias quæ à dextris ſunt, nouit Dominus. Quæ autem ſint iſtæ viæ, oſtenditur in *Pſal.* 52. Benedictionem, inquit, dabit legiſlator: ibunt de virtute in virtutem. Videbitur Deus Deorum in Sion. Verè approbanda eſt via, quæ à bono inchoans per melius ducit in optimum. Bona enim gratia quæ animam mundam reddit à macula peccati: quare dicit, Benedictionem. Melior eſt virtus quæ animam meritis & operibus bonis cumulans, defendit à vitiis: quare adhuc dicit, Ibunt de virtute in virtutem. Sed optima eſt gloria, quæ ipſam conſummat, & beatam facit: quod notatur cùm dicitur, Videbitur Deus Deorum in Sion.

7.

Ecce recta via in qua medium non exit ab extremis. *Iſa.* 26. Semita recti iuſta eſt, rectus

Via iuſtorum ſeptem donis

callis

Spiritus ſancti munitæ.

callis ad ambulandum. Item viæ iuſtorum mundæ ſunt per donum timoris qui expellit peccatum. *Eccli.* 1. Timor Domini expellit peccatum Planæ ſunt & æquæ per donum pietatis, quæ nullum offendit, nullum lædit. Super *Matth.* 5. Gloſſa, Mitis eſt, quem non rancor vel ira afficit, ſed omnia æquanimiter ſuſtinet. Lucidæ per donum ſcientiç. *Pſal.* 118. Bonitatem & diſciplinam & ſcientiam doce me. Securæ per donum fortitudinis. *Prouerb.* 28. Iuſtus quaſi leo confidens abſque terrore erit. Sed expeditæ per donum conſilij, quod omnia abiicere facit. *Matth.* 16. Ecce nos reliquimus omnia & ſequuti ſumus te, &c. *Bernardus*, Rectè Petre & non ad inſipientiam tibi: quia ſequi non poteras oneratus. Rectæ per donum intellectus, qui ſeipſum gubernare docet, & omnia in Deum dirigit. *Prouerb.* 11. Et intelligens gubernacula poſſidebit. Delectabiles per donum ſapientiæ, quæ æterna bona præguſtare facit. *Pſal.* 33. Guſtate & videte, &c.

Et iter impiorum. Ecce ſecundum, ſcilicet reprobatio operum malorum. Quaſi ſic diceret: Iuſtorum viæ approbantur à Deo: ſed iter impiorum tanquam ignotum Deo notitia approbationis, *peribit.* Et nora in principio, quòd opera bonorum dicit vias. Via enim ducit ad terminum: opera autem iuſtorum ad finem tantum reſpiciunt. *Philip.* 3. Poſteriorum oblitus, ad anteriora me extendo. Item reſpicit terminum à quo: mali enim à vero eſſe recedentes tendunt in exterminium. *Sap.* 3. Ab itinere iuſto abierunt in exterminium. Et iterum ibidem, Quod à nobis eſt iter exterminij. Perire autem dicitur via impiorum, quia ipſos perire facit, & de eſſe, quaſi in non eſſe tendere, & vt malè ſint malo culpæ & pœnæ. *Gregorius*, Pereunt non ita vt non ſit, ſed vt male ſit. *Iob.* 18. Habitent in tabernaculo ſuo ſocij eius qui non eſt.

Iniqui quomodo pereant.

Lib. 5. moral. cap. 15.

Incõmoda viæ malorum per 7. capitalia vitia depranata.

Et verè non eſt approbandum iter impiorum à Deo: quia immundum per luxuriam. *Ioel.* 1. Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo. Aſperum per auaritiam, quæ dura eſt. *Eccli.* 3. Cor durum malè habebit in nouiſſimis. Obſcurum per iracundiam: ira enim excæcat animum, ne poſſit cernere verum. *Pſal.* 6. Turbatus eſt à furore oculus meus. Timidum per accediam. *Iob* 15. Terroris ſonitus ſemper in auribus eius, & cùm pax ſit, ille, &c. Impeditum per inuidiam, quæ vbique ceſpitat. *Sap.* 5. Ambulauimus vias difficiles. Interminabile per gulam, quæ ſemper ad diem redit. *Prouerb.* 30. Ignis nunquam dicit, Sufficit. Sed inſipidum & fœtidum per ſuperbiam. *Zachar.* 5. Iniquitati, id eſt, ſuperbiæ, ædificatur domus in terra Sennaar, quæ interpretatur fœtor dentium.

IN SECVNDVM PSALMVM.

1. QVare *fremuerunt gentes.* Nota, quòd Pſalmus iſte in ordine Pſalmorum ſecundus eſt, ſed in titulo primus, ſecundum quod dicit hîc Gloſſa Petrum dixiſſe in actibus, quamuis non exprimatur ibi: ſed poteſt intelligi, quod inſinuetur per hoc quod dicitur ibi, Per os pueri tui Dauid dixiſti. Quaſi diceret Petrus, Hoc in illo Pſalmo dixiſti, quod per os ipſius Dauid compoſuiſti, ſicut habetur in præſenti titulo, qui dicitur titulus, Pſalmus Dauid. Id eſt, Pſalmus compoſitus à Dauid. Pſalmus etiam iſte eſt Pſalmus Dauid, quia in eo agitur de ſpirituali Dauid, ſcilicet de Chriſto. Dauid enim interpretatur manu fortis, & rectè quia Goliam gladio proprio interfecit. 1. *Regum* 17. Sicut & Chriſtus manu affixa in cruce, quam ei præparauerat tanquam gladium diabolus, ipſum debellauit, non manu armata, ſed cruci affixa: non equo reſidens, ſed in cruce pendens. *Lucæ* 10. Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, &c. *Iob* 9. Si fortitudo quæritur, robuſtiſſimus eſt. Interpretatur & Dauid aſpectus deſiderabilis, & Chriſtus eſt in quem deſiderant Angeli proſpicere. 1. *Pet.* 1. In ipſo inuenit oculus quicquid deſiderat, gratiam ſcilicet & ſpeciem. *Eccli.* 40. Gratiam & ſpeciem deſiderabit oculus. De ſpecie in *Pſal.* 42. Specioſus forma præ filiis hominum. De gratia *Eſther* vltimo, Valde mirabilis es tu Domine: & facies tua plena gratiarum eſt.

Huius Pſalmi auctor Dauid, Chriſtus argumentum.

Comparatio Dauid vnius Chriſto ex duplici capite.

Fuerunt autem qui dixerunt, quòd iſte Pſalmus & præcedens ſunt vnus Pſalmus: vnde Gamaliel dicit, quòd Pſalmus primus incipit à beatitudine, ibi, *Beatus vir*, & terminatur in beatitudinem, ibi, *Beati omnes qui confidunt in eo.* Sed ſecundum hoc non eſſet numerus Pſalmorum completus: & ipſi tunc addunt quendam alium Pſalmum, qui ſic incipit: *Puſillus eram in domo patris mei.* Et his videbitur conſentire Hieronimus in opuſculo quod fecit de exceptionibus Origenis. Alij autem Hebræi Pſalmorum numerum attendentes ſecundum numerum literarum quas eis præponunt, dicunt hunc eſſe ſecundum, quia ei præponitur Beth. Et iſtis conſentit Caſſiodorus.

Sicut dictum eſt, agitur in hoc Pſalmo de Chriſto, & hoc oſtendendo in eo regiam poteſtatem. Sed quia quidam ſunt ignorantes ea quæ circa Chriſtum ſunt, & propter hoc ipſum in ſe & in membris ſuis impugnantes, diuiditur Pſalmus iſte in tres partes. In prima corripit errantes circa Chriſtum. In ſecunda oſtendit veritatem de Chriſto introducens ipſum loquentem: *Ego autem conſtitutus ſum rex.* Et hoc recto ordine: primo enim extirpanda fuit ignorantia quàm veritas inſerenda. *Ierem.* 1. Poſui te vt euellas & deſtruas & diſperdas & diſſipes, & ædifices & plantes. Tertiò admonitionem ponit vt ad Chriſtum conuertantur, & ſubiiciantur ei, ibi. *Et nunc reges intelligite.* Prima pars ſubdiuiditur in tres partes. Primò increpat, vt culpabiles appareant errantes in Chriſto. Secundò ex quo culpabiles apparent, monet bonos vt eis nos conſentiant, ibi, *Dirumpamus vincula.* Tertio comminatur, vt pœniteant errantes, & boni caueant ab eis, ibi, *Qui habitat in cælis.* Item error in Chriſtum erat in minoribus vtriuſque populi, Iudaici ſcilicet & Gentilis, & hos corripit primò in minoribus, & in maioribus hos ſecundò, *Aſtiterunt reges.* Item primo increpat minores Gentilium, ſecundo Iudæorum, *Et populi.*

Ait ergo, *Quare fremuerunt gentes?* Ad-

uerſus

uersus Christum supple. Et nota, quòd secundum Cassiodorũ est hic figura quæ Græcè dicitur Erothema, id est, interrogatio, & fit tripliciter: vel cum ignoramus, vt ibi, Quot sunt dies serui tui? Vel cum oppositum affirmamus. *Ierem.* 14. Nunquid sunt in sculptilibus gentium qui pluant? Vel cum increpamus, sicut hîc. Et nota, quòd fremitus aliquando impropriè pro anxietate passionis accipitur. *Ioan.* 10. Iesus rursum fremens in semetipso venit ad monumentum. Propriè autem fremitus est crudelitatis anxietas, exerens se in sonum, ex confricatione dentium facta, & est, sicut dicit Cassiodorus, proprium sæuientium bestiarum. *Prouerb.* 16. Sicut fremitus leonis, ita & ira regis. Frendere autem conuertitur in frendere, quando tam fortis est confricatio dentium, vt frangantur. *Isidorus*, Frendens dicitur, quòd minando frangat dentes. Quando autem quasi tenet quis medium, tunc stridor appellatur. *Act.* 7. Et stridebant dentibus in eum.

Interrogatio fit ex triplici capite. Psal. 118.

Quid discriminis inter fremere & frendere.

Et populi, Iudæorum videlicet, *meditati sunt inania*, scilicet contra Christum, æstimando quod non esset qui sibi promissus erat. *Ierem.* 8. Miluus in cælo cognouit tempus suum, turtur, & hirundo, & ciconia cognorunt tempus aduentus sui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini. Et *Isa.* 1. Cognouit bos possessorẽ suum, & asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Sed magis inane fuit, quòd cognitum occidere & ad infernum mittere voluerunt. *Ioan.* 10. Ab illo ergo die cogitauerunt illum Iudæi interficere, & mittere ad infernum, mittere eum cum cæteris mortuis. *Psal.* 87. In persona eius, Æstimatus sum cum descendentibus in lacum, factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber. Sed inanissimum, quòd illum & memoriam eius extinguere attentauerunt. *Ierem.* 10. Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius. Mittamus lignum, quantum ad primum: eradamus eum, quantum ad secundum: nomen eius non memoretur amplius, quantum ad tertium. Verè inania & erronea. *Sap.* 2. Hoc cogitauerunt & errauerunt: excæcauit enim eos malitia eorum. *Genes.* 1. Terra autem erat inanis & vacua.

Christus iudæis ignotus & inuisus.

2. *Astiterunt reges.* Hic interpretatio maiorum, & repete, *Quare, astiterunt reges terræ*, hoc quantum ad Gentiles, & dicitur quod plurale sumitur pro singulari, *Reges*, Id est, Rex Herodes Agrippa, de quo dicitur *Luc.* 23. Spreuit autem eum Herodes cum exercitu suo, & illusit, &c. Vel *Reges* in plurali. Herodes enim Ascalonita, filius Antipatris astitit contra Christum, pueros occidendo *Matth.* 22. Herodes Antipas astitit contra Christum, & præconem eius, scilicet Ioannem Baptistam decollando *Matth.* 14. Tertius, scilicet Agrippa filius Aristobuli, astitit contra Christum, ipsum spernendo, & ei illudendo, sicut dictum est, & Iacobum fratrem Ioannis interficiendo, decollando, Petrum incarcerando *Act.* 10. Versus,

Qui reges contra Christum astiterint.

Ascalonita necat pueros, Antipa Ioannem,
Agripa Iacobum, claudens in carcere Petrum.

Nota ternarium persequutionum: oris, *fremuerunt*: cordis, *meditati sunt*: operis, *astiterunt Reges.* Et ternarium persequentium, minores, *gentes & populi*: maiores, *Reges*: mediocres, *principes.* Et ternarium patientium, Deum Patrem, *aduersus Dominum*: Deum Filium, *aduersus Christum eius*: membra, *dirumpamus vincula eorum.* Et nota, quòd assistere est impugnare volentium, sicut hic dicitur, & *Iob* 1. Astitit Sathan inter filios Dei volẽs impugnare Iob. Confortantium. *Act.* 10. Angelus Domini astitit, &c. Ministrantium. *Daniel.* 7. Millia millium ministrabant, & decies centena millia assistebant ei. Et regnantium. *Psal.* 44. Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate.

Variæ persecutionũ & persecutionem inferentium aut tolerantium genera.

Et principes conuenerunt, scilicet principes Iudæorum, Sacerdotes, Pharisæi & Scribæ. Et nota, quòd est vnio in via, vel in termino viæ. In via dupliciter: vel malorum, de qua hic dicitur, & *Daniel.* vltimo: Congregati sunt Babylonij quasi vir vnus ad regem, mortem Danielis machinantes. Item bonorum. *Act.* 4. Multitudinis credentiũ erat cor vnum & anima vna. In termino viæ duplex. Electorũ. *Psal.* 132. Ecce quam bonũ & quam iucundum habitare fratres in vnum! Damnatorum. *Isa.* 24. Congregabuntur congregatione vnius fascis in locum: & hoc, *aduersus Dominum*, Patrem scilicet, *Et aduersus Christum eius*, Filium: quicquid enim contra vnum, & contra alterum. *Ioan.* 5. Qui non honorificat Filium, non honorificat & Patrem qui misit illum. Et causa huius redditur. *Ioan.* 10. vbi dicitur, Ego & Pater vnum sumus. Gentes aduersus Dominum propriè astiterunt, quia potestatem Domini in Christo impugnabant: aduersus Christum Iudæi propriè, quia ipsum esse Christum, id est, vnctum à Deo credere nolebant: quamuis sic esset. *Isa.* 41. Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me.

Dirumpamus vincula eorum. Hic est secundum primæ partis Psalmi. Proposita enim increpatione, subiungitur admonitio bonorum, secundum lecturam vnam, & est duplex. Primò ne consentiant malorum blanditiis: secundo, ne consentiant minis, *Et proiiciamus.* Dicit ergo sic malis. Sed vos boni & fideles, *Dirumpamus vincula eorum*, id est, blanditias gentium & populorum, regum & principum aduersantium Christo. *Isa.* 52. Solue vincula colli tui captiua filia Sion. Et boni dissoluite colligationes iniquitatis. Nec tantum dirumpamus, nos ab eorum consortio abrumpendo, sed si possimus, colligationem eorum destruendo. *Oseæ* 13. Colligata est iniquitas Ephraim. Ipsi enim sunt vulpes Samsonis, qui habent caudas adinuicem colligatas.

Et proiiciamus à nobis, procul abiiciendo, *iugum ipsorum*, minas & dominium, ne cum ipsis insurgamus contra Christum: hoc enim est iugum malum, de quo *Paulus* 2. *Corinth.* 6. Nolite iugum ducere cum infidelibus. *Glossa*, socij esse malorum. *Isa.* 10. Computrescet iugum à facie olei.

Aliter

Aliter legitur verſus iſte, vt ſit cauſa & ratio quare ſunt increpandi, quia ipſi dicunt, *Dirumpamus vincula eorum*, Domini ſcilicet & Chriſti præcepta, quæ ſunt vincula retrahentia à malo ſalutaria, trahentia ad bonum, & ipſi bono aſtringentia. *Eccli. 6.* Vincula illi alligatura ſalutaris. Hæc ſunt vincula quibus Ioannes alligatus erat in carcere *Matth. 10.* Iuſtus ſcilicet in tenebroſa mundi huius habitatione. *Et proiiciamus à nobis iugum ipſorum*, ſcilicet admonitionum, conſiliorum, de quo *Matth. 10.* Iugum meum ſuaue eſt, &c. & *Thren. 3.* Bonum eſt viro cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Hoc enim iugum vix aliquis in ſenectute aſſueſcere poterit: antiquus enim mundanus, vix poteſt bene addiſcere ambulare, ſed citò redit ad tractum. *Ierem. 2.* A ſeculo confregiſti iugum meum, rupiſti vincula mea, & dixiſti, Non ſeruiam.

4. *Qui habitat in cælis.* Hîc tertia pars primæ partis totius Pſalmi, in qua ponit comminationem vt pœniteant. Et primò eſt comminatio de malo in præſenti: ſecundò in futuro, *Tunc loquetur.* Malum in præſenti minatur duplex: irriſionem quæ fit orc, ſubſannationem quæ fit ſigno, vel facto, *Et Dominus.* Dicit ergo ſic, *Fremuerunt, meditati ſunt, aſtiterunt, conuenerunt in vnum contra Chriſtum: ſed qui habitat in cælis* materialibus ad literam, ſcilicet empyreis. *Iſa.* vltimo: Cælum mihi ſedes eſt, ſcabellum pedum meorum. Dicitur autem Deus in cælis eſſe ſpecialiter, quamuis ſit vbique generaliter: quia ibi maximè relucent opera ipſius, & ab habitatoribus illius videtur inceſſanter. *Matth. 18.* Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt. Hinc ait *Richardus de ſancto Victore*, Cum Dominus vbique ſit, ibi eſſe maximè eſſe dicitur, vbi ab omnibus habitatoribus inceſſanter videtur, vt qui eum videre deſiderat, vbi poſſit videri, per meritum aſcendat.

Cur anima iuſti dicatur cælum & ſedes Dei.

Habitat & in cælis, in animabus iuſtis: quia, vt dicit Rabbanus in libro 9. cælum dicitur quaſi celatum vas: de vno autem iuſtorum dicitur, quod vas celatum ſit & ornatum. *Eccli. 50.* Quaſi vas auri ſolidum ornatum omni lapide pretioſo. Cælum etiam dicitur quaſi caſa hylios, id eſt, domus ſolis. Sol autem iuſtitiæ Chriſtus eſt. *Malach. 19.* Orietur vobis timentibus Dominum ſol iuſtitiæ. Et hic iuſti domum inhabitat vt domum propriam. *Ioan. 1.* Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. & 14. Veniemus & manſionem apud eum faciemus. Cælum autem dicitur iuſti anima ratione diſpoſitionis. In ipſa enim ſol ratio & intelligentia, quæ per peccatum in malis eclipſatur: & luna ſenſualitas, quæ niſi illuminetur à ſole intelligentiæ, obſcuratur. *Eccli. 27.* de hoc ſole & hac luna, Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut ſol intelligentiæ & rationis: nam ſtultus vt luna mutatur ſenſualitatis. In ipſa ſunt ſtellæ ordinatæ & diſtinctæ, virtutes ſcilicet à Deo infuſæ. Hæ ſunt ſtellæ de quibus dicitur *Apocalyp. 1.* quòd ſeptem ſtellæ erant in dextra ſedentis in throno. Vniuerſæ enim virtutes in Chriſti ſunt poteſtate. Hinc quod de iuſta anima dicitur *Cant. 6.* Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, in ſenſu & animalitate: electa vt ſol, in intellectu, & ratione: terribilis vt caſtrorum acies ordinata, in omnium virtutum diſtincta & ordinata multitudine. Hinc *Apocalyp. 12.* dicitur, Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & corona ſtellarum duodecim in capite eius.

Talem ergo animam, quæ ſicut cælum eſt, inhabitat Deus hic in præſenti per gratiam, & in futuro per gloriam. Et nota, quòd in anima iuſti imperfecti videtur eſſe Deus per fidem tanquam in primo cælo. *1. Corinth. 16.* Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate. In anima perfecti per contemplationem, quaſi in ſecundo cælo. *Iob* vltimo, Nunc oculus meus videt te. In ſanctis Angelis & animabus glorificatis per ſpeciem, tanquam in tertio. *1. Ioan. 3.* Cum autem apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt.

Hic habitator cæli irridebit eos: verbo quando prædicationem veritatis ab eis auferendam per ſuam & per ſuos nuntiabit. *Act. 14.* Vobis oportebat primo nuntiare verbum Dei: ſed quoniam repuliſtis, &c. *Et Dominus ſubſannabit.* Nota, quòd ſubſannatio eſt in facto, quando extenſione buccæ & naſi corrugatione & contractione, nos contemnere aliquid demonſtramus. Facto ergo Dominus ſubſannauit perſequutorum ſuperbiam, quando euacuata eorum potentia, captiuos per totum orbem diſperſit. *Pſal. 58.* Diſperge illos in virtute tua. De iis duobus *Prouerb. 1.* Ego autem in interitu veſtro ridebo, quando ſcilicet à vobis verbũ vitæ auferetur: & ſubſannabo, quando quod timebatis, acciderit: hoc enim vehementer timebant Iudæi, quod diſpergerẽtur per Romanos. *Ioan. 10.* Ne forte veniant Romani, & tollant locum noſtrum, & gentem.

5. *Tunc loquetur ad eos.* Hîc ſecundum in quo comminatur eis miſeriam in futuro: & tangitur duplex miſeria, corporum paſſibilium reſumptio primò, ſecundò animæ cum corpore ſuo reſumpto afflictio. *Et in furore ſuo.* Dicit ergo: *Tunc loquetur ad eos* per illam vocem tubæ quâ dicitur, Surgite mortui. *1. Theſſal. 4.* Ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli & in tuba Dei deſcendet de cælo, &c. Loquetur & ad eos in ira, cum eis poſt reſumptionem corporis diſceptando. *Matth. 25.* Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare, &c. Loquetur & ad eos ſententiam proferendo. Ibidem, Ite maledicti, &c. Primum verbum aſperum, ſecundum aſperius, tertium aſperrimum. Nec dicitur ira in Deo, quia ipſe commotus ſit, & turbatus in ſeipſo: ſed quia effectum iræ exercet in alio.

Cur Propheta de iudicio loquatur quaſi de eo mentionem fecerit.

Sed quærendum, cum ſecundum Caſſiodorum iſtud, *Tunc*, ad tempus iudicij referatur, ſecundum quod expoſitum eſt, quomodo hoc eſſe poſſit, quia ſecundum conſuetum modum loquendi, cum dicitur, tunc factum eſt hoc, vel fiat, aliquod tempus de quo prius facta eſt mentio, demonſtratur. Cum ergo nihil de die iudicij prædixerit in hoc Pſalmo, quomodo ſic ex abrupto *tunc* iſtud dixit? Reſponſio. Quando aliquid vehementi affectu in mente firmiter retinemus, cum de illo in verbo prorumpimus, cogit ipſa affectio, vt de eo lo-

quamur tanquam de eo, de quo mentio aliqua ſit facta prius. Hinc eſt quod *Ioan.* 20. Maria Dominum quærens, & amore eius feruens, ac ſi quid de eo præmiſiſſet, dixit: Si tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi vbi, &c. Eum dicit ſemper. *Gloſſa*, Non dicit quem: quia hoc in animo ſolet agere vis amoris, vt quem ſemper cogitat, nullum alium ignorare credat. Sic ſanctus Dauid diem iudicij ſemper cogitans, tremens & deſiderans, hunc ipſum credit omnem alium cogitare. *Pſal.* 60. Memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius. Prorumpit ergo, & dicit, *Tunc loquetur.*

Varia damnatorũ pœna.

Et in furore ſuo conturbabit eos, ſimul in anima & corpore affligendo, animam præ turbatione obſcurando. *Rom.* 1. Obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Penitus excæcando præ anxietate doloris. *Iſa.* 6. Excæca cor populi huius. Remorſum conſcientiæ torquendo. *Sap.* 5. videntes turbabuntur timore horribili. Et infra, Gementes, & præ anguſtia ſpiritus dicentes, intra ſe pœnitentiam agentes. Et in corpore. *Amos* 4. Leuabunt vos in compitis, & reliquias veſtras, id eſt, corpora veſtra in ollis feruentibus: & per aperturas exibitis altera contra alteram, & proiiciemini in Armon de vtraque apertione, ſcilicet animæ & corporis. Simile in *Pſal.* 20. Pones eos in clibanum ignis, vt interius ardeant. Et paulò poſt, Et deuorabit eos ignis, vt exterius ardorem ſentiant. *Iſa.* 65. Serui mei comedent, & vos eſurietis, quantum ad miſeriam corporis: lætabuntur præ exultatione cordis & laudabunt, & vos præ contritione ſpiritus vlulabitis. Et in fine, vermis eorum non morietur. Vermis, inquam, conſcientiæ, & ignis non extinguetur in corpore. Hic eſt vermis de quo timebat Dauid cùm dicebat, Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Et *Iſa.* 3. Ardens furor eius, & grauis ad portandum.

Pſal. 6.

Aliter autem poteſt legi ab illo loco, *Qui habitat*, totum ſcilicet de futuro: & tanguntur quatuor pœnæ ordinatæ. *Qui habitat in cælis, irridebit eos*, in generali reſurrectione, quando inuenient ſe vacuos omni bono, & culpis plenos. *Subſannabit* ibi peccatorum manifeſtatione, conſcientiis propriis, & etiam alienis. *Loquetur*, in ſententiæ promulgatione. Sed *in furore ſuo conturbabit*, in promulgatæ executione. Hæc eſt quadruplex pœna reſpondens quadruplici culpæ malorum. *Amos* 1. Super quatuor ſceleribus, cordis, oris, operis & conſuetudinis non conuertam illum, &c.

Quadruplex pœna genus quadruplici culpæ generi reſpondens.

6.

2. pars Pſalmi de poteſtate regia Chriſti & eius vſu.

Ego autem conſtitutus. Hîc eſt ſecunda pars Pſalmi, in qua ſupponit veritatem de regia dignitate Chriſti. Sed quia ad regiam dignitatem duo exiguntur, ſcilicet poteſtas, & rectus vſus poteſtatis, ne ſit poteſtas otioſa vel pernicioſa, primò agitur de eius regia poteſtate, ſecundo de recto vſu poteſtatis, ibi, *Reges eos.* Sed quia mundus iſte duos continet populos, circunciſionem ſcilicet & præputium, primò oſtendit eſſe regem ſuper circunciſionem, ſecundò ſuper præputium, ibi, *Dominus dixit ad me*, vt ſic impleatur, quod alibi dicitur de ipſo, Rex omnis terræ Dominus. In prima parte dicuntur quatuor, primò quod regnum accipit, ſecundo à quo accipit ibi, *Ab eo*: tertio ſuper quos accipit, *Super Sion*, vel vbi: quarto ad quid, ibi, *Prædicans præceptum eius.*

Dicit ergo: Sic me perſequuntur non impotentem me defendere: quia *ego conſtitutus ſum Rex. Apocalyp.* 20. Habens in veſtimento ſuo, & in femore ſuo ſcriptum, Rex regum & Dominus dominantium, &c. Rex regni incorruptibilis. *Daniel.* 7. Poteſtas eius poteſtas æterna quæ non auferetur, & regnum quod non corrumpetur. Et eſt legendum cum pondere: Ego, inquam, qui immunis ſum à peccato, & propter hoc dignus regno. *Iſa.* 54. & 1. *Petri* 2. Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. *Conſtitutus autem ſum rex*, non à me, ſed à Deo, ſcilicet à Patre meo, qui malos *irridebit*, & *eos in furore conturbabit. Ierem.* 23. Ecce dies venient, dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit, &c.

Quinque bonâ Regis partes, quæ Chriſto competunt.

Et nota, quod quinque fuerunt in Chriſto, quæ ſunt Regi neceſſaria, vt rectè & ritè ingrediatur regiam poteſtatem. Quod ſit conſtitutus, ſcilicet à ſuperiori, non ingerens ſe, nec intruſus, ſicut hic qui dicit ſe conſtitutum à Deo. 2. *Reg.* 1. Dauid Filium ſuum Salomonem regem conſtituit. *Hebræ.* 5. Nemo aſſumit, id eſt, aſſumere debet, ſibi honorem, &c. Secundò requiritur in eo clementia, vt ſit rex, non tyrannus. *Prouerb.* 20. Miſericordia & veritas cuſtodiunt regem, & roboratur clementiâ thronus eius. 3. *Reg.* 20. Reges Iſrael clementes erant. Requiritur & iuſtitia, ſiue fortitudo. *Eccli.* 7. Noli quærere fieri iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates. *Deuteron.* 1. Quod iuſtum eſt, iudicate: ſiue ciuis ſit ille, ſiue peregrinus, nulla erit differentia perſonarum: ita paruum audietis vt magnum, nec accipiatis cuiuſquam perſonam, quia Dei iudicium eſt. De Chriſto autem dicitur *Iſa.* 10. Non ſecundum viſionem oculorum iudicabit, neque ſecundum auditum aurium arguet, ſed iudicabit in iuſtitiâ pauperes. Neceſſaria eſt & ſapientia: propter quod Salomon regnaturus, à Deo ſapientiam poſtulauit 3. *Reg.* 13. De Chriſto autem dicit *Apoſtolus* 1. *Corinth.* 1. Prædicamus Chriſtum Dei virtutem & Dei Sapientiam.

Cur Eccleſia dicatur mons.

Super Sion montem ſanctum eius. Per Sion quæ ſuperior pars erat ciuitatis Ieruſalem, quæ erat metropolis in Iudæa, intelligitur Eccleſia de Iudæis, illa ſcilicet primitiua paucorum Eccleſia, quam Chriſtus & Apoſtoli congregarunt, quæ bene dicitur mons, propter fidei firmitatem, quæ in ipſis fuit: vnde *Pſal.* 124. Qui confidunt in Domino ſicut mons Sion, &c. Propter eleuationem in virtutibus. *Iſa.* 2. Erit mons domus Domini in vertice montium. Propter radiorum fidei primam ſuſceptionem, & transfuſionem ad alios. *Pſal.* 75. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis, ſanctis ſcilicet Apoſtolis, & Eccleſiæ primitiuis.

Prædicans præceptum eius. Ecce ad quid conſtitutus, ſcilicet ad docendum & prædicandum. *Ezech.* 3. Fili hominis ſpeculatorem domus Iſrael dedi te. Et in vigeſimo quarto, Suſcitabo

ſcitabo ſuper eos paſtorem vnum qui paſcat eos ſcientiâ & doctrinâ. Quod fecit Chriſtus. *Matth.* 10. Circuibat Ieſus totam Galilæam, prædicans Euangelium regni. Si ipſe ad hoc conſtitutus eſt,& vicarij eius ad hoc debent ſimiliter conſtitui. *Gregorius*, Si paſtor prædicare neſciat,gradum ſacerdotij vſurpat. *Matth.* 24. & *Lucæ* 10. Quis putas eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, &c. Et non ad multiplicandum equos, & familiam ſuperfluam. *Deuteron.* 17. Cum autem Rex fuerit conſtitutus, non multiplicabit ſibi equos, nec populum redire faciet in Ægyptum, equorum multitudine ſubleuatus. Propter hoc dicitur *Prouerb.* 6. Fili mi ſi ſpoponderis pro amico, diſcurre, feſtina, &c.

Epiſt.24.

Præceptum autem prædicare debet, non inuentiones proprias, & truphas. Præceptum ſcilicet charitatis, ſicut & Chriſtus *Ioan.* 13. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem. Quod dicitur præceptum vnum, quia ex illo præcepto charitatis dependent quæcunque alia in Scripturis. *Matth.* 22. Ex his duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & Prophetæ.

7. *Dominus dixit ad me.* Hîc agitur de poteſtate regiâ Chriſti ſuper præputium: & tanguntur duo. Primò promiſſio de firma poſſeſſione Gentilium, ſecundò de dilatatione poſſeſſionis & regni ſuper eos. In prima quatuor dicuntur, primò promiſſio Patris, ſecundò ratio vel debitum promiſſionis, *Filius meus*: tertiò modus veniendi ad promiſſionem, *Poſtula à me*: quartò determinatio promiſſi, *Et dabo.* Et eſt ſic conſtruenda litera: Sicut conſtitutus ſum à Patre ſuper circunciſionem, & etiã *Dominus*,Pater ſcilicet *dixit ad me*,hoc eſt,mihi promiſſionem fecit,hanc ſcilicet,*Dabo tibi gentes*: & hoc tibi debitum eſt, quia *Filius meus es tu*, non adoptiuus, ſed naturalis, inquantum Deus, quia *hodie genui te*, ſcilicet in æternitate, quæ vera dies eſt. *Michææ* 5. Egreſſus eius à principio à diebus æternitatis. *Prouerb.* 8. Ante omnes colles ego parturiebar. Generatione quidem naturali, qua non priuatur, qui aliis generationem tribuit. *Iſa.* vltimo, An ego qui generationem cunctis tribuo, ſolus ſterilis ero? ait Dominus Deus.

Vel *Filius meus* per gratiam, quia *genui te*, generari feci te, ſecundum qnod homo es de Virgine, & hoc *hodie*, id eſt, in hoc tempore gratiæ. *Lucæ* 2. Completi ſunt dies eius vt pareret, & peperit Filium ſuum primogenitum. *Matth.* 1. Iacob genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus,&c. Sed vt hoc ſit, *poſtula à me*, hoc eſt, poſtulabis à me hoc Fili: in quo notandum eſt, quod poſtulatione Filius videtur ad regnum Gentium peruenisſe, ſed non ſic ad regnum Iudæorum: & ratio hæc poteſt eſſe, quod Chriſtus Iudæis promiſſus erat, & veritas exigebat, vt eis redderetur. *Deuteron.* 18. Suſcitabo eis de medio fratrum ſuorum Prophetam ſimilem tui,& ponam verba mea in ore eius. Et illud *Ierem.* 23. Suſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit rex. Gentibus autem nulla promiſſio facta fuerat: nec aliquando merita Patrum ſuorum præceſſerant ſicuti Iudæorum. Quia ergo ſola miſericordia ſaluatæ ſunt, rectè dicitur poſtulatio præceſſiſſe. *Roman.* 15. Dico autem Chriſtum Ieſum miniſtrum circunciſionis ad confirmandas promiſſiones Patrum, Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum.

Cur Chriſtus ad regnũ Gẽtilium nõ Iudæorũ oratione peruenerit.

Dicit ergo, *Dominus dixit ad me.* Vbi notandum, quòd multiplex eſt dicere Dei. Dicere enim Dei eſt diſponere, ſicut ibi, Dixit Dominus vt diſperderet eos, id eſt, diſpoſuit. Et illud *Ezechiel.* 20. Dixit vt effunderem indignationem meam ſuper eos, id eſt, diſpoſui. Aliquando dicere Dei eſt non tantum diſponere, ſed promittere. *Num.* 23. Non eſt Deus ſicut homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur. Dixit ergo,& nõ faciet? Loquutus eſt, & non implebit? Dicitur & dicere Dei non tantum promittere, ſed facere. *Geneſ.* 1. Dixit Deus, Fiat lux, & facta eſt lux. Vnde illud, Deus, cuius dicere, facere eſt. *Pſal.* 148. Dixit & facta ſunt. Adhuc plus non tantum dicere Dei eſt facere, ſed etiã generare. *Iob* 33. Semel loquitur Deus, & ſecundò hoc ipſum non repetit,id eſt, genuit Filium, cuius generationem nec iterat,nec iterabit.

Multiplex Dei dicere. Pſal.105.

Filius meus es tu. Nota, quòd filius dicitur impropriè, & hoc multipliciter. Ratione ætatis, ſicut ſenes filios iuuenes appellamus. *Tobiæ* 7. Dixit Raguel ad Tobiam iuniorem, Benedictio ſit tibi fili mi. Per diſciplinam: ſic conuerſi per prædicatores eorum filij appellantur. 1. *Corinth.* 4. Per Euangelium in Chriſto Ieſu ego vos genui. Et *Galat.* 4. Filioli mei quos iterum parturio. Aliquando per ſolam reputationem: ſic Chriſtus filius Ioſeph putabatur. *Lucæ* 3. Vt putabatur filius Ioſeph. Aliquando per adoptionem. *Roman.* 8. Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum Dei. Propriè autem dicitur filius ſecundum legem, qui fratri mortuo generabatur. *Deuteron.* 25. Suſcitabit ſemen fratris ſui, & primogenitum ex ea filium illius nomine. Sed magis propriè per naturæ propriæ participationem: ſicut Iſaac dicitur filius Abraham. Vel per omnimodam ſubſtantiæ identitatem, ſicut hic dicitur, & eſt ineffabilis genitura. *Iſa.* 53 Generationem eius quis enarrabit? Et nota,quòd de hac dicitur, *Ego hodie genui te. Hodie*, vt eam præſentem ſignificet: *genui*,vt perfectam. Propter primum dicitur Chriſtus oriens *Zachariæ* 6. Propter ſecundum dicitur in *Pſal.* 109. Ante luciferum genui te. Et *Eccli.* 24. Ego ex ore Altiſſimi prodiui,primogenita ante omnem creaturam. Huic ergo dicitur.

Varia nominis filij acceptiõ metaphorica tũ propria.

Poſtula à me,quod & fecit: poſtulauit enim ante paſſionem ſermone. *Ioan.* 22. Ego pro eis rogo. Et iterum, Non pro eis rogo tantum, ſed pro eis qui crediturí ſunt per verbum illorum in me. Orauit & opere ipſam paſſiõnem ſuſtinendo, & ſanguinem effundendo. Super illud *Lucæ* 14. Oportet autem ſemper orare, dicitur, Non ceſſat orare, qui non ceſſat benefacere. Melius autem facere non potuit, quam ſeipſum pro nobis immolare: vnde *Hebræ.* 10. dicitur, Sanguis eius melius loquens, quàm ſanguis Abel. *Geneſ.* 4. Sanguis fratris

8. *Tribus modis orat Chriſtus pro nobis.*

tui Abel clamat ad me de terra. Clamat enim ſanguis Abel vindictam, ſed ſanguis Chriſti miſericordiam poſtulat. Et poſt paſſionem cicatricum oſtenſione ſemper viuens ad interpellandum pro nobis. 1. *Ioan.* 2. Siquis peccauerit, habemus aduocatum apud Patrem Ieſum iuſtum. Propter hoc dicit *Bernardus*, Securum habes acceſſum ad Dominum, ô peccator: habes ante Filium matrem, & Filium ante Patrem. Mater oſtendit Filio pectus & vbera. Natus oſtendit Patri latus & vulnera. Nulla poteſt eſſe repulſa, vbi tot occurrunt charitatis inſignia.

Et dabo tibi gentes hæreditatem tuam: illam, inquam, hæreditatem, de qua infra in alio *Pſal.* Hæreditas mea præclara eſt mihi. *Iſa.* 49. Pſal. 15. Tempore placito exaudiui te, dedi te in fœdus vt ſuſcitares terram, & poſſideres hæreditates diſſipatas.

Et poſſeſſionem tuam terminos terræ. Ecce dilatatio: quod impletum fuit: Chriſti enim Apoſtoli ei terram vſque ad terminos ſubiecerunt per prædicationem, ſecundum illud, Pſal. 18. In omnem terram exiuit ſonus eorum. Sed poſtea per Nicolaum hæreticum & Mahometum ſubuerſi ad infidelitatem redierunt Orientales, Pſal. 71. & impletum fuit illud, Et dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum. Et illud *Hebræ.* 1. Loquutus eſt nobis in Filio quem conſtituit hæredem vniuerſorum.

Quare boni Chriſti hæreditas dicãtur. Boni autem dicuntur hæreditas Dei Chriſti: quia zelat pro ipſis. *Ioel.* 2. Zelatus eſt Dominus terram. Et *Zachariæ* 1. Zelatus ſum Ieruſalem in Sion zelo magno. Item eam continet, & conſeruat. *Act.* 17. In quo mouemur, viuimus, & ſumus. Ex illa paſcitur, & in illa requieſcit. *Apocalyp.* 3. Cœnabo cum illo, & ipſe mecum. *Cant.* 1. Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie. 1. *Corinth.* 3. Dei agricultura eſtis. Ipſam colit arando. Sic Deus arat ſuos vomere prædicationis. *Iſa.* 2. Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. Firmando per temporalium abundantiam, vel propriæ vtilitatis recordationem. *Lucæ* 13. Sine fodiam circa illam & mittam ſtercora. Seminando ſemina gratiæ & doctrinæ ſubtilioris. *Ierem.* 31. Seminabo eam ſemine hominum, & ſemine iumentorum. *Matth.* 13. Semen eſt verbum Dei. Purgando & ſarriendo ſarculo tribulationum. *Iſa.* 7. Omnes montes in ſarculo ſarrientur, non veniet illuc terror ſpinarum & veprium. *Iſa.* 28. Præſcindet & ſarriet humum ſuam.

9. *Rectus poteſtatis regiæ vſus nec in tyrannidem nec in ignauiam degenerantis.* *Reges eos in virga ferrea.* Hîc ſecundum in quo agitur de vſu poteſtatis Chriſti. Poteſtas autem in vſu peccat dupliciter: vel quia remiſſa eſt, & ſic eſt quaſi otioſa, ſicut in illis de quibus dicitur *Iſa.* 3. Dabo prauos principes eorum, & effœminatos. Vel tyrannica, & tunc eſt perniciosa, ſicut in illis quibus dicitur *Sap.* 6. Cùm eſſetis miniſtri regni illius, non recte iudicaſtis, neque cuſtodiſtis legem iuſtitiæ. Ideò oſtenditur hic, quòd poteſtas Chriſti non ſit otioſa, quæ regit & conterit: neque pernicioſa, quæ poſſet eſſe dupliciter, ſi bonos læderet, vel malis proficeret, ſicut poteſtas illius, cui dicitur *Daniel.* 13. Inueterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua quæ operabaris prius, iudicans iudicia iniuſta, innocentes opprimens, & dimittens noxios. Sed vtrumque remouet à Chriſto: habet enim poteſtatem ferream, qua bonos ſuſtentat fortius: & hoc in prima parte oſtenditur: & malos conterit facilius, & hoc in ſecunda, *Tanquam vas.*

Ait ergo. *Dixit ad me* Pater promittendo, & etiam *reges eos*, Gentiles ſcilicet & Iudæos, de culpa in virtutem, de vna virtute in aliam, & tandem de virtute in gloriam deducendo: & hoc *in virga ferrea*, forti & ſuſtentante & inflexibili iuſtitia. *Apocalyp.* 19. Ipſe reget eos in virga ferrea. Et in eodem, Audiui vocem dicentium in cælo, Salus & virtus, &c. quia vera & iuſta iudicia eius. Iuſta autem ſunt per ſeipſa. *Pſal.* 18. Iudicia eius vera, iuſtificata in ſemetipſa. Si opponitur illud *Ioel.* 2. Benignus & miſericors eſt, & præſtabilis ſuper malitia: ergo iuſtitia eius eſt flexibilis. Reſpondendum, quòd flexibilis eſt, eò quod punit citra meritum: ſed inflexibilis, eò quod nihil relinquit impunitum. *Ierem.* 23. Faciet iudicium & iuſtitiam in terra.

Quomodo virga iuſtitiæ flexibilis ſit & inflexibilis. Hæc eſt ergo virga de qua in *Pſal.* 109. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. Emiſſa eſt enim poteſtas Chriſti de Sion ad Gentes. Iuſtitia autem virga dicitur primò propter rationem nominis, quaſi viribus gerens & ſuſtentans. *Prouerb.* 14. Iuſtitia eleuat gentem, miſeros autem populos facit peccatum. Propter rectitudinem. *Pſal.* 44. Virga directionis virga regni tui. Et iuſtitia ab Anſelmo dicitur rectitudo. Item quia ornamentum eſt regium, ſic iuſtitia decet reges. *Ezech.* 19. Factæ ſunt ei virgæ ſolidæ in ſceptra dominantium. Item quia paſtorale eſt inſtrumentum. *Zachæ.* 10. Aſſumpſi mihi duas virgas: vnam vocaui decorem, & aliam funiculum, & & paui gregem. Quid eſt enim in prælato poteſtas ligandi, niſi funiculus? Quid poteſtas ſoluendi & monſtrandi innocentem, vel pœnitentem, niſi decor? Hæc autem duo ſunt duplex iuſtitia in prælatis & paſtoribus. *Matth.* 16. Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis. Lib. de veritate. cap. 13.

Et tanquam vas finguli confringes eos. Ecce vſus poteſtatis quoad malos qui dicuntur vaſa fictilia ad ſordes recipiendas, non aurea vel argentea ad liquorem gratiæ & deuotionis balſamum continendum. 2. *Timoth.* 2. Sunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Hæc vaſa Dei iuſtitia confringit per culpam, quando tales cadere permittit de vna culpa in aliam, ſecundum illud *Apocalyp.* vltimo: Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. Si enim permitterent ſe confringi per pœnitentiam, eos Dominus repararet, vt fierent vaſa honorabilia: quod ſignificatum fuit *Ierem.* 13. in figulo qui vas quod ſibi non placuerat, ſic reparauit, vt placeret in oculis eius. 2. *Timoth.* 2. Siquis autem emundauerit ſe ab iſtis, erit vas ſanctificatum in honorem & vtile Domino ad omne opus bonum paratum. Quòd ſi non, tandem conteret illa Dominus contritione pœnæ interminabilis

habilis in gehenna ſecundum illud *Iſa.* 30. Subito dum non ſperatur, veniet contritio eius. Et conteretur contritione præualida, ſicut conteritur lagena figuli vt non inueniatur de fragmentis eius teſta, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fouea.

10. *Et nunc Reges intelligite.* Hîc eſt tertia pars Pſalmi. Redarguto enim errore, & patefacta veritate, errantes incipit admonere: & dicuntur duo. Primo ſimplex admonitio, ſecundò efficax perſuaſio & inductio eorum ad cõſentiendum, ibi, *Apprehendite*, &c. Item ad duo monet ſimpliciter: ad intelligentiam patefactæ veritatis, quantum ad apprehenſiuam, & ad venerationem cognitæ quæ reſpicit ad motiuam, ibi, *Seruite.*

Sed iterum intelligere eſt duplex: per ſeipſum & occultiora, & ad hoc monet primò: per alium & magis manifeſta, & ad hoc monet ſecundò, *Erudimini qui*, &c.

Ait ergo, Tantus Rex & talis Chriſtus: Ergo & vos *Reges* ſub eo ad regendum populum conſtituti. *Prouerb.* 8. Per me Reges regnant, & legis conditores iura decernunt. *Roman.* 13. Omnis poteſtas à Deo eſt. Et nos omnes & ſinguli quique quibus ad hoc ratio data eſt vt vos ipſos regatis. *Seneca*, Vis magnum regnum, rege teipſum, cor ſcilicet, linguam, & manum. *Intelligite. Sap.* 6. Audite Reges & intelligite: diſcite iudices terræ, &c. Vobis enim neceſſaria eſt intelligentia: quod oſtendit Salomon qui ſuper omnia conſtitutus in regno, cor intelligens & docile poſtulauit à Domino 3. *Reg.* 3. Vix autem inuenitur vir conſtitutus in dignitate qui intelligat: turbatur enim intelligentia præ tumultu negotiorum, & inflatur amore honorum. *Pſal.* 48. Homo cum in honore eſſet, non intellexit. Singuli etiam Reges non intelligunt ſecundum illud *Pſal.* 32. Dominus de cælo reſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum.

Tria munia boni principis per dona à Magis oblata figurantur.

Et nota, quòd tria ſunt quæ faciunt bonum Regem: quando fortiter contra aduerſarios dimicat: prudenter non tantum mala de bonis, ſed de bonis meliora eligit & ſeparat: vtiliter omnia in debitum finem ordinat. Primus offert myrrham à putrefactione conſeruantem: ſecundus aurum, ſapientiam ſubtiliter eligentem: tertius thus, intentionem debitam ſuauiter redolentem. Hi ſunt tres Reges de quibus *Matth.* 2.

Tria Regibus meditanda.

Tria autem ſunt quæ debent intelligere omnes Reges. Primò Dei beneficia, ſecundò peccata propria, tertiò futura ſupplicia & æterna gaudia. *Deuteron.* 32. Vtinam ſaperent Dei beneficia, & intelligerent propria peccata, & nouiſſima, malorum ſcilicet & bonorum præmia, prouiderent. Et hoc *nunc*: quia *Eccli.* 9. Nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia (Iuriſperitorum) quò tu properas.

Erudimini qui iudicatis terram. Per alium velitis inſtrui, ſi minùs capaces eſtis, & de groſſioribus edoceri: erudiri enim eſt contra ruditatem poni, vel à ruditate exui. Eſt autem duplex ruditas, mentis, & corporis. Ruditas mentis exuitur per doctrinam: ruditas corporis per diſciplinam & afflictionem corporis. *Eccli.* 7. Filij tibi ſunt, erudi illos doctrina, & curua illos à pueritia illorum, correctione ſcilicet & diſciplina. *Nahum* vltimo, Aquam propter obſidionem hauri tibi (in hoc doctrina quæ de puteo ſacræ Scripturæ eſt hauriendæ) in luctum, corpus ſcilicet proprium calcando, & ipſum edomando pœnitentia. In hoc ergo diſciplina ſit.

Triplex terra: inferior, media, & ſuprema, quomodo qualibet regenda.

Erudimini qui iudicatis terram, id eſt, iudicare debetis terram triplicem: eſt enim terra inferior, de qua *Iob* 10. Antequam vadam ad terram tene broſam, & opertam mortis caligine, &c. *Ezech.* 39. Conſolata ſunt in terra omnia ligna voluptatis. Et eſt terra media, de qua *Pſal.* 73. Operatus eſt ſalutem in medio terræ. Et eſt terra ſuprema, de qua in *Pſal.* 26. Credo videre bona Domini in terra viuentium. Terra infima iudicanda eſt iudicio condemnationis, vt ab ipſa omnino reſilias: terra media iudicio diſcretionis, vt quod bonum eſt in ea eligas, quod malum reſpuas: terra ſuprema iudicio approbationis, vt toto deſiderio ibi eſſe appetas. Cum ergo Reges ſic intelligunt & iudicant, tunc benè regitur eorum regnum, & ad bonum finem dirigitur. Super illud *Sap.* 6. Concupiſcentia ſapientiæ deducet ad regnum perpetuum, Gloſſa: Tunc bene regitur Reſpublica, cum Philoſophi regnant, & Reges philoſophantur. *Seneca*, Multos reges, ſi te rex eris.

11. *Seruite.* Hîc eſt ſecundum in quo monet ad operationem & venerationem Dei, quæ dicitur latria: & eſt duplex: vel in exteriori opere, quod pertinet ad actiuã: vel in mente interius: & hæc pertinet ad contẽplatiuam, ibi, *Et exultate ei.* Dicit ergo: Sic monui ad intelligentiam & eruditionem: ſed & hoc moneo, *Seruite Domino*, non diabolo. 3. *Reg.* 18. Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum: ſi autem Baal, ſequimini illum. Et *Domino*, non Dominis. *Matth.* 6. Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire. 1. *Reg.* 7. Præparate corda veſtra Domino, & ſeruite illi ſoli: hoc enim iuſtum eſt, honeſtum, & vtile. Iuſtum: quia nos fecit. *Pſal.* 99. Ipſe fecit nos, & non ipſi nos. Quia nos redemit. 1. *Corinth.* 6. Empti enim eſtis pretio magno. 1. *Pet.* 1. Non corruptibilibus auro vel argento. Honeſtum. *Eccli.* 23. Gloria magna eſt ſequi Dominum: ipſe enim eſt, cui ſeruire regnare eſt. Vtile: quia vitæ æternæ meritorium. *Ioan.* 17. Volo Pater vt vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus.

Seruite ſuo iuſtũ, honeſtũ, & vtile.

Seruite: & hoc *cum timore.* Cautela, ne ab eius ſeruitio recedatis. 1. *Corinth.* 16. Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. *Cum timore* etiam filiali & caſto, de quo in *Pſal.* 18. Timor Domini ſanctus permanens in ſeculum ſeculi. Cum timore reuerentiæ qui à ſeruo Domino debetur. *Malachiæ* 1. Si ego Dominus, vbi eſt timor meus?

Et exultate ei, corde iubilando, & hoc *cum tremore. Philip.* 2. Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini. Et eſt tremor motus proueniens ex motibus contrariis, timoris ſcilicet deprimentis, & ſpei ſuſtollentis. Spes enim ſubleuans gaudere facit, & ſurſum tendere. *Rom.* 10. Spe gaudentes. Timor autem

Tremor quid ſit.

animam in ſe reſilire facit, ne laſciuiat in præſumptionē. Propterea dicitur alibi in *Pſal.* 85. Lætetur cor meum vt timeat nomen tuum. Et nota, quòd ſeruientibus dicit vt timeant, ſed contemplantibus vt tremant, quod plus: & rectè: quò enim plus cognoſcitur, eò magis timetur. *Pſal.* 63. Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus, terribilior apparendo.

Quinque timoris fructus. Nota quinque vtilitates timoris. Prima eſt: quia peccatum expellit tanquam bonus ianitor. *Eccli.* 1. Timor Domini expellit peccatum. Secunda: quia expulſo peccato malarum cogitationum muſcas abigit; de quibus. *Eccle.* 10. Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti. Flabellum enim eſt, & flagellum quo abigebat Abraham aues *Geneſ.* 15. Lib. 6. moral. cap. 27. Tertia: quia in gratia ſtabilit. *Gregorius*, Anchora cordis eſt pondus timoris. *Eccli.* 34. Qui timet Deum, nihil trepidat. Quarta: quia obedientiam perficit. *Eccli.* 15. Qui timet Deum, faciet bona. *Eccli.* 7. Qui timet Deum, nihil negligit. Vltima: quia ventum elationis qui ex prædictis poſſet ſurgere, reprimit, tanquam pondus ſuppoſitum læuum. *Eccli.* 25. Timor Domini ſuper omnia ſe ſuppoſuit. Propter hoc dicitur *Prouerb.* 23. In timore Domini eſto tota die.

12. *Apprehendite diſciplinam.* Hîc ſecunda pars exhortationis, in qua præmiſſa ſimplici admonitione ſubiungitur etiam inductiua perſuaſio. Vnde duo dicuntur: primò perſuaſio, ſecundò ratio efficax, quòd acquieſcendum ſit perſuaſioni ſtatim, ibi, *Nequando*. Dicit ergo: Non ſolum *ſeruite & exultate*, ſed etiam *apprehendite*, fortiter ſuſtinendo, *diſciplinam*. *Duplex diſciplina, per inſtructionē, & correctionem.* Duplex autem eſt diſciplina: eruditionis per doctrinam, & inſtructionis per patientiam in flagellis, & proprij corporis afflictionem per pœnitentiam. In *Pſal.* 118. de vtroque: Diſciplina tua correxit me in finem, quantùm ad ſecundum modum. Et diſciplina tua ipſa me docebit, quantum ad primum. Sic ergo diſciplina & apprehenſiuam intellectiuamque, & motiuam regit & ordinat. Propter hoc dicitur *Hebræ.* 12. Omnis diſciplina in præſenti quidem non videtur eſſe gaudij, ſed mœroris, ſed poſtea fructum pacatiſſimum affert exercitatis ſecundum eam.

Nequando iraſcatur Dominus. Hîc ponitur cauſa & ratio acquieſcendi perſuaſioni, & eſt duplex: vitatio incommodi, & acquiſitio commodi, *Cum exarſerit*. Vitatio autem incommodi duplex eſt: quia eſt vitatio incommodi comparati, vel etiam abſoluti, ibi, *Et pereatis*. Incommodum autem comparatum vel reſpectiuum eſt, Deum habere iratum. Dicit ergo: Sic monui apprehendere diſciplinam, & acquieſcendum eſſe admonitioni, *ne iraſcatur Dominus, quando*, id eſt, aliquādo, hoc eſt, irati effectum in nobis exerceat. Supra enim, *Tunc loquetur ad eos in ira ſua*. Non dicit Dauid *quando*, vt dubitet, ſed vt libertatem arbitrij demonſtret.

Et pereatis. Hîc notatur duplex incommodum abſolutum, vnum quod pertinet ad pœnam, ne *pereatis*, ſicut in primo Pſalmo, *Iter impiorum peribit*: alterum pertinēs ad culpam, quod tangitur cum dicit, *De via iuſta*, recedentes, de qua ſuprà, *Nouit Dominus viam iuſtorum, & iter impiorum peribit*: de quo dictum eſt ibi ſufficienter.

13. *Cum exarſerit in breui.* Hîc ſecunda pars acquieſcendi, ſcilicet acquiſitio commodi: & tanguntur tria: promiſſio commodi, *Beati omnes*: tempus ſolutionis, *Cum exarſerit*: & modus ſoluendi, *In breui*. Dicit ergo: *Apprehendite diſciplinam*. Quòd ſi non mouet vos metus incommodi, ſaltem moueat appetitus commodi: quia illi *qui confidunt in eo, beati* erunt. 3. *Reg.* 4. Beati ſerui tui, & beati viri tui, hi qui ſtant coram te ſemper. *Ierem.* 17. Benedictus vir qui confidit in Domino. Cōfidens autem in homine maledicetur, ibidem. Et hoc *cùm exarſerit in breui ira eius*, id eſt, cum effectum ardentis iræ demonſtrabit, ſcilicet in die iudicij. *Iſa.* 64. Nunc enim non eſt ira eius in ardore, ſed quodam modo temperata. *Iob* 35. Nunc enim non infert furorem ſuum, nec vlciſcitur ſcelus valde: ſed tunc alter erit. *Iſa.* 30. Ardens furor eius & grauis ad portandum. Et nota, quòd ira Dei accenditur cùm peccamus, ſed ardet cùm in peccatis morimur, ſed exardeſcet cum corpora reſumemus. Et *hoc in breui*. Breue enim eſt totum tempus quod tranſit. *Iſa.* 16. Velociter reddens quod iuſtum eſt. *Incrementa iræ Dei.*

In breui etiam dicitur: quia non ſingulos, vnum poſt alterum, nec vnum peccatum vel vnum bonum poſt aliud Dominus iudicabit, ſed in momento diſcutientur omnia: & bona vel mala pro meritis recipientur: quamuis enim nos non poſſimus ſimul diſcutere niſi vnum, Chriſtus tamen etiam inquantum homo poterit cuncta ſimul diſcutere. 1. *Corinth.* 15. In momento, in ictu oculi.

IN TERTIVM PSALMVM.

Pſalmus Dauid, cum fugeret à facie Abſalom Filij ſui. 2. Reg. 15. 14. 1.

2. *Domine quid multiplicati ſunt.* Hîc eſt Pſalmus tertius cui præponitur titulus, in quo ſecundum ſuperficiem videtur oſtendi quæ ſit cauſa efficiens huius Pſalmi, & tempus in quo editus eſt: titulus enim eſt, *Pſalmus Dauid*, hoc eſt, à Dauid factus, ecce auctor: *cum fugeret à facie Abſalom filij ſui*, ecce tempus apertè & ratio componendi Pſalmum, ſcilicet tribulatio illata à filio Abſalone, de qua habetur ſermo 2. *Reg.* 15. 16. 17. 18. Verius tamen ſecundum ſpiritualem intelligentiam oſtenditur materia huius Pſalmi, ſcilicet Chriſtus. Sed in hoc generalis materia propter hoc monſtratur, & quid de Chriſto dicatur in hoc Pſalmo, quia perſequutio quam ſuſtinuit à filio proditore, ſcilicet Iuda, quæ perſequutio figurata fuit in illa materiali ſuperius tacta. Dauid enim, quantum ad hoc factum pertinet, ſatis bene exprimit Chriſtum propter tria. Propter affectum: ſicut enim Dauid Abſalonem tanquam filium diligebat, ſic Chriſtus Iudam: vnde ſicut & alios filium vocauit. *Matth.* 9. Non poſſunt filij ſponſi ieiunare quandiu cum illis eſt ſponſus. Propter factum: *Pſalmi argumentum ad literā Dauid perſecutionem à filio patiens, myſtice Chriſtus à Iuda proditus.*

Chriſtus Dauidi comparatus.

factum:ſicut enim Dauid Abſalom perſequentem illum, ab eo fugiens elongauit, ſic Chriſtus à Iuda obſtinato etiam corporaliter receſſit,abiens cum aliis diſcipulis in montem Oliueti *Marc.* 14. & ſpiritualiter mentem ipſius dereliquit, longe factus ab eo,& totum derelinquens diabolo occupandum. *Ioan.* 13. Et poſt bucellam introiuit Sathanas in eum. Et propter finem. Sicut enim Dauid mortuo Abſalone in pace regnauit, ſic Iudâ ſuſpenſo *Matth.* 26. & *Act.* 1. Chriſtus glorioſus & nihil timens ab aliquo, reſurrexit, aſſerens de ſeipſo illud *Matth.* vltimo: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.

Et Iudas Abſaloni.

Abſalom etiam Iudam in illo facto ratione triplici figurauit.Primò propter nominis interpretationem: interpretatur enim Abſalom,patris pax:Iudas autem ſe patri ſuo Chriſto oſtẽdebat pacificum, quando ſalutans oſculatur eum *Matth.* 26. Ratione operis: quia ſicuti Abſalom contra patrem ſuum exercitum congregauit, ſic Iudas acceptis cohortibus & miniſtris contra Chriſtum venit *Ioan.* 18. Et ratione finis: vterque enim ſuſpendio interiit.

Senſus ergo tituli hic eſt, *Pſalmus Dauid*, hoc eſt, de vero Dauid eſt Pſalmus iſte: & hoc quantum ad perſecutionem quam ſuſtinuit à Iuda proditore, à quo & corporaliter & ſpiritualiter receſſit.

Diuiſio Pſalmi.

Notandum autem, quòd Pſalmus iſte totus in duas partes diuiditur: agitur enim primò de pugna quam Chriſtus ſuſtinuit in ſua paſſione, ſecundò de victoria, & triumpho reportato ex illa in ſua Reſurrectione, ne credatur ſuccubuiſſe, verſu quinto, *Ego dormiui, &c.* Rectus ordo:in primo enim Pſalmo actum eſt de beatitudine,in ſecundo de perſequutione & tribulatione per quam venitur ad beatitudinem: in hoc de Chriſti pugna & paſſione, quæ eſt ratio & cauſa quare per tribulationem ad beatitudinem peruenitur.

Prima pars ſic diuiditur in duas partes: omnis enim pugna partes habet. Primò ergo agitur de parte impetente Chriſtum, ſecundò de defendente: verſu tertio, *Tu autem Domine.* In prima parte duo: primò monſtratur impetentium numeroſitas, ſecundò impugnationis multiplicitas: primò facto, *Multi inſurgunt*: ſecundo verbo, *Multi dicunt.*

Ait ergo Chriſtus ad Patrem loquens, *Domine quid multiplicati ſunt, qui tribulant me?* Litera Hieronymi, hoſtes mei, Scribæ,& Phariſæi,Pilatus, milites crucifigentes,& Iudæorũ plebs. *Pſal.* 118. Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum. Et alibi, Multi qui perſequuntur me & tribulant me. Et, Multi inſurgũt aduerſum me.Facto.*Pſal.* 26.Inſurrexerunt in me teſtes iniqui. Dicitur enim propriè inſurgere ad nocendum,conſurgere ad auxiliandum, aſſurgere ad honorandum. Et nota, quòd hoſtes Chriſti, mali ſcilicet, multiplicati ſunt numero, rebus, peccatis, tandem ſuppliciis. Numero. *Matth.* 20. Multi vocati, pauci verò electi. Et in *Pſal.* 39. Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei. *Eccle.* 1. Stultorum infinitus eſt numerus. Rebus. *Pſal.* 4. A fructu frumenti, vini & olei ſui multiplicati ſunt. *Iob* 12. Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum. Peccatis, ſecundum illud, Appone iniquitatem ſuper iniquitatem illorum. *Eccli.* 3. Cor nequam aggrauatur doloribus, & peccator adiiciet ad peccandum. Secundum illud *Eccli.* 5.Fili non adiicias peccatum ſuper peccatum. Suppliciis. *Pſal.* 108. Operiantur ſicut diploide confuſione ſua.*Iob* 24.Tranſibunt ab aquis niuium, ad calorem nimium. *Iſa.* vltimo, Vermis eorum,&c. *Hoſtes Chriſti multi & varie multiplicati.* Pſal.68.

Multi dicunt animæ meæ, impugnando me opprobrioſo verbo, *Non eſt ſalus ipſi in Deo eius*, id eſt, ſalus qua ſaluat alios, non eſt ipſi à Deo eius, qui eius pater eſt, ſicut dicitur *Matth.* 12. In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Vel ipſi animæ eius non eſt ſalus in Deo eius, id eſt, in eo quem ſibi Deum dicit,ſaluari non poterit. *Sap.* 2.Promittit ſe ſapientiam Dei habere, Filium Dei ſe nominat. Et poſt pauca, Videamus ergo ſi ſermones illius veri ſunt. *Matth* 27. Si Filius Dei es, deſcende de cruce. *Luc.* 23. Si tu es Rex Iudæorum, ſaluum te fac. Sic impletum eſt illud *Ierem.* 12.Facta eſt mihi hæreditas mea quaſi Leo in ſylua, dedit vocem ſuam contra me. *Ezechiel.* 35. Inſurrexiſtis contra me ore veſtro. 3.

Mira Chriſti perſecutio, quia gratuito mala.

Nota,quòd verè mirandum, quòd Chriſtus inuenerit impugnantem. Primò propter naturæ conformitatem, quam ad nos habuit. *Eccli.* 13. Omne animal diligit ſimile ſibi, ſic & omnis homo proximum ſibi. *Philip.* 2. dicitur de Chriſto ,Exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens, & habitu inuentus vt homo. Secundò: quia nihil omnino contra hominem commiſit. *Mich.* 6. Populeus quid feci tibi, aut in quo moleſtus fui? reſponde mihi. Item nihil eorum quæ debuit facere, omiſit. *Iſa.* 5. Quid vltra debui facere vineæ meæ, & non feci? *Geneſ.* 1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. *Matth.* 7. Benè omnia fecit. Item omnimodam innocentiam habuit, cui etiam ignis habens vim irrationabilem parcit. *Daniel.* 3. Omnino non tetigit eos ignis, nec contriſtauit. Item in viſu fuit amabilis:quia ſpecioſus. *Pſal.* 42.Speciouſus forma præ filiis hominũ. Formoſitas eius naturalis cauſa amoris, non perſequutionis. *Eccli.* 40. Gratiam & ſpeciem deſiderabit oculus. In ſermone ſuauis. *Pſal.* 118. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! & *Eccli.* 6. dicitur, Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos. Omnibus liberalis & largus. *Pſal.* 144. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. *Prouerb.* 9. Multi colunt perſonam potentis, & amici ſunt dona tribuentis. Miror ergo, quod impugnatus ſit, cum omnes cauſas amoris haberet, & nullam odij. *Pſal.* 119. Cùm loquebar illis, impugnabant me gratis. *Pſal.* 118. Perſecuti ſunt me gratis. Propter hoc dicitur in *Iſa.* 21. Babylon dilecta mea poſita eſt mihi in miraculum. *Ierem.* 5. Stupor & mirabilia facta ſunt in terra. 4.

Duplex auxilium contra impugnates Chriſtum: cõſolatio diuina, & oratio.

Tu autem Domine ſuſceptor, &c. Hîc ſubiungitur de defendente, quod fuit dupliciter, ſcilicet diuina conſolatio contra impugnantes facto, efficax oratio contra impugnantes ver-

bo, ibi, *Voce mea.* Diuina conſolatio conſtat ex tribus, ex naturæ humanæ vnione cum diuina, ex glorioſa fruitione gloriæ, & ex poteſtatiua ſublimatione, *Et exaltans.*

Dicit ergo: Sic me perſequuntur, ſed non ſuccumbo: quia *tu Domine ſuſceptor meus es*, in identitate perſonæ filij tui, naturam meam aſſumendo, ſecundum illud alibi, Beatus quem eligiſti & aſſumpſiſti, inhabitabit in atriis tuis. Hæc eſt ſuſceptio quam in perſona generis humani petebat Dauid alibi dicens, Suſcipe me ſecundum eloquium tuum, & viuam.

Pſal. 65.

Pſal. 118.

Gloria mea, beatam & glorioſam fruitionem mihi ex eadem vnione conferendo, quæ eſt vera gloria. 2. *Corinth.* 10. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Et *Ierem.* 9. In hoc glorietur qui gloriatur, ſcire & noſſe me. Et Chriſtus dicit de ſe *Matth.* 11. Nemo nouit Patrem niſi Filius. Et *Ioan.* 1. Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit nobis. Sic tu gloria mea, & ego tua. *Iſa.* 42. ſecundum aliam literam, Ecce puer meus gloria mea in qua gloriabor. *Prouerb.* 10. Gloria Patris Filius ſapiens.

Et exaltans caput meum, plenam & poteſtatiuam dominationem mihi tribuendo. In *Pſal.* 8. & *Heb.* 1. Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius. Et alibi in *Pſal.* 45. Exaltabor in Gentibus, & exaltabor terra. Et hoc iuſtum, quia humiliatus ſum in mea paſſione. *Pſal.* 109. De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput. Et *Philip.* 2. Exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens: factus obediens Patri vſque ad mortem: propter quod & Deus exaltauit illum, &c.

Locus moralis de inſultu dæmonum.

Et nota moraliter, quòd hoſtes ſpirituales multiplicantur. Primò contra animam in peccati ſuggeſtione: inſurgunt autem in conſenſu & delectatione ſed dicunt, Non eſt ſalus ei, ſalus in Deo in peccati perpetratione. Propter primum dicitur in *Pſal.* 118. Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum. Propter ſecundum illud, Si conſurgat aduerſus prælium. Propter tertium *Thren.* 2. Aperuerunt ſuper te os ſuum omnes inimici tui: ſibilauerunt & ſtrenduerũt dentibus ſuis, & dixerunt, Deuorabimus: en iſta eſt dies quam expectabamus: inuenimus, vidimus.

Sed Prælatus debet eſſe ſuſceptor ſubditi ſic tentati. *Prouerb.* 11. Qui ſuſcipit animas, ſapiens eſt. *Iſa.* 40. In ſinu ſuo leuabit agnos, fœtas ipſe portabit. Debet eſſe gloria ſuſcepti, ipſum adiuuando orationibus ſuis, & liberando à tentatione. *Iudith* vltimo, Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi tui. Et vt impleatur in humili ſubdito illud *Prouerb.* 29. Humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria. Debet eſſe exaltans caput ipſum, ad ſuperiora per exemplum bonum ſubleuando, vt ſic amplius non timeat recidiuum. *Prouerb.* 1. Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum.

5.

Voce mea ad Dominum clamaui. Hîc ſecundum in quo agitur de efficaci oratione: & primò tangitur orationis modus, ſecundò fructus, *Et exaudiuit.* Modus oſtenditur in quatuor: quia abfuit ſuperfluitas, quod notatur in hoc quod dicitur, *Voce.* Secundò: quia affuit puritas, quod notatur in hoc quod dicitur materia ſecreta. Tertiò: quia abfuit vanitas, quod notatur per hoc quod dicit, *Ad Dominum.* Quartò, quia affuit deuotio, quæ notatur in hoc quod dixit, *Clamaui.*

Quatuor orationis partes & circumſtãtiæ.

Dicit ergo: Sic Domine fuit à parte tui conſolatio, à parte mei oratio, non in ſuperfluitate verborum, quia *voce* non vocibus. *Matth.* 6. Orantes autem nolite multum loqui, ſicut ethnici faciunt: putant enim, quod in multiloquio exaudiantur. *Voce mea*, qui purus & mundus ſum à peccato ſolus. *Iſa.* 53. & 1. *Pet.* 2. Iniquitatem non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius. Non enim audis peccatores in peccatis permanere volentes. *Ioan.* 9. Scimus quia peccatores Deus non exaudit. *Iſa.* 1. Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.

Et ad Dominum, vt eſſet oratio in ſecreto. *Matth.* 6. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum & ibi ora Patrem tuum, qui eſt in abſcondito. Et alibi in *Pſal.* 17. Clamor meus in conſpectu eius (non hominum) introiuit in aures eius. Sed quamuis in abſcondito, tamen *clamaui* feruore cordis & deuotione. Notandum enim, quòd clamor aliquando dicitur impropriè, ſcilicet cauſa clamoris. *Geneſ.* 4. Clamor fratris tui Abel clamat ad me de terra. Et illud *Geneſ.* 19. Deſcendam & videbo vtrum clamorem qui venit ad me, compleuerint. Et rurſus *Iacob.* 5. Merces operariorum veſtrorum qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat. Et eſt clamor duplex: cordis, ſcilicet feruor & deuotio. Sic Suſanna tacens ore, clamabat corde *Daniel* 13. Sic Moyſes Pharaone perſequente, cui dictum eſt *Exod.* 14. Quid clamas ad me? Et eſt clamor oris qui bonus eſt quando iungitur cum clamore cordis, quo clamauit Chriſtus homo ad Deum Patrem, & ſeipſum Deum idem homo. *Matth.* 27. Voce magna clamauit Eli Eli. Et *Hebræ.* 5. Cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia. Si ſolus ſit clamor oris, parum valet. *Amos* 5. Auferà me tumultum carminum tuorum: & cantica lyræ tuæ non exaudiam. *Prouerb.* 1. Tunc vocabunt me, & nõ exaudiam. Quare? Propter illud *Iſa.* 29. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Et illud *Ierem.* 12. Prope es tu ori eorum, longe autem à renibus eorum.

Et exaudiuit me de monte. Ecce fructus orationis. *Exaudiuit ergo me de monte ſancto ſuo*, id eſt, de cælo, qui mons dicitur ratione ſtabilitatis & propriæ firmitatis, vnde alibi, Iuſtitia tua ſicut montes Dei. Pſal. 35. Vel mons appellatur miſericordia ratione eleuationis ſuper iuſtitiam. *Iacobi* 2. Superexaltet autem miſericordia iudicium. Vel *de monte ſancto ſuo*, id eſt, de meipſo. Ac ſi dicat, Me hominem exaudiuit Deus de me, hoc eſt, exiſtens in me, qui dicor mons ratione omnium virtutum, & mons excellentior ſuper omnes. *Daniel.* 2. Lapis præciſus de monte ſine manibus, Chriſtus ſcilicet conceptus & natus de Virgine abſque humanis actionibus, venit in montem magnum. *Iſa.* 2. Erit præpa-

ratus

ratus mons Domini in vertice montium,& eleuabitur ſuper colles, &c.

Ego Dormiui & ſoporatus ſum. Hîc ſecunda pars Pſalmi, in qua agitur de victoria. Sed quia victoriam aliquando ſequitur vanitas, non vtilitas. 4. *Reg.* 14. Inualuiſti ſuper Edom, & ſubleuauit te cor tuum. Primò deſcribitur victoria capitis, ſecundò vtilitas totius corporis verſu vltimo, *Domini eſt ſalus.*

Item in prima parte duo ponuntur. Primò oſtendit Chriſtus, quòd in illo non ſuccubuerit: ſecundò, quòd præualuerit, *Quoniam tu percuſſiſti.* Et in prima dicitur primò, quòd non ſuccubuerit corpore, quia detentus non eſt in morte: ſecundo, quòd nec in mente, quia non percuſſus fuit timore, *Non timebo.* In prima dicuntur quatuor: primò confitetur ſe mortuum, ſecundò ſepultum, quod plus eſt, *Et ſoporatus*: tertiò nihilominus in morte non detentum, *Et exurrexi*: quartò rationem ſubiungit, quare detentus non ſit, *Quia Dominus.*

Variæ ſõni ex Scriptura acceptiones.

Ait ergo: Talis fuit pugna: Et *ego dormiui* in illa ſomno mortis. Notandum enim, quòd eſt ſomnus naturæ, de quo dicunt diſcipuli *Ioan.* 11. Si dormit, ſaluus erit. Et eſt ſomnus culpæ, de quo dicit *Paulus Epheſ.* 5. Surge qui dormis. Et eſt ſomnus pigritiæ, de quo *Prouerb.* 6. Vſquequo piger dormies? Paululum dormies, paululum dormitabis. Et 24. ſimiliter. Et eſt ſomnus gratiæ. *Cant.* 12. Ego dormio, & cor meum vigilat. Et gloriæ. *Act.* 7. Stephanus obdormiuit in Domino. Et eſt ſomnus tribulationis & tædij. *Matth.* 26. Venit ad diſcipulos Ieſus, & inuenit eos dormientes: cuius rei Marcus reddit cauſam: erant enim oculi eorum grauati, & hoc propter tribulationem & tædium. Et eſt ſomnus mortis, de quo hîc & in *Pſal.* 75. Dormierunt, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum, &c.

Mors Chriſti aptiſſimè ſomnus dicitur.

Dicitur autem mors Chriſti dormitio ſiue ſomnus: primò quia ſicut homo voluntarius ad ſomnum vadit, ſic Chriſtus ad mortem ſpontaneus acceſſit. *Iſa.* 53. Oblatus eſt, quia ipſe voluit. *Ioan.* 10. Nemo tollit animam meam à me, ſed ego eam pono. Secundò propter facilitatem refurgendi: ſicut enim homo à ſomno de facili excitatur, ſic Chriſtus de ſepulchro. Hinc dicebat *Ioan.* 11. Lazarum dormire cum eſſet mortuus, & Archiſynagogi filiam mortuam ſimiliter dormientem *Matth.* 9. Tertiò propter corporis integritatem: in ſomno enim corpus non corrumpitur, nec putreſcit, vt in morte: ſic nec Chriſti corpus putrefactum eſt in ſeparatione animæ: vnde in *Pſal.* 15. Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Quartò & vltimò ex fortificatione corporis, quam contraxit ex dulci quiete: quia primò paſſibilis, omnino impaſſibilis reſurrexit de morte. *Rom.* 6. Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur. Propter hoc dicitur in perſona eius *Ierem.* 31. Quaſi de ſomno excitatus ſum, & vidi deiectionem, inimici ſupple: & ſomnus meus dulcis mihi.

Et ſoporatus ſum, ſepultus & clauſus in lapide, tanquam mortuus & detinendus morte, ſicut ſoporatus in ſomno. *Matth.* 37. Accepto corpore Ioſeph, inuoluit illud in ſyndone munda, & poſuit illud in monumento quod exciderat de petra, & aduoluit ſaxum magnum ad oſtium monumenti. Hæc ſoporatio ſeſſio dicitur alibi in alio *Pſal.* 138. Cognouiſti ſeſſionem meam. Hic eſt grauis ſopor, qui irruit ſuper Abraham quando ſacrificium Deo obtulerat *Geneſ.* 15. Hic eſt ſopor Adæ, quo ſoporatus eſt *Geneſ.* 2. cùm Eua de latere eius formata eſt. Chriſto enim ſoporato, Eccleſia formata eſt de Chriſto.

Et exurrexi, corpus proprium reſumendo, & gloriâ induendo: nec hoc illâ virtute quia homo ſum, ſed quia *Dominus ſuſcepit me*, id eſt, naturam meam in vnitatem perſonæ. *Iſa.* 42. Ecce puer meus, ego ſuſcipiam eum. *Geneſ.* penultimo. Requieſcens accubuiſti vt leo, & quaſi leæna: quis ſuſcitabit eum? Hæc ſuſcitatio Chriſti hominis de ſepulchro à Deo, figurata fuit in Iona, quem cetus virtute diuinâ poſt triduum euomuit *Ion.* 2.

Et nota moraliter, quod dormit homo, primò in peccato delectando, ſoporatur contemnendo, ſed tamen exurgit pœnitendo, & Dominus eum tandem ſuſcipit glorificando. Hanc ſuſceptionem optabat, qui dicebat in *Pſal.* 118: Suſcipe ſeruum tuum, &c. Item dormit anima contemplando. *Cant.* 2. Ego dormio, & cor meum vigilat. Soporatur in contemplatione quieſcendo & morando. *Cant.* 8. Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit. Sed exurgit ad actionem redeundo. *Cant.* 2. Mane ſurgamus ad vineas. Et Dominus ſuſcipit in actione conſeruando à peccato. *Pſal.* 90. Suſceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus.

Non timebo millia populi. Hîc ſecundum, in quo oſtendit, quòd nec mente ſuccubuit. Sed quia timoris carentia aliquando eſt ex confidentia in ſemetipſo, quod eſt temeritas, aliquando verò ex ſufficienti adiutorio, quod eſt ſecuritas, duo hic dicuntur. Primò oſtendit ſe timidum primo modo: ſecundò non timidum ſecundo modo, quia timidum in Deo confiſum, *Exurge Domine.* 7.

Ait ergo: Sic exurrexi, id eſt, exurgam (præteritum pro futuro) corpore, & *non timebo millia populi*, id eſt, multitudinem quamlibet *circundantis me* ad perdendum. Circundederunt enim Chriſtum populi ſicut canes oblatrantes, ſicut tauri pingues cornibus impetentes. *Pſal.* 11. Circundederunt me canes multi, tauri pingues obſederunt. Circundederunt ſicut apes pungentes. *Pſal.* 117. Circundederunt me ſicut apes: & ſicut gladij ad intima penetrantes. *Iob* 16. Circundedit me lanceis ſuis, & vulneranit lumbos meos: non pepercit, & effudit in terram viſcera mea. *Thren.* 3. Ædificauit in gyro meo, & circundedit me.

Exurge Domine. Quaſi diceret: Non erit ex me hæc ſecuritas, ſed ex te, quare ô *Domine exurge*, id eſt, expergiſcere: etſi aliquantulum quaſi dormiens videaris. *Pſal.* 77. Excitatus eſt tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino. Vel ſic, *Non timebo.* Sed hoc non poſſum, niſi per te: propter quod rogo, *Exurge Domine*, id eſt, fac me

exurgere!

exurgere : dicitur enim Deus facere, quod in nobis facit ipſe. *Roman.* 8. Spiritus poſtulat pro nobis, id eſt, poſtulare nos facit. Et ſic.

Saluum me fac Deus meus, ſaluum corpore, ipſum à putrefactione conſeruando : mente, ipſam animam ab inferis reuocando. *Pſal.* 15. Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

8. *Quoniam tu percuſſiſti omnes.* Ecce ſecundum, in quo oſtendit, quòd non tantum non ſuccubuit, ſed & præualuit in pugna : & primò quod præualuit contra impugnantes facto : ſecundò contra impugnantes verbo, *Dentes peccatorum contriuiſti.* Ait enim : Sic non ſuccubui, imò præualui : *quoniam tu percuſſiſti omnes aduerſantes mihi.* *Pſal.* 77. Percuſſit inimicos ſuos in poſteriora, opprobrium ſempiternum dedit illis. *Ierem.* 49. Contriuit Moab quaſi vas inutile. Moab ex patre populum ſignificat Iudæorum, cui dictum eſt *Ioan.* 8. Vos ex patre diabolo eſtis. Et rectè percuſſus eſt qui percuſſit. *Mich.* 5. In virga percutient maxillam iudicis Iſrael.

Percuſſiſti, inquam, *omnes aduerſantes mihi ſine cauſa. Ioan.* 19. Nullã cauſam mortis inuenio in eo. Et de eodem, Quoniam odio habuerunt me gratis. Percuſſi ergo ſunt, nec correcti. *Ierem.* 5. Percuſſiſti eos, & non doluerunt: attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam. *Prouerb.* 23. Verbauerunt me, & ego non dolui : traxerunt me, & ego non ſenſi.

Dentes peccatorum contriuiſti. Quaſi diceret: Non tantum impugnantes facto percuſſiſti, ſed detractores verbo me impugnãtes, quaſi ad nihilum redegiſti. *Iſa.* 33. Contriti ſunt in Sion peccatores, detractores ſcilicet qui per dentes deſignantur.

Dentibus raptores interdũ vel prædicatores ex Scriptura ſignificantur, & varia vtriuſq; comparationis ratio.

Notandum enim, quòd ſunt mali dentes, & boni. Mali multipliciter detractores, ſicut hic dicitur, & alibi in *Pſal.* 56. Dentes eorum arma & ſagittæ. *Prouerb.* 30. Generatio quæ prodentibus gladios habet. Dentes etiam ſunt raptores. *Iob* 29. Conterebam molas iniqui, & de dentibus eius auferebam prædam. Nota, quòd tangit molas & dentes. Dentes enim viciſſim ſunt raptores : ſed dentes molares ſunt, qui rapta comedunt, conterunt & conſumunt. *Iſa.* 3. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis ? dicit Dominus exercituum.

Dentes autem boni, ſunt prædicatores veritatis & doctores. *Cant.* 4. Dentes tui ſicut greges tonſarum quæ aſcenderunt de lauacro: omnes gemellis fœtibus, &c. Iſti ſunt dentes Moyſis, qui nunquam moti ſunt *Deuteron.* vltimo. Debent enim in Chriſto firmiſſimè fundari. Sed conqueritur *Trhen.* 3. Confregit ad numerum dentes meos, Prælatos ſcilicet & Doctores diabolus.

Alij dentes ſunt putrefacti per luxuriam, & conuerſationem in temporalibus, quæ ſtercora ſunt. *Prouerb.* 25. Dens putridus & pes laſſus, qui ſperat ſuper infideli in die anguſtiæ.

Debent autem iſti dentes eſſe innocentia candidi, charitate coniuncti, iuſtitia ordinati, conſtantia firmi, fortitudine oſſei, peccatorum corroſiui doctrina & veritate.

Domini eſt ſalus. Hìc eſt ſecundum ſecundæ partis Pſalmi, in quo agitur de victoria: tangitur enim vtilitas corporis conſequuta ex victoria mentis : & tangitur duplex vtilitas : prima, inſtructio, vt ſperemus ſimile : ſecunda, oratio, vt ſperatum obtineamus, *Et ſuper populum.* Dicit ergo : Sic victoriam aſſequutus ſum. Propter hoc, ô vos mei, ſcire debetis, *quod Domini eſt ſalus*, id eſt, à Domino : & hoc ab ipſo ſolo, non à nobis. *Oſeæ* 13. Perditio tua ex te Iſraël, tantum ex me auxlium tuum. In ſolo enim Deo ſalus eſt. *Oſeæ* 13. Deum abſque me neſcies, & ſaluator non eſt præter me, & in Chriſto qui Deus eſt. *Act.* 4. Non eſt aliud nomen, in quo opporteat ſaluos fieri credentes. *Iſa.* 49. Dedi te in lucem Gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. *Pſal.* 53. Deus in nomine tuo ſaluum me fac. 9.

Et ſuper populum tuum benedictio tua. Quaſi dicat : Salus eſt à Domino : & propter hoc rogo te Domine, dicit Filius ad Patrem, vt ſuper populum meum qui tuus eſt. *Ioan.* 17. Omnia mea tua ſunt, & tua mea ſunt : ſit benedictio tua. Benedictio, inquam, Iacob, non Eſau *Geneſ.* 27. Benedictio ſcilicet dexteræ, vt eis conferatur gratia in præſenti, & gloria in futuro. Et reſpondet Pater *Iſa.* 44. Effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, gratiam conferendo : & benedictionem meam ſuperſtirpem tuam, in gloria conſummando. *Num.* 16. tanguntur hæc duo : Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te, quantum ad gratiam liberantem à peccato præterito, & conſeruantem à futuro. Oſtendat Dominus faciem ſuam, & conuertat vultum ſuum ad te, & det tibi pacem. Oſtendat faciem ſuam rationabili, conuertat vultum ſuum ad te, bonitatem ſuam largiens concupiſcibili, & det tibi pacem in iraſcibili : vt ſic fiat rationabili plenitudo lucis, & concupiſcibili plenitudo ſuauitatis, & iraſcibili plenitudo pacis.

IN QVARTVM PSALMVM.

In finem carminibus, Pſalmus Dauid. 1.

CVm inuocarem. Pſalmus quartus, cui præponitur titulus tertius. *In finem carminibus, Pſalmus Dauid.* Ad cuius euidentiam notetur diligenter Gloſſa ſuper hoc adiuncto, quod eſt *finis.* Finis eſt multiplex, temporis. 1. *Corinth.* 10. Nos ſumus in quos fines ſæculorum deuenerunt. Loci *Sap.* 8. Attingens à fine vſque ad finem fortiter. Conſummationis. *Rom.* 10. Finis legis Chriſtus ad iuſtitiam. *Iſa.* 32. Conſummata eſt vindemia, collectio vltra non veniet. Et cauſa finalis *Apocalyp.* 1. Ego ſum Alpha & ω, principium & finis. 2.

Ordo huius Pſalmi & eũ ſuperioribus connexio notanda.

Pſalmus autem ſic ordinatur ad prædictos: cum enim actum ſit de beatitudine in primo Pſalmo, de tribulatione per quam venitur ad beatitudinem, in ſecundo : de Chriſti paſſione quæ eſt ratio perueniendi per tribulationem, in tertio : in hoc quarto agitur de influentia

fluentia in membra propria, à capite Chriſto, vt per hoc oſtendantur per ipſum tracta ad gloriam, quorum membra perueniunt ad illam. *Ioan.* 3. Nemo aſcendit in cælum niſi qui deſcendit de cælo, &c.

Argumentum Pſalmi, à Chriſto omne bonum eſſe.

Diuiditur autem in tres partes. Primò oſtenditur influentia bonorum à capite in membra. Secundò increpatio membrorum conuertentium ſe ad infima & vana, à quibus in ipſos nulla boni influentia, ibi, *Filij hominum.* Tertio exhortatio increpatorũ, vt conuertantur ad Chriſtum à quo bona illa influunt, & recipiunt illa, ibi, *Et ſcitote.* In prima parte tria dicuntur. Primò oſtenditur, quòd à Chriſto eſt boni inchoatio: ſecundò, quòd ab eodem in bonum promotio, *In tribulatione dilataſti*: tertiò poſtulatur ab eo in bonum conſummatio, vt ſic innuatur, quòd ab eodem eſt, ibi, *Miſerere mei.* Ait ergo: Verè paſſionis & victoriæ fructus ſalus eſt benedictio: quia *cum inuocarem*, non exterius ore, ſed interius corde.

Exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ. Ioel. 2. Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Inuocat autem, qui iam intus habet quod vocat: habens autem qui vel exiſtens in peccato iam habere deſiderat, vel exiſtens in gratia plus habere deſiderat: alias non inuocat, nec exauditur ſi orat. Vnde *Auguſtin.* in originali, Cum inuocat quem intus non habet, hoc eſt, nullo modo habet: venit Deus vt puniat, non vt gratiam conferat. Nec mirum ſi exaudit illum qui intus vocat: quia aures habet ad deſiderata eius qui corde clamat. *Pſal.* 33. Et aures eius in preces eorum. Et alibi, Deſiderium cordis eorum audiuit auris tua. Propter hoc dicitur *Iſa.* 65. Et erit antequam clament, ego exaudiam.

Pſal. 9.

Variè exaudit Deus, ad votum, & meritum, & exitum.

Nota, quòd exaudit Deus aliquando ad votũ, hoc eſt, facit quod petitur, ſed non ad meritum. Sic exaudiuit dæmones quos in porcos miſit *Matth.* 8. Aliquando ad votũ & meritum, ſed non ad exitum, vt patres Veteris Teſtamenti petentes vitam æternam, quos exaudiuit cum rogarent, & meritum vitæ æternæ tribuit: ſed petitio eorum in actum non exiuit: deſcendebant enim ad limbum ante Chriſti paſſionem, à quo ſunt tunc liberati. *Zachar.* 9. Tu vero in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctum in fortitudine, &c. Aliquando exaudit ad votum & meritum & exitum, ſicut modernos ſanctos. *Luc.* 11. Petite, & accipietis.

Igitur *cum inuocarem*, *exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ* dator & conſeruator, augmentator & remunerator: ab ipſo enim totum eſt. *Iacob.* 1. Omne datum optimum, &c. 1. *Corinth.* 4. Quid habes quod non accepiſti?

In tribulatione dilataſti mihi. Nota, quòd conuertit ſermonem ad Dominum, vt oſtendat feruorem animi ad ipſum, & hal ere ſe in corde illum de quo loquebatur aliis: & eſt ſenſus, ſic exaudiuit me iuſtitiam conferens, & etiam in collata iuſtitia promouit illam dilatans in me, qui ad ipſum me conuertens confiteor dicens: *In tribulatione*, in qua anguſtiabar in corpore, *dilataſti mihi*, conferens gaudium in mente. Sic dilatatus erat qui dicebat *Rom.* 5. Gaudeamus in tribulatione, ſcientes quoniam tribulatio patientiam operatur, &c. Sic dilatari nos volebat *Iacob.* 1. Omne gaudium exiſtimate fratres, &c.

Dilatantur mali & boni tripliciter: corde, ore, & opere.

Vnde notandum eſt, quod eſt dilatatio malorum, & eſt triplex: cordis per diſſecationem & appetitum diuiſorium. *Oſeæ* 10. Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt. Et oris per detractionem & iactantiam. *Pſal.* 34. Dilataueruerunt ſuper me os ſuum. *Ierem.* 20. Extenderunt linguam ſuam quaſi arcum mendacij. Et operis. *Matth.* 23. Dilatant enim phylacteria ſua & magnificant fimbrias.

Boni etiam dilatantur tripliciter: corde & ore, de quibus duobus 2. *Corinth.* 6. Os noſtrum patet ad vos ô Corinthij, tanquam dilatatum in prædicatione: cor noſtrum dilatatum eſt, in charitate. Et opere *Pſal.* 17. Dilataſti greſſus meos ſubtus me. Sicut enim malleus non deſtruit, ſed dilatat aurum vel argentum, ſic nec tribulatio virum iuſtum.

Miſerere mei. Ecce tertium in quo petit perfectam conſummationem, quæ eſt in duobus modis: in remotione omnis mali, & adeptione omnis boni, *Exaudi orationem meam.* Ait ergo: Sic inuocans adeptus ſum iuſtitiam, & iuſtitiæ promotionem. Sed hoc rogo ô Domine *miſerere mei*, amouendo omnem miſeriam & culpæ & pœnæ, ſub qua gemebat *Paulus Rom.* 7. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Nec petit hoc vt amoueatur miſeria penitus quandiu eſt in hac vita: hoc enim non eſt vtile. *Act.* 14. Per multas tribulationes, &c. & *Matth.* 7. Arcta eſt via, & anguſta eſt porta quæ ducit ad vitam. Et *Bernar.* dicit: Delicatus eſt miles qui hîc vult gaudere cum mundo, & regnare cum Chriſto. Sed petit vt hoc ſit in alia.

Oratio oris & cordis & operis ex variis principiis.

Et exaudi orationem meam, mihi bona vera & interminabilia conferendo: oratio enim eſt adipiſcedis bonis, maximè æternis. Et nota, quòd eſt oratio oris, quâ orabat Moyſes, elevatis manibus *Exo.* 17. Et ipſe Chriſtus *Matth.* 27. Et eſt oratio cordis. 1. *Corinth.* 14. Orabo ſpiritu, orabo & mente. *Ioan.* 4. Deus ſpiritus eſt: & eos qui adorãt cũ, adorare oportet in ſpiritu & veritate. Et eſt oratio operis. 1. *Theſſ.* vltimo: Sine intermiſſione orate. *Gloſſa*, Non ceſſat orare, qui non ceſſat bene facere.

Nota etiam, quòd eſt etiam oratio ex veritate, quam approbat Dominus & exaudit, de qua *Matth.* 7. Omnis qui petit, accipit. Et eſt oratio ex infirmitate quam tolerat Dominus, & aliquando non exaudit, vt in Paulo petente ſtimulum amoueri 2. *Corinth.* 12. Aliquando exaudit, vt in Petro *Act.* 12. Et eſt oratio ex cupiditate quam etiam aliquando exaudit Dominus, quamuis ipſam reprobet ad perniciem ſic petentis. *Exo.* 16. de petentibus carnes, quibus datæ ſunt coturnices, vt exauditus abeat condemnatus, & oratio eius fiat in peccatum.

Filij hominum, &c. Hîc ſecunda pars Pſalmi in qua ſubiungitur increpatio peccantium, & auerſorum à Deo ad creaturas, à quibus nulla boni eſt influentia in ipſis. Arguit autem primo diuturnam inclinationem eorum ad vana: ſecundo arguit adhæſionem, *Vt quid diligitis?*

diligitis ? Ait ergo : Tot & tanta bona influunt à Deo in conuerſos ad eum. Ergo *ô filij hominum* , corruptibilium bonorum ad culpam ſitientium. 1. *Corinth.* 3. Cum ſit inter vos zelus & contentio : nonne carnales eſtis , & ſecundum hominem ambulatis ? *Graui corde* , depreſſi eſtis ad infima , non potentes ſtare in alto fidei , & deſiderio ſupernorum : & hoc *vſquequo* , quandiu hoc erit ? In hoc quod dicitur , *graui corde* , notatur inclinatio : in hoc quod dicitur, *vſquequo* , duratio inclinationis. *Pſal.* 16. Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram. Culpa enim ponderoſa eſt, & deorſum trahit. *Zachar.* 5. Iniquitas ſedet ſuper talentũ plumbi. Et Pſalmiſta gemens conqueritur & dicit : iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue, &c. Pſal. 37.

Quadruplex grauitas: culpa, miſeriæ, naturæ, & gratiæ.

Notandum , quòd eſt grauitas quadruplex: culpæ , ſicut dicitur *Iſa.* 1. væ genti peccatrici populo graui iniquitate. Et eſt grauitas naturæ. *Sap.* 9. Corpus quod corrumpitur , aggrauat animam. Et eſt grauitas miſeriæ conſequens ex prima grauitate. *Eccli.* 3. Cor nequam grauabitur doloribus. Et eſt grauitas maioritatis & gratiæ , de qua *Pſal.* 34. Confitebor in Eccleſia magna, in populo graui laudabo te.

Vanitatis partes tres.

Vt quid diligitis. Hîc increpat de adhæſione hac duplici, cordis & operis, *Et quæritis.* Ait enim, *Vt quid diligitis vanitatẽ & quæritis mẽdacium* , opere , à quibus nihil boni poteſt in nos influere : terrena enim omnia vana ſunt. *Geneſ.* 1. Terra autem erat inanis & vacua. *Ierem.* 4. Aſpexi terram , & vacua erat , & nihil. Vmbra enim ſunt terrena verorum bonorum, non ſubſtantia. Et verè vana : quid enim vanum eſt ? Vanum eſt quod nec præbet plenitudinem continenti , nec fulcimen innitenti, nec fructum laboranti. Talia ſunt terrena. De primo *Eccli.* 5. Auarus non implebitur pecunia. De ſecundo *Prouerb.* 11. Qui confidit in diuitiis ſuis , corruet. *Iſa.* 36. Confidis in baculo iſto confracto arundineo , &c. De tertio *Eccli.* 5. Qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis. Propter hoc dicitur *Eccl.* 1. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Qui hoc & quærit , quærit mendacium. *Ierem.* 8. Apprehenderunt mendacium & noluerunt reuerti. *Oſeæ* 12. Ephraim paſcit ventum, & ſequitur æſtum, & tota die mendacium & vanitatem multiplicat. Et verè mendacium : promittunt enim ſecuritatem, & ſoluunt timorem. *Iob* 15. Sonitus terroris ſemper in auribus eius , &c. *Pſal.* 88. Poſuiſti firmamentum eius formidinem. *Seneca* , Videt pauperem , ſuſpicatur furem : videt diuitem, æſtimat prædonem. Promittunt ſaturitatem, ſoluunt eſuriem. *Ioan.* 4. Qui biberit ex hac aqua, ſitiet iterum. Promittunt delectationem, ſoluunt punctionem. *Matth.* 13. Dicũtur ſpinæ. *Iob* 30. Eſſe ſub ſentibus delicias reputabunt. Promittunt honorem , ſoluunt ignominiam. *Iſa.* 30. Fiducia vmbræ Ægypti erit in ignominia. Promittunt libertatem , & ſeruitutem inducunt. *Seneca*, Minor eſt quam ſeruus, qui ſeruos timet.

Diuitiæ multipliciter mendaces.

4. *Et ſcitote.* Hæc eſt tertia pars , ſcilicet admonitio increpatorũ ad pœnitentiam , & conuerſionem ad Chriſtum. Et dicũtur tria. Primò monet ad pœnitentiam & conuerſionem ad Chriſtum. Secundò oſtendit aliquod huius conuerſionis impedimentum , *Multi dicunt.* Tertiò nititur remouere oſtenſum , *Signatum eſt.* In prima parte tria. Primò oſtendit cauſam motiuam conuerſionis , ſcilicet quid eos potiſſimum mouere debeat. Secundò cauſam formalem conuerſionis, hoc eſt, qualiter debeant pœnitere , ibi , *Iraſcimini.* Tertiò pœnitentiæ vel conuerſionis vtilitatem, *Et ſperate.* In prima parte duo quæ maximè eos mouere debent : Chriſti excellentia & ſublimitas, ſublimati bonitas, *Dominus exaudiet.*

Dicit ergo : Sic fatui eſtis ad vana conuerſi, & vt moueamini ad conuerſionem , *ſcitote quoniam Dominus* Deus pater *mirificauit Sanctum ſuum*, Chriſtum , qui ſanctus ſanctorum dicitur *Daniel.* 9. Mirificauit enim ipſum in conceptione : nouum enim & mirabile quod conceptus eſt de Virgine ſine ſemine viri, plenus ſciẽtia & virtute ex ipſo inſtanti cõceptionis ſuæ. *Ierem.* 31. Nouũ faciet Dominus ſuper terram , fœmina circundabit virum. Mirificauit in natiuitate , quando natus eſt ſine corruptione Virginis & dolore: *Iſa.* vltimo , Antequam parturiret, peperit : antequam veniret partus eius , peperit maſculum. Quis audiuit vnquam talia , aut quis vidit huic ſimile ? Mirificauit in Baptiſmo , Transfiguratione , Paſſione, Reſurrectione, Aſcenſione, Spiritus ſancti miſſione. *Eccli.* 36. Innoua ſigna, & immuta mirabilia. Glorifica manum , & brachium dextrum, ſcilicet Filium. Mirificauit & in prædicatione. *Lucæ* 4. Loquutus eſt mutus, & ad miratæ ſunt turbæ. Propter hoc dicitur *Iſa.* 9. Et vocabitur nomen eius admirabilis. *Chriſtus toto vitæ decurſu mirabilis.*

Et cum tantæ ſit excellentiæ & dignitatis, tamen magnæ pietatis eſt : quoniam & hoc *ſcitote, quia Dominus*, Chriſtus ſcilicet , *exaudiet me* , ad votum & meritum , *cùm clamauero ad eum* : clamauero non tantum clamore oris, ſed cordis. Hoc expertus erat cum dicebat alibi , Ad Dominum cùm tribularer clamaui, & exaudiuit me. Vel ſic : *Dominus meus* , Pater , *exaudiet me* , per ipſum mediatorem aduocatum , *cum clamauero ad eum* , Patrem ſcilicet , vel eum , Chriſtum. 1. *Ioan.* 2. Aduocatum habemus apud Patrem Ieſum iuſtum , & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Pſal. 119.

5. *Pœnitentiæ duplex: interna , & exterior.*

Iraſcimini & nolite. Hîc docet formam pœnitendi : ſed quia forma pœnitendi duplex eſt, monet primò ad formam pœnitendi interiorem : ſecundò ad exteriorem , ibi , *Sacrificate.* Sed iterum , quia forma interior pœnitendi duplex eſt : reſiſtere motui malo ne procedat, ſecundò ſi procedit, de proceſſu conteri & cõpungi, duo dicit : primò monet vt motui reſiſtatur, ſecundò ſi procedere contigerit ad conſenſum vel actum , quòd contritione corrigatur. Ait ergo : Sic moueri debetis ad pœnitentiam. Ergo *iraſcimini* , indignando contra motum peccati , vt non veniat ad conſenſum. Hinc eſt quod addit : *Et nolite peccare* , & ſic iraſcimini vt nolitis peccare.

Effectus iræ per zelum.

Sic iraſci bonum eſt. *Pſal.* 29. Et ira in indignatione eius. Et *Iſa.* 63. Indignatio mea auxiliata eſt mihi. Hæc eſt ira per zelum , quæ puriorem reddit oculum rationis : & ſi turbat aliquan

aliquando ad momentum, non excæcat ſicut ira per vitium. Hæc eſt ira quâ iratus eſt Moyſes contra idololatras *Exod.* 32. Phinees contra fornicationem Iſraëliticam *Num.* 25. contra Sacerdotes Baal 3. *Reg.* 18. Mathathias contra Iudæorum immolantem ſuper aram immundam 1. *Mach.*2. ipſe Dominus contra vendentes & ementes in templo *Ioan.* 2. & Petrus contra proprietarios & mendaces, Ananiam,& Saphyram *Act.*5.

Quæ dicitis in cordibus veſtris, conſentiendo, *& in cubilibus veſtris*, facitis, ſuprà, in malo opere delectando, *compungimini*, propter illa, ſuprà. Dicere in corde appellat hic conſentire: ſicut enim loquutio intellectus eſt intelligere, ſic ſpiritualis quædam interior affectus loquutio conſentire. Pro ipſo autem conſenſu in peccatum neceſſaria eſt compunctio, etſi non veniatur ad actum. *Matth.*5. Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam,iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Multò ergo fortiùs neceſſaria, & multo maior pro iis, quæ fiunt in cubilibus noſtris. *Rom.*13. Non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis. Cubile enim ſpeciale draconum ſpiritualium, ſcilicet dæmonum, eſt cor peccatoris vmbroſum & immundum.Quærit illud Diabolus. *Iob* 40. dicitur de Beemoth, in ſecreto calami, in locis humentibus. Per compunctionem autem effugatur, & quod erat prius cubile dæmonum, fit cubile virtutum. *Iſai.*35. In cubilibus in quibus dracones habitabant, viror iunci & calami orietur.

6. *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ.* Hîc monet ad exteriorem pœnitentiam: ait enim: Sic interiùs reſiſtite, & *compungimini:* exterius autem, vt ſit conſummata pœnitentia, *ſacrificate ſacrificium iuſtitiæ*, ipſa corpora veſtra in pœnitentia immolando. *Rom.*12. Obſecro vos per miſericordiam Dei vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem. *Rom.*6. Sicut exhibuiſtis corpora veſtra ſeruire iniuſtitiæ, & iniquitati ad iniquitatem, &c.

Pœnitentia perfecta & imperfecta adumbrata ſacrificiis antiquis.

Et primò ſacrificium iuſtitiæ imperfectæ & in inchoatione ſcilicet pœnitentiæ, quod ſignificabatur in ſpicis nouis quæ torrebantur, & in Paſchate offerebantur Domino: & poſtea ſacrificium perfectæ, quod ſignificabatur in ſacrificio nouorum panum in Pentecoſte oblatorum. De vtroque ſacrificio *Leuit.* 23. & *Lucæ* 7. Maria vnxit pedes Domini, offerens ſacrificium imperfectæ iuſtitiæ. *Pſal.*40. Immola Deo ſacrificium laudis. *Matth.*26. vnxit caput, offerens ſacrificium perfectæ. Primum ſacrificium eſt ſacrificium matutinum. Secundum eſt ſacrificium veſpertinum quod maximè placebat Deo.

Sacrificium cordis & operis.

Et eſt notandum hîc, quòd eſt ſacrificium cordis, iuxta illud *Pſal.*50. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. Et oris. *Pſal.*40. Immola Deo ſacrificium laudis. *Oſeæ* vltimo, Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum: & reddemus vitulos labiorum noſtrorum. Et eſt ſacrificium operis quod eſt duplex: offerre ſeipſum,ſcilicet corpus proprium, de quo *Greg.* loquens de Magdalena: Tot in ſe inuenit holocauſta,quot in ſe habuerat oblectamenta. Vel ſua. *Prouerb.*3. Honora Dominum de tua ſubſtantia, &c.

D. Abl. Mag. Comment. in Pſal.

Ritus veterum ſacrificiorum myſticè à pœnitentibus vſurpandi.

Et nota, quòd quando offerebatur ſacrificium, primò ſegregabatur quod erat offerendum, poſtea ligabatur, hinc excoriabatur, deinde lauabatur, & poſt hæc in fruſta diuidebatur, tandem ſuper altare offerebatur. Sic ſacrificandus primò debet ſe ſegregare à conſortio malo. *Zach.*2. Ooo fugite de terra Aquilonis. Secundò, ſe ligare præceptis obedientiæ, & conſiliorum vinculis. *Ezech.*4. Fili hominis ecce data ſunt vincula ſuper te, & ligabunt te in eis. Deinde excoriare ſe, prauos mores & conſuetudines deponendo. *Iudith* 10. Depoſuit veſtimenta viduitatis ſuæ. *Coloſ.*3. Expoliate vos veterem hominem. Ibidem. Deponite vos, ſecundum priſtinam conuerſationem. Poſteà lauare ſe per lachrymarum effuſionem. *Pſal.*6. Lauabo per ſingulas noctes. *Iſai.*1. Lauamini, mundi eſtote. Poſt in fruſta diuidi per omnium membrorum conuerſionem in ſeruitium Dei. *Rom.*6. Sicut exhibuiſti, &c. Tandem poni ſuper altare veræ fidei, ſuper quod ſolùm offerendum eſt. *Hebr.*11. Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Et hoc per iugem beneficiorum Dei recordationem. Et ſic debet accendi per feruentem charitatem. *Leuit.*6. Ignis ſemper ardebit in altari meo.

Et ſperate in Domino. Ecce tertium, fructus & finis qui conſequitur ex pœnitentia. Quaſi ſic: *Iraſcimini, compungimini, & ſacrificate*, & tunc *ſperate in Domino.* Aliter non: eſt enim ſpes,futurorum bonorum expectatio ex meritis & gratia proueniens: oportet enim mutari primò de malo in bonum, & exerceri in bono, & ſic firma ſpes poteſt acquiri. Propter quod dicitur *Iſai.*40. Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, qua factus eſt curſus eorum malus, in bonam fortitudinem, de qua *Iob* 17. Tenebit iuſtus viam ſuam, & mundis manibus addet fortitudinem.

Multi dicunt, Quis oſtendit nobis bona? Hîc ſecundum tertiæ partis totius Pſalmi: præmiſſa enim exhortatione ad pœnitentiam ſubiungit peruerſorum excuſationem.Dicit enim:Moneo ſic ad pœnitentiam, ſed audio multorum excuſationem conuerti nolentium propter bonorum ſperandorum incertitudinem. *Multi* enim *dicunt*, non pauci. *Eccl.*2. Stultorum infinitus eſt numerus. Et *Matth.*20. Multi vocati, pauci verò electi. *Quis oſtendit nobis bona*, æterna, & pœnitentia expectanda? *Sap.*2. Non eſt agnitus qui ſit reuerſus ab inferis. *Eccleſ.*3. Quis ſcit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum? Gregorius, Carnalium mentes bona penſare non valent, niſi quæ carnaliter vident. Bona dicit ſimpliciter & abſolutè,quia per hæc æterna bona quæ ſimpliciter & verè bona ſunt, intelligi voluit. *Exod.*33. Oſtendam tibi omne bonum.

Signatum eſt ſuper nos. Hîc eſt tertium tertiæ 7. partis Pſalmi, in qua prædictam excuſationem ſeu impedimentum conuertendi ſe ad pœnitentiam intendit deſtruere:& dicuntur tria. Primò quòd ipſe & iuſti alij habent in ſe æternorum bonorum ſignum certum. Secundò oſtendit huius ſigni effectum, ibi, *In pace.* Tertiò modum conſequendi effectum de ſigno. *Quoniam tu Domine.* In prima parte duo. Primò quòd

illud ſignum in ſolis iuſtis ſit. Secundò quare non in aliis, oſtendit, ibi, *A fructu.* In prima duo, ſcilicet ſignum duplex. Primò enim oſtendit ſe & alios iuſtos ſignatos gratiâ illuminante intellectum: ſecundò perfuſos lætitia excitante affectum, ibi, *Dediſti.*

Varia ſigna iuſti. Ait ergo ſic: Illi bona æterna neſciunt, ſed tu ô Domine, ſciant ipſi nec dubitent de hoc, ſcilicet quod *lumen vultus tui*, gratia ſcilicet illuminans à te procedens, conuerſa ad nos, *ſignatum eſt ſuper nos*, ſcilicet ſuper mentem noſtram impreſſum & infuſum. *Epheſ.*1. Signati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto. & 4. Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis, non tantùm exteriùs in oſtenſione ſicut hypocritæ, ſed & exteriùs in opere, & interiùs in corde, ſecundum illud *Cant.* vltimo, pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, & ſuper brachium tuum: vt ſic ſimus diſcreti à grege diaboli. *Apocalypſ.*7. Ex tribu Iuda duodecim millia ſignati.

Dediſti lætitiam in corde meo. Quaſi non tantùm illuſtres lumine gratiæ, ſed etiam dediſti lætitiam ſpiritualem de puritate conſcientiæ, & ſerenitate, & tui quodam ſenſu & cognitione. *In corde meo*, ſcilicet per affectum. *Philip.*4. Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete *Iſai.*9. Lætabitur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe. Hæc lætitia præcurſoris in præſentia Virginis habentis in vtero Filium Dei. *Lucæ* 1. Exultauit in gaudio infans in vtero meo.

8. *A fructu frumenti.* Ecce ſecundum in quo malos excludit ab iis bonis, & cauſam excluſionis etiam oſtendit. Ait enim ſic: In nobis eſt lumen in intellectu, & lætitia in affectu, ſed non in malis, ipſi enim *multiplicati ſunt*, diſtracti ſcilicet, & diſperſi, *à fructu* eorum quæ neceſſaria ſunt ad cibum, ſcilicet *frumenti*, & quæ ad potum, ſcilicet *vini*, & eorum quæ ad condimentum, ſcilicet *olei*: & propter hoc ſcilicet ad hanc illuminationem ſuſcipiendam & lætitiam ſunt inepti. *Exod.*5. Diſperſus erat populus per vniuerſam terram Ægypti ad colligendas paleas. Hæc eſt diſperſio & diuiſio mortifera de qua *Oſeæ* 10. Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt. Nec dixit ſimpliciter eſſe multiplicatos *à fructu frumenti, vini, & olei:* ſed addidit, ſui: eſt enim frumentum, vinum, & oleum, quod optimum eſt appetere: frumentum charitatis, de quo dicitur *Zachar.*9. Quid bonum eius, & quid pulchrum eius, niſi frumentum, electorum videlicet, & vinum compunctionis & deuotionis, de quo dicitur. *Cant.*6. Bibite & inebriamini chariſſimi. Et oleum ſpiritualis iucunditatis, de quo *Eccleſ.*9. Oleum de capite tuo non deficiet, ſpirituale ſcilicet gaudium de corde tuo. Ad hæc non conuertuntur, his non fruuntur mali, ſed temporalibus & caducis. *Sap.*2. Venite fruamur bonis quæ ſunt ſuper terram, vino pretioſo, & vnguentis nos impleamus.

Varia frumenti acceptiones ex Scriptura. Et nota, quòd eſt multiplex frumentum. Miſericordiæ, ſicut hîc dicitur, & ſpirituale, & hoc quadruplex. Chriſtus. *Ioan.*12. Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, &c. Quilibet iuſtus. *Iſa.*28. Ponet triticum, id eſt, frumentum, per ordinem, & hordeum, & milium, & viciam in finibus ſuis. Frumentum ceu triticum fuerunt Martyres: hordeum quod pungitiuum, ſunt Confeſſores: milium quod quaſi nihil ad triticum, & hordeum modicum, iuſti iſtorum ſucceſſores: ſed vicia ſunt vitiati per peccatum, in fine ſucceſſuri, tempore ſcilicet Antichriſti. Hoc fundamentum de quo *Matth.* 3. Ponet frumentum in horreum ſuum, paleas autem comburet, &c. frumentum ſpirituale intellectus ſacræ Scripturæ. Hoc frumentum quod diſtribuit Ioſeph in Ægypto *Geneſ.*42. & 43. quo replentur ſacci, id eſt, corda humilium. *Geneſ.* 42. Iuſſit miniſtris vt implerent ſacros eorum tritico, quantum poſſent capere. Frumentum etiam maximæ charitatis, ſicut iam dictum eſt, de quo. *Zachar.*9. & *Ezech.*27. Iuda & terra Iſraël ipſi inſtitores tui in frumento puro, &c.

In pace in idipſum. Hîc effectus conſequens 9.
ex ſigno duplici, & tangitur quadruplex. Securitas, *In pace:* immutabilitas, *in idipſum:* quies intellectus, *dormiam:* & affectus, & *requieſcam.*

Ait ergo ſic: Hæc in nobis ſunt, non in malis: ergo exiſtens in pace & in ſecuritate plena iuxta *Iſa.*32. Sedebit populus meus in plenitudine pacis. & in *Pſal.*147. Qui poſuit fines tuos pacem, in idpiſum exiſtentem, ex nulla parte mutabilem vel variabilem propter coniunctionem cum immutabili, qui de ſeipſo dicit *Oſeæ* 11. Ego Dominus, & non mutor, ſemper permanens id quod eſt, nec tranſiens, nec futurus & ſemper idipſum ens. *Exod.*13. Ego ſum qui ſum.

Dormiam contemplando intellectu. *Cant.*5. Ego dormio, & cor meum vigilat. *Et requieſcam* fruendo tota voluntate & affectu ſecundum illud quod dicitur *Apocalypſ.*14. Amodo iam dicit ſpiritus vt requieſcant, &c. Hic ſomnus, hæc requies quam deſiderabat *Iob* 3. Nunc dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem cum Regibus & Conſulibus. Et hæc eſt quies in qua filij Dei cum ipſo requieſcunt in illo cubili cœleſti. *Lucæ* 11. Noli mihi moleſtus eſſe, pueri mei mecum ſunt in cubili.

Poteſt & illud legi de præſenti in hunc modum: Lumen ſignaſti in intellectu, lætitiam dediſti in affectu: ex quo ſequitur, & cauſatur, quod ego *dormiam* intellectu, *requieſcam* affectu, iam habito in præſenti te, ô Deus, *in idipſum* perfectiùs habendo in futuro ſæculo. Sancti enim in pace pectoris à Deo ſibi data requieſcunt. *Ioan.*14. Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Sciunt enim in ipſa ſponſum Chriſtum requieſcere, ſecũdum illud *Pſal.* 75. In pace factus eſt locus eius. Propter quod dicit Gilbertus, quòd ibi libenter quieſcit anima ſancta, vbi eſt locus dilecti. In pace enim factus eſt locus eius. Ibi quem diligit anima tua, vel illapſum teneas, vel elapſum requiras. In lectulo enim & ſecreta mentis quiete, poteſt inueſtigari liberiùs, inueniri citiùs, & tutius retineri, & fortè diutiùs: ſi tamen poteſt diutius morari in deliciis quæ ferè ſolent in ipſis interdici principiis.

Nota, quòd eſt pax mala, quæ eſt concordia ad malum faciendum, de qua dicit Dominus *Lucæ* 12. Putatis quia pacem veni mittere in terram? non dico vobis, ſed ſeparationem. Et quies in peccatis, pax mala eſt.

Hæc

Hæc eſt illa pax quam falſi Prophetæ ſeducto populo promittebant *Ierem.*8. Sanabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes: Pax, pax, cùm non eſſet pax. Secundum autem Auguſtinum in 19. de Ciuitate Dei.cap.13. Eſt pax bona multipliciter. Pax corporis, ſcilicet ordinata temperatura partium componentium corpus: & eſt pax animæ irrationalis, ordinata requies appetituum naturalium: & eſt pax animæ rationalis, ordinata cogitationis actioniſque conſenſio: & eſt pax animæ & corporis, ordinata vita & ſalus animantis: & eſt pax hominis ad hominem, ſcilicet hominum in bonum ordinata concordia: & eſt pax hominis mortalis & Dei immortalis, ordinata in fide ſub æterna lege obedientia: & eſt pax cœleſtis ciuitatis, ſcilicet fruendi Deo & inuicem in Deo ordinatiſſima & concordiſſima ſocietas. Et eſt pax vniuerſalis omnium rerum, ſcilicet tranquillitas ordinis, ſecundum quòd eſt à primo principio ſtabilita.

Elegantiſſima pacis deſcriptio & multiplex acceptio.

10. *Quoniam tu Domine.* Ecce tertium, in quo exprimit cauſam & modum quo conſequitur hæc ex præmiſſis: quia eo quod ſit à Deo in firma & ſtabili ſpe conſtitutus. Lege ergo ſecundum primam expoſitionem, & continua in hunc modum: Sic exiſtam in ſecuritate & immutabilitate, quiete intellectus, & affectus requie: *Quoniam tu Domine conſtituiſti me*, firmiter ſtatuiſti, *in ſpe ſingulariter* exiſtentem, de vno ſingulari & æterno bono, tandem adipiſcendo, de quo alibi in *Pſalm.*26. Vnam petij à Domino, hanc requiram. & *Lucæ* 10. Porrò vnum eſt neceſſarium. Ad hoc vnum tendunt & ſuſpirant Sancti, & ſpirituales viri. Carnales autem conuerſi ad hæc infima, multa deſiderant & diuerſa: propter hoc dicitur in perſona Eccleſiæ illud in *Pſal.*62. Sitiuit in te anima mea, te vnum ſitiens & deſiderans. Sed quàm multipliciter caro mea, id eſt, effectus carnales per multiplicia ſunt diuiſi.

Vel ſic poteſt legi ſecundum lecturam aliam: Sic *dormiam in pace & requieſcam* in præſenti tendens *in idipſum* habendum in futuro. Nec mirum ſi tendo, *quoniam tu Domine ſingulariter*, Dominus, ſupple, *conſtituiſti me in ſpe.* Scio autem ſpem non confundere. *Rom.*5. Spes autem non confundit. *Hebr.*7. Habemus anchoram animæ ſpem firmam & tutam, incedentem vſque ad interiora velaminis, &c.

IN QVINTVM PSALMVM.

In finem pro ea, quæ hæreditatem conſequitur, Pſalmus Dauid.

1. *Verba mea.* Hic eſt Pſalmus quintus in ordine Pſalmorum, in titulo verò quartus. Eſt autem talis, titulus: *In finem pro ea quæ hæreditatem conſequitur, Pſalmus Dauid:* In quo tangitur cauſa efficiens huius Pſalmi, mouens, & mota, ſcilicet ipſe Dauid. Oſtenditur finis Pſalmi per hoc quod dicitur, *In finem:* ſupplendum enim eſt quod eſt Chriſtus nos ordinans, ſicut ſupra fuit expoſitum in titulo præcedentis. Tangitur & Pſalmi materia, ſcilicet ex gentilitate Eccleſia: quod notatur in hoc quod dicitur, *pro ea*, id eſt, in eius editus perſona, & ipſam loquentem introducens, *quæ conſequitur hereditatem*, æternam ſcilicet vitam, de qua dicitur *Iſai.*54. Hæc eſt hæreditas ſeruorum Domini, in hoc repulſa perfida Synagoga tanquam ancilla & ſerua, ſecundum illud *Geneſ.*21. Eiice ancillam & filium eius. Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Et ſic alludit *Pſal.* hiſtoriæ *Geneſ.*21.

Ex hoc etiam patet huius Pſalmi conſequentia ad præcedentem: cùm enim in præcedenti *Pſal.* præceſſerit inſinuatio bonorum, quæ fluunt à Chriſto in membra, & inuitatio aduerſariorum, vt conuertantur ad ipſum & recipiant illa, hîc tanquam exaudita ſit exhortatio Prophetæ, & vt monſtretur fuiſſe fructuoſam, ſubiungitur, & introducitur in hoc Pſalmo conuerſa ad Deum Gentilium Eccleſia orans & petens illa bona. Vnde Pſalmus iſte in quatuor partes diuiditur. Primò, Eccleſia vt exaudiatur ſupplicat, ſecundò quod exaudiri debeat, probat ibi, *Quoniam ad te oraho Domine.* Tertiò quid petat, ſpecificat, ibi, *Deduc me Domine.* Quartò & vltimò, quaſi ſentiens ſe exauditam, petitionem implendam pro certo inſinuat, ibi, *In æternum exultabunt.* In prima parte duo: primò ſimplex poſtulatio vt exaudiatur: ſecundò poſtulat addita commendatione eius à quo poſtulat, vt efficaciter inducatur, ibi, *Intende voci.* Verba mea. Duo poſtulatione ſimplici petit, vt verba audiat, quæ ſunt oris: ſecundò, vt clamorem intelligat, qui eſt cordis.

2. Ait ergo ſic: Audio Domine Prophetam exhortantem, vt ad te conuertar, & propter hoc rogo ô Domine, *Verba mea percipe auribus.* 2.*Eſdr.*1. Fiant aures tuæ auſcultantes & oculi tui aperti, vt audias orationem ſerui tui. Deus non eſt ſine auribus, & auditu. *Pſal.*93. Qui plantauit aurem, non audiet: aut qui finxit, &c. Aures autem Dei appellantur, ſicut dicit *Gloſſa*, præſentia maieſtatis. Virtute enim præſentiæ totum audit. *Sap.*1. Auris zeli, hoc eſt, Dei, qui non tantùm zelator eſt, imò ipſe zelus, audit omnia. Habet enim corpus aurem ſuam corporalem de qua dicitur *Ioan.*18. quòd Petrus Malcho amputauit auriculam. Habet & aurem ſuam ſpiritualem ſpiritus, & hanc duplicem, intelligentiæ, iuxta illud: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: & ipſius voluntatis, de qua *Iob*, vltimo, auditu auris audiui te. De hac triplici dicitur *Lucæ* 8. Qui habet aures audiendi, audiat. *Apocalypſ.*2.& 3.idem: quaſi, qui habet aures corporis, audiendi capacitate intelligentiæ interioris, audiet per obedientiam voluntatis. Habet etiam aurem ſuam Spiritus increatus, præſentiam videlicet, ſicut dictum eſt, vel clementiam: de quo in *Pſal.*9. Deſiderium cordis eorum audiuit auris tua.

Aures Dei præſentia illius.

Intellige clamorem meum, cordis, non auris. *Gloſſa*, Bene oſtenditur, quod ſpiritualis eſt clamor, non vocalis: quia intelligitur. Hoc clamore clamabat Moyſes *Exod.*14.& Suſanna *Daniel.*13. & Anna 1.*Reg.*1.

3. *Intende voci.* Hîc petitioni additur commendatio eius à quo petitur, ait enim: Et ô tu, *Rex meus* ſecundum humanitatem quia vnctus es. *Pſalm.*44. Vnxit te Deus tuus. & *Iſai.*61. Spi-

ritus Domini ſuper me,eò quod vnxit me. Nec tantùm Rex, ſed Rex antonomasticè & ſingulariter. *Apocalypſ.*19. Habens in veſtimento & in femore ſcriptum, Rex regum, & Dominus dominantium. Et propter hoc timendus vehementer. *Ierem.*10. Qui non timebit te ô Rex gentium. Et *Deus meus* quantum ad diuinitatem,per hanc enim omnia regis, ſuſtentas, & gubernas. *Pſal.*30. Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ. Manes tamen immutabilis & inuariabilis.*Iacob.*5. Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Hæc duo, diuinitatem ſcilicet Chriſti, & humanitatem coniungit alibi, cùm ait: Pſallite Deo noſtro, pſallite: pſallite Regi noſtro, pſallite.

Inſinuatio Trinitatis hoc verſu.

Et nota, ſicut quidam dicunt, hîc inſinuatam Trinitatem perſonarum: Primò Spiritum ſanctum cum dixit ſupra, *Domine:* ſecundò Filium,cùm ſubiunxit, *Rex meus:* Patrem cum addidit,*Deus meus.*Dicunt autem per hoc quod eſt Deus, rectè Patrem intelligi: quia Deus ſonat rationem principij: Pater autem eſt aliarum perſonarum principium. Per Dominum autem Spiritum ſanctum, ne fortè quia à Patre procedit & Filio, & nullus ab eo, poteſtatem crederetur amittere dominandi. Per Regem autem Filius plane intelligitur,cui data eſt poteſtas leges dandi, regendi, & iudicia faciendi, iuxta illud *Iſa.*33. Dominus Rex noſter, legifer noſter: Dominus iudex noſter, ipſe veniet, & ſaluabit nos.

Poteſt & dici & fortè meliùs, quod per hoc quod dicitur *Domine*, Pater intelligitur, apud quem ſedet prima auctoritas. Per hoc quod dicitur *Rex meus*, Filius ſicut dictum eſt. Et per hoc quod dicitur *Deus meus*, Spiritus ſanctus. Deus enim ſonat ſecundum aliquam intelligentiam fomentum: fouere autem ad bonitatem Dei pertinet, quæ perſonæ Spiritus ſancti appropriatur.

Progreſſus verborum Prophetæ.

Et nota progreſſum. Primum eſt auribus percipere, ſecundum aure perceptum intelligere, tertium intendere ei quod fuerit intellectum. Habet autem oratio, quæ de malis amouendis eſt, compaſſionem: quæ autem de bonis adipiſcendis, intentionem requirit. Nota etiam, quòd petit vt verba auribus percipiat, clamorem cordis, quod plus eſt, intelligat: quod eſt orationis cordis, quod maximum eſt, intendat: optimum enim eſt quando vox concordat cordi.

4. *Septem circunſtantiæ orationi neceſſariæ.*

Quoniam ad te orabo Domine. Ecce ſecundum, in quo oſtendit ſe exaudiendum, quia ad orationem ſuam concurrunt quæ orationi neceſſaria ſunt, ſcilicet ſeptem, quæ tangit per ordinem. Primum eſt recta intentio. Secundum, ſollicitudo, *Mane exaudies.* Tertium, conſtantia, *Mane aſtabo.* Quartum, puritas in conſcientia, *Et videbo.* Quintum,confidentia, *Ego autem in multitudine.* Sextum, vnitas, & concordia, *Introibo.* Septimum, reuerentia, *Adorabo.*

Prima circunſtantia, recta intentio.

Ait ergo:Sic rogo te vt intendas,orationi,& hoc debes: quoniam *ad te*, ô *Domine*, *orabo*, intentionem ſcilicet dirigendo, non ad alium niſi ad te. In quo notandum primò,quòd cum ſuperius tres perſonas notaſſet, in hoc quòd dicit hîc *Domine*, notat eſſentiæ vnitatem. Simile *Iſa.*6. Cùm dixiſſent Seraphin, Sanctus, Sanctus,Sanctus, ſubiunxerunt Dominus Deus Sabaoth, propter eſſentiæ vnitatem. Non eſt autem aliter oratio niſi ad Deum dirigatur intentio. Eſt autem aliter oratio affectus mentis in Deum tendens, plerúmque ne pigritetur, in vocem prorumpens. Propter hoc dicitur in *Pſal.*150. Dirigatur Domine oratio mea ſicut incenſum. 2.*Machab.*1. Moyſes orabat ad Dominum, intentionem dirigens, ſupple, & deſcendit ignis de cœlo. *Thren.*3. Leuemus corda noſtra cum manibus ad Deum.

Secunda,opportunitas temporis matutini.

Mane exaudies. Ecce ſecundum. Ne ſufficiat recta intentio, ſed eſt adhibenda ſollicitudo, & opportunitas orandi quærenda. Orabo tempeſtiuè, nam *mane exaudies*, id eſt,exaudire poteris vocem meam. Mane,inquam,materiali. *Iſa.*26. De mane vigilabo ad te. Tempus enim illud orationi valde aptum eſt. Confecta enim digeſtione, & reſumptis corporis viribus, quaſi expeditus ad negotiis corporis ſpiritus vacare ſpiritualibus magis poteſt. Hinc eſt quòd Iacob oraſſe legitur in aurora, & ab Angelo quod voluit impetraſſe. *Geneſ.*32. *Eccleſ.*39. Iuſtus cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum. Propter hoc dicit *Auguſtinus*, Turpe eſt Chriſtiano, ſi ſolis radius in lecto eum inuenerit otioſum.

Mane variè ex Scriptura accepit.

Et nota, quod eſt multiplex mane. Temporis, de quo *Geneſ.*1. Factum eſt veſperè & manè dies vnus. Ætatis pueritia vel iuuentus, vnde in *Pſalm.*89. Mane ſicut herba tranſeat (quod dicitur pro iis qui in pueritia moriuntur) mane floreat (in iuuentute, ſcilicet) veſpere decidat, induret & areſcat. Mane proſperitatis. *Iſa.*21. Venit mane & nox: ſi quæritis, quærite: conuertimini, venite. Et mane nouitatis, in quo renouatâ naturâ Chriſtus à mortuis reſurrexit. *Pſalm.*29. Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. *Matth.*28. Et valde mane vna Sabbatorum, &c. Et eſt mane gratiæ illuſtrantis, de quo quod hîc dicitur, poteſt intelligi.

Exaudire quatuor modis accipitur.

Nota, quòd exaudire eſt ad exitum audire, ſicut exauditi fuerunt dæmones *Matth.*8. Ex meritis audire. Sic præcedenti Pſalmo, Dominus exaudiet me cum clamauero ad eum. Ad vtilitatem audire. *Pſalm.*90. Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, &c. Extra pretium audire. *Lucæ* 1. Ne timeas Zacharia: quoniam exaudita eſt oratio tua.

5. *Tertia, conſtantia in orando.*

Mane aſtabo tibi. Ecce tertium, ſcilicet conſtantia in orando. Ait autem ſic: Erit in oratione opportunitas, ſed erit conſtantia & ſtabilitas: quia non ero in orando momentaneus vel horarius, ſed *aſtabo manè* erectus, attentus,perſeuerans. De primo Elias loquens de ſe ait 3.*Reg.*18. Viuit Deus, in cuius conſpectu ſto. De ſecundo in *Pſal.*112. Sicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum, & ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, fixi ſunt & attenti: ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum. De tertio *Lucæ* 18. Dicebat eis, quoniam ſemper opportet orare, & nunquam deficere, exemplo viduæ, quæ propter inſtantiam ſuam vindictam ab iniquo iudice impetrauit.

Aſtabo

Ortus gratiæ in anima dicitur mane multis de cauſis.

Aſtabo ergo *mane* temporis ad literam, ſicut ſuperiùs tactum eſt, ad annuntiandum mane miſericordiam tuam. Vel mane, in ortu gratiæ: ortus enim gratiæ in anima mane dicitur multis rationibus. Mane enim homines excitantur de ſomno: ſic oriente gratiâ anima euigilat de peccato. 3. *Reg.* 19. Dormientem Eliam Angelus excitauit. *Cant.* 7. Mane ſurgamus ad vineas. Secunda: quia excitati ad opus properanter exeunt. Alibi in *Pſalm.* 103. Ortus eſt Sol. Et paulò poſt, Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam. Mane etiem infirmitates alleuiantur: ſic oriente luce gratiæ tentationes mitigantur. *Iob* 8. Si diluculo conſurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus, ſi mundus & rectus inceſſeris, ſtatim euigilabit ad te, & pacatum reddet tabernaculum tuum. Mane etiam fures visâ aurora refugiunt & abſconduntur: ſic & illuceſcente gratiâ dæmones effugantur. *Iob.* 24. Si ſubitò apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis. *Exod.* 13. Factum eſt in vigiliâ matutina, & reſpexit Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum & ſubuertit rotas curruum, & ferebantur in profundum maris. Mane etiam iucundi cãtus auium audiuntur: ſic illuceſcente gratiâ turtur contritionis & philomela ſpiritualis lætitiæ à ſpirituali ſponſo audiuntur. *Cant.* 2. Vox turturis audita eſt in terra noſtra. *Iob.* 38. Vbi eras cùm me laudarent aſtra matutina, & iubilarent, præ cordis lætitia omnes filij Dei? Vltimo manè ros de ſupernis emittitur, quo terra fructificat, & fœcundatur: ſic illuceſcente gratiâ, & anima conuerſa ad Deum per orationem, ſuperna dulcedo immittitur, qua anima ad bene operandum promptior redditur. *Exod.* 16. Mane colligebantur manubiæ.

Quarta circunſtantia, conſcientia puritas.

Et videbo. Hîc eſt quartum, ſcilicet conſcientiæ puritas, quam oſtendit ſe habiturum orando, indirectè: per hoc enim quod dicit ſe cognituru Deũ mala non diligere, ſed odire, innuit ſe cum orabit, ab iis purgatũ eſſe. Quaſi diceret: Scio, quòd malos odiſti, nec eos exaudies: vnde relinquitur, quòd cum orare voluero, ne talis ſim, laborabo. Duo dicuntur in hac parte. Primò, quòd ſciet mala non diligere. Sed quia vniuerſalis cognitio tenuis, ſpecificat per partes ſecundò, ibi, *Nec habitabit.*

Dicit ergo ſic: Orabo conſtanter, *& videbo*, videre ſcilicet me præparabo, *quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Minus dicit, & plus ſignificat, id eſt, odio habens. *Sapient.* 11. Tu Domine diligis omnia, & nihil odiſti eorum quæ feciſti. Iniquitatem autem non feciſti, & propter hoc odiſti eam. *Sapient.* 1. Deus non fecit mortem, nec lætatur in perditione virorum. *Abac.* 1. Mundi ſunt Domine oculi tui, & reſpicere ad iniquitatem non poteris.

Odium Dei in peccatum.

Nota tamen, quòd cum iniquitas ſecundum rationem vocabuli dicatur inæqualitas, eſt quædam iniquitas mala quæ Deo diſplicet, ſicut hîc dicitur. In alio *Pſalm.* 65. Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Et eſt quædam iniquitas bona, ſcilicet quædam vitæ, ceu viuentis inæqualitas, aſcendere ſcilicet in altum contemplationis, & rurſum deſcendere in infimum actionis. De tali iniquitate dicitur *Eccli.* 43. Melior eſt iniquitas viri, quam mulier benefaciens. *Luca* 14. Laudauit Dominus villicum iniquitatis.

Neque habitabit. Hîc ſpecificat, ne tantum vniuerſalem ſcientiam habere videatur. Malum autem dupliciter eſt. Primò: quia aut interius, & quoad hoc dicit, *Nec habitabit iuxta te malignus:* aut exterius, & hoc dupliciter, quia vel eſt omiſſio debiti, quæ notatur ibi, *Neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos:* aut perpetratio indebiti, & huius diuiſionem ſumit dupliciter, vel quantum ad inſtrumentum per quod fit malum, quod eſt duplex: vel manus, & quoad hoc dicit, *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem:* vel os ſiue lingua, & quoad hoc ſubiungit, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium:* vel quantum ad modum faciendi malum, qui duplex eſt: vel apertè, vel occultè. Quoad primum dicit, *Virum ſanguinum abominabitur Dominus.* Quoad ſecundum, *& doloſum.* 6.

Ait ergo ſic: Sciam, quòd iniquitatem odis, nec in vniuerſali tantum, ſed etiam in ſpeciali, quia & hoc videbo, quòd nec *malus*, mala ſcilicet concupiſcentia interiùs ignitus, *habitabit iuxta te. Iob* 8. Deus non porriget manum malignis. *Nec permanebunt iniuſti*, omittentes ea ad quæ ſcilicet tenentur, *ante oculos tuos*, ſcilicet ante reſpectum tuæ pietatis. *Pſalm.* 33. Oculi Domini ſuper iuſtos. Et 4. *Sap.* Gratia & miſericordia in ſanctos eius, & reſpectus in electos illius. Nec hic ergo in præſenti maligni *iuxta te permanebunt*, nec iniuſti ante oculos miſericordiæ, nec poſtmodum in futuro. *Iſa.* 26. ſecundum aliam literam: Tollatur impius ne videat gloriam Dei. *Apocalypſ. vltimo.* Foris canes & venefici, impudici & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis qui amat & facit mendacium.

Odiſti omnes qui operantur iniquitatem. Sic omittentes ante tuos non permanebunt oculos. Et etiam odiſti omnes qui operantur iniquitatem, & pro omni iniquitate ſua: odiſti enim & iniquitatem & iniquum. *Sap.* 14. Similiter odio ſunt Deo impius, & impietas eius. Nec eſt mirum: iniquus enim odit quod Deus diligit: qui autem odit amicum, rectè oditur ab amico amici. *Pſal.* 10. Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam, quam Deus diligit. *Sap.* 11. Tu Domine qui amas animas, & nihil odiſti eorum quæ feciſti. Et iterum, ipſum Deum odit impius. *Ioan.* 15. Nolite mirari ſi odit vos mundus, quia priorem me odio habuit.

Perdes omnes qui loquuntur mendacium, peccantes ore: ſed tunc perdet omnes. Aliter enim dicitur in *Pſalmo.* Omnis homo mendax. Et *ad Rom.* 1. Omnis homo mendax, Deus autem verax eſt. Vel ad minus omnes perdes præter perfectos. *Iacobi* 3. Qui non offendit in verbo, ille perfectus eſt vir. Reſponſio. Hoc intelligitur de mendacio mortali, ſcilicet pernicioſo, quod fit in doctrina religionis: & huius ſignum eſt, quia hoc quod dicit hîc, dicit quaſi diuidens contra peccatum operis & morum: & ſic intelligitur de peccato oris quod eſt contra fidem & doctrinam religionis. De quo *Sap.* 1. Os quod mentitur, occidit animam. Pſal. 115.

Et poſſunt hîc diſtingui octo genera mendaciorum ſecundum Auguſtinum. Primum eſt

Octo genera mendaciorũ ex Auguſtino.

mendacium quod ſit contra doctrinam religionis, vt cùm aſſerimus Chriſtum non eſſe paſſum, vel natum, vel Deum. Secundum, quod nulli prodeſt, & alicui nocet. Quale eſt mendacium detractoris, vel falſi teſtis in cauſa iudiciali. Tertium, quod prodeſt alicui, ita tamen quod obeſt alteri, ſicut falſi teſtis in cauſa pecuniaria. Quartum, quod ſit ſola libidine mentiendi, abſque omni vtilitate & cauſa. Quintum, quod ſit cupiditate placendi alicui, ſicut adulatoris mendacium. Et hæc quinque genera ponunt magiſtri ſub pernicioſo mendacio, & dicunt eſſe peccata mortalia. Sextum, quod nulli obeſt, & prodeſt alicui ad euitandum periculum rei quæ pertinet ad fortunam, ſicut pecuniæ. Septimum, quod nulli obeſt, & prodeſt alicui ad conſeruandum bonum naturæ, ſicut vitam corporalem. Octauum, quod nulli obeſt, & alicui prodeſt ad conſeruandum bonum gratiæ, ſicut virginitatem vel huiuſmodi. Et hæc tria genera ponuntur à magiſtris ſub officioſo mendacio: & dicunt aliqui, quod etiam mortalia ſunt peccata: aliqui dicunt, quòd non: Auguſtinus tamen vult, quòd in omnibus illis generibus ſit peccatum, non tamen determinat quod mortale. Tertium genus addunt magiſtri, ſcilicet iocoſum mendacium, quando non intentione fallendi, ſed intentione mouendi ad riſum, aliquod mendacium profertur, & ſcitur, quòd ab aliis etiam eſſe mendacium agnoſcitur: & hoc dicunt omnes vniuerſaliter veniale, maximè in imperfecto viro: quantum autem ad perfectum diſſentiunt aliqui.

8. *Virum ſanguinum & doloſum.* Aduertendum in principio quomodo pulchrè loquatur, & rhetoricè, diuerſis clauſulis diuerſa reddẽs verba. Non habitabit malignus, non permanebit iniuſtus, oditur iniquitatem faciens, perdetur mendax, abominabilis eſt vir ſanguinum & doloſus. Et nota quòd vir ſanguinum aliquando in Scriptura dicitur raptor alienæ rei. *Eccleſ.* 34. Panis egentium vita pauperis eſt, qui defraudat illum, homo ſanguinum eſt. Dicitur & homicida 2. *Reg.* 16. Dicebat Semei ad Dauid volens in eum perpetrare homicidium: Egredere vir ſanguinum, & vir Belial. Et Dominus ad ipſum Dauid: Non ædificabis mihi domum, eò quod vir ſanguinum, &c. Dicitur & vir ſanguinum, qui peccat generaliter in aperto: quia ſanguis peccatum dicitur. *Pſalm.*
Pſalm. 50. Libera me de ſanguinibus. Et *Oſeæ* 4. Furtum, mendacium, & homicidium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.

Abominabitur ergo Dominus virum ſanguinum & doloſum, apertè ſcilicet peccantem & occultè. Et hæc duo alibi coniunguntur in
Pſalm. 44. Pſalmo, vbi dicitur, Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos. Res enim abominabilis citò proiicitur. Sed *Prou.* 16. dicuntur abominabiles Regi qui agunt impiè, ſicut arrogans & ſuperbus. In eodem, Abominatio Domini omnis arrogans. Siue in occulto & latenter, ſicut ſimulatores & hypocritæ. *Prouerb.* 3. Abominatio Domini omnis illuſor: aliud prætendens exteriùs, & aliud habens interiùs: quales ſunt doloſi hypocritæ, qui ex toto de ſeipſis mentiuntur. *Gaufr.* Toto corpore mentitur hypocrita: ſpeciem quidem habens virtutis, virtutem autem abnegans pietatis. De quo 1. ad *Timoth.* 4. ſpeciem quidem pietatis habentes, virtutem autem eius abnegantes.

Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ. Ecce quintum quod neceſſarium eſt oranti, ſcilicet confidentia. Quaſi diceret ſic: Erit in oratione mea intentio recta, diligentia, conſtantia, conſcientiæ puritas, & confidentia firma. Quare? quia ſperabo in multitudine miſericordiæ tuæ. Non dicit tantùm in miſericordia ſe ſperaturum, ſed in multitudine miſericordiæ ſuæ, vt oſtendat miſericordiam Domini eſſe multam. Hinc dicit alibi. Secundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. 2. *Reg. vltimo.* Melius eſt incidere in manus Dei viuentis: miſericordiæ enim eius multæ ſunt: nulli enim ſe negat Dei miſericordia ad eam venienti. Vnde alibi, Miſericordia Domini ab æterno, & vſque in æternum ſuper timentes eum: nam venientes etiam ad ſe continet & conſeruat. *Thren.* 4. Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti. *5. circumſtantia, fiducia & eius motiuum.*

Introibo in domum tuam. Ecce ſextum, ſcilicet vnitas & concordia: aliter enim Deus orationem non audit. *Matth.* 5. Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, vade priùs reconciliari fratri tuo, & ſic veniens offeres munus tuum. Extra domum autem Dei eſt, qui odio & diſcordia ab aliis eſt diuiſus. Domum ergo Dei introire, eſt aliis per concordiam in fide & dilectione ſe coniungere, & vnire. *Act.* 4. Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. *9. 6. circumſtantia, concordia. Quinque domus Dei & totidem ingreſſus.*

Et nota, quòd eſt multiplex domus Dei, in quam intrandum eſt. Domus inferior, Eccleſia militans, de qua alibi in *Pſalm.* Domine dilexi decorem domus tuæ. Hanc intrare debemus per concordiam, & ſacramentorum perceptionem. Et eſt domus Dei ſuperior, ſcilicet Eccleſia triumphans. *Baruch* 6. O Iſraël quam magna eſt domus Domini. Et in *Pſalm.* In domum Domini ibimus lætantes. Hanc intrare debemus per contemplationem. Et eſt domus Dei interior, ipſa conſcientia. *Pſal.* Perambulabam in innocentia in medio domus meæ. Hanc intrare debemus per diſcuſſionem diligentem. Et eſt domus Dei exterior, corpus noſtrum. *Iob* 4. Qui habitant domus luteas, & terrenum habent fundamentum. Hæc autem domus Dei eſt, quia corporis conditor & occupator eſt. 1. *ad Cor.* 6. An neſcitis, quia corpora veſtra templum ſunt Spiritus ſancti qui habitat in vobis, & non eſtis veſtri. Hanc intrare debemus per fragilitatis & vilitatis noſtræ conſiderationem. *Naum* 3. Intra in lutum & calca. Et eſt domus Dei anterior, ſancta Scriptura. *Pſalm.* In domo Dei ambulauimus cum conſenſu. Hanc intrare debemus per iugem meditationem. Et eſt domus Dei poſterior, quaſi à Deo derelicta ſynagoga. *Matth.* 23. Relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Hanc intrare debemus per compaſſionem miſeriæ eius, & cæcitatis.
Pſalm. 25. Pſalm. 121. Pſalm. 100. Pſalm. 54.

Adorabo ad templum ſanctum tuum. Ecce ſeptimum & vltimum, ſcilicet reuerentia in orando. Quaſi ſic diceret: Ero in concordia, & adorabo, ad te ſcilicet orabo, veniens ad templum ſanctum *Vltima circunſtantia, reuerentia.*

ſanctum tuum, vbi locus aptior quouis alio vbi orare poſſem. Et hoc *in timore tuo*. Timore, inquam, reuerentiæ & honoris.

Vel templum appellat hominem Chriſtum, in quo Deus tanquam in ſpirituali ſuo templo habitat. Ad *Coloſſ.*2. In quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter. Hoc eſt templum de quo *Ezech.*43. Fili hominis oſtende domui Iſraël templum, Chriſtum diuinitate plenum tanquam Deum verum vndique perforatum, & confundantur ab iniquitatibus ſuis. Hoc templum de quo ipſe dicit *Ioan.*2. Soluite templum hoc,&c. Ad hoc templum orandum cum reuerentia & timore. *Prou.*28. Beatus vir qui ſemper eſt pauidus. *Iob* 9. Verebar omnia opera mea, ſciens quod non parceret delinquenti.

10. *Tertia pars Pſalmi.*

Domine deduc me. Hæc eſt tertia pars Pſalmi. Petito enim eo quod exaudiatur, & probato quòd debeat exaudiri, quid reſtat, niſi vt quod petit, ſpecificet, & oſtendat. Duo ergo petit: & ſecũdum hæc, hæc pars in duas eſt diuiſa. Primò adiuuari contra malos: ſecundò bonos cum quibus ſe loquentem comprehendit, lætificari, ibi, *Et lætentur.* In prima duo. Primò petit auxilium contra malos, ſecundò vindictam exerceri in eos, ibi, *Iudica illos Deus.* Item in prima duo. Primò petit auxilium contra malos, ne impediant proceſſum eius in bonum. Secundò oſtendit petitionis neceſſitatem, declarando malitiam aduerſariorum, ibi, *Quoniam non eſt in ore eorum veritas.* In prima dicuntur duo. Primò petit conſeruationem à malis, ne continuationem mali impediant: ſecundò ne intentionem peruertant, ibi, *Dirige in conſpectu tuo.*

Dicit ergo: Sic petiui vt exaudiar, ſic oſtendi quòd debeam exaudiri. Ergo ô tu *Domine deduc me* continuationem tribuendo, *in iuſtitia tua*, à te data, & à te inchoata in me: aliter enim niſi me deducas, non poſſum continuare, nec perficere. Vnde alibi in *Pſal.* Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum. *Exod.*33. Si tu ipſe non præcedas nos, ne quæſo mittas me. *Propter inimicos meos* amouendos, ne me impediant.

Vſus donorum Spiritus ſancti.

Hic notandum, quòd Dominus reducit ab inuio per donum timoris. *Zach.* 10. Reducam eos de terra Ægypti. Adducit ad viam per donum pietatis, fidem ſcilicet. *Iſa.*14. Adducent eos in locum ſuum, & poſſidebit eos domus Iſraël. Ducit in via per donum ſcientiæ. *Deuteron.*32. Dux fuiſti in miſericordia tua populo tuo quem redemiſti. Deducit per viam, ſcilicet de virtute in virtutem per donum fortitudinis. *Pſal.* Deduxiſti ſicut oues populum tuum. Educit ab amore viæ per donum conſilij. *Pſalm.* Educens nubes ab extremo terræ. Perducit ad amorem patriæ per donum intellectus. *Gen.*24. Adoraui Dominum benedicens Domino Deo domini mei Abraham, qui perduxit me recto itinere, &c. Inducit in ſecuritatem de perueniendo per donum ſapientiæ. *Ierem.* 2. Induxi vos in terram Carmeli, vt comederetis fructum, & bona illius.

Pſal.76. Pſal.134.

Dirige. Quaſi diceret: Non tantum adiuua, ne continuationem impediant: *ſed & dirige viam meam in conſpectu tuo* per rectitudinem intentionis ne ipſam peruertant. Hoc enim tuum eſt. *Prou.*16. Cor hominis diſponit viam ſuam, ſed domini eſt dirigere greſſus eius. *Ierem.* 10. Scio Domine, quòd non eſt hominis via eius, nec hominis eſt vt dirigat greſſus ſuos. Propter hoc docet Tobias filium ſuum dicens: Omni tempore benedic Dominum, & pete ab eo vt vias tuas dirigat. *Pſal.* Deduc me Domine in via tua, & dirige me in ſemita recta. Et alibi, Reſpice in ſeruos tuos & in opera tua, & dirige. Pſal 85.

11. *Quoniam non eſt in ore eorum veritas.* Hic ſecundum, in quo oſtenditur neceſſitas orandi, vt ab inimicis conſeruetur, ſcilicet eorum perfecta malitia, quæ monſtratur in quatuor. Primò quia non eſt in ore eorum veritas. Secundò quia abundat in corde eorum vanitas. Tertiò quia conſequens eſt ex duobus, quod redundat ad corruptionem aliorum iniquitas. Et hoc dupliciter: vel apertè quod notatur ibi, *Sepulchrum patens eſt guttur eorum:* vel occultè ibi, *Linguis ſuis doloſè agebant.* *Quatuor malitiæ partes.*

Dicit ergo: Sic peto ab inimicis liberari, per te, nec mirum, *quia non eſt in ore eorum veritas* creata. *Oſeæ* 4. Non eſt veritas, non eſt miſericordia, non eſt ſcientia Dei in terra. *Iſa.*59. Corruit veritas in platea, & æquitas non potuit ingredi. Et per hoc nunc increata, quæ Filius eſt, *Ioan.*14. Ego ſum via, veritas, & vita. Et ſi aliquando ſimulant veritatem, in corde habent doloſitatem & fallaciam. *Eccleſ.* 19. Eſt qui nequiter ſe humiliat, & interiora eius plena ſunt dolo. *Primo procul eſt à veritate.*

Cor eorum vanum eſt, vanitati deditum: ſuprà in *Pſalm.* Diligitis vanitatem & quæritis mendacium. Hæc autem vanitas in corde cauſa eſt falſitatis in ore. *Gregorius*, Quod leuis conſcientia concipit, protinus leuior lingua prodit. Iterum idem: Qualis ſermo foris oſtenditur, talis interiùs animus comprobatur. *Matth.*12. Ex abundantia cordis os loquitur. *Secundò vana eſt.* Pſal.4.

12. *Tertiò apertè nocet.*

Sepulchrum patens. Quaſi nulla in ore veritas, & nihil aliud in corde quam vanitas, ex quo ſequitur, quòd guttur eorum ſit ſepulchrum patens, fœtorem ſcilicet detractionis apertè emittens: non enim minus fœtet à parte ſuperiori emittendo ſpiritualiter, quam à parte inferiori emittendo corporaliter. *Seneca*, Non refert vtrum iſti detractores ſuperiùs vel inferiùs intonent.

Et nota, quod ſepulchra, ſed clauſa dicuntur hypocritæ. *Matth.*23. Væ vobis Phariſæi hypocritæ, qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa, intùs autem plena ſunt ſpurcitiis & immunditia. Sepulchra etiam, ſed patentia ſunt guloſi, qui carnes ad literam indifferenter recipiunt, & receptas corrumpunt. *Num.*11. Vocatuſque eſt ille locus ſepulchrum concupiſcentiæ, quia ibi concupiuit populus carnes, & habuit vt deuoraret. Sed iſta ſepulchra, & præcedentia ad ſepulchrum gehennæ ducuntur. *Luc.*12. Illud ſepulchrum, ſcilicet diues epulo, mortuus & ſepultus eſt in inferno. De hypocrita enim dicitur *Iob* 31. Quis arguet vias eius coram eo & quæ fecit, & quis reddet ei? Et reſpondet: Ipſe ad ſepulchrum ducetur. Et quod ad ſepulchrum gehennale, manifeſtat in eo quod ſubdit: Et in congerie mortuorum vigilabit ſepulchrum. Et

detractor. *Ierem.* 5. Pharetra eius quasi sepulchrum patens.

Detractor variis figuris pingitur.

Nota, quod detractor sepulchro comparatur patenti, quia fœtorem emittit. Leproso, quia anhelitum emittendo quæ circa sunt corrumpit. *Leuit.*13. Præcipiebatur, quod leprosus haberet os contectum. Et crabroni, qui dimissis floribus super stecora quiescit. *Deuter.*7. Mittam ante eum crabrones. Et muri qui corrupta corrodit. 1.*Reg.*5. Mures rodebant prominentes extales Philistinorum. Et hyenæ quæ de sepulchris extrahens corpora mortua, illa deuorat & discerpit. *Ierem.*12. Secundum aliam trãslationem, Nunquid hyenæ spelunca hæreditas mea mihi? Et miluo qui est auis querulosa, & escas cadauerum circumuolando rapit. *Isa.* 34. Ibi congregati sunt ad obloquendum milui vnus ad alterum.

Quartò molitur dolosè.

Linguis suis dolosè agebant. Occultè machinando malum, dolosè agebant. *Ierem.*9. Vir fratrem suum deridebit, & veritatem non loquetur, docuerunt enim linguam suam loqui mendacium. Propter hoc dicitur *Eccles.*28. Beatus qui tectus est à lingua nequam. *Eccl.*37. Qui sophisticè loquitur, odibilis est, & in omni re defraudabitur.

Iudica illos Deus. Hæc est secunda pars, in qua petit vindictam de aduersariis, & hoc non libidine vindictæ, sed zelo iustitiæ. Primò petit vindicari generaliter: secundò modum exprimit quo petit vindicari, ibi, *decidant.* Dicit ergo: Tales sunt à quibus postulo liberari, sed hoc peto, Deus iudica illos, iudicio scilicet condemnationis. Vel potest esse non optatio vindictæ, sed declaratio. De iudicio animæ, & differentiis iudiciorum, suprà satis vltimo versu primi Psalmi.

13. *Decidant à cogitationibus suis.* Hîc specificat modum vindictæ quem comprehendit in tribus. Primò vt cadant à bono sperato, secundò vt ruant in malum insperatum. *Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos.* Tertiò ostendit, quod debeant sic cadere, & ruere. *Quoniam irritauerunt.* Ait ergo sic. Peto quod iudices, & hoc sit iudicium: *Decidant à cogitationibus suis*, quibus putant se mala non visuros. Psal.145. *Psalm.* In illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Decidant, inquam, ab illis cogitationibus, de quibus 2. *Sapient.* Dixerunt impij cogitantes apud se non rectè, &c. Et Psal.71. de quibus in *Psalm.* Cogitauerunt & loquuti sunt nequitiam. Nec hoc solùm, imò

Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, & longè à te pelle in infernum. *Iob.*14. Psal.43. Expellet eum de luce in tenebras. & in *Psal.* Afflixisti populos & expulisti eos. Et nota, quòd dicit secundum multitudinem impietatum, vt qui plus peccauerunt, longiùs à bono expellantur, & malo pœnæ profondiùs immergantur. *Deut.*25. Iuxta mensuram peccati erit & plagarum modus. *Isa.*27. In mensura contra mensuram, cum abiecta fuerit, iudicabis eam. *Apocalyps.* 18. Quantum glorificauit se, & in delitiis fuit, tantum date ei tormentum & luctum. Et digni sunt sic excidere, sic expelli.

Quoniam irritauerunt te Domine, qui benignus es, imo benignitas ipsa. De te *Deuter.*32. Ipsi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus, & in vanitatibus suis ad iracundiam concitauerunt. *Oseæ* 12. Prouocauit me Ephraim in amaritudinibus suis. Alia litera sicut dicit Glossa: Hunc amaricauerunt, hoc est te, qui dulcis es, in te peccando, sibi amarum reddiderunt. Vnde Hieronymus, quicquid mali patimur, vitij nostri est, qui dulcem Deum vertimus in amarum, & cogimus sæuire nolentem. Ipse enim est, cui veraciter competit illud Poëma.

Est piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox:
Quique dolet, quoties cogitur esse ferox.

14. *Et lætentur omnes.* Hîc est tertia pars, in qua specificat quod petit. Petit enim hîc bonam lætitiam bonorum. Continua ergo sic: Illi iudicentur, decidant, expellantur: & omnes qui sperant in te, qui sunt membra tua numero & merito, lætentur in te, hic, primo spe. Ad *Rom.*12. Spe gaudentes. Et postmodum re. *Isa.*61. In terra sua duplicia possidebunt, & erit lætitia sempiterna. Et 35. Venient in Sion cum laude, & lætitia sempiterna caput eorum: gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.

In æternum exultabunt. Hæc est quarta pars & vltima totius Psalmi, in qua petito quod exaudiatur, & probato quod debeat exaudiri, & petitione specificata & formata, se tanquam præsentiens exaudiendum certitudinaliter asserit ad implendum quod petiit: & dicuntur duo. Primò prædicit explendam bonorum lætitiam quam petiit. Secundò totum gratiæ attribuit. *Domine vt scuto.* Et tanguntur quatuor. Primò lætitiæ bonorum æternitas, secundò securitas, & *habitabit in eis*: tertiò veritas: & *gloriabuntur in te.* Quartò copiositas. *Quoniam tu benedices.*

Gaudium iustorũ quatuor constat.

Ait ergo sic: Petiui, sed certus sum, quoniam in æternum exultabunt iusti, malis è contrario contristatis. *Prouerb.*14. In malitia sua expellitur impius, sperat autem iustus in morte sua. *Isa.*65. Serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos præ dolore spiritus vlulabitis. & 35. Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo. & paulò post, Exultabit lætabunda & gaudens. Nec ad horam exultabunt, sed *in æternum.* Non sic lætitia hypocritæ. *Iob* 20. Gaudium hypocritæ adinstar puncti. & 21. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.

Et habitabis in eis, vt sit lætantibus plena securitas, cum non tantum iuxta eos sis, sed in eis. *Iob* 17. Libera me Domine, & pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. *Apocalyps.* vltimo, Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit in eis. *Isa.*32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ. Sed etiam erit lætitiæ tam securæ veritas, & hoc est quod subdit.

15. *Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum.* Filium scilicet tuum. *Isa.*30. Ecce nomen Domini venit de longinquo. Ecce hæreditatis perceptio, de qua in titulo huius Psalmi mentio facta est. *Alibi*, Præueniisti eum in benedictionibus dulcedinis. De vtroque autem alibi in *Psal.* Viduam eius benedicens, benedictione gratiæ, benedicam, benedictione gloriæ.

Domine

Domine vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos. Hîc ſecundum, in quo totum attribuit Dei gratiæ. Quaſi ſic diceret, Lætabuntur lætitia perpetua, ſecura, vera, & copioſa, & hoc non ſuis viribus, ſed quia tu Domine coronaſti nos, hoc eſt, vndique circumdediſti bonæ voluntatis, id eſt, bona voluntate. Genitiuus enim ponitur pro ablatiuo more Græcorum, ſcilicet gratia à bona voluntate procedente, vt ſcuto nos vndique protegente.

Scutũ multiplex. Et nota, quod eſt multiplex ſcutum: fidei contra hæreticorum errores. *Ad Eph. vltimo,* In omnibus ſumentes ſcutum fidei. Patientiæ contra paſſiones illicitas à tyrannis. 2. *Paralip.* 9. Rex Salomon fecit ducentas haſtas, vel ſexcentas ſecundum aliquos libros, quod magis videtur, & trecenta ſcuta aurea. Scutum etiam valet contra tentationes auaritiæ. 1. *Eccl.* 29. Super ſcutum potentis, & ſuper lanceam aduerſus inimicum pugnabit, mundum ſcilicet qui tentat de auaritia. *Paſſio Chriſti ſcutum.* Scutum, memoria paſſionis Chriſti contra carnis titillationes. *Thren.* 3. Dabis dies ſcutum cordis laborem tuum, id eſt, paſſionem tuam. Scutum, Sanctorum exempla contra ſuggeſtiones ſuperbiæ à dæmonibus factæ. 2. *Reg.* 1. Montes Gelboë, nec ros nec pluuia veniant ſuper vos, quia ibi abiectus eſt clypeus fortium *Ioſuë* 8. Non conuertit manum Ioſuë quam in ſublime porrexerat, tenens clypeum, donec interficerentur habitatores Hai. Scutum etiam ſacræ Scripturæ authoritates contra veritatem impugnantes. *Cant* 4. dicitur turris Dauid ædificata cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea. Scutum etiam verbum Dei contra volentes corrumpere humanos mores. *Prou.* 30. Omnis ſermo diuinus ignitus clypeus eſt, ſperantibus in ſe.

IN SEXTVM PSALMVM.

In finem Pſalmus Dauid pro octaua.

2. *Domine ne in furore.* Sextus Pſalmus cui præponitur quintus titulus qui talis eſt, *In finem Pſalmus Dauid pro octaua:* in quo tanguntur tria. Vniuerſalis vtilitas, per hoc quod dicitur *in finem.* Supplendum enim eſt eſſe Chriſtum: nos dirigens, quia finis duplici modo, ſicut ſuperiùs expoſitum eſt: & cauſa efficiens Pſalmi, cum dicitur *Dauid*, & excitatiuum & motiuum Auctoris, cum dicitur *pro octaua.* *Octaua, dies iudicij ex duplici capite.* Notandum enim, quòd octaua appellatur hîc dies iudicij, non ſicut quidam erroneè hîc putauerunt propter hoc quod poſt ſeptem annorum millia, completa ſeptimana mundanâ futurum ſit. Incertum enim eſt, & cognitum ſoli Deo quando futura ſit illa dies. *Matth.* 23. De die illa, & hora nemo ſcit. Et 1. *ad Theſſ. vltimo.* Dies Domini tanquam fur in nocte veniet. Sed octaua dicitur duplici ratione alia, quia ſequetur poſt hanc vitam, quæ duplicatur per quaternarium & ternarium. Quatuor enim humoribus componitur humanum corpus, & per quatuor anni tempora variatur, & ex quatuor componitur elementis. Ex parte autem animæ ſunt tres potentiæ ſiue vires, quibus & ſpiritualis hominum vita regitur, ordinatur. His autem decurſis ſequitur dies iudicij quaſi octaua. Vel meliùs: Octaua dicitur, quia conſecutiua huius vitæ, quæ ſeptem dierum currit circulo. Illam ergo diem cogitans ſanctus Dauid, & cogitare nos docens, affectus timore loquens pro ſe & in perſona timentium, edidit Pſalmum iſtum.

Senſus ergo tituli talis eſt: hic Pſalmus in Chriſtum finem nos dirigens, Dauid eſt vt Auctoris, pro octaua, id eſt, pro timore octauæ diei, ſcilicet diei iudicij ab ipſo editus, & à timentibus diem illum dicendus. Ex hoc patet, quòd rectè dicitur primus Pſalmus pœnitentialium. Inchoatio enim pœnitentiæ à timore eſt, cauſato ex timore iudicij, ſecundum illud *Iſa.* 26. A timore tuo concepimus, & parturiuimus ſpiritum ſalutis. *Argumentũ, iudicij timor à quo pœnitentia incipit.*

Patet & ordinatio huius Pſalmi ad Pſalmum præcedentem: orauit enim in Pſalmo præcedenti pro hæreditate æterna ſibi danda: ſed quia ad hoc via eſt pœnitentia, hic ſubiungitur de pœnitentia poſtulantis. Item in Pſalmo præcedenti confidenter aſſerebat ſe adepturum hæreditatem quæ pertinet ad perfectionis ſtatum. Ne ergo credantur excludi imperfecti, ſubiungitur hîc de timore imperfectorum, & pœnitentium, per quem incipiunt ſequi perfectos.

Diuiditur autem in tres partes. Primò in ſtatu pœnitentis concuſſus timore petitionem facit. Secundò vt ad miſericordiam prouocet Deum, miſerias exponit, ibi, *Laborauí.* Tertiò, quòd idoneus ſit exaudiri, oſtendit. *Diſcedite à me.* In prima parte duo dicuntur, ſecundum duo quæ petit, timore concuſſus. Primum eſt remoueri à malo. Secundum promoueri in bonum, ibi, *Saluum me fac propter miſericordiam tuam.* Item cùm duplex ſit malum, futurum videlicet & præſens, primò petit liberari à malo futuro, ſecundò à malo præſenti. *Miſerere mei.* A malo futuro duplici petit liberari. Primò à malo gehennæ, quod eſt magis deſiderabile. Secundo à malo purgatorij, à quo etiam bonum eſt liberari. *Nec in ira tua.* *Diuiſio Pſalmi.*

Dicit ergo: *Domine ne in furore tuo,* id eſt, in effectu furoris quem exercebis contra malos in die iudicij, *arguas me,* id eſt, arguendo punias. Hic eſt furor de quo *Iſa.* 30. Ardens furor eius, & grauis ad portandum: & additur de argutione, & labia eius indignatione plena. Hunc furorem timebat Iob quando dicebat in 14. Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abſcondas me donec pertranſeat furor tuus.

Nec mirum ſi timetur dies illa à pœnitentibus imperfectis, timenda enim eſt multiplici ratione. Prima propter incertitudinem ſtatus ſui, vel ſalutis. *Eccl.* 9. Nemo ſcit an amore vel odio dignus ſit. Maximè ergo imperfectus incertus eſt propter electorum commotionem quam audimus tunc futuram. *Iſa.* 24. Confractione confringetur terra, commotione commouebitur terra, agitatione agitabitur terra. Propter impugnationem totius creaturæ quæ malos impugnabit. *Sap.* 5. Armabit omnem creaturam ad vltionem inimicorum. Et paulò poſt, Pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos. Propter iudicis poteſtatem irrefragabilem. *Pſal.* Quis nouit poteſtatem iræ tuæ? Pſal. 89. *Iob* 9. *Cur dies iudicij timendus.*

Iob 9. Deus cuius iræ reſiſtere nemo poteſt. Propter iudicij diſtrictionē. *Sopho.*1. Scrutabor Ieruſalem in lucernis. Propter ſeueritatem & inflexibilitatem. *Prou.*6. Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cuiuſquam precibus, nec accipiet pro redemptione dona plurima. Propter ipſius iudicis honorem. *Mal.*3. Quis poterit cogitare diem aduentus eius? aut quis ſtabit ad videndum eum? Propter peccatorum manifeſtationem. *Matth.* 10. Nihil opertum quod non reueletur, & nihil occultum quod non ſciatur.1.ad *Cor.*4. Veniet Dominus qui & illuminabit abſcondita tenebrarum,& manifeſtabit conſilia cordium. Vltimò propter pœnarum multiplicitatem, quam infliget in corpore & in anima. *Apoc.*1. De ore eius procedebat gladius ex vtraque parte acutus. *Iob* 9. Fugite à facie gladij: quoniam vltor iniquitatum eſt gladius. Punientur quidem tenebris. *Matth.*25. Seruum inutilem proiicite in tenebras exteriores, quia veram lucem quæ Chriſtus eſt, repulerunt. *Ioan.*1. Erat lux quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Fœtore. *Iſa.*3. Erit pro ſuauí odore fœtor, quia cum iuſtis in odore vnguentorum Chriſti currere noluerunt. *Cant.*1. Curremus in odorem vnguentorum tuorum. Frigore & igne. *Iob* 24. A frigore niuium tranſibunt ad calorem nimium. Frigore:quia illum ignem vel extinxerunt, vel repulerunt, de quo *Luc.*12. Ignem veni mittere in terram. Igne: quia gratiæ refrigerium contempſerunt. *Eccleſ.*19.Nonne ardorem refrigerat ros? *Daniel.*3. Ventus roris refrigerium præſtitit tribus pueris in fornaci. Hæc exteriùs. Sed interiùs verme conſcientiæ. *Iſa.* vltimo, vermis eorum non morietur: quia vermen luxuriæ nutriuerunt. Ad *Gal. vltimo*, Qui ſeminat in carne, de carne metet corruptionem.

Varia damnatorũ ſupplicia.

Neque in ira tua, quæ minor eſt quam furor, ſcilicet in affectu iræ quâ punis in purgatorio, *corripias me.* Per purgatorium enim Dominus non interficit, ſed corripit: non enim eſt hic ira ardens & ſæuiens,de qua ſupra in ſecundo *Pſal.* Cum exarſerit in breui ira eius, &c. de qua *Matth.*3. Genimina viperarum quis dabit vobis fugere à ventura ira? Et ad *Rom.*1. Reuelabitur ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem. Sed ira eſt quæ miſericordiam ſequitur, iuxta illud *Abacuch* 3. Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. Quæ in purgatorio exiſtentibus ira dicitur, iis autem qui affliguntur hîc, non ira, ſed magis prona pietas dicenda eſt. *Iob* 5. Beatus qui corripitur à Domino. & *Auguſt.* in Gloſſa talem petit iram, Hic vre, hic ſeca me: ſed in furore tuo, vel in indignatione, ne arguas me, vel corripias me. Ergo eſt furor Dei in inferno, ira in purgatorio, ſed prona correctio hic in mundo.

Nota.

3. *Miſerere mei.* Hic petit liberari à malo præſenti: & dicuntur duo. Primò petitio liberationis, ſecundò petitioni acceleratio, ibi, *Sed tu Domine vſquequo?* Item malum duplex, culpæ à quo petit primum liberari, & pœnæ à quo ſecundò, ibi, *Sana me.* In prima duo. Petitio & ratio quare debeat exaudiri, *Quoniam infirmus.* Dicit ergo ſic: Petij vt me in futuro non arguas nec corripias, & nunc Domine peto *miſerere mei* quadrupliciter, ne deſperem, per ſpem veniæ conſolando, iuxta illud *Ezech.*18. Quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius. Auerſum à te per internam inſpirationem reuocando, iuxta illud *Iſa.*30. Aures tuæ vocem audient poſt tergum monentis. Pigritantem conuerti per patientiam & benignitatem expectando, ſecundum illud ad *Rom.*2. Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? & *Iſa.*30. Expectat vos Dominus Deus veſter vt miſereatur veſtri. Et tandem conuerſo hilariter occurrendo, ſicut benignus pater filio prodigo reuertenti. *Luc.*15. Et hoc debes.

Quadruplex miſericordia.

Quoniam infirmus ſum. Qui autem tibi oſtendit infirmitatem, à te meretur veniam. *Auguſt.* Argumentum eſt pietatis impetrandæ, oſtenſio infirmitatis. Infirmus autem ſum infirmitate multiplici. Naturæ, de qua *Sapient.*19. Homo infirmus & exigui temporis. Et pœnæ,de qua *Ioan.*11. Domine quem amas infirmatur. Et culpæ, de qua *Ezech.*34. Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis. Et imperfectione in fide, de qua ad *Rom.*14. Qui infirmus eſt, olus manducet. Et conſuetudinis pravæ, de qua *Seneca*, Non eſt locus remedio, dum vitia mores fiunt. Tu autem te conſolidaturum infirmo promiſiſti. *Ezech.*34. Quod infirmum fuerat, conſolidabo.

Quintuplex infirmitas.

Sana me. Hîc petit liberari à pœna, & dicuntur duo ſimiliter. Primò petitio, ſecundò quare debeat exaudiri. *Quoniam conturbata.* Dicit ergo ſic. Peto liberari à pœna, ſed & hoc peto, ô Domine, *ſana me* à miſeria culpæ. *Ierem.*17. Sana me Domine, & ſanabor. Sana me: quoniam ſanabilis eſt miſeria mea. *Sap.*1. Creauit enim Deus vt eſſent omnia, & ſanabiles fecit rationes orbis terrarum, non rationes dæmonum. Quia potes & ſolo verbo. *Pſalm.* Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos. Pſalm 106.

4.

Quoniam conturbata. Hîc ponitur ratio duplex ad mouendum iudicem, ſcilicet duplex miſeria. Animæ, quantum ad ſuperiorem partem turbatio: quantum ad inferiorem, turbationis incenſio. *Et anima mea.* Ait ergo: Sana me, & hoc te moueat, *quoniam oſſa mea*, id eſt, animæ meæ vires, rationabilis, concupiſcibilis, iraſcibilis, quæ ſunt quædam oſſa animæ ſpiritualis, *conturbata ſunt. Thren.*2. Conturbata ſunt omnia viſcera mea. *Ierem.*4. Senſus cordis mei turbati ſunt in me.

Et anima mea. Pars animæ, ſcilicet inferior ſenſualitas turbata eſt valdè, turbatione triplici. Admirationis. *Cant.*6. Anima mea conturbata eſt propter quadrigas Aminadab: quæ enim priùs erat domina, ſeruam ſe cognoſcit. Et timoris, de qua *Matth.*2. Turbatus eſt Herodes,& omnis Ieroſolyma cum illo. *Sapient.* 17. ſemper enim pertimeſcit ſæua, turbata conſcientia. Et hoc, quis videt ſibi imminere ſupplicia & dolores: de quo in *Pſal.* Sana contritiones eius: quoniam commota eſt. Quia videt ſe amiſiſſe bona gratiæ & gloriæ.

4.

Sed tu Domine. Hîc petit accelerationem liberationis: & dicuntur duo. Primò admiratio de mora liberationis, vt liberatorem excitet

ſecundò

ſecundò ſupplicatio pro liberatione. *Conuertere.* Ait ergo ſic: Turbor & conturbor: *ſed tu Domine vſquequo* differs me liberare. Et *Abach.*1. Vſquequo Domine clamabo, nec exaudies? Nec eſt hoc contra illud quod dicitur *Iſa.*65. Et erit, antequam clament, ego exaudiam. Illud enim intelligitur de perfectis: hic autem loquitur in ſtatu imperfecti. Præterea ipſa dilatio, exauditio eſt ad bonum eiuſdem poſtulantis. Primò: quia tunc veraciter cognoſcit, quam grauis ſit miſeria in qua iacet. *Gregor.* Cum ſe expedire nititur, tunc veraciter cognoſcit, quam duris nexibus retinetur. Item ipſa dilatione cruciatus magis ac magis purgatur. *Gregorius*, differens cruciat, & cruciando purgat. Item cautior redditur ad cauendum recidiuum. *Auguſt.* Facilitas veniæ incentiuum tribuit delinquendi. Item deſideria augmentantur. *Greg.* Deſideria dilatione creſcunt. Vltimò: quia poſt multam dilationem & multos gemitus, impetratum carius habetur & gratius. *Seneca*, Quod gratum vis, haberi, rarò effice. Item idem, Meliùs ſapiunt quæ pluris emuntur.

5. *Conuertere.* Hîc poſtulatio accelerationis. Primò deliberatione à culpa, ſecundò à pœna. *Et eripe.* Dicit ergo ſic: Miror de mora, ſed rogo te Domine *conuertere* celeriter ad me, (cuius conuerſio eſt culpæ deletio,) vt dicas mihi illud *Oſeæ* 11. Conuerſum eſt in me cor meum. Vt contingat mihi ſicut & Petro Luc.23. Conuerſus Dominus reſpexit Petrum. Et ſtatim ſequitur, quòd fleuit amare, & deleuit culpam. Conuertitur autem Dominus, rationabilem illuminando ad cognitionem veritatis, iuxta illud ad *Eph.*5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Concupiſcibilem inflammando ad amorem bonitatis illo igne, de quo *Luc.*12. Ignem veni mittere in terram, &c. Iraſcibilem roborando ad deſtructionem iniquitatis. *Iſa.*40. Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem. *Conuertere* ergo ſicut promittis. *Zach.*1. Conuertimini ad me, & conuertar ad vos.

Et eripe animam meam, à languore pœnali in quo per peccatum relicta eſt, tanquam in laqueo inuoluta & adſtricta. *Prou.* 5. Funibus peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur. & in *Pſal.* Funes peccatorum circumplexi ſunt me: vt poſſim dicere illud, Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus: & illud, Ipſe liberauit me de laqueo venantium. Eripe ergo animam meam terrenis adhuc per delectationem adhærentem, ſecundum illud, Adhæſit pauimento anima mea. Et alibi, Adhæſit in terra venter noſter. Per reiterationem peccato infixam, ſecundum illud *Pſal.* Infixus ſum in limo profundi. Ligatam per conſuetudinem. *Oſeæ* 4. Ligauit eum in alis ſuis ſpiritus. *Iob* 18. Immiſit in rete pedes ſuos, & in maculis eius ambulat: tenebitur planta eius in laqueo. Abſorptam per deſperationem & contemptum. *Prou.* 18. Peccator cum venerit in profundum peccatorum, contemnit. Ab iis eripiendum & auellendum eſt cor, vel ipſa à corde: quod ſi non poteſt fieri, totum ſimul eſſet auellendum. *Seneca*, Auellenda ſunt quæcumque cor laniant, quæ ſi auelli non poſſunt, etiam cor cum ipſis auellendum eſt.

Statu animæ peccatricis.

Pſal.43.

Nota monitum.

Saluum me fac. Hîc petit promoueri in bono vel conſeruari: & dicuntur duo. Primò petitionem facit, ſecundò neceſſitatem oſtendit ſuæ petitionis. *Quoniam non eſt in morte.* Dicit ergo ſic: Petij à malis liberari, & hoc celeriter: ſed & hoc peto: *Saluum me fac*, virtutes vſque ad ſaluati perfectionem producendo, & hoc non meis meritis, quia nulla reputo, ſed

Propter miſericordiam tuam, cui totum attribuo, de qua ſpero. Ad *Titum* 3. Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit. *Thren.* 3. Miſericordiæ Domini, quòd non ſumus conſumpti. Non virtutis noſtræ. *Iacob.* 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum.

Quoniam non eſt in morte. Hîc oſtendit petitionis neceſſitatem ratione dplici. Prima: quia non valet confeſſio. Secunda: quia non eſt euaſio à culpa, vel à pœna poſt mortem, ibi, *In inferno autem.* Ait ergo ſic: Peto liberari à malo, & promoueri in bonum celeriter, *quoniam in morte*, cuius hora mihi incerta eſt, *non eſt qui memor ſit*, id eſt, qui memor eſſe poſſit tui, ad veniam vel ſalutem impetrandam. Sed notandum, quòd eſt mors naturæ, à quâ dicitur quis moriens. De hac non intelligitur: moriens enim poteſt eſſe memor Dei ad ſalutem. Et eſt mors à qua dicitur quis mortuus. De hac intelligitur quod hic dicitur. *Eccleſ.*17. Ne moreris in errore impiorum, ante mortem confitere. Mortuo enim quaſi nihil, perit confeſſio. *Eccleſiaſtis* 11. Si ceciderit lignum ad Auſtrum, ibi erit: ſi ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. Huius exemplum habes in Euangelio *Matth.* 25. de confidentibus poſt mortem: Amen dico vobis, non noui vos, neſcio vos. 6.

In inferno autem, iam concluſus, *quis confitebitur tibi?* Vel confeſſione fidei, de qua dicitur ad *Rom.*10. Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. & 10. *Matth.* Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo. Vel laudis, de qua dicitur in *Pſal.* Confitemini Domino quoniam bonus. Vel peccati, de qua *Iacob. vltimo*, Confitemini alterutrum peccata veſtra? Verè nullus, ita quod ſit vtilis ad ſalutem. *Iſa.*38. Non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te, non expectabunt qui deſcendunt in locum veritatem tuam, &c. Alia tranſlatio mea. Qui deſcendet ad inferos, non aſcendet, nec reuertetur vltra in domum ſuam. *Iob* 7. In inferno nulla eſt redemptio. Propter hoc dicitur *Eccleſ.*9. Quicquid poteſt manus tua, inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia apud inferos, quò tu properas. Poteſt etiam intelligi de morte culpæ. In hac morte exiſtit qui adhuc peccatum diligit. In inferno autem eſt, qui deſperat vel contemnit. De talibus autem intelligitur illud *Ioan.*9. Scimus, quoniam peccatores Deus non audit. Ex dictis relinquitur, quod eſt mors naturæ quæ mala eſt, & mors culpæ quæ eſt deterior, & eſt gehennæ quæ eſt peſſima, iuxta illud, Mors peccatorum peſſima.

Gradus mortis.

Laboraui in gemitu meo. Hæc eſt ſecunda pars Pſalmi, in qua poſtquam pœnitens timo- 7.

re

re concuſſus, humilem petitionem propoſuit, ſubiungit prouocationem iudicis ad compaſſionem, & hoc dupliciter. Primò emendam nuntiando: ſecundò neceſſitatem emendæ confitendo. *Turbatus eſt à furore.* In prima duo. Primò nuntiat emendam, quam iam fecit, ſecundò quam facere proponit. *Lauabo:* Quam iam fecit, duplex tangitur, exterior in actu, interior in gemitu. Ait ergo ſic: Rogaui neceſſitate compulſus. Et tu Domine ad compaſſionem moueri debes, *quoniam laboraui*, exteriùs meipſum in bonis operibus exercendo, ſecundum illud ad *Rom.6.* Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita, &c. Et crucem pœnitentiæ ſuſtinendo, ſecundum illud ad *Gal.5.* Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.

Duplex labor malus. Nota, quod eſt malus labor, & hic duplex. Culpæ, de quo dicitur *Ierem.9.* Vt iniquè agerent laborauerunt, & de quo dicunt mali *Sapient.5.* Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles. Et pœnæ æternæ, de quo in *Pſal.* Laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem. Et eſt labor bonus. Bonus pro ſe vel ſuſtinendo in neceſſariis corporis, de quo 2. *Theſſ.3.* Qui non laborat, non manducet. Vel pœnitentiæ pro peccatis puniendis, de quo hîc: *Laboraui.* Vel pro aliis & ad ſalutem vocandis, de quo in *Pſal.* Laboraui clamans, &c. De iis duobus vltimis laboribus *Sap.3.* Bonorum labor glorioſus eſt fructus.

Triplex labor bonus.

Gemitus à cauſa gemina fletus. *Laboraui* ergo ſic exteriùs, *in gemitu meo*, laborans interiùs. Alibi in *Pſal.* Rugiebam à gemitu cordis mei. *Thren.1.* Multi gemitus mei, & cor meum mœrens. Et dicit Caſſiodorus, quod gemitus à geminando dicitur. Geminam enim cauſam habet gemens pro peccatis: vnam, quia præſentem pœnam ſentit: alteram, quia timet futuram. Nota, quòd ſeptem lignores Dominus propinat ad animam abluendam. Aquam Baptiſmatis primò. *Ezechiel.36.* Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquinamentis veſtris. 4. *Reg.5.* Vade, & lauare ſepties in Iordane. Si cito ſordidatus eſt, propinatur ei liquor alius, lachrymæ, ſicut hîc dicitur: poſtmodum tertius, ſcilicet lac ſimplicis doctrinæ, quo mundatur à ſordibus eorum. *Cant.5.* Oculi tui ſicut columbæ ſuper riuos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ. Sed ſic mundata ab errore habet liquorem quartum, Chriſti ſanguinem, quo debet lauari per Paſſionis eius recordationem. *Apocalyp.1.* Lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Et 7. Lauerunt ſtolas ſuas, & candidas eas fecerunt in ſanguine agni. Sed adhuc propinatur ei quintus, ſcilicet vinum compunctionis. *Geneſ.* penultimo, Lauabit in vino ſtolam ſuam, & ſanguine vuæ pallium ſuum. Propinatur & ſextus, ſcilicet butyrum pinguis deuotionis. *Iob.29.* Lauabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei. Propinatur & ſeptimus, oleum lætitiæ ſpiritualis. *Daniel.13.* Afferte oleum & vnguenta vt lauet. Paratur ad lauandum non liquor, ſed feruor ignis, ſcilicet ardentiſſimæ charitatis. *Iſa.4.* Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Ieruſalem lauerit in ſpiritu iudicij, & ſpiritu ardoris.

Septem liquoribus abluitur anima.

Lauabo per ſingulas noctes. Hîc emenda quam promittit, quæ eſt duplex, vna purgare conſcientiam, quod pertinet ad declinationem mali, alia bonarum affectionum abundantia, quod pertinet ad operationem. *Lachrymis.* Ait ergo: Sic laboraui, ſic ingemui: ſed & hoc promitto, quoniam lectum meum, interiorem ſcilicet conſcientiam, in qua quieſcendum eſt, lauabo abundantia lachrymarum, *per ſingulas noctes*, ad literam, ſingulis noctibus lachrymando. Vel *per ſingulas noctes*, ſuper ſingula peccata, lachrymas effundendo.

Duplex emendatio exigenda.

Ad hunc fletum inuitamur *Ierem.6.* Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum. Et *Mich.4.* Dole & ſatage quaſi parturiens. *Ierem.4.* Laua à malitia cor tuum. *Thren.2.* Deduc quaſi torrentem lachrymas per diem & noctem.

Lachrymis meis. Quaſi diceret, Non ſolum lauabo conſcientiam, ſed etiam ſtratum meum, cor ſcilicet virtutibus paratum, *rigabo lachrymis meis*, vt producat affectionum bonarum fructum. *Eccleſ.4.* Rigabo ortum plantationis, & inebriabo partus mei fructum. Et nota, quòd idem quod ſuperius dixit lectum, hic dicit ſtratum. *Caſſiodorus* enim dicit, quòd lectus dicitur ab electione herbarum, quæ in lectis ſolent poni, iuxta illud *Cant.1.* Lectulus noſter floridus. Stratum autem dicitur à ſternendo: quia pretioſis ſolet ſterni, & ornari ornamentis.

Quid differt ſtratum à lecto.

Triplex genus lachrymarum. Et nota, quòd ſunt lachrymæ pro ſeipſo, & hæ contritionis, de quibus hîc: & ad proximum, & hæ compaſſionis, de quibus *Ierem.9.* Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, &c. Et ad Dominum, & hæ deuotionis, quæ reficiunt animam, de quibus in *Pſal.* Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Hoc eſt irriguum ſuperius, de quo *Ioſue 15.* & vidi, id eſt, dedi irriguum ſuperius.

8.

Turbatus eſt à furore oculus meus. Hîc oſtenditur neceſſitas emendandi, & hoc duplici ratione. Prima, timoris magnitudo: ſecunda, peccandi conſuetudo. *Inueteraui.* Dicit ergo ſic: Emendaui iam in parte, & adhuc emendabo, & neceſſe habeo, quia *turbatus eſt oculus meus* rationis meæ, *à furore*, id eſt, furoris tui in effectu meditatione. *Naum 1.* Vlciſcens Dominus & habens furorem, vlciſcens Dominus in hoſtes ſuos. *Iſa.38.* Attenuati ſunt oculi mei ſuſpicientes in excelſo. *Abac.3.* Audiui, & conturbatus eſt venter meus.

Oculus multiplex. Et nota, quod eſt oculus corporis, de quo *Eccleſ.1.* Non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu. Et eſt oculus mentis, ſicut hic. Et eſt oculus cordis, ſcilicet intentio: de quo *Matth.6.* Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Et eſt oculus pupilli, & hic duplex: procurator in temporalibus, ſcilicet ſiniſter oculus, in ſpiritualibus, dexter. De vtroque *Matth.5.* Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, &c. Per dextrum intelligitur & ſiniſter. Et eſt oculus Eccleſiæ, ſcilicet Prælatus. *Cant.4.* Oculi tui columbarum abſque eo quod intrinſecus latet. Debent enim Prælati eſſe ſimplices in bono opere, fœcundi in prædicatione, ſicut columbæ, abſque

Prælatus oculus Eccleſiæ.

eo

eo quod intrinſecus latet, in conſcientiæ puritate.

Inueteraui. Quaſi diceret, Non ſolum me compellit timoris magnitudo, ſed etiam hoc quòd inter inimicos meos dæmones, & homines malos inueteraui, peccata peccatis adiiciendo. *Baruch.*3. Quid eſt Iſraël quod in terra inimicorum es? Inueteraſti in terra aliena. Et nota, quòd eſt inueteratio ſeu vetuſtas naturæ ſeu temporis, de qua alibi in *Pſal.*101. Omnes ſicut veſtimentum veteraſcent. Et *Leuit.* 26. Comedetis vetuſtiſſima veterum. Et eſt inueteratio culpæ, & hæc duplex: Interius in cognitione & affectu. *Iſa.*26. Vetus error abiit. Exterius in opere & effectu: ad *Coloſſ.*3. Exuite veterem hominem. Inueteraſcit autem homo per peccatum, quia viſum amittit. *Pſal.*39. Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem. Tremulus fit: Trepidauerunt timore vbi non erat timor. Infatuatur: ad *Rom.*1. Dedit illos in reprobum ſenſum. 1. ad *Cor.*14. Nolite pueri effici ſenſibus. Rugatur ſublato humore gratiæ. *Iob* 16. Rugæ meæ teſtimonium ſuum dicunt contra me. Sordidus efficitur. *Apoc. vltimo.* Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. *Pſal.*9. Inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.

9. *Diſcedite à me.* Hæc tertia pars. *Pſal.* in qua oſtendit ſe exaudiendum, & hoc duplici ratione. Primò, quia à malis ſe ſeparat: ſecundò, quia pro conuerſione illorum, à quibus ſeparatus eſt, orat, ibi, *Erubeſcant.* In prima duo. Primò ſeparationem ſui inducit à malis: ſecundo cauſam ſubiungit quare ſeparari velit, ibi, *Quoniam exaudiuit.* Dicit ergo: Sic petiui, ſic pœnitentiam promiſi, & debeo exaudiri, quia dico vobis, ô vos omnes qui operamini iniquitatem, *diſcedite à me* iam correpto à peccato, ne iterum veſtro conſortio recidam. *Eccleſ.* 13. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. *Seneca*, Honeſtatem excutit diſſimilis multitudo. Super illud *Marc.*14. de Petro, Et cœpit flere, Gloſſa: Quam noxia ſunt prauorum colloquia! Petrus inter infideles hominem ſe negauit noſſe, quem inter condiſcipulos iam Dei filium fuerat confeſſus. *Matth.*17.

Nota.

*Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Num.*16. Separamini de medio congregationis huius, ne fortè inuoluamini cum ea. Et nota, quòd triplici de cauſa ſeparat ſe à malis. Propter cautelam vt vitet infectionem. 1. ad *Cor.*15. Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Propter medicinam vt ſanetur ille à quo ſeparamur, quod fit per excommunicationem. Sic ſeparauit fornicatorem Corinthium Paulus primæ ad *Cor.*5. Vt ſpiritus ſaluus fieret. Et propter ſuperbiam, propter ipſorum contemptum & deſpectionem. Sic dicebant Phariſæi ſeparati: *Luc.* 18. Dicebat vnus eorum, non ſum ſicut cæteri hominum.

Tria obtinet Propheta.

Quoniam exaudiuit Dominus. Hîc tangit cauſam ſeparationis, quoniam ipſe eſt exauditus. Exauditum autem ſe dicit in petitione triplici. Primò in petitione amouendæ culpæ. Secundò in petitione amouendæ pœnæ. *Exaudiuit Dominus.* Tertiò in petitione promouendæ gratiæ. *Dominus orationem meam ſuſcepit.* Dicit ergo, Diſcedite: & hoc iuſtum, quoniam exaudiuit Dominus vocem fletùs mei, facti pro culpis amouendis. Sic exaudiuit *Judith* quæ dicebat. 8. Indulgentiam eius fuſis lachrymis poſtulemus. Et Saram *Tob.*3. In oratione perſiſtens cum lachrymis deprecabatur Dominum.

Et nota, quod dicit vocem fletus: nam

Interdum lachrymæ pondera vocis habent.

Vis lacrymarum.

Et ſuper illud quod dictum eſt de tertio Tobiæ dicit Gloſſa: Oratio Deum lenit, lachryma cogit: hæc vngit, illa pungit. Oratio enim lachrymoſa hoſtibus eſt flagellum, oranti ſubſidium, Deo ſacrificium: nec hoc tantùm, imò.

Exaudiuit Dominus deprecationem meam. Pro pœnæ malis amouendis. 1. *Luc.*1. Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua, & benè exauditur: remota enim culpa citò exauditur orans pro pœna relaxanda. 1. *Ioan.*3. Si cor noſtrum non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum, vt quicquid petierimus, accipiamus. E contrario dicitur *Iacob.*4. Petitis, & non accipitis, eò quod male petatis, & in concupiſcentiis veſtris inſumatis.

Orāti adeſt Trinitas.

Dominus orationem meam ſuſcepit. Pro bonis adipiſcendis. Nota hîc, ſicut tangit Gloſſa, quòd ter ponitur Dominus ad monſtrandum, quòd oranti tota Trinitas adeſſe dignatur, nec dicitur propter hoc quòd Trinitas perſonarum propriis notionibus diſtinguatur, ſed propter hoc tantum, quod idem nomen eſſentiale, ſcilicet Dominus, ter ponitur. Et nota quomodo ſe exauditum replicat, & dicit ſuſceptum, quod fit propter vehementiam gaudij. *Seneca*, Difficilis eſt gaudiorum patientia. Et *Gregor.* Quod mens amat, ſæpiùs replicat. Sed vnde ſe exauditum nouerat? *Eccleſ.* 9. Nemo ſcit vtrum amore an odio dignus ſit. *Iob* 9. Si venerit ad ad me, non videbo eum: & ſi abierit, non intelligam. Sed reſponſio eſt: hæc intelliguntur de cognitione certitudinis, hîc autem loquitur ex vehementia præſumptionis, quæ ſurgit ex ſenſu internæ conſolationis: non eſt enim poſſibile perſeuerantes in fletu pro peccatis non conſolari. *Matth.*5. Beati qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur. *Tob.*3. Poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lamentationem & fletum exultationem infundis.

II.

Qui orat pro inimicis, exauditur.

Erubeſcant & conuertantur. Hîc ſecundum huius partis, ſcilicet ratio ſecunda quare debeat exaudiri: quia orat pro inimicis. Et dicuntur tria. Primò petit excitationem ipſorum ad conuerſionem. Secundò conuerſionem ipſam. *Conuertantur.* Tertio conuerſionis conſeruationem. *Et erubeſcant.* Item excitatio duobus modis fit, pudore ſcilicet peccati, & timore iudicis: quorum vtrumque petit. Ait enim ſic: volo ſeparari à malis, ſed non ex ſuperbia, quia rogo *erubeſcant* pro peccato, bonâ ſcilicet erubeſcentiâ. *Eccleſ.*4. Eſt confuſio adducens gloriam. *Ierem.*17. Confundantur qui me perſequuntur. *Ezech.*36. Confundimini & erubeſcite ſuper viis veſtris.

Maltus pudore & timore conuertitur.

Et conturbentur. Pro futuro iudicio, ſimul ſcilicet toti conturbentur. *Et vehementer omnes inimici mei. Iob* 2. Nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem eius vehementem. Conturbentur, id eſt, turbatione adueniente velut accipitur hîc, In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis. *Conuertantur* ſic excitati,

*Isa.*31. Conuertimini ſicut in profundum receſſeratis filij Iſraël. Et benè ſequitur ad præcedentia. Ex pudore enim & timore vehementi, ſeu confuſione ſequitur conuerſio. Pudor enim eſt lapis quo Goliath in fronte percutitur & occumbit. 1.*Reg.*17.*Ierem.*36. Poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi fratrem meum, confuſus ſum & erubui. Timor enim eſt Angelus Domini quo deſcendente in piſcinam mouetur aqua: & ſanantur infirmi. *Ioan.*5. Et vt ſic conuerſi conſeruentur, rogo vt erubeſcant ex recordatione delicti: & dupliciter: *Valde* quantum ad intenſionem erubeſcentiæ: *Velociter* quantum ad accelerationem. *Ezech.* 43. Tu autem fili hominis oſtende domui Iſraël templum, Chriſtum vel Eccleſiam, à quo fuerant ſeparati & per peccatum eiecti. *Et erubeſcant* ab iniquitatibus ſuis. Et velociter fiat quantum ad accelerationem: neſcit enim tarda molimina Spiritus ſancti gratia.

Pudoris figura elegãs.

IN SEPTIMVM PSALMVM.

1. *In finem Pſalmus Dauid, quem cantauit Domino pro verbis Chuſi filij Iemini.*

2. *Domine Deus meus.* Hic eſt Pſal. numero ſeptimus, in titulo ſextus, qui, inquam, titulus talis eſt: *In finem Pſalmus Dauid*, in quo vtilitas & auctor notatur, ſicut frequenter expoſitum eſt: *quem cantauit Domino pro verbis Chuſi filij Iemini:* quod reſtat exponendum. Notantur enim in hoc tria. Modus editionis Pſalmi in hoc quod dicitur, *quem cantauit.* Cui edidit cum dicit, *Domino.* Motiuum ad edendum Pſalmum cum ſubiungit, *Pro verbis Chuſi filij Iemini.* Et planum eſt ſcienti hiſtoriam 2. *Reg.*17. Qualiter Abſalone perſequente patrem ſuum Dauid conſilio Architophel, Chuſi de voluntate Dauid quaſi ad Abſalonem tranſiens, diſſipauit conſilium Architophel, & ipſum conſilium quod diſſipauerat, & aliud conſilium quod dederat, manifeſtauit Dauid, ex quo motus Pſalmum edidit. Tamen ſecundum rei veritatem, & ſicut vult Hieronymus, hic titulus huic hiſtoriæ non alludit: & hoc probat Hieronymus: Chuſi de quo agitur in *lib.Reg.* fuit filius Arachi. Hic autem dicitur filius Iemini. Item in Hebræo Chuſi ſecundum quod ibi accipitur, per literam Hebræam ס ſcribitur: ſed Chuſi in hoc loco per literam ש ſcribitur. Præterea quod dicitur in hoc Pſalmo, Abſaloni non conuenit. Nuſquam enim appellatus eſt leo. Vnde magis ſecundum Hieronymum videtur compoſitus eſſe Pſalmus contra Saülem. Sed melius eſt vt dicatur, quòd nec de hiſtoria Abſalonis, nec Saülis hic agitur in hoc Pſalmo. Sed Eſdræ ſic placuit velare myſterium ſub interpretationibus nominum prædictorum: Chuſi enim interpretatur ſilentium: Iemini interpretatur dextera, vel dexteræ. Pro ſilentio ergo dexteræ editur Pſalmus iſte. Pro ſilentio, inquam, manifeſtato: ſicut enim ſuperiùs dictum fuit in titulo Pſalmi tertij, per Abſalon cœtus Iudaicus, per Architophel Iudas intelligitur, quorum conſilium fuit perdere Chriſtum, & deglutire quaſi infernus viuentem, ſicut 2.*Sap.* dicitur. Sed hoc conſilium ſecretum Dei ſilentium diſſipauit, occultans illud, & Iudæ & Iudæis. Ipſi autem Dauid, & iuſtis de Eccleſia manifeſtatum eſt, & interiùs inſpiratum, & hoc ab illo qui dexter eſt iuſtis, ſcilicet à Deo, ſecundum illud *Pſal.* 15. A dextris eſt mihi ne commouear. *Matth.*11. Confiteor tibi Pater, quia hæc abſcondiſti à ſapientibus & prudentibus, ſcilicet Iudæis, & reuelaſti ea paruulis, humilibus & iuſtis. Ergo ſic ſpiritualiter loquendo, iuſtus qui per Dauid intelligitur, introducitur pſallens pro reuelatione conſilij Dei Iudæis excæcatis occultati, & humilibus Gentilibus reuelati.

Cauſa Pſalmi huius.

Titulus Pſalmi de Chriſto explicandus & de mortuis ſacramento Iudæis occultato, piis aperto.

Ex dictis patet ordo huius Pſalmi ad antecedentem Pſalmum duplici ratione. Cum enim in præcedenti Pſalmo imperfecti & pœnitentes in Eccleſia introducti ſint orantes, & exauditi, hic perfecti introducuntur gaudentes & orantes: quia diuinum conſilium eis eſt reuelatum. Propterea Pſalmus quintus fuit pro Eccleſia Gentilium quæ hæreditatem conſequitur. Pſal. ſextus oſtendit per quid conſequitur, quia nempe per pœnitentiam & lamentum. In hoc Pſalmo rectè orans conuertitur ad Deum, quia excæcata ſynagoga ipſa, voluit manifeſtare conuertendi modum. *Ordo Pſalmi.*

Diuiditur autem Pſalmus ſecundum Gloſſam in quinque partes, quas poſſumus comprehendere in tres. Primum petit iuſtus cui reuelatum ſecretum à Deo, liberari à malo. Secundò exprimit per quem, & à quo liberari quærit, quia per Chriſtum reſurgentem à mortuis, ibi, *Exurge Domine in ira tua.* Tertiò propter quid petit liberari, ſic, quia terrore futuri iudicij. *Dominus iudicat populos.* Prima autem pars diuiditur in quatuor. Primò captat iudicis beneuolentiam: ſecundò proponit petitionem. Saluum me fac. Tertiò petendi neceſſitatem. *Nequando.* Quartò impetrandi congruitatem, ibi, *Domine Deus meus ſi feci iſtud.* Captatur autem beneuolentia dupliciter. Primò à parte eius à quo petitur. Secundò à parte petentis, ibi, *In te ſperaui.* Ait ergo: *Domine*, propter potentiam cui timor debetur. *Malach.*1. Si ego Dominus, vbi eſt timor meus? *Deus* omnia proſpiciens, & regens per ſapientiam. Dicitur enim Deus idem quod Theos, & Theos à Thetin, quod eſt videre, cui debetur honor. *Paulus* 1.*ad Timotheum* 1. Soli Deo honor & gloria. Sed *meus* per bonitatem, cui debetur amor. *Matth.*22. & *Deut.*6. Diliges Dominum Deum tuum: & appropriatur primum Patri, ſecundum Filio, tertium Spiritui ſancto. *Diuiſio.*

In te ſperaui, non diffidens de te. *Eccleſ.* 2. Quis ſperauit in Domino, & confuſus eſt. Ad *Rom.*5. Spes non confundit. Speraui, inquam, in te, non in mundanis. *Prouerb.*11. Qui confidit in diuitiis ſuis, corruet. *Iſa.* 37. Confidis in baculo iſto confracto Ægypto, cui ſi innixus fuerit homo, confringetur, & perforabit manum eius. Speraui, inquam, ſubſtrata fide, nec hæſitans de impetratione. 1.*Iac.*1. Poſtulet autem in fide nihil hæſitans.

Saluum me fac. Hîc petit duo. Primum eſt ſaluari à culpa. Secundum eſt liberari à pœna. Ait enim: *Saluum me fac ex omnibus perſequentibus me*, peccatis ſcilicet mortalibus, vt in illa non incidam, vel tentationibus ad mortalia trahentibus, & libera me à pœnis conſequentibus.

tibus. Supra in *Pſal.* Saluum me fac propter miſericordiam tuam. *Ierem.* 17. Saluum me fac, & ſaluus ero. *Et libera*, qui verè potes. *Ioan.*8. Si filius vos liberauerit, vere liberi eritis.

Nequando rapiat. Hîc tertium, in quo oſtendit neceſſitatem petendi duplici ratione. Prima eſt crudelitas dæmonis impetentis: ſecunda, ſingularis bonitas liberantis. *Dum non eſt.* Dicit ergo: Sic peto, & neceſſe habeo, ne diabolus rapiat, *quando*, id eſt, aliquando, *animam meam*, de qua præcipuè curat. *Geneſ.*14. Da mihi animas, cætera tolle tibi. Corpus autem ſi ei traditur, affligit. *Iob* 9. Terra data eſt in manus impij, id eſt, corpus quod de terra eſt. *Geneſ.*1. Formauit Dominus Adam de limo terræ.

Dæmõ leoni collatus.

Rapiat, inquam, *vt leo.* 1.*Pet.*5. Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens, &c. Leoni autem diabolus comparatur, primò propter ſuperbiam. *Iob.*41. Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Et in *Pſal.* Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper. Propter fortitudinem. *Iob* 41. Non eſt poteſtas ſuper terram quæ comparetur ei, qui factus eſt vt nullum timeret. Propter crudelitatem. *Ierem.*6. Crudelis eſt, & non miſerebitur. Propter audaciam. *Iob.*41. Non fugabit eum vir ſagittarius, verſi ſunt in ſtipulam lapides fundæ. Propter hiatus latitudinem. *Iſa.* Dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino. Propter terrorem quem beſtiis immittit. *Eccleſ.*51. Liberaſti me à rugientibus præparatis ad eſcam. Dentes habet acutos & ſerratos: ſic dæmones tentationes graues & multiplices. *Eccleſ.*21. Dentes leonis dentes eius, interficientis animas. Pedem dextrum in eundo ſiniſtro præponit: ſic diabolus prætendit bonum ſub quo malum abſcondit. 2. ad *Cor.*12. Transfigurat ſe in Angelum lucis. Semper febricitat, & ſemper ſitit: ſic diabolus. *Iob* 40. Abſorbebit fluuium, & non mirabitur. Cauda veſtigia tegit: ſic diabolus per adulatores, qui ſunt eius cauda, peccata abſcondit. *Iſa.*8. Propheta loquens mendacium, ipſe eſt cauda.

Dum non eſt qui redimat. A culpa, niſi tu ſolus. *Ioan.*1. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. *Matth.*1. Vocabis nomen eius IESVM: Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. *Iſa.*43. Ego ſum qui deleo iniquitates propter me.

4. *Domine Deus meus.* Hîc tertium huius partis, in quo oſtendit impetrandi congruitatem: primò, quia innocens: ſecundò, quia patiens. *Si reddidi.* Tertiò fidem facit de vtroque, de innocentia & patientia, ibi, *decidam.* Oſtendit autem patientiam dupliciter, primò, quia caruit ſuperbia in corde: ſecundò, quia iniquitate in opere. *Si eſt iniquitas.* Dicit ergo. Sic rogo & neceſſe habeo: ſed congruum eſt, quòd exaudiar, quia ô *Domine Deus meus.* Expone hæc tria ſicut priùs.

Superbia abſolutè peccatum dicitur.

Si feci iſtud., ſcilicet peccatum ſuperbiæ in corde. Excellenter iſtud dicitur: quia omnis peccati initium. *Eccleſ.*10. Initium omnis peccati ſuperbia: quia omni bono inſidiatur. *Auguſtin.* in regula. Alia quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur vt fiant, ſuperbia verò bonis operibus inſidiatur vt pereant. Quia diabolus per ipſam, & homo miſer efficitur. *Tob.*4. Superbiam nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas. In ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio. Qua etiam ratione maximum dicitur. *Pſal.* Emundabor à delicto maximo. *Iob* 31. Si oſculatus ſum manum meam, quod eſt ſuperbire de bono opere, & in ipſo ſibi complacere, quod eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum.

Si eſt iniquitas in manibus meis, in opere. *Iob* 31. Si leuaui manum meam ſuper pupillum: ne eſſem de illis, de quibus *Iſa.*1. Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt, id eſt, peccato, quod ſanguis dicitur. *Oſeæ* 4. Sanguis ſanguinem tetigit.

Si reddidi. Quaſi diceret: Si hoc feci, & innocentiam amiſi, & etiam ſi reddidi malum non quibuſcunque, ſed & retribuentibus mihi mala pro bonis quæ eis contuli. *Iob* 31. Si grauiſus ſum à ruina eius qui me oderat, & exultaui quod inueniſſet eum malum. Ex dictis patet, quod ſic loquens perfectus eſt, quia ſicut *Prou.*16. dicitur, Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium. Ibi *Gloſſa*, Cum expugnant vrbes, extra ſunt qui vincuntur, maius eſt autem quod per patientiam vincitur, quia à ſe animus ſuperatur. 5.

Quatuor retributiones iuxta quatuor leges diaboli, carnis, mentis, & Dei.

Et nota, quòd quatuor ſunt retributiones ſecundum quatuor leges diaboli, carnis, mentis, & Dei. Retributio diaboli eſt retribuere malum pro bono. *Ierem.*18. Nunquid redditur pro bono malum? Retributio carnis eſt retribuere malum pro malo. Vnde in lege carnali ſcriptum eſt *Exod.* 21. Animam pro anima, dentem pro dente, aduſtionem pro aduſtione. Retributio legis mentis, bonum pro bono. *Matth.*5. Quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis. Et non malum pro malo. Ad *Rom.*12. Nulli malum pro malo reddentes. Quia *Tob.*4. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Lex autem Dei retribuere bonum pro malo. *Prou.* 25. Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum. *Luc.*6. Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos. Ad *Rom.*12. Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.

Decidam meritò. Hîc imprecatur ſibi, vt tria ſequantur mala, ſi prædicta ſunt in eo. Primum eſt, quod ab inimicis ſuperetur. Secundum, quod bonis ſpolietur, ibi, *Inanis.* Tertium, quod vilificetur, ibi, *Perſequatur.* Dicit ergo: Si hæc, ſuperbia ſcilicet, operatio mala, & impatientia fuerunt in me, decidam meritò ab inimicis meis impulſus, ſupplantatus: & hoc meritò: Impulſus euerſus ſum vt caderem. Et ſic cadens & victus ab inimicis ſeruus illorum fiam. 2. *Pet.*2. A quo quis ſuperatus eſt, eius & ſeruus eſt. Decidam autem inanis factus, id eſt, vacuus ab omni bono. *Sapient.*3. Vacua eſt ſpes illorum & labor ſine fructu: ſicut ille de quo *Luc.*10. qui incidit in latrones qui ſpoliauerunt eum.

Perſequatur. Hîc tertium, ſcilicet mortificatio: & tanguntur tua. Primo vt trahatur in operationem peccati. Secundò in conſuetudinem. *Et conculcet.* Tertiò in contemptum ceu deſperationem. *Et gloriam meam.* Dicit ergo:

tantum cadam in conſenſum, & omne bonum amittam: ſed & *perſequatur inimicus*, diabolus, *animam meam*, & ſic quod *comprehendat eam*, id eſt, in actum perducat. Inimicus dicitur diabolus. *Matth.*13. Inimicus homo hoc fecit. *Pſal.* Inimici mei animam meam circundederunt. *Thren.*1. Perſequutores eius apprehenderunt eam inter anguſtias. Et in 4. Velociores fuerunt perſequutores noſtri aquilis cœli.

Et conculcet per conſuetudinem, *in terra*, id eſt, in amore terrenorum, *vitam meam*, id eſt, animam meam, qua viuificatur corpus meum, ſecundum illud *Eccleſ. nono.* Omnis mulier quæ eſt fornicaria, quaſi ſtercus in via, ab omnibus prætereuntibus conculcabitur. Prætereuntes ſunt dæmones, qui animam libentiſſime conculcant. *Iſa.*51. Incuruare vt tranſeamus. In eodem, Poſuiſti corpus tuum in terram, & quaſi viam tranſeuntibus *Iob* 18.Calcet ſuper eum quaſi Rex,interitus, id eſt, diabolus.

Quadruplex gloria. *Et gloriam meam*, animam ſcilicet ad imaginem Dei factam. Eſt enim multiplex gloria. Vanitatis *Ioan.*5. Quomodo poteſtis credere, qui gloriam abinuicem quæritis? Et eſt gloria veritatis, de qua in *Pſalm.* Gloriam regni tui dicent. Et eſt gloria puritatis. 2. ad *Corinth.*1. Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Et eſt gloria æternitatis. In *Pſal.* Exultabunt Sancti in gloria. Eſt eſt gloria creationis, de qua hîc, & 1. ad *Corinth.*2. Vir eſt imago, & gloria Dei, id eſt, anima ſecundum partem ſuperiorem.

Hanc ergo *gloriam meam in puluerem deducat*, non materialem, de quo *Geneſ.*3. Puluis es & in puluerem reuerteris. Nec gratiæ, de quo *Cant.*3. Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij? Sed in puluerem culpæ, de quo *Iſa. vltimo*, Serpenti puluis panis eius. & ſupra *Pſal.*1. Tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ.

9. *Exurge Domine in ira tua.* Hîc ſecunda pars Pſalmi, in qua oſtenditur quomodo, & quo ordine, & per quem velit liberari: quia per Dei filium incarnatum reſurgentem, & aſcendentem in cœlum. Dicuntur ergo tria. Primò petit, quòd Chriſtus potenter adueniat in remedium contra diabolum & membra eius. Secundò, vt adueniat humiliter in exemplum præbendum bonis, ibi, *Exurge Domine.* Tertiò, vt aſcendat miſſurus Spiritum ſanctum in robur & firmamentum ſuorum. Et *propter hanc.* In prima duo. Primò petit vt potenter adueniat ad reprimendum diabolum, ne ſeducat. Secundò, vt iam ſeductos eripiat, & adiungat regno ſuo. *Et exaltare.* Ait ergo: Sic peto Domine liberari, & non poſſum niſi per te. Sic ergo dixit: ergo, ô Domine, exurge Domine carnem aſſumendo, qui modo videris quaſi obdormire. Vnde alibi in *Pſal.* Exurge Domine, quare obdormis Domine? Et hoc, *in ira tua*, id eſt, in vindicta quæ ſolet eſſe effectus irati, contra diabolum, ne iam nos opprimat & ſeducat. Vnde alibi in *Pſal.* Apprehende arma & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi.

Sed obiiciet forte aliquis, quòd petendo Incarnationem male dicit, *Exurge.* Filij enim Incarnatio magis humiliatio videtur quam reſurrectio, vel exaltatio. *Iſa.*44. Vtinam diſrumperes cælos, & deſcenderes. Non dicit, vt exurgeres. *Ioan.*3.Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo. Et *Paulus* non tantùm deſcenſum vocat Incarnationem, ſed exinanitionem: ad *Philip.*2. Exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens. Reſponſio. Incarnatio Filij Dei deſcenſio dicitur propter humiliationem, ſed reſurrectio & exaltatio quantum ad inimici, cui prius videbatur eſſe ſubiectus, ſubiectionem & depreſſionem: & etiam quantum ad carnis, quæ in omnibus aliis ſemper ſpiritui repugnauerat, omnimodam ſubiectionem. Vnde *Iſa.* 19. Aſcendet Dominus ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum.

Cur incarnatio hoc verbo petitur, Exurge, cum ſit deſcenſus.

Et exaltare. Quaſi diceret: Non tantùm reprime inmicum vt non noceat, ſed etiam veni, *& exaltare in finibus inimicorum meorum*, hoc eſt, eos quos poſſident inuadendo fines eorum, eripe, & ſuper eos exaltatus dominium age: alius enim hoc non poteſt. *Iob* 41. Non eſt poteſtas ſuper terram quæ ei comparetur. Et *Luc.*11.dicitur, Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſſidet. Cum autem fortior ſuperueniens vicerit eum, arma eius aufert in quibus confidebat. Hoc etiam tibi promiſſum eſt *Geneſ.*22. Poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum. Exaltatus ergo fuit Chriſtus in Incarnatione ſicut hic dicitur. Item in Paſſione. *Ioann.*3. Sicut exaltauit Moyſes ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis. Et rurſus 12. eiuſdem, Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. Et in reſurrectione, quando de morte & de lymbo ad altitudinem gloriæ corporis reductus eſt. Alibi in *Pſal.* Qui exaltas me de portis mortis. Item in miraculorum per ſe, & per ſuos patratione. *Pſal.* Exaltare Domine in virtute tua. Item in prædicatione Sanctorum, & laude: vnde exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me. Et *Eccleſ.* 43. Benedicentes Dominum exaltate illum, quantum poteſtis, nam maior eſt omni laude.

8. *Exurgit Chriſtus in exemplum efficaciſſimum.* *Exurge Domine Deus meus.* Vbi petit quod veniat humiliter & charitatiuè ad exemplum: & dicuntur duo. Primò petit, quòd veniat ad exemplum. Secundò oſtendit fructum talis aduentus, ibi, *Et Synagoga.* Quaſi diceret: Sic rogaui vt venias ad remedium ſupra diabolum. Et etiam *ô Domine Deus meus.* Expone ſicut ſuprâ in principio *Pſal. Exurge*, appare in mundo conuerſans, *In præcepto quod mandaſti.* Præcepto, inquam, humilitatis, vt ſis illi exemplar. *Matth.*11. Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. In præcepto etiam charitatis, de quo *Ioan.* 15. Hoc eſt præceptum meum vt diligatis inuicem. Ecce qualem deſiderabat eum Propheta, humilem & abiectum. *Iſa.*53. Deſiderauimus eum deſpectum & nouiſſimum virorum, & ſcientem infirmitatem. Nec mirandum ſi petens quod humiliter veniat, dicit:

Exurge:

Exurge: humiliari enim eſt exaltari. *Luc.*14. & 18. Qui ſe humiliat, exaltabitur.

Exurgit Chriſtus quadrupliciter.

Et nota, quòd exurgere Chriſtus quadrupliciter dicitur. Carnem aſſumendo, ſecundum quòd hic tangitur, & ſuprà, & alibi in *Pſal.* Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. Corpus in paſſione depoſitum reſumendo. *Pſal.* Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara, exurgam diluculò. Nos adiuuando. *Pſal.* Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius, &c. Ad iudicium redeundo in *Pſal.* infrà, Terra tremuit & quieuit, cum exurgeret in iudicio Deus.

Et Synagoga. Ecce fructus, conuerſio ſcilices populorum ad eum. Quaſi ſic diceret: Exurge, & tunc *Synagoga*, id eſt, multitudo populorum ad te conuerſorum, *circundabit te.* *Iſa.*2. Erit mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes. Et 40. Leua in circuitu oculos tuos & vide: Omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi. Et ad litteram ad Chriſtum in mundo humiliter prædicantem congregabatur multitudo magna. Alij propter curationem: alij propter miraculorum curioſitatem, vt viderent illa: alij propter ſuſtentationem corporalem, quia in deſertis eos paſcebat: alij ad deriſionem & blaſphemiam: alij propter inſtructionem. Vnde verſus.

Non eodem animo omnes Chriſtũ ſequuntur.

Morbus, ſigna, cibus, blaſphemia, dogma fuere
Cauſæ, cur Dominum turba ſequuta fuit.

Et propter hanc. Ecce tertium petitorum vt aſcendat ad vtilitatem ſuorum. Quaſi ſic diceret: Petiui vt venias, & multitudine credentium circundabis. Sed & hoc peto: *Regredere in altum*, aſcendendo ſcilicet ad dexteram Patris, & quaſi ad ſecretum, vbi priùs fueras, redeundo: & hoc *propter hanc*, id eſt, ad huius vtilitatem. De hac regreſſione in *Pſal.* A ſummo cœlo egreſſio eius, & occurſus eius, id eſt, regreſſio, vſque ad ſummum eius. *Eccleſ.*1. Oritur Sol & occidit, & ad locum ſuum reuertitur. Hæc Chriſti reuerſio eſt quaſi materialis, ſed illa ſpiritualis, quâ venit ad corda, & recedit. *Iob* 9. Si venerit ad me, non videbo eum: & ſi abierit, non intelligam.

Regreſſus Chriſti in cœlum ad tria vtilis.

Regredere ergo in altum propter tuorum vtilitatem triplicem, ſcilicet vt eos viam doceas. *Mich.*2. Aſcendet pandens iter ante eos. Vt eis locum præpares in regno tuo. *Ioan.*16. Vado parare vobis locum: & cum præparauero vobis locum, veniam, & aſſumam vos ad me. Iterum vt Spiritum eis mittas, quo corda eorum confirmentur in bono. *Ioan.*16. Expedit vobis vt ego vadam: ſi enim non abiero, paraclitus non veniet ad vos. Si autem abiero, multam eum ad vos.

Alio etiam modo legit iſtud Gloſſa ab illo loco, Exurge Domine in ira, vt primò prædicetur Iudæorum reprobatio: ſecundò gentium ad fidem vocatio. *Et Synagoga.* Et tertiò iterùm gentium reprobatio, & Iudæorum vocatio, quæ fiet in fine mundi, ibi, *Et propter hanc.* In prima tanguntur tria, ſcilicet captiuatio Iudæorum. *Exurge Domine in ira tua*, ſcilicet Iudæos captiuando. Secundò eorum excæcatio. *Et exaltare in finibus inimicorum tuorum*, vt tui altitudinem non intelligentes excæcentur. Tertiò tangit cauſam vtriuſque, quia ipſum humilem cognoſcere noluerunt: vnde ſubdit, *Exurge Domine*, id eſt, exurges, in *præcepto quod mandaſti*, ſicut prius. *Et Synagoga populorum circundabit te.* Gentilium, credendo tibi, ſicut ſuprà. *Et propter hanc*, iterum peccantem, *in altum regredere*, vt ipſa abiecta redeat plebs Iudaica.

Dominus iudicat populos. Hîc tertia pars Pſalmi, in qua ſubiungit rationem quare petit liberari, quia propter futurum iudicium, quod timendum eſt malis, quamuis illud non timeant, cum non habeant conſcientiam remordentem. Tria ergò dicuntur in hac parte. Primo iudicium futurum impleri petit. Secundò malis terrorem incutit, & bonis ſpem promittit, ibi, *Deus iudex.* Tertio lætam conſolationem ponit. *Confitebor Domino.* In prima dicuntur tria. Primò prædicit Dominum venturum ad iudicium. Secundò confidenter petit iudicari ſecundum merita. Tertiò oſtendit quæ erunt antecedentia ante iudicium, & illa impleri petit, ibi, *Conſumetur.*

Ait ergo: Sic petiui, nec mirum ſi liberari volo per Chriſtum, quia ſcio, quod *Dominus iudicat*, id eſt, iudicaturus eſt, *populos*, quamuis aſcenderit ſicut tactum eſt *Act.*1. Quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem in cœlum, ſic veniet. *Luc.*21. Tunc videbunt filium hominis in nube venientem cum poteſtate magna, & maieſtate. *Iſa.*3. Stat ad iudicandum Dominus, ſtat ad iudicandum Dominus, ſtat ad iudicandum populos Dominus, ad iudicandum veniet. *Ierem.*2. Adhuc iudicio contendam vobiſcum dicit Dominus, & cum filiis veſtris diſceptabo.

9.

Quid differat iuſtitia ab innocentia.

Iudica me. Hîc ſecundum, in quo petit iudicari: primò ſecundum iuſtitiam, quæ attenditur quantum ad bona facienda: ſecundò ſecundum innocentiam quæ attenditur quantum ad mala declinanda, oſtendendo tamen quod neutrum habet à ſe, ſed à Deo. Ait ergo: Sic Dominus iudicaturus eſt, ſed ô rogo Domine, ne differas, ſed *iudica me ſecundum iuſtitiam meam*, attendendo quòd bona feci, quæ facere debui, *& ſecundum innocentiam meam*, attendendo ſcilicet quod quæ debui declinare mala, declinaui. Iuſtitiam dico & innocentiam *ſuper me* exiſtentem, id eſt, ab eo qui ſupra me eſt, ſeruo mihi datam. *Iacob.*1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt deſcendens à patre luminum. 1. ad *Corinth.*4. Quid habes quod non accepiſti.

Petit iudicium ex fiducia Chriſti meritorum.

Sed opponuntur contra hoc illud *Amos* 5. Væ væ, deſiderantibus diem Domini, ad quid eam vobis? Et illud *Prou.* 20. Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato. Et *Iſa.*64. Facti ſumus vt immundi omnes nos, & omnes iuſtitiæ noſtræ quaſi pannus menſtruatæ. Et *Iob* 25. Stellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius. Cur ergo hîc audet petere, vt ſecundum iuſtitiam & innocentiam ſuam iudicetur? Ad primum reſpondeo, quòd Amos loquitur contra deſiderantes Dei iudicium ex præſumptione. Hic autem ex confidentia loquitur. Confidentia, inquam, meritorum Chriſti. Ac ſi dicat: Si ſic fuerit vt petiui, au-

deo petere vt iudices. Ad ſequentia reſpondendum eſt vno verbo, quòd verè nullus eſt mundus, nec iuſtitiæ ſunt niſi immunditiæ: nec & ipſæ ſtellæ mundæ, quantum eſt ex ſe, ſed quantum eſt de gratia mundæ ſunt. Quæ, inquam, gratia ſuper nos eſt: & ſic loquitur iſte. Sic etiam loquitur *Iob* 24. Proponat æquitatem contra me, & perueniet ad victoriam iudicium meum. Sed cum iuſti ſeipſos conſiderant, & quid ſunt ex ſeipſis, tunc iudicari vehementer formidant, ſicut loquitur alibi in *Pſal.* Non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.

10. *Conſumetur.* Hîc tertium, in quo ſubiungitur de antecedentibus ad iudicium, quæ ſunt duo. Conſummatio nequitiæ in malis, promotio gratiæ in bonis. *Et diriges.* Ait ergo: Sic peto vt iudices: tamen rogo vt priùs *conſumetur nequitia peccatorum.* Vel citò, quia ante non erunt. *Geneſ.*15. Noluit Dominus dare terram Abrahæ: quia nondum erant Amorrhæorum nequitiæ conſummatæ. Hæc autem conſummatio iuſta eſt, propter quod petit eam *Apoſtolus*: Iuſtum eſt vt qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: & qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc. In hoc autem erit conſummatio quando Antichriſtus adorari ſe faciet ſicut Deum. *Sap.*3. Nationes iniquæ diræ ſunt conſummationis: & tunc erit ſignum certum de conſummatione ſæculi. *Matth.*24. Cum petiiſſent Apoſtoli, Domine quod erit ſignum aduentus tui, & conſummationis ſæculi? Reſpondit quibuſdam interpoſitis: Tunc veniet conſummatio, cum videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto.

Et diriges iuſtum. Ecce ſecundum, in quo tria tanguntur. Iuſti promotio, ratio ſiue cauſa promouendi. *Scrutans corda.* Tertiò modus, ibi, *Iuſtum adiutorium.* Dicit ergo: Sic conſummetur in malis nequitia, id eſt, conſummabitur, & etiam ô tu Domine, *diriges* promouendo in gratia, *iuſtum* ſicut Ioſeph *Gen.*39. Dominus erat cum illo, & omnia eius opera dirigebat. *Prou.*16. Cor hominis diſponit viam ſuam: Domini autem eſt dirigere greſſus eius. Eo enim ipſo quod malos ſordeſcere permittit, & in malitia conſummari, eo ipſo bonos dirigit. Iniquitates enim impiorum cedunt in bonum iuſtorum. Vnde cum dictum eſſet *Apoc. vltimo*, Qui eſt in ſordibus, ſordeſcat adhuc, ſtatim ſubiunctum eſt: & qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc: quia ſicut dicit *Gregor.* Peccata proximorum frixoria ſunt iuſtorum.

Aliena peccata iuſtis proſunt.

Et ſic *diriges* ô Domine, quia *tu es ſcrutans corda*, quantum ad intellectum: *Et renes* quantum ad affectum, vt non te lateat cogitatio intellectus, nec delectatio affectus. *Prou.* 16. Omnes viæ hominum patent oculis eius. *Iob vltimo*, Scio, quoniam omnia noſti, & nulla te latet cogitatio, nec affectata, nec non affectata. *Ierem.*2. Tu autem Domine Sabaoth qui iudicas iuſtè, & probas renes & corda. & 17. Ego Dominus probans corda, & ſcrutans renes.

11. *Iuſtum adiuuorium meum.* Hîc modus prouocationis duplex, ſcilicet gratiam augmentando primò: ſecundò augmentatam conſeruando: *qui ſaluos.* Ait ergo: Sic promoues iuſtum & dirigis, & hoc quia à Domino eſt meum adiutorium, augmentandi ſcilicet gratiam, quod eſt etiam iuſtum. Eſt enim adiutorium Dei ante pugnam quo adiuuat nos ad præparandum, de quo in *Pſal.* Deus in adiutorium meum intende. Et eſt adiutorium in pugna, de quo *Pſal.* Apprehende arma & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi. Et adiutorium poſt pugnam in gratia proficiendo, de quo hic & alibi in *Pſal.* Adiuua nos Deus ſalutaris noſter. Et alibi, Deus adiutor noſter in æternum.

Triplex Dei adiutorium, ante & poſt pugnam & in pugna.

Qui ſaluos facit. Quaſi diceret: Non tantum adiuuat promouendo, ſed & ipſe eſt, *qui ſaluos facit* conſeruando, *rectos corde*, non ore tantum. *Pſal.* Si verè vtique iuſtitiam loquimini, recta iudicate filij hominum. Recti autem corde ſunt, qui affectione ſurſum tendunt. *Cant.* 1. Recti diligunt te. Deus enim rectus eſt, vnde cor quod applicat ſe ei per amorem, non poteſt eſſe niſi rectum. *Pſal.* Rectus Dominus Deus noſter, & non eſt iniquitas in eo. Rectum eſt, cuius medium non exit ab extremis. Cor autem noſtrum medium eſt inter Deum principium & ipſum finem. Vnde indubitanter ſi ab ipſo non exierit, rectum erit, & ſic ſaluum. Sic rectum habebat qui dicebat ad *Philip.*3. Conuerſatio mea in cœlis eſt.

12. *Deus iudex iuſtus.* Hîc eſt ſecundum, in quo poſtquam egit de iudicio futuro, malis terrorem incutit: & dicuntur tria. Primò terret, ſecundò aliquantulum demulcet, *patiens*: tertiò inexcuſabiles oſtendit ſi non fuerint correpti, ibi, *Niſi conuerſi fueritis.* Dicit ergo ſic: Peto iudicari, de diuino confidens adiutorio: ſed vos ô mali, ſcitote, quoniam ille iudex eſt Deus, ſciens omnia & cognoſcens. *Prou.* 16. Omnes viæ hominis patent oculis eius. Et *Iob vltimo*, Scio, quòd nulla te latet cognitio. *Hebr.*4. Omnia nuda ſunt & aperta oculis eius. Supra primum, & *Ierem.*11. & 12. Scrutans corda & renes. *Deus* ergo eſt, qui non decipitur. *Iuſtus*, qui nec prece, nec pretio flectitur: ipſe enim eſt, qui præcipit *Deuter.* 13. Non accipies perſonam, nec munera: excæcant enim oculos prudentium. *Prouerb.* 6. Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cuiuſquam precibus, nec accipiet pro redemptione dona plurima. *Fortis*, qui nulla moleſtia ſuperatur. *Iob* 9. Si fortitudo quæritur, robuſtiſſimus eſt. Et in eodem: Deus cuius iræ nemo reſiſtere poteſt.

Et patiens. Hic demulcet aliquantulum oſtendendo iudicis patientiam: & dicuntur tria. Primò oſtendit patientiam. Secundò patientiæ idoneitatem. *Nunquid.* Tertiò conuerſionis neceſſitatem, ibi, *Niſi conuerſi fueritis.* Dicit ergo ſic: Falli non poteſt, nec flecti, nec vinci: & nihilominus patiens eſt, ad pœnitentiam expectando. *Sap.*11. Miſereris omnium Domine, quoniam omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Ad *Rom.*2. An ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? *Iſa.*42. Silui, patiens fui, ſicut parturiens loquar. Maximus Valerius. Lento gradu ad vindictam ſui diuina procedit ira, tarditatemque, ſupplicij grauitate compenſat.

*Eccleſ.*5.

Eccleſ.5. Altiſſimus patiens redditor eſt. Et æquum eſt ipſum eſſe patientem & idoneum, quia *nunquid iraſcitur per ſingulos dies?* Quaſi diceret: Non ira ſcilicet vltionis.

Quid ſit ira in Deo. Notandum eſt, quòd ira Dei dicitur inflictio pœnæ vindicantis, & eſt timenda valde. De hac ſuperiùs in *Pſal.* Neque in ira tua corripias me. *Deut.32.* Et ad *Rom.2.* Theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei. Et eſt ira inflictio pœnæ purgantis, & hæc eſt appetenda. *2.Machab.6.* Eſt enim non ſinere peccatoribus ex ſententia agere, ſed ſtatim vltionem adhibere, magni beneficij indicium: & è contrario ipſam retrahere, reprobationis indicium. *Ezech.16.* Auferetur zelus meus à te, quieſcam, & non iraſcar amplius. Hîc ergo notantur quatuor virtutes Cardinales, quæ debent eſſe in quocumque iudice. Prudentia, ne decipiatur: iuſtitia, ne flectatur: fortitudo, ne terreatur: temperantia, ne impetu ducatur.

Parties boni iudicis.

13. *Niſi conuerſi fueritis.* Hîc neceſſitas conuerſionis ad pœnitentiam: nam etſi ſic patiens eſt, attamen vt conuertamini neceſſe eſt: quia *gladium ſuum* ad percutiendum iam *vibrauit, niſi conuerſi fueritis.* Gladius hîc ipſe eſt Dei filius, cuius vibratio eſt ad iudicandum præparatio. Hic eſt gladius qui de ſeipſo dicit *Matth.10.* Non veni pacem mittere in terram, ſed gladium. Quod autem ipſe ſit gladius ille, patet per hoc quod ſtatim ſubdit: Veni ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam. Hic gladius in aduentu primo, quaſi tectus rubigine mortalitatis & fragilitatis noſtræ apparuit: ſed in iudicio ſplendens, & limatus, & exacuatus apparebit. *Ezech.21.* Gladius exacuatus eſt, & limatus: exacuatus, vt cædat victimas: limatus, vt ſplendeat. *Zachar.9.* Exibit vt fulgur gladius eius. Alia litera, framean ſuam ſplendificauit. Gladius etiam vibratus comminatio eſt pœnæ gehennalis, & ſententia proferenda contra malos. *Iſa.27.* In die illa viſitabit Dominus in gladio ſuo duro & grandi & forti ſuper Leuiatham ſerpentem, &c. De vtroque horum gladiorum intelligi poteſt illud *Deuter.32.* Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea. Et in eodem, Gladius meus deuorabit carnes, id eſt, carnales homines. *Sap.5.* Acuet Dominus iram ſuam in lanceam. Propter hoc monet *Iob 19.* Fugite à facie gladij, vtriuſque, quoniam vltor iniquitatis eſt gladius, vterque. Sed impij non timent hos gladios, has haſtas quamuis vibratas. *Iob 41.* Quaſi ſtipulam æſtimabit malleum, & deridebit vibrantem haſtam.

Gladius Chriſtus primo aduentu tectus rubigine mortalitatis, in ſecundo ſplendēs.

Septem alia huius nominis acceptiones.

Et nota, quod præter hos duos dictos gladios ſunt alij ſex gladij: eſt enim gladius perſequutionis. *2.Reg.12.* Non recedet gladius de domo tua. Eſt etiam gladius terrenæ poteſtatis. *Pſal.* Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime. Ad *Rom.13.* Non ſine cauſa gladium portat. Eſt & ſpiritualis. *Luc.22.* Ecce gladij duo hic. Et doctrina hæreticorum. In *Pſal.* Gladius eorum intret in corda eorum. Lingua & dentes detractorum. *Pſal.* Lingua eorum gladius acutus. *Prouerb.30.* Generatio quæ pro dentibus gladios habet. Sermo Dei. Ad *Epheſ. vltimo*: Et gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei. In *Pſal.* Gladij ancipites in manibus eorum. Correctio Prælati. *Ierem.48.* Maledictus qui gladium ſuum prohibet à ſanguine.

Arcum ſuum tetendit. Hîc tertium, in quo inexcuſabiles oſtendit: & dicuntur duo. Primò, quòd ad correctionem hæc in ſcripturis Deus prædixit: ſecundò, quod ipſa prædictio ſcilicet, ad peccandum non induxerit, ibi, *Ecce parturiit.* In prima dicuntur tria. Primò, quòd Scripturas per Expoſitores explanauit: ſecundò, quòd terribiliter comminatus ſit. *Et parauit.* Tertio differentiam Expoſitorum, vel expoſitionum ſacræ Scripturæ aperit. *Et in eo parauit.* Legitur enim illud multipliciter.

Dicit ergo: Sic paratus eſt gladius, niſi conuertamini, & inexcuſabiles eritis, quia iudex *arcum ſuum*, ſacram Scripturam ſcilicet, in qua eſt tãquam durum lignum Vetus Teſtamentum, & tanquam chorda flectens duritiam, ipſum Nouum tetendit, explanando, & multipliciter exponendo. Et *parauit illum*, apertè comminando. *Eccleſ.42.* Vide arcum, ſacram ſcilicet Scripturam, & benedic illum qui fecit illum. Hic eſt arcus de quo *Iob 29.* Arcus meus in manu mea inſtaurabitur. Hunc ergo arcum tetendit Dominus & parauit, vt arcum alium fugiamus, ſcilicet Chriſtum, de quo ſagitta acutiſſima in die iudicij emittetur. *Zach.9.* Extendam mihi Iudam quaſi arcum. Hic arcus æreus fortiſſimus & perpetuus. Æs enim durabile eſt. *Iob 20.* Fugiet arma ferrea & incidet in arcum æreum. Hic arcus qui malorum arcum conteret, & confringet arma, & hoc infracta virtute, & perentis ſibi à Patre data, ſicut dicit alibi in *Pſal.* Poſuiſti vt arcum æreum brachia mea.

Comparatio elegãs ſcripturæ cum arcu.

Et in eo parauit. Hîc tertium in quo exponitur differentia expoſitionum Scripturæ, & ſic legitur vno modo verſus iſte: vel Expoſitorum, & ſic legitur tribus modis. Secundum primam tanguntur duo: peruerſa expoſitio primò, ſecundò recta. *Sagittas ſuas.* Dicit enim ſic: *Arcum*, id eſt, Scripturam *tetendit*, *& parauit*, *& in eo*, &c. id eſt, in Scriptura parauit *mortis vaſa*, quædam ſcilicet loca Scripturarum obſcura, quæ peruersè intellecta à corruptis & hæreticis, occaſio ſunt eis, vnde hauriunt intelligentiam perditionis. *Ezech.9.* Appropinquauerunt viſitatores vrbis, & vnuſquiſque vas interfectionis habet in manu ſua. *Pſalm.* Errare fecit eos in inuio, & non in via. Fecit, inquam, permiſſiuè: ſed *in eo*, id eſt, in ſacra Scriptura effecit, extra fecit, hoc eſt, in apparentia poſuit, *ſagittas ſuas*, acutas & penetrabiles, de quibus alibi in *Pſal.* Sagittæ potentis acutæ. Et *Geneſ.27.* Sume arma & pharetram, quæ ſine ſagittis non eſt, & arcum. *Iſa.13.* Suſcitabo ſuper vos Medos, qui argentum non quærunt, nec aurum volunt, ſed ſagittis paruulos interficiunt. Et hoc *ardentibus*, id eſt, ad vtilitatem ardentium igne charitatis. *Eccleſiaſt.48.* Surrexit Elias quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat. *Ioan.5.* Ioannes erat lucerna ardens. Sic ardentes erant qui dicebant. *Luc. vltimo*, Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, igne, inquam, illo de quo

14.

*Luc.*12. Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur?

Vaſa & ſagittæ variè pro hæreticis & orthodoxis interpretantur.

De expoſitoribus autem legitur tripliciter. Vel vtrumque de malis, vt dicantur hæretici, & vaſa & ſagittæ. Vel vtrumque de bonis, vt Apoſtoli & Doctores veri, vaſa & ſagittæ appellentur. Vel alterum de malis, ſcilicet eſſe vaſa mortis, reliquum de bonis, ſcilicet eſſe ſagittæ. Et ſunt planè iſtæ lecturæ in Gloſſis ſi diligenter attendantur.

15. *Ecce parturiit.* Hîc ſecundum in quo oſtenditur, quod nec ex Deo nec ex Scripturæ culpa, ſequatur pœna, quamuis hanc Scriptura prædixerit: & dicuntur tria. Primò explicat ordinem peccati. *Parturiit.* Secundò effectum. *Lacum aperuit.* Tertiò vindictam peccati. *Conuertetur.* In prima parte tria: conſenſum in peccatum tangit in hoc quod dicit, *Concepit dolorem*: procurationem perpetrandi, in quo fuit conſenſus. *Iniuſtitiam parturiit.* Tertiò operationem eius in quo ſenſus conſenſit, & quod procauit. *Et peperit iniquitatem.* Quod autem primò tactum eſt, ponit in medio, & quod ſecundò, primò, peruertens ordinem, vt notet quod peruerſio ordinis eſt in malo.

Inuerſus ordo verborum ad exprimẽdam malitiã peruerſitatem.

Dicit ergo ſic: Scripturam Dominus parauit, & exponi voluit, & per hanc comminatur, nec tamen peccandi neceſſitatem imponit. Imò ecce in promptu eſt: Malus concepit dolorem in conſenſu, & propoſito peccandi. *Luc.* 21. Væ prægnantibus & nutrientibus in illa die: & poſt conceptum parturit iniuſtitiam cum labore procurando, vt conſenſus exeat in effectum. *Iſa.*57. Cor impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt. Et poſt hæc peperit opere exercendo iniquitatem. *Iacob.*1. Concupiſcentia cum concepit, parit peccatum. 1. *Reg.*4. Vxor Phinees incuruauit ſe & peperit Ichaboth, qui interpretatur *gloria Iſraël.* Per peccatum enim, bonum conſcientiæ teſtimonium, quod eſt gloria, cadit. 2. *Cor.* 1. Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ. *Iſa.*59. Conceperunt dolorem, & pepererunt iniquitatem.

Progreſſus generationis peccati.

Et nota, quòd diabolus huius generationis pater eſt. *Ezech.* 16. Pater tuus Amorrhæus. *Ioan.* 8. Vos ex patre diabolo eſtis. Progreſſus autem huius generationis talis eſt. Primò diabolus animam alloquitur. *Iudith* 12. Non vereatur bona puella intrare ad Dominum meum. Secundò blanditur. *Geneſ.* 34. Sichen Dinam blanditiis deliniuit. Tertiò oſculatur per delectationem. *Prouerb.*37. Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta odientis oſcula. Hoc oſculo oſculatus fuit Ioab Amaſam. 2. *Reg.* 20. Poſtea commiſcetur per conſenſum. Sic Samſon dormit in ſinu Dalilæ *Iud.*16. Poſtmodum concipit propoſitum operandi. *Sap.*3. Ab iniquo choro ſemen exterminabitur. Poſtea parturit peccando cum labore. *Ierem.*9. Vt iniquè agerent, laborauerunt. *Iſa.*27. Venerunt filij vſque ad partum, & non erat virtus pariendi. Tandem parit exeundo in actum *Gen.*3. In dolore paries.

16. *Lacum aperuit.* Hîc efficientia peccati, ſcilicet præparatio inferni: lacum enim, id eſt, infernum aperit ſibi peccator, cum conſentit peccato: apertum autem effodit, quaſi profundiorem locum quærens, dum procurat quod voluit. Sed tunc quaſi in apertum & effoſſum cadit, cum opus facit. Quantum ad primum dixit, *Lacum aperuit.* Quantum ad ſecundum, *Et effodit eum.* Et quantum ad tertium, *Et incidit in foueam quam fecit.* Triplex enim lacus inferni, de quo dicitur hic, & *Zach.*9. Tu vero in ſanguine teſtamenti eduxiſti vinctos de lacu, in quo non erat aqua. Hic lacus in quo Iſmahel proiecit interfectos. *Ierem.* 41. Et eſt lacus deſperationis qui ſatis proximus eſt illi, de quo *Thren.*3. Lapſa eſt in lacum vita mea. Et eſt lacus delectationis in peccato. Vnde alibi in *Pſal.* Aſſimilatus ſum cum deſcendentibus in lacum, dicit Chriſtus, ſimilis factus peccatoribus. Hic eſt lacus in quo in figura fuit poſitus. *Ierem.*38. Et dicitur lacus quadruplici ratione. Primò propter obſcuritatem. *Pſal.* Collocauit me in obſcuris. Propter profunditatem. *Pſal.* Infixus in limo profundi. Et alibi, De profundis clamaui ad te, &c. Propter exeundi difficultatem. *Prou.* 2. Omnes qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur, nec apprehendent ſemitas vitæ. Homo enim ſpiritus vadens & non rediens. Quartò propter fœtorem. *Ioël.*1. Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo. *Amos* 3. Aſcendere feci putredinem caſtrorum veſtrorum ad nares veſtras, & non eſtis reuerſi ad me, dicit Dominus.

Varia laci acceptiones, præcipuè pro inferno, quadruplici de cauſa.

Conuertetur. Hîc oſtenditur tertium, ſcilicet vindicta pro culpa: & dicuntur duo. Primò pœna ſenſus tangitur, qua affligitur peccator, ſecundò pœna damni. *Et iniquitas eius.* Dicit ergo: Sic in peccando procedit peccator, & propter hoc *dolor eius*, id eſt, peccatum doloris cauſa, *conuertetur in caput eius*, ipſum grauiter puniendo pro peccato. *Et in verticem ipſius*, id eſt, in ſuperiorem rationis partem, *iniquitas eius deſcendet*, remorſum conſcientia pro æternis gaudiis amiſſis arguente. *Ierem.*2. Arguet te malitia tua, & auerſio tua increpabit te. Et in *Pſal.* Arguam te, id eſt, argui te faciam in conſcientia propriâ, & ſtatuam te contra faciem tuam, vt cognoſcas tunc, & videas malitiam tuam. De vtraque pœna, ſcilicet ſenſus & damni. *Iſa. vltimo*, Ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur. 17.

Pœna damni & ſenſus.

Poteſt & legi aliter iſte verſus, ſcilicet partim de præſenti, partim de futuro, vt primò tangatur dura peccati obligatio in præſenti, ſecundò deſcenſio in infernum in futuro. *Et in verticem.* Dicit enim, Sic procedit peccator in peccando, ſed tamen *conuertetur dolor eius*, quem ſcilicet concepit & peperit, *in caput eius*, vt ipſam rationem ſubiectam, & ligatam teneat, quæ animæ caput eſt, ſecundum illud *Pſal.* Funes peccatorum circumplexi ſunt me. Et *Ioan.*8. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. 2. *Pet.*2. A quo quis ſuperatus eſt, eius & ſeruus eſt. Tenet enim peccatum miſeram rationem ligatam peccandi conſuetudine. *Prou.*2. Funibus peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur. *Et in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet*, id eſt, in rationem quam iniquitas deſcendere faciet ſua ponderoſitate in infernum. *Exod.* 15. Deſcenderunt in profundum quaſi lapis. *Pſal.* Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.

Et

Et harum grauedine factus grauis peccator deſcendit in infernum. *Eccleſ.*22. Super plumbum quaſi grauabitur? Et quod illi aliud nomen quam fatuus? *Iſa.*1. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate.

Confitebor Domino. Hîc eſt tertia pars tertiæ partis huius Pſalmi: poſtquam enim actum eſt de diuino iudicio, mali territi ſunt, & boni conſolati, ſubiungitur hîc læta concluſio, in qua promittit ſe exhibiturum Deo reuerentiam, & hoc in duobus. Primò in confeſſione condignæ laudis, ſecundò in rectitudine operis, ibi, *Et pſallam.* Dicit ergo: Sic Dominus iudicabit, bonis præbens adiutorium, & malis ſupplicium: & propter hoc, *Confitebor corde*, & ore confeſſione laudis, *Domino.* Eſt enim confeſſio laudis propter iuſtitiam Dei commendandam. Vnde ſubdit, *Secundum iuſtitiam eius. Pſal.* Confitemini Domino, quoniam bonus. Confeſſio autem peccati eſt propter miſericordiam impetrandam. *Iacob. vltimo*, Confitemini alterutrum peccata veſtra. Confeſſio autem fidei, maximè in tempore neceſſitatis, propter ſalutem æternam continuò acquirendam. Ad *Rom.*1. Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.

Et pſallam opere in gaudio perpetrato: hæc enim importat pſallere, bonam ſcilicet operationem & hilaritatem. Sic enim placet Deo opus, & non aliter. 2. ad *Corinth.*9. Hilarem datorem diligit Deus. *Eccleſ.*35. In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione ſanctifica decimas tuas: bonum enim opus Deum reficit quaſi cibus, & lætitia apponitur tanquam condimentum illius. Qui ergo in triſtitia bonum opus facit, cibum bonum Deo, ſed condimentum amarum apponit. *Pſal.* Dederunt in eſcam meam fel. *Pſallam* ergo *nomini Domini altiſſimi*, id eſt, ad declarationem & honorem & gloriam altiſſimi Domini. *Luc.*2. Gloria in altiſſimis Deo. 1. *Corinth.*10. Siue comeditis, ſine bibitis, ſiue aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite. Sic Chriſtus faciebat. *Ioan.*7. Ego gloriam meam non quæro, ſed eius qui miſit me.

IN OCTAVVM PSALMVM.

1. *In finem pro torcularibus, Pſalmus Dauid.*

2. *Domine Dominus noſter.* Hic eſt Pſal. octauus, in titulo ſeptimus, qui talis eſt: *In finem Pſalmus Dauid*: in quibus & vtilitas tangitur, & Auctor, ſicut expoſitum eſt. Et additur quod pertinet ad materiam Pſalmi, cum dicitur, *Pro torcularibus*, non materialibus, ſicut aperte dicit Gloſſa, ſed ſpiritualibus, Eccleſiis ſcilicet, quæ torcularia appellantur, ratione & ſimilitudine operis. Sicut enim in torcularibus materialibus vinum à vinaciis ſeparatur, ſic in Eccleſiis triplex vinum à triplicibus vinaciis ſeparatur. Primò in docendo: ſicut enim vinum in vinario continetur, ſic veritas doctrinæ in ſono & voce à Doctoribus emiſſa. Sed ſicut vinum eliquatur, & remanent vinacia, ſic veritas ad corda Auditorum fluit ſono vocis exteriùs remanente. Ad *Rom.*10. Fides ex auditu.

Titulus Pſalmi pro torcularibus, id eſt, Eccleſia.

Cur Eccleſia hoc nomine ſignificatur.

Item viuum bonum ſunt viri iuſti, vinacia ſunt mali. Sicut ergo in torcularibus vinum à vinaciis ſeparatur, ſic bonis à malis in Eccleſiis meritò diſtinguuntur, & ſeparantur, poſtmodum etiam ſeparandi loco. Et primò vt iuſti Domini in cellaria recõdantur, malis foras eiectis. *Cant.*1. Introduxit me Rex in cellaria ſua, dicit iuſtus, ſed *Apocalypſ. vltimo*: Foris canes & venefici, & omnis qui amat iniquitatem, & facit eam. Tertium vinum eſt anima, cui reſpondet vinacium corpus. Ipſum vinum ergo à vinaciis eliquatur & tranſportatur in cellarium, cum animæ ſanctorum per paſſiones, & martyrium, quod ſuſtinent in Eccleſiis, à corporibus ſeparantur recondendæ in æternis cellariis.

Igitur pro torcularibus editus eſt Pſalmus iſte, id eſt, pro Eccleſiis multiplicatis & dilatatis, quæ rectè torcularia appellantur. Et patet ordinatio huius Pſalmi ad antecedentem. In præcedenti enim Pſalmo ſe laudaturum promiſit, quaſi quid impetrauerit, hic quod promiſit reddit, & prorumpit in laudem pro dilatatione Eccleſiæ, & multiplicatione in particulares Eccleſias & diſtinctas: quæ inquam dilatatio cauſata eſt ex ipſa exaltatione Chriſti. Diuiditur autem Pſalmus iſte in duas partes. Primò agitur de Chriſti exaltatione ſecundum diuinitatem: ſecundò de exaltatione eius ſecundum humanitatem. *Quid eſt homo.* In prima parte dicuntur duo. Primò admiratur altitudinem totius Trinitatis, & commendat. Secundò oſtendit quaſi cauſam huius altitudinis, & exaltationis, ibi, *Quoniam eleuata eſt.*

Ordo huius Pſalmi ad ſuperiorem.

Diuiſio Pſalmi.

Dicit ergo: *Domine* per potentiam creationis, cui debetur timor. *Malach.*1. Si ego Dominus veſter, vbi eſt timor meus? Sed *Deus noſter* per cultum ſpiritualem. *Geneſ.*28. Erit mihi Dominus in Deum. *Leuit.*27. Ego ſum Dominus Deus veſter, qui confregi iugum ciuitatum veſtrarum, vt incederetis erecti. *Quam admirabile*, id eſt, valdè admirabile eſt *nomen tuum*, nomen ſcilicet dominij & poteſtatis. Ego ego Dominus, hoc eſt nomen meum, non tantum in Iudæa, vel in terra aliqua ſpeciali, ſicut ponunt Donaſtitæ, ſcilicet in Affrica, ſed *in vniuerſa terra. Pſal.* Et metuant eum omnes fines terræ. Hoc eſt nomen de quo dictum eſt ad Iacob. *Geneſ.* 32. Cur quæris nomen meum quod eſt mirabile.? Sic hoc legitur de tota Trinitate. Sed poteſt etiam referri ad Patris perſonam ſpecialiter, cuius nomen eſt Chriſtus, quia ſicut per nomen ſuum aliquis innoteſcit, ſic pater innotuit per filium toti mundo. *Iſa.*30. Ecce nomen meum Domini venit de longinquo. Hoc eſt nomen admirabile, de quo dictum eſt *Iſa.*9. Vocabitur nomen eius admirabilis. *Eccleſ.*43. Terribilis Dominus & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipſius: Filius qui eſt virtus Patris & potentia. 1. *Cor.*1. Prædicamus Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam. Et rectè mirabile nomen iſtud: quoniam per ipſum Deus pater mirabilia operatus eſt. *Iſa.*25. Domine Deus meus exaltabo te, & confitebor nomini tuo, quoniam feciſti mirabilia. Mirabilis & filius: quia mirabiliter factus. *Eccleſ.*43. Vas admirabile opus excelſi. Mirabiliter etiam decorus. In eodem, Pulchritudinem

nem candoris eius admirabitur oculus, & ſuper imbrem eius expaueſcet cor: nec tantum in vna terra, ſed in vniuerſa. Eſt enim terra viuentium, cœlum ſcilicet Empyreum, de qua in *Pſal.* Portio mea in terra viuentium. In hac fuit filius Dei mirabilis aſcendendo: vnde habitatores illius terræ dicebant admirantes illud *Iſa.* 43. Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? &c. Et eſt terra mortuorum infernus, de qua *Iob* 10. Antequam vadam & non reuertar, &c. In hac mirabilis fuit deſcendendo, vt liberaret ſuos de lymbo: vnde & illius habitatores exclamant admirando, Quis eſt iſte rex gloriæ? Et eſt terra mortalium iſte mundus, de qua *Iſa.*30. Onus iumentorum in terra tribulationis & anguſtiæ. Iumenta autem ſunt rebus temporalibus onerati, qui ad literam in tribulatione & anguſtia in mundo conuerſantur. In hac mirabilis fuit docendo, & mirabilior operando: vnde de habitatoribus huius dicitur *Matth.6.*quod admirabantur in doctrina eius, dicentes: Vnde huic hæc omnia, & quæ eſt huius ſapientia, quæ data eſt illi, quantum ad doctrinam: & virtutes eius tales, quæ per manus eius efficiuntur, quantum ad operationem. Propter hoc dicitur alibi de Filio Dei: Dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum. Plures autem rationes quare admirabilis ſit Chriſtus, ſuperius dictæ ſunt ſuper Pſalmum quartum, ſuper illud verbum, Scitote quoniam mirificauit Dominus Sanctum ſuum.

Mirabilis vbique Chriſtus.

Quoniam eleuata eſt. Hîc ſecundum, in quo præmiſſa admiratione de exaltatione totius Trinitatis, hic tanquam ratio exaltationis aſſignatur, & ſecundum hoc dicuntur duo. Primò filij exaltatio, ſcilicet aſcenſio: ſecundò Apoſtolorum prædicatio. *Ex ore infantium.* Dicit ergo ſic: Domine Deus per vniuerſam terram innotuit mirabile nomen tuum: & hoc quoniam magnificentia tua, filius tuus, ſcilicet Deus homo, qui dicitur magnificus actiuè, quia te magnificauit. *Ioan.*17. Ego te clarificaui ſuper terram. Aliquando Dei in ſapientia, *Ioan.*8. Digito ſcribebat ſuper terram. Vel paſſiuè, quem tu magnificaſti clamans illud per mundum, Magnificate Dominum mecum, ipſum clarificando & verum Deum oſtendendo. *Ioan.*13. Nunc clarificatus eſt filius hominis. Et 17. Clarifica me pater claritate quam ego habui priuſquam mundus fieret. Magnificaſti etiam, gratiam ipſi inquantum homo eſt infundendo non ad menſuram. Ad *Rom.* 8. Quos iuſtificauit, hos & magnificauit. Ergo multò fortius, quem non iuſtificauit faciendo de impio pium, ſed iuſtum in ipſo inſtanti conceptionis fecit, magnificauit. *Ioan.*3. Pater dedit ſpiritum filio non ad menſuram. In homine aſſumpto, hæc, inquam, magnificentia eleuata eſt ſuper cœlos materiales ad literam. *Mich.*2. Aſcendet pandens iter ante eos. Et in *Pſal.* Aſcendiſti in altum, ſuper cœlos tres, ad æthereum, ſydereum, Empyreum. 2. *Cor.*12. Scio huiuſmodi hominem raptum vſque ad tertium cœlum. Aſcendit etiam ſuper cœlos, id eſt, ſuper ſcripturas: quia eius altitudinem enarrare non ſufficiunt eloquia ſcripturarum. De huiuſmodi cœlis *Iſa.*34. Complicabuntur ſicut liber cœli. Aſcendit etiam ſuper cœlos, omnem altitudinem Angelorum. *Ezech.* 10. Eleuata eſt gloria Domini ſuper Cherubim. 1. *Pet.*3. Profectus in cœlum ſubiectis ſibi Angelis & poteſtatibus & virtutibus. Nec mirum ſi ſic eleuata: aquila enim eſt tua magnificentia. *Iob* 39. Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & ponet in arduis nidum ſuum? Et ad volandum nata. *Iob* 5. Homo naſcitur ad laborem in paſſione: & auis ad volandum, in aſcenſione. Ad *Epheſ.* 4. Qui aſcendit ſuper omnes cœlos vt adimpleret omnia.

Ex ore infantium. Hîc ſecunda ratio exaltationis, ſcilicet Apoſtolorum & virorum Apoſtolicorum prædicatio: & dicuntur tria. Primò quibus miniſtris fiat prædicatio, & diuulgatio laudis Dei. Secundò quare per tales. *Propter inimicos.* Tertiò quomodo per illos. *Quoniam videbo cœlos tuos.* Dicit ergo: Sic propter eleuationem magnificentiæ tuæ eris admirabilis: & hac completa, *perfeciſti*, id eſt, perficies, præteritum pro futuro certitudine prophetali, *laudem*, laudis tuæ diuulgationem: *ex ore*, id eſt, per os, *infantium* hominum, in humana eloquentia deficientium, & *lactentium*, id eſt, ſimplici doctrina, non ſæculari ſapientia & aſtutia imbutorum. 1. ad *Corinth.* 1. Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes. *Iſa.*32. Cor ſtultorum intelligit ſapientiam. *Sap.*10. Sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit diſertas. Infantes autem & lactentes dicuntur Apoſtoli, quia innocentes & ſine malitia. 1. ad *Cor.*14. Nolite parui effici ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote. Pro ſimplicitate doctrinæ quam dilexerunt, & alios habere docuerunt. 1. ad *Cor.*3. Lac potum dedi vobis, non eſcam. 1. *Pet.*2. Sicut modò geniti infantes, rationabiles ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutem. Hæc laus inchoata fuit in Patriarchis, augmentata in Prophetis, ſed perfecta in Apoſtolis & viris Apoſtolicis, figurata fuit in pueris Ieroſolymitanis laudantibus Chriſtum & honorificè recipientibus *Matth.*21. Sciens ergo Dominus pſalmiſtam propheticè prædixiſſe, & figuram illam laudem ſcilicet puerorum, & rem figuræ, prædicationem ſcilicet Apoſtolorum, vſus eſt hac ſcriptura contra factum puerorum reprobatorum.

3.

Progreſſus laudis Chriſti.

Propter inimicos tuos. Hîc tangitur ratio quare per tales, & dicuntur duo. Primò, quòd ad confuſionem inimicorum generaliter. Secundò ſubdiuidit, oſtendens differentias inimicorum. Quidam enim ſunt non credentes tantum, qui dicuntur inimici ſimpliciter, quidam non tantum non credentes, ſed fidem etiam perſequentes, qui dicuntur vltores. Ait ergo: Sic perficies per tales, & hoc propter inimicos tuos confutandos, *vt* per hoc ſcilicet *deſtruas inimicum*, quemlibet infidelem, & vltorem, id eſt, quemlibet infidelitatis defenſorem. *Philip.* 3. Multi ambulant, quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico inimicos crucis Chriſti. *Eccleſ.* 32. Extolle aduerſarium, Chriſtum ſcilicet, qui aduerſarius eſt malis, & affligе inimicum infidelem quemlibet, & fidei contrarium.

trarium. Præter hos inimicos, inimici Domini
Qui sint inimici Christi. sunt superbi. *Psal.* Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper. *Iob* 15. Tetendit aduersus Dominum manum suam, & contra Omnipotentem roboratus est: cucurrit aduersus Deum erecto collo. *Iacob.* 4. Quicumque voluerit amicus esse huius mundi, inimicus Dei constituitur. Et dæmones. *Marc.* 13. Inimicus homo hoc fecit, id est, diabolus.

Quoniam videbo. Ecce tertium, in quo ostendit quomodo per tales erit exaltatio. Hoc autem modo erit, quia magni futuri sunt, & magna facturi. Duo ergo dicuntur. Primò se prouisurum dicit quanti sunt futuri, secundò quam magna facturi, ibi, *Lunam.* In prima duo. Primò quanti futuri sunt, secundò quod à se non erunt tanti, sed à Deo, ibi, *Opera.*
Cur prædicatores dicantur cœli. Dicit ergo: Verè perficies laudem & confundes aduersarios per dictos prædicatores, & Apostolos. Hi sunt cœli de quibus alibi in *Psal.* Cœli enarrant gloriam Dei. Dicuntur autem cœli propter vitæ altitudinem. Ad *Philip.* 3. Conuersatio nostra in cœlis est. Propter ornatum & decorem. *Iob* 22. Spiritus autem Domini ornauit cœlos. Propter doctrinæ infusionem. *Isa.* 45. Rorate cœli desuper. Propter motus continuationem: continuè enim operabantur bona, & sine lassitudine: sic cœlum mouetur continuè. *Isa* 40. Current & non laborabunt, laborabunt & non deficient. Propter motus ordinationem. Faciebant enim omnia ordinati. *Iob* 38. Nunquid nosti ordinem cœli, & pones terminum eius in terra. 1. *ad Cor.* 14. Omnia honestè, & secundum ordinem fiant

Opera. Quasi diceret: Videbo cœlos, sed non de seipsis tantos factos, imò opera digitorum tuorum. Non dicit opera tua, vel opera
Nota. manuum, sed opera digitorum, vt notet operantis diligentiam, & operis vel operati subtilitatem, & decorem: opera enim Dei sunt omnes creaturæ. *Psal.* Dixit & facta sunt. Sed opera manuum rationabiles ad eius similitudinem factæ. *Isa.* 44. Domine tu fictor noster, & nos lutum, & opera manuum tuarum omnes nos. Sed opera digitorum tuorum Apostoli specialiter. Et nota, quòd aliquando nomine digiti tres personæ designantur. *Isa.* 40. Quis appendit tribus digitis molem terræ? Aliquando Dei sapientia. *Ioan.* 8. Si in digito Dei eiicio dæmonia.

Lunam & stellas. Hîc ostendit quanta facturi, quia ordinaturi Ecclesiam vniuersaliter: quod tangitur primò. Secundò, quòd speciales Ecclesias disposituri. *Et stellas.* Tertiò, quòd non tanquam auctores, sed vt ministri ista sint facturi. *Quæ tu fundasti.* Ait enim sic: Videbo cœlos & lunam, id est, Ecclesiam per eos ordi-
Quare Ecclesia dicitur luna. natam. Luna autem dicitur Ecclesia, quia noctem illuminat, conuersationem scilicet peccatorum tenebrosam radiis prædicationis & doctrinæ. Ad *Ephes.* 5. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Recipit & lumen à vero sole Christo, de quo *Mal.* 3. Vobis timentibus Deum orietur sol iustitiæ. *Cant.* 6. Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna?

Et stellas. Particulares scilicet Ecclesias. *Apoc.* 1. Videbat Ioannes in dextera sedentis in throno septem stellas, id est, speciales Ecclesias. Stella autem dicitur quælibet particularis Ecclesia: quia parua apparet per humilitatem, sed magna est per virtutem, & lucet per bonam operationem & doctrinam. Quæ tamen, scilicet lunam & stellas, *Tu fundasti*, sicut auctor: ipsi autem vt ministri. Fundasti, inquam, iaciens filium tanquam primum fundamentum. 1. *ad Cor.* 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est CHRISTVS IESVS. Et super hoc ponens ipsos Apostolos tanquam secundum fundamentum. *Eccles.* 26. Fundamenta æterna, id est, Apostoli super petram solidam, id est, Christum. 1. *ad Cor.* 10. Petra autem erat Christus. Ad *Ephes.* 2. Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide CHRISTO IESV.

Quid est homo? Hîc est secunda pars Psalmi, 5.
in qua agitur de exaltatione naturæ humanæ in Christo: & dicuntur tria. Primò naturæ humanæ humiliatio, vt appareat mirabilior exaltatio. Secundò eiusdem sublimatio in Christo. *Gloria & honore.* Tertiò repetitio laudis diuinæ, ibi, *Domine Dominus noster.* In prima duo. Primò ostenditur humiliatio naturæ humanæ in se. Secundò respectiuè, id est, comparatione facta ad Angelos. *Minuisti.* In prima duo. Primò humiliatio eius in carnalibus hominibus. Secundò in spiritualibus, ibi, *Aut filius hominis.*

Dicit ergo admirando: *Domine quid est homo*, quia vilis, & quia miser, *quod memor es eius*, eius miseriæ miserando. Quasi diceret: Tanta est carnalis hominis miseria, vt tua miseratione non sit digna. *Genes.* 6. Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. Et nota, *Multiplex miseria hominis.* quòd est miseria hominis duplex. Corporalis, & spiritualis. Item spiritualis duplex, ignorantiæ, & culpæ. Culpæ duplex, certitudo de culpa, & incertitudo de venia. Certitudo de culpa duplex: quantum ad ingressum vitæ. *Psal.* Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum. *Iob* 3. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Et quantum ad progressum, quod scit se sine peccato non posse viuere. Ad *Rom.* 7. Quod nolo malum, hoc ago. *Isa.* 43. Pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. *Iob* 4. Stellæ non sunt mundæ in conspectu eius. Incertus de venia, quia nescit quo fine clausurus sit terminum vitæ suæ. *Eccles.* 9. Nescit homo finem suum, sed sicut aues capiuntur laqueo, & pisces hamo, sic homines in tempore malo. Miseria ignorantiæ triplex est. Sui. *Miseria ignorantiæ triplex.* *Osea* 7. Comederunt alieni robur eius, & ipse nesciuit. Proximi. *Ierem.* 17. Prauum est cor hominis, & inscrutabile, quis agnoscet illud? Et Dei. *Osea* 4. Non est scientia Dei in terra.

Miseria autem corporalis in quinque consistit. Primum, naturæ infirmitas. *Iob* 15. Homo *Miseria corporalis quinquiplex.* putredo & filius hominis vermis. Et 16. Putredini dixi, Pater meus es, mater mea & soror mea vermibus. Secundum, vitæ breuitas. *Iob* 14. Breues dies hominis sunt, numerus, &c. Tertium, vitæ instabilitas. *Iob* 13. Quasi flos egreditur & conteritur, & nunquam in eodem statu permanet. Qartum, miseriarum diuersitas; modò esurit, modò sitit, modò alget, modò calet.

Iob 3.

Iob 3. Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis. Vltimum, moriendi neceſſitas. *Eccleſ.*5. Miſerabilis prorſus infirmitas: quomodo viuit homo, ſic reuertitur.

Aut filius hominis, homo ſcilicet aliquis iam ſpiritualis factus, filius ſcilicet noui hominis Chriſti.

Quia viſitas eum. Non tantum memor es à remotis, ſed viſitas ex propinquo. *Geneſ.*37. Veni mittam te, viſita fratres tuos: Vade & vide ſi cuncta proſpera ſunt erga fratres tuos & pecora, &c. Et Moyſes ſuos viſitauit. *Exod.*3. Et *Luc.*1. Viſitauit nos oriens ex alto. Viſitauit autem quinque modis. Sicut medicus infirmum. *Pſal.* Viſita nos in ſalutari tuo. Sicut redemptor captiuum. *Luc.*1. Viſitauit & fecit redemptionis plebis ſuæ. Sicut Pater errantem filium virga cadendo. *Pſal.* Viſitabo in virga iniquitates eorum. Sicut amicus amicum dona gratiæ largiendo. *Iob* 1. Viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum. Tandem viſitauit ſicut iudex merita diſcutiendo. *Sophon.*1. Scrutabor Ieruſalem in lucernis, & viſitabo ſuper viros defixos in fœtibus ſuis.

Viſitatio Dei quintuplex.

6. *Minuiſti eum paulo minus.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit humiliatam naturam humanam reſpectiuè, ſiue comparatione ad Angelicam. Ait enim: ſicut humiliata eſt natura humana in carnalibus, & ſpiritualibus, & quod plus eſt, minuiſti eum, ſcilicet hominem, vel filium hominis, Chriſtum ſcilicet, qui filius hominis dicitur. *Matth.*16. Quem dicunt homines eſſe filium hominis? & *Luc.*21. Viderunt filium hominis veniẽtem in nube. *Matth.* 24. Filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra? *Minuiſti*, inquam, id eſt minorem eſſe voluiſti. *Ab Angelis*, id eſt, quam ſint Angeli. Nec eſt contra hoc quod ſuperius dictum eſt, naturam ſcilicet humanam in Chriſto eſſe ſuper omnia exaltatam: illud enim intelligitur quantum ad aſcenſionem, vel quantum ad diuinæ naturæ vnionem. Hoc autem reſpicit ſtatum corruptionis & paſſibilitatis. Ad *Hebr.*2. Minuiſti eum paulo minus ab Angelis. Ad *Philip.*2. Exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens.

Et nota, quod duplex notatur diminutio. Prima, cum dicitur, *Minuiſti*, per verbum: ſecunda per aduerbium *minus*. Sed ſecunda diminutio primam diminuit, vt ſit ſenſus: Diminutio qua diminutus eſt ab Angelis, eſt diminutio diminuta, id eſt, valdè parua.

Gloria & honore. Hîc ſecundum: præmiſſa enim humiliatione, tanquam cauſa vel occaſione ſubiungitur exultatio tanquam effectus. *Luc.*14. & 18. Omnis quis ſe humiliat, exaltabitur. Et tanguntur duo. Primò exaltatio. Secundò modus exaltationis oſtenditur. *Et conſtituiſti eum.* Item exaltatio duplex. Abſoluta in ſe, quæ eſt glorificatio humanæ naturæ. Reſpectiùa, quæ eſt honoratio exaltatæ ab aliis creaturis. *Et honore.* Ait ergo: Sic hominis humilis memor es, & illum viſitas: & verè, quia *gloria* incorruptionis, *& honore* reuerentiæ exhibitæ ab aliis *coronaſti eum*, vndique circundando. *Iſa.*42. Et erit corona gloriæ, id eſt, gloria coronatus, in manu Domini, & diadema regni, id eſt, regno tanquam diademate circumdatus in manu Dei tui. Et nota, quòd eſt quadxuplex corona Chriſti. Vna velut prima miſericordiæ, quâ coronatus eſt in natiuitate, quando natura noſtra voluit circundari. *Cant.*3. Egregimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate quo coronauit eum mater ſua. Secunda miſeriæ, quâ coronatus eſt à nouerca, ſcilicet Synagoga in Paſſione. *Ioan.* 19. Milites plectentes coronam ſpineam impoſuerunt capiti eius. *Iſa.*22. Coronans coronabit te tribulatione. Tertia gloriæ, qua coronatus eſt in ſua Reſurrectione. Alibi in *Pſal.* Gloriam & magnum decorem impones ſuper eum, &c. *Eccleſ.*45. Corona aurea ſuper caput eius. Quarta honorificentiæ, qua conorabitur in die iudicij à multitudine ſaluatorum ipſum circundante vt corona. *Iob* 29. Cum ſederem quaſi Rex circumſtante populo. *Eccleſ.*50. Circa illum corona fratrum, quaſi plantatio cedri in Libano.

Quatuor Chriſti coronæ.

Et conſtituiſti eum. Hîc ſecundum, ſcilicet modus exaltationis, & maximè quantum ad ſecundum, ſcilicet honorem: & dicuntur duo. Primò collatio dignitatis ſuper omnem creaturam, ſecundò poteſtatis. *Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius.* Dicit ergo: Vere honore coronaſti eum, & hoc quia *conſtituiſti eum*, dignitatem conferendo, *ſuper opera manuum tuarum*, manus ſcilicet vtriuſque. Eſt enim manus miſericordiæ, de qua in *Pſal.* Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate. Et manus iuſtitiæ. *Iſa.*5. Iratus eſt furor Domini in populo ſuo, extendit manum & percuſſit eum. Et in 9. Et adhuc manu eius extenta. Propter hoc dicitur ad *Coloſſ.*1. Primogenitus omnis creaturæ.

8. *Omnia ſubieciſti.* Hîc oſtenditur poteſtas humanæ naturæ in Chriſto ſuper omnem creaturem. Primò vniuerſaliter, & indiſtinctè, ſecundò particulariter & diſtinctè, ibi, *Oues & boues.* Ait ergo: Sic digniorem feciſti filium hominis omni creatura, & ſuper etiam poteſtatem tribuiſti, quia

Omnia non tantum aliqua, *ſubieciſti ſub pedibus eius*, ei ſuper illa poteſtatem tribuendo. Ad *Hebr.*3. In eo qui ei omnia ſubiecit, nihil dimiſit. 1. ad *Corinth.*15. Cum autem dicat, omnia ſubiecta ſunt ei, ſine dubio præter eum qui ſubiecit ei omnia. Et in eodem, Et omnia ſubiecit ſub pedibus eius. Pedes autem Chriſti, eius humanitas appellatur, ſicut caput diuinitas. 2. ad *Corinth.*11. Caput Chriſti Deus. *Iſa.*56. Locum pedum meorum glorificabo, id eſt, Virginis vterum. Sub humanitate ergo eius cuncta ſunt poſita. *Pſal.* Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. 1. ad *Corinth.*1. Quod eſt infirmum Dei, fortius eſt omnibus hominibus. Nec eſt mirum: quia ſub Apoſtolis, & viris Apoſtolicis, qui pedes ſunt Dei, multò remotiores quam Chriſti humanitas, portant enim ipſum per totum mundum. *Iob* 28. Non calcauit eam pes pauperis. *Iſa.*53. Quam pulchri ſunt pedes annuntiantis & prædicantis pacem. *Luc.*2. Super omnia bona ſua conſtituet eum, dicitur de fideli ſeruo. Sed differt: quia Chriſtus ſecundum quod homo ſic eſt Dominus totius creaturæ,

Pedes Chriſti.

vt

vt faciat de ipsa quicquid vult: alij autem sic fiunt Domini, vt fiat de creatura quicquid volunt.

Oues & boues. Hîc diuidit crearuras omnes. Primò quia dominium habet super bonos, secundò quia super malos. *Insuper & pecora.* Boni autem sunt dupliciter: vel soli Deo vacantes, siue Angeli, siue homines, qui significantur per oues: vel vtilitati proximorum intendentes Angeli vel homines, qui per boues. Ait ergo: Sic ei omnia subiecisti, oues scilicet innocentes, & simplices tibi vacantes. *Matth.* 10. Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. *Ioan.*10. Cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Et in vltimo, Pasce oues meas. *Et boues vniuersas*, id est, aliorum vtilitatibus intendentes. *Deuter.*25. Non alligabis os bouis triturantis. Isti maximè sunt prælati, qui sunt boues, si sunt boni, quia ruminant verbum Dei, & pabulum vitæ. *Leuit.*11. Animal quod non ruminauerit, immundum erit: vngulam findit discernendo bonum à malo. *Ezech.*1. Planta pedis eorum vt vituli. Maturè incedunt. *Psal.* In populo graui laudabo te. Labores tolerant & aliis proficiunt *Iob* 1.Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos. *Prouerb.*14. Vbi plurimæ sunt segetes, manifesta est fortitudo bouis.

Prælati bobus similes.

Et pecora. Hîc ostendit potestatem super malos. Et quia mali sunt in triplici differentia, tria dicũtur. Primò quia potestatem habent super luxuriosos. Secũdò super superbos. *Volucres.* Tertiò super auaros. *& pisces.* Tales autem dicuntur propriè homines talia perpetrantes. Impropriè autem dæmones, talia suggerentes. Ait ergo: *Insuper & pecora campi*, id est, luxuriosos, per altitudinem deliciarum ambulantes, subiecisti ei. Hæc sunt pecora, de quibus *Exod.*12. Percussit primogenita Ægypti ab homine vsque ad pecus. *Ioël.*1. Computruerunt iumenta in stercore suo. Hæc pecora ambulant per campos licentiæ, & latitudinis ad peccandum, de qua *Matth.*7. Lata est via quæ ducit ad perditionem.

Volucres cœli, superbos scilicet in altum volantes ei etiam subiecisti, velint nolint. Aues autem dicuntur superbi, sicut dæmones qui eis dominantur. *Matth.* 13. & *Luc.*8. Volucres cœli comederunt illud. *Deut.*32. Deuorabunt eos aues morsu amarissimo. Et princeps dæmonum volare voluit tanquam volucris. *Isa.*14. Ascendam in cœlum, super astra exaltabo solium meum, &c. Et superbi sic qui volant post ipsum. *Psal.* Posuerunt in cœlum os suum.

Et pisces maris, id est, auaros, *qui perambulant*, discutiendo cupiditate & curiositate, *semitas maris*, strictas & angustas vias, maris scilicet huius mundi tumultuosi, & spumosi: de quo in *Psal.* Hoc mare magnum & spatiosum nauibus, illic reptilia quorum non est numerus, id est, auari quorum non est numerus. *Ierem.*6. A minori ad maiorem omnes auaritiæ student. Ecce illa tria quæ tangit *Ioan.*1.*Can.*2. c. Quicquid est in mundo, aut est concupiscentia oculorum, aut concupiscentia carnis, aut superbia vitæ. *Abac.*1. Et facies homines quasi pisces maris. Semitæ etiam maris dicuntur omnia temporalia, quæ illi corde perambulant, quia citò transeunt, sicut semita in mari. *Oseæ* 10. Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquæ. Et in 5. *Sap.* Transeunt omnia quasi nauis in medio maris.

Domine Dominus noster. Ecce tertium secundæ partis huius Psalmi, læta scilicet conclusio & magnificatio & admiratio. Et dicitur periodalis hic Psalmus, quia sicut inchoauit, sic & terminatur: & periodalis in toto, quia totum versum primum in fine repetit, ad differentiam eorum qui periodales sunt in parte, sicut ille *Psal.* Benedic anima mea, &c. Et hoc fit vt ostendatur ad cumulum laudis, quòd ille ad quem loquitur psallens, & de quo loquitur, principium est omnium & finis. *Apoc.*1. Ego sum α & ω, principium & finis. Et expone sicut primum. 10.

IN NONVM PSALMVM.

In finem pro occultis filij, Psalmus Dauid. 1.

COnfitebor tibi Domine. Hic Psalm.9. numero, octauus in titulo, qui talis est, *In finem pro occultis filij, Psalmus Dauid.* Secundum autem Hieronymum est talis titulus, *Victori super mortem filij Canticum Dauid.* Et potest alludere titulus iste historiæ duplici, illi scilicet quæ legitur 2.*Reg.*12. De morte paruuli in adulterio generati de vxore Vriæ, pro quo cum rogasset Dauid in cinere & cilicio & ieiuniis, non obtinuit: vnde tanquam victus, victori Domino, cuius voluntas præualuit, Psalmum istum edidit in cantando: vnde dicitur Canticum. Ratio autem quare cantando edidit, esse potuit, vt semetipsum consolaretur super morte paruuli, sicut & cibum sumpsit, & vestes regias induit, & vt admoneret nos quod debemus super mortuos consolari. 2. ad *Thessa.*4. Fratres nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini, sicut hi qui spem non habent. 2.

Titulus alludit ad duas historias Dauid, vel admortẽ filij ex adulterio nati, vel Absalonis de qua consolationem quarit.

Alludere etiam potest ille titulus historiæ quæ legitur in 18. de morte Absalonis, ipsum Dauid persequentis, quo mortuo, Dauid attribuens victoriam ipsi Deo, hunc Psalmum edidit in modum Cantici, figuraliter insinuans Ecclesiæ lætitiam de gentibus vocatæ, pro morte spirituali & excæcatione Iudæorum, qui fuerunt tanquam adulterini filij Christum patrem persequentes, vel per ipsum Christum Deum Patrem. *Ioan.*5. Qui non honorificat filium, non honorificat patrem qui misit illum. Secundum autem Glossam Augusti. titulus nulli alludit historiæ, sed tacta causa efficiente per hoc quod dicitur, *Psalmus Dauid*, & vtilitate per hoc quod additur, *in finem*: ostenditur materia Psalmi in hoc quod adiungitur, *Pro occultis filij Dauid*, filij, inquam, Dauid, scilicet Christi, qui filius Dauid dicitur *Luc.*18. IESV Fili Dauid miserere mei. Et *Matth.*15. Miserere mei Fili Dauid. Ad *Rom.*1. Qui natus est ei ex semine Dauid secundum carnem. Vel filij simpliciter: quia quando dicitur in Scriptura sine determinatione, intelligitur Dei filius, media scilicet in Trinitate persona. *Ioan.* 8. Si filius vos liberauit, vere liberi eritis. Occulta autem huius filij sunt duo, scilicet eius latentia in carne mortali, sub qua quasi diuinitatis maiestatem, 3.

Mystice insinuat Ecclesia lætitiam de Iudæis spuriis & rebellibus filiis reiectis.

Occulta filij vel eius incarnatio, vel iudicia.

ſtatem, & poteſtatem occultauerat. *Iſa.* 45. Verè tu es Deus abſconditus: abſque te non eſt Deus. Occulta etiam ſunt iudicia, quibus mundum regit, diſponit, & ordinat in præſenti, tam occulta, quòd nullis, vel pauciſſimis fiant manifeſta. Vnde in *Pſal.* Iudicia tua abyſſus multa. Et Apoſtolus ſuper iis exclamans ad *Rom.* 11. ait: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, &c. Pro hoc ergo occulto regimine, & de hoc agitur in hoc *Pſal.* Et ſic patet ordinatio huius Pſalmi ad Pſalmum præcedentē. Cum enim in antecedenti Pſal. actum ſit de Eccleſiæ conſtitutione per filij exaltationem, & Apoſtolorum prædicationem, hic agitur de mirabili regimine conſtitutæ per oppreſſionem inimicorum eius, vſque ad tempus Antichriſti, & occulto Dei iudicio, & tandem de regimine manifeſto & aperto, à tempore Antichriſti, & deinceps. Et ſecundum hoc Pſalmus iſte poteſt diuidi in duas partes. Primò laus Dei & commendatio pro regimine occulto & iudicio. Secundò pronuntiatio vel petitio de regimine & iudicio manifeſto, vt Sanctorum miſeriæ finiantur, ibi, *Conuertantur peccatores.* In prima duo dicuntur. Primò promittit ſe laudaturum corde, ſecundò ore, ibi, *Narrabo.* Tertiò opere. *Et pſallam.*

Ordo Pſalmi.

Diuiſio.

Ait ergo: Sic Domine naturam humanam in Chriſto exaltaſti, per prædicationem Apoſtolorum vniuerſalem Eccleſiam & particulares inſtituiſti. Vnde ego Domine *confitebor tibi*, primo confeſſione culpæ & peccati, de qua *Ioſuë* 7. Fili confitere peccatum, & da gloriam Deo. Et *tibi*, quia tuum eſt delere illud, & quia tibi ſoli peccaui. *Iſa.* 43. Ego ſum qui deleo iniquitates propter me. Et confeſſione fidei, de qua ad *Rom.* 10. Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Te ſolum credens Deum & vnum. *Exod.* 20. Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt. Et confeſſione laudis, de qua *Tob.* 12. Benedicite Deum cœli, & coram omnibus viuentibus confitemini illi. *Pſal.* Confeſſio eius ſuper cœlum & terram. Et hoc quia ſolus bonus. *Matth.* 19. Nemo bonus niſi ſolus Deus.

Et hoc *in toto corde meo.* In corde, non in labiis, ſicut illi de quibus dicitur *Iſa.* 29. Populus hîc labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Et *Ierem.* 12. Prope es tu Domine ori eorum, & longè à renibus eorum. *Et in toto*, non diuiſo per partes, ſicut illi de quibus *Oſeæ* 10. Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt. *Deut.* 6. & *Matth.* 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Cordis autem confeſſio quid aliud eſt quàm dilectio? *Ioël.* 2. Conuertimini ad me in toto corde veſtro. Et *meo* à me poſſeſſo. *Prou.* 4. Fili, omni cuſtodia ſerua cor tuum: quia non eſt virtus modica, ſed magna. *Prou.* 16. Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuos expugnatore vrbium.

Narrabo. Hîc tangitur confeſſio oris, & tanguntur duo. Confeſſio, & modus confeſſionis. *Lætabor.* Ait ergo: Sic confitebor corde meo, & poſtmodum *narrabo* ore omnia mirabilia tua. Omnia, inquam, in genere, quia ſunt numero infinita. Vel ſic: *Omnia mirabilia tua*, id eſt, quæcumque dicam de tuis operibus, ſunt mirabilia. Sic intelligitur illud *Ioan.* 16. Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, id eſt, quicquid docebit, veritas erit. Et eſt rectus ordo: priùs enim neceſſaria eſt confeſſio, quæ cor mundat: poſtea mirabilium enarratio per prædicationem, quæ alios incitat ad bonum. Alibi in *Pſal.* Nunquid narrabit aliquis in ſepulchro, id eſt, in mortali peccato? Quaſi diceret, Non, nec iuſtitias, quia alibi in *Pſal.* Peccatori dixit Deus, Quare tu enarras iuſtitias meas, &c. *Eccleſ.* 22. Muſica in luctu importuna narratio.

Narranda autem eſt mirabilis iuſtitia Dei, & mirabilis miſericordia. Mirabilis iuſtitia, in mundo, ſicut in diluuio *Gen.* 7. Et pœna Sodomorum in 29. Mirabilior in purgatorio, mirabiliſſima in inferno. Mirabilis miſericordia in creatione, mirabilior in creatorum redemptione, mirabiliſſima in peccatorum iuſtificatione. *Pſal.* Tu es Deus qui facis mirabilia. *Exod.* 15. Magnificus in ſanctitate, terribilis atque laudabilis & faciens mirabilia.

Lætabor. Ecce modus. *Lætabor* interiùs, & *exultabo* exteriùs. Et hoc *in te*, non in iniquitate. *Prouerb.* 1. Qui lætantur cum mali fecerint, & exultant in rebus peſſimis. Nec in vanitate, ſicut illi de quibus *Iob* 21. Exultant luſibus, & gaudent ad ſonitum organi. Sed in te ad *Philip.* 4. Gaudete in Domino ſemper iterum dico gaudete. *Pſal.* In te cantatio mea ſemper. Hoc enim diligis. *Eccleſiaſt.* 25. In omni dato hilarem fac vultum tuum. 2. *ad Cor.* 9. Hilarem datorem diligit Deus. 3.

Et pſallam, bene operando: & hoc *nomini tuo* ô *Altiſſime*, vt finalis intentio operis mei tu ſis. *Leuit.* 3. præcipitur, quòd cauda hoſtiæ, id eſt, finalis intentio, Domino offeratur. Alibi in *Pſal.* Pſallam tibi in cithara Deus meus, id eſt, in decem præceptorum concordi harmonia.

In conuertendo. Hîc ponitur cauſa laudis, & hæc tangitur duplex. Primò inimici dilectio, ſecundò conſtantia diuinæ poteſtatis & duratio, ibi, *Et Dominus in æternum permanet.* In prima parte dicuntur quatuor. Primò deiectio inimici, ſecundò vtilitas annexa illi deiectioni. *Infirmabuntur.* Tertiò cauſa vtriuſque. *Quoniam feciſti.* Quartò modus deiiciendi. *Increpaſti.* Dicit ergo: Sic corde, ore, & opere confitebor, & hoc iuſtum, quia *in conuertendo*, id eſt, dum conuerti *inimicum meum* capitalem, diabolum ſcilicet. *Matth.* 13. Inimicus homo hoc fecit. Et in *Pſal.* Inimici mei animam meam circundederunt. *Thren.* 4. Velociores fuerunt aquilis cœli perſequutores noſtri. Conuertiſti, inquam, *retrorſum*, poteſtatem auferendo quam ſuper me vſurpauerat. *Luc.* 11. Si autem fortior illo ſuperuenerit, auferet omnia arma eius in quibus confidebat, &c. 4.

Infirmabuntur. Ecce conſequens duplex debilitatio poteſtatis eorum, & tandem retruſio in infernum. Quaſi diceret: *In conuertendo* ſic inimicum, *infirmabuntur* ipſe & membra eius, vt poſſint modicum in præſenti contra bonos.

Et peribunt tandem in futuro *à facie tua*, id eſt, à præſentia tui ad iudicium venientis. *Mal.* 3.

*Mal.*3.Et quis stabit ad videndum eum?Mali secundũ *Augusti.*mallent quamcumque pœnam sustinere, quam iudicis faciem videre. *Isa.*30. Ardens furor eius, & grauis ad portandum, & labia eius indignatione sunt plena.Vel in bono potest exponi hoc annexum sic: Cum conuerteris inimicum retrorsum, infirmabuntur mali infirmitate bona, à malo declinando. 2. ad *Corinth.*12. Cum infirmor, tunc potens sum. *Psal.* Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt,qui prius potentes erant vt facerent mala. *Isa.*5. Væ qui potentes estis ad miscendam ebrietatem. Et peribunt, ad bonum se penitus conuertendo. *Prouerb.*12.Verte impios, & non erunt. *Isa.*40. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem: & hoc

A facie tua, id est, à cognitione,id est,propter cognitionem quam habebunt de te. *Psal.* Ostende nobis faciem tuam, & salui erimus. *Isa.*26. A facie tua Domine concepimus, & quasi parturiuimus & peperimus Spiritum.

5. *Quoniam fecisti.* Hîc ponitur causa vtriusque directionis, & dicuntur tria. Primum est Christi adiudicatio. Secundum accusatio. *Et causam meam.* Tertiò ostenditur, quòd vtriusque potuit esse causa. *Sedisti super thronum.* Dicit ergo, Verè inimicus directus est, & detenti ab eo liberati. *Quoniam tu fecisti iudicium meum,* id est, iudicium in te, & de te fieri voluisti ad vtilitatem meam: *& causam meam* repeti fecisti, id est, accusari in causa pro me sustinuisti. Hoc est quod petebat Ezechias *Isa.*38. Domine vim patior, responde pro me. *Ierem.*11. Tibi reuelaui causam meam. Iustum enim erat vt homo qui trangressus erat Dei mandatum, sustineret iudicium & accusationes iustas patienter.Et sic iudicium quo iudicandus erat homo in se, Christus adimpleuit. Sic illud iudicium factum est hominis, & illa causa. *Isa.*53. Eius liuore sanati sumus.In eodem,Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras,attritus est propter scelera nostra.*Prouerb.*20. Liuor vulneris absterget mala.

*Sedisti super thronum,*id est,super Christi animam, *qui iudicas iustitiam.* Ac si dicat: Quia iudex iustus Deus in Christi anima per vnionem requieuit, ob hoc fieri potuit vt eius iudicio, qui iudicatus est,liberarer. Hoc est quod dicit *Paulus* 2. *Corinth.*6. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Deus, inquam,qui iudicas iustitiam nunc in occulto, tandem iudicabit in aperto. *Ioan.*5. Pater omne iudicium dedit filio. *Psal.* Cum accepero tempus ego iustitias iudicabo. Nota, quod dicit, *Iudicas iustitiam*: non enim tantùm Dominus iniustitias iudicabit, sed etiam iustitias & iniustitias probabit. *Eccles. vltimo,* Pro omni errato adducet Dominus in iudicium, siue bonum fuerit, siue malum. *Isa.*44. Omnes iustitiæ nostræ sicut pannus menstruatæ.

6. *Increpasti gentes.* Hîc est tertium,scilicet modus deiiciendi, in quo tria sunt. Primum est peccatorum increpatio, secundum increpatorum conuersio. *Et periit.* Tertium, postetatis dæmonis annihilatio. *Inimici defecerunt.* Ait ergo: Sic & per hanc causam repulisti aduersarium, & hoc modo, quia increpasti,id est,increpari per prædicatores tuos fecisti.Quos?primò per Ioannem Baptistam. *Matth.*3. Genimina viperarum quis docebit vos fugere à ventura ira? Postmodum per Apostolos ad Gentiles missos. *Matth. vltimo,* Euntes in mundum vniuersum prædicate, &c. *Psal.* Increpa feras arundinis.*Naum* 1. Increpans mare & exiccans illud.

Et periit impius, inquantum impius, post increpationem conuersus inchoando bonum.

Nomen eorum impietatis & peruersitatis *delesti,*non ad horam,*sed in æternum,*& pro id est, *in sæculum sæculi,* exequutiuum.*Isa.*14. Perdam Babylonis progeniem, nomen & germen. Perdes, per gratiam in præsenti, & per gloriam in futuro, vt omnino iniquitatum eorum non recorderis. *Ezechiel.*18. Quotiescumque ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius.*Psal.* Non memor ero nominum eorum per labia mea.

Inimici. Hîc est tertium, scilicet inimici 7.
quantum ad potestatem destructio, & tanguntur tria. Primò destructio potestatis eius quantum ad rebelles in fide. Secundò quantum ad dissipantes bonos mores. *Et ciuitates eorum.* Tertiò quantum ad exhibentes culturas varias & ritus. *Periit memoria.* Ait ergo: Sic increpasti per prædicatores, & conuersæ sunt gentes, & verè: quia *frameæ,* rebelliones scilicet, & infidelitates *inimici,* scilicet diaboli *defecerunt in finem,* id est, per finem.

Nota ergo,quòd framea propriè gladius dicitur, siue ensis, vnde rebelliones errantium in fide, quibus simplices vulnerabantur, rectè frameæ dicuntur. Propter hoc erat Psalmista alibi dicens, Erue à framea Deus animã meam. *Zachar.*13. Framea suscitare super pastorem meum,& super virum cohærentem mihi. Quælibet etiam suggestio diaboli, framea vel gladius potest dici. Gladius, quia lucet per delectationem,& pungit acumine per pœnam consequentem. *Ezech.*10. Gladius exacuatus est & limatus:limatus vt splendeat, exacuatus vt cædat victimas.Quando autem suggerit de peccato vno, quasi vno gladio percutit: quando de duplici peccato, vt cum suggestioni luxuriæ addit suggestionem auaritiæ, tunc duplicatur gladius.Quando cum his duobus suggestio additur de superbia, tunc triplicatur. *Ezech.*21. Duplicetur gladius,& triplicetur.Et huiusmodi omnes gladij seu frameæ deficiunt intuenti in finem multiplicem. Primò in finem Christum. *Tentationes pereũt cum respicimus in finem, id est, Christũ.* Ad *Rom.*10. Finis legis ad iustitiam Christus. *Num.*21. Quicumque respiciebant in serpentem æneum,sanabantur à morsibus serpentum. 1. *Pet.* 4. Christo igitur in carne passo & vos eadem cogitatione armamini. Vel in finem virtutum charitatem. 1. ad *Timoth.* 1. Finis præcepti est charitas. *Psal.*118. Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis. Attendere enim Dei charitatem ad nos, & quam debemus habere ad ipsum, omnem destruit diaboli suggestionem. Et in finem delectationis, qui est miseria & pœna.*Prouerb.*14. Extrema gaudij luctus occupat. *Apocalyps.*18. Quantum glorificauit se,& in deliciis fuit,tantum date illi tormentum & luctum.Vel in finẽ vitæ propriæ,id est, mortem. *Eccles.*7. Fili memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.

Vel charitatem finem virtutum.

Vel in pœnã finẽ peccati.

cabis. Vel in finem proprij corporis poſt mortem. *Eccleſ.*10. Cum morietur homo, hæreditabit ſerpentes, beſtias,& vermes. Propter hoc dicit Moyſes *Deut.*32. Gens abſque conſilio & & ſine prudentia: Vtinam ſaperent & intelligerent, ac nouiſſima præuiderent. Hos enim fines conſiderans,deficere facit diaboli poteſtatem. *Iſa.*17. Conſummatus eſt miſer, defecit qui conculcauit terram.

Et ciuitates eorum, id eſt, eius, ſcilicet diaboli. Singulare mutat in pluralem, ſicut & ſupra cum dixiſſet, *Et periit impius*, ſtatim ſubdidit, *Nomen eorum*: quia mali etſi coniunctas habeant ad inuicem caudas, & ſint vnum quodammodo, habent tamen facies diuerſas, & ſimpliciter ſunt multi, ſicut vulpes Samſonis *Iud.*13. Ciuitates, inquam, eorum deſtruxiſti, colligationes ſcilicet ad malum, & munitiones contra bonum. De ciuitatibus iſtorum alibi in *Pſal.* Accipiant in vanitate ciuitates ſuas. *Iob* 15. Habitabit in ciuitatibus deſolatis. Iſtæ ſunt ciuitates, quas filij Iſraël ædificauerunt Pharaoni *Exod.* 1. Phithon & Rameſſes, & Heliopolis. Phithon interpretatur os abyſſi, vel os perfundum. Hæc eſt cupiditas vel auaritia. *Eccleſ.* 14. Inſatiabilis eſt oculus cupidi. *Eccleſ.*5. Auarus non implebitur pecunia. Rameſſe interpretatur commotio tineæ, & ſignificat luxuriam: tinea enim de veſtimento naſcitur, & conſumit ipſum: ſic luxuria oritur de carne, & ipſam conſumit. 1. ad *Corinth.*6. Qui fornicatur, in corpus ſuum peccat. Per heliopolim quæ interpretatur ciuitas ſolis, ſuperbia deſignatur: hæc enim ſemper lucere vult, & apparere, contra illud *Iob* 31. Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clarè. Hæ ſunt ciuitates, de quibus clamat *Ierem.*48.Relinquite ciuitates iſtas, tres ſcilicet, & habitate in petra, Chriſto ſcilicet. 1.*Pet.*10. Petra autem erat Chriſtus.

8. *Periit memoria.* Quaſi diceret: Non tantum deſtructus eſt infidelitatis error, nec tantum munitio contra malum: ſed *periit*, id eſt, peribit, præteritum pro futuro, *memoria*, ritus ſcilicet & ſacrificia, in quibus eorum memoria habebatur. *Cum ſonitu*, id eſt, ſtrepitu & tumultu in quo fiebant illa. Hoc prophetatum fuit *Ezech.* 3. Aſſumpſit me ſpiritus, & audiui poſt me vocem commotionis magnę,malorum, & periit memoria cum ſonitu, ſimul enim perſtrepunt in hoc mundo, & pereunt. *Iob* 11. Ducunt in bonis dies ſuos. Item ad literam pereunt cum ſonitu intrinſeco, vel extrinſeco: quia quæ vehementer diligunt, ſine magno eiulatu amittere non poſſunt. *Gregor.* Plus aduerſa ſentiũt, qui plus in proſperis ſe extollunt. Non ſic iuſti. *Prouerb.*10. Memoria iuſti cum laudibus. Et nomen impiorum putreſcet. *Eccleſ.*6. Fruſtra venit & pergit ad tenebras, & obliuione delebitur nomen eius. Peribit autem omninò cum ſonitu tubæ, quæ ſonabit in finem, Domino ad iudicium veniente. 1. ad *Corinth.*17. Canet enim tuba, & mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Et hoc quia voluit,quod periret memoria peccati ſui in ſonitu confeſſionis oris, & gemitu cordis,ſine quibus proculdubio periiſſet. *Ezech.*18.In quacumque hora ingemuerit peccator, &c. Et nota, quòd perire dicitur, ſtatum in bonum mutari: vnde in *Pſal.* Pereant peccatores ita vt non ſint, peccatores ſupple. *Thren.*3. Inundauerunt aquæ vſque ad animam meam, dixi, Perij. Mori. *Iſa.*57. Iuſtus perit, & non eſt qui recogitet in corde ſuo. Deſinere eſſe. *Tob.*3. Pereat dies in qua natus ſum. Et damnari. In *Pſal.*Ne pereatis de via iuſta.

Et Dominus in æternum permanet. Hîc ſecunda pars, in qua agitur de cauſa diuinæ laudis, quæ eſt Dei magnificentia, & oſtenditur in tribus. In æternitate, in iudiciaria poteſtate. *Parauit in iudicio.* Et in benignitate. *Et factus eſt Dominus.*Dicit ergo: Sic peribunt mali,non tantùm re, ſed etiam memoria, & nomine. *Et Dominus in æternum permanet.* Dominus, inquam, Dei filius, contra quem nituntur mali, & maxime Iudæi. *Pſal.* In æternum Domine permanet verbum tuum. *Daniel.*7. Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur,& regnum quod non corrumpetur. *Michæ.*5. Egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis. *Magnificentia Dei tribus conſtat.*

Parauit in iudicio thronum ſuum. Hîc tangitur 9.
iudiciaria poteſtas, & dicuntur duo. Primò, quòd meruerit iudiciariam poteſtatem. Secundò quomodo iudicaturus ſit. *Et ipſe iudicabit.* Ait ergo: Sic manet in æternum, & etiam parauit per humilitatem merendo, *thronum ſuum*, iudiciariam ſcilicet poteſtatem, in iudicio ſcilicet generali. Ad *Philip.* 2. Exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens. Et paulò poſt, Propter quod & Deus exaltauit illum. *Ioan.*5. Poteſtatem dedit illi iudicium facere, quia filius hominis eſt. Vel *parauit*, id eſt, comparauit, *thronum ſuum*, ſicut prius, in iudicio quo iudicatus eſt, & abiudicatus ante Pilatum. *Iſa.*53. De anguſtia, & de iudicio ſublatus eſt. Ad *Rom.*14. Chriſtus mortuus eſt,& reſurrexit, vt viuorum & mortuorum dominetur. Tu autem quid iudicas fratrem tuum,aut quare ſpernis fratrem tuum? omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti.Hic thronus futurus eſt nubes lucida in qua venturus eſt. *Luc.*21. Videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna & maieſtate. *Eccleſ.* 24. Thronus meus in columna nubis.

Et ipſe iudicabit orbem terræ. Hîc tangitur modus: primò reſpectu omnium vniuerſaliter: ſecundò reſpectu Iudæorum ſpecialiter. *Iudicabit populos.*Dicit ergo ſic: Meruit & comparauit iudiciariam poteſtatem, *& ipſe iudicabit orbem terræ*, totum ſcilicet mundum, *in æquitate*, vnicuique reddens ſicut meruit, *& populos*, id eſt, Iudæos, *in iuſtitia. Iſa.*11. Iudicabit in iuſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ. *Ierem.*23. Regnabit Rex & ſapiens erit, & faciet iudicium & iuſtitiam in terra. *Pſal.* Semel loquutus eſt Deus, duo hæc audiui,quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia, quia tu reddes vnicuique iuxta opera ſua. *Iſa.*27. In menſura contra menſuram, cum abiecta fuerit, iudicabis eam.

Et factus eſt Dominus refugium pauperi. Hîc 10.
tangitur benignitas, & dicuntur duo. Primò declaratio bonitatis Dei. Secundò inuitatio fidelium ad ſperandum in eo, ibi, *& ſperent in te.* In prima duo. Primò oſtenditur benignitas eius in comparatione ad imperfectos. Secundò

in

in comparatione ad perfectos. *Adiutor.* Dicit ergo : Sic eſt in eo æternitas & iudiciaria poteſtas, ſed & benignitas : quia Dominus factus eſt refugium pauperi, adhuc in virtutibus imperfecto. *Prouerb.* 18. Turris fortiſſima nomen Domini eſt : ad ipſum currit iuſtus, & exaltabitur. *Pſal.* Petra refugium herinaciis. Pauperi etiam materiali refugium eſt. Diues enim, quia nullo vt ſibi videtur, indiget, ad Deum per orationem non recurrit. *Iſa.* 57. Viam manus tuæ inueniſti : propterea non rogaſti. Viam manus inuenire eſt, in omnibus votis proſperum ſucceſſum habere.

Multiplex paupertas, naturæ, indigẽtiæ, auaritiæ, &c.

Et nota, quòd eſt multiplex paupertas. Naturæ. Alibi in *Pſal.* Pauper ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea. *Pſal.* Liberabit pauperem à potente. *Iob* 1. Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. 1. ad *Timoth. vltimo,* Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quod nec aliquid inde auferre poterimus. Et eſt paupertas indigentiæ. *Matth.* 26. Semper pauperes habebitis vobiſcum. *Deut.* 15. Non deficient pauperes in terra habitationis tuæ. Et hæc duplex paupertas indifferens eſt. Et eſt paupertas auaritiæ. *Eccl.* 13. Nequiſſima paupertas in ore impij & auari, qui implebitur pecunia. Et eſt paupertas ſimulationis & iactantiæ, de qua. *Apoc.* 3. Tu dicis, Quod diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo : & neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Et hæc duplex mala. Sed eſt paupertas bona, humilitas. *Matth.* 5. Beati pauperes ſpiritu. Sed optima, abiectio & contemptus omnium tranſeuntium. *Iacob.* 3. Nonne pauperes elegit Deus, diuites in fide, hæredes regni, &c. *Matth.* 19. Vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, ſedebitis, &c.

Adiutor in opportunitatibus. Quaſi diceret: Refugium eſt ſic imperfectis, vt declinent à malo, ſed adiutor perfectis in opportunitatibus, ſcilicet in tribulatione : tunc enim valde opportunum eſt adiutorium. *Eccleſ.* 35. Speciosa eſt miſericordia in tempore tribulationis, ſicut nubes pluuiæ in tempore ſiccitatis. Sed contra hoc videtur illud infrà, deſpicis in opportunitatibus in tribulatione. Sed reſponſio eſt, quòd dupliciter adiuuat Dominus in tribulatione, vel ab ipſa liberando, & ſic non dicitur deſpicere, ſed audire, ſicut hic : aliquando dimittendo in ipſa tribulatione, & ſic dicitur deſpicere : tamen talis deſpectio adiutorium eſt, quia ad bonum eſt dimiſſi. Opportunitas autem dicitur, quantum ad præſentem tribulationem, quia per ipſam homo auellitur ab amore terrenorum, quod ei eſt optimum. *Aug.* Omnes iocunditates meas amaritudinibus reſperſiſti, vt quæram ſine offenſione lætari. *Oſeæ* 2. Sepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam maceria. *Pſal.* Liberabit pauperem à potente.

Duplex Dei adiutorium in opportunitate.

11. *Et ſperent.* Hîc inuitatio ad confidentiam. Quaſi diceret : Sic refugium es, ſic adiutor : & propter hoc exhortando dico : *Sperent in te qui nouerunt nomen tuum.* Fide, inquam, tenentes te miſericordem, & pium : hoc enim eſt nomen tuum, IESVS, de quo *Cant.* 1. Oleum effuſum nomen tuum. Et verè effuſum, quia miſericordia Domini plena eſt terra. Hoc nomen ſolum in quo ſperandum eſt. *Actu.* 4. Non eſt aliud nomen ſub cœlo, in quo oporteat homines ſaluos fieri. Vel certè *qui nouerunt nomen tuum,* poteſtatis & dominij : ſperandum enim eſt in potente. *Iſa.* 42. Ego Dominus vocaui te. *Matth.* 21. Dicite quia Dominus his opus habet. *Ioan.* 13. Vos vocatis me Magiſter & Domine, & benè dicitis, ſum etenim.

Quoniam non dereliquiſti. Quaſi diceret : Sic ſperent in te de futuro, & delectentur, quod per effectum oſtendo in præterito, quoniam tu Domine non dereliquiſti quærentes te. *Eccleſ.* 2. Nullus ſperauit in Domino & confuſus eſt. Sed contra. *Ioan.* 8. Quæretis me, & non inuenietis. Reſponſio. Loquitur ad Iudæos in malitia perſiſtentes, & perſeuerantes : tales autem ſi quærunt, non inuenient. Hîc autem loquitur de peccatum relinquentibus, & conuerſis ad Dominum. Sed iterum contra *Cant.* 2. In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea : quæſiui, & non inueni eum. Reſponſio. Etſi talis eſſet qui quærere poſſet, tamen ibi quærebat vbi quærendus non erat. Non enim inuenitur in diuitiis. *Oſeæ* 5. In gregibus ſuis & armentis vadent ad quærendum Dominum, & non inuenient. Nec in deliciis quæ per lectulum ſignificantur. *Iob* 28. Non inuenitur in terra ſuauiter viuentium. Sed in paupertate & vilitate & aſperitate inuenitur. *Luc.* 2. Inuenerunt Mariam, & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio.

Chriſtus non inuenitur à malis vel à bonis cum quæritur vbi non eſt

Et nota, quòd eſt finalis deſertio qua Dominus deſerit in malitia obſtinatos. *Pſal.* Dimiſit eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis. Et eſt derelictio non finalis, & hæc duplex. Gratiæ ad tempus. Sic deſeruit Petrum, permittens quod caderet in mortale *Matth.* 27. *Iſa.* 54. Ad punctum in modico dereliqui te. Et pœnæ. Hac derelinquit ſuos frequenter, ipſum etiam vnigenitum. Deus meus meus, quare dereliquiſti me?

Deſerit Deus in totum vel ad tempus,

12. *Exhortatur ad Dei laudem.*

Pallite Domino. Hîc ſecunda pars primæ partis huius Pſalmi. Præmiſſa enim promiſſione de laudando, hîc ſubiungitur aliorum inuitatio ad hoc idem. Primò ergo inuitat alios ad laudandum, ſecundò ſubiungit cauſam quare laudandum, ibi, *Quoniam requirens.* Tertiò promittit ſe cum eis laudaturum, ibi, *Exultabo in ſalutari tuo.* In prima duo. Primum monet ad laudandum opere, ſecundò ore. *Annuntiate.* Dicit ergo : Sic laudabo confitendo. Sed ô vos fideles, *pſallite Domino,* non cuicumque, ſed *qui habitat in Sion* literaliter : habet enim ibi domum ſpecialem templum, hoc eſt Sion de qua *Iſa.* 2. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem. Ille eſt enim locus de quo legitur dixiſſe Iacob *Geneſ.* 28. Non eſt hic aliud niſi domus Dei & porta cœli. Habitat etiam in Eccleſia militante, quæ videt Deum per ſpeculum in ænigmate. *Iſa.* 21. Igniculus eſt in Sion & caminus in Ieruſalem. Habitat etiam in Sion in Eccleſia triumphante. Sion enim etiam ſpecula interpretatur. Specula autem in alto ſolet eſſe : vnde per Sion illa ciuitas ſuperna bene deſignatur. *Iſa.* 33. Reſpice Sion ciuitatem ſolemnitatis noſtræ. In ſecunda Sion habitat per gratiam, in hac autem tertia per gloriam. Et nota ordinem. Primo enim præmiſit ſeipſum

laudaturum, in quo etiam quodam modo laudauit. Secundò inuitat alios ad hoc ipſum. *Apoc.vltimo.* Qui audit, dicat, Veni. *Exod.*26. Cortina cortinam trahebat.

Annuntiate inter gentes ſtudia eius, ad gubernandum genus humanum, & ſaluandum. Nota ordinem. Primò vt pſallant bene operando. Secundò vt annuntiẽt prædicando. *Act.* 1. Cœpit IESVS facere & docere. *Matth.*25. Qui autem fecerit & docuerit ſic homines, magnus vocabitur in regno cœlorum. Et nota, quòd quinque ſunt neceſſaria ad hoc quod quis rectè annuntiet. Primum eſt bona vita. *Pſal.* Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iuſtitias meas. *Gregor.* Ille fructus vberes in prædicatione colligit, qui ſemina bonæ operationis præmittit. Intentio recta. *Matth.*6. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Scientia. In *Pſal.* Moyſes & Aaron in Sacerdotibus eius. *Oſeæ* 4. Quia tu ſcientiam repuliſti, & ego repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi. Authoritas. *Ad Rom.*10. Quomodo prædicabunt niſi mittantur. Vltimum, perſeuerantia in his. In *Pſal.* Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Si habet hæc quinque, lux eſt. *Matth.*5. Vos eſtis lux mundi.

Quinque partes in prædicatore requiruntur.

Annuntiate ergo *inter gentes*, gentiliter & in peccatis viuentes: talibus enim præcipuè eſt prædicandum. *Matth.*9. Non eſt opus medicus valentibus, ſed male habentibus. In eodem, Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores. *Iſa.*31. Qui habitatis terram Auſtri, occurrentes ſitienti, ferte aquam, non ingurgitato, vel ebrio. *Gregor.* Vecordem ſe aſſerit, qui hortis ſitientibus in flumine aquam fundit.

Annuntiate ſtudia eius, ſtudium ſcilicet figuli & fictoris, quo ſtuduit in noſtra creatione. *Iſa.* 64. Tu fictor noſter, & nos lutum tuum, & opera manuum tuarum omnes nos. Et ſtudium pictoris, quo ſtuduit ad nos depingendum & reformandum in noſtra redemptione. *Eccl.* 38. Cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ, & in gloria ſua perficiet opus. Et ſtudium Doctoris, quo ſtuduit legem dando & mandata ſcribendo, in quibus & nos ſtudere neceſſe eſt. *Prou.*27. Stude ſapientiæ fili mi, & lætifica cor tuum.

Triplex in Chriſto ſtudium, plaſtæ, pictoris, & Doctoris.

13. *Quoniam requirens ſanguinem eorum.* Hîc cauſa admonitionis præcedentis, & dicuntur tria. Primum quod eſt quaſi ratio quare oporteat pſallere, ſcilicet vltio & vindicta de malis pro iis quæ ſanctis ingruunt. Secundò exauditio Sanctorum, in iis quæ competunt. *Et non eſt oblitus.* Tertiò ſpecificatio modi quo petunt, & eorum quæ petunt, ibi, *Miſerere mei.* Dicit ergo: Sic annuntiate & pſallite, & debetis, *quoniam requirens ſanguinem eorum*, ſcilicet per vindictam & vltionem quam accipit de malis, *recordatus eſt. Gen.*9. Sanguinem animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum. *Deuter.*32. & ad *Rom.*12. Mihi vindictam & ego retribuam.

Vel ſic continua: Etiam annuntiate prædicando, nec timeatis aduerſarios veritatis, quia ſi vos occiderint, nihil poſſunt amplius, & Dominus recordabitur mortis veſtræ. *Matth.*10. Nolite timere eos qui occidunt corpus, & poſt hoc non habent quid faciant, Dominus autem reſpicit vocem ſanguinis occiſorum. *Geneſ.* 3. Vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. Ad *Hebr.* 12. Acceſſiſtis ad ſanguinis aſperſionem melius loquentem quam Abel. Nec tantum clamat ſanguis Sanctorum contra occiſores, ſed etiam ipſa anima, cuius vox efficacior eſt, & citiùs exauditur. *Apoc.* 7. Vidi ſubtus altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei, propter teſtimonium quod habebant, & clamabant voce magna dicentes: Vſquequo Domine ſanctus & verus non vindicas ſanguinem noſtrum? Vel ſic, *Annuntiate ſtudia* prædicando, vos qui perfecti eſtis, aliis: quoniam ſi propter noſtram negligentiam perierint ſubditi, Dominus requirens ſanguinem eorum de manu veſtra recordatus eſt obligationis veſtræ, & promiſſi. 3. *Reg.*20. Cuſtodi virum iſtum, qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima illius. *Ezech.*3. Si non annuntiaueris ipſi, impius in iniquitate ſua morietur: ſanguinem autem eius de manu tua requiram. Et verè requiret: quia ſuprà, *non eſt oblitus clamorem pauperum*, ab homicidis crudelibus occiſorum, vel prædicatorum interfectorum à tyrannis, vel ſubditorum propter negligentiam Prælatorum damnatorum. *Pſal.* Non ſpreuit neque deſpexit deprecationem pauperis. *Eccleſ.* 25. Non deſpiciet preces pupilli, nec viduam cum effundet loquelam gemitus.

14. *Miſerere mei.* Hîc tertium, declaratio petitionis, & dicuntur tria. Primò allegat oſtentando propriam miſeriam. Secundò confitendo expertam miſeriam. *Qui exaltas.* Tertiò inſinuando finem. *Vt annuntiem omnes laudationes tuas.* Miſeriam allegat duplicem: deiectionem propriam, & inimicorum exaltationem ad cumulum miſeriæ. *Vide humilitatem.* Ait ergo: Non eſt oblitus clemorem pauperum, qui, inquam, clamor eſt per hunc modum: *O Domine miſerere mei* miſeri, ſuprà: tali enim debetur miſericordia. *Sap.*6. Exiguo conceditur miſericordia. Iuſtitia meritum requirit, miſeria miſericordiam intuetur. Miſerere etiam mei quem feciſti, & propter hoc debes miſereri tanquam propriæ creaturæ. *Sap.* 11. Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti. In eodem, Miſereris omnium quia omnia potes.

Vide humilitatem meam perpendendam, *De inimicis meis* ſuper me exaltatis. *Thren.* 3. Vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus eſt inimicus. *Exod.*3. Viri afflictionem populi mei qui eſt in Ægypto. Et eſt efficax oratio cum vera humilitas allegatur. *Eccleſ.*35. Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit. Humilitas enim facies animæ eſt, quam Dominus libenter reſpicit, & affabiliter intuetur. *Iſa.vlt.* Ad quem reſpiciam niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meas. *Luc.*1. Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.

Cur humilis oratio ſit efficax.

15. *Qui exaltas me de portis mortis.* Hîc eſt ſecundum, in quo confitetur ſe eſſe expertum miſeriam. Quaſi ſic diceret: Rogo vt miſereris, quia tu es, qui exaltas me, ſcilicet in altum ponendo, elongas, *de portis mortis*, quæ quadruplices ſunt. Primæ, cupiditates rerum temporalium: per has enim intrat ad nos mortale peccatum, quod eſt mors. *Sap.*16. Deducis ad portas

Quatuor mortis portæ.

portas mortis, permittendo scilicet quod tentemur; & reducis, à tentatione liberando. Secundæ, sensus corporales, quia per ipsos intrat mors. *Ierem.*9. Mors ascendit per fenestras, ingressa est domos nostras. *Naum* 2. Portæ fluuiorum, sensus scilicet, per quos delectationes influunt, apertæ sunt, & templum ad solum dirutum est, &c. Tertiæ, peccata mortalia, per quæ est ingressus ad æternam mortem. In *Psal.* Omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquauerunt vsque ad portas mortis. Quartæ sunt hæretici & hypocritæ, qui portæ sunt peccati & gehennæ. *Matth.*16. Portæ inferi non præualebunt aduersus eam, id est, hæretici. *Iob penult.* Portas vultus eius quis aperiet? difficile est enim cognoscere interiora hypocritæ.

Vt annuntiem. Ecce tertium, in quo insinuat finem quo vult liberari. Quasi ad hoc misereris, vt de inimicis liberes, *vt annuntiem* prædicando, *omnes laudationes tuas*, id est, omnia opera tua laudabilia, *in portis*, id est, in locis publicis, *filiæ Sion*, id est, Ecclesiæ: filius enim & filia frequenter superfluit in Scriptura. Vel Sion appellatur Ecclesia militans, quæ filia est triumphantis. Ad *Galat.* 4. Illa autem quæ sursum est Ierusalem, quæ est mater nostra. In hoc autem quod dicit se annunciaturum in portis, tangitur illud quod præceptum erat *Deuter.*16. Vt iudices & rectores sederent in portis ciuitatum.

Porta ad vitam. Et nota, quòd bonæ portæ sunt, & portæ vitæ portæ Ecclesiæ. Prima & præcipua Virgo Maria. *Genes.*28. Non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli. *Ezech.*44. Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per eam, quia Dominus ingredietur per eam. Portæ etiam sunt virtutes. *Prou. vlt.* Nobilis in portis, id est, in virtutibus, vir eius. Portæ etiam sunt mandata Dei, & bona opera per quæ est ingressus ad vitam æternam. *Matth.*19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Et *Exod.*32. Ite & redite de porta ad portam, id est, de vna operatione bona ad aliam. *Psal.* Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam. Portæ etiam sunt boni Doctores & Prælati. *Isa.*44. Ponam portas tuas in lapides sculptos. *Psal.* Introite portas eius in confessione: confitendum enim est Prælatis. Et nota ordinem: *Exaltas, vt annuntiem.* Gregor. Conscientia loquentem non impedit, cum linguam vita antecedit.

16. *Exultabo.* Hîc tertium huius partis, in quo promittit se laudaturum, & dicuntur tria. Primò promittit: secundò subsannationem malorum subiungit, qui ligati sunt vitiis vt non possint erigi ad laudandum Deum, ibi, *Infixæ sunt.* Tertiò adiungit comminationem. *Cognoscetur Dominus.* Ait ergo: Si istis rationibus inuitaui ad laudandum, & ore & opere, & ego ipse ô Domine *exultabo*, non in mundo, aut in meipso, *sed in salutari tuo*, Christo scilicet. *Genes. penultimo*, Salutare tuum expectabo Domine. 1. *Reg.*2. Lætata sunt in salutari tuo. Illo, inquam, salutari de quo *Isa.*40. Videbit omnis caro salutare Dei.

Infixæ sunt gentes. Hîc subiungitur malorum subsannatio, & tanguntur duo. Primò subsannatur super peccatorum vehementia, secundò super perseuerentia. *In laqueo isto.* Ait ergo: Sic exultabo, sed non peccatores, quia *Gentes*, id est, more Gentilium viuentes, infixæ sunt, intus scilicet, & in profundo *fixæ, & interitu quem fecerunt*, id est, in peccato, quod peccauerunt. *Psal.* Infixus sum in limo profundi. *Sophon.*1. Visitabo super viros defixos in fæcibus suis. *Ierem.*48. Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, requieuit in fæcibus suis. *Ioël.*1. Computruerunt iumenta in stercore suo. Et bene dicitur, quod fecerunt, non Deus. *Oseæ* 13. Perditio tua ex te Israël, tantum in me auxilium tuum. *Isa.*50. Ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis vobis. Nec etiam diabolus. *Psal.* Me expectauerunt peccatores vt perderent me.

In laqueo isto quem absconderunt. Quasi diceret: Non tantum peccant vehementer, sed consuetudine tenentur fortiter, quia *in laqueo isto, quem absconderunt eis* dæmones, comprehensus est pes eorum, affectus scilicet, qui per pedes designantur. *Psal.* Laqueum parauerunt pedibus meis, laqueum scilicet tentationis & peccati. *Iob* 18. Abscondita est in terra pedica eius. *Prouerb.*5. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum quisque constringitur. Nec mirum: quia quamuis absconditus sit laqueus, voluntariè tamen pedem suum, id est, affectum immittit iniquus. *Iob* 18. Præcipitabit consilium suum, immisit enim in rete pedes suos, & in maculis ambulat. Sed non sic iusti. *Prou.*1. Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.

Et nota, quod pedes sunt pauperes, pes scilicet inferior in Ecclesia Dei. *Psal.* Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Pedes etiam Prædicatores. *Isa.* 52. Quam pulchri pedes annuntiantis, & prædicantis pacem. *Apocalyps.* 1. Pedes eius similes aurichalco. Pedes etiam affectus mentis interiores, sicut hic, & alibi in *Psal.* Mei autem pene moti sunt pedes. *Cant.*5. Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Et quem asconderunt ipsimet, nolentes conuerti. *Oseæ* 13. Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum est peccatum. Aliquando enim quasi manifestatur, sed tamen absconditur. *Iob* 20. Dulce fuit ei malum, abscõdit illud sub lingua sua, & in gutture suo celabit.

Cognoscetur Dominus. Hîc tertium, in quo 17.
subiungitur pœna, & duplex, separatio scilicet à bonis, afflictio pro malis, quæ gesserunt. *In operibus manuum suarum.* Ait ergo: Sic mali infixi sunt & ligati peccatis vt laudare non possint, sed tandem *cognoscetur Dominus*, & à bonis & à malis, *iudicia* separationis scilicet *faciens*, & discretionis: quale iudicium petit alibi. *Psal.* Iudica me Deus & discerne causam meam de gente non sancta. Qui enim contemnitur nunc placatus, tunc cognoscetur iratus. *Exod.*5. Dixit Pharao, Quis est Dominus vt audiam vocem eius? Dominum nescio, & Israël non dimittam. Sed postea eum cognouit, quando mare submergens Ægyptios eos à filiis Israël separauit, vnde tunc ait, Fugiamus Israëlem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos. Et tandem

In operibus manuum ſuarum, id eſt, propter opera propria, *comprehenſus eſt peccator*, à pœna & miſeria. *Ierem.*2. Quomodo confunditur fur quando comprehenditur, ſic confuſi ſunt domus Iſraël. Manus eius ligantur vt non poſſit ſe defendere, pedes vt non poſſit fugere: oculi velantur, vt non poſſint videre. *Matth.*22. Ligatis manibus & pedibus proiicite eum in tenebras exteriores. *Thren.*1. Vindemiaſti me propter iniquitates meas.

Tria ſalutis impedimenta.

18. *Conuertantur peccatores in infernum.* Sicut ſuperiùs dictum eſt, hîc eſt ſecunda pas totius pſalmi: poſtquam enim egit de regimine Eccleſiæ vſque ad tempus Anti-Chriſti, hîc incipit agere de regimine eiuſdem, quod erit ex occultiſſimo Dei iudicio tempore Anti-Chriſti, & deinceps. Diuiditur ergo hæc pars in duas partes. Primò enim agitur de conſummatione malorum in malo, & aduentu capitis eorum, ſcilicet Anti-Chriſti. Secundò petitur ſecundus aduentus Chriſti, vt bonorum oppreſſio terminetur, ibi, *Exurge Domine, & exaltetur manus tua.* Prima pars ſubdiuiditur in quatuor partes. Primò prædicitur malorum obſtinatio in malo: ſecundo bonorum conſeruatio, & renumeratio pro afflictione, quam ſuſtinebunt à malis. *Quoniam in finem.* Tertiò declaratur per quem & quomodo conſummabuntur mali, ibi, *Conſtituiſti Domine.* Quartò admiratio & exclamatio ad Deum, & ratio multiplex quare ſuſtineat tribulari bonos, ibi, *Vt quid Domine.* Prima pars ſubdiuiditur. Plena enim conſummatio in malis in duobus eſt, in perfecta conuerſione ad bonum commutabile & delectatione mortifera, & plena auerſione à ſummo bono, ſcilicet Deo, ibi, *Omnes gentes.*

Secũda pars pſalmi de Anti-Chriſto.

Dicit ergo: Sic mali non poterunt laudare infixi in peccato & illaqueati, & tandem rogo, zelo iuſtitiæ, non libidine vindictæ, vt *peccatores conuertantur in infernum*, velut prædictio ſit, non optatio. Infernum autem dicit delectationem mortiferam quaſi ſummam. Hæc eſt infernus in quo non inuenitur ſapientia. *Iob* 28. Abyſſus ait, Non eſt eſt in me. Conſummatus enim in malitia non habet ſapientiam confitendi peccatum & relinquendi. Supra in *Pſal.* In inferno quis confitebitur tibi? *Iſa.*38. Non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te. Peccatores autem dicit peccato aſſuetos, & Dei patientiam contemnentes. Item *conuertantur peccatores* qui nolunt conuerti, *in infernum* detruſi, vel detenti ſera & tarda conuerſione, & infructuoſa, ſicut diues *Luc.*16. & illi de quibus *Sap.*5. Gementes præ anguſtia ſpiritus, dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes, &c.

Omnes gentes, quaſi peccatores ſic conuertantur, ſcilicet, *Omnes gentes quæ obliuiſcuntur Deum*, ab ipſo ſe penitus auertendo, quod eſt magnum malum. *Deuter.*8. Caue nequando obliuiſcaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius. *Deuter.*32. Oblitus es Domini creatoris tui. *Ierem.*2. Nunquid obliuiſcitur virgo ornamenti ſui, & ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ? Populus verò meus oblitus eſt mei. Ornamentum animæ & eius pulchritudo Deus eſt, & faſcia pectoralis reſtringens fluxum malarum cogitationum, & afflictionum, propter quod non debet anima eius obliuiſci. *Oſeæ* 13. Adimpleti ſunt & ſaturati ſunt, & eleuauerunt cor ſuum, & obliti ſunt mei. Et nota, quod eſt bona obliuio, qua terrena obliuioni traduntur propter Deum. *Pſal.* Obliuiſcere populum tuum & domum patris tui. Et eſt mala obliuio, qua obliuiſcitur Deus propter temporalia. Hinc eſt quod tribus Manaſſe quæ interpretatur obliuio, diuiſa fuit, vna pars citra Iordanem remanſit, altera tranſiuit, *Num.*32.

Bona & mala obliuio.

Quoniam non in finem obliuio erit pauperis. 19. Hîc ſecundum, ſcilicet renumeratio bonorum afflictorum his malis, & tanguntur duo. Primò renumeratio, ſecundò quaſi ratio renumerationis. *Patientia.* Dicit ergo: Sic impij, ſed *pauperis* in finem non erit obliuio. Vel ſic: Pauperis non erit obliuio in finem, id eſt, finalis non erit obliuio, etſi ad præſens deſeri videatur. *Iſa.*54. Ad punctum & in medio dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. Et in eodem, In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui. Quo enim modo quem in manibus propriis deſcriptum habet? *Iſa.*49. Nunquid obliuiſci poterit mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui. Et ſi illa oblita fuerit, ego non obliuiſcar tui: ecce in manibus meis deſcripſi te. Sed hoc intelligendum eſt de paupere ſpiritu, probato & delecto in camino paupertatis. *Iſa.* 48. In camino paupertatis elegi te. *Matth.*5. Beati pauperes ſpiritu: quoniam non obliti ſunt à Deo, imò ipſorum eſt regnum cælorum. Et verè non eſt pauperis obliuio: quoniam *patientia pauperum non peribit in finem.* Parum dicit, & plus ſignificat, id eſt, renumerabitur in finem. Accuſatiuum pro ablatiuo ponit.

Et nota, quòd bene coniungit paupertatem cum patientia: paupertas enim eſt in abdicatione delectabilium, patientia in ſuſtentatione triſtabilium. Item paupertas ſine patientia non valet, & patientia in proſperitate, vel nulla eſt, vel in nullo ſe exercet. Patientia ergo reddit paupertatem, & paupertas patientiam probatam. Hinc eſt, quòd Dominus idem præmium pauperibus & patientibus repromiſit. *Matth.*5. Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Et paulò pòſt, Beati qui perſequutionem patiuntur, &c. Facit enim Dominus ſicut aliquando eleemoſynarum diſtributor, aliquos in fine dimittit pignorandos, & talibus dat poſtmodum meliora. Sic Dominus dat diuitibus modò bona temporalia, nolentibus patienter expectare vſque in finem: ſed in fine illis remanentibus vacuis, pauperibus dabit bona multa. *Prou.*20. Hæreditas ad quam feſtinatur in principio, in nouiſſimo benedictione carebit. Propter hoc bonum eſt conſilium *Iſa.*28. Qui crediderit, non feſtinet hic accipere præmium ſuum, in fine enim multò melius remunerabitur. *Iſa.*44. Oculus non vidit Deus abſque te quæ præparaſti expectantibus te, non ad temporalia feſtinantibus.

Paupertatis patientia germana.

Nota ſimile.

Et nota quanta bona ſequuntur ex voluntaria paupertate. Primum: quia pauperem Deus obliuioni non tradit, ſicut hic dicitur. Secundum: quia curam & ſollicitudinem pauperis gerit.

Voluntaria paupertatis bona.

gerit. *Psal.* Oculi eius in pauperem respiciunt. *Isa. vltimo.* Ad quem respiciam nisi ad pauperculum & contritum spiritu & trementem sermones meos, sicut mater quæ de infirmiori filio magis est sollicita? *Psal.* Ego autem mendicus sum & pauper, Dominus sollicitus est mei. Tertium est: quia veraciter scit pauper quis eum verè diligit. *Gregorius*, Cum quis in prosperitate diligitur, incertum est an persona, an prosperitas diligatur. *Prouerb.* 19. Diuitiæ addunt amicos plurimos, à paupere autem quos habuit separantur. Quartò: quia sollicitudinibus & curis liberum reddit, & ad seipsum redire facit. *Gregor.* Cor humanum opibus & potestate dissoluitur, paupertatibus & ærumnis ad seipsum intus colligitur. *Eccles.* 5. Saturitas diuitis non sinit eum dormire, nec corporaliter, nec spiritualiter somno contemplationis. *Matth.* 13. Sollicitudo sæculi, & fallacia diuitiarum suffocant verbum, & sine fructu efficitur. Ibi *Beda*, Diuitias strangulant guttur mentis, nec bonum desiderium intrare sinunt. Quintum est: quia ipsa paupertas similem Christo facit, qui ipsam elegit. 2. *ad Corinth.* 8. Scitis gratiam Domini nostri IESV-CHRISTI, quoniam egenus propter nos factus est cum diues esset, vt illius inopia vos diuites essetis. Vltimum: quia hæredem regni facit, sicut dictum est *Matth.* 5. Frequenter. Beati pauperes spiritus, &c.

20. *Exurge Domine.* Hîc est tertium, in quo dicuntur quatuor. Primò malorum desolatio: secundò desolatorum laxatio ad peccandum. *Iudicentur.* Tertiò multiplicantium peccata excæcatio per infidelitatem: *Constitue.* Quattò horum trium finis, & rursùs infidelium sic dimissorum afflictio diuina. *Sciant gentes quoniam, &c.* Dicit ergo: Sic dixi quia peccatores conuertentur in infernum obliti Domini: & vere, quia ô tu *Domine exurge*, id est, exurges, qui dormire videris, ad hoc vt non confortetur homo. *Psal.* Exurge, quare obdormis Domine? *Exurge, vt non confortetur homo*, id est, vt confortatore careat, & Doctore, quod est origo miseriæ. *Prou.* 29. Cum defecerit prophetia, dissipabitur populus. *Thren.* 1. Non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius. Non confortetur, inquam, homo carnalibus deditus, & spiritualia postponens. Sic accipitur 1. *ad Cor.* 3. Cum sit inter vos zelus & cõtentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?

Vel sic secundum Glossam, vt sit optatio, *Exurge Domine*, vt impleas quod dictum est: *& non confortetur homo* purus, scilicet Anti-Christus, qui se Deum iactabit, contra pauperes, sed compesce malitiam eius & refræna. 2. *ad Thess.* 2. Qui aduersatur, & extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat ostendens se tanquam ipse sit Deus: necesse est enim vt exurgas, tribulationi quæ per eum erit finem imponendo. *Matth.* 24. Erit tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi, & nisi propter electos breuiati fuissent dies illi, non salua fieret omnis caro. Breuiabuntur enim, quia eius persequutio tantum per triennium & dimidium durabit. *Daniel.* 12. Vsquequo finis horum mirabilium? Et responsum est ei: Per tempus, & tempora, & dimidium temporis. Et nota, quòd resurrexit Dominus de morte ad vitam. *Matth. vltimo.* Surrexit, non est hic. De mortalitate ad gloriam. In eodem, Exprobrauit incredulitatem eorum: quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderant. Sed tandem exurget in iudicio ad vindictam, quam inchoabit in malos modo dicto.

Iudicentur gentes. Ecce secundum. Quasi sic diceret: *Non confortentur*, sed & quod deterius est, *Gentes*, id est, gentiliter, & carnaliter viuentes, *Iudicentur*, iusto iudicio dimittantur ruere de peccato in peccatum, & hoc *in conspectu tuo*, te videnti & apertissime cognoscente. *Psal.* Dimisi eos secundum desideria cordis eorum: ibunt in adinuentionibus suis. *Apocal. vltimo.* Iustum est vt qui in sordibus est, sordescat adhuc. Et suprà, Consumetur nequitia peccatum.

Constitue Domine. Ecce tertium, scilicet excæcatio vt consentiant errori Anti-Christi. Quasi sic diceret: Iusto iudicio ruant de peccato in peccatum: & tandem *constitue* tu à quo omnis potestas est. *Ad Rom.* 13. Omnis potestas à Deo est. Vel *Constitue*, id est, constitui permitte, *super eos*, tanquam regem & dictatorem, imò tanquam Dominum, legislatorem, Anti-Christum scilicet, qui prauam legem & veritati contrariam afferet. 2. *ad Thess.* 2. Cuius aduentus erit in omni seductione iniquitatis in his qui pereunt. Et hoc iustum: quia vero legislatori Christo credere noluerunt, de quo *Isa.* 23. Dominus rex noster, Deus iudex noster: Dominus legifer noster, ipse veniet & saluabit nos. Hoc est quod dicit *Paulus* 2. *ad Timoth.* 2. Ideo mittet illis Dominus operationem erroris, vt credant mendacio, & iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. In *Iob* 34. Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi. *Osea* 13. Dabo eis regem in furore meo. 21.

Vt sciant gentes. Ecce quartum. Quasi diceret: Hæc fieri permittes super reprobos, vt per hoc *gentes* gentiliter & carnaliter viuentes, *sciant* per experientiam in pœnis, & cognoscant, *quoniam homines sunt*, mortales, ignorantes, fragiles, peccatores. *Isa.* 28. Vexatio dabit intellectum auditui. *Ierem.* 6. Secundum aliam translationem, Per omne flagellum erudieris Ierusalem. Nota exemplum de Alexandro, qui vulneratus adulatoribus suis dixit: Vos dicebatis me esse filium Iouis & Deum, sed hoc vulnus quod recepi, probat me esse verum hominem & non Deum.

Psalmus 10. *secundum Hebræos.* 1.

Vt quid Domine. Hîc est quartum huius partis secundæ totius Psalmi. Præmissa enim consummatione malorum & oppressione bonorum, & modo & ordine quo consummabuntur mali, hic subiungitur admiratiua quæstio Prophetæ, quare Deus Anti-Christum sic permittat bonos opprimere, & ita dominari. Dicuntur ergo duo. Primò admiratiua quæstio. Secundò subiungitur responsio, *Dum superbit.* In prima parte duo. Primò admiratio cur recedat Deus à bonis auxilium non præbendo: Secundò quare exponat eos per aduersarium affligendo. *Despicis.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd in fine liberabis, dimittes tamen liberari in præsenti. Sed *vt quid Domine*

Cur Deus finit bonos opprimi ab Anti-Christo.

Domine receſſiſti à iuſtis & pauperibus, eos non adiuuando. Et hoc *longe*, tandiu auxilium differendo. Et verè mirandum, quia longe ſolet eſſe à peccatoribus ſalus, non à iuſtis. *Cant.5.* Quo abiit dilectus tuus ô pulcherrima mulierum? Et etiam *quid deſpicis*, deſpicere ſcilicet videris, malis exponendo, *in opportunitatibus*, exiſtentibus *in tribulatione*. Et benè ſequitur, Dei enim elongatio eſt cauſa quare ſequitur multa tribulatio. *Deuter.* 31. Verè quia Dominus non eſt mecum, inuenerunt me hæc mala.

Quare tribulatio dicitur opportunitas.

Et nota, quòd tribulationes opportunitates appellantur hîc, ſicut & ſupra in eodem *Pſal.* non tantùm propter hoc quia tunc ſit auxilium opportunum, ſed multiplici alia ratione. Primò: quia tribulatio probat. *Eccleſ.* 27. Vaſa figuli probat fornax. Probatum humiliat. 2. *ad Cor.* 12. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi, &c. Humiliatum & probatum erudit & informat. *Iſa.* 28. Vexatio dabit intellectum auditui. *Eccleſ.* 24. Mittit diſciplinam ſicut lucem, hoc eſt, cùm diſciplina afflictionis lucem emittit eruditionis. Informatum purgat ad magnoperè fructificandum. *Ioan.* 15. Eum qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat. Purgatum ſtimulat ad proficiendum ſemper exurgendo ad maiora. *Geneſ.* 7. Multiplicatæ ſunt aquæ, & arca eleuata eſt ſuper omnes montes. *Pſal.* Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt. *Exod.* 1. Quò plus opprimebantur filij Iſraël, eò plus multiplicabantur. Stimulatum ſanat. *Iacob.* 5. Beatus vir qui corripitur à Domino: ipſe enim vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius ſanabunt. Tandem ſanatum coronat. 2. *ad Timoth.* 2. Non coronabitur niſi qui legitimè certauerit. *Iacob.* 1. Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Propter hæc bona dicitur *Iacob.* 3. Omne gaudium exiſtimate fratres, cum in diuerſas tentationes incideritis. Et *Act.* 5. Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, &c.

2.

Dua cauſa perſecutionis iuſtorum.

Dum ſuperbit impius. Hîc ſubiungitur reſponſio, & primò ſumpta ratione ex parte bonorum. Secundò ex parte malorum. *Comprehenduntur in conciliis.* Dicit ergo: Sic admirando quæſiui, ſed rationem intelligo: hoc enim fit, quia *dum ſuperbit impius*, ſcilicet Antichriſtus, qui antonomaſticè impius dicitur. *Iſa.* 11. Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium. *Incenditur* flante eius ſuperbia tanquam vento, *pauper*, vt tui deſiderio amplius inardeſcat. *Gregor.* Ignis flatu premitur vt creſcat. *Oſeæ* 6. In tribulatione ſua mane conſurgent ad me. Hinc eſt quod Ieremias tribulationes ſuſtinens dicebat in *Ierem.* 20. Factus eſt ſermo Domini mihi in opprobrium, & in deriſum tota die. Et paulò poſt, Et factus eſt in corde meo quaſi ignis æſtuans, & defeci ferre non ſuſtinens. Incenduntur etiam igne tribulationis in eis incinerante vitia, & virtutes purgante tanquam aurum. *Sap.* 3. Tanquam aurum in fornace probauit electos Dominus. *Malach.* 3. Sedebit conflans & emundans argentum, & purgans filios Leui. Ergo ſic recedit & deſpicit, id eſt, recedere & deſpicere videtur, vt & ardentiùs quæratur, & ſtrictiùs teneatur. *Gregor.* Quando non inuenitur, id facit vt ſtrictiùs teneatur inuentus. Et verò non veniret ad nos, niſi nos diligeret, non recederet, nîſi nos trahere ad ſe fortiùs vellet. Hinc eſt quod ſponſa in *Cant.* cap. 1. Oſculetur me oſculo oris ſui. Et in fine totius libri concludit, Fuge dilecte mi, aſſimilare capreæ hinnulóque ceruorum, ſuper montes aromatum.

Receſſus Dei interdum vtilis.

Comprehenduntur. Hîc ſecundum, in quo ratio ſumitur à parte malorum, & primò à parte adhærentium Antichriſto: ſecundò à patre ipſius Antichriſti, ibi, *Exacerbauit.* In prima duo. Primum quod eſt tanquam ratio quæſiti, illaqueatio adhærentium Antichriſto. Secundò quod iuſtum eſt eos ita illaqueari. *Quoniam laudatur.* Dicit ergo: Longè te facis, & deſpicis: quia ſic bonus incenditur, & inimici eius comprehenduntur, *in conciliis*, machinationibus ſcilicet occultis, *quibus cogitant* comprehendere iuſtum. *Prou.* 5. Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum quaſi conſtringitur. *Iob* 5. Apprehendit ſapientes in aſtutia eorum, & concilium prauorum diſſipat. *Eccleſiaſt.* 27. Facienti nequiſſimum conſilium deuoluetur ſuper eum. Sic Goliath proprio gladio interficitur 1. *Reg.* 17. Et Holofernes proprio pugione *Iudith* 13. Et Aman ſuſpenditur in patibulo quod præparauerat Mardochæo *Eſther* 4.

3.

Quoniam laudatur. Hîc ratio quare comprehenditur, duplex. Prima, adulatio facta Antichriſto, & fomentum ipſius in his quæ aget contra Deum, ſecundò in his quæ contra proximum, ibi, *Et iniquus benedicitur.* Ait enim. Sic comprehenduntur, & hoc iuſtum eſt, quoniam *peccator*, Antichriſtus ſcilicet, qui dicitur peccator, quia ſuperbus & blaſphemus contra Deum. 1. *ad Theſſ.* 2. Qui aduerſatur & extollitur ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. *Laudatur* ab eis *in deſideriis animæ ſuæ* adimpletis. Mali enim adulatores eius erunt, & eum fouentes in malitia.

Et iniquus, contra proximum, idem ſcilicet Antichriſtus, *benedicitur*, à malis. Vel hæc referri poſſunt ad adulationem & fomentum in peccato vnius ad alterum contra Deum & proximum, & ſic ſeſe decipiunt. *Iſa.* 3. Populi meus qui te benedicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant. Et in 9. Et erunt qui beatificantur præcipitati. *Prouerb.* 19. Homo qui blandis fictiſque ſermonibus loquitur proximo ſuo, retè expandit pedibus eius.

Triplex adulandi genus.

Et nota, quòd eſt triplex genus adulandi. Primum, quando quis in bono quod habet, nimis extollitur: contra quod dicitur *Prou.* 1. Fili ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis. *Thren.* 4. Lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos ſuos. Secundum, quando bonum, quod non habet quis, ei tribuitur. Sic Ioab adulabatur Amaſæ. 2. *Reg.* 20. Salue mi frater Amaſa. Tertium, quando malum quod facit, palliatur, & fouetur laudando. *Ezech.* 13. Ipſi ædificabant parietem, mala perpetrando, illi autem liniebant cum luto abſque paleis, vanis laudibus, & cito tranſituris adulando. *Iob* 20. Laus impiorum breuis eſt, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.

Exacer

4. *Exacerbauit Dominum peccator.* Hîc ſumitur ratio ex parte Anti-Chriſti, ſcilicet ex eius malitia, & dicuntur tria. Primò malitia cordis tangitur: ſecundò malitia oris, ibi, *Cuius os.* Tertiò operis, ibi, *Sedet in inſidiis.* In prima duo. Primo generaliter tangitur malitia cordis: ſecundo ſpecificatur. *Non eſt Dominus.* In primo duo. Primò tangitur malitia cordis eius in generali: ſecundò Dei patientia demonſtratur, ibi, *Secundum multitudinem.* Dicit ergo: Sic adulabuntur impij Anti-Chriſto, propter hoc *peccator*, id eſt, Anti-Chriſtus, *exacerbauit*, præteritum pro futuro, id eſt, ad iracundiam prouocabit Deum. Hoc enim eſt exacerbare. *Baruch.*4. Ad iracundiam prouocaſtis, exacerbaſtis eum qui fecit vos. Hæc autem exacerbatio erit plaſphemando contra Deum, & aſſerendo quod ipſe, ſcilicet Anti-Chriſtus, ſit Deus. *Daniel.*14. Eleuabitur & magnificabitur aduerſus Deum, & aduerſus Deum deorum magnificabitur. Et in eodem, Deum Patrum ſuorum non reputabit. Et quamuis ſic exacerbet, tamen Deus vindictam hîc in præſenti non requiret.

Secundum multitudinem iræ ſuæ, ſcilicet Anti-Chriſti, ipſum puniendo in præſenti, *non quæret*, quamuis eum occiſurus ſit. *Iſa.*11. Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium. 2. ad *Theſſ.*2. Quem Dominus IESVS interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui, ſed reſeruabit eum atrociùs puniendum in gehenna, quemadmodum factum eſt de Antiocho 2. *Mach.*12. & de Herode *Act.*12. Vel ſic: Deus eum non quæret, ſcilicet Anti-Chriſtum, vt ſaluet eum, qui alios qui perierant requirit. *Luc.* 19. Venit filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat. Non quæret, inquam, flagellando ipſum vt retrahat à malo, & hoc *ſecundum multitudinem iræ ſuæ.* Multitudo enim iræ Dei eſt cum laxat hominem ad peccandum, nec retrahit eum per flagellum. Hinc dicitur Synagogæ *Ezech.*16. Non iraſcar tibi amplius, zelus meus receſſit à te. Non viſitabo ſuper filias veſtras cum fornicatæ fuerint, & ſuper ſponſos veſtros cùm adulterauerint. Magna ergo ira Dei eſt, ali quando non iraſci, ſicut è contrario magnum beneficium eſt iraſci. 2. *Machab.*2. Etenim non ſinere peccatoribus ex ſententia agere, magni beneficij indicium eſt.

5. *Non eſt Deus in conſpectu eius.* Hîc ſecundum, in quo ſpecificat malitiam cordis eius, & dicuntur tria. Primò peruerſitas intentionis, ſecundò excæcatio, vel inconſideratio diuinæ vltionis, ibi, *Auferentur iudicia.* Tertiò deliberatio malæ voluntatis, ibi, *Dixit enim in corde ſuo.* In prima facit duo quæ ſunt in peruerſa intentione: primum declinatio à ſummo bono, ſecundum inclinatio ad malum, *Inquinatæ.* Dicit ergo: *Exacerbauit*, & Dominus non requiret, quia non eſt Deus in conſpectu eius, id eſt, intentione, quæ oculus appellatur. *Matth.*6. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum, &c. Hic eſt oculus dexter qui eruendus eſt, ſit animam ſcandalizat. *Matth.*5. Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum & proiice abs te. Et *Zachar.*11. Brachium eius aridi tate ſiccabitur, & oculus dexter eius tenebreſcens obſcurabitur. Hoc dicitur de Anti-Chriſto. Vnde Pſalmiſta, Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus.

Inquinatæ ſunt. Quaſi ſic diceret: Auertitur à Deo, *& viæ eius*, intentiones ſcilicet & affectus cordis, *inquinatæ ſunt.* Et hoc *in omni tempore.* Nota, quod ſemper voler malum Anti-Chriſtus, & omnia mala aget. *Thren.*1. Sordes eius in pedibus eius, ecce inquinatio affectuum: non eſt recordatus finis ſui, Dei ſcilicet, ecce deprauatio actionum. *Non eſt Deus in conſpectu eius.* Sicut enim in Chriſtum qui eſt Dei ſapientia, nihil incurrit inquinatum. *Sapient.*7. Nihil inquinatum incurrit in illum. Sic in Anti-Chriſto omne incurrit inquinatum. Eſt enim multiplex inquinamentum: originalis culpæ. *Ezech.* 35. Effundam aquam mundam ſuper vos, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. Et actualis culpæ: & hoc quantum ad fidem. *Deuter.*6. Non aſſumes quicquam de Idolis, velut inquinamentum & ſordes abominationis habebis ea. Et contra mores, primum quantum ad coinquinationem conſenſus, & conſcientiæ interioris. 1. ad *Timoth.*1. Coinquinatæ ſunt eorum & mens & conſcientia. Et praui operis. *Eccleſ.* 13. Qui tangit picem, inquinabitur ab ea. *Cantic.* 5. Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Et conſuetudinis. *Ezechiel.*24. Pone eam ſuper prunas vacuam, vt incaleſcat, & liquefiat æs eius, & confletur in medio eius inquinamentum eius, & conſumatur rubigo.

Multiplex inquinamentum.

Auferentur. Hîc ſecundum, ſcilicet inconſideratio diuinæ vltionis, & tanguntur duo. Primo inconſideratio, ſecundo ratio ſeu cauſa huius inconſiderationis, ibi, *Omnium inimicorum.* Dicit ergo: Sic erit peruerſa impiorum intentio. Etenim *iudicia tua*, quibus punis malos, & vltionem de ipſis accipis, *auferentur à facie eius*, ab eius ſcilicet conſideratione, vt eam non auertat. *Prouerb.* 18. Viri mali non cogitant iudicia: qui autem requirunt Dominum, animaduertunt omnia. *Iob penult.* Quaſi ſtipulam æſtimabit gladium, diuinum ſcilicet iudicium. De quo gladio *Iob* 19. Fugite à facie gladij, quoniam vltor iniquitatum gladius eſt. Et deridebit vibrantem haſtam, diuinam ſcilicet commminationem. *Iob* 22. Nubes latibulum eius, & noſtra non conſiderat, ſed quaſi per caliginem iudicat.

Omnium inimicorum. Quaſi diceret: Non eſt mirum ſi diuina iudicia non attendit, quia *omnium inimicorum ſuorum dominabitur*, eos ſibi ſubiiciendo, & ſic proſperitate excæcabitur. Inimicorum, inquam, qui ei temporaliter inimicantur, quod dico, quia non dominabitur Dei nec Chriſti. *Iob* 9. Terra data eſt in manu impij. *Daniel.* 11. Ingredietur terras & conteret, & pertranſiet, & introibit in terram glorioſam, & multæ corruent. In eodem, Rex Aquilonis iuxta voluntatem ſuam faciet, & eleuabitur non tantum contra malos, ſed etiam contra bonos. *Daniel.*7. Sermones contra Excelſum loquetur, & ſanctos Altiſſimi conteret, & putabit quod poſſit mutare tempora & leges. Et propter hanc felicitatem putabitur, quod Deus non ſit eum iudicaturus. *Eccleſ.* 8. Quia non profertur cito contra malos ſententia

tentia abſque timore filij hominum perpetrant mala. Alia litera habet, Quia differtur iudicium.

6. *Dixit enim in corde ſuo.* Ecce tertium, deliberata inordinatio voluntatis. Ait enim ſic: Auerſus erit à Deo, & inconſideratus, & ex deliberatione malus, quia *dixit in corde ſuo*, apud ſe ſcilicet deliberando: *Non mouebor à generatione* vna *in generationem* aliam tranſeundo, dominando ſuper illam, *ſine malo*, ſimulationis ſcilicet & hypocriſis. *Eccleſ.*19. Eſt qui nequiter ſe humiliat, & interiora eius plena ſunt dolo. *Pſal.* Dixit iniuſtus vt delinquat in ſemetipſo. Vel *ſine malo* pœnæ. Quaſi diceret: Niſi nationes afflixero, non potero ſuper eas dominari. *Iſa.* 10. Ad conterendum erit cor eius, & ad internecionem gentium non paucarum. Vel *ſine malo* artis magiæ. Credet enim per artem magiciam poſſe ſe cunctis gentibus dominari, & poſſe etiam tranſire ad immortalitatem. *Apoc.*14. Fecit ſigna magna, ita vt ignem de cœlo faceret deſcendere. 2. *ad Theſſ.* 2. Cuius eſt aduentus ſecundum operationes Sathanæ in omni virtute & ſignis & prodigiis mendacibus. *Senec.* Malis artibus fauor popularis acquiritur. Sicut erat in Simone mago, de quo *Act.*8. Quod omnes eum auſcultabant à minimo vſque ad maximum dicentes. Hic eſt virtus Dei quæ vocatur magna. Attendebant autem eum propter hoc quod multo tempore magicis ſuis actibus dementaſſet eos, & per eaſdem magicas artes voluit tandem in cœlum euolare.

7. *Cuius os maledictione plenum eſt.* Hîc ſecundum totius huius partis, in qua oſtenditur malitia Anti-Chriſti. Oſtenſa enim malitia cordis, oſtenditur malitia oris primò quantum ad Deum, ſecundò quantum ad proximum. *Et amaritudine.* Tertiò oſtendit effectum conſequentem ex vtroque. *Sub lingua eius.* Dicit ergo: Sic malus erit in corde. Erit etiam ille, *cuius os plenum eſt*, id eſt, erit *maledictione*, blaſphemiis contra Deum. *Daniel.*11. Aduerſus Deum Deorum loquetur magnifica. Et in 7. Sermones contra Excelſum loquetur. *Apoc.*13. Datum eſt ei os loquens magna, & blaſphemiam. *Et amaritudine & dolo* contra proximum ſcilicet, amaritudine comminando, & imperia iniungendo nolentibus conſentire ſibi. Contra illud *ad Hebr.*12. Contemplantes, ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans impediat. *Oſeæ* 12. Prouocauit me Ephraim in amaritudinibus ſuis. *Et dolo* blandiendo fraudulenter, *Eccleſ.*12. In labiis ſuis indulcat inimicus. *Pſal.* Muta fiant labia doloſa. *Daniel.* 7. Dolus in manu eius dirigetur. Amaritudine ergo plenum erit os ad nocendum, dolo ad ſeducendum.

Sub lingua eius labor. Perſuaſio ſcilicet, ad malum, in quo perpetrando labor eſt. *Ierem.*9. Vt iniquè agerent laborauerunt. *Et dolor* ſuſtinendo pœnam in inferno. *Pſal.* Dolores inferni circundederunt me. Contra illud quod dicitur *Cant.*4. Mel & lac ſub lingua tua, ſcilicet eruditio doctrinæ Dei, quæ dulcis eſt. *Pſal.* Quam dulcia faucibus meis eloquia tua. Et perſuaſio ad implendū mandata Dei dulciſſima. *Eccl.*23. Nihil dulcius quàm reſpicere in mandatis Dei.

8. *Sedet in inſidiis.* Hîc eſt tertia pars Pſalmi. Expedito enim de malitia Anti-Chriſti, quantum eſt ex parte cordis & ex parte oris, ſubiungitur hîc malitia operis, & dicuntur duo. Primò deſcriptio malitiæ eius in opere: ſecundò terminatio ipſius malitiæ, ibi, *Inclinabit ſe & cadet.* In prima duo. Primò deſcriptio peruerſitatis eius in opere procedente ex malitia adiuuantium ſe. Secundò in opere procedente ex malitia propria quam habebit ex ſe, ibi, *Inſidiatur in abſcondito.* In prima parte notantur quatuor. Duratio illius malitiæ. *Sedet in inſidiis.* Complices ad exequendum malitiam. *Cum diuitibus.* Modus. *In occultis.* Et finis. *Vt interficiat.* *Tertia pars Pſalmi de operibus & caſu Anti-Chriſti.*

Dicit ergo: Sic eſt in eo malitia, & eſt cordis, & oris. Et etiam *ſedet in inſidiis.* In ſede notatur duratio ipſius, & quies in potentia ſua. Hæc eſt ſeſſio quæ in principio primi Pſalmi excluſa eſt à viro iuſto. In cathedra peſtilentiæ non ſedit. De hac ſeſſione 2. *Theſſal.*2. Ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe quaſi ſit Deus. Sedes ſcilicet in magna poteſtate. *Apoc.*2. Scio vbi habitas, vbi ſedes eſt Sathanæ. Et tamen *in inſidiis*, multipliciter ſcilicet inſidiãdo bonis, & eos ſeducendo. *Oſeæ* 7. Applicauerunt cor ſuum quaſi clibanum, cum inſidiarentur eis. Sed non erit ſolus, imò cum diuitibus eum adiuuantibus & malitiam ſuam promouentibus. *Ierem.*5. Iuuenti ſunt in populo meo viri inſidiantes, quaſi aucupes laqueos tendentes, & pedicas ad capiendos viros. In quo apparebit contrarius: Chriſtus enim pauper fuit. *Zachar.* 9. Ecce Rex tuus venit iuſtus & Saluator, & ipſe pauper, & pauperes diſcipulos collegit *Matth.* 4. & *Luc.*5. *Iacob.*3. Nonne pauperes elegit Deus?

Sed hoc *in occultis.* Ecce inſidiandi modus. *Prouerb.* 23. Inſidiatur in via quaſi latro, & quos incautos viderit, interficiet. Occulta autem hîc appellantur ambigua, vbi non facile eſt intelligere quid apprehendendum ſit & quid fugiendum.

Vt interficiat. Ecce finis, & tangitur duplex: vt ſpecie iuſtitiæ noceat innocenti, ſecundò vt ſpecie miſericordiæ noceret pauperi. *Oculi eius.* Dicit ergo: & cum talibus inſidiabitur, & hoc *vt interficiat*, ſpiritualiter ſi poteſt: corporaliter, ſi non poteſt ſpiritualiter, *innocentem*, qui nec nocet nec nocere vult: vt ſic delinquat dupliciter. Primò contra illud præceptum, Non occides, *Exod.* 20. Secundò contra illud eiuſdem 23. Inſontem non occides. *Prouerb.*15. Qui condemnat iuſtum, & iuſtificat impium, vterque abominabilis eſt apud Deum. Per hoc etiam apparebit quod non erit Chriſtus: aduentus enim Chriſti non eſt ad occidendum corporaliter vel ſpiritualiter, ſed ad ſaluandum. *Ioan.* 3. Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.

9. *Oculi eius.* Quaſi ſic diceret: Falſa iuſtitia ſeducet innocentem, & etiam *oculi eius*, ac ſi miſericors ſit, *reſpiciunt in pauperem*, vt ſic attrahat ipſum quaſi effectum miſericordiæ exhibendo, volens in hoc aſſimilari Chriſto, de quo *Iſa.vltimo*, Ad quem reſpiciam niſi ad pauperculum, &c. *Gregorius*, Iniquis ſuadet elatione magnitudinis, iuſtos decipit oſtenſione ſanctitatis. *Eccleſ.*12. In oculis tuis lachrymabitur inimicus quaſi motus miſericordiâ, &

quaſi

quaſi admirans ſupplantabit plantas tuas.

Anti-Chriſtus habet agni cornua. *Apoc.*13. dicitur quod habebit cornua ſimilia cornibus Agni: prætendet enim agnilem miſericordiam vt ſic decipiat. Et nota, quòd corpus Anti-Chriſti malos habet oculos: in oculo enim notatur ſuperbas. *Pſal.* Superbo oculo & inſatiabili corde. *Eccleſ.*23. Extollentiam oculorum ne dederis mihi. Item auaritia. Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram. Item luxuria. *Thren.*3. Oculus meus deprædatus eſt animam meam in cunctis filiabus vrbis meæ. His oculis reſpiciet in pauperem ſpiritu, volens eum ſubuertere ſuperbia, auaritia, & luxuria.

Inſidiatur in abſcondito. Hîc ſubiungitur de ſecuritate malitiæ quantum ad opus ex propria potentia, & tanguntur tria. Primo modus inſidiandi. Secundo finis. *Vt rapiat pauperem.* Tertiò effectus. *In laqueo ſuo.* Dicit ergo: Sic adiutus à diuitibus mala perpetrabit, & etiam in perſona propria. *Inſidiatur*, id eſt, inſidiabitur *in abſcondito*, & exemplificat ſtatim, *Quaſi leo in ſpelunca ſua.* Sic ipſe latens in fraudulentia ſua. *Eccleſ.*27. Leo venationi inſidiatur. Leo autem eſt diabolus. *Prouerb.* 25. Leo rugiens princeps impius, ſcilicet Anti-Chriſtus, ſuper populum pauperem. 1.*Petr.*5. Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens, &c. *Thren.*3. Vrſus inſidians factus eſt mihi, & leo in abſcondito. Tamen in fine reuelabitur. *Matth.*10. Nihil abſconditum quod non reueletur, nec opertum quod non ſciatur.

Inſidiatur vt rapiat. Hîc determinatur finis, & hic duplex, *vt rapiat*, violentiam inferendo, & iterum *vt rapiat*, ſi non poteſt per violentiam, ſaltem blandiendo, ibi, *Rapere pauperem.* Dicit ergo: Sic inſidiatur, ſed quo fine? *Inſidiatur vt rapiat pauperem*, violentia & poteſtate. *Prou.*12. Verba impiorum inſidiantur ſanguini. De hac violentia quam inferet iuſtis Anti-Chriſtus per ſuos, & tandem inferet per ſe, conqueritur Dominus. *Iſa.*3. Quare auertitis populum meum & facies pauperum commolitis? *Eccleſ.*13. Venatio leonis onager in eremo, ſic paſcua diuitum ſuper pauperes. Diuitiæ enim declinant ad mala de facili ſecundum illud,

Luxus opum ſemper nocuos decliuis ad actus.

*Iacob.*1. Nonne diuites per potentiam opprimunt vos?

Rapere pauperem. Inſidiatur rapere, id eſt, ad rapiendum *pauperem dum attrahit*, id eſt, in attrahendo dolis & blanditiis *eum*, non ea quæ eius ſunt. De iis enim non curabit, ſed tantum de ipſis pauperibus, & illorum animabus. *Geneſ.*14. Da mihi animas, cætera tolle tibi. *Prou.*7. Irretiuit eum multis ſermonibus, blanditiis labiorum pertraxit eum. Alia litera, Iſte ſub ſpecie ſanctitatis vt rapiat miſeram animam. Rapiet autem eos qui in manu Dei non erunt. *Ioann.* 10. Nemo rapiet eas de manu mea.

10. *In laqueo ſuo.* Hic effectus. Quaſi diceret: Non fruſtra inſidiabitur blandiendo, rapiendo, imò *in laqueo ſuo humiliabit eum.* Et poteſt intelligi de humiliatione mala. Multos enim pauperum deiiciet imperfectos. *Daniel.*8. Deiecit de fortitudine, & de ſtellis, & conculcauit eas. *Apoc.*12. Draco traxit cauda ſua, ſcilicet Anti-Chriſtus, tertiam partem ſtellarum ſecum. Multi enim propter diuitias quas dabit, illecti attrahentur. 1. *ad Timoth. vltimo*, Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum & in tentationem diaboli. *Sap.*14. Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animæ hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium. *Humiliabit* etiam miraculis quamuis falſis coruſcando. *Gregorius* Moral. lib. 32. Penſemus quanta erit illa humanæ mentis tentatio, quando is qui flagris cruciat, miraculis coruſcat, &c. Vel poteſt intelligi de humiliatione non ad culpam, ſed ad pœnam: quanto enim magis exaltabitur, tanto quilibet Sanctorum contemnetur. Propter hanc illaqueationem dicitur *Luc.*21. Dies illa tanquam laqueus ſuperueniet in omnes qui ſedent ſuper faciem omnis terræ. *Iſa.*14. Formido, fouea, & laqueus ſuper te, qui habitator es terræ.

Inclinabit ſe. Hîc ſubiungitur cohibitio & terminatio malitiæ & virtutis Anti-Chriſti, ſcilicet eius caſus, vel mors, & dicuntur duo. Primò caſus & ſtatus vnde cadet. Secundò ratio & cauſa quare dignum eſt vt cadat, ibi, *Dixit enim in corde ſuo.* Dicit ergo: Hæc mala faciet, & poſtmodum *inclinabit ſe* ad otium & delicias: erit enim luxurioſus & delicioſus. *Daniel.* 11. Et erit in concupiſcentiis fœminarum. *Eccl.*47. Inclinaſti femora mulieribus, habuiſti poteſtatem in corpore tuo.

Et cum dominatus fuerit pauperum, non ſpiritu, ſed ſenſu, & virtute: dicitur enim de pauperibus ſpiritu. *Luc.* 12. Noli timere puſillus grex: complacuit enim patri veſtro dare vobis regnum. Et *Iob* 36. Iudicium pauperibus tribuit. *Tunc cadet* in interitu repentino. *Prou.*26. Contritionem præcedit ſuperbia, ante ruinam exaltabitur: continget enim ei ſicut diuiti pleno. *Luc.* 12. Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te. *Iſa.*14. Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer qui mane oriebaris?

Dixit enim in corde ſuo. Hîc ſecundum, cauſa ruinæ, & eſt duplex. Prima: quia Deum credet ignorantem nequitiæ ſuæ. Secunda: quia credet malignum & iniuſtum, & nolentem iudicare iuſtos, & punire malos, ibi, *Auertit faciem ſuam.* Dicit ergo: Sic cadet, & hoc iuſtum: *quia dixit in corde ſuo: Oblitus eſt Deus*, malorum quæ feci, nec cognoſcet illa vt puniat. *Eccleſ.* 23. Contemnens animam ſuam dixit: Quis me videt? Delictorum meorum Altiſſimus non memorabitur. Sed contra *Eccleſ.*24. Memoria mea in generatione ſæculorum: æquè enim habet memoriam præteriti vt futuri. *Pſal.* Mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna quæ præteriit. Sola enim pœnitentia eſt, quæ Deum peccatorum noſtrorum facit non recordari. *Ezech.* 18. Quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius. 11.

Auertit faciem ſuam ne videat. Quaſi ſic diceret: Præteritorum oblitus eſt, & etiam auertit faciem ſuam, ne videat quæ facio, vel faciam, *in finem*, accuſatiuum pro ablatiuo, id eſt, in fine. In fine, inquam, localiter, ſcilicet in terra, ſed tantum ea quæ fiunt ſuper cœlos, contra illud quod dicitur *Iob* 27. Super omnes cœlos conſiderat, & lumen illius vſque ad terminos terræ. *Prou.* 16. Omnes viæ hominum patent

oculis eius. *Eccleſ.* 23. Oculi Domini multò plus lucidiores ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes.

12. *Exurge Domine.* Hîc eſt ſecundum ſecundæ partis totius Pſalmi. Determinata enim malitia Anti-Chriſti, & oppreſſione bonorum ab eo, ſubiungitur hæc petitio pro liberatione, & diuiditur hæc pars in duas partes. Primò petitio: ſecundò inſinuatur exauditio, ibi, *Deſiderium pauperum*, &c. In prima parte dicuntur duo, ſecundum duo quæ petuntur. Primum eſt pauperum liberatio à poteſtate Anti-Chriſti. Secundùm, contritio ipſius Anti-Chriſti, ibi, *Contere brachium peccatoris.* In prima parte dicuntur tria. Primò enim quaſi dirigit petitionem ad potentiam, vel ad Patrem cui appriatur potentia. Secundò ad ſapientiam, ibi, *Vides tu.* Tertiò ad bonitatem. *Tibi derelictus eſt pauper.* In prima parte dicuntur duo. Primo petitio, ſecundo probatio quod debeat exaudiri. *Propter quod.* In prima aurem tria dicuntur. primo excitatio Patris: ſecundo petitio oſtenſionis potentiæ, & virtutis, ibi, *Et exaltem.* Tertiò, determinatio in quo velit illam oſtendi. *Ne obliuiſcaris.* Dicit enim: Prius erit Anti-Chriſtus, & opprimet bonos, ſed ô tu Deus *ſurge*, quia videris dormire. *Iſa.* 52. Exurge, conſurge, induere fortitudine tua Sion. Sion interpretatur ſpeculum vel ſpecula: Deus enim eſt ſpeculum in quo relucent omnia, & ſpecula quæ perſpicit omnia, & intuetur.

Exurge ad ſuccurſum pauperis, ad quem te ſcio paratum. In *Pſal.* Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus.

Et exaltetur, id eſt, demonſtretur vt appareat omnibus, *manus tua.*, non manus miſecordiæ qua largiris bona, de qua *Bernardus*, Vnam manum Dei dicamus miſericordiam, qua largitur affluenter. *Pſal.* Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. *Prouerb.* 1. Extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Sed manus iuſtitiæ & poteſtatis, qua defendis potenter, ſicut idem Bernardus dicit. *Iſa.* 9. In omnibus his, non eſt auerſus furor eius, ſed manus eius extenta: hanc exalta. *Iſa.* 26. Exaltetur manus tua, vt videant: videant, & confundantur. *Eccleſ.* 36. Alleua manum tuam ſuper gentes alienas, quæ te non exquiſierunt. Et ad hoc exalta, *ne obliuiſcaris pauperum*: ſed erue ab Anti-Chriſto ſuperiùs aſſerente, quia oblitus es eorum. Dixit enim in corde ſuo, Oblitus eſt Deus, &c. *Ne obliuiſcaris* ergo, id eſt, oſtendas quod non obliuiſceris. *Iſa.* 49. Nunquid poteſt obliuiſci mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? Et ſi illa obliuiſcatur, ego non obliuiſcar tui.

13. *Propter quid irritauit.* Hîc probatio quare debet exaudiri: ſumens rationem ex malitia Anti-Chriſti. Primò ſumens rationem ex modo irritandi Deum: ſecundò ex hoc in quo irritauit, ibi, *Dixit enim in corde ſuo.* Dicit ergo: Sic petiui vt liberes, & debes, quia impius, Anti-Chriſtus ſcilicet, qui impius dicitur antonomaſticè, ſicut prius ſæpè dictum eſt, irritauit Deum, te ipſum ſcilicet. Et hoc propter quid? quaſi ſine cauſa & fructu hoc fecit. Et hoc verum eſt, non tantum de capite Anti-Chriſto, ſed de omni membro eius: ſine fructu enim peccatur. *Sap.* 5. Quid enim profuit nobis ſuperbia noſtra, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Ad *Rom.* 6. Quem fructum habuiſtis tunc in iis in quibus nunc erubeſcitis? Proprer hoc exclamat *Ezech.* 18. Quare moriemini domus Iſraël? Filius prodigus non niſi de peccato ſuo famem & inediam reportauit *Luc.* 15. Et verè irritauit: quia *dixit in corde ſuo*, deliberans & ſentiens: *Non requiret* Dominus pauperis ſanguinem, quem affligo: ſed mentietur, quia *Ezech.* 3. dicitur ad prælatum negligentem: Si non annuntiaueris, ipſe impius in iniquitate ſua morietur. Et ego ſanguinem illius de manu tua requiram. Requirit etiam ab homicidis, illos quos occidunt. *Geneſ.* 4. Occiſum Abel ab occidente Cain requiſiuit. Et nono, Sanguinem animarum veſtrarum requiram, de manu cunctarum beſtiarum, & de manu hominis. Requirit etiam non tantum homicidium, ſed & omne malum ad iudicandum, & ad faciendum iudicium. *Mal.* 2. Laborare feciſtis Dominum in ſermonibus veſtris, & dixiſtis: In quo fecimus eum laborare? In eo quod dicitis: Omnis qui facit malum, bonus eſt in conſpectu Dei, & tales ei placent, aut certe vbi eſt dies iudicij?

Vides, quoniam. Hîc ſecundum, in quo dirigitur ſermo ad ſapientiam Dei, oſtendens quod debeat liberare bonos, & malos affligere: vnde dicuntur duo. Primò, quod habet Deus ſapientiam affligendi malos, & liberandi bonos ab ipſis. Sapientiam, inquam, affectatam. Secundò oſtendit cauſam, quare debeat hoc affectare. *Quoniam tu laborem.* Dicit ergo: Sic ô Domine exaltetur potentia, & ô tu ſapientia Dei, *vides*, id eſt, cognoſcis cognitione affectata, vt id eſt, qualiter *tradas eos*, Anti-Chriſtum ſcilicet & complices eius: de quibus ſupra, Sedet in inſidiis cum diuitibus in occultis. *In manus tuas*, in tua potentia ad iudicandum de eis. Vere vides, quia nihil te latet. *Prouerb.* 16. Omnes viæ hominis patent oculis eius. *Iob vltimo*, Scio, quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio. *Ierem.* 17. Ego Dominus ſcrutans corda, & probans renes, qui do vnicuique iuxta viam ſuam, & iuxta fructum adinuentiorum ſuarum. Et hoc iuſtum: quoniam tu *conſideras laborem* afflictionum, & *dolorem* mortis quem intulerunt Sanctis, de quibus ſuprà, *Sub lingua eius labor & dolor.* Vel laborem quem infligunt in corpore, dololorem quem in mente. Vel laborem & dolorem Anti-Chriſti & ſuorum. Laborem quem ſuſtinent alios peruertendo. *Ierem.* 9. Vt iniquè agerent laborauerunt. *Eccleſ.* 10. Labor ſtultorum affliget eos, qui neſciunt in vrbem pergere. *Dolorem* quem habent, quia plures non poſſunt peruertere. *Exod.* 15. Dolores obtinuerunt habitatores Philiſtiim. *Iob* 4. Vidi eos qui operantur iniquitatem, & ſeminant dolores, & metunt eos, flante Deo periiſſe. 14.

Tibi derelictus eſt pauper. Hîc ſermonem dirigit

git ad ſummam bonitatem, allegans defectum duplicem propter quem eſt miſericordia exhibenda. Primò defectum facultatis, ſecundò defectum adiutorij humani. *Orphano.* Dicit ergo:Sic ſumma ſapientia vides quid agendum ſit, ſed tu ô ſumma bonitas, *Tibi derelictus eſt pauper*, humanis facultatibus deſtitutus,& amicis ex conſequenti, *Prouerb.*19. Diuitiæ addunt amicos plurimos, à paupere autem, & hi quos habuit, ſeparantur. Et 1. Fratres hominis pauperis oderunt eum, inſuper & amici procul receſſerunt ab eo. Nota de puero Amalecita 1.*Reg.penult.* qualiter infirmus & pauper derelictus eſt à Domino ſuo, quem poſtea ſuſcepit Dauid. Amalec lingens ſanguinem interpretatur, ſignificat mundum qui libenter lingit peccatum : Dauid manu fortis, ſignificat Chriſtum. Pauperem ergo & infirmum reliquit mundus,& abiit: Chriſtus autem eum ſuſcipit, & de miſeria eripit. *Iob* 36. Eripiet pauperem de anguſtia ſua, & reuelabit in tribulatione aurem eius. *Orphano*, ſcilicet orbato patre, & matre: hic enim orphanus eſt propriè, *tu eris adiutor*, ſi ſecundum proprietatem tuam facis. *Ierem.*49. Relinquam pupillos tuos, & ego faciam eos viuere.*Luc.*12. Nolite timere puſillus grex: complacuit enim Patri veſtro vobis dare regnum. De talibus curat Deus, & eos ſpecialiter Prælatis commendat: vnde ſuper negligentia talium eos reprehendit. *Iſa.* 1. Pupillo non iudicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos. Orphanus etiam ſpecialiter dicitur, cui mortuus eſt Pater, ſcilicet mundus, & mater, ſcilicet concupiſcentia carnalis : de quibus *Ezech.*16. Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Chetæa. Talibus enim dicit *Iſa.*41. Noli timere ſeruus meus Iacob,qui mortui eſtis ex Iſraël, id eſt, quibus mundus & carnalis concupiſcentia mortui ſunt.

Infirmos Deus ſuſcipit cuius rei figuram nota.

15. *Contere brachium.* Hîc ſecundum illius partis, in qua agitur de petitione : petita enim pauperum liberatione ſubiungitur hîc petitio pro contritione potentiæ Anti-Chriſti.Dicit enim: Domine exaltetur manus tua ad pauperem liberandum, & etiam *contere* penitus deſtruendo, *brachium peccatoris*, Anti-Chriſti ſcilicet, qui peccator dicitur in ſe, *& maligni*, eiuſdem in alios peccantis. Vel peccator dicitur propter violentiam, & malignus propter fraudem.Hoc fiet, ſicut dicit *Iob* 38. Aufertur ab impiis lux, & brachium eorum conteretur : & contritione ſubita & vehementi. *Iſa.*30. Subitò, dum non ſperatur veniet contritio eius. Et in eodem, Conteram eum contritione præualidâ, vt non inueniatur de fragmentis eius teſta, &c.

Quatuor Brachij acceptiones.

Et nota, quòd eſt brachium glorioſum, ſcilicet ipſe Chriſtus, de quo *Iſa.*53. Brachium Domini cui reuelatum eſt ? Hoc brachium exaltandum eſt & glorificandum. *Eccleſ.* 38. Glorifica manum & brachium dextrum.Virtus & conſtantia ad bonum faciendum. In *Pſal.* Poſuiſti vt arcum æreum brachia mea. Et hoc appetendum. Brachium etiam dicitur ſæcularis potentia, & corporis fortitudo, in quo non confidendum *Ierem.*17. Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum. Et eſt brachium robur & pertinacia ad faciendum malum, & hoc conterendum, ſicut hîc dicitur. *Iob* 18. Conſumat brachia eius primogenita mors. *Pſal.* Brachia peccatorum conterentur.

Quæretur peccatum illius. Hîc ſecunda pars illius partis, in qua agitur de ſupplicatione. Præmiſſa enim oratione, oſtendit ſe eſſe exauditum Propheta, & pauperes alios ſecum hoc ipſum deprecantes. Et dicuntur quatuor in hac parte. Primò Anti-Chriſti deiectio iuſto Dei iudicio, ſecundò æterna ſublimatio Chriſti, ibi,*Dominus regnabit.*Tertiò membrorum Anti-Chriſti condemnatio. *Peribitis.* Quartò deſiderij Sanctorum adimpletio. *Deſiderium.* In prima dicuntur duo. Primò diſcuſſio factorum Anti-Chriſti. Secundò deſtructio ipſius. *Et non inuenietur.* Dicit ergo ſic : Petiui & exauditus ſum : quia ſcio, quòd *quæretur*, id eſt,diſcutietur, & iudicabitur, *peccatum illius*, quale ſcilicet fuit, & quantum. *Eccleſ. vltimo*, Cuncta quæ fiunt adducet Dominus in iudicium, ſiue bonum fuerit, ſiue malum. Sicut ad Balthazar dictum eſt *Dan.*6. Appenſus es in ſtatera,& inuentus es minus habens. *Quæretur* etiam *peccatum illius*, id eſt,inquiretur de peccato ſuo & malitia, vtrum ſit iuſtis purgandis amplius neceſſaria : vtitur enim malitia malorum Deus tanquam virga ad flagellandum & purgandum bonos, & perdendum malos. *Iſa.*10. Væ Aſſur, virga furoris mei, & baculus indignationis meæ ipſe eſt.

Et non inuenietur. Sic iudicatus, ſic diſcuſſus perdetur : quia etiam in malitia eius nulla vtilitas poterit inueniri. *Iob* 20. Velut ſomnium aduolans non inuenietur, tranſiet ſicut viſio nocturna. *Pſal.* Vidi impium ſupereleuatum & exaltatum ſicut cedros Libani : tranſiui,& ecce non erat : quæſiui, & non eſt inuentus locus eius. Nec mirum : damnabitur enim cum diabolo, qui quaſi nihil, & non ens reputatur. *Iob* 18.Habitent in tabernaculo eius ſocij illius, qui non eſt.*Ezech.*28. Nihili factus es, & non eris in perpetuum.

16. *Dominus regnabit.* Idem eſt. Quaſi ſic diceret : Anti-Chriſtus deiicietur, ſed *Dominus* verus, ſcilicet Chriſtus, *regnabit* apertè ſcilicet & plenè ſine contradictione omni. *In æternum & in ſæculum ſæculi*, huius conſequutiuum quod eſt ſæculum æternum. *Daniel.* 7. Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur,& regnum eius quod non corrumpetur. 1. *ad Corinth.*15, Oportet illum regnare donec ponat inimicos ſuos ſub pedibus ſuis. Vnde notandum, quòd eſt duplex regnum Chriſti. Vnum quo regnat præſentialiter in electis, ſed occultè. *Luc.* 17. Regnum Dei intra vos eſt. Aliud quo regnat cum iam beatificatis, & regnabit cum beatificandis apertè. *Ioan.*18. Regnum meum non eſt de hoc mundo. Propter hoc docet petere vt adueniat regnum apertum ad regnum occultum, & fiat vnum regnum ſicut prius. Quaſi ſic diceret: Chriſtus regnabit, ſed ô vos gentes gentiliter viuentes Anti-Chriſti membra, *peribitis* expulſi *de terra illius*, Domini ſcilicet. De illa, inquam, terra de qua in *Pſal.* Credo videre bona Domini in terra viuentium. Et *Geneſ. penult.* Vidit requiem quod eſſet bona, & terram quod optima. *Prouerb.* 2. Impij de terra perdentur, & qui iniquè agunt, auferentur ex ea.

Chriſti regnum occultũ & apertum.

ea. Quare autem cœlum terra dicatur, dictum eſt *Pſal.*1.

17. *Deſiderium pauperum.* Hîc eſt quartum, ſcilicet pauperum exauditio: & dicuntur duo. Primò exauditio, ſecundò ſpecificatio in exaudiendo, ibi, *Præparationem.* Dicit ergo: Verè *peribitis* ô Gentes cum capite veſtro Anti-Chriſto: quia *Dominus exaudiuit*, exaudire ſemper conſueuit, *deſiderium pauperum*, ſpiritu ſcilicet humilium. *Eccleſ.* 35. Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit. Quid autem ſit illud deſiderium, Dominus non ignorat: quia alibi in *Pſal.* dicitur: Domine ante te omne deſiderium meum. Sed adhuc reſtat quæſtio, quid eſt illud *Prouerb.* 11. Deſiderium iuſti omne bonum, ſed quod bonum? Et dicendum, quòd quintuplex eſt deſiderium iuſti. Primum eſt ſui ipſius diſcuſſio. Secundum, exhibitio miſericordiæ proximo. Tertium, ſollicitudo proficiendi in bono. De his tribus *Mich.*6. Indicabo tibi homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: Vtique facere iudicium, ecce primum: & facere miſericordiam, ecce ſecundum: & ſollicitum te ambulare cum Deo tuo, ecce tertium. Quartum, delectatio in præguſtatione æternorum. *Matth.*17. Petrus præguſtatâ æterna dulcedine ait: Domine bonum eſt nos hîc eſſe: faciamus hîc tria tabernacula. Quintum, obſecratio pro aliorum pace & concordia. 1. *ad Timoth.*2. Obſecro ergo primum omnium fieri obſecrationes, & orationes, poſtulationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus. Et paulò poſt, hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Saluatore noſtro Deo.

Quinque iuſti deſideria.

Præparationem cordis eorum. Quaſi diceret: Non tantum exaudit pauperum deſiderium: ſed & ô tu Domine, *præparationem cordis eorum* ad deſiderandum *audiuit auris tua*, non corporalis quam non habes, ſed ſpiritualis quæ eſt clementia & benignitas tua. *Iſa.* 45. Antequam clament ego exaudiam. Et nota, quòd ſicut plus eſt deſiderare, quam cor præparare, ſic plus eſt exaudire quam audire. Si enim Dominus audit cordis præparationem, exaudit cordis deſiderium & clamorem. Probandum eſt autem cor antequam oret. *Eccleſ.*18. Ante orationem præpara animam tuam. 1. *Reg.*7. Præparate corda veſtra Domino. Et nota, quòd tripliciter cor præparatur. Primò malum deſerendo. Secundò bonum appetendo. *Pſal.* Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Tertiò proponendo concluſionem contra ſe. *Pſal.* Confitebor adueſum me, & tu remiſiſti mihi.

Triplex cordis præparatio.

Iudicare pupillo. Ecce ſecundum, in quo oſtenditur in quo ſunt exauditi pauperes, quia in duobus, in ſui exaltatione, & in perpetua Anti-Chriſti & membrorum eius depreſſione, ibi, *Vt non apponat.* Dicit ergo: Sic pauperum deſiderium audiuit Dominus, quod eſt *iudicare*, id eſt, ad iudicandum, *pupillo & humili*: illi enim iudicatur, qui in iudicio tanquam victor exaltatur. Pupillum autem dicit, ſicut vult Gloſſa, qui ſe huic ſæculo non conformat. Ad *Rom.*12. Nolite conformari huic ſæculo nequam. *Seneca*, Intus omnia ſimilia ſint, extra populo noſtra conueniant. 1. *ad Corinth.*9. Omnibus omnia factus vt omnes lucrifacerem. Et nota, quòd addit *humili*: quia aliunde ipſe contemptus mundi & deſpectus, inanis gloriæ ſuperbiam generat. *Hieronym.* Vide ne eo ipſo appetas gloriam, quo gloriam appetere deſiiſti. *Gregor.* Sub hoſte quem vicit, ſternitur, qui de culpa quam ſuperat, gloriatur. *Seneca*, Nimia humilitas magna ſuperbiæ pars eſt.

Vt non apponat. Quaſi ſic diceret: Sic iudica pupillo & humili vt homo purus deprimatur, *vt non apponat vltra magnificare ſe homo ſuper terram*, iactando, ſuperbiendo. Super terram ſic eſt, quia ſuper cœlos non poſſet. *Eccl.* 10. Quid ſuperbis terra & cinis? Et nota, quòd eſt magnificentia bona & laudabilis, & eſt duplex, quando homo magnificat Deum ſecundum illud, Magnificat anima mea Dominum: & quando Deus magnificat electum. *Iob.* Quid eſt homo quia magnificas eum? Quod facit Dominus dupliciter. Gratiam augmentando. *Geneſ.*19. Magnificaſti gratiam quam feciſti mihi. Et glotiam conferendo. *Sap.vlt.* In omnibus magnificaſti populum tuum & exaltaſti. Ad *Rom.*8. Quos prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit: & quos iuſtificauit, hos & magnificauit. Et eſt mala magnificentia & culpabilis. Primò cum magnificat ſe aliquis in potentia & dignitate. *Zach.*11. Vox vlulatus paſtorum, quia vaſtata eſt magnificentia eorum. Secundò quando magnificat ſe in vita, ſicut faciunt hypocritæ. *Matth.* 23. Dilatant philacteria ſua, & magnificant fimbrias ſuas. Item quando magnificat ſe in malitia, quod peſſimum eſt, de quo hic, & *Danielis* 9. Eleuabitur & magnificabitur aduerſus omnem Deum.

IN DECIMVM PSALMVM.

In finem, Pſalmus Dauid. 1.

2. *Argumentũ Pſalmi, perſecutio Eccleſiæ à domeſticis & hæreticis.*

IN *Domino confido.* Determinatum eſt in antecedenti nono Pſal. de perſequutione bonorum & ipſius Eccleſiæ ab ipſo Anti-Chriſto, qui caput eſt malorum, hîc ſubiungitur de perſequutione facta ipſi Eccleſiæ per eius membra. Complices enim ſui, qui ſuo erunt tempore, quaſi de capite reputantur. Hæc autem quæ à membris, dupliciter eſt: quia vel à Gentibus, vel à Iudæis. De perſequutione autem Eccleſiæ & liberatione à Gentibus in tribus Pſal. hic conſequentibus agitur. *In Domino confido. Saluum me fac.* Et, *Vſquequo.* De perſequutione à Iudæis in quarto qui incipit, *Dixit inſipiens.* Eſt enim triplex malitia, Philoſophorum qui volunt per falſam doctrinam apparere. Eſt eſt malitia quæ fit in peruerſitate vitæ, quæ eſt in hypocritis, & iis qui volunt eminere per vitæ ſanctitatem. Et eſt peruerſitas potentiæ quæ eſt in tyrannis. De terminatione primæ malitiæ & impugnatione agitur in hoc Pſal. De ſecundæ in ſecundo, de tertiæ in tertio.

Tres hoſtes Eccleſiæ.

Titulus autem præparatus huic Pſalmo ſatis indicat intentionem Pſalmiſtæ. Eſt enim talis: *In finem, Pſalmus Dauid*, id eſt, hic Pſal. eſt Dauid, vt Auctoris, ordinans nos, *in finem*, id eſt, in Chriſtum, ne ab hæreticis ſeducti deuiemus. Et patet ordo: quia cum actum ſit de malitia capitis, & cohibitione malitiæ, hic agitur de malitia membro

membrorum, & cohibitione malitiæ illorum. Ex quo etiam patet, quòd Pſalmus iſte diuiditur in duas partes. Primò enim agitur de malitia & impugnatione. Secundò ſubiungitur de cohibitione malitiæ, ibi, *Iuſtus autem quid fecit?* In prima duo dicuntur. Primò hæreticorum increpatio, quia credunt hæretici iuſtos de Deo diffidere. Secundò aperta ſua monitione, ad hæreſim eorum tranſire. *Quomodo dicitis?*

Dicit ergo ſic: *In Domino confido:* non diffido de eo, ſicut vos hæretici creditis: nec mirum, concurrunt enim omnia propter quæ confidendum. Miſericors enim eſt. *Pſal.* Miſericors & miſerator Dominus. Potens eſt. *Pſal.* Omnia quæcumque voluit Dominus fecit. Ad *Roman.* 8. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Verax eſt. *Pſal.* Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis. *Deuter.*31. Deus fidelis & abſque vlla iniquitate. Conſolator in tribulatione. 2. *ad Corinth.* 1. Qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. Et tandem liberator. *Pſal.* Multæ tribulationes iuſtorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus. Propter hoc confido. Scio enim quod ſcriptum eſt *Ierem.* 17. Beatus vir qui confidit in Domino: & erit Dominus fiducia eius. Vnde non poteritis hinc peruertere. *Sap.* 3. Qui confidunt in Domino, intelligunt veritatem. *Dan.*3. Non eſt confuſio confidentibus in eum.

Quomodo. Quaſi diceret: Sic confido, *quomodo* ergo *dicitis animæ meæ*, id eſt, mihi animam meam intendentes decipere: *Tranſmigra* de fide & vnitate Eccleſiæ in qua tu es, *in montem*, id eſt, in Chriſtum, qui apud nos, velut in vitæ altitudinem & ſcientiæ, quæ apud nos eſt. *Sicut paſſer.* Quaſi dicetet: Quod faciendo ero ſicut paſſer, leuis & inſtabilis. Hæretici enim ſuadent ſimplicibus tranſire ad ſuam ſectam, quam dicunt montem. Et mons eſt ille de quo *Iſa.* 14. Super montem caliginoſum leuate ſignum. *Ierem.*13. Antequam aſcendant pedes mei ad montes caliginoſos. Qui ſic tranſmigrat, leuis eſt ſicut auis. *Oſeæ* 11. Ephraim ſicut auis auolauit: dimittit enim nidum ſuum, Eccleſiæ ſcilicet vnitatem in qua fouetur & nutritur. *Iſa.* 16. Et erit ſicut auis fugiens, & pulli auolantes de nido ſuo. Vel poteſt intelligi, vt ſit verbum hæreticorum adulantium illi quem volunt decipere. Quaſi dicerent: Tu qui es paſſer, tranſmigra pennatus virtutibus & præceptis diuinis. Ad *Roman.* 16. Per benedictiones & dulces ſermones ſeducunt corda innocentium. Paſſerem autem dicunt iuſtum, & bene dicunt, quamuis mala intentione. Paſſer laborem pœnitentiæ notat: dicitur enim à patiendo. *Leuit.* 13. Sanguine paſſeris mundabitur infirmus leproſus. Item in quo notatur humilitas. *Matth.*10. Nonne duo paſſeres aſſe væneunt, & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro? Item pullificat, in quo notatur fœcunditas. *Pſal.* Paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi vbi ponat pullos ſuos. Item ſolitarius eſt, in quo notatur quies mentis. *Pſal.* Sicut paſſer ſolitarius in tecto.

D. Alb. Mag. Commen. in Pſal.

Quoniam ecce peccatores. Hîc ſecundum eſt, in quo poſita increpatione hæreticorum, oſtenditur quòd verè increpandi. Et eſt in hoc etiam fidelium inſtructio, & dicuntur duo. Primò bonorum ſubuerſio quantum poſſunt. Secundò probatio quod ita eſt, ibi, *Quoniam quæ tu perfeciſti.* In prima tria. Primò conuerſio ſcripturarum ad ſenſum ſuum. Secundò deliberatio peruerſa. *Parauerunt.* Et tertiò finis & intentio. *Vt ſagittent.* Ait ergo: Sic increpo hæreticos, & digni ſunt. *Quoniam ecce*, in aperto eſt, *peccatores*, hæretici, qui peccatores dicuntur antonomaſticè, *intenderunt arcum*, id eſt, ſacram Scripturam expoſuerunt. Sic quod contra ſe, quod eſt intendere. Hic eſt arcus de quo ſupra, *Tetendit arcum ſuum & parauit illum.* Sed illi contra ſe, quia cum Scripturas peruersè exponunt, ſeipſos primò interficiunt. *Oſeæ* 7. Facti ſunt quaſi arcus doloſus, qui percutit ipſum qui ex ipſo iacit. 3.

Parauerunt ſagittas ſuas, id eſt, parauerunt & congregauerunt mortiferas ſententias, *in pharetra*, in ipſo corde & intelligentia ſua, vel magis in lingua. Vnde promptius eas extrahere potuerunt. *Ierem.* 9. Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum loquuta eſt. *Ierem.*5. Pharetra illius quaſi ſepulchrum patens.

Vt ſagittent. Ecce finis, *rectos corde*, amatores Dei. *Cant.*1. Recti diligunt te. *In obſcuro* in dubiis ſcilicet & obſcuris ſententiis. *Prouerb.* 7. In obſcuro adueſperaſcente die, tunc mulier occurrit iuueni vt decipiat. Mulier illa hæreſis fallax & blanda. Vel in obſcura luna ſecundum aliam literam, id eſt, obſcurata militante Eccleſia. *Cant.*6. Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto pulchra vt luna? *Abac.*3. Sol, Chriſtus, & luna, Eccleſia, ſteterunt in habitaculo ſuo. Hæc obſcuratur quando terrena cupiditas, ſcilicet terrenorum, interponit ſe inter ipſam, & ipſum ſolem verum. *Iſa.*49. Peccata veſtra diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum. Et nota, quòd eſt ſagitta bona, infirmitas à Deo immiſſa de arcu iuſtitiæ. *Iob* 6. Sagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum. Melior, diuinæ Scripturæ ſententia à Deo de arcu ſacræ Scripturæ immiſſa. Suprà in *Pſal.* Sagittas ſuas ardentibus effecit. Sed optima, conſolatio diuina immiſſa de arcu miſericordiæ. *Pſal.* Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatoriis. Sagitta autem mala peruerſa ſententia emiſſa de arcu hæreticæ fraudulentiæ, de qua hîc. *Tres Dei ſagittæ, afflictio, Scriptura, conſolatio.*

Quoniam quæ perfeciſti deſtruxerunt. Hîc ſecundum, manifeſtatio quòd verè peruertunt, & eſt quaſi expoſitio præcedentis. Quaſi ſic diceret: Dixi, quòd intenderunt arcum vt rectos ſagittent. Et verè: quoniam ô tu Domine, ipſi *deſtruxerunt*, peruersè exponendo, *quæ tu perfeciſti*, Scripturas ſcilicet, quas perfectè tradi feciſti. Fuerunt enim Scripturæ quaſi initiatæ in Moyſe, profecerunt in Prophetis, conſummatæ verò ſunt & perfectæ in Chriſto & Apoſtolis. *Matth.*5. Non veni ſoluere legem, ſed adimplere. *Iſa.* 10. Conſummationem & abbreuiationem faciet Dominus ſuper terram. 4. *Progreſſus Scripturæ.*

vel quas perfeciſti opere adimplendo. *Act.*1. Cœpit IESVS facere, & docere. *Matth.* 8. Factum eſt cum conſummaſſet IESVS verba hæc. Vel *perfeciſti*, id eſt, ad perficiendum hominem edidiſti. 2. ad *Timoth.* 3. Omnis Scriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus. *Iudith.*7. Holophernes præcepit deſtrui conductum aquæ, qui Bethuliam influebat. Vel *quæ perfeciſti deſtruxerunt*, homines ſcilicet, quaſi perfectos in vita deſtruxerunt ex peruerſa doctrina. *Eccleſ.*28. Lingua tertia multos commouit, ſcilicet lingua hæretica, & diſperſit illos de gente in gentem.

Iuſtus autem quid fecit? Hîc eſt ſecunda pars totius Pſalmi, in qua agitur de liberatione fidelium ab impugnatione hæreticorum, & dicuntur duo. Primò interrogatio quid facturus ſit Chriſtus contra tales: ſecundò ſoluit quod quæſiuit, ibi, *Dominus in templo.* Dicit ergo: Sic hæretici impugnant Eccleſiam ſponſam iuſti, Chriſti ſcilicet. Et propter hoc quæro ſicut illi, *Iuſtus autem*, Chriſtus ſcilicet, *quid fecit?* Præteritum pro futuro, id eſt, *quid faciet?* Iuſtus autem dicitur Chriſtus antonomaſticè. *Ierem.* 13. Et vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter. Et hoc iuſtum eſt, competit enim ei iuſti deſcriptio. *Prouerb.*12. Qui negligit damnum propter amicum, iuſtus eſt: imò eſſentialiter iuſtus, eſt ipſa etiam iuſtitia. 1. ad *Corinth.*1. Qui factus eſt nobis ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.

5. *Dominus in templo.* Ecce ſecundum, ſcilicet reſponſio quæſtionis prius factæ, & dicuntur tria. Primò oſtenditur in Chriſto aptitudo ad puniendum: ſecundò meritum & afflictio hæreticorum, ibi, *Qui autem diligit iniquitatem.* Tertium debitum & cauſa punientis eos. *Quoniam iuſtus Dominus.* In parte prima tanguntur tria ſecundum tria quæ concurrunt ad aptitudinem puniendi, & iudicandi. Primum eſt ſublimitas & potentia: ſecundum, ſapientia. *Oculi eius in pauperem reſpiciunt.* Tertium, æquitas & rectitudo quæ pertinet ad bonitatem, ibi, *Dominus interrogat.* In prima duo ſecundum duplicem modum poteſtatiuè dominandi quam oſtendit in Deo. Primò: quia dominatur in Eccleſia militante. Secundò: quia in triumphante. *Dominus in cœlo.* Dicit ergo: Sic quærit de iuſto, qnid facit? Reſpondeo: *Dominus in templo ſancto ſuo*, Eccleſia ſcilicet militante dominatur & regnat. 1. ad *Corinth.* 3. Si quis templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt quod eſtis vos. Hæc autem dominatio ſuper Eccleſiam militantem oſtenſa eſt vbi Dominus facto flagello de funiculis vendentes & ementes eiecit de templo tanquam Dominus. Templo autem emoparatur Eccleſia multiplici ratione. Pirmò: quia locus eſt venerationis diuinæ, & in quo adoratur Deus. *Pſal.* Adorabo ad templum ſanctum tuum. *Ioan.*4. Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. Item ratione orationis: in hac enim tantum valet oratio. *Iſa.* 56. Lætificabo eos in domo orationis meæ. Et in eodem, Domus mea, Domus orationis vocabitur. Item ratione immolationis, ſicut enim in templo antiquitus, ſic in Eccleſia modò ſacrificatur & immolatur ſacrificium duplex: contriti cordis, de quo *Pſal.* Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. Et hoc duplex: proprij per pœnitentiam. Ad *Rom.*12. Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuam, ſanctam, &c. Corporis Chriſti per Paſſionis repræſentationem. *Deuter.*12. Caue ne offeras holocauſtum tuum, ſcilicet incenſum corpus Chriſti diuinitate plenum, in omni loco: ſed in loco quem eligit Dominus. Item ratione ſignationis & diſtinctionis. Templum enim diſtinctum erat à communibus domibus. Et ſuper templa noſtra etiam ponitur crux. Et ſuper ſpirituale quod eſt Eccleſia, Chriſtus paſſus. *Cantic. vlt.* Pone me ſicut ſignaculum ſuper cor tuum, & ſuper brachium tuum.

Cur Eccleſia dicitur templum.

Dominus in cœlo, non tantum in Eccleſia militante, quæ per templum, ſed & *Dominus*, præponitur vt locum habeat ſequens relatio, & potentia exprimatur, *ſedes eius in cœlo eſt*, & in cœlo dominatur. *Iſa. vlt.* Cœlum mihi ſedes eſt, & terra ſcabellum pedum meorum. Et *Pſal.* Parauit in cœlo ſedem ſuam. Si autem quæritur, quare non tantum dicitur dominari in cœlo, ſed etiam ſedem habere: in templo autem dominari tantum, non ſedem habere? Reſponſio eſt, quòd in Eccleſia triumphante veraciter ſedet & quieſcit: quia nunquam aliqua tentatione expellitur à ſanctis animabus, & Angelis in gratia confirmatis. Illa ergo congregatio bonorum eſt thronus eburneus candidiſſimus, in illo throno figuratus, quem ſibi fecit Salomon de ebore grandem. 3. *Reg.* 10. Sed in Eccleſia adhuc militante magis ambulare dicendus eſt, quam ſedere. Modò enim venit per gratiam, modò abit per culpam. *Ioan.* 14. Vado & venio ad vos. Quod ſignificatum fuit *Geneſ.* 3. vbi legitur Adam poſt peccatum audiuiſſe Dominum deambulantem in paradiſo, non vidiſſe ſedentem.

Immobilitas beatitudinis.

Oculi eius. Hîc ſecundum in quo monſtratur Dei ſapientia. Primò comparatione ad bonos: ſecundò comparatione ad malos. *Et palpebræ.* Dicit ergo: Sic potens eſt in vtraque Eccleſia, & cognoſcens per ſapientiam ſuam, quæ fiunt in hac militante, & infima: quia *oculi eius in pauperem* ſpiritu & humilem *reſpiciunt. Pſal.* Oculi Domini ſuper iuſtos. Et *Eccleſiaſt.*15. Oculi Domini ad timentes eum: & ſuper omnia opera hominis. *Prouerb.* 16. Omnes viæ hominum patent oculis eius. Nec tantum oculis cognitionis ſimplicis, ſed cognitionis approbantis qui habent multum admixtum de miſericordia. Hi ſunt oculi flammei, de quibus *Apocalypſ.* 1. Oculi eius ſicut flamma ignis *Sapient.*4. Et reſpectus in electos illius. Et in *Pſal.* dicit iuſto, In via hac qua gradieris, firmabo ſuper te oculos meos.

Palpebræ eius. Quaſi ſi diceret: Iuſtorum merita videt, & promouet, & accendit, & etiam demerita malorum: quia *palpebræ eius*, eius ſcilicet iudicia, *interrogant*, id eſt interrogauerunt *filios hominum*, ſcilicet peccatores. Palpebræ autem dicuntur Dei iudicia: quia ſicut palpebræ apertæ ſunt nobis, & modò occultæ:

occultæ: ſic Dei iudicia pro parte nobis aperta ſunt, & pro parte occulta. Præterea in nobis ſignificant palpebræ iudicia. *Prouerb.4.* Palpebræ duæ præcedant greſſus tuos. *Prou.6.* Ne dederis ſomnum oculis tuis, & ne dormitent palpebræ tuæ. Hæc ergo iudicia interrogabunt impios ſecundum illud *Sapient.1.* In cogitationibus impij interrogatio erit. *Sap. 6.* Interrogabit omnia opera noſtra, & cogitationes ſcrutabitur. Hæc autem interrogatio non eſt dubitatio ex parte Dei, ſed manifeſtatio malorum & impiorum, qui dicuntur filij hominum, quia imitatores primorum parentum. Supra in *Pſal.* Filij hominum vſquequo graui corde, vt quid diligitis? & c. Et in alio. Sciant gentes quoniam homines ſunt. Palpebræ etiam ſecundum Gloſſam dicuntur duo Teſtamenta: quia ſicut palpebræ ſunt coniuncta: & aliquando aperiuntur, & clauduntur nobis ſicut illæ.

Palpebræ ergo *interrogant filios hominum*: quia diuina ſapientia in Scripturis noſtram arguit fœditatem, & maculam. Speculum arguit habentem in fœditate maculam, quod ſignificatum fuit *Exod.* 38. Vbi legitur feciſſe Moyſem mare æneum de ſpeculis mulierum. *Iacob.* 1. Si quis eſt auditor verbi, & non factor, hic comparabitur viro conſideranti faciem ſuam in ſpeculo: conſiderauit enim ſe & abiit, &c.

6. *Dominus interrogat.* Ecce tertium, ſcilicet rectitudo quæ pertinet ad bonitatem iudicantis. Ait enim ſic: Potens eſt & ſapiens, ſed eſt rectus & æquus: quia *Dominus interrogat*, id eſt, diſtinguit, & diſcernit, & appendit *iuſtum & impium*, opera ſcilicet iuſti & impij: hæc enim interrogatio nihil aliud eſt, quàm meritorum diſtinctio. *Sap.11.* Hos quidem tanquam pater monens probaſti, ſcilicet bonos. Illos autem tanquam Rex iuſtus, durus, interrogans condemnaſti, ſcilicet impios. Ad *Coloſſ.3.* Non eſt apud Deum perſonarum acceptio, quin æquo iudicio iuſtum iudicet, & iniuſtum. 10. *Act.* Non eſt perſonarum acceptor Deus.

Qui autem diligit iniquitatem. Hìc ſecundum quod pertinet ad reſponſionem, ſcilicet demeritum & afflictio malorum, hæreticorum ſcilicet: & tanguntur tria. Primò demeritum malorum: ſecundò obligatio eorum ad pœnam. *Pluet.* Tertiò quod conſequens eſt ex iis duobus, pœna ſcilicet, *ignis & ſulphur.* Dicit ergo: Talis iuſtus potens ſapiens & rectus, ſed *qui diligit iniquitatem*, in affectu, non tantum qui qui exercet in actu, *odit animam ſuam.* Ex conſequenti appellat iniquitatem peccatum generaliter, ſicut 1. *Ioan.3.* Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum iniquitas eſt. Verè autem odit: quia bonis gratuitis eam ſpoliat & in naturalibus vulnerat, ſicut ſignificatum eſt *Luc.* 10. in illo qui incidit in latrones, & ſpoliatus, & vulneratus eſt. *Sap.16.* Homo occidit per malitiam animam ſuam. Si autem obiiciatur illud, Nemo ad malum reſpiciens agit, quæ agit, & ſic nullus, vt videtur, peccatum diligit. Reſpondendum, quòd in peccato duo ſunt, delectatio & deformitas, & hæc valde coniuncta ſunt. Peccator ergo quia delectationem diligit in ipſa creatura, deformitatem ei adhærentem diligere dicitur quaſi ex conſequenti.

Pluet. Hìc ſecundum, in quo monſtratur obligatio iniquorum ad pœnam, & obligatio multa valde. Dicit enim: Sic peccator animam ſuam odit, & vere, quia *Dominus pluet laqueos*, id eſt, obligationes ad pœnam, *ſuper peccatores.* Pluere autem dicitur Dominus, non agendo, ſed permittendo, & etiam ordinando, ſic vt quicumque peccauerit, eo ipſo obliget ſe ad pœnam. Hic eſt laqueus abſconditus ſub delectatione peccati. *Pſal.* In via hac qua ambulabam, abſconderunt laqueum mihi. Et bene dicitur pluere, vt abundantia denotetur: non enim peccatores vnica obligatione ſe obligant ad gehennam, ſed multiplici: ſic pluere notat abundantiam. *Geneſ.19.* Pluit Dominus ſuper Sodomam & Gomorrham, &c. Et in *Iob* 20. Vtinam impleatur venter eius, & immittat in eum iram furoris ſui, & pluat ſuper eum bellum. In hoc autem quod dicitur, *Super*, oppreſſio & inclinatio ad infima denotatur. *Iſa* 46. Onera veſtra graui pondere vſque ad laſſitudinem contabuerunt, id eſt, contabeſcere fecerunt. *Iſa.24.* Formido & fouea & laqueus ſuper te, qui habitator es terræ. Secundum Gloſſam laqueus appellatur hìc illaqueans, de quo laqueo. *Amos 5.* Audite Sacerdotes quia vobis eſt iudicium, quia facti eſtis laqueus ſpeculationi. *Eccleſ.vlt.* A laqueo linguæ iniquæ, & à labiis operantium mendacium. Quales laqueos Deus pluit, id eſt, pluere permittit de nubibus, malis, hæreticis ſcilicet, & Pſeudo-prophetis, de quibus Iudas in Canonica. Hi ſunt nubes ſine aqua quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, &c. Et ſic per hoc quod dictum eſt, *Qui diligit iniquitatem*, notatur omne demeritum quoad mores: hic autem quoad fidem.

7.

Multiplex obligatio peccati ad pœnam.

Ignis, ſulphur. Ecce tertium: tacto enim demerito & obligatione ad pœnam, ſubiungitur pœna, & tangitur triplex pœna reſpondens triplici radici peccatorum, de qua 1. *Ioan.* 2. Quicquid eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ. Ait enim: Sic iniquitatem dilexerunt, & ad pœnam obligati ſunt. Ergo ignis gehennæ, de quo *Iob* 20. Deuorabit eos ignis qui non ſuccenditur. Et *Deut.* 32. Ignis ſuccenſus eſt in furore meo & ardebit vſque ad inferni nouiſſima: contra ignem cupiditatis, de quo *Prouerb.* 30. Ignis nunquam dicit, Sufficit. Sulphur fœtidum, de quo *Iſa.34.* Conuertentur torrentes eorum in picem, & humus eorum in ſulphur. De vtroque, ſcilicet igne & ſulphure. *Apoc.* 20. Quicumque acceperunt characterem beſtiæ, miſſi ſunt in ſtagnum ignis & ſulphuris: & hoc contra fœtorem luxuriæ, de quo *Amos* 4. Accendere feci fœtorem caſtrorum veſtrorum, ferè dixiſſet corporum, vſque ad nares veſtras. *Spiritus procellarum*, id eſt, ventus procelloſus, contra ventum ſuperbiæ & elationis. *Ierem.22.* Ecce turbo Domini indignationis egreditur, & procella ruens ſuper capita impiorum. Hæc, inquam, erunt *pars calicis eorum.* Dicuntur autem pœnæ reproborum, *Pars.* Quia diuidentur à bonis in iudicio, illis pro parte accipientibus bona, iſtis mala. Et *calicis*: quia pœnæ

infligentur eis in menſura. *Iſa.*27. In menſura contra menſuram, cum abiecta fuerit, iudicabis eam. Propter hoc etiam dicit iuſtus: Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei. Pars etiam calicis hæc dicuntur: quia non erunt hæc tota pœna damnatorum, ſed pars tantum. Erit in inferno gelu vel nix. *Iob* 24. Tranſierunt ab aquis niuium ad calorem nimium. Erunt vermes. *Iſa. vlt.* Vermis eorum non morietur. Erunt tenebræ & laquei. *Matth.*22. Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores. Erunt flagella. *Pſal.* Multa flagella peccatoris. Erit laruarum terror. *Sapient.*17. Perſonæ triſtes illis apparentes pauorem illis præſtabunt. Verſus.

Flamma, gelu, fœtor, vermes, caligo, flagella,
Laruarum terror, laquei, mentiſque procella,
Hæc tibi pro pœna ſeruat ſine fine gehenna.

Ecce miſerabilis calix, & vere calix furoris Domini. *Ierem.*25. Sume calicem vini furoris Domini, & propinabis de illo cunctis gentibus, &c. Babylon venit in memoriam ante Deum: date illi calicem indignationis eius. Gloſſa ignem refert ad cupiditatem inpræſenti: fœtorem appellat horrorem mali, quem habent Deus & eius Sancti: ſpiritum procellæ, malorum ſeparationem à bonis in die iudicij.

8. *Quoniam iuſtus Dominus & iuſtitias dilexit.* Hic eſt tertia pars, in qua datur reſponſio: oſtenſa enim aptitudine puniendi ex parte iuſti, & punitione ex parte impiorum, ſubiungitur cauſa & ratio puniendi malos, quæ eſt diuina iuſtitia, & dicuntur duo. Primò pro cauſa ponitur diuina iuſtitia: ſecundò oſtenditur, quòd ſit miſericordiæ permixta. *Æquitatem.* Duplex etiam iuſtitia tangitur, in effectu, poſtmodum in affectu. *Et iuſtitias dilexit.* Ait ergo: Sic punientur mali & hoc fiet, *quoniam Dominus iuſtus* eſt. Alibi in *Pſal.* Iuſtus Dominus in omnibus viis ſuis. *Ierem.*23. Hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter. *Zachar.*9. Ecce Rex tuus venit iuſtus & Saluator. Nec tantum in effectu, imò *iuſtitias dilexit* in affectu. Iuſtitias, inquam, creatas iuſtorum hominum. Nec mirum eſt ſi iuſtitias dilexit & diligit, quia eas animabus infudit, & ſuæ ſunt: vnde tanquam ſuas diligere debet illas. *Prouerb.* 8. Meæ ſunt diuitiæ & gloria, opes ſuperbæ & iuſtitia. Et per hoc etiam diligit iuſtos ipſos tanquam ſimiles ſibi. *Eccleſ.*13. Omne animal diligit ſimile ſibi.

Æquitatem vidit vultus eius. Quaſi diceret: Iuſtus eſt & iuſtitiam dilexit, ſic tamen quod æquitatem, hoc eſt, iuſtitiam miſericordiæ mixtam *vidit* viſione approbationis *vultus eius*, ſcilicet beneplacitum voluntatis illius. Alia litera, *Æquitas viſa eſt in facie eius:* ſonat enim vultuoſitas in terrorem, vt ibi: Vultus autem Domini ſuper facientes mala. E contrario dicitur de iniquitate *Abac.*1. Mundi ſunt oculi tui, & ad iniquitatem reſpicere non poteris. Nota, quòd Gloſſa breuiter totum legit de Chriſto.

IN VNDECIMVM PSALMVM.

Pſalmus Dauid pro octaua. 1.

Argumentũ Pſalmi de perſecutione hypocritarũ pro octaua, id eſt, die iudicij, quo debet Eccleſia liberari.

2. S*Aluum me fac Domine.* Sicut ſuperius dictum eſt, cum in antecedenti Pſalmo determinatum ſit de liberatione Eccleſiæ ab impugnatione hæreticorum, in hoc agitur conſequenter de liberatione Eccleſiæ ab impugnatione hypocritarum impugnantium eam ſub apparentia ſanctitatis: Vnde primum ſuper id, Diſperdat Dominus vniuerſa labia doloſa, Gloſſa: Hi ſunt hypocritæ habentes ſpeciem bonitatis in ſermone ad decipiendum homines. Et præponitur titulus huic Pſalmo, qualis & ſexto: *Pſalmus Dauid pro octaua.* Octaua autem, ſicut ſuperius dictum eſt, dies iudicij appellatur: ſed alia ratione ibi dicitur *pro octaua*, & alia ratione hîc. Ibi enim dicebatur Pſalmus pro octaua, quia penitus timore iudicij diuini concuſſus petebat hîc affligi, vt in octaua ſecurus eſſet: hic autem Pſalmus Dauid dicitur pro octaua, quia petit Eccleſiam plenè liberari ab hypocritis, quod fiet in octaua, nihil iam timens ſibi pro ſe, quia iam purgata eſt pœnitentia & perfecta. Cætera de titulo exponantur ſicut ſuprà.

Diuiditur autem Pſalmus iſte in duas partes. Primò petitur liberatio ab hypocritis. Secundò ſubiungitur exauditio petitionis, ibi, *Propter miſeriam inopum.* Prima pars diuiditur in duas partes. Primò petitur liberatio ab hypocritis: ſecundò ipſorum pœna & afflictio, ibi, *Diſperdat Dominus.* In prima duo. Primò petit, ſecundò oſtendit quam neceſſe ſit quod petit. *Quoniam defecit Sanctus.* Dicit ergo: Sic liberatus ſum, dicit iuſtus in perſona totius Eccleſiæ, ab hæreticis, ſed ô *Domine ſaluum me fac*, qui hoc potes ſolus. *Iſa.*45. Non eſt Deus ſaluans præter me. In eodem, Non eſt Deus ſaluator abſque me.

Saluum me fac, quoniam nouiſti ſaluare tuos, & eripere. 1. *Pet.*2. Nouit Dominus bonos de tentatione eripere, iniquos vero in die iudicij reſeruare cruciandos. *Saluum me fac*, etiam qui vis me ſaluare. 1. ad *Timoth.*1. Chriſtus IESVS venit in mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum. Et in ſecundo, Omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

Quoniam defecit Sanctus. Hîc ratio & cauſa & neceſſitas petitionis ſuæ, ſcilicet malitia hypocritarum, & comprehenditur in duobus. Primò in defectu boni, ſecundò in effectu mali conſequente ex illo defectu. *Vana loquuti ſunt.* Defectus autem duplex tangitur. Primo ſanctitatatis tantum ad affectum, ſecundo veritatis quantum ad intellectum. Dicit ergo ſic: *Saluum me fac Domine.* Et neceſſe eſt, quòd des quod peto, *quoniam defecit Sanctus*, habens affectum ſine terrâ. *Micha.*6. Periit Sanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt, ſed omnes immundi ſunt. *Iſa.*44. Facti ſumus vt immundi omnes nos & corrupti. *Pſal.* Corrupti ſunt & abominabiles. De hoc defectu conquerebatur Elias 3. *Reg.*19. Domine altaria tua ſuffoderunt, & Prophetas tuos occiderunt, & relictus ſum ego ſolus.

Quoniam

Veritas triplex, vita, doctrinæ, & iuſtitiæ diminuta per triplicem errorem.

Quoniam diminutæ ſunt veritates, non à ſeipſis, ſed *à filiis hominum*: bona enim Dei per culpas hominum deprauantur, & diminuuntur. Sed quærendum cùm de ſanctitate ſingulariter ſit loquutus, quare de veritate loquitur in plurali, Quoniam diminutæ veritates? ſed eſt reſponſio, quòd ſanctitas vna eſt, veritas autem multiplex, & non vna. Veritas, dico, increata, illa eſt vna, de qua dicitur *Ioan.*13. Ego ſuum via, veritas, & vita. Creata autem triplex eſt. Vitæ, de qua dicitur *Iſa.* 38. Memento quomodo ambulauerim coram te in veritate. Doctrinæ, de qua *Matth.* 22. Magiſter ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces. Et iuſtitiæ, de qua *Exod.*18. Prouide de cuncta plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas. Sed hæc triplex veritas diminuitur per errorem triplicem. Veritas doctrinæ, quando lux tenebræ: veritas vero iuſtitiæ, quando amarum dulce & dulce amarum. *Iſa.*5. Væ qui dicitis bonum malum, contra veritatem vitæ, ponentes lucem in tenebras, contra veritatem doctrinæ, & amarum in dulce, & dulce in amarum, contra veritatem iuſtitiæ. Amaritudo enim magna eſt ei, qui iuſtitiam habet, quando fit ei iniuſtitia. *Amos* 6. Conuertiſtis in amaritudinem iudicium, & fructum iuſtitiæ in abſinthium. Propter hoc dicitur *Oſeæ* 4. Non eſt veritas, non eſt miſericordia, non eſt ſcientia Dei in terra. Et nota, quòd dicitur deficere ſanctitas: ipſa enim per gratiam eſt, & à Deo: & propter hoc ſtatim deficit multiplicato peccato: ſed veritas quæ naturalis eſt, diminuitur ſucceſſiuè.

3. *Vana loquuti ſunt.* Hîc tangitur duplex effectus ſequens ex dicto duplici defectu. Vnus eſt loquutio vana, quæ cauſatur ex defectu ſanctitatis: alius loquutio doloſa, quæ cauſatur ex defectu veritatis. Ait ergo: Sic Sanctus defecit, & hoc oſtenditur: quia *vana loquuti ſunt vnuſquiſque ad proximum ſuum*: quod oſtendit mentis vanitatem *Gregor.* Sermo vanus, vanæ mentis eſt nuntius. Vana etiam loquuti ſunt, quia de vanis & tranſitoriis. *Iſa.*29. Et erit quaſi Pythonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuum muſſitabit. *Iob* 27. Quid ſine cauſa vana loquimini? 1.*ad Timoth.*1. Quidam aberrantes conuerſi ſunt in vaniloquium.

Labia doloſa. Quaſi diceret: Non ſolum vani ſunt in loquendo, ſed etiam quia veritates diminutæ ſunt. *Labia doloſa.* Emphraſis eſt, id eſt, habentes labia doloſa, garruli ſcilicet, & oblatrantes, *loquuti ſunt in corde, & corde*, hoc eſt, *in corde* vnum prætendente per labia, *& corde* contrarium intùs renuente. *Eccleſ.* 2. Væ duplici corde, & labiis ſceleſtis, & peccatori ingredienti, &c. *Iacob.*1. Vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis. Propter hoc dicitur *Ierem.* 9. Vnuſquiſque à proximo ſuo ſe cuſtodiat, & in fratre ſuo non habeat fiduciam: quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet.

4. *Diſperdat Dominus.* Hîc ſecundum, in quo petita liberatione ab hypocritis, ſubiungitur petitio de pœna eorum & afflictione. Et primò petit pœnam reſpondentem ſecundo effectui: ſecundò reſpondentem primo: *Et linguam.* Dicit ergo: Sic loquuntur in corde duplici, ſed peto quod *Dominus diſperdat vniuerſa labia doloſa*, hoc eſt, vniuerſos doloſos in labiis, quod & faciet. *Sopho.* 3. Non inuenietur lingua doloſa. Ratio autem quare deſtruit: quia odit. *Prouerb.*12. Abominatio Domino labia doloſa. *Iſa.*37. Ponam circulum in naribus tuis, & frænum in labiis tuis.

Et linguam. Ecce ſecundum, & dicuntur duo. Primò eorum pœna & afflictio ſecundum duplicem rationem: ſecundò afflictionis ratio, ibi, *Qui dixerunt.* Dicit ergo ſic: Diſperdat duplices, ſed & vanos, & iactantes ſe, ſcilicet *linguam magniloquam*, magna ſcilicet de ſe loquentem: contra illud 1. *Reg.* 2. Nolite loqui ſublimia gloriantes *Prouerb.* 27. Laudet te alienus, & non os tuum. Super hoc enim arguuntur. *Matth.* 23. Dilatant phylacteria ſua, & magnificant fimbrias. Hi ſunt hypocritæ, ſicut dicit Gloſſa. *Bernardus*, Monſtruoſa res eſt gradus ſummus, animus infimus: ſedes prima, vita vana, lingua magniloqua, & manus otioſa: vultus grauis, & leuis ſermo: vultus formoſus, & fructus nullus: ingens authoritas, nutans ſtabilitas. Et rurſus, Super oleum blanda verba, vilis cibus, humilis habitus, ſagena hypocritæ. Talis linguæ duplex eſt pœna. Primò auferetur de terra. Vltimo *Sophon.* Auferam de medio tui magniloquos ſuperbiæ. Ablata perdetur & damnabitur; ſicut hîc dicitur, *Diſperdat linguam magniloquam.* Perdita deſolabitur. *Iſa.*11. Deſolabit Dominus linguam maris Ægypti. Deſolata ligabitur. *Iob* 40. Nunquid ligabit fune linguam eius? Ligata manducabitur. *Apoc.* 16. Commanducauerunt linguas ſuas præ dolore.

Qui dixerunt. Ecce ratio diſperdendi linguam magniloquam, & tangitur duplex: iactantia & ſimulatio de bono non habito, arrogantia & appropriatio ſibi boni habiti. *Labia noſtra.* Dicit ergo: Sic diſperdet, & ratio eſt, quia illi qui habent talem linguam, *dixerunt* ſe iactando, *linguam noſtram magnificabimus*, oſtendentes ſcientiam noſtram: hoc enim proprium eſt hæreticorum. Hieronymus in prologo Bibliæ: Alij abducto ſupercilio grandia verba trutinantes inter mulierculas de ſacris literis philoſophantur, vt magnificent linguam ſuam, & non Deum, contra illud. *Iſa.*24. In doctrinis glorificate Deum, non vos ipſos. *Eccleſ.vlt.* Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam, & in ipſa laudabo eum. Tales ſunt qui ſubtilia quærunt ad gloriam: tandem confundentur. *Iſa.*19. Confundentur qui operantur linum, plectentes & texentes ſubtilia. 5.

Labia noſtra. Hîc arrogantia, & primò bonum appropriant ſibi. Secundò innuunt, quòd illud à Deo non habent. *Quis noſter?* Dicit ergo: Sic ſuperbiunt & etiam tanquam arroganter dicunt: *Labia noſtra*, ſermo ſcilicet diſcretionis & prudentiæ *à nobis eſt*: contra illud 1.*ad Corinth.*4. Quid habes quod non accepiſti? Quid gloriaris quaſi non acceperis? Sic ipſa ſibi labia arrogando animam interficiunt. *Prou.*18. Os ſtulti contritio eius: labia ipſius ruina animæ.

Quis noſter Dominus eſt? Vt hæc nobis tribuat. Quaſi diceret: Nullus. Hæc eſt arrogantia Pharaonis. *Exod.*5. Quis eſt Dominus vt

audiam

audiam vocem eius?Dominum neſcio, & Iſraël non dimittam : ſicut & multorum diuitum qui bene repleti ſunt diuitiis. Propter quod Salomon *Prou.*30. Tribue victui meo neceſſaria, ne fortè ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis eſt Dominus ? *Iob* 21. Quis eſt Omnipotens vt ſeruiam illi ? E contrario *Iſa.*50. Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt ſciam ſuſtentare eum qui lapſus eſt verbo. Non eam habeo à meipſo, nec ab aliquo alio, niſi à Deo.2.*Machab.*7. Dixit fortis mulier filiis ſuis: Neſcio qualiter in vtero meo apparuiſtis : neque enim ſpiritum & animam donaui vobis & vitam : & ſingulorum membra non ego ipſa compegi, ſed mundi creator qui formauit hominis natiuitatem, quique hominum inuenit originem.

6. *Propter miſeriam inopum.* Hîc eſt ſecunda pars Pſalmi, in qua præmiſſa petitione ſubiungitur promiſſio adimplendi quod petitum eſt: & dicuntur duo. Primò reſponſio Domini promittentis liberationem. Secundò Prophetæ, vel viri iuſti congratulatio pro certo expectantis adimplationem. *Tu Domine ſeruabis nos.* In parte prima tanguntur quatuor. Primò motiuum ad promittendam liberationem : & ſecundò promiſſio. *Nunc exurgam.* Tertiò per quem fiet liberatio. *Ponam in ſalutari.* Quartò qualiter per illum. *Fiducialiter.* Dicit ergo: Sic affligunt fallaces hypocritæ iuſtos & opprimunt : ſed *Dominus dicit*,interiùs in corde meo inſpirando, vel interiùs per Scripturas propheticas promittendo, qui nulla ratione mentiri poteſt. *Pſal.* Fidelis Dominus in omnibus viis ſuis. *Numer.* 24. Non eſt Deus ſicut homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur. 2. ad *Timoth.*2. Fidelis Deus permanet, ſeipſum negare non poteſt.

6. *Propter miſeriam inopum*, quam ſuſtinent exteriùs, *& gemitum pauperum*, qui eſt ſignum quod afflicti ſunt interiùs, *nunc*, id eſt, citò *exurgam* ad liberandum. *Exod.*3. Vidi afflictionem populi mei qui eſt in Ægypto, & deſcendi vt liberem eum. Inopes enim, ſcilicet humana ope deſtitutos, & pauperes, rebus humanis ſcilicet vacuos, Deus non deſpicit quando gemunt. Supra in *Pſal.*. Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus. *Eccleſ.*11. Eſt homo egens recuperatione, deficiens virtute, & abundans paupertate, & oculus Deus reſpexit illum. Et nota, quòd eſt duplex miſeria : culpæ, & hæc duplex. Originalis. *Iob* 3. Quare miſero data eſt lux præſentis vitæ ? Et Actualis. *Prou.* 14. Miſeros facit populos peccatum. *Apoalypſ.*3. Neſcis, quia miſer es, & miſerabilis, & nudus, & cæcus. Et pœnæ, & hæc duplex. Pœnæ contractæ, quæ duplex eſt. Corporis, & hæc duplex. Paſſibilitatis. *Iob* 13. Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miſeriis. Mortis. *Iſa.* 16. Finitus eſt puluis, conſummatus eſt miſer, id eſt, mortuus. Et animæ, quæ triplex. Ignorantiæ vel erroris. *Iob* 30. Squallentes calamitate & miſeria, & mandebant herbas & arborum cortices. Pronitatis ad malum. In *Pſal.* Miſer factus ſum & curuatus ſum. Infirmitatis ad reſiſtendum malo. *Iob* 30. Apertâ ianuâ irruerunt ſuper me, & ad meas miſerias deuoluti ſunt. Pœna illata duplex. Temporalis. *Geneſ.* 43. In meam hæc feciſtis miſeriam vt vindicaretis & vos haberetis alium fratrem. Et æterna. *Sphon.*1. Deus ille dies iræ, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miſeriæ.

Multiplex miſeria, pœna & culpa.

Ponam in ſalutari. Tertium eſt in quo determinat, per quem liberabit. Ait enim ſic: Miſeriis & gemitu pauperum motus *exurgam*, & *ponam in ſalutari*, pauperum auxilium & conſolationem. In illo, inquam, ſalutari quod expectabat Iacob *Geneſ. penult.* Salutare tuum expectabo Domine. Hoc ſalutare, eſt aſſumptus homo in vnitatem perſonæ. Vnde *Pſal.* Ipſe Deus meus & ſalutaris meus.Et nota,quòd non dicit quid ponet, vt oſtendat ſe in eo expoſiturum quicquid pauperibus & miſeris eſt vtile & neceſſarium, quia 2. ad *Coloſ.* In ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi : quia ſicut dicit *Bernard.* Venit Saluator ad perditos, veritas ad deceptos, errantibus via, mortuis vita, lux caligantibus, & virtus pugnantibus. In hoc etiam ſalutari tanquam in portitore, & paxillo pauperes & miſeros poſuit Deus Pater.*Iſa.*22. Figam illum paxillum. Et poſt pauca, Et ſuſpendent ſuper eum omnem gloriam domus patris eius, vaſorum diuerſa genera,omne vas paruulum,à vaſis craterarum vſque ad omne vas muſicorum. Vaſorum diuerſa genera ſunt diuerſa fidelium corda:va ſaparuula ſunt humiles:vaſa craterarum, prædicatores : vaſa vero muſicorum,Deo gratias referentes & ipſum laudantes.

Meritorum Chriſti opulentia.

Vaſorum diuerſa genera moraliter explicata.

Fiducialiter. Ecce quartum, in quo oſtendit qualiter per illum liberabit, & per quæ. Et tanguntur duo. Primò potentia, ſecundò doctrina. *Eloquia Domini.*Per potentiam quod eripiet oppreſſione,per doctrinam ab errore.Dicit ergo:Sic *in ſalutari ponam* liberationé, & *agam in eo*,id eſt,per eum,*fiducialiter*,id eſt,potentialiter,& fortiter,fortitudine in qua fidnedũ eſt.Et hoc verum eſt : quanta enim potentia fuerit in Chriſto, oſtéderunt eius miracula:quæcumque enim voluit Dominus fecit. Non enim erat in ſermone totus, ſicut Scribæ & Phariſæi, ſed in poteſtate. *Matth.*7. Erat enim docens eos ſicut poteſtatem habens,& non ſicut Scribæ & Phariſæi. *Luc. vltimo* : Erat vir potens in opere & ſermone coram Deo & hominibus.

Eloquia Domini. Hîc ſubiungitur de doctrina huius ſalutaris,quæ eſt duplex. Primò quantum ad illuminationem intellectus per hæc quæ pertinent ad fidem : ſecundò quantum ad formationem effectus quantum ad hæc quæ pertinent ad bonos mores. Dicit ergo : Sic erit potens : & etiam *Domini* ſalutaris erunt *eloquia caſta*, non corrupta, tanquam aliquid infidelitatis habentia:ſicut illorum quibus dicitur in *Pſal.* Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis. Caſta etiam : quia ſine admixtione peruerſæ intentionis, & ſimulationis, qualia non ſunt eloquia prædicantium pro quæſtu temporali.2. ad *Cor.*2. Non ſumus ſicut plurimi adulterantes verbum Domini:ſed ex ſinceritate,ſicut ex Deo coram Deo & Chriſto loquimur.

7. *Duplex doctrina, fidei & morum.*

Argentum. Hîc oſtenditur puritas doctrinæ quantum ad informationem affectus per comparationem ad argentum purificatum triplici

purifica

purificatione,quæ debet eſſe ſimiliter in ſermone mores informante. Eſt enim purgatio argenti in ſeparatione eius à plumbo,vel ſtanno, vel metallo alio. In purgatione à terra, & in purgatione à fæce propria, ſcilicet ſcoria.Dicit ergo : Sic ſunt *eloquia* ad fidem pertinentia, *caſta*, & ſunt etiam *argentum igne examinatum*, vt à metallo alio ſeparetur : *probatum terræ*, id eſt, à terra ſeparatum : *purgatum ſeptuplum*, id eſt, perfectè à ſcoria & propria fæce. Nota, quòd eloquia diuina mores informãtia argento comparantur : quia ſicut nihil eſt quod dulciùs tinniat argento, ſic nihil dulciùs ſonat morali eloquio. *Prouerb.*10.Argentum electum lingua iuſti, hoc eſt, doctrina. *Iob* 27. Argentum innocens diuidet. Ad innocentes enim pertinet alios in moribus informare. Argentum, ſacra Scriptura eſt. *Iob* 28. Habet argentum, morale ſcilicet eloquium, venarum ſuarum principia : & auro, doctrinæ ſcilicet de diuinis & pertinentibus ad fidem, locus eſt in quo conflatur. Hoc argentum purgari debet purgatione triplici. A fauore humanæ laudis, tanquam ab alio metallo : ab affectu terreno, & à fæce gloriæ inanis, vt nec in ſeipſo aliquis glorietur de aliorum informatione. Sic diuidebat Paulus hoc argentum. 1.*Theſſal.*2.Neque enim fuimus aliquãdo in ſermone adulationis, ecce purgatio à fauore:nec in intentione auaritiæ, Deus teſtis eſt, ecce purgatio à terrenis: nec quærentes gloriam, ecce purgatio à fæce.

Triplex argenti purgatio, doctrinæ accommodata.

Exemplum Pauli ſic purganti eloquium.

Argentum perfectè purgatum eſt, quando homo facit quod docet.*Sopho.*1.dicitur, Diſperierunt omnes qui inuoluti ſunt argento. *Deut.*17. Non habebit Rex auri & argenti immenſa pondera.Doctor enim non debet habere verba, auditores onerantia difficultate & grauitate propria aduocati & mali Theologi. *Ierem.*6. Argentum reprobum vocate eos, malitiæ eorum non ſunt conſumptæ. Bona eſt theologia, bonæ ſunt decretales, ſed rubiginantur per malitiam Theologorum, & Aduocatorum malorum. *Prouerb.* 25. Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas puriſſimum. *Geneſ.*23.Appendit Abraham decem ſiclos probatæ monetæ, & publicæ.

8. *Tu Domine ſeruabis nos.*Ecce ſecundum huius partis, ſcilicet congratulatio pro promiſſo liberatore tam potenti & tam ſapienti : & tangitur triplex beneficium:primum, conſeruatio in bono habito : ſecundum, cuſtodia à malo. *Et cuſtodies nos.* Tertium, multiplicatio in bono & conſeruatio, ibi, *Secundum altitudinem.* Dicit ergo : Sic promittis ô Domine : Et verè ſic erit, quia ô *tu Domine ſeruabis nos*, iuſtos qui ſumus membra tua, in bono quod habemus. *Prou.*4. Fili non dimittas ſapientiam, & cuſtodiet te: dilige eam, & ſeruabit te. *Ioan.*17. Pater, cum eſſem cum eis, ego ſeruabam eos. Seruat autem Dominus ſuos, quando dat gratiam adimplendi mandata,quia ipſa cuſtodita ſeruant. *Eccl.*3. Serua mandata, & ipſa ſeruabunt te.

Et cuſtodies nos. Ecce ſecundum:& tanguntur duo.Cuſtodia à malis ne impellant ad culpam. Secundò oſtendit neceſſitatem ſic cuſtodiendi. *In circuitu.*Dicit ergo : Sic *ſeruabis nos* in bono, *& cuſtodies nos à generatione hac*, ſcilicet mala, ne nos inficiant & trahant ad culpam per flagella. Et nota, quòd gẽeratio cum tali adiectione, *hac*, ſignificat generationem malam, ſicut cum dicitur, filij huius ſæculi,ſignificantur mali. *Luc.*16. Filij ſæculi huius prudentiores ſunt filiis lucis in generatione ſua. *Ab hac* ergo *generatione cuſtodies nos. Sap.* 9. Deducet me in operibus meis ſobrie, & cuſtodiet me in potentia ſua. Propter hoc dicitur cuſtos Chriſtus. *Iſa.*21. Cuſtos quid de nocte ? cuſtos quid de nocte ? Et ſe Samaritanum non negauit,qui interpretatur cuſtos. *Ioan.* 8. Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es, & dæmonium habes ? Reſpondit : Ego dæmonium non habeo. *Cuſtodies* autem non tantum in hoc tempore, ſed in *æternum.* Vel cuſtodies tendere faciens in æternum, id eſt,in id quod æternum eſt. Et nota ordinem. Cùm enim deſcripſiſſet ſermonis diuini puritatem, recte ſubiunxit ſermonem de conſeruatione & cuſtodia. Sermo enim Dei conſeruat in bono,iuxta illud *Sap.*16. Sermo tuus hos qui in te crediderunt conſeruat,& cuſtodit à malo : quippe *Prou.*30.Sermo Dei ignitus clypeus eſt.

Series verſuum.

In circuitu. Quaſi ſic diceret : Conſeruas', & neceſſe eſt, quia impij ambulant in circuitu iuſtorum, vt ipſos peruertant, ſicut pater eorum diabolus. 1.*Pet.*5. Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. *Thren.*1. In circuitu eius inimici eius : circumeunt enim mali circuitu malo, ſicut circumeunt boni circuitu bono, & ſicut circuit Deus. Eſt ergo circuitus malorum circuitus cupiditatis & auaritiæ,de quo hîc.*Iſa.*19. Miſcuit Dominus ſpiritum vertiginis in medio Ægypti. *Pſal.* Deus meus pone illos vt rotam. Et eſt circuitus carnalis delectationis & luxuriæ, ſicut circuierunt Sodomitæ domum Loth. *Gen.*19.Vallantes eam à minimo ad maximum. Et eſt circuitus ambitionis & ſuperbiæ, de quo *Bernard.* Circuit ſedulus explorator, ſi quomodo ſe mergat in patrimonium Crucifixi. *Iob* 1. Circuiui terram & perambulaui eam. Sed bonus circuit circuitu bono, circuitu ſcilicet diſcuſſionis propriæ conſcientiæ,ſecundũ conſiliũ *Iſa.*23. Sume citharam, circui ciuitatem. Sume citharã id eſt,decem mandatorũ adimple iuſſionem.Circui ciuitatem,propriã ſcilicet cõſcientiam.Et circuitu deuotionis.In *Pſal.*Circuiui & immolaui in tabernaculo eius hoſtiã vociferationis.Et circuitu contemplationis. *Sap.*8. Circuibã quærens vt illam mihi aſſumerem.*Cant.*3. Surgã, & circuibo ciuitatẽ,per vicos & plateas quærens quem diligit anima mea. Deus etiam circuit omnia ſuſtentando. *Eccleſ.* 24. Gyrum cœli circuiui ſola. Suos protegendo. *Zachar.*2. Ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu : & in gloria ero in medio. Circuit etiam quærendo dignos ſe. *Sap.* 6. Qui vigilauerit propter illam, citò erit ſecurus. Quoniam dignos ſeipſa circuit quærens, & in viis ſuis oſtendet ſe illis hilariter.

9.

Multiplex circuitus, bonus & malus.

Secundum altitudinem tuam. Ecce tertium beneficium.Quaſi diceret : Non tantum ſeruabis,nec cuſtodies, ſed *multiplicaſti*, præteritum pro futuro, *filios hominum*, non in malo,ſecundum opera eorum, ſed in bono *ſecundum altitudinem tuam.* Eſt enim multiplicatio temporalis, quæ mala eſt.Supra, A fructu frumenti vini & olei

olei ſui, multiplicati ſunt. Et *Iſa.9.* Multiplicaſti gentem, non magnificaſti lætitiam. Et eſt multiplicatio ſpiritualis, in bonis ſcilicet ſpiritualibus, quæ bona eſt, de qua loquitur hîc. Et *Geneſ.12.* Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli. Et hoc *ſecundum altitudinem tuam*, tuæ ſcilicet ſapientiæ, de qua ad *Rom.11.* O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Et ſecundum altitudinem bonitatis tuæ, de qua in *Pſal.* Nolite extollere in altum, id eſt, contra altum excellentiſſima bonitate, cornu veſtrum, id eſt, potentiam veſtram: quia dicitur alibi in *Pſal.* Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus, ſuper illum, ſupple.

IN DVODECIMVM PSALMVM.

In finem, Pſalmus Dauid.

Argumẽtum Pſalmi, perſecutio tyrannorum.

VSquequo Domine. Pſalmus duodecimus eſt, in quo agitur de liberatione Eccleſiæ à perſequutione quam patitur ab inimico per tyrannos: & præponitur huic Pſalmo titulus communis & frequenter expoſitus, *In finem Pſalmus Dauid.* Pſalmus autem iſte diuiditur in tres partes. Primò conqueſtio viri iuſti in perſona Eccleſiæ de afflictione quam ſuſtinet. Secundò ſupplicatio, vt Deus eam citò liberet, ibi, *Reſpice & exaudi me.* Tertiò orantis deuotio & confidentia de impetrando quod petit. *Ego autem in miſericordia.* In parte prima tria dicuntur, ſecundum tria mala de quibus conqueritur. Primum, obliuio ſui à Deo, & quaſi auerſio Dei à ſe. Secundum, anxietatis magnitudo. *Quandiu ponam.* Tertium, diuturnitas & duratio regni inimici, ibi, *Vſquequo exaltabitur.* In prima duo tanguntur. Primò conqueritur de obliuione, qua videtur oblita à Deo. Secundò de indignatione, qua videtur ei indignari. *Vſquequo auertis.*

Dicit ergo: O *Domine obliuiſceris me* vſque *in finem* mundi, quando miſſurus es Filium Saluatorem & liberatorem: Filius enim miſſus eſt in fine temporum. Ad *Gal.4.* Quando venit plenitudo, id eſt, adimpletio temporis, miſit Deus Filium ſuum. 1. *Ioan.2.* Filioli nouiſſima hora eſt. 1. *ad Cor.10.* Scripta ſunt autem ad correctionem noſtram, in quos fines ſæculorum deuenerunt. Sed hoc *vſque*, id eſt, quandiu durabit hæc obliuio? Sancti enim quamuis veraciter ſcirent non cadere in Dominum obliuionem, tamen ardore deſiderij quod habebant de aduentu Filij ſe oblitos clamabant. Vnde illud *Iſa.49.* Dixit Sion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus eſt mei. Sed Dominus reſpondet ſtatim: Nunquid mulier poteſt obliuiſci infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui.

Auertis. Quaſi diceret: Non tantum obliuiſceris, ſed *auertis* tanquam indignans & abiiciens me, *faciem tuam à me*, ſcilicet præſentiam tuam, vel filium qui dicitur facies Dei Patris, quia ſicut per faciem cognoſcitur homo, ita per filium Deus Pater cognitus eſt mundo. *Ioan.17.* Pater, ego te clarificaui ſuper terram, opus conſummaui quod dediſti mihi. Hæc facies deſiderabilis, quam tantopere deſiderabat Moyſes. *Exod.33.* Oſtende mihi faciem tuam, & inueniam gratiam ante oculos tuos. Sed hoc *Vſquequo? Pſal.* Quare faciem tuam auertis, obliuiſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ? Flagrabant autem deſiderio præſentiæ filij antiqui Sancti inter multas rationes propter quatuor. Primò vt eis Deus Pater placaretur per eum. *Iob 9.* Non eſt qui vtrumque valeat arguere & manum ponere in ambobus, niſi filius factus homo. Secundò, vt ipſe Deus frater videretur. *Cant.5.* Quis det mihi te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ. Tertiò, vt legis duritia tolleretur per eum. *Iob 9.* Auferat à me virgam ſuam, legis ſcilicet duritiam, & pauor eius non me terreat. *Act.15.* Hoc eſt onus quod nec nos, nec patres noſtri portare potuimus. Quartò, vt diaboli virtus debilitaretur, de quo hic propriè. *Iſa.44.* Vtinam diſrumperes cœlos & deſcenderes, à facie tua montes, ſcilicet tyranni, & dæmones, diffluerent.

Cur antiqui patres Chriſti aduẽtum optabant.

Quandiu ponam. Hîc ſecundum, in quo conqueritur de anxietate quam ſuſtinet, & hac duplici. Sollicitudinis quæ reſpicit intellectum, & doloris quæ reſpicit ad affectum, ibi, *Dolorem in corde.* Dicit ergo: Sic conqueror de tua duritia, ſed & *quandiu ponam*, cum ſollicitudine ordinando, & quærendo *conſilia* varia & diuerſa, & hoc *in anima mea*, in meo ſcilicet intellectu. Dicit enim *Hieronymus*, hoc exponendo, quod antiqui Sancti diuerſa quærebant conſilia, modò orationum, modò ſacrificiorum, modò circunciſionis, & aliorum ſacramentorum legis, qualiter poſſent à miſeriis & oppreſſionibus liberari: ſed hæc parum fructuoſa erant eis. *Iſa.16.* Ini conſilium, coge concilium. Sed in 8. dicitur, Inite conſilium & diſſipabitur.

Dolorem. Repete, & *quandiu ponam* deſiderando, ſperando, ſpe protracta, & dilata, *dolorem in corde meo*, id eſt, in affectu. Sãcti enimi pſo ſuo deſiderio, ipſa ſua ſpe quodammodo torquebantur, & adhuc torquentur: quia *Prou.13.* dicitur: Spes quæ differtur, affligit animam. Propter hoc dicebat Dauid alibi in *Pſal.* Dolor meus in conſpectu meo ſemper. *Ierem.15.* Quare factus eſt dolor meus perpetuus, & plaga mea inſanabilis? Et *Abac.1.* Vſquequo Domine clamabo, & non exaudies? Vociferabor ad te vim patiens, & non ſaluabis? Quare mihi oſtendiſti iniquitatem & laborem, videre prædam & iniuſtitiam contra me. Et hoc *per diem*, hanc ſcilicet temporalem & tranſitoriam. Vel *per diem*, id eſt, per proſperitatem. Et eſt aggrauatio: magnus enim dolor eſt, qui per proſperitatem non temperatur. Sic enim dies dicitur in *Pſal.* vbi dicitur: Sol per diem non vret te, neque luna per noctem.

Vſquequo exaltabitur. Ecce tertium, conqueſtio ſcilicet de diuturna inimici exaltatione. Ait enim: Sic conqueror de prædictis, & etiam *inimicus meus exaltabitur ſuper me*, & hoc *vſquequo?* Inimicus, inquam, ſpiritualis, ſcilicet diabolus. *Matth.13.* Inimicus homo hoc fecit. Cuius inimicitiæ contra me ſunt firmatæ ferè ab initio mundi, ſicut dictum eſt *Geneſ.3.* Inimicitias ponam inter te & mulierem, inter ſemen tuum & ſemen illius. Hic exaltatus eſt ſuper me: quia pluribus dominatur quam ego. 3.

Iob 41.

Iob 41. Ipſe Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Omnes enim à te per peccatum declinantes, ſuperbi ſunt. *Pſal.* Omnes declinauerunt ſimul inutiles facti ſunt. *Eccl.* 1. Stultorum infinitus eſt numerus. *Prouerb.* 14. In multitudine populi dignitas Regis. Propter hoc gloriatur *Iſa.* 10. & dicit: Detraxit quaſi potens in ſublimi reſidentes, & inuenit quaſi nidum manus mea, fortitudinem populorum: & ſicut colligunt oua quæ derelicta ſunt, ſic vniuerſam terram ego congregaui, & non fuit qui moueret pennam & ganniret. Mundus inimicus. *Ioan.* 3. Nolite mirari ſi odit vos mundus. Hic prævalet verſutia & calliditate. *Luc.* 16. Prudentiores filij huius ſæculi filiis lucis in generatione ſua ſunt. Inimicus etiam eſt caro. Ad *Galat.* 5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, vt non quæcumque vultis illa faciatis. Ergo hic inimicus exaltatus eſt ſuper me, cum cogit facere malum quod nolo, nec ſinit facere bonum quod volo. Ad *Rom.* 7. Non enim quod volo bonum, hoc facio: ſed quod nolo malum, hoc ago. Et *vſquequo?* quandiu viuimus: non enim remotus eſt carnis ſtimulus à Paulo, quamuis non tantum ſemel, ſed & ter rogaſſet 2. ad *Corinth.* 12. ad *Rom.* 7. Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? *Eccleſ.* 40. Iugum graue ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris ſuæ, vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium.

Reſpice & exaudi me. Hîc eſt ſecunda pars totius Pſal. in qua ſubiungitur ſupplicatio pro liberatione, & petuntur quinque contra quinque incommoda, de quibus ſuperius eſt conqueſtus. Primò, quòd reſpiciat Deus contra hoc quod dictum eſt, *Auertis faciem.* Secundò, quòd exaudiat contra hoc quod dictum eſt, *Obliniſceris me.* Tertiò, quòd illuminet contra hoc quod dictum eſt, *Quandiu ponam.* Vbi etiam tanguntur duo. Primò petitur illuminatio oculorum contra hoc quod dictum eſt, *Quandiu ponam conſilia.* Secundò amotio pigritæ & perſeuerantiæ in peccato contra hoc, *Dolorem in corde.* Quartò amotio lætitiæ inimici, *Nequando dicat.* Contra hoc quod dictum eſt, *Vſquequo exaltabitur.* Dicit ergo: Sic affligor, ſed ô tu *Domine Deus meus: Domine*, qui potes: *Deus*, quis ſcis: *meus*, & ob hoc velle debes, *reſpice*, faciem conuertendo, quam videris auertiſſe. *Eccleſ.* 36. Reſpice nos & miſerere noſtri. *Et exaudi me*, qui videris obliuioni tradidiſſe, ſicut clamantes filios Iſraël exaudiſti. *Exod.* 2. Exaudiuit Dominus, & recordatus eſt fœderis, & reſpexit filios Iſraël. *Pſal.* Exaudi me Domine: quoniam benigna eſt miſericordia tua. Et nota, quòd competenter poſtquam præmiſſa eſt conqueſtio afflicti, ſubiungitur ſupplicatio: hoc eſt enim ſingulare remedium afflictorum. *Oſeæ* 6. In tribulatione ſua mane conſurgent ad me. *Iacob.* 5. Triſtatur aliquis veſtrum, oret æquo animo & pſallat. Sed aliqui ſunt qui conuertunt ſe ad vaniloquia. *Ierem.* 8. Ecce vos confiditis vobis in ſermonibus mendacij, qui non proderunt vobis. Alij ad voluptuoſa, contra quos *Eccleſ.* 7. Melior eſt ira riſu. Alij ad murmura, contra quos *Sapient.* 1. Cuſtodite vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt. Alij ad blaſphemias, quod peſſimũ eſt. *Apoc.* 16. Blaſphemauerunt Deum cœli præ doloribus & vulneribus ſuis, & non egerũt pœnitentiã ab operibus ſuis.

Cõuerſiones praua.

Illumina oculos meos. Interiores ſcilicet, vt iam non quæram diuerſa conſilia. *Pſal.* Accedite ad eum & illuminamini. Ipſe enim Deus lux eſt. *Ioan.* 1. Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ. Sol eſt. *Sapient.* 5. Sol intelligentiæ non eſt opus nobis. Stella lucida. *Apoc.* 2. Qui vicerit, dabo ei ſtellam matutinam. Ignis eſt. *Deuter.* 4. Deus noſter ignis conſumens eſt. Et lux oculos cordis illuminat. 2. ad *Cor.* 4. Deus qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere, illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis. Et nota, quòd petit illuminari oculos, non oculum. Oculum intellectus lumine virtutis, de quo in *Pſal.* Emitte lucem tuam & veritatem tuam. Oculum affectus lumine iuſtitiæ & veritatis, de quo *Sap.* 5. Lumen iuſtitiæ non luxit nobis. Sed ſunt multi habentes illuminatum ſiniſtrum oculum, ſcilicet affectum, ſimiles Balaam. *Numer.* 24. Dixit homo cuius obſcuratus eſt oculus. Similes etiam Anti-Chriſto, de quo *Zachar.* 11. Oculus eius dexter tenebreſcens obſcurabitur. Hi ſunt qui percuſſerunt fœdus cum Naas, quod interpretatur ſerpens, id eſt, cum diabolo, vt erueret oculos eis dextros. 4.

Ne vnquam obdormiam in morte, id eſt, ne vnquam moriar in dolore in quo ſum pro dilatione, contra illud quod dictum fuit, *Quandiu ponam dolorem*, &c. Vel *ne obdormiam* ſomnolentia & torpore, *in morte* culpæ. *Prouerb.* 6. Vſquequo piger dormis? Et ad *Epheſ.* 5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, &c. Peccatum autem bene ſomno comparatur. Somnus enim, ſicut dixit Auerroës, ligamentum eſt virtutis ſenſitiuæ: ſic peccatum ligamentum rationalis animæ. *Iſa.* 5. Væ qui trahitis quaſi vinculum plauſtri peccatum. *Sapient.* 17. Vna catena tenebrarum erant omnes colligati. Vnde ſicut accidit in ſomno, ſic & in peccato. Primò dormitatio, ſcilicet tranſitus de vigilia ad ſomnum: deinde dormitio, ſtatus in ipſo ſomno: deinde abdormitio, ſcilicet profundus ſomnus, & oppreſſio ab ipſo ſomno, ita quod vix poſſit euigilare homo. Sic verò ex tranſitus de virtutibus in peccatum per conſenſum, & ſic dormitat anima. Poſtmodum de conſenſu in actum etiam dormit. Denique de actu in conſuetudinem, & obdormit. *Auguſt.* in lib. Confeſſionum ſeptimo: Diripiebar abs te pondere meo, & ruebam in iſta cum gemitu. Et pondus hoc conſuetudo. *Thren.* 3. de tribus. Lapſa eſt vita mea, ecce primum: in lacum, ecce ſecundum: & poſuerunt lapidem ſuper me, ecce tertium.

Comparatio ſomni cum peccato.

Nequando dicat. Ecce quartum, in quo dicuntur duo. Primò ne prævaleat aduerſarius. Secundò aſſignat rationem quare nolit prævalere. *Qui tribulant me.* Dicit ergo: Exaudi me Domine, ne inimicus meus dicat exultando & lætando: *Prævalui aduerſus eum. Abac.* 1. Non peruenit ad finem iudicium, quia impius prævalet aduerſus iuſtum, propterea egredietur iudicium peruerſum. Prævalet autem quando facit ruere in mortale, ſed tunc magis prævalet quando poteſt Deum à mente excludere. *Tob.* 7.

Oſtendam tibi qui ſunt quibus poteſt dæmonium præualere. Qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe & à ſua mente excludant. Sed tunc maxime præualet, cum facit in peccato vſque ad mortem perſeuerare. Nota enim, quòd diabolus impetit in ſuggeſtione, luctatur in delectatione, percutit in conſenſu, inclinat in actu, præcipitat in conſuetudine, ſed præualet in morte.

Quomodo præualet diabolus.

6. *Qui tribulant me.* Quaſi diceret: Sic peto ne exaltentur ſuper me inimici, ne fortè inſultent mihi: & certe inſultarent, quia *qui tribulant me exultabunt.* Nota enim, quòd eſt gaudium exhibens ſe in ore, & dicitur riſus: & eſt gaudium exhibens ſe in manibus, & dicitur plauſus: in pedibus, & dicitur tripudium: in toto corpore, & dicitur ſaltus: & eſt gaudium vehementiſſimum quando non ſufficit ſe exhibere per vnum membrum, ſed per totum corpus ſe exhibet. Sic, inquam, exultabunt, *ſi motus fuero*, à te per peccatum recedendo: contra illud *Mich.*7. Ne læteris inimica mea, quia cecidi. Et illud *Iob* 31. Si gauiſus ſum ad ruinam eius qui me oderat, & lætatus ſum, quia inuenit eum malum. Propter hoc datur bonum conſilium *Eccleſ.*18. Fili poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere: ſi enim dederis animæ tuæ concupiſcentias eius, dabit te in gaudium inimicis tuis. Et illud *Eccleſ.*10. Si ſpiritus poteſtatem habentis, dæmonis ſcilicet vel tyranni, aſcenderit ſuper te, tentando, affligendo, locum tuum ne dimiſeris, Deum ſcilicet, in quo veraciter manes per amorem. 1. *Ioan.*4. Qui manet in charitate, in Deo manet. *Gregor.* Vbi eſt qui in eius amore non eſt, vbi ſolùm ſublime & verum eſſe eſt? Sic enim in ſublimi eſt, qui in Deo eſt. Vnde idem. *Gregor.* In alto humanus animus ſtat, quando ſupernis retributionibus inhiat.

Progreſſus gaudij.

Ego autem in miſericordia tua ſperaui. Hîc tertia pars Pſalmi, in qua oſtenditur deuotio petentis ex confidentia liberationis, vnde duo dicuntur. Primò confidentia de liberatione. Secundò deuotio & ſpiritualis lætitia ex illa cauſa. *Exultauit.* Ait ergo: Sic affligor, & ſic peto, nec diffido, quia *in miſericordia tua ſperaui:* non in meritis meis. *Pſal.* Tu Domine ſuauis & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus inuocantibus te, & timentibus. *Eccleſ.*2. Qui timetis Deum, ſperate in eum. Et in *Pſal.* Miſericordia autem Domini ab æterno, & vſque in æternum, ſuper timentes eum.

Effectus tres confidentiæ.

Exultabit cor meum. Hîc ſecundum, & tanguntur tria, quæ creantur ex confidentia, & ſpe certa. Primum eſt exultatio cordis. Secundum, canticum oris. *Cantabo.* Tertium, exercitium boni operis. *Pſallam.* Adiuncta ſemper cum ſpeciali cauſa. Ait ergo: Sic ſpero, & propter hoc *exultabit cor meum*, non in mundo, *ſed in ſalutari tuo*, quod ſuperius promiſiſti. Ponam in ſalutari. 1. *Reg.*2. Exultauit cor meum in Domino. Et paulo poſt, Quia lætata ſum in ſalutari tuo. *Iſa.*25. Exultabimus & lætabimur in ſalutari tuo. *Abac.*3. Exultabo in Deo IESV meo.

Cantabo ore, *Domino*, *qui bona*, id eſt, quia ille bona *tribuit mihi* in ſpe, & ipſam ſpem in re. Ex habito autem beneficio debetur Canticum tanquam gratiarum actio. Hinc eſt quod *Exod.* 15. Tranſito mari rubro, & ſubmerſo Pharaone, Filij Iſraël cantauerunt: Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt. Et peremptо Siſara, Barac, & Debbora cantauerunt *Iud.*5. Cecinerunt Debbora, & Barac filius Abineom in illo die dicentes, &c.

Bona autem tribuit Deus, pro quibus eſt cantandum, in præſenti duo bona: tranſitoria de quibus *Iob* 2. Si bona ſuſcepimus de manu Domini, &c. *Deut.*26. Epulaberis in omnibus bonis Domini Dei tui. Et bona ſpiritualia ſapientiæ diuinæ, quæ bona eſt non abutenti. *Pſal.* Intellectus bonus omnibus facientibus eum. Et alibi: Bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri & argenti. Et virtutes, quod eſt melius, de quo *Michæ.* 6. Indicabo tibi homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te, &c. Sed maximum bonum & perfectum promittit in futuro. *Exod.* 33. Oſtendam tibi omne bonum. *Matth.* 19. Nemo bonus niſi ſolus Deus.

Et pſallam, opere bono me exercendo. Pſallere enim dicitur à ψάλλειν, quod eſt tangere. In tactu autem actio deſignatur, vnde alibi in *Pſal.* In Pſalterio decachordo pſallam tibi, id eſt, in obſeruatione decem mandatorum. Et hoc non mihi, ſed *nomini Domini*, id eſt, ad hunc finem vt nomen Domini glorificetur. *Domini*, inquam, *Altiſſimi. Matth.*5. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Nota ergo, quòd materiam exultationis cordis, dicit Dei ſalutare, cauſamque efficientem, Dominum beneficum, finalem boni operis, ipſum Altiſſimum.

IN XIII. PSALMVM.

In finem, Pſalmus Dauid.

1. *Argumentũ Pſalmi, Iudæorum perſecutio.*

Dixit inſipiens. Pſalmus decimus tertius, & ſecunda pars illius, in quo agitur de impugnatione iuſtorum à membris Anti-Chriſti, quantum pertinet ad Iudæos. Titulus autem præpoſitus huic Pſalmo, communis eſt iſti & præcedentibus, ſcilicet, *In finem Pſalmus Dauid*, & patet expoſitio ex prædictis. Pſalmus autem diuiditur in duas partes principaliter. In prima determinatur de malitia Iudæorum: quia impugnauerunt Chriſtum, & impugnant membra eius continuè. In ſecunda prædicitur terminatio ſiue infirmatio malitiæ eorum, ibi, *Nonne cognoſcent omnes?* Prima pars diuiditur in duas partes: quia aut impugnauerunt fidem, & de hoc agitur primò: aut bonos mores, & de hoc agitur ſecundo; *Non eſt qui faciat bonum.* Malitia contra fidem duplex oſtenditur, quia aut contra fidem de diuinitate Chriſti, & hoc primò: aut contra fidem de humanitate Chriſti, & hoc ſecundò, ibi, *Corrupti ſunt.* Dicit ergo: Sic impugnati ſunt boni ab hæreticis, hypocritis, & tyrannis, & Iudæis: quia *dixit inſipiens*, Iudæus videlicet, vera carens ſapientia, quæ eſt duplex. Fidei. 1. ad *Cor.* 3. Sapientiam loquimur inter perfectos. Et doni Spiritus ſancti, de qua *Iacob.*3. Sapientia quæ de ſurſum eſt, prrmum quidem pudica eſt, deinde pacifica,

Impugnatio duplex, fidei & morum.

Prima item duplex.

ea, &c. *Iſa.* 11. Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus. Carens etiam ſapientia vana, philoſophica ſcilicet, quæ in ſe vana eſt, de qua *Abdia*, Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Et repletus terrena & diabolica, de qua *Iacob.* 3. Non eſt hæc ſapientia deſurſum, ſed terrena, animalis, diabolica. Sic etiam inſipiens dixit, non in ore, ſed *in corde*. Contrarius vero fideli, qui & corde credit, & ore confitetur. Ad *Rom.* 9. Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. *Dixit*, inquam, *Non eſt Deus*, iſte IESVS, ſed homo purus. *Ioan.* 9. Non eſt hic homo à Deo, qui ſabbatum non cuſtodit. Et in 10. De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſpemia, quia tu homo cum ſis, facis teipſum Deum. Et eſt argumentum quod non crediderunt ipſum eſſe Deum. 1. ad *Cor.* 2. Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. His etiam aſſimilantur adhuc illi, qui etſi Chriſtum ore confitentur, corde tamen negant, de quibus *Iſa.* 29. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Et qui confitentur ore, ſed negant opere, his appropinquant, id eſt, confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. Legitur etiam de Gentili, qui tanquam inſipiens, Deum dicebat eſſe quod non erat Deus, & Deum negabat eſſe quod erat Deus. 1. ad *Theſſal.* 3. Gentes qui ignorant Deum. Et verè inſipiens: quia inter ea quæ maximè diſtant, creatorem ſcilicet, & creaturam diſcernere non valebat. *Sap.* 13. Infelices ſunt & inter mortuos ſpes illorum eſt, qui appellauerunt Deos opera manuum hominum, aurum, argentum, artis inuentionem, & ſimilitudinem animalium. Verè inſipiens: quia mortem vitam putauit. *Sap.* 13. Pro vita rogat mortuum, & in adiutorium inutilem inuocat.

Corrupti ſunt. Hîc infidelitas quantum ad humanitatem, & dicuntur duo, ſecundum effectus duos huius infidelitatis. Primus eſt corruptio in ſe. Secundus abominatio in comparatione quantum ad Deum. *Abominabiles.* Dicit ergo: Iudæi, & etiam Gentes *corrupti ſunt*, de ipſa Chriſti humanitate malè ſentientes, credentes filium Ioſeph, & per concupiſcentiam genitum de Maria. *Marc.* 12. Nonne hic eſt filius fabri? &c. Credentes eum etiam peccatorem. *Matth.* 11. Ecce homo vorax, & potator vini: Publicanorum & peccatorum amicus. *Ioan.* 8. Nonne benedicimus nos, quoniam Samaritanus es tu, & dæmonium habes? & propter hoc abominabiles facti ſunt ipſi Deo: & hoc

In ſtudiis ſuis, id eſt, in adinuentionibus falſis contra Chriſtum. *Iſa.* 3. Abominationes eorum coram me ſunt ſemper. *Prou.* 11. Abominabile Domino eſt cor prauum. Nec mirum ſi abominabiles, quia iumentis facti ſunt inſipientiores. *Iſa.* 1. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſraël autem me non cognouit. Populus meus non intellexit. *Ierem.* 8. Tuttur, & hyrundo, & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui, populus autem meus me non cognouit. Et nota, quòd quintuplex eſt corruptio, Defloratiõnis. *Gen.* 13. Corrupta eſt Dina à Sichem filio Emor. Affli-

ctionis & mortis. Infrà in *Pſal.* Quæ vtilitas in ſanguine meo cum deſcendero in corruptionem? Incinerationis. *Pſal.* Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Iniquitatis generaliter: vnde *Auguſt.* Peccatum eſt corruptio ſpeciei, modi, & ordinis. Et *Bernard.* dicit, quòd intelligentia in nobis corrumpitur per ignorantiam, voluntas per immunditiam, memoria per imprudentiam, quæ omnia facit peccatum. Et eſt corruptio infidelitatis ſpecialiter, de qua hîc. *Ierem.* 2. Filij Mempheos & Taphnes conſtuprauerunt te vſque ad verticem. *Quintuplex corruptio.*

Non eſt qui faciat bonum. Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur de malitia contra bonos mores, quod fit dupliciter, vel omittendo, de quo primò: vel committendo, de quo ſecundò, ibi, *Non eſt qui faciat bonum.* Et tanguntur duo. In primo omiſſio generaliter: in ſecundo ſpecificatur. *Dominus de cœlo.* Item prima pars diuiditur in duas. In prima vniuerſalis omiſſio, in ſecunda exceptio. *Vſque ad vnum.* Dicit ergo: Si in fide corrupti ſunt, ſed etiam *non eſt qui faciat bonum* in moribus, omittendo ſcilicet ea ad quæ tenetur. *Ierem.* 5. Conſiderate in plateis Ieruſalem, an inuenire poſſitis virum facientem iudicium, & quærentem fidem: & propitius ero ei. *Prouerb.* 20. Quis poterit dicere, Mundum eſt cor meum.

Non eſt vſque ad vnum, hoc eſt, poſt vnum, Chriſtum ſcilicet, qui omnia bene fecit, & cuius omnia bona ſunt quæcumque homo facit. *Iſa.* 26. Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine. *Ioan.* 16. Sine me nihil poteſtis facere. *Matth.* 19. Nemo bonus niſi ſolus Deus.

Dominus de cœlo proſpexit. Hîc ſpecificat, oſtendendo triplicem omiſſionis differentiam: quantum ad intellectum, quantum ad affectum, ibi, *Aut requirens.* Et hæc duo interius. Et quoad actum. *Omnes declinauerunt.* Dicit ergo: Sic omiſerunt omnes & verè, quia *Dominus proſpexit ſuper filios hominum*, id eſt, à remotis, & tanquam procul exiſtens reſpexit. *Iſa.* 51. Sicut exaltantur cœli à terra, ita exaltantur viæ meæ à viis veſtris & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris. Filij enim hominum appellantur hîc filiis terreni Adæ, & carne & mutatione. *Eccleſ.* 16. Deus in terram aſpexit. *Eccleſ.* 24. Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, &c. *Proſpexit*, inquam, *de cœlo, vt videat ſi eſt intelligens* fide, *aut requirens Deum* charitate, aut dilectione. Quaſi diceret. Nullus eſt: primum ad omiſſionem apprehenſiuæ, ſecundum ad omiſſionem motiuæ pertinet. *Bar.* 3. Viam ſapientiæ non intellexerunt. *Pſal.* Intelligite inſipientes in populo. *Iſa.* 21. Si quæritis quærite. *Amos* 5. Quærite me, & inuenietis. *Oſeæ* 10. Tempus requirendi Dominum eum venerit, quis docebit vos iuſtitiam? 2.

Omnes declinauerunt. Hîc omiſſio ex parte operis, quam tangit duplicem. Primò ex parte ipſius operis abſolutè: ſecundo ex parte operis comparatione ad alios quos non ædificant, nec etiam ſeipſos, ibi, *Simul inutiles.* Dicit ergo ſic: Omittunt quantum ad intellectum & affectum, & etiam quantum ad actum. *Omnes declinauerunt* à bono opere, non tantum aliqui. Similiter loquitur *Ierem.* 6. A minori vſque ad maio- 3. *Declinatur à bono multis modis.*

rem, à Propheta vſque ad Sacerdotem omnes auaritiæ ſtudent. Omnes, inquam, declinauerunt de via iuſtitiæ. *Deut.* 31. Noui quod poſt mortem meam iniquè agetis & declinabitis citò de via quam præcepi vobis. Nota. Declinant enim quidam à caſtitate ad luxuriam, ſicut ſenes, de quibus 13. *Daniel.* Declinauerunt oculos ſuos, ne viderent cœlum, & obliuiſcerentur iuſtorum iudiciorum Dei. Alij declinant à largitate ad auaritiam, de quibus in *Pſal.* Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram. Alij declinant ab humilitate ad ſuperbiam. *Iob* 26. Caue ne declines ad iniquitatem, ſuperbiens ſcilicet: hanc enim cœpiſti ſequi poſt miſeriam. Alij declinant à veritate ad detractionem, & falſitatem, vnde in *Pſal.* Declinantem à me malignum, non cognoſcebam. Sic autem declinantes damnabuntur, ſicut & malè agentes. *Pſal.* Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.

Simul inutiles facti ſunt. Quaſi diceret: Non tantum omittunt bona facere, ſed omnes ſimul ſibi & aliis inutiles facti ſunt. *Simul* dicit, vt notetur eorum omiſſio in ædificando inuicem colligata. *Oſeæ* 12. Colligata eſt iniquitas Ephraim. *Iudic.* 16. Vulpes Samſonis caudas habebant adinuicem colligatas. Facti ſunt autem inutiles quatuor modis. Primò inutilia cogitando. *Michæ.* 2. Væ qui agitatis inutile, & operamini malum in cubilibus veſtris. Deſiderio. 1. *ad Timoth. vlt.* Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & multa deſideria inutilia. Verbo. *Zach.* 10. Simulachra, Prælati ſcilicet, loquuti ſunt inutilia. Omittendo, ſicut hîc tangitur propriè, & *Matth.* 25. Inutilem ſeruum mittite in tenebras exteriores. *Prouerb.* 6. Homo apoſtata vir inutilis, digito loquitur, terit pede, prauo corde machinatur malum. *Amos* 5. Bethel domus Dei, ſed congregatio taurorum erit inutilis. *Eccleſ.* 4. Noli eſſe citatus in lingua, & inutilis & remiſſus in operibus tuis.

Homo inutilis quadruplicitèr.

Non eſt qui faciat bonum. Hîc ſecundum, in quo poſtquam tetigit peccata omiſſionis, tangit & commiſſionis: & ſicut in parte præcedenti primò generaliter, ſecundò deſcendit ad oſtendendum ſpecialiter in quibus commiſerint. *Sepulchrum patens.* In prima duo. Primò omnes generaliter commiſiſſe dicit. Secundò excipit. *Non eſt vſque ad vnum.* Et expone ſicut ſupra, hic ſuperaddito quod quamuis idem dicat, plus tamen ſignificat. Per hoc enim quod dicit hic, *Non eſt qui faciat bonum*, intelligendum eſt, Omnes faciunt malum. Si autem dicat aliquis, quòd hîc tantum generalis omiſſio concludatur, non repugno.

6. *Sepulchrum patens.* Hîc ſpecificat primò quantum pertinet ad malitiam oris, ſecundò quantum ad malitiam operis, ibi, *Veloces pedes eorum.* Tertiò quantum ad malitiam cordis. *Et viam pacis.* Et nota, quòd agitur de malitia Iudæorum, & ſpecialiter tangitur malitia oris ipſorum contra caput Eccleſiæ Chriſtum, quadruplex. Primò malitia in conciliis contra Chriſtum. Secundò in interrogationibus factis Chriſto. *Linguis ſuis.* Tertiò in reſponſionibus datis Chriſto. *Venenum aſpidum.* Quartò in accuſationibus factis de Chriſto. *Quorum os maledictione.* Dicit ergo: Verè mali omnes, quia *ſepulchrum patens eſt*, de quo procedit fœtor, *guttur eorum*, exhalando mala conſilia contra Chriſtum, quibus ſeſe mutuò corrumpebant, & populum. *Ierem.* 12. Cogitauerunt ſuper me conſilia iniqua dicentes: Venite, mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium. *Iob* 31. Si dedi ad peccandum guttur meum, male mihi accidat, ſupple. Et nota, quòd eſt ſepulchrum latens duplex. Abſconditæ ſapientiæ, de quo *Eccleſ.* 30. Bona abſcondita in ore clauſo, quaſi appoſitiones epularum circumpoſitæ ſepulchro. Et occultæ malitiæ, vt hypocriſis. *Matth.* 23. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui eſtis ſicut ſepulchra dealbata, &c. Et eſt ſepulchrum patens duplex. Peruerſæ loquutionis, quæ alios ſcandalizat & inficit, de quo hîc & ſuprà in *Pſal.* 5. Sepulchrum patens, &c. Et peruerſæ operationis in aperto factæ, quæ alios corrumpit. *Ierem.* 5. Pharetra eius, vita ſcilicet, quaſi ſepulchrum patens.

Iudæorum in Chriſtum malitia quadruplex.

Linguis ſuis dolosè agebant. Aſtutas interrogationes, & dolo plenas oſtendendo. *Matth.* 22. Magiſter, ſcimus quia verax es. *Ierem.* 9. Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum loquuta eſt. *Eccleſ.* 11. Multæ ſunt inſidiæ doloſi. *Iſa.* 59. Lingua veſtra iniquitatem fatur.

Venenum aſpidum ſub labiis eorum. In reſponſionibus datis Chriſto, quando interrogati ab eo veritatem occultabant, nec ipſam ſuam malitiam detegebant, quemadmodum factum eſt. *Matth.* 21. Baptiſma Ioannis vnde erat, ex Deo, an ex hominibus? Reſponderunt, malitiam ſuam tegentes, & veritatem occultantes: Neſcimus: hæc enim eſt natura aſpidis vt obturet aures ſuas, vnam cauda, alteram terra, ne audiat vocem incantantis. Sic in iſtis erat malitia aſpidis. *Deuter.* 32. Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile. *Iob* 20. Caput aſpidum ſuget, & occidet eum lingua viperæ. Abſcondunt autem hanc malitiam ſub labiis, & in gutture ſuo ſecundum illud. *Iob* 20. Abſcondit illud ſub lingua ſua. Parcet illi & non delinquet, & celabit illud in gutture ſuo. Et ſubditur: Panis eius, veritas ſcilicet quam non vult manifeſtare, in vtero illius vertetur in fel aſpidum intrinſecus.

Quorum os maledictione. Ecce quartum, in quo peccabant dupliciter, futura mala imprecando quod eſt maledicere, falſa crimina imponendo quod eſt amaricare. Dicit ergo: *Quorum os plenum eſt maledictione*, ipſi Chriſto mala imprecando in iudiciis. *Ioan.* 9. Maledixerunt ei & dixerunt: Tu diſcipulus illius ſis. Et in iudicio coram Pilato: Tolle, tolle, crucifige eum. Propter hoc dicitur *Sap.* 1. Benignus eſt ſapientiæ ſpiritus, & non liberabit maledictum à labiis ſuis. *Oſeæ* 4. Maledictum & mendacium, fructum & homicidium inundauerunt. Ecce plenitudo. 7.

Et amaritudine, blaſphemando, falſa crimina ipſi imponendo, minas etiam addendo. *Oſeæ* 10. Ferietis fœdus cum mendacio, & germinabit quaſi amaritudo iudicium. Et *Deut.* 32. Vua eorum, vua fellis, & botrus amariſſimus: contra illud ad *Epheſ.* 4. Omnis indignatio, &

ira

ira & amaritudo, & clamor & blasphemia tollatur à vobis. Et nota, quòd plenũ dicit os amaritudine, & maledictione, nihil omninò habens benedictionis & dulcedinis, cum tamen dicat *Iacob.* 3, Ex ore procedit benedictio & maledictio. Sed statim addidit tanquam corrigens se: Nunquid fons emanat ex eodem foramine dulcem & amarum aquam? Nec est mirum si os malorum plenum est maledictione & amaritudine, quia fons cordis eorum talibus scaturiens est, emittens illa tanquam per conduductum per arteriam gutturis in receptaculum oris, vt faciant ibi tanquam stagnum vel lacũ, & deriuentur extra per verbum. *Prouerb.* 18. Aqua profunda verba ex ore viri. *Matth.* 12. Ex abundantia cordis os loquitur. Nota ergo, quòd sicut fatuus esset, qui amaro & venenoso humore os impleret, vt alterius ori infunderet, se enim prius affligeret, & grauius: sic fatuus est, qui implet os suum amaris verbis & venenosis, vt alterius auri infundat, & auri noceat: sibi enim primò nocet. *Prouerb.* 12. De fructu oris sui viusquisque replebitur.

Veloces pedes eorum. Hîc agitur de malitia operis, & dicuntur duo secundum duplicem effectum operis mali. Primus est inquinatio animæ suæ per peccatum: secundo obligatio sui ad debitum pœnæ, ibi, *Contritio.* Dicit ergo: Sic peccant ore, & etiam *pedes eorum veloces sunt.* In hoc monstratur pronitas, & vehemens inclinatio, *ad effundendum sanguinem*, ad abundanter perpetrandam culpam animam horribiliter maculantem. *Pouerb.* 1. Pedes eorum ad malum currunt & festinant, vt effundant sanguinem: & sic maculant animam. *Ezechiel.* 16. Vidi te conculcari in sanguine tuo, & dixi tibi cum esses in sanguine tuo: Viue. Ex consuetudine peccandi accidit vt homo non abhorreat magis peccare, quam iustus benefacere: vt homicidæ non magis horreant sanguinem effundere, quam aquam. *August. in Ench. cap.* 95. Peccata quamuis magna & horrenda cum in consuetudinem venerint, aut parua aut nulla esse creduntur, vsque adeo vt non solum non occultanda, verum etiam manifestanda, & prædicanda videantur. *Isa.* 3. Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, &c. 3.

Contritio. Hîc secundum: quia abundanter peccant, & animam maculant, & ob hoc *in viis*, id est, in operibus *eorum* est *contritio*, obligatio scilicet ad pœnam sensus ignis gehennalis, & multæ etiam miseriæ in præsenti. *Ierem.* 17. Duplici contritione contere eos. *Isa.* 30. Conteram eum contritione præualida. Et supra in *Psal.* Dentes peccatorum contriuisti.

Et infelicitas., obligans scilicet ad pœnam damni, vt æterna priuentur fœlicitate, quippe *Sapien.* 3. Sapientiam & disciplinam qui abiicit, infelix est.

Et viam pacis, Hîc subiungitur de malitia cordis in committendo. Quia autem malitia propriè est in affectiua, quæ continet duas vires, concupiscibilem & irascibilem, dicuntur duo. Primò amor mali. Secundò priuatio timoris Dei. *Non est timor.* Dicit ergo: Sic ore, sic opere peccauerunt, & etiam *viam pacis non cognouerunt*, id est, cognoscere noluerunt. Via autem pacis Christus est. *Ioan.* 14. Ego sum via, veritas, & vita. Et ipse pax, vt sit intransitiua constructio. 2. ad *Ephes.* Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Via etiam pacis, perfecta est pœnitentia, quæ ad pacem ducit. *Lucæ* 1. Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. *Prouerb.* 2. Viæ eius, viæ pulchræ, & semitæ eius omnes pacificæ. Has vias non cognoscunt mali aduocati, sed discordiæ & dissentionis vias sciunt, per hoc abnegantes Deum. 1. ad *Corinth.* 14. Non est Deus dissentionis, sed pacis.

Non est timor Dei, per quem à malo resiliant, *ante oculos eorum*, oculos, inquam, cordis. Alibi in *Psal.* Non est Deus in conspectu eius, & propter hoc inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore. Iusti autem semper mortem habent ante oculos, & iudicium, & propter hoc resiliunt à malis. *Gregor.* Electus quisque pene mortuum se considerat, quia fere moriturum non ignorat. Idem de malis. Reproborum mentes idcirco multa nequiter agunt, quia se morituros nequaquam attendunt. *Ecclesiast.* 8. Quia non profertur citò contra malos sententia, idcirco, &c. Et nota, quòd multa sunt quæ specialiter habere debemus in mente, & memoria. Præteritam culpam. *Ierem.* 2. Scito & vide quam amarum est, & malum derelinquisse te Dominum Deum tuum. Hæc consideratio terrorem incutit. Secundum, diuinum iudicium & timor Dei. *Eccl.* 2. Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore. *Iob* 19. Scitote esse iudicium. Hoc peccatum expellit. Tertium, memoria nortis nostræ. *Eccles.* 8. In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Hoc humilitatem introducit. Quartum, lex Dei. *Denter.* 6. Erunt verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo. Et infra, Erunt, & non mouebuntur ante oculos. Hoc lucem immittit. Quintum, Dei beneficium. *Psal.* Quoniam misericordia tua ante oculos meos est. Et maximè Passionis. Ad *Hebr.* 12. Recogitate eum qui talem aduersus semetipsum sustinuit passionem. Hoc ad gratiarum actionem excitat & ad amorem accendit.

Nonne cognoscent omnes. Hîc est secunda pars Psalmi, in qua præmissa persequutione Iudæorum, subiungitur eiusdem persequutionis terminatio. Primum quantum ad subuersos & finaliter malos: secundum quantum ad conuertendos in fine mundi. Vltimo versu, *Quis dabit?* In prima parte quatuor dicuntur. Primo quærendo innuit, quòd cognoscent suam miseriam iam damnati impij Iudæi. Secundo impetatem illorum describit. *Qui deuorant.* Tertiò specificat quid cognoscent. *Quoniam Dominus.* Quartò inuehitur contra illos, ibi, *Consilium.* Dicit ergo sic: Persequuntur Iudæi Ecclesiam in capite & in membris, sed ô Domine *nonne omnes* non solum Iudæi, *qui operantur iniquitatem*, *cognoscent* veritatem, eos miseria & afflictione instruente. Quasi diceret: Sic. *Iob* 36. Reuelabit in tribulatione aurem eius: tunc enim impij Christum cognoscent, quem nolunt agnoscere, quando dicet illis illud *Matth.* 7. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. *Psal.* Cognoscetur Dominus iudicia faciens. *Iob* 2. Videbunt oculi eius interfectorem suum 4.

& cum reddiderit, tunc ſcient. *Sapient.*5. Videntes turbabuntur timore horribili. Et in 6. Horrende, & citò apparebit eis.

Qui deuorant. Hîc ſecundum, in quo intelligit eorum malitiam comparatione ad triplicem potentiam animæ. Comparatione ad concupiſcentem primò, ſecundo comparatione ad rationabilem. *Deum non inuocauerunt.* Tertio comparatione ad iraſcibilem. *Illic trepidauerunt timore.* Dicit ergo: *Nonne cognoſcent* impij *qui* auiditate peruerſe *deuorant plebem meam:* & hoc continuè, *ſicut eſcam panis* continuè deuoramus. Et loquitur in perſona Chriſti. Deuorare autem dicit, quia ſeducunt, rapiunt & occidunt. *Iſa.*3. Vos depaſti eſtis animam meam: & rapina pauperum in domo veſtra eſt. Et in eodem, Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis? *Eccleſiaſt.*34. Panis egentium vita pauperum eſt: qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt. Nec tantùm rapiendo res, ſed perſonas occidendo. *Zach.* 11. Vnuſquiſque carnem proximi ſui vorabit. *Michæ.*3. Comederunt carnem populi mei, & pellem eius excoriauerunt. *Iſa.*9. Philiſtiim, hoc eſt, Iudæi, deuorabunt Iſraël, fideles ſcilicet, toto ore.

5. *Deum non inuocauerunt.* Hîc tangitur peccatum infidelitatis, quod reſpicit rationabilem. Ad *Roman.* 10. Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? *Iſa.*43. Non me inuocaſti Iacob. Propter hoc exclamat *Ierem.*10. Domine nomen tuum non inuocauerunt, qui comederunt Iacob & deuorauerunt eum, quem ſi inuocaſſent, ſalui fuiſſent. *Ioël.* 3. Et ecce omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.

Illic trepidauerunt timore. Ecce puſillanimitas quæ reſpicit iraſcibilem, cuius eſt audacter inſurgere contra malum, & aſpera ſuſtinere. Et tangitur duplex timor. Corporis, qui dicitur trepidatio: & mentis, qui propriè dicitur timor: & vtrumque ſine cauſa. Dicit enim: Sic fuit infidelitas, & etiam *illic trepidauerunt* toto concuſſi corpore, & timore exiſtente in mente, *vbi non erat timor*, id eſt, timoris cauſa. Timuerunt enim Iudæi amittere temporalia pro quibus nullo modo timendum eſt. *Matth.* 10. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Sed impletum fuit in eis illud *Deuter.*18. Dabit tibi Dominus Deus tuus cor pauidum, & timebis nocte & die, & non credes animæ tuæ. *Leuit.* 26. Terrebit eos ſonitus folij volantis. *Iob* 15. Sonitus terroris ſemper in auribus eius. Tales ſunt, qui timent aggredi pœnitentiam, & tamen non timent gehennam. *Iob* 6. Qui timet pruinam, irruet ſuper eum nix. Et 26. Cum vix paruam ſtillam ſermonis eius audiremus, illam, inquam, ſtillam, de qua *Matth.*4. Agite pœnitentiam, &c. Tonitruum magnitudinis eius quis poterit intueri? Illud, inquam, tonitruum de quo eiuſdem 25. Ite maledicti, &c.

6. *Quoniam Dominus.* Ecce tertium, in quo ſpecificat quid cognoſcent. Quaſi diceret: Cognoſcent impij & tales impij, *quoniam Dominus eſt in generatione* qualibet: ſed in iuſtis eſt etiam per gratiam in præſenti. 1. *Ioan.* 4. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Et per gloriam erit in futuro. In eodem, In hoc perfecta eſt charitas Dei nobiſcum, vt fiduciam habeamus in die iudicij, quia ſicut ille eſt, & nos ſumus. Hæc eſt generatio quæ ex Deo nata eſt. 1. *Ioan.*5. Qui natus eſt ex Deo, non peccat, ſed generatio Dei conſeruat eum. Hæc eſt illa, de qua *Sapient.*4. O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate! Hæc eſt quæ deſcribitur *Ioan.* 1. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui non ex ſanguinibus, &c. In hac autem generatione eſt ſicut Rex in regno. *Apocalypſ.* 15. Feciſti nos Deo noſtro regnum. *Luc.* 17. Ecce regnum Dei intra vos eſt. Item vt architectus in ædificio, & agricola in agro. 1. ad *Corinth.* 3. Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis. Sicut ſacerdos, vel Deus in templo. 1. ad *Corinth.* 3. Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Et benedicitur, *in generatione iuſta:* quia niſi ſit iuſtus in gratia, indignus eſt Dei præſentia. Vnde Gloſſa ſuper canonicam *Ioan.* Nec enim locus Deo in anima eſt, niſi mediis quibuſdam virtutibus interiectis. Vnde *Pſal.* Iuſtitia & iudicium præparatio ſedis tuæ. Ad *Epheſ.* 3. Habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris. Domino quoque ſeſſuro ſuper aſellum, Diſcipuli veſtes ſuas ſubſtrauerunt, Saluatorem ſignantes nequaquam inſidere nudæ animæ, quam non veſtitam inuenerit Apoſtolorum moribus & doctrinâ. *Matth.*11.

Præſentia Dei in iuſtis variè figurata.

Ad hanc præſentiam neceſſaria eſt gratia.

Conſilium inopis. Hîc eſt quartum, in quo inuehitur Propheta contra Iudæos: quia Chriſti conſilium ſpreuerunt, & dicuntur duo. Primò contemptus conſilij Chriſti. Secundò cauſa contemptus, in quo eorum iniquitas aggrauatur. *Quoniam Dominus*, &c. Dicit ergo ſic: Cognoſcent quia Dominus iuſtus eſt, & ô vos Iudæi, *confudiſtis*, à vobis repellendo, *conſilium inopis*, hoc eſt, Chriſti, qui dicit alibi in *Pſal.* Inops & pauper ſum ego. 2. ad *Corinth.*8. Qui cum diues eſſet omnium, pro nobis egenus factus eſt. Conſilium ergo eius de voluntaria paupertate confudiſtis, tanquam cupidi. *Matth.*19. Si vis perfectus eſſe, vade & vende, &c. Sed vos eſtis de quibus dictum eſt: Qui deuorant plebem meam, &c. *Prouerb.*1. Deſpexiſtis omne conſilium meum. *Quoniam Dominus.* Quaſi dicat: Conſilium confudiſtis. *Quoniam Dominus ſpes eius eſt*, id eſt, quia ſe ſperare in Domino aſſerebat omninò. *Matth.*26. Confidit in Deo, liberet eum ſi vult. *Sapient.*3. Tentemus quæ ventura ſunt illi: ſi enim eſt verus filius Dei, ſuſcipiet illum, & liberabit illum de manu contrariorum. Sic hodie conſilium eorum contemnitur, qui totam ſpem in Deum proiiciunt, non in diuitiis huius mundi ſicut diuites. 1. ad *Timoth. vlt.* Diuitibus huius mundi præcipe non altum ſapere, nec ſperare in incerto diuitiarum.

7. *Quis dabit ex Sion.* Hîc ſecundum, in quo agitur de terminatione malitiæ quantum ad conuertendos: & dicuntur duo. Primò aſſerit, quòd aliqui à Chriſto conuertentur. Secundò conuerſionis effectus oſtenditur. *Cum conuerterit.* Dicit ergo: Si terminabitur malitia in obſtinatis, & etiam *quis ex Sion* procedens, *dabit*

ſalutare

ſalutare Iſraël ? niſi ille quem ſic perſequuti ſunt ? Quaſi diceret : Nullus. Chriſtus enim ex Sion, id eſt, de Iudæis quorum Sion caput erat, proceſſit. *Ioan.* 4. Salus ex Iudæis eſt. *Iſa.*46.Dabo in Sion ſalutare meum,& in Ieruſalem gloriam meam. Quis ergo dabit ſalutare liberans à captiuitate culpæ ? Ad *Rom.* 11. Veniet ex Sion qui eripiat & auertat captiuitatem ex Iacob, conferens abundantiam iuſtitiæ. *Eccleſ.*30. Salus animæ in ſanctitate iuſtitiæ, dans beatitudinem in collatione gloriæ. *Prouerb.* 8. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.

Cum auerterit. Hîc ſecundum, in quo tangitur effectus duplex conferens ad conuerſionem. Lætitia exterior primò, ſecundò interior. *Et lætabitur.* Dicit ergo ſic : Dabit Dominus ſalutare, ſed tunc cum Dominus *auerterit*, à malo infidelitatis, *captiuitatem plebis ſuæ*, electæ videlicet de Iudæis. *Exultabit Iacob* exterius lætitiam oſtendendo,*& lætabitur*,interius in corde, *Iſraël.* Idem per Iacob & Iſraël deſignatur. *Iſa.* 35. De vtraque lætitia : Lætabitur deſerta & inuia, & exultabit ſolitudo. Tunc impletum erit quod dicitur *Iſa.*10.& 10. ad *Roman.* Reliquiæ Iſraël ſaluæ fient. Reliquiæ, inquam, Iacob. Et nota, quòd per Iacob qui luctator interpretatur, ſignificantur laborantes in actiua: per Iſraël qui interpretatur videns Deum, vacantes contemplatiuæ. In hoc ergo duo deſignantur moraliter loquendo. Primò quod debemus eſſe Iacob, actiui videlicet, poſtmodum Iſraël contemplatiui. *Act.*4. Per multas tribulationes oportet intrare in regnum Dei. 2. ad *Timoth.vltimo.* Non coronabitur niſi qui legitime certauerit. Notatur etiam,quòd de vtriſque, actiuis ſcilicet & contemplatiuis aliqui ſaluabuntur. *Matth.*24. Duæ in mola : vna aſſumetur, & altera relinquetur. Hoc quantum ad actiuam. Duo in lecto : vnus aſſumetur, & alter relinquetur. Hoc quantum ad contemplatiuam.

Vita actiua & contemplatiua.

IN XIV. PSALMVM.

Pſalmus Dauid.

1. *Ordo & argumentum Pſalmi, iuſtorũ remuneratio.*

DOmine quis habitabit in tabernaculo tuo? Hic eſt Pſal. 14. in quo, poſtquam actum eſt de malitia Anti-Chriſti & membrorũ eius, tam Iudæorum quam Gentilium, ſubiungitur de remuneratione bonorum perſeuerantium & finaliter ſuſtinentium. Vnde intitulatur Pſalmus iſte ſimpliciter, *Pſalmus Dauid.* Oportet enim eſſe manu fortem:& eſt diuino cõſpectui deſiderabilis, qui ſuſtinet tribulationes patienter.*Prouerb.*16.Melior eſt patiens viro forti,&c.

Pſalmus autem diuiditur in duas partes. In prima ponitur interrogatio de præmio & remuneratione. In ſecunda ſubiungitur reſponſio, ibi, *Qui ingreditur.* In prima parte tanguntur duo ſecundum duo quæ quærit. Primò *quis habitabit* in Eccleſia triumphante:ſecundo quia habitare parum eſt, niſi quis requieſcat in eadem, ibi, *aut quis requieſcet.* Dicit ergo : Sic mali bonos perſequuntur, ſed ô *Domine quis* tot & tantas pertranſiens perſequutiones, *habitabit in tabernaculo tuo ?* cœlo ſcilicet. Tabernaculum enim multipliciter accipitur in Scriptura. Vterus Virginis.*Eccleſ.*24. Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. Humanitas Chriſti.*Pſal.*In ſole poſuit tabernaculum ſuum. Mens viri iuſti. In *Pſal.* Circuiui & immolaui in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis. Corpus humanum. 1. *Pet.* 2. Scio quod velox eſt depoſitio tabernaculi mei. Ad *Hebr. vltimo.* Habemus altare de quo non habent edere poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt. Corporis. Dicit *Gloſſa.* Militans Eccleſia. *Apoc.* 21. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. Et triumphans, ſicut hîc dicitur. Et *Luc.*16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt recipiant vos in æterna tabernacula. *Hieronym.* Tabernaculum hîc pro æternitate accipimus. Et recte tabernaculum dicitur : quia tabernaculum dicitur à taberna & cœnaculo. Taberna enim eſt locus potus,ſicut cœnaculum cibi locus. In cœlo autem vtrumque abundanter erit. *Iſa.* 25. Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium medullatorum, & vindemiæ defæcatæ. Ecce cœnaculum & taberna.*Iſa.*33.Oculi tui videbunt Ieruſalem ciuitatem opulentam : tabernaculum quod nequaquam transferri poterit. Eccleſia etiam militans, de qua legitur. Hæc autem tabernaculum rectè dicitur, quia ibi comeditur caro Chriſti,& ſanguis eius potatur.*Zachar.*9. Quid pulchrum niſi frumentum electorum, ecce cibus : & vinum germinans virgines, ecce potus. Ecce cœnaculum & taberna. Item, ſicut dicit Iſidorus, tabernæ olim vocabantur ædiculæ plebeiorum & pauperum,& hoc bene competit Eccleſiæ militanti, in qua non ſunt niſi pauperes panem ſuum continuè mendicantes. *Matth.*6. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Sed quia parum eſt habitare, niſi in pace, ſubiungitur.

Multiplex ex Scriptura tabernaculum.

Cur vtraque Eccleſia dicitur tabernaculũ.

Aut quis requieſcet in monte ſancto tuo, cœlo ſcilicet. *Prouerb.*1. tanguntur iſta duo : abundantia & requies : Qui me audierit, abſque terrore requieſcet, & abundantia perfruetur. Et dicitur cœlum empyreum mons, quia nihil inter ipſum & verum ſolem interponitur. 1. ad *Cor.* 13. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Item propter eminentiam ſummam. *Eccleſ.*1. Altitudinem cœli, & latitudinem terræ, & profundum abyſſi quis dimenſus eſt ? Et propter firmitatem. *Deut.* 32. Introduces eos & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmiſſimo habitaculo tuo. *Iob* 24. Cœli ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt. In hoc autem monte, & ſolum in hoc eſt vera requies animarum. *Auguſt.* Confeſſ.lib.1. Feciſti nos Domine ad te,& inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. Et in 2. Quæ quies certa præter Dominum ? Et in 6. in fine, Verſa & reuerſa in tergum, in ventrem, in latera, & dura ſunt omnia, & tu ſolus requies. *Eccleſ.*24. In omnibus requiem quæſiui, & in hæreditate Domini morabor. Requies mala. Temporalis abundantiæ, quæ occaſio mali, *Luc.*16. Requieſce, comede, epulare, &c. Culpæ,quæ ſequitur ex illa. *Ierem.*48. Futilis Moab ab adoleſcentia ſua, requieuit in ſenſibus ſuis. Bona.Pœnitentię.*Iſa.*1.Quieſcite agere peruerſe,diſcite bene facere. Contemplationis. *Pſal.*

Quare empyreum dicitur mons.

Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, &c. Gloriæ. *Pſal.* In pace in idipſum dormiam & requieſcam. *Apoc.* 14. Amodo iam dicit ſpiritus vt requieſcant à laboribus ſuis.

2. *Qui ingreditur.* Hîc ſubiungitur reſponſio: & primò deſcriptio habitantium & requieſcentium, quantum ad ſtatum perfectorum. Secundò quantum ad ſtatum imperfectorum, ibi, *Timentes.* Tertiò concludit quantum ad vtrumque ſtatum. *Qui facit hæc.* In prima facit duo. Primò tangit quod pertinet ad rectitudinem. Secundò contraria remouet, ibi, *Nec fecit proximo ſuo malum.* In prima duo. Primò tangit quod pertinet ad rectitudinem voluntatis. Secundò quod ad rectitudinem rationis. *Qui loquitur veritatem.* Rectitudo autem veritatis duplex: vna interior in corde voluntatis abſolutè: alia exterior in operatione voluntatis, ſcilicet progreſſiuè. Dicit ergo ſic: Quæſiui, ſed inſtructus à te veritate, reſpondeo: *Qui ingreditur ſine macula.* Quaſi dicat: Qui ingreditur, debet eſſe ſine macula venialis & actualis culpæ. *Iob* 11. Si non permanſerit in tabernaculo tuo in iuſtitia, tunc leuare poteris faciem tuam abſque macula. Et quamuis ſicut dicitur *Eccleſ.*7. Non eſt iuſtus ſuper terram, qui non peccet, tamen oportet quod qui ingreditur Eccleſiam triumphantem, ſine macula ſit. *Apoc.* 14. Sine macula ſunt ante thronum Dei. Propter hoc dicitur in *Pſal.* Beati immaculati in via. *Iſa.* 52. Non adiiciet vt pertranſeat vltra per ſe incircunciſus & immundus. *Eccleſ.*31. Beatus diues virtute, qui inuentus eſt ſine macula.

Et operatur iuſtitiam. Ex ordinata voluntate. *Mich.*6. Indicabo tibi homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: vtique facere iudicium: & nihil aliud eſt iuſtitia. *Pſal.* Beatus qui cuſtodit iudicium, & facit iuſtitiam in omni tempore.

Qui loquitur veritatem. Hîc tangit rectitudinem rationis. Primò inquantum eſt interius abſoluta. Secundò inquantum exterius progreſſiua, ibi, *Qui non egit dolum.* Dicit ergo ſic: Ingredientem oportet eſſe mundum & voluntate, & opere: & cum his oportet, quod ingrediens ſit.

3. *Qui loquitur veritatem in corde ſuo.* Eſt enim veritas cordis, rectitudo ſcilicet rationis, de qua poteſt intelligi illud *Eccleſ.*27. Ante omnia verbum verax præcedat opera tua. Contra hypocritæ qui veritatem habent in ore non in corde. *Iſa.*29. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Et propter hoc non exaudientur: Deus enim ad veritatem cordis reſpicit, non oris. *Pſal.* Prope eſt omnibus inuocantibus eum in veritate.

Qui etiam *non egit dolum in lingua ſua.* Ratione ſermonem à lingua formatum ordinante. 1. *Mach.vlt.* Loquutus eſt ad eum verba pacifica in dolo. *Ierem.*9. Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum loquuta eſt. Et nota, quòd cum ſermo ſit medium cogitationis & operis, dupliciter ſit doloſus, comparatione ad cogitationem, cum aliud dicitur & aliud cogitatur. Vnde *Hieronymus*, Ille doloſè agit in lingua, qui aliud cogitat, aliud dicit. Et *Auguſt.* idem hic in Gloſſa. Vel comparatione ad opus, vt cum aliud dicitur, & aliud fit. Vnde *Hieronymus*, Quoniam non egit dolum in lingua, vt quæ loquutus eſt ore, compleat opere. Primò modo adulantes decipiunt proximos. *Iſa.*4. Populo meus qui beatum te dicunt, ipſi te decipiunt. Secundò modo doloſi ſunt promittentes, & non ſoluentes quæ promittunt. *Prou.*25. Nubes & ventus & pluuiæ non ſequentes: vir glorioſus & promiſſa non ſoluens nec complens. *Eccleſ.*4. Noli citatus eſſe in lingua tua, & inutilis & remiſſus in operibus tuis.

Sermo medius inter cogitationẽ & opus ſit dupliciter doloſus.

Nec fecit. Hîc ſecundum, in quo tactis bonis quæ ſunt in perfecto viro, oſtendit mala quæ remouentur ab illo, & dicuntur duo. Primò, quòd nullum malum ex ſe facit. Secundò, quòd nec conſentit facienti. *Et opprobrium.* Dicit ergo ſic: Oportet eſſe bonum ingredientem, perfectum, & etiam qui talis ſit, quòd nec fecerit proximo ſuo malum, multò fortius nec ſibi. 1. ad *Theſſal.*4. Ne quis ſupergrediatur aut circumueniat fratrem ſuum. Talis erat *Paulus* 2. *ad Cor.*7. Neminem læſimus, neminem corrupimus, neminem circumuenimus. Et dicit minus, & plus ſignificat. Non enim ſufficit non facere malum proximo, ſed neceſſe eſt bonum exhibere. *Leuit.* 19. Dilige amicum tuum. Alia litera, Proximum. *Matth.*5. Diligite amicos veſtros & benefacite iis qui oderunt vos. *Senec.* ad Lucil. Membra ſumus corporis magni, natura nos cognatos edidit, cum ex eiſdem & in eadem gigneret. Hinc nobis amorem indidit mutuum & ſociales fecit. Ex illius conſtitutione miſereri eſt neceſſe, quam lege, hîc in pectore, hîc in ore: ſic homo ſum, nihil humanum à me alienum puto. Sed vt idem Seneca dicit,

Natura ad charitatem inclinat nos, illam corrumpimus.

——— *Non hoſpes ab hoſpite tutus,*
Non ſocer à genero, fratrum quoque gratia rara eſt.

Sumpſit hæc ab Ouidio.

Et ſanguini eorum non parcitur, pro quibus ſanguis fundendus eſſet. *Michæ.*7. Omnes inſidiantur ſanguini. Vir fratrem ſuum venatur ad mortem.

Et opprobrium. Hîc tertium, in quo oſtendit, quòd nec facienti conſentit perfectus: in quo ſunt duo. Primò, quòd detrahenti proximo non conſentit. Secundò, quòd nec ſuggerenti diabolo conſentit. *Ad nihilum deductus eſt.* Dicit ergo ſic: Malum proximo non fecit perfectus qui ingreditur, & etiam *opprobrium* à detrahente, & deferente de proximo, *non accipit*, cum illo detrahendo, ſed magis continuit, iuxta illud *Sap.*1. A detractione parcite linguæ. *Eccleſ.*19. Audiſti verbum aduerſus proximum tuum, commoriatur in te: fidens quia non diſrumpet te. Imo etiam non recipit detrahentem, ſed magis confudit eum, & detractionem annihilauit: fouentes enim detractores, detractiones libenter audiunt. *Hieron.* Si deeſſet auditor, deeſſet & detractor. *Rabanus*, Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius non facile dixerim. Propter hoc dicitur *Eccleſ.* 28. Sepi aures ſpinis, & noli audire linguam nequam, ſed magis diſſipa, & deſtrue illam. *Prouerb.* 25. Ventus aquilo diſſipat pluuias, & facies triſtis linguam detrahentem.

Ad nihilum. Ecce ſecundum. Quaſi ſic diceret: Repellit detrahentem, & etiam quod maius 4.

eſt,

eſt, *malignus*, diabolus ſcilicet, & membra eius, ſuggerens malum, *ad nihilum deductus eſt*, non ſubſtantia ſua & natura, ſed quantum ad potentiam & virtutem. *In conſpectu eius* ſuggeſtionibus aſſenſum præbendo. *Iob* 29. Conterebam molas iniqui ſuggerentis mihi malum, & de dentibus eius auferebam prædam. Etiam retrahendo illum qui præbuerat conſenſum. *Ioan.*2. Scribo vobis iuuenes, quia viciſtis malignum. *Deuter.*28. Dabit Dominus inimicum tuum corruentem in conſpectu tuo. Hæc autem annihilatio fit per timorem Dei, per quem declinatur à malo. *Prou.*15. Per timorem Dei declinat omnis à malo.

Timentes autem Dominum. Hîc ſecundum. Determinatis enim conditionibus per quas perfectis eſt ingreſſus, ſubiungitur de conditionibus ad imperfectos pertinentibus: non enim ſolum perfecti habitabunt in tabernaculo, & requieſcent in monte ſancto, ſed & imperfecti. Et tanguntur tres conditiones talium. Prima pertinet ad cor: ſecunda ad os. *Qui iurat.* Tertia ad opus. *Qui pecuniam.* Dicit ergo ſic: Intrabunt perfecti, nec tantum iſti: imò *Dominus glorificat timentes Dominum. Eccleſiaſt.*1. Timor Domini & gloria & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. Prima iſtarum cauſa eſt, ſiue occaſio vel præparatio ad hoc. Eſt autem timor imperfectorum. 1. *Ioan.*4. Perfecta charitas foras mittit timorem. *Eccleſ.* 1. & in *Pſal.* Initium ſapientiæ timor Domini. Et 28. Timor Domini ipſe eſt ſapientia, & recedere à multo intelligentia. *Hieronym.* autem ſic dicit: Hinc diſcamus iuſtos laudare ſi iuſti ſumus. Et vult dicere, quòd vir iuſtus glorificat timentes Dominum. Vnde idem *Hieronym.* Iuſtus timentes Dominum magnificat, quia ſcit inhabitare Deum. Boni enim à nobis laudandi ſunt & glorificandi. *Prouerb.* 10. Memoria iuſti cum laudibus. Verbum enim ſemen eſt. *Act.*17. Quid vult ſeminiuerbius hic dicere. Verbum ergo laudis ſemen bonum eſt, quod ſeminatur in illum qui laudatur, & ſi bona terra eſt, affert fructum. *Luc.*8. Quod in terram bonam cecidit, hi ſunt qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt. Stultiſſimi autem ſunt qui in mala terra, hoc eſt, in malis hoc ſemen ſpargunt. *Pſal.* Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ. Huc accedit illud *Aggæ.*1. Seminaſtis multum, malos commendando, & intuliſtis parum, nihil reportando.

5. De iuramenti vſu.

Qui iurat proximo ſuo. Hîc ſecundum quod pertinet ad os, ſcilicet iurare ſine deceptione: iurare enim imperfectionis eſt, ſed falſum iurare iniquitatis eſt: omnino non iurare perfectionis, niſi in caſu, ſicut iam dicetur. *Matth.*5. Ante omnia nolite iurare, ſed ſit ſermo veſter, Eſt, eſt, non non: quod amplius eſt, à malo eſt, eius ſcilicet cui iuratur. Sed nulla deceptio ex parte iurantis debet eſſe. *Leuit.*19. Non decipiet vnuſquiſque proximum ſuum. *Eccleſ.* 23. Si fruſtrauerit aliquis fratrem ſuum, delictum ſuper ipſum erit. *Ezechiel.* 17. Qui diſſoluit pactum, nunquid effugiet? Quaſi diceret: Non. *Zachar.*8. Iuramentum mendax ne diligatis.

Et eſt notandum hîc, quòd aliquando iuratur pro proximo cum rectè purgatur à crimine, ſuper quo accuſatur. Iuratur contra proximum vt rectè conuincatur. Quæ iuramenta poſſunt eſſe perfectorum. Tertiò etiam modo cum compellûtur eſſe teſtes: non enim eſt teſtis niſi iuratus. Iuratur autem proximo, cum ei promittitur aliquid, quod ſine iuramento debet fieri à perfectis, cum iuramento ab imperfectis. *Auguſt.* Falſa iuratio criminoſa, vera periculoſa, nulla ſecura. Qui non iurat, non peccat, imò longè eſt à peccato: ſed qui vere iurat, prope eſt vt peccet. Eſt autem iuramentum, ſicut dicit Caſſiodorus, ſub atteſtatione diuina aliquid polliceri. Notandum autem, quòd ſpecialiter iurare licet multis de cauſis. Pro veritate confirmanda: ſic legimus iuraſſe Paulum 2. ad *Cor.* 1. Teſtem Deum inuoco in animam meam, quod parcens vobis non veni vltra Corinthium. Pro pace confirmandâ. Sic Iacob iurauit Labam *Geneſ.*31. Iurauit Iacob per timorem patris ſui Iſaac. Pro amicitia conſeruanda: ſic Abimelech & Ocozath & Phicol dux militum iurauerunt Iſaac, & ipſe eis. *Geneſ.*26. Mane ſurgentes iurauerunt ſibi mutuo, dimiſitque eos. Pro veritate in iudicio aſtruenda. *Deut.*19. In ore duorum, aut trium teſtium ſtabit omne verbum. Sed non eſt teſtis niſi iuratus. Pro calumnia vitanda, vt in principio litis iurant ſuſpecti, quod non impedient aduerſarium iniuſtè. Ad *Hebr.* 6. Omnis controuerſiæ finis ad confirmationem eſt iuramentum. Pro fidelitate ſeruanda, vt quando aliquis princeps conſtituitur. 2. *Reg.* 5. Venerunt ſeniores de Iſraël in Hebron ad Regem, & percuſſit Rex cum eis fœdus coram Domino. Pro obedientia ſeruanda, vt quando quis fit Epiſcopus, iurant ei ſubditi clerici. Pro conſeruatione & confirmatione promiſſi. In *Pſal.* Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum. Pro purgatione ſuſpicionis de crimine per manum quintam vel ſextam. *Deut.* 21. Lauabunt vel leuabunt manus ſuas ſuper vitulum, & dicent, Manus noſtræ non effuderunt ſanguinem hunc. Pro conſuetudine conſeruanda, ſicut canonicus cum inſtallatur, iurat ſe ſeruaturum Eccleſiæ ſtatuta.

Quibus de cauſis iurandum.

Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram. Hîc tangitur quod eſt ex parte operis: & tanguntur duo, quorum primum reſpicit exhibitionem beneficij in infimo gradu: ſecundum innocentiam vel carentiam inferendi malum, ibi, *Et munera.* Dicit ergo ſic: Qui iurat & non decipit, glorificabitur, ſi hoc etiam habuerit quod fuerit, *qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram*, hoc eſt, ſi pecuniam ſuam dedit ad mutuum, ſed ſic quod mercedem non accepit, ſecundum illud *Luc.* 6. Date mutuum nihil inde ſperantes. *Ezech.*18. Si vſuram & omnem abundantiam non acceperit. Dare enim ſimpliciter perfectorum eſt, mutuari imperfectorum, ſed nolle dare vel mutuare, ſed accipere pro mutuò, iniquum. Nec eſt contrarium illud quod dicitur *Deut.* 23. Non fœnerabis proximo, ſed alieno: illud enim permiſſum fuit de minori malo, ſicut dare libellum repudij. *Deut.* 24. Sed poſtmodum promotum eſt, vt tandem ſimpliciter vſura prohiberetur. Sicut hîc per Dauid, & *Ezech.* in 18.

Multiplex vſura. Et notandum, quòd eſt multiplex vſura. Pecuniæ, ſicut hîc tangitur. Culpæ, de qua in *Pſal.* Ex vſuris & iniquitate redimet animas eorum, &c. Doctrinæ. *Luc.*19. Quare non dediſti pecuniam meam ad vſuram? Eleemoſynæ. *Pronerb.*19. Fœneratur Domino qui miſeretur pauperis. Quia *Matth.*19. dicitur, centuplum accipiet & vitam æternam poſſidebit. Et nota, quòd dicit *ſuam*, non quia liceat alicui dare pecuniam alienam ad vſuram, ſed vt notaret quod duplex eſt vſura. Vna ſortis, quando aliquis pro viginti accipit triginta. Alia vſura, quando ipſas vſuras conuertunt quaſi in ſortem, & propter ipſas etiam accipiunt vſuras, & vocatur improbum fœnus, & tales vſuras exercens infamis fit ipſo iure.

Et munera. Quaſi ſic diceret: Beneficium exhibuit, ſed nec nocuit in hoc vt munera ſuper innocentem acciperet pro eius innocentia conſeruanda. Vel *ſuper innocentem non accepit*, id eſt, contra innocentem: nullo enim modo accipere munera perfectorum eſt. *Iſa.*33. Qui excutit manus ſuas ab omni munere, hic in excelſis habitabit. Accipere, ſed non contra innocentem, imperfectorum eſt, ſed accipere etiam ad ſubuertendum iuſtitiam, eſt iniquum. *Prouerb.*17. Munera de ſinu ipſius accipit, vt ſubuertat ſemitas iudicij. *Iob* 15. Ignis deuorabit tabernacula eorum qui libenter munera accipiunt. Tales enim & iuſtitiam corrumpunt, & ſeipſos. Municeps enim corrumpitur ex duobus corruptis ſecundum Donatum. Talis excommunicatur. *Deuter.*27. Maledictus qui accipit munera vt percutiat animam innocentis ſanguinis: & dicet omnis populus, Amen. Item excæcantur. *Exod.*23. Non accipies munera quæ excæcant etiam prudentes, & ſubuertunt verba iuſtorum. Item in futuro iudicio damnabuntur. *Iſa.*5. Væ qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti aufertis ab eo. Poſt iudicium æterno igne cruciabuntur, ſicut dictum eſt *Iob* 15. Ignis deuorabit, &c.

6. *Qui facit hæc.* Hîc tertium, ſcilicet generalis concluſio tam ex parte perfectorum quam ex parte imperfectorum. Quaſi diceret: Qui facit hæc, id eſt, qui per imperfectorum gradus aſcenderit ad ſtatum perfectorum, & per illum vſque ad ſummum ſicut ſunt ordinati, *non mouebitur in æternum*, ab ipſo tabernaculo & monte Dei. *Prouerb.*10. Iuſtus non commouebitur in æternum. Talis enim filius Dei efficitur, non remanens ſeruus peccati. *Ioan.* 8. Non manet ſeruus in domo in æternum, ſed filius in domo manet in æternum.

Et nota, quòd dicit: *Qui facit hæc*, non qui audit. Ad *Roman.*2. Non auditores verbi, ſed factores iuſti ſunt apud Deum. *Iacob.*1. Eſtote factores verbi & non auditores tantum, fallentes voſmetipſos. *Matth.* 7. Omnis qui audit & facit, ſimilis eſt homini ædificanti domum ſuam ſuper petram, Chriſtum ſcilicet. 1. ad *Cor.*10. Petra autem erat Chriſtus.

IN XV. PSALMVM.

1. ### *Inſcriptio tituli ipſi Dauid.*

2. *Ordo & argumentum Pſalmi, poſt perſecutiones gratia liberans ab infirmitatibus.* *Conſerua me Domine.* Hic eſt Pſalmus decimuſquintus, in quo poſtquam determinatum eſt de liberatione Eccleſiæ ab impugnantibus Gentilibus & Iudæis, ſubiungitur conſequenter de gratia liberante ipſam ab infirmitate retrahente ipſam à bono, & hoc per Chriſtum. Per Chriſtum enim infunditur gratia, per quam infirmitates in bonum conuertuntur, vt iam non retrahant à Deo, ſed magis ad Deum nos impellant. Et hoc deſignatur ſatis in titulo qui talis eſt, *Inſcriptio tituli ipſi Dauid*, hoc eſt, non materiali Dauid, ſed vero, aſcribendum eſt bonum de quo agitur in hoc *Pſal.* Regula enim eſt, quod vbi diſcretiuum nomen, ipſum, additur Dauid, intelligatur non materialis Dauid, ſed ſpiritualis, ſcilicet Chriſtus. In hoc autem modo intitulandi Pſalmos videtur Eſdras ſpiritu Prophetico ſubſannaſſe Iudæos, qui Chriſtum non crediderunt Regem & caput Eccleſiæ, à quo in eam influeret omne bonum, & intellexiſſe ſpiritu Prophetico factum Pilati, qui ſcripſit titulum & appoſuit ſuper caput Chriſti crucifixi: *Hic eſt Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*, non alius. Vnde volentibus vt corrigeret, imò magis vt corrumperet titulum, non acquieuit, dicens: Quod ſcripſi, ſcripſi. *Ioan.*9. Et nota Gloſſam *Hieronym.* triplicem titulum diſtinguentem. Tres enim ſunt tituli: cadit autem titulus hic ſub tertia ſpecie, quia ad præconium Chriſti pertinet, ſicut ille qui poſitus eſt in cruce. Pſalmus autem diuiditur in tres partes. Primò, oratio Chriſti ad Patrem in quantum homo eſt, pro ſui conſeruatione, & ſuorum. Secundò oſtendit ſe exauditum narrando beneficia à Deo ſibi exhibita, & exhibendi modus, ibi, *Sanctis qui ſunt.* Tertiò gratiarum actio pro bonis exhibitis, ibi, *Benedicam Dominum*, &c. In prima duo. Primò petitio. Secundò probatio, quod debeat exaudiri, ibi, *Quoniam ſperaui.*

Dicit ergo: O *Domine conſerua me*, id eſt, me cum membris meis ſerua. Sic orauit *Ioan.*17. Pater ſerua eos quos dediſti mihi. Et exauditus eſt. Seruauit enim eum Deus Pater, & ſuos. *Sap.* 10. Sanctum & iuſtum conſeruauit ſine querela. In hoc nos inſtruit, vt non tantum pro nobis oremus, ſed alios adiungamus. Sic orabat *Eſther* 7. Da mihi animam meam pro qua rogo, & populum meum pro quo obſecro. *Gregor.* Preces ſuas plus valere facit, qui eas pro aliis impendit.

In hoc etiam oſtendit, quòd qui cum aliis viuit, ſi ſint boni, facilius ſeruatur à peccato. Quaſi diceret: O Domine me cum aliis exiſtentem ſerua. *Matth.*18. Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Hinc arguit Salomon *Eccleſ.*4. Melius eſt ergo duos, id eſt, plures ſimul eſſe quam vnum: habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ. Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ ſoli: quia cum ceciderit, non habet ſubleuantem. Notatur etiam, quòd libero arbitrio Deus cooperatur, vt ſit ſenſus: Domine conſerua me, & hoc mecum, ita ſcilicet quod ego cooperer tibi. 1. ad *Corinth.*3. Dei coadiutores ſumus.

Tritlex ex audienda oratione ratio. *Quoniam ſperaui in te.* Hîc tangitur triplex initium per quod probat ſe exaudiendum. Primò per ſpem quam habet in Deo. Secundò per fidei confeſſionem. *Dixi Domino.* Tertiò propter humili

humilitatem. *Quoniam bonorum.* Dicit ergo ſic: *Conſerua me Domine*, & debes, *quoniam ſperaui in te:* & tu es, qui faluos facis ſperantes in te. Alibi in *Pſal.*1. *Machab.*2. Omnes qui ſperant in Domino, non infirmantur. Et potes hoc facere ſolo verbo. *Sapient.*16. Sermo tuus qui in te crediderunt, conſeruat. Et nota, quòd dicit, *Speraui in te*, vt notetur ſpes formata. Eſt enim ſpes veniæ quæ procedit ex fide miraculorum qua credimus Deum eſſe, & ſperamus eum futurum miſericordem. Et eſt ſpes gratiæ quæ procedit ex fide promiſſiorum, qua credimus Deo, & ſperamus futurum veracem. Et eſt ſpes gloriæ, quæ procedit ex adimpletione mandatorum cum fide formata, & facit animam tendere in Deum. De hac loquitur hic.

Triplex ſpes.

Dixi Domino. Hîc ſecundum. Quaſi diceret ſic: Non tantum ſperaui, ſed dixi & corde & ore, non contradicendo opere, *Deus meus es tu.* Ad *Roman.*8. Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Sic tamen vt opus adiungatur. Ad *Tit.*1. Confitentur ſe noſſe Deum corde, per fidem informem, & ore per confeſſionem, factis autem negant. Sic *Matth.*7. dicitur: Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum. Sed oportet, quod tertium Domine adiungatur.

Quoniam bonorum. Ecce tertium. Quaſi diceret: Hoc dixi humiliando veraciter. *Quoniam bonorum meorum non eges.* Notandum, quòd hoc dicit Chriſtus homo: bonorum enim Chriſtus ſi non eguit, multò fortiùs nec alicuius aliorum. *Act.* 17. Non indigens aliquo cum ipſe det omnibus vitam & inſpirationem. 1. ad *Corinth.* 4. Quid habes quod non accepiſti? *Iob* 22. & 25. Quid conferes ei, ſi immaculata fuerit vita tua? Porrò ſi iuſtè egeris, quid donabis ei? aut quid de manu tua accipiet? Et verè non indiget, ſicut ſol oculis noſtris non indiget vt clarè fulgeat, ſicut fons non indiget potatore vt fluat: ſed magis oculus indiget ſole vt videat, & ſtibundus fonte vt bibat. *Iacob.*1. Qui dat omnibus affluenter, & nulli improperat.

3. *Sanctis qui ſunt in terra eius.* Hîc eſt ſecundum in quo confitetur Chriſtus ſe eſſe exauditum, & dicuntur duo. Primò, quòd voluntatem eius Pater impleuit. Secundò oſtendit modum & ordinem quo impleuit. *Multiplicatæ ſunt.* Dicit ergo: Rogauit Patrem, & ipſe *omnes voluntates meas*, non aliquas tantum *mirificauit*, id eſt, mirificè adimpleuit *in eis*, Sanctis *qui ſunt in terra eius*, Eccleſia ſcilicet militante, & triumphante. Vtraque eſt illa terra de qua dicitur in *Pſal.* Credo videre bona Domini in terra viuentium. *Eccleſ.*1. Terra autem in æternum ſtat. In Eccleſia quidem militante viuitur vita gratiæ, in triumphante verò vita gloriæ. Item in terra eius ſunt: imò terra eius ſunt qui audito verbo Dei fructum faciunt. Terra, inquam, bona, de qua dicitur *Luc.*8. Qui autem in terram bonam, hi ſunt qui in corde bono & optimo audientes verbum, fructum afferunt & in patientia. Terra mala ſunt, qui non niſi ſpinas & tribulos referunt. *Gen.*3. Maledicta terra in opere tuo, ſpinas & tribulos germinabit tibi. De vtraque dicitur ſimul ad *Hebr.* 6. Terra ſæpè ſuperuenientem bibens imbrem, & germinans opportunam herbam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autem ſpinas & tribulatos, reproba eſt, & maledicto proxima.

Et nota, quòd omnes voluntates Chriſti mirificauit Deus Pater. Voluntatem diuinitatis qua ipſe omnia quæcumque voluit, fecit, omnia de nihilo faciendo. *Sapient.* 2. Nos ex nihilo nati ſumus. Voluntatem rationis, quia voluit mori. *Iſa.*53. Oblatus eſt, quia ipſe voluit, ſtatuendo & ad effectum perducendo quod moreretur. Quid enim mirabilius eſt quam immortalem mori, & impaſſibilem pati? *Marc.*15. Pilatus mirabatur ſi iam obiiſſet. Voluntatem ſenſualitatis, quâ voluit non mori. *Matth.*26. Tranſeat à me calix iſte: veruntamen non ſicut ergo volo, ſed ſicut tu vis. Hanc fecit mirabilem, ipſum reſuſcitando. Magis enim mirabile videbatur mortuum & ſepultum reſuſcitari. *Daniel.*6. Ipſe eſt liberator & ſaluator, faciens ſigna & mirabilia. Propter hoc dicebat Thomas, Niſi videro in manibus eius fixuras clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.

Multiplex in Chriſto voluntas.

Multiplicatæ ſunt. Hîc oſtendit modum & ordinem quo mirificauit, & dicuntur quatuor. Primò ſtimulatio Sanctorum. Secundò acceleratio ſtimulatorum. *Poſtea accelerauerunt.* Tertiò deſtructio antiqui ritus. *Non congregabo.* Quartò collatio bonorum. *Nec memor ero.* Dicit ergo ſic: Mirificauit in Sanctis omnes voluntates meas: & hoc ordine, *Infirmitates eorum multiplicatæ ſunt*, ſub lege naturali & Moſayca. *Poſtea accelerauerunt*, currendo deſiderio & affectu ad gratiam. *Iſa.*26. Domine in anguſtia requiſierunt te. *Oſeæ* 6. In tribulatione ſua mane conſurgent ad me. *Exod.* 2. Ingemiſcentes filij Iſrael, propter omnia vociferati ſunt. Tribulationes enim ſunt ſtimuli, pigrum peccatorum, & oneratum peccatis, ſtimulantes, vt ad Deum currat. *Gregor.* Mala quæ nos hîc premunt, ad Deum nos ire compellunt. In hoc redarguuntur duo genera hominum, ſcilicet murmurantes in flagellis contra Deum, ſimiles amentibus, qui contra medicum & medicinam frendent. *Pſal.* Diſſipati ſunt nec compuncti, ſubſannauerunt me ſubſannatione, frenduerunt ſuper me dentibus ſuis. Tales ſunt ſicut lethargicus, qui moleſtum reputat ſtimulantem & excitantem ſe. Arguuntur & incorrigibiles, qui deteriores efficiuntur flagellis, & non corriguntur. *Ierem.* 2. Fruſtra percuſſi filios veſtros: diſciplinam non receperunt. Et in 5. Percuſſiſti eos, nec doluerunt: attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam: indurauerunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reuerti. Et nota, quòd accelerandum eſſet ad Deum quadruplici ratione. Primò: quia periculosè hîc conuerſamur inter inimicos homines & dæmones. Homines. *Michæ.*7. Inimici hominis domeſtici eius. Dæmones. *Pſalm.* Accipere animam meam conſiliati ſunt. De vtriſque *Ezech.* 2. Subuerſores tecum ſunt, mali ſcilicet homines, & cum ſcorpionibus habitas ſcilicet dæmonibus. Secundò: quia ad magna vocamur. *Iſa.* 44. & 1. ad

Modus liberalis gratiæ.

Bonus & malus afflictionis vſus.

Quare ad Deum ſit feſtinandum.

ad *Corinth.*2. Oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti diligentibus te. *Matth.* 22. Omnia parata ſunt : venite ad nuptias. Tertiò: quia diu expectamur à Deo , & à ſuis. A Deo. Ad *Rom.*2. An diuitias bonitati eius,& patientiæ , & longanimitatis contemnis ? A ſuis. In *Pſal.* Me expectant iuſti donec retribuas mihi. Et valde diu expectamus , quia à principio mundi. *Matth.*25. Venite benedicti , percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi.Quartò ne fortè excludamus cum fatuis virginibus *Matth.* 25. Quæ paratæ erant , intrauerunt cum eo ad nuptias , & clauſa eſt ianua. Ibi. *Gregor.* O ſi ſaperet palato cordis quantum admirationis habet , Ecce ſponſus venit:quantum dulcedinis, Intrauerunt cum eo ad nuptias : quantum amaritudinis, Clauſa eſt ianua *Luc.* 13. Cum intrauerit paterfamilias & clauſerit oſtium , incipietis foras ſtare , dicentes : Domine Domine aperi nobis. Et reſpondens dicet : Neſcio vos vnde ſitis. Propter hoc, bonum eſt conſilium Apoſtoli ad *Hebr.*4.Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem.

Non congregabo. Ecce tertium. Quaſi ſic diceret : Stimulantur infirmitatibus , & accelerabunt deſideriis & orationibus , & non more antiquo : quia *non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus* , immolatorum animalium gloriantia. Quaſi diceret : Ritus de immolationibus deſtruetur , vt impleatur prophetia *Iſa.* 1. Holocauſta arietum & adipem pinguium , & ſanguinem agnorum & vitulorum nolui. Et in *Pſal.* Sacrificium & oblationem noluiſti. Pro ſanguine autem animalium ablato ab Eccleſia, ſubſtitutus eſt ſanguis Chriſti.*Matth.*26. Accipite & bibite ex eo omnes : hic eſt enim calix ſanguinis noui teſtamenti. Sed pro illo rediit ſanguinis parentum carnalium:de ſanguinibus enim Epiſcoporum & Prælatorum , conuenticula Eccleſiæ congregantur. *Michæ.*3. Audite domus Iacob, & iudices domus Iſraël,qui abominamini iudicium,& omnia recta peruertitis, qui ædificatis Sion in ſanguinibus. Talibus ædificatoribus væ. *Abac.* 2. Væ qui ædificatis ciuitatem in ſanguinibus : & ipſis conuenticulis ſic ædificatis væ. *Naum* 3. Væ ciuitas ſanguinum , vniuerſa mendacij dilaceratione plena. Chriſtus Eccleſiam in ſanguine ſuo fundauit , & ipſi in ſuo deſtruunt eam. *Eccleſ.*34. Vnus ædificans & vnus deſtruens, quid prodeſt niſi labor ? *Iſa.*49. Venerunt ſtructores tui deſtruentes te.

Mutatio riquorũ ſacrificiorũ in Chriſti ſanguinem cui ſubſtituitur ſanguis cognatorum in ruinam Eccleſiæ.

*Nec memor ero.*Hîc quartum, quæ bona ſunt collata eis : & primò quæ bona in præſenti receperunt , ſecundo quæ in ſpe. *Dominus pars.* Dicit ergo : Sic legales ritus deſtruuntur , *nec memor ero nominum eorum* , ſaltem *per labia mea.* Quaſi diceret : Nominibus quibus ſolent nominari Iſraëlitæ , ſcilicet Iudæi peccatores , & Gentiles non nominabuntur amplius : ſed magis nouo nomine , ſcilicet Chriſtiani. *Iſa.*42. Nominabitur tibi nomen nouum,quod os Domini nominauit. *Oſeæ* 2. Et erit in loco in quo dicebatur , Populus meus vos, dicetur eis : filij Dei viuentis. Hinc eſt quod baptizatis & renouatis per gratiam , nomina imponuntur tanquam veteribus ablatis. *Iſa.* 14. Perdam Babylonis nomen, progeniem & germen. Labia autem Dei per quæ nominat , ſicut dicit Gloſſa, ſunt ſcripturæ , in quibus ſic nominabantur, ſicut dictum eſt.Sicut Apoſtoli & Doctores per quos loquitur Deus , ſunt ipſa propria labia eius per quæ impios alloquetur in iudicio quando dicet:Ite maledicti in ignem æternum.

Dominus pars hæreditatis meæ. Hîc tangit bona collata in ſpe , ſcilicet bona æterna : & dicuntur duo. Primò,quòd æternum regnum ſibi & ſuis dabit. Secundò deſcribit dandum. *Funes ceciderunt.* In prima tria. Primum , quod Deus eſt ſibi & ſuis præmium. Secundò oſtendit meritum huius præmij. *Et calicis.* Tertiò per quem habebit ipſum. *Tu es qui reſtitues.* Dicit ergo ſic. Vocati ſunt ad gratiam vetere errore deſtructo , & tandem in futuro *Dominus pars* erit *hæreditatis meæ*,hoc eſt, pars ea, & meorum portio hæreditaria , vt ſit intranſitiua conſtructio. *Num.* 18. Ego pars & hæreditas tua. Et in *Pſal.* Pars mea Deus in æternum. Vel poteſt eſſe conſtructio tranſitiua vt ſit ſenſus: Dominus erit pars hæreditatis meæ , Gentium ſcilicet, quæ mihi datæ ſunt pro hæreditate. In *Pſal.* ſuprà : Poſtula à me , & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam. Et alibi : Populus quem elegit in hæreditatem ſibi. Huius hæreditatis pars Deus erit. *Exod.* 34. Poſſeſſionem eorum non dabitis eis in Iſraël, dicit Dominus : ego enim poſſeſſio eorum. *Auguſt.* Deus totus tuus erit. Eum manducabis ne eſurias , eum bibes ne ſitias, illuminaberis ab eo ne cæcus fias , eo fulcieris ne deficias , poſſidebit te totum integrum totus integer. *Iſa.*41. Laudabunt partem eorum , tanquam bonam & optimam.

Et calicis mei. Hîc ſecundum , in quo tangit meritum tantæ hæreditatis , ſcilicet calicem paſſionis. Quaſi diceret : Dominus eſt pars mei & meorum. Et eſt *pars calicis mei*, id eſt, mortis meæ , & paſſionis præmium. Hic eſt calix , de quo dicitur *Matth.*26. Tranſeat à me calix iſte. Hic eſt calix quem obtulit conſanguineis , Iacobo ſcilicet & Ioanni petentibus hæreditatem prædictam *Matth.*26. Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum ? Ac ſi diceret : Portionem hæreditatis non habebitis, niſi per meritum paſſionis. 2. ad *Cor.* 1. Si fuerimus ſocij paſſionum , & conſolationum erimus , aliter non. Paſſio autem calix dicitur : quia, ſicut dicit Iſidorus , calices & calathi , à materia dicuntur, à ligno quod Græci κάλον dicunt.Chriſtus autem poculum mortis crucis bibit. Ad *Philipp.* 2. Factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Item , ſicut dicit Caſſiodorus , calix dicitur à calida potione quoniam ſicut ille : potione cor hominis exhilarat bibitus,ſecundum illud, Et vinum lætificet cor hominis : ſic Paſſio Chriſti fideliter recordata, accendit cor & exhilarat charitate. *Oſeæ vltimo.* Memoriale eius , morientis in cruce ſua, ſicut vinum bibam. Item calix dicitur paſſio : quia potus medicinalis conſueuit dari in cypho, qui propriè dicitur calix. Et paſſio Chriſti , quam bibit tanquam caput noſtrum , toti corpori medicinalis fuit. *Iſa.* 53. Eius liuore ſanati ſumus.

Cur paſſio Chriſti dicatur calix.

*Tu es qui reſtitues.*Hîc tertium, in quo oſtenditur per quem hæc hæreditas habebitur.Quaſi diceret:Sic Dominus erit pars hæreditatis meæ, merito

merito paſſionis, ſed ô tu Domine *tu es*, non alius, *qui reſtitues hæreditatem meam mihi*, in membris meis prædictam mihi. Per peccatum enim primi hominis amiſſa erat hæreditas regni cœleſtis. *Iſa.* 52. In Ægyptum deſcendit populus meus vt eſſet colonus ibi, & Aſſur abſque vlla cauſa calumniatus eſt eum, eum ab æterna hæreditate excludendo. Sed hanc hæreditatem Deus reſtituit, quando humanitatem filio vniri voluit. *Iſa.* 49. Dedi te in lucem gentium vt poſſideres hæreditates diſſipatas. De hac reſtitutione quærebant Apoſtoli *Act.* 1. Domine ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël? *Geneſ.* 41. Adhuc tres dies ſunt, & Pharao recordabitur miniſterij, & reſtituet te in gradum priſtinum. Dei etiam filius ſecundum quod Dominus, hæreditatem ſuam quaſi amiſerat, quando iam totus fere mundus in infidelitatem conuerſus erat: ſed hæreditatem reſtituit ei pater, quando gentilitas ad fidem conuerſa eſt. *Pſal.* Populus quem elegit in hæreditatem ſibi. Sicut etiam hodie Dominus hæreditates pro ſe relinquentibus tandem reſtituit, ſecundum illud quod promittit *Matth.* 19. Omnis qui reliquerit domum, aut fratres, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut ſorores, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, &c.

6. *Funes ceciderunt.* Hîc ſubiungitur hæreditatis deſcriptio, & dicuntur duo. Primò, quòd hæc hæreditas eſt excellens. Secundò, quòd ſi non omnibus, tamen rectè iudicanti. *Etenim hæreditas.* Dicit ergo: Hæreditatem habebo Dominum: & verè magnam & excellentem portionem, quia *funes*, ſcilicet menſurationes, *ceciderunt mihi in præclaris.* Quaſi diceret: Præclarior & melior mihi accidit pars vniuerſitatis. Hæc eſt enim illa portio, de qua dicitur *Luc.* 10. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea in æternum. Non talis portio quærentium mundana: quia *Prouerb.* 10. dicitur, Hæreditas ad quam feſtinatur in principio, in fine benedictione carebit. Et nota, quòd ſunt funes mali, blandimenta ſæculi, quibus anima irretitur. *Prouerb.* 7. Intexui funibus lectulum meum. Deteriores funes ſunt peccata, ad quos peruenitur per primos. *Prouerb.* 5. Funibus peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur. Et per hos vlterius ad peſſimos, ſcilicet ſupplicia gehennæ. *Iob* 40. Nunquid ligabis fune linguam eius? Sed boni funes ſunt funes pœnitentiæ. *Ierem.* 38. Funibus extractus eſt Ieremias de lacu. Per hos liberamur à funibus miſeriæ præſentis, de quibus *Oſeæ* 11. In funibus Adam traham eos in vinculis charitatis. Traham, inquam, ad funes gloriæ, de quibus hic.

Etenim hæreditas mea. Ecce ſecundum. Quaſi diceret ſic: Forte non videtur omnibus in præclaris mihi funes cecidiſſe: tamen *hæreditas mea præclara eſt mihi*, qui de rebus ſcio æſtimare veritatem. 3. *Ierem.* Tibi tribuam terram deſiderabilem, hæreditatem præclaram. Præclara, id eſt, præ omnibus clara & pulchra. *Sap.* 7. Aurum in comparatione illius arena eſt exigua. Verè præclarum eſt recipere gloriam funiculo duplici menſuratam, ſcilicet gloriam corporis & animæ. Habet & increatam. *Ezech.* 47. Ioſeph duplicem funiculum habet. Et bene dicit, *mihi*, quia ſoli iuſto hæreditas æterna præclara eſt. Ei enim nihil omninò præponit, ſicut Naboth, qui mori maluit quam hæreditatem vendere, vel pro aliquo commutare. 3. *Reg.* 21. Non ſic reprobi: imo ſicut Eſaü pro modica lenticula temporalium rerum commutant æterna. *Gen.* 25. Eſaü dedit primogenita pro lenticula rufa, quæ ei iure hæreditario competebant.

7. *Benedicam Dominum.* Hîc tertia pars Pſalmi, in qua tangitur gratiarum actio pro beneficiis à Deo patre datis Chriſto in ſe & in ſuis, vel dandis: & diuiditur in duas partes. Primò de beneficiis Chriſto datis vel dandis in ſe. Secundò de datis in ſuis. *Notas feciſti mihi.* Prima pars diuiditur in duas. Primò agit gratias pro beneficio ſibi datæ à Patre notitiæ. Secundò pro beneficio præſentiæ ſemper & vbique conſeruatæ. *Prouidebam Dominum.* In prima duo ſecundum duplicem notitiam, comprehenſionis, pro qua primò gratias agit: & experimentalis, pro qua ſecundò. *Et vſque ad noctem.* Dicit ergo: Hæc bona mihi à Deo ſunt collata, & etiam conferenda, & propter hoc *benedicam Dominum, qui*, id eſt, quia ille, *tribuit mihi intellectum*, quo potui hæreditatem de qua loquutus ſum, comprehendere, & ſic iam poſſidere. *Ioan.* 17. Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti IESVM CHRISTVM. IESVS enim fuit ſemper comprehenſor, & in mortali corpore vitam poſſedit æternam, quantum ad animam. In hoc autem inſtruimur gratias agere, maximè de parte intellectiua. *Prouerb.* 22. Honorem acquirit qui dat munera: animam autem aufert accipientium. Inter omnes autem creaturas nobiliſſima eſt intellectus, quem dat nobis Deus in corpore, tanquam pretioſum theſaurum in fictili vaſe. 2. ad *Corinth.* 4. Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus. Maxime autem ſunt gratiæ referendæ à Doctoribus, quibus non eſt data nuda potentia, ſed intellectus illuſtratus ſapientia. *Eccleſ.* 5. Danti mihi ſapientiam dabo gloriam: ſed tunc præcipue cum ſapientia non tantum illuminat intellectum, ſed etiam inclinat affectum. *Eccleſ.* 32. Benedicito Dominum qui fecit te, & inebriantem te ab omnibus bonis ſuis.

Inſuper. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Non tantum Dominum benedico propter intellectum mihi datum, ſed etiam benedico, quia *increpuerunt me renes mei*, inſtruendo experimentali notitia. Vnde litera alia, *Erudierunt me renes mei*, mea ſcilicet humanitas & mortalitas: ſicut enim in homine renes inferius ſunt, ſic id quod fuit inferius in Chriſto, ſcilicet humanitas, per renes intelligitur: Et *hoc vſque ad noctem*, ſcilicet mortem, vel mortis tenebroſitatem. Corpus enim Chriſti quamuis à diuinitate nunquam fuit derelictum, tamen anima, quæ eſt quaſi lux corporis, ab ipſo fuit in triduo ſeparata. Et ſic facta eſt quaſi quædam nox. Et hæc eruditio *inſuper* facta eſt, ſcilicet ſuper primam. Ad *Hebr.* 5. Et ex iis quæ paſſus eſt, didicit obedientiam, experimentaliter. Propter hoc dicitur ad *Hebr.* 4. Non habemus Pontificem qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque

abſque peccato. Iudæi etiam renes Chriſti poſſunt appellari, quia ex eis carnem ſumpſit, & ab eis eſt fortiter increpatus vſque ad mortem. Nota, quòd mors dicitur nox: quia in morte fit nox. *Eccleſiaſt.* 12. Antequam tenebreſcat ſol, viſus ſcilicet, qui eſt totius corporis lucerna. *Matth.6.* Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Item in nocte quieſcitur. *Ambroſ.* in Exam. Nox ad quietem corporis data eſt: non ad alicuius functionem operis. Sic & *Ioan.* 9. Veniet nox in qua nemo poterit operari. Item nox vniuerſa animalia ad propria habitacula reducit. Sic mors corpora ad ſepulchrum. *Pſal.* Sepulchra eorum domus illorum in æternum. Et animas ad loca debita. *Eccl.*2. Ibit homo in domum æternitatis ſuæ. Specialiter autem mors Chriſti nox dicitur. Ipſe enim eſt ſol iuſtitiæ. *Malach.*3. Ortus ergo eius diem fecit. 2. ad *Corinth.* 6. Ecce nunc dies ſalutis, ſcilicet, IESV. Ergo occaſus eius noctem facere debuit. In meridie ergo cùm occubuit, nox fuit. *Iſa.* 16. Pone quaſi noctem vmbram tuam in meridie. *Matth.* 27. A ſexta autem hora tenebræ factæ ſuper vniuerſam terram.

8. *Prouidebam.* Hîc ſecundum: & tanguntur tria. Primò recolit, referendo gratias, beneficium præſentiæ patris: ſecundò beneficium confirmationis. *Quoniam à dextris.* Tertiò gratiarum actio pro illis. *Propter hoc lætatum.* Dicit ergo: *Prouidebam Dominum in conſpectu meo*, aſſiſtentem, non ad tempus, *ſed ſemper Ioan.* 10. Non ſum ego ſolus: quia qui miſit me, mecum eſt, & non dimiſit me ſolum. Et eſt argumentum, quòd Chriſtus dormiens, imò etiam patiens fruebatur. Iuſtorum autem eſt Deum ſemper, pro loco ſcilicet & tempore, prouidere vt Dominum, vt omnium inſpectorem. *Prouerb.*5. Reſpicit Dominus vias hominis, & omnes ſemitas eius conſiderat. Item vt iudicem. *Sapient.* 6. Interrogabit opera noſtra, & cogitationes noſtras ſcrutabitur. Item vt adiutorem. *Pſal.* Niſi quia Dominus adiuuit me, &c. Tandem tanquam remuneratorem. *Apocalypſ.* 3. Vincenti dabo, &c. Qui ſic reſpicit, non poteſt non curari à peccato. *Numer.* 21. de ſerpente æneo. Propter hoc dicitur 39. *Eccleſiaſt.* Iuſtus cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, & in conſpectu Altiſſimi, &c.

Quoniam à dextris. Quaſi diceret: Non tantum præſens eſt, ſed etiam protegit: quoniam eſt mihi à dextris, protegens ſcilicet & fauorabilis, *ne commouear*, impulſus tribulationibus magnis. *Pſal.* Impulſus euerſus ſum vt caderem, ſed Dominus ſuſcepit me. Ecce à dextris fuit. Habentem enim Deum à dextris, timere non oportet vt cadat per impatientiam in culpam. *Iob* 17. Libera me Domine, & pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me. *Prouerb.* 3. Ne paueas repentino terrore & irruentes tibi potentias impiorum: Dominus enim erit in latere tuo, & cuſtodiet pedem tuum ne capiaris. Propter hoc dicitur de iuſto, quòd Deus videt ſemper in conſpectu ſuo. *Prouerb.* 10. Iuſtus in æternum non commouebitur. Et nota, quòd eſt dextera mundi, proſperitas temporalis. 1. *Reg.* 6. Vaccæ non declinabant, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Et excellentia poteſtatis. *Matth.* 21. Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram, quaſi in poteſtate excellentiori, & alius ad ſiniſtram, tanquam minor. Hæc eſt dextera, de qua dicitur in *Pſal.* Dextera eorum repleta eſt muneribus. Potentibus enim dantur munera, non pauperibus. Et eſt dextera hominis præter materialem duplex. Amicus ſpecialis. *Matth.*18. Si dextera tua ſcandalizat te, erue eam, & proiice abs te. Rectitudo ſermonis. *Matth.*6. Neſciat dextera tua, quid faciat ſiniſtra tua, hoc eſt, intentioni tuæ non miſceatur mala. Et eſt dextera Dei quadruplex. Filius. In *Pſal.* Dextera Domini fecit virtutem. *Eccleſiaſt.*36. Glorifica manum, & brachium dextrum. Vita æterna. *Cantic.*2. Dextera illius amplexabitur me. Potiora bona Patris. *Marc.vltimo:* Aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet ad dexteram Dei, vbi Stephanus eum vidit. *Act.*7. Protectio Dei, vt hîc.

Multiplex dextera hominis & Dei.

9. *Propter hoc.* Ecce tertium. Quaſi ſic diceret: Protegis ſic, & aſſiſtis. *Propter hoc lætatum eſt cor meum*, interiori lætitia, *& exultauit lingua mea* exteriori gaudio, quod interius erat, educens exterius, ne lateret. Simile *Iſa. vltimo*, Lætamini cum Ieruſalem, & exultare cum ea. Et 12. Exulta, & lauda habitatio Sion. *Ioël.*3. Exultate & lætamini in Domino Deo veſtro. 1. *Reg.*2. Exultauit extra per linguam, ſaltauit cor meum in Domino, & lætata fui interius in ſalutari tuo, in quo ſolo lætandum. *Eſther.* 14. Tu ſcis, quia nunquam lætata ſit ancilla tua niſi in te Domine, ſicut poterat dicere humana in Chriſto natura. Et nota, quod dicit Seneca, Garrula res eſt exultatio: latentem enim interiùs accuſat lætitiam.

Inſuper & caro. Hîc ſecundum in quo agit gratias pro beneficiis ſibi in ſe dandis, quæ ſunt tria, vt loquatur de Chriſto ante orante Paſſionem. Primum eſt certa Reſurrectionis expectatio. Secundum, animæ reuocatio à Limbo. *Quoniam non derelinques.* Tertium, corporis interim à putrefactione conſeruatio. *Non dabis.* Dicit ergo: *Benedicam* propter data, *& lætabor, inſuper & caro mea*, per mortem anima ſeparata *requieſcet* in ſepulchro, *in ſpe* reſurgendi ad immortalitatem veraciter & velociter. Supra in *Pſal.* Ego dormiui & ſoporatus ſum, & exurrexi. Omnes enim ſperare debemus, quòd ad immortalitatem ſimus reſurrecturi. *Sap.* 3. Spes illorum immortalitate plena eſt. 2. *Machab.*7. Propter legem Domini hæc deſpicio membra, ſcilicet mea, quia ea in reſurrectione me recepturum ſpero. Sed Chriſtus acceleraui tertia die reſurgens. 1. ad *Corinth.*15. Sepultus eſt & reſurrexit tertia die, ſecundum ſcripturas. Et nota, quòd caro dicit, & non corpus: quia, ſicut dicit Iſidorus, caro & corpus diuerſa ſignificant: nam caro eſt quæ viuit, corpus etiam quod non viuit. Licet enim caro Chriſti eſſet ab anima ſeparata, quæ eſt vita carnis propria, erat ei tamen vnita diuinitas quæ eſt vita vera.

Tria beneficia Chriſto collata.

Nota etiam quod dicit, *requieſcet*, vt oſtendat mortem ſuam fuiſſe dormitionem & quietem. Quare autem dormitio, dictum fuit ſupra ſatis. Sed quare requies, cum iaceret caro illa tenerrima vndique duris lapidibus circumſepta?

2. *Reg.*

2. *Reg.* 23. Ipſe eſt quaſi tenerrimus ligni vermiculus. Sed dicendum, quòd requies dicitur comparatione ad laborem quem ſuſtinuerat in cruce: quantumcumque enim duro iacere in lecto tolerabilius eſt, quam clauis perforantibus affigi cruci. Item poſt profundam & fortis vini ebrietatem, profunda requies neceſſaria eſt vt vinum digeratur, ſed Chriſtus in cruce inebriatus eſt fortiſſimè. *Thren.* 3. Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me abſinthio. Propter hoc paſſionem calicem appellabat. *Matth.* 26. Tranſeat à me calix iſte. Calix, inquam, inebrians. In *Pſal.* Et calix meus inebrians quàm præclarus eſt! Propter hoc de reſurgente dicitur: Et excitatus eſt tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino, vel potans. Potentes enim frequenter potantes ſunt. Quidni ergo requieſceret qui ſic laborauerat, & ſic inebriatus erat?

10. *Quoniam non derelinques.* Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Verè *requieſcet in ſpe caro mea, quoniam non derelinques* ſicut alias, animam meam in inferno, ſcilicet in limbo, qui dicitur infernus etiam inferior. Infernus enim qui ſuprà, eſt aër iſte caliginoſus, in quo ſunt dæmones nunc: ſed inferior infernus eſt limbus: ſed infimus, damnatorum locus. *Pſal.* Eruiſti animam meam ex inferno inferiori. Nec debuit relinqui ibi anima Chriſti: quia in ea non fuit culpa, quæ eſt exiſtendi ibi cauſa. *Iſa.* 53. 1. *Pet.* 2. Peccatum non fecit. Item, in inferno non meruit derelinqui, qui nunquam exiſtens in mundo Deum dereliquit: nullum enim derelinquit Deus, niſi priùs ab eo fuerit derelictus. 1. *Paral.* 28. Si dereliqueritis Deum, proiiciet vos in æternum. Et 2. 15. Si dereliqueritis eum, derelinquet vos. Item nullum omnino eius diabolus habuit vt eum teneret. *Ioan.* 14. Venit princeps mundi huius & in me non habet quicquam. Item ex charitate illuc deſcendit: factum autem ex charitate nulli vnquam nocuit. Ad *Rom.* 13. Dilectio proximi non operatur malum. 1. *Ioan.* 4. Si diligimus inuicem, Deus in nobis manet, & non deſeret nos. Et propter hoc inde rediit cum ſuis quos inde traxit. *Zachar.* 9. Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua.

Nec dabis Sanctum tuum. Ecce tertium. Quaſi diceret: Non ſolum animam non derelinques in inferno, ſed etiam *non dabis Sanctum tuum*, ſcilicet corpus meum, ſic ſanctificatum, *videre*, id eſt, ſentire vel ſuſtinere, *corruptionem*. Sed contra id in alio Pſalmo: Quæ vtilitas in ſanguine meo, cum deſcendero in corruptionem? Sed reſponſio eſt, quòd eſt multiplex corruptio. Actualis culpæ, de qua id *Galat.* 6. Qui ſeminat in carne, de carne metet corruptionem. *Sap.* 14. Omnia commixta ſunt, furtum, fictio, &c. Et corruptio fomitis. 1. ad *Cor.* 15. Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt: neque corruptio incorruptelam. Et putrefactionis poſt mortem. *Ionæ* 2. Subleuabis de corruptione animam meam Domine Deus meus. *Eccleſ.* 8. Memento quoniam omnes in corruptione ſumus. Nulla harum in Chriſto fuit. Sed eſt corruptio pœnalitatis & mortis, de qua loquitur Pſalmiſta ibi. Ad *Rom.* 8. Liberabitur creatura à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.

D. Alb. Mag. Comment. in Pſal.

Notas mihi feciſti. Hìc ſecundum tertiæ partis totius Pſalmi, in quo agendo gratias recolit beneficia in ſuis ſuſcepta, vel ſuſcipienda. *Adimplebis.* Dicit ergo: Benedicam: quia in perſona mea dediſti prædicta, & etiam *quia notas feciſti mihi*, hoc eſt, membris meis, per meipſum caput: *vias vitæ*, implens illam petitionem. Vias tuas demonſtra mihi Domine. *Ierem.* 21. Ecce ego dedi coram vobis viam vitæ, & viam mortis. 11.

Et nota, quòd eſt via vitæ quæ eſt ipſa vita, ſcilicet ipſe Chriſtus, qui ſe nobis notum fecit. *Ioan.* 14. Ego ſum via, veritas, & vita. Hæc eſt via per quam ſpargitur lux. *Iob* 28. Et eſt via vitæ quæ ducit ad vitam, quamuis vita non ſit in ſe, ſcilicet diſciplina, & pœnitentia. *Prou.* 10. Via vitæ cuſtodienti diſciplinam. Et hanc notam fecit *Matth.* 14. Agite pœnitentiam. Imò deſcripſit *Matth.* 7. Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam. Imò vt certiores nos redderet, per eam ambulauit. *Mich.* 7. Aſcendet pandens iter ante eos. Propter hoc dicitur *Ioan.* 12. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.

Adimplebis me lætitia. Ecce beneficia danda in futuro. Primum quantum ad intellectum perfecta cognitione illuſtrandum. Secundum quoad affectum perfecta delectatione perfundendum. *Delectationes.* Dicit ergo: Sic feciſti, ſed tandem *adimplebis me*, in meis: nec enim iam impleſti, *lætitia cum vultu tuo*, viſione ſcilicet tua & cognitione certa. 1. ad *Corinth.* 13. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Et hæc viſio delectabilis intellectui. *Iob* 33. Videbis faciem eius in iubilo. Quippe *Ioan.* 17. Hæc eſt vita æterna, &c.

Delectationes. Ecce ſecundum. Quaſi ſic diceret: *Adimplebis me lætitia:* & delectationes mihi dandæ, quæ ſunt vſque *in finem*, id eſt, perfectæ & conſummatæ, ſunt *in dextera tua*, ſcilicet parata ad dandum. *Prouerb.* 3. Longitudo dierum in dextera eius. Et nota, quòd delectatio magna, & quaſi inchoata erit de bono proximi in patria. Maior & quaſi media de bono ſui: ſed maxima & in finem conſummata de bono Dei. Hæc erit quæ totum replebit. *Pſal.* Replebimur in bonis domus tuæ. Hæc eſt Sanctorum plenitudo. *Eccleſ.* 24. Et in plenitudine Sanctorum detentio mea.

IN XVI. PSALMVM.

Oratio Dauid.

EXaudi Domine iuſtitiam meam. Hìc eſt Pſalmus decimuſſextus, in quo poſtquam actum de beneficiis Chriſto exhibitis quantum ad repreſſionem infirmitatis, ſubiungitur conſequenter oratio pro beneficiis exhibendis, quantum ad remotionem tribulationis exterioris, & difficultatis procedendi in bono. Quamuis enim contingat hominem eſſe ſanum, tamen & viæ difficultas, & inimici in via poſſunt progreſſum eius impedire. In hoc ergo Pſalmo gratia ad viæ ſuſtinendum laborem, & ad ſuſtinendos inimicos oſtenditur data iuſto, & maximè capiti iuſtorum Chriſto. Sed quia nullus poteſt habere illam per ſe, niſi ei 1.

detur à Deo. *Matth.* 24. Orate ne fuga veſtra fiat hyeme, vel ſabbato: propter hoc oſtenditur habita ab orante, & quaſi orationis merito. Vnde *Pſal.* Intitulatur, *Oratio Dauid*: Et eſt omnium ſic intitulatorum primus. Et eſt ſenſus: *Oratio* quam compoſuit *Dauid*, & conuenit cuique iuſto in via Domini volenti proficere. Diuiditur ergo Pſalmus iſte in duas partes. In prima petitur gratia contra laborem itineris, vt poſſit ſuſtineri: ſed quia in itinere potenti laborare, occurrunt aliquando inimici, in ſecunda agitur de petitione gratiæ contra inimicos progreſſum viæ impedientes, ibi, *Ego clamaui.* Vel aliter. Primò petit ſe exaudiri ratione iuſtitiæ, quæ eſt in ſe. Secundò ratione miſericordiæ quæ eſt in Deo. Prima diuiditur in tres. Primò conuertit ſermonem ad Dei bonitatem, ſecundò ad Dei ſapientiam. *De vultu tuo.* Tertiò ad Dei potentiam. *Perfice greſſus meos.* Prima pars in tres, ſecundum triplex meritum quod allegat. Iuſtitiæ in opere, deprecationis in ore, ibi, *Intende deprecationem meam.* Rectæ intentionis in corde. *Auribus percipe.* Dicit ergo: *Exaudi Domine.* Sed quid? *Iuſtitiam meam.* Quaſi diceret: Ad meam reſpice iuſtitiam & exaudi. Iuſtitia enim, ſicut dicit Gloſſa, vim vocis habet. Quippe *Prou.*8. Prudentia dat vocem ſuam: & nihil ſine voce eſt. Imò ipſa iniuſtitia clamorem habet. *Gen.*18. Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus eſt. Abſit ergo iuſtitiam eſſe mutam. Et nota, quòd iuſtitia Dei eſt vt dantis, noſtra vt recipientis. 2. ad *Cor.* 4. Quid habes quod non accepiſti? *Caſſiodor.* Clamat actus, ſermo, vita, & cogitatio, imò magis penetrant vſque ad Deum. *Eccleſ.* 35. Oratio humiliantis ſe, quod eſt iuſtitia, ſecundum illud *Matth.* 3. Sine modò, ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam, nubes penetrabit. *Ioan.*9. Si quis Dei cultor eſt, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. *Iud.*4. Scitote, quoniam Dominus exaudiet orationes veſtras, ſi manentes permanſeritis in orationibus, & ieiuniis, in conſpectu Domini. In *Pſal.* Feci iudicium & iuſtitiam, non tradas me. *Iacob.vlt.* Multum valet oratio iuſti aſſidua.

Argumẽtum & diuiſio Pſalmi.

Intende deprecationem meam. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Non ſolum ad iuſtitiam meam reſpice, ſed *intende*, quod eſt plus quàm exaudire, *deprecationem meam*, oris, quæ eſt propriè de malis amouendis. Sed videtur loqui minus Grammaticè, deberet dicere: Intende orationi meæ. Reſpondeo: Intendere tripliciter dicitur: aliquando enim tantum ſignificat mentis diligentiam, & tunc regit datiuum. *Pſal.* Intende animæ meæ & libera eam. Aliquando ſignificat operationem artificialem, & tunc idem eſt quod curuare arcum, & aliquid tale. *Pſalm.* Intendit arcum ſuum, donec infirmentur. *Ierem.* 50. Præparaui contra Babylonem, in circuitu omnes qui intenditis arcum debellare eam, & tunc ſemper iungitur accuſatiuo. Sed deprecatio, quæ eſt pro malis amouendis, arcus eſt, quia, vt dicitur, arcus dicitur, quia arctat inimicum: quod facit deprecatio. *Exod.*17. Cumque eleuaret Moyſes manus, vincebatur Amalec, & vincebat Iſraël: ſin autem paululum remiſiſſet, vincebatur Iſraël. Eſt ergo ſenſus: Non ſolum intende orationi meæ, ſed intende ipſam orationem meam, vt ſit ſicut arcus tenſus, arcens malum à me. *Iudith* 4. Moyſes Amalec confidentem in virtute ſua, & in potentia ſua, & in viribus ſuis, non ferro pugnando, ſed precibus ſanctis orando, deuicit, vel deiecit.

Auribus percipe. Hîc tertium. Quaſi diceret: Non tantum exaudias iuſtitiam, intendas aures ad deprecationem, ſed & *percipe auribus*, quod adhuc plus eſt, quam exaudire, vel intendere, *orationem meam*, factam, *non in labiis doloſis.* Quomodo labia doloſa, dictum eſt ſuprà. In oratione propriè labia ſunt doloſa, quando os non refertur ad cor, ſecundum illud *Iſa.* 29. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. *Auguſt. in libro de ſpeculo Clericorum*, Hoc verſetur in corde, quod profertur in ore. Item ſunt labia doloſa, quando odium eſt in corde, & oſculum in labiis. Mendaces habent labia doloſa. Tales non audit Dominus, ſed potiùs, ſicut dicitur *Prou.*19. Qui loquitur mendacium, peribit. Sophiſticè loquentes. *Eccleſ.*37. Qui ſophiſticè loquitur, odibilis eſt, in omni re defraudabitur, non erit illi à Domino gratia. Sic in Iuda *Matth.* 26. Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum. Talium labiorum non auditur oratio. *Pſal.* Muta fiant labia doloſa. Nota de Ioab, qui tenens mentum Amaſæ dixit: Salue mi frater: & oſculatus eſt eum. Amaſa autem non obſeruabat gladium.

De vultu tuo iudicium meum prodeat. Hîc quaſi dirigit ſermonem ad ſapientiam, quod fuit ſecundum, & dicuntur duo. Primò petit, quòd à diuina ſapientia eius conſiderentur merita, & præmia illis danda. Secundò explanat quæ ſunt illa merita, quæ petit conſiderari, ibi, *Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte.* In primâ, ſicut tactum eſt, primò petit vt diuina ſapientia attendat merita: ſecundò vt præmia, quæ ſcilicet illi ſunt danda. *Oculi tui.* Dicit ergo: Sic bonitas tua exaudiat, intendat, & percipiat auribus: *& iudicium meum*, diſcuſſio ſcilicet meritorum meorum, *prodeat de vultu tuo*, id eſt, de tua diſpoſitione & ſapientia, quæ cognoſci te facit, ſicut vultus hominem: vt poſſim dicere illud *Iſa.* 49. Iudicium meum à Domino, & opus meum cum Deo meo. Et nota, quòd iudicium noſtrum quo iudicamus nos puniendo nos pro peccatis, de quo 1. ad *Cor.*9. Si nos diiudicaremus, non vtique iudicaremur, debet procedere de vultu Dei, ex conſideratione ſcilicet diſpoſitionis diuinæ, quia videmus eum ſic ſuos affligere. *Prouerb.*11. Si iuſtus in terra recipit, quanto magis impius & peccator? Iudicium etiam quo iudicamus alios actiuè de vultu eius debes procedere, id eſt, ab eius ſapientia & illuminatione. 3. *Reg.*3. Dabis ſeruo tuo cor docile, vt poſſit iudicare populum tuum. 2.

Oculi tui videant æquitates. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Conſidera merita & etiam *oculi tui*, ſpirituales, ſcilicet ſapientia & intelligentia tua, *videant*, attendendo, non iuſtitias diſtrictas, ſed *æquitates.* Æquitas enim eſt iuſtitia cum miſericordia mixta. *Iob* 24. Æquitatem proponat contra me, & perueniet ad victoriam meam iudicium meum. *Thren.* 3.

Reddes

Reddes eis Domine vicem ſecundum opera manuum ſuarum. Vniuerſæ viæ Domini miſericordia: & non tantùm, ſed etiam veritas.

3. *Probaſti cor eum.* Hîc ſecundum, in quo ſpecificat illa merita, quæ vult Deum attendere: & primò meritum cordis: ſecundò oris. *Vt non loquatur os meum.* Tertiò operis, ibi, *Propter verba.* Si autem quæritur, quare ordo peruertitur, ſuperius enim allegauerat meritum operis, ſcilicet iuſtitiam, & vltimo cordis: hîc è contrario. Reſpondendum, quòd quando fit oratio vel poſtulatio, ad hoc vt poſtulatio poſſit intrare, neceſſe eſt quod præcedat iuſtitia, & ipſa debet informari intentione recta. Aliud autem eſt in meritorum oſtenſione: cum enim omne meritum incipiat à corde, & per os vlteriùs tendat in opus oſtendens merita, debet incipere à corde, & peruenire ad nos, & tandem ad opus. Et propter hoc ibi ſic, hic autem ſic. Ad primum autem meritum, ſcilicet cordis pertinentia ſunt tria, quæ tanguntur in litera. Primò probatio: ſecundò viſitatio, ibi, Et viſitaſti nocte. Tertiò examinatio. Igne me examinaſti. In probatione notatur acceptio à diuina voluntate. In viſitatione frequens inſpectio approbati. In examinatione perfecta purgatio inſpecti frequenter ſicut contingit in auro. Primò probatur tangendo lapidem: ſecundò diligenter inſpicitur, & frequenter hinc inde. Præterea igne examinatur, & ad perfectum purgatur.

Dicit ergo: Penſa merita, ſicut dixi, quantum ad cor: quia *probaſti cor meum*, tribulatione, *nocte* ſcilicet, id eſt, probatum inueniſti. Vel per tentationem probatum reddidiſti: vel inueniſti per ipſam probatum. *Tob.* 12. Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit vt tentatio probaret te. Et nota, quòd probamus oſtendendo aliquid, diſputando, & agendo in iudicio. *Act.* 24. Neque probare poſſunt tibi de quibus accuſant me. Item commendando. Sic loquitur Paulus ad *Corinth.* 10. Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat. *Eccleſiaſt.* 34. Dona iniquorum non probat Altiſſimus. Item experiendo & examinando quocumque modo. *Luc.* 12. Faciem cœli & terræ noſtis probare. Ita hîc accipitur.

Et viſitaſti. Quaſi diceret: Diligenter & frequenter probando, *nocte*, id eſt, tribulatione, quæ nox dicitur. *Iob* 30. Nocte os meum perforatur doloribus. Et nota, quòd viſitatio aliquando ſonat in ſimplicem præſentiam. *Pſal.* Vt videam voluptatem Domini, & viſitem templum eius. Aliquando in præſentiam affligentem ad correctionem. *Pſal.* Viſitabo in virga iniquitates eorum. *Amos* 3. Tantummodo vos cognoui ex omnibus gentibus terræ, ideò viſitabo ſuper vos. Aliquando in præſentiam affligentem ad punitionem. *Iſa.* 27. Viſitabit Dominus in gladio ſuo forti & grandi ſuper Leuiathan. Et 24. Viſitabit Dominus ſuper militiam cœli in excelſo. Aliquando verò importat præſentiam conſolantem. *Pſal.* Viſita nos in ſalutari tuo. *Luc.* 1. Viſitauit nos oriens ex alto. Secundo modo accipitur hîc.

Igne me examinaſti. Purgando me ab omni macula, & ſic *non eſt inuenta in me iniquitas.*

Iſa. 1. Excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtagnum tuum. In primo igne me examinaſti ſicut examinatur argentum. Sed quomodo dicit, Non eſt inuenta in me iniquitas? *Prouerb.* 10. Quis poteſt dicere, Mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato? *Ioan.* 1. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, &c. Reſpondeo: Iniquitatem appellat peccatum mortale, & quod poteſt dicere homo, cùm ſe ſentit per gratiam Dei ſine illo. *Iob* 16. Hæc paſſus ſum abſque iniquitate, cùm mundas haberem manus ad Deum, videlicet preces. Et nota, quòd in hoc verſu tribulationem appellat noctem, & ignem: quia quoſdam excæcant. *Sophon.* 1. Tribulabo homines, & ambulabunt vt cæci. Ignem: quia alios illuminat. *Tob.* 12. Illuminatus eſt felle piſcis.

Vt non loquatur os meum. Hîc allegat meritum oris. Ait enim ſic: Examinaſti cor, & ita examinaſti, *vt os meum non loquatur*, iam *opera hominum.* Opera enim loquitur qui peccanti adulatur, qui etiam aliorum peccatorum detrahendo recordatur. Quid enim ſunt opera hominum propriè loquendo, niſi peccata? *Iob* 30. Si dedi ad peccandum guttur meum. Ad *Epheſ.* 4. Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat. 1. *Pet.* 4. Si quis loquitur quaſi ſermones Dei. 4.

Propter verba. Hîc tertium, in quo oſtendit meritum operis. Et primò oſtendit cauſam meriti, ſecundò meritum. *Ego cuſtodiui.* Dicit ergo ſic: De corde & ore & etiam *propter verba labiorum tuorum*, ſcripturarum Veteriis Teſtamenti & Noui, quæ ſunt quaſi duo labia. Vel Prophetarum. *Ierem.* 15. Si ſeparaueris pretioſum à vili, eris quaſi os meum. *Ego cuſtodiui* in opere *vias duras*, id eſt, operationes aſperas, per naturam. Et ſi fortè poſtea factæ ſunt leues per gratiam, & aſſuefactionem. *Iſa.* 40. Erunt praua ad ambulandum in directa, & aſpera in vias planas. Aſperæ enim ſunt viæ, quibus inceſſerunt Sancti, & duræ. Ad *Hebr.* 12. Sancti ludibria, & verbera experti, inſuper vincula, & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, &c. quæ commemorat ibi Apoſtolus. Dura via Laurentij & Vincentij ſuper craticulam: & tamen propter verba labiorum Dei promittentis magna, hæc ſuſtinuerunt. *Gregor.* Conſideratio præmij minuit vim ſuplicij. *Hieronymus ad Antonium monachum*, Nudum Chriſtum nudus ſequere. Dicitur grande & difficile, ſed magna ſunt præmia. 2. *Machab.* 6. Domine, qui habes omnium ſanctam ſcientiam manifeſtè, tu ſcis quia cùm à morte poſſem liberari, duros ſuſtineo corporis dolores: ſecundum animam verò propter timorem tuum, libenter hæc patior. Scio quòd dicis. Quæ procedunt de labiis meis, non faciam irritata.

Perfice greſſus meos. Hîc eſt tertium totius primæ partis, in qua dirigit ſermonem ad potentiam: potentiæ enim eſt inchoatum perficere: & dicuntur duo. Primò petit in bono conſummationem, vt non ſtet in mandatis, ſed vt proficiat vſque ad conſilia adimplenda. Secundò petit perſeuerantiam, *vt non moueantur.* Ait ergo ſic: Conſidera merita, & ô tu potentiſſime *perfice greſſus meos*, opera ſcilicet mea.

Hi greſſus de quibus *Prouerb.* 4. Palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos. Hos perfice. *Deut.*33. Perfectio tua, & doctrina tua viro ſancto tuo, quem probaſti in tentatione. *Iob* 16. Vbi eſt patientia tua,& perfectio viarum tuarum? *Perfice*, inquam, non in latis viis peccatum, ſed *in ſemitis tuis*, conſiliis ſcilicet, de quibus *Prouerb.*4.Ducam te per ſemitas æquitatis, quas cum intraueris, non arctabuntur greſſus tui. Hanc ſemitam multi non inueniunt. *Iob* 38. Semitam ignorauit auis, Chriſti. Et ita perfice, *vt non moueantur* ab eiſdem ſemitis,*veſtigia mea*: ſed perſeuerem in illis. Veſtigia exteriora operum humilitatis & obedientiæ:interiora,vt irascibilis ſemper maneat in deteſtatione mali quod relinquit, concupiſcibilis in amore boni quod promiſit. De veſtigiis iſtis *Iob* 13.Veſtigia pedum meorum conſideraſti. Sed heu mihi multi hodie retrocedunt à veſtigiis iſtis. *Iſa.*33. Ceſſauit tranſiens per ſemitam,irritum factum eſt pactum. Contra tales dicit Dominus *Luc.*9. Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retrò aptus eſt regno Dei. 2.*Pet.*2.Melius erat eis viam veritatis non agnoſcere, quàm poſt agnitam conuerti retrorſum ab eo quod traditum eſt illis ſancto mandato.

6. *Ego clamaui.* Hîc eſt ſecunda pars *Pſal.* in qua poſtquam petiuit gratiam contra laborem viæ & duritiam, & quaſi iam impetratâ, confidenter orat contra inimicorum multitudinem viam ipſam impedientium. Et diuiditur hæc pars in duas. Primò petit conſeruationem & cuſtodiam ab inimicis impedientibus profectum : ſecundo contrariam retributionem illorum, & bonorum afflictorum ab illis, ibi, *Exurge Domine, præueni.* In prima ſunt plura. Primò petit cum confidentia magna exaudiri. Secundò probat quod debeat exaudiri.*Mirifica miſericordias tuas.* Tertiò ponitur determinatio petitionis, ſcilicet in quo velit exaudiri, quia in cuſtodia ſui contra inimicos, ibi, *A reſiſtentibus dexteræ tuæ.* Quartò qualiter vult exaudiri, ibi, *Vt pupillam oculi.* Quintò quomodo, ibi, *Sub vmbra alarum tuarum.* Sextò à quibus. *A facie impiorum.* Septimò quare. *Inimici mei.* In prima tria tanguntur.Primò certa confidentia impetrandi.Secundò petitio de præparatione Domini ad exaudiendum. *Inclina.* Et tertiò promptitudo exaudiendi. *Et exaudi me.* Dicit ergo ſic : Petiui nec fruſtrà : vnde confidenter dico ô Deus : *Ego clamaui*, ad hoc incitatus *quoniam exaudiſti me.*

Sed obiicitur, Ad quid clamas, ſi exauditus es? Reſponſio. Exauditus ſum in præcedenti petitione propter iuſtitiam meam, & eſt mihi data fortitudo contra viæ difficultatem hîc, & ob hoc confiſus clamo ad impetrandam gratiam contra impedientium multitudinem.

Clamauit autem Chriſtus ter.In prædicatione. *Ioan.* 7. Nouiſſimo autem die magnæ feſtiuitatis, ſtabat IESVS, & clamabat.Qui ſitit, veniat ad me & bibat, & ſic excitabat dormientes in infidelitate. Clamauit ſecundò in ſuſcitatione Lazari. *Ioan.* 11. Clamauit voce magna dicens : Lazare veni foras, ad ſuſcitandum deſperatos qui iam fœtent, ſicut Lazarus, peccandi conſuetudine.Clamauit tertiò in cruce moriturus. *Matth.*27. Clamans voce magna emiſit ſpiritum, ad emolliendos obduratos in peccatis : vnde in eo clamore petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta in eodem. Sic clamauit, & exauditus eſt. *Ioan.*11.Scio Pater, quia ſemper me audis. Ad *Hebr.*5.In omnibus exauditus eſt pro ſua reuerentia.

Ter Chriſtus clamauit ad quid?

Et nota quatuor cauſas,propter quas aliquis clamans non exauditur. Prima, auerſio auditoris, quod fit quando ficté petit : tunc enim Deus auertit aurem & fugit. Secunda, remiſſio clamoris, quod accidit in pigris.*Iſa.*58.Clama, ne ceſſes. *Luc.*18.Mulier inſtans apud iniquum iudicem eſt exaudita. Hanc pigritiam generat proſperitas. *Pſal.* Clamabo per diem, proſperitatis, ſupple,& non exaudies. Tertiò clamantis diſtantia. Hæc in illis qui vagi ſunt corde, diſcurrentes per res à Deo remotas. Talis oratio Phariſæorum, qui orabant in angulis plateárum habentes cor ad temporale lucrum *Matth.* 6. In *Pſal.* Qui elongant ſe à te, peribunt. Quarta eſt interpoſitio inter clamantem, & illum ad quem clamat. Hæc eſt in peccatoribus & impiis, qui nubem malitiæ interponunt. *Thren.*3.Oppoſuiſti nubem,ne tranſiret oratio. *Iſa.*59. Peccata veſtra diuiſerunt inter vos,&c.

Quatuor de cauſis clamor noſter non exauditur.

Inclina aurem tuam, & ſic præpara te ad audiendum : & neceſſe eſt, quia in alto habitas & nos infra. *Iob* 10. Excelſior cœlis eſt, & quid facies? *Pſal.* Terram autem dedit filiis hominum, &c. *Deut.*9. Inclina aurem tuam, miſericordiam ſcilicet, quæ recipit orationes, ſicut auris vocem. Suprà in *Pſal.* Deſiderium pauperum audiuit auris tua.

Et exaudi, poſtquam ſic te inclinaueris, *verba mea.Dan.*9. Exaudi Deus orationem ſerui tui, & preces eius : vel magis tuas, quia à te mihi inſpiratæ. Dicit enim *Gregor.* Neminem exaudit Deus, niſi quem vt precetur inſpirat.

Mirifica miſericordias. Hîc ſecundùm, in quo probat, quod debet exaudiri,allegans Dei miſericordiam in ſperantes. Repetit ergo breuiter petitionem, & addit cauſam. *Qui ſaluos.* Dicit enim, *Mirifica*, mirabiles demonſtra, *miſericordias tuas*, exaudiendo me in petitis. Mirificat Deus aliquando potentiam, ſecundum illud *Eccleſ.*44. Ipſe eſt omnipotens ſuper omnia opera ſua, & mirabilis eſt potentia eius. Aliquando ſcientiam ſecundum *Pſal.*Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me. Sed ſuper omnia mirabilem facit miſericordiam. *Caſſiod.* Mirabile eſſe non poterat, niſi quod fuiſſet ſub aliqua nouitate conſpectum. *Gregor.* Primò miſericordiam ſuam mirabilem fecit,quando filium ſuum pro ſeruis, & inimicis mori conſtituit, ſicut cantat Eccleſia : O mira circa nos tuæ pietatis dignatio, vt ſeruum redimeres, filium tradidiſti. Item mirificat peccatorem auerſum conuertendo, & reuocando tanquam adulterantem ſponſam recipit in iteratum coniugium. *Ierem.* 4. Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, ſed reuertere ad me, & ego recipiam te. Item conuerſos, diligenter per Angelos, & per Prælatos conſeruando. *Pſal.* Mirificauit miſericordiam ſuam mihi in ciuitate munita. Et tandem mirificat à tam multiplici miſeria liberando, & pœnæ & culpæ. *Gregor.*Miſericordiæ Domini miræ efficiuntur, ſi noſtræ miſeriæ ad memoriam reuocantur.

Mira oſtendit Deus ſua attributa,præſertim miſericordiam erga nos.

Qui

Qui ſaluos facis. Quaſi diceret: Sic *mirifica*, & debes, *qui*, id eſt, quia *ſaluos facis ſperantes in te. Thren.*3. Bonus Dominus ſperantibus in ſe. *Eccleſ.*2. Quis ſperauit in Domino, & confuſus eſt? *Prou.*29. Qui ſperat in Domino, ſaluabitur & ſubleuabitur. Ad *Rom.* 5. Spe ſalui facti ſumus.

A reſiſtentibus dexteræ tuæ cuſtodi me. Ex hoc relinquit quod dexteræ Dei, quæ eſt potentia, aliquis reſiſtit, imò aliqui. Contra *Iob* 9. Deus cuius iræ nemo reſiſtere poteſt. Reſpondeo, quòd ibi loquitur de ira Dei in futuro ventura, cui nullus poterit reſiſtere: hîc autem dextera appellatur, ſicut vult Gloſſa, fauor & beneuolentia quæ magis reſpicit voluntatem, cui multi reſiſtunt. Sed contra ad *Rom.*4. Voluntati eius quis reſiſtet? Reſpondeo, quòd voluntati eius beneplaciti nullus: voluntati autem ſigni multi: quia non cauent à prohibitis, nec faciunt præcepta. *Iob* 14. Ipſi rebelles ſemper fuerunt lumini. Et in 15. Cucurrit aduerſus Deum erecto collo. Dextera etiam dicitur filius cui reſiſtunt multi: & dicitur dextera triplici ratione. Ratione fortitudinis. *Ariſtoteles in libro de Animalibus*, Membra dextera ſunt fortiora ſiniſtris. *Iob* 9. Si fortitudo quæritur, robuſtiſſimus eſt. 2.ad *Cor.*1. Prædicamus Dei virtutem. Ratione operationis: dextera enim eſt principium operandi. *Ioan.*8. Tu quis es? Ego principium qui & loquor vobis. Ad *Coloſſ.*1. In ipſo condita ſunt omnia. *Ioan.*1. Omnia per ipſum facta ſunt. Ratione pacis, & confœderationis. *Iſid.* Dextera dicitur à dando: per ipſam enim pignus pacis datur. 2. *Mach.6.* Demus dexteras iſtis hominibus, & faciamus pacem cum illis. Et nos cum Chriſto pacificati ſumus. *Ioan.*14. Pacem relinquo, &c. Ad *Epheſ.* 2. In vno homine faciens pacem.

Cur dicitur Chriſtus dextera patris.

Vt pupillam oculi. Quaſi diceret: Cuſtodi, & ſic cuſtodi vt pupillam oculi, quæ diligentiſſimè cuſtoditur. *Deuter.*32. Cuſtodiuit illum quaſi pupillam oculi ſui. *Zach.*2. Qui enim tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei. Hoc autem facit eleemoſynarum largitio. *Eccleſ.* 29. Eleemoſyna viri quaſi pupillam oculi gratiam conſeruabit. Et nota, quòd hæc pupilla ad cuius ſimilitudinem petit conſeruari, Chriſtus eſt: vnde ſi Chriſtus loquitur, ſenſus eſt: Cuſtodi me vt pupillam oculi, id eſt, ſicut pupilla oculi cuſtoditur. Vel conſeruanda eſt, ſi aliquis iuſtus, cuſtodi me vt pupillam oculi, ſicut ſcilicet Chriſtum cuſtodiſti. Et dicitur pupilla Chriſtus ſex rationibus. Primò ratione nominis: dicit enim *Caſſiodor.* quòd pupilla dicitur quaſi puſilla: paruum enim quid eſt. Sic Chriſtus ad *Philipp.* 2. Exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens. Item ratione bonitatis. *Caſſiodor.* In noſtro corpore puſilla nihil præſtantius inuenitur. Sic Chriſto nihil in toto corpore Eccleſiæ. *Cant.6.* Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus præ millibus. Item ratione puritatis. Dicit enim *Iſidorus*, quod pupilla dicitur quaſi pura, ſicut puella. Quid autem Chriſto purius? *Iſa.*53. Qui peccatum non fecit, &c. Terrenum etiam puluerem in ſe non habuit viuens in extrema paupertate. *Luc.* 9. Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. Ratione teneritudinis: non enim permittit ſe tangi. *Prouerb.*4. Nam & egò fui tenellus filius patris mei, & vnigenitus coram matre mea. *Ioan.* 20. Noli me tangere. Tamen valdè durè tacta eſt hæc pupilla in ſua paſſione. *Matth.*26. Tanquam ad latronem exiſtis cum gladiis & fuſtibus comprehendere me. Spinis & clauis & lancea hæc pupilla eſt compuncta: & propter hoc lachrymam emiſit. *Eccleſ.*22. Pungens oculum deducet lachrymas. Et ad *Hebr.*5. Cum clamore valido & lachrymis preces offerens exauditus eſt. Item ratione compoſitionis: habet enim oculus triplicem ſubſtantiam: tunicas, humorem, & lucem. Primum exterius Chriſti caro. *Iob* 10. Pelle & carnibus veſtiſti me. Secundum interius ſit tanquam anima quæ aquæ comparatur. 1. *Reg.* 1. Effudi animam meam in conſpectu Domini mei. *Thren.*2. Effunde ſicut aquam cor tuum. Tertium, intimum & occultum. Chriſti diuinitas. 1. *Ioan.*1. Deus lux, & tenebræ in eo non ſunt vllæ. *Iſa.*45. Verè tu es Deus abſconditus. Item ratione formationis: ſecundum enim *Ariſt. in lib. de Animal.* Oculi vltimò formantur in animalibus, quæ oculos habent. Et Chriſtus in fine temporum homo eſt factus. Ad *Galat.*4. Poſtquam venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, &c.

Item Chriſtus dicitur pupilla ſex de cauſis.

Sub vmbra alarum tuarum. Hîc eſt in quo determinat, in quo velit cuſtodiri, quia *in vmbra alarum.* Dicit ergo: Sic cuſtodi, & addo locum in quo volo cuſtodiri. *Sub vmbra alarum tuarum*, non alibi, *Protege me.* Alæ Dei ſunt charitas & miſericordia ſub quibus iſte vult protegi. Hæ ſunt de quibus *Matth.* 24. Quoties volui congregare pullos tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas ſuas. Hæ alæ nos protegunt, & in aduerſis, & in proſperis, & obumbrant. *Pſal.* Per diem ſol non vret te, neque luna per noctem: quippe diuinis alis obumbratur tibi. Alæ etiam ſunt brachia Chriſti extenſa in cruce, de quibus *Deuter.*32. Expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum, ad ſe ſumpſit. *Ioan.*12. Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. *Malach.*3. Et ſanitas in pennis eius. Item alæ ſunt duo teſtamenta illius albæ gallinæ diuinæ ſcientiæ & ſapientiæ, quibus obumbratur Eccleſia. Cognoſcit enim per Scripturas, quaſi in vmbra, quæ tandem exhibebit de ſub alis iſtis, & cognoſcet aperte. 1. ad *Cor.* 13. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. *Cant.*2. Sub vmbra illius quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Gallina etiam ſunt Prælati, qui debent habere alas duas: ſapientiam & pietatem, in quarun vmbra foueant ſubditos. *Ezech.*18. Aquila grandis magnarum alarum, &c. *Thren.*4. In vmbra tua, ô Prælate, in ſapientia ſcilicet & miſericordia, viuemus inter gentes. Sed milui facti ſunt. *Zachar.* 3. Mulieres, Prælati effœminati, habebant alas quaſi milui. *Iſa.*34. Ibi, in Eccleſia ſcilicet Cathedrali, congregati ſunt milui alter ad alterum. *Ierem.*2. In alis tuis inuentus eſt ſanguis animarum, pauperum innocentum.

Alæ Dei charitas & miſericordia.

A facie impiorum. Hîc eſt quintum, in quo oſtendit à quibus velit cuſtodiri. Si enim ſupra tetigit hæc, ibi, *A reſiſtentibus dexteræ tuæ cuſtodi me*, hîc apertiùs. Ait ergo: Sic *me protege*

Cur à facie non à manibus inimicorũ petit liberari.

Deformitas animæ peccatricis.

Adeps in bonam aut malam partem multiplex.

ſub vmbra, & hoc *à facie impiorum qui me afflixerunt.* Quid eſt quod dicis? Si te afflixerunt, & times adhuc te affligi quicquam loquens, quomodo non quæris te liberari à manibus, non à facie? Reſponſio. Siue Chriſtus loquatur, ſiue Eccleſia, optimè dicitur: plus enim grauatur in deformitate impiorum quæ propriè eſt in facie videnda, quam in toleratione propriæ iniuriæ. Quaſi diceret: Plus grauat videre miſerorum peccatorum deformitatem, quàm ſuſtinere qualiſcumque pœnæ acerbitatem. Nec mirum: tanta eſt enim animæ malæ deformitas, vt vix aut nunquam deſcribi poſſit. *Chryſoſt.* tamen ſuper Matth. aliqualiter deſcribit ipſam: Sit ergo quidam homo ignem ab intimis emittens nigrum, ex alterutris humeris dracones habens dependentes pro manibus. Sit & ei os pro dentibus gladios acutos habens infixos: pro lingua autem fontem venenum peſtiferum emanantem. Venter autem camino omni conſumptibilior, quæ mittuntur conſumens vniuerſa: & pedes ſubalati quidem, & flamma vniuerſa vehementiores ad mouendum ſe. Sed etiam facies ipſa cane & vrſo conſtructa ſit, & loquatur nihil humanum, ſed ſonitum habeat terribilem: habeat autem & in manibus flammam. Et ſubdit: Fortaſsè vobis terribilia videntur quæ dicta ſunt: ſed non vt dignum eſt eum formauimus. In hoc autem quòd dicitur, à facie, non à faciebus, notatur vnitas intentionis in malis vt bonos perſequantur. *Oſeæ* 12. Colligata eſt iniquitas Ephraim.

10. *Inimici mei.* Hîc eſt ſextum & vltimum, in quo oſtendit quare petat cuſtoditi, quia propter multiplices impugnationes: & dicuntur duo. Primò malitiæ aduerſariorum multiplicatas: ſecundò malignantium auiditas. *Suſceperunt.* In prima quinque. Primò conſultatio de perdendo illo. Secundò læta comprehenſio ſi poſſint. *Adipem ſuum.* Tertiò capti irriſio. *Os eorum.* Quartò irriſi vilificatio. *Proiicientes.* Quintò ratio omnium iſtorum ſuorum. *Oculos ſuos.* Dicit ergo: Sic peto protegi, nec mirùm, quia *inimici mei*, dæmones & homines mali, *animam meam circundederunt*, deliberando, conferendo. Sicut conſideratur caſtrum, & circundatur ex qua parte poſſit capi: ſicut Iudæi Chriſtum ad literam. *Ioan.* 11. Collegerunt Pontifices, &c. Et in *Pſal.* Circundederunt me canes multi. Sic & dæmones animam. *Eccleſ.* 9. Venit contra eam Rex magnus & potens, & vallauit eam. *Ionæ.* 2. Vallauit me abyſſus. *Luc.* 19. Circundabunt te inimici tui vallo, &c. Et bene dicit, Animam: quia nec Iudæi quærebant niſi animam Chriſti, nec dæmones quærunt niſi animam iuſti: *Geneſ.* 14. Da mihi animas, cætera tolle tibi. *Gregor.* Nihil ſe feciſſe æſtimat, niſi cum animas ſauciat.

Adipem ſuum concluſerunt. Ecce ſecundum, læta inuaſio. Quaſi diceret: Sic circundederunt, conſilia quærendo, & etiam *adipem ſuum* lætitiam ſcilicet qua pingueſcebant & ſaltabant, ſicut pingue animal, *concluſerunt*, ad finem ſcilicet duxerunt, vel totos ſe operuerunt. Sed notandum ad maiorem intelligentiam huius verbi, quòd eſt adeps multiplex. In bono interna deuotio. *Pſal.* Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Melior adeps ſacra Scriptura. *Iſa.* 34. Gladius Domini repletus eſt ſanguine, vbi loquitur contra peccata: incraſſatus adipe, vbi promittit bona. Sed adeps optimus, ſpiritualis lætitia à ſolo Deo cordi infuſa. *Leui.* 3. Omnes adeps Domini erit. Sed adeps malus, malitia vniuerſaliter, ſecundum illud *Iob* 6. Viſcera impij plena ſunt adipe: Et de hoc poteſt legi quod hîc dicitur, *Adipem ſuum*, id eſt, malitiam ſuam, *concluſerunt*, intra ſe clauſerunt, vt eos excæcarent. Vel *concluſerunt*, ad finem perduxerunt, Dominum occidendo: quia ſicut dicit *Bernard.* Graue quidem peccatum originale, ſed grauius quodlibet perſonale: ſed grauiſſimum illud ſingulare quod commiſerunt in Dominum maieſtatis, crudeliſſimi homicidæ, imo, ſi fas eſt dicere, deicidæ. *Matth.* 24. Implete menſuram Patrum veſtrorum. Adeps deterior, ſuperbia. Animalia enim adipe plena ſuperba ſolent eſſe & indomabilia. Hic eſt adeps Regis Eglon. *Iudic.* 3. Infixit in ventrem eius tam validè, vt capulus ſequeretur ferrum in vulnere, ac pinguiſſimo adipe ſtringeretur. Et de hoc poteſt legi: *Adipem ſuum concluſerunt*, id eſt, intra ſe clauſerunt, nullo modo humiliati. Adeps etiam qui vtriuſque eſt occaſio prædictorum temporalis abundantia. *Pſal.* Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum.

Os eorum loquutum eſt ſuperbiam. Irridendo captum. *Pſal.* Aperuerunt ſuper me os ſuum, dixerunt, Euge Euge, &c. Propter hoc petit inops: Nequando irrideant me inimici mei. Et Chriſtum irridebant Iudæi *Matth.* 27. Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo reædificas illud.

Proiicientes me. Hîc quartum, ſcilicet irriſi vilificatio. Quaſi diceret: Sic loquuntur ſuperba irridendo, & etiam *proiicientes me* tanquam vile aliquid extra Ieruſalem circundederunt me ad crucifigendum. *Matth.* 21. Apprehenſum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt. *Ioan.* 18. Exiuit ergo IESVS portans ſpineam coronam, & purpureum veſtimentum. Et 19. Et baiulans ſibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locus. Ad *Hebr. vltimo.* IESVS vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt. Sic & eius membra. *Ierem.* 18. Proiecerunt Ieremiam in locum vbi non erat aqua, ſed lutum. Et *Act.* 8. de Stephano, & eiicientes eum extra ciuitatem lapidabant. Sic & modo verbum Dei ſi qui recipiunt, citò proiiciunt. *Ierem.* 18. Verbum Domini proiecerunt, & ſapientia nulla in eis: imò ſi ad modicum tempus, ſicut in Quadrageſima & Aduentu, Deum recipiunt in ſe per gratiam, ipſum abiiciunt in æſtate, ſicut abiiciuntur ocreæ hyemales. *Ezech.* 23. Oblitus es mei, & proieciſti me poſt tergum tuum. 11.

Oculos ſuos ſtatuerunt. Ecce ſextum & vltimum, ratio ſcilicet præcedentium. Quaſi diceret: Sic faciunt, quia *oculos ſuos*, cordis ſcilicet intentionem & affectum, *ſtatuerunt* firmiter ſtabiliendo, *declinare in terram* hanc materialem calcabilem. Hoc planum in Iudæis, qui Chriſtum occiderunt, qui oculos ad terrena conſeruanda conuerterunt. *Ioan.* 11. Expedit vt vnus moriatur pro populo, vt non tota gens pereat. Ne forte veniant Romani, &c. Præterea

in

in Chriſto erat diuinitas tanquam cœlum, & humanitas tanquam terra: Iudæi autem ſolam terram, id eſt, humanitatem in Chriſto attendebant. *Prouerb.*10. In facie prudentis, Chriſti ſcilicet, lucet ſapientia, diuina ſcilicet: oculi autem ſtultorum, ſcilicet Iudæorum, in finibus terræ, in Chriſti ſcilicet humanitate. *Iſa.* 42. Cæci intuemini ad videndum. Quis cæcus niſi ſeruus meus? Vere cæcus qui non videbat Chriſti diuinitatem quam omnis creatura ſentiebat. *Gregor.* Mare cognouit, quia ſe pedibus calcabile præbuit. Cœli cognouerunt, quia nato Domino ſtellam miſerunt. Sol cognouit, quia in paſſione eius radios ſuos obſcurauit. Terra cognouit, quia ipſo moriente contremuit. *Bernard.* Mortem Chriſti expauit & expalluit tota machina mundialis. Hæc eſt autem vniuerſalis ratio, & in dæmonibus & in hominibus quare perſequuntur bonos, quia oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram. *Daniel.* 13. Declinauerunt oculos ſuos vt non viderent cœlum, neque recordarentur iudiciorum iuſtorum.

12. *Suſceperunt me.* Hîc ſecundum, in quo monſtratur malignitas perſequentium, & oſtenditur in duobus, in calliditate primò: ſecundò in crudelitate. *Et ſicut catulus leonis.* Dicit ergo ſic: Perſequuntur & hac ratione, & etiam crudeliter, quia *ſuſceperunt me*, non quocumque modo, ſed *ſicut leo paratus ad prædam*, qui totam crudeliter deuorat, & diſcerpit. Et hoc verum in Chriſto quantum ad maiores Iudæorum. *Sophon.*3. Principes eius, in medio eius, quaſi leones rugientes. Sic & dæmones tanquam leones ad prædam ſuſcipiunt peccatores. 1. *Pet.* 5. Aduerſarius veſter diabolus, &c. Et in *Pſal.* Nequando rapiat vt leo animam meam.

Et ſicut catulus leonis, non in aperto fæuiens, ſed *habitans in abditis*: vnde callidè inſidiatur, ſicut quidam Iudæorum, qui callidè procurabant mortem Chriſti & latenter. *Thren.*3. Vrſus inſidians factus eſt mihi, & leo in abſcondito. Et dicuntur tales catuli: hi enim erant exteriùs humiles & abiecti. Propter hoc de omnibus conqueritur ſimul *Ierem.*17. Facta eſt mihi hæreditas mea quaſi leo in ſylua, Ecce *in abſcondito*: dedit vocem ſuam contra me, Ecce *paratus ad prædam.* Et notatur in his verbis duplex diaboli tentatio, qua impugnat ſuos per ſe, & per ſuos, aperta ſcilicet, & occulta, de quibus in *Pſal.* Non timebit à ſagitta volante in die, quantum ad apertam, & negotio perambulante in tenebris, quantum ad occultam.

13. *Exurge Domine.* Hîc eſt ſecundum ſecundæ partis huius Pſalmi, in quo petitur retributio iuſta aduerſariis: ſecundò iuſtis, & ſuſtinentibus eorum infeſtationem, ibi, *Ego autem in iuſtitia.* In prima tria. Primò petitur liberatio iuſti ab impiis reddenda in futuro, ibi, *Domine à paucis.* Tertiò ſubiungitur culpa vel demeritum propter quod debetur illis, ibi, *De abſconditis tuis.* In prima tria. Primò excitatio ipſius Domini: ſecundò petitio. *Et præueni eum.* Tertiò probatio, quòd debet exaudiri, ibi, *Frameam tuam.* Dicit ergo: Tanta eſt neceſſitas, & perſequutio, vt præmiſi. Ergo *Domine exurge*, qui dormire videris, vel peccata hominum non curare. Alibi in *Pſal.* Exurge quare obdormis Domine? Exurge & ne repellas in finem.

Præueni. Hîc petitio, & petit tria. Feſtinationem auxilij, inimici deiectionem. *Et ſupplanta eum.* Et ſui eriptionem. *Eripe animam meam ab impio.* Dicit ergo ſic: *Exurge & præueni eum*, inimicum ſcilicet populum Iudæorum me perſequentem. *Auguſt. Hieronym.* & *Caſſiodor.* Habent eos, ſcilicet Iudæos: hæc autem litera, *eum*, ſignificat populum Iudæorum: & loquitur ad modum currentium. Quaſi diceret: Currunt velociter ad perſequendum me: ſed tu *præueni* eos puniendo. *Prouerb.*1. Pedes eorum ad malum currunt, & feſtinant vt effundant ſanguinem: ſed tu præueni, vt prius pœnam accipiant, quam effundant: quod & factum eſt: quia excæcati ſunt antequam Chriſtum occiderent. 1. ad *Corinth.*2. Si cognouiſſent, nunquam Deum gloriæ crucifixiſſent. *Sapient.* 2. Hæc cogitauerunt, nondum opere impleuerunt, & euanuerunt: excæcauit enim eos malitia ſua.

Et ſupplanta eum. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Præueni, & cum attigeris, ſupplanta eum, id eſt, deiice illum luctando: deiicere enim in lucta dicitur ſupplantare: tales enim ſolent ſub plantis aliquid ponere, vel aliquid de ſub planta ſubtrahere: & ſic factum eſt: turpiter enim ſunt deiecti & ſupplantati, per totum orbem diſperſi & diſtracti. *Prouerb.* 19. Sultitia hominis ſupplantat greſſus eius, quantum ad intellectum. Et in 13. Impietas peccatorem ſupplantat, quantum ad pedem affectus. Propter hoc dicitur *Ierem.*35. Non effugiet velox, nec ſaluari ſe putet fortis. *Amos* 2. Peribit fuga à veloci, & fortis non obtinebit virtutem ſuam.

Eripe animam meam. Ecce tertium. Sic membra diaboli, impios præueni, & ſupplanta, & *eripe animam meam*, propriam, & omnium meorum, *ab impio*, diabolo, qui ſuper cornu crucis ſtans, expectabat eam, ſicut alias delaturus eam ad infernum. *Iob* 40. Abſorbebit fluuium, & non mirabitur, ſed adhuc ſperat quod Iordanis influat in os eius.

Frameam tuam. Ecce tertium. Quaſi diceret: Petij vt capias, & debes, quia dico, *Eripe* non quamcumque rem, ſed *frameam* tuam, animam meam quæ eſt framea tua, vnde debes eam eripere, & maximè *ab inimicis manus tuæ*, Iudæis, & dæmonibus, qui tuæ aduerſantur potentiæ, quæ per manum intelligitur. Secundum Iſidorum framea eſt gladius ex vtraque parte acutus, & dicitur framea à materia, quaſi ferrea. Anima ergo Chriſti framea dicitur, quaſi ferrea, dura, & omnino inflexibilis à iuſtitia. *Pſal.* Deus in medio eius non commouebitur. Sed ex vtraque parte acuta fuit Chriſti anima, quando acumine intellectus ex vna parte diuinitatem comprehendere potuit, & eam penetrare vſque ad intima, & ex altera, corporis ſcilicet, paſſiones ex ſenſu acutiſſimè penetrare, ita vt nec contemplatio ſenſum paſſionis impediret, nec ſenſus paſſionis à contemplatione in aliquo reuocaret. Hic eſt gladius quo Deus infernum debellauit, trahens illum de vagina, ſcilicet de carne ſua. *Ezech.*21.

Anima Chriſti cur dicitur framea, id eſt, gladius vtrinque acutus.

*Ezech.*21. Mucro euagina te vt interficias, lima te, vt fulgeas, vt ſepares pios ab impiis, & claritatem tuæ potentiæ oſtendas. Et poſtea perfectâ victoria, poſita iterum framea in vagina ſua in corpore ſuo vſque in perpetuum permanſura: Et cùm omnia tua ſint: *Iob* 41. Omnia quæ ſub cœlo ſunt, mea ſunt: hæc maximè tua eſt, quæ aſſumpta eſt in vnitatem perſonæ filij tui, & propter hoc à te potiſſimum eripienda.

14. *Triplex expoſitio huius verſus.*

Domine à paucis. Hîc eſt iuſtæ retributionis poſtulatio ipſis malis: & legitur multipliciter. Tripliciter ſcilicet, primò, vt dicantur pauci Iudæi infideles: & ſic legitur, *Domine* qui omnia potes *in vita eorum*, ſcilicet in vita præſenti quam ſuam putant, & nullam aliam quærunt. *Sap.*2. Nos ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus, quaſi non fuerimus. Venite ergo fruamur bonis quæ ſunt. Et ſubditur: Quoniam hæc eſt pars noſtra & ſors noſtra. *Diuide eos*, id eſt, ſepara *de terra eorum*, Ieruſalem, & adiacenti patria, vt impleatur illud 4. *Reg.* 25. Tranſlatus eſt Iuda de terra ſua. Et ſic *diuide* eos, quòd *à paucis*, id eſt, ab inuicem ſint diuiſi, paucis hinc inde diſtractis. Hoc planiùs habet litera Auguſt. quæ talis eſt: Domine perdes eos de terra, quantum ad primum: diſpertire eos in vita eorum quantum ad ſecundum. Et hoc iuſtum: occiderunt enim Chriſtum propter terram ſeruandam: vnde iuſtè eam amiſerunt: & propter gentem in vnum tenendam. *Ioan.*11. Ne forte veniant Romani, & tollant gentem noſtram. Propter hoc à terra diuiſi, & à ſe inuicem ſeiuncti. Vel ſic vt pauci dicantur Iudæi fideles. Vt enim docent hiſtoriæ, maximè Ioſephi, imminente Iudæorum exterminio, pauci fideles in regnum Agrippæ ſeceſſerunt moniti ab Angelo, vbi manſerunt tuti. Et eſt ſenſus: Domine in vita eorum ſicut priùs, diuide eos à paucis fidelibus, *de terra eorum*, ſupple, recedentibus. Vel pauci poſſunt dici omnes electi: & legatur ſic: *Domine diuide eos à paucis* electis tuis, & ita quod *de terra eorum*, id eſt, electorum, quæ eſt terra viuentium. Et hoc in vita eorum, id eſt, ſicut meruit vita eorum. De qua diuiſione *Matth.*25. Separabit eos ſicut ſeparat paſtor gregem ſuum. Agnos quidem ponet à dextris, hœdos autem à ſiniſtris. Hæc imprecatio impletur iam in malis Prælatis: diuiſi enim ſunt à paucis, ab humilibus, qui numero pauci ſunt, & ſui reputatione nihil: ipſi autem multi ſunt, honoribus, delitiis, diuitiis. Supra in *Pſal.* A fructu frumenti, vini, & olei ſui multiplicati ſunt. Item diuiſi ſunt de terra: quia non laborant, ſed quieſcunt. *Pſal.* In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Sed ſicut dicit *Bernard.* cum dæmonibus. Et tandem accidet eis quod minatur Dominus ſeruo malo. *Luc.*12. Diuidet eum, & partem ſuam ponet cum infidelibus.

Abſcondita Deo dicitur peccata quibus impius expletur.

De abſconditis tuis. Hîc tertium, demeritum ſcilicet, propter quod imprecatur pœnam iſtam, & tangitur duplex. In ſe abſolutè: ſecundò in comparatione ad alios ſucceſſores ſuos ſcilicet, ſecundum aliquas lecturas, ibi, *Saturati ſunt.* Dicit ergo: Sic punias eos, & digni ſunt, quia *de abſconditis tuis*, id eſt, peccatis & immunditiis, quæ tu non cognoſcis, ſed magis abſcondita ſunt tibi. Contra: Peccata hominum illis abſconduntur, alibi, in *Pſal.* Ab occultis meis munda me Domine, ſed Deo quomodo abſcondita dicuntur? de quo ad *Hebr.*4. Omnia nuda ſunt & aperta oculis eius. Reſpondeo: A notitia ſimplici non. *Pſal.* Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, ſed à notitia affectata. *Abac.*1. Mundi ſunt oculi tui ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris. De iis abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum, id eſt, capacitas rationis, dicit *Hieronymus*, memoria, ſicut *Auguſtinus* dicit. Sic repletus eſt vt non ſit in eo locus Deo, ſed ſit eius obliuio. Ad *Rom.* 1. Tradidit eos Deus in reprobum ſenſum repletos omni iniquitate & malitia. Modo peccata malorum ſunt in ventre eorum, ſed in die iudicij clamabunt ſicut parturiens. *Pſal.* Ibi dolores vt parturientis. Et quid, niſi illud *Ierem.*4. Ventrem meum doleo: & dolebis, dicetur eis, quia nunquam de cætero peccatum exire poterit per confeſſionem. *Iſa.*37. Venerunt filij vſque ad partum, & non eſt virtus pariendi. *Luc.*21. Væ prægnantibus & nutrientibus illis diebus. Et nota, quòd eſt venter triplex. Gaſtrimargia. Ad *Philipp.*3. Quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione eorum, qui terrena ſapiunt. Infirmitas humana. *Pſal.* Conglutinatus eſt in terra venter noſter. *Cant.*7. Venter tuus, dicitur Eccleſiæ, id eſt, infirmior pars in te, ſicut crater tornatilis, &c. Eſt memoria & conſcientia, ſicut hic dicitur. *Prouerb.* 10. Venter eorum inſaturabilis. Abſcondita etiam poſſunt dici præcepta Dei, & miracula Chriſti, quæ aliis gentibus fuerunt abſcondita à Deo, ſed Iudæi his ſunt repleti. *Deuter.* 4. Quæ eſt enim alia gens tam inclita, vt habeat ceremonias, iuſtáque iudicia & omnem legem quam ego pono hodie ante oculos tuos.

Triplex humius verſus expoſitio.

Saturati ſunt filiis. Hîc eſt ſecundum, in quo monſtratur transfuſio iniquitatis in alios: & primò notatur in illis abundantia malitiæ. Secundò transfuſio in alios ex illa. *Et dimiſerunt.* Legitur enim ſecundum *Auguſt.* tripliciter. Primò, vt hic *filiis* ſumatur propriè pro prole naturali: & tunc dupliciter: quia vel in bono, & eſt ſenſus: Sic adimpleti ſunt mandatis & miraculis tuis, vel etiam peccatis. Et *ſaturati ſunt filiis*, datiuè ad vtilitatem filiorum, non ſuam, & ibi, quia *dimiſerunt reliquias ſuas* ſaluandas ſuis, ſecundum illud *Iſa.*10. Reliquiæ conuertentur ad Dominum. Reliquiæ, inquam, Iacob: *Paruulis ſuis.* Quaſi diceret: Non de ipſis erunt ſaluati, ſed de ſuis. Vel ſic: Saturati ſunt peccatis, & hoc *filiis ſuis*, id eſt, ad damnum filiorum: & ideò quia *dimiſerunt reliquias* maledictionis *filiis ſuis*, quando clamauerunt *Matth.*27. Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros. Quaſi diceret: In tantum peccatis ſunt repleti, vt refunderent illa in poſteros ſuos. *Ierem.* 31. Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt. Sicut mater aliquando comedit, & eius nutrimentum tranſit in fœtum ſuum quando lac ſugit, ſic eorum malitia tranſiuit ad filios per Patres ipſos. *Sap.*4. Ex iniquis omnes filij qui naſcentur, teſtes ſunt nequitiæ aduerſus parentes. Tertio modo legitur, vt filij appellentur mala opera, reliquiæ, &c.

Peccata Iudæorum redundant in damnum filiorum.

Saturati

Saturati sunt filiis, ablatiui casus, id est, operibus malis suis, & maledictis ex se generatis. Saturati, inquam, vsque ad summum. *Sap.*4. de talibus filiis: Nequissimi filij eorum, maledicta creatura eorum.

Sed contrà: Peccata non satiant. *Ezech.*16. Postquam fornicata es, nec sic es satiata, & multiplicasti fornicationem tuam Chanaan cum Chaldæis, nec sic satiata es. *Prouerb.*30. Tria sunt insaturabilia. Responsio. Duplex est appetitus: vnus naturalis, hic satiatur: tantum enim formiatur aliquando aliquis, quòd natura non plus appetit, quamuis non sit vera satiatio. Et est appetitus vitiosus: hic nullo modo satiatur, sed semper magis ac magis appetit, & de isto intelligitur, quod dicitur in *Ezech.*& in *Prouerb.* Si autem opponatur, quòd appetitus naturalis solo Deo satiatur: *August. in libro Confessio.* Inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. Quis enim dubitat naturalem appetitum ad capiendum Deum factum, & ipso solo replendum? Propter hoc dicendum est, quòd est saturatio fastidij, & hac satiant vitia & delectationes in creaturis: omnis enim voluptas naturalis frequentata, in fastidium vertitur. Vnde mali *Sapient.*2. Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ. *Eccles.*1. Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, & ecce vniuersa vanitas sine omni soliditate, & afflictio spiritus, cum tædio scilicet, & fastidio. Et est satietas repletionis veræ, quæ est in naturali appetitu à solo Deo.

Qua ratione mali satiãtur peccatis.

Alia versio, saturati sũt porcina.

Alia litera habet: *Saturati sunt porcina:* & supplent quidam, carne. Ergo filij malorum, eorum scilicet opera sunt porci. Valde innaturale est, quòd homo generet porcum: comedit enim porcum, quando delectatur in opere malo, sicut illi de quibus *Isa.*3. Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt. *Sapient.*12. Eos exhorruisti: quia opera tibi odibilia faciebant per medicamina, & sacrificia iniusta, filiorum necatores suorum, sine misericordia, imò deuoratores. *Thren.*4. Manus mulierum immisericordium coxerunt filios suos: haud dubium quin ad comedendum. Alij dicunt porcinam esse cibum porcorum, vnde supplent hoc: *Saturati sunt porcina*, esca supple. Ergo porci sunt. *Luc.*15. Filius prodigus quærebat saturari de siliquis quas porci manducabant. Non est ergo magnum, si de hominibus facti porci, dæmonibus dimittuntur, vt ipsos possideant. *Matth.*8. Si eiicis nos hinc, mitte nos in porcos, quod factum est.

15. *Ego autem in iustitia apparebo.* Hic secundum huius partis: & dicuntur duo. Primò dispositio ad remunerationem. Secundò ipsa remuneratio. *Satiabor.* Ait ergo: Sic illi: ego autem sic ab illis tractatus, & in me, & in meis, *apparebo* manifestus *in conspectu tuo*, non sicut Adam qui abscondit se. *Genes.*3. Abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini. *Psal.* Operti sunt iniquitate & impietate sua, sicut hypocritæ, & excusantes in confessione peccata sua. Apparebo autem non vacuus, sed plenus. *Exod.*23. Non apparebis in conspectu Domini Dei tui vacuus. Sed *in iustitia*, quæ præparabit me ad gloriam tuam susciendam. *Sap.*1. Iustitia perpetua est & immortalis, id est, perpetuitatis & immortalitatis acquisitiua. Iniustitia autem impij est mortis acquisitio. Et nota, quòd dicit in conspectu tuo. Quasi diceret: Ex ipso tuo conspectu habeo iustitiam, & omnem gratiam. *Esther.*6. Valde mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum. *Genes.*6. Noe inuenit gratiam coram Deo.

Satiabor. Ecce secundum. Quasi diceret: Sic apparebo iustitia ornatus, quam tamen habeo à te: & sic *satiabor. Ioël.*2. Satiabimini & laudabitis nomen Domini in conspectu Dei vestri, in sæculum sæculi. Et *Isa.*65. Serui mei comedent, & vos esurietis. *Matth.*5. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur, non porcina sicut alij, sed *gloria tua cum apparuerit.* Sed contra *Eccles.*24. Qui edunt me, adhuc esurient, & 42. Quis satiabitur videns gloriam eius? Responsio. Saturitas aliquando signat plenam appetitiui satietatem, ita vt nihil amplius requirat: sic accipitur hic. Aliquando importat fastidium, & rei qua vsi sumus abiectionem: sic accipitur *Eccles.*42. & negatur 24. Erit ergo satietas non fastidiosa, & fames sine penuria, vt semper satis habentes desideremus, & nunquam fastidiamus. In hoc autem quod dicit, Cum apparuerit, demonstratur, quòd visio est tota merces. *Ioan.*17. Hæc est vita æterna, &c.

Satietas similitudo eũ Deo.

Litera *Hieronymi*, *Implebor cùm euigilauero similitudine tua.* Vnde ipsa assimilatio nostri ad Deum erit satiatio nostra. 1. *Ioan.*3. Scimus, quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum secuti est. Ad *Colos.*3. Cum apparuerit Christus vita nostra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gratia.

IN XVII. PSALMVM.

In finem puero Domini Dauid, qui loquutus est Domino verba Cantici huius, in die, qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius, & de manu Saül, & dixit. 1.

Diligam te Domine. Hic est Psal. decimus septimus, in quo aguntur gratiæ, & laudatur à Christo Deus pro conseruatione in bono impetrato in Psal. præcedenti, secundum quod refertur ad Christum pro sui liberatione à morte, & miseriis, & Iudæis persequentibus: secundum quod ad membra Christi refertur pro certa spe liberationis ab inimicis, dæmone, & membris eius, & infirmitatibus & miseriis à bono retrahentibus, & ipsa morte. Hoc autem satis ostenditur in titulo qui talis præmittitur: *In finem puero Domini Dauid, qui loquutus est Domino verba Cantici huius, in die, qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius, & de manu Saül, & dixit.* Et est talis ordo, & sensus verborum. *Verba Cantici huius* tendentis in finem, conueniunt, supp. *Dauid puero Domini*, id est, seruo Domini, *quæ* verba, supple, *loquutus est* Domino, *in die quâ eripuit eum de manu inimicorum, & de manu Saül* maxime, *& dixit, Diligam te*, &c. Secundum hoc videtur, quòd debet Psalmus exponi de persequutione 2.

ſequutione illa, & liberatione materiali Dauid.

Sed occurrit *Caſſiodor.* Propter duo verba quæ in titulo ſunt poſita, oſtendens non eſſe exponendum literaliter, ſed trahimur per illa ad intelligentiam ſpiritualem. Primum eſt quod dicit, *in finem*: Per hoc enim apertè oſtenditur in tulo, quòd in illum qui finis eſt, ducunt noſtrum intellectum verba Pſalmi Hic autem ſpiritualis Dauid, non materialis, Chriſtus ſcilicet. Ad *Rom.* 10. Finis legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. *Apoc.* 1. Ego ſum α & ω, principium & finis. Aliud verbum eſt quod dicit, *Canticum.* Eſt enim, ſicut dicit *Caſſiodorus*, canticum non pro temporali aliquo euentu, ſed pro æternis habita exultatio. Sed contra hoc videtur, quia 2. *Reg.* 22. Triumphatis omnibus inimicis Dauid, dicitur: Loquutus eſt Dauid Domino verba carminis huius, in die qua liberauit eum Dominus de manibus inimicorum ſuorum, & de manu Saulis, & dixit: Dominus petra mea, &c. ſecundum aliam tranſlationem huius *Pſal.* Ergo pro triumpho materiali ſunt dicta hæc. Sed reſponſio eſt, quòd nihil prohibet ibi dicta pro materiali triumpho: in illo enim titulo non ponitur in finem ſicut hic, nec canticum, ſed tantum carmen quod erat pro euentu temporali propriè. Prærerea autem à Chriſto ſpirituali, pro ſpirituali victoria.

Sed arctabit me adhuc vlteriùs opponendo, quòd nihil tale omninò legimus Chriſtum poſt reſurrectionem ceciniſſe. Sed reſponſio eſt, quòd multa fecit, quæ Scriptura non expreſſit. *Ioan. vltimo.* Multa quidem & alia ſigna fecit IESVS, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc, quæ ſi per ſingula ſcriberentur, nec ipſum arbitror poſſe capere mundum.

Expone ergo verba tituli de Chriſto ſic: *Verba Cantici huius* ſpiritualis, quia de ſpirituali victoria. Ecce materia Pſalmi tendentis, vel tendere facientis, *in finem*, Chriſtum ſcilicet inquantum Deus eſt: ipſe enim ſecundum diuinitatem qua æquali eſt Deo Patri, finis eſt ſuiipſius ſecundum humanitatem, & omnium noſtrum. Et in hoc vtilitas Pſalmi conuenit *Dauid*, id eſt, Chriſto puero Domini, id eſt, ſeruo Domini ſecundum humanitatem, & corpori ſuo myſtico. *Iſa.* 42. Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum.

Quæ loquutus eſt Domino Deo Patri, vel ipſe ore proprio, vel certe per os Prophetæ Dauid. 2. *Reg.* 23. Spiritus Domini loquutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam. Ecce Auctor huius Pſalmi.

In die qua eripuit eum Dominus. Et ſumitur propriè in die, ſi dicimus Chriſtum ore proprio hæc dixiſſe. Si autem ore Dauid, tunc præpoſitio, *in*, ſumitur pro præpoſitione pro, id eſt, *pro die, qua eripuit eum Dominus.* Et ſic habemus tempus quando editus eſt Pſalmus. Et determinat à quibus. *De manibus inimicorum ſuorum*, dæmonum ſcilicet, & Iudæorum. *Et de manu Saül*, id eſt, mortis. Et nota, quòd per Saül ſignatur mors ratione triplici. Primò: quia Saül Rex fuit non ad permanendum: vnde 1. *Reg.* 10. Tulit Samuël lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius. Gloſſa: Lenticula eſt vas olei fictile quadrangulum, in latere habens foramen, & ſignat fragilitatem regni eius. Et è contra Dauid permanſurus, inunctus eſt cornu olei, in quo ſignificatur duratio regni eius. Sic certè mors regnat ad tempus. Ad *Rom.* 9. In vnius delicto mors regnauit per vnum. Ecce regnum. Sed ad tempus. 1. Ad *Corinth.* 15. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt: Vbi eſt mors victoria tua: Vbi eſt mors ſtimulus tuus? Item ſicut Dauid Saulem patienter ſuſtinuit, vt in pace regnaret: ſic Chriſtus mortem: vnde poſt mortem dixit: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Ad *Epheſ.* 2. Faciet pacem vt reconciliet ambos in vno corpore Deo per carnem, interficiens inimicitias. Item hunc Regem à Deo extorſerunt, ſicut patet 1. *Reg.* 8. Vnde interpretatur petitio. Sic certè genus humanum mortem à Deo extorſit, vt regnaret ſuper ſe. *Sap.* 1. Impij manibus, id eſt, operibus tangendo lignum vetitum, & verbis quando ſe excuſauerunt. *Geneſ.* 3. accerſierunt illam, id eſt, mortem. Et ex iis apparet motiuum ad componendum Pſalmum.

Saül regnũ figura mortis ex triplici capite.

Diuiditur autem Pſalmus iſte in tres partes. Primò eſt promiſſio de laudando Deo ex promiſſione, & gratiis referendis. Secundò multorum bonorum enumeratio pro quibus ſunt referendæ, ibi, *Circundederunt me dolores.* Tertiò promiſſi ſolutio, ibi, *Viuit Dominus, & benedictus.* In prima parte dicuntur tria. Primò promittit dilectionis continuationem. Secundò ſubiungit dilecti deſcriptionem, vt monſtretur ratio diligendi, & continuandi dilectionem, ibi, *fortitudo mea.* Tertiò promittit gratiarum actionem & inuocationem. *Laudans inuocabo Dominum.* Dicit ergo: *O Domine diligam te.* Male loquitur, vt videtur: amor enim ad parem eſt: quomodo ergo Dominum ſe dicit dilecturum? *Bernard. ad Eugenium:* Amor Dominum neſcit, ſed timor. *Malach.* 1. Si ego Dominus, vbi eſt timor meus? Reſponſio. Dominus aliquando dicitur in priuando ſuperiorem: ſic accipitur hîc. Aliquando vt refertur ad inferioris cohibitionem. Tale dominium negat *Bernard.* Et de tali loquitur *Malach.* Et dicimus: Plus vult eſſe Dominus primo modo, quam ſecundo: cuius ſignum habemus certum in factis eius, & etiam in facturis. In factis: quia frequentius dat rorem & pluuiam, quàm fulminet, vel tonet. *Pſal.* Non in perpetuum iraſcetur, neque in æternum comminabitur. In facturis: quia reſpectu creaturarum delectabilium pauciſſimæ ſunt terribiles. *Eccleſ.* 42. Quàm deſiderabilia ſunt omnia opera eius! Omnia dicit, pro maiori parte: quia ferè omnia: hinc docet *Auguſt.* prælatos ei aſſimilari, vbi ait de Prælato: Plus amari à vobis appetat quam timeri.

Quomodo amor neſcit vel patitur ſuperiorem.

Dominium Dei ſuaue.

Item quando dicit, *Diligam te*, procraſtinat contra illud *Prouerb.* 3. Ne dicas amico tuo: Vade & reuertere, cras dabo tibi, cum ſtatim poſſis dare. Præterea præſumit de futuro aſſerendo, de quo non eſt certus: ſi enim certus eſt, quòd diliget, certus eſt quod eius amore dignus erit, quia *Prouerb.* 8. Dicitur: Ego diligentes me diligo. Sed contra *Eccleſ.* 9. Nemo ſcit an amore, vel odio dignus ſit. Ergo multo fortius neſcit ſi erit. Reſponſio. Cùm dicitur,

Diligam,

Diligam, in futuro, potius eſt iam datæ dilectionis ſignificata continuatio, quam procraſtinatio vel promiſſio de futuro. Ad aliud dicendum, quòd ſi vox Chriſti eſt, præſumptio non eſt, ipſe enim ſciebat ſe habere charitatem, & perſeueraturum ſe in ea non dubitabat. Item ſi vox Eccleſiæ eſt, præſumptio non eſt: ſcit enim Eccleſia, quòd in ipſa nunquam dilectio deficiet: dictum enim ſcit *Matth.vlt.* Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. Et ad *Rom.*8. Scio quòd neque mors, neque vita, neque principatus, neque poteſtates, &c. poterunt nos ſeparare à charitate Dei quæ eſt in Chriſto IESV. Nos dicit, loquens in perſona Eccleſiæ.

Fortitudo mea. Hîc deſcribit dilectum: & tanguntur octo conditiones. Duæ reſpiciunt liberationem à malo pœnæ: aliæ duæ ereptionem à malo culpæ. *Refugium & liberator.* Duæ conſeruationem in tentatione. *Adiutor & protector.* Duæ vltimæ victoriam cum remuneratione. *Cornu ſalutis & ſuſceptor.* Fortitudo autem dicitur Deus propter virtutem in agendo quod eſt difficile. Firmamentum in ſuſtinendo quod eſt graue. Dicit ergo ſic: *Diligam te Domine*, qui es ſup. *fortitudo mea*, cauſaliter loquendo, id eſt, per quem fortis ſum. *Iſa.*40. Qui dat laſſo virtutem, & robur multiplicat iis, qui non ſunt aliquid, ſup. de ſe. *Ierem.*16. Domine fortitudo mea, & robur meum.

Sed conſtat, quòd ſi fortitudo eſt, fortitudo infinita eſt. Quid ergo non poteſt cui Deus fortitudo eſt? Hinc confidenter dicunt Sancti cum *Paulo ad Philipp.* 4. Omnia poſſum in eo qui me confortat. *Eccleſ.*47. Dilexit Dominum qui fecit illum, & dedit illi contra inimicos potentiam.

3. *Dominus firmamentum meum*, vt poſſim ſuſtinere grauia. *Prou.*15. Firmos facit terminos Iudææ, extremos Eccleſiæ. *Matth.*7. Venerunt flumina, flauuerunt venti, & irruerunt ſuper domum illam, & non cecidit, fundata enim erat ſupra firmam petram.

Et refugium. Hîc tangit illas quæ reſpiciunt malum culpæ, in quo ſunt neceſſaria duo. Liberatio à culpa, & ſuſceptio liberati. Sed præpoſterat: ait enim, tu es *refugium meum* me recolligendo in numero tuorum. *Pſal.* Domine refugium factus es nobis. Refugium vtique propinquum. *Pſal.* Iuxta eſt Dominus his qui tribulatio ſunt corde. Amplum: quia nulli claudit gremium ſuum. *Pſal.* Et magnitudinis eius non eſt finis. Et valdè firmum. *Pſal.* Suſceptor meus, non mouebor amplius. *Pſal.* Petra refugium herinaciis.

Et liberator meus, ſi fuero captus à culpa. *Daniel.*6. Ipſe eſt liberator atque ſaluator, qui liberauit Danielem de lacu leonum: ſi ſeruus fuero in illa. *Ioan.*8. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Et in eodem, Si filius vos liberauerit, &c.

Deus meus adiutor meus. Hîc tertium, duæ ſcilicet conditiones quantum ad tentationes: duo enim ſunt neceſſaria, vt ſit adiutor ad impugnandum & vincendum, & protector ad defendendum. *Protector meus.* Dicit ergo: Non ſolum es fortitudo, firmamentum, refugium, & liberator, imò *Deus meus adiutor meus* ad vincendum omnes tentationes. *Deut.*33. Manus eius pugnabit pro nobis.

Adiutor ſine quo omninò nihil poſſum. 2 ad *Corinth.*4. Non quia ſufficientes ſimus ex nobis cogitare aliquid quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt: & cum quo omnia poſſumus. Ad *Phil.*2. Operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. Et propter hoc, *ſperabo in eum*: aliter enim non præberet auxilium. *Pſal.* Sperate in eum omnis congregatio populi. Propter hoc dicebat *Iob* 13. Et ſi me occiderit, ſperabo in eum.

Motiua ſpei in Deum.

Sperandum autem in Deo. Primò: quia ſperantem in ſe non decipit. Ad *Rom.*5. Spes non confundit, ſicut dæmones qui decipiunt magos & huiuſmodi homines, de quibus *Iſa.*28. Poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus: flagellum inundans cum tranſierit, non veniet ſuper nos. Et ſequitur ibi: Subuertet grando ſpem mendacij. *Eccleſ.* 12. Non credas inimico tuo in æternum. Secundò: quia non deſerit, vt homines amicos frequenter deſerunt, de quibus *Eccleſ.*34. Sodalis amico coniocundabitur in oblectationibus, & in tempore tribulationis aduerſarius erit, ſicut factum fuit in amicis Iob. Non ſic Deus. *Iudith* 13. Laudate Dominum Deum noſtrum, qui non deſeruit ſperantes in ſe. Tertiò: quia non deficit ſicut poſſeſſiones. *Prou.* 11. Qui confidit in diuitiis ſuis, corruet. *Iob* 4. Qui terrenum habent fundamentum, conſumentur velut à tinea. Sed de Deo dicit *Auguſt.* Proiice te in Deum: non eſt tam crudelis vt ſe ſubtrahat, & cadere te permittat. *Pſal.* Spera in eo, & ipſe faciet, nec deficiet.

Protector meus ad defendendum, ſi fortè non ſufficio impugnare illas: vnde alia litera habet, *ſcutum meum, & cornu ſalutis meæ.* 2. *Reg.* 22. Armatura & ſcutum optimè protegens in circuitu. *Pſal.* Vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos. Et alibi, Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo.

Et cornu ſalutis. Hîc tanguntur duæ vltimæ, quarum prima reſpicit ad conſummationem in merito: ſecunda remunerationem in præmio. *Et ſuſceptor.* Dicit ergo: *Et cornu ſalutis.* Nota, quòd in cornu ſignificatur potentia: & ſic exponi poteſt, primò vt ſit ſenſus: *Et cornu ſalutis*, quod impetit & ventilat inimicos meæ ſalutis, ſicut patet in *Pſal.* In te inimicos noſtros ventilabimus cornu. *Luc.*1. Erexit cornu ſalutis nobis. Et nota, quòd quia non eſt diuinitas niſi vna, virtute autem diuinitatis Chriſtus ſuperauit omnia, & nos per illum, rectè cornu dicitur, non cornua: vnde vnicornis appellatur in *Pſal.* Dilectus quemadmodum filius vnicornium. Et rinoceros. *Iob* 39. Nunquid volet rinoceros ſeruire tibi? Itaque captus eſt in ſinu puellæ, ſcilicet Virginis dulciſſimæ. Dicitur autem, quòd cornu rinocerotis ita acutum eſt & ita validum, vt quicquid impetierit, aut mutilet aut perforet. *Iob* 41. Quis poterit reſiſtere vultui meo? Nullus. Rinoceros eſt qui habet in vultu cornu, non in ceruice, ſicut alia animalia. Exultabit ſicut vnicornis cornu meum. In cornu etiam miſericordia: quia in cornu ſolent vnctiones fieri. 1. *Reg.* 16. Tulit Samuël cornu olei ad inungendum Dauid.

Quare Chriſtus dicitur vnicornis, & rinoceros.

Cornu ſymbolum potentiæ & gratiæ.

Cornu autem ſalutis & ſanctitatis plenum, quia omnis gratiæ fuit Chriſtus. Oleum enim ſanatiuum eſt. *Iacob. vlt.* Infirmatur aliquis veſtrum? inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum vngentes oleo. *Matth.6.* Vngebant oleo multos infirmos, & ſanabantur. Hoc oleo plenus fuit Chriſtus. *Ioan.1.* Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis. *Luc.4.* IESVS autem plenus Spiritu ſancto regreſſus eſt à Iordane.

Et ſuſceptor meus. Secundum primum ſenſum ad renumerationem: ſic beatus Stephanus petebat ſuſcipi *Act.7.* Domine IESV ſuſcipe ſpiritum meum. Secundum medium, ſicut medicus ægroti. Suprà in *Pſal.* Tu autem Domine ſuſceptor meus es. *Iſa.* 43. Ecce ſeruus meus, electus meus, ſuſcipiam eum. Hic ergo octo rationes ad inuicem ordinatæ quare Deus diligendus eſt. Præter hoc: quia prudens eſt electio. Sponſa in *Cantic.5.* dicit: Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Certe prudenter eligis ô Sponſa: ipſe eſt enim de quo *Sapient.7.* Præpoſui eam regnis & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius, ſapientiæ ſcilicet, quæ Deus eſt: nec comparaui illi lapidem pretioſum.

Diligendus etiam eſt: quia nobilis ſecundum vtramque naturam multum. *Prouerb.vlt.* Nobilis in portis vir eius. Quia ſapiens. Ad *Coloſſ.2.* In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Quia diues. *Ioan.17.* Omnia tua mea ſunt. *Pſal.* Simul in vnum diues & pauper. Quia potens. *Pſal.* Dominus fortis & potens. 2. ad *Corinth.1.* Prædicamus Chriſtum Dei filium, & Dei potentiam. Quia largus. *Iacob 1.* Qui dat omnibus affluenter, & nulli improperat. Quia benignus. Ad *Tit. 1.* Apparuit benignitas, & humanitas, &c. Quia ſpecioſus. *Pſal.* Specioſus forma, &c. Ad *Hebr.1.* Qui cum ſit ſplendor gloriæ. Quia in colloquio placidus. *Ioan.6.* Verba vitæ æternæ habes. Quia in conſilio prudens. *Eccleſiaſt.6.* Multi pacifici ſunt tibi, & conſiliarius vnus de mille. Quia in auxiliis ſtrenuus. 1. ad *Corinth.10.* Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari ſupra id quod poteſtis. Quia in obſequiis ſedulus. *Luc.6.* Solem ſuum facit oriri ſuper bonos & ſuper malos. Quia amicorum amicus, qui totum complet. *Prouerb.8.* Ego diligentes me diligo.

4. *Laudans inuocabo.* Hîc tertium. Poſtquam manifeſtata eſt dilectio ad Deum, & rationes dilectionis oſtenſæ ſunt, ſubiungitur promiſſio de laudando: & dicuntur duo. Primò promittit ſe laudaturum inuocando, vel inuocaturum laudando. Secundò oſtendit ſuæ laudationis vel inuocationis fructum. *Et ab inimicis.* Dicit ergo: Sic diligam, id eſt, continuabo dilectionem, & etiam *inuocabo Dominum* interiùs, laudans ipſum exteriùs, quòd fit infrà in fine *Pſal. Viuit Dominus*, ſicut dictum eſt iam, vt ſit inuocatio feruens vſque ad motus labiorum: & motus labiorum verax, quia cum interiori cordis intentione, ne ſim de illis, de quibus *Iſa.29.* Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.

Et ab inimicis. Ecce fructus, ſecundum illud *Ioël.3.* Et erit: Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Cum autem multi ſint aſtuti & fortiſſimi contra nos inimici, magnum eſt ab iis liberari, & tamen pro modico facit hoc Deus, pro laude & inuocatione: quid minus faciet ei homo? Ecce ergo apertè quod dicit Paulus ad *Titum* 3. Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum, &c.

Poſſet etiam dici, quòd hoc quod dicit, *laudans*, refertur ad præcedentia, & gratiarum actionem pro illis: *Inuocabo* ad futura, vt Deus continuet manum in largiendis beneficiis. Quaſi diceret, *Laudans* pro iam receptis, quæ iam retuli, *inuocabo*, pro conferendis & continuandis. In primo fidelitas, in ſecundo vtilitas. Beatus qui in iis linguam occupat fideliter contra mendacium, & vtiliter contra otium, & ſic ab inimicis liberatur. Circa hæc duo ſic occupari petebat Salomon. *Prouerb.30.* Duo rogaui te, ne deneges mihi antequam moriar. Et ſubdit, Vanitatem, quantum ad otioſa, & verba mendacij, quantum ad falſa, longè fac à me. Et eſt ordo competens. Primò laudat, poſtea inuocat. Qui enim debitum non accipit: & qui ingratus eſt de accepto, meritò non accipiet de futuro. Propter hoc dicitur in *Pſalm.* infrà, Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua. Et ſubditur: Et inuoca me in die tribulationis, & eruam te.

Prius laudãdus Deus quam inuocandus.

Circundederunt me. Hîc ſecunda pars Pſalmi, in qua ſubiungit cauſam promiſſionis proceſſuræ ex delectione, & quia ſpecialiter hoc fuit incarnationis beneficium, per quod ſumus à miſeria liberati, quatuor dicuntur in hac parte. Primò enumerat humani generis mala, ex primo Adam contracta. Secundò de clamore & deſideriis Sanctorum gementium ſub illis, ibi, *In tribulatione mea.* Tertiò agitur de aduentu Chriſti conſequuto ad illa, ibi, *Commota eſt & contremuit terra.* Quartò beneficia quæ genus humanum conſequutum eſt ex illo aduentu. *Et poſuit tenebras latibulum ſuum.* In prima quatuor ſecundum quatuor mala quæ tangit in illa. Primum eſt neceſſitas moriendi. Secundum, pronitas ad multipliciter peccandum. *Et torrentes.* Tertium, neceſſitas deſcendendi ad limbum, ibi, *Dolores inferni.* Quartum, difficultas faciendi bonum. *Præoccupauerunt me laquei mortis.* Dicit ergo: Sic inuocabo: Et hoc quidem neceſſe eſt, quoniam *circundederunt me*, vt non poſſim euadere, dolores mortis. Verum eſt & ipſum Chriſtum, & eius membra quantum eſt de conditione humanæ naturæ poſt peccatum primum, dolores mortis circundediſſe. 2. *Reg.14.* Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur in terram, quæ non reuertitur. *Pſal.* Quis eſt homo qui viuit, & non videbit mortem? Præter hanc eſt multiplex mors. Diabolus *Apocalypſ.7.* Ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi mors. Gloſſa, Mors hic dicitur diabolus, quia mortem introduxit in orbem terrarum. Item mors peccata. *Sapient.1.* Deus mortem non fecit, id eſt, culpam: ſed illam, quæ pœna eſt, fecit: ſed hæc non circundedit Chriſtum in ſe, ſed in ſuis membris. Item mors pœna æterna. *Apocalypſ.* 21. Mittentur in ſtagnum ignis & ſulphuris:

ſulphuris : hæc eſt mors ſecunda. Et eſt mors mirabilis , vita æterna , quæ eſt mors mortis, ipſam ſcilicet mortem deſtruens. *Oſeæ* 4. Ero mors tua ô mors.

Et torrentes. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Non ſolum neceſſitatibus moriendi circundatus ſum , ſed & *torrentes iniquitatis* , id eſt , pronitates ad peccandum impetuosè me inclinantes , *conturbauerunt me* , non in perſona , ſed in membris meis. Iſti torrentes naſcuntur cum eis. *Geneſ.*6. Proni ſunt ſenſus hominis ad malum , & cogitationes eius ad malum currunt ab adoleſcentia ſua. Iſta autem pronitas rectè torrens dicitur , quia inquietus. *Iſa.* 57. Cor impij quaſi mare feruens, quod quieſcere , non poteſt. Impetuoſus. *Origen. & Senec.* Virtus lenta , præceps vitium. Item terram conſumit. Sic pronitas hæc miſera , corpus ad literam & animam conſumit. *Pſal.* Exinanite , Exinanite vſque ad fundamentum in ea. *Iob* 16. Lapides excauant aquæ , & abluuione paulatim terra conſumitur : ſic pronitate peccandi & anima, & corpus & pecunia. *Prouerb.* 5. Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli,ne fortè impleantur alieni viribus tuis,quoad vires animæ , & labores tui ſint in domo aliena,quoad poſſeſſiones, quando conſumpſeris carnes tuas, & corpus tuum , quantum ad corpus.

6. *Dolores inferni.* Gloſſa dicit Gentiles in inferno torqueri debito torquendi. Sed poteſt dici, ſicut dictum eſt,neceſſitas deſcendendi ad limbum. Alia litera habet , *fines inferni.* Ipſa enim neceſſitas eſt quaſi quidam funis : illâ enim trahebantur illuc & iuſti. *Iob* 17. In infernum deſcendent omnia mea. Putas ſaltem erit requies mihi? 2.*Pet.*2. Rudentibus detractos ad infernum.

Præoccupauerunt me laquei mortis. Difficultates bene operandi, quibus retrahat à bonis faciendis : & ſic habemus quartum. Sicut enim laqueus tenet captum laqueo ne procedat , ſic quædam difficultas ad bonum miſeram animam ne procedat. *Iob* 13. Poſuiſti in neruo pedem meum , &c. Et tantò laqueus periculoſior , quantò magis abſconditus , nec videtur. *Iob* 18. Laqueum abſconderunt pedibus meis. Hic laqueus eſt intra, ſed laqueus etiam mortis retrahens ab omni bono eſt abundantia temporalium , & diuitiæ temporales , quæ ligant hominem vt parum boni vel nihil poſſit. *Prouerb.* 21. Qui congregat diuitias lingua mendacij , quaſi qui impingit ad laqueos mortis. 1. ad *Timoth. vltimo.* Qui volunt diuites fieri , incidunt in laqueum & in tentationem diaboli. *Iſa.* 34. Formido & fouea & laqueus ſuper te qui habitator es terræ. Primus laqueus omnes præoccupat : omnes enim cum difficultate bene operandi naſcimur : ſed ſecundus laqueus non. Quidam ſunt qui naſcuntur diuites , ſed alij ſibi diuitias procurant : hinc ſpontanei in laqueum pedem immittentes. *Iob* 18. Immiſit in rete pedes ſuos , & in maculis ambulat.

7. *In tribulatione mea.* Hic eſt ſecundum,in quo præmiſſis miſeriis ſubiungitur Sanctorum clamor , & oratio ad Deum pro liberatione : & dicuntur tria. Primò cauſa orationis tangitur. Secundò modus. *Et ad Deum meum.* Tertiò fructus. *Et exaudiuit.* Dicit ergo ſic : Malis repletus ſum in meis membris , dicit Chriſtus,& hac de cauſa poſitus *in tribulatione* tanta , quæ mea erat , *inuocaui* intus in corde , *Dominum* in membris meis , in Sanctis antiquis qui gemebant. *Oſeæ* 6. In tribulatione ſua mane conſurgent ad me : hoc enim habebant remedij. 2.*Paral.*20.dixit Ioſeph, Cum ignoremus quid agere debeamus , hoc ſolum reſidui habemus, vt oculos noſtros dirigamus ad te. *Thren.*3. Inuocaui te Domine de lacu nouiſſimo.

Et ad Deum meum clamaui. Interior enim vocatio cum ſilentio exteriori magna eſt , ſed maior cùm in vocem exit , ſed maxima cûm in clamorem prorumpit. *Pſal.* Ad Dominum cum tribularer clamaui , & exaudiuit me. *Baruch.*3. Et nunc Domine Deus Iſraël , anima mea in anguſtiis, & ſpiritus clamat ad te anxius. Et in *Pſal.* Clamauerunt ad Dominum cum tribularentur.

Et exaudiuit. Hîc fructus orationis oſtenditur , vel magna & fructuoſa oratio , & non inanis monſtratur fuiſſe coram Domino per duo. Primò enim oſtenditur fuiſſe acceptam. Secundò efficacem , ibi , *Et clamor meus.* Ait enim ſic : *Clamaui* in meis membris fidelibus & Sanctis tribulatis. *Et exaudiuit Dominus vocem meam* , & interiorem , & exteriorem. In *Pſal.* Clamauit ad me , & ego exaudiam eum. Sed vnde ? *De templo ſancto ſuo* , cœlo , quod dicitur templum , quia templum dicitur quaſi tectum amplum : Et dicitur hoc de cœlo. *Baruch.* 3. O Iſraël quam magna eſt domus Domini , ingens locus poſſeſſionis eiu ! Item templum eſt locus diuino cultui deditus, & ibi ſeruitur ei ab Angelis. *Daniel.*7. Millia millium miniſtrabant ei,& decies centena millia aſſiſtebant ei. Et monſtratur in hoc viuacitas auditus in Deo qui audit ita remotos. *Sap.*1. Tumultus murmurationum non abſcondetur. *Eccleſ.* 42. Non abſcondit ſe ab illo vllus ſermo. Vel templum dicitur ad literam materialis Eccleſia , de qua ad literam exaudit Deus, quia ad orandum ſpecialiter inſtituta eſt. Sic oſtendit Salomon 3. *Reg.* 3. Si quis cognouerit plagam cordis ſui , &c. Vel templum humana natura in Chriſto , in qua Deus habitat. Ad *Coloſſ.* 2. In ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. De primo exauditi ſunt ante legem. De primo & ſecundo ſub lege. De primo & ſecundo & tertio exaudimur in tempore gratiæ.

Et clamor meus , tanquam efficax nuntius *in conſpectu eius* veniens *introiuit in aures eius* quod volebat impetrans : tunc enim oratio aures intrat cùm impetrat , & donec propinquet , non conſolabitur , & non diſcedet donec reſpiciat Altiſſimus. Et patet ex textu , quòd in Deo eadem eſt viſiua & auditiua vis : quia cùm dixiſſet , *Clamor meus in conſpectu* , quod pertinet ad viſiuam , ſtatim addit , *introiuit in aures eius*, quod pertinet ad auditiuam. *Pſal.* Tu autem idem ipſe es. Apparet etiam , quòd puram oportet eſſe orationem & mundam , quæ intrat in conſpectu Dei : imò aures eius penetrat. Nullus immundus nuncius & ſordidus , qui oculos Regis poſſet offendere , ad eum mittitur. Sic nec oratio mittenda eſt niſi munda : quod non eſt niſi procedat de corde mundo. *Num.* 19.

Oratio mũda eſſe debet.

Abominationes Domini cogitationes malæ, quia de immundo procedunt corde, & purus ſermo pulcherrimus eſt. Et ſubdit: firmabitur ab eo, hoc eſt, firmiter implebitur.

8. *Fructus orationis Chriſti, aduentus duplex, in animam & in mundum.* *Commota eſt*, &c. Hîc eſt tertium, in quo poſtquam actum eſt de miſeriis contractis ex peccato, Et de Sanctorum orationibus gementium ſub illis, ſubiungitur de aduentu liberatoris, quod eſt quaſi determinare quis fructus orationis præcedentis: & agitur de aduentu duplici. Primò de aduentu in animam, quo venit in aliquos ante incarnationem. Secundò de aduentu in carnem, ibi, *Inclinauit cœlos & deſcendit.* In prima duo ſecundum duo quæ ad illum aduentum pertinent. Aliquando venit ad animam terrorem incutiendo, quod pertinet ad iuſtitiam. Aliquando immittendo amorem, quod pertinet ad miſericordiam, ibi, *Ignis à facie eius exarſit.* In prima quatuor. Primò terroris immiſſio quoad animæ ſenſualitatem. Secundò quoad animæ rationem. *Fundamenta montium.* Tertiò addit vtriuſque cauſam. *Quoniam iratus eſt.* Quartò ſubiungit effectum conſequentem ex commotione illa. *Aſcendit fumus.* Dicit ergo: Sic orauerunt Sancti oratione accepta & efficaci. *Et commota eſt terra*, homo ſcilicet exterior, corpus cum ſenſuali potentia. *Et contremuit*: quod ad ſenſualitatem referatur, commota ad ipſam carnem. *Iob* 4. Pauor tenuit me, quantum ad primum: & tremor quantum ad ſecundum.

Quomodo in animas venit per terrorem & amorem.

Fundamenta montium, id eſt, elationes ſuperborum. Superbi enim in elationibus fundant totam intentionem ſuam, *conturbata ſunt*, quantum ad intellectum, *& commota ſunt*, quantum ad affectum. Quaſi diceret: Elata ratio & voluntas terrore concutitur. Propter quod alibi in *Pſal.* Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini. *Iſa.* 44. Vtinam diſrumperes cœlos & deſcenderes, per terrorem in corda, à facie tua montes diffluerent. Et ſubdit rationem.

Quoniam iratus eſt eis, hoc eſt, quoniam ipſum peccatis iratum ſibi propter illa cognouerunt. Cum enim homo conſideret iram Dei ſuper ſe venturam, & caro, & anima tota turbatur. *Iob* 21. Quando recordatus fuero, pertimeſco, & concutit carnem meam tremor. Et ad literam affligit ſe mœrore in anima, & pœnitentia in carne. *Iob vlt.* Cùm oculus meus videt te, rectè, ipſe me reprehendo, interiùs contra me litigando, me turbando, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere. *Ierem.* 31. Poſtquam oſtendiſti te mihi, percuſſi femur meum.

9. *Aſcendit fumus.* Hîc oſtendit efficaciam illius commotionis. Quaſi ſic diceret: Conſiderantes iram conturbantur, & mouentur. Et ex hoc *aſcendit fumus* compunctionis & doloris, *in ira eius* cogitata. *Iſa.* 6. Commota ſunt ſuperliminaria domus, ſcilicet intellectus & affectus, & domus repleta eſt fumo. Et nota, quòd ſicut dicit *Hieronymus*, fumus ex duobus fit, ex igne & aqua. Intellige ergo cor peccatoris ſicut lutum imbutum aqua peccati. *Iob* 15. Abominabilis & inutilis homo qui bibit ſicut aquam iniquitatem. Immiſſo ergo modico igne charitatis, ſicut fit in incipientibus & timentibus, qui modicam habẽt charitatem, neceſſariò fumus fit, vt poſſit dici illi animæ illud *Cant.* 3. Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum pœnitentiæ, ſicut virgula fumi? Virgula per humilitatem, ſed fumus per compunctionem. *Pſal.* Tange montes, & fumigabunt. Et eſt ſignum quod Deus incipit in corde habitare quando fumus exit. *Seneca*, Magnus fumus magni hoſpitis ſignum eſt.

Sicut fumus ex aqua & igne fit, ſic timor & pœnitentia ex aqua peccati & igne charitatis.

Et ignis. Hîc ſecundum, in quo tangitur de amore qui pertinet ad miſericordiam: & tanguntur duo. Primò inflammatio per charitatem. Secundò conditio inflammatorum ante inflammationem, vt maior monſtretur miſericordia. *Carbones.* Dicit ergo ſic: Terrorem immiſit fumum facientem, ſed tandem *à facie eius*, Dei ſcilicet à præſentia placabili & affabili, *ignis* charitatis exarſit, prævaluit humore conſumpto. *Eccleſ.* 22. Ante ignem camini vapor, & fumus ignis inaltatur. Sed poſtquam venit ignis, ceſſat fumus. Ille, inquam, ignis, de quo *Luc.* 12. Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur?

De aduentu per amorem.

Carbones. Hîc ſecundum, in quo monſtratur inflammatorum conditio. Ait enim ſic: Ignis exarſit à facie illorum, & *carbones ſuccenſi ſunt ab eo*, id eſt, peccatores prius, igne charitatis inflammati ſunt: carbones enim dicuntur tribulationes. *Pſal.* Cadent ſuper eos carbones. Sanctorum exempla ad aliquos inflammandum ad bonum. *Pſal.* Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatoriis. Deſolatio autem in bono ſumitur hîc. Item beneficia. *Prouerb.* 25. Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi: ſic enim congeres carbones ſuper caput eius. Aliquando peccatores propter nigredinem. *Thren.* 4. Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, ſicut accipitur hîc. Aliquando perfecti viri, in quibus durat ſancti Spiritus ignis, & perſeuerat diu. *Ezech.* 1. Similitudo animalium, & aſpectus eorum vt carbonũ ignis ardentium. Chriſtus enim carbo eſt: in ipſo enim eſt lignum humanitatis ignitum igne diuinitatis. *Deut.* 4. Deus noſter vt ignis conſumens eſt. *Damaſc.* Diuinum carbonem ſumamus, vt illuminet corda noſtra, & conſumat peccata noſtra. Et notantur hîc tres gradus. Peimò incipientium. *Aſcendit fumus.* Secundò proficientium. *Ignis à facie eius exarſit.* Tertiò perfectorum. *Carbones ſuccenſi ſunt ab eo.* Qui enim prius erant carbones propter nigredinem, facti ſunt carbones propter diuini ignis retentionem.

Inclinauit cœlos, id eſt, Angelos. Contentum pro continente. Hos inclinauit, quia hominum aſſumptio illos ſubdidit. *Pſal.* Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. *Apoc.* 20. Cecidi vt adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc oſtendebat, & dixit mihi: Vide ne feceris, conſeruus enim tuus ſum & tuorum. Vel *inclinauit cœlos*, prædicatores & Apoſtolos, qui cœli dicuntur in *Pſal.* Cœli enarrant gloriam Dei. Hos inclinauit tripliciter. Primò vt humilia doceant inter paruulos. 1. ad *Corinth.* 2. Nihil iudicaui me ſcire inter vos niſi IESVM, & hunc crucifixum, qui raptus fuerat vſque ad tertium cœlum. 2. ad *Corinth.* 12. Et ſapientiam loquebatur inter perfectos. Item inclinauit vt de altitudine contemplationis

10. *Tripliciter Deus inclinat prædicatores ad ſe.*

plationis, ima deſcenderent. Magnus deſcenſus vt ille qui vſque ad tertium cœlum raptus fuerat, deſcenderet vſque ad ſportulas faciendas. *Act.*20. Ipſi ſcitis quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum erant miniſtrauerunt manus meæ. Item adhoc vt tribulationes & paſſiones ſuſtinerent. Audi Paulum ſic humiliatum? 2. ad *Corinth.* 11. Ter virgis cæſus ſum, tanquam diſſolutus paruulus: ſemel lapidatus ſum, tanquam peccator adultus.

De ſecundo aduentu in carnem & reditu in cœlum.

Inclinauit cœlos & deſcendit. Hîc ſecundum, in quo poſtquam actum de aduentu in animam per gratiam, agitur conſequenter de aduentu eius in carnem. Ne autem ſic crederetur aduenisſe in mundum vt poſtea non rediret, dicuntur duo. Primò incarnatio & deſcenſio in hoc verſu. Secundò reuerſio & aſcenſio in ſequenti, ibi, *Et aſcendit ſuper Cherubim.* In prima parte duo. Primò deſcenſio filij Dei & humiliatio. Secundò dæmonis & peccati ſubiectio. *Et caligo.* Dicit ergo: Sic venit ad corda per gratiam, & tandem, quod plus fuit, *inclinauit cœlos* materiales, ſicut aliquando inclinatur vas: & deſcendit tanquam effuſus de cœlis inclinatis, ſecundum illam petitionem Pſalmi, Inclina cœlos tuos & deſcende. Propter hanc inclinationem & effuſionem canimus in natiuitate: Hodie melliflui facti ſunt cœli. Litera *Auguſt.* Habet cœlum, & tunc ſenſus eſt: Inclinauit cœlum Deus Pater, ipſum ſcilicet verbum, quod cœlum dicitur à celando, quia in ipſo omnia celata ſunt: Ipſe enim eſt exemplar & pulchritudo omnium, quia ſicut dicit *Raban.* Cœlum cœlorum dicitur filius, ſicut Sanctus Sanctorum. Deus ergo Pater cœlum inclinauit, quando filium incarnari ſtatuit: & ipſe ſe inclinauit, cum ſe exinaniuit. *Ierem.*14. Futurus eſt vt colonus in terra, & quaſi viator declinans ad manendum.

Et deſcendit. Naturam humanam coniungendo ſibi, vt inclinatio referatur ad humanitatis aſſumptionem, deſcenſus ad vnionem aſſumptæ in vnitatem perſonæ. Hic eſt deſcenſus quem deſiderabat *Iſa.*64. Vtinam diſrumperes cœlos & deſcenderes. Ad *Phil.*2. Exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens, & habitu inuentus eſt vt homo.

Et caligo. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Inclinauit ſe, & deſcendit homo factus. *Et caligo*, diabolus ſcilicet, *ſub pedibus eius.* Dicitur autem caligo diabolns propter tenebroſitatem culpæ in qua eſt: factus eſt enim caligo, qui in tanta claritate fuit conditus. *Iſa.*14. Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? Vt de tanta claritate fieres caligo tam denſa? *Iob* 3. Inuoluatur caligine, & amaritudine. Et iterum quia in caligine retruſus, in hoc aëre ſcilicet caliginoſo, tandem retrundendus in maiorem, ſcilicet in infernum. *Iudas in Can.* Angelos qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſub caligine reſeruauit. Caligo ergo eſt ſub pedibus eius: quia dæmones ſubiecti voluntati eius: quippe *Iſa. vlt.* Mihi cœlum ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. Quorum ergo locus, ſcilicet infernus ſit in medio terræ, neceſſario ipſo iure ſub pedibus eius ſunt. *Pſal.* Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonẽ & draconem.

Et aſcendit ſuper Cherubim. Hîc tangitur ſublimatio ſic humiliati: & dicuntur duo. Primò Chriſti aſcenſus & excellentia ſuper vim contemplatiuam angelicam. Secundò ſuper motiuam omnem: hæc enim duo ſunt in Angelo, ibi, *Et volauit, volauit ſuper pennas ventorum.* Dicit ergo: Sic humiliauit ſe, & ſub pedibus dæmonem habuit: *& aſcendit ſuper Cherubim*, quod interpretatur plenitudo ſcientiæ, id eſt, ad tantam in ſcientia peruenit altitudinem, vt ipſe Cherubim ad illam non poſſit, vt poſſit dicere: Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: confortata eſt, & non potero ad eam. 1. ad *Timoth. vlt.* Lucem inhabitat inacceſſibilem, & Angelis, & animalibus omnibus. Cherubim etiam eſt charitas. Ad *Roman.*14. Plenitudo legis eſt delectio. Chriſtus autem ſuper omnem aſcendit charitatem: quia ſua omnem aliam exceſſit. *Ioan.*15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Charitas autem Chriſti maior eſt, quia pro inimicis. Ad *Roman.* 5. Commendat autem ſuam charitatem Deus: quia cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Per Cherubim etiam ſignantur habentes plenitudinem ſcientiæ, perfecti ſcilicet in charitate quæ eſt ſcientiæ plenitudo. Et Dominus aſcendit ſuper tales, quia in illis manet. *Ioan.* 4. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Quarto modo exponitur vt Deus facere dicatur quod in ſuis facit. *Qui aſcendit ſuper Cherubim*, id eſt, aſcendere facit. *Geneſ.* 22. Nunc cognoui, quod timeas Deum, id eſt, cognoſcere te feci. Sic aſcendere fecit ſuper Cherubim illam aquilam quæ dixit *Ioan.*1. In principio erat verbum: & illum quem rapuit vſque ad tertium cœlum, Paulum ſcilicet 2. ad *Corinth.*12.

Et volauit. Ecce ſecundum. Quaſi ſic diceret: Aſcendit ſuper omnem vim cognitiuam, *Et volauit, volauit.* Repetitio hæc ſignat velocitatis vehementiam ſecundum Caſſiod. *ſuper pennas*, virtutes omnes motiuas. Iſtæ ſunt pennæ, *ventorum*, omnium ſcilicet ſpirituum. Angeli venti dicuntur: quia cum ſint ſpiritus & inuiſibiles & inſenſibiles, deſignat eos Scriptura, ſicut poteſt, per ſpiritus, quamuis ſint corporales. *Iob* 28. Qui fecit pondus ventis. Hi venti pennas habent, vires ſcilicet naturales motiuas virtutibus informatas, quibus Deo miniſtrant. *Daniel.*7. Et decies centena millia miniſtrabant ei. Et etiam ipſis hominibus. Ad *Hebr.*1. Omnes ſunt miniſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi, &c. Refertur & hoc ad famæ velocitatem, vt notetur eius in terra exaltatio: & ſine dubio citiùs omni vento eius fama innotuit per mundum, quia ſtatim natiuitas eius in extremis Orientis partibus nota fuit per ſtellam. *Matth.*2. Vidimus ſtellam eius in Oriente.

Quid ſignificet in ſcriptura repetitio.

Gemintaio eſt ſignum increpationis. *Act.*9. Saüle Saüle quid me perſequeris? Excitationis ad attendendum. *Luc.*10. Martha Martha ſollicita es erga plurima. Affectionis in bono. Deus Deus meus. Affectionis in malo. *Matth.* 16. Crucifige, Crucifige eum. Duplicitatis. In *Pſal.* In corde & corde loquuti ſunt. Vniuerſalitatis.

ſalitatis. In generatione & generationem. Generatio & generatio, id eſt, omnis generatio. Confirmationis. In *Ioan.* frequenter: Amen Amen dico vobis,&c. Diminutionis. *Ierem.*14. Guſtans guſtaui.Deriſionis.In *Pſal.* Euge Euge. Expreſſionis naturæ. *Ezech.* 3. Homo, homo de domo iſta. Feſtinationis ſicut hic, Volauit, volauit.

De fructibus Chriſti adnentus in capite & membris.

Et poſuit tenebras. Hîc eſt quartum in quo oſtenduntur beneficia, quæ ex aduentu Chriſti conſequuta ſunt,& diuidirur hæc pars in duas. Primò agit de beneficiis quæ fuerunt in membris, ab influentia ipſius capitis, hoc eſt, per ipſum Chriſtum. Secundo de beneficiis quæ conſequuta ſunt in ipſo capite, infra: *Et præcinxiſti me virtute.* In prima parte dicuntur tria. Primò beneficia influentia ad membra in primitiua Eccleſia, in eius ſcilicet inchoatione. Secundò in progreſſu Eccleſiæ, ibi, *Miſit de ſummo & accepit me.* Tertiò in conſummatione, ibi, *Quoniam tu illuminas lucernam meam.* In prima duo. Beneficium enim quod oſtendere intendit, eſt manifeſtatio diuinitatis ſuæ: hoc enim fuit beneficium ſpecialiter viuis exhibitum. Duo ergo fuit neceſſarium hic dicere. Primò occultationem diuinitatis. Secundò manifeſtationem, quod tangitur ibi, *Præ fulgore.* Item in prima parte tria, ſecundum triplicem modum quem oſtendit quo erat diuinitas occultata. Primò,quòd occultata in aſſumpta humanitate. *In circuitu eius.* Tertiò, quòd in ipſis Scripturis occultata, ibi, *Tenebroſa aqua.* Dicit ergo: Sic venit, & rediit, & poſuit, id eſt, poſuerat *tenebras latibulum ſuum*: non quia tenebræ in ipſo Deo eſſent, de ipſo enim ſcriptum eſt 1.*Ioan.*1. Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ:ſed ex parte noſtra voluit nos in hac mortali vita non videre eius diuinitatem, & ipſam nos latere. 3.*Reg.*8. Dixit Dominus vt habitaret in nebula, exiſtente ex parte humani intellectus.*Iſa.*50.Induam cœlos ipſos, ſcilicet cœleſtes viros, tenebra. *Iob* 21. Nubes latibulum eius.Propter hoc ingemiſcens *Paulus* ait 2. ad *Corinth.*5. Quandiu ſumus in hoc corpore,peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem. *Exod.* 33. Non videbit me homo, & viuet, in hac mortali vita.

In circuitu eius. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic latuit ipſa diuinitas, & etiam in incarnatione,*tabernaculum eius*, proprium ſcilicet corpus eius, *in circuitu eius*, quaſi circundabat Chriſti diuinitatem, quia eam occultabat. *Iſa.*45.Verè tu es Deus abſconditus ſicut homo in habitu ſuo. Ad *Philipp.* 2. Et habitu inuentus eſt vt homo. Hoc eſt tabernaculum quod poſitum eſt omnibus in aperto. *Pſal.* In ſole poſuit tabernaculum ſuum. Et dicit corpus eius tabernaculum & templum. Tabernaculum ratione mortalitatis, tabernaculum enim mouebatur: templum autem ratione inſeparabilitatis à diuitate: hoc enim ſtabile fuit ſemper: hoc enim tabernaculum præbuit viſibile, ſed diuinitatem intus abſcondit. *Exod.*33. Videbis poſteriora mea, id eſt, humanitatem meam: faciem autem meam, diuinitatem meam ſcilicet, videre non poteris.

Tenebroſa aqua. Hîc tangitur occultatio tertia. Quaſi diceret: Sic latet in ſe,ſic in ſua humanitate. Nec putet quis, quòd in ſcriptura manifeſtet ſe, *tenebroſa aqua eſt in nubibus aëris.* Nubes ſunt Prophetæ & Doctores. *Iſa.*5.Mandabo nubibus meis ne pluant ſuper eam imbrem. Et nubes non circa terram, ſed aëris, ſurſum ſcilicet calore charitatis eleuatæ. *Iſa.*60. Qui ſunt iſti qui vt nubes volant? In iis eſt *tenebroſa aqua*, ſcientia de diuinitati occulta. Aquæ enim tenebroſæ fundus videri non poteſt: & hoc maximè, quando profunda eſt aqua, quia,ſicut dicit Philoſophus,vbi multum eſt de aqua, caloris eſt nigri,vbi parum, glauci. Sed *Prouerb.*18. Aqua profunda, verba ex ore viri. Et tanta profunditas, vt multi, non potuerint attingere, ſed magis ſint ſubmerſi. *Eccleſ.*7. Dixi: Sapiens efficiar, & ipſa longiùs receſſit à me.

Præ fulgore in conſpectu eius. Hîc ſecundum, in quo præmiſſa occultatione, ſubiungitur de manifeſtatione, & diuiditur in duas partes ſecundum duplicem modum manifeſtandi.Primò per Apoſtolorum manifeſtationem. Secundò per increpationem, infrà: *Ab increpatione tua.* In prima parte quinque dicuntur. Primò Apoſtolorum ſanctitas. Secundò modus doctrinæ illorum. *Grando & carbones.* Tertiò authoritas prædicationis, & ſtrenuitas. *Et miſit ſagittas ſuas.*Quartò poteſtas faciendi miracula.*Fulgura multiplicauit.* Quintò facultas interpretandi & exponendi Scripturas, ibi, *& apparuerunt.* Dicit ergo: Sic latuit, ſed vt manifeſtus fieret Deus *in conſpectu eius*, id eſt, ante eum, *nubes*, non tenebroſæ, ſed *præ fulgore* præ fulgida vita & honeſtate, *tranſierunt*, diſcurrendo per mundum. Aduerte elegantem commendationem, bonam ſcilicet ordinationem ad Deum, per hoc quod dicit, *In conſpectu eius*, ſcilicet Dei: bonam ad proximum per hoc quod dicit, *Præ fulgore.* In primo notatur recta intentio: in ſecundo aliorum per exemplum bonum informatio. Hæc duo præcipit Matth.5. Sic luceant opera veſtra, Ecce *præ fulgore*: coram hominibus vt videant opera veſtra bona,& glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt, Ecce in conſpectu Dei. Iſtæ ſunt nubes lucidæ de quibus *Iob* 36. Et nubes ſpargant lumen ſuum. Aliter legitur vt ſint duæ partes: & referatur hoc, præ fulgore in conſpectu eius, ad antecedentia.

13. *Manifeſtatio Chriſti per Apoſtolos.*

Grando & carbones. Hîc ſecundum. Præmiſſa enim commendatione, ſubiungitur de modo doctrinæ: & tanguntur quatuor. Primò obiurgatio vitiorum. Sic erant grando. Secundò, exhortatio ad bonum & ad virtutes. *Et carbones.* Tertiò, comminatio perſonarum. *Et introiuit.* Quartò, promiſſio bonorum æternorum. *Et Altiſſimus dedit vocem ſuam.* Dicit ergo: Sic *præ fulgore nubes tranſierunt*, & etiam *grando* fuerunt in arguendo vitia, & etiam *carbones ignis*, alios ſcilicet ad bonum inflammantes. *Exod.*9.Grando & ignis mixta pariter ferebantur. *Pſal.* Poſuit pluuias eorum grandinem, quantum ad primum: & ignem comburentem in terra ipſorum, quantum ad ſecundum. *Greg.* Sancti grando & ignis dicuntur: quia cum corda audientium corrigentes feriunt, blandientes per famam, charitatis accendunt flammam.

Prædicatio Apoſtolorũ.

Et

14. *Et intonuit.* Hîc tertium, in quo ſubiungit de comminatione. Quaſi diceret: Sic fuerunt grando, ſic carbones. *Et intonuit* comminando per eos Dominus. Terribilis enim prædicatio à Domino fiebat per eos. *Matth.*10. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri quo loquitur in vobis. Vis audire tonitruum. *Matth.*13. Omnis arbor quæ non facit fructum bonũ, excidetur & in ignem mittetur. *Pſal.* A voce tonitrui tui formidabunt. *Eccl.*43. Vox tonitrui tui verſabit terram. Et bene dicit: *De cœlo*, vt ſit ſenſus: Dominus de cœlo, non de terra: dominabatur enim in cœlo, ſed in terra non, donec tonitrua ſunt emiſſa. *Apoc.*4. De throno procedebant tonitrua, & voces & fulgura.

Et Altiſſimus. Hîc quartum, in quo oſtenditur quartus modus prædicandi per promiſſionem, & dicuntur duo. Primò promiſſio & ſuauis prædicatio & alliciens. Secundò adaptatio modorum prædicatoribus, qui per hoc ſunt grando & carbones. Dicit ergo ſic: Intonuit Dominus, *& Altiſſimus dedit* per eoſdem *vocem ſuam*, ſuauem ſcilicet promiſſionem, vt ſic alliceret. Ecce vox ſuauis 1.ad *Corinth.*2. Oculus non videt, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, &c. *Apoc.*1. Vox illius tanquam vox aquarum multarum, id eſt, promiſſionum multiplicium. Et nota, quòd Dominus dicitur comminando mala. *Malach.* 1. Si ego Dominus, vbi eſt timor meus? Sed Altiſſimus, blandiendo, & promittendo bona. *Ioan.*2. Miſericordia ſuperexaltat iudicium. *Luc.*6. Date, &c. & eritis filij Altiſſimi.

Grando & carbones. Quaſi ſic diceret: Sic intonuit per eos Dominus, ſic promittit: ex hoc accidit, quod verè ſunt grando in comminando, *& carbones ignis* in promittendo. Expone ſicut ſupra, & nota, quòd in ipſa repetitione oſtenditur, quod in principio prædicationis & in fine ſemper inſiſtendum comminationi, & prædicationi promiſſionis æternorum.

15. *Miſſio Apoſtolorum.* *Et miſit ſagittas.* Hîc tertium, in quo oſtenditur authoritas prædicationis in illis, quia miſſi: & tangitur miſſio, & modus miſſionis. *Et diſſipauit.* Dicit ergo: Hoc modo prædicauerunt non ſine authoritate. *Et miſit* Dominus *ſagittas ſuas*, Apoſtolos ſcilicet & Doctores. *Luc.*10. Rogate Dominum meſſis vt mittat operarios in meſſem ſuam. Aliter enim non prædicauiſſent. Ad *Roman.*10. Quomodo prædicabunt niſi mittantur? Miſſi autem dicuntur vt ſagittæ: quia ſagittis comparantur Apoſtoli, & Apoſtolici viri. Primò: quia fragiles ſui reputatione & infirmi. 1. ad *Corinth.* 1. Infirma mundi elegit Deus vt confundat fortia. Leues per contemptum temporalium. *Matth.*19. Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te, quid ergo erit nobis? *Gregor.* Qui contemptum temporalium prædicat, neceſſe eſt vt illa primò contemnat. Graciles per mortificationem carnis. 1.ad *Corinth.*9. Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, &c. Recti per intentionem. *Pſal.* Rectos decet collaudatio, prædicationis ſup. In illa enim maximè laudatur Deus, & diuulgatur eius nomen. Acuti & penetratiui per zelum & charitatem. *Cant.* 3. Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem, percuſſerunt, & vulnerauerunt me. Plani & politi per manſuetudinem. *Matth.*11. dictum eſt eis: Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. Pennati per virtutum excellentiam. *Prou.*1. Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum. Talis ſagitta erat qui dicebat *Iſa.*49. Poſuit me quaſi ſagittam electam.

Sagittæ cõparantur.

Et diſſipauit eos, id eſt, Apoſtolos, vt fiat relatio ad ſuppoſitum per ſagittas, non ſecundum ſignandi modum. Diſſipauit, inquam, diuidendo per multas partes mundi, Paulo Gentes, Petro Iudæos relinquens. Ad *Galat.*2. Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum Circunciſionis, operatus eſt & mihi inter Gentes. Et ſic notatur modus mittendi. Vel poteſt notari fructus. *Diſſipauit eos*, ad quos eos miſit, vt non implerent mala, quæ facere conſueuerant. *Iob* 5. Qui diſſipat cogitationes malignorum, ne poſſint manus eorum impleri quod cœperant. *Ierem.*1. Conſtitui te hodie, vt euellas & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.

Apoſtolorũ miracula.

Fulgura multiplicauit. Hîc quartum, in quo ad conſummationem iuſtificationis ſubiungitur de poteſtate faciendi miracula, & tanguntur duo. Miraculorum operatio, & effectus conſequens in illis, qui ea videbant. *Et conturbauit.* Dicit ergo ſic: Sagittas, id eſt, prædicatores miſit, & *fulgura multiplicauit* per eos, id eſt, miracula lucentia, alios ad ſtuporem mouentia, ſicut fulgur. *Exod.*9. Dominus dedit diſcurrentia fulgura ſuper terram. *Ezech.*1. Animalia ibant & reuertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis. *Apoc.*4. De throno, de conſortio ſcilicet, & cœtu Apoſtolico, in quo ſedebat Deus, exibant fulgura. *Matth.vlt.* Illi autem prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. *Et multiplicauit. Iob* 5. Qui facit magna & inſcrutabilia, & mirabilia abſque numero.

Et conturbauit eos, admiratione & ſtupore qui videbant illa. *Pſal.* Illuxerunt coruſcationes orbi terrarum, &c. *Act.* 3. Sanato claudo ad portam ſpecioſam, repleti ſunt omnes ſtupore & extaſi in eo quod contigerat illi. Sed quidam ad bonum ſuum turbabuntur, de quibus *Abac.*3. In luce ſagittarum tuarum ibunt, in ſplendore coruſcantis haſtæ tuæ. Quidam ad malum, ſicut Iudæi blaſphemantes. *Matth.*12. Hic non eiicit dæmones niſi in Beelzebuth principe dæmoniorum. 2. ad *Cor.* 2. Aliis ſumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem.

16. *Et apparuerunt fontes.* Hîc quintum & vltimum, ſcilicet facilitas aperiendi Scripturas generaliter, ſecundò Propheticas ſpecialiter. *Et reuelata ſunt.* Dicit ergo ſic: Prædicauerunt miſſi, & *apparuerunt* per eos fontes aquarum, doctrinæ Scripturarum vtriuſque Teſtamenti, vt impleretur illud *Iſa.*12. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris, prius clauſis. *Apocalypſ.* 5. Liber in dextra ſedentis in throno ſignatus erat. Et nota, quod non dicit, aperuerunt, ſed Agnus aperuit illis. *Luc. vlt.* Aperuit illis ſenſum vt intelligerent Scripturas. *Apocalypſ.* 3. Claudit, & nemo aperit: aperit, & nemo claudit. *Iſa.*41. Aperiam in ſupernis collibus flumina, in medio camporum fontes. Ipſi enim Apoſtoli qui erant fontes, ſicut alueus

dicitur fons, aperiebant ſeipſos prædicando. *Exod.* 16. Duodecim fontes inuenti ſunt in Helim, id eſt, duodecim Apoſtoli: Helim enim interpretatur fortis eorum.

Et reuelata ſunt fundamenta, quæ prius erant occulta, ſcilicet Prophetarum dicta, in quibus fides fundatur Eccleſiæ. Vnde addit, *Orbis terrarum*, id eſt, Eccleſiæ. *Ioan* 1. Tenebræ tranſierunt, & verum lumen iam lucet. 2. ad *Corinth.* 3. Velamen poſitum erat ſuper faciem Moyſi, ſed remotum eſt modo: ſciſſum enim fuit velum in paſſione Domini. *Matth.* 27. *Luc.* 23. 2. ad *Corinth.* 3. Nos autem reuelata facie gloriam Domini contemplantes transformamur de claritate in claritatem. Dicitur autem orbis terrarum Eccleſia. Primò: quia per totum orbem dilatata eſt. *Pſal.* In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Non infructuosè conſtat. Ad *Roman.* 1. Fides enim veſtra annuntiatur in vniuerſo mũdo. Synagoga autẽ tantum fuerat in Iudæa. Item caret fine: ſic Eccleſia: ſemper enim durabit. *Luc.* 22. Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua. Ad *Roman.* 8. Nec mors nec vita, ne creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei quæ eſt in Chriſto IESV. Item orbis terræ immobilis eſt: & ſi aliqua pars eſt mobilis, tamen totus eſt immobilis, per hoc quod innititur cuidam ſimpliciſſimo quod eſt centrum cœli, & eſt in eius medio. Sic Eccleſia immobiliter ſtat & ſtabit: quia innititur Chriſto, qui eſt in medio eius, ſicut ſubſtans. *Pſal.* Sanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus, id eſt, confirmauit. Quare Deus in medio eius non commouebitur. Huius orbis terrarum ergo fundamenta ſunt Prophetæ vt priùs, & Apoſtoli, vt immediatiùs: ſed ipſe Chriſtus vt intimius fundamentum totum portans. Ad *Epheſ.* 2. Superædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide CHRISTO IESV.

Eccleſia dicitur orbis terrarum: quia vniuerſalis & immobilis.

Ab increpatione tua. Hîc eſt ſecundum totius huius partis, in qua agitur de manifeſtatione diuinitatis priùs occultatæ. Oſtenſum eſt enim quomodo per prædicationem fuerit facta manifeſtatio, hic qualiter & quomodo per inſpirationem: & tanguntur duo. Primò interior increpatio per Spiritum ſanctum ad retrahendum à malo. Secundo inſpiratio promouens ad bonum. *Ab inſpiratione.* Dicit ergo: Sic facta eſt manifeſtatio veritatis, & diuinitatis mundo, & hic ô tu Domine: *Ab increpatione tua*, id eſt, per increpationem tuam interius factam à malo reuocantem. *Iob* 33. Increpat per dolorem immiſſum, & horrorem in lectulo conſcientiæ, & omnia oſſa marceſcere faciet. *Iſa.* 17. Increpabit eum & procul fugiet à malo. Propter hoc dicit *Iob* 5. Increpationem Domini ne reprobes. Ipſa enim incipit oſtendere homini vitæ viam. *Prou.* 6. Via vitæ increpatio diſciplinæ.

Manifeſtatio diuinitatis Chriſti.

Ab inſpiratione. Quaſi diceret: Non ſolum *ab increpatione*, imò prædicta fuerunt ab inſpiratione, id eſt, per inſpirationem, *ſpiritus iræ tuæ*, qui terrorem incutiebat, qui timor eſt initium ſapientiæ. Sed quomodo vocatur Spiritus Sanctus, ſpiritus iræ? de tali enim ſpiritu loquitur ſic *Sapient.* 1. Benignus eſt ſpiritus ſapientiæ. Et in 12. O quam ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus, in nobis!

Quare ſpiritus ſãctus dicitur ſpiritus iræ.

Reſponſio. Eſt ira condemnationis, quæ eſt quaſi contraria benignitati & ſuauitati. De hac non loquitur hic. Et eſt ira correctionis & reuocationis à malo: hæc eſt à Spiritu ſancto, à quo eſt donum timoris. Sic habetur *Iſa.* 11. Aliquando ſpiritus ſonat in benignitatem: aliquando in indignationem: ſic accipitur hîc. *Geneſ.* 6. Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt. *Iob* 30. Vidi eos qui operantur iniquitatem, qui ſeminant dolores, & metunt eos, ſpiritu Dei conſumptos. Ira ergo hîc non indignationis eſt, ſed amoris. Et hoc notatur in inſpiratione quæ ſemper ſonat in bonum. *Geneſ.* 1. Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ. *Eccleſiaſt.* 4. Sapientia filiis ſuis vitam inſpirauit. Et *Iob* 32. Inſpiratio Omnipotentis dat intelligentiam.

17. *Inſtituta Eccleſia progreſſus. Secũda pars pſalmi & effectuũ incarnationis.*

Miſit de ſummo. Hîc eſt ſecundum, in quo poſtquam actum eſt de effectibus incarnationis quantum ad exordium ipſius Eccleſiæ, hic conſequenter quantum ad profectum eiuſdem, & diuiditur in duas partes. Primò Propheticè prædicantur beneficia exhibita, ibi, *Et retribuet mihi Dominus.* Et loquitur Propheta ac ſi eſſet in tempore in quo iam multiplicata erat Eccleſia. In prima duo. Primò tangit cauſam beneficiorum quantum ad ablationem mali, vel ereptionem à malo. Secundò quantum ad collationem boni, ibi, *Et eduxit me in latitudinem.* In prima duo. Primo ereptio à malo culpæ. Secundo à malo pœnæ, ibi, *Præuenerunt me.* In prima duo. Primò ereptio à peccato iam perpetrato. Secundò à perpetrando tentatione impugnante, ibi, *Eripuit me.* In prima duo. Primò ereptio. Secundò modus eripiendi. *Et aſſumpſit.* Dicit ergo: Sic innotuit diuinitas in Eccleſia primitiua, & dilatatâ prædicatione, *miſit de ſummo* gratiam ſuam, qui miſerat filium ſuum, ſapientiam ſcilicet ſuam.

Et accepit me. In perſona Eccleſiæ loquitur, id eſt, ad ſe cepit de peccato trahens vt faceret ſponſam ſibi, & non Angelos. ad *Hebr.* 6. Nunquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Tanquam ſponſam. *Oſeæ* 2. Sponſabo te mihi in fide. Miſit Filium ſuum à ſummo cœlo propter te. *Pſal.* A ſummo cœlo egreſſio eius. *Iſa.* 48. Et nunc Dominus miſit me, & Spiritus eius.

Et aſſumpſit me de aquis multis. Aſſumpſit me ſicut nutrix paruulum ſuum. *Oſeæ* 11. Ego quaſi nutritius Ephraim, in humeris meis portabam illos. Sicut paſtor pecus infirmum. *Iſa.* 41. In brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit, fœtas ipſe portabit. Et hoc *de aquis multis*, id eſt, per multas aquas ad hoc me præparantes. De aquis ſcilicet baptiſmatis, de quibus *Zachar.* 13. Erit fons patens domui Dauid, &c. *Ezech.* 36. Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinationibus veſtris, vel inquinamentis. De aquis compunctionis, de quibus *Ierem.* 9. Quis dabit capiti meo aquam? De aquis tribulationis, de quibus aſſumptus eſt Moyſes *Exod.* 2. De aquis humanæ generationis, de quibus 2. *Reg.* 14. Omnes morimur, & ſicut aquæ dilabimur,

quæ

quæ non reuertuntur. *Apoc.*17. Aquæ quas vidisti, super quas meretrix sedet, populi sunt, & tribus.

18. *Eripuit me.* Hîc est secundum, in quo tangitur liberatio ab ipsa tentatione mouente ad peccatum. Est autem duplex tentatio. Per aduersarium diabolum, & de hac primò. Alia per hominem malum. *Et ab iis qui oderunt me.* Tertiò subiungitur causa vtriusque tentationis. *Quoniam confortati sunt.* Dicit ergo: Sic extraxit de malis præteritis, vel iam factis, vel in origine, vel propria voluntate: *eripuit me* in membris meis *de inimicis meis*, dæmonibus, de quibus *Eccles.*18. Si dederis animæ tuæ concupiscentias suas, faciet te venire in gaudium inimicis tuis. Vel inimicos appellat vitia, quæ naturæ inimica sunt, & ipsius corruptiua. Dæmones autem dicuntur fortissimi: fortes quantum ad tentationem de luxuria. *Iob* 40. Virtus eius in lumbis eius,& fortitudo illius in vmbilico ventris eius. Fortiores quantum ad tentationem de auaritia. *Ierem.* 31. Redemit nos Dominus de manu fortioris. Sed fortissimi quantum ad tentationem de superbia. *Iob* 41. Non est potestas super terram, quæ ei valeat comparari. Et statim subiungit: Ipse est rex super omnes filios superbiæ. Vitia autem inimici fortissimi dicuntur,fortes alliciendo vsque ad consensum, fortiores perducendo ad actum, sed fortissimi tenendo in consuetudine captiuum.

Fortitudo dæmonis tribus tentationibus conflat.

Et ab iis qui oderunt me. Hominibus scilicet malis *eripuit me.* Verum est ad minus in illo qui dicebat. *Act.* 12. Nunc scio verè quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum. Sicut illum de quo 2.*Pet.*2. Iustum Loth oppressum à nefandorum iniuria & luxuriosa conuersatione eripuit. Mali enim homines, sicut & eorum caput, semper oderunt bonos. *Exod.*1. Oderunt filios Israël Ægyptij & affligebant eos.

Quoniam confortati. Hîc tangitur necessitas liberationis. Quasi diceret: Sic eripuit de inimicis & de his quo oderunt me.Et hoc necesse quando & dæmones & homines mali *confortati sunt super me*, inualescendo & impugnando vsque ad deiectionem, si non subueniisset liberatio. *Ierem.*9. Confortati sunt de terra: quoniam de malo ad malum egressi sunt.Et in *Psal.* Confortati sunt qui persequuti sunt me inimici mei iniustè,Quæ non rapui,tunc exoluebam. Litera Hieronymi, Quoniam robustiores me erant.

19. *Præuenerunt me.* Hîc est secundum, in quo ostensa liberatione à culpa, subiungitur de liberatione à pœna, quamuis Glossa vtrumque confundat: & tangitur primò necessitas liberationis. Secundò liberatio. *Et factus est.* Vel conseruatio. Dicit ergo: Sic liberauit, sic eripuit à culpa, & etiam à pœna:quia *præuenerunt me inimici mei*, & aduersarij velociores ad inferendum pœnam, & promptiores quam ego, ad vitandum. *Thren.* 3. Velociores fuerunt inimici mei aquilis cœli, & in montibus persequuti sunt nos. Et hoc *in diebus afflictionis*, in hoc tempore afflictioni & miseriæ deputato. *Isa.*37. Dies tribulationis & angustiæ dies hæc. *Thren.*1. Omnes inimici eius apprehenderunt eam inter angustias.

Et factus est. Quasi diceret: Tanta fuit necessitas. *Et factus est Dominus protector*, sicut gallina, quando videt miluum circumuolantem, protegit pullos suos alis. Suprà in *Psal.* Sub vmbra alarum tuarum protege me.Et nota, quòd non dicit, Dominus est protector, vel fuit, sed factus est, volens ostendere, quòd protector est, per id quod factus est, scilicet quasi homo. *Isa.*4. Super omnem gloriam protectio. *Cassiodor.*Ideò Deus factus est protector, quia homo extitit impugnator. Sed impugnatio temporalis, & æterna protectio. Propter hoc dicitur *Prouerb.* 28. Turris fortissima nomen Domini, ad ipsum currit iustus, & exaltabitur. *Ierem.*15.Si non occurrit mihi in tempore afflictionis, & in tempore tribulationis & angustiæ aduersus inimicum. *Nota.*

20. *Et eduxit me in latitudinem.* Hîc de collatione boni, & dicuntur duo. Primò enumerantur bona collata. Secundò assignatur ratio conferendi illa. *Quoniam voluit.* In prima duo, scilicet duplex beneficium quod tangit. Primum, in charitate dilatatio. Secundum, sinceritas in fide. *Saluum me fecit.* Dicit ergo: Sic eripuit, & à culpa & à pœna, *Et eduxit me in latitudinem* charitatis, quæ valde lata est.*Psal.* Omnis consummationis vidi finem. *Prouerb.*4. Ducam te per vias æquitatis, quas cum ingressus fuerit, non arctabuntur gressus tui. Et nota,quòd est latitudo multiplex. Patientiæ. In *Psal.* In tribulatione dilatasti mihi, sicut aurum & argentum malleo dilatatur, vt fiat ex eo vas aliquod pretiosum. Obedientiæ. In *Psal.* Viam mandatorum tuarum cucurri, cum dilatasti cor meum: sicut cera mollis per obedientiam dilatatur. Lætitiæ. *Isa.*40. Tunc videbis & affluues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum:sicut quod pingue est dilatatur. *Ierem.* 5. Impinguati dilatati. Liberalitatis. *Prouerb.* 18. Donum hominis dilatat viam eius, sicut famulus dilatat viam ante Dominum suum. Confessionis. 1.*Mach.* 3. Iudas dilatauit gloriam gentis suæ: sicut Rex inimicos destruendo dilatat regiam potestatem. Charitatis. Ad *Ephes.*3.Vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit longitudo, latitudo,&c. Sicut bonus mercator dilatat res suas. Prædicationis. *Psal.* Dilata os tuum, & implebo illud. 2. *Reg.* 2. Dilatatum est os meum super inimicos meos: sicut famelicus dilatat os ad deuorandum. Petro dictum est *Act.*10. Macta & manduca.

Ecclesia bonis cumulata. *Multiplex latitudo, patientiæ.* *Obedientiæ.* *Lætitiæ.* *Liberalitatis.* *Confessionis.* *Charitatis.*

Saluum me fecit. Ecce secundum beneficium. Sed nonne fides antecedit charitatem, quomodo ergo non præcessit hoc beneficium illud? Responsio. Fidem appellat hanc fidei distinctionem. Antiquitus enim fidem habebant, sed quasi indistinctam, & charitatem. Dominus autem post aduentum in carnem & charitatem dilatauit, & fidem auxit & distinxit: sicut saluum facit à fame, qui dat cibum paratum ad edendum. *Abac.* 2. Iustus in fide sua, &c. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.

Quoniam voluit me. Ecce causa beneficij vtriusque:sola enim voluntate eius salui sumus, non nostris meritis. 1. ad *Timoth.* 1. Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem

nominis

nominis ſui venire. Ad *Tit.*5. Non ex operibus iuſtitiæ quæ ferimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit. Et ipſe Dominus *Matth.*11. Abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Et ſubdit: Ita Pater, quoniam ſic placitum fuit ante te.

21. *Et retribuet mihi Dominus.* Hîc ſecundum, in quo enumeratis beneficiis pertinentibus ad perfectum iam acceptis, ſubiungitur de beneficio accipiendo, & duplici. Et ſecundum hoc, hæc pars diuiditur in duas. Primò tangit beneficium, quod ſpectat ad gratiam, quæ eſt perſeuerantia. Secundò quod ſpectat ad gloriam & remunerationem pro illa, ibi, *Et retribuet.* In prima tria. Primò, quòd ei ſecundum merita tribuitur in generali.

Secundò determinatur quid. *Et cuſtodiui.* Tertiò quare, ibi, *Quoniam omnia iudicia.* In prima duo. Primò, quòd remunerabitur pro bono opere. Secundò, quòd pro operis puritate. *Et ſecundum puritatem.* Dicit ergo: hæc bona quæ prædixi, fecit mihi Dominus, & etiam retribuet in præſenti mihi *ſecundum iuſtitiam meam*, ſecundum ſcilicet bonam operationem. *Pſal.* Secundum opera manuum illorum retribue illis. Redde nunc in præſenti retributionem illorum ipſis. *Thren.*2. Reddet eis vicem laborum ſuorum. *Et ſecundum puritatem manuum mearum*, operum ſcilicet in quibus puritas debet eſſe. *Prouerb.*4. Primi & puriſſimi fructus eius. Opera enim non tantum debent eſſe bona in ſe, ſed in munditia & puritate facta. *Iob* 22. Saluabitur innocens, ſaluabitur autem munditia manuum ſuarum. *Retribuet mihi*, perſeuerantiam, ſupple. 1.ad *Timoth.*3. Leuantes puras manus. Tales enim tantùm impetrant, non ſordidæ & immundæ. *Iſa.*1. Cum multiplicaueritis orationem, ecce opus bonum non exaudiam, manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Ecce impuritas.

22. *Quia cuſtodiui.* Hîc ſecundum, in quo ſpecificat in quo ſit remuneratio, ſcilicet in duplici perſeuerantia operandi bonum, & declinandi à malo. *Nec impie greſſi.* Dicit ergo: Sic retribuet, & hoc retribuet, *quia cuſtodiui*, id eſt, cuſtodiam *vias Domini*, bona faciendo. *Prou.*19. Qui cuſtodit mandata Domini, cuſtodit animam ſuam. Iſtæ viæ ſecundum *Caſſiodor.* Sunt dilectio Dei & proximi. Ad *Epheſ.* 5. Eſtote imitatores Dei ſicut filij chariſſimi, & ambulate in dilectione ſicut in via Dei: ſicut Chriſtus dilexit nos. Vel viæ ſunt mandata generaliter, quibus itur ad Deum. *Matth.*19. Si vis venire ad vitam, ſerua mandata. *Iob* 33. Veſtigia eius ſequutus eſt pes meus.

Nec impiè geſſi à Deo meo, recedendo, id eſt, non impiè geram. *Iſa.*59. Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis. Quaſi diceret: Intantum eſt elongatus, vt nec ipſum etiam videre poſſitis. *Prou.* 16. Abominabiles ſunt Regi, qui impiè agunt. *Eccleſ.*10. Initium ſuperbiæ hominis, apoſtatare à Deo. Aliter legit Gloſſa, vt hæc duo ſint cauſa duorum dictorum in præcedenti verſu. Primum primi, ſecundum ſecundi.

23. *Quoniam omnia iudicia eius.* Hîc tertium, in quo tangitur cauſa, & dicuntur duo. Primò cauſa. Secundò repetitio ipſius effectus. *Et ero immaculatus.* In prima duo ſecundum duo quæ occurrunt ad hoc quod detur perſeuerantia. Primum eſt conſideratio diuini iudicij. Secundum, adhæſio iuſſioni eius. *Et iuſtitias eius.* Qui enim hæc duo habet, meretur vt perſeuerantia ei præbeatur. Dicit ergo: Sic retribuet mihi & iuſtitiam, & puritatem: & hoc iuſtum, *quoniam omnia iudicia eius in conſpectu meo*, ſemper habui. *Prou.*28. Viri impij non cogitant iudicium: qui autem requirunt Deum, animaduertunt iudicium.

Sed contra: Ad *Rom.* 1. O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! *Pſal.* Iudicia tua, abyſſus multa. Quis ergo poteſt abyſſum, & quod eſt inueſtigabile perſcrutari. Si dicatur, quòd hoc refertur ad caput, qui hoc potuit ratione vnionis: *ſed* in ipſo hoc non fuit initium perſeuerantiæ: omnis enim virtus, & conſummatio omnis virtutis ab inſtanti conceptionis iu ipſo fuit, ſecundum genera ſua. Propter hoc dicendum, quòd loquitur pro membris, & aliud eſt iudicia Dei ſecundum genera ſua intueri & cogitare: hoc enim poteſt homo, ſicut hîc dicitur. Aliud perſcrutari & inueſtigare cauſam iudicij: & ſuper hoc clamat Apoſtolus, & hoc à Dauid dicitur abyſſus. Hæc autem iudicia ſunt ſecundum Gloſſ. quatuor, præmia iuſtorum quando dicet *Matth.*25. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Hæc iudicia ſunt iucunda. Pœnæ reproborum. In eodem. Ite maledicti in ignem æternum qui paratus eſt diabolo, &c. Item duo grauia ſunt flagella corrigendorum. Ad *Hebr.*12. Flagellat omnem filium quem recipit. Hæc amabilia valdè. Tentationes probandorum. *Eccleſ.*22. Vaſa figuli probat fornax. Hæc in patientia ſunt ſuſtinenda, & ſunt hæc duo genera vltima in præſenti.

Et iuſtitias eius in exterioribus operibus: iuſtitias, inquam, eius ab eo miſſas, *non repuli à me*, adhærendo illis. *Iob* 27. Iuſtitiam meam quam cœpi tenere, non deſeram. Ad *Hebr.*12. Videte ne quis deſit gratiæ Dei. Vel ſecundum Gloſſam, iuſtitias appellat Dei iudicia quando inueniuntur iuſta. Vt enim alia opera per illa rectificantur, iudicia ſunt. Vt autem à Deo iuſto ſunt ſtatuta, iuſtitiæ ſunt. *Pſal.* Iudicia Domini vera, iuſtificata in ſemetipſa. Hæc ergo non repellunt à ſe iuſti, ſed acceptant. *Pſal.* Memor fui iudiciorum tuorum à ſæculo Domine, & conſolatus ſum. Et alibi, Et exultauerunt filiæ Iudæ propter iudicia tua Domine.

Et ero immaculatus cum eo. Hîc infert ex præmiſſa cauſa effectum duplicem. Primum eſt perſeuerantia in iis quoad Deum. Secundò in bona ordinatione ad proximum. *Et obſeruabo me.* Dicit ergo: Sic conſideraui iudicia, iuſtitias non repuli: *& ex hoc ero immaculatus*, abſque omni macula, *cum eo*, vt ſim ſicut ille de quo in alio Pſal. ſupra, Qui ingreditur ſine macula. *Apocalypſ.*14. Sine macula ſunt ante thronum Dei. Et dicitur à membro ex confidentia non ex certitudine: quia *Eccleſiaſt.*9. etiam dicitur in præſenti: Neſcit homo vtrum odio vel 24.

amore

amore dignus sit : multo minus de futuro Et nota humilitatem in eo quod dicit : *Cum eo.* Quasi diceret : Hoc non erit per me, sed cum eo adiutore poterit esse. *Sap.*8. Sciui quia non possum esse continens nisi Deus dederit.

Et obseruabo me ab iniquitate mea, quoad proximum. *Iob* 27. Donec deficiam non recedam ab innocentia mea. Quare? Propter illud *Eccles.*26. Qui transgreditur de iustitia ad peccatum, Dominus parauit ipsum ad romphæam: & qui ab iniquitate recedit, quod Deo placet, facit. *Eccles.*35. Beneplacitum est Deo recedere ab iniquitate.

25. *Et retribuet mihi Dominus.* Hîc secundum, in quo subiungitur, sicut superiùs dictum fuit, de retributione meritorum in futuro, quod est ipsa æterna gloria : & tanguntur duo per comparationem huius præmij ad duo, ad liberum arbitrium, & gratiam ipsum liberum arbitrium informantem. Primò ergo de retributione gloriæ in relatione ad operationem, quæ surgit ex arbitrio libero. Secundò comparatione ad gratiam quæ est ex Deo, ibi, *Cum sancto sanctus eris.* In prima duo, secundum quod supra dictum fuit, vbi eadem verba habentur : quia primò remuneratur pro bono opere, & secundò pro operis puritate. *Et secundum puritatem.* Dicit ergo : Sic retribuet, perseuerantiam in præsenti, & etiam *retribuet* in futuro, in vita scilicet æterna, *mihi secundum iustitiam meam. Iob* 34. Opus hominis reddet ei, & iuxta semitas singulorum retribuet eis. *Luc.*6. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.

Et secundum puritatem manuum mearum, operum scilicet à peruersa intentione purgatorum, *retribuet mihi* præmium æternum. *Matth.*6. Sit eleemosyna in abscondito, & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. *Luc.*14. Cum facis cœnam aut prandium, voca debiles, & claudos, & cæcos, qui non habent vnde retribuant tibi, & retribuetur tibi in retributione iustorum: non enim est difficile Deo. *Eccles.* 12. Facile est coram Domino vnicuique retribuere secundum vias eius. Quid autem sit quod retribuet, non dicit, nisi dicas : *In conspectu oculorum eius.* Quasi diceret : In conspectu suo est, & solum in illo quod retribuet. *Isa.* 63. 1. ad *Corinth.*2. Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te. Vel determinat hîc *in conspectu tuo oculorum eius* puritatem, non quamcumque, sed in conspectu eius factam. Aliquando enim videtur valdè purum in oculis agentium, quod est impurum valdè in oculis iudicis. *Gregorius*, Sordet sæpe in conspectu districti iudicis, quod splendet in oculis facientis. Et propter hoc bene ponitur hîc ista determinatio, & non in alio versu suprà. Dominus enim in iis quæ ad præsens pertinent, relinquit nobis iudicium in multis, sed in futuro suum erit totum iudicium.

26. *Cum sancto sanctus eris.* Hîc secundum, in quo ne credatur ex bonis operibus nostris nobis deberi gloriam, subiungitur de diuina gratia, quæ mediante libero arbitrio meritoriè operatur, & dicuntur duo. Primò ostenditur causa iustitiæ in præsenti. Secundò salutis etiam in futuro, ibi, *Quoniam tu populum.* In prima duo secundum duplicem effectum diuinæ iustitiæ in præsenti. Vnus in comparatione ad bonos, alius in comparatione ad malos. *Et cum peruerso.* In prima tria secundum effectum triplicem. Primus sanctificationis. Secundus innocentiæ. *Et cum viro.* Tertius electionis ad vtrumque. *Et cum electo.* Dicit ergo: Sic Dominus mihi retribuet, secundum iustitiam, secundum puritatem : non tamen hoc à me est: quia ô tu Domine, conuertit sermonem ad Deum, *Cum sancto*, id est, sanctificato, & firmo formaliter, *sanctus eris* effectiuè. *Leuit.* 22. Ego Dominus qui & sanctifico vos, quia tales esse volo. *Leuit.*11. Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Vel secundum Augustinum, vt continuetur ad immediatum quod dictum est, *In conspectu oculorum eius.* Quasi diceret : Secundum puritatem quæ est in conspectu, prædicta facies, quia in conspectu tuo, etsi non appareat extrà, tu eris *sanctus cum sancto* : sanctus in remunerando, cum sancto operando bonum. Vel si vis sit sermo ad hominem quemcumque : *Cum sancto sanctus eris*, id est, cum Christo. Quasi diceret : Illam puritatem quam sic remunerat Deus, habere non potes nisi manseris cum Christo, vel cum Sanctis. Ex coniuctu enim & societate sancta, formantur mores. *Senec.* Hoc est salutare non conuersari dissimilibus, alias insipientibus, & diuersa cupientibus. *Ecclesiast.* 3. Cum viro sancto assiduus esto. *Senec.* Cum iis conuersare, qui te meliorem facturi sunt.

Et cum innocente, formaliter sicut prius, *innocens eris*, innocentiam illi conferens. *Exod.*33. Nullus apud te innocens est, per se, supple, nisi eum adiuueris. Et in *Psal.* Innocentes & recti adhæserunt mihi. Nulli enim Deus facit malum, imò bona quantum in se est. *Matth.* 5. Solem suum lucere facit super bonos. Vel legatur modo secundo: In conspectu tuo est quod innocentibus tribues.

Et cum electo electus eris. Ecce tertium. Et nota. Duplex est electio, vna quâ Deus nos eligit, *cum electo* à te, *electus eris* ab illo. Quasi diceret : Primò elegis, & postea eligeris. De prima *Ioan.* 15. Non vos me elegistis, primò supra, sed ego eligi vos. Ad *Ephes.*1. Elegit nos ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati. Et hæc est æterna electio qua pauci eliguntur comparatione ad reprobatos *Matth.*20. Multi vocati, pauci vero electi. Secunda est temporalis, qua eligit per tribulationes purificando. *Isa.* 48. Elegi te in camino paupertatis. Et sic electi debent eum eligere, imò eligunt. *Deut.*26. Dominum Deum tuum elegisti, vt sit tibi Deus, & ambules inviis eius. 27. *Duplex electio : vna qua eligimur à Deo, alia qua illum eligimus.*

Et cum peruerso peruerteris, id est, priusquam videris, vel vindicaueris : dicunt enim illud *Ezech.*18. Non est æqua via Domini : & illud *Malach.* 2. Vanus est qui seruit Domino : & quod emolumentum quod seruiuimus Domino? Et nota, quòd peruersi propriè dicuntur illi in quibus hoc quod sursum debet esse, est deorsum, & è conuerso, hoc est, quando ratio seruit sensualitati, & sensualitas dominatur rationi, secundum illud *Prouerb.*30. Per tria mouetur terra, & quartum sustinere non potest : & addit : Per seruum cum regnauerit. Et infrà:

Et

Et per ancillam cum fuerit hæres dominæ ſuæ. Tales ſunt praui in veritate. *Eccleſ.* 1. Peruerſi difficile corriguntur. Deus autem nunquam peruerſus eſſe poteſt ſecundum modum iſtum, ſed reputatur à talibus, quia eis aduerſatur. *Exod.*23. Ego aduerſor impio. Ad homines autem poteſt dici, quia cum peruerſis peruertuntur. *Eccleſ.*13. Qui tetigit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicauerit ſuperbo, induet ſuperbiam. *Prouerb.* 23. Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit: amicus ſtultorum ſimilis efficietur. 1. ad *Corinth.*15. Corrumpunt bonos colloquia praua.

28. *Quoniam tu populum.* Hîc ſecundum. Poſtquam actum eſt de effectu in præſenti, quantum eſt à iuſtitia Dei, libero arbitrio cooperanti, hîc de effectu eiuſdem comparatione in futuro. Et primò quantùm ad bonos, ſecundò quoad malos. *Et oculos ſuperborum.* Dicit ergo: Sic retribuet Dominus, quoniam ô tu *Domine ſaluum facies*, non alius, *populum humilem.* In *Pſal.* Et humiles ſpiritu ſaluabit. Humilitas enim tanquam conſeruatrix omni boni, rectius dicitur ſaluare quam alia virtus. *Iob* 22. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria. Hic autem populus humilis, eſt populus confitens peccata ſua. *Prouerb.*28. Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem relinquit ea & confeſſus fuerit, veniam conſequetur.

Et oculos ſuperborum, id eſt, ſuperbos. Hoc dicit, quia in oculis maximè apparet ſignum ſuperbiæ. *Prouerb.* 30. Generatio cuius excelſi ſunt oculi, & palpebræ in altum porrectæ. *Humiliabis* deiiciendo in infernum. *Prouerb.*29. Superbum ſequitur humilitas. Et nota, quòd de bonis loquitur in ſingulari numero, quaſi de vno, quia boni vnum ſunt in fide & dilectione. *Act.* 10. Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. Mali autem diſſentionibus ſunt diuiſi ab inuicem. *Iſa.* 48. Non eſt pax impiis, dicit Dominus.

Et nota tria quæ generant & conſeruant in homine humilitatem, & deſtruunt ſuperbiam. Primum eſt propriæ fragilitatis conſideratio. *Geneſ.* 18. Loquar ad Dominum meum cum ſim puluis & cinis. Ad hanc reuocabat, qui dicebat *Eccleſ.*10. Quid ſuperbis terra & cinis? Secundum, ſui ad meliores comparatio. *Eccleſ.*2. Oculi ſapientis in capite eius, id eſt, ad ſuperiores & meliores: ſtultus in tenebris ambulat, quia ſe comparat peioribus, qui tenebræ ſunt, & ad illos reſpicit. Tertium, aſſidua ſubiectio. 1. *Pet.* 2. Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum.

29. *Quoniam tu illuminas.* Hîc tertium eſt, in quo agitur de beneficiis Eccleſiæ, ſiue membris corporis myſtici exhibitis in conſummatione, & hoc orando & gratias referendo, & commendando oſtenditur. Sic enim proceditur in hac parte. Primò petitio, quod conſummetur Eccleſia in bono. Secundò confidentia de impetrando quod petitur. *Quoniam in te eripiar.* Tertiò commendatio eius de quo habetur confidentia, vt monſtretur quaſi ratio confidentiæ. *Deus meus impolluta.* Quartò, certa recitatio beneficiorum à Deo ſuſcipiendorum, vt oſtendatur impletio impetrati, ibi, *Eripies me de* &c. In prima duo. Primò confeſſio diuinæ potentiæ. Secundò petitio. *Illumina tenebras.* Dicit ergo: Sic ſuperbos humiliabis, & humiles ſaluabis. Et ô *Domine* qui es Deus meus per creationem & recreationem. *Quoniam tu illuminas lucernam meam*, Apoſtolos, Eccleſiæ Doctores primitiuos, & etiam in progreſſu Martyres & Doctores. Illuminatio lucernæ non eſt à ſola luce, ſed à luce & ardore: & Deus lux eſt: in eo tenebræ non ſunt vllæ. Et ignis. *Deut.*4. Deus noſter ignis conſumens eſt. Ergo potes illuminare. Vel illuminas lucernam, Sanctos ſcilicet, vt lucernæ fiant. Sic illuminauerat illum de quo *Ioan.*5. Ille erat lucerna ardens & lucens. Et per eas rogo, *Illumina tenebras meas*, vt ſic conſummetur Eccleſia. Tenebras appellat peccatores & malos. *Epheſ.*5. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Has tenebras vult ab illis illuminatis à Deo illuminari, ſecundum illud *Pſal.* Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis, peccatores ſcilicet, à montibus æternis, à Sanctis à te illuminatis. Magna lucerna mons magnus. Et dicit *meas:* quia peccatores Chriſti ſunt, vel Eccleſiæ, Dei prædeſtinatione. *Iſa.*54. Aduena quondam tuus adiungitur tecum, vel tibi. Vel conditionis vnitate. *Senec.* Homo ſum: humanum à me nihil alienum puto. *Eccleſ.*33. Omnes homines ex ſolo & ex terra vnde creatus eſt Adam. Vel ſic vt idem ſit lucerna & tenebræ: ſed lucerna propter Deum illuminantem, tenebræ propter propriam peruerſitatem. Et eſt ſenſus: *O Domine Deus meus, quoniam tu illuminas lucernam meam*, id eſt, quoniam lnmen meum non eſt à me, ſed à te. *Ioan.*1. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Illumina tenebras meas*, id eſt, illumina nos ipſos propter peccata propria tenebroſos. *Iſa.* 37. Nos quippe inuoluimur tenebris. Et nota quomodo pulchrè promittit commendationem, & ſubiungit petitionem. Nihil enim tantum valet ad impetrandum, quantum recognitio beneficiorum acceptorum. *Ioſu.*15. *Iud.*1. Dixit Axa: Terram arentem dediſti mihi, iunge & irriguum, & impetrauit.

Et nota, quòd eſt multiplex lucerna. Mala, & hæc triplex. Carnalis lætitia. *Iob* 18. Lucerna quæ ſuper eum eſt, extinguetur. Omnis culpa generaliter. *Iob* 21. Lucerna impiorum peccatum. Adulatio de ſcientia, Prælatis vel maioribus facta. *Baruch.*6. Lucernas accendunt illis, & quidem multas: commendantes illos in multis ſcientiis, è quibus nullam videre poſſunt, nihil de omnibus illis ſciuerunt. Prima mala, ſecunda deterior, tertia peſſima. Bona autem lucerna, doctrina ſacra. *Pſal.* Lucerna pedibus meis verbum tuum. Maximè vbi clarè diſtinguit mandata Dei. *Prouerb.*6. Mandatum lucerna eſt, & lex lux. *Iob* 29. Quando ſplendebat lucerna ſuper caput meum. Dei gratia. *Iacob.* 4. Septem lucernæ erant ſuper candelabrum, ſeptem ſcilicet gratiæ ſuper Chriſtum. Vigilantia. *Sopho.* Scrutabor Ieruſalem in lucernis. Bona vita. *Eccleſ.*26. Mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domus ſuæ, lucerna ſplendens ſuper tabernaculum ſuum. Intentio recta. *Matth.*6. Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. *Pſal.* Paraui lucernam Chriſto meo. Quilibet Prædicator. Nemo accendit lucernam,

Multiplex lucerna.

lucernam, & ponit eam ſub modio. *Matth.* 5. Maximè præcurſor. *Ioan.* 5. Ipſe erat lucerna ardens & lucens. Et vltimò ipſe Chriſtus. *Apoc.* 21. Lucerna eius eſt agnus.

30. *Quoniam in te eripiar.* Ecce confidentia impetrandi, ſiue cauſa petendi quæ tangitur duplex. Primò, quòd ab ipſo eſt liberatio à præcipitio. Secunda, obſtaculi remotio. *Et in Deo meo.* Dicit ergo. Sic peto: Nec mirum, *quoniam in te*, id eſt, per te ſolum, *eripiar à tentatione*, tanquam per lucernam ab obſcuritate. Tentatio enim tenebra eſt. *Iſa.* 5. Aſpiciemus in terram non ſeruantes ſenſus noſtros, & ecce tenebræ tribulationis, ſcilicet tentationis impulſiones, à quibus ſolus potes eripere: quia *Iob* 41. Non eſt poteſtas ſuper terram quæ ei valeat comparari. 1. ad *Corinth.* 10. Fidelis Deus qui non permittet vos tentari ſupra id quod poteſtis. Species enim rerum ſenſibiles offert diabolus, & immittuntur per ſenſus, & cum delectant ipſam animam, diſtrahunt ipſam, & diſſecant: ſed Dominus tanquam potentior ipſam recolligit, & vnit. Suprà, Eripuit me de inimicis meis fortiſſimis.

Et in Deo meo. Hîc ſecundum, hoc eſt, in virtute Dei mei, *tranſgrediar murum*, obſtaculum, peccatum ſcilicet quod eſt inter me & ipſum: quod dicitur murus, qnia nec ſinit me Deum videre, nec ad eum ire. *Iſa.* 59. Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum. Peccata veſtra abſconderunt faciem ſuam à vobis, ne exaudiret. Valdè ſpiſſus murus, qui Dei auditum acutiſſimum non ſinit audire. Et fit iſte murus ex luto luxuriæ. *Sap.* 15. Vilior luto via, vel vita illius. Ex duro latere auaritiæ. *Eccleſ.* 3. Cor durum male habebit in nouiſſimo. Hoc propriè de auaro: quia tunc relinquit omnia. Et palea inanis gloriæ. *Iob* 21. Erunt ſicut palea ante faciem venti. Et dicit, *tranſgrediar murum*, quia quandiu viuimus, murum illum auferre non poſſumus. Aliquanrulum tamen poſſumus tranſgredi. *Ioan.* 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, noſmetiſpſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.

31. *Deus meus impolluta.* Hîc eſt tertium, ſcilicet commendatio eius qui rogatur cum confidentia, & commendat eum dupliciter. Primo in ſe. Secundo comparatione ad bona quæ fecit ſibi. *Deus qui præcinxit me.* In prima tria. Primo commendatur à munditia. Secundo à veracitate. *Eloquia.* Tertò à fidelitate. *Protector eſt.* Dicit ergo, in te eripiar, in te tranſgrediar murum. Nec mirum *Deus meus.* Ponitur hic antecedens ſine verbo, vt locum habeat ſequens relatio, *Impolluta via eius*: per aliam enim non incederet, ſcilicet via fidei. *Hieronymus*, Via Domini fides, quia per illam venit Chriſtus ad nos, & nos ad illum. 2. ad *Corinth.* 5. Per fidem ambulamus, & non per ſpeciem. Et via impolluta, imò mundificatiua ambulantium in ſe. *Act.* 15. Fide purificans corda ipſorum. Vel Virgo Maria. In mari via tua. Et hæc vere impolluta. *Iſa.* 35. Via ſancta vocabitur: non tranſibit per eam impollutus. Hæc via altiſſima, quæ à ſummo cœli vſque in cœlum attingit: cum Deo enim habet conuenientiam in virginitate, & fœcunditate, cum hominibus in mortalitate. *Sapient.* 18. Vſque in cœlum attingebat ſtans in terra. Via etiam ipſe Chriſtus, vt legatur intranſitiuè. *Ioan.* 14. Ego ſum via, veritas, & vita. Hæc eſt verè impolluta: quia ſine omni culpa & originali & actuali fuit. *Iſa.* 54. & 1. *Pet.* 1. Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.

Eloquia Domini igne examinata. In hoc veracitas, id eſt, probata via & purgata *igne* tribulationis. Ipſa enim Sanctorum tribulatio oſtendebat vera eſſe quæ dicebant. Et maxima tribulatio. *Sapient.* 2. Videamus ſi ſermones eius veri ſunt. Et infrà, Contumelia & tormento interrogemus eos. Vel igne charitatis: ipſa enim dilectio, & quam habent ad Deum charitas, non ſinit falſa loqui. *Iſa.* 6. Vnus de Seraphin purgauit labia Iſaiæ. Item igne increato Spiritus ſancti, à quo totum examinatur quicquid à Sanctis dicitur. 1. *Pet.* 2. Spiritu ſancto inſpirati loquuti ſunt ſancti Dei homines. Propter hoc dicitur in *Pſal.* Ignitum eloquium tuum vehementer. *Prou.* 30. Sermo Dei ignitus clypeus eſt.

Protector. Ecce tertium, commendatio à fidelitate. Quaſi diceret: Sic mundus, ſic verax: Et *protector omnium ſperantium in ſe* tanquam fidelis. Supra: Protege me à facie impiorum qui me afflixerunt. *Eccleſiaſt.* 2. Nullus ſperauit in Domino & confuſus eſt. Stultus ergo qui in alio confidit, tanquam protectore, quam in Deo: quicquid enim eſt vel æquale homini eſt, vel minus eo: quomodo ergo poſſet eum protegere, cum protector neceſſario maius ſit protecto? *Ierem.* 17. Maledictus qui confidit, &c.

Quoniam quis Deus. Hîc commendatio eius à ſingularitate diuinitatis ex duplici interrogatione quam facit. Prima ad vniuerſale omnium dominium reſpicit. Secunda ad ſpeciale Iudæorum in illo tempore. *Aut quis Deus.* Dicit ergo: Bene dixi: *Deus meus impolluta via eius*, &c. *Quoniam quis Deus præter Dominum?* Et poteſt continuari ad immediatum, protector in ſe ſperantium, & etiam ipſe & non eſt alius. *Quoniam quis eſt Deus præter Dominum* vniuerſæ generaliter creaturæ? *Apocalypſ.* 19. Habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum, Rex regum & Dominus dominantium, quod nullus habet. Vnde ſibi ſoli competit quod ſit Deus & Dominus. *Pſal.* Non eſt ſimilis tibi in Diis Domine, &c. *Ierem.* 10. Non eſt ſimilis tui Domine: diſtinctus enim eſt ab omnibus aliis, & rebus omnibus dominatur. *Iudith.* 9. Deus cœlorum, creator aquarum, & Dominus totius creaturæ. 32.

Aut quis Deus præter Deum noſtrum? Iudæorum tantum. *Pſal.* Notus in Iudæa Deus, in Iſraël magnum nomen eius. Et hic ſolus Deus. *Pſal.* Omnes dij gentium dæmonia. Vel *noſtrum*, quem pro ſeruitio ſibi exhibito, accipimus in præmium: & ſic eſt noſter. *Geneſ.* 15. Ego ſum merces tua nimis: & per conſequens omnia: qui enim habet eum, alias, ruſticum, habet & prædam. 1. ad *Corinth.* 3. Siue præſentia, ſiue futura, omnia veſtra ſunt. Et nota, quòd dicit Deum, & Dominum noſtrum. Dominum, vnde debetur ei dulia: Et Deum, vnde debetur ei latria. *Iſa.* 46. Nunquid non ego

Dominus,& non eſt vltra Deus abſque me?Deus iuſtus & ſaluans. Non eſt præter me iuſtus, cui debeatur timor,& ſaluans,cui amor.

33. *Deus qui præcinxit me virtute.* Hîc ſecundum, in quo commendatur ex beneficiis exhibitis ſibi, Eccleſiæ in ſtatu viatoris, & in ſtatu militantis. Et ſecundum vtrumque ſtatum fluunt in eam à Deo beneficia, ſecundum vtriuſque ſtatus indigentiam: & dicuntur ſic duo. Primò tangit beneficia ei collata inquantum eſt in ſtatu viatoris. Secundò inquantum eſt in ſtatu pugnatoris,ibi, *Qui docet manus.* In prima duo. Primò tangit bona exhibita in præparatione ad currendum. Secundò in ipſo curſu. *Qui perfecit pedes meos.* Tertiò in termino curſus. *Et ſuper excelſa.* Quantum ad primum duo ſecundum duo quæ neceſſaria ſunt ad præparationem. Primum eſt curſoris expeditio, vt ſit expeditus. Secundò viæ mundatio. *Et poſuit immaculatam.*

Dicit ergo: Deus commendandus in ſe, & etiam *Deus* eſt, ſupple, *qui præcinxit me*, vt eſſem expeditus ad ambulandum, non fragili cingulo, ſed virtute. Sic hominem ambulare volentem eſſe oportet cinctum, ne pedes impediantur. Neceſſarium ergo eſt,quòd cingatur. *Tobiæ* 5. Inuenit iuuenem ſtantem, ſplendidum, præcinctum,& quaſi paratum ad ambulandum. Veſtis enim caro. *Iob* 10. Pelle & carnibus veſtiſti me, &c. Hæc enim præcingenda fuit, & Deus illam præcingit in ſuis cingulo iuſtitiæ. *Iſa.* 11. Et erit iuſtitia cingulum lumborum eius. Hæc iuſtitia eſt in afflictione carnis & humiliatione mentis. *Ierem.* 6. Filia populi mei accingere cilicio afflictionis, & aſpergere cinere humilitatis, vt poſſis bene currere. Afflictio enim alleuiat carnem, & humiliatio mentem. Ad *Hebr.* 13. Deponentes omne pondus carnis, & circunſtans nos peccatum, curramus ad propoſitum nobis certamen. Et nota, quòd virtus quam neceſſe eſt præcingi, eſt triplex, vt ſit triplex zona. Primò continentia qua cinguntur lumbi corporis, & reprimit actiones. *Luc.* 11. Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Hæc eſt quaſi lumbare. *Ierem.* 18. De lumbari quod computruit iuxta aquam. Eſt & alia qua cingitur venter, abſtinentia: hæc reſtringit incentiua ad luxuriam. Hæc eſt zona Eliæ. 3. *Reg.* 4. Elias deſcribitur accinctus zona pellicea. Conſtat de zona ſuper ventrem loquutum: lumbare enim non videbat. Sic & Ioannes Baptiſta *Marc.* 1. Eſt tertia, qua cingitur pectus, & hac reſtringuntur cogitationes immundæ. Hæc eſt charitas. *Apocal.* 1. Vidit Ioannes hominem ad mammillas præcinctum zona aurea.

Triplex potentia præcingenda.

Per fidem venit ad nos Deus, nos ad illum per charitatem.

Et poſuit immaculatam, vt poſſem incedere per eam viam meam, ſecundum Gloſſam, charitatem. Dicit enim *Hieronymus*, quod fides eſt via per quam Deus venit ad nos: charitas qua nos ad Deum. Fides enim à ſuperioribus inchoat & tendit ad ima. Verbi gratia credimus primò in Deum, vnde propterea credimus ipſum creatorem, poſtea incarnatum, poſtea paſſum, & huiuſmodi. Sed è contrario charitas inchoat in amore proximi,& tēdit ſurſum in amorem Dei. 1. *Ioan.* 4. Qui non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum quem non videt quomodo poteſt diligere? Hæc eſt via. Ad *Epheſ.* 5. Ambulate in dilectione. Et eſt via æterna, de qua in *Pſal.* Et deduc me in via æterna, charitate ſcilicet, de qua ad *Coloſſ.* 13. Charitas nunquam excidit. Et eſt munda & immaculata, quia ſublimis. 1. ad *Corinth.* 12. Adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro. Via etiam lex diuina eſt. *Pſal.* Viam mandatorum tuorum cucurri. Et immaculata. *Pſal.* Lex Domini immaculata conuertens animas.

34. *Qui perfecit.* Hîc eſt ſecundum,in quo oſtenditur beneficium in ipſo curſu: ait enim: Sic præparauit me, & viam ex altera parte, & dum ſic currerem, *perfecit* in velocitate motus *pedes meos*, vt eſſent *tanquam ceruorum* pedes, qui valde veloces ſunt. Vel *tanquam ceruorum.* Alia litera, Coæquans pedes meos ceruis. *Gen.* 49. Nephtalim ceruus emiſſus dans eloquia pulchritudinis. Nephtalim, quod interpretatur dilatauit me, ſignificat animam charitate dilatatam. Habet hæc agilitatem, vt pedibus amoris tranſiliat lutoſa, ſcilicet luxuriam. *Eccleſ.* 9. Mulier fornicaria, quaſi ſtercus in via conculcabitur. Spinoſa, auaritiam & mundanas diuitias. *Matth.* 13. Diuitiæ huius ſæculi dicuntur ſpinæ. Foueas, ſuperbiam & honores. Si enim veridica Dei ſententia, exaltatus in vanis honoribus, humiliatur eo ipſo: ergo honor non eſt altitudo, ſed fouea. *Luc.* 14. & 18. Qui ſe exaltat, humiliabitur. Et in *Pſal.* Deieciſti eos dum alleuarentur. *Nota.*

Qui ſic tranſilit, leuis eſt valde: tranſilit enim totum mundum: quia 1. *Ioan.* 2. Quicquid eſt in mundo,vel eſt concupiſcentia carnis, &c. Talis erat *Abacuch* in tertio: Ponet pedes meos tanquam ceruorum. *Cant. vlt.* Fuge dilecte mi, aſſimilare capreæ hinnulóque ceruorum.

Et ſuper excelſa. Hîc tangitur beneficium in termino viæ. Quaſi diceret: Sic ad ambulandum me præparauit, præparatum in curſu adiuuit, & tandem ipſe fuit *ſtatuens me* non in infimo, ſed *ſuper excelſa. Abac.* 3. Et ſuper excelſa deducet me victor. Hæc excelſa poſſumus dicere ipſa conſilia. Via enim in infimo ſunt præcepta,ſed in excelſo ſunt conſilia. *Baruch.* 6. Alia litera, Ieruſalem ſta in excelſo, & vide iocunditatem tibi à Deo venientem. Item hæc excelſa poſſunt dici ipſa cœleſtia in quibus Deus figit corda ſuorum per deſiderium & contemplationem. *Iſa.* 6. Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum. Ad *Phil.* 3. Conuerſatio noſtra in cœlis eſt. Sed ſunt excelſa vana, vnde ruunt qui aſcendunt ſuper illa, potentia ſæcularis & dignitas prælationis. 2. *Reg.* 1. Saül & Ionathas, in excelſis tuis interfecti ſunt.

35. *Qui docet manus meas.* Hîc ſecundum: poſtquam enim relata ſunt beneficia Eccleſiæ & membris eius collata quantum ad ſtatum viatoris, ſubiungitur de collatis quantum ad ſtatum propugnatoris: & dicuntur tria. Primò tanguntur beneficia ad pugnam præparantia, & ad victoriam. Secundò ipſa victoria,ibi, *Perſequar inimicos.* Tertiò oſtenditur, quòd non ſit ex ſe victoria, ſed ex Dei gratia, quaſi in gratiarum actionem,ibi, *Et præcinxiſti me.* In prima parte quinque dicuntur ſecundum quinque conditiones quæ præparant pugnaturum. Prima, quæ *Quinque ad pugnam neceſſaria.*

quæ primò tangitur, prudentia. Secunda, robur immobile. De hac ſecundò. *Poſuiſti vt arcum.* Tertia, munitio ſui armis, & adiutorio. *Et dediſti mihi.* Quarta, experientia in impugnando. *Et diſciplina.* Quarta, ſuſtinentia in portando grauia ab aduerſario, ibi, *Dilataſti greſſus.* Dicit ergo: Prædicta mihi dedit tanquam viatori, & etiam ipſe eſt *qui docet manus meas ad prælium.* Docet opera facere per quæ vincamus inimicum omnem: manus enim reſpiciunt ad opus, non ad linguam tantum, ſicut multorum qui poſſunt dicere illud *Iſa.5.* Dedit mihi Dominus linguam eruditam, ſed operationem nullam. *Pſal.* Ecce loquitur in ore ſuo, gladius autem in labiis eorum, quoniam quis audiuit, quod ridiculum eſt: vnde ſubditur, Tu Domine deridebis eos. Qui loquitur, non facit niſi verberare aëra. Sic *Paulus* non ita pugnabat 1. ad *Corinth.* 9. Sic pugno, non quaſi aërem verberans. Hic poterat dicere: Benedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas ad prælium, &c.

Poſuiſti. Hîc ſecundum. Quaſi ſic diceret: Sic inſtruxiſti, & ô tu Domine *poſuiſti brachia mea*, quibus pugnandum eſt, *vt arcum æreum.* Ponit ſimilitudinem à re quæ non eſt. Nunquam fit arcus ex ære? tamen ſi eſſet, mirabilis eſſet fortitudinis: æs enim inflexibile metallum eſt. Sed in hoc voluit deſignari inflexibilem fortitudinem & infatigabilem: iuſtus enim brachia ſua gerit ſicut arcum, quia ad bonum flexibilia, ſed æreum, quia infatigabilia & inflexibilia ad malum. 2. ad *Corinth.* 4. Non deficimus, ſed licet is qui foris eſt, noſter homo corrumpatur: tamen is qui intus eſt, renouatur de die in diem. Ad *Galat. vltimo.* Bonum facientes non deficiamus: tempore enim ſuo metemus non deficientes. *Daniel.* 10. Brachia eius quærens, & quæ deorſum erant vſque ad pedes, quaſi ſpes æris candentis.

36. *Et dediſti mihi.* Hîc tertia, munitio duplex, armorum protegentium, & adiutorium defendentium. *Et dextera tua.* Dicit ergo: Sic docuiſti & firmaſti, & *dediſti* cum his *protectionem* mihi, armaturam ſcilicet *ſalutis tuæ*, id eſt, illius ſalutis, quam operatus es. Nihil enim omninò ita protegit, nec eſt ſcutum ita bonum, ſicut ſit meditatio mortis Chriſti, quæ fuit noſtra ſalus 1. *Pet.* 4. Chriſto ergo in carne paſſo, & vos eadem cogitatione armamini. *Num.* 21. Nonne ſanabantur percuſſi videntes ſerpentem in palo? *Thren.*3. Dabis eis ſcutum cordis dolorem tuum vel laborem. Chriſtus enim in cruce extenſus ſcutum noſtrum fuit, pro nobis ictus ſuſcepit. *Iſa.* 53. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum. Vel protectionem appellat armaturam virtutum, de qua ad *Epheſ. vltimo*, Induti loricam ſcientiæ, & galeam ſpem ſalutis, in omnibus ſumentes ſcutum fidei, &c. 1. *Mach.*4. Induit ſe lorica Iudas ſicut Gigas.

Et dextera. Ecce in quo notatur defenſio & refocillatio: neceſſe eſt enim pugnantibus habere locum tutum vbi defendantur, & vbi retro ducantur & refocillentur. Et hic in dextera Dei, quæ fortis eſt, fortis protectio: in ſuſceptione notatur refocillatio. *Pſal.* Brachium eorum, quamuis æreum, ſaluabit eos, ſed dextera tua & brachium tuum. *Sap.*5. Dextera tua teget eos, & brachio ſuo defendet illos. *Matth.* 11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Ecce refocillatio bona, & ſecura protectio, Deus filius, qui eſt eius dextera. *Act.*4. Non eſt aliud nomen ſub cœlo, in quo oporteat nos ſaluos fieri.

Et diſciplina tua. Hîc quarta conditio, ſcilicet experientia, quæ eſt per diſciplinam. Multò enim melius pugnat expertus, quam inexpertus. Et eſt duplex diſciplina. Verberum, quæ corrigit, & verborum aſperorum, quæ inſtruit: & propter hæc duo dicuntur. Primò tangitur experientia verberum, ſecundò verborum, ibi, *& diſciplina.* Dicit ergo: Sic protexiſti, & ſuſcepiſti: & diſciplina tua verberum, qua corripis tuos. Ad *Hebr.* 12. Quem enim diligit Deus, caſtigat, & flagellat omnem filium quem recipit. *Correxit me*, de bono meliorem fecit. 2. ad *Corinth.* 12. Virtus in infirmitate perficitur. Vel ſecundum Auguſti. *direxit me*, id eſt, non ſinebat me deuiare, quin omnia referrem *in finem* debitum. *Oſeæ 6.* In tribulatione ſua mane conſurgent ad me. Prius enim quam ſuperueniat diſciplina, voluntas diſtorta eſt, ſed diſciplina facit eam conformem Deo, & ſic rectam. *Senec.* Niſi ad regulam viuas, praua non corriges. Vel erexit. *Auguſt.* in libro Proſp. Cum in tribulatione ſine vulnere ſunt animæ, tempus conſumitur ad æternam requiem de profundo temporalis exitus. *Eccleſ.*4. De carcere careniſque egreditur ad regnum. Et nota, quòd cum dixiſſet immediate de protectione, ne crederet aliquis quod ſic Deus ſuos protegeret, vt nihil ſuſtinerent, ſubiungitur de diſciplina. Quaſi diceret ſic: Proteges, non vt omnino nihil patiar, ſed vt vtiliter patiar. *Auguſt.* in libro Proſp. Cuſtodit nos Deus ab omni malo, non vt nihil patiamur mali, ſed vt ipſis aduerſitatibus anima non lædatur.

Et diſciplina ſua, Verborum ſcilicet, *ipſa me docebit* per aſperam increpationem, præcepta tua & conſilia. Vel ſecundum Gloſſam, de eadem diſciplina intelligatur. Ipſa enim eſt, quæ corripit, à malo reuocando: eadem docet ad bonum peruenire, & in bono perſeuerare, quod maius eſt. *Iacob.* 1. Probatio fidei veſtræ perſeuerantiam operatur, patientia autem opus perfectum habet. Propter hoc dicitur *Iud.* 3. Hæ ſunt gentes, quas dereliquit Dominus, vt in illis erudiret Iſraël. *Ierem.6.* Omne flagellum erudiens Iſraël. Alia litera.

Dilataſti greſſus meos. Hîc eſt quinta conditio, ſcilicet corroboratio ad ſuſtinendum aduerſa, & tanguntur duo. Primò conſolatio per charitatis amplitudinem. Secundò conſolatio ſequens ex illa conſolatione, ibi, *Et non ſunt infirmata.* Dicit ergo: Hæc prædicta feciſti, & etiam *dilataſti greſſus meos*, id eſt, bonum in quo animæ pedes, id eſt, affectus progrediens ad pugnam, *dilataſti ſubtus me*, quamuis in principio arctatus videretur. *Prouerb.*4. Ducam te per ſemitas æquitatis, quas cum ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, interueniente conſolatione qua conſolantur qui aſſueſcunt bona. Hieronym. Inoleſcente paulatim conſuetudine ad quod primum cogebaris, incipies velle: & tandem delectabit te labor tuus, hoc faciente infuſa à Deo

37.

delectatione. *Prouerb.*18. Donum hominis dilatat viam eius.

Et non ſunt infirmata. Ecce ſecundum,ſcilicet corroboratio. Quaſi ſic diceret: *Et non ſunt* per hoc *infirmata veſtigia mea*, opera mea, ſed fuerunt fortia: ſic enim pes ambulans non poteſt non imprimere veſtigia, ſed naturaliter relinquit quantum eſt de ſe, ſic nec charitas eſſe poteſt, quin eliciat opus bonum. *Gregor.* Operatur enim magna ſi eſt, dicit de amore Dei: quod ſi operari renuit, amor non eſt. *Prou. 6.* Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta eius non ardeant? Charitas enim eſt illa fortis mulier quæ panem otioſa non comedit, & quæ manum ſuam miſit ad fortia. Item ipſa veſtigia poſſunt dici ipſi affectus, qui tunc non infirmantur, quando viriliter contemnunt temporalia, & calcant illa. Litera *Hieronymi:* Non deficient talium veſtigia, quia *Ezech.*2. Fili hominis ſta ſupra pedes tuos: nec fruſtra: quia *Ioſuë* 1. Quicquid calcauerit pes veſter, veſtrum erit.

38. *Perſequar inimicos.* Hîc eſt ſecundum principale huius partis: oſtenſa enim præparatione agitur hîc de pugna & victoria, à ſic præparato, ſicut habitum eſt. Et quia in victoria eſt victor & victus, dicuntur duo. Primò conditiones tanguntur ex parte victoris. Secundò ex parte victorum. *Confringam.* Dicit ergo: Sic me præparaſti, & propter hoc *perſequar inimicos meos*, carnales affectiones & conſenſus, qui ſunt inimici mei, de me ipſo nati. Dicitur pro membris. *Michæ.*7. Inimici hominis,domeſtici eius. 2.*Reg.*16. Filius, qui egreſſus eſt de vtero meo, quærit animam meam. *Perſequar* ergo ſcrutando. 1. *Machab.* 3. Iudas perſequutus eſt inimicos ſuos, perſcrutans eos, & qui conturbant populum, ſuccendit flammis, contritionis.

Conditiones victori neceſſaria.

Et comprehendam eos, ligando ne procedant in actum vel conſenſum. *Exod.*15. Perſequar, & comprehendam. 1. *Reg.* 30. Perſequar, an non latrones iſtos, & comprehendam illos? Et dixit Dominus: Perſequere, abſque dubio comprehendes. *Pſal.* Ad alligandos reges in compedibus.

Et non conuertar, vt ceſſem perſcrutari comprehendere, *donec deficiant* à mea impugnatione: fruſtrà enim valdè laboratur ſi motus carnales non reprimuntur. *Eccleſ.*11. A ſcintilla vna augetur ignis. *Num.*23. Si nolueritis occidere habitatores terræ huius, qui remanſerint, erunt vobis quaſi claui & lanceæ in lateribus, & aduerſabuntur vobis in terra habitationis veſtræ. Sed cum in hac vita nunquam deficiant carnales motus, & ſemper reprimendi ſint vſque ad defectum, relinquitur quod ſemper eſt pugnandum quandiu durat vita iſta. *Ierem.*12. Non eſt pax vniuerſæ carni. Semper dum viuitur, hîc eſt pugnandum cum eis. *Iob* 7. Militia eſt vita hominis ſuper terram.

39. *Confringam illos.* Hîc oſtenditur victoria ex iis quæ ex parte triumphatorum, in quo notantur tria. Confractio, debilitas, & caſus. Ait enim quoad primum. Verè deficient, quia *confringam illos. Iob* 38. Brachiũ excelſum, carnalis concupiſcentiæ,quæ omnes impugnat,confringetur. *Ezech.*30. Confringetur brachium Pharaonis, diaboli Regis Ægypti. Confringuntur autem carnales mtous quando ad Deum, & lapidem Chriſtum alliduntur. 1. ad *Cor.*10. Petra autem erat Chriſtus. *Oſeæ* 10. Arabit Iudas, id eſt, confitens, aperiendo terram cordis ſui, *confregit* ſulcos, motus carnales & terrenos, Iacob luctator bonus, & pugnator.

Nec poterunt ſtare, debilitati per confractionem. *Pſal.* Expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare. *Ioſ.* 10. Nullus ex eis poterit reſiſtere tibi, dicitur de Ioſuë præparato à Deo: & non tantum hoc: imò vt plena ſit & perfecta victoria. *Cadent. Luc.*10. Videbam Sathanam ſicut fulgur de cœlo cadentem. *Subtus pedes.* Subtus amores meos & affectiones tenebuntur motus carnales, & ſuggeſtiones diabolicæ. *Geneſ.* 3. Veruntamen ſubter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. *Iudic.* 5. Conculca anima mea robuſtos. *Ioſ.*10. Ponite pedes ſuper colla Regum quinque iſtorum, ſcilicet ſenſuum, vt ſint ſubiecti ſicut in præſenti. Et qui ſic eos conculcauerint, proculdubio in futuro conculcabunt malos, ſcilicet dæmones. *Malach. vlt.* Conculcabitis impios cum fuerint velut puluis, ſub planta pedum meorum.

40. *Victoria à Deo eſt.*

Et præcinxiſti me virtute. Hîc tertium,in quo oſtendit poſt victoriam totum hoc non à ſe,ſed à Deo habuiſſe, & tanguntur tria. Primò,quòd ab ipſo virtutem pugnandi habuit. Secundò, quòd ipſe Deus inimicos deiecit. *Et ſupplantaſti.* Tertiò ſupponit & ordinem & modum deiiciendi. *Et inimicos meos.*Dicit ergo: Sic inimici deiicientur & confringentur, & deiecti ſunt, & confracti: ſed non per me, ſed ô Domine propter hoc, quia *& præcinxiſti me virtute*, tu & non alius, *ad bellum* faciendum & perficiendum. Litera *Hieronymi:* Accinxiſti me fortitudine ad prælium. 1. *Machab.* 3. Accingimini, & eſtote filij potentes: ab ipſo enim Domino eſt omnis virtus & poteſtas contra inimicos. *Luc.* 10. Dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes. Propter hoc dicitur 2.*Paral.*20. Non eritis vos qui diiudicabitis, ſed tantum ſtate confidenter & videbitis auxilium Domini ſuper vos. Et nota,quòd ſupra poſitum fuit,Deus qui præcinxit me virtute, & repetitur hîc, quia oportet pugnare in initio conuerſionis, & etiam omnibus ſubactis oportet pugnare contra ſuperbiam,quæ tenet campum vltima. Verſus.

Cum bene pugnatis, & cuncta ſubacta putatis,
Quæ magis infeſtat, vincenda ſuperbia reſtat.

Gregor. Valdè cauendum vitium quod de victoria ſurgit vitiorum. *Geneſ.* 3. Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo illius. Et ideò nomine virtutis, hîc poteſt humilitas intelligi ſpecialiter. Continue ſumus in miſeria & in pugna. *Iob* 40. Memento belli nec addas vltra loqui.

Et ſupplantaſti. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Virtutem tribuiſti, & ſupplantaſti, tu qui es verus Iacob, non alius. Ad *Rom.*9. Non eſt volentis nec currentis, ſed Dei miſerentis. *Inſurgentes in me* motus carnales, malas affectiones, quæ omnia in me ſunt. Ad *Roman.*7. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. *Subtus me. Geneſ.* 4. Veruntamen ſubter te erit appetitus tuus. Ad

Roman.

Roman. vlt. Deus conterat Sathanam ſub pedibus veſtris.

41. *Et inimicos meos.* Hîc tertium, in quo ſubiungit modum deiiciendi inimicos, quem priùs tangit. Secundò in perfectione. *Et comminuam.* In prima tria. Primò captio inimicorum. Secundò captiuorum diſperſio. *Et odientes me.* Tertiò ſubſtractio auxilij ab vtriſque. *Clamauerunt nec erat.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd ſupplantaſti: & verum, quia *inimicos meos*, quantum ad aliquam illorum partem, *dediſti mihi dorſum*, id eſt, dediſti mihi à dorſo, vt ſequerentur qui priùs in facie reſiſtebant. Sic factum eſt Eccleſiæ: quia qui eam prius impugnabant, humiliter poſtea eam ſunt ſequuti. *Iſa.* 45. Subiiciam ante faciem eius gentes, & dorſa regum vertam in fugam: ſicut factum eſt in *Paulo*, *ad Galat.* 1. Qui perſequebatur nos ante, nunc euangelizat fidem, quam ante impugnabat. *Iſa.* 60. Venient ad te curui filij eorum qui te humiliauerunt, & adorabunt veſtigia pedum tuorum. Inimicos etiam vnicuique Dominus dorſum dat, quando peccata proiicit & per pœnitentiam obliuiſcitur, ſecundum illud *Iſa.* 38. Proieciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea.

Et odientes me. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Non tantum ſic eieciſti quoſdam, imò & *odientes me*, quantum ad alios, *diſperdidiſti* per totum mundum, ſicut planum eſt quantum ad ipſum caput in Iudæis eius inimicis. *Ierem.* 9. Diſpergam eos in gentibus, quas non nouerunt ipſi, nec patres eorum, & mittam poſt eos gladium donec conſummentur, vel conſumantur. In *Pſal.* Diſperge illos in virtute tua, & depone illos protector meus Domine. Odientes etiam animam ſunt dæmones, quos à facie ſua Dominus diſpergit, quia poſtquam victi ſunt de vno peccato ab aliquo, non audent ipſum impetere de illo, & currunt ad alia vitia, vel ad alias perſonas. *Deuter.* 28. Dabit Dominus inimicos tuos, qui reſurgunt aduerſum te, corruentes in conſpectu tuo: per vnam viam venient, & per ſeptem fugient à facie tua.

42. *Clamauerunt, nec erat.* Hîc eſt tertium, ſubtractio adiutorij ab vtriſque, & primò humani. Secundò diuini. *Ad Dominum.* Dicit ergo: Sic ſubiecti aliqui, alij diſperſi, *& clamauerunt*, hi & illi ad adiutorium humanum. *Nec erat qui ſaluos faceret. Iſa.* 42. Defeciſti in multitudine conſiliorum tuorum. Vel *clamauerunt* ad Deos vanos & falſos: ad illud enim quiſque clamat in neceſſitate, quod ſpecialiter amat: ſed non eſt qui ſaluet, aliud à vero Deo. *Act.* 4. Non eſt aliud nomen ſub cœlo in quo oporteat nos ſaluos fieri, quantumcumque ad illud clametur. *Iſa.* 43. Ego ſum, ego ſum, dicit Dominus, & non eſt, abſque me Saluator. *Ierem.* 2. Verterunt ad me tergum & non faciem, & in tempore afflictionis ſuæ dicunt: Surge & libera nos: Vbi ſunt dij tui, quos feciſti tibi, ſurgant & liberent te in tempore afflictionis tuæ. Poſtea *clamauerunt ad Dominum, nec exaudiuit eos.* Et ſic deſtituuntur auxilio diuino.

Sed contrà. 1. ad *Timoth.* 2. Hoc enim bonum eſt coram Deo Saluatore noſtro, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Et *Iſa.* 65. Et erit, antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus ego exaudiam. Reſponſio. Hoc dicit: quia non clamabunt quando debebunt exaudiri. *Prouerb.* 1. Tunc inuocabunt me Iudæi, quando diſpergentur per mundum, qui noluerunt prædicantem & facientem miracula cognoſcere, & non exaudiam. Ad primum tamen dicendum, quòd ſic intelligendum eſt: vult omnes ſaluos fieri, id eſt, omnes eius efficaci voluntate ſaluantur, quicumque ſaluantur. Item non clamabunt debito modo: quia perſiſtentes in malitia adhuc clamabunt. *Iſa.* 1. Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. *Matth.* 27. Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. *Caſſiodorus* hoc exponit de omnibus malis generaliter, qui clamabunt in die iudicij. Videntes enim ſimilitudinem in diabolo damnatam, clamabunt ad Dominum, ſed fruſtrà. *Caſſiodor.* Infructuoſa illic agnoſcitur pœnitudo, vbi eſt iam iuſta damnatio. *Eccleſiaſt.* 18. Ante iudicium para iuſtitiam.

43. *Et comminuam eos.* Hîc ſecundum huius partis, in quo agitur de modo: poſtquam enim tetigit ordinem, hic ſubiungit conſummationem, & dicuntur duo. Primò, quòd irremediabilis, non eſt enim remedium ad diſperſum vento puluerem colligendum. Secundò, quòd irreparabilis, *vt lutum platearum delebo eos.* De alio enim luto bene contingit, quod deletum eſt, reparari. Dicit ergo: Hoc ordine deiicientur, & confirmabuntur: quia *comminuam eos vt puluerem*, qui in minimas partes diſpergitur *ante faciem venti.* Vere ita eſt Iudæis: vix enim duo ſimul cohærent, ſed odio ab inuicem ſunt ſeparati ab inuidia. *Ezech.* 5. Ventilabo omnes reliquias tuas in omnem ventum. *Iſa.* 17. Rapietur ſicut puluis montium à facie venti. Suprà in 42. *Pſal.* Non ſic impij, non ſic, ſed tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ, &c. Item quia caret imbre miſericordiæ Dei, ſicut dicit *Auguſt.* De quo imbre. *Eccleſ.* 35. Specioſa miſericordia in tempore tribulationis, quaſi nubes pluuiæ in tempore ſiccitatis. Item leues ſunt in tantum, quod carentes omni ſpe firma & ſolida, omni vento doctrinæ vanæ circumferuntur, & ad omne deſiderium quodcumque poſſunt implere. *Ierem.* 18. Deſperauimus, poſt cogitationes noſtras ibimus, & vnuſquiſque prauitatem cordis ſui mali faciemus. Et omnis peccator puluis, quoniam caret humore gratiæ. *Pſal.* Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. Item paruulus eſt, quicumque charitate caret, quaſi in atomo. *Auguſt.* lib. de Charitate, Hoc eſt magis eſſe quod eſt melius eſſe, quod eſt magis Deo adhærere. Ergo qui caret charitate qua adhæremus Deo, caret quantitate. Et infructuoſi. *Sapient.* 3. Vacua ſpes illorum, & labor ſine fructu.

Vt lutum platearum. Quaſi diceret: Non tantum irremediabiliter, ſed & inſeparabiliter delebuntur: quia *vt lutum platearum delebo eos.* Nota, quòd in præcedenti verſu, cum diceret, inimicos meos dediſti mihi dorſum, loquebatur ad Patrem: nunc autem ipſe Filius dicit,

ſe facturum iſtam comminationem, vt notetur eadem operatio Patris & filij. *Ioan.5.* Pater meus vſque modo operatur, & ego operor. *Ioan.14.* Pater autem in me manens ipſe facit opera. Dicit ergo: vt lutum platearum delebo eos. Lutum platearum, modò eſt, ſed ſtatim tranſit frequentia conculcantium. *Iſa.10.* Manda ei vt auferat ſpolia eius, & ponat eum in conculcationem & lutum. Impij autem, maximè luxurioſi vt lutum poſiti ſunt. *Sap. 15.* Vilior luto vita eius. Et conculcati à dæmonibus citò delebuntur. *Eccleſ.9.* Mulier fornicaria, quaſi ſtercus in via conculcabitur. *Vt lutum platearum.* Platea lata eſt, & ipſi ſunt in lata via, quæ ducit ad perditionem *Matth.7.* Hæc via quam multi verè inueniunt, ſicut dicitur ibidem. *Ierem.11.* Quam vilis facta es iterans vias tuas.

44. *Eripies me de contradictionibus.* Hîc eſt quartum totius illius partis, in qua agitur de beneficiis collatis Eccleſiæ in conſummationem quæ incipit ibi, *Quoniam tu illuminas lucernam.* Poſtquam enim præceſſit petitio, ratio petendi monſtrata eſt, & commendatio eius à quo petitur ex multiplici beneficio, ſubiungitur hîc de regno ipſius Chriſti & Eccleſiæ: & hoc rectè poſt victoriam de qua actum eſt ante immediatè. Dicuntur autem quatuor. Primò oſtenditur à quibus aufertur regnum. Secundò ad quos transfertur. *Conſtitues me:* Tertiò commendatur Gentilium populus, & monſtratur dignus ad quem transferat regnum, ibi, *Populus quem non cognoui.* Quartò increpatur populus Iudæorum, vt oſtendatur indignus quantum ad Chriſti regnum. *Filij alieni mentiti ſunt mihi.* Dicit ergo ſic: Tot & tanta bona contuliſti mihi, ſed & certus ſum quoniam eripies me tandem de contradictionibus populi Iudæorum, quibus ei contradicebant, quando prædicabat, quando miracula faciebat. *Caſſiodor.* Contradictiones dicit, quas ei impia turba & ſcelerata multipliciter ingerebat. Ad *Rom.10.* Ad Iſraël autem dicit: Tota die expandi manus meas, ad populum non credentem mihi, & contradicentem mihi. Et illis loquebatur *Iſa.45.* Væ qui contradicit fictori ſuo. Et 12. ad *Hebr.* Recogitate eum qui talem aduerſus ſemetipſum ſuſtinuit contradictionem. Secundum *Hieronymum* de contradictione qua ſibi inuicem contradicebant de Chriſto dicentes, alij vnum, alij aliud. *Ioan.7.* Quidam dicebant quia bonus eſt: alij autem dicebant, non, ſed ſeducit turbas. *Ierem. 15.* Væ mihi mater mea, quare me genuiſti virum rixæ & virum diſcordiæ in vniuerſa terra?

Hîc agitur de regno Chriſti & Eccleſia.

Et nota, quòd Iudæi contradixerunt poteſtati. *Matth.12.* & *Luc.11.* In Beelzebuth principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Et ſapientiæ & doctrinæ. *Matth. 26.* Recordati ſumus quia ſeductor ille dixit. Et bonitati. *Ioan.8.* Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es, & dæmonium habes? Regno. *Ioan.19.* Non habemus regem niſi Cæſarem: Et: Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. Hoc reſpicit poteſtatem. Magiſterio. *Ioan.9.* Maledixerunt ei, & dixerunt: Nos Moyſis diſcipuli ſumus. Hoc ad ſapientiam. Sacerdotio. *Ioan. 6.* Durus eſt hic ſermo, quomodo poteſt hic carnem ſuam dare ad manducandum? & abierunt retrò. Et propter has contradictiones ablatum eſt ab eis regnum. *Matth. 20.* Auferetur à vobis regnum Dei.

Conſtitues me. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic ab illis eripies, & *conſtitues me in caput*, vt ſim caput gentium, & ipſa membra. Ego rex, & ipſæ regnum. Ad *Epheſ.1.* Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt eius corpus. Et regem. Suprà in *Pſal.* Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo. Et ſuper quos, ſubditur ibidem: Poſtula à me, & dabo tibi Gentes, &c. Huius regni ſignum habemus, ſicut dicit *Caſſiodorus*, in ipſis frontibus radicatum à noſtro baptiſmo. *Ezech. 9.* Signa Thau ſuper frontes virorum gementium, atque dolentium. *Pſal.* Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. *Exod. 12.* Signata fuerunt domorum ſuperliminaria.

Signũ regni Chriſti in fronte.

Populus quem non cognoui. Hîc eſt tertium, Gentium commendatio in duobus: in interiori fide, qua ſeruitur, & in exteriori opere, quo obeditur. *In auditu auris.* Vel obedientia, & in obedientiæ promptitudine. Ait enim: Sic ab illis me eripies, & ſuper illos me conſtitues. Et bene: quia *populus* gentium, *quem non cognoui*, id eſt, quem me cognoſcere non feci. *Geneſ.22.* Non cognoui, id eſt, cognoſcere te non feci. Vel *quem non cognoui*, cui tanquam ignoto corporalem præſentiam meam non exhibui, ſicut Iudæis *Matth.15.* Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël. Et propter hoc aggrauatur peccatum Iudæorum, qui eum non recognouerunt. *Iſa.40.* Ecce gentes quas neſciebas, vocabis. 45. *Cultus gentium in Chriſtum.*

Seruiuit mihi, interius credendo, vel latria diuinum cultum exhibendo. *Pſal.* Omnes gentes ſeruient ei. *Sopho. vltimo.* Reddam populis labium electum, vt inuocent & ſeruiant ei.

In auditu auris. Ecce velocitas in obediendo: obediuit mihi ſubditus factus, bona & mihi placita faciendo. Vel *in auditu auris:* quia miracula mea non vidit ſicut Iudæi, ſed tantum audiuit de me prædicari, & ſtatim obediuit. Propter hoc dicebat Dominus *Matth. 11.* Væ tibi Bethſaida, væ tibi Corozaim: quia ſi in Tyro & Sydone facta fuiſſent miracula quæ facta ſunt in vobis, olim egiſſent pœnitentiam in cilicio & cinere. Sed impletum eſt in Gentibus illud *Iſa.52.* Ipſe aſperget rore gratiæ, multas gentes: ſuper ipſum continebunt reges os ſuum, quia quibus non eſt de eo narratum, videbunt. Et nota, quòd verè obedire Deo, eſt ſimilem illi ſe facere, quantum poſſibile eſt. *Seneca, ad Lucil.* Vis Deos propitiari tibi? bonus eſto, ſatis eos coluit, quiſquis imitatus eſt.

Nec hoc dicit Deus vt de Gentium ſeruitio glorietur, tanquam illo indigens. *Daniel.7.* Millia millium miniſtrabant ei: ſed magis propter nos: quia indigemus: quia illi ſeruire regnare eſt, quia ſibi ſeruientibus ſeruit. *Seneca,* Humana ambitio officiis capitur: non autem quærit miniſtros Deus, quia ipſe humano generi miniſtrat vbique. Et nota, quòd obedientia eſt ſpe mercedis abnegatio propriæ voluntatis. Vel ſic: Obedientia eſt ſpontaneum & rationabile propriæ voluntatis ſacrificium. Item obedientia eſt amor de præceptis.

Obedientiæ deſcriptio.

Filij

46. *Iudæorum obſtinatio.*

Filij alieni. Hîc eſt quartum, increpatio Iudæorum, & dicuntur tria. Primò increpantur de defectu veritatis. Secundò de perſeuerantia in moribus prauis, ibi, *Filij alieni.* Tertiò de peruerſitate intentionis, ibi, *Et claudicauerunt.* Dicit ergo: Tales ſunt Gentiles, ſed *filij* aliquando. *Exod.* 4. Filius meus primogenitus Iſraël. *Iſa.* 1. Filios enutriui, & exaltaui: *alieni* facti ſunt. *Iſa.* 1. Blaſphemauerunt ſanctum Iſraël, abalienati ſunt retrorſum. Et in eodem, Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis. Vel alieni: Genitiui caſus, id eſt, diaboli. *Ioan.* 8. Vos ex patre diabolo eſtis, de quo in eodem cap. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt, & pater eius, ſcilicet mendacij: vnde bene ſequitur:

Mentiti ſunt mihi, id eſt, ad honorem mihi faciendum quando dicebant. *Matth.* 22. Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces. Mentiri enim, eſt contra mentem loqui. Vel cum pondere legatur: Mentiti ſunt mihi, qui ſum veritas, ac ſi poſſem mendacia eorum ignorare: quid aliis ſunt facturi? *Ioan.* 14. Ego ſum via, veritas, & vita.

Filij alieni. Hîc ſecundum, ſed repetit dictum in parte, vt magis eos increpet & corrigat: quia ſcilicet difficiles ad corrigendum. *Eccleſ.* 1. Peruerſi difficile corriguntur.

Inueterati ſunt, id eſt, in veteri homine vel in veteribus peccatis & moribus permanſerunt. *Baruch* 3. Quid eſt Iſraël, quod in terra inimicorum es? Inueteraſti in terra aliena. *Pſal.* Inueteraui inter omnes inimicos meos. Et notatur in hoc maledictorum Iudæorum pertinacia. *Geneſ.* 49. Maledictus furor eorum, quia pertinax. Et Dei longanimitas. *Iſa.* 1. Laboraui ſuſtinens. Ad *Rom.* 1. Suſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum.

Et claudicauerunt in intentione, à ſemitis ſuis declinando, habentes partem intentionis ad Deum, vt dicebant, quia zelo legis, vt dicebant, perſequebantur Chriſtum. Partem intentionis ad mundum, quam & ipſi habuerant occidentes ipſum Chriſtum propter temporale lucrum. 3. *Reg.* 18. Vſquequo claudicatis in duas partes? *Matth.* 6. Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire. Sic claudicant qui conſilio magni Angeli nolunt acquieſcere. *Gen.* 32. Item claudicant qui bono operi peruerſam intentionem, vel peruerſæ intentioni bonam operationem agglutinant. *Deuter.* 6. Non dabis filio tuo, operi tuo bono, filiam eius, peruerſam ſcilicet intentionem: nec filio eius, peruerſo ſcilicet operi, filiam tuam, rectam ſcilicet intentionem.

47. *Vltima pars Pſalmi laus & gratiarũ actio.*

Viuit Dominus & benedictus. Hîc eſt tertium totius Pſalmi. Promiſſo enim in prima parte quod laudaret, & ſuppoſitis rationibus multis quare debet laudare, ſubiungitur promiſſi ſolutio in hac parte: & tanguntur duo. Primò laus & gratiarum actio. Secundò continuatio in laude & gratiarum actione, ibi, *Propterea confitebor tibi.* In prima duo. Primò gratiarum actio ratione diuinæ potentiæ. Secundò ratione diuinæ ſapientiæ. *Et benedictus Deus.* Tertiò ratione bonitatis. *Et exaltetur.* Dicit ergo: Sic dignus eſt laudari, qui tanta mihi fecit bona: & propter hoc dico: *Viuit Dominus* in ſe per potentiam naturalem propriam. 4. *Reg.* 18. Viuo ego, dicit Dominus. Et hoc in ſe per naturam ſuam quæ vita eſt. *Ioan.* 5. Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio vitam habere in ſemetipſo. Viuit etiam in omni creatura per eſſentiam, potentiam, & præſentiam. *Act.* 17. In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus. Sed viuit in homine per animæ inſpirationem. *Gen.* 1. Et inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ. *Iob* 33. Spiritus Dei fecit me, & ſpiraculum Omnipotentis viuificauit me. Per gratiæ infuſionem. Ad *Gal.* 2. Viuo ego, iam non ego, viuit autem in me Chriſtus. Sed tandem viuet in nobis per gloriam totum viuificando & corpus & animam. Ad *Rom.* 8. Viuificabit mortalia corpora noſtra, per inhabitantem ſpiritum eius in nobis. *Viuit Deus multis modis.*

Et benedictus Deus, id eſt, Θεὸς, quod eſt idem quod videns, quia ad *Hebr.* 4. Omnia munda ſunt & aperta oculis eius, non tantum ſubſtantiæ, ſed cogitationes. 1. *Reg.* 16. Homines vident ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor, & quæ omninò non ſunt, penetrat & videt. *Eccleſ.* 23. Domino Deo noſtro antequam creata ſint, manifeſta ſunt omnia. Hic ſit benedictus. *Apocalypſ.* 7. Benedictio & claritas & ſapientia, & gratiarum actio Domino Deo noſtro.

Et exaltetur. Hîc commendatio bonitatis. Ad bonitatem duo concurrunt, iuſtitia & miſericordia. Propter hoc primò commendat, vel gratias agit bonitati, quantum ad partem miſericordiæ, vel effectum. Secundò quantum ad effectum iuſtitiæ. *Deus qui das vindictas.* Dicit ergo: *Et exaltetur Deus ſalutis meæ*, auctor ſuæ bonitate, ſalutis naturæ, ſalutis gratiæ, ſalutis gloriæ. Infra in *Pſal.* Tu es ipſe rex meus, & Deus meus, qui mandas ſalutes Iacob. Infra in eodem, Magnificans ſalutes regis eius. *Bonitatis partes, iuſtitia & miſericordia.*

Deus qui das vindictas. Hîc eſt ſecundum, in quo commendat eum quantum ad iuſtitiam: & tanguntur tria quæ concurrunt. Primum, vltio ſuorum de malis. Secundò ſubiectio aduerſariorum ipſis bonis. *Et ſubdis populos ſub me.* Tertiò liberatio iuſtorum ab ipſis inimicis. *Liberator meus.* Dicit ergo ſic: Benedictus Deus ſalutis meæ, & *Deus qui das vindictas mihi*, benedictus ſis, ſupple: ab ipſo enim vindicta eſt, & eſſe debet, non requirenda ab alio. *Deuter.* 32. & ad *Rom.* 12. Mihi vindictam, & ego retribuam. *Eccleſ.* 28. Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam. Aliquando autem vindicat ſuos, malum infligendo aduerſariis in præſenti. *Luc.* 18. Vindica me de aduerſario meo. Et ſic factum eſt. Aliquando non retribuit, ſed in futuro reſeruat. *Ierem.* 45. Dies vltionis vt ſumat vindictam de inimicis ſuis. Aliquando vindicat ad bonum conuertendo inimicos. Sic Stephanus de Paulo vindicatus eſt. *Act.* 9. 48. *Iuſtitia beneficia.*

Et ſubdis populos ſub me. Ecce ſecundum, & hoc verum eſt quantum ad caput Eccleſiæ, quod conſtitutum eſt ſuper omnes. *Ierem.* 1. Ecce conſtitui te ſuper gentes & regna. Supra eodem: Conſtitues me in caput gentium. In *Pſal.* Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius. *Iere.* 27.

Gens & regnum quod non ſeruierit tibi, peribunt.

Liberator meus. Hîc commendatio à beneficio liberationis, & tanguntur duo. Primò liberatio in præſenti commẽdatur. Secundò procerto expectata in futuro, ibi, *Et ab inſurgentibus.* Ait ergo ſic: Subdis mihi populos, *& liberator meus es de inimicis meis*, non quibuſcunque, *ſed iracundis*, vt ſit maius beneficium. Iracundi contra Chriſtum fuerunt Iudæi, qui fremebant aduerſus eum in perſona ſua, & aduerſus eius membra. *Act.* 7. Et ſtridebant dentibus in eum. Alia litera, homicidis. *Matth.* 26. Ecce hæres, venite occidamus eum. Inimici ſunt dæmones, ſicut frequenter dictum eſt, & valdè iracundi, maximè modo quando vident appropinquare finem mundi. *Apocalypſ.* 12. Væ terræ & mari, quia deſcendit diabolus ad vos habens iram magnam. Sed ab aliis omnibus liberat Deus. *Daniel. vltimo*, Ipſe liberator atque ſaluator faciens ſigna atque mirabilia.

49. *Et ab inſurgentibus in me.* Hîc de liberatione in futuro certitudinaliter expectata. Primò vniuerſaliter à cœtu omnium malorum. Secundò ſpecialiter à capite illorum. *A viro iniquo.* Dicit ergo, Sic liberator meus eſt, iam à præteritis & præſentibus, *& ab inſurgentibus in me malis* & dæmonibus exaltabis me: quia in tali ſtatu conſtitues me, vt ita exaltatus non timeam inſurgentes. Hoc verum eſt de capite Chriſto, qui exaltatus eſt ſuper omnes cœlos. Ad *Epheſ.* 3. Vbi iam non timet Iudæos. Vel ſic, quantum ad membra: *Ab inſurgentibus in me*, id eſt, per ipſos inſurgentes in me exaltabis: quia proficiam ex tribulatione. *Gen.* 7. Multiplicatæ ſunt aquæ, & eleuauerunt arcam in ſublime. *Prou.* 18. Turris fortiſſima nomen Domini, & altiſſima. Ad *Philipp.* 2. Dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen. Ad ipſum currit iuſtus, tribulatione impellente, & exaltabitur, quod eſt ſumma ſapientia. *Eccleſ.* 11. Sapientia humiliati exaltabit caput eius. In alio *Pſal.* Qui exaltas me de portis mortis.

A viro iniquo, Anti-Chriſto capite omnis malitiæ, in quo totum iniquitatis ſuæ venenum diabolus infundet. Vel quolibet ſchiſmatico, *eripies me. Amos* 4. Quomodo ſi eruat paſtor de ore loonis duo crura, aut extremum auriculæ, ſic eruentur filij Iſraël, qui habitant in Samaria, in plaga lethali, & in Damaſci grabato.

50. *Propterea confitebor tibi in populis.* Hîc ſecundum huius partis, ſcilicet continuatio laudis, & dicuntur duo. Primo promiſſio. Secundò ratio quare continuabit laudem & oris, & operis. *Magnificans.* Duo tanguntur in prima parte. Primò confeſſio laudis in ore. Secundò in opere. *Et nomini tuo.* Dicit ergo: *Propterea*, id eſt, propter beneficia non tam præterita, quam futura, id eſt, prædicta, quam dicenda: *Confitebor tibi* confeſſione laudis, de qua ſupra: Confitebor Domino ſecundum iuſtitiam eius. Et hoc *in gentibus*, id eſt, in gentilitate, vbi laudatur Deus Pater per Filium Chriſtum, per Eccleſiam, & per Chriſti membra. *Act.* 9. de Paulo dictum eſt: Vas electionis mihi eſt iſte, vt portet nomen meum coram Gentibus. *Eccleſiaſt.* 1. Propterea confitebor & laudem dicam tibi. *Tob.* 3. Confitebor tibi, quoniam oſtendit maieſtatem ſuam in gentem peccatricem.

Et nomini tuo Pſalmum dicam, laudando opere: quia, ſicut frequenter dictum eſt, Pſalmum dicere, eſt idem quod pſallere. Pſallere autem à ψάλλειν dicitur, quod eſt operari: & ſic qui Pſalmum dicit, opere laudabilem Deum oſtendit.

Magnificans ſalutes Regis. Hîc eſt ſecundum, in quo tangitur duplex ratio confitendi. Vna, magnificentia poteſtatis Chriſti. Alia quantum ad magnificentiam bonitatis. *Et faciens miſericordiam.* Dicit ergo: Sic confitebor, ſic Pſalmum dicam: Et hoc, quia tu es *magnificans ſalutes*, id eſt, mirabiles faciens *ſalutes regis eius.* Chriſtus ſi loquitur hîc, loquitur tanquam de alio. Quaſi diceret: Ob hoc Domine Deus Pater, tibi confitẽdum & pſallendum: quoniam tu es magnificans, &c. Hic eſt Rex de quo *Apoc.* 19. Habens in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum: Rex regum & Dominus dominantium. Hic operatus eſt ſalutem. *Pſal.* Deus autem Rex noſter ante ſæcula, operatus eſt ſalutem in medio terræ. Et nota, quòd eſt triplex ſalus quam dat, & quam magnificat. Salus corporalis. *Pſal.* Homines & iumenta ſaluabis Domine. Hanc magnificat omnia ſuis dando. 1. ad *Corinth.* 3. Omnia veſtra ſunt, &c. Salus ſpiritualis animæ. In *Pſal.* Dic animæ meæ: Salus tua ego ſum. Hanc magnificat præterita & præſentia peccata dimittendo, & à futuris conſeruando. *Matth.* 18. Serue nequam, nonne omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me? Et eſt ſalus æternitatis. In *Pſal.* Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus. Hanc magnificat, non ſolum animam, ſed etiam corpus glorificando. Ad *Philipp.* 3. Saluatorem expectamus Dominum IESVM CHRISTVM, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ. *Iſa.* 49. Dedi te in lucem Gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. Hæ ſalutes quas mandat Iacob. 51.

Et faciens miſericordiam. Hîc ſecundum, in quo ſumitur ratio à bonitate & miſericordia. Et primo ab exhibita ipſi capiti. Secundò membris per caput. *Et ſemini eius.* Ait enim: Sic confitebor, & Pſalmum dicam, quia magnificas, & efficacem *facis miſericordiam Chriſto ſuo Dauid.* Chriſtus enim dicitur Dauid ratione interpretationis nominis: interpretatur enim manu fortis, quia omnia ſuſtinet, & ſupportat. Ad *Hebr.* 1. Portans omnia verbo virtutis ſuæ. Et aſpectu deſiderabilis, & ipſe eſt ille de quo 1. *Pet.* 1. In quem deſiderant Angeli proſpicere. Propter hoc dicitur *Ierem.* 23. Suſcitabo Dauid germen iuſtum. Huic fecit miſericordiam: quia ipſum voluit habere filium. Ego ero illi in Patrem, & ipſe mihi in filium *Matth.* 3. & 17. Hic eſt Filius meus dilectus. Et quia cito reſuſcitauit ipſum. *Pſal.* Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem. *Beneficia miſericordiæ.*

Et ſemini. Quaſi diceret: Non tantum feciſti ei miſericordiam, ſed & ſemini eius, id eſt, filiis & credentibus in eum, qui eius ſunt ſemen: quia ab ipſo per Euangelium ſunt geniti. *Iacob.* 1. Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis.

veritatis. Hoc est semen de quo *Isa.* 1. Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus. Et hoc *vsque in saculum*, hoc est, semini successiuè vsque in sæculum. Semper enim erunt fideles. *Matth. vltimo.* Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. Vel *faciens misericordiam vsque in sæculum*, id est, æternum. *Psal.* Misericordia autem Domini ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum.

IN XVIII. PSALMVM.

1. *In finem, Psalmus Dauid.*

2. *Ordo & argumentum Psalmi, prædicatio Christi per Apostolos, per quam transfertur regnũ Christi à Iudæis ad gentes, de quo Psalmo superiori.*

Cœli enarrant gloriam Dei. Hic est Psal. 18. in quo postquam in Psalmo præcedenti actũ est de laude Dei, pro translatione ipsius regni Ecclesiæ ad Gentiles, consequenter agitur de prædicatione incarnationis Christi facta per Apostolos, per quam prædicationem facta est translatio prædicta. Præponitur autem huic Psalmo titulus communis in verbis multis superiùs positis, sed aliquantulum differens in sensu. Cum enim omnes sic intitulati exponerentur, *In finem Psalmus Dauid*, Hic Psalmus est Dauid, Psalmus, inquam, in finem Christum nos ordinans: tum quia hîc agitur de de prædicatione & publicatione ipsius incarnationis filij Dei. Sic exponi potest: *Psalmus* hic conuenit *Dauid*, non in quocumque statu, sed inspicienti, & cordis oculos conuertenti *in finem* omnium Christum. Ad *Rom.* 10. Finis legis Christus, ad iustitiam omni credenti. Vel in finem temporum, in quo facta est Christi incarnatio, & toti mundo diuulgata. Ad *Galat.* 4. Quando venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum. 1. ad *Corinth.* 10. Nos sumus in quos fines sæculorum deuenerunt.

Diuisio Psalmi.

Diuiditur autem hic Psalmus in duas partes. Primò agitur de prædicatione incarnationis Christi & sequentiũ ad eam ab Apostolis facta. Secundò petitur à Propheta ex quodam vehementi desiderio vt purgetur, & prædicare dignus efficiatur tanta, ibi, *Delicta quis intelligit?* Prima pars in duas. Primò tanguntur conditiones occurrentes ex parte prædicantium. Secundò ex parte rei prædicatæ, ibi, *In sole posuit.* In prima duo. Primò quales & quid prædicauerunt. Secundò quomodo prædicauerunt. *Diei diei eructat.* In prima duo. Primò, quòd sublimes prædicabant gloriam, quæ quasi diuinitatem in Christo respicit. Secundò, quòd confirmati, operationem ad Christum pertinentem. Et nota, quòd potest legi de cœlis materialibus primo. Secundò de spiritualibus. De materialibus dupliciter. Vel inquantum significatum semel factum secundum *Cassiodor.* Vel inquantum significatur quod fit semper. Dicit ergo secundum primũ. *Cœli* materiales scilicet, *enarrant gloriam Dei*, stellam mittendo & monstrando, ortũ noui regis ostendentem. *Psal.* Lux, nouæ stellæ, orta est iusto, Christus, & rectis corde lætitia, Magis scilicet. *Matth.* 2. Videntes stellam Magi gauisi sunt gaudio magno valdè. Et bene dicuntur enarrare & eloqui gloriam per hanc stellam: quia sicut cum loquor, etiam formo nouam vocem, quæ priùs non erat, sic illi cœli miserunt illam stellam non vnam de antiquis, sicut dicit Chrysostomus apertè, sed de nouo creatam. Vel quia, sicut dicit Chrysostomus in quadam homilia super illud Euangelium, hæc stella in forma paruuli apparebat, & etiam loquuta est nuntians ortum Christi, paruuli, inquam, habentis crucem super caput suum. Decebat autem quocumque modo fieret, per stellam quæ corpus clarum est, enarrari gloriam quæ claritas est: quia, sicut dicit Isidorus, Gloria dicitur quasi claria. Cœlum ergo per stellam quasi per quoddam sui verbum gloriosum enarrauit gloriam verbi Dei, vel gloriosum Dei verbũ. *Bar.* 6. Sydera cum sint splendida, & emissa ad vtilitates, obaudiunt. Et dicitur, Cœli, pluraliter: quia creditur ibi fuisse Angelus, qui venerat de cœlo Empyreo: stella naturaliter de sydereo, & positione erat in aëreo. Vel secundum quod significatur quod semper fit. *Cœli* materiales ad literam enarrant gloriam Dei. Hieronymus, Quia Creator ex creatura agnoscitur. Ad *Rom.* 1. Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sed secundum hoc, quare magis dicit de cœlis quam de aliis creaturis? Respõsio. Tam multa, vt puta, genera linguarum sunt in hoc mundo, vt nihil omnino sine voce sit: sed huiusmodi creaturæ superiores nobiliores sunt quam inferiores, & ideò illi qui est in fine nobilitatis similiores: & propter hoc familiarius & expressius ipsum quodãmodo eloquẽtes *Ps.* Mirabilis in altis Dominus. *Luc.* 2. Gloria in altissimis Deo. Et dicit, Cœli, pluraliter, propter aëreum, sydereum, Empyreum, & enarrant voce ad literam, ad auditum. Empyreum si ibi est laus vocalis, hoc planum est. 2. ad *Corinth.* 12. dicit raptus ad illud, Audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui. Sydereum: quia secundum aliquos Philosophos, ibi est sonus harmonicus. Et Ambrosius in hexam. Motu & impulsu orbium dicunt dulcissimam fieri melodiam, superegredientem omnem musici carminis suauitatem, quamuis huic Aristoteles contradicat in libro de cœlo & mundo. Cœlum aëreum: quia in sua inferiori parte cantant homines, & ipsæ nostræ voces aër sunt. Vox est aëris tenuissimus ictus. In superstitio superiori: quia *Matth.* 3. & 17. Et vox de cœlo facta est: Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui. Et *Ioan.* 12. Venit ergo vox de cœlo dicens: Et clarificaui, & iterum clarificabo. Ecce gloria quasi claria in intermedio: quia ibi canunt aues & Deum laudant: vnde alauda à laude dicitur.

Multiplex cœlum gloriam Dei enarrat.

Apostoli mystice cœli.

Mystice cœli Apostoli. Cœlum enim idem est quod casa helios, hoc est, habitatio Dei, quales ipsi erant. Audi cœlum. 2. ad *Corinth.* 13. An experimentum quæritis eius, qui loquitur in me, Christus? Plures autem rationes quare dicti sunt cæli, positæ sunt suprà super illud, Videbo cœlos tuos. Sed hi *cœli enarrant*: in quo notantur quinque quæ enarrant. Doctrinæ simplicitas, quia non disputant, sed prædicant, contra illos qui non quærunt nisi contendere disputando, nunquam volunt prædicare. 2. *Timoth.* 2. Noli verbis contendere. Ad nihil enim vtile est nisi ad subuersionem audientium.

Quinque notanda in laude cœlorum.

cium. Et ipſius veritas & authoritas non probatur prædicatione, ſed ſupponitur tanquam principium, & dictum à ſummo magiſtrorum. *Ioan.*13. Ego ſum via, veritas, & vita, dicit doctor huius ſcientiæ. Via in qua nihil erroris, veritas in qua nihil falſitatis, vita in qua quicquid eſt, totum eſt ſaluti. *Auguſt. ſuper Geneſ. ad literam*, Maior eſt huius ſcripturæ authoritas, quam humani ingenij capacitas. Per additam præpoſitionem vel compoſitionem tria notantur in Prædicatoribus. Vitæ ſanctitas: enarrare enim eſt, quod apud ſe eſt, aliis extra ſe narrare: quod competit facientibus quod dicunt. Ad *Rom.*15. Non audeo aliquid eorum eloqui, quæ per me non efficit Chriſtus. Contra illos quibus dicitur ad *Rom.* 2. Qui alium doces, cur teipſum non doces. Notatur etiam prædicandi audacia. *Act.*9. Vas electionis mihi eſt iſte, vt portet nomen meum coram regibus, & principibus, & filiis Iſraël. Et quia in ipſis dilatata charitas interius, extra effuderat quod intus habet. Ad *Rom.*1. Græcis & Barbaris, ſapientibus & incipiẽtibus debitor ſum. Illi enarrant gloriam Dei multiplicem. Diuinitatis: prædicauerunt enim per totũ mundũ Deum verum. *Num.*14. de hac gloria: Viuo ego dicit Dominus, quia vniuerſa terra replebitur gloria Domini. Item ipſum Chriſtũ, qui eſt gloria Dei Patris. *Prouerb.*10. Gloria patris filius ſapiens. Vel gloriam, peccatorum remiſſionem in nomine Chriſti. Ad *Rom.* 3. Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Vel gloriam, glorioſam eius operationem miraculorum. *Ioan.*1. Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre.

Cur prædicatores dicuntur cœli & firmamentum.

Et opera manuum eius. Quaſi diceret: Sic enarrant cœli, *& firmamentum* ipſum, qui & cœli dicti ſunt: ſed cœli propter vitæ altitudinem, propter Dei continentiam, propter contemplationis ſerenitatem: firmamentum propter conſtantiam in fide, conſtantiam in prædicatione, ſoliditatem in victus auſteritate, ne effluerent per carnalia deſideria, quæ omnia habuerunt à Chriſto. *Pſal.* Verbo Domini cœli firmati ſunt. Hoc eſt firmamentum de quo *Geneſ.*1. Fiat firmamentum in medio aquarum, humanarum ſcilicet generationum. *Apoc.* 17. Aquæ quas vidiſti, populi ſunt, & linguæ.

Annuntiat opera manuum eius. Paſſionem ſcilicet: die enim qua paſſus eſt, multum laborem ſuſtinuerunt manus eius. *Iſa.*43. Laborare me feciſtis in peccatis veſtris. *Iſa.*5. Cithara & lyra & tympanum, & vinum in conuiuiis veſtris, & opus Domini non reſpicitis. Et notandum, quòd ſicut non poterant enarrare gloriam Dei niſi alti, ſic nec eius opera, ſcilicet paſſionem niſi firmamentum: quia Iudæi ſcandalizabantur, Gentes ſtultitiam reputabant. 1. ad *Cor.*1. Prædicamus Chriſtum, & hunc crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam. Vel opera manuum eius appellat generaliter, quæ ſunt plura. Primò opera creationis, quæ ſunt triplicia. Creationis propriè, diſtinctionis, & ornatus, de quibus omnibus *Gen.*1. Recreationis, quæ ſunt Conceptio, Natiuitas, Prædicatio, Paſſio, Reſurrectio, Aſcenſio, & Spiritus ſancti miſſio, de quibus omnibus in Euangeliis. Propagationis. *Ioan.*5. Pater meus vſque modo operatur, & ego operor. Æternæ retributionis. *Iſa.*64. Oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te. Et dicit, cœli, pluraliter, & firmamentum ſingulariter: quia multi vnum facti ſunt per gratiam confirmantem. *Act.*4. Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.

Dies diei eructat verbum. Hîc ſecundum, in quo determinato qui, & quid prædicant, oſtenditur quomodo prædicant, & dicuntur duo. Primò quam diſcretè. Secundò quam mirificè. *Non ſunt loquelæ.* In prima duo. Primò, quòd maioribus magna, perfectis perfecta. Secundò, quòd minoribus minora, imperfectis imperfecta. *Et nox nocti.* Ait ergo: Tales tale quid prædicant, & quomodo? *Dies*, id eſt, Apoſtolorum cœtus lucens bona vita & doctrina, & à vero ſole Chriſto illuminata. Hæc eſt dies duodecim horarum. *Ioan.*12. Nonne duodecim horæ ſunt diei? Singulæ horæ ſinguli Apoſtoli. *Diei*, id eſt, ſpiritualibus & perfectis à Dei ſapientia illuſtratis, *eructat verbum*, id eſt, Chriſtum ſecundum diuinitatem, inquantum eſt Dei verbum & principium cum Patre, & Deus apud Deum. *Ioan.*1.1. ad *Cor.*2. Sapientiam loquimur inter perfectos, in doctrina ſpiritus, ſpiritualia ſpiritualibus operantes. In eructatione autem duo notantur. Sancti ſpiritus copia, & ſcientiæ plenitudo. *Act.*2. Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, ecce primum. Et cœperunt loqui, ecce ſecundum. *Matth.*12. Ex abundantia cordis os loquitur. Poëta,

3. *Prædicationis modus diſcretus & mirabilis.*

Fœcundi calices quem non fecere diſertum.

Dicebatur enim, quòd erant ebrij. *Act.*2. Verè ebrij quantum ad perfectos, quibus ſecretiſſima eructabant. *Prouerb.* 30. Nullum ſecretum vbi regnat ebrietas.

Et nox, ipſimet tanquam rudes effecti, & rudibus & tenebroſis conformati, *indicat ſcientiam*, doctrinam ſcilicet ſimpliciorem, de humanitate Chriſti. *Nocti*, ſimplicioribus ſcilicet, & imperfectis. Simplices quaſi nox ſunt. Ad *Epheſ.*2. Eratis aliquando tenebræ. Talibus eſt loquendum ſimpliciter. 1. ad *Cor.*3. Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. 2. ad *Corinth.*9. Factus ſum infirmus infirmis, vt infirmos lucrifaciam. 1. ad *Cor.* 5. de vtroque, Siue mente excedimus Deo, ſiue ſobrij ſumus nobis. Nox ergo dicuntur Prædicatores propter infirmitatis propriæ recognitionem. *Iſa.*50. Induam cœlos tenebris. Propter tribulationum patientiam. 2. ad *Cor.*4. In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur. Propter mentis compaſſionem. Ad *Roman.* 9. Optabam ego anathema eſſe pro fratribus meis. Propter condeſcenſionem, ſicut dictum eſt ſuprà, Infirmus factus ſum infirmis, &c.

Non ſunt loquelæ. Hîc oſtendit quam mirificè, & hoc eſt ex duobus. Primò, quia in omni lingua. Secundò: quia in omni terra prædicauerunt, ibi, *In omnem terram.* In prima duo. Primò, quia in omni lingua quantum ad modum idiomatis & ſubſtantiam. Secundò, quia in omni modo illius linguæ. Eadem enim lingua differentes modos habet frequenter, quod notatur in hoc quod dicit, *Neque ſermones.* Ait ergo: Sic prædicant diſcrete: Et *non ſunt loquelæ*, id eſt, linguæ: *neque ſermones*, id eſt, modi loquendi differentes in eadem lingua,

4. *Miracula prædicationis duo.*

quorum

quorum linguarum & ſermonum *non audiantur voces eorum* ſimiles. Simile enim genitiuo conſtruitur ſicut & datiuo, quamuis frequentiùs datiuo, maxime in conſtructionibus tractis à Græcis qui genitiuo vtuntur pro ablatiuo. *Act.*2. Audiebat vnuſquiſque lingua ſua illos loquentes. Quos illos? tales prædictos. Mirabile eſt cœlos omnibus linguis vti. *Iſa.*32. Lingua balborum velociter loquitur, & planè. Et 28. In loquela labij, & lingua altera loquetur ad populum iſtum. Et hoc recte: diuiſæ enim fuerunt linguæ, vt male concordes in ædificatione turris Babel diuiderentur. *Geneſ.*11. Ergo reſtabat vt diuiſæ male in errores infidelitatis & vitium, ad bonum mutarentur. *Sophon. vlt.* In igne zeli mei deuorabitur terra omnis, & reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & ſeruiant ei humero vno.

Miraculum linguarum variè explicatum

Quomodo autem à prædicantibus hoc fieret, à diuerſis diuerſimodè aſſignatur. Quidam dicunt, quòd omnes linguas ſciebant & loqui & intelligere, tamen in vna ſola prædicabant in actu. Sed tunc ſi diuiſæ eſſent in ſermone linguæ, oportuiſſet eum ſermonem multoties repetere. Alij, quòd tantum vnam linguam ſciebant, & alia loquentes ſola vox delata ad aures auditorum conuertebatur in propriam linguam. Et hoc miniſterio Angelorum, vel virtute Dei mutantis in vocem propriam vniuſcuiuſque. Sed tunc quomodo in publicis loquutionibus quærebant neceſſaria? Nunquid in propriis linguis eorum ad quos loquebantur. Propter hoc credimus tertium confectum ex duobus, quia vtrumque poterant, & omnem linguam ſciebant, intelligebant, & loquebantur, & in ſermonibus, in qua volebant loquebantur. Et illa virtute, diuina ſcilicet, ſingulorum intelligentiam ſignificabat eis, ſicut de manna in deſerto. *Sapient.*16. Panem de cœlo, &c. Sic ſonus campanæ diuerſa ſonat, diuerſa cogitantibus, & huic ſententiæ Magiſter videtur conſentire tractatu ſuper ſecundum Actuum.

5. *In omnem terram.* Hìc oſtenditur, quòd in omni terra prædicauerunt, tam lata fuit eorum prædicatio: & oſtenditur latitudo hæc in duobus. Primò enim tangitur prædicationis latitudo. Secundò ipſius efficacia & virtus. *Et in fines.* Ait ergo. Ita diſcretè prædicauerunt, & latè, quia *in omnem terram*, id eſt, in omni mundi ambitu, in omni climate terræ habitabilis, *exiuit ſonus eorum*, prædicatio & fama miraculorum quæ faciebant. *Pſal.* & *Iſa.*12. Annuntiate hoc in vniuerſa terra. *Matth. vlt.* & *Marc.* Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante, &c.

Et in fines orbis terræ. Ex quo relinquitur, quod & in medio, *verba eorum*, id eſt, prædicationis illorum efficacia. Sonus enim dicit quid indiſtinctum: vnde ſignificat quaſi confuſum, ſed verbum ſonat diſtinctionem: vnde ſonat prædicationem formatam & efficacem. *Iſa.*27. Qui egredientur impetu à Iacob, implebunt faciem orbis ſemine. Et nota moraliter, quod terra eſt peccatorum. *Eccleſ.*10. Quid ſuperbis terra & cinis? Vnde omnis terra ille malus ternarius, de quo 1.*Ioan.*2. Quicquid eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, &c. *Ierem.*22. Terra, terra, terra audi ſermonem Domini. In omnem hanc terram exiuit ſonus prædicationis: quia aure tantum audiunt, vnde non eſt eis niſi ſonus: corde non percipiunt. *Iſa.*6. Audite audientes, & nolite intelligere. Fines orbis terræ ſunt, qui extra mundum ſunt, in quibus non ſunt prædicta tria, ſcilicet boni, qui Deum metuunt. *Pſal.* Metuant Dominum omnes fines terræ. Hi audiunt verba: quia ſenſum prædicationis percipiunt, & in ſe ſentiunt. *Eccleſ.*43. Omnia autem fecit Dominus, & piè agentibus dedit ſapientiam. *Matth.*11. Abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.

Argumentũ prædicationis vtiliſſimum, myſteria quinque Chriſti.

In ſole poſuit. Hic ſecundum. Determinatis conditionibus ex parte prædicantium, ſubiunguntur conditiones ex parte rei prædicatæ. Sed quia res prædicatæ bonæ ſunt valdè & vtiles toti mundo, dicuntur duo. Primò conditiones ex parte rei prædicatæ. Secundò recommendatio Euangelij & prædicantionis talium, ibi, *Lex Domini immaculata.* In prima parte quinque ſecundum quinque conditiones, quæ concurrunt ex parte rei prædicatæ. Prima eſt incarnatio quæ facta eſt in aſſumptione humanæ naturæ. Secunda, natiuitas. *Et ipſe tanquam ſponſus.* Tertia, voluntaria paſſio. *Exultauit vt gigas.* Quarta, aſcenſio. *Et occurſus.* Quinta & vltima, Spiritus ſancti miſſio, vel reuerſio eius ad iudicium, ibi, *Non eſt qui ſe abſcondat à calore eius.* Dicit ergo: Tales prædicauerunt, & tale quid, & tali modo, ſed prædicata diſtinguo. Primum, quia *in ſole poſuit tabernaculum.* Tabernaculum appellat Chriſti corpus: ſolem in quo poſitum fuit, pectus Virgineum. Tabernaculum ergo eſt corpus humanum. 2.ad *Corinth.*5. Quandiu ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati. Hoc ergo tabernaculum, corpus ſcilicet Chriſti contexuit Spiritus ſanctus ex purpureis & puriſſimis ſanguinibus Virginis tanquam ex pulcherrimis filis: & poſuit in ſole, in ipſa Virgine, quæ ſol dicitur. *Cant.*6. Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol? Sic poſitum eſt in ſole in conceptione, ſed & in natiuitate quando mundo apparuit, poſitum eſt in ſole. Sol enim lucet & vrit & tempora diſtinguit: & Chriſti corpus in ſole lucente poſitum eſt, quia in aperto. *Iſa.*40. Videbit omnis caro quod os Domini loquutum eſt. *Matth.*5. Nemo accendit lucernam & ponit eam ſub modio, ſed ſuper cẽdelabrum vt luceat omnibus qui in domo ſunt. Poſitum eſt in ardore tribulationum: ſol enim vrit. *Eccleſ.* 43. Sol tripliciter exurens montes. Suſtinuit enim æſtum laborum & tribulationum, & in hoc ſeipſum poſuit. *Iſa.*53. Oblatus eſt quia ipſe voluit. *Iacob.*1. Ortus eſt ſol cum ardore & arefecit fænum, & flos eius decidit, & decor eius deperiit. Flos enim decidit in mõte. *Iſa.*40. Omnis caro fœnum. Et decor deperiit, quando ſpecioſus forma præ filiis hominum totus expalluit. *Iſa.*53. Non eſt ſpecies neque decor. Item tempora diſtinguit. *Geneſ.*1. De ſole & luna, & ſtellis, Erunt, inquit, in ſigna, & tempora,

Chriſti incarnatio.

Natiuitas.

Paſſio.

tempora,& dies, & annos. Tabernaculum ergo in ſole poſuit, quia corpus mutabilitati temporum ſubiecit, ſicut noſtra ſubiecta ſunt. *Bar.*6. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Et etiam ſicut homines, ad *Hebr.* 2. Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit: vnde fratribus debuit per omnia ſimilari.

Et ipſe tanquam ſponſus. Ecce ſecundum, in quo tangitur beneficium & gratia natiuitatis. Quaſi diceret: Sic carnem de Virgine accepit, & hoc enarrant cœli, & hoc etiam quod ipſe *tanquam ſponſus* fuit *procedens de thalamo ſuo*, de Virginis vtero. Nota ergo, quòd ſponſus, ſecundum *Caſſiod.* dicitur à ſpondendo. Verbum ergo, ſcilicet Dei filius toties promiſſum, rectè dicitur ſponſus. Sed ſponſa ſecundum *Auguſt.* & *Hieron.* natura eſt humana inſeparabiliter verbo vnita. *Eſther.*3. Eſther eſt quam rex accepit vxorem, & voluit eſſe reginam. Eſther interpretatur exaltata. Nec potuit plus exaltari humana natura, nec glorioſiùs maritari. *Pſal.* Et cum gloria ſuſcepiſti. De hac deſponſatione & matrimonio *Geneſ.* 28. Dixit Iſaac filio ſuo Iacob: Noli accipere coniugem degenere Chanaam, poſſidentis domum, id eſt, de natura Angelorum domum cœli poſſidentium. Ad *Hebr.* 2. Nuſquam Angelos apprehendit: ſed vade proficiſcere in Meſopotamiam Syriæ. Meſopotamia eleuata, Syria ſublimis, id eſt, ad naturam humanam ſublimiter eleuandam in hoc coniugio. Et tangitur duplex ſublimatio propter animam & carnem, & non ad quemlibet de Meſopotamia, ſed ad domum Bathuel, quod interpretatur virgo Dei, ſcilicet ad Mariam, & accipe tibi vxorem de filiabus Labam, candidationis ſcilicet, hoc eſt, de puriſſimis & mundiſſimis ſanguinibus Virginis. Ecce ſponſus cum ſua ſponſa. Thalamus, Virginis vterus in quo cum ſua ſponſa manſit nouem menſibus. *Deut.*33. Beniamin, amantiſſimus Domini, tota die quaſi in thalamo ſuo morabitur: & exiuit in natiuitate. Intrauit thalamum iſtum ſponſus noſter candidus *Sap.*7. Candor lucis æternæ & ſpeculum ſine macula. Sed exiuit quaſi verecundus ſponſus rubicundus, carne ſcilicet indutus & ſanguine. Candidus propter diuinitatem, rubicundus propter aſſumptum ſanguinem. *Cant.* 5. Dilectus meus candidus & rubicundus.

Coniugium humanitatis cum Deo.

Exultauit vt gigas. Hîc tertium, in quo ponitur beneficium & gratia paſſionis, & tanguntur duo. Primò hilaris ſuſtinentia paſſionum. Secundò, probatio, quòd voluntariè illas ſuſtinuit, ibi, *A ſummo cœlo.* Dicit ergo: Sic conceptus & natus, & poſt hoc *exultauit vt gigas*, non contriſtatus, paratus, ſup. *ad currendam*, pertranſeundam *viam*, omnem tribulationem & miſeriam, & hoc *vt gigas*, ſcilicet fortiter. Tria ergo notantur hîc in Chriſto, quæ neceſſaria ſunt iuſto in tribulatione. Primum lætitia & hilaritas. Hoc notatur in hoc, *Exultauit.* Et fuit in Chriſto. *Iſa.*42. Non erit triſtis nec turbulentus. Nec eſt contrarium illud *Matth.*26. Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem: quia loquitur de triſtitia propaſſione, hîc loquitur de lætitia in ratione. Et hoc debet eſſe in iuſto. Similiter *Pſal.* Eduxit populum ſuum in exultatione. *Prouerb.* 12. Non contriſtabit iuſtum quicquid ei acciderit. Item neceſſaria eſt fortitudo & infatigabilitas, quod notatur in hoc quod dicit, vt gigas. Et hoc fuit in Chriſto. *Sapient.* 8. Attingit enim à fine vſque ad finem fortiter. Et præmiſſum eſt, Sapientia vincit malitiam, pœnæ. Attingit à natiuitate vſque ad mortem fortiter. Sic & iuſtus debet fortiter omnia vincere. Ad *Hebr.*12. Non fatigemini animis veſtris deficientes. *Apoc.*2. Suſtinuiſti propter nomen meum, & non defeciſti. Item neceſſaria eſt velocitas: vnde, *ad currendam viam.* Et hoc in Chriſto. *Pſal.* Sine iniquitate cucurri & direxi, paratus multum ad currendum pluſquam poſſumus eſſe: quia onus peccati omninò non habebat. Currere tamen debet iuſtus. Ad *Hebr.* 12. Per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum. Et ad *Hebr.* 4. Feſtinemus ingredi in illam requiem. Currentem enim tam velociter Chriſtum apprehendere non poteris, niſi citò concurreris. Et quid valet ſequi, ſi non contingat aſſequi? 1. ad *Corinth.*9. Sic currite vt comprehendatis. Quod autem tribulatio & miſeria ſit via, ſatis oſtendit Dominus *Matth.*7. Arcta eſt via quæ ducit ad vitam.

Tria in Chriſto iuſtis imitanda, lætitia, fortitudo, velocitas.

A ſummo cœlo. Hîc eſt ſecundum. Sic hilariter & fortiter & velociter curret per viam paſſionum, & non propter hoc quod neceſſe habebat, quia *à ſummo cœlo egreſſio eius*, non ab aëreo, non à ſydereo, non ab empyreo, ſed à ſummo inuiſibili, ſcilicet maieſtate Patris, in qua latebat & celabatur. *Ioan.* 1. Vnigenitus filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe annuntiauit nobis. *Ioan.* 16. Exiui à Patre & veni in mundum. Hic eſt egreſſus temporalis, de quo *Iſa.*43. Propter Sion non tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcam donec egrediatur vt ſplendor iuſtus eius. Sed eſt egreſſus æternus de Patre, de quo *Mich.*5. Et egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis. 7.

Et occurſus eius. Hîc eſt quartum, ſcilicet gratia & beneficium Aſcenſionis: non enim modicum beneficium fuit inferre naturam humanam cœlo. Dicit ergo: Sic egreſſus eſt à ſummo cœlo: *Et occurſus eius* iterum redeundo *vſque ad ſummum eius*, inquantum Deus recurrit *vſque ad ſummum.* Quia ſicut ante incarnationem latebat in ſummo cœlo in ſinu Patris, ſed deſcendit, quando in carne viſibilis apparuit, ſic vſque ad ſummum cœlum videtur occurriſſe, quia tantum ad hoc vt humanos lateat oculos, & quaſi in ſinu iterum ſe abſconderit. Quantum autem ad humanam naturam dicitur aſcendiſſe, quia ſuper omnem creaturam locatus dignitate, ſeſſione in ſummo empyrei. *Ioan.*16. Exiui à Patre, & veni in mundum, & vado ad Patrem. Et nota, quòd loquens de deſcenſu, dixit egreſſus, hîc autem loquens de aſcenſione dicit occurſum, in quo notatur quaſi cum maiori velocitate aſcendiſſe quam deſcendiſſe, vt innuat quod ad naturalem ſuum locum redibat, ſcilicet ad Patris ſinum. Naturaliter autem vnumquodque ad locum proprium tendit velocius, quàm ad alienum: fons enim tantum poteſt aſcendere, quantum deſcendit ab origine. *Eccleſ.* 1. Fons ſapientiæ

verbum

verbum Dei in excelſis. *Eccleſ.* 1. Oritur ſol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur. Et in eodem, Ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur vt iterum fluant. Hîc docemur promptiores eſſe ad contemplationem, & ad conuerſandum cum pio Patre in cœlo, quàm ad actiuam, & conuerſandum cum fratribus in terra. Ad *Philip.* 1. Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto, multo magis melius: permanere autem in carne, neceſſarium propter vos.

Quintũ myſterium, miſſio Spiritus ſancti.

Nec eſt qui ſe abſcondat. Hîc eſt quintum beneficium, ſcilicet miſſionis Spiritus ſancti. Ait enim: Sic aſcendit: nec fuit vllus omnium congregatorum in cœnaculo in Ieruſalem, qui ſe abſconderet à calore eius, id eſt, à Spiritu ſancto, qui calor eſt per effectum. *Iob* 28. Lapis frigidus, ſcilicet peccator, calore Spiritus ſancti ſolutus, in æs vertitur, Prædicator ſonorus efficitur: nec enim calor tantum, imò ignis. *Luc.* 12. Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur? Et nota, quòd hunc calorem nullus euadit quem non inueniat. 1. ad *Corinth.* 3. Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Nullus poteſt ſe abſcondere, quin percipiat aliquid de calore iſto. 1. ad *Corinth.* 12. Diuiſiones gratiarum ſunt, alij datur ſermo ſapientiæ, &c. *Luc.* 6. Ipſe benignus eſt ſuper bonos & ſuper malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Et ſicut dicit *Hieronymus*, Nullus eſt, qui non habeat ſemina intellectus Dei. *Iob* 36. Omnes homines vident eum: vnuſquiſque intuebitur eum.

Effectus ignis Spiritus ſancti.

Ex dictis poteſt colligi, quòd hic ardor calefacit. *Pſal.* Concaluit cor meum intra me, &c. Penetrat. *Eccleſ.* 24. Penetrabo omnes inferiores partes terræ. Immutat, hominem ſpoliate omnibus veſtimentis temporalium. *Iob* 38. Nunquid calida ſunt veſtimenta tua, vt cogaris illa deponere cum perflata fuerit terra auſtro? Securitatem dat. 2. *Eſdr.* 8. Non aperientur portæ Ieruſalem vſque ad calorem ſolis, quaſi dicat, tantum poterant.

8.

Secunda pars Pſalmi.

Lex Domini immaculata. Hîc eſt ſecundum, ſcilicet commendatio prædicationis talium, id eſt, rei quam prædicabunt: & dicuntur duo. Primò commendat in generali. Secundò ſpecificat, ibi, *Teſtimonium Domini.* Commendatur autem in generali à duobus. A mundatione ſeu conuerſione à malo. Secundò à conuerſione animarum ad bonum. *Conuertens animas.* Dicit ergo: Sic prædicabunt & talia & verè & benè: quia *lex Domini immaculata* in effectu, & legitur in Gloſſa de triplici lege. Primò Spiritus ſanctus dicitur lex; quia per ipſum ſcripta eſt lex. 2. *Reg.* 23. Spiritus Domini loquutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam. Item lex Chriſtus ſecundum *Auguſt.* eadem ratione. 2. ad *Corinth. vlt.* An experimentum quæritis eius qui loquitur in me Chriſtus? Item de lege Moyſi ſecundum *Caſſiodor.* Lex Moſaïca irreprehenſibilis, quia non eſt à Chriſto reprehenſa, ſed magis adimpleta. *Matth.* 5. Non veni ſoluere legem, ſed adimplere. *Immaculata*, à malo retrahendo. *Exod.* 20. Non occides, non furaberis, non concupiſces, & talia plura. *Ioan.* 5. Iam vos mundi eſtis propter ſermonem quem loquutus ſum vobis.

Triplex lex, Spiritus ſanctus, Chriſtus, vetus Teſtamentũ.

Conuertens animas, ad bonum, quas videt auerſas. *Thren.* 3. Expandit rete pedibus meis, conuertit me retrorſum: errantem enim à Deo corrigit & dirigit. *Pſal.* In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam, &c.

Quadruplex legis nomen.

Teſtimonium Domini. Hîc ſpecificat per quatuor quæ tangit, *teſtimonium* quod reſpicit propriè ad credendum: iuſtitias, quæ ad præmia & promiſſa, ibi, *Iuſtitiæ Domini.* Præceptum, quod reſpicit ad agenda, ibi, *Præceptum Domini.* Iudicia, quæ reſpiciunt ad cauenda, & pertinent ad timorem, & de iis ibi, *Timor Domini.* Dicit ergo: Sic bona eſt lex, quia *teſtimonium Domini fidele* in ſe dignum cui credatur omnino. *Pſal.* Fidelis Dominus in omnibus viis ſuis. Et alibi, Quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita. *Num.* 23. Non eſt Deus vt homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur. 1. *Ioan. vlt.* Si teſtimonium Dei accipimus, teſtimonium Deo maius eſt. Et in *Pſal.* Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.

Sapientiam præſtans paruulis. Specificat in quo, & reſpectu quorum eſt illa fidelitas, quia de diuinis eſt, & paruulis. Sapientia enim de diuinis eſt: ſed teſtimonio Dei per Scripturas, imbuuntur in illa paruuli, rudes ſcilicet & indocti, qui non poſſunt aſſurgere ad capiendum magna. 1. ad *Corinth.* 3. Tanquam paruulis in Chriſto lac potum dedi vobis, non eſcam. Quaſi diceret: Tantæ vtilitatis eſt teſtimonium, tam fidele, vt etiam de ſummis certitudinem faciat rudibus ipſis. *Prouerb.* 14. Doctrina prudentum facilis. Vel *ſapientiam præſtans paruulis*, id eſt, humilibus. *Prouerb.* 11. Vbi humilitas, ibi ſapientia. *Gregor. in Moral.* Eum quem non inuenit humilem veritas fugit. *Matth.* 11. Abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.

Iuſtitiæ Domini. Hîc commendat legem quantum ad iuſtitias, quæ reſpiciunt ad promiſſa, & commendantur iuſtitiæ à duobus. A rectitudine quam promittunt, & reddunt ſecundum merita. Secundò à cauſalitate lætitiæ in illis quibus fiunt promiſſa. *Lætificantes corda.* Ait ergo: Talia ſunt teſtimonia, vel tale teſtimonium, quod dicitur in ſingulari: quia reſpicit ad fidem quæ vna eſt, vnus Dominus, & vna fides. Sed *iuſtitiæ Domini*, quæ dicuntur in plurali: quia reſpiciunt diuerſa diuerſorum merita, *rectæ*, vnicuique ſecundum quod meruerit promittentes, quod rectum eſt. *Pſal.* Reddet vnicuique iuxta opera ſua. *Iſa.* 27. In menſura iuxta menſuram, cum abiecta fuerit, iudicabis eam. Et *Luc.* 6. In qua menſura menſi fueritis, &c. *Rectæ* etiam in affectu, quia affectum per prauitatem diſtortum dirigunt. *Prouerb.* 8. Iuſti ſunt ſermones mei, & non eſt in eis prauum quid. Propter hoc dicit *Pſal.* Dirige greſſus meos ſecundum eloquium tuum. *Lætificantes corda* bonorum, cum audiunt promiſſa bona. *Prouerb.* 12. Sermone bono cor lætabitur. *Pſal.* Lætabor ego ſuper eloquia tua, &c. Ipſum enim regnum æternum promittunt. *Matth.* 5. Beati pauperes ſpiriru: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Iuſtitiæ etiam dici poſſunt pœnæ de iuſtitia Dei in præſenti inflictæ. Hæ lætificant, quia per has expectant vindicari in ſe quod male geſſerunt. *Pſal.* Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam. *Iob* 6. Et

9.

hoc ſit conſolatio mea, vt affligens me dolore non parcat.

Præceptum Domini lucidum. Hîc tertium, commendatio præceptorum quæ reſpiciunt operanda, ad quæ allicimur per promiſſa: & oſtenditur qualia formaliter, quia lucida, quia bona finaliter, *Illuminans*. Dicit ergo: Tale teſtimonium, tales iuſtitiæ nec tantummodo vt habeantur promiſſa: quia *præceptum Domini*, à Domino datum, eſt *lucidum*. Præceptum dicit in ſingulari, vt oſtendat omnia reduci ad vnum amorem Dei. Omnia enim ad duo reducuntur, ſicut dicit Dominus *Matth.*22. In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & Prophetæ. Et illa duo ad vnum, quia dilectio proximi ad dilectionem Dei. Diligere enim proximum, eſt diligere Deum in proximo, & menſuratur dilectio proximi, quaſi ad menſuram dilectionis Dei, quâ dilexit nos. Hoc eſt mandatum vel præceptum, de quo *Ioan.*15. Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos. Hoc præceptum eſt lucidum valdè, nullum falſum continet. Quis neſciat proximum eſſe diligendum? omne malum prohibet. Hæc eſt ſapientia, de qua *Sap.*6. Clara eſt, & quæ nunquam marceſcit ſapientia. Et dicitur lucidum, quia habet in ſe duo. Receptium luminis, ſiue lucis. Et ipſum lumen quod recipit. Receptiuus eſt amor naturalis, qui ſic eſt ordinatus à Deo, illuſtratus eſt, & eſt charitas ſui, aut cupiditas, illuſtratus, dico, ab illo, de quo *Iacob.*1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.

Illuminans oculos. Ecce finis & vtilitas. Oculos, inquam, cordis. *Prouerb.* 6. Mandatum lucerna eſt, & eſt lux. 1. *Ioan.* 1. Qui diligit fratrem ſuum, in lumine manet. Hoc eſt mandatum, ſicut dicit *Gloſſa*, non obiectum ſicut Moyſi figuralibus ceremoniis. *Exod.*34. Operiebat Moyſes faciem ſuam, ſi quando loquebatur ad eos. Non obtundens, ſicut & illud Moſaycum. 1. ad *Corinth.*3. Non poterant filij Iſraël reſpicere in faciem Moyſi propter gloriam vultus eius. Sed de noſtro *Eccleſiaſt.*2. Diligite Deum, & illuminabuntur corda veſtra.

10. *Timor Domini.* Hîc eſt quartum, in quo ſubiungitur iudiciorum commendatio. Sed quia timor eſt effectus iudiciorum Dei quæ determinantur in Scripturis, primò ponitur commendatio timoris, tanquam commendatio iudiciorum in effectu ſuo. Secundò commendatio illorum in ſe. *Iudicia Domini.* In prima duo. Primò commendat timorem quaſi à virtute. Secundò à duratione. *Permanet in ſæculum.* Ait ergo: Tale teſtimonium, tales iuſtitiæ, & præceptum, & timor à Deo datus, vel de Deo habitus, *ſanctus eſt.* Et nota, quòd eſt timor multiplex. Naturalis, qui eſt duplex. Propaſſionis, quo nullo modo turbatur oculus rationis. Hic fuit in Chriſto. *Marc.* 14. Cœpit IESVS pauere, & tædere. Paſſionis, quo turbatur ratio, ſed ad tempus & modicum: maximè quando quid valde moleſtum vel admirabile occurrit, ſicut in Martyribus cum occidebantur, in Sanctis cum cogitant Dei iudicia. *Abac.*4. Conſideraui opera tua, & expaui. Humanus, quo quis vult peccare ne lædatur in corpore: & hic prohibetur. *Matth.* 10. Nolite timere eos qui occidunt corpus. Mundanus, qui eligit peccare ne lædatur in poſſeſſione. *Pſal.* Illic trepidauerunt timore vbi non erat timor. Seruilis, vbi timetur pœna, non amatur iuſtitia. 1. *Ioan.* 4. Timor non eſt in charitate. Initialis, quo amatur principaliter iuſtitia, & tamen ſecundariò timetur pœna. 1. *Ioan.*4. Perfecta charitas foras mittit timorem. Filialis ad patrem. Caſtus ad ſponſum. *Ioan.*26. Columnæ cœli pauent, & contremiſcunt ad nutum eius. Et hic propriè ſanctus dicitur, & eſt eius effectus triplex. Timere offenſam, ſeparationem, & exhibere reuerentiam.

Timor multiplex.

Caſti timoris triplex fructus & actus qui manet, in patria, actus reuerentiæ.

Cum ergo dicit: *Timor Domini*, excludit primum & ſecundum, qui non ſunt Dei, ſed naturæ, & carnis: & tertium qui eſt mundi, cum dicit, *Sanctus*. Excludit ſimiliter ſeruilem qui non eſt ſanctus, imo ſecum non compatitur charitatem quæ propriè Sanctos facit. Per hoc autem quod addit, *Permanet in ſæculum ſæculi*, id eſt, in æterna vita, excludit initialem, & caſtum quantum ad omnem actum ſui, præterquam ad actum reuerentiæ, & iſte manet in patria, nec habet pœnam, imò magis voluptatem. Gloſſa dicit, quod permanet quantum ad fructum ſuum: vel permanet in ſe quandoque vſque ad finem vitæ: ſecundum illud *Tob.*1. immobilis in Dei timore permanſit. De hoc timore *Eccleſ.* 40. In timore Domini non eſt minoratio. Et infrà, Timor Domini ſicut paradiſus benedictionis, & ſuper omnem gloriam operuerunt illum.

Iudicia Domini vera. Hîc commendat iudicia: & dupliciter, quia ſine falſitate, & quia ſine errore. Primum in ipſis iudiciis. Secundum in modo, qui attenditur ex parte iudicis. Ait enim: Talis eſt timor: ſed *iudicia Domini* id eſt, à Domino in lege ſua ſcripta, *vera*, nihil habentia falſitatis, *iuſtificata*, nihil erroris habentia. Aliquando enim profertur iudicium falſum intentione bona, & ſic eſt ibi error intellectus. Aliquando quidem profertur iudicium verum, ſed intentio eſt peruerſa, vel inconſideratio in proferente, & tunc error eſt affectus. De his duobus *Sapient.* 6. Cum cæteris miniſtris regni eius non rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem eius, ecce primum: nec ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis, ecce ſecundum. *Deuter.*16. Iuſtè quod iuſtum eſt exequeris: Et hoc habent *in ſemetipſa*, id eſt, veraciter & naturaliter, vt nihil omittatur, nec in proferendo nec in exequendo. *Iſa.*40. Verbum autem Domini manet in æternum. Et 46. Omne conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas meas fiet. Vel *iuſtificata in ſemetipſa*, nulla extrinſeca authoritate indigentia, ſicut humana. Vel *in ſemetipſa*, quia tantæ ſunt profunditatis, vt in ipſis lateat eorum iuſtitia, & vix attingi ab humana ratione poſſit. *Pſal.* Iudicia tua abyſſus multa.

11. *Obedientia legis commendata ab affectu, effectu, & præmio.*

Deſiderabilia ſuper aurum. Hîc ſecundum, in quo poſtquam præceſſit diuinæ legis commendatio in prædicatione, ſubiungitur eiuſdem commendatio in adimpletione. Attenditur autem quantum ad tria. Primò quantum ad

ad amorem in affectu. Secundò quantum ad cuſtodiam in effectu, ibi, *Etenim ſeruus tuus cuſtodit ea.* Tertiò quantum ad retributionem conſequentem ex effectu. *In cuſtodiendis illis.* Dicit ergo : *Deſiderabilia.* Legitur dupliciter hoc, ſecundum quod hæc duo, *Aurum, lapidem* literaliter accipiuntur, & poſteà ſpiritualiter. Primò oſtenditur, quòd præferenda ſunt quæ dicta ſunt omnibus diuitiis. Secundò, quòd omnibus potentiis : Tertiò, quòd omnibus deliciis. Ait enim : Talia ſunt iudicia & ipſa ſunt *deſiderabilia ſuper aurum. Prou.* 3. Pretioſius eſt cunctis opibus aurum, in diuitiis excellit.

Et lapidem pretioſum. Repete, & ſuper *lapidem pretioſum multum*, quod eſt multæ potentiæ, & virtutis, ſunt deſiderabilia multum, & ſic præferuntur potentiis quæ pertinent ad honores. *Iob* 28. Non præferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi ſardonico pretioſiſſimo, vel ſaphiro. De his duobus *Sapient.*7. Diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius, nec comparaui illi lapidem pretioſum.

Et dulciora, affectui & cordis palato, *ſuper mel* liquatum à cera, *& fauum* in ipſa contentum, hoc eſt, ſuper omnes delicias: dulcia enim maximè appetuntur à guſtu. *Pſal.* Quam dulcia faucibus meis eloquia tua : ſuper mel, &c. Sed *Iudicum* 14. dicitur : Quid dulcius melle? Quaſi diceret : Nihil. Et nota, quòd dulcia ſunt eloquia diuina diſcenti, dulciora docenti, ſed dulciſſima facienti. Quid eſt ergo quod pro diuitiis, honoribus, & deliciis tantum laboratur, vt habeantur, & Dei eloquia tam pretioſa, tam dulcia, oblata reſpuuntur, faſtidiuntur? Reſponſio. Infidelitas eſt in cauſa, quia huic Scripturæ non creditur. *Deuter.* 9. Contempſiſtis imperium Domini Dei, & non credidiſtis ei : libentius enim curritur ad conuiuium carnium, quam ad ſcholas Theologiæ, vbi dantur dulciora ſuper mel & fauum, quia non habent homines palatum bene ſanum. *Auguſt.* Vt per aurum & lapidem pretioſum iuſtus intelligatur, qui illa magis diligit quam ſeipſum. Per mel eliquatum à cera, contemplatiuus exutus à curis mundi, per fauum bonus actiuus habens dulcedinem in conuerſatione mundana, qui hæc reputant dulciora, & magis requieſcunt in illis quam in ſeipſis.

Cur eloquia Dei cum ſint dulciſſima, reſpuuntur.

12. *Etenim ſeruus tuus.* Hîc ſubiungitur commendatio quantum ad cuſtodiam in effectu. Ait enim : Tam pretioſa ſunt, *Etenim ſeruus tuus cuſtodit ea*, id eſt, tam bona ſunt vt ſeruum faciant in ſui cuſtodia, tantæ legis vigilem : & ſi verus eſt ſeruus, cuſtodit, aſpectu interiori ſæpius intuendo in illa. *Eccleſ.* 23. Nihil dulcius quam reſpicere in mandatis Dei, affectu illa diligendo. *Sapient.*6. Dilectio, cuſtodia legum illius eſt. Et *Pſal.* Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua, & dilexit ea vehementer, memoria fortiter retinendo. *Deut.* 13. Erit quaſi ſignum in manu tua, & quaſi appenſum quid ante oculos tuos, ob recordationem. *Pſ.* Legem tuũ non ſum oblitus, ore ſæpè prædicando. 2. ad *Tim.*4. Prædica verbum, iuſta, opportunè, importunè. Sed præcipuè & piiſſime operando: aliter enim non valet. *Luc.* 12. Seruus ſciens voluntatem Domini, & non faciens, plagis vapulabit multis. *Iacob.*1. Non auditores legis, iuſti ſunt apud Deum, ſed factores. *Sap.* 6. Cuſtodia legis eſt in conſummatione.

In cuſtodiendis. Hîc commendat quantum ad retributionem. Ait enim ſic : Seruus tuus cuſtodit, nec fruſtrà, quia *in cuſtodiendis illis*, non in diſcendis vel audiendis, *retributio multa* in præſenti. Prima eſt à Deo diligi. *Ioan.* 15. Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea. Et inſuper per gratiam inhabitare. *Ioan.*14. Qui diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, &c. Et per hoc in præſenti beatificari, propter ſecuritatem conſcientiæ. *Prouerb.* 29. Qui cuſtodit legem, beatus eſt. Et vltimo lætificari interius in corde. *Ierem.*15. Factum eſt mihi verbum tuum in gaudium, & lætitiam cordis mei. Et hoc maximum bonum in præſenti. *Eccleſ.* 30. Non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium. Multa ergo retributio in præſenti, ſed in futuro ſumma. *Iſa.* 53. Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & ſaturabitur.

Præmia obedientiæ legis.

Delicta quis intelligit ? Hîc ſecunda pars 13.
Pſalmi, in qua poſtquam commendata eſt Apoſtolorum prædicatio, ſubiungitur oratio Prophetæ, vt dignus efficiatur cum eis tanta myſteria prædicare. Hoc autem non fiet, niſi prius mundetur ab omni macula peccati. Propter hoc petit hîc vt mundetur & reddatur aptus ad prædicationem. Tria ergo dicuntur hîc. Primò petit emundationem à culpa. Secundò ſubiungit de motiuo & fine ad petendum. Tertiò oſtendit per quem, quia per ſolum Deum poteſt mundari, ibi, *Dominus adiutor meus.* In prima tria. Primò oſtendit, quòd neceſſe eſt vt petat emundari. Secundò petit. *Ab occultis meis.* Tertiò addit modum quo poterit emundari. *Si mei non fuerint dominati.* Dicit ergo: Sic illi prædicabunt, quod & ego deſidero multum : ſed *delicta*, quæ impediunt à prædicatione, *quis intelligit ?* Nota, quòd *quis* quinque ſignat. Raritatem. *Matth.* 23. Quis putas eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus, &c. Quandoque ſingularitatem. *Iob* 13. Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine ? Et ſubditur : Nonne tu qui ſolus es? Quandoque dubitationem. *Ioan.*1. Quis es vt reſponſum demus iis qui miſerunt nos ? Quandoque impoſſibilitatem, vt *Iſa.*53. Generationem eius quis enarrabit ? Sic accipitur hic. Quandoque difficultatem, vt in Pſalmo, Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit ? *Delicta* ergo *quis intelligit?* Nullus hominum omninò poteſt, quia multa, quia ſubtilia, quia ipſum mentis oculum excæcantia.

Peccata vix vitantur & intelliguntur.

De iis tribus ſimul: Circundederunt me mala, quorum non eſt numerus, ecce primum: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem, ecce tertium : multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, ecce ſecundum. *Iſa.*59. Telas, ecce primum, telas enim dicit in plurali : araneæ, ecce ſecundum, ſubtilia enim faciunt : texuerunt, ecce tertium, quod enim texitur, impedit viſum ne tranſeat. *Sap.*2. Excæcauit illos malitia illorum.

Ab occultis. Hîc petit duo. Primò, quòd à propriis emundetur inquinamentis. Secundò,

quòd nec alienis inquinetur, vel ſi inquinatus eſt, emundetur, precatur, ibi, *& ab alienis*, &c.

Duplex origo peccati. *Auguſt. in libro de libero arbitrio.* Duæ ſunt origines peccatorum. Vna, ſpontanea cogitatione. Altera, alterius perſuaſione. Ad hoc pertinere arbitror quod Propheta dicit: Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis, &c. Dicit ergo: *Ab occultis*, ratione originis, quia ab interius latenti concupiſcentia ſurgunt, quia intelligi, ſicut dictum eſt, non poſſunt: *meis*, tanquam ſubiecti & cauſæ, *munda me*, quia per alium non poſſum: omnes enim ſunt inquinati, quia *Prou.*20. Quis poteſt dicere, Mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato? Sed *Eccleſ.* 24. Ab immundo quis mundabitur? Nullus: imò magis inquinabitur *Eccleſ.*13. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.

Triplex peccatum occultum, triplex remedium. Et nota, quòd ſunt tria occulta ſecundum *Hieronymum*. Impudica affectio quæ inquinat voluntatem, doloſa intentio quæ inquinat rationem, illicita actio quæ inquinat memoriam. Per orationem mundatur voluntas ab impudica actione, per lectionem ratio à doloſa intentione, per confeſſionem memoria ab illicita actione.

Et ab alienis peccatis *parce ſeruo tuo.* Si contraxi, indulgendo, ſi non contraxi, gratiam conferendo ne contraham. Et dicuntur peccata contracta aliena, quia ſunt facientis vt cauſæ principalis, contrahentis quaſi accidentaliter. *Eccleſ.*7. Non alliges tibi duplicia peccata,

Quomodò ſũt aliena peccata euitanda. propriis addens aliena. Et nota, quòd ab alienis mundus eris, ſi non inſultes per intemperantiam, ſed magis per temperantiam compatiaris cum quodam moderamine, ſi non diſcedas per puſillanimitatem, ſed per fortitudinem modo debito reſiſtas. Si non conſentias malo per iniuſtiam, ſed per iuſtitiam malo contradicas. Si non diſſimulet per imprudentiam, ſed per prudentiam ſollicitè cogites qualiter poſſis deſtruere.

14. *Si mei non fuerint dominati.* Hîc eſt ſecundum, in quo oſtendit modum, quomodo poterit mundari, & neceſſe erit ei parcere: Et hoc ſi non dominentur ei delicta. Duo ergo dicuntur. Primò, quòd non dominari, ſequitur munditia ab omni peccato generaliter. Secundò, quod etiam à peccato ſuperbiæ ſpecialiter. *Et emundabor*, &c. Ait ergo: Sic munda ab occultis, & parce ab alienis, quod fiet ſi non ſuccumbam, quia *ſi mei non fuerint dominati*, dæmones, ſupple, *tunc immaculatus ero*, id eſt, ab omni peccato. Contra: quomodo hoc ſequitur, cum etiam, ſicut ſupra dictũ eſt, occulta maculãt etiam ſine alienis? Reſponſio. Quocumque modo peccet homo, vel occultè, vel ex ſuaſore, ſi maculatur mortali macula, de qua loquitur hic, neceſſariò ſubiectus efficitur ipſi diabolo: tot enim dæmoniorum quot vitiorum ſeruus eſt. Ergo ſi eſt maculatus mortali, dominantur dæmones. Ergo à deſtructione conſequentis ſi non dominantur, maculatus non eſt. Vel ſecundum *Auguſt. Si mei non fuerint dominata*, occulta ſcilicet & aliena, *tunc immaculatus ero*, quia ex iis duobus, ſicut ſuperius dictum eſt, ſurgit omnis macula mortalis peccati. Propter hoc dicit *Paul. ad Rom.*6. Non regnet peccatum in mortali corpore veſtro, vt obediatis concupiſcentiis eius, ſerui facti diabolo & peccato. *Ioan.*8. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. *Auguſt.* Meritò ſubderis Domino, quem tu tibi feciſti, quia ei qui te fecit, ſubdi noluiſti. Ergo ſi non dominentur, non maculant, ſed valent multum frequenter. 2. ad *Corinth.* 12. Paulus petiit ſtimulum amoueri, qui non dominabatur, & non exauditus eſt. *Auguſt.* Tentatio, cui non conſentitur, non eſt peccatum, ſed materia exercendæ virturis.

Et emundabor, quod plus eſt, *à delicto maximo*, *Quare ſuperbia dicitur delictũ maximum.* ſcilicet ſuperbia, quæ dicitur delictum, quia per eam primò derelictus eſt Deus. Conſiſtit etiam in auerſione ab incommutabili bono, ſed concupiſcentia in conuerſione ad bonum commutabile. Maximum autem dicitur duratione: quia ſicut dicit *Auguſt.* Vltimum eſt ad Deum redeuntibus, & primum eſt à Deo recedentibus. Item quia omnium initium. *Eccleſ.*10. Initium ſuperbiæ hominis eſt apoſtatare à Deo, ſcilicet auerti à bono incommutabili, & conuerti ad bonum commutabile. In eodem, Initium omnis peccati ſuperbia. Item quia potuit in excelſiſſimam creaturam, Angelum ſcilicet primum. *Iſa.*14. Quomodo cecidiſti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris? quaſi neceſſarius fuerit grauis impulſus. Item quia etiam ipſum bonum quod eſt in homine, impugnat. *Auguſt.* Alia quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur vt fiant: ſuperbia verò etiam bonis operibus inſidiatur vt pereant.

Et erunt vt complaceant. Hîc eſt ſecundum in 15. quo præmiſſa petitione ſubiungitur de fine & motiuo ad petendum, quia ad hoc vt *eloquia*, cogitationes ſint Deo placita in prædicando diuina myſteria: & tanguntur ſecundum hoc duo. Primò placitum ſermonis in conſpectu Dei. Secundò placitum cogitationis. *Et meditatio.* Dicit ergo: Sic peto vt mundes & parcas, quod fieri poterit tali modo. *Et tunc erunt eloquia oris mei* in prædicando diuina myſteria prolata, talia, ſupple, *vt complaceant*, non hominibus, de quibus parum curatur, *ſed in conſpectu tuo*, nec ad horam, ſed *ſemper*. Nec tantum eloquia, ſed etiam *meditatio cordis mei erit*. Vt complaceat & ſemper. Eloquia ergo munda non ſunt niſi ablata macula peccati à prædicatore, & à cantante in Eccleſia. *Ierem.vlt.* Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & offeremus vitulos labiorum noſtrorum. Ergo neceſſaria eſt mentis pulchritudo. *Cant.* 2. Oſtende faciem tuam, an ſit maculata. Et ſequitur: Sonet vox tua in auribus meis. *Eccleſ.*15. Non eſt ſpecioſa laus in ore pecatoris. Et in *Pſal.* Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Neceſſaria eſt etiam intentionis rectitudo, vt per hoc ſoli Deo quærat placere. 1. ad *Theſſal.*2. Ita loquimur, non quaſi hominibus placentes, ſed in ſimplicitate cordis timentes Deum. Aliter totum amittitur: vacua eſt ſpes, & labor illorum ſine fructu. *Eccleſ.*4. Cum laboro, & fraudo animam meam bonis. Neceſſaria eſt etiam perſeuerantiæ longitudo. *Hieronymus*, Non cœpiſſe, ſed permanſiſſe virtus eſt. *Eccleſ.*14. Beatus vir qui in ſapientia morabitur. *Eccleſ.*24. Et vſque ad futurum ſæculum non deſinam. Et nota, quòd dicit *meditatio*

non

non cogitatio. Animæ enim rationalis triplex
Triplex viſio animæ. eſt viſio. Prima cum imago rei animæ præſentatur, vel per ſenſum ingrediens, vel à memoria exurgens. Meditatio, quæ eſt aſſidua & ſagax retractatio cogitationis:vel inuolutum explicare nitens, vel penetrare occultum. Vel contemplatio, quæ eſt perſpicax, & liber intuitus in res perſpiciendas vſquequaque diffuſus. Bene ergo eloquiis iungit meditationem: oportet enim, quod prædicator non tenuiter, ſed diligenter dicenda reuoluat. Hinc dicit *Iacob.*1. Sit omnis homo velox ad audiendum, & tardus ad loquendum, tanquam meditans quid dicturus ſit. Et tunc impletur in eo illud *Prou.*10. Os iuſti parturiet ſapientiam.

Domne adiutor. Hîc eſt tertium ſecundæ partis totius Pſalmi, in quo oſtendit per quem poſſit fieri tam vtilis emandatio:quia per ipſum Deum adiutorem & redemptorem: adiutorem in bonis agendis, redemptorem à malis. Dicit ergo: Sic petij, ſed per me non poſſum. O *Domine* tu es *adiutor meus* gratiam conferendo ad bona facienda. *Ioan.*15. Siue me nihil poteſtis facere. *Pſal.* Auxilium meum à Domino. Et redemptor meus,à malo culpæ. *Iſa.*43.Noli timere, quia redemi te. *Eccleſ.*20. Eſt qui multa redimat modico pretio, infinita ſcilicet peccata morte triduana. Et ſecundum hunc ordinem quem hic ponit, poteſt dici, quod adiutor fuit à principio & ſemper, ſed pripriè redemptor
Duplex gratia incipiēs & adiuuās. in fine temporum. Secundum autem *Auguſt.* hîc notatur duplex gratia, vel duplicis gratiæ effectus, ſcilicet gratia inchoans, & hoc eſt *Redemptor*, vt inciperem tendere in te. Gratia adiuuās,qua tendens peruenire poſſum. Et hoc eſt *adiutor meus*: quod eſt contra hæreſim Pelagianam. Ad *Philipp.*2. Deus qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. *Caſſiod.* Nemo ſuis meritis applicet quod cœleſti largitate accipit.

IN XIX. PSALMVM.

1. *In finem, Pſalmus Dauid.*

2. *Argumentū Pſalmi, Chriſtus ſacerdos ſacrificās pro incremento Eccleſiæ.*

EXaudiat te Dominus. Hic eſt Pſalmus decimus nonus, in quo agitur de Chriſto tanquam de ſummo ſacerdote ſacrificante Deo Patri pro Eccleſia de Gentibus cōgregata.Non enim valuiſſet Apoſtolorum prædicatio ad Eccſiam dilatandam in Gentibus & plantandam, niſi adiuuiſſet Chriſti ſacrificium, & oratio ad Deum Patrem. Et propter hoc ſatis competit ordinatio huius Pſalmi poſt præcedentem. Huic autem præponitur titulus frequenter expoſitus, *In finem Pſalmus Dauid.* Pſalmus autem in duas partes diuiditur. Propheta enim
Diuiſio Pſalmi in duas partes. quaſi aſſiſtens Chriſto vt ſacerdoti, & offerenti pro regno ſuo dilatando in Gentibus. Primò rogat vt Chriſtus exaudiatur vt ſacerdos. Secundò vt ſaluetur tanquam Rex,ibi, *Domine ſaluum fac Regem.* In prima duo. Orauit enim Chriſtus & obtulit adhuc mortalis in terra, & adhuc orat continuè & regnans in æterna vita. Primò ergo petit vt exaudiatur mortalis. Secundò vt exaudiatur iam glorificatus,ibi, *Exaudiet illum de templo.* In prima duo. Primò petit vt petitio accepta ſit orantis Chriſti & offerentis. Secundò vt oratio impleatur acceptata, impleatur, inquam, in effectu, ibi, *Impleat Dominus.* In prima tria. Primò oſtendit quando velit acceptari & exaudiri Chriſti orationem. Secundò in quo. *Protegat te.* Tertiò oſtendit effectus conſequentes ex acceptatione & exauditione illa, ibi, *Lætabimur in ſalutari.*

Dicit ergo: Sic per mundum audio prædicationem diuulgari,ſed & te orantem contemplor ô Chriſte,& propter hoc rogo: *Exaudiat te Deus* Pater. Et quando? *In die tribulationis.* In die ſcilicet paſſionis, quæ bene dicitur tribulationis, quia quamuis ratio non fuerit perturbata in Chriſto vt ratio, tamen caro & anima grauiter afflictæ fuerunt. 4. *Reg.* 19. Dies tribulationis & increpationis & blaſphemiæ dies iſte. Et bene tribulationis: quia, vt dicit *Iſidorus*, tribulatio dicitur à tribula. Eſt autem tribula genus vehiculi in quo teruntur frumenta. Sic Chriſti crux quoddam vehiculum fuit, ipſum enim vexit. *Can.* 3. Ferculum ſibi fecit Rex Salomō de lignis Libani.Et in illa tritum fuit illud granum frumenti quod dicit de ſeipſo *Ioan.* 12. Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, &c. Et nota cum tribulatio frequentius nox dicatur in Scriptura, tamen tribulationis Chriſti dies, dies appellatur, vel etiam ipſa tribulatio propter verum ſolem Chriſtum. *Mal.*2.Vobis timentibus Deum orietur ſol iuſtitiæ, ſuper hemiſphærium veſtrum, exultatione ſcilicet: & propter hoc dicitur *Zachar.* 14. Erit dies vna nota Domino, nec dies nec nox, & in tempore veſperi erit lux. In hac die clamauit Chriſtus ad *Hebr.* 5. In diebus carnis ſuæ preces ſupplicationeſque ad eum qui poſſit illum ſaluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia.

Protegat te. Hîc ſecundum, in quo ſpecificat in quo vult eum exaudiri:& dicuntur duo. Primò, quòd exaudiatur quantum ad ſeipſum. Secundò, quantum ad alios ſimiliter,ibi, *Memor ſit.* In prima parte tria ſecundum tria quæ petit, vel in quibus petit quod exaudiatur. Primum eſt protectio à malo. Secundum, miſſio auxilij ad bonum de ſummo. Non curat quod veniat de imo. *Mittat tibi.*Tertium,tuitio boni acquiſiti. *Et de Sion tueatur te.* Ait ergo: Sic peto vt exaudiat te, & *nomen Dei Iacob protegat te.*Nomen Dei Iacob appellat virtutem Dei, quem confeſſus eſt, & cui credidit Iacob. *Ierem.* 10. Rex Omnipotens nomen eius. Ad hoc nomen fugiendum ſemper. *Prouerb.* 18. Turris fortiſſima nomen Domini, ad ipſum currit iuſtus & exaltabitur. Huic enim nomini exaltando laborat. *Ioan.*7. Ego gloriam meam non quæro. Sed ex parte huius nominis & huius virtutis deſcendiſti *Ioan.*5.. Ego veni in nomine Patris meis.

Mittat tibi auxilium. Ecce ſecundum. Quaſi 3.
diceret: Sic protegat & *mittat tibi*, non de terra, ſed *de loco ſancto ſuo*, cœlo, *auxilium:* quod factum eſt Chriſto homini in agonia exiſtenti, & ſudanti guttas ſanguinis. *Luc.*22.Et apparuit ei Angelus de cœlo confortans eum. 1. *Mach.* 3. De cœlo fortitudo eius. Vel ſecundum *Auguſti. Mittat tibi auxilium de Sancto*, id eſt, auxilietur tibi dando Eccleſiam ad prolis ſpiritua-

lis propagationem. *Geneſ.* Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. 1. ad *Corinth.* 3. Adiutores ſumus. Et hoc auxilium veniat de Sancto, id eſt, de latere tuo in cruce perforato te dormiente: quod factum eſt, quando ſicut *Ioan.* 19. dicitur, vnus militum lancea latus eius aperuit, & ſtatim exiuit ſanguis & aqua. Sanguis redemptionis, & aqua purificationis & ablutionis, ex quibus duobus tota generatur Eccleſia. Vel poteſt eſſe verbum ad Eccleſiam, vt ſit ſenſus: *Mittat tibi* Deus Pater *auxilium de ſancto ſuo*, id eſt, de filio ſuo incarnato & paſſo. 1. *Reg.* 11. Sic dicetis viris Iabes Galaad: Cras erit vobis ſalus cum incaluerit ſol. Vel *de ſancto*, id eſt, de cœlo illo ſanctiſſimo & altiſſimo adorandæ Trinitatis: quod factum eſt quando Spiritus ſanctus miſſus eſt ſuper congregatos in cœnaculo. *Act.* 2. *Matth.* 28. Sedete in ciuitate donec induamini virtute ex alto.

Et de Sion. Tertium eſt *Et* Deus Pater *tueatur te*, corpus tuum myſticum, *de Sion.* Sion interpretatur ſpecula. Quaſi diceret: De alta ſpeculatione te tueatur ab omni malo, & corpus tuum, quod eſt Eccleſia: in quo oſtenditur quod contemplatiuorum vita in tuto eſt. Ad *Philip.* 3. Conuerſatio noſtra in cœlis eſt. De Iob *Gregor.* Mentem in altum fixerat, & ideò ad eum diabolus irrumpere non valebat. Item in ſancto ſignatur bonus actiuus. Petit ergo, quòd Eccleſia ab actiuo bonum auxilium habeat in temporalibus procurãdis. Per Sion contemplatiuus, in quo petit quod contemplatio à diabolo & ſpiritualibus aduerſitatibus tueatur. Et ſic tota erit ſecura. Sic eſt in domo in qua Chriſtus recipitur, Martha, & Maria *Luc.* 10. In domo Dei noſtri Iacob, Rachel, & Lia. *Geneſ.* 29.

4. *Memor ſit.* Hîc eſt ſecundum, in quo petit, quòd exaudiatur Chriſtus pro ſe. Petit etiam, quòd pro aliis, pro quibus conſtat obtuliſſe ſe ſacrificium Deo, oſtendendo quale fuit ſacrificiũ: vnde dicit duo. Primò petit vt acceptet eius ſacrificium pro aliis oblatum Deus Pater. Secundò deſcribit illud ſacrificium & holocauſtum. Dicit ergo: Sic Deus te protegat, auxilietur, & tueatur, & etiam *memor ſit ſacrificij tui*, pretioſæ ſcilicet carnis in cruce immolatæ, quæ fuit omne & totum & vnum ſacrificium, quod non erant ſacrificia veteris legis. Ad *Hebr.* 9. Munera hoſtiæ offeruntur quæ non poſſunt iuxta conſcientiam perfectum facere ſeruientem. Et infrà, Sicut autem ſemel in conſummatione ſæculorum ad deſtructionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit. Vel *omnis ſacrificij*, iniuriarum, contumeliarum, ſputorum, alaparum, verberum, paſſionis, & mortis. Nec dicitur *memor*, quia Deus pater poſſit obliuiſci alicuius rei: ſed vt oſtendat in affectu ſe memorem ſacrificij tui, vel memores nos faciat. Illud enim dicitur Deus facere, quod facit nos facere. *Geneſ.* 22. Nunc cognoui, quia timeas Dominum, id eſt, cognoſcere te feci: vt ſic impleamus illud *Thren.* 3. Recordare paupertatis meæ, tranſgreſſionis, abſynthij, & fellis. *Cant.* 1. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur. Dicitur etiam omne ſacrificium, quia in Chriſto immolato omnia concurrebant. Ad *Rom.* 11. In ipſo ſunt omnia.

Et holocauſtum tuum. Hîc deſcribit ſacrificium: & dicuntur tria ſecundum tres conditiones quas oſtendit huius ſacrificij. Prima, quòd integrum fuit, & totum in honorem Dei. Secunda, quòd voluntarium, ibi, *Tribuat tibi ſecundum cor tuum.* Tertia, quod diſcretum. *Et omne conſilium.* Dicit ergo: Sit memor omnis ſacrificij *& holocauſtum tuum.* Holocauſtum dicitur ab holon quod eſt totum, & cauma quod eſt incendium. Quaſi diceret: Totum incenſum in Dei honorem nulla parte retenta ad aliquem alium vſum, ſicut in eo quod ſpecialiter ſacrificium dicebatur, *pingue fiat*, hoc eſt, placens: pinguiora enim antiquitus ſacrificia plus placebant Deo. Hinc quia placebant Deo pinguia, iuſſum erat *Leuit.* 3. Omnis adeps Domini erit. *Eccleſ.* 35. Oblatio iuſti impinguat altare. Et *Malach.* 1. arguuntur qui languidum offerebant. Languidum, inquit, obtuliſtis. Nunquid ſuſcipiam illud de manu veſtra, dicit Dominus?

Conditiones ſacrificij Chriſti.

Fiat pingue quoad nos tripliciter. Frigidos inflammando ad amorem: pinguedo enim inflammatiua eſt. *Luc. vlt.* Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis de IESV, &c. Item ſiccos humectando: pinguedo enim ſicca humectat. *Ioan.* 20. Maria ſtabat ad monumentum foris plorans. Item hilares reddendo: pinguedo enim idem quod craſſitudo, quæ hilaritatem facit. *Iſa.* 40. Dilatabitur in craſſitudine anima veſtra. Et nota hîc, quod præter ſacrificium iſtud eſt multiplex ſacrificium. Eſt enim ſacrificium cordis. In *Pſal.* Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Et eſt ſacrificium oris cùm laudatur Deus, peccata confitentur, proximus ædificatur. *Pſal.* Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua. Et operis boni. *Pſal.* Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. *Eccleſ.* 25. Salutare ſacrificium attendere à mandatis Domini. Mortificationis carnis per abſtinentiam. Ad *Rom.* 12. Obſecro vos per miſericordiam Dei vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam veram, viuam, Deo placentem. Voluntariæ paupertatis, vt ipſa voluntas dimittatur pro Chriſto. Hoc holocauſtum pinguiſſimum. *Exod.* 5. Vade ad Pharaonem & dices ei: Dimitte populum meum vt ſacrificet mihi in deſerto.

Pingue fit ſacrificium Chriſti vt inflammet, humectet, exhilaret animas.

Multiplex ex ſcriptura ſacrificium.

5. *Tribuat tibi ſecundum cor tuum.* Hîc oſtendit, quòd voluntarium. Ait enim: Pingue fiat holocauſtum, & Dominus *tribuat tibi ſecundum cor tuum*, id eſt, ſecundum voluntatem quam habes ſacrificando teipſum, quia non coactus hoc facis, ſed ſpontaneus. *Iſa.* 53. Oblatus eſt quia ipſe voluit. *Ioan.* 10. Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam. Ad *Philipp.* 2. Factus eſt obediens Patri, vſque ad mortem. Vel ſecundum cor tuum, id eſt, ſecundum voluntatem tuam, quâ vis omnes ſaluari. 1. ad *Timoth.* 2. Qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Omnes, id eſt, de omnibus aliquos. *Ioan.* 17. Pater, quos dediſti mihi, volo vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum.

Et omne conſilium. Hîc eſt tertium, quod cum

cum discretione sit factum. Ait ergo: *Et omne consilium*, sacrificium ex omni deliberatione, hoc enim importat, *consilium tuum confirmet*. Nota, quòd est consilium duplex. Est consilium, de quo *Damascenus*. Consilium est motus inquisitiuus de his quæ in nobis sunt factis. Sic non cadit in Deum, nec in animam Christi vnquam fuit, quæ omnia agenda limpidissime cognoscebat. Alio modo consilium est ineffabilis prouidentia. Sic est in Deo & in Christi anima. Hoc autem consilium est obstinatos excæcare in sua malitia, sicut factum est in Iudæis. Electos à peccato reuocare, conseruare reuocatos, conseruatos beatificare. *Isa.* 46. Omne consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Firmatur autem consilium ex prædestinatione, sed confirmatur in gratiæ collatione.

Quid & quale sit consilium Dei.

6. *Lætabimur in salutari tuo.* Hîc est tertium, in quo postquam petitum est quod exaudiatur, & determinatum in quo velit eum exaudire, subiungit effectus consequentes in nobis ex exauditione illa, & tangitur duplex lætitia, de liberatione à malo, & consummatione in bono. *Et in nomine Dei nostri.* Ait ergo: Sic & in his exaudias. Quod si feceris, *lætabimur in salutari tuo*, in illo Rege, in illo sacerdote, de quo rogaui vt illum exaudires, saluante suos à malo. Hoc est enim salutare ab antecendentibus ardenter expectatum. *Genes.* 49. Salutare tuum expectabo Domine. A præsentibus lætanter susceptum. *Luc.* 2. Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum. A sequentibus dulciter amatum, & summè veneratum, & vbique prædicatum. Ad *Philip.* 3. Saluatorem expectamus, prædicabat *Paulus. Isa.* 40. Videbit omnis caro salutare Dei nostri. Vel secundum Glossam, Vt sit sermo ad ipsum Christum: *Lætabimur in salutari tuo*, id est, in tua saluatione & resurrectione, ô Christe. *Ioan.* 16. Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum. *Ioan.* 20. Gauisi sunt discipuli viso Domino.

Gloria nominis Christiani.

Et in nomine Domini. Ecce secundum. Quasi diceret: Non tantum hic sequitur fructus, imò *magnificabimur* cùm fuerit exauditus in nomine Domini persistentes, vt dicamur Christiani sicut ipse Christus. Ad *Rom.* 8. Quos prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: & quos iustificauit, hos & magnificauit. Magnificum est verè seruos nomine ipsius Regis nominari. *Isa.* 60. Vocabis seruos tuos nomine alieno. Et 62. Videbunt Gentes iustum tuum, & cuncti Reges inclytum tuum, & vocabitur nomine quod os Domini nominauit.

7. *Impleat Dominus.* Hîc secundum totius huius partis primæ totius Psalmi. Postquam enim rogauit vt acceptetur sacerdotis Christi oratio, hic petit vt vniuersaliter impleatur acceptata: & dicuntur duo. Primò supplicatio vt acceptetur. Secundò certitudo de adimpletione, ibi, *Nunc cognoui.* Dicit ergo: Sic exaudiat te Deus, & concludo breuiter. *Impleat Dominus* Pater, *omnes petitiones tuas*, non vnam tantum. In hoc innuitur quod Christus plures fecit petitiones, & verum est: tria enim petiit pro se, & totidem pro nobis. Imminente eum passione orauit pro se. *Matth.* 26. Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Secundò orauit pro se quando dixit *Ioan.* 12. Pater saluifica me ex hac hora. Tertiò etiam orauit pro se quando dixit eiusdem 17. Pater clarifica filium tuum. Omnes autem impletæ sunt in Resurrectione, quia & calix transiit, & à Iudæis saluatus fuit, & in corpore clarificatus. Et tres fecit pro nobis. Primò *Ioan.* 18. Pater sancte serua eos in nomine meo quos dedisti mihi: in quo petit custodiam suorum à malo culpæ. Secundò in eodem, Patet sanctifica eos in veritate: in quo petitur confirmatio in bono viæ. Tertiò in eodem, Pater rogo vt sint vnum sicut & nos vnum sumus: in quo petitur perfectio gloriæ: hæc enim erit gloria in vno intellectu vniri, & vna voluntate in vna conformitate apud Deum. Quod si non est adhuc hæc oratio impleta in re, tandem tamen implebitur, iam impleta in spe.

Tres Christi pro se petitiones, & totidem pro nobis.

Vel *omnes petitiones tuas* quas nos docuisti. *Matth.* 6. Sic ergo vos orabitis: Pater noster, &c. Et bene dicit omnes: sunt enim tres de bonis obtinendis, tres de malis amouendis. De bonis gratiæ. Sanctificetur nomen tuum. Gloriæ. Adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua. De bonis naturæ. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. De malis amouendis, præteritis. Dimitte nobis debita nostra. Futuris. Et ne nos inducas in tentationem. Præsentibus. Sed libera nos à malo.

Partitio orationis Dominicæ.

Nunc cognoui. Hîc secundum, certitudo petitionis adimplendæ. Dicit ergo: *Nunc* tanto tempore, *cognoui* spiritu afflatus prophetico, *quoniam saluum fecit*, id est, saluum faciet: præteritum pro futuro more prophetico: *Dominus* Pater, *Christum suum*, propter nos spiritu plenissimè vnctum, hoc est, *Christum suum. Isa.* 61. Spiritus Domini super me, eo quod vnxit me, saluum in se resuscitando, à putrefactione conseruando. *Psal.* Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Et in corpore suo. *Psal.* Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. Omnes enim qui sunt de corpore Christi mystico, vncti sunt, accipientes de plenitudine eius. *Ioan.* 1. Omnes de plenitudine eius accepimus. *Esth.* 6. Saluum fecit Dominus populum suum.

Preces Christi glorificati.

Exaudiet illum. Hîc tertium totius partis primæ totius Psalmi. Postquam enim dictum est de exauditione passibilis & mortalis in terris, hîc subiungitur de exauditione impassibilis & immortalis iam in cœlis existentis, & dicuntur duo. Primò certitudo exauditionis eius orantis in cœlo. Secundò effectus consequentes ex exauditione, ibi, *In potentatibus.* Dicit ergo: Sic petiui, quòd exaudiat orantem in terra, & certus sum quod sic erit, & etiam *exaudiet illum*, Christum scilicet, *de cœlo sancto suo* orantem, & non iam pro se, sed pro nobis interpellantem. 1. *Ioan.* 1. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum, & ipse erit propitiatio pro peccatis nostris: nec solum pro nostris, sed pro totius mundi. Ad *Rom.* 8. IESVS qui mortuus est & resurrexit, interpellat pro nobis. Nec mirum si exaudit: si enim ille nequam populus & idololatra Moyse orante saluatus est. *Exod.* 33. Quantò magis populus Christianus orante Christo, & Virgine

beata, & omnibus ſanctis. *Bernard.* Securum habes acceſſum apud Deum ô homo : habes, filium ante Patrem, & matrem ante filium. Filius oſtendit Patri latus & vulnera, mater oſtendit filio pectus & vbera. Nulla poteſt eſſe repulſa, vbi tot occurrunt charitatis inſignia. Propter hoc dicitur ad *Hebr.*5. Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus. Vel, vt moraliter loquamur, *Exaudiet illum de cœlo ſancto ſuo*, petitionem faciendo non terrena petendo. *Matth.* 6. Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis. Tanta enim eſt eius liberalitas, vt audiat petentem magna, nec curet petentem parua. *Iſa.*32. Princeps, quæ digna ſunt principe, cogitabit.

In potentatibus. Hîc ſecundum eſt, in quo tangit effectus. Et ſunt duo quæ dicuntur hic ſecundum duos effectus.. Primus eſt efficacia ſalutis. Secundus, fiducia impetrationis à Deo eorum quæ petuntur, ibi, *Hi in curribus.* Dicit ergo : Sic exaudiet illum : in quo? & quis huius exauditionis effectus? In hoc quod *in potentatibus* noſtris, in omni poſſe noſtro, in tota vita noſtra eſt *ſalus*, non noſtra, ſed *dexteræ eius.* Quaſi diceret : Ab ipſo ſalus & ſolo. *Iſa.* 43. Ego ſum, ego ſum, & abſque me non eſt Saluator. Et nota, quòd dicit dexteræ. Eſt enim ſalus ſiniſtræ Dei, de qua non loquitur hîc, quæ eſt in diuitiis & honoribus, de qua in *Pſal.* Qui das ſalutem Regibus. Et in corporalibus ſanitatibus. *Tob.*13. Magnus es Domine, quoniam flagellas & ſaluas. *Iob* 30. Emittis manum tuam, & ſi corruerint, ipſe ſaluabis. Sed loquitur de ſalute ſpirituali, quæ duplex eſt : & in præſenti, de qua *Iſa.*60. Occupabit muros tuos ſalus, Prælatos ſcilicet tuos, & portas tuas ſaluatio. Ipſos qui muri ſunt in defendendo, dicit portas in vocando ad Eccleſiam, & introducendo. Vel in futuro. *Iſa.*45. Iſraël ſaluatus eſt à Domino ſalute æterna. Vel aliter, vt ſit cauſa præcedentis. Quaſi diceret : Sic exaudiet & vere, quia in diuinitate habet quod petit in carne : vnde *ſalus in potentatibus* ſuis exhibita eſt : dexteræ eius, id eſt, diuinitatis eius. Et dicit in potentatibus ſuis exhibita, quia temporalem ſalutem dat non ſuis ; quæ eſt ſiniſtræ : non quia omnes quibus dat ſiniſtræ ſalutes, abiiciat. *Iob* 36. Deus potentes non abiicit, cum ipſe ſit potens.

8. *Hi in curribus & hi in equis.* Hîc tangit ſecundum effectum, ſcilicet fiduciam impetrandi per Chriſtum, & dicuntur tria. Primò vt excludat ipſam, oſtendit in quo ſit malorum fiducia. Secundò ſubiungitur de bonorum, & bona, ibi, *Nos autem.* Tertiò oſtenditur ratio ſic confitendi. *Ipſi obligati ſunt.* Dicit ergo : Sic ab ipſo exaudito habemus ſalutem & etiam fiduciam : nam *hi* ſperant *in curribus*, in pompa ad literam ſæculari : *& hi in equis*, in luxuria & deliciis. Et nota, quòd *hi* ponitur partitiuè ſicut ibi *Matth.*25. Ibunt hi in ſupplicium æternum, hi autem in vitam æternam. Et ſicut dicit *Caſſiodor.* deſpectiuè : tales enim deſpiciendi triplici ratione. Quia ignobiles. 1. *Reg.* 2. Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Quia maledicti. *Ierem.*17. Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum. Quia abominabiles. *Oſeæ* 9. Facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt. Hi currus mali, & hi equi. *Iſa.*31. Væ qui deſcendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis ſperantes, & habentes fiduciam in quadrigis, quia multæ ſunt. Et vere væ, quia currum Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare. *Deut.*17. Cum fuerit Rex conſtitutus, non multiplicabit ſibi equos. Fœlix qui facit ſicut *Ioſuë* 11. Equos errum ſubneruabis. In equis luxuria, quæ ſubneruari poteſt, non penitus quin aliquando aliqui motus ſurgant. *Deut.*14. Et currus igne combures, pompam mundanam omnino deſtrues.

Equus bonus, Chriſti corpus. *Apoc.* 6. Ecce equus albus. Prædicator. *Iob* 39. Nunquid præbebis equo fortitudinem? Virtus. *Abac.*3. Quis aſcendet ſuper equos tuos? Malus, hypocrita. *Apoccalypſ.* 6. Et ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper illum, nomen illi mors. Luxurioſus. *Ierem.*5. Equi amatores in fœminas & ſicut emiſſarius facti ſunt. Ambitioſus & pompaticus. Sic accipitur hic. In *Pſal.* Non in fortitudine equi voluntatem habebit.

Currus bonus, bonus prælatus. 4. *Reg.*1. Pater mi, pater mi : Currus Iſraël & auriga eius. Charitas & zelus. In eodem, Elias in curru igneo raptus eſt. Cœtus Apoſtolorum. In *Pſal.* Currus Dei decem millibus multiplex. Malus, malitiæ, auaritiæ, luxuriæ. Hi ſunt currus Pharaonis. *Cant.*1.

Nos autem in nomine Domini Dei inuocabimus. Hîc ſecundum. Quaſi diceret : Sic illi. *Nos autem*, confidenter, *inuocabimus* orando, & interius & exterius pro loco & tempore. Et *in nomine Domini Dei noſtri* : & ſic ſaluabimur. *Ioël.* 2. Etenim omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. *Ioan.*16. Quicquid petieritis patrem in nomine meo, &c.

Ipſi obligati ſunt. Hîc eſt tertium, in quo aſſignatur ratio tantæ fiduciæ, & ſicut præcedentia per antitheſim. Primò tangit malum quod ſequitur confidentes in tranſitoriis. Secundò bonum quod ſequitur confidentes in Deo, propter quod in ipſo confidendum. *Nos autem.* Ait ergo : Sic inuocabimus in nomine Dei noſtri : quippe ipſi confidentes in curribus & in equis, *obligati ſunt.* Ecce magnum malum. Obligatio ad pœnam æternam per reatum culpæ. 1. ad *Timoth.* 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum diaboli. *Obligati ſunt* cupiditate acquirendorum, & amore habitorum. *Sap.*14. Creaturæ Dei factæ ſunt in tentationem & muſcipulam pedibus inſipientium. Propter hoc dicit *Iob* 6. Inuolutæ ſunt ſemitæ greſſuum eorum, ambulabunt in vacuum & peribunt. *Et ceciderunt* multi in æternam miſeriam, vel de vna culpa in aliam. *Pſal.* In conſpectu eius cadent omnes qui deſcendunt in terram. *Iſa.* 18. Et erit eis verbum hoc : Manda, remanda : expecta, reexpecta : modicum ibi, modicum ibi, vt vadant & cadant, & irretiantur & capiantur. 9.

Nos autem ſurreximus. *Autem* aduerſatiua coniunctio eſt hic. Ait enim, Sic illi : ſed nos *ſurreximus* contra caſum de vitiis ad virtutes, de temporalium amore ad contemptum illorum,

rum, quia tempus eſt. Ad *Rom.*14. Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere, vt confundatur diabolus, & mundus. *Mich.*7. Ne lætetis inimica mea, quia cecidi, conſurgam.

Et erecti ſumus, contra obligationem vt non iam inclinemur, ne cadamus poſt caſum in æternam pœnam. Et nota ordinem pulchrum. In primo quidem eſt ſurgere. Secundò ſtare poſt ſurrectionem. *Baruc.*5. Ieruſalem ſurge, & ſta in excelſo. Item *ſurreximus* per fidem credentes illi qui dixit *Matth.* 19. Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, & ſequere me. *Et erecti ſumus*, per ſpem firmam. *Iob* 5. ponit humiles in ſublime, & mouentes, erigit, &c.

Demine ſaluum fac Regem. Hîc ſecunda pars
10. totius Pſal. in qua petit Chriſtum tanquam Regem exaudiri. Et primò quod exaudiatur in ſe, in quantum caput eſt. Secundò quod exaudiatur eius corpus, vel ipſe magis in ſuo corpore. *Et exaudi nos.* Dicit ergo: Sic exaudi ipſum ſacerdotem: ſed etiam rogo *Domine* Pater *ſaluum fac Regem* antonomaſtice, ſicut dictum eſt *Apoc.* 19. Habens in veſtimento ſuo, & in femore ſuo ſcriptum: Rex Regum & Dominus dominantium *Iſa.*33. Dominus rex noſter, Dominus legifer noſter, Deus iudex noſter. *Saluum fac* à morte velociùs reſuſcitando. *Pſal.* Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Et eſt hoc argumentum, quod orandum ſit pro Regibus. *Baruc.*1. Orate pro Nabuchodonoſor Rege Babyloniorum. Et *Paulus* ſimiliter hoc vult 2. ad *Timoth.*1. vt fiant orationes & obſecrationes primo pro Regibus & Principibus.

Et exaudi nos. Non ipſum tantum: ſed per ipſum, & in ipſo orante pro nobis. Ad *Hebr.*7. Saluare poteſt per ſemetipſum perpetuò accedẽs ad eum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis, & etiam moriens pro nobis. 1. *Pet.*2. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, &c. Et hoc.

In die qua inuocauerimus te, non in nocte: parum enim valet Deum in nocte peccati inuocare, niſi quantum in ſe eſt homo faciat quod ſit in die gratiæ. *Ioan.* 9. Scimus quoniam peccatores non audit Deus. Prima autem hora huius diei eſt fides. Propter hoc *Iacob.*1. Poſtulet autem in fide nihil hæſitans. Vel in die proſperitatis. Omnes enim quaſi naturaliter ipſum inuocant in nocte tribulationis. *Oſeæ* 6. In tribulatione ſua mane conſurgent ad me. Sed iuſti inuocant eum etiam in proſperitate. *Iſa.*22. Venit mane proſperitatis, & non aduerſitatis. Si quæritis in nocte aduerſitatis, quærite in die proſperitatis.

IN XX. PSALMVM.

1. *In finem, Pſalmus Dauid.*

2. *Argumentũ, Chriſtus vnius perſonæ & duplicis naturæ.*

Domine in virtute tua lætabitur rex. Hic eſt Pſalmus vigeſimus, in quo, ſicut dicit Gloſſa, agitur de duplici natura Chriſti in eadem perſona: & confunduntur hæreſes, vel diuidens in Chriſto perſonas, vel confundens naturæ: & competenter poſt duos Pſalmos præcedentes. In 18. de gloria Chriſti & diuinitate per mundum diuulgata actum: Cœli, inquit, enarrant gloriam Dei. In 19. de eiuſdem humanitate potiſſimum, quia de paſſione & immolatione ſui in cruce. Ne ergo perſonæ in ipſo diuiſæ crederentur, occurrit in hoc Pſalmo, & oſtendit infirmitatis humanæ, & diuinitatis gloriam in vna eademque perſona. Titulus autem præponitur communis, & frequenter expoſitus: ſed addendum, quòd Pſalmus hic potiſſimum ordinat nos in finem, quia non tantum in Chriſtum hominem, ſed in Deum. Per hoc autem, quòd Deus veriſſime finis eſt.

Diuiſio Pſalmi, prima pars duplicis naturæ demonſtratio.

Pſalmus autem totus diuiditur in duas partes. Primò oſtendit in Chriſto naturam diuinam & humanam. Secundò ſupponit pœnam, & inuehitur contra inimicos Chriſti, hæreticos ſcilicet deſtruentes hanc veritatem, ibi, *Inueniatur manus tua.* In prima duo. Primò commendatio Chriſti, oſtendendo ſummatim in ipſo naturam diuinam, & diuinam eſſentiam. Secundò magis ſpecificando, ibi, *Quoniam præuenisti.* In prima tria. Primò oſtendit diuinitatem & humanitatem in Chriſto quantum ad incarnationem. Secundò quantum ad paſſionem. *Et ſuper ſalutare.* Tertiò quantum ad reſurrectionem. *Deſiderium cordis eius.*

Dicit ergo: Sic rogaui vt exaudiatur ſacerdos ſummus, & verè totum impetrabit quicquid petet vel immortalis vel mortalis, quia ô *Domine* Pater *Rex*, de quo *Ierem.* 23. Regnabit Rex & ſapiens erit: & Rex non regulus: habet enim regnum, cuius comparatione tota terra non eſt niſi punctum. *Baruc.* 3. O Iſrael quam magna eſt gloria domus Domini, & ingens locus poſſeſſionis eius! Propter hoc dixit *Ioan.*19. Regnum meum non eſt de hoc mundo, id eſt, ſecundum arctitudinem & anguſtiam quæ eſt in mundanis regnis: & Pilatus intulit, ergo rex es tu? Et ſi parum eſt, addatur terra. *Pſal.* Tui ſunt cœli, & tua eſt terra. *Pſal.* Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus. Item Rex non tyrannus. *Baſilius*; In hoc differt tyrannus à rege, quia hic, ſcilicet tyrannus, quærit quod ſibi vtile: ille, quod omnibus, ſcilicet Rex. Et de Chriſto: *Matth.* 20. Non veni miniſtrari ſed miniſtrare, & dare animam meam redemptionem pro mundi vita. Item rex, quia rex dicitur à rectitudine, eò quòd recte agat. *Iſidor.* A rectè faciendo nomen regis tenetur. Quis ergo verus rex niſi Chriſtus? *Pſal.* Non eſt qui faciat bonum non eſt vſque ad vnum. Quippe *Prouerb.* 21. Qui mundus eſt, rectum eſt opus eius. Quis autem mundus niſi ille de quo *Iſa.*53. Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. De nobis autem *Iſa.*14. Facti ſumus vt immundi omnes nos.

Hic Rex, *lætabitur in virtute tua.* In verbo tuo ſibi in incarnatione vnito, mira lætitia homini aſſumpto: Verbum caro factum eſt. Si enim lætitia omni, quanta illi? Vnde non dicit hic præſentiam tantùm, ſed totam etiam vnionem. Verbum autem Dei filius, virtus patris appellatur. 1. ad *Corinth.* 1. Prædicamus Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam. Et dicitur ille filius ſiue verbum virtus Patris, quia quaſi vltimum potentiæ ſuæ expreſſit per filium: virtus autem in vnoquoque, eſt vltimum de potentia:

tentia. Vltimum autem de potentia eſt, quod poteſt aliud æquare illi cuius eſt potentia. Pater autem filium generando, ſibi æqualem per omnia genauit. Ad *Philip.* 2. Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo. Propterea quaſi vltimum potentiæ oſtendit, quando filium humiliauit, ſcilicet exinaniri voluit vſque ad vnionem vltimæ omnium creaturæ, ſcilicet humanæ, & etiam paſſibili. Si enim magnæ potentiæ vnire mediam naturam, ſcilicet ſpiritualem infimæ, ſcilicet corpori: multò maius fuit, imò maximum, ſupremam vniri infimæ, imò omni, & infimæ & mediæ. Ad *Coloſſ.* 3. Omnia in omnibus Chriſtus.

Potentia in vnione hypoſtatica.

Et ſuper ſalutare tuum exultabit, &c. Hîc ſecundum, in quo tangit vtramque naturam exprimendo Paſſionis ſacramentum. Ait enim: *Et ſuper ſalutare tuum*, id eſt, per verbum ſibi vnitum quo omnia ſaluantur, *exultabit*, non modicum, imò *vehementer*. Quaſi diceret, Magnum quidem quod ei verbum vnitum fuit, & hoc ſciuit: ſed quaſi maius, quia per eum ſaluatio facta eſt in Paſſione. Hinc miro modo nobis oſtenditur quantum nos dilexit beata illa Chriſti anima, cum eius gaudium tam incomprehenſibile, quaſi augere potuit ſalus noſtra. Et dico quaſi, quia in veritate non augebat, cum eſſet quaſi punctale gaudium reſpectu illius gaudij infiniti quod habebat in comprehenſione verbi. Hoc ardore ſitibundus erat cum dicebat in cruce. *Ioan.* 19. Sitio. Hinc etiam eſt quod dies Paſſionis eius dicitur dies exultationis. Supra in *Pſal.* Exultauit vt gigas ad currendam viam. Et quamuis moriendo in cruce ſic gauderet vehementer de noſtra ſalute quam operabatur in medio terræ, tamen nihilominus ſummo dolore dolebat: nec enim lætitia dolorem minuebat, nec dolor lætitiam ſuffocabat, quod ſingulare fuit in illa ſanctiſſima Chriſti anima.

3. *Deſiderium cordis eius tribuiſti ei.* Hîc eſt tertium, in quo oſtendit quantum ad reſurrectionis myſterium vtrumque in Chriſto: ſic enim implètum eſt deſiderium cordis Chriſti & oris, id eſt, ore expreſſum. Primò ergo tangitur deſiderium vt in corde adimpletum. Secundò vt expreſſum ore. *Et voluntate labiorum.* Dicit ergo: Sic lætabitur in virtute, & in ſalutari, & vehementer, & etiam in hoc *deſiderium cordis eius*, quod fuit de glorioſa corporis Reſurrectione. Dicebat enim *Ioann.* 12. Pater clarifica filium tuum: & vox de cœlo facta eſt: & clarificaui, & iterum clarificabo. Et 17. Pater venit hora, clarifica filium tuum. Vel ſecundum Gloſſam, deſiderium cordis Chriſti fuit, vt ſub ſpecie ſacramenti cum ſaluandis permaneret. *Luc.* 22. Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum. *Prou.* 8. Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. Et nota, quòd ſicut lætitia eſt diffuſio mentis ex amplexu rei habitæ: ſic eſt deſiderium apprehenſio rei cum appetitu rei eiuſdem.

Et voluntate labiorum eius, id eſt, per ipſa labia ſua expreſſa, *non fraudaſti eum*, quoniam omnia omnino obtines. Et eſt idem ſecundum primam lecturam. Sed ibi vt in corde, hîc vt in ore. *Pſal.* Dixit, & facta ſunt. *Eccleſ.* 42. In ſermonibus Domini opera eius: quæcumque enim voluit in patrandis miraculis, in reſumptione proprij corporis in animabus ſaluandis omnia facta ſunt. *Iſa.* 46. Omne conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet. *Iob* 23. Anima eius quæcumque voluit, hæc fecit, vel facit.

Quoniam prævenisti eum, &c. Hîc eſt ſecundum primæ partis, ſcilicet prolixior explanatio bonorum Chriſto collatorum, vnde ei vehementer lactandum. Duo ergo dicuntur in hac parte. Primò oſtenduntur diffusè Chriſti bona à Deo ſibi data, & quæ ſunt in eo lætitiæ cauſæ. Secundò oſtenditur, quòd ei offerantur illa dignitate congrui, & per modum meriti. *Quoniam Rex ſperat in Domino.* In parte prima tria. Primò tractat diffuſiùs de beneficio vnionis in incarnatione facto. Secundò de beneficio glorificationis, quod fuit in paſſione, ibi, *Poſuiſti in capite.* Tertiò de beneficio ſaluationis in Reſurrectione, ibi, *Vitam petiit.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd lætabitur Rex in virtute tua, & hoc *quoniam prævenisti eum in benedictionibus*, Chriſtum ſcilicet hominem, ô Deus Pater. Et poteſt notari ordo temporis, vel excellentia dignitatis comparatione ad alios homines. Secundum primum modum *prævenisti eum*, id eſt, ante natiuitatem ei quæ ſequuntur bona contuliſti. Et hoc, *prævenisti eum in benedictionibus*, non in vna tantum benedictione, quia fuit conceptus in omni munditia, immunis ab omni culpa, & purus ſine mala concupiſcentia. Quia ſicut dicitur *Sapient.* 1. In maleuolam animam non intrabit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Iſtæ ſunt benedictiones dexteræ, benedictiones paradiſi. *Eccleſ.* 40. Gratia ſicut paradiſus in benedictionibus. 4.

Alij omnes præuenti ſunt in maledictionibus, ante omnes maledicti quam nati, & naſcentes maledicti. Ad *Epheſ.* 2. Omnes naſcimur filij iræ. Et dicuntur dulcedinis benedictiones, quia contra culpam, quæ valde amara eſt. *Ierem.* 2. Vide quam malum & amarum eſt dereliquiſſe Dominum Deum tuum. Et contra concupiſcentiam, quæ acerba. *Ezech.* 18. Patres comederunt vuam acerbam, acerbati ſunt, & dentes filiorum obſtupeſcunt.

Vel ſic: *Prævenisti eum*, præ omnibus hominibus ad eum veniſti, *in benedictionibus dulcedinis*, in bonis & dulcibus benedictionibus. *Matth.* 3. In baptiſmo: Hic eſt filius meus dilectus. Et in transfiguratione iterum in 17. Ad *Hebr.* 17. Cui vnquam Angelorum, non dico hominum, dictum eſt, Filius meus es tu. Et bene præ aliis, quia *Ioan.* 3. Pater non ad menſuram dat Spiritum filio. Et Spiritus dulcis valde, vnde eius benedicta collatio, eſt dulcedinis benedictio. *Eccleſ.* 24. Spiritus meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum. *Deut.* 33. Nephtalim abundantia perfruetur, plenus erit benedictione Domini.

Et nota, quòd eſt benedictio amotionis culpæ. *Eccleſ.* 39. Benedictio illius, quaſi fluuius inundabit, qui mundat ſordes. Collationis gratiæ. *Geneſ.* 27. Benedixitque ei dicens: Det tibi Deus de rore cœli. Conſeruationis collatæ. *Deuter.* 33. Benedictio illius qui apparuit in rubo ſuper caput Ioſeph, ſicut conſer-

uatiuum

uatiuum ipſius multiplicationis collatæ, in illis qui in alios bona influunt. *Pſal.* Etenim benedictionem dabit legiſlator. Vltimò collationis gloriæ. *Eccleſ.*11. Benedictio Dei in mercede iuſti feſtinat.

Poſuiſti in capite. Hîc eſt ſecundum, in quo tangit de ſecundo beneficio, ſcilicet paſſionis, per quam mundus eſt ſaluatus. Ait enim: Sic præueniſti in conceptione, & poſt *poſuiſti in capite eius*, in Chriſti ſcilicet mente. Mens enim Chriſti, caput eſt quantum ad naturam humanam, quamuis diuinitas quantum ad perſonam, in ſua paſſione, *coronam*, ſicut coronantur victores. Alij enim non merentur. 2. ad *Timoth.*2. Nemo coronabitur niſi qui legitime certauerit. Non de hedera quæ citò tranſit, vel de lauro, ſicut antiquitus ſolebant victores, *ſed de lapide*, vt durabilis ſit, & *pretioſo*, vt ſit mirabilis. *Apocalypſ.*6. Ecce equus albus, caro ſcilicet Chriſti, & qui ſedebat ſuper eum, ſpiritus illam pro voluntate regens, tenebat arcum prædicationis & doctrinæ: & data eſt ei corona de lapide pretioſo in paſſione ſua, de omni lapide, id eſt, de omni virtute. *Ezech.*28. Omnis lapis pretioſus ornamentum tuum, & numerantur omnes.

Corona Chriſti ex lapide quadruplici in paſſione.

Vel *de lapide pretioſo*, patientia ſpecialiter: hac coronatus fuit in ſua Paſſione. *Eccleſ.* 45. Corona aurea ſuper caput eius.

Legitur hoc & de corona diſcipulorum circumſtantium. *Eccleſiaſt.* 50. Circa illum corona fratrum. Et de tota Eccleſia quæ circundat ipſum, ſicut & corona caput. *Prou.*21. Mulier diligens corona eſt viro ſuo. Et nota, quòd corona Chriſti & martyrum ſuorum conſtat ex quatuor lapidibus pretioſis ſpecialiter. Prudentia ab anteriori parte, vt caueat à futuris malis: iuſtitia à poſteriori, vt ſatisfaciat vel puniat de præteritis: temperantia à dextris, ne eleuetur in proſperis: fortitudo à ſiniſtris, ne frangatur in aduerſis.

5. *Reſurrectio Chriſti.*

Vitam petiit. Hîc eſt tertium, ſcilicet explanatio beneficij collati maximè in reſurrectione, quod fuit præmium paſſionis, & tangitur duplex. Primò gloria Chriſto collata, communicata ſiue communicabilis ſuis. Secundò incommunicabilis & incommunicata, ibi, *Magna eſt gloria.* In prima parte duo. Primò oſtenditur receptio præmij communicabilis ipſi Chriſto in ſe ipſo. Secundò in ſuis, ibi, *Longitudinem.* Dicit ergo: Sic in paſſione coronaſti patientia, vt corona, & etiam vitam, glorioſam ſcilicet reſurrectionem, *petiit à te.* Gloſſa, dicens, Clarifica filium tuum *Ioan.*17. In *Pſal.* Vnam petij à Domino. 3. *Reg.* 2. Petitionem vnam paruulam ego deprecor te. Et nota, quòd quaſi nihil erat comparatione ad meritum Chriſti, reſurrectionis acceleratio. Et dicitur glorioſa reſurrectio, vita abſolutè, quia alia vita, ſcilicet quæ præſens eſt, non eſt digna nomine vitæ, ſed magis mortis. 2. *Reg.*14. Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur in terram, quæ non reuertitur.

*Et tribuiſti mihi. Ioan.*3. Scio Pater quoniam ſemper me audis: libentius enim audit petentem vitam glorioſam, quam temporalem, imò ad hoc prouocat vt petatur. *Ioan.*16. Petite & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum. *Luc.* 11. Omnis qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur.

Longitudinem dierum extenſam, *in ſæculum* conſecutiuum *ſæculi*: *Et tribuiſti ei*, repete. Et hoc verum eſt. *Matth.* 28. Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi, imò vltrà: habet enim hebraïca verſio in æternum. *Ierem.*31. Si menſurari poterunt cœli deſurſum, & inueſtigari fundamenta terræ deorſum, & ego abiiciam vniuerſum ſemen Iſraël, id eſt, fidelium Deum videntium. Dat enim Eccleſiæ gratiam adimplendi mandata, & per hoc vlterius dabit vitam æternam. *Prou.*3. Præcepta mea cor tuum cuſtodiat, & longitudinem dierum, & annos vitæ & pacem apponent tibi.

6. *Manifeſtatio nominis Chriſti & ſeſſio ad dexteram Patris.*

Magna eſt gloria eius. Hîc tangit præmium incommunicabile: & hoc duplex. Nominis manifeſtatio, id eſt, diuinitatis: & ſeſſio ad dexteram Patris, ibi, *Gloriam & magnum decorem.* Dicit ergo: Sic tribuiſti hoc in ſe & in ſuis, & adhuc, *Magna eſt gloria*, quæ eſt longè patens fama & cognitio: *Eius, in ſalutari tuo*, per mundum cognito, id eſt, quando cognitum eſt verbum tuum ſalutare tuum eſt ei vnitum, vt vna perſona ſit homo Deus. Magna eſt enim gloria. Ad *Philipp.*2. Dedit ei nomen quod eſt ſuper omne nomen. Habuit autem hoc nomen vt verus eſſet Deus ab incarnatione, ſed vt gloriam habuit, quando quod haberet innotuit toti mundo, quod non fuit niſi poſt inearnationem.

Gradus gloriæ.

Et nota, quòd eſt bona gloria, & magna in conſcientiæ puritate. 2. ad *Corinth.* 2. Glotia noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Sed certè maior in conformatione cum Chriſto in paſſionis ſuſtentatione. Ad *Galat. vlt.* Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri IESV CHRISTI. Sed maxima in imitatione in perfecto opere. *Eccleſiaſt.*23. Gloria magna eſt ſequi Dominum. Sed ſuper omnem vſque ad vnionem peruenisſe. *Pſal.* Gloria & honore coronaſti eum Domine. Hinc diſce vitam à Deo potendam, à quo enim petetur niſi à fonte? *Pſal.* Apud te eſt fons vitæ. Non à medico mortali & infami. *Sapient.* 13. Pro ſanitate infirmum deprecatur, & pro vita mortuum rogat. 1. *Paralip.* 16. Aſa nec in infirmitate quæſiuit Dominum, ſed magis in medicorum arte confiſus eſt, & dormiuit, & puluis eſt. Sed totum excedit, hoc ipſum toti mundo & Angelis innotuiſſe, de quo loquitur hic.

Seſſio ad dexteram Patris.

Gloriam & magnum. Hîc ſecundum, in quo tãgitur ſeſſio à dextris, quod fuit præmium incommunicabile: & tanguntur tria. Primò ſeſſio. Secundò duratio ſeſſionis. *Quoniam dabis.* Tertiò ratio durationis. *Lætificabis.* Dicit ergo: Sic magna eſt gloria in verbo vnito, & ſuper hoc *impones ſuper eum gloriam & magnum decorem.* Coniunctim legatur, id eſt, glorioſum decorem, & magnum, ad dexteram tuam collocando. Vel gloria referatur ad modum Aſcenſionis: aſcendit enim cum laude multorum latè patente. *Pſal.* Aſcendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ. Magnus decor ad illam ſeſſionem quando dictum eſt ei illud quod repetit Dauid: Dixit Dominus Domino

mino meo: ſede à dextris meis, &c. De vtroque *Iob* 40. Circunda tibi gloriam, Angelorum ſcilicet multitudinem, & in ſublime erigere, nimirum ſedendo iuxta me: & eſto glorioſus, quantum ad vtrumque. Magna gloria, & decor magnus ſuper eum impoſita ſunt in transfiguratione. *Matth.*17. Reſplenduit facies eius ſicut ſol: veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix.

7. *Quoniam dabis eum in benedictionem.* Hîc ſecundum, ſcilicet gloriæ duratio. Quaſi diceret: Verè erit magna gloria & honor, quando *dabis eum in benedictionem* non tranſitoriam, ſed durantem in *ſæculum ſæculi* conſecutiuum, hoc eſt, in æternũ. *Eccleſ.*44. Cognouit eum in benedictionibus ſuis, conſeruauit illi miſericodiam ſuam, in quo notatur benedictionis perpetuatio. Alia litera habet, & dedit illi hæreditatem, quod tantum valet. In eodem, Benedictionem confirmauit ſuper capur Iacob. Litera *Hieronymi*: Pones enim eum benedictionem ſempiternam.

Lætificabis. Hîc tertium, ratio ſcilicet durationis. Ait enim: Sic perpetuabit gloriam & honorem, nec mirum, quia *lætificabis eum* in eadem perſona aſſumptum *cum vultu tuo*, cum filio tuo, qui eſt vultus tuus, quia cognoſcere te fecit mundo, ſicut vultus facit hominem cognoſcere. *Prou.* 15. Cor gaudens, quale fuit Chriſti, quod quidem ſemper ſummo fruebatur gaudio, exhilarat faciem ſuam, exterius lætificatam. *Prouerb.*12. Mœror in corde viri humiliabit eum, & ſermone bono, nullus melior illo, æterno Dei verbo, lætificabitur. Ipſum etiam in membris *lætificabis cum vultu tuo*, ei manifeſto apertè, ſine omni ænigmate. *Iſa.*56. Lætificabo eos in domo orationis meæ, in cœlo empyreo, vbi orat Chriſtus & beata Virgo. *Iob* 33. Videbit faciem eius in iubilo, & implebit riſu os tuum. *Iſa.* 42. Gaudebit ſponſus ſuper ſponſam, & gaudebit ſuper te Deus tuus.

Quare Chriſtus vultus Patris.

8. *Quoniam Rex ſperat in Domino.* Hîc eſt ſecundum, in quo poſtquam tetigit tot & tanta bona in Chriſto, hîc ſubiungit merita ex parte Chriſti, vt dignus ſit cui conferatur tanta gloria: & tanguntur duo. Primò confidentia in ſolo Deo. Secundò perſeuerantia in illa. *Et in miſericordia Altiſſimi.* Dicit ergo: Hæc bona illi facies, & iuſtum eſt, *quoniam Rex*, Chriſtus ſcilicet, *ſperat in Domino*, inquantum homo, non in ſeipſo. *Prouerb.*18. Qui confidit in corde ſuo, ſtultus eſt. Et nota, quòd dicitur Chriſtus homo ſperare, non ſpe quæ eſt apprehenſio boni abſentis cum opinione, vel credulitate, quoniam erit, ſed cum certa ſcientia: & hoc referendo ad gloriam corporis, & ſeſſionem, de quibus ſermo præceſſit. Sed quare attribuit potius meritum ſpei quam charitati? Reſponſio. Charitas eſt quaſi pars præmij æterni. 1. ad *Corinth.* 3. Charitas nunquam excidit. Sed ſpes eſt pure in merito. Et ideò dicitur etiam *Iſa.*58. Qui habet fiduciam mei, hæreditabit terram viuentium, & poſſidebit montem ſanctum meum.

Et in miſericordia Dei, ſperans, ſupple, *non commouebitur.* Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic ſperat & in miſericordia Dei, & à ſpe ſua non commouebitur, humilitatem ſpei ſemper ſeruans cum obedientia. *Pſal.* Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion non commouebitur in æternum. *Pſal.* Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo. Et *Iſa.* 54. Miſericordia mea non recedet à te. Quippe qui anchoram ſpei fixit in illa immobilitate viuentium, manet immobilis procella irruente. Ad *Hæbr.*6. Confugiamus ad tenendam propoſitam ſpem quam ſicut anchoram habemus animæ firmam & tutam incedentem vſque ad interiora velaminis. *Pſal.* Non dabit in æternum fluctuationem iuſto.

Inueniatur manus tua. Hîc eſt ſecundum, in quo agitur de pœnis inimicorum principaliter, & diuiditur in duas partes. Primò agitur de pœnis illorum & miſeriis. Secundò agitur de gloria Chriſti ad cumulum confuſionis illorum, ibi, *Exaltare Domine.* In prima dicuntur tria ſecundum triplicem modum agendi de pœnis. Primò agitur de illis comparatione ad differentias puniendorum. Secundò comparatione ad differentias pœnarum, ibi, *Quoniam pones eos vt clibanum ignis.* Tertiò quantum ad differentias meritorum vel rationum puniendi. *Quoniam declinauerunt.* In prima duo. Primò prædicitur pœna credentium malorum, qui poſſunt hîc dici inimici. Secundò infidelium, qui dicuntur odientes. *Et dextera.* Dicit ergo: Sic exaltaberis ô Chriſte, & poſt *inueniatur manus tua*, extenta ad percutiendum omnes inimicos tuos. *Iſa.* 9. In his omnibus non eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta. Inimici autem dicunrur, qui etſi fidem habeant, tamen ſunt à Chriſto diuiſi, non vniti charitate. *Matth.* 12. Qui non eſt mecum, contra me eſt. Et nota, quòd dicit: *Inueniatur.* Res quæ inuenitur, ex inſperato occurrit, ſic Dei punitio ſuperueniet, quando credent eſſe ſecuri. 1. *Reg. penult.* Inuenit Dauid inimicos ſuos comedentes, & quaſi feſtum celebrantes, & irruit ſuper eos, & interfecit. *Prouerb.*1. Cum irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit. Ad *Theſſal.* 5. Cum dixerint, Pax & ſecuritas, tunc repentinus ſuperueniet ſuper illos interitus. 9.

Et dextera tua, quæ fortius percutit, *eos qui te oderunt*, inueniat, ſupple, id eſt, infideles, & maximè Iudæos. *Ioan.*15. Nunc autem & viderunt & oderunt, & me & Patrem meum. Ecce quomodo mali qui modo fugiunt manum corrigentem, quæ facta eſt ſuper Tobiam, ſuper Iob, Extende pauliſper manum tuam, & tange os eius & carnem, inuenientur tandem à manu Dei dura valdè. Ad *Hebr.*10. Horrendum incidere in manus Dei viuentis. *Iob* 6. Qui timet pruinam, irruet ſuper eum nix. Et in 20. fugiet arma ferrea, & irruet in arcum æneum. *Pſal.* Dextera manus tua confregit inimicum. Nec dicit hoc Propheta optando, ſed prænuntiando: vel certè optando, non libidine vindictæ, ſed amore iuſtitiæ. Et nota, quòd primo dicit, *Inueniatur manus*, poſtea dicit: *Et dextera tua inueniat*: in quo vult innuere, quod primò manus Dei percutiens eſt ſiniſtra, quaſi debilis quando percutit in præſenti: ſed poſtea fit dextera promptior, ſcilicet quando percutiet in futuro.

Pones eos vt clibanum ignis. Hîc agitur de afflictione, 10.

afflictione, quantum ad ipſarum pœnarum differentias, & conſiſtit in duobus. Primò in inflictione mali. Secundò in ablatione boni, ibi, *Fructum eorum de terra perdes.* Prima in tres. Primò remorſus conſcientiæ quantum ad id quod eſt ſuperius in anima. Secundò conturbatio quantum ad pœnam interiorem. *Dominus in ira ſua.* Tertiò corporis afflictio per ignem. *Et deuorabit eos ignis.* Dicit ergo: Sic inueniet eos manus tua, ſed cum inuenti fuerint, quid erit? *Pones eos vt clibanum ignis.* Vel ſecundum Gloſſam, ſic optando: Dixi, quòd inueniat eos manus tua, & ſic erit, quia *pones eos vt clibanum*, interiùs ſcilicet in conſcientiis ardentes, ſicut clibanus intùs ardet, eos facies. Et hoc *in tempore vultus tui*, id eſt, in illuſtratione aduentus tui, in quo eis omnia peccata ſua oſtendentur. 1. ad *Corinth.* 1. Veniet Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & reuelabit conſilia cordium. Et dicit *Caſſiodor.* Clibanus eſt ænei vaſculi deducta rotunditas, quæ ſubiacentibus flammis ardet intrinſecus, magis autem incandeſcit propter repercuſſionem flammæ in ſeipſam. Sic peccatoris conſcientia videns peccata, in ſeipſam retorquet iram. *Iſa.* 9. Succenſa eſt quaſi ignis impietas. Et 33. Spiritus veſter quaſi ignis vorabit vos.

Clibanus malus. Ardor luxuriæ. *Oſeæ* 7. Adulterantes quaſi clibanus ſuccenſus à coquente. Diabolus ipſe. *Thren.* 4. Pellis noſtra quaſi clibanus. Gloſſa, Mortalitas noſtra exuſta eſt quaſi diabolus, eius ſuggeſtione. Remorſus conſcientiæ: hîc. Afflictio gehennæ. *Gen.* 15. Apparuit ignis vt clibanus fumans. Gloſſa, Iudicium per ignem ſignat quod ſeparandi ſunt boni à malis. Bonus. Lex vetus. *Leuit.* 26. Decem mulieres coquunt in clibano vno panes 10. Panes in clibano decem, mandata intelliguntur in veteri Teſtamẽto. Vir iuſtus, qui intus ardet charitate. *Leuit.* 11. Siue clibani, ſiue chytropodes deſtruentur, ſi tetigerint immundum quid. Virginis vterus. *Leuit.* 11. Omne ſacrificium quod coquitur in clibano, ſacerdotis erit. Groſſa, virginis vtero. Crux. *Leuit.* 2. Cum autem obtuleris ſacrificium coctum in clibano, de ſimila, offeret illud, ſup. Sic Chriſtus bis coctus eſt panis neceſſarius mare tranſeuntibus.

Dominus in ira ſua. Hîc ſecundum, ſcilicet conturbatio ipſorum, quantum ad inferiorem partem rationis, & mutata perſona dicit tangens conturbationem, & cauſam conturbationis. Sic erit in conſcientiis. Et *Dominus conturbabit eos. Ioſ.* 7. Conturbet te Deus, quoniam conturbaſti nos. *Sap.* 5. Videntes turbabuntur timore horribili. Quid videntes? iram. Et hoc eſt quod addit, *In ira ſua.* Contra *Iſa.* 42. Non erit triſtis, nec turbulentus. Reſponſio. Ira non appellatur hic motus animi perturbati, ſed tranquilla voluntas iudicandi, & reddendi vnicuique ſecundum merita ſine reuocatione omni, quemadmodum in irato. Hoc ergo cognoſcentes mali, turbabuntur vltra modum: cognoſcent autem vultuoſitate & ſermone. *Apocal.* 6. Reges & terræ principes, & tribus, & diuites, & fortes, & omnis ſeruus, & liber abſcondent ſe in ſpeluncis, & petris montium: & dicent montibus & petris, Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira Agni.

Et deuorabit eos, exterius *ignis* gehennalis. Ecce tertium. Aperte deuorabit, tamen ſine conſumptione. *Pſal.* Laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem. *Caſſiodor.* Iſte ignis ſic abſumet vt ſeruet: ſic ſeruabit vt cruciet: dabitur miſeris vita mortalis, & pœna ſeruatrix. *Iob* 16. Ignis deuorabit tabernacula eorum, qui libenter munera accipiunt. In hoc autem quod dicit, *Deuorabit*, ſignat auiditatem flammæ vltricis, & trucis incendij. *Sap.* 13. Creatura tua tibi factori deſeruiens excandeſcit in tormentum aduerſus iniuſtos.

Fructum eorum de terra perdes. Hic eſt ſecundum, in quo oſtenditur ipſorum punitio in ablatione boni, & duplicis quod valde à malis diligitur. Primò rerum temporalium. Secundò filiorum. *Et ſemen eorum.* Vel ablatio boni, quod eſt fructus in præmio, in merito ſemen: ſicut enim ſe habet ſemen ad fructũ, ſic meritum ad præmium. Dicit ergo: Sic affliguntur, & etiam ô tu Domine *perdes* quantum ad eos, vt iam nihil eis valere poſſit, *fructum eorum de terra*, id eſt, quo fruebantur, quod terrena erat ſubſtantia. *Sap.* 2. Venite, fruamur bonis quæ ſunt, tanquam in iuuentute celeriter. Et hoc perdetur totum. *Sap.* 3. Vana eſt ſpes illorum, & labor ſine fructu. *Iob* 27. Diues cum dormierit, nihil ſecum afferet. Et 27. Si comportauerit quaſi terra argentum, & ſicut lutum præparauerit veſtimenta, præparauit quidem, ſed iuſtus veſtietur eis, & argentum innocens diuidet. Vel ſic: *fructum eorum perdes de terra* viuentium, vt in illa nullum habeant præmium. Ibi enim non poteſt reddi præmium virtutum, & vita operibus mortuis & mortificatis. *Eccleſ.* 14. Omne opus corruptibile in fine deficiet à remuneratione. *Iſa.* 26. In terra Sanctorum inique geſſit, & ideò non videbit gloriam Domini. 11.

Et ſemen eorum, id eſt, filios, ad literam, naturales, & malitiæ paternæ imitatores, *perdes*, ſupple, ſeparans eos *à filiis hominum*, id eſt, bonis, ſicut accipitur ibi. *Prouerb.* 8. Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. *Iob* 18. Non erit nec progenies in populo ſuo, nec vllæ reliquiæ in regionibus eius. Vel ſemen appellat opus ipſum. Quaſi diceret: Et *perdes ſemen eorum*, id eſt, ſeparans *à filiis hominum*. *Caſſiodor.* Opera bene dicuntur ſemina, ex quibus naſcitur vnicuique retributio digna. Ad *Galat. vlt.* Qui enim ſeminauerit in carne, de carne metet corruptionem. *Sap.* 4. Ab iniquo thoro ſemen exterminabitur. Iniquus thorus eſt, cum coniunguntur anima & diabolus ad peccatum perpetrandum. Vel ſemen dicuntur imitatores, & totum deſtruet Dominus. *Iſa.* 14. Conſurgam ſuper eos, dicit Dominus exercituum, vt perdam Babylonis progeniem & germen.

Quoniam declinauerunt. Hic eſt tertium, in quo agitur de pœna, comparatione ad meritum, & cauſarum diuerſitatem: & tangitur cauſa duplex. Iniquitas in hoc verſu, & cæcitas in ſequenti. *Quoniam pones eos dorſum.* In prima duo. Primò inordinata valde dilectio temporalium. Secundò iniqua machinatio contra Chriſtum, ibi, *Cogitauerunt conſilia.* Dicit ergo: Sic punian

puniantur, vt dixi. Et hoc iuſtum eſt, *quoniam mala*, quæ æſtimauerunt ſuperuentura à Romanis, mala, inquam, pœnæ, *declinauerunt in te*, id eſt, tibi attribuebant, & ventura docebant propter te. *Ioan.*11. Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem. Vel de malo culpæ hoc fiet eis. *Quoniam mala* culpæ quæ in ſeipſis erant, *declinauerunt in te*, id eſt, tibi impoſuerunt. *Ioan.* 8. Dæmonium habes. *Luc.*7. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicitis: Eccce homo deuorator, & bibẽs vinum, Publicanorum peccatorumque amicus. His ſimiles ſunt filij Adæ, qui peccata propria excuſando retorquent in Dei creaturas, & per hoc in Deum. *Geneſ.*3. Mulier quam dediſti mihi, dedit mihi, & comedi.

Cogitauerunt. Quaſi diceret: Sic iniquè dilexerunt temporalia, & retorſerunt mala in opere, & etiam *cogitauerunt conſilia* contra te, quæ *non potuerunt ſtabilire. Caſſiodor.* Conſilium eſt aliquid faciendi vel non faciendi ratio deliberata. *Ioan.*11. Ex illa ergo die cogitauerunt interficere ipſum. *Pſal.* Cogitauerunt & loquuti ſunt nequitiam. *Sapient.*11. Hæc cogitauerunt, & euanuerunt: excæcauit enim illos malitia eorum. Sed hæc conſilia quomodo non potuerunt ſtabilire? Nonne ipſum occiderunt? Conſtat, quòd ſic. Reſponſio. Credebant ſic interficere vt eius memoria penitus deleretur. *Ierem.* 11. Eradamus eum de terra viuentium: & nomen eius non memoretur amplius: ſed hoc non potuerunt ſtabilire, quia *Prouerb.*10. Memoria iuſti cum laudibus. *Iſa.*8. Inite conſilium, & diſſipabitur: loquimini verbum, & non fiet. *Act.* 5. Si eſt ex hominibus hoc conſilium, diſſoluetur. Et ipſam reſurrectionem factam credid'erunt poſſe extinguere. *Matth.* 28. Dicite quia diſcipuli eius venerunt nocte, & furati ſunt eum. Sed non potuerunt hoc conſiliũ ſtabilire: quia *Act.*4. Virtute magna reddebãt Apoſtoli teſtimonium Reſurrectionis Ieſu Chriſti.

13. *Quoniam pones eos dorſum.* Hìc tangitur inimicorum cæcitas, maximè Iudæorum. Primò excæcatio ipſorum, ad concupiſcendum terrenum regnum. Secundò ad occidendum ipſum Chriſtum. *In reliquiis tuis.* Et ſecundum ex primo ſequutum eſt. Dicit ergo: Sic cogitauerunt conſilia quæ non potuerunt facere ſtabilia: & hoc *quoniam pones eos dorſum*, id eſt, in illis à quibus es auerſus, terrenis ſcilicet, de quibus non curas, & ſic illos à dorſo habebis, & te nõ videbunt, ſed ſolum terrena. *Ierem.*18. Dorsũ, & non faciem oſtendam eis, in die perditionis illorum.

Nota elegantem huius verſus interpretationem.

In reliquiis. Hìc ſecundum. Quaſi diceret: Sic in terrenis erit tota illorum affectio & conſideratio: & per hoc *præparabis*, id eſt, præparari permittes ad tuam paſſionem præparandam, *vultum eorum in reliquiis*, id eſt, in iis quæ abiicis & relinquis. Ecce excæcatio ad mortem Chriſti procurandam. *Ezech.*7. Auertam faciem meam ab eis, ecce primum: & reuelabunt arcanum meum, ecce ſecundum. Ex iis patet, quòd facies eorum deorſum fuit propter cæcitatem ad cœleſtia, quæ nullo modo videbant. Et vultus propter terrenorum viſionem, mirabilia monſtra. *Numer.*23. Monſtra quidem filiorum Enachim, id eſt, dæmonum: Enachim enim interpretatur terribilis. Tale monſtrum ſunt omnes de quibus *Ierem.* 4. Sapientes ſunt vt faciant mala, bona autem facere neſcierunt. Nota enim, quòd temporale regnum dicuntur Chriſti reliquiæ. Magnus enim Dominus magnas fecit reliquias. *Ioan.*6. Quando voluerunt eum Regem facere, fugit. Nec ſolum Chriſti, ſed commenſalium ſuorum, Apoſtolorum ſcilicet, & virorum Apoſtolicorum. *Matth.*20. Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te. Aliter legitur in Gloſſa multis modis.

Exaltare Domine. Hic ſecundum totius huius partis, in quo tacta inimicorum miſeria & pœna, ſubiungitur de exaltatione Chriſti, vt eorum maior exprimatur miſeria: & dicuntur duo. Primò tangit Chriſti exaltationem poſtulando vt fiat. Secundò ſupponit effectus in ſuis conſequentes ex illa. *Cantabimus.* Ait ergo: Sic mali deprimentur, ſed ô tu Chriſte ad maiorem eorum confuſionem, *exaltare* de morte reſurgendo velociter, & hoc, *in virtute tua*, hoc eſt, in virtutis tuæ, id eſt, humilitatis merito. *Luc.*14. & 18. Omnis qui ſe humiliat, exaltabitur. Vel in virtute tua, poteſtate ſcilicet quam habes ponendi animam tuam propriam, & iterum reſumendi eam. *Ioan.* 10. Habeo poteſtatom ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam. Hæc eſt virtus & fortitudo quæ latuit in paſſione, ſed exaltata eſt in glorioſa reſurrectione. *Abac.*3. Cornua in manibus eius: ibi abſcondita eſt fortitudo eius. 2. ad *Corinth.* 12. Virtus in infirmitate perficitur. 14.

Cantabimus virtutes tuas, in ore, *& pſallemus* in opere, id eſt, mandata tua adimplebimus in opere: Reſurrectio enim tua erit lætitiæ cauſa & operandi bene. De primo *Ioan.* 20. Gauiſi ſunt diſcipuli viſo Domino. Nec mirum 1. ad *Cor.* 12. Si autem gloriatur vnum membrum, congaudent cætura membra, multò ergo fortius capite glorificato. De ſecundo ad *Rom.* 4. Mortuus eſt propter peccata noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Propter hoc ad vtrumque monet Iudith Holoferne ſuperato, in 15. Cantate ei in cymbalis, quantum ad primum: modulamini illi pſalmum nouum, quantum ad ſecundum. Et nota, quòd nouem virtutes Chriſti ſunt cantandæ. Prima in operando miracula. *Luc* 4. In poteſtate & virtute imperat immundis ſpiritibus. Secunda in docendo vera ſermonibus. *Matth.*8. Loquebatur ſicut poteſtatem habens, non ſicut Scribæ & Phariſæi. Tertia in ſuſtinendis illatis paſſionibus. 1. ad *Corinth.*5. Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt omnibus hominibus. Quarta in ſuperando, deuictis dæmonibus. *Iudith.* 13. Vobiſcum eſt Deus, qui fecit virtutem in Iſraël victo Holoferne. Quinta in ſpoliando inferno, extractis iuſtis & Sanctis de Limbo. *Luc.* 11. Cum autem fortior illo ſuperuenerit, omnia eius auferet in quibus confidebat, & ſpolia diuidet. Sexta in reſurgendo ex morte. 2. ad *Corinth. vlt.* Si crucifixus eſt eſt Rex, ex infirmitate noſtra, viuit ex ſpiritu Dei. Septima in mittendo Spiritu ſancto de ſupernis. *Act.* 1. Accepietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos. Octaua cùm erit in ſuſcitandis mortuis in reſurrectione generali. *Pſal.* Ecce

Nouẽ Chriſti virtutes celebranda.

dabit

dabit voci suæ, vocem virtutis. Nona in iudicandis resuscitatis. *Matth.* 24. Videbitis filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa, & maiestate.

IN XXI. PSALMVM.

In finem, pro susceptione matutina,
1. *Psalmus Dauid.*

2. *Primus hic ex quinque Psalmis latè de passione disserit.*

DEus Deus meus respice in me. Hic est Psalmus vigesimus primus, in quo, sicut dicit Glossa, narratur diffusè Christi passio, & dilucidè, & est primus illorum, in quibus agitur sic latè de Christi passione. Quinque enim sunt Psalmi latè tractantes de ea, quorum hic primus. Secundus 34. Iudica Domine nocentes me. Tertius 54. Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam. Quartus 68. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Quintus 108. Deus laudem meam ne tacueris. Tōties autem narratur apertè & diffusè Christi passio, ne quis hæsitet de veritate, vel excuset: hæsitet per infidelitatem, excuset per ignorantiam. *Gen.* 41. Quòd ad eandem rem vidisti pertinens somnium. firmitatis indicium est, eò quod fiat sermo Dei, & velocius impleatur. Quanto magis ergo certum & firmum est quod non Pharao. imò Dauid: nec tantum bis, sed quinquies vidit? Item quinquies, sicut dicūt, quòd quinquies Christus pro nobis est passus, quia quinquies sanguinem suum fudit. Primò in circuncisione. *Luc.* 2. Secundò in sudore, eiusdem 22. Tertiò in flagellatione *Ioan.* 19. Hoc enim etsi ita non sit expressum, tamen vehementer est præsumendum. Quartò in fossione manuum & pedum *Ioan.* 19. Quintò in lateris apertione, eodem. Prima in signum originalis culpæ delendæ per Christum. Secunda in exemplum. Tertia & quarta in meritum. Quinta in institutione Sacramentorum. Patet autem ordo ad Psalmum antecedentem. In illo enim egit de vtraque natura Christi, & credere monuit, & monendo induxit vt illas credamus in Christo: hic autem statim subdit diffusiùs de eius passione, vt moueat ad cōpassionem & imitationem. Ad compassionem quod tam innocens & tam purus: ad imitationem quod tantus, qui verus est Deus. Habemus ergo continentiā Psalmi & ordinem.

Quinquies Christus effudit sanguinem propter totidem causas.

Titulus autem talis est, *In finem Psalmus Dauid*: hoc expositione non indiget. *Pro assumptione matutina*, vel *susceptione*, seu *pro cerua matutina*. Et est sensus: Iste *Psalmus* ordinans nos in finem, est Dauid vt auctoris. Vel melius *Dauid*, id est, Christi orantis *pro assumptione matutina*, &c. Pro resurrectione sua, quæ dicitur assumptio vel susceptio, quia in ipsa susceptus est & assumpta natura humana in gloriam perfectam. *Psal.* Et cum gloria susceperisti me. *Matutina*, quia mane innotuit quod esset sic assumpta, scilicet in aurora. Mane etiam surrexit, quia ante auroram paucis horis, vt mane largè sumatur. Vnde secundum humanitatem dicit *Apoc. vlt.* Ego sum genus & radix Dauid, stella splendida & matutina. Eadem etiam natura dicitur cerua, quia spinas temporalium diuitiarum, & lutum deliciarum transiliuit, & in resurrectione quasi foueam mortis quam nullus alius potuit ante ipsum, transiliuit. Supra in *Psal.* Quia posuit pedes meos tanquam ceruorum, & super excelsa statuens me, in resurrectione. Item cerua valde fœcunda est, & natura humana in Christo valde fœcunda fuit in passione, & tunc etiam sicut cerua in passione se curuauit. *Iob* 39. Incuruantur ad fœtum & pariunt. Et matutina dicitur pro tempore in quo resurrexit. Intitulatur autem à resurrectione quæ fuit finis passionis, & in ipsa intelligitur passio præcessisse.

Diuiditur autem Psalmus in tres partes secundum Glossam. In prima ponitur conquestio Christi passioni expositi cum oratione ad Patrem. Secundò descriptio passionis cum oratione, qua petit resurrectionis gloriam, ibi, *Circundederunt me vituli multi.* Tertiò tangit fructum & vtilitatem ex passione consequentem, ibi, *Narrabo nomen tuum.* Prima in duas. Primò conquestio in orando, vel adiuncta oratio Christi vt deiecti. Secundò expressio deiectionis. *Ego sum vermis & non homo.* In prima tria. Primò oratio vt respiciatur à Patre oculo misericordiæ. Secundò conquestio de deiectione. *Quare me dereliquisti.* Tertiò ratio quare non exauditur. *Longe à salute mea* *Diuisio Psalmi.*

Dicit ergo: *Deus Deus meus.* Constat ex textu *Matth.* 27. quod vox est Christi in cruce: Deus Deus meus quare dereliquisti me? Legitur ergo dupliciter: quia potest esse vox Christi ratione corporis mystici, vel veri. *Deus Deus.* Repetitio secundum *Cassiodor.* affectum mentis ostendit. *Deus*, omnia creando, *meus*, per cultum specialem, quia tibi seruio, dicit mysticum corpus. *Isa.* 43. Populum istum formaui, laudem meam narrabit. *Respice in me*, oculo misericordiæ. Dicitur tamen in Glossa, quòd non sunt verba, *Respice in me*, de textu secundum Hebraicam versionem, sed à Septuaginta interpretibus interposita, sequentibus magis sensum quam verba. *Respice* ergo *in me*, miseriam meam intuendo, & non poteris non misereri & parcere. *Exod.* 3. Vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto. Et statim sequitur: & descendi liberare eos. Potest etiam esse verbum capitis pro se: homo enim pendens in cruce orabat ad literam Deum vt respiceret in se, ei resurrectionem celerem tribuendo: quod factum fuit. *Eccles.* 11. Est homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, qualis erat Christus propter sanguinis effusionem, & abundans paupertate, quia ad literam nudus pendebat in cruce, & alienum postea mutuauit sepulchrum, & oculus Dei respexit illum in bono, & erexit illum ab humilitate ipsius: & mirati sunt in illo multi.

Quare me dereliquisti. Conquestio est in persona corporis sui. *Quare me dereliquisti*, culpæ culpæ & pœnæ exponendo. *Psal.* Circundederunt me mala quorum non est numerus, ecce malum pœnæ: comprehenderunt me iniquitates meæ, ecce malum culpæ. Si autem in propria persona loquitur, & pro se capite, tunc quærendum cum Deus sit omnibus præsens per essentiam. *Ierem.* 23. Cœlum & terram ego impleo. In bonis insuper sit per gratiam. Ad *Ephes.* 3. Habitare Christum per fidem in cordibus nostris. Et super hæc omnia in Christo

homine per vnionem. *Ioan.*1. Verbum caro factum eſt. Quomodo dicit ſe derelictum. *Pſal.* Non vidi iuſtum derelictum. Multo ergo fortiùs nec Chriſtum. Reſponſio. Notandum, quòd ſimpliciter relinquitur,qui omninò culpæ & pœnæ exponitur, ſicut miſeri in inferno. Omnino verò, & ſimpliciter protegitur, qui à culpa & miſeria ſeruatur, & pœnâ: qualiter protectus fuit Chriſtus in reſurrectione. In multo derelinquitur, & in modico protegitur, qui ſeruatur à pœna, & derelinquitur culpæ: & è conuerſo in magno protegitur, & in minimo derelinquitur, qui protectus à culpa omninò, dimittitur pœnæ: qualis fuit Chriſti expoſitio: vnde talis derelictio modica appellatur & punctualis. *Iſa.*53. In puncto ad modicum dereliqui te, pœnæ exponendo,& in miſerationibus multis miſertus ſum tui. Propter hoc talem derelictionem non reputabat Apoſtolus 2. ad *Cor.* 4. Perſequutionem patimur, ſed non derelinquimur.

Longè à ſalute mea. Hîc ſubiungitur reſponſio, in qua aſſignatur ratio duplex, quare non exauditur. Secundò probatio, quòd alia ratio non poſſit eſſe niſi iſtæ,vel quod verè iſtæ ſunt rationes. *Tu autem in ſancto.* In prima duo ſecundum duplicem rationem quam aſſignat. Vna,neceſſitas generis humani quæ hoc exigit. Secunda, vtilitas. *Deus meus clamabo per diem & non exaudies.* Dicit ergo: Sic quæſiui: & reſpondeo: *Verba delictorum meorum*, id eſt, illud quod clamant delicta meorum, vt ſit tranſitiua conſtructio, ſicut dicitur communiter, ille morbus poſtulat tale remedium, & peccatum Caïn clamaſſe dicitur. *Geneſ.* 4. Et peccatum Sodomorum, eiuſdem 19. Et defraudatio mercenariorum. *Iacob.*5.

Longè, ſunt, ſupple, *à ſalute mea*, id eſt, non permittunt vt ſaluer à tribulatione iſta. Si autem ſit intranſitiua conſtructio, *verba delictorum meorum*, id eſt, delictorum, quæ mea ſunt: tunc magis etiam competit vt ſint in perſona corporis dicta. Verba ergo prohibent ne liberemur à pœna. *Iob* 20. Nunquid grande eſt vt conſoletur te Deus? ſed hoc verba tua prohibent. Impediuerunt etiam ne liberaretur Chriſtus, quia ipſe etiam accipit delicta ſuper ſe. *Ierem.* 20. Peſſima plaga mea. Ego autem dixi plane, hæc infirmitas mea & portabo illam. 1.*Pet.*2. Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum. Imò plus dicit Apoſtolus, quia non tantum peccata noſtra ſibi aſſumpſit, imò quod factus eſt peccatum. Ad *Rom.*8. Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis fecit peccatum.

3. *Deus meus clamabo per diem.* Hîc ſecunda ratio tangitur, quare non exauditur, ſcilicet vtilitas generis humani, & dicuntur tria. Primò, quòd non exauditur petens proſpera ineſſe. Secundò, quòd nec aduerſa abeſſe. *Et nocte.* Tertiò innuit latentem cauſam vtriuſque. *Et non ad inſipientiam mihi.* Dicit ergo: Sic peto, ſic conqueror, & non exaudior, quia mala meorum exigunt oppoſitum, & etiam *clamabo per diem* proſperitatis vt maneat, nolens tribulari & affligi. *Et nocte*, id eſt, per noctem aduerſitatis,vt abſcedat. *Et non exaudies*, tantum dimittendo in proſperitate, vel eripiendo me à tribulatione: ſicut medicus non exaudit ægrotum petentem ſibi dari nociuum. *Prouerb.* 1. Proſperitas ſtultorum perdet. Et amoueri quod bonum eſt ſibi. 2.ad *Cor.*12. Virtus in infirmitate perficitur.

Et non ad inſipientiam mihi. Minus dicit & & plus ſignificat, id eſt, non ad ſtultitiam, imò ad ſapientiam & inſtructionem. Ecce vtilitas propter quam aliquando non exauditur in membris. *Auguſt. ſuper Ioan.* Orante te pro ſanitate, ſi ſcit tibi prodeſſe, dabit illam: ſi non tibi dederit, non proderit habere illam. Sic quoad corpus. Quantum ad ipſum caput ſic non conqueror: quia *Deus meus*, dicit homo Chriſtus, *clamabo ad te per diem*, id eſt, ſine omni tenebra culpæ: *Et nocte*, id eſt, tribulationum aduerſitate: quæ duo multum ſolent mouere ad exaudiendum. Vnde dicebat *Iob* 26. Prudentia eius percuſſit ſuperbum.

Nota, quòd propter multas cauſas non exauditur orans. Primò propter petentis indiſcretionem. *Matth.*20. Neſcitis quid petatis. Secundò propter petentis fidem vacillantem. *Iacob.* 1. Poſtulet autem in fide nihil hæſitans. Qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui qui à vento mouetur. Tertiò propter petentis indignitatem. *Iſa.*1. Cum multiplicaueritis orationem, non audiam: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Quartò propter eius, pro quo petitur, peruerſitatem. *Ierem.*15. Si ſteterint Moyſes, & Samuël coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum. Quintò propter eius quod petitur inutilitatem. 2. ad *Corinth.* 12. Paulus non eſt exauditus petens ſtimuli amotionem, quia non erat ei vtile. Sextò propter eius quod petitur noxam: ſicut illius, de quo in *Pſal.*Oratio eius fiat in peccatum. *Auguſt.* Multa beneficia præſtantur inuitis, quando eorum conſulitur vtilitati, non voluntati. *Quare Deus preces non exaudit.*

Tu autem in ſancto. Hîc eſt tertium, in quo probat, quòd alia ratio non eſt, quare non exaudiatur niſi dictæ. Et primò probat primum: quia ſola iniquitas membrorum, quam neceſſe eſt purgari, hoc impedit. Secundò probat, quòd illorum eſt vtilitas, quæ fuit ratio ſecunda. *In te ſperauerunt.* Dicit ergo: Sic dixi, quod impedit ne exaudias, & quaſi me derelinquas,peccata mea, & loquitur in perſona membrorum: Et hoc verè, autem, quia ô tu *laus Iſraël* actiuè, id eſt, quem laudat Iſraël: talis enim es vt cognitus à iuſto ſtatim lauderis. *Iſa.*55. Simul laudabunt,quia oculo ad oculum videbunt. Vel paſſiuè *laus Iſraël*, id eſt; vnde laudatur Iſraël. *Deuter.* 10. Ipſe eſt laus tua, & Deus tuus. *Tu habitas in ſancto*, id eſt, in meo capite Chriſto, qui ſanctus eſt: vnde nihil eſt quod non faceres in corpore, ſi neceſſitas vrgeret. Vel in ſancto quolibet, vnde & in me habitares ad exaudiendum, ſi non eſſet ex parte mea impedimentum. *Apoc.*21. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Vel de capite, ſi non exaudis me propter peccata meorum. Et hoc planum eſt: quia *tu habitas in ſancto*, in me ſcilicet capite, qui ſanctus ſum, *laus Iſraël.* Vnde certum eſt, quòd tu me exaudires, niſi eſſet illud. 1. ad *Corinth.*5. Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi,non in ſancto, ſed in ſanctorum ſancto. *Daniel.*9.

4.

Cum

Cum venerit Sanctus ſanctorum, ceſſabit vnctio. In hoc hãbitat. Ad *Coloſſ.*2. In quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter. Et nota, quòd ſicut in illo ſanctorum Sancto habitat per vniooem,ita in aliquo non habitat per gratiam, niſi ſancto. *Sapient.* 1. In maleuolam animam non intrabit ſapientia. Et *Iſa.* 17. Dominus excelſus eſt, & ſublimis æternitate, & ſanctum nomen eius in excelſo, habitans in ſancto.

5. *In te ſperauerunt.* Hîc ſecundum, in quo probat cauſam ſecundò aſſignatam, faciens argumentum quaſi à minori, quocumque modo legatur: tamen euidentius ſecundum quod refertur ad caput: facit enim hoc argumentum: Et ſperantes, & orantes Patres antiquos exaudiſti: ergo me exaudiſſes, ſi eſſet mea vtilitas. Duo ergo dicuntur. Primò, quòd Patres ſunt exauditi merito ſuæ ſpei. Secundò, quòd merito ſuæ orationis, ibi, *Ad te clamauerunt.* In prima duo. Primò tangit ſpei meritum. Secundò addit præmium ſeu fructum. *Et liberaſti eos.* Ait ergo: Sic clamantem de die, de nocte non exaudis. Et propter vtilitatem, quia *in te ſperauerunt Patres noſtri*, dicit Eccleſia de Gentibus congregata: Abraham, Iſaac, & Iacob, quorum ſumus filij, non increduli, & obſtinati in malitia, vt videre eſt ad *Galat.*3. qui ex fide ſunt, hi ſunt filij Abrahæ. Vel ſi loquatur caput pro ſe, parum mutatur. Antiqui enim ſancti, patres fuerunt Chriſti ad literam, ſecundum carnem. Ad *Rom.*9. Quorum patres, ex quibus Chriſtus, ſecundum carnem.

Et liberaſti eos, vt filios Iſraël de Ægypto *Exod.*14. Tres pueros de camino *Daniel.*3. Danielem de lacu leonum *Daniel. vlt.* Suſannam de manu ſacerdotum *Daniel.*13.

Ad te clamauerunt. Hîc eſt ſecundum, in quo oſtendit exauditos merito orationis ſuæ: & dicuntur quatuor. Primò tangitur orationis meritum. Secundò additur præmium. *Et ſalui facti ſunt.* Tertiò quaſi fructus quidam, ſcilicet ſpei augmentum. *In te ſperauerunt.* Quartò complementum rei ſperatæ. *Et non ſunt confuſi.* Ait ergo ſic: *Sperauerunt & ſalui facti ſunt*, & etiam *clamauerunt*, ſperando, ad te: & *ſalui facti ſunt*, frequenter à tribulatione ingruente. 2. *Eſdr.* 9. Clamauerunt ad te, & dediſti eis ſaluatores, qui ſaluarent eos. *In te ſperauerunt*, ſpem extendendo expectato fructu orationis: *& non ſunt confuſi* completo quod volebant. *Eccleſ.*2. Nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt. Poſſet etiam dici, quòd totum pertinet ad meritum ſpei.

Primò enim oſtendit ſpei meritum & præmium. Secundò extenſionem ſpei deſignauit in clamore: clamor enim ſpei eſt extenſio, quando dixit: *Ad te clamauerunt.* Tertiò expoſuit cum dixit: *Sperauerunt, & non ſunt confuſi.* Confuſus eſt qui extenſo ſinu ad acquirendum nihil accipit: vel qui minùs accipit, quàm impletionem ſinus ſui. Sed ſancti plus accipiunt quam poſſit capere ſinus ſpei. Ad *Rom.* 5. Spes non confundit. 1. ad *Corinth.* 2. Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparaſti diligentibus te. *Daniel.*3. Non erit confuſio confidentibus in te.

D. Alb. Mag. Comment. in Pſal.

Et nota, quòd tria ſunt ſperanda. Venia reuertentibus ad Deum. *Iſa.* 2. Reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius, & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum. Augmentum gratiæ proficientibus. In *Pſal.* Multiplicabis in anima mea virtutem. 2. ad *Corinth.* 9. Multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ. Et gloria peruenientibus & perfectis. In *Pſal.* Gratiam & gloriam dabit Dominus. *Tria ſperanda.*

Ego autem ſum vermis. Hîc eſt ſecundum in quo præmiſsâ conqueſtione delecti, ſequitur deiectionis ſcriptio, & explanatio. Et primò ex parte Chriſti tanguntur conditiones. Secundò ex parte Iudæorum deiicientium eum, & irridentium, ibi, *Omnes videntes.* In prima duo. Primò oſtendit deiectionem ſub metaphora vermis. Secundò exponit metaphoram. *Opprobrium hominum.* Dicit ergo: Sic illi exaudiuntur, ego non: imo *ego ſum vermis*, quod eſt abiectiſſima creatura, *& non homo*, creaturarum ſcilicet digniſſima. *Iob* 25. Homo putredo, & filius hominis vermis. *Iſa.* 53. Non eſt ei ſpecies neque decor: & vidimus eum, & non erat ei aſpectus. Et exponit ſe: *Opprobrium hominum*, quantum ad verba, *& abiectio plebis*, quantum ad facta. De primo *Matth.* 27. Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas. *Pſal.* Propter te ſuſtinui opprobrium. *Ierem.* 20. Factum eſt mihi verbum Domini in opprobrium. De ſecundo *Matth.* 26. Expuerunt in faciem eius. Et 27. Ipſo abiecto Barrabam elegerunt. *Thren.* 3. Eradicationem & abiectionem poſuiſti me in medio populorum. Vel poteſt legi, vt in primo quod dicitur, *Ego ſum vermis*, oſtendat ſuæ conditionis dignitatem, in hoc quod ſequitur, vilitatem, vt maior appareat deiectio. Et tunc ſic continua: Sic illi exaudiuntur: *Ego autem* cùm ſim illis multò excellentior, quia ſum vermis, ſine humano ſemine conceptus de impolluta terra, & virginea: *Et non homo*, id eſt, non peccator, ſicut primus, & alij per coitum deſcendentes ab eo. Sic enim homo accipitur aliquando in Scriptura. 1. ad *Corinth.* 3. Cum ſint inter vos zelus & contentio, nonne homines eſtis? 7.

Et nota, quòd Chriſtus vermis dicitur multiplici ratione. Primò: quia ſine concubitu natus de carne Virginis, ſicut vermis. *Iſa.* 11. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium. In terra repit humiliter. Sic Chriſtus conuerſatus eſt in terra valdè humiliter. *Baruch.*3. In terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. *Hieronymus*, Cœlum habitatio Angelorum, terra vermium: fecit Deus vermem aſcendere in cœlum, & in terram deiecit Angelum. Inſiliendo repit. *Iſa.* 53. Quaſi ouis ad occiſionem ducetur, & ſicut agnus coram tondente ſe obmuteſcet. Animantium deſpectiſſimus. Et in faciem illius Iudæi conſpuebant. *Iob* 30. Et faciem meam conſpuere non verentur. Tenerrimus ad tangendum. Nullam reſiſtentiam exhibuit clauis & lanceæ perforantibus. 2. *Reg.*22. Ipſe eſt quaſi tenerrimus ligni vermiculus. Duriſſimus ad penetrandum. Sic Chriſtus vſque ad corda duriſſima, imò vſque ad cordis intima. Ad *Hebr.* 4. Viuus eſt ſermo Dei, & *Dicitur Chriſtus vermis multis de cauſis.*

efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus compagum quoque ac medullarum. Imò & lapideum monumentum penetrauit: ſurrexit enim lapide non ſublato: ſed Angeli poſtea amouerunt. Imò cœlum, quod eſt ita ſolidum vt æs. *Iob* 37. Cœli ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt. Et inde penetrauit illos. Ad *Hebr.* 4. Habemus Pontificem qui penetrauit cœlos, IESVM. Ille eſt ergo vermis, quo diabolus ineſcatus fuit. *Iob* 40. Nunquid extrahere poteris Leuiathan hamo? putans enim deuorare humanitatem, captus eſt à ferro diuinitatis. Hic eſt vermis ſcaturiens de manna, ſcilicet de dulci Maria, *Exod.*16.

8. *Paritur irriſiones à militibus & etiam in ſua ſeruis.*

Omnes videntes me. Hîc ſecundum, in quo agitur de irriſione determinando conditiones irriſionis ex parte irridentium: & dicuntur duo. Primò determinatur irriſio ſecundum modum dictum. Secundò ratio ſic irridendi ipſum tangitur, ibi, *Quoniam tu extraxiſti me.* In prima parte dicuntur tria. Primò irriſum ſe dicit generaliter. Secundò diſtinguit irriſionis modos, & ſpecies, quia verbo & facto. *Loquuti ſunt labiis.* Tertiò ſupponit ipſa verba quæ loquuti ſunt irridendo. *Sperauit in Domino, eripiat eum.* Dicit ergo: Sic ſum vilis & abiectus: Et etiam *omnes videntes me. Omnes* dicit: quia etſi aliqui erant, qui non irriderent, pauciſſimi erant comparatione ad irridentes. *Ierem.* 20. Factus ſum in deriſum tota die: omnes ſubſannabant me. *Thren.*3. Factus ſum in deriſum omni populo: canticum eorum tota die. *Iob* 12. Deridetur iuſti ſimplicitas: lampas contempta apud cogitationes diuitum. Videntes Deum ſpecialiter ſunt clerici: quia non ſolum oculo fidei, ſed etiam intelligentiæ ſcripturæ vident Deum: ſed iſti irrident Chriſtum, ſicut in paſſione irriſus fuit: quia ſpinis coronatur, purpura veſtitur, ore tantum, non corde ſalutatur. Spinæ enim *Matth.* 12. ſunt diuitiæ: has congregant contra Chriſtum pauperibus Chriſti eſurientibus. *Hieronymus in quadam Epiſtola*, Egentium famem ſuas facit eſſe diuitias, & miſeris derelicta in ſuam tenet miſeriam. Idem ibidem, Nihil illo ditius, qui corpus Domini caniſtro portat vimineo, & ſanguinem in vitro, qui auaritiam proiicit de templo. Purpura veſtiuntur, qui in ſuperfluis veſtibus victualia pauperum expendunt. Et *Bernardus*, Fulget Eccleſia in parietibus, & in pauperibus eget: ſuos lapides auro induit, & ſuos filios nudos deſerit: de ſumptibus pauperum ſeruitur oculis: inueniunt curioſi quo delectentur, ſed non inueniunt miſeri quo ſuſtententur. Ore. *Iſa.*29. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. *Ierem.* 12. Propè eſt ori eorum, longe autem à renibus eorum.

Loquuti ſunt labiis. Hîc diſtinguit modos irridendi. Primò verbo. *Loquuti ſunt labiis.* Quaſi diceret: Non corde: imò magis habentes in corde contrarium, cum dicebant illud *Matth.*27. Aue Rex Iudæorum. Et illud in eodem, Si filius Dei eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.

Et mouerunt caput, irridendo facto, & volentes oſtendere forte ipſa ſui capitis motione, quòd in Deo capite non eſſet fixus. *Pſal.* Deus dereliquit eum, perſequimini & comprehendite eum. *Matth.*27. Blaſphemant eum mouentes capita ſua.

Sperauit in Domino. Hîc tertium in quo inſinuat ipſa verba quæ dicta ore irridendo, & ſunt duo in quibus irridendo improperabant: impotentia euadendi paſſionem, & reſurgendi, ibi, *Saluum faciat.* Ait ergo: Sic loquuti, dicêtes, ſupple. *Sperauit in Domino*, vt ait & ſimulauit, *eripiat eum* ergo de morte. *Matth.* 27. Confidit in Deo, liberet eum, ſi vult. *Sap.*2. Si verus Dei filius eſt, ſuſcipiet eum, & liberabit eum de manibus inimicorum. Vel ſi non eripit quin occidatur, *ſaluum faciat eum*, ſuſcitando, *quoniam vult eum*, voluntate beneplaciti, vt iactat ſe. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui *Matth.* 17. Et hæc fortè ad aliquos perueniant de Iudæis maximè de maioribus. Et fuerunt hæc verba Dauid magis Euangelica, quàm Prophetica. Propter hoc exclamat *Caſſiodorus* contra Iudæos: O dura corda Iudæorum, inſenſatæ mentes: nonne hic ſolus Pſalmus ad paſſionem credendam ſufficere debuiſſet? *Iſa.*48. Sciui quòd durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ænea. 9.

Quoniam tu es qui extraxiſti. Hîc eſt ſecundum, in quo ſubiicitur ratio irridendi, ſcilicet humanitas ipſius, quia videbatur homo verus, & credebatur homo purus, & dicuntur duo. Primò tanquam ratio irriſionis ponitur, in Chriſto humanitas, in Deo ſolo confidentia. Secundò conuerſio ad Deum, & oratio vt conſeruet ipſum, quia neceſſe eſt, ibi, *Ne diſceſſeris à me.* In prima tanguntur duo, tanquam ratio irridendi. Primò veritas humanitatis. Secundò plena in Deo confidentia. *Spes mea.* Dicit ergo: Sic irrident, ſic abiiciunt, & hoc *quia tu es, qui extraxiſti me*, hominem faciendo verum, *de ventre* matris meæ, id eſt, quoniam tua operatione homo factus ſum, quod ſi Deus manſiſſem, non fieret. 10. *Irriſionum occaſio ſpecies humana.*

Et nota, quod dicit, *Tu es qui extraxiſti me de vtero*: non alius. *Geneſ.*2. Homo non erat, qui operaretur terram, ſed fons aſcendebat de terra: fons, Dei ſcilicet verbum, de quo *Eccleſ.*1. Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis. Et dicit, aſcendebat, non deſcendebat vt alij. Et notatur in hoc, & Mariæ integritas in partu, & à dolore immunitas: illa enim manus de ventre matris Chriſtum extraxit, quæ de coſta Adæ Euam formauit: & ſicut ibi integritas, ſic hic. *Iſa.* 11. Ecce virgo concipiet & pariet filium. Et ſicut ibi immunitas à dolore, imò & maxima fuit delectatio in illa formatione, & ablatione: ſic in concipiendo & pariendo, non ſolum Virgo non doluit, ſed etiam maximam delectationem habuit. *Iſa. vlt.* Antequam parturiret, id eſt, dolorem in partu ſentiret, peperit. In quo non eſt modicum gaudium, maximè quando parit maſculum. *Ioan.* 16. Cùm autem peperit, non meminit iam preſſuræ, quia natus eſt homo in mundum. *Iſa.*49. Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei. Et in eodem, Formans me ex vtero Dominus ſeruum ſibi.

Spes mea. Hîc ſecundum, Confidentia, & tanguntur tria. Primò confidentia. Secundò

ſingula

ſingularitas confidentiæ. *In te proiectus ſum ex vtero.* Tertiò ratio quare confidit. *De ventre matris.* Dicit ergo ſic: Quia verus ſum homo, irrident, & etiam quoniam *tu es ſpes mea ab vberibus matris meæ*, id eſt, *ſpes mea* ſecundum illud, ſecundum quod ſugo vbera, de quibus *Luc.*11. Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. Nec ſumitur ſpes propriè, ſed pro confidentia, & notatur magna Chriſti perfectio. Chriſti, inquam, hominis, qui ab vbere ſemper in Domino confidentiam habuit, quod nec ſenes faciunt, ſed magis in terrenis confidunt. *Thren.*3. Iacuerunt foris in terra puer & ſenex. *Ierem.*6. A minore vſque ad maximum omnes auaritiæ ſtudent.

11. *In te proiectus ſum*, totaliter confidendo. Hoc importat proiectio ex vtero ipſo, quia non ſicut alij, qui naſcuntur in peccato. Ad *Epheſ.*2. Natura ſumus filij iræ, & concipimur. *Pſal.* Ecce in iniquitatibus conceptus ſum.

De ventre matris meæ. Hîc eſt tertium, ratio ſcilicet quare ſic confidit. Quare ſic confido perſeueranter: nec mirum, quia *tu es Deus meus*, Deus meæ humanitatis, & hoc *de ventre matris meæ*, id eſt, ex quo factus ſum de ventre matris meæ. Quaſi diceret: Secundum humanitatem meam *Deus meus es tu*, non ſecundum diuinitatem, quâ idem ſum tecum. *Ierem.* 1. Priuſquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua, ſanctificaui te. Et hoc etiam videtur dicere, quia de ventre matris cum coluerit, quod nullus alius, quia omnes in peccato ibi concepti, & nati peccatores. *Sap.*7. Nemo enim ex Regibus habuit aliud natiuitatis initium.

Ne diſceſſeris à me. Hîc ſecundũ totius huius partis. Præmiſſa enim cauſa & ratione quare perſequuntur ipſum, conuertit ſe ad orãdum: & dicuntur duo. Primò oratio. Secundò neceſſitas orandi monſtratur. *Quoniam tribulatio.* Ait ergo: Sic in te confido, & propter hoc rogo, *ne diſceſſeris à me.* Sed quomodo petit hoc, cum certus eſſet, quòd nunquam diſcederet, nec ſepararetur diuinitas ab humanitate? Reſponſio ſecundum quoſdam, quòd hoc non dicit propter ſeparationem naturæ à natura, quam ſciebat eſſe impoſſibilem, ſed pro ſeparatione quantùm ad conſolationem: nec tantum in ſe, quia de hoc non dubitabat, ſed quantum ad membra ſua, & potiſſimè vt nobis det orandi formam.

12. *Quoniam tribulatio.* Hîc ratio & cauſa ſic orandi, & tanguntur duo impellentia ad rogandum. Primum, tribulatio proxima & inſtantia. Secundum, adiutoris defectus, & carentia. *Et non eſt qui adiuuet.*

Dicit ergo: Sic rogo: nec mirum: *Quoniam tribulatio proxima eſt.* Loco: quia in ipſa mea carne, quæ valde proxima eſt animæ. *Caſſiod.* Quæcumque damna facultatum, orbitates filiorum, amiſſiones bonorum ſuſtinet, longinqua ſibi mala cognoſcitur ſuſtinere. Vel tempore proxima: tanto enim tempore prædicta tunc implebantur. In *Pſal.* Tribulationem & dolorem inueni. *Matth.*26. Ecce appropinquabit qui me tradet.

Et non eſt qui adiuuet. Ecce defectus adiutoris. *Iſa.*63. Circunſpexi, & non erat auxiliator. *Iob* 6. Ecce auxilium non eſt in me, neceſſarij quoque mei receſſerunt à me. *Iſa.* 63. Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum. Non eſt ergo qui adiuuet, niſi tu. *Pſal.* Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor. Tange breuiter duplicem aliam literam quæ eſt in Gloſſa.

Circundederunt me vituli multi. Hîc ſecunda pars principalis totius Pſalmi, in qua ſubiungitur deſcriptio paſſionis cum oratione pro gloria reſurrectionis, & dicuntur duo ſecundum hoc. Primò deſcriptio paſſionis tam clara, ac ſi iam tranſacta eſſet. Secundò de ipſo iudicio & morte, ibi, *Quoniam circundederunt me canes multi.* In prima duo. Primò quod anteceſſit paſſionem quantum ad Iudæos. Secundò quantum ad Apoſtolos. *Diſperſa ſunt omnia.* In prima parte tanguntur quatuor. Primò circundatio ad capiendum. Secundò obſeſſio ad conſeruandum ne effugeret. *Tauri pingues.* Tertiò oris apertio ad ipſum accuſandum. *Aperuerunt ſuper me.* Quartò poſtulatio mortis ipſius accuſati, imo magis occiſio quantum ad ipſos. *Sicut aqua.* Dicit ergo: Sic dixi tribulationem proximam, & vere proximam: quoniam *circundederunt me* cum gladiis & fuſtibus. *Matth.* 26. *Vituli multi*, Scribæ & Phariſæi authoritate & procuratione. Et dicuntur vituli, quia eorum mater, ſcilicet Synagoga dicitur vacca. *Oſeæ* 4. Sicut vacca laſciuiens declinauit Iſraël, de vbertate terrena & intelligentia carnali. Quaſi lacte ſaginati ſunt vſque ad recalcitrationem. *Deut.* 32. Incraſſatus eſt dilectus & recalcitrauit. Item vituli dicuntur non boues, quia ſine iugo. *Ierem* 5. Hi magis fregerunt iugum, ruperunt vincula. Item quia petulantes & laſciui. *Iſa.*50. Effuſi eſtis ſicut vitulus ſuper herbam.

13. *Secũda pars Pſalmi, paſſionis deſcriptio.*

Quatuor paſſiones ante cedentia.

Tauri pingues, Iudæorum ſcilicet principes, tauri per ſuperbiam. *Eccleſ.*6. Non te extollas in cogitatione tua ſicut taurus. Quia armati contra Chriſtum. *Iob* 15. Cucurrit aduerſus Deum extento collo, & pingui ceruice armatus eſt. Horum taurorum erant cornua duo: inuidia & ira, & intantum exeuntia de capite eorum, ſcilicet de mente, & intantum protenſa, vt extenderentur vſque in Deum. *Pſal.* Dixi iniquis, Nolite iniquè agere, & delinquentibus, nolite exaltare cornu: nolite extollere in altum cornu veſtrum. Hi tauri pingues, & temporalium rerum & bonorum abundantia, & quia legis paſcebant paſcua, & Prophetarum. *Caſſiod.* Omne pingue animal fit inquietum, & de manſueto ferox. Sic iſti plus. Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum. *Obſederunt me* ſicut caſtrum obſidetur ne poſſem euadere. Iſta obſeſſio fuit fraudulentum conſilium contra illum. *Ioan.*11. Conſilium fecerunt quomodo IESVM dolo tenerent & occiderent. Imò etiam iam mortuum in ſepulchro clauſum obſederunt: obſeſſio enim dicitur oſtij ſeſſio: & vtrumque ibi erat: hoſtes erant, & in oſtio ſepulchri ſedebant. *Iob* 26. Obſederunt in gyro tabernaculum meum.

Aperuerunt ſuper me. Hîc tertium, ſcilicet accuſatio: & dicuntur duo. Primò accuſatio. Secundò modus, ibi, *Sicut leo rapiens.* Ait enim: Sic circundederunt, & obſederunt, & poſt *aperuerunt ſuper me* ad accuſandum me, *os ſuum.* 14.

*Thren.*2. Aperuerunt ſuper te os ſuum omnes inimici tui. Et inuehitur hîc *Caſſiodorus* contra Pelagium, quia in malo poteſt homo aperire os ſuum per ſe, ſed in bono & ad bonum non poteſt ſine gratia Dei. Propter quod dicitur in *Pſal.* Domine labia mea aperies. In hoc autem quod dicitut, *ſuum*, ſecundum *Auguſt.* notatur oris abuſio. Quaſi diceret: Aperiunt os quo vtuntur non in ſcripturis tuis exponendis, ſed in abuſionibus ſuis adimplendis. Alioquin os tuum eſſet. *Ierem.* 15. Si ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meum eris. Suum etiam reputatione ſui. Suprà in *Pſal.* Labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt?

Sicut leo. Hîc exprimitur intentio ſeu finis apertionis, id eſt, accuſationis, ſcilicet ad occidendum: ideò dicit, *Sicut leo*: rapiens enim prædam, & rugiens ſuper raptam, ad hoc rapit & rugit lætando ſuper illam, vt deuoret ipſam. Ait ergo: Sic aperuerunt, *ſicut leo rapiens* ad deuorandum, *& rugiens* præ gaudio deuorationis expectatæ. *Ezech.*22. Sicut leo rugiens & rapiens prædam, rapuerunt animam inopis. *Amos* 3. Nunquid rugiet leo in ſaltu niſi habuerit prædam? *Ierem.*12. Facta eſt mihi hæreditas mea, quaſi leo in ſylua: dedit contra me vocem ſuam.

15. *Sicut aqua effuſus ſum.* Hîc eſt quartum, ſcilicet vilificatio eius, ſeu vilis occiſio quantum in ipſis fuit. Vnde dicit *Hieronymus*, quòd magis exprimitur hic eorum conatus, quam rei euentus. Ad hoc enim conati ſunt vt ipſum effunderent tanquam aquam, quæ effuſa in terram omninò dilabitur, & nuſquam comparet, nec relinquit odorem nec ſaporem. Sic ipſi ipſum voluerunt ſic extinguere, vt nulla eius omninò memoria remaneret. *Ierem.*11. Eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius. Secundum alios tangitur etiam euentus rei. Mors enim Chriſti ſicut aliorum generaliter comparatur aquæ effuſioni. 2. *Reg.*14. Omnes morimur & ſicut aqua dilabimur in terram, quæ non reuertitur.

Mors Chriſti aqua effuſa: quia lauat & rigat bonos, & quoad malos lubricum iter reddit.

Sed ſpecialiter propter tria, quæ tangit Gloſſa. Primò: quia aqua effuſa lauat: & mors Chriſti lauacrum fuit generis humani. *Apocal.* 1. Qui dilexit nos & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. *Ezech.* 36. Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. Item rigat: & Paſſio Chriſti ariditatem cordiũ noſtrorum ad faciendum fructum. *Pſal.* Rigans montes de ſuperioribus tuis, de plagis tuis factis te leuato in cruce. *Eccleſ.* 24. Quaſi aquæ ductus exiui de paradiſo, & dixi: Rigabo hortum glantationum mearum. *Zachar.* 13. Erit fons patens domui Dauid in ablutionem peccatorum, & menſtruatæ, ecce primum: & irrigabit torrentem ſpinarum, ecce ſecundum. Hæc duo quoad bonos. Tertium quoad malos, ſcilicet quod lapſum parat: facit enim veſtigia lubricari. *Luc.*2. Ecce hic poſitus eſt in ruinam multorum. Propter hoc dicitur in perſona illorum. *Thren.*3. Lubricauerunt veſtigia mea, in itinere omnium platearum. *Pſal.* Fiat via illorum tenebræ & lubricum, &c.

Diſperſio Apoſtolorũ.

Et diſperſa ſunt omnia. Hîc eſt ſecundum totius huius partis, in qua tanguntur præcedentia iudicium & mortem. Præmiſſis enim quæ pertinent ad inimicos, hic tangit quod ad Apoſtolos: & dicuntur duo. Primo diſperſio illorum, & fuga. Secundò ratio diſperſionis, ibi, *Factum eſt cor meum.* Dicit ergo: Sic videtur, & quid de Apoſtolis: *Omnia oſſa mea diſperſa ſunt*, omnes diſcipuli mei fugierunt. *Zachar.* 13. Percute paſtorem, & diſpergentur omnes oues gregis. *Pſal.* Elongaſti à me amicum & proximum, & notos meos à miſeria. Et dicuntur Apoſtoli oſſa, propter hoc quod futuri erant, non quod iam erant. Sicut enim oſſa ſunt totum robur corporis, & totum corpus ſuſtinentia, ſic Apoſtoli totius corporis, quod eſt Eccleſia. Ideò enim columnæ dicuntur. Ad *Galat.*2. Iacobus & Ioannes & Cephas, qui videbantur columnæ eſſe. Et in *Pſal.* Ego confirmaui columnas eius, quaſi fundamentum. Ideò dicitur ad *Epheſ.* 2. Superædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, &c.

Cauſa huius diſperſionis.

Factum eſt cor meum. Hîc eſt ſecundum, & ponuntur rationes diſperſionis eorum, & tanguntur quatuor. Prima eſt doctrinæ quaſi annihilatio in Diſcipulis. Secunda, miraculorum ſubtractio. *Aruit tanquam teſta.* Tertia, ignorantiæ per ſilentium ſimulatio. *Et lingua mea.* Quarta, præſumptio detentionis eius in morte. *Et in puluerem mortis.* Dicit ergo: Sic oſſa ſunt diſperſa: & hoc *quoniam cor meum*, id eſt, doctrina mea, continens pro contento, *factum eſt liqueſcens* per annihilationem admoto tribulationis igne. *In medio ventris mei.* Cœtus Apoſtolorũ adhuc mollis & infirmus ſicut eſt vẽter.

Nota ergo, quòd doctrinam Chriſti appellat cor. Et rectè: quia ſicut cor eſt principium vitæ, & fons. *Prouerb.*4. Omni cuſtodia ſerua cor tuum: ex ipſo enim vita procedit. Sic de Chriſti doctrina, tanquam de fonte vita procedit. *Pſal.* Viuifica me ſecundum verbum tuum. *Prouerb.* 13. Lex ſapientis fons vitæ. Hæc ſapientia admota tribulatione, quæ ignis eſt, liquefacta eſt. *Eccleſ.*2. Igne probatur aurum, & argentum: homines verò receptibiles in camino humiliationis. Et comparatur optimè ceræ: quia ſicut cera per apes de floribus colligitur, ſic ipſa per humiles inueſtigatores de ſpeciebus creaturarum. *Iob* 28. Sapientia trahitur de occultis. Propter hoc dicitur *Prou.*11. vbi humilitas, ibi ſapientia. ſicut vbi apis, ibi cera. Et ſicut cera nobiliſſimum fomentum eſt luminis: ſic doctrina Chriſti nobiliſſimum fomentum noſtræ cognitionis. Propter hoc dictũ eſt repellentibus hanc doctrinam *Matth.*15. Sinite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum. Sed de anima ſibi ceram hanc adhibenti. *Prouerb.* 31. Non extinguetur de nocte lucerna eius. Item ſicut ceræ intima patent adhibito igne: ſic Scripturæ intima patuerunt adhibita Chriſti paſſione: *Matth.*27. Velum templi ſciſſum eſt à ſummo vſque deorſum. Propter hoc dicitur *Sapient.*7. Tanquam lutum æſtimabitur aurum in conſpectu eius. Et ita legibus præponitur: Supet ſalutem, quantum ad medicinam, & ſpeciem quoad philoſophiam dilexi eam, & propoſui pro luce habere illam.

Doctrina Chriſti cera comparata.

Ergo cor factum eſt liqueſcens tanquam cera. Vbi? *In medio ventris*, cœtus Apoſtolorum qui adhuc non oſſa, ſed molles valde, non adhuc

adhuc in gratia confirmati. *Seneca de naturalibus quæſtionibus. lib.* 1. O quam contempta res eſt homo, niſi ſe ſupra humana ſurrexerit, reſiſtens tentationum impulſui. *Thren.* 1. Abierunt abſque fortitudine ante faciem ſubſequentis.

16. *Aruit tanquam teſta.* Hic ſecunda cauſa, quare ſic ceſſit eruditio, & doctrina. Et etiam virtus mea, qua feceram miracula inter eos, *aruit* illorum reputatione, quaſi annihilata, tanquam teſta, quæ nihil eſt, nec valet aliquid. *Abac.* 3. Ibi abſcondita eſt fortitudo eius: & propter hoc contempta facta eſt. *Matth.* 27. Si filius Dei eſt, deſcendat de cruce nunc. Quaſi diceret: ad nihilum virtus miraculorum eius deducta eſt.

Et lingua mea. Ecce tertium, ſimulatio ignorantiæ per ſilentium. Ait enim: Sic fortitudo & virtus annihilata eſt, & etiam lingua mea adhæſit faucibus meis, id eſt, quaſi adhærens fuit. *Matth.* 27. Non reſpondit ei vllum verbum. *Iſa.* 53. Quaſi agnus coram tondente ſe obtumeſcet, & non aperuit os ſuum. *Eccleſ.* 20. Eſt tacens non habens ſenſum loquelæ. Et eſt tacens ſciens tempus apti temporis. 1. *Pet.* 2. Cum autem maledíceretur, non maledicebat: & cum pateretur, non comminabatur.

Et in puluerem mortis. Hic quarta cauſa. Ait enim: *Et in puluerem mortis*, ad quem mors deduxit, *deduxiſti me*, illorum æſtimatione. *Geneſ.* 3. Puluis es, & in puluerem reuerteris. Sic crediderunt de me. *Pſal.* Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum. Sed non fuit ita, imò ſicut ſupra, non dedit Sanctum ſuum videre corruptionem. *Et in puluerem mortis*, in ſepulturam, vbi corpus ponitur neceſſariò, & ſic in puluerem deducitur. Quid eſt terra niſi puluis? Et hoc euidentius dicit ſine terra. Hieronym. In humum mortis deduxiſti me. Et propter hoc quia morientem viderunt, etiam diſperſi ſunt & fugerunt Apoſtoli. *Iob* 30. Comparatus ſum luto, & aſſimilatus ſum fauillæ & cineri.

17. *Deſcriptio paſſionis.* *Quoniam circundederunt me.* Hic eſt ſecundum huius partis, in qua agitur de Paſſione. Præmiſſis enim iis quæ anteceſſerunt mortem & cõdemnationem Chriſti, hic ſubiungitur de ipſa condemnatione, & morte, & modo mortis: & dicuntur quatuor. Primò adiudicatio. Secundò crucifixio. *Foderunt manus meas.* Tertiò inimicorum delectatio in eius afflictione. *Ipſi vero conſiderauerunt me.* Quartò diſtractio rerum tanquam damnati. *Diuiſerunt ſibi.* In prima duo. Primò petitio impij iudicij ab aduerſariis. Secundò deliberata adiudicatio ſicut petitum eſt. *Conſilium malignantium.* Dicit ergo: Sic me circundederunt vt vituli, & vt tauri ad cupiendum vilificauerunt. Et Apoſtoli diſperſi ſunt, & bene: *Quoniam circundederunt me canes multi*, Iudæi, Scribæ, & Phariſæi. Ecce comparantur beſtiis: vitulis propter laſciuiam, tauris propter ſuperbiam, leonibus propter crudelitatem, canibus propter impudentiam. *Pſal.* Homo cum in honore eſſet, non intellexit, cõparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Et bene canibus comparantur, quia inſaturabiles Chriſti inhonoratione. *Iſa.* 56. Canes impudentiſſimi neſcientes ſaturitatem. Item quia ambulanti in via recta Chriſto oblatrabant. *Matth.* 22. Magiſter ſcimus quia verax es & viam Dei in veritate doces. Die ergo nobis, &c. Sed oblatratio erat, vnde ſtatim poſt: Cognita autem IESVS nequitia illorum. *Ioan.* 8. Dæmonium habes. Item mordent nulla eis illata iniuria. Sic ipſi Chriſtum. *Matth.* 27. Crucifige, crucifige eum. Et præſes, Quid enim mali fecit? Item magis extraneos infeſtant, quàm notos. Sic ipſi Chriſtum, quia extraneus & diſſimilis. *Sap.* 3. Grauis eſt nobis; etiam ad videndum, quoniam diſſimilis nobis eſt vita illius. Item quia veloces & prompti ad nocendum ſicut canes. *Prouerb.* 1. Pedes eorum ad malum currunt, & feſtinant vt effundant ſanguinem. Item ſagaces ſunt multum canes in odorando, & de longè olfaciunt. Sic ipſi Chriſtum à longè ſenſerunt, id eſt, à lege & Prophetis. *Ioan.* 12. Nos audiuimus à lege quoniam Chriſtus manet in æternum. Item Ambroſius, Omnis fera ægra canis hauſto ſanguine curatur, ſed canis non. Sic hauſto Chriſti ſanguine, qui Iudæus fuit, omnes curantur præter ipſos. *Hebr.* 7. Manifeſtum eſt quod de Iuda natus eſt Dominus IESVS-CHRISTVS. Propter hoc exclamat *Ierem.* in 8. Stupor obtinuit me: nunquid reſina non eſt in Galaad? aut medicus non eſt ibi? Quare ergo non eſt obducta cicatrix populi mei? *Iſidor.* Nouis vocibus oblatrant. Sic Iudæi audito illo, Mandatum nouum do vobis, actutum latrauerunt. Item *Iſidor.* Canum natura eſt extra homines eſſe non poſſe. Sic Iudæi in omnes gentes ſunt diſperſi, ne ſoli eſſent, & ne viderentur non eſſe canes. *Ierem.* 13. Diſpergam illos, virum à fratre ſuo, & patrem & filios, dicit Dominus. Item *Hieron.* Canum proprium, vt Domino proprio congaudeant, & contra latrones latrent. Sed è contra degeneres canes Iudæi, contra proprium Dominum latrauerunt. *Ioan.* 19. Secundum legem noſtram debet mori, quia filium Dei ſe fecit. Et latroni congaudebant *Ioan.* 19. Non hunc, ſed Barrabam. Sed nox fuit in cauſa, in tenebris enim erant excæcationis. *Matth.* 26. Tanquam ad latronem exiſtis cum gladiis & fuſtibus comprehendere me. Quotidiè eram apud vos in templo docens, & non me tenuiſtis: ſed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.

Aduerſarij Chriſti comparati canibus.

Concilium, vel conſilium: & quodlibet bonum eſt, ſed melius vtrumque: hic enim tangitur deliberata adiudicatio: & in concilio adiudicatur multitudo adiudicantium. Adiudicauit enim Cayphas, & Annas, & omne concilium Iudæorum. In concilio notatur vnitas illorum in illam malitiam. In *Pſal.* Reges terræ & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Et *Ioan.* 11. Collegerunt Pontifices, & Phariſæi concilium vt IESVM dolo tenerent, & occiderent.

Concilium malignantium. In *Pſal.* Auertantur, & reuereantur qui maligna loquuntur ſuper me. Vel malignantes poſſunt dici Gentiles, quibus eſt traditus poſt iudicium. *Pſal.* Quis conſurget mecum aduerſus malignantes, aut quis ſtabit mecum aduerſus operantes iniquitatem?

Obſedit me ſicut ciuitatem. Et dicit *Caſſiod.* quòd

quòd optimè dicit: quia in ipſo erat ciuitas Ieruſalem, omnes ſcilicet boni & iuſti ab ipſo electi. 1.*Ioan.*4. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Et ipſe erat tanquam murus. *Iſa.* 26. Saluator ponetur in ea murus & antemurale. Vnde & ictus linguarum Iudæorum, tanquam quarundam machinarum ſuſtinuit.

18. *Chriſtus crucifixus.*

Foderunt manus. Hîc ſecundum, crucifixio ſcilicet, ſiue iudicij præmiſſi executio. Et tanguntur duo quæ fuerunt in crucifixione. Primò membrorum perforatio. Secundò corporis diſtenſio. *Dinumerauerunt.* Dicit ergo: Sic obſederunt me Gentiles, & poſt *foderunt manus meas & pedes meos* clauis perforando, & cruci configendo. Et loquitur in præterito de re futura, certitudine prophetali. *Zach.*13. Configet eum Pater eius, ſumus Pontifex Caiphas: & mater eius, Synagoga, & dicent, Non prophetabis amplius in nomine Domini. Et nota, quòd non dixit, Transfixerunt, vel confixerunt manus meas, ſed foderunt. Ad hoc enim fit foſſio, vt vt foſſa fructificet. *Caſſiodor.* Corpus Chriſti clauis affixum & lancea latus perforatum, fructum nobis attulit ſine fine manſurum. Fructum fidei inde reportauit Thomas, quando eo palpato dixit, Dominus meus, & Deus meus. *Ioan.*20. *Geneſ.*36. Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Sed nunquid indigebant illi agelli manuum & pedum foſſione vt fructificarent? Non ſine dubio non erat illa terra maledicta, quæ ſine labore fructificare non poterat, ſed benedicta terra, quæ ante foſſionem fructificarat, ſemper opera bona faciendo. *Marc.* 4. Super terram fructificat. Ideò conqueritur per *Ierem.* 2. Nunquid ſolitudo factus ſum Ieruſalem, aut terra ſerotina? Item foderunt ad aquam hauriendum, quo eorum ſiccitas irrigaretur. *Num.*21. Aſcendit puteus quem foderunt principes tribuum. *Ezech.*47. Ecce aquæ redundantes à latere dextro. *Geneſ.*2. Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum. Item ad habitaculum humilibus faciendum. *Prou.*30. Lepuſculus, plebs inualida, collocat in petra cubiculum ſuum. *Iſa.*2. Ingredere in petram, Chriſtum. 1. ad *Corinth.*10. Petra autem erat Chriſtus. Et abſcondere in foſſa humo. *Cant.*2. Veni columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. *Ierem.* 48. Eſto quaſi columba nidificans, in ſummo ore foraminis. Ad theſauros requirendos. *Iob* 3. Gaudent vehementer cum inuenerint ſepulchrum, quaſi effodientes theſaurum. Sic in Chriſto vt theſauros nobis inuenirent. Ad *Coloſſ.*2. In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi.

Quare dicitur, foderũt, ſcilicet vt terra foſſa fructificet, & aqua hauriatur inde, & ſit nobis habitaculum & theſaurus.

Dinumerauerunt. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic foderunt, & dinumerauerunt, id eſt, extendendo corpus, numerabilia fecerunt, *omnia oſſa mea. Auguſt.* Non poterat melius deſcribi extenſio corporis eius in ligno. Manus ergo fodiuntur, vt ſanguis effluat ad lauandas maculas corporis Eccleſiæ: corpus extenditur ad rugas remouendas. Ad *Epheſ.*5. Exhibebit ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam neque rugam.

19. *Inſultant Chriſto.*

Ipſi verò conſiderauerunt. Hîc eſt tertium, in quo monſtratur delectatio eorum in eius afflictione iuxta lecturam aliam: legitur enim primo ſic, vt hæc duo referantur ad cognitionem. Quaſi diceret: Sic extenderunt me, ſic foderunt & manus & pedes: *Ipſi vero conſiderauerunt, & inſpexerunt*, intus aſpexerunt per vulnerum apertionem, nihil aliud cogitantes vel cognoſcentes in me, niſi quod extrinſecum eſt, & non verbi & diuinitatis meæ veritatem. *Iſa.*6. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, vt oculis ſuis non videant, & corde non intelligant.

Vel ſic: *Ipſi vero conſiderauerunt* magnam adhibentes diligentiam. Dicit enim *Iſid.* quod conſideratio à ſyderibus nomen accipit, quia per id quod intuebatur in ſydere exterius, aliud interius ſcrutabatur. *Et inſpexerunt* delectando: inſpectio enim importat oculi fixionem, & vbi amor, ibi oculus: non quod amarent Chriſtum, ſed eius pœnam. *Eccleſ.* 31. Memento quoniam malus eſt oculus nequam. Sic ergo miſeri non tantum cor, linguam, manum, ſed etiam oculos reos habuerunt. *Caſſiodorus.* Petræ ſciſſæ ſunt, terra contremuit, ſol amictu ſe tenebroſo, ne tantum ſcelus videret, abſcondit, & proh dolor! iniquitas ipſorum oculis in ſacrilegio fixis permanſit immobilis.

Conſideratio à ſydere.

Diuiſerunt ſibi. Hîc eſt quartum, diſtractio rerum eius, tanquam irreuocabiliter damnati. Et tangitur veſtium eius, alias enim res non habebat, diuiſio, per partium diſtributionem. *Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea*, quatuor milites qui crucifixerunt. Alia, inquam, veſtimenta à tunica, *Et ſuper veſtem meam*, tunicam ſcilicet inconſutilem, *miſerunt ſortem.* Et diſtributio per ſortem quantum ad tunicam. Et nota, quòd veſtis interior eſt virtus, quæ eſt veſtis Chriſti. *Luc.vlt.* Donec induamini virtute ex alto. *Eccleſ.*17. Et veſtiuit illum, ſcilicet ſe, virtute. Exterior autem ſunt virtutum opera. *Eccleſ.*50. Et veſtiui eum in conſummatione virtutis. Veſtimenta autem iſta hypocritæ diuidunt, qui opera exteriora ſine virtutibus interioribus oſtendunt. *Matth.*6. Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, ecce veſtis exterior: intrinſecus autem ſunt lupi rapaces, ecce qui interiori carent. Charitas autem eſt tunica inconſutilis, ſed per totum, filis amoris extenſis ab vno vſque ad alterum concepta. 1.*Petr.*4. Ante omnia, ſicut tunica eſt primum veſtimentum, mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes. Hæc ſorte Dei habetur, ſola Dei voluntate cordibus noſtris infunditur.

Diuiſio veſtium ad literam & moralis.

20. *Oratio Chriſti pro reſurrectione.*

Tu autem Domine ne elongaueris. Hîc eſt ſecundum totius huius partis, in qua agitur de paſſionis deſcriptione. Præmiſſa enim diligenti deſcriptione afflictionis Chriſti, ſubiungitur de oratione facta pro acceleratione reſurrectionis, & remotione volentium impedire illam, & dicuntur tria. Primò petit auxilij acceleratione. Secundò defenſionis diligentiam. *Ad defenſionem.* Tertiò ſpecificat à quibus quærat defendi. Dicit ergo: Sic illi, ſed *tu Domine* Deus Pater, *ne elongaueris à me auxilium tuum* ſicut ab illis, quos in puluere relinquis vſque in diem iudicij, ſic enim mortem communi lege non meruerat, noſtra enim mors fuit pœna pro peccato, ſua autem mors, magis hoſtia pro peccato, quia volun

voluntariè ſe ad mortem obtulit. *Iſa.* 53. Oblatus eſt, quia ipſe voluit. *Chryſoſt. ſuper. Matth.* Neceſſitas & voluntas nunquam parem merentur honorem : ſed ipſe voluntate mortuus eſt. *Ioan.* 10. Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam, non neceſſitate. Nos neceſſitate, & ob hoc minori debemur honore honorari, ipſe maiori. Et ſic ſua reſurrectio cum noſtra non debuit retardari, ſed fieri ſtatim. Item ſua reſurrectio cauſa eſt noſtræ. *Auguſtin. ſuper Ioan.* Omnem animam ſuſcitat Deus per Chriſtum filium Dei, corpora, per eundem filium hominis. Et hoc dicit *Paulus* 1. *ad Corinth.* 15. Si Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus. Et iterum : Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors eſt, &c. ſed cauſa ante effectum eſſe debet.

Ad defenſionem. Ecce ſecundum. Quaſi diceret : Non ſolum celeriter me liberes, ſed etiam ſedulò *conſpice ad defenſionem meam*, vt me cuſtodias in ſepulchro quoad corpus, & in inferno quantum ad animam, illud defendendo à putrefatione, hanc autem à detentione : quod & factum eſt. *Pſal.* Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

21. *Defendi petit à morte & Iudæo, & dæmone.*

Erue à framea Deus animam. Hîc ſpecificat à quibus velit defendi : & dicuntur tria, ſecundum tria à quibus petit erui. Primò, quòd à morte. Secundò, quòd à Iudæo perſequente. *Et de manu canis.* Tertiò, quòd à diabolo. *Salua me ex ore.* Dicit ergo : Sic defende ſollicitè : ſed à quo ? *Erue à framea*, id eſt, à morte, *animm meam.* Et nota, quòd non petit, vt non moriatur, ſed vt mortuo ipſo per ſeparationem animæ à carne, anima ab illa ſeparatione eruatur : quod eſt ipſam iterum ſuo corpori viuendo vniri. Framea autem dicitur mors : quia mors diuidit animam à corpore, ſicut frameæ eſt diuidere. 1. *Reg.* 15. Siccine ſeparat amara mors ?

Vel quia mors framêâ efficitur frequenter, ſicut litera dicitur manus, quia manus eſt effectus. Dicit enim *Caſſiodor.* Framea ſignificat ſiue haſtam, ſiue gladium, ſiue quælibet arma. Lingua autem detractionis dicitur framea : quia corda diuidit charitate vnita. *Pſal.* Lingua eorum gladius acutus. *Eccleſ.* 28. Lingua tertia multos commouit, & turbauit pacem habentes, & diſperſit illos de gente in gentem. Et infrà : Lingua tertia mulieres iratas eiecit, quæ ſunt vnum corpus cum viris ſuis.

Et de manu canis, Iudæi, qui canis eſt rationibus ſupra dictis, *vnicam meam*, animam meam. Quodam enim modo ſub manu, & poteſtate erat, cum in limbo erat : ſic enim erat vt volebant. Dicitur autem vnica eius beata anima : quia immunis à peccato ſola. *Iob* 14. Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine ? Nonne tu qui ſolus es ? Vel vnica : quia ſummè diuinitati vnita. 1. ad *Cor.* 6. Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt. *Vnica:* quia non temporalibus diſtracta, ſicut illi de quibus in *Pſal.* A fructu frumenti vini & olei ſui multiplicati ſunt. Et *Oſeæ* 8. Diuiſum eſt cor eorum : nunc interibunt.

22.

Salua me ex ore leonis. Hîc tertium, in quo petit à dæmone defenſionem : & dicuntur duo. Primò petit defenſionem ab eius auiditate quâ appetebat eum deuorare. Secundò ab eius elatione. *Et à cornibus.* Dicit ergo : Sic erue me de manu canis, & etiam *ſalua me* in manifeſtatione hominum : ſemper enim ſaluus ero in te. *Ex ore leonis*, ex auiditate dæmonis quærentis me deuorare ſicut & alios. *Iob* 40. Abſorbebit fluuium & non mirabitur : ſed adhuc ſperabit quod Iordanis influat in os eius : ille, in quo omnes baptizantur & mundantur. Os ſuum multum aperuerat leo iſte, quando & Sanctos deuorabat quodammodo, quando ab ingreſſu regni impeditos tenebat in limbo, quaſi in ore ſuo : ſed abſque vllo termino dilatauit, quando Chriſtum deuorare voluit. *Iſa.* 5. Dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino. Quantum autem ad præſens, leo dicitur diabolus propter caudæ longitudinem. Nunquid non bene longa eſt, quæ ſecum traherere potuit tertiam partem ſtellarum ? *Apocalypſ.* 12. Propter vnguium ſuarum occultationem. 2. ad *Corinth.* 11. Transfigurat ſe Angelus ſathanæ in Angelum lucis : ponens vngues quaſi in vagina bonitatis. Tertiò : quia ſicut leo animalium, ſic hominum ſanguinem ſemper ſitit. 1. *Pet.* 5. Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. *Dæmon leoni comparatur.*

Et à cornibus. Hîc ſecundum, in quo petit liberari ab elatione. Ait enim : Sic me libera ab auiditate, & etiam *à cornibus vnicornium*, à potentia quæ ſignificatur in cornibus *vnicornium*, dæmonum, qui ſignificantur per vnicornes. Eſt enim ſuperbiſſimum animal : & diabolo nihil ſuperbius. *Pſal.* Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper. *Iob* 39. Nunquid volet rinoceros ſeruire tibi ? Rinoceros eſt vnicornis. *Salua*, id eſt, ſaluatam manifeſta, *humiliatem meam*, id eſt, me ratione humilitatis meæ. Hoc eſt verum & proprium humilitatis meritum ſaluari & exaltari, quod hîc petitur. *Luc.* 14. & 18. Qui ſe humiliat, exaltabitur. Ad *Philip.* 2. Propter quod & Deus exaltauit illum, &c. Legitur & de Iudæis, qui dicuntur vnicornes, propter vnicum teſtamentum de quo ſuperbiebant.

23. *Fructus paſſionis gratiarũ actio.*

Narrabo nomen tuum fratribus. Hîc eſt tertia pars totius Pſalmi. Præmiſſa enim afflicti compoſitione, deſcripta paſſione, & oratione completa pro reſurrectionis acceleratione, ſubiungitur de fructu conſequente paſſionem, qui gratiarum actio, & aliorum inuitatio ad bonum non horaria, ſed perpetuò continuanda : & ſecundum hoc dicuntur duo. Primò fructus, ſcilicet gratiarum actio, & prædicatio nominis Dei. Secundò huius fructus perpetuatio, ibi, *Et anima mea illi viuet.* In prima duo ſecundum duplicem fructum quem tangit, & de quo agit. Primò prædicatio diuini nominis & laus eius ad illuminandum humanum intellectum. Secundo perceptio Sacramenti Dominici corporis ad informandum & perficiendum affectum, ibi, *Edent pauperes & ſaturabuntur.* In prima duo. Primò promiſſio de prædicando & laudando Deo, & aliorum inuitatio adhoc ipſum. Secundò qua intentione, & vbi, & in quo debeat laudari propriè Deus, oſtendit, ibi, *Apud*

te laus mea. In prima duo. Primò ſe promittit prædicaturum. Secundò inuitat alios ad hoc ipſum. *Qui timetis Deum.* In prima duo. Primò promittit ſe prædicaturum. *Narrabo.* Secundò laudaturum extollendo illum,de quo prius erat narratio. *In medio Eccleſiæ.*

Dicit ergo : Sic oro : quod ſi compleueris, *narrabo*, &c. Vel : Sic hoc patior, & hic eſt ſequens fructus, *Narrabo nomen tuum.*Quibus? *fratribus meis,* Apoſtolis. Hoc verum eſt,& hoc fuit prædicando eis poſt reſurrectionem, & ſcripturas aperiendo. *Luc.vlt.* Incipiens à Moyſe & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus ſcripturis. Et tunc etiam verum erat illud *Ioan.*17. Pater, manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi.Vel tunc narrauit mirabili & efficaci modo, quando Spiritu ſancto in illos miſſo, interius inſtruxit. *Ioan.*16. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Fratres autem eos dicit hîc Propheta, ſicut Chriſtus fratres eos vocauit *Ioan.*20. Vade ad fratres meos, & dic eis : Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, &c. Fratres autem dicit, non tantum propter hoc quod eſt eis conformis natura. *Geneſ.*37. Caro enim & frater noſter eſt ipſe: ſed quia per bonam operationem & charitatem ſunt coniuncti ad inuicem. *Matth.*12. Qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ille mihi frater, & ſoror, & mater eſt. Hinc diſce humilitatem, ille enim excelſus ſuper omnes gentes, ille qui dicit *Ioan.*13. Vos vocatis me Magiſter & Domine, & benè dicitis : ſum etenim : hic nominat ſe nomine paritatis. Ad *Hebr.* 2. Non dedignatur eos vocare fratres. Sed notandum, quòd multi volunt eſſe fratres eius ex parte matris miſericordiarum, ſed non ex parte matris Mariæ, quæ ſonat amarum mare. Tamen dicitur *Prouerb.* 17. Et frater in anguſtiis comprobatur. Et ad *Hebr.* 12. Quod ſi extra diſciplinam eſtis, adulteri eſtis, & non filij : & ita neque fratres.

In medio Eccleſiæ, non in angulo. *Caſſiodor.* In conſpectu multorum viſa bona operatio præſtat exemplum. *Ioan.* 20. & *Luc. vlt.* Stetit IESVS in medio diſcipulorum, qui erant parua quædam Eccleſia, & ſtetit in medio, tanquam centrum totum ſuſtinens & portans. *Pſal.* Deus in medio eius non commouebitur. *Eccleſ.*15. In medio Eccleſiæ aperuit os eius.

Laudabo te : quod addit ſuper narrationem ſimplicem. *Eccleſ.* 51. Laudabo nomen tuum aſſiduè, & collaudabo illud in confeſſione.

24. *Qui timetis Dominum.* Hîc eſt ſecundum: aliorum inuitatio ad laudandum.Secundò probatio, quòd debent, ibi, *Quoniam non ſpreuit.* In prima inuitat primò imperfectos. Secundò proficientes. *Vniuerſum ſemen Iacob.* Tertiò perfectos. *Timeat eum.* Dicit ergo : Sic narrabo, & inuito alios, *Qui timetis Dominum*, tanquam incipientes adhuc, *laudate eum. Tob.*13.Aſpicite quæ facit vobiſcum, & cum tremore benedicite illi, Regemque ſæculorum exaltate in operibus veſtris. *Iudith.* 3. Laudate Dominum Deum veſtrum,quia non deſerit ſperantes in ſe. Et bene inuitans ad laudem præmittit timorem Domini, quia, ſicut dicit *Caſſiodor.* Timor humanus non laudem Dei parturit, ſed vitupera-

tionem : ſed Dei timor quia iuſtus eſt & rectus, laudem generat, amorem tribuit, ardorem charitatis inflammat.

Vniuerſum ſemen. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic laudate incipientes, & vos *vniuerſum ſemen Iacob*, ſcilicet proficientes: Iacob enim luctator, proficientes autem in lucta ſunt : *glorificate eum*, gloriosè laudate, id eſt, ad eius gloria & laudem quæcumque facitis, ordinate.

Et nota, quòd dicit *vniuerſum*, vt notet multitudinem operum bonorum in actiuis & proficientibus. *Luc.* 10. Martha, Martha ſollicita es & turbaris erga plurima.Semen autem dicit, propter multiplicationis verbum : debent enim boni proficientes, ſemper opera bona multiplicare, & tanquam ſemper ſemina quædam reputare. *Pſal.* Euntes ibant, & flebant, mittentes ſemina ſua.

Glorificate eum, quadrupliciter, corpora per pœnitentiam glorificando.1.ad *Corinth.6.* Glorificate & portate Deum in corpore veſtro. Bona quæ facitis & quod proficitis, ad ipſum referendo. 1. ad *Corinth.* 10. Siue comeditis, ſiue bibitis, ſiue aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite. Alios ad bonum exemplo veſtro bono prouocando. *Matth.* 5. Videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Ipſum laudando, & opera illius enarrando. Sic accipitur hîc. *Eccleſ.*43. Glorificate Deum quantum poteſtis : ſuperualebit enim adhuc.

Timeat eum omne. Ecce tertium. Quaſi dicere- 25.
ret : Sic laudent incipientes, ſic proficientes, & etiam *omne ſemen Iſraël*, videntium Deum, contemplatiuorum ſcilicet, & perfectorum, *timeat eum* timore caſto, & ſancto, qui permanet in ſæculum ſæculi, qui eſt ſuper omnem laudem & glorificationem. *Eccleſ.* 26. Timor Domini omnibus ſe ſuperponit. Et in 40. Timor Domini, ſicut paradiſus benedictionis, & ſuper omnem gloriam operuerunt eum. Et in eodem, Facultates & virtutes exaltant cor, & ſuper hæc timor Domini. Sicut enim timor ſeruilis eſt initium ſapientiæ, ſicut dicitur in *Pſal.* Sic timor caſtus conſummatio. *Eccleſ.* 1. Plenitudo ſapientiæ timere Deum. Propter hoc dicit qui teſtimonio diuino ita perfectus erat, in 23. A facie eius turbatus ſum, & conſiderans eum, ecce contemplatio : timore ſollicitor, ecce timor, Et notatur, quòd laus refertur ad os, glorificatio ad opus & manum, & timor ad cor, vt ſic totus homo adſtringatur Deo.

Quoniam non ſpreuit. Hîc ſecundum, in quo ponit cauſas quare ſit laudandus : & dicuntur duo. Primò : quia non recuſauit deprecantem. Secundò : quia exaudiuit. *Et cum clamarem.* In prima remouet tria per quæ ſolet repelli oratio. Aut cum negligit qui petitur : & hoc primò remouet.Aut cum contemnit:& hoc ſecundò.*Nec deſpexit.*Aut cum ex indignatione & quaſi odio auertit faciem.*Nec auertit.* Ait ergo. Sic narrabo, & vos laudetis & glorificetis : & dignum eſt, *quoniam non ſpreuit* negligendo, *nec deſpexit*, contemnendo, *deprecationem pauperis*, mei ſcilicet, dicit Chriſtus : ipſe enim pauper in *Pſal.* Pauper ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea. Vel pauperis cuiuſcunque. Nec

mirum:

mirum: apud Deum enim pauperes magni principes ſunt. *Matth.5.* Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Et *Michæ.* 7. dicitur, Principes poſtulat, & iudex in reddendo eſt.

Et notatur ſecundum *Caſſiodorum* diuerſitas inter homines & Deum. Ait ergo: Solent in honore mundi gloriantes ſemper verè pauperes deſpicere ſupplicantes, causámque de habitus qualitate metiri: vt ſi ſit veſtibus nitidus, verax putetur: ſi habitu ſordidus, mendaciſſimus habeatur. Sed longè aliter apud Deum. Egenus illi pretioſus eſt, qui tamen fuit ſanctitate ditiſſimus. *Iacob.* 2. Nonne pauperes elegit Deus in hoc mundo, diuites in fide, hæredes regni? Et nota, quòd eſt duplex paupertas: vna ſpiritualis, quæ eſt humilitas, de qua *Matth.5.* Beati pauperes ſpiritu. Hi ſunt qui non ambulant in magnis, nec in mirabilibus. Mendicus ſum, ſcilicet rebus, & pauper, humilis ſpiritu, & Dominus ſollicitus eſt mei.

Nec auertit faiem ſuam à me, indignando tanquam odiens: & eſt tertium. *Ioan.11.* Ego ſciebam, quoniam ſemper me audis, & habes ad me faciem tanquam ad rem amatam. *Matth.* 3. & 17. Hic eſt filius meus dilectus. Et innuit vt à paupere non auertatur facies diuitum, ſed magis reſpiciatur oculo miſericordiæ. *Tob.* 4. Noli auertere faciem tuam ab vllo paupere, ita enim fiet vt nec à te auertatur facies Domini.

Et cum clamarem ad eum, exaudiuit me. Hoc dicit ne diceretur ei: Negationes nihil ponunt. *Ion.* 2. Clamaui, & exaudiuit vocem meam. Exaudiuit autem clamorem triplicem. Clamorem quo clamauit pro ſe. *Ioan.17.* Pater clarifica filium tuum. Pro ſuis in eodem, Pater ſerua eos in nomine meo quos dediſti mihi. Et pro inimicis. *Luc.24.* Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Primum exaudiuit. *Ioan.12.* Et clarificaui, & iterum clarificabo. Nec eſt contrarium ei, quod ſupra dicebatur, Clamabo per diem, & non exaudies: illud enim ad veterem hominem referebatur, & hoc ad nouum, illud pro corpore Eccleſiæ dicebatur, hoc pro proprio: illud pro voluntate ſenſualitatis, & hoc pro voluntate rationis.

Triplex oratio Chriſti, pro ſe, pro ſuis, & pro inimicis.

26. *Apud te laus mea.* Hîc eſt ſecundum, in quo ſubiungitur, qua intentione laudet. Et hoc primò. Et in quo loco, & hoc ſecundò. *In Eccleſia magna.* Et in quibus, & hoc tertio. *In populo graui.* Dicit ergo: Sic narrabo & alios inuitabo, & hoc non quærendo laudem ab homine, ſed *laus mea eſt apud te*, id eſt, vt te poſſim tantum laudare. Vel laudo & glorifico, vt lauder à te. *Ioan.* 8. Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt. Eſt Pater meus qui glorificat me. *Matth.6.* Si oculus tuus, intentio operis tui fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit.

In Eccleſia magna, Eccleſia ſcilicet Catholica, id eſt, vniuerſali, quæ per totum mundum eſt diffuſa. *Iſa.44.* Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas. *Malach.* 1. Ab ortu ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco offertur & ſacrificatur oblatio munda nomini meo. Et ideò non parua, ſicut quondam quando dicebatur: Notus in Iudæa Deus tantum. Nec tantum in Affrica, ſicut dicunt Donatiſtæ. Magna etiam poteſtate. *Matth.* 16. Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, &c. *Matth.10.* Dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, vt eiicerent eos, & curarent omnem languorem & infirmitatem. Et multo maior poſſe ſuper dæmonem de quo *Iob* 41. Non eſt poteſtas quæ ei valeat comparari. Magna dignitate. *Cant.6.* Vna eſt columba mea, vna eſt matris ſuæ, electa genitrici ſuæ, Eccleſiæ ſcilicet militanti. Magna duratione. *Matth.vlt.* Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. *Luc.22.* Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua. *Eccl.40.* Fides in ſæculum ſtabit.

Vota mea. Hîc tertium, in quo erit laus in votorum ſcilicet redditione. Quaſi diceret: Sic laudabo & in Eccleſia: & in hoc erit laus, quia *reddam vota mea:* & hoc non vt videant omnes, ſed *in conſpectu timentium eum.* Dominum ſcilicet. Mutat perſonam. Nota ergo, quòd votum dicitur, quia voluntate tenetur. Hoc ergo fuit ſe dare in noſtram refectionem: vnde hîc dicit, *Reddam*, id eſt, iterabo: prius enim dedit ſe ſemel in ara crucis: iterum dat ſeipſum in ara Eccleſiæ vniuerſalis. *Iſa.19.* Vota vouebunt Domino, & ſoluent. In *Pſal.* Reddam tibi vota mea quæ diſtinxerunt labia mea. Et hoc *in conſpectu*, vt credant oculis veræ fidei *timentium Deum. Eccleſ.2.* Qui timent Deum, non erunt incredibiles verbo eius.

Edent pauperes, & ſaturabuntur. Hîc ſecundum beneficium ſequens ex paſſione, & pertinens ad informationem affectus: ſimiliter effectio per Sacramentum corporis Dominici: & dicuntur duo. Primò in quibus, & qualiter ſit Sacramentum hoc fructuoſum. Secundò quibus non eſt fructuoſum, etſi ſumant ipſum, ibi, *Manducauerunt.* In prima parte duo dicuntur. Primò à quibus dignè ſumitur, & quis in eis fructus. Secundò quis conficiendi modus, & quæ reuerentia exhibenda, ibi, *Reminiſcentur.* In prima duo. Primò à quibus. Secundò quem fructum conſequentur. *Et ſaturabuntur.* Dicit ergo: Sic reddam vota mea corpus meum dando: ſed quibus? propriè pauperibus: vnde ſubdit: *Edent pauperes*, id eſt, edere debebunt, non diuites, qui ſatis habent alia, quibus eorum reficitur anima. *Luc.12.* Anima mea habes multa bona repoſita in annos plurimos, comede, &c. Sed de pauperibus dicitur. *Iſa.14.* Paſcentur primogeniti pauperum, & pauperes homines in ſancto Iſraël exultabunt. Deus enim tenet in corporis ſui regulam quam dat. *Iſa.58.* Frange eſurienti panem tuum. Quid ergo diuites non debent communicare menſæ altaris Chriſti? Reſponſio. Triplex ſtatus eſt paupertatis. Summus, plena voluntas nihil habendi. Medius, voluntas indifferens habendi, vel non habendi. Infimus, voluntas habendi, ſed ſub Deo. Omnes iſti pauperes edere poſſunt. Qui non ſunt in aliquo iſtorum graduum, digni non ſunt vt comedant.

27.

Triplex ſtatus pauperum.

Et ſaturabuntur. Hîc fructus conſequens ex hoc vſu, & tangitur triplex. Primus, interna refectio. Secundus, exultatio in Deum. *Et laudabunt.* Tertius, æterna ſaluatio. *Viuent*

corda eorum. Ait ergo : Sic edent pauperes & ſaturabuntur. *Prou.* 13. Iuſtus comedit & replet animam ſuam : venter autem impiorum inſaturabilis. In *Pſal.* Et adipe frumenti ſatiat te : quaſi pauperes & eſurientes reficit. *Chryſoſt.* Saturari non poterant , niſi quos ſpiritualis tenebat eſuries. Quod autem ſaturentur, ſignum eſt , ſi comedentes comeſto aſſimilentur. Neceſſarium enim eſt aſſimilationem fieri inter comedentem, & comeſtum : ſed in cibo corporali aſſimilatur comeſtum comedenti , hic autem comedens comeſto. *Auguſt. lib. Confeſſ.* Non tu me mutabis in te , ſicut cibum carnis tuæ : ſed tu mutaberis in me. Propter hoc dicit *Auguſtin. in gloſſa* , Saturantur qui patiendo imitantur. Sed ſunt multi qui communicare volunt refectioni, non paſſioni, ſicut Iudas. *Eccleſ.* 16. Eſt amicus ſocius menſæ, & non permanet in die neceſſitatis.

Et laudabunt Dominum. Hîc ſecundum , ſcilicet gratiarum actio pro refectione : & dicuntur duo. Primò gratiarum actio. Secundò intentio referendi gratias. *Qui requirunt.* Ait enim ſic : Saturabuntur & laudabunt Dominum etuctantes propter ſaturitatem illam. *Pſal.* Beati qui habitant in domo tua Domine , in ſæcula ſæculorum laudabunt te , pro ſecuritate illa, in cuius craſſitudine delectabuntur. *Iſa.* 55. Et delectabitur in craſſitudine anima veſtra. Nec mirum ſi laudant: quia in eadem ſcutella ſimul propinantur eis tria optima fercula. Corpus Chriſti quod eſt infimorum optimum : nullum enim corpus ita bonum ſicut illud. Anima, quæ in naturis mediis , ſpiritibus ſcilicet creatis , optima. Et diuinitas , quæ eſt optimum in ſupremis , imò ſolum ſupremum bonum & excellentiſſimum. Sub illa panis ſpecie latent hæc omnia. E contra mundi diuites ſaturati non laudant Deum, ſed vel ſeipſos qui fecerunt illa parari , vel cibos, quia ſunt boni : vel coquos, quia ſunt bene parati. *Oſeæ* 13. Iuxta paſcua ſua adimpleti ſunt , & ſaturati , & leuauerunt cor ſuum , & obliti ſunt mei.

De Euchariſtiæ præſtantia & fructu.

Qui requirunt, etiam in laudando eum, Dominum ſcilicet. Multi enim gratias agunt aliquando , ſed in hoc Deum non requirunt , ſed proprium commodum & fauorem humanum & mundanum. *Iſa.* 21. Si quæritis , quærite. Si quæritis laudando , quærite , intentionem laudis ad ipſum referendo.

Viuent corda eorum. Quaſi diceret : Sic ſaturabuntur , ſic lætabuntur , & hæc duo in præſenti : & tandem virtute illius cibi *viuent corda eorum* , & hoc non tantum in præſenti , imò *in ſæculum* conſecuutiuum *ſæculi. Ioan.* 6. Si quis manducauerit ex hoc pane , viuet in æternum. Et in eodem , Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Contra diuites comedunt vt viuant corporaliter , & tantum in hoc ſæculo , & æternaliter poſtmodum moriantur. *Luc.* 16. Mortuus eſt diues , & ſepultus in inferno.

28. *Reminiſcentur.* Hîc eſt ſecundum, in quo demonſtrat modum conſecrandi corpus Chriſti ſecundum vnam lecturam : ſecundum aliam autem cum tetigerit fructum quantum ad ſumentes ſpecialiter , tangit quantum ad totam Eccleſiam generaliter. Et tanguntur tria, quæ concurrunt ad confectionem. Primò recordario Dominicæ paſſionis in intellectu. Secundò conuerſio ad Deum toto affectu. *Et conuertentur.* Tertiò reuerentiæ exhibitio in actu exteriori. *Et adorabunt in conſpectu eius.*

Dicit ergo : Sic edent pauperes, & vt poſſint edere , *reminiſcentur* primò in conficiendo, paſſionis meæ. Memoria enim paſſionis meæ conficient , & tranſibit in corpus meum cibus materialis. *Matth.* 26. Hæc quotieſcunque feceritis , in mei memoriam facietis. 1. ad *Corinth.* 6. Hoc facite in meam commemorationem.

Et conuertentur, affectu *ad Dominum vniuerſi fines terræ* , pauperes qui non ſtant in medio terrenorum , accipientes ſuperfluitatem de terrenis , ſed in fide , quia ad neceſſitatem. *Iſa.* 45. Conuertimini ad me , & ſalui eritis vniuerſi fines terræ. Vel vt ſit fructus. Quaſi diceret: Sic in ſumentibus, & etiam *vniuerſi fines terræ*, totus mundus , *reminiſcentur* intellectu , *& conuertentur ad Dominum* affectu. Vel diuites , quorum corda vſque ad fines terræ extenduntur. *Thren.* 3. Recordare paupertatis meæ, & transgreſſionis , abſynthij , & fellis. Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea. Ecce conuerſio. *Iſa.* 40. Videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri. Et dicit *Auguſt.* quòd recordatio ſiue reminiſcentia , eſt in cognitionem præhabiti occaſione ſimilium animi recurſus. Et mirum quomodo non recordamur tota die eius , cuius habemus tot memorialia intus apud nos: ipſam animam noſtram , quæ ad eius imaginem eſt facta. *Geneſ.* 1. Faciamus hominem ad imaginem , & ſimilitudinem noſtram. *Eccleſ.* 17. Secundum imaginem ſuam fecit illum. Exteriùs ad aures ſacram Scripturam. *Ioan.* 1. Quem ſcripſit Moyſes in lege , & Prophetæ , inuenimus IESVM à Nazareth. *Pſal.* In capite libri ſcriptum eſt de me. Oculis exterioribus omnem creaturam. *Sapient.* 13. A magnitudine ſpeciei & creaturæ, potuit eorum creator viſibiliter intelligi. Ipſi tactui Sacramenti fractionem & ſumptionem , ſicut hic dicitur.

Et adorabunt in conſpectu eius. Hîc tertium, ſcilicet exhibitio reuerentiæ in cultu etiam exteriori : hoc enim eſt proprium adorare. Quaſi diceret : Sic intellectu recolunt , affectu conuertuntur , & *vniuerſæ familiæ Gentium.* Fiat diſtributio pro generibus ſingularum , id eſt, de vniuerſis familiis aliqui *adorabunt* , ſe ad literam inclinando , *in coſpectu eius. Deuter.* 6. Dominum Deum tuum adorabis , & illi ſoli ſeruies. *Iſa.* 27. Adorabunt Dominum in monte ſancto in Ieruſalem, in Eccleſia Sanctorum. Et oſtenditur in hoc modus ſe habendi in confectione corporis Domini , quia debemus eſſe proni ad treram ante Deum , volentes impetrare tantum beneficium. Notatur etiam fructus , quia ad literam coram ipſo Chriſto poſtquam eſt ibi in Sacramento , habentes præſentialiter Deum noſtrum. *Iſa.* 17. Inclinabitur in illa die homo ad factorem ſuum , & oculi eius ad ſanctum Iſraël reſpicientes , & non inclinabitur ad altaria quæ fecerunt manus eius.

Hoc autem præter modum dictum, quod dicitur, *in conſpectu eius* , legitur tripliciter : quia *in conſpectu eius* poteſt dicere, quaſi actum Dei,

vbi

vbi ſcilicet Deus conſpicit, ibi, *adorabunt*, in conſcientia ſcilicet. 1. *Reg.* 16. Deus autem intuetur cor. *Ioan.* 4. Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. *Gregor.* Sufficit ab eo videri, à quo expectas remunerari. Vel actum adorantium exteriorem. *Adorabunt in conſpectu eius*, id eſt, cadent ante eum in adorando. *Pſal.* Omnes gentes quaſcumque feciſti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum. Vel actum gratiæ, & eſt ſenſus: *Adorabunt in conſpectu eius*, id eſt, credent in eum fide ſyncera: vnde de cæco illuminato *Ioan.* 9. Credo Domine, & procidens adorauit eum.

Quoniam Domini eſt regnum. Hîc ſecundum, ſcicet ratio quare adorare ipſum dignum eſt, & iuſtum: & notantur duo. Primò dignitas. Secundò poteſtas. *Et ipſe dominabitur.* Dicit ergo: Sic adorabunt, & iuſtum erit, *quoniam Domini*, quem adorabunt, *eſt regnum*, ecce dignitas, non idolorum. *Hieron.* Regnum diaboli cecidit: & regnum Chriſti aduenit. *Ioan.* 12. Nunc Princeps huius mundi eiicietur foras. Vere Domini eſt regnum, quia vexillum Chriſti, non tantum in ciuitatibus, vel etiam in domibus, in Eccleſiis, ſed etiam in ſingulorum frontibus imprimitur & portatur. In *Pſal.* Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. *Iſa.* 11. Leuabit ſignum in nationes procul, & congregabit profugos Iſraël.

Et ipſe dominabitur gentium. Ecce poteſtas. *Daniel.* 7. Poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur. Et in *Pſal.* Et dominabitur à mari vſque ad mare. Ex hoc apparet, quòd ſi ipſe eſt Dominus, eius eſt regnum, cum vnius poſſeſſionis ſit vnus, verus & capitalis Dominus. Quod ipſe eſt omnium capitalis Dominus, & omnes pendere debent ab eo, & ipſi debent ſeruitium. *Apoc.* 19. Habet in veſtimento & in femore ſcriptum: Rex regum, & Dominus dominantium. Et ſeruitium eſt latria, quæ debetur ei, de qua, *Et adorabunt eum*, ſuprà parum. Et ſicut Dominus quando ſeruitium non redditur ei, terram accipit: ſic ipſe frequenter facit. *Exod.* 10. Sedes ducum ſuperborum deſtruxit, & ſedere fecit mites pro eis. *Daniel* 4. Scias, quòd excelſus dominetur in regno hominum, & cui voluerit det illud.

30. *De vſu Euchariſtiæ à malis ſumpta.*

Manducauerunt & adorauerunt. Hîc ſecundum illius partis, in qua agitur de ſumptione Sacramenti. Cum enim oſtenderet à quibus, & qualiter, & qua vtilitate bene ſumitur, hic oſtenditur à quibus malè, & damnum ſequens ex tali ſumptione. Duo ergo dicuntur. Primò ſumptio ab indignis. Secundò pœnæ inflictio ibi, *In conſpectu eius.* Dicit ergo: Sic pauperes, ſument, & hæc bona ſequentur: Sed *pingues terræ omnes*, id eſt, diuites: vnde *Hieron.* Diuites terræ, qui terrena ſibi amore incorporant, non pingues ſpiritu: frequenter enim contingit quod diuites in poſſeſſionibus pingueſcunt carne, & ſpiritu remanent macilenti. *Deut.* 32. Conſtituit eum ſuper excelſam terram, vt comederet fructus agrorum. Et quid ſequitur? Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit, inobediens fuit, & indeuotus, & ſic ſpiritu maculatus. Hi ergo pingues *manducauerunt* ſacramentaliter, & *adorauerunt* exteriori geſtu, & ſuperficialiter. Sed non facit mentionem de refectione media ſicut ſupra, quando loquebatur de pauperibus. 2. ad *Timoth.* 3. Voluptatum amatores, magis quam Dei, habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.

In conſpectu eius. Hîc tangitur pœna. Quaſi diceret: Sic comedunt. Sed nunquid creſcunt ſicut pauperes, qui creſcunt mirabiliter addito ſibi capite Chriſto, & toto corpore Eccleſiæ? Certe non. *Sed in conſpectu eius*, id eſt, Dei: etſi aliter forte ſit in conſpectu hominum, *cadent* in culpam, de culpa in pœnam, mortem ſcilicet feſtinantiùs, & poſt hoc in æternam. *Omnes qui deſcendunt* per amorem *in terram*, ad terrena ſcilicet. *Iſa.* 24. Grauabit eam, ſic miſeram animam iniquitas ſua, & corruet. 1. ad *Corinth.* 11. Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. *Luc.* 10. Videbam Satanam, quaſi fulgur de cœlo cadentem. Et bene dicit: *Deſcendunt in terram*, non aſcendunt: aurum enim quod diligunt, & argentum in viſceribus eſt terræ. *Matth.* 6. Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum.

Et anima illi viuet. Hîc eſt ſecunda pars tertiæ partis huius, in qua ſubiungitur fructus continuatio, quia nunquam de cætero ceſſabit conuerſio ad Deum per narrationem prædicationis & ſumptionem ſacramenti altaris, & dicuntur duo. Primò Propheta in ſe oſtendit continuationem ſpecialiter. Secundò in alios generaliter. *Annuntiabitur.* In prima duo. Primò continuatio fructus in ſeipſo. Secundò in ſuis. *Et ſemen meum ſeruiet ipſi.* Dicit ergo: Sic pingues terræ cadent. *Et anima mea*, ſumens illum ſpiritualiter, *illi viuet.* Sed Dauid nunquam ſumpſit Chriſti corpus ſacramentaliter. Reſponſio. De ſpirituali ſumptione intelligitur, ſi loquitur de ſe, vel pro ſe. Sed poteſt dici, quòd loquitur in perſona iuſti, quaſi admirantis & congratulantis ad prædicta. *Anima*, inquit, *mea illi viuet. Ioan.* 6. Qui manducat me, ipſe viuet propter me. *Viuet*, inquam, *illi.* Ad *Galat.* 2. Viuo ego, iam non ego, viuit autem in me Chriſtus. Etſi ab hominibus mortua videatur, tamen Deo viuit. Ad *Coloſſ.* 3. Vita noſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. 31.

Et ſemen meum, quod ſuccedet mihi, *ſeruiet ipſi.* Non carnales, ſed credentes per me. Ager enim magnus eſt Eccleſia per totum mundum dilatata. *Matth.* 13. Ager autem mundus. Et in *Pſal.* Pulchritudo agri mecum eſt. In hoc agro ſeminantur fideles tanquam grana ad fructificandum. 1. ad *Corinth.* 3. Dei ædificatio eſtis, Dei agritultura eſtis. *Ioſ.* 24. Ego & domus mea ſeruiemus Domino. Hanc culturam ſanguine ſuo calido & humido rigauit Chriſtus vt fructificaret, & prætereà ſanguine Martyrum. *Matth.* 27. Et vocatus eſt ager Haceldama, hoc eſt, ager ſanguinis, vſque in hodiernum diem. Vel *ſemen*, opera, quæ omnia debent ſeruire Deo, vt ad eius laudem fiant omnia & gloriam. 1. ad *Corinth.* 10. Siue bibitis, ſiue comeditis, ſiue aliquid aliud facitis, omnia in laudem Dei facite.

Annuntiabitur Domino. Hîc eſt ſecundum, in quo monſtratur continuatio quantum ad illas 32.

generationes, & dicuntur tria. Primò quod aliis generationibus fructuosè prædicabitur. Secundò per quos fiet illa prædicatio. *Et annuntiabunt.* Tertiò continuatio annuntiationis monstratur, ibi, *Populo qui nascetur.* Dicit ergo: Sic in me & in meis, & etiam *annuntiabitur*, id est, prædicabitur. Sic accipitur hîc. *Generatio ventura*, sicut dicitur, populus iste prædicabitur: & hoc *Domino*, id est, ad honorem & gloriam Domini. Iste modus loquendi. *Matt.*11. Pauperes euangelizantur. Hoc etiam probat litera Hebræorum, quæ sic habet: *Narrabitur Domino in generatione ventura.* Et hæc generatio ex turpi & inimica Deo, fiet & pulchra & amica valde. *Sap.*4. O quam pulchra est casta generatio cum claritate! vel cum charitate.

Et annuntiabunt cœli. Quasi quæreret, quis, & à quibus fiet hæc annuntiatio, ad honorem Dei cedens, addit: *Et annuntiabunt cœli*, cœlestes viri, & prædicatores nihil terrenum quærentes: *Iustitiam eius.* Hi sunt cœli de quibus supra in *Psal.* Cœli enarrant gloriam Dei. *Daniel.* 12. Qui docti fuerint, quasi splendor firmamenti. Hæc autem iustitia Dei quam annuntiabunt, ipse Christus est. 1. ad *Cor.* 1. Qui factus est nobis à Deo Patre iustitia, sanctificatio, & redemptio.

Populo qui nascetur. Hîc notatur continuatio. Quasi diceret: Sic annuntiabunt: Et *populo qui nascetur*, id est, sicut nascetur, & succedet, *quem fecit Dominus*, non parentes carnales. 2. *Machab.*7. Nescio qualiter in vtero meo apparuistis, nec enim spiritum & animam ego dedi vobis, neque singulorum membra ego compegi. Vel *populo qui nascetur* spiritualiter illa natiuitate, de qua *Ioan.*3. Nisi quis venatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnũ Dei. *Ioan.*1. Dedit illis potestatẽ filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Et hanc natiuitatem facit Deus: quomodo enim posset tot filios generare Ecclesia, nisi virtute diuina? *Isa.*66. Miratur: Nunquid pariet terra in die vna? aut parietur gens simul? *Act.*2. Bapizati sunt, & appositæ sunt circiter animæ tria millia. Mulier autem, sicut dicunt, non potest ad plus parere nisi octo. Vnde Plinius dicit, sicut puto, quòd fausta quædam mulier portentuosa fœcunditate octo genera uit, quatuor mares, & quatuor fœminas. Hanc generationem facit Deus, vt constat, recreando. *Psal.* Cor mundum crea in me Deus. Et *Isa.* 43. In gloriam meam formaui eum, creaui eum, & feci eum.

IN XXII. PSALMVM.

1. *Psalmus Dauid.*

2. *Argumẽtum Psalmi, reditus populi à Babylone vel peccato per Christi sanguinem.*

Dominus regit me & nihil mihi deerit. Hic est Psal. 22. in quo postquam in præcedenti Psalmo actum est de Christi passione, fructu passionis, doctrina scilicet & Eucharistia, consequenter agitur de reductione populi Dei à statu peccati, quod est spiritualis Babylonia, in figura populi reducti de materiali: quia & hoc consequens est ad passionem, doctrina, & sacramento mediante. Item in præcedenti Psalmo actum est de passione quasi admonendo nos ad compassionem ipsius patientis pro nobis: in hoc monet sperare de misericordia iam regnantis, & hoc ordine iusto: quia si compatimur, & conregnabimus. Ad *Rom.*8.

Præponitur autem titulus breuis, *Psalmus Dauid.* Et tangitur causa efficiens Psal. secundum quam Glossa, Dauid non pro Autore Psalmi, sed pro illo in cuius persona loquitur Dauid, scilicet pro Ecclesia, accipitur hic: vt sit sensus: Psalmus hic attribuitur Dauid, id est, Ecclesiæ, quæ est manu fortis in actiuis. *Prouerb. vlt.* Mulierem fortem quis inueniet? Et vultu desiderabilis in contemplatiuis. *Cant.* 2. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Psalmus autem potest diuidi in tres partes. Primò agendo gratias tangit Ecclesia bona in bonum ordinata, siue collationem boni. Secundò beneficia ordinata in amotionem mali. *Nam & si ambulauero.* Tertiò notatur finis vtriusque siue vtrorumque beneficiorum, ibi, *Vt inhabitem in domo Domini.* In prima parte tanguntur quatuor, secundum quatuor beneficia ordinantia in bonum. Primum est gratia dirigens in bonum tanquam docens quò eundum. Secundum est gratia sustentans, & præbens necessaria in via. *Et nihil mihi deerit.* Tertium, gratia totaliter conuertens intuitum mentis in finem, vt non suspiret ad relicta. *Animam meam conuertit.* Quartum est gratia compendium ostendens, vt cito possit venire ad terminum, ibi, *Deduxit me super semitas.*

Quadruplex gratia à Christo Ecclesiæ collata.

Dicit ergo: Dominus regit me. Si loquitur in persona Ecclesiæ, generaliter est verum, quòd Dominus eam regit sicut ductor viatorem ne deuiet. *Sap.*10. Iustum deduxit Dominus per vias rectas. Sicut lux in tenebris ambulantem, ne exorbitet. *Ioan.* 12. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Sicut pastor gregem, ne à lupis pereat. *Ierem.*18. Ego non sum turbatus te pastorem sequens. Sicut gubernator nauem, ne submersionem in fluctibus huius mundi patiatur, sustentat. *Sap.* 14. Tua autem Pater, prouidentia gubernat, quoniam dedisti & in mari viam, & inter fluctus semitam tutissimam, vel firmissimam. Et infrà: Cum perirent gigantes superbi, spes orbis terrarum ad ratem confugiens, remisit sæculo semen natiuitatis, quæ manu tua erat gubernata. Sicut magister scholam suam. *Ioël.*3. Lætamini in Domino Deo vestro, qui dedit vobis rectorem iustitiæ. Sicut Rex regnum & prouinciam suam. Ad *Rom.*15. & *Isa.*11. Erit radix Iesse, qui exurget regere gentes, in eum gentes sperabunt. Vel sic secundum quod de quolibet iusto. *Dominus regit me*, vt puer cæcum. *Iob* 31. Oculus fui cæco, & pes claudo. *Gen.*37. Puer non comparet, & ego quò ibo? Vt sessor equum. Hinc *Psal.* Vt iumentum factus sum apud te. Et regit eum quasi frænis laudis. *Isa.* 48. Laude mea infrænabo te, ne intereas. Et tanquam calcaribus punctionis tentationum. 2. ad *Corinth.*12. Datus est mihi stimulus carnis meæ. In *Psal.* Multæ tribulationes iustorum.

Christus variis modis regit.

Et nihil mihi deerit. Imò me abundanter in via sustentabit. Vnde litera *Hieron.* & *August.* Dominus pascit me, & nihil mihi deerit. Duo

ergo

ergo dicuntur. Primo abundantia rerum in generali. Secundò ſpecificatio. Primò quoad cibum. *In loco paſcuæ.* Secundò quoad potum. *Super aquam refectionis.* Ait ergo: Sic *regit*, viam demonſtrando. *Et nihil mihi deerit*, in omnibus neceſſariis ad ſuſtentamentum vitæ per illum abundando. *Luc.* 22. Quando miſi vos ſine ſacculo & pera, nunquid aliquid vobis defuit? Et dixerunt ei: Nihil. *Chryſoſt.* Omnia alia propter hominem fecit Deus, hominem propter ſe. Si ergo animatibus miniſtrat propter ſeipſum. *Pſal.* Apertis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Nihil enim mihi deerit in futuro: quia ad *Coloſſ.* 3. Omnia in omnibus Chriſtus. *Auguſt.* Quid ei deeſſe poterit, qui omnia habentem habebit? *Iudic.* 18. Intrabimus ad ſecuros in regionem latiſſimam, in quo nullius rei eſt penuria.

In loco paſcuæ. Verè nihil deerit: quia *in loco paſcuæ*, in Scripturis ſcilicet in quibus paſcuntur animæ. *Ezech.* 3. Cibauit me volumine illo. *Hieron. ad Florentium*: Noſti hoc eſſe animæ pabulum, ſi in lege Domini meditetur die ac nocte. *Deuter.* 6. & *Matth.* 4. Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Et nota, quòd bona paſcua propter vbertatem, latitudinem, quietem, & dulcedinem. *Ezech.* 34. In paſcuis vberrimis paſcam eas, ecce primum: in montibus excelſis Iſraël erunt paſcuæ earum, ecce ſecundum: ibi requieſcent in herbis virentibus, ecce tertium: in paſcuis pinguibus paſcentibus, ecce quartum. In paſcuis vberrimis quoad literalem ſenſum, in montibus quoad allegoricum, in herbis virentibus quoad moralem, in paſcuis pinguibus quoad anagogicum. Et vere nihil deeſſe poteſt in illis paſcuis: quia omnis vita, omne bonum in his paſcuis inuenitur. *Sap.* 7. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.

Quid paſcua ſpiritualia commendet.

Ibi me collocauit: quia hæc paſcua nullus ingredi poterit ſine Deo. *Apocalypſ.* 5. Nemo poterat nec in cœlo, nec in terra, nec ſubtus terram aperire librum. *Apocalypſ.* 5. Claudit, & nemo aperit: aperit, & nemo claudit.

3. *Super aquam refectionis* quantum ad potum. Præmiſſo enim de cibo, ſubiungit de potu. *Cantic.* 5. Comedite amici, bibite, & inebriamini chariſſimi. *Eccleſ.* 15. Cibauit illum pane vitæ & intellectus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potauit illum. Hæc aqua dicitur refectionis: quia ad literam, non tantum potat, ſed reficit & nutrit animam, ſicut aliqui piſces nutriuntur ex ſola aqua ſecundum quod dicunt iſti verſus:

Quædam animalia ex puris elementis alũtur.

Quatuor ex puris vitam ducunt Elementis,
Cameleon, talpa, maris halec, & ſalamandra.

Vnde bonus Theologus, qui totum ſe immergit in diuina Scriptura, & in illa reficitur, eſt halec bonum. *Abac.* 1. Facies homines ſicut piſces maris. Vel aquam refectionis vocat aquam baptiſmatis, quaſi iteratæ factionis, quia primo factum corporaliter per naturam, poſtea fit iterum per aquam baptiſmalem ſpiritualiter. *Ioan.* 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non intrabit in regnum cælorum. Item aqua refectionis dicitur: quia ſtatim adulto poſt baptiſmum datur Euchariſtia: ſicut poſt ablutionem manuum datur cibus, ſic poſt baptiſmum Chriſti corpus. Vnde ſicut illa aqua poſſet dici aqua refectionis, ſic aqua baptiſmatis. *Iſa.* 55. Omnes ſitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite.

Animam meam conuertit. Ecce tertium. Quaſi diceret: Sic regit, ſic ſuſtentat & nutrit in via, & etiam animam meam conuertit, in ſe totaliter intendentem, vt affectus & intellectus totus in ipſum tendit abluta anima arefacta. *Thren.* 4. Conuerte nos Domine, & conuertemur ad te. *Oſeæ* 14. Conuertere Iſraël ad Dominum Deum tuum, quoniam corruiſti iniquitate tua. *Thren.* 1. Extendit rete, Scripturæ ſacræ, ecce aquam refectionis: conuertit me retrorſum, ecce animam meam conuertit. Suprà in *Pſal.* Lex Domini immaculata conuertens animas.

Deduxit me. Hîc quartum, gratia ſcilicet compendium demonſtrans, & per illud deducens. Ait enim: Sic regit, ſic paſcit, ſic conuertit animam meam in ſe, & præter hæc omnia, *deduxit me per ſemitas iuſtitiæ*, quæ compendioſiores ſunt, quam ſtratæ publicæ. *Prou.* 4. Deducam te per ſemitas æquitatis. Mandata enim communia ſunt quaſi ſtratæ publicæ. *Pſal.* Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilataſti cor meum. Sed ſemitæ arctiores ſunt: dicuntur enim ſemitæ, quaſi ſemiuiæ. *Matth.* 7. Arcta eſt via quæ ducit ad vitam, & pauci inueniunt eam.

Dicuntur autem ſemitæ diuina conſilia, quia latent multos, ſicut latent ſemitæ. *Iſa.* 42. In ſemitas quas ignorauerunt, ambulare eos faciam. Quia munda ſunt ſicut ſemitæ ſunt mundæ. *Iſa.* 35. Erit ibi ſemita ſancta, & via munda vocabitur, & non tranſibit pollutus per eam. Quia compendioſa, breuius ducentia ad regnum cœlorum. *Matth.* 5. Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum. Item arcta non admittentia oneratum. *Matth.* 19. Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Ad *Hebr.* 12. Deponentes omne pondus, & circunſtans nos peccatum, curramus ad propoſitum nobis certamen. Et nota, quod dixit, *Deduxit me*, non per ſemitas, ſed *ſuper ſemitas.* Per ſemitas ambulat, qui conſilia conſeruat: ſed *ſuper ſemitas*, qui non tantum ambulat, ſed etiam alios ambulare docet, & informat ad ambulandum. *Matth.* 5. Qui fecerit, & docuerit ſic homines, magnus vocabitur in regno cœlorum. Et hoc non meis meritis, ſed

Semitæ ſunt conſilia.

Propter nomen ſuum, id eſt, propter ſuam piiſſimam bonitatem. *Exod.* 15. Dux fuiſti in miſericordia tua populo quem redemiſti, &c. Argumentum, quòd à Dei benignitate & gratia eſt duci ad clauſtrum. *Matth.* 4. Ductus eſt IESVS in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur. Et quam crudelis eſt ſibiipſi, qui reſiliens à ſeipſo tantum abiicit ductorem, & tam pium. *Sapient.* 1. Spiritus ſanctus diſciplinæ, &c.

Nam & ſi ambulauero. Hîc eſt ſecunda pars Pſalmi, in qua tanguntur gratiæ & beneficia, 4.

in amotionem mali ordinata, & tanguntur duo. Primò malorum amotio. Secundò conſeruatio, & continuatio in amotione illa, ibi, *Et miſericordia tua ſubſequetur me.* Item in prima duo. Primò beneficium ex amotione timoris, quod eſt de futuro. Secundò beneficium ex amotione eorum quæ ſunt in præſenti. *Virga tua.* In prima duo. Primò excluſio timoris præſente cauſa ipſius timoris. Secundò ratio excluſionis. *Quoniam tu mecum es.* Ait ergo: Sic me ducit, & propter hoc ſecurus ſum: nam *etſi ambulauero in medio vmbræ mortis.* Nota, quòd vmbram mortis appellat ignorantes Deum ab ipſa morte culpæ redditos tenebroſos, de quibus alibi in *Pſal.* Neſcierunt nec intellexerunt, in tenebris ambulant. Et illi ſunt vel habentes ignorantiam negationis, ſicut Iudæi & Gentiles: vel diſpoſitionis, ſicut hæretici: vel habentes intellectum obturatum culpis, ſicut ſchiſmatici, & quilibet alij peccatores. Ad *Epheſ.* 5. Eratis aliquando tenebræ. Et ſic ſenſus eſt. *Si ambulauero in medio vmbræ mortis*, id eſt, Deum ignorantium, ſiue Gentiles ſint, ſiue Iudæi, ſiue hæretici, ſiue ſchiſmatici, *non timebo mala* culpæ vel erroris, vt ſcilicet retrahar ab illis, vel à te abſtrahar. *Pſal.* Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? *Prouerb.* 28. Iuſtus quaſi leo confidens abſque terrore erit. Vnde autem accedit iſta ſecuritas, Gregorius dicit: Quia illum diligit, quem nemo inuitus amittit.

Nota.

Crux vmbra vitæ.

Et nota, quòd eſt vmbra vitæ, ſcilicet vmbra crucis quæ tanquam arbor magna obumbrat omnibus nobis. *Thren.* 4. Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris, in vmbra illius viuemus inter gentes. Propter hoc quia vitalem ſentiebat vmbram, dicebat *Pſal.* Sub vmbra alarum tuarum, brachiorum crucis tuæ, protege me. *Cant.* 2. Sub vmbra illius quem deſideraueram, ſedi: & fructus eius dulcis gutturi meo. Et eſt vmbra mortis, temporalium abundantia, quæ omnia ſunt quaſi vmbra. *Sap.* 5. Diuitiarum iactantia quid contulit? Omnia illa tranſierunt ſicut vmbra mortis, quia ad mortem ducentia. *Iob* 21. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Valde eleuatum oportet eſſe, qui non offuſcatur hac vmbra. Propinqui enim terræ tranſeuntes per hanc vmbram eclipſantur ſicut luna. *Eccleſ.* 27. Stultus vt luna mutatur. Sed boni longè ab hac vmbra ſunt eleuati, & vero ſole Chriſto illuminati: non autem obſcurantur in hac vmbra, ſicut nec ſtellæ. *Iob* 23. Non enim perij propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo. *Mich:* 7. Cum ſedeo in tenebris, Deus lux mea eſt. Et hoc eſt quod addit ſic: *Non timebo mala, quoniam tu mecum es*, protegendo me. *Iſa.* 43. Cum tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te, quia ego Dominus Deus tuus, Sanctus Iſaël Saluator tuus, &c.

Vmbra mortis terrena bona.

Virga tua & baculus tuus. Hîc ſecundum, in quo tanguntur beneficia contra mala præſentia. Primò contra malum culpæ. Secundò contra malum pœnæ, ibi, *Paraſti in conſpectu meo.* Contra malum culpæ eſt correctio, & quam tangit dupliciter. Minorem & leuiorem in virga. Duriorem, & quaſi aſperiorem in baculo.

Correctio duplex, leuis in virga, grauis in baculo.

Dicit ergo: *Tu mecum es:* & propter hoc *virga tua*, minor ſcilicet correptio & leuior, quâ punis me tanquam paruulum. Et *baculus*, ſcilicet pœna maior, quâ punis vt grandæuum, & prouectum, *ipſa me conſolata ſunt*, non tantum in patientia ſuſtinui: ſcio enim illud *Pſal.* Cũ ipſo ſum in tribulatione. Virga puero debetur. *Prou.* 22. Stultitia colligata eſt collo pueri, & virga diſciplinæ fugabit illam. Sed baculus eſt malorum, qui iam nouerunt impie agere. *Iſa.* 14. Continuit Dominus baculum impiorum. Hæc mihi ſunt in conſolatione & ſolatio, quia filium me oſtenderunt. Ad *Hebr.* 12. Flagellat omnem filium quem recipit. Nec tantum filium, imò dilectum filium. *Apoc.* 3. Ego quos amo, arguo, & caſtigo. Quia æternam pœnam in temporalem vertunt. *Gregor.* Sancti pœnas temporales lucrum putant, quia per eas æternas euadere non ignorant. Quia æternam fœlicitatem in gaudium interminabile conuertunt. *Ioan.* 16. Triſtitia veſtra vertetur in gaudium, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. *Sap.* 3. In paucis vexati, in multis bene diſponentur. 1. ad *Corinth.* 4. Hoc momentaneum & leue tribulationis noſtræ ſupra modum æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. Quia inimicis noſtris nocumentum ſunt & afflictio. *Sapient.* 12. Cum nobis diſciplinam das, inimicos noſtros multipliciter flagellas.

Fructus ex aduerſis.

Poſſet eſſe Thema in feſto Crucis in Septembri quod eſt infra Octauam B. Mariæ: virga enim eſt beata Virgo. *Num.* 27. Virga Aaron fronduit & floruit. *Iſa.* 11. Egredietur virga de radice Ieſſe. Baculus crux. *Geneſ.* 31. In baculo iſto tranſiui Iordanem iſtum. Hæc ſunt conſolatio bonorum, virgo & paſſio.

Argumentũ concionis de crucis exaltatione, virgo eſt virga, crux baculus.

Paraſti in conſpectu meo menſam. Hîc eſt ſecundum, bebeficia ſcilicet contra malum pœnæ, & ſunt tria. Primum, refectio menſæ triplicis. Secundum, plenitudo vnctionis, & gratiarum in capite. *Impinguaſti in oleo caput meum.* Tertiò, calix Dominicæ paſſionis. *Et calix meus.* Dicit ergo: Sic correxiſti me virga & baculo contra culpam, & etiam *aduerſus eos qui tribulant animam meam*, infligendo pœnam, *paraſti menſam*, ſcripturam ſcilicet me conſolantem, vel certè Euchariſtiam, vel ſpem æternæ gloriæ: hanc enim menſam triplicem diſtinguit Gloſſa. De prima *Exod.* 26. Menſam extra velum facies, & contra menſam candelabrum in latere meridiano tabernaculi. Menſa enim ſtabit in parte aquilonis. In hac enim diſpoſitione menſæ inſtruimur non comedere in angulis, & ſingulariter intra velum, ſed extra in aperto & publico. *Oſeæ* 4. Separatum eſt conuiuium eorum, dimitte eos: fornicatione enim fornicati ſunt. Item nec totaliter nos dare cibo corporali, ſed intendere lectioni: erat enim contra candelabrum. *Prouerb.* 13. Intus comedet, reficiendo corpus ſuum, & replet animam ſuam, lectioni intendendo. Item nec auidè: erat enim in parte Aquilonari. Aquilo enim, vt dicit Rabanus, dicitur eò quod aquas liget & reſtringat. Aqua enim eſt carnalis concupiſcentia, quæ debet reſtringi in comedendo. *Eccleſ.* 37. Noli auidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas in omnem eſcam. De ſecunda menſa Euchariſtiæ. *Prou.* 9.

Triplex mẽſa, ſcriptura, Euchariſtia, ſpes gloriæ.

Diſpoſitio mẽſæ Exod. 26. moraliter explicata.

Sapientia,

Sapientia, Chriſtus ſcilicet, ædificauit ſibi domum, Eccleſiam ſcilicet: excidit in ea columnas ſeptem, ſeptem ſcilicet ſacramenta: immolauit victimas, Sanctos antiquos Prophetas, & ſeipſum in ara crucis: propoſuit menſam, in altari, dans carnem ſuam & ſanguinem. Hæc eſt menſa roborans contra omnem tribulationem. *Pſal.* Et panis cor hominis confirmet, ne vacillet per impatientiam, ſed totum ſeipſum immolet, ſicut immolatum recolit & ſumit pro ſe Deum ſuum. *Prouerb.* 23. Alia litera: Ad menſam diuitis ſedisti, attende quæ tibi apponuntur: ſcito quoniam ſimilia oportebit te præparare. De tertia *Luc.* 22. Edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.

Comparatio & effectus triplicis menſæ.

Gloſſa. Prima menſa monſtrat refectionem. Secunda ſatiat. Tertia verò glorificat. Prima in litera, ſecunda in ſpiritu, tertia vero erit in ſpecie, aperta ſcilicet viſione. Et nota etiam, quòd ſecundum Gloſſam, dicitur hæc Gloſſa contra eos qui tribulant Eccleſiam, quia mali ſi ſumere præſumant Chriſti corpus, contrarius & nociuus eſt cibus. 1. ad *Corinth.* 11. Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Et ſubdit: Ideò, ſcilicet quia indignè manducatis, multi infirmi inter vos, & dormiunt multi, morbis chronicis, multis ſubitaneis paſſionibus.

Impinguaſti in oleo. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Non ſolùm conſolationem habeo per refectionem menſæ, ſed etiam capitis vnctionem: *quia impinguaſti caput meum*, Chriſtum. ad *Epheſ.* 1. Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus eius: *oleo* iocunditatis, & ſpiritualis *lætitiæ*. Hoc enim ſignificat oleum. In *Pſal.* Vt exhilaret faciem eius in oleo. *Iſa.* 61. Vt daret ei oleum gaudij pro luctu. Hoc loco impinguatum eſt caput Eccleſiæ. *Pſal.* Vinxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, &c. Et alibi: Sicut vnguentum in capite, &c. Caput enim ſpeciale cuiuſlibet mens eſt. 1. ad *Corinth.* 11. Caput mulieris vir, mens ſcilicet partis inferioris. Hoc vngitur & impinguatur oleo, Spiritu ſcilicet ſancto, qui dicitur oleum. *Pſal.* Inueni Dauid ſeruum meum, oleo ſancto meo vnxi eum. *Eccleſ.* 9. Oleum de capite tuo non deficiet: lætificat enim cor. *Act.* 13. Diſcipuli replebantur Spiritu ſancto, & gaudio. Ergo in menſa nobis exhibita datus eſt filius, in impinguatione capitis Spiritus ſanctus.

Et calix meus. Litera *Hieronymi*, *tuus*. Et eſt tertium. Quaſi diceret: Sic conſolatur contra omnem tribulationem menſa corporis, infuſio ſpiritus & lætitiæ ſpiritualis. Et etiam *calix tuus*, ſanguis ſcilicet in cruce effuſus. *Meus* autem, quia ad vtilitatem meam, *quam præclarus*, id eſt, valdè clarus in effectu, lætificans ſcilicet & clarificans mentem meam, quamuis inebrians, ipſam inflammans ad omnia ſuſtinenda. Hic eſt calix de quo *Matth.* 20. Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? & infra 26. Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte. Vel calicem appellat dominicum ſanguinem, qui ad literam bibitur in altari. 1. ad *Corinth.* 11. Calix benedictionis cui benedicimus, nonne ſanguis domini eſt? & ſumitur continens pro contento. Vnde *Auguſt.* & *Caſſiodor.* habent: *Poculum tuum inebrians quam præclarum eſt!*

Quare calix ſanguinis Chriſti dicitur præclarus.

Hic calix ad literam præclarus: quia hic ſanguis de regia ſtirpe deſcendit per præclariſſimam virginem. Item quia nobiliſſima ſpecie liquorum omnium ſe tegit, vini ſcilicet. *Zachar.* 9. Quid bonum & quid pulchrum eius, &c. Item cum ibi ſit totus Chriſtus, rectè dicitur præclarus calix, quia ibi eſt illa lux, de qua 1. *Ioan.* 1. Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ. Item æternæ gloriæ confert claritatem. *Ioan.* 6. Qui bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.

Dicitur & inebrians: quia ad literam in tanta quantitate ſumi poſſet illa ſpecies, quòd inebriaret ſicut dicit Gloſſa ſuper illud 2. ad *Cor.* 11. Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Vel inebrians ſpiritualiter, obliuionem temporalium inducens, & carnalium delectationum. *Prouerb.* 30. Bibant & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ. *Pſal.* Viſitaſti terram & inebriaſti eam. *Ierem.* 23. Factus ſum quaſi vir ebrius, & quaſi homo madidus à vino, à facie Domini, &c. *Zachar.* 9. Bibentes inebriabuntur.

Et miſericordia tua. Hîc eſt ſecundum totius huius partis, ſcilicet conſeruatio in bonis, & gratiis præmiſſis. Ait enim: Hæc bona, quæ ſuperius numeraui, mihi præſtabit, vel iam etiam præſtitiſti. Et ſuper hæc omnia, *miſericordia tua ſubſequetur me*, vt per ipſam fiat conſummatum, quod per ipſam eſt inchoatum. Ad *Phil.* 2. Deus qui operatur in nobis velle & perficere, pro bona voluntate. Hoc ſignificatum fuit *Exod.* 14. Vbi legitur, quòd Angelus qui antecedebat filios Iſraël, tollens ſe, abiit poſt eos. Et eſt multum neceſſaria hæc gratia. Hæc eſt enim quæ totum facit. *Caſſiod.* Grauiores ſunt inſidiæ quas diabolus à tergo parat, & quãdo aliquis vitium ſe tranſiſſe credit, incauta magis ignorantia decipitur. *Pſal.* Ipſi calcaneum meum obſeruabunt. *Geneſ.* 3. Tu inſidiaberis calcaneo illius. Et nota, quòd ſicut miſericordia præueniens eſt amor releuandi miſerum à miſeria, ſic miſericordia ſubſequens eſt amor ſuſtentandi releuatum ne labatur in miſeriam. *Caſſiodor.* Si ſolum ſequeretur miſericordia, nemo donata perciperet: ſi ſolum præcederet, nemo poſſet collata ſeruare. *Gregor.* Cito bonum perditur, quod à largiente non cuſtoditur.

Omnibus diebus vitæ meæ, quibus hic viuo. Iſti enim ſunt dies vitæ meæ: illi autem qui in patria, vitæ tuæ ô Domine. *Pſal.* de illis: Melior eſt dies vna in atriis tuis, ſuper millia. Et nota ſecundum *Caſſiodorum*, quòd decem tanguntur hic viatori neceſſaria. Primum, loci per quem tranſitur fertilitas. *In loco paſcuæ.* Secundum, fluuiorum amœnitas. *Super aquam refectionis.* Tertium, eundi voluntas. *Animam meam conuertit.* Quartum, viæ compendioſitas. *Deduxit me.* Quintum, viæ ſecuritas. *Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala.* Sextum, in labore conſolatio. *Virga tua & baculus tuus.* Septimum, delectabilis refectio. *Parasti in conſpectu meo menſam.* Octauum, exultatio mentis. *Impinguaſti in oleo.* Nonum, malorum obliuio. *Et calix meus inebrians.* Decimum, viæ continuatio vſque ad terminum.

Decem vitæ tori neceſſaria.

Et miſericordia tua perſequetur me. Hæc autem diuiſio eſt ſecundum illos quorum litera eſt, *Dominus paſcit me, & nihil mihi deerit.* Secundum communem literam eſſent vndecim. Primum poſitio in via bona,& decem alia ſicut ſunt numerata.

Et vt inhabitem in domo Domini. Tertia pars totius Pſalmi, in qua oſtenditur finis & vtilitas vltima omnium gratiarum præcedentium, ſcilicet habitatio in domo æterna Dei, & præparatio in illa cohabitatione. *In longitudinem.* Ait ergo: Sic me gradatim diuerſis gratiis promouiſti, & hæc omnia facta ſunt, *Vt inhabitem in domo Domini. Pſal.* Ibunt de virtute in virtutem:videbitur Deus deorum in Sion. Hæc eſt domus Domini, de qua 2. ad *Corinth.*2. Scimus, quoniam ſi domus noſtra terreſtris huius habitionis diſſoluitur, habemus domum non manu factam æternam in cœlis. *Caſſiod.* Hæc eſt gratia contemplatiua, de qua, Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Hoc eſt quod hîc dicitur, *In longitudinem dierum.* In hoc enim notatur æternitas. *Prouerb.*3. Longitudo dierum in dextera illius, in ſiniſtra autem diuitiæ & gloria. *Apocalypſ.*3. Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei, foras non egredietur. Et nota Gloſſam, quæ aſſignat cauſam quare cantatur hic Pſalmus in exequiis mortuorum.

IN XXIII. PSALMVM.

1. *Pſalmus Dauid in prima ſabbati.*

2. *Argumentũ Pſalmi, Chriſti imperium in Eccleſiam quam ſuperiori Pſalmo è captiuitate eripuit.*

Domini eſt terra, & plenitudo eius. Hic eſt Pſalmus vigeſimus tertius, in quo poſtquam actum eſt de Chriſti paſſione, de reductione populi ab Ægypto ſpirituali, vel Babylonia quæ ſequuta eſt ex paſſione, agitur conſequenter de dominatione Chriſti, & dilatatione regni eius.Vnde in hoc Pſalmo Propheta tenet perſonam præconis, qui poſt victoriam, & reductionem præclamat, totam terram eſſe victoris. Et quia hæc victoria maximè apparuit facta in reſurrectione, intitulatur Pſalmus iſte à reſurrectione: eſt enim talis titulus: *Pſalmus Dauid in prima ſabbati*, id eſt, pro ſabbato editus primo, id eſt, pro eo quod geſtum eſt in prima ſabbati, ſcilicet pro reſurrectione, in qua Chriſtus victor apparuit, & dominus totius mundi, ſecundum illud *Matth. vlt.* Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.

Notandum ergo, quòd Iudæi in magna reuerentia habebant diem ſabbati. *Exod.*20. Propter illud benedixit Dominus diei ſabbati, & ſanctificauit illum.Et inde etiam à die ſabbati, nominabant dies ſeptimanas, vt dies Dominica prima ſabbati, id eſt, prima poſt ſabbatum: vel vna ſabbati. Etiam ſeptimana tota, aliquando ſabbatum dicebatur. *Luc.* 18. Ieiuno bis in ſabbato. Aliquando quælibet dies feſtiua maximè ſecundum illud *Ioan.*20.Vna ſabbatorum veniunt ad monumentum. Gentiles autem à planetis dies nominabant, dicentes ſabbatum diem Saturni, quia in eius hora planetam Saturnum dominari dicebant. Conſequenter alios planetas ſex,in ſex horis ſequentibus, ita quod rurſus in octaua Saturnus, & ſic completo die naturali in viginti quatuor horis: rurſus hora vigeſima quinta Sol dominabatur, quæ erat hora prima diei Dominicæ, & ita diem illam, diem ſolis appellabant. Chriſtiani vero omnes dies ferias appellant, eò quod ſecundum ipſos feriandum eſt in omni die à peccato. Ad *Rom.*13. Nox præceſſit, dies autem appropinquauit, abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ſicut in die honeſtè ambulemus. Vel, vt dicit *Iſidorus*, Feriæ à fando dicuntur, quia in eis eſt nobis tempus, vel Deo, vel hominibus, fandi: Deo laudando, orando: hominibus docendo, conſulendo.

Eſt ergo ſenſus tituli: Ipſe Pſalmus eſt Dauid vt Auctoris, in quo agitur de dominatione Chriſti, quæ manifeſtata eſt in prima ſabbati, ſcilicet in glorioſa eius reſurrectione, qui per Dauid deſignatur. Et bene hac die, Dominica ſcilicet, reſurrectio facta eſt manifeſta, hac enim die lux condita eſt, ſecundum dierum ordinem. *Geneſ.*1. Tenebræ diuiſæ ſunt à luce. Sic opacitas corporis Chriſti abiecta eſt, & corpus eius lucidiſſimum factum. Hac ergo die mundum maiorem condidit, & minorem reparauit. Et hac etiam die, ſicut dicit Rabba. ſperatur futura reſurrectio generalis: hæc namque dies multis inſignita eſt excellentiis. Prima fuit dierum ſæculi: in ipſa lux facta eſt. In ipſa Angeli ſunt creati, in conuerſione ad Deum lux ſunt facti.Hac die primò manna dicitur de cœlo deſcendiſſe. *Exod.* 26. Hac die natus eſt Chriſtus. Hac die Spiritus ſanctus miſſus. Hac die noſtram reſurrectionem in ſeipſo inchoauit, in hac conſummabit. Huic nulla nox ſuccedet, ſicut nulla præceſſit. Hæc dies, in qua Deo plenè fruemur, & continuè deinceps laudabimus & amabimus.

Dies Dominica multis nominibus celebris.

Diuiditur autem Pſal.in tres partes ſecundum Gloſſ. Primò præconizatur Chriſti dominium ſuper mundum, & Eccleſiam per totum mundum diffuſam. Secundò deſcribuntur bona & virtutes membrorum Eccleſiæ, quæ verè ſunt membra, ibi, *Quis aſcendet in montem Domini?* Tertio inuitantur mali & impij vt ad tantum Dominum conuertantur, ibi, *Atollite portas.* In prima duo. Primò præconizatur Chriſti dominium. Secundò, quòd vere ſic debeat dominari, ibi, *Quia ſupermaria fundauit eum.* In prima duo. Primò, quòd dominetur. Secundò, quòd vniuerſaliter dominetur. *Orbis terrarum.* In prima duo. Primò, quòd continenti, ſcilicet terræ. Secundò,quòd contento. *Et plenitudo eius.*

Dicit ergo: *Domini eſt terra*, ſecundum *Hieronymum* ad literam, literalis terra, vnde *Hieronymus, Domini eſt terra*, totus mundus. *Pſal.* Meus eſt orbis terræ & plenitudo eius. Sed contra *Ioan.* 18. Regnum meum non eſt de hoc mundo. Et inſtà, regnum meum non eſt hinc. Reſpondemus. Regnum Dei habet duas partes:vnam maiorem & principaliorem, ſcilicet cœlum: & aliam minorem, ſcilicet terram. Intendit ergo dicere principaliorem regni ſui partem non eſſe hinc, quaſi non curans de minori.

Et

Et plenitudo eius. Ecce contentum. Quaſi diceret: Non eſt Dominus terræ inanis & vacuæ, ſicut fuit à principio, ſed plenitudo terræ ſua eſt. Terra autem dicitur habere plenitudinem, quod non alia elementa, quia in eius parte infima eſt multitudo infinita ſpirituum damnatorum. Multi autem ſunt. *Eccleſ.* 1. Stultorum infinitus eſt numerus. In eius parte ſuprema arborum & naſcentium frugum tanta eſt copia, vt quidam dicunt, tot eſſe quot ſunt ſtellæ in octauo orbe: Et præter hæc pecudibus & animalibus. *Baruch.*3. Præparauit terram in æterno tempore, & repleuit eam pecudibus, & quadrupedibus. In eius media parte, eſt plenitudo auri, & argenti, & aliorum metallorum. *Iſa.*2. Repleta eſt terra auro & argento, & non eſt finis theſaurorum eius.

Orbis terrarum. Secundum eſt. Quaſi diceret: Non tantum in aliqua parte extenditur eius dominium, ſed etiam eius eſt *orbis terrarum*, omnium ſcilicet circuitus terrarum. *Pſal.* Quoniam Rex omnis terræ Deus.

Et vniuerſi qui habitant in eo. Primum reſpicit ad continentem, ſecundum hoc ad contenta. *Iob* 40. Omnia quæ ſub cœlo ſunt, mea ſunt. Ad *Philipp.* 2. Dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur.

Myſticè autem ſecundum Gloſſam ſic: Ne mutetur dictio: *Domini eſt terra*, id eſt, Chriſti, qui eſt omnium Deus, ſecundum illud *Eſther.6.* Dominus vniuerſorum tu es: *Eſt terra*, id eſt, Eccleſia, quæ dicitur terra. *Geneſ.*1. Germinet terra herbam virentem, Eccleſia Mariam. *Et plenitudo eius*, id eſt, quibus repletur Eccleſia, homines, virtutes, operationes: hæc enim tria in omni re, virtus, operatio, & ſuſtantia inueniuntur. Homines enim dicunt: Nos autem populus tuus, & oues paſcuæ tuæ. De virtutibus autem confitetur iuſtus: Multiplicabis in anima mea virtutem. *Iacob.* 5. Omne datum optimum. De operibus *Iſa.* 26. Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine. 1. ad *Cor.*12. Diuiſiones gratiarum ſunt, vnus autem ſpiritus. Diuiſiones miniſtrationum ſunt, quantum ad homines, idem autem Dominus. Diuiſiones operationum ſunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. *Orbis terrarum.* Quaſi diceret: Non tantum terra, id eſt, Eccleſia aliqua, ſed orbis terrarum, ipſa tota vbicumque terrarum ſit diffuſa. *Et vniuerſi qui habitant in eo*, vt non ſit dilatatio ſolum, quantum ad continentem, ſed etiam quantum ad contentos. Dicitur autem Eccleſia orbis ratione pietatis: quia omnes comprehendit. Pietas enim omnia in ſe claudit, quæ eſt in Eccleſia ſicut figura rotunda & orbicularis. *Matth.* 13. Simile eſt regnum cœlorum ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti. Ratione puritatis. Omnis figura rotunda ſine angulo eſt, & per hoc ſordes non colligit nec rugam. Ratione vitæ innocentis. Omnis enim figura angularis acuta ſit, & inde accidit quod pungitiua redditur & aſpera. Sed Eccleſia propter innocentiam columbæ comparatur. *Cant.* 5. Vna eſt columba mea, perfecta mea, ſicut circulus eſt perfectiſſima figurarum.

Quare Eccleſia dicitur orbis.

2. *Quia ipſe ſuper maria.* Hîc eſt ſecundum, in quo oſtenditur quod iure, Dei eſt orbis terrarum. Et eſt ratio, quia fundator illius: & tangitur duplex fundatio. Super ſalſam aquam, hoc eſt, *ſuper maria.* Super dulcem, ſcilicet flumina. *Et ſuper flumina.* Dicit ergo: Sic Domini eſt orbis terrarum totus, & hoc iuſtum eſt, *quia ipſe ſuper maria fundauit eum*, orbem ſcilicet terrarum, & hoc quantum ad aquas ſalſas, *& ſuper flumina præparauit eum*, quantum ad dulces. Sed ſecundum literam dubium eſt quomodo hoc dicatur, cum conſtet terram eſſe omnium elementorum infimum naturaliter? ergo non ſuper maria, ſed ſubtus. Item cum mare & flumina ſint in motu continuo, non eſſet terra ſtabilis, ſi ſuper maria fundata eſſet, vel flumina. Præterea in *Pſal.* Initio tu Domine terram fundaſti. Et rurſus: Quoniam fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam. Ergo non ſuper alienam. Hæc non obſtant, quin verum ſit dictum Prophetæ.

Deus eſt Dominus terræ, quia eſt illius fundator ſuper mare.

Et eſt ratio triplex: quia hæc dictio, *Super*, aut ſignificat terræ ſuper aquam eminentiam, aut in firmitate fundamenti excellentiam, aut ad ſui ſtabilitatem aquæ indigentiam. Quantum ad primum ſic: Cum ſecundum naturæ ordinem deberet ſuperficies terræ, aquâ cooperiri, ſicut tota aquæ ſuperficies aëre, tamen Creator ſuo magno beneficio voluit vnam partem terræ ſupereminere aquæ, vt in ea eſſet hominum habitatio & animalium. *Geneſ.* 1. Congregentur aquæ quæ ſub cœlo ſunt, in locum vnum, & appareat arida, & factum eſt ita. Et hæc terræ eminentia ſignificata eſt, cum dicitur: *Super maria fundauit eum*, orbem ſcilicet terræ, vt mari non cooperiretur, ſed virtute Creatoris fluctus cohiberentur. *Iob* 38. Quis concluſit oſtiis mare? Et infrà: Circundedi illud terminis meis, & poſui vectes, & oſtia, & dixi: Huc venies, & non procedes amplius, & hîc confringes tumentes fluctus tuos. *Pſal.* Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur, neque conuertentur operire terram. Vel ſic: Ipſe *fundauit eum*, orbem ſcilicet terræ, & hoc *ſuper maria*, id eſt, pluſquam maria ſint fundata. Stabilior enim eſt orbis terræ quam mare, quia ſicut dicunt Philoſophi, cœlum mouetur velociſſimè & trahit ſecum mouendo ignem motu velociſſimo, & etiam aëra, ſed non tam veloci & rapido aquam ab Oriente cogit moueri in Occidentem, ſed ipſa ſuo mota pondere recurrit, & & ſic fiunt fluxus maris & refluxus, tertiò modo ſic, quia ſicut dicit Ariſtoteles. Terra in minutiſſimum puluerem, & in atomos ſoluerentur, niſi eſſet aqua tam ſalſa, quam dulcis ei infuſa, interius coagulans partes & compingens.

Triplex ſenſus illius dicti, ſuper maria.

Per mare autem, tribulationes quæ amaræ ſunt. Hoc eſt mare in quo Ægyptij ſubmerguntur, tranſeunte liberè populo Domini *Exod.*14. Flumina, proſperitates quæ dulces ſunt. Illa, inquam, flumina, in quæ Pharao mares iubet præcipitari *Exod.* 1. Sed Eccleſia ſuper vtraque fundata eſt, quia & perſequutiones ſuſtinet patienter, & proſperitates tranſit prudenter. *Matth.*7. Venerunt flumina, flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſupra firmam petram, fidem quam

Eccleſia eſt ſuperior aquis dulcibus & ſalſis, id eſt, aduerſis & proſperis.

quam confeſſus fuerat Petrus. *Matth.*16. Non ergo fundata eſt, ſicut multi putant, ſuper temporalia & terrena. *Iob* 3. Qui terrenum habent fundamentum, velut à tinea conſumentur.

Eccleſia terræ comparata. Et nota hîc, quòd terra dicitur Eccleſia, quia arida ab omni humore luxuriæ, & guloſitatis. *Pſal.* In terra deſerta,inuia,& inaquoſa, &c. In humidis enim dormit Beemoth. *Iob* 40. In vmbra dormit, in ſecreto calamo, & in locis humentibus. Item quia trita per tribulationes. Terra enim dicitur à terendo. *Iſa.* 43. Quaſi nihilum poſſederunt populum ſanctum tuum hoſtes noſtri, conculcauerunt ſanctificationem tuam. *Pſal.* Miſerere mei Deus, quoniam conculcauit me homo, tota die impugnans tribulauit me. Et tanto ſolidior,quò plus preſſa. 2. ad *Corinth.* 12. Virtus in infirmitate perficitur. Situ etiam infima. *Pſal.* Humiliaſti nos in loco afflictionis. *Pſal.* In veritate tua humiliaſti me: cum cæteri extollantur vanitate. Et nihilominus ſtabilis & fixa. *Eccleſ.*1. Generatio præterit, generatio aduenit: terra autem in æternum ſtat. Et fructifera. *Pſal.* Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum: trigeſimum in bonis coniugatis, ſexageſimum in viduis, & centeſimum in virginibus. *Matth.*13. &c.

3. *Quis aſcendet?* Hîc eſt ſecunda pars Pſalmi: poſtquam enim dixit orbem terrarum eſſe Domini, ne quis putet propter hoc omnes qui ſunt in toto orbe eſſe de Eccleſia, occurrit oſtendendo qui ſunt de illa. Vel ſic: Dixerat Eccleſiam eſſe Domini, & in toto orbe terrarum diffuſam: ne ergo crederet aliquis omnes aſcendiſſe qui ſunt in Eccleſia, ad virtutum eminentiam, hoc remouet per quæſtiones quas hic facit. Primò quærit. Secundò ſoluit ad quæſita, ibi,*Innocens.* In prima ergo duo dicuntur. Primò quærit,qui ſunt de Eccleſia,vel eſſe poſſunt per ingreſſum in illam. Secundò quærit de perſeuerantia ingreſſorum. *Aut quis ſtabit?* Secundum aliam literam primò quærit de aſcenſu ad culmen perfectæ iuſtitiæ. Secundò de ſtatu in illo culmine. *Aut quis ſtabit?* Dicit ergo: Sic dixi, quòd Domini eſt terra,orbis terræ,& omnes in eo habitantes: non tamen omnes de Eccleſia: quia *quis aſcendet in montem Domini?* Eccleſiam ſcilicet militantem, quæ ſicut ſuprà dicebatur terra propter fructificationem, ſic mons dicitur hîc propter vitæ & ſanctimoniæ altitudinem. *Iſa.*2. Erit præparatus mons domus Domini in vertice montium. Vnde volenti ingredi, neceſſe eſt quod aſcendat. *Iſa.*2. Venite aſcendamus ad montem Domini. Vel ſic: Dixi Eccleſiam in toto orbe diffuſam: ſed *quis aſcendet in montem Domini?* in iuſtitiæ ſcilicet perfectionem, quæ mons dicitur. *Cant.* 4. Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. In hoc autem quod dicitur, *Quis?* notatur raritas perfectorum in Eccleſia. *Eccleſiaſt.*7. Ciuitas parua, & pauci in ea viri,viriliter ſcilicet agentes. In hoc autem quod dicit, *Aſcendet*, notatur difficultas. Difficile enim eſt valde aſcendere ad culmen perfectæ iuſtitiæ vt omnia relinquantur propter Chriſtum. Hæc eſt enim iuſtitia, de qua in *Pſal.* Iuſtitia tua ſicut montes Dei. Timent enim multi ignem tribulationis & paupertatis. *Deut.*5. Timuiſtis ignem, & non aſcendiſtis in montem: ibi tamen Moyſes non vrebatur, ſed conſolabatur. Alij triplici peccato, ſuperbiæ, auaritiæ, luxuriæ, quaſi funiculo triplici detinentur. *Eccleſiaſt.*4. Funiculus triplex difficile rumpitur.

Aut quis ſtabit, poſt ingreſſum in Eccleſiam, *in loco ſancto eius*, in Eccleſia ſcilicet,in illa perſeuerando. Locus autem ſanctus eſt Eccleſia, ſicut Moyſi dictum fuit. *Exod.*4. Solue calceamenta de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. Nec mirum. Locus eſt pedum Dei, miſericordiæ ſcilicet & iuſtitiæ. *Iſa.* 60. Locum pedum meorum glorificabo. Locus etiam ſanctus, eſt eius iuſtitia. *Pſal.* Iuſtitia, & iudicium præparatio ſedis tuæ. *Pſal.* Tu autem in ſancto habitas,laus Iſraël, in eo ſcilicet, qui ſine terra eſt omnia relinquendo. Sed in hoc loco *quis ſtabit?* Multi enim multo tempore nituntur ad aſcenſum, ſed in valde modico, & ſubitò aliquando deſcendunt. *Pſal.* Aſcendunt vſque ad cœlos per vitæ perfectionem, & deſcendunt vſque ad abyſſos, aliquando per apoſtaſiam. Sed non paulatim deſcendunt.*Luc.*10. Videbam Sathanam ſicut fulgur de cœlo cadentem. Propter hoc dicit Petrus, Melius erat eis viam veritatis non agnoſcere, quam poſt agnitam conuerti retrorſum, ab eo quod traditum eſt illis ſancto mandato.

Innocens manibus. Hîc ſubiungitur reſponſio: 4.
& dicuntur duo. Primò reſponſio prædictis quæſtionibus. Secundò tacitæ cuidam, quæ poſſet ei fieri, ibi, *Hæc eſt generatio quærentium.* In prima duo. Primò deſcriptio aſcendentis ex multiplici merito. Secundò ratio & cauſa meriti: quia non à ſeipſo habebit hoc, ſed à Deo, ibi, *Hic accipiet benedictionem.* In prima tria ſecundum triplicem conditionem, quam tangit aſcendentis & ſtantis. Primò bona ordinatio in ſeipſo. Secundò bona ad Deum. *Qui non accepit.* Tertiò bona ad proximum, *Nec iurauit in dolo proximo ſuo.* Vel ſic. Quatuor tanguntur. Primum reſpicit ad operis bonitatem. *Innocens manibus.* Secundum ad intentionis puritatem. *Et mundo corde.* Tertium ad voluntatis perfectionem. *Qui non accepit in vano animam ſuam.* Quartum ad ſermonis veritatem. *Nec iurauit in dolo.* Dicit ergo: Sic quæſiui, quis aſcenderet? & reſpondeo: *Innocens manibus*, qui nihil mali fecit in opere, nec ſibi, nec alij, qualis erat, qui dicebat 2. ad *Cor.*7. Capite nos? neminem circumuenimus. *Iob* 22. Saluabitur innocens, ſaluabitur munditia manuum ſuarum. Et hoc iuſtum. *Prouerb.*13. Iuſtitia cuſtodit innocentis viam. *Pſal.* Innocentes & recti adhæſerunt mihi. *Et mundo corde*, vt quod boni faciunt, non polluant peruerſa intentione. *Matth.* 5. Beati mundo corde. *Prouerb.*21. Qui mundus eſt, rectum eſt opus eius. Et hoc valde paucis conuenit. *Prouerb.* 20. Quis poteſt dicere: Mundum eſt cor meum? purus ſum à peccato? *Tob.* 3. Mundam ſeruauí animam meam. *Iudith* 12. Introïens mundo manebat in tabernaculo, donec acciperet cibum poſt veſperam.

Partes in homine iuſto requiſita.

Qui non accepit in vano animam ſuam. Accipere in vano animam ſuam, eſt ipſam animam, & animæ voluntatem ad terrena, quæ omninò

nò vana ſunt, conuertere per amorem & ſollicitudinem. Sed nemo in vano accipit, qui totam ad æterna & ſolida conuertit: temporalia enim omnia, & tranſitoria, & vana ſunt. *Eccleſiaſt.*1. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Propter hoc dicit idem in ſecundo, cum me conuertiſſem ad omnia opera, in quibus ſudaueram, vidi in omnibus vanitatem. Bene animam in vanum acceperat, qui dicebat *Luc.* 16. Anima mea habes multa bona in annos plurimos: bibe, comede, &c. Vanum etiam eſt culpa, imò nihil vanius. 1. *Petr.* 1. Non corruptibilibus auro vel argento, redempti eſtis de veſtra vana conuerſatione. In vano ergo animam accipit, qui ipſam ad mala perpetranda conuertit. Item ſecundum *Hieronymum*, in vanum accipit animam, qui anima non vtitur ad id ad quod ipſam accepit. Hoc eſt, qui ea quæ debet facere, omittit: quaſi enim pro nihilo habet animam talis. *Eccleſ.*4. Stultus complicat manus ſuas, & laborat, ſi eas ad os ſuum miſerit. Sed contra *Eccleſ.*7. Qui timet Deum, nihil negligit. *Bernard.* de diligendo Deo, In vanum animam accipis rationalem, dum inſtar pecoris ſenſum ſequeris ratione otioſa.

Nec iurat proximo ſuo: & addit, *in dolo*, permittens ſimplicia iuramenta, & interdicens doloſa, & ſpectat ad veritatem in ſermone. In dolo autem iurat, qui proponit aliter in corde quam promittit in ore. *Pſal.* Linguis ſuis doloſè agebant. *Zachar.*8. Iuramentum mendax ne diligatis.

5. *Hic accipiet benedictionem à Domino.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit, quod hoc non habet à ſemetipſo, ſed à Deo, non ex iuſtitia, ſed ex miſericordia: vnde & duo dicuntur. Primò à quo habeantur bona. Secundò ratio conferendi illa. *Et miſericordiam à Deo.* Dicit ergo: Aſcendet & ſtabit, qui prædicta habuerit. Sed quomodo hæc habebit? *Hic* non à ſe habebit prædicta, imò *benedictionem*, quadruplicem gratiam prædictam, *accipiet à Domino.* Vel ſic & melius: Talis aſcendet ad perfectam iuſtitiam, & in illa perſeuerabit, ſed non per illa. Illa enim non ſufficiunt: imò *hic talis*, & tales habens gratias, adhuc vt ad perfectam aſcendat iuſtitiam, *accipiet benedictionem à Domino*, gratiæ copiam, ſine qua non poſſet aſcendere. *Prouerb.* 10. Benedictio Domini diuites facit. *Et miſericordiam*, quâ perſeuerat, *à Deo ſalutari ſuo*, non ab alio. 2. ad *Corinth.*4. Secundum illud quod miſecordiarum conſequuti ſumus, non deficimus. *Pſal.* Miſericordia tua ſubſequetur me, omnibus diebus, &c. Vel poteſt in his verbis notari præmium eorum, qui ſunt innocentes, & miſericordes. Vnum quidem cœleſtis gratiæ collatio, quod appellatur benedictio. *Matth.*25. Venite benedicti Patris mei, &c. *Eccleſiaſt.*11. Benedictio Domini in mercede iuſti feſtinat. Aliud carentia mali. *Et miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.* Ad *Tit.*3. Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit, ab omni malo.

Et nota, quod Chriſtus pontifex eſt. Ad *Hebr.*9. Chriſtus aſſiſtens pontifex futurorum bonorum. 1. *Petr.* 2. Conuerſi eſtis ad paſtorem, & Epiſcopum animarum veſtrarum. Hîc Epiſcopus dat benedictionem innocentibus & bonis. Raro aut nunquam legimus dediſſe maledictionem, vt diſcant noſtri Epiſcopi proniores eſſe ad benedicendum quam ad maledicendum: ſed contrarium multi faciunt. *Oſeæ* 4. Maledictum & mendacium inundauerunt. *Pſal.* Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt. Sed attendant illud *Prouerb.*26. Maledictum fruſtrà prolatum, in quempiam ſuperueniet: ſed non in iuſtum quem maledicunt, vel innocentem. *Pſal.* Maledicunt illi, & tu benedices. Ergo in maledicentem.

Quomodo paſtores pascere debent ſubditos.

Item miſericors eſt, vt & ipſi ſint miſericordes, releuando ſubditorum rationabilem ab ignorantia, per doctrinam. Hoc eſt enim vnum paſce *Ioan.* 21. Sed è contrario *Iſa.*56. Ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam. Iraſcibilem ab indignatione & pœna, per eleemoſynarum largitionem. Hoc eſt ſecundum paſce. Sed è contrario magis ſumitur, & auferunt eis ſua. *Ioan.* 10. Quotquot venerunt, fures ſunt & latrones. Et infrà: Fur non venit niſi vt furetur, temporalia, & mactet, corpora: & perdat, animas. Et concupiſcibilem à culpa, ſecundum poteſtatem ſibi datam. Ecce tertium paſce. Sed è contra *Ierem.* 23. A prophetis Ieruſalem egreſſa eſt pollutio ſuper omnem terram.

Hæc eſt generatio. Hîc eſt ſecunda pars partis huius, in qua ſubiungitur reſponſio tacitæ quæſtioni, vel dubitationi ortæ ex modo loquendi. Poſſet enim credi, quòd de ſolo Chriſto intelligerentur prædicta, vel quod pauciſſimi eſſent aſcenſuri ad perfectionem vitæ, & manſuri in illa, propter hoc hîc oſtenditur, quòd imò multitudo erit: quia generatio: vnius enim generatio non eſt, & præterea generatio continuatur in pluribus: & tanguntur tria. Primò, quod ſit multitudo de qua loquutus eſt. Secundò tangit quorum, quia *quærentium Dominum.* Tertiò oſtendit modum & cauſam quærendi. *Quærentium faciem.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd innocens, & mundo corde aſcendet: nec credas talem ſolum Chriſtum, vel aliquos paucos, hæc gens quæ hæc facit, eſt generatio, multitudo ſcilicet renata ex aqua & Spiritu ſancto, de qua *Ioan.*3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei. De hac generatione *Sap.* 4. O quam pulchra eſt caſta generatio quoad carentiam culpæ, cum claritate quoad infuſionem gratiæ. 6.

Sed quia regeneratorum ſic, quidam ſunt ficti, quidam poſt baptiſmum lapſi, addit, *quærentium eum*, ſcilicet Dominum: quaſi nec ficti, nec lapſi, ſed quærentes Dominum, non temporalia ſequentes, ſicut illi de quibus poteſt dici illud *Exod.*5. Diſperſus eſt populus per vniuerſam terram Ægypti.

Sed iterum quia quidam quærunt Deum, non propter illum, ſed propter aliud, addit de cauſa quærendi, *quærentium.* Non enim propter aliud, *ſed finem Dei Iacob*, faciem ſcilicet ipſam, id eſt, præſentiam. *Pſal.* Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, &c. Hæc facies de qua in *Pſal.* Oſtende faciem tuam & ſalui erimus. Et 1. ad *Corinth.* 13.

Videmus

Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. *Iob* 33. Videbis faciem eius in iubilo. Et dicitur bis, *quærentium*, ad ſignandum, quòd in hac vita primò quæritur, & inuenitur aliquantulum. *Luc.*11. Omnis qui quærit, inuenit. *Thren.* 3. Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum, animæ quærenti illum. Sed vlterius quæritur poſtea, vt plenius habeatur. *Matth.* 25. Omni habenti dabitur, & abundabit. Aut propter hoc iterat, vt innuat, quòd ſemper ſit quærendus, quia non plene ſcitur quando habeatur. *Pſal.* Quærite faciem eius ſemper. *Iſa.*21. Si quæritis, quærite.

Deus ſemper quærendus.

Et dicit, *Dei Iacob*, vt notet difficultatem & laborem in quærendo. Iacob enim luctator. Vel vt alludat ei quod dictum eſt *Geneſ.* 21. Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea.

Atollite portas. Hîc eſt tertia pars totius *Pſal.* in qua ex rationibus ſuperiùs dictis, ſubiungitur conclamatio Prophetæ ad malos, & maximè ad principes malitiæ, vt remota malitia Chriſto victori aperiant corda, & ſumit rationem à duplici Chriſti potentia ſeu fortitudine in pugnando, & potentia in dominando, ibi, *attollite portas.* In prima dicuntur tria. Primò admonitio aperiendi corda Chriſto per remotionem peccatorum. Secundò interrogatio admonitorum, quis eſt, qui ſuadet aperiri? *Quis eſt iſte?* Tertiò reſponſio per aſſignationem potentiæ ipſius impugnando. *Dominus fortis.* In prima tria. Primò admonitio de malo amouendo. Secundò de præparando ſe ad bonum gratiæ. *Et eleuamini.* Tertiò ratio vtriuſque vt pateat introitus Chriſto. *Et introibit.* Dicit ergo: Sic Chriſti eſt tota Eccleſia, & tales ſunt habitantes in ea, ſcilicet perfecti in illa iuſtitia. Ergo ô vos *Principes*, qui eſtis inter malos primatum gerentes, & illos verbo & exemplo malo à Chriſto retrahentes, *Attollite*, ſecundum *Auguſt. Hieronym.* & *Caſſiodor.* Tollite, id eſt, amouete, & auferte, *portas veſtras*, id eſt, peccata veſtra, per quæ mors intrat ad vos, & etiam ad alios. Supra de iiſdem portis, Qui exaltas me de portis mortis, ibi dictum fuit, quia portæ iſtæ ſunt peccata. Hæ portæ tollendæ ſunt, ne diabolus intret per eas ad animam: quod fit cor malè apertum reintegrando, & claudendo fortiter. *Amos* 9. Reædificabo aperturas murorum eius, & ea quæ corruerant, inſtaurabo. 1. *Mach.* 13. Simon accelerauit conſummare omnes muros Ieruſalem, & muniuit eam in gyro.

Has portas debent remouere primò & principaliter Principes: quia propter peccata eorum peccat populus. *Eccleſ.* 10. Qualis rector ciuitatis, tales habitantes in ea. *Iſa.*52. Ablatus eſt populus meus gratis, quia dominatores eius inique agunt.

Et eleuamini. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic amouete peccata: & vos ô *portæ æternales*, virtutes ſcilicet & gratiæ per quas Deus intrat ad animam, & per quas anima intrat in cœleſtem Ieruſalem. *Apoc.*20. Singulæ portæ erant ex ſingulis margaritis. *Eleuamini*, in mentibus peccatorum principum, quæ iacetis quaſi in terra. *Thren.* 2. Defixæ ſunt in terra portæ eius. Clauſæ etiam erant, ne homo per eas ingrederetur in vitam. *Geneſ.* 3. Collocauit Dominus ante portas paradiſi Cherubim, & flammeum gladium atque verſatilem.

Et introibit. Ecce tertium. Quaſi diceret: Vult tolli portas malas, eleuari bonas. *Et introibit Rex gloriæ* per illas ad interiora cordium noſtrorum: & propter hoc dictæ ſunt æternales, quia aditum præbent æterno Regi, & ad æternitatem. Ipſe enim ſolus illabi poteſt animæ, non dæmones. *Iſa.* 60. Occupabit ſalus muros tuos, & portas tuas laudatio. Et bene introitum præbent Chriſto, non exitum: per virtutes enim intrat ad animam, non exit ab anima. *Pſal.* Non egrediaris Deus in virtutibus noſtris. Æternales etiam propter permanentiam. 1. ad *Corinth.*13. Charitas nunquam excidit. *Sapient.* 1. Sapientia perpetua eſt & immortalis.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? Hîc ſecundum, interrogatio, vt magis ſpecificetur Regis conditio. Nec quærit Propheta vt ignorans, ſed vt volens exprimere magis. Ait enim: *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Admirando quærit. Quis enim non quærat admirando: quis eſt qui intrare velit, non ciuitatem, ſed animam, non domum, ſed ſpiritum humanum. *Iob* 21. Quis eſt omnipotens, vt ſeruiamus ei? Et ſubditur ſtatim. Reſponſio. *Dominus fortis.* Et deſcribitur à dignitate primò. *Dominus. Eſther vlt.* Dominus vniuerſorum tu es. *Apoc.*19. Dominus dominantium. Et à poteſtate, ſcilicet fortitudine triplici ad non cedendum. *Fortis.* Dicit enim *Iſidorus*, quòd fortis dicitur à ferro, quod ſit durum ne molliatur vt cedat, ſicut nec fortis. Talis Chriſtus. *Pſal.* Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores, ſicut fabri ſuper incudem ferream non cedentem. *Matth.* 25. Scio Domine quia homo durus es tu. Item ad faciendam bona. *Et potens.* Et ad inferendum mala: vnde ſubdit: *Dominus potens in prælio. Sapient.*16. Tu es Domine, qui vitæ, quantum ad faciendum bona, & mortis quantum ad inferendum mala, habes poteſtatem. Vel, ſicut vult Gloſſa, reſponſio eſt contra Iudæos. Quaſi dicatur: Iſte eſt Dominus, ô Iudæi, quem ſicut ſeruum iniquum tractauiſtis. *Eccleſ.*42. Seruo peſſimo latus ſanguinare. *Fortis*, licet cum gladiis & fuſtibus captus fuerit à vobis. *Matth.* 26. *Abac.*3. Ibi abſcondita eſt fortitudo eius: quam tamen parum exeruit, cum dixit: Ego ſum. Abierunt enim retrorſum, & ceciderunt in faciem ſuam. *Ioan.*18. *Potens*, licet in Pilati poteſtate à vobis traditus fuerit: non enim potuiſſetis ſi noluiſſet. *Ioan.*10. Poteſtatem habeo, &c. Et ad Pilatum eiuſdem 18. Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper.

8.

Triplex in Chriſto fortitudo.

Dominus potens in prælio. Contra diabolum & Iudæos, quamuis ibi mortuus fuerit: potentius enim eſt moriendo vincere, quam viuendo. 3. *Reg.* 23. Rex Iſraël ſtetit in curru ſuo contra nos, id eſt, ſublimes, & ſuperbos dæmones & Iudæos, & mortuus eſt veſpere, &c.

Attollite portas. Ecce ſecundum, in quo iterum admonet aperiri corda Chriſto ab infidelibus, & Principibus eorum maximè, & ſumitur ratio quare debeant aperiri, à Chriſti denominatione, & ſicut prius dicuntur tria. Primò

9.

mò exclamatio vt aperiant. Secundò interrogatio. *Quis est iste.* Tertiò responsio Subdiuide ergo & expone omnia sicut prius : eiusdem enim est repetitio , & ob hoc eadem potest fieri expositio secundum hoc. Est enim secundum *Cassiodorum* hîc Anadiplosis , id est , congeminatio , aut in verbo , aut in versu. Quantum autem ad vltimam partem,scilicet responsionem , nota , quòd exprimere volens dominum dicit : *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ :* de quo quæritis.

Virtutum multiplex acceptio.

Virtutes autem hic Angeli generaliter appellantur. *Luc.*20. Et virtutes cœlorum mouebuntur. Harum virtutum ipse Dominus est. *Matth. vlt.* Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. *Daniel.*4. Iuxta voluntatem tuam facit, tam in virtutibus cœli , quam in habitatoribus terræ. Dominus etiam virtutum gratuitarum est:quia dator illorum.Ad *Galat.*3. Tribuit nobis spiritum , & operatur virtutes in nobis. Virtutes etiam possunt dici opera miraculorum , sed hic ab ipso. *Isa.*26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. Virtutes etiam terreni principes. *Iudith.* 14. Nullus audebat tabernaculum virtutis , hoc est , principis Assyriorum , pulsando aperire. Et dominatur Christus. *Apocalyps.* 19. Rex regum & Dominus dominantium. *Prouerb.* 8. Per me Reges regnant.

Et subdit: *Ipse est Rex gloriæ.*Promittitur primò virtus : postea subdit de gloria. Virtutem enim necesse est præcedere gloriam.*Psal.* Gratiam & gloriam dabit Dominus. Aliæ lecturæ sunt in Glossa. Inspice & expone breuiter.

Ingressus Dei in animam per sex virtutes.

Et nota sex virtutes , quæ sunt quasi sex portæ bonæ , quibus est ingressus Dei ad animam, & animæ ad cælestem Ierusalem. Primò, peccati confessio , quæ dicitur porta gregis: quia per hanc grex Domini dispersus reducitur. *Psal.* Introite portas eius in confessione. 1. *Petr.* 2. Eratis sicut oues errantes , nunc autem conuersi estis, &c. Secundò , satisfactio in cordis amaritudine & opere bono. Hæc est porta piscium. Sicut enim vita piscium est in mari maximè , & quasi naturaliter : sic in amaritudine cordis , & carnis mortificatione est vita spirituum. *Isa.*28. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Et subdit : Domine si sic viuitur , & in talibus vita spiritus mei. Tertia , Dei dilectio , & proximi. Aliter enim non valet satisfactio : imò satisfactio non est. Hæc est porta vetus : charitas enim secundum essentiam vetus est : semper enim necessaria fuit ad salutem : sed noua secundum modum. 1. *Ioan.*2. Non mandatum nouum vobis scribo , sed mandatum vetus quod habuistis ab initio. Ecce vetustas. De nouitate *Ioan.* 15. Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem , sicut dilexi vos. Nouitas ad modum referenda.Quarta est humilitas: parum enim valeret satisfactio cum charitate, nisi esset in humilitatis valle. Hæc est porta vallis : per hanc enim intrauit ipse Christus in propriam gloriam. Ad *Philip.*2. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem: propter quod & Deus exaltauit illum , & dedit illi nomen , &c. Sed cito corruit ista , nisi sequatur quinta,quæ est porta sterquilinij. Hanc aperiebat *Paulus* 2. *ad Corinth.* 4. Tanquam purgamenta huius mundi facti sumus,omnium peripsema vsque adhuc. *Ecclesiast.* 10. Quomodo superbis terra & cinis?Sexta est per quam omnia conseruantur , lachrymosa oratio sine strepitu labiorum facta. Hæc est porta fortis Siloë in fonte lachrymarum. In Siloë silentium designatur , & etiam Siloë interpretatur missus. *Ioan.9.Isa.*8. Abiecit populus iste aquas Siloë , quæ currunt cum silentio. Est etiam oratio , tanquam quidam nuntius ad Deum directus & missus.

IN XXIV. PSALMVM.

In finem , Psalmus Dauid. 1.

2. *Argumentū Psalmi,oratio animæ pœnitentis.*

AD te Domine leuaui animam meam. Hic est Psalmus vigesimus quartus , in quo postquam ostensus est fructus sequens ex Christi passione , scilicet reuocatio electorum de spirituali Babylonia & Ægypto , & de dignitate victoris Christi, subiungitur hic oratio animæ pœnitentis & imperfectæ , vel Ecclesiæ in persona talis postulantis sibi viam ostendi , & onus peccatorum remoueri , vt possit currere post victorem. Et est Psalmus iste , sicut dicit Glossa , primus illorum, qui per literas Alphabeti Hebraici signantur. Sunt enim apud Iudæos viginti duæ literæ. Per has etiam distinguunt aliquos libros & signant , sicut Threnos , & finem Prouerbiorum, & signant quosdam per omnes , sicut centesimum primum, scilicet Confitebor tibi Domine in toto corde meo.110. Beatus vir qui timet Dominum.118. Beati immaculati. Alios non per omnes , sicut istum 24. & 33. Benedicam Dominum in omin tempore. & 36. Noli æmulari in malignantibus. Et 144. Exaltabo te Deus meus Rex. In hoc autem signatur , quod illi Psalmi , qui per omnes signantur, perfectis conueniunt, quibus conuenit perfectius laudare Deum. Illi verò qui non per omnes , magis conueniunt imperfectis, quorum non est laudare Deum perfectè, sed deficiunt adhuc secundum illud ad *Rom.*7. Velle mihi adiacet,perficere autē non inuenio. Duæ autem literæ deficiunt , vt monstretur in illis , quibus competit hic *Psal.* imperfectio duplex , Confessorum scilicet omnia propter Christum relinquentium , & martyrum pro Christo corpus morti exponentium. Deficit igitur, & quia omnium est vox in hoc Psalmo, & communis titulus præponitur:*In finem Psalmus Dauid.* , & expone sicut frequenter expositum est suprà.

Diuiditur autem Psal. in tres partes. Primò exprimitur vox orantis pro amotione ignorantiæ & culpæ. Tertiò suspirantis ad gloriam, quam habet in aliqua cognitione. *Quis est homo qui timet Dominum ?* Primo iam patet diuisio. Primò orat pro amotione ignorantiæ, vt sciatur via. Secundò pro amotione culpæ , ne oneretur in illa , ibi , *Reminiscere miserationum tuarum.* Prima in duas. Primò ostendit , quòd non debet relinqui in ignorantia. Secundò petit ex hoc vt ostendatur ei via , ibi , *Vias tuas Domine demonstra mihi.* In prima duo secundum duo quæ petit. Primò ne ignorans in seipso

erubeſcat. Secundò ne ab aliis confuſionem, & irriſionem ſuſtineat, ibi, *Neque irrideant.* Primum non debet ſuſtinere Deus propter tria quæ tangit. Propter charitatem quam habet in corde. *Ad te Domine leuaui animam meam.* Propter confeſſionem fidei in ore. *Deus meus.* Propter confidentiam ex bonitate vitæ ſurgentem ex bono opere. *In te confido.*

Dicit ergo: *Ad te Domine*, qui ſic regis, & tam potenter omnibus dominaris, *leuaui animam meam.* In hoc charitas quæ ſurſum leuat. 1.ad *Corinth.*13. Charitas omnia ſuffert, id eſt, ſurſum fert: omnia ſuſtinet: in quo etiam notatur humilitas: non enim leuatur niſi quod iacet in imo. Ac ſi dicat: Repleta eſt malis anima mea, ſed tamen charitate aliquantula eam leuo ad te. *Thren.*3. Leuemus corda noſtra cum manibus ad Deum. Sed quomodo dicit hoc: quis enim poteſt leuare ad Deum animam ſuam, ſi Deus ipſe ad ſeipſum non leuet ipſam? Reſpondeo. Intellige animam in corpus proiectam tanquam quoddam granum in terram, ab illo ſummo agricola de quo *Ioan.*15. Pater meus agricola eſt. Et habet liberum arbitrium tanquam virtutem in grano, & gratiam vt calorem ſolis. Sicut ergo quod granum in altum leuatur, eſt à ſolis actione, & virtute grani, ſic in animæ noſtræ eleuatione eſt actio noſtra, tanquam virtutis grani, & Dei tanquam ſolis. *Iob* 34. Si direxerit ad Deum cor ſuum, quod eſt liberi arbitrij, omnem ſpiritum eius & flatum ad ſe trahet, ecce quod eſt Dei.

Actiones noſtræ à gratia & voluntate.

Releuanda eſt anima à triplici terra.

Ad te ergo *animam meam leuaui*, à terra quam calcamus, deteſtando auaritiam. *Pſal.* Conglutinatus eſt in terra venter noſter: adhæſit in puluere anima noſtra. A terra quam geſtamus, deteſtando luxuriam, ne putreſcat in luto, & ſtercore carnis. *Ioël.* 1. Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo. *Ierem.* 2. Vide vias tuas in conualle, vide vbi nunc proſtrata ſis. A terra, quæ nos ipſi ſumus, ſcilicet libero arbitrio, quod eſt illa terra, de qua *Geneſ.* 3. Maledicta terra in opere tuo, ſpinas & tribulos germinabit tibi: omnem ſuperbiam abiiciendo & fugiendo, & ipſam animam tibi præſentando. *Iob* 13. Animam meam porto in manibus meis. Et in *Pſal.* Anima mea in manibus meis ſemper, parata vt tibi offeratur ad omnem obedientiam. Leuaui autem ad te contemplandum oculo intellectus, ad oſculandum ore affectus. *Cant.vlt.* Quis mihi det vt inueniã te foris, id eſt, in aperto, quantũ ad primũ: & deoſculer te, quantum ad ſecundum. Item. *Ad te leuaui animam meam*, vt laſſata in te requieſcat. *Auguſt. in lib. Confeſſ.* Inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te. *Ioan.*16. In mundo preſſuram, in me autem pacem habebitis. Vt extenuata pingueſcat. *Eccleſ.*14. Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis, &c. *Matth.*11. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Ad hanc autem refectionem ſequitur ſpiritualis pinguedo, de qua in *Pſal.* Sicut adipe & pinguedine, &c. Vt omne terrenum ei vileſcat. *Caſſiod.* ſuper hunc locum: Facilè terrena deſpicit, qui ad diuina conſpicienda ſe iungit. *Pſal.* Renuit conſolari anima mea, in terrenis: memor fui Dei, & delectatus ſum. Vt æternum lumen ei illuceſcat. *Pſal.* Accedite ad eum & illuminabimini. Huic autem clauſulæ præponitur Aleph, quod interpretatur doctrina, in quo ſignatur, quòd ſic leuans animam, & doctrina aliis, & eis eſt in exemplum, ſecundum illud *Ioan.*13. Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.

Deus meus. Ecce confeſſio fidei in ore. Ad *Rom.* 10. Ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Sine hac autem non poteſt captare beneuolentiam: quia ad *Hebr.*11. Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.

In te confido. Ecce confidentia ex bono opere ſurgens, & gratia Dei. *Pſal.* Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino. Et talis non confunditur. Ad *Rom.*5. Spes non confundit. Et quia hoc eſt, ô tu Domine, *non erubeſcam*, confuſus in meipſo propter viæ ignorantiam. *Caſſiod.* Erubeſcere eſt repentina animi perturbatione confundi, ſubitóque aliud reſpicere, quam quod credebatur euenire. Nec propter peccati propriè confeſſionem, ſicut Adam, & vxor eius, qui erubuerunt peccatum confiteri. *Geneſ.*3. Nec crucifixi prædicatione cum *Paulo ad Roman.* 1. Non enim erubeſco etiam Euangelium. Nec ipſius imitatione, ne contingat mihi illud *Luc.* 9. Qui me erubuerit & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet. Ante hanc clauſulam proponitur Beth, quod interpretatur domus, vel confuſio, per quod ſignificatur quod piis eſt domus, impiis confuſio: ſcilicet fidem confiteri, & quodcumque quatuor prædictorum. Non enim confunduntur & erubeſcunt vbi opus eſſet, ſed in iis in quibus non oportet. *Ierem.*8. Confuſione non ſunt confuſi, & erubeſcere neſcierunt.

Neque irrideant me. Hic eſt ſecundum, in quo tangitur petitio ſecunda, ne irrideatur, & oſtendit quod non debet Dominus irriſionem ſuam ſuſtinere. Primò propter aduerſariorum malitiam. Secundò propter ſui patientiam. *Etenim.* Tertiò quibus debet infligere ipſam confuſionem. *Confundantur.* Dicit ergo: Sic cuſtodi me, *ne erubeſcam, neque irrideant me*, non amici qui aliquando irrident ad ſolatium, ſed *inimici mei*, qui irrident ad confuſionem, ſcilicet homines mali, qui aliquando irrident bonos. *Iob* 12. Irridetur iuſti ſimplicitas. *Sap.*5. Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Vel dæmones, qui quos capiunt, irrident in ignorantia Dei. *Abac.*1. Et erunt tyranni ridiculi eius. *Greg.* Tantò magis diabolus nos irridet, quantò magis nos ſibi obſequentes videt. 3.

Etenim vniuerſi qui ſuſtinent te. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Non irrideant, & ſcio, quòd ita erit, propter patientiam meam. *Etenim vniuerſi qui ſuſtinent te*, patienter ſcilicet ſicut ego, ſecundum illud: Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum. *Suſtinent*, inquam, malum pœnæ inferentem. *Iſa.*25. In ſemita iudiciorum ſuſtinuimus te. Suſtinent te bona differentem. *Eccl.* 36. Da mercedem Deus ſuſtinentibus te. Sed non confundentur fruſtrati: quia & à pœna liberabuntur, & gloria dotabuntur. *Eccleſ.*1. Vſque ad tempus ſuſtinebit patiens, & propterea redditio iocunditatis. *Pſal.* Cum ipſo ſum in

tribula

tribulatione, eripiam eum, liberando à pœna: & glorificabo eum, dotando gloria. Ante hanc clauſulam, etenim, ponitur Gimel, quod interpretatur plenitudo, quia patientia, perfectio, & plenitudo virtutum eſt. *Iacob.*1. Patientia opus perfectum habet. Et quia retributio pœnæ inferenti mala. *Ierem.* 15. Qui perſequuntur me, cadent, & infirmi erunt. Et gloriæ patienter ſuſtinenti. Ad *Hebr.* 6. Per patientiam hæreditabunt promiſſiones.

Confundantur omnes iniqua agentes ſuperuacuè. Hîc ſpecificat, qui ſunt digni confuſione. Et continua: Quaſi diceret: Sic non confundentur qui ſuſtinent te, *ſed confundantur*, ſi deprecatio eſt, eſt verbum pietatis, & optatio bonæ confuſionis, de qua *Eccleſ.* 4. Eſt confuſio adducens gratiam & gloriam: ſecundum illud *Matth.* 5. Orote pro calumniantibus, & perſequentibus vos. Vel poteſt eſſe maledictio quædam matris Eccleſiæ in prauos filios & peruerſos, concordando diuinæ iuſtitiæ. *Eccleſ.*3. Eſt maledictus à Deo qui exaſperat matrem. Sed qui & quare confundentur? *Omnes iniqua agentes*, contra Eccleſiam & veros Eccleſiæ filios. Et hoc *ſuperuacuè*, id eſt, fruſtrà pugnabunt mali, qui quidem ſemper impugnabunt bonos, ſed tandem non præualebunt. *Ierem.*1. Bellabunt aduerſum te, ſed non præualebunt. Nec mirum: Eccleſia enim eſt ciuitas, & domus fortis fundata ſupra firmam petram. *Matth.* 7. & 16. Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Proprie autem iniqua agentes ſunt, qui temporalia malè acquirunt, & tales multi. *Amos* 9. Auaritia in capite omnium. Iſti agunt dupliciter, vel in rapiendo, ſicut nobiles, vel fraude, vt mercatores. De primis *Iſa.* 3. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis? *Amos* 3. Neſcierunt facere rectum, dicit Dominus. De ſecundis *Amos* 8. Imminuamus menſuram, & augeamus ſiclum. Et hoc *ſuperuacuè*: quia non proſunt ſic congregatæ diuitiæ. Verſus:

Non habet euentus ſordida præda bonos.

Prouerb. 12. Non inueniet fraudulentus lucrum *Iſa.*33. Væ qui prædaris, nonne & ipſe, prædaberis? Agunt etiam ſuperuacuè: quia vana ſunt temporalia, & vacua penitus à fructu etiam in præſenti ſecundum illud *Eccleſ.*5. Qui amat diuitias, fructum non percipiet ex eis. Nec in futuro. *Prouerb.* 6. Non proderunt diuitiæ in die vltionis. Imò ſi fructum faciunt, non niſi amarum. *Naum* 3. Cuius diuitiæ mare. De vtroque *Eccleſ.* 1. Vidi cuncta quæ ſunt ſub ſole, & ecce vniuerſa vanitas, quantum ad primum, & afflictio ſpiritus, quantum ad ſecundum.

Vias tuas Domine. Hîc ſecundum, in quo petit viæ notitiam, & præmittitur petitio. Secundò perſuaſio, quòd acquieſcere debet Deus petitioni. *Quia tu es Deus Saluator.* Duo autem petit. Primò vt doceatur verbo. Secundò exemplo. *Dirige me.* Et verbo primò mandatorum viam. Secundò conſiliorum ſemitam. *Et ſemitas.* Dicit ergo: Ille erubeſcit, & irridetur, qui neſciens viam, vel errans per ipſam, ad optatum finem non peruenit: ſed vt hoc mihi non accidat, rogo *Domine demonſtra mihi*, ſicut Ieremiæ, qui dicit in 11. Domine demonſtra-

ſti mihi. Et hoc digito Spiritus ſancti procedente de manu tua, ſcilicet filio. *Exod.*8. Digitus Dei eſt hic. *Vias tuas*, mandata ſcilicet, quæ dicuntur viæ: quia lata valde. *Pſal.* Perambulabam in latitudine in mandatis tuis quæ dilexi. *Caſſiodor.* Viæ ſunt quas commeantium licentia generaliter peruagatur. Viæ dicuntur à vehendo. *Iſa.*2. Docebit vos vias ſuas.

Et ſemitas tuas, id eſt, conſilia, *edoce me. Caſſiodor.* Semitæ ſunt quæ anguſto calli diriguntur, nec vulgò notæ, ſemitæ dictæ quaſi ſemiuiæ. Talia ſunt conſilia: latitudo enim præceptorum multa poſſidere permittit, ſed arctitudo conſiliorum nihil habere permittit. *Matth.* 19. Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes. In præceptis bene ambulat vir cum ſua vxore, ſed in conſiliis non ambulat, niſi ſolus ſine vxore. 1. ad *Corinth.* 7. De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do. Item poſſunt ambulare in via mandatorum cum propria voluntate in multis: ſed in conſiliis relinquenda in omnibus. 4. *Reg.*6. Ecce locus in quo habitamus coram te, anguſtus eſt nimis. *Num.* 22. In loco anguſto, in quo non erat declinare nec ad ſiniſtram, nec ad dexteram, ſtetit Angelus contra aſinam, contra carnem. Et certè multis ignota eſt hæc ſemita, non poſſunt ipſam cognoſcere. *Matth.*19. Qui poteſt capere, capiat, dixit Dominus, poſtquam loquutus eſt de virginitate. Et bene *vias tuas*, non ſolum quia ducunt ad te, ſed etiam quia per eas ambulaſti, virgo, pauper, & obediens. *Prouerb.*8. In viis iuſtitiæ ambulo quantum ad mandata quæ impleuit homo Deus: & in medio ſemitarum iudicij, quantum ad conſilia.

Differentia præcepti & conſilij.

Dirige me. Hîc petit doceri exemplo, & primò viam, deinde ſemitam. *Et doce me.* Dicit ergo: Sic demonſtra & edoce, & etiam quaſi via demonſtrata, *dirige me*, ſecundum quod Dominus, *in veritate tua*, vitæ ſcilicet. *Prou.*16. Domini eſt dirigere greſſus. *Et doce me* ſemitas ſecundum quod magiſter. *Matth.* 22. Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces. Et nota ordinem. Primò petit vt dirigatur motiua. Secundò vt doceatur apprehenſiua. *Eccleſ.*24. Pie agentibus dedit ſapientiam. Ergo dirigere propriè referri poteſt ad mores & ad agenda, & docere ad credenda. Vel ſic: *Dirige me in veritate tua*, id eſt, in fide. Nam *Abac.*2. Qui incredulus eſt, non erit recta anima eius in eo.

Et doce me. Vt tandem quod credo intelligam, quia præcedit fides, ſequitur viſio. *Iſa.*7. Niſi credideritis, non intelligetis. Vel ſic: *Dirige me in veritate tua.* Ablatiuus pro accuſatiuo, id eſt, vſque in veritatem tuam, te ſcilicet. *Ioan.*14. Ego ſum via, veritas, & vita. Et ibi, *doce me*, non in libro creaturæ, ſicut Philoſophos. Ad *Roman.* 1. Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Nec in libro Scripturæ in quo doces Theologos. *Iſa.* 29. Erit viſio, quaſi verba libri ſignati. Sed in ipſa tua veritate, quæ eſt liber vitæ *Apocal.*7.

Quia tu es Deus Saluator meus. Hîc perſuaſio, quòd debeat acquieſcere ſuæ petitioni, & allegat duo. Vnum ex parte Dei, propriam ſcilicet bonitatem. Alterum ex parte ſuiipſius, ſcilicet

patientiam propriam. *Et te ſuſtinui.* Et tangitur duplex beneficium creationis, & recreationis. Quantum ad primum dicit: Sic dirige, ſic doce me, & debes, quia *tu es Deus meus*, ſupple, beneficio creationis. *Et Saluator meus*, beneficio recreationis: tuum enim qui me creaſti, de nihilo faciendo, eſt me ſaluare glorificatum recreando. *Iob* 29. Videbo Deum Saluatorem meum. *Sap.*8. Attingit à fine, recreationis, ad finem, glorificationis, fortiter.

Et te ſuſtinui, patienter patiendo mala, expectando bona dilata, *tota die. Eccleſ.*2. Suſtine ſuſtentationem Dei. *Baruch* 3. Filij ſuſtinete patienter. Hanc autem allegat: quia ſola hæc meretur coronam. *Matth.* 10. & 24. Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Ad *Hebr.*10. Patientia vobis neceſſaria, vt voluntatem Dei facientes, reportetis repromiſſionem.

Huic autem duplici verſui præponitur litera hebræa He, quæ interpretatur, quod eſt, vel vita: quia per viam, vel ſemitam, per directionem à Deo, & doctrinam peruenitur ad vitam, & ad illud quod verè & immutabiliter eſt.

6. *Reminiſcere miſerationum tuarum.* Hîc eſt ſecunda pars Pſalmi, in qua orat contra malum culpæ. Et primò Eccleſia petit. Secundò ſe exauditam oſtendit, ibi, *Dulcis & rectus.* In prima duo. Primò præmittit perſuaſionem. Secundò ſubiungit petitionem, ibi, *Delicta iuuentutis.* Suadet autem à tribus. A frequentia operum miſericordiæ. A naturaliter inſita pietate. *Et miſericordiarum.* Et à perpetuitate, vel æternitate miſerendi. *Quæ à ſæculo.* Quaſi diceret: Sic peto præcedentia: ſed ô Domine *reminiſcere miſerationum tuarum*, id eſt, operum miſericordiæ quæ ſoles frequenter exercere. Quaſi diceret: Non peto, quòd non ſis ſolitus facere, ſed quod conſueuiſti alias. In *Pſal.* Ne longè facias miſerationes tuas à me, quia miſericordia & veritas tua ſemper ſuſceperunt me, quaſi præſcriptionem longi temporis allegat. Quaſi etiam diceret: Non meis meritis allego quæ petiturus ſum deberi mihi fieri, ſed frequentia exercitij miſericordiæ tuæ. *Daniel.9.* In miſerationibus tuis exaudi me Domine.

Et miſericordiarum tuarum, quæ tibi ſunt naturales. Sed quomodo *miſericordiarum* in plurali, cum vnica & ſingularis in Deo ſit miſericordia? & eſt reſponſio, quòd verè vnica eſt in ſe, nec pluralitas tangitur hic, niſi vt monſtretur pluralitas in effectibus. *Pſal.* Homines, & iumenta ſaluabis Domine, quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus. Opera autem miſericordiæ eius in tribus patent maximè. Miſericordia autem ſiue opus miſericordiæ eſt releuatio à defectu: & hic triplex: naturæ, culpæ, & pœnæ. Primum ergo releuat miſericordia, quæ eſt in deducendo de non eſſe ad eſſe per creationem. *Iob* 10. Vitam & miſericordiam tribuiſti mihi. *Pſal.* Deus meus miſericordia eius præueniet me. Secundò releuat miſericordia, extrahendo de culpa ad iuſtitiam per gratiæ infuſionem. Ad *Hebr.* 5. Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in tempore opportuno. Tertium releuat de miſeria inducendo in gloriam, per gloriæ ipſius collationem. De hac miſericordia *Iudas in Canon.* Voſmetipſos in dilectione Dei ſeruate, expectantes miſericordiam Domini noſtri IESV CHRISTI in vitam æternam.

Miſericordia releuat à triplici defectu, naturæ, culpæ, & pœnæ.

Quæ à ſæculo ſunt. Hîc allegatur perpetuitas. Quaſi diceret: Quia perpetuò & ab initio ſæculi non ceſſat miſereri, modo non omittet. Et verum dicit: in Adam enim opus miſericordiæ exercuit, quia non ſtatim vt meruerat, eum damnauit, ſed ei pœnitentiam iniunxit: In ſudore vultus tui, veſceris pane tuo. *Gen.*3. Similiter ſucceſſores Adæ, qui peccata ſuper peccata addebant, miſericorditer expectauit valdè diu. *Sap.*12. Dabas locum pœnitentiæ, non ignorans quoniam nequam eſt generatio illorum, & naturalis malitia impiorum. Et ſic ſemper ſuſtinuit in patientia, ſemper præbens locum pœnitentiæ, ne deſtrueret omnino. *Thren.* 3. Miſericordiæ Domini quoniam non ſumus conſumpti. Et nota, quòd miſerationes ſunt à ſæculo, ad illas enim referendum quod hic dicitur, ſed miſericordia ante ſæculum & ſine principio. *Pſal.* Miſericordia autem Domini ab æterno, & vſque in æternum.

Huic autem verſui præponitur Zain, dimiſſa hebræa litera vau: Zain enim interpretatur, *Duc huc*, ſcilicet in me miſerum tuas miſericordias. Et in hoc quod dicit, reminiſcere, non eſt intelligendum, quod in Deum cadat obliuio, nec reminiſcentia, ſed ponitur affectus pro effectu, & antecedens pro conſequente.

Delicta iuuentutis. Hîc eſt ſecundum, in quo petit duo. Primò auferri culpam. Secundò conferri ſibi gratiam, ibi, *Secundum miſericordiam tuam.* In prima duo. Primò, quòd culpa ſic auferatur, vt commiſſa ſcienter non ſint in recordatione. Secundò, quòd nec præparata ignoranter. *Et ignorantias.* 7.

Ait ergo: Sic debes miſereri & parcere. Ergo ô Domine, *ne memineris:* ad æternam pœnam infligendam, *delicta iuuentutis meæ*, id eſt, in iuuentute mea ſcienter perpetrata. *Bar.* 3. Noli meminiſſe delicta parentum noſtrorum, reſeruando ad æternam mortem: ſed memento manus tuæ, & nominis tui, id eſt, Chriſti, qui eſt manus, & nomen tuum. Et dicit *Caſſiodor.* Delicta dicuntur, eò quod per ea via æquitatis linquitur. *Prouerb.* 14. Errant qui operantur malum. Et dicit, iuuentutis, vt magis moueat ad non recordandum, quia magis ad peccandum impulſus fuit. Quamuis enim caro aduerſus ſpiritum concupiſcat, ſicut dicitur ad *Galat.*5. Maximè in iuuentute impugnat. *Geneſ.*6. Proni ſunt ſenſus hominis ab adoleſcentia ſua in malum. Iuuentus etiam poteſt appellari leuitas, & morum inordinatio. Hac iuuentute, imò pueritia multi ſenes iuuenes ſunt, & pueri. *Iſa.* 65. Puer centum annorum morietur. *Caſſiod.* Multi iuuenes morum grauitate ſeneſcunt: cùm è contra quidam ſenes leuitatis crimine maculentur. Secundum hoc petit, *delicta iuuentutis*, vel leuitatis ſuæ, in quacumque æſtate, æternaliter non puniri.

Et ignorantias meas. Hîc ſecundum. Et nota, quòd ignorantias dicit in plurali, quia ignorantia appellatur culpa habita ex ignorantia. Hoc autè accidit in originali culpa, quam homo contrahit ignoranter: neſcit enim, & contrahit:

imò

imò habet ignorantiam negationis simpliciter. Aut quando adultus est, & tunc peccat dupliciter, aut quia ignorat dispositionem facti, sed bene scit factum. Homo bene scit quod fornicatur, vel dormit cum soluta, sed nescit esse culpam. Hæc ignorantia in infideli adulto ante conuersionem. Aut scit facti conditionem, sed ignorat factum, sicut in fideli qui scit bene fornicationem esse peccatum, sed non recolit se fornicatum esse. De omnibus ergo intellige: *Et ignorantias meas*, peccatum scilicet originale, quod contraxi me penitus ignorante. *Isa.* 47. Veniet super te malum, & nescies ortum eius, quoad peccatum originale: & calamitas quam non poteris expiare, quantum ad concupiscentiam quæ semper manet.

Omnia peccata habent ignorantiã adiunctam.

Item *ne memineris* peccata mea quæ commisi ante fidem nesciens esse peccata. *Prouerb.* 4. Via impiorum tenebrosa: nesciunt vbi corruunt. *Eccles.* 4. Stulti nesciunt quid faciunt mali.

Vel sic: *Ne memineris ignorantias*, id est, peccata quæ feci, sed non recolo me fecisse. 1. ad *Corinth.* 4. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Et sciendum, quòd committitur peccatum ex ignorantia, & habet excusationem à malitia. 1. ad *Timoth.* 1. Misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci. Et ex infirmitate, & etiam hoc excusabile. Tale fuit Petri peccatum in trina negatione. *Matth.* 26. Sed est quod committitur ex studio & ex industria, & pura malignitate, & hoc grauissimum. *Ierem.* 6. Omnes auaritiæ student. *Gregor.* Plus displicet Deo studium quam peccatum. Hæc ergo petit sibi dimitti quæ ex infirmitate & ignorantia perpetrauit.

Et præponitur his duobus versibus litera Cheth, quod interpretatur pauor, quia pauor de peccatis confugere ad misericordiam facit, &c.

Secundum misericordiam tuam. Hîc secundum, in quo petit conferri gratiam; adiungens allegationem. Primò misericordiæ diuinæ, quæ subuenit peccatoribus. Secundò bonitatis, quæ subuenit omnibus. *Propter bonitatem.* Dicit ergo: Sic destrue culpam, & etiam *memento mei* infundendo gratiam *tu*, cuius est infundere eam, & per ipsam delere culpam. *Isa.* 43. Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates propter me. *Psal.* Memorare quæ mea substantia, &c. Et non secundum quod merui, quia inimicis tuis adhæsi. 1. *Paral.* 19. His qui oderunt Dominum, id est, dæmonibus, amicitia iungebaris, & idcirco iram Dei merebaris. Sed *secundum misericordiam tuam*, hoc est, misericordiam quæ decet te. *Isidor.* Regiæ virtutes duæ sicut præcipuæ, scilicet iustitia & pietas. Plus autem in Regibus laudatur pietas. *Senec.* Clementia decet principem, qui quocumque venit, mansuetiora omnibus faciat. Allegat ergo: secundum misericordiam tuam infinitam, & omnem culpam excedentem. *Gregor. in quadam Homil.* Quæ lingua narrare viscera misericordiæ diuinæ sufficit? Quis spiritus ante tantæ pietatis diuitias non obstupescit?

Propter bonitatem. Quasi diceret: Non propter meritum meum, sed *propter bonitatem tuam*, tibi naturaliter insitam, non aliunde contractam. *Dionys. lib. de diuinis nomini. cap.* 4. Cum essentia Dei bonitas sit, si ipse transit de bono, transit de essentia. Et est differentia inter Dei bonitatem & misericordiam, quia bonitas est respectu omnis creaturæ, quam condidit Deus, & conseruat: misericordia respectu creaturæ miseræ, à quâ tollitur culpa & pœna.

8.

Dulcis & rectus Dominus. Hîc secundum totius huius partis, in quo postquam præmisit petitionem, ostendit se exauditam vel exaudiendum. Et primò quantum ad collationem gratiæ. Secundò quantum ad remissionem culpæ, ibi, *Propter nomen tuum Domine.* In prima duo. Primò commendatio ipsius à quo petit gratiam. Secundò specificatio bonorum, quæ accepta sunt: quod est consequens ad commendationem, ibi, *Propter hoc legem.* Ait ergo: Sic petis ô Ecclesia, vel quæcunque anima: vnde hoc tibi? *Dulcis & rectus Dominus. Dulcis* peccatum remittendo sine meritis, & gratiam infundendo in illum qui non meruerat nisi mortem. *Psal.* Præueniisti eum in benedictionibus dulcedinis. Et talis fuit in aduentu primo, cum dicebat *Luc.* 7. Dimittuntur tibi peccata tua. *Cant.* 5. Guttur illius suauissimum. Sed tamen *rectus*, districtè discutiendo, si correcti non fuerimus, per iustitiam. *Psal.* Rectus Dominus Deus noster. Et hoc in aduentu secundo, quia tunc non exibit nec ad dextram nec ad sinistram. *Prouerb.* 6. Zelus & furor viri non parcet in die iræ. Ratione dulcedinis est amandus, ratione rectitudinis est timendus. *Ecclesiast.* 2. Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra. Dulcis Christus, quia vita: rectus, quia veritas & via. *Ioan.* 14. Dulcis, quia suauia dat. *Sapient.* 16. Panem de cœlo præstitisti eis, &c. Rectus, quia ad bonum flagellat. Ad *Hebr.* 12. Flagellat omnem filium quem recipit. Dulcis in cogitatione. *Ecclesiast.* 24. Spiritus meus super mel dulcis. Dulcis in sermone. *Psal.* Quam dulcia faucibus meis eloquia tua. Et dulcis in opere: dulcia enim suis præparauit. *Psal.* Parasti in dulcedine tua pauperi Deus. Rectus, quia in eum non exiuit medium ab extremis. In lachrymis natus. *Sapient.* 7. Similem vocem omnibus emisi plorans. In lachrymis mortuus. Ad *Hebr.* 5. Cum clamore valido & lachrymis. Et in lachrymis vitam duxit. *Luc.* 19. Fleuit super populum. Et *Ioan.* 11. Lazarum suscitando.

Propter hoc legem dabit. Hîc ostendit bona, quæ à se commendata est receptura. Primum, quòd accendet concupiscibilem. Secundum, quòd diriget irascibilem. *Diriget mansuetos.* Tertium, quòd docebit rationabilem, ibi, *Docebit.* Dicit ergo: *Propter hoc legem dabit*, charitatis, dulcedinis, ad promouendum bonos & reducendum malos. *Isa.* 33. Dominus Rex noster, Dominus iudex noster, Dominus legifer noster. Lex enim corrigit per rectitudinem, & ad Deum afficit per dulcedinem. De primo *Psal.* In quo corrigit adolescentior viam suam, in custodiendo sermones tuos. De secundo *Ecclesiast.* 23. Nil dulcius quam respicere in mandatis Dei. Hæc etiam lex charitatis, de qua *Iob.* 11. Vtinam Deus aperiret labia sua, vt ostenderet secreta sapientiæ suæ, & quod multiplex sit lex eius, charitas scilicet. Sed quibus dabis?

dabis? *Delinquentibus in via.* In hac miſera vita, quia cæteri non indigent lege arrigente. Ad *Galat.* 4. Propter tranſgreſſores lex poſita eſt. 1. ad *Tim.* 1. Iuſtis non eſt lex poſita, ſed parricidis, homicidis, & aliis peccatoribus, qui peccatores ſunt dum ſunt in via. Et etiam ſpes de correctione illorum poſt mortem non eſt: vnde fruſtrà daretur eis lex. *Prouerb.* 11. In mortuo homine impio, nulla erit vltra ſpes.

Nota etiam, quòd Dominus ſignat poteſtatem, dulcis benignitatem, rectus rigorem: & hæc coniunguntur ad monſtrandum quod poteſtas debet habere duos tales ſocios, quia poteſtas ſine benignitate erit tyrannica, eadem ſine rigore, erit remiſſior, imò nulla. *Gregor.* In ſacerdotali pectore cum terrore ſeueritatis debet cuſtodiri virtus manſuetudinis, vt iram manſuetudo condiat, & manſuetudinem zelus diſtrictionis accendat. Talis poteſt dare legem delinquentibus in via, & non alius.

9. *Diriget manſuetos.* Hîc ſecundum quod dirigit iraſcibilem. Ait enim: Sic accendet concupiſcibilem, *& diriget manſuetos* qui patienter ſuſtinent correctionem, *in iudicio* præſenti quo punit peccata, de quo *Ioan.* 12. Nunc iudicium eſt mundi. *Manſuetos* appellat, ſicut vult *Caſſiodor.* Iniurias tolerantes, non malum pro malo reddentes. Hos dirigit: quia per correctionem, ſi aliquid in eis diſtortum eſt, totum rectum, & directum facit. Nec mirum: quia applicat: ſecundo, quia rectus eſt. Dirigit etiam eos in iudicio futuro in vitam æternam ſecundum illud *Matth.* 25. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum.

Et docebit mites. Ecce tertium, ſcilicet eruditio rationabilis: & tangitur quos docebit primò. Secundò quid illos docebit. *Vias ſuas.* Primò in vniuerſali. Secundò ſpecialiter. *Vniuerſæ viæ Domini.* Dicit ergo: Sic diriget manſuetos, *& docebit mites.* Iſti enim ſunt apti ad hoc vt doceantur. Propter hoc Dominus in *Matth.* primam lectionem tanquam introductoriam ait in 11. Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde. In manſuetudine enim, & in humilitate ſuſcipitur doctrina. *Iacob.* 1. In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum. *Eccleſ.* 5. Eſto manſuetus, ad audiendum verbum Dei, & propinquas vt audias.

Sed quid docebit eos? *Vias ſuas. Iſa.* 2. Docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius, non inania, & curioſa, & philoſophica, quæ non ſunt via ad vrbem cœleſtem, ſed magis deuia, quærentes. *Eccleſ.* 10. Labor ſtultorum affliget eos, qui neſciunt in vrbem pergere, id eſt in cœlum.

Huic verſui præponitur Ioth quod interpretatur diſſolutio, vel principium, quia hic actum eſt de iudicio, in quo impij diſſoluentur, & bonis erit principium æternitatis.

10. *Vniuerſæ viæ Domini.* Hîc ſpecificat vias, & tanguntur duo, quorum primum pertinet ad aduentum primum, ſecundum ad ſecundum aduentum. Primum, miſericordia. Secundum, veritas. Duo ergo dicuntur. Primò quæ ſunt illæ viæ quas docet. Secundò probat, quòd veræ illæ ſunt. *Requirentibis.* Ait enim: *Docebit mites vias ſuas.* Sed quæ ſunt illæ? *vniuerſæ viæ Domini miſericordia*, quantum ad aduentum primum, pro quo dictum eſt. Miſericordia enim Domini plena eſt terra, in *Pſal.* Et alibi, Suſcepimus Deus miſericordiam tuam. Ad *Tit.* 3. Secundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit. Et *veritas*, quantum ad aduentum ſecundum: tunc enim reddet vnicuique prout geſſit. *Iſa.* 27. In menſura contra menſura, cum abiecta fuerit, iudicabis eam. *Iſa.* 62. Iudicium gentibus proferet. Item *vniuerſæ viæ Domini*, id eſt, ſingulæ, ſunt *miſericordia & veritas*, quia in quolibet opere Dei eſt miſericordia, in quolibet veritas. In opere creationis, quia de non eſſe: in opere recreationis, quia de malo eſſe malitia culpæ, in bonum eſſe bonitate gratiæ. In opere glorificationis, quia de miſero eſſe, in glorioſum eſſe. Hæc ſuprà oſtenſa fuerunt in illo verſu, *Reminiſcere miſerationum tuarum.* In illis ſimiliter breuiter veritas inuenitur, quia in his omnibus facit, ſicut decet ſuam bonitatem. *Miſericordia* ergo eſt in omni opere, quantum ad accipientem, ſed veritas quantum ad faciendum. Et hoc verum eſt & apparet.

Requirentibus teſtamentum eius. Scripturas ſcilicet, *Et teſtimonia eius*, ipſos ſcilicet actores, Prophetas & Apoſtolos. *Hieron.* Teſtamentum eſt Scriptura, teſtimonia ipſi ſcriptores, Apoſtoli ſcilicet, & Prophetæ.

Vel Teſtamentum propriè nouum Teſtamentum dicitur, quia Teſtamentum continens vltimam voluntatem poſſeſſoris, exprimens quid & quantum ei relinquat. Et ſic in Euangelio vltima Chriſti voluntas retinetur, quæ in eius morte confirmata eſt, ſecundum illud ad *Hebr.* 9. Vbi teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris. Teſtimonia, lex, & Prophetæ, quæ atteſtantur Chriſto. *Act.* 3. de teſtimonio Moyſi: Moyſes quidem dixit: Prophetam de gente veſtra ſuſcitabit vobis Dominus, &c. *Deuter.* 18. Prophetæ. *Act.* 10. Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent. Sic in nobis hæ duæ viæ eſſe debent: miſericordia ad proximum: veritas, quæ eſt iuſtitia, quantum ad nos ipſos. *Pſal.* Miſericordia & veritas præcedent faciem tuam.

Vel cum dicitur Domini, nomen eſt poteſtatis. Hæc debet habere duas vias per quas ſe exerat, ſcilicet miſericordiam & veritatem. *Prouerb.* 20. Miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem. *Miſericordia*, ne ſit poteſtas effrænata & tyrannica: veritas, ne nimis remiſſa contra malos. *Gregor.* Sit rector agentibus bene per humilitatem ſocius, & contra delinquentium vitia per zelum iuſtitiæ ſit rectus.

Huic verſui præponitur Caph, quod interpretatur operatio, vel curuatio, vel manus, quia ſub via hac duplici Dei curuamus & laboramus. Sub via miſericordiæ, tanquam ſub manu blandiente: ſub via veritatis, tanquam ſub manu terrente.

Propter nomen tuum Domine. Hîc dicit ſe exauditam quantum ad peccati remiſſionem, quod fuit ſecundum, & tanguntur duo ſecundum duplicem cauſam, quam tangit. Dei benignitatem primò. Secundò propriam neceſſitatem, ibi, *Multum eſt enim.* Ait ergo: Hæc bona mihi facies, & etiam *propitiaberis peccato meo*, non meritis incertis, *ſed propter nomen tuum*, oſtendendum, quod eſt IESVS. *Matth.* 1. Vocabis 11.

nomen

nomen eius IESVM: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Et glorificandum à me qui liberatus ſum. *Eccleſ.* 51. Liberaſti me de perditione, & eripuiſti me de tempore iniquo: propterea confitebor & laudem dicam tibi, & benedicam nomini tuo.

Multum eſt enim. Quaſi diceret: *Propitiaberis propter nomen tuum*, & peccati multitudinem quæ tanta eſt, quod delebilis non eſt niſi à te.

Vel ſic: *Propitiaberis propter nomen tuum.* Sed dico, *multum eſt*, quæ confeſſio debet te mouere ad propitiationem: non enim peccatum diminuo ſicut illa gens, cui *Ierem.* 2. dixiſti: Abſque iniquitate & peccato ſum. Et in eodem: Quid niteris oſtendere bonam vitam tuam ad quærendum dilectionem? Quaſi diceret: Hæc non eſt via veniendi ad illam. Nec diminuo ſicut Adam & Eua. *Geneſ.* 3.

Et nota, quòd peccatum mortale multum eſt numeroſitate, quia forſitan qui habet vnum, habet omnia: ſed ſi non quantum ad obligationem ad pœnam ſenſus, tamen quantum ad pœnam damni. *Iacob.* 2. Quicumque totam legem ſeruauerit, offendat autẽ in vno, factus eſt omnium reus. Propter hoc dicitur in *Pſal.* Circundederunt me mala quorum non eſt numerus. Item quantitate comparatione ad illum in quem peccatur. Mortaliter enim peccans, peccat in Deum. *Pſal.* Tibi ſoli peccaui. Et de illo dicitur in *Pſal.* Et magnitudinis eius non eſt finis. Item multum fortitudine, quia fortius dæmone, quem ita conſtrictum tenet, quòd non poteſt euadere, de quo *Iob* 40. Non eſt poteſtas ſuper terram quæ ei valeat comparari. Sed *Luc.* 11. Si fortior illo ſuperuenerit, alligabit eum. Item multum ponderoſitate, in puncto enim facit deſcendere ad infernum. *Pſal.* Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Propter hoc dicitur *Iob* 21. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.

Huic verſui præponitur Lamech, quod interpretatur cor, vel diſciplina, quia hic eſt peccati confeſſio aperta, quæ eſt vera diſciplina, & per quam diſciplinatur & ſeruatur. *Prouerb.* 4. Omni cuſtodia ſerua cor tuum: ex ipſo enim vita procedit.

12. *Quis eſt homo qui timet Dominum?* Hic eſt tertia pars totius Pſalmi, in qua ponitur vox Eccleſiæ ſuſpirantis ad gloriam. Sed quia tale ſuſpirium creatur ex duobus, ſcilicet ex recordatione bonorum patriæ & gloriæ, & ex ſenſibili experientia præſentis miſeriæ, propter hoc duo dicuntur in hac parte. Primò conquerendo inueſtigat, quis tanta habet merita, vt poſſit peruenire ad tanta præmia. Secundò rogat vt amoueatur à præſenti miſeria, ibi, *Reſpice in me.* In prima tria. Primò tangit de merito peruenientium ad gloriam. Secundò ſubiungit de præmio. *Anima eius.* Tertiò oſtendit ſe eſſe in deſiderio, & ſpe tantorum bonorum. *Oculi mei ſemper ad Dominum.* In prima duo ſecundum duplex meritum timoris quod tangit primò, quod eſt tanquam cauſa & præparatio: & amoris, quod eſt conſummatio, ibi, *Legem ſtatuit ei.* Dicit ergo: Sic rogaui & obtinebo. Sed heu, *quis eſt homo qui timet Dominum?* Quàm pauci ſunt qui veraciter timeant. Tamen neceſſarius eſt valde timor. *Eccleſ.* 25. Qui timet Dominum, cui aſſimilabitur? Et ſubdit: Quam magnus, id eſt, valde magnus, qui inuenit ſapientiam, ſed non eſt ſuper timentem Deum. Hunc etiam Dominus exigit & requirit per Prophetam *Malach.* 1. Si ego Dominus, vbi eſt timor meus?

Legem ſtatuit. Hîc tangit ſecundum, amorem ſcilicet: ſicut enim neceſſarius eſt timor bene humilians, ſic certe & amor bene inflammans. Dicit ergo: *Quis eſt qui timet Dominum?* Si talis eſt aliquis, Dominus *ſtatuit ei*, id eſt, ſtabiliter dedit *legem* charitatis, quæ non eſt tantum lex, ſed legis completio. Ad *Rom.* 13. Plenitudo legis eſt dilectio. Et bene plenitudo, quia pleniſſimè docet de omnibus neceſſariis ad ſalutem. 1. *Ioan.* 2. Vnctio docebit vos de omnibus. Et hanc ſtatuit ei exiſtenti, *in via*, fidei, quæ eſt via. 1. ad *Corinth.* 5. Per fidem ambulamus, & non per ſpeciem. Via, inquam, *quam elegit*, quia fides voluntaria eſt, non coacta. Et notatur in hoc arbitrij libertas, quia poteſt credere, ſi vult, ſi non vult non credat. *Eccleſ.* 15. Deus creauit hominem ab initio, & poſuit eum in manu conſilij ſui. Via eſt fides ducens ad Deum, ſtrata ſolidis fidei articulis, tanquam lapidibus parata pretioſis. *Tob.* 13. Omnes viæ tuæ ſternentur ex lapide candido & mundo. Sed ne nimis dura eſſet hæc via, ſternitur molli indumento Dominicæ incarnationis. Vnde ante incarnationem. *Pſal.* Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras. Et alibi, Oſtendiſti populo tuo dura. Sed nunc poſſumus dicere illud ad *Hebr.* 13. Initiauit nobis viam nouam per velamen carnis ſuæ. Vnde ſua vox eſt: Ego ſum via. *Ioan.* 14.

Huic autem verſui præponitur Men, quod interpretatur, ex ipſis, vel ignis. Ex ipſis eis timentibus vel amantibus, verè ignis præcedit ad illos inflammandos. *Luc.* 12. Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur, &c.

13. *Anima eius in bonis.* Hîc eſt ſecundum, in quo ſubiungit de præmio. Primò tangens præmium in futuro. Secundò etiam in præſenti, ibi, *firmamentum eſt Dominus.* In prima duplex præmium tangitur. Primò bonorum aſſociatio. Secundò indiſſolubilis proprij corporis vnio. *Et ſemen eius.* Ait ergo: Eſt aliquis timens & amans Dominum? Et propter hoc *anima eius*, poſt ſeparationem à ſuo corpore, *demorabitur in bonis.* Inter bonos Angelos, & Sanctos, iam in anima glorificatos in patria. *Sap.* 5. Et inter Sanctos ſors illorum eſt. Ioannes Euangeliſta inuitatus eſt à Chriſto vt cum fratribus ſuis epularetur.

Duplex præmiũ timoris & amoris, præſens, & futurum.

Vel in bonis animæ, quæ erunt quatuor ſecundum *Auguſtinum*, quatuor virtutibus ſuccedentia in 6. muſicæ. Primum contemplatio, quæ ſuccedit prudentiæ, & eſt plena conſpectio veritatis. Secundum, ſanctificatio, quæ ſuccedit temperantiæ, & eſt ſumma ab omni ſorde depuratio. Tertium, impaſſibilitas, quæ ſuccedit fortitudini, quæ erit vt nullam omninò moleſtiam patiamur. Quartum, ordinatio quæ ſuccedit iuſtitiæ, & erit vt æquemur puriſſimis animis, & omni naturæ corporali & beſtiali

Quadruplex bonum animæ beatæ.

præponamur. *Auguſt. 6.* Muſicæ in fine. Hæc ergo contemplatio, ſanctificatio, impaſſibilitas, ordinatio, pro iſtis virtutibus ſunt ſperanda. Vel in bonis in tribus dotibus vſitatis, quæ ſunt viſio, dilectio, fruitio.

Et ſemen eius, id eſt, bonum opus, quod ſeminauit, *hæreditabit*, id eſt, hæreditate faciet eam, ſcilicet animam, *terram*, id eſt, corpus ſuum proprium, etſi ipſum ad tempus reliquit. Ergo notandum, quod opus eſt ſemẽ. Ad *Galat. 5.* Quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet. Bonum enim opus, ſemen bonum, quia inde colligitur bonus fructus. *Sapient. 3.* Bonorum laborum, operum, glorioſus eſt fructus. Item ex modico ſemine fructus magnus, imò quaſi infinitus per ſucceſſionem. Sic ex bono opere vita æterna, quæ eſt infinita. *Prouerb. 14.* In omni opere bono erit abundantia. 2. ad *Cor.4.* Id quod momentaneum eſt & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. Item ſemen non producit fructum, niſi occultum: ſic nec opus bonum. *Ioan. 12.* Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet.

Comparatio ſeminis cum bono opere. Cadere in terram, intelligit occultari, & ſepeliri in terram. Propter hoc dicitur oſtendentibus opera ſua. *Matth.6.* Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Propter hoc dicit *Gregorius*, quòd ſic ſit bonum opus in aperto, vt intentio ſit in occulto. *Michæ.6.* Seminabis

Nota. & non metes. Item ſemen iacitur tempore pluuiali, ſed in pulchro metitur: ſic bona opera in valle lachrymarum, ſed metentur in æterna hilaritate. *Pſal.* Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua, venientes autem venient, &c. Item ſemen in fructum non proficit ſine calore, ſic nec opus bonum ſine ſapientia, & amore. *Pſal.* Rigans montes de ſuperioribus tuis, quantum ad ſapientiæ infuſionem. 1. ad *Cor.12.* Si diſtribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.

Vel totum de præſenti. *Anima eius in bonis demorabitur*, id eſt, præceptis, tanquam in quibuſdam deliciis. *Eccleſiaſt. 23.* Nihil dulcius quam reſpicere in mandatis Dei. Vel in bonis futuris, ſpe. *Sapient.3.* Spes illorum immortalitate plena eſt. Ad *Philip.3.* Noſtra conuerſatio in cœlis eſt. Vel *in bonis*, Sanctorum ſcilicet exemplis. *Gregor.* Eccleſia narrat fortitudinem virorum, vt ad ſimilia prouocet vitam infirmorum. *Et ſemen eius, filij, hæreditabit terram.* Neceſſariis ſcilicet non indigebunt. *Pſal.* Non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.

Huic autem verſui præponitur litera Nun, quod interpretatur paſcens, vel paſcua eorum. Bona enim de quibus mentio facta eſt, & timentium & amantium paſcua ſunt. *Pſal.* In loco paſcuæ, ibi me collocauit.

14. *Firmamentum eſt Dominus.* Hìc ſecundum, in quo oſtendit bona collata in via, quæ ſunt duo. Primum, diuina protectio & conſeruatio. Secundum, ſcripturarum reuelatio. *Et teſtamentum ipſius.* Ait ergo: Hæc prædicta eis faciet in futuro, ſed interim *firmamentum eſt Dominus timentibus eum*, id eſt, ſicut timor hominum dat debilitatem & diffidentiam, ſic timor Domini firmitatem. *Pſal.* Poſuiſti firmamentum eius formidinem. Stabilit timor cor & roborat. *Gregor.* Anchora mentis, pondus timoris.

Vel ipſe Dominus eſt firmamentum timentibus ſe: quia vndique Deos ambit, ſicut firmamentum illa quæ continet. *Iob 1.* Nunquid Iob fruſtra timet Deum? Nonne tu vallaſti eum & domum eius? *Pſal.* Et Dominus in circuitu populi ſui. Item quia ignotus ſit ſuis hic in via. *Ioannes Damaſcenus:* Subſtantiam cœli non oportet quærere nobis ignoratam exiſtentem. Sicut Chriſtus in via. *Exod. 33.* Non videbit me homo & viuet. 1. ad *Timoth.6.* Quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt. Item quia protegit fortiter. *Geneſ.1.* Fiat firmamentum in medio aquarum, vt reprimat ipſas. Sic Chriſtus in medio tribulationum ne obruant ſuos. *Iob 17.* Libera me Domine, & pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me. Ad *Rom.8.* Si Deus pro nobis, quis contra nos. *Comparatio Dei cum firmamento.*

Et teſtamentum ipſius, hoc ſcilicet quod in vtroque teſtatus eſt, *manifeſtetur illis*, id eſt, notum ſit & intellectum. *Eccleſiaſt. 33.* Qui timet Deum, excipiet doctrinam eius. Vel ſic: *Et teſtamentum ipſius*, id eſt Deus, ad illos eſt, ſupple, hoc, *vt manifeſtetur illis.* Dominus enim quaſi in teſtamento, quando moriturus erat, hoc eis legauit, vt ſe manifeſtaret illis. *Ioan. 14.* Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Vel *timentibus*, *teſtamentum* hoc manifeſtatur in præſenti per fidem, in futuro per ſpeciem. *Pſal.* Longitudine dierum adimplebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum.

Huic verſui præponitur Samech, quod interpretatur audio, vel firmamentum, vel adiutorium. Quaſi diceret: Per hoc quod in hoc verſu dicitur, intellige, quòd ſi audio Deum, quod ſi ipſum timeam, mihi eſt firmamentum vel adiutorium.

Oculi mei. Hìc eſt tertium, in quo oſtenſo merito bonorum, & ſuppoſito, primò oſtendit ſuſpirando ſe tendere in Deum toto deſiderio: & dicuntur duo. Primò, quia tendit in Deum totaliter aſpectu & affectu. Secundò quare ſic tendit. *Quoniam ipſe euellet de laqueo.* Dicit ergo: Hæc bona facit timentibus & amantibus. Ergo *oculi mei*, interiores, aſpectus ſcilicet vel affectus, *ſemper ad Dominum*, quia ſpeculum. Speculum enim ſemper delectat viſum, & confortat. *Sapient.7.* Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula. Et ſpecioſus ſpecioſum oculum delectat. *Eccleſiaſt. 40.* Gratiam & ſpeciem deſiderabit oculus. Et *Pſal.* de eo, Speciosus forma præ filiis hominum. Quia luminoſus: lumen enim delectat, tenebræ turbant. *Eccleſiaſt.11.* Dulce lumen & delectabile oculis videre ſolem. Et ipſe eſt ſol. *Malach. 3.* Vobis timentibus Deum orietur ſol iuſtitiæ. Quia beneficus. Libenter reſpicit oculus pauperis ad diuitem beneficum, & oculus ſerui ad Dominum à quo expectat aliquod beneficium. *Pſal.* Sicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum, ita oculi noſtri, &c. *Iacob.1.* Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, &c. Et nota, quòd

15. *Quare propheta Deo totus inhiet.*

quòd dicit, *Oculi*, non oculus : ſunt enim aliqui qui vnum habent oculum ad Deum, ſcilicet intellectus, & alium, ſcilicet oculum affectus ad terrena. *Ioan.* 15. Nunc autem & viderunt, oculo intellectus : & oderunt, auertendo oculum affectus, me & Patrem meum. *Pſal.* Qui videbant me foras, quaſi ſuperficiali viſione, fugerunt à me. Alij ſunt quorum neuter in Domino eſt, de quibus in *Pſal.* Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram. *Prouerb.* 17. Oculi ſtultorum in finibus terræ. Et dicit, *Semper*, quia à re viſa & delectabili vix aufertur oculus.

Quoniam ipſe euellet. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: *Oculi mei ſemper ad Dominum*, tanquam ad æterniratis ſpeculum, vnde poſſint videre laqueos, & cauere : ad ipſum ergo ſunt : *Quoniam ipſe euellet*, Et mihi oſtendendo, & me adiuuando, *à laqueo pedes meos*. Gloſſa : Facile euadit laqueos in terris, qui ſemper oculos habet in cœlis. Laqueum autem multiplicem euadit. Poſſeſſionis terrenæ, de quo *Sap.* 14. Creaturæ Dei factæ ſunt in odium, & in tentationem & in decipulam oculis inſipientium. Gulæ, de quo in *Pſal.* Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum. Luxuriæ, de quo *Eccleſ.* 7. Inueni mulierem amariorem morte : laqueus venatorum eſt. Superbiæ, quæ dicitur iniquiras antonomaſticè. *Prouerb.* 5. Iniquitates ſuæ capient impium. Et tandem miſeriæ, de quo in perſona Prophetæ. *Pſal.* Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.

Multiplex laqueus.

Huic verſui præponitur Aiin, quod interpretatur oculus, vel fons. Hic enim dicit oculos, qui fontes lachrymarum ſunt, ad Deum ſe eleuare. *Ierem.* 9. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum ?

19. *Reſpice in me & miſerere mei.* Hîc eſt ſecunda pars totius huius partis ſecundæ Pſalmi. Poſtquam enim ſuſpirando ad æterna monſtrauit bona peruenientium ad illam, hîc ſecundò petit ſanari à miſeria præſenti. Et primò orat contra proprias miſerias ſpecialiter. Secundò contra miſerias omnium generaliter. *Libera Deus Iſraël.* In prima duo. Primò contra mala præſentia. Secundò contra futura, ibi, Cuſtodi animam meam. In prima duo. Primò contra mala pœnæ. Secundò contra mala culpæ, ibi, *Vide humilitatem.* In prima præmittit petitionem. Secundò ſubdit perſuaſionem, quod acquieſcendum eſt ſuæ petitioni, ibi, *Quia vnicus & pauper.* Dicit ergo : Sic Domine oculi mei ſemper ad te. Et tu ergo *reſpice in me*, ſicut reſpexiſti Petrum : imò magis in Petrum. *Luc.* 23. Reſpexit Petrum, & fleuit amare. Nota enim, quòd eſt triplex reſpectus Dei. Suæ ſapientiæ quaſi ſuæ rationabilis. *Eccleſ.* 23. Domino enim Deo antequam crearentur, cognita ſunt omnia : ſic & poſt perfectum reſpicit omnia. Item tanquam ſuæ iraſcibilis, quo reſpicit malos. *Eccleſ.* 5. In peccatores reſpicit ira illius. Miſericordiæ, quaſi ſuæ concupiſcibilis, de quo *Sap.* 4. Et reſpectus in electos illius. Hoc vltimo reſpectu, *reſpice in me*, & *miſerere mei*, à miſeria pœnæ releuando me, & liberando. *Eccleſ.* 40. Fratres in adiutorium in tempore tribulationis, & ſuper eos miſericordia liberabit.

Triplex Dei reſpectus.

Quia vnicus. Hîc ſecundum, ſcilicet ſuaſio, quòd exaudire debet Deus. Primò à bonis quæ facit. Secundò à malis quæ patitur. *Tribulationes cordis mei.* Duo autem bona facit. Tenet ſimplicitatem, & hoc ad Deum. Et paupertatem amat, quoad mundum. *Et pauper.* Ait enim : Reſpice & miſerearis, & debes, *quia vnicus ſum ego*, cordis indiſſolubilitate, quod non habeo diſtractum ad diuerſa deſideria, ſed totum intendit in Deum. 1. ad *Cor.* 6. Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt. Et talis miſericordiam promeretur ſine dubio. *Iſa.* 57. Viri miſericordiæ colliguntur in Deum, deſidero & amore, ſicut è contrariò viri mortis diuiduntur. *Oſeæ* 10. Diuiſum eſt cor eorum, nunc interierunt.

Et pauper, mundanarum rerum abdicatione omnimoda, vel ſaltem ſuppeditatione. De primo *Matth.* 5. Beati pauperes ſpiritu : quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. De ſecundo in *Pſal.* Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. Et vterque dignus eſt miſericordia, quamuis primus magis. *Iſa.* 49. Et pauperum ſuorum miſerebitur.

Eccleſiæ etiam poteſt eſſe vox, quæ vnica eſt, ſine diuiſionibus hæreſum, & ſchiſmatibus. 1. ad *Corinth.* 2. Idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata. *Act.* 4. Credentium erat cor vnum, & anima vna. *Et pauper*, quamuis omnia Eccleſiæ ſint. 1. ad *Corinth.* 3. Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti. Ratio, quia non reputat illa comparatione ad illud quod verè habet, ipſum Chriſtum, ſed magis abiicit & contemnit. *Prou.* 13. Eſt pauper cum in multis diuitiis ſit.

Huic autem verſui præponitur Phe, quod interpretatur os, quod accipitur pro ore, ſiue error, ſiue diſciplina, quia hic per diſciplinam deuotæ orationis corrigitur error oris, &c.

Tribulationes cordis mei. Hîc allegat, & ſuadet à malis quæ ſuſtinet, & primò ab interioribus. Secundò ab exterioribus. *De neceſſitatibus.* Ait ergo : Hoc facio, & etiam *tribulationes cordis mei*, quæ ſunt inſupportabiliores tribulationibus corporis. *Eccleſ.* 30. Non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium : & ideò nec nocumentum, & afflictionem. *Multiplicatæ ſunt*, Verè intantum, quòd nullus poſſit eas numerare, quæ ſunt in corde pio, & veraciter pœnitente. Sunt autem multæ genere, multæ ſpecie, multæ numero. Multæ genere, quia dolor & metus. *Eccl.* 4. Timorem, & metum, & probationem inducet ſuper eum, & cruciabit illũ in tribulatione doctrinæ ſuæ. Et quodlibet iſtorum generum multas habet ſpecies. Dolor enim multiplicatur ſecundum diuerſas ſpecies. Eſt enim in corde iuſti dolor ex contritione, dolor ex compaſſione, dolor ex exilij prolongatione, dolor de patriæ dilatione. Dolor ex contritione multiplicatur numero, ſicut & peccata de quibus iuſtus conteritur. *Iſa.* 38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Ex compaſſione, quia dolet de culpis aliorum & pœnis, & ſingulis. 2. ad *Corinth.* 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor, quantum ad pœnas. Aut quis ſcandalizatur, & ego non ſcandalizor, quantum ad culpas. *Eccleſ.* 25. Omnis plaga, ſiue ſpiritualis

Diuiſio doloris in genera, ſpecies, & numeros.

ſiue

ſiue corporalis, iuſtitia cordis eſt. Verum eſt in iuſto. Dolor ex exilij prolongatione multiplicatur, ſecundum multiplicationem annorum, menſium, ſeptimanarum, & dierum, & horarum. *Pſal.* Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt. *Iob* 3. Quare miſero data eſt lux, & vita iis qui amaro ſunt animo? Et ex patriæ dilatione multiplicatur ſecundum dilationem fœlicitatum quæ ibi ſunt. *Pſal.* Quando veniam & aparebo ante faciem Dei? *Iob* 14. Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Ad *Roman.* 7. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Timor etiam multiplex. De præſenti culpa, de futura pœna. *Pſal.* Timor & tremor venerunt ſuper me. Timor culpæ multiplicatur ſecundum diuerſitates peccatorum, & infinitas circunſtantias quæ poſſunt accidere, quas omnes timet. *Iob* 19. Verebar omnia opera mea. De pœna ſecundum diuerſitates pœnarum culpis ſingulis debitarum. *Iob* 23. Quando recordatus fuero, pertimeſco, & tremor concutit oſſa mea, quid dicam? Apprehenderunt me mala, quorum non eſt numerus.

De neceſſitatibus. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Non ſolum tribulatationes ſuſtineo interius in corde, imò rogo, *de neceſſitatibus meis*, tribulationibus ſcilicet ab exteriori illatis, quæ neceſſitates dicuntur, quia neceſſariò ab illis, qui volunt ſeruire Deo, ſuſtinentur illatæ ab aliis. Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto, perſequutionem patiuntur.

Huic autem verſui præponitur Sade, quod interpretatur iuſtitia: iuſtum enim eſt orantem deuote, liberari ab iis quæ patitur iniuſtè. *Prou.* 11. Iuſtitia liberabit à morte, & ira, & concupiſcentia.

18. *Vide humilitatem.* Hîc ſecundum, in quo orat contra mala eorum, qui ſunt in Eccleſia. Secundò eorum qui ſunt extrà, ibi, *Reſpice inimicos.* In prima præmittitur quaſi perſuaſio. Secundò ſubiungitur petitio. *Et dimitte.* Et perſuadet à duobus. Ab humilitate contra elationem quæ eſt in peccato. Et à labore contra delectationem. Ait enim: Sic rogo amoueri pœnam, & etiam Domine, *vide*, diligenter attendendo, *humilitatem meam*, tu qui potes videre eam, qui ſolus vides in corde vbi eſt eius ſedes. 1. *Reg.* 16. Deus autem intuetur cor. Et debes. *Iſa.* 66. Alia litera: Ad quem reſpiciam niſi ſuper humilem ſpiritu, & contritum, & trementem ſermones meos?

Et laborem meum. Labor eſt propriè cum animi vis motiua tendit ad aliquid ſibi bonum, & reſiſtens aliquod inuenit: neceſſe eſt quod laboret in illius impedimenti amotione, & adeptione eius quod vult. Vnde apparet, quòd nullus iuſtus eſt ſine labore: nullus enim iuſtus niſi operetur bonum: nullus autem in hac vita operari poteſt bonum, quin ei reſiſtant multa. Primò homines mali. 2. ad *Tim.* 3. Quemadmodum Manes & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & hi reſiſtunt veritati. Item dæmones. 1. ad *Theſſal.* 2. Voluimus venire ad vos, ego quidem Paulus ſemel, & ſecundò, ſed impediuit nos Sathanas. Item concupiſcentiæ carnales. Ad *Roman.* 2. Video aliam legem in membris meis, contradicentem legi mentis meæ. Et bene iungit humilitatem & laborem: tum quia humilis libenter laborat. *Num.* 13. Chananæus, id eſt, humilians, habitabat iuxta mare, id eſt, iuxta amaritudines & labores. Tum quia ipſe labor humiliat. In *Pſal.* Et humiliatum eſt in laboribus cor eorum. Et præmittitur humilitas labori: quia ſine ea labor eſt inutilis. *Gregor.* Quælibet bona opera nulla ſunt, niſi humilitate condiantur.

Multa reſiſtunt operari bonum.

Humilitatis & laboris vnio.

Et dimitte. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Vide humilitatem meam & laborem meum: *Et* ſic, *dimitte*, condonando, *delicta mea:* per hoc enim ſolet placari. *Deuter.* 26. Reſpexit humilitatem noſtram & laborem noſtrum, & eduxit nos de Ægypto, id eſt, de tenebris ignorantiæ, & culpæ. Et appellantur *delicta*, omiſſionum peccata, quaſi derelinquentia. Vel *delicta*, peccata omnia poſt baptiſmum facta, quia per ea derelinquitur iuſtitiæ via. Hæc autem petit dimitti *vniuerſa.* Et nota, quòd alia litera habet: *Porta vniuerſa peccata mea*, quod verè factum eſt. 1. *Pet.* 2. Quia peccata noſtr aipſe pertulit in corpore ſuper lignum.

Huic autem verſui præponitur Re, quod interpretatur principium, ſiue caput, vt monſtretur, quòd humilitas eſt omnium bonorum caput & principium. *Gregor. in quadam Homil.* In cunctis quæ agitis, radicem bonorum omnium humilitatem teneatis.

Reſpice inimicos meos. Hîc ſecundum, in quo poſtquam orauit pro culpis eorum qui ſunt intra Eccleſiam, orat conſequẽter pro iis qui ſunt extra Eccleſiam. Et primò oratio. Secundò perſuaſio, quòd exaudiatur. *Quoniam multiplicati ſunt.* Dicit ergo: Sic mea dimitte delicta, nec hoc tantum peto, imò, *reſpice inimicos meos*, oculo miſericordiæ, eis etiam ſua delicta condonando. *Caſſiodor.* Quos reſpicit, ſtatim ſine dilectione conuertit. Sic factum eſt in Petro *Luc.* 23. Hîc ergo facit Eccleſia quod iubetur ei *Matth.* 5. Orate pro calumniantibus & perſequentibus vos. Et nos exemplo matris noſtræ hoc facere debemus: per hoc enim auferetur noſtra deformitas. Peccator enim eſt ſicut extinctus carbo. *Thren.* 4. Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis. Et *Amos* 4. Factus eſt quaſi torris de incendio raptus. Opus autem charitatis ſi modicum eſt, vt ſcintilla, & addatur tali cordi vel animæ, aliquid tollit deformitatis. Si ſit magnum opus charitatis, totum cor decorat, ſicut magnus ignis additus carboni. Si autem ſit opus orationis quod eſt nobiliſſimum, tunc reddit pulcherrimum. Quod autem opus orationem ſit optimum in genere operum, patet per hoc quod dicitur *Act.* 6. Nos autem orationi & miniſterio verbi vacantes erimus. *Chryſoſtom. ſuper Matth.* Vis ſcire quam pretioſa ſit oratio? Nulla iuſtitia theoſebiæ aſſimilatur niſi oratio ſola. Charitas ergo pro inimicis eſt quaſi magnus ignis, quia ſi aduenìat torri vel carboni, totam occultat eius deformitatem. *Prouerb.* 10. Vniuerſa delicta operit charitas. Et in *Pſal.* Labor labiorum ipſorum operiet eos, ſcilicet oratio. *Iacob.* 5. Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet

19.

Oratio pro inimicis opus præſtantiſſimum.

multitu

multitudinem peccatorum. Item acquiritur nobis per hoc ſumma nobilitas: quis enim ignobilis nollet eſſe filius Dei & hæres? *Matth.* 5. Orate pro perſequentibus vos, vt ſitis filij Altiſſimi. Ad *Rom.* 8. Si filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Et iterum *Matth.* 5. Beati pacifici, quales potiſſimè ſunt orantes pro inimicis: quoniam ipſi filij Dei vocabuntur. Item adiicietur nobis lucri vniuerſitas: nullum enim lucrum eſt amico comparabile. *Eccleſ.* 6, Amicus fidelis, protectio fortis: qui enim inuenerit illum, inuenit theſaurum. Sed ſi oras pro inimico, fies ei fidelis amicus, & ipſe tibi. *Eccleſ.* 18. Nonne ardorem refrigerat ros, & verbum melius quam datum. Item qui eſt aduocatus apud Deum pro ſuo inimico, quia Deus ita vult & præcipit, magnum ſalarium lucratur: ideò dicitur *Prou.* 12. Os iuſtorum liberabit eos: quia orabunt pro inimicis ſuis. Et in eodem, Vnuſquiſque de fructu oris ſui replebitur bonis.

Quoniam multiplicati ſunt. Hîc ſupponit perſuaſionem à duobus. Allegat enim inimicorum multitudinem primò. Secundò ipſorum malitiam. *Et odio iniquo.* Ait ergo. Sic illos reſpice. Et hoc *quoniam multiplicati ſunt:* damnum enim eſſet magnum ſi tanta multitudo periret. Nec mirum ſi multos dicit: nonne ſunt Eccleſiæ inimici Hæretici, Pagani, & Iudæi, & omnes qui extra ſunt, qui certè ſunt multi. Sed etiam multi qui extra ſunt qui deberent eſſe filij. *Cant.* 1. Filij matris meæ pugnauerunt contra me. Et *Michæ.* 6. Inimici hominis domeſtici eius.

Et odio. Quaſi diceret: Non tantum propter multitudinem, ſed etiam propter peccati magnitudinem. Vnde addit, *Et odio iniquo oderunt me,* ad differentiam odij boni, quo oditur culpa, quod eſt odium perfectorum. *Pſal.* Perfecto odio oderam illos. Et eſt iniquum odium, quo oditur natura, præcipuè per gratiam reformata, quæ diligenda eſſet. *Pſal.* Poſuerunt aduerſum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.

Huic verſui nulla litera præponitur.

20. *Cuſtodi animam meam.* Hic orat contra futura mala. Et primò ponitur oratio. Secundò perſuaſio. *Non erubeſcam.* Dicit ergo: Ex quo inimici multi, & odientes odio iniquo: ergo *cuſtodi,* à futura culpa, *animam meam,* ne incidam, quod non poteſt fieri niſi per te. *Pſal.* Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.

Nota Eccleſiæ charitatem. Et vide ſanctæ Eccleſiæ amorem mirabilem, quo priùs orat pro inimicis ſuis, quam pro ſe. Hæc eſt illa ſancta amoris inſania, qua anima aliquando plus ad inimicum afficitur, quam ad ſeipſam, ſecundum illud ad *Rom.* 9. Optabam ego ipſe anathema fieri à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt fratres mei ſecundum carnem. *Exodi* 22. Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo quem ſcripſiſti.

Nota etiam quod dicit: *Animam meam cuſtodi,* non corpus: ſic enim debemus eſſe ſolliciti pro anima, vt tota ſollicitudo ſit pro ipſa, quia vnica anima præualet omnibus corporibus. Propter quod *Matth.* 16. Quid prodeſt homini ſi totum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Sed heu, pro vna modica voluptate à multis datur. *Prou.* 10. Cor impiorum pro nihilo. Item fortiſſimi inimici non niſi pretioſiſſimæ rei inſidiantur. Beſtiæ inſidiantur carni, homines poſſeſſioni, ſed dæmones ſpiritui. Et propter hoc magis debemus eſſe ſolliciti de anima, quàm de aliqua re alia. *Pſal.* Accipere animam meam conſiliati ſunt. *Gen.* 14. Da mihi animas, cætera tolle tibi.

Et erue me, tandem corporali ſeparatione ab eis, quod fiet in iudicio generali. *Matth.* 25. Agnos quidem ponet à dextris, hœdos autem à ſiniſtris. Et nota, quod dicit hîc *me,* non animam ſolum: quia iſti ereptioni erunt coniuncti: ſed cuſtoditio animæ in præſenti. Et vtrumque ſingulariter, vt notet paucitatem ſaluandorum comparatione ad multitudinem damnandorum. *Amos* 3. Quomodo ſi eruat paſtor duo crura, aut extremum auriculæ, &c.

Non erubeſcam. Hîc perſuaſio, & allegat duo. Primò confidentiam. Secundò vnitatem ſiue bonorum coniunctionem, ibi, *Innocentes.* Dicit ergo: Sic *cuſtodi,* & *erue,* & *non erubeſcam* confuſa, repulſa mea petitione, *quoniam ſperaui in te. Caſſiodor.* Non meretur erubeſcere, qui ſpem cognoſcitur in tanta veritate poſuiſſe. *Daniel.* 3. Non eſt confuſio ſperantibus in te.

Huic verſui præponitur Sin, quod interpretatur dens, vel ſuper vulnus. Quaſi diceret: Erue me à dente, vulnus ſuper vulnus faciente. Hic eſt dens peccati vel dæmonis, cui non ſufficit vulnerare carnem, niſi vulneret animam. *Eccleſ.* 21. Dentes leonis dentes eius.

Innocentes & recti. Hîc ſecundum in quo allegat ſecundum, ſcilicet vnitatem: & tangitur primò vnitas ſeu bonorum coniunctio. Secundò ratio quare ſunt ei coniuncti & vniti, ibi, *Quia ſuſtinui te.* Dicit ergo: Sic non me confundas, negando quod peto, quia confido, & etiam *innocentes* qui à ſuo baptiſmate innocentiam ſeruauerunt, ſecundum illud *Iob* 27. Donec deficiam, non recedam à via mea. *Et recti,* qui poſt peccatorum redierunt per pœnitentiam, ſicut dicit *Caſſiod.* Iſti autem ſunt omnes boni. *Ierem.* 13. Agglutinaui mihi omnem domum Iſraël, & ſemen domus Iuda. Vel innocentes ſunt in pueritia, paruuli ſcilicet baptizati: recti verò in ætate matura. Secundum Gloſſam, idem innocentes, & recti: ſed innocentes, quia malum vitant. *Auguſt.* Vera innocentia eſt, qua quis nec ſibi nec alteri nocet. Recti inquantum faciunt bonum. *Cant.* 1. Recti diligunt te. Sic *Ioan.* 14. dicitur: Si diligitis me, præcepta mea ſeruate, quæ præcipiunt operari bona. Hæ ſunt duæ partes iuſtitiæ. *Pſal.* Declina à malo, & fac bonum. 21.

Adhæſerunt mihi, tanquam conſimili. *Eccleſ.* 13. Omne animal diligit ſibi ſimile, & volatilia ad ſibi ſimilia congregantur.

Quia ſuſtinui te. Hîc ratio adiunctionis, qua adhæſerunt: & hoc propter hoc *quia ſuſtinui te,* in patientia aduerſa tolerando. Suſtinere autem hîc patientiæ eſt. *Eccleſ.* 1. Vſque ad tempus ſuſtinebit patiens. Patet ergo, quòd

patientia

patientia eſt virtus coniungens ſocialiter, ſicut impatientia & iracundia totum diſſipat. *Prou.* 15. & 22. Vir iracundus ſuſcitat rixas.

22. *Libera Deus Iſraël.* Hic ſecundum totius huius ſecundæ partis totius Pſalmi. Poſtquam enim orauit contra mala ſua ſpecialiter, hîc orat contra mala omnium vniuerſaliter: & dicit quis liberet, quem, & à quibus. Vel eſt oratio ſpecialiter pro Synagoga infideli conuertenda. Cum enim orauerit pro ſe ſingulariter, pro inimicis generaliter, hic pro Synagoga ſpecialiter. Dicit ergo quantum ad primum: Sic oraui & petiui multa, & multipliciter, ſed nunc concludo totum: O tu Deus qui liberas, *libera Deus Iſraël*, omnes fideles tuos, te per fidem videntes: ecce qui liberabuntur. *Ex omnibus tribulationibus tuis:* ecce à quibus debet eſſe liberatio. Et hoc fiet quando impugnationi exteriori ſuccedet tranquillitas, indigentiæ omnium fertilitas, & timori interiori plena ſecuritas. *Iſa.* 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta.

His duobus verſibus præponitur Thau, quod interpretatur ſignum, vel conſummatio: quia ſignum perfectionis eſt adhærere Deo. Et 1. ad *Corinth.* 6. Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt. Et in liberatione ab omni tribulatione erit conſummatio.

IN XXV. PSALMVM.

Pſalmus Dauid.

1. *Petit Propheta ſeparari à malis hic & in futura vita.*

IVdica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum. Hic eſt Pſalmus vigeſimus quintus, in quo poſtquam præceſſit deprecatio & ſuſpirium pœnitentis, vt poſſet fructum aſſequi paſſionis, & totius Eccleſiæ Dominum & rectorem, intelligens quòd hoc vix aut nunquam poſſet fieri, ipſo in malorum conſortio commorante, clamat ad Deum pro ſeparatione ſui à malis, in hoc iam tantum prouectus, vt quaſi vocem proferat perfectionis. Præponitur autem huic Pſalmo titulus communis: *Pſalmus Dauid:* & non indiget expoſitione.

Pſalmus diuiditur in duas partes. Primò petit iuſtus ſeparari à malis in præſenti. Secundò in futuro, ibi, *Domine dilexi decorem domus tuæ.* In prima duo. Primò petit ſeparari à malis apud Deum. Secundò manifeſtationem ſeparationis etiam apud alios, ibi, *Proba me Deus, & tenta me.* In prima duo. Primò petitio. Secundò perſuaſio, vt conſentiat ſuæ petitioni, vel perſuaſioni. *Quoniam ego in innocentia.*

Dicit ergo ſic: Dum ſuſpiro ad æterna, & perfici deſidero, & hoc vt poſſim, *Iudica me* ô Domine iudicio diſcretionis, hoc eſt, ſepara me à malis, non tantum merito, ſed & loco. *Geneſ.* 19. Loth profuit: quia ſe ſeparauit à Sodomitis. Notandum autem, quòd quidam ſeparant ſe à malis, quia per eorum præſentiam mali non meliorantur, ſed deteriorantur: ſic Dominus à Iudæis. *Ioan.* 8. Tulerunt lapides, vt iacerent in eum: IESVS abſcondit ſe. Alij ne ipſi eorum conſortio vel exemplo mali efficiantur. *Eccleſ.* 13. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Vel verbo. 1. ad *Corinth.* 5. Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Vel conſentiendo, & non reſiſtendo eorum malis. Ad *Rom.* 1. Non ſolum qui talia agunt, ſed qui facientibus conſentiunt, digni ſunt morte. Alij ſunt qui ſe ſeparant tantum vt boni videantur, ſicut Scribæ & Phariſæi: vnde *Matth.* 9. dicunt reprehendendo, quare cum publicanis & peccatoribus manducat magiſter veſter? *Iſa.* 66. Qui dicunt, recede à me, ne appropinques mihi, quia immundus es. Sed ſtulti ſunt: granum enim ſub palea cuſtoditur, ſeparatur à palea, vt expoſitum ab auibus deuoretur. Sic boni tanquam in palea latent in conſortio peccatorum: ſuperbi ſe ſeparant, & à dæmonibus deuorantur. *Matth.* 13. Quod cecidit ſuper viam, conculcatum eſt, & volucres cœli comederunt illud. *Prouerb.* 17. Aſtutus videns malum abſcondit ſe ſub palea. Et ſequitur: Paruuli tranſeuntes ſuſtinuerunt diſpendia.

Quoniam ego. Hîc allegat, & à duobus. A vitæ innocentia. Secundò à perſeueranti confidentia in ſolo Deo. *Et in Domino ſperans.* Dicit ergo: Separa, & debes, quoniam *ego ingreſſus ſum* conſortium malorum, in *innocentia.* Vel *ingreſſus ſum*, vt incipiam eſſe *in innocentia.* Sed quomodo dicit hoc? *Prouerb.* 20. Quis poteſt dicere: Mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato? Item ſi innocens eſſet, per talem iactantiam nocens fieret. *Iob* 9. Si iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me: ſi innocentem oſtendero, prauum me comprobabit. Reſpondeo. Aliquando fit proprio-rum meritorum recordatio propter elationem & ſuperbiam: ſicut Phariſæus *Luc.* 18. Ieiuno bis in Sabbato: & tunc eſt reprobandum. Aliquando Sancti hoc faciunt ad malorum repreſſionem, ſicut Paulus vt Pſeudo-Apoſtolos reprimeret & humiliaret 2. ad *Corinth.* 11. & 12. quaſi per totum. Aliquando ad excitandum ſpiritum in ſeipſo, ſicut *Iob* 31. Aliquando ad Dei laudem & gloriam, & quaſi in gratiarum actionem, ſicut fit hic: vnde ſtatim addit: *Et in Domino ſperans.* Et propterea ſe non dicit plenè mundum, ſed adhuc eſſe in inchoatione munditiæ. *Pſal.* Et dixi: Nunc cœpi. *Eccleſ.* 18. Cum conſummauerit homo, tunc incipit. Nec dicit, *Ingreſſus ſum in innocentia* angelica, ſed *mea*, ſcilicet humana quæ ſatis immunda eſt quantum eſt de ſe. *Iſa.* 64. Omnes iuſtitiæ noſtræ quaſi pannus mulieris menſtruatæ. Vnde per hoc quod dicit, *mea*, magis ſe humiliat quam extollat.

Gloriatio mala & aliquando bona.

Et in Domino ſperans non infirmabor, vt titubem. *Iacob.* 1. Qui hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur. Imò fortior ero. *Iſa.* 40. Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem. Vel *non mouebor.* Alia litera, A malorum conſortio tunc moueas, ſi volueris, & diſcernas. *Auguſt.* Qui quaſi volunt eſſe inter malos, ſchiſmatici volunt eſſe & peiores. Talis voluit eſſe *Iob* 30. qui dicebat, Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum.

2. *Proba me Domine.* Hîc ſecundum, in quo petit ſeparari, etiam in hominum cognitione, merito à malis: & dicuntur duo. Primò petitio. Secundò perſuaſio. *Quoniam miſericordia tua.* In prima duo. Primò petit bonum quod habet aliis demonſtrari. Secundò à malis plus purgari.

Vre

Vre renes meos. Dicit ergo: Sic ingreſſus ſum in innocentia: tamen etſi nihil mihi conſcius ſum, in hoc non iuſtificatus ſum. 1. ad *Cor.*4. & in *Pſal.* Delicta quis intelligit? Propter hoc rogo ô Domine, *tenta me*, & ſic proba me, id eſt, probatum oſtende mihiipſi & aliis, non tibi qui nulla indiges oſtenſione. Petit ergo tentari, ſed à quo? A Deo: tentat enim diabolus vt ſeducat. De hac non curat. *Act.*5. Cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri Spiritui ſancto? Tentat homo vt diſcat. *Eccleſ.*7. Cuncta tentaui in ſapientia vt ſapiens efficerer.

Cur Deus tentet. Sed tentat Deus, vt puriorem reddat. *Sap.*3. Deus tentauit illos, & inuenit illos ſe. Vt exemplum aliis præbeat. *Tob.*2. Hanc tentationem idcircò permiſit Dominus venire ei, vt præberet exemplum patientiæ ſuæ. Vt ipſum quem tentat, doceat. *Ioan.*6. Hoc autem dicebat tentans eum: ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus. Vt corda tentatorum aliis nota faciat. *Deuter.*13. Tentat vos Deus veſter, vt palam fiat vtrum diligatis eum. Sic accipitur hîc. Vt in futuro tandem coronet eos. *Eccleſ.* 44. In tentatione inuentus eſt fidelis, ideò iureiurando dedit illi gloriam. *Iacob.*1. Beatus vir qui ſuffert tentationem. Nec eſt contrarium quod dicitur *Iacob.*1. Deus enim neminem tentat. Verum eſt de tentatione quæ eſt ſuggeſtio ad peccandum, de qua non loquitur hîc, ſed de illa, quæ eſt pœnæ inflictio.

Vre renes meos. Hîc petitur purgari à malo, & hoc dupliciter. Primò per tribulationem corporis. Secundò cordis. *Et cor meum.* Dicit ergo: Sic tenta, & etiam *vre*, igne tribulationis, *renes meos*, literales, illos à vitiis & à malis motibus per illum purgando. *Pſal.* Igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum.

Et cor meum, exicces omnem noxiæ affectionis fluxum. *Iob* 53. Probabit me quaſi aurum, quod per ignem tranſit.

Petit purgatorium ex igne triplici. Vel referes *renes*, ad affectum, & *cor* ad intellectum: & ſic petit purgari totum igne triplici. Tribulationis, quæ ignis eſt. *Iob* 1. Ignis Dei deſcendit de cœlo. *Iſa.* 33. Spinæ, tentationum compunctiones, congregatæ comburentur igni. Diuini ſermonis. *Pſal.* Ignitum eloquium tuum vehementer. Et *Caſſiodor.* Verbum Dei in ore fornacis ſordes vitiorum aſſumens, animas hominum ad emendationem perfectiſſimi decoris adducit. Et Spiritus ſancti, qui in igneis linguis miſſus eſt. *Act.* 2. *Iſa.*10. Erit ſanctus Iſraël, id eſt, Spiritus ſanctus in igne, & ſuccidentur ſpinæ eius, id eſt, voluptates prauæ, & vepres, id eſt, cogitationes.

3. *Quoniam miſericordia tua.* Hîc ſuaſio, & primò allegat perfectam patientiam. Secundò iuſtitiam, ibi, *Non ſedi cum concilio vanitatis.* In prima duo. Primò ipſam tribulationem reputat miſericordiam in ſuo intellectu. Secundò, quòd etiam libenter ſuſtinet illam quantum ad effectum. *Et complacui.* Dicit ergo: Sic oſtende, proba, & purga, & debes. Nil verearis: quoniam tentatio quæ eſt pœnæ inflictio, eſt *miſericordia ante oculos meos* interiores. *Pſal.* Deus propitius fuiſti eis, & vlciſcens in omnes adinuentiones eorum. Diuina enim punitio in præſenti miſericordia eſt & propitiatio. *Iob* 5. Increpationem Domini ne reprobes: quoniam vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius ſanabunt. 1. *Machab.* 6. Statim punitionem adhibere magni beneficij indicium eſt.

Quando Deus hîc punit, miſeretur.

Et complacui in veritate tua. Quaſi diceret: Non tantum miſericordiam reputaui, ſed *in veritate tua*, id eſt, iuſtitia puniente, *complacui*, quantum ad amorem & affectum, non in vanitate mundana, ſicut multi, de quibus in *Pſal.* Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Nec mirum ſi complacent quæ me purgant interius & decorant. *Pſal.* Delectaſti me Domine in factura tua. Et alibi, Omnis gloria eius ab intus, 2. ad *Corinth.* 1. Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.

Non ſedi cum concilio vanitatis. Hîc perſuadet à ſua iuſtitia. Et primò à declinatione mali. Secundò ab operatione boni. In prima duo. Primò declinatio mali quoad proximum. Secundò quoad Deum. *Et cum impiis.* Iterum in prima tria. Primò ſeparatio ſui à malis verbo. Secundò facto. *Et cum iniquis.* Tertiò corde & animo, ibi, *Odiui Eccleſiam.* Dicit ergo: Sic pugna me, & vre, & debes, quia non *ſedi cum concilio.* In conciliis fiunt colloquutiones *vanitatis:* vitans ſcilicet vaniloquium, & illos deteſtans, de quibus in *Pſal.* Vana loquuti ſunt vnuſquiſque ad proximum ſuum. *Ioan.*3. Qui de terra eſt, de terra loquitur. Modo vix eſt aliquod concilium niſi de vanitate terrenorum, & quod maius eſt malum, inter perſonas Eccleſiaſticas. Vani ſunt qui caducis occupationibus implicantur, & in ſuperflua narratione tempus conſumunt. Vel vanitas hîc appellari poteſt vituperabilis leuitas hiſtrionum, imitantium in choreis & ludis vanis. *Tob.* 3. Nunquam cum ludentibus immiſcui me, nec cum iis qui in leuitate ambulant, participem me feci. 4.

Et cum iniqua gerentibus, opere in geſtu mala facientibus, *non introibo*, vt ſaltem cum illis malum incipiam operari, ne ſim de illis, de quibus in *Pſal.* Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Hîc notandum quam fortes iuſti, quam infirmi iniqui, qui non poſſunt ipſum trahere ad peccati inchoationem tantùm. *Prouerb.* 23. Percuſſerunt me, & non dolui, traxerunt me, & non ſenſi. Ad *Roman.* 8. Certus ſum quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos ſeparare à charitate Dei quæ eſt in Chriſto IESV. Item. *Non introibo:* Videtur loqui de peccato hic tanquam de colubro, vel ſerpente ore hiante, vt intret peccator in illud. *Eccleſ.* 21. Quaſi à facie colubri fuge peccata, & ſi acceſſeris ad illa, ſuſcipient te. Item qui intrat, eſt abſconditus in illo in quod intrat. Iniquitatem excuſando abſcondit ſe, & celat. *Sap.*17. Putant ſe latere in obſcuris peccatis. *Ierem.* 2. Quid niteris bonam oſtendere viam tuam, ad quærendum dilectionem? Confeſſoris, ſupple. *Prou.*17. Qui celat delictum, quærit amicitiam.

Odiui Eccleſiam malignantium. Hîc tertium. Quia non tantum ſepraui me corpore, vt non eſſem, vel loquutione, vel opere, ſed etiam animo & corde, *odiui Eccleſiam malignantium,* 5.

conuocationem malorum. *Exod.* 24. Non ſequeris turbam ad faciendum malum. *Eccleſ.* 6. non pecces in multitudine ciuitatis. *Malignantium* dicit, quaſi malo igne ardentium, & inflammatorum. *Eccleſ.*21. Stupra collecta ſynagoga peccantium, & conſummatio eorum flamma ignis, ſinguli mali: quia mali per ſe odibiles, ſed multo plus conglobati ſimul in iniuſtitia: ſicut ligna multa quando ſunt ſuccenſa, periculoſum valdè ad accedendum. Non ſic quando diuiſa. Vnita multitudo ergo mala, quia ligna ſicca ſunt, & impietas illa ſuccendens, quaſi ignis. *Iſa.* 9. Succenſa eſt quaſi impietas. *Eccleſ.*28. Sicut enim ligna ſyluæ, ſic ardeſcet. Sicut ergo non extinguitur citò talis ignis, ſed cum periculo ad illum acceditur. Sic autem non eſt ſi fuerit diſperſa. Propter hoc *Iſa.* 58. datur bonum conſilium. Diſſolue colligationes impietatis. *Iſa.* 33. Quis poterit habitare de vobis cum igne deuoranti? Quaſi diceret: Nullus, quin ab illo deuoretur. *Prou.* 13. Amicus ſtultorum ſimilis efficietur.

Et cum impiis, in Deum, *non ſedebo*, id eſt, non concordabo illorum ſententiæ. Et dicit hoc: quia tractantes, & in vna concordes ſententia ſimul ſedere conſueuerunt: ſuprà in *Pſal.* Sedet in inſidiis cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem. Vel *non ſedebo* ſaltem conſentiendo, & volendo quod faciunt, etſi tractem cum illis, quia non expedit. Ad *Rom.*1. Non ſolum qui talia agunt, ſed qui facto conſentiunt, digni ſunt morte. Et nota differentiam inter vanos, & iniquos, & malignantes, & impios. Vani ſunt circa temporalia ſapientes. *Sap.*13. Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei. Et tales peccant in ſe, quia pretioſam animam in vanis occupant. Iniqui & malignantes mala inferendo. Impij qui peccant contra Deum eius cultui aduerſando.

Quid differunt vani ab iniquis & impiis.

6. *Lauabo inter innocentes.* Hîc allegat alteram iuſtitiæ partem, quæ eſt in bonum faciendo. Primò tangit bona quæ facit interiùs. Secundò quæ facit exteriùs. Vt *audiam.* Interiùs tangit duo. Primum eſt manus mundare. Secundum mundatis manibus mente orare. *Et circundabo altare tuum Domine.* Ait ergo: Sic caueo à malis, & etiam *lauabo manus meas*, id eſt, opera mea mundabo. *Caſſiodor.* Manus lauat, qui ſtudio bonæ conuerſationis facta propria emendat. Et nota, quòd ſunt opera quædam immunda ex toto, quæ non eſt lauare, ſed ex toto deſtruere: niſi, ſicut dicimus, quòd ſordes lauantur. *Ezech.* 16. Laui te aqua, & emundaui ſanguinem tuum ex te. Quædam pro parte impura, quia ſunt bona, ſed aliquando non fiunt recta intentione. *Iſa.*64. Omnes iuſtitiæ veſtræ: ecce puritas in parte: ſicut pannus menſtruatæ, ecce impuritas. Et talia mundantur & manent, abluta impuritate. De vtriſque intelligi poteſt quod hîc dicitur, ſed diuerſis modis lauanda. Et hoc *inter innocentes*, exemplo ſcilicet innocentium, inter quos conuerſor. *Pſal.* Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris.

Opera ex toto & ex parte immunda.

Et circundabo. Quaſi diceret: Sic lauabo: ſed hoc parum, imò *& circundabo* poſt hanc lotionem, *altare tuum Domine*, id eſt, cor meum virtutibus ornabo, ſicut altare materiale circundatur variis coloribus veſtium, & ſericorum ad ornatum: veſtes enim ſunt virtutes. *Eccleſ.*17. Et veſtiuit illum virtute. *Ezech.*16. Mundaui te aqua, in baptiſmo, & laui ſanguinem tuum, peccatum ſcilicet tuum, ex te in pœnitentia. Et poſt ſubditur de ornatu: veſtiui te diſcoloribus. Dicitur autem cor humanum altare, quaſi alta ara. Ara autem dicitur ab ardendo, quia in corde iuſto continuè debet ardere ignis ille de quo *Luc.*12. Ignem veni mittere in terram. *Leuit.* 6. Ignis autem in altari meo ſemper ardebit. 1. ad *Corinth.*13. Charitas nunquam excidit. Item altare eſt locus immolationis, & cor deprecationis: ibi enim debemus nos immolare Deo. *Ioan.*4. Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. Item ſi corpus noſtrum Dei templum eſt. 1. ad *Cor.* 6. & 3. Templum Dei ſanctum eſt quod eſtis vos. Quod altare huius templi niſi cor? Item ſicut ſuper altare ponitur imago Dei, ſic in corde ſedes animæ, quæ imago Dei eſt. *Geneſ.* 1. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Legitur & de fide: ſed quod ſit altare, & quomodo, aliàs ſatis dictum puto.

Cor dicitur altare.

Vt audiam vocem laudis. Hîc allegat bona exteriora, quæ ſunt duo, ſcilicet audire Dei laudem. Secundò aliis auditam narrare. *Et enarrem vniuerſa.* Dicit ergo: Sic mundabo inter innocentes opera, & cor ornabo virtutibus, *vt audiam*, audire dignè valeam, ab ipſis innocentibus te laudantibus. *Iſa.*51. Lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio & vox laudis. *Abac.* 3. Et laudis eius plena eſt terra. *Vocem laudis tuæ.* Sicut enim non eſt dignus laudare immundus. *Eccleſ.*15. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Sic certè nec ſpecioſa vox in ore eorum quæ leguntur in Eccleſia vel cantantur niſi munda. *Baſilius*, Qualis auditus dignus eſt magnitudine relatorum, niſi qui à vitiis carnalibus eſt immunis, & ærumnis ſæcularibus minimè offuſcatus? 7.

Et enarrem. Secundum eſt. Quaſi diceret: Sic audiam, & poſtquam audiero, non ante, enarrabo, legendo, prædicando, & cantando, in Eccleſia *vniuerſa mirabilia tua.* Neceſſe eſt enim primò audire, poſtea prædicare. 1. *Reg.* 10. Obuiam habebis gregem Prophetarum, id eſt, Doctorum, deſcendentium de excelſo, de ſublimitate contemplationis, & ante eos pſalterium bonæ operationis, & tympanum mortificationis carnis, & tibiam doctrinam ad minores, & citharam doctrinam ad maiores, ipsóſque prophetantes dicentes, & prædicantes: & tunc inſiliet in te Spiritus Domini, feruor quærendi honorem Dei: & ſic prophetabis cum eis, docebis, & mutaberis in virum alterum, maturior fies & cautior. *Iacob.*1. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, & tardus ad loquendum.

Diſpoſitiones ad prædicandum neceſſaria.

Vel totum de futuro. Quaſi diceret: Prædicta faciam, *vt audiam*, in iudicio, *vocem laudis tuæ*, quâ me laudes cum bonis aliis. *Matth.*25. Venite benedicti Patris mei, &c. Et *Prouerb. vlt.* Laudent illam in portis opera eius. Et vlterius enarrem *vniuerſa mirabilia tua*, glorificatus in patria. *Pſal.* Narrabo omnia mirabilia tua. Et fiat diſtributio pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis generum. Mirabilia, ſcilicet

ſcilicet creationis, recreationis, & æternæ retributionis.

Domine dilexi decorem domus tuæ. Hic petit iuſtus ſeparari à malis, loco, & præmio in futuro. Et primò petit in futuro ſeparari à pœna in qua erunt impij. Secundò in gloria collocari, ibi, *Ego autem in innocentia mea.* In prima præmittitur ſuaſio primò. Secundò ſupponitur petitio, ibi, *Ne perdas.* In prima duo ſecundum rationem ſuadendi duplicem. Primò quia diligit Eccleſiam militantem. Secundò quia triumphantem. *Et locum habitationis.* Ait ergo: *Domine dilexi decorem domus tuæ*, militantis ſcilicet Eccleſiæ, quæ domus tua eſt. Nota, quòd bene hoc ſubiungit poſtquam præmiſit, *Vt enarrem*, &c. Nullus enim debet enarrare mirabilia Dei prædicando, niſi charitatem habuerit. Super illud *Luc.* 10. Miſit illos binos ante faciem ſuam, *Gregor.* Qui fraternum amorem non habet, prædicationis officium nullatenus ſuſcipere debet. Dicit ergo: *Domine dilexi*, vt enarrare poſſim, *decorem domus tuæ*, militantis Eccleſiæ, quæ domus eſt. *Prouerb.* 9. Sapientia ædificauit ſibi domum. Et *Iſa.* 56. Domus mea, domus orationis vocabitur. Huius domus decor ſunt iuſti & ſancti, qui ſunt in militante, tanquam fundamenta de lapidibus pretioſis. *Iſa.* 54. Sternam per ordinem lapides tuos, fundabo te in ſaphiris: tanquam vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea & fictilia: hæc quidem in honorem, illa vero in contumeliam. Sed heu lamentari poſſumus cum *Ierem. Thren.* 1. Et egreſſus eſt à filia Sion omnis decor eius. *Pſal.* Saluum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus, quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum. *Michæ.* 7. Periit ſanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt.

Et locum habitationis gloriæ tuæ, ſcilicet Eccleſiam triumphantem, in qua habitas gloriosè. *Pſal.* Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, glorioſus in maieſtate ſua. Et alibi, Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei. Quippe ibi habitat Virgo glorioſa. *Iſa.* 60. Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli, & Saron, id eſt maior erit gloria domus iſtius nouiſſimæ, pluſquam primæ. Hæc habet glorioſam pulchritudinem ratione altitudinis, amplitudinis, pauimenti, & ornamenti. Altitudinis. *Eccleſ.* 1. Altitudinem cœli, Empyrei, ſupple, quis dimenſus eſt? Latitudinis. *Baruc.* 3. O Iſraël quam magna eſt gloria domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius! Pauimenti. Hoc cœlum pulchrum quod videmus ſic ſtellatum eius pauimentum. Habet enim corpus diaphanum ſtellis pulcherrimis tanquam gemmis ornatum. *Apoc.* 21. Plateæ ciuitatis huius tanquam aurum mundum, & tanquam vitrum perlucidum. Ornamenti: quia ibi ſunt viuæ ſtellæ, vndique diſcurrentes Angeli & ſanctorum animæ. De Angelis. *Iob* 38. Vbi eras cum me laudarent aſtra matutina? De Sanctis 1. ad *Corinth.* 15. Differt ſtella à ſtella, in claritate: Sanctus à ſancto in renumeratione. Gloſſa legit totum de iuſto & de Eccleſia militante. De iuſto dupliciter.

Quibus conſtat decor Eccleſiæ.

9. *Ne perdas cum impiis.* Hîc ſecundum, in quo poſita perſuaſione ſubiungitur petitio. Primò petit ſeparari à peccatoribus peccantibus contra Deum. Secundò à peccantibus contra proximum. *Et cum viris ſanguinum.* Tertiò à peccantibus contra ſeipſos. *In quorum.* Dicit ergo: Sic dilexi vtramque domum tuam. Ergo Domine *ne perdas cum impiis*, qui te oderunt, ſcilicet cum paleis æterno igne comburendis granum. *Geneſ.* 18. Abſit hoc à te Domine qui iudicas omnem terram vt hanc rem facias, vt pereat, qui diligit & habet charitatem. 1. *Ioan.* 3. Nos ſcimus, quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Et nota, quòd impij dicuntur perdi: quamuis enim dicatur ad *Hebr.* 4. Non eſt vlla creatura inuiſibilis oculis eius, tamen perdentur, quia ab ipſo erunt incogniti in die iudicij, & poſt. *Matth.* 15. Amen dico vobis: Neſcio vos. *Prouerb.* 20. Impij de terra perdentur. Et inde quia cum habeat hîc corpus & animam & poſſeſſionem, de ſola anima ſollicitus eſt. *Deut.* 14. Cuſtodite ſollicitè animas veſtras.

Et cum viris ſanguinum vitam meam. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Quia dilexi locum habitationis gloriæ tuæ, *ne perdas cum impiis* qui oderunt te: & quia dilexi decorem domus tuæ, ne perdas *cum viris ſanguinum* qui peccant in proximum odiendo ipſum. 1. *Ioan.* 3. Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. *Prouerb.* 23. Viri ſanguinum oderunt ſimplicem. Et nota, quòd viri ſanguinum appellari poſſunt conſanguineorum amatores. *Michæ.* 3. Væ qui ædificat Sion in ſanguinibus. Vel qui panem vel ſpiritualem vel corporalem pauperum defraudat. *Eccleſ.* 34. Panis egentium vita pauperum eſt: qui defraudat illum, vir ſanguinum eſt. Vel qui homicidium perpetrat. 2. *Reg.* 16. Egredere vir ſanguinum, & vir Belial. Hi frequenter ſicut aliis vitam auferunt, ſic inuiti & ipſi vitam perdunt. *Matth.* 26. Omnis qui interfecerit gladio, gladio peribit. Et etiam aſſociati eis. *Eccleſ.* 8. Cum audace ne eas in via, ne forte grauet mala ſua in te.

Qui ſint viri ſanguinum.

10. *In quorum manibus.* Hîc tertium, in quo petit liberari à peccantibus in ſe. Et hoc vel à peccantibus in ſe mala faciendo, aut bona, malo tamen modo, ibi, *Dextera eorum.* Ait enim: *Ne perdas cum impiis animam meam, & cum viris ſanguinum vitam meam.* Nec etiam cum iis, *in quorum manibus*, id eſt, in quorum operibus, *iniquitates ſunt*, id eſt, quorum opera iniqua ſunt. In hoc autem quod dicuntur habere iniquitates in manibus, monſtrantur ad bona impotentes, ad diabolum pertinentes, horrorem aliis incutientes, à damnatione inexcuſabiles. De primo: Iniquitates vincula ſunt, qui ergo iniquitates habet in manibus, vincula habet in manibus, & impotens eſt ad omne bonum. *Prouerb.* 5. Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur, ne poſſit facere bonum. De ſecundo: iniquitas eſt character diaboli, ſicut virtus eſt Dei. *Apocalypſ.* 13. Et faciet omnes puſillos & magnos, diuites & pauperes, liberos & ſeruos habere characterem in manu ſua dextra. De tertio: Peccatum eſt coluber. *Eccleſ.* 21. Quaſi à facie colubri fuge peccatum. Quomodo ergo aliis terrorem non incutiet, qui viſos in manibus habet colubros? De quartò: Fur habens in propriis manibus furtum, inexcuſabilis eſt à iudicio. *Iſa.* 1. Manus

veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Et 59. Opus iniquitatis in manibus eorum. Ergo ſuſpendatur. Propter hæc excutiebat iniquitatem de manibus beatus. *Iob* 31. Si manibus meis adhæſit macula, non reſtat niſi quod ſuſpendar. *Ezech.* 22. Si inuentum fuerit cum eo furtum, duplum reſtituet, animam ſcilicet & corpus gehennæ tradet.

Dextera eorum repleta eſt muneribus. Ecce ſecundum, ſcilicet peruerſa intentio: ſi aliquid boni faciunt, non hoc faciunt amore Dei, & iuſtitiæ, ſed pro muneribus. Ait enim ſic: Iniquitas eſt in eorum manibus, & etiam dextera eorum, operatio eorum ex ſe bona, repleta eſt muneribus, propter quæ facta eſt operatio illa. *Multiplex munus.* Et dicit, *Muneribus* in plurali, non munere, quia eſt munus à manu, burſa plena pecunia, vel cuppa aurea, quod replet manus malorum iudicum. Munus à lingua, quod replet manus hypocritarum. Et munus ab obſequio, quod replet manus ſuperborum. Et nota, quòd dicit dexteram muneribus repletam, non oculum, vel appetitum. *Eccleſ.* 14. Inſatiabilis eſt oculus cupidi. *Eccleſ.* 5. Auarus non implebitur pecunia, ſed implebitur gehenna. *Iob* 15. Ignis deuorabit tabernacula eorum qui libenter accipiunt munera. Et tales ſunt maiores. *Iſa.* 1. Principes tui infideles, ſocij furum: omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. *Michæ.* 3. Principes eius in muneribus prophetabant. *Iſa.* 5. Væ qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti aufertis ab eo.

II. *Ego autem in innocentia.* Hîc ſecundum, in quo petit collocari in gloria. Et primò ponitur perſuaſio ab innocentia in opere. Secundò petitio, ibi, *Redime me.* Tertiò perſuaſionis ſuperadditio, ibi, *Pes enim meus.* Dicit ergo. Sic illi repleti ſunt muneribus: & ego multo pretioſioribus, quia *ingreſſus ſum in innocentia*, id eſt, mihi innocentiam acquiſiui, ad minus inchoatam, & in ingreſſu exiſtentem, ſciens illud *Prouerb.* 28. Qui feſtinat ditari, non erit innocens.

Vel *ingreſſus* ſum cœlum ſpe, & non re, *in innocentia mea:* aliter ingredi non poſſem. *Pſal.* Quis aſcendet in montem Domini? Aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens manibus. Et aſcendam tandem in re. *Pſal.* Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia.

Redime me & miſerere mei. Hîc ſecundum, petitio duplex. Liberatio à culpa primò. Et à pœna ſecundò. *Miſerere.* Ait enim: Sic ſum diſpoſitus, ergo *redime me* à culpa omni, præterita, præſenti, & futura, ſanguine tuo. *Iſa.* 52. hoc promiſiſti: Gratis venundati eſtis, & abſque argento redimemini. 1. *Pet.* 1. Non corruptibilibus auro, & argento redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione, ſed pretioſo ſanguine agni immaculati, & incontaminati IESV CHRISTI. A culpa *redime me*, quæ propriè facit miſerum. *Prouerb.* 14. Miſeros facit pœna peccatorum. *Et miſerere mei*, liberando à pœna. *Pſal.* Miſerere mei Deus. Et alibi, Miſerationes eius ſuper omnia opera eius.

12. *Pes meus ſtetit in directo.* Hîc ſuperadditio perſuaſionis. Et verè. Perſuadet enim ab innocentia in corde & poſt ab innocentia in ore. *In Eccleſiis.* Ait enim: Sic *redime me & miſerere mei*, propter innocentiam in opere. Nec ſolum propter hoc. *Pes* enim *meus*, affectio ſcilicet mea: *ſtetit in directo. Caſſiod.* In via recta, ſcilicet in mandatis, quæ recta ſunt, & rectos obedientes faciunt. *Pſal.* Iuſtitiæ Domini rectæ. Vel ſtetit *in directo*, in Chriſto, qui eſt recta via. *Ioan.* 14. Ego ſum via, veritas, & vita. Hæc eſt via recta ad vitam.

In Eccleſiis. Hîc ſecundum, innocentia in ore: imò magis fructus. Ait enim: Sic affectio mea ſtetit in directo, & *in Eccleſiis*, id eſt, in vnitate & congregatione bonorum exiſtens per charitatis vnionem: *benedicam te*, ore laudando ô Domine. Neceſſe enim, quòd habeat charitatem ad proximum, qui benedicere & dignè laudare vult Dominum. *Pſal.* Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis, &c. Et alibi, Et emundabor à delicto maximo: & erunt eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper. Argumentum, quòd in Eccleſia debet Dominus benedici, non malè tractari, nec indignè. *Auguſt. in ſpeculo*, In oratorio nemo agat, niſi id ad quod factum eſt, vnde & nomen accepit. Et *Matth.* 21. Scriptum eſt: Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum. *Pſal.* Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. De illa ſuperna, & exemplari ſic loquitur. Ergo ſic debet eſſe in illa exemplata. *Exod.* 25. Omnia fac ſecundum exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt. Sic laudabimus verè in Eccleſiis. Primò in hac militante, poſtea in triumphante. In *Pſal.* Apud te laus mea in Eccleſia magna. *Auguſt. in lib. de ciuitate Dei in fine*: Vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus. Ecce quod erit ſine fine. Ad hanc vacationem, dilectionem, & laudem nos perducat qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

IN XXVI. PSALMVM.

Pſalmus Dauid priuſquam vngeretur.

DOminus illuminatio mea. Hic eſt Pſalmus vigeſimus ſextus, in quo poſtquam præceſſit iuſti oratio, & vt ſeparetur à malis, & & ab eorum conſortio, vt ſic poſſit fructum aſſequi paſſionis, ſubiungitur hîc gratiarum actio pro impetratis gratiis, & ſupplicatio pro bonis æternis adipiſcendis. Innuitur autem hoc ſatis in titulo præpoſito. Eſt enim talis titulus: *Pſalmus Dauid priuſquam vngeretur.* Secundum *Hieronymum* & Hebraïcam veritatem, *priuſquam liniretur.* Secundum *Auguſtinum*, & *Caſſiodorum* ſupplendum eſt, *ſecundo*, ſecundum quod expoſitores volunt. I. *Argumẽtum Pſalmi, gratiarum actio pro bonis collatis, & oratio pro futuris.*

Ad hoc autem ſciendum ſecundum Gloſſam, quòd Dauid prius inunctus fuit in Bethleem in domo patris ſui à Samuele. 1. *Reg.* 6. Secundò mortuo Saule inunctus eſt in Hebron. 2. *Reg.* 2. Et regnauit ſuper tribum Iudam tantum. Poſtea inunctus fuit tertio, mortuo hyboſeph filio Saulis. 2. *Reg.* 5. Et regnauit ſuper totum Iſrael. Duæ autem vnctiones vltimæ, quia in eodem *Triplex inunctio Dauid.*

loco

loco factæ sunt, pro vna reputantur, & quia etiam in vtraque vnctus est ad regnandum, & sic pro eadem causa: sed prima vnctio fuit tantum in signum regni futuri.

Duplex inũctio iusti per gratiam & gloriam, iuxta quam Psalmus diuiditur.

In iusto ergo duas vnctiones intelligere debemus. Prima qua inungitur gratia in præsenti, & hoc in baptismo. *Ioan.* 9. Vnxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad lauatorium Siloë, & lauare. Sed in futuro erit secunda gloriæ, quæ est duplex. Prima animæ, quæ recipiet stolam primam, de qua potest illud intelligi: Vnxit Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Sed postea erit corporis in receptione secundæ. *Isa.* 61. Vt darem oleum gaudij pro luctu. Et statim exponit: Pallium laudis corpus gloriosum: pro spiritu mœroris, pro mœrore spiritus in via habito. Et sicut Dauid post primam vnctionem gratiæ multos sustinuit aduersarios: sic iustus post vnctionem gratiæ multos habet aduersarios. Ad *Ephes.* 5. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates tenebrarum harum.

Sed post secundam completam erit pax plena. *Isa.* 32. Sedebit populus meus pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ. Sensus ergo talis est: Psalmus iste est Dauid, id est, cuiuslibet iusti & inuncti hîc in præsenti antequam inungatur secundo, hoc est, habentis gratiam, & desiderantis, & tendentis ad gloriam. Psalmus, inquam, ordinans nos *in finem*: vel ipsum iustum ordinans *in finem*, in secundam scilicet vnctionem, post gratiarum actionem de prima.

Psalmus autem in duas partes diuiditur. Primò enim agitur de prima vnctione, quæ est per gratiam. Secundò de secunda, scilicet de gloria, ibi, *Exaudi Domine vocem meam.* In prima duo: quia primò gratias agit de gratia resistendi malo. Secundò de gratia faciendi bonum, & perseuerandi in illo, ibi, *Vnam petij.* In prima duo. Primò animat seipsum contra timorem sibi suadendo vt nihil timeat. Secundò se animatum esse demonstrat, ibi, *Si consistant aduersum me castra.* In prima animat se à duobus. Primò ab auxilij sufficientia. Secundò ab aduersarij impotentia, ibi, *Dum appropiant super me.* In prima auxilij sufficientiam monstrat in tribus. Quia non deest pugnandi peritia. Secundò quia nec potentia. Tertiò nec adest protectoris carentia. Secundum ibi, *Salus mea.* Tertium, *Dominus protector.*

Dicit ergo: *Dominus illuminatio mea*, contra ignorantiam veritatis, & *salus mea*, contra impotentiam infirmitatis. Ex quibus duobus radicaliter nascitur omnis miseria, sicut vult *Augustinus.* Primum per sapientiam: secundum per fortitudinem. *Iob* 12. Apud ipsum est fortitudo & sapientia. *Isa.* 49. Dedi te in lucem gentium, ecce primum: vt sis salus mea vsque ad extremum terræ, ecce secundum. Et *Malach.* 3. Vobis timentibus Deum orietur sol iustitiæ, ecce illuminatio: & sanitas in pennis eius, ecce salus.

Quem timebo? Quasi diceret: Nullum: quia nec occultè insidiantem: Deus enim salus mea est. *Iob* 17. Libera me Domine, & pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. *Isa.* 50. Dominus Deus auxiliator meus, quis est qui contemnet me? Ad *Rom.* 6. Si Deus pro nobis, quis contra nos?

Dominus protector. Hîc tertium, in quo animat, quia non habet protegentis inopiam. Ait enim: Sic Dominus illuminat, sic saluat, & etiam Dominus *protector vitæ meæ*, tripliciter. Conseruator in bonis iam datis, per illuminationem scilicet intellectus, & sanitatem affectus. *Eccles.* 34. Protectio potentiæ illuminans oculos, dans sanitatem & vitam & benedictionem. Defensor à malis. *Sophon.* 3. Dominus protector tuus in medio tui, non timebis. Et sustentator in necessariis. *Iacob.* 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum. Ad *Hebr.* 1. Portansque omnia verbo virtutis suæ. Præterea necessaria sunt quæ determinat *Apost.* 1. *ad Timoth.* 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Et ipse suarum est cibus. *Ioan.* 6. Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. Ipse vestimentum. Ad *Galat.* 3. Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis.

A quo, talem habens protectorem, *trepidabo? A quo* homine, vt sumatur masculinè. Quasi diceret: Nullo. *Isa.* 51. Ego ipse consolabor vos. Et post subditur: Quis tu vt timeas ab homine mortali? Quasi diceret: A nullo timere debes. Vel *à quo* neutraliter, id est, à qua re. Quasi diceret: A nulla. *Eccles.* 34. Qui timet Deum, nihil trepidabit. *Augustin.* Protegit Imperator & securus es. Protegit mortalis mortalem, & non timet. Protegitur mortalis ab immortali, & timebit, & trepidabit? Est autem timor ex occursu tribulationis exterioris in seipso resilitio: sed trepidatio est ex contrariis motibus concussio. Quasi diceret: Non timebo exteriùs, nec interiùs trepidabo modò motus ad seruiendum Deo per virtutem, modò ad seruiendum diabolo per vitium. *Matth.* 6. Nemo potest duobus Dominis seruire. 2. ad *Cor.* 6. Quæ conuentio Christi ad Belial?

Quid differt timor à trepidatione.

Dum appropiant. Hîc est secundum, in quo animat contra timorem ex inimicorum impotentia: quia malum intendentes sibi magis nocent: vnde tangitur. Primò eorum culpa. Secundò pœna quam consequuntur pro illa. *Ipsi infirmati.* In prima duo. Primò tangitur eorum malitia interior. Secundò exterior. *Qui tribulant.* Interior tangitur duplex. Primò appetitus sublimitatis. Secundò affectus crudelitati. *Vt edant.* Ait ergo: Vere non timebo, nec trepidabo: quia *dum appropiant nocentes super me*, se volentes extollere, in hoc superbiæ appetitu, sicut Iudas appropinquauit Christo. *Matth.* 26. Ecce appropinquat qui me tradet. *Psal.* Appropinquauerunt persequentes me iniquitatis, superbiæ, quæ iniquitas antonomasticè appellatur. Et ad hoc etiam, *vt edant carnes meas*, ad literam, occidendo me: quia aliud non possunt quam vt in me sæuiant. Ecce affectus iniquitatis. *Matth.* 10. Nolite timere eos qui occidunt corpus. *Luc.* 12. Noli timere eos qui occidunt corpus, animæ autem non habent quid faciant. Bona enim spiritualia, scilicet animæ virtutes auferre non possunt: vnde redarguit *Augustinus in lib. de Ciuitate Dei* Virgines, quæ

2.

ne virtutem virginitatis amitterent, in fluuium ſe præcipitauerunt.

Vel *carnes meas*, carnalia vitia mea in detratrahendo. *Iob* 31. Si non dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det nobis de carnibus eius vt comedamus? *Prouerb.* 23. Fili noli eſſe in conuiuiis potatorum, nec in comeſſationibus eorum qui carnes conferunt ad veſcendum, ſcilicet frequenter, dum carnem ad literam occidunt. Ad literam totam carnalitatem in homine conſumunt, vt correctus efficiatur ſpiritualis, qui prius erat carnalis. Sic accipitur caro vbi ſcriptum eſt: Confige timore tuo carnes meas. Et ad *Galat.* 5. Carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.

Qui tribulant me. Quaſi diceret: Etenim hi qui tribulant me in effectu perſequutionis pœnam inferendo. In *Pſal.* Qui tribulant me, exultabunt ſi motus fuero. Et hi multi Domine: quia multiplicati ſunt *qui tribulant me. Ipſi infirmati ſunt.* Ecce pœna duplex: fruſtratio ab intentione, & damnatio in æterna morte. *Et ceciderunt.* Ait enim: *Ipſi*, qui ſic appropriant, qui affectant vt edant, qui tribulant, *infirmati ſunt*, non potentes implere quæ intendebant. Quid mirum: quia comedunt carnes immundas. *Iſa.* 65. Qui comedunt carnem ſuillam, & ius profanum in vaſis eorum. *Eccleſ.* 17. In multis eſcis erit infirmitas. Sic Synagoga detrahens Eccleſiæ, infirmatur miſera. 1. *Reg.* 2. Quæ multos habebat filios, infirmata eſt.

Et ceciderunt, in mortem & damnationem perpetuam. Alia litera: Hoſtes mei & inimici mei, ipſi impegerunt & ceciderunt. *Iſa.* 28. Et erit eis verbum hoc, vt cadant & irretiantur, & capiantur.

Vel in bonum: *Ipſi infirmati ſunt*, mutantes in eo quod priùs erronee crediderunt, & malè amauerunt. Bona eſt iſta infirmitas. *Ioan.* 11. Infirmitas hæc non eſt ad mortem. *Et ceciderunt*, ad fidem veram ſe conuertentes, & eius iugo ſe ſubmittentes. *Act.* 9. Et cadens in terram dixit: Domine quid me vis facere? *Eccleſ.* 3. In tempore caſus ſui inueniet firmamentum, ſcilicet fidem veram quæ eſt bonum firmamentum.

3. *Si conſiſtant aduerſum me caſtra.* Hîc ſecundum huius partis: poſtquam enim animauit ſe contra timorem, hic ſe oſtendit animatum, & intantum vt ſolus multitudinem non timeat, & hoc primò. Secundò, vt magis confidat de ipſa pugna. *Si exurgat.* Vel ſic: Animatum ſe oſtendit intantum, vt non timeat inimicorum multitudinem. Secundò, quòd etiam confidat de inſultus magnitudine. Dicit ergo: Sic rationibus prædictis timere non debeo, nec timeo: imò *ſi conſiſtant aduerſum me caſtra* hominum malorum tyrannorum, & hæreticorum, & falſorum fratrum, qui etſi ſint à ſe diuerſi adinuicem, aduerſum me tamen ſunt vniti: *Iud.* 16. Vulpes Samſonis etſi facies diuerſas, tamen caudas habebant adinuicem colligatas. *Iſa.* 9. Vorabit Ephraim Manaſſes, & Manaſſem Ephraim, & hi ſimul contra Iudam. Item ſi *caſtra* dæmonum, quæ ſunt multa nimis. *Apoc.* 9. Numerus equeſtris vicies millies dena millia. Et audiui numerum equorum. Item ſi caſtra vitiorum. *Gregor.* enim dicit in moralibus 31. Sicut ſub vno principe multi militant, ſic ſub vno vitio multa vitia nos impugnant. Si omnia hæc caſtra conſiſtant aduerſum me, non timebit cor meum. Primò: quia in loco tuto, in Dei nomine, non in carne habitare volo. *Prouerb.* 18. Turris fortiſſima nomen Domini, ad ipſum fugit iuſtus, & ſaluus erit. Item quia valde bene munitus eſt triplicibus caſtris. Angelorum: *Geneſ.* 32. Caſtra Dei ſunt hæc. *Pſal.* Angelis ſuis mandauit de te, &c. Hæc caſtra ſunt multa. *Ioël.* 3. Multa nimis ſunt caſtra eius. 4. *Reg.* 6. Dixit Eliſeus ad puerum ſuum: Noli timere: plures enim nobiſcum ſunt quam cum illis. Item fortiſſima. 4. *Reg.* 19. Venit Angelus Domini nocte, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum quinquaginta quatuor millia. Item munitus eſt caſtris militantis Eccleſiæ, Sanctis ſcilicet charitate ad inuicem coniunctis, de quibus *Cant.* 6. Terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Et tandem caſtris virtutum, de quibus *Cant.* 7. Quid videbis in Sunamite niſi choros caſtrorum? Præter omnia hæc caſtra habent arcem fortiſſimam Dominum Chriſtum. *Prou.* 20. Rex qui ſedet in ſolio iudicij, intuitu ſuo diſſipat omne malum.

Iuſtos tria caſtra protegunt.

Si exurgat aduerſum me. Ecce ſecundum, in quo oſtendit ſe habere confidentiam, non ſolum non timere, & hoc dicitur de inſultus magnitudine. Ait enim: Sic non timebit cor meum, etſi caro fortè timeat. *Matth.* 26. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Et etiam *ſi exurgat aduerſum me prælium*, inſultus fortis & grauis hominum malorum & dæmonum, qui omnia impugnant. Ad *Epheſ. vlt.* Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores, tenebrarum harum. Ecce de duobus, carne ſcilicet & dæmone. De tertio prælio hominum *Abac.* 2. Suſcitabunt lacerantes te. Hoc eſt bellum interminabile, quouſque aurum ſit ſepultum: pugnant enim pro auro. *Ioſue* 14. Adam maximus ibi ſepultus eſt, in terra Anachim, & ceſſauit terra ex prælis. Adam rubra terra, quid aliud niſi aurum? Et bene maximus, quia maximi valoris inter metalla omnia reputatur. Sed ſi hæc rubra terra bene ſepulta eſſet, ceſſarent multa inter homines prælia. Hoc putant feciſſe naturam, ſicut dicit Seneca, quæ ſciens pro auro homines pugnaturos, abſcondit ipſum in profundiſſimis terræ. Similiter & argentum, non tamen ita in profundo. Si hæc aduerſum me prælia exurgant, in hoc ego ſperabo, non tantum non timebo. *Ierem.* 15. Bellabunt aduerſum te, & non præualebunt. Et nota profectum in tribulatione. Primò non timebit, poſteà ſperabit. *Caſſiodor.* Nam virtus probatur latere, quæ non fuerit probata certamine.

Auctè cauſa prælium.

Progreſſus in tribulatione.

Eſt etiam prælium humorum in ægrotante fortiter, vt dicunt medici, quia humores pugnant adinuicem, & expugnant ſanitatem. Prælium etiam dicitur à premendo hoſtem, infirmitas autem premit hominem. *Iob.* 16. Nunc autem oppreſſit me dolor. In hoc autem prælio iuſtus ſperat. Quid mirum. *Prouerb.* 14. Iuſtus ſperat in morte ſua ſicut *Iob* 13. Si occiderit me, in hoc ego ſperabo. Et *Paulus* 2. *ad Timoth.* 4. Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. *Deuter.* 33.

Lætare

Lætare Zabulon in exitu tuo. *Pſal.* Eduxit populum ſuum, de vita præſenti, cum exultatione, & electos ſuos in lætitia, &c.

4. *Vnam petij à Domino, hanc requiram.* Hîc eſt ſecunda pars primæ partis huius Pſalmi totius, in qua poſtquam tetigit de gratia reſiſtendi malo, ſubiungit de gratia perſeuerandi in bono: & hoc in duplici oratione, & gratiarum actione. Primò ergo oſtendit ſe oraſſe perſeueranter. Secundò gratias reddidiſſe. *Quoniam abſcondit me.* In prima tria. Primò, quòd perſeueranter vnam petiit. Secundò determinando oſtendit quid illud ſit. *Vt inhabitem.* Tertiò quare petit illud. *Et viſitem.* In prima duo quæ neceſſaria ſunt ad veram perſeuerantiam. Primò, quòd vnam petiit. Secundò, quòd adhuc à petitione non deſiſtit. *Hanc requiram.* Dicit ergo: Sic data eſt mihi gratia reſiſtendi malo, & etiam *vnam*, petitionem ſcilicet, id eſt, vnum petibile *petij* à Domino. 3. *Reg.* 2. Vnam petitionem paruulam ego peto à te, ne confundas me. Sed *vnam* dicit in fœminino, non niſi quia illud quod petit, eſt res fœcunda, omni bono plena. *Sap.*7. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Item *vnam* dicit: quia vnum eſt, quod eſt indiuiſum in ſe, diuiſum autem ab aliis. Et ipſe petit habitationem Eccleſiæ triumphantis, vbi omnes vnum ſunt. 1. ad *Corinth.* 6. Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt. Si omnes ibi adhærent Deo, ergo vnus ſpiritus ſunt, ſcilicet vnius voluntatis, & in cognitione vnum, & diuiſum ab aliis, ab his, qui hoc infra ſunt loco, quaſi per diſtantiam infinitam. Item *vnam* petit vxorem contra bigamos. Et hoc *à Domino*, quia *Prouerb.*19. Domus & diuitiæ dantur à potentibus: à Domino autem propriè vxor prudens.

Quare dicit vnam.

Vel *vnam petij à Domino* præbendam, vel Eccleſiam. *Iacob.* 3. Nolite plures magiſtri fieri. Gloſſa, in pluribus Eccleſiis, & *à Domino*, non ab homine ne eſſet ſimonia. *Eccleſiaſt.* 8. Nolite quærere ab homine ducatum.

Hanc requiram. Non ceſſabo, ſciens illud. *Luc.*11. Et ſi perſeuerauerit pulſans, dico vobis, & ſi non dabit illi ſurgens, eò quod amicus eius, propter improbitatem tamen eius ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios.

Vt inhabitem. Ecce quid petit & requirit, cœleſtem habitationem quæ domus Dei eſt. *Baruch.* 3. O Iſraël quam magna eſt domus Domini, & ingens locus poſſeſſionis eius! Et hoc *omnibus diebus vitæ meæ.* Quaſi diceret: Non ceſſabo. Et in iis verbis ſecundum hoc, inſtruimur in orando, vt ſit in noſtra oratione vnitas, non multa petendo, ſed *vnam*. *Matth.*6. Orantes nolite multa loqui. Sit diuturnitas, *petij*, & continuitas, *hanc requiram omnibus diebus vitæ meæ. Eccleſ.* 18. Non impediaris orare ſemper. *Luc.*18. Oportet ſemper orare, & nunquam deficere. Sit ſpiritualis. *Vt inhabitem in domo Domini. Matth.* 6. Primum quærite regnum Dei. Vel *vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Omnibus diebus* præſentis vitæ in militante Eccleſia merito: & poſt *omnibus diebus* gloriosè in domo Eccleſiæ triumphantis. Primò de primo ad *Rom.* 8. Neque mors, neque vita, &c. De ſecundo *Apoc.*3. Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei, & non egredietur amplius.

Conditiones orationis bonæ.

Vt videam voluntatem. Ecce tertium. Ad quid petit hoc tam inſtanter? propter duo, vt videat gloriam diuinitatis, & etiam humanitatem. *Et viſitem.* Ait enim: Sic petij & petam, & hoc feci & faciam, *vt videam voluntatem Domini*, fieri in cœlo omnino, & impleri virtute glorioſæ diuinitatis ſuæ illam voluntatem, de qua *Matth.*6. Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra. Vel videam voluntatem Domini, eſt tranſitiua conſtructio, id eſt, ipſum Dominum qui ſua voluntas eſt, per ſpeciem, quem nunc cognoſco per fidem. 1. ad *Corinth.* 13. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.

Petit vnum propter duo.

Et viſitem templum eius, naturam in Chriſto humanam, vel ipſum Chriſtum hominem qui templum eſt diuinitatis. Ad *Coloſſ.* 2. In quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter. *Apoc.*12. Dominus Deus omnipotens, templum illius eſt agnus. In his autem duobus tota conſiſtit vita æterna. *Ioan.*17. Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti IESVM CHRISTVM.

Vel etiam in præſenti ad hoc peto inhabitare Eccleſiam militantem, *vt videam* corde intelligendo, *voluntatem Domini*, eius ſcilicet præcepta, non literaliter ruminando. 2. ad *Cor.*3. Litera occidit, ſpiritus viuificat. Et hoc ad intellectum illuminandum. Mandatum enim lucerna eſt: & lex lux. *Prou.6. Et viſitem templum eius*, corpus ſcilicet Chriſti in altari frequenter ſumendo. Templum, inquam, à Iudæis in paſſione ſolutum, ſed in reſurrectione reparatum. *Ioan.*2. Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.

5. *Quoniam abſcondit me.* Hîc ſecundum, in quo recolit gratias agendo de beneficio perſeuerandi in gratiarum actione. Duo ergo dicuntur. Primò enumerantur beneficia quæ à Deo recepit. Secundò, quòd laudes, & quas laudes pro illis recolit, ibi, *Circuiui & immolaui.* Duo autem enumerantur in parte prima. Primum protectio contra hoſtes ſuos. Secundò ſublimatio contra illos. *In petra exaltauit me.* In prima duo ſecundum duo per quæ dicit ſe protectum. Primum, fides de diuinitate. Secundum, fides ex humanitate. *Protexit me in abſcondito.* Dicit ergo: Sic oraui, & perſeueranter. Et etiam Dominus *abſcondit me*, ab hoſtibus meis, *in tabernaculo ſuo*, in humanitate ſcilicet ſua, quæ eius tabernaculum dicitur, quia in ipſo latet diuinitas. *Iſa.*45. Verè tu es Deus abſconditus: vt vbi erat abſconditus per vnionem, me abſconderet per fidem. *Iſa.*49. In pharetra ſua, humana natura ſua, abſcondit me. *Iſa.*2. Ingredere in petram, abſcondere in foſſa humo. 1. *Reg.*24. Fugit Dauid ad tutiſſima loca engaddi, & ibi abſcondit ſe. Engaddi interpretatur fons hœdi. Fons hœdi eſt natura humana, quæ in Chriſto fuit fons, vnde emanauit ſalus noſtra. *Zachar.*13. Erat fons patens domui Dauid. Et hœdi, quia ſimilis peccatori, & aliis hominibus. Ad *Philip.*2. Et habitu inuentus vt homo. Et hoc *in die malorum*, ſcilicet in vita præſenti, in qua ſunt dies mali. *Geneſ.* 46. Dies peregrinationis meæ pauci & mali. Ad *Epheſ.* 5.

Humanitas eſt tabernaculũ in quo petit abſcondi.

Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.

Protexit me. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Hoc non ſuffecit, ſi protexit me in abſcondito tabernaculi ſui, hoc eſt, in diuinitatis ſuæ fide quæ abſcondebatur in tabernaculo humanitatis ſuæ. *Iſa.49.* Sub vmbra manus ſuæ protexit me. *Iſa.4.* Erit in vmbraculum diei ab æſtu, & in ſecuritate & in abſconſione, à turbine, & à pluuia.

6. *In petra exaltauit me.* Hîc tangit ſecundum beneficium, ſcilicet ſublimationem, quæ tangitur duplex. Primò eleuatio à culpa per collationem gratiæ. Secundò eleuatio à pœna per ſpem gloriæ. *Et nunc exaltauit.* Dicit ergo: Sic protexit, & etiam exaltauit me à culpa, & infidelitate in qua fuit poſitus, *in petra*, in fidei ſcilicet firmitate. Hæc petra, de qua *Matth.16.* Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Vel in Chriſto ponendo per amorem, qui eſt petra. 2. *Reg.* 22. Dominus petra mea, & robur meum. 1. ad *Corinth.*10. Petra autem erat Chriſtus. In petra ergo fidei eſt qui credit, ſed in petra exaltatur, qui quod corde credit, ore confitetur. Ad *Rom.*10. Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem. *Matth.* 10. Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego, &c. *Pſal.* Statuit ſupra petram, fidei firmitatem, pedes meos: intellectum ſcilicet & affectum. *Matth.7.* Venerunt flumina, flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: quia fundata erat ſupra firmam petram.

Petra Chriſtus, quæ conſiderata in ſui Paſſione, ſine dubio robur immittit, & animam exaltat ſuper omnem inimicum tribulantem, per conſolationem quam influit abundantem. *Pſal.* Dum anxiaretur cor meum, in Petra exaltaſti me. *Iob* 29. Petra mihi fundebat riuos olei.

Et nunc exaltauit. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic exaltauit liberando à culpa. Et etiam nunc in hoc tempore calamitatis & miſeriæ *exaltauit caput meum*, mentem ſcilicet, quæ eſt animæ caput, *ſuper inimicos meos*, deſideria mala, & motus nociuos. *Geneſ.4.* Subter te erit appetitus tuus. Vel *ſuper inimicos meos*, vt eos præuideam & cognoſcam, & ſic cauere valeam. Ex quo relinquitur, quòd tribulatio mentem iuſti non excæcat, ſed magis illuminat. *Prou.19.* Virga atque correctio tribuit doctrinã.

Circuiui & immolaui. Hîc ſecundum, in quo oſtendit laudis perſeuerantiam, vel gratiarum actionis ex acceptis beneficiis. Duo ergo dicuntur. Primò, quòd gratias egit. Secundò etiam, quòd accuratius aget. *Cantabo & Pſalmum dicam.* In prima duo. Qui enim vult gratias agere, neceſſe eſt vt duo faciat. Primò diligenter recolit Dei beneficia. Secundò pro illis gratias agit, & vtrumque dicit ſe feciſſe. Ait enim: Sic hæc beneficia mihi Dominus contulit: & ego *circuiui*, prædicta & alia diligentius perſcrutando. *Iſa.* 41. Sciant & videant, & recogitent, & intelligant pariter, quia manus Domini fecit hæc. *Circuiui* etiam omnia creata cogitando, perſcrutando. *Eccleſiaſt.*8. Omnia conſideraui. Et quid inueniſti. Nihil niſi materiam laudis. Vnde ſubdit: *Et immolaui:* quid? *Hoſtiam vociferationis*, laudem ſcilicet, & gratiarum actionem. Nota, quod iſte mundus totus eſt ſicut liber vnus factus ad laudandum Deum. Literæ ſeu elementa huius libri, ſunt prima quatuor elementa, cum quinta eſſentia. Syllabæ elementorum coniunctiones & mixturæ in quolibet elementato. Dictiones, elementatæ res viſæ. Sed orationes, ordinatiſſimæ rerum rationes, & coniunctiones ipſarum adinuicem per quandam conuenientiam naturalem & ſubuentionem. Qui ſciret legere in hoc libro, laudaret. An ergo quis dignè valeat laudare cœlum & terram? *Eccleſiaſt.*1. Cunctæ res difficiles, & vix poteſt eas homo explicare ſermone. *Auguſt. Confeſſio.* 5. Non ceſſat nec tacet laudes tuas vniuerſa creatura. Propter hoc dicit *Gregor.* Mirum eſt, quod homo ſemper non laudat, quia quodlibet à Dei laudem inuitat.

Omnis creatura eſt materia laudis.

Hoſtiam vociferationis. Hæc vociferatio ſecundum *Auguſt.* & *Caſſiodor.* eſt iubilatio. Si enim omnis creatura laudat Deum, quis dubitat quin excellentiſſima iubilare debeat? *Pſal.* Sacrificium laudis honorificabit me, ſed multò plus placet laus iubilationis. *Pſal.* Beatus populus qui ſcit iubilationem. Et hoc *in tabernaculo eius*, in Eccleſia ſcilicet militante. Aliter non valet vociferatio. *Apoc.*21. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. Vel in corde meo proprio, in quo habitat Deus, & quieſcit tanquam in tabernaculo. *Eccleſ.*24. Et qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.

Exaudiui Domine. Hîc eſt ſecunda pars Pſalmi, in qua poſtquam gratias egit de bonis gratiæ, ſupplicat conſequenter pro bonis gloriæ, in qua dicuntur tria. Primò orat. Secundò promotus oratione ſperat, ibi, *Credo.* Tertiò alios ad idem ſperandum inuitat, ibi, *Expecta Dominum.* In prima duo. Primò orat generaliter. Secundò ſpecialiter pro viſione Domini, quæ eſt æterna gloria, ibi, *Tibi dixit cor meum.* In prima dicuntur tria. Primo præmittitur oratio. Secundò quaſi ratio triplex quare debeat exaudiri. *Qua clamaui ad te.* Et prima ratio eſt deuotio. *Qua clamaui.* Secunda, humiliatio. *Miſerere mei.* Tertia, replicatio orationis. *Et exaudi me.* Dicit ergo: Hæc bona præſentia feciſti mihi, quæ gratiarum actione recolui. Sed ô Domine *exaudi vocem meam:* contra illos qui in Eccleſiis nihil dicunt. *Iſa.*55. Vniuerſi neſcierunt, canes multi non valentes latrare. *Daniel.*9. Exaudi Domine orationem ſerui tui. 7.

Negligentia in heris recitandis.

Quia clamaui ad te ex deuotione cordis & feruore, vnde debeo exaudiri, contra deſides & murmurantes horas in thalamis ſuis. *Pſal.* Murmurauerunt in tabernaculo ſuo. Et contra clamantes per vicarios: non enim ipſi clamant, ſed alius pro ipſis. *Chryſoſtom. ſuper Matth.* Si deſides fuerimus, nec ſaluamur, nec per alios poterimus ſaluari. Ita Chananææ miſertus eſt *Matth.* 15. Ita meritricem ſaluauit. *Luc.* 13. Ita latronem nullo mediatore vel procuratore. Quippe nullus nec vellet, nec poſſet alium facere vicarium primi. *Apocal.* 3. Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.

Et exaudi me, inſtantem & orationem replicantem. *Iudith.*9. Exaudi me miſeram & de

tua

tua misericordia præsumentem. Et rursus: Exaudi orationem illorum qui nullam aliam habent spem, & libera nos. Hinc ergo docemur orare affectuose, humiliter, & frequenter. *Quomodo orandū docet exemplo.* De primo: Anima anxia clamat ad te *Baruc.*3. De secundo *Eccles.* 35. Oratio humiliantis se, nubes penetrabit. De tertio *Isa.* 23. Bene cane, frequenta canticum, vt memoria tui sit. Affectuositas est contra torpentes, de quibus *Eccles.* 25. Loquetur verba tædij, murmurationis. Secundum contra arrogantes, qualis fuit Pharisæus. *Luc.*18. Tertium contra instabiles. *Psal.* Septies in die laudem dixi tibi. *Act.* 6. Nos autem orationi & ministerio verbi instantes erimus. Ergo docentes Apostoli orabant. Ergo lectores Theologiæ non excusantur ab officio multò. Ergo fortius auditores non excusantur.

Nota, quòd exauditur oratio, non orans, vt concessum est *Matth.*8. Dæmonibus intrare in porcos. Orans non oratio, vt Paulus de stimulo carnis. 2. *Corinth.* 11. Orans & oratio, vt zacharia *Luc.*1.

8. *Tibi dixit cor meum, exquisiuit te.* Hîc specificat magis pro quo orat, quia pro gloria & aperta Dei visione consequenda: & dicuntur duo. Primò orat pro fine ipso. Secundò pro iis quæ ad finem, ibi, *Adiutor meus esto.* In prima tria secundum tria quæ tangit, per quæ debet ei ostendi. Primum: quia quærit eam veraciter. Secundò: quia singulariter. *Exquisiuit te.* Tertiò: quia perseueranter. *Faciem tuam.* Dicit ergo: Sic exaudi, & debes, quia non alij peto, sed *tibi dixit cor meum*, ipsum, non aliud. 1. *Reg.* 1. Porrò Anna loquebatur in corde suo. Sic enim docet orare Dominus *Matth.*6. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, cor scilicet tuum: & ibi ora Patrem tuum in abscondito, & Pater tuus, qui est in abscondito, reddet tibi. *Quomodo pro vita æterna orādum.* *Ineffabilis cum Deo cōfabulatio.* Nec dicit quid dicit cor suum, nec quid audiuit: quædam autem ineffabilis est confabulatio. *Oseæ* 2. Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius. *Psal.* Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Et è contrario anima loquitur Deo. Cant. 2. Fac me audire vocem tuam, sonet vox tua in auribus meis. *Cant.*6. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.

Exquisiuit te. Hîc secundum. Quasi diceret: Sic quæsiui veraciter, & etiam singulariter, quia *exquisiuit te*, ex vna re in aliam discurrens. Quæsiui *Cant.* 3. In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni. Et ibidem: Num quem diligit anima mea, vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea. *Faciem mea*, superior scilicet pars animæ meæ, quia nobilior est, in qua relucet imago Trinitatis, vt per te hæc facies plenissimè reformetur. *Cant.*2. de hac facie: Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. 1. *Corinth.*13. Videbimus autem facie ad faciem.

Faciem tuam. Hîc tertium, quia perseueranter: & dicuntur duo. Primò se requisiturum dicit. Secundò quia promisit, soluit, ibi, *Ne auertas faciem tuam à me.* Dicit ergo: Sic exquisiui singulariter, & etiam ô *Domine faciem tuam requiram*, incessanter. *Psal.* Quærite faciem eius semper: vt videam te facie ad faciem, & impleatur illud 1. ad *Corinth.*13. Videmus nunc per speculum in ænimagte, tunc autem facie ad faciem. *Psal.* Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei.

Ne auertas faciem tuam. Hîc secundum, in quo soluit promissum. Primò enim quærit. Secundò autem requirit. *Ne declines.* Ait ergo: Sic dixi, quòd requiram: sed non est in me vt videam: vnde rogo, *ne auertas faciem tuam à me. Psal.* Ostende faciem tuam & salui erimus. Nec in cœlo, nec in terra ad bonum animæ est, nisi visio huius faciei. *Psal.* Auertente autem te faciem turbabuntur. 2. *Reg.* 14. Quare veni de Gessur? Melius mihi erat ibi: obsecro ergo vt faciem Regis videam. Cum autem videtur in summo tripudio. *Iob* 23. Deprecabitur Dominum & placabitur ei, & videbit faciem eius in iubilo. *Aug.* Quicquid mihi præter illū est, dulce non est, quidquid vult mihi dare Dominus Deus, auferat, tantùm se mihi det. 9.

Ne declines. Quasi per alia verba in Dominum repetit vt requirat. Ait enim: *Ne declines in ira à seruo tuo:* quod si feceris, facies *in ira*, & iræ effectus erit. *August.* Ira eius non est nisi auersio vultus eius. *Cassiodor.* Vna res est, scilicet precatio frequentata: sciebat enim quam pretiosum erat, quod ardenti studio toties expetebat. Posset etiam dici, quòd prima pars intelligitur de futuro, sicut est dictum: sed hæc secundâ de præsenti. Et loquitur sicut alicui volenti transire hospitium, quem desiderat retinere: Dominus enim quasi colonus & peregrinus transire vult. *Ierem.* 13. Quare futurus es vt colonus in terra? Et quasi viator declinans ad manendum? *Genes.* 18. Domine si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum. *Psal.* Et declinasti semitas nostras à via tua.

Adiutor meus esto. Hîc secundum, in quo orat pro iis quæ sunt ad finem & sunt duo. Adiutorium maturæ potentiæ, & hoc petit primò. Secundò petit instructionem in cognitione. *Legem pone mihi Domine.* In prima duo. Primò oratio. Secundò persuasio, quòd debet ei consentire. *Quoniam pater meus.* In prima duo. Primò petit adiuuari ad faciendum bonum. Secundò, vt bonum purum sit, ad declinandum malum, ibi, *Ne derelinquas.* Dicit ergo: Sic faciem quæro, & vt ad illam videndam possim peruenire, *Adiutor meus esto* ad bonum faciendum, quia aliter non possum. *Ioan.* 15. Sine me nihil potestis facere. *Isa.*26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. 1. ad *Corinth.* 15. Non autem ego, sed gratia Dei mecum.

Ne derelinquas me. Hîc petit, quòd adiuuet ad malum declinandum. Primò ad declinandum mortale. Secundò veniale. *Nec despicias me.* Ait ergo: Sic adiuua, ne derelinquas me in mortalem culpam. *Eccles.*23. Ne derelinquas me in cogitatu maligno. *August.* Si derelinquit, in ipsa via deficies, cades, oberrabis, remanebis. Sed contra: Dominus neminem derelinquit. Ad *Hebr.* 13. Non te deseram, nec te derelinquam. Et in 11. Videte ne quid desit gratiæ Dei. Responsio. Ponit consequens pro antecedente. Quasi diceret: Non me sinas id facere, propter quod merear derelinqui à te.

Ierem.

Ierem. 17. Omnes qui te derelinquunt, confundentur.

Neque deſpicias me. Secundum eſt. Quaſi diceret: Ne ſinas me facere multa mala, quæ facient & reddent me deſpectum. 2. *Machab.* 5. Modicum Dominus iratus fuit, propter quod accidit circa locum deſpectio. Venialia enim puluis ſunt. *Matth.* 10. Excutite puluerem de pedibus veſtris. Sicut ergo res impuluerata vilis eſt: ſic qui multitudinem habet venialium. Item ſcabies ſunt. *Gregor.* Minuta ſunt quæ erumpunt per ſcabiem vulnera, ſed cum multitudo ſenſibilis totum occupat, ſic vitam corporis, vt graue pectoris vulnus necat. Item ſcabies ſunt in agro, & ſpinæ in vinea, quæ ſuffocant omne bonum. *Prouerb.* 24. Per agrum pigri hominis tranſiui, & per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleuerant viticæ, & ſuperficiem eius ſpinæ. Hæc amoue, quia tu es *Deus ſalutaris meus.* *Pſal.* Nonne Deo ſubiecta erit anima mea? ab ipſo enim ſalutare meum.

Venialia peccata vilè faciunt animam, quia ſunt veluti puluis, ſcabies, vrtica.

10. *Quoniam pater meus & mater mea.* Hîc perſuaſio à duobus. Primò à propria indigentia. Secundò à filij Dei beneuolentia. *Et Dominus ſuſcepit me.* Dicit ergo: Sic rogo vt adiuues me, nec derelinquas aut deſpicias, & debes moueri. *Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me.* Ad literam. Quodam modo tanquam minorem omnium filiorum abiiciebant Dauid: quod erat quoddam relinquere. Et Dominus aſſumpſit in regem vngendo per manum Samuelis. 1. *Reg.* 16. *Pſal.* De poſt fœtantes accepit eum. Melius autem de vere iuſto, quem dereliquerunt in miſeria, in qua ſumus, pater & mater, Adam ſcilicet & Eua. *Exech.* 17. Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt. Ad *Epheſ.* 2. Omnes naſcimur filij iræ. *Sapient.* 3. Ab iniquo thoro ſemen exterminabitur. *Eccleſiaſt.* 40. Graue iugum ſuper filios Adam. Ad *Rom.* 6. Omnes in Adam peccauerunt. Et in 11. Ego autem carnalis ſum venundatus ſub peccato. *Et Dominus* filius tuus, quod multum debet te mouere, *aſſumpſit me*, naturam meam. *Pſal.* Beatus homo quem elegiſti, & aſſumpſiſti. Vel *pater meus*, diabolus, *& mater mea*, carnalis concupiſcentia, *dereliquerunt me*, inueteratum in longa malitia, vt in me iam refrigeſcat carnalis concupiſcentia, & diabolus tentare me contemnat. De hoc patre, & de matre iſta. *Ezech.* 16. Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethea. Et nota, quòd ſicut Doctor, & prædicator pater dicitur, quia bonum ſemen infundit: vnde bonus homo de malo efficitur. 1. ad *Corinth.* 4. Per Euangelium ego vos genui. Sic diabolus quando infundit ſemen malum, & malus homo efficitur, patrem ſe poteſt dicere. 1. *Ian.* 8. Vos ex patre diabolo eſtis. Item filius dicitur, quia fit quaſi ille, id eſt, ſimilis illi multum. *Ioan.* 8. Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite. Sic filij ergo diaboli, qui eum imitantur in ſua operatione. *Ioan.* 8. Vos opera patris veſtri vultis facere. 1. *Ioan.* 3. Qui facit peccatum, ex diabolo eſt.

Deus pater & mater nobis eſt.

Dominus autem aſſumpſit me. Factus mihi pater & mater. *Matth.* 23. Patrem nolite vocare vobis ſuper terram: vnus enim eſt pater veſter qui in cœlis eſt. Pater autem eſt, quia cauſa efficiens noſtra ſicut pater filij. *Deuteronom.* 32. Nonne ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & genuit te? *Iſa.* 64. Et nunc tu Domine pater noſter, & nos lutum: tu factor noſter, & opera manuum tuarum omnes nos. Item pater dat materiam, ſed Deus formam quæ multò nobilior eſt. *Pſal.* Qui finxit ſigillatim corda eorum. Item pater imponit nobis nomen: ſic Chriſtus nobis. *Iſa.* 61. Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit. Item patris eſt præcepta dare. *Tob.* 4. Omnia quæcumque præceperis mihi, pater, faciam. Sic Deus, & in veteri & in nouo. Item patris eſt ducere filium. Sic Deus. *Ierem.* 3. Patrem vocabis me, & poſt me ingredi non ceſſabis. Et mater propter matris actus, qui ſunt 4. Continere prolem in ventre. *Iſa.* 48. Audite me qui portamini à meo vtero, & geſtamini à mea vulua. Item fouere: & Deus fouet. *Matth.* 18. Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat populos ſuos ſub alas? Item paruulos lactare. 1. ad *Corinth.* 3. Tanquam paruulis in Chriſto lac dedi vobis, in eſcam per mammillam. Denique grandiuſculos nutrire. *Iſa.* 1. Filios enutriui, & exaltaui, &c.

Legem pone mihi Domine. Hîc petitio ſecunda in qua petit inſtructionem in cognitione, & dicuntur duo. Primò petitio. Secundò quare neceſſe petere. *Propter inimicos meos.* In prima duo ſecundum duo quæ petit. Primò doceri de via, qua itur ad finem. Secundò dirigi in ipſa ſemita quæ breuior eſt. *Et dirige me.* Dicit ergo: Sic petiui adiuuari, quantum ad motuam: ſed etiam quantum ad cognitionem, *legem pone mihi.* Vel ſic: Quoniam tu aſſumpſiſti me, factus mihi pater & mater: ergo ô Domine, *legem pone mihi*, illuminantem, *in via tua.* *Iſa.* 28. Erudiet illum Dominus Deus ſuus, in iudicio ſuo docebit illum. Via autem dicuntur mandata, quia per illa itur ad Deum. *Matth.* 19. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. *Iſa.* 2. Docebit nos vias ſuas. Vel in Chriſto qui eſt via. *Ioan.* 14. Ego ſum via, veritas, & vita. 11.

Et dirige me in ſemita recta. Conſiliorum. Quaſi diceret: Dirige ſeruum tuum hodie, & da illi miſericordiam, vt ei facias ſplendeſcere ſemitam. *Prouerb.* 4. Iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens. Et addit, *Recta*, ad differentiam curuarum. Semitæ ſunt conſilia, ſed in aliquibus non ſunt rectæ: curuantur enim ad terrena poſſidenda, & reflectuntur à rectitudine ſua. *Iſa.* 26. Semita iuſti recta eſt.

Propter inimicos meos. Hæc ratio ſuæ petitionis, inimicorum ſcilicet malitia, & tangit primò malitiam in corde. Secundò in opere. *Ne tradas me.* Tertiò in ore. *Quoniam inſurrexerunt.* Dicit ergo: Sic peto doceri, & dirigi, & hoc propter inimicos meos, mihi corde contrarios & inſidiantes. *Hieronym.* Propter inſidiatores meos. *Pſal.* Iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi. In *Pſal.* In via hac qua ambulabam, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi.

Ne tradideris me in animas, id eſt, voluntates, *tribulantium me*, opere. *Me*, id eſt, animam 12.

meam.

meam. Sic vocat animam ſuam, non curans de poſſeſſione, vel de carne. 2.ad *Corinth.*11.Suſtinetis enim ſi quis in ſeruitutem vos redigit, ſi quis deuorat, ſi quis accipit. Ad *Hebr.* 10. Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio recepiſtis ſcientes vos habere meliorem ſubſtantiam, animam videlicet virtutibus dotatam. *Auguſt. in Gloſſa*, Deuoret terra terram, caro carnem, anima autem ſeruetur illæſa.

Quoniam inſurrexerunt. Tertium in quo tangitur malitia perſequentium in ore, mixta crudelitate. Ait enim:Sic non me tradi permittas, & neceſſe habeo clamare: *quoniam inſurrexerunt in me*, id eſt, contra me, *teſtes iniqui*, adulatores ad ſubuerſionem tendentes. *Iſa.* 3. Populus meus, qui te benedicunt, ipſi te decipiunt. *Prouerb.* 16. Vir iniquus lactat amicum ſuum adulationibus, & ducet eum per viam non bonam. Timere ſibi multum debet Eccleſia ab iis hoſtibus,qui iam percutiunt ipſam in capite, in domibus ſcilicet prælatorum & magnatum. Ibi potiſſimè, *Thren.*1. Facti ſunt hoſtes eius in capite.

Et mentita eſt iniquitas ſibi,id eſt, ipſi iniqui, qui dicuntur iniquitas ipſa ad expreſſionem. *Mentita*, inquam, *ſibi*,id eſt, ad damnum ſuum. *Prouerb.* 19. Teſtis falſus non erit impunitus. *Eccleſ.*28. Qui laqueum alteri ponit, peribit in illo. *Hieron.* Nunquam vitium in ſuum non recurrit authorem. Vel *ſibi*, ad delectationem ſuam: valde enim ſuaue mendacibus aliquando mentiri,& valde graue à mendacio abſtinere. *Prouerb.* 20. Suauis eſt homini mendacij panis.Et nota, quòd falſi teſtes dicuntur *iniquitas*, quia iniquitas illos produxit:iniquitas auaritiæ Iezabel, quæ interpretatur ſterquilinium, contra Naboth pro vinea. *Reg.* 22. Iniquitas luxuriæ. *Daniel.* 13. Commiſcere nobis, quia ſi nolueris, dicemus contra te teſtimonium. Iniquitas inuidiæ. *Matth.*26. Nouiſſimè venerunt duo falſi teſtes, &c.

13. *Credo videre bona Domini.* Hîc eſt ſecundum, in quo oſtendit ad ſpem profeciſſe, ex præcedenti oratione, & ideò ſperare ſe dicit Dei viſionem, & habitationem cœleſtem. Dicit ergo. Sic oraui non deſperans, imò *credo videre bona Domini.*

Vel ſic: Ita me tribulant iſti, & eo ipſo *credo videre bona Domini.* Sunt enim omnes tribulationes, quaſi quædam colliria, ad purgandum mentis oculum. *Tob.*6. Fel valet ad oculos ſanandos. *Apoc.*3.Collirio inunge oculos tuos: aliter non poteris videre, oculo ſcilicet immundo. *Matth.*5. Beati mundo corde:quoniam ipſi Deum videbunt. Sed quæ ſunt iſta bona? Poſſemus dicere, quòd ſunt diuinitas Chriſti, & humanitas. *Ioan.*17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti IESVM CHRISTVM. Sed paulò plus intueamur hæc bona. Bona Domini, vita ſine morte. Ibi fixa eſt vita ſempiterna. *Apoc.* 21. Mors vltrà non erit. Iuuentus ſine ſenectute. Nihil poteſt ibi fieri vetus. *Pſal.* Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. Requies ſine labore. *Iſa.* 32. Sedebit populus meus in plenitudine pacis. Gaudium abſque triſtitia & dolore. *Apoc.*21. Neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà. Sanitas ſine ægritudine. *Exod.* 15. Cunctum langorem quem poſui in Ægypto, non inducam ſuper te. Lux ſine tenebris *Sap.* 18. Sanctis autem tuis lux erit maxima. Regio enim lucis eſt illa. Delectatio ſine omni anxietate. *Pſal.* Delectationes in dextera tua vſque in finem. Notitia ſine errore. 1. *Ioan.*3. Videbimus eum ſicuti ipſe eſt.

Bona vita æterna quæ ſint.

Hæc bona credo videre, *in terra viuentium.* Terra mortuorum infernus. *Iob* 10. Vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Terra morientium mundus.2.*Reg.*14. Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur in terram, quæ non reuertitur. Sed terra viuentium paradiſus, regio cœli Empyrei, terra fertiliſſima, & opulentiſſima. *Iudic.*18. Surgite aſcendamus ad eos ad terram opulentiſſimam, in qua nullius rei eſt penuria. Et viuentium, quia *Sap.* 4. Iuſti autem in perpetuum viuent.

Expecta Dominum. Hîc eſt tertium, in quo alios ad idem ſperandum, & expectandum inuitat, & tanguntur quatuor, contra quatuor quæ non ſinunt ad vitam, de qua loquutus eſt ſuperius, peruenire. Primum eſt dilationis diuturnitas contra quam dicit, *Expecta.* Secundum, bene agendi difficultas, contra quam dicit, *Viriliter age.* Tertium, mentis puſillanimitas, contra quam dicit, *Et confortetur cor tuum.* Quartum,tribulationum acerbitas.Contra hoc addit, *Et ſuſtine Dominum.* Dicit ergo:Sic ergo & tu quicumque es, *expecta Dominum*, ne te frangat dilationis diuturnitas, quia *Abac.* 2. Si moram fecerit, expecta eum, quoniam veniens veniet, & non tardabit meritis tuis, etſi fortè votis. *Iſa.*28. Qui crediderit, non feſtinet. 14.

Quatuor ad vitam impedimenta amouet.

Et viriliter age. Non te terreat agendo bonum difficultas. *Prouerb.* 18. Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis. *Deuter.* 22. Viriliter agite & confortamini. *Iudith* 15.Viriliter egiſti, & confortatum eſt cor tuum.

Et confortetur cor tuum. Ne te diſſoluat puſillanimitas. *Geneſ.* 18. Confortetur cor veſtrum, & ſic tranſibitis. *Iſa.* 35. Dicite puſillanimes, confortamini. *Deuter.* 33. Confortare, & eſto robuſtus.

Et ſuſtine Dominum. Ne te moueat tribulationum acerbitas. *Eccleſ.* 2. Væ iis qui perdiderunt ſuſtinentiam.*Pſal.*Vniuerſi qui ſuſtinent te, non confundentur.

Expecta Dominum per ſpem. *Luc.*12. Et vos ſimiles hominibus expectantibus. *Viriliter age* per fidem, per dilectionem operantem.*Iacob.*2. Fides ſine operibus mortua eſt. *Confortetur cor tuum. Cant.* 8. Fortis eſt vt mors dilectio. *Suſtine Dominum*, per patientiam. *Iacob.*1. Patientia opus perfectum habet.

IN XXVII. PSALMVM.

Pſalmus ipſi Dauid.

AD *te Domine clamabo.* Hic eſt Pſalmus vigeſimus ſeptimus, & eſt reſponſio quæ dicitur in hoc Pſalmo, ad hoc quod in antecedenti præceſſit: vnam enim ſe dixit Eccleſia, vel vir iuſtus à Domino petiiſſe, & inſtanter adhuc petiturum: ſed quia non ſolum oratione 1.

acquiritur

Argumẽtum Psalmi, ostẽdit vnam quam petit gloriam resurrectionis, obtineri etiã à Christo per passionem.

acquiritur, ſed tribulationum ſuſtentatione exemplo ipſius Chriſti. *Luc.vlt.* Sic oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam, ſubiungitur hic Chriſtus agens de paſſione, & reſurrectione, ad quam venit per paſſionem. Ac ſi dicat: Petiiſti finem, oſtendo viam, tribulationum ſuſtentationem. *Act.*14. Per multas tribulationes oportet intrare in regnum cœlorum. Vnde ſignanter intitulatur Pſalmus iſte. *Pſalmus huic Dauid*, id eſt, Pſalmus iſte non cuicumque conuenit, ſed huic Dauid, ei ſcilicet, qui eſt verus Dauid, manu fortis, & aſpectu deſiderabilis. Cum enim *huic* vel *ipſi*, ei qui eſt Dauid, additur, tunc quod Chriſto conueniat, demonſtratur.

Diuiditur autem Pſalmus in tres partes. Primò orans agit de ſua paſſione. Secundò prophetat, & prædicit de inimicorum deſtructione, ibi, *Qui loquuntur.* Tertiò gratias agit de ſua reſurrectione, ibi, *Benedictus Deus.* In prima duo ſecundum duo quæ petuntur ab ipſo moriente. Primò, ne humanitas à Deo deſeratur. Secundò, ne etiam à carne ſubtrahatur. *Nequando taceas.* In prima duo. Primò ratio quare debeat exaudiri. Secundò oratio. *Ne ſileas.*

Dicit ergo: O Domine Pater *ad te clamabo*, non ad homines, ſicut hypocritæ, nec ad dæmones, ſicut idololatræ. In clamore autem notatur cordis deuotio. *Abac.* 1. Vſquequo clamabo, & non exaudies. Et verum eſt quod moriens in cruce clamabat. Ad *Hebr.* 5. Cum clamore valido, & lachrymis exauditus eſt.

Deus meus. In hoc feruor deuotionis: ipſius enim hominis Chriſti Deus erat, ſicut cuiuſlibet. *Ne ſileas à me.* Quaſi diceret: Sic confiteor, non debes ſilere à me, hoc eſt, verbum tuum ſubtrahere: quid enim eſt ſilere, niſi verbum ſubtrahere? Subtractio autem verbi eſſet verbi ſeparatio. Et dicit, *à me*, id eſt, ab anima mea.

Nequando. Hîc ſecunda petitio, in qua ſimiliter duo. Primò petitio. Secundò ratio, quòd debeat exaudiri. *Et aſſimilabor.* Ait enim: *Nequando taceas à me*, verbum à carne ſeparando, relinquendo ipſam in putrefactione. *Et aſſimilabor*, ſi hoc feceris, *deſcendentibus in lacum:* quod non debet: vnde nec tu debes negare quod non fiat. In lacum enim duplicem ante Chriſti Reſurrectionem deſcendebant homines. In lacum inferni quantum ad animas: in ſepulchrum incinerandi, quantum ad corpus. Sed ab vtroque Chriſtus eſt liberatus. Supra in *Pſal.* Non derelinques animam meam in inferno, quantum ad primum locum, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem, quantum ad ſecundum.

Sed quare cum certus eſſet de iis Chriſtus, hæc petiit? ſciebat enim diuinitatem nunquam ab humanitate ſeparandam. Reſponſio. Orat non tanquam ignorans, vel timens non impleri quod orat, ſed vt nobis exemplum orando præbeat. *Ioan.*13. Exemplum dedi vobis vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Item vt oſtendat, quòd hoc quod petit, ſcilicet inſeparabilitas & diuinitatis vnio, ex gratia eſt, non ex natura. Ad *Rom.*1. Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute. Patet enim in hoc verſu

Quare Chriſtus petit quod certo ſciebat ſe habiturum.

exprimi deſiderium primorum Patrum dicentium: O Domine *ad te Domine clamabo:* vehementia deſiderij. *Iſa.*63. Vtinam diſrumperes cœlos, & deſcenderes. *Deus meus ne ſileas à me, nequando taceas à me*, alloquendo in propria perſona, qui toties auditus eſt in Prophetis. Ad *Hebr.*1. Multifariam multíſque modis olim loquens Deus Patribus in Prophetis, nouiſſimè diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio. Quod ſi ſileas, ſi taceas, *aſſimilabor deſcendentibus in lacum* culpæ. Culpa enim lacus dicitur. *Thren.*3. Lapſa eſt in lacum vita mea. Gloſſa: In lacum vita labitur, cum iniquitatibus inquinatur. Et bene lacus dicitur: eò quod fundus lateat. Lacus tranquillus & delectabilis creditur in ſuperficie, ſed quas profunditates habeat, ignoratur. Similiter eſt de culpa: in ſuperficie videtur tranquilla valde, ſed latet fundus. Lacus alius ſcilicet pœna gehennæ. *Iob* 24. Vſque ad inferos peccatum illius. Infernus autem lacus eſt ſummæ obſcuritatis, & infinitæ profunditatis. *Zachar.*10. Tu vero in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos de lacu, in quo non erat aqua. Et in *Pſal.* Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum.

Quare culpa dicitur lacus.

Exaudi Domine vocem meam dum oro ad te. 2.
Hîc ſecundum, in quo orat, ne caro morte detineatur: & dicuntur duo. Primò oratio generalis. Secundò ſpecialis, ibi, *Ne ſimul tradas me.* In prima duo. Primò oratio. Secundò ratio quare debeat exaudiri. *Dum extollo.* Dicit ergo: *Exaudi Domine vocem orationis meæ*, exterius formatam, *dum oro ad te*, per interiorem cordis affectionem. Hoc enim eſt verè orare. *Ioan.*4. Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate. 1. ad *Corinth.* 14. Orabo ſpiritu, orabo & mente: pſallam ſpiritu, pſallam & mente.

Dum extollo. Hîc ratio, quòd debeat exaudiri. Primò per factum. Secundò per finem facti. *Ad templum.* Ait ergo: Sic exaudi *dum extollo manus meas*, ad literam in cruce extendendo: Chriſtus enim eſt qui loquitur. *Prou.*1. Extendi manus meas, & non fuit qui aſpiceret. *Iſa.*65. Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi. *Exod.*9. Cum egreſſus fuero de vrbe, extendam palmas meas ad Dominum.

Sed quo fine? *Ad templum ſanctum tuum* conſtruendum: ad hoc enim Chriſtus manus extendebat, vt Deo templum ædificaret de viuis lapidibus, Eccleſiam ſcilicet militantem. 1. ad *Corinth.*3. Dei ædificatio eſtis. In eodem, Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Vel *ad templum*, Eccleſiam ſcilicet triumphantem: illuc enim manus ſunt leuandæ: Deus enim ibi reſidet. *Pſal.* Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes eius. 2. ad *Timoth.* 2. Volo viros orare leuantes puras manus. *Thren.*3. Leuemus corda noſtra cum manibus ad Deum. Maria etiam templum eſt, ad quod in oratione manus leuandæ ſunt. *Pſal.* Adorabo ad templum ſanctum tuum. Vel ad materiale templum. Vnde ipſe Chriſtus eleuatis manibus in cruce vultum habebat ad illud. *Daniel.*6. Daniel ter orabat in die, tribus vicibus orabat contra Ieruſalem, propter templum quod in ea erat.

Templi multiplex acceptio.

Ne

3. *Ne ſimul tradas me.* Hîc ſecundum, in quo orat ſpecialiter, ne caro morte detineatur. Duo ergo dicuntur. Primò vt non impleatur intentio Iudæorum ad hoc ipſum interficientium, vt detineretur in morte. Secundò, quòd nec Gentilium, ibi, *Et cum operantibus:* vtrique enim exarſerunt in damnationem Chriſti. Ait ergo: Sic oro: & hoc quod rogo: *Ne tradas me cum peccatoribus*, & hoc *ſimul*, ea ſcilicet qua me tradunt intentione, ſcilicet vt detineat in morte. Et peccatores appellat Iudæos. Et aduertendum, quòd non petit, vt non tradat eum cum peccatoribus, ſed vt non cum illa intentione. Nota enim, quòd Chriſtus traditus fuit à Patre. Ad *Rom.* 8. Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Traditus à ſe. Tradidit ſemetipſum pro nobis A diſcipulo proprio. *Ioan.* 13. Amen dico vobis, quia vnus ex vobis me tradet. A Iudæo. *Luc.* 18. Tradetur Gentibus, & illudetur. Sed non eadem intentione. Pater enim tradidit filium ex charitate. Filius tradidit ſe ex obedientia. Diſcipulus ex auaritia. Iudæus ex pura inuidia.

Chriſtus à variis traditus, non eadem intentione.

Et cum operantibus iniquitatem, ſcilicet gentilibus, *ne perdas me*, id eſt, perdere me intendas ſicut ipſi. *Matth.* 27. Perſuaſerunt populis vt peterent Barrabam: IESVM verò perderent. Suprà in *Pſal.* Ne perdas cum impiis Deus animam meam.

Poteſt orare etiam hoc anima iuſti ne tradatur cum peccatoribus in culpam in præſenti, ſecundum illud ad *Rom.* 1. Propter quod tradidit illos Deus in paſſionis ignominiam, &c. Et ſic vlteriùs non perdatur Deo, quaſi abſconditus ab eius cognitione. *Matth.* 7. Amen dico vobis: Neſcio vos. Vel de futuro: Ne ſimul tradas me in damnationem cum peccatoribus cum originali decedentibus. *Operantibus iniquitatem*, id eſt, cum actuali iniquitate: vtrique enim traditi ſunt ita quòd ſine recuperatione: vnde & perditi. *Pſal.* Traditus ſum, & non egrediebar.

Qui loquuntur pacem. Hîc eſt ſecunda pars, in qua prædicit de inimicorum damnatione: & dicuntur duo. Primò tangitur eorum culpa. Secundò ſubiungit de pœna, ibi, *Redde retributionem.* Culpam tangit duplicem. Primò tectam cordis malitiam. Secundò exterius procedétem, ibi, *Da illis ſecundum opera eorum.* In prima duo. Primò tangit tegimen ipſius malitiæ. Secundò ipſam malitiam, ibi, *Mala autem.* Ait ergo: Ne perdas me cum peccatoribus, *qui loquuntur pacem cum proximo ſuo*, mecum ſcilicet qui proximus ſum illorum: Propinquus naturæ conditione, quia homo factus ſum, ſicut & illi homines ſunt. *Sapient.* 7. Sum quidem & ego homo mortalis ſimilis hominibus, & ex genere illius qui primus creatus eſt. Sed propinquior conſanguinitate, Iudæus ſicut ipſi Iudæi. *Ioan.* 4. Salus ex Iudæis. Sed proximus beneficiorum exhibitione. *Luc.* 10. Quis eorum tibi videtur proximus fuiſſe ei qui incidit? Reſpondit: Ille qui fecit cum illo miſericordiam. Et de Chriſto dicitur, quòd pertranſibat benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à diabolo.

Chriſtus proximus Iudæis naturæ conditione, conſanguinitate, & beneficiorũ exhibitione.

Cum hoc proximo loquebãtur pacem Iudæi, *Math.* 22. Magiſter ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces. *Mala autem*, odij & rancoris, *in cordibus eorum. Matth.* 22. Inierunt conſilium vt IESVM caperent in ſermone. Et infra: Quid me tentatis hypocritæ? Sic dæmones qui ſunt proximi peccatoribus, & eorum amici. *Iſa.* 28. Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum: loquuntur cum eis pacem. *Geneſ.* 3. Nequaquam moriemini. *Mala autem*, culpæ, & pœnæ æternæ, *in cordibus eorum. Prouerb.* 27. Cum ſe humiliauerit, ne credas ei, ſeptem enim nequitiæ ſunt in corde eius. Talis autem difficile cognoſcitur: vnum tamen ſignum haberi poteſt. Quia non eſt contentus facere ſigna amicitiæ, quæ verus amicus facit, ſed etiam extendit, ſicut patet de Iuda proditore qui oſculatus eſt Dominum *Matth.* 26. nec tamen fuerat abſens, niſi per horam vnam vel duas.

Nota malitiam Iudæ.

4. *Da illis ſecundum opera eorum.* Hic tangit inimicorum operationem malignam. Primò quidem interiorem. Secundò exteriorem, ibi, *Secundum opera manuum.* In prima duo. Primò tangit peruerſas affectiones in affectu. Secundò peruerſa conſilia & adinuentiones in ipſo intellectu. *Et ſecundum nequitiam.* Dicit ergo: Sic duplices ſunt, & tu Domine *da*, dabis illis, *ſecundum opera* eorum interiora, id eſt, voluntates & affectiones. *Pſal.* Reddet vnicuique iuxta opera ſua. *Prouerb.* 24. Seruatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini iuxta opera ſua.

Et ſecundum nequitiam adinuentionum ipſorum. Malarum cogitationum quantum ad intellectum. Ac ſi diceret: Et opera punies, quia ex deliberatione, & præcogitatione facta cognoſces. Et ſic fuit verum *Iſa.* 3. Ruit Ieruſalem & Iudas concidit, quia linguæ eorum & adinuentiones eorum contra Dominum. *Matth.* 26. Quærebant conſilium aduerſus IESVM, vt eum dolo tenerent & occiderent. Vel ſecundum nequitiam adinuentionum, id eſt, cogitationum, quia cogitationes ipſas diſcutiet. *Sapient.* 6. Interrogabit opera noſtra & cogitationes ſcrutabitur.

Sed obiicitur, quòd ſecundum hoc videtur Chriſtus inimicis imprecari. Sed poteſt dici, quòd non eſt imprecatio, ſed prædictio. Vel ſi imprecatio eſt, non fit, quia facit eorum pœnam, ſed iuſtitiæ decorem. *Matth.* 5. Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam: iuſtorum enim mentes delectantur in iuſtitia. *Pſal.* Exultabunt filiæ Iudæ propter iudicia tua Domine.

Secundum opera manuum illorum tribue illis. Hîc ſecundum, in quo tangitur operario illorum mala exterior, quod patet ex eo quod addit, *Manuum.* Dicit ergo: Sic da illis ſecundum interiorem operationem eorum malam, & etiam *ſecundum opera manuum illorum*, exteriora, *tribue illis*, præmium pœnarum.

Sed nunquid Iudæi peccauerunt in Chriſtum manibus? Non videtur hoc, ſed corde & lingua. Reſponſio. In veritate corde cogitando mala, voce accuſando peccauerunt Iudæi in Chriſtum: Gentiles verò manibus capiendo & occidendo. Sed quia vnum corpus ſunt omnes mali, corpus, inquam, diaboli,

Gentiles in passione sunt manus mota à Iudæis veluti à corde.

hinc accidit, quòd cuilibet parti attribuetur quod est alterius. Et iterum in illo corpore Iudæi fuerunt vt cor, maximè quantum ad illud opus, Gentiles vero vt manus. *Iob.*41. Cor eius, ipsius Behemoth scilicet, indurabitur quasi lapis, & sicut malleatoris incus, quod plus est. Est enim immobile à malitia sua, sicut incus à duritia. *Eccles.*7. Considera omnia opera sua, quòd nemo possit corripere quem ille despexit. Sicut ergo manus non agunt, nisi motæ à corde, sic nec Gentiles nisi à Iudæis incitati: vnde sicut peccatum magis imputatur cordi, sic Iudæis crucifixio Christi. *Ioan.*19. Qui tradidit me tibi, Gentili, maius peccatum habet. Iterum quid miraris, si dixerit, secundum opera manuum, cum non sint operati nisi lingua? Nonne lingua manus suas habet? *Eccles.* 1. Mors & vita in manibus linguæ.

Redde retributionem. Hîc tangitur pœna, tacta culpa multiplici, primò in generali. Secundò specificando. *Quoniam non intellexerunt.* Ait enim: Sic & interius & exterius peccant in me: sed tu Domine *redde*, id est, reddes, *retributionem eorum ipsis*, id est, pœnam ipsis reddes, pro retributione sua, quâ retribuerunt mihi pro bonis mala. *Ierem.*18. Nunquid redditur pro bono malum? quia foderunt, &c. Et in *Psal.* Retribuebant mihi mala pro bonis.

Quatuor species retributionum.

Et nota secundum *Cassiodorum* quatuor retributionum species. Vna cum tribuuntur mala pro bonis, sicut Iudæi Christo, contra quos *Prouerb.*17. Qui reddet mala pro bonis, non recedat de bono eius malum. Alia, cum bonum pro bono, sicut Christus in iudicio. *Matth.*25. Venite benedicti Patris mei. Esuriui, & dedistis mihi manducare. Tertia, cum malum pro malo, sicut Christus malis in iudicio. *Matth.*25. Ite maledicti in ignem æternum, &c. Esuriui, &c. Quarta, cum bonum pro malo, quam exhibet Christus in præsenti mundo, & mandauit exhiberi. *Matth.*5. Orate pro calumniantibus, & persequentibus vos.

5. *Quoniam non intellexerunt.* Hîc specificat, & tangitur duplex pœna. Prima, cordis excæcatio. Secunda, corporalis & perpetua illorum destructio. *Destrues illos.* Ait enim: Sic & punies & verè, *quoniam non intellexerunt opera Domini*, scilicet incarnationem & vnionem illam mirabilem diuinitatis cum humanitate. *Isa.*45. Verè tu es Deus absconditus. Et *Ierem.*31. Nouum faciet Dominus super terram, fœmina circundabit virum. Et verè non intellexerunt, quia dicit *Paulus* 1. *ad Corinth.*2. Si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.

Et in opera manuum, aperta scilicet miraculorum operatione, non viderunt, nec intellexerunt opera Domini: tamen potuerunt, nisi multum excæcati essent. *Matth.*12. *Luc.*11. In Beelzebuth principe dæmoniorum eiicit dæmonia, cum tamen per opera optimè possent, secundum illud ad *Roman.* 1. Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Si enim tantum potuerunt opera naturæ vt ducerent in auctorem, quantum poterant opera super naturam facta? *Deut.*29. Viderunt oculi tui signa, & portenta ingentia, & non dedit nobis Dominus Deus cor intelligens, & oculos videntes.

Destrues illos. Ecce destructio ipsorum perpetua. Et primò destructio. Secundò destructionis perpetuatio. *Et non ædificabis.* Ait enim: Sic excæcabis eos meritis eorum exigentibus, & postea *destrues illos*, per mundum dispergendo & captiuando *Psal.* Disperge illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine. Et bene sequitur ad excæcationem quam incurrerunt propter culpam suam. *Isa.*5. Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. *Et non ædificabis eos.* Verum est, impœnitentes, & malos, vel eos sic manentes, secundum illud *Matth.*20. Sedere autem ad dexteram meam & sinistram meam, non est meum dare vobis. *Isa.*13. Erit Babylon gloriosa, Synagoga gloriosa prius, sed post confusione plena: sicut subuertit Dominus Sodomam & Gomorrham. Non fundabitur vsque à generatione in generationem. *Ierem.*13. Lumbare computruit, ita vt nulli omnino vsui aptum esset. Et 31. Vigilaui super eos, vt disperderem & demolirer eos.

Benedictus Dominus. Secundum diuisionem in principio Psalmi factam, hîc tertium, in quo agitur gratiarum actio pro resurrectione, imò magis pro impetratione & resurrectionis, & omnium quæ petiuit: & dicuntur duo. Primò repetitio beneficiorum acceptorum in gratiarum actionem. Secundò supplicatio pro membris vt perducantur ad gloriam, ibi, *Saluum fac populum tuum.* In prima duo. Primò recolit beneficia gratias agendo, quæ in se accepit. Secundò quæ in suis iam in præsenti, ibi, *Et ex voluntate mea.* In prima duo. Primò gratias agit. Secundò rationem subiungit ob multa beneficia quæ accepit, ibi, *Quoniam exaudiuit.* Dicit ergo: Sic rogaui, & inimicos affligendos prædixi, & in iis ominus *benedictus Deus*, consolator & liberator meus. 2. ad *Corinth.*1. Benedictus Deus & pater Domini nostri IESV CHRISTI qui consolatur nos, &c. .6

Varius laudãdi modus Deum & creaturas.

Et nota, quòd creatura Creatorem laudat, bona quæ habet ei attribuendo: creatura creaturam bonum ei operando: sed Creator creaturam, eam numero & merito adaugendo. Hinc est quod post horas quasi totum bonum quod fecimus volentes in Dominum refundere, mutuò nos inuitamus dicentes: Benedicamus Domino. Et statim ad quod horamur implentes adiungimus: Deo gratias, de bono quod fecimus.

Quoniam exaudiuit. Hîc est secundum, ratio scilicet quare gratias agit. Et primò beneficium exhibitum in sua passione. Secundò in morte quæ secuta est ex illa. *Dominus adiutor meus.* Tertiò in resurrectione. *Et in ipso sperauit.* Dicit ergo: Sit Deus benedictus, *quoniam exaudiuit Dominus* Pater, *vocem orationis meæ*, ne diuinitas separaretur à me. *Ioan.*11. Pater gratias tibi ago, quoniam exaudisti me.

Et nota, quòd dicit ipsum vocem audisse, vt notet exauditionis velocitatem. Cito enim Deus exaudit iustos dum adhuc eorum oratio est in voce. *Isa.* 65. Adhuc illis loquentibus ego exaudiam.

Dominus adiutor meus. Hîc secundum, in quo tangit beneficia exhibita in morte. Primò ex parte animæ quam non dereliquit in limbo. 7.

Secundò

Secundò ex parte corporis, quod non permiſit morari in ſepulchro, ibi, *Et protector.* Ait ergo: Sic exaudiuit in cruce deprecantem. *Et Dominus*, factus eſt, ſupple, *adiutor meus*, mei ſcilicet in infernum deſcendentis ad expugnandum diabolum. *Iſa.* 50. Dominus Deus auxiliator meus, & ideò non ſum confuſus. *Ierem.* 20. Dominus mecum tanquam bellator fortis, in illa pugna contra diabolum. *Daniel.* 11. Prouocatus rex Auſtri, id eſt, Chriſtus, egredietur de corpore, & pugnabit contra regem Aquilonis, diabolum qui ad Aquilonem poſuit thronum ſuum. *Iſa.* 14. Ponam ſedem meam ad Aquilonem. Et expugnabit illum.

Et protector meus, mei ſcilicet corporis, ipſum ab incineratione conſeruando in ſepulchro. Bene protexit ſine dubio, qui veſtem pugnantis integrem conſeruauit: modicum enim rupta fuit. *Iob* 10. Pelle & carnibus veſtiſti me, oſſibus & neruis compegiſti me. Hæc autem veſtis in paſſione aliquantulum fuit perforata, ſed depoſita in ſepulchro à corruptione conſeruata. Supra in *Pſal.* Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem. *Iſa.* 59. Saluauit ſibi brachium ſuum. Et nota, quòd loquendo moraliter Dominus eſt adiutor ſuorum ab bonum faciendum, & protector ad malum ſuſtinendum. De primo *Ioan.* 15. Sine me nihil poteſtis facere. 1. ad *Corinth.* 15. Non autem ego, ſed gratia Dei mecum. De ſecundo in *Pſal.* Salus autem iuſtorum à Domino, & protector eorum, &c.

In ipſo ſperauit. Hîc tertium, in quo tanguntur beneficia ſibi exhibita in reſurrectione. Primò quantum ad ſtolam animæ. Secundò quantum ad corporis. *Et refloruit.* Ait ergo: Sic protexit, & *in ipſo* etiam *ſperauit cor meum*, anima mea ſcilicet. *Et adiutus ſum*, vt reſurgerem ipſa glorificata. Sed hîc eſt dubitatio, quomodo hoc dicit Chriſtus, quia in ipſo ſpes non fuit: habebat enim omnium certitudinem quæ euacuat ſpem. Et eſt reſponſio, quòd verum eſt, quod in Chriſto fuit certa ſcientia, & notatur in hoc quod dicit, *Cor meum ſperauit.* Significatur enim per hoc quod dicitur, *cor*, vehementia ſpei creſcentis ab opinione in certitudine.

Sed opponitur iterum de hoc quod dicit: *Et adiutus ſum.* Adiuuari enim dicitur propriè qui eſt agens principalis quantum ad actionem illam. Si ergo hæc vox fuit hominis Chriſti, ſecundum quod homo, tunc ipſe fuit agens principalis in animæ glorificatione in hoc quod homo, quod falſum eſt, paſſus enim eſt ex infirmitate, ſed reſurrexit glorioſus in anima & corpore ex diuinitate, ſicut dicitur 2. ad *Cor.* 13. Si vox eſt diuinitatis, tunc videtur diuinitas adiutorio indiguiſſe in illa glorificatione, quod iterum falſum. Dicendum eſt, quòd vox eſt diuinitatis. Nec eſt verum, quòd ſemper ſit rei agentis inſufficientis. Dicit enim *Apoſtolus* 1. ad *Corinth.* 3. Dei adiutores ſumus. Filius ergo Dei à Patre ſe adiutum dicit, eò quod ſimul Pater cum Filio agit: indiuiſa enim ſunt opera Trinitatis. *Ioan.* 5. Sicut Pater ſuſcitat mortuos & viuificat, ita & filius quos vult viuificat, ſic & glorificat. Nec hoc dicimus, quod anima Chriſti non ſemper fuerit glorificata, & fruens diuinitate vnità ſibi, ſed de gloria victoriæ, & ſpoliationis inferni hoc intelligimus, &c.

Opera Trinitatis indiuiſa.

Et refloruit caro mea. Hîc tangitur ſecundum beneficium in reſurrectione ſibi exhibitum, ſcilicet corporis glorificatio. Ait enim: Sic adiutus ſum in victoria animæ, *& caro mea refloruit*, reſumpto corpore glorioſo. Nota ergo, quòd caro humana in Adam & in Eua florida fuit, quia in ſtatu proſperitatis. *Daniel.* 4. Ego Nabuch. quietus eram in domo mea, & florens in palatio meo. Vnus flos erat quo carebat carnali concupiſcentia. Alius quo carebat pœna. *Iſa.* 18. Ante meſſem etiam, antequam à diabolo meteretur, totus effloruit. Sed ſicut dicit *Iſidor.* Flos à fluendo dicitur, quia citò fluit, ad modicum ſcilicet ventum. Sic cito à carne vterque flos fluxit flante ſerpente. *Iob* 15. Læditur quaſi in primo flore botrus eius. Et *Iſa.* 40. Exiccatum eſt fœnum, & cecidit flos, quia ſpiritus Domini, quem fecit Dominus, ſuffluit in illud. Sic ergo natura humana defloruit, & flores in ſpinas & tribulos ſunt conuerſi. *Geneſ.* 3. Spinas & tribulos germinabit tibi. Sed poſtea in Chriſto refloruit. Floruit in incarnatione. *Matth.* 2. Quoniam Nazarenus vocabitur, id eſt floridus. Sed refloruit in reſurrectione, abiecta ſcilicet omni pœnalitate. *Pſal.* Mane floreat. *Cant.* 2. Flores apparuerunt in terra noſtra.

Caro humana floruit in ſtatu innocentiæ, emarcuit per peccatum, per reſurrectionẽ refloreſcit.

Et ex voluntate. Hîc tangit beneficia ſibi in ſuis exhibita, & ſunt tria. Primum, gratiarum actio. Datur enim membris glorificare Dominum propter capitis glorificarionem. Secundum, in bono roboratio. *Dominus fortitudo.* Tertium, à malo liberatio. *Et protector.* Ait ergo: Sic mihi fecit in meipſo hæc bona quæ præmiſi. *Et ego confitebor ei*, gratias referendo in membris meis, dicit Gloſſa. In ipſis enim laudat, & agit gratias, qui in ipſis prædicat. 2. ad *Corinth. vltimo*, An experimentum quæritis eius qui loquitur in me Chriſtus? *Pſal.* Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur. *Et ex voluntate*, non coactione. Et hoc non eſt mirum, quia debitum eſt: libenter debeo ſoluere, quod debeo, & ſic abſolnere meipſum à debito. Aliæ enim omnes creaturæ laudant ex omni quod acceperant. *Auguſt. confeſſionum* 5. Non tacet nec ceſſat laudes tuas vniuerſa creatura. Cum ergo homo habeat in ſe principia, nimirum voluntatem, laudare debet ex illa. *Pſal.* Voluntariè ſacrificabo tibi. 1. *Paral.* 28. Seruito ei corde perfecto, & animo voluntario. Item diſcretum eſt. *Senec. ad Lucilium:* Nihil inuitus facit ſapiens, quia iucundum. Item de beneficiis: Sapientes quicquid oportet & iuuat, id delectat, quia honeſtum. *Senec.* Nihil honeſtum quod ab inuito & coacto fit. Omne enim honeſtum voluntariùmque Deo acceptum, & aliter non. *Exod.* 25. Ab omni homine qui offert vltroneus & voluntarius, accipietis.

Dominus fortitudo. Hîc ſecundum, & tangit beneficium fortitudinis. Quaſi diceret: Sic gratias ago voluntariè. Et hoc iuſtum, quoniam *Dominus fortitudo*, roborans in bono, *plebis ſuæ.* 1. *Machab.* 3. Non in multitudine exercitus victoria belli, ſed è cœlo fortitudo eſt. *Iſa.* 40. Qui dat laſſo virtutem, & his qui non ſunt, fortitudi

8.

titudinem & robur multiplicat. *Cassiodor.* Breuis magnáque datur hîc definitio, quid est Dominus. *Dominus fortitudo plebis suæ, & protector* etiam à malo, *saluationum Christi sui*, id est, illorum quos per Christum saluare ordinauit, *Genes.* 15. Ego protector tuus, & merces tua magna nimis. Est autem fortitudo per fidem, quæ omni malo fortiter resistit. 2. *Pet.* 5. Cui resistite fortes in fide. Ad *Hebr.* 11. Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, &c. Sed protector quasi duabus alis, spe, & charitate. *Psal.* Sub vmbra alarum tuarum protege me. *Ioël.* 3. Et sanitas saluatio est. Vel saluationum Christi, id est, saluatorum hic à Christo per gratiam, protector in futuro per gloriam. *Prou.* 4. Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, Christus hîc in præsenti: & corona inclyta proteget te, Deus Pater in futuro.

9. *Saluum fac populum tuum.* Hîc est secundum totius huius partis, in quo præmissa gratiarum actione pro seipso, quasi pro acceptis beneficiis, subiungit orationem pro suis, & petit eis quatuor. Primò gratiam præuenientem. Secundò cooperantem. *Et benedic.* Tertiò permanentem. *Et rege.* Quartò consummantem, ibi, *Et extolle.* Dicit ergo: Sic ô Domine gratias ago, & rogo. *Saluum fac*, à peccatis eripiendo per gratiam præuenientem populum tuum. De qua salute. *Eccles.* 30. Salus animæ in sanctitate iustitiæ. *Matth.* 1. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.

Quadruplex gratiæ necessariæ.

Et benedic hæreditati tuæ, ei in bono cooperando. *Psal.* Quoniam tu populum humilem saluum facies. Et iterum, Super populum tuum benedictio tua. *Micheæ.* 6. Inuocabunt nomen meum, super filios Israël, & ego benedicam eis, benedictione qua benedixit Isaac Iacob. *Genes.* 27. Det tibi Deus de rore cœli, abundantiam frumenti, vini, & olei. Et in eodem, Benedixíque ei, & erit benedictus. *Prou.* 20. Benedictio Domini diuites facit. *Et rege eos*, de bono in melius promouendo. *Psal.* Dominus regit me, &c. Et alibi, Ipse reget nos in sæcula, ne cadamus vel retrocedamus: alioquin cito caderemus. *Prou.* 11. Vbi non est gubernator, ruit populus.

Et extolle illos, per gratiam consummantem *vsque in æternum*, id est, in æterna appetenda, vt nihil aliud velint. Vbi illa, ibi sit conuersatio sua. Ad *Philipp.* 2. Cupio dissolui & esse cum Christo. Supra in *Psal.* Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem. Hoc quantum ad affectum. Vel sic: *Extolle illos* per intelligentiam mysticam Scripturarum in opus bonum, *Vsque in æternum*, id est, per totam vitam istam. Et respicit intellectum. Et tangitur duplex sacræ Scripturæ effectus. Eleuare ad bonum. Et in illo conseruare. De primo *Isa.* 57. Intelliget seruus, & exaltabitur. *Prouerb.* 4. Arripe illam, & exaltabit te. De secundo *Sap.* 6. Ad vos ô Reges sunt sermones hi mei, vt discatis sapientiam, & ne excidatis. Vel *extolle illos*, hinc *vsque in æternum*, id est, in vitam æternam, scilicet simul corpus & animam. 1. *Pet.* 5. Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis. *Isa.* 59. Sustollam te super altitudinem terræ, & cibabo te hæreditate Dauid patris tui. Magna ergo nobis confidentia esse debet: quia Christus orauit pro nobis. *Cassiod.* Rogauit pro vobis qui oratur & ab Angelis. Iudex omnium creaturarum aduocatus est noster: vt à morte liberari potuissemus, ille magis voluit occidi. Vel potest esse petitio Prælati ad Christum sic passum, & resuscitatum. *Saluum fac populum tuum*, nam saluator es: *Et benedic hæreditati tuæ*, nam sacerdos magnus: *Et rege eos*, quia rex: *Et extolle illos*, quia Deus, &c.

Christus orat pro nobis.

IN XXVIII. PSALMVM.

Psalmus Dauid in consummatione tabernaculi.

1. *Argumẽtum Psalmi, exhortatio ad imitandum Christum patientem & se immolãtem.*

Afferte Domino filij Dei. Hic est Psalmus vigesimus octauus, in quo postquam descripta est passio & resurrectio, ad quam venit per illam, vt suspiranti & quærenti vnam, quid imitandum esset, & qua via ad illud veniendum monstraretur, subiungitur consequenter inuitatio pœnitentium fidelium, ad imitandum quod propositum est, & seipsos Deo in passionibus immolandos. Hoc autem satis ostenditur in titulo præposito huic Psalmo. Talis enim est: *Psalmus Dauid in consummatione tabernaculi.* In quo tanguntur, sicut vult Glossa, historiæ. 1. lib. *Reg.* cap. 4. de captione arcæ à Philistæis, & eiusdem reductione, propter plagas multas in domum Aminadab in Gabaa, Eiusdem 5. 6. & 7. cap. Cui postea Dauid præparauit tabernaculum, & adduxit illam, consummans in hoc tabernaculum suum, magno tripudio, & oblationibus multis & sacrificiis inuitans alios ad offerendum similiter. Quod ergo ibi factum est ad literam, hic fit spiritualiter. Consummata enim Ecclesia militante à Christo in sua Resurrectione quantum in ipso fuit, quæ tabernaculum appellatur. *Apocal.* 21. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. Et iterum resumpta carne gloriosa, & sic ad perfectum ducto proprij corporis tabernaculo, ad nos ipsos immolandos Deo inuitamur, vt tandem nostra recipiamus tabernacula gloriosa, & consummata. Sensus ergo tituli talis est. *Psalmus* hic est Dauid Prophetæ, editus *in consummatione*, id est, pro consummatione *tabernaculi*, scilicet Ecclesiæ, & hortantis vt ad consummationem sui proprij tendat quilibet seipsum Deo hostiam offerendo.

Diuiditur ergo Psalmus in tres partes. Primò inuitat ad Dei venerationem. Secundò subiungit causam quare debeant ipsum venerari modis dictis, scilicet constructionem tabernaculi, id est, Ecclesiæ, ibi, *Vox Domini super aquas.* Tertiò agit de statu constitutæ. *Dominus diluuium.* In prima duo. Primò inuitat ad venerationem. Secundò locum determinat, in quo debetur ei veneratio & reuerentia exhiberi, ibi, *Adorate Dominum.* In prima duo. Primò inuitat ad venerationem Dei simpliciter. Secundò specialiter filij Dei, ibi, *Afferte gloriam nomini eius.* In prima duo. Primò cui debeant offerre & exhibere reuerentiam. Secundò quid offerre debeant. *Afferte Domino filios arietum.*

Dicit ergo: Sic audiuistis filium Dei passum, & resurrexisse. Ergo ô *filij Dei* per fidem. *Ioan.* 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt

credunt in nomine eius. Ad *Galat.*3. Filij Dei estis per fidem. *Filij*, per charitatem operantem & ad bonum mouentem. Ad *Rom* 8. Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. 1.*Ioan.* 3.In hoc manifesti sunt filij Dei, quia sese diligunt ad inuicem, supple: de dilectione enim loquebatur: aliorum enim oblationes non approbat. *Eccles.*24. Dona iniquorum non approbat Altissimus, nec delectatur in oblationibus impiorum. *Genes.*4. Respexit Dominus ad Abel,& ad munera eius: quia filius erat. Ad Caïn autem non respexit:quia non erat filius Dei,sed diaboli. Sed heu multi offerunt hodie qui non sunt filij Dei, sed diaboli, & ob hoc eorum non acceptantur sacrificia. 1. *Reg.*2. Porrò filij Heli, filij Belial nescientes Dominum.

Afferte Domino, munera eius,quia *Deuter.16.* dicitur: Non apparebis in conspectu Domini Dei tui vacuus. Sed quid *afferte Domino*,repetit, non idolis,sicut illi de quibus *Isa.vlt.* Qui immolant in hortis, & sacrificant super lateres. *Ierem.*7. Filij colligunt ligna, & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, vt faciant placentas reginæ cœli, lunæ scilicet. *Afferte*, inquam, repetit vt reddat, *filios arietum*, agnos secundum literam, secundum sensum spiritualem, masculinum opus quod notatur in filio, & forte, quod notatur in ariete. *Leuit* 5. Anima quæ peccauerit, offeret arietem, operationem scilicet fortem. *Malach.*2. Maledictus qui habet in grege masculum,& votum vouens Domino offert debile.

Nota, quòd filij Dei etiam Angeli dicuntur. *Iob* 38. Vbi eras cum me laudarent astra matutina & iubilarent omnes filij Dei, id est, boni Angeli. *Iob* 1. Quadam autem Dei cum venissent filij Dei & assisterent, &c. His filiis dicitur vt afferant Deo filios arietum, fideles in fide genitos & Apostolis & Martyribus sanctis. 1. ad *Cor.*4. In ipso Iesv per Euangelium ego vos genui. Horum filiorum est afferre ad Deum animas. *Luc.*16. Factum est autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.

His ergo dicitur vt afferant filios arietum; id est,Apostolorum & Martyrum,qui dicuntur arietes. *Psal.* Holocausta medullata offeram tibi, in confessoribus deuotissimis: cum incenso arietum, Martyrum & Apostolicorum doctorum in craticula passionis. Et dicuntur arietes multiplici de causa. Primò: quia aries dicitur à ruendo secundum Isidorum, quia ruit fronte, & impugnat contraria. Sic Apostoli sancti & Martyres idola ipsa destruxerunt. *Ezech.* 3. Dabo faciem tuam valentiorem faciebus eorum,& frontem tuam duriorem frontibus eorum, & vt adamantem & silicem ponam faciem tuam. Secundò aries dicitur etiam ab areos secundū eundem Isidorum,quod idem est quod virilis. Et ipsi viriles fuerunt valdè, quibus nihil potuit resistere. *Prouerb.* 30. Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pauebit aspectum. Gallus succinctus lumbos suos, & aries, nec est qui resistat ei. Tertiò secundum eundem Isidorum, aries dicitur ab ara, in qua immolabatur. Et ipsi fuerunt Deo immolati. *Psal.* Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. *Ioan.* 16. Venit hora vt omnis qui interfecerit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo. Item aries vermem habet latentem in capite,vnde alio nomine dicitur veruex, quasi vehens vermem. Sic ipsi illum latenter gestabant in mente, qui dicit in *Psal.* Ego autem sum vermis & non homo. Vis videre vermem in capite? 1.ad *Cor.vlt.* An experimentum quæritis eius, qui loquitur in me Christus? Item non solum aries vermem habet, sed ad eius motum se mouet, & ruit in durissima. Sic Apostoli ad nutum Christi in ipsis existentis, mouebantur & ruebant in aduersa. *Matth.* 10. Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Item ductores gregis sunt. Sunt & Apostoli fidelis populi. *Ezech.*34. Vos greges mei homines estis. Et in *Psal.* dicitur de Apostolis: Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham. Et alibi, Constitues eos principes super omnem terram. Item quia cornua duo habentes: cornua duo,scilicet Testamentum Vetus, & Nouum. *Dan.vlt.* Vidi arietem cornibus ventilantem contra Orientem, & Occidentem, & Austrum, & Aquilonem. Cœtus enim Apostolicus vndique ventilauit. Si enim Moyses cornutus effectus ex consortio Angeli. *Exod.*34.Quomodo isti non erunt cornuti ex consortio Christi? Vltimò: quia ornamenta gregis, & præsidia. Sic Apostoli: Ecclesiam enim ornauerunt & protegunt. *Exod.*26. Facies operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis.

Quare Apostoli dicūtur arietes.

Afferte Domino. Hîc tertium, quomodo vel quo fine, quia ad gloriam Dei, vel honorem. Ait enim: *Afferte filios arietum*, vosmetipsos, vel bona opera & fortia: Et, *Afferte gloriam & honorem*, id est, ad honorem & gloriam Domini afferte, quæ affertis, id est, ad eius honorem: vel *gloriam* referatur ad deuotionem cordis, & *honorem* ad integritatem operis. Hoc autem modo est offerendum Deo, quia gloria tota eius debet esse. *Isa.* 42. Gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus. Et honor similiter debet eius esse. 1. ad *Tim.*1. Soli Deo honor & gloria. 2.

Afferte Domino gloriam nomini eius. Ecce secundum, in quo inuitat ad honorem filij specialiter. Quasi diceret: Afferte patri, & etiam *afferte gloriam nomini eius*, filio qui est patris nomen, & sic secundum literæ veritatem; *Afferte Domino gloriam*, Domino, inquam, & *nomini eius*, Patris scilicet, scilicet filio, qui est eius nomen, quia sicut per nomen cognoscitur aliquis, sic per filium Pater. Huic danda gloria sicut ipsi, quia Patri æqualis. Ad *Philip.*2. Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Et intelligitur gloria danda Spiritui sancto, quia amor & nexus intelligitur intellecto vtroque extremorum. Propter hoc canit Ecclesia, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Et nota, quòd hoc impleuerunt reges in die Epiphaniæ. Obtulerunt enim aurum in signum gloriæ regalis, & thus in signum gloriæ sacerdotalis, & sic obtulerunt indicia summæ gloriæ viuentium. Obtulerunt & myrrham quæ est gloria regalis sepulturæ, & sic obtulerunt gloriam morientium. *Matth.* 2. de omnibus his.

Oblatio Magorum exhibet perfectum honorem.

Adorate. Hîc ostendit vel offerendum vel afferen-

afferendum. Quaſi diceret: Sic monui afferre, oſtendens quid, & cui, & quomodo. Sed quantum ad locum, dico, *Adorate Dominum*, non in quolibet loco, ſed *in atrio ſancto eius*, in Eccleſia ſcilicet militante, quæ eſt atrium ad thalamum & aulam triumphantis. In *Pſal.* Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Ieruſalem. Atrium etiam ſanctum eſt cor deuotum. *Eſther 5.* Mardochæus, Chriſtus, libenter ſtat in atrio. *Ioan.4.* Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. 2. ad *Cor.* 14. Orabo ſpiritu, orabo & mente.

Atrium autem poteſt appellari ſtabulum illud, in quo adorauerunt Reges. Atrium enim dicitur ſecundum Iſidorum, eò quod ſit atrum fumo & igne. *Chryſoſtom.* Quid glorioſum pro tanto itinere videntes gauiſi ſunt? Nunquid palatium marmoribus ſplendidum? Nunquid regiam diuerſis populis perſonantem? Sed pandochium magis tenebroſum & ſordidum, & magis animalibus quam hominibus aptum, in quo nemo coactus erat ſecedere, niſi itineris neceſſitate. Et quamuis tale, tamen ſanctum. 2. *Machab.* 6. Non enim propter locum, gentem, ſed propter gentem locum elegit Dominus. Et *Chryſoſtom. ſuper Matth.* Non enim locus ſanctificat hominem, ſed homo locum. Benè ergo ſanctus locus ille, valde pretioſum ſtabulum, quod continet IESVM qui eſt ſanctorum ſanctiſſimus. 1. *Reg.*2. Non eſt ſanctus vt eſt Dominus. Et Mariam, quæ eſt ſanctarum ſanctiſſima. *Prouerb. vlt.* Tu vero ſupergreſſa es vniuerſas. Propterea enim eſt quod dicit *Eccleſ.* 24. In plenitudine ſanctorum detentio mea. Nec poteſt eſſe atrum, quamuis ſit atrium: quia continet Mariam & IESVM. De Maria enim dicitur *Eccleſ.* 26. Sicut ſol oriens in mundo in altiſſimis Dei, ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domus ſuæ. Et quis Chriſtum dubitat ſolem eſſe, niſi qui non legit. *Malach.*6. Vobis timentibus Deum orietur ſol iuſtitiæ.

3. *Vox Domini ſuper aquas.* Hîc eſt ſecunda pars Pſalmi, in qua tanquam ratio præmiſſorum ſubiungitur, Eccleſiæ ædificatio & conſummatio, quæ facta eſt per prædicationem Chriſti & per ſeipſum, & per diſcipulos: & dicuntur quatuor, ſecundum quatuor differentias hominum quibus eſt prædicandum. Primò tangitur de prædicatione inferiorum, & minorum. Secundò maiorum, ibi, *Vox Domini confringentis cedros.* Tertiò de prædicatione perſequutorum, ibi, *Vox Domini intercidentis.* Quartò deuotorum, ibi, *Vox Domini præparantis ceruos.* Omnes enim quibus prædicatum eſt, ſunt aut parui, aut magni, aut contrarij, aut deuoti. In prima duo. Primò agit de prædicationis actu. Secundò de effectu inde conſequuto, ibi, *Vox Domini in virtute.* In prima dicuntur duo. Primò quis, & quibus prædicauit. Secundò qualiter. *Deus maieſtatis.* Dicit ergo: Sic afferte Domino, & iuſtum, quia *vox Domini*, id eſt, Chriſti facta eſt, ſupple, *ſuper aquas*, Iudæos ſcilicet & Gentes, qui aquæ ſunt. 2. *Reg.* 14. Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur. *Apocal.*7. Aquæ quas vidiſti ſuper quas meretrix ſedet, populi ſunt & tribus. Sed per ſe Iudæis, per ſuos autem Gentibus. Propter primum enim dixit *Matth.* 15. Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël. Propter ſecundum dixit *Matth.vlt.* Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.

Notantur quatuor genera hominum quibus prædicatum eſt Euangelium.

Deus maieſtatis. Hîc tangit modum prædicationis, & hunc duplicem. Primò, quia terribiliter. Secundò, quia latè & diffusè, non aliquibus ſpecialiter. *Dominus ſuper aquas multas.* Ait ergo ſic: *Vox Domini ſuper aquas, Deus maieſtatis*, Dei ſcilicet filius, in maieſtate idem cum Patre, & gloria, *intonuit*, hoc eſt, terribiliter prædicauit per ipſum Iudæis. *Iob* 37. Tonabit Deus in voce ſua. Vel mirabiliter: & hoc de nube carnis. *Iſa.*19. Aſcendet Dominus ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum. Et poſtmodum per ſuos, ſcilicet per Apoſtolos, qui nubes erant. *Iſa.* 40. Qui ſunt iſti qui vt nubes volant? & de illorum quibuſdam *Marc.* 3. Et vocauit illos Boanerges, filios tonitrui. *Pſal.* Vox tonitrui tui in rota, in mundo ad ſimilitudinem rotæ facto. Et ſicut quando tonat cœlum, tunc aquæ mouentur, & piſces leuius capiuntur, ſic quando prædicatur terribiliter, tunc magis homines conuertuntur. *Abac.* Facies homines quaſi piſces maris. *Eccleſ.*43. Vox tonitrui tui verberauit terram. *Cum terrore prædicatio ſalutaris.*

Dominus ſuper aquas multas. Quaſi diceret: Sic prædicauit ſuper aquas terribiliter, non tantum in vna ciuitate, vel in vno loco ſpecialiter, ſed *Dominus* intonuit *ſuper aquas multas*, quia per totum mundum vniuerſaliter. *Pſal.* In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines. *Iob* 26. Tonitruum magnitudinis eius quis poterit intueri? *Apocal.*18. Audiui vocem aquarum multarum tanquam vocem tonitrui magni. Et ex hoc ergo timor Dominî. Decet enim, vt dicit Philoſophus, vt te timeant, quoniam tartara ſunt.

Vox Domini in virtute. Hîc eſt ſecundum, in quo oſtenſo à quo, & quibus eſt prædicatum, ſubiungitur hic de effectu conſequuto ex prædicatione illa, & tangitur duplex. Primò: quia fecit gratioſos. Secundò: quia glorioſos. Gratioſos per virtutes, glorioſos per miraculorum operationes. Ait ergo: Sic intonuit Dominus per ſe & per ſuos ſuper minores. *Et vox Domini* facta eſt *in virtute*, id eſt, virtutem auditoribus contulit, ſcilicet pietatem, qua colebant Deum & miſericordes erant ad proximum. 1.ad *Tim.*4. Exerce teipſum ad pietatem: pietas enim ad omnia valet, promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ. In virtute etiam erant, non tantum hoc modo, ſed etiam virtuoſos, fortes, & conſtantes reddebant, vt impleretur in eis illud 2. *Machab.* 8. His verbis conſtantes effecti ſunt, & pro legibus & patria mori parati. *Eccleſ.*8. Sermo illius pietate plenus eſt. 4.

Vox Domini in magnificentia. In magnorum efficientia, ſcilicet operum miraculoſorum, per quæ magnifici reddebantur. *Pſal.* Magnificentia eius & virtus eius in nubibus, & conuerſis factis prædicatoribus & doctoribus. Vnde in primitiua Eccleſia implebatur illud *Eccleſ.*45. Magnificauit eum in timore inimicorum, & in verbis ſuis monſtra placauit. Vel ſecundum Gloſſam in magnificentia fuit conferens ſcientiam,

tiam, quæ est donum consequens pietatem. Et dicitur rectè in magnificentia vox conferens tale donum: quia magnificos faciet in bono & in malo. In malo: quia 1.ad *Cor.*8. Scientia inflat. In bono etiam magnos facit secundum illud ad *Rom.*8. Quos iustificauit, per pietatem, hos & magnificauit, per scientiam conuersandi in medio praua & peruersæ nationis. Sicut enim magnæ stellæ & luminaria mũdum illuminantia, sic prædicatores conuersantes in mundo. ad *Phil.*2. Vt sitis simplices filij Dei sine querela, & sine reprehensione, in medio praua & peruersæ nationis, inter alios lucetis tanquam luminaria in mundo. Possunt etiam exponi hæc verba de S. Ioanne Baptista, sed de hoc alias dictum est.

5. *Prædicatio ad maiores.*

Vox Domini confringentis cedros. Hîc est secundum, in quo agitur de prædicatione comparatione ad maiores: & dicuntur duo secundum duplicem effectum quem habet in illis. Primus, conuersio & humiliatio ad fidem Christi. Secundus, Christi imitatio vsque ad mortis sustinentiam. *Et comminuet.* In prima duo. Primò tangitur conuersio maiorum de Gentibus. Secundò maiorum de Iudæis. *Et confringet Dominus.* Dicit ergo: Sic vox Domini potuit in aquis, in minoribus: & etiam vox Domini fuit *vox confringentis cedros*, Gentilium nobiles & magnos, sicut cedrus est arbor nobilis, & magna. *Isa.*40. Glorioſos terræ humiliabo. Et hoc est confringere. *Psal.* Confringam illos nec poterunt stare, &c. Et alibi apertius: Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges. Et intellige iræ suæ reges: cum enim magis furerent contra Christum, tunc sunt confracti: & hoc satis mirabile: cedrus enim est arbor valdè dura: & quod membrum mollius lingua? & tamen cedrum confregit. *Prouerb.*15. Responsio mollis frangit iram. & 25. Patientia lenietur princeps, & lingua mollis confringet duritiam.

Et confringet Dominus, voce prædicationis suæ *cedros libani*, altos & superbos Iudæos. Libanus enim est mons fertilissimus, & illa gens inter alias, bono omni & gloria abundabat, & viros habebat altissimos, de quibus in *Psal.* Et cedri Libani quas plantauit. Dominus has proprie confregit, & perfectius confringet in fine quando conuertentur omnes ad Christum, & humiliabuntur secundum prophetiam *Isa.*10. & *Paulum ad Rom.*11. *Sapien.*4. Confringentur rami inconsummati, Iudæi scilicet tenentes legem ad nullam ducentem perfectionem. Ad *Hebr.*7. Ad nihil perfectum adduxit lex. Quod si non confringuntur hîc in præsenti, per gratiam scilicet, confringentur tandem, sicut & omnes superbi in iudicio per potentiam. *Isa.*2. Dies Domini super omnes cedros Libani sublimes & erectas.

Superbus cedro collatus.

Et nota, quòd cedro comparatur superbus multiplici de causa. Primo ratione altitudinis: quia cedrus super omnes arbores se extollit. *Gregor. in libro Moral.*32. Cedrus cætera, in altum crescendo deserit, sic superbus omnes alios, quasi sub se respiciens contemnit. *Amos* 2. Altitudo cedrorum altitudo eius. *Psal.* Superbia eorum qui te oderunt, &. Secundò ratione fortitudinis, & duritiei. *Iob* 40. Stringit caudam suam sicut cedrus. Sic superbus nihil timet, omnia aggreditur. Superbus non pertimescet timorem Domini. Tertiò ratione pulchritudinis. Sic superbus si habet pulchritudinem, ostendit eam: si non, quærit per ornatum, & alia. *Ezech.*31. Ecce Assur quasi cedrus in Libano, pulcherrimus & frondibus nemorosus. Sic superbus omnia membra sua ornat, digitos anulis, capillos thiaris facientibus crispationes, pedes strictis calceis, totum corpus pretiosis vestibus. Nec nititur cum incedit, talo, sed pedum digitis. Et irridet talem *Seneca de beneficiis*, O superbia stultissimum malorum! Omnium beneficiorum bona in iniuram conuertis. Vt omnia te dedeceant, quò altius te subleuasti, eò depressior es. Quartò ratione multiplicationis. Est enim arbor ramosa. *Psal.* Sicut cedrus Libani multiplicabitur. Sic superbi multiplicant familiam, consanguineos, & parentes. *Ezech.*31. Eleuata est altitudo eius super omnia ligna regionis, & multiplicata sunt arbusta eius, & eleuati sunt rami eius, consanguinei eius in superbiam. Quippe *Eccles.*13. Qui communicat superbo, induet superbiam. Quintò ratione durationis. Isidor. Cedrus diu durat. Sic superbia est vitium valde durans. *Iob.*15. Cunctis diebus suis impius superbit. *August. super Psal.* Superbia vltimum peccatum redeuntibus, & primum à Deo recedentibus. Sextò ratione infructuositatis. *Cassiod.* Hæc in radice sua manens infructuosa, succisa tamen vtilis est ad tigna domorum facienda. *Cant.*2. Tigna domorum nostrarum cedrina. Et ad machinas faciendas. Sic superbus si ceciderit, gladio verbi Dei succisus, & humiliatus, multum valet ad sustentationem Ecclesiæ, & machinas contra diabolum faciendas. *Deut.*20. Si qua autem ligna non sunt fructuosa, succide ea, & extrue ex eis machinas ad expugnandam ciuitatem donec succendas eam.

6. *Christi prædicatio humiliat superbos.*

Et comminuet eos. Hîc est secundum, in quo tangitur illorum humiliatio ad Christi imitationem in morte & passione: & dicuntur duo. Primò ipsorum passio. Secundò assimilatio illorum in ipsa passione Christo. *Et dilectus.* Dicit ergo: Sic constringet humiliando: nec hoc tantum, imò *& comminuet eos* sic confractos *tanquam vitulum Libani*, qui comminuitur in sacrificio, secundum illud *Leuit.*1. Detractaque pelle hostiæ, artus in frusta concident. Libanus enim est mons pascualis, ferax herbarum & ferarum & irriguus fontibus & riuis, vbi nutriebantur vituli sacrificandi. Dominus enim confregit cedrum, & taurum facit, & de tauro postea facit vitulum. *Luc.*1. Non erit impossibile apud Deum omne verbum. Et *Matth.*22. Tauri mei occisi sunt, & altilia paraui, venite ad nuptias.

Et dilectus. Hîc secundum. Quasi diceret: Sic comminuet eos: & hoc erit quemadmodum *filius vnicornium*, Iudæorum scilicet, *dilectus* à Deo Patre. Ac si dixisset: Ita comminuet eos, sicut Christus homo comminutus est, qui *filius vnicornium* est, scilicet Iudæorum, *& dilectus*, à Deo Patre apparet. *Matth.*3. & 17. Hic est filius meus dilectus. Et ab Angelis. 1. *Pet.*1. In quem desiderant Angeli prospicere. Et ab homi-

nibus. *Agg.* 2. Adhuc modicum, & mouebo cœlum & terram, & veniet desideratus gentibus cunctis. *Cant.* 2. Dilectus meus mihi, & ego illi.

Iudæi vnicornes, quia vnum tantũ Testamentũ recipiunt.

Et filius vnicornium. Primò: quia Iudæorum filius secundum carnem, qui dicuntur vnicornes, quoniam tantum vnum cornu, vnum scilicet Testamentum habent, & inde superbientes. Ad *Rom.* 2. Tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in illa. Item vnicornis superbissimum animal, & humano seruitio inapplicabile. *Iob* 39. Nunquid volet Rhinoceros seruire tibi? Sic Iudæi, Nos nemini seruiuimus vnquam. Item dicitur Christus vnicornis propter modum incarnationis. Dicit enim *Isidor. lib.* 12. *cap.* 3. quòd virgo vnicorni præparatur, quæ venienti sinum aperit, in quo ille omni feritate deposita caput deponit, sicque soporatus, inermis capitur. Sic Maria Virgine sinum extendente, filius Dei in eius vterum descendit, & ligatus fasciis & panniculis factusque domesticus, ad præsepe positus fuit. Quod admirabatur *Iob* 39. Nunquid volet Rhinoceros seruire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum? Nunquid alligabis eum loro tuo?

Et nota, quòd iustus quilibet potest dici vnicornis. Homo enim in paradiso habebat duplex cornu, sanitatem scilicet corporis qua poterat expellere omnem pœnam, & sanitatem mentis vel salutem qua ventilare poterat omnem culpam. Sed inito certamine cum diabolo confractum est vtrumque cornu. Sed Christo veniente alterum est reparatum, scilicet salus mentis. *Luc.* 1. Et erexit cornu salutis nobis. Hoc ergo reparato diabolum ventilamus. *Psal.* In te inimicos nostros ventilabimus cornu. Sed aliud vsque in futurum non reparabitur. Iustorum vnicornium filius est Christus. *Matth.* 12. Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, hic mihi soror, & frater, & mater est. Et ostenditur in hoc collatio spiritus fortitudinis in Martyribus: summa enim fuit fortitudo. Ad *Hebr.* 11. Fortes facti, &c.

7. *Vox Domini intercidentis.* Hîc est tertium in quo agitur de prædicationis effectu, quantum ad aduersarios, & ardentes igne iracundiæ contra fidem Christi: & dicuntur duo secundum effectum duplicem. Primò iracundiæ illorum mitigatio. Secundò ad fidem & eius vnitatem promotio, ibi, *Vox Domini concutientis.* Dicit ergo: Sic potuit vox in minoribus & in maioribus, & etiam vox Domini est *vox intercidentis*, id est, mitigantis & reprimentis, *flammam ignis*, iracundiæ & furoris. Si enim ira ignis non esset, Iacob ad Laban non dixisset *Genes.* 31. Quam ob causam, & ob quod peccatum meum sic exarsisti in me? Et *Eccles iast.* 8. Ne incendas carbones peccatorum arguens eos. *Prou.* 26. Sicut carbones ad prunas, & lingua ad ignem, sic homo iracundus fuscitat rixas. Ignis etiam flamma, fomes & carnalis concupiscentia denotatur. *Eccles.* 9. Concupiscentia quasi ignis exardescet. Iste enim ignis se exerit in flammam, quando venit vsque ad consensum, sed adhuc modicam, sed longè maiorem quando crescit in actum. *Prouerb.* 6. Nunquid homo potest abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta eius non ardeant? Quasi dicat: Non, per se, sed hoc potest adiutorio gratiæ, & diuinæ vocis virtute. *Eccles iast.* 18. Nonne ardorem refrigerat ros gratiæ? sic & verbum melius quam datum. Quasi dicat: Sic ad vtrumque.

Vox Domini concutientis desertum. Hîc est secundum, scilicet promotio illorum ad fidei vnitatem, primò Gentilium. Secundò Iudæorum. *Et commouebit.* Dicit ergo: Sic vox flammam intercidit, & etiam vox Domini *est vox concutientis*, ad fidem scilicet promouentis, *desertum*, plebes Gentilium. Ad *Rom.* 10. Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Et dicuntur desertum Gentiles: quia à Deo deserti, & sine lege erant & Prophetis. Ad *Ephes.* 2. Promissionis spiritum non habentes, sine Deo in hoc mundo. Sed isti sunt applicati fidei. *Zachar.* 2. Applicabuntur eis Gentes multæ. 8.

Et commouebit Dominus desertum Cades, id est, Iudæos. *Cades* enim interpretatur *sanctum legis.* Sanctum enim legis, intelligentia est spiritualis. Ab hac enim erant deserti. 2. ad *Corinth* 4. Obtusi sunt sensus eorum vsque in hodiernum diem. Pessimum desertum, quod tam diligenter excultum nunquam potuit facere fructum. *Chrysostom. super Matth.* Verè desertum erat Iudæa vacua à iustitia, peccatis plena: quam Dominus plantauerat, lex irrigauerat, omnes Prophetæ excoluerant. Illa autem nihil produxit nisi spinas acerbissimas, quibus suum Dominum coronauit. *Cantic.* 3. Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua. Hoc desertum commouit. *Luc.* 22. Commouet vniuersum populum docens per vniuersam Iudæam incipiens à Galilæa vsque huc.

Triplex effectus verbi Dei.

Et nota, quòd triplex est effectus verbi Dei. Primò extinguit ardorem irascibilis. *Psal.* Cum exarserit in breui ira eius.: hanc extinguit diuini verbi sapientia. *Eccles.* 29. Si expueris super illam, extinguetur. Per sputum quod descendit à capite, diuina sapientia denotatur. Secundò accendit concupiscibilem. Igniculus enim diuini amoris, qui est in concupiscibili, si excitatus fuerit flatu diuini verbi, in flammam erumpit. *Psal.* Eloquium Domini inflammauit eum. De vtroque *Eccles.* 6. Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos. Tertiò illuminat rationabilem. Et hoc est quod subditur: *Et commouebit desertum Cades.* Sanctum enim legis commouetur per verbum Dei, quia intus latens extrà prorumpit, & manifestatur. *Psal.* Declaratio sermonum tuorum dat intellectum paruulis.

9. *Vox Domini præparantis ceruos.* Hîc quartum, in quo ostendit effectum diuini verbi respectu deuotorum, qui est duplex. Primus est bona vita. Secundus, secretorum notitia. *Et reuelabit.* Dicit ergo: Sic potuit in aduersarios, sed quid quantum ad deuotos? *Vox Domini præparantis ceruos*, id est, facientis præparationem vt homines sint boni & iusti, ad faciendum bona agiles & prompti. Iusti enim ceruis comparantur ratione multiplici. Primò: quia veloces sunt ad bonum, sicut ceruus velox est. *Aristot.* Natura dedit ceruis velocitatem. Et iusti currunt.

Iusti ceruis collati ex multiplici capite.

runt. 1. ad *Corinth.* 9. Ego autem curro, non quasi in incertum. In eodem, Sic currite vt comprehendatis. Et hoc facit verbum Dei. *Eccles. vlt.* Verba sapientum quasi stimuli. Item diu viuunt, sicut idem dicit. Et verbum Domini viuaces facit. *Ioan.* 8. Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Item ceruus est animal pauidum. Sic verbum Dei pauidum reddit. *Psal.* Et à verbis tuis formidauit cor meum. Et alibi, A voce tonitrui tui formidabunt. *Abac.* 3. Audiui, & conturbatus est venter meus, à voce contremuerunt labia mea. Item ceruus non habet fel. Sic nec iustus. Ad *Ephes.* 4. Omnis indignatio, & clamor, & ira tollatur à vobis. Item habet cor magnum. Sic iustus cor dilatatum charitate. 2. ad *Cor.* 6. Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij. Cor nostrum dilatatum est. Item est serpentibus inimicus. Sic iustus dæmonibus. 1. *Pet.* 5. Aduersarius vester diabolus, &c. Hæc omnia fecit diuini verbi prædicatio. *Sap.* 7. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.

Et reuelabit condensa. Ecce secundum. Quasi diceret: Sic ad iustitiam præparat, & etiam *reuelabit condensa* Scripturarum, illa manifestando factis paruulis & humiliatis. *Matth.* 11. Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Hanc quærebat Dauid: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. 2. ad *Corinth.* 3. Cum conuersus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.

Et in templo eius. Hîc est secundum totius huius partis, in qua monstrantur beneficia, & effectus prædicationem Christi consequens, scilicet gratiarum actio pro tot & tantis. Vnde ait: Tot & tanta faciet, & propter hoc *omnes dicent gloriam*, gratiarum scilicet actionem, *in templo eius*, in ipsa Ecclesia sic ædificata. Nec mirum. *Prou.* 22. Honorem acquirit qui dat munera. Et 19. Multi colunt personam potentis, & amici sunt dona tribuentis. *Psal.* Laus eius in Ecclesia Sanctorum. *Eccles.* 51. Danti mihi sapientiam, ex qua mihi tot bona, dabo gloriam.

10. *Dominus diluuium.* Hîc est tertia pars, in qua præmisso de beneficiis exhibitis Ecclesiæ ipsam instruendo, subiungitur status institutæ descriptio. Sed quia ex statu in quo est, sequitur remuneratio, duo dicuntur. Primò describit statum in quo est in hac vita. Secundò subiungit præmium dicens: *Benedicet.* In prima tria. Primò concussio ipsius in multiplici tribulatione. Secundò conseruatio eius à suo institutore. *Et sedebit.* Tertiò modus conseruandi monstratur in tanta tribulationum multiplicatione. *Dominus virtutem.* Dicit ergo: Sic instituta est à Domino per prædicationem Ecclesia: quo facto *Dominus facit*, ipsam, supple, *inhabitare diluuium* culparum, vt hinc in habitantibus culpis & iniquitatibus ipsa sit in medio. Magna enim inundatio culparum. *Osee* 4. Maledictum, & mendacium, homicidium, furtum, & adulterium inundauerunt. Verè maledictio inundauit, quia vix inuenitur, qui non sit excommunicatus, quia Prælati pro nihilo & indiscretè proferunt excommunicationes. *Isa.* 24. Transgressi sunt leges, & mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum, propterea maledictio vorabit terram. Inundat mendacium intantum, quod omnis homo mendax, imo cacumina cooperuit. *Ierem.* 3. Verè mendaces erant colles, & multitudo montium, id est, magistratuum. Et adulterium. *Ierem.* 9. Omnes adulteri sunt, & cœtus præuaricantium vsque ad montes altissimos. *Ierem.* 23. In prophetia Samariæ vidi simulationem & adulterium. Et iterum mendacium & furtum abundat. *Ioan.* 10. Quotquot venerunt, fures sunt & latrones, & vsque ad supremos. *Isa.* 1. Principes tui infidiles, socij furum. Et homicidium. *Ierem.* 9. Repleuerunt locum istum sanguine innocentum. *Ezech.* 9. Repleta est terra sanguinibus. *Michæ.* 7. Omnes in sanguine insidiantur. Et diluuium etiam pœnæ per quod purgatur ab isto. *Naum* 1. Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis, & consummationem faciet in diluuio prætereunte loci illius. Et postea effundit diluuium gratiæ, vt tota decoretur post purgationem. *Eccles.* 39. Benedictio Domini quasi fluuius inundauit. Quomodo cataclysmus aridam inebriauit.

Ecclesia militans inhabitat diluuium peccatorum, id est, habet Prælatos malos, vel est inter aduersa, & tamen virtute diuina seruatur.

Et sedebit. Ecce secundum. Quasi diceret: Sic facit permittendo, quòd habitet in diluuio peccatorum, & afflictionum, non tamen submergitur, quia *Dominus rex in æternum*, id est, æternus rex *sedebit*, in ea, regens ipsam sicut gubernator regit nauem. *Prouerb.* 1. Et sapiens gubernacula possidebit.

Dominus virtutem populo suo. Hîc tertium, in quo tangitur quomodo & per quem inter tot peccata & aduersa, eam seruat, quia per virtutem quam ei conferet. Ait enim, Sic diluuium faciet inhabitare, & sedens reget: & hoc quia *Dominus virtutem* resistendi vitiis & diluuio culpæ, substituendo diluuium pœnæ, *dabit populo suo*, qui vere est eius Ecclesia. *Isa.* 40. Qui dat lasso virtutem, & iis qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat. In *Psal.* Ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ, quibus ab his diluuiis & in his conseruetur, & saluetur. *Deuter.* 33. Quis similis tui Israël populo qui saluaris in Domino? 1. *Machab.* 3. De cœlo fortitudo est. 11.

Dominus benedicet. Hîc secundum. Postquam descripsit statum, subiungit præmium. Quasi diceret: Sic tribulationes sustinebit, inter vitia fluctuans, sed tandem *Dominus benedicet populo suo.* Supra in *Psal.* Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ. Hic est populus benedictus à Deo Patre. *Matth.* 25. Venite benedicti Patris mei. Et hæc benedictio erit *in pace*, id est, collatiua pacis æternæ, de qua ad *Ephes.* 2. Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Et *Ioan.* 16. In mundo pressuram, in me autem pacem habebitis. Ad *Phil.* 4. Et pax Christi quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras. *Iob* 22. Acquiesce ergo ei, & habebis pacem, & per hanc habebis fructus optimos, ad quos nos perducat qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

IN XXIX. PSALMVM.

Psalmus Cantici in dedicatione domus Dauid. 1.

EXaltabo te Domine, quoniam suscepisti me. 2.

Hic est Psalmus vigesimus nonus, in quo postquam

poſtquam præmiſſa eſt Chriſti paſſio ad imitationem, & oſtenſus eſt paſſionis fructus, vt libentius imitetur, ſcilicet Eccleſiæ conſummatio in præſenti per prædicationem Chriſti & ſuorum, agitur conſequenter de dedicatione conſummatæ: quæ, inquam, dedicatio fiet in futuro. Sicut enim domus prius eſt in fieri, & tunc habitatorem non habet in ſe plenè quieſcentem, ſed cum facta, tunc plenè conuertitur in vſum habitandi, & ab aliis vſibus ſeparatur: ſic Eccleſia, quæ hic in præſenti eſt in actu ædificandi: ad *Eph.*2. In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu ſancto, hoc eſt, per dona Spiritus ſancti, ſicut in præcedenti Pſalmo declaratum eſt, in futuro dedicabitur Deo, quando in ipſa decorata requieſcet, vt rex & Dominus, qui nunc vt artifex eſt in ipſa. *Iſa.*18. Ego quieſcam & conſiderabo in loco meo.

Argumentũ Pſalmi, dedicatio Eccleſiæ perfectæ.

De hac ergo dedicatione, & quantum ad caput, in quo iam completa eſt, & quantum ad corpus in quo ſperatur complenda, hîc agitur, vt ſic magis inflammetur quilibet ad Dei laudem, & paſſionis imitationem voluntariam. Et hoc eſt quod apertè oſtenditur in titulo Pſalmi qui talis eſt: *Pſalmus Cantici*, id eſt, Pſalmus ſequens Canticum, ſicut expoſitum fuit ſuprà in titulo Pſalmi quarti, editus & dicendus, *pro dedicatione domus Dauid*, id eſt, Eccleſiæ quæ domus eſt veri Dauid. Nullam enim domum legimus materialem Dauid vel fabricaſſe, vel Deo dedicaſſe, ſed magis ad hoc cohibitum. 2. *Reg.* 7. & 1. *Paral.* 17. Non poteris ædificare domum nomini meo, quoniam vir ſanguinum es.

Diuiditur autẽ Pſalmus in tres partes. Primò laudat Deum, & alios inuitat ad laudem pro ſua reſurrectione propria, & futura Eccleſiæ. Secundò monſtrat quomodo illam inuenerit ibi, *Ego autem dixi in abundantia.* Tertiò promittit laudis huius perſeuerantiam in fine. *Domine Deus.* In prima duo. Primò laudatio. Secundò alios ad laudandum inuitat, ibi, *Pſallite Domino ſancti eius.* In prima duo. Primò laudatio. Secundò ratio laudis. *Quoniam ſuſcepiſti me.*

Dicit ergo: *Exaltabo te Domine*, id eſt, in tui exaltatione, & laude continuus ero. Sed tunc quæruntur duo. Primò ſi poteſt exaltari, & quomodo exaltari poſſit? Contra enim vtrumque videtur eſſe illud quod dicitur in Pſalmo alibi, Tu autem altiſſimus in æternum Domine. *Iob* 11. Excelſior cœlo eſt, & quid facies? quomodo poteris exaltare eum? Et eſt reſponſio. Exaltabo, quantumcunque altus ſit, laudando: ſic enim poteſt. *Eccleſ.*43. Benedicentes Dominum exaltate eum, quantum poteſtis: maior enim eſt omni laude. Et hoc modico membrorum, ſcilicet lingua. *Iacob.*3. Lingua eſt modicum membrum, & magna exaltat. Nec hoc modo tantum, ſed etiam prædicando. *Eccleſ.*11. Sapientia humiliata exaltabit caput illius, id eſt, Chriſtum. Item corde exaltabo te, meditando de te, & in te *Pſal.* Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Et manu bona faciendo. *Tob.*12. Exaltate regem cœlorum in operibus veſtris.

Quoniam ſuſcepiſti me. Hîc tangit cauſas exaltationis: & dicuntur duo. Primò tangit per eum beneficium exhibitum toti ſimpliciter. Secundò ſuis partibus ſpecialiter, ibi, *Domine Deus meus.* In prima duo ſecundum duo beneficia. Primò ſuſceptio contra crudelem inimicorum impugnationem. Secundò inimicorum confuſio contra malignam exultationem. *Nec delectaſti.* Dicit ergo: Sic exaltabo ore, lingua, & manu. Et hoc iuſtum, *quoniam ſuſcepiſti me*, ſicut benignus, & dulcis in familiarem amicum, vt nihil timerem inimicum crudelem. *Pſal.* Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis, tanquam familiaribus & amicis ſicut mihi. *Ioan.*15. Vos enim dixi amicos, quia omnia quæcumque didici à Patre meo, nota feci vobis. Sicut aduocatus in tuum patrocinium. *Ioan.*1. Aduocatum habemus apud Patrem, IESVM iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Vt ſapiens medicus ad curandum: vnde quærentibus quare communicares cum peccatoribus, reſpondiſti: Non eſt opus ſanis medicus, ſed male habentibus *Matth.*9. Vt Deus in holocauſtum ſuauiſſimum, & ſacrificium, ſicut ſuperius admonitus ſum: Afferte Domino filios arietum. Et ad *Rom.*12. Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra, id eſt vos, non enim intelligit de corporibus mortuis, hoſtiam viuam, ſanctam, Deo placentem. Si loquitur Chriſtus, ecce caput, ſecundum Gloſſam, *Quoniam ſuſcepiſti me*, de ſepulchro ſurſum accepiſti me. *Pſal.* Impulſus euerſus ſuum vt caderem, & Dominus ſuſcepit me.

Nec delectaſti. Alia litera: Nec iocundaſti, *inimicos meos ſuper me*, id eſt, non de me eis cauſam delectationis, id eſt, iocunditatis tribuiſti: imò magis eos in me confudiſti. Et eſt ſecundum, ſcilicet confuſio ipſorum. Non iocundaſti ergo vel delectaſti *inimicos meos*, carnem quæ in deliciis, mundum qui in diuitiis, diabolum qui in ſuperbiis delectantur: *ſuper me*, quamuis aliquando fuerint lætati. *Thren.*1. Omnes inimici mei audierunt malum, & lætati ſunt: ſed modo bonum, & ſunt confuſi. *Mich.*7. Ne læteris inimica mea quia cecidi: conſurgam, & tu confunderis. *Prouer.*24. Si ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas. Et alibi 17. Qui ad ruinam lætatur alterius, non erit impunitus. Sic Iudæi prius lætantes de morte Chriſti, poſtea ſunt confuſi. *Iob.*20. Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti. Et de ipſis *Matth.*23. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ. Qui enim credebant ſe ſuper me eſſe, facti ſunt ſubtus me.

Domine Deus meus. Hîc ſecundum, in quo ſubiungit beneficia collata partibus ſpecialiter & diſtinctè. Et primò beneficia corporis. Secundò animæ. *Domine eduxiſti.* In prima duo. Primò tangit meritum ad hoc beneficium. Secundò ipſum beneficium. *Et ſanaſti.* Dicit ergo: *Domine Deus meus. Domine refertur* ad poteſtatem, *Deus* ad ſapientiam, ſed *Mens* ad charitatem. *Ad te clamaui*, orans corde & ore, pro ſalute corporis ſicut clamabat leproſus *Matth.*8. Et adorabat eum dicens Domine ſi vis, potes me mundare. Et decem Leproſi *Luc.* 17. qui ſteterunt à longè & eleuauerunt vocem dicentes: IESV præceptor miſerere nobis. 3.

bis. Et cæcus ingrediente Domino Iericho *Luc.*18. clamauit dicens: IESV, fili Dauid miſerere mei. *Et ſaluaſti me. Matth.*21. Acceſſerunt ad eum cæci & claudi in templo, & ſanauit eos. Benignus medicus, qui nullum quærit ſalarium vt ſanet, niſi orationem. *Iacob.*5. Oratio fidei ſanabit infirmum: & ſi in peccatis eſt, dimittentur ei. *Iſa.*38. Ezechias moriturus clamauit ad Dominum, & ſanatus eſt. *Eccleſ.*38. Fili in infirmitate ne deſpicias teipſum, ſed ora Dominum & curabit te, ſicut *Ier.*17. Sana me Domine,& ſanabor. Sed multò magis confugiunt ad literales medicos, & in illis magis confidunt, nihil proficientes, ſicut Aſa Rex *Ierem.*46.Fruſtra multiplicaſti medicamina, ſanitas non erit tibi.De Chriſto planum eſt quod orauit pro clarificatione corporis proprij. *Ioan.*17. Et ſanatus eſt accepta immortalitate.

4. *Domine eduxiſti.* Hîc eſt ſecundum, in quo tangit beneficia ex parte animæ: & tanguntur duo. Primò liberatio animæ à loco pœnali inferno. Secundò à malorum conſortio. *Saluaſti me.* Dicit ergo:Sic ſanaſti quantum ad corpus, & ô *Domine eduxiſti animam meam*,ab inferno, conſeruans me,& mihi cauens ne deſcenderem in illum: vnde litera *Hieronymi:* Viſitaſti me, ne deſcenderem in lacum. Et dicit hoc iuſtus in certa ſpe euadendi: *Saluaſti me à deſcendentibus in lacum*, ne tenerem illorum conſortium: & lacum in triplicem quem tangit in Gloſſa. Gehennæ, de quo *Iſa.*38. Non expectabunt qui deſcendunt in lacum veritatem tuam. Culpæ in qua fui vel eſſe potui,dicit iuſtus,de quo *Thren.*3. Lapſa eſt in lacum vita mea.Et de quo non exire poteſt aliquis,niſi funibus,& panniculis, ſicut *Ierem.* in 28. cap. hoc eſt, niſi in vinculis obedientiæ, & vilitate paupertatis. Tenebroſæ ignorantiæ, in quem ſe immergunt multi exigentibus culpis propriis, de quo in *Pſal.* Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit. Et *Iſa.*22. Lacum feciſti inter duos muros, inter duo teſtamenta. Ab vtroque enim declinat, & vtrumque relinquit tenebroſa ignorantia. Ab his ergo qui deſcendunt in hos lacus ſaluaſti me. Quod veriſſime potuit dicere homo Chriſtus, addens de quarto,ſcilicet de limbo, de quo cum ſuis quos eduxit ſaluatus eſt. *Zachar.*9. Tu vero in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos de lacu,in quo non erat aqua.

Lacus triplex.

Nota remedium contra peccatum.

5. *Pſallite Domino.* Hîc ſecundum, in quo ad laudandum alios inuitat: & dicuntur duo. Primò inuitat ad laudem. Secundò ſubiungit laudis rationem, vel laudandi, ibi, *Quoniam ira in indignatione eius.* In prima duo. Primò monet laudare opere.Secundò ore. *Et confitemini.*Dicit ergo: Hæc beneficia mihi iam fecit Dominus, quæ reputo tanquam facta. Ergo ô vos alij *pſallite Domino*, bona faciendo, quod eſt verè pſallere: bona enim opera laus Dei dicuntur: quia in ipſis, & propter ipſa Deus laudatur à videntibus, & glorificatur. *Matth.*5. Videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Vos ſcilicet *ſancti eius. Apocalypſ.*9. Laudem dicite Deo noſtro omnes ſancti eius, non alij, quia *Eccleſ.*15. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Et in *Pſal.* Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iuſtitias meas, &c. Et alibi, Rectos decet collaudatio.

Et confitemini ore, *memoriæ ſanctitatis eius*,id eſt, confeſſione laudis recognoſcite, quia ſua ſola ſanctitate, memor fuit & noſtri, & mei. Vel ſic: *Confitemini memoriæ ſanctitatis eius*, id eſt, memoriali ſanctitatis eius, id eſt, paſſioni. Sanctificari enim dicebatur antiquitus illud quod offerebatur.*Leuit.*27.Quicquid decimum venerit, Deo ſanctificabitur, id eſt, offeretur. Chriſti ergo oblatio fuit eius ſanctificatio. *Ioan.*17. Ego pro eis ſanctifico meipſum, id eſt, offero. Item ſanctificatio eſt in ſanguine tinctio. Dicit enim *Iſidorus*, quòd ſanctus dicitur quaſi ſanguine tinctus. Et ſic fuit Chriſtus in cruce. *Iſa.*63. Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum? Vel ſic:*Confitemini memoriæ ſanctitatis eius*, id eſt,memoriali vobis relicto ſanctitatis eius oſtenſiuo,& ſanctitatis effectiuo in vobis, ſcilicet pretioſo corpori nobis in altari relicto in memoriam ſui.*Luc.*22. Hoc facite in meam commemorationem. Dulce memoriale, & cui totis viſceribus confitendum. *Oſeæ vlt.* Memoriale eius ſicut vinum Libani. *Iſa.*26. Memoriale tuum in deſiderio animæ.

Pſallite ergo *ſancti*, contra pigros, qui nihil boni poſſunt facere. *Matth.*23. Digito autem ſuo nolunt ea mouere. *Confitemini memoriæ ſanctitatis eius*, contra ingratos, qui tot & tam inculcata Dei beneficia nolunt ad memoriam reducere cum tamen ſint dulce ſanctitatis Dei memoriale. *Auguſt. in libro de ſpiritu & anima:* Quando errabam, reduxit me: quando ignorabam, inſtruxit me: quando peccabam, corripuit me: quando conſtritabar, conſolatus eſt me:quando deſperabam,confortauit me:quando decidi, erexit me: quando ſteti, tenuit me: quando iui, duxit me. Hæc & multa alia mihi fecit Deus meus, de quibus dulce erat mihi ſemper loqui, ſemper cogitare.

6. *Quoniam ira in indignatione eius.* Hîc ſecundum, ſcilicet ratio, quare debent ſancti pſallere, & confiteri: & tanguntur duæ. Vna propter perfectionem virtutis. Alia propter perfectionem operis. *Ad veſperum demorabitur.* In prima duo ſecundum duplicis virtutis perfectionem, quam oſtendit in illo. Primò virtutis iuſtitiæ. Secundò miſericordiæ. *Et vita.* Dicit ergo: Sic pſallite & confitemini. Et hoc iuſtum, *quoniam ira*, effectus iræ, ſcilicet vindicta, *in indignatione eius* eſt concepta, hoc eſt, ſi aliquis contemnat ipſum iubentem aliquid, iuſtitiam habet in ſe, quæ veraciter iudicat dum cenſet. *Prouerb.*16.Indignatio Regis, nuntij mortis:& vir ſapiens placabit eam.Nonne dictum eſt parenti primo: Quacumque die comederis ex eo, contemnendo indignationem meam contra te,morte morieris?*Gen.*3. Sicut & factum eſt. *Sapient.*1. Iniuſtitia eſt mortis acquiſitio. Quare eſt diuinæ iuſſionis tranſgreſſio.

Et vita in voluntate eius, id eſt, vitam habemus in eius benignitate. *Ezechiel.*16. Et dixi tibi cum eſſes in ſanguine tuo: Viue. Et in 18. Nolo mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & viuat. Et vere *vita in voluntate eius*: quicquid enim potuit facere vt vitam

haberemus,

haberemus, fecit. Primò vitam docuit prædicando. *Ioan.6.* Verba quæ ego loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt, id eſt, ſpiritualis vitæ oſtenſiua. Secundò præbuit ipſam, ſe nobis in ſacramento dando. *Ioan. 6.* Qui manducat me, ipſe viuet propter me. Tertiò contraria vitæ expulit & deduxit, ſcilicet mortem. *Eccleſ.31.* Quid defraudat vitam? Mors. Et *Oſeæ 13.* dicitur: Ero mors tua ô mors. Et ibidem: De manu mortis liberabit eos. Quartò, quia vitam perditam reſtaurauit. Ad *Epheſ.2.* Cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Chriſtus. Sed quam vitam reſtituit nobis? Vult & voluit quantum eſt in ſe, triplicem. Naturæ: de illa enim intelligitur illud *Ezechiel.18.* Nolo mortem peccatoris. Et gratiæ duplicem, & actiuam & contemplatiuam. Et hoc eſt quod dicitur *Michæ.6.* Indicabo tibi ô homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te. Vtique facere iudicium & iuſtitiam, quantum ad actiuam, & ſollicitum ambulare coram Deo tuo, quantum ad contemplatiuam. Et gloriæ. 1. ad *Tim.2.* Qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem ſui nominis venire.

Quomodo & quam vitam dat nobis Chriſtus.

Ad veſperum demorabitur fletus. Hîc oſtenditur perfectio operis. Et primò operis prouenientis ex virtute iuſtitiæ. Secundò ex virtute miſericordiæ. *Et ad matutinum.* Dicit ergo: Sic quia perfectus in virtute laudetur, & quia perfectus in opere iuſtitiæ. *Ad veſperum* enim culpæ ipſius Adæ, quæ in eo fecit occaſum veri ſolis, *demorabitur fletus.* Effectum ponit pro cauſa, id eſt, miſeria & pœna inflicta, ex quo fletus in toto genere humano: Adam enim caſum fecit, & Dominus occaſum. *Auguſt.* Niſi feceris caſum, non faciet tibi occaſum. Hinc dicitur *Geneſ. 3.* Cum audiſſent vocem Domini deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem: quia ante luxerat dies. *Iſa.59.* Iniquitates noſtræ diuiſerunt inter nos & Deum noſtrum. Omnem hominem excæcat, omnium facit veſperum culpa. *Pſal.* Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem. Et in tali occaſu miſeria, & intantum prolongata, vt à primo homine extendatur vſque ad nouiſſimum. *Eccleſ.40.* Occupatio magna creata eſt hominibus, & iugum graue ſuper filios Adam à die exitus matris eorum vſque in diem ſepulturæ illorum in matrem omnium. Et veſperum quilibet ſibi facit in peccando, miſerum enim eum facit, & præbet cauſam fletus. *Prou.* 14. Miſeros facit populos peccatum.

Et ad matutinum lætitia. Ecce opus miſericordiæ. Quaſi diceret: Sic *demorabitur fletus* ex iuſtitia, *Et ad matutinum* reſurrectionis generalis *lætitia*, ex miſericordia Dei perfecta *demorabitur* in iuſtis. Hoc matutinum de quo in *Pſal.* Mane aſtabo tibi, & videbo. Et veſperum quod ſibi quiſque facit per peccatum proprium, in quo demorabitur fletus. Veniente matutino gratia Dei, ſuccedit lætitia. Hoc manè de quo 2. *Pet.1.* Donec illuceſcat dies, & Lucifer oriatur in cordibus veſtris. Veniens enim gratia quaſi modicam lucem præbet, ſed poſt creſcit vſque ad perfectum diem.

Legitur & de reſurrectione Chriſti & morte, & poteſt eſſe thema in vigilia Paſchæ. *Ad veſperum* enim, id eſt, mortuo Chriſto & ſepulto, demoratus eſt fletus. Et dicitur bene veſperum tempus illud, non tantum propter hoc quia ad literam veſpere erat, ſed quia ſicut dicit *Iſidorus*, nox eſt ſol ſub terris, ſicut dies ſol ſuper terram: ſed tunc ſol verus ſub terra erat, corpus in ſepulchro, anima in limbo. Item in veſpere debilitantur flores, & marceſcunt. Sic flos ille pulcherrimus, ſcilicet Maria emarcuit mortuo filio, ſcilicet occidente. *Cant.2.* Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. *Iob 30.* Nunc in memetipſo marceſcet anima mea. *Cant.1.* Nolite me conſiderare, quòd fuſca ſim, quia decolorauit me ſol. Item nox dicitur, quia nocet oculis, ſicut *Iſidor.* dicit. Et illud tempus valdè oculis Mariæ, & Apoſtolorum nocuit propter fletum & abundantiam lachrymarum. Fletus enim dicitur quaſi lachrymarum fluitus, ſicut flens quaſi lachrymis fluens. *Thren. 1.* Defecerunt præ lachrymis oculi mei. Poterant dicere Maria & Apoſtoli, ſed multò plus illa. *Ierem.6.* Planctum vnigeniti fac tibi luctum amarum: vt poſſet ei dici illud *Cant.7.* Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon. Ideò eſt in cogitatione mœroris. Vltimò quia, ſicut dicit quidam, nocte corpora madefiunt & laxantur, ſic Chriſti corpus laxatum eſt & madefactum eſt totum ſanguine proprio. Et ad matutinum reſurrectionis lætitia mira ſequuta eſt, quando turſus oriens ſol ſe oſtendit. De illis *Luc. vlt.* Oſtendit illis manus & pedes, adhuc illis non credentibus & mirantibus præ gaudio. *Ioan.20.* Gauiſi ſunt diſcipuli viſo Domino.

Dolor Virginis ob mortem Filij.

Ego autem dixi in abundantia. Hîc eſt ſecunda pars Pſalmi, ſicut ſuperius dictum eſt, in qua oſtendit qualiter ſuam dedicationem meruerit: & dicuntur tria ſecundum triplex meritum quod tangit. Primò cogitationis. Secundò operis, ibi, *Auertiſti.* Tertiò locutionis, ibi, *Ad te Domine clamabo.* In prima duo. Primò quia in Deo ſperauit confidenter. Secundò quia de ſeipſo ſenſit humiliter. *Domine in voluntate tua.* Dicit ergo: Si ex primo homine fletus & miſeria duratura vſque ad matutinum. *Ego autem dixi*, interius in corde meo, *in abundantia mea* exiſtens, quæ magna erat, quia in me diuinitatis plenitudo habitat. Ad *Coloſſ.2.* In quo inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter. Vel in abundantia omnium donorum ſpiritualium, quæ in me erant abundantiſſimè. *Iſa. 11.* Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, &c. Chriſtus enim abundauit in bonis ſpiritualibus, deficiens in corporalibus & pauper. 2. ad *Corinth.8.* Scitis gratiam Domini noſtri IESV CHRISTI, quoniam cum diues eſſet, &c. *Pſal.* Simul in vnum diues & pauper. *Prou.13.* Et eſt quaſi pauper cum in multis diuitiis ſit. 7.

Dixi, inquam, Non *mouebor*, non ſeparabor *à Deo* in æternum, ſicut Adam qui tentatus, à Deo ſtatim ſe ſeparauit. Sed Chriſtus tentatus à diabolo. *Matth.* & *Luc.4.* non eſt auulſus. *Pſal.* Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei. Vel ſic vt loquatur corpus: *Ego autem dixi*, cogitans in corde meo, dum eſſem *in abundantia mea*, in paradiſo ſcilicet terreſtri, in quo bonis omnibus abundabam. *Ezechiel.28.* Tu ſignaculum ſimilitudinis, Dei, plenus ſapientia & decore,

in

in deliciis paradiſi fuiſti. Quid cogitaui? Quid dixi? *Non mouebor in æternum*, ab his deliciis. Verum dicit ſerpens: ſed magis augebor, & cumulabor vſque ad ſimilitudinem Altiſſimi. *Gen.3.* Eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum. Verè filij Adam adhuc multi diuites, qui ſunt in abundantia rerum temporalium. *Iob.12.* Abundant tabernacula prædonum. *Pſal.* Promptuaria eorum plena. Sicut illius diuitis de quo Dominus. *Luc.12.* Anima mea habes multa bona, &c. Et dicit in corde ſuo: *Non mouebor in æternum*, ab hac felicitate terrena. Sed *Luc.12.* dicitur, ſtulte hac nocte repetent animam tuam à te. *Iob.13.* Fugit velut vmbra à te, &c.

Triplex abũdantia, mala iniquitatis, in differens diuitiarũ, bona virtutũ.

Et nota, quòd eſt abundantia mala, iniquitatis. *Matth.24.* Abundabit iniquitas, & refrigeſcet charitas multorum. Indifferens, ſubſtantiæ temporalis. *Gen.27.* Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti vini & olei. Bonaiuſtitiæ. *Matth.5.* Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum. Et finalis perſeuerantiæ. *Iob.5.* Ingredieris in abundantia ſepulchrum. Et ſequetur tertia gloriæ. *Prouer.1.* Qui me audierit, perfruetur abundantia bonorum, malorum terrore ſublato. *Deut.33.* Nephtalim abundantia perfruetur.

8.

Hæc explicantur de Chriſto & Adamo.

Dommine in voluntate. Ecce ſecundum, in quo deſeruit humiliter. Ait enim: Sic diei in corde meo: *Non mouebor*, & hoc non meis attribuo meritis, imo Domine *decori meo*, qui culpa carui, propter quem decorem dictum eſt *Ier.50.* Peccauerunt Domino decori iuſtitiæ. Et 31. Benedicat tibi Dominus pulchritudo iuſtitiæ, ad differentiam decoris exterioris quo carui, quando ſputis Iudæorum & flagellis eorum circundatus ſum. Propter quod dictum eſt *Iſa.53.* Vidimus eum, & non erat ei ſpecies neque decor. Huic, inquam, decori *præſtitiſti virtutem*, ſtandi & permanendi ſemper tecum, & virtutem conſummatam, etſi non appareret. *Sapien.12.* Virtutem oſtendis tu, & qui non crederis in virtute conſummatus, &c. Et hoc non feciſti meritis vel votis meis, cum non eſſem, ſed *ex voluntate tua.*

Vel ſic *decori meo*, id eſt, ſanctitati meæ vitæ *præſtitiſti virtutem* miracula faciendi. Chriſtus enim non tantum ſanctus erat, ſed ſimul miracula faciebat. *Luc.6.* Virtus de illo exibat & ſanabat omnes. Et in 8. quando ad tactum fimbriæ hæmoroiſſa ſanata eſt, dixit: Quis me tetigit? ego ſenſi virtutem exiſſe de me. Vel ſic vt loquatur iuſtus vel Eccleſia pro ſtatu in quo fuit in Adam. Domine *decori meo*, innocentiæ ſecundum omnes, & gratiæ gratum facientis ſuperadditæ quantum ad multos, *præſtitiſti virtutem* dominandi omnibus creaturis. *Gen.7.* Creſcite & multiplicamini, &c. vel virtutem immortalitatis, qua poteram non mori ſi vellem: habet enim ſanctitas vitæ & innocentia quaſi naturaliter coniunctam ſibi fortitudinem. *Iob.17.* Et mundis manibus addet fortitudinem. *Prou. vlt.* Fortitudo & decor indumentum eius.

Sed male vſi ſunt jis bonis parentes primi, ſicut & adhuc multi quibus datus eſt decor corporis vel mentis, ſed deficit virtus, quia nimis ſuperbiunt, vel illam conuertunt in abuſum. *Ezech.16.* Habens fiduciam in pulchritudine tua fornicata es. Et 38. Eleuatum eſt cor tuum in decore tuo. *Prou. vlt.* Fallax gratia & vana eſt pulchritudo. Hoc eſt etiam contra hypocritas, qui decorem habent exterius, ſed interius ſunt vacui virtutibus. *Matth.6.* Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, ecce pulchritudo: intus autem ſunt lupi rapaces, ecce virtutis priuatio. Et 23. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui eſtis ſicut, &c.

Auertiſti faciem tuam. Hîc eſt ſecundum, in quo tangit meritum operis, ſcilicet ſuſtinentiam paſſionis. Et primò exterius in corpore. Secundò interius in ſenſualitate. *Et factus ſum.* Dicit ergo: Decori meo præſtitiſti virtutem, & hoc patet, quia *auertiſti faciem tuam à me*, me paſſionibus exponendo exterius in corpore. Bene autem dicitur auerſio faciei expoſitio ipſius paſſionibus, & infirmitatibus in humanitate, quia conuerſio faciei Dei dicitur virtutis collatiua. 2. *Paralipom.16.* Oculi Domini contemplantur vniuerſam terram, & præbent fortitudinem his qui perfecto corde credunt in eum.

Et factus ſum conturbatus, interius in ſenſualitate. *Matth.26.* Cœpit Iesvs pauere & tædere, ſine perturbatione rationis: ſecundum illam enim tranquillitas fuit in ipſo. De quo *Iſa.42.* Non erit triſtis nec turbulentus, ſed quando voluit ratio, turbata ſenſualitas fuit. *Ioan.11.* Iesvs autem turbauit ſemetipſum. Poſſunt etiam eſſe verba corporis. Quaſi diceret: Sic in tua fuit voluntate, præſtare decori meo virtutem, ſed auertiſti poſtea faciẽ tuam à me, expellendo me de loco deliciarum. *Iſa.59.* Peccata veſtra diuiſerũt inter vos & Deum veſtrum. Et iterum, Peccata noſtra abſconderunt faciem eius à nobis. *Abac.1.* Mundi ſunt oculi tui ne videant malum. *Et factus ſum conturbatus*, multitudine miſeriarum irruentium. *Ezech.7.* Conturbatio ſuper conturbationem veniet. Circundederunt me mala quorum non eſt numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ. Item facies Dei notitia. Dicit ergo: *Auertiſti faciem tuam à me* id, eſt, ab intellectu meo notitiam: *& factus ſum conturbatus*, in affectu. *Oſeæ.4.* Non eſt ſcientia Dei in terra. Ecce auerſio facis. Et ſequitur ſtatim: Maledictum, homicidium, furtum, adulterium, & mendatium inundauerunt. Ecce conturbatio. *Iſa.5.* Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam.

9.

Chriſtus pro ſua reſurrectione rogat.

Ad te Domine clamabo. Hîc eſt tertium, in quo ſubiungitur de merito in loquutione: & tangitur duplex meritum. Primò oratio. Secundò perſuaſio. *Quæ vtilitas.* In prima duo ſecundum duo quæ orabat Chriſtus. Primum pro immortalitate adipiſcenda. Secundum pro mortalitate tollenda. *Et ad Deum.* Dicit ergo: Sic me tribulationibus expoſuiſti. Et ego *ad te Domine clamabo*, intenſe clamabo pro gloria immortalitatis obtinenda: ad hoc enim eſt oratio ſecundum aliquos. *Ioan.17.* Pater venit hora, clarifica filium tuum. *Et ad Deum meum deprecabor*, pro mortalitate auferenda: deprecatio enim eſt pro malis amouendis.

Vel *ad te Domine* Pater *clamabo*, pro meipſo pendens in cruce. *Luc.*24. Pater in manus tua commendo ſpiritum meum. *Et ad Deum meum deprecabor*, pro amicis meis. In eodem: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Vel corpore ſic erectus à terra, & conturbatus miſeriis & culpis, ſed *ego ad te Domine clamabo*, vt faciem tuam conuertas: & clamabo, quia longe factus es. *Prouerb.*15. Longe eſt Dominus ab impiis. *Iſa.*38. Sicut pullus hirundinis, ſic clamabo, &c. *Et ad Deum meum deprecabor*, vt conturbationem amoueat. *Pſal.* Complaceat tibi Domine vt eruas me. *Iob* 9. Si habuero quippiam iuſtum, non reſpondebo, ſed meum iudicem deprecabor. Et in 5. Ego deprecabor Dominum, & ad Deum ponam eloquium meum.

10. *Quæ vtilitas in ſanguine meo.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur perſuaſio. Perſuadet autem à tribus. Primò à parte ſui, ne fiat caſſa & inutilis eius paſſio. Secundò ex parte Dei, ne ſit in aliquo diminuta eius veneratio, ibi, *Nunquid confitebitur.* Tertiò ex parte aliorum hominum, ne deſit illis inſtructio, ibi, *Aut annuntiabit veritatem tuam?* Dicit ergo: Sic rogo pro reſurrectione, & mortalitate penitus auferenda: quod debes mihi concedere: *quæ* enim *vtilitas in ſanguine meo*, id eſt, in mea paſſione, *dum deſcendo*, id eſt, ſi deſcendo in corruptionem incinerationis, ſecundum corporis proprij ſubſtantiam. Quaſi diceret: Nulla, dicit Gloſſa.

Sed contra: Nonne redemiſſet genus humanum ſi non reſurrexiſſet, ſed incineratus eſſet? Reſponſio. Si non reſurrexiſſet, non credidiſſent eum Apoſtoli, nec per conſequens paſſio, nec redemptio completa eſſet: non enim prodeſt mors Chriſti, niſi nunc credentibus. Propter hoc dicitur in *Pſal.* Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

Gradus ad corporis incinerationē. Et bene dicit, *deſcendo*, quia ſunt quaſi quidam gradus veniendi ad incinerationem. Primò ſeparatio animæ à carne. Secundò tabefactio ſeparatæ. Tertiò corruptio. Quartò incineratio. Si per hos gradus deſcendiſſet, multa vtilitas, quam in eius ſanguine habemus, amiſſa eſſet. Primò: quia per ſanguinem multi de limbo educti. *Zachar.* 9. Tu vero in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos de lacu in quo non erat aqua. Secundò: quia omnes per ipſum redempti. 1. *Petr.*1. Non enim corruptibilibus auro vel argento, &c. Tertiò: quia loti à ſordibus peccati. *Apocalypſ.*1. Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Quartò: quia iuſtificati in ſanguine eius, & ſic decorati, & depicti. Ad *Roman.* 5. Iuſtificati in ſanguine eius. Quintò: quia ſalubriter potati. *Ioan.* 6. Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, &c.

Fructus ex Chriſti ſanguine.

Eadē verba de Eccleſia exponuntur. Vel vt ſit vox corporis, *Quæ vtilitas in ſanguine meo dum deſcendo in corruptionem* mortis. 2. *Reg.* 14. Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertitur. *Iob* 23. Iſte moritur robuſtus, & ſanus, & iſte moritur in amaritudine animæ: & ſimul dormient, & vermes operient eos. Et competit nobilibus: *Quæ vtilitas in ſanguine meo*, in nobilitate generis mei, *dum deſcendo* in corruptionem culpæ? *Geneſ.* 16. Omnis caro corruperat viam ſuam. Quaſi dicat: Nulla erit. *Chryſoſt. ſuper Matth.* Quid prodeſt ei quem mores ſordidant, generatio clara? Nihil: imò obeſt, quia macula adueniens rei claræ magis apparet. 1. ad *Corinth.* 3. Itaque nemo glorietur in hominibus.

Item de nobilibus.

Nunquid confitebitur. Ecce ſecundum, ſcilicet diminutio laudis Dei. Quaſi diceret: Sic caſſa & inutilis erit paſſio mea, & *nunquid confitebitur tibi puluis*, te laudando. Puluis corpus manens impulueratum, etſi anima glorificata confiteatur. Quaſi diceret: Non, & ſic erit tua laus diminuta. *Eccleſ.* 17. A mortuo tanquam nihil perit confeſſio. Vel nunquid confitebitur tibi puluis, peccator manens puluis, quod quidem manebit ſi non reſurrexero. Quaſi diceret: Non, peccator enim manens peccator non confitebitur. *Iſa.* 38. Viuens viuens ipſe confitebitur tibi: viuens vita naturæ, & viuēs vita gratiæ. *Pſal.* Confitebimur tibi Deus ſpiritu, & viuentes vita naturæ, confitebimur corpore, & viuentes vita gratiæ.

Aut annuntiabit. Tertium eſt, in quo allegat defectum inſtructionis. Quaſi diceret: Sic non confitebitur tibi puluis peccator, ac ſi non reſurrexero, nunquid *annuntiabit* puluis *veritatem tuam*, vnus alij prædicando? Quaſi diceret: Non: ſed me reſurgente fiet per totum mundum prædicatio. *Matth. vlt.* Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ.

De Chriſto capite & genere humano exponuntur. Vel loquitur totum humanum genus, vel Chriſti corpus. Nunquid me ſic deiecto per peccatum tibi erit ab homine laudis confeſſio, & prædicatio laudis tuæ, niſi me liberaueris à peccato? Quaſi diceret: Non: quia *Eccleſ.*15. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Et de peccatore in *Pſal.* Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Vel paſſiuè accipiatur: *Confitebitur.* Quaſi diceret: Nunquid confitebitur tibi puluis? id eſt, nunquid peccatum modicum tibi in confeſſione reuelabitur? peccata enim parua puluis dicuntur. *Matth.* 10. Excutite puluerem de pedibus veſtris. Hoc tamen puluere diabolus ſe paſcit. *Iſa.*65. Puluis ſerpenti panis eius. Sed paulatim ſi non confiteatur, venitur ad magna. *Eccleſ.*19. Qui ſpernit modica, paulatim decidet. *Gregor.* Si parua curare negligimus, inuiſibiliter ſeducti audacter etiam maiora perpetramus.

11. *Audiuit Dominus.* Hîc tertia pars primæ partis huius Pſalmi, in qua oſtendit quomodo dedicationem ſuam adeptus ſit: & dicuntur duo. Primò oſtendit modum & ordinem adipiſcendi quod petierat. Secundò rationem & finem, ibi, *Vt cantet tibi.* In prima tria. Primò dicit Patrem audiſſe ſuam petitionem. Secundò petitioni aſſenſiſſe. *Et miſertus eſt.* Tertiò opere adimpleſſe quod petebat. *Et factus eſt Dominus.* Dicit ergo: Sic in corde & ore & opere merui dedicationem: & propter hoc audiuit Dominus, nullo inter me & ipſum exiſtente obſtaculo, ſicut in illis quibus dicitur *Thren.*3. Oppoſuiſti nubem ne tranſiret oratio. *Et miſertus eſt* mei, meæ aſſentiendo petitioni. *Eccleſ.*35. Deprecationem læſi exaudiet. Læſus autem

fuit

fuit in pedibus & in manibus & in latere, & in toto corpore. Nec mirum ſi miſertus, quia dilectus. *Matth.*3. Hic eſt filius meus dilectus, quo mihi bene complacui. Item quia crudeliter ſuper omnes afflictus. *Thren.*3. O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite, &c. Item quia innocentiſſimus. *Iſa.*53.1.*Pet.*3. Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Tempus & locus. *Eccleſ.*35. Specioſa miſericordia in die tribulationis, ſicut nubes pluuiæ roris in tempore ſiccitatis.

Et factus eſt Dominus adiutor. Hîc tertium, in quo oſtendit impleſſe quod petebat: & dicuntur tria. Primò, quòd corpus ſuum à putrefactione conſeruauit. Secundò, quòd animam beatificauit. *Conuertiſti planctum meum.* Tertiò, quòd corpus glorificauit, ibi, *Conſcidiſti ſaccum meum.*

Dicit ergo: Sic audiuit & motus fuit: & Dominus factus eſt adiutor meus, corpus ab incineratione conſeruando. *Eccleſ.vlt.* Adiutor & protector factus eſt mihi. *Iſa.*50. Dominus Deus auxiliator meus & ideò non ſum confuſus.

12. *Conuertiſti planctum meum*, quem habui in paſſione, *in gaudium mihi. Tob.*3. Poſt tempeſtatem tranquillum facit, & poſt lamentationem & fletum exultationem infundit. Vel planctum meum à meis habitum pro paſſione mea. *Luc.*23. Sequebatur eum multitudo mulierum lamentantium & plangentium. *In gaudium mihi*, audita reſurrectionis meæ veritate. *Ioan.*16. Triſtitia veſtra vertetur in gaudium. *Ioan.*29. Gauiſi ſunt diſcipuli viſo Domino.

Vel de corpore: *Planctum meum*, quo planxi pro peccatis, *conuertiſti in gaudium mihi*, conſolationis & ſpiritualis lætitiæ. *Eſther vlt.* Hanc diem pœnitentiæ conuertiſti in gaudium. Et rurſus, Luctus atque triſtitia in gaudium atque lætitiam conuerſa ſunt. *Iob* 5. Mœrentes erigit ſoſpitate.

Conſcidiſti ſaccum meum, id eſt, corpus meum conſcidi permiſiſti in paſſione: *& circundediſti me lætitia*, ipſo facto glorioſo in reſurrectione. *Eſther* 4. Scidit veſtimenta ſua Mardochæus, vt ſacco indueretur. 1. ad *Corinth.*15. Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Et nota, quòd ſaccus dicitur caro Chriſti. Primò: quia ſaccus competit ad induendum. *Iob* 10. Pelle & carnibus veſtiſti me. Item ad portandam pecuniam. *Prou.*7. Sacculum pecuniæ ſecum tulit. *Geneſ.*44. Contemplatus eſt pecuniam in ore ſacci. Et in carne Chriſti erat cœleſtis pecunia, ſcilicet anima Regis cœleſtis imagine inſignita. *Gen.*1. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Et etiam ad portandum frumentum. Sic eius caro plena cum frumento diuinitatis: vnde ipſe dicebat *Ioan.*12. Niſi granum frumenti, &c. Hoc eſt frumentum quo implebimur in patria. *Gen.*42. Imple ſaccos eorum frumento quantum poſſunt capere ad laborandum. Item *Caſſiodor.* Saccus eſt res textrina groſſiſſima, atque aſperrima, in humanos ſcilicet vſus laboréſque deputata. Sic Chriſti caro laboribus & anguſtiis fuit expoſita. *Iſa.*53. Vere

Cur caro Chriſti dicitur ſaccus.

languores noſtros ipſe tulit, & labores noſtros ipſe portauit. *Exod.*26. Tabernaculum operiebatur ſacco. Item ſaccus per vſum tranſit de groſſitie ad ſubtilitatem. Sic caro Chriſti per labores tranſiuit ad ſubtilitatem reſurrectionis glorioſæ. 1. ad *Cor.* 15. Seminatur corpus animale, ſurgit autem ſpirituale, ad laborandum. Vide ergo ſi diuinitas eſt frumentum, quòd hoc frumentum erat in cœleſti horreo apud Patrem. *Pſal.* Pulchritudo agri mecum eſt. Quid eſt agri pulchritudo, niſi frumentum? Deus ergo Pater mutuauit ſaccum à Virgine Maria, & impoſuit frumentum, & ſic aſino impoſuit, ad literam in ramis Palmarum. *Matth.*21. Et ſic portauerunt ad molendinum crucis, vbi fuit molitum & tritum. *Iſa.*53. Attritus eſt propter ſcelera noſtra. Et inde factus eſt panis delicatiſſimus, quem comedimus in die tertia, ſicut inuitat Apoſtolus. Itaque epulemur non in fermento veteri, nec in fermento malitiæ & nequitiæ.

13. *Vt cantet tibi gloria mea.* Hîc ſecundum, in quo tangitur, quo fine hæc bona recepit: & duplex finis tangitur. Primò gratiarum actio. Secundò in gratiarum actione & exultatione continuatio. *Et non compungar.* Ait ergo: Hæc bona mihi tribuiſti, & adhuc *vt gloria mea*, glorificatio plena & in corpore & in anima, *cantet tibi*, id eſt, cauſam tibi cantandi & laudandi præſtet membris meis, quæ non poſſunt non laudare te pro glorificato capite. 1. ad *Corinth.* 12. Vnde caput gloriatur, & cætera membra gloriantur. Et ita laudet, *vt non compungar* de cætero à Iudæis, nec ab aliis crucifixoribus, ſed permaneam glorioſus. Ad *Rom.*6. Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, &c. vel poteſt eſſe vox beatorum gaudentium & dicentium: *Conſcidiſti ſaccum meum*, corpus ſcilicet, *& circundediſti me lætitia*, animæ ſtola glorioſa in terra, *vt cantet tibi gloria mea*, hoc eſt, materiam cantandi & exultandi in te præſtet. *Et non compungar* amplius conſcientia peccati, de qua compunctione in *Pſal.* Quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini. Et alibi, Potaſti nos vino compunctionis. *Apoc.*21. Abſterget Deus omnem lachrymam, &c.

Domine Deus meus. Hîc eſt pars ſecunda totius huius Pſalmi, in qua promittit ſe perpetuò laudaturum. Ait enim ſic: Exaltabo te pro beneficiis memoratis, ſed ô *Domine Deus meus confitebor tibi*, confeſſione laudis non horariæ, ſed *in æternum. Pſal.* Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te: tunc enim quia perfectè & perpetuò cognoſcemus, perfectè & perpetuò diligemus: & quia perfectè & perpetuò diligemus, perfectè & perpetuò laudabimus. *Tob.*12. Per omnes plateas eius cantabitur Alleluia, & in perpetuum. *Anguſt.* O homo quid feciſti? Peccata. Quaſi diceret: Deus beneficia confitenti, iniquitatem tibi dimittit & peccata, vt poſtea laudes eius confitearis in æternum, quod nobis præſtare dignetur, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

IN XXX. PSALMVM.

1. *In finem, Psalmus Dauid, pro exstasi.*

2. *Psalmi argumentum, admiratio animæ de Ecclesia hic extructa & in cœlis dedicanda.*

IN te Domine speraui. Hic est Psalmus trigesimus, in quo postquam actum est de consummatione Ecclesiæ in præsenti, & vlterius de dedicatione in futuro, quæ iam completa est in capite Christi, quid nisi stupor & admiratio animæ hæc audientis? De hac admiratione & stupore agitur in hoc Psalmo, sicut ostenditur in titulo huius Psalmi, qui talis est: *In finem, Psalmus Dauid, pro exstasi.* Et est sensus: hic Psalmus est Dauid vt auctoris, ordinans nos in finem Christum. Ad *Rom.*10. Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti. Finis, inquam, non consumens, sicut dicitur, finita est candela: sed consummans, sicut dicitur, finita est domus, quando consummata est. Psalmus, inquam, habitus vel editus *pro exstasi.* Est autem exstasis sicut vult. *Augustinus super Genesim ad literam, lib.*12. quando anima à sensibus corporis abrumpitur, ita vt oculis corporis patentibus nihil videat, speciebus rationabilibus, quas intellectu comprehendit, occupata. Hoc autem dupliciter, sicut hîc dicitur, vel ex pauore, & admiratione inferiorum, secundum quod dicitur *Act.*3. Impleti sunt stupore & exstasi in eo quod acciderat illi. Aut ex vehementi desiderio æternorum, & apprehensione fixa illorum, sicut fuit in Adam quando vidit mysterium sacramenti coniugij. *Gen.*2. Agit ergo de vtraque exstasi. Quis enim audiens Christum tot passionibus, & clamoribus ad gloriam proprij corporis peruenisse, non vehementissimè expauescat? maximè si imperfectus est. Et si perfectus est, audiens glorificatum corpus suum, & tam glorioſam dedicationem sibi promitti, summo desiderio non inardescat?

Titulus de exstasi.

Finis duplex, consumens & cõsummans.

Duplex exstasis, ex pauore inferiorum, & desiderio æternorum, de vtraque agit.

Sic ergo patet intelligentia tituli, & recta consequentia huius Psalmi ad antecedentem. Volens ergo Psalmista, imo Spiritus sanctus per ipsum nos in exstasim altero dictorum modorum rapere, duo facit. Primò præmittit rei gestæ narrationem. Secundò subiungit vtilem exhortationem, ibi, *Diligite Dominum omnes sancti eius.* Prima diuiditur in tres. Primò enim narratur oratio Christi ad Patrem. Secundò passio Christi tanquam necessitas orandi, & & ratio quare debeat ei subueniri. Tertiò bonorum recordatio, per quæ patiens consolatus est, ibi, *Quam magna multitudo.* Et est ordo competens. Oratio enim ponitur ante passionem: quia oratio est singulare remedium contra tribulationem. Et rectè prius est afflictio quam consolatio afflicti, & ob hoc rectè secunda pars præcedit tertiam.

Hæc de Christi oratione & passione exponuntur.

Ordo, oratio, deinde passio, quam sequitur consolatio.

Sed quia oratio iusti debet esse in spe certa & confidentia, quatuor dicuntur. In prima parte ostendit quod sperat. Secundò orat. Tertiò confidenter affirmat se exaudiendum, ibi, *Et propter nomen* tuum. Quartò, quod ex certa confidentia iam exultat, ibi, *Ego autem in Domino.*

Dicit ergo: O Domine pater *in te speraui* cum expectatione & scientia huius, *quod non confundar in æternum. Isa.*50. Scio, quoniam non confundar. Spes enim Christi non erat cum dubitatione, vel metu non adipiscendi quod sperabat sicut in aliis: sed certa scientia adipiscendi. Sic ergo spei eius conueniebat illud ad *Rom.* 5. Spes non confundit. *Eccles.*2. Nullus sperauit in Deo, & confusus est. *In te* ergo *speraui*, non in rebus aliis, propter quod *non confundar*, sicut illi de quibus *Prouerb.* 11. Qui confidit in diuitiis suis, corruet. Nec sicut illi qui confidunt in seipsis vel in hominibus aliis, & ponunt carnem brachium suum. *Iudith.* 6. Non derelinquis præsumentes de te, & de sua virtute gloriantes humilias.

In iustitia. Hîc subiungitur oratio: & dicuntur duo. Primò orat. Secundò probat, quod debet exaudiri, ibi, *Quoniam fortitudo.* In prima duo. Primò petit liberationem. Secundò liberationis accelerationem, ibi, *Inclina ad me.* Dicit ergo: Sic confidenter spero & rogo, ô Domine, *libera me* à malis in quibus sum, *in tua iustitia.* Quid dices? Nunquid actus iustitiæ est à malo liberatio? Videtur quod non. Sed magis misericordiæ. Responsio *Augustini* est, quòd iustitia est miseris subuenire, & probat hoc per hoc quod dicitur in *Psal.* Dispersit, dedit pauperibus, & iustitia eius manet in sæculum sæculi. *Prouerb.* 10. Iustitia vera liberabit à morte. Ipsum ergo liberari miserum est ex iustitia, dulcedo & compassio cordis ex misericordia. Vel potest esse, sicut dicit Glossa alia, vox Ecclesiæ. O Domine quamuis sim in dolore, *in te speraui*, non diffidens. *Prou.* 14. Iustus sperat in morte sua. Et quia speraui, *non confundar in æternum*, confusione scilicet æterna, de qua *Iob* 20. Confundentur vehementer qui non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod nunquam delebitur.

Exponuntur de Ecclesia.

In iustitia tua libera me, hoc est, in iustitia quam habeo à te, & propter *tua* dicta, contra Pelagium, qui dicebat, quòd homo iustitiam habebat à se. *Iacob.*1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est.

3. *Inclina ad me.* Hîc secundum, in quo petit liberationis accelerationem: & dicuntur duo. Primò allegat Dei excellentiam & humilitatem propriam. Secundò subiungit orationem. *Accelera.* Propter hoc quod dicit, *Inclina*, confitetur Dei sublimitatem. *Iob* 11. Excelsior cœlo est, & quid facies? In quod dicit, *Ad me*, innuit suam subiectionem. *Isa.*53. Desiderauimus eum despectum & nouissimum virorum. Auris autem Dei est eius intelligentia, qua apprehendit cogitatum & affectum & verbum hominum. Hæc est auris de qua *Sap.*1. Auris zeli audit omnia. Hæc auris inclinatio est diuinæ intelligentiæ inclinatio, vt non tantum intendat supernis, sed inferioribus & humanis, contra illos qui dicunt *Iob* 22. Nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & circa cardines cœli perambulat. Mentiuntur enim. *Sap.*6. Æqualiter est illi cura de omnibus.

Accelera vt eruas me, velociter à morte. Potest esse oratio totius Ecclesiæ & sanctorum. *Inclina aurem tuam*, id est, filium tuum, qui est auris tua, sicut & os tuum. *Iob* 12. Nunquid auris verba diiudicat, & fauces comedentes, saporem? sic Christus. *Ioan.* 5. Pater omne iudicium dedit filio. Ergo ad hoc votum hæc auris inclinata est, non tantum vsque ad formæ humanæ

humanæ ſuſceptionem, ſed vſque ad mortem. Ad *Philip.* 2. Exinaniuit ſemetipſum, factus obediens, Patri, vſque ad mortem. *Accelera vt eruas me*, quantum ad defuncta membra, de limbo: quantum ad viua, de peccato & poteſtate diabolica. *Iſa.*8. Voca nomen eius, Accelera, ſpolia detrahe, feſtina prædari.

Optima oratio inſtante morte. *In te Domine ſperaui*, quia ſpes maximè eſt neceſſaria morientibus. *Iob* 13. Etſi occiderit me, in ipſo ſperabo. *Non confundar in æternum*, quia temporaliter ſum confuſus, peccatum confitendo. *Eccleſiaſt.*4. Eſt confuſio adducens gratiam & gloriam. *In tua iuſtitia*, non mea, quæ nulla. *Iſa.* 64. Omnes iuſtitiæ veſtræ ſicut pannus menſtruatæ. *Inclina ad me aurem tuam*: quia neceſſe eſt mihi triplici ratione. Propter infirmitatis debilitatem, quæ non ſinit me clamare. *Iſa.*38. Sicut puluis hirundinis, ſic clamabo, dicebat infirmus Ezechias. Propter mei miſeri à te elongationem. *Iob* 22. An cogitas quia Deus exceſſior cœlo ſit, & ſuper cœlorum verticem ſublimetur? Propter circunſtantium tumultuoſitatem, maximè circa morientem. 1. *Eſdr.*3. Non poterat quiſquam audire vocem cantantium ſacerdotum, & clericorum, & vocem flentium vxoris & filiorum. *Accelera vt eruas*, propter mortis acceleratione m. *Eccleſ.*8. Scito, quoniam mors non tardabit. Et propter dæmonum acceleratione m. *Thren.*4. Velociores fuerunt perſequentes nos aquilis cœli. *Et libera me*, ab ardore purgatorij velociter extrahendo. *Eccleſ.* 43. Imperio ſuo accelerauit niuem.

Eſto mihi in Deum. Hîc ſecundò petit protectionem à malis. Et primò à Gentilibus ipſum impetentibus. Secundò à Iudæis mortuum perſequentibus. *Et in domum.* Dicit ergo: Sic peto vt eruas me à præſentibus, & etiam, *eſto mihi in Deum protectorem*, id eſt, in Deum protectorem contra Gentilium ſæuitiam: magno enim protectore opus eſt in magna perſequutione. *Eccleſiaſt.*2. Protector eſt omnibus requirentibus ſe in veritate. Et bene poſtquam dixit, *Accelera vt eruas*, ſubiungit, *Eſto protector*: cum enim diabolus aliquid ſibi erui ſenſerit, tunc acrius ſæuit. *Ezechiel.*3. Aſſumpſit me, Spiritus ſanctus, ſupple, & audiui poſt me vocem commotionis magnæ. *Exod.* 14. Pharao & Ægyptij poſt filios Iſraël exeuntes de Ægypto ſæuierunt, ſed Deus illos protexit, ſicut adhuc ſuos portionem ſuam ſignis euidentibus protegit.

Dæmon acrius ſæuit in bonos & pœnitentes.

Et in domum refugij, propter Iudæos etiam mortuum infeſtantes. *Vt ſaluum*, ab illis, *me facias*, corpus meum ab illorum cuſtodibus ſubtrahendo. Mare mortuum infeſtat, nec permittit quieſcere. Sic Iudæi Chriſtum etiam mortuum. *Iſa.* 57. Cor impij quaſi mare ferueus, quod quieſcere non poteſt. Sed tu Domine, poſt agonem, *eſto mihi* & meis, *in domum refugij*, ab iis perſequutoribus & aliis. *Prouerb.*18. Turris fortiſſima nomen Domini, ad ipſum curtit iuſtus, & exaltabitur, & etiam peccator vt iuſtificetur. *Pſal.* Petra refugium herinaciis. Et etiam in futuro ſaluum me facias ab omni impugnatione & tumultu. *Pſal.* Qui poſuit fines tuos pacem, &c.

Iudæi vt mare mor tuo non parcunt.

D. Alb. Mag. Comment. in Pſal.

Quoniam fortitudo mea. Hîc ſubiungit cauſas quare debeat exaudiri. Et primò quare eruat. Secundò quare protegat. *Et refugium.* Dicit ergo: Sic rogo, & debes, *quoniam fortitudo mea*, ad perſequutiones Gentilium tolerandas: *Et refugium meum* ad infeſtationes Iudæorum euadendas, *es tu.* De primo *Exod.*15. *Fortitudo mea & laus mea Dominus.* De ſecundo in *Pſal.* Tu es refugium meum à tribulatione mea, quæ circundedit me. De vtroque *Iſa.*25. Fortitudo egeno in tribulatione ſua: ſpes à turbine, vmbraculum ab æſtu. *Ierem.* 16. Domine fortitudo mea, & refugium meum. Vel fortitudo ante mortem, & refugium in morte. 4.

Propter nomen tuum. Hîc eſt tertia pars, in qua poſtquam expreſſit confidentiam ſuam & ſpem ſuam, & orationem ſecundò ſuppoſuit, pronuntiat audacter quoniam impetrauit. Et primò confidenter ſe liberandum pronuntiat. Secundò protegendum, ibi, *Educes me laqueo.* In prima duo. Primò, quòd liberabitur in ſeipſo. Secundò, quòd & in ſuis. *Et enutries.* Ait ergo: Sic rogaui, & audacter pronuntio, *quod propter nomen tuum*, per me hominibus manifeſtandum, & prædicandum, ſicut iam in parte feci per meipſum. *Ioan.* 17. Pater manifeſtaui nomen tuum hominibus quos dediſti mihi.

Deduces me. Alia litera, *dux mihi eris*: vt in omnibus tuam faciam voluntatem, & non frangar, propter quamcunque perſequutionem. *Ioan.* 5. Non quæro voluntatem meam, quæ dicebat mihi: Durum eſt mori, ſi fieri poteſt tranſeat à me calix iſte. *Matth.*25. Sed eius qui me miſit. *Ioan.*14. Sicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio.

Et enutries me, alios mihi incorporando, vt ſic non in me ſolo liberer, ſed in meis. Petrum enim ſibi incorporauit, quando reſpiciens illum oculis miſericordiæ, ei cor contritum dedit ſecundum illud. *Ioan.* 4. Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis. Gloſſa: Cibus Saluatoris, conuerſio eſt peccatoris, & per illum poſtea multorũ. *Act.*10. Surge Petre, macta & mãduca. Vel in hoc ipſo *enutries me*, quia dabis facere voluntatem tuam. *Ioan.*4. Cibus meus eſt vt faciam voluntatem Patris mei, &c. Et eſt notandum, quòd Chriſtus petebat protectionem ſiue tegumentum. *Eſto mihi in Deum protectorem*, &c. Nec mirum, quia in cruce nudus pendebat. Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea: & habuit tenebras, quæ operuerunt eum *Matth.* 27. Petebat & domum, *& in domum refugij*: quippe eiecerant eum extra ciuitatem. *Ioan.*19. *Matth.*9. Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. Et habuit glorioſam in Aſcenſione. Nunc autem relinquo mundum, & vado ad patrem *Ioan.* 16. Nutrimentum, *vt ſaluum me facias*: quippe *Ioan.* 19. clamabat, Sitio: & cibatus multitudine fidelium conuerſorum. *Iſa.* 58. Suſtollam te ſuper altitudinem nubium, & cibabo te hæreditate Iacob patris mei.

Educes me de laqueo. Hîc pronuntiat ſe protegendum. Primò. Secundò, à quo: *A laqueo.* Tertiò quare, ibi, *quoniam tu es protector meus.* Dicit ergo: Sic deduces liberando 5.

à Gentilibus, *& educes me*, protegendo à perſequutoribus Iudæorum, de laqueo mortis, quæ quaſi quidam laqueus alios ſolet detinere. 2. *Reg.*22. Præuenerunt me laquei mortis. De laqueo, inquam, *quem abſconderunt mihi*, ſecundum æſtimationem ſuam. *Prou.*1. Venite, inſidiemur ſanguini, abſcondamus tendiculàs contra inſontem fruſtrà. Et in *Pſal.* Narrauerunt vt abſconderent laqueos. Sed Dominus bene ſciebat illorum verſutam malitiam. *Luc.* 15. Cognouit IESVS cogitationes illorum. Sed hos laqueos pœnalitatis, & mortis noſter Samſon intrauit, & rupit. *Iudic.*15. Et nos in in ſeipſo liberauit. *Pſal.* Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Non tantum à laqueo mortis, ſed etiam iniquitatis, ſecundum illud: Iniquitates ſuæ capiunt impium, &c. *Prou.* 5. Hunc enim laqueum quandoque diabolus occultat, & abſcondit ſub ſpecie vanæ pulchritudinis. *Prou.vlt.* Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo. *Eccleſ.*7. Inueni morte amariorem mulierem. Aliquando ſub ſpecie virtutis, & tunc difficillimum eſt cauere. *Gregor.* Vt de bonis moribus dæmon præualeat, ſemetipſum ſub velamine ſanctitatis occultat. Aliquando ſub ſpecie vtilitatis, ſicut in auaris, qui congregant ad literam pecuniam magnam. Vt tandem faciant magnum aliquid, ſicut dicunt aliqui, ſed capiuntur inordinata dilectione ſub vtilitatis ſimulatione. *Pſal.* In laqueo iſto quem abſconderunt comprehenſus eſt pes eorum.

Laqueus diaboli variis modis occultatur.

Quoniam tu es protector meus. Hîc tertium, in quo ſubiungit rationem triplicem quare proteget. Prima ex ratione patris. Secunda ex parte ſui, quem diligit. *In manus tuas.* Tertia ex parte inimicorum quos odit, ibi, *Odiſti obſeruantes vanitates.* Dicit ergo: Sic proteges, & hoc quoniam *tu es* & non alius, *protector meus.* Supra in alio *Pſal.* Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?

6. *In manus tuas.* Hîc ſecundum, in quo ſumitur ratio ex parte patris, quia ſcilicet commendat ei animam propriam: & dicuntur duo. Primò commendat ei animam tanquam aſſignans rationem ſuæ protectionis. Secundò pronuntiat ſecuram ipſam à Patre cuſtodiendam. *Redemiſti.*

Ait enim: Sic educes, quoniam tu es protector meus, & etiam *commendo ſpiritum meum*, animam ſcilicet meam, *In manus tuas*, id eſt, in tua poteſtate. *Caſſiodor.* Commendat Patri inæſtimabilem theſaurum, animam ſcilicet illam. Si theſaurus inæſtimabilis fuit illa anima, ergo ipſam dare, fuit dare theſaurum inæſtimabilem: ergo maioris valoris quam mundus: ergo ſufficiens ad totum redimendum, & pluſquam mundum redimendum. In bona autem manu, & ſecura commendauit theſaurum. *Sap.*16. Tu Domine qui vitæ & mortis habes poteſtatem. Securæ & fœlices animæ quæ ibi ſunt. *Sap.* 3. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt.

Redemiſti me. Quaſi diceret: commendo. & ſcio quoniam recipies commendatum, quia ô *Domine Deus veritatis*, qui ſoluis quod promittis, *redemiſti me*, id eſt, redimere ordinaſti: ſed iam quaſi factum reputo. Morior enim. Redemiſti, inquam, me in membris meis hac mea morte, quam non potes non ſuſcipere, quam animarum voluiſti fieri pretium, tu qui amas eas tantum. *Sap.* 11. Nemo ergo ſibi vileſcat tanto redemptus pretio. 1. ad *Corinth.*6. Empti enim eſtis pretio magno. 1. *Pet.* 1. Non enim corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis, &c. Nemo ergo ſibi vileſcat, vt ſeruus fiat alterius quam redemptoris. 1. ad *Corinth.*7. Pretio empti eſtis, nolite ſerui fieri hominum: multò minus vitiorum. *Ioan.* 8. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Hæc fuerunt vltima verba Chriſti in cruce. *Luc.*23. Et clamans IESVS voce magna, ait: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum, & hoc dicens expirauit. Hinc eſt quòd Eccleſia hic finit Pſalmum in Completorio: & dicit *Hieronym.* quòd ab illo loco, Deus Deus meus reſpice in me, vſque in hunc totum dixit.

Odiſti obſeruantes vanitates. Hîc eſt ratio tertia. Quaſi diceret: proteges rationibus prædictis, & etiam quia *odiſti obſeruantes vanitates*: & ipſi gauderent ſi me non protegeres. Vel ad immediatum ſic, tu me redemiſti, ſed alios non ſic. Vel ſic: Tu es Deus Deus veritatis: & propter hoc odiſti *obſeruantes vanitates.* Nota, quòd obſeruare in compoſitione aliquando notat contrarietatem. *Luc.*14. Et ipſi obſeruabant eum. Quandoque diligentiam. *Eccleſ.vlt.* Deum time, & mandata eius obſerua. Ad *Philip.*3. Obſeruate eos qui ita ambulant. Sic accipitur hîc: Odiſti diligenter ſeruantes vanitates, id eſt, terrena & vana. *Iacob.* 5. Quicunque voluerit amicus eſſe huius mundi, inimicus Dei conſtituitur. Et dicuntur diuitiæ vanitates, quia non implent. *Eccleſ.* 5. Auarus non implebitur pecunia. Item quia cito diſparent. 1. *Ioan.* 2. Tranſit mundus & concupiſcentia eius. Item quia vtilitate carent. *Sap.*5. Diuitiarum iactantia quid profuit nobis? 7.

Superuacuè. Non tantum vacue & inutiliter, ſed *ſuperuacuè*, quia nociuè. *Eccleſ.*5. Eſt & alia iniquitas quam vidi ſub ſole, diuitiæ congregatæ in malum Domini ſui. Propter hoc orat Salomon in *Prouerb.* Vanitatem & verba mendacij longè fac à me. Et nota, quòd quidam ſeruant diligenter hæc vana propter neceſſitatem: quidam propter ſuperfluitatem, & hoc eſt ſuperuacuè. Et tales odit Deus tanquam violentos ſpoliatores, & raptores. *Ambr.* Proprium nemo dicat, quòd commune eſt: quia pluſquam ſufficit ſumptum, violenter obtentum eſt.

Poſſet legi, & apertum eſt de obſeruatoribus ſomniorum & auguriorum. *Leuit.* 19. Non augurabimini, nec obſeruabitis ſomnia. Et de volentibus ſeruare vnguentis & lotionibus pulchritudinem corporis, quæ vana eſt. *Eccleſ.* 11. Adoleſcentia, & voluptas vana ſunt.

Ego autem in Domino. Hîc tertium, in quo ſubiungitur orantis confortatio per ſpem exultationem in ipſo generantem. Et primò tangitur de ſpe breuiter & ſuccinctè. Secundò diffuſius de exultatione, ibi, *Exultabo*, &c. Continua ergo ita: Ipſi ſperant, *Ego autem in Domino ſperaui*, qui vanitas non eſt, ſed veritas. *Ioan.*14. Ego ſum via, veritas, & vita. Sed quia iuſtorum expectatio lætitia *Prouer.*10. 8.

Exultabo.

Exultabo. Hîc subiungitur de exultatione, & tangitur primò exultationis magnitudo. Secundò ratio tantæ exultationis. *Quoniam respexisti.* Dicit ergo : Sic speraui, & propter hoc *exultabo*, corpore, *& lætabor*, mente. *Cassiodor.* hoc innuit: Exultare est cum magna alacritate gaudere. Lætari est temperata mentis affectione mulceri. Sed secundum hoc videtur, quòd debuisset dixisse, *Lætabor* primò, & postea *exultabo.* Respondeo est, quòd *Cassiod.* tangit modum iubilantium, qui temperantius exultant exercitati quam in principio : vnde primò exultant, sed postmodum temperantes se ex discretione lætantur. *Prouerb.* 25. Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi. Et hoc *in misericordia tua*, in iustitia mea nihil, quia *Sap.*4. Gratia & misericordia in sanctos eius. *Eccles.*51. Lætetur anima vestra in misericordia eius, & non confundemini.

Progressus gaudij in iubilatibus.

Quoniam tu respexisti. Hîc secundum, in quo subiungitur tantæ lætitiæ ratio : & tangitur duplex Dei respectus, effectus multiplex : *Saluasti de necessitatibus.* Ait ergo : Sic exultabo & lætabor, & hoc, quoniam *respexisti humilitatem meam*, sicut ait Maria, Respexit humilitatem ancillæ suæ, *Luc.* 1. Nos libentius figimus oculos in pulchris rebus quam in turpibus & vilibus : Deus è contrario. *Psal.* Quis sicut Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra ? In hoc ergo assimilamur diabolo, qui libenter respicit sublimia, non curat de humilibus. *Iob* 41. Omne sublime vidit oculus eius.

Deus humilia, nos alta respicimus diabolo similes.

Saluasti de necessitatibus. Hîc tangitur effectus huius respectus, & hic duplex, à culpa liberatio, & abundantioris gratiæ collatio, ibi, *Statuisti in loco.* In prima duo. Primò liberatio ab originali. Secundò ab actuali, ibi, *Nec conclusisti me* : Dicit ergo : Sic respexisti humilitatem meam, sed nunquid infructuosè ? Non. Sed saluasti animam meam, nimirum meorum *de necessitatibus*, de culpis meis originalibus, in quibus necessariò detinentur. Posset etiam hoc dicere caput, quia ab illis saluatus est in se, quia illas non habuit, cum tamen homo esset. Vel possunt appellari peccata propterea quod propter peccata inflicta necessitas. A primo saluatus est in conceptione. *Luc.*1. Quod nascetur ex te sanctum. Ab aliis in resurrectione, quando corruptibile induit incorruptionem. 1. ad *Corinth.* 15. Sed necessitates possunt dici concupiscentiæ carnales, quibus sunt subiecti omnes, qui descenderunt ab Adam per carnalem concupiscentiam, quæ remanent etiam post baptismum, sub quibus gemebat *Paulus* ad *Rom.*7. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Ab iis in suis liberatur. Item necessitates appellari possunt seruitutes illæ, quibus sub lege premebantur, magis necessitate seruientes, quam amore. Sed ab iis membra sunt liberata. Ad *Rom.*8. Non accepistis spiritum seruitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater. Item sicut corporis necessitates sunt, quæ corpori necessaria sunt ad sustentamentum, sic necessitates animæ sunt, quibus anima sustinetur, cibi sui. Vnde sicut corpus à suis necessitatibus saluatur, quando ei necessaria ministrantur, sic anima quando ei dantur illa ex quibus viuit, sicut verbum Dei, qui est eius cibus. *Matth.*4. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei. *Luc.*10. Porrò vnum est necessarium.

Necessitates à quibus Christus & eius Ecclesia liberantur.

Et nota in hoc versu notari humani morbi accerbitatem: dicitur enim necessitas à nece, & continuitatem, quia dicitur *Ierem.*14. Pessima plaga tua vehementer. Pessima propter accerbitatem, vehementer propter accerbitatis durationem. Nota & medici potestatem, quia solo respectu sanat. Nec mirum. Basiliscо hanc contulit virtutem vt solo intuitu interficiat, & ipse solo intuitu non sanabit ? Absit. *Prouerb.* 20. Rex qui sedet in solio iudicij, intuitu suo dissipat omne malum. Nota & pietatem medici, quia cum excelsus sit, libentius curat morbidos pauperes & humiles quam magnos. *Quoniam respexisti*, & hoc est, vbique similis es. *Eccles.*13. Omne animal diligit sibi simile : & vbi amor, ibi oculus : & vbi oculus, ibi salus. Ergo à primo vbi humilitas, ibi salus: quod concedimus.

Christus solo intuitu sanat.

Nec conclusisti me. Hîc secundum, in quo tangitur liberatio ab actuali. Ait enim : Sic saluasti ab originali. *Nec conclusisti me in manus inimici*, id est, diaboli per actualem culpam. Nam potestate eius concluditur homo quando peccat mortaliter. *Ioan.*8. Qui facit peccatum, seruus est peccati. Sed Christus non peccauit. *Isa.*53.1. *Petr.*2. Qui peccatum non fecit. Sed contra *Iob* 16. in persona Christi, Conclusit me apud iniquum. Respondeo. Conclusus fuit corpore in pœna, sed non mente in culpa : & ob hoc necesse fuit euadere à conclusione illa. *Psal.* Contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit. Et nota, quòd diabolus concludit multis : artificiosè proponit delectationem, assumit consensum, & concludit ex hoc necessariò transgressionem. Vel sic : Proponit in actione praua, assumit in consuetudine peruersa, & concludit in morte æterna. *Ezechiel.*7. Fili hominis fac conclusionem. Inimicus est mundus : hic habet manus suas, cupiditatem & auaritiam. In his manibus auari concluduntur. Diabolus inimicus, & hic suas, superbiam & inanem gloriam. In his concluduntur superbi. Caro suas, luxuriam & gulam, in quibus concluduntur delicioſi.

Quomodo sophisticè concludit diabolus, mũdus, caro.

Statuisti in loco spatioso pedes meos. Hic secundus effectus respectus Dei. Ait enim: Sic liberasti respiciens in me ab originali & actuali culpa, & post hæc *statuisti in loco spatioso*, id est, in amplitudine gratiæ in præsenti *pedes meos. Prouerb.*4. Ducam te per semitas æquitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, &c. Sic enim in principio notatur perseuerantia. *Prou.*4. Omnes viæ tuæ stabilientur. Vel per contemplationem in cœlo empyreo, loco amplissimo & altissimo. *Baruch.*3. O Israël quam magna est domus Domini, & ingens locus possessionis eius! Ibi statuti erant pedes eius qui dicebat: Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Ierusalem. Et illius ad *Phil.*3. Conuersatio nostra in cœlis est. Omnis enim vel tota terra bonis pedibus augustata est, & punctalis. 4. *Reg.* 6. Ecce locus in quo habitamus coram te, angustus est nobis.

10. *Passionis Christi descriptio.*

Miserere mei Domine. Hîc secunda pars primæ partis, in qua narrat quod pertinet ad statum passionis, & dicuntur duo. Primò enarrat lamentabiliter quæ sustinuit. Secundò orat, ibi, *Ego autem in te speraui.* In prima narrat quod pertulit viuus. Secundò quod pertulit mortuus, ibi, *obliuioni datus sum.* In prima duo: Viuus enim pertulit quædam compatiendo, quæ primò narrat: & quædam patiendo, quæ secundo, ibi, *Infirmata est.* In prima duo. Primò narratur compassionis acerbitas. Secundò diuturnitas, ibi, *Quoniam defecit in doloribus vita mea.* In prima duo. Primò gemendo ostendit acerbitatem compassionis generaliter. Secundò distinguendo per partes. *Conturbatus est.* Ait ergo: Sic statuisti in loco spatioso, sed tamen caro est in miseria in hac vita: Vnde clamo, *Miserere mei Domine,* & necesse est, *quoniam tribulor.* Sed quid est quod dicit, *Tribulor*, qui statim gaudens præmisit, *Nec conclusisti me?* Sed potest responderi secundam regulam Tichonij, quod fuerunt verba capitis, vel Ecclesiæ pro membris aliquibus, modò loquitur pro aliis: alia enim membra iam liberata sunt, & in capitis libertate, pro quibus illa præmisit. Alia adhuc imperfecta, in miseria existentia, pro quibus hæc subiungit. Et quantumcumque gaudeat Ecclesia pro bonis, non potest non sentire dolorem pro infirmis. *Prouerb.* 14. Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat. Ad *Rom.* 12. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Nec mirum. 1. ad *Cor.* 12. Si quod patitur vnum membrum, compatientur & alia membra.

Quare statim post iubilationem lamentatur.

Conturbatus est. Hîc specificat primò ostendens dolorem interius. Secundò exterius. *Et venter meus.* Ait enim: Verè tribulor, *quoniam conturbatus est in ira*, non mea, sed aduersariorum quibus compatior, *oculus meus*, ratio & intellectus. Sed non quantum ad caput in quo imperturbata remansit. Sed loquitur corpus: *Et anima mea*, sensualitas, inferior scilicet pars: vt totum sit interius in perturbatione. Vel *in ira mea*, zeli mei, qui turbat oculum mentis, sicut dicit Gregorius, vt postea puriorem reddat. *Et venter meus*, ipsa caro, vt totum sit conturbatum. Vel secundum Glossam: *Oculi* sunt Ecclesiæ doctores vita bona fulgentes: sed *venter*, adhuc infirmi & debiles. Sensus est ergo: In ira persequentium conturbati sunt doctores, & infirmi. 2. ad *Tim.* 3. Omnes qui pie volunt viuere in Christo, persequutionem patientur.

11. *Quoniam defecit in dolore.* Hîc tangitur doloris diuturnitas: & dicuntur duo. Primò, quòd per totam vitam. Secundò ostendit vitæ longitudinem. *Et anni mei.* Dicit ergo: Sic miserearis propter miseriæ & pœnæ acerbitatem, & etiam *quoniam defecit in dolore vita mea*, vita alioquorum membrorum meorum perfectorum tormenta persecutionum sustinentium. *Cassiodor.* Deficere, est paulatim minus facere, & ad finem perdendo aliquas valitudinis minutias peruenire. Sensus ergo est: Vita mea in dolore defecit, id est, ad finem paulatim deficiendo peruenit præ dolore. Dolor enim ducit ad mortem sicut iocunditas ad vitam. *Eccles.* 30. Iocunditas cordis hæc est vita hominis. Et 30. Ad tristitiam festinat mors.

Et anni mei, vita in longum protracta. Non est enim vnius diei, vel septimanæ, vel mensis, nec vnius anni, sed plurium. Sed contra *Iob* 13. Breues dies hominis sunt. Responsio. Longi, meo iudicio, propter miseriam, etsi breues secundum veritatem.

In gemitibus, defecerunt, supple. *Iob* 3. Antequam comedam suspiro, & quasi inundantes aquæ, sic rugitus meus. *Psal.* Rugiebam à gemitu cordis mei. Et alibi, Et gemitus meus à te non est absconditus. Loquitur Christus, & hoc dicit de membris. Hinc possumus experiri si sumus de membris Christi & Ecclesiæ, si sumus *in gemitu*: si non, membra eius non sumus: hic enim Ecclesia columba dicitur. *Cantic.* 6. Hinc Apostoli columbæ appellantur. *Isa.* 60. Qui sunt isti qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas? Nubes pluunt & columbæ gemunt: & eis præcipitur *Matth.* 10. Vt sint simplices sicut colũbæ. Qui, inquam, dicit *Paulus ad Galat.* 5. Qui Christi membra sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. *Ezechiel.* 9. Signa Thau super frontes virorum gementium atque dolentium.

Hic mẽbra Ecclesiæ gemunt.

Infirmata est. Hîc est secundum, in quo postquam tetigit mala compassionis ad aduersarios, hîc tangit mala passionis. Primò quæ sustinuit interius in propria carne. Secundò quæ sustinuit interius in suorum occasione amissionis, ibi, *Super omnes inimicos meos.* In se sustinebat duo. Virtutis infirmationem primò. Secundò ossium conturbationem. Primum fuit in vulnerum inflictione. Secundum in membrorum extensione. Ait ergo: Sic tribulatus sum ex compassione, & etiam *virtus mea infirmata est in paupertate*, quando exutus vestibus meis multipliciter vulneratus sum. *Thren.* 1. Infirmata est virtus mea. Nec mirum certè si virtus infirmata fuit, multum enim laborauit, & refectione caruit, quæ reparat virtutem. *Eccl.* 31. Laborabit pauper in diminutione victus, & in fine inops fit. Debebatur ad minus panis ei pro labore. In eodem, Panis & disciplina est opus seruo. Sed pro pane dederunt ei durissimum ligum. *Ierem.* 11. Mittamus lignum in panem eius. Caruit & consolatione, quæ aliquando multum bene reparat virtutem. *Senec. ad Lucil.* Nihil æque ægrum reficit ac adiuuat, quemadmodum amicorum affectus. *Psal.* Omnes amici mei dereliquerunt me.

Christi in cruce egestas summa.

Et ossa mea conturbata sunt, propter extensionem in cruce. *Psal.* Foderunt manus meas & pedes meos, propter primum. Et dinumerauerunt, id est, dinumerabilia fecerunt omnia ossa mea, propter secundum. Si loquitur Ecclesia secundum *Augustin.* Tunc virtus eius appellantur Martyres. *Chrysol. super Matth.* Virtus vniuscuiusque prouinciæ sunt sapientes eius. Hæc virtus, sancti scilicet Martyres, infirmata est in paupertate, vel egestate duplici. Sanitatis, qua carebant afflicti. *Eccl.* 30. Non est census supra censum salutis corporis. Et ipsius mortis quam desiderabant propter prolongationem tribulationis. *Iob* 3. Expectant mortem, & non venit, gaudéntque vehementer cum inuenerint sepulchrum. Et propter hoc *ossa*, id est, multi fortes in Ecclesia, *conturbata*

Hæc de Ecclesia exponuntur.

turbata ſunt horrore & terrore,& compaſſione. Secundum *Caſſiodor.* loquitur genus humanum exprimens miſeriam in quam cecidit propter culpam. *Infirmata eſt virtus mea*, naturalis, quia vulnerata, *in paupertate*, quando gratuita ſunt amiſſa. Et denudatum eſt. *Luc.*10. Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho,& incidit in latrones. *Et oſſa mea conturbata ſunt*, id eſt,ipſa virtus corporis debilitata eſt. *Matth.*26. Caro autem infirma.

Expone de toto genere humano.

12. *Chriſtus à ſuis derelictus & ab inimicis deriſus.*

Super omnes inimicos. Hîc ſecundum, in quo narrat mala quæ ſuſtinuit in ſuis.Primum : quia ipſum contempſerunt. Secundum : quia horruerunt. *Et timor.* Tertiò quod ſecutum eſt, quia dereliquerunt, ibi, *Qui videbant me.* In prima duo. Primò, quòd contemptibilis inimicis. Secundò, quòd plus proximis, quod multum aggrauat, ibi, *Vicinis.* Secundum hoc ergo ſic poteſt legi litera : Hæc mala in me ſuſtinui, dicit Chriſtus, & etiam *ſuper inimicos meos*, id eſt,coram inimicis meis *factus ſum opprobrium*, coram ſcilicet Gentibus, quando coronam ſpineam impoſuerunt capiti eius. *Ioan* 19. Et milites plectentes coronam ſpineam impoſuerunt capiti eius. *Thren.*3. Audiſti Domine opprobria eorum aduerſum me.

Vicinis. Repete, Et factus ſum opprobrium *vicinis meis valde.* Quaſi diceret : Plus etiam quam inimicis, ſcilicet Iudæis, de quibus natus. Ad *Hebr.*7. Manifeſtum eſt, quod de tribu Iuda natus eſt : ſed ij deriſerunt. *Matth.* 27. Principes ſacerdotum illudentes cum Scribis & Phariſæis dicebant, Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. *Pſal.* Propter te ſuſtinui opprobrium, operuit confuſio faciem meam. Et poſt, Extraneus factus ſum fratribus meis. Vel ſic : *Factus ſum opprobrium vicinis meis ſuper omnes inimicos meos*, id eſt, pluſquam omnes inimici mei, id eſt, peccatores & mali.Et hoc verum:contempto enim Chriſto Barrabam petierunt, qui Dei erat inimicus. *Matth.*27. *Marc.*15.Et ſuper inimicos,latrones ſimul cum eo crucifixos : multo enim plura vituperia intulerunt Chriſto,quam illis. *Chryſoſt. ſuper Matth.* In latronibus nihil tale operati ſunt, ſed in Chriſto omnia auſi ſunt, & medium eorum crucifixerunt, vt opinioni eorum communicaret.

Et timor, horroris ſcilicet, *notis meis*, Apoſtolis : Petrus enim ex timore negauit, & horrore, quo non poterat credere ipſum Deum. *Matth.* 26. & *Marc.* 14. & *Luc.*22. & *Ioan.*18. Et Petrus bene de notis : interpretatur enim agnoſcens. *Iob* 19. Fratres mei longè ſunt à me, & noti mei quaſi alieni receſſerunt. Vicini enim Dei ſunt clerici : ſed iſti ſunt qui ſuper omnes homines Deum opprobrio habent, & abiectioni. *Ierem.* 11. Quid eſt quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa ? Non poteſt fieri maius vituperium homini, quam in eius hoſpitio. *Pſal.* Qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem. *Bernard.* ſuper illud, In pace amaritudo mea amariſſima : Amara in morte Martyrum, amarior in conflictu hæreticorum, hæc amariſſima in moribus domeſticorum.

Peccata clericorum grauiora.

Et timor notis meis, bonis ſcilicet, quos Deus agnoſcit & approbat. 2. ad *Tim.* 2. Nouit Dominus qui ſunt eius : hi enim timent à talibus accipere ſacramenta Dei. *Malach.* 2. Contaminauit Iudas ſanctificationem Domini quam dilexit, hoc eſt, contaminatam æſtimari fecit.

Qui videbant me, foras. Ecce tertium. Quaſi diceret : Sic deſpexerunt, horruerunt, & *qui videbant me foras*,id eſt,ſecundum carnem,eruor & purum hominem, *fugerunt.* Tales erant illi, qui dicebant Chriſto. *Ioan.*10. Tu homo cum ſis, facis teipſum Deum. Non enim videbant niſi quod humanum erat in Chriſto. Sed *Iſa.* Limpidius videbat, in 45. Verè tu es Deus abſconditus ſecundum carnem. Etiam & id quod foris erat, tantum videbant Apoſtoli, quando omnes relicto eo fugerunt. Adhuc hoc idem poteſt dicere Chriſtus, & Eccleſia tota ſimul. *Qui videbant me*, id eſt, mei habebant notitiam, ſed non habentes ſpem & oculum ad æterna, ſicut illi de quibus *Sapient.* 3. Si coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt. *Foras fugerunt à me.* In hac exteriora bona & viſibilia. Ad *Galat.*4. Cum cognoueritis Deum imò cogniti ſitis ab eo, quomodo conuertimini iterum ad egena & infirma elementa ? Vel vox religionis quæ veraciter poteſt dicere, *qui videbant me foras*, quantum ad aſperitatem ciborum, *fugerunt à me*, quia non viderunt abundantiam interiorem conſolationum. *Bernard.* Multi vident noſtras cruces, qui non vident noſtras vnctiones. 13.

Obliuioni datus ſum. Hîc ſecundum, in quo narrat quæ ſuſtinuit mortuus: & dicuntur duo. Primò enumerat mala. Secundò cauſam & motiuum ad illa, ibi, *Quoniam audiui.* Et in prma duo. Primò mortui obliuio. Secundò deſperatio de reſurrectione. *Et factus ſum.* Quidam enim mortuum obliuioni ſtatim tradiderunt, non curantes:quidam putauerunt penitus periiſſe. Dicit ergo : Sic fugerunt, adhuc viuum : & *obliuioni datus ſum* poſtea, *à corde*, vt aliquorum nullam iam haberet memoriam, *tanquam mortuus*, id eſt, ſicut mortui alij ſtatim excidunt à corde, ſic ego. De aliis enim dicitur, Periit memoria eorum cum ſonitu. Et de Chriſto *Iſa.*57. Iuſtus perit, & non eſt qui recogitet in corde ſuo.

Quæ Chriſtus poſt mortem paſſus eſt, obliuio & deſperatio de reſurrectione.

Nota, quòd dicit obliuioni ſe datum à corde, non ab ore. Multi enim habent Chriſtum mortuum adhuc in ore, ſed non in corde:ſatis ei cantant in Eccleſiis, ſed non illum amant. *Iſa.* 29. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. *Ierem.*12. Prope es tu Domine ori eorum : longe autem à renibus eorum : cum tamen dictum ſit, Recogitate eum qui talem aduerſus ſemetipſum ſuſtinuit contradictionem, ad *Hebr.*12. Non ſic *Paulus Philip.* 3. Poſteriorum oblitus, terrenorum ſcilicet, ad anteriora me extendo, ſcilicet diuina.

Chriſtus à corde non ore multorum excidit.

Factus ſum tanquam. Ecce ſecundum : Quaſi diceret : Sic illis obliuioni datus ſum, & aliis *factus ſum tanquam vas perditum*, de cuius reparatione penitus deſperatur. Sic aliqui de mea reſurrectione, ſed decepti ſunt : figulus enim qui voluit vas confringi in morte, reparabit vt placeat in oculis ſuis in reſurrectione. *Iere.*18.

Diſſipatum

Diſſipatum eſt vas quod faciebat è luto de manibus ſuis, & conuerſus fecit vas illud alterum ſicut placuit oculis eius. Et nota, quòd Chriſtus hîc comparat ſe vaſi : nec mirum : ipſe enim eſt vas bellicum. Gladius enim & ſagittæ vaſa bellica ſunt, velut dicuntur *Ezech.9.* Appropinquauerunt viſitatores vrbis, & vniuſcuiuſque vas interfectionis in manu ſua. Et ipſe eſt gladius quo pugnatur cominus. Ad *Epheſ. vlt.* Et gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Item quo pugnatur à remotis, quia ſagitta. *Iſa.49.* Poſuit me ſicut ſagittam electam. Item repoſitorium in quo reponuntur diuitiæ ſicut arca & gazophilacium. Ad *Coloſ.2.* In ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Item vas eſcarum ſcutella & cyphus, ſcilicet continens in ſe noſtram refectionem, & quantum ad cibum & quantum ad potum. *Ioan.6.* Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Et ipſemet vas pretioſiſſimum. *Eccleſ.50.* Quaſi vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo. Item cithara vas muſicum, quia *Pſal.* Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara. Huius citharæ ſono dæmonia effugabantur, & omnes morbi ſanabantur. *Matth.8.* Obtulerunt ei multos dæmonia habentes, & eiiciebat ſpiritus verbo, & omnes male habentes curauit. Item illuminatiuum, hoc eſt, luminis contentiuum quale eſt lucerna. *Pſal.* Lucerna pedibus meis verbum tuum. *Matth.5.* Nemo accendit lucernam & ponit eam ſub modio. Et quale eſt ſol. *Malach.4.* Vobis timentibus Deum orietur ſol iuſtitiæ. Et quale ſtella. *Apoc. vlt.* Ego autem ſum genus & radix Dauid, ſtella ſplendida & matutina.

Chriſtus vas dicitur bellicum & aliis modis vide.

14. *Quoniam audiui vituperationem.* Hîc ſubiungit cauſam harum miſeriarum : & tangitur primò cauſa triplex. Patientia quæ oſtendebat eum hominem purum, primò reſpectu verborum turpium quæ in eum proferebant. Secundò congregationum quas aduerſus eum faciebant. *In eo dum conuenirent.* Tertiò conſiliorum quæ occultabant hominum æſtimationem, ibi, *accipere animam meam.* Ait ergo : Sic me irrecuperabiliter mortuum putauerunt, & hoc *quoniam audiui vituperationem multorum*, non vnius tantum, *commorantium in circuitu*, mei pendentis in cruce, & exiſtentis coram iudice. Audiui, inquam, patienter. *Matth.26.* Et cum de multis accuſaretur, nihil reſpondit, circunſtantibus ſe & oblatrantibus. *Pſal.* Circundederunt me canes multi. Sic adhuc morantes in circuitu temporalium, ſecundum illud, in circuitu impij ambulant, vituperant membra Chriſti cum ipſo nuda in cruce pendentia. *Sap.* Vitam noſtram luſum vel ludum reputauerunt. Et in 5. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam.

In eo dum conuenirent. Hîc ſecundum, & tertium tangitur. Ait enim : Sic audiui vituperationem, & etiam dum conuenirent aduerſum me, non pauci, ſed omnes, & concorditer, quia *ſimul in eo*, vituperio ſcilicet, Eccleſiæ congregatio, *conſiliati ſunt accipere animam meam*, id eſt, in ſua detinere poteſtate. Ecce concilium occultatum. Ecce quod quidam conuertunt in malum. *Ierem.11.* Inuenta eſt coniuratio in viris Iuda. *Iudic.15.* Vulpes Samſonis, etſi facies diuerſas, tamen habent caudas adinuicem colligatas. *Act.4.* Conuenerunt in ciuitate iſta aduerſus puerum tuum ſanctum IESVM. Alij autem conuertunt in bonum. *1.Eſdr.3.* Congregatus eſt populus quaſi vir vnus in Ieruſalem. Eſt autem ad hoc congregatio malorum, vt conſilium habeant diſperdendis animabus. *Ierem.13.* Super me cogitauerunt conſilia iniqua. Hoc eſt conſilium quod dedit *2. Reg.15.* Architophel Abſaloni de interficiendo Dauid patre ſuo, & vt aſpiraret ad regnum. *Geneſ. penult.* Simeon & Leui fratres vaſa iniquitatis bellantia, in concilium eorum non veniet anima mea. *Eccleſ.23.* Ne derelinquas me in cogitatu & conſilio eorum.

15. *Oratio Chriſti qua petit liberari ab illis malis.*

Ego autem in te ſperaui. Hîc ſubiungitur oratio, & primò perſuadet. Secundò petit. *Eripe me.* Perſuadet autem à ſua bonitate, & hac duplici. Primo enim tangit bonam confidentiam quam habet in corde. Secundo piam confeſſionem quam habet in ore. *Dixi Domino, Deus meus es tu.* Dicit ergo : Sic illi : *Ego autem in te ſperaui*, ſciens quia aduerſus voluntatem tuam non prævalebit eorum conſilium, ſed ſemper implebitur voluntas tua. *Daniel.4.* Secundum voluntatem tuam faciet. *Iſa.66.* Omnis voluntas mea fiet, & omne conſilium meum ſtabit.

Dixi, Deus meus es tu. Hîc allegat piam confeſſionem, in qua ſunt duo. Primò confeſſio diuinæ bonitatis. Secundò diuinæ prædeſtinationis, ibi, *In manibus tuis.* Ait enim : Sic ſperaui, *& dixi*, ore : *Deus meus* humilitatis meæ, *es tu*, quoniam bonorum meorum non eges. *Deus meus*, cuius poteſtati nemo reſiſtit. *Iob 9.* Deus cuius iræ reſiſtere nemo poteſt.

16. *In manibus tuis*, id eſt, in tua bonitate & notitia, quæ ſunt quaſi duæ manus, *ſortes meæ*, electio ſcilicet, ſiue prædeſtinatio, qua mera tua bonitate ad hoc eligere voluiſti vt eſſem filius tuus. Ad *Roman.1.* Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute. *Pſal.* Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti, &c. Vel in perſona Eccleſiæ ; *Ego autem in te ſperaui*, ô Domine, non in homine aliquo, quamuis ſacramẽtorum tuorum miniſtro. *Ierem.17.* Maledictus homo qui confidit in homine. Tales erant Corinthij qui de prælatis diſputabant. 1. ad *Cor.1.* Ego ſum Pauli, ego ſum Apollo. Sed talibus facit aliquando Dominus ſicut mater paruulo, quæ ponit ei amarum aliquid in mammilla, vt guſtata amaritudine refugiat, & currat ad bonum & ſolidum cibum. Sic amarum dat ei prælatum vt currat ad Deum, vt diſcat non confidere niſi in ipſo. Dixi ore : Deus meus es tu, quia ad *Roman.10.* Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. *In manibus tuis*, id eſt, in tua poteſtate, & ordinatione *ſortes meæ*, id eſt, electio qua me colligere voluiſti de tuis electis : hæc enim electio homines latet, & tibi ſoli innoteſcit, ſicut accidit alicui qui habet aliquid in manibus.

Tres ſortes, prædeſtinationis, gratiæ, & gloriæ.

Et nota hîc, quòd triplex eſt ſors, electionis ſeu prædeſtinationis diuinæ, de qua tangitur hîc. Ad *Eph.1.* In quo & nos ſorte vocati ſumus prædeſtinati ſecundum propoſitum eius. Et gratiæ. *Act.27.* Vt recipiant remiſſio

remiſſionem peccatorum, & ſortem & gratiam quæ eſt inter Sanctos de fide quæ eſt in me, id eſt, inter ſanctificatos per fidem quæ eſt in me. Et gloriæ. *Daniel.* 11. Et tu Daniel ſtabis in ſorte tua in fine dierum.

Varia opiniones de rerum ordine.

Nota ergo hîc, quòd Philoſophorum fuit triplex opinio. Quidam enim poſuerunt omnia eſſe facta quadã neceſſitate & præter voluntatẽ Dei & hominum contingere. Alij fuerunt, qui dixerunt omnia eſſe fortuita, hoc eſt, nullas habere cauſas, vel rationabilem ordinem in rebus nullum eſſe. Tertij omnia regi prouidentia & virtute Dei. Huic conſentit Dauid. Et hæc eſt vera & Catholica. De aliis tribus opinionibus *Seneca ad lucilium*, Philoſophandum eſt, ſiue nos inexorabili legi facta conſtringunt, ſiue arbiter Deus vniuerſi cuncta diſponat, ſiue creans res humanas ſine ordine impellat.

Eripe me de manibus. Hîc poſt perſuaſionem ſubiungit petitionem. Et primo petit ſibi bona. Secundò inimicis imprecatur mala. *Erubeſcant.* Prima in duas. Primò rogat pro malis amouendis. Secundo pro bonis adipiſcendis. Pro malis amouendis, vt eripiatur à Iudæis primò. Secundò à Gentilibus. *Et à perſequentibus me.* Dicit ergo: Talis ſum: propter hoc *eripe me* ſperantem, & confitentem tibi, *de manibus*, de poteſtate, *inimicorum meorum*, Iudæorum. *Ierem.* 15. Erue me ab iis qui perſequuntur me. Et exauditus fuit, vt poſſet dicere illud. *Eccl.* 51. Liberaſti me de manibus querentium animam meam. *Et à perſequentibus me*, gentilibus. Alibi in *Pſal.* Libera me ab jis qui perſequuntur me, & de profundis aquarum, tribulationum ſcilicet. Vel poteſt eſſe vox Eccleſiæ petentis ereptionem ab inimicis. Et diſtinguit *Auguſt.* inimicorum duo genera. Quidam contra quos orandum, dæmones. Alij pro quibus eſt orandum: quantumcumque enim homo oderit te, tamen diligendus eſt à te charitatis affectu. 1. *Ioan.* 3. Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Pro liberatione tamen ab jis, & à dæmonibus ſimul orandum eſt. Ait ergo: *Eripe me de manu inimicorum meorum*, dæmonum nos per membra ſua impugnantium. Ad *Eph.* 5. Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpirituum nequitiam in cœleſtibus. Et notatur in ereptione quaſi quædam violentia. *Iſa.* 59. Nunquid tolletur à forti præda? aut quod captum fuerit à robuſto, ſaluabitur? Equidem tolletur à forti præda, aut quod captum fuerat à robuſto, ſaluabitur per fortiorem ſuperuenientem. *Luc.* 11. Si autem fortior illo ſuperuenerit, auferet omnia vaſa eius, & ſpolia diuidet.

Duo genera inimicorum contra quos, vel pro quibus orandũ.

Et à perſequentibus me, propriis filiis qui me valde conturbant: quia cum corripiuntur, lites & ſeditiones ſuſcitant. *Prouer.* 15. Non amat peſtilens eum qui ſe corripit. *Iſa.* 30. Non fuerunt in auxilium nec in vtilitatem, ſed in confuſionem & opprobrium.

17. *Illuſtra faciem tuam.* Hîc petit pro bonis adipiſcendis: & dicuntur duo. Primò petit. Secundò adiungit rationem quare vult exaudiri, ibi, *In tua miſericordia.* Petit autem duo. Primò nominis dilatationem & fidei. Secundò reſurrectionem. *Saluum me fac.* Dicit ergo: Sic eripe me, ſed hoc parum, imo *faciem tuam*, id eſt, beneuolentiam & amorem, *ſuper ſeruum tuum* habitam, id eſt, ſuper me, qui inquantum homo, ſum ſeruus tuus, & inquantum Deus, vnigenitus. *Pſal.* Ego ſeruus tuus, & & filius ancillæ tuæ, Mariæ, quæ dixit *Luc.* 1. Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Hanc *illuſtra*, id eſt, demonſtra toti mundo, & clarifica. *Ioan.* 17. Pater clarifica me. Et 12. Pater clarifica filium tuum. Et venit vox de cœlo: Et clarificaui, & clarificabo.

Saluum me fac, à morte reſuſcitando. Supra in *Pſal.* Salua me ex ore leonis. *Et in miſericordia tua.* Hîc perſuadet à duobus: à miſericordia, & à iuſtitia. *Non confundar.* Ait enim: Sic illuſtra, ſic ſalua, & hoc *in miſericordia tua*, non in iuſtitia mea. Ergo Rex puriſſimus à peccato petit exaudiri ſecundum miſericordiam: quis iam audebit mihi allegare iuſtitiam propriam? Nullus. *Iſa.* 64. Facti ſumus vt immundi omnes nos. Omnes iuſtitiæ noſtræ quaſi pannus menſtruatæ. *Eccleſ.* 17. Laudabis Dominum, & gloriaberis in miſerationibus illius.

Domine non confundar, quoniam inuocaui te, 18. id eſt, in hoc quod inuocaui te: hoc enim iniuſtum valdè eſſet, ſi hoc ſuſtineres. Scriptum eſt *Ioël.* 3. Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Vel eſt vox Eccleſiæ poſtulantis duo: diſtinctionem bonorum à malis, & bonorum ſalutem. Nunc enim boni & mali dicuntur Chriſtiani, & eodem ſignantur charactere, & ad vnum altare accedunt, & vnam Dominicam orationem dicunt. Sed, ò tu Domine, *illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum*, id eſt, per tuæ faciei adiumentum, id eſt, irradiationem illuſtriſſimam, oſtende quis ſit ſeruus tuus. 1. ad *Cor.* 4. Nolite ante tempus iudicare, donec veniat Dominus qui illuminabit abſcondita tenebrarum, facies quæ modo non apparent. *Eccleſ.* 9. Omnia in futurum ſeruantur incerta: ſed tandem diſtinguentur. *Num.* 26. Mane notum faciet Dominus qui ad ipſum pertineant.

Anima iuſti eſt Dei facies irradiata virtutibus.

Et nota quantum ad mores, quòd cuiuſlibet anima facies Dei poteſt dici: eſt enim per quod cognoſcitur Deus, quia imago expreſſa. *Gen.* 1. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: hæc illuſtratur quando fit ſapientior, generoſior, melior, & virtuoſior, in omnibus conſtantior. Hæc faciet Deus in faciebus ſuorum. *Iſa.* 52. Ecce intelliget ſeruus meus, factus ſapientior: & exaltabitur, factus generoſior, de ſeruo Diaboli factus filius Dei: & eleuabitur, factus virtuoſior: & ſublimis erit valdè, factus conſtantior.

Erubeſcant impij, & deducantur. Hîc ſecundum, in quo imprecatur mala aduerſariis: & dicuntur duo. Primò imprecatio. Secundò ratio imprecationis, ibi, *Qui loquuntur aduerſus.* Imprecatur autem eis pœnam quæ tangitur in tribus. Primò in illorum confuſione in die iudicij. Secundò vlterius in illorum retruſione in inferno. Non hoc facit libidine vindictæ, ſed zelo iuſtitiæ. *Et deducantur.* Tertiò in perpetui ſilentij impoſitione. *Muta fiant.*

Dicit

Dicit ergo: Sic mihi præbe bona, ſed *impij erubeſcant*, oſtenſa omnibus in generali iudicio eorum turpitudine. *Nah.* 3. Ecce ego ad te, dicit Dominus Deus, extraham, & reuelabo pudenda tua. *Iſa.*41. Confundantur & erubeſcant omnes, qui pugnant aduerſum te: & deducantur in infernum, poſt illam confuſionem. *Matth.* 25. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, &c. Et etiam exiſtentes in inferno *deducantur*, de vno tormento in aliud ducantur. *Iob* 24. Tranſibunt ab aquis niuium ad ardorem nimium. Deducentur etiam, quia male tractabuntur. *Pſal.* Sicut oues in inferno poſiti ſunt, &c.

19. *Muta fiant*, perpetui ſilentij impoſitione, *labia doloſa*, de quibus ſupra in *Pſal.* Labia doloſa in corde & corde loquuti ſunt. Hæc fient muta in inferno. 1. *Reg.*2. Impij in tenebris conticeſcent. Et habebunt os obſtructum. *Pſal.* Obſtructum eſt os loquentium iniqua. Quomodo obſtruentur *Prouerb.* 20. dicitur: Suauis eſt homini panis mendacij, & os eius implebitur calculo, id eſt, lapide ignito: quod probatur per 6. *Iſa.* Sed contra: Legitur *Sap.*5. quòd dicturi ſunt: Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Et ſequitur: Talia dixerunt in inferno, &c. Et *Iſa.*65. Ecce ſerui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos præ contritione ſpiritus vlulabitis. Reſponſio. Muta erunt quoad conſueta gaudia, & deriſiones bonorum, in quibus nunc abundant, ſed non quantum ad verba planctus, ſicut. *Sap.*5. dicitur: nec quantum ad verba blaphemiæ, ſicut habetur *Apocal.*16.

Muta fient labia peccatorũ ad læta & bonorum deriſiones, non ad plãctum.

Quæ loquuntur. Hîc tangitur cauſa tantæ miſeriæ, & tangitur triplex peccatum. Oris primò. Secundò cordis. *In ſuperbia.* Tertiò operis. *Et in abuſione.* Dicit enim: *Muta fiant labia doloſa*, quæ, id eſt, quia illa *loquuntur aduerſus iuſtum*, Chriſtum. *Ierem.*22. Et hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter: & quemlibet alium bonum de Eccleſia. *Iob* 12. Deridetur iuſti ſimplicitas. *Iniquitatem*, illum blaſpemando, illis crimen imponendo quos tamen deberent laudare, ſecundum illud *Eccleſ.* 44. Laudamus viros glorioſos. Et hoc, *in ſuperbia*, cordis. *Prou.*11. Vbi fuerit ſuperbia, ibi & contumelia. *Et in abuſione*, operis, vtentes bonis ſibi datis à Deo ad ſuſtentationem, ad luxuriam. Quinque enim ſunt quibus abutuntur mali. Corpore ſuo, & alieno, illo peſſimo vſu, de quo *Thren.vlt.* Adoleſcentibus impudicè abuſi ſunt. Et muliere etiam, quando non eſt ſua. *Geneſ.*19. Habeo duas filias, educam eas ad vos, & abutemini eis. Et tempore. *Iob* 24. Dedi ei locum pœnitentiæ, & ipſe abutetur eo in ſuperbiam. Dignitate. *Baruch.* 6. Hoſtias illorum vendunt ſacerdotes, & abutuntur. Poteſtate 1. *ad Corinth.* Non abutar poteſtate noſtra, in Euangelio. Priuilegio & bonitate Dei. *Eſther vltimo*, Mukti bonitate principum, & honore qui in eos collatus eſt, abuſi ſunt. Et propter hoc Dominus eis abutetur in futuro, ad hoc ſcilicet ad quod non fuerunt facti, miſeriam & pœnam in eis exercendam. *Ierem.*18. In tempore furoris tui abutere eis.

Quinquenotanda quibus abutuntur mali, corpus, mulier, tempus, dignitas, Dei bonitas.

20. *Quam magna multitudo.* Hîc eſt ſecunda pars primæ partis huius Pſalmi, & vltima, in qua ad conſolationem poſt narrationem tot miſeriarum, enarrantur bona quæ Deus facit ſuis. Et primò facta & fienda omnibus generaliter. Secundò Chriſto ſpecialiter, ibi, *Benedictus Deus.* In prima duo. Primò quæ fient poſt hanc vitam. Secundò in hac vita. *Proteges eos.* Poſt hanc vitam tripliciter. Ante iudicium. In iudicio. *Perfeciſti eis.* Poſt iudicium. *Abſconndes eos.* In prima duo. Primò quantum ad quid. Secundò quare, ibi, *Quoniam abſcondiſti.* Exclamat ergo Propheta ad mitigandum quantum ad prædicta mala, ſecundum illud: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animã meam. *Quam magna*, quantum ad quantitatem continuam, *multitudo*, quantum ad diſcretam, *dulcedinis tuæ Domine.* Ecce quid in ſe. *Pſal.* Dulcis & rectus Dominus, dulcedine infinita, ipſe enim eſt ſua dulcedo. Et in *Pſal.* Et magnitudinis eius non eſt finis. Dulcis numeroſa quantitate in effectibus ſuis. Et enumeremus aliqua cum *Caſſiodor.* Dulcis cum inimicos ſuſtinet. Ad *Roman.*9. Suſtinuit autem cum multa patientia vaſa iræ apta in interitum. Dulcis cum orat pro eis. *Luc.* 23. Pater ignoſce eis, quia neſciunt quid faciunt. Dulcis cum corrigit, & quaſi vi cogit redire ad ſe caput. *Sapient.* 12. Inimicos ſeruorum tuorum, & debitos morti cum tanta cruciaſti attentione, & liberaſti. Dulcis cum correptis parcit. *Sapient.*11. Parcis omnibus, quoniam omnia tua ſunt Domine, qui amas animas. Dulcis cum recipit quibus pepercit. *Matth.* 11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, &c. Dulcis cum æterna promittit. *Matth.* 5. Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Ergo in omnibus actibus ſuis dulcis. *Sapient.*8. Diſponit omnia ſuauiter. Ipſe dulce verbum auditui, de quo *Eccleſ.*6. Dulce verbum multiplicat amicos, & mitigat inimicos. Lux dulcis viſui, de qua *Eccleſiaſt.* 11. Dulce lumen, & delectabile oculis videre ſolem. Dulcis cibus guſtui. *Cantic.* 2. Fructus eius dulcis gutturi meo.

Exponuntur de bonis huius vita & futura.

Dulcedinis diuina varij effectus.

Dulcia omnibus ſenſibus.

Sed ne torpeant aut negligentes ſint, addit, *quam abſcondiſti.* *Iſa.*45. Vere tu es Deus abſconditus. *Timentibus te*, id eſt, quam timentibus in abſcondito reſeruaſti. Temporales enim dulcedines omnibus ſunt communes bonis & malis, ſed iſtæ reſeruantur ſolis bonis. *Iſa.*44. Oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti timentibus te. Vel vt ſit ſenſus: abcondiſti timentibus, ſed oſtendiſti amantibus. *Sapient.* 16. Dulcedinem tuam in filios oſtendebas, &c.

Abſconda dulcedinem vt excutiat torporem.

Perfeciſti eis qui ſperant in te. Hîc ſubiungit de bonis quæ conferet eis in iudicio. Et primò tangit, quia perfectè. *Perfeciſti.* Secundò quo merito. *Eis qui ſperant in te.* Tertiò qualiter. *In conſpectu.* Dicit ergo: Sic magna multitudo quam abſcondiſti timentibus, ſed perfeciſti, id eſt, perficies, conſummabis, ſolidabiſque, qui ſperant in te, non in aliqua re temporali. Propter hoc dicit *Iacob.* in 5. Patientes eſtote fratres mei vſque ad aduentum Domini noſtri IESV-CRRISTI.

Nota ergo, quòd timentibus dicit abſconſam,

Spe non timore guſtatur dulcedo.

ſam, ſed ſperantibus perfectam Dei dulcedinem: quia plus guſtatur dulcedo cœleſtis per ſpem, quam per timorem: imò propriè loquendo timore non guſtatur, ſed ſpe. *Sap.*8. Spes illorum immortalitate plena eſt. Ad *Rom.* 8. Spe ſalui facti ſumus: & hoc non in abſcondito, ſed *in conſpectu filiorum hominum*, videntibus filiis hominum. Per hominem frequenter in Scriptura ſacra ſignificatur vetus homo, Adam ſcilicet, per filium hominis Chriſtus. Sic homines dicuntur frequenter carnales in Scriptura: filij hominum, ſpirituales, ad Chriſtum pertinentes, qui fuit filius hominis, quia non primus. Coram omnibus autem iuſtis manifeſtabit dulcedinem ſperantibus, qui eam modò eis latenter oſtendit, & præguſtare facit. *Iob* 29. Quis mihi det vt ſim in diebus adoleſcentiæ meæ, quando Deus erat mecum ſecreto in tabernaculo meo? ſed tandem perficiet coram omnibus & apertè, quando dicet: Venite benedicti patris mei, &c. *Matth* 25.1. ad *Corinth.*13. Cum venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. Poſſit & ſic legi: Sic abſcondiſti eam timentibus, ſed eam perfeciſti eis qui ſperant in te, ita quod in conſpectu filiorum hominum, id eſt, qui ſe oſtendunt ſperare in te, per bona opera, quæ audacter faciunt. *Matth.*5. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.

21. *Abſcondes eos.* Hîc tangit bona eis conferenda poſt iudicium: & tanguntur duo. Vnum, quòd à malis non videbuntur. Secundò, quòd ab omni tribulatione ſaluabuntur, ibi, *A conturbatione.* Ait enim: Sic in iudicio coram filiis hominum, tuam illis manifeſtabis dulcedinem, & etiam *abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ*, id eſt, in illo ordinatiſſimo cœtu Angelico, quem nec Iob cognoſcebat. *Iob* 38. Nunquid noſti ordinem cœli, aut pones rationem eius in terra? Vel *abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ*, id eſt, in præſentia faciei tuæ, quæ eſt abſcondita modò ſub Scripturis & ſacramentis. *Iſa.*45. Tu es Deus abſconditus. 1. ad *Corinth.*18. Nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Vel ſic: In facie tua, in qua erunt abſconditi ſic à malis: quia, vt dicit *Greg.* Vſque in diem iudicij, mali qui ſunt in inferno, vident bonos qui ſunt in paradiſo. Sed tunc non videbunt, nec tantum faciem, ſed nec iuſtos glorificatos. *Iſa.*26. Tollatur impius ne videat gloriam Dei. Et hoc *à conturbatione hominum*, vt nullam omninò perturbationem patiantur, nec compatiendo damnatis in inferno, nec modo alio. Sed magis lætabuntur. Videbunt enim damnatos iuſti. *Pſal.* Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam. *Iſa.vlt.* Egredientur & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati ſunt in me, & erunt vſque ad ſatietatem viſionis omnis carnis, &c.

Proteges eos in tabernaculo tuo. Hîc tangitur bonum bonis collatum in præſenti, id eſt, protectio & conſeruatio illorum à Deo: & tanguntur tria. Primò, quòd proteget. Secundò vbi. *In tabernaculo.* Tertiò à quo. *A contradictione.* Dicit ergo: Hæc quæ dimiſi, eis facies in futuro, ſed etiam in præſenti, *proteges eos. Zachar.*9. Dominus Deus exercituum proteges eos. Sed vbi? In tabernaculo tuo, Eccleſia ſcilicet militante, quæ dicitur tabernaculum ad differentiam illius ſupernæ Eccleſiæ, ſcilicet triumphantis, quæ dicitur domus, quia ibi quieſcitur. *Prouerb.*1. Qui audierit me, requieſcet, & bonorum abundantia perfruetur, malorum terrore ſublato. *Ierem.*30. Reuertetur Iacob ad domum ſuam, & cunctis affluet bonis. Sed militans quæ adhuc militat. *Iob* 7. Militia eſt vita hominis, &c. Tabernaculum. Item tabernaculum dicitur à taberna, & à cœna, & in Eccleſia ſanguis Chriſti proponitur ad bibendum, & caro ad cibum. *Iſa.*25. Faciet Dominus in monte hoc conuiuium, conuiuium pinguium, & vindemiæ, pinguium medullæ, & vindemiæ defæcatæ, hoc ergo tabernaculum Dei cum hominibus.

Bona his iuſtis collata.

Triplex tabernaculum à triplici contradictione vindicatum.

Vel *in tabernaculo tuo*, id eſt, in humanitate tua, quæ eſt illud tabernaculum, de quo in *Pſal.* In circuitu eius tabernaculum eius. Et in tabernaculo tuo cœlo, quod eſt dictum tabernaculum ſupra in alio *Pſal.* Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Et hoc *à contradictione linguarum.* In primo, à contradictione linguæ hæreticorum & ſchiſmaticorum Eccleſiæ contradicentium. *Iob* 16. Suſcitatur falſiloquus aduerſum me contradicens mihi. In ſecundo, à contradictione linguarum detrahentium & maledicentium, videns hoc teipſum in patientia ſuſtinuiſſe. *Bernard.* In factis habuerunt obſeruatores, in verbis contradictores. Ad *Hebr.*11. Recogitate eum, qui talem aduerſum ſemetipſum ſuſtinuit contradictionem. In tertio à contradictione diſputantium contraria ſentientium: quia ibi ſumma pax & concordia, & limpidiſſima cognitio veritatis. *Iob* 25. Qui facit concordiam in ſublimibus ſuis, &c.

22. *Benedictus Dominus.* Hîc ſubiungit Pſalmiſta in perſona Chriſti loquens, de bonis Chriſto propriè exhibitis: & tanguntur duo. Primò gratiarum actio. Secundò bonorum ſibi factorum recordatio tanquam pro cauſa. *Quoniam mirificauit.* Dicit ergo: Hæc quæ prædixi bona, contulit meis. Sed etiam *benedictus Deus*, benedictione laudatiua, ſicut alibi in *Pſal.* Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium. *Dan.*3. Benedictus es Domine Deus patrum noſtrorum.

Quoniam mirificauit. Hîc ſubiungit bona, & ſunt duo. Primum à toto mundo veneratio. Secundum totius voluntatis adimpletio, ibi, *Ego autem dixi.* In prima tangit quid fecit, *quia miſericordiam.* Secundo ad quid fecit, ad Chriſti gloriam. *Mihi.* Tertio vbi, quia in toto mundo. *In ciuitate.* Dicit ergo: Sic benedictus, *quoniam mirificauit*, id eſt, mirabilem fecit, *miſericordiam ſuam*, & hoc *mihi*, ad honorem meum: & hoc *in ciuitate munita*, quando per totum mundum innotuit, & prædicatum fuit me verum Deum & hominem per Apoſtolos & prædicatores alios docentes, & miracula facientes. *Pſal.* In omnem terram exiuit ſonus eorum. Et in eodem, Cœli, id eſt, Apoſtoli, enarrant gloriam Dei, ſcilicet Chriſti. Ad *Philip.*2. Propter quod & Deus exaltauit illum, &c. Ciuitas enim, totus mundus dici poteſt, quia ſicut dicit Iſidorus, ciuitas dicitur pro eo quod multorum

Ciuitas munita mundum.

contineat vitas: & mundus quot habet diuerſitates gentium, tot continet mores diuerſarum vitarum, tam in bono quam malo. Hæc *munita* prouidentia carnis in guloſis, & rationibus philoſophicis in ſuperſtioſis, cordis duritia in Iudæis, peruerſitate in hæreticis. *Zachar.9.* Ædificauit Tyrus, id eſt, mundus anguſtus, in gyro munitionem ſuam. De hac ergo ciuitate in *Pſal.* Quis deducet me in ciuitatem munitam? qui deducet me vſque in Idumæam? Quis deducet me in ciuitatem munitam? ſed à piſcatoribus, & pauperibus capta eſt ciuitas, quos miſit Chriſtus ad expugnandam eam. 2.ad *Corinth.*10. Arma militiæ meæ non ſunt carnalia, &c.

Vel poteſt eſſe vox corporis, cui, id eſt, ad cuius vtilitatem, miſericordiam ſuam mirificauit multis modis Deus. Primò carnem aſſumendo. Credebatur enim hoc à Philoſophis eſſe impoſſibile. *Ier.*31. Nouum fecit Dominus ſuper terram: fœmina circundabit virum. Cum hominibus conuerſando. *Ier.*14. Quare futurus es colonus in terra? Pro nobis moriendo. Ad *Rom.*5. Vt quid Deus, Chriſtus, cum adhuc eſſemus infirmi, pro impiis mortuus eſt? Quartò ad pœnitentiam expectando. Ad *Rom.*2. An ignoras, quòd Dei miſericordia ad pœnitentiam te adducit? Propter hoc dicitur *Iſa.*9. Vocabitur nomen eius admirabilis. Et ſupra in *Pſal.* Mirificauit Dominus Sanctum ſuum. *Auguſt.* & *Caſſiod.* habent, In ciuitate circunſtantiæ, id eſt, in Ieruſalem, quæ à toto circundatur, mirificauit. Sed hinc per totum mundum effudit tanquam ſuauiſſimam vnctionem. *Cant.*1. Oleum effuſum nomen tuum.

13. *Ego autem dixi.* Hîc ſecundum, ſcilicet totius voluntatis Chriſti adimpletio: & dicuntur tria. Primò ratio exaudiendi. Secundò exauditio. *Ideo exaudiſti.* Tertiò velocitas in exaudiendo. *Dum clamarem.* Ratio quare exauditur, verba quædam quæ dixit conquerendo. Vnde primò dicitur, quòd aliquid dixit. Secundò quando. *In exceſſu mentis meæ.* Tertiò quid. *Proiectus ſum.* Dicit ergo: Sic per totum mundum gloriam meam prædicaſti. *Ego autem dixi*, non ſilui, verbis enim quomodo ſileret? & *in exceſſu mentis meæ*, quem ex deliberatione feci vt morerer pro mundo: hoc fuit in cruce: magnus enim exeſſus fuit quod fecit. *Luc.*19. Dicebat exeſſum eius quod completurus erat in Ieruſalem. Et bene dicitur exceſſus, quia tunc homo in extaſi vel exceſſu eſſe dicitur, ſicut dictum fuit ſuprà, quando anima corpori non intendit, ſicut Chriſtus in paſſione, non ſe, ſed ſuos plangebat inimicos, qui ipſum occidebant *Luc.*23. Et quid dicebam in hoc exceſſu mentis?

Proiectus ſum, de Ieruſalem. Ad *Hebr.*13. Extra portam paſſus eſt, tanquam leproſus, qui extra ciuitates, & caſtra eiicitur. *Leuit.*13. Solus habitabat extra caſtra. *Iſa.*53. Vidimus eum quaſi leproſum. Et hoc *à facie oculorum tuorum*, ſacerdotum ſcilicet, qui oculi Dei videntes, ſcilicet toti populo debent eſſe. *Zach.*2. Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei.

Ideò exaudiſti, ſcilicet propter paſſionem hanc amaram, *orationem meam. Eccleſ.*35. Deprecationem læſi exaudiet Dominus. Ad *Hebræ.*5. Cum clamore valido & lachrymis exauditus eſt pro ſua reuerentia. Et hoc ſtatim & ſine mora, *dum clamarem*, tota die, *ad te. Iſa.*65. Et erit, antequam clament, ego exaudiam, adhuc illis clamantibus ego adſum. *Iſa.* 30. Miſerans miſerebitur tui, ad vocem clamoris tui, ſtatim vt audiet, reſpondebit tibi. Poſſunt etiam legi de Eccleſia & anima fideli hi duo verſus. Quaſi diceret: *Dixi in exceſſu meo*, duplici, terroris ſcilicet pauore nimio perterrita: *Proiecta ſum à facie oculorum tuorum:* ſi de me curares, hæc me pati non ſineres. *Ideò exaudiſti vocem orationis meæ*, ſtatim dum ſic humiliata *clamarem ad te. Eccleſ.*35. Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit. Vel, *in exceſſu meo*, contemplationis, *dixi: Proiecta ſum à facie oculorum tuorum.* Quantò enim plus aſcendimus Deum cognoſcendo, ſecundum illud, 2. ad *Corinth.* 5. Siue mente excedimus Deo, ſine ſobrij ſumus nobis: tantò magis ipſos nos abiicimus, & viliores reputamus. *Iob vlt.* Et nunc oculus meus videt te. Idcirco ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam, &c. *Gregor.* Quantò magis homo in diuina contemplatione proficit, tantò magis ſe nihil eſſe cognoſcit, *Ideò exaudiſti dum clamarem*, vocem orationis meæ, ſic humiliando me. *Luc.*18. Humilians ſe Publicanus exauditus eſt, repulſus autem tumens Phariſæus.

Exponitur de iuſto à Deo per duplicem extaſim proiecto.

Diligite Dominum. Hîc ſecunda pars totius huius Pſalmi, in quo præmiſſa diligenti narratione ſubiungitur vtilis exhoratio populi, vel auditorum illorum quæ præmiſſa ſunt. Primò ergo hortatur ad charitatem. Sed quia charitas otioſa eſſe non poteſt, ſecundò hortatur ad bonam operationem. *Viriliter agite.* In prima duo. Primò monet Sanctos vt Deum diligant. Secundò aſſignat cauſam quare diligere debent. *Quoniam veritatem.* Dicit ergo: Sicut audiſtis paſſionem quam propter vos ſubſtinuit Dominus, & propter hoc, O vos omnes ſancti eius *diligite Dominum.* Pulchra conſequentia: nihil magis accendere debet nos ad amorem ſicut paſſio quam ſuſtinuit pro nobis Deus paſſibilis. Nec aliud pro tanto beneficio à nobis requirit, niſi vt eum diligamus. *Deut.* 10. Et nunc Iſrael quid petit Dominus à te, niſi vt diligas eum?

Quoniam veritatem requirit. Hîc aſſignat cauſam duplicem. Prima: quia virtutem inquirit. Secunda: quia ſecundum merita retribuit. *Et retribuet.* Ait enim: Diligite, & debetis, *quoniam veritatem requiret Dominus*, triplicem. Cordis de qua ſuprà. Qui loquitur veritatem in corde ſuo. Oris de qua *Apoc.*14. In ore eorum non eſt inuentum mendacium. Operis, de qua *Eccleſ.*27. Veritas ad illos qui operantur illam reuertetur. Et hanc etiam triplicem requirit, quia veritatem vitæ ab omnibus, veritatem iuſtitiæ à iudicibus, veritatem doctrinæ à prælatis & aliorum Doctoribus. De hac triplici *Matth.*22. Magiſter ſcimus, quia verax es, pro veritate vitæ: & viam Dei in veritate doces, pro veritate doctrinæ: & non eſt tibi cura de aliquo, pro veritate iuſtitiæ.

Triplex veritas à Deo requiritur, vita ab omnibus, iuſtitia à prælatis, doctrina à doctoribus.

Hac triplex veritas à Chriſto exhibita.

Et retribuet. Ecce tertium. Quaſi diceret: Sic

Pœna æterna magnitudo.

Sic veritatem requiret, & non inuenta illa retribuet abundanter propter pœnæ numeroſitatem. *Iob.*20. Arctabitur, propter multitudinem coafflictorum, & loci arctitudinem: & æſtuabit, propter ignem: & omnis dolor irruet ſuper eum, propter pœnarum multitudinem: & abundanter, propter ipſarum acerbitatem: & tanta eſt, quòd venitur vſque ad punctum mortis, nec vltrà progreditur. *Auguſt. de ciuitate Dei*, Secunda mors eſt omnium malorum peſſima, quæ non eſt in ſeparatione animæ à corpore, ſed eſt in æterna pœna vtriuſque complexus. Ibi non erunt homines ante mortem, & poſt mortem, ſed ſemper in morte.

25. *Viriliter agite.* Hîc ſecundum, in quo inuitat ad bonam operationem. Et primo inuitat ad viriliter operandum. Secundò docet modum. *Et confortetur.* Sic retribuet: ergo vos omnes qui ſperatis in Domino, *viriliter agite*, non muliebriter & remiſsè. *Prouerb.* 18. Qui mollis & remiſſus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis. Pauci tales. *Eccleſ.*19. Ciuitas parua, & pauci in ea viri. *Num.*3. Populus tuus, mulieres in medio tui. Quid mirum ſi populus, quia etiam prælati. *Iſa.*3. Dabo prauos principes eorum, & effœminati dominabuntur eis. Et vt hoc poſſitis, *confortetur cor veſtrum*, per fidem quæ roborat. 1.*Pet* 5. Cui reſiſtite fortes in fide. Per ſpem quæ conſolationem & gaudium præſtat. Ad *Rom.*12. Spe gaudentes, in tribulatione patientes. Per Charitatem quæ poſcit & confirmat. *Pſal.* Et panis cor hominis confirmet.

Nota etiam, quòd bene poſtquam dixit, *viriliter agite*, rectè adiungit, *Et confortetur cor veſtrum*, quia bona operatio confortat etiam hic in præſenti, & afficit. *Pſal.* Labores manuum tuarum quia manducabis, &c. Et tandem glorioſam remunerationem dat in futuro. *Matth.*20. Voca operarios, non otioſos: & redde illis mercedem ſuam, ad quam nos perducat qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum, Amen.

IN XXXI. PSALMVM.

Intellectus Dauid.

Argumentũ Pſalmi, afficta ſuperiori Pſalmo Eccleſia, hic inſtruitur, & poſt duplicem extaſim peccata ſua cognoſcit & plangit.

BEati quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Hic eſt Pſalmus trigeſimus primus, in quo poſtquam actum eſt in præcedenti de tribulationibus Eccleſiæ, propter quas in extaſim & pauorem veniebat, agitur de eiuſdẽ Eccleſiæ inſtructione & intellectu: quia ſicut dicitur *Iſa.*28. vexatio dabit intellectũ auditui. Item ſi in præcedenti Pſalmo actum eſt de extaſi, in ſecundo ſecundum quod eſt raptus animæ ad ſuperna, pater recta conſequentia: talem enim extaſim ſequitur intellectus: præguſtatur enim in præguſtatione dulcedo ſuperna, & hauritur veritatis intelligentia, & cognitio ſecretorum. *Pſal.* Guſtate & videte.

Quod autem anima maximè in vtraque extaſi experitur, hoc eſt, vt ſeipſam humiliet in cognito peccato, non tantum doleat, ſed etiam confiteatur veniam poſtulando. Hinc eſt, quòd Pſalmus iſte intitulatur, *Intellectus Dauid*, vere eius ad literam intellectus, quia intellecto peccato ſuo, & poſito ante oculos per Natham, ſcilicet peccato adulterij, & homicidij, ſtatim humiliter confeſſus eſt, dicens, Peccaui 2.*Reg.* 12. Hic debet eſſe intellectus peccantium, non circa curſus ſyderum, & inutilia & curioſa. *Bernard.* Multi multa ſciunt, & ſeipſos neſciunt. *Eccleſ.*3. Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris. Sed potius ſecundum illud *Leuit.*5. Si intellexerit delictum ſuum, agat pœnitentiam de peccato ſuo. Hic eſt enim verus intellectus, vt prius habito dolore de peccato, poſtea confeſſio ſequatur, & ſic erit Dauid pœnitens: Dauid enim interpretatur aſpectu deſiderabilis: & in vero pœnitente eſt albedo vultus & munditia propter abundantiam lachrymarum, & rubor propter verecundiam: quæ duo reddunt aſpectum deſiderabilem. *Bernard.* ſuper Cant. Rubor ipſe genarum quem pudor inuexit, quantum vultui ſuffuſo ſolet afferre gratiæ & decoris? *Cant.*5. Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis. Et debet conſequenter abſtinendo à malo & bona faciendo eſſe manu fortis. Sic enim etiam interpretatur Dauid. *Iob.*17. Mundis manibus addet fortitudinem. *Zach.*12. Erit qui offenderit ex eis in die illa, quaſi Dauid. Ex dictis patet hunc Pſalmum eſſe ſecundum pœnitentialium. In primo enim, qui ſextus eſt omnium, actum eſt de dolore peccatoris ex conſideratione futuri iudicij: in hoc autem de confeſſione oris principaliter, etſi agatur de contritione, & quibuſdam aliis.

Pœnitens vt Dauid eſt aſpectu deſiderabilis & manu fortis.

Diuiſio Pſalmi in tres partes penitentiæ, dolorem, confeſſionem, & ſatisfactionem.

Diuiditur autem Pſalmus in tres partes. Primò loquitur pœnitens vt contritus. Secundò ſubiungitur de confeſſione oris, ibi, *Delictum meum.* Tertiò de ſatisfactione operis, ibi, *Pro hac orabit.* In prima duo. Primò gemendo recitat quod bene ſit exiſtentibus in ſtatu gratiæ. Secundò explicat quam miſerè remanentibus in ſtatu culpæ: exemplum ponens in ſe, ibi, *Quoniam tacui.* In prima duo. Primò oſtendit illorum fœlicitatem. Secundò cauſſam ex parte illorum. *Nec eſt in ſpiritu eius.* In prima dicuntur tria: fœlicitatem enim tangit in tribus, ſeu beatitudinem. Primò in carentia originalis culpæ. Secundò actualis ante baptiſmum, & *quorum tecta.* Tertiò venialium poſt baptiſmum, ibi, *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum.*

Dicit ergo ſuſpirando pœnitens audita miſeria, & afflictione Eccleſiæ, vel rediens de diuinorum contemplatione. *Beati*, ſunt, ſupple, beatitudine viæ iam in præſenti, *quorum remiſſæ ſunt iniquitates*, culpæ ſcilicet originalis per gratiam illis infuſam in baptiſmo. Si enim peccatum facit miſeros. *Prouerb.*14. Miſeros facit populos peccatum: à contrario gratia felices, & beatos. Dicit autem, *iniquitates* in plurali, quamuis ſit vnum peccatum originale, propter multitudinem effectuum: hinc enim omnia alia oriuntur. 1. ad *Timoth.*6. Radix omnium malorum eſt cupiditas. Et nota, quòd optimè dicuntur remiſſæ, non amotæ omninò: per gratiam enim baptiſmalem cum in originali peccato ſint duo, culpa ſcilicet, & pœna, deletur omnino culpa, ſed remanet concupiſcentia, non intantum ſæuiens, ſed remiſſa. *Geneſ.*4. Veruntamen ſubter te erit appetitus tuus. Et

ad *Roman.* 6. Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore.

Et quorum tecta ſunt peccata, mortalia actualia quæcumque ante baptiſmum ſnnt facta, tecta ſunt vultui Dei, vt iam non puniat illa. *Pſal.* Auerte faciam tuam à peccatis meis: imò deleta penitus. *Iſa.*43. Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me. Et nota, quòd multipliciter teguntur peccata. Primò malè erubeſcentia confitendi, ſicut tegebat illa Phariſæus. *Luc.*18. ſicut dicit *Auguſt.* Ille peccata habebat, & coram medico membra ſana oſtendebat, & morbida tegebat. Sed benè teguntur multis modis. Primò aqua baptiſmatis, vt ibi ſubmergantur, & non viuant. Sic tegebantur Ægyptij perſequentes filios Iſraël *Exod.* 14. & in 15. Flauit ſpiritus tuus, & operuit eos mare, &c. Alio modo, emplaſtro medicinæ, ſcilicet pœnitentiæ. *Auguſt.* Sub tegmine medici vulnus ſanatur. Sub tegmine ſauciati corrumpitur. Si tu tegere volueris erubeſcens, medicus non curabit. Alio modo, diuini amoris igne. Peccata enim denigrant animam, facientes eam carboni ſimilem. *Thren.* 3. Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum. Sed carbo cum accenditur, ſua nigredine detegitur: ſic animæ nigredo cum charitate inflammatur. 1. *Pet.* 4. Chritas operit multitudinem peccatorum.

Peccata multis modis tegũtur.

2. *Beatus vir cui non imputauit.* Ecce tertium. Quaſi diceret: Beatus cuius remiſſa originalis culpa, cuius actualia ſunt tecta, & etiam, *beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum*, veniale ſine quo nemo viuit in hac vita. *Prouerb.*20. Quis poteſt dicere, Mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato? Non imputat autem, quia abſorbetur vehementia charitatis, ſicut gutta aquæ ab igne: ſicut factum eſt in Iob qui dicebat 17. Non peccaui, & tamen venialiter peccabat, & eum Dominus commendauit oſtendens, quod ei non imputaret. Similiter Nathanaëlem *Ioan.* 1. Ecce vere Iſraelita in quo dolus non eſt.

Sed quæret aliquis, Quomodo beatus dicitur, cuius iniquitates remiſſæ, cuius tecta ſunt peccata, cui non imputauit Dominus peccatum, cum videamus viros ſanctos tot miſeriis exponi? Addimus: dolori cordis, erubeſcentiæ confeſſionis, miſeriæ ſatisfactionis oportet quod exponantur. *Iſidor.* lib.10. cap.3. Beatus dicitur quaſi bene aptus. In ſtatu enim peccati fuit ſicut puluis modicus, breuis, vt atomus. *Pſal.* Comminuam eos vt puluerem, &c. ſuprà: Non ſic impij, non ſic, ſed tanquam puluis, &c. Sed poſtea fit gigas mirabilis: habet enim caput quod attingit vſque ad cœlum, ſcilicet Chriſtum, cuius eſt membrum. Ad *Epheſ.* 1. Ipſe dedit eum caput quod attingit vſque ad cœlum, ſuper omne corpus quod eſt Eccleſia. Et extendit in latitudinem corpus ſuum, ab Oriente vſque in Occidentem. *Dan.*4. Magnificatus es, & inualuiſti, & magnitudo tua creuit. Item bene aptus eſt genere & nobilitate: erat enim priùs ſeruus peccati. *Ioan.* 8. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. In eodem, Vos ex patre diabolo eſtis. Nunc autem factus eſt de genere Dei. *Act.*18. Ipſius etenim genus ſumus. *Ioan.*1. Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, &c. Item bene aptus nomine. Prius vocabatur fur, vel adulter, vel aliquid tale: nunc autem Deus. In *Pſal.* Ego dixi: Dij eſtis, & filij Excelſi omnes. 2. *Reg.*7. Feci tibi nomen grande iuxta nomen magnorum, qui ſunt in terra. Sed pœnitenti iuxta nomen magnorum qui ſunt in cœlo. Item bene aptus numere: quia illud donum excellentiſſimum accipit, ſcilicet, Spiritum ſanctum, qui eſt ſummum omnium donorum. *Prou.*3. Dabit capiti augmenta gratiarum. *Eccleſ.*44. Homines magni virtute.

Beatitudo hominis iuſtificati.

Nec eſt in ſpiritu eius dolus. Hîc ſecundum, in quo cauſam felicitatis oſtendit ex parte illorum. Ait enim: Sic beatus exiſtens in ſtatu gratiæ, & hoc iuſtum, quia *nec eſt in ſpiritu eius dolus.* Dolus in ſpiritu dicitur eſſe, quando homo ſeipſum reputat, nec culpam recognoſcit, ſicut Phariſæus culpam occultabat, & dolum in ſpiritu habebat. Tales Deum magis prouocant ad vindictam, & ita nunquam ad gratiam infundendam. *Iob* 36. Simulatores & callidi prouocant iram Dei. *Prouerb.* 12. Dolus in corde cogitantium mala. 3. *Reg.* 14. Ingredere vxor Ieroboam: cur te aliam ſimulas? Et Ieroboam diuiſio populi interpretatur, & ſignificat diabolum qui non quærit niſi diuidere populum. Huius vxor eſt anima ſimulatrix iuſtitiæ. Sed huic dicitur: Ingredere interiùs in corde, & vide iniquitates & peccata: non enim ſunt tecta, &c.

3. *Quoniam tacui.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit ſtatum non confitentis, infelicem oſtendendo. Primò ergo tangitur defectus boni. Secundò abundantia mali, ibi, *Quoniam die ac nocte.* In prima duo ſecundum duplicem culpam quam tangit. Primò confeſſionis malorum carentiam, quia ipſam renuit, nec confeſſus eſt. Secundò malorum iactantiam. *Dum clamarem.* Et eſt ſuperbia cauſata virtutis diminutione. Ait enim: Beatus qui eſt in ſtatu præcedenti, infelix qui in oppoſito, quem expertus ſum, *quia inueterauerunt*, facta infirma & debilia, *oſſa mea*, id eſt, ſpiritus mei, vel mei ſpiritus fortitudo debilitata fuit, & propter defectum. Ad *Hebr.*8. Quod inueteratur & ſeneſcit, propè interitum eſt. Et dicitur anima os ratione operis: quia ſicut opus oſſis eſt carnem mollem ſuſtentare, ſic ſpiritus carnem ſuſtentat, & corpus totum. *Prouerb.* 18. Spiritus viri ſuſtentat imbecillitatem. Ratione nominis: quia ſicut dicit Iſidorus, oſſa dicuntur quaſi vſta, quia antiquitus cremabantur. Sic anima igne charitatis debet cremari tota. In *Pſal.* In meditatione mea exardeſcet ignis. Et dicuntur oſſa in plurali, propter virtutum pluralitatem. *Inueterauerunt* ergo *oſſa mea*, *quoniam tacui*, celando peccatum, non confitendo. *Iob* 16. Si tacuero, non recedet à me dolor meus. *Pſal.* Omnis iniquitas oppilabit os ſuum.

Infelicitas peccatoris.

Dum clamarem. Contradicere ſibi videtur. *Tacui* dixit, quomodo ergo addit, *Dum clamarem.* Reſponſio multiplex. Primò, vt ſit clamor oris, & ſit ſenſus: *Tacui* peccata in confeſſione: ſed bona ſi qua habui, iactando clamaui: contra illud 1. *Reg.* 2. Recedant vetera de ore veſtro, id eſt, peccata: & nolite multiplicare

loqui

loqui ſublimia gloriantes, bona iactando opera. Vel vt ſit clamor operis. Quaſi diceret: Tacui ne peccarem ore, dum clamarem opere. *Gen.* 18. Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus eſt. Et hoc *tota die*, hanc miſeram iactantiam de die in diem prolongando, vel operis clamorem. *Pſal.* Prolongauerunt iniquitatem ſuam. *Iſa.* 5. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis. Damnoſum ergo valde ſilentium peccati. *Iſa.* 6. Væ mihi, quia tacui. Et pernicioſus clamor iactantiæ opera oſtenrando. Vndè addit, quia vir pollutus labiis ego ſum. *Prouerb.* 18. Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem reliquerit ea & confeſſus fuerit, veniam conſequetur.

4. *Quoniam die ac nocte.* Hîc ſecundum, in quo tangitur mali abundantia. Et primò ex parte corporis. Secundò ex parte animæ, ibi, *Conuerſus ſum.* Ex parte animæ oſtenditur duplex miſeria. Cognitio ipſius miſeriæ in aſpectu. Remorſus conſcientiæ in affectu. *Dum configitur.* Dicit enim: Sic carui omni bono, & conuerſus ſum in ærumna mea exiſtens, conuerſus ſum vt viderem eam, & cognoſcerem. *Thren.* 3. Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis tuæ. Et hoc *quoniam grauata eſt ſuper me manus tua.* 1. *Reg.* 5. Grauiſſima manus Domini facta eſt ſuper Azotios, & tunc cognouerunt ſe peccare in Dominum propter arcam quam tenebant. Et hoc *ſuper me*, pluſquam poſſim ſuſtinere, & *tota die*, continuè. 2. *Machab.* 12. Antiochus ſuperbiam & miſeriam non cognouit, donec afflictus eſt grauiter à Domino. Tunc habere cœpit conſcientiæ remorſum. Et hoc *dum configitur ſpina*, interior in conſcientia remorſus de culpa. De hac punctione *Prouerb.* 12. Pungens oculum deducet lachrymas. Remorſus enim conſcientiæ & oculi interioris, multos vſque ad fletum deducit. Vel ſpina peccatum appellatur, & culpa impugnatiua eſt: & hoc quia naſcitur de terra noſtra. *Geneſ.* 3. Maledicta terra in opere tuo: ſpinas & tribulos germinabit tibi. Et ſponte oritur, imò magis ex negligentia cultorum. *Prouerb.* 24. Per agrum pigri hominis tranſiui, & per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleuerant vrticæ, & ſuperficiem eius ſpinæ. Item flos vel fructus ſi eſt in ſpina, ſine læſione non carpitur: ſic nec delectatio peccati ſine pœna habebitur, ſed ſtatim conſcientiam punget. *Ioël.* 3. Cito velociter reddam viciſſitudinem vobis. Spina etiam appellatur pœna iſta, & miſeria exterior quæ affligit. *Iſa.* 32. Super humum populi mei ſpinæ & vepres, maiores pœnæ, & minores aſcendent: quantò magis ſuper domos gaudij ciuitatis exultantis. Senſus ergo eſt: *Conuerſus ſum in ærumna mea*, vt ipſam cognoſcam dum remordet me conſcientia, dum infligitur corporalis pœna.

Spina multiplex acceptio.

Vel ſpina appellari poteſt ſuperbia, quæ tenet animam rigidam & erectam ſicut dorſum ſpina, & eſt ſenſus. Cognoui culpam & miſeriam cum confringitur in me ſuperbia, ex miſeriis quas ſuſtineo. *Iob* 11. Vir vanus in ſuperbiam erigitur. Sed confringitur ſuperbia, & humiliatur. Supra in *Pſal.* Confringet Dominus cedros Libani. Vel ſpina dicitur ipſa ratio, quæ debet animam ſurſum erectam tenere. Sed hæc configitur quando ad terrena inclinatur. *Prouerb.* 17. Oculi ſtultorum in finibus terræ. Et in *Pſal.* Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram. *Daniel.* 13. Aduerterunt ſenſum ſuum ne viderent cœlum.

Delictum meum. Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur de confeſſione oris, poſtquam præmiſſa ſunt quæ pertinent ad contritionem cordis: & dicuntur duo. Primò quidem aſſerit ſe confeſſum. Secundò oſtendit confeſſionis effectum, ibi, *Dixi confitebor.* In prima duo. Primò tangit confeſſionem omiſſorum. Secundò commiſſorum. *Et iniuſtitiam meam.* Dicit ergo, Hæc eſt beatitudo exiſtentis in gratia, & miſeria exiſtentium in ſtatu oppoſito. Et propter hoc, *delictum meum*, omiſſionis ſcilicet peccatum, *cognitum tibi feci.* Sed hoc quomodo? Nunquid non erat ei cognitum antequam loquereris? Reſpondeo. *Tibi*, id eſt, tuo vicario, ſcilicet ſacerdoti. *Gloſſa*, Quod tacui peccata, argumentum eſt, quod negligentia confitendi eſt confitenda. Quando autem peccat mortaliter differendo? Omnes ſunt in hoc quod differendo vltra tempus ab Eccleſia ordinatum, ſcilicet vltra annum. Alij dicunt, quòd ſi non confitetur, quam citò habet copiam confitendi & ſacerdotis, mortaliter peccat, quod eſt ſatis durum. *Eccleſ.* 5. Ne tardes conuerti ad Dominum, corde per contritionem, & ne differas de die in diem, facere confeſſionem. 5.

Et iniuſtitiam meam, peccatum ſcilicet actuale, *non abſcondi. Iob* 31. Si abſcondi quaſi homo peccatum meum, & celaui iniquitatem meam. *Pſal.* Reuela Domino viam tuam. *Ierem.* 11. Tibi enim reuelaui cauſam meam. *Prou.* 18. Iuſtus in principio accuſator eſt ſui. *Iſa.* 43. Narra ſi quid habes tu, vt iuſtificeris.

Dixi: *Confitebor.* Hîc ſecundum, in quo tangitur confeſſionis effectus, & virtus, quia tantæ virtutis eſt, quod etſi ſit adhuc in propoſito, facit peccatum remitti: vnde duo dicuntur. Primò confeſſio in propoſito. Secundò peccati remiſſio. *Et tu remiſiſti.* Dicit ergo: Sic cognitum feci delictum, non abſcondi iniuſtitiam. Et mira confeſſionis virtus. *Dixi*, in corde meo proponendo: *Confitebor aduerſum me*, id eſt, contra illud quod propoſueram tacere peccatum meum: accidit enim talis peccatorum mutatio in prædicationibus. *Prou.* 15. Labia prudentium diſſeminabunt ſcientiam. Et ſtatim ſequitur: Cor ſtultorum diſſimile erit. Vel *aduerſum me*, id eſt, mihi attribuendo, non Deo, non dæmoni, non naturæ. *Iob* 10. Dimittam aduerſum me eloquium meum. 2. *Reg.* 24. Ego ſum qui peccaui. *Prouerb.* 18. Iuſtus in principio accuſator eſt ſui.

Et ſciendum eſt breuiter, quòd quicumque creaturæ, vel fato, vel aſtris, vel carni, vel dæmonibus, vel ſociis homo peccatum attribuit, poſtquam propriæ voluntati obtemperauit, quodammodo illud in ipſum Deum refundit, quod eſt ferè omnium. *Ierem.* 15. Omnes maledicunt mihi, dicit Dominus: ſed errant, quia ſcriptum eſt: Non Deus volens iniquitatem tu es. *Aduerſum me* ergo *confitebor Domino*, ad honorem ſcilicet Dei. *Ioſ.* 7. Fili confitere peccatum tuum, & da gloriam Deo. *Et tu*

remisisti, statim in proposito confitendi, *impietatem peccati mei.*

Nota, quòd dicit *impietatem peccati*, id est, impietatem quam non confitebar, peccatum scilicet quod silebam. *August.* Nondum vox est in ore vt loquatur homo,& Deus audit. *Isa.65.* Erit, antequam clament ego exaudiam. Adhuc ipsis clamantibus ego exaudiam. *Cassiod.* Votum pro opere iudicatur.

Et nota, quòd quamuis Dominus dimittat peccatum ad propositum confitendi, tamen vtilis est adhuc & necessaria confessio oris, propter multa. Propter pleniorem peccati cognitionem: melius enim cognoscit homo peccatum suum post iudicium sacerdotis, quàm ante faceret. *Deuter.27.* Si difficile vel ambiguum aliquid fuerit inter lepram, &c. venies ad sacerdotem Leuitici generis, &c. *Luc.10.* Ite, ostendite vos sacerdotibus. *Levit.13.* Iudicium inter lepram, & lepram ad sacerdotem pertinebit. Ad satisfactionis inchoationem: erubescentia enim quam habet in confessione, est magna pars pœnitentiæ. *Ierem.11.* Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum, confusus sum & erubui. Et ob hoc vlterius ad relaxationem pœnæ virtute clauium faciendam. *Ioan. 20.* Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Intelligitur de pœna, non de culpa. Item ad plenam emendam faciendam: non enim in peccato tantum Deum offendit, sed etiam totam Ecclesiam. Vnde potest dicere illud *Luc.15.* Pater peccaui in cœlum & coram te. Contra Ecclesiam & coram te, & propter hoc necessarium est ab Ecclesia petere emendam. Item ad intercessorum multiplicationem: tenentur enim confessores, attentius orare pro confitentibus. *Iosuë 2.* Cunctorum sanguis qui fuerit inuentus in caput effundentis redundabit, dixerunt exploratores ad Rahab. si filum coccineum in fenestra apparuerit, Christi passio & pœnitentia in sensibus. Ex hoc debent bonos & sanctos & deuotos confessores eligere, qui prudentes sint, quia etsi ratione clauium idem omnes possint, hi tamen magis ratione orationis.

Fructus cõfessionis.

Vtrum sacerdos valeat absoluere à culpa & à reatu pœnæ aterne, vide Doctorem in 4. d.18.a.7.

6. *Pro hac orabit.* Hîc subiungitur in hac tertia Psalmi parte, de tertia parte pœnitentiæ, scilicet satisfactione: & tanguntur duo. Primò oratio, quæ est magna pars satisfactionis. Secundò proximi exhortatio ad bonum, quæ est alia, ibi, *Nolite fieri.* In prima duo. Primò oratio pro præteritis relaxandis. Secundo pro futuris vitandis, ibi, *Tu es refugium.* In prima duo. Primò oratio. Secundò frustratio talis orationis in aliquibus. *Veruntamen in diluuio.* In prima tria. Primò quis orauit, quia omnes sancti. Secundò pro quo. *Pro hac.* Tertiò quando. *In tempore.* Ait ergo: Dixi me miserum in statu culpæ, & volentem pœnitere ab omni iniquitate absolutum, & est necessarium: quia *omnis sanctus*, excepto sanctorum sancto Christo. *Daniel.9.* Et Virgine eius matre sanctificata in vtero. *Isa.63.* De gentibus non est vir mecum, sed est mulier in munditia, & in viduitate à peccato. *Orabit ad te*, mentem sursum eleuando, *pro hac* impietate scilicet, vel dimittenda, si est in ipsa adhuc, sicut Maria Magdalene. *Luc.7. Eccles.38.* Ora Dominum, & ipse curabit te. Vel gratias referendo, si non est in ipsa: aliter enim ingratus

Tertia pars Psalmi de satisfactione, & de oratione eius precipua parte.

esset. *Eccles 29.* Ingratus sensus derelinquit liberantem se. Omnes ergo orabunt, omnes indigebunt. Ad *Rom.3.* Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, scilicet confessione peccatorum, & humili oratione. Et hoc *in tempore opportuno*, in tempore scilicet gratiæ, non in tempore ante legem, non in tempore sub lege, sed in tempore gratiæ. 2. ad *Corinth. 6.* Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc, &c. Nunc petendum & corde & ore & opere. *Ioan.9.* Veniet nox quando nemo poterit operari, nec valebit orare. *Prouerb.6.* Non acquiescet cuiusquam precibus, nec accipiet pro redemptione dona plurima,

Veruntamen in diluuio. Hîc secundum, in quo monstratur frustratio orationis in aliquibus, scilicet existentibus in deliciis vel hæresibus. Ait enim: Sic orabit omnis sanctus pro tollenda impietate. *Veruntamen in diluuio aquarum multarum* existentes. Nota, quòd aquæ sunt hæreses, concupiscentiæ carnales, & pœnæ. Diluuio ergo hæresum submergitur rationabilis, diluuio concupiscentiarum carnalium concupiscibilis, diluuio miseriarum & pœnarum irascibilis aliquando. Sic ergo legatur. *In diluuio aquarum multarum non approximabunt*, vt exaudiantur: aquæ enim sunt errores. *Prou.18.* Aqua profunda ex ore viri, philosophi hæretici scilicet, qui dicitur vir per hypocrisim quam simulat exterius. *Isa.15.* Aquæ Nembrim desertæ sunt. *Prouerb.7.* Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior. Hæ submergunt fere omnes: dicunt enim quidam, quòd fœmina impellit ad peccandum, quidam quod fata, alij quod planetæ, alij quod gens tenebrarum. Ita pauci sunt, qui non inuoluantur in hoc diluuio, sicut pauci in arca Noë saluati sunt. *Genes.7.* & 8. Secundo modo. *In diluuio aquarum multarum*, scilicet existentes: aquæ enim sunt deliciæ. *Exod. 29.* Ecce ego ad te draco magne, qui cubas in medio fluminum Ægypti, extraham te de medio fluminum tuorum, deliciarum. *Ad eum non approximabunt*, quia ipse est vita, & tales mortui. 1. ad *Tim.5.* Vidua viuens in deliciis, mortua est. De tertio sic: *In diluuio aquarum multarum*, pœnarum scilicet, quæ sunt amaræ. *Ierem.9.* Potum dabo eis aquam fellis. Ipsæ autem inundabunt in iudicio: tunc erit illarum diluuium. *Sophon. 1.* Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. In hoc diluuio *ad eum non approximabunt. Prouerb. 1.* Tunc inuocabunt me, & ego non exaudiam. Vel in bono sic: *Omnis sanctus orabit: Veruntamen in diluuio aquarum multarum*, in iudicio inundantium, *ad eum* qui sic orat, *non approximabunt* illæ aquæ.

Triplex diluuium, erroris, concupiscentiæ, & miseriæ.

Primo diluuio multi submerguntur.

Secundo deliciarũ plures pereunt.

Tu es refugium meum. Hîc de oratione fundenda pro futurorum malorum euasione, & tangitur primò persuasio. Secundò oratio. Tertiò diuina responsio. *Intellectum tibi dabo.* Persuadet autem à duplici virtute. A fiducia quam habet in illo. Et à spirituali lætitia qua exultat in ipso. *Exultatio mea.* Ait ergo sic: Omnes sancti orant, sed non illi qui sunt in diluuio, & sic non valet, sed ego non sic: imò dico ô Domine, *Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circundedit me.* In diluuiis autem ad alta confugiendum est. *Psal.* Altissimum posuisti refugium

7.

fugium tuum : non accedet ad te malum. Et ad fortem locum, qui inundatione aquarum non possit obrui. *Prouerb.*18. Turris fortissima nomen Domini : ad ipsum currit iustus, & exaltabitur, vt non timeat aquarum diluuium. In circundatione apertè significatur tribulationum abundantia. In *Psal.* Circundederunt me dolores mortis. *Iob.*16. Circundedit me lanceis suis. In tali tamen non est refugiendum nisi ad Deum. 2.*Paral.*20. Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum residui habemus, vt oculos, &c.

Exultatio mea, in qua scilicet gaudeo spiritualiter, & exultationis materia, & si tribulor in hac miseria. *Naum* 1. Bonus Dominus & confortans in die tribulationis. *Psal.* Secundum multitudinem dolorum meorum consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Ad *Rom.*12. Spe gaudentes, in tribulatione patientes. *Prouerb.*13: Cor quod nouit amaritudinem animæ suæ, in gaudio eius non miscebitur extraneus. Et ideo rogo, *erue me à circundantibus me*, pœnis & culpis. Melius enim est omninò erui, quam in tuta turre obsideri, quod fit hîc per gratiam, sed in futuro omninò fiet per gloriam. 2.ad *Corinth.*1. De tantis periculis eripuit nos in quem speramus.

Tribulationis bona. Et nota, quòd tribulatio est toleranda patienter, quia circundat vt spinæ hortum ad defensionem, vt zona tunicam ad deambulationem, vt corona caput ad venerationem. Anima enim iusti est hortus in quo seminatum est illud semen, de quo *Luc.*8. Semen est verbum Dei. Ibi plantæ virtutum, flores cœlestium desideriorum, fructus bonorum operum, folia verborum honestorum : hortulani sunt prædicator & Baptista. 1.ad *Corinth.*3. Ego plantaui, Apollo rigauit. Non sufficit ergo Deo vt sit huic horto carnis maceria, sed adiunguntur spinæ tribulationum. *Cant.* 2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Item corpus est vestimentum animæ. *Iob* 10. Pelle & carnibus vestisti me. Et ponderosum *Sap.*9. Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam. Et propter hoc angitur tribulationibus, ne impediat ambulantem. *Iob* 19. Flagellis suis cinxit me. *Luc.*12. Sint lumbi vestri præcincti. Item honor magnus est animæ assimilari Christo, qui coronam spineam portauit in capite. *Ioan.* 19. Et propter hoc & ipsa coronatur tribulatione. *Isa.*22. Coronans coronabo te tribulatione.

8. *Intellectum tibi dabo.* Hîc subiungitur responsio Dei : & dicuntur duo, quæ promittit. Primò illuminatio intellectus. Secundò confirmatio affectus, *In via hac qua gradieris.* In prima duo. Primò promittit illuminationem ad credenda. Secundò ad agenda. *Et instruam te.* Dicit ergo: Sic petis, & respondeo, *intellectum* veritatis in credendis, maximè cognoscendæ tuæ fragilitatis, quia sine me nihil boni potes facere, *tibi dabo*, pœnitenti. Hoc enim est de iis quæ oportet credi contra Pelagianos. *Ioan.* 16. Sine me nihil potestis facere. 1.ad *Corinth.*15. Non autem ego, sed gratia Dei mecum. Et quis melior Paulo? Hoc dat oranti, hoc pœnitenti confert. *Eccles.*43. Piè agentibus dedit sapientiam. Militi enim suo statim confert scutum fidei. Ad *Ephes.*6. In omnibus sumentes scutum fidei.

Et instruam te, in moribus de agendis per verbum Dei, vt sic post scutum habeas gladium. Ad *Ephes.*6. Et gladium spiritus quod est verbum Dei. Et quia parum esset habere scutum & gladium, nisi sequeretur fortitudo, addit, *In via hac*, scilicet pœnitentiæ, & mandatorum Dei, qua gradieris, non stabis. *Amos* 7. Qui vides (& quasi visum sequeretur fortitudo, addit) gradere. *Firmabo super te oculos meos*, id est, firmitatem meorum intuitu præstabo oculorum. 2. *Paral.*16. Oculi Domini super vniuersam terram contemplantur, & præbent fortitudinem. *Isa.* 40. Qui dat lasso virtutem, & his qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat.

9. *Nolite fieri.* Hîc subiungitur exhortatio ad proximum. Et primò ponitur exhortatio ad bonos, secundò ad malos, ibi, *sperantem autem in Domino.* Malos dehortatur à malo dupliciter, propter deformitatem culpæ quæ brutis assimilat, & propter pœnalitatem quæ cruciat, *quibus non est intellectus.* Et tangitur triplex. In rationali ignorantia : in concupiscibili fames. *In chamo.* In irascibili flagellorum copia. *Multa flagella.* Dicit ergo : Sic Dominus intellectum promisit, quod & vobis facit si vultis, vnde moneo : *Nolite fieri sicut equus & mulus*, quæ sunt sine intellectu per peccatum maximè superbiæ. *Psal.* Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. 1. ad *Tim.*6. Qui non acquiescit ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ, superbus est nihil sciens. Item per torporem acediæ. *Eccles.* 22. Cum dormiente loquitur qui narrat stulto sapientiam. Et in fine narrationis dicet : Quis est hic ? Sicut equus qui est animal superbum quantum ad primum, sicut mulus qui est torpens & lentum quantum ad secundum. Significatur autem superbus per equum, quia ceruix erigitur. *Iob* 15. Cucurrit contra Dominum extento collo. Pes equi ferro munitur, & superbi ad arma & gladios afficiuntur, multum diligunt talia. *Prou.*22. Arma & gladij in via superbi. Impetuosè fertur equus, sic & superbus. *Abac.*1. Leuiores pardis equi eorum. *Ierem.*8. Omnes ad cursum suum conuersi sunt.

Piger mulo comparatur. Mulus autem significat pigrum. Primò ratione nominis. Mulus autem dicitur secundum *Isidor.* quia tardas in gyro molando ducat molas, sicut pigri. *Prouerb.*26. Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo. Secundò ratione sterilitatis : sterilis enim est mulus. *Aristoteles*, Genus mulorum non generat omninò. Et piger nullum facit fructum. *Prouerb.*21. Desideria occidunt pigrum : nolunt enim quicquam manus eius operari. Tertiò ratione generis : est enim animal bigenerinum, ex duplici scilicet specie genitum, equo & asina, & neutram speciem implet. Sic piger commune habet cum bonis velle bonam operationem, cum malis nolle operari. *Prouerb.*13. Vult, & non vult piger. Vel per equum gentilis populus est domitus : per mulum Iudaicus stolidus.

In chamo & fræno. Hîc secundum, in quo tangit pœnam partis vegetabilis, nutrimenti subtractio

ſtractionem, & minorem & maiorem: & hoc facit pœnitens hanc miſeriam eis imprecando ad bonum eorum, ſcilicet conuerſionem. Ait enim:Sic vos peccatores cauete fieri ſicut equus & mulus, quia ſi noluerint, ô tu Domine,eorum *qui non approximant ad te*, ſed magis fugiunt per culpam. (*Pſal.* Longe à peccatoribus ſalus) *maxillas*, quibus debent cibum maſticare, *conſtringe in chamo*, id eſt, per chamum, qui minus conſtringit, ei prius aliquid nutrimenti ſubtrabendo', & poſtea ſi correpti non fuerint, *in fræno*, quod fortius ſtringit. *Iſa.*37. Ponam circulum in naribus tuis, & chamum in labiis tuis. Dicitur ſuperbo cuidam, & reducam te per viam, per quam non veniſti.

Modus corripiẽdi,prius chamo quã fræno vtendum.

Et nota ordinem. Primò enim debemus corripere manſuetè, tanquam imponendo chamum. Ad *Galat.*5.Vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite huiuſmodi hominem in ſpiritu lenitatis. Poſtea ſi opus fuerit, dure imponendo frænum. *Thren.*2. Increpa eos durè.*Iob* 30.Frænum poſuit in os meum. Bonum frænum abſtinentia, quæ refrænat à multis. *Ezechiel.*29.Ponam frænum in maxillis tuis.E contrario multi prælatorum ſtatim volunt ſubditis imponere frænum, maiorem & grauem correctionem, ſtatim excommunicando, fulminando, contra illud *Eccleſ.* 17. Nimis odito execrationem, cognoſce iudicia Dei, &c.

Multa flagella. Hîc tertia pœna in ſenſibili potentia, ſcilicet flagellorum copia. Ait enim: Sic excæcabuntur intellectu, & in vegetabili, & etiam *multa flagella* ſunt, ſupple, *peccatoris*, ipſam eius ſenſibilem torquentia in præſenti. *Prouerb.* 15. Flagella equo, & chamus aſino, & virga in dorſo inſipientium. *Pſal.* Congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui.Et bona ſunt in præſenti & amoris ſigna, non crudelitatis. *Hieron. ad Alardum*, Putridæ carnes ferro indigent,' & cauterio. Non eſt medicinæ culpa,ſed vulneris, cum crudelitate non parcat medicus, vt parcat. *Seneca*, Vt miſereatur, & niſi flagellaret, crudelitas eſſet. Propter hoc dicebat *Iudith* in 7. In tuo flagello medica iniquitates noſtras. Multa etenim parata ſunt in futuro, tam in iudicio quam in inferno. In iudicio, quia quot verba Chriſti,tot mallei igniti contra peccatores. *Ierem.*23. Nonne verba mea quaſi ignis, & quaſi malleus conterens petras? *Prouerb.*19. Parata ſunt deriſoribus tormenta, & mallei percutientes ſtultorum corporibus. *Anſelm. in meditationibus ſuis*, Væ, væ, væ, ira Omnipotentis vbi poteris capi in me? Non eſt quod te poſſit tolerare in toto me. O anguſtiæ, hinc erunt accuſantia peccata, inde terrens iuſtitia, ſubtus patens horridum cahos inferni, deſuper iratus iudex, intus conſcientia vrens, foris mundus ardens, vix iuſtus ſaluabitur, peccator tunc deprehenſus vbi parebit? Sic in iudicio multa flagella, ſed quid poſt vno verbo. *Iob* 20. Omnis dolor irruet ſuper eum, verbo Dei exufflatum in infernum.

Sperantem autem. Hîc exhortatio ad bonos, & promittit eis primò de præteritis peccatis miſericordiam. Secundo inuitat ad lætitiam pro futuris bonis, ibi, *Lætamini.* Tertiò ad gloriationem de præſentibus etiam acceptis, ibi, *Et gloriamini.* Ait enim: Sic de peccatoribus. *Autem*, pro ſed. Sed *ſperantem in Domino.* Qui ex toto in Deo confidit, omnia illi attribuit, dicens illud. *Iſa.* 27. Omnia opera noſtra operatus eis in nobis Domine, & etiam operaris & operaberis. *Miſericordia circundabit*, Dominus. *Miſericordia*,ablat.caſus. *Miſericordia*,inquam, in tribulationibus conſolabitur, ſicut tribulationes circundant. 2.ad *Corinth.*1. Sicut abundant paſſiones in nobis,ita per Chriſtum abundant conſolationes in nobis. *Pſal.* Qui coronat in miſericordia & miſerationibus, beatificans te in futuro. *Iob vlt.* Circunda tibi decorem.

II.

Lætamini in Domino. Ecce ſecundum. Quaſi diceret:Sic miſericordia circundabit,& propter hoc,ô vos iuſti,*Lætamini in Domino*, tacita ſuauitate interius. *Caſſiodor.* Lætari eſt tacitæ mentis ſuauitate mulceri. *Et exultate*, lætitia in geſtu monſtrata exteriùs. Idem, Exultare eſt concitati animi feruore gaudere. Et notatur profectus in gaudio iuſtorum: procedit enim ab interiori gaudio, vſquequo procedat exteriùs. *Tob.* 4. Poſt tempeſtatem tranquillum facis, quantum ad primum: & poſt lamentationem & fletum exultationem infundis, quantum ad ſecundum. 2.ad *Cor.*7. Repletus ſum exultatione, ſuperabundo gaudio.

Progreſſus gaudij.

Et gloriamini. Ecce tertium. Quaſi diceret: Sic *lætamini & gloriamini omnes recti corde*, de puritate conſcientiæ. 2. ad *Corinth.* 1. Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Et quia certa ſpe eſtis filij Dei futuri in futura gloria. Ad *Roman.* 5. Gloriamur in ſpe filiorum Dei. Vel ſic: *Lætamini* iuſti incipientes: exultate iuſti proficientes, *& gloriamini* recti corde, perfecti. Vel tangitur hîc triplex gaudij materia, quia gaudendum eſt de ablata culpa, pro collata gratia, & pro ſperata gloria, quibus tribus reſpondent hæc tria. Quantum ad primum *lætamini*, quia liberati à tyranno opprimente. *Ioan.* 8. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati: à laqueo conſtringente. *Prou.*5. Iniquitates ſuæ capiunt impium. *Pſal.* Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Pro collata gratia, quia nos iuſtificat & conſeruat. *Eccleſ.*1. Religioſitas cuſtodit & iuſtificat cor: iocunditatem atque gaudium dabit. Pro gloria expectata. *Prou.*27. In exultatione iuſtorum multa gloria eſt.

Differentia gaudij.

IN XXXII. PSALMVM.

In finem, Pſalmus Dauid.

I.

Argumentũ Pſalmi,confeſſio laudis poſt cõfeſſionem peccatorum in ſuperiori.

Diuiſio,inuitat ad laudem,reuerẽtiæ timorem & amorem.

EXultate iuſti. Hic eſt Pſalmus trigeſimus ſecundus, in quo poſtquam actum in Pſalmo præcedenti de confeſſione peccatorum, & eius fructu, agitur conſequenter de laude & timore & ſpeciali cultu iuſtificatoris, vt recta conſequentia confeſſionem peccati, ſequatur confeſſio laudis glorioſa. Titulus autem Pſalmi frequenter ſuperius expoſitus eſt. *In finem, Pſalmus Dauid.* Pſalmus autem in tres partes diuiditur principales. Primò enim inuitat ad Dei laudem,vt ſic ſeruiat ei noſtra rationabilis. Secundò ad timorem vt reſiliat ad eius magnitudinem iraſcibilis, ibi, *Timete Dominum.*

Tertiò

Tertiò ad cultum & amorem ſpecialem tam benefici, vt tota tendat in ipſum noſtra concupiſcibilis, ibi, *Beata gens cuius eſt Dominus Deus.* In prima tria. Primò inuitando oſtendit quod debent laudare. Secundò quomodo. *Confitemini Domino.* Tertiò quare. *Quia rectum eſt verbum.* in prima duo. Primò iuſtos monet vt laudent. Secundò, quòd laudes tales deceant & illis competant. *Rectos decet.*

Ait ergo: Sic ad propoſitum confitendi Dominus peccata dimittit: ergo ô vos iuſti fructum confeſſionis aſſequuti, *exultate in Domino*, exultando laudes dicite, adiicit in fine Pſalmi præcedentis: vnde colore rhetorico vtitur reſumendo quod dixerat, & repetit vt addat. Ad *Philip.*4. Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete. Sic iſte repetit: exultate in Domino, inquam, non in vobis, qui eſtis repleti omnibus miſeriis. *Iob* 14. Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis. Sed in Domino, in quo gaudium, quia nec contrario admiſcetur, nec inuito auferetur, nec tempore finietur, de quo: Delectationes in dextera tua vſque in finem, id eſt, finales. *Iſa.*35. Gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus. De ſecundo *Ioan.*16. Videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium nemo tollet à vobis. De tertio *Iſa.*35. Venient in Sion cum laude, lætitia ſempiterna ſuper capita eorum.

Rectos decet. Quaſi diceret: Bene vos inuito, quia *rectos*, quales ſunt iuſti, *decet collaudatio. Eccleſ.*15. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. *Iſa.* 4. Exultatio his qui ſalui fient ex Iſraël: aliorum eſt magis gemere. Et nota, quòd dicitur collaudatio, quia in laude Dei ſimul debemus eſſe loco, & coniuncti animo. *Caſſiod.* Collaudatio eſt in ore multorum vna laudatio. Per hoc quod dicit ore, intelligitur coniunctio in loco: per hoc quod dicit vna, intelligitur corde coniunctio. 1.*Pet.*3. Omnes vnanimes vno ore laudate Deũ. Sic autem orare accendit deuotionem, vincit hoſtem, Deo perſoluit debitum honorem: verba enim diuinæ laudis ſunt quaſi ignis, & corda congregatorum ibi quaſi ligna. *Ierem.* 5. Ecce dedi verba mea in ore tuo, in ignem, & populum tuum in ligna: & ſic accenditur vnus ab alio. *Eccleſ.*4. Vnus quomodo calefiet? De ſecundo diabolus ſemper diuinum honorem ſibi appetit exhiberi. Vnde quia videt quod Deo exhibetur, magis inuidet, & tunc magis incitatur ad impugnandum laudantem. *Eccleſ.*2. Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Propter hoc expedit orare in ſocietate: magis enim vincitur in pluribus quam ab vno. 1. *Reg.* 17. Goliath ſingulare certamen requiſiuit. *Deut.*32. Vnus perſequebatur mille, & duo fugabant, &c. Multum accreſcit ex coniunctione ſecundi fortitudo. *Eccleſ.*4. Væ ſoli, quia ſi ceciderit, non habet ſubleuantem ſe. De tertio, Deo debeo honorem non quantum oportet, ſed quantum poſſum maiorem. *Eccleſ.*43. Benedicentes Deum exaltate illum quantum poteſtis: maior eſt enim omni laude. Vnde nullus per ſe ſufficit ad laudandum. Melius ergo laudare cum pluribus, quia quantò cum pluribus laudatur, tantò magis honoratur. Ex quo relinquitur, quòd tantum valet vnus Pſalmus dictus coram pluribus, quantum decem dicti per ſe. Propter hoc dicit Pſalmiſta. Confitebor Domino nimis in ore meo. Quomodo? In medio multorum laudabo eum. 1. ad *Corinth.*14 Plus volo in Eccleſia loqui quinque verba ſenſu meo, vt alios inſtruam ad laudandum ſicut ego laudo, quam decem millia in lingua.

Vnio pluriũ in laude & oratione vtilis.

Confitemini Domino. Hîc ſecundum, in quo docet modum quo laudandus. Primò vt laudent opere. Secundò ore. *Bene pſallite.* Opere dicitur primò carnẽ marcerãdo. Secundò mandata Dei adimplendo. *In pſalterio.* Dicit ergo: Sic exaltate & hoc modo, *Confitemini*, confeſſione laudis, & hoc *in cithara*, in carne ſcilicet per pœnitentiam afflicta. Non enim intelligitur de materiali cithara: & ſi hoc aliquando fiebat antiquitus, erat eius quod faciendum erat figura. *Auguſt.* Nemo cum hoc audit, conuertat cor ad theatrica inſtrumenta: talia enim reprehenduntur. *Iſa.*5. Cithara & lyra & timpanum in conuiuiis veſtris. Et *Iob* 21. Tenent timpanum & citharam, & gaudent ad ſonum organi. Ergo cithara dicitur caro mortificata, ſcilicet corpus afflictum pœnitentia. Et benè, primo ratione diffuſionis. Dicit enim Iſidorus, Cithara eſt lignei ventris in imo ſita concauitas. Imum enim in nobis caro eſt, altum ſpiritus: in hac autem venter eſt, & concauitas pectoris, quæ ad literam reſonat. Propter hoc dicebat fortè *Iſa.* 16. Venter meus ad Moab quaſi cithara ſonabit. Item ratione nominis: quia ſicut dicit Iſidorus, Cithara dicitur à cito iterata percuſſione. Cito enim & frequenter percutitur. Sic caro citò, ſtatim vt titillat, frequenter eſt percutienda, ſicut illius cithara, qui dicebat: Et fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis. Dulcis eſt ſonus huius citharæ in auribus Dei, quando ab imo ventris gemit, & pectus tundit. *Apoc.*14. Audiui vocem quaſi citharœdorum citharizantium in citharis ſuis. *Deuter.* 5. Fac me audire vocem tuam. Et rurſus in 8. Amici auſcultant te. Sed heu poteſt dici illud *Iſa.*24. Conticuit dulcedo citharæ. Suam citharam percutiebat, qui dicebat 1. ad *Corinth.*9. Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, &c. *Iſa.* 23. Inuitamur ad citharizandum. Sume citharam, & circui ciuitatem, &c.

2. *Modus laudãdi Deum.*

Cithara eſt caro mortificata.

In pſalterio. Hîc eſt ſecundum, in quo monet laudare in adimpletione mandatorum. Primò veteris legis. Secundò nouæ. *Cantate ei.* Ait enim: Sic *confitemini in cithara*, & etiam *in pſalterio decem chordarum*, id eſt, in charitate, de qua tanquam decem chordæ pendet totius connexio mandatorum. *Matth.*22. In his duobus vniuerſa lex pendet & Prophetæ. *Pſal.* In pſalterio decachordo pſallam tibi. Et bene per citharam carnis mortificatio quæ reddit ſonum ab imo, per pſalterium mandata in charitate, quæ ſonum reddit à ſuperiori parte.

Cantate ei canticum. Hîc præcipit vel ſuadet, de adiunctione mandatorum legis. Ait enim: Sic in pſalterio decem chordarum. Et etiam *cantate ei canticum nouum*, id eſt, noui teſtamenti mandata, non ſolum lingua, ſed etiam opere adimplete, & in vita. *Pſal.* Cantabo Domino

Canticum nouum eſt legis noua obedientia.

Domino in vita mea, ſed in ſuperadditione mandatum noui Teſtamenti, quia *Matth.* 5. Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum, &c. Ad *Coloſſ.*3. Commonentes voſmetipſos in pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus. Hoc canticum cantant dulciter adimplentes Chriſti conſilia in Euangelio data. *Apocalypſ.*14. Virgines cantabant canticum nouum, ante ſedem Dei. *Bene pſallite*, ſic monuit ad exaltandum & cantandum opere: hic, vt etiam voce. Ait enim: Sic & veteri & noui Teſtamenti mandata adimplete, *& bene pſallite ei in vociferatione*, id eſt, bonæ operationi vocem laudis addicite, vt hilaris ſit veſtra oblatio, & exterius exerat ſe in gaudio: hoc faciant, & non gementes. 2. ad *Corinth.*9. Hilarem datorem diligit Deus.

Et rectè nobis præcipitur plus quam antiquis, triplici ratione: quia præmium promittitur: illis autem tantum terrena. *Iſa.*1. Si audieritis me, bona terræ comedetis. Sed nobis cœleſtia. *Matth.* 7. Qui facit voluntatem patris mei qui non in cœlis eſt, intrabit in regnum cœlorum. Item quia fortius adiutorium nobis confertur. Sacramenta enim antiquorum aut non conferebant gratiam, aut non tantum, quantum modò. Ad *Hebr.*7. Lex nihil ad perfectum adduxit. Sed *Ioan.* 6. Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Tertiò quia nobis exhibetur præcipuum exemplum, ipſe Dei filius, qui hoc adimpleuit, vt nobis implenda demonſtraret. *Ioan.* 13. Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.

Iure plus nobis præcipitur, quam antiquis, quia plura promittuntur, & gratia magis iuuamur & exemplo.

4. *Laudanda Dei bonitas & potentia.*

Quia rectum eſt. Hîc ponitur ratio quare laudandus, quod fuit tertium, & aſſignatur duplex. Primò ratione ſuæ bonitatis. Secundò ratione poteſtatis, ibi, *Verbo Domini cœli.* In prima tria. Primò ratione bonitatis in ſermone. Secundò ratione bonitatis in opere. *Et omnia opera.* Tertiò ratione bonitatis in interiori virtute. *Diligit miſericordiam.* Sed quia verbum Domini eſt & promiſſio diuina, & doctrina Euangelica, aliter exponitur hoc. Ait enim: Sic eum laudate, & hoc modo, & dignum eſt, *quia rectum eſt verbum Domini*, diuina ſcilicet promiſſio. Promiſſio enim non eſt recta, aut quia non rectum promittitur, aut quia promiſſum non ſoluitur ſecundum illud *Eccleſ.* 5. Diſplicet Deo infidelis & ſtulta promiſſio. Sed de Deo dicitur, *Iſai* 45. Ego Dominus loquens iuſtitiam, & annuntians recta. Et immutabiliter. *Num.*23. Non eſt Deus vt homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur. Dixit ergo & non faciet? quaſi diceret, Non.

Vel ſic: *Rectum eſt verbum Domini*, id eſt, Euangelium, quod dicitur *rectum*, quia non diſcrepat à rectitudine veritatis, quia nihil ibi falſum. *Pſal.* Lex tua veritas. Nec à rectitudine æquitatis, ſicut vetus teſtamentum, in quo dabatur libellus repudij, quod erat contra æquitatem. *Prouerb.*8. Aperientur labia mea, vt recta prædicent, veritatem meditabitur guttur meum, labia mea deteſtabuntur impium. Et dicitur verbum, non verba, propter bonitatē. Si enim nouum veteri comparetur, breuius eſt ſermone, ſed multo potentius virtute. *Iſai.* 10. Alia litera, verbum abbreuiatum faciet Dominus ſuper terram: ſed virtute magnum. *Matth.* 5. Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, &c. *Prou.*16. In abundanti iuſtitia, virtus eſt maxima.

Et omnia opera eius. Hîc oſtendit veritatem bonitatis in opere, quia *omnia opera eius in fide*, id eſt, in fieri omnia promiſſa eius: fides enim dicitur, eò quod fit, quod dicitur. Tunc ergo opus eſt in fide, quando aliquis operatur ſecundum quod dixit. *Matth.*5. Vnum iota, aut vnus apex, non præteribit à lege donec omnia fiant. Vel, *Omnia opera eius*, id eſt, miracula: quæ ſunt propriè opera ſua, *in fide*, in habentibus fidem. *Luc.*8. Fides tua te ſaluam fecit. *Matth.*9. Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti.

Vel ſic: *omnia opera eius*, id eſt, remuneratione digna, quæ eius ſunt, quia in nobis facit illa: ſunt *in fide* facta: aliter non remuneraret illa. Ad *Hebr.*11. Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.

Diligit miſericordiam & iudicium. Hîc commendat eum ab interiori virtute triplici. A pietate, à iuſtitia. *Et iudicium.* Et à largitate. *Miſericordia Domini plena eſt.* Dicit ergo: Sic laudandus, quia bonus in ſermone, bonus in opere, & etiam *miſericordiam diligit*, intima & naturali virtute habet hoc à patre miſericordiarum, cuius eſt filius naturalis, & à matre. *Pſal.* Miſericordia autem Domini ab æterno, & vſque in æternum. Et ſicut dicit *Caſſiod.* Certum ſignum quod miſericordiam diligit, habemus: niſi enim miſericordiam diligeret, tam crebrò opera miſericordiæ non exerceret. *Et iudicium*, ne credas in eo miſericordiam deſtruere iuſtitiam, cuius ſignum quod promiſſa ſoluit. 2. *Reg.*7. Et nunc Domine Deus tu es verus, & etiam verba tua erunt vera. Ad hoc autem quod vtrumque diligat, *Prouer.*21. Facere miſericordiam & iudicium magis placent Deo quam victimæ. *Mich.*6. Indicabo tibi ô homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te. Vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam. *Oſe.*12. Miſericordiam & iudicium cuſtodi, & ſpera in Domino Deo tuo ſemper.

5. *Chriſtus à patre & à matre miſericors.*

Diligit miſericordiam facere in hoc aduentu primo maximè. An non indignos vocauit ad gratiam? 1. ad *Corinth.*1. Videte vocationem veſtram fratres: quia non multi potentes, non multi nobiles, non multi ſapientes, ſed quæ ſtulta ſunt, elegit Deus. *Tit.*3. Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam, &c. *Et iudicium*, diligat in futuro, quando requiret lucrum de talento commiſſo. *Luc.*19. Quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, & ego veniens vtique cum vſuris exegiſſem illam? *Luc.* 16. Redde rationem villicationis tuæ.

Miſericordia Domini, largè omnia effundentis, *plena eſt terra.* Homo enim primus repleuit eam propter peccatum miſeria, ſed ſecundus repleuit eam miſericordia. *Eccleſ.*28. Patiens eſt Deus in illis, & effundet ſuper illos miſericordiam ſuam,

Vel terram dicit Eccleſiam, ſicut idem *Sap.*1. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, id eſt, Eccleſiam. Sic terram dicit Eccleſiam.

cleſiam *Sap.*1. Miſereris omnium Domine qui omnia potes.

6. *Potentia in ſuperiores & inferiores mundi partes.*

Verbo Domini cœli. Hîc oſtendit laudandum ratione poteſtatis : & dicuntur duo. Primò oſtendit poteſtatem eius quantum ad ſuperiora. Secundò quantum ad inferiora , ibi , *Congregans ſicut in vtre.* In cœlis , quia ab ipſo eſt virtus eorum. *Et ſpiritu oris eius.* Ait enim: Sic bonus & verè potens : quia *verbo Domini cœli firmati ſunt* , ſtabiliti ſcilicet materiales iſti. De hoc verbo *Ioan.*1. Et verbum erat apud Deum. Et *Apoc.* 19. Vocatur nomen eius , verbum Dei. Hoc fabricati ſunt. *Iob* 27. Tu forſitan cum eo fabricatus es cœlos , qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt. *Prouerb.*3. Dominus ſapientia fundauit terram, ſtabiliuit cœlos prudentia.

Et ſpiritu oris eius , id eſt , Spiritu ſancto qui procedit ab ore eius , ſcilicet à filio , *omnis virtus eorum* , in agendo , & mouendo. *Prouerb.*8. Quando præparabat cœlos , aderam : quando firmabat æthera ſurſum. 2.*Paralip.*6. Tu exaudies de cœlo , firmiſſimo habitaculo tuo. Vel myſticè cœli ſunt Apoſtoli , & Doctores fidei. *Pſal.* Cœli enarrant , &c. Hi cœli firmati ſunt in bono per ſermones & prædicationes Chriſti. *Pſal.* Liquefacta eſt terra , Eccleſia , & omnes qui habitant in ea : ego confirmaui columnas eius , Apoſtolos. Ad *Gal.*2. Iacobus & Ioannes qui videbantur columnæ eſſe. *Et ſpiritu oris* , id eſt , Spiritu ſancto ab ipſo procedente, *omnis virtus eorum* , quæ multiplex eſt. 1. ad *Corinth.*12. Alij per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ , alij ſermo ſcientiæ in eodem Spiritu, & ſic de aliis quæ ibi determinat. Hæc ſunt illa ornamenta , de quibus dicit *Iob.*26. Spiritus Domini ornauit cœlos. *Gregor.* Quot ſunt virtutes prædicantium , tot ſunt ornamenta cœlorum : niſi enim multas virtutes habuiſſent , & in illis bene firmatæ fuiſſent tam paucæ oues , quomodo totum mundum lupis plenum conuertere potuiſſent ? *Matth.*10. Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum.

7. *Potentia in inferiora.*

Congregans ſicut in vtre. Hîc oſtendit laudandum comparatione ad poteſtatem reſpectu inferiorum , ſcilicet aquarum , & oſtenditur in duobus. Prrimò in repreſſione illarum ne terram cooperiant. Secundò in occultatione illarum in ipſa terra. *Ponens.* Dicit ergo : Sic potuit in cœlis , & etiam ipſe eſt *congregans* aquas maris ad literam *ſicut in vtre* , intra litora ſua , & terminos ſuos , ne totam terram operiant. *Geneſ.*1. Congregentur aquæ quæ ſunt ſub cœlo , in locum vnum , & appareat arida. *Iob.*38. Quis concluſit oſtiis mare ? &c. *Pſal.* Terminum poſuiſti quem non tranſgredientur, neque conuertentur operire terram.

Ponens in theſauris , in viſcetibus terræ , vt quibuſdam ſecretis , *abyſſos* , aquarum ſcilicet profunditates. Et dicit, *in theſauris.* Theſaurus à theſis quod eſt poſitio , & aurum , quaſi in illis partibus terræ nihil repoſuerit niſi aurum. Et hoc in intimo terræ , in profundiſſimo eius aurum Deus poſuit. Sed nonne facta eſt aquæ volentia & iniuria ? quia cum naturaliter deberet eſſe ſuper terram , incluſa eſt , & coarctata in viſceribus terræ , & prohibetur à ſui diffuſione in loco ſuo debito ? Reſp. Non. Si aliquis pauper , vt aliquem magnum , & longe ſe nobiliorem reciperet , in domo propria , ſeipſum coarctaret , non eſſet iniuria. Sic non facta eſt aquæ iniuria quando coarctata eſt, vt hominem qui longè ſe dignior erat , imò propter quem facta eſt , reciperet in terra , & ei locum daret. Recõpenſatur autem ei tripliciter. Primò quia anima recipit eam in corpore ſuo, in quo eſt eis locus , in loco ſuperiori & digniori, ſcilicet in pupilla & in cerebro. Item in ſacramento ei recompenſatur : quia hoc eſt ſolum inter omnia elementa per quæ fit peccatorum remiſſio , adiuncto diuino verbo, ſcilicet in baptiſmo. Item recompenſatum eſt ei: quia in loco poſitæ ſunt ſuperiori , ſuper ipſos cœlos. *Daniel.*3. Benedicite aquæ quæ ſuper cœlos ſunt, Domino. Bona res hoſpitalitas , quæ ſic ſublimauit aquas. Ad *Hebr.*13. Hoſpitalitatem nolite obliuiſci, vt per eandem ſitis in cœlo collocati , ſicut aquæ. Aquæ etiam poſſunt appellari perſequutiones maximæ. *Deut.*13. Inundationes maris quaſi lac ſugent. Has concluſit in vtre infra perſecutiones ipſos , *abyſſos* , homines valde malos , quorum cor eſt inſcrutabile. *Ier.*17. *Ponens in theſauris* , *in* loco occulto , donec ad purgandos bonos proferat illos. *Iob.*38. Nunquid ingreſſus es theſauros niuis? Aquæ etiam populi fluctuantes. *Apoc.*17. Aquæ multæ, populi multi ſunt. Has aquas Deus congregat *quaſi in vtre* , id eſt , Eccleſiæ vnitate. *Ponens abyſſos* , id eſt , peccatores , qui ſunt in profundo tenebrarum. *Iſa.*33. Conuertimini ſicut in profundum receſſeratis. *In theſauris* , eos faciens pretioſos , ſicut factum eſt in Paulo , de quo *Act.*9. Vas electionis mihi eſt iſte.

Aqua non patitur violentiam incluſa vt daret locum homini.

Compenſatur triplicter eius dãnum.

Reſtrictio aquæ commendat hoſpitalitatem.

Aquæ incluſæ ſunt ſicut perſecutionis.

Vel aquæ maris adhuc gentes & populi ad Deum conuerſi. *Iſa.*60. Mirabitur & dilatabitur cor tuum , quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris , fortitudo gentium venerit tibi. Has congregat in vtre , ne libertate defluant in peccata , & flatu tentationum moueantur. *Eccleſ.* 39. In verbo eius ſtetit aqua ſicut congeries : & in ſermone oris illius ſicut exceptoria aquarum. Vel ponit in theſauris , in Chriſto de quo *Col.*2. In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. *Abyſſos*, gaudia ſcilicet inſcrutabilia. *Iſa.*64. Oculus non vidit Deus abſque te , quæ præparaſti diligentibus te.

8. *Secunda pars, exhortatio ad timorem.*

Timeat Dominum omnis. Hîc ſecunda pars Pſalmi , in qua monet ad timendum Deum, quod reſpicit iraſcibilem. Primò ergo monet quemlibet vt Deum timeat. Secundò aſſignat cauſam , quare timere debeat. *Quia ipſe dixit.* In prima duo. Primò , quòd timeatur ab ipſo continenti. Secundò ab ipſo qui continetur. *Ab eo autem.* Vel ſic: Primò vt omnes timeant ſimpliciter. Secundò , quòd boni ſpecialiter. *Ab eo autem.* Dicit ergo : *Timeat Dominum omnis terra* : continens pro contento : Omnes tam boni quam mali generaliter. *Ier.* 10. Quis non timebit te , ô Rex gentium ? *Timeat* , & ſi non amore, ſaltem timore peccatum caueat. *Eccleſiaſt.*1. Timor Domini expellit peccatum. *Eccleſiaſt. vlt.* Deum time , & mandata eius obſerua.

Ab eo autem. Quaſi diceret : Timeant omnes. *Autem* , ſed , *ab eo commoueantur omnes inhabitantes*

habitantes orbem, in terra contenti. Vel inhabitantes orbem, id eſt, Eccleſiam: & ſic etiam ipſi boni. Et dicitur *ab eo*: commouentur enim boni à Deo, & non ab alio. *Iob* 36. Super hoc expauit cor meum, & emotum eſt de loco ſuo. Non lingua ergo tertia commouet eos, de qua *Eccleſ.* 28. Lingua tertia multos commouit. Lingua diabolica. 1. ad *Cor.* 13. Si linguis hominum loquar, & Angelorum. Ecce duæ linguæ. Sed tertia diabolica, quæ loquens Euæ totum commouit.

Lingua tertia eſt diabolica.

Vel inhabitantes terram dicuntur mali, qui ipſam inhabitant per amorem qui debent timore Dei commoueri de loco ſuo. Auarus de arca ſua, guloſus de menſa, ſuperbus de cathedra. *Iob* 9. Qui commouet terram de loco ſuo. *Iſa.* 23. Viſitabo ſuper habitatores orbis mala. Nota ergo, quòd homo ſic appellatur terra triplici ratione. Ratione conſimilis diſpoſitionis, originis, & humiliationis. De primo *Seneca de naturalibus quæſtionibus*, In corpore hominis ſunt humida, & dum hoc ſecundum magis & minus ſicut in terra, ſicut aquæ per meatus extraneos diſcurrunt in terra, ſic aquoſus humor & ſanguis per totum corpus: & ſicut in terra continentur vapores incluſi, ſic in corpore ſpiritus. Secundo modo ratione originis: hoc patet: quia ortus eſt de terra. *Geneſ.* 3. Donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es. Tertiò ratione humiliationis. Verum eſt enim quod Deum habemus Patrem. *Act.* 17. Ipſius enim & genus ſumus. Sed matrem habemus terram. *Iob* 38. Heſperum ſuper filios terræ oriri facias. Ex hac ergo parte ignobiles ſumus. Vt ergo nos humiliet, terram dicit à parte matris, non cœlum à parte patris.

Homo terra dicitur triplici ratione.

9. *Quoniam ipſe dixit.* Hîc ratio quare timendus. Et primò à poteſtate quam oſtendit in creando. Secundò ab illa quam quotidie demonſtrat gubernando. *Dominus diſſipat.* In prima duo. Primò quia ſolo verbo naturam fecit. *Ipſe mandauit.* Secundò quia factam de nihilo formauit. *Ipſe dixit.* Sed proprio ordine loquitur, quoniam ſecundum videtur fuiſſe quaſi maioris potentiæ. Dicit enim: Sic timeatur & iuſtum eſt, *quoniam ipſe dixit*, verbum æternum genuit. *Et facta ſunt*, in illo verbo formata & diſtincta. *Ipſe mandauit*, tanquam potentiam ſuum verbum extendens ad remotiſſimum in infinitum, ſcilicet ad nihil, & *creata ſunt*, omnia ſcilicet de nihilo facta. Vel poteſt ſignificari in his factio creaturæ, & collatio in hunc mundum. *Ipſe dixit, & facta ſunt*, de non eſſe ſcilicet, in eſſe deducta & formata. *Eccl.* 8. Sermo eius poteſtate plenus eſt. *Sap.* 18. Omnipotens ſermo tuus Domine, &c. *Ipſe mandauit*, id eſt, legem ſuam datam per Moyſem miſit. *Eccl.* 24. Legem mandauit Moyſes in præceptis iuſtitiarum. *Et creata ſunt*, informata, vt iam eſſent per gratiam, quæ prius erant per naturam. *Ezech.* 20. Dedi eis præcepta mea, & iudicia mea, quæ faciet in eis. Et hoc de moralibus. Ad *Epheſ.* 2. Ipſius factura ſumus, quoad naturam: creati in Chriſto Ieſu, quoad gratiam. Et notantur quatuor. Primò operatoris poteſtas, quoniam ſolo verbo operatur. *Iob.* 9. Si fortitudo quæritur, robuſtiſſimus eſt. Secundò operum numeroſitas, quia non dixit factum, ſed *facta*: nec dicit quantum, vel quanta, quia innumerabilia, & indicibilia. *Iob* 5. Qui facit magna & inſcrutabilia, & mirabilia, quorum non eſt numerus. *Eccl.* 43. In ſermone eius propoſita ſunt omnia. Item operationis velocitas, *Dixit, & facta ſunt*, non fiebant. *Pſal.* Velociter currit ſermo eius. *Eccl.* 18. Hæc omnia citata in oculis Dei. Item huius artificis ſingularitas: quia de nihilo fecit omnia, & alij omnes de aliquo. *Pſal.* Non eſt ſimilis tui in diis Domine: & non eſt ſecundum opera tua.

Potentia in creatione quadrupliciter manifeſtatur.

10. *Dominus diſſipat.* Hîc de poteſtate in gubernando, & dicuntur duo. Primò, quòd poteſt ſuper omnem aliam voluntatem. Secundò, quòd nullus ſuper ſuam. *Conſilium autem Domini.* In prima duo. Primò, quod habet poteſtatem impediendi ne fiant. Secundò puniendi ſi permittit fieri. Reprobat autem & hoc, tam minorum, quod oſtendit primò, quam maiorum, quod oſtendit ſecundò. *Et reprobat conſilia principum.* Ait ergo: Sic poteſt in creando, & etiam in gubernando. *Dominus* enim *diſſipat conſilia gentium*, quando vult, vt non fiant omninò, nec noceant ſuis: quando vult non diſſipat. *Iob* 5. Apprehendit ſapientes in aſtutia, & conſilium prauorum diſſipat. *Iſa.* 8. Inite conſilium, & diſſipabitur: loquimini verbum, & non fiet.

10. *Potentia in gubernatione.*

Reprobat autem cogitationes populorum, Iudæorum ſcilicet: ſi enim Chriſtum occiderunt, non tamen factum eſt quod intenderunt. *Ierem.* 11. Eradamus eam de terra viuentium. Imò magis ibi plantatus eſt. *Iob* 5. Diſſipat cogitationes malignorum, vt non poſſint manus eorum implere quod cœperant. *Iſa.* 59. Cogitationes eorum cogitationes inutiles. *Et reprobat conſilia*, Cayphæ & aliorum. 1. ad *Corinth.* 1. Et prudentiam prudentium reprobabo. *Iob* 12. Adducit conſiliarios in ſtultum finem, & iudices in ſtuporem. *Et reprobat conſilia* Gentium, gentiliter viuentium, luxurioſorum, & reprobat cogitationes populorum auarorum, qui omnibus ſe ſeruos faciunt propter pecuniam: *& reprobat conſilia principum ſuperborum*, vt ſic deſtruat omne peccatum: quia 1. *Ioan.* 2. Quicquid eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ.

11. *Conſilium autem Domini.* Hîc eſt ſecundum in quo oſtendit, quòd nullus poteſt ſuper eius voluntatem: & tangit duo quaſi duobus præcedentibus reſpondentia. Scilicet quod nullus poteſt ſuper conſilium, nullus ſuper cogitationes. Vel conſilium confertur ad pœnas reproborum, cogitationes ad præmia beatorum. Dicit ergo: Sic diſſipat aliorum conſilia, *autem*, ſed, *conſilium Domini in æternum manet*, de malis non ſaluandis. *Iſa.* 45. Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas fiet. *Act.* 5. Dixit Gamaliel, Si eſt ex hominibus opus hoc aut conſilium, diſſoluetur: ſi autem ex Deo, non poteritis reſiſtere. Sed *Damaſcenus* dicit, quòd conſilium in Deum non cadit, nec etiam in Chriſti animam: conſilium enim eſt inquiſitio deliberatiua de re ignorata. Reſponſio. Secundum quod conſilium dicitur aliquando inquiſitio deliberatiua de re ignorata, tunc non

11. cadit

cadit in Deum : ſed ſecundum quod ſecretum propoſitum aliquid faciendi, ſic in Deum cadit. *Sap.* 9. Quis hominum poterit ſcire conſilium diuinum ?

Cogitationes cordis eius, de ſaluandis bonis, eius ſcilicet æterna prædeſtinatio, *in generattone & generationem. Malach.* 3. Ego Deus & non mutor. *Iſa.* 55. Non enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ, dicit Dominus. *Seneca in libro de natural. quæſtion.* Sapientis viri ſententiam negatis poſſe mutari, quantò magis Dei.

12. *Tertia pars, exhortatio ad cultum & amorem.*

Beata gens cuius eſt. Hîc eſt tertia pars Pſalmi, in qua poſtquam monuit ad laudem & timorem Domini, monet conſequenter ad cultum Dei, & primò ſumens rationes à bonitate. Secundò à ſcientia, ibi, *De cœlo.* Tertiò à poteſtate. *Non ſaluabitur rex.* In prima duo. Primò à bonitate qua ſuos beatificauit. Secundò à bonitate qua prædeſtinauit beatificandos. *Populus.* Dicit ergo : Sic conſilium hominum fruſtratur, non Dei. Ergo *beata gens cuius eſt Dominus*, &c. Vel ſic conſilium Domini & cogitationes, & hoc eſt conſilium : *Beata gens cuius eſt Dominus Deus eius*, per cultum ſpecialem. Quaſi diceret : Beata gens quæ colit Deum. Si enim Dominus eſt per creationem & emptionem, beati ſumus ſi eum habuerimus Dominum per ſpecialem cultum. 3. *Reg.* 18. Si Dominus eſt, ſequimini eum. *Seneca ad Lucil.* Satis Deum coluit, qui eum imitatus eſt.

Populus quem elegit. Et beatus *populus*, ſupple, *quem elegit in hæreditatem ſibi*, vt ſcilicet eſſet ſua hæreditas, vt Deus eos haberet per cultum, & ipſi Deum tanquam cultorem, & ſui poſſeſſorem. *Deuter.* 7. Elegit te Dominus Deus tuus, vt ſis ei populus peculiaris. *Ioan.* 18. Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, &c. *In hæreditatem. Iſa.* 19. Hæreditas mea Iſraël. Elegit nos in prædeſtinatione, ſed nos facit hæreditatem ſibi in glorificatione propriè. Ad *Rom.* 8. Quos prædeſtinauit, hos & iuſtificauit : & quos iuſtificauit, hos & glorificauit.

Sumus Dei hæreditas ratione diffuſionis nominis & cultura.

Et nota, quòd nos ſumus eius hæreditas ratione diffuſionis nominis, & ratione multiplicis operationis in nobis factæ, ſicut homo facit in ſua hæreditate. De primo. *Iſidor.* Hæreditas eſt res quæ morte alicuius ad quempiam peruenit. Sed nos ad Chriſtum morte eius peruenimus. Alij enim hæreditatem perdunt moriendo, ſed Chriſtus perditam morte recuperauit. *Apoc.* 1. In ſanguine ſuo fecit nos regnum Deo. De ſecundo hæreditas dicitur ſecundum *Iſidorum* à rebus additis. Sic nos ſumus res additæ : habebat enim prius regnum cœlorum, ſed poſtea addidit, & obtinuit regnum terrarum pretioſa morte ſua. Vnde poſt reſurrectionem ſuam dixit : Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra. *Luc.* 19. Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere ſibi regnum, & reuerti. De tertio in nobis multipliciter operatur : tanquam hæreditatem nos excolit, ſepit, cuſtodit, augmentat, & delectabiliter inhabitat. Excolit, quia agricola. *Ierem.* 14. Quare futurus es vt colonus in terra & filius agricolæ, in nobis mala extirpando & bona ſeminando. Sepit erubeſcentia quoad homines, & timore quoad Deum. *Iſa.* 58. Vocaberis ædificator ſepium auertens ſemitas iniquitatum. Augmentat numero & merito per dona gratiæ eam amplificando. *Iſa.* 54. Ad dexteram & læuam penetrabis, augmentata numero : & ſemen tuum Gentes hæreditabit. Augmentatam merito delectabiliter inhabitat. *Prouerb.* 11. Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.

13. *Scientia Dei nouit omnia quæ ſunt hominis.*

De cœlo reſpexit. In hac parte perſuadet ad cultum Dei ab eius ſcientia, & primò quia non latent eum homines. Secundò, quia nec hominum cogitationes. *Qui finxit.* Tertiò, quia nec operationes. *Qui intelligit.* Iterum homines eum non latent, nec boni, nec mali. *De præparato habitaculo :* & in vtraque iſtarum partium dicit vnde vidit, & quid. Dicit ergo : *Dominus de cœlo reſpexit*, vel empyreo, vel Angelis ſanctis quos inhabitat. *Ier.* 18. Attende Domine de cœlo. *Vidit omnes filios hominum*, bonos ſcilicet qui imitatores ſunt filij hominis, ſcilicet Chriſti : & impleuit omnibus bonis. *Eccleſ.* 24. Reſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino. Vel *de cœlo*, id eſt, de humanitate Chriſti, *reſpexit Dominus* : ipſa enim humanitas eius cœlum, quia celat diuinitatem eius. *Iſa.* 15. Verè tu es Deus abſconditus. Vidit oculo miſericordiæ de cœlo iſto *omnes filios hominum. Exod.* 3. Vidi afflictionem populi mei, qui eſt in Ægypto, & deſcendi liberare eum. *Hieronym.* Nunquam reſpectus eius ſine miſericordia eſt. *Sapient.* 4. Et reſpectus in electos illius.

De præparato habitaculo. Hîc ſecundum. Quaſi diceret : Sic quoad bonos, ſed etiam quoad malos, *de præparato habitaculo ſuo*, id eſt, de humanitate ſua, in qua habitauit. Ad *Coloſſ.* 3. In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. *Præparato*, præ omnibus aliis parato. 3. *Reg.* 10. Non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis. Vel Dei præſcientia præparato, & præuiſo ad ſalutem generis humani procurandam. *Eccleſ.* 24. Ab initio & ante ſæcula creata ſum, & vſque ad futurum ſæculum non deſinam. *Reſpexit*, recognoſcendo ſine approbatione, *ſuper omnes qui habitant terram*, ipſos ſcilicet malos, qui ſunt terræ amatores, & ipſam inhabitant per amorem : hi enim etiam videntur à Deo, & ipſum latere non poſſunt. *Pſal.* Quis ſicut Dominus Deus noſter qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo & in terra? *Eccleſ.* 15. Multa ſapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes ſine intermiſſione. Vel in bono, *Vidit*, oculo miſericordiæ, *ſuper eos qui habitant*, per diligentiam excolendo, terram proprij corporis quam portamus, ne germinet ſpinas, & tribulos vitiorum. 1. ad *Corinth.* 10. Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo. Non ſicut illi de quibus *Prouerb.* 24. Per agrum pigri hominis tranſiui, & per vineam viri ſtulti, &c. Vel præparatum habitaculum Angeli, in quibus gratia inhabitat, & opere magis quam in inferioribus, tanquam in propriis miniſtris. *Daniel.* 7. Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei. In his ſedet glorioſus Deus, & tunc reſpicit inhabitantes terram. Mira dignatio pietatis. *Iob* 30. Sedebam quaſi rex circunſtanti exercitu : eram tamen mœrentium conſolator. Et tu fac ſimiliter, vt in gloria tua recorderis miſerorum.

Eccleſ. 11. In die bonorum ne immemor ſis malorum, id eſt, aduerſitatis. Aliorum præparatio in habitaculum Dei debet eſſe prædicator. 1. ad *Corinth.* 3. Templum Dei ſanctum eſt, quod vos eſtis. *Ezech.* 43. Fili hominis oſtende domum Iſraël templum, prædicatorem & doctorem factum, & confundantur ab iniquitatibus ſuis. De hoc habitaculo reſpicit Dominus, &c. quando prædicationis doctrinam per ipſum effundit. *Prou.* 7. De feneſtra domus meæ per cancellos reſpexi. Et eſt hic reſpectus vtilis ad tria. De veritate inſtruit. *Cant.* 2. En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos. Et ſubditur ſtatim: En dilectus meus loquitur mihi, me ſcilicet inſtruendo. Virtutes inſerit. *Prou.* 13. Doctrina bona dabit gratiam. *Eccleſ.* 5. In terram reſpexit Dominus, & impleuit eam bonis ſuis. Peccata deſtruit: verba enim Dei ignis ſunt, & neceſſariò peccata liquefaciunt. *Eccleſ.* 3. Sicut in ſereno glacies, peccata ſoluuntur. Quippe *Ierem.* 23. Nonne verba mea quaſi ignis, & quaſi malleus, &c. *Greg.* Peccati gelicidia ad aſpectum Domini liquefiunt.

Reſpicit Deus per prædicatorẽ, & hic reſpectus eſt ad tria vtilis.

Qui finxit ſigillatim. Hîc ſecundum, in quo oſtendit ſcientiam Dei, quia non latent ipſum cogitationes. Dicit enim: Sic homines eum non latent, nec cogitationes, quia ipſe *eſt qui finxit*, id eſt, ipſe formauit corda eorum, id eſt, animas, & hoc *ſigillatim*, ſingulis dona propria tribuendo. 1. ad *Coriuth.* 12. Alij datur ſermo ſapientiæ in vno ſpiritu, alij ſermo ſcientiæ, & ſic de aliis. Et ipſe etiam eſt, *qui intelligit omnia opera eorum*, ſciens & videns quomodo quiſque in illis & ex illis operetur. 2. ad *Corinth.* 6. Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. *Sap.* 6. Data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur.

Vel ſic: *Qui finxit*, id eſt, formauit, *corda eorum*, ſicut ſupra: & hoc, *ſigillatim*, ſingulis gratias gratum facientes largiẽdo. Ad *Epheſ.* 4. Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti: alij enim dat maiorem, alij dat minorem.

Qui intelligit omnia opera eorum, quo fine, qua intentione in illis, & ex illis operentur. *Iob.* 28. Finem vniuerſorum ipſe conſiderat. Vel ſic, *finxit*, id eſt, formauit, *corda eorum*, id eſt, animas, id eſt, ipſas ſubſtantias. Et hoc, *ſigillatim* vnamquamque per ſe, ſicut ſuo perfunditur corpori. Et in hoc deſtruitur duplex error. Vnus qui ponit omnes animas ſimul creatas in cœlo, & quia ibi peccauerunt, in corporibus intrudi. Alius qui ponit de anima Adæ omnes animas factas, ſicut corpora de corpore. *Iſai.* 42. Hæc dicit Dominus, creans cœlos, & fundans terram, dans flatum populo & ſpiritum calcantibus eam. Ecce qui datus eſt ſpiritus, non traductus.

Qui intelligit omnia opera eorum, tam exteriora quàm interiora. *Eccleſ.* 26. Omnia opera eorum velut Sol in conſpectu Dei, &c.

16. *Poteſtas ſaluandi Deo propria.*

Non ſaluatur rex per multam virtutem. Hîc perſuadet à potentia, quia ipſe ſolus ſaluare poteſt: & dicuntur duo. Primò, quòd alia non habent ſaluandi poteſtatem. Secundò, quòd ipſe habet, ibi, *Ecce oculi Domini.* Alia non ſaluant, quia nec collectio multitudinis, nec robur corporis. *Et gigas.* Nec vigor bruti animalis. *fallax equus.* Dicit ergo: Sic debes Deum colere, quia bonus & ſapiens, & etiam quia potens, quia *non ſaluatur Rex*, qui inter alios homines excellit dignitate, *per multam virtutem*, exercitus ſui collectam ad ſe defendendum. 2. *Paral.* 25. Si putas in robore exercitus bella conſiſtere, ſuperatum te faciet Dominus ab hoſtibus ſuis. 1. *Macchab.* 3. Non eſt differentia in conſpectu Dei liberare in multis, & in paucis.

Et Gigas, confidens de corporis ſui viribus, *non ſaluabitur in multitudine virtutis ſuæ*, quamuis poſſit ſuper multos. Exemplum de Goliath Getheo 1. *Reg.* 17. *Ier.* Non glorietur fortis in fortitudine ſua.

Vel ſic: Rex appellari poteſt iuſtus quilibet, & Gigas. Rex ratione nominis, poſſeſſionis, dignitatis. Nominis. *Iſido.* Rectè faciendo nomen regis tenetur, peccando amittitur. Vnde apud veteres tale erat prouerbium. Rex eris ſi benè feceris: ſi non bene feceris, non eris. Ratione poſſeſſionis, quia impreſſa in ipſa Dei imagine ad quam factus eſt, redit ad dignitatem poſſeſſionis primæ, vt omnia ſua ſint. *Geneſ.* 1. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem nõſtram, vt præſit, &c. Imò quæcumque ſunt in cœlo. 1. ad *Corinth.* 3. Siue præſentia, ſiue futura omnia veſtra ſunt. Rex eſt ergo, non regulus, qui tot habet inſignia. Ratione dignitatis diuturnæ: iuſtus enim æternaliter regnaturus eſt. *Apoc. vlt.* Dominus illuminabit illos, & regnabunt in ſæcula ſæculorum.

Iuſtus quilibet rex eſt à nomine poſſeſſione & dignitate.

Appellatur etiam *Gigas* ratione nominis, vigoris, & magnitudinis. Nominis, quia Gigas dicitur à gi quod eſt terra, & genitus. Et homo iuſtus de terra genitus eſt, quia homo. *Pſal.* Quique terrigenæ & filij hominum. *Eccleſ.* 33. Omnes homines de ſolo & de terra, vnde primus creatus eſt Adam. Vigoris, quia confligit & pugnat cum poteſtatibus aëreis, quod eſt magni vigoris & audaciæ. Ad *Epheſ.* 1. Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia, &c. *Caſſiodor.* Meritò Gigas dicitur à quo talibus ſpiritibus obuiabatur. Et magnitudinis, quia qui caret charitate, caret magnitudine. 1. ad *Corinth.* 13. Si autem charitatem non habuero, nihil ſum: ſed qui abundat virtute, hic magnus eſt. *Eccleſ.* 44. Homines magni virtute. Verè iuſtus magnus eſt: vna enim pars eius, ſcilicet pes, caro in terra eſt: ſed caput, id eſt, mens, eſt in cœlo. Ad *Philip.* 3. Conuerſatio noſtra in cœlis eſt.

Dicitur etiã gigas à nomine, viribus, & magnitudine.

17. *Fallax equus.* Hîc oſtendit, quod non ſaluet vigor bruti animalis, quia nec velocitate ad fugiendum, nec fortitudine ad reſiſtendum. *In abundantia.* Dicit ergo: Sic non ſaluatur nec multitudine, nec robore rex, & etiam fallax equus ad ſalutem, id eſt ſalutem promittit aliquando, & non ſoluit. *Auguſt.* Si tu vides equum benè formatum, bonis viribus,

magno

magno cursu præditum, ista omnia tibi velut promittunt salutem: sed fallit, si non tuetur Deus. *Prouerb.*20. Equus paratus ad diem belli, Deus autem salutem tribuet. *Isa.*31. Væ qui descendum in Ægyptum ad auxilium in equis sperantes.

In abundantia autem virtutis suæ, ad resistendum, *non saluabitur*, sed ab eo qui dat ei fortitudinem. Mysticè enim equus dicuntur diuitiæ temporales, & spirituales. Temporales fallaces sunt ad salutem præstandam: ipsam enim promittunt, & non soluunt. *Matth.*13. Sollicitudo huius sæculi, & fallacia diuitiarum suffocant verbum. In abundantia autem illarum non saluatur quis quantum in ipsis est. *Luc.*12. Dicam animæ meæ: Anima mea multa bona habes reposita in annos plurimos, comede, bibe, & epulare. Et quæ sequuntur. Stulte hac nocte repetent animam tuam à te. *Prouerb.* 1. Prosperitas stultorum perdet eos. Dicuntur autem diuitiæ temporales equi, ratione fiduciæ ascensoris, periculosæ eleuationis,& cursus velocitatis. Confidunt enim multi idiotæ in diuitiis suis, & multi corruunt pessimè. *Prou.*11. Qui confidit in diuitiis,corruet. *Ierem.*51. Collidam in te equum & ascensorem eius. De secundo ad literam eleuat hominem non solum corporaliter, sed etiam spiritualiter. Sic diuitiæ in superbiam. *Oseæ.*13. Adimpleti sunt & saturati, & eleuauerunt cor suum. 1. ad *Timoth.*6. Diuitibus huius sæculi præcipe non altum sapere, nec sperare in incerto diuitiarum. Equus etiam velociter transit. *Ierem.* 4. Velociores aquilis equi illius. Sic diuitiæ. *Sapient.*5. Diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Omnia transierunt tanquam vmbra. Et nota, quòd vilis homo insidet equo sine medio: sic anima vilis hæret diuitiis immediatè, sed nobis facit sellam de necessitate corporis. *Psal.* Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.

Diuitiæ temporales equo comparatæ.

Item diuitiæ spirituales.

Equus etiam virtutes designat, quæ sunt diuitiæ spirituales, quibus homo portatur ad vitam æternam. Sed etiam hic multum fallax in illis qui de virtutibus habitis contra illos tument, & eleuantur. *Eccles.*40. Facultates & virtutes exaltant cor. Et verè fallaces,quia promittunt vitam æternam. Hæ etiam fallunt. *Prouerb.*16. Est via quæ videtur homini recta, nouissima autem eius ducunt ad mortem. Etsi scriptum sit *Prouerb.*16. In abundanti iustitia virtus maxima est. Sed hæc abundantia statim corrumpitur à modica iniustitia. 1. ad *Corinth.* 5. Modicum frumentum totam massam corrumpit, &c.

18. *Salus à solo Deo.*

Ecce oculi Domini. Hîc secundum, in quo ostenso quod non saluant alia, ostendit quod Deus saluat. Et primò quod in præsenti. Secundò, quòd etiam in futuro. *Anima nostra.* In prima duo. Primò tangit Dei in nos amorem tanquam salutis causam. Secundò procedentem salutarem opem, vel operationem. *Et eruat à morte.* In prima duo. Primò, quòd amat metuentes. Secundò, quòd sperantes. *Et in eis qui sperant.* Dicit ergo: Sic hæc non saluant, sed *oculi Domini*, id est, dilectio, quæ maximè exerit se per oculos & ostendit, secundum illud: vbi amor, ibi oculus. Oculi, inquam, saluantes. *Psal.* Respexisti humilitatem meam, saluasti, &c. *Super metuentes eum*, non super tumentes contra eum. *Ierem.*10. Qui timent Dominum,erunt in oculis eius. Et *Eccles.*34. Oculi Domini super timentes Deum. *Et in eis qui sperant super misericordia eius. Prouerb.*28. Qui sperat in Domino, saluabitur. Et bene coniungit timorem & spem, quia sunt duæ molæ, inter quas debet teri anima, & neutra sine altera habenda est. *Deut.*24. Non accipies loco pignoris superiorem vel inferiorem molam. *Eccles.*2. Qui timetis Deum, sperate in illo, & eueniet vobis oblectatio.

Spes & timor, duæ molæ quibus anima teritur.

19.

Vt eruat à morte. Hîc tangit operationem saluantem ex amore procedentem, & est duplex. Prima animarum à morte peccati suscitatio. Secunda suscitatorum conseruatio. *Et alat.* Dicit ergo: Sic oculi Domini super metuentes, & sperantes Ad quid? *Vt eruat à morte.* Et potest intelligi de futuro, *à morte*,inferni scilicet, *animas eorum. Abac.*3. Ante faciem eius ibit mors. *Prouerb.*20. Rex qui sedet in solio iudicij, intuitu suo dissipat omne malum. *Et alat eos*, interim verbo suo, *in fame*, in hac scilicet vita, in qua est omnium bonorum defectus, & egestas. *Ierem.*15. Inuenti sunt sermones tui, & comedi eos, & factum est verbum tuum in gaudium mihi, & in lætitiam cordis mei. Vel *eruat*, in præsenti, *animas eorum à morte* spirituali, id est, à peccato mortali, sicut factum est iu Petro, qui à peccato trinæ negationis est ereptus intuitu Christi. *Luc.*23. Respexit Dominus Petrum, & conuersus Petrus fleuit amarè. *Oseæ.*13. De manu mortis eruam eos.

Et alat eos, ne deficiant liberati, *à fame*, cibo suo spirituali, verbo suo. *Deteron.*6. & *Matth.*4. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Hic nota, quòd est triplex mors à qua Deus suos eruit. Naturæ, vt patet in martyribus, qui aut mortem corporis non senserunt, aut multum vilipenderunt absorpti à spe immortalitatis. *Sapient.* 3. Spes illorum immortalitate plena est, & tribulatio momentanea. 2. ad *Corinth.*4. Quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ. Quid ergo mirum si à plena immortalitate absorbetur quod est momentaneum? Item à morte culpæ, de qua *Sap.* 16. Homo autem occidit animam suam. Sed ab hac liberat timentes, quia *Eccles.*1. Timor Domini expellit peccatum. Et sperantes. *Psal.* Non derelinquet omnes qui sperant in eo. Et gehennæ,quia mortui transeunt ad vitam. *Psal.* Cum dederit dilectis suis somnum, ecce, &c. Et fames triplex, in qua alit: naturæ, gratiæ, & gloriæ. Quantum ad primum refectio quidem deest multis, sed nunquam iustis. *Psal.* Nunquam vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Quantum ad secundum. *Amos* 8. Mittam famem in terram, non famem panis, nec sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei. *Psal.* In diebus famis saturabuntur. 1. *Reg.*2. Famelici saturati sunt. Quantum ad tertium in *Psal.* Satiabor cum apparuerit gloria tua. *Matth.*5. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: quoniam, &c.

Triplex mors à qua nos Deus eruit.

Item triplex fames in qua nos alit.

Anima nostra sustinet. Hîc ostendit, quod saluat in futuro: & dicuntur tria. Primò

20.

oſtendit iuſtos ſalutem illam patienter expectare. Secundò ſperare. *Et in nomine ſancto.* Tertiò implorare. *Fiat miſericordia.* In prima duo. Primò tangit patientem expectationem. Secundò patientis expectationis rationem. *Quoniam adiutor.* Dicit ergo : Sic nunc alit, ſed tandem ſaluabit. Vnde *anima noſtra ſuſtinet*, id eſt, patienter expectat, *Dominum. Pſal.* Vniuerſi qui ſuſtinent te, non confundentur. *Eccleſ.* 2. Suſtine ſuſtentationes Dei, vt creſcat in nouiſſimo vita tua. Suſtinet etiam vt iumentum ſeſſorem ſuum. *Pſal.* Vt iumentum factus ſum apud te. Stimulantem etiam calcaribus tribulationum, vt non recalcitret, quamuis bene alita ſit, ſicut prætactum eſt, non ſicut illi de quibus *Deuter.* 32. Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit, ſed ſecundum admonitionem *Baruch.* 4. patienter ſuſtinuit. Filij patienter ſuſtinete iram, &c. Imò libenter. 2. *Machab.* 6. Domine qui habes ſanctam ſcientiam, manifeſtè tu ſcis quia cum à morte poſſem liberari, duros ſuſtineo corporis cruciatus : ſecundum animam autem, propter timorem tuum libenter hæc patior. Item dulciter. *Iob* 6. Hæc mihi ſit conſolatio, vt affligens me dolore non parcat.

Quoniam adiutor. Hîc tangit rationem patientis expectationis & primo rationem patientiæ. Secundò expectationis. *Quia in eo.* Patientiæ duplex eſt, quia adiuuat in bono. Secundò quia protegit à malo. Ait enim : Sic anima noſtra ſuſtinet, & patientiam habet : *quoniam adiutor noſter* eſt in bonis faciendis, & *protector*, protegendo à malis. *Eccleſ.* 51. Adiutor & protector factus eſt mihi. *Pſal.* Adiutor in opportunitatibus in tribulatione.

21. *Quia in eo lætabitur cor noſtrum.* Quaſi diceret : Patientiam habet propter prædicta, ſed expectat, affectu inhiat, quod eſt expectare, *quia in eo lætabitur cor noſtrum*, ſecundò cum venerit. *Eccleſ.* 1. Vſque in tempus ſuſtinebit patiens, & poſtea redditio iucunditatis. Nec tantum cor noſtrum, parum dixit. Imò & corpus noſtrum, in Chriſti humilitate. *Pſal.* Cor meum & caro mea, exultauerunt in Deum viuum. Sed vtrumque comprehendit in corde : quia cum ſit caro, ſedes eſt animæ.

Et in nomine ſancto. Hîc ſecundum. Quaſi diceret : Sic expectamus patienter, & interim *etiam in nomine ſancto eius ſperauimus*, nos venturos ad eum in quo ſic lætemur : *in nomine ſancto eius*, filio ſcilicet eius ductore noſtro, ad hoc miſſo vt nos reducat illuc. *Ioan.* 16. Exiui à patre, & veni in mundum : iterum relinquo mundum, & vado ad patrem, vt vos illuc reducam. In eo ergo lætabitur cor noſtrum, vt in quo eſt ſumma voluptas. *Pſal.* Delectationes in dextera tua vſque in finem. Summa tranquillitas. *Ioan.* 16. In mundo preſſuram, in me pacem habebitis. Summa ſecuritas. *Iſa.* 43. Noli timere ſeruus meus Iacob, quia ego tecum ſum vt protegam te. De iis tribus. *Iſa.* 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis in requie opulenta, in tabernaculis fiduciæ. *Et in nomine ſancto eius ſperauimus*, à tyrannica dominatione redemptionem. *Iſa.* 8. Voca nomen eius, Accelera, ſpolia detrahe, feſtina prædari. A multiplici infirmitate curationem. *Matth.* 1. Vocabis nomen eius IESVM : ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Et ab omni perſequutione curationem. *Prouerb.* 18. Turris fortiſſima nomen Domini, ad ipſum currit iuſtus, & exaltabitur.

Quare lætabitur cor noſtrum in Chriſto.

Fiat miſericordia tua. Hîc tertium, in quo ſubiungitur oratio, & dicuntur duo. Primò orat. Secundò monſtrat, quòd debet exaudiri. *Quemadmodum.* Ait ergo : *Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos* in aduentu : vt in nobis illud impleatur gaudium de quo in præcedenti verſu. Quia in eo lætabitur cor noſtrum. Et nota, quòd quamuis innocens ſit qui loquitur, tamen iuſtitiam non petit, ſed miſericordiam, iuxta *Pſal.* alium, Non intres in iudicium cum ſeruo tuo. *Iob* 9. Quantus ſum ego vt reſpondeam ei, & loquar verbis meis cum eo ? Non audet petere iuſtitiam propter meritorum impuritatem, ſi quæ habet. *Iſa.* 64. Omnes iuſtitiæ noſtræ tanquam pannus menſtruatæ. Propter negligentiam, & venialium ſaltem multitudinem. *Prouerb.* 24. Septies in die cadit iuſtus, & reſurgit. Propter præmij magnitudinem. 1. ad *Corinth.* 2. *Iſa.* 64. Oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti, &c. *Pſal.* Pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem. Vel de primo aduentu, *fiat*, ô Domine, *miſericordia tua ſuper nos*, id eſt, fiat nobis primus aduentus tuus, qui totus fuit ex miſericordia, ſicut ſecundus ex iuſtitia. *Pſal.* Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas. Vel de vtroque : *Fiat miſericordia tua*, triplex ſcilicet, qua diminuitur culpa. *Iſa.* 55. Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius, pius & miſericors Dominus, & dimittit peccata, in tempore tribulationis, qua infunditur gratia. *Hebr.* 5. Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in tempore opportuno, & quâ confirmemur in gloria. *Pſal.* Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus. *Iudas in Canon.* Voſmetipſos in dilectione Dei ſeruate, expectantes miſericordiam Dei in vitam æternam. Et hoc, *quemadmodum ſperauimus in te.* Quaſi diceret : Non decet tantam excellentiam, vt confundatur qui ſperat in te. *Eccleſ.* 2. Nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt. *Sperauimus in te* quod volumus potente. Ad *Epheſ.* 3. Qui poteſt omnia facere ſuperabundanter quàm petimus. *In te*, quo indigemus ſciente. *Matth.* 6. Scit enim pater veſter quibus indigetis. In te quod bonum eſt volente. 1. ad *Timoth.* 2. Hoc bonum eſt & acceptum coram Deo Patre, & Saluatore noſtro Deo, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem ſui nominis venire.

22.

IN XXXIII. PSALMVM.

Pſalmus Dauid cum mutauit vultum ſuum coram Abimelech, & dimiſit eum, & abiit. 1.

Benedicam Dominum in omni tempore. Hic eſt Pſalmus trigeſimus tertius. Cum enim monuerit iuſtificatos per pœnitentiam laudare Deum, & ei cultum diuinum exhibere, quia maximè & potiſſimè laudatur & colitur in ſacrificio altaris nouo, & veteri ſacrificio ſubſtituto, 2.

Argumẽtum Pſalmi, cultus Dei per ſacrificium nouũ, vt titulus oſtendit.

tuto, agit hîc de nouo ſacrificio, quod veteri ſubſtitutum eſt, veteri euacuato. Et hoc eſtentur ſatis in titulo, qui talis eſt: *Pſalmus Dauid cum mutauit vultum ſuum coram Abimelech, & dimiſit eum, & abiit.* Et tangitur hiſtoria ſecundum *Auguſt.* quæ habetur 1. *Reg.* 21. vbi Dauid dicitur mutaſſe vultum ſuum coram Achis Rege Geth, ad quem confugerat, eò quod accuſatus eſſet apud eum de fortitudine, & ſtimulante Saüle qui ad hoc ipſum nuntios miſerat procuraturos, vt vel eum interficeret, vel mitteret ad ſe. Sic Chriſtus mutauit vultum ſuum cotam Achis, cum vetus ſacrificium in nouum conuertit: quia ſecundum *Iſidor.* vultus dicitur, eò quòd per ipſum voluntas oſtenditur, in Teſtamento autem in ſacrificiis eorum voluntas Dei oſtenditur. Mutare ergo vetus ſacrificium in nouum, quid aliud eſt quam mutare vultum? quod factum eſt propriè in cœna, quando euacuato antiquo Paſchate, ſubſtitutum eſt nouum. *Ioan.*13. Quod bene dicitur factum coram Abimelech: quia coram Iudæis: Abimelech enim interpretatur patris mei regnum, & ſignificat Iudæos, qui ad Dei regnum pertinebant. 1. *Reg.* 12. Dixiſtis: Rex regnabit ſuper nos, cum Dominus Deus veſter regnauerit ſuper vos? Achis etiam interpretatur frater meus, & Iudæi fratres erant Chriſti ſecundum carnem. Vel quomodo eſt? In quo ſignificatur eorum dubitatio, maximè circa ſacramentum Altaris. *Ioan.6.* Litigabant ergo Iudæi adinuicem dicentes: Quomodo poteſt hic carnem ſuam dare ad manducandum? Et propter hoc *dimiſit* Abimelech, vel Achis, id eſt, populus Iudæorum, *eum*, ſcilicet Chriſtum, *& abiit* Chriſtus, ad Gentes. Senſus ergo: Hic Pſalmus eſt Chriſti, *cum mutauit vultum ſuum coram Achis*, id eſt, de hoc agens quod Chriſtus mutauit vetus ſacrificium in nouum coram Iudæis, propter quod dimiſſus eſt ab eis & abiit ad gentes. Propter hoc dicit *Caſſiodor.* in hoc Pſalmo: Sic Miſſarum ordo completus eſt, vt eum putes conſcriptum in temporibus Chriſtianis. Et eſt ſecundus Pſal. ſcriptus & diſtinctus per literas Hebraici Alphabethi, tamen imperfecte. Quare autem diſtinguantur Pſalmi, & quare quidam perfectè, quidam imperfectè, dictum eſt ſuperiùs *Pſal.*24.

Abimelech nomen Iudæos ſignificat.

Diuiſio Pſalmi iuxta miſſæ ordinē, id eſt, laude, communione, & inſtructione fidelium.

Diuiditur autem Pſalmus ſecundum ea quæ in Miſſa fiunt. Primò laus diuina celebratur: ſic & hic de laude diuina primò agitur. Secundò populus Chriſtianus communicatur: & de hac communione hîc agitur ſecundò. *Accedite ad eum.* Tertiò populus informatur: & de hac informatione tertiò agitur, ibi, *Venite filij audite me.* In prima parte duo dicuntur. Primò admonitio aliorum vt ſecum laudent Deum, & benedicant. Secundò oſtendit laudis fructum, ibi, *Exquiſiui Dominum.* In prima quatuor ſecundum quatuor conditiones quas requirit in laude Dei. Primò monet vt exemplo ſuo laudent perſeueranter. Secundò, quòd humiliter. *In Domino laudabitur.* Tertiò, quòd ſuauiter. *Audiant manſueti.* In prima duo. Primò, quòd ſemper in corde. Secundò, quòd ore. *Semper laus eius.* Dicit ergo: Sic colendus eſt Deus, & timendus, & laudandus. Et propter hoc, *benedicam Dominum* corde interius, *in omni tempore*, vt fiat diſtributio pro generibus ſingulorum, id eſt, in tempore proſpetitatis. *Pſal.* Cantabo Domino qui bona tribuit mihi. Et aduerſitatis, ſicut *Iob* 1. qui omnibus perditis dicebat, Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt. Sit nomen Domini benedictum. Non ſic quidam, qui in proſperis tantum laudant, & in aduerſis blaſphemāt, de quibus in *Pſal.* Confitebitur tibi cùm benefeceris ei. Nec ſicut alij qui ipsū omninò tradūt obliuioni in proſperis, & in aduerſis clamant, contrarij aliis. *Iſa.*26. Domine in anguſtia ſua requiſierunt te.

Quatuor conditiones ad laudem neceſſaria.

Semper laus eius in ore meo. Sed opponit *Caſſiodor.* Impoſſibile videtur laudes Dei iugiter perſonare. Et eſt reponſio. Semper laus eius in ore meo, id eſt, nunquam aliquid contrarium laudis eius erit in ore meo. 1. *Pet.* 4. Si quis loquitur quaſi ſermones Dei. Vel: Nihil in ore meo, niſi vel eius laus, vel ad laudem eius pertinens, & honorem. *Hieron.* Felix lingua, quæ non nouit niſi de diuinis facere ſermonem. Et notanda eſt Gloſſa quæ habet verſiculum. *Ioan.*12. Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum laudandum. Quippe *Gregorius* dicit: Tanto ab hominibus dignius eſt honorandus, quantò pro hominibus indigniora ſuſcepit.

Quomodo poteſt Deus ſemper laudari.

In Domino laudabitur anima mea. Hîc monet, quòd humiliter. Quaſi diceret: Sic laudando laudabo ſemper, & *anima mea laudabitur.* Laudatam ſe reputabit, *in Domino*, in laude Domini. Quaſi diceret: Si Dominus laudatur, laudatam ſe reputabit anima mea, quia totam laudem vult in Deum referri, nihil ſibi penitus retinere, tanquam verè humilis. Sic laudabo tanquam verus filius. *Eccleſ.*3. Gloria hominis ex honore patris ſui. Et tanquam bonus ſeruus. *Exod.* 15. Laus mea Dominus. Et *Deuter.*10. Ipſe eſt laus tua, & ipſe eſt Deus tuus. Sic etiam poteſt intelligi: Laudabo ſemper, & ipſe rependet mihi vicem in futuro, quia *in Domino*, id eſt, à Domino *laudabitur anima mea*, in die iudicij coram toto mundo. 1. ad *Corinth.*3. Illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo. *Luc.*12. Quicumque confeſſus fuerit me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.

3.

Deus ſēper, humiliter, ſuauiter laudandus.

Audiant manſueti. Hîc monet quam ſuauiter: & per hoc quod ſic laudabit, quòd manſueti audientes lætabuntur. Suauis enim laus in audiente generat lætitiam, alia non. Dicit ergo: Sic laudabo humiliter, & etiam *audiant*, laudem meam, *manſueti*, *& lætentur*, præ ſuauitate eius. Optime dicit, *manſueti*: quantumcumque enim ſuauiter laudatur Deus, non poteſt lætari, niſi per manſuetudinem diſpoſitus. *Eccleſ.*5. Eſto manſuetus ad audiendum. *Iacob.* 1. In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum. Et eſt argumentum, quòd Parochiani debent audire verbum diuinum in manſuetudine, & diuinum officium, & tunc poſſunt eorum corda lætificari, aliter non. *Pſal.* Auditui meo dabis gaudium & lætitiā, & exultabūt oſſa humiliata. *Ier.*15. Factum eſt mihi verbū tuum in gaudium, & in lætitiam cordis mei, &c.

4. *Laudandus Deus à tota cõmunitate.*

Magnificatè Dominum mecum. Hîc tangitur quarta conditio, quia communiter: & tangitur primò congregatio, vel communitas quaſi loci. Secundò modi. Si enim in vno loco multi laudarent, & diuerſi diuerſa dicerent ſimul, confuſi eſſent, ibi, *Et exaltemus.* Ait ergo: Sic eſt laudandus inceſſanter, humiliter, & ſuauiter, & communiter. *Magnificate Dominum mecum.* Inuitat illos ad cantandum, & magnificandum. *Exod.26.* Cortina cortinam trahat. *Apocal. vlt.* Qui audit, dicat, Veni. Bene autem inuitat qui ſe non ſubtrahit, ſed magis antecedit, aliter parum valeret, ſicut cantores qui alios inuitant ad cantandum, & ipſi ſtant muti. *Gregorius*, Loquẽtis authoritas perditur cum vox non iuuatur. Notatur etiam laudati magnitudo, quia alios inuitat. Quaſi diceret: Tantus eſt quod mihi & vobis bene ſufficeret. Amator temporalium quod amat, aliquando non laudat, ſed magis vituperat, vt alij dimittant ei. *Prou.20.* Malum eſt, & cum receſſerit, gloriabitur. Sed ſi mille Deum fuerint amplexati, bene locum inuenient in illo. *Auguſt. lib. Confeſſ.* Non enim ſi amplexus illum fuero, alius non habebit vbi manum ponat. Latitudo tanta eſt, vt eum omnes animæ amplexentur. *Pſal.* Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis. Magnificatur autem Deus, Chriſtus ſcilicet, cum ille qui prius non erat membrum eius, fit eius membrum. 1. ad *Corinth. 6.* Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti. Sed multi minorant eum, & magnificant meretrices, quia ſeipſos tollunt à Chriſto, & vniunt ſeipſis. 1. *Cor. 6.* An neſcitis, quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur? Mecum ergo, qui in Chriſto ſum, magnificate: quia ſi non eſtis in Chiſto, mecum non eſtis. *Eccleſ.* 13. Quæ communicatio ſancti viri, qui eſt in Chriſto, ad carnem?

Et exaltemus nomen eius, non in aliud, ſed *in idipſum*, vt concordes ſimus anima in exaltando. Vnde *Auguſtinus* habet, *In vnum*, contra Schiſmaticos, & varia prædicantes ab iis, quæ tenet Eccleſia: & contra diſcordantes in cantu in Eccleſia. 1. ad *Corinth.* 1. Obſecro vos, fratres, per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata. Vel notatur tempus exaltationis. Quaſi diceret: Exaltate nec poteſtis pluſquam in idipſum. *Eccleſ.* 43. Exaltate illum quantum poteſtis, maior enim eſt omni laude. Et nota, quòd hi tres verſus dicuntur in gratiarum actione poſt menſam, vt oſtendatur, quòd pro omnibus beneficiis Deo ſunt gratiæ referendæ. 1. *ad Theſſ.* 5. In omnibus gratiam agite: hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Ieſu. Et dicit *Auguſt.* Turpiſſimum eſt Chriſtiano ſic ſurgere à menſa, ſicut bos à præſepio, &c.

Deus ſemper laudandus ratione liberalitatis ſuæ. *Auguſt.* Omni momento me obligat, qui omni momento beneficium mihi præſtat. Dat autem nobis continuè ad minus tempus in quo laudamus, & anhelitum in quo laudamus. *Iſai.* 42. Ego Dominus firmans terram, & quæ germinant in ea: dans flatum homini qui in ea eſt. Bonus, qui tempus ab æuo ire iubet. Ratione noſtræ vtilitatis: quia modicus labor, & fructus magnus eſt. Laudare enim eſt loqui: ita autem facile eſt loqui, quòd vix poteſt lingua refrænari. *Iacob.* 3. Linguam nemo hominum domare poteſt. Et fructus maximus. *Pſalm.* Bene dicentes autem ei hæreditabunt terram viuentium. Si ergo propter lucrum temporale non ceſſat homo à labore. *Eccleſ.*4. quantò magis ratione voluptatis, ſeu ſuauitatis, quæ etiam in hoc tanta eſt aliquando, vt etiam lachrymæ exeant. *Auguſt. in lib. Confeſſ.* Quantum fleui in hymnis & canticis ſuaue ſonantis Eccleſiæ. Voces illæ influebant auribus meis, & æſtuabat in me affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum illis. Ratione vitandæ damnationis, ſemper enim debemus laudare quantum poſſumus. *Eccleſ.* 43. Glorificantes Dominum exaltate illum quantum poteſtis: maior eſt enim omni laude. Alioqui moriemur debitores merentes maledictionem. *Auguſt. lib.Confeſſ.* Væ tacentibus de te, quia loquaces muti ſunt. Propter hoc *Tob.* 4. Omni tempore benedic Dominum. *Eccleſ.* 51. Laudabo nomen tuum aſſiduè.

Laudandus Deus ob eius liberalitatẽ & noſtram vtilitatem.

Lib.9. c.6.

Lib.1. c.4.

5.

Exquiſiui Dominum. Hîc ſecundum huius partis, in quo vt alliciat ad quod monet, oſtendit fructum laudandi, & quærendi Deum in orationibus. Duo ergo dicuntur. Primò perfecta exquiſitio Dei. Secundò fructus ſequens ex illa. *Et exaudiuit.* Primò in generali. Secundò ſpecificat. *Et in omnibus tribulationibus.* Dicit ergò: Sic mones vt laudetis, & iuſtum eſt, & vtile, quia *exquiſiui Dominum*, perfectè quæſiui Dominum. *Pſal.* Dominum exquiſiui manibus meis. *Sap.* 8. Hanc amaui, & exquiſiui à iuuentute mea. Exquiritur autem, id eſt, perfectè quæritur, quando debito tempore quæritur, ſcilicet ante mortem, non in morte, nec poſt mortem. *Iſai.*55. Quærite Dominum dum inueniri poteſt, inuocate eum dum prope eſt. *Eccleſ.* 5. Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Ei in loco ſuo, non extra, ſcilicet in mundi vanitate. *Iob.* 28. Mare, mundus ſcilicet, loquitur: Non eſt mecum. Nec interius in carnis voluptate. *Iob.* in eodem, Non inuenitur in terra ſuauiter viuentium. Sed interius in intimo cordis inuenietur. ad *Epheſ.* 3. Det vobis in interiori homine habitare Chriſtum in cordibus veſtris. Item modo debito, ſcilicet diligenter. *Ier.* 29. Quæretis me, & inuenietis, cum quæſieritis in toto corde veſtro. Singulariter, vt nihil aliud quæratur cum eo. 3. *Reg.* 18. Vſquequo claudicatis in duas partes? ſi Dominus eſt Deus, ſequimini eum. Et perſeueranter. *Pſal.* Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem eius ſemper.

Quærendus Deus diligenter, ſolus & continuò.

Et exaudiuit me. Hîc determinat in quo, in malis ſcilicet amouendis. *Et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me*: præteritum pro futuro, id eſt, eripiet in futuro. *Iob.* 6. In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non tanget te malum. Vel poſſet dici de præterito: Eripuit de tribulationibus in mitigando. *Daniel.* 3. Fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem. Vel patientiam præſtando,

quod

quod eſt optimum liberandi genus. *Gregor.* Melius liberat, qui patientiam dat. *Prou.* 19. Melior eſt patiens viro forti. Et in ipſis tribulationibus roborando. *Pſal.* Da nobis auxilium de tribulatione. Auxilium datur, cùm ipſe tribulatus ex tribulatione proficit & roboratur.

6. *Secunda pars de præparatione ad Euchariſtiam.*

Accedite ad eum. Hîc ſecunda pars Pſalmi, in qua agitur de Euchariſtiæ ſumptione. Et primò de præparatione. Secundò de ſumptione poſt præparationem, ibi, *Guſtate, & videte.* Tertiò monet tota cordis intentione in Deum tendere, qui in ſacramento ſumptus eſt, ibi, *Beatus vir.* In prima duo. Primò monet ad præparationem quæ eſt per acceſſum. Secundò oſtendit vtilitatem ſic ſe præparandi. *Et illuminamini.* Dicit ergo: Sic benedicatis Deum dictis modis & poſt hoc, *accedite ad eum*, vos ipſos præparando ad dignam ſacramenti ſumptionem. Et eſt bonus ordo: non enim debet accedere quis ad hanc menſam, niſi in lætitia & exultatione ſpirituali. *Pſal.* In voce exultationis & confeſſionis, ſonus epulantis. Accedite ergo pede intellectus, veraciter credendo. Ad *Hebr.* 12. Accedentem oportet credere. Et affectu dulciter diligendo. *Auguſt.* Pedes tui charitas tua. Ad *Hebr.* 10. Accedamus ad eum cum vero corde.

Et illuminamini. Hîc ſubiungit acceſſus duplicem, vtilitatem: collationem boni primò. Secundò ablationem mali, ibi, *Et facies veſtræ.* Dicit ergo: Sic *accedite*, & *illuminamini.* Hæc enim charitas. Acceſſum ad charitatis Sacramentum ſequitur illuminatio. *Eccleſ.* 2. Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda veſtra. *Iſa.* 61. Surge, illuminare Ieruſalem.

Et facies veſtræ. Hîc amotionem mali. Primò confuſionis. Secundò tribulationis. *Iſte pauper.* Ait ergo: *Et facies veſtræ*, ſic illuminatæ *non confundentur*, ſed magis infundentur omni dulcedine & gaudio. *Iſa.* 28. ſecundum literam aliam: Omnis qui credit in eum, non confundetur, nimirum in futuro. *Pſal.* Non confundentur in tempore malo, quando mali cogentur confiteri & clamare: Vaſtati ſumus, & confuſi vehementer. *Ierem.* 4.

7. *Euchariſtia à malo liberat.*

Iſte pauper clamauit. Hîc ſubiungitur fructus qui eſt in ablatione mali. Dicuntur autem duo. Primò oſtendit ſe accedentem ad ipſum liberatum. Secundò oſtendit liberationis modum. *Immittet Angelus Domini.* In prima duo. Primò, quòd acceſſit orando. Secundò, quòd exauditus fuit. *Et Dominus exaudiuit.* Dicit ergo: Sic non confundetur accedens, & ſe præparans: imò & tribulatione liberabitur, & hoc ſcio, quia *iſte pauper*, qui loquitur, Ego ipſe, vel Chriſtus, vel quodlibet membrum Chriſti, *clamauit.* Dicit *Caſſiodor.* quod dicendo, *Iſte*, pauperem ſpiritualem deſignauit, qui non tantum opibus, ſed & vitiis vacuatur. In hoc autem quod dicitur, *Clamauit*, feruor orationis intelligitur. Duo ergo tanguntur. Quomodo Deus non repellit ſpiritualem paupertatem, & feruentem orationem. *Pſal.* Non eſt oblitus clamorem pauperum. *Auguſt. in Gloſſa*, Exaudieris ſi fueris pauper ſpiritu. Diues non auditur.

Et Dominus exaudiuit. Hîc ſubiungitur exauditio. Et primò aſſerit ſe exauditum. Secundò ſpecificat in quo. *Et de omnibus.* Dicit ergo: Sic clamauit, & *Dominus exaudiuit eũ*, in præſenti, & in hoc, quod *de omnibus tribulationibus eius ſaluauit eum:* & ſaluabit in futuro: ſed propter certitudinem reputandum eſt factum. Ex hoc patet, quòd planè via contraria incedunt diuites, & pauperes: quia pauperes vadunt de tribulationibus in exultationem, diuites autem de exultatione in tribulationem, ſicut hic diues, qui epulabatur quotidie ſplendidè, & induebatur byſſo & purpura ſepultus eſt in infernum. *Prouerb.* 22. Diues & pauper obuiauerunt ſibi. *Luc.* 16. Fili, recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris. Iſte pauper, Chriſtus: pauper enim fuit. *Eccleſ.* 9. Inuentus eſt in ea vir pauper & ſapiens, & liberauit eam per ſapientiam ſuam. 1. ad *Corinth.* 8. Qui cum eſſet diues in omnibus, pro vobis egenus factus. *Iſte pauper*, antonomasticè, quia ſuper omnes pauper. *Luc.* 9. Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. Ergo iſte pauper clamauit in cruce. Ad *Hebr.* 5. Cum clamore valido & lachrymis, &c. Et exauditus eſt & liberatus eſt ab omni tribulatione & morte, & in gloria reſuſcitatus. Ad *Roman.* 6. Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur, &c.

8. *Custodia Angeli tutelaris.*

Immittet Angelus Domini. Hîc ſecundum, in quo oſtendit liberationis modum, per Angelum immittentem conſolationem interius, & exterius conſeruantem. Duo ergo dicuntur. Primò immiſſio interius, & exterior conſeruatio. Secundò fructus ſeu effectus conſolationis immiſſæ, & conſeruationis. *Et eripiet.* Ait enim: Sic dixi, quòd pauper clamauit & liberatus eſt, quia *Angelus Domini*, bonus, *immittit*, id eſt, immiſſionem facit, *in circuitu*, ad tuitionem eius qui ſibi eſt commendatus. *Daniel.* 10. Ecce Michaël vnus de principibus venit in adiutorium mihi. Vel immittit, id eſt, intus mittit conſolationem, dulciter alloquendo & conſolando. *Ioan.* 13. Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quò vadat. Et ſic cuſtodit contra tentationem interiorem. *In circuitu timentium* exiſtens, contra tentationem exteriorem. *Pſal.* Angelis ſuis Deus mandauit de te, &c. Ex vitæ ergo merito vallantur Angelorum præſidio, qui cordis puritatẽ timent Deum. Ad *Hebr.* 1. Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. Propter hoc benè dicitur *Eccleſ.* 14. Qui timet Dominum, nihil trepidabit. *Et eripiet eos*, de omni malo, tam interiori quam exteriori. *Baruc.* 8. Qui induxit ſuper vos mala, ipſe rurſus adducet ſuper vos lætitiam ſempiternam.

Legitur & de Chriſto, qui Angelus dicitur. *Iſa.* 9. ſecũdum literam aliam, Vocabitur nomen eius magni conſilij Angelus. Iſte immittit in circuitu timentium ſe ſicut cuſtos caſtri, ſpicula & lapides, ad terrendum hoſtes. 4. *Reg.* 7. Dominus ſonitum audiri fecerat in caſtris Aſſyriorum, hominum & equitum, & exercitus plurimi. Surrexerunt ergo & fugerunt, & ſic alij liberati ſunt.

Tertio modo lege ſic: Angelus enim eſt

Prælatus *Mal.*3.Angelus enim Domini exercituum eſt,qui debet mittere in circuitu Eccleſiæ ſuæ,iacula,de quibus in *Pſal.* Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum,& ipſi ſunt iacula,quibus interficiat inimicos, peccata ſcilicet, quæ ſunt inimici. *Prou.* 13. Peccatores perſequetur malum, nec tantum magnos hoſtes, ſcilicet magna peccata, ſed etiam paruos.*Iſa.*13.Sagittis paruulos interficient.

9. *Communio ore & corde facienda.*

Guſtate & videte. Hîc ſecundum, in quo poſtquam monuit ad præparationem, monet ad ſumptionem:& tangũtur tria. Primò monet vt ſumatur ore. Secundò vt corde. *Et videte.* Tertiò ſubiungitur cauſa quare, ibi, *Quam ſuauis eſt Dominus.* Ait ergo: Sic vos præparate, & poſtea guſtate ore, ad literam, ſpecies panis & vini ſumite, ſub quibus eſt verum corpus Chriſti.Vel melius corde guſtate,potius palato cordis, quam oris. *Gregor.* Cibum vitæ ex palato cordis tangite. Habet enim cor os ſuum. *Eccleſ.* 21. In corde ſapientium os illorum eſt. Et poſt guſtum, *videte* oculis cordis, *quam ſuauis eſt Dominus*, quem ſumitis ſub illis ſpeciebus. *Sapient.*12. O quam bonus & ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus, ſpiritualis ſcilicet cibus tuus in nobis. *Prouerb.* 31. Guſtauit & vidit quoniã bona eſt negotiatio eius.Sed quid eſt quod dicitur, *Guſtate & videte?* Nunquid non prius eſt videre cibum, & poſtea ſumere? Quis vnquam comedit, quod priùs non viderit? Reſp. In cibo medicinali aliter fit quam in alio: occultatur enim ne videatur. Sed poſtquam ſumptus eſt, tunc ſentitur, & ſic quodammodo videtur. Sic fit in medicinali cibo ſpirituali: ſunt nebula nobis datur in occulto, ſed eius effectus poſtmodum benè ſentitur, & ſic videtur.*Eccleſ.*44. Medicina omnium in feſtinatione nebulæ.Itẽ hic cibus eſt lux.1.*Ioan.*1. Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ. Sed hæc lux occultatur ſub panis ſpecie,& propter hoc oportet comminuere, & conſumere, panis ſpeciem, vt lux videatur intus latens. Hinc eſt ergo, quòd priùs ſumitur, quam videatur. 1. *Reg.* 14. Vidiſtis ipſi quod illuminati ſunt oculi mei, eò quod guſtauerim parum de melle. *Luc. vlt.* Cognouerunt eum in fractione panis. Et nota, quòd dicit Gloſſa, Ego ſum via, veritas & vita. *Ioan.* 14. Accede ergo ad viam, vide veritatem, & guſta vitam. Item nota Gloſſam: Quia Deus eſt vita,& caro quam ſibi vniuit, eſt viuificatrix.*Ioan.*6. Qui manducat me, ipſe viuet propter me.

Ordo præpoſterus myſteriũ docet. Prius Euchariſtia guſtatur quam videatur.

Beatus vir qui ſperat. Hîc tertium, in quo poſtquam monuit ad præparationem, & ad corporis Chriſti ſumptionem ſecundò, hîc tertiò monet, vt totam cordis intentionem in illud conuertant. Primò ergo, quòd concupiſcibilis, ſperando.Secundò,quòd irraſcibilis reuerendo. *Timete Dominum.* Tertiò, quòd rationabilis, inquirendo. *Diuites.* Dicit ergo: Sic vos præparate, ſic ſumite, & in ipſum tota concupiſcibili tendite, quia *beatus vir qui ſperat in eo*, cibo, ſupple. *Iſa.* 30. In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra. In eodem, Beati omnes qui expectant eum. *Thren.* 3. Pars mea Dominus, dixit anima mea, proprerea expectabo eum. Si quis ſperat in illo cibo quem ſperat, beatus: maledictus & infelix,qui in ipſo non ſperat,nec ſe præparat vt temporedebito ſumat.

Timete Dominum. Hîc ſecundum, in quo monet ad timorem, vt ſic iraſcibilis intendat in Deum. Et primò monet ad timorem. Secundò ſubiungit rationem quare timendus Dominus ſit, ibi, *Quoniam non eſt inopia.* Dicit ergo: Sic beatus qui ſperat: *Et vos omnes ſancti eius*, cibo ſuo ſacratiſſimo ſacrificati, *timete Dominum*, quia *Eccleſ.*27. Si non in timore Domini tenueris te inſtanter, citò ſubuertetur domus tua: omnis quantumcumque perfecti. Quis enim perfectior beato Iob? qui timebat dicens in nono: Verebar omnia opera mea, ſciens quòd non parceret delinquenti. Et 31. Semper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Dominum. *Prouerb.* 28. Beatus vir qui ſemper eſt pauidus.Et eſt hoc contra præſumentes tempore Paſchali, & torpentes: credunt enim ſe eſſe ſecuros. *Ad Theſſal.*5. Cum dixerint,pax, & ſecuritas, tunc repentimus ſuperueniet ſuper illos interitus, culpæ ſcilicet. 10.

Quoniam non eſt inopia. Auguſt. ſic continuat. Si timens non fraudor: ſi nec fraudo, certus ſum quoniam viuam. Timete ſecurè, *quoniam non eſt inopia timentibus eum.* Et bene dicitur: quia qui timet, non facit fraudem. *Prouerb.* 16. In timore Domini declinat omnis à malo. Sed ſi non fraudant, non habent vnde viuant. *Auguſt.* Non poteſt ars ſine impoſtura, nec negotium eſſe ſine fraude. Reſpondet *Auguſt.* Paſcit Dominus deſerentes ſe, mò certe impugnantes ſe, & contemnet timentes? *Matth.* 6. Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt neque metunt, nec congregant in horrea, & pater veſter cœleſtis paſcit illa. *Eccleſ.*40. In timore Domini non eſt minoratio. Et nota, quòd non dicit, quòd ſit illis nimia copia, ſed quod non ſit illis defectus neceſſariorum, victus ſcilicet & veſtitus, quæ determinat *Apoſt.* 1. *Tim.* 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, &c.

Diuites eguerunt. Hîc tertium, in quo monet rationabilem non occupari in terrenis, ſed in inquiſitione Dei. Duo ergo dicuntur. Primò monet vt non occupetur ratio in acquirẽdis diuitiis.Secũdò,quod occupetur in quærẽdo Deũ. *Inquirentes autem Dominum.* Dicit ergo: Sic timete Dominum, & rationabilem non occupate in quærendis diuitiis: quia *diuites*,&c.Vel ſic: Non eſt inopia timentibus eum. *Autem* pro ſed. *Diuites eguerunt*, his quæ non habent, illa ſemper deſiderantes. *Eccleſ.*5. Auarus non impletur pecunia. *Et eſurierunt*, non audentes tangere illa quæ habent.*Luc.*1. Diuites dimiſit inanes. *Prouerb.*3. Egeſtas à Domino in domo impij. Sed hoc aliquando contingit: tamen quia frequenter videmus diuites vſque ad mortem abundare, & frui diuitiis ſuis,ſicut factum eſt in diuite epulone. *Luc.*16. propter hoc aliter legatur, & dicatur: *Diuites*, diuitiis ſpiritualibus *eguerunt*,quibus replentur Sancti. *Eccleſ.*44. Homines diuites virtute. *Prouerb.* 13. Eſt quaſi dives, diuitiis temporalibus, cum nihil habeat,diuitiarum ſpiritualium.*Et eſurierunt*, carentes illo cœleſti pane, de quo ſuprà, Guſtate, & videte, &c. Quia etſi ſacramentaliter accipiant, non tamen reficiantur ſpiritualiter. Supra, Edent pauperes, & ſaturabuntur. 11. *Inopia diuitum duplex.*

rabuntur. *Iſa.* 58. Frange eſurienti panem tuum, non abundanti. Vel ſic: *Diuites*, diuitiis temporalibus, *eguerunt*, id eſt, egebunt in futuro ſummo bono, quando dicetur eis illud, *Matth.* 25. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. *Et eſurierunt*, id eſt eſurient eum, quem ſitiunt & deſiderant omnes creaturæ rationabiles. *Agg.* 1. Veniet deſideratus cunctis gentibus.

Inquirentes autem Dominum. Quaſi diceret: Non quæratis bona temporalia, ſed Deum tota rationabilis intentione, quia *inquirentes Dominum* intus in corde, & ex toto corde quærentes, ſecundum illud. In toto corde meo exquiſiui te. *Non minuentur omni bono*, id eſt, non minus habebunt quam omne bonum: quia illud vnum habebunt in quo eſt omne bonum. *Caſſiodor.* Vnus eſt qui quæritur, ſed in quo omnia continentur. O lucrum mirabile! ô compendium ſingulare! cur nos per diuerſa fatigemus? *Sap.* 7. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, quippe quia illa eſt omne bonum. *Exod.* 33. Oſtendam tibi omne bonum. *Prouerb.* 10. Deſiderium iuſtorum dabitur illi. Sed quod eſt illud, in 11. dicitur: Deſiderium iuſtorum omne bonum.

In Deo omne bonum.

12. *Venite filij audite me.* Hîc eſt tertia pars Pſalmi, in qua agitur de populi informatione poſt diuinam laudem, & ſacramenti ſumptionem. Et primò informandorum aduocatio. Secundò inſtructio aduocatorum. *Quis eſt homo.* In prima tua. Primò aduocat. Secundò excitat ad audientiam. *Audite me.* Tertiò determinat quid proponat docere. *Timorem Domini docebo vos.* Dicit ergo: Sic monui ad timorem, ſed fortè neſcitis quid ſit, nec quomodo haberi poſſit: propter hoc clamo. *O filij venite ad me.* Vel ſecundum *Auguſt.* Poſtquam loquutus eſt in timore exiſtentibus, & eos inſtruxit de ſacramento altaris, nunc aduocat illos qui ſunt adhuc extra Eccleſiam, quales ſunt Cathecumeni. *O filij venite.* Mos eſt propheticus auditores vocare filios. *Matth.* 11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis.

Tertia pars inſtructio.

Nec mirum: in his enim verbis, omnium hominum pater loquebatur. *Caſſiodor.* Vox paterna ſonat, vt vltrò dicentem audiamus, quem tacentem exquirere deberemus. Si loquentem in Prophetis, quantò magis in proprio filio, & per filium proprium nos inſtruentem audire debemus? *Luc.* 10. Multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, &c. ad *Hebr.* 1. Nouiſſimè diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio.

Audite me, vt ſapientiores ſitis. *Prouerb.* 1. Audiens ſapiens ſapientior erit. *Prouerb.* 4. Audite filij diſciplinam patris. Sed quid docebis? *Docebo vos*, filios, rem vtilem, quia pater ſum, & vos filij. *Iſa.* 48. Eſt Deus tuus docens te vtilia. Primum autem horum timor, vnde *timorem Domini docebo vos. Eccleſ.* 1. Initium ſapientiæ timor Domini. Non autem docebo vos ſeruilem tantum, quia filij eſtis, ſed filialem, de quo *Eccleſ.* 23. Nihil enim melius quam timor Dei.

Diſcipuli ſunt filij.

Et nota, quòd bene diſcipulos dicit filios. Primò ratione nominis, quia ſecundum *Auguſt.* Filius dicitur quia fit vt ille, & ita ſonat aſſimilationem. Et diſcipulus debet aſſimilari Doctori. *Luc.* 6. Perfectus erit omnis ſi ſit ſicut magiſter ſuus. Secundò ratione acceptæ informationis, non enim accipit diſcipulus à magiſtro ſemen fœtidum & corruptibile, ſed nobile & ſpirituale, de quo *Luc.* 8. Semen eſt verbum Dei. Ergo multò fortius filius dicendus eſt, quam ille. 1. ad *Corinth.* 4. In Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui. Tertiò ratione reddendi debiti honoris quem debet Magiſtro & Doctori tanquam patri. *Malach.* 1. Si ego Dominus, vbi eſt timor meus? *Eccleſ.* 51. Danti mihi ſapientiam dabo gloriam. Secundum autem *Aug.* vox eſt Chriſti clamantis ad homines. *Prouerb.* 8. O viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum, non ad Angelos. Sed tria ſunt quæ impediunt audire Magiſtrum. Elongatio in ſuperbis. *Eccleſ.* 15. Longe enim abeſt à ſuperbia & dolo. Propter hoc dicitur de ſuperbo. 1. Tim. 6. Superbus nihil ſciens. In carnalibus tumultuatio carnalium cogitationum, & motuum. *Prouerb.* 20. Tumultuoſa ebrietas. Quicunque his delectatur, non erit ſapiens: quia *Eccleſ.* 9. Verba ſapientum audiuntur in ſilentio. In auaris aurium obturatio. *Pſal.* Furor illis ſecundùm ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas. Auarus enim obturat aures terrenis, ne vocem audiat Saluatoris.

Tria inſtructionis impedimenta.

13. *Quis eſt homo qui vult vitam.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur promiſſa inſtructio, & primò de meritis. Secundò de præmiis retribuendis per illa, ibi, *Oculi Domini ſuper iuſtos.* In prima duo. Primò de merito oris. Secundò operis, ibi, *Declina à malo.* Sed quia valde difficilis oris cuſtodia, duo dicuntur in prima parte. Primò quærendo innuit quantum ſit præmium. Secundò ſubiungit meritum refrænationis linguæ & cuſtodiæ. *Prohibe linguam.* Præmium duplex tangit, vitam, & proſperitatem in vita. *Diligit dies.* Dicit ergo: *Timorem Domini docebo vos*, in quo eſt vita. *Prou.* 13. Timor Domini, fons vitæ, quod ſic oſtendo. *Quis eſt homo qui vult vitam?* non præſentem, quæ quotidie & continuè præterit. 1. *Ioan.* 2. Tranſit mundus & concupiſcentia eius. Imò quæ mors eſt. 2. *Reg.* 24. Omnes morimur & quaſi aquæ dilabimur ſuper terram, quæ non reuertuntur. Sed æternam de qua pluries. Vita quæ non alteratur, nec deficit. Sed pauci ſunt qui quærant illam. *Caſſiodor.* Vtinam vitam æternam ſic quæreremus, ſicut in iſta temporalia corda defigimus. Diligit dies videre bonos, omni ſcilicet proſperitate pleniſſimos, quales non ſunt hîc, quia tantum mali. Ad *Epheſ.* 5. Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt. Sed in patria ſunt dies boni, omni ſuauitate & proſperitate pleniſſimi. *Pſal.* Melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia. *Aug. de libero arbitr.* Tanta eſt iucunditas lucis æternæ, quòd etiamſi non liceret amplius in ea quam vna die manere, propter hoc ſolum innumerabiles anni huius vitæ pleni deliciis, pleni & affluentia bonorum temporalium, iure merito contemnerentur. Stultus valde eſt qui hîc quærit dies bonos, quia Dominus & creator

Inſtruit de merito & præmio.

tor dierum non habuit. *Auguſt.* Non irascantur ſerui, quia ipſe Dominus non habuit dies bonos. *Prouerb.*15. Omnes dies hominis pauperis, id eſt, Chriſti, mali. Sed *Ioan.*13. dicitur, Non eſt ſeruus maior Domino ſuo.

14. *Prohibe linguam tuam.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungit de merito quo peruenitur ad hæc bona, quod eſt oris refrænatio, & tangitur duplex. Primò rafrænatio à verborum malitia. Secundò à verborum fraudulentia. *Et labia tua.* Dicit ergo: Si velis & deſideres, ecce quo merito habere poteris. *Prohibe linguam tuam à malo,* quia in ea eſt. *Prouerb.*18. Mors & vita in manibus linguæ. Ad *Epheſ.*3. Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat. Nec tantum à malo culpæ, ſed etiam pœnæ. Ipſa enim mala verba quæ procedunt de lingua tanquam fœtore plena, corrumpunt audientes. 1. ad *Corinth.*15. Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Non habitares libenter cum leproſo, qui te corrumperet anhelitu ſuo, quare nec cum illo qui profert mala verba. *Ierem.*9. Sagitta vulnerans lingua eorum.

Et labia tua ne loquantur dolum, bonum ſcilicet doloſè, & mala intentione. *Eccleſ.*12. In labiis tuis inculcat amicus. *Caſſiodor.* Dolus eſt quando fallimus audientem, vt quod creditur ad auxilium, inferat incommodum. *Eccleſ.*12. Quaſi adiuuans ſuffodiet plantas tuas. Et certo ordine. Primò dicit: Prohibe linguam: deinde labia: quia *Caſſiodor.* dicit: Labia linguæ motum protinus ſequuntur, & quaſi quadam harmonia ſociata amborum modulamine humanus ſermo peragitur. Sed videtur præcipere impoſſibile. *Iacob.*3. Linguam nullus hominum domare poteſt: inquietum malum, plenum veneno mortifero. Reſp. Nemo poteſt ex natura, poteſt tamen ex gratia. Vnde à Deo petit hoc alibi: Pone Domine cuſtodiam ori meo. Et *Eccleſ.*22. Quis dabit ori meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſignaculum certum? Et ſequitur: Deus pater, & dominator vitæ meæ. Propter hanc difficultatem veniendi ad vitam dicebat Dominus *Matth.*7. Arcta eſt via quæ ducit ad vitam, & pauci, &c.

15. *Diuerte à malo.* Hîc ſecundum, in quo primò monet ad vitanda mala. Secundò ad facienda bona. *Et fac bonum.* Tertiò ad intentionem rectam in vtroque. *Inquire pacem.* Dicit ergo: Sic quantum ad os, & etiam *diuerte à malo* in opere. *Auguſt.* habet, Declina & rectè. Bene autem docet, in hoc quod timoris eſt. *Prou.*15. In timore Domini declinat omnis à malo. *Iſa.*14. Quieſcite agere peruersè. *Prouerb.*4. Auerte pedem tuum ab ea. Sed quia hoc parum eſſet, addit: *Et fac bonum. Eccleſ.*38. Poſtquam dixit, Auertere à malo, ſtatim addidit, & dirige manus. Fac ergo bonum opus aliis ſubueniendo. *Iſa.*58. Frange eſurienti panem tuum. Et hoc timoris eſt. *Eccleſ.*15. Qui timet Deum, faciet bona. *Matth.*3. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Vel ſic poteſt legi: *Diuerte à malo,* in teipſo ipſum deſtruendo per contritionem, & oris confeſſionem. *Et fac bonum,* per ſatisfactionem. *Iſa.*55. Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, quantum ad primum, & reuertatur ad Dominum, quantum ad ſecundum.

Inquire pacem. Hîc monet ad rectam intentionem, & primò ad intentionem etiam rectam. Secundò ad perfectionem intentionis. *Et perſequere.* Ait ergo: Sic declina, fac bona, & in his inquire pacem in teipſo, vt aſſequi poſſis pacem inter ſpiritum tuum, & carnem, quia ad *Galat.*5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem: vt ſis in illo ſtatu de quo *Iob* 11. Scis quoniam pacem habet tabernaculum tuum. Et optimè poſt iuſtitiam ſequitur hæc pax, quia *Iſa.*31. Opus iuſtitiæ pax.

Et perſequere eam. Perfectè ſequere, quia multum fugitiua à nobis, quandiu ſumus in hac miſera vita. *Mich.*2. Surgite & abite, quia non habebitis hîc requiem. Ergo *perſequere* eam vſque in cœlum, ibi inuenies eam. *Iſa.*32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis. Vel de increata inquire pacem in omnibus illis, ſcilicet Chriſtum, de quo ad *Epheſ.*2. Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum. Hanc inquire, intentè quære. *Caſſiodor.* Quæramus intenti, quia illic eam inuenire non poſſumus, niſi hic diligenter eam quæſierimus. *Iſa.*29. Quæretis me, & inuenietis cum quæſieritis me in toto corde veſtro. Et quia Chriſtum perfectè hîc habere non poteris, perſequere eum vſque in cœlum vbi eſt. Ad *Coloſſ.*3. Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens. Quid dicam? Non in inferno, quia ibi non eſt. *Auguſt. in libro de ciuitate Dei.* Pax eſt tranquillitas cordis. Sed *Iob* 10. Vbi vmbra mortis & nullus ordo. Nec in mundo, quia nec ibi eſt. *Mich.*7. Filius contumeliam facit patri, & filia matri ſuæ: quoniam pax ablata eſt de terra. Vnde *Apoc.*3. Datum eſt illi pacem ſumere de terra. Sed in cœlo, vbi eſt. *Iob* 25. Qui facit concordiam in ſublimibus ſuis. *Baruc.*3. Vt ſcias ſimul, vbi diuturnitas vitæ & pax. Sed qualiter? Diligenter. Ad *Epheſ.*4. Solliciti ſeruati vanitatem ſpiritus in vinculo pacis. Et perſeueranter. *Iſa.*21. Si quæritis, quærite. Vniuerſaliter. Ad *Rom.*12. Quod in vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes. Primum notatur in hoc quod dicit, *Inquire.* Secundum in hoc quod dicit, *Perſequere.* Tertium in hoc quod ſine omni determinatione dicit, Pacem inquire.

16. *Hic inſtruit de præmio.*

Oculi Domini ſuper iuſtos. Hîc inſtruit de meritorum retributionibus. De iis determinatur tripliciter, & quantum ad bonos, & quantum ad malos. Primò reſpectu diuinæ notitiæ. Secundò reſpectu pœnæ, ibi, *Clamauerunt iuſti.* Tertiò reſpectu culpæ, ibi, *Qui oderunt iuſtum.* In prima duo. Primò de retributione bonorum quantum ad notitiam. Secundò malorum, ibi, *Vultus autem Domini.* In prima duo. Primò tangit notitiam quoad facta. Secundò quoad dicta ſeu petita. *Et aures.* Dicit ergo. Sic pacem inquire & perſequere recta intentione, malum deſerens & bonum faciens: quia *oculi Domini,* id eſt, notitia cum miſericordia, *ſuper iuſtos. Sap.*4. Gratia & miſericordia in ſanctos eius, & reſpectus in electos illius. *Hieronym.* Pietatis inſpectione eos iugiter contemplatur, & dat fortitudinē faciendi bonum. Et perſequendi pacem. 2. *Paral.*16. Oculi Domini contemplantur

vniuerſam

vniuerſam terram, & præbent fortitudinem. *Eccleſ.*6. Oculi Domini ad timentes eum. *Zachar.* 12. Super domum Iuda aperiam oculos meos.

Nec tantum cognoſcit facta, imò & *aures eius ad preces eorum.* Ad preces, vt notetur velocitas exaudiendi, quia adhuc durantibus precibus, audit. *Iſa.*65. Adhuc illis loquentibus ego exaudiam. *Tob.*4. Exauditæ ſunt preces amborum in conſpectu gloriæ ſummi Dei. *Pſal.* Dum clamarem ad eum, exaudiuit me. Sed nunquid ſemper liberat clamantem ſtatim? Non, quia non expedit, ſicut in Paulo patuit. 2. ad *Corinth.*12. Ter rogaui Dominum vt diſcederet à me: tamen non fuit factum. *Auguſt.* Medicus crudelis eſt, qui exaudit hominem, & parcit vlceri, & putredini. Non tollit manum niſi ſciuerit quantum noceat. Sic noſter medicus ideò frequenter non exaudit, vt ſanet. *Pſal.* Deus tu propitius fuiſti eis, & vlciſcens in omnes adinuentiones eorum.

17. *Vultus autem Domini.* Hîc ſecundum, in quo tangitur notitia reſpectu malorum: loquitur enim quaſi per antitheſim & rhetoricè: & tanguntur duo. Primò ſimplex cognitio ſine complacentia. Secundò præparatio pœnæ notatur, ibi, *Vt perdat de terra.* Dicit ergo: Sic quantum ad bonos, nec mali euadent: quia *vultus Domini ſuper facientes mala*: quamuis dicant illud *Iob* 22. Nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat. *Iſa.*29. Quis vidit nos, & quis nouit nos? Et 47. Dixiſti: Non eſt qui videat me. Sapientia tua hæc, & prudentia decepit te. *Ierem.* 23. Si occultabitur vir in abſconditis, & non videbo eum?

Vt perdat. Quaſi diceret: Non re remunerandum gloria cognoſcit, ſed ad hoc *vt perdat de terra*, ſcilicet viuentium, *memoriam eorum*, non ſimplicis notitiæ. Sancti enim bene habebunt de malis memoriam ſimplicis notitiæ, ſed compaſſionis nullam, quia ſaluati non orabunt pro damnatis. *Luc.*16. Inter nos & vos cahos magnum firmatum eſt, ſcilicet multitudo peccatorum veſtrorum: vt nos non eamus ad vos, compaſſione, nec vos ad nos, gloriæ participatione. *Pſal.* Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam. *Ierem.* 11. Tu ergo noli orare pro populo illo, nec aſſumas pro eis laudem & orationem. *Pſal.* Periit memoria eorum cum ſonitu. *Iob* 18. Memoria eorum pereat de terra. *Iſa.*26. Contriuiſti eos, & perdidiſti omnem memoriam eorum.

18. *Clamauerunt iuſti.* Hîc de retributione bonorum & malorum reſpectu pœnæ. Et primò tangitur pœna bonorum cum ſuis conditionibus. Secundò malorum, ibi, *Mors peccatorum peſſima.* Pœna autem iuſtorum quæ terminabilis eſt in morte ſaltem, tangitur primò. Oſtendit ergo pœnam bonorum habere conſolationem primò. Secundò finem, ibi, *Multæ tribulationes.* Tertiò vtilitatem, *Cuſtodit Dominus.*

Tribulatio iuſti habet conſolationẽ, finem, & fructum.

Oſtendit autem eam habere conſolationem ex tribus. Ex patientia. Ex diuina præſentia. *Iuxta eſt Dominus.* Ex ſpei confidentia, ibi, *Et humiles.* In prima, quia patientia non habetur niſi merito orationis, dicuntur tria. Primò oratio. Secundò exauditio orationis. *Et Dominus.* Tertiò liberatio per patientiam quæ confertur, ibi, *Et ex omnibus.* Dicit ergo: Sic cognoſcit Dominus, & videt opera & orationes bonorum, & mala impiorum. *Et clamauerunt iuſti.* Iuſti poſſunt hic dici antiqui ſancti, vel etiam modò viuentes. Si antiqui, tunc poteſt exponi de pœna limbi, vel etiam de pœna præſenti. Primo modo ſic: Bene dixi, *Oculi Domini ſuper iuſtos*, quia *clamauerunt iuſti*, antiqui, *ad Dominum*, de limbo dicentes. *Thren.*3. Lapſa eſt in lacum vita mea. Et poſt inuocaui nomen tuum Domine de lacu nouiſſimo. *Et exaudiuit eos*, in ſua reſurrectione, eos à limbo reuocando. *Zachar.*9. Tu vero in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos de lacu, in quo non erat aqua. *Et ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos*, ſecum ducendo in Aſcenſione. *Pſal.* Aſcendens Chriſtus in altum captiuam duxit captiuitatem. Vel ſecundo modo ſic: *Clamauerunt iuſti*, antiqui: *& Dominus exaudiuit eos*, de miſeriis & afflictionibus huius vitæ, ſicut dixit *Daniel.*13. Recordatus eſt mei Dominus. Et in 4. de tribus pueris exiſtentibus in camino ignis.

Vel ſic: *Clamauerunt iuſti*, nunc præſentes, *& Dominus exaudiuit eos*, petentes non liberationem, ſed ſapientiam, ſicut factum eſt in ſanctis Martyribus, quibus data eſt patientia in ſuis paſſionibus. Ad *Hebr.*3. Sancti ludibria & verbera experti, inſuper vincula & carceres. Et hoc cum factum eſt in ſanctis Martyribus, patientia data eſt eis, ſecundum illud 2. *Machab.* 6. Qui habes ſanctam ſcientiam tu ſcis, quòd cum à morte poſſem liberari, duros ſuſtineo corporis cruciatus. Secundum autem animam libenter propter timorem tuum hæc patior. Et poſt patientiam, & per ipſam, *ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos*, reddens inſenſibiles. *Prouerb.* 23. Verberauerunt me, & non dolui: traxerunt me, & non ſenſi.

Et nota, quòd Sancti clamant ad Dominum, non tantum ei loquuntur, quia ſuam attendunt neceſſitatem multiplicem. 2. ad *Cor.* 11. Periculis fluminum, periculis latronum, &c. Item propter ſui à Deo elongationem. *Prou.*7. Non eſt vir in domo ſua: abiit via longiſſima. Abiit, inquam, quantum ad ſpeciem. *Pſal.* Vt quid Domine receſſiſti longe? Item propter obſtaculi interpoſitionem, ſcilicet peccatum. quod in ſeipſis eſſe iudicant. *Thren.*3. Oppoſuiſti nubem ne tranſiret oratio. Sed nunquid impedit nubes auditum? Non videtur, ſed viſum tantum. Reſponſ. Aqua impedit auditum, vnde & nubes aquoſa, & peccatum eſt quaſi nubes aquoſa. *Iob* 15. Qui bibunt quaſi aquam iniquitatem.

Quare ſancti non loquũtur tantum, ſed clamant ad Deum.

19. *Iuxta eſt Dominus.* Hîc conſolatio ex diuina præſentia, vt legatur dupliciter: de afflictis in Nouo Teſtamento ſpecialiter, & de omnibus afflictis generaliter. Dicit ergo: Sic liberauit per patientiam quam contulit, & etiam *iuxta eſt Dominus*, non ſolum ſicut omnibus creaturis per eſſentiam. *Ierem.* 23. Cælum & terram ego impleo: ſed per gratiam adiuuantem, & liberantem, & conſolantem. *Pſal.* A dextris eſt mihi ne commouear: propter hoc lætatum eſt cor meum. *Qui tribulato ſunt corde, qui terunt propriam cordis duritiam. Ezech.*11.

Auferam

Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum. *Et humiles ſpiritu ſaluabit* ſpei recta confidentia, non humilem verbis & geſtu. *Prouerb.*24. Qui ſubmiſerit vocem ſuam, nec credideris ei, nequitiæ vir eſt: ſtimulus in corde eius. *Prouerb.*29. Humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria.

Vel ſic, verè ex omnibus tribulationibus liberabit ſuos, quia ipſe pronus eſt valde ad hoc: *iuxta enim eſt Dominus omnibus his qui tribulato ſunt corde*, cum tamen ſit altiſſimus: & humiles ſpiritu ſaluabit, quia ſe ſalutem illis dabit. *Caſſiodor.* Mos diuinus, & humana conſuetudo contrariantur. Nam qui vult altioribus vicinus fieri, erigitur: Dominus autem altiſſimus non niſi per humilitatem attingitur. Ex hac Dei proximitate eſt iuſtis audacia, cuſtodia, facilior patientia, ſollicitudo nulla. Audacia. *Iſa.*50. Iuxta eſt qui iuſtificat me, quis contradicit mihi? *Iob.*16. Pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me. Cuſtodia. *Prouerb.*3. Erit Dominus in latere, & cuſtodiet pedem tuum ne capiaris. Facilior patientia, quia ſpiritus Dei adiuuat. Ad *Rom.*8. Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram. *Eccl.*2. Coniungere Deo, & ſuſtine vt creſcat in nouiſſimo vita tua. Sollicitudo nulla. Ad *Philip.*4. Dominus prope eſt, nihil ſollicitus ero.

Deus proximus humilibus.

20. *Multæ tribulationes.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit quantumcunque multæ ſint iuſtorum tribulationes, tamen eſſe terminabiles. Primò ergo aſſerit eſſe multas. Secundò terminandas. *Et de omnibus.* Dicit ergo: Sic conſolationem habent iuſtorum tribulationes. *Multæ ſunt tribulationes iuſtorum*: nullus enim iuſtorum euadit. *Hieron.* Qui tribulationem non patitur, iuſtus non eſt. 1. ad *Tim.*2. Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur. Et è contra malorum nunc multæ conſolationes. *Iob*12. Abundant tabernacula prædonum. *Iob.*12. Quare impij viuunt, bene eſt omnibus qui præuaricantur, & iniquè agunt. Sed verte folium. *Ioan.*6. Triſtitia veſtra conuertetur in gaudium. Dicitur de bonis. Malis autem illud *Prouerb.*13. Extrema gaudij luctus occupat.

Et de omnibus his liberabit eos Dominus. Ecce tribulationum terminus. *Apoc.*7. Abſterget Dominus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum, & iam, &c. Et nota, quòd multæ ſunt iuſtorum tribulationes, tum à diabolo. *Epheſ. vltim.* Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates. Tùm ab homine. *Ier.*9. Vnuſquiſque à proximo ſuo ſe cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam. *Ioan.*16. In mundo preſſuram, in me autem pacem habebitis. Tùm à carne & paſſionibus propriis. *Pſal.* Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ. Tum ex compaſſione ad alios. 2. ad *Corinth.*11. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror? Propter iſta dicitur in *Pſal.* Repleta eſt malis anima mea.

21. *Cuſtodit Dominus.* Hîc tertium, in quo oſtendit iuſtorum pœnam habere vtilitatem, ſcilicet ipſum Deum virtutum habere cuſtodem, reddentem animam fortiorem: vnde duo dicuntur. Conſeruatio virtutum in tribulatis. Secundò vniuerſalitas conſeruationis. *vnum ex his.* Dicit enim. Sic terminabuntur tribulationes, ſed interim *cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum*, virtutes animæ, quas infundit totam animam ſuſtinentes. *Iob.*6. Quæ eſt fortitudo mea vt ſuſtineam? Quaſi diceret: Nulla eſt ex me. *Iob.*10. Viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum. Et *Hieronym.* dicit: Tentatio non eſt vorago vitiorum, ſed cuſtodia virtutum.

Vnum ex his non conteretur. Quod figuratum fuit in Agno Paſchali. *Exod:*12 Os non comminuetis ex eo. Sic nec oſſa myſtici corporis Chriſti ſunt confracta, ſicut figuratum fuit in Paſſione Chriſti propria. *Ioan.*19. Cùm veniſſent ad Ieſum, & inueniſſent iam mortuum, non fregerunt ei crura. Eorum qui ſunt de myſtico Chriſti corpore non franguntur crura, id eſt, virtutes, totum corpus bonorum operum ſuſtinentes. 1. ad *Corinth.*14. In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur. Imò tali exercitio roborantur oſſa mentis, etſi frangantur oſſa corporis. 1. ad *Corinth.*12. Virtus in infirmitate perficitur. Ad *Rom.*5. Tribulatio patientiam operatur.

22. *Pœna reproborum.* *Mors peccatorum peſſima.* Hîc de pœna reproborum quæ incipit in morte. Quaſi diceret: Sic iuſti tribulantur multipliciter, ſed vtiliter: ſed *mors peccatorum peſſima*, qua inchoat ipſorum miſeria. Ad *Rom.*6. Stipendia peccati mors. Quia mors illorum eſt introitus ad peſſimam mortem, ſcilicet gehennæ. Vel mors peccatorum propriè appellatur mors gehennæ. Naturæ enim mors hæc communis eſt iuſtis & peccatoribus. 2. *Reg.*14. Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur, &c. *Eccl.*2. Moritur doctus, peritus, & indoctus. Sed mors ipſorum eſt gehennæ propria, & hæc eſt peſſima. Mala enim eſt, quia acerbiſſima in illa afflictio. *Auguſt. de ciuitate Dei lib.*13. Illa mors eſt omnium malorum peſſimum. Hinc eſt, quòd igni comparatur. *Matth.*25. Ite maledicti in ignem æternum. Peior, quia æterna eſt duratio eius. *Matth.*25. Ibunt hi in ſupplicium æternum: iuſti autem, &c. *Auguſt. de Eccleſ. Dogma.* Non credamus reſtitutionem futuram quam Origenes delirat, cum putat dæmones ad Angelicam redituros dignitatem, & impios homines ad iuſtorum ſocietatem. *Iudith.*16. Dabit ignem, & vermes, & carnes eorum, vt vrantur & ſentiant vſque in ſempiternum. Item eſt peſſima, quia nulla eſt interpolatio. *Iſa.*34. Conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in ſulphur. Torrentes appellat ſanguinem per venas defluentem, humum ipſas venas. Et erit terra eius tota, ſcilicet caro reliqua, in picem ardentem nocte & die. Ecce quod interpolatio nulla.

Et qui oderunt. Hîc de remuneratione comparatione ad culpam. Et primò de malis. Secundò de bonis. *Redimet Dominus.* In prima innuit duo. Primò, quòd non liberantur mali à culpis prioribus. Secundò, quòd cumulandis ſequentibus delinquent. Ait enim: Sic punientur mali, & etiam *qui oderunt iuſtum*, & adhuc oderunt Chriſtum ſcilicet, qui verè iuſtus eſt. *Ier.*23. Hoc nomen quod vocabunt eum,

eum, Dominus iuſtus noſter. Imò iuſtificans alios. Ad *Rom.6.* Vt ſit ipſe iuſtus iuſtificans eos qui ex fide ſunt IESV CHRISTI. Vel *qui oderunt iuſtum*, ſecundum illud *Prou.* 28. Virum iuſtum oderunt impij. *Delinquent*, quia peccata peccatis addunt. Tales delinquent & in Deum impij, & in proximum ingrati, in ſeipſos nociui. Impij in Deum, quia oderunt eius imaginem ſibi ſimillimam, & ſua gratia reformatam. *Sap.*2. Qui creauit hominem interminabilem, & ad imaginem ſuæ ſimilitudinis fecit illum. Ingrati in proximum, quia odiunt diligentem ſe. Conſtat, quòd iuſtus implet illud *Matth.*5. Diligite inimicos veſtros. *Pſal.* Poſuerunt aduerſum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. Sibi nociui, quia ira & odium plus nocet proprio ſubiecto, quam alij. 1. *Ioan.*3. Qui non diligit, manet in morte.

23. *Redimet Dominus.* Hîc quantum ad bonos: & tangit duo, per contrarium ad malos, quod liberabuntur à culpis præſentibus, & conſeruabuntur à futuris. *Et non delinquent.* Dicit ergo: Sic mali odientes, culpas cumulabunt. Sed *redimet Dominus animas ſeruorum ſuorum*, à culpis præteritis ſanguine proprio. 1. *Pet.*1. Non enim corruptibilibus auro, vel argento, &c. Nec tantum animas, ſed etiam & corpora. Sed à parte meliore bene totus homo accipitur. *Exod.* 1. Omnes animæ egreſſæ de femore Iacob, &c. Et dicit, *ſeruorum*, non viuentium in libertate iniqua, de qua *Iob* 11. Vanus in ſuperbiâ erigitur, & tanquam pullum magni ſe liberum natum putat. Et *ſuorum*, non inimicorum ſicut illi de quibus *Ioan.*8. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.

Et non delinquent, amplius, vt peccata ſuper peccata cumulent, maximè mortalia, etſi venialia ſiue quibus vita non ducitur humana. *Prouerb.* 24. Septies in die cadit iuſtus, & reſurgit. *Omnes qui ſperant in eo.* Spes enim ſanat morbum animæ, nec ſinit infirmari ad mortale. *Prou.* 28. Omnis qui ſperat in Domino, ſanabitur. 1. *Machab.*2. Omnes qui ſperant in eum, non infirmantur. Propter hoc dicitur in *Pſal.* Mihi adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Domino Deo ſpem meam. Secundum *Caſſiod.* litera eſt: Non derelinquet, ſcilicet Deus, omnes qui ſperant in eo, ſecundum illud *Iudith* 13. Laudate Dominum Deum noſtrum, qui non derelinquit ſperantes in ſe.

IN XXXIV. PSALMVM.

In finem Pſalmus ipſi Dauid.

1. *Argumẽtum Pſalmi, Chriſti paſſio, cuius memoriale Miſſa, de qua ſuperior Pſalmus.*

IVdica Domine nocentes me. Hic eſt Pſalmus trigeſimus quartus. Poſtquam enim actum eſt de mutatione veteris ſacrificij in nouum ſacrificium, quia hoc ſumendum conficiendum in memoria paſſionis, rectè hîc ſubditur de Chriſti paſſione. Et eſt Pſalmus hic ſecundus eorum, qui latè agunt de Chriſti paſſione. Primus enim Pſalmus fuit 21. Deus Deus meus reſpice in me. Bene autem innuitur hoc in titulo huius Pſalmi, qui talis eſt: *In finem Pſalmus ipſi Dauid.* Eſt enim ſenſus: hic Pſalmus conuenit *ipſi*, id eſt, vero, *Dauid*, nos ordinans *in finem*, id eſt, in ipſum Chriſtum, qui finis eſt. Ad *Rom.*10. Finis autem legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. *Eccleſ.* 43. Finis ſermonum ipſe eſt. Et ſicut alias dictum fuit, vbi ponitur in titulis, *Ipſi*, deſignatur Chriſtus: Et hoc rectè: ipſe enim eſt pronomen demonſtratiuum diſcretiuum, & Chriſtus demonſtrabilis eſt ratione humanitatis, & diſcretus ab omnibus aliis ratione diuinitatis. *Ioan.*1. Ecce Agnus, quantum ad primum: ecce qui tollit peccata mundi, quantum ad ſecundum.

Diuiditur autem Pſalmus in tres partes. Primò oratio præmittitur, quæ ſummum remedium afflictorum. Secundò paſſio narratur, ibi, *Inſurgentes teſtes.* Tertiò ad orationem redditur, ibi, *Domine quando reſpicies.* In prima duo. Primò petit. Secundò quaſi exauditus gratiarum actionem præmittit, ibi, *Anima mea.* In prima primò petit de ſe. Secundò de aduerſariis, ibi, *Confundantur.* De ſe, non vt non ſuperetur. Secundò vt adiuuetur, ibi, *Apprehende.* Tertiò vt ſaluetur, ibi, *Dic animæ meæ.* In prima duo. Primò vt non ſuperetur verbo coram iudice. Secundò, quòd nec ab impugnantibus facto. *Expugna impugnantes me.* Dicit ergo Chriſtus, vel meliùs iuſtus: O Domine pater, *iudica*, id eſt, damna, (& ſic libera me) *nocentes me*, ex certa malitia & deliberatione. Ergo orat contra inimicos, qui *Matth.* 5. docuit nos pro inimicis orare: qui etiam pro ipſis orauit in paſſione. *Luc.*23. Reſp. *Caſſiod.* Petit damnari quos nouit ad pœnitudinis remedia non venire, quomodo nos oramus contra diabolum quem ſcimus non ſaluandum. Et nota, quòd eſt iudicium in præſenti, & eſt iudicium in futuro. Ab homine ordinarium, quod eſt iudicium ſpecialiter de quo *Leuit.*19. Iuſtè quod iuſtum eſt exequeris. Et eſt non ordinarium, quod eſt omnium & quodammodo bonum, ſcilicet diſcuſſio propriæ conſcientiæ, de quo 1. ad *Corinth.* 11. Si nos ipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. Et temerarium quo iudicamus alienos. *Matth.* 6. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Et 1. ad *Corinth.*4. Nolite ante tempus iudicare. Vel à Deo, & hoc diſcretionis. *Pſal.* Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente, &c. *Ioan.*9. Ego in iudicium veni in mundum, &c. Purgationis. 1. *Pet.*4. Tempus eſt vt incipiat iudicium à domo Dei. Præmonſtratæ damnationis. *Ioan.* 3. Qui non credit, iam iudicatus eſt. In futuro à Deo tantum. Extremæ diſcuſſionis. *Ioël.*3. Congregabo omnes gentes in valle Ioſaphat, & diſceptabo cum illis. Saluationis. In *Pſal.* Non damnabit illum cum iudicabitur illi. Damnationis. *Iacob.*2. Iudicium ſine miſericordia fiet illi, qui miſericordiam non fecerit. Et in *Pſal.* Non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine.

Quomodo Chriſtus orat contra inimicos.

Multiplex iudicium hominum & Dei.

Expugna impugnantes me. Hîc ſecundum, in quo petit adiuuari contra impugnantes factis. Et primò petit adintorium. Secundò determinat modum. *Apprehende arma.* Dicit ergo: Sic iudica nocentes, & *expugna impugnantes me*, dicit Chriſtus ad Patrem, & dicit *expugna*, id eſt, vince: expugnare enim eſt vincere, non ſic impugnare. *Caſſiodor.* Expugnat Dominus, cuius certamen triumphus eſt: virtutis enim infinitæ nulla eſt interpolatio. Vel iuſtus ad Chriſtum loquitur: *Expugna impugnantes me*,

diabolum, qui per honores intendit impugnare meam humilitatem: mundum, qui per diuitias, paupertatem: carnem, quæ per delicias, caſtitatem.

Dæmon, caro mundus figurati tribus Dauid inimici.

Hi ſunt tres inimici Dauid, Goliath Getheus, qui ſignat diabolum: Saül, qui interpretatur petitio, qui ſignificat carnem, quæ ſemper petit: & Abſalon, qui interpretatur pax patris, & ſignificat mundum, qui ſub prætextu pacis patris decipit multos.

2. *Apprehende arma.* Hîc determinat modum quo vult pugnare eum pro ſe: in quo tanguntur duo. Primò præparatio adiutoris. Secundò abundans vltio de inimico. *Effunde.* Ex parte præparationis duo. Primò vt ſit armatus. Secundò vt erectus. *Et exurge.* Ait ergo: Sic expugna, & vt hoc melius poſſis, *apprehende*, &c. Legitur hoc in perſona corporis dupliciter. Tertio modo in perſona capitis: arma enim, ſecundum quod legitur de corpore, poſſunt eſſe quilibet Chriſtianus, vel anima ipſa Chriſti. Ait ergo: *Sic expugna*, quod vt poſſis, *apprehende*, pro me liberando, *arma. Auguſt.* Magnum ſpectaculum videre Deum armatum pro te, imo Agnum vnicum cum leonibus fortiſſimis pugnaturum, ſcilicet cum dæmonibus. *Apocalypſ.* 17. Hi pugnabunt cum Agno, & Agnus vincet illos. *Exod.* 15. Dominus quaſi vir pugnator, omnipotens nomen eius. *Iſa.* 63. Ego qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſaluandum. *Apprehende*, nos ipſos ad expugnandum diabolum in nobis per nos ipſos: ipſius enim ſumus arma, & impugnat nos per nos ipſos diabolus. Ad *Roman.* 6. Neque exhibeatis membra veſtra membra inquitatis. Sed ſuperueniens fortior aufert arma. *Luc.* 11. Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, &c. Sic tanquam Dauid Goliam eum interficiens proprio gladio. 1. *Reg.* 17. *Auguſt.* Quid eſt anima quamuis ſplendida & acuta producta, niſi Deus illam teneat & pugnet cum ea? *Ioan.* 15. Sine me nihil poteſtis facere.

Et ſcutum, bonam ſcilicet voluntatem, qua nos protegas, ſicut ſcutum cætera protegit arma. *Pſal.* Scuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos. Arma etiam poſſunt dici ipſa Chriſti anima. Arma eius ſecundum *Caſſiod.* eò quod per ea hoſtes arcerentur. Supra in *Pſal.* dicebat ad Patrem: Erue animam meam ab impio, frameam tuam, id eſt, animam meam, quæ framea eſt, ab inimicis manus tuæ.

Et exurge in adiutorium mihi, qui videris dormire. *Pſal.* Et excitatus eſt tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino. Et percuſſit inimicos ſuos in poſteriora, &c. Aliunde enim adiutorium non habeo, niſi ex te. *Oſſea.* 13. Perdito tua ex te Iſraël, à me tantum auxilium tuum. Tertio modo loquitur Chriſtus ipſe inquantum homo. O Deus Pater *apprehende arma*, id eſt, me qui ſum manus tua, fac apprehendere arma, doctrinam, & miracula. *Sapient.* 18. Vicit autem turbas non virtute corporis, nec armaturæ potentia, ſed verbo illum, qui ſe vexabat, ſubiecit. Hoc patet *Matth.* 4. & *Luc.* 4. Ad *Epheſ.* 4. Et gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.

Et ſcutum, conſtantiam, quam habuit ſine dubio. *Cant.* 4. Sicut turris Dauid collum tuum, id eſt, Chriſtus qui coniungit hominem vero capiti ſuo Deo.

Et exurge in adiutorium mihi, vt in omnibus his mecum operetis. 1. ad *Corinth.* 15. Non autem ego, ſed gratia Dei mecum. *Ioan.* 7. Pater autem in me manens ipſe facit opera. 3.

Effunde frameam. Hîc petitur abundans vltio. Ait: Sic præpara te, arma ſume, & exurge, & *effunde*: & hoc notatur abundantia: *frameam*, id eſt, vltionem, quæ intelligitur per frameam, quia per illam fit, ſicut ſcriptura quæ per manum fit. *Ezechiel.* 21. Duplicetur gladius interfectorum, ac triplicetur.

Aduerſus eos qui perſequuntur me, malos ſcilicet homines, & dæmones, quod fiet. *Iſa.* 27. Viſitabit Dominus in gladio ſuo duro grandi & forti ſuper Leniatham ſerpentem tortuoſum.

Et conclude eos, in inferno, ne vagentur vlteriùs ad nocendum, ſicut modo decurrunt dæmones ad libitum per aëra caliginoſum: & ſic fiet. *Iſa.* 24. In die illa iuſtificabit Dominus ſuper militiam cæli in excelſis. Vel ſic poteſt legi: *frameam*, id eſt, iuſtitiam, quæ eſt framea, ſicut in *Pſal.* ſuprà. Eripe animam meam ab impio, frameam tuam, &c. Hanc *effunde*, vt iuſtis vndique abundantibus iuſtitia & ſanctitas fulgeat, & iniuſtitia deſtruatur. *Exod.* 21. In omnibus portis eius in quibus ſolent ſedere iudices, conturbationem gladij acuti, & limati ad fulgendum. Tales enim debent eſſe iudices aduerſus malos: vnde addit: *Aduerſus eos qui perſequuntur me*, homines ſcilicet malos. *Geneſ.* 31. Laban perſequutus eſt Iacob. *Et conclude*, ora ſcilicet eorum, ne iniuſtè audeant me accuſare, nec habeant quod vituperent in iudice. 1. *Petr.* 2. Sic eſt voluntas Dei, vt benefacientes, vos iudices, obmuteſcere faciatis impiorum hominum inſipientiam. Si loquitur Chriſtus, ſic: *Effunde frameam*, meipſum, qui ſum gladius. Ad *Epheſ. vlt.* Gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, extra funde, & appareat, quod ſum Deus. *Iſa.* 45. Vere tu es Deus abſconditus. Et ſic *conclude aduerſus eos qui perſequuntur me*, Iudæos, vt nihil poſſint dicere contra me. *Ioan.* 17. Videant claritatem meam quam dediſti mihi.

Dic animæ meæ: Salus tua ego ſum. Auguſt. dicit: Intus dic. Ecce in quo petit vt ſaluetur, vt mendaces ſint illi de quibus ſupra: Ipſi dicunt animæ meæ, Non eſt ſalus ipſi in Deo eius. Et *dic: Ego ſum*, non alius. *Iſa.* 44. Non eſt Deus ſaluans præter me. *Dic*, quod es ſalus à culpa in præſenti per gratiam. Ad *Epheſ.* 2. Saluaſti eſtis per fidem. In futuro à pœna per gloriam. *Iſa.* 45. Iſraël ſaluatus eſt à Domino ſalute æterna.

Confundantur & reuereantur. Hîc ſecundum, in quo poſtquam orauit pro ſe, orat conſequenter contra aduerſarios: & dicuntur duo. Primò imprecatur mala. Secundò ſalubria, conuertendis. *Fiant tanquam puluis.* In prima duo. Primò imprecatur mala malignantibus in apprehenſiua. Secundò contrariantibus in motiua. *Auertantur retrorſum.* In prima promittitur pœna. Secundò ſubiungitur culpa. *Quærentes.* Dicit ergo: *Confundantur*, pro peccatis præteritis: 4.

teritis : *& reuereantur*, timore concuſſi de futuris.

Confundantur ergo ſalubriter pro præteritis peccatis. *Caſſiodor.* Confundi eſt facta ſua erubeſcere, quadam bona erubeſcentia, & in meliorem partem commutare. *Eccleſ.* 4. Eſt confuſio adducens gloriam, & honorem. *Geneſ.* 24. Rebecca reſpecto Iſaac operuit vultum ſuum, quadam bona erubeſcentia. *Eccleſ.* 26. Gratia ſuper gratiam mulier ſancta & pudorata. *Et reuereantur*, de futuris. *Prouerb.* 28. Beatus vir qui ſemper eſt pauidus.

Quærentes animam meam, non ad imitandum in bonum : quoad hoc enim conqueritur in *Pſal.* Non eſt qui requirat animam meam : ſed ad perdendum. *Ezech.* 22. Principes eius in medio eius, quaſi lupi rapaces ad prædam, & ad effundendum ſanguinem, & perdendas animas, & auari ſectando lucrum quærunt animas perdere. Beſtiæ propter carnem quam volunt comedere : ad litteram *Geneſ.* 9. Sanguinem animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum. Mali homines propter poſſeſſionem. *Micha.* 7. Vir fratrem ſuum venatur ad mortem. Diabolus propter ipſas animas *Gen.* 14. Rex Sodomorum dixit ad Abraham. Da mihi animas, cætera tolle tibi.

Auertantur retrorſum. Hîc ſecundum, in quo imprecatur, ſed ſalubris errantibus in motiua. Et primò imprecatur pœnam. Secundò tangit culpam tanquam cauſam, ibi, *Cogitantes.* In prima duo. Primò perduratio adhuc in ſua malitia. Secundò confuſio de duratione illa. *Et confundantur.* Dicit ergo : Illi *auertantur*, à veritate, & etiam à bono, ita quod ſint *retrorſum*, non ante me, ſicut iuſti. *Pſal.* Quoniam pones eos dorſum. *Ier.* 7. Abierunt in voluptatibus ſuis, & facti ſunt retrorſum, & non ante. *Marc.* 8. dictum eſt Petro : Vade retro me Sathanas.

Et confundantur, ſalubriter in confeſſione ſuorum delictorum. *Ier.* 31. Percuſſi femur meum, & confuſus ſum, & erubui. Hac non confundentur mali. *Ier.* 6. Quoniam potius confuſione non ſunt confuſi, & erubeſcere neſcierunt.

Cogitantes mihi, contra me, *mala. Iſa.* 45. Confuſi ſunt & erubuerunt omnes ſimul. *Ier.* 11. Cogitauerunt ſuper me conſilia iniqua. Et in 18. Tu ſcis omne conſilium eorum aduerſum me. Argumentum, quòd homo confundi debet de cogitationibus malis.

Poteſt etiam de mala auerſione exponi. Cogitantes mihi mala, *auertantur retrorſum*, à te ad creaturas, illa auerſione, de qua *Prouerb.* 1. Auerſio paruulorum interficiet eos. Ad ea quæ ſunt retrò. *Luc.* 9. Nemo mittens manum ad aratrum, primò, & reſpiciens retrò aptus eſt regno Dei.

Et confundantur, tandem confuſione duplici, animæ, & corporis. *Pſal.* Operiantur ſicut diploide confuſione ſua, & æterna. *Ier.* 20. Confundentur in æternum, quia non intellexerunt opprobrium ſempiternum, quod nunquam delebitur. 5.

Fiant tanquam puluis. Hîc ſecundum, in quo imprecatur mala non ſalubria obſtinatis. Primò in iraſcibili, impotentiam reſiſtendi malo. Secundò in concupiſcibili, neceſſitatem cadendi à bono. *fiat via illorum.* Tertiò in rationabili, cæcationẽ vt non poſſint cauere de futuro. *Quoniam gratis.* In prima duo. Primò imprecatur eis vigorem nullum ad ſtandum. Secundò vigorem multum ad impellendum in aduerſario. *Et Angelus.* Dicit ergo : Sic corrigibiles bona erubeſcentia erubeſcant, & bona confuſione confundantur : ſed alij *fiant tanquam puluis*, qui inſtabilis eſt, & nullum habet vigorem reſiſtendi, *ante faciem venti*, id eſt, ante ipſam tentationem, non expectando ipſum motum. *Iſa.* 18. Rapietur ſicut puluis montium ante faciem venti. *Thren.* 1. Abierunt abſque fortitudine ante faciem ſubſequentis. Supra in *Pſal.* Non ſic impij, non ſic, ſed tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ. *Iob.* 27. Tollet eum ventus vrens. *Iſa.* 64. Cecidimus quaſi folium vniuerſi, & iniquitates noſtræ quaſi ventus abſtulerunt nos.

Et Angelus Domini, ſcilicet malus, cuius eſt tantus vigor vt de eo dicatur. *Iob.* 40. Non eſt poteſtas, quæ ei valeat comparari, fiat repentè *coarctans eos*, ſuggeſtionibus, de quo *Prouerb.* 17. Angelus crudelis mittetur contra eum. *Pſal.* Immiſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem & iram immiſſiones per Angelos malos, qui eos coarctent. *Iudith.* 1. Arctauit Amorrhæus filios Dauid in monte, nec dedit eis locum ad planiora deſcendere. Et nota, quòd diabolus aliquando coarctat multa poſſeſſione, vt fatiget ſollicitudine. *Luc.* 12. de diuite, cuius ager vberes fructus attulit, & qui arctabatut ita vt non haberet vbi reponeret illos. *Iob.* 20. Cùm ſatiatus fuerit, arctabitur, & omnis dolor irruet ſuper illum. Quandoque in aliis violenta paupertate, vt murmurent contra Deum. *Pſal.* Si verò non fuerint ſaturati, murmurabunt. *Iſa.* 30. Dabit tibi Dominus panem arctum, & aquam breuem. Quandoque erubeſcentia confitendi & pudore, ſecundum quod iam tactum eſt. Quandoque perplexitate, vt quaſi nulla parte poſſint effugere peccatum : facit enim eos obligare ad oppoſita, ſicut in habentibus plura beneficia. *Thren.* 3. Concluſit vias meas lapidibus quadris. *Iob.* 18. Arctabuntur greſſus virtutis eius, & præcipitabit eos conſilium ſuum.

Arctauit Diabolus diuitiis, & paupertate.

Fiat via illorum. Hîc imprecatur neceſſitatem cadendi in concupiſcibili, & tangit duo. Primò imprecatur impoſſibilitatem procedendi ſine caſu. Secundò neceſſitatem non ſtandi. *Et Angelus Domini.* 6.

Dicit ergo. Quantum ad omnes peccatores generaliter. *Fiat via illorum*, id eſt, peccatorum, ſi contingat eos per rationem reſiſtere, *tenebræ*, vt non videant quò debeant ambulare. *Soph.* 1. Ambulabunt vt cæci. *Iſa.* 60. Tenebræ operient terram, & caligo populos. *Pſal.* Neſcierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant.

Et lubricum, vt ſi fuerint in recto, non poſſint ſtare. *Thren.* 4. Lubricauerunt veſtigia noſtra in itineribus platearum. De vtroque *Prouerb.* 4. Via impiorum tenebroſa, neſciunt vbi corruant.

Vel de luxurioſis ſpecialiter : *Fiant viæ illo-*

rum tenebræ, id eſt, vita ſua ſit eſſe in tenebris: habent enim tenebras iam mentales, quia carẽt ſapientia quæ eſt lux mentis. *Sap.* 1. In maleuolam animam non intrabit ſapientia. Et non quærunt niſi corporales. Illas diligunt. *Ioan.* 3. Qui male agit, odit lucem. Et propter hoc dignum eſt vt expectent æternales, de quibus *Prouerb.* 7. Viæ inferi domus eius, penetrantes vſque ad interiora mortis. *Et lubricum.* Super omnia peccata luxuria magis lubricoſum eſt. *Ierem.* 3. Falicitate fornicationis ſuæ contaminauerunt terram. *Oſeæ* 3. Fornicati ſunt, & non ceſſauerunt.

Et Angelus Domini, malus ſimiliter, *perſequens eos*, donec à delectatione proiiciat in amaritudinem æternam. *Matth.* 5. Spiritus immundi intrauerunt in porcos, & iuit per præceps grex porcorum, & proiecit ſe in mare. Conſtat impulſu dæmonum. *Thren.* 3. Me minauit & adduxit in tenebras, & non in lucem: tanquam ouem ſuam ad caulas. *Pſal.* Sicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos. Hæc maledictio videtur impleri in malis Prælatis & Doctoribus. *Ierem.* 23. Sacerdos & Propheta polluti ſunt, & in domo mea inueni malum illorum, dicit Dominus. Idcirco via illorum erit lubricum, in tenebris impellentur, & corruent in ea.

7. *Quoniam gratis abſconderunt.* Hîc imprecatur cæcitatem in rationali, qua non vitet futurum malum. Et tangitur primò eorum culpa. Secundò dicta peccata tanquam præmium illius culpæ, ibi, *Veniat illi.* In prima duo. Primò tangit eorum inſidias in opere. Secundò opprobria in ore. *Superuacuè exprobrauerunt.* Dicit ergo: *Gratis*, hoc eſt, ſine cauſa. *Caſſiod.* Illud gratis dicitur, quod non alicuius rei compenſatione tribuitur. *Gratis*, quia nihil eis nocui. *Mich.* 6. Populo meus quid feci tibi, aut in quo contriſtaui te, reſponde mihi? Et notatur in hoc mira ludæorum malitia. Non enim conducti erant ſicut Iudas. *Matth.* 26. Vel vt cuſtodes: eiuſdem 27.

Abſconderunt mihi, putantes me latere. *Pſal.* Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. In hoc fraudulentia. *Prouerb.* 10. Abſconderunt odium, non manifeſtauerunt, labia mendacia. *Interitum laquei ſui*, id eſt, inſidias & conſilia, vt interirem. *Prou.* 1. Venite, inſidiemur ſanguini, abſcondamus tendiculas contra inſontem fruſtrà. In hoc crudelitas ſumma, velle innocentiſſimum interficere. *Thren.* 3. Filia populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto. *Prou.* 12. Viſcera impiorum crudelia. Sed *Prou.* 17. Qui laqueum ponit alij, peribit in illo.

Superuacue exprobrauerunt. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic in opere, ſed etiam ore *exprobrauerunt animam meam. Iſa.* 65. Exprobrauit mihi, & remetiar opus eorum, præmium in ſinu eorum. Exprobrauerunt autem animam meam, ipſam dicentes ignorantem & peccatricem. *Ioan.* 9. Non eſt hic homo à Deo qui ſabbatha non cuſtodit. Et hoc, *ſuperuacuè*, id eſt, inutiliter, & pro nihilo quantum ad illud quod ipſi intendebant. In hoc ſtultitia. *Prou.* 15. Stultitia gaudium ſtulto. Poteſt & exponi de diabolo, qui gratis abſcondit ſanctis laqueos, & exprobrat & irridet eos, quando poteſt illos capere. 1. ad *Tim.* 3. Vt non in opprobrium incidant, in laqueum diaboli. Abſcondunt laqueum gulæ in deliciis, laqueum auaritiæ in diuitiis. 1. ad *Tim.* 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum, & in tentationem diaboli. Superbiæ in honoribus. 2. ad *Tim.* 2. Vt reſipiſcant à laqueis diaboli, à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem.

Veniat illi laqueus. Hîc ſubiungitur pœna triplex. Inſperatus aduentus vaſtantium. Secundò captio ipſorum ab illis. *Et captio.* Tertiò interfectio ſic captorum, ibi, *Et in laqueo.* Legitur autem multipliciter. Primò de malo culpæ. Ait enim: Sic contra me peccauerunt: ſed, *veniat illi*, populo, vel illis hominibus, *laqueus*, peccati, *quem ignorat*, id eſt, ex inſperato. *Eccleſ.* 26. Facienti nequiſſimum conſilium, ſuper eum deuoluetur. *Et captio quam abſcondit*, id eſt, peccatum quod mihi tetendit, volens me capere in illo. *Matth.* 22. Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei, &c. *Apprehendat eum*, ſicut ſcriptum eſt. *Prou.* 5. Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur. 8.

Et in laqueum cadat. Iterat culpam, *in ipſum*, ſcilicet qui tetẽdit: hæc eſt enim natura peccati vt prius noceat auctori ſuo. *Auguſt.* hîc in *Gloſſ.* Malitia tua vt alteri non noceat, fieri poteſt: vt tibi non noceat, fieri non poteſt. Certum eſt ergo, quòd tibi nocebit, quod alij, incertum. Ergo ſibi certum infert malum, certum nocumentum, quod vt alij inferat incertus. Magna ſtultitia. Propter hoc *Prouerb.* 24. Qui cogitat mala facere, ſtultus vocabitur. Vel de malo pœnæ ſecundum quod diuiſum eſt, ſic: *Veniat illi laqueus*, captiuitatis, *quem ignorat*, id eſt, ex inſperato, vt non credat poſſe. *Iſa.* 47. Quæ dicis in corde tuo: Ego ſum, & non eſt præter me amplius: non ſedebo vidua, & ignorabo ſterilitatem. Venient tibi duo hæc in die vna, ſecundum quod Dominus deflebat. *Luc.* 19. Quia ſi cognouiſſes & tu, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. *Malus ſibi ſemper nocet, aliis non item.*

Et captio quam, id eſt, qualem, *abſcondit mihi, apprehendat eum*, vt ſicut me credidit capere ex inſperato, & ille populus capiatur à Tito & Veſpaſiano: & ſic factum eſt. *Thren.* 4. Non crediderunt reges terræ, & vniuerſi bellatores orbis, quoniam ingrederetur hoſtis & inimicus per portas Ieruſalem. Et in eodem, Repentè ſunt vaſtata tabernacula mea, ſubito pelles meæ.

Et in laqueum, mortis, *cadat*, ſcilicet *in ipſum* quem mihi parauit. *Pſal.* De laqueo. Præoccupauerunt me laquei mortis. Hoc magis propriè legitur in bono in Gloſſa. Appellat enim laqueum veritatem & cognitionẽ. *Eccl.* 6. Iniice pedem tuum in compedes illius. Et infrà: Vincula illius, alligatura ſanitatis. Hic eſt laqueus quem neſciunt mali. *Poouerb.* 19. Impius ignorat ſcientiam. Vult, quòd iſte laqueus illi ſuperueniat, ipſum capiat, & teneat, & captum cadere faciat per humilitatem pœnitentiæ.

Anima autem mea. Hîc ſecundum primæ partis totius huius Pſalmi, in quo intelligens ſe exauditum, promittit gratiarum actiones: & dicuntur quatuor. Primò exultatio. Secundò 9.

exulta

exultationis ratio. *Et delectabitur.* Tertiò laudatio. *Omnia oſſa.* Quartò laudationis ratio. *Eripiens inopem.* Vel poteſt eſſe vox capitis Eccleſiæ vel corporis. Primo modo. Sic mala illi euenient ſicut petij, & ob hoc *anima mea exultabit in Domino*, non in diuitiis, vel honoribus, vel deliciis, quia nihil Deo dulcius. *Pſal.* Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſconditi, &c. Deo nihil durabilius. *Auguſt. in Gloſſa*, Quo nihil ſuauius eſt, nec deficit qui omnia fecit. *Pſal.* Mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es. Deo nihil ſufficientius. *Auguſt.* In ipſo habebis omnia. *Sap.* 1. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. *Ioan.* 14. Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.

Et delectabitur. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Verè exultabit, & hoc quia *delectabitur ſuper ſalutari ſuo*, hoc eſt, quia ipſe ſalutaris ſuus liberans à limbo, & reſtituens corpori proprio, ſecundum illud: Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Vel ſic, anima mea, dicit iuſtus, *exultabit in Domino.* Quippe anima ſpiritus eſt, & Deus ſimiliter: ſimile autem in ſuo exultat ſimili. *Ioan.* 4. Deus ſpiritus eſt. *Et delectabitur in ſalutari ſuo*, Chriſto ſcilicet, de quo *Iſa.* 40. Videbit omnis caro ſalutare Dei. Delectabitur autem in Deo anima, & exultabit in ſalutari aliquantulum in præſidum ſenti eſt in carne, nec facit niſi guſtare. *Pſal.* Guſtate & videte. Et alibi, Memor fui Dei, & delectatus ſum, & vberiùs cum eſt exura à corpore. *Iſa.* 58. Tunc delectaberis ſuper Domino Deo tuo, & ſuſtollam te ſuper altitudinem nubium. Sed perfectè cum reſumpto corpore vnita fuerit in reſurrectione, quia modo eſt aliquid deſiderij ſui ad corpus quo caret. *Iob* 22. Tunc ſuper Omnipotẽtem deliciis affluës, & eleuabis ad Deum faciem tuam. *Prou* 13. Deſiderium ſi compleatur, delectat animam.

10. *Omnia oſſa mea.* Hìc tertium in quo ſubiungitur de laude, & legitur in perſona Chriſti: Sic anima mea exultabit, & delectabitur, *& omnia oſſa mea*, ſcilicet Apoſtoli mei Spiritu ſancto roborati, & fortes facti vt oſſa. *Luc. vlt.* Sedete in ciuitate donec induamini virtute ex alto. *Dicent*, te laudando: *Domine quis ſimilis tui?* Quaſi diceret: Nullus. *Pſal.* Domine virtutum quis ſimilis tibi?

Vel ſic: *Omnia oſſa mea*, dicit iuſtus, id eſt, tota mentis meæ fortitudo, *dicent*, *Quis ſimilis tibi?* Quaſi diceret: Nullus Deorum, nullum idolum. *Pſal.* Non eſt ſimilis tui in diis Domine, & non eſt ſecundum opera tua. Tu ſolus hominem condidiſti. *Geneſ.* 1. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Tu conditum liberaſti, & eripuiſti de poteſtate diaboli. Ad *Coloſſ.* 1. Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum. Tu ſolus infernum ſpoliaſti. Ad *Coloſſ.* 2. Expolians principes & poteſtates. Solus mortem deſtruxiſti reſurgendo. *Sap.* 26. Tu vitæ & mortis habes poteſtatem.

Oſſa ergo appellantur homines, & mali qui carent humore omnis gratiæ Dei. Sic illa oſſa *Ezech.* 7. Oſſa arida audite verbum Domini. Omnes iuſti generaliter, qui candent candore gratiæ. *Iſa.* 58. Oſſa tua liberabit. Gloſſa, Iuſtos ab igne æterno. Apoſtoli ſpecialiter, qui totam ſuſtentant Eccleſiam infirmorum, ſicut oſſa carnem. *Thren.* 1. De excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudiuit me. Virtutes etiam. Supra in *Pſal.* Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum. Operationes etiam oſſa dicuntur. Primò quæ ſunt generatione bonorum, quia fortia. *Pſal.* Diſſipat Dominus oſſa eorum, qui hominibus placent, hoc eſt, opera bona quantum ad genus operis. Exempla ſanctorum, & formata charitate. *Geneſ. vlt.* Afferte oſſa mea vobiſcum. Sicut in corpore remanent oſſa, ſic de viris iuſtis opera bona, & exempla bona quæ nobiſcum ſunt deferenda.

Eripiens inopem. Hìc ſubiungitur ratio laudis quæ tangitur duplex. Prima, ereptio à violenter detinente. Secunda, à nequiter opprimente. *Egenum & pauperem.* Dicit ergo: Sic omnia oſſa mea laudabunt, & iuſtum eſt, quia tu es, *eripiens inopem*, genus humanum & maximè populum Gentilem. *de manu*, id eſt, de poteſtate *fortiorum eius. Iob penult.* Non eſt poteſtas ſuper terram quæ ei valeat comparari. *Inopem* dicit, non diuitem. Diues enim habet defenſionem, & adiutoria multa, diuitias ſuas. *Prouerb.* 18. Subſtantia diuitis vrbs fortitudinis eius. *Prouerb.* 13. Redemptio animæ viri propriè diuitiæ. Amicos. *Eccleſ.* 13. Diues ſi commotus fuerit, confirmatur ab amicis.

Egenum & pauperem, genus humanum vt prius, *à diripientibus*, & crudeliter opprimentibus, *eum*, ſcilicet dæmonibus, vel malis hominibus, qui ſunt membra diaboli. *Prouerb.* 28. Lex rugiens & vrſus eſuriens, princeps impius ſuper populum pauperem. Et loquitur rhetoricè eandem rem diuerſis ſignans nominibus. Eſt enim inops qui caret ope. Egenus, qui gente, vel genere. Pauper, qui parum habet in pera, & ſic caret poſſeſſione. Et verè tales eripit de manu tyrannorum, latronum, & draconum eo ipſo quod tales ſunt. Tyrannorum. *Chryſoſt. ſuper Matth.* Maximam defenſionem habet inopia, quam Rex ipſe nunquam manu tenere poteſt. Sed philargum vniuerſi contriſtant, & homines, & tineæ, & vermes, & tẽpus ipſum aduerſus ipsũ militat. Latronũ, quia ſcriptum eſt:

Inopia tuta, diuitem omnia infeſtat.

Cantabit vacuus coram latrone viator.

Iſa. 14. Pauperes fiducialiter requieſcent. Draconum, quia ſicut dicunt, ſerpens in veſtitum hominem inſilit, & nudum fugit. Nec tantum materialium, ſed etiam ſpiritualium, ſcilicet dæmonum. *Chryſoſt.* Si vis eſſe terribilis dæmonibus, abſcinde nocumenta per quæ poſſunt te arctare, & contriſtare. Vtinam ſaluos eos faceret à lingua cauſidicorum, quod non fit adhuc, quia lingua eorum omnibus crudelior. *Eccleſ.* 26. Flagellum linguæ omnibus communicans. Sed tandem liberabuntur in futuro. *Iob* 5. Porro ſaluum faciet egenum à gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem, quando ipſi à pauperibus iudicabuntur. *Iob* 36. Iudicium pauperibus tribuit.

Surgentes teſtes iniqui. Hìc ſecuda pars Pſalmi, in qua præmiſſa narratione, ſubiungitur narratio paſſionis. Et primò agit de Chriſti paſſione. Secundò de eius cõpaſſione, ibi, *Quaſi proximum, & quaſi fratrem.* In prima duo. Primò multiplex pœna. Secundò patientia laborioſa, 11.

laborioſa, ibi, *Ego autem cum mihi.* In prima tria. Primò falſorum impoſitio. Secundò malorum illatio, ibi, *Retribuebant.* Tertiò debitorum bonorum ſubtractio, ibi, *Sterilitatem animæ meæ.* Dicit ergo: Sic eripis à miſeriis tuos à quibus non ſum immunis, quia *ſurgentes teſtes iniqui. Caſſiod.* Exurgentes, id eſt, impetuosè, & ſine omni deliberatione contra me ſurgentes. *Prou.* 12. Quaſi teſtis repentinus continuat lingua mendacij. *Teſtes iniqui*, qui contra veritatem teſtabantur. *Pſal.* Inſurrexerunt in me teſtes iniqui, &c.

Quæ ignorabam, actu & experientia, ſi non aſpectu, ſcilicet peccata. *Iſa.* 53. 1. *Pet.* 2. Qui peccatum non fecit. 2. ad *Corinth.* 2. Qui non nouerat peccatum, experientia, pro nobis fecit peccatum, id eſt, eſt oblationem pro peccato. *Abac.* 1. Mundi ſunt oculi tui, & ad iniquitatem reſpicere non poteris. *Auguſt.* hoc dicit in originali, quòd diuinitas Chriſti dicitur quodammodo ignorare peccatum, quia non habet in Deo ideam. Vnde dicit: Si non hærebitis regulis meis, vitia eſtis: ergo ars ipſa, quæ vitium non habet. *Pſal.* Rectus Dominus Deus noſter, & non eſt iniquitas in eo. Et ſecundum ideam 1. *Ioan.* 1. Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ.

Quomodo Deus peccatum ignorat.

Interrogabant me, volentes me accuſare & condemnare de iis quæ non feceram. *Ioan.* 8. Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es, & dæmonium habes?

12. *Retribuebant mihi mala.* Quaſi diceret: Sic verbis, nec tantum hoc, imò *retribuebant mihi mala pro bonis*, non tantum verborum, ſed etiam verberum. *Sap.* 2. Contumelia & tormento interrogemus eum: pro bonis verbis & operibus bonis quæ nobis exhibuit, ſcilicet prædicationem, & corporum ſanationem. *Ioan.* 10. Multa bona opera oſtendi vobis à Patre meo, propter quod opus horum me lapidatis? In hoc pertinet, quòd de lege diaboli erant. Quadruplex enim eſt lex Dei, reddere bonum pro malo. *Matth.* 5. Diligite inimicos veſtros. Lex carnis, malum pro malo. *Eccleſ.* 28. Ipſe cum caro ſit, reſeruat iram. Naturæ bonum pro bono. *Pſal.* Confitebitur tibi cum benefeceris ei. *Prouerb.* 8. Ego diligentes me diligo. Diaboli, reddere malum pro bono. *Ierem.* 18. Nunquid redditur pro bono malum? Propter hoc bene dicitur eis *Ioan.* 8. Vos ex patre diabolo eſtis.

Quadruplex eſt lex, Dei, carnis, naturæ, & diaboli.

Sterilitatem animæ meæ. Ecce tertium. Quaſi diceret: Sic mala inferebant pro bonis, & bona ſubtrahebant quæ debebant, quia *ſterilitatem retribuebant animæ meæ*, cum fructum multum deberent facere: Iudæam enim tanquam vineam plantaui plantatione optima. *Ierem.* 2. Ego plantaui te vineam electam, omne ſemen bonum. Sepiui Angelorum cuſtodia. *Pſal.* Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Irrigaui temporibus opportunis pluuia doctrinæ. *Deuter.* 32. Fluat vt ros eloquium meum, concreſcat vt pluuia doctrina mea. Tamen nihil boni attulit, ſed ſterilis peſſimè remanſit. *Iſa.* 5. Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas: imò ſpinas peſſimas, ſecundum illud *Geneſ.* Maledicta terra in opere tuo, ſpinas & tribulos germinabit tibi. Quid plura? Attuli ei honorem, & ipſa mihi contumeliam. *Ioan.* 8. Ego honorifico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me. Attuli medicinam. *Sap.* 16. Domine, nec herba, nec malagma ſanauit eos, ſed omnipotens ſermo tuus, qui ſanat omnia. Et ipſa mihi vulnera. *Iſa.* 53. Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras. Attuli ipſi vitam. *Ioan.* 6. Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi. Et ipſa mihi mortem. *Sap.* 2. Morte turpiſſima condemnemus eum.

Ingrati in in Chriſtum Iudæi.

13. *Ego autem cum mihi moleſti eſſent.* Hîc ſecundum: præmiſſa enim pœna multiplici ſubiungitur patientia grauis multum & laborioſa. Et tanguntur tria. Primò cohibitio fortis, ne oſtenderet quis eſſet. Secundò efficax, vt magis lateret. *Humiliabam in ieiunio.* Tertiò ſolitaria oratio, ibi, *Et oratio mea.* Dicit ergo: Sic mihi fecerunt. *Autem*, pro ſed. *Ego cum mihi moleſti eſſent*, ſæuiendo in me. *Pſal.* Circundederunt me ſicut apes, & exarſerunt, &c. *Induebar* cilicio, ſub quo latebam.

Sed opponunt *Auguſt.* & *Hieron.* ſimiliter, quòd Dominus nunquam fuit indutus cilicio. De ieiunio autem eius bene leginitis. *Matth.* 4. & *Luc.* 15. Cilicium ergo appellat hic carnem ſimilem peccatrici: quia cilicium fiebat de pilis caprarum. Per capram autem peccator deſignatur. *Leuit.* 4. Si deliquerit homo, & cognouerit peccatum ſuum, offeret capram pro peccato. Senſus ergo eſt: Latui ſub carne ſimili peccatrici. *Iſa.* 60. Verè tu es Deus abſconditus. *Abac.* 3. Ibi abſcondita eſt fortitudo eius. Niſi ſe abſcondiſſet, proculdubio crucifigi non potuiſſet, qui vnico verbo eos proſtrauit *Ioan.* 18.

Chriſti patientia & humilitas in paſſione. Caro Chriſti cilicium.

Et nota, quòd cilicium valde vtile eſt ad multa. Primò valet ad exercendam patientiam hominis: pugnat enim interius & continuè. *Chryſoſt.* ſuper *Matth.* 3. Ioannes habebat veſtimentum de pilis caprarum, non de lana, ne mollities veſtis delicata faciens membra, virtutem patientiæ emolliret, ſed de aſperis ſetis, vt ipſa aſperitas patientia animum exerceret. Hinc eſt, quòd tabernaculum, quo ſignificabatur corpus humanum, tegebatur ſetis exterius, vt defenderetur ab iniuria imbrium. *Exod.* 26. Item valet ad carnem edomandam. *Chryſoſt.* ibidem. Vtamur aſperis ad carnem edomandam. *Iſa.* 3. Erit pro faſcia pectorali cilicium. Faſcia pectoralis reprimit fluxum carnis. Item valet ad promouendam bonam famam. Ibidem *Chryſoſt.* Tale habuit veſtimentum, vt de virtute animi loqueretur, ſicut molle veſtimentum eſt ſignum effœminati animi. *Bernard.* Mollia veſtimenta, mollitiem animi indicant. *Eccleſ.* 19. Amictus corporis annuntiat de illo. Item valet ad vitandam culpam. Hoc patet in diuite, qui induebatur purpura & byſſo, & poſitus eſt in inferno. *Luc.* 16. *Gregor.* Si cultus pretioſarum veſtium culpa non eſſet, ſermo Domini non tam ſignanter exprimeret, quòd indutus purpura & byſſo apud inferos torqueretur. Item valet ad impetrandam gratiam. Hinc de Iudith dicitur in 9. Ingreſſa eſt Iudith oratorium, & induit ſe cilicio. Item valet ad tuitionem contra diabolicam impugnationem. Vnde *Hieronymus.* Cinis & cilicium arma pœnitentium.

Cilicium vtile ad multa.

Humilia

Humiliabam in ieiunio. Ecce secundum. Quasi diceret : Sic latebam sub cilicio, & humiliabam. Species sumitur pro genere, id est, affligebam in *ieiunio animam meam*, non corporali, sed spirituali. Patet, quòd de spirituali ieiunio loquitur, & afflictione animæ interiori. In hoc autem forma exprimitur ieiunandi, vt cum ieiunamus, humiliemus animas. *Iudith.* 1. Humiliemus animas nostras in ieiuniis. Sunt enim quidam qui ieiunant superbe, de ieiunio suo superbientes. *Isa.* 7. Caput Syriæ, hoc est, superbiæ, Damascus, potus sanguinis : sanguinem enim suum quasi bibit ieiunans, sed cum inde superbit, Damascum Syriæ caput facit. Syria enim sublimis interpretatur. Alius ieiunat famæ, vt appareat & dicatur bonus, sicut hypocritæ. *Matth.* 6. Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes : exterminant enim facies suas, vt videantur hominibus ieiunantes. Alij in facie pingunt venalem pallorem, quasi ieiunij signum. Displicet eis natura sua, quia non potest mentiri, & misera facies carnis innocens castigatur, quia fraudibus non consentit. Alij ieiunant bursæ. *Isa.* 58. Quare ieiunauimus, & non aspexisti ? Respondetur eis. In die ieiuniorum vestrorum inuenitur voluntas vestra in vobis, & omnes debitores vestros repetitis. Alij carni, vt medici scientes illud *Eccles.* 38. In multis escis erit infirmitas. Et infra : Propter crapulam multi perierunt.

Multi male ieiunant.

Et oratio mea. Hîc tertium, scilicet oratio secreta, & in occulto, quia latebat in ipso diuinitas, quam orabat inquantum homo. Vel melius ipse homo : ait enim : Sic humiliabam animam meam, *& oratio mea in sinu meo conuertetur*, id est, ad id quod in me est reconditum. Bona societas ieiunij & orationis. *Tob.* 12. Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna. *Christ. super Matth.* Sicut nec miles sine armis est aliquid, nec oratio sine ieiunio. Vel sic posset intelligi : *Oratio mea in sinu meo conuertetur*, id est, illis tantum proderit oratio mea, qui prædestinati sunt, & quasi in sinu meo existunt. Hi significantur per manum Moysi, quæ cum fuit in sinu, tota sana erat, extra, leprosa. *Exod.* 4. Sic etiam potest de iusto intelligi : *Oratio mea conuertetur in sinu meo*, mihi quidem fiet vtilis, etsi non prosit aliis pro quibus oro. *Matth.* 10. Si autem non fuerit ibi pax vestra, reuertetur ad vos.

14. *Compassio Christi exhibita inimicis.*

Quasi proximum & quasi fratrem. Hîc est secundum, in quo agitur de compassione, postquam actum est de Passione, & primò ostendit suam ad illos compassionem. Secundò ipsorum ad se ingratitudinem, & peruersitatem. *Et aduersum me.* In prima duo. Primò affectio cordis interior ad ipsos. Secundò exterior operis compassio. *Quasi lugens & contristatus.* Dicit ergo : Sic patiebar, & in patientia sustinebam, & etiam compatiebar, quia *sic complacebam* Deo Patri, quasi habens illum in illo populo. Vel talem affectum ad illum habebam, *quasi proximum*, *quasi fratrem*, id est, quasi de proximo, & quasi de fratre : & sumitur casus pro casu. Vel sic : *Complacebam* Deo Patri, quasi habens illum populum vt frattem & proximum. Vel quod plus est, vt fratrem : affectus enim dilectionis & compassionis facit placere Deo Patri. *Matth.* 3. & 27. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui : quia implebam illud *Matth.* 5. Diligite inimicos vestros. *Iob.* 30. Frater fui draconum, & socius struthionum. Sed bonos habet fratres Christus, scilicet facientes voluntatem Patris. *Matth.* 12. Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ille meus frater, & soror, & mater est.

Quasi contristatus & lugens. Ecce secundum. Quasi diceret : Sic compatiebar interiùs & humiliabar exteriùs pro ipsis reuocandis, *tanquam contristatus* corde, & lugens in exteriori iustitiæ ostensione. Verum est : Contristatur & lugebat. *Luc.* 19. Videns Iesus ciuitatem, fleuit super illam, dicens : Quia si cognouisses & tu. Hæc tristitia, hic luctus figuratus fuit. 2. *Reg.* 1. in fletu Dauid super Saul inimicum suum, & in fletu eiusdem super Absalonem filium, eiusdem 18. *Genes.* 45. Eleuauitque vocem cum fletu, quam audierunt Ægyptij. Inimici tamen erant fratres sui. *Matth.* 26. Cœpit Iesus contristari, & mœstus esse.

Et aduersum me lætati sunt. Hîc secundum, in quo ostensa Christi ad ipsos benignitate, demonstratur ipsorum ad ipsum malignitas, siue iniquitas. Et primò tangitur iniquitas. Secundò malignitatis incorrigibilitas. *Dissipati sunt.* In prima tria. Primò maligna cordis exultatio contra Christum. Secundò concors consilium cordis. *Et conuenerunt.* Tertiò verò illata iniuria operis, ibi, *Congregati sunt.* Dicit ergo : Sic ergo contristabar de eorum perditione, & è contrario *aduersum me lætati sunt*, hoc est, de mea perditione quam æstimauerunt, me reputantes inimicum. *Thren.* 1. Omnes inimici mei viderunt malum meum, lætati sunt quoniam tu fecisti. Et hoc contra. *Prouerb.* 29. Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ærumna illius non exultet cor tuum. Hoc erat gaudium phrenetici, qui gaudet ad illos qui tristantur de se. *Eccles.* 2. Risum reputaui errorem, & dixi gaudio : Quid frustra deciperis ? 15

Et conuenerunt, in concilium contra me loquentes, & dantes consilium. *Ioan.* 11. Collegerunt ergo Principes & Pharisæi concilium. *Actu* 4. Conuenerunt in ciuitate ista, aduersus puerum tuum sanctum Iesum. Nec hoc tantum, imò *congregati sunt super me*, ab eis vt iniquitatem experirer in facto, *flagella.* Flagella appellat omnes quas intulerunt tribulationes. Dicit enim *Augustin.* quòd flagellum graue est tribulatio iusto. *Psal.* Et fui flagellatus tota die.

Et ignorabam. Alia litera habet : *Et ignorauerunt.* Et secundum has duas literas legitur quinque modis. Duobus primum. Tribus secundum. Primum dicit, *Et ignoraui*, id est, ad modũ ignorantis me habui. *Ierem.* 11. Ego quasi agnus innocens & mansuetus, qui præparatur ad victimam, & non cognoui, quia cogitauerunt contra me consilia iniqua. *Isa.* 42. Tacui, semper silui, patiens fui. Secundo modo ignoraui, causam, supple, quare hoc faciebant esse ex parte mea, quia nulla erat. *Ioan.* 18. dixit Pilatus : Ego nullam inuenio in eo causam.

Iob 11. Multiplicauit vulnera mea, & ſine cauſa. Tertiò modo & ſecundum aliam literam, *& ignorauerunt*, ſcilicet cui hæc fecerunt. 1. ad *Corinth.*2. Si enim cognouiſſent, Dominum gloriæ, nunquam crucifixiſſent. Vel *ignorauerunt* cauſam quare hoc fecerunt. *Luc.* 23. Dicit eis Pilatus: Obtuliſtis mihi hominem hunc quaſi auertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans,nullam in eo cauſam inuenio. Vel *ignorauerunt*, quòd hoc factum eſſet in caput illorum reuerſurum. *Eccleſ.* 36. Facienti impium conſilium, in ipſum reuertetur. Secundum primam lecturam tangitur hîc triplex gradus patientiæ.Primus eſt ſenſum pœnæ mitigans. *Prouerb.* 15. Vir iracundus rixas ſuſcitat: qui autem patiens eſt, mitigat ſuſcitatas. Et hæc eſt virtus politica. Secundus gradus eſt ſenſum pœnæ auferens. *Prou.*23. Vulnerauerunt me, & non dolui: traxerunt me, & non ſenſi. Et eſt gradus purgatorius. Tertius eſt paſſiones omninò ignorans. Ad hunc monet. *Leuit.* 19. Ne memor ſcis iniuriæ ciuium tuorum. Et eſt purgati animi. Ad hunc perducit feruens dilectio. *Pſal.* Inflammatum eſt cor meum, & renes mei commutati ſunt: & ego ad nihil redactus ſum, & neſciui.

Patiẽtia vel mitigat, vel fert, vel ignorat pœnam.

16. *Diſſipati ſunt nec compuncti.* Hîc deſcribit eorum incorrigibilitatem in duobus. Primò: quia præterita non corrigunt. Secundò: quia peiora ſuperaddunt. *Tentauerunt me.* Dicit ergo: Tales fuerunt: ſed nunquam correcti.Et etiam *diſſipati ſunt*, corde diſſoluti, & ſtupefacti viſis miraculis quæ in ea fiebant paſſione, quando ſol obſcurabatur. *Matth.*27. Monumenta aperta ſunt. Et poſt paſſionem ſtatim per Apoſtolos. *Act.*3. Impleti ſunt ſtupore & extaſi in eo quod contingerat illi. *Diſſipati* etiam, quia per totum orbem diſperſi. *Eccleſ.* 48. Abiecti ſunt de terra ſua, & diſperſi ſunt. Vel diſſipati, multis ſcilicet opinionibus diuiſi de Chriſto habitis. *Ioan.*7. Murmur multum de eo erat in turba. Alij enim dicebant, quia bonus eſt. Alij non, ſed ſeducit turbas.

Nec tamen *compuncti* ſunt, vt præterita mala corrigerent. *Iob* 24.Dedi ei locum pœnitentiæ, & ipſe abutitur eo in ſuperbiam. *Ierem.*3. Pro verbis pœnitentiæ verbis ſuperbiæ blaſphemaſti.

Tentauerunt me. Hîc peior ſuperadditio tentationis, ſcilicet irriſionis, in ſimplici verbo: ſubſannationis, in cachinno. Dicit ergo: Sic non correxerunt præterita: imò *tentauerunt me.* *Matth.*27. Si filius Dei es, deſcende de cruce. *Subſannauerunt me*, irridendo, ſubſannatione: hoc addit vt notet frequentiam. *Caſſiodor.* Hac geminatione copiosè res facta dicitur, ſicut alibi in bono *Iſa.*51. Gaudens gaudebo in Domino. De hac autem copia *Thren.*4. Satiabitur opprobriis:& ne parum eſſet, *frenduerunt*, præ crudelitate: frendere enim ferarum eſt: *ſuper me dentibus ſuis. Iob* 16. Infremuit contra me dentibus ſuis. Et *Pſal.* Peccator videbit & irascetur,dentibus ſuis fremet & tabeſcet. *Thren.*3. Frenduerunt dentibus, & dixerunt: Deuorabimus eum.In tentatione verbum fraudulentum, in ſubſannatione ſignatur irriſorium: ſed hic frendendo crudeliſſimum exprimit affectum.

17. *Domine quando reſpicies.* Hic tertia pars Pſalmi, in qua reditur ad orationem, & ſuperadditur his quæ ſuprà dicta ſunt, & eſt trina oratio. Prima enim orat de ſibi propriis. Secunda oratio agit de aduerſariis, ibi, *Exurge Domine.* Tertia pro membris. *Exultent & lætentur.* In prima duo. Primò petit ſibi bona fieri. Secundò mala non fieri. *Non ſupergaudeant.* In prima duo. Primò petit. Secundò vt attrahat, promittit gratiarum actionem ſi fecerit, ibi, *Confitebor tibi in Eccleſia.* In prima duo ſecundum duo quæ petit. Primò Dei reſpectum & miſericordiam. Secundò reſtitutionem. *Reſtitue animam.* Dicit ergo: Sic illi me irrident, & in me frendent: *Et tu Domine quando reſpicies?* Quæſtio petitionem valet, hoc eſt, quando mihi reſpectum miſericordiæ exhibebis? De quo *Sapient.*4. Gratia & miſericordia in Sanctos eius,& reſpectus in electos illius. Videbatur enim Deus Pater hunc reſpectum à filio ſubtraxiſſe. *Iob* 30. Sto, & non reſpicis me. Vel *quando reſpicies* inimicos? *Abac.* 1. Quare reſpicis ſuper iniqua agentes?

Oratio Chriſti de ſe, de inimicis, & de ſuis.

Reſtitue animam meam. Hîc petit reſtitutionem. Primò animæ. Secundò corporis, ſiue carnis. *A leonibus.* Ait enim: Sic reſpice: & ô *Domine reſtitue* poſt triduum, *à malignitate eorum*, id eſt, à morte quam malitiosè mihi intulerunt, *animam meam*, carni ſuæ. *Eccleſ.*11. Eſt homo marcidus egens recuperatione, &c. Et ſubditur: Et oculus Domini reſpexit illum.

A leonibus, id eſt, principibus ſacerdotum. Principes enim leones ſunt. *Prou.*19. Sicut fremitus leonis, ita & ira Regis.

Vnicam meam. Carnem meam quæ dicitur vnica. Primo quia ſola ſine peccato concepta, & nata, & perſeuerás in vita.Item quia ex vnico principio, ex ſola ſcilicet Virgine. Et nota hîc,quòd Principes vel prælati dicuntur leones ratione proprietatis multiplicis. Prima eſt:quia leoni placido cauda eſt immobilis, irato mouetur. Cõſilium cauda Regum & Prælatorum, cui iraſcitur, totum ſuum conſilium contra illum mouetur:cui placatur,& totum cõſilium placatur. *Eccl.*20.Secundum iudicem populi,ſic & miniſtri eius. Sicut rector ciuitatis, ita habitantes in ea. Item niſi ſatientur, valdè crudeles ſunt.Sic principes. *Michæ.*3. Si quis non dedit in ore eorum quippiam, mouent ſuper eum prælium. *Prouerb.* 28. Leo regiens, & vrſus eſuriens, princeps impius ſuper populum pauperem. Item leo eſt paucorum filiorum aut nullorum. Sic princeps paucorum hæredum. *Ierem.*18. Non erit ſemen eius, nec progenies in populo ſuo. Item magnus ardor coitus eſt in leonibus, ſic in principibus. Nec mirum: quia propter ſupetfluitatem ciborum. Vnde *Hieronym.* Ventrem diſtentum cibo, & vini potionibus irrigatum voluptas genitalium ſequitur, atque pro membrorum ordine, ordo vitiorum eſt. *Prouerb.*20. Luxurioſa res vinum. Item leones hyeme ſunt ſani, ſed infirmi febricitantes æſtate. Hyems vita iſta: in hac hyeme ducunt in bonis dies ſuos, *Iob* 20. ſed in æſtate, id eſt, in alia vita, febricitabunt. *Iob* 24. Ab aquis niuium tranſibunt ad calorem nimium.

Principes leonibus collati.

Confitebor. Hîc ſecundum, in quo promittit gratiarum 18.

gratiarum actionem, quæ duo requirit : recognitionem beneficij, & hanc promittit primò. Secundò laudem beneficij. *In populo graui.* Ait ergo : Hæc peto, & ego ſi impetrauero, *confitebor tibi*, tua beneficia recolendo ad honorem tuum. *Pſal.* Confitebitur tibi cum benefeceris ei. Et hoc *in Eccleſia magna*, numero fidelium, quia de gentibus omnibus congregata. *Pſal.* Omnes gentes quaſcunque feciſti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum. Item loco, quia per totum mundum diffuſa. *Malach.*1. Ab ortu ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum, & in omni loco oblatio munda offeretur nomini meo. Item præmio, quia non promittuntur ei temporalia ſicut Synagogæ, ſed æterna. 1. *Ioan.* 2. Hæc eſt promiſſio quam poll.citus eſt nobis, vita æterna.

In populo graui. Quaſi diceret : Etſi confitear in Eccleſia, in qua ſunt paleæ cum granis. Paleæ autem laudare non poſſunt. *Eccl.*15. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris : non laudabo cum paleis quæ leues ſunt, ſed in populo graui, id eſt, cum granis bonis, & grauibus *laudabo te.* Quidam enim habent plumbeam grauitatem, de quibus in *Pſal.* Filij hominum vſquequo graui corde. Et eſt aurea grauitas, quæ eſt in iſtis de quibus ad Titum, In omnibus te exhibe exemplum bonorum in doctrina, in integritate. Sic Epiſtolæ Pauli dicuntur graues, quia diuina ſapientia plenæ. 2. ad *Cor.*10. Epiſtolæ graues, &c.

19. *Non ſupergaudeant mihi.* Hic ſecundum, in quo petit ſibi mala non fieri. Primò ab aduerſatio. Secundò quod nec à Deo, ibi, *Vidiſti Domine.* In prima duo. Primò petitio. Secundò perſuaſio, quòd acquieſcendum eſt illi petitioni. *Qui aduerſantur.* Dicit ergo : Sic fiant mihi prædicta bona, & etiam non *ſupergaudeant mihi*, inſultando de impoſſibilitate reſurgendi. Vel ſecundum Gloſſam de multitudine paleæ, id eſt, peccatorum exiſtentium in Eccleſia cum granis. *Thren.* 3. Sibilauerunt, & mouerunt capita ſuper filiam Ieruſalem, dicentes : Hæccine eſt vrbs perfecti decoris, gaudium vniuerſæ terræ ? Hæc autem irriſio eſt : quia non habent oculum ad totam Eccleſiam, ſed tantum ad malos. Hoc ſignificatum fuit. *Num.*23. Dixit Balac ad Balaam : Veni mecum in altum locum, vnde partem exercitus videas, totum autem videre non poſſis, vt maledicus.

Qui aduerſantur mihi. Hic perſuaſio à triplici iniquitate inimicorum, operis, & cordis. *Qui oderunt me gratis.* Et oris, *Quoniam mihi quidem.* Dicit ergo : Non ſupergaudeant irridendo. *Qui*, id eſt, quia illi *aduerſantur mihi iniquè*, non ad me corrigendum, ſed ad ſubuertendum. *Iob.*27. Sicut impius inimicus meus. *Ier.* 12. Fratres tui, & domus patris tui pugnauerunt aduerſum te.

Qui oderunt Hîc iniquitas. Primò odium. Secundò velamen odij & malignitatis. *Et annuunt.* Ait enim : Sic debes fideles audire, quia iniqui aduerſantur, *qui* etiam *oderunt me gratis*, pro nihilo, & ſine cauſa. *Ioan.* 15. Vt impleatur ſermo qui in lege eorum ſcriptus eſt, Quia odio habuerunt me gratis.

Et annuunt oculis, ſimulantes quod me diligant. *Iſa.*32. Cor eius faciet iniquitatem, vt perficiat ſimulationem. Vel *annuunt* ad inuicem tacitis nutibus intuendo contra me. *Caſſiod.* Cum prodi voce nolumus, tacitis oculorum nutibus admonemus. *Prou.* 6. Homo apoſtata vir inutilis, annuit oculo, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum.

Quoniam mihi quidem pacificè. Hîc eſt ter- 20.
tium, in quo ſubdit de malitia ſermonis, & primò de ſermone doloſo. Secundò de apertè iniurioſo. *Et dilatauerunt.* In prima duo. Primò pacis ſimulatio dolum tegens tangitur. Secundò iracundia ſubtus latens. *Et in iracundia terræ.* Dicit ergo : *Annuunt oculis.* Et verè ſimulatores ſunt, quoniam *mihi quidem pacificè loquebantur. Matth.* 21. Magiſter ſcimus, quia verax es, & viam Dei, &c. *Ioan.* 8. iterum eum magiſtrum dicunt. Magiſter, hæc mulier modò deprehenſa eſt in adulterio. *Eccleſ.* 12. In labiis ſuis indulcat inimicus, & corde ſuo inſidiatur vt ſubuertat ſemitas iudicij.

*Et dolos cogitabant. Iſa.*9. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. *Ierem.*12. Prope es tu ori eorum, longe autem à renibus eorum.

Loquentes in iracundia, in corde habita ad interficiendum, ad differentiam latronum qui non loquuntur in iracundia, ſed magis in cupiditate : quia quærunt auferre rem, non perſonam. *Matth.*26. Conſilium fecerunt vt IESVM dolo tenerent, & occiderent.

Iracundia, inquam, *terræ*, id eſt, ex terrenis habita. Ob hoc enim iraſcebantur, quia timebant amittere regnum & gentem *Ioan.*11. Hoc etiam poteſt exponi de parentibus carnalibus ſurgentibus contra ſanctum propoſitum : loquuntur enim pacificè dicentes illud *Bernardi :* Magnum eſt quod proponis, & magna eget deliberatione : experire quid poſſis, amicos conſule, ne poſt facta pœnitere contingat. Hæc eſt ſapientia mundi, animali, & diabolica. *Eccleſ.*37. A malo conſiliario conſerua animam tuam : priùs ſcito quæ ſit illius neceſſitas & quid in animo ſuo contegat.

Et dilatauerunt ſuper me. Hîc ſecundum, in 21.
quo ſubiungitur de ſermone apertè iniurioſo. Et tangitur duplex. Primò exclamationis in mortem. Secundò irriſionis ipſius morientis. *Dixerunt, Euge euge.* Dicit ergo : Sic fraudulenter loquuti ſunt, & apertè *dilatauerunt ſuper me os ſuum*, quando clamauerunt illud *Ioan.*19. Crucifige crucifige. *Iſa.*5. Expectaui vt faceret iudicium, & ecce clamor. *Ierem.* 12. Facta eſt mihi hæreditas mea quaſi leo in ſylua, dedit contra me vocem.

Dixerunt, videntes me mori : *Euge euge, viderunt oculi noſtri*, miracula quæ fecit, ad potentium eius ironicè loquendo. *Thren.*2. Aperuerunt ſuper te os ſuum omnes inimici tui dicentes : En iſta dies quam expectabamus, inuenimus, & videmus. Et nota, quòd tunc dilatatur organum cum extenditur vltrà finem ad quem eſt, & tunc eſt abuſio. Organum autem oris eſt ad loquendum & comedendum : & ipſi dilatauerunt contra Chriſtum, abutendo, quantum ad vtrumque dilatauerunt contra ipſum loquendo.

quendo. *Iſa.*57. Semen adulteræ & fornicariæ ſuper quid luſiſtis ? ſuper quo dilataſtis os, eieciſtis linguam ? Item immoderatè quantum ad alium vſum intendendo vt ipſum deuoratent. *Pſal.* Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens. *Prouerb.*1. Deglutiamus eum tanquam infernus viuentem. Et nota: *Euge* aliquando eſt interiectio gaudentis, & tunc idem eſt quod bene eſt nobis. Item aliquando vox inſultantis. *Ezech.*25. Euge euge ſanctuarium, quia pollutus eſt. Item, interiectio commendantis & applaudentis. *Matth.*25. Euge ſerue bone & fidelis. Item adulantis. *Pſal.* Ferant confeſtim confuſionem ſuam qui dicunt mihi: Euge euge. *Gloſſa*, Adulatoriè. Item admirantis. *Ezech.*26.dixit Tyrus de Ieruſalem: Euge,confractæ ſunt portæ populorum. Secundo modo accipitur hîc.

22. *Vidiſti Domine.* Hîc ſecundum, in quo precatur quod mala ſibi non fiant à Deo: & primò tangitur perſuaſio. Secundò oratio, ibi, *Ne fileas.* Dicit ergo: Hæc mala faciunt aduerſum me, & ô tu *Domine vidiſti*, & eorum malitiam & meam patientiam. *Prouerb.*16. In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. Ad *Hebr.* 4. Omnia nuda ſunt & aperta oculis eius.

Ne fileas. Hîc ſubiungit precationem. Primò ne taceat ſententiam. Secundò ne puniat innocentem. *Ne diſcedas.* Dicit ergo: Sic vidiſti: Et propter hoc Domine, rogo ne taceas, vel ſileas, id eſt, ſententiam dare non differas pro me contra illos. *Abac.*1. Quare reſpicis contemptores, & taces impio conculcante iuſtiorem ſe ? *Ne diſcedas à me*, in paſſione mea derelinquendo me in morte. Ad *Hebr.* 13. Ipſe dixit: Non te deſeram, nec derelinquam. *Pſal.* Non derelinquet ſanctos ſuos,in æternum conſeruabuntur. Vel in perſona membrorum: *Ne diſcedas*, ſicut à ſynagoga receſſiſti. *Iſa.*5. In ſceleribus dimiſi matrem veſtram. *Matth. vlt.* Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.

23. *Exurge Domine, & intende.* Hîc ſubiungitur oratio de aduerſariis, vel magis contra aduerſarios: & dicuntur tria. Primò petit attentè iudicem attendere. Secundò ſententiam ferre,ibi, *Iudica me.* Tertiò latæ ſententiæ exequutionem non differre, ibi, *Non ſupergaudeant.* In prima duo.Primò rogat iudicem intendere ſibi illatam iniuriam. Secundò paſſionis & iniuriæ cauſam, ibi, *Deus meus, & Dominus meus.* Dicit ergo: Sic rogaui pro me, & ô tu *Domine exurge*, qui dormire videris, *& intende iudicio meo.* Primò quo iudicatus ſum ab eis, reddens illis ſecundum quod meruerunt. *Caſſiodor.* Iudicium ſine iure, tormenta ſine ſcelere, mortem ſine peccato. *Iudicio meo*, quo iudicatus ſum cum latronibus, pari quidem pœna, ſed non culpa. *Iob* 36. Cauſa tua, quaſi cauſa impij iudicata eſt. *Deus meus*, quem mea humanitas colit: *& Dominus meus*, cui mea humanitas ſeruit, *in cauſam meam*, quia non propter me patior, ſed propter alios. *Iſa.*53. Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Signanter autem dicit *cauſam meam*, quia cauſa Martyrem facit, non pœna. *Auguſt.* Si pœna Martyres faceret, omnia metalla Martyres eſſent, omnes catenæ Martyres traherent, ſed non eſt ſic: ſed cauſa. *Iob* 35. Omnipotens ſingulorum cauſas intuebitur.

Sunt autem ſex cauſæ, quæ propriè faciunt Martyrem. Prima, mori pro omnibus, ſicut Chriſtus. Secunda, mori pro Chriſto, vt Stephanus *Act.*7. Tertia, mori loco Chriſti, ſicut innocentes. *Matth.*2. Quarta, mori pro veritate, vt Ioannes Baptiſta. *Matth.*14. Quinta pro legis defenſione,ſicut Machabæi. Sexta,pro iuſtitia, ſicut Thomas Cantuarienſis. Et nota, quòd ſicut Chriſtus petit Patrem aduocatum, ſic nos debemus petere ipſum in cauſis noſtris, contra diabolum: habet enim bonas aduocati conditiones. Prima, de negotio ſufficienter eſt inſtructus. *Prou.*30. Nouit iuſtus, ſcilicet Chriſtus,cauſas pauperum. Alij aduocati cognoſcunt cauſas diuitum: ſibi derelinquitur cauſa pauperum. *Pſal.* Tibi derelictus eſt pauper,pupillo,&c. Secunda, quia in facto eſt exercitatus. *Hebr.*5. Cùm eſſet filius Dei, didicit ex his quæ paſſus eſt in illa cauſa quam habuit contra aduerſarium. *Matth.* & *Luc.* 4. ad *Hebr.*4. Tentatum per omnia pro ſimilitudine, abſque peccato. Tertia, quia in iure peritiſſimus. Ad *Coloſſ.* 2. In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi. Omnia enim iura ciuilia planè nouit. *Prouerb.*8. Per me reges regnant, & conditores legum iuſta decernunt. Quippe *Iſa.* 32. Dominus legifer noſter, Dominus rex noſter, Dominus iudex noſter. Quarta, quia in ſua cauſa diligentiſſimus. *Pſal.* Ego autem mendicus ſum & pauper, Dominus ſollicitus eſt mei. 1. *Pet.* 5. Omnem ſollicitudinem veſtram proiicite in eum, quia ipſi eſt cura de vobis. Quinta, quia in verbis eloquentiſſimus. *Iſa.* 5. Dominus dedit mihi linguam eruditam. Propter hoc gloſſatur. 1. *Ioan.* 1. Aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum.

Sex cauſæ faciũt Martyrem.

Chriſtus perfectus noſter aduocatus.

Iudica me Domine. Hîc petit fieri ſententiam. Ait enim ſic: Sic attende, & poſt, *iudica me*: & hoc *ſecundum iuſtitiam meam*, quæ in me eſt. *Iob* 23. Si iudicatus fuero, ſcio quod iuſtus inueniar. Vel *tuam* ſecundum aliam literam, ſcilicet quam habeo à te, & propter hoc tua debet dici. *Prouerb.*8. Meum conſilium & æquitas, quæ eſt iuſtitia cum miſericordia. 24.

Domine Deus meus. Quaſi diceret: Tibi ſoli incumbit ſic iudicare, alij in hoc nihil poſſunt. *Ier.*11. Tu autem Domine Sabaoth, qui iudicas iuſtè & probas renes & corda, videam vltionem tuam ex eis.

Et non ſupergaudeant mihi. Hîc tertium, & primò petit vt puniantur in opere. Secundò in corde. *Non dicant.* Tertiò in ore. *Induantur.* Dicit ergo: *Non ſupergaudeant mihi*, irridendo de dilatione ſententiæ, ſed magis cogantur flere, & ſentire illud *Prouerb.*14. Extrema gaudij luctus occupat.

Vox etiam poteſt hîc eſſe pauperis appellantis ſummum iudicem, quia ei ad mundi iudices acceſſus negatur. *Iſa.* 1. Pupillo non iudicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad eos. Si ingreditur, non auditur. *Iob* 29. In perſona pauperis, Ego clamabo vim patiens, & nemo exaudiet: vocife

Pauperum cauſa neglecta.

vociferabor, & non eſt qui indicet. Si autem ingreditur & auditur, antequam poſſit habere ius ipſum, conſumitur & in viribus corporis & in rebus. *Iſa.* 49. In vacuum laboraui, ſine cauſa fortitudinem meam conſumpſi. Et ſequitur: Iudicium meum cum Domino. Nec valebunt ibi exceptiones dilatoriæ: ſtatim iudicabit. *Iſa.* 16. Sedebit ſuper illud in tabernaculo Dauid, iudicans in veritate, & reddens velociter quod iuſtum eſt.

25. *Non dicant in cordibus.* Hîc petit quod puniantur in corde, & primò vt careant gaudio interius latenti. Secundò, quòd etiam exteriùs manifeſtato. *Nec dicant.* Dicit ergo: Sic affligantur & non gaudeant, *nec dicant in cordibus ſuis*, lætantes, *Euge, euge*, bene eſt animæ noſtræ voluntati, deſiderio noſtro: ſed magis triſtentur tanquam nequiſſimi. *Eccleſ.* 3. Cor nequam grauabitur doloribus. *Oſeæ.* 10. Confundetur Iſraël in voluntate ſua. *Nec dicant.* ore, non potentes interius tenere gaudium: *Deuorabimus eum*, id eſt, tanquam rem deuoratam annihilabimus. *Prouerb.* 1. Deglutiamus eum tanquam infernus viuentem. *Thren.* 3. Dixerunt: Deuorabimus eum. Sed poſtea paruit falſum dixiſſe cum reſurrexit. *Pſal.* Obſtructum eſt os loquentium iniqua. Inhiabant quidem vt deuorarent, ſed obſtructum eſt cum in gloria iam ſedet.

Vel poteſt eſſe vox iuſti contra dæmones, qui deuoratores ſunt, & exultant cum deuorauerint. *Abac.* 3. Exultatio eorum ſicut eius qui deuorat pauperem in abſcondito. Et primò deuorat animam quæ eſt eius cibus delicatus. *Abac.* 1. Cibus eius electus. Primò tenet eam in ore inter dentes, ſcilicet quando in peccato tenet, & voluit & maſticat inter illos tres ordines dentium, de quibus 1. *Ioan.* 2. Quicquid eſt in mundo aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ. Daniel videbat in 7. beſtiam tres ordines dentium in ore habentem, de quibus 1. *Ioan.* 2. Ab iis liberati pſallunt: Benedictus Dominus qui non dedit nos in captionẽ dentibus eorum. Sed tandem ſi non fuerunt liberati, coniicit in ventrem, id eſt, in gehennam. *Matth.* 15. Omne quod intrat per os, in ventrem vadit. De hoc ventre *Eccleſ.* 40. Ignis in ventre eius ardebit, in iudicio deuorabit corpora. *Ierem.* 8. Venerunt & deuorauerunt terram, & plenitudinem eius, orbem & habitatores eius.

26. *Erubeſcant.* Hîc petit pœnam aduerſantibus corde, & præmittitur pœna, & ſubiungitur culpa. *Qui gratulantur.* Pœna duplex. Confuſionis & timoris. Ait enim: *Erubeſcant* Iudæi mea reſurrectione, toti mundo clareſcente. *Iſa.* 65. Serui mei lætabuntur, & vos confundemini.

Et reuereantur, timidi facti. *Leuit.* 26. Terrebit eos ſonitus folij volantis, & ita fugient quaſi gladium. *Qui gratulantur*, non tantum qui faciunt: *malis meis*, id eſt, qui corde volentes conſentiunt. Ad *Roman.* 1. Non ſolum qui talia agunt, ſed qui facientibus conſentiunt, digni ſunt morte. Vel ſic in perſona Eccleſiæ: *Erubeſcant*, bona erubeſcentia, & confuſione ſalubri, de qua *Eccleſ.* 4. Eſt confuſio adducens gloriam. *Ierem.* 31. Confuſus ſum, & erubui. *Caſſiodor.* Digna vidicta pœna ſufficiens cum ſe vltore torquetur, & vinculo confuſionis obuoluitur. *Et reuereantur.* Bona & ſancta reuerentia, eſt Domini timor cum amore permixtus. *Qui gratulantur malis meis*, dicit Eccleſia, & ſic bonum optans inimicis implet illud. *Matth.* 5. Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos. Dicit autem, non malo meo, ſed *malis meis*, quia tria præcipue mala ſunt in Eccleſia. Ignorantia in rationabili. *Iſa.* 56. Ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam: quantò magis oues? Culpa in concupiſcibili. *Sapient.* 14. Omnia commixta ſunt, ſanguis, homicidium, furtum, &c. Pœna & miſeria in iraſcibili. 2. ad *Timoth.* 3. Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto, perſequutionem patientur. De his tribus ſimul *Oſeæ* 4. Non eſt ſcientia Dei in terra, ecce primum. Homicidium, mendacium, furtum, adulterium inundauerunt, ecce ſecundum. Propter hoc lugebit terra & infirmabitur, ecce tertium. *Tres plagæ Eccleſiæ.*

Induantur confuſione. Hîc tertium, in quo imprecatur peccantibus, contra ſe ore. Et primò tangitur pœna. Secundò culpa. *Qui maligna.* Ait enim: *Induantur confuſione.* Quaſi diceret, quòd confundantur cogitantes, & etiam *induantur*, tanquam vndique circundati, confuſione ignominioſa, de qua *Eccleſ.* 4. Et eſt confuſio adducens ignominiam. Et in corpore confuſi, & in anima, ſecundum illud *Pſal.* Induantur ſicut diploide confuſione ſua. *Et reuerentia*, timore ſcilicet futurorum malorum æſtimando ſemper futura maiora, vt ſunt illi de quibus *Sapient.* 17. Nec enim quæ continebat eos ſpelunca, ſine timore cuſtodiebat. *Qui maligna loquuntur ſuper me*, dicentes illud *Matth.* 28. Domine recordati ſumus, quia ſeductor hic, &c.

Vel in bono vt ſit Eccleſiæ ſermo. Quaſi diceret: Sic rogaui, vt erubeſcant bona erubeſcentia, nec modicum vel in occulto, imò *induantur* in aperto, *confuſione*, habitu ſcilicet pœnitentiæ, quo confuſi appareant, ſcilicet lugubri habitu, & ciilcio, vel ſacco: ſicut Niniuitæ, qui induti ſunt ſaccis, à maiore vſque ad minorem. *Iſa.* 22. In die illa vocabit Dominus ad fletum & planctum, & ad cingulum ſacci. Et hoc quia peccauerunt contra me facto. *Et reuerentia*, humiliatione ſui coram me, *quia magna loquuti ſunt*, verbo. *Iſa.* 60. Venient ad te curui filij eorum qui te humiliauerunt.

Exultent & lætentur. Hîc eſt tertium tertiæ partis huius totius, in qua iterum redit ad orationem. Orauit enim primò pro ſeipſo, ſecundò contra aduerſarios: hic pro ſuis. Et primò facit orationem. Secundò promittit gratiarum actionem, ſi impetrauerit. *Et lingua mea.* In prima duo. Primò petit eis bonum in futuro. Secundò in præſenti. *Et dicant ſemper.* In prima duo. Primò petitio. Secundò perſuaſio, quod exaudiri debeat. *Qui volunt.* Dicit ergo: Sic fiat inimicis, ſed peto quod *exultent* exterius pro ſtola corporis, & *lætentur* pro ſtola mentis. *Prouerb. vlt.* Omnes domeſtici eius, veſtiti ſunt duplicibus. *Iſa.* 61. In terra ſua duplicia poſſidebunt. *Pſal.* Exultabunt Sancti in gloria pro ſtola corporis, lætabuntur, interius, in cubilibus ſuis pro ſtola mentis. 27.

Qui

Qui volunt. Ecce ſecundum. Sic lætentur & exultent, *Qui*, id eſt, quia illi *volunt iuſtitiam meam*, fieri non ſuam, ſicut Iudæi de quibus ad *Rom.*10. Qui ſuam volentes ſtatuere iuſtitiam, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Vel ſic: *Qui volunt iuſtitiam* ex corde, non tantum eam dicunt ore, ſicut magiſtri operum qui dicunt, Facite, & nihil faciunt. Ad *Rom.*2. Qui alium doces, cur teipſum non doces? Vel qui *volunt iuſtitiam*, corde, non ſimulant eam exterius tantum in opere, ſicut hypocritæ, de quibus *Matth. 6.* attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus. Illi enim non gaudent duplici ſtola in æternitate, ſed nouo fauore in modico tempore. *Iob.*20. Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti. Amantibus ergo iuſtitiam datur duplex ſtola illa. *Matth.5.* Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam: vt non ſolùm in futuro hoc habeant, ſed etiam in præſenti.

Et dicant: Hic petit in præſenti, & primò petitio. Secundò perſuaſio, quòd debet acquieſcere illi petitioni, ibi, *Qui volunt pacem ſerui eius.* Ait ergo? Sic in futuro, *Et dicant*, tua repleti gratia, in præſenti: *ſemper, magnificetur Dominus*, ſecundùm illud ſuprà in *Pſal.* Magnificate Dominum mecum. Vel etiam de futuro. Quaſi diceret: Nunc exultent & lætentur pro duplici ſtola, & lætentur propter tanta beneficia, vnde *dicant ſemper, magnificetur Dominus.* Et dicant, *qui*, id eſt, quia *volunt pacem ſerui eius*, mei ſcilicet. Sed mutat perſonam dicens *eius*, cum deberet dicere, *Tui.* Illam, inquam, volunt pacem de qua *Ioan.*14. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Ad *Rom.* 12. Quantum in vobis eſt cum omnibus hominibus pacem habentes. Ad *Hebr.* 12. Pacem ſequimini & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Dominum.

Et nota, quòd ſe dicit ſeruum qui dicit *Ioan.*13. Vos vocatis me Magiſter & Domine, & bene dicitis: ſum etenim. Primò quia ſeruus eſt Dei patris in quantum homo, & Dominus reſpectu noſtri. *Matth.*7. Ego ſum homo ſub poteſtate conſtitutus, ecce ſeruus: habens ſub me milites, ecce Dominus. Et quia noſtrum eſt Deum magnificare, illius nobis pacem dare. Mittamus ergo ei laudem & magnificationem, & ipſe nobis dabit pacem. *Luc.* 2. Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus, dabitur à creatore.

28. *Et lingua mea.* Hic ſecundum totius huius partis, ſcilicet promiſſio gratiarum actionis. Primò corde. Secundò ore. *Tota die laudem tuam.* Vel primò promittit gratiarum actionem. Secundò continuationem, ibi, *Tota die.* Dicit ergo: Sic rogo: *Et lingua mea*, ſi hæc feceris, *meditabitur iuſtitiam tuam.* Quæ eſt iſta coniunctio, *lingua meditabitur*? Nunquid linguæ eſt loqui, & non meditari? Reſp. *Gloſſa*, quòd tanta fuit in Chriſto concordia oris & cordis, quòd illud quod eſt cordis, attribuitur etiam ori. Lingua etiam Chriſti, qua nobis loquitur, eſt Nouum Teſtamentum. Quaſi diceret: Quicquid in lingua mea, in Nouo ſcilicet Teſtamento, totum dictum eſt ex præmeditatione, totum iuſtitia. *Iſa.* 10. Conſummatio abbreuiata inundabit iuſtitiam.

Tota die laudem tuam. Quicquid omninò dicam, totum laus tua erit, & ſemper illam dicam. Et verum eſt: quicquid enim dixit, & fecit, totum ad laudem Patris fuit. *Ioan.*8. Ego honorifico Patrem meum. Et iterum: Ego gloriam meam non quæro, ſed eius qui miſit me. Aliter Sancti habent os in corde. *Eccl.*21. In corde ſapientum os eorum eſt. Huius oris lingua ipſa intelligentia eſt. *Lingua ergo mea*, id eſt, meorum, dicit Chriſtus, id eſt, interior intelligentia, *meditabitur iuſtitiam*, legem ſcilicet *tuam*, iuſtam, *tota die laudem tuam*, id eſt, materiam tuæ laudis, ſcilicet ſacram Scripturam. *Pſal.* In lege eius meditabitur die ac nocte. Vel *tota die laudem tuam*, agens, quia non deſinet benefacere. Quiſquis enim ſemper bona facit, laudes ſemper Deo agit. 1. ad *Corinth.* 10. Siue ergo manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.

Lingua etiam Dei prædicator, per quem Deus tanquam per linguam nos inſtruit. *Matth.* 10. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis. 2. ad *Corinth. vlt.* An experimentum quæritis eius, qui loquitur in me Chriſtus. Hæc lingua debet iuſtitiam meditari, & meditatam prædicare & fari. *Pſal.* Annuntiabunt cœli iuſtitiam eius aliis, vt ipſos doceant.

IN XXXV. PSALMVM.

In finem ſeruo Domini Pſalmus Dauid. 1.

Dixit iniuſtus. Hic eſt Pſalmus trigeſimusquintus, in quo poſtquam in præcedenti Pſalmo monuit nos exemplo Chriſti mala ſuſtinere monet etiam vlterius in hoc, nos ea quæ patimur, peccatis noſtris attribuere, vt ſciamus nos ipſos facere peccata, propter quæ meremur mala pœnæ. Intendit enim in hoc Pſalmo errorem illorum deſtruere, qui ponebant mala non eſſe à nobis, ſed à fato, vel natura, probans nobis eſſe à nobis mala, & à gratia Dei bona. 2. *Argumentum Pſalmi, docet mala quæ patimur peccatis noſtris imputare, non fato aut naturæ.*

Huic autem Pſalmo proponitur titulus talis: *In finem ſeruo Domini Pſalmus Dauid.* Et exponitur dupliciter. Poteſt enim dici ſeruus Domini ipſe Chriſtus, vel quilibet iuſtus. De Chriſto ſic: Pſalmus iſte, tendens, id eſt, tendere nos faciens, *in finem*, ſummum & verum, Dominum ſcilicet omnium, qui dicit *Apoc.* 1. Ego ſum α & ω, principium & finis: attribuitur *Dauid ſeruo Domini*, ſcilicet ſecundum humanitatem, in qua per omnia ſeruiuit, & in omnibus Patri obediuit. *Ioan.* 14. Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. Ad *Philip.*2. Chriſtus factus eſt pro nobis obediens vſque ad mortem, &c. Vel ſic: Pſalmus iſte tendens in finem, ſicut priùs, conuenit *Dauid*, cuilibet iuſto, *ſeruo Domini.* Quilibet enim iuſtus ſeruus Dei eſt, de ipſo digna ſentiens, & ei adſcribens omnia bona ſua, ſicut docet iſte Pſalmus, & ſibi mala: Domino enim honor debetur. *Malach.* 1. Filius honorat patrem, & ſeruus dominum ſuum. Et optimè dicitur Dauid ſeruus Domini, quia ſeruus Domini eſſe

non

non aſpectu deſiderabilis ſit per pulchritudinem, & manu fortis per ſtabilitatem, & virilem operationem. *Leuit.*21. Homo de ſemine Iſraël, qui habuerit maculam, ecce turpitudo. Et poſt, Si cæcus, ſi claudus, ſi fracto pede vel manu, non poterit miniſtrare Domino.

Diuiditur autem Pſalmus hic in duas partes. Primò oſtenditur inſtructio vt mala ſua à ſeipſis agnoſcant, & à Dei gratia bona. Secundò ſubiungitur finalis oratio, ibi, *Prætende Domine.* In prima duo, ſicut iam tactum eſt. Primò agit de malis malorum. Secundò de bonis bonorum, ibi, *Domine in cœlo.* In prima duo. Primò reprehendit mala in genere. Secundò in ſpecie, ibi, *Verba oris eius.* In prima tria. Primò reprehendit propoſitum peccandi in concupiſcibili. Secundò carentiam timoris in iraſcibili, ibi, *Non eſt timor Dei.* Tertiò affectatam ignorantiam in rationabili, ibi, *Quoniam dolosè egit.*

Dicit ergo: *Dixit iniuſtus*, id eſt, gens iniuſtorum. Ponitur ſingulare & indiuiduum generis pro genere ſimpliciter. *Exod.*10. Arreptámque locuſtam proiecit in mare.

In ſemetipſo, in corde deliberando ſtatuit, *vt delinquat*, in actu poſtea exteriori. Ecce illud *Prou.*23. Cogitatio ſtulti peccatum. Et illud *Matth.*15. De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, furta, adulteria, fornicationes. Et *in ſemetipſo dixit*, in corde ſcilicet, vbi Deus videt, non in ore, ne apud homines erubeſceret. Ad *Epheſ.*4. Quæ autem in occulto ab ipſis fiunt, turpe eſt dicere. *Non eſt timor Dei ante oculos eius.* Ecce priuatio timoris, quæ debet eſſe in iraſcibili. *Ierem.*5. Me ergo non timebitis dicit Dominus, & à facie mea non dolebitis?

Vel aliter: Dicunt peccatores, quòd peccant ex fato, aut propter conſtellationem, aut propter diuinam permiſſionem: ſed non eſt ita: imò *iniuſtus dixit in corde ſuo*, imo propoſuit & voluit, *vt delinqueret*, hoc eſt, ſui delicti ſua voluntas cauſa fuit, non aliud, vt ſcilicet Deum derelinqueret, & ipſum nihil impulit. *Ierem.*2. Nunquid ſolitudo factus ſum Iſraëli, aut terra ſerotina? Quare ergo dixit populus meus, Receſſimus, non veniemus vltrà ad te? Et ex hoc quod ſic dixit, patet, *quia non eſt timor Dei ante oculos eius.* *Malach.* 1. Si ego Dominus, vbi eſt timor meus? *Pſal.* Non eſt timor Dei ante oculos eius. Ideò inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.

Horribile peccato conſentire ante tentationem.

Et nota, quòd deteſtabile ſit proponere peccare antequam ſurgat tentatio. Item horribile, ſtultum, & iniquum. Horribile: quia inter omnia peccata horribilius eſt homicidium corporale. Magis autem horribile ſi ſit propinquus ſanguine, ſicut frater, aut pater. Sed ſuper omnia horribile ſe in anima occidere, maximè quia quantò anima melior eſt quam corpus, tanto horribilius eſt occidere animam, quam corpus. Et *Sap.*16. Homo per malitiam occidit animam ſuam. Item ſtultiſſimum: quia facis te peccare antequam pecces: potes enim peruenire ad hoc ſine hoc damnoſo propoſito. *Eccl.*7. Non alliges tibi duplicia peccata, nec enim in vno eris immunis. Propter hoc dicitur *Prou.*24. Qui cogitat mala facere, ſtultus vocabitur. Item iniquum valde & maximè malitia plenum: anima enim antequam peccet, eſt tanquam ager plenus ſemine optimo virtutum & gratiarum. Non eſt autem maior malignitas quam ſuperſeminare ſcienter ſuper bono ſemine zizania vitiorum. *Luc.*8. Domine nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? vnde ergo habet zizania? Et reſpondit: Inimicus homo hoc fecit.

Quoniam dolosè egit. Ecce tertium, in quo arguit ignorantiam affectatam, quia ſcienter vult ignorare mala propria, & ex ſe eſſe mala: vnde dicuntur duo ſecundum literam *Auguſtini.* Primò doloſa inquiſitio eius qui non vult inuenire. Secundò de quo inquiſitio illa. *Vt inueniatur.* Ait enim: Nunc *timor Dei non eſt in conſpectu eius, quoniam dolosè egit in conſpectu eius*, id eſt, Dei: quod nullo modo faceret ſi timeret ipſum. *Eccleſ.* 2. Qui timent Deum, præparabunt corda ſua. Sed in quo agit dolum? In hoc vt non inueniret iniquitatem, id eſt, ne inquirendo iniquitatem ſuam, odiſſet inuentam. Quaſi diceret: Noluit diligenter inquirere iniquitatem ſuam, vt ſic vlterius odiret inuentam: ſed voluit ignorare ipſam. *Auguſt.* Quærunt? Quare? Vt inueniant, cum tamen nolint inuentam relinquere. In dolore inquiſierunt ſcire peccata multi, ſed cum ſciunt, quod non poſſunt ignorare, tunc defendunt. *Michæ.*7. Vnuſquiſque fratrem ſuum venatur ad mortem, malum manuum ſuarum dicens bonum. *Iſa.*5. Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum. 3.

Secundum noſtram literam ſic: *Non eſt timor in conſpectu eius.* Quod patet per hoc, *quoniam dolosè egit in conſpectu eius*, id eſt, ſtudere neglexit in Scripturis, & legere, & ſubterfugit, vt ſic *inueniatur iniquitas eius ad odium*, id eſt, ad odiendum. Et eſt hic argumentum, quantum malum ſit negligere ſtudium Scripturarũ. Aliter enim nequaquam oditur peccatum, quia aliter non cognoſcitur. Ad *Rom.*7. Peccatum non cognoui niſi per legem. Eſt enim per legem peccati cognitio. In eodem peccato eſt, qui ſi ſtudere vel neſciat vel non valeat, non vult audire, ne cognoſcat miſerias ſuas. *Iſa.*30. Loquimini placentia nobis, nolite indicare nobis quæ requiſita ſunt. *Greg.* Qui reſecat vitia, odium malorum grauat. Talibus dicit *Paulus* 1. *ad Corinth.*14. Domini ſunt mandata. Si quis autem ignorat, ignorabitur.

Vel ſic: Timor Domini non eſt ante oculos eius, qui proponit in corde peccare. Quod patet: *quoniam dolosè egit in conſpectu eius*, ſcilicet Dei, ſimulando ſe ſeruire Deo, & ſeruit mundo, vel carni. Ad *Rom.*16. Hi Chriſto Domino non ſeruiunt, ſed ſuo ventri. Et verè dolus eſt in conſpectu Dei iſta duplicitas. *Iob* 23. Nunquid placebit ei quem celare non poteſt? Vel *in conſpectu eius*, id eſt, ſuiipſius. Bene enim videt & intelligit quod dolosè agit, intantum, *vt inueniatur iniquitas eius ad odium*, id eſt, vt videat iniquitatem ſuam eſſe odibilem, non oderit tamen, etſi ſciat Deo eſſe odibilem.

Verba oris eius. Hîc redarguit mala iniquorum in ſpecie, & primò peccatum oris. Secundò cordis. *Noluit intelligere.* Tertiò operis. *Aſtitit omni viæ non bonæ.* Dicit ergo: Sic impius proponit peccare, caret diuino timore, & affec- 4.

ctat neſcire. Et *verba oris eius ſunt iniquitas & dolus*, iniqua & doloſa. Iniqua apertè, doloſa latenter. Contra illa duo: Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Sed ſicut illi de quibus *Ierem.9.* Sagitta vulnerans lingua eorum, dolùm loquuta eſt. Nec tantum ore peccat, imò corde. *Noluit intelligere.* Et tangitur duplex malum. Primò ignorantia affectata excæcans apprehenſiuam. Secundò iniquitas amata, inquietans motiuam. *Iniquitatem.* Ait ergo: Sunt eius verba mala & doloſa, & *noluit intelligere*, non dico, non potuit. *Zachar.7.* Noluerunt attendere, auerterunt ſcapulam recedentes. Sed quid noluerunt attendere? Nunquid aliquid difficillimum? imò *vt bene agerent*, quod eſt in ipſo corde hominis ſcriptum. *Ierem.4.* Sapientes ſunt vt faciant mala, bene autem facere neſciunt. *Ioan.3.* Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Et ſic quidam ſunt qui volunt intelligere, vt ſciant bonum, non vt faciant, abutentes doctrina ſacra, quæ ad hoc debet à nobis intelligi, non vt ſciamus, ſed vt boni fiamus. *Iſa.1.* Diſcite bene facere. Loquitur Theologis. Iſti non carent culpa. *Iacob. 4.* Scienti bonum & non facienti, peccatum eſt illi. Item alios ſuperabunt in pœna. *Luc.12.* Seruus ſciens voluntatem Domini & non faciens, plagis vapulabit multis. Hi ſunt curioſi. Alij volunt intelligere & ſcire, vt ſciantur ſcientes, ſecundum illud Prouerbium, Gloriam ſapientes poſſidebunt. *Pſal.* Dij fortes terræ vehementer eleuati ſunt. Deus autem dicitur à θεάω, quod eſt videre, & ſonat ſcientiam. *Geneſ.3.* Eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum. Et ſunt ſuperbi iſti. Alij volunt intelligere vt diteſcant, ſecundum illud *Sap. 8.* Si diuitiæ appetuntur in vita, quid ſapientia locupletius? Et iſti ſunt cupidi & adulteri verbi Dei. 2. ad *Cor.2.* Non ſumus ſicut plurimi adulterantes verbum Dei. Intendentes potius poſſeſſionem, quam prolem.

Malus & bonus vſus ſcientiæ.

Item ſunt duo modi commendabiles. Quidam enim volunt ſcire vt ædificentur, attendentes illud Pauli, qui cum dixiſſet: Vniuſquiſque veſtrum Pſalmum habet, Apocalypſim habet, ſtatim ſubiungit: Omnia in ædificationem fiant. 1. ad *Corinth.14.* Ad *Rom.5.* Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Et ſunt prudentes. Alij vt ædificent proximos: & eſt charitas. 1. ad *Corinth.8.* Charitas perfecta ædificat.

5. *Iniquitatem meditatus eſt.* Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic affectauit ignorantiam, & etiam *meditatus eſt*, mente inquieta, *in cubili ſuo*, id eſt, in corde ſuo. *Michæ.2.* Væ qui cogitatis inutile, & operamini malum in cubilibus veſtris. Rapinas meditabitur mens eorum. Et nota, quod cor dicitur cubile, quia debet eſſe in corde pax à laboribus, & pugnis exterioribus: eſt enim pugna quaſi continua inter carnem & animam, & debet anima aliquando abſcondere ſe apud ſemetipſam, & ibi quieſcere. *Iſa.57.* Veniat pax, requieſcat in cubili ſuo, qui ambulauit in directione ſua. Item debet eſſe ibi ſilentium à tumultibus. Clamat enim & tumultuat caro illud dicens. *Pron.30.* Affer, affer. Sed abſcondere ſe debet anima vt non audiat. *Iob 39.* Contemnit multitudinem ciuitatis. Item ibi debet eſſe ſecretum à turbarum acceſſibus. *Iſa.26.* Vade populo meus, abſcondere modicum, ad momentum intra in cubilia tua. *Iſa.24.* Secretum meum mihi.

Aſtitit omni viæ non bonæ. Hîc tertiò ſubiungitur de peccato operis: & dicuntur duo. Primò mali operis conſuetudo. Secundò ſyndereſis quaſi extinctio. *Malitiam autem.* Dicit ergo: Sic *meditatus eſt in cubili*, & *aſtitit*, id eſt, opere promptus & paratus, *omni viæ*, operationi ſcilicet, *non bonæ*, id eſt, malæ. Alibi in *Pſal.* Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.

Malitiam autem non odiuit, quaſi extincta ratione & ſyndereſi, & corrupto palato, in tantum vt ſapiat ei malum, & deſpiciat bonum. In *Pſal.* infra: Dilexiſti malitiam ſuper benignitatem, iniquitatem magis quam loqui æquitatem. *Iob 20.* Cum dulce fuerit in ore eius malum, abſcondet illud ſub lingua ſua.

Domine in cœlo. Hîc loquitur de bonis bonorum, & primò de bonis gratiæ. Secundò de bonis naturæ, ibi, *Homines & iumenta.* Tertiò gloriæ, ibi, *Filij autem hominum.* In prima duo. Primò agit de bonorum gratiæ collatione. Secundò de imperſcrutabili ratione ſic dandi, ibi, *Iuſtitia tua ſicut montes Dei.* In prima duo. Primò de collatione virtutis affectui. Secundò veritatis aſpectui, ibi, *Et veritas mea.* Dicit ergo: Sic mala ſunt à malis, bona à Deo, quia ô Domine *in cœlo*, id eſt, in Maioribus & Doctoribus, *miſericordia tua*, virtus & bonum in affectu, ex tua miſericordia. Dicuntur autem Doctores & Maiores, *cœlum* à cœleſtibus, quæ continent in ſeipſis, & cognoſcendo intellectu, & amando affectu. *Luc.8.* Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis. Propter hoc *Daniel.12.* Qui autem docti fuerint, fulgebunt ſicut ſol in perpetuas æternitates. 6.

Et veritas tua, quæ illuminat intellectum *vſque ad nubes*, ſcilicet Doctores, qui nubes dicuntur *Iſa.5.* Qui ſunt iſti qui vt nubes volant? Totum ergo quicquid habent acceperunt. 2. ad *Corinth.3.* Non quod ſufficientes ſumus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Sic patet quod verus Doctor non eſt ſine miſericordia, & veritate. Propter hoc dicitur *Prou.3.* Miſericordia & veritas non te deſerant: deſcribe eam in tabulis cordis tui.

Cœlum etiam naturaliter poteſt ſumi, vt ſit ſenſus: Domine *miſericordia tua*, quam ſanctis das, & *veritas tua*, per quam innoteſcit miſericordia, *in cœlo eſt*, id eſt, de cœlo venit ad nos, ſecundum illud *Iacob. 1.* Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum. Veniens. *vſque ad nubes*, id eſt, prædicatores, & ſanctos, & per illos deriuata ſunt ad nos. Dicunt enim illud: Non abſcondi miſericordia tuam & veritatem tuam à concilio multo. *Iob 37.* Et nubes ſpargent lumen ſuum. Ad *Galat.1.* Notum vobis facio, fratres, Euangelium, quia non ab homine nec per hominem accepi illud, ſed per reuelationem Domini noſtri IESV-CHRISTI.

Iuſtitia

7. *Iuſtitia tua ſicut montes Dei.* Hîc ſecundum, in quo agitur de bonorum datorum inſcrutabili ratione: & dicuntur duo. Primò iuſtitiæ diuinæ ſublimitas. Secundò iudiciorum Dei profunditas. *Iudicia tua.* Legitur autem dupliciter. Primò ſic: Sic à te miſericordia & veritas, *& iuſtitia tua*, id eſt, iuſti tui, *ſicut montes Dei ſunt*, id eſt, ſicut montes placentes Deo. *Pſal.* Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo. Dicuntur autem *montes*, quia primò radios ſuos recipiunt, & poſtmodum aliis transfundunt, ſecundum illud *Pſal.* Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. 1. ad *Corinth.* 11. Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis. *Sap.* 7. Quam ſine fictione didici, & ſine inuidia communico.

Et iudicia tua, ſecundum quod iſtos ſic illuminas. Ad *Rom.* 11. Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat. *Abyſſus multa*, id eſt, ſicut multa abyſſus profunda, & inſcrutibilia. Hinc venit ille clamor ad *Rom.* 11. O Altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Aliter, vt ſit ablatiui caſus in hunc modum. Quaſi diceret: Sic *in cœlo miſericordia tua & veritas tua vſque ad nubes*, id eſt, ſanctos tuos, qui *iuſtitia tua*, id eſt, per iuſtitiam tuam ſunt, ſicut montes Dei, non montes de quibus *Abac.* 3. Incuruati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius, ſed ſicut illi de quibus in *Pſal.* Leuaui oculos meos in montes. Et alij per *iudicia tua*, reſume priora, ſunt *abyſſus multa*, profundi ſcilicet in peccatis. Abyſſus, quia in profundo vitiorum, ſecundum illud *Pſal.* Non me abſorbeat profundum. *Et multa*, quia profundiſſima. *Ier.* 11. Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile, quis cognoſcet illud?

Iuſti montes dicuntur. Et nota, quòd iuſti montes dicuntur ratione altitudinis: mons enim eſt terra ſuper terram eleuata: totum autem genus humanum eſt terra. *Eccleſ.* 37. Omnes homines ex ſolo, & à terra, vnde primus creatus eſt. Iuſti autem quamuis terra, ſuper alios tamen ſunt. *Prouerb.* 14. Iuſtitia eleuat gentem: miſeros facit populos peccatum. Item ratione magnitudinis. Impij puluis, ſupra in *Pſal.* Non ſic impij, non ſic, ſed tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ. Imò nihil. *Pſal.* Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius maligus. Sed iuſti magni. *Eccleſ.* 44. Homines magni virtute. Ad *Rom.* 8. Quos iuſtificauit, hos & magnificauit. Ratione apparitionis: de longè enim videntur nulli. *Sap.* 5. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam: ipſos de longè videntes, ſed propè videntes, vident magnos. Ibidem: Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt.

Omnia bona à Deo & primò bona naturæ. *Homines & iumenta.* Hîc ſecundum, in quo agit de bonis bonorum, ſcilicet de bonis naturæ: & dicuntur duo. Primò, quòd omnibus communiter fuerunt collata. Secundò vnde ſunt collata, quia ex diuina miſericordia. *Quemadmodum. Gloſſa* dupliciter exponit. Primò myſticè. Ait enim: Sic confers bona prædicta: & Domine *homines*, ratione vtentes, & prudentes, *& iumenta*, in quibus plus viget brutalis natura quam rationalis, ſecundum illud: Comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. *Saluabis*, ſalute corporali, & bona naturæ vtriſque conferens. Vel *ſaluabis*, differenter: quia iſtos ſpiritualiter, illa ſalute de qua *Eccleſ.* 30 Salus animæ in veritate iuſtitiæ: ſed alios corporali, de qua *Eccleſ.* 30. Non eſt ſenſus ſuper ſalutem corporis. Et hoc quod ſaluas eſt, *quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam. Eccleſ.* 18. Virtutem magnitudinis quis enarrabit? Alio modo ſic: Dediſti bona ſpiritualia, & etiam ô Domine, *homines & iumenta ſaluabis*, dando vtriſque ſatis de temporalibus. Et appellat hic homines illos qui carnales ſunt, ſecundum illud. 1. ad *Corinth.* 3. Nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis? Hi non quærunt, niſi ſicut iumenta, iſta temporalia: nec plus habebunt. *Eccleſ.* 3. Nihil habet homo iumento amplius.

8. *Quemadmodũ multiplicaſti miſericordiam tuam Deus. Eccleſ.* 18. Miſericordia autem Dei ſuper omnem carnem. *Pſal.* Suauis Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Hoc ipſum enim eſt miſericordia, quòd dat eis iſta.

Item bona gratiæ à Deo ſunt. *Filij autem hominum.* Hîc ſubiungitur de bonis gloriæ, & primò de bonis habitis nunc in ſpe, per promiſſionem Veteris & Noui Teſtamenti. Secundò de habendis poſtmodum in re, ibi, *inebriabuntur.* Dicit ergo: Sic dabit bona temporalia carnalibus, vt nihil plus habeant quam iumenta. *Filij autem hominum*, ſcilicet ſpirituales, homines enim dicuntur carnales, non filij hominum, ſicut primus pater Adam qui homo fuit, non filius hominis: ſed ſpirituales filij hominum, qui ſimiles ſecundo Adæ, qui filius hominis eſt. *Auguſt.* Quando portamus imaginem terreni, homines ſumus: quando imaginem cœleſtis, filij hominum. *Caſſiodor.* Chriſtus filius hominis dictus eſt, & ſimiliter iuſti, vt cuius præmia ſuſcipiunt, etiam eius nomine decorentur.

Ala Chriſti duo Teſtamenta. *In tegmine alarũ tuarũ ſperabũt.* Chriſtus enim tanquam auis. *Iob* 26. Semitã ignorauit auis, dicitur de Iudæa. Hæc auis habet alas. *Matth.* 23. Quoties volui congregare filios tuos ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Illæ alæ ſunt Vetus & Nouum Teſtamentum. Dicit enim *Iſid.* Alæ ſunt quibus pennæ infixæ ſunt per ordinem, & volandi exhibent facultatem. Voçatæ alæ, quia iis aues complexos pullos alunt & fouent. Ex iis apparet, quòd tria ſunt in alis, ordo, virtus eleuandi, & præſtatio fomenti. Sic in duobus Teſtamentis nihil inordinatum. Ad *Rom.* 13 Quæ autem à Deo ſunt, ordinata ſunt. Quæ autem magis à Deo quam illa? Et eleuant in altum. *Prouerb.* 4. Poſſide ſapientiam, quantum ad Nouum: poſſide prudentiam, quantum ad Vetus: accipe illam, & exaltabit te. Et paruulos fouent. *Pſal.* Protegar in velamento alarum tuarum. *Eccleſ.* 6. Inuenies requiem in ea, ſcilicet ſapientia: & conuertetur tibi in oblectationem. Hæ ſunt alæ de quibus *Malac.* 3. Vobis timentibus Deum orietur ſol iuſtitiæ: & ſanitas in pennis eius.

9. *Inebriabuntur ab vbertate.* Hîc agit de bonis *Bona gloriæ.* habeu

habendis tandem in re. Primò de his quæ ſatisfacient appetitiuæ. Secundò de his quæ ſatisfacient cognoſcitiuæ, ibi, *De lumine tuo.* In prima tria. Primò oſtendit bona appetitiuæ fore ſufficientia. Secundò fore placentia, ibi, *Et torrente voluptatis.* Tertiò, quòd indeficientia. *Quoniam apud te eſt fons vitæ.* Legitur tamen primò de Eccleſia militante, hîc ſecundum hunc modum: Sic ſperabunt, vt dictum eſt, imò *inebriabuntur*, gratia, & deuotione, ſecundum illud *Ierem.*31. Inebriabo animas ſacerdotum in pinguedine: vt tanquam ebrij carnalem perdant affectionem. *Auguſt.* Inebriati erant Martyres ad paſſionem, cognatos ſuos non agnoſcebant. Quid tam ebrium quam non agnoſcere vxorem, parentes, non filios? Inebriabuntur, inquam, *ab vbertate domus tuæ*, præſentis Eccleſiæ. *Cant.* 3. Introduxit me rex in cellaria ſua. Beata domus in qua tanta vbertas. *Caſſiodor.* Domus quæ neſcit ſua inutiliter expendere, quæ vniuerſo mundo ſuffieit, & plena ſemper exuberat.

Et torrente, non quocumque, *ſed voluptatis tuæ* ſcilicet Spiritu ſancto, *potabis eos.* Torrens dicitur Spiritus ſanctus, quia potat. 1. ad *Corinth.* 12. Omnes vno ſpiritu potati ſumus: & abundans vt torrens. *Iſa.*30. Spiritus enim velut torrens. Et delectabilis. *Eccleſ.* 24. Spiritus meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum. Lætificans. *Pſal.* Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Ecce quam impetuoſus. Vel torrens poteſt dici voluntas Dei, quæ rumpit omnia obſtacula. Ad *Rom.*9. Voluntati eius quis reſiſtet? Et tamen *voluptatis.* Ad *Rom.*12. Vt probetis quæ ſit voluntas Dei beneplacens, & perfecta.

Legitur & de triumphante, *inebriabuntur*, audientes à te illud *Cant.*5. Bibite amici, & inebriamini chariſſimi. *Geneſ.*45. Ioſeph inebriatus eſt cum fratribus ſuis in meridie. Quid mirum. *Iſa.*25. Faciet Dominus in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum & vindemiæ defœcatæ.

De torrente voluptatis tuæ, amore tuo delectabili, & voluptuoſo, & indeficienter abundanti, *potabis eos.* Non deficiet, ſed implebitur tunc mandatum illud. *Exod.*22. Diliges Dominum Deum tuum, &c. Et non deficiet ſed implebitur tunc veriſſimè illud 1. ad *Corinth.*13. Charitas nunquam excidit.

Et nota, quòd anima manens in corpore guſtat. *Pſal.* Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus. Exuta à corpore bibit. *Eccleſ.*24. Qui bibunt me, adhuc ſitient. Sed reſumpto corpore tunc erit perfecta ebrietas, de quo, *Inebriabuntur. Ierem.*23. Ecce ego replebo habitatores omnes Ieruſalem ebrietate. Dicitur autem gaudium illud ebrietas, primo quia ebrius eſt quaſi extra briam: & illud gaudium ſupra omnem menſuram. *Luc.* 6. Menſuram bonam & confertam, &c. Item propter nullius ſecreti occultationem. *Prouerb.*31. Nullum ſecretum vbi regnat ebrietas. 1. ad *Corinth.*3. Veniet Dominus qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. Item propter cordis iocunditatem tripliciter ſe exerentem, in Cantico laudis quantum ad os: ebrij enim libenter cantant. *Prouerb.*20. Tumultuoſa res eſt ebrietas. *Iob* 8. Donec impleatur riſu os tuum. *Pſal.* Exaltationes Dei in faucibus eorum. Item in corporis geſticulatione: libenter enim agitat ſe ebrius. *Iſa.*24. Agitatione agitabitur terra ſicut ebrius. *Malach.*3. Salietis ſicut vituli de armento. *Eccleſ.*3. Tempus plangendi, & tempus ſaltandi. Item in eructatione pectoris. *Pſal.* Memoriam ſuauitatis tuæ eructabunt.

Gaudium beatorum comparatur ebrietati.

Quoniam apud te eſt fons vitæ. Hîc tertium, in quo oſtendit, quòd erit indeficientia, & legitur dupliciter. Primò ſic: Sic inebriabuntur, & poteris hoc Chriſte: *Quoniam apud te eſt fons vitæ*, quia totius boni. Ad *Rom.* 8. Quomodo non cum illo omnia nobis donabit? 10.

Et in lumine tuo. Ecce bonum cognitiuæ, id eſt, in lumine quod ipſe es. *Ioan.*8. Ego ſum lux mundi. *Videbimus lumen*, id eſt, *Patrem. Ioan.*17. Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum. Vel ſic vt dirigatur ſermo ad Patrem: Sic inebriabuntur, quoniam ô Pater, *apud te eſt fons vitæ*, ſcilicet filius, de quo in *Pſal.* Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. *Et in lumine tuo*, ſcilicet eodem filio Chriſto, *videbimus lumen*, id eſt, Patrem, qui eſt lumen. 1. *Ioan.*1. Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ.

Et nota, quòd Chriſtus dicitur fons, & lumen quod mirabile. Fons enim extinguit lumen, & deſtruit. *Auguſt.* Hic aliud eſt fons, aliud lumen: quia fons extinguit lumen, & tamen quod eſt fons, hoc eſt lumen.

Chriſtus fons vitæ.

Et nota, quòd Chriſtus dicitur fons vitæ: quia ſicut in fonte principalis eſt origo cuiuſlibet fluminis, ſic in eo eſt principalis origo cuiuſlibet vitæ. Eſt enim vita naturæ, de qua *Eccleſ.* 9. Nemo eſt qui ſemper viuat. Et vita gratiæ. Ad *Rom.*8. Spiritus autem viuit per iuſtificationem. Et gloriæ. *Sap.*5. Iuſti autem in perpetuum viuent. Huius autem triplicis viræ origo eſt Chriſtus. *Eccleſ.*24. In me omnis ſpes vitæ & virtutis. Item in forte indeficiens plenitudo. Sic in Chriſto. *Iſa.*1. Plenus ſum & indeficiens. *Iſa.*58. Eris quaſi hortus irriguus, & quaſi fons aquarum, cuius aquæ non deficiunt. In fonte etiam eſt liberalis communicatio. Sic in Chriſto. *Iac.*1. Qui dat omnibus affluenter. *Prouerb.*21. Qui iuſtus eſt, tribuet, & & non ceſſabit.

Prætende Domine miſericordiam tuam. Hîc ſecunda pars totius huius partis, in qua ponitur finalis oratio: & dicuntur duo. Primò oratio pro bonis adipiſcendis. Secundò petitio pro malis amouendis. *Non veniat mihi.* In prima duo. Primò oratio pro bonis gratiæ in præſenti. Secundò pro bonis gloriæ in futuro. *Et iuſtitiam tuam.* Dicit ergo: Sic mala ex nobis, bona autem gratiæ, naturæ, & gloriæ ex te: & propter hoc rogo, Domine, *prætende*, valde tende, *miſericordiam tuam ſcientibus te*, per veram fidem, quæ propter vehementiam certitudinis ſcientia appellatur, quemadmodum & mihi feciſti ſecundum illud, Miſericordia tua Domine magna eſt ſuper me. Et verè, quia à peccato homicidij & adulterij me liberaſti: ſicut & Mariæ Magdalenæ prætendiſti, quia credidit firmiter. 11.

miter. *Luc.*7. Dicit autem ad mulierem : Fides tua te ſaluam fecit,vade in pace.Sine fide enim non aſſequitur quis abũdantiam miſericordiæ. *Iſa.*27. Populus non ex ſapiens. Idcircò non miſerebitur eius qui fecit eum. Et prætende *iuſtitiam tuam*, gloriam, quæ ex iuſtitia promiſſi tui datur iis, qui recto ſunt corde, id eſt, qui ſuam voluntatem conformant voluntati diuinæ, & in aduerſis & in proſperis. *Auguſtin.* Bene eſt tibi in ſæculo, benedicatur Deus, qui conſolatur in ſæculo : laboras in ſæculo, benedicatur Deus, qui emendat in ſæculo, & ſic eris recto corde. *Pſal.* Rectos decet collaudatio, illa de qua *Matth.* 25. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum.

Deus variis modis ſcitur.

Et nota, quòd ſunt ſcientes Deum naturali inquiſitione, ſicut Philoſophi. Ad *Roman.*1. Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas. Hi propter ſuperbiam ſuam excluſerunt à ſe miſericordiam.Ad *Rom.*1. Qui cum Deum cognouiſſent,non quaſi Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. Item quidam ſciunt eum manifeſta viſione.1.ad *Cor.*13. Tunc cognoſcam, ſicut & cognitus ſum. Hi non indigent miſericordia, quia carent miſeria. *Apocal.* 8. Abſterget Deus omnem lachrymam, &c. Item ſunt, qui ſciunt eum fide non formata, de quibus *Iacob.* 2. Tu credis, quoniam vnus eſt Deus, bene facis, & dæmones ſciunt & contremiſcunt. His non prætenditur miſericordia, ſed miſeria. *Iob* 3. Quare miſero data eſt lux ? Item ſunt qui ſciunt Deum ex dilectione intima. 1. *Ioan.* 3. Omnis qui diligit, ex Deo natus eſt. Talibus prætenditur miſericordia. *Exod.*2. Ego Dominus faciens miſericordiam in millia, his qui diligunt me.

12. *Non veniat mihi pes ſuperbiæ.* Hîc orat pro malis amouendis : & dicuntur duo. Primò petitio. Secundò petitionis ratio, ibi, *Ceciderunt.* In prima duo.Primò petit vt nõ peccet propria elatione. Secundò vt non peccet alterius ſuggeſtione. *Et manus.* Dicit ergo : Hæc rogaui quæ magna ſunt:& quia de magnis ſolet oriri ſuperbia, rogo ne *veniat mihi pes ſuperbiæ*, id eſt, affectio ſuperba. Affectio enim pes eſt: per ipſam enim eſt acceſſus ad Deum, & receſſus : ſed per ſuperbiæ affectionem longe itur, per affectionem humilitatis propinquatur.

Et manus, id eſt, tentatio impulſiua, *peccatoris*, hoc eſt, diaboli, *non moueat me*, ſecundum illud : Qui tribulant me, exultabunt ſi motus fuero. Hæc duo tangit in alio *Pſal.* Ab occultis meis munda me Domine, &c. Et nota ordinem : Ille qui ſuperbit, citò mouetur ad manum peccatoris. *Auguſt.* Serua quod intus eſt, & non timebis foris.

Nota.

Et nota, quòd dicit, *pes* in ſingulari, non pedes, quia citius cadit qui vno pede innititur, quam qui duobus. *Ierem.*50. Cadet ſuperbus, & corruet. Et nota, quòd bene orat contra ſuperbiam : hoc enim malum cæteris eſt grauius. *Auguſt. ſuper Pſal.*18. Vere ſuperbiâ non eſt maius peccatum, & ipſa maximum. Quid enim maius, quàm apoſtatare à Deo? Quaſi dicat : Nihil. *Iob* 31. Si oſculatus ſum magnum meam ore meo, quod eſt iniquitas maxima. Item cæteris odibilius. *Eccl.*10. Odibilis eorum Deo & hominibus omnis ſuperbia. Item cunctis incurabilius. *Auguſt. de libe. arb.* Superbia eſt, qua vno vitio omnis reſpuitur medicina. *Ierem.*15. Quare factus eſt dolor meus perpetuus, & plaga mea deſperabilis? Et reſpondet : Et renuit curari. Nec ſolum non curatur,ſed etiam augmentatur. *Pſal.* Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper.

Grauitas peccati ſuperbiæ.

Nota etiam, quod manus diaboli impellit in tentatione. *Pſal.* Impulſus euerſus ſum vt caderem, & Dominus ſuſcepit me. Mouet in conſenſu & opere : de qua commotione. *Ier.*4. Vidi montes, & ecce mouebantur. Montes ſunt in Eccleſia magni. Ligat in conſuetudine. *Prouerb.*5.Funibus peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur. *Auguſt. lib. Confeſſ.* Violentia conſuetudinis animus etiam inuitus trahitur, & tenetur. Præcipitat in morte. *Ierem.*22. Succident electas cedros tuas, & præcipitabunt in ignem. Nec petit iſte contra primum, ſed contra ſecundum : tentari enim non eſt malum,ſed moueri.

Ibi ceciderunt. Hîc ratio petitionis duplex, ſcilicet ne contingat cadere in culpam. Secundò ne vlterius in pœnam, ibi, *Expulſi ſunt.* Et legitur dupliciter. Vel de primis peccantibus, vt Adam & diabolo, vel de eorum ſequentibus. Primo modo : Sic rogo vt mihi caueas à ſuperbia, & rectè rogo hoc,quia ibi *ceciderunt*, tanquam de alto dæmones de cœlo, homo de terreſtri paradiſo. 2. *Petr.* 2. Deus peccantibus Angelis non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reſeruari:hoc quantum ad diabolum. Et quantum ad hominem ſubdit : Et originali mundo non pepercit, &c. Originalis mundus fuit in Adam. *Iob* 20. Si aſcenderit in cœlum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit. 13.

Qui operantur iniquitatem. Non dicit : Qui operati ſunt, quia adhuc non ceſſant operari. De dæmonibus enim dicitur, Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper. De hominibus 1.*Ioan.*1. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, &c. *Prou.* 23. Septies in die cadit iuſtus, & reſurgit.

Expulſi ſunt,in pœnam de loco ſuo.*Nec potuerunt ſtare*, completa omnino expulſione, non tantum quin caderem, ſed & nunc quin peccem. *Iob* 9. Qui reſtitit ei, & pacem habuit ? Et infra : Deus cuius iræ reſiſtere nemo poteſt. Secundo modo legitur de Philoſophis ſic : *Non veniat mihi pes ſuperbiæ*, &c. quia ibi, hoc ſcilicet pede vno ſuſtentati. *Pſal.* Recedite à me qui operamini iniquitatem, non quod habeant Dei ignorantiam,ſcilicet Philoſophi.Ad*Rom.*1.Cum cognouiſſent Deum,non ſicut Deum glorificauerunt,aut gratias egerunt: ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis. *Ceciderunt*, in ignorantiam miſeram idololatriæ. Ad *Rom.*1. Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis, &c.

Expulſi ſunt. Pro facto habetur,id eſt, expellentur : quoniam audient illam vocem : Ite maledicti,

ledicti, &c. *Nec potuerunt*, id est, non poterunt, *stare. Cassiod.* Non illis licebit Domini iussa differre, sed statim præcipitabuntur ab Angelis, vbi parata est illis flamma gehennalis. *Naum 5.* Ante faciem indignationis eius quis stabit? aut quis resistet ei? *Psal.* Tu terribilis es, & quis resistet tibi, &c.

Et nota in istis versibus quatuor, continuum quasi casum operantium iniquitatem. Primum est pedis infirmitas, scilicet inflatura superbiæ in affectu. 1. ad *Corinth.5.* Et vos inflati estis: & non magis luctum habuistis. Secundum, manus impellentis, scilicet potestas diaboli, qui quantum potest, impellit. *Iob 15.* Non est potestas super terram quæ ei valeat comparari. Vel manus impellentis, superior potestas: Prælatus enim peccans, multum mouet subditos ad peccandum. *Eccles.10.* Secundum iudicem populi, sic & minister eius: & sicut rector ciuitatis, sic habitantes in ea. Tertium, oculorum tenebrositas. *Soph.1.* Ambulauerunt vt cæci, quia peccauerunt Domino. Quartum, imbecillitas libertatis, scilicet pronitas vitæ nostræ ad malum. *Genes.8.* Sensus & cogitatio hominis prona sunt ad malum ab adolescentia sua. *Thren.4.* Lubricauerunt vestigia nostra in itinere omnium platearum, à quibus nos custodiat, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

IN XXXVI. PSALMVM.

Psalmus Dauid.

1. *Argumẽtum Psalmi, non inuidendum peccatorum prosperitati.*

Noli æmulari in malignantibus. Hic est Psalmus trigesimus sextus. Postquam enim in Psalmo præcedenti ostensum est mala esse ab homine malo, bona à Deo, sequitur quod non est bona agere, nisi Deo adhærendo, & à malis recedendo, & mutatione malorum. Vnde dicit *Cassiod.* Totus Psalmus 36. ad mores corrigendos proponitur, & scribitur per Alphabetum Hebraïcum sed imperfectum. Deficit enim sexta litera hain, sicut Psalmus 24. Ad te leuaui animam meam. Deficit autem litera hain quæ interpretatur, fons sum oculis, hoc est, fons oculorum, ad innuendum quod de talibus agit Psalmus, & talibus loquitur qui non habent fontem lachrymarum vt plorent tanquam perfecti pro suis & aliorum peccatis, sicut perebat *Ierem.11.* Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lachrymarum, vt plorem interfectos populi mei?

Vtilitas huius Psalmi.

Et notandum, quòd secundum *Cassiodor.* Psalmus iste est quasi vestis, corpus Christi mysticum tegens veste virtutibus contexta, secundum illud *Eccles.17.* Vestiuit illum secundum se virtute. Secundum *August.* est potio curans morbidos & infirmos, illos scilicet qui aliorum inuident prosperitati, de quorum morbo. *Iob 15.* Paruulum occidit inuidia. Sed hunc morbum curat hic *Psal. Prou. 6.* Neque herba, neque malagma sanauit eos, sed omnipotens sermo tuus Domine qui sanat omnia.

Titulus autem præpositus huic Psalmo communis est, & supra frequenter expositus: non enim habet nisi hunc titulum: *Psalmus Dauid.*

Diuisio Psalmi iuxta tria genera hominum, infirmos instruit, malos damnat, bonorum sortem laudat.

Diuiditur autem in tres partes. Cum enim propriè agat de imperfectis instruendis, qui de malorum prosperitate mouentur, & malos volunt imitari vt eam habeant: intellige tria hominum genera, malos prosperantes, bonos aduersa ab eis sustinentes, medios & quasi infirmos inter vtrosque vacillantes. Tria ergo dicuntur in *Psal.* Primò vacillantes informat. Secundò statum malorum vituperat, vt ab illo resiliant, ibi, *Obseruabit peccator iustum.* Tertiò statum bonorum multipliciter commendat, vt illum appetant. *Apud Dominum gressus hominis.* In prima duo. Primò docet vacillantes, quòd caueant inspecta malorum prosperitate. Secundò, quòd vitent perpessa ab eis in aduersitate, ibi, *Desine ab ira.* In prima tria. Primò docet simpliciter intelligentiam. Secundò persuadet efficaciter, ne moueat voluntatem, ibi, *Quoniam tanquam fœnum.* Tertiò repetit & inculcat, vt relinquat dictorum memoriam, ibi, *Noli æmulari in eo.* In prima duo. Primò monet, vt non indignemur, si prosperitate careamus quam habent mali. Secundò ne malos imitemur vt ipsam habeamus.

Dicit ergo: O infirme, *noli æmulari*, indignari scilicet, & offendi, *in malignantibus*, cum floruerint in bonis temporalibus, cum sint tamen malignantes, malo scilicet cupiditatis igne ardentes, & igniti secundum illud *Isa.9.* Succensa est quasi ignis impietas.

Neque zelaueris, amando, imitando, *facientes iniquitatem. Glossa*, Qui bonos perimunt, secundum illud *Sap.2.* Venite, opprimamus pauperem iustum iniustè. Et nota, quòd primò dicit malignantes, quod respicit ad interiorem voluntatem: deinde facientes iniquitatem, quod respicit ad exteriorem operationem. Primò est enim mala voluntas interior. Secundò exterius exerit seipsam. *Ierem.9.* De malo, interiori, ad malum, exterius egressi sunt. Tales monet non imitari: quia sicut dicit *Cassiod.* Multos sollicitat cohors nefanda. Ideò *Prou.1.* Fili mi, non ambules cum eis. Et nota hîc, quòd æmulari multos habet sensus in Scriptura sacra secundum illum versum.

Æmulus inflatur, amat, inuidet, ac imitatur. Inflatur indignando, sicut hîc. Amat. 1. ad *Corinth.12.* Æmulamini charismata meliora. 2. ad *Corinth.10.* Æmulor enim vos Dei æmulatione. *Inuidet. Num.11.* Quid æmularis pro me? 1. *Reg.1.* Affligebat eam æmula eius. Imitatur. *Prouerb.3.* Ne æmuleris hominem iniustum, nec imiteris vias eius.

2. *Quoniam tanquam fœnum.* Hîc secundum, efficax persuasio à duobus. A prosperantium deficientia. Secundò ab imitantium sufficientia. *Spera in Domino.* In prima duo. Primò ostenditur velox deficientia nobilium. Secundò etiam mediocrium. *Et quemadmodum olera*, vt fiat differentia inter fœnum & olera. Si enim accipiuntur pro eodem, potest legi: Sic dixi, vt non æmuleris, nec imiteris malos: *quoniam velociter arescent. Psal.* Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos. *Luc.12.* Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te. Et hoc, *tanquam fœnum*, quod ad modicum ardorem solis statim arescit. *Iob 4.* Quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra. *Psal.* Fiant sicut

fœnum

fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur, exaruit. *Matth.*6. Fœnum agri hodie eſt, & cras in clibanum mittetur. Similiter *Eccleſ.*10. Rex hodie eſt, & cras morietur.

Et quemadmodum olera herbarum citò decident. Repetitio eſt eius quod dictum eſt. Et dicit *citò*, quod dicit tempus proximum, ſed incertum: quia *Matth.*24. De die autem illa & hora, nemo ſcit, de die ſcilicet mortis ſuæ. *Vita huius felicitas herbæ comparatur.* Nota ergo, quòd his comparantur proſperantes in hac vita. Ratione radicationis: herba enim non habet radices altas. Sic nec mali. *Sapient.*6. Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas. Non ſic illi de quibus ad *Epheſ.*3. In charitate radicati, & fundati. Item ratione arefactionis. Herba enim ante ſolis ardorem vireſcit, ſcilicet vere, ſed appropinquante ſole calido, ſcilicet æſtate totum areſcit. Sic mali nunc virent remoto ſole iuſtitiæ: ſed ipſo adueniente in iudicio, totaliter areſcent. *Iob* 8. de ſcirpo: Antequam veniat ſol, vſtus eſt, & ante omnes herbas areſcit, veniente ſole. *Iſa.*30. Ecce nomen Domini veniet de longinquo, ardens furor eius, ſed tunc de iuſtis è contrario implebitur illud. *Pſal.* Iuſtus vt palma florebit. Item ratione velocis caſus: ſtatim enim ad modicum flatum decidit herba. Sic mundi glorioſi tanquam flatu diuina ſententia exiccantur. *Iſa.*40. Exiccatũ eſt fœnũ, & cecidit flos, quia ſpiritus Domini ſufflauit in illud. Vel per herbas quæ virẽt naturaliter, nobiles in mundo poſſunt intelligi. Olera autem herbarum, non hortorum, quæ ſunt ad cibum hominum, mediocres ipſis nobilibus inferiores. Omnes areſcent, omnes citò in mortem decident, quantacumque fœlicitate. 2. *Reg.*14. Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur quæ non reuertuntur. *Prouerb.*10. Anni impiorum breuiabuntur.

3. *Spera in Domino.* Hîc perſuadet à ſufficientia nolentium imitari malos: oſtendit enim, quòd habebunt illa tria, propter quæ appetuntur temporales diuitiæ. Primum eſt vitæ temporalis neceſſaria. Secundum, cordis lætitia, ibi, *Delectare in Domino.* Tertium, excellens gloria, ibi, *Et educet.* In prima duo. Primò bonorum non imitantium malos meritum. Secundò præmium. *Et paſceris.* In prima duo. Primò confidentia. Secundò ratio confidentiæ. *Et fac benignitatem.* Ait enim. Sic illis, ſed tu ipſis dimiſſis, *ſpera in Domino*, non in vanis rebus huius mundi. *Eccleſ.* 2. Vidi in omnibus vanitatem, & nihil permanere ſub ſole. Sed Deo dicitur alibi in *Pſal.* Tu autem idem ipſe es, & anni tui, &c.

Et fac bonitatem. Hîc ratio confidentiæ ex duobus: ex bonis operibus, ſine his enim non valet ſpes: & conuictu cum fidelibus Eccleſiæ. *Et inhabita terram.* Ait enim: *Sic ſpera*: ſed quia ſpes præſumptio eſt ſi ſit ſine meritis, *fac bonitatem.* Sicut enim fides ſine operibus mortua eſt. *Iacob.* 2. Ita & ſpes. *Pſal.* Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino. Et dicit, *fac bonitatem*, non bonum: tantum enim bonum facit quis frequenter, non intendens, nec volens: ſed bonitatem, qui quod facit intendit. Et dicit, *fac*, loquens homini tanquam agro exculto, qui debet facere bonum fructum. 1. ad *Corinth.*3. Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis. Sed quia iterum bona non valent extra Eccleſiam, addit, *Et inhabita terram*, id eſt, Eccleſiam. *Deuter.*16. In loco quem elegerit Dominus Deus tuus, inuocabis. Bona terra & fictilis Eccleſia: hæc eſt enim de qua *Geneſ.*26. Habitauit Iſaac in terra illa, & inuenit in ipſo anno centuplum. *Extra Eccleſiam nulla bonitas.*

Quid ſit facere bonitatem.

Et paſceris in diuitiis eius, temporalibus ad literam. *Pſal.* Non vidi iuſtum derelictum. *Pron.* 12. & 14. Qui operabitur terram ſuam, ſatiabitur panibus. *Diuitiæ Eccleſiæ.*

Vel ſpiritualiter *in diuitiis eius* paſcuntur vſque ad ſatietatem, dicit *Gloſſa*, & ſuauitatem. Primò in diuitiis Euchariſtiæ eodem vtens cibo, quo Angeli, etſi alio modo. *Pſal.* Panem Angelorum manducauit homo. *Sap.*12. Panem de cœlo præſtitiſti eis, omne delectamentum in ſe habentem, & omnem ſaporis ſuauitatem. Vel in diuitiis ſcripturæ, quæ ſunt diuitiæ Eccleſiæ. *Iſa.*33. Diuitiæ ſalutis ſcientia & ſapientia. Et hæ diuitiæ paſtus ſunt. *Matth.* & *Luc.* 4. Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. *Caſſiodor.* O paſtus mirabilis, non corporis defectiua refectio. Cibus autem hic, quamuis ſatiet, famen tamen ſemper exaggerat. *Eccl.*24. Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient.

Delectare in Domino. Hîc ſecundum, quòd peruenient ad cordis lætitiam & deſideria. 4. Et primò tangitur quo merito iuſti ad hanc perueniunt. Secundò quomodo etiam iniuſti, ibi, *Reuela Domino.* Et in prima primò tangit meritum. Secundò ſubiungit præmium. *Et dabit tibi.* Continua ergo ſecundum *Auguſt.* primò ſic: Dixi, quòd *paſceris in diuitiis eius.* Si quæris in quibus diuitiis? Reſpondet Deus, quia *delectare* contemplando, *in Domino*, non in alia re, & ſtatim *dabit tibi* hoc merito *petitiones cordis tui. Auguſt.* Diſcerne petitiones cordis à petitionibus carnis. Petit caro oculos aperiri ad videndam lucem iſtam materialem: petit cor reparari & augeri pacem ſpiritualem, vt videat lucem quæ Deus eſt, & ſic fieri beatum. *Matth.*5. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Vel ſic: Excole terram, ſanctifica, & fac bonitatem: nec tamen complaceas in te, ſed *delectare in Domino*, tanquam faciente omnia bona in te, & pro te. 1. ad *Corinth.* 3. Neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Quod ſi feceris, *dabit tibi petitiones cordis tui*, quia humilibus nihil negat eorum, quæ deſiderant. *Iudith.*9. Non ſuperbi placuerunt tibi ab initio, ſed humilium & manſuetorum tibi ſemper placuit deprecatio. Petitiones autem cordis ſunt æterna bona. *Pron.* 19. Humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria.

Ad hanc autem tam fructuoſam delectationem tripliciter peruenitur. Primò, omne genus voluptatis alterius abdicando. *Bernard.* Delicata eſt diuina conſolatio, quæ non conceditur alienam admittentibus. *Auguſt.* Si quando fueris talis, vt nihil te prorſus terrenorum delectet, crede mihi, eodem puncto temporis *Ad obtinendum ſpirituale gaudium tria neceſſaria.*

videbis quod cupis. Secundò ſibiipſi penitus abrenuntiando, vt omnis voluntas propria abiiciatur. *Iſa.*50. Dum non facis vias tuas, & inuenitur voluntas tua, vt loquaris ſermonem, tunc delectaberis ſuper Domino. Tertiò Deum iugiter recolendo. *Pſal.* Memor fui Dei, & delectatus ſum.

5. *Reuela Domino.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit quo merito peruenient etiam iniuſti ad cordis deſideria, vnde primò tangit meritum. Secundò ſubiungitur præmium. *Et ipſe faciet.* Duo conferunt ad meritum. Primò peccati confeſſio. Secundò confeſſio de adiutorio. *Et ſpera.* Ait ergo: Sic ſi bona facis, in Domino delectare: & ſi iniuſtus adhuc, *reuela Domino*, quem nihil latet. Ad *Hebr.*4. Omnia nuda & aperta ſunt oculis eius. *Reuela* ergo, non ipſum inſtruendo, ſed humiliter confitendo, *viam tuam*, id eſt, miſeram vitam tuam, & cordis anxietatem. Reuela quod pateris, reuela quod quæris. *Auguſt.* Quod pateris: Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum. Ad *Galat.* 5. Infelix ego homo quis me ſeparabit de corpore mortis huius? Contra multos qui erubeſcunt tentationem carnis confiteri, cum Paulus apertè dicat. 2. ad *Corinth.*12. Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus ſathanæ, &c. Et bene *tuam*, quia tectus es illa vili vita tua, tanquam tegumento. *Caſſiodor.* Velum eſt quoddam denſitas peccatorum: vnde via, id eſt, vita noſtra tenebroſi amictus circundatione veſtita eſt. *Pſal.* Operti ſunt inquitate & impietate ſua. Item reuela *tuam*, non alienam, ſicut aliena peccata confitentes, vel confeſſiones detegentes, de quibus *Eccleſ.*28. Qui denudat arcana amici, fidem perdit. Et infra: Denudare amici myſteria deſperatio eſt animæ infelicis.

Et ſpera in eo, remiſſionem peccatorum te habiturum. *Et ipſe faciet*, quod ſperas, ſubperaddens æternum. *Matth.*3. Agite pœnitentiam, cuius prima pars eſt confeſſio, & appropinquabit regnum cœlorum.

Pœnitentia debet eſſe cum ſpe. Nota ergo, quòd pœnitentia debet eſſe cum ſpe certa, & primò propter immenſitatem diuinæ miſerationis. *Eccleſ.*2. Secundum magnitudinem illius, ſic & miſericordia eius. Sed in Pſalmo dicitur, quod magnitudinis eius non eſt finis. Secundò propter pretium redemptionis: quis enim tam carè emptum, & poſt perditum, ſi reuertatur, reſpuit & abiicit, & non magno cum gaudio recipit? 1. ad *Cirinth.* 6. Empti enim eſtis pretio magno. Cum autem peccamus, perdimur: & cum pœnitemus, reuertimur, & ipſe non reciperet nos? *Luc.*15. Pater occurrit lætanter filio reuertenti. Tertiò ne fiat totus labor pœnitentiæ inanis: ſi enim non adſit ſpes, totum perditum eſt, ſicut in Cain *Geneſ.*4. & in Iuda *Matth.*27.

6. *Et educet.* Hîc tertium, in quo oſtendit, quod non carebit excellenti gloria: & tangitur primò præmium. Secundò meritum. *Subditus eſto.* In prima duo. Primò bonorum electio. Secundò certa cognitio eligendorum. *Et iudicium tuum.* Dicit ergo: Dixi, quòd ipſe faciet, *& educet quaſi lumen iuſtitiam*, de occulto ad manifeſtum ducet *iuſtitiam tuam*, fidem ſcilicet qua iuſtificatus eſt. Ad *Roman.*3. Iuſtificari per fidem arbitramur. Modò enim occultatur in corde & latet, ſecundum quod dicitur 1. ad *Corinth.* 2. Quis ſcit quæ ſunt hominis? Sed Deus ipſe manifeſtabit 1. ad *Corinth.*4. Illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. Sic quod eſt in aſpectu bonum, omnibus manifeſtabit.

Et iudicium tuum, diſcretionem ſcilicet, qua magis eligis ſequi Chriſtum quem non vides, quam illa quæ vides, *tanquam meridiem*, educet in operto omnibus, quia iſta vita tota tenebroſa. *Auguſt.* In hoc ſæculo quaſi nox eſt. *Pſal.* Collocauit me in obſcuris quaſi, &c. *Exod.*10. Tenebræ horribiles factæ ſunt ſuper vniuerſam terram Ægypti, hoc eſt, in hoc mundo, tribus diebus & tribus noctibus, ſcilicet ante legem, ſub lege, & in tempore gratiæ: & nemo vidit fratrem ſuum, ſcilicet interius cognoſcendo, ſed tantum ex quadam coniectura exteriùs. 1. ad *Corinth.* 13. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem, &c. *Iob* 11. Quaſi meridianus fulgor conſurget tibi ad veſperum. Quod vt poſſis,

7. *Subditus eſto Domino*, bona opera humiliter faciendo, & præcepta adimplendo, quia 2. *Machab.*9. Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire.

Et ora eum, ore & corde, donec det promiſſa. *Luc.*14. dicebat eis, Quoniam oportet eos orare ſemper, & nunquam deficere. *Iacob.*5. Multum valet deprecatio iuſti aſſidua. *Caſſiod.* Ecce humanæ vitæ regula, bene agere, & orare. Primum quoad actiuam, ſecundum quoad contemplatiuam. Et nota, quòd humilis debet eſſe oratio. *Eccleſ.*35. Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit. Si enim ſuperba ſit, præ grauedine aſcendere non poteſt, ſed deſcendet. *Gregor.* Oratio bona & laudabilis cum elatione non eleuat, ſed grauat.

Noli æmulari. Hîc tertium, in quo prædicta memoriæ commendat. Primò vt non indignetur de eorum proſperitate qui mali ſunt. Secundò deſcribitur eorum malitia. *Et in homine faciente iniuſtitias.* Ait enim: *Noli æmulari*, & indignari, *in eo qui proſperatur in via ſua*, non Dei, quam recuſat. *Iob.*21. Dixerunt Deo: Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. Sed eius via eſt lata, quæ ducit ad mortem.

In homine faciente iniuſtitias, quod ſequitur ex abundantia & proſperitate. *Eccleſ.* 11. Si fueris diues, non eris immunis à delicto. *Mich.*6. Diuites eius repleti ſunt iniquitate. Vel, *noli æmulari*, id eſt, proſperitas malorum non te moueat, vt muteris: quia illa vtitur diabolus ad fallendos bonos. *Pſal.* Sedet in inſidiis cum diuitibus in occultis. *Neque in homine facente iniuſtitias*, hoc eſt, iniuſtitias quas faciunt pauperibus, nunquam facias, neque illis conſentias, vt de te dici poſſit illud 2. *Reg.*14. Sicut Angelus Domini, ſic eſt Dominus meus Rex, vt benedictionibus nec maledictionibus moueatur. *Eccleſiaſt.*5. Eſto firmus in via Domini, vt nec manu peccatoris, hoc eſt, dæmonis ſiniſtra, ſcilicet aduerſitatibus, nex dextera, ſcilicet proſperitatibus mouearis, tanquam ille in quo Deus ve-

racitet

raciter eſt. *Pſal.* Deus in medio eius non commouebitur.

In omni peccato triplex iniuſtitia. Et nota, quòd dicit, faciente iniuſtitias, non iniuſtitiam: quia omnis peccans per mortale peccatum, iniuſtitiam facit triplicem. Primò enim peccat contra Deum, cum aufert quod creauit & redemit. *Deuter.* 32. Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui. 1. ad *Corinth.* 6. Empti enim eſtis pretio magno. Contra ſeipſum, cui aufert Dominum. *Iſa.* 59. Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum. Contra proximum cui aufert orationum ſuarum ſuffragium. *Thren.* 3. Oppoſuiſti nubem, ne tranſiret oratio.

8. *Quid infirmo agendũ in aduerſis.* *Deſine ab ira.* Hic ſecundum: poſtquam enim docuit qualiter ſe debeat habere infirmus viſa malorum proſperitate, oſtendit ſecundò qualiter habere ſe debet in perpeſſa ab illis aduerſitate: tunc enim ira vitanda eſt. Duo ergo dicuntur. Primò admonitio, vt caueat ab ira cum à malis ſuſtinet aduerſa. Secundò ratio quare debet cauere, ibi, *Quoniam qui malignantur.* In prima monet tria. Primò vitare iram ſimpliciter. Secundò iram diuturnam & immoderatam. *Et derelinque furorem* Tertiò iram in effectu, ſcilicet vindictam. *Noli æmulari.* Legitur autem dupliciter. Primò ſecundum quod ex ſola proſperitatis viſione creantur iſta, ſic: Sic monui: & tu ergo videns malum proſperari in temporalibus, *deſine ab ira*, ſcilicet momentanea, *& derelinque furorem*, iram ſcilicet vehementem & diuturnam. Quaſi diceret: Nec modicum nec multum mouearis de illorum proſperitate, quod valde difficile eſt: Dauid enim ipſe, cuius eſt hæc doctrina, de ſe dicit: Mei autem penè moti ſunt pedes, quantum ad iram momentaneam: pene effuſi ſunt greſſus mei, quantum ad perſeuerantem: quia zelaui ſuper iniquos. *Noli æmulari vt maligneris*, quantum ad ipſorum impetitionem. *Caſſiodor.* Vt nequitias facias. Secundo modo & ſecundum diuiſionem dictam ſic: Si tibi nocent florentes mali, *deſine ab ira*, vt ſuprà, *& derelinque furorem*, vt ſuprà. Quaſi etiam diceret: Si parum vel multum tibi neceſſe eſt vt vituperes, tamen ſuſtine patienter. 2. ad *Corinth.* 6. In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia. *Noli æmulari vt maligneris*, malum contra ipſum perpetrando, vel contra alium. *Prou.* 2. Noli æmulari hominem iniuſtum, nec imiteris vias eius.

Remedia contra inuidiam de malorum felicitate. Nota, quòd vt non iraſcaris de malorum proſperitate, primò attendere debes tuam dignitatem. Deus enim habet filium naturalem ſibi dilectiſſimum. *Matth.* 4. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Et ſeruum viliſſimum, ſcilicet peccatorem. Sed filius ille in hac vita non proſperatus eſt. *Auguſt.* Vide Chriſtum multa paſſum, nunquam proſperatum. *Prouerb.* 15. Omnes dies hominis pauperis, id eſt, Chriſti mali. Seruo autem viliſſimo dat multa bona. *Ierem.* 12. Via impiorum proſperatur. *Iob.* 12. Abundant tabernacula prædonum. Fac ergo te ſocium filij, non ſerui. Non debes iraſci. 1. ad *Corinth.* 1. Vocati eſtis in ſocietatem filij eius, Domini noſtri Ieſu Chriſti. Attende ſecundo tuam remunerationem. 1. ad *Corinth.* 1. Scientes, quoniam ſicut ſocij paſſionis eſtis, ſic eritis & conſolationis. *Luc.* 22. Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tribulationibus meis: & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum. Item attende magnitudinem offenſionis. Grauiſſimum enim peccatum eſt blaſphemare. *Matth.* 12. Spiritus blaſphemiæ non remittitur. Sed iraſci de malorum proſperitate, eſt quaſi blaſphemare. Vnde ſuper illud *Abac.* 1. Quare taces ſuper impio conculcante meliorem ſe? *Hieronym.* Vide quam temeraria vox eſt, & quaſi quodam modo blaſphemantis.

Quoniam qui malignantur. Hìc ponit rationes probantes, quare debet ſuſtinere, non iraſci. Et primò à diuina vltione. Secundò à bonorum remuneratione. *Suſtinentes autem Dominum.* Tertiò à perſequutionis breuitate. *Et adhuc puſillum.* Quartò à remunerationis magnitudine, ibi, *Manſueti autem.* Dicit ergo: Noli æmulari vt maligneris. *Quoniam qui malignantur, exterminabuntur* à Deo. Ecce pœna. Secundum *Caſſiodor.* Maligni ſunt, qui malitiæ votum in opus peragunt. Exterminari autem eſt ſecundum *Caſſiodor.* extra terminos proiici, id eſt, ab illa Dei ciuitate fraudari, ſecundum illud 1. ad *Corinth.* 6. Nec auari, nec ebrioſi, &c. regnum Dei poſſidebunt. 9.

Exterminabuntur autem maligni, quoniam extra terminos terræ quam gerimus, proiicientur. *Pſal.* Exibit ſpiritus eius. *Eccleſ.* 8. Non eſt in hominis ditione prohibere ſpiritum, nec habet poteſtatem in diem mortis, ſcilicet ad ipſum elongandum. Item extra terminos terræ quam terimus. *Prouerb.* 2. Impij de terra tollentur, & qui iniquè agunt, auferentur ex ea. Item extra terminos terræ quam quærimus, ſcilicet terræ viuentium. *Pſal. Expelle eos* quoniam irritauerunt te Domine. Quia *Eccl.* 13. Quæ communicatio ſancto homini ad canem? *Apoc. vlt.* Foris canes, & venefici. Item expelletur impius de terra media, quia non remanebit in ſe, nec in hærede, nec in recordatione. In ſe. *Iob* 18. Expellet eum de luce ad tenebras, & de orbe transferet illum Deus. De ſecundo *Iob* 18. Non erit ſemen eius, neque progenies. De tertio in eodem, Memoria eius pereat de terra, & non celebretur nomen eius in plateis.

Et adhuc puſillum. Hìc ſumitur ratio ad perſuadendum, à breuitate perſequutionis: & dicuntur duo. Primò breuis duratio perſequentis. Secundò perſequutionis. *Quæres locum eius.* Dicit ergo: Sic præmiaberis ſi ſuſtinueris. Nec dicas: Multum me ſuſtinere oportet, quia *adhuc puſillum* tantum, *& non erit peccator.* Totum enim quod tranſit, tanquam nihil eſt reputandum. *Auguſt.* Vide vitam non eſſe diuturnam, quæ ſic aduolauit. *Pſal.* Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt. 10.

Quæres locum eius, id eſt, vtilem eius vſum ad iuſtum affligendum, *& non inuenies*, quia alibi in *Pſal.* Non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum. *Iob* 20. Qui eum viderant, dicent, Vbi eſt? Quaſi ſomnium auolans non inuenietur. Secundum ergo viſum

ſum iſtum vita impiorum breuis eſt. 1. *Mach.* 2. Hodie extollitur, & cras non inuenietur. Hoc autem facit Deus triplici ratione. Primò, ne boni per impatientiam deficiant. Mali enim ſunt flagellum quo Dominus caſtigat. *Iſa.* 10. Væ Aſſur virga furoris mei, & baculus in manu mea. Ipſe eſt malleus quo format Deus vaſa gloriæ in honorem. *Ierem.* 50. Quomodo confractus eſt, & contritus malleus vniuerſæ terræ? Item ſtimulus quo torpentes ſtimulat. *Ierem.* 46. Vitula elegans atque formoſa Ægyptus: ſtimulator ab Aquilone veniet ei. Mali ergo ſunt baculus, malleus, & ſtimulus. Sed non expedit iam caſtigatos flagellare, iam formatos malleare, ſatis veloces ſtimulare, ne ſurrepat impatientia, & dicant illud *Iob* 6. Quæ fortitudo mea vt ſuſtineam, aut quis finis meus vt patienter agam? *Pſal.* Non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum, &c. Item ne mali propriam damnationem importabilem faciant: ſemper enim augent mala. *Pſal.* Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper. Vnde multum expedit eis parum viuere. *Eccleſiaſt.* 8. Peccator ex eo quod centies faciet malum, & per patientiam ſuſtentatur, ego cognoui, &c. 2. *Machab.* 6. Multo tempore non ſinere peccatoribus male agere, magni beneficij indicium eſt. Item ne ſuo exemplo plures inficiant: diuturna enim proſperitas malorum poſſet trahere bonos ad malum. *Eccleſ.* 8. Quia non profertur cito contra malos ſententia, ideò filij hominum abſque vllo timore perpetrant mala. Et etiam ſuadendo vt ſecum mali eſſent. 1. ad *Cor.* 15. Corrumpunt bonos mores colloquia praua.

Quare felicius impiorum breuis eſt.

11. *Manſueti autem.* Hic ſumitur ratio à remunerationis magnitudine: & tanguntur tria in hoc verſu. Præmij voluptas. *Delectabuntur.* Voluptatis perpetuitas quæ proponitur. *Hæreditabunt.* Et in vtroque tranquillitas. *In multitudine pacis.* Dicit ergo: Sic breuis malorum vita, *ſed manſueti hæreditabunt terram.* Manſueti ſunt ſecundum *Caſſiod.* modeſti, patientes, & mites. Hi *hæreditabunt*, poſſeſſione perpetua, *terram*, viuentium. *Matth.* 5. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.

Et delectabuntur, omni pleni voluptate. *Pſal.* Delectationes in dextera tua vſque in finem. Et hoc *in multitudine pacis*, in vna pace, quæ tamen erit multiplex, quia quot hîc pateris anguſtias & impugnationes, tot inuenies ibi paces. Nunc eſt bellum in corpore ex contrarietate humorum, ex qua morbi, & mors. *Ierem.* 12. Non eſt pax vniuerſæ carni. E contrario in cœlo eſt illa pax, de qua *Auguſt. de ciuitate Dei, lib.* 19. Pax corporis eſt ordinata temperatura partium. Et ſic nec erit morbus nec mors. 1. ad *Corinth.* 15. Oportet mortale hoc induere immortalitatem, & corruptibile hoc induere incorruptionem. Item nunc eſt bellum in ipſa anima: quia ſuperior pars rationis in pluribus contrariatur inferiori: inferior enim aliquando nimium obtemperat carni, ſed ſuperior contradicit. Ad *Rom.* 7. Non quod volo bonum, hoc ago, ſed quod nolo malum, hoc facio. *Iob* 9. Non concedit requieſcere ſpiritum meum. Et, Diuiſum eſt cor eorum. Sed in cœlo plena conſenſio. Facta ſum coram Deo quaſi pacem reperiens, dicit anima. Item nunc eſt bellum hominis cum homine. *Michæ.* 7. Vir fratrem ſuum venatur ad mortem. Et infra: Inimici hominis domeſtici eius. Sed è contra in cœlo omnes concordes erunt. *Iſa.* 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis. De hac *Auguſt.* in eodem quo ſuprà, Pax hominum eſt ordinata concordia. Item eſt bellum hominis cum dæmone. Ad *Epheſ.* 6. Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum. Sed erit ibi pax ab iſtis. *Iſa.* 18. Ponam omnes dilectos à Domino & multitudinem pacis filis tuis. Omnes paces ibi erunt. *Caſſiod.* Pax futuri ſæculi eſt, vbi nihil aduerſum, nihil poteſt eſſe contrarium.

Multiplex in hac vita bellum & in cœlo pax.

Obſeruabit peccator. Hîc ſecunda pars Pſalmi, in qua vituperat ſtatum malorum, vt ab illo mediocres reſiliant: & primò agit contra malitiam impugnantium. Secundò contra abundantiam ſpoliantium alios, ibi, *Melius eſt modicum iuſto.* Tertiò contra potentiam impugnantium vel opprimentium, ibi, *Inimici vero Domini.* In prima duo. Primò agit contra malitiam cordis. Secundò oris. *Gladium euaginauerunt.* In prima duo. Primò tangit malitiam. Secundò fruſtratæ malitiæ pœnam. *Stridebit ſuper eum.* Dicit ergo: Ita in futuro erit pax, ſed nunc eſt pugna: quia *peccator obſeruabit*, occultè inſidiando, *iuſtum*, vt eum alliciat ad malum trahendo, & ei inuidendo. *Sap.* 2. Grauis eſt nobis etiam ad videndum, quoniam diſſimilis eſt aliis, &c. Sic obſeruabant Chriſtum Iudæi. *Luc.* 18. Et ipſi obſeruabant eum. 12.

Et ſtridebit. Hîc fruſtratæ malitiæ pœna, & hæc triplex. Belluina ira. Secundò irriſio diuina. *Dominus autem.* Tertiò damnatio futura. *Quoniam proſpicit.* Dicit ergo: Sic obſeruabit: & ſi non poteſt eum allicere, vel ei nocere, tunc *ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis*, tanquam furens & ſæuiens beſtia. *Pſal.* Peccator videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet. Vt occidat ſi non poteſt ſubuertere. *Prou.* 1. Abſcondamus tendiculas contra inſontem. Si interficere non poteſt, deglutiat totum virum: vnde ibidem, Deglutiamus tanquam infernus viuentem. Sic ſtridebant ſuper Stephanum Iudæi. *Act.* 7.

Dominus autem irridebit. Ecce ſecunda pœna. Quaſi diceret: Sic ſtridebit: *Dominus autem irridebit*, id eſt, irriſibilem faciet, & ab aliis: *irridebit*, fruſtrato conatu eius. *Pſal.* Qui habitat in cœlis, irridebit eos, &c. *Prou.* 1. Ego autem in interitu veſtro gaudebo, & inſultabo. Et bene *irridebit*: quia ſicut dicit *Auguſt. ſuper Ioan.* Deus de peccatore flagellum facit ad corripiendum iuſtum. Vnde bonus proficit, inde malus deficit. Et idem: Corpus tuum premit aduerſitas, illius animum putrefacit iniquitas: quicquid in te proficit, in illum redit: eius perſequutio te facit purgatum, illum reum. Irridetur ergo à Deo, irridetur à dæmonibus. *Abac.* 1. Tyranni ridiculi eius erunt. Item ab hominibus. *Pſal.* Videbunt iuſti & timebunt, & ſuper eum ridebunt, &c. 13.

Et verè irridebit: *quoniam proſpicit* Dominus, *quod veniet dies eius*, Domini ſcilicet, in quo

quo iudicet in illis : & ipſos latet dies illa. *Prouerb.*4. Via impiorum tenebroſa, neſciunt vbi corruant. *Iſa.*.62. Dies vltionis in corde meo, dies retributionis meæ venit. Et vocatur dies Domini propter præſentiam veri ſolis, & eius ortum tunc bonis & malis manifeſtum. *Sap.*5. Sol intelligentiæ non eſt ortus, in vita præſenti, ſed tunc orietur. *Iſa.* 40. Videbit omnis caro quod os Domini loquutum eſt. Item per notiiam poteſtatis : tunc enim innoteſcet poteſtas Domini quæ modo occulta eſt. *Iob* 22. Quaſi nihil poſſet facere Omnipotens, æſtimabit eum. Item propter ſolennitatem, tunc enim maxime coletur & laudabitur Dominus à tota triumphante Eccleſia. *Pſal.* Confitebor tibi in Eccleſia magna. *Oſeæ* 9. Quid facietis in die ſolemni Domini, & in die feſtiuitatis?

Gladium euaginauerunt. Hîc contra malitiam oris : & dicuntur tria. Ptimò ſermonis 14.
præparatio eorum tanquam armorum. Secundò ſermonis abuſio. *Vt decipiant.* Tertiò abutentium iuſta punitio, ibi, *Gladius eorum.* In prima duo. Primò præparatio ſermonis manifeſti. Secundò occulti. *Intenderunt.* Ait ergo : Tales ſunt in corde, & nituntur iuſtum ſubuertere. Si non poſſint, tunc *gladium euaginauerunt peccatores*, id eſt, manifeſta mala protulerunt. *Caſſiodor.* Gladius peccatorum eſt quilibet dolus appetens læſionem. Hunc habent peccatores in corde, tanquam in vagina : ſed hunc euaginant per verba manifeſta & facta. *Matth.* 15. De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia furta. Sed ſic non proficiunt.

Intenderunt arcum ſuum, vt latenter ſagittent incautum. *Pſal.* Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, peccauerunt, &c. *Ier.* 9. Extenderunt linguam ſuam quaſi arcum mendacij. *Pſal.* Intenderunt arcum rem amaram. *Oſeæ* 7. Facti ſunt ſicut arcus doloſus. Gladius hic peccatorum poteſt dici peccatum. *Eccleſ.* 21. Quaſi romphæa bis acuta omnis iniquitas. Hunc gladium peccator fabricat quando malum in corde cogitat. Sed perficit cum facere conſentit. *Eccleſ.*11. Attende tibi à peſtifero, fabricat enim mala. *Geneſ.*4. Tubalcain malleator, & faber in omni opere æris & ferri. Sed hunc gladium euaginat, quando peccatum ſuum aliis iactat, vel loquitur vt idem ſuadeat. *Pſal.* Gladius in labiis eorum, quoniam quis audiuit? Talia enim audire multis placet, & propter hoc illa referunt indifferenter. Sed idem perficit & incutit, quando alios admonitione ſua, & exemplo ad culpam trahit. *Iob* 24. Mane primo conſurgit homicida, & interficit egenum, & pauperem. Tali debet dici illud *Matth.*26. Mitte gladium tuum in vaginam.

Vt decipiant pauperem. Hîc tangitur verborum abuſio, & primò occultorum. Secundò manifeſtorum. *Vt trucident.* Ait ergo : Intenderunt arcum *vt deiiciant pauperem* iuſtum, qui credit ſe ſibi non ſufficere, *& inopem*, qui caret ope, aliunde niſi à Deo. 2. ad *Corinth.*3. Non quòd ſufficientes ſcimus cogitare aliquid ex nobis, ſed ſufficientia noſtra à Deo eſt. Non ſicut illi de quibus *Apocalypſ.* 3. Dicis quia diues ſum, & nullius egeo. Sed ſecundum conſilium *Eccleſ.*11. Ne dicas, quid mihi opus eſt? Vel *gladium euaginauerunt*, ſup. *vt trucident rectos corde*, Martyres ſcilicet. Ad *Hebr.*11. Secti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt, &c. In hoc quod dicit, *Trucident*, tangit Martyrum pœnam. In hoc quod dicit, *Rectos corde*, tangit pœnæ cauſam : quæ duo ſufficiunt ad martyrium, ſicut dictum fuit ſuprà ſuper *Pſal.*35. Martyrem non facit pœna, ſed cauſa.

Inopes autem & pauperes maximè à diuitibus opprimuntur. Et eſt prima ratio : quia pauper amatoribus mundi eſt odibilis, ſecundum illud *Prouerb.*14. Et proximo ſuo pauper odioſus erit. Et *Eccleſ.* 23. Execratio diuitis pauper. Item quia ad tuendum ſe incautior. *Luc.*16. Prudentiores filij ſæculi, filiis lucis in generatione ſua ſunt. Et ideò contingit eis illud *Iſa.*5. Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam, id eſt, mundanam. Item quia ad defendendum ſe impotentior, & quilibet opprimit eum : nullus adiuuat, ſed diuitem multi. *Eccleſ.*13. Diuiti recepto recuperatores multi. Et infrà, Humilis deceptus eſt, inſuper & arguitur : loquutus eſt ſenſatè, & non eſt datus eis locus. *Eccleſ.*13. Diues iniuſtè egit & fremet : pauper autem læſus tacebit. *Quare pauper à diuite odio habetur & opprimitur.*

Gladius eorum. Hîc tertium, abutentium punitio iuſta, & hæc duplex. Prima, quia ſpiritualiter trucidatur. Secunda, quia à propoſito ſuo fraudatur. *Et arcus eorum.* Dicit ergo : Sic conantur gladio euaginato alium trucidare, ſed *gladius eorum intret in corda ipſorum*, vnde exiuit, vt ipſa corda ſua trucident. *Prou.*1. Ipſi quoque contra ſanguinem ſuum inſidiantur, & moliuntur contra animas ſuas : vnde patet eorum inſania, quia vt aliorum veſtes ſcindant ſcilicet corpora. *Iob* 10. Pelle & carnibus veſtiſti me : ipſi proprias animas necant. 15.

Et arcus eorum, ſcilicet occulta eorum machinatio *confringatur*, id eſt, annihiletur, & fruſtretur, ita vt nihil omninò valeat. *Iob* 5. Qui diſſipat cogitationes malorum, ne poſſint implere quod cœperant. Duo ergo mala illis contingunt, quia intus à ſeipſis occiduntur, & ſuo propoſito fruſtrantur. *Sapient.*11. Duplex illos acceperat tædium & gemitus. Hoc autem optimè fit, vt malum ad ſuam reuertatur originem : ſic enim accidit in omnibus. In ſuperioribus. *Eccleſ.* 1. Oritur ſol, & occidit, & ad locum ſum reuertitur. In inferioribus *Eccleſ.*3. Omnia pergunt ad locum vnum : de terra facta ſunt, & ad terram reuertuntur. In mediis *Eccleſ.*1. Ad locum vnde exierunt flumina, reuertuntur, vt irerum fluant. Meritò ergo ad cor ſuum, vnde exit malitia, reuertitur, ſecundum illud *Matth.* 15. Quæ procedunt de ore, de corde exeunt : vt impleatur illud *Pſal.* Conuertetur dolor eius in caput eius. Et illud *Eccleſ.* 27. Facienti nequiſſimum conſilium, ſuper ipſum deuoluetur. Hoc etiam fit vt rectitudinem æquitatis experiatur malus, ſecundum illud Poëtæ, *Malũ in ſuũ auctorẽ redit, ſicut cætera ad ſuã originem.*

——— *Neque enim lex iuſtior vlla eſt,*
Quam necis artifices arte perire ſua. *Ouid. de arte lib.1.*

1. *Reg.*18. Goliath proprio gladio interfectus eſt.

eſt. Et *Iudith* 13. Holofernes proprio pugione. Item vt Dei poteſtas cognoſcatur, qui malum vertit quò vult,non quò malus intendit. *Iſa.*45. Ego Dominus,& non eſt alius Deus faciens bona, & creans malum, id eſt, ordinans ipſum. *Amos* 3. Si erit malum in ciuitate quod non fecit Dominus, id eſt, ordinauit.

16. *Melius eſt modicum iuſto.* Hîc ſecundũ,in quo agit contra malitiam ſpoliantium, vbi præfert modicitatem iuſtorum abundantiæ ſpoliantium. Primò ſimplici ſermone. Secundò ratione. *Quoniam brachia.* Dicit ergo ſecundum *Caſſiodor.* tanquam pia mater filios conſolando: Si ſpoliatur iuſtus etiam ab impio, nihilominus gaudeat, quia *melius eſt modicum iuſto*, id eſt, paupertas iuſti ipſi iuſto, *ſuper diuitias peccatorum multas*, id eſt, quàm multæ diuitiæ iniuſtorum ipſis iniuſtis. *Prouerb.*15. Melius eſt parum cum timore Domini, quam theſauri magni & inſatiabiles. Vt ſit ſenſus: Melius eſt modicum iuſtè acquiſitum, quam multæ diuitiæ iniuſtè acquiſitæ. *Prouerb.*16. Melius eſt parum cum iuſtitia, quam multi fructus cum iniquitate. *Modicum* quod etiam humilitas: humilis enim modicum reputat ſeipſum. Vnde Dauid dicebat ſe pulicem & canem mortuum. 1.*Reg.* 24. Diuitiæ ſunt peccata. *Michæ.* 6. In domo impij theſauri impietatis. Eſt ergo ſenſus: Melius eſt eſſe humilem quàm iniquum: quia ad gloriam perducit humilitas. *Prou.*19. Humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria. Sed illæ diuitiæ præcipitant in tartarum. *Ezech.*27. Diuitiæ tuæ,& theſauri tui cadent in corde maris,id eſt, in profundo amaritudinis inferni. Propter hoc dicit *Hieron.* Nudus & leuis ad cœlum vola, ne alas virtutum tuarum auri deprimant pondera.

17. *Quoniam brachia.* Hîc ſecundum, in quo præfert paupertatem ſpoliatorum, diuitiis ſpoliantium. Ratione: & primò ſumitur ratio à præſentibus. Secundò à conſequentibus, ibi, *Nouit Dominus.* In prima duo. Primò oſtendit ſpoliantium damnum. Secundò ſpoliatorum emolumentum. *Confirmat autem.* Dicit ergo: Verè dixi, quòd illud melius, *quoniam brachia*, poteſtas & robur peccatorum, alios ſpoliantium, *conterentur.* Ecce præmium quod cum ſuis diuitiis conterentur. *Autem*, ſed è contrario, *confirmat iuſtos Dominus. Eccleſ.*30. Melior eſt pauper ſanus, & fortis viribus, quàm diues imbecillis, & flagellatus malitia. Ad contritionem autem iſtorum brachiorum agunt tria, ira,gula,inquietudo. Ira enim ſæpe concomitatur diuitias. *Eccl.*13.Diues male egit,& fremet. Et 28. Secundum ſubſtantiam ſuam exaltabit vocem ſuam. Sed iræ tali annexa eſt impotentia, & mors. *Eccleſ.* 30. Zelus & iracundia minuunt dies. De ſecundo, gula concomitatur diuitias. *Luc.*16. Homo quidam erat diues. Statim adiungitur: Et induebatur purpura & byſſo,& epulabatur quotidie ſplendidè. *Prou.*27. In multis eſcis erit infirmitas. Et infra: Propter crapulam multi obierunt. De tertio, ſomni & quietis carentia concomitatur diuitias. *Eccleſ.*5. Saturitas diuitis, non ſinit eum dormire. Et verſus:

Impius tribus conteritur, ira, gula, & æſtu animi.

Quod caret æterna requie, durabile non eſt.

Confirmat autem iuſtos Dominus. Optimè ſcripturarum ſermone. *Caſſiod.* Confirmare eſt in animi affliction poſitum conſolatorio ſermone roborare. *Iob* 4. Vacillantes confirmauerunt ſermones tui. *Confirmat* autem ſpiritus fortitudinis infuſione. *Pſal.* Spiritu principali confirma cor meum Deus. Et alibi: Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis. *Confirmat* auxilij exhibitione in operando ſecundum illud, Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum.

Nouit Dominus dies immaculatorum. Hîc ſumit rationem à conſequentibus: in quo primò oſtendit emolumentum bonorum ſpoliatorum. Secundò malorum ſpoliantium damnum, ibi, *Quia peccatores.* In prima tangit meritum. Secundò præmium, ibi, *Et hæreditas eorum.* Legitur autem dupliciter. Primum quia dies poteſt dicere ſtatum gratiæ,& ſtatum gloriæ. Primo modo ſic: Verè confirmat iuſtos in ſperanda felicitate & gloria, quam ipſe nouit ſolus.Nouit enim Dominus dies immaculatorum, quos eis reſeruat in æternitate.Sed contra *Iob* 9. Quis eſt homo vt immaculatus ſit,aut mundus appareat de muliere? Reſponſio. Senſus eſt: Nouit Dominus dies immaculatorum tunc,non nunc. Exceptis enim IESV filio & Maria matre nullus mundus à macula peccati. *Apoc.*14. Sine macula ſunt ante thronum Dei. Vel immaculatos vocat viuentes ſine macula peccati mortalis. In *Pſal.* Beati immaculati in via. Quaſi diceret:His præparauit claros & mirabiles dies, quos ſolus nouit. 1. ad *Cor.*8. Oculus non vidit,nec auris audiuit,nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Secundo modo ſic: Dominus nouit notitia approbationis immaculatam vitam iuſtorum,quæ eſt dies clara. *Sap.* 4. Quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate. 18.

Et hæreditas. Hîc tangitur præmium triplex animæ iuſtæ,ante iudicium, & in iudicio. *Non confundentur.* Et poſt iudicium. *Et in diebus famis.* Dicit ergo: Sic nouit, *& hæreditas eorum*, eis ſcilicet pro diebus immaculatis data, *in æternum erit*, non temporalis. *Iſa.*60. Populus tuus, omnes iuſti, in perpetuum hæreditabunt terram.

Et nota, quòd vitam iuſtorum nouit Dominus,quia ei ſeruiunt fideliter. *Prou.*12.Qui fideliter agunt, placent ei. Et quia hilariter. *Eccl.* In bonitate & alacritate animæ ſuæ placuit Deo. Et quia perſeuerantèr. Ad *Hebr.*10. Etſi ſubtraxerit ſe, non placebit animæ meæ. Sed tunc erit impletum illud. *Ierem.*16. Oſtendam eis manum meam & virtutem meam,Chriſtum ſcilicet, quia nomen mihi Dominus. *Pſal.* Cognoſcitur Dominus iudicia faciens.

Non confundentur. Ecce ſecundum,Quaſi diceret: Erit æterna hæreditas. *Et non confundentur*, tales. Et legatur de præſenti. Primò totum ſic: *Non confundentur in tempore malo*, in hoc ſcilicet præſenti tempore, quod eſt malum. *Amos* 5. Tempus malum eſt,quia abundat malum ignorantiæ & culpæ, & pœnæ. *Oſeæ* 4. Non eſt ſcientia Dei in terra, quoad malum ignorantiæ. Et iterum: Maledictum & mendacium, & furtum,& homicidium inundauerunt, quantum ad malum culpæ.Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea, quantum ad malum pœnæ. 19.

Et

Et in diebus famis, qui modò ſunt, quia modo eſt frequens eſuries corporalis. *Eccl.* 40. fames, contentio, & flagella ſuper iniquos citata ſunt. Item nunc ſpiritualis, ſcilicet veritatis in intellectu. *Pſal.* Diminutæ ſunt veritates à filiis hominum. *Amos* 8. Mittam famem in terram, non famem panis, ſed audiendi verbum Dei. Item nunc eſt fames virtutis in affectu. *Matth.* 5. Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam.

Saturabuntur, bonis temporalibus nunc in ſpecie, & in futuro ſpiritualibus, non modo in ſpe ſed etiam in re. Et verè ſaturabuntur, *quia peccatores* tantum *peribunt*: cum enim careant bonis interioribus, ablatis exterioribus neceſſe eſt perire, vt intra & extra tribulentur. *Ierem.* 17. Induc ſuper eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos Domine Deus noſter.

Secundo modo legitur ſic: Non confundentur in tempore malo, in die ſcilicet iudicij. *Sophon.* 1, Dies iræ dies illa, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ. *Et in diebus famis*, ſcilicet in præſenti *ſaturabuntur*, ſicut prius.

De fame damnatorum. Vel tertio modo legatur totum de futuro. Prima ergo pars de die iudicij, ſicut iam lectum eſt. *Et in diebus famis*, ſcilicet poſt iudicium, quando erit malis fames corporalis. *Iſa.* 65. Ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis.

Et nota, quod poſt iudicium fames perpetua apud inferos erit. Sed dicunt naturales, quod longa fames conuertitur in ſitim: nec homo propriè moritur fame, ſed ſiti: cuius ſignum eſt, quòd *Luc.* 16. Diues petiit guttam aquæ, non micam panis. Quare ergo non dicit: In diebus ſitis potabunt? Reſp. Qui negat conſequens, negat & antecedens. Sed potus quoddam genus eſt cibi: & ob hoc negatio cibi ſimpliciter, eſt negatio quidem & potus: ſed non eſſet ſic è conuerſo. Erit etiam ibi fames ſpiritualis in intellectu, fames ſcilicet ſapientiæ. *Eccleſ.* 9. Nec opus nec ratio apud inferos, quò tu properas. Et gaudij & lætitiæ in affectu: ſed totum tormentum & luctus. *Apoc.* 18. Quantum glorificauit ſe & in deliciis fuit, tantum date ei, &c. Propter hoc dicitur. *Eccleſ.* 14. Apud inferos non eſt inuenire cibum.

20. *Quia peccatores peribunt.* Expone vt ſuprà. Tangit enim damnum malorum. *Iob* 4. Vidi eos qui operantur iniquitatem, & ſeminant dolores, & metunt eos, flante Deo periiſſe.

Inimici autem Domini. Hîc tertium, in quo agit contra potentiam opprimentium, præferens ſtatum oppreſſorum ſtatui opprimentium. Primò ergo agit de opprimentibus. Secundò de oppreſſis, ibi, *Iuſtus autem miſeretur & tribuet.* In prima autem tanguntur tria. Primò tangit inimicorum poteſtatem. Secundò potentium deiectionem. *Deficientes.* Tertiò deiectionis rationem. *Mutuabitur.* Dicit ergo: Sic raptores, & etiam *inimici Domini*, qui ſcilicet ſunt amici mundi. *Iacob.* 4. Quicunque voluerit amicus huius mundi fieri, inimicus Dei conſtituitur. *Mox*, id eſt quam citò, *fuerint honorificati*, dignitate, *& exaltati*, humana laude, *deficientes deficient.* Notatur autem in hoc, ſicut vult *Gloſſa*, defectus ſcientiæ, & bonæ vitæ. De virtute & vita. *Pſal.* Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt, &c. De ſcientia *Caſſiod.* Qui in nimiam altitudinem aſcendit, à veritate cadit.

Et quemadmodum fumus. Iacob. 4. Quid eſt enim vita noſtra? Vapor ad modicum parens & deinceps exterminabitur.

Comparatio ſuperbi cum fumo. Comparantur autem fumo ſuperbi & potentes in ſæculo. Oritur enim vapor de materia terreſtri, ſed ſuper terram aſcendit. Sic ſuperbi de terra ſunt ſicut alij homines. *Iob* 33. Ecce & me ſicut te fecit Deus, & ex eodem luto formatus ſum. Sed ſuper alios extollunt ſe ſecundum iliud *Eccleſ.* 3. Altiora te ne quæſieris. & 10. Quid ſuperbis terra & cinis? Item citò euaneſcit fumus. Sic ſuperbus. *Iob* 24. Eleuati ſunt ad modicum, & non ſubſiſtent. De diuite. *Luc.* 12. Item ab igne eſt fumus, & tamen ignem relinquens nititur ipſum ſupergredi. Sic potens in ſæculo ab illo eſt de quo *Deut.* 4. Deus noſter ignis conſumens eſt. Quippe ad *Rom.* 13. Non eſt poteſtas niſi à Deo. Et hunc ignem ſpernit, & vult ſupergredi cum ſuperbit. *Iſa.* 1. Filios enutriui & educaui: ipſi autem ſpreuerunt me. Quantò autem plus ab igne elongatur, magis euaneſcit. Sic iſte quantò à Deo elongatur, plus annihilatur. *Pſal.* Qui elongant ſe à te, peribunt. Item nulli vento reſiſtit fumus. Sic nec ſuperbus. *Thren.* 1. Abierunt abſque fortitudine. ante faciem ſubſequentis. Item lachrymari alios facit fumus. Sic ſuperbus quos opprimit. *Eccl.* 4. Vidi calumnias ſub ſole, & lachrymas innocentium. Domos nigras raddit. Sic iſti ſocios ſordidos. *Eccleſ.* 12. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Et *Eccleſ.* 10. Secundum iudicem populi, ſic & miniſtri eius.

Mutuabitur peccator. Hîc ſubiungit deiectionis rationem. Quaſi diceret: Sic deficient mali. Et hoc iuſtum, quia *mutuabitur peccator*, bona naturæ à Deo mutuò accipiet. 1. ad *Corinth.* 4. Quid habes quod non accepiſti? *Auguſt.* Accipit vt ſit, accipit vt homo ſit, accipit corporis formam: quinque ſenſuum diſtinctionem, manus ad tractandum, pedes ad ambulandum. Et vt ad vnum dictum ſit: cum ſit minor mundus, accipit omnia ſicut maior mundus, vnde vocatur mundus, & omnis creatura. *Marc. vlt.* Prædicate Euangelium omni creaturæ. *Matth.* 18. Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi, non vnum tantum vel duo,

Bona hominis à Deo collata.

Et non ſoluet, gratias agendo, quam ſolutionem requirit Deus. Gratiarum actio ſoluitur, cum membro ſibi à Deo dato ad honorem Dei quis vtitur. 1. ad *Corinth.* 10. Siue comeditis, ſiue bibitis, ſiue aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.

Mutuabitur etiam *peccator*, bonum doctrinæ. *Luc.* 19. Vocatis ſeruis tradidit illis bona dicens: Negotiamini, dum venio. Ab iſtis ergo peccatores mutuò verbum accipiunt, ſed non ſoluunt, quia non complent opere quod audiunt. *Prouerb.* 13, Quod dicis intelligit, ſed reſpondere contemnit. *Caſſiodor.* Hoc eſt non ſoluere, accepta diuinitatis iuſſa non implere.

Iuſtus autem. Hîc ſecundum, in quo poſt-

quam actum eſt de opprimentibus, ſubiungit de oppreſſis: & tangit duo. Primò bonæ operationis continuationem. Secundò continuationis rationem. *Quia benedicentes.* Dicit ergo: Sic mali non ſoluent. *Autem*, ſed: *iuſtus miſeretur*, primò intus in corde. *Et tribuet*, extra in operatione. Procedit miſericordia in affectu, & ſequitur largitas in effectu. Alia litera habet, *retribuet*: & bene, quia nullus tribuit pauperibus Dei, niſi prius acceperit à Deo. 1.*Paralipom.vlt.* Tua ſunt omnia: & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.

22. *Quia benedicentes ei.* Hîc ratio bonæ operationis, ſcilicet retributio bonorum & malorum, quam fide cognouit. Primò ergò tangitur bonorum retributio. Secundò malorum. *Maledicentes autem.* Ait ergo: Sic iuſtus tribuet miſericordia motus, & hoc, *quia benedicentes ei*, id eſt, gratias Deo in omnibus referentes non ſolum lingua, ſed & vita, ſecundum illud *Pſal.* Laudabo Dominum in vita mea.

Hæreditabunt terram, quam terimus ſicut patet in Apoſtolis. *Pſal.* Conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Quare, memores erunt nominis tui Domine, non tantum lingua, ſed & vita. *Auguſt.* De piſcatore lucratus eſt oratorem, id eſt, laudatorem: de oratore ſenatorem, imò Imperatorem. Vnde & Papæ data eſt ciuitas imperialis, ſcilicet Roma.

Item terram quam gerimus in generali reſurrectione hæreditabunt glorioſam. Ad *Phil.*3. reformabit corpus humiliatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.

Item terram quam quærimus. 1. *Petr.*1. Regenerauit nos in ſpem viuam, in hæreditatem incorruptibilem, illius terræ de qua *Prouerb.*2. Qui recti ſunt, habitabunt terram.

Maledicentes autem ei, Deo, non tam lingua, quam turpi vita. Ad *Roman.* 2. Per vos nomen Dei blaſphematur. *Diſperibunt.* In bono poſſet exponi, id eſt, de malis fient boni. *Prouerb.* 12. Verte impium, & non erit. Vel ad literam quoad pœnam perdentur. *Geneſ.* 27. Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus. *Prou.* 12. Propter verba labiorum ruina proximat malo.

23. *Apud Dominum greſſus.* Hîc tertia pars totius Pſalmi, in qua commendat vitam bonorum, vt infirmus vacillans illam appetat. Et primò commendat ſtatum bonorum in pacis tempore. Secundò in perſequutione, ibi, *Conſiderat peccator.* Primus ſtatus eſt Confeſſorum. Secundus Martyrum. In prima duo. Primò commendatio. Secundò vacillantium exhortatio ad ſtatum illum, ibi, *Declina à malo.* In prima tria. Primò enim commendat ſtatum bonorum à gtatia incipiente. Secundò à perſeuerante. *Cum ceciderit.* Tertiò à proficiente, qua aliis proficit, ibi, *Tota die miſeretur.* In prima duo. Primò tangit gratiæ manſionem. Secundò effectum infuſæ. *Et viam eius.* Dicit ergo: Tales ſunt mali: ſed *apud Dominum*, id eſt, à Domino, *greſſus hominis*, interior ſcilicet affectio, *dirigetur*, per gratiæ infuſionem, quæ diſtorta erat per naturæ corruptionem. *Geneſ.*8. Senſus & cogitatio humani cordis, prona ſunt in malum ab adoleſcentia ſua. *Prouerb.* 15. Reuela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ. Dirigentur autem à luce. 1. *Ioan.* 1. Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ. *Ioan.*8. Ego ſum lux mundi: quæ nos illuminat, lucerna Scripturæ mediante. *Pſal.* Lucerna pedibus meis verbum tuum. Item vt à duce. *Deut.*32. Dominus ſolus dux eius fuit. *Iſa.*55. Dedit ducem ac præceptorem Gentibus. Item vt iumentum à proprio ſeſſore. *Pſal.* Vt iumentum factus ſum apud te, &c. Et ſubiungit: Tenuiſti manum dexteram meam. Vnde *Auguſtin.* Sicut iumentum ſeſſoris manu dirigitur in via, ſic liberum arbitrium à gratia, quoad vſque ad cœlum perueniat.

Et viam eius volet. Ecce affectus gratiæ, quia facit conſentire in via Domini quamuis dura. *Pſal.* Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras. Quia ſecura. *Prouerb.*3. Omnes ſemitæ eius pacificæ. Quia amœna. In eodem: Omnes viæ eius viæ pulchræ. *Pſal.* In via teſtimoniorũ tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitiis, &c. Quia lucida. *Prou.*4. Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens. *Iob* 30. Per quam viam ſpargetur lux.

24. *Cum ceciderit.* Hîc ſecundum, in quo commendat ſtatum bonorum à gratia perſeuerante, & ſtante: & dicuntur tria. Primò tangitur effectus. Secundò cauſa. *Quia Dominus.* Tertiò diuturna experientia. *Iunior fui.* Ait enim: Sic iuſtus viam Domini volet: ſed *cum ceciderit* iuſtus in illa per pœnam, quia in *Pſal.* Multæ tribulationes iuſtorum. *Non collidetur* corde, non ore allidetur per impatientiam. *Prouerb.* 12. Non conſtriſtabit iuſtum quicquid acciderit.

Quia Dominus ſupponit manum ſuam, id eſt mortis & paſſionis ſuæ exemplum. *Thren.*3. Dabis eis ſcutum cordis laborem tuum. Aliter legitur de caſu in culpam. *Cum ceciderit*, iuſtus in hac via peccando venialiter, ſecundum illud *Prouerb.* 24. Septies in die cadit iuſtus, & reſurgit. *Non collidetur*, per mortale peccatum. *Quia Dominus ſupponit manum ſuam*, id eſt, auxiliantem gratiam. *Oſeæ* 13. Perditio tua ex te Iſraël, tantum ex me auxilium tuum.

Iniuſtus collidítur ob grauitatem & velocitatem caſus.

Nota ergo, quòd iuſtus non collidetur, ſed iniuſtus, & hoc propter terminorum diſtantiam: ſtatus enim iuſtitiæ altiſſimus eſt. *Iſa.*42. Seruus meus eleuabitur, & exaltabitur, & ſublimis erit valde. Sed ſtatus peccatoris in mortali, infimus. *Prouerb.*18. Peccator cum venerit in profundum peccatorum, contemnit. Item propter caſus velocitatem nimiam: cadit enim à ſtatu in ſtatum, quamuis ſit diſtantia infinita, quaſi in inſtanti. *Ierem.*48. Malum eius velociter accurret nimis. Tertiò propter recipientis vim penetratiuam, cadit enim in culpam, de qua *Eccleſ.* 21. Quaſi romphæa bis acuta omnis iniquitas: plagæ illius nen erit ſanitas.

25. *Iunior fui.* Hîc tertium, in quo probat per diuturnam experientiam. Duo ergo tanguntur. Primò ipſorum diuturnitas. Secundò continuata circa bonos diuina pietas, ibi, *Et non vidi.* Dicit ergo: Dixi, quòd manum ſupponit: & hoc patet. *Iunior* enim *fui*, *etenim ſenui* iam: *& non vidi iuſtum derelictum. Auguſt.* Quid magnum quod tu loqueris? In vna tantum

tum exiſtens regione non vidiſti iuſtum egere? Potuit autem, vel poteſt, in alia regione hoc fieri te neſciente. Et reſpondet *Auguſt.* quòd patet ex his quòd hîc loquitur Eccleſia, quæ durat à principio mundi vſque ad finem, & dilatata eſt per omnes terminos terræ: fuit enim quaſi puer in Abel, quaſi impubes in Patriarchis & Prophetis, iuuenis in Apoſtolis & Martyribus, ſenex in Confeſſoribus & modernis: ſed in fine mundi erit decrepita, quando multiplicabuntur Martyres, ſecundum illud, Adhuc multiplicabuntur in ſenecta vberi. Modò ergo ſenex eſt Eccleſia: quippe tremulam eam videmus: ad omnia enim timent qui debent eſſe fortiores in Eccleſia. *Leuit.26.* Terrebit eos ſonitus folij. Item frigida eſt, ſicut ſenectus quæ eſt ætas frigida. 3. *Reg.*1. Et rex Dauid ſenuerat, habebatque dies plurimos: cumque operiretur veſtibus, non calefiebat. Sic modò charitas, quæ fuit in Apoſtolis & Martyribus, pro magna parte refriguit. *Matth.*24. Refrigeſcet charitas multorum. Item ætas fatua eſt. *Iſidor.* Senes à ſenſus diminutione dicuntur, eò quod iam vetuſtate deſipiant. *Iob* 32. Non ſunt longæui ſapientes. Item ætas hæc eſt oculis obſcura. *Geneſ.*27. Senuit Iſaac, & caligauerunt oculi eius, & videre non poterat. Sed de oculis Eccleſiæ, prælatis ſcilicet poteſt dici illud *Iſa.*56. Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi.

Diuerſa Eccleſiæ ætates, & modo ſeneſcit.

26. *Tota die miſeretur.* Hîc tertium, in quo commendat ſtatum bonorum à gratia proficiente vel perficiente etiam: vbi primò tangitur perfectionis operatio. Secundò remuneratio. *Et ſemen illius.* Dicit ergo, vt legatur de Eleemoſyna corporali primò, iuſtus non cadit, ſed proficit, quia *tota die miſeretur*, & mane ſcilicet, & veſpere, ſecundum illud *Eccleſ.* 11. Mane ſemina ſemen tuum, & veſpere non ceſſet manus tua. Nihil tangit de nocte, quia bona opera ſunt opera diei, non noctis. *Ioan.*11. Me oportet operari opera eius qui miſit me, dum dies eſt. *Miſeretur* ergo affectu, *& commodat* poſtea operis effectu. *Caſſiodor.* Miſericordia ante tangit animum, & ſic aperit manum. *Pſal.* Euntes ibant & flebant, mittentes, &c. Ecce operis exhibitio. Sed quare non dicit, *dat*, cum dare ſit magis actus miſericordiæ, quam commodare? Reſp. Dat pauperi, ſed Deo mutuat vel commodat, ſecundum illud *Prouerb.* 19. Fœneratur Domino qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem ſuam reddet ei. Vel ſic: *Tota die miſeretur*, admonendo, quòd recedant à malo: *& commodat*, ſuadendo vt faciant bonum. *Et ſemen illius*, opus ſcilicet iuſtitiæ, quod vtroque modo ſeminat. *Oſeæ* 10. Seminate vobis in iuſtitia. Vel *ſemen*, imitatores, *in benedictione erit*, id eſt in multiplicatione. *Geneſ.* 1. Benedixitque illis Deus, & dixit: Creſcite & multiplicamini, & implete terram. Et nota, *in benedictione*, quia 2. ad *Corinth.*9. Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam.

27. *Declina à malo.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur exhortatio ad imitationem vitæ iuſtorum, de quibus præmiſſum eſt. Primò ergo admonet ſimpliciter. Secundò perſuadet efficaciter, ibi, *Quia Dominus amat.* In prima monet ad tria. Primò declinare à malo. Secundò facere bonum. *Et fac bonum.* Tertiò in Eccleſia permanere, cum ſubdit: *Et inhabita.* Dicit ergo: Sic ſemen iuſti in benedictione erit, & propter hoc tu, quicumque es, *declina à malo*, homine primò, quia *Eccleſiaſt.*13. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicauerit ſuperbo, induet ſuperbiam. Item *à malo*, id eſt à dæmone, cum quo multi habent confœderationem. *Iſa.* 28. Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum: quod nullo modo faciendum eſt Chriſtiano. 2. ad *Corinth.*6. Quæ conuentio Chriſti ad Belial? id eſt, vncti Chriſtiani ad diabolum. Item *à malo* opere, ne alij noceas *Eccleſ.* 7. Non ſemines mala in ſulcis iniuſtitiæ, & non metes ea in ſeptuplum. De his tribus ſimul *Eccleſ.*7. Noli facere mala, quoad opera: diſce ie ab iniquo, homine ſcilicet & dæmone: & fac bonum, vt proſis aliis. Et etiam dicit *Auguſt.* ſic: Noli expoliare veſtitum, vt veſtias nudum.

Et inhabita in ſæculum ſæculi. In Eccleſia ſcilicet militante. In hoc ergo tertium ſine quo non valent duo prima. Nullum enim bonum valet extra vnitatem Eccleſia factum. *Amos* 5. In cunctis quæ foris ſunt, dicetur duplex væ: quia in his quæ ſunt extra, non valebit, declinare à malo & facere bonum.

Quia Dominus amat. Hîc ſubiungitur efficax perſuaſio. Primò à præmiis præſentibus. Secundò à conſequentibus & futuris, ibi, *Iuſti autem hæreditabunt.* A præſentibus triplex. Primò bonorum à malis diſcretio. Secundò indeficiens bonorum conſeruatio à Deo. *Et non derelinquet.* Tertiò malorum punitio, ibi, *Iniuſti punientur.* Dicit ergo: Sic *declina à malo, & fac bonum, quia Dominus amat iudicium*, diſcretionis, quo bonos à malis diſcernit, ſecundum illud, Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam, &c. Vel quos tu ipſe diſcernis, & ſperas bonum ad malo, factus ei ſimilis. *Ierem.*15. Si ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meum eris. Vel iudicium diſcuſſionis, quo affligeris, vel alius te affliget, vt ſic purgeris à malis quæ feciſti, de quo 1. ad *Corinth.* 11. Si noſmetipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. Et rurſus: Cum iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Signum autem quod amet iudicium habemus, quia vult illud facere. *Ierem.* 23. Regnabit Rex, & ſapiens erit. Vult etiam illud ab aliis fieri. *Ierem.* 22. Hæc dicit Dominus: Facite iudicium. *Michæ.* 6. Indicabo tibi homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te. Vtique facere iudicium. Et quod plus eſt, vult illud ſubire. *Iſa.*5. Nunc ergo habitatores Ieruſalem & viri Iuda, iudicate inter me & vineam meam. Propter hoc dicitur *Iſa.*61. Ego Dominus diligens iudicium.

Et non derelinquet Sanctos ſuos. Hîc ſecundum, in quo dicuntur duo. Primò, quòd Sancti non derelinquentur à Deo. Secundo, quòd inceſſanter cuſtodientur ab illo. *In æternum.* Dicit ergo: Sic diſcernit, & diſcretos diligit, *& non derelinquet Sanctos ſuos*, quia *Prouerb.*8. Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. Et cum

28. *Triplex præſens iuſtorum præmium.*

omnes prædeſtinati ſancti ſint, ſecundum illud *Iſa.*4. Sanctus vocabitur omnis qui ſcriptus eſt in vita Ieruſalem, tamen Martyres antonomaſticè dicuntur Sancti, quia ſecundum *Iſidor.* Sanctus dicitur, quaſi ſanguine tinctus. Et de Martyribus dicitur *Apoc.*7. Hi ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni, hoc eſt, in ſanguine ab Agno fuſo. Hos non derelinquit, etſi videatur perſequutoribus dicentibus: Deus dereliquit eum, perſequimini & comprehendite eum: quia *Iſa.*43. Cum tranſieris per ignem, tecum ero,& flumina non operient te. *Pſal.* Cum ipſo ſum in tribulatione. Nec hoc tantum, imò *in æternum conſeruabuntur.* Corpora in terris venerabuntur. *Eccleſ.*43.. Gloria eorum non derelinquetur. Corpora eorum in pace ſepulta ſunt, animæ in cœlo fœliciter collocabuntur. *Apoc.*6. Vidi ſub altare Dei, animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium quod habebant: & datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ, & dictum eſt illis, vt requieſcerent modicum. Altare hoc, cœlum empyreum eſt, quia dicitur altare quaſi ara alta, quia *Eccleſ.*1. Altitudinem cœli quis dimenſus eſt? Ara etiam, quia ardet, dicitur. Et cœlum empyreum dicitur ab ἐν quod eſt in, & πῦρ, quod eſt ignis, quaſi in quo eſt ignis. Et coniunctum in mentibus hominum conſeruatur memoriter. *Pſal.* In memoria æterna erit iuſtus.

Iniuſti autem punientur. Hîc tertium, ſcilicet malorum punitio, & primò exempla mala præbentium. Secundò imitantium illa. *Et ſemen.* Dicit ergo. Sic erit de bonis qui declinant à malo, & faciunt bonum. Sed è contra *iniuſti punientur*, propter mala commiſſa, & bona omiſſa. *Iudith.*16. Dabit ignem & vermes in carnes eorum, vt vrantur, &c. *Ierem.*9. De malo ad malum egreſſi ſunt, de malo ſcilicet culpæ, ad malum pœnæ: & ſecundum quod magis peccauerunt, magis punientur *Apoc.*18. Quantum glorificauit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.

Et ſemen, id eſt, imitatores impiorum *peribit. Sap.*3. Ab iniquo thoro ſemen exterminabitur. Vel *ſemen eorum*, id eſt, opus eorum quod ab ipſis eſt ſeminatum, ſecundum illud *Prou.*22. Qui ſeminat iniquitatem, metet mala. Hoc ſemen dupliciter peribit Primò quia erit ſine fructificatione. *Sap.*3. Vana eſt ſpes illorum, & labor illorum ſine fructu. Et iterum, quia erit in damnatione. *Eccleſ.* 27. Conteretur cum delinquente delictum. Semen etiam naturale, ſcilicet filij naturales impiorum frequenter pereunt iuſto Dei iudicio. Cum enim ſint occaſio peccandi Patribus, iuſtè fit, vt patres in ipſis etiam puniantur. *Iob* 18. De orbe transferet illum Deus: non erit ſemen neque progenies in populo ſuo, nec vllæ reliquiæ.

Semen impiorum perit, quia non fructificant & damnantur.

29. *Præmia iuſtorum futura.*

Iuſti autem hæreditabunt. Hîc ſecundum, in quo perſuadet à præmiis in futuro conſequentibus, quia primò ſatisfiet in futuro eius concupiſcibili, per æternæ hæreditatis poſſeſſionem, eius rationabili per ſuperabundantem ſapientiam, ibi, *Os iuſti meditabitur.* Eius iraſcibili per omnis mali carentiam, ibi, *Et non ſupplantabuntur.* In prima duo. Primò tangitur ſummi boni hæreditas. Secundò hæreditatis æternitas, ibi, *Et inhabitabunt.*

Dicit ergo: Sic mali: *Iuſti autem hæreditabunt*, in futuro *terram*, de qua in *Pſal.* Credo videre bona Domini in terra viuentium. Et dicitur terra viuentium, ad differentiam terræ quam calcamus, quæ eſt morientium, & terræ gehennalis, quæ eſt mortuorum. *Auguſtin.* Terra quædam eſt viuorum regnum, ſcilicet ſanctorum: hæc autem terra morientium receptura mortuos quos nutrit viuos.

Terra viuentium, morientium, & mortuorum.

Et inhabitabunt, non ad modicum ſicut hic, ſed *in ſæculum ſæculi* conſequutiuum, *ſuper eam*, hoc eſt, æternaliter. Non ſic de terra iſta, de qua dicitur *Iſa.* 7. Derelinquetur terra abſque habitatore, & domus ſine homine. Et 49.Non inhabitabit eam homo: verum eſt poſt iudicium. Sed cum Deo habitabunt boni. *Pſal.* Habitabunt recti cum vultu tuo. In hoc autem quod dicitur, *ſuper eam*, notatur ſecundum *Caſſiod.* leuitas corporis glorificati: non enim dicitur,in ea. Dicit enim: Spirituali corpori neceſſe non erit terram graui calcare veſtigio.

Os iuſti meditabitur. Hîc perſuadet, quòd rationabili ſatisfiet, per abundantem ſapientiam: & dicuntur tria. Primò, quòd erit ſapientia in eius intelligentia. Secundò, quòd exeret ſe per linguam præ abundantia. *Et lingua eius.* Tertiò, quòd nihilominus remanebit in memoria, ibi, *Lex Dei eius.* Dicit ergo: Sic quantum ad concupiſcibilem:& etiam *os* cordis ſiue mentis, *iuſti*, quod eſt intelligentia. *Eccleſ.*23. In corde ſapientum os eorum eſt. *Meditabitur ſapientiam*, quæ eſt propriè de diuinis, ſicut ſcientia de humanis. Hæc eſt illa ſapientia de qua *Iacob.* 3. Quæ deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt. Quaſi igitur continuè ruminat ore cordis panem ſacræ Scripturæ, de quo *Thren.*2. Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. *Auguſt.* Videte quam libenter comedat iuſtus, quomodo in ore eius verſetur ſapientia, ſicut multorum corda è contrario paſcuntur ſtultitia. *Prouerb.* 15. Cor ſap.entis quærit doctrinam, & os ſtultorum paſcitur imprudentia.Et ad aliorum inſtructionem,*lingua eius loquetur. Prouerb.* 14. In corde prudentis requieſcit ſapientia,& indoctos quoſque erudiet. Quid loquetur? *Iudicium*, ſcilicet quæ prius iudicauit eſſe dicenda. *Pſal.* Miſeretur & commodat, diſponit ſermones ſuo in iudicio. Vnde primò venit ſermo eius ad limam,quam ad linguam. *Eccleſ.*21.Verba prudentum ſtatera ponderabuntur. Ideò prohibet Eccleſiaſtes, ne temerè quid loquaris, nec cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem. *Eccleſ.*28. Verbis tuis facito ſtateram.Secundum *Hieron.*& diuiſionem noſtram exponuntur de ſtatu gloriæ. Sic enim ait: In regno Dei ſapientia ora iuſtorum replebuntur.Et lingua eorum in iudicio loquetur iudicium, quia cum Domino iudicabunt. *Sap.*3. Fulgebuntiuſti,& tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent. Iudicabunt nationes,&c.

30.

31. *Lex Dei eius.* Ecce tertium. Quasi diceret: Sapientia in corde & per linguam exeret se, & quamuis se per linguam exerat, tamen *lex Dei eius*, scilicet iusti, iustorum enim Deus est specialiter Deus. *Cassiod.* Cum sit omnium Deus, illorum specialiter Deus est, quos liberare dignatur. *In corde*, non tantum in lingua, sicut in illis de quibus *Isa.* 29. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. *Ierem.*12. Propè es tu ori eorum, longè autem à renibus eorum. *Ipsius*, iusti scilicet, ibi sedes legis Dei. *Eccles.*3. Quæ præceperit Deus, illa cogita semper. *Ierem.*31. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in cor eorum superscribam eam.

Et non supplantabuntur gressus eius. Ecce tertium, in quo persuadet per remotionem omnis mali, quod respicit ad irascibilem. Ait enim: Sic terram hæreditabit iustus, sic sapientia plenus erit. *Et non supplantabuntur gressus eius*, malis aliquibus occurrentibus non impedientibus. *Cassiodor.* Supplantare, est plantis foueam prætendere, ne possit incedens firmum reperire vestigium. Et bene sequitur, quia qui legem Dei in corde custodit, supplantari non potest: habet enim præsentiam veri luminis. *Prouerb.*13. Lex sapientis fons vitæ, vt declinet à ruina mortis. *Prouerb.* 6. Mandatum lucerna est, & lex lux. Et *Ioan.*11. dicitur, Qui ambulat in luce, non ostendit. Item propter præsentiam boni custodis, Dei scilicet, qui custodit eos, qui in corde legem custodiunt. *August.* Quid miseriæ patitur, quem custodit Deus? Custodiam ponis in inuio & contra furem securus es: & tamen potest custos dormire, sed ecce non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israël. Hæc ergo debent coniungi in Doctore: Sit lex Dei in corde, non in arca tantum, & non sit supplantatio in opere. *Prouerb.*10. Sapiens corde præcepta suscipiet. Sic vitatur culpa. *Psal.* In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Et etiam pœna ignorantiæ in aspectu, tristitiæ in affectu. *Psal.* Iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda, præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Et habetur vita gratiæ. *Prouerb.*3. Custodi legem atque consilium, & erit vita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis. Et vita gloriæ. *Prouerb.* 29. Qui custodit legem, beatus est, iam in spe, & post in re. *Sapient.*6. Custodia legum, consummatio incorruptionis est.

32. *Status Martyrũ in persequutione.* *Considerat peccator.* Hîc de statu bonorum in malorum persequutione, id est, de statu Martyrum, vbi primò describit persequutorum malitiam. Secundò patientium remunerationem, ibi, *Dominus autem non derelinquet.* Tertiò subiungit duplicem exhortationem, quasi ex dictis illatam, ibi, *Expecta Dominum.* In prima duo secundum duplicem malitiam persequutorum quam tangit, scilicet malignam bonorum intuitionem quantum ad aspectum, & affectionem nocendi crudelissimam, quantum ad affectum. *Et quærit.* Dicit ergo: Sic non supplantatur iustus: & quamuis hoc sit, tamen *considerat peccator iustum* cum multa diligentia ei insidiando. *Eccles.*22. In corde suo insidiatur. *Sapient.*2. Venite circumueniamus iustum, ei insidiando, contra illud *Prouerb.*18. Ne insidieris quærens impietatem in domo iusti.

Et quærit mortificare. Ad literam desiderat occidere eum. *Psal.* Quoniam propter te mortificamur tota die, &c.2.ad *Corinth.*7. Quasi morientes, & ecce viuimus. Sic capiti Martyrum insidiabantur Iudæi. *Psal.* Ipsi verò consideraverunt, & inspexerunt me. Et sic interficere quærebant. *Sap.*2. Morte turpissima condemnemus eum. *Ioan.*9. Et quærebant eum Iudæi interficere.

33. *Dominus autem non derelinquet.* Hîc subiungit patientium remunerationem duplicem, vnam in præsenti, aliam in futuro. *Nec damnabit illum.* Ait enim: Sic peccator quærit mortificare iustum. *Autem*, sed *Dominus non derelinquet eum:* quia suprà: Non vidi iustum derelictum. Et alibi, Non derelinquet sperantes in se. *In manibus eius*, id est, in potestate eius, scilicet peccatoris. Et hoc verum est secundum animam, quia de carne dictum est *Iob* 9. Terra tradita est in manibus impij. Sed de anima dicitur: Custodit Dominus animas sanctorum suorum.

Nec damnabit, Deus, *eum*, scilicet iustum, *cum iudicabitur*, id est, cum iudicium fiet, *illi*, id est, ad vtilitatem eius, & ad honorem, quamuis sit à tyranno condemnatus. *August.* de Cypriano Martyre: Dixit sententiam Proconsul contra Cyprianum. Ab inferiori accipit sententiam, à superiori coronam. *Iob* 26. Causa tua velut impij iudicata est: causam iudiciúmque recipies.

Damnatio iusti ab homine semper vtilis. Et nota, quòd ad vtilitatem iusti semper sententiatur, siue pro se sententietur, siue contra se. Pro se, tunc planum est. Si contra se, aut iustè, & sic recuperat iustitiam quam ignoranter amittebat. Si iniustè, habet patientiæ remunerationem. Propter hoc dicitur *Prouerb.*12. Non contristabit iustum quicquid ei acciderit. Et *Iob* dicebat in 1. Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est.

34. *Expecta Dominum.* Hîc tertium, in quo subiungit exhortationem. Primò ne in persequutione deiiciantur per tristitiam. Secundò, quòd etiam non per iram, ibi, *Custodi innocentiam.* In prima duo. Primò ponit admonitionem. Secundò allicit ad impletionem admonitionis per vtilitatem multiplicem, quam supponit. *Et exaltabit te.* In prima duo. Primò monet ad patientiam, & sustinendum sine ira. Secundò modum patientiæ ostendit. *Et custodi.* Dicit ergo: Sic minus faciet iusto. Ergo *expecta* Dominum patienter sine ira & murmuratione sustinendo, etsi longum tibi videatur quod pateris. *Hieronymus* enim dicit in quadam epistola, Qui in angustia est constitutus, serum ei videtur Dei auxilium. Sed *expecta Dominum*, sicut alibi dictum est. Expecta Dominum, viriliter age. *Iacob.*5. Patientes estote fratres vsque ad aduentum Domini. Sed nec expectabis otiosus, quia *Eccl.*23. Multa mala docuit otiositas: imo expectando *custodi vias eius*: alioquin eo aduenient remunerationem non habebis, quia alibi in *Psal.* Secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi; quia custodiui vias Domini.

Et exaltabit te. Hîc ſubiungitur præmium, & vtilitas quæ eſt multiplex. Primò bonorum remuneratio in ſeipſis, in aliis viſa damnatio. *Cum perierint.* In prima duplex remuneratio. Exaltatio in præſenti per gratiam. Secundò in futuro per gloriam. Dicit ergo. Sic expecta, & *exaltabit te*, quem expectas, te in virtutum culmine collocando. *Eccleſ.*27. Qui operatur iuſtitiam, ipſe exaltabitur. *Eccleſ.*15. Exaltabit illum apud proximos ſuos. Et intantum exaltabit, vt tandem *hæreditate poſſideas terram*, viuentium hîc quoad gratiam, in futuro quoad gloriam. *Pſal.* Gratiam & gloriam dabit Dominus.

Cum perierint. Hîc ſecundum, in quo duo tanguntur: damnationis viſio. Secundò ipſius damnationis deſcriptio. *Vidi impium.* Dicit ergo: Sic quantum ad te: ſed quid de perſequutoribus? *Cum perierint peccatores*, qui modo affligunt te, *videbis.* Quaſi diceret: Peribunt, & tu videbis illorum interitum. *Pſal.* Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam. *Iſa.vlt.* Egredientur & videbunt cadauera virorum qui præuaricati ſunt in me, & erunt vſque ad ſatietatem omnis carnis. Hanc autem viſionem faciet Deus, volens facere potentiæ demonſtrationem. Ad *Rom.*9. Volens Deus oſtendere iram ſuam, & notam facere potentiam ſuam, &c. Item ad gloriæ bonorum augmentationem. Magis enim placet beneficium, cum videtur in aliis contrarium. Super *Lucæ* 16. Licet iuſtis ſua gaudia ſufficiant, ad maiorem tamen gloriam pœnas reproborum vident, quas per gratiam euaſerunt. Item ad diuinæ laudis excitationem. Iuſtè enim condemnans meretur laudem, ſicut iuſtè præmians. *Pronerb.*11. In perditione impiorum erit laudatio. *Apoc.*19. Audiui vocem magnam tubarum iuſtorum in cœlo dicentium, Alleluia, ſalus, laus, &c.

Pœna impiorum inſeruit iuſtis ad multa.

35. *Damnatio impij.* *Vidi impium.* Hîc ſubiungitur damnationis impij deſcriptio: & dicuntur duo. Primò impij exaltatio, & ſuper maiores & ſuper minores. *Et eleuatum.* Demum ſic eleuati velox deiectio & depreſſio. *Et tranſiui.* Dicit ergo: Sic peribunt, & hoc videbis, & hoc modo. *Vidi impium*, hominem *ſuperexaltatum*, id eſt, in dignitatibus & honoribus ſupra modum ſublimatum. *Eccleſ.*10. Eſt malum quod vidi ſub ſole, quaſi per errorem egrediens à facie principis, ſtultum poſitum in dignitate ſublimi. Exaltatur autem cum habet vnam dignitatem, ſuperexaltatur autem cum habet duas, vel plures. *Superexaltatum*, inquam, ſuper minores, & *eleuatum ſicut cedros Libani:* hoc quantum ad maiores. Cedrus enim eſt arbor altiſſima, altas arbores etiam excedens. Malus ergo hic cedro comparatur. Et hoc primò ratione altitudinis. *Amos* 2. Altitudo cedrorum altitudo eius, dicitur de quodam impio. Sic impij frequenter inter homines qui arbores ſunt. *Marc.*8. Video homines quaſi arbores ambulantes. Item ratione deiectionis. *Hieron.* Libanus eſt mons, in quo ſunt altæ cedri, quæ vento deiiciuntur. Sic impij in dignitate poſiti, eò irremediabiliùs diuino verbo deiiciuntur, quò altius eleuantur. Nec mirum, quia *Eccleſ.* 8. dicitur: Sermo eius poteſtate plenus eſt. *Sapient.*18. Non virtute corporis, nec armatura potentiæ, ſed verbo illum qui ſe vexabat ſubiecit. Item ratione nominis. Libanus enim interpretatur candidatio. Et impij exterius albi ſunt, in pulchritudine veſtium, & ſpecioſitate. *Luc.*16. Homo quidam erat diues, & induebatur purpura, & byſſo: cum ſint nigerrimi & impuſſirimi. *Matth.*23. Similes eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris quidem apparent hominibus ſpecioſa, intus autem plena ſunt ſpurcitia, & immunditia.

Impius cedro comparatur.

Et tranſiui. Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur ſic eleuati deiectio. Et primò depreſſio & annihilatio in perſona. Secundò in officio, *Quæſiui.* Dicit ergo: Sic vide eleuatum impium, *Et tranſiui*, intellectu ad eius nouiſſima conſideranda. *Exod.*3. Tranſiens videbo viſionem hanc magnam. *Et ecce*, in aperto, *non erat.* Supra eodem *Pſal.* Et adhuc puſillum, & non erit peccator. Nec tantum tranſiui in perſonam propriam, imo etiam in officium, quia *quæſiui*, ſi adhuc eſſet vtilis vita eius ad exercendum malos, *& non eſt inuentus locus eius*, id eſt, vtilitas. Supra eodem, Quæres locum eius, & non inuenies. *Iob* 7. Sicut conſumitur nubes, ſic qui deſcendit ad inferos, non reuertitur in domum ſuam. *Eccleſ.*28. Nihili factus es. De hac breuitate vitæ malorum, & cauſa ablationis eorum ſuprà ſatis. Poteſt hoc ſecundum *Gloſſam* intelligi de diabolo. Fuit enim diabolus ſuperexaltatus, quia ſuper illos qui ante legem, exaltatus vltra modum & potens. Ad *Rom.* 5. Regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſem. Et eleuatus ſicut cedrus Libani ſuper illos, qui fuerunt ſub lege. Aliter eis Dominus non dixiſſet *Ioan.* 8. Vos ex patre diabolo eſtis. Sed *tranſiui*, à conſideratione temporis quod fuit ante legem, & ſub lege, ad conſiderationem temporis, quod futurum erat ſub gratia, *& ecce non erat*, ita eleuatus, ita potens ſicut antea. *Ioan.* 12. Nunc princeps huius mundi eiicietur foras. *Matth.*12. Quomodo poteſt quis intrare in domum fortis, niſi alligauerit fortem? *Quæſiui*, *& non eſt inuentus locus eius*, vt tanquam Deus iam in mundo adoretur. *Pſal.* In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros. 36.

Cuſtodi innocentiam. Hîc ſecundum, in quo monet ne in perſequutione deiiciamur per iram, & dicuntur duo. Primò admonitio. Secundò probatio, quòd acquieſcendum eſt admonitioni, ibi, *Quoniam ſunt.* Dicit ergo ita: Sic impiis: tu ergo ne ſis ſimilis eis in culpa, & per hoc in pœna, ſed *cuſtodi innocentiam*, ne amittas ipſam, *Auguſt.* Quomodo cum auarus eras, tenebas ſacculum, ne extorqueretur à fure, ſic cuſtodi innocentiam, ne tibi extorqueatur à dæmone. Imò certè cum maiori diligentia, quia innocentia multò melior eſt quam pecunia, & diabolus fraudulentior fure. Propter hoc dicebat *Iob* 28. Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea. Iuſtificationem quam cœpi tenere, non deſeram. *Et vide æquitatem*, in Deo ſcilicet, qui iuſtus eſt, ſic tamen quod miſericors. *Iob* 33. Abſit à Deo impietas, & ab omnipotente iniquitas. *Cuſtodi* etiã *innocentiam*, quoad Deum, quia per innocentiam ordinaris, ei ſimilis factus. *Pſal.* Innocentes & recti adhæſerunt mihi. *Et vide æquitatem*, in te, te ad proximum ordinantem, ſecundum illud *Iob* 35. Homini qui ſimilis eſt tibi, nocebit iniquitas tua. 37.

Quoniam

Quid ante & post mortem bonis contingat.

Quoniam sunt reliquiæ. Hîc probat per ea primò quæ fiunt homini in morte pro bonis. Secundò per ea quæ ante mortem, ibi, *Salus autem iustorum.* Tertiò ab iis quæ post mortem in generali resurrectione, ibi, *Liberabit.* In prima primò quæ fiunt in morte pro bonis. Secundò quæ pro malis, ibi, *Iniusti autem.* Dicit ergo: Sic custodi, & vtile erit tibi non tantùm in præsenti, sed etiam in futuro. *Quoniam sunt reliquiæ*, bona post mortem memoria. *Prou.*10. Memoria iusti cum laudibus. Vel *reliquiæ*, æterna bona ineffabilia pretiosa abscondita, 1. ad *Cor.*2. Oculus nõ vidit absque te, quæ præparasti expectantibus te. *Reliquiæ* etiam sunt æterna illa bona, quæ à dæmonibus derelicta, qui dereliquerunt domicilium suum, *homini pacifico*, qui non est iracundus, sed magis pacis arbiter inter alios. *Matth.* 5. Beati pacifici: quoniam filij, &c. Ad *Roman.*8. Quod si filij, & hæredes.

Quid sit innocentia.

Et notandum primò quid sit innocentia. Secundò quam vtilis. Tertiò qualiter conseruanda. De primò *August. De vera innocentia.* Vera innocentia est quando quis nec sibi nec alteri nocet. Et intelligendum, cùm possit: cui consonat Plato dicens: Triumphus innocẽtiæ est non peccare, vbi liceat peccare. *Eccles.*31. Qui potuit transgredi, & non est transgressus: facere mala, & non fecit. Quis est hic & laudabimus eum? De secundo, vtilis est primò ad obtinenda vitæ præsentis necessaria. Hi enim Deo disponente obtinent aliorum labores. *Iob* 27. Si comportauerit quasi terram argentum, & sicut lutum præparauerit vestimenta; congregabit quidem & alius vestietur eis, & argentum innocenti diuidetur. *Ioan.*4. Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis. Secundò ad vitanda mala infernalia. *Iob* 4. Recordare obsecro quis vnquam innocens periit? Tertiò ad merenda cœlestia bona. *Psal.* Me autem propter innocentiam suscepisti, & confirmasti in conspectu tuo in æternum. *Iob.* 21. Saluabitur innocens munditia manuum suarum.

Ad quid vtilis.

Quomodo seruanda.

De tertiò, optimè seruatur per quandam ignorantiam eorum, quæ ad malum trahunt. *Senec.* de casibus fortuitis, Gallio dicit, Oculos perdidi. Seneca respondet: Non intelligis partem innocentiæ esse cæcitatem? Hinc oculi adulteritum monstrant, hinc incestum, hinc quæ concupiscantur, irritamenta vitiorum, scelerum duces sunt oculi. Et ad Lucilium loquens ait: Ignorantia rerum innocentes erant.

38. *Iniusti autem disperibunt.* Hîc secundum, scilicet quæ fient in morte malis. Dicit ergo sic de hominibus. Iniusti autem dlsperibunt. *Psal.* Peribitis gentes de terra illius. *Simul*, cum ipsis impiis, *reliquiæ impiorum*, id est, terrenæ fœlicitates & deliciæ, *interibunt.* Quasi diceret: In hoc assimilantur terreni & terrenæ deliciæ, quia simul deficient. *Eccles.* 14. Omne opus corruptibile in fine deficiet: & qui operatur illud, ibit cum illo. Vel potest legi, vt *simul* determinet verbum: *Disperibunt*, vt sit sensus. *Iniusti autem disperibunt simul*, scilicet in iudicio, cum dicetur similiter omnibus, *Matth.* 25. Discedite à me omnes operarij iniquitatis. *Isa.* 24. Congregabuntur in congregatione vnius fascis in lacum. *August. Disperibunt in idipsum*, id est, in æternum, vbi semper *idipsum*, scilicet dolor & miseria sine mutatione, & transitu in oppositum.

Et reliquiæ impiorum, id est, terrena, quæ relinquunt velint, nolint, & æstimant valde pretiosa, *interibunt.* 1. *Ioan.*2. Transit mundus, & concupiscentia eius. Sic autem ordinatur contra auaros, vt notet quod magis durant habita quam habentes. Dixit enim primò destructionem impiorum, quam diuitiarum suarum. *Psal.* Et relinquent alienis diuitias suas. Et nota, quòd ibi destruitur opinio eorum qui dixerunt mundum indeficientem, & sequacium.

Diuturnior possessio possessore.

Salus autem iustorum. Hîc secundum, in quo probat per id quod fit à Deo homini ante mortem. Et hoc tribus modis. Primò quia infirmantes saluantur. Secundò quia impugnanti protegunturibi, *Et protector.* Tertiò quia operantes adiuuantur. *Et adiuuabis eos.* Dicit ergo: Sic iniusti: *Autem* sed pro custodita innocentia, & visa æquitate in seipsis, *salus iustorum est à Domino. Prouerb.*21. Equus paratus ad diem belli. Deus autem salutem tribuet triplicem. Naturæ de qua *Eccles.*30. Non est sensus super sensum salutis corporis. *Luc.* 6. Virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Item gratiæ de qua *Eccles.*30. Salus animæ in sanctitate iustitiæ. *Psal.* Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Et salutem gloriæ, quæ est coniuncti, de qua *Ioël.* 2. In Ierusalem erit saluatio, quando illud implebitur, 1. ad *Corinth.*15. Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Et hoc *à Deo. Iob.* 5. Qui ponit homines in sublimi, & mœrentes erigit sospitate. 39.

Et protector eorum in tempore tribulationis, scilicet in pugna, hoc est, in tempore belli. *Nauun* 1. Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis. *Ier.* 16. Dominus fortitudo mea, & robur meum & refugium meum.

Et adiuuabit eos, Dominus, supple, eis cooperando. *Isa.*26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. *Ioan.* 15. Sine me nihil potestis facere. *Oseæ* 13. Perditio tua ex te Israël, tantum ex me auxilium tuum. 40.

Et liberabit eos. Hîc probat ab iis quæ facturus est post mortem: & tangitur primò præmium. Secundò meritum, ibi, *Quia sperauerunt in eo.* Præmium autem tangitur triplex. A corruptione liberatio, à peccatoribus segregatio, ibi, *Et eruet.* Et æternæ salutis collatio. *Et saluabit.* Ait enim: Sic adiuuabit ante mortem, & post *liberabit* eos, liberos faciet à labore, quo laborant modo in vinea Domini. *Matth.* 20. Liberos faciet à corruptione, cui subditi fuut modò. Ad *Roman.*8. Vanitati subiecta est omnis creatura non volens.

Et eruet eos à peccatoribus, separando tanquam agnos ab hœdis. *Matth.* 25. Tanquam grana à paleis. *Matth.* 3. Cuius ventilabrum in manu eius: & permundabit aream suam.

Et saluabit eos, in corpore & in anima. Et hoc *quia sperauerunt in eo. Psal.* Qui saluos facit sperantes in se. *Prouerb.* 16. Qui sperat in

beatus eſt, iam in ſpe, poſtmodum verò erit in re.

IN XXXVII. PSALMVM.

Pſalmus Dauid in rememoratione ſabbati.

1.

2. *Argumentũ Pſalmi, exhortatio ad pœnitentiã exẽplo Prophetæ.*

Domine ne in furore tuo arguas me. In præcedenti Pſalmo quia à Deo eſt omne bonum, à libero autem arbitrio omne malum, monuit ſoli Deo, relicto malorum conſortio, adhærere: & quia aliquis peccator & imperfectus quæreret, qualiter ſit Deo adhærendum, reſpondet in hoc Pſalmo, quia per veram pœnitentiam, vnde ad veram monet pœnitentiam. Hic enim eſt tertius Pſalmorum pœnitentialium, exhortans nos ad veram pœnitentiam, & inſtruens de illa.

Titulus autem talis præponitur huic Pſalmo ſecundum *Caſſiodor. Pſalmus Dauid in rememoratione.* Et eſt ſenſus tituli: *Pſalmus* iſte eſt *Dauid* literalis, vt Auctoris figuralis, ſcilicet pœnitentis, vt recolentis & lugentis, habitus *in rememoratione*, peccati, ſupple, ad euitandum ipſum & deteſtandum. In hoc autem Pſalmo docetur pœnitens habere ſemper peccatum in memoria, & recordatione, vt ipſum defleat & caueat, ſecundum illud *Iſa.*38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Sed *Hieron.* & *Auguſt.* addunt, *In rememoratione ſabbati.* Et eſt ſenſus: Iſte Pſalmus conuenit Dauid, id eſt, pœnitenti, habitus pro *rememoratione ſabbati:* pro enim ſumitur pro in. Sabbatum autem futura requies appellatur, de qua *Iſa.* 32. Sedebit populus meus in multitudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie oppulenta. Et ad *Hebræ.*4. Relinquitur ſabbatiſmus populo Dei: hoc enim ſabbatum debet recogitari cum timore amittendi, cum deſiderio adipiſcendi. *Pſal.* Super flumina Babylonis illic ſedimus, & fleuimus cum recordaremur tui Sion. Et ſecundum *Caſſiodor.* totus Pſalmus legitur de Beato Iob, qui introducitur loquens & afflictus, vt pœnitentium onera eius exemplo fiant leuiora. 2. *Machab.* 6. Adoleſcentibus forte exemplum relinquetur.

Memoria futuræ quietis vtilis.

Nota, quod debemus frequenter illud ſabbatum recogitare, primò vt ipſum vehementius appetamus: recordatio enim accendit deſiderium. *Ierem.*51. Recordamini procul Do-Dominum, & Ieruſalem aſcendat ſuper cor veſtrum. Item vt præſentes labores temperemus: recordatio enim facit gaudium in corde. 1.ad *Tim.*1. Gaudio replebo recogitans animo. *Eccleſ.* 5. Non ſatis recordabitur diebus vitæ ſuæ miſeræ, eò quod Deus occupet cor eius deliciis ſpiritualibus, ſupple. Item vt temporalia non curemus: qui enim æterna veraciter recogitat, temporalia abiicit, & non amat. *Gregor.* Qui cœleſtis vitæ dulcedinem interiùs agnoſcit, ea quæ exterius amauerat, cuncta relinquit. In comparatione eius vileſcunt omnia: habita deſerit, & congregata diſpergit.

Diuiſio Pſalmi. Duo lamentatur peccator, ſua peccata, & pœnas Chriſti.

Diuiditur autem Pſalmus iſte in duas partes. Primò enim pœnitens lamentatur, & conqueritur pro ſeipſo. Secundò loquens pro capite ſuo, hoc eſt, de miſeriis, quas ſuum caput ſuſtinuit pro ſe, ibi, *Amici mei, & proximi.* Prima diuiditur ſecundum duplicem cauſam lamentandi. Prima quidem eſt timor, ſecunda, dolor. Lamentatur ergo primò præ timore. Secundò præ dolore, ibi, *Putruerunt & corruptæ ſunt.* In prima duo. Primò præmittitur lamentabilis oratio. Secundò perſuaſio ſubiungitur, quòd debeat exaudiri, ibi, *Quoniam ſagittæ tuæ.* In prima duo, ſecundum duo quæ petit. Primò ne damnetur in iudicio. Secundò ne affligatur in purgatorio, ibi, *Neque in ira tua.*

Lamentatio duplex, ex timore & dolore.

Dicit ergo: O *Domine ne in furore tuo*, in iudicio ſcilicet, in quo videberis furioſus, ſecundum illud *Prouerb.* 6. Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ. *Iſa.*30. Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius. Quaſi diceret: Domine non ſim de illis quibus dicturus es illud *Matth.* 35. Ite maledicti in ignem æternum, &c.

Neque in ira tua, quæ maior eſt furore, vt intelligatur ignis purgatorius, *corripias me. Auguſt.* Emendet me. Ibi enim emendantur animæ, non in inferno. 1. ad *Corinth.* 3. Ipſe autem ſaluus erit quaſi per ignem: quod dictum eſt de punitis in purgatorio.

Vel ſic: *Domine ne arguas me, & corripias me, arguas* verbis, *corripias* factis. Et in furore tuo, & in ira, ſed magis in virga, ſecundum illud *Pſal.* Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Ad *Hebr.* 12. Quos enim diligit Deus, caſtigat, & flagellat omnem filium quem recipit.

Nota ergo, quòd hîc puniri iſte mauult, quam in purgatorio: cuius ratio eſt, quia illa pœna eſt multo acerbior. *Auguſt. in ſermone de igne purgatorio*, illa pœna acerbior eſt quam quicquid in hoc ſæculo pœnarum aut videre, aut ſentire, aut cogitare quis poteſt. Ideò dicitur *Iſa.*33. Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? Item quia diuturnior vt æſtimatur à multis, quantum annus die. *Ezech.*4. Dedi tibi diem pro anno. Item quia eſt inutilior, quam præſens pœnitentia: præſens enim pœnitentia, eſt ſatisfactoria, & meritoria: ſed pœna purgatorij tantum ſatisfactoria, non meritoria: quippe quia præſens eſt voluntaria, illa non, ſed eſt ibi pura paſſio. Paſſionibus enim non meremur, etſi purgemur. *Eccleſ.* 9. Quicquid poterit manus tua, &c.

Purgatorij pœna grauior quam vita huius.

Quoniam ſagittæ tuæ. Hîc perſuadet vt ſuæ conſentiat petitioni, & hoc dupliciter. Primò oſtendendo miſeriam pœnæ. Secundò miſeriam culpæ confitendo, ibi, *Quoniam iniquitates.* In prima tria. Primò oſtendit miſeriarum numeroſitatem. Secundò diuturnitatem, ibi, *Non eſt ſanitas.* Dicit ergo: Sic rogo Domine vt me tunc non affligas, & non debes, quoniam ſagittæ tuæ, iudicantes & affligentes me miſeria, à te immiſſæ, *infixæ ſunt mihi*, & in corpore & in mente fixæ ſunt. Et *Naum* 1. dicitur: Non conſurget duplex tribulatio. Vnde ſi hic affligis, ibi non debes affligere. Quæ ſunt ſagittæ *Auguſtin.* oſtendit dicens, Portamus corpus mortale plenum ſollicitudinibus, obnoxium doloribus, & indigentiis languidum etiam cum ſanum eſt. Ecce ſagittæ de quibus *Iob* 6. Sagittæ Domini in me ſunt, quarum idignatio ebibit ſpiritum meum. Primò

3.

Miſeria triplex magnitudo.

inten

intendebantur hæ ſagittæ cùm Dominus dicebat Adæ. *Geneſ.* 2. In quacunque die comederitis, morte moriemini. Et ipſo comedente ſtatim ſunt emiſſæ, & infixæ, ſecundum illud *Thren.* 3. Tetendit arcum ſuum comminando, & poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam. Miſit in renibus meis filias pharetræ ſuæ, puniendo. Infixæ autem ſunt, non ad momentum: imò *& confirmaſti ſuper me manum tuam*, vt maneat affligens me vſque ad finem. *Iob* 14. Caro eius dum viuet, dolebit. Hæc eſt illa manus de qua 1. *Reg.* 5. Grauiſſima valde manus Domini eſt.

Poteſt etiam legi de ſagittis aliis, ſcilicet verbo Domini. Quaſi diceret: Parce mihi in ira & in furore, & debes: *Quoniam ſagittæ tuæ*, id eſt, verba tua. *Pſal.* Sagittæ potentis acutæ. *Infixæ ſunt mihi*, id eſt, in corde meo fixæ. Et licet auferant peruerſam delectationem, conferunt tamen vulneris dolorem, quia recordari faciunt æterni ſabbati, quo caremus. Vnde poſtquam dictum eſt alibi, ſagittæ potentis acutæ, ſubiunctum eſt ſtatim, cum carbonibus deſolatoriis. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt. *Auguſt.* Qui hoc vulnere non fuerit vulneratus, non poterit ad veram ſanitatem peruenire. Sed quia dilatio deſiderati longa videtur amanti, ſubdit: *Et confirmaſti ſuper me manum tuam*, id eſt, vindictam, quam differs, quam deſidero. *Iob.* 30. Clamabo ad te, & non exaudies me, ſto, & non reſpicis me, mutatus es mihi in crudelem.

Verbum Dei ſagittæ comparatum.

Verbum autem Domini ſagittæ comparatur. Primò quia eminus, hoc eſt, de longè ferit, gladius autem cominus. *Iſa.* 8. Audite verbum Domini vniuerſæ procul terræ. *Pſal.* In fines orbis terræ verba eorum. Secundò, quia volat, & velociter valdè currit ſicut ſagitta. *Pſal.* Velociter currit ſermo eius. 2. ad *Theſſ.* 3. Orate vt ſermo Dei currat, & clarificetur. Item quia intrat profundius quam gladius: verbum enim Domini penetrat vſque ad intima cordis. Ad *Hebræos* 4. Viuus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Item quia extrahitur difficilius, propter vncos quos habet. Sic ſermo Dei receptus in corde, non citò auellitur. *Eccleſ.* 24. Memoria mea in generatione ſæculorum, dicit ſapientia.

4. *Non eſt ſanitas.* Hîc tangit afflictionis vniuerſitatem, primò oſtendit afflictionem in exterioribus. Secundò in interioribus. *Non eſt pax oſſibus meis.* Notandum autem, quòd ira appellatur, vel vindicta iam illata homini propter primorum parentum peccatum, vel in iudicio inferenda, & ſecundum hoc legitur dupliciter. Primò ſic: *Confirmaſti ſuper me manum tuam*, intantùm, quod *non eſt ſanitas in carne mea. Matth.* 26. Caro autem infirma. *A facie iræ tuæ*, hoc eſt, à præſentia vindictæ tuæ, primis parentibus inflictæ. *Eccleſ.* 40. Iugum graue ſuper filios Adam à die exitus illorum de ventre matris ſuæ. *Et non eſt pax oſſibus meis*, hoc eſt, interioribus meis, *à facie*, id eſt, afflictionis immiſſæ propter peccata mea. *Ier.* 12. Gladius deuorabit ab extremo terræ, id eſt, corporis exterioribus, vſque ad extremum eius, id eſt, vſque ad interiora. Ecce quod dixerat ſanitatem, hoc etiam vocat pacem: quia ſecundum *Auguſt. de Ciuit. Dei*, Pax carnis, vel corporis, eſt partium ordinata temperatura. Secundò modo ſic. Plango dilationem æterni ſabbati. Si quæris quare? Reſpondeo. Quia *non eſt ſanitas in carne mea, à facie*, id eſt, à recordatione *iræ tuæ*, in iudicio futuræ. *Iob* 20. Ego cum recordatus fuero, pertimeſco, & concutit carnem meam tremor. Et hoc, *à facie iræ tuæ. Iob* 23. A facie eius turbatus ſum, conſiderans eum iudicantem, timore ſollicitor. *Et non eſt pax oſſibus meis*, imò vſque ad interiora concutior: *à facie*, id eſt, à recordatione *iræ tuæ*, id eſt, peccatorum meorum. *Iſa.* 58. Non eſt pax impiis, dicit Dominus. *Lib.* 19. *c.* 13

Quare in carne humana non eſt ſanitas.

Et nota, quod non eſt ſanitas in carne humana: quod patet ex tribus. Primò ex continua indigentia: indiget enim quotidie illis medicamentis de quibus *Auguſt.* Medicamentum famis eſt cibus, ſitis potus, & fatigationis ſomnus. Et dicit, quòd mortales morbi iſti interficiunt, niſi hæc apponantur. Secundò patet ex continua vitæ deficientia. Sicut enim mortuus dicitur, cui tota vita detracta eſt, ſic infirmus cui aliquid detrahitur, & aliquid eſt detractum ſecundum *Auguſt. de Ciuit. Dei*, *lib.* 13. Quicquid temporis detrahitur, de ſpatio viuendi detrahitur: & quotidie fit minus, minuſque quod reſtat. Et continuè morimur. 2. *Reg.* 14. Omnes morimur, &c. Item hoc patet ex immutationis frequentia. *Iſidor.* Sanitas dicta eſt quaſi ſanguinis ſtatus, quando ſcilicet ſtant humores. Sed illi nunquam per horam ſtant: dicunt enim naturales Aſtronomi, quod creſcente lumine Lunæ creſcunt humores in corpore, & decreſcente decreſcunt: ſed non eſt momentum in quo Luna non moueatur in augmentum vel diminutionem: ergo ſimiliter in noſtro corpore. *Iob* 14. Fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet. *Auguſt. de Ciuit. Dei.* Nihil aliud eſt tempus vitæ huius, quam quidam curſus ad mortem, in quo nemo vel paululum ſtare, vel aliquantò tardius ire permittitur.

5. *Miſeria peccati magnitudo.*

Quoniam iniquitates meæ. Hîc perſuadet confitendo miſeriam culpæ. Confiterur autem primò culpæ multitudinem. Secundò magnitudinem. *Supergreſſæ.* Tertiò grauitatem ſiue impoſſibilitatem euadendi. *Et ſicut onus.* Dicit ergo: Nunc vſque ad intima penetrans mala mea, *quoniam iniquitates meæ*, non vna tantum iniquitas. 1. *Eſdr.* 9. Iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt ſuper nos. *Supergreſſæ ſunt*, pro magnitudine ſua, *caput meum*, id eſt, rationem. *Caſſiodor.* Caput eſt ratio, qua inter bona collata nihil celſius habetur. *Supergreſſæ ſunt caput*, quia rationi dominatæ ſunt, tenentes eam ſeruam. *Ioan.* 8. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. *Iſa.* 26. Domine Deus noſter, Domini poſſederunt nos abſque te, ſcilicet iniquitates. Alia litera habet: *Iniquitates meæ ſuſtulerunt caput meum.* Et hoc verum eſt: quò enim ratio peccato magis ſerua efficitur, eò magis contra Dominum erigitur. *Pſal.* Qui oderunt te, extulerunt caput.

Et ſicut onus graue, ſcilicet ſuper me, vt non poſſim euadere. *Ierem.* 23. Onus erit vnicuique ſermo ſuus, ſiue ſermo cordis ſui, ſiue peccatum oris, quantò magis peccatum operis? *Iſa.* 1.

Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, &c. Et nota, quòd peccatum oneri comparatur. Primò ratione incuruationis, quia ſuperiora portantis onus deprimit, & ſic curuum facit. Similiter & peccatum. *Iſa.* 2. Incuruabitur ſublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum. *Luc.* 18. Publicanus autem à longè ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare. Item ratione fatigationis. Onus enim laſſum facit portantem. Sic peccatum *Sap.* 5. Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles. *Iſa.* 46. Onera veſtra vſque ad laſſitudinem graui pondere contabuerunt portantes illa. Item ratione retardationis. Retardat enim onus à motu grogreſſiuo, maximè ſurſum. Sic peccatum à motu progreſſiuo in cœlum. *Pſal.* Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens manibus, & mundo corde, hoc eſt, qui ſine peccato eſt. Ad *Hebr.* 12. Deponentes omne pondus, & circunſtans nos peccatum per patientiam curramus, &c. Item ratione præcipitationis. Peccatum enim citò facit hominem præcipitari. *Iob* 21. de peccatoribus: Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. *Iſa.* 24. Grauabit eam iniquitas ſua, & corruet.

Quare peccatum onus dicitur.

6. *Lamentatio ex dolore.*

Putruerunt & corruptæ ſunt. Poſtquam egit de terrore affligente, ſequitur de dolore: & primò enumerat dolores quos habet ex malorum præſentia. Secundò quos habet ex bonorũ abſentia, ibi, *Domine ante te.* In prima duo. Primò oſtendit dolorem quem habet ex iteratione culpæ actualis. Secundò quem habet ex reliquiis originalis. *Quoniam lumbi mei.* In prima ergo duo dicuntur. Primò confitetur culpam inexcuſabilem. Secundò oſtendit miſeriam conſequentem ex illa culpa, ibi, *Miſer factus ſum.* In prima duo. Primò tangitur culpæ iteratio. Secundò remouetur excuſatio. *A facie.* Dicit ergo: Sic onerant me peccata mea, nec tantum hoc, imo corrumpunt, quia *cicatrices meæ*, id eſt, plagæ meæ in baptiſmo ſanatæ: omnes enim naſcuntur vulnerati, & ſauciati in naturalibus. *Luc.* 10. Plagis impoſitis abierunt. Sed renaſcendo in baptiſmate vulnera ſanantur, remanentibus quibuſdam veſtigiis, & inclinationibus ad peccatum, quæ dicuntur cicatrices. *Iſidor.* Cicatrix dicitur, quia obdurat vulnera, atque obcæcat. *Ierem.* 30. Obducam cicatricem tibi, & à vulneribus tuis: ſanabo te. *Putruerunt* autem, dum concupiſcentiæ conſentitur, *& corruptæ ſunt*, dum talis conſenſus producitur ad actum. *Micha.* 7. Propter immunditiam eius corrumpetur putrefactione peſſima: putredo enim non patitur conſortium: nec tales conſortium Eccleſiæ militantis, vel triumphantis: ab vtra deiecti ſunt. *Iſa.* 14. Quaſi cadauer putridum non habebis conſortium. Hinc eſt quod leprâ percuſſi, quia morbus putridus eſt, extra caſtra proiiciuntur. *Leuit.* 13. Et hoc, *à facie*, id eſt, à præſentia *inſipientiæ meæ*: potui enim per vires mihi datas peccata reſiſtere: ſed impletum eſt in me illud *Prouerb.* 19. Stultitia hominis ſupplantat greſſus eius. *Eccleſ.* 15. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod complacuerit ei, dabitur ei. Stultitia ergo & inſipientia magna eſt, relinquere bonum, & eligere malum.

Dolores ex malorum præſentia.

Putredo non patitur conſortium.

Litera *Auguſtin.* habet *liuores*, vbi habemus cicatrices: & eſt ſenſus: *Liuores* mei, pœnalitates relictæ in me ex tua punitione ô Domine, *putruerunt mihi* ipſi, id eſt, fœtent mihi, *& corruptæ ſunt*, vt etiam fœteant aliis. *Iob* 2. Aſcendet fœtor eius, & putredo eius, quia ſuperbe egit. Bene autem liuorem dixi reſiduum flagelli, quia *Eccleſ* 27. dicitur: Flagelli plaga liuorem facit. Et quia ſic fœtent liuores mei, neceſſe eſt odorare æternum ſabbatum, vbi eſt ſapientia quæ de ſe dicit. *Eccleſ.* 24. Sicut cynamomum & balſamum aromatizans odorem dedi. *A facie inſipientiæ meæ*: hoc non mutatur.

7. *Quatuor in peccato mala, totidem pœnis punita.*

Miſer factus ſum. Hîc ſecundum, in quo oſtendit miſeriam ex culpa cauſatam, & tangit quatuor contra quatuor quæ fuerunt in culpa. Primum eſt delectatio, quantum ad hoc dicit, *Miſer factus ſum.* Elatio contra Dominum: quoad hoc dicit, *Et curuatus ſum.* Perſeuerantia: contra hoc dicit, *Vſque in finem.* Et continuatio: quoad hoc addit, *Tota die contriſtatus.* Dicit ergo: Sic inexcuſabiliter peccaui, & propter hoc *miſer factus ſum*, vt miſeria reſponderet delectationi, quam habui in peccato. Quippe *Prou.* 13. Miſeros facit populos peccatum. *Et curuatus ſum*, contra elationem, qua me extuli in peccando: quippe peccata onus ſunt. Paulò ante: Sicut onus graue, &c.

Miſer factus ſum, incommutabile bonum, quod Deus eſt, deſerendo: *& curuatus ſum*, me ad bonum commutabile conuertendo, ita quod non poſſum me ſurſum erigere. *Pſal.* Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram. *Luc.* 13. Mulier inclinata incedebat 18. annis, & ſurſum reſpicere non valebat. Et *vſque in finem*, quia potens recedere à peccato non receſſi ſtatim ab eo, ſed in eo manſi. *Eccleſ.* 5. Cunctis diebus vitæ ſuæ comedit in tenebris & in curis multis. Et *tota die contriſtatus*, id eſt, continuè: quia continuitas fuit in peccato meo. Ad *Rom.* 9. Triſtitia eſt mihi magna, & dolor continuus cordi meo. *Thren.* 1. Poſuit me deſolatam, tota die mœrore confectam. *Pſal.* Et fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis. Et tamen non deſperabam, imo ſic *tota die contriſtatus ingrediebar* in illud æternum ſabbatum, meditatione quadam & auiditate. Non enim tribulatio retrahit ab ingreſſu in illud, ſed magis impellit. *Act.* 14. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.

Circũſtantiæ veri doloris.

Nota ergo, quod dolor peccatoris meretur regni æterni ingreſſum, ſi tamen habuerit circunſtantias quæ hîc tanguntur. Primò ſi fuerit doloris perpetuitas vſque in finem. *Iob* 14. Caro eius dum viuet dolebit. Alia, ſi fuerit doloris continuitas. *Tota die. Thren.* 3. Poſuit me deſolatam, tota die mœrore confectam. Tertiò, ſi fuerit acerbitas, quæ notatur cum dicitur: *Contriſtatus*, id eſt, ex toto triſtatus. *Ierem.* 3. Luctum vnigeniti fac tibi, &c. *Thren.* 2. Magna eſt velut mare contritio tua, quis medebitur tui? Poſt has eſt ingreſſus.

Quoniam lumbi mei. Hîc enumerat dolores cauſa 8.

Miſeria ex peccati reliquiis.

cauſatos ex reliquiis culpæ originalis. Tangit ergo primò reliquias. Secundò miſerias inde exortas. *Afflictus ſum.* Reliquiæ ſunt illuſiones mentis. Has tangit primò. Et pœnalitates carnis: has tangit ſecundò. *Non eſt ſanitas.* Dupliciter autem legitur, quia lumbi poſſunt accipi pro ſuperiori parte animæ, vel pro ſenſualitate. Primò modo ſic: Ita contriſtatus ingrediebar: nec mirum, *quoniam lumbi mei*, intellectus ſcilicet, & affectus. Iſti ſunt lumbi animæ. 1. *Pet.* 1. Succincti lumbos mentis veſtræ. Intellectus illuſionibus impletur, quia falſa recipit pro veris: affectus, quia mala pro bonis. *Iob* 9. In calle meo tenebras poſuit, quantum ad primum. De vtroque autem. *Eccleſ.* 6. Non vidi ſolem, quoad primum: nec agnoui diſtantiam boni & mali, quoad ſecundum. *Iſa.* 66. In abominationibus anima eorum delectata eſt. Vel lumbi appellantu ſenſualitas ipſa. Quaſi diceret: *Lumbi mei*, inferior pars ſcilicet, ſenſualitas mea, *impleti ſunt illuſionibus*, diabolicis, & malis ſuggeſtionibus. *Eccl.* 11. Multæ ſunt inſidiæ doloſi. *Pſal.* Miſit in eos iram & indignationem, immiſſiones per Angelos malos.

Lumbi animi qui ſint.

Et non eſt ſanitas in carne mea. Ecce pœnalitates in carne, nec mirum, cum ſint enim multæ miſeriæ in anima, non eſt poſſibile eſſe ſanitatem in corpore. *Iſa.* 1. A planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas. *Iob* 16. Circundedit me lanceis, conuulnerauit lumbos meos.

9. *Afflictus ſum & humiliatus.* Tactis reliquiis originalis culpæ, tangit miſerias ex illis cauſatas. Et primò tangitur afflictio in carne. Secundò ex afflictionibus deiectio & humiliatio in mente. *Et humiliatus.* Tertiò ex adiuncto vehemens lamentatio. *Rugiebam à gemitu.* Ait ergo: Non eſt ſanitas in carne mea, ex reliquiis originalis culpæ, & ideò, *afflictus ſum, & humiliatus ſum. Lumbi* autem *impleti ſunt illuſionibus*, & ideò *humiliatus ſum nimis.* Propter primum dicitur *Thren.* 1. Vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus eſt inimicus. Propter ſecundum in *Pſal.* Humiliatus ſum, & ſilui à bonis. *Eccleſ.* 7. Humilia ſpiritum tuum valde. Vel ſic: *Afflictus ſum*, pro dilatione veri & æterni ſabbati, *& humiliatus ſum nimis*, comparando ad eius dilationem meum deſiderium, video me nimium deſertum. *Pſal.* Ego dixi in exceſſu meo, quo cogito illud æternum ſabbatum: Projectus ſum à facie oculorum tuorum.

Rugiebam. Ecce tertium. Quaſi diceret: Sic ſum afflictus carne, ſic humiliabar mente, & etiam *rugiebam*, quod eſt beſtiarum quando validiſſimè velle ſuum oſtendunt, id eſt, cum magno deſiderio quærebam illud ſabbatum. Et iſte gemitus erat à gemitu cordis mei procedens. *Iſa.* 59. de vtroque. Rugiemus quaſi vrſi omnes, & quaſi columbæ meditantes gememus. Et cum ſit gemitus corporis exterius, & cordis interius, bene addit: *A gemitu cordis.* Ad *Rom.* 8. Ipſi inter nos gemimus, adoptionem filiorum expectantes.

Multiplex natura humiliatio ex peccato.

Et nota, quod eſt humiliata humana natura propter peccatum. Primò quantum ad habitationem: prius enim erat homo habitator paradiſi. *Geneſ.* 2. Plantauerat autem Dominus paradiſum voluptatis, à principio, in quo poſuit hominem quem creauerat. Et dicit Magiſter in ſententiis. lib. 2. diſtinct. 17. Volunt paradiſum in Orientali parte eſſe in alto ſitum, vſque ad lunarem circulum pertingentem. Sed de tanta ſublimitate deiectus eſt in vallem lachrymarum. *Pſal.* Exaltatus autem humiliatus ſum & conturbatus. Item quantum ad dignitatem: ante peccatum enim tantæ dignitatis erat, quod erat imago Dei. *Geneſ.* 1. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: ſed poſt peccatum ſimilis factus eſt iumentis. *Pſal.* Homo cum in honore eſſet, non intellexit, &c. Prius Dominus erat creaturarum. *Geneſ.* 1. Vt præeſſet piſcibus maris, & volatilibus cœli: ſed poſt factus eſt ſeruus vitiorum. *Ioan.* 8. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Tertiò quantum ad miſeriarum ſuſceptionem: prius enim erat natura hominis integra & pulcherrima. *Eccleſ.* 28. Perfectus ſapientia & decore in deliciis paradiſi tui fuiſti. Poſt peccatum autem factus eſt plenus omninibus indigentiis & miſeriis. *Pſal.* Citò anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis. *Prou.* 3. Egeſtas in domo impij.

10. *Dolori ex carentia bonorum.*

Domine ante te deſiderium meum. Hîc ſecundum, in quo poſtquam tetigit dolores quos habet ex malorum præſentia, conſequenter enumerat illos quos habet ex bonorum carentia, & primò ex carentia bonorum gloriæ. Secundò bonuum gtatiæ, ibi, *Cor meum.* In prima duo. Primò exprimitur bonorum gloriæ deſideratorum abſentia. Secundò doloris vehementia pro abſentia illa, ibi, *Et gemitus meus.* Legitur autem primum tripliciter. Primò modo, ſecundum quod per hoc quod eſt *ante*, ſignificatur deſiderij occultatio, ſub hoc ſenſu: *O Domine omne deſiderium meum*, etſi lateat omnes homines, ipſum tamen eſt *ante te.* 1. *Reg.* 16. Homo videt ea quæ patent. Deus autem intuetur cor. Et in *Pſal.* Deſiderium pauperum exaudiuit auris tua. Per hoc autem quod dicit, *Omne*, notatur deſiderij multiplicitas. Vnum enim deſiderauerunt Sancti, ſecundum illud, Vnam petij à *Domino*, &c. Sed deſiderij continuitas. *Pſal.* Quærite Dominum, & confirmamini. Ecce continuatio deſiderij.

Alio modo legitur ſecundum quod per hoc quod eſt ante ſignificatur res deſiderata, ſub hoc ſenſu, *Domine omne* quod deſidero, eſt *ante te. Pſal.* Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante, &c. Et alibi: Satiabor cum apparuerit gloria tua.

Tertio modo ſecundum quod ante ſignificat dignitatem deſiderij ſic: *O Domine omne deſiderium meum*, eſt tale, vt ſit dignum *ante te* eſſe: quia *Prou.* 11. dicitur: Deſiderium iuſti omne bonum. Et contra deſiderium impij tale eſt, quod non eſt dignum eſſe in conſpectu Dei. *Abac.* 1. Mundi ſunt oculi tui, & reſpicere ad iniquitatem non poteris. *Et gemitus meus*, quo vehementer affligor pro deſideratæ rei carentia, *à te non eſt abſconditus*, etſi

etsi ab hominibus: illum enim libenter respicis. *Isa.*40. Ad quem respiciam nisi ad pauperculum, & contritum spiritu?

Necessitas bene viuendi ex Dei intuitu.

Et nota in his verbi ostendi nobis necessitatem bene viuendi. Primò ex diuinæ visionis limpiditate, quæ hic nobis ostenditur, quia secundum quod hic dicitur, non respicit Deus tantum opera exteriora, sed etiam cordis desideria. *Domine ante te desiderum meum. Roman.*8. Qui autem scrutatur corde, scit quid desideret spiritus. *Eccles.*16. Omne cor intelligitur ab illo. Item diuinæ visionis generalitate, quia non tantum desiderium nostrum videt, sed *ante te omne desiderium.* Ad *Hebr.* 4. Omnia nuda sunt & aperta oculis. Ad quod notatur illud *Eccles.*23. Omnia videt oculus illius. Item ex diuinæ visionis continuitate, & hoc significatur in hoc quod dicit, *Ante te*, nullum addens tempus. Quasi diceret: Ante te est, & nunquam retrò. *Eccles.* 15. Multa sapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes sine intermissione. Et 17. Viæ illorum coram ipso sunt semper.

11. *Cor meum conturbatum est.* Hîc enumerat dolores ex carentia bonorum gratiæ. Primò tangit dolorem conturbantem. Secundò gratiam absentem. *Dereliquit me.* Et primò absentem in affectu, secundò in intellectu, ibi, *Et lumen oculorum.* Dicit ergo: Verè gemo, quia *conturbatum est cor meum. Iob.* 16. Nunc autem oppressit me dolor meus: & in nihilum redacti sunt omnes artus mei. *Dereliquit me virtus mea*, qua debet informari affectus, & firmari intellectus: & hoc maximè virtus patientiæ est. *Cassiodor.* Malorum abundantia mollitam in se dicit patientiæ firmitatem. Et hoc esset secundum causam. Si enim virtus in affectu remansisset, cor non esset timidum nec turbatum: sed recedente virtute timidum efficitur. *Prouerb.* 28. Fugit impius nemine persequente: iustus autem quasi leo confidens absque terrore erit.

Et lumen oculorum meorum, interiorum scilicet, *non est mecum:* excæcat enim culpa. *Psal.* Supercecidit ignis, & non viderunt solem. *Iob* 31. Si vidi solem cum fulgeret, &c. Bene excæcatus est, qui solem videre non potest. *Sapient.* 2. Excæcauit illos malitia sua. Hoc autem lumen quod illuminat mentales oculos, Deus est. 1. *Ioan.*1. Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Et appropriatè filius de quo *Ioan.* 1. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem, &c. Et in 8. Ego sum lux mundi. Plangere ergo potest talis anima. *Tob.* 10. Vt qui te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ? Ecce quod etiam virtus est. 1. ad *Corinth.* 1. Prædicamus Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.

12. *Amici mei & proximi mei.* Hîc secunda pars totius Psalmi, secundum diuisionem superiùs factam. Postquam enim expressit pœnitens miserias quas sustinet in se, hîc secundò illas exprimit quæ sustinuit in suo capite: & dicuntur duo. Primò passio narratur quam pro membris sustinuit. Secundò resurrectionem precatur, ibi, *Quoniam in te speraui.* In prima duo, secundum duo quæ concurrerunt ad passionem. Primò quidem tangitur aduersariorum malitia. Secundò capitis patientis patientia, ibi, *Ego autem tanquam surdus.* Aliorum malitia tangitur triplex. In opere, in sermone. *Et qui inquirebant.* Et in corde. *Et dolos tota die.* In opere adhuc tripliciter. Primò enim conqueritur de Iudæis. Secundò de propriis discipulis. *Et qui iuxta me erant.* Tertiò de Gentilibus ministris passionis. *Et vim faciebant.* De Iudæis dupliciter. Primò quia crudeliter ceperunt eum. Secundò quia in malitia perstiterunt. *Et steterunt.* Dicit ergo: Has miserias in me sustineo, sed vt loquar de iis quæ sustinui in capite meo, dico, *Amici mei*, ficti & falsi, scilicet Iudæi. *Eccles.* 37. Est amicus solo nomine amicus. Et in 6. Est amicus qui conuertitur ad inimicitiam. *Et proximi mei*, secundum carnem, *ipsi* scilicet Iudæi. Ad *Hebr.*7. Manifestum est, quod de Iuda ortus est Dominus. *Appropinquauerunt aduersum me, & steterunt me*, in illa malitia perseuerando, ita vt nec flecti possent ab ipso Pilato. *Ioan.*18. Pilatus dixit: Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc? Ego nullam causam inuenio in eo. At illi dixerunt: Si non esset hic malefactor, &c.

Persecutores Christi.

Potest etiam legi de membro ipso. Quasi dicat pœnitens: Sic patior & affligor in meipso, & ab iis grauius affligor cum quibus viuo, quia *amici mei*, mihi familiaritate, & voluntate coniuncti. *Cassiodor.* Amicus dicitur quasi animi æquus, quia æquali nobis voluntate coniungitur.

Et proximi mei, secundum carnem quos mihi coniunxit principium, quod est natura. *Cassiod.* Proximi sunt, qui nobis parentela sociantur. *Aduersum me appropinquauerunt*, à bono impediendo, *& steterunt*, in hoc perseuerando. *Cassiodor.* Qui solent esse remedia calamitatum, sunt cumulus passionum. *Michæ.*3. Nolite amico credere, & nolite confidere in duce.

Et qui iuxta me erant. Hîc secundum, in quo conqueritur de discipulis. Ait enim: Sic Iudæi, sed etiam quod grauius est, *qui iuxta me erant*, cognitione scilicet intellectus, & amore, pede scilicet affectus, *de longè steterunt*, timore concussi. *Matth.* 26. Stabant omnes noti eius à longè. Et tunc *vim faciebant qui quærebant animam meam*, non ad iuuandum, vnde conqueritur, Non est qui requirat animam meam, sed ad perdendum, scilicet Gentiles ministri passionis. *Psal.* Accipere animam meam consiliati sunt. De membro autem sic: *Qui iuxta me erant*, in prosperis, *de longè steterunt*, in aduersis, nolentes compati infirmitatibus meis. *Iob* 19. Halitum meum exhorruit vxor mea. *Cassiodor.* Quod ille tolerabat in vulnere, ipsi sustinere non poterant in odore. Quid rogo extraneorum fastidia facerent, dum halationes eius vxoris charitas sustinere non poterat?

Conqueritur de discipulis.

Et vim faciebant, diabolus & ministri eius, *qui quærebant animam meam*, non aliud. *Gen.*14. Da mihi animas, cætera tolle tibi. Item nota, quod qui iuxta Dominum sunt, clerici sunt iuxta ministerij exhibitionem. *Num.*26. Audite filij Leui. Num parum vobis est quod separauit vos Deus Israël ab omni populi, & iun-

13.

xit

Secũda pars Psalmi. Lamentatio de Christi passione.

Passionis descriptio.

ſibi ? Item ſunt iuxta habitationem : habitant enim iuxta Eccleſiam. *Ezech.*43. Qui fabricati ſunt limen ſuum iuxta limen meum, & poſtes ſuos iuxta poſtes meos. Iuxta etiam ſunt cognitione. *Ierem.* 5. Ibo igitur ad optimates, & loquar eis. : ipſi enim cognouerunt viam Domini, & iudicium Dei ſui. Sed hi de longè facti ſunt, affectione. *Ierem.*12. Propè es tu ori eorum, longè autem à renibus eorum. *Gregor. in quadam homilia.* Deum vocibus ſequuntur, moribus fugiunt : imò magis impugnant, & vim faciunt ipſi Chriſto. *Bernard.* O Domine videtur coniuraſſe contra te populus tuus. Nam illi in perſequutione tua primi ſunt, qui in Eccleſia videntur gerere principatum. *Iſa.* 65. Populus qui ad iracundiam prouocat me, ante faciem meam ſemper eſt.

Clerici Chriſto multipliciter proximi.

Et qui inquirebant. Hîc tangit malitiam oris. Ait enim : Sic me perſequuti ſunt opere. *Et qui inquirebant mala*, culpæ, ſi aliqua eſſent in me, & hoc *mihi*, ſcilicet ad damnum meum, ſcilicet Iudæi, contra illud *Prouerb.*24. Ne inſidieris, & quæras impietatem in domo iuſti. *Auguſt.* Qui quærebant peccatum in eo qui peccatum non fecit, reſtat vt fingerent quod non inueniebant. Et hoc eſt quod dicit : *Loquuti ſunt vanitates.* Quinque enim finxerunt falſitates. Primò, quòd tributa dari Cæſari prohiberet. *Luc.* 23. Hunc inuenimus ſubuertentem gentem, & prohibentem tributa dari Cæſari. Secundò, quòd ipſum populum contra Cæſarem concitaret. In eodem paulò poſt : Commouit populum docens per vniuerſam Iudæam, incipiens à Galilæa vſque huc. Et intelligebant de commotione contra Cæſarem. Tertiò, quòd ſe in iniuriam Cæſaris regem faceret, & iactaret. *Ioan.* 19. Omnis qui ſe regem facit, contradicit Cæſari. Quartò, quòd de reparatione templi in die tertio ſe iactaret. *Marc.* 14. Nos audiuimus eum dicentem : Ego diſſoluam templum hoc manu factum, & poſt triduum aliud non manu factum reædificabo. Et hoc falſum erat. Quintò, quod blaſphemaret in Deum, eò quòd dicebat ſe Dei filium ſeſſurum à dextris Dei, & venturum ad iudicandum. *Matth.*26. Videbitis filium hominis, ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli. Tunc princeps Sacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens : Blaſphemauit. Et poſt mortem corde, *dolos tota die meditabantur*, quando pecunia cuſtodes corrumpere moliti ſunt. *Matth.* 28. Conſilio accepto pecuniam copioſam dederunt dicentes : Dicite quia Diſcipuli eius venerunt nocte, & furati ſunt eum vobis dormientibus.

Quinque falſa crimina Chriſto obiecta.

Poſſunt & hæc legi de membro. *Qui inquirebant mala mihi*, carnales ſcilicet amici, qui ad culpam impingunt, quod ſignificatum fuit in vxore *Iob* 3. Benedic Deo, & morere. *Micha.* 7. Inimici hominis, domeſtici eius. *Loquuti ſunt vanitates*, corpori, non animæ conſulendo : dicunt enim cum Laban *Gen.* 31. Cur me ignorante fugere voluiſti, nec indicaſti mihi vt proſequerer te ? *Et dolos tota die meditabantur*, quomodo poſſint extinguere initium boni propoſiti. Propter quod *Eccleſ.*37. Noli conſiliari cum eo qui tibi inſidiatur. Et nota, quòd vaniloquium eſt turpis inquinatio ipſius vaniloqui. *Gregor. in Paſtor.* Auctorem ſuum loquacitas inquinat, quam ſeruire auditoribus ad vſum profectus ignorat. *Leuit.* 15. Vir qui patitur fluxum ſanguinis, immundus erit. Eſt etiam cordis ſeductio. *Iacob.* 1. Non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, eius vana eſt religio. Item vacuitatis ab omni bono manifeſtatio. *Seneca in lib. de naturalibus quæſtionibus.* Vides quantò ſonoriora ſunt vacua quam plena. *Prouerb.*19. Vbi verba ſunt plurima, ibi frequenter egeſtas. *Matth.*21. dictum eſt arbori in qua no erant niſi folia : Nunquam naſcantur ex te fructus in ſempiternum. Item oris abuſiones ſunt. *Chryſ. ſuper Matth.* Famulum habentes ipſo vtimur ad neceſſarias res, os autem habêtes ad res inutiles. Item terribilis eſt valde toti conſortio in quo habitat : quippe *Iacob* 3. dicitur : Lingua ignis eſt vniuerſitas iniquitatis in membris noſtris, quæ vitam natiuitatis incendit. Hunc autem ignem accendunt & euomunt continuè loquaces, quis non timeret habitare iuxta talem ? Propter hoc *Eccleſ.*9. dicitur : Terribilis in ciuitate ſua homo linguoſus. Item locum dat in ſe diabolo. Sicut enim inſtructio, vel ſancta oratio locum dat Deo, ſic vaniloquium diabolo. *Super Matth.* Vanum ſermonem dicentes, damus locum in nobis immundis ſpiritibus agendi quod volunt, contra illud. *Epheſ.*4. Nolite locum dare diabolo.

Loquacitas malum.

Ego autem tanquam ſurdus. Oſtenſa alietum malitia, hîc ſubiungitur Chriſti patientia in omnibus iſtis, & tangitur duplex patientia. Vna qua ſe non excuſauit. Alia qua alios non accuſauit. *Et factus ſum ſicut homo.* In prima duo. Primò, quòd non excuſauit ſe. Secundò oſtendit quomodo ſe habuit, ibi, *Et ſicut mutus.* Dicit ergo, Sic contra me ſæuiebant, *ego autem tanquam ſurdus non audiebam*, id eſt, me exhibui tanquam ſurdum. *Ierem.* 11. Ego autem quaſi Agnus innocens qui portatur ad victimam, non audiens quæ dicebant, & ſic non excuſans me. 14.

Et ſicut mutus non aperiens, qui non aperit os ſuum ad vituperandum. 1. *Pet.* 2. Qui cum malediceretur, non maledicebat : cum pateretur, non comminabatur. Sic & pœnitens debet ſe habere erga malos tam domeſticos quam alios, vt dicat : *Ego autem tanquam ſurdus non audiens. Eccleſ.* 29. Sepi aures tuas ſpinis. *Et ſicut mutus non aperiens os ſuum*, quantumcumque crucietur. *Prouerb.*26. Non reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam. Et dicit : Non aperiens os ſuum, ſaltem ad murmurandum. *Sap.* 1. Cuſtodite vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt.

Et nota, quòd maledicentibus debes te exhibere ſurdum, propter oblatam amaritudinem. Oblatis enim amaris guſtui, claudis os ne recipias. Sed maledictio grauat auditum, & eſt ei amara. *Eccleſ.* 27. Maledictio illorum auditui grauis. *Pſal.* Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt. Propter hoc dicitur *Eccleſ.* 28. Noli audire linguam nequam. Item propter inficiendi virtutē : venenoſa enim ſunt verba maledicta. *Iacob.*3. Lingua, malum inquietum, plena veneno mortifero. Et in *Pſal.* Venenum aſpidum, &c. Et ſic inficiunt

Maledicis aures obturanda & os claudendum.

eorum & labia & lingua. 1. ad *Cor.* 15. Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Item ne parias prolem consimilem, scilicet maledictum: Verbum enim semen est. *Luc.* 8. Semen est verbum Dei. Et maledictio semen maledictum. Non accommodes aurem huic maledicto, tanquam matrem, ne generes prolem similem, verbum scilicet maledictum. *Psal.* Concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Ideò dicitur *Eccl.* 13. Caue tibi, & attende diligenter auditui tuo.

15. *Et factus sum sicut homo.* Hîc ostendit, quòd nec alios accusauit, asserens duo. Quòd se exhibuit quasi non audiret. Secundò quasi nihil loqui de malis illorum sciret. *Et non habens.* Dicit ergo: Sic quantum ad excusationem factus sum tanquam surdus & mutus, & quantum ad illorum accusationem, *factus sum velut homo non audiens*, quasi audire non possem, *& sicut homo non habens in ore suo redargutiones*, paratas quibus possem eos accusare. *Hieron.* Cum me sputis inficerent, arundine verberarent, illuderéntque genu flexo, nihil commotus respondi. *Iob* 3. Nonne dissimulaui? nonne silui? Et venit super me tribulatio. *Isa.* 16. Tacui, semper silui, patiens fui. Sed quomodo dicitur hoc cum dicatur. *Matth.* 23. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ. Multas ibi redargutiones habuit in ore. Respons. Ante passionem multas habuit, in passione nullas. Et hoc intelligit hîc. Sic iustus fiat non audiens aliorum sibi illata vituperia, secundum illud *Eccles.* 27. Cunctis sermonibus qui dicuntur ne accommodes cor tuum. Et non habeat in ore redargutiones, sed magis taceat, quia *Eccles.* 7. Est tacens qui inuenitur sapiens. Et hoc valde bonum. Primò ne maledicentis augeat incendium. Materiam enim igni adiicit, qui maledictum pro maledicto impendit. *Eccles.* 8. Ne litiges cum homine linguato, & non struas in ignem illius ligna. Item ne comburas teipsum. Si enim ei durè respondeas, teipsum cum illo inflammas. Ad *Galat.* 5. Inuicem mordetis & comeditis, videte ne abinuicem consumamini. *Eccles.* 8. Ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum. Item vt de inimico lucreris amicum. *Eccles.* 6. Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos. *Socrat.* Amicitiæ principium est bene loqui, maledicere principium inimicitiarum. Item vt ostendas te Christi seruum. 1. ad *Tim.* 2. Seruum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse. Item vt tanquam fortis obtineas triumphum. Ad *Rom.* 16. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. *Cassiod.* Nihil potest esse fortius, nihil egregius, quam audire noxia, & non respondere contraria. Iste fortis obtinet campum.

16. *Quoniam in te Domine speraui.* Hîc secunda pars secundæ totius huius Psalmi, in qua post positam conquestionem eorum, quæ in capite passus est, precatur in persona capitis resurrectionem: & diuiditur hæc pars in tres partes. Primò asserit se habere confidentiam vt exaudiatur. Secundò probat quod debeat exaudiri. *Quia dixi: Nequando supergaudeant.* Tertiò supponit orationem. *Ne derelinquas me.* In prima duo. Primò tangit confidentiæ causam. Secundò exprimit confidentiam ipsam quam habet. *Tu exaudies me.*

Dicit ergo: Sic in passione tacui. Et hoc ô *Domine, quoniam speraui in te.* Vel sic: Illi me affligebant, & ego *Demine speraui in te*, quia spes in te habita firmam & fortem generat patientiam. *Ierem.* 30. In silentio & spe erit fortitudo mea. Et in *Psal.* Et in Domino sperans non infirmabor. Propter hoc dicit *Ierem.* 17. Spes mea tu Domine in die afflictionis. Et quoniam ita est, tu exaudies me, confidenter assero Domine Pater. In *Psal.* Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, &c. Et alibi, Qui saluos facis sperantes in te. Qui es *Deus meus*, id est, meæ humanitatis: inquantum enim Deus sum, vnus sum tecum Deus. *Tertia parte Psalmi, orat Christus pro resurrectione.*

Potest & hoc legi in persona ipsius pœnitentis. Quasi diceret: Hoc quod prædixi, mihi faciunt, sed in tot aduersis speraui in te Domine. *Cassiod.* Salutaris medicina est, in aduersis semper sperare. Et quoniam hoc est, *tu exaudies me Domine Deus meus. Tob.* 13. Non deseruit sperantes in se. Et nota, quòd in afflictione sperandum est in Deo. Primò quia hæc spes habet consolationem. Ad *Rom.* 12. Spe gaudentes. 2. *Paral.* 23. Vehementer sunt consolati filij Iuda, eò quod sperassent in Domino Deo patrum suorum. *Psal.* Lætentur omnes qui sperant in te, &c. Secundò quia generat mentis securitatem. *Psal.* In Deo speraui, non timebo, &c. Efficit etiam in mente fortitudinem. *Isa.* 40. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem. *Psal.* Et in Domino sperans non infirmabor. Diuinam etiam meretur protectionem. *Psal.* Protector est omnium sperantium in se. 2. *Reg.* 22. Deus meus fortis meus, & sperabo in eum. Et statim additur: Scutum meum, & cornu salutis meæ. Et tandem plenam meretur liberationem. Hoc est quod dicitur alibi. In te sperauerunt patres nostri, sperauerunt, & liberasti eos. Et quod totum consummat, æternam meretur retributionem in corpore. *Prouerb.* 28. Qui sperat in Domino, sanabitur, ab omnibus infirmitatibus in corpore, & in mente. *Psal.* Qui saluos facit sperantes in te. *Spes in tribulatione multis nominibus necessaria.*

Quia dixi, Nequando supergaudeant. Hîc subiungitur persuasio, & primò persuadet ab inimicorum malignitate. Secundò à sua bonitate. *Quoniam ego in flagella.* Persuadet autem à malignitate duplici. Primò cordis. Secundò oris. *Dum commouentur pedes mei.* Dicit ergo: Sic exaudies, & hoc debes, quia dixi orando: O Domine, *nequando supergaudeant mihi inimici mei*, id est, gaudeant super me, ad confusionem meam. *Prouerb.* 3. Stultorum exultatio, ignominia aliorum, quos non diligunt. *Dum commouentur pedes mei*, vt ruant in malum, quod forte fit propter bonum meum. *Super me mala loquuti sunt*, id est, gratulabunda & læta. *Augustin.* Aliquando labuntur in aliquod peccatum, tunc ibi exurgunt labia inimicorum, quia rursus *Prouerb.* 15. Stultitia gaudium stulto. 17.

Et nota, quòd qui lætantur de malo alterius, primò Christi membra se non esse ostendunt: si enim membra essent, dolorem commenbri sentirent. 1. ad *Corinth.* 12. Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur alia membra. *Lætitia de malo proximi detestanda.*

Vnde

Vnde membrum se esse ostendebat, qui dicebat 2. ad *Corinth.* 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor? non dixit: Et ego non lætor. Secundò sciant, quòd hanc lætitiam citò amittunt. *Mich.*7. Ne læteris inimica mea, quia cecidi:consurgam. *Seneca ad Lucil.* Multi ceciderunt vt altius surgerent. Item idem: Inimicus Romæ incendia ob hoc vnum doluit, quòd sciret meliora resurrectura quam arsissent. Tertiò cognoscant, quòd similiter expectare possunt. *Thren.*1. Omnes inimici mei audierunt malum meum, & fient similes mei. Vnde alibi, Sicut fecisti, fiet tibi, retributionem conuertet in caput tuum. Item damnationem meritò incurrunt. *Prouerb.*27. Qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus. *Baruch.* 4. Gratulati sunt in tua ruina, & lætati sunt in casu tuo:sic contristabuntur. Propter hoc bonum est Socratis verbum: Malum alienum, gaudium ne feceris tuum.

18. *Quoniam ego in flagella.* Hîc persuadet ex bonis propriis. Primò à sua charitate, qua appetit pati. Secundò à sua humilitate qua peccata nostra sua voluit reputari, ibi, *Quoniam iniquitatem.* Tertiò à patientia eorum quæ sustinuit iam completa morte, scilicet in triduo, ibi, *Inimici autem mei viuunt.* In prima duo. Primò monstratur charitas qua voluit pati. Secundò qua voluit etiam ipsis mortem inferentibus compati. *Et dolor meus.* Dicit ergo secundum *Hieron.* Sic exaudiet propter prædicta, & etiam *quoniam ego in flagella paratus sum*, qui oblata fugi regna. *Hieron.* Qui regiam fugit dignitatem. *Ioan.*6. Ad flagella se obtulit. Eiusdem 17. Quem quæritis? Dicunt ei, IESVM Nazarenum. Respondit: Ego sum. *Isa.*50. Retrorsum non abij: corpus meum dedi percutientibus & genas meas vellentibus.

Triplex charitatis Christi argumentum.

Et dolor meus, compassionis ad humanum genus, maximè ad meos crucifixores, *in conspectu meo semper. Isa.*53. pro transgressoribus rogauit. Et *Luc.* 23. Pater ignosce illis: non enim sciunt quid faciunt. Hæc verba compatientis fuerunt. De pœnitente legit *August.* secundum eandem continuationem. Quasi diceret: Exaudies, & debes, dicit pœnitens, *quoniam ego in flagella paratus sum*, sciens illud ad *Hebr.*12. Quem diligit Deus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. Et constat quam multò durius omnes alios qui refugiunt flagellari: vnde nullus eius euadit flagellum. *August.* Vsque adeò omnes flagellantur, vt nec illi pepercerit, qui peccatum non habuit. Ad *Rom.*8. Qui proprio filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum. *Et dolor meus*, causa scilicet doloris mei, scilicet peccatum, *in conspectu meo semper*, secundum illud, Iniquitatem meam ego agnosco, & peccatum meum, &c.

Triplex hominum status ad flagella Dei.

Nota, vt videas quid sit paratum esse ad flagella, tres status hominum. Sunt enim quidam qui dicunt: Semper hæc mala nobis euenient, & illa, quid agimus? Et isti non se parant ad flagella. *Seneca ad Lucil.* Quam multa expectata nunquam comparuere: & si futurum sit quod viuas, dolore superueniente, satis cito dolebis cum euenerit. De talibus *Sap.*17. Semper pertimescit sæua perturbata conscientia. Alius est status dicentium: Non venient nobis mala, & tanquam nimis securi non parant se ad illa. De talibus 2. ad *Thessal.*10. cum dixerint, Pax & securitas, tunc repentinus superueniet illis interitus. Tertius status est sperantium mala posse contingere, & eorum contraria. Isti sunt discreti, seipsos exhortantes ad malorum sustinentiam, si venerint, & isti se parant ad flagella. Sic docebat paratos esse. *Iudith* 8. Reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse flagella Domini, quibus tanquam serui corripimur, ad emendationem, & non ad perditionem nostram, euenisse credamus.

19. *Christi humilitas.*

Quoniam iniquitatem meam. Hîc persuadet ab humilitate qua nostram culpam confitetur suam. Primò confessione oris. Secundò satisfactione operis, ibi, *Et cogitabo.* Dicit ergo secundum *Hieron.* Propter præcedentem charitatem exaudies, & etiam, *quoniam iniquitatem meam*, id est, meorum *annuntiabo*, meam reputando, secundum illud *Isa.*46. Ego feci, & ego feram. *Et cogitabo*, id est, operam dabo, *pro peccato meo*, id est, meorum, sanando & delendo, secundum illud *Eccles.* 38. Curans mitigabit dolorem, & vnguentarius faciet pigmenta sanitatis, & vnctiones conficiet sanitatis. De pœnitente sic: *Exaudies*, propter prædicta, & etiam, *quoniam iniquitatem meam*, non æquitatem, sicut multi, *annuntiabo*, confitendo ipsam sacerdoti, non eam sociis iactando. *Matth.* 8. Vade, ostende te sacerdoti.

Cogitatio de peccatis ad multa vitia.

Et cogitabo, sollicitus ero: sic enim habet veritas Hebraica, *pro peccato meo*, curando, attendens iudicis districtionem, secundum illud *Iob* 23. A facie eius turbatus sum, & considerans eum timore sollicitor. Nota, quòd cogitare debes pro peccato, vt ipsum cures: cum enim peccasti, læsus fuisti, secundum illud *Luc.*10. Homo quidam descendebat de Ierusalem in Iericò, & incidit in latrones, &c. Et sunt plagæ quasi incurabiles. *Eccles.*21. Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas. Plagæ illius non est sanitas: quippe vulneratus es ab iniquitate in loco nobili, scilicet in corde: & ipsa romphæa in corde relicta est. *Prouerb.*27. Nequitiæ sunt in corde illius. Sed esto quod romphæa sit extracta per confessionem oris, nunquid non oportet vt cogites de curatione vulneris? Ita si audies illud *Isa.*1. Vulnus, & liuor, & plaga tumens, non est circumligata nec fota oleo, nec curata medicamine. Item cogitare debes pro peccato, vt vites: quia nihil est amarius, etsi videatur dulce. *Ierem.* 2. Vide quam malum & amarum est dereliquisse te Dominum Deum tuum. Item cogita vt vites frustrationem perpessi laboris. Ad *Gal.*3. Sic stulti estis, vt cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? Tanta passi estis sine causa? Item cogita, vt vites pœnam grauiorem inueterati vulneris. Vnde *Cassiodor.* Cicatrices sunt præcedentium vulnerum sanata vestigia, quæ grauiùs affligunt quando transacta pericula remeant.

20. *Inimici autem mei viuunt.* Hîc persuadet à pœna, quam sustinuit in triduo mortis suæ patienter: & dicuntur tria. Primò inimicorum prosperitas. Secundò multitudo. *Et multiplicati sunt.* Tertiò malignitas. *Qui oderunt.* Et tangitur tri-

plex.Cordis. *Qui oderunt.*Operis. *Qui retribuunt.* Et oris. *Detrahebant mihi.Gloſſa* autem non legit hoc niſi de pœnitente,ſed *Hieron.*legit de Chriſto ſic:Exaudies propter antedicta,& etiam propter patientiam.*Autem*,quia.Vel ſic:*Cogitabo pro peccato meo*,id eſt,meorum,curando & ſanando. *Autem*,ſed *inimici mei*,iterum dum ad faciendum hoc morior,& iaceo in ſepulchro,*viuunt*,in vita ſuſtinentur à me in patientia,propter pœnitentiam ab eis expectandam. *Sap.*11. Diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam. *Et confirmati ſunt*,id eſt,proſperati,& ſuperbi facti, *ſuper me*,id eſt,contra me. Vnde fuit maior patientia ſuſtinere. Ad *Rom.*9. Suſtinuit vaſa iræ apta in interitum.

Et multiplicati ſunt,plures numero facti,cum viderent me mortuum, & ſepultum. Supra in *Pſal.* Domine quid multiplicati ſunt qui tribulant me? Quantò enim plus creſcit bonum in aliquo,tantò frequentius multiplicantur ei aduerſarij. 1.ad *Cor.vlt.* Oſtium mihi magnum & euidens apertum eſt, & aduerſarij multi. *Pſal.* Factus ſum tanquam vas perditum, intrando clauſtrum. Et ſequitur: Audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu. *Qui oderũt me inique*,cum eos diligerem,& pro eis mortuus iacerem.*Pſal.*Poſuerunt aduerſum me mala pro bonis,& odium pro dilectione mea.De pœnitente ſic:Cogitabo pro peccato meo.*Autem*, ſed *inimici mei*,mali permiſſione tua mihi aduerſantes,*viuunt*,id eſt,lætantur & iocundi ſunt in vitiis,cùm ego doleam. *Eccleſ.*enim 30. Iocunditas cordis hæc eſt vita hominis. Sed ſua vita peior eſt morte mea. *Eccleſ.*4. Laudaui magis mortuos quam viuentes. *Et confirmati ſunt*, in lætitia ſua, *ſuper me*, id eſt, propter mala mea. *Thren.*1. Omnes inimici mei audierunt malum meum,& lætati ſunt.*Et multiplicati ſunt qui oderunt me iniquè*, quia odiunt vnde deberent diligere,quia pœniteo.Primum quod innuit,graue: ſecundum quòd de malis meis gaudent,grauius: ſed hoc eſt,quia multiplicati ſunt,grauiſſimum.

Nota etiam,quòd inimici iſti ſunt dæmones, *qui viuũt*,quia immortales ſunt,in quo notatur eorum ſapientia multa ad nocendum.*Iob* 12.In antiquis eſt ſapientia,& in multo tempore prudentia. *Et confirmati ſunt*,fortitudine.Ecce fortitudo.*Iob* 40.Nõ eſt poteſtas ſuper terram quæ ei valeat comparari. *Et multiplicati ſunt.* Ecce multitudo.Haymo:Sicut tadius ſolis plenus eſt atomis, ſic aër iſte caliginoſus plenus eſt dæmonibus. *Apoc.*9. Numerus equeſtris exercitus vicies millies dena millia. Vbi tot equeſtres, multi pedeſtres. *Qui oderunt me iniquè.*Ecce magnitudo iræ. *Apoc.*12. Væ terræ & mari, quia diabolus deſcendit ad vos habens irã magnam.

21. *Qui retribuunt mala*,de Chriſto,ita *me oderunt iniquè*,illi etiam qui retribuunt mala pro bonis mihi, vt ſic eſſent mali opere, ſecundum illud *Ioan.* 10. Multa bona opera oſtendi vobis de Patre meo, propter quod horum me lapidatis? Ipſe dulcedinem æternæ viræ oſtendebat eis, ſeipſum, & ipſi porrigebant ei acetum. *Hieron.* Dulcedinem æternæ vitæ ſitientem aceto potauerunt & felle. *Detrahebant mihi*,vt exuperaret cordis malitia, etiam in ore. *Matth.*27. Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Et rurſum: Domine recordati ſumus, quia ſeductor hic, &c.

*Quoniam ſequebar bonitatem.*Propter obedientiam ſcilicet ſuſcipiendo gratanter mortem.Ad *Phil.*2.Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem. De pœnitente ſic:Ita multiplicati ſunt inimici, & etiam *qui retribuebant mihi mala pro bonis*, ſaltem pro bonis exemplis, quod eſt peſſimum genus ingratitudinis.Primus enim gradus ingratitudinis eſt reddere bonum modicum pro magno.Secundus reddere nullum bonum pro bono etiam modico.Tertius nullum pro magno.Quartus malum pro bono modico. Sed ſummus malum pro bono magno, quod nullo modo debet fieri.*Ierem.*18.Nunquĩd redditur pro bono malum? Tales,inquam,*detrahebant mihi*,dicentes, Hypocrita eſt: cum dicatur *Sap.*1. A detractione parcite linguæ. Et hoc *quoniam ſequebar bonitatem*, Chriſtum, qui eſt ipſa bonitas,qui pauper fuit propter meam iniquitatem. 1. ad *Theſſ.*5. Videte ne quis malum pro malo reddat,ſed ſectamini bonitatem inuicem & in omnes. *Quinque gradus ingratitudinis.*

Nota, quòd eſt primus gradus detractionis detrahere etiam malè agentibus. Secundus & deterior,detrahere nihil agentibus. Sed tertius & peſſimus, detrahere bona agentibus. Et in hoc ſupremo gradu dignus eſt detractor maxima confuſione. *Pſal.*Cooperiantur confuſione & pudore,qui detrahunt mala mihi. *Tria detractionis genera.*

Et nota,quòd qui detrahit bono, oſtendit ſe habere infirmitatem in oculo ſpirituali,ſcilicet in intellectu. Iuſtus enim eſt ſol. *Eccl.*27:Sanctus homo manet in ſapientia ſicut ſol.Sol autem non diſplicet oculo ſano. *Eccleſ.*11. Dulce lumen, & delectabile oculis videre ſolem, ſecundum quod *Auguſt.in lib.confeſſ.*Oculis ægris odioſa eſt lux,quæ ſanis eſt amabilis. Ergo qui de bono dicunt illud *Sap.*3.Grauis eſt nobis ad videndum, oſtendunt ſe habere infirmum oculum. Item oſtendunt ſe habere iniquitatem in affectu: ſi enim boni eſſent, bonos diligerent. *Eccleſ.*27.Omne animal diligit ſibi ſimile.*Prouerb.*13. Ambulans recto itinere,ac tiniens Donum,deſpicitur ab eo qui infami graditur via. *Prauitas detractorũ.*

Ne derelinquas me. Hìc tertium, in quo ſubiungitur perſuaſioni oratio.Primo ergo orat ne diuinitas ſeparetur: loquitur enim Chriſtus. Secundò vt velociter ſuſcitetur.*Intende in adiutorium meum.* In prima duo. Primò,ne diuinitas ſeparetur ab anima in inferno. Secundò ne à carne in ſepulchro. *Ne diſceſſeris à me.* Legit ergo *Gloſſa* de membro & de capite. Primò de membro ſic:Iſta mala mihi inferunt aduerſarij, quæ ſunt ſoli homini importabilia. *Prou.* 27. Graue ſaxum, & oneroſa arena, ſed ira ſtulti vtroque grauior eſt.Ergo Deus *ne derelinquas me* ſolum,ſed ſis ſocius vt poſſim ſuſtinere. *Eccl.*2. Coniungere Deo, & ſuſtine.Vel ſic: Mala mea geſſi, de quibus pœniteo: ſed ô *Domine Deus meus ne derelinquas me*, ne redeam ad relicta. *Caſſiod.* Ille quando à nobis recedit, auios ſectamur errores: quia neceſſe eſt abſente via rectiſſima ſemper errare. Quod ſi ad horam relinquis, tamen ne diſceſſeris à me penitus, ſecundum illud quod dicitur *Iſa.* 54. Ad punctum,& in modico reliqui te. Et ſic oſtendit ſe timere recidiuum:ſcit enim,quòd per hoc abominabilis Deo reddetur:quia *Prou.*26.Sicut canis qui reuertitur ad ſuum vomitum, ſic impudens,vel imprudens,qui iterat ſtultitiam ſuam. 22.

De

De Chriſto ſic : Sic exultant, perſequuntur, & detrahunt mihi ſepulto inimici mei : ſed ô Domine Pater *Deus meus* , Deus humanitatis meæ *ne derelinquas me.* Non dico ſimpliciter, ſed relinquendo dui in inferno : vnionem enim ſcio ſic factam , vt non ſit omninò ſeparabilis : & hoc factum eſt. In *Pſal.* Non derelinques animam meam in inferno. *Ne diſceſſeris à me* , corpus in ſepulchro dimittendo : & hoc tantum eſt ſimiliter mihi. Ibidem : Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

23. *Intende in adiutorium meum.* Hîc ſecundum, in quo petit vt velociter ſuſcitetur , & continuo. Sic petiui vt non me deſeras , quantum ad animam in inferno , nec quantum ad corpus in ſepulchro : imò ô Domine Pater Deus ſalutis meæ,auctor immunitatis à peccato quæ eſt in me. *Iſa.* 53. 1. *Petr.* 2. Qui peccatum non fecit , nec inuentus eſt dolus in ore eius. Et glorificationis corporis mei. *Act.* 3. Deus Patrum noſtrorum glorificauit filium ſuum IESVM. *Intende in adiutorium meum* , me velociter ſuſcitando , vt anima mea citò ſpoliet infernum , ſecundum illud ad *Coloſſ.* 2. Expolians principatus & poteſtates , &c. Reſumpto proprio corpore de morte triumphet , ſecundum illud promiſſum , *Oſeæ* 13. Ero mors tua ô mors , morſus tuus ero in inferne.

De pœnitente ſic : *Ne diſceſſeris à me* , vt per hoc malum vitem commune. Inſuper *intende in adiutorium meum* , vt bonum faciam: quia aliter non poſſum. *Iſa.* 26. Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine. *Ioan.* 15. Sine me nihil poteſtis facere. Vel ſic : Ne derelinquas me , ne diſcedas à me , in proſperis, & in pace , quod contingit frequenter. *Oſeæ* 13. Adimpleti ſunt , & ſaturati ſunt , & eleuauerunt cor ſuum , & obliti ſunt mei. Et etiam *intende in adiutorium meum* in aduerſis. *Pſal.* Deus meus in auxilium meum reſpice.

Domine Deus ſalutis meæ , dator. *Prouerb.* 12. Equus paratus ad diem belli , & Dominus ſalutem tribuet. *Pſal.* Qui das ſalutem regibus. Dator ſalutis naturæ , contra morbum. *Pſal.* Homines & iumenta ſaluabis Domine. *Eccleſ.* 34. Illuminans oculos. Dans ſanitatem & vitam gratiæ contra peccatum. *Pſal.* Sana animam meam quia peccaui tibi. Et alibi , Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos. *Ierem.* 3. Conuertimini filij reuertentes,& ſanabo reuerſiones veſtras. Gloriæ , contra infernum. *Iob* 36. Saluabit te de ore anguſto latiſſimè. Item ſalutis conſeruator. *Prouerb.* 2. Cuſtodiet rectorum ſalutem. Item ſalutis conſummator , quando ita ſanabit patientem ſuum vt fiat omninò impaſſibilis. *Ioan.* 7. Totum hominem ſanum feci in ſabbato , in illo æterno de quo tactum eſt in titulo Pſalmi. Et ad *Hebr.* 4. Relinquetur ſabbatiſmus populo Dei.

IN XXXVIII. PSALMVM.

1. *In finem , ipſi Idithun, Canticum Dauid.*

2. DIxi : *Cuſtodiam vias meas.* Nota in principio quod legitur 1. *Paralipom.* 16. de inſtitutione cantorum à Dauid reducta arca de domo Animadab in Ieruſalem. Et illud 2. *Paralipom.* 23. quòd erant quatuor millia qui Pſalmos , quos Dauid diuina inſpiratione ediderat , cantabant vocibus propriis , organis, citharis , nabblis , tympanis , & tubis , & omnibus muſicis inſtrumentis. Et illud *Paral.* 25. quòd illis præpoſuit cantores 88. Viros , inter quos fuerunt principaliores Aſaph , Cinan, Ethan , & Idithun. Horum nomina frequenter præponuntur Pſalmis , ſcilicet in titulis Pſalmorum , non quia compoſuerunt Pſalmos, imò ſolus Dauid : ſed duplici alia de cauſa. Primò ſecundum *Caſſiodor.* vt monſtretur,quòd commendabiliter ſuum officium exercuerint, & digni ſunt æterna memoria. *Prouerb.* 10. Memoria iuſti cum laudibus. Ad *Hebræ. vlt.* Mementote præpoſitorum veſtrorum. Secundò quia per nominum eorum interpretationes, ſæpè aperitur intellectus Pſalmi , ſicut in iſto accidit : Idithun qui interpretatur tranſiliens: & agitur hic de tranſiliente mundum , qualis eſt pœnitens , & perfectè & rectè conſequens ad lamentum & gemitum pro peccatis, de quo actum eſt in præcedenti Pſalmo.

Cur cantorum nomina Pſalmis præfiguntur.

A titulo colligitur argumentũ Pſalmi: agit de tranſiliẽte mundum, primò à mũdo in ſe, ſecundò à ſe in Deum.

Sénſus ergo tituli talis eſt : *Canticum* hoc eſt ordinans nos , *in finem* , dictum *Apoc. vlt.* Ego ſum α & ω , principium & finis. *Canticum* , inquam , *Dauid* , id eſt , à Dauid editum: & hoc pro Idithun , id eſt , pro tranſiliente. Primò à mundo in ſeipſum primo ſaltu, & poſt à ſe in Dominum ſecundo ſaltu. Nec mireris ſi dico hominem ſalire à mundo in ſeipſum, quia extra ſe eſt homo amans mundum , quia in mundo. *Matth.* 6. Vbi eſt theſaurus tuus,&c. *Iſa.* 46. Redite præuaricatores ad cor. De hoc duplici ſaltu poteſt intelligi illud 2. *Reg.* 16. Videbat Michol regem ſubſilientem , de mundo in ſeipſum,& ſaltantem, de ſeipſo in Deum. Sic coram nobis ſaliunt viri ſancti: vnde mirũ, quòd non mouent nos ad ſaltandum. *Matth.* 11. Cecinimus vobis , & non ſaltaſtis , &c.

Nota , quòd cum Pſalmus ſit pro Idithun, id eſt , pro tranſiliente Dei , diuiditur in duas partes, ſecundum duplicẽ ſaltum qui tactus eſt. In prima enim parte introducitur ſubtrahens ſe ab aliis,& vacãs propriæ cuſtodiæ,& ſic à mũdo ſaliẽs in ſe.Secundò vacans Deo,id eſt,contemplationi , in quo intelligitur ſaltus ſecundus in Deũ,ſcilicet à ſe,ibi,*Cantabit cor meum.*In prima tria. Primò dicit hîc introductus , quod primum ſaltum propoſuit , ſcilicet à mundo redire in ſeipſum ad ſui cuſtodiam. Secundò,quòd ad impletionem propoſiti cito peruenit. *Poſui ori meo.* Tertiò oſtendit , quod reuerſus ad ſe inuenit , vt velit ſaltare vlterius, ibi, *Obmutui, & humiliatus ſum.* In prima duo ſecundum duo quæ dicit ſe propoſuiſſe. Primò occupari circa propriam cuſtodiam. Secundò conſummare & perficere illam occupationem. *Vt non derelinquam.*

Dicit ergo: *Dixi*,id eſt, propoſui & ordinaui in corde meo, *Cuſtodiam vias meas*, cogitationes , loquutiones, operationes. Hæ viæ de quibus *Ierem.* 7. Bonas facite vias veſtras. Ad hoc inuitat nos Aggæus etiam in primo:Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras. *Cuſtodiam* autem ne oberrem , circumſpiciendo & cogi-

Ab externis tranſitus ad ſui cuſtodiã.

tando quæ eſt recta via. *Prouerb.* 14. Eſt via quæ videtur homini recta, & nouiſſima eius ducunt ad mortem. Ne declinem poſtquam intrauero rectè incedendo. *Numer.* 21. Non declinabimus in agros vel vineas, temporalibus adhærendo, nec bibemus aquas ex puteis, curioſa perſcrutando : ſed regia via incedemus. Non declinabimus neque ad dexteram, vltra debitum faciendo, neque ad ſiniſtram, omittendo. Ne deficiam in ipſa bona via, perſeuerando. *Ierem.* 6. State ſuper vias rectas. Et intantum cuſtodiam, *vt non delinquam in lingua mea* : quod valde difficile eſt. *Iacob.* 3. Linguam nemo hominum domare poteſt. Verum eſt per ſe niſi per gratiam : & hoc eſt perfectionis. *Iacob* 3. Qui non offendit in verbo, hic perfectus eſt vir. *Cuſtodiam* autem *vt non delinquam*, detrahendo. *Sapient.* 1. A detractione parcite linguæ. Adulando, ſicut illi de quibus in *Pſal.* Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula, quia interficiunt illum cui adulantur mentiendo : quia *Sap.* 1. Os quod mentitur, occidit animam. Veritati contradicendo, ne ſenſum perdam. *Auguſt.* Multi ſtudio contradicendi amiſerunt ſenſum. *Iſa.* 50. Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico. Peruersè iurando. *Eccleſ.* 23. Vir multum iurans, non diſcedet de domo eius plaga. Sophiſticè loquendo. *Eccleſ.* 27. Qui ſophiſticè loquitur, odibilis eſt, in omni re defraudabitur. Non eſt illi à Deo data gratia. Verbum Dei indignis proponendo ſecundum illud *Matth.* 7. Nolite ſanctum dare canibus, nec margaritas ſpargatis ante porcos. Et demum ſuperflua & inutilia proponendo, vel loquendo. *Eccleſ.* 23. Indiſciplinatæ loquelæ ne aſſueſcas os tuum, eſt enim in illa verbum peccati. *Matth.* 12. De omni verbo otioſo, quodcumque loquuti fuerint homines, reddent rationem.

Lingua delinquitur multipliciter.

Poſui ori meo. Hîc ſecundum, in quo aſſerit ſe peruenisſe ad impletionem propoſiti. Duo autem dicuntur. Primò, quòd ſe ſegregauit vſque ad cuſtodiam oris. Secundò cauſa ſubditur quare hoc facere voluit. *Dum conſiſteret.* Dicit ergo : Sic propoſui, & ſic feci, quia *poſui ori meo cuſtodiam.* Vel ſic ſecundum *Caſſiodorum.* Cuſtodiam linguam, & nunc quia cuſtodiendo oſtium linguæ, ſcilicet os meum, *poſui ori meo cuſtodiam*, tanquam ſeram quandam. *Eccleſ.* 18. Facito oſtia & ſeras. *Caſſiod.* Sera dicitur, eò quod in ſero oſtiis adhibeatur. Hoc attendant ſenes, quibus iam ſerò eſt, vt ponant ori ſuo ſeras. In poſitione autem ſignatur ſtabilitas : quaſi cuſtodiam ſtabilem mihi, ſicut *Ioan.* 15. Poſui vos vt eatis. Sed quare pones cuſtodiam ? Nunquid propter bonos auditores, de quibus *Prouerb.* 25. Inauris aurea, & margarita fulgens, qui arguit ſapientem, & aurem obedientem ? Non, ſed potius *dum conſiſteret aduerſum me peccator*, peruerſus & nequam auditor, ille ſcilicet de quo 1. ad *Corinth.* 2. Animalis homo non percipit ea quæ Dei ſunt. Sic Chriſtus nihil voluit reſpondere Herodi. *Luc.* 23. Interrogabat eum multis ſermonibus, & ipſe nihil reſpondit. *Pſal.* Conſiderat peccator iuſtum. *Matth.* 22. Miſerunt ad eum ſacerdotes peccatores, vt ipſum caperent in ſermone.

Obmutui, & humiliatus ſum. Hîc eſt tertium quod in ſe inuenerit vt cogatur vlterius ſalire, quia dolorem : & tanguntur duo. Primò dolor. Secundò cauſa doloris. *Et dolor meus.* Cauſa autem doloris eſt duplex. Vna quia ſilendo nocuit. Secunda quia bonis non profuit. *Et ſilui à bonis.* Ait enim : Sic propoſui & feci, vndè *obmutui*, id eſt, penitus tacui, *& humiliatus ſum*, id eſt, vilis & nullus reputatus ab illo peccatore, qui aduerſum me conſiſtebat. *Eccleſ.* 11. Bona in mala conuertens inſidiatur, & in electis ponit maculam. Vel ſic : *Obmutui*, & non intumui interius ſicut multi faciunt, qui de ſilentio contra alios ſuperbiunt. *Sap.* 4. Diſrumpet illos inflatos ſine voce. *Et ſilui à bonis* verbis quibus alios edocerem, vel *à bonis* hominibus docendis propter conſiſtentes aduerſum me. Scio enim in hoc caſu verum eſſe illud *Prouerb.* 25. Gloria Domini eſt celare verbum. *Ezech.* 3. Linguam tuam adhærere faciam palato tuo : & eris mutus, nec quaſi vir obiurgans, quia domus exaſperans eſt. *Matth.* 7. Nolite ſanctum dare canibus, nec margaritas ſpargatis ante porcos. 3.

Et dolor meus, quem prius habui de peccatis, *renouatus eſt*, quia bonis ſubtraho ſpiritualia alimenta. *Iſa.* 6. Væ mihi quia tacui. *Iob* 16. Si loquutus fuero, non quieſcet dolor meus, propter malos quos video ſibi damnum inferre. Et ſi tacuero, non recedet à me, propter bonos quibus ſubtraho ſpirituale alimentum. Et ſcio ſcriptum. *Prouerb.* 11. Maledictus qui abſcondit frumenta in populis : benedictio autem ſuper, &c. & illud *Eccleſ.* 20. Theſaurus inuiſus, & ſapientia abſcondita, quæ vtilitas in vtriſque ?

Concaluit cor meum. Hîc ſecundum, in quo agitur de ſecundo ſaltu, ſcilicet à ſeipſo in Deum. Et hic ſaltus in Deum, quia ſpiritualis ſicut & corporalis componitur ex aſcenſu & relapſu. Primò agitur de niſu in ſurſum. Secundò de relapſu in deorſum, ibi, *Ab omnibus iniquitatibus.* Et quia ſurſum non poteſt eleuari per ſe, dicuntur duo. Primò feruens eleuatio ad æterna, & ſeparata à terrenis, ibi, *Ecce menſurabiles poſuiſti.* Sed iterum quia oratio parum valet niſi ſit ex corde feruenti, & deſiderio amore ſuccenſo, duo dicuntur. Primò agitur de cordis debita diſpoſitione. Secundò de oratione ex ſic diſpoſito erumpente, ibi, *Loquutus ſum in lingua.* In prima duo. Primò tangitur cordis calefactio, quod eſt incipientis. Secundò calefacti aduſtio, quaſi pleni, quod eſt proficientis. *Et in meditatione mea.* Dixit ergo : *Silui*, & tamen otioſus non fui : imò conuerſus ſum ad Deum cum magno æſtu & charitate : vnde *concaluit cor meum intra me*, amore cœleſtium, id eſt, totum caluit. Nec mirum : quia tenebam illum ignem clauſum intra me, de quo *Ierem.* 23. Nunquid non verba mea quaſi ignis, & quaſi malleus conterens petram ? Qui calor ſi erumperet, alios inflammaret. *Ierem.* 5. Ecce dabo verba mea in ore tuo, in igne, & populum iſtum in ligna, &c. Vel ſi contineatur, dolor meus renouatur. Sed nunquid conſolatione carnis ? Non, imò *concaluit cor meum intra me*, amore cœleſtium. 4. *Secunda pars pſalmi, tranſituri à ſe in Deum.*

cœlestium Et dicit, *cor meum intra me*, vt notet hunc calorem in interiori parte esse, scilicet in ratione, & hoc faciente Spiritu sancto. Ad *Rom.*12. Spiritu feruentes.

Et in meditatione mea exardescet, quod plus est, *ignis* charitatis. *Luc.*12. Ignem veni mittere in terram, & quid volo, &c. *Cassiod.* Quid amplius quam charitas feruet? sed feruor ille tranquillus est, mansueta inflammatio, motus inculpabilis, festinatio moderata. Hic est ignis qui semper debet ardere in corde. *Leuit.6.* Ignis in altari meo semper ardebit,

5. *Loquutus sum in lingua.* Hîc secundum, in quo postquam ostendit se dispositum fuisse ad orandum, subiungit de oratione erumpente ex tali corde: & dicuntur tria. Primò, quòd orauit. Secundò quid. *Notam fac mihi.* Tertiò ad quid. *Vt sciam quid desit mihi.* Ait ergo: Sic concaluit cor meum, & in illo calore *loquutus sum*, non alios erudiendo, sed *in lingua mea*, id est, orando, & in orationem prorumpendo. Hinc discant dispensatores verbi Dei orare, cum non licet eis prædicare. *Act.6.* Nos enim orationis & ministerio verbi Dei instantes erimus.

Notum fac mihi. Hîc secundum, in quo quid orauit, quia duo. Primò petit beatitudinem. Secundò beatitudinis æternitatem. *Et numerum.* Ait ergo: Hic loquutus sum, & quid? *Notum fac mihi Domine finem meum* Christum. Ad *Rom.*10. Finis legis Christus. Ad hoc enim omnis lex, & mandatum omne, vt Christus habeatur. *Apocal.vlt.* Ego sum α & ω, principium & finis. Vel sic: *Notum fac mihi Domine finem meum*, vitam æternam, ad quam participandam factus sum. 1.*Pet.*1. Exaltabitis reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum. Cognoscere etiam Deum, finis est omnium, & vita æterna. *Ioan.*17. Hæc est vita æterna vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti IESVM CHRISTVM. Finem etiam meæ consummationis, scilicet mortem meam, quia dicit *Eccles.*9. Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, &c. Valet autem finis cognitio & cogitatio ad bene disponendum bona præsentia. *Isa.*38. Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues. Valet ad contemnendum terrena, & ad festinandum ad cœlestia. *Hieron.in quadam epist.* Qui se cogitat quotidie morituum, contemnit præsentia, & ad futura festinat. Item ad prccata vitandum. *Eccles.*8. Fili in omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Sicut è contrario, qui non recordantur finis, omnibus peccatis sordidantur. *Thren.*2. Sordes eius in pedibus eius, & non est recordata finis sui.

Duplex versus interpretatio de æterna & mortali vita.

Finis cogitatio ad multa vtilis.

Et numerum dierum. Hîc petit beatitudinis æternitatem. Et legitur dupliciter secundum duplicem literam *Quis*, vel *Qui*. Secundum primam, de diebus vitæ præsentis: secundum secundam, de diebus æternitatis. Dicit ergo: Sic notum fac mihi finem Christum, & *numerum dierum meorum quis est*, vt cognoscam hoc cognito, si visurus sum verbum incarnatum: hoc enim erat desiderium antiquorum. *Luc.*10. Multi Reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, præoccupantes finem dierum suorum, non per constellationem, sed per reuelationem: tales enim frequenter falluntur. *Isa.*48. Stent & saluent te augures tui, qui supputabant menses, & computabant annos. Et hoc, *vt sciam quid desit mihi* vsque ad aduentum Christi. *Cassiod.* Deesse sibi putabat ad vitam, si Christi non meruisset videre præsentiam.

Alio modo sic: *Et numerum dierum meorum qui est:* Quasi diceret: Sic notum fac finem meum mihi, & *numerum dierum meorum*, non illum numerum qui transit, sed *qui est*, qui perseuerat & stat, hoc est, æternitatem. Numerus enim dierum præsentis vitæ non est. Quod enim de ipsis præteriit, non est: quod futurum est, non est: & hoc totum est, excepto instanti modico, quod quasi nihil est. *Psal.* Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt. *Iob* 7. Parce mihi Domine: nihil enim sunt dies mei. Sed dies æternitatis qui stant, illi verè sunt. *Psal.* Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Propter hoc benè dicitur in *Psal.*. Melior est dies vna in atriis tuis super millia. Sed nunquid ibi est numerus? *Hieron.* Ibi est numerus sine numero, dies sine die, tempora sine temporibus.

Sed ad quid hoc requiris? *Vt sciam quid desit mihi*, id est, vt videam defectum meum, & sic mihi ipsi vilior fiam. *Psal.* Ego dixi in excessu meo: Proiectus sum, &c. Vult hic scire magis defectum suum, quam profectum. Et bene: quia videndo bonum suum frequenter mentis oculus excæcatur. Iustitia enim & quæcumque alia virtus lux est. *Psal.* Et educet quasi lumen iustitiam tuam, & opus iustitiæ quasi sol. *Eccles.* 27. Pars Dei Israël facta est manifesta, & omnia opera eorum velut sol. Sed qui intuetur solem, citò obcæcatur. *Eccles.* 43. Sol refulgens radiis suis obcæcat oculos. Item superbia generatur: sic enim intelligitur illud 1. ad *Corinth.*8. Scientia inflat. *Ierem.*10. Stultus factus est omnis homo à scientia sua, suorum scilicet bonorum. Item proximus citò condemnatur, etsi sit superior. *Genes.*16. Illa concepisse se videns, contempsit dominam suam. *Luc.*18. Non sum sicut cæteri homines, raptores, &c. Item profectus in bonum subtrahitur. Quis enim laborat in eo, in quo se credit abundare? *Luc.*12. Anima mea habes multa bona reposita in annos plurimos. Requiesce, comede, epulare. Propter hoc docet Dominus *Matth.*6. Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Et *Luc.*17. Cum omnia benefeceritis, dicite, Serui inutiles sumus.

Defectus magis est inspiciendus quam profectus.

Ecce mensurabiles. Hîc secundum, in quo habito de oratione, subiungitur de transpositione affectus in Domino. Et primò conatur pedem à terrenis auellere. Secundò in Deum transponere, ibi, *Et nunc quæ est expectatio mea?* In prima duo: vt enim possit pedem auellere, attendit duo. Primò quam modica sint hæc bona. Secundò quanta mala, ibi, *Verumtamen vniuersa vanitas.* Quam modica bona, quia breuis vita primò. Secundò, quia possessio nulla. *Et substantia mea.* Dicit ergo: Sic peto, vt sciam quid desit mihi. Sed nunquid aliquid deest tibi? Etiam, quia *ecce posuisti dies meos*, quos nunc habeo, *mensurabiles. Iob* 14. Breues 6.

dies hominis ſunt. Et infrà : Contiſtuiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt. Alia litera : *Poſuiſti dies meos, veteres* : & videtur quod illa nihil ſit. Dies enim qui cito tranſit, quomodo inueteraſcere potuit? Reſp. Modus loquendi eſt. Dicitur enim dies læta, cum nos lætos facit : ſic vetus cum veteres facit: faciunt autem nos veteres ſecundum carnem, quia per iſtos dies noſtros incurrit caro noſtra vetuſtatem. *Thren.* 3. Vetuſtam fecit pellem meam. Item ſecundum mentem, quia in iſtis diebus incurrimus culpam, quæ eſt vetuſtas animæ, quia facit propinquum veræ morti, ſcilicet gehennæ, ſicut vetuſtas alia morti corporis. Ad *Hebr.*8. Omne quod antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt.

Et ſubſtantia mea, poſſeſſio ipſa, ſubſtantia ipſa in Adam corrupta, *tanquam nihilum ante te*, quia corrumpitur, & citò tranſit. *Iob* 14. Quaſi flos egreditur & conteritur, &c. Et hoc *ante te*, qui veraciter vides. *Iſa.* 40. Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei.

Veruntamen vniuerſa. Hîc ſecundum, in quo attendit quanta ſint mala in præſenti. Et primò quanta mala pœnæ. Secundò quanta mala culpæ, ibi, *Veruntamen in imagine.* In prima duo. Primò enim tangit pœnam. Secundò multiplicitatem. *Omnis homo.* Ait enim : Nihil ſunt ante te omnes ſubſtantiæ: *Veruntamen vniuerſa*, quæ hic ſunt, *vanitas* ſunt ratione mutabilitatis. *Eccleſ.* 1. Vidi omnia quæ fiunt ſub ſole, & ecce vniuerſa vanitas. Et ad hanc pertinet, *omnis homo*, non tantum quidam : & *homo viuens.* Ad *Rom.* 8. Omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc : non ſolum illa, ſed etiam nos ipſi primitias ſpiritus habentes. Quaſi diceret : Nos ipſi qui viuimus per gratiam Spiritus ſancti, ſub hac vanitate ſumus, non Deus, de quo *Iacob.* 1. Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Vel ſic: Ita æternis inhio, *Veruntamen omnis homo viuens*, ſiue in mundo per amorem remanens, ſiue mundana tranſiliens, eſt *vniuerſa vanitas*, in eſt, inuoluitur omni vanitate. Ad hanc literam cogit Hebraica veritas, quæ habet: *Omnis homo idithun*, id eſt, etiam tranſiliens, eſt vanitas. *Pſal.* Homo vanitati ſimilis factus eſt. Tertio modo ſic : Dies ſunt menſurabiles, &c. ſubſtantia nihil : *Veruntamen omnis homo viuens*, vita naturæ, eſt *vniuerſa vanitas*, ſuperbiendo, & vanitatem appetendo. *Pſal.* Filij hominum vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem? Et alibi : Veruntamen vani filij hominum. Quarto modo ſic: Subſtantia nihil, *Veruntamen omnis homo viuens*, iocundè in hoc mundo, eſt *vniuerſa vanitas*, velit, nolit. Ad *Rom.* 8. Vanitati ſubiecta eſt creatura, non volens.

Triplex vanitas, mutabilitatis, pœnæ, & malitiæ, & hæc multiplex.

Nota, quòd eſt triplex vanitas. Mutabilitatis, & hæc in omni creatura. *Eccleſ.* 3. Cuncta ſubiacent vanitati. Pœnalitatis, & hæc in omni ſenſibili ſuperaddita. *Pſal.* Defecerunt in vanitate, pœnæ, ſupple, dies eorum. Et iniquitatis, ſupra prædictas addita rationabili creaturæ. *Eccleſ.* 17. In vanitate malitiæ placuerunt, & hæc triplex. Operis. 4. *Reg.* 17. Sequuti ſunt vanitates, & vanè egerunt. Oris. *Pſal.* Quorum os loquutum eſt vanitatem. Et alibi, Vana loquuti ſunt vnuſquiſque ad proximum ſuum. Mentis, & hæc duplex. In intellectu culpabilis ignorantia. *Prouerb.* 13. Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei. In affectu appetitus vanæ laudis. *Bernard.* Vanitas eſt vitium, quo quis tam de eo quod eſt, quam de eo quod non eſt, ſuis magis, quam Dei laudibus delectatur.

Veruntamen in imagine. Hîc tangitur malum culpæ : & dicuntur duo. Primò tangit naturalem hominis dignitatem. Secundò contrariam dignitati culpam. *Sed & fruſtrà.* Et legitur primum tripliciter. Duobus modis ſecundum noſtram literam, quia per imaginem poteſt deſignari vitæ breuitas, vel dignitas. Alio modo ſecundum literam *Auguſt.* Primo modo ſic: Ita natura ſubeſt vanitati, *Veruntamen homo petranſit in imagine*, id eſt, citò ad modum imaginis ſpeculi. *Iacob.* 1. Comparabitur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo. Conſiderauit enim ſe, & abiit. *Iob* 7. Dies mei velocius tranſierunt, quàm à texente tela ſuccidítur. Vel ſic : Ita homo ſtudet vanitati, *veruntamen* ipſe *homo pertranſit* de ſtatu in ſtatum, *in imagine*, Dei, ſupple : vnde mirum quod non reuocatur à tanta dignitate. *Eccleſ.* 17. Deus de terra creauit hominem, & ſecundum imaginem ſuam fecit illum, & tamen non ſatiatur vanitate. *Prouerb.* 27. Oculi hominum inſatiabiles, &c. 7.

Sed & fruſtra. Hîc tangit culpam verè contrariantem. Vna, quia nimis anxiè occupatur in neceſſariis. Secunda, quia nimis ſtultè in ſuperfluis, ibi, *Theſaurizat.* Dicit ergo : Sic citò tranſit, vel ita dignus eſt, *ſed & fruſtra conturbatur*, id eſt, inutiliter. Actiua enim inutilis reſpectu contemplatiuæ reputatur. *Luc.* 10. Martha, Martha ſollicita es, & turbaris erga plurima : porrò vnum eſt neceſſarium. 1. ad *Tim.* 4. Corporalis exercitatio ad modicum prodeſt, vel vtilis eſt.

Secundum literam *Auguſt.* & *Caſſiod.* ſic: *Quamquam in imagine ambulet homo*, ipſam conſeruando in parte rationis ſuperiori à peccato, inferior tamen, id eſt, ſenſualitas, turbatur, vanè ſollicita circa victum & veſtitum, contra illud *Matth.* 6. Nolite ſolliciti eſſe corpori veſtro, &c. *Ierem.* 17. Ego non ſum turbatus te paſtorem ſequens. *Pſal.* Non timebimus dum turbabitur terra.

Theſaurizat, & ignorat. Hîc ſecundum, in quo oſtendit, quòd minus ſtultè occupatur in ſuperfluis acquirendis. Continua : Sic turbatur multipliciter, & etiam *theſaurizat*, non in cœlo, ſed in terra, contra illud *Matth.* 6. Nolite vobis theſaurizare theſauros in terra. *Et ignorat cui congregabit ea* : quia neſcit quis habebit illa. Illi enim veraciter congregat, qui illis vtetur. Sed nunquid non habebit ea filius, aut nepos, aut cognatus? Non frequenter. *Hieronym.* Sæpe plerique congregant multa, quæ aut deſidia filiorum euertit, aut fiſcus occupat, aut diripiunt aliqui. Et *Caſſiodor.* Qui ſe putat charis filiis relinquere, ignorat ſi contingat inimiciſſimos poſſidere, ſecundum illud *Pſal.* Relinquent alienis diuitias ſuas. *Eccleſ.* 2. Deteſtatus ſum omnem induſtriam meam

quam

quam ſub ſole ſtudioſiſſimè laboraui, habiturus poſt me hæredem, quem ignoro qualis futurus ſit.

8. *Et nunc quæ eſt expectatio mea.* Hîc ſecundum, in quo poſtquam pes affectus auulſus eſt à terrenis, nititur ipſum figere in æternis, & tanguntur duo in quibus figit illum. Deſidarabilis Chriſti diuinitas primò. Secundò delectabilis eius humanitas. *Et ſubſtantia mea.* Dicit ergo. Talis eſt mundi vanitas, vt dixi, & propter hoc ab illa reſiliens & ſaliens ad æterna dico: *Et nunc.* Ex quo ita eſt, *Quæ eſt expectatio mea*, finis me beatificans, id eſt, in quo ſpero. Et dicit, *Expectatio*: ergo adhuc non habetur. *Auguſt.* Nemo ſe dicat perfectum: qui hoc dicit, ſe decipit. Ad *Phil.* 3. Non quod iam acceperim, aut perfectus ſim: ſequor autem ſi quomodo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum. Quæ eſt ergo expectatio mea? *Nonne Dominus?* Eius & primum, & ſecundum expecto aduentum, & per primum ſecundum. Sed *Ab.* r. 1. reſpondetur adhuc viſus procul: Si moram fecerit, expecta eum.

Et ſubſtantia mea apud te eſt. Legitur quadrupliciter. Primo modo ſic: & ſubſtantia mea, corpus ſcilicet meum, *apud te eſt* iam incorruptibile & impaſſibile in tua ordinatione, quia 1. ad *Corinth.* 15. Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, &c. Vel ſic: *Subſtantia mea*, portiuncula corporis mei, *apud te eſt*, aſſumpta à te in vnitatem: & competit hoc ipſi Dauid propriè à quo Chriſtus deſcendit. Et loquitur in præſenti de re futura, certitudine prophetali. *Matth.* 22. Quid vobis videtur de Chriſto? Cuius filius eſt? Dicunt ei ei, Dauid. Tertio modo ſic: *Subſtantia mea*, virtus ſcilicet mea, quæ eſt bona ſubſtantia valdè, & valdè diuitem facit. *Eccleſ.* 44. Homines diuites in virtute. Vnde fides ſubſtantia appellatur ad *Hebr.* 11. Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, &c. *Apud te eſt*, in tua cognitione. *Apoc.* 2. Noui opera tua, id eſt, fidem & charitatem. Quarto modo ſic: *Subſtantia mea*, animus meus quem reputo ſubſtantiam meam quicquid ſit de carne, *apud te eſt*, meditatione. *Sap.* 5. Apud Dominum eſt merces eorum, & cogitatio eorum apud Altiſſimum. *Matth.* 6. Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.

9. *Ab omnibus iniquitatibus.* Hic agitur de relapſu huius ſalientis, vbi redit ad humanam miſeriam, & petit primò quædam ſibi fieri in vita, quædam in morte. *Exaudi orationem meam.* In prima primò quærit, quòd liberetur à culpa. Secundò vt liberetur à pœna. *Amoue à me.* In prima duo. Primò oratio, deinde perſuaſio orantis. *Opprobrium inſipienti.* Ait ergo. Ita tranſiliui vſque ad æterna, ſed quantumcumque, tamen peccator ſum: vnde *ab omnibus iniquitatibus meis* mihi imputandis, *erue me.* Si enim neſciam, tamen habere poſſum multas etiam criminales. 1. ad *Corinth.* 4. Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Vel *Ab omnibus iniquitatibus* venialibus, à quibus immunis non ſum, etſi iuſtus ſum. *Prouerb.* 24. Septies in die cadit iuſtus, & reſurgit. Sic Paulus qui vſque ad tertium cœlum ſaltauerat 2. ad *Corinth.* 12. rediens dicebat 1. ad *Tim.* 1. Ieſus Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum. *Auguſt.* Aliter non potes eſſe perfectus, niſi ſcias hic te non poſſe eſſe perfectum.

Opprobrium inſipienti. Perſuaſio à duobus. Primò quia mala patienter tolerauit. Secundò quia hanc patientiam non ſibi, ſed Deo attribuit, ibi, *Quoniam tu feciſti.* In prima duo. Primò quia ſuſtinuit opprobrium. Secundò quomodo. *Obmutui.* Dicit ergo: Sic rogo, & debes exaudire, quia dum me ſic accuſo, *Opprobrium inſipienti dediſti me. Caſſiod.* Stultorum conſuetudo talis eſt, vt illos magis irrideant, quos bonis moribus ſtudere cognoſcunt. Sola enim ſcelerati laudant, quæ videntur habere communia. *Eccl.* 1. Execratio peccatori, cultura Dei. *Iob* 12. Deridetur iuſti ſimplicitas. *Prou.* 14. Ambulans recto itinere, ac timens Deum deſpicitur ab eo qui infami graditur via. Et eſt bona ratio, quia Domini eſt exaudire, & eruere tribulatos. *Eccleſ.* 2. Pius & miſericors Deus, & remittet in tempore tribulationis peccata. *Hieron.* interpretatur aliter: Debes me liberare, quia *opprobrium inſipienti*, id eſt, diabolo, *dediſti me.* Sed quomodo vocat diabolum inſipientem, qui dicitur dæmon, id eſt, ſciens, qui ita antiquus eſt, & *Iob.* 12. dicitur: In antiquis eſt ſapientia? *Reſp.* Propter ſuperbiam. *Prouerb.* 21. Superbus & arrogans vocabitur indoctus. Et propter malitiam. *Prouerb.* 24. Qui cogitat malum facere, ſtultus vocabitur.

Obmutui, & non aperui. Hîc ſecundum. Dicto quod ſuſtinuit opprobrium, hic quomodo, quia hoc patienter, quia ſilenter omninò. Ait enim: Ita dediſti me opprobrium inſipienti, & ego quid? *Obmutui*, vt non reſponderem, ſecundum illud *Prouerb.* 26. Ne reſpondeas ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis. Et hoc ſecundum conſilium *Ariſtotel.* Hoc enim fuit de ænigmatibus eius: Ignem gladio ne confodias, iracundum verbo ne laceſſas. *Et non aperui os meum*, vt murmurarem contra te Deum meum, quia *Sap.* 1. Auris zeli audit omnia. Cuſtodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt. 10.

Quoniam tu feciſti. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic patiens fui, & vnde tanta patientia mihi? Non à me, ſed *quoniam tu feciſti. Pſal.* Deus meus patientia mea. Quippe *Iacob.* 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt. 11.

Amoue à me. Hîc ſecundum, in quo orat pro mitigatione pœnæ: & dicuntur duo. Primò oratio. Secundò more ſuo perſuaſio vt orationi ſuæ acquieſcatur. *Et fortitudine.* Dicit ergo: *Erue me*, ab iniquitatibus meis, *& amoue à me plagas tuas*, pœnalitates mitiga, à te inflictas. Plagas enim habemus. *Iſa.* 16. Hi qui lætantur ſuper muros cocti lateris, loquimini plagas ſuas. Et potes amouere, quoniam tuæ ſunt, à te inflictæ. *Ierem.* 30. Plaga inimici percuſſi te, caſtigatione crudeli: & tuum eſt amouere. *Deuter.* 32. Ego percutiam, & ego ſanabo.

A fortitudine manus tuæ. Hîc perſuaſio: perſuadet enim à tribus. A pœnæ importabilitate 11.

ab

ab humili confeſſione culpæ, ibi, *Propter iniquitatem.* Ab humana fragilitate, & in mente. *Et tabeſcere.* Et in corpore. *Veruntamen vanè.* Dicit ergo: Plagas amoue: & neceſſe eſt, quia *à fortitudine manus tuæ*, id eſt, à forti potentia tua, de qua manu 1. *Reg.5.* Grauiſſima, id eſt, fortis valdè, manus Domini. Ita fortis & grauis, quod quamuis leuiter tangat, ſuſtineri non poſſit. *Iob* 16. Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. *Ego defeci in increpationibus*, factis humano generi. *Pſal.* Et in ira tua defecimus. *Propter iniquitatem.* Quaſi diceret: Amoue plagas tuas, quia confitebor, quia *propter iniquitatem corripuiſti hominem*: ne defluereret in infinitum. *Caſſiodor.* Iniquitas quippe mortalium, more putredinis ſine fine vagaretur, ſi cauſam medicinalis increpatio minimè deſecaret. Propter hoc dicitur *Prouerb.* 6. Via vitæ, increpatio diſciplinæ. Et 15. Qui odit increpationes, morietur.

Vel ſic: *A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus*, id eſt, cum me argueres inſtruendo, contra illud *Prouerb.* 3. Ne deficias cum ab eo corriperis. Sed mea infirmitas non eſt ſine cauſa: imò *propter iniquitatem* primi parentis: & hoc increpatione factum addit: *Corripuiſti hominem*, ſic increpando non damnaſti. *Pſal.* Deus tu propitius fuiſti eis, & vleiſcens in omnes adinuentiones eorum. Et nota, quòd patienter eſt ſuſtinenda diuina increpatio. Primò propter Chriſti exemplum. *Iſa.*50. Faciem meam non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me. Item propter vitandum malum, & primo culpæ. *Prouerb.* 5. Increpationibus non acquieuit cor meum. Et ſubdit: Penè fui in omni malo. Et pœnæ mortis, ſcilicet impræuiſæ. *Prouerb.* 29. Viro qui corripientem ſe dura ceruice contemnit, repentinus ſuperueniet illi interitus. Ignorantiæ. *Prou.*21. Qui odit increpationes, inſipiens eſt. Propter euitandam mortem gehennæ. *Prou.* 15. Qui odit increpationes, morietur. Propter obtinendum multiplex bonum. Scientiæ primo. *Prou.* 15. Qui increpationes cuſtodiet, aſtutior fiet. Et 29. Increpatio tribuit ſapientiam. Vitæ. *Prouerb.* 6. Via vitæ, increpatio diſciplinæ. *Iſa.* 38. Corripies me, & viuificabis me.

Increpatio diuina æquo animo ferenda.

Et tabeſcere feciſti. Hîc perſuadet ab humana fragilitate: & hoc ex parte mentis, & legitur pluribus modis, quia aranea poteſt accipi in bono vel in malo. In malo dupliciter: quia aranea poteſt ſignificare inanem laborem, vel interficientem eius auctorem. Primo modo dico, quòd corripuiſti hominem, & intantum, *quoniam tabeſcere feciſti*, id eſt, permiſiſti, *animam meam ſicut araneam*, id eſt, inaniter, tanquam texendo telam inutilem, & aggregationem peccati. Vnde *Iob* 8. Sicut tela aranearum fiducia eius. *Iſa.* 59. Telas araneæ texerunt. Secundo modo ſic: Verè corripuiſti, & durè, *quoniam tabeſcere feciſti*, id eſt, permiſiſti, *animum eius ſicut araneam*, quæ telam egerit in texendo de viſceribus ſuis, vnde moritur. Sic anima in opus malas cogitationes exerit, & ſic occiditur ſpiritualiter. *Iacob.*1. Concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum verò cum conſummatum fuerit, generat mortem. Et quamuis ſic tabefiat in anima, *veruntamen*, nihilominus, *omnis homo conturbatur vanè*, id eſt, in vanis temporalibus: & hoc ex parte corporis. *Ioël.*3. Conturbabuntur omnes habitatores terræ. *Ezechiel.* 21. In omnibus partibus corporis, id eſt, in omnibus ſenſibus, dedi conturbationem.

Dupliciter legitur in bono, ſecundum quòd aranea ſonat virtutem, vel infirmitatem, id eſt, humilitatem. Primò ſic: Corripuiſti hominem. Et verè, *quia feciſti*, tu, non alius *animam eius ſicut araneam*, exiſtentem per corporis attenuationem in pœnitentia, ſicut aranea totam ſe extenuat. 2. *Reg.* 13. Quare ſic attenuaris macie fili regis? *Tabeſcere*, ab omni terrenitate deficere. *Thren.*3. Hæc recolens memor ero, & tabeſcet in me anima mea. Aranea etiam in locis ſublimioribus habitat, ſic anima pœnitentis, & correcti à Domino. Ad *Philip.* 3. Noſtra conuerſatio in cœlis eſt. Item ſibi texit operimentum: ſic pœnitens de ſubtilibus operibus virtutum. *Prouerb. vltim.* Byſſus & purpura indumentum eius. *Ezechiel.* 16. Tinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus.

Comparatio pœnitentis cũ aranea.

Vel ſic: *Corripuiſti hominem, & animam eius feciſti tabeſcere*, infirmari, & nihil de ſe ſentire, omni ſuperbia depoſita, *ſicut araneam*, quia nihil eſt tabidius, deficit enim leui tactu: quia infirmitate fortior redditur. 2. ad *Cor.*12. Cum infirmor, tunc potens ſum. *Veruntamen*, quamuis ſic tabeſcat, *vanè conturbatur omnis homo*, id eſt, his vanis conturbatus ſum neceſſaria procurando, ſicut boni actiui. *Luc.*10. Martha, Martha ſollicita es & turbaris erga plurima. Siue ſuperflua congregando. *Prouerb.*15. Conturbat domum ſuam qui ſequitur auaritiam. Et dicit, *Omnis*, quia pauci ſunt valde, qui non ſic conturbentur. *Ierem.*6. A minore vſque ad maiorem omnes auaritiæ ſtudent.

Exaudi orationem meam. Hîc ſecundum, in quo petit quod ſibi vult fieri in morte, & petit tria. Primò æternorum bonorum collationem. Secundò quia aliter non poſſe bene ſcit, ſpei conſolationem: hoc enim maximè neceſſarium in morte, vel totum perditum, ibi, *Ne ſileas.* Vltimò, omnis culpæ remiſſionem, ibi, *Remitte mihi.* In prima duo. Primò oratio. Secundò perſuaſio. *Et deprecationem.* Ait enim: Sic petiui hæc fieri mihi ante mortem: & etiam exaudi *Domine orationem meam*, dando mihi æterna bona in morte mea. Nihil enim determinando oſtendit quod nihil petit, niſi bonum infinitum, & indeterminatum. 13.

Et deprecationem. Hîc perſuaſio à duobus, à frequentatione orationis, & à deuotione. *Auribus percipe.* Ait enim: Sic orationem meam exaudi, *& deprecationem meam*, quod ſaltem moueat te. *Caſſiodor.* Deprecatio eſt frequens & aſſidua ſupplicatio, quæ ab imo peccatoris profertur arcano. Et ne putes me tantum orare verbis, addo, *auribus percipe lachrymas meas*, id eſt, vide lachrymas meas, ſicut dictum eſt. *Iſa.*38. Audiui orationem tuam, & vidi lachrymam tuam. *Hieronym.* docet nos, quod videre Dei, eſt audire. Non enim membris corporalibus diſtinguitur, vel diſtenditur, ſed omnia virtute diuinitatis, quæ ſimplex eſt

&

& vnica, operatur. Ideo *Sap.* 1. Auris zeli omnia audit. Vel hoc dicitur propter hoc quod dicit Poëta.

Lachrymæ pondera vocis habent.

Vel fortè erant cum ſingultu, qui eſt audibilis. Vel in tanta abundantia fluebant, vt diſtillantes auderentur. *Thren.* 2. Deduc quaſi torrentem lachrymas per diem & noctem.

Oratio cum lachrymis commendanda.

Et nota, quòd orandum eſt cum lachrymis, primo Chriſti exemplo. Ad *Hebr.* 5. Cum clamore valido, & lachrymis, &c. exauditus eſt pro ſua reuerentia, Item quia in lachrymis dulcis inuenitur refectio. *Pſal.* Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Ibi *Caſſiod.* Iuges lachrymæ non inediam, ſatietatem potius inferunt. *Pſal.* Cibabis nos pane lachrymarum. Item, ibi eſt certa fructus expectatio. Oratio enim eſt ſicut ſemen, lachryma ſicut pluuia. Semen perit ſi non habeat pluuiam. *Pſal.* Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrymarum. *Geneſ.* 7. Multiplicatæ ſunt aquæ, & eleuauerunt arcam in ſublime.

Ne ſileas, quoniam. Hîc petit ſpei conſolationem. Et primò petitio. Secundò perſuaſio. *Quoniam aduena.* Dicit ergo: Sic audi lachrymas, *& ne ſileas*, ſed reſponde gratiam infundendo, vt ſentiam conſolationem. *Pſal.* Dic animæ meæ, Salus tua ego ſum. Vel *ne ſileas*, ſed audiam te interius dicentem illud. *Ioan.* 5. Homo remittuntur tibi peccata tua. Tertio modo ſic. Nunc oro, *& ne ſileas*, in futuro, ſed audiam cum cæteris: Venite benedicti Patris mei, &c.

Quoniam aduena. Hîc perſuadet à duobus. Primò ab exiſtentia ſui in Eccleſia militante. Secundò à ſanctorum Patrum mutatione. *Et peregrinus.* Ait ergo: *Ne ſileas*, nec debes, *quoniam aduena ſum*, ſed vbi? *Apud te*, id eſt, in Eccleſia triumphante, in qua ſum tantum ſpe. Vnde aliter habet, inquilinus, *Auguſt.* Qui ergo inquilinus, vnde migraturus ſum, non perpetuò manſurus. Qui enim eſt ſpe ibi, aliquando aliquo modo intrat, ſed exit citò. *Seneca.* Hac conditione intraui, vt exirem.

Et peregrinus, propter mortalem carnem quam gero, talem enim non cognoſcis. 2. ad *Corinth.* 5. Scientes quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino: *ſicut omnes Patres mei*, qui reputauerunt ſe vt peregrinos. Ad *Hebræos* 13. Non habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. Vel ſic: *Aduena ego ſum apud te*, in tua Eccleſia militante. Veni enim de Babylonia. Ad *Epheſ.* 2. Omnes naſcimur filij iræ. Nota, *Et peregrinus*: quoniam non eligo hîc mihi patriam, ſed tranſeo per mortem, *ſicut omnes Patres mei.* Omnes, inquam, non vnus, vel duo. Seneca cuidam minanti: Morieris, inquit, reſpondit, Sed nec primus, nec vltimus. Omnes me anteceſſerunt, omnes me conſequentur. *Eccleſ.* 2. Moritur doctus, vt indoctus. 2. *Reg.* 14. Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur ſuper terram.

14. *Remitte mihi.* Hîc tertium, in quo petit peccatorum remiſſionem, & dicuntur duo. Primò petitio. Secundò ratio quare petit. *Priuſquam abeam.* Dicit ergo: Tanquam aduena & peregrinus hinc ſum migraturus, vnde *remitte mihi*, hîc peccata mea, quia poſt hanc vitam non eſt confeſſio, nec peccati remiſſio, & ſi eſt confeſſio, fructuoſa non eſt. *Eccleſ.* 17. Mortuo quaſi nihil perit confeſſio. *Remitte*, inquam, *vt refrigerer* ab æſtu vitiorum, & concupiſcentiarum, de quo *Prou.* 6. Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ita vt veſtimenta eius non ardeant? 1. *Ioan.* 5. Totus mundus in maligno, id eſt, in malo igne poſitus eſt. *Iſa.* 9. Succenſa eſt quaſi ignis impietas. Et hoc *priuſquam abeam.* Quaſi diceret: Ob hoc peto, quia citò receſſurus ſum: graue enim eſt abire non purgatum. *Eccl.* 41. O mors quam amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis. Quantum ergo præſentia ipſa? Aut ita, *quia amplius non ero*, in hac vita. *Iob* 10. Antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine. Et 30. Oculus qui eum viderat, non videbit eum, nec intuebitur eum amplius locus eius. 2. *Reg.* 2. Nunquid poteſt eum reuocare, &c.

Vel poteſt legi vt ſit alia ratio, quare ſit exaudiendus. Primò quia non redibit huc, quia nihil erit, niſi remittat: de damnatis enim dicitur quod non ſunt. Eſt enim eſſe duplex. Naturæ. *Pſal.* Sciant gentes quoniam homines ſunt. Gratiæ de quo, 1. ad *Cor.* 15. Gratia Dei ſum id quod ſum. Et gloriæ. *Iob* 22. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria. Sed damnatus amittit in morte quaſi totum eſſe. Naturale, tunc enim perdit res ſuum eſſe naturale, quando calor naturalis mutatur in incentiuum, & naturalis ſubſtantia in congruum illi incentiuo, quia caro mutatur in ſulphur & ſanguis venarum in picem ardentem. *Iſa.* 34. Torrentes conuertentur in picem, & humus eius in ſulphur. Carebunt etiam eſſe gratiæ. *Eccleſ.* 20. Gratiæ fatuorum effundentur. Et eſſe gloriæ. Conſtat *Eccleſ.* 26. Indecens eſt ſtulto gloria. Propter hoc de damnato diabolo. *Ezech.* 28. Nihil factus es, & non eris in perpetuum.

Damnatus videtur non eſſe: deficit à triplici eſſe, naturali gratiæ, & gloriæ.

IN XXXIX. PSALMVM.

In finem Pſalmus Dauid.

EXpectans expectaui Dominum. Hic eſt Pſalmus trigeſimus nonus: in præcedenti enim poſtquam actum eſt de tranſilientis feruore, & deſiderio ad æterna, hic ſubiungitur conſequenter de fructu ſic tranſilientis: quoniam quod expectauit, adeptus eſt, vnde ſubiungitur hîc de aduentu Chriſti, & de mutatione Veteris Teſtamenti in Nouum, quod ille deſiderabat.

Præponitur autem huic Pſalmo talis titulus. *In finem Pſalmus Dauid.* Et eſt ſenſus: hic Pſalmus, dirigens *in finem*, id eſt, in Nouum Teſtamentum: finis enim, ſicut etiam vult *Gloſſa*, dicitur triplex: eſt enim finis terminans, ſicut dicimus quando ſumus in termino vitæ, finita eſt vita. Item eſt finis conſumptionis, ſicut conſumpto pane dicimus, quòd finitus eſt. Et eſt finis conſummationis, ſicut perfecta domo dicimus, quòd finita eſt. Primo modo dicitur Nouum Teſtamentum finis, eſt enim

Nouum Teſtamentum finis Scri-

ptura tripliciter, terminans, conſummans & cõſummãs Vetus.

enim terminans totam canonicam Scripturam *Apocalypſ. vlt.* Si quis appoſuerit ad hæc, apponet ei Dominus plagas ſeptem, quæ ſunt in libro hoc. Item poteſt dici finis conſumptionis: veniente enim Nouo Vetus conſumptum eſt, ad minus quantum ad ceremoniala. *Matth.* 11. Omnes Prophetæ & lex vſque ad Ioannem: vbi incipit Nouum Teſtamentum. Item poteſt dici finis conſummans: quia conſummat hominem in bono, quod non peterat Vetus. Ad *Hebr.* 7. Ad nihil perfectum adduxit lex. Sed in 8. Conſummabo ſuper domum Iſraël, & ſuper domum Iuda Teſtamentum Nouum. Hic ergo Pſalmus dirigens nos in finem, ſcilicet in Nouum Teſtamentum, *eſt Dauid*, literalis vt auctoris: ſpiritualis vt recitantis & loquentis in perſona ſuorum membrorum, & ſua.

Sic autem diuiditur Pſalmus iſte. Cum enim agatur de Chriſto toto, capite ſcilicet & membris, agitur primò de corpore. Secundò de capite. *Annuntiaui, & loquutus ſum.* In prima duo. Corpus loquens de Deo beneficia eius enumerat. Secundò conuerſus ad Deum, ipſum tanquam benefactorem ſuum, laudat, ibi, *Multa feciſti tu.* In prima tria, ſecundum tria beneficia quæ dicit impenſa. Primum quia oranti intendit. Secundò orantem diligenter audiuit. *Et exaudiuit.* Tertiò, quòd effectum eius quod audierat, adimpleuit, ibi, *Et eduxit me.* In prima duo. Primò præmittit meritum quo intendit ſibi Deus. Secundò præmium, ibi, *Et intendit.*

Dicit ergo in perſona antiquorum Patrum, Chriſtum & Nouum Teſtamentum expectantium: *Expectans expectaui Dominum.* Geminatio importat patientiam & manſuetudinem. Quaſi diceret: *Expectans* patienter, *expectaui* benigniter. *Iſa.* 28. Expecta, reexpecta. Sed quid ſic expectaſti? Nunquid veterem legem. Abſit: quia ad *Roman.* 5. Lex ſubintrauit, vt abundaret delictum. Quid ergo, hominem, qui poteſt fallere & falli? *Pſal.* Omnis homo mendax. Non: ſed quid? *Dominum. Ierem.* 14. Nonne tu es Dominus Deus noſter, quem expectamus? Et propter hoc, *intendit mihi*, non auertit ſe. *Ierem.* 3. Non auertam faciem meam à vobis. *Malach.* 3. Loquuti ſunt timentes Deum? Et poſt pauca: Et attendit Dominus, & audiuit. *Auguſt.* Non fruſtra ſuſtinuiſti, quia ecce oculi Domini ſuper iuſtos. Hîc ergo nota, quod tria hominum genera ſunt. Quidam de Deo non curant. Tales non expectant, ſed

Tria hominum genera.

ille magis ipſos expectat. *Apocalypſ.* 3. Sto ad oſtium, & pulſo. *Iſa.* 30. Expectat nos Dominus Deus noſter vt miſereatur noſtri. Alij dicuntur qui curant bene, non tamen ferunt multum, & ideò expectant, de quibus *Abac.* 2. Si moram fecerit, expecta eum. *Thren.* 3. Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eum. Sunt tertij qui non mediocriter curant de Deo, ſed ardenter deſiderant. Hi expectare non poſſunt, ſed occurrunt Deo, & quærunt lucernis accenſis. *Luc.* 12. Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum quando reuertatur à nuptiis: qui occurrunt luminaribus accenſis.

Et exaudiuit preces. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Non tantum hoc fecit vt expectarem, imò *& exaudiuit preces meas*, in quibus perſeuerabam non otioſè expectans, ſecundum illud *Pſal.* Expecta Dominum, viriliter age. Nec tantum exaudiuit audiendo diligenter, imò affectui mancipauit. Vnde dicuntur duo. Primò, quòd petitum fecit. Secundò, quòd completè perficit. *Et ſtatuit.* Dicit ergo: *Et eduxit me.* Et legitur hoc tripliciter: quia locus miſeriæ poteſt ſignificare concupiſcentiam in concupiſcibili, vel ignorantiam in rationali, aut pœnam infernalem in iraſcibili. De primo ſic: Exaudiuit, *& eduxit me de lacu miſeriæ*, id eſt, de profundo carnalis concupiſcentiæ, de quo *Prouerb.* 23. Fouea profunda meretrix, id eſt, carnalis concupiſcentia.

Et de luto fæcis, vel limi, ſecundum aliam literam, id eſt, de operibus lutoſis, de quibus *Exod.* 1. Oderunt ergo filios Iſraël Ægyptij, & affligebant eos in operibus duris luti & lateris.

Vel ſic: *Et eduxit me de lacu miſeriæ*, id eſt, de infidelitate & ignorantia. Lacus enim dicitur à latendo, & ignorantia latebra eſt. *Pſal.* Poſuerunt me in lacu inferiori, in tenebroſis, &c. *Et de luto fæcis*, carnalibus ſcilicet concipiſcentiis, ſicut lutum inquinantibus, in quibus cadunt homines propter infidelitatem. *Sapient.* 15. Luto vilior eſt vita illius, quoniam ignorat eum qui ſe finxit. *Pſal.* Non eſt Deus in conſpectu eius, inquinatæ ſunt viæ illius in omnis tempore. *Multiplex lacus miſeriæ.*

Tertio modo ſic: *Et eduxit me de lacu miſeriæ*, ſcilicet de limbo. *Zachar.* 9. Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui, eduxiſti vinctos de lacu in quo non erat aqua. *Iſa.* 24. Congregabuntur congregatione vnius faſcis in lacum. *Et de luto facis*, id eſt, de vilitate & deiectione. Terra enim eſt fæx elementorum, & infernus in infimo terræ. *Pſal.* Veruntamen fæx eius non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ.

Et ſtatuit ſupra. Hîc ſecundum, in quo oſtendit, quòd effectu beneficium compleuit. Erípere enim à malo parum eſſet, niſi compleſſet bona. Et quia loquitur hîc Eccleſia, vt dictum eſt, in ipſa autem ſunt duo genera hominum, Prædicatores ſcilicet, & prædicationis auditores, primò agit de adiutorio prædicatorum, ſecundò auditorum, ibi, *Videbunt multi.* In prima duo. Primò enim dicit, quòd audiuit prædicatores ad præparationem cordis, ſecundò oris, ibi, *Et immiſit in os meum.* In prima tanguntur duo beneficia, ſcilicet confirmatio in fide, quæ reſpicit apprehenſiuam. Secundò directio in voluntate, quæ reſpicit ad appetitiuam. *Et direxit.* Dicit ergo; Sic erexit de lacu miſeriæ, & de luto fæcis, & vlteriùs *ſtatuit ſupra petram*, Chriſtum. 1. ad *Corinth.* 10. Petra autem erat Chriſtus. *Daniel.* 2. Lapis abſciſſus eſt de monte ſine manibus. *Pedes meos* interiores, aſpectum ſcilicet & affectum, quamuis aſpectum principaliùs. Et nota ordinem. Primò eduxit de lacu, de mundo ſcilicet, dando gratiam relinquendi ipſum. Secundò ſtatuit in Chriſtum pedem intellectus, dando gratiam contemplandi. *Seneca:* Si vis vacare animo, aut pauper ſis neceſſe eſt, aut pauperi ſimilis.

3. Chriſtus

Chriſtus petra & via. *Ioan.* 14. Ego ſum via. Ergo petrina via, non lutuo a, ſed munda. *Sap.* 7. Nihil inquinatum i currit in illam. *Et direxit greſſus meos*, poſtquam poſuit me in via recta qua incederem. Ad *Philip* 3. Nunc autem quæ retrò ſunt obliuiſcens, ad anteriora me extendo. De vtroque *Prouerb.*3. In omnibus viis tuis cogito illum. Ecce pes ſupra petram. Et ipſe diriget greſſus tuos. Ecce aliud. *Prouerb.* 16. Eſt Dei gratiæ greſſus dirigere.

4. *Et immiſit in os meum.* Hîc ſecundum, in quo adiuuat ad præparationem oris, & hoc in duobus. In inſtructione auditorum primò, ſecundò in Dei laude. *Carmen Deo noſtro.* Ait ergo: Sic confirmauit, & direxit quæ pertinent ad bonam vitam, & poſt, *immiſit in os meum*, apertum. *Pſal.* Aperi os tuum, & implebo illud. *Canticum*, ſcilicet Dei verbum. *Ierem.*1. Ecce dedi verba mea in ore tuo. Et *nouum*, id eſt, prædicationem Noui Teſtamenti, non Veteris, optimè. Non enim decuit noua docere, niſi per vitæ innocentiam innouatos. *Gloſſa*, Nouus populus, noua cantat. *Matth.* 9. Nemo mittit vinum nouum in vtres veteres. Vetus ergo canticum erat reddere oculum pro oculo, & animam pro anima. *Exod.*21. *Mvlth.*5. Auditis, quia dictum eſt antiquis: Oculum pro oculo, &c. ſed nouum canticum eſt: Ego autem dico vobis, ſi quis te percutit in vna maxilla, præbe ei & alteram. Vetus canticum fuit de ſubmerſione Ægyptiorum, & filiorum Iſraël liberatione. *Exod.*15. Sed nouum canticum eſt de Chriſti natiuitate, paſſione, & reſurrectione. Sic quantum ad populum inſtruendum. Et etiam, *immiſit*, quantum ad Deum laudandum, *carmen*, nou theatrale, non meretricium, non placens dæmonibus, ſed *Deo*, non alieno, ſed *noſtro*, qui verus eſt & æternaliter Deus. *Pſal.* Benedicat nos Deus, Deus noſter, &c.

Mutatio veteris cantici in nouum.

Quare Deo cantandum non mundo.

Nota ergo, quòd cantare debemus carmen Deo placens, non mundo & meretricibus. Primò quia ſumus templum Dei: iniuria enim magna eſt ſi in templo Dei canitur, non de Deo. 1. ad *Corinth.* 3. Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Et in *Pſal.* Et in templo eius omnes dicent gloriam, non ignorantiam. *Hieron. in quadam Epiſtola*, anima quæ futura eſt templum Dei, turpia non intelligat, cantica mundi ignoret. Item propter amaræ vitæ temperamentum; nullus enim ſtatus qui non ſit amaritudinibus reſperſus. *Iſa.* 38. In pace amaritudo mea amariſſima, &c. Hymnorum ergo dulcedine eleuatur. *Bernard.* Continentiæ labor, & rigor diſciplinæ, hymnorum dulcedine releuetur. *Pſal.* Bonum eſt pſallere nomini tuo Altiſſime. Propter auſcultantium beatorum conſortium. Præuenerunt principes cœleſtes coniuncti pſallentibus. *Cant.*8. Qui habitas in hortis, amici auſcultant te, fac nos audire.

Videbunt multi. Hîc ſecundum, in quo oſtendit quid factum ſit in auditoribus, quia conuerſi ſunt: vnde duo tanguntur. Primò illorum conuerſio. Secundò conuerſorum commendatio. *Beatus vir.* In prima primò tangit conuerſionis cauſam. Secundò effectum duplicem, in quibus monſtratur conuerſio, ſcilicet timorem in iraſcibili, & ſpem in concupiſcibili. Dicit enim: Sic prædicabo per Doctores, *& multi videbunt*, veniſſe Chriſtum, de quibus *Luc.* 10. Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Nec mirum ſi beati, quia multorum antiquorum Patrum vehemens deſiderium in illis impletum eſt. *Ioan.* 4. Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introiſtis. Laborauerunt quidem expectando, deſiderando, ſuſpirando. Vel ſic: *videbunt multi*, miracula quæ fient à Chriſto, *& timebunt.* Vnde *Luc.*5. Vt viderunt, repleti ſunt timore, dicentes: Quia mirabilia vidimus hodie. Vel ſic: *Multi* ſequentium, *videbunt* antecedentes Sanctos conſideratione, & meditatione. Iſtæ ſunt duæ turbæ de quibus *Matth.* 21. Turbæ quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant dicentes: Oſanna filio Dauid. *Et timebunt*, vias peccatorum incedere, & facti Chriſtiani, *ſperabunt*, non in aliquo illorum ſe habituros remiſſionem peccatorum, *ſed in Domino. Marc.* 2. Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus?

Hic nota, quòd exiſtente Dei cognitione in rationabili, creatur ſtatim timor pœnæ in iraſcibili. Cognoſcitur enim eſſe iuſtus. *Iob.*23. A facie eius turbatus ſum, & cogitans eum iuſtum, ſupple, timore ſollicitor. *Habac.* 3. Audiui auditum tuum, & timui. *Iob vlt.* Nunc oculus meus videt te, idcirco me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere. Item cauſatur ſpes gloriæ in concupiſcibili, quia cognoſcitur ſummè miſericors. *Pſal.* Sperent in te qui nouerunt nomen tuum, quoniam, &c. Et alibi: Domus Iſraël, videntis ſcilicet Dominum, ſperauit in Domino. Nec mirum, quia *Eccleſ.* 2. Secundum magnitudinem illius ſic & miſericordia eius cum ipſo eſt. Sed magnitudinis eius non eſt finis. Ergo nec miſericordiæ.

5. *Beatus vir cuius eſt nomen Domini ſpes eius.* Hîc conuerſorum commendatio. Commendat autem eos à duobus. A conuerſione ad bonum incommutabile, & ab auerſione à bono commutabili. *Et non reſpexit.* Dicit ergo: Sic conuertentur, & *beatus vir cuius eſt nomen Domini ſpes eius*, & ſuperfluit *eius*, ſicut frequêter fit in Hebræo. Ecce conuerſio ad Deum. *Act.* 4. Non eſt aliud nomen ſub cœlo, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Vel ſic vt nihil ſuperfluat. *Beatus vir cuius eſt nomen Domini*, qui habet ſemper nomen Domini in corde & in ore ad laudandum, vt dicat illud, Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. *Nomen*, inquam, *ſpes eius*, in quo ſcilicet ſperat ſolummodo, & non in alio. *Prouerb.* 16. Turris fortiſſima nomen Domini, ad ipſum currit iuſtus & ſaluabitur. *Iſa.*45. Deus iuſtus & ſaluans non eſt præter me. *Et non reſpexit*, auertendo oculum affectus, de quo dicitur: Vbi amor, ibi oculus. *In vanitates*, terrena ſcilicet, quæ vana ſunt in ſe. Ad *Rom.* 8. Vanitati ſubiecta eſt creatura. *Eccl.*1. Vanitas vanitatum & omnia vanitas, dixit Eccleſiaſtes, nolens eſſe de illis de quibus dicitur ſupra, Vt quid diligitis vanitatem? *Et inſanias falſas*, id eſt, rixas quæ indè oriuntur, & dicuntur inſaniæ. *Pſal.* Turbati ſunt, & moti

ſunt ſicut ebrius: ecce infamia: ſed falſitas, quia ſequitur: Omnis ſapientia eorum deuorata eſt. *Amos* 3. Congregamini ſuper montes Samariæ, & videte omnes inſanias in medio eius. Inſaniæ falſæ ſunt in ſaxis formoſis Deum quærere, vbi futurorum ordinem mendaciter quærebant. *Oſeæ* 9. Inſaniæ in domo eius: profundè peccauerunt, videlicet infidelitate. *Ierem.* 10. Fruſtra conflauit conflator. Tertio modo inſaniæ dicuntur falſitates, ſpectacula, & facta hiſtriorum ad voluptatem pertinentia. *Sap.*14. ait, Dum lætantur, inſaniunt. Et nota, quòd voluptates carnales dicuntur vanæ, quia non ſatiant concupiſcibilem. *Prou.*13. Iuſtus comedit & replet animam ſuam, venter autem impiorum inſatiabilis. *Eccleſ.*10. Adoleſcentia & voluptas vana ſunt. Item ſunt inſaniæ, quia infatuant rationabilem. *Eccleſ.*19. Vinum & mulieres faciunt apoſtatare etiam ſapientes. *Sap.*1. Sapientia non habitabit in corde ſubiecto peccatis. *Iſa.*24. Inſanient cultores terræ, id eſt, carnis ſuæ. Propter hoc dicitur illi qui ſub prætextu laboris quem habet in legendo de theologia & prædicando, comedit ſatis, & bibit, & curam carnis agit. *Oſeæ* 9. Scio te Iſraël ſtultum, prophetam inſanum. Item dicuntur falſæ, quia fallunt irascibilem. Eius erat deteſtari malum, & ipſæ ſimulant ſe vtiles, & ſic intrare eas permittit. *Iſa.*5. primò dicitur: Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandum. Et poſt ſubditur: Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum.

Qua ſint falſæ inſaniæ.

6. *Multa feciſti.* Hîc ſecunda pars, in qua laudat ſuum benefactorem, & laudat eum primò ab opere exteriori. Secundò à ſapientia interiori. *Et cogitationibus tuis.* Dicit ergo: Hæc bona mihi feciſti, propter hoc prorumpo & dico. Vel ſic: Non reſpexit in vanitates & inſanias: habet autem quid in te ſpectet, quia dicit: *Deus meus feciſti mirabilia. Daniel.* in fine: Ipſe liberator atque ſaluator & miſerator, faciens ſigna atque mirabilia. Et *multa. Iob* 5. Qui facit magna & inſcrutabilia, atque mirabilia abſque numero.

Et cogitationibus. Hîc à ſapientia interiori, & tanguntur duo. Primò ſapientia. Secundò ſapientiæ ſingularis excellentia. *Et non eſt qui ſimilis ſit tibi.* Dicit ergo: Hæc mirabilia multa, *& cogitationibus tuis*, non labore aliquo, non alieno conſilio. *Iſa.*40. Quis adiuuit ſpiritum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? *Non eſt qui ſimilis ſit*, ſapientia in omni genere artium. Docet hiſtrio ſuper funem in aëre ambulare, & tu ſuper mare ſiccis plantis. *Matth.* 14. Venit ad eos ambulans ſuper mare. *Ierem.*10. Tuum eſt Deus, & in vniuerſis regnis non eſt ſimilis tibi. *Iob* 36. Ecce Deus excelſus, & non eſt ſimilis ei, in legiſlatoribus, nec Moyſes, nec Mahumetus. *Pſal.* Non eſt ſimilis tui in diis Domine, & non eſt, &c. Neque in potentia vllus eſt ſimilis, vel in bonitate. *Exod.* 15. Quis ſimilis tui in fortibus Domine, quantum ad potentiam, quis ſimilis tui? Magnificus in ſanctitate, quantum ad bonitatem.

Nullus Deo ſimilis in ſapientia, potentia

Annuntiaui & loquutus ſum. Hîc agit de capite, id eſt, Chriſto, & primo agit de aduentu eius in carnem. Secundò de prædicatione eius in carne. *In capite libri.* Tertiò de exitu eius de carne, ibi, T*u autem Domine ne longè.* In prima duo. Primò aduentus ſui neceſſitatem præmittit. Secundò de ipſo aduentu ſubiungit, *Tunc dixi.* Et præmittitur duplex neceſſitas aduentus ſui. Prima, malorum numeroſitas non obſtante prædicatione facta per Prophetas. Secundò legalium ſacramentorũ inutilitas, ibi, *Sacrificium & oblationem.* Continua ergo: Nunc mirabilia feciſti, quia *annuntiaui, & loquutus ſum.* Per replicationem hanc ſignificatur frequentia annuntiandi, & hoc per Prophetas. Ad *Hebr.*1. Multifarie multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis. Vel ſic: *Annuntiaui* per Prophetas priùs, & *loquutus ſum*, prius in perſona propria Hebræis. Ideò poſtquam dixit, Olim Patribus in Prophetis, addidit, Nouiſſimè diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio. *Iſa.*52. Ego ipſe qui loquebar, ecce adſum. Tamen *multiplicati ſunt*, mali, *ſuper numerum*, bonorum. Vnde apparet quod magis erat neceſſitas vt venirem. *Matth.* 20. Multi vocati, pauci vero electi. Vel abſolutè: *multiplicati ſunt ſuper numerum*, ſuper id quod poſſit aliquis numerare. *Eccleſ.*1. Stultorum infinitus eſt numerus. Alio modo legitur etiam de bonis ſic: *Annuntiaui*, per Prophetas, & *loquutus ſum*, per me. *Multiplicati ſunt* homines, *ſuper numerum* prius credentium. *Act.* 16. Eccleſiæ confirmabantur, fide, & abundabant, numero, quotidie. *Iſa.*54. Lætare ſterilis, quæ non paris. Et paulo poſt: Quia multi filij deſertæ, magis quam eius, quæ habebat virum, ſcilicet ſynagogæ. De hac multiplicatione *Geneſ.*15. Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes: ſic erit ſemen tuum.

De aduentu & prædicatione Chriſti.

Sacrificium & oblationem. Hîc agit de legalium inutilitate, & oſtenditur inutilitas legalium ſacrificiorum primò. Secundò etiam holocauſtorum, ibi, *Holocauſtum & pro peccato.* In prima duo. Primò Patri loquens dicit, quòd ſacrificium Iudæorum noluit. Secundò quomodo ſcit, cum Iudæi hoc neſciant. *Aures autem.* Ait ergo: Sic multiplicati ſunt ſuperbi: *& ſacrificium*, quod fiebat de animalibus, *& oblationem*, quæ fiebat de aliis rebus, *noluiſti.* Vnde *Iſa.*1. Cum veniretis ante conſpectum, quis quæſiuit hoc de manibus veſtris? Et rurſum: Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus? Plenus ſum. Holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & agnorum & hircorum nolui. Incenſum abominatio eſt mihi. 7.

Aures autem. Ecce ſecundum, & legitur tripliciter. Primò ſecundum literam *Auguſt. Corpus autem perfeciſti mihi*, id eſt, corpus perfectum dediſti mihi, id eſt, ſine peccato, & ſine fomite, hoc ſolus habui. *Ioan.*14. Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Et ad *Rom.* 8. Deus miſit Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati. Secundum aliam literam ſic: *Hæc noluiſti, aures autem perfeciſti mihi*, vt intelligerem hoc. Cognoſco enim te, & ſcio voluntatem tuam, non carnales Iudæi. *Ioan.*17. Pater iuſte, mundus te non cognouit: ego autem te cognoſco. *Ioan.*16. Nunc ſcimus quia ſcis omnia. Tertio modo ſecundum literam Apoſtoli ad *Hebr.*10. *Corpus autem adaptaſti mihi*, id eſt, dediſti

mihi

mihi corpus aptum ad offerendum, quia fuit mortale, sine macula tamen peccati. *Exod.*12. Agnus offerendus debebat esse sine macula. De mortali constat ad *Hebr.*9. Sanguis Christi, qui per Spiritum sanctũ seipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram.

Auris obedientiam significat.

Hic etiam nota contra inobedientes, quod Deus non curat sacrificium afflictionum, nec oblationes orationum: sed vult aures perfectas, scilicet obedientiam promptam: in aure enim significatur obedientia. Primò quia auris habet introitum valde patulum ad cito audiendum. Sic verè obediens debet esse promptus ad audiendum. *Iacob.*1. Sit omnis homo velox ad audiendum. Item auris habet meatum arctũ, & anfractuosum, vnde receptus sonus non potest exire. Sic obediens debet audita retinere. *Luc.*11. Beati qui audiunt verbũ Dei, &c. Item intus habet aërem quietum paratissimũ moueri ad omnem sonum sibi aduenientem, & ei conformari. Sic verè obediens, non tantum audire & retinere debet, sed statim adimplere. *Iacob.*1. Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores.

Holocaustum & pro peccato. Hic secundum, in quo ostenditur inutilitas etiam holocaustorum, & legitur dupliciter. Quia hoc quod dicitur, *pro peccato*, potest esse vna dictio, vel duæ. Primo sic: Et est quasi præcedentis versus expositio. Sic, sacrificium noluisti, quia *holocaustum*, id est, sacrificium quasi totum incensum: Et *pro peccato*, id est, oblationes alias quæ nominantur hac appellatione, sicut similam, turtures, capreas, & huiusmodi quæ offerebantur tota die pro peccatis purgandis. *Leuit.*5. Si nequiuerit manus eius inuenire duos turtures, offeret similam oleo conspersam. Vel *pro peccato*, appellatur hircus emissarius, qui mittebatur in desertum cum peccatis populi. *Leuit.* 16. Secundo modo sic: *holocaustum, &c.* id est, etiam pro peccato factum, quod erat holocaustum vitulæ rufæ, quæ tota incendebatur cum fimo & intestinis. *Num.*19. & hoc ad purganda peccata, & reputabatur inter omnia sacrificia & holocausta præcipuum, *noluisti.* Ad *Hebr.*9. Cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis. Sed Deus non curabit. *Ierem.*6. Vt quid thus de Saba offertis? Holocausta vestra non sunt accepta.

8. *Tunc dixi.* Ex quo ista omnia sunt inutilia, & tibi non placentia: *Ecce venio*, ad placendum tibi. Ad *Hebr.*10. Aufert primum, vt sequens statuat. Sed si nolebat Deus illa, cur fieri præcepit? Resp. Propter tria. Primò ne peius occuparentur si essent otiosi: quia dicit *August.* Nihil laboriosius quam non laborare. *Iob* 5. Homo natus ad laborem. Item ne dæmonibus ab eis hæc offerrentur, sicut viderant fieri in Ægypto. *Leuit.*27. Adolebit adipem in odorem suauitatis Domino, & nequaquam vltra immolabunt hostias, dæmonibus, supple. Item vt futura significarentur. 1.ad *Cor.*10. Hæc omnia contingebant illis. Ad *Hebr.*10. vmbram habens lex futurorum. Quasi ergo coactus: quia reprimendi & reuocandi à diabolo, & manu ducendi in spiritualem sensum.

Cur Deus Iudæis hæc sacrificia nõ bona præcipiebat.

9. *In capite libri.* Hic secundum, in quo postquam actum est de Christi aduentu in carnem, subiungitur de prædicatione eius in assumpta carne. Et primò ostenditur prædicatoris debita dispositio. Secundò sic dispositi prædicatio, ibi, *Annuntiaui.* Dispositio duplex tangitur, Vna in effectu, scilicet se conformare diuinæ voluntati. Secunda in aspectu, scilicet legem diuinam plene cognoscere, ibi, *Et legem tuam.* Dupliciter autem legitur pars prima: quia liber potest dici ad literam, vel mysticè. Primo modo sic continua: *venio*, & hoc Domine Pater, *vt faciam voluntatem tuam*, non meam. *Ioan.*6. Descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Et hoc *in capite libri scriptum est de me*, id est, in principio primi Psalmi, vbi scriptum est: In lege Domini voluntas eius. Et hoc scriptum est, scilicet, *facere voluntatem tuam, volui*, ô *Deus meus. Ioan.* 4. Meus cibus est facere voluntatem Patris mei. Quasi diceret: In corde habui, & in intimo cordis. Hoc etiam scriptum est in capite libri, vbi dicitur, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Alio modo sic: Liber ille Christus, in quo sanctos mores euidentissime legere possumus. *Apoc.*20. Alius liber apertus est qui est vitæ. Et in 5. Vidi in dextera sedentis super thronum librum scriptum, intus per virtutes, foris per operationes. Sic Christus dicitur liber, cuius caput Deus Pater. 1.ad *Cor.*11. Caput Christi Deus. Dicit ergo: In capite libri, id est, apud Deum Patrem, qui est caput mihi, *scriptum est de me*, id est, præfinitum & determinatum, *vt facerem voluntatem tuam*, ô Deus Pater, obediendo tibi vsque ad mortem. Et hoc, *Deus meus volui*, vt supra, nec hoc tantum, imo *& legem tuam*, volui, *in medio cordis mei:* quia non veni ipsam soluere, sed adimplere. *Matth.*5. Et nota, quòd tertius est liber, cœlũ scilicet. *Isa.*34. Cõplicabuntur sicut liber, cœli. Huius libri pellis & pergamen cœli substantia. *Psal.* Extendens cœlum sicut pellem. Pellis scripta est manu diuina. *Psal.* Videbo cœlos tuos opera digitorum tuorũ. Potest ergo esse sicut dicit *Ambros.* quod sicut in sepulchris magnorum scribuntur epitaphia, sic in cœlis sanctorum nomina. *Luc.*10. Gaudete & exultate, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Sed si sanctorum nomina ibi sunt scripta, non dubium quin in ipso capite scriptum sit nomen Sancti sanctorum. *Daniel.*9.

Dispositio ad prædicãdum, obedientia & legis notitia.

Triplex liber, Scriptura, Christus, cœlum.

Annuntiaui iustitiam tuã. Hic secundum, vbi subiungitur de prædicatione: & dicuntur tria. Quid prædicauerit, & vbi. *In Ecclesia magna.* Et quomodo, ibi, *Ecce labia.* Dicit ergo: Sic veni, & ita dispositus fui ad prædicandum, & sic *annuntiaui iustitiam tuam*, esse, supple, in nobis à te: contra Pelagianos, qui dicunt, quòd homo potest esse iustus à se. *Prou.*8. Meum est consiliũ, id est, temperantia, & æquitas, iustitia scilicet, mea prudẽtia, & mea est fortitudo. Ad *Rom.*8. Quos vocauit, hos & iustificauit. Sol enim Christus. *Malach.*3. Vobis timentibus Deum orietur sol iustitiæ. Et iustitia lumen emanans ab hoc sole. *Psal.* Et educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem. Et hoc *in Ecclesia magna*, id est, vbique diuisa & dispersa, & per me, & per mea membra. *Malach.*1. Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus.

10.

Quid, vbi, quomodo Christus prædicauit.

Et nota, quòd dicitur, *Magna*, latitudine, quia vbique per orbem terrarum diffusa. *Isa.*54. Di-

Ecclesia magna multis modis.

lata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum extende. Item altitudine, quia caput eius in ſummo poli eſt ſitum, ſcilicet Chriſtus. *Col.*1. Chriſtum dedit ſuper omnem Eccleſiam. *Matth.vlt.* dicitur de eo, quòd aſcendit in cœlum, & ſedet à dextris Dei. Item magna, duratione. *Matth.*7. Venerunt flumina, flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſupra firmam petram. *Luc.*22. Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua *Eccleſ.*1. Terra autem in æternum ſtat. Item magna, poteſtate. *Matth.*16. Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.

Ecce labia mea. Hîc tangitur modus, & dicuntur tria. Quia ſine timore primò. Secundò quia ſine dilatione. *Domine tu ſciſti.* Tertiò probat primum. *Iuſtitiam tuam.* Dicit ergo: *Annuntiaui iuſtitiam tuam in Eccleſia magna*, & hoc conſtanter, quia *labia mea non prohibebo.* Vel ſic: Sic annuntiaui: ſed ſi quid aduerſum in me inſurgat, quid facturus es? *Labia mea non prohibebo. Act.*4. Nunc Domine reſpice minas eorum, &c. Et 19. ingreſſus Paulus ſynagogas eorum, annuntiabat cum fiducia. Sed nunquid ſic agam cum ſimulatione, vt quæram hominibus placere? Non, *Domine tu ſciſti*, cor meum, intentionem meam: quare ſcilicet annuntio. Non enim ſum de illis, de quibus *Iſa.* 29. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum, &c. *Ierem.* 17. Tu ſcis quod egreſſum eſt de labiis meis, quoniam rectum fuit in conſpectu tuo. Vel *Domine tu ſciſti*, id eſt, prædeſtinaſti me hoc facturum. Ad *Rom.* 8. Quos præſciuit, hos & prædeſtinauit.

11. *Iuſtitiam tuam non abſcondi.* Hîc tertium, in quo oſtendit, quod non potuit cohiberi humano timore, & dicuntur duo. Primò, quòd prædicauit. Secundò, quòd aduerſariam multitudinem non expauit. *Non abſcondi miſericordiam.* Continua ergo: Sic verè non prohibebo labia, quia *iuſtitiam tuam*, quæ à te eſt, vel ſecundum *Auguſt. meam*, id eſt, mihi collatam, ſcilicet fidem, quæ iuſtitia eſt. Ad *Rom.*3. Arbitramur hominem iuſtificari per fidem. *Non abſcondi in corde meo*, aliquo humano timore. *Auguſt.* Interrogat paganus ſub pœna, An Chriſtianus? Dicis, Chriſtianus ſum: hæc eſt iuſtitia tua. Ad *Rom.*10. Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Sed magis *veritatem tuam*, promiſſorum ſcilicet iam factorum exhibitione, quantum ad gratiæ plenitudinem, quæ iam exhibita eſt in incarnatione. *Et ſalutare tuum*, ſcilicet promiſſionem exhibendam in reſurrectione generali, quando corpora glorificabuntur, & animæ ſaluabuntur. *Dixi.* Vel ſic, vt legatur de membris. *Veritatem tuam*, id eſt, Chriſtum. 1. *Ioan.*14. Ego ſum via, veritas & vita. Nec tantum vt eſt veritas in aſpectu, ſed vt eſt vita & ſalus in affectu. Vnde *& ſalutare tuum*, eundem Chriſtum, *dixi. Luc.*2. Viderunt oculi mei ſalutare tuum. Hanc veritatem, & hoc ſalutare Paulus audacter prædicauit. 1. ad *Corinth.*1. Prædicamus Chriſtum, Dei virtutem, & Dei ſapientiam. Iſte non eſt ſicut illi qui multa ſciunt, & tamen abſcondunt, & dicere nolunt. Talis eſt ſeruus nequam, Domino ſuo noxius, in ſeipſo monſtruoſus, proximo iniurius. De primo: quid aliud homines audientes verbum Dei, niſi ager Domini? 1. ad *Corinth.* 10. Dei agricultura eſtis, & agni ſanguine, Chriſti, rigati. Verbum autem retinens, ſemen retines. *Luc.*8. Semen eſt verbum Dei. Ergo Domino noxius, qui præceperat: Gratis accepiſtis, ſcientia mea: gratis date *Luc.*10. agris meis. De ſecundo: monſtruoſus eſt: Verbum enim ſemen eſt, quo anima impinguatur. *Eccleſ.*9. A facie verbi parturit fatuus. Anima ſciens multa, & retinens illa, quid eſt niſi anima multum impinguata? Et monſtruoſum eſt tot annis ſemen & fructum in ventre portare, & non parere. *Iob* 32. Conceptum ſermonem tenere quis poterit? Nemo, quin monſtruoſus efficiatur, & periculosè, quia *Luc.*22. dicitur: Væ prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. 1. ad *Cor.*9. Væ mihi ſi non euangelizauero. *Eccleſ.*1. Qui addit ſcientiam, addit & laborem. *Prouerb.*10. Os iuſti parturit ſapientiam, &c. Proximo iniurioſus. Ad diſtribuendum accipit ſcientiam. *Matth.*7. Dabat diſcipulis vt apponerent. Ad *Rom.*10. Græcis & barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum.

Contra mutes prædicatores.

Non abſcondi miſericordiam. Hîc ſecundum, in quo oſtendit, quòd aduerſam multitudinem non expauit. Primò repetens de prædicatione vt addat. Secundò addens quod addendum erat breuiter à iuſtitia & veritate. *Non abſcondi miſericordiam tuam.* Quaſi diceret: Petentibus peccata dimittis ſecundum illud *Eccleſ.*2. Pius & miſericors Dominus, & remittet peccata in tempore tribulationis. *Et veritatem tuam*, quam reddis iuxta merita. *Iſa.*42. In veritate educet iudicium. Hoc *non abſcondi à concilio multo*, mihi aduerſanti timens ſecundum illud *Ierem.*1. Ne timeas à facie eorum, quia ego tecum ſum. Et infra: Ne formides à facie eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum.

Prædicanda miſericordia & iuſtitia.

Hîc notandum, quòd duplici fine debemus prædicare miſericordiam & veritatem, hoc eſt, iuſtitiam vt de miſericordia ſit ſpes auditoribus, de iuſtitia timor: quia, ſicut dicit *Greg. lib.* 33. In peccatoris pectore debent ſpes & formido inceſſanter coniungi, quia incaſſum miſericordiam ſperat, ſi non & iuſtitiam timeat. Incaſſum iuſtitiam metuit, ſi non & de miſericordia confidit. Ideò prædicatori dicitur *Pron.*3. Miſericordia & veritas non te deſerant: circunda eas gutturi tuo. *Luc.*10. Samaritanus infudit vinum & oleum ſauciato. Deus in vno ſermone ſuo hæc duo prædicauit. *Pſal.* Semel Deus loquutus eſt, duo hæc audiui, quia tibi Domine miſericordia, & reddes vnicuique iuxta opera ſua.

12. *Tu autem Domine ne longè facias.* Hîc tertium, in quo agitur de exitu eius à carne, & dicuntur tria. Primò exiturus à carne petit quæ ſibi vult auferri in exitu. Secundò quæ poſt. *Adiutor.* In prima tria. Primò pro ſeipſo precatur. Secundò inimicis mala imprecatur, ibi, *Confundantur.* Tertiò bonis bona precatur, ibi, *Exultent.* In prima duo. Primò oſtendit quid ſibi non vult fieri. Secundò quid vult ſibi fieri, ibi, *Complaceat tibi.* In prima duo. Primò oratio ne ſibi fiant illa. Secundò perſuaſio, ibi, *Miſericordia & veritas.* Dicit ergo: Sic vixi in carne.

Autem,

Autem, pro ſed, tu *Domine ne longè facias miſerationes tuas.* Pluraliter dicit, quia opera miſericordiæ ſunt multæ, *à me*, à membris ſcilicet vulneratis. Et dicit: *Ne longè facias*, quia cum pœna & afflictio eſt in carne, non longè eſt Dei miſeratio. *Pſal.* Cum ipſo ſum in tribulatione. Tamen aliter videtur multis dicentibus illud *Iudic. 6.* Obſecro Domine, ſi Dominus nobiſcum eſt, cur apprehenderunt nos tribulationes? Sed quando culpa venialis adeſt, tunc aliquantulum ſeiungitur Deus. Sed quando mortale, tunc vero longè fit. *Pſal.* Et noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.

Miſericordia & veritas. Hîc perſuaſio à tribus. Primò ab eius benignitate. Secundò à promittentis veritate. *Et veritas tua.* Tertiò à propria neceſſitate, ibi, *Circundederunt me mala.* Dicit ergo: Sic rogaui ne longè miſerationes tuas faceres, nec debes, quoniam *miſericordia & veritas tua*, vt legatur coniunctim, id eſt, vera miſericordia tua, *ſemper ſuſceperunt me*, id eſt, meos, à primo iuſto vſque ad vltimum. *Eccleſ.* 18. Miſeratio hominis ſuper proximum ſuum, miſericordia autem Domini ſuper omnem carnem.

Vel ſic: Non debes mihi negare quæ peto: ipſa *autem*, ſed *miſericordia tua*, benignitas ſcilicet & *veritas tua*, qua ſoluis quæ promittis, & iuſtus es, *ſemper ſuſceperunt me.* Primum, miſericordia ſcilicet, amorem tuum generat. Secundum, ſcilicet veritas timorem, vt non ſit de multis qui nimium præſumunt, nec de aliis, qui nimium timent, ſed de paucis, qui in medio incedunt. *Pſal.* Miſericordiam & veritatem eius quis requiret? Tamen magis attendendum miſericordiæ, quam veritati, ſecundum illud *Sap. 15.* Tu Domine Deus noſter, & ſuauis & verus es. Et addit de miſericordia, & patiens, & in miſericordia omnia diſponens.

13. *Quoniam circundederunt.* Hîc perſuadet tertiò à propria neceſſitate: & hoc primò ratione multiplicis pœnæ in ipſo capite. Item ratione culpæ in corpore, ibi, *Comprehenderunt.* Dicit ergo, vt & hîc cum *Gloſſa* exponatur de malo culpæ: Sic rogo, nec mirum: *quoniam circundederunt me mala*, & culpæ, & non pauca, *quorum non eſt numerus.* Ecce humilis confeſſio, non illa Phariſæi. *Luc. 18.* Non ſum ſicut cæteri homines. *Auguſt.* Iactabat ſe Phariſæus, & tegebat vulnera. Sed corde, lingua, medullis hoc dicamus, & nemo ſe iuſtum putet. Et nota, quòd per hoc quod dicitur *circundederunt*, monſtratur peccatorum magnitudo, quòd totum inuolutum circumdat ſicut veſtis. *Pſal.* Operti ſunt iniquitate, & impietate ſua. Carnalis veſtis iſta. *Iudas in Canon. 2.* Odientes eam quæ carnalis eſt, maculatam tunicam. Hæc veſtis contexitur de filis illis. Ad *Galat. 5.* Manifeſta autem ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, &c. Per hoc quod additur, *Quorum non eſt numerus*, notatur multitudo: non eſt enim niſi numerus apud homines. *Pſal.* Delicta quis intelligit, &c. ſed Deus puniens illa, & iudicans, bene nouit. *Caſſiodor.* Omnia Deo dinumerata ſunt, qui arenam maris, & guttas pluuiarum, ſtellarumque multitudinem cognoſcit. Aliter de malo pœnæ. Quaſi diceret: Miſerere, & debes, quoniam *circundederunt me mala*, tot pœnæ, *quorum non eſt numerus:* innumerabiles enim partes in me ſunt, ſed omnes afflictæ ſunt. *Iſa. 1.* A planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas.

Et comprehenderunt. Hîc tangit mala in corpore ratione culpæ conſequuta: & ſunt tria. Primò captio iraſcibilis, quæ debet malis reſiſtere. Secundò excæcatio rationabilis. *Non potui.* Tertiò multiplex euagatio concupiſcibilis. *Multiplicatæ.*

Dicit enim: Sic circundederunt me mala culpæ, & comprehenderunt me iniquitates tanquam ab eis captiuatum. *Prouerb. 5.* Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur. *Et non potui*, aperire oculos rationis, *vt viderem. Iudic. 15.* Samſon captus à Philiſtæis, ſtatim excæcatus eſt. *Ierem. 52.* Rex Babylonis capto Sedecia rege, ſtatim oculos eius eruit, & vinxit eum cum compedibus. Et nota quod dicit: *Non potui vt viderem*, Deum. *Iſa. 59.* Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis.

Multiplicatæ ſunt. Hîc tertium, multiplex & vaga occupatio concupiſcibilis: vnde duo tanguntur. Primò occupationis multitudo. Secundò concupiſcibilis euagatio per illam multitudinem. *Et cor meum.* Prima autem pars legitur dupliciter: quia capilli poſſunt accipi myſticè, vel ad literam. Primo modo ſic: Bene dico, quòd circundederunt me mala, quia *multiplicatæ ſunt iniquitates*, id eſt, iniqui: ſed emphaticè loquitur: *ſuper capillos capitis mei*, id eſt, ſuper iuſtos, modò capiti Chriſto adhærentes, & totum corpus eius ornantes. Iſti ſunt capilli de quibus *Daniel. 7.* Capilli capitis eius, quaſi lana munda. Et certè hoc verum eſt: multò enim ſunt plures impij, quam iuſti, *Eccleſ. 1.* Stultorum infinitus eſt numerus. Et in 7. Vnum de mille non reperi. Alio modo ſic: *Multiplicatæ ſunt*, culpæ meæ ſcilicet veniales, *ſuper capillos capitis mei*, ad literam, quia ſunt innumerabiles. Propter multitudinem dicit *Auguſt.* Vitaſti grandia, ſcilicet mortalia: caue ne obruaris arena. Et bene comparat capillis, quia per pilos qui ſuperflui ſunt, peccata deſignantur. *Numer. 8.* Leuitæ aſpergantur aqua luſtrationis, & radant omnes pilos carnis ſuæ.

Et cor meum. Hîc ſecundum, & legitur dupliciter, quia cor appellatur vel intellectus, vel affectus. *Dereliquit me*, ſenſibilibus his inhærendo, & me deſerendo. Scriptum eſt enim: Qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Alio modo ſic: *Cor meum*, aſpectus & intellectus meus, *dereliquit me*, vt non cognoſcerem meipſum. *Bernard.* Multi multa ſciunt, & ſeipſos neſciunt. Talis fuit Petrus, qui interpretatur agnoſcens, cum dicebat *Matth. 26.* Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor. 8.

Et nota, quòd quando multiplicantur iniquitates, cor derelinquit: quia nunquam eſt ei deterius, quam in proprio hoſpitio, ſicut hiſtrioni propter malam vxorem, quam abiicere non poteſt, ſcilicet conſcientiam remordentem.

tem. *Prouerb.* 19. Tecta iugiter perſtillantia, litigioſa mulier. Et 25. Commorari leoni, & draconi placebit magis, quam cum muliere nequam. Propter hoc dicitur de diuite. *Oſea* 8. Columba Ephraim ſeducta, non habens cor. Aufugit enim. Et propterea admonet *Eccl.*29. Contine & congrega cor tuum in ſanctitate. Et Dauid gloriando dicit 2. *Reg.* 8. Inuenit ſeruus tuus cor ſuum, vt oraret te.

14. *Complaceat tibi Domine.* Hîc ſecundum, in quo poſtquam petiuit quid ſibi velit non fieri, hic petit id quod ſibi vult fieri: & ſunt duo. Liberatio à malis, & adiutorium in bonis, ibi, *Domine ad adiuuandum me.* Ait ergo: In tantis ſum miſeriis & propter hoc *Domine.* In hoc notatur vnitas eſſentiæ. *Complaceat*, in hoc pluralitas in perſonis, propter aſſociationem. *Complaceat*, inquam *vt eruas me.* Oſtendit, quòd non diffidit de primo, ſi voluntas adſit, cum dicit: *Complaceat. Pſal.* Omnia quæcumque voluit, fecit Dominus.

Domine ad adiuuandum me. In bonis, *reſpice*: ſolo enim reſpectu tuo adiutorium præſtas. 2. *Paral.* 16. Oculi Domini ſuper vniuerſam terram, & præbent fortitudinem. Si ſolus reſpectus ſic, multò plus approximando ad eum, propter quod dicebat *Iob* 17. Libera me Domine, & pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me. Ipſe enim eſt lapis adiutorij. 1. *Reg.*4. Caſtrametatus eſt Iſraël iuxta lapidem adiutorij.

15. *Secunda pars Pſalmi, imprecatur mala inimicis.* *Confundantur & reuereantur.* Hîc ſecunda pars totius iſtius Pſalmi, in qua orat, & imprecatur mala malis, & primò ratione mali in operatione. Secundò ratione mali in corde & cogitatione, ibi, *Conuertantur retrorſum.* Tertiò ratione mali in ſermone, ibi, *ferant confeſtim.* In prima duo. Primò tangitur pœna quam illis imprecatur. Secundò cauſa quare imprecatur. *Qui quærunt animam.* Dicit ergo: Hoc mihi præbes, ſed quid malis & aduerſariis? *Confundantur inimici mei*, miraculorum operatione, *& reuereantur*, hoc eſt, timeant multum audita mea oratione. Ecce dictæ pœnæ, de quibus *Ierem.*18. Confundantur qui me perſequuntur. Et infrà: Duplici contritione contere eos. Et iterum, Paueant illi, & non paueam ego. *Qui quærunt*, id eſt, quia illi quærunt *animam meam.* Et ad hoc *vt auferant eam.* Supra in *Pſal.* Accipere animam meam conſiliati ſunt. Et alibi, Inimici mei animam meam circundederunt, ſed fruſtrà, quia anima Chriſti non erat in illorum poteſtate, ſed tantum in ſua. *Ioan.* 10. Habeo poteſtatem ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam. Nec tantum hoc dicendo Iudæis imprecatur, ſed etiam omnibus malis, qui auferunt ei animas ſuas. *Mich.*18. Omnes animæ meæ ſunt.

Conuertantur retrorſum. Hîc imprecatur mala malis in affectu. Et primò tangit pœnam. Secundò ſubiungit culpam, ibi, *Qui volunt mihi mala.*

Dicit ergo: *Conuertantur retrorſum*, in terrenis, quæ retro ſunt, implicati. Ad *Philip.* 3. Ea quæ retrò ſunt obliuiſcens. *Et reuereantur*, id eſt, multipliciter terreantur, de amiſſione bonorum quæ citò auolant, & pereunt. *Leuit.* 26. Terrebit eos ſonitus folij volantis.

Vel in bono: *Conuertantur retrorſum*, vt qui ſuperbè me volebant præcedere, humiliter me ſequantur. Plus enim prodeſt dici eis illud. *Ierem.* 2. Verterunt ad me tergum, & non faciem, ne in eis impleatur illud quod dictum eſt Petro: Vade poſt me Sathanas. *Qui volunt*, id eſt, illi qui volunt, *mihi mala.* Supra in alio *Pſal.* Auertantur retrorſum, & confundantur cogitantes, &c.

Ferant confeſtim. Hîc imprecatur malis mala ratione mali ſermonis. Et primò tangit pœnam. Secundò culpam. *Qui dicunt.* Dicit ergo. Sic illi, & etiam *ferant confeſtim confuſionem ſuam*, tanquam graue pondus. *Eccleſ.* 16. Scelus tuum & ignorantiam tuam tu portaſti. Et dicit, *ſuam*, quam ipſi meruerunt. Et dicit, *confeſtim*, ne creſcente culpa periculoſius grauentur. In hoc bonum eorum petitur. *Eccleſ.* 8. Quia non profertur citò contra malos ſententia, idcirco filij hominum abſque vllo timore perpetrant mala. 2. *Machab.* 6. Etenim peccatoribus multo tempore non ſinere ex ſententia agere, ſed ſtatim vltiones adhibere, magni beneficij eſt indicium. *Qui dicunt mihi* adulatoriè: *Euge, Euge. Euge* primò, quia bona dicunt eſſe in me. *Euge* ſecundo, quia bona illa eſſe à me aſſerunt. *Auguſt.* Dicunt: Noli tibi facere iniuriam, tu te talem feciſti. Sed audi *Ierem.*12. Ne credas eis cum loquuti fuerint tibi bona. Secundum *Caſſiodor. Euge* hoc eſt irriſorium. Ait enim: Euge, Verbum quidem præconiale eſt, ſed cum recto animo non profertur, ad irriſionem trahitur inferendam. *Pſal.* Ore ſuo bene dicebant, & corde ſuo maledicebant. 16.

17. *Exultent & lætentur.* Hîc tertium, in quo precatur bona bonis, & primò tangitur duplex præmium quod petit eis. Secundò ſimplex meritum, propter quod vult illis illud exhiberi. *Qui diligunt.* Primum duplex eſt. Exultatio cordis, quod eſt præmium, & eruptio ipſius in laudem eius oris. *Et dicant ſemper.* Ait ergo: Ita illi mali confundantur, ſed *exultent* in bono futuro in cœlo, *& lætentur*, in hoc præſenti mundo ſecundum illud, exultabunt ſancti in gloria, &c. Sed nunquam in re terrena aliqua', ſicut *Iob* 31. Si lætatus ſum ſuper diuitiis. Sed *ſuper te. Pſalmus* Exultate iuſti in Domino. Et hoc, *Omnes quærentes te*, non tua, ſicut illi quibus dictum eſt, *Ioan.* 6. Quæritis me quia manducaſtis de panibus meis. *Seneca*, Mel muſcæ ſequuntur. Prædam ſequetur turba hæc, non hominem. Et ſic lætantes corde dicant *ſemper* ore: *Magnificetur Dominus* in membris ſuis, qui in ſe grandeſcere non poteſt. Sic intelligitur illud augmentum *Daniel* 2. Lapis modicus creuit in montem magnum. Et *Eſther vlt.* Fons paruus in fluuium maximum. Secundum *Caſſiodor. Magnificetur Dominus*, id eſt, laudetur, & hoc, *ſemper*, ſiue in proſperis, ſiue in aduerſis, ſicut à bono *Iob in primo cap.* Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum. Et ſic laudent non omnes, ſed *qui diligunt ſalutare tuum*, id eſt, me dicit Chriſtus. Ego ſum enim illud ſalutare, de quo *Luc.* 2. Viderunt oculi mei ſalutare tuum.

Exultent

Exultent ergo & laudent, *qui diligunt*, quia ſcriptum eſt de charitate. 1. ad *Corinth.* 13. Charitas non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati, quæ Chriſtus eſt.

Bona mens Deũ amat, amatum quærit, de inuẽto gaudet & laudat.

Et nota in hoc verſu quatuor actus bonæ mentis. Primus eſt Deum diligere, ſecundum illud *Deut.* 6. & *Matth.* 22. Diliges Dominum Deum tuum. Secundus, dilectum quærere: ſi enim non diligeret, non quæreret. *Cantic.* 3. Quæſiui quem diligit anima mea. Tertius, de quæſito gaudere. *Lætentur & exultent.* Naturaliter enim quiſque de bono ſuo gaudet. *Thren.* 3. Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum, animæ quærenti illum. Quartus, gaudendo laudare. *Et dicant ſemper: Magnificetur Dominus. Iſa.* 12. Exulta, & lauda filia Sion.

18. *Ego autẽ mendicus ſum.* Hîc petit pro his, quæ cupit ſibi dari poſt finem: & hoc eſt vt eius reſurrectio acceleretur. Et primò ponitur perſuaſio. Secundò oratio ibi, *Deus meus ne tardaueris.* Et primò à ſua humiliatione. Secundò à patris bonitate. *Dominus ſollicitus eſt.* Primò à bonitate, quam exhibet in mente. Secundò quam exhibet in opere, ibi, *Adiutor meus.* Primum autem legitur dupliciter. Primò de capite ipſo ſecundum diuiſionem dictam ſic: Ipſi dicunt de me irridendo, Euge, euge. *Ego autem* dico, *Mendicus ſum*, quia ab alio peto, & non habeo à meipſo quæcumque habeo. *Ioan.* 7. Doctrina mea non eſt mea. Et 17. Omnia quæ dediſti mihi, à te ſunt. *Et pauper*, quia mihi ipſi non ſufficio ſecundum quod *Ioan.* 15. habetur, Verba quæ ego loquor, à me ipſo non loquor: Pater autem in me manens, ipſe facit opera. Vel certè de mediocritate & paupertate corporali. *Ego autem mendicus ſum*, quia in te neceſſaria mendicaui. *Ioan.* 4. dixit mulieri Samaritanæ: Da mihi bibere: ſed non ſine neceſſitate, vnde addit: *Et pauper.* 2. ad *Corinth.* 4. Propter nos egenus factus eſt, cum eſſet diues in omnibus.

Et Dominus, ſcilicet Pater, *ſollicitus eſt mei.* Ecce exhibitio bonitatis in mente, & per ſe, & per Angelos curam mei gerens. Per ſe *Matth.* 3. & 17. Hic eſt filius meus dilectus, &c. Per Angelos *Matth.* 4. Acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei. *Pſal.* Angelis ſuis Deus mandauit de te.

De membris etiam legitur ſic: O tu Domine de te dicant, Magnificetur Dominus: de ſe autem hæc, *Ego autem mendicus ſum, & pauper*, in ſpiritualibus diuitiis. Sunt autem ſpirituales diuitiæ intellectus. *Iſa.* 33. Diuitiæ ſalutis ſapientia & ſcientia. Et affectus, de quibus *Eccleſ.* 44. Homines diuites in virtute. Primæ, veritates: ſecundæ, virtutes. *Mendicus* ergo ſum carens veritatibus, *pauper* carens virtutibus. *Pſal.* Defecit ſanctus, diminutæ ſunt veritates à filiis hominum. Et quamuis ita nihil ſim, *Dominus ſollicitus eſt mei. Auguſt.* Qui de te curam habuit antequam eſſes, quomodo non habebit cum hoc es, quod voluit vt eſſes? *Sap.* 6. Puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt illi cura de omnibus. Hæc poſſunt dici à clauſtralibus, maximè paupertatem ſtrictam profeſſis. Debet in eis eſſe paupertas ſine proprietate, mendicitas ſine ſimulatione, ſecuritas ſine deſperatione de Dei miſericordia. *Et Dominus ſollicitus eſt mei.*

Adiutor meus. Hîc perſuadet à bonitate Patris exhibita in opere, & hoc primò adiuuando in bono. Secundò protegendo à malo. *Et protector.* Ait ergo: Sic ſollicitus eſt Dominus, & conuertit ſermonem ad Patrem. *Adiutor meus*, ad bonum faciendum: *& protector meus*, liberando à malo, *tu es. Exod.* 15. Adiutor & protector factus eſt mihi in ſalutem. *Pſal.* Deus adiutor noſter in æternum. Et alibi, Protexiſti me à conuentu malignantium. Et ô Deus meus, ex quo ita humiliatus, & tu ita bonus, *ne tardaueris*, auxilium mihi dare. *Prou.* 3. Ne dicas amico tuo: Vade, & reuertere, cras dabo tibi cum ſtatim poſſis dare. *Ne tardaueris*, ſuſcitare me, & feſtina. Hoc idem petit in fine *Pſal.* 38.

Vel pro corpore: *Ne tardaueris* me in bono confirmare cum ſuauitate quæ erit in fine mundi in ſecundo aduentu, in generali reſurrectione: & non faciet, cito enim erit. 1. *Pet.* 3. Non tardabit Dominus promiſſionem ſuam, ſicut multi exiſtimant. Ad *Hebr.* 10. Qui venturus eſt, veniet, & non tardabit. *Iſa.* 55. Confortamini, & nolite timere, ecce Deus veſter, &c. *Apoc.* 11. Veni Domine IESV, qui es benedictus per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.

IN XL. PSALMVM.

In finem, Pſalmus Dauid. 1.

2. B*Eatus qui intelligit ſuper.* Hic eſt Pſalmus quadrageſimus, in quo cum in antecedenti monuiſſet relicto veteri ritu ad nouum accedere Teſtamentum, ne quis abhorreret eò quòd in ipſo legitur paupertas Chriſti, ſubiungit in hoc Pſalmo de Chriſto paupere & paſſo, & beatitudine credentium in eum, & confitentium Deum verum.

Argumẽtum Pſalmi, Chriſti paſſio, & beatitudo ſperantium in illum.

Præponitur autem huic Pſalmo titulus communis & frequenter expoſitus: *In finem Pſalmus Dauid*, hoc eſt, hic Pſalmus eſt Dauid literalis vt Auctoris, ſpiritualis vt loquentis in ipſo, nunc pro ſe, nunc pro membris. Pſalmus, inquam, per hoc ipſum dirigens nos in finem, Chriſtum ſcilicet. Secundum *Hieronymum* verò alius eſt: In finem intellectus filiis Core. Ad cuius intelligentiam notandum, quòd ſicut legitur *Num.* 15. Core cum Dathan & Abiron, à terra viui abſorpti ſunt: Core verò cum ducentis quinquaginta, igne diuino percuſſus interiit. Quidam verò de filiis Core, paternam non imitati malitiam, poſtmodum in ſuis ſucceſſoribus, ſunt aſſumpti ad miniſterium templi, vel tabernaculi, & ideò frequenter in titulis nominantur: vel quia interpretationi nominis conuenit quod dicitur in Pſalmo, ſicut hîc. Core enim interpretatur caluaria, quod eſt locus paſſionis Chriſti. *Ioan.* 30. Baiulans ſibi crucem exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locus. Senſus ergo tituli hic eſt: Intellectus ſubiecti Pſalmi, in finem nos ordinans, ſicut prius, attribuitur vel conuenit filiis Core, id eſt, paſſionis, quæ per caluariam intelligitur, qui dicunt cum Paulo illud ad *Gal.* 6. Abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri IESV CHRISTI. Et illud 1. ad *Corinth.* 2. Nihil me iudicaui ſcire inter vos, niſi IESVM CHRISTVM, & hunc crucifixum.

Titulus paſſionem indicat.

Diuiſio Pſalmi de diuinitate & humanitate paſſa.

Diuiditur ergo Pſalmus iſte in duas partes. In prima agitur de fide diuinitatis Chriſti. Secundò humanitatis, & reſuſcitatæ. Vult enim primò monere eum eſſe verum Deum. Secundò nihilominus veraciter paſſum & reſuſcitandum, ibi, *Inimici mei.* In prima duo. Primò prouocat ad credendum commendando credentes. Secundò prædicando eis bona futura, ibi, *In die mala.*

Dicit ergo: Sic relictis antiquis cæremoniis, accede ad Nouum Teſtamentum: nec mireris ſi ibi pauperem legis Chriſtum, quia *beatus* erit *qui intelligit*, ipſum, ſupple, *ſuper egenum & pauperem* eſſe, hoc eſt, non tantum eſſe egenum ſed pauperem per naturam humanam, ſed non per diuinam. *Intelligit*, inquam, per fidem, non per ſpeciem. 1. ad *Corinth.* 13. Cum eſſet diues in omnibus, propter nos egenus factus eſt. Si diues, etiam nullo indigens per diuinitatem. *Pſal.* Bonorum meorum non eges. Ad *Coloſſ.* 2. In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, &c. Ergo per oppoſitum, maledicti qui non intelligunt. *Oſeæ* 4. Populus non intelligens vapulabit multis.

In die mala. Hîc prouocat prophetando eis bona, primò de exitu de mundo hoc. Secundò in mundo ipſo. *Dominus conſeruet.* Dicit ergo: Sic *beatus qui intelligit*, & *in die mala*, ſcilicet iudicij ſui propriij, quando decedet de vita. *Sophon.* 1. Dies illa, dies iræ, *liberabit eum Dominus*, à damnatione æterna. Ad *Roman.* 9. Omnis qui credit in illum, non cõfundetur. Ad *Hebr.* 4. Ingrediemur in requiem quam credimus. Aliter legitur de quocumque paupere, & egeno. Qui *ſuper egenum & pauperem intelligit.* Intellectum & conſiderationem ponit cum effectu. Nec dicit: Qui pauperi petenti tribuit, ſed qui intelligit quod vult, antequam petat, & intelligere ſe oſtendit. *Iob.* 31. Si negaui quod volebant pauperibus. Non dicit quod petebant. *Beatus*, eſt iam in ſpe. *Prouerb.* 14. Qui miſeretur pauperi, beatus erit. *In die mala*, ſcilicet in die iudicij, *liberabit eum Dominus. Tob.* 4. Eleemoſyna ab omni malo, & à morte liberat. Verè liberabit ſecundum illud *Iob* 5. In ſex tribulationibus eruet te: & in illis ſex opprobriis quæ dicet. *Matth.* 25. Eſuriui & non dediſtis mihi manducare, &c. Et in ſeptima quæ duriſſima erit, non tanget te malum.

Super tres pauperes intelligendũ.

Nota ergo, quod debemus ſuper triplicem egenum intelligere. Super Chriſtum, vt ipſum Deum veraciter credamus, contra illos de quibus *Sapient.* 13. His quæ viderunt miracula, non potuerunt bona intelligere, ſcilicet Chriſtum eſſe Deum creatorem & Dominum omnium. Item ſuper indigentem pauperem, quia in ipſo damus Chriſto. *Prouerb.* 13. Acceptus eſt Regi miniſter intelligens. *Matth.* 25. Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Legitur quòd Melamia virgo Paubo Eremitam rogauit vt oblatam pecuniam reciperet, qui iuſſit miniſtro ſuo vt acceptam fratribus per deſertum illam diuideret. Cum autem illa aut benedictionem aut laudem expectaret ab illo, & ille nec oculos ad illam conuerteret, ait: Scito Domine trecentas quinquaginta in hac arca libras eſſe: qui nec aſpiciens illam, reſpondit, Cui exhibuiſti hæc ô filia, non habet opus à te menſuram cognoſcere. Item ſuper corpus proprium, quia ſeruire illud oportet ita vt non deficiat. 2. ad *Tim.* 2. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus ſuis percipere. Et ſubdit: Intellige quæ dico, dabit tibi Dominus intellectum.

Dominus conſeruet eum. Hîc prouocat ad credendum prophetando, & prædicendo bona etiam ante exitum. Et primò prædicando optat eis bonorum plenitudinem. Secundò ab impugnantibus protectionem, ibi, *Et non tradat eum.* In prima primò optat eos plenitudinem bonorum gratiæ habere. Secundò naturæ. *Et beatum.* In prima duo. Primò bonorum gratiæ in affectu, ſcilicet virtutis. Secundò in aſpectu, ſcilicet veritatis, ibi, *Viuificet eum.* 3.

Ait enim: Sic bene erit credentibus Chriſtum verum Deum in exitu vitæ. Nec tantum hoc bonum ſit ei, imò Dominus *conſeruet eum*, in præſenti per gratiam, & virtutem infuſam à culpa. *Pſal.* Conſerua me Domine, quoniam ſperaui in te, tanquam in Deo viuo, & vero.

Et viuificet eum, veritatem fidei infundendo, quæ purget ab ignorantia. *Abac.* 2. Iuſtus in fide ſua viuit. Ad *Galat.* 2. Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei. Nec tantum hoc: imò & *beatum faciet eum in terra*, non tantum in cœlo, vt non deſint ei quæ de terra naturaliter proferuntur. 2. *Paralipom.* 20. Credite Prophetis eius, & cuncta euenient vobis proſpera.

Et non tradat. Hîc ſecundum bonum, ſcilicet protectio ab impugnantibus. Primò à dæmone. Secundò à propria carne. *Dominus opem ferat.* Ait enim: Sic prædicta bona conferat, & *non tradat eum in animam*, id eſt, in voluntatem, *inimicorum eius*, dæmonum ſcilicet, & membrorum dæmonis, ſcilicet impiorum. *In animam* dicit, non in manus. Inde enim traditi ſunt fideles in manus dæmonis, ſed non in voluntatem. *Iob* 1. Ecce omnia quæ habet, in manu tua ſunt, non in voluntate tua. Quamquam etiam ipſa corpora ab eius eripiantur manu, & anima virtute fidei aliquando. *Daniel. vltim.* Eductus eſt Daniel de lacu, & nulla læſio eſt inuenta in eo, quia credidit Deo ſuo.

In manu nõ in volũtate dæmonis ſũt ſerui Dei.

Legitur & de paupere quocumque: Qui pauperis attendit neceſſitatibus, Dominus conſeruet eum à malis ſæculi. *Tob.* 4. Eleemoſyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Conſeruat autem à mundi immunditiis. *Luc.* 11. Veruntamen quod ſupereſt, date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis. *Et viuificet eum*, vita futura. *Tob.* 12. Eleemoſyna facit inuenire vitam æternam. Et præſentem. 1. ad *Tim.* 4. Pietas promiſſionem habet vitæ quæ nunc eſt, & futuræ. *Et beatum faciat eum in terra*, id eſt, bene auctum, vt non decreſcat, ſed magis augeatur eius ſubſtantia. *Prouerb.* 11. Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt. *Prouerb.* 28. Qui dat pauperi, non indigebit. *Et non tradat eum in animam inimicorum eius*, ſcilicet dæmonum, vel malorum hominum. *Pſal.* Ne tradas beſtiis, dæmonibus & malis hominibus, animas confitentes tibi. *Pſal.* Ne tradas me Domine à deſiderio meo peccatori. *Prou.* 22. Victoriam & honorem acquiret qui dat munera.

Dominus opem ferat. Hîc prophetat optando 4.

prote

protectionem à propria carne. Et primò optat protectionē. Secundò deſcribit carnis tribulationem, à qua vult eum liberari. Dupliciter autem legitur primum. Primò ſecundum quod lectus poſſeſſio appellatur ſi, Dominus faciet eum beatum, bene auctum in terra. Sed quia propter hoc non careret doloribus, ſed magis haberet, ideo *Dominus opem ferat illi*, eum adiuuando *ſuper lectum doloris eius*. Lectus enim ſunt poſſeſſiones in quibus iacet, & in quibus quieſcere ſe credit animus humanus. *Luc.* 12. Anima mea habes multa bona repoſita in annos plurimos, requieſce, &c. Sed Dominus ne anima totaliter adhæreat huic lecto, reſpergit eum doloribus. *Eccleſ.* 20. In requie ſua ſtimulabitur. *Eccleſ.*2. Cum mē conuertiſſem ad vniuerſa in quibus ſudaueram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem ſpiritus. Quia ergo ibi requies lecti dicuntur diuitiæ, dolor & afflictio doloris dicitur ſtimulare. *Iob* 30. Inter huiuſcemodi lætabantur & eſſe ſub ſentibus delicias reputabant. Super hunc ergo lectum *ferat illi Dominus opem*, ne infirmitas humana his diuitiis ſuperetur, quia *Iob* 6. Nec fortitudo lapidum fortitudo ſua, nec caro eius ænea.

Vniuerſum. Vnde fit, & quanta in illis afflictio. Quaſi diceret: Sic liberet, & neceſſe eſt, quia ô Domine, *vniuerſum ſtratum eius*, omnem eius fœlicitatem terrenam, *verſaſti* in amaritudinem. Et hoc *in infirmitate eius*, probando. *Eccleſ.*1. Vidi cuncta quæ fiunt ſub ſole, & ecce vniuerſa vanitas, & afflictio ſpiriritus. Secundo modo ſecundum quod caro lectus dicitur. Dicitur enim lectus, quia anima in ea quieſcit: ſed doloris, propter miſerias quas contraxit ab Adam. Ad *Roman.* 8. Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum. Et *Sap.* 9. Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam.

In hoc lecto doloris gemunt ſancti. Ad *Roman.* 7. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Orat ergo: *Dominus opem ferat illi*, ipſum adiuuando, *ſuper lectum doloris eius*, ſuper carnem doloribus plenam, vt ei poſſit imperare, eam tenere ſubiectam, ſicut ille cui dictum eſt *Matth.* 9. Surge, tolle lectum tuum, carnem tuam, & vade in domum tuam, in vitam æternam. Quod ſi quæris, vnde hæc infirmitas, & miſeria? Cauſam reddit: *Vniuerſum ſtratum eius*, ſenſibilem & vegetabilem carnem, O Domine *verſaſti*, ipſam rationem ſupponendo, & ipſam quodammodo ſubiiciendo, *in infirmitate eius*, quando homo primo eſt infirmatus. Ad *Galat.*5, Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, &c.

5. *Ego dixi Domine.* Hîc prouocat ſuo exemplo ad confitendum ore, vbi primò tangitur confeſſio. Secundo confitentis oratio, in qua confitetur Chriſtum miſericordem, ibi, *Miſerere mei.* Et animarum medicum. *Sana animam meam.* Sic ergo continua: Sic monui vt confiteamini Chriſtum Deum, quod & ego facio, quia *ego dixi*, confitendo ei. Vel ad immediatum: vniuerſum ſtratum hominis eſt immutatum & verſatum, & propter hoc tremens ego dixi. Et quid? *Domine miſerere mei.* Quia miſer peccando factus ſum. *Prouerb.*14. Miſeros facit populos peccatum. Quid vis tibi miſero fieri? *Sana animam meam*: & hoc per flagella, non aliter. *Iſa.*38. In talibus vita ſpiritus mei, corripies me, & viuificabis me. Talibus enim ſpiritus viuificatur, quibus corpus mortificatur. Homo iſto medico committat ſe ſecandum. *Auguſt.* Planè committamus nos medici manui: non enim erit, vt ſanum pro impuro ſecet. Nouit vitium, quia ipſam nouit naturam, quam condidit. Nouit quod ex noſtra cupiditate acceſſit. *Et ſana animam*, non ab aliqua alia infirmitate, ſed peccati. *Quia peccaui tibi. Caſſiodor.* Omne peccatum morbus eſt animarum. Ideò ſubiungit. *Quia peccaui.* Rationem ſana, quia dico, non excuſo. *Peccaui tibi.* Non dico: Adulterari me fecit Venus, Mars furari, Saturnus auarum, Sol ſuperbum. Et *Prouerb.* 28. Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem reliquerit ea, & confeſſus fuerit, veniam conſequetur.

6. *Secunda pars Pſalmi de Paſſione.*

Inimici mei. Hîc conſequenter agitur de fide paſſæ, & reſuſcitatæ humanitatis. Primò ergo agitur de paſſione. Secundò de reſurrectione, ibi, *Tu autem Domine.* In prima duo. Primò agit de inimicantium Chriſtum machinatione. Secundò de machinata morte eius ab eis. *Nunquid qui dormit.*

In prima duo, quia primò de machinatione inimicantium apertè. Secundò occultè. *Etſi ingrediebatur.* In prima duo, quia machinantes apertè primò oſtendunt ſe velle auferre vitam. Secundò etiam defuncti memoriam. *Et peribit.* Dicit ergo: Beatus qui intelligit ſic Chriſtum Deum, & confitetur ſicut ego. Sed aliqui ſunt qui tales non ſunt, de quibus Chriſtus dicit: *Inimici mei*, ſcilicet Scribæ & Phariſæi quando viderunt quod multi ſequebantur me, ſecundum illud *Ioan.* 11. Ecce mundus totus poſt eum abit. *Dixerunt mala mihi*, imponendo mihi falſa. *Ioan.* 8. Dæmonium habes. *Matth.*12. Hic non eiicit Dæmones, niſi in principe dæmoniorum. Et etiam dixerunt: *Quando morietur*? vt noſtro viſui ſubtrahatur. *Sap.* 2. Grauis eſt nobis, etiam ad videndum, quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius. *Et peribit nomen eius*, vt etiam ſubtrahatur auditui, vt nulla omninò ſit de eo fama. Hoc ſe feciſſe crediderunt. *Ierem.*11. Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium: & nomen eius non memoretur amplius.

Mali bonis inuident famam, vitam & memoriam.

In hoc verſu notantur tria, quæ mali bonis inuident. Famam. *Inimici mei dixerunt*, &c. Vitam. *Quando morietur.* Et memoriam. *Et peribit nomen eius.* Sed famæ non nocent. *Bernardus.* Bonorum æſtimatio ſicut falſis delatoribus auferri non poteſt, ita nec adulatoriis fauoribus acquiri. Nec vitæ, quia Dominus cuſtodit omnia oſſa eorum. Vnum ex iis non conteretur. Oſſa, inquam, virtutum. Nec memoriæ: quia *Eccl.* 10. Perdidit memoriam ſuperborum, & reliquit memoriam humilium. *Prouerb.* 26. Memoria iuſti cum laudibus.

Proditio Iudæ.

Et ſi ingrediebatur. Subiungitur de inimicantium occulta machinatione. Et primò Iudæ, deinde Iudæorum. *Aduerſum me ſuſurrabant.*

Et

Et in prima duo. Primò tangitur proditoris occulta machinatio, ſecundò machinationis publicatio. *Egrediebatur foras.* In prima tria. Primò tangit malignitatem operis, ſecundò oris. *Vana loquebatur.* Tertiò cordis. *Cor eius.* Dicit ergo: Inimici mala dicebant: & ſi aliquis, ſicut Iudas, *ingrediebatur* conſortium meum, *vt videret*, id eſt, vt exploraret. Ecce cordis malitia. Quales erant etiam illi de quibus *Galat.* 2. Propter ſubintroductos falſos fratres qui introierant explorare libertatem noſtram. *Vana*, id eſt, ficta & ſimulatoria, *loquebatur.* Ecce malitia oris. *Eccleſ.*30. Eſt qui nequiter ſe humiliat, & interiora eius plena ſunt dolo. *Et cor eius* parans calumniam mihi, *congregauit iniquitatem*, quam potius debebat deponere. *Prouerb.*26. Cum ſe humiliauerit ne credideris:ſeptem nequitiæ ſunt in corde eius. & hoc *ſibi*, id eſt, contra ſe, & ad malum ſuum. *Prouerb.* 1. Ipſi ſanguini inſidiantur, & moliuntur contra animas ſuas. Et nota contra tales obſeruatores, primò quod naturam oculi bonam in malam commutant. Naturale enim eſt oculo vt delectetutur in pulchro & bono. *Eccleſ.* 40. Speciem & gratiam deſiderat oculus. Et iſtorum oculi in deformi delectantur. *Eccleſ.* 14. Oculus mali ad mala, & non ſatiabitur. Secundò cor ſuũ inquinant. In eo enim congregant immunditias:tranſeuntes enim per pratum,flores dimittunt, & ſtercora colligunt. Hoc eſt quod hîc dicitur:Cor eius congregauit iniquitatem ſibi. Tertiò ſeipſos grauiter onerant. *Prou.*11. Qui inueſtigator malorum eſt, opprimetur ab eis.

Egrediebatur foras. Hîc ſecundum, inimicitiarum publicatio. Ait enim: Sic inſidiabatur, & poſt *egrediebatur* de conſortio veritatis in quo recumbebat miſer: comedebat enim cum eo in eadem ſcutella. Vel *egrediebatur foras*, ad extraneos,vt qui erat amicus ſimulatus, fieret apertus inimicus. *Ioan.* 13. Cum accepiſſet buccellam, exiuit continuè. Et *loquebatur* illis ad quos exierat, *in idipſum*, ſcilicet falſa & ſeductiua,ſicut quando egrediebatur. *Matth.* 26. Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum.

Quatuor hîc in prælatis arguũtur.

Et nota, quòd his duobus verſibus, reprehenduntur mali prælati in quatuor. Primò de rara Eccleſiæ ſuæ viſitatione. Et hoc eſt *ſi ingrediebatur* ad viſitandum, quaſi raro ingrediebatur. *Zachar.*11.O paſtor & idolum, derelinquens, non frequentans gregem, nec ingrediens ad eum. *Apocalypſ.* 3. Scio opera tua. Nomen habes quod viuas prælate & paſtor, & mortuus es, ſcilicet non viſitas nec viuificas. Item de inani prædicatione. *vana loquebatur*, id eſt, de vanis & temporalibus rebus. *Eccleſ.* 1. Vanitas vanitatum, &c. De decimis quæ non ſoluuntur, de oblationibus quæ non frequentantur, eſt tota prædicatio eius. *Ierem.*5. Ecce auditum eſt in Ieruſalem, venire cuſtodes de terra longinqua, & dare ſuper ciuitates Iuda vocem. Et ſequitur: Cuſtodes agrorum facti ſunt ſuper eam in gyro: loquuntur enim quaſi cuſtodes agrorum de guerbis,& talibus, magis quam de animabus. Tertiò de auditorum peccatorum mala & nociua retentione. *Cor eius congregauit iniquitatem ſibi.* Auditis enim confeſſionibus de peccatis carnalibus, ea retinent in corde ſuo, & congregant ad damnum ſuum. *Eccleſiaſt.* 19. Sagitta infixa femori canis, quæ ipſum grauat, & fauciat: ſic verbum in ore ſtulti. Quartò de retentorum reuelatione. *Egrediebatur foras. Eccleſ.*19. A facie verbi parturit fatuus. *Matth.*12. Ex abundantia cordis os loquitur.

Machinatio Iudæorum.

Aduerſum me ſuſurrabant. Supra poſuit Propheta occultam machinationem Iudæ proditoris, hic ponit occultam machinationem populi Iudaici. Et facit hîc tria. Primò ponitur occulta detractio. Secundò peruerſa cogitatio, ibi, *Aduerſum me cogitabant.* Tertiò in mortem Chriſti communis cnnſpiratio, vel occultæ machinationis in eius mortem publicatio, ibi, *Verbum iniquum.* Dicit ergo Chriſtus: *Suſurrabant*, ſcilicet in aure alterius mala detractionis ſeminantes, *omnes inimici mei.* Quaſi diceret: Non vnus tantum, ſed multi, vt Iudas, & Iudæi. *Caſſiodor.* dicit: Solent pauci eſſe ſcelerum auctores, hîc omnes mala cogitaſſe dicti ſunt, vt nemo ſit minus nocens, quos vna facinoris damnat æqualitas. Supra in *Pſal.* Domine quid multiplicati ſunt qui tribulant me? multi inſurgunt aduerſum me.

Aduerſum me. Ierem. 18. Tu ſcis Domine omne conſilium eorum aduerſum me in mortem. *Cogitabant aduerſum me*, dicit Chriſtus. *Thren.*2. Vidiſti Domine omnem furorem, & vniuerſas cogitationes eorum. *Ioan.*11. Ab illa die cogitauerunt vt interficerent eum. *Cogitauerunt mala.* Mala dico, *mihi*, ſecundum opinionem eorum, qui mihi mala facere putabant. Vel *mala mihi*, id eſt, ad vtilitatem meam, quia inde creuit fructus Eccleſiæ in membris meis. Et eſt hîc intelligendum, quòd cogitatio præcedit ſuſurrum, ſed præpoſterando ordinem dat hîc intelligere peruerſitatem Iudæorum. Simile habetur *Exod.* 19. Quæcumque præcipiet nobis Dominus, faciemus, & audiemus. In bene ordinatis prius eſt auditus quam operis effectus. Vel fuit iſta præpoſteratio ad exprimendum velocitatem affectus Iudæorum ad nocendum.

Suſurronum malitia.

Moraliter ſecundum *Caſſiodor.* Suſurratio eſt ſermo confuſus ſine aliqua vocis diſtinctione, tendens in malum. Et ita per ſuſurrum rectè occultam detractionem poſſumus intelligere. Sic ſuſurrantes ſunt Deo odioſi. Vnde ad *Roman.* 1. Suſurrones ſunt Deo odibiles. Sunt etiam re vera aliorum maledici. *Eccleſ.*38. Suſurro & bilinguis, maledictus. Sunt etiam in ſe coinquinati. *Eccleſ.*21. Suſurro coinquinabit animam ſuam. Sunt etiam in vultu commutati,ſuam malitiam commutantes. *Eccleſ.*12. Multa ſuſurrans commutabit vultum ſuum. Sunt etiam in corde pungentes & puncti, vulnerantes & vulnerati. *Prouerb.* 26. Verba ſuſurronis quaſi ſimplicia, & ipſa perueniunt ad intima cordis. Sunt etiam multorum pacem turbantes, & in ſe turbati. Vnde iam dictum eſt: Suſurro & bilinguis maledictus eſt. Multos enim turbauit etiam pacem habentes.

Verbum iniquum. Hîc ponitur in morte Chriſtis communis conſpiratio, vel occulta machinationis inimicorum eius contra ipſum propalatio. Et ibi tria. Primò tangetur eorum 9.

iniqui

iniquitas. Secundò eorum arrogantia & vanitas, ibi, *Conſtituerunt*. Tertiò eorum aduerſitas, ibi, *Aduerſum me*. Dicit ergo: *Verbum iniquum*, contra Chriſtum, id eſt, ipſam æquitatem, *conſtituerunt*. *Conſtituerunt* contra Chriſtum iudicem viuorum & mortuorum, pro conſtitutione irreuocabili ſuum verbum habuerunt. Vel *conſtituerunt*, quia in malo pœnæ mortis Chriſti vnanimiter conuenerunt: *aduerſum me*, veritatem, aduerſarii veritatis. *Verbum iniquum* fuit quod dixerunt Iudæi Pilato. *Ioan.* 19. Si hunc dimittis, non eris amicus Cæſaris. Et illud, Crucifige, crucifige. Et illud, Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Et illud, Venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem. Vbi *Auguſt.* Stulti, quomodo erit veſtra hæreditas? Quia occidiſtis, non erit veſtra, quia perditione digni eſtis. Vnde vineam ſuam locabit aliis agricolis. *Aduerſum me. Thren.* 3. Vidiſti iniquitatem eorum aduerſum me.

Adulatio peſtifera.

Moraliter verbum iniquum dicunt adulatores, qui dicunt iſtis maioribus: Domini ducatis in bonis dies veſtros, honores mundi diligite: quod mundo debetis, illi reddite: nobiles, potentes, diuites huius mundi frequentate delicias carnis explete, corpus veſtrum delicatè ſuſtentate: ſatis eſtis iuuenes, poſt iuuentutem ſatis pœnitentiam poteritis facere. Sed miſeri qui hæc dicunt, deberent attendere illud verbum Euangelicum quod eſt verbum æquitatis: Miſer, hac nocte repetent animam tuam, & quæ congregaſti cuius erunt? *Luc.* 12. Hoc melius exprimit alia litera quæ eſt: *Verbum diaboli infundebant mihi.* Verbum diaboli fuit, nequaquam moriemini. Sed modo per adulatores qui ſicut eius organa, dicit: Nequaquam adhuc moriemini, ſed reſtat vobis magnum tempus, primò ad delicioſe viuendum, ſecundò ad pœnitentiam faciendam. Sed deberent attendere quod ſcriptum eſt *Iob* 13. Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis. Et alibi, Breues dies hominis ſunt. Et *Eccleſ.* 10. Hodie rex, & cras moritur. Et eſt hîc notandum, quod ter dicit, aduerſum me: quia eſt aduerſitas in ſuſurratione, vnde dicit: *Suſurrabant.* Eſt aduerſitas in cogitatione: vnde dicit, *Cogitabant mala mihi.* Et aduerſitas in machinationis, vel conſpirationis publicatione, vel propalatione cum dicitur, *Verbum iniquum*, &c. Sed poteſt quæri, quare non ſit hîc mentio de aduerſitate in operatione? Sed poteſt eſſe reſponſio, quòd hîc loquitur de Iudæis, & contra Iudæos, qui mortem Chriſti procurauerunt: ſed milites qui erant Gentiles, executioni mandauerunt.

Vani conatus Iudæorum.

Nunquid qui dormit? Supra poſuit Propheta inimicorum Chriſti contra ipſum machinationem, hîc ponit illius machinationis fruſtrationem: & facit duo. Quia primò vnum implicat. Secundò aliquid petit & deſiderat, ibi, *Non adiiciet.* Implicat Chriſtum mortuum vel moriturum. Petit Chriſtum reſuſcitatum, vel reſuſcitandum? Dicit ergo: *Nunquid*, &c. Inimici Chriſti contra ipſum machinantes, intendebant nomen eius extinguere, ſed non prævaluerunt, nec quod intendebant perfecerunt: quia ſi mortuus fuit vt mortalis homo, non peribit nomen eius, ſed reſurget cum ſit æternaliter Deus. Hoc eſt quod dicit: *Nunquid qui dormit*, id eſt, Chriſtus, qui moritur, *non adiiciet vt reſurgat?* &c. Imò reſurget, quia duæ negationes relinquunt vnam affirmationem. Illius enim reſurrectione viſa confundentur inimici, non ſolum confuſione in præſenti, ſed etiam confuſione æterna. Et ſicut cum quis à ſomno reſurgit, fortior videtur quam ante, ſic Chriſtus reſurgens à morte. *Caſſiodor.* Dormire eſt à ſenſibus carnis remiſſa mentis intentione quieſcere, & iterum ad actus vitæ noſtræ reparato animi vigore remeare. Et nota, quòd Chriſti mors dicitur dormitio. Primò propter eius voluntatem. Secundò propter reſurgendi facilitatem. *Ioan.* 10. Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam. Tertiò propter reſurgendi celeritatem. *Matth.* 12. Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus. Ad modicum tempus fuit in morte, ſicut homo ad modicum tempus detinetur in dormitione. Quartò propter reſurgentis integritatem. Corpus enim Chriſti mortuum non fuit incineratum, nec corruptum. Quintò propter corporis dormientis deſtitutionem à regimine. Corpus enim myſticum, quod eſt Eccleſia, à regimine deſtitutum videbatur, propter mortem Chriſti. *Zach.* 12. Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis. Sextò propter Eccleſiæ meliorationem: quia ſicut per ſomnum corpus melioratur, ſic Eccleſia per mortem Chriſti. *Luc.* 12. Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor vſque quo perficiatur? Quaſi diceret: Cum perficietur, delectabor in Eccleſia, vt pote in Iudæis, & conuerſis gentibus. *Auguſt.* dicit: Dormit Adam vt fiat Eua. Moritur Chriſtus, vt fiat Eccleſia. Dormiẽte Adam fit Eua de eius latere. Mortuo Chriſto percutitur eius latus lancea, vt fierent ſacramẽta quibus fieret Eccleſia. Et nota, quòd ſicut medicus prouocat phreneticum ad dormiendum, modo quo magis poteſt, etiam iuxta ipſum dormiendo. Sic Chriſtus medicus animarum, qui nos videbat laborare morbo phrenetico, iuxta nos dormiuit. Quaſi diceret: Infirmitas veſtra refugit ſomnum ſalutis, idcirco iuxta vos dormio vt ligando in bono, retrahendo à malo dormiatis. Dormiuit, ſed vt reſurgeret, adiecit. Supra: Ego dormiui & ſoporatus ſum, & exurrexi. Et alibi, Tu cognouiſti ſeſſionem, in ſepulchro dormiendo: & reſurrectionem, à morte reſurgendo. Et ſicut iam tactum eſt, qui dormit, fortior reſurgit. Sic Chriſtus. 2. ad *Corinth.* 3. Etſi crucifixus eſt ex infirmitate, reſurrexit ex virtute.

Mors Chriſti quare dormitio dicitur.

Simile notandum.

Et nota, quòd ſignanter dicit: *Adiecit*, quia principale fuit ei mori, cætera vero ex adiacentia. Vel propter crucifixores qui ſolum intendebant eius mortem, nullo modo ſperando eius reſurrectionem. Erat enim illis cura tantum vt moreretur, & ſic nomen eius de terra eradicaretur: ſed illis nolentibus, imò ſi poſſent contradicentibus, adiecit vt reſuſcitaret.

Moraliter: Nunquid qui dormit per culpam, non adiiciet vt reſurgat per pœnitentiã? Quaſi diceret: Imò reſurget de peccato ad gratiam, de

de fœtore ad munditiam, de periculo ad ſecuritatem, de puteo inferni ad iocunditatem paradiſi, de ſeruitute peccati ad libertatem ipſius Chriſti. Si enim Chriſtus reſurrexit, & nos quoque reſurgemus. 1. ad *Corinth.* 15. Reſurgemus quidem non tantùm in generali reſurrectione, quæ erit in futuro, ſed ſpeciali quæ erit in præſenti. Sic reſurget peccator ſi conteratur corde, confiteatur ore, ſatisfaciat opere, & ſic carnalia cum terrenis contemnat, & ad cœleſtia cum æternis ſe erigat. Vnde ad *Coloſſ.* 3. Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum, quærite: quæ ſurſum ſunt, ſapite, non quæ ſuper terram. Sed multi ſe & alios decipiunt, qui in ſuo peccato moriuntur, & alios mori permittunt, antequam ab illo reſuſcitentur. *Iſa.* 24. Grauabit eam iniquitas ſua: corruet, & non adiiciet vt reſurgat. Talibus loquutus eſt *Apoſtolus ad Epheſ.* 5. Surge qui dormis, &c. Et verè nunc citò ſurgendum, quia hora etiam nos de ſomno ſurgere. Ad *Romanos* 13. Et hoc quia pulſatum eſt horologium, pulſatæ ſunt campanæ, pulſatum eſt claſſicum, clamatum eſt regis bannum. Si quid habes, narra vt iuſtificeris. *Iſa.* 43.

De amicis fictis & Iudæ proditore.

Etenim homo pacis meæ. Supra Propheta determinauit de inimicis Chriſti manifeſtis & occultis, hîc determinat de amicis illius fictis, communiter, ſed ſpecialiter de Iuda proditore, & tanguntur quatuor quæ aggrauant peccatum Iudæ. Quorum primum eſt, quia Chriſtus erat ei pacificus. Secundum, quia erat ei familiaris, & amicus. *In quo ſperaui.* Tertium, quia erat ei largus & beneficus, ibi, *Qui edebat panes meos.* Quartum, quia Iudas erat proditor magnificus, ibi, *Magnificauit ſuper me ſupplantationem.* Dicit ergo: *Homo pacis meæ.* Dictum eſt ſuprà, quia Chriſtus dormiuit, id eſt, mortuus fuit. Et verè ſic erat, quia Iudas, dicit Chriſtus, tradidit me in manus quærentium animam meam, id eſt, Iudæis: & cum eſſem ei pacificus, me tradere fuit ei iniquius: vnde dicit: *Homo pacis meæ*, id eſt, cum quo pacem habebam, licet non ita ipſe mihi. In *Pſal.* Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique. Iſte maledictus Chriſto debuit eſſe pacificus. Sed cum magna duritia ſui cordis ipſum tradiderit ſub ſigno pacis. *Luc.* 22. Iuda filium hominis oſculo tradis? Verè in illo pax vera non fuit. Vnde *Caſſiod.* In illius corde pax eſſe non potuit, qui inſidias blandiendo præparauit.

In quo ſperaui, id eſt, in quo ſperare potui, vel debui, ſecundum communem vſum illorum, qui in ſuis familiaribus ſperant vel confidunt. Et opponit *Auguſt.* Quare in illum ſperauit? Nonne ab æterno illum cognouit? Vnde diſcipulis ſuis dixit *Ioan.* 6. Ego vos elegi duodecim, & vnus ex vobis diabolus eſt. Reſpon. Hoc Chriſtus de ſe dixit, & docendo alios in ſe transfigurauit. Multi enim credentes in Chriſtum, videntes Iudam eſſe inter diſcipulos, & cum Chriſto ambulare, ſperabant quod eſſet talis qualis erant cæteri.

Vel ſecundum *Caſſiodor.* In quo me ſperare putabant alij, non quia in illo ſperaret, ſciens quod maledictus eſt homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum. *Ierem.* 17. Sequitur.

Qui edebat panes meos. *Luc.* 22. Ecce manus tradentis me, mecum eſt in menſa. *Ioan.* 13. Qui manducat panem meum, leuabit contra me calcaneum ſuum. *Ibid.* Cum intinxiſſet buccellam, dedit Iudæ Simonis Iſcariotis, & poſt buccellam introiuit in eum Sahanas. Sequitur.

Supplantationem, id eſt, occultam perditionem, *ſuper me magnificauit.* Illa enim perditio fuit magna, quia de Chriſto fuit magnificata, quia à tali ſcilicet Iuda proditore, qui debebat eſſe Chriſto pacificus familiaris, & amicus largus & beneficus: & erat ſibi factus inimicus, fraudulentus, noxius, & iniurioſus, in quo intelligitur magnitudo ſui ſceleris: vnde *Caſſiod.* O diſcipulum indocili corde duriſſimum, qui tam crudelis extitit, vt eſſet parricida filius, falſus diſcipulus, traditor magiſtri, ſeruus Domini, creatura creatoris! *Magnificauit.* Ecce Iudæ apertam arrogantiam *Super me.* Ecce apertam iniuriam. *Supplantationem.* Ecce apertam fraudulentiam. *Ierem* 9. Omnis ſupplantans ſupplantabitur, & omnis amicus fraudulenter incedet. Sed *Prouerb.* 11. Supplantatio peruerſorum ſupplantabit eos.

Quare Chriſtus permiſit ſe à Iuda tradi.

Sed poteſt quæri, quare Chriſtus à diſcipulo voluit tradi? Reſp. Hoc fecit ne homo ſpem poneret in homine. *Ierem.* 17. Maledictus, &c. *Michæ* 7. Nolite credere amico, nolite in duce confidere. Secundò hoc fecit ne homo ſe credat homini. *Ioan.* 2. Ieſus autem non credebat ſemetipſum eis, eò quod ipſe noſſet omnes. *Ierem.* 12. Fratres tui, & domus patris tui pugnauerunt aduerſum te, & clamauerunt poſt te plena voce: Ne credas eis, cum loquuti tibi fuerint bona. Tertiò vt homo Chriſtianus diſcat perſequutionem ſuſtinere, non ſolùm ab inimicis, ſed etiam à domeſticis. *Ioan.* 16. Non eſt ſeruus maior Domino ſuo, ſi me perſequuti ſunt, & vos perſequentur. Quartò vt homo ab amicis & familiaribus ſuis ſibi caueat. *Eccl.* 6. Ab inimicis tuis ſeparare, & ab amicis tuis attende. *Michæ* 7. Ab ea quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi oſtia oris tui. Quintò vt oſtenderet quantum amici efficaces ſunt ad nocendum. *Gregor.* Dum diabolus ſe propriis viribus nihil aduerſum nos proficere conſpicit, tunc per linguas nobis adhærentium ſæuit. Ideò nulla peſtis efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus. *Michæ* 7. Inimici hominis, domeſtici eius.

Moraliter hic homo ſimplex pœnitens & iuſtus quomodo ſibi aduerſatur multifarie inimicus. Vnde dicit: *Homo pacis meæ*, velut vicinus, *in quo ſperaui*, vt conſanguineus, & huius mundi amicus, *qui edebat panes meos*, & commenſalis & in menſa ſocius: *magnificauit*, &c. id eſt, magis quam inimici mei ſupplantauit. Non ſicut Iacob Eſau qui ſuam hæreditatem amiſit, ſed Iacob illam ſibi acquiſiuit. Iſti enim domeſtici auferunt multis hæreditatem, ſed tamen illam non acquirunt ſibi, quibus poteſt dici illud. *Matth.* 25. Væ vobis qui clauditis regnum cœlorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes intrare ſinitis. *Eccl.* 20. Homini fatuo non erit amicus,

& non

& non erit gratia in bonis illius, qui edunt panes illius. Falſæ linguæ ſunt, & te ſupplantabunt qui in carnis voluntate moriuntur. Pes enim eſt affectus, planta finis voluntatis, & ipſi in carne mortua terminant voluntatem ſuam.

Tu autem Domine miſerere mei. Sicut Propheta tetigit Chriſti paſſionem, hîc orat Chriſtus & petit ſuam reſurrectionem, & facit tria: quia primò ponit ſuam petitionem. Secundò petitionis exaudiendæ confidentiam: *In hoc cognoui.* Tertiò pro petitione exaudita ſubdit gratiarum actionem, ibi: *Benedictus Dominus.* In prima facit duo: quia primò tangit quod petitur. Secundò propter quod petitur, ibi, *& retribuam eis.* Prima tangit duo, quorum primum pertinet ad affectum, ſcilicet miſeratio: ſecundum ad affectum, ſcilicet reſuſcitatio.

Dixit ergo: *Miſerere mei*, hominis Domine Pater: Chriſtus enim poſt prædictas miſerias, & tribulationes, quaſi auis ad nidum ſuum orat Deum Patrem, & petit ſuam reſurrectionem. Et hîc intelligitur quod ſuprà dixit: Domine miſerere. Et idem hîc repetit. Sed ſupra dixit pro membris tantum, vnde ibi ſequitur, *Sana me*, &c. Hîc repetit pro ſe homine, & pro membris. Vnde dicit: *Reſuſcita me.* Reſuſcitatio autem conuenit capiti & membris. Et cum his nota, quòd Chriſtus vt homo indigens petit, ſed vt Deus omnipotens exaudit.

Dixit ergo, *Miſerere mei*, hominis, qui ſum in afflictionibus & miſeria, *& reſuſcita me*, glorioſa reſurrectione. Iſta reſurrectio non fuit iterum morituri, ſicut Lazari *Ioan.* 11. Sed fuit reſurrectio ad gloriam æternæ immortalitatis. *Oſeæ* 6. In die tertia ſuſcitabit nos. Nec credendum, quòd licet oratio dirigatur ad Patrem, ex hoc impotens ſit filius ſuſcitare ſeipſum: ipſe enim de ſe dicit. *Ioan.* 2. Soluite templum hoc, & in tribus diebus ſuſcitabo illud. *Caſſiod.* dicit. Quod non potuit mori, non potuit ſuſcitari: diuinitas non potuit mori. Sicut radius ſolaris lucet ſuper lignum quod ſcinditur, nec poteſt lædi, ſic nec diuinitas Chriſti potuit mori. Sed caro fuit mortua cum eſſet mortalis, & ab eo fuit reſuſcitata. *Ioan.* 5. Sicut Pater quem vult viuificat, ſic & filius. *Iſa.* 40. Quis ſuſcitabit ab Oriente iterum? Sequitur.

Et retribuam eis, inimicis ſcilicet, & dupliciter. Primo in præſenti quantum ad pœnam temporalem. Hoc factum fuit, cum Iudæi per vniuerſum orbem fuerunt diſperſi à Romanis per Titum & Veſpaſianum: ſed in futuro quantum ad æternam damnationem: damnabuntur enim qui noluerunt pœnitere vel conuerti. *Iſai.* 59. Viciſſitudinem reddet inimicis ſuis. *Ierem.* 4. Aſcendet leo de cubili, ecce reſurrectio: & prædo gentium ſe leuabit, ecce gentium congregatio ad Iudæos diſpergendos: & ponet terram in deſolationem, ecce hoſtium damnatio. Et dixit, *Retribuam*, non amore vindictæ, ſed oſtenſione patientiæ & zelo iuſtitiæ. *Retribuam.* Quaſi diceret: In præſenti tribuam temporaliter, ſed in futuro retribuam puniendo æternaliter.

Moraliter: *Tu autem Domine miſerere mei.* Hoc poteſt dicere quilibet peccator: Domine miſerere mei, quia miſer ſum & afflictus in multis miſeriis. *Et reſuſcita me*: quia mortuus ſum, & vitam ſpiritualem animæ amiſi. Et non dicit tantum, Suſcita, ſed *reſuſcita.* Quaſi diceret: Iam alias ſuſcitaſti, & ego ſic ingratus, excæcatus, lumine gratiæ priuatus, me iterum morti ſpirituali tradidi, & reuerſus ad vomitum ſicut canis, & ſus iam lota in volutabro luti. Idcirco Domine mi, *reſuſcita me*, *& retribuam eis*, illis ſcilicet tribus inimicis meis, ſcilicet mundo, carni, diabolo, quibus pœnitens retribuit, cum de illis vindictã ſumit. De carne per ieiunium, de mundo per eleemoſynas & mundi contemptum, de diabolo per orationem & amorem feruentem. *Tob.* 12. Bona eſt oratio cum ieiunio, & eleemoſyna magis quam theſauros auri condere. *Matth.* 17. Hoc genus dæmoniorum non eiicitur niſi per orationem & ieiunium. Vel *Miſerere mei*, id eſt, libera me de ſtatu miſeriæ, *& reſuſcita me*, id eſt, da mihi ſtatum gratiæ, *& retribuam eis*, id eſt, des mihi ſtatum gloriæ, vt iudicandos tecum iudicem: tu enim dixiſti Apoſtolis, & viris Apoſtolicis illud *Matth.* In regeneratione, &c.

In hoc cognoui. Supra determinauit Propheta de Chriſti reſurrectione, & ſic poſuit ſuam petitionem, hîc illius petitionis exaudiendæ cum exauditione ponit confidentiam: & ſic facit duo, quia primò ponit illam confidentiam. Secundò exauditionem, ibi: *Me autem propter innocentiam.* In prima facit tria. Primò ponit paternæ vocis Chriſti cognitionem. Secundò ipſius Patris acceptationem, ibi, *Quoniam voluiſti me.* Tertiò gaudij inimici reſpectu ſui excluſionem, ibi, *Quoniam non gaudebit.* Et ſic iſta cognitio exprimit triplicem confidentiam. Primò quantum ad ſeipſum. Secundò quantum ad Patrem ſuum. Tertiò quantum ad inimicum.

Dixit ergo: *In hoc cognoui.* Sed nonne prius ipſe cognouit? Conſtat, quòd ſic. Reſp. Cognouit ab æterno. Sed dicit nunc ſe cognoſcere, quia fecit vt cognoſceremus. Simile *Geneſ.* 22. Nunc cognoui quod timeas Dominum, id eſt, te, & alios cognoſcere feci. Et debet ſic ordinari litera: *In hoc quod voluiſti me*, id eſt, ab æterno accepiſti & approbaſti, *cognoui* quia ſuſcitabis me, ſicut ſupra petebam. Voluiſti enim Deus Pater Chriſtum eſſe mortuum & reſuſcitatum voluntate beneplaciti. *Matth.* 17. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite. *Iſa.* 53. Non vocaberis vltra derelicta, ſed vocaberis voluntas mea in ea. Et etiam in hoc quod voluiſti me, cognoui, quòd non gaudebit inimicus meus ſuper me, Iudæus ſcilicet & Iudas proditor diſcipulus: gauiſi ſunt enim Iudæi quando viderunt Chriſtum crucifixum, & mortuum, tunc arbitrantes impleuiſſe effectum ſuæ voluntatis prauæ, caput ſuum agitantes, id eſt, ſpiritum, quia caput non habebant. Sed Chriſto reſurgente ſunt conſternati, quia ſpe ſua fruſtrati. Prius dicebant: Eradamus eum de terra viuentium, pereat nomen eius & non memoretur vltra, condemnemus eum morte turpiſſima, ne totus mundus eat poſt ipſum, ne veniant Romani & tollant gentem & locum. Sed quia errantes ceciderunt excæcati & infideles, 12.

tous orbis ſequutus eſt eum ſecundum *Auguſt. Michæ* 3. Ne lætaris inimica mea, quia cecidi, conſurgam. *Baruch.*4. Nemo gaudeat ſuper me viduam, & deſolatam. Sequitur: Ego enim ſperaui in æternum ſalutem meam, & venit mihi gaudium.

Moraliter, *Quoniam voluiſti me, cognoui*, ſecurus Domine, dicit pœnitens, peto tuam miſericordiam, dicens: *Miſerere mei, & reſuſcita me*, licet reuerſus fuero iterum ad peccatum poſt pœnitentiam, quæſo quia adhuc iam aliàs reſuſcitare me dignatus es, ſuſcipe me ad pœnitentiam adhuc me ſuſcipiens, remittendo offenſam, infundendo gratiam, condonando veniam. Et ideò *non gaudebit*, mundus, caro, diabolus, *ſuper me*, cùm me ad pœnitentiam ſuſceperis. Et ſic in hoc verſu gratias referendo quantum ad iam collata beneficia munificum largitorem inducit, addendo ampliora.

13. *Me autem propter innocentiam.* Supra poſuit Propheta Chriſti petitionem, & petitionis exaudiendæ confidentiam, hîc ponit illius petionis exauditionem. Et conſiſtit in duobus, ſcilicet in ſuſceptione, & confirmatione. Suſceptio fuit in reſurrectione, & confirmatio in gloriæ perpetuitate, ibi, *Confirmaſti me.* In primo exprimit in reſurrectione ſuſceptionem. Secundò ſuſceptionis cauſam vel rationem, ibi, *Propter innocentiam.* Dixit ergo: *Me autem*, &c. quia enim Chriſtus fuit innocens, & à peccato immunis, citius debuit reſuſcitari quam cæteri. *Iob* 27. Stupebunt iuſti ſuper hoc, & innocens contra hypocritam ſuſcitabitur. Suprà: Cum gloria ſuſcepiſti me, nec delectaſti inimicos meos ſuper me. De innocentia *Iob* 22. Saluabitur innocens munditia manuum ſuarum. Sequitur.

Confirmaſti me, vbi ponitur confirmatio. Secundò illius euidentia, & offenſio, ibi, *In conſpectu tuo.* Tertiò eius perpetuatio, ibi, *In æternum.* Dicit ergo: *Confirmaſti me.* Hæc confirmatio fuit ſignificata 1. *Paral.* 17. vbi dicitur: Ipſe ædificauit mihi domum, & firmabo ſolidum eius vſque in æternum. Domum, id eſt, Eccleſiam, ædificauit Chriſtus per ſe & per ſuos Apoſtolos, quorum ſonus exiuit in omnem terram. *Iſa.*22.Figam illum in loco fideli, & erit ſolium gloriæ domus patris ſui ſolium gloriæ non vanæ & tranſeuntis, ſed æternæ, & in æternum durantis. Vnde dicit hîc: *In æternum.* Sequitur.

In conſpectu tuo. Quod dicitur ad differentiam conſpectus hominum, in quorum conſpectu fuit infirmatus in ſua paſſione, hoc eſt, videbatur infirmus & impotens, quaſi leproſus, cui non erat ſpecies neque decor. *Iſa.* 53. Sed in conſpectu Dei fuit confirmatus, gloria & decore immortalitatis decoratus: confirmatus, non ad horam, non ad tempus, ſed in æternum. Chriſtus enim reſurgens, non moritur: mors illi vltra non dominabitur. *Ad Rom.*6.

Moraliter: Me, dicit pœnitens, contritum, confeſſum, & ad ſatisfaciendum paratum propter innocentiam recuperandam ſuſcepiſti ad pœnitentiam manu miſercordiæ, volens me perducere ad illum montem, quem nullus aſcendit niſi innocens. In *Pſal.* Quis aſcendet in montem Domini? Sequitur: Innocens manibus. *Et confirmaſti.* Vt de cætero non recidam, & ſic ſim *in conſpectu tuo in æternum*, id eſt, omnibus diebus vitæ meæ tibi complaceam. In Collecta Quadrageſimæ dicitur: Deus innocentiæ reſtitutor & author, dirige ad te tuorum corda ſeruorum, vt ſpiritus tui feruore concepto, & in fide inueniantur ſtabiles, & in opere efficaces.

Vel de futuro: *Me autem propter* vitæ meæ *innocentiam ſuſcepiſti*, id eſt, ſuſcipies ad gloriam. *Et confirmaſti me*, id eſt, confirmabis, *in conſpectu tuo*, vt te fruerer, & in te delectarer. *Prou.*8. Delectabar per ſingulos dies, coram illo: *in æternum*, id eſt, ſine fine. Qui enim ibi ſuſcipitur, de cætero non timebit lapſum. Propter hoc dicitur ad Eccleſiam triumphãtem, quæ iam ibi ſuſcepta eſt: Lauda Ieruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion. Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum. Sequitur: Qui poſuit fines tuos pacem, multò magis medium: quia ſemper in finibus, & in medio progreſſu ſolet eſſe bellum. Hoc poſſet dicere quilibet bonus prælatus: *Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti* in prælationem. Multi enim ſunt quos Deus non ſuſcipit ad prælationem, ſed ſibi illam aſſumunt contra illud Apoſtoli ad *Hebr.* 5. Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Et verè qui ſic ſibi aſſumit, non eſt quiſquam, quia dum ſe magnum aliquid facere credit, ſe ſocium illius, & non aliquid facit, qui ſe voluit aliquid magnum facere, dicens illud *Iſa.* 14. In cœlum conſcendam, ſuper aſtra cœli exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte Teſtamenti. Sed ad nihilum redactus eſt, quia ibi ſequitur: Verumtamen ad infernum detraheris. Et poſt quaſi cadauer putridum, non habebit ſocium. Et quia hodie multi tales ſunt in Eccleſia Dei, de illis prædicit *Iob* 18. Habitant in tabernaculo eius, Chriſti ſcilicet, ſocij eius qui non eſt. Cauſam ſubdit quare nõ ſuſcipiatur cum dicit: *Propter innocentiam.* Vnde cum prælatus ſit peccator, conſtat quòd à Domino non ſuſcipitur, niſi ſit innocens. Sed in prælatione mali fiunt & peccatores, idcirco non poſſunt dicere quod ſequitur: *Confirmaſti in conſpectu tuo in æternum*, quia Dominus proiicit à conſpectu ſuo. Exemplum in Saule, quem propter innocentiam ſuam Dominus ſuſcepit 1. *Reg.*25. Nonne cum paruulus eſſes in oculis tuis, in tribubus Iſraël caput factus es? Sed in conſpectu ſuo illum non confirmauit, eò quod malus factus eſt, ſic inobediens, & plenus peccatis. Vnde ibi legitur, quod dixit illi Samuel: Pro eo quod abieciſti ſermonem Domini, abiecit te Dominus. Quod ſignatum eſt in Petro, quem introduxit Ioannes in domum Principis ſacerdotum, ſed interrogatus ab ancilla ſi de diſcipulis Chriſti eſſet, ad ignem, Chriſtum negauit. *Matth.*26.

Contra malos Prælates.

Benedictus Dominus. Supra poſuit pro petitione exaudita gratiarum actionem, hîc primò optatur benedictio. Secundò fit benedicentis deſcriptio, ibi, *Dominus Deus Iſraël.* Tertiò ponitur benedictionis duratio, vel duplicatio, ibi, *A ſæculo, & vſque in ſæculum.* 14.

Dicit

Dicit ergo: *Benedictus.* Verè Deus in ſe benedictus eſt, quia in ſe omne bonum habet, ſine quo nullum bonum eſſe poteſt: tamen à nobis vult benedici, quia facere non poſſumus, niſi priùs nobis benedicat: quod ſciens Propheta dicebat: Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus. Vult ergo à nobis benedici vt ipſum benedicendo, benedictio nobis proſit, reddendo enim Deo quod debemus, nobiſmetipſis proficimus.

Benedictus Dominus, Chriſtus homo ſcilicet cui debetur dulia. Deus Pater, Deus Filius, & Deus Spiritus ſanctus, cui debetur latria. *Iſraël*, videntium Deum per fidem, nunc in ſpeculo creaturæ, in ſpeculo ſcripturæ, vt tandem poſſim illum videre in ſpeculo diuinæ naturæ. Sic quandoque viderunt Iudæi, ſcilicet & in creatura, & in Scriptura: ſed illorum benedictio ad minorem filium, id eſt, ad gentilem populum eſt tranſlata, qui manens fidelis Chriſto, & colens illum, dicit illud *Luc* 1. Benedictus Dominus Deus Iſraël. Sequitur.

A ſæculo & vſque in ſæculum. Vbi exprimitur Dei duplex benedictio, quarum vna eſt in præſenti, ſecunda in futuro. Quia ſecundum *Caſſiodor.* per hoc quod dicitur, *A ſæculo*, præſens mundus intelligitur: per hoc quod dicitur, *In ſæculum*, deſignatur in quo conſiſtunt æterna. Si enim ſæculum præſens deficiat, Dei benedictio incommutabilis perſeuerat. Vnde ſequitur: *Fiat, fiat*: vbi exprimitur benedictionis vel durationis confirmatio. *Tob.* 12. Benedicite Deum cœli, & coram omnibus viuentibus confitemini illi: quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam. Et ſecundum Caſſiod. dicitur *fiat, fiat*. Non vt fiat Dominus benedictus, tanquam non ſit benedictus, ſed hoc fit vt inde nos proficiamus, dum iugiter in eius laudibus occupamur. Vel per hoc quod geminatur *fiat*, ſignificatur quod pro duobus ſunt gratiæ agendæ, ſcilicet pro ſalute bonorum. *Apoc.* 7. In numeratis ſignatis ſubditur: Ceciderunt in conſpectu throni in facies ſuas, & adorauerunt Deum dicentes: Benedictio & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio. Secundò gratiæ ſunt agendæ pro damnatione malorum. *Apocal.* 12. Nunc facta eſt ſalus & virtus, quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum.

Vel *fiat* geminatur, quia gratiæ ſunt agendæ pro beneficio creationis, & etiam pro beneficio recreationis.

Vel geminatur *fiat*, quia gratiæ agendæ ſunt Deo pro mali euaſione, & pro boni adeptione. Et nota ſecundum *Hieronymum*, quòd in Pſalmo ſunt quatuor diſtinctiones, in quorum fine *fiat fiat*, excepto quod in fine quartæ diſtinctionis loco eius quod hîc dicitur fiat fiat, apud Hebræos dicitur: Omnis ſpiritus laudet Dominum.

Benedictus Dominus, &c. *Benedictus*, quia benefactor: *Dominus*, ſeruorum protector: *Deus*, quia cultorum exauditor: *Iſraël*, quia ſpeculatorum glorificator: *A ſæculo*, quia temporalium largitor: *In ſæculum*, quia æternorum promiſſor. *Fiat*, quia promiſſorum redditor. *Fiat*, quia redditorum cuſtos vel cuſtoditor. Iſta promiſſa nobis velit concedere, qui viuit & regnat Deus in ſæcula. Amen.

IN XLI. PSALMVM.

In finem intellectus filiis Core. 1.

Q*Vemadmodum deſiderat cerus.* Hic eſt eſt Pſalmus quadrageſimus primus: poſtquam enim egit de fide vera, vt credatur Chriſtus verus Deus, & nihilominus verus homo: quia fides ſine charitate non valet. 1. ad *Cor.* 13. Si habuero fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Conſequenter mouet ad charitatem, qua mens illum in quem credit, frequenter deſideret & triſtitiam huius miſeræ vitæ temperet: & eſt ipſe primus illorum qui agunt de charitate, & ſequuntur duo alij. 83. ſcilicet, *Quam dilecta tabernacula*, &c. & 133. *Ecce nunc benedicite Dominum.* Præponitur titulus: *Intellectus filiis Core.* Sciendum quod Core, vt dictum eſt ſuprà, interpretatur caluus, vel caluaria: & ſignat Chriſtum, qui in caluaria paſſus eſt. Vnde *Gloſſa* adaptat Chriſtum crucifixum Eliſeo, cui irridentes pueri 4. *Reg.* 2. dicebant: Aſcende calue, aſcende calue. Filij ergo Core ſunt filij Chriſti in cruce nudati, & ab omni temporalitate decaluati, & in loco caluariæ ad litteram crucifixi. Senſus ergo eſt tituli. *Intellectus* huiuus Pſalmi, tendentis, id eſt, tendere facientis nos, *in finem*, conuenit *filiis Core*, id eſt, Chriſti: vel conuenit intellectus, vt ipſum non tantum ore cantent, ſed intellectu & corde, ſecundum illud *Iſa.* 29. Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè eſt à me. 2.

Argumentum Pſalmi, charitas hic gemens & ad Deum aſpirans.

Pſalmus autem diuiditur primò & principaliter in duas partes. Cũ enim agat de charitate, quæ ſicut dictũ eſt, & cæleſtia facit deſiderare, triſtitiam huius ſæculi expellit, primò agitur de charitate deſiderium inflammante. Secundò de eadem ſæculi triſtitiam expellente, ibi, *Quare triſtis es anima mea.* Prima diuiditur in tres. Primo enim deſcribitur deſiderij magnitudo. Secundò præ deſiderati abſentia, continua lachrymatio, ibi, *Fuerunt mihi lachrymæ meæ.* Tertiò, abſentis diligens inquiſitio, ibi, *Hæc recordatus ſum.* Deſiderij magnitudo exprimitur ex tribus. Primò ex ſitibundi cerui comparatione in primo verſu. Secundo ex deſiderij prolongatione. *Sitiuit anima mea.* Tertiò ex anxia quæſtione, ibi, *Quandò veniam.* Primum autem dupliciter legitur. Primò in perſona catechumeni. Secundò in perſona perfecti viri. Dicit ergo ſic: *Quemadmodum cerus* extracto de cauerna ſerpente venenoſo æſtuans, & renouationem quærens, *deſiderat ad fontes aquarum*, ſcit enim cum ad illum venerit quod ab illo liberabitur: *ita*, dicit catechumenus, *anima mea* iã extracto de terra cordis peccato, per confeſſionem, quod ſerpens eſt. *Eccleſ.* 21. Quaſi à facie colubri fuge peccatum. *deſiderat ad te Deus*, ſcilicet ad tuum ſacramentum, ſcilicet baptiſmi, ad extinguendum venenum ſerpentis, ſcilicet fomitem, & originale peccatum. *Eccleſ.* 3. Ignem arden-

Prima pars Pſalmi, charitas ad æterna aſpirans.

tem extinguit aqua. Illum ignem de quo *Iſa.* 9. Succenſa eſt quaſi ignis impietas. Vel ſic: *Quemadmodum ceruus*, etiam renouatur ſecundum illud, ad *Epheſ.* 4. Deponite veterem hominem, & induite nouum, &c. Et ibidem, Renouamini ſpiritu mentis veſtræ. Hinc inoleuit conſuetudo, quòd in vigilia Paſchæ, quando ſolebant antiquitus baptizari, cantabatur iſte Pſalmus.

Vel de viro perfecto ſic: *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontem aquarum*, extracto ſerpente venenoſo de cauerna, ſicut dictum eſt: *ita anima mea*, interfecto per pœnitentiam diabolo, vt iam non regnet per peccatum in noſtro mortali corpore. Ad *Roman.* 6. Peccatum non regnet in veſtro mortali corpore. Et interficietis, quantum in vobis eſt, ſerpentem antiquum diabolum, de quo *Geneſ.* 3. Serpens autem erat callidior cunctis animantibus, &c. *Iſa.* 27. In die illa viſitabit Dominus ſuper Leuiatham ſerpentem vectem, &c. *Deſiderat ad te*, ô *Deus*, vt ſitim & ardorem deſiderij mei, qui es fons viuus, extinguas. *Pſal.* Quoniam apud te eſt fons vitæ. Ecce quod dicebat Paulus iam expulſo ſerpente, ſcilicet diabolo, ad *Phil.* 3. Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Sed cum bonitas creatoris in infinitum excedat bonitatem creaturæ, quomodo comparauit Dauid deſiderium Dei à viro iuſto, deſiderio fontis à ceruo animali bruto? Reſponſ. Homo per peccatum factus eſt brutalis. *Pſal.* Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, &c. Et alibi, vt iumentum factus ſum apud te. Et ideò magnum eſt quantum eſt ex parte ſui ſi deſideret ſicut brutum. Vel poteſt dici, quòd deſiderium humanum ex ratione multò excellit deſiderium bruti, tamen in tribus debet aſſimilari deſiderio cerui in hoc caſu. Primò vt deſideret Deum totaliter, ſicut ceruus totaliter fontem, non aliquam eius partem vel riuum. In *Pſal.* ſupra, Domine ante te omne deſiderium meum. Item ſecundò, vt deſideret indeſinenter, ſicut ceruus fontem viuum. *Iſa.* 26. Anima mea deſiderauit te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. Item vt perſeueranter, ſcilicet vſque in finem quando ab eo remuneremur, ſicut ceruus hoc deſiderium continuat. *Pſal.* Quærite Dominum, & confirmamini, quærite. *Matth.* 10. & 24. Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.

Cur cerui vtatur comparatione.

3. *Sitiuit anima mea.* Hîc ſecundum. Quaſi diceret: *Deſiderat anima mea* non modo primo, imò *ſitiuit*, iam diu eſt *ad Deum.* Græc. habet, *fortem*, quaſi diceret, non ad idola fictilia, & fragilia. *Sapient.* 14. Illud autem cum eſſet fragile, Deus reputatus eſt. *Viuum*, non mortuum ſicut illa *Baruc.* 10. Senſum non habent ipſi dij eorum. *Sapient.* 13. Non erubeſcit loqui cum illo qui ſine anima eſt. Vel fontem viuum: ſic enim appellat ſe. *Ierem.* 2. Dereliquerunt me fontem aquæ viuæ.

Quando veniam. Ecce vehementia deſiderij. Quaſi dicat: Tardè. Et dicit *Gloſſa Auguſt.* Citius eſt Deo, tardius eſt deſiderio. *Prouerb.* 23. Spes quæ differtur, affligit animam. *Caſſiodor. Quando* cum pondere pronuntiandum, vt grauis ei videatur eſſe dilatio. Et *apparebo ante faciem Dei*, vt ſatier illo æterno fonte, & reficiam ſitim meam. *Pſal.* Satiabor cum apparuerit gloria tua. Hîc nota, quòd ſitis accreſcit ex tribus. Ex purgatione, ex ſale, ex calore. Sic certè ſpiritus purgati ab omni humore peccati ſitiunt Deum. 1. *Pet.* 1. In quem deſiderant Angeli proſpicere. Et repleti ſale diuinæ ſapientiæ anxij ſunt ad Deum venire, ſecundum illud *Eccleſ.* 1. Qui addit ſcientiam, addit & laborem ſitis quam habet à Deo. Et ardentes & tabeſcentes diuino igne. *Eccleſ.* 23. Anima calida quaſi ignis ardens, non extinguetur donec aliquid glutierit.

Sitis creſcit purgatione, ſale, calore.

Nota etiam, quòd Deus dicitur fons, quia ſeipſum nobis indeſinenter communicat. *Eccleſ.* 24. Vſque ad futurum ſæculum non deſinam. Item communicans ſe indeſinenter, ſemper abundat. *Iſa.* 1. Plenus ſum. Quippe flumina quæ ab eo procedunt, Filius & Spiritus ſanctus, ab eo non recedunt. *Ioan.* 1. Filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit nobis. *Ioan.* 10. Ego in Patre, & Pater in me eſt. Item aqua plus delectat omni alio: ſic Deus ſuper omnia delectabilia. *Pſal.* Delectationes in dextera tua vſque in finem. *Prouerb.* 9. Furtiuæ aquæ dulciores ſunt. *Pſal.* Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, &c.

Deus fonti comparatur.

Fuerunt mihi lachrymæ. Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur pro dilatione lachrymatio: & dicuntur duo. Primò lachrymatio. Secundò lachrymationis ratio. *Dum dicitur mihi.* Dicit ergo: Sic dico: Quando apparebo in pœnitentia? Nec mirum, quia hac in via *fuerunt mihi lachrymæ meæ*, à me effuſæ *die* proſperitatis, *& nocte* aduerſitatis, vt nullam omninò reciperem conſolationem, ſecundum illud *Pſal.* Renuit conſolari anima mea. Fuerunt, inquam, non lachrymæ exinanitionis, *ſed panes*, id eſt, lachrymæ refectionis. *Hieronym.* Sicut corpus ſatiatur pane, ita anima lacrymis. *Caſſiodor.* Audiant hoc qui Domino flere non appetunt, iuges lachrymas, non inediam, ſed ſatietatem potius intuliſſe. Fletus ille, ſpiritualis cibus eſt animarum, corroboratio ſenſuum, abſolutio peccatorum, refectio mentium, lauacrum culparum. Iſte petierat bibere. *Sitiuit*, inquit, *anima mea*, & datur ei comedere. Sed quid lachrymæ quæ falſæ ſunt? comedendo autem falſum creſcit ſitis. Et ex hoc eſt quod tales lachrymæ deſiderium non extinguunt, ſed augent. 4.

Dum dicitur mihi. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic lachrymas effundo, ſed quare? Propter vrgentem inimicorum inſultationem. Et hoc eſt quod ſubdit, *Dum dicitur mihi quotidie*, ab inimicis meis, paganis, hæreticis, & Iudæis, hominibus peccatis ſordidis. Dicitur, inquam, inſultando: *Vbi eſt Deus tuus?* Optima cauſa flendi. *Caſſiodor.* Vltra omnes labores eſt ipſum

inſul

inſultantem cernere, quem cognoſcis conſcientiæ prauitate ſordere. Et ſi tibi dicat paganus oſtendens digito Deum ſuum, vbi Chriſtiane eſt Deus tuus? Reſponde ſecundum *Auguſtin.* Poſſum tibi oſtendere Deum meum, ſed oculos non habes vnde videas. *Matth.5.* Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum, &c.

Hic nota, quòd debemus habere lachrymas occultiores, vt dicitur *Iſa.21.* Recedite à me, amare flebo. Corpori & animæ communes. *Mea*, dicit anima, non ſolius corporis, ſicut in fictè plorantibus. *Eccleſ.12.* In oculis ſuis tantum lachrymabitur inimicus hypocrita. Item vberiores, vt non tantum in genis, ſed & in os fluant. *Panes.* Alibi in *Pſal.* Potum meum cum fletu miſcebam. Et iuges, *die ac nocte. Ierem.9.* Quis dabit capiti meo aquam, & ocuils meis fontem lachrymarum, & prorem die ac nocte, &c.

Quomodo flendum.

5. *Hæc recordatus ſum.* Hîc tertium, ſcilicet abſentis diligens inquiſitio: ſed quia hæc inquiſitio ſupra res humanas, tangit tria. Primò diligens ſcrutinium. Secundò locum in quem vadit ad quærendum. *Tranſibo in locum.* Tertiò ſui tranſitus adiutorium, ibi, *In voce exultationis.* In prima duo. Primò tangit ſcrutinium in creaturis corporalibus. Secundò in ſpiritualibus. *Et effundi in me.* Dicit ergo: Sic dicunt inſultando: Vbi eſt Deus tuus? & dum hæc dicunt, *hæc recordatus ſum*, id eſt, temporalia, & viſibilia meditatus ſum, conſiderando. Bene inchoat, quia ad *Rom.1.* dicitur, Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt à creatura mundi intellecta conſpiciuntur. Et quia in his non inueni, *effudi in me animam meam*, intra me ipſam per ipſam cogitando, & per alios ſpiritus diſcurrendo: ſed nec ſic inuenio. *Cantic.3.* Quæſiui, & non inueni eum. Et vbi effudi? *Quoniam tranſibo in locum tabernaculi*, id eſt, in Eccleſiam militantem, quæ tabernaculum eius dicitur. *Apocalypſ.21.* Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. Tabernaculi, inquam, *admirabilis*, pro ſua pulchritudine. Ad *Epheſ.5.* Mundans eam lauachro aquæ, vt exhiberet ſibi Eccleſiam glorioſam, non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid huiuſmodi. Et vltra, *vſque ad domum Dei*, id eſt, Eccleſiam triumphantem, quia nihil ita ſimile triumphanti, ſicut militans. *Exod.25.* Et ad *Hebr.8.* Vide, & fac omnia, ſicut tibi in monte monſtratum eſt.

Alio modo legitur, ſecundum quod per hæc prædicta, verba aduerſariorum dinumerantur ſic: Interim dum improperant idololatræ, *Vbi eſt Deus tuus? recordatus ſum*, interius meditando, *& effudi*, præ gaudio, *animam meam*, ſicut res bulliens effunditur. *Cantic.5.* Anima mea liquefacta eſt. Sed vbi? Nunquid extra te, ſicut gaudentes in exterioribus? *Eccleſiaſt.5.* Auaro nihil eſt ſceleſtius: hic enim animam ſuam venalem habet, & in vita ſua proiecit intima ſua. Non, ſed *in me.* Sic autem gaudeo, *quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis*, ſcilicet in Eccleſiam triumphantem, de quo ſupra in *Pſal.* Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? &c. Et hoc, *vſque ad domum Dei*, id eſt, in manſionem, in qua Deum videam, ſicut homo videtur in domo ſua. *Ioan.14.* In domo patris mei manſiones multæ ſunt: Vnde quicquid dicunt, non curo, quia ſi hic non video, gaudeo, quia ibi videbo. *Pſal.* Lætatus ſunt in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.

In voce exultationis. Hîc tertium, in quo tangit ſui tranſitus adiutorium, ſcilicet ſonum exultantium in paradiſo, & epulantium, qui eius auribus ſonabit. Dicit ergo: Sic tranſibo in domum Domini, ſed quomodo? *In voce exultationis*, ſecreta, & quaſi in corde interius audita. *Iſa.51.* Gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus. *Et confeſſionis*, laudis diuinæ. Quaſi non tantum in ſe exultantium, ſed in Deum, & ipſum laudantium. *Iſa.52.* Venient in Sion laudantes, quæ vox eſt *ſonus epulantis*, id eſt, epulas celebrantis. Erat enim antiquitus conſuetudo, quòd feſta & conuiuia facientes, inter epulas muſicis vtebantur inſtrumentis. *Iſa.5.* Cithara & lyra, & timpanum in conuiuiis veſtris. *Luc.15.* In reuerſione filij prodigi feci pater conuiuium, & audita eſt vox chori & ſymphoniæ. Sic in illa cœleſti patria epulantur cum ſumma modulatione. De epulatione. *Iſa.25.* Faciet Dominus in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, &c. Et 65. Ecce ſerui mei comedent. Sed nunquã ſine ſono lætitiæ & laudis? Subiungit: Serui mei laudabunt præ exultatione. Hac ergo dulcedine dicit ſe illectum, & abſtractum: ſuper omnia enim rapit mentem ſurſum, & trahit, & ab omni carnalitate abſtrahit dulcis ſonus: quia, ſicut vult Philoſophus, calor eſt in corpore mixto, ardor in aëre groſſo & fumoſo, ſapor in aqueo, tangibile in terreo, tanquam in ſubiecto. Vnde omnia quæ quaſi fixa ſuut in his quæ tenent locum infimum, animum inclinant ad infimum. Sed ſonus in aëre ſubtiliſſimo, qui ſemper tendit ſurſum: quod ſentimus experimento, ſi enim loquens ſit infrà, tu ſupra, melius audies, quam è conuerſo.

Cur ſonus ſurſũ rapiat animum.

6. *Quare triſtis es?* Hîc eſt ſecunda pars, in qua agit de charitate confortante in his tribus in quibus ſenſualitas primò conſtritatur, & hinc ratio turbatur. Duo ergo dicuntur. Primò adhibet remedium ſenſualitati. Secundò rationi, ibi, *Ad meipſum.* In prima duo ſecundum duo remedia quæ adhibet. Primò increpationem. Secundò conſolationem. *Spera in Deo.* Et primò increpat eam de proprio dolore. Secundò de ſui perturbatione. *Et quare.* Dicit ergo: Sic anima tranſibit ad illam domum, vnde iam gaudia ſentit. Licet ergo mundus foris perſtrepat, caro grauet, *quare triſtis es, ô anima mea, & quare conturbas me?* dicit ratio. *Eccleſ.* 30. Triſtitiam ne des animæ tuæ. Quare triſtis es de temporalibus non habitis, cum abundas aliis? Hæc eſt enim mala triſtitia ſi his triſtaris. 1. ad *Corinth.7.* Triſtitia ſæculi mortem operatur. Quare triſtis es de perditis? ſi habuiſti onus, depoſuiſti. *Iſa.30.* Onus inimicorum Auſtri. Seneca, Pecuniam perdidiſti infinitam? fortaſſe illa te perdidiſſet. Quare triſtis es de præſentibus aduerſis, quibus eruditis & mundaris? Super illud *Luc.16.* Vlceribus plenus: Quos vitij infirmitas vulnerat, medicina paupertatis ſanat. *Ierem.6.* Alia litera: Per omne flagellum

S cũda pars Pſalmi de contẽptu & tædio terrenorum.

erudieris Ieruſalem : Quare triſtis es de prauis moribus & venialibus culpis quibus humiliata exercitaris ? *Iudic.* 3. Has gentes dimiſit Dominus , vt in ipſis experiatur , id eſt , exerceatur Iſrael. Quare pro æternis dilatis ? quia ſic deſiderando proficis. *Gregor.* Sancta deſideria dilationis gremio nutriuntur. *Et quare conturbas me ?*

Rationem turbat ſenſualitas tribus modis.

Et nota , quòd ſenſualitas turbat rationem tripliciter. Alliciendo vt in inferioribus delectetur. *Prouerb.* 15. In fructibus impij conturbatio. Cogendo vt afflictionibus corporis ipſa compatiatur. *Sap.* 9. Corpus quod corrumpitur , aggrauat animam. Si enim vnum membrum alteri compatitur. 1. ad *Corinth.* 12. Multò fortius ratio ſenſualitati. Tertiò impediendo intellectum phantaſmatibus , ne æterna veritas videatur. Quando enim deberet intelligere , & meditari cœleſtia , ſenſualitas infert illi phantaſmata. *Dan.* 4. Cogitationes meæ in ſtrato meo , & viſiones meæ conturbauerunt me.

7. *Spera in Deo.* Hîc ſubiungitur conſolatio poſt increpationem : & dicuntur duo. Primò conſolando monet vt ſperet. Secundò quare & poteſt , & debet ſpetare. *Quoniam adhuc confitebor.* Dicit ergo ſic : Non contriſtes me, nec conturbes , imò *ſpera in Deo.* , vt ſic conſoleris , quia ad *Roman.* 5. dicitur : Spes non confundit. Et 12. Spe gaudentes. *Eccleſ.* 2. Nullus ſperauit in Domino , & confuſus eſt.

Quoniam adhuc. Hîc ſubiungitur cauſa & ratio quare , ſcilicet plena confeſſio quam proponit facere , &c. Et hanc dupliciter , laudis ſcilicet , & peccati. De vtraque legitur , & ſecundum quod legitur de prima , duo dicuntur : futura confeſſio laudis& laudis modus & materia. *Salutare vultus.* Ait enim : Sic ſpera, & potes , *quoniam adhuc confitebor illi* , ipſum laudando. *Pſal.* Confitebor Domino nimis in ore meo. Et quare hoc ? Quoniam ipſe eſt , *ſalutare vultus mei* , particeps, hoc eſt , mihi ſimilis in natura, & talis vultus, qualis ego ſum. Ad *Philip.* 2. Formam ſerui accipiens , & habitu inuentus vt homo. Ipſe , dico , *Deus meus* , vt non tantùm ſit *vultus mei* , ſed etiam Dei. Hoc eſt quod promiſit *Apoſtolus ad Philip.* 2. Qui cum in forma Dei eſſet.

Vel ſic : Dicit filius Core: Anima mea ſpera, & potes : *Quoniam adhuc confitebor illi* , peccata mea, quod erit tibi ad ſalutem. Ad *Rom.* 10. Ore autem confeſſio fit ad ſalutem. *Prouerb.* 28. Quia ea confeſſus fuerit, illi , inquam, qui eſt *Salutare* , &c. non mutatur hæc oratio.

Ad meipſum. Hîc ſecundum , in quo ſubiungit remedium contra turbationem rationis. Et primo tangitur rationis turbatio. Secundo ipſius turbationis remedium , ibi, *Propterea memor ero.* Tertio turbationis talis , ibi , *Quare oblitus es mei.*

Dicit ergo ſic : Turbata ſenſualitas turbat me , & non eſt hæc turbatio ab exttinſeco tantum , imò *ad meipſum* eſt , de meipſo , vel *à meipſo* , ſecundum litteram *Caſſiodor.* Non enim poteſt eſſe quod anima *ad ſeipſam* redeat, quin inueniat turbationem. *Auguſt.* Vis vt non turbetur anima ? non remaneat in ſeipſa : ſed dic : Ad te Domine leuaui animam meam. *Cant.* 6. Anima mea conturbauit me. Quippe ad *Galat.* 5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum , & ſpiritus aduerſus carnem. Propter hoc dicitur *Oſeæ* 13. Perditio tua ex te Iſrael , eſt, ſupple, tantum ex me auxilium tuum.

Propterea memor ero. Hîc ſubiungitur turbationis remedium , & hoc duplex : Dei recordatio , & ſecreta oratio. *Apud me oratio.* In prima duo. Primò tangit recordationem quam habet de Deo. Secundo recordationis multipliciter rationem , ibi , *De terra Iordanis.*

Dicit ergo : Sic turbor à meipſo : propterea in remedium huius turbationis , *memor ero tui*, cuius memoria generat delectationem. *Pſal.* Memor fui Dei , & delectatus ſum. Propter hoc *Iſa.* 21. dicitur : memoriale tuum in deſiderio animæ. Et *Oſeæ vlt.* Memoriale eius ſicut vinum Libani.

Recordatio Dei ex multiplici capite.

De terra Iordanis. Hîc tangitur huius memoriæ multiplex ratio. Prima eſt beneficiorum multiplicatio. Secunda , concors ſcripturarum conuocatio. *Abyſſus abyſſum.* Tertia , pœnalitatis breuis duratio. *Omnia excelſa tua.* Quarta , vniuerſalis inſtructio , ibi , *In die mandauit.* In prima tanguntur quatuor beneficia combinata. Primò aptitudo ad fructificandum , & renouatio per baptiſmum. Secundum efficit primum. Secundò abrenuntiatio ipſi diabolo , & ſibi & bonorum operum humilis perfectio. *Et Hermoniim.*

Primò à beneficiis diuinis.

Dicit ergo : *Sic memor ero tui* , recolens *de terra Iordanis.* Iordanis eſt fluuius in quo Chriſtus fuit baptizatus. *Matth.* 3. & *Luc.* In quo ſignificatur ſpiritualis renouatio. In terra autem quæ eſt iuxta Iordanem , vbi fertilitas , aptitudo ad fructificandum. *Mar.* 13. *Luc.* 8. Semen cecidit in terram bonam , & fructum attulit in patientia.

Hermoniim. Et hoc *à monte modico.* Hic mons eſt mons modicus iuxta Iordanem, & interpretatur , anathematizatio. Quaſi diceret : Memor ero tui de terra anathematizationis , hoc eſt , quia datum eſt mihi diabolum anathematizare , & tanquam anathema ſeparare à me. Et meipſum montem dico modicum , quia ſum mons per vitæ altitudinem , modicus tamen per humilitatem. Ecce ſeparatio à diabolo , & humilis profectio , quemadmodum in Paulo , qui erat mons tangens vſque ad tertium cœlum. 2. ad *Corinth.* 12. Et tamen modicum ſe exhibebat per humilitatem. 1. ad *Corinth.* 15. Qui ſum minimus Apoſtolorum, & non ſum dignus vocari Apoſtolus, quia perſequutus ſum Eccleſiam Dei.

8. *Abyſſus abyſſum inuocat.* Hîc ſecunda ratio , ſcilicet ſcripturarum concors inuocatio. Legitur enim tripliciter : quia abyſſus poteſt ſignificare ſcripturam ſecundum diuiſionem dictam , aut humanam naturam , aut iudicis Chriſti ſententiam. Dicit ergo : Dixi , quòd ero memor tui , & hoc debeo , quia *abyſſus*, id eſt , Teſtamentum vetus , *inuocat abyſſum* , ad hoc vt tui memor ſim , id eſt , nouum , quod eſt *in voce catharactarum tuarum*, id eſt, Apoſtolorum : catharactæ enim ſunt oſtia fluuiorum, hoc eſt , vnde fluuij oriuntur. Sic de ore Apoſtolorum. *Prouerb.* 18. Aqua profunda , verba ex ore viri.

Abyſſus abyſſum inuocat , Vetus Teſtamentum Nouum.

Secundo

Secundo modo ſic: Debeo eſſe memor tui: quia ad hoc homo hominé inuocat, & inuitat, ſicut Paulus, qui homo fuit, Salomon & alij. *Apocalypſ. vlt.* Qui audit, dicat, Veni. Homo autem vocans, & homo vocatus abyſſus dicitur, quia vterque cognoſcit cor alterius tantæ profunditatis. *Ierem.* 17. Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? 1. ad *Corinth.* 2. Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt? Sed nunquid cum homo hominem ſic inuocat ad tui memoriam, hoc facit propria virtute? Imo hoc fit *in voce catharactarum tuarum*, id eſt, in Spiritus ſancti inſpiratione interna, quæ generat in eis flumina, & oſtia diuerſarum gratiarum. *Matth.* 10. Non enim vos eſtis qui loquimini, &c.

Tertio modo ſic: Anima mea turbata, ad meipſum reuerſa eſt. Nec mirum: quia *abyſſus* ſententiæ iudicialis in Adam prolatæ, *inuocat*, id eſt, nobis aperte indicat *abyſſum*, iudicium ſcilicet & ſententiam de nobis. Ad *Roman.* 11. O altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incõprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! Propter hoc dicitur in *Pſal.* Iudicia tua abyſſus multa. *In voce catharactarum tuarum*, id eſt, prædicatione Apoſtolorum, & ſanctorum. Et expone vt priùs.

Omnia excelſa. Hìc tertia ratio, pœnalitatum breuis duratio, & legitur dupliciter verſus iſte, quia tranſierunt poteſt ſignificare tribulationum præteritionem, vel earundem præſentiam. Primo modo legitur ſic: Ideò etiam memor ero *tui*, quia *omnia excelſa tua*, id eſt, magnæ tribulationes, & excelſæ vſque ad collum pertingentes, de quibus *Iſa.* 30. Spiritus eius velut torrens inundans, vſque ad collum veniet ad perdendas gentes. *Et fluctus tui*, id eſt, minores tribulationes. Alibi in *Pſal.* de his fluctibus: Et omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me. *Tranſierunt*, non manſerunt *ſuper me*. *Pſal.* Tranſiuimus per ignem, maiorum tribulationum, & aquam, minorum. Ideò dicitur *Eccleſ.* 1. Vſque ad tempus ſuſtinebit patiens, & poſtea redditio iocunditatis. *Tob.* 4. Poſt tempeſtatem tranquillum facis.

Alio modo ſic: Bene dico: Memor ero tui, quia *omnia excelſa tua & fluctus tui*, ſicut prius, *tranſierunt*, id eſt, venerunt, *ſuper me*, ad me erudiendum & conuertendum ad te. *Iſa.* 28. Vexatio dabit intellectum auditui. Litera *Auguſt.* habet: *Omnes ſuſpenſiones tuæ*, id eſt, omnia quæ minaris, quæ adhuc ſunt in ſuſpenſo, *ſic per me*, id eſt, ſuper mentem meam *tranſierunt*. Vocat autem tribulationes aquas, quia ſunt ſordium purgatiuæ, id eſt, carnalium peccatorum. *Eccleſ.* 11. Malitia vnius horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ. Et ſpiritualium etiam, quod plus eſt, ſicut acediæ. *Oſeæ* 6. In tribulatione ſua mane reſurgent ad me. Et impatientiæ. Ad *Roman.* 5. Tribulatio patientiam operatur. 4. *Reg.* 5. Vade, & lauare ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatem caro tua, & mundaberis, in anima. Item extinguit ſicut aqua. *Eccleſiaſt.* 3. Ignem ardentem extinguit aqua: ſic tribulatio illum ignem de quo *Eccleſ.* 9. Concupiſcentia quaſi ignis exardeſcet. Item quia tribulatio hominem ſibi oſtendit: eſt enim ſpeculum. *Seneca in lib. de natural. quæſt.* Singula ſtillicidia ſingula ſpecula ſunt: per tribulationem enim ſibi homo innoteſcit. *Eccleſ.* 33. Qui non tentatur, qualia ſcit? *Seneca ad Lucil.* Nunquam ſui dare certam fiduciam oportet, niſi quibus multæ difficultates apparuerunt. *Pſal.* Arguam te, tribulando, & ſtatuam te contra faciem tuam: vt videas per hoc & cognoſcas te. Item quæ in ſe manent magis videri facit. *Seneca in lib. de natural. quæſt.* Omnia per aquam videntibus longè ſunt maiora. Sic ſuſtinentes tribulationes patienter, magis procul à Deo iudicantur. *Seneca ad Lucil.* Neceſſariò magnus apparuit, qui nunquam in malis ingemuit. *Geneſ.* 41. Poſt multas miſerias dicit Ioſeph: Creſcere me fecit Deus in terra paupertatis meæ. Item pertranſiens & currens dulcis eſt, manens amareſcit. Sic tribulatio tranſitoria Sanctis dulceſcit. 2. ad *Corinth.* 7. Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione mea: ſed ſtans in infimo multum amareſcit ei, vt dicat: Ecce in pace amaritudo mea amariſſima. *Iſa.* 38.

Tribulatio aquæ cõparatur, quia purgat ſordes vitiorũ, & aliis de cauſis.

In die mandauit. Hìc quartum, in quo ſubiungitur quartum beneficium, ſcilicet naturalis inſtructio. Et primò in proſperis. Secundò in aduerſis. *Et nocte.* Dicit ergo: Memor ero. Quippe quia *mandauit Dominus miſericordiam ſuam*, nos patienter tolerare, *in die*, hoc eſt, in proſperitate, hoc eſt, effectum miſericordiæ ſuæ, ſcilicet aduerſitatem. *Pſal.* Deus tu propitius fuiſti, & vlciſcens in omnes adinuentiones eorum. Ad *Hebræ.* 12. Quem diligit Deus, affligit, & flagellat omnem filium quem recipit. Et mandauit, repete: *Canticum eius*, quod in eo exultetur nocte aduerſitatis, hoc mandauit per Iacobum 1. Omne gaudium exiſtimate fratres, cum in diuerſas tentationes incideritis: Vel ſic: Multa flagella ſuper me venerunt, ſed *in die*, proſperitatis, *mandauit Dominus*, id eſt, docuit, *miſericordiam ſuam*: quia miſericors eſt, & in tribulationibus liberat. *Et nocte*, aduerſitatis, *declarauit*. Eſt alia litera, id eſt, apertè oſtendit quod ita eſt, quia liberat. *Caſſiod.* Lex eius in ſpatio tranquillitatis ebibitur: tunc enim vacat diſcere, quando non eſt quod debeat impedire. *Et nocte*, declarat apertè, quod ita eſt: tunc enim veraciter ſentitur miſericordia, cum fuerit abundans miſeria. *Eccleſiaſt.* 35. Pretioſa miſericordia in tempore tribulationis, ſicut nubes pluuiæ in tempore ſiccitatis.

Hìc nota, quòd cum ad duo teneamur, ad diligendum Deum & proximum. *Matth.* 22. Diliges, &c. docet expendere diem in proximi charitate, noctem in Dei dilectione.

In die mandauit miſericordiam ſuam, vt ſcilicet miſericordiam exhibeamus proximis: tunc enim videntur miſeriæ. *Pſal.* Tota die miſeretur & commodat. *Et nocte canticum eius. Iob* 35. Qui dedit carmina in nocte. *Matth.* 6. Ora patrem tuum in abſcondito. Et eſt notandum, quòd vtilitatem proximi præponit, ſicut *Matth.* 6. de oblatione: Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris. *Chryſoſt.* O Dei bonitatem! O Dei ſuperabundantiam philanthropiæ! honorem qui ad ſeipſum eſt, contemnit, pro illo qui ad proximum.

Id eſt, benignitatis, ac amoris impenſioris in homines.

Apud me oratio. Hìc ſubiungitur de ſecundo

remedio, ſcilicet de ſecretiori oratione, vbi primò tangitur orationis ſecretum. Secundò fiducia ad impetrandum. *Dicam Deo.* Dicit ergo: Sic memor ſum nec tantum, imo *apud me* in his tribulationibus eſt *oratio*, non in publico. *Matth.6.* Tu autem cum oraueris, claude oſtium ſuper te, & ora patrem tuum. Item *apud me*, quia iam non offero quod eſt extra me, ſcilicet vitulos & arietes, ſed ipſum ſpiritum. *Daniel.3.* In animo contrito, & ſpiritu humilitatis ſuſcipiamur hodie à te, ſicut in millibus vitulorum, & agnorum, &c. Quæ oratio fit *Deo vitæ meæ*, id eſt, qui dat mihi vitam naturæ & & gratiæ in præſenti, & tandem gloriæ in futuro. 2. *Machab.7.* Nec enim ego ſpiritum & animam dedi vobis, & vitam: & ſingulorum membra non ego ſola compegi, ſed mundi creator, &c. *Et dicam* ipſi *Deo* in oratione illa cum magna confidentia: *Suſceptor meus es*, id eſt, meæ orationis. Vel, *ſuſceptor meus* iam in baptiſmo me ſuſcepiſti. *Pſal.* Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti, & confirmaſti, &c. In hoc docet te, quòd oratio tua debet eſſe apud te, non apud alios, vt propter orationem quæras eis placere: qui enim hoc facit, attendere debet cui loquitur, quantam dulcedinem ſibi ſubtrahit, quam vtilitatem prodit. De primo, qui loquitur cum Deo, cum ſummo principum loquitur. *Apocal.* 20. Habet in veſtimento & in femore ſcriptum: Rex regum, & Dominus dominantium. De ſecundo: eo enim quod verbis aurem non apponit, dulcedinem orationis perdit. *Auguſt.lib. Confeſſ.9.* Influebant voces illæ auribus meis & eliquabatur veritas in cor meum, & æſtuabat mihi affectus pietatis, & fluebant lachrymæ, & bene mihi erat cum eis. De tertio, quia ſicut homo corpus cibo, ſic animam oratione reficit. *Prou.13.* De fructu oris ſui homo ſatiabitur bonis. Sicut enim cibus tantum manens in ore, non reficit carnem, ſic nec oratio in ore manens, animam. 1.ad *Corinth.14.* Si orem lingua, ſpiritus meus, flatus ſcilicet, tantum orat, mens autem mea ſine fructu eſt. Et poteſt dicere talis: Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? *Eccleſ.2.*

Simile notandum.

Oblitus es. Hîc eſt tertium, in quo tangitur cauſa, & ratio quare ſic turbat ſe ratio: & dicuntur duo. Primò multiplicem turbationis rationem aſſignat. Secundò conſolationem iterat, ibi, *Quare triſtis es?* In prima quatuor, ſecundum quatuor cauſas quas aſſignat. Prima eſt patriæ cœleſtis dilatio. Secundò propria afflictio, ibi, *Contriſtatus incedo.* Tertiò fortium Eccleſiæ deiectio. *Dum confringuntur.* Sed quarto eſt deiicientium exprobratio. *Exprobrauerunt mihi.* Dicit ergo: Ex quo me Domine tam familiariter diligis, & ſuſcipis, *quare oblitus es mei*, dum non liberas me à malis? *Pſal.* Quare faciem tuam auertis, obliuiſceris inopiæ noſtræ? Sed re vera non obliuiſcitur, quamuis videatur. *Iſa.* 49. Et dixit Sion, Dominus oblitus eſt mei. Et dixit: Si poteſt mulier obliuiſci infantem ſuum, vt non miſereatur filij vteri ſui, etſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui.

Quadruplex pia animæ dolor.

Et quare contriſtatus incedo. Secundum carnem quæ difficultates abhorret. *Matth.26.* Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. *Incedo* autem de vna tribulatione in aliam. *Pſal.* Multæ tribulationes iuſtorum. *Dum*, id eſt, quia tentando *affligit me inimicus*, id eſt, diabolus. 1. *Pet.5.* Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens, &c.

Et nota, quòd bene ſe arguit, quia in tribulationibus contriſtatur: omnis enim tribulatio in præſenti leuis eſt. Nonne leue eſt onus quod ſurſum leuat? Sed ſic eſt de tribulatione. *Geneſ.7.* Multiplicatæ ſunt aquæ, & eleuauerunt arcam in ſublime. Item leue eſt onus quod portantem non fatigat, ſed roborat: ſic tribulatio ſancto homini. 1.ad *Corinth.12.* Virtus in infirmitate perficitur. Et infra: Cum infirmor, tunc potens ſum. Item non tantum ſubleuat, vel non onerat, ſed ſtimulat vt feſtinemus ad Deum. *Gregor.* Mala quæ nos hîc premunt, ad Deum ire nos compellunt. Item non tantum ſtimulat, ſed æterna bona quaſi ex debito præſtat. 1.ad *Corinth.4.* Hoc momentaneum & leue tribulationis noſtræ ſupra modum, æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.

Huius vitæ afflictiones leues dicuntur multis nominibus.

Dum confringuntur. Hîc tertia ratio, ſcilicet fortium Eccleſiæ deiectio. Quaſi diceret: Contriſtor his rationibus duabus quas præmiſi, & etiam dum *confringuntur oſſa mea*, fortes Eccleſiæ, qui me & alios deberent ſuſtentare, tribulationibus & ſcandalis cedunt, & ab illis ſe abſcondunt. Oſſa enim Prælati Eccleſiæ ſunt. Vnde de primitiuis dicitur *Thren.2.* De excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudiuit me. Sed oſſa noſtra triplici modo nunc redduntur inutilia, ſicut naturalia diſlocantur, corrumpuntur, & franguntur. Diſlocatio eſt egreſſio de loco ſuo, qui debetur ei per naturam. Oſſa ergo diſlocata ſunt, Prælati de locis ſuis, vbi debent eſſe, egreſſi. *Prouerb.7.* Non eſt vir in domo ſua, abiit via longiſſima. Corrumpuntur oſſa, & tunc caro molleſcit, & propinqua eſt fœtori. Caro adhærens oſſi, ſunt conſanguinei & nepotes, qui adhærent Prælato. Prælati ergo corrumpuntur, vt efficiantur peccatores, ſicut homines alij. *Iſa.24.* Sicut populus, ſic ſacerdos. Et ſignum eſt mollities veſtimentorum parentum, & familiæ ipſis adhærentis. *Matth.11.* Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt. Quid mirum? *Eccleſ.10.* Secundum iudicem populi, ſic & miniſter eius. Item franguntur. Oſſa enim ſicca facile franguntur, & ipſi ſicci ſunt igne concupiſcentiæ deſiccati. *Ierem.6.* A minore vſque ad maiorem omnes auaritiæ ſtudent. Et ob hoc citò franguntur. Nihil continuitatis in illis. In habitu ſunt laici, in cibis epicurei, in verbis mimi, ſolo nomine clerici & prælati. *Iob* 30. Oſſa mea aruerunt præ caumate. Et ſic ſtatim franguntur ad ictum linguæ. *Eccleſ.* 22. Plaga linguæ comminuit oſſa. Et ex hoc ſequitur quartum.

Caſus bonorum affligit, qui benè oſſibus emotis, corruptis, & fractis comparatur.

Exprobrauerunt mihi qui tribulant me inimici mei. Thren.2. Sibilauerunt, & mouerunt capita ſua ſuper filiam Ieruſalem, ſcilicet Eccleſiam. Hæccine eſt vrbs perfecti decoris, gaudium vniuerſæ terræ? Inimici ergo irrident, & imperfecti deſperant, cum fortes vident ſuccumbere.

Dum dicunt mihi per ſingulos dies. Hîc ſecundum, in quo determinat irriſionis modum &

irriſio

irrisionem. Modum, quia continuè. *Per singulos dies.* Irrisionem. *Vbi est?* Sic irrident & exprobrant inimici. *Dum dicunt mihi per singulos,* quasi incessanter. *Eccles.*24. Homo assuetus in verbis improperij, omnibus diebus suis non erudietur. Quia *Iacob.* 3. Linguam nemo hominum domare potest, maximè ad mala assuetam. Dicunt ergo improperando: *Vbi est Deus tuus?* Cum scilicet confringuntur ossa. Aut non est, aut non curat. Posset respondere, Vbi est? in bene loquentibus. 1. ad *Corinth.*13. An experimentum quæritis eius, qui loquitur in me Christus? *Matth.* 10. Non enim vos estis loquimini, sed spiritus, &c. Item in bona facientibus, & miracula. *Ioan.* 3. Nemo potest facere hæc signa quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Item in tribulatione pro ipso sustinentibus patienter. *Psal.* Deus in medio eius, non commouebitur.

12. *Quare tristis es?* Hîc est iteratum remedium super tristitia & turbatione: & sicut prius. Primò sensualitatis increpatio. Secundò ipsius rationis consolatio. *Spera in Deo.* Et primò increpat de proprio dolore. Secundò de sui conturbatione. Dicit ergo: Sic illi te irrident, sed, ô anima mea, *quare tristis es* propter ista mala, & quare conturbas me propter dilata bona? Sed quare sic ista iteratio? Nonne superfluit? Non. *Cassiodor.* In his literis, nihil superfluum, nihil constat esse confusum. Sed frequentia tribulationum exigit frequentiam consolationum. *Psal.* Secundum multitudinem dolorum meorum, &c. Tristitiam ergo expelle quia te vulnerat. *Eccles.* 25. Omnis plaga tristitia cordis est. Cor rodit. *Prouerb.*25. Sicut tinea vestimentum, sic tristitia viri nocet cordi. *Prouerb.* 17. Spiritus tristis deseccat ossa. Vt nullum habeat deuotionis humorem. Ad bellum spirituale hominem ineptum reddit. *Deuter.*20. Qui formidolosus est, & corde pauido, reuertatur in domum suam. Et tandem interficit, & spiritualiter, & corporaliter. *Eccles.*30. Tristitiam longè repelle à te: multos enim occidit tristitia. Sustine ergo ne tristeris in malis præsentibus, quia *Iacob.* 5. dicitur: Ecce agricola patienter expectat pretiosum fructum terra.

Spera in Deo. Hîc consolatur inuitando ad spem, & subiungendo causam. *Quoniam adhuc.* Et spei materiam. *Salutare.* Ait enim: Sic tristitiam pellas, nec conturbes te: imò *spera in Deo* audacter, & innitaris super eum. *Isa.* 5. Quis ex vobis timens Deum? speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum. Et potes securè: *Quoniam adhuc confitebor illi,* confessione laudis in patria. *Psal.* Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Vel confessione peccati, de qua *Iudic.* 7. Fili, confitere peccatum tuum, & da gloriam Deo. Et *Iacob. vlt.* Confitemini alterutrum peccata vestra. Et bene potes sperare, cum sis in tribulatione & tristitia, quia *Tob.* 3. Hoc autem pro certo habet omnis qui colit te, quia si vita eius in probatione fuerit, coronabitur. Et hoc spera, quoniam ipse erit *salutare vultus mei*, hoc est, vitæ meæ, tanquam verus homo, & *Deus* nihilominus *meus*, propter diuinitatem, saluator propter humanitatem. Vel eodem modo lectum posset esse materia laudis: Confitebor, & hoc confitebor, quoniam ipse est *salutare vultus mei, & Deus meus.*

IN XLII. PSALMVM.

In finem, Psalmus Dauid.

IVdica me Deus. Hic est Psalmus quadragesimus secundus. Cum enim in præcedenti Psalmo inuitata est anima ad lætam charitatem, & epulsionem tristitiæ, super quod est redarguta, sciens hanc tristitiæ causam malorum cohabitationem, nec ad perfectam charitatem & ad spiritualem lætitiam se posse peruenire, quandiu est in malorum consortio, petit in hoc Psalmo ipsorum segregationem: quod quia non fiet nisi in iudicio generali, petit ex confidentia in Deum. 1.

Argumentum Psalmi, petit Propheta Dei iudicium, vt à malis separetur.

Præponitur autem titulus iste: *In finem Psalmus Dauid.* Et hîc appellatur Dauid tota Ecclesia, quæ gemendo quærit venire ad finem suum, separatis zizaniis: vnde sensus est: Hic Psalmus est *Dauid*, id est, Ecclesiæ ordinatæ, *in finem*, quem appetit, & cui tandem coniungi petit.

Diuiditur autem Psalmus in duas partes. In prima contra pressuras, quas sustinet, orat. In secunda consolando se prophetat de futuris bonis, ibi, *Et introibo ad altare Dei.* In prima duo. Primò petit iudicium. Secundò iudicis aduentum præponens quod magis desiderat in oratione, nec sequens ordinem qui erit in re, ibi, *Emitte lucem tuam.* In prima duo. Primò orationem præmittit in ore suo, Secundò persuasionem subiungit, ibi, *Quoniam tu es Deus fortitudo.* In prima duo: volens enim separari à malis, orat primò vt separetur merito, secundò vt loco: sciens, quòd non posset obtinere secundum sine primo, ibi, *Ab homine iniquo.*

Primum autem dupliciter legitur, quia hoc quod habet, *iudica*, potest ad futurum referri: & quod additur, *& discerne*, ad præsens: vel totum ad futurum. Videns enim Ecclesia totum permixtum, iustos cum iniustis, bonos cum malis, & cuncta eis euenire communia, mori, nasci, prospera, & aduersa, salutem, pestem, bellum, pacem: recolens illud *Eccles.* 9. Vniuersa eueniunt æque iusto & iniusto, & mundo, & immundo, clamans dicit: O Deus, *iudica me*, in futuro. Sed quod est quod dicit ad *Hebr.*10. Terribilis quædam iudicij expectatio? Responsio est, quòd est iudicium districtæ discussionis. Hoc non petit, sed magis dicit illud in alio *Psal.* Non intres in iudicium cum seruo tuo, Domine. Et est iudicium discretionis, & separationis. Illud petit. Quasi diceret: O Domine, à malis separa me in futuro, & interim in præsenti, *discerne causam meam*, scilicet merita mea, quæ erunt vitæ meæ, vel mortis causa. *De gente non sancta*, hoc est, à meritis gentis non sanctæ, quod bene facit Deus. *Ezech.* 34. Ecce ego iudico inter pecus & pecus, & arietem & hircum.

Vel sic totum in futurum referendo: O Deus *iudica me*, nõ in furore tuo peccata discutiendo, & merita: quia *Iob* 25. Stellæ non sunt mundæ in conspectu eius, & in Angelis suis reperit prauita

prauitatem, quanto magis homo animal putre, & filius hominis vermis? Sed merita aliam dando quam habeant mali. Vel merita mea, quibus differo à malis, *discerne*. Quasi diceret: Non ponderes illa nisi in relatione ad malos.

Et exponit se. *Et discerne causam meam*, merita quibus differo, *de gente non sancta*, me separantia. *Ab homine iniquo* qui peccat in iis quæ sunt ad Deum, *& doloso*, contra proximum, *erue me*, separando loco etiam hîc in præsenti, ne corrumpar ab eo. 1. ad *Corinth.* 15. Corrumpunt bonos mores colloquia praua. *Eccles.* 13. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. *Erue me*, etiam in futuro ad dexteram ponendo cum agnis. *Matth.* 25. Congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos, & statuet agnos quidem à dextris, &c.

Cur appellat ad Christum Iudicem supremum.

Nota quod iste videns sic frequenter perpetrari peccata, videtur appellare ad summum Pontificem Deum. Ad *Hebr.* 9. Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, &c. Et assignat triplicem causam appellationis. Prima est falsitas testium. *De gente non sancta.* Dicitur autem *gens*, quia sonat multitudinem, quia vnus non sufficeret. *Deuter.* 19. Non stabit vnus contra aliquem, & quando falsi sunt, *gens non sancta*, in Deum impij, contra quem peccant, secundum illud *Exod.* 20. Non accipies nomen Dei tui in vanum. Et in se flagitiosi. *Sap.* 1. Os quod mentitur, occidit animam. Et proximo iniurioſi. *Exod.* 20. Non dicis contra proximum tuum falsum testimonium. *Prouerb.* 25. Iaculum & gladius, & sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium. Secunda causa est peruersitas iudicis. *Ab homine iniquo.* Iniquus enim est, qui æquus non est. Iudex iniquus, qui personas accipit, contra illud *Deuter.* 1. Siue ciuis sit ille, siue peregrinus, nulla erit distantia personarum: æquè pauperem sicut diuitem iudicabitis. Iudicium enim Domini est. Tertia causa est dolositas aduocatorum. Dicuntur dolosi Aduocati, quia dolo pleni: habent enim dolum in corde. *Prou.* 12. Dolus in corde cogitantium mala. Dolos in ore, quando leges falsas allegant, vel truncatas. *Psal.* Verba oris eius iniquitas & dolus. Dolos in opere, quando falsa sigilla ponunt, vel sine consensu iudicis sigillant. *Ierem.* 6. Cuncti faciunt dolum à maiore vsque ad minorem.

2. *Quia tu es Deus fortitudo mea.* Hîc subiungitur persuasio à duobus, à confidentia quam habet in Deum primò. Secundò à perpessione tristium. Dicit ergo: Ita Domine erue, & debes, *quia tu es Deus fortitudo mea*, & non alius. *Psal.* Dominus fortitudo plebis suæ. Non arrogat sibi fortitudinem sicut Rex Assur. *Isa.* 10. In fortitudine manus meæ ego feci. *Ierem.* 9. Non glorietur fortis in fortitudine sua.

Quare me repulisti? à vita æterna. Hîc à perpessione tristium. Primò à dilatione patriæ, secundò ab incolatu huius miseriæ. *Et quare tristis?* Dicit ergo: Ex quo in te confido, *quare me repulisti?* à vita æterna, tantum differendo. *Cassiodor.* Mos desiderantium est, ab illa in se putare depulsos, ad quam venire velociter non sinuntur. *Psal.* Tu vero repulisti, & despexisti nos. Et etiam, *quare tristis incedo*, per hanc miseriam. *Dum*, id est, quia, *affligit me inimicus*, quotidianis miseriis & afflictionibus. *August.* Inimicus affligit quotidianas tentationes immittens, vel quòd malè amemus, vel quòd malè timeamus: vt posset Dominus respondere propter peccata tua. *Isa.* 57. Secundum aliam literam: Propter peccata modicum quid contristaui eum. Et *Prouerb.* 14. Miseros facit populos peccatum. Propter hanc quotidianam pugnam dicitur *Iob* 7. Militia est vita hominis super terram.

Emitte lucem tuam. Hîc est secunda pars totius Psalmi, in qua petit iudicis aduentum. In prima oratio. Secundò persuasio vt orationi consentiat. *Ipsa me deduxerunt.* Dicit ergo: Sic tristis incedo, sic me inimicus affligit. Vt ergo excludatur, *Emitte lucem tuam*, quæ de seipsa dicit. *Ioan.* 8. Ego sum lux mundi. & in primo, Erat lux vera quæ illuminat hominem venientem in hunc mundum. *Et veritatem tuam*, quæ de seipsa dicit, *Ioan.* 14. Ego sum via, veritas, & vita. Lux, quia irradiabat mundo exterioribus miraculorum & virtutum operibus. Veritas, quia instruebat interius. Lux, quæ omnibus corporibus melior est secundum *August.* quantum ad humanitatem: veritas, quantum ad diuinitatem: hanc enim Deus emisit in primo aduentu sicut petebat Salomon. *Prouerb.* 9. Emitte eam à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret. *Ioan.* 16. Exiui à Patre, & veni in mundum. *Bernard.* Venit Saluator ad perditos, lux ad cæcos, veritas ad deceptos, redemptor ad venditos, medicus ad ægrotos, ad errantes via, ad mortuos vita. 3.

Emitte, ista in iudicio, *lucem*, vt illuminet abscondita. 1. ad *Corinth.* 4. Veniet Dominus qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. *Et veritatem tuam*, vt reddat declarata veritate secundum merita. *Daniel.* 7. Sedit iudicium, & libri aperti sunt, & iudicati sunt secundum ea quæ scripta sunt in libris.

Ipsa me deduxerunt. Hîc persuasio & persuader à duobus. A separatione à malis primò. Secundò ab aggregatione cum bonis. *Et adduxerunt.* Ait enim: Sic emitte ad iudicandum, & hoc debes, quoniam *ipsa me deduxerunt*, à peccato. *Sap.* 10. Eduxit illum à delicto suo, & à malorum consortio. *Psal.* Eduxit eum de tenebris, & vmbra mortis. *Et adduxerunt in montem sanctum tuum*, id est, Ecclesiam, & bonorum congregationem, quæ est mons per vitæ altitudinem. *Psal.* Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. *Et in tabernacula tua*, eandem Ecclesiam, quæ tabernaculis comparatur, propter bene viuendi difficultatem, & pugnam cum inimico. *August.* Tabernaculum cum audis, bellum intellige, hostem caue. De duobus in *Psal.* Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Tabernacula autem in plurali dicuntur, propter meritorum difficultatem.

Et introibo ad altare. Hîc secunda pars Psalmi 4.

mi, in qua conſolando ſe prophetat de bonis ſibi futuris: & tanguntur quatuor. Primò æternorum bonorum adeptio in re. Secundò præguſtatio in ſpe. *Ad Deum qui lætificat.* Tertiò gratiarum actio, & exultatio in Deo pro præguſtatione illa, ibi, *Confitebor.* Quartò animæ propriæ conſolatio ex prædictis. *Quare triſtis es?* Dicit ergo: Ita deduxerunt me in montem ſanctum tuum, & in tabernaculum tuum, id eſt, in Eccleſiam militantem. Et vlterius, *introibo ad altare Dei*, Eccleſiam ſcilicet triumphantem. Hoc eſt altare de quo dicitur in canone Miſſæ: Iube hæc perferri in ſublime altare tuum. Et ſpecificans magis de quo altari loquitur, addit: *Ad Deum qui lætificat*, hîc in præſenti, *iuuentutem meam*, me conſolando per ſpem. In quam iuuentutem, à veteſtate priſtina peccati renouat, qui me contriſtabat in peccato veteſtum. *Eccl. vlt.* Lætare iuuenis in adoleſcentia tua, & in bonis ſit cor tuum, in diebus iuuentutis tuæ.

Attendenda Sacerdoti ad altare accedenti.

Hîc apertè inſtruuntur Sacerdotes, vt non accedant ad altare Dei, niſi lætificati ſpiritualiter: non enim decet lugentes ſeruire Domino. *Pſal.* Lætetur cor quærentium Dominum. *Leuit.* 19. Hodie oblata eſt hoſtia pro peccato, quomodo potui eam comedere, vt placerem Domino mente lugubri? Quaſi diceret: Nullo modo. Item debent attendere innouari ſpiritualiter. *Pſal.* Qui replet in bonis deſiderium tuum, dando Euchariſtiam: renouabitur vt aquilæ iuuentus tua, ſi vis eam dignè recipere. Ad *Epheſ.* 4. Deponite vos ſecundum priſtinam conuerſationem veterem hominem: renouamini autem ſpiritu mentis veſtræ. Aquilæ ſenio prægrauante creſcit vncus roſtri ita, quod non poteſt ad cibum os aperire, donec colliſerit roſtrum ad petrã, & ſic renouatur. Ita Sacerdos non aperiat os ad cibum illum, niſi prius ad alium Sacerdotem, qui eſt loco petræ Chriſti, 1. ad *Cor.* 11. Petra autem erat Chriſtus, os colliſerit, id eſt, confeſſionem fecerit. Hoc ſignificatur in depoſitione veſtium communium, & inductione alborum, vel etiam ſericorum. Alioquin dicitur eis *Thren.* 4. Recedite polluti, clamauerunt eis. Propter hoc dicitur in *Pſal.* Sacerdotes tui induantur iuſtitiam, pro hoc membro: & Sancti tui exultent, pro alio.

Simile de aquila notandum.

5. *Confitebor tibi in cithara.* Ecce tertium. Quaſi diceret: Sic introibo ad altare Dei, & interim me renouatum lætificas, & propter hoc, *confitebor tibi*, gratias referendo. Et hoc *in cithara*, ſcilicet in tribulatione ipſa. Pſalterium muſicum inſtrumentum ſonum habet à parte ſuperiori, ab illa enim eſt concauum: vnde confeſſio & gratiarum actio in iucunditate, quæ de ſupernis eſt exhibita, in Pſalterio fit. Sed cithara quæ ab inferiori ſonum reddit, ſignificat gratiarum actionem in ipſis tribulationibus, quæ ab inferiori eſt exhibita. *Confitebor* ergo *in cithara*, quia de ipſa tribulatione gratias agam. Supra in *Pſal.* præcedenti. Et nocte canticum eius. *Thren.* 2. Conſurge, lauda in nocte. Et alibi, In noctibus aduerſitatis, extollite manus veſtras in ſancta. Et *Auguſt.* Si in tribulationibus defeceris, citharam fregiſti.

Et nota, quòd *Auguſt. in Gloſſa* nobis innuit ex quibus noſtra cithara confici debeat, quia ex tribus lignis. Ieiunio tanquam ex ligno concauo, & eleemoſyna tanquam ſupercauum reflexo, & oratione tanquam ſurſum eleuato. Hæc tria oportet nos coniungere, ſi Deo volumus dulciter ſonare. *Auguſt. in Gloſſa*, Ne putes ieiunium & eleemoſynam ſine oratione ſufficere. In hac ergo cithara Deum ſuauiter laudat, qui lætanter ieiunat, & eleemoſynam largitur, & orat. *Tob* 12. Bonum eſt ieiunium cum oratione & eleemoſyna, magis quam theſauros auri condere.

Quibus partibus conſtat cithara ſpiritualis.

Quare triſtis es. Hîc eſt quartum, in quo ſubiungitur animæ conſolatio: & dicuntur tria. Primò increpat eam. Secundò lætificat monendo ad ſpei lætitiam. *Spera in Deo.* Tertiò ſubiungit cauſam ſpei & lætitiæ. *Quoniam adhuc confitebor.* Dicit ergo increpans primò pro proprio dolore: Ex quo ſic, quod introibo ad altare, iuuentus renouatur, confitebor tandem in tribulatione. *Quare triſtis es anima mea*, in teipſa? Et adiungit de ſua perturbatione ab ipſa ſenſualitate: *Et quare conturbas me? Caſſiodor.* Frequenter perſuadet contra triſtitiam ſæculi, quoniam ipſa bonis rebus ſemper aduerſa eſt: per hanc patientiæ robur frangitu, per hanc charitatis lumen extinguitur, per hanc ſpei noſtræ deſiderium molleſcit, & omnis humana vita confunditur. Et ideò dicitur *Eccleſ.* 38. Ne dederis in triſtitia cor tuum, ſed repelle eam à te. 2. ad *Corinth.* 7 Triſtitia ſæculi mortem operatur.

Spera in Deo, quoniam adhuc. Quaſi diceret: Ne triſteris, imò ad conſolationem & lætitiam ſpera in Deo, vt auferas à te triſtitiam. Ad *Rom.* 12. Spe gaudentes, in tribulatione patientes. Et debes, *quoniam confitebor illi.* Et ſi non modo, tamen adhuc, non iam in cithara, ſed *in Pſalterio*, confeſſione laudis, ſcilicet in patria, quando illud implebitur. *Aug. in ciuitate Dei.* Vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus. *Pſal.* Beati qui habitãt in domo tua Domine, &c. Sed quid confitebor? *Quoniam ipſe ſalutare vultus mei*, mihi ſimilis in natura, ſaluans ſalute perfecta. *Eccleſ.* 39 Non eſt minoratio in ſalute illius. *Et Deus meus*, ex creatione potentiſſima, qua me perduxit in eſſe de nihilo. *Malac.* 2. Nunquid non vnus Deus creauit nos? Et poteſt hic notari, quia frequenter repetit de confeſſione, vt innuat, quòd frequenter ſit confitendum. Et hoc verum eſt, quia frequentatio confeſſionis eſt Deo acceptabilis, & decoratio mentis, & confitenti perutilis. De primo *Auguſt. de pœnitentia*, Tantum valent tres ſyllabæ, ſcilicet peccaui: triſyllabum enim eſt, quod in tribus ſyllabis flamma ſacrificij cordis aſcendit, de quo ſacrificio in *Pſal.* Sacrificium Deo ſpirirus contribulatus. *Aug. in libro confeſſio.* Accipe ſacrificium cordis mei de manu linguæ meæ. Item eſt decoratio mentis & iuſtæ & iniuſtæ. *Bernard.* Bonum animæ ornamentum confeſſio, quæ & peccatorem purgat, & iuſtum reddit purgatiorem. Et iterum: Ama confeſſionem ſi affectas decorem. *Pſal.* Confeſſionem & decorem induiſti. Et iterum: Confeſſio & pulc hritudo

Confeſſionis fructus.

pulchritudo in conſpectu eius. Ideò dicitur taliter confitenti *Cant.* 2. Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis. Item confitenti perutilis. *Bernard.* Abſque confeſſione iuſtus ingratus iudicatur, & peccator mortuus reputatur. Confeſſio peccatoris eſt vita, & iuſti gloria. *Iſa.* 23. Frequenta canticum, confeſſionis peccati mente obliti, vt memoria tui ſit.

IN XLIII. PSALMVM.

1. *In finem filiis Core ad intellectum.*

2. *Deus auribus noſtris.* Hic eſt Pſalmus quadrageſimus tertius, in quo poſtquam in præcedenti egit de charitate quæ inflammat ad cœleſtia appetenda, & inter huius mundi tempeſtates ad conſolationem præſtat, ſubiungit de principali effectu charitatis, ſcilicet de martyrio, in quo non ſolum homo toti mundo, ſed ipſi vitæ propriæ propter charitatem abrenuntiat. Vnde propriè agitur de iuſtis afflictis & occiſis in Nouo Teſtamento, vt per hoc inuitemur & nos, ad plenum contemptum mundi, & deſiderium æternorum, ſecundum illud ad *Epheſ.* 3. Quæ ſurſum ſunt quærite, non quæ ſuper terram.

Argumentum Pſalmi, agit de afflictis & de martyribus qui ſunt filij Core, id eſt, Chriſti paſſi in Caluaria.

Et hoc bene exprimit in titulo qui talis eſt: *In finem filiis Core ad intellectum.* Quaſi diceret: hic Pſalmus dirigens nos *in finem*, vnum Deum, conuenit *filiis Core*, Chriſti ſcilicet, quales ſunt martyres, propriè loquendo: filius enim dicitur quaſi ſicut ille: & ipſi Chriſtum in ſua morte ſunt imitati, ſicut canitur de ipſis ad *Epheſ.* 5. Eſtote imitatores Dei pro nobis paſſi, filij chariſſimi. Et hoc *ad intellectum* præſtandũ hominibus, quare ſuos ſic permiſerit in hac miſeria, & in hoc tempore gratiæ tribulari. Cum ergo antiqui ſancti ſub Teſtamento Vereri pro magna parte fuerint proſperati, ſicut Abraham, Iſaac, & Iacob, & Ioſeph, & Dauid, de quibus dicitur in *Pſal.* Non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens, &c. Sed de illis qui fuerũt ſub Nouo dicitur 1. ad *Cor.* 4. Vſque adhuc eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus. Ad hoc intelligendum eſt hic Pſalmus: & ratio eſt: quia illis tanquam rudibus & paruulis temporalis proſperitas eſt conceſſa, vt allicerentur ad credendum & ſeruiendum Deo. *Pſal.* Dedit illis regiones gentium, & labores populorum poſſederunt. Quare? vt cuſtodiant iuſtitiam eius, & legem eius requirant. Illis autem de Nouo, tanquam iam fide confirmatis datur aduerſitas, & aufertur proſperitas, vt his ſublatis corda eorum ſuſpirent ad cœleſtia, & quærant illa. *Auguſtin.* Ideo huic vitæ malæ miſcet amaritudines, vt alia quæ ſalubris & dulcis eſt, requiratur.

Differentia iuſtorũ Veteris & Noui Teſtamenti

Pſalmus autem poteſt diuidi in quatuor partes. Cum enim in hoc Pſalmo, ſicut tactum eſt, ſit vox afflictorum in Nouo Teſtamento, quia contraria contra ſe poſita magis eluceſcunt, primò commemorat ſanctorum Patrum proſperitatem. Secundò conceptam ex illa in Sanctis nouis ſpem, ibi, *Tu es ipſe Rex.* Tertiò multiplicem contra ſpem illam Eccleſiæ tribulationem, ibi, *Nunc autem repulisti.* Quartò ſic afflictus confugit ad orationem, ibi, *Exurge, quare obdormis.* Vel ibi, *Quoniam propter te mortificamur tota die.* Et ne videamur ignorata loqui ſine auctore, dicuntur tria. Primò quod audiuit. Secundò à quibus, ibi, *Patres noſtri.* Tertiò quod opus, ibi, *Quod operatus es.* Dicit ergo in perſona afflictorum: *O Deus*: ſic ſolent afflicti incipere ſermonem. *Matth.* 27. Deus Deus meus. *Audiuimus auribus noſtris.* Quare dicit hoc? Nunquid poſſemus alienis auribus audiuiſſe? Reſp. Hoc addit vt fides adhibeatur dictis ſuis. Vel oſtenditur, quòd non à lingua mortua, ſed à viua voce audierit, vel vt auditor mirabilium Dei operum inſtruatur de geſtu, vt quando audit, aurem porrigat, non os, vel oſculum ſicut quidam faciunt. *Hugo de Sanct. Victore.* Id agat vnumquodque membrum, ad quod factum eſt, vt nec loquatur manus, nec os audiat. Sunt enim qui niſi buccis patentibus volunt auſcultare. *Iob* 29. Qui me audiebant, expectabant me ſicut pluuiam, & os ſuum aperiabant mihi. Item vt inſtruatur etiam de diligentia audiendi, quia non vna aure audiunt, ſed ambabus. *Hugo de Sanct. Vict.* Aliqui quaſi ambæ aures ad audiendum factæ non ſint, alteram tantum collo diſtorto voci apponunt, vt quaſi per vnam aurem intret, & per aliam exeat. Sed *Iſa.* 32. Non caligabunt oculi videntium, & aures audientium diligenter auſcultabunt. *Prou.* 28. Qui declinat aurem ſuam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Item inſtruuntur vt non deſit dictorum intelligentia. *Auribus noſtris*, non brutalibus, quod quæ audiunt non intelligunt. *Prou.* 24. Fili ingrediatur ad doctrinam cor tuum, & aures tuæ ad verba prudentiæ.

Cur dicit auribus noſtris.

Patres noſtri, qui non citò mentiuntur filiis, & ſunt antiqui, *annuntiauerunt nobis. Iob* 12. In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia. *Eccleſ.* 8. Non te prætereat narratio ſeniorum. *Et noſtri*, qui non dicunt nobis falſa. *Luc.* 7. Si vos cum ſitis mali, noſtris bona data dare filiis veſtris, &c. Propter quod dicitur: Interroga Patrem tuum & annuntiabit. Et in *Pſal.* Quanta mandauit Patribus ea nota facere filiis ſuis.

Opus quod operatus es. Hîc tertium, in quo ſubdit quid: & dicuntur tria. Primò hoc faciendo deſcribit tempus in quo hæc audierunt. Secundo opus Dei quod ei narratum eſt. *Manus tua.* Tertiò modum operandi illa, ibi, *Nec enim in gladio ſuo.* Dicit ergo: Sic audiuimus & à Patribus, & quid? *Opus quod operatus es*, non ipſi, *in diebus eorum.* Nec hoc tantum, imò, *in diebus antiquis*, quæ fuerunt ante eos. Quare non dicit, opera, ſed *opus* in ſingulari? Item cum Deus ſemper operetur *Ioan.* 4. Pater meus vſque modo operatur, & ego operor, quid magnum narrare opera? Reſpon. Non loquitur de operibus Dei communibus, quæ ſunt opera conſeruationis & propagationis, ſed excellentiæ & ſingularis virtutis, quæ ſunt opera miraculoſa. Et propter hoc quaſi antonomaſticè loquitur, & ad notandum ſingularitatem in ſingulari dixit, *opus.* Per hoc & plana eſt reſponſio ad aliud. *Iſa.* 5. Opus Dei non reſpicitis.

Et

Tria genera operum Dei, primum, medium, & vltimum, & quodlibet illorum triplex.

Et nota, quòd eſt opus Dei primum, medium, & nouiſſimum. Primum triplex, creationis, diſtinctionis, ornatus. *Geneſ.*1. Opus medium triplex, præparationis, ſignificationis, & redemptionis. De primo *Ioan.* 5. Pater meus vſque modo operatur, & ego operor. De ſecundo ad *Hebr.*10. Lex vmbra futurorum. De tertio in *Pſal.* Operatus eſt ſalutem in medio terræ. Vltimum, propagationis, innouationis, & glorificationis in corpore. De primo 1. ad *Cor.* 3. Vniuſcuiuſque opus quale fuerit, ignis probabit. De ſecundo *Apocal.*21. Vidi cœlum nouum, & terram nouam. De tertio ad *Phil.*3. Saluatorem expectamus Dominum IESVM CHRISTVM, &c.

3. *Manus tua gentes diſperdidit.* Hîc ſpecificatio aliquorum operum mirabilium: & tanguntur tria. Primò gentium de terra promiſſionis expulſio. Secundò Patrum introductio. *Et plantaſti eos.* Tertiò earundem gentium ad egrediendum coactio. *Afflixiſti eos.* Dicit ergo. Sic narrauerunt quod fuit, quia *manus tua Gentes*, hoc eſt, Gentiles, *diſperdidit*, de terra Chanaan. Manum autem dicit Dei omnipotentiam. *Sap.* 11. Non enim impoſſibilis erat omnipotens manus tua. *Pſal.* Diſperde illos in virtute tua.

Et plantaſti eos, Patres ſcilicet in terra eadem, de qua plantatione ſpiritu prophetico aiebat Moyſes. *Exod.*15. Plantaſti eos in monte hæreditatis tuæ, firmiſſimo habitaculo tuo quod operatus es Domine. Et in *Pſal.* Vineam de Ægypto tranſtuliſti, eieciſti gentes, & plantaſti eam. *Iſa.*5. Vinea Domini Sabaoth, domus Iſraël eſt. Sed nunquid gentes ceſſerunt eis libenter? Non, imò *afflixiſti populos*, Gentilium ſcilicet, ſeptem Gentes quæ ibi habitabant. *Sap* 16. Illos locuſtarum & muſcarum occiderunt morſus, & non eſt inuenta in illis ſanitas. Duodecim miſiſti anteceſſores exercitus tui, veſpas, &c.

Et expuliſti eos, vellent, nollent. *Ioſ.*24. Miſi ante eos crabrones, & eieci eos de locis ſuis: aliqui enim electi, alij magis obſtinati ſunt interfecti.

4. *Non enim in gladio ſuo.* Hîc oſtendit operis Auctorem, & dicuntur tria. Primò oſtendit quis hoc non fecerit. Secundò quis hoc fecerit. *Sed dextera tua.* Tertiò quare hoc fecerit. *Quoniam placuiſti.* Dicit ergo: Sic illis expulſis hos plantaſti, ſed non virtute armorum ſuorum. *Nec enim in gladio ſuo*, id eſt, virtute armorum ſuorum. De hoc parum ante *Pſal.* Non ſaluatur rex per multam virtutem. *Poſſederunt terram*, illam literalem, non ſpiritualem, quæ magis habetur per manſuetudinem. *Matth.*5. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. *Et brachium eorum*, illorum fortitudo ſcilicet, *non ſaluauit eos. Ierem.*9. Non glorietur fortis in fortitudine ſua. *Pſal.* Nec in tibiis viri beneplacitum erit ei. *Amos* 2. Fortis non obtinebit virtutem ſuam. Senſus ergo eſt, quòd nec virtute ab aliquo mutuata, nec naturaliter propria acquiſierunt iſtum terram. Et verum eſt. *Ioſ.*21. Dominus Deus eorum dedit eis terram, & poſſederunt eam.

Sed dextera tua. Hîc ſecundum, in quo ſubiungit quis hoc fecerit. Ait enim ſic: Hi hoc non fecerunt, *ſed dextera tua, & brachium tuum*, coniunctim legatur, id eſt, dextrum brachium tuum. *Iudith* 5. Deus eorum pugnauit pro eis. Dextrum autem brachium appellari poteſt filius, de quo *Sap.* 5. Dextera tua reget eos, & brachio ſuo. *Pſal.* Dextera manus tua confregit inimicum.

Et illuminatio vultus tui, ſcilicet ſapientia tua, ipſe ſcilicet qui virtus eſt. 1. ad *Cor.*1. Prædicamus Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam. *Iſa.*45. Non eſt Deus iuſtus, & ſaluans præter me. *Luc.* 1. Fecit potentiam in brachio ſuo, ecce potentia: diſperſit ſuperbos, &c. Hoc refertur ad ſapientiam. Sed quid hoc? Nunquid eorum meritis? Non, ſed *quoniam complacuiſti in eis*, non aliis, qui hoc viderunt. *In eis*, id eſt, in his, & propter ea quæ feciſti eis. Aliquando enim Deus placet aliis propter bona, quæ confert ſuis. *Exod.*18. Lætatus eſt Ietro ſuper omnibus quæ fecerat Dominus Iſraël, &c. Vel ſecundum literam *Caſſiod. Quoniam complacuiſti tibi in illis*, vt illum populum de toto mundo eligeres, vt inde Saluatorem emitteres. *Deut.*7. Elegit te Dominus Deus tuus vt ſis ei populus peculiaris ex omnibus populis. Vel ſic: Sed *dextera tua*, id eſt, proſper ſucceſſus tuus. Et reſpicit ad Dei bonitatem. *Iob* 14. Operi manuum tuarum porriges dexteram. *Et brachium tuum*, ſcilicet fortitudo quæ reſpicit ad potentiam. *Iob* 9. Si fortitudo quæritur, robuſtiſſimus eſt. *Et illuminatio vultus tui*, id eſt, ſapiens conſilium tuum, quod omnia illuminat, & te cognoſcere facit. *Prou* 11. Conſilium cuſtodiet te. Et in 8. Meum conſilium, & mea eſt fortitudo. Et hoc *quoniam complacuiſti in eis*, ſicut prius legendum eſt.

Tu es ipſe Rex meus. Hîc ſecunda pars, in qua ſubiungit ex illis bonis præſtitis conceptam ſpem: & dicuntur tria. Primò quare ſperet. Secundò in quo ſperet. *In te inimicos.* Tertiò quid ſperet. *Saluaſti enim nos.* In prima duo. Primò Dei immutabilitatem tangit. Secundò expertam Patribus benignitatem. *Qui mandas.* Dicit ergo ſic: Ita feciſti Patribus, & ſimiliter mihi facies. Ergo *quia tu es ipſe*, non alius, *Rex meus*, qui regnas in me, ſecundum illud *Luc.*17. Regnum Dei intra vos eſt. Vel *Rex meus*, me regere aſſuetus. *Pſal.* Dominus regit me. *Et Deus meus*, qui ſoles in aduerſis ſubuenire. *Gen.*16. Dixit Agar tribulata, Tu Deus qui vidiſti me. 5.

Qui mandas. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Tu es idem Rex, idem Deus, qui prius, non mutatus, *Qui mandas*, id eſt, mandaſti per perſonam aliam, non ipſe detuliſti. *Caſſiodor.* Non per nos, ſed per aliam conſueuimus mandare perſonam. *Salutes*, ſcilicet corporales, *Iacob*, illi antiquo populo. Ac ſi dicat: Illi per Angelos loquutus es, & Prophetas, non ſic modò. Ad *Hebr.*1. Olim loquens Deus Patribus in Prophetis. *Ierem.*31. Longè Dominus apparuit mihi, id eſt, per creaturam, quæ longè valde eſt à ſuo creatore. Sed nobis aliter, quia non per alium mandauit, ſed ore proprio ipſe dixit. Ad *Hebr.*1. Nouiſſimè diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio. *Iſa.*33. Deus iudex noſter, Dominus noſter, Rex noſter, ipſe veniet & ſaluabit nos.

Quare homo regem Angelorum ſuũ vocat.

Sed quærendum quomodo tam audacter dicat Regem ſuum homo ? Qui enim in duobus populis regnat, à potiori ſe nominat : & qui aliter eum nominaret, & ipſi Regi & omni populo iniuriam faceret. Sed Chriſtus & in hominibus in terris, & in Angelis regnat in cœlis. *Pſal.* Tui ſunt cœli, & tua eſt terra. Ergo non debet dicere homo, & ipſi Regi & Angelis iniuriando, *Rex meus*, ſed magis Angelorum. Vel Angeli dicunt homini illud 2. *Reg.* 19. Decem partibus maior ego ſum apud Regem, magiſque Dauid pertinet ad me, quam ad te. Sed certe licet ſint plures, tamen multò plus pertinet ad homines *Ad Hebr.* 2. Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Ne inſurgeret iſta contentio, & magis ſe ad homines pertinere oſtenderet, ſecundum etiam quod eſt Rex, in humana natura ſcriptum eſt ipſum Regem. *Apoc.* 19. Habens in veſtimento in femore ſcriptum, Rex regum, & Dominus dominantium.

6. *In te inimicos noſtros.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungit in quo ſperat: & dicuntur duo. Primò, quòd in Deo ſperat de omnibus. Secundò, quòd in nullo alio, ibi, *Non in arcu meo.* In Deo autem ſperat, & quod poſſit inimicos fugare, eos ſcilicet qui oderant, corde ſcilicet, & impugnantes poſſit impetere. *Et in nomine.* Dicit ergo : Sic prædicta patribus feciſti, ſed certè & nos ſimilia à te ſperamus, quia in te inimicos noſtros ventilabimus cornu. In te, inquam, *cornu*, ablatiui caſus. Vel in te, *O cornu*, vt ſit vocatiui caſus. Ventilare autem propriè eſt fugare, ſicut ventus fugat puluerem. *Pſal.* Vt puluerem ante faciem venti. Et iterum alibi, fiant ſicut puluis ante faciem venti.

Et in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis, hoc eſt, in nominis tui inuocatione ſpernemus dæmones. *Iob* 19. Libera me Domine, & pone me iuxta te, & cuiuſuis, &c. Et eorum colluctationes omnes, de quibus ad *Epheſ. vlt.* Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes, &c. Chriſtus ergo cornu dicitur, & bene. Ratione altitudinis primò. Cum enim cornu ſit de animali, ſuper ipſum animal ſe extollit. Sic humanitas quaſi ſupra ſe ſe extulit, cum extulit ſe vſque ad Chriſtum, qui verus eſt Deus. 1. *Reg.* 2. Exaltatum eſt cornu meum in Deo meo. Item multum ſe extulit, quando vſque ad dexteram Patris ſeſſura aſcendit. Ad *Epheſ.* 2. Deus qui diues eſt in miſericordia, conreſuſcitauit, & conſedere nos fecit in cœleſtibus in Chriſto Ieſu. Item ratione originis. Licet enim caput ſit debilius in animalibus, ſicut in libro de animalibus dicitur, tamen in eo naſcitur robuſtum cornu. Sic de capite humanæ naturæ ortus eſt Chriſtus. Nobilius enim in tota natura humana erant Iudæi : ſed ſummum in illis tribus Iuda quæ regalis erat, & iudex. Ad *Hebr.* 7. Manifeſtum, quòd de Iuda ortus Dominus noſter. *Luc.* 1. Erexit cornu ſalutis nobis. Item ratione coloris : quia cornu in colore exteriori cuti aſſimilatur. In lib. de Animal. Colores cornuum erunt ſicut colores corij. Sic Chriſtus licet fuerit ſuper homines, de quibus natus eſt, aſſimilatur eis tamen, ſed in corio, id eſt, in exterioribus. Ad *Roman.* 8. Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati. Ad *Phil.* 2. Exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens, &c. Item ratione attractionis. Cornu enim attrahit ad ſe ſuperfluitates, & viliores partes corporis, & inde ſuſtentatur & augetur. In lib. de animal. Cornua ex ſuperfluitatibus ſuſtentantur. Sic Chriſtus in corpus ſuum traxit homines viles, & ruſticanos piſcatores. 1. ad *Cor.* 1. Videte vocationem veſtram, fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta, &c. 1. ad *Corinth.* 4. Tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema vſque adhuc. Item ratione diuerſitatis quam habet in ſe : ſicut enim dicit Philoſophus in dicto libro, cornu prope radicem eſt concauum, & ſurſum durum, & ſolidum, aptum ad impetendum & fortiſſimum. *Matth.* 27. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Hæc ſuperior pars impegit in portas inferni, & fregit illas. *Iſa.* 45. Portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. Item ratione finis. Data enim fuerunt creaturæ propter vigorem & ornamentum. Sic Chriſtus vigor & decor totius humanæ naturæ. *Pſal.* Ipſe dabit virtutem, & fortitudinem plebi ſuæ. Et alibi, Diligam te Domine fortitudo mea, Deus meus & cornu ſalutis mæ. Iteꝝ ratione temporis. Nullũ enim animal parui temporis, cornu habet, ſicut ibidem dicitur. Sic in parua ætate adhuc humana natura cornu non habuit, ſed poſtquam iam creuit, quaſi in fine mundi, tunc cornu venit. *Ezech.* 22. In die illa pullulabit cornu in domo Iſraël.

7. *Non enim in arcu meo.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungit, quòd non ſperat in alio. Sed primò quia nec in illis armis quibus pugnatur eminus, qualia ſunt arcus, nec in illis quibus cominus, qualia gladius. *Et gladius meus.*

Continua : Dixi, quod inimicos ventilabimus cornu, non in nobis. *Iob* 6. Ecce auxilium non eſt mihi in me. *Non enim in arcu meo ſperabo.* Vel ſic : hoc facies, & meritò. *Enim*, quia *non ſperabo in arcu meo*, quo pugnatur eminus. 1. *Reg.* 2. Arcus fortium ſuperatus eſt. *Amos* 2. Tenens arcum non ſtabit. *Et gladius meus*, quo pugnatur cominus, *non ſaluabit me*, ſicut nec priores. *Oſeæ* 2. Arcum, gladium, & bellum conteram. Hîc apertè oſtenditur Eccleſiæ, quòd non debet confidere in materialibus armis. Primò quia arma materialia tantum veſtem protegunt, ſcilicet carnem, quæ veſtis eſt animæ. *Iob* 10. Pelle & carnibus veſtiſti me. Et non militem, ipſam mentem. *Oſeæ* 1. Saluabo eos in Domino Deo ſuo, & non ſaluabo eos in arcu, & gladio. Præterea his armati frequenter antequam carnem aduerſarij tangant, ſeipſos occidunt odio & iniquitate, quæ gladius eſt. *Eccleſ.* 21. Quaſi romphæa bis acuta, omnis iniquitas. *Matth.* 27. Omnis qui acceperit gladium, naturalem, peribit gladio ſpirituali. Item contra grauiores hoſtes, ſcilicet dæmones, non proſunt, quia non quærunt exteriorem ſubſtantiam, vel vitam corporalem, ſicut homines, ſed animam. *Pſal.* Fortes quæſierunt animam meam. Sed hæc arma non timent. *Iob* 41.

Quare Chriſtus dicitur cornu.

Reputabit

Reputabit quaſi paleam ferrum, & quaſi lignum putridum æs. Non fugabit eum vir ſagittarius.

Sed quid proſunt iſta arma contra homines, ſi animas rapiant dæmones? *Matth.* 16. Quid prodeſt homini ſi mundum vniuerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Ergo ad conſilium Apoſtoli recurrendum eſt. Ad *Epheſ.*6. Induite vos armaturam Dei. Item his armati ab inermibus ſæpè victi ſunt. 1. *Reg.* 17. Goliath Gethæus à Dauid eſt deuictus. Ille armatus, hic quaſi nudus. Si ergo non debent in his armis confidere laici, quo modo confident in illis Clerici? Non ſic Aaron, ſed *Sap.* 18. Vicit autem turbas, non in virtute corporis, ſed verbo, illum qui ſe vexabat, ſubiecit.

8. *Saluaſti enim nos.* Hîc tertium, in quo oſtendit quid ſperet, quia perfectè liberari à malis primò. Secundò iocundari in bonis. *In Deo laudabimur.* In prima duo, quia primò ſperat liberari ab affligentibus opere. Secundò ab odientibus corde ibi. *Et odientes nos.* Dicit ergo: Sic in nulla re corporali ſperabo, ſed in te. *Enim*, id eſt, quia *ſaluaſti*, id eſt, quia ſaluabis nos, præteritum pro futuro certitudine prophetali. *Auguſt.* Da prophetam cui non tantum certum ſit præteritum, ſed futurum: & quemadmodum tibi quod meminiſti factum, non poteſt fieri vt non ſit factum: ſic ille quod nouit futurum, non poteſt fieri vt non fiat.

De affligentibus nos, dæmonibus, qui infatigabiliter confligunt, & grauiter affligunt. *Iob.* 16. Si loquutus fuero, non quieſcet dolor meus, & ſi tacuero, non recedet à me. *Et odientes nos*, corde, ſcilicet malos homines, *confudiſti.* Confundes in iudicio, quando dicturus es illud *Matth.*25. Diſcedite à me operarij iniquitatis. Et hoc propriè de Martyribus intelligitur, quorum occiſores, mali ſcilicet homines, & tyranni confundentur, ipſis ſaluatis, ſecundum illud. *Iſa.*41. Ecce confundentur, & erubeſcent omnes, qui pugnant aduerſum te, & erunt quaſi non ſint. *Mich.* 7. Educet me Dominus in lucem, & videbo iuſtitiam eius, & aſpiciet me inimica mea, & operietur confuſione.

9. *In Deo laudabimur.* Hîc ſecundum, in quo dicit ſe ſperare iocunditatem in bonis, & hoc in duobus, in laude propria perpetuata, & in diuina ſimiliter, ibi, *& in nomine.* Dicit ergo: Hæc bona facies, nec tantum iſta, imò *laudabimur tota die*, in æternitate, quæ tota dies eſt. Nihil ibi noctis. *Pſal.* Melior eſt dies vna in atriis tuis, &c. *In Deo laudabimur. Prou.* 28. Fidelis multum laudabitur, nec tantum ab hominibus, ſed à Domino Angelorum. *Luc.* 12. Omnis quicumque confeſſus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum. Et tamen ſine elatione laudate: quia in Deo noſtro in nobis reflectetur tota laudatio. *Caſſiod.* Sine arrogantia deſignant gloriã ſuam, qui ſe in Deo teſtantur eſſe laudandos. *Pſal.* In Domino laudabitur anima mea.

Sed nunquid laudati non laudabimus? *Imò & in nomine tuo*, quod eſt Ieſus, ſcilicet Saluator, *confitebimur*, confeſſione laudis, *tibi*, non alij, *in ſæculum*, perpetuo duraturum: quia ſæculum dicitur ſimpliciter. *Apoc.* 4. Requiem non habebant animalia nocte ac die dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Et quamuis ſine requie, non tamen cum fatigatione, ſed cum ſumma delectatione. *Caſſiodor.* Iſta eſt beatitudo iuſtorum, Deum laudare perpetuò: ſatietas, quæ nunquam nouit faſtidium: fames, quæ de abſtinentia matre non naſcitur: auiditas, quæ de ieiunio non creatur.

Verba autem martyrum ſunt hæc, & iuſtiſſimè in his duobus remunerantur in Eccleſia triumphante, in laude contra vilia quæ ſunt paſſi, in lætitia contra grauia. Ad *Hebr.* 11. Sancti ludibria & verbera experti. Et propter hoc datur illis de fructu manuum ſuarum æterna lætitia, & laudent eos in portis opera eorum. *Prouerb. vlt.* *Merces Martyrum.*

10. *Nunc autem repuliſti.* Hîc tertia pars totius Pſalmi, in qua poſtquam præmiſit de ſpe, ſubiungit de aduerſitate contra ſpem habita, & primò oſtenditur quanta mala pertulerint. Secundò, quòd tamen mala culpæ non commiſerunt. *Hæc omnia venerunt.* In prima duo. Primò, quòd grauia. Secundò, quòd vilia, ibi, *vendidiſti populum tuum.* Grauia tangunt tria, ſcilicet ſpei fruſtrationem, auxilij ſubtractionem, ibi, *Et non egredieris.* Inimicorum fortitudinem augmentatam, ibi, *Auertiſti nos retrorſum.* Dicit ergo: Sic antiquis feciſti. Manus tua gentes diſperdidit, &c. Hæc quæ immediatè dixi, *inimicis noſtris*, & eſt in proximo, facies. *Nunc autem*, in tempore medio inter illud præteritum & hoc futurum, *repuliſti nos*, dum differs promiſſa cœleſtia. *Pſal.* Vt quid Domine repuliſti in finem? Supra, Quare me repuliſti? *Et confudiſti nos*, non intus in conſcientia, ſed exterius per præſentis miſeriæ abundantiam. 1. ad *Cor.* 4. Humiliamur, ſed non confundimur, intus in conſcientia, ſed magis gloriamur in illa. 2. ad *Cor.* 1. Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. *Caſſiodor.* Illam dicit glorioſam confuſionem quam Martyres ſubeunt cum iniuriis affliguntur, fuſtibus verberantur, & velut criminibus obnoxij morti non deſinunt mancipari, de quo *Eccleſ.*4. Eſt confuſio adducens gloriam. Per hoc quod dicit, *Repuliſti*, gemit pro dilatione cœleſtis patriæ. Per hoc quod dicit, *Confudiſti*, pro incolatu huius miſeriæ.

Et non egredieris. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: hoc non tantum, imò, *& non egredieris Deus*, ſicut feciſti antiquitùs, apertè & euidenter, *in virtutibus noſtris*, id eſt, in pugnis, ita quod exterius non apparet egreſſus tuus ad auxilium, ſed interius præbetur magnum. 1. ad *Corinth.*1. Infirma mundi elegit Deus vt confundat fortia. Imò virtus eſt in infirmitate, in eo qui non tantùm infirmus eſt, ſed quaſi ipſa infirmitas. In paruis autem mulierculis perficitur, id eſt, perfecta oſtenditur. 2. ad *Cor.* 2.

11. *Auertiſti nos retrorſum.* Hîc eſt tertium graue valde, ſcilicet augmentum fortitudinis aduerſariorum. Et dicuntur duo. Primò oſtenditur fortitudinis exceſſus. Secundò concomitans effectus, & eſt triplex. Quorundam captio. *Multiplex Eccleſiæ afflictio.*

Et qui oderunt nos. Quorundam occiſio. *Dediſti nos tanquam oues.* Aliorum per diuerſas gentes diſperſio. *Et in gentibus.* Et legitur primum dupliciter, vel pro parte à fide diſcedentium, vel pro parte in illa perſeuerantium. Primo modo ſic: Verè confudiſti nos, quia *auertiſti nos retrorſum*, id eſt, à fide ad infidelitatem, de qua auerſione 2.*Pet.*2. Melius erat ei viam veritatis non agnoſcere, quam poſt agnitam conuerti retrorſum. *Poſt inimicos noſtros:* vt eos ſequendo imitemur in errore. *Deut.*28. Ipſe erit in caput, & tu eris in caudam. *Thren.*1. Facti ſunt hoſtes eius in capite, & illi per conſequens in cauda, qui auerſi ſunt à fide.

Vel ſic: *Auertiſti nos retrorſum poſt inimicos noſtros*, vt tanquam victi fugiamus, ſicut frequenter oportet fieri. *Matth.*10. Si vos perſequuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. *Et qui oderunt*, ſcilicet infideles & hæretici, ſecundum lecturam primam verſus præcedentis, qui prius nos oderunt. *Prouerb.*29. Viri ſanguinum oderunt ſimplicem. *Diripiebant ſibi*, ad ſuum errorem diſtrahentes nos. *Thren.*2. Non fuit in diebus furoris Domini qui effugerit, & reliquus fuerit. Quos educaui, & enutriui, inimicus meus conſumpſit eos. Secundum aliam: *Qui oderunt nos*, perſequutores ſcilicet, & tyranni, *diripiebant ſibi. Caſſiod.* Hoc ſolet fugatis emergere, vt in direptionem prædámque cadant. *Tob.*4. Traditi ſumus in direptionem, & captiuitatem, & mortem & fabulam. *Iſa.* 42. Ipſe autem populus direptus & vaſtatus.

Fuga maioribus cauēda propter tria.

Mala ergo fuga maximè in maioribus eſt cauenda, maximè autem propter tria. Propter ſeipſum, quia ſic amittitur & victoria & corona. *Bernard.* Væ tibi ſi declinando pugnam, perdis & victoriam & coronam. *Iacob.*1. Beatus qui ſuffert. Propter proximum: qui enim fugit, alij terrorem incutit. *Deuter.*20. Qui formidoloſus eſt & corde pauido, vadat & reuertatur in domum ſuam, ne pauere faciat corda fratrum ſuorum. 2. *Machab.*6. Adoleſcentibus exemplum forte relinquo, ſi pro grauiſſimis ac ſanctiſſimis legibus glorioſa morte perfungar. Item propter Deum: quomodo enim tandem poteris effugere, quem modo fugis? *Bern.* An quia fugiſti ex acie, putas te euaſiſſe? Certè non. 2. *Machab.* 6. Etſi in præſenti tempore ſuppliciis hominum eripiar, ſed manum omnipotentis nec viuus, nec defunctus effugiam. *Iob* 20. Fugiet arma ferrea, & incidet in arcum æneum. *Amos* 2. Velox pedibus non ſanabitur.

12. *Malum pœnæ à Deo.*

Dediſti nos tanquam. Hîc ſecundum, quorundam occiſio, & legitur dupliciter, ſicut antecedens: vel de deſerentibus fidem, vel de perſeuerantibus. Primo modo ſic: Non tantum direpti ſumus ab hæreticis, *ſed dediſti nos, tu*, non alius: vnde oſtendit, quòd aduerſitates & pœnæ ſunt à Deo. *Iſa.*42. Quis dedit in direptionem Iacob, & Iſraël vaſtantibus? Nonne Dominus? *Amos* 3. Si non eſt malum in ciuitate quod non fecerit Dominus. *Tanquam oues eſcarum*, non facientes fœtum, non ſicut illæ de quibus *Cant.* 4. Omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter eas. Sed *eſcarum* lupis hæreticis. *Caſſiod.* Eſca luporum eſt ouium manſuera ſimplicitas. Sicut enim illud quod comeditur, in corpus comedentis traiicitur, ſic hæreticæ congregationis ab hæreticis ſeducti. Qui deuorant plebem meam ſicut eſcam panis. *Ierem.*51. Comedit me, deuorauit me Nabuchodonoſor.

Vel *dediſti nos tanquam oues eſcarum*, perſequutoribus & tyrannis, reddens quæ promiſiſti. *Matth.* 10. Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. *Thren.*2. Frenduerunt dentibus, & dixerunt: Deuorabimus eum. *Pſal.* Æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis, quemadmodum & magiſter eorum. *Iſa.*53. Sicut ouis ad occiſionem ducetur. 2.ad *Cor.*11. Suſtinetis ſi quis deuorat, &c.

Et in gentibus diſperſiſti nos. Diſperſiſti quantum ad alios. *Thren.*4. Diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum. Et hoc feciſti ad vtilitatem multorum, quod intelligens. *Tob.* ait in vltimo: In conſpectu gentium laudabo eum. Quoniam ideò diſperſit vos inter gentes quæ ignorant Deum, vt vos enarretis mirabilia eius, & faciatis ſcire eos, quia non eſt alius Deus omnipotens præter eum. Ad *Hebr.*11. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis. Et poſt, In ſolitudinibus errantes, in montibus, & in ſpeluncis, & in cauernis terræ.

Vendidiſti populum tuum. Hîc oſtendit, quo- 13.
niam ſuſtinuerunt, vel ſuſtinent vilia. Vilitas autem comprehenditur in duobus. In venditione infructuoſa. Secundò in venditorum irriſione, ibi, *Poſuiſti nos.* Primò ergo venditos ſine fructu oſtendit. Secundò quaſi exponit quod dixerat, ibi, *Et non ſunt.* Dicit ergo: Sic ſuſtinuimus dura, & grauia, & vilia: quia *vendidiſti populum tuum*, ſcilicet Martyres qui tuus ſunt populus. 1.*Pet.*2. Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis. Vt virtutes eius annuntietis. Ad hoc erant Martyres. Et hoc, *ſine pretio*, vt nec fructuoſa illorum venditio. *Deuter.* 32. Deus ſuus vendidit eos, & Dominus concluſit illos. Magna vilitas dari pro nihilo. *Thren.*1. Vide Domine, & conſidera quoniam facta ſum vilis. *Deut.*28. Venderis inimicis tuis in ſeruos & ancillas, & non erit qui emat.

Locutio Scripturæ familiaris, vendi ſine pretio.

Sed quomodo vendidit ſi pretium non accepit: aut quomodo non accepit pretium, ſi vendidit? Reſp. *Caſſiod.* Hoc genus loquutionis inter propria diuinæ Scripturæ connumeratur, vt dicatur venditum, vbi non conſtat pretium datum. *Iſa.*1. In iniquitatibus veſtris venditi eſtis. Et 55. Venite, emite abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum & lac. 52. Gratis venundati eſtis.

Vel dicatur, quòd exponit ſe, quaſi vendidiſti ſine pretio: *Et non fuit multitudo in commutationibus eorum.* Quaſi diceret: Martyres vidimus tyrannis datos, & multos, non tamen pro illis videmus ad te conuerti multos. Vnde quaſi non reputatur pretium pro tot & tam pretioſis, tam parum. *Agg.*1. Seminaſtis multum, multos ſcilicet Martyres: & intuliſtis parum, in horreum Eccleſiæ ſcilicet paucos fideles. Vel non fuit multitudo, & pretium eorum in apparentia, & ſi forte ſit multitudo magna. *Agg.*1. Reſpexiſti ad amplius, & factum eſt minus. Quaſi dicat: Imo dantur mali pro eis ipſi.

ipsi. Diabolus ad torquendum secuudum illud *Prou.*21. Pro iusto dabitur impius, & pro recto iniquus. Hoc nihil est vt videtur *Eccles.*16. Melior est vnus timens Deum, quam mille filij impij. Litera *August.* habet: *Non fuit multitudo in iubilationibus eorum.* Tempore enim persequutionis non poterant ad laudes Dei conuenire. *Iob* 30. Versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium. *Thren.*1. Viæ Sion lugent, eò quod non sint qui veniant ad solennitatem.

14. *Irridetur Ecclesia.* *Posuisti nos.* Hîc subiungitur de irrisione: & dicuntur quatuor. Primò irrisionum diuersitas. Secundò continuatio in irridendo, ibi, *Et confusio.* Quartò causa. *A voce exprobrantis.* In prima duo. Primò tangitur irrisio illata à propinquis. Secundò à remotis & extraneis, ibi, *Posuisti nos in similitudinem.* In prima primò irrisio à propinquis conuersatione. Secundò à propinquis habitatione. *Subsannatione.* Dicit ergo: Non tantum hanc quam prædixi vilem venditionem sustinemus: imo *posuisti nos*, tanquam in hoc fixos. In Orig. *Posuisti* ostendit immobilem esse possessionem: ibi enim diuturnius esse creditur, vbi & positus. *Opprobrium.* Ecce irrisio. *Psal.* Factus sum opprobrium illis: viderunt me & mouerunt capita sua. *Thren.*3. Audisti opprobria eorum Domine. *Ezech.*5. Dabo te in derisum, & in opprobrium omnis prætereuntis. *Vicinis nostris*: vnde grauis afflictio. *Subsannationem*, quæ fit contractione nasi, *& derisum*, qui fit ore. 2. *Paral.* 16. Illi subsannabant nuntios Dei, & paruipendebant, illudebantque. *Ierem.* 20. Factus sum in derisum tota die. Omnes subsannant me, quia iam olim loquor vociferans iniquitatem, & vastitatem clamito: *His qui in circuitu nostro sunt. Psal.* Audiui vituperationem multorum, commorantium in circuitu, non intus ingredientium: homines enim sunt qui semper circumeunt bonos, modo hinc, modo inde, sed nunquam intrant ad illos, vt illis similes efficiantur in conuersatione & vita. *Psal.* In circuitu impij ambulant. *Iob* 19. Obsederunt in gyro tabernaculum meum. Et tales vitam illorum irrident & paruipendunt. *Psal.* Qui videbant me, foras fugerunt à me.

15. *Posuisti nos in similitudinem.* Hîc secundum, in quo subiungitur irrisio ab extraneis. Et primò irrisio verbo. Secundò signo. *Commotionem.* Ait enim: Sic à vicinis & propinquis: & etiam *posuisti nos*, id est, stabiliter fixisti, *in similitudinem*, maledictionis, & improperij, *Gentibus*, & remotis, vt dicant: Maledicat tibi Deus: sicut illis. *Nahum.*3. Contumeliis afficiam te, & ponam te in exemplum. *Iob* 17. Posuit me quasi in prouerbium vulgi. 2. *Paral.*7. Tradam eam in parabolam, & in exemplum cunctis populis, & domus ista in prouerbium erit cunctis transeuntibus. *Ierem.*29. Percutiet eos in oculis nostris, & assumetur ex eis quasi maledictio.

Vel sic: *Posuisti nos Gentibus*, id est, comparatione ad Gentes, *in similitudinem*, Christi, supple: quia contumeliis nos afficiunt, & miseriis, sicut ipsum affecerunt. *Ioan.* 16. Si me persequuti sunt, & vos persequentur. *Sap.* 18. Simili autem pœna seruus cum Domino afflictus est, & popularis homo, Regi similia passus. *Et posuisti me commotionem capitis*, ad deridendum, *in populis*, sicut Christo in Passione factum est *Matth.*27. In *Psal.* Omnes videntes me deriserunt me, &c. *Thren.*2. Sibilauerunt, & mouerunt capita sua super filiam Ierusalem. *August.* Hoc Domino, hoc omnibus Sanctis eius, quos persequi, quos eruere, illudere, tradere, affligere, occidere potuerunt.

16. *Tota die verecundia.* Hîc tangitur continuatio in irrisione illa. Quasi diceret: Sic irrident, & irrisionem continuant: quia *verecundia mea*, id est, facta & verba, vnde verecundia est mihi, *est contra me*, hoc est, contra illa quæ merui. Non merueram vt talia mihi fierent, vnde verecundiam haberem, & hoc *tota die.* Vel *coram me*, id est, ante oculos meos. *Psal.* Tota die exprobrabant mihi inimici mei. *Ierem.*13. Reuelata sunt verecundiora tua, pollutæ sunt plantæ tuæ.

Et confusio. Hîc est tertium, in quo ostendit irrisionis effectum. Ait enim: Sic irrident, & ex hoc accidit, quia *confusio faciei meæ*, non conscientiæ interioris, de qua *Eccl.*4. Est confusio adducens ignominiam. *Cooperuit me.* Non dicit faciem tantum, quia confusio à facie quasi per totum corpus descendebat. *Ierem.*3. Dormiemus in confusione nostra, & operiet nos ignominia nostra. *Psal.* Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem mea. Sed quomodo operuit confusio, *Cassiod.* ostendit in Glossa: Quasi quodam pallio, Color enim quoddam vestimentum est. *Matth.*6. Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant neque nent. Dico autem vobis quod nec Salomon in tota gloria sua, coopertus est sicut vnum ex istis.

17. *A voce exprobrantis.* Hîc est quartum, in quo ostendit causam, & tangit triplicem causam, scilicet triplicem aduersariorum peruersitatem. Oris. Cordis. *A facie inimici.* Et operis. *Et persequentis.* Ait enim: Sic irrident, & vnde omnia hæc? *A voce exprobrantis*, in aperto, & in facie. *Et obloquentis*, scilicet detrahentis occultè. *Psal.* Cogitauerunt, & locuti sunt nequitiam in occulto, iniquitatem in excelso locuti sunt, vt aperte audiri possent. *Iob* 16. Aperuerunt super me ora sua, & percusserunt maxillam meam. Nec ad hoc tantum, *imò à facie*, id est, à præsentia *inimici*, qui me odit corde: *& persequentis* ore. Quasi diceret Martyr: Aduersarij me persequuntur, voce, & corde, & opere. 2. ad *Corinth.*4. In omnibus tribulationem patimur. Et dicit, *Persequentis*, id est, perfectè insequentis. Quasi diceret: Non tantum insequuntur vsque ad vultus confusionem, nec vsque ad corporis interfectionem, sed etiam vsque ad animæ perditionem. *Cassiod.* Odium probatur acerrimum, quia non solum corpus extinguere, sed etiam ipsas animas cupiunt sua prauitate trucidare. *Ierem.*6. Crudelis, & non miseretur: vox enim quasi mare sonabit terribiliter, & amare. Sed consolatio est. *Matth.*10. Nolite timere eos qui occidunt corpus, & post ea non habent quid faciant. Sed timete eum, qui potest & corpus & animam mittere in gehennam.

Hæc omnia venerunt. Hîc secundum tertiæ

partis totius Pſalmi, in quo poſtquam oſtendit quanta mala ſuſtinuerunt, intendit oſtendere quod hæc non meruerunt: & dicuntur duo. Primò, quòd in his omnibus nulla fuit ipſorum à Deo auerſio. Secundò ſupponitur ratio, quare auerſi non ſunt, ibi, *Si obliti ſumus.* In prima duo. Primò, quòd non ſunt auerſi à Deo in tot miſeriis. Secundò, quòd inde bona ſunt aſſequuti, ibi, *Et declinaſti.* In prima tria, ſecundum triplicem modum auertendi ſe à Deo. Primò auertunt ſe quidam à Dei potentia per infidelitatem. Sed hoc primò negant ſancti de ſe. Secundò à ſapientia eius, & lege, per inobedientiam. Et hoc remouent ſecundò. *Et iniquè non egimus.* Tertiò à bonitate per deſperationem. Et hoc auferunt tertiò. *Et non receſſit retro.* Dicit ergo: Sic cruciamur, occidimur: nec tamen meruimus, vt videtur, quia *hæc omnia*, quæ diximus, *venerunt ſuper nos.* *Pſal.* ſupra. Omnia excelſa tua, &c. Hæc omnia ſimul, quia ſi vnum poſt alterum, minus graue eſſet, & facilius portabile, ſicut bono Iob factum eſt, cui vna miſeria ſuper aliam irruebat. *Iob* 1. Cumque ille adhuc loqueretur, venit alter, & dixit. *Pſal.* Congregans ſicut in vtre aquas maris. Venerunt, inquam, ac ſi nos eſſemus illi, quibus dictum eſt *Matth.*23. Venient hæc omnia ſuper generationem iſtam. *Venerunt*, dicit *Caſſiod.* quaſi fera terribilis, quaſi fluuius turbulentus.

Triplex à Deo auerſio remouetur à iuſtis.

Nec obliti ſumus te, id eſt, tui. Sed ſic loqui, ſicut dicit *Caſſiodorus*, eſt etiam de propriis ſcripturæ, id eſt, tuæ potentiæ & virtutis: quod eſt valde virtuoſum, tenere fortiter Dei memoriam in magna tribulationum amaritudine. *Eccleſ.*21. Non eſt ſenſus vbi abundat amaritudo. Propter quod dicitur *Eccleſ.*9. Nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia eſt apud inferos.

Et inique non egimus in teſtamento tuo, ab eo per inobedientiam recedendo. Bene ſequitur ad aliud. *Caſſiod.* Qui illum mente retinent, per fidem veram tenentes, eius teſtamentum neſciunt obliuiſci. *Iob* 36. Caue ne declines ad iniquitatem: hanc enim tenere cœpiſti poſt miſeriam. *Eccleſ.*11. Sta in teſtamento Altiſſimi, & in illo colloquere, & in opere mandatorum illius veteraſce.

Aduerſitas Deum obliuiſci non ſinit.

Hîc ergo nota quantum bonum præſens aduerſitas, quæ non permittit hominem obliuiſci Deum. *Iſa.*28. Vexatio dat intellectum auditui. Et iterum *Iſa.*27. Domine in anguſtia ſua requiſierunt te. *Oſeæ* 6. In tribulatione ſua mane conſurgent ad me. Et etiam in Deum fortius mentem figit. *Gregor.* Lignum quantò fortiùs percutitur, tantò in terra cui inhæret, fortius infigitur. Vnde mallei Martyrrum figebant eos fortius in Deum. E contra proſperitas inducit obliuionem. *Oſeæ* 13. Adimpleti ſunt & ſaturati, & eleuauerunt cor ſuum, & obliti ſunt mei. Ephraim & Manaſſes fuerunt fratres. *Gen.*41. Et à Deo penitus auellit. *Prou.*1. Proſperitas iuſtorum perdet eos.

19. *Et non receſſit retrò cor noſtrum*, à tua bonitate per deſperationem. Magna Martyrum firmitas. Ad *Roman.*8. Certus ſum, quia neque mors, neque vita, nec altitudo, nec latitudo, nec profundum, nec creatura aliqua poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto IESV. Quidam abeunt retrò per infidelitatem, ſicut illi de quibus *Ioan.* 6. Multi autem audientes, abierunt retrò. Quidam per inobedientiam mandatorum Dei. *Iſa.* 1. Dominus aperuit mihi aurem: retrorſum non abij. Quidam per apoſtaſiam à voto primo. *Luc.*9. Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retrò aptus eſt regno Dei. Quidam per deſperationem ſicut retrorſum. *Iſa.*1. Alienati ſunt. Retrorſum aliquando ſonat impotentiam & infirmitatem. *Ierem.*7. Facti ſunt retrorſum. Verum eſt inimicis ſuis, quibus reſiſtere non poſſunt. Et non ante. *Thren.* 2. Omne cornu Iſraël auertit retrorſum. Quandoque humilitatem, vt cum dictum eſt Petro. *Matth.*26. Vade retro me Sathanas.

Et declinaſti. Hîc ſecundum huius primæ partis, in quo poſtquam præmiſit, quòd in tot miſeriis non ſunt auerſi, ſubiungit quod inde adepti ſunt bona: & dicuntur tria. Primò, quod de viis ſuis & operibus eos inſtruxerit. Secundò per quid. *Quoniam humiliaſti.* Tertiò modum oſtendit, ibi, *Et cooperuit.* Dicit ergo: Sic ſumus afflicti, & in hoc declinaſti, id eſt, declinare feciſti, vel oſtendiſti, *ſemitas noſtras*, vmbroſos & voluptuoſos calles noſtros, *à via tua. Geneſ.*8. Senſus & cogitatio humani cordis prona ſunt in malum ab adoleſcentia ſua. Ecce callis noſter latus, & ducens in perditionem. Via autem tua arcta. *Matth.*7. Arcta eſt via quæ ducit ad vitam. Propter hoc dicitur in *Pſal.* Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras. Vel ſic ſecundum aliam literam quæ habet: *Nos ſic permanſimus*, & hic fructus, *quoniam non declinaſti*, id eſt, declinare non permiſiſti, deuiando & errando *ſemitas noſtras*, arctas & miſeras vias, quibus incedimus, *à via tua. Iob* 23. Viam eius cuſtodiui, & non declinaui ab ea. *Pſal.* Viam mandatorum tuorum cucurri. &c.

Vel ſic: Via Dei, lex Dei. Illud autem ab alio declinare dicitur, quod dependet ab eo. Senſus ergo eſt: *Declinaſti*, id eſt, declinare feciſti, id eſt, dependere *ſemitas noſtras*, operationes noſtras, & duras paſſiones, *à via tua*, id eſt, à lege tua: quicquid enim à bonis fit, vel quicquid patiuntur, totum ex lege Dei pendet. *Matth.*22. Ex iis duobus mandatis tota lex pendet, & Prophetæ.

Quoniam humiliaſti nos. Hîc oſtendit per quid inſtruxit. Ait enim: Sic erudiſti, vel ſic vias noſtras tuis aſſimilaſti. Et nunc *quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis*, in hoc mundo ſcilicet. Et dicitur locus afflictionis propter multiplices paſſiones. *Eccleſ.* 1. Vidi cuncta quæ fiunt ſub ſole, & ecce vniuerſa vanitas & afflictio ſpiritus. Item propter compaſſiones maximè ſanctorum. 2. ad *Corinth.*11. Præter ea quæ extrinſecus ſunt inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Et propter multiplices compunctiones de dilatione patriæ, & de incolatu præſentis miſeriæ. *Pſal.* Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrymarum. Et alibi, Potaſti nos vino compunctionis. 20.

Meritò mundus dicitur locus afflictionis.

Humiliatio triplex, culpa, pœna, & gratia.

Et nota, quòd humiliatio eſt culpæ. 2. *Reg.*13. Animam humiliauit Thamar. Et pœnæ. *Pſal.*

Humilia

humiliauerunt in compedibus pedes eius. Sic accipitur hîc. Et gratiæ. 1. *Pet.* 5. Humiliamini ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet in in tempore tribulationis.

Et cooperuit. Ecce tertium. Quaſi diceret: *humiliaſti*, & hoc quia cooperuit nos vmbra mortis, homines ſcilicet vmbroſi, & mortales, ſcilicet infideles, qui ſunt vmbra in mente per ignorantiam. Ad *Epheſ.* 5. Eratis aliquando tenebræ, quæ abſconditæ ſunt in oculis eius. Sed *mortis* in corpore: quia cito valde moriuntur. *Pſal.* Viri ſanguinum non dimidiabunt dies ſuos. *Sapient.* 2. Vmbræ tranſitus tempus noſtrum. Iſti ergo præ multitudine cooperiunt nos. *Ioan.* 17. In mundo preſſuram, in me autem pacem habebitis. Vel ſic: Verè *humiliaſti nos* humiliatione pœnali, *quoniam cooperuit nos* præ abundantia, *vmbra mortis*, id eſt, pœna morti ſimilis: ſicut illud quod eſt vmbra, ei cuius eſt vmbra eſt ſimile. *Ier.* 13. Expectantes lucem, proſperitatis, & ponet eam vmbram mortis. *Iſa.* 1. A planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas. Totum pœna cooperuit. Vel vmbra mortis ſeparatio animæ à corpore, quæ dicitur tantum vmbra comparatione gehennæ, quæ vera mors erit. *Gregor.* Quos conſtat non ſpiritu, ſed ſpſa carne mori, nequaquam vera morte, ſed vmbra mortis dicuntur operiri. Propter hoc etiam appellatur dormitio, quia leue quiddam eſt, & ſuaue comparatione ad illam. 1. ad *Corinth.* 15. Multi viuunt vſque adhuc, quidam vero dormierunt.

21. *Si obliti ſumus.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungit cauſam & rationem quare non ſunt auerſi, ſcilicet Dei vltionem diſtrictam, & dicuntur duo. Primò vltio pro operibus malis. Secundò pro ipſis interioribus. *Ipſe enim nouit.* Vel melius primò diſtrictio in puniendo. Secundo in remunerando. *Ipſe enim nouit.* Alio modo litera huius verſus ad ſequentes ordinatur, & melius. Et tunc duo dicuntur. Primò dicit, quia propter hoc non ſunt obliti, quòd Deus vindictam diſtrictam accipit. Secundò oſtendit, quòd poſſit. *Ipſe enim nouit.* Dicit ergo: Sic afflicti non ſumus obliti Dei, quia *ſi ſumus obliti nomen Dei noſtri*, id eſt, nominis Dei noſtri inuocationem, ſicut illi de quibus *Ierem.* 8. Oblitus eſt mei populus meus. *Deuter.* 32. Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui?

Et ſi expandimus manus noſtras. In exteriori operatione immolando vel orando. *Deuter.* 32. Prouocauerunt me in diis alienis. *Ad Deum alienum*, ad idola dæmoniis plena quæ reputantur ab aliquibus dij. *Pſal.* Omnes dij gentium dæmonia, &c. *Baruc.* 4. Immolantes dæmoniis, obliti eſtis Deum, qui creauit vos. *Oſeæ* 8. Oblitus eſt Iſrael Dei ſui: & ædificauit delubra. Si hæc fecimus.

22. *Nonne Deus requiret iſta?* ad grauiter vlciſcendum. Quaſi diceret: Ita. Non ſicut dicunt impij: irritauit enim impius Deum, dicit enim in corde ſuo, Non requiret. Sed mentitur, quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus ſuperbiam, velut *Ezech.* 34. Ego ipſe requiram oues meas. Et hoc poterit, ſcilicet vltionem de omnibus accipere. *Ipſe enim nouit abſcondita cordis.* Vnde nulla ignorantia impediet quin poſſit. In tantum breuiter nouit, vt non ſolùm ea quæ ſimpliciter ſunt in corde, cognoſcat, ſed etiam ea quæ ipſum hominem latent. *Eccleſ.* 23. Oculi eius multò plus lucidiores ſuper ſolem, profundum abyſſi & corda hominum intuentes, etiam in abſconditas partes. *Ierem.* 17. Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans corda.

Quoniam propter te mortificamur. Hîc quarta pars totius Pſalmi, in qua poſt narratas miſerias quas ſuſtinent ſine merito, ſubiungitur conuerſio ſui ad orationem, & dicuntur duo ſecundum duplicem miſeriam quam allegat, vt aſſequatur miſericordiã. Primò miſeriã pœnæ. Secũdò culpæ, ibi, *Quoniam humiliata eſt.* In prima duo. Perſuaſio vt exaudiatur. Secũdò oratio. *Exurge.* Et ſimul conqueſtio. In prima duo. Primò miſeria & afflictio in generali. Secundò tangitur in ſpeciali, ibi, *Æſtimati ſumus.* Dupliciter tamen legitur primum, vt reſpiciat ad antecedens in hunc modum: *Ipſe nouit abſcondita cordis*, ſed quæ ſunt illa? *Quoniam propter te*, non propter alium, *mortificamur*, ad mortem affligimur. Et hoc non leui & citò tranſitoria miſeria, *ſed tota die propter te*, hoc eſt, pro fide tua multiplicanda in Gentibus conuertendis ad te. Ad *Philip.* 2. Si immolor ſuper ſacrificium, & obſequium fidei veſtræ, in hoc gaudeo, ſed & gaudebo. 2. ad *Corinth.* 15. Tota die morimur propter gloriam veſtram fratres. Sed quomodo affligimur. *Æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis*, quæ nullo modo reluctantes occiduntur, & mactantur. *Caſſiod.* Ouis nec cornu valet, nec dente contendit, aut de fuga præſumit, ſed manibus latronis patienter acquieſcit, dum nulla reluctatione ſe defendit. Hic eſt modus pugnandi veris Chriſtianis. *Pſal.* Nos autem populus tuus & oues paſcuæ tuæ. *Ezech.* 34. Vos autem greges mei, greges paſcuæ meæ, homines eſtis. Vel melius ad ſequentia ſic: *Propter te mortificamur*, *æſtimati ſumus*, totum ſicut prius: & quoniam ita eſt, *Exurge.*

Chriſtianis inſtar ouis pugnandum.

Hîc ergo nota, quòd Sancti mortificantur pro Chriſto. Primò vt Chriſto vicem reddant, qui pro ipſis mortuus eſt. 1. *Pet.* 5. Chriſto ergo in carne paſſo, & vos eadem cogitatione armemini, vt ſicut ille pro nobis, & nos pro illo. Item vt ſe Chriſto conforment. 1. *Pet.* 2. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum vt ſequamini, &c. Vt fidei Chriſti teſtimonium reddant. *Hebr.* 11. Et hi omnes teſtimonio fidei probati inuenti ſunt, vt quod deerat paſſionibus Chriſti, vt bene eſſet fundata Eccleſia in ſanguine, adimplerent. Ad *Coloſſ.* 1. Adimpleo ea quæ deſunt paſſioni Chriſti in carne mea pro corpore eius quod eſt Eccleſia. Vt ſe Deum veraciter diligere demonſtrent. *Ioan.* 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam, &c. 2. *Mach.* 6. Propter timorem tuum libenter hæc patior. Vt fortitudinis & probitatis exemplum poſteris ſuis relinquerent. In eodem, Adoleſcentibus exemplum forte relinquam ſi pro ſanctiſſimis legibus honeſta morte fungar.

Vt cum Chriſto perpetuò regnarent. 2. ad *Corinth.*1. Si compatimur,& conregnabimus.

23. *Oratio Eccleſiæ afflictæ.*

Exurge quare obdormis Domine. Hîc ſecundum, promiſſa enim perſuaſione, ſubiungitur oratio, in qua duo. Primò oratio. Secundò orantis conqueſtio. *Quare faciem.* In prima quatuor. Primò excitatio eius quem orat. Secundò ratio quare ſic excitatur, ibi, *Quare odormis.* Tertiò repetitio excitationis. *Exurge.* Quarto petitio. *Et ne repellas.* Dicit ergo: Sic propter te ſuſtinemus, & propter hoc, ô Domine, *exurge.* Sed quare ſic loqueris? Quia videris dormire. Vnde addit: *Quare obdormis?* Tam profundè dormis. *Pſal.* Excitatus eſt tanquam dormiens Dominus. *Matth.* 4. Ipſe erat in puppi ſuper cerui cal dormiens, & excitauerunt eum, dicentes: Magiſter, non ad te pertinet quod perimus? *Ionæ* 1. Ionas ad interiora nauis deſcenderat,& ibi dormiebat, ſed excitatus fuit. Non dormiebat Stephanus, qui vidit IESVM ſtantem tanquam paratum ad iuuandum *Act.*7.

Exurge. Ecce iteratio,quæ fit non ſine ratione. *Caſſiod.* Repetitur, vt quibus videat pericula creſcere, non diſſimulet ſubuenire. Tunc enim maximè expedit. *Pſal.* Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. *Eccleſ.* 35. Specioſa miſericordia in tempore tribulationis, ſicut nubes pluuiæ in tempore ſiccitatis. *Et ne repellas*, modò ſaltem, repulſione tendente, *in finem*, id eſt, ne repellas finaliter. *Thren.* 3. Non repellet in ſempiternum Deus. Vel poteſt eſſe oratio Martyrium, vt Chriſtus qui iam veraciter à mortuis reſurrexit, reſurgat in hominum opinione & fide. Dicit ergo: O Domine, *exurge*, propter apparentiam & credulitatem. *Quare obdormis*, per infidelitatem, non in noſtris, ſed in cordibus infidelium dicentium illud *Sap.* 1. Non eſt agnitus qui ſit reuerſus ab inferis: quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus quaſi non fuerimus. *Exurge.* Bis dicit. Quaſi diceret: Exurge propter magnitudinem afflictionis & affectionis quam ſuſtinemus in prædicando illis, & non proficimus. 1. ad *Tim.*4. Iuſta, opportune, & importune. *Et ne repellas in finem*, gentem. *Pſal.* Non repellet Dominus plebem ſuam, &c.

24. *Quare faciem tuam.* Hîc ſecundum, in quo præmiſſa oratione, ſubiungitur conqueſtio, vt magis moueat. Primò ergo conqueritur, quòd ſuam auertit cognitionem. Secundò, quòd differt liberationem à duplici miſeria, inopia interiori, & tribulatione exteriori. Dicit ergo: Sic rogo ne repellas finaliter, & addo. *Quare auertis faciem tuam*, cognitionem ſcilicet tuam à quibuſdam ſuperbis, illis ſcilicet de quibus in *Pſal.* ſuprà, Qui dixerunt: Labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt? *Exod.*5. Dixit Pharao, Dominum neſcio, & Iſraël non dimittam.

Vel *facies* dicitur miſericordia. *Quare faciem tuam auertis*, benignam in liberando, non oſtendens præſentiam, ſed magis auertens. Hæc eſt illa facies, de qua in *Pſal.* Ne auertas faciem tuam à me, & aſſimilabor deſcendentibus in lacum. Et *Naum* 3. Oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui. *Eſth. vlt.* Facies tua plena eſt gratiarum, ita plena vt conuerſa ad te, ſtatim tibi gratiam influat. *Sap.*4. Miſericordia in ſanctos eius,& reſpectus in electos illius: *Obliuiſceris*, vt videtur, cum non ſit ita, *inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ.*

Vel primum referamus ad carentiam boni, ſcilicet inopiam, alterum ad præſentiam mali, ſcilicet tribulationem. Vel vnum ad intellectum, in quo eſt ignorantia, ſcilicet *faciem auertis*: alterum ad affectum, in quo miſeria, ſicut ſuprà conquerebatur: Quare oblitus es mei, & quare contriſtatus incedo dum affligit me inimicus? Putant enim multi ſe à Deo oblitos, ſicut illi qui dicebant *Iob* 22. Nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulat. Sed falluntur. *Ierem.* 6. Coram me ſemper infirmitas, & plaga tua.

Quoniam humiliata eſt. Hîc ſecundum, in quo perſuadet à miſeria culpæ: & dicuntur duo. Primò perſuaſio per deſcriptionem huius miſeriæ. Secundò oratio, ibi, *Exurge Domine, adiuua nos.* In prima duo. Primò conuerſio voluntatis ad terrena. Secundò adhæſio in illis. *Conglutinatus eſt.* Et exponitur dupliciter totus verſus,quia humiliatio poteſt ſonare in bonum vel in malum. In malum primò ſic: *Humiliata*, id eſt,deiecta *eſt anima noſtra*, cogitatio ſcilicet noſtra,*in puluere*, in terrenis, quæ non ſunt niſi puluis. *Iſa.*29. Humiliaberis, de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum. *Thren.*2. Proiecit in terram inclytam Iſraël. Imò in puluerem, ſcilicet in terrena. *Michæ.* 7. Lingent puluerem peccatores, ſicut ſerpens, qui ad literam puluere ſe reficit. *Et venter noſter*, voluntas ſcilicet, *conglutinatus eſt*, vehementer adhæret, *in terra*, id eſt, in rebus terrenis. Adhæſit pauimento anima mea. *Pſal.* Infixus ſum in limo profundi. *Geneſ.*34. Conglutinata eſt anima Sichem cum Dina. Dina interpretatur cura hæc. Iſta autem temporalia, curarum ſunt materia. Si autem ſenſualitas appellatur, veniale peccatum eſt: ſi voluntas deliberatiua, mortale, ſicut in auaro. *Eccleſ.*10. Auaro nihil eſt ſceleſtius: hic enim animam ſuam venalem habet, & proiecit in vita ſua intima ſua. Propter hoc non mirum ſi clamat illud *Ierem.* 4. Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo. Senſualitas autem dicitur venter, quia ad literam venter in multis deſtruit *Rom.*16. Huiuſmodi Chriſto Domino non ſeruiunt, ſed ſuo ventri. Ad *Phil.*3. Quorum finis interitus,quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione eorum. 25.

Secundo modo ſic: *Humiliata eſt anima noſtra*, humiliatione pœnalitatis, & vitij, *in puluere*, id eſt, inter illos de quibus in *Pſal.* Non ſic impij, non ſic, ſed tanquam puluis, &c. *Iſa.*29. Erit ſicut puluis tenuis multitudo ventilantium te. *Et venter noſter*, id eſt,infirmiores & molliores ſicut venter. *Naum* 3. Populus tuus ſicut mulieres, quæ molles ſunt, in medio tui. *Conglutinatus eſt*, adhæſit fortiter, & conſenſit,*in terra*, id eſt, infidelibus & terrenis, qui dicuntur terra, quia terram diligunt. *Geneſ.*3. dictum eſt de ſerpente: Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. *Iſa.*2. Et pueris adhærent alienis.

Exurge Domine. Hîc oratio: & tanguntur tria. 26.

tria. Primum, erectio à peccato. Secundum adiutorium in proficiendo in bono. *Adiuua nos.* Tertiò, protectio ab inimico, ne contingat recidere. *Et libera nos.* Dicit ergo: Sic debes adiuuare, & propter hoc peto, quoniam ita est vt præmisi. *O Domine exurge*, hoc est, fac nos exurgere à puluere in quo humiliati sumus, à terra cui adhæsimus. Ad *Col.*3. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram. *Adiuua nos*, vt in bono proficiamus: & *libera nos*, à malo quod euitamus. Vel *adiuua nos*, erectos, ne recidamus: *Et redime nos*, vel libera à malis pœnæ, ne sustineamus. Et hoc totum *propter nomen tuum*, non propter meritum nostrum. *Isa.* 64. Omnes iustitiæ nostræ, sicut pannus menstruatæ sic sunt coram eo. Vel sic: Ita conglutinati sunt fideles cum infidelibus: sed vt cesset ista conglutinatio, *exurge Domine*, id est, te resurrexisse ostende, vt intelligentes credant, vt te glorificent secundum illud *Psal.* Exurgam diluculo. Propterea confitebor tibi in populis Domine, & Psalmum dicam tibi in Gentibus. Et sic *redime me* de manu Gentilium nos persequentium, secundum quod promisisti. *Ierem.*15. Liberabo te de manu pessimorum, & reducam te de manu fortium. Et hoc totum *propter nomen tuum*, non propter meritum nostrum. Illud nomen tuum exaltandum, de quo *Act.* 4. Non est aliud nomen in quo oporteat saluos fieri credentes. Ad *Phil.*2. Dedit illi nomen, quod est super omne nomen. *Augustin.* Quia tu dignatus es facere, non quia dignus sum cui facias. *Dan.*3. simile: Ne quæsumus tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, & no dissipes testamentum tuum, & ne auferas misericordiam tuam à nobis, sed da eam nobis qui es pater misericordiarum, Deus benedictus per infinita sæculorum sæcula. Amen.

IN XLIV. PSALMVM.

1. *In finem pro his qui commutabuntur filiis Core ad intellectum canticum pro dilecto.*

2. *Argumẽtum Psalmi, Cãticum nuptiale in laudem Christi & sponsæ humanitatis vel Ecclesiæ.*

Eructauit cor meum verbum bonum. Hic est Psalmus quadragesimus quartus. Postquam enim actum est de Martyrum miseria & afflictione in præcedenti Psalmo, & oratione ipsorum ad Deum pro liberatione, subiungitur hîc dulcis consolatio in cantico Epithalamico, hoc est, in hoc Psalmo, qui dicitur canticum non quodcumque, sed epithalamicum canticum, id est nuptiale, & dicitur epithalamicum ab θὰ quod est de, & thalamus, quia solet cantari tale canticum, quando ingreditur sponsa thalamum sponsi, in laudem vtriusque. Sic cantatur hic *Psal.* in laudem Filij Dei, humanæ naturæ in vtero virginali illi desponsatæ, in honorem & laudem Ecclesiæ sponsæ & Christi sponsi, quæ est summa consolatio animæ quantumcumque tribulatæ.

Et hoc innuitur satis in titulo qui talis est: *In finem pro his qui commutabuntur filiis Core ad intellectum canticum pro dilecto.* Exponitur autem dupliciter. Primò vt subaudiatur Psalmus, sic: Psalmus hic in finem tendens, id est, tendere nos faciens, scilicet in consummationem quæ facta est in incarnatione, vbi sese quasi abbreuiando diuinitas fecit consummationem vniuersi, quando nouissima creatura homo vnita est suo principio. *Isa.* 10. Consummationem & abbreuiationem fecit Dominus Deus exercituum in medio omnis terræ. Scriptus est, *filiis Core*, id est, Christi crucifixi in Caluaria, & hoc *ad intellectum*, supple, tanti mysterij, scilicet nuptiarum & coniunctionis humanæ naturæ cum diuina, & ipsius Christi cum Ecclesia. Hic, inquam, Psalmus, est *canticum*, spiritualis scilicet exultatio, *pro his qui commutabuntur*, scilicet pro Ecclesia ex pluribus congregata, quæ commutatur renouata à vita veteri culpæ, & transiens in vitam nouam, secundum illud ad *Ephes.*4. Deponite vos veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris: renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem qui secundum Deum creatus est. Et *pro dilecto*, scilicet pro sponso, eos sic commutante. Dilectus Christus de quo *Matth.* 3. & 17. Hic est Filius meus dilectus, & commutans Ecclesiã siue naturam humanam illa mutatione de qua in *Psal.* Hæc mutatio dexteræ Excelsi. Potest etiam esse titulus, vt non subaudiatur Psalmus, sic: *Canticum*, mentis scilicet exultatio, *pro his, qui commutabuntur*, sicut prius dictum, *in finem* nos ordinans, conuenit *filiis Core*, sicut prius, & hoc *ad intellectum* habendum, sicut prius omninò.

Psalmus autem secundum *Glossam* diuiditur in tres partes. Primò promittit se caniturum. Secundò soluit debitum quantum ad laudes sponsi ipsum in pluribus commendando, ibi, *Speciosus forma.* Tertiò quantum ad laudes sponsæ. *Audi filia.* In prima duo. Primò promittit se caniturum ex cordis plenitudine. Secundò dicit, quòd non est à se plenitudo, sed à Deo interiùs mouente, ibi, *Lingua mea calamus scribæ.* In prima duo. Primò dicit, quòd ex abundantia cordis laudes eructat. Secundò quas, & cui dicit laudes, specificat. *Dico ego.*

Diuisio Psalmi, laus sponsi, deinde sponsæ.

Dicit ergo: Sic audio conquestiones Martyrum afflictorum, sed ad consolationem illorum, *cor meum*, non tantum os, sicut illorum de quibus *Ierem.*2. Prope es tu ori eorum, longè autem à renibus eorum. *Isa.*29. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. *Eructauit*, inquam, de plenitudine sua. *Cassiod.* Eructare dicitur quando multa satietas ciborum digestiones saluberrimas euaporat. Sed constat, quòd verba Dei cibus cordis sunt. *Ierem.*15. Inuenti sunt sermones tui, & comedi eos, & factum est verbum tuum in gaudium, & in lætitiam cordis mei. Hoc ergo cibo plenum *cor, eructauit verbum bonum*, hymnum scilicet bonum à Deo. *Psal.* Edent pauperes, & saturabuntur, &c. Sed cui vis hoc bonum verbum eructare? *Dico ego*, non alius, *opera mea*, id est, istas laudes supponendas. Quod verò est est opus hominis? *Augustin.* Summum hominis opus non est nisi laudare. Hoc dicit Dominus per *Isa.*43. Populum istum formaui mihi, laudem meam narrabit. *Regi*, antonomasticè, id est,

ad

ad honorem illius, qui ſimpliciter Rex eſt ſuper omnes. *Apoc.*19. Habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum, Rex regum, & Dominus dominantium. Alia lectura hîc ponitur, ſecundum quod Pater loquens introducitur de filij æterna generatione. Sed *Auguſt.* & *Hieronym.* non approbant, & propter hoc tranſimus.

Lingua mea calamus. Hîc ſecundum, in quo oſtendit, quòd hanc plenitudinem, vnde eructat, non habet à ſe, ſed à Deo, & oſtendit ſe motum à Spiritu ſancto. Secundò ex parte ſua nullum impedimentum. *Velociter.* Ait enim: Sic cupis hymnum regi cantare. Nunquid ex te? Non, imò *lingua mea eſt calamus ſcribæ*, qui nihil facit per ſe: ſic nec illa niſi Spiritu ſancto mouente. 2. *Reg.* 23. Spiritus Domini loquutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam. *Scribæ*, inquam, *ſcribentis velociter*, non impediti ex mala calami diſpoſitione. *Hieron.* Nullus tam velociter ſcribit, ſicut ipſe in cordibus Sanctorum, calamus linguarum: quippe hæc ſcriptio eſt cordium illuminatio ad intelligendum quod dicitur. Illuminatio autem ſubitò fit. *Pſal.* Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. *Sap.* 17. Omnibus mobilior eſt ſapientia. Non enim prophetia humano conatu & cogitatione infunditur, ſed diuina irradiatione. 2. *Pet.*1. Non enim humana voluntate allata eſt prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirante loquuti ſunt Sancti Dei homines. Vel velociter ſcribit, quia dicit ſimul & facit. *Pſal.* Dixit, & facta ſunt. *Pſal.* Velociter currit ſermo eius.

3. *Laus ſponſi à quatuor.*

Specioſus forma. Hîc ſpecialiter commendatio ſponſi, quem commendat à quatuor, ſicut vult *Gloſſa.* Primò à ſpecioſitate. Secundò à poteſtate. *Accingere gladio.* Tertiò ab authoritate iudicandi, ibi, *Sedes tua.* Quartò ab habitu vel ornatu. *Myrrha & gutta.*

A pulchritudine.

In prima tria. Primò commendando tangitur ſpecioſitas. Secundò ſpecioſitatis irradiatio in alios, vel radioſitas, ibi, *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.* Tertiò præmium conſequens ex duobus. *Propterea benedixit.* Dicit ergo, vt ſit verbum prophetiæ: Sic verbum dicam Regi, quia dico, *Specioſus* es, ô Rex, *forma*, interiori ſine macula culpæ. *Iſa.*53.1. *Pet.*2. Qui peccatum non fecit. *Auguſt.* Summa & vera pulchritudo, iuſtitia eſt. *Ierem.* 23. Hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter. Et hoc, *præ filiis hominum.* Omnes hominum filios excellens pulchritudine. Nec dicit Angelorum, quamuis omnibus Angelis pulchrior ſit, vt in ea comparatione, ad res ſui generis, ſcilicet homines comparet. *Auguſt.* Erat homo inter filios hominum, ex filiis hominum, & præ filiis hominum.

Et nota, quòd loquitur hîc ſecundum *Caſſiod.* de pulchritudine mentis, non corporis. Ait enim: *Specioſus*, hoc dicitur, non quia forma eius decori lactei coloris eluxit, aut flauo crine lampauit, id eſt, luxit in modum lampadis, aut inſigni ſtatura præminuit, ſed quia peccata non habuit. *Iſa.* 53. Non eſt ei ſpecies neque decor. *Auguſt.* Videtur velle contrarium. Ait enim: Inuenit multa fœda, & amauit nos, ſi quid fœdi in eo inuenimus, non amemus, quia in hoc ipſum quod carne indutus eſt, & ibi pulcher eſt. Reſponſ. Verè pulcher fuit, & eſt ſecundum humanitatem, nec hoc negat *Caſſiodor.* ſed vult dicere, quòd de illa. Propheta hîc non intendit, quia *Prou. vlt.* Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo. Sed de mentali. Ad illud *Iſaiæ*, dicendum quòd loquitur ſecundum ſtatum paſſionis, quando linitus erat fœdis Iudæorum ſputis, quando moriens in cruce pallebat, & hoc infidelibus, fidelibus enim in omni ſtatu pulcher eſt. *Auguſt.* Vobis credentibus vbique ſpecioſus, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher deponens animam, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in ſepulchro, pulcher in cœlo. Sed quia non ſufficit pulchritudo niſi fluat ad alios decorandos, addit. *Chriſtus vbique pulcher.*

Diffuſa eſt, abundanter data *gratia*, doctrinæ veritatis, quam aliis influis, vt pulchri fiant. *In labiis tuis*, non ſolùm labia, imò & facies tota. *Iudith* 15. Valde mirabilis es Domine, & facies tua plena eſt gratia. Sed fortè magis commendat gratiã, labiorum affecta ad oſculum anima quæ loquitur hîc ſi fortè aliquid influat de gratia illa. *Cant.* 1. Oſculetur me oſculo oris ſui. Et in vltimo, quis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, & inueniam re foris, & deoſculer te. Et notatur in diffuſione abundantia, totum enim quod effluxit de labiis illius, fuit gratia. *Aug.* Diffuſa eſt gratia in labiis tuis, cum morbidos verbo curas, cum mare quieſcere iubes, cum ventis ſilentium indicis, cum febrem diſcedere præcipis, cum Lazarum vocas, & venit per te interpellatus, & audit, & omnia quæcumque loqueris, gratia labiorum tuorum perficiuntur. *Ioan.* 11. Nunquam ſic loquutus eſt homo. *Eccleſ.* 8. Sermo eius poteſtate plenus eſt. *Matth.* 7. Erat loquens ſicut poteſtatem habens, non ſicut Scribæ & Phariſæi. Et quia ſic tu es ſpecioſus, & aliis vtilis & bonus, propterea *benedixit te*, ſcilicet hominem, *Deus*, tanquam maior te. Ad *Roman.* 7. Sine vlla autem contradictione, quod minus eſt, à maiore benedicitur: & non benedictione ſiniſtra, quæ fuit benedictio Eſau. *Gen.*27. id eſt, benedidictione temporalis proſperitatis, ſed *in æternum*, dando tibi regnum ſine fine. *Luc.* 1. Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.

4. *Laudatur à fortitudine.*

Accingere gladio. Hîc ſecundum, in quo agitur de eius fortitudine, & dicuntur quatuor. Primò petit confitendo potentiam vt inſtanter prædicet. Secundò vt hominem liberet. *Intende, proſperè.* Tertiò vt ſuper liberatum regnet. *Procede, & regna.* Quartò, quòd regnare debet. *Propter veritatem.* Dicit ergo: Sic *ſpecioſus es*, ô *potentiſſime. Iob* 9. Si fortitudo quæritur, robuſtiſſimus eſt. *Matth. vlt.* Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. *Potentiſſime*, inquam, *ſpecie tua*, in qua mundo viſibilis apparuiſti, ſcilicet in natura humana. *Cant.* 5. Species eius vt Libani, electus vt cedri. *Et pulchritudine tua*, id eſt, ſecundum formam Dei, in quam deſiderant Angeli proſpicere. 1. *Pet.*1. *Cant.* 5. Dilectus meus candidus & rubicundus. *Accingere gladio tuo*, id eſt,

prædica

prædicationis verbo, quæ gladius est ad *Eph.5.* Et gladium spiritus, quod est verbum Dei, quo natura coniuncti diuiduntur. *Matth.* 10. Non veni mittere pacem in terram, sed gladium: veni enim separare, gladio prædicationis, hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, &c. Et hoc, *super femur tuum*, carnem scilicet assumptam: femur enim significat carnem, eò quod in eo sit carnis seminarium. *Genes.* 24. Pone manum tuam super femur meum, & iura mihi super femur: & hic gladius ponitur quando caro ad obediendum verbo prædicationis cogitur, vt faciat homo quod docet. *Exod.* 31. Ponat vir gladium super femur suum. *Cant.*3. Vniuscuiusque ensis super femur suum.

Et nota, quòd bene dicit: *Accingere*: succingitur enim homo iturus. *Tob.*5. Egressus Tobias inuenit iuuenem stantem præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum. *Eccles.* 30. Quasi latro succinctus exiliens de ciuitate in ciuitatem. Præcingitur ministraturus. *Luc.*12. Præcinget se, & faciet eos discumbere, & transiens ministrabit illis. *Ioan.*3. Et cœpit tergere pedes discipulorum linteo quo erat præcinctus. Sed accingitur pugnaturus sicut hîc dicitur: & 1. *Mach.*3. Accingimini, & estote filij potentes. Discingitur autem requiem habituras. 3. *Reg.*3. Non glorietur accinctus æque vt discinctus. Nota etiam, quòd hoc quod dicitur, *Potentissime*, potest esse aduerbium, vt sit sensus: Accingere potentissimè, id est, fortiter, non segniter: & tunc quod sequitur, *specie tua*, &c. cum sequenti litera.

5. *Specie tua & pulchritudine.* Hîc secundum, secundum quod hoc legitur cum sequenti littera. Quasi diceret: Ita prædica fortiter, *& specie tua & pulchritudine*, vt legatur coniunctim, id est, specie pulchra tua, hoc est, iustitia tua quæ pulcherrima est, *intende*, super hominem. *Cant.* 2. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per cancellos, prospiciens per fenestras. *Eccles.*2. Oculus Domini respexit illum in bono, & erexit illum ab humilitate ipsius, & exaltauit caput eius. Intende, inquam, non in malum, sed *prosperè*, hoc est, ad eius bonum: specialiter enim verum est de tua iustitia illud *August.* Et summa & vera est pulchritudo, iustitia. Sic intendere optabat, qui dicebat: Benedicat tibi Dominus, benedicat tibi pulchritudo iustitiæ. Procede ab iis in bono deuictis ad alios deuincendos. Et posset etiam ad hoc adiungi: *Prosperè procede. Prosperè* victorioſus scilicet, qualis debes esse, quia *Prou.* 21. Vir obediens loquetur victorias. Et de te scriptum est ad *Phil.* 2. Factus obediens vsque ad mortem. Vel *procede*, de vtero virginali secundum illud *Psal.* Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, virginali scilicet vtero. *Et regna*, in hominibus conuersis per fidem, in quibus antea regnabat diabolus per infidelitatem. *Ioan.* 12. Nunc princeps huius mundi eiicietur foras. *Sap.*3. Regnabit illorum Rex, in perpetuum. *Psal.* Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium. Quoniam rex omnis terræ Deus.

Propter veritatem. Hîc quartum, in quo ostenditur, quòd debet regnare, & etiam quod regnabit: vnde dicuntur duo. Primò tangit meritũ quo regnare debet. Secundò modum. *Sagittæ tuæ.* In prima tria secundum triplex meritum. Primò bona dispositio aspectus. Secundò affectus. *Et mansuetudinem.* Tertiò effectus. *Et deducet te.* Dicit ergo: Sic dico, Procede & regna: & hoc erit, & debet esse, quoniam *propter veritatem*, quam habes in intellectu. *Ioan.* 1. Vidimus plenum gratiæ & veritatis. Et quam alios docuisti. *Psal.* Ego autem constitutus sum Rex, &c. *Et mansuetudinem*, in affectu existentem ad irascibilem, & hoc ad peccatores. *Ioan.*8. Qui sine peccato est vestrum, primus in illam, &c. Et infra: Mulier nemo te condemnauit? Nemo Domine. Nec ego te condemnabo: vade, & noli amplius peccare. Et ad persequutores. *Ierem.* 11. Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam. *Luc.*23. Pater ignosce illis: non enim sciunt quid faciunt. *Et iustitiam*, in concupiscibili. *Psal.* Iustus Dominus, & iustitias dilexit. Et non sic tantum interius, imo *& dextera tua*, à qua est motus & operatio, non existens otiosa, *deducet te*, ab vno opere in aliud: & hoc *mirabiliter*, sine omni offensione, & culpa: hoc enim mirabile est in hoc mundo viuere, & non offendere, quia *Iac.*3. In multis offendimus omnes, maximè in verbis. *Iacob.*3. Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir. Sed offendere non poterat lux, quæ alios ab offensione conseruat. *Ioan.* 11. Si quis ambulat in luce, non offendit. Et ipse est lux. *Ioan.*8. Ego sum lux mundi.

Vel *dextera tua*, id est, diuinitas, quæ est in te tanquam dextera, humanitas vt sinistra, sic *deducet te*, vt dictum est. De hac dextera *Psal.* Delectationes in dextera tua vsque in finem. *Deducet te* à gente in gentem vt in omnibus regnes.

Et notantur in hoc versu quatuor virtutes Cardinales in Christo. Veritas, in quo prudentia. *Propter veritatem.* Mansuetudo quæ est quædam temperantia. *Et mansuetudinem.* Et iustitia per seipsam. *Et iustitiam.* Et fortitudo. *Dextera tua deducet te mirabiliter*, &c. Fortia enim facere, & mirabiliter, fortitudinis est.

Sagittæ tuæ. Hîc medium, & modum tangit 6.
quo hoc fiet. Primò medium, quia mdiantibus verbis prædicationis. Secundò modum, quia populi humiliabuntur. Dicit ergo: Dixi, quòd venies ad regnandum, quia & debes: & fiet, quia *sagittæ tuæ*, id est, verba tua. Si enim verbum sagitta non esset. *Ierem.* non diceret in 9. Sagitta vulnerans lingua eorum. Per causam loquitur. Linguam dicit sagittam, quia à lingua verbum quod est sagitta. Et illud *Eccles.* 19. Sagitta infixa in femore carnis, sic verbum in corde stulti. *Acutæ* & penetrabiles. Ad *Hebr.*4. Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Ita in bono penetrabiles, sicut malæ sagittæ in malo. *Eccles.* 29. Verba susurronis quasi duplicia, & ipsa penetrant vsque ad intima cordis. Et ideò *populi sub te cadent*, id est, subiicientur tibi. *Act.* 2. His auditis compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum & ad alios discipulos: Quid faciemus viri fratres? Ad *Roman.* 3. Subditus fiat omnis mundus Deo. Sed vbi credent? Nunquid in corpore? Non, sed interius,

interius, *in corde*, ſicut habent *Auguſt.* & *Hieronym.* Vel *in cerda*, in quibus ſe erigebant contra te. *Ierem.*51. Cor ſuum leuauerunt contra me, quaſi ventum peſtilentem. *Corda* dico, quæ ſunt *inimicorum regis*, id eſt, illorum qui erant prius inimici tui, qui es rex verus. *Apoc.* 19. Rex regum,&c.

Vel ſic ordinetur litera: *Populi inimicorum regis*, id eſt, tui, qui es Rex, & hoc pro magna parte, *ſub te cadent*, ſe tibi ſubiiciendo. *Iſa.*60. Venient ad te curui filij eorum qui te humiliauerunt, & adorabunt veſtigia pedum tuorum, omnes qui detrahebant tibi. Nec tantum corpore ſe ſubiicient, & coacti, ſed etiam *in corde*. Vel *in corda*, id eſt, voluntarij, hoc enim placet Deo. *Pſal.* Voluntariè ſacrificabo tibi. *Exod.*2. Ab omni homine qui offert ſpontaneus & voluntarius, accipietis.

7. *Laudat à poteſtate iudiciaria.*

Sedes tua in ſæculum. Hîc commendat eum ab authoritate iudicandi & regnandi: & tanguntur quatuor. Primò oſtendit in Chriſto regnandi vel iudicandi æternam poteſtatem. Secundò æquitatem. *Virga directionis.* Tertiò regnantis, & iudicantis dignitatem & ſanctitatem. *Dilexiſti iuſtitiam.* Quartò cauſam æquitatis & ſanctitatis in illo. *Propterea vnxit te Deus.* Dicit ergo: Talis es poteſtate & fortitudine, & etiam, ô tu Deus, *ſedes tua*, poteſtas ſcilicet iudiciaria, quæ ſedes eſt. *Iſa.* 6. Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum. Et benè *ſedes*, quia tranquilla. In ſede enim quieſcitur. *Sap.*12. Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas. Non eſt ad modicum tempus ſicut aliorum. *Eccleſ.*10. Sedes ducum ſuperborum deſtruxit. Et in eodem, Omnis potentatus breuis vita. Sed *in ſæculum* conſequutiuum *ſæculi. Dan.*7. Poteſtas eius poteſtas æterna quæ non auferetur,& regnum eius quod non corrumpetur.

Chriſtus dicitur ſedere ex multiplici capite.

Et nota, quòd Chriſtus dicitur ſedere, aliquando propter occultationem qua latet in ſinu Patris inquantum Deus eſt. In *Pſal.* Qui ſedes ſuper Cherubim, moueatur terra. Item propter incarnationis humilitatem. *Ezech.*44. Hæc porta clauſa erit principi, & vir non ingrédietur in eam: & princeps ſedebit in ea. Propter patientiam quietiſſimam in Paſſione. *Pſal.* Tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam. Propter iudicandi authoritatem, ſicut hîc. *Dan.*7. Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt. Vltimò propter ſuauem tranquillitatem quam facit in ſanctis. *Iſa.vlt.* Cœlum mihi ſedes eſt, id eſt, anima iuſti. Et *Matth.*5. Dico vobis non iurare omninò, neque per cœlum, quia ſedes Dei eſt.

Virga directionis. Hîc ſubiungit de æquitate. Quaſi diceret: Sic æterna eſt authoritas. *Et virga*, id eſt, gubernatio: *regni tui*, id eſt, qua regitur regnum tuum, *virga directionis.* Nihil enim in diuina æquitate diſtortum eſt. *Pſal.* Rectus Dominus Deus noſter, & non eſt iniquitas in eo, id eſt, inæqualitas aliqua. *Caſſiod.* Hæc virga eſt fortitudo inuicta. Propter hoc dicitur virga ferrea ſuprà in *Pſal.* Reges eos in virga ferrea. Æquitas rectiſſima. Propter hoc *directionis* inflexibilis diſciplina. Propter hoc dicitur virtutis. *Pſal.* Virgam virtutis tuæ emittet Dominus, &c.

Maria virga eſt multiplici modo.

Notandum, quòd eſt virga ſanctitatis Virgo Maria. *Iſa.*11. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos, &c. quomodo enim virga ſanctitatis non eſſet, de qua tantæ ſanctitatis flos aſcendit? Nec tantum ſanctitatis, ſed etiam ſanitatis. *Numer.*12. Virga Aaron peperit amygdala, fructum infirmorum. Et eſt virga poteſtatis faciendi miracula, virga Moſaïca. *Exod.*14. & 16. & in aliis locis multis. Et eſt virga authoritatis, poteſtas iudiciaria, de qua hîc loquitur. Et paſtorum eſt habere hanc virgam. Hæc eſt virga Ioſeph, qua conſtitutus fuit rector totius Ægypti. Ad *Hebr.*11. Fide Iacob moriens per ſingulos filios benedixit Ioſeph, & adorauit faſtigium virgæ eius. Et eſt virga vltionis, mali homines, per quos Deus punit & flagellat bonos. *Iſa.*10. Væ Aſſur virga furoris mei. Ipſe eſt enim baculus in manu mea. Et eſt virga poteſtatis accipiendi neceſſaria. *Matth.*6. Præcepit illis, vt nihil ferrent in via, niſi virgam tantum. Et eſt virga blandæ conſolationis. *Pſal. Virga tua, &c.*

8. *Laudat à ſanctitate.*

Dilexiſti iuſtitiam. Hîc eſt tertium, in quo oſtendit iudicantis ſanctitatem in duobus. In amore boni,& odio mali. *Et odiſti iniquitatem.* Dicit ergo: Regnas perpetuò æquè iudicans, & dignus es. Vel verè nihil in tua poteſtate diſtortum, totum rectum, quia *dilexiſti iuſtitiam. Pſal.* Iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit, in ſe, & in aliis, vt ipſam diligant præcipit. *Sap.* 1. Diligite iuſtitiam qui iudicatis terram. *Et odiſti*, non homines, quia creaturæ tuæ ſunt. *Sap.*11. Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti. Sed *iniquitatem*, vt in perſona tui veraciter dictum eſt: Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum. *Iſa.*61. Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocauſtum. Econtra de malis iudicibus. *Micha.* 3. Nunquid non veſtrum eſt ſcire iudicium, quia odio habetis bonum, & diligitis malum?

Propterea. Ecce quartum, ſcilicet cauſa æquitatis & tantæ ſanctitatis gratia in excellenti gradu, imò incomparabili ad omnes alios. Dicit ergo: Virga tua virga eſt æquitatis. Sic bonum diligis, & malum odiſti. Et *propterea*, vt ſcilicet talis eſſes, *vnxit te Deus*, *Deus tuus*, nominatiui caſus: Vocatiui, ô *Deus. Iſa.* 61. Spiritus Domini ſuper me, eò quod vnxerit me. *Act.*4. Vnxiſti puerum tuum IESVM. *Oleo latitiæ*, ad differentiam olei bonæ famæ, de quo *Cant.*1. Oleum effuſum nomen tuum. Miſericordiæ, de quo *Luc.*10. Samaritanus effudit vulneribus ſauciati vinum & oleum. Adulationis. *Pſal.* Oleum peccatoris non impinguet caput meum. Communis omnium charitatis. *Matth.*25. Prudentes acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus. Et hoc, *præ conſortibus tuis*, tibi ſimilibus in natura, & tibi participibus in gratia, quantum habent ex te. *Ioan.*1. Omnes nos de plenitudine eius accepimus. *Pſal.* Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit, &c. *Gen.*28. Iacob lapidem erexit in titulum, fundens oleum deſuper. Et *Leuit.*8. Præceptum fuit Moyſi, vt oleo inungeret Aaron fratrem ſuum cum Pontifex fieret. Ex hac vnctione dictus eſt Chriſtus,& nos omnes conſequẽter Chriſtiani. Et inunctus fuit vt rex, vt ſacerdos, vt pugil.

Oleum latitiæ, bonæ famæ, miſericordiæ, adulationis, & charitatis.

Myrrha

9. *Laudat ſponſum ab habitu & ſponſæ ſocietate.*

Myrrha & gutta. Hîc quartum, in quo commendat ſponſum ab habitu, & ſocietate. Primò ab habitu. Secundò quia eſſe ſeparatum indecens eſt à ſponſæ ſocietate. *Aſtitit Regina.* In prima duo. Primò commendat ab habitu. Secundò ab effectu conſequenter ex illo. *Ex quibus delectauerunt.* In prima duo. Eſt enim duplex habitus quo tegimur. Commendatur ergo primò ab illo, qui eſt veſtis qua protegimur. Et eſt domus, à qua ſecundò. *A domibus eburneis.* Dupliciter autem legitur primum: quia per veſtimenta poteſt intelligi corpus Chriſti myſticum, vel verum. Primo modo ſic: Myrrha quæ ſeruat corpora à putredine, & amara eſt, id eſt, carnis mortificatio quæ ſeruat à putredine luxuriæ, ſicut dicitur *Ioel.* 2. Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo. Sed carnis mortificatio ab hac ſeruat: propter quod dicitur. Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, concupiſcentiam malam. Ad *Coloſſ.* 3. *Et gutta,* Ammoniaca, ſic dicta eſt à terra, & appellatur *gutta* nomine generali, quæ deſiccat & deſtruit omnem inflaturam, & ſignificat humilitatem quæ deſtruit inflaturam ſuperbiæ. Hæc eſt gutta de qua *Eccleſ.* 24. Quaſi ſtorax, & gabalnus, & fiſtula, & gutta. *Et caſſia.* Genus aromatum eſt, & creſcit in locis aquoſis, & odorem optimum euaporat, & ſignificat fidem, quæ odorem bonæ famæ reddit. 2. ad *Corinth.* 12. Chriſti bonus odor ſumus Deo. Et vſque in cœlum proficit & creſcit. *Hebr.* 11. Fide Enoch tranſlatus eſt, &c. Et in baptiſmi aquis naſcitur. Hæc, inquam, tria ſpirant *à veſtimentis tuis*, à fidelibus tuis, qui ſunt tuum veſtimentum. *Iſa.* 49. Viuit Dominus, quia his omnibus velut ornamento veſtieris.

Vel ſic: *Myrrha*, id eſt, amara mortis tuæ recordatio, & *gutta*, mollificans prædicatio: *Et caſſia*, baptiſmatis aquæ, fluxerunt *à veſtimentis tuis*, à membris tuis in cruce extenſis, quibus anima veſtiebatur. *Iob* 10. Pelle & carnibus veſtiſti me, &c. Et hæc etiam ſunt *à domibus eburneis*, id eſt, Sanctis, qui ſunt domus, in quibus habitas. 1. *ad Corinth.* 3. Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Sed domus eburnea propter caſtitatem. Eſt enim ebur frigidæ naturæ, & ex animali caſto, ſcilicet elephante. Tales autem, ſcilicet eburneos oportet eſſe eos, qui ſunt domus Dei. *Sap.* 1. In malenolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.

10. *Ex quibus.* Hîc effectus ratio, ex duplici habitu. Ait enim: Sic ſpirant veſtimenta tua ſicut domus: *ex quibus* rebus, ſcilicet bonis odoribus, *filiæ regum*, nobiles animæ, Sanctorum filiæ, vel ad literam ſicut Catharina, & aliæ ſimiles illectæ, *delectauerunt*, id eſt, delectabilem habuerunt, *te*: & hoc, *in honore tuo*, non in aliquo ſui commodo. *Cantic.* 1. Adoleſcentulæ dilexerunt te nimis.

Vel ſic, vt hoc quod dicit, *In honore*, determinet illud quod dictum eſt, *filiæ regum.* Quaſi diceret: Illæ quæ ſunt filiæ regum: & hoc *in honore tuo*, *delectauerunt te*, ſicut prius ex prædictis.

Laus ſponſæ. *Aſtitit regina.* Hîc commendat à ſocietate

ſponſæ decenter ornatæ: & dicuntur duo. Primò monſtratur in ſponſa decentia debita. Secundò in ornatu, pulchritudo & gloria. *In veſtitu deaurato.* Dicit ergo: Talis es ô ſponſe, & talis ornatus tuus. Sed nunquid ſolus? Non, imò *aſtitit* ſpe erecta cœleſtium, non amore terrenorum incuruata, ſecundum illud *Pſal.* Mane aſtabo tibi & videbo ſi veniant mihi illa æterna bona, & inhians ad illa. Ad *Tit.* 2. Expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei. *Regina*, Eccleſia per Eſther figurata. *Eſther.* 6. Eſther eſt quam Rex Aſuerus accepit vxorem, & voluit eſſe reginam. *A dextris tuis*: etſi non adhuc re, tamen ſpe, dextram tenet iudicantis. Ad *Rom.* 8. Spe ſalui facti ſumus: & in dextris poſiti, ſecundum quod dicitur *Matth.* 25. Ponet agnos quidem à dextris, hœdos autem à ſiniſtris.

In veſtitu. Hic veſtitus gloria & pulchritudo. Tangitur enim primò pretioſitas. Secundò pulchritudo. *Circundata.* Sic *ſtetit regina in veſtitu deaurato.* Dupliciter legitur, quia veſtitus poteſt dici doctrina veſtiens intellectum, vel operatio bona, quaſi decorans affectum. Primo modo ſic: *Aſtitit regina in veſtitu deaurato*, id eſt, in doctrina ſapientiæ contexta filis ſpecierum de rebus aſſumptarum: vt conſtituerent ſapientiam tanquam veſtem ſplendidiſſimam. *Sap.* 6. Clara eſt, & quæ nunquam marceſcit ſapientia. *Eccleſ.* 51. In ſipientiam eius luxi.

Vel *in veſtitu deaurato*, id eſt, in operationibus virtutum ſimul coniunctarum, & ordinatè factarum. 1. ad *Corinth.* 13. Omnia honeſtè, & ſecundum ordinem fiant. Hæc veſtis de qua in *Pſal.* Sacerdotes tui induantur iuſtitiam, ſed auro charitatis decoratam. Vnde non dicit auream: ſic enim ſolam charitatem habere crederetur: ſed *deauratam*, vt forma bonorum operum charitas intelligatur: ipſa enim eſt aurum puriſſimum quo præcepit Dominus veſtiri tabulas tabernaculi. *Exod.* 26. Sed non ſic de virtutibus Philoſophorum, quæ non fuerunt ornatæ charitate, vnde nec pulchra veſtis fuerunt, ſed ſordida. *Iſa.* 63. Omnes iuſtitiæ noſtræ tanquam pannus menſtruatæ.

Circundata varietate. Quaſi diceret: *Deaurata*, propter pretioſitatem: *circundata varietate*, propter multitudinem, & multiplici varietate. Primò linguarum. *Act.* 2. Loquebantur variis linguis Apoſtoli, &c. Virtutum: ornatur enim Eccleſia argento Prophetarum, auro Apoſtolorum, cocco Martyrum, gemmis virginum, purpura pœnitentium. Hoc ſignificatum fuit *Exod.* 26. vbi præceptum eſt, quod veſtes ſacerdotales ex cocco, & purpura, & gemmis, & auro texerentur. Conſuetudinum: nihil enim officit in Eccleſia in eadem fide conſuetudo diuerſa, imò magna eſt pulchritudo. *Aug. in lib. Confeſſ.* Alius ſic ibat. Officiorum *Epheſ.* 4. Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam verò Prophetas, alios Euangeliſtas, &c. Remunerationum. *Ioan.* 16. In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. 1. ad *Corinth.* 15. Differt ſtella à ſtella in claritate, ſic eſt reſurrectio mortuorum. Hæc varietas exprimitur

Apocal. 7. Vidi turbam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis ſtantes ante
11. thronum.

Audi filia & vide. Hîc tertia pars Pſalmi, in qua ſubiungitur ſponſæ commendatio, & ſicut vult *Gloſſa*, primò commendatur à forma, ſeu ſpecioſitate. Secundò à gloria, ibi, *Omnis gloria eius.* Tertiò à ſocietate, ibi, *Adducentur.* Quartò à prole, ibi, *Pro patribus tuis.* In prima commendat eam à forma fidei, quæ eſt decor animæ & purgatio. *Act.* 11. Fide purificans corda eorum, inuitando ſemper ad perfectionem in illa: & dicuntur duo. Primò inuitatio. Secundò perſuaſio, quòd debeat acquieſcere. *Et concupiſcet Rex.* In prima quatnor. Primò inuitat ad audiendum diligenter Euangelium. Secundò ad videndum per fidem ipſum Chriſtum. *Et vide.* Fides enim ex auditu. *Rom.* 10. Tertiò docet audiendi modum. *Et inclina.* Quartò videndi, vel credendi. *Eſt obliuiſcere.* Dicit ergo: Talis eſt ſponſus, ſed ô tu *filia.* Eccleſiam vocat filiam, ipſe enim fuit de Patribus, vnde illa nouella, vel primitiua quam alloquitur, deſcendit. Vel filiam dicit non ſuam, ſed Apoſtolorum, qui eam in fide genuerunt. *Gal.* 4. Filioli mei, quos iterum parturio. *Audi*, doctrinam Euangelicam: *& vide*, poſtea Chriſtum per veram fidem. Vel *audi*, Prophetas antiquos Chriſti incarnationem promittentes: *& vide* impletam. *Act.* 3. Deus qui prænuntiauit per os omnium Prophetarum pati Chriſtum ſuum, adimpleuit ſic. Et infrà, omnes Prophetæ à Samuel & deinceps annuntiauerunt dies iſtos.

Et nota ordinem. *Audi* prius, & poſt *vide*, ſicut Regina Saba. 3. *Reg.* 10. prius audiuit famam Salomonis. Secundò vidit ipſum Salomonem. *Audi* ergo primò, *& vide* poſtea per fidem, vt poſtmodum videas per ſpeciem. 1. ad *Corinth.* 13. Videmus eum per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Sed quia aliquando audiunt ſuperbi ad reprehendendum. *Matth.* 22. Phariſæi conſilium inierunt, vt Ieſum dolo tenerent, & occiderent, addit contra hoc: *Et inclina* humiliter, *aurem tuam.* Alioquin non introibit ſapientia. Malitioſè ſcilicet inſidiantem non introibit. *Sap.* 1. *Matth.* 11. Abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Quippe doctrina aqua eſt: aqua autem naturaliter petit loca humilia. *Prouerb.* 27. Aqua profunda, verba ex ore viri. Propter hoc *Eccleſ.* 32. Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia.

Et obliuiſcere. Hîc quomodo credendum in Chriſto, quia excluſo ritu Iudaico, & excluſa lege Moſaica. *Et domum patris tui*, Ait enim: Sic audi, & ſic etiam crede. Quomodo? *Obliuiſcere populum tuum*, modum omnem & ritum Iudaicum, & etiam gentium, & idololatrarum. *Matth.* 6. Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire. 1. ad *Corinth.* 10. Non poteſtis bibere calicem Domini & dæmoniorum. Et non hoc, imò & fuge conſortium, vnde addit: *Et domum Patris tui*: *Obliuiſcere*, repete. Domum autem vocat congregationem malignantium, & Iudæorum, & gentilium, cuius domus pater eſt diabolus. *Ioan.* 4. Vos ex patre diabolo eſtis. *Ezech.* 16. Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.

Et concupiſcet Rex. Hîc tangitur perſuaſio ab vtilitate multiplici conſequenti, ſi velit acquieſcere, & tangitur triplex. Primò amor ipſius à ſponſo. Secundò honor ipſius ſponſi à toto mundo pro ſponſa tam pulchra. *Quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus.* Tertiò ipſius ſponſæ veneratio. *Vultum tuum deprecabuntur.* Dicit ergo: Sic monui vt audias, & videas, ſed nunquid ſine fructu hoc facies? Non, imò *& concupiſcet Rex* cœlorum, Rex regum, & Dominus dominantium. *Apoc.* 19. *decorem tuum*, id eſt, propter tuum decorem diliget. Nec mirum *Eccleſ.* 40. Gratiam & ſpeciem deſiderabit oculus. *Et adorabunt eum*, ipſum regem te diligentem, honorem duliæ exhibentes. *Quoniam ipſe*, non dæmonia, non idola, cum quibus antea fornicabaris. *Ierem.* 3. Contaminauit terram, & mœchata eſt cum lapide & ligno. *Eſt Dominus Deus tuus.* 1. *Pet.* 3. Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans. *Et Deus tuus.* Repete ſupra in antecedenti Pſalmo. Tu es ipſe Rex meus, & Deus meus. Ac ſi dicat: Adorabunt eum, quia talem habet ſponſam, & tam pulchram, quam ſuſtinet & regit.

Ex ſponſæ obedientia ſeu Eccleſiæ fide triplex fructus.

In hoc etiam notatur magnæ ſponſæ prouocatio ad obliuiſcendum domum Patris, quia talis eſt ſponſus, qui eſt Dominus per poteſtatem, & Deus per omnium cognitionem apertiſſimam, & adoratus per confeſſionem potentiæ & ſapientiæ ab ipſa creatura. *Cant.* 6. Talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus.

Et filiæ Tyri. Hîc ſpecificat. Quaſi diceret: 13.
Adorabunt eum. Et etiam *filiæ Tyri in muneribus eum adorabunt.* Tyrus ciuitas eſt propinqua Iudæis, & ſemper quaſi odioſa illi genti. Vnde mirabilius eſt de eius conuerſione, hæc autem conuerſio figurata. *Matth.* 15. in muliere Chananæa, quæ egreſſa de finibus Tyri venit, & Dominum adorauit. Adorabunt autem *in muneribus*, ſeipſos Deo offerendo ſecundum illud ad *Roman.* 12. Obſecro vos per miſericordiam Dei vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuam, ſanctam, Deo placentem. 2. ad *Corinth.* 8. Semetipſos dederunt primum Domino. Item *filiæ Tyri*, peccatores: Tyrus enim interpretatur anguſtia, & omnis peccator in anguſtia eſt, quia *Prouerb.* 15. Funibus peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur. Et dicuntur filiæ, quia inutiles ſunt ſicut filiæ. *Pſal.* Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt.

Quomodo diuites plebis ſunt.

Vultum tuum. Hîc tertius fructus, ſcilicet ipſius Eccleſiæ veneratio. Quaſi diceret: Adorabunt Dominum Deum tuum. Et etiam ô Regina, *omnes diuites plebis*, non tantum minores & pauperes. Sed quomodo plebis ſunt, ſi diuites ſunt? quomodo diuites, ſi de plebe? Reſp. Diuites, quia abundantiam habent bonorum temporalium: ſed plebis ſunt, quia ſemper cupiunt, & egent, ſicut ferè omnes qui diuites ſunt. *Bernard.* Conſtat eos multis indigere, qui multa poſſident. *Eccleſ.* 5. Vbi multæ

multæ diuitiæ,multi qui comedunt eas. *Ezech.* 27. In corde maris, hoc eſt, in profundo amaritudinis diuitiæ tuæ & theſauri tui. Propter hoc dicit *Seneca:* Vt diues ſis, non eſt diuitiis addendum, ſed cupiditatibus ſubtrahendum. Propter hoc dicit Dominus *Matth.*19. Diues difficiliùs intrabit in regnum cœlorum. Hi ergo *deprecabuntur vultum tuum*, id eſt,te apertè vt videant, ipſum hoc petentes, ſponſo reconciliari per te. *Iob vlt.* Præceptum eſt amicis Iob, vt venirent ad Iob, & ipſo mediante veniam impetrarent. *Iſa.*49. Venient ad te filij eorum qui te humiliauerunt, & vultu in terram demiſſo adorabunt te, & erunt reginæ nutrices tuæ, & reges nutritij tui. Hoc impletur *Act.*4. Quotquot poſſeſſores agrorum aut domorum erant,vendebant omnia, & afferebant ad pedes diſcipulorum.

14. *Laus ſponſæ à nobilitate & gloria.*

Omnis gloria eius. Hîc ſecundum, in quo commendatur ſponſa à gloria, & nobilitate: Et oſtendit primò, quod habet vnde glorietur interiùs. Secundò,quòd etiam exteriùs.*Circumamicta.* Dicit ergo. Sic ſpecioſa eſt Eccleſia: *& omnis gloria eius*, ſcilicet omnis eius filiæ,ſcilicet Eccleſiæ, quæ antea dicebatur ſponſa, modò filia: ſed ſponſa propter amorem, filia propter imitationem,quia filius quaſi ſit vt ille.*Eccl.*10. Qualis rector ciuitatis, tales & habitantes in ea. Eſt *ab intus*, à bona conſcientia. 2. ad *Cor.*1. Gloriamini in teſtimonio conſcientiæ veſtræ, non mendacis linguæ, & adulatoriæ. *Matth.*6. Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua: ſed eleemoſyna tua ſit in abſcondito. Non eſt gloria Iudaïca, quæ gloriatur in circunciſione corporali. *Ierem.*4. Auferte præputia cordium veſtrorum. Tales volebat Petrus eſſe Chriſtianas mulieres. 1.*Pet.*3.Non ſit extrinſecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus: ſed qui abſconditus eſt cordis homo in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus.

Filiæ, inquam, exiſtentis *in fimbriis aureis*, id eſt, in doctrina diuinæ ſapientiæ: per fimbriam enim quæ inferior pars eſt habitus corporalis, bene ſignatur ſapientia quæ eſt inferior pars habitus mentis. Et iterum in lege præceptum erat, vt in fimbriis tunicæ hiacinthinæ Aaron, præcederent tintinabula aurea,vt ſonus audiretur quando ingrediebatur & egrediebatur tabernaculum. *Exod.*28. In illo autem ſonitu doctrina ſapientiæ intelligitur. Et hoc eſt gloria filiæ. *Ierem.* . In hoc glorietur qui gloriatur, ſcire & noſſe me. Item fimbria eſt finis veſtimenti, & ſignificat vltimos qui erunt in in fine mundi. Sed illi finales Eccleſiæ erunt aurei, & optimi, fulgentes ſapientia & charitate ſicut aurum. *Prou.*4. Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens creſcit & proficit vſque ad perfectam diem. Bonæ iſtæ fimbriæ, & qui eas tetigerit, ſaluabitur. *Matth.*9. & *Luc.*8. Si tetigero fimbriam veſtimenti eius, ſalua ero. Quæ regina erat *circumamicta varietatibus*, linguarum, virtutum, bonorum operum quæ ſunt extrà, vt verè dici poſſit ei illud *Cant.* 4. Tota pulchra es amica mea, & interius, & exterius.

Laus ſponſæ à comitatu.

Adducenturregi virgines. Hîc ſubiungitur tertium, ſcilicet commendatio ſponſæ, à conſortio cum quo venit ad ſponſum. Tria ergo dicuntur in hac parte. Primò multorum adductio. Secundò modus adducendi illos, ibi, *Adducentur in lætitia.* Tertiò quò adducentur, *ibi*, *Adducentur.* In prima duo. Tangitur enim primò de conſortio imperfectorum. *Proximæ eius.* Sic ſponſa oblita domus Patris ſui, venit ad ſponſum, *& virgines*, mentes ſcilicet pudicæ & continentes *adducentur regi*, ſponſo ſuo, Chriſto, qui eſt Rex regum, & Dominus dominantium: & hoc *poſt eam*, & per eam tanquam comites & amicæ. Et dicit: *Adducentur*, innuens, quòd per ſe venire non poſſunt, niſi virtute Spiritus ſancti & gratia. *Pſal.* Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. *Ierem.*30. Et applicabo eum gratiæ ſuæ, & accedet ad me. *Cant.*1. Trahe me poſt te. *Proximæ eius*, id eſt, animæ coniugatæ caſtitatem ſeruantes coniugalem & vidualem, ſcilicet animæ imperfectæ *afferentur tibi*, ô tu Rex.

Virgines ducuntur, viduæ afferuntur.

Et nota modum loquendi: Virgines dicit adduci tanquam fortiores. *Apoc.*13. Virgines enim ſunt, & ſequuntur Agnum quocumque ierit. Sed viduas & coniugatas afferri,tanquam fractas diuerſis deſideriis, & ſollicitudinibus & curis. 1. *Reg.* 2. Quæ multos habebat filios, infirmata eſt. *Ierem.*15. Infirmata eſt quæ peperit. 1.ad *Corinth.*7. Virgo cogitat quæ ſunt Dei, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu: quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro. Vel pro eiſdem poſſunt accipi virgines,& proximæ. Quaſi diceret: Sic adducentur virgines, & proximæ eius,ſcilicet Eccleſiæ, hoc eſt, virgines prudentes *afferentur tibi*, ad nuptias tuas, ô tu ſponſè: non excludentur. *Matth.*25. Quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias. In adductione etiam ſignificatur quorundam conuerſio per prædicationem opportunam, in allatione quorundam conuerſio per importunam. 1.ad *Tim.*4. Inſta,opportunè, importunè.

16.

Afferentur in lætitia & exultatione. Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur modus afferendi, & eſt duplex. Vnus ex parte aduenientium, alter ex parte adductorum. Ait enim: Sic virgines adducentur,proximæ afferentur. *Et afferentur*, miniſterio Angelorum. *Pſal.* Angelis ſuis Deus mandauit de te. Et ſequitur: In manibus portabunt te. *Luc.*16. Factum eſt autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.Et hoc *in lætitia* ipſorum adductorum, *& exultatione* ipſorum adducentium. *Pſal.* Adduxit populum ſuum in exultatione, & electos ſuos in lætitia.

Item iſti portitores debent eſſe Eccleſiæ Prælati,& Paſtores,ſecundum illud *Num.*11. Porta eos in ſinu tuo,ſicut portare ſolet nutrix infantulum ſuum, & defer in terram, pro qua iuraui Patribus eorum. *In lætitia*, interiori, *& exultatione*, exteriori ipſorum portantium. *Luc.* 15. Cum inuenerit eam, imponit in humeris ſuis gaudens, & veniens conuocat amicos & proximos,dicens: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quam perdideram.

Sed quò adducentur? *In templum Regis*, vt cantent ibi ſicut in templo cantatur. *Apoc.*14.

Cantabant quaſi canticum nouum ante ſedem Dei, & ante quatuor animalia, & ſeniores. *Pſal.* In templo eius omnes dicent gloriam. Item vt ipſum templum ex ſeipſis conſtruant. 1. *Pet.*2. Ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini, domus ſpiritualis. Item vt diuinitatem Chriſti videant: ibi enim maximè relucet diuina potentia, ibi aperte videbitur. *Iſa.*35. Ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei ſui. Poteſt etiam etiam intelligi de templo Eccleſiæ militantis: adducentur enim virgines & proximæ vt ſint de vnitate Eccleſiæ. Si enim foris ſunt, quantumcumque virgines ſint, ſicut virgines hæreticorum & idololatrarum, & Iudæorum, fatuæ ſunt & miſeræ. *Amos* 5. In cunctis quæ foris ſunt, dicitur væ, væ. Quia templum hoc eſt ſtabile. *Auguſt.* Templum Dei non eſt ruinoſum, nec diuiſum: iunctura lapidum viuentium charitas eſt.

17. *Laus ſponſæ à prolis abundantia & nobilitate.*

Pro patribus tuis. Hîc quartum tertiæ partis Pſalmi, in quo commendatur ſponſa à prole, & dicuntur tria. Primò prolis multiplicitas. Secundò dignitas, ibi, *Conſtitues eos.* Tertiò vtilitas. *Propterea populi.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd cum magna veniet ſocietate ad templum tuum, ô tu ſponſe. Nam, ô tu ſponſa, *filij nati ſunt tibi*, non vnus tantum filius, ſed filij fortes & boni, ſcilicet Apoſtoli & Apoſtolici viri. Illo modo enim aſcenderunt, de quo *Ioan.*3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Et hoc *pro Patribus tuis*, id eſt, loco antiquorum Patrum tuorum carnalium qui colunt idola. *Thren.*4. Patres noſtri peccauerunt, & non ſunt. *Ierem.*16. Verè mendacium poſſederunt patres noſtri, vanitatem quæ eis non profuit. Nunquid faciet homo ſibi Deos? Vel *pro Patribus tuis* ſpiritualibus, Patriarchis, Prophetis, & Apoſtolis, ex quibus nata eſt Eccleſia. 1.ad *Corinth.*4. In Chriſto IESV per Euangelium ego vos genui: nati *ſunt filij tibi*, Eccleſiarum Epiſcopi & Prælati. *Eccleſ.*30. Mortuus eſt pater eius, & quaſi non eſt mortuus: ſimilem enim ſibi reliquit poſt ſe.

Conſtitues eos. Hîc dignitas prælationis primò. Secundò ſanctitatis. *Memores.* Dicit ergo: Sic nati ſunt tibi filij, *& conſtitues eos principes*, id eſt, Prælatos, non ipſi ſe. Ad *Hebr.*5. Nemo ſumat ſibi honorem. Nec homo aliquis, ſed Spiritus ſanctus qui eſt in te. *Eccleſ.*7. Noli quærere ab homine ducatum, nec à rege cathedram honoris, ſed à Spiritu ſancto. *Act.*20. Attendite vobis & gregi, in quo poſuit vos Spiritus ſanctus Epiſcopos Eccleſiarum. Et non tantum in Iudæa ſicut antiquitus, ſed *ſuper omnem terram.* Ecce templum amplum, & latum valde. *Auguſt.* Templum regis, quod latè diffuſum eſt, vbique collocauit fundamenta Prophetarum, & Apoſtolorum parietes vbique firmauit. *Pſal.* In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

18. *Memores erunt.* Hîc monſtratur filiorum dignitas in ſanctitate, quia iugiter de Deo habebunt memoriam. Dicit ergo: Sic exaltabuntur. Sed quia honores ſolent Iudæos ad obliuionem ducere. *Oſea* 13. Eleuauerunt cor ſuum, & obliti ſunt mei. Iſti tamen non ſic, imò *memores erunt nominis tui Domine*, ipſum prædicantes, tanquam fideles ſerui. *Luc.* 12. Quis putas, eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram? Ad hoc enim exaltabis eos. *Pſal.* Dedit illis regiones gentium, & labores populorum poſſederunt: vt cuſtodiant iuſtitiam eius, & legem eius requirant. Propter hoc dicitur *Deut.* 6. Cum dederit tibi Dominus ciuitates quas non ædificaſti, & domos plenas cunctarum opum quas non extruxiſti, ciſternas quas non fodiſti, vineta & oliueta quæ non plantaſti, & comederis, & ſaturatus fueris, caue diligenter ne obliuiſcaris Domini.

Vel ſecundum aliam literam: Sic ipſi prædicatores conſtituentur, & propter eorum prædicationem ego, populus Chriſtianus, mêmor ero nominis tui Domine. *Baruc.* 2. Dabo eis cor, & intelligent, & audientes aures, & laudabunt me in terra captiuitatis ſuæ, & memores erunt nominis mei, & hoc non ad breue tempus, ſed *in generatione & generationem*, id eſt, in omnes generationes. Vel in generatione Iudæorum, & in generatione Gentilium. *Eccleſ.*49. In omnium ore eius memoria quaſi mel indulcabitur, & vt muſica in conuiuio vini. Et in eodem, Memoria Ioſiæ in compoſitione odoris. *Pſal.* Generatio & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronuntiabunt.

Propterea populi. Hîc tangitur vtilitas Dei, ſcilicet laudatiua confeſſio, & perpetuatio ipſius laudis. *In æternum.* Dicit ergo: Sic filios multiplicabis, & exaltati erunt prælatione, & ſanctitate, & *propterea populi*, id eſt, minores, *confitebuntur tibi*, confeſſione laudis: te enim laudabunt, & ſe vituperabunt ipſos. *Pſal.* Confitebimur tibi Deus, confitebimur. Confitebuntur tibi concorditer, & vnanimiter laudando. Ad *Rom.*15. Vnanimes vno ore honorificetis Deum. 1.ad *Corinth.*1. Idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata. Et 14. Non eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis. Et hoc *in æternum*, quandiu ſcilicet durat præſens ſtatus Eccleſiæ. *Pſal.* Laudabo Dominum in vita mea, pſallam Deo meo quandiu fuero. *Deut.*31. Reſpondebit ei canticum hoc pro teſtimonio, quod nulla delebit obliuio ex ore ſeminis ſui.

Et in ſæculum ſæculi, huius conſequutiuum. *Pſal.* Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.

IN XLV. PSALMVM.

In finem, filiis Core pro arcanis Pſalmus. 1.

Deus noſter refugium. Hic eſt Pſalmus quadrageſimus quintus. Poſtquam enim egit de laudibus ſponſi & ſponſæ, hic ſubiungitur inuitatio fidelium ad fidem veram habendam de ſponſo, vt credatur verus Deus & homo, & 2. *Argumẽtum Pſalmi, exhortatio ad fidem ſponſi hominis Dei.*

& amorem ne sit informis fides. Et hoc monstrando beneficia, quæ ab eo conferuntur suis. Et hoc satis innuitur in titulo qui talis est secundum nostram literam: *In finem Psalmus Dauid pro arcanis.* Et est sensus: Psalmus iste ordinans nos *in finem*, est *Dauid* qui fuit de Iudæis ipsis, vnde eius testimonium contra Iudæos quantum ad hoc quod hic dicitur contra illos, valet. Et est tertius editus *pro arcanis* sponsi reuelandis, quæ sunt, quòd ipse qui Deus est, simul & homo est, & non tantum Iudæis promissus sit, sed & gentibus ipsis in parte maxima excæcatis. Ad *Rom.* 11. Cæcitas ex parte contigit in Israel, vt plenitudo gentium intraret, quia illo adueniente maxima pax fit in mundo, secundum illud *Psal.* Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis. *Isa.* 2. Conflabunt gladios suos in vomeres & lanceas suas in falces. Vel secundum *Hier.* & *Cassiod.* talis est est: *In finem, Psalmus filiis Core pro arcanis.* Et est sensus: *Psalmus* hic dirigens nos *in finem*, sicut supra, conuenit *filiis Core*, filiis scilicet passionis vel Christi passi. Et est *pro arcanis* eis reuelatis, siue prædictis. Et optimè: afflictis enim fit reuelatio. Afflicto enim Danieli facta est reuelatio *Daniel* 10. Agit ergo de arcanis fidei, ea commendando, & quasi publicando, intendens mouere ad fidem illorum: fidem, inquam, charitate informatam.

Secundum hoc ergo *Psal.* in duas partes diuiditur. Primò Dei beneficia quæ facturus est Ecclesiæ de gentibus eam congregando numerantur. Secundò ad credendum & amplectendum ea Gentes inuitantur, ibi, *Venite & videte.* In prima duo, secundum duo beneficia principalia, quæ tanguntur. Primum est, Apostolorum prædicationis translatio ad Gentiles à Iudæis. Secundò receptio prædicationis lætissimâ ab ipsis Gētibus per abundantiam Spiritus sancti eis dati, ibi, *fluminis impetus.* In prima tria. Primò promittitur consolatio populo Dei ab ipso. Secundò consolationis velut effectus. *Propterea non timebimus.* Tertiò necessitas consolationis, quia quasi turbatio erit vbicumque prædicantibus Apostolis Gentibus, & ipsis ad illas translatis, ibi, *Sonuerunt.* In prima duo secundum duplicem consolationem quam tangit. Primò liberatio ab exteriori malo pœnæ. Secundò ab interiori tentatione culpæ. *Adiutor in tribulationibus.*

Beneficia Christi in Ecclesiam.

Dicit ergo: *Deus*, omnium per creationem, sed *noster*, per cultum specialem. Vel *Deus* per diuinitatis naturam, *noster* per assumptam nostram humanitatem, est *refugium* nobis à malis externis irruentibus. Alibi in *Psal.* Factus est susceptor meus, & refugium meum in die tribulationis meæ. Sed non infirmum refugium quale est hominum, & propinquorum. 2. *Machab.* 5. Iason periit, Lacædemonas profectus tanquam pro cognatione ibi refugium habiturus. *Michæ.* 7. Inimici hominis, domestici eius. Sed *virtus* qua firmeris. *Psal.* Dominus firmamentum meum, & refugium meum. Non sic idola. *Baruc.* 6. Habet gladium & scutum in manu, se autem de bello & à latronibus non liberat: vnde notum sit vobis quod non sunt dij. Et ipse est *adiutor in tribulationibus* remordentis conscientiæ, *quæ inuenerunt nos*, non nos illas, quia non per nos diligenter inquirendo, sed per alios admoniti illas nouimus. *Isa.* 58. Annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. *Inuenerunt*, inquam, *nos nimis*, acriter cruciando *Augustin.* Nulla maior tribulatio, quam delictorum conscientia. *Eccles.* 3. Cor nequam grauabitur doloribus. *Augustin.* De teipso sunt tribulationes, quæ sunt *nimis*, tantò acerbiores, quantò interiores. Quid prodest si quod exterius est, sanum est, & putrefacta est medulla conscientiæ?

Potest etiam legi de exterioribus sic: Ita *Deus noster refugium* virtuosum, *à tribulationibus* ingruentibus, & *adiutor in tribulationibus*, vt eas ipso iuuante vincamus. Ad *Philip.* 4. Omnia possum in eo qui me confortat. *Quæ inuenerunt nos*, non nos ipsas, quia non quærebamus, sed magis pacem corporalem. Non sicut ille qui dicebat: Tribulationem & dolorem inueni. Et hoc, *nimis*, quia nimiæ sunt, & nimis frequentes: incessanter enim mundus plenus est miseriis, & ærumnis, atque pressuris. Quærant alij adiutoria regum & principum, nostra munitio in Christo est, qui dicit *Ioan.* 16. In mundo pressuram, in me autem pacem habebitis. *Eccles.* 2. Tæduit me vitæ meæ, videntem mala quæ fiunt sub sole.

Propterea non timebimus. Hîc secundum, scilicet effectus diuinæ consolationis, & prædicti refugij duplex securitas. Primò à Iudaica turbatione. Secundò à translatione Apostolorum ad Gentes. *Et transferentur montes.* Dicit enim: Sic Deus est nostrum refugium, *propterea non timebimus. Psal.* Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Et alibi: Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? *Iob* 17. Libera me Domine, & pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. Et hoc *dum terra*, id est, Iudæa, *turbabitur*, audita Christi prædicatione, visa miraculorum eius magnitudine, & multitudine. *Matth.* 2. Audiens Herodes Rex turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo. Audiens vnicum miraculum de Magis. *Psal.* Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. Turbati sunt omnes insipientes corde. Et dicitur Iudæa terra, secundum *Glossam*, quia arida ab humore nociuo idololatriæ. *Psal.* Notus in Iudæa Deus. Et etiam igne inuidiæ tota exiccata. *Iob* 28. Terra de qua oriebatur panis, scilicet Iudæa, igni subuersa est. Et quia gentilitate amara valdè circūdata. *Isa.* 57. Cor impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest.

Et transferentur montes. Repete: *Et non timebimus dum & transferentur montes*, id est, & Apostoli à terra vehementer eleuati. Infra in alio *Psal.* Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt. Et alibi: Constitues eos principes super omnem terram. *In cor maris.* Mare non habet cor: vnde constat, quòd loquitur de hominibus. Mare enim Gentiles significat, in quorum medium & corda Apostoli sunt translati. *Act.* 13. Quoniam repellitis verbum Dei, & indignos vos iudicastis verbo vitæ, ecce conuertimur ad Gentes. Et *in cor* dicit, quia Apostoli non intrauerunt tantum Gentilium ciuitates vel do-

mos, ſed etiam corda per amorem. *Pſal.* Tranſierunt in affectum cordis. Et oſtenditur hîc, quòd boni à malis etiam diliguntur, ſicut de beato Sebaſtiano dicitur: Neceſſe erat vt quem Deus perfundebat gratia, ab hominibus amaretur. *Iſa.*2. Eleuabitur ſuper colles, per vitæ altitudinem: & fluent ad eum omnes Gentes. *Ioan.*12. Ego ſi exaltatus fuero à terra per vitæ ſanctitatem, omnia traham ad meipſum. Quippe naturale eſt creaturæ quod de ſe dicit Creator *Prou.*8. Ego diligentes me diligo. Et Seneca, Si vis amari, ama. Sed boni malos amant, implentes illud *Matth.*5. Diligite inimicos veſtros, benefacite iis qui oderunt vos. Vel mare mundus. Alibi in *Pſal.* hoc mare magnum, & & ſpatioſum manibus. Cor huius maris, barbaræ & magis inſciæ nationes, ad quas tranſierunt Apoſtoli. *Act.*22. Vade, quoniam ad nationes mittam te longè.

4. *Sonuerunt & turbatæ.* Hîc oſtenditur neceſſitas conſolationis duplex. Plebis turbatio in prædicatione Apoſtolorum. Secundò Principum commotio. *Conturbati ſunt.* Dicit ergo: Sic Deus eſt conſolatio, vnde remouetur turbatio à vobis, turbata Iudæa, & Apoſtolis tranſeuntibus ad Gentiles, & neceſſaria eſt conſolatio, quia *ſonuerunt* prædicando Apoſtoli, illo ſono. *Pſal.* In omnem terram exiuit ſonus eorum. Et alibi: Multitudo ſonitus aquarum, id eſt, doctrinarum, facta eſt, ſupple. Vocem dederunt nubes, id eſt, prædicatores.

Et *turbatæ ſunt aquæ eius*, ſecundum aliam literam, id eſt, maria, ſcilicet gentilitatis. Vel ſi eſt *eorum*, non fit relatio ad nomen maris, ſed ad ſuppoſitum, ſcilicet Gentes, vt ſit ſenſus: *Turbatæ ſunt aquæ*, id eſt, plebs, minores, *eorum*, id eſt, Gentilium ſupra per mare ſignificatorum. *Apoc.* 17. Aquæ quas vidiſti, populi ſunt, & tribus, & linguæ. *Pſal.* Qui conturbas profundum maris. Et alibi: Turbabuntur Gentes, & timebunt qui habitant terminos à ſignis tuis. Vel *aquæ*, id eſt, doctrinæ, *eorum*, id eſt, Gentilium. Omnes enim turbatæ ſunt, & quaſi viles reputatæ, prædicata per Apoſtolos veritate. Vera enim ſapientia, mundi ſapientiam infamauit. Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. 1. ad *Corinth.*1. Vbi ſcriba, vbi Doctor, vbi conquiſitor huius ſæculi? Nonne Deus ſtultam fecit ſapientiam huius mundi?

Conturbati ſunt montes, id eſt, mundi principes, & ſæculi poteſtates, *in fortitudine eius*, id eſt, Chriſti, oſtenſa, per Apoſtolos. *Ierem.* 4. Vidi montes, & ecce mouebantur, & omnes colles conturbati ſunt. *Naum* 1. Montes commoti ſunt ab eo, & colles *deſolati* ſunt. Vel ſic: Ita Gentilium plebs turbata eſt, & *montes*, id eſt, Apoſtoli, *conturbati ſunt*, montes enim dicebantur in præcedenti verſu: & hoc *in fortitudine eius*, ſcilicet maris, id eſt, Gentilitatis. Et hoc verum eſt turbatione ſenſualitatis. *Prou.* 25. Fons turbatus pede, & vena corrupta, iuſtus cadens coram impio. Et rationis, quantum ad ipſam dictum eſt. *Prouerb.*12. Non contriſtabit iuſtum quicquid ei acciderit. 2. *Machab.*6. Duros ſuſtineo corporis dolores: propter timorem autem tuum libenter hæc patior. Propter hoc ergo neceſſarium eſt refugium.

Hîc notandum, quòd quidam ſunt in Eccleſia emeriti, quibus Dominus eſt in præmium. 2. ad *Tim.*4. Bonum certamen certaui, curſum conſummaui: de reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. Alij in probatione poſiti tanquam pugnantes adhuc, quibus eſt in auxilium. *Pſal.* Adiutor in tribulationibus, &c. Alij ſunt eliſi & deiecti ab aduerſario, quibus eſt in eleuationem ſecundum illud *Pſal.* Dominus erigit eliſos, &c. Alij contriti, non tantum eliſi, quibus eſt in ſanationem. *Pſal.* Qui ſanat contritos corde. *Ezech.*34. Quod confractum eſt, alligabo. Alij ſunt timidi quibus eſt in refugium, ſicut iſti de quibus hîc, & alibi: Domine refugium factus eſt nobis. *Prouerb.*18. Turris fortiſſima nomen Domini: ad ipſum currit iuſtus & ſaluabitur. *Varij ſtatus in Eccleſia.*

Fluminis impetus. Hîc tangitur ſecundum beneficium, ſcilicet læta ſuſceptio prædicationis per abundantem Spiritum ſanctum in Eccleſiis Gentilium: vnde dicuntur duo. Primò abundans Spiritus ſancti infuſio ipſam lætificans. Secundò prædicatio ipſam conuertens, & inſtruens, ibi, *Conturbatæ ſunt Gentes.* In prima quatuor. Primò lætificatio per Spiritus infuſionem. Secundò emundatio quæ neceſſariò ſequitur, ibi, *Sanctificauit.* Tertiò mundatæ conſeruatio ab immunditiæ reſidiuo, ibi, *Deus in medio eius.* Quartò conſeruatæ promotio in melius. *Adiuuabit.* Dicit ergo: Sic ſæuit mare: ſed Sancti non timent, ſed magis lætantur, quia *fluminis* Spiritus ſancti, qui fluuius dicitur *Ioan.*7. Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Et exponit Ioannes: Hoc autem dixit de Spiritu ſancto, quem accepturi erant credentes in eum. Huius *fluminis impetus. Act.* 2. Factus eſt repentè de cœlo ſonus, tanquam aduenientis, &c. *lætificat ciuitatem Dei*, id eſt, Eccleſiam militantem. Ad *Galat.* 5. Fructus autem Spiritus, pax & gaudium, &c. 5.

Sanctificauit. Ecce ſecundum. Quaſi diceret, *Lætificauit ciuitatem*, & *Altiſſimus*, Chriſtus ſcilicet, per illum fluuium, *ſanctificauit tabernaculum ſuum*, idem quod ciuitas. Chriſtus altiſſimus, quo nullus altior. *Matth. vlt.* Aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei. Hic ſanctificauit tabernaculum ſuum, Eccleſiam ſcilicet, quæ dicitur tabernaculum, quia in ea militatur. *Iob* 7. Militia eſt vita hominis ſuper terram. Hos qui in tabernaculo ſunt, ſanctificauit, gratiam Spiritus ſancti infundendo. *Sophon.*1. Sanctificauit vocatos ſuos. Et hoc innuit ſanguinis effuſione. Ad *Hebr.* 13. IESVS vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt. Propter hanc ſatisfactionem dicitur 1. ad *Corinth.* 3. Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.

Et nota, quòd eſt flumen vel fluuius malus. Culpæ. *Pſal.* Super flumina Babylonis, &c. Pœnæ. *Pſal.* In flumine tribulationum pertranſibunt pede. Doctrinæ. *Gen.* 2. Et fluuius egrediebatur de paradiſo voluptatis, &c. Gratiæ Spiritus ſancti, vt hic: *Fluminis impetus.*

Deus in medio eius. Hîc tertium, ſcilicet mundata conſeruatio. Et primò tangitur conſeruationis ratio & cauſa. Secundò ipſa conſeruatio, tanquam effectus. *Non commouebitur.* Dicit ergo: Sic ſanctificauit tabernaculum, & 6.

Deus

Deus in medio eius tabernaculi vel ciuitatis. *Pſal.* Dominus in templo ſancto ſuo. Et dicit, *In medio*, quia ſicut illud quod eſt in medio, æqualiter à circunſtantibus diſtat, ſic Deus omnibus, qui in Eccleſia ſunt, æqualiter ſubuenit, & omnes ſine perſonarum acceptione adiuuat. *Act.*10. Non eſt perſonarum acceptor Deus. *Sap.*6. Puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt illi cura de omnibus. *Matth.*18. Vbi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. *Gen.*3. Lignum vitæ erat in medio paradiſi. Et ideò *non commouebitur*, ciuitas vel tabernaculum quantumcumque hic ab inimicis concuſſum. *Matth.*16. Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. *Matth.*7. Ædificauit domum ſuam, venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non corruit: fundata enim erat ſuper firmam petram.

Adiuuabit eam Deus, ad bonum faciendum. Quando? *Manè*, hoc eſt, in principio boni operis, quia hoc neceſſe eſt. 2. ad *Corinth.*3. Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Ad *Phil.*2. Deus qui operatur in nobis, & velle & perficere. Sed quando adiuuabit? Reſp. *Diluculo*, id eſt, illuminatione gratiæ Spiritus ſancti, qui eſt quaſi diluculum. Hanc illuminationem ſenſerat, qui dicebat ſuprà: Dominus illuminatio mea, &c. Ad *Hebr.*10. Rememoramini priſtinos dies, in quibus illuminati, certamen magnum ſuſtinuiſtis paſſionum. Vel ſecundum literam *Caſſiod. Adiuuabit eam Deus vultu ſuo*, id eſt, præſentia ſua per incarnationem, vel ſui demonſtratione per contemplationem.

7. *Conuerſio Gentium ad fidem.*

Conturbatæ ſunt gentes. Hîc ſecundum huius partis, in quo præmiſſo conſolationis bono, ſubiungitur beneficium conuerſionis Gentium ad fidem: & dicuntur duo. Primò beneficium. Secundò cauſa tanti beneficij, ſcilicet Dei conſortium *Dominus virtutum nobiſcum.* In prima tria quæ per ordinem ſe habuerunt. Primò minorum de Gentibus ſalubris turbatio. Secundò maiorum humiliatio. *Et inclinata ſunt.* Tertiò omnium ad fidem conuerſio. *Dedit vocem ſuam.* Dicit ergo: Hæc bona quæ prædixi, fient Eccleſiæ: & propter hoc videntes *conturbatæ ſunt Gentes*, ſalubriter. *Auguſt.* Quamuis perducere ad bonum non poterat, quin animum haberent turbatum, propter antiquam conſuetudinem quam relinquere difficile eſt. *Ierem.*14. Tempus curationis, & ecce turbatio. *Act.*19. Facta eſt in diebus illis turbatio non modica in domo Domini.

Et inclinatæ ſunt regna, id eſt, Reges regnorum. *Nehem.*8. Incuruati ſunt, & adorauerunt Deum proni in terram. Hæc inclinatio fœlix erectio eſt. *Caſſiod.* Tantum vnuſquiſque erigitur, quantum illa ſatisfactione curuatur. *Iſa.*49. Vultu in terra demiſſo adorabunt te.

Dedit vocem ſuam. Prædicationem fecit per Apoſtolos, tanquam tonitruum de nubibus. *Pſal.* Intonuit de cœlo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam. Et dicit, *Dedit*, tanquam munus magnum. *Eccleſ.*18. Nonne ecce verbum ſuper datum bonum.

Mota eſt terra, id eſt, Gentilium terrena corda, tranſeuntia ab infidelitate ad fidelitatem. *Iſa. vlt.* Audite verbum Domini qui tremitis ad verbum eius. *Eccleſ.*47. Vox tonitrui eius verberauit terram. *Iob* 33. Super hoc expauit cor meum, & emotum eſt de loco ſuo, de infidelitate ad infidelitatem tranſiens.

Plus ergo potuit tonitruum nubium, quam gatritus ranarum, ſcilicet infidelium. *Auguſt.* Arreptitij idolorum tanquam ranæ de paludibus perſonabant tantò tumultuoſius, quantò ſordidius. Et quid ſtrepitus ranarum ad tonitruum nubium? Quaſi diceret: Nihil.

8.

Dominus virtutum nobiſcum. Hîc ſecundum, ſcilicet ratio quare conuerſi ſint, & vera cauſa Dei aſſociatio, & præſentia per incarnationem. Nihil enim tam mundum ad conuerſionem attraxit, quam hoc quod Deus homo fieri voluit. Duo ergo dicuntur. Primò conuerſatio cum hominibus. Secundò conuerſandi modus. *Suſceptor noſter.* Dicit ergo: Sic voce data ſunt moti, & vnde hoc? Quia *Dominus virtutum*, id eſt, cui virtutes Angelicæ ſeruiunt. *Dan.*7. Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei. *Daniel.*4. Iuxta voluntatem ſuam facit, tam in virtutibus cœli, quam in habitatoribus terræ. *Nobiſcum*, Connumeratur prædicatoribus. Vel, *nobiſcum*, cum omnibus hominibus. Sed quomodo? *Deus Iacob ſuſceptor meus*, id eſt, naturæ meæ. Supra in *Pſal.* Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me.

Deus nobiſcum multis modis.

Nota ergo, quòd Deus eſt *nobiſcum* carnis ſuſceptione. *Iſa.*7. Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuël, hoc eſt, nobiſcum Deus. Conuerſationis exterioris confortatione. *Baruc.*6. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Noſtri inhabitatione. *Ioan.*1. Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. *Iſa.*8. Loquimini verbum & non fiet, quia nobiſcum Deus. Sacramenti præſentia & perceptione. *Matth. vlt.* Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. Doctrinæ exhibitione. *Ioan.* 14. Tanto tempore vobiſcum ſum, &c. Tribulationum dulcoratione. *Pſal.* Cum ipſo ſum in tribulatione. Hæc eſt farinula Eliſei, quæ dulcorauit pulmentum amariſſimum. 4. *Reg.*5. Bonorum cooperatione. *Ioan.*15. Sine me nihil poteſtis facere. 1. ad *Cor.*15. Non autem ego, ſed gratia Dei mecum.

9. *Secũda pars Pſalmi, enumeratis Eccleſiæ beneficiis exhortatio ad fidem.*

Venite & videte. Hîc eſt ſecunda pars, in qua poſtquam præceſſit narratio beneficiorum Dei, ſubiungitur inuitatio ad credendum: & loquitur de beneficiis factis in tempore incarnationis: & dicuntur tria. Primò inuitatio per Prophetam ad conſiderandum Dei opera. Secundò introductio Dei ad hoc ipſum inuitantis, ibi, *Vacate & videte.* Tertiò fructus & vtilitas vtriuſque inuitationis. *Dominus virtutum*, per confeſſionem ipſorum qui erant inuitati. In prima duo. Primò inuitat ad videndum Dei mirabilia. Secundò ſpecificat illa, ibi, *Auferens bella.* In prima duo. Primò inuitat ad videndum opera ſimpliciter. Secundò ne credatur quod ad omnia determinat, quia tantum miraculoſa. *Qui poſuit.* Et in prima primo vocat

vt veniat. Secũdò vt videant opera Domini. *Et videte.* Dicit ergo : Sic ſuſceptor noſter eſt. Nunquid aliquid magnum fecit ? Vtique, *venite*, &c. Vel ſic quia nobiſcum eſt ſuſceptor, ergo non tardemus, imò *venite & videte.* Vel ſic: Sic dedit vocem ſuam. Quam ? Hanc, *venite*, omnes, nullus remaneat. *Caſſiodor.* Ad magnum neſcio quod ſpectaculum vniuerſitas aduocatur. Venite ergo primò per fidem. 2. ad *Cor.* 5. Per fidem ambulamus, & non per ſpeciem. Et tunc *videte*, oculo mentis intelligite : aliter enim non poteritis intelligere, niſi prius credatis. *Iſa.* 7. Niſi crediderit is, non intelligetis. Et quid vis nos videre ? *Opera Domini*, tempore incarnationis facta : ne ſitis de illis de quibus improperat *Iſa.* 15. Cithara & lyra & vinum in conuiuiis veſtris : & opus Domini non reſpicitis, ſicut ille qui dicit : Mirabilia opera tua Domine, & anima mea cognoſcet nimis. Sed quæ quotidie facit ? ſed hæc videmus. Non : imò, *prodigia quæ poſuit ſuper terram. Act.* 4. Manum tuam extendas ad ſanitates, & ſigna fieri & prodigia per nomen ſancti filij tui IESV.

10. *Prodigia duo attendenda, deſtructio idololatriæ.*

Auferens bella. Hîc ſecundum, in quo ſubiungit quæ erunt illa prodigia, quia duo. Primum eſt deſtructio fidem impugnantium. Secundò errorem defendentium. *Et ſcuta.* In prima duo. Primò dicit, quod bella contra fidem deſtruet. Secundò quomodo. *Arcum conteret.* Dicit ergo : Videte prodigia. Quænam ſunt illa ? Hæc quia *auferens*, erit, ſupple, *bella*, ſpiritualia, quibus veritas fidei impugnatur. Quis enim dubitat per aduentum Chriſti in toto orbe idololatriam periiſſe ? *Iſa.* 19. Ecce aſcendet Dominus ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & mouebuntur ſimulachra Ægypti. *Daniel.* 3. Lapis abſciſſus de monte ſine manibus, percuſſit ſtatuam, & confregit. Auferens autem non tantum in vna parte terræ, ſed *vſque ad finem terræ. Iſa.* 24. A finibus terræ laudes audiuimus, gloriam iuſti. Poteſt etiam intelligi de bellis corporalibus, quæ Chriſtus in primo aduentu deſtruxit, vſque ad fines terræ vbique pax erat. *Hieron.* In aduentu Domini omnia bella quieuiſſe, multorum narrat hiſtoria : quod congruebat, quia *Iſa.* 9. dicitur : Vocabitur nomen eius Deus fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis. *Iſa.* 40. Ponam viſitationem tuam pacem, & præpoſitos tuos iuſtitiam.

Arcum conteret. Hîc ſecundum, in quo oſtendit modum. Quaſi diceret : Nunc auferet bella, quia *arcum conteret*, id eſt, occultas contra finem & fideles inſidias. *Zachar.* 9. Diſſipabitur arcus belli.

Et confringet arma, apertas ſcilicet impugnationes. *Oſeæ* 2. Arcum & gladium & bellum conteram de terra.

Et ſcuta. Ecce ſecundum, in quo prædicit eum deſtructurum erroris defenſionem, quæ ſignificatur in ſcuto. Quaſi diceret : Non tantum deſtruet fidem impugnantes, imò & *ſcuta*, errorum ſcilicet defenſiones, & defenſores, de quibus ſatis *Iob* 41. Corpus eius, ſcilicet diaboli, quaſi ſcuta fuſilia, compactum ſquamis ſeſe prementibus. Iſta ſcuta *comburet igni* Spiritus ſancti, errores & defenſiones annihilans, & defenſores conuertens per ignem Spiritus ſancti, qui eſt charitas. *Luc.* 12. Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur ? *Pſal.* Confregit potentias : arcum, ſcutum, gladium, & bellum. Vel totum poſſet intelligi ad literam iuxta prophetiam *Iſa.* 2. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium, de bello materiali.

11. *Attendendũ quid ſit Deus in ſe & in aliis.*

Vacate & videte. Hîc ſecundum totius huius partis, in quo introducitur Deus inuitans ad conſiderationem magnitudinis ſuæ : & dicuntur tria. Primò inuitat vt ſe præparent. Secundò vt præparati videant. *Et videte.* Tertiò oſtendit quid debent videre. *Quoniam ego ſum Deus.* Dicit ergo : Sic vos inuitaui, ſed etiam ipſe *Dominus dedit vocem ſuam.* Quam ? Hanc : *vacate*, à bellis, ad literam, ex quo non ſunt arma : *& videte*, intellectu mentis. Quid ? Duo : Quid ſim modo in me. Quid futurus in aliis. *Exaltabor.* *Videte* ergo *quoniam ego ſum Deus*, non vos, ſed tantum imago Dei. *Eccleſ.* 17. Deus de terra creauit hominem, ſecundum imaginem ſuam fecit illum. Nec idola, imò dæmonia ſunt. *Pſal.* Omnes Dij Gentium dæmonia.

Exaltabor in Gentibus. Tandem conuertentur ad cognitionem & fidem de cœleſtibus habendam. *Pſal.* Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. *Pſal.* Excelſus ſuper omnes gentes Dominus. *Iſai.* 11. In die illa erit radix Dauid qui ſtat in ſignum populorum : ipſum Gentes deprecabuntur. *Mala.* 1. A ſolis ortu vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco offertur nomini meo oblatio munda.

Et exaltabor in terra promiſſionis in Iudæa & Iudæis, quando in fine mundi cõuertentur ad fidẽ Dei. Ad *Rom.* 11. Cæcitas contigit in Iſraël, donec omnis plenitudo Gentium intraret : & ſic omnis Iſraël ſaluus eſſet. Vel moraliter poteſt legi ſecundum *Gloſſam. Vacate* à peccato, & membra veſtra non detis arma diabolo. Ad *Roman.* 6. Nec exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato. *Vacate* etiam ab ſtatu turbulento mundi. *Eccleſ.* 11. Fili ne in multis ſint actus tui. Et tunc *videte* : alias non poteritis. Hoc maximè, *quoniam ego ſum Deus* exaltandus in omni gente. 3. *Reg.* 19. Elias in turbine Deum videre non potuit. *Eccleſ.* 38. Sapientiam ſcribe in tempore vacuitatis. Sic ergo *vacate*, & non ſitis otioſi propter hoc : imò, *videte*. *Eccleſ.* 34. Multam malitiam docuit otioſitas. *Videte*, inquam, infirmitatem veſtram, ſicut ille qui dicebat *Sap.* 9. Seruus tuus ſum ego, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus, & exigui temporis. Et meam potentiam : quia ego qui te feci, reficiam te, non tu te. *Auguſt.* Ego feci, ego reficio : ſi non potuiſti facere te, quomodo poteris te reficere ? 1. ad *Corinth.* 15. Gratia Dei ſum id quod ſum. Quippe non eſt minus reficere, quam facere : quia 1. ad *Corinth.* 13. Si charitatem non habeam, nihil ſum.

12. *Dominus virtutum.* Hîc tertium ſecundæ partis, fructus & vtilitas ſequens ex vtraque inuitatione, ſcilicet confeſſio populi facta de duobus. De Dei præſentia primò. De natura humana

humana ſuſcipienda, & ſibi vnienda ſecundò. *Suſceptor noſter.* Dicit ergo : Sic exaltaberis in Gentibus. Ergo dicere & confiteri debemus, vt video : *Dominus virtutum*, ſcilicet Angelorum, qui multæ ſunt virtutis. *Pſal.* Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute. *Nobiſcum*, per benignam præſentiam ſuam, & inde nobis ſecuritas intrandi ad gloriam. *Iudith.* 13. Aperite portas, quia nobiſcum Deus, qui fecit virtutem in Iſrael. *Suſceptor noſter*, vnde ſperamus veniam & ſuſceptionem illam de qua *Ierem.* 3. Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, & ego ſuſcipiam te. *Deus Iacob*, populi ſcilicet luctatoris, non ſolùm contra carnem, ſed contra dæmonem. Ad *Epheſ.* 6. Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem aut ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum.

IN XLVI. PSALMVM.

In finem, pro filiis Core Pſalmus.

1. *Omnes gentes plaudite manibus.* In præcedenti Pſalmo quadrageſimo quinto inuitauit ad fidem arcanorum filios Core, hic autem, in hoc ſcilicet quadrageſimo ſexto, inuitat eos omnes ad Dei laudem. Vnde ſic exponendus eſt titulus qui præmittitur huic *Pſal.* Hic eſt *Pſalmus Dauid*, literalis, vel in ſua perſona, vel in perſona Apoſtolorum loquentis, vel cuiuſlibet fidelis, editus. *Pro filiis Core*, pro gentibus conuerſis ad Core, id eſt, ad Chriſtum, & ſic eius filiis factis, dirigens eos *in finem*, id eſt, ad laudem Dei, ad quam finaliter ſunt facti, ſecundum illud *Iſa.* 43. Populum iſtum formaui mihi, laudem meam narrabit : quia etiam laus eſt finis qui non finietur. *Auguſt. vlt. de ciuitate Dei.* Videbimus, & amabimus, & laudabimus. Ecce quid erit in fine ſine fine.

2. *Argumentum Pſalmi, exhortatio ad Dei laudem.*

Pſalmus autem in duas partes diuiditur. Primò inuitat ad Dei laudem, multiplicem aſſignans laudis rationem. Secundò oſtendit Chriſti ſublimitatem, & Aſcenſionem, vnde iterato inuitat ad laudis feruorem & inſtantiam. *Aſcendit Deus in iubilo.* In prima duo. Primò inuitat omnes gentes ad Dei laudem. Secundò aſſignat Dei laudis multiplicem rationem, ibi, *Quoniam excelſus Dominus.* In prima tria. Primò inuitat ad laudem operis. Secundò cordis. *Iubilate.* Tertiò oris, ſiue vocis, ibi, *In voce exultationis.*

Dicit ergo : Tot & tanta beneficia fecit nobis ſponſus, quæ in antecedentibus præmiſi, & propter hoc ô vos *Gentes*, non paucos, ſed *omnes*, vt ſicut fuit commune beneficium, ſic & ſit commune laudis officium, ſicut dicit *Gregor. Pſal.* Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. *Plaudite manibus*, id eſt, operamini bona, & hoc hilariter, & lætanter, quod eſt Deum laudare. 2. ad *Cor.* 9. Non ex triſtitia, aut neceſſitate : hilarem enim datorem diligit Deus. *Iſa.* 55. Omnia ligna regionis plaudent manu.

Et nota hîc, quòd eſt plauſus malus, irriſionis. *Thren.* 3. Plauſerunt ſuper me manibus tranſeuntes per viam. Adulationis. *Ierem.* 5. Prophetæ prophetauerunt mendacium, & ſacerdotes applaudebant manibus. Leuitatis ſeu diſſolutionis. *Iſa.* 3. Pro eo quod ambulauerunt filiæ Sion extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant manibus. Fatuitatis. *Prouerb.* 17. Homo ſtultus plaudit manibus cum ſpoponderit pro amico ſuo. Hi modi plaudendi mali. Sed etiam eſt plauſus excitationis. *Iudith.* 14. Plauſum fecit Eunuchus Holofernis, ante tentorium eius, vt eum excitaret. Exultationis quaſi naturalis in proſperitate. 3. *Reg.* 11. Fecerunt eum regem & vnxerunt plaudentes manibus, dixerunt : Viuat Rex. Hi modi indifferentes. Sed eſt plauſus bonæ & lætanter factæ operationis, de quo hic, & *Pſal.* Flumina plaudent manu. *Varij plaudendi modi.*

Nec tantum *manibus plaudite*, imò *iubilate Deo* corde, in Deum exultando, quod eſt ipſum corde laudare, & tanto gaudio quod ſit iubilus : iubilus enim eſt cordis gaudium tantum, quod nec omninò ſileri poteſt nec totum exprimi. *Caſſiodor.* Iubilare gaudere eſt, ſic dictum à iuuando, id eſt, delectando. Iubilare enim Deo, gaudere in Deo, & in ipſo delectari corde. *Iſa.* 44. Iubilate, exultate, reſonate montes laudationem. Et hoc *in voce exultationis*, vt ſit vox etiam oris. Suprà in *Pſal.* In voce exultationis & confeſſionis, ſonus epulantis. Et nota, quòd non dicit in ſermone, qui eſt vox formata ex diſcretione, ſed *in voce*, quæ ſi ſit animalis, non diſtinguitur, quia *Hier.* dicit : Nec verbis nec literis nec ſyllabis poteſt comprehendi gaudiũ cordis iubilantis 1. *Pet.* 1. Credẽtes exultabitis lætitia inenarrabili.

3. *Varia laudis cauſa.*

Quoniam Dominus excelſus. Hîc ſecundum, in quo ſupponit cauſas laudis. Et primò ſumit cauſas laudis ex ipſo. Secundò ex effectu ſuo, ibi, *Subiecit populos nobis.* In prima tria. Primò quia laudandus eſt ratione poteſtatis. Secundò ratione terribilitatis. *Terribilis.* Tertiò ratione dignitatis. *Et Rex magnus.* Dicit ergo : Sic laudate opere, corde, & ſermone, & demonſtratione, & debetis. Quoniam *Dominus excelſus*, poteſtate, quamuis latens erit in ſua paſſione ſub carnis infirmitate. *Aba.* 3. Cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius. *Iob.* 22. Quaſi nihil poſſit omnipotens, æſtimabant eum. Et iterum excelſus poteſtate, vt poſſit quicquid velit. Ad *Roman.* 9. Voluntati eius quis reſiſtet ? *Eſth.* 6. Non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ.

Terribilis : propter quod & laudandus, quamuis lateat ſub manſuetudine agnus in ipſa paſſione. *Ierem.* 11. Ego quaſi agnus manſuetus qui portatur ad victimam. Et *Iſa.* 53. Sicut Agnus coram tondente ſe obmuteſcet. Sed apparuit in Aſcenſione ſecundum illud. *Pſal.* Ipſi videntes ſic admirati ſunt, conturbati ſunt, cõmoti ſunt, &c. Sed magis apparebit in diſtricta iudicij diſcuſſione. *Pſal.* Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi ? ex tunc ira tua.

Et Rex magnus dignitate, quamuis lateat ſub deriſione. *Matth.* 27. Et genuflexo ante eum illudebant ei dicentes : Aue Rabbi. Sed tamen Rex apparet in conuerſione omnium ad fidem. *Super omnem terram. Apoc.* 19. Rex regum & Dominus dominantium. Et quod plus

eſt,

eſt, ſuper ipſos Deos putatiuos, quos omnes extirpauit. Vnde alibi: Et Rex magnus ſuper omnes Deos, non regales: quod expreſſum fuit in titulo tribus linguis ſcripto, capiti appoſito in ſua paſſione. *Ioan.19.*

Subiecit populos. Hîc ſecundum, in quo ſubiungit cauſas ab affectibus ſumptas: & ſunt tria. Primò Gentium ſubiectio. Secundò ſubiectarum humiliatio, non rebellio. Et *Gentes.* Tertiò æternorum bonorum præparatio. *Elegit nobis.* Primum autem dupliciter legitur. Primò vt loquatur tota Eccleſia vniuerſaliter. Secundò vt Apoſtoli ſpecialiter. Similiter & ſecundum. Dicit ergo: Sic laudandus eſt, quia talis in ſe, & etiam *ſubiecit nobis*: præteritum pro futuro. Et loquitur vniuerſalis Eccleſia. *Populos*, extra Eccleſiam degentes: petunt enim ibi frequenter ab Eccleſia ſubueniri. *Iſa.* 41. Subiiciam ante faciem tuam gentes, & dorſa Regum vertam. Nec mirum ſi populos ſubiecit, quia & ipſos dæmones. *Luc.* 10. Etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis. *Iſa.*40. Venient ad te curui filij eorum qui te humiliauerunt. Et non tantum hoc: imo *gentes ſubiecit ſub pedibus noſtris*, ipſas ſubiectione humiles reddendo non rebelles. *Iſa.* 28. Pedibus conculcabitur corona ſuperbiæ Ephraim. Quippe ipſos dæmones conculcat Eccleſia. *Luc.*10. Dedi vobis poteſtatem calcandi ſerpentes. *Pſal.* Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Ad *Roman. vlt.* Deus conteret ſathanam ſub pedibus veſtris. Vel ſic, vt loquantur Apoſtoli. *Subiecit populos*, id eſt, Gentiles, *nobis*, qui ſumus de Iudæa. Paſſi enim & afflicti à ſuis, honorati ſunt à Gentibus alienis. *Matth.* 13. Non eſt Propheta ſine honore, niſi in patria ſua, & in domo ſua.

Et Gentes. Eoſdem Gentes dicit quos ante populos. *Sub pedibus noſtris*, id eſt, ſub prædicationibus, vt quaſi ſtantes ad pedes audirent prædicationes, & obedirent. *Luc.* 10. Maria autem ſedens ad pedes IESV, audiebat verbum illius. Ad *Roman.* 9. Fuiſtis ſerui peccati: obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi eſtis. Prædicationes etiam dicuntur pedes: quia per illas veniunt prædicatores vſque ad corda hominum. Supra in alio *Pſal.* Tranſierunt in affectum cordis. 5.

Elegit nobis. Hîc tertium beneficium, ſcilicet eligendi modum. Legitur enim primò ſecundum quod loquitur tota Eccleſia, & ſic hæreditas eſt vita æterna. Vel ſecundum quod loquuntur Apoſtoli, & ſic hæreditas appellantur ipſi populi. Secundum primum modum duo dicuntur. Primò præparata vita æterna oſtenditur. Secundò quodammodo deſcribitur, ibi, *Speciem Iacob.* Dicit ergo: Hæc bona fecit, & quod maius eſt, *elegit* dare *nobis*, non aliis *hæreditatem ſuam*, vitam ſcilicet æternam. *Ioan.* 15. Ego vos elegi de mundo. Ad *Eph.*1. Elegit nos ante mundi conſtitutionem: ad quid determinatur ad *Rom.*8. Si filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. *Ierem.* 3. Tribuam tibi terram deſiderabilem, hæreditatem præclaram. 1. *Pet.* 1. Regenerauit nos in ſpem viuam, & hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam, & immarceſcibilem, conſeruatam in cœlis.

Sed qualis eſt illa hæreditas quam dedit? *Speciem*, id eſt, pulchritudinem, *Iacob*, id eſt, populi Chriſtiani, cuius eſt deſiderare, non hanc inferiorem pulchritudinem de qua *Auguſt.* Amor inferioris pulchritudinis polluit animam: ſed magis illam ſuperiorem, & æternam. Ad *Coloſſ.*3. Quæ ſurſum ſunt, quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt, ſapite, non quæ ſuper terrã. *Num.*24. Quã pulchra ſunt tentoria tua Iacob. Verè pulchrã, quia ibi fulget Chriſtus ſuper alios, ſicut ſol ad ſtellas. De aliis quippe dicitur 1. ad *Corinth.*15. Differt ſtella à ſtella in claritate. De Chriſto autem *Apocalypſ.* 10. Iris in capite eius, & facies eius ſicut ſol. *Quem*, inquam, *Iacob*, *dilexit. Malach.*1. Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Vel *quam* ſpeciem, ipſe Dominus dilexit. Alio modo de Apoſtolis ſic: *Elegit nobis* dare *hæreditatem ſuam*, ſcilicet Gentium multitudinem, de qua in *Pſal.* Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam. Ad hoc elegit dare vt eam colerent vt coloni. *Matth.* 21. Malos male perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis, Apoſtolis. Sed quam hæreditatem, ſpeciem Iacob, id eſt, ſimiles Iacob in fide, & per Iacob deſignatos. *Quam dilexit*, vel *quem*, ſicut prius: non illam peſſimam hæreditatem de qua *Ierem.* 12. Facta eſt mihi hæreditas mea quaſi leo in ſylua.

Aſcendit Deus in iubilo. Hîc ſecundum, in quo oſtendens Chriſti aſcenſionem, inuitat ad feruorem laudis, & frequentiam. Vnde duo dicuntur. Primò oſtendit Chriſti potentiam aſcendentis. Secundò ſubiungit inuitationem ad laudem merito, ibi, *Pſallite Deo noſtro, Pſallite.* In prima duo. Primò quia aſcendit in gaudio ineffabili hominum. Secundò quia in aperta lætitia Angelorum. *Et Dominus.* Dicit ergo: Verè ſubiecit populos nobis, & gentes, & potuit, quia *aſcendit Deus*, virtute propria, non portatus fuit. Ad *Eph.*4. Qui aſcendit. Imò potius alios ſecum quaſi traxit, & portauit. In eodem, Aſcendens Chriſtus in altum captiuam duxit captiuitatem. Et in *Pſal.* Qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi. Et hoc, *in iubilatione*, id eſt, admiratiuo Apoſtolorum gaudio, quid nec omninò taceri poterat, nec totum exprimi. *Auguſt.* Quid eſt iubilatio, niſi admiratio gaudij, quæ vobis non poteſt explicari? Quis enim poſſet exprimere quantum gaudebant videntes aſcendentem, quem planxerant paulò antè in ſepulchro iacentem? *Iob* 33. Videbis faciem eius aſcendentis in iubilo. Hoc gaudium repræſentat Eccleſia feſtis præcipuis, ſuper vnam ſyllabam frangens vocem pluribus modis, ſicut in natali, in *tanquam ſponſus. Iſa.* 49. Exulta terra, iubilate montes laudem, liberabit Dominus populum ſuum. 6.

Secunda pars Pſalmi aſcenſio Chriſti.

Et Dominus in voce tubæ, aſcendit ſupple, hoc eſt, in manifeſto Angelorum canore & exultatione, ſicut tuba ſonum dat manifeſtum. *Act.*1. Viri Galilæi quid admiramini, &c. Nota autem, quòd Chriſtus aſcendit. Primò in incarnatione. *Iſa.* 19. Aſcendet Dominus ſuper nubem leuem. Aſcendit in natiuitate de vtero virginali

Variæ Christi ascensiones.

virginali. *Isa.*53. Ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti. Sitiens terra, Virgo *Maria.* In baptismate. *Matth.*3. IESVS autem baptizatus confestim ascendit de aqua. In prædicatione. *Matth.*5. Videns IESVS turbas ascendit in montem. In oratione facienda. *Matth.*14. Ascendit in montem solus orare. *Luc.*22. Ibat secundum consuetudinem in montem Oliuarum, vt oraret. In transfiguratione. *Matth.* 17. Assumpsit IESVS Petrum, & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. In cruce. *Cant.*7. Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius. *Psal.* Qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi. Occasus mors, hoc est, crux. In inferni spoliatione. *Genes. penult.* Ad prædam ascendisti fili mi. In ascensione sicut hic dicitur, & *Marc. vlt.* Et tunc ascendit patenter. *Act.* 1. Videntibus illis eleuatus est. Potenter secundum illud *Psal.* Exaltare Domine in virtute tua. Lætanter sicut hîc dicitur: Ascendit Deus in iubilo, &c. Festinanter. *Psal.* Ascendit super Cherubim & volauit, volauit super pennas ventorum.

7. *Psallite Deo nostro.* Hîc secundum, scilicet inuitatio post ostensam magnificentiam ad laudandum. Et primò monet ad laudandum. Secundò subiungit modum, & causam talis modi, ibi, *Quoniam rex.* In prima duo. Primò inuitat quod laudent Christum Deum. Secundò, quòd laudem repetant ipsi homini, ibi, *Psallite Regi nostro.* Dicit ergo: Sic ascendit Angelis laudantibus, & hominibus, & propter hoc quicumque estis, *psallite Deo nostro*, secundum diuinitatem: & hoc ore. Psallite, & hoc corde. *Iacob.vlt.* Tristatur aliquis vestrum, oret æquo animo, & psallat. 1.ad *Corinth.*14. Psallam spiritu, psallam & mente. Aliter parum valet, si non sit interius in litera dulcedo deuotionis aliqua. *Bern.* Mel in terra, spiritus in litera. Aliter enim litera occidit, si absque spiritus sapore deglutitur. *Luc. vlt.* Obtulerunt ei fauum mellis.

Psallite regi nostro, id est, Christo secundum humanitatem, quoniam rex est. *Psallite.* Ecce crebra repetitio, nec tamen otiosa, sicut dicit *Cassiod.* Non vacat quod toties *Psallite* repetitur. Agnoscitur enim quam vtile, quam salubre sit opus, quod tam crebra voluit iteratione repetere. *Isa.*23. Bene cane, frequenta Canticum. *Psal.* Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo, &c.

8. *Quoniam rex omnis terræ.* Hîc secundum, in quo ostendit causam & modum psallendi. Causa autem est potestas regia in Deo. Secundum hoc dicuntur quatuor. Primò regia dignitas tanquam causa psallendi. Secundò modus psallendi. *Psallite.* Tertiò latitudo potestatis, & dignitatis Christi. *Regnabit Deus.* Quartò modus dilatandi sic regnum ad aliquam partem sui, ibi, *Principes populorum.*

Dicit ergo: Dixi, quòd psallatis Deo, *& quoniam* Deus omnium per creationem. *Malach.*1. Nunquid non vnus Deus creauit vos? Est *rex omnis terræ*, non tantum Iudææ, vel alicuius alterius partis, regens vbique totum. *Apoc.*12. Peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes, in virga ferrea. *Sap.*8. Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Quoniam, inquam, talis, *psallite sapienter*, non insipienter. *August.* Quando homo sensatus cantabat lapidi insensato, nunquid sapienter cantabat? De hac insipientia *Sap.* 13. Non erubescit loqui cum eo qui sine anima est. Et pro sanitate quidem infirmum deprecabatur, & pro vita mortuum rogat, & in adiutorium inutilem inuocat, & pro itinere petit ab eo qui ambulare non potest. Vel secundum *Cassiod.* Psallite sapienter, vt intelligatis corde, quæ profertis in ore, ne dicatur de vobis illud *Isa.* 29. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.

Et nota, quòd quinque modis est psallendum. Primò in luctu exteriori, & gaudio interiori. *Iacob.vlt.* Tristatur aliquis vestrum, oret æquo animo, & psallat. Secundò in mortificatione carnis hilariter. 2. *Machab.*2. Sacerdotes psallebant vsquequo consumptum esset sacrificium. Tertiò in iocundo obsequio proximi. 1. *Reg.*16. Dauid psallebat manu, & Saül leuius habebat. Quartò in exhortatione spirituali. Ad *Col.*3. Commonentes vosmetipsos in hymnis & canticis spiritualibus. Quintò in contemplatione Dei, sicut dicitur hîc: *Psallite sapienter.* Et propter hos quinque modos dicitur hîc forsitan quinquies *Psallite.*

Quinque modis psallendum.

9. *Regnabit Deus.* Hîc latitudo tangitur: & dicuntur duo. Primò regni dignitas in inferioribus. Secundò in superioribus, ibi, *Deus sedet.* Ait ergo: Sic psallite, nec hæsitetis de magnitudine eius cui psallitis. Quoniam *regnabit Deus super Gentes*, ipsas regendo, & *omnes.* Habet autem *omnis* litera *August. Hieron.* & *Cassiod.* Et hoc parum: quid enim terra ad cœlum? Nihil. Et propter hoc addit: *Deus sedet*, regnans *super sedem sanctam suam*, id est, super cœlos, & omnes Angelos ad dexteram patris. *Psal.* Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis. Ad *Col.*1. Vbi Christus est ad dexteram Dei sedens. Ad *Hebr.*1. Sedet ad dexteram Dei in excelsis. *Isa.vlt.* Cœlum mihi sedes est: terra autem scabellum pedum meorum.

10. *Principes populorum.* Hîc quartum, scilicet ratio dilatandi regnum in gentibus: & dicuntur duo. Primò maiorum de gentibus conuersio. Secundò superba Iudæorum elatio quantum scilicet ad maiores, ibi, *Quoniam dij fortes.* Vel Apostolorum exaltatio quantum ad aliam lecturam. Dicit ergo: Sic dixi, quòd regnabit super omnes gentes, & hoc fiet sic: *Principes populorum*, Gentilium maiores & principaliores, *congregati sunt* per fidei vnitatem. Ad *Eph.* 4. Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma. Et hoc *cum Deo Abraham:* quia in ipsum Abraham credidit. *Ioan.*8. Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum: vidit, & gauisus est. Et sic facti sunt filij Abrahæ. Ad *Gal.*3. Qui ex fide sunt, hi sunt filij Abrahæ. Et sic impletur illud *Matth.* 3. Potens est Dominus suscitare de lapidibus istis filios Abrahæ. Et sic impletum est illud *Eccles.*24. Superborum & sublimium corda, propriâ virtute calcaui.

Et

Et hoc totum, *Quoniam dij fortes terræ*, id eſt, maiores de Iudæis, ſcilicet Scribæ & Phariſæi qui erant quaſi dij ſuper terram per ſcientiam legis à Deo ſibi datæ. *Geneſ.* 3. Eritis ſicut dij ſcientes bonum & malum. Et *fortes* per potentiam. *Deut.* 32. Quomodo perſequatur vnus mille, & duo fugent decem millia. *Vehementer eleuati ſunt*, per ſuperbiam. Quippe 1. ad *Cor.* 8. Scientia inflat, & non minus potentia. *Iſa.* 8. Requieuit Sina ſuper Ephraim. Non attendentes quod etſi ſint dij & fortes, tamen ſunt dij terræ, fragiles ſcilicet & mortales. *Pſal.* Ego dixi: Dij eſtis, & filij Excelſi omnes, vos autem ſicut homines moriemini.

Vel ſic: *Quoniam dij terræ*, id eſt, Apoſtoli. *Act.* 14. Dij ſimiles hominibus facti deſcenderunt ad nos. *Et fortes.* Ad *Roman.* 8. dicunt: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? *vehementer eleuati ſunt*, prædicatione & doctrina & miraculorum operatione. *Matth. vlt.* Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. *Luc.* 19. Egreſſi circuibant per caſtella, Euangelizantes & curantes vbique.

1. IN XLVII. PSALMVM.

2. *Pſalmus Cantici filiis Core, ſecunda ſabbati.*

MAgnus Dominus. Hic eſt Pſalmus quadrageſimus ſeptimus, in quo poſtquam monuit ad laudandum Deum, & ſponſum, de quo egit ſupra, quia laudare non conuenit in terra aliena, & Babylonia infidelium Synagoga, ſecundum illud: Quomodo cantabimus Canticum Domini in terra aliena? Subiungit de ciuitate Dei & ſponſi, in qua ſolum poteſt hoc Canticum, hæc laus quæ ad ipſum pertinet, fructuosè cantari, & non ab aliis, niſi à ciuibus huius ciuitatis. Et hoc oſtenditur in titulo qui talis eſt: *Pſalmus Cantici* ſecundum *Hieron.* vel *Laus Cantici*, ſecundum *Auguſt. Core filiis, ſecunda ſabbati.* Et eſt ſenſus: *Pſalmus iſte*, qui eſt *Cantici*, quia monet ad laudem & Canticum Dei. Infrà: Lætetur mons Sion, &c. *Et filiorum Core*, id eſt, filiorum Chriſti crucifixi, vel conuenit filiis Core, vt ipſum cantent, non alij. *Eccleſ.* 15. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, filij diaboli. *Pſalmus* dico habitus, vel *Laus Cantici* habita, *ſecunda*, id eſt, pro ſecunda *Sabbati.*

Notandum enim, quòd prima Sabbati eſt dies Domini, id eſt, prima dies poſt Sabbatum, in qua Chriſtus reſurrexit corpus reſumens lucidiſſimum, quod figuratum fuerat *Geneſ.* in principio, vbi legitur, quod eodem die, ſcilicet Dominica, facta eſt lux. Sicut ergo prima Sabbati eſt dies reſurrectionis, ſic in ſecunda Sabbati dies confirmationis totius Eccleſiæ, quando Apoſtoli ſuut confirmati, & Eccleſia ſuper illos fundata, quod & ſignificatum fuit *Geneſ.* 1. vbi legitur, quòd ſecunda die factum eſt firmamentum, in quo ſignificatur Eccleſiæ confirmatio, quam conſtat poſt reſurrectionem factam, intantum vt Petrus, qui ad vocem ancillæ negauerat *Matth.* 26. & *Luc.* 22. & *Ioan.* 18. Poſtmodum de contumeliis & verberibus illatis à concilio gauderet. *Act.* 5. Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij. Et tunc in huius conſtantia & aliorum Apoſtolorum fundata eſt Eccleſia, & ſic poſtea dilatata per totum mundum. Hoc eſt quod dicitur in *Pſal.* Dominus regnauit reſurgendo, decorem indutus eſt, claritatem ſcilicet, indutus eſt Dominus fortitudinem, agilitatem & ſubtilitatem, quibus nihil poſſit reſiſtere, & præcinxit ſe virtute impaſſibilitatis. Et poſt firmauit orbem terræ, qui non commouebitur, ſcilicet Eccleſiam. Ergo idem eſt dicere, Pſalmum vel laudem eſſe pro ſecunda Sabbati, ac ſi diceret, pro confirmatione & dilatatione Eccleſiæ facta ſecunda Sabbati.

Titulus argumentum Pſalmi, laus pro ſecunda Sabbati pro confirmatione & dilatatione Eccleſiæ.

Diuiditur autem Pſalmus in duas partes. Primò ponitur Eccleſiæ commendatio à fundatione & firmitate, & quibuſdam aliis ciuitatibus congruentibus. Secundò agitur de modo & ordine fundationis eius, ibi, *Suſcepimus Deus.* In prima ſex, ſecundum ſex à quibus commendat iſtam ciuitatem. Primò à dignitate conditoris & fundatoris huius ciuitatis. Secundò à ſitu, ibi, *in montem.* Tertiò ab amplitudine, ibi, *fundatur exultatione.* Quartò à benignitate regentis, ibi, *Cum ſuſcipit eam.* Quintò à natiuitate ciuium huius ciuitatis, ibi, *Sicut audiuimus.* Sextò ab æterna ſterilitate, ibi, *Deus fundauit eam in æternum.*

Commendatio Eccleſiæ à ſex circunſtantiis.

Dicit ergo: In præcedentibus inuitaui ad laudem Dei, ſed non vbique faciendam, niſi in ſua ciuitate, quia *Dominus*, qui aliquando fuit deiectus. Ad *Philip.* 2. Humiliauit ſemetipſum, eſt *magnus*, potenter agendo, & *laudabilis*, admirabiliter faciendo quæcumque facit. Sed quantum laudabilis? *Nimis*, ſine fine, & ſemper adaugendo laudes. *Caſſiodor. Nimis* non habet terminum, nec finem, ſed aſſiduitate ſua ſemper augetur. Alibi in *Pſal.* Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis, &c. Magnus potenter agens, laudabilis dulciter & laudabiliter. *Sap.* 8. Attingit à fine vſque ad finem fortiter, &c. Sed vbi *magnus*, vbi laudabilis? *In ciuitate Dei noſtri*, vbi ſemper laudatur, ſicut in Synagoga malorum ſemper blaſphematur. Hæc ciuitas de qua ſupra: fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. *Apoc.* 21. Vidi ciuitatem ſanctam Ieruſalem. Quæ, inquam, ciuitas ſita eſt, *in monte ſancto eius*, id eſt, in monte firmo: ſanctum enim idem eſt quod ſancitum, & hoc idem eſt quod firmum. *Matth.* 5. Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. Ipſe conditor, qui magnus & laudabilis eſt in illa. Et eſt mons. *Iſa.* 2. In diebus illis erit præparatus mons Domini in vertice montium. *Dan.* 2. Lapis de monte præciſus creuit in montem magnum.

Et nota hîc, quod eſt ciuitas Dei generalis, capiens etiam malos, fideles tamen, Eccleſia ſcilicet militans, de qua hîc. Et eſt ciuitas ſpiritualis capiens bonos, ſuperna ſcilicet Ieruſalem, id eſt, Eccleſia triumphans. Ad *Galat.* 4. Illa vero quæ ſurſum eſt Ieruſalem, quæ eſt mater noſtra. Et eſt ciuitas ſingularis, Virgo Maria, de qua in *Pſal.* Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei.

Triplex Dei ciuitas.

Fundatur

3. *Eccleſiæ amplitudo.*

Fundatur exultatione. Hîc tertium, in quo commendatur à latitudine: & dicuntur duo. Primò deſcribitur latitudo. Secundò quaſi probatur, ibi, *Deus in domibus.* In prima duo. Primò ponit intentionem. Secundò declarauit poſitam, ibi, *Mons Sion.* Dicit ergo: Talem Regem habet ciuitas, & in tali loco ſita eſt: nec credas modicam, quia *fundatur* in Chriſto & in Apoſtolis. Ad *Epheſ.*2. Eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, &c. 1.ad *Corinth.* 3. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus IESVS. Et hoc in exultatione vniuerſæ terræ, in eius dilatatione per ipſam. *Act.* 13. Audientes gentes gauiſæ ſunt, & glorificauerunt verbum Domini per vniuerſam regionem.

Alia litera habet: *Fundator exultationis vniuerſæ terræ*: & tunc refertur ad antecedens ſic: Bene dixi quia magnus Dominus illius ciuitatis, quia ipſe eſt fundator exultationis terræ vniuerſæ, id eſt, ipſi terræ dat exultationis fundamenta. *Ioan.* 16. Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. Et concordat alia tranſlatio quæ ſic habet: *Dilatans exultationes vniuerſæ terræ.* Nec eſt contra hoc quod dicitur *Eccleſ.* 9. Ciuitas parua, & pauci in ea viri. Quia illud dicitur de Eccleſia ante aduentum Chriſti: hoc autem poſt paſſionem & reſurrectionem. Et iterum parua comparatione ad malorum multitudinem, quamuis ſimpliciter multum dilatata. *Iſa.* 56. Adducam eos in montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ. Poſtea ſubdiuidendo declarat ſe: *Mons Sion*, id eſt; Eccleſia de circunciſione. *Et latera Aquilonis*, id eſt, diaboli, qui per Aquilonem deſignatur, ſcilicet Gentiles, ſunt, ſupple, *ciuitas Regis magni*, de quo facta eſt mentio, qui dicit *Matth. vlt.* Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Cæteri reges ſunt reguli, qui non habent poteſtatem niſi in regno punctali: tota enim terra quoddam punctum eſt. *Iob* 21. Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti. Diabolus autem Aquilo dicitur: quia dixit *Iſa.*14. Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Huius latera erant Gentiles ei adhærentes, ſicut communiter dicimus, iſte potens habet mala latera. *Bernard.* Sanum te dixerim dolentem latera?

4. *Deus in domibus eius.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur præcedentis probatio. Quaſi diceret: Bene dico, quòd ſic dilatabitur Eccleſia: quia *Deus in domibus eius*, variis ſcilicet & particularibus Eccleſiis, quæ ſunt illius magnæ Eccleſiæ particulares domus. Vel in *domibus*, id eſt, in Iudæis & Gentibus. *Cognoſcetur*, per fidem. 1. ad *Corinth.*13. Videmus per ſpeculum in ænigmate. Vel cognoſcetur per miraculorum operationem. *Ierem.* 31. Omnes cognoſcent me à minore ad maiorem, dicit Dominus. *Ioel.* 2. Scietis quia in medio Iſraël ego ſum. Cur enim non dicitur de iſta militante, quia de triumphante dicitur *Ioan.*14. In domo patris mei manſiones multæ ſunt. Vel poteſt legi de Eccleſia triumphante. *Deus cognoſcetur*, per ſpeciem, *in domibus eius*, id eſt, ſecundum quod merita exigent, & gradus meritorum. *Iſa.* 17. In menſura contra menſuram, cum abiecta fuerit, iudicabis eam. *Luc.* 6. Eadem menſura qua menſi fueritis, remetietur vobis. 1.ad *Corinth.*15. Differt ſtella à ſtella in claritate.

Cum ſuſcipiet eam. Hîc quartum, in quo commendat Eccleſiam à benignitate Regis, quia ipſam ſuſcepit: & tanguntur duo. Primò benigna ſuſceptio. Secundò neceſſitas ſuſcipiendi, ibi, *Quoniam ecce Reges.*

Regis Eccleſiæ benignitas.

Dicit ergo: Sic Dominus cognoſcetur in ſua ciuitate per ſpeciem. Et hoc, *cum* benigna voluntate ſua *ſuſcipiet eam*, vt infirmum medicus ad curandum. *Matth.* 4. Prædicans regnum Dei, & ſanans omnem infirmitatem in populo. Vel, *cum ſuſcipiet eam*, ciuitatem ſcilicet cuſtodiendam. *Pſal.* Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtrà, &c. *Iſa.*20. Ego Dominus qui ſeruo eam, repentè propinabo ei. Vel vt reſpondeat ſecundæ lecturæ: *Cum ſuſcipiet eam*, in æterna beatitudine. *Iſa.* 58. Suſtollam te ſuper altitudines nubium, & cibabo te hæreditate patris tui Iacob.

5. *Quoniam ecce reges terræ.* Hîc monſtratur neceſſitas ſuſcipiendi ipſam, ſcilicet nouiter conuerſorum inflictio magna. Duo ergo dicuntur. Primò congregatio eorum ad fidei vnitatem. Secundò congregatorum ſucceſſiua & periculoſa promotio in bonum Dei, ibi, *Ipſi videntes.* In prima duo. Primò congregatio ad fidei caput & radicem. Secundò ad corpus. *Conuenerunt.* Dicit ergo: Verè Dominus ſuſcipiet eam, quia *ecce reges terræ*, non tantum vulgares, & minores homines, *congregati ſunt*, in fidei vnitatem. Ecce latera Aquilonis. Nec propter hoc excludit pauperes *Pſal.* Simul in vnum diues & pauper.

Quadruplex cõgregatio, culpæ, gratiæ, iuſtitiæ, gloriæ.

Et nota, quòd eſt congregatio culpæ, de qua in *Pſal.* Congregatio taurorum in vaccis populorum. Gratiæ, qualis hic, & *Matth.*18. Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum ſum. Iuſtitiæ, ſcilicet ad recipiendum pro meritis. *Ierem.*3. Congregabo omnes in valle Ioſaphat, & ibi diſceptabo cum eis. Et gloriæ, de qua in *Pſal.* Confitebor tibi in concilio iuſtorum & congregatione.

Conuenerunt in vnum, id eſt, in Chriſtum caput Eccleſiæ, & fundamentum, qui benè dicitur vnus, quia indiuiſus. 1.ad *Corinth.*1. Diuiſus eſt Chriſtus? Vel in vnum Chriſtum, per imitationem morum Chriſti. *Ioan.* 12. Videtis, quia nihil proficimus? Ecce totus mundus poſt eum abit. Alio modo loquitur ſic: Bene neceſſe eſt vt ſuſcipiat, quoniam *ecce reges terræ*, non minores, *congregati ſunt* contra ipſam tanquam exercitus diaboli. *Eccleſ.*9. Ciuitas parua & pauci in ea viri. Venit contra eam Rex magnus. *Conuenerunt in vnum*, vt delerent illam. *Pſal.* Aſtiterunt reges terræ, &c. Vel ſic: *Suſcipiet eam*, naturam, ſcilicet noſtram in incarnatione. Et conſtat, quoniam ecce *reges terræ*, Iudæorum ſcilicet principes, congregati ſunt ab Herode volente ſciſcitari vbi Chriſtus naſceretur. *Matth.*2. *Conuenerunt in vnum*, diffiniendo quod in Bethleem Iudæ, in eodem.

6. *Ipſi videntes.* Hîc ſecundum, ſcilicet promotio in bonum periculoſa, & cum timore, vnde Dei adiutorium neceſſarium fuit: & dicuntur duo. Primò admiratio de admirabilibus Dei. Secundò admirantium conturbatio, de vanitate idoli, cui ſeruierunt. *Conturbati ſunt.* Tertiò commotio de malo in bonum, & fidem Chriſti. *Commoti ſunt.* Quartò terror crediti iudicij & pœnarum inferni. *Tremor apprehendit.* Quintò & vltimò dolor peccati in infidelitate perpetrati, ibi, *Dolores.* Dicit ergo ſecundum lecturam primam: Sic venerunt ad fidei vnitatem, & ad radicem fidei, & tunc ipſi videntes ſic, id eſt, miracula quæ fiebant in Eccleſia, admirati ſunt. *Iſa.*40. Tunc videbis & affluës, & mirabitur & dilatabitur cor tuum.

Alia litera, & veritas Hebraïca habet: *Et obſtupuerunt.* 3. *Reg.*10. Regina Saba, Eccleſiæ ſcilicet de Gentibus: videns ſapientiam Salomonis, id eſt, Chriſti, & domum quam ædificauerat, non habebat vltra ſpiritum. *Luc.*2. Omnes qui audierunt, mirati ſunt.

Conturbati ſunt pro peccatis ſuis, quæ viderunt ex vna parte, mirabilibus quæ ex altera, de qua conturbatione *Pſal.* Et torrentes iniquitatis conturbauerunt me.

Commoti ſunt, ad bonum tranſeundo. *Ezech.*37. Facta eſt commotio prophetante me, & acceſſerunt oſſa ad oſſa.

7. *Tremor*, de iudicio, & pœna infernali. *Iob* 21. Cum recordatus fuero, pertimeſco: tremor concutit carnem meam. *Apprehendit eos*, fortiter tenendo *Eccleſ.* 16. Cum reſpexerit illam Deus, timore concutietur. *Pſal.* Commota eſt & contremuit terra. Vel poteſt referri lectura tota ad Iudæos, nec mutatur ſenſus.

8. *Ibi dolores.* Hîc quintum, in quo duo. Dolorum fructus, & cauſa doloris. *In ſpiritu vehementi.* Quaſi diceret: Sic eſt tremor de pœna infernali, & iudicio. Et etiam ibi ſunt *dolores*, non modici, ſed, *vt parturientis. Ierem.*13. Nunquid dolores apprehenderunt te vt parturientem? Et in 8. Dolores apprehenderunt nos.

Vt parturientis. Iſa. 27. Sicut quæ concipit cum appropinquauit ad partum, nimis dolens clamat in doloribus ſuis, ſic facti ſumus à facie tua.

In Spiritu. Hîc tangit cauſam huius doloris, Spiritus ſancti gratiam abundantem: quod poteſt etiam eſſe cauſa omnium præcedentium. Et duplex tangitur: abundans effuſio gratiæ in affectu, & veritatis illuſtratio quæ reſpicit intellectum vno modo legendi. *Sicut audiuimus.* Dicit ergo: Sic erit ibi dolor magnus, nec mirum, quia *in ſpiritu vehementi*, hoc eſt, in Spiritu ſancto, qui vehementer irruit in animam. *Act.*2. Factus eſt repentè de cœlo ſonus aduenientis Spiritus vehementis.

Conteres naues Tharſis, id eſt, ſuperbiam Gentilium euertes. *Eccleſ.* 43. Ros obuians ab ardore vehementi, humilem faciet eum. Vel *in ſpiritu vehementi*, id eſt, in timore iudicij æterni, & extremi. *Conteres naues Tharſis*, vt priùs. *Iſa.*2. Dies Domini ſuper omnem murum excelſum, & ſuper omnes naues Tharſis. *Naues* autem *Tharſis*, vocat ſuperbiam Gentium: quia mundus mare eſt. *Pſal.* Hoc mare magnum & ſpatioſum manibus. Et *Tharſis*, idem eſt quod mare, ſicut vult *Gloſſa* ſuper 2. *Iſa.* Naues ergo Tharſis, ſunt naues mundi qui eſt mare, ſcilicet infideles, qui ſunt in mundo ſicut naues in mari, quæ omni vento feruntur. Contra quos ad *Epheſ.*4. Non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, ſicut naues. Tharſis etiam exploratio gaudij interpretatur. Naues ergo Tharſis, ſunt mentes in mundo diuerſa & vana explorantes. Sed tales Spiritus ſanctus fœlici frangit naufragio, quando tribuit quod conterantur de peccatis.

Vel legitur de Iudæis prima pars in bonum: videntes enim Scripturas impletas quidam vehementiſſimè doluerunt de errore ſuo, & ibi, *dolores vt parturientis.* Alia pars de Herode, qui in ſpiritu vehementi, id eſt, in ira maxima contriuit naues Tharſis. Naues, in quibus tranſierant magi per aliam viam in ſuam patriam reuertentes, ſicut dictum eſt eis. *Matth.* 12. *Prou.*19. Sicut fremitus leonis, ſic ira regis.

Et nota, quòd dolor pœnitentis hîc comparatur dolori parturientis. Primò ratione ſumpta ex parte prolis, quæ in voluptate concipitur ſicut culpa, & emittitur cum maximo dolore, ſicut & culpa in confeſſione. De primo *Iacob.*1. Concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum. De ſecundo *Ierem.* 6. Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum. Monſtruoſum valdè eſſet, ſi mulier pareret ſine dolore. Sic monſtruoſum cum confitetur aliquis ſine contritione, & dolore. *Iſa.*66. Antequam parturiens peperit. Et ſubdit: Quis audiuit vnquam tale, aut quis vidit huic ſimile? Item ratione ſumpta ex parte parientis: vetus enim homo ipſa mater diſcinditur & diſtenditur, vt nouus naſcatur & prodeat in lucem. Sic in pœnitentia vetus homo debet diſtendi & dilatari, vt nouus prodeat in lucem. 2. ad *Corinth.*4. Si is, qui foris eſt noſter homo, corrumpitur, tamen is qui intus eſt, renouatur de die in diem. Item ratione ſumpta ex parte doloris. Dolor enim parientis acutus eſt, ſed breuis. 1. *Pet.*1. Exultabitis, modicum nunc ſi oportet contriſtari, eſt fructuoſum valdè. *Sap.*3. In paucis vexati, in multis bene diſponentur.

Contritio collata dolori parturientis.

9. *Sicut audiuimus.* Hîc ratio ſecunda. Quaſi diceret: Sic dolere facit Spiritus ſancti vehementia: & etiam quia *ſicut audiuimus*, à Prophetis, *ſic vidimus in ciuitate Domini virtutum*, angelicarum ſcilicet, *in ciuitate Dei noſtri*, in Eccleſia militante, in quo oſtenditur aurium veracitas, quia ſic impletum eſt. *Pſal.* Dixit, per Prophetas, & facta ſunt. *Luc.*4. Vt reuoluit librum, inuenit prophetiam. Spiritus Domini ſuper me: eò quod vnxerit me. Et dixit: Hodie impleta eſt prophetia in auribus veſtris. Virtutum etiam angelicarum dicitur Deus, & humanarum, quia ſuper vtroſque poteſt. *Dan.*4. Iuxta voluntatem ſuam facit, tàm in virtutibus cœli, quàm in habitatoribus terræ.

Et nota, quòd qui ſunt huius ciuitatis ciues, & audiunt & vident: quicumque autem extra ſunt, ſurdi & cæci ſunt. *Amos* 5. In omnibus quæ foris ſunt, dicetur væ væ: quia ſurdi, quia cæci. *Pſal.* Audi filia, quia habes aures, & vide, quia non cares oculis.

Deus

Commẽdatio Ecclesiæ ab æternitate.

Deus fundauit. Hîc vltimum, in quo commendat ciuitatem ab æternitate. Quasi diceret: Talis est ciuitas: sed ne putetur peritura, *Deus fundauit eam in aternum*, duraturam. Quippe fundamentum primum Christus est. 1. ad *Cor.* 3. Fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id quod positum est, quod est Christus IESVS. Et super sanctos Christi. *Isa.* 54. Sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in saphiris. *Psal.* Fundamenta eius in montibus sanctis. Et propter hoc non est transitoria sicut templum, & tabernaculum, sed æterna. *Eccles.* 26. Fundamenta æterna super petram solidam. 1. ad *Corinht.* 10. Petra autem erat Christus. *Ierem.* 17. Habitabitur ciuitas hæc in sempiternum.

10. *Secũda pars Psalmi, gratiarum actio pro bonis Ecclesiæ.*

Suscepimus Deus. Hîc est secunda pars Psalmi, in qua subiungitur gratiarum actio pro tali, & tam glorioſa ciuitate, & tam grata Deo: & dicuntur duo. Primò, gratiarum actio. Secundò exhortatio ad bonum ex quo tanta est gratia, ibi, *Lætetur mons Sion.* In prima duo. Primò quid est datum. Secundò vbi datum. *In medio templi.* Et nota, quòd tripliciter de susceptione gratiæ legitur. Vel de susceptione Christi, & hoc dupliciter: vel à Simeone in templo materiali, vel à Gentibus in Ecclesia militante. Dicit ergo: Sic dixi, quòd Deus creauit & fundauit Ecclesiam. Sed quo ordine? Isto: quia, ô Deus *suscepimus*. Vel sic: Audiuimus & vidimus. Et quid? Ecce, *suscepimus Deus.* Fundauit eam: quod patet, quia *suscepimus Deus misericordiam tuam*, non tantum sacramenta, sed sacramentorum gratiam qua sumus boni, & peccatorum remissionem qua non mali, à quibus sumus separati quasi granum à palea. *Ierem.* 23. Quid paleis ad triticum, dicit Dominus? Sicut rosa à spinis. *Cant.* 2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Nos prius infideles & impij. *Osea* 1. & ad *Rom.* 9. Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non misericordiam consequutam, misericordiam consequutam. Ad *Rom.* 11. Aliquando & vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consequuti estis. Et vbi? *In medio templi tui*, mundi. Templum enim dicitur, quasi tectum amplum. Vel *templi*, id est, Ecclesiæ ex omnibus congregatæ, tam paleis quam granis. Quasi diceret: Quamuis in medio illorum sumus, nihilominus gloriam & misericordiam suscepimus, quæ sunt res sacramenti: & ipsi tantum exterius sacramentum. 1. ad *Corinth.* 3. Habentes quidem nomen sanctitatis, sed virtutem eius abnegantes. *Apoc.* 3. Nomen habes quod viuas, & mortuus es.

Vel misericordia est Dei filius. Oleum enim Græcè, misericordia Latinè: & de ipso dicitur, *Cant.* 1. Oleum effusum per Mariam in medio templi tui, nomen tuum. Hæc misericordia est susceptio in die purificationis, à toto mundo in medio templi materialis per manus Simeonis. *Luc.* 2. Suscipiens eum Simeon in vlnas suas, benedixit Deum.

Multiplex templũ Dei in quo variè suscipitur.

Et nota, quòd est templum materiale, de quo *Ierem.* 7. Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes, Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini est. In hoc receptus fuit corporaliter. Sacramentale, malorum congregatio, tamen fidelium fide informi, de quo hic.

D. Alb. Mag. Comment. in Psal.

Naum 2. Miles captiuus ductus est, & templum ad solum dirutum est. In hoc susceipitur apparenter tantum. Et est templum spirituale, bonorum congregatio. 2. ad *Cor.* 3. Templum Dei sanctum est, quod estis vos. In hoc virtualiter, quia in illis operatur Christus. Et est templum cœleste, de quo in *Psal.* Adorabo ad templum sanctum tuum. Ibi recipitur euidenter & lætanter. Et est templum singulare, corpus Christi proprium. *Ioan.* 1. Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Ibi non susceipitur, sed illud inhabitat diuinitas corporaliter. Ad *Coloss.* 2. In quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter.

Secundum nomen tuum. Hîc subiungitur gratiarum actio, & ostenditur primò in Ecclesia militante. Secundò in triumphante, ibi, *Iustitia plena est.* Dicit ergo: Sic in medio malorum *suscepimus misericordiam*, non tamen sumus pauci, imò *secundum nomen tuum*, &c. Vel sic: Suscepimus misericordiam tuam credendo corde, & fideles facti: & propter hoc confitemur ori. Ad *Rom.* 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Nam *secundum nomen tuum*, effusum. *Cant.* 1. Oleum effusum nomen tuum. Et hoc *in fines terræ*. *Mal.* 1. A solis ortu vsque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus. Sic *& laus tua*, est, supple, dilatata & diffusa, per sanctos tuos qui vbique sunt, vsque in fines terræ. Ab aliis autem non est laus. *Eccles.* 15. Non est speciosa laus in ore peccatoris. *Mal.* 1. In omni loco offertur oblatio munda laudis, nomini meo. 11.

Iustitia plena. Posset legi, vt esset causa primi. Quasi diceret: Bene dico, quòd laus tua est in fines terræ: quia *dextera tua plena est iustitia*, tam plena vt per totum mundum effundat, & iustos vbique faciat. *Isa.* 53. In scientia iustificauit ipse iustus meus multos. Et isti possunt laudare. *Psal.* Rectos decet collaudato. Vel *dextera*, vita æterna secundum diuisionem illam. Illa est dextera, de qua *Matth.* 25. Agnos quidem ponet à dextris. *Cant.* 2. Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. *Plena est iustitia*, quia iustis, qui te perpetuò laudabunt. *Apocal.* 7. Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat.

Lætetur mons Sion. Hîc secundum, in quo subiungitur exhortatio aliorum ad agendum bonum. Primò autem exhortatur Ecclesiam de Iudæis. Secundò de Gentibus. *Circundate Sion.* In prima duo. Primò exhortatur ad lætitiam. Secundò subiungit lætitiæ causam. *Propter iudicia tua.* Dupliciter autem legitur, vel de iudicio in præsenti, vel de iudicio in futuro. Primo modo sic: Sic dilatata est laus tua & multorum iustificatio: vnde *lætetur mõs Sion*, maiores de Iudæa, qui bene mons dicuntur, quia primò radios solis receperunt, secundum illud *Matth.* 15. Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël. *Act.* 13. Filij generationis Abraham, & qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis huius missum est. 12.

Et exultent filiæ Iudæ, minores de Iudæis, & infirmi, sicut filiæ. Vel repetitio est pro eisdem. Sed *lætentur*, dicit, pro exultatione cordis, *& exultent* propter exultationem operis exterioris. Vel *filiæ Iudæ* possunt appellari Gentes, à Iudæis

in fide genitæ. 1. ad *Corinth.*4. In Chriſto Iesv per Euangelium ego vos genui,

Propter iudicia tua, occulta, ô Domine, quibus Iudæos repuliſti ſuperbientes, & vocaſti Gentes humiles. Ad *Rom.*11. Cæcitas ex parte contigit in Iſraël,donec plenitudo Gentium intraret. Et in fine 11. exclamat: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius.

Mons Sion, Eccleſia ſcilicet generalis, quæ Deum ſpeculatur, non facie velata, ſicut Synagoga,ſed reuelata. 2.ad *Corinth.*3. Nos reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes transformamur in eandem imaginem à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu. *Lætetur* in maſculis,*& exultent filiæ Iudæ*, ſcilicet mulieres Chriſti filiæ, qui de Iuda fuit. Ad *Hebr.*7. Manifeſtum eſt quod de Iuda ortus eſt Dominus Iesvs Christvs. *Apoc.*5. Vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid. Et hoc *propter iudicia tua*, futura, *Domine*, in quibus fiet ſeparatio, vt nec vnus bonus remaneat cum malis, nec è contra. *Auguſt.* Artifex ventilabrum portabit, vt vnum granum tritici non cadat in aceruum paleæ comburendum, nec vna palea aſſeruetur cum grano in horreo. *Matth.*3. Cuius ventilabrum in manu eius, & permundabit aream ſuam, id eſt, perfectè mundabit.

13. *Circundate Sion.* Hîc ſubiungitur Eccleſiæ de Gentibus inuitatio. Et primò inuitat vt bene ſe habeat ad proximum. Secundò vt ad Deum, ibi, *Ponite corda*. In prima monet vt bene ſe habeat ad proximum diligendo. Secundò commendat & laudando, ibi, *Narrate*. Legitur autem dupliciter, vel de Iudæis, vel de electis totius Eccleſiæ. Primo modo ſic: Lætentur & exultent illi de Iudæis, & etiam vos, Gentiles, circundate, non in irritando, ſicut illi de quibus in *Pſal.* Circundederunt me ſicut apes. Et alibi, Proiicientes me nunc circundederunt me. *Sion*, electos ſcilicet de Iudæis, vel vniuerſaliter electos de Chriſtianis. *Et complectimini eam* illam multitudinem brachiis charitatis, ſicut Ioſeph complexus eſt fratres ſuos. *Geneſ.*43.

Narrate. Ecce ſecundum. Quaſi diceret:Non tantum eam diligatis, imò *narrate* laudes eius aliis. Vos dico exiſtentes in *turribus eius*, in ipſis Apoſtolis per bonam vitam & imitationem. In alto enim debent eſſe poſiti qui annuntiant, & prædicant laudes Eccleſiæ. *Iſa.*40. Super montem Sion aſcende, tu qui Euangelizas Sion. Turres autem ſunt Apoſtoli.*Cant.*4. Sicut turris Dauid,ita collum tuum. Quilibet enim prædicator collum eſt: collum enim accipit alimentum à capite, & dat corpori, ſicut Apoſtoli à Chriſto capite vt transfunderent in corpus Eccleſiæ. *Matth.*14. Fregit, dedit diſcipulis ſuis,illi autem dederunt turbis. Sed turris fortiſſima quaſi in medio aliarum turrium eſt Chriſtus. *Prou.*18.Turris fortiſſima nomen Domini, ad ipſum currit iuſtus, &c.

14. *Ponite corda veſtra.* Hîc hortatur vt bene ſe habeant: & dicuntur duo. Primò, quòd amando. Secundò,quòd laudando. *Et diſtribuite.* Dicit ergo: Sic vos habete ad proximum, & vos ponite in turribus eius, & etiam *ponite corda veſtra*,non tantum ora, per laudem vocalem, *in virtute eius*, id eſt, in charitate eius, qua diligatur. Virtus autem charitas dicitur, quia fortis & inuincibilis. *Cant.*8. Fortis eſt vt mors dilectio. *Auguſt.* Sicut contra mortem quando venit, reſiſti non poteſt: ſic contra violentiam charitatis mundus nihil poteſt. Nec mirum: quia quicquid eſt contra charitatem, nihil eſt. 1. ad *Corinth.*13. Si charitatem non habeam, nihil ſum. Hæc eſt virtus vinciens illos ſolum qui ſunt in hac ciuitate. Vnde ad *Coloſſ.*3. Super omnia autem mutuam in vobiſmetipſis charitatem habentes. Charitatem quæ eſt vinculum perfectionis, & ſimul ligat ciues huius ciuitatis. Propter hoc ciuitas fortis eſt. *Prou.*18. frater qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma.

Et diſtribuite. Hîc quod bene ſe habeant laudando: & dicuntur duo. Primò, quòd laudetur Deus. Secundò quomodo laudetur. *Quoniam hic eſt Deus.* Et legitur litera tribus modis, ſecundum quod per hoc quod dicitur, *Diſtribuite*, ſignificatur diſtinctio bonorum & malorum generaliter, vel Eccleſiæ de Iudæis ab Eccleſia de Gentibus ſpecialiter. Et hi duo modi ſecundum noſtram literam. Tertiò modo ſecundum aliam. Dicit ergo: Sic diligite, & etiam *diſtribuite*, id eſt, diſtinguite prudenter & cautè *domos eius*: quia eſt quædam quæ tantum ſimilitudinem habet quod eius domus eſt, cum tamen non ſit ſecundum veritatem: quædam quæ videtur, & eſt: ne à parte iudicetis totum, omnes malos pro vno malo, ſicut ille de quo *Eccleſ.* 10. In via ſtultus ambulans, cum ipſe inſipiens ſit, omnes inſipientes æſtimat. *Ioan.*7. Nolite iudicare ſecundum faciem, ſed iuſtum iudicium iudicate. *Vt* ſic *enarretis*, prædicando magnalia Dei, *in progenie altera*, inter bonos ſcilicet, non inter malos, qui omnia contemnunt. *Matth.*7. Nolite ſanctum dare canibus, nec margaritas, &c. *Matth.* 15. Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus, &c.

Diſtinguēda domus Dei, vel gradus in ea ordinandi.

Vel ſic: *Diſtribuite*, id eſt, diiudicate *domos eius*, vt Paulus prædicet in Gentibus, & Petrus in Iudæis, ſicut factum fuit. Ad *Galat.*2. Et ſic *Enarretis in progenie altera*, id eſt, vſque ad poſteros. *Pſal.* Quanta mandauit Patribus, &c. Secundum aliam literam, *Diſtribuite*, id eſt, diſponite, & ordinate, gradus eius, ſcilicet Eccleſiaſticas dignitates, & officia non vendite: *vt* ſic *enarretis in progenie*, non tantum Iudæorum, quæ prima eſt, ſed in altera, ſcilicet Gentilium. *Matth. vlt.* Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ.

15. *Quoniam hic eſt Deus.* Hîc ſecundum,in quo ſubiungit qualiter laudetur, quia vt creator. Secundò vt gubernator & rector. *Ipſe reget nos.* Dicit ergo: Sic *diſtribuite*, *vt enarretis.* Quid hoc? *Quoniam hic*,ſcilicet Chriſtus,*eſt Deus*,propter creationem,*Deus noſter*, propter recreationem:& hoc non ad tempus,ſicut Iupiter,Mars, & Saturnus, qui ad tempus dij fuerunt hominum opinione. *Sap.* 14. Superuacuitas hominum hoc adinuenit.Et infra, Et ideò breuis illorum finis. Sed, *in æternum*, *& in ſæculum ſæculi*, conſecutiuum. *Pſal.* A ſæculo & vſque in ſæculum tu es Deus, & *ipſe* ſic exiſtens Deus,

reget

reget nos, ne erremus. *Hieron.* Ipſe lubricos & tortuoſos greſſus noſtros diriget in ſe, qui eſt via. *Ioan.*14. Ego ſum via, veritas & vita. *Iſa.*35. Via ſancta vocabitur: non tranſibit per eam pollutus. Et hoc, *in ſæcula*, id eſt, ſine fine, non ſicut alij rectores, & prælati ad tempus tantum regentes. Ad *Hebr.*7. Plures facti ſunt ſacerdotes: idcirco quia morte prohiberentur permanere.

Chriſtus dux noſter aufert triplicem in morte metum.

Hebraïca veritas habet: *Ipſe erit dux noſter in morte.* Et hæc conſolatio magna morituris iuſtis de tali ductore. Morientes enim ſolent timere tria. Occurſus dæmonum: nec mirum. 1. *Pet.*5. Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Sed attendunt ductoris huius potentiam. *Exod.*15. Dominus quaſi vir pugnator, Omnipotens nomen eius. Item ſolent diuinum timere iudicium. Quippe *Anſelm.* Tunc damnabitur quicquid inuentum fuerit operis, vel otioſi ſermonis, vel ſilentij, vſque ad minimam cogitationem, ſi non fuerit ad Dei voluntatem directum. Ad *Hebr.*10. Terribilis quædam expectatio iudicij. Sed attendunt, quòd ductorem habent ſapientiſſimum aduocatum. 1.*Ioan.*1. Aduocatum habemus apud Patrem IESVM iuſtum. Item ſolent timere infernum: quia *Iſa.* 34. Conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in ſulphur. Sed attendunt ducis bonitatem: tantæ enim bonitatis eſt, vt etiam bene eſſet eis in inferno cum illo. *Pſal.* Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Et iterum, Illuc non ducet eos, bene ſciunt, ſed vbi dicitur *Deut.*32. Dominus ſolus dux eius fuit. Et infra: Conſtituit eum ſuper excelſam terram, ſcilicet viuentium vita perpetua, ad quam nos ducat in morte, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

IN XLVIII. PSALMVM.

1. *In finem, filiis Core Pſalmus.*

2. *Avdite hæc omnes gentes.* Hic eſt Pſalmus quadrageſimus octauus, in quo poſtquam actum eſt de laude ſponſi, & loco in quo laudandus eſt, & quaſi quædam lætitia nuptiarum, ſubiungit de repreſſiuo huius lætitiæ, ne conuertatur in lætitiam ineptam, ſcilicet de timore, oſtendendo quia impios iſte Rex condemnabit. *Greg.* Anchora mentis, pondus timoris. Præponitur autem talis titulus: *In finem filiis Core Pſalmus Dauid.* Et eſt ſenſus: Hic *Pſalmus* qui eſt *Dauid* literalis, vt auctoris, tendens, hoc eſt, tendere faciens, *in finem*, ſcilicet Chriſtum, cantandus eſt *filiis Core*, id eſt, Chriſti, vt in eis lætitia temperetur timore ſancto, ſecundum illud: Lætetur cor meum vt timeat nomen tuum. Cantandus eſt etiam filiis Core, id eſt, mundum contemnentibus, ſicut Chriſtus contempſit, vt in ipſis firmetur contemptus, cum audierint quæ dicuntur contra amatores mundi.

Argumentum Pſalmi, gaudium timore eſſe temperandum.

Diuiditur autem Pſalmus in duas partes. Primò enim ad dicenda attentos facit. Secundò dicenda ſubiungit, ibi, *Cur timebo?* In prima tria: quia primò monet qualiter audiront. Secundò quid audient. *Quique terrigenæ.* Tertiò quare audire debent. *Os meum loquetur.* Monet audire duobus modis. Aure corporis primò. Secundò aure cordis. *Auribus percipite.*

Dicit ergo: *Audite hæc*, quæ dicturus ſum, *omnes gentes:* quia aliter non valeret quicquid dicerem. *Eccleſ.*32. Vbi non eſt auditus, non effundas ſermonem. *Audite* ergo *omnes gentes*, omnes ſcilicet impij, & mundi amatores. *Deut.*32. Audiat terra verba oris mei. *Iſa.*34. Accedite gentes & audite. Nec tantum aure corporis, imo *auribus* cordis *percipite*, hoc eſt, perfectè capite quid dicturus ſum. *Iſa.*6. Audiat & corde ſuo intelligat. *Omnes qui inhabitatis orbem*, boni ſcilicet qui non poteſtis exire de mundo, tamen ei non adhæretis per amorem. *Auguſt.* Ille habitat, qui non tenetur, quomodo ille poſſidet, qui dominus eſt: habitare enim dicitur ab habere. Iuſti autem dicuntur habitare mundum, quia habent mundum. 1. ad *Corinth.*3. Omnia veſtra ſunt. 2. ad *Corinth.* 6. Tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes. *Hieron. in prologo*, Fideli totus mundus diuitiarum eſt, infidelis autem etiam obolo indiget. Vel pro eiſdem poſſent accipi gentes & inhabitantes orbem. Quaſi diceret: Audite omnes generaliter ſine exceptione. *Act.* 10. Non eſt perſonarum acceptor Deus. Et audite, ita quod percipiatis, id eſt, intelligatis corde. *Lucæ* 8. & *Apoc.* 2. & 3. Qui habet aures, audiendi, audiat.

Quique terrigenæ. Hîc ſpecificat quos vult audire, & à conditione duplici, naturæ primò, & fortunæ ſecundò, ibi, *Simul in vnum.* Dicit ergo: Sic audite omnes & boni & mali, *quique terrigenæ* eſtis, ſcilicet humiles homines, à terra & loco, vnde nati eſtis nominati, & nomen primæ conditionis retinentes. *Geneſ.*2. Formauit igitur Deus hominem de limo terræ. 3.

Et filij hominum, nobiles & maiores à parentibus nominati. Infra in eodem *Pſal.* Vocauerunt nomina ſua in terris ſuis. Terrigenæ etiam poſſunt dici mali cadentes in partem primi Adæ, qui terrenus fuit. 1. ad *Corinth.*15. Adam de terra terrenus. *Filij hominum*, nobiles & maiores boni, qui cadunt in partem Chriſti filij hominis. *Matth.*16. Quem dicunt homines eſſe filium hominis?

Simul in vnum, venite ad audiendum, *diues in* rebus fortunæ, *& pauper* in eiſdem. Diues refertur ad terrigenam, quia terrenis plenus. *Caſſiod.* Diues pertinet ad terrigenas, quia numeroſis peccatis probatur opulentus. *Eccleſ.*11. Si diues fueris, non eris immunis à delicto. Et pauper ad id quod dictum eſt, *filij hominum.* *Matth.*5. Beati pauperes. Omnes ergo audite, *in vnum* vos congregantes, quia æqualiter vult Deus inſtruere omnes, & diuites & pauperes, & bonos & malos: nullum excipit à doctrina, qui eam recipere velit. *Sap.*6. Puſillum & magnum ipſe fecit. Et æqualiter eſt illi cura de omnibus. Secundum *Caſſiod.* ſic legitur: Audite hoc mirum, quia ſimul in vnum eſt diues & pauper, quia in Chriſto *pauper* ſecundum humanitatem, *diues* ſecundum diuinitatem. 2. ad *Cor.*8. Cum eſſet diues in omnibus, pro nobis egenus factus eſt.

Hîc ergo nota, quòd præceſſit trina citatio. *Audite hæc omnes gentes:* ecce prima. *Auribus percipite omnes qui habitatis orbem:* ecce ſecunda. *Quique terrigenæ*, &c. ſubauditur, venite ad audiendum: ecce tertia. Qui non audierit, feretur contra eum ſententia dura. Hæc trina vocatio ſimiliter eſt *Ierem.*22. Terra, terra, terra audi ſermonem Domini.

4. *Captat beneuolẽtiam ab argumẽti dignitate.*

Os meum loquetur. Hîc tertium quare audire debent, vbi commendat dicenda,& hoc à quatuor. A ſublimitate primò. Secundò ab vtilite. *Et meditatio.* Tertiò ab authoritate. *Inclinabo.* Quartò ab euidenti manifeſtatione. *Aperiam in Pſalterio.* Dicit ergo: Omnes audite, & debetis, quia *os meum loquetur ſapientiam*, quæ pertinet ad diuinam, ſcilicet Chriſtum. 1. ad *Corinth.*1. Prædicamus Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam. Et infra: Qui factus eſt nobis à Deo ſapientia. Et ſcriptum eſt *Prou.* 4. Beatus homo qui inuenit ſapientiam, & qui affluit prudentia. Sed nunc eo ipſo quod loquitur aliquis ſapientiam, eo non curant audire multi. 2. ad *Timoth.*4. Erit tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt.

Et meditatio cordis mei, non tantum ſonus auris. *Auguſt.* Hinc intelligas quia illud quod ex ore funditur,de vena cordis emanat. *Eccl.*21. In corde ſapientum os illorum eſt. *Loquetur prudentiam*, quæ pertinet ad mores,& vtilis eſt valde. *Prou.* 2. Si inclinaueris prudentiæ cor tuum, intelliges timorem Domini. *Caſſ.* Omnis ſermo diuinus duabus his virtutibus pleniſſimus indicatur. *Prou.* 4. Poſſide ſapientiam, & in omni poſſeſſione tua acquire prudentiam.

5. *Inclinabo in parabolam.* Hîc tertium, in quo notatur dicendorum authoritas: quia ab ipſa veritate intus creata hæc audiet. Ait: Sic os meum loquetur ſapientiam, & prudentiam: & vnde hoc habebis? *Inclinabo in parabolam*, id eſt, ad parabolas veritatis intus loquentis, *aurem meam*, interiorem cordis. Et nota, quòd illa interiora dicuntur parabolæ, non quia intus ſint illi qui loquitur, ſed quia ſic decet loqui vt non capiatur ab indignis. *Hieron.* Ideò in parabolis, quia docet me loqui foris parabolice, vt indignis non pateam. *Luc.*8. Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis,vt videntes nõ videant, &c. Vel ſic: *Inclinabo aurem in parabolis*,etiam intus factis, quia quod intus video, per ſpeciem non cognoſco, ſed per ſpeculum. 1. ad *Corinth.* 8. Nunc per ſpeculum & in ænigmate. *Gregor. in mor.* Sancti quandiu in hac vita ſunt, æterna quaſi ſub quadam imagine conſpiciunt: quia necdum ſicut ſunt manifeſtius contemplantur. Parabola etiam Græcè ſimilitudo occulta. Eſt ergo ſenſus: Quod occultè dico exterius, apertè manifeſtabo.

Aperiam in Pſalterio, id eſt, in opere ipſo. Pſalterium enim dicitur à ψάλλειν, quod eſt tangere. *Propoſitionem meam*,factam ore. Quaſi diceret: Quod ore prædicabo, opere adimplebo. Sciebat bene regulam ſuam iſte *Greg.* Lex eſt prædicatoribus, vt viuendo teneant, quod loquendo ſuadere feſtinant. *Eccleſ.*4. Noli citatus eſſe in lingua tua,& inutilis, & remiſſus in operibus tuis. Aliter condemnatur à propriis labiis. *Iob* 15. Condemnabit te os tuum, & non ego, & labia tua reſpondebunt tibi.

Cur timebo in die mala? Hîc ſubiungit dicenda: & eſt ſecunda pars. Primò ergo malis grauiter comminatur. Secundò bonos conſolatur, ibi, *Verumtamen Deus redimet.* In prima tria. Primò tangit malorum culpam. Secundò carentiam remedij, ibi, *Qui confidunt.* Tertiò pœnam. *Laborauit in æternum.* In prima duo. Primò cauſam timoris & damnationis quærit in perſona malorum. Secundò culpam pro cauſa ſubiungit. Dicit ergo: Sic audite quid eſt quod quæro. Primò, *Cur timebo*? Ego, quicunque ſcilicet malus, *in die mala*, id eſt, in die iudicij, quæ dicitur *mala*, quia omnia mala tunc patebunt. 1. ad *Corinth.*4. Veniet Dominus qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. *Mala* etiam, quia multò pluribus mala erunt, quam bona. *Matth.* 20. Multi vocati, pauci electi. Tertiò quia malum inferet. *Iſa.* 13. Ecce dices Domini veniet, quaſi crudelis, & indignationis plenus, & iræ & furoris, ad perdendam terram. *Eccl.*7. Diem malam præcaue. 6.

Iniquitas. Hîc reſpondet, & legitur duobus modis: quia enim calcaneum eſt extrema pars corporis, per ipſum poteſt ſignificari extrema pars naturæ, ſcilicet corpus, vel vitæ. Primo modo ſic: Quæro cur timebo? Ideò timebo, quia *iniquitas calcanei mei*, id eſt, quæ mihi eſt ex carne, quod eſt vltimum ex me. Ad *Rom.*7. Scio quod non habitat in me, hoc eſt, in carne mea, bonum. Vel *iniquitas calcanei mei*, id eſt, quæ erit mihi in fine vitæ meæ: tunc enim maximè diabolus inſidiatur. *Pſal.* Ipſi calcaneum meum obſeruabunt. *Geneſ.*3. Tu inſidiaberis calcaneo eius. *Circundabit me.* Et hæc iniquitas, vt veſtis confuſionis turpiſſima & grauis. *Pſal.* Tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate, & impietate ſua. Hæc veſtis eſt grauiſſima: vnde in *Gloſſ.* Circundabit me, id eſt, opprimet. *Iſa.*1. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate. *Calcaneus vltimũ vitæ vel corpus ſignificat.*

Hic ergo notandum, quòd inſidiatur diabolus principio boni operis. *Thren.*1. Facti ſunt hoſtes eius in capite. Ideò dicimus in principio horarum, Deus in adiutorium meum intende. *Pſal.* In via hac qua ambulabam, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi. *Iob* 40. Stringet caudam ſuam ſicut cedrum, id eſt, tentationem in cauda factam. Et propter hoc ſubiungimus in fine, Benedicamus Domino. *Geneſ.*39. Vxor Putifaris, id eſt, aſtutia diaboli, apprehendit laciniam veſtimenti Ioſeph, id eſt, extremam partem.

Qui confidunt in virtute ſua. Hîc ſecundum, in quo oſtendit non adeſſe remedia, ſed ipſorum carentiam. Et primò non adeſſe æſtimata. Secundò omiſiſſe eos vera, ibi, *Non dabit Deo.* In prima,primò oſtendit nulla eſſe remedia roboris.Secundò quòd nec poſſeſſionis. *Et in multitudine.* Tertiò cognationis. *Frater non redimit.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd iniquitas calcanei mei me circundabit, loquentem in perſona ipſorum, *qui confidunt in virtute ſua*, ſcilicet in robore corporis, vel ingenio mentis, ſecundum illud *Ier.*9. Non glorietur fortis in fortitudine ſua, nec ſapiens, &c. 7. *Vana remedia contra dæmonem.*

Et

Et in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur. Contra illud ibidem : Non glorietur diues in diuitiis ſuis. *Caſſiod.* Per diuitias maximè inflatur homo. *Eccleſ.* 40. Facultates, & virtutes exaltant cor. Virtutes etiam aliquando, quarum ſuperbia & gloriatio, multò fortius omnibus aliis vitanda eſt. Primò propter incertitudinem. *Eccleſ.* 9. Neſcit homo vtrùm amore an odio dignus ſit. 1. ad *Cor.* 4. Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Et propter deceptionem, in hoc enim ſeipſum decipit, & putat ſe eſſe in via, quæ videtur homini recta, & nouiſſima eius ducunt ad mortem. *Anſel. in meditationibus.* Quot peccata tibi prouenient ex improuiſo ex inſidiis, quæ modo non vides ? Item propter virtutis ipſius imperfectionem, etiamſi adſit : tam enim imperfecta eſt omnis virtus noſtra in conſpectu Dei, vt ſit iniuſtitia. *Iſa.* 44. Facti ſumus vt immundi omnes nos, & omnes iuſtitiæ noſtræ, ſicut pannus menſtruatæ. Ideò dicitur in *Pſal.* Imperfectum meum viderunt oculi tui. Item propter ipſius virtutis deſtructionem : eò enim quod de tua virtute confidis, ipſam perdis. *Eccleſ.* 16. Deſtructi ſunt confidentes ſuæ virtuti. Quod patet in Phariſæo. *Luc.* 18. Non ſum ſicut cæteri hominum, &c. Et amiſit totum. Propter non confidentium, ſed magis diffidentium remunerationem. *Chryſoſt. ſuper Mat.* Paulus dicens, Non ſum dignus vocari Apoſtolus. 1. ad *Cor.* 15. propter hoc primus omnium factus eſt. Sic Ioannes dicens : Non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorum, amicus factus eſt ſponſi, quem indignum dixit calceamentis tangendis, hunc Chriſtus ſuper caput ſuum attraxit. *Luc.* 14. & 18. Qui ſe humiliat, exaltabitur.

Virtutum quam diuitiarum ſuperbia periculoſior.

8. *Frater non redimit.* Hîc oſtendit æſtimata cognationis remedia nulla eſſe, & legitur dupliciter, quia frater poteſt accipi pro carnali fratre, vel pro ſpirituali, ſcilicet Chriſto. Primo modo ſic : Nihil valet fortitudo, nihil diuitiarum multitudo, nihil etiam proximitas ſanguinis, quia *frater non redimit*, non à morte, imò magis venatur ad mortem. *Michæ.* 7. Vir fratrem ſuum venatur ad mortem. *Redimet homo ?* Interrogatiue, quaſi diceret : Ex quo frater non redimit, putas homo purus redimet ? Non poteſt eſſe. Et poteſt eſſe probatio huius quod ſequitur. *Non dabit*, id eſt, dare non poterit, *Deo placationem ſuam*, hoc eſt, aliquid per quod ſibi placetur Deus. Qualiter ergo tuam poſſet quærere ? Nullo modo. *Pſal.* Quis eſt homo qui viuet, per ſe, & non videbit mortem ? eruet animam ſuam de manu inferi. Quaſi diceret : Nullus eſt.

Poteſt etiam legi de Chriſto ſic : Confidunt in virtute ſua, & in diuitiis ſuis : & propter hoc *frater*, id eſt, Chriſtus, de quo ad *Rom.* 8. Primogenitus in multis fratribus : *non redimet*, quamuis redimat alios. *Oſeæ* 13. De manu mortis liberabo eos. De morte redimam eos. *Redimet homo ?* Velut Adam qui damnauit, vel alius qui eſt in eadem damnatione ? Quaſi diceret : Non, quia alius *homo non dabit placationem ſuam*, ſicut prius.

Vel hîc oſtenditur vera remedia eſſe omiſſa, ſicut diuiſum fuit. Et hic duo oſtendit. Primò remedium veræ pœnitentiæ, & afflictionis voluntariæ. Secundò eleemoſynæ. *Et pretium redemptionis.* Dicit ſic : Non valebunt æſtimata remedia, & etiam omittunt vera, quia talis *non dabit Deo placationem ſuam*, veram ſcilicet pœnitentiam, & afflictionem, vnde placetur Deus. *Iob* 33. Conſumpta eſt caro à ſuppliciis pœnitentiæ, reuertatur ad dies adoleſcentiæ ſuæ. *Eccleſ.* 12. Altiſſimus odio habet peccatores, & miſertus eſt pœnitentis.

Et pretium redemptionis. Hîc omiſſio eleemoſynæ. Quaſi diceret ſic : Non dabit placationem, & etiam *non dabit pretium redemptionis animæ ſuæ*, ſcilicet eleemoſynam. *Prouerb.* 13. Redemptio animæ viri, propriæ diuitiæ. Et miſericordia & veritate redimitur iniquitas. 9.

Laborabit in æternum. Hîc tertium, in quo ſubiungitur de pœna, ex quo præceſſit de culpa, & de remediorum cautela. Et primò tangitur pœnæ æternitas in generali. Secundò magis ſpecificatur per partes. *Non videbit interitum.* Dicit ergo : Sic nulla remedia, & præceſſit culpa, & propter hoc, *laborabit in æternum. Iudith.* 16. Dabit ignem & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & ſentiant vſque in æternum.

Et viuet adhuc in finem, veniens, id eſt, poſtquam finierit vitam iſtam, adhuc redibit ad vitam, & remanebit, & viuens anima non ſimul cum corpore interibit, ſicut dicunt illi *Sap.* 2. Ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus quaſi non fuerimus. Et infrà : Extinctus cinis eſt corpus noſtrum. Sed non eſt ita. *Iob* 20. Luet quæ fecerit omnia, nec tamen conſumetur. Nec eſt iniuſtitia, ſi pro temporali culpa puniuntur æterna pœna pluribus rationibus. Primò quia emptio momentanea vim dat perpetuum poſſidendi. Sed diabolus momentanea delectatione emit animam. *Prou.* 10. Cor impiorum pro nihilo venundabitur. *Iſa* 50. Iniquitatibus veſtris venũdati eſtis. Item caſus in puteum eſt momentaneus, ſed detentio eſt perpetua ſine omni iniuria. Sed *Iob.* 21. In puncto ad inferna deſcendunt. *Amos.* 8. Cadent & non reſurgent vltrà. Item nulla iuſtitia reddit æqualem culpæ pœnam niſi fortè lex talionis. *Aug. de ciuitate Dei lib.* 21. *cap.* 11. Genera pœnarum in legibus eſſe ſcripſit Tullius, damnum, vincula, talionem, ignominiam, exilium, mortem, ſeruitutem. Nulla harum eſt quæ maior non ſit, quam culpa, niſi forte talionis. Item culpa durat in æternum: *Ierem.* 30. Inſanabilis eſt dolor tuus, propter multitudinem iniquitatis tuæ, & propter hoc duratura eſt pœna tua. Item deſtruit in ſe bonum, quod in eo æternum permaneret : ergo iuſto iudicio æternaliter puniendus. *Aug.* Malo dignus eſt æterno, qui in ſe bonum perimit, quod potuit ei eſſe æternum. 10. *Iuſtiſſima pœna æterna multis rationibus oſtenditur.*

Non videbit, Hîc ſecundo determinantur pœnæ quæ ſuperius tactæ ſunt quaſi in generali. Et primò agitur de pœna corporali. Secundò de mentali, ibi, *Sicut oues in inferno.* Tertiò de pœna coniuncti, ibi, *Et dominabuntur.* Item quia ſicut corpus amauerat tria, carnem, poſſeſſionem quæ nutriebat illam, & memoriæ perpetuitatem, propter hoc tria dicuntur. Primò ſeparatio animæ à carne ino- 11. *Enumerantur pœna damnatorum tres, quæ ad corpus, poſſeſſiones, & nomen pertinent.*

pinata. Secundò ſeparatio inopinata à poſſeſſione, ibi, *Et relinquent.* Tertiò monſtratur memoriæ inutilitas. *Tabernacula eorum.* In prima tria. Primo negligentia cogitandi de fine proprio, & morte. Secundò cauſa quare negligit. *Cum viderit.* Tertiò mors inſperata æterna. *Simul ſapiens.* Dicit ergo: Sic punientur mali, & tamen inſipiens, & peccator *non videbit*, id eſt, non attendet aut cogitabit, *interitum*, verum ſcilicet gehennæ, de quo *Prou.*1. Ego autem in interitu veſtro gaudebo. *Prou.*22. Callidus videt malum, & abſcondit ſe: ſtultus tranſibit, & confidit. *Iſa.*47. Veniet repentè ſuper te miſeria quam neſcis. Et tunc curabunt miſelli, qui modo nec cogitare volunt. *Eccleſ.* 27. Repentino interitu ſuo mirabuntur. Propter hoc bene dicitur *Deut.* 32. Vtinam ſaperent, ac intelligerent, & nouiſſima præuiderent.

Cum viderit, id eſt, quia videt *ſapientes morientes*, ſicut ſtultos. Et notatur *Gloſſa* dicens, Si ſapiens, &c. *Sap.*4. Videbunt finem ſapientis, & non intelligent quid cogitet de illo Deus. In tenebris enim ſunt, & nihil vident. *Eccl.*2. Oculi ſapientis in capite eius: ſtultus autem in tenebris ambulat.

Sed quid tandem *inſipiens*, qui ſibi non præcauet in futuro, & *ſtultus*, qui neſcit in quo malo ſit? *Peribunt*, & hoc *ſimul*: vnus alium liberare non poterit. *Inſipiens*, qui nec præſentia mala attendit, nec futura, ſed ſicut brutum ſequitur ſuas voluptates. *Prou.*7. Statim ſequitur eam quaſi bos ductus ad victimam. *Et ſtultus*, qui bene mala præuidet, ſed non cauet. *Num.* 23. Qui cadens apertos habet oculos. *Ierem.*49. Inutilis facta eſt ſcientia eorum. *Peribunt. Baruch* 3. Quia non habuerunt ſcientiam, peribunt propter inſipientiam ſuam. Peribunt autem non illa communi morte, qua alij, ſed æternaliter. *Iob* 4. Quia nullus intelligit, in æternum peribunt. *Ierem.* 20. Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium ſempiternum, quod nunquam delebitur.

12. *Et relinquent alienis.* Hîc inopinata ſeparatio à poſſeſſione: & dicuntur duo. Primò dicit tales poſſeſſiones perdituros. Secundò nunquam recuperaturos. *Et ſepulchra eorum.* Dicit ego: Sic peribunt. Sed quid fiet de diuitiis, quibus tanto amore inhærebant, & in quibus gloriabantur? Reſp. *Et relinquent diuitias ſuas*, propter quas acquirēdas multipliciter peccauerunt. *Ier.*17. Fecit diuitias, & non in iudicio in medio dierum ſuorum derelinquet eas, & in nouiſſimo ſuo erit inſipiens. Et dicit *ſuas*, quas ſibi apparauerunt, non aliis communicauerunt, contra illud *Hebr.*13. Beneficentiæ & cōmunionis nolite obliuiſci 1. ad *Cor.* 10. Nemo quod ſuum eſt quærat. Sed quomodo dicit alienis? Nonne relinquent eas filiis ſuis, vel conſanguineis? Reſp. Proximus eſt, qui tibi prodeſt. *Luc.*10. Quis tibi videtur proximus fuiſſe illi, qui incidit in latrones? Qui fecit miſericordiam cum illo. Si ergo conſanguinei nihil tibi mortuo proſunt, certum eſt quod non ſunt proximi, ſed alieni valdè.

Et ſepulchra. Ecce, quaſi non videbunt ad illas: nam & ſepulchra eorum ſunt *domus illorum* non ad modicum tempus, ſed *in æternum*, totius huius temporis. Vel ſecundum aliorum opinionem, ſunt domus æternæ. Et nota, quòd dicit ſepulchra pluraliter, propter triplicem ſepulturam malorum. Primò ſepelitur corpus in terra. *Geneſ.* 25. Abraham ſepeliuit vxorem in agro. *Eccl.*40. Iugum graue ſuper filios Adam, à die exitus ſui de ventre matris ſuæ, vſque in diem ſepulturæ, in matrem omnium. Secundò ſepelitur anima mortua peccato in ſuo corpore, quod dicitur ſepulchrum ratione fœtoris, quem exhalat ab anima intus mortua. *Pſal.* Sepulchrum patens eſt guttur eorum. Tertia verò eſt coniectio in infernum. *Iob* 21. Ipſe ad ſepulchrum ducetur, ad infernum, & in congerie mortuorum vigilabit. *Triplex malorum ſepulchrum.*

Tabernacula eorum. Hîc tertium memoriæ inutilitas: & dicuntur duo. Primò tangit memoriæ diuturnitatem. Secundo huius memoriæ inutilitatem. *Homo cum in honore eſſet.* In prima primò tangit vim affixam tectis. Secundò terris. *Vocauerunt.* Dicit ergo: Sic non proſunt diuitiæ: & etiam *tabernacula eorum*, in quibus modicum valde. *Iſa.* 28. Modicum ibi, modicum ibi. *In progenie & progenie* altera ſunt duratura, tanquam palatia & domus fortiſſimæ, tranſeuntes à progenie filiorum vſque ad progeniem nepotum eorum æſtimatione: ſed non eſt ita: imò valde cito deſtruentur illa. *Iob* 21. Vbi eſt domus principis? & vbi tabernacula impiorum? *Mar.* 13. Videtis has magnas ædificationes? Non relinquetur lapis ſuper lapidem qui non deſtruatur.

Vocauerunt, id eſt, vocari fecerunt, *nomina ſua*, memoriam ſcilicet ſuam, per illa tabernacula *in terris ſuis*: quia non potuerunt in terris alienis, in quibus libentius feciſſent, ſi potuiſſent. Vel ita: *Vocauerunt nomina ſua*, id eſt, vocabilia fecerunt, & non modo in terris ſuis, ſed in modis diuerſis. *Ierem.*17. Recedentes à te in terra ſcribentur. Vel ſic ſecundum literam *Auguſt.* Sic tabernacula durabunt, & *inuocabunt* hæredes *nomina ſua*, patrum ſcilicet, in ſepulchris: illuc enim veniebant hæredes, & ibi inuocabant patres, & eis cantabant, & ſe inebriebant. Hunc errorem vult tangere *Eccleſ.* 30. Quaſi appoſitiones epularum circumpoſitæ ſepulchro. *Tob.*4. Panem tuum & vinum tuum, ſuper ſepulchrum iuſti conſtitue.

13. *Et homo cum in honore eſſet.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit memoriæ huius inutilitatem. Et hoc facit primò reprehendendo ignorantiam talia quærentium, ex qua proceſſit demum culpa, quam efficit, ibi, *Hæc via illorum.* In prima oſtendit primò perditam in talibus naturalem ſublimitatis intelligentiam. Secundò adeptam cum infimis æqualitatem. *Comparatus eſt.* Dupliciter autem legitur primum: quia primò prout *intellexit*, eſt verbum abſolutum, vel vt tranſitiuum ſecundo. Primo modo ſic: Has memorias quærunt, ſed *homo*, hoc faciendo, *non intellexit*, non intelligenter egit: & hoc cum potius regnum Dei quærendum eſſet, ſecundum illud *Matth.*6. Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis. Et tamen intelligenter agere debuiſſet, *cum in honore eſſet*, conditus, ſcilicet intellectu, potentia, & imagine Dei. *Geneſ.*1. Faciamus

mus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.

Vel ſic: Ita homo intendit vanis iſtis ſepulchris, & tabernaculis ad ſui memoriam fabricandis: nec Deo imputandum, ſed ſibi, quia *homo cum in honore eſſet*, factus ſcilicet ad imaginem Dei, *non intellexit* habere ſe hunc honorem. *Sap.* 2. Non iudicauerunt honorem animarum ſuarum. *Comparatus eſt iumentis inſipientibus*, id eſt, in inſipientia, contra illud in *Pſal.* Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. *Et ſimilis factus eſt illis*, in affectu propter concupiſcentiam voluptatis. *Ierem.* 6. Equi amatores in fœminas, & emiſſarij facti ſunt, vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat.

Triplex hominis præſtantia peccato amiſſa.

Et nota, quod eſt triplex honor hominis. Primus, quia intellectu perfectus. Plantis enim Deus dedit animam vegetatiuam, brutis ſenſitiuam, ſed homini intellectiuam. *Seneca ad Lucil.* Quibuſdam animalibus ſeruilem, quibuſdam pauidum, nobis autem excelſum & glorioſum dedit ſpiritum, ſic excelſum vt præcedat omnem aliam creaturam, ſolo Deo inferior. Idem *Seneca*, Homo ratione antecedit animalia, deos ſequitur. Secundus eſt, quòd ſit omnibus animalibus perfectior. *Geneſ.* 2. Et præſit piſcibus maris, & animantibus terræ, & volatilibus cœli. *Pſal.* Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, oues, &c. Tertius, quòd ſtatura erectus. *Seneca ad Luc.*. Natura vultus meos erexit ad cœlum, & quicquid magnificum, mirumque fecerat, videri à ſuſcipientibus voluit. Primum amiſit. *Non intellexit.* inquit. Et ſecundum. *Comparatus eſt iumentis inſipientibus*, non iam maior. Et tertium. *Similis factus eſt illis*, ad terrena inclinatus ſicut illa.

14. *Hæc via illorum ſcandalum ipſis.* Hîc ſecundum, in quo tangit culpam quam facit prædicta ignorantia. Et primò propriam culpam. Secundò alienam. *Et poſtea.* Dicit ergo: Sic facti ſunt vt iumenta inſipientes. *Hæc via*, vita brutalis ſcilicet, quam ducunt, & bonam credunt. *Prouerb.* 16. Eſt via quæ videtur homini recta, &c. *Illorum*, non Dei, nec bonorum, qui dicunt illud. *Pſal.* Propter verba labiorum tuorum, ego cuſtodiui vias duras. *Scandalum* eſt *ipſis*, id eſt, præcipitat in culpam ipſos ſcandalizantem & torquentem propter conſcientiæ remorſum. *Pſal.* Fiat menſa illorum coram ipſis in laqueum, &c. *Eccl.* 21. Via impiorum complantata lapidibus, & in fine illius inferi, & tenebræ.

Et poſtea in ore ſuo. Hîc ſecundum, ſed legitur quadrupliciter. Duobus modis ſecundum noſtram literam. Duobus ſecundum aliam. Primo modo ſic: Ita torquentur de mala vita ſua, ſed *poſtea complacebunt* aliis: & adiungent ſe eis alij vt ſimiles fiant. Et hoc *in ore ſuo*, eis ſuauia loquentes, & eos attrahentes. *Thren.* 4. Sed & lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos ſuos. Sed *Prouerb.* 1. dicitur: Fili, ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis. Vel ſic: Ita torquentur de mala vita ſua, & tamen *poſtea complacebunt*, aliis, id eſt, quaſi placatos & quietos ſe reddent aliis. Et hoc, *in ore ſuo*, loquente ſimulatè. *Iſa.* 32. Cor eius faciens iniquitatem, vt perficiat ſimulationem.

Duobus modis legitur ſecundum aliam literam, quæ talis eſt: *Et poſtea in ore ſuo benedicent.* Quaſi diceret: Tales, & ita afflicti erunt intus, & tamen poſtea *in ore ſuo benedicent*, Dominum, vt ſanctos & bonos ſe ſimulent. *Iſa.* 29. *Matth.* 15. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Vel ſic: Tabernacula ædificauerunt ſibi, & ſepulchra, *& poſtea*, & poſt hæc proſpera, *benedicent* Deum. Et hoc, *in ore ſuo. Zachar.* 11. Benedictus Deus, diuites facti ſumus. In prima notatur aliorum ſtimulatio ad peccandum. In ſecunda ſimulatio quietæ mentis. In tertia ſimulatio ſanctitatis. Et in quarta gratitudo in proſperitate, in culpis, & tempotalibus bonis.

Sicut oues in inferno. Hic ſubiungitur de pœna malorum mentali. Et primò tangitur eorum inopinata damnatio in inferno. Secundò indeficiens afflictio, ibi, *Mors depaſcet.* Primum legitur tribus modis. Vno modo ſecundum literam aliam. Duobus ſecundum noſtram. Primo modo ſic: Ita ſe iactant ſe eſſe in bono ſtatu, ſed ipſi *poſiti ſunt*, mente, *in inferno.* Sicut boni ponuntur mente in cœlo. Ad *Philip.* 3. Conuerſatio noſtra in cœlis eſt. Nec mirandum ſi dicuntur eſſe poſiti mente in inferno, quia *Baruc.* 3. Deputatus eſt cum deſcendentibus in infernum. *Eccleſ.* 51. Vita mea erat appropinquans in inferno deorſum. Ipſi, dico, exiſtentes *ſicut oues* ignauæ, & ignaræ. *Pſal.* Neſcierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant. *Mors*, id eſt, diabolus, qui mors dicitur. *Oſea* 13. Ero mors tua ô mors: ſicut Chriſtus vita. *Ioan.* 14. Ego ſum via, veritas, &c. Eſt eis paſtor peſſimus & ſeductor. *Ierem.* 50. Paſtores eorum, dæmones ſcilicet, ſeduxerunt eos, quia ducunt ad paſcua miſerabilia, vbi non eſt cibus, apud inferos ſcilicet. *Eccleſ.* 14. Non eſt apud inferos inuenire cibum. 15.

Secundum noſtram ſic: *Poſiti ſunt*, id eſt, ponentur poſt mortem *in inferno ſicut oues*, à quibus etſi auferatur lana, manet tamen ſubſtantia. Sic etſi infligatur pœna, manet tamen natura. *Iob* 20. Luet quæ fecit omnia, nec tamen conſumetur. *Mors*, id eſt, infernalis pœna. *Apocal.* 20. Pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, hæc eſt mors ſecunda. *Depaſcet eos*, deorſum paſcet: vt ſemper renaſcantur, & renouentur ad pœnam, ſicut herba ad paſtum. *Iob.* 33. Conſumpta eſt caro eius à ſuppliciis, reuertatur ad dies adoleſcentiæ ſuæ.

Tertio modo quantum ad vltimam partem ſic: *Mors*, id eſt, diabolus, *depaſcet eos*, id eſt, de pœna ad pœnam, quaſi de paſcuis ad paſcua ducet. *Iob* 24. Tranſibunt ab aquis niuium, ad calorem nimium.

Et dominabuntur eorum. Hîc ſubiungitur de pœna coniuncti: & eſt duplex. Primò inimicorum ſuper illos ſublimatio in iudicio. Secundò ſumma illorum humiliatio in inferno, ibi, *veteraſcet auxilium.* Legitur autem tripliciter. Secundum noſtram literam dupliciter. Vno modo ſecundum aliam. Dicit ergo: Sic affligentur in corpore & in anima, *iuſti*, quos

mali

mali reputant inimicos,& qui erant inimici eorum, *dominabuntur eorum*, vel *eis*, vt habet *Auguſt.* quia iudicabunt eos. *Malach.*3. Calcabitis impios cum fuerint ſicut puluis, vel cinis, ſub planta pedum veſtrorum. *Sap.*3. Iudicabunt Sancti nationes. Et hoc *in matutino*, in die iudicij. *Caſſiod.* Quando iam beatitudinis claritas aperitur, & inchoat eſſe dies qui nulla nocte finitur. Nunc quidem nox eſt,quia corda latent: ſed tunc erit dies, quia corda patebunt. *Matth.*10.Nihil opertum,&c.

Et auxilium eorum. Hîc lectura triplex. Primò ſic: *Et auxilium eorum*, à gloria eorum habitum, quam habebant, aut de virtute, aut de diuitiis, aut de carnalibus amicis, *veteraſcet*, id eſt, annihilabitur. Ad *Hebr.* 8. Quod antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt. *In inferno. Prou.*10. Spes impiorum peribit. *Iſa.* 30. Ægyptus fruſtrà, & vanè auxiliabitur. Vel ſic: *Auxilium eorum veteraſcet in inferno*,annihilabitur, vt omninò multum ſit. *Iſa.*10. Quid facietis in die viſitationis, & calamitatis deſuper venientis. Ad cuius confugietis auxilium, &c. Et hoc, *à gloria eorum*, quam tantam habuerunt in mundo. Quaſi diceret: De tanta gloria deuenient ad tantam ignominiam. *Oſeæ* 4. Gloriam eorum in ignominiam commutabo. *Apocal.* 18. Quantum glorificauit ſe, & in deliciis fuit,tantum date illi tormentum & luctum.

Alio modo ſecundum literam *Caſſiod. Auxilium eorum veteraſcet*, annihilabitur ſcilicet ſicut prius. Et *à gloria ſua* expulſi ſunt,non portabunt illam ſecum: quippe infra in eodem *Pſal.* Cum interierit, non ſumet omnia, nec deſcendet cum eo gloria eius. *Iob* 18. Expellet eum de luce gloriæ ſuæ in tenebras infernales.

16. *Poſt comminationẽ pœnarum contra malos hîc ſolatur bonos contra dæmonũ & hominũ malitiam.*

Verumtamen Deus redimet. Hîc ſecundum, in quo præmiſſa dura comminatione malis, conſolatur bonos, & dupliciter. Primò conſolatur eos contra dæmones nitentes trahere ad æternam damnationem. Secundò contra homines immittentes tentationem occaſionaliter, ibi, *Ne timueris.* In prima tria. Primò liberatio à dæmone. Secundò de quo erit illa liberatio. *De manu.* Tertiò modus. *Cum acceperit me.* Dicit ergo: Sic fiet malis: *Veruntamen Deus redimet animam meam*, pretio vitæ & ſanguinis proprij. *Apoc.*5. Occiſus es, & redemiſti nos in ſanguine tuo.Sed nũquid de aliquo paruo malo? Non. Imo *de manu inferi*,id eſt, de poteſtate diaboli, qui omnes detinebat in limbo ante aduentum Chriſti. *Iſa.*10. Sicut colliguntur oua quæ derelicta ſunt, ſic vniuerſam terram ego congregaui, & non fuit qui moueret pennam, & ganniret. Et hoc, *cum acceperit me*, carnem ex me. *Ioan.*1. Verbum caro factum eſt. Ad *Hebr.*2. Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.

Nota hoc verſu contineri annuntiationis & paſſionis myſterium.

Hîc eſt thema in annuntiatione Dominica, & paſſione, quando ſimul concurrunt. In hac enim die duo magna & ſtupenda facta ſunt, ſcilicet Filij Dei incarnatio. *Cum acceperit me.* Et humani generis redemptio per paſſionem. *Deus redimet animam.* Vtrumque notatur. Aſſociatio enim dicit cum de duobus ſimiliter. *Luc.*1. Viſitauit, carnem aſſumendo, & fecit redemptionem, mortem ſuſtinendo. Ad *Phil.*2. Exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens, in incarnatione. Et poſt, Factus obediens vſque ad mortem. Magna dignatio! Primum dignatur accipere, nouiſſimum primus, altiſſimus infimum, digniſſimus viliſſimum,ditiſſimus pauperrimum: & tu de primo fias viliſſimus, de alto infimus, de digno viliſſimus, de diuite egenus, & ſic rependes ei vicem. Et ſic retribues ei. *Pſal.* Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis.

Ne timueris cum diues. Hîc ſecundum,conſolatio contra homines immittentes tentationes occaſionaliter. Tentari enim poteſt iuſtus dupliciter.Primò de malorum proſperitate. Secundò de laudata eorum ſanctitate, & felicitate. Contra primum conſolatur primò.Secundò contra ſecundum, ibi, *Anima eius in vita.* In prima duo. Primò præmittit malorum proſperitatem, quæ turbat iuſtos. Secundò ſubdit ablationem illius proſperitatis, ibi, *Qui cum interierit.* Et tangit primò eorum proſperitatem conſiſtentem in diuitiarum copia. Secundò conſiſtẽtem in dignitatum copia. *Et cum multiplata.* Dicit ergo:Sic redimeris ſicut & ego:& ſi bonus pauper es tu, *ne timueris*, te amiſiſſe omnia, & Deum non curare, quia, *cum diues factus fuerit homo* malus, in malum ſicut 1. ad *Corinth.*3. Cum ſint inter vos zelus & contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis? Ne dicatis illud *Malach.*3. Vanus eſt qui ſeruit Deo: & quod emolumentum quia cuſtodiuimus præcepta eius? 17.

Et dicit, *Diues factus*, non natus,ſed pauper & miſer 1.ad *Timoth.*6.Nihil intulimus in hunc mundum,haud dubium,&c. *Iob.*1.Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, &c. Sed quia diuitias poſſunt habere viles perſonæ, ſubdit: Et ne timueris. Repete: *Cum multiplicata fuerit gloria domus eius*, quæ conſiſtit in honoribus & dignitatibus ſæculi. *Ezech.* 27. Repleta eſt, & glorificata nimis in corde maris, id eſt, mundi.

Non eſt curãdum pauperi iuſto ſi diuitiæ multiplicantur iniuſto.

Et nota, quòd non eſt curandum pauperi iuſto, ſi diuitiæ & gloria multiplicantur iniuſto. Primò: quia beneficium eſt ſiniſtræ. *Prou.*3. In ſiniſtra illius diuitiæ, & gloria. *Eccleſ.*20. Non zeles gloriam & opes peccatoris. Item malis conferuntur. *Pſal.* Qui oderunt te, extulerunt caput. *Iob.* 21. Abundant tabernacula prædonum.Item maiora eis reſeuantur. *Matth.* 5. Beati pauperes, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. *Luc.*12. Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Item frequenter ipſi iuſto, ab ipſo diuite iſta congregantur. *Iob.*27. Si comportauerit quaſi terram argentum, & congregauerit quaſi lutum veſtimenta, iuſtus quidem veſtietur eis, & innocens argentum diuidet.

Quoniam cum interierit. Hîc ſecundum, in quo ſubiungit proſperitatis ablationem. Et primò tangit ablationem rerum. Secundò dignitatum. *Nec deſcendet.* Dicit ergo: Ne timueris, *quoniam cum interierit*, homo ille,non enim mortem tollunt diuitiæ. *Eccleſ.*10. Rex eſt hodie, & cras morietur. Imò reddunt amariorem valde. *Eccleſ.* 41. O mors quam amara eſt memoria tua homini iniuſto,& habenti pacem in ſubſtantiis ſuis. 18.

Non ſumet omnia. Negatio totum negat, id

eſt,

eſt, nulla ſecum ſumet. *Iob* 27. Diues cum dormierit, nihil ſecum aufert. 1. ad *Timoth.* 6. Nihil tulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec quicquam auferre poterimus.

Nec deſcendet cum eo gloria eius, in inferno. *Caſſiodor.* Deſcendet ſine turba ſatellitum, ſine præſumptione gazarum. *Abac.* 2. Repletus eſt ignominia pro gloria. *Oſeæ.* 4. Gloriam eorum in ignominiam commutabo. Sed nunquid ſecum portat ornamenta quibus inuoluitur, & expenſas, quæ fiunt in ſepulchris? Nullo modo. *Auguſt.* Certè nec quæ tollit ſepultura, ſecum ſumet mortuus. Et *Caſſiodor.* Aliud ſecum non portat, niſi vnde valeat ardere, peccata, ſecundum illud. *Apocal.* 14. Opera enim illorum ſequuntur illos.

Tria diuiti morienti valde grauia.

Tanguntur ergo tria valde grauia diuiti morienti. Priuari amatis temporalibus. *Non ſumet omnia. Iſa.* 7. Ablata eſt meſſis in die hæreditatis, & dolebat grauiter. Aliud quod eſt grauius, ſcilicet à corpore ſeparari, quod tangit cum dicit: *Cum interierit. Eccleſ.* 41. O mors quam amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis. Tertium quod eſt grauiſſimum: in gehennam mitti: cum dicit. *Nec deſcendet cum eo.* In hoc enim innuitur quod deſcendet. *Iob* 21. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Et verè eſt hoc grauiſſimum, quia ibi ſicut dicit *Iob* 20. Arctabitur & æſtuabit, & omnis dolor irruet ſuper eum.

19. *Quoniam anima eius.* Hîc ſecundum, quod pertinet ad conſolationem ſuper falſa laude de ſanctitate. Tangit autem primò exhibitam laudem malis. Secundò cauſam, ſcilicet ſimulatam ſanctitatem, ibi, *Confitebitur.* Tertiò veram illorum malitiam, ibi, *Introibit vſque in progenies.* Quartò pœnam condignam. *Et vſque in æternum.* Dicit ergo: Deſcendet ſine gloria, *quoniam anima eius*, id eſt, ſenſualitas, *benedicetur*, ab ipſo. Primò *in vita eius*, benedictione ſiniſtræ, habet enim Hebraica veritas, *Anima ſua in vita ſua benedicet*, ſecundum illud. *Luc.* 12. Anima mea habes multa bona repoſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare. Iſta benedictio maledictio eſt. *Matth.* 16. Qui vult animam ſuam ſaluam facere, perdet eam. Sed ſi diſpergeret, tunc ille verè benediceretur. *Prou.* 11. Benefacit animæ ſuæ vir miſericors. Vel *benedicetur*, id eſt, laudabitur ab aliis ſecum comedentibus, & cum eo luxuriantibus, & ei adulantibus. *Hieronym.* Victus & veſtitus ſæpè proferunt non de bene viuente, ſed de bene paſcente ſententiam. *Eccleſ.* 20. Qui edunt panem illius, falſæ linguæ ſunt.

Confitebitur. Hîc tangit cauſam, quare ſic laudabitur anima eius: & hoc *quoniam confitebitur tibi.* Vel ideò etiam deſcendet, *quoniam confitebitur*, tunc *tantum cum benefeceris ei*: laudant enim in proſperis tantum, non in aduerſis. *Zachar.* 12. Benedictus Deus, diuites facti ſumus. Sed ſi aduerſitas aduenerit, tunc blaſphemant. *Iſa.* 8. Cum eſurierit, iraſcetur, & maledicet regi ſuo. *Pſal.* Si vero non fuerint ſaturati, & murmurabunt.

20. *Introibit vſque in progenies.* Hîc oſtendit veram illorum malitiam. Quaſi diceret: Ideo etiam deſcendet in infernum gloria eius cum eo, quoniam *introibit*, affectionis & operationis pedibus, *vſque in progenies patrum ſuorum*, de quibus. *Thren.* 4. Patres noſtri peccauerunt & non ſunt. *Caſſiodor.* Patres appellauit, non tantum ex ſemine carnis, quantum quos morum imitatione ſequuti ſunt. *Matth.* 23. Implete menſuram patrum veſtrorum. *Ierem.* 11. Reuerſi ſunt ad iniquitates patrum ſuorum priores. Imò in 7. cap. Indurauerunt ceruicem ſuam, & prius operati ſunt quam patres eorum.

Vſque in æternum. Hîc quartum, in quo ſubiungit illorum pœnam condignam. Primò ergo tangitur pœnæ durabilitas. Secundò dignitas. *Homo cum in honore.* Dicit ergo: Sic imitabitur patres in malo, propter quod *non videbit lumen*, de quo *Eccleſ.* 11. Dulce lumen & delectabile oculis. Et hoc, *vſque in æternum. Eccleſ.* 36. Tollatur impius, ne videat gloriam Dei, vt nunquam reuertatur. *Iob* 15. Non credit quod poſſit reuerti de tenebris ad lucem. Et meritò, quia ſic voluit eſſe in interioribus tenebris culpæ, erit tunc in exterioribus pœnæ. *Matth.* 25. Proiicite eum in tenebras exteriores. Si enim ſit ibi ignis, nihilominus tenebræ: erit enim afflictiuus, non tamen illuminatiuus. *Iob* 18. Lux impij extinguetur, nec ſplendebit flamma eius.

Homo cum in honore. Hîc ſecundum, in quo ratio pœnæ, quæ tangitur duplex. Naturalis ſimilitudinis deſertio, & inferiorum monſtruoſa ſimilitudo, ibi, *Comparatus eſt.* Ait ergo: In æternum non videbit lumen. Et meritò, quia *cum eſſet in honore* temporalis fortunæ. *Homo* ille, *non intellexit*, quod eſt valdè honorabile. Quaſi diceret: Honor temporalis fortunæ, priuauit eum honore maiori, ne ſcilicet intelligeret. *Iſa.* 56. Speculatores eius in honoribus conſtituti, cæci omnes. 21.

Comparatus eſt iumentis inſipientibus. Pſal. Vt iumentum factus ſum apud te. Imò minus quam iumenta. *Iob* 12. Interroga iumenta & docebunt. Ecce aſſimilatio, imò minoratio in intellectu.

Et ſimilis factus eſt illis, in affectu. Magna eſt verecundia à conſortio Angelorum tranſire ad ſimilitudinem pecorum. *Iſa.* 2. Incuruabitur homo, & inclinabitur ſublimitas virorum. Et nota, quòd ſimilis factus eſt equo per luxuriam. *Ierem.* 5. In domo meretricis luxuriabantur equi amatores, in fœminas. Vitulo per gulam. *Ierem.* 50. Effuſi eſtis ſicut vituli ſuper herbam. Tauro per ſuperbiam. *Eccleſ.* 6. Non te extollas in cogitatione tua ſicut taurus. Lupo rapaci per auaritiam. *Ioan.* 10. Lupus rapit, & diſpergit oues. *Geneſ.* 49. Benjamin lupus rapax, &c. *Ezech.* 22. Principes eiuſdem in medio eius: quaſi enim lupi rapientes prædam. Serpenti per iram. *Pſal.* Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis. *Chriſoſt. ſuper Matth.* Si rapias vt lupus, iraſcaris vt ſerpens, qualiter te potero cum hominibus numerare? Aſino per pigritiam & acediam. *Iob.* 1. Boues arabant, laborando, & aſinæ paſcebantur iuxta illos, nihil faciendo. Draconi qui eſt fera peſſima, per inuidiam. *Gen.* 37. Fera peſſima deuorauit filium meum Ioſeph, &c.

Peccator brutis varie ſimilis.

In

IN XLIX. PSALMVM.

Psalmus Asaph.

Argumentū Psalmi, admonetus Christi iudicis & mutatio legis veteris in nouam.

1. *Deus deorum Dominus loquutus est.* In præcedenti Psalmo actum est de miseria, terrena diligentium, & illis adhærentium. Sed posset aliquis quærere, quando hæc fient? propter quod consequenter agitur de tempore in quo fient, scilicet de aduentu secundo Christi, in quo iniqui potissimè puniuntur, & per consequens etiam de primo aliquid tangitur. Item amatoribus terrenorum talia comminatur Deus, qualia præcesserunt. Lex quæ terrena promittebat, euacuanda constat, scilicet vetus lex: & lex laudis diuinæ & amoris, per quam acquirantur cœlestia, substituenda: & de hac mutatione legis veteris in legem diuinæ laudis agitur in hoc Psalmo.

Præponitur autem titulus huic Psalmo: *Psalmus Asaph. Asaph* fuit de principibus cantorum constitutorum à Dauid 1. *Paral.* 6. Isti sunt quos constituit Dauid super cantores. Et post pauca tangitur, & nominatur Asaph. Et 16. Dereliquit ergo ibi coram arca Domini Asaph, & fratres eius vt ministrent ibi. Sed cum in hoc Psalmo agatur de terribili aduentu Christi, scilicet secundo, quomodo cum magis ab actu intitulandus esset Psalmus, dicitur Psalmus Asaph, qui cantor erat? Et potest dici, quod non proponitur Asaph in titulo ratione officij, sed ratione interpretationis: interpretatur enim congregatio Latinè, Synagoga Græcè. Quasi diceret: Hic Psalmus conuenit Asaph, Synagogæ scilicet Iudæorum, vt ipsum cantent, vt testimonium perhibeant, non vnus homo Iudæus, sed tota congregatio bonorum, de legis transmutatione. *Leuit.* 19. *Deut.* 19. In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. Ad *Roman.* 8. Duorum hominum testimonium verum est. Quantò ergo fortius congregationis totius? Item si tangatur de aduentu secundo qui erit terribilis, hoc est verum, malis: sed plenus bonis gaudio. Alibi in *Psal.* Exultauerunt filiæ Iudæ propter iudicia tua Domine. Et alibi, Montes exultauerunt à conspectu Domini, quia venit. Et rursus: Lætabitur iustus cum viderit vindictam.

Psalmus autem diuiditur secundum quod iam quodammodo patere potest ex dictis. Cum enim agat de mutatione veteris ritus in obsequium laudis, hæc autem mutatio nullo modo debeat esse sine authoritate maiori, dicuntur tria. Primò describitur magnificentia Auctoris huius mutationis. Secundò subiungitur repudiatio antiquæ venerationis Dei, ibi, *Audi populus meus.* Tertiò exigitur ab hominibus sacrificium oris, hoc est, laus, ibi, *Immola sacrificium laudis.* In prima tria secundum tria, per quæ describit magnificentiam Auctoris. Primò tangitur eius dignitas. Secundò benignitas, ibi, *Et vocauit terram.* Tertio potestas. *Deus manifestè.*

Dicit ergo: *Deus*, Christus, *deorum*, factor. Magna dignitas: facit enim homines deos, alioquin non diceretur in *Psal.* Ego dixi: Dij estis, & filij Excelsi omnes. Et alibi, Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt. Et iterum, Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum. In exultatione vt illos Deos faceres, sicut est alibi: Nimis honorati sunt amici tui Deus. *Dominus* dominantium *Apoc.* 19. *loquutus est*, primò per præcones, & postea per seipsum. Loquitur Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis loquutus est nobis in filio. Ergo filius loquutus est. Alibi dictum est quot modis loquitur Deus. Sed hîc notandum, quòd est Deus natura, & non habet plurale. *Exod.* 20. Audi Israël: Dominus Deus tuus, Deus vnus est. Nuncupatiuè. *Ierem.* 10. Dij qui non fecerunt cœlum & terram, pereant de terra. Adoptione per gratiam, iusti. *Psal.* Ego dixi: Dij estis, &c. Vnione cum diuina natura, sicut solus Christus Deus dicitur. *Ioan.* 20. Deus meus, & Dominus meus, dixit Thomas palpato latere. Miraculorum operatione. *Exod.* 7. & 8. Constituam te Deum Pharaonis. Potestatis authoritate. *Exod.* 23. Diis non detrahes.

Dei multiplex accepti.

Et vocauit terram. Hîc secundum, in quo tangitur benignitas, & hoc ipso per hoc quod omnes vocauit generaliter: vnde duo dicuntur. Primò, quod vocauit. Secundò vnde incœpit illos vocare. *Ex Sion.* Dicit iterum duo. Primò, quòd omnes vocauerit. Secundò, quòd omnes vniuersaliter, & nullum reliquerit. *A Solis ortu.* Dicit ergo: Sic loquutus est, *& vocauit terram.* Metonymia est, id est, habitatores terræ. *Isa.* 41. Vocans generationes ab initio ego Dominus. Vocauit, inquam, terram per patres antiquos, Patriarchas scilicet & Prophetas. *Ier.* 7. Misi ad vos omnes seruos meos, Prophetas per diem, &c. Item per se, & suos Apostolos & Discipulos. *Sap.* 9. Misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis. Modò quasi peremptoriè vocat propemodum nos. *Matth.* 22. Misit hora cœnæ seruos suos, dicere inuitatis vt venirent, quoniam parata sunt omnia. Vocauit sic terram, id est, terrenum hominem, & puluerem, *Deus Deorum*, & contemnit. *Prouerb.* 1. Vocaui, & renuistis.

A solis ortu. Quasi diceret: Sic vocauit terram, non partem vnam, sed vocauit, *à solis ortu vsque ad occasum*, secundum illud *Isa.* 41. Ab extremis terræ & à loginquis eius ego vocaui te. Et 44. Ab Aquilone congregato te. Dicam Aquiloni, Da, & Austro, Noli prohibere. *Psal.* A solis ortu, & occasu, ab Aquilone, & mari. 2.

Vnde incœpit? *Ex Sion*, quæ superior pars est in Ierusalem, apparuit, supple, toti mundo, *species decoris eius*, ipse scilicet speciosus & decorus. *Psal.* Speciosus forma præ filiis hominum. *Cant.* 5. Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Ex Sion ergo ad literam incœpit vocatio, quia inde per Apostolos dispersa est in totum mundum, secundum *Isa.* 2. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem. Hebraica veritas habet: *Ab ortu solis vsque ad occasum eius, Sion perfecta decore Deus apparuit.*

Deus manifestè veniet. Hîc tertium, in quo tangitur terribilis potestas: & quia hæc potestas terribilis in iudicio maximè apparebit, describitur hîc aduentus ad iudicium. Et tangit primò terribilem iudicis præsentiam. Secundò assessorem, & iudicandorum affluentiam. *Ad-* 3.

nocauit

uocauit cœlum. Tertio æquiſſimam eius ſententiam, ibi, *Annuntiabunt cœli iuſtitiam.* In prima duo. Primò tangitur iudicis manifeſtatio. Secundò mundi conflagratio, ibi, *Ignis in conſpectu eius.* In prima primò tangitur iudicis manifeſtatio ad viſum. Secundò ad auditum. *Et non ſilebit.* Dicit ergo: Sic benignus, nec tantum hoc, ſed poteſtate terribillis, quia *Deus noſter*, non alius. *Baruch.* 3. Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius ab eo. Deus, inquam, noſter latens in patris dextra. 1. ad *Tim.* 6. Solus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſſibilem. Hic, inquam, *Deus noſter*, repetit ad maiorem expreſſionem, *manifeſtè veniet* ad iudicium. *Apocal.* 1. Ecce veniet in nubibus, & videbit eum omnis oculus. *Auguſt.* Venit occultus, vt ante iudicem ſtaret in primo aduentu: ſed veniet manifeſtus, vt de iudicibus iudicet.

Et non ſilebit, ſed auditui ſe manifeſtabit, ſicut modo ſilet. Sed quærit *Auguſt.* Si modo ſilet, vnde ergo quæ modo dicimus? vnde præcepta? vnde monita? Supra ibi, Deus deorum Dominus loquutus eſt. Reſp. Et ſilet, & non ſilet. Non ſilet à præcepto, ſed ſilet à iudicio. Sed tunc intonabit illud *Matth.* 25. Ite maledicti in ignem æternum. *Iob* 36. Tonabit Dominus in voce ſua mirabiliter. Et 26. Si vix modicam ſtillam ſermonum eius audierimus, tonitruum magnitudinis eius quis poterit intueri?

Ignis in conſpectu eius. Hîc ſecundum: & dicuntur duo. Mundi conflagratio, & ſeuerorum iudicum circundatio. *In circuitu eius.* Quaſi diceret: Sic veniet: *Ignis exardeſcet*, & hoc ante ipſum. Ignis vrentis & malæ conſcientiæ. *Iſa.* 33. Concipietis ardorem, & parietis ſtipulam. Ignis etiam literalis. *Iſa.* 56. Ecce Dominus in igne veniet. Quia in igne Dominus diiudicabit. Hic eſt ignis quo facies mundi conflagrabit. 2. *Pet.* 3. Aduenient dies Domini vt fur. Et infra: Terra autem, & ea quæ in ea ſunt, exurentur. Ignem palea timeat, auro quid facit? Alibi in *Pſal.* Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit, &c. Sed boni purgabuntur vt aurum. *Num.* 33. Omne quod poteſt tranſire per flammas, igne purgabitur.

Et in circuitu eius. Hîc ſecundum, ſcilicet ſeuerorum iudicum circundatio. Ait enim: Sic ignis exardeſcet, *& valida tempeſtas*, ſeuera ſcilicet ſententia & fortis ad ventilandam illam aream magnam *in circuitu eius.* In Sanctis, qui in circuitu eius erunt: quia cum eo iudicabunt. *Matt.* 19. Cum venerit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos, &c. Sed ſi in circuitu ſunt, ergo & à ſiniſtris boni erunt: quomodo ergo vera ſunt quæ dicuntur *Matth.* 25. Agnos quidem ponet à dextris, hœdos autos autem à ſiniſtris? Reſponſio eſt, quòd in circuitu humanitatis Chriſti erunt Sancti iudicaturi cum eo, ſicut hîc dicitur. Quod autem dicitur *Matth.* 25. intelligendum eſt quantum ad diuinitatem: à dextris enim diuinitatis, ſcilicet in bonis æternis eius, quæ dicuntur dextera, erunt omnes electi. Vel intelligitur de iudicandis.

4. *Aduocabit cœlum.* Hîc ſecundum, in quo tangitur affluentia iudicandorum, & aſſidentium. Et primò tangitur multitudo aſſeſſorum. Secundò iudicandorum. Et primò malorum. *Et terram.* Secundò bonorum. *Congregate illi.* Legitur autem dupliciter primum. Primo modo ſic: Ita manifeſtè veniet, & veniens *aduocauit*, præteritum pro futuro, id eſt, aduocabit: & ſic etiam habet *Caſſiod. Cœlum deſurſum*, omnes perfectos, qui dicere poſſunt cum Paulo. Noſtra conuerſatio in cœlis. ad *Phil.* 3. ſecum iudicaturos *terram.* Et aduocabit, repete, id eſt, terrenos iudicandos. *Pſal.* Ipſe iudicabit orbem terræ, ſcilicet *diſcernere*, hoc eſt, vt diſcernat, *populum ſuum* ante ſe, ſcilicet ſaluandos à damnandis, de qua diſcretione *Matth.* 25. Secundo modo legitur ſic: Ipſe *veniens deſurſum*, id eſt, à Patre. *Iacob.* 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, &c. *Aduocabit cœlum*, id eſt, omnes in fide inſtructos. *Daniel.* 12. Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti. *Et terram*, id eſt, peccatores, qui ſunt terra illa quam ſerpens comedit. *Geneſ.* 3. Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. *Diſcernere*, id eſt, vt diſcernat, *populum ſuum*, bonos ſcilicet à malis. *Ezech.* 34. Ego iudico inter pecus, & pecus. *Mar.* 13. Separabit bonos de medio iuſtorum.

Congregate illi Sanctos. Hîc tangitur de bonis iudicandis: & dicuntur duo. Primò tangit illorum gloriam. Secundò gratiam qua illam meruerunt, ibi, *Qui ordinant teſtamentum eius.* Dicit ergo: Sic aduocabit aſſeſſores, *cœlum*, & malos, *terram.* Et vos ô Angeli, *congregate. Mar.* 13. Mittet Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala. *Illi*, ad eum, & ad honorem eius. *Matth.* 24. Vbicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ. *Sanctos eius*, omnes in libro vitæ ſcriptos. *Iſa.* 4. Sanctus vocabitur omnis qui ſcriptus eſt in vita Ieruſalem. 5.

Qui ordinant. Hoc legitur quadrupliciter: quia ſacrificia appellantur hîc, vel Vetus Teſtamentum, vel afflictiones, vel actiones bonæ, vel pecudum mactationes. Dicit ergo: Congregate quoſcumque Sanctos, maximè tamen illos, *qui ordinant Teſtamẽtum eius*, Nouum ſcilicet, quod illi eſt proprium, quia ab ipſo datum, non ab Angelo. *Luc.* 22. Hic eſt calix Noui Teſtamenti: *ſuper ſacrificia* Veteris Teſtamenti, id eſt, præponunt Nouum Veteri, quod in ſacrificiis conſiſtebat. Secundo modo ſic: *Qui ordinant Teſtamentum eius*, vitam ſcilicet æternam, quam nobis in ſacramento dereliquit, *ſuper ſacrificia*, ſuper qualeſcumque afflictiones & paſſiones quas ſuſtinent in hac vita, dicentes: Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. *Rom.* 8. Et rurſum 2. *Corinth.* 4. Hoc momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. Vel ſic: *Qui ordinant Teſtamentum eius*, præmium vitæ æternæ, vt priùs, *ſuper ſacrificia*, ſuper bona opera, & labores ſanctos, quibus laborant manus, reputãtes minimum quaſi laborem vineæ, & non murmurantes contra patremfamilias. *Matth.* 20. Voca operarios, & redde illis mercedem ſuam. Vel ſic: *Qui ordinant Teſtamentum eius*, opera charitatis, quæ in Nouo Teſtamento præcipiuntur, *ſuper ſacrificia*, ſuper carnis

Sacrificium ſumptum quadrupliciter.

macerationem, ſcientes illud *Oſeæ. 6.* Miſericordiam volo, & non ſacrificium, & non ſcientiam Dei pluſquã holocauſta. 1. ad *Tim.*4. Exerce autem te ad pietatem: corporalis enim exercitatio ad modicũ prodeſt. Pietas autẽ promiſſionem habet vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.

Thema pro feſto ſanctorum.

Hìc poſſet eſſe thema in feſto omnium Sanctorum. Indicitur enim nobis ſolemnitas primò. *Congregate illi.* Secundò: ſubiungitur ratio quare, ibi, *Qui ordinant.* Et in primo tangitur omnium vna celebritas. *Congregate.* Secundò congregatorum ſanctitas. *Sanctos eius.* De primo congregandi ſunt ad venerandum, omni veneratione digni. *Pſal.* Rectos decet collaudatio. Congregandi etiam ſunt ad intercedendum pro nobis, quia quod vni fortè negaretur, omnibus non negabitur. *Matth.*18. Si duo vel tres in vnum conſenſerint ſuper terram de omni re quamcumque petierint ſuper terram, fiet illis. Multo fortius ſi omnes. Item ad imitandum, vt inter tot aliquis inueniatur, quem deſideres imitari. *Iob* 4. Voca ergo ſi eſt qui reſpondeat tibi, & ad aliquem ſanctorum conuertere. Item ad oſtendendum leuitatem cordium noſtrorum, qui enim hac die non eſt deuotus, valde ſiccus eſt. *Geneſ.*1. Congregentur aquæ quæ ſub cœlo ſunt in locum vnum, & appareat arida.

6. *Sententia iudicis.*

Et annuntiabunt cœli. Hìc tertium, æquiſſima ſcilicet ſententia iudicantis, & dicuntur duo. Primò, quòd erit iuſta. Secundò ratio quare non poteſt eſſe alia. *Quoniam Deus.* Dicit ergo: Sic veniet vt iudicet, & diſcernat. *Et cœli*, Apoſtoli, id eſt, prædicatores ſancti, annuntiabunt toti mundo, *iuſtitiam eius*, id eſt, ſententiam iudicij futuram iuſtam. *Pſal.* Cœli enarrant gloriam Dei, &c. Et *Iob* 26. Spiritus eius ornauit cœlos. *Et annuntiabunt*, ſupple, ſecurè. *Quoniam Deus iudex eſt*, qui falli non poteſt. 2. ad *Corinth.* 5. Omnes nos oportet manifeſtari, ante tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque prout geſſit in ſuo corpore, ſiue bonum, ſiue malum. *Ierem.* 29. Ego ſum iudex, & teſtis. Et *Iacob.*5. Iudex ante ianuam aſſiſtit. Hic iudex, quem nullus poterit fallere. *Iob* 33. Nunquid decipietur vt homo noſtris fraudulentiis? Item hic eſt iudex, quem nullus poterit effugere. *Pſal.* Quoniam neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à deſertis montibus, quoniam Deus iudex eſt. Item quem nullis poterit donis corrumpere. *Prouerb.* 6. Non acquieſcet cuiuſquam precibus, nec accipiet pro redemptione dona plurima. *Soph.* 1. Argentum eorum non poterit liberare eos.

7. *Secunda pars Pſalmi, mutatio legis.*

Audi populo meus. Hìc ſecunda pars Pſalmi, in qua ſubiungitur antiquæ venerationis repudiatio: & dicuntur quatuor. Primò ſic venerantes ſecundum antiquum modum attentos facit. Secundò ab hac veneratione, pro leuiori quam habet ad manum, abſoluit, ibi, *Non in ſacrificiis.* Tertiò talem venerationem omninò reſpuit, ibi, *Non accipiam.* Quartò rationem, quare reſpuit, reddit, ibi, *Quoniam meæ ſunt omnes ferę.* In prima duo. Primò admonet ſimpliciter. Secundò perſuadet pluribus. *Et loquar Iſrael.* Primò à ſua dulci loquutione. Secundò à loquutionis certitudine. *Et teſtificabor.* Tertiò ab ipſius loquentis magnitudine. *Deus, Deus tuus.* Dicit ergo: Deus deorum Dominus loquutus eſt. Et quid hoc? *Audi*, tu qui es *populus meus.* Vel audi *populo meus*, ſicut veritas habet Hebraica. Et tangitur qui audiant, & quare, quia eo ipſo quod ſunt populus eius. *Ioan.* 20. Oues meæ vocem meam audiunt. *Pſal.* Nos autem populus tuus, & oues paſcuæ tuæ. *Audi* non tantùm ore corporis, ſed intellectus interioris, de qua aure. *Prou.* 18. Sapientium auris quærit doctrinam. Et vlteriùs aure affectus, & voluntatis obedientis, de qua in *Pſal.* In auditu auris obediuit mihi.

Et *ô Iſrael*, audi, repete, *& loquar*, aliter non. *Eccleſ.*32. Vbi auditus non eſt, non effundas ſermonem. *Loquar*, ego cuius eloquia dulciſſima ſunt. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua. Nec incerta loquar, *& teſtificabor*, tibi per ſcripturas, & maximè per miracula. *Ioan.* 5. Si mihi non vultis credere, ſaltem operibus credite: opera enim quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me. *Ioan.* 3. Nemo poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo. De ſcripturis *Ioan.* 5. Scrutamini ſcripturas, quia illæ ſunt quæ teſtimonium perhibebunt de me. Sed quid teſtificaberis? hoc, quod ego *Deus* omnium per creationem, ſum *Deus tuus* per cultum ſpecialem. *Pſal.* Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti. *Deut.* 26. En Deus elegit te, vt ſis hodie ei populus peculiaris.

Non in ſacrificiis. Hìc abſoluit eos à dicta veneratione pro leuiori. Primò ergo dicit, quòd à prædicta & antiqua veneratione abſoluit illum populum. Secundò, quòd leuiora, & magis parata requirit, ibi, *Holocauſta autem.* Dicit ergo: *Teſtificabor*, quoniam *Deus, Deus tuus ego ſum*, & ego ipſe, *non arguam te in ſacrificiis tuis* non mihi exhibitis, quia hæc non requiro, talibus faſtiditus. *Iſa.* 1. Quid mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus? plenus ſum. *Ierem.* 6. Non præcepi eis, à die quo eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocauſtomatum. Et *Michæ* 6. Nunquid poterit Deus placari in millibus arietum? &c. Quaſi dicat: Non. 8.

Holocauſta autem tua, id eſt, tui iuris, *ſemper ſunt in conſpectu meo*, placentia. Hæc holocauſta ſunt, ipſa mens pro peccatis tribulata, & contrita. *Caſſiod.* Holocauſtum eſt mens noſtra, quando diuino amore ſuccenſa, peccata ſua tribulatione decoquit, & omnia vitia ſua cruciatu corporeo exuſta conſumit. *Pſal.* Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. *Leuit.*6 Hæc eſt holocauſti forma: Cremabitur in altari tota nocte, id eſt, durante tenebra culpæ. Per ſacrificium ſignificatur pœnitentia ſingularium, non tantùm in mundo corpore exiſtentium, ſed mente propriam voluntatem retinentium, ſed difficile, quod tale ſacrificium placeat, quia ſine igne charitatis offertur. 1. *Ioan.* 2. Si quis non diligit, non eſt charitas Dei in illo. Sed holocauſtum vbi tota voluntas Deo igne charitatis annihilatur, & incineratur per humilitatem. *In conſpectu Dei ſunt ſemper*, per placentiam, quia vbi amor, ibi oculus. *Iſa. vlt.* Ad quem reſpiciam niſi

niſi ad pauperem ſpiritu, & trementem ſermones meos ? *Iſa.* 58. Quare ieiunauimus & non aſpexiſti ? Reſp. In die ieiuniorum veſtrorum inuenitur voluntas veſtra in vobis, &c.

9. *Non accipiam de domo tua.* Hîc prædictorum venerationem omninò reſpuit, & illam quæ offertur de præſepio, & illam quæ de agno. *Nec de gregibus.* Dicit ergo: Sic per omiſſa ſacrificia non argueris, & nunquid ſi offerantur Domine acceptabis ? Non. Et hoc eſt : *Non accipiam de domo tua*, de præſepio tuo, *vitulos* in ſacrificium, id eſt, non acceptabo, & hoc reiicio. *Iſa. vlt.* Qui immolat bouem, quaſi qui interficit virum. Et dicit *de domo tua*, ad differentiam multorum aliorum, ſcilicet vitulorum, non domorum, ſed labiorum. *Oſeæ vlt.* Reddemus viculos labiorum noſtrorum. *Nec de gregibus tuis*, exiſtentibus in paſcuis, *hircos. Iſa.* 1. Sanguinem hircorum & agnorum nolui.

Nota, quòd vitulus erat antiquitus ſacerdotum hoſtia. *Leuit.* 4. Si ſacerdos qui eſt vnctus peccauerit, delinquere faciens populum, offeret vitulum pro peccato. Et hircus hoſtia prin-
Contra malos Prælatos. cipis. *Leuit.* 5. Si peccauerit princeps, offeret pro peccato ſuo hircum. Sic hodie Iudaizantes vncti noſtri pontifices, offerunt vitulos, ad beneficia, petulantes, & laſciuos, & guloſos: quibus poſſet dici illud *Ierem.* 50. Effuſi eſtis ſicut vituli ſuper herbam. Et noſtri principes, hircos, luxuria fœtidos. *Iſid.* Hircus laſciuum animal eſt, ſemper feruens ad coitum. *Daniel.* 4. Hircus efferatus eſt in arietem. Tales enim frequenter opprimunt. Sed Eccleſiæ huius ſacrificia non acceptat Deus.

Hypocrita hirco comparatus. Item nota, quòd per vitulum laſciui, per hircum denotatur hypocrita. Habet enim viſum acutiſſimum: ſic hypocrita acutiſſime videt aliorum peccata. *Matth.* 7. Qui vides feſtucam in oculo fratris tui. Et paulo poſt: Eiice primò trabem de oculo tuo. *Eccleſ.* 15. Oculus malus ad mala. Item ſanguis eius frangit adamantem, id eſt, peccatum detractionis eius, virum conſtantem. *Prou.* 15. Lingua placabilis lignum vitæ, quæ autem immoderata eſt, conteret ſpiritum. Item carnes habet duras: hypocrita vero carnales affectiones incorrigibiles & perſeuerantes. *Ierem.* 30. Inſanabilis plaga tua, propter multitudinẽ iniquitatis tuæ, & propter dura peccata tua. Itẽ cornua habet: ſic hypocrita cornua ſuperbiæ. *Dan.* 8. Quẽ videbat, habebat cornu inſigne. *Pſal.* Cornua peccatorũ confringã. *Luc.* 18. Superbus Phariſæus cornua habebat elata contra Publicanum. Item fœtus bonus: doctrina, & geniti ab eo per doctrinam, optimi ſunt. *Num.* 16. Factúmque eſt grande miraculum in caſtris, quia Core & cunctæ filiæ eius non perierunt. Item fœtet: ſic hypocrita. *Matth.* 23. Væ vobis hypocritæ, qui eſtis ſicut ſepulchra dealbata. Et in *Pſal.* Sepulchrum patens eſt guttur eorum. Item habet barbam, quod eſt ſignum virilitatis: ſic hypocrita habet barbam, id eſt, exteriorem ſanctitatis apparentiam. 2. *Reg.* 19. Venit Miphiboſeth, os confuſionis, ſcilicet hypocrita, qui ore ſuo ſe confundit, cum non facit quod dicit ad regem, barba intonſa. Item habet breuem caudam: ſic hypocrita finem velocem. *Iob* 20. Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti. Laſciuos ergo & hypocritas Deus abiicit, qui diligit maturos & veraces. Libenter aſcendit, & amat diligi. *Matth.* 23. Amant primos recubitus in menſis.

Quoniam meæ ſunt omnes. Hîc quartum, in quo rationem reddit, & hanc triplicem. Primò, quia eſt ei abundantia. Secundò, quia non eſt in eo vitioſa concupiſcentia, ibi, *Si eſuriero.* Tertiò quia caret naturali indigentia, ibi, *Nunquid manducabo ?* In prima duo. Primò, quòd eſt ei abundantia greſſibilium. Et hoc tam ſylueſtrium, *quoniam meæ ſunt omnes :* quam domeſticorum, *iumenta in montibus.* Item & volatílium. *Cognoui omnia.* Et terræ naſcentium. *Et pulchritudo agri mecum eſt.* Et legitur primum dupliciter. Primò ſic: Verè quippiam talium non poſtulo à te: quoniam mea ſunt etiam quæ non poſſides. Quoniam feræ ſyluarum, quæ ſunt indomitæ, ſunt meæ. Nec tantum illa, imò & quæ poſſides: & hoc eſt *iumenta*, quæ paſcis in montibus, *mea ſunt*, *& boues*, mei. *Pſal.* Domini eſt terra & plenitudo eius. *Deut.* 10. En Deum Deorum cui cœlum, & cœli cœlorum, & terræ & omnia quæ in eis ſunt. 10. *Deus nullius rei indiget.*

Secundo modo ſic: *Omnes feræ ſyluarum*, Gentiles ſcilicet, *meæ ſunt. Pſal.* Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam. *Iumenta in montibus*, credentes in culmine fidei exiſtentes, quale iumentum fuit Dauid cum dicebat: vt iumentum factus ſum apud te. Et *boues*, ex vtraque gente Doctores terram Eccleſiæ excolentes. *Iob* 1. Boues arabant, & aſinæ paſcebant. *Ezech.* 18. Omnes animæ meæ ſunt.

Cognoui omnia volatilia, non ex tempore, ſed antequam fierent. Et eſt ſuum cognoſcere, ſuum poſſidere: ſuum enim cognoſcere, quia cauſa eſt rerum, & eo ipſo quod cauſa eſt rerum, poſſeſſor eſt rerum. Et dicit *volatilia cœli* pro aëre. *Matth.* 13. Volucres cœli comederunt illud. Verè cognoſcit, qui tantam curam de ipſis gerit. *Luc.* 12. Nonne duo paſſeres væneunt diſpondio, & vnus eorum non eſt in obliuione coram Deo ? *Matth.* 6. Reſpicite volatilia cœli: non ſerunt, neque metunt, & nec congregant in horrea, & pater veſter cœleſtis paſcit illa. 11.

Et pulchritudo. Hoc legitur tripliciter: quia mecum poteſt dicere ſubiectionem, vel præſentiam, vel permanentiam. Primò ſic: *Pulchritudo agri*, vbertas ſcilicet fructuum ornans agrum: vnde dicitur veſtitura agri. *Pſal.* Campi tui replebuntur vbertate. *Mecum eſt*, propter ſubiectionem, quia mihi ſeruit. *Pſal.* Omnia ſeruiunt tibi. *Vel mecum eſt*, id eſt, mihi præſens eſt: quia ego vbique ſum. *Ierem.* 23. Cœlum & terram ego impleo. Vel *mecum eſt*, id eſt, mecum permanet, non tranſit vt tecum. *Auguſt. in Gloſſa*: Cum eo ſunt omnia futura, nec detrahuntur præterita. *Pſal.* Mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna quæ præteriit. *Verſus tripliciter expoſitus.*

Si eſuriero, non dicam. Hîc ſecundum, in quo oſtendit quod abeſt ab eo vitioſa concupiſcentia: & dicuntur duo. Primò oſtendit in ſe huius concupiſcentiæ carentiam. Secundò ſubiungit 12.

ſubiungit cauſam. *Meus eſt enim.* Dicit ergo: Si *eſuriero, non dicam*, vt paſcas me tanquam deſiderans, & appetens tua. *Pſal.* Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. *Iſa.*1. Plenus ſum. *Act.*17. Non indigens aliquo, cum det omnibus vitam, & inſpiratio-
Chriſti triplex eſuries. nem. Tamen dicitur Chriſtus eſurire materialiter. *Matth.*3. Cum ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit. Et mentaliter illum cibum de quo *Ioan.*4. Cibus meus eſt vt faciam voluntatem eius qui miſit me. Item eſurit in membris. *Matth.*25. Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare.

Meus eſt enim orbis terræ. Ecce ratio. Quaſi diceret: Si eſuriero, non dicam tibi. Quare? *Quoniam meus eſt orbis terræ*, id eſt, continens, *& plenitudo eius*, id eſt, contentum. *Pſal.* Domini eſt terra, & plenitudo eius.

13. *Nunquid manducabo carnes taurorum?* Hic tertium, quòd caret naturali indigentia, & hoc cibi. Ait enim: Sic non concupiſco: & iterum nunquid indigeo? Quaſi dicat: Non. Quia *nunquid manducabo carnes taurorum*, tanquam indigens cibo, *aut ſanguinem hircorum potabo?* tanquam indigens potu, ſicut de diis Gentium creditur. *Daniel.*14. Nunquid tibi videtur Bel Deus viuens, qui tanta comedit, & tanta bibit, &c. Sed pauperibus iſta volo dari. *Auguſt.* Si habes taurum pinguem, occide pauperibus, manducent illi. In pauperibus accipit, & dabit ille qui dixit, Si eſuriero, non dicam tibi. *Matth.*12. & *Oſeæ* 6. Miſericordiam volo, & non ſacrificium. De illis Deus magis vult pauperes ſuſtentari, quam offerri, niſi vbi ſimul eſt & oblatio, & pauperum ſuſtentatio: tunc enim Deo accepta oblatio. *Exod.*23. Non apparebis in conſpectu Domini Dei tui vacuus.

14. *Immola Deo.* Hîc tertia pars Pſalmi, in qua
Sacrificium laudis præ omnibus acceptum. præ omnibus ſacrificiis requiritur ſacrificium oris, ſcilicet laus: & diuiditur in tres partes. Primò omnibus hominibus indicitur quaſi generaliter. Secundò interdicit peccatoribus, ibi, *Peccatori autem dixit Deus.* Tertiò bonos effectu concomitante extollendos promittit, ibi, *Sacrificium laudis.* In prima tria, quia primò iudicis laudationem. Secundò orationem, ibi, *Et redde.* Tertiò gratiarum actionem poſt orationem & laudem. *& honorificabis.* Dicit ergo: De iis non curo, hæc renuo, ſed *immola Deo*, mihi. Et loquitur de ſe tanquam de alio. *Sacrificium laudis.* Sacrificium dicitur, quaſi ſacrum factum. Ergo non erit laus ſacrificij & laudis, niſi ſit cum laude ſanctitas laudantis. Vnde *Caſſiod.* Immolat ſacrificium laudis, qui à terrenis vitiis fuerit mundatus. *Oſeæ vlt.* Aufer omnem iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum.

Et redde. Hoc ad orationem. Primò in proſperis. Secundò in aduerſis. *Et inuoca me.* Ait enim: Sic offer ſacrificium laudis, *&* etiam *redde*, reiterando da. Redditio enim, reiterata datio. *Iſa.*23. Bene cane, frequenta canticum. *Vota tua*, id eſt, oblationes voluntarias & laudes, *Altiſſimo. Pſal.* Vota mea reddam in conſpectu timentium eum. Inuitat autem ad laudandum Deum. Primò quia ſuum à Deo requiritur: cum enim laudamus eum, de ſuo ei ſeruimus. *Auguſt.* O ſacrificium gratuitum! Non quidem hoc emi quod offerrem, ſed tu donaſti. *Iſa.*42. Dans flatum populo qui eſt ſuper terram, & ſpiritum calcantibus eam, ego Dominus. Secundò non difficile procuratur, quod Dominus requirit. *Auguſt.* Securi ſumus: non ibimus in Arabiam thus quærere. Sacrificium laudis à nobis requirit Dominus. *Ierem.*6. Vt quid mihi thus de Arabia offertis? & calamum ſuaue olentem de terra longinqua? Item facillimè redditur. Quid enim facilius quam reddere ſermonem, quem nullus tenere poteſt. *Iob* 4. Conceptum ſermonem quis tenere poterit? *Iob* 32. Plenus ſum ſermonibus, & coarctat me ſpiritus meus.

Et inuoca me. Hic orationem exigit in aduerſis. Quaſi diceret: Non tantum in proſperis reddam vota, imò etiam *inuoca me*, id eſt, intus voca. Quid enim prodeſt ſtrepitus labiorum, ſi cor ſit mutum, vt poſſit dici illud *Iſa.*29. & *Matth.*15. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Et hoc, *in die tribulationis*, ſtimulantis te vt me inuoces. *Gregor.* Os quod proſperitas claudit, aduerſitas aperit. Vnde in *Pſal.* Ad Dominum cum tribularer, clamaui, & exaudiuit me. *Oſeæ* 6. In tribulatione ſua mane conſurgent ad me. 15.

Et dicit, *in die tribulationis*, non in nocte, *Tribulatio dies eſt.* quia tribulatio bonis eſt dies, & ipſos illuminat. *Iſa.*18. Vexatio dat intellectum auditui. Et non inuocabis ſine fructu: quia *& eruam te*, ne diuturna tribulatione fatigeris. *Pſal.* Non derelinquet virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum. Eruam, inquam, te. Primò à carnis propriæ infeſtatione. Ad *Galat.*5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. A quà liberari quærebat, qui dicebat, ad *Rom.*7. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et à miſeriarum huius mundi multitudine, de quibus *Eccleſ.*40. Ab eo qui vtitur hyacintho, & portat coronam, vſque ad eum qui operitur lino crudo: furor, & zelus, tumultus, fluctuatio, & timor mortis, iracundia perſeuerans, & contentio. De quibus ſeptem. *Iſa.*4. Apprehendent ſeptem mulieres virum vnum. Sed ab illis liberat. *Iob* 6. In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non tanget te malum. Item ab alterius ſæculi infœlicitate. De hac ereptione. *Pſal.* Eripiam eum, à purgatorio & inferno. Ab inferno, ne ibi ſit: à purgatorio, ſi ibi fuerit.

Et honorificabis me. Ecce gratiarum additio. *Honorificabis*, inquam, perpetuò laudando in cœlo cum illis de quibus alibi in *Pſal.* Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum, &c. Et etiam in præſenti alios per bona opera ad mei laudem & gloriam inuitando. *Matth.*5. Videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt. *Iſa.*51. Gaudium & lætitia inuenientur in ea, gratiarum actio, & vox laudis.

Peccatori autem dixit Deus. Hîc ſecundum 16.
totius

totius huius partis, quæ tertia est in toto Psalmo, in quo interdicit hoc obsequium malis: & dicuntur tria. Primò de vsurpatione laudis increpatio. Secundò culparum peccatoris increpati commemoratio, ibi, *Tu verò odisti.* Tertiò grauis comminatio. *Arguam te.* In prima duo. Primò increpat de vsurpatione Noui. Secundò de vsurpatione Veteris Testamenti. *Et assumis.* Dupliciter autem potest continuari. Primò modo, sicut supra dictum est, immola Deo sacrificium laudis. Sed cui dictum est: Nunquid bene cantantibus, & male viuentibus? Non. Acutè, quia *peccatori dixit Deus*, non populo suo. Vnde, *Audi populo meus.* Sed quid non suo? Ecce: *Peccatori autem dixit Deus*, non populo suo,

Quare multi bona præcipiunt quæ non faciunt.

Quare tu enarras iustitias meas, prædicando, & non faciendo eas, secundum illud *Matth.*23. Dicunt enim & non faciunt. Posset respondere peccator: Triplici ratione hoc facio. Primò quia hoc mihi ad salutem sufficere credo. *Augustin.* Dicunt, Non perdat nos Deus, pe quorum os tanta voluit bona propinquare. Sed falleris. *Matth.*7. Multi dicent in diebus illis, Domine Domine in nomine tuo prophetauimus: & tunc confitebor illis, quia non noui vos. Discedite à me qui operamini iniquitatem. Exemplum de Balaam qui prophetauit pulcherrimam propheriam *Num.*24. Et de Caïpha *Ioan.*11. Qui prædixit tam vtilem. Item quia malitiam meam occultare quæro. *Chrysost. super Matth.* Sacerdotes populo mandant omnem iustitiam, & ipsi nec modicum seruant, non vt facientes seruire Deo sint iusti, sed vt dicentes appareant iusti. *Genes.*3. Cúmque cognouissent se nudos, esse illis vestimentis, de quibus in *Psal.* Sacerdotes tui induantur iustitiam, fecerunt sibi perizomata, ad tegendum suam turpitudinem, de foliis ficuum, id est, verbis scripturarum filij Adam. Item quia illis mihi temporalia acquiro. *Greg.* Ideò contemptum temporalium prædicant, vt ea soli habeant. Nam paupertatem prædicant vt medicamentum, sed eam fugiunt vt venenum. *Micheæ* 3. Sacerdotes eius in mercedem docebant.

Et assumis, præsumendo, *testamentum meum*, Vetus, *per os tuum.* In assumptione notatur præsumptio. *Cassiod.* Assumere præsumptionem significat, secundum illud *Eccl.*18. Vidit præsumptionem cordis eorum quoniam mala est. Testimonium meum sanctum. Ad *Rom.*7. Lex sancta, & mandatum sanctum: qui facit contra prohibitionem, peccat. Sic ergo habetur quod prædicator peccat, si est in peccato mortali. Dicunt aliqui, quòd verum est de omni si sit in aperto peccato: si autem sit in occulto, potest. Item si in aperto & incumbat ei ex officio, dicunt aliqui quod potest. Alij dicunt, quòd non.

17. *Multa peccant mali prædicatores.*

Tu vero odisti. Hic commemoratio culpæ eius, cui interdicitur prædicatio, & commemorat plures. Prima, boni detestatio. Secunda, mali delectatio. *Si videbas furem.* Tertia, erronea de Deo existimatio. *Existimasti iniquè.* In prima duo. Primo detestatio correctionis mali quæ valde mala est. Secundò detestatio instructionis boni. *Et proiecisti.* Dicit ergo: Dixi peccatori prædicta, addens causam, & dicens: Prædicas: *tu vero odisti*, accipere disciplinam secundum illud *Ierem.*7. Hæc est gens quæ non audiuit vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam, qui ad correctiones iustas remurmurat, & non vult Deum in se iudicare quod peccat. Et *proiecisti sermones meos*, ad bonum promouentes, *retrorsum. Gregor.* Sermones Dei post se proiicit, qui hoc quod dicit, facere contemnit. *Augustin.* Quæ dicuntur apertè proiecisti post te vt non videantur à te, sed onerent te: cum tamen scriptum sit *Deut.*6. Ligabis ea quasi signum in manu tua, erúntque & mouebuntur ante oculos tuos. Benè reprehensibilis est, qui tantum odit: tria enim præcipua bona facit. Certum signum dilectionis demonstrat. *Apocal.* 3. Ego quos amo, arguo, & castigo. Et canon dicit, Qui phreneticum ligat, & lethargicum excitat, ambobus molestus, ambos amat. Ad *Hebr.*12. Quem diligit Dominus, castigat, & flagellat omnem filium quem recipit. Ab aspectu insipientiam fugat. *Ierem.* 31. Castigasti me Domine, & eruditus sum. *Prou.*12. Stultitia alligata est collo pueri: & virga disciplinæ fugabit eam. Tertiò, affectum sanat, non mortificat. *Psal.* Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me, sed sanauit. *Tob.* 12. Benedico te Domine Deus Israël, quoniam castigasti me, & sanasti me. *Deut.*22. Percutiam, & ego sanabo: percutiam corpus, & sanabitur affectus.

Si videbas furem. Hîc tangitur mali dilectio. 18.
Primò operis. Secundò sermonis, ibi, *Os tuum abundauit.* In prima duo. Dilectio mali operis ex concupiscentia oculorum procedentis. Secundò ex concupiscentia carnis. *Et cum adulteris.* Dupliciter legitur. Primò ad literam. Secundò mysticè. Ait ergo: De bono non curabas: & *si videbas furem*, res alienas rapientem ad literam, *currebas cum eo*, vt consors furti esses. *Ierem.*23. Factus est cursus eorum malus, & fortitudo dissimilis. *Prou.*1. Pedes eorum ad malum currunt.

Et cum adulteris portionem tuam ponebas. Cassiodor. Si quis dando pecunias, aut consiliando, aut laudando adminicula præbet adultero, quibus sua vota perficiat, habere ibi sine dubio dignoscitur portionem. *Seneca de beneficiis.* Pecuniam non dabo quam muneraturam adulteram sciam, ne in societate turpis facti inueniar. *Eccles.* 9. Ne des fornicariis animam tuam, in vllo, ne perdas te, & animam tuam, & hæreditatem tuam. Et 19. Qui se iungit fornicariis, erit nequam: putredo & vermes hæreditabunt illum.

Vel sic: *Si videbas furem*, sacrarum scripturarum, quales sunt hæretici. *Ierem.*14. Ecce ego ad Prophetas qui furantur verba mea. *Et cum adulteris*, cum illis scilicet qui pro lucro temporali, vel delectatione carnali prædicant, non pro fructu spirituali. 2. ad *Corinth.*2. Non sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei. *Cum illo currebas, cum isto portionem tuam ponebas.*

Notè modis potest quis esse particeps alieni criminis.

Nota, quòd nouem modis participat aliquis crimen alterius. Primò iubendo. Sic Achab qui Naboth imperio interfecit. 3. *Reg.* 21.

Occidiſti, inſuper & poſſediſti. Conſulendo. *Eccleſ.*27. Fecienti nequiſſimum conſilium, hoc eſt, danti, ſuper eum deuoluetur. Auxiliando 2.*Paral.*19. Impiis præbes auxilium, & his qui oderunt Deum amicitia coniungeris. Idcircò iram Dei merebaris. Adulando, vel commendando. *Prou.*17. Qui iuſtificat impium, abominabilis eſt apud Deum. Conſtat ergo quod peccat. *Prou.* 24. Qui dicunt impio, Iuſtus es, maledicent ei populi. Recipiendo. *Eccleſ.* 12. Ne ſuſcipias peccatorem. Et infra de bono: Et ne ſuſceperis peccatorem. Participando, hoc eſt, habendo partem de rapto. Hinc *Iſa.* 1. Principes tui infideles, ſocij furum. Non corripiendo. 1. *Reg.* 3. Eo quod nouerat indigne agere filios ſuos, & non corripuit eos, ideò iuraui domui Heli, quòd non expietur iniquitas domus eius in æternum. Non reſiſtendo cum poſſis. *Auguſt.* Error cui non reſiſtitur, approbatur: nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obuiare manifeſtando. *Prou.* 29. Qui cum fure participat, & odit animam ſuam, & adiuuantem audit, & non iudicat. Hinc dicitur *Matth.* 18. Si non audierit te, adhibe tecum duos vel tres: quod ſi illos non audierit, dic Eccleſiæ.

19. *Os tuum abundauit malitia.* Hîc ſecundum, dilectio ſcilicet mali, & tangitur primò oris malitia. Secundò mira Dei potentia, ibi, *Hæc fecisti & tacui.* Oris malitia tangitur triplex. Sermo adulatorius, deceptorius. *Et lingua tua.* Detractorius, ibi, *Sedens aduerſus fratrem tuum.* Dicit ergo quaſi ſic: Mala poſtea diligis, & *etiam os tuum abundauit malitia*, adulationis: malitia enim eſt, non reprehendere malum, cum videmus illud fieri: ſed abundantia malitiæ, malefacientem laudare. De qua malitia in *Pſal.* Laudabitur peccator in deſideriis animæ ſuæ.

Triplex vitium linguæ.

Et lingua tua concinnabat dolos. Nota, cinnus eſt genus compoſitionis ex mixturis diuerſis: hinc enim dicitur concinnare, ſcilicet blanda componere, vt magis fallant. *Iſa.* 3. Populi meus qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt. Et 32. Fraudulenti vaſa peſſima ſunt. Ipſe enim cogitationes concinnat ad perdendos mites.

20. *Sedens aduerſus fratrem tuum.* Hîc de detractorio ſermone: & tangitur duplex nocumentũ. Primò eius qui detrahit. Secundò eius coram quo detrahit. *Et aduerſus filium.* Dupliciter autem legitur in *Gloſſa.* Vel ſecundum noſtram literam, vel ſecundum aliam. Primò modo ſic: Non tantum dolosè loquebaris, imo etiam *loquebaris aduerſus fratrem tuum*, ipſi detrahendo. Et appellat fratrem quemcumque hominem: omnes enim fratres ſumus de vno Adam. *Eccl.*40. Graue iugum ſuper filios Adam. *Matth.*23. Omnes vos fratres eſtis. Et hoc, *ſedens*, hoc eſt, in detractione moram faciens, non detrahens in tranſcurſu. *Caſſiod.* Sedere, morantis eſt.

Duplex detractionis malum.

Et aduerſus filium matris tuæ. Eccleſiæ ſcilicet triumphantis, quæ omnium noſtrum mater eſt. Ad *Galat.*3. Illa quæ ſurſum eſt Ieruſalem, quæ eſt mater noſtra. *Ponebas*, quaſi arte quadam, ſicut ponuntur laquei. *Scandalum*, contra illum. *Matth.*18. Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt, &c. Hoc autem ſcandalum hæreſis poteſt eſſe, vel calumnia, vel detractio ipſa qua ſcandalum eſt infirmo adhuc lacte materno indigenti. *Auguſt.* Cum detrahitur bonis ab iis qui videntur docti eſſe, in ſcandalum cadunt infirmi, qui adhuc neſciunt iudicare. Sic detrahebant Phariſæi Chriſto coram cæco illuminato de nouo. *Ioan.*9. Da gloriam Deo: Nos ſcimus quoniam hic homo peccator eſt.

Hæc fecisti, & ego tanquam patientiſſimus. 21.
tacui, pœnam diſtuli, & te ad pœnitentiam expectaui. *Iſa.* 30. Propterea expectauit Dominus vt miſereatur noſtri. Ad *Rom.*2. An ignoras quoniam miſericordia ad pœnitentiam te adducit? Hîc tanguntur tria quæ conueniunt malis iudicibus. Primum, iudiciaria dignitas, cum dicit: *Sedens.* Iudicum enim eſt ſedere. *Pſal.* Illic ſederunt ſedes in iudicio. Peruerſitatis malignitas, *aduerſus fratrem tuum*, ſi eum poſſis capere in ſermone vt ei calumniam imponas. *Eccleſ.*11. Multæ ſunt inſidiæ doloſi. Et infrà: Bona in mala conuertens inſidiatur, & in electis ponit maculam. Tertium, diuina benignitas, quæ hoc ſuſtinet. *Hæc fecisti & tacui*, qui poteſtatem tibi dedi. *Sap.*6. Data eſt vobis poteſtas à Domino, qui interrogabit omnia opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur. Ad *Roman.*13. Non eſt poteſtas niſi à Deo. Sed dicetur eis illud *Matth.*18. Nõne oportuit miſereri conſerui tui, quoniam & ego miſertus ſum tui?

Tria in malo iudice.

Exiſtimasti inique. Hîc tertium, in quo tangitur erronea de Chriſto æſtimatio. Ait enim: Sic facis ea, dum *inique exiſtimasti*, *quòd ero tui ſimilis*, putando quod talia mihi placerent. *Iſa.*46. Cui aſſimilaſtis me, & adæquaſtis? Sed non eſt ita. *Pſal.* Deus non volens iniquitatem tu es. *Sap.*14. Similiter ſunt odio Deo impius, & impietas eius.

Arguam te. Hîc poſitâ culpa ſequitur pœnæ comminatio, & comminatur ei reprehenſionem primò. Secundò erubeſcentiam ſeu pudorem. *Et ſtatuam.* Tertiò irremediabilem dolorem. *Intelligite hæc.* Dicit ergo: Tacui, & tamen aliquando *arguam te.* Suprà: Deus manifeſtè veniet, Deus noſter, & non ſilebit. *Iſa.* 11. Iudicabit gentes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ. Et *ſtatuam te contra faciem tuam*, vt videas turpitudinem tuam, & confundaris. *Naum* 3. Ecce ego ad te, dicit Dominus, & reuelabo pudenda tua in facie tua. 1.ad *Corinth.*4. Reuelabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. Graue valde erit audire arguitionem illam. Propter quod dicit *Pſal.* Domine ne in furore tuo arguas me. Et horribilis valde confuſio, & omni confuſione plena. *Anſel.* in ſuis meditationibus loquens animæ ſuæ: Fuge, fuge tu horribilis, neſcio quæ ſubſtantia: fuge te ipſam, & exterrita à te ipſa: ſed vere te fugere non potes.

Pœna mali prælati.

Intelligite hæc. Hîc comminatur irremediabilem dolorem, & præmittit admonitionem vt audiant. Secundò comminationem pœnæ irremediabilis vt timeant. *Nequando rapiat.* Dicit ergo: Sic exiſtimaſti me tibi ſimilem. Et ſic non recolitis me eſſe Deum, *qui obliuiſcimini Deum*, me eſſe, ſupple. 1.ad *Corinth.*15. Ignorantiam Dei quidem habent. Et in *Pſal.* conquerendo 22.

querendo dicit: Obliuioni datus ſum. *Intelligite*, hæc quæ præmiſi, quod laudem volo, ſed non à peccatore. *Eccleſ.* 15. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. *Intelligite*, vt nullus ſe excuſet, ac ſi ei dictum non eſſet quod dictum eſt quaſi vni, ſcilicet peccatori. *Matth.* 13. Quod vni dico, omnibus dico.

Nequando rapiat, nos Deus ad pœnam, *& non ſit qui eripiat*, à pœna, ſecundum illud *Iob* 10. Cum ſit nemo qui de manu tua poſſit eruere. *Iſa.* 43. Ego Deus ab initio ipſe, & non eſt qui de manu mea eruat. Vel *rapiat* diabolus. *Et non ſit qui eripiat. Pſal.* Nequando rapiat vt leo animam meam, &c. Et verè non erit qui eripiat, ſi Deus in eius manu te dimiſerit. Primò quia dæmones valdè auidè animas retinent. *Iſa.* 5. Frendet, & tenebit prædam, & amplexabitur, & non erit qui eruat. Et 49. Nunquid tolletur à forti præda? aut quod captum fuerit à robuſto, ſaluabitur? Item carnales amici non repetent. *Iſa.* 42. Facti ſunt in rapinam, nec eſt qui eruat: in direptionem, nec eſt qui dicat, Redde. Item ſubitò deſcendent & peribunt, vnde non poſſunt retrahi, niſi ab illo cuius actio ſubita eſt. *Iob* 21. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.

23. *Sacrificium laudis.* Hîc tertium, in quo per concomitantem effectum ad Dei laudem allicit: & tanguntur duo. Primò Dei laudati veneratio. Secundò laudantis honorificatio. *Et illic iter.* Quaſi diceret: Non ſolùm prædicta intelligite, ſed etiam hoc, quod *ſacrificium laudis*, non quod ſcelerati cantant, de quo *Thren.* 3. Factus ſum in deriſum omni populo, cantieum, &c. Et in *Pſal.* In me pſallebant qui bibebant vinum. Sed *laudis*, quod canitur ab illis qui iam ſancti ſunt. *Auguſt. in Gloſſa*: Sic benedicite, &c. *Pſal.* Laus eius in Eccleſia ſanctorum. *Sacrificium*, inquam, *laudis honorificabit me*, non illa antiqua: *& illic iter, quo* itinere, *oſtendam illi ſalutare Dei.* Laus enim Dei eſt quaſi ſcala Iacob, de qua *Geneſ.* 28. Ibi enim ſunt aſcendentes Angeli ad contemplationem Dei, & deſcendentes ad humanitatem. Item hoc ſacrificium eſt Miſſa, in qua laudatur Deus, & in qua ſacrificium offerrur Deo. *Malach.* 1. Ab ortu ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, ecce quod pertinet ad laudem: in omni loco offertur oblatio munda nomini meo, ecce ſacrificium. Et in illo ſic laudis ſacrificio oſtenditur ſalutare Dei, ſub panis ſpecie, quod tandem oſtendetur in patria in aperta viſione. *Iob* 33. Deprecabitur Dominum & placabilis erit ei, & videbit faciem eius in iubilo. *Iſa.* 52. Leuauerunt vocem, ſimul laudabunt: quia oculo ad oculum videbunt, cum conuerterit Dominus Sion, ad quam viſionem nos perducat qui eſt benedictus in ſæcula.

IN L. PSALMVM.

1. *In finem, Pſalmus Dauid quando venit ad eum Nathan Propheta, quando intrauit ad Berſabee.*

2. *Miſerere mei Deus.* Hic eſt Pſalmus quinquageſimus, in quo poſtquam antiqua ſacrificia pecudum ſunt repudiata, & abiecta, & oſtenſum quod Deus quærit ſacrificium laudis, ne crederet aliquis, quod hoc ſacrificium impleretur in ſono & ſtrepitu labiorum tantum, ſubiungitur de hoc quod veraciter hoc perficit ſacrificium, ſcilicet de ſpe, contritione, & vera pœnitentia, & hoc, ipſum Dauid ponendo in exemplum, qui poſt peccata adulterij & homicidij per hoc ſacrificium ſatisfecit Deo. Et hoc ſatis apertè innuitur in titulo huius Pſalmi, qui talis eſt: *Pſalmus Dauid quando venit ad eum Nathan Propheta, quando*, vel *quoniam intrauit ad Berſabee*, id eſt, hic Pſalmus editus eſt à Dauid literali pœnitente, & per hoc cuilibet pœnitenti competit, *cum venit ad eum*, corripiendum ſuper peccato adulterij, *Nathan Propheta.* Iſta plana ſunt 2. *Reg.* 12. *Quando*, vel *quoniam*, *intrauit.* Curialiter loquitur Scriptura. *Pſal.* Eloquia caſta. *Ad Berſabee*, adulterando cum illa.

Argumentũ Pſalmi, repudiatis ſuperiori Pſalmo ſacrificiis vitulorũ, verum contriti cordis ſacrificium commendat.

Tria notantur in hoc titulo. Primò, quòd peccatum occultè perpetratum publicatur toti mundo. 2. *Reg.* 12. Tu feciſti occultè, ego autem manifeſtum faciam in conſpectu omnis Iſraël. *Matth.* 9. Nihil abſconditum quod non reueletur, & nihil occultum quod non ſciatur. Secundum, quod maior pars peccati, ſcilicet homicidium ſeditioſum tacetur, in quo docemur quando neceſſe fuerit aliena peccata tangere, vt tangamus ea ad minus quam poſſimus. *Eccleſiaſt.* 8. Ne deſpicias hominem auertentem ſe à peccato ſuo, nec improperes ei. Tertium, quod ipſum reſiduum quod tangit circa loquutionem velatur. *Quando intrauit*, inquit, &c. Et hoc quia expreſſi ſermones, maxime de peccato luxuriæ, citò inficiunt, & ideò docet nos talibus non vti. Ad *Epheſ.* 5. Fornicatio autem & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos: aut turpitudo, &c.

Pſalmus autem diuiditur in tres partes. Primò enim pœnitens Dauid loquens in ſua, vel cuiuſcumque pœnitentis perſona, ſuſpirat pro venia conſequenda. Secundò pro præſenti miſeria, ibi, *Libera me de ſanguinibus.* Tertiò pro patria, ibi, *Benigne fac.* In prima duo, quia primò optat ſuſpirando pro venia generaliter. Secundò ſpecialiter. *Secundum multitudinem.*

Dicit ergo: Sic vis Domine, vt audio, non vitulos non hircos, ſed ſacrificium cordis contribulati: & propter hoc dico, *ô Deus*, cuius eſt miſereri, non hominis. *Luc.* 5. Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus? *Iſa.* 42. Ego ſum, ego ſum qui deleo iniquitates propter me. *Miſerere.* Ergo miſer es? Sed nonne es diuitiis cumulatus, & dignitate regia ſublimatus, ſapientia, & futurorum tanquam Prophetarum eximius, ſcientia illuſtratus: & ſecundum ſententiam tuam, vulgus beatum dicit populũ cui hæc ſunt? Quid ergo gemis? Quid amplius poſſum tibi facere, & non feci? *Iſa.* 5. Reſpon. illud *Prou.* 13. Miſeros facit populos peccatum, & Regem populorum facit ſeruum. *Ioan.* 8. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. O certè graue eſt & grande peccatum, quod tot bonis abundantem fecit miſerum. *Mei.* Non dicit Dauid. *Mei* enim eſt pronomen, quod puram

deſignat ſubſtantiam, cuius conditor indubitanter eſt Deus. Quare *miſerere mei*, hoc eſt, creaturæ tuæ. *Sap.9.* Tu Domine diligis animas, & nihil, &c.

Secundum miſericordiam, non ſecundum legis iuſtitiam, quia *Leuit.* 20. Morte moriatur mœchus, & adultera. Ad *Hebr.*10. Irritam quis faciens legem Moyſi, abſque vlla miſeratione ſub duobus aut tribus teſtibus moritur. *Tuam*, ô Chriſte, *tuam*, inquam, id eſt, tibi naturalem eſt parte patris, qui eſt pater miſericordiarum 2. ad *Cor* 1. & Deus totius conſolationis. Et ex parte matris quæ ſimiliter eſt mater miſericordiæ. *Iob.* 31. Ab infantia creuit mecum miſeratio. Et hoc *magnam:* ſi enim magna non fuiſſet, quomodo tam magna feciſſet? Virtus enim ex operatione dignoſcitur. Inter opera autem omnia tua, vnum tangam cum *Caſſiod.* Ait enim: Hæc miſericordia mundi creatorem in cœlo depoſuit, eumque qui æternitate Patri manet æqualis, mortalitate coæquauit nobis, & formam ſerui mundi Domino impoſuit, vt ipſe panis eſuriret, fons vitæ ſitiret, & virtus infirmaretur, omnipotens vita moreretur.

Et ſecundum multitudinem. Hîc orat, ſuſpirando pro venia ſpecialiter: & dicuntur tria. Primò orat contra maculam vt deleatur. Secundò contra peccati memoriam, vt iam à Deo non habeatur. *Auerte faciem tuam.* Tertiò cõtra pœnam vt dimittatur, ibi, *Ne proiicias me.* In prima tria: quia primò oratio. Secundò perſuaſio. *Quoniam iniquitatem.* Tertiò certa confidentia de impetrando, ibi, *Aſperges me.* In prima tria, ſecundum tria quæ petit. A macula lauari primò per lachrymas contritionis. Secundò per lachrymas confeſſionis. *Amplius.* Tertiò per lachrymas ſatisfactionis. *Et à peccato meo.* Dicit ergo: Sic peto miſericordiam, & magis ſpecificando dico: *Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum*, hoc eſt, effectuum miſericordiæ tuæ, quos multos vidi: & hoc rogo ſecurus. *Eccleſ.* 2. Quis inuocauit eum, & deſpexit eum? Quoniam pius & miſericors Deus. *Dele iniquitatem meam.* Non adde diuitias, & ſcientiam. *Iniquitatem*, quæ ſcripta eſt fortiter. *Ierem.*17. Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in vngue adamantino. Adamas lapis duriſſimus eſt, nec poteſt frangi, niſi ſanguine hirci mediante. Sic peccatum deleri non poteſt, niſi ſanguine Chriſti per hircum deſignati, de quo *Ezech.* 43. Septem diebus offeret hircum pro peccato. Quotidie in omni tempore Chriſti carnem pro peccatis immolabit, quam ſumpſit ſimilem peccatrici. Ad *Roman.*8. Miſit filium ſuum in ſimilitudinem peccati. *Dele* ergo. Reſpondet *Iſa.* 44. Deleui vt nubem iniquitates tuas, quoad mortalia: & quaſi nubeculam peccata tua, quoad venialia.

4. *Amplius laua me.* Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic dele per contritionem cordis, & *amplius laua me* per lachrymas confeſſionis. Magna videtur huius præſumptio. Sordidauerat ſe luto peccati, & vocat Deum ad lauandum ſe. Et bene: nihil enim inueniebat in mundo niſi immundum. *Iſa.* 64. Facti ſumus vt immundi omnes. *Eccleſiaſt.*34. Ab immundo quis mundabitur? Nullus, ſed magis inquinabitur. *Num.* 19. Quicquid tetigerit immundus, immundum erit. *Exod.* 19. In quo mundabo cor tuum, dicit Dominus? in nullo niſi in teipſo. Oportet vt facias teipſum lauatorium, & ſic fecit: vnde vndique voluit perforari, & de ſe effluere ſanguinem in noſtram ablutionem. *Pſal.* Diſrupiſti petram, Chriſtum 1. ad *Cor.*10. Petra autem erat Chriſtus. Et fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt, ad lauandum & maiorem mundum, & minorem. Imò cantat Eccleſia: Terra, pontus, aſtra, mundus, quo lauantur flumine. Ecce lotio maioris mundi. *Apocalypſ.*1. Dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris. Ecce lotio minoris. Laua ergo me ab iniquitate mea, quæ ſordidat me. Ad *Tit.*1. Infidelibus nihil eſt mundum: ſed inquinata eſt eorum mens, & conſcientia. Et hoc *amplius*: quia non tantum ab actu, ſed à circunſtantia actus: quia ſcienter peccaui, non ignoranter. *Auguſt.* Laua amplius multum inquinatum: magis magiſque ablue peccata ſcientis, qui abluiſti peccata ignorantis. Vel *laua amplius*, quam nouerim petere, qui meipſum non noui. 1. ad *Cor.*4. Nihil mihi conſcius ſum, non tamen in hoc iuſtificatus ſum.

Sed quia quidam lauantur, non tamen mundantur. 2. *Petr.* 2. Sus lota in volutabro luti, addit, *à peccato meo*, mihi proprio, & mihi imputando, *munda me*, vt impleatur illud *Iſa.*1. Lauamini, mundi eſtote, &c.

Nota ergo, quòd peccator ſemper debet clamare vt lauetur, & mundetur, & hoc triplici ratione. Primò propter peccatorum ignoratorum multitudinem. 2. *Paralip. vlt.* Peccaui ſuper numerum arenæ maris, & multiplicatæ ſunt iniquitates meæ. Et *Pſal.* Circundederunt me mala quorum non eſt numerus. Secundò propter firmam peccatorum adhæſionem. *Baruch.* 1. Adhæſerunt nobis multa mala, id eſt, fortiter, ſicut pellis carni. *Ierem.* 13. Si poteſt mutare Æthiops pellem ſuam, & pardus varietatem ſuam: & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum? Tertiò propter facilem immunditiei iterationem. *Iob* 9. Si lotus fuero quaſi aquis niuis, & effulſerint tanquam mundiſſimæ manus meæ, tamen ſordibus intinges me, id eſt, iteratò intingi permittes. *Peccator debet ſemper clamare vt lauetur, propter tria.*

Quoniam iniquitatem meam. Poſtquam præmiſſa eſt oratio, ſubiungitur perſuaſio, & primò à peccati confeſſione. Secundò à miſericordiæ Dei promiſſione. *Vt iuſtificeris.* Tertiò ab humana fragilitate. *Ecce enim in iniquitibus.* Quarto ex parte Dei à bonitate. *Ecce enim veritatem dilexiſti.* In prima tria. Primò tangitur peccati cognitio. Secundo cogniti iugis deteſtatio. *Et peccatum meum.* Tertiò deteſtati verecunda confeſſio. *Tibi ſoli peccaui.* Dicit ergo: Peto mihi exhiberi miſericordiam: nolo tamen omninò perire iuſtitiam: *quia iniquitatem meam.* Vel ſic: Munda me, & debes. *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco.* Ecce meam iniquitatem cognoſco, quia in iniquitate, non attendo voluptatem, ſed intueor deformitatem, & deteſtor illam. *Caſſiod.* Soli illi probantur peccata agnoſcere, qui ea videntur propria execratione damnare. *Naum* 3. Omnis qui viderit te, reſiliet à te. 5.

Et peccatum, à me cognitum, *coram me eſt ſemper*, *Perſuadet Deo vt re-*

mittat à cõfeſſione peccati.

ſemper, ad deteſtandum. Supra in *Pſal.* Statuam te, ſuper faciem tuam. *Caſſiod.* Hic quaſi iam in venturo iudicio conſtitutus, delictorum ſuorum aſpectus teterrimos pertimeſcit. Et alia litera, quæ eſt *Auguſt. Contra me eſt ſemper.* Quaſi diceret: Prius fuit peccatum retro me, cum dixi, Vir mortis eſt homo, qui hoc fecit: ſed Nathan coram me, & contra me peccatum meum poſuit, quando dixit: Tu es ille vir. 2. *Reg.* 12. Nec poſtea diſceſſit à conſpectu meo, ſicut in multis accidit, quĩ citò tradunt peccata obliuioni, ſi aliquando cognouerint. Alij penitus nõ cognoſcunt. Et eſt prima ratio: quia peccata ipſa eos excæcant. *Sap.* 2. Excæcauit malitia eorum. *Pſal.* Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem.

Peccata agrè cognoſcũtur: quia aut excæcant, aut ſe variis modis occultãt.

Secunda cauſa eſt: quia peccata ſe occultant nunc ſub voluptate. *Eccleſ.* 5. Non ſatis bene recordabitur dierum vitæ ſuæ, eò quod occupet Deus cor eius deliciis. Nunc ſub adulantium laude. *Pſal.* Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ. Ibi *Gloſſa*: Delectatur ea facere vbi non ſolum non metuitur reprehenſor, ſed etiam auditur laudator. Nunc peccantium multitudine: videtur enim licere quod quaſi omnes faciunt. *Eccleſ.* 1. Peruerſi difficile corriguntur. Et addit ſtatim cauſam: Stultorum infinitus eſt numerus. Nunc ſub maiorum authoritate. *Gregor. in quadam homil.* Peccata delinquentium fouent ne amittant temporalia.

Tertiò non cognoſcuntur: quia virtutes ſe eſſe ſimulant. *Hieron.* Multi ſuperbiam libertatis loco laudant, ac decepti vitiis pro virtutibus gloriantur. 3. *Reg.* 14. Ingredere vxor Ieroboam, iniquitas ſcilicet, cur te aliam ſimulas?

6. *Tibi ſoli peccaui.* Hîc verecunda & ſancta confeſſio: confitetur peccandi audaciam, quia eſt contra Dominum videntem omnia. *Et malum coram.* Dicit: Sic munda, quoniam iniquitatem cugnoſco, cognitam abhorreo, & etiam apertè confiteor, *quoniam tibi ſoli peccaui.* Quomodo dicit hoc? Nonne peccauit peccato homicidij & ſeditionis? Ergo non ſolum contra Dominum peccauit, ſed etiam contra proximum. Imo ſi diligenter attendimus, omnis peccans peccat contra omnem creaturam Dei. Contra cœleſtia, quia contriſtat ſupernam illam Ieruſalem. Quomodo non contriſtaretur de filij perditione? Et ipſa eſt mater noſtra. Ad *Galat.* 4. Illa quæ ſurſum eſt Ieruſalem, quæ eſt mater noſtra. *Prou.* 10. Filius ſtultus mœſtitia eſt matri ſuæ. *Baruc.* 4. Contriſtatis matrem veſtram Ieruſalem. Item peccat contra corporalia, & viſibilia hæc mundana omnia: quia quantum in ſe eſt, impedit & retardat eorum glorioſam innouationem pro qua gemunt. Ad *Rom.* 8. Omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc, vt veniat illa innouatio, de qua *Apocal.* 21. Ecce noua facio omnia. Peccat etiam contra infernalia, quia eis ſocios multiplicat vt magis ardeant. *Luc.* 16. Volebat diues epulo, ne fratres ſui deſcenderent in infernum, ne illi augeretur tormentum. *Iſa.* 14. Infernus ſubtus conturbatus eſt in occurſum aduentus tui.

Peccatũ eſt contra Deũ & omnem creaturam.

Reſpon. ſecundum *Gloſſam*, quæ hoc exponit dupliciter, vel vt dicendo ſoli, exprimat regiam dignitatẽ, vel vt oſtendat ſingulatẽ Chriſti dignitatem. Primo modo ſic: *Tibi ſoli peccaui*, id eſt, ad te ſolum pertinet me punire, quia Rex ſum, nec ſuperiorem habeo niſi te. *Eccleſ.* 5. Excelſior eſt, & inſuper vniuerſæ terræ Rex imperat ſeruienti. Vel ſic: *Tibi ſoli peccaui*, id eſt, non apponant ad me puniendum alij manum qui peccatores ſunt ſicut ego: ſed tu ſolus, qui ſine peccato es. Tuum eſt propriè me punire, vt oſtendatur ſingularis dignitas Chriſti, qui ſolus eſt ſine peccato. *Iſa.* 53. 1. *Pet.* 2. Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt, &c. *Ioan.* 8. Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat. Ad *Hebr.* 10. Mihi vindictam, & ego retribuam.

Et malum coram te, omnia cernente, iudicante, ponderante, *feci* impudenter valde. *Pſal.* Vultus autem Domini ſuper facientes mala. Quod deberet eos confundere, & terrere certe, quia teſtificabitur ipſe veritati quam vidit. *Ierem.* 29. Ego iudex, & teſtis, dicit Dominus. Propter hoc dicit *Boëtius in fine libri ſui de conſolatione philoſophiæ.* Magna nobis indita eſt neceſſitas probitatis, ſi non diſſimulare velimus, cum omnia agamus ante oculos iudicis cuncta cernentis.

Perſuadet à Dei miſericordia & promiſſis.

Vt iuſtificeris. Hîc perſuadet à miſericordiæ Dei promiſſione ſecundum lecturam vnam. Legitur autem multipliciter. Primo modo ſic, vt iuſtitia veracitatis hîc intelligatur ſic: Ita dico quod peccaui coram te iuſto, intantum *vt iuſtificeris in ſermonibus*, id eſt, verax inueniaris, & intantum *vt vincas* alios iudices ſuperando, *cum iudicaris*, id eſt, cum ſermonibus tuis compararis. *Prou.* 8. Iuſti ſunt omnes ſermones mei, & non eſt in eis prauum quid.

Vel ſic: Iuſtus es, ô Chriſte, & adeo iuſtus, *vt iuſtificeris*, id eſt, ſolus iuſtus inueniaris, *in* omnibus *ſermonibus tuis*, & hoc adeò, vt vincas omnes homines in iuſtitia, *cum*, id eſt, quamuis, *iudicaris*, iudicatus fueris à Pilato iniuſtè. *Auguſt.* Tu ſolus iuſtè iudicans, & iniuſte iudicatus. *Pſal.* Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Vel ſic, vt veritas dicat victoriam contra dæmones. Adeò iuſtificaris in omnibus ſermonibus tuis, *vt vincas*, diabolum & & mortem. Oſeæ 13. Ero mos tua ô mors, morſus tuus ero inferne.

Legitur & de iuſtitia promittẽtis & miſerantis: & hoc dupliciter, vel promittentis incarnationem, vel peccatorum remiſſionem. Ait enim: Iuſtus es, ô Pater, *vt iuſtificeris in ſermonibus tuis*: hoc non mutatur, *& vincas*, id eſt, mendaces oſtendas homines, *cum iudicaris*, ab illis non facere quod promiſiſti, ſcilicet filium non mittere. *Num.* 23. Non eſt Deus vt homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur. *Eſth.* 6. Volunt tua mutare promiſſa. Vel de iuſtitia promittentis remiſſionem, contra illos qui dicunt non poſſe impetrare remiſſionem de tantis culpis. Quaſi diceret: Adeò munda me, *vt iuſtificeris* in apparentia hominum, qui in te iuſtior eſſe non potes. *Et vincas*, id eſt, tanquam mendaces oſtendas homines, *cum iudicaris*, ab eis non remittere culpas quantaſcunque. *Eccleſ.* 12. Altiſſimus odio habet peccatores, & miſertus eſt pœnitentibus. *Ezechiel.* 18.

chiel. 18. Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius.

7. *Perſuadet ab humana fragilitate.*

Ecce in iniquitatibus. Hîc tertiò perſuadet ab humana fragilitate, & hoc quia conceptus in originali iniquitate primò, & parentum libidine ſecundò. *Et in peccatis concepit.* Dupliciter autem continuat *Gloſſa.* Primò ſic: Omnes vincis, & verè non tantum qui fecerunt peccata grandia, ſed totum humanum genus, in cuius perſona dico. *Ecce enim*, &c. Alio modo ſic: Verè tibi peccaui: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum.* Quaſi diceret: Ab ipſa origine contraxi corruptelam, per quam cecidi in culpam. Nec hoc dicit peccatum excuſando, ſed miſeriam oſtendendo.

Quomodo ſit in iniquitatibus conceptus, variè exponitur.

Et nota, quòd plurale ponitur pro ſingulari, id eſt, iniquitate. Et item non eſt hoc intelligendum de peccato parentum ſuorum, ſicut quidam putant: in coniugio enim ſancto conceptus fuit, & genitus: opus enim coniugale, ſine omni peccato fieri poteſt: quod patet. *Tob.* 6. vbi Angelus dixerat ad Tobiam minorem: Tranſacta autem tertia nocte accipies virginem cum timore Domini. Vel iniquitates appellat irregularitates quaſdam, quas contrahebant quodam modo coëuntes. *Leuit.* 15. Vir de quo egredietur ſemen coitus, lauabitur. Vel *in iniquitatibus conceptus ſum*, id eſt, inter iniquos. *Ezech.* 3. Fili hominis, inter ſcorpiones habitas. Vel *in iniquitatibus conceptus ſum*, non proximorum, ſed præcedentium patrum, ſicut Iudæ in Thamar *Geneſ.* 38. *Sapient.* 4. Ex iniquis omnes filij qui naſcuntur, teſtes ſunt nequitiæ parentum ſuorum. Vel in iniquitatibus proximorum ſaltem venialium. *Prouerb.* 20. Quis poteſt dicere: Mundum eſt cor meum? purus ſum à peccato? Non quod peccarent vel venialiter in illo actu, ſed quia aliunde habebant venialia.

Et in peccatis concepit me mater mea, hoc eſt, in libidine, quæ peccatum eſſet, niſi eſſet coniugij bonum. Sed quare magis tangit libidinem, quaſi ex parte matris, non patris? Videtur velle confirmare naturalium ſententiam, qui dicunt maiorem libidinem in fœmina, quam in viro. Appetit enim virum, ſicut materia formam: & Tireſias, ſicut dicunt fabulæ, hoc determinauit. Vel ſecundum literam aliam. *In peccatis originalibus in vtero habuit me mater mea.* Hoc eſt contra illos qui dicunt Dauid ſanctificatum fuiſſe in vtero.

8. *Perſuadet à percepta Dei bonitate.*

Ecce enim veritatem. Hîc quartum, in quo perſuadet à percepta Dei bonitate: & dicuntur duo. Primò dicit ſuæ ſapientiæ veritatem diligere, & hanc dilectam ſibi reuelaſſe. *Incerta, & occulta.* Dicit ergo: Non refundo in te culpam, ô Domine, ſed dico veritatem. *Ecce enim veritatem dilexiſti.* Vel ſic: Primò peccatum meum confitendo, quia *ecce enim veritatem dilexiſti*, intantum, vt per ipſam peccata dimittas. *Prouerb.* 16. Veritate redimitur iniquitas. *Pſal.* Miſericordiam & veritatem diligit Deus.

Incerta & occulta. Hoc tripliciter legitur, quia aut tangit ſibi factam de incarnatione reuelationem, aut excellentem Dei cognitionem, aut reuelatam ſibi remiſſionem. Dicit ergo: Sic veritatem diligis, & tamen *incerta* hominibus, *& occulta* valde in ſe, *ſapientiæ tuæ*, ad ſapientiam tuam pertinentia, *manifeſtaſti mihi* tanto peccatori, ſcilicet incarnationis myſterium. 1. *Reg.* 23. Dixit Dauid filius Iſai: Dixit vir cui conſtitutum eſt de Chriſto Dei Iacob, egregius Pſaltes Iſraël: Spiritus Domini loquutus eſt per me. Et myſterium iſtud dicit occulta *ſapientiæ*, quia 1. ad *Corinth.* 1. Prædicamus Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam.

Secundo modo ſic: *Incerta & occulta*, quæ ſcilicet alios latere debent. *Ierem.* 2. Tenentes legem neſcierunt me. *Oſeæ* 4. Non eſt ſcientia Dei in terra. *Sapient.* 13. *Sapientiæ tuæ.* Hæc eſt enim vera ſapientia. *Sapient.* 13. Vani ſunt omnes homines in quibus non ſubeſt ſapientia Dei. *Ierem.* 9. In hoc glorietur qui gloriatur, ſcire & noſſe me. *Manifeſtaſti mihi. Pſal.* Ego cognoui quoniam magnus Dominus eſt.

Tertio modo ſic: *Incerta & occulta* omni homini, excepto quam mihi & Berſabee, ſcilicet peccata mea, *manifeſtaſti mihi*, per Nathan prophetam. 2. *Reg.* 12. Et dicit *incerta*, quantum ad peccatorũ perpetrationem: occulta quantum ad peccati remiſſionem. Manifeſtauit enim ei remiſſionem peccati per Nathan prophetam. 2. *Reg.* 12. Peccaui, dixit Dauid: & dixit Nathan ad eum: Et Dominus tranſtulit peccatum tuum à te.

Triplex veritas, vita, doctrina, cõfeſſionis.

Hîc notandum, quòd triplicem veritatem diligit Deus. Primò veritatem vitæ, qua carent hypocritæ. *Matth.* 6. Veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Ideò non amantur à Deo. *Iob.* 26. Simulatores & callidi prouocant iram Dei. Hæc ergo eſt veritas contra hypocriſim. Et eſt veritas contra hæreſim, veritas doctrinæ. 2. ad *Tim.* 2. A veritate exciderunt, dicentes reſurrectionem eſſe iam factam. Et qui à veritate fidei recedunt, amari à Deo qui veritas eſt, non poſſunt. Ad *Hebr.* 11. Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Item eſt veritas confeſſionis puræ, de qua *Ioſuë* 7. Confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abſcondas. Hæc veritas multum placet Deo, intantum vt ſtatim cum exit, imò cum proponit exire de corde hæc veritas, obuiet ei & miſericordia Dei & pietas. Hæc eſt enim de qua ſcriptum eſt, Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi.

9. *Fiducia de remiſſione peccati & ſpirituali conſolatione.*

Aſperges me Domine. Hîc tertium, ſcilicet certa confidentia de impetrando: & confidit de duobus. Primò, quòd mundabitur. Secundò, quod mundatus lætificabitur. *Auditui meo.* Mundari autem confidit duobus quæ præceſſerunt de Chriſti latere *Ioan.* 19. ſcilicet ſanguinis Chriſti effuſione primò. Secundò aquæ aſperſione. *Lauabis me.* Dicit ergo: Non fruſtra, manifeſtaſti mihi incerta, & occulta ſapientiæ, quia ecce, *Aſperges me, ô Domine, hyſſopo* aſperſione de hyſſopo facta, qua intincto ſanguine aſpergebantur leproſi. *Leuit.* 14. *Et mundabor:* peccator enim leproſus eſt. Signum enim lepræ, eſt quando diuerſus calor apparet in carne: diuerſus autem calor peccatum eſt. *Prouerb.* 15. Cor ſtultorum diſſimile erit. Chriſtus autem hyſſopus eſt, herba ſcilicet humilis. *Matth.* 11. Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde. Item eſt herba calida: & Chriſtus ſecundum

Chriſtus hyſſopo comparatur.

diuini

diuinitatem calidus eſt valdè, imò ignis. *Deuter.*4. Deus noſter conſumens eſt. Hæc hyſſopus fuit tincta ſanguine in ſua paſſione. *Iſa.*63. Quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? Hac ergo hyſſopo ſic ſanguine tincta, mundantur leproſi, id eſt, peccatores. Ad *Hebr.*9. Sanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum obtulit ſemetipſum, emundabit conſcientias noſtras. 1. *Pet.*1. In aſperſionem ſanguinis CHRISTI IESV.

Lauabis. Hîc ablutio per aquam, & tangitur ablutio: Sic aſperges, *& lauabis* me aqua, quæ ſimul fluxit de latere Chriſti cum ſanguine, imò ipſo ſanguine. *Apoc.*1. Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Et rurſum in 7. Lauerunt ſtolas ſuas, & candidas eas fecerunt in ſanguine Agni.

Et ſuper niuem dealbabor. Contra, nihil albius niue. Reſp. *Caſſiod.* Super niuem album de corporibus nihil poteſt inueniri: ſed ideo ſuper dicit, quia ſpiritualis anima longè ſuper corpora mundana reſplendet. *Pſal.* Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus. *Cant.* 4. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, abſque eo quod intrinſecus latet.

Vel ſic: Remiſſionem peccati mei manifeſtaſti mihi, quia *aſperges me hyſſopo & mundabor*: quæ humilis eſt herba, & calida, id eſt, humilitate & charitate: & quia hæ virtutes non tantum aufetunt maculam, ſed præbent decorem, *lauabis me*, per eas, *& ſuper niuem dealbabor*, vt poſſit dici illud *Cant.*4. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.

Pœnitentia hyſſopo collata.

Nota etiam, quòd hyſſopus, mundans animam & dealbans, eſt pœnitentia propter ſex, quorum duo pertinent ad contritionem cordis: hyſſopus enim eſt herba calida, & pœnitens debet interius, ſi vere contritus eſt, calere, ſecundum illud *Pſal.* Dolor meus renouatus eſt, concaluit cor meum intra me. Ad *Rom.*12. Spiritu feruentes. Euomit enim tepidos Dominus *Apoc.*3. Item hyſſopus aquam proiicit: fit enim in aſperſorium. Sic verè pœnitens lachrymas fundit. *Iudith* 8. Pœniteamus, & indulgentiam eius fuſis lachrymis poſtulemus. Dicitur, quod facula accenſa guttas diſtillat calidas. Item hyſſopus excreare facit, & ſic valet ad purgationem pectoris. Sic vera pœnitentia paulatim tanquam quaſdam excreationes emittit iniquitates, & ſic ſanat. *Prou.*12. Iuſtitia iuſtorum liberabit eos. Item vomitum non facit, ſed paulatim per partes corruptionem emittit, vel eiicit. Sic oris confeſſio per partes debet fieri, non ſimul tota. *Eccleſ.* 4. Noli citatus eſſe in lingua. Hæc duo à confeſſione oris. Item in petroſis creſcit. 3. *Reg.*4. Ab hyſſopo quæ egreditur de pariete. Sic ſanctificatio debet in operibus radicari, contra delectationem quæ fuit in peccato. *Prou.* 30. Lepuſculus plebs inualida, pœnitens timoroſus, & infirmus: quæ collocat cubiculum ſuum in petra. *Pſal.* Oſtendiſti populo tuo dura. Item humilia & parua. Et nunc pœnitens debet eſſe humilis in ſatisfactione, ſecundum illud, Propter iniuſtitias enim ſuas humilitati ſunt: contra elationem quæ fuit in peccato. De duobus: Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis.

10. *Auditui meo dabis.* Hîc de confidentia impetranda lætitiam. Et primò de venia culpæ. Secundò de gloria conferenda primò menti. *Et lætitiam.* Poſtmodum corpori. *Et exultabunt*, Dicit ergo: Sic mundabor, dealbabor, & ſic factus mundus, audiam. Rectus ordo: quia *Sap.*1. In maleuolam animam non introibit ſapientia. Sed in mundo vaſe intrabit: propter hoc, *Auditui meo*, inclinato ad audiendiendum humiliter. *Pſal.* Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: non ſicut illi de quibus *Ierem.*6. Audite vocem tubæ, prædicatoris, & prælati: & dixerunt: Non audiemus. *Dabis gaudium*, de peccati venia, Nathan dicente 3. *Reg.*12. Dominus tranſtulit peccatum tuum à te. *Et lætitiam*, de futura beatitudine, quantum ad ſtolam animæ. *Iſa.*61. Vt darem coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu. *Et*, tandem, *exultabunt oſſa humiliata*, in reſurrectione generali glorificata. *Iſa.* 58. Implebit ſplendoribus animam tuam, & oſſa tua liberabit. *Pſal.* Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti. Legitur etiam de oſſibus ſpiritualibus, viribus ſcilicet animæ, quæ intus latent, & corpus ſuſtentant. *Prou.* 18. Spiritus viri ſuſtentat imbecillitatem eius. Hæc oſſa prius in contritione conturbata, poſtea lætificantur in interiori auditu de remiſſione. *Prou.*12. Mœror in corde viri, humiliabit eum, & ſermone bono lætificabitur.

Tria ſigna gratiæ animo infuſæ.

Et nota, quod ſunt tria, quæ dant auditui certum teſtimonium de remiſſione peccati, & ſic gaudium. Primum, infuſa ſecuritas in conſcientia. 2. ad *Corint.*1. Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, de remiſſione culpæ: nec lætificat modicum iſte teſtis, quia *Prou.* 15. Secura mens, quaſi iuge conuiuium. Alterum eſt facilitas deflendi peccata præterita in abundantia. 2. *Reg.*3. Dicebat Dauid: Non videbis faciem meam niſi adduxeris Michol. Non videbis per certam ſpem, Michol quæ interpretatur, aqua omnis. Quaſi diceret: Si adduxeris aquam ex omnibus, id eſt, pro omnibus peccatis tuis, certus ſis, quod tu videbis. Tertius teſtis, eſt feruens voluntas magis moriendi pro Chriſto, quam peccatum committendi. De tribus ſimul 1. *Ioan.*5. Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & ſanguis. *Deuter.* 19. In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum.

11. *Orat contra peccati memoriam.*

Auerte faciem tuam. Hîc ſecundum, in quo orat contra peccati memoriam. Primò ne videat. Secundò ne memoria remaneat. *Et omnes iniquitates meas.* Dicit ergo: Humiliatus ſum, & propter hoc *auerte faciemtuam*, non à me, ſed à *peccatis meis. Caſſiodor.* Rogat iudicem pium ne reſpiceret peccata, quæ ſibi ipſi quoque videbantur horrenda. Vel ſic: Mea peccata cognoſco, & quia aduerto illa, *auerte faciem tuam à peccatis. Auguſtin.* Si homo aduertit, Deus faciem ſuam auertit. Et non tantum aduerte, vt non videat intelligentia, ſed vt non retineat ipſa memoria. Et hoc eſt: *Et omnes iniquitates meas dele.* Hoc enim debetur pœnitentiæ. *Act.* 3. Pœnitemini igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra. Dele iniquitates ergo, de omni loco in quo ſunt ſcriptæ. Primò de mente ipſa tua diuina. *Pſal.* In libro tuo omnes

Delẽtur peccata de mẽte diuina, angelica, & dæmonum.

ſcribentur

ſcribentur. *Iſa.* 65. Ecce ſcriptum eſt contra me, & non tacebo, ſed reddam in ſinu eorum iniquitates eorum. Secundò de mente angelica. *Iſa.* 30. Scribe ſuper buxum, quod valde ſolidum eſt, id eſt, ſupra ſolidam mentem angelicam, & diligenter exara illud, & in nouiſſimo erit in teſtimonium. Item de propria. *Dan.* 7. Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt. Libri, inquam, conſcientiarum. *Apoc.* 9. Iudicati ſunt mortui, ex iis quæ ſcripta erant in libris. Item de dæmonum mente. *Prou.* 17. Angelus crudelis mittetur contra eum cum libris accuſatoriis. *Apocal.* 12. Proiectus eſt accuſator fratrum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri.

12. *Petit liberari à duobus peccati effectibus.*

Cor mundum. Hîc tertiò orat contra peccati efficaciam. Duo autem facit peccatum Sordidat. Contra hoc orat primò. Item ad caſum incuruat. Contra hoc ſecundò. Et ſunt iſti duo effectus quaſi reliquiæ culpæ, poſtquam etiam dimiſſa eſt, & deleta: ſurgunt enim ſordidæ affectiones, ſurgunt pronitates ad malum. Ibi ſecundum, *Spiritum rectum.* Dicit ergo: Sic petij vt mala auferas: nunc peto vt conferas bona malis, quæ reliquit in me peccatum contraria. Vnde *cor mundum crea in me Deus*, quo videre poſſim te: quia *Matth.* 5. Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt. Et dicit, *crea*, quod eſt de nihilo aliquid facere, quia cor peccantis ad nihilum redactum eſt. *Ierem.* 5. Audi populo ſtulte qui non habes cor. *Pſal.* Ad nihilum redactus ſum, & neſciui. Et alias: Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus. Vel *crea*, quoad vltimum munditiam: cum enim peccat homo, virtutes perdit, & quaſi annihilantur: cum autem reſurgit, tunc iterum in illo creantur. *Matth.* 1. Conuerſi ſunt honores eius in nihilum.

Et innoua ſpiritum, per peccatum inueteratum, illa innouatione, de qua ad *Epheſ.* 4. Renouamini ſpiritu mentis veſtræ, vt impleas illud *Ezech.* 11. Dabo eis cor vnum, & ſpiritum nouum tribuam in viſceribus eorum. *Innoua*, inquam, *ſpiritum*, faciendo *rectum*, hoc eſt tibi rectiſſimo conformatum. *Auguſt.* Rectus eſt ſpiritus, cum ei Deus bonus eſt per omnia. *Pſal.* Quam bonus Iſraël Deus, his qui recto ſunt corde! Sicut ergo petiit cor mundum ad videndum, ſic petit ſpiritum rectum ad diligendum. *Cant.* 1. Recti diligunt te. Et non tantum innoua cor, ſed etiam innoua ipſa viſcera cordis, hoc eſt, affectus, & intima, ex quibus procedit delectatio mala. *Matth.* 12. De corde exeunt delectationes malæ, adulteria, furta, & ſimilia. Et hoc eſt innouandum *in* ipſis *viſceribus meis.*

Et nota, quòd petit innouari poſt mundationem: innouatio autem fit in vaſis, per applicationem ad fornacem. Applica illi fornaci ardentiſſimæ, de qua *Iſa.* 31. Igniculus eſt Sion, & caminus in Ieruſalẽ. Sicut Paulus applicatus fuit, & totus mundatus, quando raptus eſt ad tertium cœlum. 2. ad *Corinth.* 12. Si dicas: Cor meum graue eſt, filij hominum illuc non poſſunt aſcendere: aliam oſtendo tibi, ſcilicet doctrinam ſacram, quæ fornax eſt ardentiſſima. *Ierem.* 23. Nunquid verba mea quaſi ignis? Et in 20. Sermo Dei factus eſt in corde meo, tanquam in quodam vaſe ignis æſtuans. *Pſal.* Ignitum eloquium tuum vehementer. Et neceſſariò liquefios ad hanc fornacem. *Cant.* 5. Anima mea liquefacta eſt vt dilectus loquutus eſt. Quod ſi & hanc non vis accipere, tertiam oſtendo, ſcilicet charitatem, quæ ignis eſt, & fornax maxima. *Luc.* 12. Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur?

Ne proiicias me facie tua. Hîc quartum, in quo orat contra debitam pœnam pro peccatis. Et primò oratio: deinde perſuaſio, ibi, *Docebo iniquos.* In prima tria ſecundum tria contra quæ petit, quæ ſunt pœnæ culpæ. Primò petit contra gratiæ ablationem in hoc verſu. Secundò contra ſpiritualis gaudij amiſſionem, ibi, *Redde mihi.* Tertiò contra pronitatem ad recidiuum. *Et ſpiritu principali.* In prima duo. Primò petit contra primum, gratiam illuminantem aſpectum. Secundò contra ſecundum, gratiam accendentem affectum, ibi, *Et ſpiritum ſanctum tuum.* Dicit ergo: Sic petij, ne faciem tuam auertas, & *ne proiicias me*, ſed peccata mea, *à facie tua*, vnde lumen eſt in quo viam videam. *Pſal.* Domine in lumine vultus tui ambulabunt. Sed quid eſt hoc? Suprà dixit vt faciem ſuam auerteret, hic autem vt non proiiciatur à facie? Contrarius ſibi videtur. *Auguſt.* Cuius faciem metuit, eius faciem inuocat. Reſpond. Metuit ab illa videri, ſed eam deſiderat videre: & quia hoc non poteſt eſſe niſi deſtructis peccatis. *Iſa.* 59. Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis. Prius dixit, Omnes iniquitates meas dele: & poſt ſubdit: *Ne proiicias me à facie tua.* 13.

Et Spiritum ſanctum tuum, gratiarum datorem. 1. ad *Corinth.* 12. Vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis, prout vult. *Ne auferas à me.* Vide ergo, quòd ſicut in præcedenti verſu petiit bonorum collationem, ſic in iſto petit conſeruationẽ. Ergo habens petit Spiritum non auferri, vt habeat in doloribus conſolatorẽ: vnde Paraclitus dicitur. *Ioan.* 14. Ipſe autem paraclitus, &c. Paraclitus autem dicitur conſolator. Item vt habeat ipſum pignus contra exhæredationem. Exhæredatus enim fuit quando peccauit. Ad *Phil.* 2. Pignus hæreditatis veſtræ. Item robur contra dæmonis impugnationem: eſt enim ſpiritus fortitudinis.

Redde mihi lætitiam. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic rogaui vt non auferas ſpiritum: imo per eum, *redde mihi lætitiam. Caſſiodor.* Reddere dicit, quia ſibi neſcio quid gratiæ ſenſerat imminutum. Non mundi lætitiam reddas, de qua *Prouerb.* 2. Lætantur cum male fecerint. Sed *ſalutaris tui.* Hebraïca veritas habet, IESV *tui*, cuius contemplatione diuinitatis & præuiſione humanitatis, ante peccatum vehementius delectabat. Hinc diſcendum, quòd cum Dominus recipit peccatorem ad pœnitentiam, non ſtatim ipſum recipit ad priſtinam conſolationis gratiam. 2. *Reg.* 14. Reuertatur Abſalon in domum ſuam, & faciem meam non videat. 14.

Et Spiritu principali confirma me. Ecce tertium. Quaſi diceret: Non tantum redde lætitiam,

tiam, imò *& ſpiritu principali*, in bono me continente & conſeruante, qui principatur ſpiritibus humanis. *Pſal.* Qui aufert ſpiritum principum. Et Angelis. In *Pſal.* Qui facis Angelos tuos ſpiritus. Iſto, inquam, Spiritu, *confirma me*, ne ruam iterum in peccatum, ſed in bono perſeuerem. Quaſi diceret: Eadem qua me liberaſti bonitate, eadem me confirma. *Pſal.* Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.

Nota hic ſatis expreſſam euidenter Trinitatem: *Spiritum rectum*, in hoc Filium. *Pſal.* Rectus Dominus Deus noſter. Filius quippe veritas eſt. Spiritum ſanctum ipſo nomine, *& Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.* Et Patrem qui eſt Spiritus principalis, quia Filij & Spiritus ſancti principium.

Spiritus Dei contra triplicem ſpiritum neceſſarius.

Et bene forti ſpiritu, & principali indiget, quia oportet eum contra triplicem pugnare ſpiritum. Contra ſpiritum carnis, de quo *Num.*16. Fortiſſime Deus ſpirituum vniuerſæ carnis. Et contra ſpiritum mundi. 1. ad *Cor.* 2. Non enim ſpiritum huius mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt. Item contra ſpiritum dæmonis intranſitiuè. 1.*Reg.*28. Spiritus autem Domini malus exagitabat Saül. De iis tribus ſpiritibus, ſpiritus carnis mollia, ſpiritus mundi vana, ſpiritus malitiæ amara loquitur.

15. *Docebo iniquos.* Hîc ſecundum, in quo poſita oratione ſubiungitur perſuaſio. Et primò ab ipſo ſuo actu. Secundò à profectu ſiue fructu ſequente ex illo actu. *Et impij ad te.* Dicit ergo: Sic Spiritu principali me confirma, & ingratus non ero, imò *docebo iniquos vias tuas, & impij*, &c. Docebo, inquam, verbo, conuerſatione, & exemplo. 1. ad *Timoth.* 4. Exemplum eſto fidelium in verbo, in conuerſatione, &c.

Et nota, quòd prius voluit audire, quam docere. Vnde ſupra præmiſit, *Auditui meo*, &c. Nunc dicit, *Docebo. Eccleſiaſt.*18. Antequam loquaris, diſce. Sed quærendum quomodo dicit ſe docturum alios, & prædicaturum, qui adulter fuit, ſeditioſus, & homicida. Et ipſemet ſupra dixit in *Pſal.* in perſona Domini. Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras, &c. Reſp. Non placet Deo prædicatio peccatoris, in peccato exiſtentis. Talis ſupra prohibetur. Multum autem placet peccatoris pœnitentis: vnde ſupra in *Pſal.* Emundabor à delicto maximo: & erunt vt complaceant eloquia oris mei, &c. Hinc peccatorem qui ter negauerat, elegit in maximum peccatorem, & Paulum qui perſequutor erat. Et hoc facit Dominus quadruplici ratione. Prima eſt, vt nemo iam deſperet, cum Dauid adulterum, & Petrum infidelem, & Paulum perſequutorem viderit non ſolum reconciliatos, ſed verbi Dei diſpenſatores factos. Ad *Rom.*2. Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secunda, vt maior concordia eſſet in membris Eccleſiæ. Si enim qui innocens eſt, prædicator fieret, & peccator in nullo exaltaretur, ab innocente condemnaretur, & pœnitens rurſus in innocentem occaſionem inuidendi haberet: ſed huic datur innocentia, huic prædicandi gratia. 4. ad *Corinth.*12. Quæ putamus ignobilia membra, iis maiorem honorem adhibemus. Et infra: Cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem vt non ſit ſchiſma in corpore.

Cur maximos peccatores eligit in prædicatores.

Tertia, propter ſuperbiam euitandam. Si enim aliquis haberet ſummum in virtute, ſcilicet innocentiam, ſummum in dignitate & officio, ſcilicet prædicandi gratiam, ſuperbiret, & vix caueret ab elatione. *Eccleſ.* 40. Virtutes exaltant cor. 1. ad *Corinth.* 8. Scientia inflat. Sed nunc innocens inſcius humiliorem ſe reputat prædicatore peccatore, & peccator prædicator innocente. Ad *Philip.* 2. In humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes, non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed quæ aliorum. Quarta ad diaboli confuſionem. Experti enim pugiles magis eligendi ſunt contra aduerſarium, quam inexperti. *Eccleſ.* 34. Qui non eſt expertus, pauca recognoſcit. Innocentes non ſunt experti pugnas diaboli, ſed maximè peccatores. 2. ad *Cor.* 2. Vt non circumueniamur à Sathana: non enim ignoramus aſtutias eius. *Eſther* 6. Si de ſemine Iudæorum, confitentium ſcilicet, eſt, ante quem cadere cœpiſti, non poteris reſiſtere, ſed cades in conſpectu eius.

Et impij ad te conuertentur. Ecce fructus tantus vt gaudium ſit in cœlo. *Luc.* 15. Gaudium eſt in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.

16. *Libera me de ſanguinibus.* Hîc ſecunda pars Pſalmi, in qua ſuſpirat pœnitens pro præſenti miſeria. Et primò oratio. Secundò perſuaſio. *Et exaltabit.* Dupliciter autem legitur primum. Vel de præſenti, & ſic ſuſpirat pro gratia habenda, vel de futuro, & ſic pro gloria. Dicit ergo: Dixi: Docebo iniquos, quod vt poſſim, *libera de ſanguinibus*, id eſt, de carnalibus peccatis: vel de dominio carnis, vel ſanguinis: hoc enim neceſſarium eſt prædicanti. 1. ad *Cor.* 9. Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, &c. Et dicit, *Sanguinibus* in plurali, magis propriè quam Latinè, quia peccata carnis multa ſunt. Ad *Galat.* 5. Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, &c. Alio modo ſic: *Libera de ſanguinibus.* Libera me de corruptione culpæ, & pœnæ quæ in ſanguinibus maris & fœminæ mixtis ſeminatur. Quaſi diceret: Semine tuo puriſſimo, ab his ſanguinibus libera me. *Ioan.* 8. Si filius vos liberauerit, vere liberi eritis. *Deus, Deus.* Duplicat *Deus*, quia ſanguinem in plurali dixerat, *ſalutis meæ*, auctor. Alibi in *Pſal.* Domine Deus ſalutis meæ, in die clamaui.

16. *Gemitus de miſeria præſenti.*

Et exultabit lingua. Hîc perſuaſio: & dicuntur duo. Primò quod promittit Domini venerationem in futuro. Secundò in præſenti, ibi, *Domine labia.* Dicit ergo: Sic libera, & tunc exultabit, id eſt, exultando nuntiabit, *lingua mea*, à ſanguinibus liberati, *iuſtitiam tuam*, non meam. 2. ad *Corinth.* 4. Non noſmetipſos prædicamus, ſed Dominum IESVM CHRISTVM. Litera *Caſſiodor.* habet, *Exaltabit.* Hebræ. *laudabit.* Et quaſi de vtraque confecta eſt noſtra. Breuiter autem oſtenditur hîc, quòd qui volunt Dei narrare iuſtitiam, debent primò à ſanguinibus liberari, vt non ſint ſanguiſugæ ſugentes aliorum ſanguinem per carnalem concupiſcentiam, gulam, nec pauperum per concupiſcentiam oculorum. *Prou.* 30.

miſeria præſensi.

Sanguiſugæ duæ filiæ ſunt, quæ dicunt, Affer, Affer.

17. *Domine labia mea.* Hîc promittit venerationem in futuro. Et primò oris. Secundò operis. *Quoniam ſi voluiſſes.* Tertiò cordis, ibi, *Sacrificium Deo ſpiritus.* In prima duo. Cum enim promittat venerationem oris, & hoc ſine adiutorio Dei non poſſit, promittit primò de diuino adiutorio confidentiam. Secundò promittit laudem. *Et os meum.* Dicit ergo. Sic dixi: *Exultabit lingua mea iuſtitiam tuam*: nec hæſito, quia, ô *Domine labia mea aperies*, propter peccatum prius clauſa. *Pſal.* Omnis iniquitas oppilabit os ſuum. *Caſſiod.* In reatu poſitis ora damnata ſunt. Suprà: peccatori autem dixit, &c. Sed me oculos ad lachrymas aperiente, & tu labia aperies, & linguam ſolues. *Iſa.* 35. Aperta eſt lingua mutorum. Quare? Quia ſciſſæ ſunt in deſerto aquæ. *Luc.* 11. Cum eieciſſet dæmonium, per aquam benedictam lachrymarum, locutus eſt mutus. Et ſic *os meum* apertum, *annuntiabit laudem tuam. Pſal.* Os meum annuntiabit iuſtitiam tuam.

Sed quid eſt hoc? Dauid manu fortis, qui leonem & vrſum interfecerat ſicut ipſemet dicit 1. *Reg.* 17. os aperire ſine adiutorio non poterat? Item, quod magis mirabile, Pſalmos præcedentes, & hunc ipſum verſum, & hoc ipſum verbum, *Domine labia mea aperies*, dixerat, non labiis clauſis, conſtat. Quid igitur orat pro aperiendis? Reſp. Hoc dicit propter tria. Primò vt hinc colligamus materiam humiliationis, quia Deus non dat tantum ſapientiam cordis, ſed ab ipſo eſt etiam apertio oris. *Sap.* 10. Sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit diſertas. Mentiti ſunt qui dixerunt: Labia noſtra à nobis ſunt. Item vt intelligamus incentiuum dilectionis: quia Deus in omni opere noſtro cooperatur, & ſocietas in eodem opere frequens, multum ſolet ad amorem incitare, etiam bruta. *Iſid.* In bobus ſociis eximia pietas. Nam alter alterum inquirit, cum quo ducere aratra conſueuit, & frequenti mugitu primum atteſtatur affectum. Sed *Ioan.* 16. dicit Dominus: Sine me nihil poteſtis facere. *Eccl.* 51. Memoratus ſum Domine miſericordiæ tuæ, & cooperationis tuæ. Item vt colligamus formam religionis. Ex hoc ſcilicet quod labia clauſa ſint, & non aperiantur ſine licentia Dei. Sed ipſe habet clauem oſtiorum linguæ. *Eccleſ.* 22. Quis ponet ori meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſignaculum certum? Vt non cadam ab ipſis, & non perdat me ille de quo *Apoc.* 3. Habet clauem Dauid: claudit, & nemo aperit: aperit, &c.

Petit labia ſibi aperiri ad triplicem inſtructionem.

18. *Quoniam ſi voluiſſes.* Hîc veneratio operis per duo quæ dicuntur. Primò, quòd paratus ſit ad dandum ſacrificium. Secundò illud non eſſe Deo acceptum. *Vtique holocauſtis.* Dicit ergo: Sic os meum laudem nuntiabit, nec mactabit manus pecudes: quoniam ſacrificium, quo tempore illo fiebat expiatio. Ad *Hebr.* 9. Sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis. *Dediſſem vtique*: quia non erat hoc ei magnum qui Rex erat, ſacrificia pecudum offerre. *Si voluiſſes.* Sed etiam *holocauſtis*, quæ tota incenduntur tibi, & maximè tibi placere creduntur, *non delectaberis. Iſa.* 1. Holocauſta arietum, & ſanguinem hircorum, & agnorum nolui. Hoc eſt, religioſos immoderate ſe affligentes: holocauſtum enim eſt malum, quando totum deſtruitur, id eſt, non culpa & peccatum, ſed ſimul natura interimitur. Tale holocauſtum Deo diſplicet. *Iob* 30. Aſſimilatus ſum fauillæ & cineri, me indiſcretè macerando. Et clamabo ad te, & non exaudies me. Sto, & non reſpicis me, mutatus es mihi in crudelem, &c.

19. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.* Hîc tertium, in quo promittit cordis venerationem. Et primò promittit dolorem contritionis, contra delectationem. Secundò actus humiliationis contra electionem, quæ eſt ab illo. *Cor contritum & humiliatum.* Dicit ergo: Hæc non amas quæ paratus eram dare, ſed dabo quæ deſideras, ſcilicet cor contritum & humile, quia *ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus*, id eſt, ſimul cum corpore tribulatus. Ad *Rom.* 12. Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuam, ſanctam, Deo placentem. Et nota, quòd ſicut lætitia culpam contrahit, ſic triſtitia deſtruit. *Eccleſ.* 5. Melius eſt ire in domum luctus, quam in domum conuiuij.

Cor contritum & humiliatum ſimul, contra peccati elationem, *non deſpicies*, imò ſuſcipies: ſic enim longè es à ſuperbis, exigente eorum ſuperbia. *Eccleſ.* 15. Longè ab eſt ab eo ſuperbia. Sic propinquus humilibus. *Auguſt.* Noſti quam extenſus ſit Deus: ſi te excelſum feceris, elongabitur à te: ſi te humiliaueris, appropinquabit ad te.

Tria quæ gratum Deo facium.

Et poſſunt notari hîc tria, quæ faciunt hominem Deo acceptum, & propinquum. Tribulatio in ſatisfactione. Contritio in interiori dolore. Humiliatio in oris confeſſione, &c.

20. *Benigne fac.* Hîc tertia pars totius huius Pſalmi, in qua ſuſpirat pœnitens pro patria. Et dicuntur duo. Primò præmittit orationem. Secundò venerationem, vel venerationis acceptationem. *Tunc acceptabis.* In prima duo. Primò præmittit orationem pro Eccleſia militante, tanquam pro lapidibus præparandis. Secundò pro triumphante, tanquam pro præparatis lapidibus, in ædificio collocandis, ibi, *Vt ædificentur.* Dicit ergo: Sic Domine rogaui pro me, ſed etiam rogo pro omnibus electis tuis, cum quibus affecto eſſe. Vnde ô *Domine, benigne fac.* Vel ſic: Ita tibi placet ſacrificium ſpiritus contribulati, & cordis contriti: & hoc vt tibi fiat, ô *Domine, benignè fac*, filium mittendo, peccata dimittendo. *Ioan.* 1. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit, &c. Ecce benignè: quid enim benignius Agno? Ecce qui tollit peccata mundi. *Sion*, id eſt, Eccleſiæ militanti. Sion enim, ſicut frequenter dictum eſt, ſpecula interpretatur, locus de quo longe proſpicitur. Et Eccleſia de longè valdè videt. *Iſa.* 33. Oculi eius terram cernent de longè. Et hæc non noſtris meritis, *ſed in tua voluntate. Dan.* 9. Neque enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam. Et inſuper *ædificentur* in nobis per fidem, ſpem, & charitatem, non in nobis exiſtentibus. *Muri Ieruſalem*, cœleſtis in futuro. Iſti muri ſunt immortalitas, & omnimoda

moda impaſſibilitate. 1. ad *Corinth.*15. Mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur, in melius, oportet enim mortale hoc induere, &c. Hi ſunt muri de quibus *Iſa.* 56. Eis in domo mea dabo, & in muris meis locum nominatum.

21. *Tunc acceptabis.* Hîc ſecundum, in quo promittit ſacrificium & venerationem. Primò oris. Secundò operis. *Oblationes & holocauſta.* Legitur autem tripliciter in *Gloſſa*: quia ſacrificium iuſtitiæ poteſt ſignificare futuram laudem, aut præſentem virtutem, aut Chriſti paſſionem. Primo modo ſic, Cum ædificati fuerint muri, ſancti ſcilicet immortales, & incorruptibiles effecti, *tunc acceptabis*, id eſt, acceptum habebis, *ſacrificium iuſtitiæ*, id eſt, iuſtæ laudis tuæ, id eſt, laudis tibi debitæ. *Pſal.* Beati qui habitant in domo tua Domine, &c. Sacrificium quidem pœnitentiæ, quod relaxat peccata, non cantatur: ſed tunc cantabitur ſacrificium iuſtitiæ vnicuique reddentis quod meruit. Tunc implebitur perfectè illud ſupra, Sacrificium laudis honorificabit me.

Oblationes & holocauſta. Hîc venerationem operis, ab Angelis, quorum miniſterium eſt offerre non materiales arietes, ſed homines. Ait enim: Sic acceptabis laudes & oblationes minorum tibi ab Angelis oblatorum. *Et holocauſta*, maiores ſanctos, totos igne diuino ſuccenſos, in illo cœleſti camino, cœlo ſcilicet empyreo. Et tunc illi Angeli *imponent ſuper altare tuum vitulos*, mediocres. Et appellat altare cœlum empyreum: altare enim dicitur, quaſi alta ara, & illud altum eſt. *Eccleſ.*1. Altitudinem cœli quis dimenſus eſt? Ara autem dicitur ab ardendo: & ibi eſt ardor continuus. Hinc enim dicitur empyreum, ab ἐν, quod eſt in, & πῦρ, quod eſt ignis, quaſi in quo eſt ignis. *Iſa.*31. Igniculus eſt in Sion, & caminus in Ieruſalem. Vel ſic, ſecundo modo: Ædificentur muri Ieruſalem, id eſt, Eccleſia militans. Et *tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ*, id eſt, iuſtitia erit tibi ſacrificium, non pecudes, vt in ſynagoga. *Mal.*3. Erunt offerentes ſacrificium Domino. Et in iuſtitia tibi placebunt. Et *tunc acceptabis oblationes*, minores ſanctos: *& holocauſta*, maiores & perfectos. Et tunc ſacerdotes etiam *imponent vitulos ſuper altare tuum*, id eſt, homines à iugo peccati liberos. Ad *Rom.*6. Liberati à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ, *ſuper altare tuum*, fidem, quæ eſt alta, quia eſt de cœleſtibus: ara, quia igne charitatis ignita, & inflammata. Vituli etiam ſunt prædicatores, qui mundum ſuo mugitu replere debent. *Caſſiod.* Quorum prædicatorum imaginem in vituli figura Lucas Euangeliſta ſuſcipit, hos imponent ſuper altare tuum, id eſt, Eccleſiam: tales enim eſſent præficiendi. Sed nunc non iſti, ſed canes muti non valentes latrare, ſecundum illud *Iſa.*56. Neſcierunt vniuerſi canes muti non valentes latrare. Vel ipſi vituli, id eſt, Martyres, *imponent etiam ſuper altare tuum vitulos*, ſcilicet ſemetipſos offerendo. 2. ad *Corinth.* 8. Semetipſos dederunt primum Deo, vel Domino. Vel ſic: *Tunc*, id eſt, tempore gratiæ, *acceptabis ſacrificium iuſtitiæ*, agni ſcilicet immaculati Chriſti oblationes, &c. Hæc imitantur Martyres ſeipſos pro Chriſto offerentes, &c.

IN LI. PSALMVM.

In finem intellectus Dauid, cum venit Doëg Idumæus & nuntiauit Sauli, & dixit illi: Ecce venit Dauid in domum Abimelech. 1. 2.

Quid gloriaris in malitia. Incipit ſecunda quinquagena quæ ſicut à principio dictum fuit, pertinet ad proficientes, ſicut prima ad incipientes. Sicut igitur prima inchoauit à fonte miſericordiæ Chriſto, per quem peccata inchoantibus dimittuntur, deſcribens ipſum, & agens de eo in primo ſui Pſalmo: ſic hæc ſecunda in primo agit de capite malorum Anti-Chriſto, contra quem neceſſariò debent armari proficientes, quorum eſt eſſe in pugna. Vel contra perſonam ipſius Antichriſti, ſicut illi boni qui erunt in fine mundi. Vel contra eius membra, ſicut omnes iuſti antecedentium temporum. 3. *Secunda quinquagena ad proficientes pertinet. Argumẽtum Pſalmi, Anti-Chriſtus.*

Quod autem de Antichriſto agatur in Pſalmo iſto, apparet ex titulo qui talis eſt: *In finem intellectus Dauid, cum venit Doëg Idumæus, & nuntiauit Sauli: venit Dauid in domum Abimelech.* Prænotata enim diligenter hiſtoria de primo *Reg.*21. 22. & 23. dupliciter exponitur hic titulus. Primò vt per Doëg Idumæum, malorum corpus ſignificetur. Vel ipſum caput, ſcilicet Antichriſtus. Doëg interpretatur motus, & ſignificat malos, qui nunquam ſunt in quiete. *Iſa.*58. Cor impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt. *Dauid*, Chriſtum ſignificat. Interpretatur manu fortis, aſpectu deſiderabilis, quorum vtrumque Chriſto conuenit, de cuius fortitudine *Iob* 9. Si fortitudo quæritur, robuſtiſſimus eſt. Et de ſecundo 1. *Pet.*1. In quem deſiderant Angeli proſpicere. Saül autem mortem ſignificat: interpretatur enim petitio, & Rex erat. Petitio autem bene dicitur, id eſt, appetitio: quia quaſi inuito Domino Iudæi petierunt, & appetierunt vt rex fieret ſuper eos, domino inuito, ſicut patet. 1. *Reg.*8. Sic mortem ab inuito Domino primi parentes extorſerunt, & pro culpa quam commiſerunt. *Sapient.*1. Iniuſtitia enim eſt mortis acquiſitio: impij autem manibus, pomum vetitum tangendo, & verbis, peccata excuſando, accerſierunt illam: & facta eſt ſuper omnes vſquequo venit vita. Ad *Rom.*5. In vnius delicto mors regnauit per vnum. Abimelech autem Iudæorum ſynagogam ſignificat: interpretatur enim patris mei regnum, quod erant ſoli Iudæi ante aduentum Chriſti, & publicationem fidei, & vocationem gentium. *Pſal.* Tu es ipſe rex meus, & Deus meus. Senſus ergo tituli hic eſt: In hoc ſubiecto Pſalmo continetur *intellectus*, habitus à *Dauid*, *tunc cum veniſſet Doëg*, &c. Per hoc enim intellexit quod, proditio Doëg, ſignificabat proditionem malorum: & proditio ſui, proditionem Chriſti: & *Sauli*, qui ſignificat mortem, proditionem Chriſti ad mortem ducentem ipſum

Chriſtum: & hoc cum veniſſet in Iudæam, quæ erat regnum patris. Qui, inquam, intellectus dirigit nos *in finem* noſtrum Chriſtum, vel Deum.

Alio modo legitur vt per Doëg, ipſe malorum caput Anti-Chriſtus intelligatur, qui totum mundum peruerſa prædicatione, ſignis, & miraculis falſis commouebit, & per ſe & per ſuos. *Matth.* 24. Surgent pſeudo-apoſtoli & pſeudo-prophetæ, & dabunt ſigna & prodigia, ad ſeducendos ſi fieri poteſt etiam electos. Et aduerſabitur Chriſto ſicut ipſo ſuo nomine patet, ſicut Doëg Dauid. Per Saül autem malum regem, diabolus ſignificatur. Hunc ergo intellectum in præcedenti habuit Dauid, Doëg Idumæũ, Anti-Chriſtum, tandem prodituruũ Chriſtum Sauli, id eſt, ipſi dæmoni: quod fiet in fine mundi cum Chriſtus venerit in regnum Patris, id eſt, in Eccleſiam, quam ſibi per gratiam congregabit, quæ regnum Patris dicitur. *Apoc.* 1. Feciſti nos regnum, & ſacerdotes, Deo & Patri. Et hic intellectus dirigit nos in finem mundi, quando ſcilicet hæc fient.

De contrarietate tituli & hiſtoriæ, quia in titulo dicitur Abimelech, & in hiſtoria Achimelech, nota *Gloſſam Hieronym.* & *Auguſt.*

Diuiſio autem Pſalmi ſic patere poteſt. Agitur enim de malis, & capite illorum, ſicut dictum eſt. Sed quia oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt, agitur de bonis conſequenter. Primò ergo de malis agitur. Secundò de bonis, ibi, *Ego autem ſicut oliua.* In prima primò tangitur mala actio malorum. Secundò malæ dilectionis actio, ibi, *Dilexiſti malitiam, & odiſti.* In prima tangitur primò mala actio interior mentis. Secundò exterior oris, ibi, *Tota die iniuſtitiam.* Illa culpa interior quæ tangitur, eſt de abuſu potentiæ: vnde duo tanguntur. Potentiæ abuſio, & gloriatio in abuſu.

Dicit ergo: Tu Doëg ſpiritualis, ſcilicet Anti-Chriſtus, vel Anti-Chriſtiane, *qui potens es in iniquitate*, cum non ſit ad hoc tibi data potentia. Ecce abuſio potentiæ. *Ierem.* 3. Feciſti mala, & potuiſti. Et *Iſa.* 5. Væ qui potentes eſtis ad ebrietatem. *Quid gloriaris in malitia?* in hoc ſcilicet abuſu potentiæ. *Iſa.* 66. Anima eorum in abominationibus eorum delectata eſt. *Prou.* 1. Lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis.

4. *Tota die iniuſtitiam.* Hîc mala actio oris: & notantur tria. Iniquitas, & indiſcretio, & fraudulentia. Primum in hoc quod dicit, *Iniuſtitiam.* Secundum in hoc quod addit, *Cogitauit lingua.* Tertium in hoc quod ſubiungit, *Sicut nouacula.* Dicit ergo: *Gloriaris*, in corde, *in malitia:* nec hoc tantum, *imò tota die iniuſtitiam:* Ecce iniquitas. *Cogitauit lingua tua.* Deberet dicere, vt videtur, mens tua: mentis enim eſt cogitare, non linguæ. Reſp. Hoc dicit vt innuat, quòd non ante eſt in mente iniquitas, quam in lingua, præ ardore dicendi, & notatur indiſcretio. *Eccleſ.* 21. In ore fatuorum cor illorum eſt. Et dicit, *Tota die*, non ſemel tantùm, vel raro, ſed *tota die. Auguſt. in Gloſſa*, Si non poteſt facere malum, loquitur: ſi non poteſt loqui, ſaltem cogitat, vt impleatur in illo illud *Pſal.* Inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.

Et poſt hanc indiſcretionem, *feciſti dolum.* Ecce fraudulentia. *Ierem.* 9. Lingua eorum dolum loquuta eſt. Et hoc *ſicut nouacula acuta*, raſorium ſcilicet acutum. Et legitur tripliciter: quia aut ſonat habilitatem faciendi malum, aut nocumenti prauitatem, aut fraudulentam operationem. Primo ſic: feciſti dolum, & hoc *ſicut nouacula acuta*, id eſt, ſine omni difficultate, ſicut illa radit. *Prou.* 1. Pedes eorum ad malum currunt. Et ſupra in alio *Pſal.* Si videbas furem, currebas cum eo, ſine obſtaculo, ſicut per barbam nouacula. Secundo modo ſic: Feciſti dolum, ſed non niſi *ſicut nouacula acuta*, quæ aufert pilos ſuperfluos, & decorat illum quem radit. Sic à ſanctis auferens ſuperflua, decoros eos reddis. Ad *Hebr.* 10. Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis: quia ſcitis vos modò decoros factos, vt in vobis impleatur *Pſal.* Concupiuit rex decorem tuum. Vel ſic: *Feciſti dolum ſicut nouacula acuta*, quæ raſionem promittit, ſed aliquam inciſionem facit. *Ierem.* 9. Pacem cum amico ſuo loquetur, ſed occultè ponit ei inſidias.

Perſecutio ſicut nouacula decorat.

Dilexiſti malitiam. Hîc ſecundum, in quo arguit de malitiæ dilectione. Et primo dilectio malitiæ interioris in corde. Secundò exterioris in ore. *Iniquitatem.* Dicit ergo: Sic feciſti dolum tanquam nouacula acuta, nec hoc tantum, imò *dilexiſti malitiam*, & propter hoc non facile reſipiſcere potuiſti ab illa. *Caſſiod.* Nunquam malum derelinquit, qui cognoſcitur amare quod peccat. *Micheæ* 3. Odio habetis bonum, & diligitis malum. Et hoc, *ſuper benignitatem.* Quaſi diceret: Vtrumque cum coram te eſt, malitiam præeligis. *Eccleſ.* 15. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod voluerit dabitur ei. 5.

Iniquitatem. Ecce ſecundum, in quo tria. Primò iniquæ loquutionis. Secundò indiſcretæ. *Dilexiſti omnia.* Tertiò fraudulentæ. *Lingua doloſa.* Dicit ergo: Sic dilexiſti malitiam ſuper benignitatem, & *magis loqui iniquitatem dilexiſti, quam æquitatem.* Contra quos *Auguſt.* Eſcas amaritudinis non das ventri tuo, & cibos malignitatis das ori tuo malignè? Sicut eligis quid veſcaris, ſic elige quid loquaris. Et bene dicit, quia loqui iniquitatem cibus amarus eſt. Suprà in *Pſal.* Quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt, mala ſcilicet dictione.

Dilexiſti omnia verba. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Non tantum dilexiſti verba iniqua, imò dilexiſti *omnia verba præcipitationis*, indiſcreté ſcilicet prolata, non tantum habens prudentiæ, vt ſaltem malitiam abſcondas, ſed ſtatim præcipitas. *Caſſiodor.* Plerique qui peccata faciunt, per decorem ſe compoſitæ loquutionis abſcondunt. Sed iſte non ſic: ſed audacter prædicat quod amat. *Iſa.* 3. Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt. *Caſſiod.* Iſte ſic profeſſus eſt malum, vt loqui non erubeſcat. *Pſal.* Cogitauerunt & loquuti ſunt nequitiam. 6.

Vel

Vel, *Dilexisti omnia verba præcipitationis*, actiuè, quibus alios possis corrumpere, & in culpam præcipitare. 1. ad *Corinth.* 15. Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Sed cum eis teipsum simul præcipitas, quia *Eccles.* 27. Qui fodit foueam, incidet in illam: & qui statuit lapidem proximo, offendit in eum. *Eccles.* 10. Labia insipientis præcipitabunt eum.

Hæc fecisti tu, qui es *lingua dolosa*. Emphaticè per vehementem amorem dolositatis. *Augustin.* Lingua dolosa est ministra fallaciæ. Lingua dolosa est aliud in corde gestantium, aliud ore proferentium. *Psal.* Linguis suis dolosè agebant, iudica illos Deus.

Insania de malo latantium.

Arguit ergo gloriantes in malis, & illa diligentes: & hi rectè arguendi: quæ enim auis gaudet de laqueo, aut piscis de hamo? *Eccles.* 9. Sicut aues capiuntur laqueo, & pisces hamo: sic capientur homines in tempore malo. Quis lupus de pedica, & loco in quo tenetur captus. *Ierem.* 5. Posuistis pedicas & laqueos ad capiendos viros. *Iob* 18. Abscondita est in terra pedica eius. Quis fur gloriatur de fune, & vinculo in quo detinetur & stringitur? *Prouerb.* 5. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur. *Psal.* Dirupisti vincula mea. Quis incarceratus de lacu fœtido in quo mergitur? *Psal.* Et eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis. Quis vulneratus de vulnere lethali & mortifero? *Ierem.* 30. Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua. Quis prudens mercator de omnium bonorum amissione? *Thren.* 1. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius. Quis prius liber, de subiectione & miseria seruitutis? 2. *Pet.* 2. A quo quis superatus est, eius & seruus est. *Ioan.* 8. Qui facit peccatum, seruus est peccati.

7. *Propterea Deus destruet te.* Hîc consequenter agitur de pœna. Et primò agitur de pœnarum perpessione. Secundò de illarum vtilitate eorum aduersariis, scilicet bonis: quod est magna miseria afflictorum, ibi, *Videbunt iusti.* Tertiò de afflictorum irrisione. *Et dicent, Ecce homo.* In prima primò tangitur pœnæ æternitas. Secundò multiplicitas, ibi, *Euellet te.* Dicit ergo: Sic mala diligis, & in illis gloriaris, *propterea*, ô tu Anti-Christe, vel omnis Anti-Christiane, *Deus destruet te in finem*, id est, destructione finali, quæ est æterna: vel destructione semper in finem tendente, sed nunquam ad illum perueniente. *Cassiod.* In finem qui destruitur, æternis suppliciis deputatur. Huic concordat Hebraïca veritas quæ habet, *Destruet te in sempiternum.* De Anti-Christo hoc verum est. 1. ad *Thessal.* 2. Quem Dominus IESVS interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui. De quolibet membro eius. *Isa.* 11. Spiritu labiorum suorum interficiet impium. *Thren.* 3. Destruet in furore munitiones virginis filiæ Iuda.

Euellet te. Hîc pœnarum diuersitas, & tangitur triplex. Primò, quod à corpore violenter auelletur. Secundò, quòd de mundo quem dilexit, eiicietur. *Et emigrabit te.* Tertiò, quòd euulsus de mundo, in cœlo non plantabitur, sed magis vt arbor inutilis, imò nociua, in infernum proiicietur, & ibi cremabitur. *Et radicem tuam.* Dicit ergo: Sic destrueris finaliter, & perpetuò, *& euellet te Deus*, de corpore quod tam diligis. *Ierem.* 1. Posui te vt euellas, & dissipes. Vel *euellet* de dignitate in qua fixus es, & potentia. *Iob* 5. Vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius statim. *Eccles.* 10. Omnis potentatus breuis vita. Et *Psal.* Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani. *Iob* 19. Tanquam euulsæ arbori abstulit spem meam.

Et emigrabit te, id est, emigrare te faciet, de *tabernaculo tuo*, de mundo quem diligis, quem tabernaculum tibi facis, ad inferos. *Isa.* 5. Dicit Dominus exercituum: Nisi domus multæ desertæ fuerint grandes & pulchræ, absque habitatore. Deserere fecit eos Dominus magna palatia. *Baruc.* 3. Vbi sunt principes gentium, & qui dominantur super bestiis, qui in auribus cœli ludunt, &c. Et respondet: Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt. Vel sicut vult *Glossa*: Tabernaculum dicit Ecclesiam militantem, de qua auelletur iniquus, qui modo inter bonos est. *Ioan.* 8. Seruus non manet in domo in æternum.

Et radicem. Tertium est, quod legitur tripliciter: quia radix charitas, vel cupiditas, vel ministri. Primo modo sic: Destruet & euellet *radicem tuam*, charitatem tuam in qua aliquando fuisti, vt intelligatur de Anti-Christo. Ad *Ephes.* 3. In charitate radicati & fundati. *De terra viuentium*, vt non figatur in cœlestibus, sed magis in terrenorum cupiditate conuertatur. *Iob* 15. Non mittet in terra radicem suam. Verum est, *viuentium.* Secundo modo sic: *Euellet radicem tuam*, cupiditatem tuam. 1. ad *Tim.* 6. Radix omnium malorum cupiditas. *De terra viuentium*, in præsenti. Vel sic specialiter de malorum capite, cuius radix sunt eius ministri: *Et radicem tuam*, malos quibus sustentaris, sicut arbor radice. Ad *Rom.* 11. Non tu radicem portas, sed radix te. *De terra viuentium*, de cœlo quod promittis illis. *Iob* 8. Innitetur super domum suam, familiam scilicet suam, & non stabit: fulciet illam, cœlestia promittendo, & non consurget in cœlum.

Videbunt iusti & timebunt. Hîc de pœnarum 8. vtilitate eorum aduersariis, & tangitur duplex. Vna: quia in præsenti vtiliter timebunt iusti videntes malorum finem miserum. Secundò, quod in futuro gaudebunt fœliciter. *Et super eum.* Dicit ergo: Sic affliges: sed quæ vtilitas inde bonis? Magna: quia *videbunt iusti*, etiam nunc per fidem, futura malis mala: *& timebunt* sibi non pereant cum eis. *Iob* 41. Cum sublatus fuerit, timebunt Angeli, non autem inimici mei, & territi purgabuntur. Videbunt in futuro per speciem, & gaudebunt: *Et super eum ridebunt*, quando vertetur folium. *Ioan.* 16. Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Modò deridetur iusti simplicitas. *Iob* 21. Tunc deridebitur stultorum fatuitas. Quippe confirmabunt se iusti capiti suo, qui dicit *Prouerb.* 1. Ego autem in interitu vestro ridebo.

Et dicent. Hîc de pœnarum exprobratione, quod fuit tertium, in quo tanguntur duo. Primò exprobratio ſuper amiſſione boni. Secundò ſuper commiſſione mali. *Sed ſperauit.* Dicit ergo : Sic gaudebunt iuſti ſuper afflictum iniquum, & dicent ridendo.

Ecce homo qui non poſuit Deum adiutorium ſuum, homo purus : quamuis ſe Deum mentiatur. 2. ad *Theſſal.* 2. Extollitur ſuper omne quod dicitur Deus, & quod colitur. Sic omnis etiam peccator ſe præpoſuit Deo, & quaſi ſe non ſolum Deum, ſed quaſi pluſquam Deum ſe facit. *Ezech.* 28. Eleuaſti cor tuum & dixiſti : Deus ego ſum. Non ponit etiam Deum adiutorem ſuum, ſed hæc eſt falſa poſitio, quia *Ioan.* 16. Sine me nihil poteſtis facere. *Deut.* 32. Dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo.

Sed ſperauit in multitudine. Hîc irriſio de commiſſione mali. Et primò tangitur commiſſio. Secundò commiſſionis magnitudo ſuper omnes. *Et prævaluit.* Dicit ergo : Sic omiſit, & & irridebunt, & etiam de hoc dicent : Non ſperauit in Deo, ſed *ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum*, quas habebit multas Anti-Chriſtus. *Caſſiodor.* Diuitiis & pompis ſæculi nefandiſſimus abundabit. Sic & alij reprobi in hoc ſperant. *Iob* 21. Impij viuunt, ſublimati ſunt, confortatique diuitiis. Contra illud *Iob* 31. Si putaui aurum robur meum, & obryzo dixi: Fiducia mea.

Et prævaluit in vanitate ſua. Super omnes verum eſt de Anti-Chriſto, qui ſuper omnes prævalebit decipiendo, & iniquitares perpetrando. *Auguſt. in lib. de quantitate animæ*, Vanitas eſt fallacia. In iſta prævalebit Anti-Chriſtus. Iniquus etiam quilibet qui ſperat in diuitiis, iniquitate prævalet. *Auguſt.* Nihil eſt vanius eo, qui putat plus valere nummum, quam Deum. *Eccleſ.* 10. Auaro nihil eſt ſceleſtius. Nota ergo, quòd diuitiæ hîc vanitas appellantur, & bene, per diffinitionem veram. *Caſſiodor.* Vanum eſt quod inane eſt, fragile, vel caducum, & ab ipſa firmiſſima veritate diſcretum. Inane caret ſoliditate : ſic diuitiæ. *Sapient.* 5. Diuitiarum iactantia quid contulit nobis ? Ecce omnia tranſierunt tanquam vmbra. Vmbra ſolida non eſt, nec repletiua. *Eccleſ.* 5. Auarus non implebitur pecunia. Quia fragile & caducum, caret durabilitate. Tales diuitiæ. *Auguſt. ſecundo libro de libero arbitrio*, Temporalia antequam ſint, non ſunt : & cum ſunt, fugiunt : & cum fugierint, non erunt. Propterea dicunt temporalium amatores : Venite fruamur bonis quæ ſunt, tanquam in iuuentute celeriter. Item, quod eſt à fortiſſima veritate diſcretum, caret veritate. Sic diuitiæ : fallunt enim teſte Domino *Matth.* 13. Fallacia diuitiarum ſuffocat verbum. Ergo veraciter vanæ.

10. *Ego autem ſicut oliua fructifera.* Hîc eſt ſecunda pars Pſalmi, in qua agit de bonis. Et primò agit de bonorum merito. Secundò de præmio. *Confitebor tibi in ſæculum.* In prima tangitur bonorum operum fructificatio, & ratio fructificationis. *Speraui in miſericordia.* Dicit ergo: Sic mali ſperant in diuitiis, *Ego autem* ſum *in domo Domini ſicut oliua fructifera.* Dicit quilibet iuſtus. Oliua hyeme viret & æſtate. Quaſi diceret : Bene me habeo, & hyeme aduerſitatis, & æſtate proſperitatis. *Eccleſ.* 26. Diuitis, & pauperis, (ſi iuſti) cor bonum, & in omni tempore vultus eorum hilaris. Nec tantum virens, imò *fructifera.* Oliua fructifera Dauid, de quo Chriſtus poceſſit, glorioſus valde & copioſus fructus. *Matth.* 22. Quid vobis videtur de Chriſto, cuius filius eſt ? Dicunt ei : Dauid. Bonum autem opus cuiuſlibet iuſti fructus. *Ioan.* 14. Eum qui fert fructum purgabit, vt fructum plus afferat.

Quare iuſtus oliuæ comparatur.

Ego, inquam, talis, *ſperaui in miſericordia Dei*, non ſicut Doëg in diuitiis. Alibi in *Pſal.* Ego autem in miſericordia Dei ſperaui. Et inde quia oliua dicitur ab ἐλεῶ Græcè, quod eſt miſericordia Latinè. Quaſi diceret : Omninò ego miſericors, in miſericordia ſpero : & hoc iuſtum. *Matth.* 5. Beati miſericordes : quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. *Speraui*, inquam, *in miſericordia*, duratura *in æternum*, & *in ſæculum ſæculi* conſequutiuum. *Pſal.* Miſericordia autem Domini ab æterno, & vſque in æternum ſuper timentes eum. Item *ſperaui in miſericordia in æternum*, hoc eſt, in miſericordia non tantum terrena dante, ſed æterna. 1. ad *Corinth.* 15. Si tantum in hac vita ſperantes ſumus in Chriſto, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.

Hic notandum, quòd iuſtus oliuæ comparatur. Primò, quia oliua, ſicut iam tactum eſt, ſemper viret, & iuſtus in virore fidei ſemper eſt, quæ eſt vera ſapientia. *Sapient.* 6. Clara eſt, & quæ nunquam marceſcit ſapientia. In radice amaritudinem habet, ſed fructus dulcis : ſic iuſti quaſi in radice, hîc in hac vita amarum vitam ducunt, ſed fructum expectant ſuauiſſimum. Ad *Hebr.* 12. Omnis quidem diſciplina in præſenti non videtur eſſe gaudij, ſed mœroris : poſtea verò fructum pacatiſſimum, &c. Propter hoc etiam dicit vnus iuſtorum *Iſa.* 38. In pace amaritudo mea amariſſima. Arbor pacis : ſic iuſti pacifici ſunt cum omnibus. *Pſal.* Cum his qui oderunt pacem eram pacificus. *Matth.* 5. Beati pacifici : quoniam filij Dei vocabuntur. Habet folia ſalici infructuoſæ ſimilia : ſic iuſtus verba humilia. *Luc.* 4. Dixit vnus iuſtorum : Exi à me Domine quia homo peccator ſum. Et 17. Cum omnia benefeceritis, dicite : Serui inutiles ſumus. Oleum quod fit de fructu, excedit in valore : ſic renumeratio opera miſericordiæ quæ iuſtus facit, in multis excedit. 2. ad *Corinth.* 4. Hoc momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum æternæ gloriæ pondus, &c. Oleum oliuæ, in quo mortuus eſt ſcorpio, medicinale eſt : ſic miſericordia in qua moritur diabolus, medicinalis valde, quia procedit ex iuſto, & hoc contra peccatum. *Daniel.* 4. Peccata tua eleemoſynis redime. *Pſal.* Diſperſit, dedit pauperibus Breuiter quicquid in oliua eſt, totũ eſt vtile : quicquid in iuſto, totum eſt bonum, & proficuum aliis. 1. ad *Corinth.* 9. Omnia omnibus factus ſum, vt omnes lucrifaciam.

Confitebor tibi in ſæculum. Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur de præmio bonorum, & tangitur duplex. Primò præmium habitum iam in re præſentialiter. Secundò expectatum & habitum in ſpe. *Et expectabo.* In prima duo. Præ- 11.

mium,

mium, & ratio præmij. *Quia fecisti.* Ergo dicit: *Confitebor tibi*, confessione iocunditatis. Suprà in *Psal.* Confitebor tibi in cithara Deus: & hoc *in sæculum*, non ad horam. *Psal.* Psallam Deo meo quandiu fuero. *Quia fecisti*, me oliuam fructiferam, & in te sperantem, & omnia quæcunque habeo, totum est à te. *Isa.* 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. Ad *Phil.*2. Operatur in nobis & velle & perficere pro voluntate. 1. ad *Corinth.* 4. Quid habes quod non accepisti? & 7. Gratia Dei sum id quod sum.

Et expectabo. Hîc secundum præmium habitum in spe, & tangitur præmium, scilicet expectatio salutis. Secundo ratio. *Quoniam bonum.* Dicit: Confitebor, *& expectabo nomen tuum*, rem scilicet nominis tui: non festinabo, quia *Prou* 20 Hæreditas ad quam festinatur in principio, in fine benedictione carebit. Res autem nominis salus est. *Matth.* 1. Vocabis nomen eius IESVM: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. *Quoniam bonum*, id est, iocundum & delectabile, non quidem omnibus, quia non est bonum habentibus corruptum palatum cordis. *Sed in conspectu sanctorum tuorum*, tuæ dulcedinis scilicet expertorum. *Apoc.*2. Qui vicerit, dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen scriptum quod nemo nouit, nisi qui accipit. *Psal.* Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te, ad quam dulcedinem nos perducat, &c.

IN LII. PSALMVM.

In finem pro Amalec intellectus Dauid.

1. *Argumentū Psalmi, corpus Antichristi, id est, mali.*

Dixit insipiens in corde suo. Hic est Psalmus secundus secundæ quinquagenæ in quo postquam actum est de capite malorum, scilicet Antichristo, consequenter agitur de corpore malorum, vt præmuniatur iustus contra persequutores & molestias à talibus inferendas, expectando liberationem & remunerationem: & hoc innuitur secundum vtramque literam. Duplex enim est litera tituli. Prima talis: *In finem intellectus Dauid pro Amalec:* ad cuius intellligentiam notanda est primo historia, quæ habetur 1. *Reg.* 27. de data ciuitate Sichelech ipsi Dauid. Et 30. de recuperatione, quam tulerant Amalecitæ per Dauid: & tunc exponatur: In hoc subiecto Psalmo est *intellectus Dauid*, id est, habitus Dauid, *pro Amalec*, pro eo quod fecerat Amalec, & quod fecit Dauid in Amalec: intellexit enim in illo facto captiuationem bonorum à membris Antichristi, & liberationem illorum per Christum, secundum illud, Liberauit pauperem à potente, & pauperem cui, &c. *Luc.* 11. Cum fortior illo superuenerit, diripiet vasa eius, & spolia diuidet.

Et bene per Amalec mali intelliguntur: interpretatur enim, populus lingens: & mali, sicut dicitur *Mich.*7. Ligent puluerem sicut serpens. Et hic intellectus est dirigẽs nos *in finẽ*. Alia litera habet pro Maëleth, qui interpretatur parturiẽs, & significat Ecclesiam parturientem filios spirituales in dolore. *Ioan.* 16. Mulier cum parit, tristitiam habet. *Apoc.*12. Mulier cruciabatur vt pareret. Hic est ergo intellectus Dauid, habitus pro Ecclesia liberanda dirigens nos in finem, vel Christum, vel temporis in quo fient ista.

Psalmus autem potest diuidi in duas partes. Primò quidem agitur de malis per Amalec designatis secũdum primam literam tituli. Secundò de bonis per Maëleth figuratis secundum literam secundam tituli, ibi, *Quis dabit ex Sion.* Item in prima duo. Primo arguit malorum culpam. Secundò minatur pœnam. *Nonne scient?* In prima duo. Primò arguit culpam. Secundò culpæ generalitatem. *Dominus de cœlo prospexit.* In prima duo: Primò arguit culpam infidelitatis. Secundò morum, ibi, *Corrupti sunt.*

Primum legitur dupliciter: quia insipiens potest appellari generaliter siue sit Gentilis, siue Iudæus, & negari de Deo proprietas: vel specialiter Iudæus, & negari de Christo Deo diuinitas. Primo ergo modo sic: *Dixit insipiens*, omnis scilicet malè viuens. *Prouerb.* Omnis peccans ignorans est: non enim habet veram sapientiam, quæ desursum est. *Iacob* 3. Vel saltem initium illius sapientiæ, scilicet timorem Dei. *Psal.* Initium sapientiæ timor Domini. Ad *Roman.* 1. Obscuratum est insipiens cor eorum. Non ore, quia non auderet, sed *in corde suo.* Quomodo ergo Dauid cognouit hoc, si corde hoc dicebat? Resp. Prophetico spiritu. *Psal.* In corde, & corde loquuti sunt. Sed quid? *Non est Deus*, id est, non est punitor malorum Deus, nec iustus: qui enim negat ipsum iustum, negat ipsum Deum. Sed contra: Cum Dauid dicat *Psal.* quòd Deus non derelinquit nos in omnimoda sui ignorantia, sed sui cognitionem nobis naturaliter inseruit, quomodo dicere potuit, *Non est Deus*? Et patet responsio: quia non dixit non esse simpliciter diuinitatem, sed diuinitatis non intellexit proprietatem: & idcircò ex consequenti, quia quicquid in ipso est, ipse est, negat & destruit substantiam.

Vel insipiens hic dicitur Iudæus. *Dixit insipiens*, Iudæus scilicet excæcatus malitia sua. *Sapient.*2. Malitia eorum excæcauit eos. Non est Deus, Christus, vel IESVS. *Iob* 5. Negauerunt Dominum, & dixerunt: Non est ipse. *Ioan.* 10. Et tu cum homo sis, facis teipsum Deum. *Isa.* 1. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israël autem non cognouit me, &c. Et verè insipiens excæcatus. Ad *Roman.* 11. Cæcitas contigit ex parte in Israël, qui verum solem ante se positum non cognouit, de quo *Mala.* 3. Vobis timentibus Deum orietur sol iustitiæ.

Corrupti sunt. Hîc secundum vbi de corruptione interiori cordis. Secundò exteriori operis. *Non est qui faciat bonum.* In prima duo. Primò corruptio. Secundò corruptionis abominatio ipsi Deo videnti. Sic quantum ad fidem, & etiam *corrupti sunt* interius in mente: quippe infidelitas necessariò corruptum relinquit affectum. 1. ad *Corinth.* 5. Modicum fermentum totam massam corrumpit. Est autem duplex corruptio. Corporalis & pœna quæ est inuoluntaria: & mentis quæ

voluntaria eſt, & tantò magis inculpabilis eſt. *Auguſt. de libero arbitrio lib.2.* Omnium corruptionum ſola quæ vitioſa eſt, rectè vituperatur. Sed quia corruptionem ſequitur fœtor, corporalem corporalis, & ſpiritualem ſpiritualis, ſequitur.

Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in iniquitatibus ſuis. Ezech. 3. Vide abominationes peſſimas quas iſti faciunt. *Iob* 15. Abominabilis, & inutilis homo qui bibit ſubſannationem tanquam aquam. *Prouerb.*16. Abominatio eſt Domino omnis arrogans. *Non eſt qui faciat bonum*, exterius in operatione. Et dicit minus, & plus ſignificat,id eſt, faciunt malum: quippe mala arbor non poteſt bonos fructus facere. Sed contra:Nonne Patriarchæ, & Apoſtoli, & Prophetæ bona fecerunt? Imò & ipſi mali qui ſunt de corpore eius multa faciunt frequenter bona. Reſp. ſecundum *Caſſiod.*Non eſt qui faciat bonum ſua virtute, ſed tantum virtute principalis agentis.

3. *Dominus de cœlo.* Hic ſecundum, in quo probatur malitiæ generalitas per diuinam inquiſitionem: & dicuntur duo. Primò diuina inquiſitio. Secundò inuentio vniuerſalis malitiæ. *Omnes declinauerunt.* Item in prima duo.Primò inquiſitio quantum pertinet ad aſpectum. Secundò quantum pertinet ad affectum. *Aut requirens.*Dicit ergo. Legitur autem dupliciter, quia reſpectus hic poteſt ſonare miſericordiam, vel ſimplicem inquiſitionem. Ait enim: Sic peccant in fide & in moribus. *Et omnes*, quia Dominus *proſpexit* oculo miſericordiæ, *ſuper filios hominum*, proximorum parentum: & hoc, *de cœlo*, mittendo filium, ſupple. Hic reſpectus de quo *Sapient.*3. Gratia & miſericordia in ſanctos eius, & reſpectus in electos illius. *Exod.*3. Vidi afflictionem populi mei, qui eſt in Ægypto. Vel *Dominus reſpexit*, diligenter attendendo, *ſuper filios hominum*: & hoc, *de cœlo*, ſcilicet de ſanctis animabus in quibus celatur, & quaſi latens abſconditur. *Iſal. vlt.* Cœlum mihi ſedes eſt. *Sap.* 7. In animas ſanctas ſe transfert. *Pſal.* Proſpexit de excelſo ſancto ſuo.

Vt videat ſi eſt intelligens, quantum ad aſpectum, *aut requirens Deum*, quantum ad affectum, quem requirit. *Pſal.* Probans corda, & renes Deus. Quantum ad primum potuit inuenire nihil. *Iſa.*5. Porpterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam. *Oſeæ* 4. Non eſt veritas, non eſt miſericordia, non eſt ſcientia in terra. Quantum ad ſecundum *Ierem.* 8. Attendi & auſcultaui, nemo quod bonum eſt loquitur: nemo eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, & dicat:Quid feci?

4. *Omnes declinauerunt.* Hîc inuentio carentiæ boni in omnibus. Et primò carentiæ boni in corde. Secundò in ore. *Simul inutiles.* Tertiò in opere. *Non eſt qui faciat bonum.* Dicit ergo: Sic inquiſiuit, & hoc inuenit, *Omnes declinauerunt* ab eo corde,etiam maiores, non tantum minores. *Iſa.*36. Ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam, omnes in viam ſuam declinauerunt. *Et inutiles facti ſunt ſimul*, in ore, & doctrina. Aliquando enim homo malus eſt in corde,ſed proficit aliis in ſermone. *Iſa.*14. Proiectus es quaſi ſtirps inutilis.

Non eſt qui faciat bonum, in opere, *vſque ad vnum. Ierem.*5. Circuite vias Ieruſalem, & reſpicite, & conſiderate an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem,& propitius ero.

Nonne ſcient omnes. Hîc ſubiungitur pœnæ comminatio: & dicuntur duo. Primò comminatio pœnæ in generali. Secundò ratio quare debent puniri, in quo quædam illorum mala replicantur ibi ſtatim, *Omnes qui operantur iniquitatem.*Tangitur autem primò eorum malitia generaliter. *Omnes qui operantur iniquitatem.* Secundò ſpecialiter. *Qui deuorant plebem meam.* Et tangitur primò amor malè inflammans. Secundò timor malè humilians. Primum, *Qui deuorant.* Secundum, *Trepidauerunt timore.* In prima duo tanguntur quæ ſurgunt ex amore illo malè inflammante, ſcilicet cupiditas in rapiendo. Secundò auaritia inordinatè diligendo rapta, & habita. Primum, *Qui deuorant.* Secundum, *Deum non inuocauerunt.* Dicit ergo: Tales ſunt mali, ſed *nonne ſcient*, ipſi, ſupple, qui modo Deum eſſe negant iuſtum, quoniam iuſtus eſt experimento pœnarum ſibi inflictarum? Quaſi diceret: Vtique. *Prouerb.*28. Viri mali non cogitant iudicium. Sed tunc ſcient. *Pſal.* Cognoſcetur Dominus iudicia faciens. *Nonne* ergo *ſcient omnes qui operantur iniquitatem?* Conſtat, quòd ſic. Si enim pro ſola boni omiſſione puniuntur. *Matth.* 25. Eſuriui & non dediſtis mihi comedere, &c. Et poſt: Ite ergo maledicti, &c. Multò fortius pro mali commiſſione. *Matth.* 7. Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis. 5.

Qui deuorant plebem meam. Quomodo? *Vt cibum panis.* Deuorant, inquam, multipliciter animam rapiendo, & corpori diaboli vniendo. Hi ſunt hæretici & Doctores peruerſi. Si enim boni dicuntur os Chriſti, & dentes, quia bonos illi incorporant. *Act.*10. Petre macta,& manduca, cur non dicentur iſti os diaboli, deuorantes, & eius corpori vnientes animas Sanctorum quas decipiunt? *Ezech.*22. Coniuratio prophetarum in medio eius ſicut leo.Deuorant etiam corpus occidendo tyranni, qui ſic corpora deſtruunt, vt nec remaneat veſtigium occiſorum. Sic credens occiſum filium ſuum Iacob dicebat *Geneſ.* 37. Fera peſſima deuorauit filium meum Ioſeph. Deuorant quoad poſſeſſionem omnes auferendo. *Eccleſ.* 13. Paſcua diuitum pauperes. *Michæ.*3. Tollite pelles eorum deſuper eos, quantum ad veſtimenta: & quantum ad carnes & veſtimenta ſimul, in eodem, Comederunt carnes populi mei,& pelles eorum excoriauerunt. Carnes comederunt, quando cabaria vnde carnes nutriri deberent auferunt: pelles, quando veſtimenta.

Deum non inuocauerunt, in ipſum confidendo, ſed magis in pecuniam ſuam tanquam in Deum. *Oſeæ* 7. Argentum ſuum & aurum ſuum fecerunt ſibi idola. *Eccleſ.*10. Et pecuniæ obediunt omnia. 6.

Illic trepidauerunt. Hîc tangitur de timore male humiliante. Et primò oſtenditur deiectio illorum per vanum timorem. Secundò ratio quare ſic permittuntur deiici. *Quoniam diſſipauit.* Dicit ergo: Ita malo amore inflammantur, & etiam *trepidauerunt illic*, ſcilicet in mundo,

&

& in miseriis mundanis, *timore* eos interius concutiente, *vbi non fuit timor*. Sed quid est hoc? Quomodo timere potuerunt vbi non esset timor? Nonne vbique est timor? Primò si timebant, ibi erat timor: quomodo ergo timuerunt vbi non fuit timor? Resp. *Vbi* non est locale, sed causale. Quasi diceret: Timuerunt sine causa rationabili timoris. Si enim sint in hac vita feræ insidiantes carni, secundum illud *Eccles.* 27. Leo venationi insidiatur. Et homines insidiantes possessioni. *Prou.* 1. Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis. Et dæmones insidiantes spiritui secundum illud *Psal.* Dum conuenirent simul aduersum me, accipere animam meam consiliati sunt. Tamen hæc nullo modo timenda comparatione ad doctrinam malam: hoc est enim timere vmbram, & non veritatem timere secundum illud *Iob.* Qui timet pruinam, irruet super eum nix.

Quoniam Dominus dissipauit. Hîc tangitur ratio talis timoris duplex. Vna, diuisio virium animæ. Secunda, separatio veræ vitæ ab anima. *Confusi sunt.* Dicit ergo: Sic trepidauerunt: &c. Et hoc quoniam *Dominus dissipauit*, dissipari permisit, & vt dissiparentur ordinauit *ossa*, id est, vires animæ interiores ipsam sustentantes, *eorum qui hominibus placent*, id est, placere desiderant, hoc est, qui quærunt hîc consolationem. *Gal.* 1. Si hominibus placerem, Christi seruus non essem. Et glossandum, placendi actionem appetens, vel quærens inordinate, hoc est, ipsam placentiam faciens finem: ipse enim dicit ad *Roman.* 2. Prouidentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus. 1. ad *Cor.* 10. Placete omnibus per omnia, sicut & ego omnibus per omnia placeo: sed finem placentiæ pono animarum vtilitatem. Sed ossa iustorum non dissipantur. *Ioan.* 19. Os non comminuetis ex eo: sed de malis alibi in *Psal.* Dissipata sunt ossa nostra secus infernum.

Confusi sunt, quoniam Deus sprenit eos. Spernendi recidendo, à mente gratiam remouendo in præsenti. Et hoc iustum, vt qui spernit, spernatur. *Isa.* 33. Væ qui spernis, nonne & ipse sperneris? 1. *Reg.* 2. Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Vel præteritum pro futuro, *confusi sunt*, id est, confundentur. *Ierem.* 21. Confundentur, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod nunquam delebitur. Et 2. Sicut confunditur fur quando comprehenditur, sic confundetur domus Israël.

7. *Quis dabit ex Sion?* Hîc secunda pars Psalmi, in qua subiungit de bonis, postquam præcessit de malis: & præmittitur quasi increpantis interrogatio. Secundò subiungitur læta promissio. *Cum auerterit Dominus.* Dicit ergo: Sic mali dicitis Deum non esse, & sic, vt dixi, recipietis. Sed quos? *Ex Sion*, id est, de Iudæis, qui per Sion intelliguntur, veniens *dabit salutare*, id est, salutem, vel gratiam salutarem, vel salutarem doctrinam, *Israël*, id est, populo videnti Deum, nimirum ille quem vos dicitis non esse iustum, & sic non esse Deum. Quasi diceret: Ipse dabit. *Iacob* 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum. Et dicit: *Dabit*, non reddet. Non enim meritis est redditus. Ad *Tit.* 3. Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam, &c.

Cum auerterit. Hîc læta responsio, in qua tangitur, & quando dabitur salus, & quibus, quia *Iacob*, id est, actiuis, & *Israël*, id est, contemplatiuis. Ait enim: Sic quæro, quis dabit? Et responsio est. *Cum auerterit Dominus captiuitatem plebis suæ*, secundum illud *Ierem.* 29. Reducam captiuitatem vestram. *Tunc exultabit Iacob*, actiui boni, qui in lucta sunt: *& lætabitur Israël*, id est, contemplatiui. *Soph. vlt.* Dabo vos in laudem omnibus populis, cum conuertero captiuitatem vestram coram oculis vestris. *Amos* 9. Conuertam captiuitatem plebis meæ Israël.

IN LIII. PSALMVM.

In finem. In carminibus & in hymnis intellectus Dauid, cum veniſſent Ziphæi ad Saül, & nuntiaſſent Saül: Nonne Dauid abſconditus eſt apud nos? 1.

Deus in nomine tuo saluum me fac. Hic Psalmus quinquagesimus tertius in toto libro, sed in secunda quinquagena tertius. Postquam enim de malorum nequitia qui gloriantur in malo, & blasphemant contra Dominum in 51. & 52. actum est, subiungitur de malitia eorum qui bonos opprimunt, sed tandem non præualebunt. Vnde agitur de clamore bonorum ad Deum, & liberatione ipsorum à malorum oppressione: quod innuitur in titulo qui talis est: *In finem. In carminibus, & in hymnis intellectus Dauid, cum veniſſent Ziphæi ad Saül, & nuntiaſſent Saül: Nonne Dauid abſconditus eſt apud nos?* Tangit historam quæ habetur 1. *Reg.* 23. de Ziphæis qui Dauid latitantem apud se timore Saül, ipsi manifestauerunt, & morti exposuerunt. Sed Dauid fugit ad loca tutissima Engaddi, & ibi saluatus est: vnde etsi scriptum non sit in carminibus & hymnis Deum laudauit. Intelligebat enim in hoc facto Dauid Ziphæos significare malos: Ziphæi enim interpretantur florentes, & mali florent in hac vita. *Ierem.* 48. Date florem Moab qui cito transit, Moab, illius scilicet qui ex patre diabolo. *Iob* 13. Tanquam flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra. Inter hos flores latent boni, non apparent. Ad *Coloss.* 3. Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: inter malos qui vos cooperiunt, quia multi sunt, & vos pauci. *Eccles.* 1. Stultorum infinitus est numerus. *Eccl.* 7. Virum de mille reperi. Sed mali eos quasi manifestant, quando ad mortem trahunt. Quæ mors per Saül designatur, vt suprà dictum fuit. Sed refugium habent ad fontem: sic enim interpretatur Engaddi, id est, ad Christum, qui est fons. *Psal.* Quoniam apud te est fons vitæ. Et fons hœdi, fœtidi scilicet peccatoris, qui in illo abluitur. *Zach.* 12. Erit fons patens domui Dauid in ablutionem peccatorum, & menstruatæ. Ergo sensus tituli est: In hoc Psalmo continetur *intellectus*, quem habuit *Dauid* cum veniſſent Ziphæi ad Saül, &c. In hoc enim intellexit bonos qui inter malos latent,

2.

Argumentū Psalmi, iusti afflicti gemitus & solatium.

Moralis tituli interpretatio.

latent, ab ipſis quærendo ad mortem, ſed per Chriſtum liberandos. Vnde carmina & hymni ſunt cantandi. Et eſt intellectus dirigens nos *in finem* noſtrum, ſcilicet Chriſtum. Ad *Rom.*10. Finis legis Chriſtus. Vel hic intellectus eſt mentes figentibus in æternis, non in rebus tranſitoriis. 2. ad *Corinth.*4. Non contemplantibus quidem nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur.

Diuiditur ergo Pſalmus in duas partes. Primò enim orat Eccleſia pro ſe vt liberetur à Ziphæis, id eſt, à malis in mundo florentibus. Secundò, quia optimus liberationis modus quando inimici conuertuntur, orat pro illis, vt & ad Deum conuertantur, & ad bonum, ibi, *Auerte mala.* In prima duo. Primò orat. Secundò pronuntiat ſe eſſe exauditam, ibi, *Ecce enim Deus adiuuat me.* Item in prima duo. Primò oratio. Secundò perſuaſio, quod debeat exaudiri, ibi, *Quoniam alieni.* In prima tria. Primò quod velit proponit. Secundò ad effectum exaudiri petit. *Deus exaudi.* Tertiò vt hoc poſſit fieri verbis perfectè attendere requirit, ibi, *Auribus percipe.* In prima tria petit. Salutem: & oſtendit in quo velit habere ſalutem illam. *Et in nomine tuo.* Et ex hoc vlterius ſeparationem à malis in iudicio, ibi, *Et in virtute tua iudica me.* Dicit ergo: Sic mali blaſphemant, & nos tribulant: vnde ô *Deus*, peto *ſaluum me fac.* Alibi, Saluos nos fac Domine Deus noſter, non in quocumque nomine, ſed *in nomine tuo*, quod prædicabitur in mundo, quod eſt IESVS. *Act.*4. Non eſt aliud nomen ſub cœlo, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Hoc nomen excedens omnia nomina. Ad *Philip.*2. Dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur. Hoc nomen quod ſuperius ſe expectare dixit: Expectabo nomen tuum quoniam bonum eſt.

Et in virtute tua, hoc eſt, in iudicio, quando virtus tua, quæ nunc latet, apparebit. *Iudica me.* Sed quid eſt quod dicit, qumodo petit ſecundum virtutem iudicari? Alibi dicit: Non intres in iudicium cum ſeruo tuo. *Iob* 16. Columnæ cœli contremuerunt ad nutum eius. *Amos* 3. Clanget tuba, diuini iudicij in virtute, & populus non expaueſcet? Quaſi diceret: Non eſt hoc poſſibile. Reſp. Eſt iudicium diſtrictæ diſcuſſionis ſecundum merita. Sic iudicari nemo petit. Sed eſt iudicium ſeparationis. Illud petit, vt ſcilicet à malis ſeparetur, ſecundum illud *Pſal.* alibi: Iudica me Deus & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta.

Iudicium ſeparationis à malis petendum.

4. *Deus exaudi.* Ecce ſecundum, quod hic peto, quod propoſui. Et ô tu *Deus*, qui potes, *exaudi*, ad effectum perducendo, *orationem meam*, quia terrenorum non quæro florem ſicut mali. *Baruch.*2. Exaudi preces meas Domine, & orationes meas. *Dan.*9. Exaudi Deus noſter orationem ſerui tui. Nec per hoc intelligendum quoniam aliquando non ſit orandum etiam pro temporalibus habendis, ſed non ſicut Ziphæi, hoc eſt, vt finis in illis ponatur, ſed vt ad æterna ordinantur.

Auribus. Hîc tertium. Quaſi diceret: Sic peto, vt ad effectum perducas, quod vt ſit, *auribus percipe*, hoc eſt, diligenter attende, *verba oris mei.* Anthropopatos, in quo attribuitur Deo quod hominis eſt, cum tamen ſecundum diuinitatem membris corporeis non diſtendatur. Sed aures ſuæ ſua pietas appellatur, quæ audit omnia. *Sapient.* 1. Auris zeli audit omnia.

Quoniam alieni inſurrexerunt. Hîc ſecundum, ſcilicet perſuaſio vt acquieſcat petitioni, & allegat tria quæ ſunt in aduerſariis à quibus petit ſaluari. Primum eſt extraneitas. Secundum, fortitudo. *Et fortes.* Tertium, infidelitas. *Et non propoſuerunt Deum.* Iſti alieni, ſunt mali omnes generaliter, qui quaſi aliundè nati ſunt, quia quaſi ex diabolo. Boni, ex Deo. *Pſal.* Etenim Aſſur venit cum illis, alienigenæ cum habitantibus Tyrum. Sed alieni ſunt dæmones, de quibus *Prou.*6. Ne des alienis laborem tuum, & annos tuos crudeli. Alieni homines, & mundani, qui bonos perſequuntur, de quibus *Iob* 19. Noti mei, quaſi alieni receſſerunt à me. Quaſi diceret: Qui prius erant amici, facti ſunt inimici. Alieni etiam caro ipſa, & motus ex ipſa nati. *Oſeæ* 7. Comederunt alieni robur eius, & ipſi neſciunt. Motus enim carnis comedunt vires ſpiritus. 5.

Et fortes quæſierunt. Ecce fortitudo Saül ad literam, & miniſtri eius animam Dauid quærentes, hoc eſt, vitam, ad perdendum. Fortes etiam dæmones. *Iob* 40. Non eſt poteſtas ſuper terram quæ ei valeat comparari. *Luc.*11. Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſſidet, &c. Hic quærit animam, quia *Gregor.* dicit: Quid non potuit Dominus? & nihil ſe feciſſe æſtimat cum animas non ſanat.

Et non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum, putantes eum ſua ignorare. *Iob* 22. Quaſi per caliginem iudicat, nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat. *Daniel.*13. Auerterunt ſenſum ſuum, & declinauerunt oculos ſuos, ne viderent cœlum, & recordarentur iudiciorum iuſtorum.

Ecce enim Deus adiuuat me. Hîc ſecundum primæ partis totius Pſalmi, in quo confidenter aſſerunt non tantum exaudiendos, ſed quaſi iam factum ſit, exauditos: & dicuntur duo. Primò certitudo diuini adiutorij. Secundò modi adiuuaudi. *Quia Dominus ſuſceptor eſt.* Dicit ergo: Sic petij, & *ecce Dominus adiuuat me. Iſa.* 50. Dominus Deus auxiliator meus. *Deut.* 33. Aſcenſor cœli auxiliator tuus. Quod ſi eſt, potes dicere illud ad *Rom.*8. Si Deus pro nobis, quis contra nos?

Ecce. Hîc notatur quod Deus adiuuat occulte, euidenter & continuè. *Deus*, qui poteſt, ſcit, & vult. Poteſt, quia fortis, ſcit, quia ſapiens: vult, quia bonus. *Me*, debilem, inſcium, & infirmum, *adiuuat*, liberando, conſeruando, defendendo. Liberando à malis in quibus fui, conſeruando in bonis in quibus ſum, defendendo à recidiuo. *Adiuuat* quem redimendo adiuuit, quem adiuuabit glorificando. *Pſal.* Niſi quia Dominus adiuuit me, paulominus habitaſſet, &c. Et alibi, Adiuuabit eum Deus vultu ſuo. 6.

Et Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ. Hîc adiuuandi modus. Quaſi diceret: Sic iam adiuuat, & *Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ*, & ſi

corpus

corpus miseriis exponat. *Sap.* 3. Iustorum animæ in manu Dei sunt. Sed de carne non sic. *Iob* 9. Terra data est in manus impij. Sed de anima: vnde in 1. Verumtamen animam eius serua.

7. *Auerte mala.* Hîc secunda pars huius Psalmi. Huc vsque enim orauit pro se, hîc pro aduersariis: & dicuntur tria. Primò oratio. Secundò promissio sacrificij si consenserit Deus. *Voluntariè sacrificabo tibi.* Tertiò ratio quare sic orat pro illis. *Quoniam ex omni tribulatione.* In prima duo. Primò enim orat eis liberationem à malo. Secundò profectum in bono. *In veritate tua.* Item orat amoueri malum dupliciter. Primo pœnæ. Secundò culpæ. *Disperde.* Legitur tamen dupliciter. Vno modo vt sit prædictio mali pœnæ, & pendet ex prædictis. Secundò vt sit oratio secundum quod dictum est. Dicit ergo: Sic adiuua me hoc modo, quia ô Domine, *auerte*, id est, auertes *mala inimicis meis*, mala quæ in me modò faciunt, in illos conuertendo. *Eccles.* 26. Facienti nequissimum consilium, super eum deuoluetur, ipso liberato contra quem machinatur. *Ierem.* 17. Confundantur qui me persequuntur, & non confundar ego.

Et in veritate tua. Quasi diceret: Sic prædixi futurum. *Luc.* 5. Væ vobis diuitibus, qui habetis hîc consolationem vestram. *Disperde illos*, quos toleraſti in tua infirmitate persequentes, vel in tua patientia. *Eccles.* 5. Altissimus patiens redditor est. Vel sic: *Auerte mala*, pœnæ, subaudi, *inimicis meis*, id est, ab inimicis meis, vt non affligantur. *Et disperde illos*, à mala intentione, in qua viuunt, vt à culpa liberentur. Et hoc, *in veritate tua* ponendo illos, & sic exhibebis bona. Ecce quomodo boni rogant pro inimicis, & sequuntur magistri doctrinam *Luc.* 6. Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos. Et exemplum *Luc. vlt.* Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.

8. *Voluntariè sacrificabo tibi.* Hic est secundum, scilicet promissio sacrificij, si consenserit facere quod rogatur: & dicuntur duo. Primò sacrificium voluntarium promittitur. Secundò specificatur illud sacrificium. *Et confitebor.*

Dicit ergo. Sic rogo: quod si feceris, *sacrificabo tibi*, non coactè sicut antiquitus, sed *voluntariè*: quia tale placet. *Exod.* 25. Ab omni homine qui offert vltroneus, non ab alio, accipietis primitias. & 35. Omnis voluntarius & spontaneus offerat primitias Domino. Tale enim sacrificium fructuosum est. *Ezech.* 46. Cum fecerit princeps spontaneum holocaustum, aut pacifica voluntaria Domino, aperietur ei porta quæ respicit ad Orientem. *Et confitebor.* Hîc specificat: & sacrificium primò, & modum sacrificij secundò alium à prædictis, scilicet quia voluntariè, & pro nihilo. *Quoniam bonum est.* Dicit ergo: Sic sacrificabo voluntariè, *& confitebor nomini tuo, ô Domine*, confessione laudis. *Psal.* Laudate nomen Domini. Et hoc confessione cordis, oris, & operis. Ne sim de illis de quibus ad *Tit.* 2. Confitẽtur se nosse Deum, factis autem negant. Confessio cordis est incipientium, oris proficiẽtium, operis perfectorum: & hoc non aliqua remuneratione temporali, vel etiam æterna: sed *quoniam bonum est*, hoc est, gratis, puram spectans nominis charitatem. Bonum incipienti, melius proficienti, sed optimum consummato.

Quoniam ex omni tribulatione. Hîc est tertium in quo subiungit rationem quare orauerit pro inimicis conuertendis, quia eorum conuersio ei est vtilis: vnde tanguntur duo. Primò liberatio eius ab inimicis per hanc viam. Secundò ipsorum despectio de cætero aduersantium. *Et super inimicos meos.* Dicit ergo: Rogo quod auertas mala inimicis meis: quoniam hoc faciendo, *eripuisti me*, bono & honesto modo, *ex omni tribulatione.* Vel sic: Bonum est, & verè, *quoniam eripuisti me ex omni tribulatione.* Et cauendum vt non continuetur ad hoc quod dictum est, Confitebor nomini tuo: iam enim dictum est sicut etiam in Glossa habetur, quod illi confitetur propter bonitatem ipsam, & gratis, non propter aliud. Rogo ergo, *quoniam ex omni*, &c. *Iob* 5. In sex tribulationibus liberabo te, & in septima non tanget te malum: quando valde bonum est & dulce liberari. *Eccl.* 36. Speciosa est misericordia in tempore tribulationis, sicut nubes pluuiæ in tempore siccitatis. *Sap.* 16. Tu es qui liberas ab omni malo. 9.

Et super inimicos. Ecce secundum. Quasi diceret: Non solum liberas, imò *& super inimicos meos*, id est, ab inferendo de cætero inimicis mala. *Despexit*, tanquam nihil curans, vel appretians illa, *oculus meus*, mentis meæ in Deum raptus. Quasi diceret: Non timeo mala, sed illa despicio, non personas inferentes illa. *Isa.* 33. Væ qui spernis, nonne & ipse sperneris? Sed de malis qui inferunt, dictum est: In Deo speraui, non timebo quid faciat mihi homo. Et alibi: Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos.

IN LIV. PSALMVM.

In finem. In carminibus intellectus Dauid. 1.

2. *Argumentũ Psalmi, iustus deflens huius vitæ miserias.*

EXaudi Deus orationem meam. Hic est Psalmus quartus in secunda quinquagena: cum enim clamauerit Ecclesia pro crudelitate & fortitudine persequentium in Psalmo præcedenti, nunc orat pro multitudine miseriarum quas sustinet in hoc statu. Sed sic clamat vt habens oculum mentis in finem suum, non desperet, sed magis exultet semper in illo, siue sit in prosperis, siue sit in aduersis. Et hoc ostenditur in titulo, qui talis est: *In finem. In carminibus intellectus Dauid.* Et est sensus: In hoc subiecto Psalmo est *intellectus Dauid*, id est, res ab Ecclesia, vel à iusto quolibet intelligenda, & diligenter aduertenda, scilicet quod præsens vita miseriis & afflictionibus est plena, ad purgandum bonos, sicut fornax in igne. *Iob* 28. Auro locus est, in quo conflatur. Hic locus, de quo *Exod.* 33. Ecce, inquit, locus est apud me, & stabis supra petram, scilicet tribulationum duritiam, & inde videre me poteris, tamen adhuc transeunte. Hic de quo *Iob* 38. Nunquid ostendisti auroræ locum suum, animæ luce gratiæ illustratæ. *Intellectus*, inquam, habendus *in carminibus*, *vel hymnis*, in lætitia scilicet

ſcilicet ſpirituali, quia pro modica tribulatione tranſitoria, & temporali, veniet purgata anima ad gaudia indeficientia. 2. ad *Corinth.* 4. Hoc momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. Sed hoc *in finem*, Chriſtum, tendentibus & intendentibus, non in aliis. Deficit enim citò in præſentibus miſeriis, qui in ipſum mentis oculos non intendit. Ad *Hebr.* 12. Recogitate eum qui talem aduerſum ſemetipſum ſuſtinuit contradictionem, vt non fatigemini animis veſtris deficientes.

Poteſt autem Pſalmus diuidi in tres partes. Primò quidem liberari à miſeriis præſentibus deprecatur. Secundò ſperans exaudiri, aduerſariis imprecatur, ibi, *Expectabam eum.* Tertiò quid ſit pro quo orauit, & inimicis contra quos orauit, propheticè nuntiatur, ibi, *Ego autem ad Dominum.* Item quia orare non valet aliquid, niſi homo faciat quod in ſe eſt. In prima dicuntur duo. Primò petit. Secundò quod in ſe eſt, feciſſe oſtendit, vt à miſeriis liberetur, ibi, *Quis dabit mihi.* Item in prima duo. Primò petit. Secundò neceſſitatem clamandi & petendi oſtendit, ipſam miſeriam in qua eſt, ibi, *Contriſtatus ſum.* In prima tria ſecundum tria quæ petit, tanquam alicui homini magno loqueretur. Primò vt orationem audiat. Secundò vt auditam non deſpiciat, vel contemnat. *Et ne deſpexeris*, Tertiò quod magis impleat, ibi, *Intende mihi.*

Dicit ergo, Sic oraui contra tribulantes, & ô *Deus.* Expone vt frequenter expoſitum eſt, qui potes, ſcis, & vis. *Exaudi orationem meam*, fuſam pro liberatione à malis.

Et ne deſpexeris. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic audi orationem, *& ne deſpexeris*, poſtquam audieris, *deprecationem meam.* Deprecatio idem eſt quod oratio. Vel deprecatio pro malis amouendis, oratio pro bonis adipiſcendi. Notandum enim, ſicut dicit *Gloſſa*, quod aliquorum orationes Deus audit, & auditas deſpicit, illorum ſcilicet, qui petunt temporalia: audit quidem Deus orationes illorum, illis dando quod petunt, ſed contemnit, quia ad malum illorum eſt quod illis tribuit, & ex ira Dei. Sic petentibus cibaria dedit in deſerto, & ſtatim interfecit quibus dederat. *Pſal.* Et pluit illis manna ad manducandum. Et ſtatim ſequitur: Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos. Cum enim petuntur temporalia ad ſuperbiendum, ſi dantur, ex ira dantur. *Auguſt.* Aliud eſt petere vt ſuperbias, aliud vnde viuas: licitè enim petuntur temporalia ſub fine æternorum, & ad illa ordinata.

3. Sic non deſpicias, ſed magis *intende mihi*, meam videndo miſeriam & intentionem: *& exaudi*, ad effectum audi. *Eccleſ.* 35. Non deſpiciet Dominus loquelam pupilli cum effuderit querelam gemitus. *Dan.* 9. Exaudi Domine, attende, & fac.

Contriſtatus ſum. Hîc ſecundum, in quo oſtendit neceſſitatem, miſeriam ſcilicet, quam ſuſtinet: & dicuntur quatuor. Primò exprimit miſeriam. Secundò miſeriæ cauſam, ibi, *A voce.* Tertiò modum inferendi illam miſeriam. *Quoniam declinauerunt.* Quartò vehementiam. *Cor meum.* Miſeriam autem tangit duplicem. Affectus primò. Secundò intellectus. *Et conturbatus.*

Dicit ergo: Sic rogo & clamo, & neceſſe habeo, quia ecce *contriſtatus ſum*, ratione & ſenſualitate triſtatus in affectu. 2. *Reg.* 18. Contriſtatus rex aſcendit cœnaculum. Sed contra *Prou.* 12. Non contriſtabit iuſtum quicquid ei acciderit. Reſp. Non triſtitia quæ non ſit ſecundum Deum, ſed triſtitia ſæculi quæ mortem operatur. Sed triſtitia quæ eſt ſecundum Deum, bene contriſtatur etiam vſque ad turbationem rationis. 2. ad *Cor.* 12. Gaudeo quia contriſtati eſtis ſecundum Deum.

Et hoc, *in exercitatione mea*, id eſt, in pœnis & miſeriis quæ me exercent. Eſt enim exercitatio tentationis de qua in *Pſal.* Exercitabar, à diabolo & carne tentationibus, & ſcopebam ſpiritum meum, in ſcopa confeſſionis puræ. *Gregor.* Tentatio non eſt noua generatio vitiorum, ſed exercitatio virtutum. Sapientiæ in ſtudio. *Geneſ.* 24. Vbi nos habemus, Egreſſus fuerat Iſaac ad meditandum in agro, alia litera habet: Ad exercitandum ſe. Pœnitentiæ. 1 ad *Tim.* 4. Exercitatio corporalis ad modicum valet. Miſericordiæ. In eodem, Exerce autem teipſum ad pietatem. Pietas enim promiſſionem habet vitæ quæ nunc eſt, & futuræ. Et iuſtitiæ in operibus legis. *Pſal.* Seruus autem tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis. Et tribulationis & moleſtiæ ſicut hîc. *Gregor.* Abel eſſe renuit, quem Caïn malitia non exerceret.

Et conturbatus ſum, intellectu. *Thren.* 1. Vide Domine quoniam tribulor: conturbatus eſt oculus meus, & venter meus.

A voce. Hîc ſecundum, in quo tangit cauſam duplicem: vituperia oris, & flagella operis. Et hæc contriſtatio, & conturbatio ſunt. *A voce inimici*, vituperia inferentis, *& à tribulatione peccatoris*, flagella imponentis. *Pſal.* Inimici mei dixerunt. De vtroque alibi: A voce exprobrantis & obloquentis, à facie inimici & perſequentis.

Quoniam declinauerunt. Hîc modum quo contriſtant loquentes: & tanguntur duo. Primò quia culpam falsò imponunt. Secundò quia ſine cauſa moleſtiam inferunt. *Et in ira.* Dicit ergo: Sic turbor à voce & tribulatione. Sed nunquid contra te talia faciunt? Sic: *Quoniam declinauerunt*, id eſt, cum quodam impetu impoſuerunt, *in me iniquitates*: quæ erant in ſemetipſis, etiam in me declinauerunt: ſicut factum eſt in Chriſto à Iudæis, qui cum dæmoniis pleni eſſent, dicebant Chriſto *Ioan.* 8. Dæmonium habes. *Pſal.* Declinauerunt in te mala.

Et in ira ſua, non alia de cauſa, *moleſti erant*, moleſtiam inferebant. *Mihi. Eccleſ.* 29. Multi præſtiterunt moleſtiam his qui ſe adiuuerunt, velut his qui bona faciunt. *Matth.* 2. Quid moleſti eſtis huic mulieri? bonum enim opus operata eſt in me.

Cor meum conturbatum eſt. Hîc quartum, in quo oſtendit turbationis & contriſtationis vehementiam. Et primò oſtendit miſeriam interiorem. Secundò exteriorem. *Timor, & tremor.* Interiorem oſtendit quantum ad intellectum primò,

primò, poſteà quantum ad effectum. *Et formido mortis.* Dicit ergo: Nunc contriſtatus, & conturbatus ſum, *quia cor meum.* Vel ſic, mihi moleſti ſunt, & ita *cor meum conturbatum eſt. Thren.* 2. Conturbata ſunt omnia viſcera mea: & hoc, *in me*: quia ſi non eſt in me aliquo modo turbationis cauſa, vel ratio, non me poſſunt conturbare exterius moleſtantes. *Gregor.* Iuſtum eſt vt in ſe ſemper mœrorem inueniat, qui relicto vero gaudio in ſe gaudium quærit. *Pſal.* Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea.

Et formido mortis, hoc eſt, formido qua timeo mortem, *cecidit ſuper me*, ſuper oppreſſionem notatam. *Ezech.*7. Operiet eos formido, & in omni facie confuſio. *Thren.*3. Formido & laqueus, ſcilicet eſt vobis. *Deuter.*38. Dabit tibi Dominus cor pauidum, & deficientes oculos, animam dolore confectam.

6. *Timor & tremor.* Hîc tangit exteriorem miſeriam, & primò tangit miſeriam. Secundò cauſam. *Et contexerunt.* Dicit enim: Sic interius, & etiam *timor & tremor*, hoc eſt tremor ex exteriori timore ſurgens, *venerunt ſuper me. Iob* 4. Pauor tenuit me, & tremor, & omnia oſſa mea perterrita ſunt. *Eccleſ.* 16. Et cum conſpiciet illa Deus, tremore concutientur. Et dicit, *Venerunt ſuper me*, tanquam fluctus ad obruendum me. *Pſal.* Omnes fluctus tuos, &c.

Et contexerunt me tenebræ. Ecce cauſa timoris: quia tenebroſa. Tenebroſi peccatores emphaticè dicti *tenebræ. Contexerunt me*, abundanter circundando me. Ad *Epheſ.* 5. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux., &c. Tenebræ autem dicuntur mali, quia in tenebris ſunt peccatorum. *Exod.* 10. In tenebris erant Ægyptij, maximè qui ſunt in odio. 1. *Ioan.*2. Qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt. Et etiam tenebræ dicuntur, quia tendunt ad æternas. *Iob* 10. Terram miſeriæ & tenebrarum, vbi, &c. Et 7. Replebor doloribus vſque ad veſperas. *Sap.* 17. Vna catena tenebrarum omnes erant colligati.

7. *Et dixi: Quis dabit.* Hîc ſecundum primæ partis totius huius Pſalmi: in quo poſtquam petiit, oſtendit ſe feciſſe quod in ſe fuit: & dicũtur duo. Primò, quòd habuit appetitum ſeparandi ſe à malis quantum poſſet. Secundò, quòd ad effectum perduxit. *Ecce elongaui fugiens.* In prima duo. Primò deſiderium ſuum exprimit. Secundò de quo fuerit illud deſiderium, & ad quid. *Et volabo.* Dicit ergo: Sic afflictus ſum à malis, & ſic rogo liberari ab eis. Et quid facies? Aliquid. *Et dixi* interius in corde meo deliberando & quærendo: *Quis dabit mihi pennas?* Non milui rapacis, de quibus *Ierem.*1. Ideò ſanguis animarum pauperum inuentus eſt in alis veſtris. Sed *columbæ*, quæ ſimplex eſt. *Matth.* 10. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Felle caret. Ad *Hebr.* 12. Ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans impediat. *Sapient.* 8. Non habet amaritudinem conuerſatio illius. Gregatim volat. *Eccleſ.*4. Melius eſt eſſe duos ſimul, quam vnum ſolum: habent enim ambo emolumentum ſocietatis ſuæ. Væ ſoli, quia ſi ceciderit, non habet ſubleuantem ſe. Nutrit pullos alie-

Iuſtus colũbæ comparatur.

nos, non tantum proprios. *Matth.*5. & *Luc.*6. Diligite inimicos veſtros, bene facite iis qui oderunt vos. Oſculum habet, quod eſt pacis ſignum. Ad *Rom.*12. Quod in vobis eſt, cum omnibus pacem habentes. Ad *Hebr.*12. Pacem ſequimini & ſanctimoniam, ſine qua, &c. Puro grano veſcitur, non cadaueribus vt coruus. *Prouerb.*24. Noli eſſe in conuiuiis peccatorum, & cum iis qui carnes conferunt ad veſcendum. *Oſeæ vltimo*, Viuent tritico. Super aquas rõidet, vt caueat ab accipitre, id eſt, ſuper ſcripturas. *Cantic.* 5. Oculi tui ſicut columbæ ſuper riuos aquarum. Gemitum doloris habet pro cantu laſciuiæ, & diſſolutionis. *Iſa.* 59. Quaſi columbæ meditantes gememus. Ad *Rom.*8. Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Vltimò nidificat in petra, Chriſto. 1. ad *Corinth.*10. Petra autem erat Chriſtus. *Ierem.*48. Relinquite ciuitates habitatores Moab, & habitate in petra, & eſtote quaſi columba in ſummo ore foraminis. Ecce pennæ columbæ virtutes, quibus ad alta volatur. Sed ſunt altiores pennæ aquilæ in viris iam perfectis in contemplatione, de quibus *Iſa.*40. Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas vt aquilæ. Qui fiunt ſic pennati, non timent retia diaboli. *Prou.*1. Fruſtrà iacitur rete ante oculos pennatorum.

Et volabo. Hîc tangit ad quid velit, & tangit finem proximum, vt bona operetur. *Et volabo*, bona operando, & alas mouendo. *Ezechiel.* 1. Sub pennis eorum manus hominis. Et vltimum, *Et requieſcam*, in Deo. *Auguſtin.* Inquietum eſt Domine cor meum, donec veniam ad te. *Ioan.* 17. In mundo preſſuram, in me, &c.

Ecce elongaui fugiens. Hîc adimpletio deſiderij, ſeu propoſiti: & dicuntur duo. Primò elongatio à tumultu. Secundò perſeuerantia vel duratio in illa elongatione. *Et manſi in ſolitudine.* Ait enim: Sic ordinaui, deſideraui, & propoſui, & *ecce elongaui fugiens*, non diſtantia corporali, ſed morum diſſimilitudine, à malis elongaui. *Iob* 3. In ſomno meo requieſcam cum regibus, & conſulibus, qui ædificant ſibi ſolitudines. *Geneſ.* 19. Ne ſtes in omni circa regione, ſed in monte ſaluum te fac. Quaſi diceret: Non tantum ſepareris, ſed elongeris. *Apocalypſ.*12. Mulieri datæ ſunt alæ, & & fugit in deſertum, & ibi peperit. Et ſic elongatus, *manſi in ſolitudine*, non ſtatim redij: & propter hoc dignus fui diuina conſolatione. *Oſeæ* 2. Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius. 8.

Et nota, quòd in ſolitudinem non fugit, nec manet, qui in diuitiis & honoribus & deliciis viuit: nihil enim talium in ſolitudine. Propter hoc dicit *Bernard.* Fugite fratres de medio Babylonis, mundi ſcilicet: pericliratur enim caſtitas in deliciis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in nequam ſæculo. Et idem, Fugite fratres ad ciuitates refugij, vt poſſitis de præteritis agere pœnitentiam, & in præſenti obtinere gratiam, & futuram gloriam fiducialiter præſtolari.

Expectabam eum. Hîc ſecunda pars totius Pſalmi, in qua ſperans exaudiri pro ſe, inimicis imprecatur, ſecundum quod duo dicuntur. 9.

Primò, quòd ſperans habuit in Deo fiduciam. Secundò ſubiungit imprecationem contra malos. *Præcipita Domine.* In prima duo, ſecundum duplicem rationem confidentiæ quam tangit. Prima præcedens liberatio à puſillanimitate habita ex ſe, & turbatione habita ex aliis. *Et tempeſtate.* Dicit ergo: Sic in ſolitudinem receſſi, & quid ibi faciebas? *Expectabam*, vt me perfectè ab omni miſeria liberaret. *Geneſ. pen.* Salutare tuum expectabo Domine. Ad *Phil.*3. Saluatorem expectamus, &c. *Luc.* 12. Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum. *Eum qui ſaluum me fecit*, iam, *à puſillanimitate ſpiritus*, quæ grande malum eſt. *Eccl.*7. Noli eſſe puſillanimis in animo tuo. *Iſa.*35. Puſillanimes confortamini, & nolite timere. *Et tempeſtate*, orta in me ex concuſſione tentationum. *Dan.*4. Quatuor venti pugnabant in medio maris, quatuor genera tentationum in corde peccatoris, quod eſt mare. *Iſa.*57. Cor impij quaſi mare quod quieſcere non poteſt. Et facta eſt etiam tempeſtas magna. Iſti venti ſunt tentatio grauis & occulta, quæ ſufflat ex vna parte: leuis & aperta, & quaſi à contrario: grauis & aperta ex altera: leuis & occulta ex oppoſito. Sed Deus ſaluat ab iis, in deſerto ſolitudinis. *Tob.*4. Poſt tempeſtatem, tranquillum facis. *Ierem.*23. Inuenit populus gratiam in deſerto. *Iſa.*32. Et erit quaſi vir qui abſcondit ſe à vento, & velut qui abſcondit ſe à tempeſtate. *Matth.*8. Imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Vel quatuor affectiones: gaudium, triſtitia, ſpes, & timor. Hæ timent quod non oportet, & ſperant quod non decet: dolent vanè, gaudent vanius.

Quadruplex tentatio quatuor ventis comparata.

10. *Præcipita Domine.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur imprecatio. Et primò contra impugnantes apertè. Secundò contra impugnantes occultè, ibi, *Quoniam ſi inimicus meus.* In prima duo. Primò imprecatio pœnæ. Secundò ratio imprecationis. *Quoniam vidi.* In prima duo, ſecundum duo quæ illis imprecatur. Primum, præcipitatio à ſtatu dignitatis. Secundum, diſſipatio peruerſæ vnitatis, vt non poſſint conuenire ad malum perpetrandum, ibi, *Et diuide linguas eorum.* Dicit ergo: Sic confidebam liberari plenè: & tu, ô Domine, qui potes, *præcipita*, munitiones malorum contra me, ne ſtent, ſicut dæmonem præcipitaſti. *Luc.*10. Videbam ſathanam, ſicut fulgur de cœlo cadentem. Sicut præcipitas omnem ſuperbiam. *Thren.*2. Præcipitauit Dominus, nec pepercit, omnia ſpecioſa Iacob. Sicut & in futuro præcipitabis ipſam mortẽ. *Iſa.*25. Præcipitabit Dominus mortem in ſempiternum. Munitiones omnis malitiæ contra omnem iuſtitiam, ſunt malorum aduocatorum linguæ. Has petit tanquam peſſimas machinas præcipitari: & ſic fiet. *Iob* 40. Videntibus cunctis præcipitabitur. Et linguæ adulatorum, & iſtæ præcipitabuntur cum illis quibus adulantur. *Iſa.* 9. Erunt qui beatificant populum iſtum, & qui beatificantur præcipitati.

Et diuide linguas eorum, ne veniant in vnitatem & concordiam contra me, ſicut diuiſiſti antiquitus turrim Babel fabricantes. *Geneſ.*11. *Thren.*2. Facies Domini diuiſit eos. Aliquando enim vnio mala eſt, quando ſcilicet ad malum: & bonum eſt vt diſſipetur. *Gregor.* Si iniuſtorum vnitas noxia non fuiſſet, diuina prudentia linguarum vnitatem in tantam diuerſitatem non diſſipaſſet.

Quoniam vidi iniquitatem. Hîc ſubiungit rationem, ſcilicet eorum culpam apertam quare ſunt puniendi. Et primò tangit culpam in Deum. Secundò contra proximum. *Die ac nocte.* Duplicem autem culpam tangit contra Deum. Perfidiam contra ea quæ ſunt fidei, inobedientiam contra ea quæ ſunt moris. *Et contradictionem.*

Dicit ergo: Sic præcipita, & diuide, *quoniam vidi*, tanquam apertum malum, *iniquitatem. Gloſſa.* Perfidiam eorum qui non credunt nec fidei articulis, nec ſacramentis, nec diuinis promiſſis. *Exod.*21. Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem: ter contra tria prædicta: perfidiam, contradictionem, inobedientiam. *Oſeæ* 4. Populus tuus, ſicut qui contradicunt ſacerdoti. *Iſa. pen.* Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi. Et hoc *in ciuitate*, Babylonia, in malorum vita confuſione plena. Hæc ciuitas, de qua *Oſeæ* 11. Deus in medio tui ſanctus, & ciuitatem non ingrediar. Hæc eſt ciuitas de qua *Ezech.*21. Hæc eſt quæ humilem ſublimauit, & ſublimem humiliauit. Non eſt illa de qua ſcriptum eſt: Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei. Nec illa, de qua *Matth.* 5. Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita.

Die ac nocte circundabit. Hîc ſecundum, in quo tangit inordinationem ad proximum: & dicuntur tria. Primò iniquitatis in proximum continuitas. Secundò iniquitatis generalitas. *Labor in medio.* Tertiò eiuſdem fraus & doloſitas. *Et non defecit.* Dicit ergo: Tales ſunt in Deum, & etiam *circundabit eam iniquitas*: iniquitas, inquam, exiſtens, *ſuper muros eius*, ad literam in maioribus, & principibus, & prælatis, qui debent eſſe muri. *Iſa.* 49. Muri tui coram oculis meis ſemper. Et 62. Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes, ſcilicet Prælatos & Angelos. *Iſa.*1. Principes tui, ecce muri: infideles, ſocij furum, ecce iniquitas ſuper muros. Et in 5. Expectaui vt facerent iudicium, & ecce iniquitas: & iuſtitiam, & ecce clamor pauperum quos opprimunt. Et hoc non ad horam, ſed *die ac nocte.* Quaſi diceret: Continuè, vel in die proſperitatis, ac nocte aduerſitatis. *Et labor*, ſuperflua acquirendi, in quo notatur cupiditas non habitorum: *& iniuſtitia* retinendi aliena, in quo auaritia retinendorum: *in medio eius*, in omnibus generaliter & apertè. *Ier.* 6. A minore vſque ad maiorem omnes auaritiæ ſtudent. 11.

Vel vt coniunctim legatur. *Labor & iniuſtitia*, id eſt, laborioſa iniuſtitia, *in medio eius. Ier.*9. Vt inique agerent laborauerunt. *Eccleſ.*10. Labor ſtultorum affliget eos, quia neſciunt in ciuitatem pergere. Propter hoc dicturi ſunt: Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis.

Et non defecit. Hîc tertium. Quaſi diceret: Sic continuè, & omnes: *& non defecit de plateis eius*, non de angulis, vt totum ſit in publico, *vſura & dolus*, id eſt, doloſa vſura, qua requiritur vltra ſortem aliquid, contra illud *Deuter.* 23. Non commodabis ad vſuram. *Luc.* 6. Date mutuum, nihil inde ſperantes. *Et non defecit*

Notatur continuitas, vel perſeuerantia: *de plateis*, manifeſtatio: *vſura*, culpæ augmentatio: *& dolus*, pietatis ſimulatio.

Rapacitas vſurary variis ſimilibus expreſſa.

Et nota, quòd vſurarius comparatur lappæ, tenaci valde & rapaci. *Oſeæ 9.* Deſiderabile argentum eorum vrtica hæreditabit pungitiua: lappa, id eſt, tenacitas, in tabernaculis eorum. Sed quantumcumque fortiter teneat, relinquet tandem omnia. *Iob 27.* Diues cum dormierit, nihil ſecum auferet. Et talpæ, quæ tantum ſuper ſe de terra cumulat, quod ſe ſuffocat, & occidit. *Abac.2.* Væ qui congregat non ſua: vſquequo congregat aduerſum ſe denſum lutum? Buboni, quæ eſt auis odio habens lucem, & amatrix tenebrarum. Sic vſurarius occultat ſemper ſuam iniquitatem, & palliat. *Ioan. 3.* Qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lumen, vt non arguantur opera eius. Dæmoni, qui pro modico multum expetit, pro delectatione tranſitoria, æterna ſimplicia, ſicut dicitur *Iſa 14.* Quomodo ceſſauit exactor? quieuit tributum? Et de fœneratore dicitur 4. *Reg. 4.* Creditor venit vt tollat duos filios meos. Quietem diligit, & nihil vult facere, ſicut diabolus. *Iſa.14.* Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Et Dei ſententiæ contradicit. *Geneſ.3.* In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.

13. *Quoniam ſi inimicus meus.* Hîc ſecundum, in quo inprecatur apertis perſequutoribus, & inimicis: & dicuntur tria. Primò manifeſtat eorum culpam. Secundò imprecatur pœnam, ibi, *Veniat mors ſuper illos.* Tertiò oſtendit pœnæ dignitatem. *Quoniam nequitia.* In prima ad aggrauandam eorum malitiam dicuntur duo. Primò oſtendit perſequutionis apertæ facilem eſſe tolerantiam. Secundò occultam per domeſticos importabilem. *Tu vero homo vnanimis.* In prima duo. Primò portabilem in verbis opprobrioſis. Secundò in comminatoriis. *Et ſi is qui oderat me.* Dicit ergo: Sic prædicti perſequuntur me, & mali ſunt, ſed ſunt alij deteriores eis. *Quoniam ſi inimicus meus*, apertus, *maledixiſſet mihi*, opprobria, blaſphemias inferendo, *ſuſtinuiſſem vtique*, patienter tolerando, ſicut Dauid ſuſtinuit Semei maledicentem ſibi 2. *Reg. 16.* Dimitte eum vt maledicat mihi. Et de Chriſto dicit Petrus 1. *Pet. 2.* Qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, &c.

Et ſi is qui oderat me, apertè, *aduerſum me magna loquutus fuiſſet*, comminando, *abcondiſſem me forſitam ab eo*, ſicut caput meum Chriſtus fecit. *Ioan.8.* IESVS autem abſcondit ſe, & exiuit de templo. Sicut etiam docuit *Matth.* 10. Si vos perſequuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam: quia, ſicut dicit *Gloſſa*, iacula præuiſa minùs feriunt, quam non præuiſa. Sic Moyſes ceſſit furori Pharaonis, *Exod. 2.* & fugit in Madian. Nec eſt contrarium quod dicitur *Ioan. 10.* de mercenario, qui videt lupum venientem, & fugit, eò quod mercenarius eſt: quia illud intelligitur in perſequutione Eccleſiæ generali, hoc quod hic dicitur, in particulari.

14. *Tu vero homo vnanimis.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit importabilem per multas conditiones occultam impugnationem. Primò naturalis conformitas. *Homo.* Secundò voluntatum vnitas. *Vnanimis.* Tertiò palliata bonitas. *Dux meus.* Quartò cultus identitas. *Et notus meus.* Quintò cómunitas in victu. *Qui ſimul mecum.* Sextò in officio & actu. *In domo Dei ambulauimus.* Dicit ergo: Sic illum ſuſtinere fortè poſſem, vel ab eo cauere. *Tu vero*, qui perſequeris me, es *homo* mihi conformis in natura, & propter hoc debes me diligere naturaliter. *Eccleſ. 13.* Omne animal diligit ſimile ſibi. Et volatilia ad ſimilia congregantur. Et mihi *vnanimis* fuiſti, in vna voluntate coniunctus. Ad *Phil.3.* Statis in vno ſpiritu vnanimes. *Dux meus*, qui me in multis dirigebas, & ducebas, tanquam verus eſſes amicus. Sed, vt video, de illis eras, de quibus *Matth.15.* Cæci ſunt, & duces cæcorum. *Prouerb. 18.* Iniquus homo iactat amicum ſuum, & ducit illum per viam non bonam.

Et notus meus, qui in eadem Eccleſia mecum fuiſti. In hoc cultu identitas. *Iſa. 11.* Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis? *Iob 19.* Noti mei, quaſi alieni receſſerunt à me.

Qui ſimul mecum, id eſt, aſſociatus aliis. Hoc notat *ſimul*. *Mecum dulces capiebas cibos.* Ecce communitas in victu. Cibos, inquam, corporales. *Eccleſ.6.* Eſt amicus ſocius menſæ, & non permanebit in die neceſſitatis. Et ſpirituales Scripturarum, qui nunc dulces ſunt. *Pſal.* Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper meliori meo. *Ezech.3.* Aperui os meum, & comedi volumen, & erat in ore meo dulce tanquam mel.

In domo Dei, id eſt, in Eccleſia, *ambulauimus cum conſenſu*: quod Deo placet. *Matth.5.* Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod habet tuus frater aliquid aduerſum te, &c. Et poſt in eodem, Eſto conſentiens aduerſario tuo, dum es in via. *Gen.45.* Dixit Ioſeph fratribus ſuis: Non iraſcamini in via. Tu, inquam, taliter me perſequutus es, quod eſt importabile magis. Propter hoc dicitur *Michæ. 7.* Nolite credere amico, & nolite confidere in duce. *Cantic. 1.* Filij matris meæ pugnauerunt contra me. *Iſa. 38.* Ecce in pace amaritudo mea amariſſima.

Hæc omnia aliter leguntur ab illo loco, *Expectabam*, vt loquatur Chriſtus ſic: *Expectabam*, patrem ſcilicet meum, *qui ſaluum me fecit à puſillanimitate ſpiritus*, ne deficerem in paſſionibus: *& tempeſtate*, ne iraſcerer contra perſequentes ſecundum illud *Iſa.42.* Non erit triſtis, puſillanimitate: nec turbulentus, iracundia. Sed, ô tu Domine, *præcipita illos*, Iudæos me perſequentes, in miſeriam: *& diuide linguas eorum*, per diſſenſionem inter ipſos, quod & factum eſt: quia poſt 42. annos à Chriſti paſſione, obſeſſi ſunt à Romanis, & pugnabant per diem contra illos, & per noctem ad inuicem. Alibi in *Pſal.* Diſperge illos in virtute tua, & depone illos protector meus Domine. Sed quare hæc fient? Et hoc peto. *Quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate*, Ieruſalem. Hoc non mutatur vſque ibi, *Quoniam ſi inimicus meus*: & tunc ſpecialiter contra factum ipſorum per Iudam. Nec mutatur lectura vſque ibi, *Tu vero homo vnanimis*, qui mea ſciebas conſilia. *Ioan. 15.* Vos autem dixi amicos: quia omnia quæ audiui à patre, &c. Ad *Rom.3.*

Credita ſunt illis eloquia Dei. *Dux meus*, id eſt, meorum, quia prædicator eras & doctor. *Iſa.* 59. Ducem ac præceptorem Gentibus dedi eum. *Et notus meus*, inter alios ſpecialior, quia totum tibi commiſeram. *Pſal.* Elongaſti à me amicum & proximum. Et *Iob* 19. Quem maximè diligebam, aduerſatus eſt mihi. *Qui ſimul mecum dulces capiebas cibos*, iudicia ſcripturarum, quæ erant antiquis delectabilia. Et quantum ad peccatum Iudæ ſpecialiter, corporales. Comedit enim cum Chriſto in eadem ſcutella. *Ioan.* 13. Et cum intinxiſſet buccellam, dedit Iudæ Simonis Iſcariotis. Proditori enim ſoli corporales dulces erant, non ſpirituales illi de quibus *Sap.* 16. Panem de cœlo præſtitiſti eis habentem in ſe omne delectamentum, & omnem ſaporis ſuauitatem. *In domo Dei*, ad literam, in materiali templo, *ambulauimus cum conſenſu*. Simul enim cum Chriſto templum intrabat, & prædicationibus aſſiſtebat.

16. *Veniat mors ſuper illos.* Hîc ſecundum, in quo imprecatur eis pœnam: & dicuntur duo. Primò mortis imprecatio. Secundò expoſitio illius imprecationis. *Et deſcendant.* Dicit ergo: Tales ſunt inimici, & ſic infeſtant me, & propter hoc rogo, *veniat mors*, noua, *ſuper illos*. In hoc quod dicit *illos*, innuit, quòd non erat tantum vnus ſingularis inimicus, cui ſuprà loquebatur. Sed in illo loquebatur omnibus. *Et deſcendant in infernum viuentes*, ſicut Dathan & Abiron. *Num.* 16. Sed nunc opponitur quod nihil tale legimus, vel de Iudæis, qui Chriſtum ſunt perſequuti, vel de malis Eccleſiam perſequentibus. Sed reſpon. eſt, quod ſicut illi, ſcilicet Dathan & Abiron à terra ſunt abſorpti, & per hoc deſcenderunt in infernum, ſic Iudæi, ſic Eccleſiæ perſequutores abſorbentur à terra, terrena ſcilicet concupiſcentia, & ſic quaſi ſcienter deſcendunt in infernum. Sciunt enim Iudæi certiſſimè periculum ſuum, maximè maiores, ſed propter inuidiam non reſipiſcunt.

Et nota, quòd nouo generi peccati, noua debetur pœna. Peccauerunt Sodomitæ nouo genere peccati, & noua morte perempti ſunt. *Geneſ.* 19. Similiter Dathan & Abiron noua morte occiſi ſunt. *Num.* 16. Si conſueta hominum morte interierint, & viſitauerit eos plaga, qua & cæteri viſitari ſolent, non miſit me Dominus. Et poſt pauca, Deſcenderunt viui in infernum operti humo. Vel poteſt legi vt petatur duplex pœna, ſicut & in illis fuit. Pro minoribus pœna ignis. *Veniat mors ſuper illos.* Quantum ad minores cum maioribus conſenſerint. Ad *Rom.* 2. Non ſolum qui talia agunt, ſed qui facientibus conſentiunt, digni ſunt morte. Et imprecatur eis ignem, quia igne iræ & furoris accenſi ſunt à ſuis ducibus contra Chriſtum, quem viderant tot miracula facientem. *Et deſcendant in infernum*, terrenæ cupiditatis, *viuentes*, non ignoranter, ſed ſcientes ſe peccare. *Num.* 24. Hæc dicit vir qui cadens, apertos habet oculos.

Quoniam nequitiæ. Hîc tangitur dignitas pœnæ impoſitæ, hoc eſt, quia digni ſunt tanta pœna propter duo quæ tangit. Primò rapina. Secundò, quòd voluntariè, & cum deliberatione facta, vno modo legendo. Vel melius ſecundum aliam lecturam, primò iniquitatis occultatio. Secundò occultatæ tandem manifeſtatio. *In medio.* Dicit ergo: Sic puniantur, & digni ſunt, *quoniam nequitiæ*, res ſcilicet per nequitiam acquiſitæ, *in tabernaculis eorum*, id eſt, in hoſpitiis vel domibus. *Iſa.* 3. Rapina pauperum in domo veſtra. *Amos* 3. Theſaurizantes iniquitatem, & rapinam in domibus ſuis. *Ier.* 2. Inuentus eſt ſanguis animarum pauperum in alis veſtris, in familiis & ſociis veſtris. Domus tabernacula dicuntur, quia tota vita eſt peregrinatio, & peregrini inhabitant. *Gen.* 46. Dies peregrinationis meæ parui & mali. 2. ad *Cor.* 5. Quandiu ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino. Ad *Hebr.* 11. Sed confitentes quoniam aduenæ ſunt & peregrini, quia non naturales. *Sap.* 1. Deus mortem non fecit, ſed impij. *In medio eorum*, id eſt, in cordibus ipſis. *Pſal.* Tranſierunt iniquitates & peccata, in affectum cordis.

Vel ſic: *Nequitia in habitaculis eorum*, id eſt, in occulto, & latenter eſt in eis. Ad *Eph.* 5. Quæ in occulto ab eis fiunt, turpe eſt dicere. *In medio eorum*, venientes tandem vt omnibus notæ fiant. Vel quia ipſimet illas aliis prædicant. *Iſa.* 3. Peccatum ſuum ſicut Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt: quia certè aliis ipſis volentibus fœtent. *Matth.* 10. Nihil opertum quod non reueletur, & nihil occultum quod non ſciatur. *Ierem.* 2. Aſcendit putredo eius, & aſcendit fœtor eius. *Amos* 4. Aſcendere fecit putredinem caſtrorum meorum.

17. *Ego autem ad Dominum.* Hîc tertia pars Pſalmi, in qua poſtquam orauit pro ſua liberatione, & pro aduerſariorum punitione, prædicitur quid futurum ſit vtriſque. Et primò quid futurum ſit bonis, in quorum gratiam primò oratum. Secundò quid malis malis, ibi, *Exaudiet Deus.* In prima duo. Primò oſtendit præmiſſæ orationis fructum. Secundò ſe laudaturum tanquam gratum, & laudationis bonum quod aſſequetur. *Veſpere & mane.* In prima duo. Primò tangit orationis feruorem. Secundò feruoris vtilitatem. *Et Dominus ſaluabit.* Dicit ergo: Tales illi, & in aperto, & in occulto, propter quod iuſtè ſunt puniendi. *Autem*, ſed *ego clamaui*, non tantum clamore oris, ſed magis cordis in contriſtatione qua exercebar, ſicut Suſanna falsò à ſacerdotibus impugnata. *Dan.* 13. Et ſicut Moyſes Ægyptiis perſequentibus. *Exod.* 14. Sciens illud. 2. *Paral.* 20. Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te.

Et Dominus ſaluabit me, vel *ſaluauit*. *Iſa.* 19. Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis ſaluatorem. *Ierem.* 11. Clamaui ad Dominum de tribulatione, & exaudiuit me. *Iſa.* 4. & *Ioël.* 3. Et erit, omnis quicumque inuocauerit, intus vocauerit, nomen Domini, ſaluus erit.

18. *Veſpere & mane.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungit gratitudinem, & eam fructuoſam valdè: vnde dicuntur duo. Primò præmittit laudem tanquam gratus pro acceptis iam bonis. Secundò ſubiungit vtilitatis certitudinem. *Et exaudiet vocem meam.* Dicit ergo: Sic oraui & accepi, & propter hoc nolens ingratus inueniri. Dupliciter autem legitur: Vel vt fiat narratio,

tio, vel enuntiatio bonorum Dei factorum vel faciendorum generaliter, vel aliquorum, paſſionis ſcilicet vel reſurrectionis ſpecialiter. Dicit ergo: Sic clamaui, & ſic exauditus ſum, & propter hoc tanquam gratus, *veſperè narrabo.* Gloſſa, de præteritis: *& mane annuntiabo*, de futuris.

Sed opponunt, quòd magis deberet dici è contrario. Potius enim per *veſpere* futura debent intelligi, & per mane præterita, quam è contrario. Reſpon. Omnes quia veſpere mane præceſſit, & mane ſequutum eſt, ſecundum illud *Geneſ.*1. Factum eſt veſpere & mane, &c. Sic melius per veſpere præterita, per mane futura. Sed melius poteſt dici, ſi bene intelligatur litera, quod ſenſus eſt: *veſpere narrabo* de præteritis, id eſt, præterita beneficia mihi in die facta: *& mane*, de futuris, quæ futura expectabo, *annuntiabo* aliis, vt, ſupple, laudem ipſum. *Luc.*8. Redi in domum tuam, & narra quanta fecerit tibi Dominus. Vel ſic: *Narrabo veſpere*, id eſt, beneficium in veſpere factum, ſcilicet mortem. Ad *Coloſſ.*2. Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum. *Et annuntiabo mane*, id eſt, beneficium reſurrectionis, in quo nos tranſtulit in regnum claritatis ſuæ. Idem, Et trãſtulit nos in regnum filij dilectionis ſuæ.

Et exaudiet. Hîc tangit fructum gratitudinis: & dicuntur duo. Primò, quòd exaudietur. Secundò, in quo determinatur, ibi, *Redimet animam.* Dicit ergo: Sic narrabo veſpere, & annuntiabo mane: *& in meridie*, exiſtens Dominus, id eſt, ad dexteram patris. *Mar. vlt.* Aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei. Ad *Hebr.*8. Sedens ad dexteram, vbi interpellat pro nobis. Hæc eſt meridies, de qua *Cant.*1. Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie. Et ſic redduntur tria tribus: veſpere, mane, meridie, narrabo, annuntiabo, exaudiet. Et tanguntur tria beneficia, paſſionis, reſurrectionis, & aſcenſionis. Vel poſſet legi ſic: *veſpere*, ſenectutis, *mane*, iuuentutis, *& meridie*, virilis ætatis, *narrabo*, ſermone ſimplici, *annuntiabo*, prædicatione ſolemni tua beneficia. Sic accipitur mane, & hora ſexta, & nouiſſima. *Matth.*20. *Pſal.* Benedicam Dominum in tempore, ſemper laus eius, &c. *Tob.*4. Omni tempore benedic Dominum.

Nota antitheſim egregiam.

19. *Redimet in pace.* Hîc ſecundum, in quo dicit in quo exaudietur, quia in hoc quod plenè liberabitur, ſeu redimetur: & tanguntur tria. Primò redemptio. Secundò à quo erit illa redemptio. *Ab his qui appropinquant.* Tertiò neceſſitas redimendi. *Quoniam inter multos.* Dicit ergo: Sic exaudiet, & in hoc, *quod redimet animam meam.* Sed nunc iam redemit ipſe. Superius dixiſti, quod ſaluauit te. Reſp. Redimendum ſe dicit Dauid loquens tempore ſuo, in quo non erat adhuc facta redemptio. Superius autem dicit ſe ſaluatum ab inimicis materialibus qui eum infeſtabant. Sed melius eſt vt dicatur, quòd redemit Deus prædeſtinando ad redemptionem. *Iſa.* 43. Noli timere ſeruus meus Iacob: ego redemi te, hoc eſt, redimere diſpoſui, ſicut in liberatione Ægyptiorum redemit ſuos, hoc eſt, redimendos figurauit. Sic accipitur in *Pſal.* vbi poſtquam loquutus eſt de tranſitu filiorum Iſraël per mare rubrum, & de ſubmerſione Ægyptiorum, intulit: Qui redemit nos, id eſt, redimet nos, ab inimicis noſtris. Et pretium redemptionis mittendo, ſicut in *Pſal.* Redemptionem miſit Dominus, &c. *Luc.*1. Suſcitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ. Pretium ſoluendo. Sic accipitur propriè. 1. *Pet.*1. Non enim corruptibilibus auro & augento redempti eſtis de veſtra vana conuerſatione, ſed pretioſo ſanguine agni immaculati, & incontaminati IESV CHRISTI, iſtam adimplendo redemptionem. *Iſa.* 4. Sion in iudicio redimetur. Sic accipitur hîc & ſic conuenit cuilibet iuſto, in quocumque ſtatu in hac vita. Vnde ſignanter addit, *in pace*, æterna, ſupple, de qua ad *Phil.*4. Et pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, &c. Et hoc, *ab iis qui appropinquant mihi*, conuerſationis ſimilitudine, dicit iuſtus, qui videntur Chriſtiani confeſſione oris, ſed contrarij ſunt factis. Ad *Tit.* 1. Confitentur ſe noſſe, factis autem negant.

Vel in perſona Chriſti: *Appropinquant mihi*, ore laudando me, ſed corde elongando. *Iſa.*29. Appropinquat ad me populus hic ore ſuo, cor autem eorum longe eſt à me. *Iſa.*8. Et appropinquare Deo volunt tanquam gens quæ iuſtitiam fecerit, & quæ iudicium Dei ſui non dereliquit. Et neceſſe erat vt ab iis redimeretur anima, *quoniam inter multos.* Alia litera: *In multis:* & tunc exponunt de Sacramentis, feſtis, doctrina, & talibus, *erant mecum*, in Eccleſiis, ſed non in fide formata, & charitate, & ſpe, ſine quibus non poteſt quis placere Deo. De fide ad *Hebr.* 11. Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. De charitate 1. ad *Corinth.* 13. Charitatem autem non habuero, nihil ſum. De intermedia ſpe nulli dubium: qui enim deſperat, totum perdit. Exemplum de Cain *Geneſ.* 4.

Vel, *inter multos*, vocatos, *erant mecum*, palea cum grano in multitudine magna. *Eccl.* 7. Stultorum infinitus eſt numerus. Et nota *Gloſſ.* De vno enim ſemine. Et concludo. *Matth.*13. Triticum congregate in horreum meum, paleas autem comburet igne inextinguibili.

Exaudiet Deus. Hîc ſecundum, in quo prænuntiato quid fiet bonis, ſubiungitur de malis, & dicuntur duo. Primò prænuntiatio eorum quæ illis futura ſunt. Secundò couerſio Prophetæ in Deum, tanquam volentis effugere miſerias illorum, ibi, *Ego autem ſperabo.* Vltimum verſum *Pſal.* Item in prima duo. Primò quid eis futurum ſit in præſenti. Secundò quid in futuro, ibi, *Tu vero Deus deduces.* In prima duo. Primò pœna. Secundò vt monſtretur, quod digni ſunt, ſubiungitur culpa, ibi, *Non illis commutatio.* Dicit ergo: Hæc quæ præmiſi, mihi fient roganti pro me, & etiam aliis imprecanti, ſcilicet malis. *Exaudiet Deus*, ad votum audiet, quia mea petitio concordat iuſtitiæ eius: ille *qui eſt ante ſæcula*, etſi cum hominibus in ſæculis conuerſetur. *Baruc.*3. Poſt hoc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Ante ſæcula tamen exiſtens. *Eccleſ.*24. dicit Dei ſapientia: Ab initio, & ante ſæcula creata ſum, id eſt, genita *Prou.*8. Ab æterno ordinata ſum. *Humiliabit eos*, ipſos deiiciẽdo in hac vita. *Iſa.*2. Oculi ſublimis hominis humiliabuntur. Et hoc iuſtum, quia *Luc.*14. Qui ſe humiliat, exaltabitur. Et *Pſal.* Humilians autem peccatores, &c. 20.

Non eſt commutatio. Hîc ſecundum, in quo oſtenduntur digni humiliatione, per culpam ipſorum: & quia nihi eſt de quo Deus non eliciat bonum, duo dicuntur. Primò oſtendit eorum culpam. Secundò oſtendit eorum vtilitatem inde conſequentem in bonis, ibi, *Et appropinquauit.* In prima dicuntur quatuor. Primò obſtinatio in malo. Secundò diuini amoris abiectio. *Et non timuerunt.* Tertiò auerſio à diuina lege tanquam contemptibili, ibi, *Contaminauerunt.* Quartò diuiſio illorum per varios errores. *Diuiſi ſunt.* Dicit ergo: Humiliabuntur, & digni ſunt. *Enim*, quia, *non eſt illis commutatio*, à peruerſitate ſua. *Prouerb. 5.* Omnes qui ingredientur ad eam, non reuertentur. Et 27. Si contuderis ſtultum quaſi ptiſanas, deſuper feriente pilo, non auferetur ab eo ſtultitia eius. *Eccleſ. 1.* Peruerſi difficilè corriguntur. *Ierem. 13.* Si poteſt Æthiops mutare pellem ſuam, &c. Propter hoc dicitur *Ier. 48.* Fertilis fuit Moab ab adoleſcentia ſua, quieuit in fœtibus ſuis, non eſt transfuſus de vaſe in vas, & in transmigrationem non abiit: idcircò permanſit guſtus eius cum eo, ſcilicet peccati delectatio: & ordor eius, fœtor ſcilicet infamiæ, non immutatus. *Oſeæ 5.* Non dabunt cogitationes ſuas, vt reuertantur ad Dominum Deum ſuum. Propter hoc dicitur *Soph. 1.* Viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis.

Non eſt illis commutatio à malo, quia ſunt obſtinati.

Et non timuerunt Deum. Hîc ſecundum, in quo dicuntur duo. Primò diuini timoris abiectio. Secundò oſtenditur quaſi effectus proprius huius peccati, ſcilicet maior exacerbatio iræ Dei. *Extendit.* Ait enim: Sic non eſt in illis commutatio: & hoc, quia *non timuerunt Deum:* ſi enim timuiſſent, mutati eſſent. *Eccleſ. 2.* Qui timent Deum, præparabunt corda ſua. *Mala. 1.* Si ego Dominus, vbi eſt timor meus? Et propter hoc, *extendit manum ſuam*, præparando ſe in repercutiendo, *in retribuendo*, id eſt, ad retribuendum. *Iſa. 9.* Et adhuc manus eius extenta, & populus non eſt reuerſus ad percutientem ſe.

Et nota hîc, quòd eſt mutatio naturæ, ſicut in auibus, & ceruo, & ſerpente, de quibus alibi dictum eſt. Et eſt mutatio gratiæ per pœnitentiam veram. *2. Reg. 10.* Inſiliet in te ſpiritus Domini, prophetabis, & mutaberis in virum alterum. *Gloſſ.* De quo *Zach. 3.* Auferte ab eo ſordida veſtimenta, & induite eum mutatoriis. In contrarium autem debet mutari intentio primo, vt qui faciebat bona aliqua propter mundum, nunc faciat propter Deum. De quo in *Pſal.* Hæc mutatio dexteræ Excelſi. Debet mutari ſermo, vt qui prius turpia, nunc honeſta. *Iſa. 19.* In die illa, nunc pœnitentiæ ſcilicet: erunt quinque ciuitates, homines prius quinque ſenſibus ſeruientes: loquentes lingua Chanaan, hoc eſt, commutata. Propter hoc Dominus linguas Apoſtolorum commutauit. Habitus, vt qui prius mollibus, nunc duris veſtiatur. *Geneſ. 41.* Eductum de carcere Ioſeph totonderunt, & veſte mutata præſentauerunt Regi. *Exod. 19.* præceptum eſt vt populus recepturus legem, mutaret veſtem. Et actus, vt nunc bona faciat qui prius mala faciebat, donec in perfectam tranſmutationem. *Iob. 13.* Cunctis diebus quibus milito, expecto donec veniat immutatio mea.

Contaminauerunt teſtamentum. Hîc tertium, diſperſio teſtamenti Dei. Et etiam *contaminauerunt*, contaminatum reputauerunt, *teſtamentum eius*, promiſſionem ſcilicet eius contemnendo: illam, inquam, promiſſionem, quæ eſt de Gentium vocatione ad fidei vnitatem. *Geneſ. 22.* In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Putantes illud ſemper durare ad literam, Notus in Iudæa Deus, tantum, in Iſraël magnum nomen eius. Scripturas etiam corrumpendo, vel contraria illis faciendo, contaminant teſtamentum Dei, ſicut vinum bonum contaminatur, cum aquæ admiſcetur. *Iſa. 1.* Caupones tui miſcent aquæ vinum. Vel tertio modo *contaminant teſtamentum* qui viliter tractant quodlibet ſacramentum, maxime altaris. *1. Machab. 1.* Contaminauerunt ſanctificationem meam. *Ezech. 7.* Violabunt arcanum meum, intrabunt ad illud emiſſarij, & contaminabunt illud. *Malach. 3.* Menſa Domini contaminata eſt. Sed ad *Hebr. 10.* dicitur? Quantò deteriora putatis mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit? *Diuiſi ſunt*, per varios errores, & hæreſes. *Oſeæ 10.* Diuiſum eſt cor meum, nunc interibunt. Et hoc, *Ab ira vultus eius*, id eſt, Dei: hoc enim ab ira ex eius indignatione præcedente factum. Cum enim peccatum ſine timore Dei perpetratur, iuſtè datur anima vſque in errores & hæreſes. Ad *Rom. 1.* Propter hoc tradidit illos Deus in reprobum ſenſum: vt quiliber ſequatur errorem ſuum. *Ierem. 4.* Facies Domini diuiſit eos. Non addet vt reſpiciat eos. *Luc. 12.* Diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet. 22.

Et appropinquauit cor illius. Hîc ſecundum, in quo poſita malorum punitione in præſenti, ſubiungitur de vtilitate bonorum ex illa proueniente: & tangitur duplex. Prima, Scripturarum apertio. Secunda, eorum mitigatio quæ videbantur crudius dicta in ſcripturis. *Molliti ſunt.* Tertiò bonorum confirmatio in bono, ibi, *Et non dabit.* Dicit ergo: Dati ſunt in ſenſum reprobum facti hæretici, & per hoc *appropinquauit*, id eſt, innotuit, ſicut res quæ propinqua eſt, *cor illius*, voluntas Dei bonis. *Deut. 33.* Qui appropinquauerit pedibus eius, iuſti ſcilicet, qui Doctoribus ſe humiliauerit, accipiet de doctrina eius. *Iacob. 4.* Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Fœlices quibus cor Dei appropinquat. *Baruch. 3.* Beati ſumus Iſraël, quoniam quæ placent Deo, manifeſta ſunt nobis.

Molliti ſunt ſermones. Hîc ſecundum bonum, in quo tria dicuntur. Primò mitigatio verborum Scripturæ. Secundò neceſſitas mitigandi. *Et ipſi ſunt.* Tertiò reſponſio quæſtioni quæ poſſet fieri, ibi, *Iacta ſuper Dominum.* Dicit ergo: Sic apparet quod Dei bonis, & etiam per exercitium diſputationis cum hæreticis, *molliti ſunt*, molles & ſuaues oſtenſi ſunt, *ſermones eius. Pſal.* Quam dulcia faucibus meis eloquia tua. Sentiunt enim illud *Matth. 11.* Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, &c. Et illud *Matth. 15.*

Diſcite

Discite quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium. Et hoc *super oleum*, quod est suaue multum: quia sicut mel. *Prou.*25. Fili mi, mel inuenisti, comede quod sufficit tibi.

Comparatio sapientiæ cum oleo.

Et nota, quòd oleum est clarum, sed clarior sapientia. *Sap.*6. Clara est, & quæ nunquam marcescit sapientia. Sanatiuum, similiter & sapientia. *Luc.*10. Samaritanus infudit sauciati vulneribus vinum & oleum. Cibatiuum est: sic & scientia Dei: vnde panis dicitur. *Thren.*2. Paruuli petierunt panem. Conditiuum eorum quæ sunt insipida: sic sapientia. *Psal.* Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras. Hæc est farinula Elisei, quæ condiuit pulmentum. 4. *Reg.*4. Colores ligat cum subiecto: sic virtutes cum anima tenet sapientia. *Psal.* Lex Dei eius in corde ipsius, & non supplantabuntur, &c. *Isa.*5. Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. Ardori fomentum præstat: sic sapientia charitati. *Psal.* Ignitum eloquium tuum vehementer. Vel sic: Eloquium Domini inflammauit eum. Illuminat: sic Dei sapientia. *Psal.* Lucerna pedibus meis verbum tuum, &c. Hoc oleo debent repleri lucernæ super candelabrum positæ. *Exod.* 25. Sed caueant ne à bubonibus ebibatur, id est, à dæmonibus de nocte volantibus. *Psal.* A negotio perambulante in tenebris.

Et ipsi, sermones, quamuis ita molliti sint, *sunt* adhuc *iacula*, pungitiua: vnde necesse est illa emolliri. *Eccl. vlt.* Verba sapientium sunt quasi stimuli, & quasi claui in altum defixi. Ad *Hebr.*4. Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Aliquando enim quod in se lene est, & suaue, proculdubio penetratiuum est valdè.

23. *Iacta super Dominum curam tuam.* Hîc tertium, scilicet responsio ei quod quæri posset: quia non videtur quod mollis sit sermo Dei, sed valdè pungitiuus. Et respondet, quia iactanti se in Deo datur paulatim lactis nutrimentum, vt hoc sentire possit. Dicit ergo duo. Primò quærenti respondet, quid ei sit faciendum. Secundò ostendit huius obedientiæ fructum. *Et ipse te enutriet.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd sermones eius molliti sunt, nec tibi videatur incredibile, q[illegible] adhuc rudis es: sed *iacta super Dominum curam tuam*, tanquam anchoram quandam super firmam petram. 1. ad *Corinth.*10. Petra autem erat Christus. *Auguſt.* Proiice te in Dominum. Non est tam crudelis vt se subtrahat, & te cadere permittat. 1. *Pet.*5. Omnem sollicitudinem proiicientes in eum.

Et ipse te enutriet, propter huiusmodi confidentiam, vt possis intelligere, & sentire quam nunc sermones eius molles sunt. Primò lacte simplicioris doctrinæ, secundum illud 1. ad *Corinth.*3. Tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam. *Hebr.*5. Quibus lacte opus est, non solido cibo. *Oseæ* 11. Ego nutritius Ephraïm. Postea cibo solidiori. *Isa.*28. Quem docebis scientiam, & quem intelligere facies auditum? ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus. Et tunc est magnum festum. *Genes.* 21. Abraham fecit magnum festum in ablactatione Isaac.

Non dabit. Hîc tertium, scilicet confirmatio iustorum in bono. Ait enim: Sic voluntas Dei scitur, & scriptura emollitur. Et propter hoc, propter ipsam hæreticorum diuisionem, *non dabit Dominus fluctuationem iusto*, sed stabilitatem. *Thren.*1. Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est. *Gen.*3. Caïn factus est vagus & profugus super terram. Tales fluctuant in mari huius mundi. *Iacob.*1. Qui autem hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur & circumfertur. Sed de iusto. *Prou.*10. Iustus quasi fundamentum sempiternum. *Matth.* 7. Dicam vobis cui similis est, viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram.

Tu vero Deus deduces. Hîc secundum totius primæ partis totius Psalmi. Postquam enim præmisit de pœna in præsenti, subiungit consequenter de pœna eorundem in futuro. Et tanguntur duo. Primò pœnæ ineuitabilitas, hoc est, æternitas. Secundò velocitas, ibi, *Viri sanguinum.* Dicit ergo: Sic punietur in præsenti vt præmissum est. Sed quid erit tandem eis? Hoc. *Tu verò Deus*, qui potes, scis, & vis malos punire, *deduces eos in puteum interitus*, vnde non euaditur, sicut nec de puteo, hoc est, in infernum. Est enim puteus bonus, & hic duplex. Misericordiæ, Beata Virgo. *Can.*4. Puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. Vitæ, ipse Christus. Foderunt serui Abraham puteum, id est, Iudæi Christum. *Psal.* Foderunt manus meas, &c. Et indifferens, pœnalitatis, & miseriæ humanæ. *Ioan.* 4. IESVS autem fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontem. Sequitur in eodem: Puteus altus est, & in quo haurias non habes. Malus, peccati. *Psal.* Neque vrgeat super me puteus os suum. Inferni, vt hic. *Apocal.*9. Ascendit fumus de puteo abyssi. 24.

Viri sanguinum & dolosi. Hîc secundum, pœnæ propinquitas. Quasi diceret: Sic in puteum deduces, & citò, quia *viri sanguinum*, homicidæ animarum & corporum, omnes generaliter peccatores in peccato perseuerantes: huiusmodi enim vtrumque occidunt. Et dicuntur *sanguinum viri*, quia subditi & serui sunt peccato, quod sanguis est. *Psal.* Libera me de sanguinibus, &c. *Oseæ* 4. Et sanguis sanguinem tetigit. *Et dolosi.* Viri sanguinum dicuntur, qui ad libitum peccant: & aperte *dolosi*, qui se iustos simulant. *Iob* 36. Simulatores & callidi prouocant iram Dei.

Non dimidiabunt dies suos, sed citò morientur. *Prouerb.* 10. Tremor Domini annos apponet, & anni impiorum breues. *Sapient.* 4. Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, nec stabile fundamentum collaudabunt. Sed contra *Eccles.*7. Iustus perit in iustitia sua, & impius multo viuit tempore. Sed responsio est, quòd non dimidiat impius de diebus, quos existimat, & promittit sibi, sicut ille qui dicebat *Luc.* 12. Anima mea habes multa bona reposita in annos plurimos, &c. Et post: Stulte, hac nocte repetent animam tuam, &c. *Isa.* 38. Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam, &c.

Ego autem, ô Domine, me similis fiam illis, *sperabo in te*, non in alio homine. *Ierem.*17. Maledictus qui confidit in homine. Non in diuitiis.

Prou. 11. Qui confidit in diuitiis ſuis corruet. Sed *in te*, in quem qui ſperat, beatus eſt. *Ierem.* 17. Beatus vir qui ſperat in Domino, & erit Dominus fiducia eius.

IN LV. PSALMVM.

1. *In finem pro populo qui à ſanctis longè factus eſt in tituli inſcriptionem, ipſi Dauid cum tenuerunt eum Allophyli in Geth.*

2. *Miſerere mei Deus.* Hic eſt Pſalmus in ſecunda parte quintus. Poſtquam enim in Pſalmo præcedenti orans pro ſeipſo Chriſtus, vel Eccleſia, & etiam inimicis multa mala imprecati ſunt: ne videretur fuiſſe imprecatio ex malitia, vel contra omnes inimicos generaliter facta, ſubiungitur conſequenter in hoc Pſalmo oratio capitis Chriſti, vel corporis, Eccleſiæ ſcilicet, pro ſua liberatione à malis, & inimicorum ſalute: vt ſic apertè relinquatur, quòd in præcedenti imprecatum ſit obſtinatis: & non ex malitia, ſed vt diuinæ iuſtitiæ, volũtas Chriſti vel Eccleſiæ conformis oſtendatur. Quod autem non tantum hîc oret Chriſtus vel Eccleſia pro ſe, ſatis apparet in titulo qui talis eſt: *In finem pro populo qui à ſanctis longè factus eſt in tituli inſcriptionem ipſi Dauid cum tenuerunt eum Allophyli in Geth.* Nota ergo ad intelligentiam huius tituli quod habetur in Euangelio *Ioan.* 19. quod propoſito titulo inſcripto ſuper caput crucifixi Chriſti, Iudæi clamauerunt Pilato, quòd non ſcriberet. IESVS *Nazarenus Rex Iudæorum*, ſed quia dicit ſe Regem: quod noluit Pilatus, implens illud tituli *Pſal.* 15. Ne corrumpas tituli inſcriptionem. Pro qua petitione nunc populus Iudæorum longè à ſanctis Prophetis, & Patribus factus eſt, qui Chriſtum futurum Regem prædicebant. *Geneſ.* 49. dicebat Iacob. Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt. In quo regia dignitas eſt conſummanda. Et *Iſa.* 33. Dominus rex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus iudex noſter: ipſe veniet & ſanabit nos. Et *Ierem.* 23. Suſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit. Et *Zachar.* 9. Rex tuus venit, &c. Hoc autem factum eſt vt tituli inſcriptionem negarent, cum Gentiles Chriſtum tenerent cruci affixum, tanquam in torculari, de quo ſanguis ipſius emanabat. *Iſa.* 63. Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum? Reſpondet: Torcular calcaui ſolus. Verum eſt dum in eo calcareris: ſic enim calcatur Chriſtus in torculari crucis: vtinam amplius non calcetur in eo quantum in ſe eſt. Sed calcatur in membris ſuis, vſque ad diem extremum quando iam plene erit, & in membris, & in capite ab hoc torculari liberatus, ſecundum illud *Iſa.* 16. Vinum in torculari non calcabit, qui calcare conſueuit.

Argumentũ Pſalmi, oratio Chriſti vel Eccleſiæ pro ſua & inimicorum ſalute vt monſtrat titulus.

Senſus ergo tituli eſt hic: *In finem*, nos dirigens, ſcilicet Chriſtum, vel *in finem* charitatis, vt diligamus inimicos, & oremus pro ipſis: & eſt charitas conſummata. *Pſal.* Omnis conſummationis vidi finem, latum mandatũ, &c. Editus eſt *pro populo* conuertendo ad bonum, vel contra populũ dono ſuo, *qui à ſanctis*, Patribus & Prophetis omnibus Chriſto obedientibus, *longè factus eſt*, *in tituli inſcriptionem* factam *ipſi Dauid*, Chriſto ſecundum regulam ſuperius datam: quia vbi *ipſi* additur ad Dauid, Chriſtum intelligere debemus: quam Scripturam nitebantur delere: & ob hoc *à ſanctis longe* erat. *Dan.* 9. Non eſt populus eius, qui eum eſt negaturus. Vſque huc totum quod dicitur in titulo, de Euangelio ſumitur *Ioan.* 19. Quæ inſcriptio facta eſt, & deletionis petitio, *cum Allophyli*, id eſt, Gentiles, *tenuerunt eum*, id eſt, Chriſtum *in Geth*, id eſt, in torculari, id eſt, in cruce. Geth enim torcular interpretatur, & tangit hiſtoriam, quæ tangitur 1. *Reg.* 21. quando Dauid fugit in Geth Palæſtinorum: non tamen ibi detentus legitur, ſed magis ad ſenſum ſpiritualem referendum.

Diuiditur autem *Pſal.* in tres partes. Primò Chriſtus vel Eccleſia præmittit orationem pro liberatione, oſtendens ſe certâ ſpe roborari. Secundò oſtenditur, qualiter per patientiam & orationem inimicos ad bonum conuertit, ibi, *Tota die verba mea.* Tertiò tanquam completa liberatione ſua à malis, vel hic, vel in futuro, laudem præmittit, ibi, *In me Deus ſunt vota tua.* In prima tria. Primò oratio vt liberetur. Secundò quæ patitur, vt ab iis liberari petat. *Quoniam conculcauit me.* Et in hoc ſecundo oſtendit primò quæ patitur, & quæ ſunt ex parte afflictionis. Secundò ex parte affligentis. *Conculcauerunt me.* Ex parte afflictionis ſunt duo, vilitas conculcationis, & continuitas. *Tota die impugnans tribulauit me.*

Dicit ergo: Sic miſericordiam petis, ſed cum miſericordia reſpiciat miſeriam, quid mali pateris? Multum. *Quoniam homo* longè factus à ſanctis, vel Allophylus Gentilis, vel diabolus qui homo dicitur. *Matth.* 13. Inimicus homo hoc fecit. *Conculcauit me*, pedibus ſuperbiæ ſuæ quaſi me comprimendo. Propter quod alibi oratur: Non veniat mihi pes ſuperbiæ. Conculcauit Chriſtum, & ſanctos quotidie conculcat, ſicut vuas in torculari tribulationũ. *Oſeæ* 9. Quaſi vuas in deſerto inueni Iſraël. Et eliquatur vinum boni exempli, ad quod bibendum inuitamur. *Cant.* 5. Bibite, & inebriamini chariſſimi. Conculcat ſicut fullo veſtes, vt candidiores reddat: *Matth.* 9. Facta ſunt veſtimenta eius alba ſicut nix, qualia fullo non poteſt facere ſuper terram. Ceſſet ergo clamor *Abac.* 1. Quare non reſpicis contemptores, & taces, impio conculcante iuſtiorem ſe? Quia hinc vinum eliquatur, hinc pulchriores efficiuntur. Sed peccatores conculcat in luto peccati. Primo quidem eos inuadit per ſuggeſtionem mali. Secundò arripit per delectationem. Tertiò innectit fortiter per conſenſum. Quartò deiicit per actum. *Dan.* 7. Comedens atque comminuens, & reliqua pedibus conculcans. Comedit atque comminuit quos ad infernum trahit: ſed conculcat, quos in peccatis inuoluit. Nec hoc ad tempus, imo *tota die impugnans tribulauit me*, homo malus & diabolus. *Iob* 30. Qui me comedunt, non dormiunt. *Gregor.* Aſſiduis tentationibus pulſat, vt ſaltem tædio vincat. Sic bonis. Sed & malos continuè conculcat. *Ier.* 16.

Seruietis

Seruietis diis in terra non veſtra, qui non dabunt requiem die ac nocte.

3. *Conculcauerunt me.* Hìc tangit quæ ſunt ex parte tribulationem inferentis. Et ſunt peruerſitas, quia ſola malitia conculcant: & multiplicitas, quia non vnus tantum, ſed multi. Dicit ergo: Sic conculcor, & inceſſanter, & etiam inimici mei, non meo merito, ſed quia inimici mei tantum, *conculcauerunt me. Auguſt.* Vua conculcatur, premitur à diabolo. Sed hæc vua ſterilis non eſt. Item ibid. Planè conculcauit, ſed quid erit? Vua eram, vinum ero. Inimici etiam quibus Deus multa bona contulit, & ſola malitia perſequuntur, & conculcant, ſunt prælati & paſtores mali, qui pauperes opprimunt & affligunt. *Ierem.*12. Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam, conculcauerunt partem meam. *Quoniam multi.* Quaſi diceret: Miſerere, & neceſſe eſt, quia non ſolum peruerſitas in perſequentibus, imò *quoniam multi bellantes aduerſum me.* Supra in *Pſal.* Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei qui oderunt me gratis. *Eccleſ.* 1. Stultorum infinitus eſt numerus.

4. *Ab altitudine diei.* Hìc tertium, in quo præmiſſa oratione, & orandi neceſſitate, ſubiungitur perſuaſio vt exaudiatur, & ſunt tria per quæ perſuadet. Primò quia in alterum ſpem non poſuit. Secundò quia ad ipſum ſolum refert, quicquid habet boni. *In Deo laudabo ſermonem.* Tertiò quia ſperans in Deo omnem afflictionem deſpicit. *In Deo ſperaui.* In prima duo. Primò, quod non timebit humanam altitudinem: Secundò, quòd in Domino habebit ſpem. *Ego verò.* Ait ergo: Sic rogo hac neceſſitate compulſus, & exaudire debes, quia *ego timebo ab altitudine*, non æternitatis, ſed diei qui cito tranſit. Quaſi diceret. Altitudo humana eſt altitudo diei, propter breuitatem. *Eccleſ.* 10. Omnis potentatus breuis vita. Et infrà: Hodie eſt rex, & cras non erit. Et propter apparentiam exteriorem & gloriam. *Ierem.*17. Diem hominis non deſiderauí, tu ſcis. *Iob* 3. Pereat dies in qua natus ſum. Propter proſperitatem quæ in ea eſt, etiam dies dicitur in *Pſal.* Per diem ſol non vret te, neque luna per noctem. Ego verò quantumcumque timeant alij hanc altitudinem, *in te ſperabo*, quia ſpes reddit fortiorẽ. *Iſa* 40. Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem. Ad *Hebr.*6. Habemus fortiſſimum ſolatium qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram animæ habemus firmam & tutam. Item quia facies ſentire tuam dulcedinem. *Thren.*3. Bonus eſt Dominus ſperantibus in ſe, animæ quærenti illum. Item quia iam præbes mihi beatitudinem. *Ierem.* 17. Beatus vir qui ſperat in Domino. Hanc literam non mutato ſenſu, ſed ordinatione modica, legit aliter *Gloſſa* ſic: *Quoniam multi bellantes aduerſum me* ſunt, *timebo* ego *ab altitudine diei?* non *verè*, ſed, *in te ſperabo ego.* Aliam literam ponit *Auguſt. in Gloſſa*, & legit ipſam multipliciter, & plana eſt lectura intuenti *Gloſſas.*

Altitudo diei eſt fœlicitas temporalis.

5. *In Deo laudabo ſermones meos.* Hìc ſecundum, in quo promittit ſe omnia in Chriſtum relaturum. Quaſi diceret: Sic ſperabo, & etiam ſermones meos, à me ſcilicet prolatos, & qui maximè videntur eſſe: *laudabo*, non in ſuo rhetore & decore, *ſed in Deo. Eccleſ.*4. Ne abſcondas ſapientiam in decore eius. Vult enim Deus ſermones impolitos, non ex decore ornatos. *Exod.*20. Si altare lapideum feceris mihi, eloquium ex ſcripturæ ſententiis collectum, non ædificabis illud de ſectis lapidibus, non in ſublimitate auditoribus incomparabili: magis enim diligit Deus rudiratem. *Iſa.*2. Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. Et rectè ſi laudantur ſermones, in eo ſunt laudandi, & opera, & cogitationes. 2. ad *Corinth.*4. Quid habes quod non accepiſti? 2. ad *Corinth.*3. Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. *Sap.*7. In manu eius ſumus, & nos, & ſermones noſtri.

In Deo ſperaui. Hìc tertium, ſcilicet quod contemnit omnia illata ab homine: & dicuntur duo. Primò cauſam contemptus tangit. Secundò ipſum contemptum ſubiungit. *Non timebo.* Dicit enim: Sic in Deo ſolo ſperabo, ad ipſum referam omne. Et ex quo *in Deo ſperaui, non timebo quid faciat mihi caro*, homo ſcilicet vilis & fragilis, & citò ſicut caro tranſiens. *Iſa.* 40. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri. Et ob hoc non timenda à ſperante in Domino. *Iſa.*51. Quis tu vt timeas ab homine mortali? Ecce caro. 1. *Mach.*2. A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius ſtercus & vermis eſt: hodie extollitur, & cras non inuenietur.

6. *Tota die verba.* Hìc eſt ſecunda pars Pſalmi, in qua oſtendit conuerſionem inimicorum per patientiam & orationem ſuam: Vnde tria dicuntur. Primò oſtenſio patientiæ per memorationem illorum quæ ſuſtinuit ab inimicis. Secundò inimicorum ſalus gratiſſima ſine aliquo ipſorum merito, ibi, *Pro nihilo ſaluos.* Tertiò lachrymoſa oratio & fructuoſa pro ipſis conuertendis & ſaluandis, ibi, *Deus viam meam.* In prima duo, ſecundum duo mala quæ inferunt. Primò deteſtatio doctrinæ ſuæ. Secundò contra ipſum machinatio, ibi, *Aduerſum me omnes cogitabant.* Dicit ergo: Sic non timebo quid caro faciat. Sed facitne contra te aliquid? Ita, quia *verba mea*, & ad bonum informantia, *execrabantur* tanquam mala, *tota die:* & hoc *aduerſum me* ſtando. *Amos* 5. Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfectè abominati ſunt. *Gregor.* Mens mala prædicationem ſuſtinere non valet, quia tacta in vulnere dolet. *Eccleſ.*1. Execratio peccatorum cultura Dei.

Aduerſum me. Hìc machinatio, & tanguntur tria. Machinatio, & modus. *Inhabitabunt.* Tertiò finis. *Ipſi calcaneum meum obſeruabunt.* Dicit ergo: Sic doctrinam deteſtabantur, & etiam *omnes cogitationes eorum*, non vna tantum, *in malum* tendentes (ſic nulla bona eſt) *ſunt aduerſum me*, vt quaſi aſſertio inſit. *Ierem.* 18. Tu ſcis omne conſilium eorum. *Matth.* 9. Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris? *Ierem.*4. Vſquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? *Iſa.*1. Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis.

7. *Inhabitabunt & abſcondent.* Hìc ſecundum. Quaſi diceret: Sic cogitabunt malum: ſed nunquid

nunquid ſtatim manifeſtabunt ? Imò , *inhabitabunt* , id eſt , intus habitabunt cum bonis. Vel *incolent* , alia litera , & ſic malitiam ſuam cum bonis abſcondent : & incolatus facit credere quod ſint boni , & ſub hoc latent mala. *Ezech.* 2. Fili hominis cum ſcorpionibus habitas , & ſubuerſores tecum ſunt. Sed non poteſt eorum corda in hac peregrinationis vita cognoſcere. *Auguſt.* Omne cor , omni cordi clauſum eſt. *Ierem.* 17. Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile , quis cognoſcet illud ? Tales ſunt ſubdoli , qui inter bonos latent , & explorant facta eorum contra eos machinando, ſicut illi de quibus ad *Galat.* 2. Propter ſubintroductos falſos fratres , qui introierunt explorare libertatem noſtram.

Ipſi calcaneum meum. Hîc tertium, finis machinationis occultæ , ſcilicet vt fini inſidientur : & tangitur primò. Secundò cauſa ſeu ratio finis illius ſecundum noſtram literam, ibi , *Sicut ſuſtinuerunt.* Dicit ergo : Sic abſcondent , & hic finis. *Ipſi obſeruabunt calcaneum meum* , id eſt , ſicut qui vult deiicere pedem, obſeruat & calcaneum : ſic ipſi omnia verba, ſi poſſint in eis aliquid calumnari. Sic *Matth.* 22. Miſerunt , quaſi aucupes ſuos , vt IESVM caperent in ſermone. *Ierem.* 5. Inuenti ſunt in populo meo inſidiantes , quaſi aucupes ponentes pedicas , & laqueos ad capiendos viros. Calcaneum etiam finis vitæ , cui inimici ſpirituales inſidiãtur. *Gen.* 3. Et tu inſidiaberis calcaneo eius. Et hoc primò, quia vult auferre quod homo in hac vita magis deſiderat, ſcilicet finem bonum. *Num.* 23. Moriatur anima mea morte iuſtorum. Secundò quia in tuto eſt , ſi tunc cuadit. *Pſal.* Laqueus contritus eſt , & nos liberati ſumus. *Eccleſ.* 1. Si ceciderit lignum ad Auſtrum , ibi erit. Tertiò quia tunc poteſtas eius in hominem, finem accipit. *Apocalypſ.* 22. Venit ad vos diabolus habens iram maguam, ſciens quia modicum tempus habet. *Statius:* Non parcit populis regnum breue. Quartò: quia tunc Deus magis ad pœnitentiam excitat, & propter hoc ipſe magis ad oppoſitum. *Pſal.* Imple facies eorum ignominia , quod maximè fit in die mortis , & quærent nomen tuum Domine.

Quare deus non ueritus in fine vitæ nos impetit.

Sicut ſuſtinuerunt. Hîc ſecundum , ratio inſidiandi : quia grauis eſt eis. Ait enim ſic: Calcaneum meum obſeruauerunt ſicut illi : quia *ſuſtinuerunt animam meam* , id eſt , vitam meam habuerunt tanquam graue pondus ; vita enim iuſtorum grauis eſt malis hominibus. *Sap.* 2. Grauis eſt nobis ad videndum. *Eccl.* 13. Pondus ſuper ſe tollit , qui honeſtiori ſe communicat.

Alia litera habet : *Sicut* ſuſtinuit anima : & legitur tunc cum litera ſequenti ſicut ſtatim dicetur.

8. *Pro nihilo ſaluos.* Hîc ſecundum totius huius partis : oſtenſa enim patientia per ea quæ ſuſtinuit , ſubiungitur ſaluatio populi, qui illa mala intulit : & tangitur modus. *Pro nihilo.* Vel *ſicut ſuſtinuerunt* , ſic *ſaluos facies :* & per quid? *In ira populos.* Dicit ergo : Hæc mihi fecerunt, *& tu ſaluos facies illos :* & hoc *pro nihilo* , ſine grauamine tuo , & difficultate. *Geneſ.* 18. Deo erit quicquam difficile? *Ierem.* 31. Nunquid erit mihi difficile omne verbum?

Vel ſic: Sicut ſuſtinuit anima mea impugnationes illorum , *pro nihilo* , id eſt , ſine meritis meis : ita *ſaluos facies illos pro nihilo* , ſine merito illorum. *Iſa.* 52. Gratis venundati eſtis , & ſine argento redimemini. Ad *Tit.* 3. Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos , ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit. Sed per quid ? *In ira populos confringes : in ira* , inquam, correptionis filiorum , non conſumptionis inimicorum. Prima eſt de qua in *Pſal.* Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. *Bern.* Vtinam modo iraſcaris bone IESV , quia cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. *Auguſt.* Iraſceris , & deducis : ſæuis , & ſaluas : terres , & vocas. Item idem : Iratus pater filio , colaphizat, cædit , aurem euellit , manu trahit , & ad ſcholam ducit. Item idem, Quare multi ingreſſi ſunt ? Quam multi implebunt domum Domini in ira eius deducti ! Sed de aliis , Tanquam vas figuli confringes eos. *Matth.* 21. Et ſuper quem ceciderit lapis iſte , confringetur.

9. *Deus vitam meam.* Hîc tertium , in quo ſubiungitur fructuoſa oratio pro inimicis conuertendis : & dicuntur duo. Primò exauditio pro inimicis. Secundò certitudo , quòd ſemper ſit exaudiendus ſiue in his , ſiue in aliis , ibi, *In quacumque die inuocauero te.* In prima tria. Primò confeſſio, quæ neceſſitaria eſt omni qui vult exaudiri. Secundò lacrhymarum accepta effuſio pro inimicis. *Poſuiſti.* Tertiò inimicorum reductio ad bonum , merito illarum lachrymarum. *Sic & in promiſſione tua.* Dicit ergo : Sic ſaluos facies populos , ad bonum eos confringendo : & hoc quia , ô *Deus, vitam meam* duplicem , *anuntiani tibi* , gratias pro eis referendo , quia primam mihi tu dediſti: ſecundam mihi morte tua meruiſti. Ad *Rom.* 1. Chriſtus pro omnibus mortuus eſt , vt qui viuunt, iam no nſibi viuant, ſed Deo qui pro ipſis mortuus eſt. Et poſt hoc etiam *poſuiſti lachrymas meas* , pro conuertendis inimicis factas, *in conſpectu tuo* , ipſas acceptando, quia ſunt optimæ. Sunt enim lachrymæ contritionis de peccatis, de quibus in *Pſal.* Lachrymis meis ſtratum meum rigabo. Conqueſtionis. *Eccleſ.* 35. Nonne lachrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt, & exclamatio eius deducit eas ? Deuotionis. *Pſal.* Potum dabo vobis in lachrymis in menſura. Dilationis patriæ cœleſtis. *Tob.* 2. Tobias cum lachrymis dixit : Præcipe recipi ſpiritum meum. Congratulationis. *Tob.* 11. Cœperunt ambo flere præ gaudio. Compaſſionis pro ipſis inimicis , de quibus hîc. *Iob* 30. Flebam quondam ſuper eo qui afflictus erat. *Luc.* 19. Videns ciuitatem Ieruſalem fleuit ſuper illam. Hæ ſunt ſex hydriæ poſitæ ad Iudæorum purificatidnem *Ioan.* 2.

Diuerſæ lachrymarum ſpecies.

10. *Sicut & in promiſſione.* Hîc conuerſio inimicorum. Poſſet tamen legi hoc , *Sicut & in promiſſione* , cum antecedentibus , ſub hoc ſenſu: Lachrymas meas poſuiſti in conſpectu tuo, *ſicut & in promiſſione tua* , id eſt , ſicut promiſeras exauditurum te me flentem , & omnem alium. *Iſa.* 38. Ad Lachrymas Ezechiæ Regis reuocauit eum ſtatim ad vitam , & quindenos annos ſuperaddidit. Audiui orationem tuam , & vidi lachrymas tuas. Propter hoc dicitur *Iudith* 8. Indulgentiam eius fuſis lachrymis poſtulemus.

Vel

Vel ſic : ita lachrymas ſuſcepiſti , & tunc veriſſimè , quia à te gratiam infundente , *conuertentur inimici mei retrorſum :* ad te ab idolis, ad veritatem à falſitate quam habebant antea. *Retrorſum. Ierem.*7. Facti ſunt in retrorſum coram te. *Zachar.* 7. Auerterunt ſcapulam recedentes. Et hoc *ſicut & in promiſſione tua* fixum eſt, qua dixiſti Abrahæ. *Geneſ.*22.In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.Vel in illa promiſſione tua, qua dixiſti per *Ezech.* 18. Quacumque hora ingemuerit peccator,omnium iniquitatum eius non recordabor amplius.

In quacumque die. Hîc ſecundum , in quo ſubiungitur certitudo , quòd ſemper exaudietur : & tanguntur duo. Primò certitudo, quòd ſemper exaudietur, & velociter. Secundò conuerſio ſui in Deum ex toto , ex quo ſic eſt, ibi, *In Deo laudabo.* Dicit ergo : Sic exaudiſti pro inimicis orantem , quod ſciebam , quia *in quacumque die inuocauero te,*die, inquam , materiali , vel ſpirituali , qui eſt illuminatio gratiæ, *ecce* ſtatim & in continenti, *cognoui* , cognitione experimentali , *quoniam Deus meus es* , mihi præſtando quod poſtulo, vel æque bonum pro illo. *Matth.*8.& *Luc.*11.Petite & accipietis.Intus, inquam, in corde , quia non tantum audis petitionem oris, ſed cordis. *Iſa.*65. Et erit, antequam clament , ore, ego exaudiam : imò ante. *Pſal.* Præparationem cordis eorum audiuit auris tua.

11. *In Deo laudabo verbum.* Hîc ſecundum , in quo ſubiungit conuerſionem ſui in Deum propter hoc beneficium : & dicuntur duo. Primò præmittit laudem, quæ reſpicit quaſi ad cognitiuam. Secundò ſecuritatem , & ſtabilitatem, quæ reſpicit ad motiuam. *In Deo ſperaui.* Ait enim : Sic me exaudis ſemper , & velociter , & propter hoc *in Deo laudabo,*id eſt, laudabile faciam , *verbum* doctrinæ eorum quæ pertinent ad Deum. *In Domino laudabo,* id eſt , laudabilem faciam , *ſermonem* eorum quæ ſpectant ad proximum. Quaſi diceret : Conuertam me vt in prædicando & docendo quæram honorem Dei , & vtilitatem proximi. De primo 1. *Corinth.*14. Omnia ad honorem Dei facite. In *Pſal.* Nuntiabo nomen tuum fratribus meis in medio Eccleſiæ, &c. De ſecundo *Eph.*4.Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat : ſed ſi quis bonus eſt , & ad ædificationem fidei , vt det gratiam accipientibus. Vel verbum poteſt referri ad orationem , ſermo ad prædicationem.

In Deo ſperaui. Hic ſecundum , quo promittit ſecuritatem , & tangit primò cauſam ſecuritatis , ſcilicet ſpem. Secundò ſupponit ipſam. *Non timebo.* Ait enim : Sic laudabo, & etiam *in Deo,*iã *ſperaui.* Et bene:quia diues eſt.*Prou.*3. Longitudo dierum in dextera illius, in ſiniſtra autem eius diuitiæ & gloria. Et largus. *Eſth.*4. Largitus eſt munera ſecundum magnificentiam principalem. *Matth.* 6. Primum quærite regnum Dei , & hæc omnia , &c Quia verba bona dat quæ reficiunt,non quæ deficiunt. *Matth.* 11.Venite ad me qui laboratis,& onerati eſtis, & ego reficiam vos.*Eccleſ.*24.A generationibus meis implemini. Data conſeruat. *Iob* 1. Nihil potuit tangere ſathan eorum quæ erant Iob abſque Dei permiſſione.Dat velociter. *Luc.* 23. Hodie mecum eris in paradiſo. *Prou.*3. Ne dicas amico tuo, Vade & reuertere , & cras dabo tibi,cum ſtatim poſſis dare. Et liberaliter,hoc eſt , ſine improperatione. *Iac.*1. Dat omnibus, & nulli improperat. Et propter hoc quia ſperaui , *non timebo quid faciat mihi homo* , quilibet ſcilicet impius , qui homo dicitur ſicut ſupra dictum eſt à principio Pſalmi. Ad *Roman.*8. Si Deus pro nobis, quis contra nos. *Iob* 14. Libera me Domine , & pone me iuxta te , & cuiuſuis manus pugnet contra me. Sed hæc parum ſi non times : imo magis ipſe timebit te. *Greg. in dial.* Plerumque ex diuina bonitate agitur , vt non ſolum diabolus non timeatur , ſed etiam bene viuentium virtute terreatur.*Cant.*6.Terribilis vt caſtrorum acies ordinata.

Sperandum in Deo.

In me ſunt Deus. Hîc tertia pars Pſalmi , in qua promittitur in futuro laus , & gratiarum actio pro liberatione pleniſſima, quamuis poſſint legi quæ dicuntur hic etiam de præſenti:& dicuntur duo. Primò promittit ſe promptiſſimè laudaturum in gloria. Secundò ſubiungit rationem promptæ laudis in illa, ibi, *Quoniam eripuiſti.* Dicit ergo : Sic hic ſecurus ero , nec timebo : & ô tu Deus in *me ſunt* , non ex me, *vota tua* , ea quæ deſideras & requiris , ſcilicet voluntas bona & feruens ſanctis deſideriis.Plus enim conſiderat Deus affectum quam cenſum. *Mar.* 11. de vidua quæ plus omnibus miſit in Gazophylacium , cum tamen non miſiſſet niſi minuta duo *Prou.*16. Spirituum , voluntatum ſcilicet ponderator eſt Deus. Sic iuſtus implet legem. *Exod.* 23. Non apparebis in conſpectu meo vacuus : ſemper enim bona voluntate plenus eſt, quod Deo ſufficit , dum aliud non poſſit. Poëta , 12.

Hoc ego contentos auguror eſſe Deos.

Et *Gregor.* Nunquam eſt vacua manus à munere , dum arca cordis plena eſt bona voluntate. Vota , inquam , *laudationes.* Vel ſecundum aliam literam. *Laudationis.* Supra in *Pſal.* Sacrificium laudis honorificabit me.

Quæ reddam tibi , in æternitate plenè & perfectè. *Auguſt. de ciuit.de Dei,* Vacabimus & videbimus , videbimus & amabimus , amabimus & laudabimus.Vel hic etiam in præſenti. *Pſal.* Laudabo Dominum in vita mea , pſallam Deo meo quandiu ſum.

Quoniam eripuiſti. Hîc ſecundum,ratio promptæ laudis in futuro : & tangitur duplex. Plena à malo ereptio , & conſummata in bono perfectio. *Vt placeam coram Deo.* Ereptio autem tangitur à duplici malo. Pœnæ primò, & culpæ ſecundò. *Et pedes meos.* Dicit ergo, vt primò legatur de præſenti,ſicut legit *Gloſſa,* ſic : Reddam laudationes , & hoc iuſtum , *quoniam eripuiſti* , tua poteſtate , *animam meam de morte culpæ* , de qua ad *Eph.* 5. Surge qui dormis , & exurge à mortuis. *Et pedes meos à lapſu* , affectus à pronitate ruendi in peccatum. Alibi in *Pſal.* idem. Et ita eripuiſti , vt placeam coram Domino , coram teipſo. Ego dico , *in lumine viuentiũ,* ſcilicet ſuperna dilectione,in qua ſunt qui viuunt vita gratiæ,tãquam in luce.1.*Ioan.*2. Qui diligit fratrem ſuũ,in lumine eſt.Sed quomodo hoc dicit,cũ ſicut dicit *Gloſſa,*nemo hoc de ſe ſcire poſſit,quod ſit ereptus,quod ſit in lumine poſitus.*Eccleſ.*10.Nemo ſcit vtrum amore 13.

vel

vel odio dignus ſit. Reſp. Hoc dicit quadam certitudine, non ſcientiæ. Vel ſic de futuro, vt dictum eſt: Sic reddam in futuro, quoniam tunc dicere potero, Eripuiſti me de morte æterna, & etiam de omni mortalitate, & corruptione.

Alia litera addit: *Oculos meos à lachrymis*, id eſt, à cauſis lachrymarum, præſentibus ſcilicet miſeriis. *Apocal.7.* Et *Iſa.* 25. Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis ſanctorum, quando impletum erit illud. 1.ad *Corinth.*15. Oportet mortale hoc induere immortalitatem. *Pedes meos*, affectus ſcilicet intimos, quibus itur ad te, *à lapſu*, à pronitate, & omni inclinatione ad culpam: vt iam non oporteat timere de inquinatione pedum, ſicut illa timebat quæ dicebat *Cant.5.* Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Et ſic eripuiſti à pœna & à culpa: *vt placeam coram Domino*, perfectus in omni bono. *Ierem.*18. Fecit illud vas ſicut placuerat in oculis eius. Ego dixi, *in lumine viuentium*, in cœlo empyreo, quæ regio lucis eſt, & viuentium vita æterna. Vel lumen viuentium ipſe Deus qui omnes viuificat. *Pſal.* In lumine tuo videbimus lumen, ad quod nos perducat, &c.

IN LVI. PSALMVM.

1. *In finem. Ne diſperdas Dauid in tituli inſcriptione, cum fugeret à facie Saül in ſpeluncam.*

2. MIſerere mei Deus, miſerere mei. Hic eſt Pſalmus ſextus in ſecunda quinquagena, in quo poſtquam monſtrata eſt Chriſti pietas orantis, & ſalutem imprecantis illis qui titulo regiæ dignitatis eius contradixerunt, ſubiungitur Prophetæ exclamatio præ ſtupore magno, & admiratione, vt iam eius regiæ dignitati nullus contradicat, ſed omnis anima ipſum regem recognoſcat, & dicat illud *Pſal.* Tu es ipſe Rex meus, & Deus meus. Non iam regnantem, quia hoc patum eſt. Ad *Rom.*13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Sed etiam patientem in cruce, quando ſibi ſceptrum imperij portauit. *Iſa.* 6. Cuius imperium ſuper humerum eius. Et oſtenditur in titulo qui talis eſt. *In finem. Ne corrumpas*, vel *diſperdas Dauid in tituli inſcriptione, cum fugeret à facie Saül in ſpeluncam.* Eſt enim ſenſus tituli: *In finem* nos dirigens Pſalmus iſte, ſcilicet in Chriſtum, hoc intendit: *Ne corrumpas* quicumque ſis, *Dauid*, id eſt, Chriſtum, non ſecundum ſuam ſubſtantiam, quia ſecundum illam immortalis eſt iam, & impaſſibilis. Ad *Rom.6.* Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur. Sed ſecundum ſuam dignitatem, vt dicas cum Iudæis ipſum non eſſe Chriſtum: quia *Daniel.9.* Non eſt populus eius qui eum negaturus eſt. Sed dicas cum *Iſa.*33. Dominus rex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus iudex noſter. Et *in tituli inſcriptione*, qui erat de ipſius dignitate. *Ioan.*19. IESVS Nazarenus, &c. Inſcriptione, inquam, facta, *cum fugeret à facie Saül in ſpeluncam*, id eſt, factum in illo figuratum ageret Chriſtus. Fuga enim Dauid in ſpeluncam. 1. *Reg.*24. figurauit latitationem Chriſti in noſtra carne, in qua latens propter infirmitatem noſtram, non apparebat Deus. *Iſa.*45. Verè tu es Deus abſconditus. Figurauit etiam magis propriè latitationem eius in paſſione ſua, ſecundum illud *Abac.*3. Cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius. Magis in ſepulchro, vbi abſconduntur mortui ſub terra. *Iſa.*26. Vade populo meus, intra in cubicula tua, ſepulchra, abſcondere modicum ad momentum.

Argumẽtum Pſalmi, regnũ Chriſti cruce partum.

Diuiditur autem Pſalmus in tres partes ſecundum *Gloſſam.* Primò Chriſtus, vel Eccleſia præmittit orationem, tanquam pro liberatione ſua. Secundò tanquam qui impetrauerit, oſtendit malorum à quibus liberatus eſt, diuerſitatem, & magnitudinem, ibi, *Miſit Deus miſericordiam.* Tertiò ſubiungit gratiarum actionis promiſſionem propter liberationem, ibi, *Paratum cor meum Deus.* In prima tria. Primò orando clamat, & replicat orationem. Secundò probat, quòd debeat exaudiri. *Quoniam in te confidit.* Tertiò declarat modum quomodo poterit fieri quod petit, ibi, *Et in vmbra.* In prima duo. Primò oratio. Secundò orationis inculcatio, ibi, *Miſerere.*

Dicit ergo Chriſtus, ô *Deus* Pater, *miſerere mei*, à miſeriis tormentorum liberando: miſerere mei ab iniuriis & miſeriis verborum eripiendo: hoc enim modo duplici & ipſe, & ſui afflicti ſunt. *Sap.* 2. Contumeliis & tormentis interrogemus eum. *Pſal.* Super dolorem vulnerum meorum, ecce tormenta, addiderunt, contumelias & verbera. Miſeria etiam Chriſti duplex fuit. Contracta voluntariè quando naturam noſtram aſſumpſit. *Pſal.* Pauper ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea. 1.ad *Corinth.*8. Pro nobis egenus factus eſt. Et inflicta ab aduerſariis confodientibus manus & pedes. *Pſal.* Foderunt manus meas, &c. In nobis autem duplex. Pœnæ, & culpæ. De prima *Apoc.*3. Tu dicis quia diues ſum, & nullius egeo, & neſcis quia miſer es, & miſerabilis. De ſecundo *Prouerb.*14. Miſeros facit peccatum. Et dicit *Gloſſa*, quoniam replicatio magnum periculum oſtendit.

Quoniam in te confidit anima mea. Hîc probatio, quòd exaudiri debet. Quaſi diceret: Sic miſereri debes, *quoniam in te ſolo confidit anima mea.* Omnis enim creatura vana & corruptibilis, vnde non eſt in ipſa confidendum. *Iſa.*36. Confidis in baculo iſto arundineo Ægypto: cui ſi innixus fuerit homo, confringetur, & perforabit manum eius. Nec etiam in ſpiritualibus bonis, in quibus magis videtur innitendum. *Prou.*3. Ne innitaris prudentiæ tuæ, &c. Sed ſuper Chriſtum tantum cum ſponſa. *Cant.*7. Innixa ſuper dilectum ſuum. Et dicit, *Anima mea*, ad maiorem expreſſionem, ſicut illud *Num.*11. Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto. Et ex oppoſito. *Prouerb.*6. Septimum deteſtatur anima mea.

Et in vmbra alarum tuarum. Hîc tertium, in quo oſtendit quod poſſit impleri ſua petitio, quia nihil ex parte ſua deerit: quia perſeueranter ſperabit, hoc primum: orabit ardenter, hoc ſecundum, ibi, *Clamabo ad Deum.* Et confidenter tanquam expertus Dei beneficia, hoc tertium. Ad *Deum qui bene fecit.* In prima duo. Primò promittit ſe ſperaturum. Secundò in ſpe perſeueraturum. *Donec tranſeat.* Ait ergo: Sic miſerere,

miſerere, & debes, nec erit obſtaculum miſericordiæ ex parte mei, qui non tantùm confido modo, imò, *& in vmbra alarum tuarum*, in tua protectione, quæ refrigerat vt vmbra, & fouet vt ala, *ſperabo*. Vmbram ſenſerat quæ dicebat *Cant.*2.Sub vmbra illius quem deſideraueram, ſedi.Nec fomento caruerat,addit enim. Et fructus eius dulcis gutturi meo. *Thren.* 4. Spiritus oris noſtri, Chriſtus Dominus: in vmbra illius viuemus inter gentes. Has alas mali refugiunt exponendo ſe accipitri, id eſt, diabolo. *Matth.*23. Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum Gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Et hoc non ad horam, ſed tandiu ſperabo,

Donec tranſeat iniquitas, hoc eſt, vſque in finem mundi. *Gloſſa*, Vſque in finem ſæculi, nec iniquitas deerit premens, nec iuſtitia patiens: iniquitas enim ſemper impugnat iuſtitiam, & iuſtitia ſemper exercetur, & acuitur. *Gregor.* Bonus non fuit, quem malorum prauitas non limauit. Et iterum idem, Ferrum animæ noſtræ non perducetur ad ſubtilitatem acuminis, niſi illud acuerit lima alienæ iniquitatis.

3. *Clamabo ad Deum.* Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Perſeueranter, & etiam *clamabo*, orabo ardenter. Hic eſt enim clamor, ſcilicet feruor cordis, clamor tacentis Moyſi. *Exod.* 14. Et Suſannæ *Daniel.* 13. *Auguſt.* Non clamor, ſed amor. Hic deſiderij feruor ſonat in aure Dei. *Pſal.* Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus.

Ad Deum altiſſimum, hoc eſt, ad Deum qui altiſſimus eſt, & ego infimus: & propter hoc neceſſe habeo clamare tanquam valde remotus. *Eccleſiaſt.*38. Altiſſimus de terra creauit medicinam. Et *Luc.*1. Dictum eſt Virgini: Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.

Ad Deum qui benefecit. Hîc tertium, in quo oſtendit quod orabit confidenter tanquam expertus Dei beneficia:& dicuntur duo.Primò, quod expertus eſt Dei beneficia. Secundò ſpecificat illa quæ eſt expertus. *Miſit de cœlo, & liberauit me.* Dicit ergo: Sic clamabo al Altiſſimum, propter altitudinem non diffidens,quia *clamabo ad Deum qui benefecit mihi.* Alias, *Gloſſa:* Et ſi impios quæſiuit qui eum non quærebant, & pro impiis mori voluit, clamantes quomodo non exaudiet? Bene autem fecit, dando bona naturæ, ſed melius ſuperaddendo bona fortunæ, ſed optimè cumulando bona gratiæ: totum enim ab ipſo. *Iacob.* 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum, &c. 1. ad *Corinth.*4. Quid habes quod non accepiſti? Nihil.

4. *Miſit de cœlo.* Hîc ſecundum, in quo ſpecificat quæ bona receperit. Et ſunt duo. Liberatio à malis hominibus. Secundò ipſorum aduerſariorum conculcatio. *Dedit.* Et legitur dupliciter verſus, de corpore ſcilicet, & de capite, hoc eſt, de Eccleſia, & de Chriſto. Dicit ergo Eccleſia: Nunc benefecit mihi, quia *miſit de cœlo. Miſit*, inquam, Pater, non ſeruum aliquem, *ſed verbum*, proprium filium,*de cœlo*, de ſecreto diuinitatis ſuæ. 1. ad *Tim.*6. Lucem inhabitat inacceſſibilem. De Angelorum occulta cognitione ad oculos meos, vt ipſum in humanitate viderem. *Baruch.* 3. Poſt hoc in terris viſus eſt.

Et liberauit me, iam in ſpe, tandem liberabit in re, vt non oporteat gemendo dicere: Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? *Oſeæ* 4. De morte eruam eos, & de manu mortis liberabo eos. Hæc viſio figurata fuit *Geneſ.* 37. quando Iacob miſit filium ſuum Ioſeph ad viſitandos fratres ſuos. Et *Exod.* 3. in miſſione in Ægyptum, vt inde educeret populum Domini. *Tobiæ* 4. in miſſione Tobiæ, vt pecuniam reportaret. Sumus enim ſummi regis filij, populus, & pecunia eius imagine inſignita, & deſiderata. *Exod.* 3. Obſecro Domine mitte quem miſſurus es. Et *Iſa.* 16. Emitte Agnum Domine dominatorem terræ. Ad *Galat.*4. At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, natum ex muliere, factum ſub lege.

Dedit in opprobrium conculcantes me, vt conculcarentur qui me conculcabant. Hoc iuſtum eſt. *Sapient.*11. Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur. *Iſa.* 33. Væ qui ſpernis & alios conculcas: nonne & ipſe ſperneris? Cum deſieris contemnere, contemneris. Hoc autem erit quando fiet illud *Iſa.*16. Conſummatus eſt puluis, defecit qui conculcabat terram, & ipſe conculcabitur. *Iſa.*10. Ponam in conculcationem vt lutum platearum. Legitur & de Chriſto: *Miſit*, Deus Pater, *& liberauit me*, de morte: & quid miſit de cœlo? Gratiam reſuſcitationis, vt ante omnes ſuſcitaretur: *& dedit in opprobrium conculcantes me*, Iudæos, qui toti mundo ſunt in opprobrium & deriſionem. *Ierem.* 10. Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium ſempiternum, quod nunquam delebitur. Magna confuſio & opprobrium valde magnum, quod vident adorari quem crucifixerunt.

Miſit Deus miſericordiam. Hîc ſecunda pars Pſalmi, in qua oſtendit ſe exauditum, demonſtrando ſe planè liberatum, & ſpecificando à quibus ſit liberatus, & monſtrando ſe verè duo præmiſſa impetraſſe, ſcilicet propriam liberationem: & hoc primò. Secundò inimicorum deiectionem & captionem in iniquitate propria & verſutia, ibi, *Laqueum parauerunt.*In prima duo. Primò liberatio oſtenditur. Secundò vt plena ſit liberatio inuitatio à Propheta ad aſcendendum, ibi, *Exaltare ſuper cœlos Deus.* In prima duo. Primò liberatio ab aduerſariis. Secundò deſcriptio diligentior ipſorum aduerſariorum.*Filij hominum.*In prima quatuor. Primò per quid ſit liberatus vel ereptus. Secundò ſecundum quid. *Et eripuit.* Tertiò à quibus. *De medio.* Quartò qualiter. *Dormiui conturbatus.* Dicit ergo: Sic expertus ſum bona, & nunc quoniam *miſit Deus de cœlo miſericordiam ſuam & veritatem*, filium mittendo: ipſe enim eſt miſericordia Dei patris. Supra in alio *Pſal.* Suſcepimus Deus miſericordiam tuam, &c. Et alibi perebatur hæc miſericordia: Oſtende nobis miſericordiam tuam.

Et veritatem tuam, quoniam Chriſtum qui veritas eſt. *Ioan.* 14. Ego ſum via, veritas, & vita. Non eſt miſericordia ſolum ne præſumas, ſed ſimul veritas vt timeas:non tantum veritas

vt desperes, sed misericordia vt confidas: & sic media est spes. *Deut.* 24. Non accipiet loco pignoris superiorem vel inferiorem molam. Vel misericordia, quoad Gentes quibus promissus non fuerat: veritas, quoad Iudæos quibus erat promissus. *Luc.*2. Recordatus est misericordiæ suæ, quantum ad Gentes: & veritatis suæ domui Israël.

5. *Et eripuit animam meam*, vitam scilicet meam. Ecce secũdum: quia est ereptus. *Matth.*6. accipitur sic anima: Qui oderit animam suam in hoc mundo, &c. Sed vnde eripuit? *De medio catulorum leonum.* Leones vocat maiores Iudæorum, Principes sacerdotum, & Pharisæos, & scribas: vt referatur lectura ad caput Christũ: catulos leonum, minores, qui omnes rugierunt contra Christum. *Ierem.* 12. Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylua: dedit contra me vocem. Secundum quod legitur de Ecclesia, tunc leones appellantur mali principes & tyranni: catuli vero illorum subditi, à quibus Deus suos eripuit frequenter, & eripit. *Psal.* Aperuerunt super me os suum, &c. *Dan.*6. Misit Deus misericordiam suam, & eripuit me de ore leonum: & non me contaminauerunt. Et dicit *de medio*, quasi obsessum vndique ab eis. *Iob* 19. Obsederũt in gyrum tabernaculũ meum.

Dormiui. Quasi diceret: Ereptus fuisti, sed quomodo? De facili, sicut dormiens de facili excitatur. Ait enim: Sic eripuit animam meam, quia *conturbatus* in passione, dormiui in morte, à qua excitatus de facili fui, sicut dormiens à somno. Quare autem mors Christi comparetur dormitioni, causæ assignatæ fuerunt supra *Psal.* 3. Sed dubitatur cum de eo scriptum sit *Isa.*42. Non erit tristis, nec turbulentus, quare nec conturbatus. Resp. Non fuit conturbatus secundum rei veritatem, sed secundum eorum opinionem qui eum credebant conturbatum: & sic loquitur. Vel conturbatum se dicit conturbatione quæ est propassio, non quæ sit passio. *Augusti.* Placatus erat iste turbatus, & obdormiuit cum vellet. *Ierem.*31. Quasi de somno excitatus sum, & somnus meus dulcis fuit mihi. Sic omnium iustorum mors dormitio appellatur ab Apostolo 1. ad *Thessal.*4. Nolumus vos ignorare de dormientibus. 1. ad *Corinth.*15. Ex quibus multi sunt vsque adhuc: multi autem dormierunt.

Filij autem hominum. Hîc secundum, diligentior descriptio eorum qui mala inferunt. Et primò ostenditur malitia cordis. Secundò oris. *Et sagittæ.* Et monstratur duplex. Occulta, detrahendo. Aperta, postulando mortem eius. *Et lingua.* Ait ergo: Sic eripuit animam meum de medio catulorum leonum. Nunquid leonum naturalium? Non. Imò *filij hominum* hoc patiuntur, vt locum habeat sequens relatio. Vel potest ordinari hoc ad aliud quod sequitur: *Laqueum parauerunt, dentes eorum*, corrosiones in occultis cordis consiliis: *arma*, ad defendendum peccata sua. *Iob* 19. Per gyrum dentium eius formido. *Prou.*30. Generatio quæ pro dentibus gladios habet, id est, dentes pro gladiis, & comedit molaribus suis, vt comedat inopes de terra. *Et sagittæ*, ad vulnerandum in occulto, quasi de longè. *Ier.*9. Sagitta vulnerans lingua eorum dolum loquuta est.

Et lingua eorum gladius acutus, qui velociter necat. Sic ipsi velociter per linguã suam mortẽ meam procurarunt cum clamauerunt *Ioan.* 19. Crucifige, crucifige. Et nota, quòd est lingua carnis quæ loquitur nobis suauia. Vox sua est illa: Comedamus & bibamus. Et illud *Sap.*2. Non sit pratum quod non pertranseat luxuria nostra. Et est lingua mundi quæ loquitur vana, quæ dicit: Beatus populus cui hæc sunt. Et illud *Prou.*1. Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis. Et est lingua diabolica, lingua detractoris, de qua hîc, & *Eccles.*27. Lingua tertia multos commouit. *Triplex lingua, carnis, mundi, & detractoru.*

Exaltare super cœlos. Hîc secundum, exclamatio Prophetæ vt ascendat Christus ab iis miseriis, quasi sic librando se super cœlos: & dicuntur duo. Primò exhortatio filij ad ascendendum. Secundò ostendit ascensionis fructum. *Et super omnem terram.* 6.

Dupliciter tamen legitur. Primò vt sit vox Filij ad Patrem. Quasi diceret: Tales sunt qui me impugnant. Et propter hoc, ô Deus Pater, *exaltare*, id est, exaltatus appare in mea suscitatione, *super cœlos*, super omnes cœlestes Angelos. Consuetudo enim Scripturæ est vt res dicatur fieri, cum facta innotescit: & Deus facere quasi in se quod nobis fecit. *Genes.*22 Nunc cognoui quod timeas Dominum. Et sic erit, *super omnem terram* manifesta gloria tua, quam quæro, non meam. *Ioan.*8. Ego gloriam meam non quæro: & in 7. Qui quærit gloriam eius qui misit illum, hic verax est.

Legitur etiam vt sit vox Prophetæ exclamatis, & excitare volentis Christum ad ascendendum, vt dictum est. Quasi diceret: Tales sunt inimici, & sic te persequuntur, & propter hoc ô *tu Deus*, qui potes, *exaltare super cœlos*, super omnes angelicos spiritus. *Isa.*52. Ecce puer meus exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis etit valde. Ad *Phil.*2. Propter quod & Deus exaltauit illum. Et in *Psal.* Eleuata est magnificentia tua super cœlos Deus. Et hoc erit, *super omnem terram gloria tua*, glorioſa fama tua, vt solus glorioſus reputeris. Ad *Phil.* 2. Deus exaltauit illum, in ascensione, & dedit illi nomen quod est super omne nomen. Et in *Psal.* Exaltabor in Gentibus, & exaltabor in terra. *Isa.*2. Exaltabitur solus Deus in die illa. *Cant.vlt.* Surge dilecte mi, assimilare capreæ hinnuloque ceruorum super montes Bethel.

Laqueum parauerunt. Hîc est illa pars, in qua postquam monstrata est eius liberatio, subiungitur inimicorum deiectio à propria malitia eorum. Primò ergo tangitur fraudulentia. Secũdò pœna, quæ in eis cõsequuta est ex illa, ibi, *Et inciderunt.* Et primò tangitur malitia in ore. Secundo in corde. *Incurnauerunt.* Tertiò in opere. *Foderunt.* Dicit ergo: Sic ereptus sum à leonibus, quia filij hominum parauerunt *laqueum pedibus meis*, sermonibus & exhortationibus meis, qui erant quasi duo pedes mei. Sermo exhortationis ad bonum erat quasi pes dexter, quo Deus veniebat ad nos. Sermo dehortationis à malo alius similiter. Sed iis ponebant laqueos sermonum Iudæi. *Ioan.* 8. de adultera. *Matth.* 22. de censu: sed ipsi magis capiebantur in illis, secundum illud *Eccles.*27.

Qui

Qui laqueum ponit alij, peribit in illo. *Eccleſ.*20. Sicut piſces capiuntur hamo, & aues laqueo, ſic homines in tempore malo. Sic membris ſuis hodie multi inſidiantur, & ponunt laqueos vt illa capiant. *Ierem.*6. Inuenti ſunt in populo meo viri impij quaſi aucupes ponentes pedicas & laqueos ad capiendos viros. Et hoc non tantum in via, *incuruauerunt*, id eſt, incuruare intenderunt à ſua rectitudine, *animam meam*, vt me facerent peccare,& quaſi de cœlo ad infernum deſcendere. Ecce malitia cordis par malitiæ dæmonis. Dicit enim *Iſa.*51. Incuruare vt tranſeamus. Vel *incuruauerunt animam meam.* Qua ſi diceret: Inclinatus ſum ad eos per compaſſionem, nec ereptus ab eis per ipſorum emendationem. *Luc.*19. Vidit IESVS ciuitatem, & fleuit ſuper illam. Et *Luc.*23.pro ipſis orauit.

Incuruatio compaſſionis, iniquitatis, pœnalitatis, & humilitatis. In oratione Manaſſes.

Et nota, quòd eſt incuruatio compaſſionis, de qua *Iob* 38. Incuruantur ad fœtum, & pariunt,& rugitus emittunt. Et iniquitatis,de qua tactum eſt. *Iſa.*51. Incuruare,&c.Et *Pſal.*Miſer factus ſum, & curuatus ſum nimis, &c. Et pœnalitatis, de qua 2. *Paral. vlt.* Incuruatus multo vinculo ferri. Et humilitatis. *Geneſ.*24. Appropinquantes ancillæ, & filij eorum incuruati ſunt.

Foderunt ante faciem meam. Ecce tertium. Quaſi diceret: Non tantum verbo, vel corde mali fuerunt contra me, *foderunt foueam* facto, quantum potuerunt mortem meam procurantes: ſed hoc, *ante faciem meam*, quia me non latuit. *Ierem.*18. Foderunt foueam animæ meæ. *Geneſ.* 37. dixerunt fratres Ioſeph: Mittamus eum in ciſternam veterem.

Et inciderunt in eam. Ecce pœna. *Prou.* 16. Qui fodit alij foueam, incidet in eam. *Pſal.* Incidit in foueam quam fecit.Sic Goliath,proprio gladio interficitur à Dauid. 1. *Reg.* 27. Aman ſuſpenditur in proprio patibulo.*Eſth.*8. Et Holofernes decollatur proprio pugione. *Iudith* 13. Et flamma fornacis combuſſit quos reperit de Chaldæis miniſtros Regis, qui eam incendebant, vt dicitur *Daniel.*3.

8. *Paratum cor meum Deus.* Hîc tertia pars Pſalmi, in qua promittit ſe laudaturum pro tantis beneficiis, & in ſe, & in membris: & dicuntur duo. Primò promiſſio laudis, & per ſe, & per ſuos, cum cauſis laudationis. Secundò Prophetæ congratulatio inuitantis Chriſtum iterato ad aſcenſionem vltimo verſu, *Exaltare ſuper cœlos Deus.* In prima duo. Primò laudis promiſſio, in ſeipſo. Secundò in membris, ibi, *Confitebor tibi.* In prima duo. Primò promiſſio laudis. Secundò tangitur quaſi ratio, quare ſic laudare velit, ſcilicet carnis reſurrectio, ibi, *Conſurge gloria mea.* In prima duo. Primò aſſerit ſe paratum ad laudem. Secundò promittit ipſam. *Cantabo.* Item paratum oſtendit ſe dupliciter, id eſt, ad referendum gratias ore primò. Secundò etiam opere. *Paratum cor meum.* Dicit ergo: Sic illi mihi: ſed ego ſum liberatus, & propter hoc ô Deus,&c. Vel ſic: Ita illi parant foueas, ſed ô Deus, cor meum paratum, ſup. ad tuam laudem, & gloriam voce proferendam. *Paratum cor meum*, ad quærendam illam opere, ne ſim de illis de quibus *Iſa.*29. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me, & *Ierem.*12. Prope es tu Domine ori eorum,& longe à renibus eorum. Vel *paratum cor eorum*, ad contumelias ſuſtinendas propter te: *paratum cor meum*, ad tormenta. *Sap.*2. Contumelia & tormento interrogemus eum, Ad hoc paratus fuit Chriſtus. *Pſal.* Quoniam ego in flagella paratus ſum. Et *Iſa.*53. Oblatus eſt quia ipſe voluit.

Cor dupliciter præparandum vt dignè laudare poſſit.

Et notandum, quòd cor dupliciter eſt præparandum vt dignè laudare poſſit. Primò immunditias remouendo. Ad *Rom.* 8. Præparate corda veſtra Domino. *Exod.*19. Lauent veſtimenta ſua, & ſint parati in diem tertium. Hoc autem fit per diligentem meditationem peccatorum, & cordis contritionem, & oris confeſſionem. Secundò paratur ornando:non enim ſufficit vt mundetur, niſi & virtutibus adornetur. *Iſa.*40. Parate vias Domini, in cordibus veſtris. *Luc.*12. Et vos eſtote parati. *Matth.*25. Quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias. Et ſic paratus *cantabo* ore. *Iſa.* 22. Bene cane, frequenta canticum. *Et Pſalmum dicam*, id eſt, pſallam, quod eſt bene operari, vt opere confirmem quod ore dicam: ne ſim ſicut illi de quibus ad *Tit.* 1. Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.

Exurge gloria mea. Hîc eſt ſecundum, in quo ſubiungitur de carnis reſurrectione,tanquam de ratione laudis. Hoc autem fit inuitando carnem ad reſurrectionem: vnde duo dicuntur. Primò excitatio ad reſurgendum. Secundò obedientiæ promptitudo. *Exurgam diluculo.* Excitans autem carnem, vocat eam triplici nomine, gloriam, pſalterium, & citharam. Gloriam cauſaliter: quia in illa ſuſtinuit vnde glorificari meruit, vel ſaltem accelerari gloria. Pſalterium quod à ſuperiori parte ſonat, propter miracula quæ in illa fecit. Citharam quæ ab inferiori, propter gratiarum actionem in paſſionibus quas ſuſtinuit. Dicit ergo: Sic cantabo & pſallam: quod vt fiat, ô *gloria mea*,caro ſcilicet in qua merui vt acceleraretur reſurrectio glorioſa, *exurge* de morte: & *ô pſalterium*, quod à ſuperiori parte honeſti, quando in te miracula ſunt facta: & *cithara*, quæ ab inferiori, quando mala ſuſtinens dulciter reſpondiſti, *exurge*, accelera ſurgere. 9.

Exurgam diluculo. In hoc obedientiæ promptitudo, quia quaſi loquens introducitur ipſa caro, & dicit *Gloſſa*, quòd in hoc notatur reſurrectionis hora, cui contrarium videtur quod dicit *Gregor.* quòd ſicut Samſon ſurrexit nocte media, & tulit portas Gazæ, ſic Chriſtus fracto inferno ſurrexit dè morte. Item *Prouerb. vlt.* De nocte ſurrexit, &c. Et Dauid de nocte ſurrexit quaſi tribus horis ante diem. Quod autem dicitur hîc, referendum eſt ad reſurrectionis manifeſtationem.

Vel poſſunt eſſe verba Patris ad Filium ſuſcitandum,& reuocandum à morte,quem vocat gloriam ſuam, quantum ad æternam eius generationem. Dicit enim *Anſelm.* quòd magna gloria eſt Deo Patri, quia Filium ſibi æqualem genuit. *Prouerb.*10. Gloria patris, filius ſapiens: ergo multò fortius qui eſt ipſa ſapientia. Vocat pſalterium & citharam, ſicut homo præ amore vocat filium ſuum viellam ſuam. Fuit pſalterium de ſupernis inſtruendo. *Thren.*3. Ego ſum

Pſalmus illorum tota die, his de ſupernis reſonando. Et cithara, ſonos paſſionis emittendo. *Iſa.*16. Venter meus ad Moab quaſi cithara ſonabit.

Exurgam. Ecce obedientiæ promptitudo. *Oſeæ* 6. Præparatus eſt quaſi diluculum egreſſus eius. Et nota, quòd Chriſtus fuit cithara bene tenſa in cruce, & dulciſſimos ſonos reddens. Sonum caſti timoris emiſit hæc cithara, cum dixit *Matth.*27. Deus Deus meus, quare me dereliquiſti. Sonum pietatis, cum pro inimicis rogans ait. *Luc.*23. Pater ignoſce illis. Sed ſcientiæ, cum de matre, quâ nihil plus habebat, ordinauit: Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit Diſcipulo, Ecce mater tua. Sonum conſilij. *Luc.* 23. In manus tuas commendo ſpiritum meum. Conſilium enim eſt totam animam in manus Dei ponere. Sonuit fortitudo. *Luc.*23. Hodie mecum eris in paradiſo. Sed ſonum intellectus, quando dixit: Conſummatum eſt: tunc enim velamina remota ſunt Scripturarum, & intellectus illarum apparuit. Sapientiæ, quando dixit: Sitio: hic eſt enim qui dicit, Qui bibunt me, adhuc ſitient.

Chriſtus in cruce velut cithara ſeptem verba iuxta ſeptem dona Spiritus ſancti, vt dulces ſonos edit.

10. *Confitebor tibi.* Hîc ſecundum: poſtquam enim promiſit ſe laudaturum in ſe, promittit in membris: & dicuntur duo. Primò promiſſio laudis. Secundò ratio, ibi, *Quoniam confirmata.* Et primò in conuerſis de Iudæis. Secundò in conuerſis de Gentibus. Per hos enim ſic laudabit, vt ipſi etiam cauſa laudis ſint, quia ad fidem conuerſi. Ait ergo: Sic cantabo, & Pſalmum dicam per me, & etiam in populis, Iudæis ſcilicet conuerſis, ô Domine, confitebor tibi confeſſione laudis, *& dicam tibi Pſalmum* laudis *in Gentibus*, & in ipſis, & propter ipſas ad fidem conuerſas. Chriſtus enim lapis angularis coniungens duos parietes, Iudæos ſcilicet & Gentiles. Ad *Epheſ.*2. Ipſo ſummo angulari lapide Chriſto IESV. *Ioan.*10. Alias oues habeo quæ non ſunt ex hoc ouili.

11. *Quoniam magnificata ſunt.* Hic ſecundum, ratio laudandi in membris, & tangitur duplex, ſcilicet exaltatio humanæ naturæ, hæc prima: & manifeſtatio veritatis ſuæ, ibi, *Et veritas.* Dicit ergo: Sic laudabo in membris, & hoc iuſtum: *quoniam miſericordia tua*, humanitas mea, dicit Chriſtus, quæ ex miſericordia tua eſt, *vſque ad cœlos.* Supra in *Pſal.* Eleuata eſt magnificentia tua, &c. *Iſa.* 4. Et erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ ſublimis. Eleuata eſt vſque ad Angelos, quia vſque ad æqualitatem Angelorum eleuata eſt humana natura, ruinam ipſorum reparando, & æqualem gloriam participando. *Matth.* 21. Non nubent nec nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo. *Apoc.*21. Menſura hominis quæ eſt Angeli.

Et veritas tua, qua erant Angeli illuſtrati quaſi ſoli ante, *vſque ad nubes*, ad Apoſtolos & Doctores Eccleſiæ, qui graui teguntur carne. *Sap.*9. Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam. Et coruſcant aliquando miraculis. Terram Eccleſiæ compluunt doctrinis, & intonant minis. Sunt enim nubes de quibus *Iſa.* 5. Mandabo nubibus meis ne pluant ſuper eam imbrem. Et *Iſa.* 40. Qui ſunt iſti qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? *Iob* 38. Frumentum deſiderat nubes. Vide ergo concordiam inter cœlum & terram: terra vſque ad Angelorum celſitudinem carnem mittit, cœli vero, id eſt, Angeli, veritatem apertam, quæ iugiter fœcundat, & quâ viuunt, terrenis tranſmittunt.

Exaltare ſuper cœlos. Hîc ſecundum totius huius partis, in quo ſubiungitur Prophetæ exclamatio ad Chriſtum vt aſcendat: & ſicut ſuprà, tanguntur duo. Primò inuitatio ad aſcenſum. Secundò ratio inuitationis, ſcilicet fructus ſequens. *Et ſuper omnem terram.* Et expone omninò ſicut ſupra expoſitum in eodem *Pſal.* Si autem quæritur ratio repetitionis, aſſignatur fidei confirmatio in *Gloſſa. Geneſ.* 41. Quod ad eandem rem pertinens vidiſti ſomnium, firmitatis indicium eſt. 12.

IN LVII. PSALMVM.

In finem, ne diſperdas Dauid in tituli inſcriptione. 1.

SI verè vtique iuſtitiam. Hic eſt Pſalmus ſeptimus in ſecunda parte, ſecunda ſcilicet quinquagena, in quo poſtquam in præcedenti oſtendit humilitate Paſſionis Chriſtum peruenisſe ad gloriam reſurrectionis, & aſcenſionis, inſuper increpationem infidelium Iudæorum, & abnegantium Chriſti regiam dignitatem facto & corde, etſi aliquando videntur confiteri ore, hîc conſequenter determinat miſeriam quæ inde conſequetur. Præmittit autem titulum, eorum duritiam breuiter oſtendentem. Eſt enim talis: *In finem, ne corrumpas Dauid in tituli inſcriptione.* Et eſt ſenſus: Subiectus Pſalmus *in finem* nos ordinans, hoc monet quaſi increpando, *ne*, ô tu Iudæe, *corrumpas, vel diſperdas Dauid*, id eſt, Chriſtum, non in ſe, ſed *in tituli inſcriptione*, quem negaſti in paſſione qui dicebas ante. *Matth.*22. Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces. Iterum, in præcedenti Pſalmo actum eſt de Chriſti paſſione & eius gloria, in hoc agitur de crucifixoribus, & eorum miſeria conſequuta, quia regem negauerunt & occiderunt. 2.

Argumẽtum Pſalmi, malitia & miſeria Iudæorum Chriſtũ perſequentium.

Diuiditur Pſalmus in tres partes. In prima ponitur exprobratio culpæ crucifixorum. In ſecunda comminatio pœnæ pro culpa ipſorum, ibi, *Deus conteret.* Tertiò ſubiungitur bonorum correctio, viſa pœna illorum, ibi, *Lætabitur iuſtus.* In prima duo. Primò improperat, quòd mala faciunt contra Chriſtum. Secundò, quòd bonum correctionis fugiunt, ibi, *Furor illis ſecundum.* In prima tria. Primò arguit malitiam cordis. Secundò operis. *Iniuſtitias manus veſtræ.* Tertiò oris. *Loquuti ſunt falſa.* In prima duo. Primò arguit. Secundò oſtendit, quòd bene arguendi ſunt. *Etenim iniquitates.* Dicit ergo: Sic Chriſtus eſt per paſſionem exaltatus. Ergo, ô vos filij hominum, Patriarcharum, Prophetarum, qui homines fuerunt, ratione ſcilicet vtentes. *Pſal.* Sciant gentes quoniam homines ſunt, rationem habentes & Deo ſimiles. *Geneſ.* 1. Faciamus hominem ad imaginem,

&

& similitudinem nostram. *Rectè iudicate*, causarum merita diligenter inuestigando. Sicut *Iob 9.* Causam quam nesciebam, diligenter inuestigabam. Personam non accipiendo. *Prou. 28.* Qui accipit personam in iudicio, non bene facit ille. *Deuter. 1.* Ita paruum iudicabitis vt magnum, nec accipietis personam cuiusquam. Timore non declinando à veritate. *Eccles. 5.* Noli quærere fieri iudex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates. Nec amore remittendo, sicut Felix præses Syriæ *Act. 24.* Volens Felix gratiam præstare Iudæis, reliquit Paulum vinctum. Nec odio aggrauando sicut summus sacerdos *Act. 23.* Percutiat te Deus paries dealbate: tu sedens secundum legem iudicas me, & contra legem iubes me percuti. Muneribus iudicium rectum non vendendo, sicut illi de quibus *Michæ. 7.* Principes eius in muneribus iudicabant. *Exod. 23.* Non accipietis munera quæ excæcant etiam oculos prudentum.

Et hoc facite, *Si verè iustitiam loquimini.* Quasi diceret: Si veritas est quam dicitis, in illam verè intenditis: ergo rectitudinem iudicij tenete. *Sapient. 1.* Diligite iustitiam qui iudicatis terram. *2. Paral. 20.* Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, sed Dei. Nec tantum iudices, imò omnes admonentur: quilibet enim sicut loquitur iustitiam, alterum iudicando: sic debet iudicare seipsum. *Prou. 20.* Pondus & pondus, mensura & mensura, abominatio apud Deum. Pondus quo iudicas alium: mensura, qua punis ipsum: & pondus quo tuum peccatum iudicas, & mensura quâ punis: vnum enim id debet esse.

Item iustè iudicare debes, vt bona opera vitæ æternæ meritoria non facias pro temporali aliqua re. *Gregor.* Qui de bonis quæ agit, terrenam mercedem desiderat, rem pretiosam pro vili pretio venalem portat.

3. *Etenim iniquitates.* Hîc secundum, in quo probat bene arguendos de malitia cordis, & iudicij peruersitate. Quasi diceret: Verè non iudicatis rectè. *Etenim operamini iniquitates*, & hoc, *in corde*, intùs *Mich. 2.* Væ qui cogitatis inutile, & operamini malum in cubilibus vestris. *Luc. 7.* Quid cogitatis malum in cordibus? Vos, dico, existentes *in terra*, in terrenis fixi, qui diligitis terrena. Supra in *Psal.* Adhæsit in puluere anima nostra, conglutinatus est; &c. Vel, *in terra operamini iniquitates in corde:* quia propter terram corporis, quam videtis, purum hominem in cordibus vestris iudicatis. *Isa. 53.* Vidimus eum, & non erat species, nec decor, vnde nec reputauimus eum.

Iniustitias manus vestræ concinnant. Hîc malum operis, in quo primò iniquitatis in opere multiplicatio. Secundò quasi naturalis adhæsio, ibi, *Alienati.* Dicit ergo: Sic peccatis in corde, & etiam iniustitias manus vestræ concinnant, congregant, coaceruant. Ecce malum operis. Et nota, quòd super illud *Exod. 35.* Ad concinnandas lucernas, dicit *Strabus*, quòd cinnus est collectio quædam ex diuersis speciebus. Indè transfertur ad significandum omnem collectionem: vnde collectio capillorum appellatur cincinnus, quasi capillorum cinctus. *Cantic. 5.* Caput meum plenum est rore, & cincinni mei pleni guttis noctium. Sic dicitur: Concinnant iniquitates, id est, coaceruant & congregant. *Oseæ 4.* Furtum, mendacium, homicidium, adulterium inundauerunt: & sanguis sanguinem tetigit. Et in 11. Tota die mendacium & vastitatem multiplicat.

Alienati sunt peccatores. Hîc secundum, quasi naturalis adhæsio: & primò naturalis adhæsio relinquendi bonum. Secundò faciendi malum, ibi, *Errauerunt.* Dicit ergo: Sic manus congregant iniustitias, nec est nouum, imò *alienati sunt à* bono *peccatores*, *à vulua*, ex quo scilicet exierunt de vulua. Nec mirum: quia *Ephes. 2.* Omnes nascimur filij iræ. Quare alieni ab omni bono ab ipsa origine. *Isa. 1.* Alienati sunt retrorsum. Vulua etiam potest hîc appellari Ecclesiæ doctrina: vnde à vulua alienantur peccatores cum ab illis Sanctorum doctrinæ relinquuntur. De hac vulua *Genes. 30.* Recordatus est Dominus Rachel, & aperuit vuluam eius. *Isa. 1.* Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos. 4.

Et nota *Glossam* quæ per se facit distinctionem in hoc spirituali conceptu & partu, & ea quæ sequuntur ibi. *Ezech. 16.* In die ortus tui non est præcisus vmbiculus tuus, carnalitas, & superfluitas tua. Hoc videtur in aliquibus paruulis, qui quasi à vulua & ab vtero incipiunt peccare, citò reliquentes gratiam baptismalem: sicut quædam aues, quæ statim vt possunt nidum relinquunt. *Oseæ 9.* Ephraïm quasi auis auolauit. Tales etiam sunt qui ab vtero & vulua occasionem superbiendi quærunt, de quibus *Oseæ 9.* Gloria eorum à partu, & ab vtero, & à conceptu. Sed *Seneca* dicit: Vilis nobilitas, quæ in locis turpibus generatur.

Loquuti sunt falsa. Ecce peccatum oris. *Psal.* Vana loquuti sunt vnusquisque ad proximum suum: quippe auersionem sequitur error & falsitas, & sic animæ perditio. *Sap. 1.* Os quod mentitur, occidit animam.

Furor illis secundum. Hîc secundum, postquam redarguta est ipsa iniquitas, hîc redarguitur iniquitatis incorrigibilitas, per duo quæ redarguit hîc. Primum horum boni & veritatis indiscreta impugnatio, per comparationem ad serpentem furentem. Secundum, obstinatio voluntaria in illa malitia, ibi, *Sicut aspidis surdæ.* Dicit ergo: Sic corde, & opere, & ore peruersi sunt: & etiam *furor*, est, supple, *illis*, contra bonum & omnem voluntatem, *secundum similitudinem serpentis*, qui venenum infundit, & corrumpit naturam: sic ipsi animam, infundendo doctrinam peruersam. *Num. 21.* Serpentes morsibus vulnerabant filios Israël in deserto. Serpentes autem dicuntur peccatores pessimi. Primò quia sicut serpens corpus totum exponit, non curat caudam, sed tantum caput: sic illi vitam præsentem in qua sunt generati, non finem curant: contra illud, In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Item serpens pellem, non venenum deponit. Sic peccator inuenilem pulchritudinem, non vitæ peruersitatem. *Isa. penult.* Puer centum annorum maledictus erit. *Dan. 13.* Iniquitas egressa est à senioribus, qui 5. *Serpenti comparatur peccator.*

videbantur regere populum. Non poſſunt ſeneſcere moribus. Poëta,

Nequitia eſt quæ te non ſinit eſſe ſenem.

Item ante ſe non videt,nec incedit ante,ſed videt à dextris & à ſiniſtris, & tortuosè incedit. Sic peccatores à dextris vident proſperitates vt appetant, à ſiniſtris aduerſitates vt fugiant:ante nihil : contra illud *Prou.* 4. Palpebræ greſſus tuos præueniant, & oculi tui recta videant, ſicut Paulus faciebat ad *Phil.*3. Poſteriorũ oblitus, ad anteriora extendo me. Item toto pectore ſerpit. Sic peccator toto corpore terrenis rebus ſe ingerit. *Geneſ.*3. Super pectus tuum gradieris, & terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ. Sic peccator. *Pſal.* Adhæſit in puluere anima noſtra, conglutinatus eſt in terra venter noſter. Item puluerem lingit. Sic peccator inanem gloriam, quæ puluis dicitur *Matth.* 10. Excutite puluerem de pedibus veſtris. Sed de ſerpente *Iſa.vlt.*Serpenti puluis panis eius. *Mich.vlt.* Lingent puluerem, inanem gloriam, ſicut ſerpens. Item in occulto mordet, & pungit lingua ſua bifurcata. Sic peccator lingua ſua duplici occultè mordet, & detrahit. *Eccleſ.* 10. Sicut ſi ſerpens mordeat in ſilentio, ſic nihil minus habet qui occultè detrahit lingua ſua bifurcata. *Eccleſ.* 14. Suſurro & bilinguis maledicetur. Item ſputum hominis timet, ieiuni tamen. Sic peccator comtemni & expui à bonis. Signum enim contemptus eſt conſpuitio. *Deut.* 24. Mulier ſpuebat in faciem diſcalceati. Et *Matth.*26. In faciem Chriſti Iudæi expuebant in ſignum contemptus.Item fugit hominem nudum, inficit veſtitum. Sic peccator fugit & timet omnia abiicientem propter Chriſtum, infeſtat congregantem. *Matth.* 19. Ecce nos reliquimus omnia, &c. Reſpondere poſſet illud : Dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, &c.

Sicut aſpidis. Hîc obſtinatio per comparationem ad aſpidem. Et primò ſimilitudo. Secundò ſimilitudinis exploratio. *Quæ non exaudiet.* Dicit ergo : Et etiam *furor* eſt *illis ſicut furor aſpidis ſuidæ*, *&*,id eſt, *obturantis aures ſuas*, vnam terræ apponendo, alij caudam intus ponendo. Sicut aſpides ſunt venenoſi. *Pſal.* Venenum aſpidum ſub labiis eorum. Et ſurdos ſe faciunt doctrinam fugiendo ſicut aſpides. *Ezechiel.* 23. Naſum tuum, diſcretionem ſcilicet: & aures tuas, ſcilicet obedientiam, præcident. Sed *Prou.* 27. Qui obturat aurem ſuam, oratio eius fiet execrabilis. Qualiter autem obturent, dicit *Gloſſa.*

6. *Quæ non exaudiet.* Hîc explanatio, in qua oſtenditur obſtinatio, & obſtinationis magnitudo. *Et venefici.* Ait ergo : Sic ſunt ſicut aſpis obturans aurem, *quæ non exaudiet*, vt exeat de cauerna, *vocem incantantium* : ſic nec illi prædicantium. *Ierem.*8.Mittam vobis ſerpentes peſſimos, quibus non erit incantatio. Tales fuerunt peſſimi Iudæi, quos non potuit Stephanus incantare.*Act.*7. Continuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt, &c.

*Et venefici.*Quaſi diceret:Non cuiuſlibet incantatoris non audit vocẽ,imo etiã nec *venefici incantantis ſapienter*, nõ ſimpliciter ſed ſecundũ ſuam artem. Et nota,quod veneficus appellatur incãtator qui aſpides quærit,quia non niſi propter venenum, vt frequentiùs,vel ad conficiendam medicinam, vel ad vitandum. Quantum ad hoc quod ad medicinam, ſic comparatur prædicatori bono, qui ad hoc extrahit peccata de cauernis,de cordibus ſcilicet humanis,vt inde medicinam conficiat animarum. *Iſa.*11. Super foramina aſpidis, & cauerna reguli, qui ablactatus fuerit,manum ſuam mittet.

Et nota, quòd furibundi dicuntur, qui nolunt audire verbum Dei. Et hoc rectè:reſpuunt enim medicamina,cum ſint ad mortem ægroti. *Exod.* 47. Erit fructus eius in cibum, & folia in medicinam.Panẽ,cum ſint famelici. *Thren.*3. Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.Panis qui debet maſticari per meditationem, incorporari per amorem,ſed digeri per operationem. Aquam, cum ſint ſitibundi. *Eccleſ.*15. Aqua ſapientiæ ſalutaris potauit illum. Ignem,cum ſint congelati.*Ier.*23.Nonne verba mea quaſi ignis ? *Prou.* 30. Omnis ſermo Domini ignitus clypeus. Lumen, cum ſint inuoluti tenebris. *Pſal.* Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Baculum, cum ſint debilitati. Hic baculus Eliſei,qui præmittitur ad paruulum ſuſcitandum 4. *Reg.* 4. Conſolationem,cum ſint deſolati. Ad *Rom.*15. Quæcunque ſcripta ſunt,ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. *Peccator fugit bonum ſuum.*

Dominus conteret. Hîc eſt ſecunda pars Pſalmi, in qua præmiſſa peſſimorum culpa, ſubiungitur eorundem pœna : & dicuntur tria. Primò omnium Chriſti aduerſariorum generaliter. Secundò Dei miſericordia comminantis benigniter, vt ipſi corrigantur, ibi, *Intendit arcum.* Tertiò irreuocabilis miſeria his qui non corriguntur, ibi, *Sicut cera quæ fluit.* In prima duo ſecundum pœnam duplicem quam tangit. Prima eſt confuſio illorum vt iam non poſſint contradicere veritati. Secunda eſt annihilatio illorum, vt non poſſint contraire, ibi, *Ad nihilum deuenient.* In prima duo. Primò confuſio contradicentium prædicationi Chriſti. Secundò acclamantium & petentium eius mortem, ibi, *Molas leonum.* Dicit ergo : Sic falſa loquuti ſunt, & veritatem ſpernunt : ſed *Deus* tandem *conteret dentes eorum.* Verba doloſa & mordentia ſunt dentes, de quibus in Pſalmo præcedenti, Filij eorum dentes eorum arma & ſagittæ.*Thren.*4.Fregit ad numerum dentes meos. *In ore ipſorum*, vt ipſi verba ſua videant eſſe falſa, & ſentiant quaſi fracta & vana in ſeipſis, ſicut factum eſt in Iudæis, quando confractis eorum verbis compulſi ſunt dicere illud *Matth.* 27. Dicite quia diſcipuli eius venerunt nocte vobis dormientibus, & tulerunt eum. *Luc.*19. De ore tuo te iudico ſerue nequam. Et Dominus confringet *molas leonum.* Molæ ſunt dentes qui comminuunt. Sic eorum voces, quibus Chriſtus in cruci confractus, & quaſi comminutus eſt, molæ dicuntur leonum. *Ierem.* 12. Facta eſt mihi hæreditas mea quaſi leo in ſylua: dedit vocem ſuam contra me. Sed confregit quando ſurrexit, & de inferno prædam tulit. *Iob* 29. Conterebam molas iniqui, & de dentibus eius auferebam prædam. *Eccl.* 21. Dentes eius vt dentes leonum, & mola eius vt catuli leonum. 7.

Nota,

Nota, quòd ſerpenti comparati ſunt propter iracundiam, aſpidi propter aſtutiam, leoni propter ſuperbiam. Item dentes habere dicuntur propter diuiſionem bonorum, quam procurant: molas propter ipſorum bonorum comminutionem. De primo *Eccleſ.*28. Dentes populorum concidit, & gentes fortes diuiſit, vel diſſoluit lingua tertia. De ſecundo infrà, Flagelli plaga liuorem facit, plaga autem linguæ comminuit oſſa.

8. *Ad nihilum deuenient.* Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic confundentur, & quod plus eſt, ſi nunc videntur in ſuo curſu, tamen tandem *ad nihilum deuenient.* Primò ad nihilum culpæ: peccatores enim nihilum reputantur. *Pſal.* Ad nihilum deductus ſum, & neſciui. Poſtmodum ad nihilum pœnæ, damnati in inferno. *Sap.*3. Filij adulterorum in nihilum reputabuntur. Item 9. Si ab illo fugerit ſapientia, in nihilum computabitur. Et hoc *ſicut aqua decurrens*, quæ citò tranſit. 2. *Reg.*14. Omnes morimur, & ſicut aquæ dilabimur, &c. *Iob* 6. Fratres mei præterierunt ſicut torrens, qui raptim fluit de conuallibus. Et ſicut torrens, quia continuò, & cito ſicut ſol præterit. *Seneca*, Quotidie morimur, & ipſum diem in quo viuimus, cum morte diuidimus.

Intendit arcum ſuum. Hîc ſecundum, in quo monſtratur miſericordia Dei comminantis vt reſiliant. Ait enim: Sic deducentur ad nihilum: & tamen omnes miſeriæ iſtæ ſunt ad bonum ſuum, ſi volunt, quia *intendit* Dominus *arcum ſuum*, comminationem ſuam de longè ferientem, ſicut arcus, & hoc *donec infirmentur* in bonum, id eſt, vt doleant de malis quæ fecerunt, & pœniteant. Hæc eſt infirmitas quæ fortiorem reddit. 1. *Reg.* 2. Et infirmi accincti ſunt robore. Sic infirmatus eſt Saulus, quando cecidit, ſed poſtea fortior ſurrexit. *Act.*9. *Pſal.* Infirmati ſunt, & ceciderunt. *Michæ.* 1. Infirmata eſt in bonum, quæ habitat in Marach, in malo. Etiam legitur, vt arcus appelletur vindicta intenſa. Quaſi diceret: *Intendit arcum ſuum*, vindictam & pœnam pro peccatis, *donec infirmentur*, infirmitate inſanabili, ſcilicet miſeria gehenali. Hic eſt arcus de quo *Abac.* 3. Suſcitans ſuſcitabo arcum tuum. *Thren.*2. Tetendit arcum ſuum quaſi inimicus. Hæc eſt infirmitas de qua infirmabitur omnis ſpiritus, & per omnia genua fluent aquæ. *Ezech.*21.

9. *Sicut cera quæ fluit.* Hîc tertium, in quo poſtquam præmiſit pœnam malorum ſimpliciter, & ſubiunxit reuocantis Dei miſericordiam, addit inſanabilem miſeriam nolentium corrigi: & dicuntur duo. Primò velox valdè ipſorum deſtructio, ſicut citò cera liquefit coram igne. Secundò deſtructionis ratio, ibi, *Supercecidit.* Dicit ergo. Sicut arcum ſuum intendit comminando vt ipſi conuertantur, quod non facient: & propter hoc auferentur igne concupiſcentiæ malæ. *Eccleſ.*9. Quaſi ignis concupiſcentia exardeſcit. *Prou.*6. Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo vt veſtimenta eius non ardeant? Non: quia *Iob* 31. Ignis eſt vſque ad conſummationem deuorans, & vniuerſa eradicans genimina. Et hinc *auferentur*, de terra ſua diſperſi per totum mundum: quia timuerunt amittere illam ſi Chriſtum non occiderent. *Ioan.*11. Venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem. Et hoc *ſicut cera quæ fluit à facie ignis*, ſic ipſi à facie concupiſcentiæ liquefient per diuerſa vitia, & igne perſequutionis fluentes ad diuerſas terras & loca. *Iob* 6. Tempore quo fuerint diſſipati, peribunt: & vt incaluerint, ſoluentur de loco ſuo. *Mic.*1. Scindetur ſicut cera à facie ignis, & ſicut aquæ quæ decurrunt in præceps.

Supercecidit ignis. Hîc ſecundum, ſcilicet ratio, propter quam ſunt iuſtè puniendi: & tangitur duplex. Primò excæcatio ipſorum igne cupiditatis vt dictum non agnoſcant. Secundò plena poſſeſſio ipſorum à concupiſcentia, & inuidia, ibi, *Priuſquam.* Dicit ergo: Sic auferentur, & fluent ſicut cera per totum mundum, & digni ſunt: quia *ſuper* eos, ſupple, *cecidit ignis* ſuperbiæ, qui tendit ſurſum. *Iſa.*14. Aſcendam in cœlum, ſuper aſtra cœli exaltabo ſolium meum. Et concupiſcentiæ, hoc eſt, auaritiæ, de quo *Prou.*30. Ignis deſcendit de cœlo, & tactas oues puerόſque conſumpſit. *Et non viderunt ſolem*, iuſtitiæ, hoc igne triplici excæcati, de quo *Sap.*5. Errauimus à via veritatis, & lumen iuſtitiæ non illuxit nobis. *Malach.*3. Vobis timentibus Deum orietur ſol iuſtitiæ. Hinc oſtenditur, ſicut dicit *Gloſſa*, quòd ſunt quædam peccata, quæ ſunt & peccata, & pœnæ peccatorum.

Priuſquam intelligerent. Hîc ſecundum, plena poſſeſſio à peccato: & dicuntur duo. Primò plena ipſorum poſſeſſio à malitia. Secundò, quòd in hac vita: in inferno enim non eſſet mirum. *Priuſquam.* Sic enim litera ordinata eſt. Ita ſunt excæcati igne concupiſcentiæ, & ſuperbiæ, & iræ: qui ignis *in ira* Dei *ſic*, & non ſimpliciter, quia Deus non mouetur cum irascitur. Vel, *ſic*, id eſt, diminuta comparatione ad illam, quæ futura eſt in inferno exiſtentibus: *abſorbet*, id eſt, abſorbebit. Antiqua Grammatica, ſicut illud *Ioan.*15. Et in ignem mittent, & ardet. *Sicut viuentes*, id eſt, dum adhuc ſunt non verè viui, ſed ſicut viuentes, quia carent vita dimidia, ſcilicet vita gratiæ cum vita naturæ. *Luc.*10. Abierunt ſemiuiuo relicto. *Deut* 9. Quos aperto ore terra abſorbuit viuos, id eſt, amor terrenorum. Et hoc, *priuſquam*, &c. Hîc eſt duplex litera. Primò enim legatur: *Priuſquam ſpinas veſtras rhamnus.* Et eſt ſenſus conuerſo ſermone ad illos: Et hæc fient vobis, ô miſeri, *priuſquam rhamnus* diuinus, adhuc in teneritudine ſua producat *ſpinas veſtras*, duras & pungitiuas. Ad quod notandum, quòd ex peccatorum delectatione, quæ mollis eſt ſicut rhamnus mollis eſt in principio, & pulcher, ſurgunt infernales punitiones, ſicut ex rhamno ſpinæ. Senſus ergo eſt, quod à culpa abſorbentur antequam ad æternam damnationem perducantur. Alia litera communis non diſcordat quæ talis eſt: *Priuſquam intelligerent ſpinæ veſtræ*, &c. Et eſt ſenſus: Sic abſorbebit viuentes ignis, & hoc factum eſt vobis ô infelices, *priuſquam intelligerent*, id eſt, intelligere facerent per experimentalem ſcientiam, rhamnum, id eſt, infernum acutiſſimè affligentem.

10.

Hîc nota, quòd eſt ſpina mundanæ ſollicitudinis,

Spinarũ triplex acceptio ex Scriptura.

tudinis. *Matth.* 13. & *Luc.* 8. Exortæ ſpinæ ſuffocauerunt verbum. Tamen multi non ſentiunt harum punctiones, de quibus *Iob* 30. Eſſe ſub ſentibus delicias computabant. Item ſunt ſpinæ remorſionis conſcientiæ, ipſum peccatum quod pungit conſcientiam, & cruciat ipſam. *Prou.* 23. Orientur in domibus eius ſpinæ. Peccatum in conſcientia eſt ſicut in pede ſpina: vnde dicebat qui hanc ſenſerat punctionem: Conuerſus ſum in ærumna, dum configitur ſpina. Item eſt ſpina defenſionis, & excuſationis peccati. Carnalis enim homo pungit Confeſſores peccatum ſuum excuſando. 2. *Reg.* 23. Præuaricatores quaſi ſpinæ euellentur omnes, quæ non tolluntur manibus: & ſi quis eas tangere voluerit, armabitur ferro, & ligno lanceato. Primæ ſpinæ ad infernum ducunt. Secundæ præſentire faciunt. Et tertiæ tandem ineuitabiliter faciunt.

II. *Lætabitur iuſtus.* Hîc tertia pars totius Pſalmi, in qua poſt deſcriptionem perſequentium Chriſtum, & pœnam illorum, ſubiungitur de bonorum correptione & lætitia pro Dei iuſtitia: vel vt ad vnum dicatur fructus & vtilitas ſequens ex malorum pœna. Et fructus triplex. Primus, exultatio de malorum afflictione. Secundus, correctio Sanctorum ipſorum, & profectus in munditia & ſanctitate. *Manus ſuas lauabit.* Tertiò commendatio iuſtitiæ diuinæ quæ proficere facit bonos, & punit malos. *Et dicet homo.* Dicit ergo: Sic punietur: & ex hoc, *lætabitur iuſtus cum viderit vindictam*, id eſt, diuinæ iuſtitiæ rectitudinem affligentem malos pro peccatis ſuis. Nec eſt contra illud quod dicitur *Iob* 31. Si gauiſus ſum ad ruinam eius, qui me oderat, &c. quia loquitur Iob de gaudio quod ſurgit ex odio & rancore cordis: hic autem de gaudio quo gaudet iuſtus de diuina rectitudine, de qua gaudent in præſenti Sancti. *Exod.* 15. Videntes filij Iſraël Ægyptios in mari ſubmerſos, cantabant canticum Domino, & dicebant: Cantemus Domino, &c. Sed magis & perfectius gaudebunt in futuro. *Iſa. vlt.* Et erunt ad ſatietatem omnis carnis. Quippe ſic gaudent, quia Deus ipſe gaudebit. *Prou.* 1. Ego verò in interitu veſtro gaudebo, & ſubſannabo, quando quod timebatis, acciderit. *Bernard.* Non crudelitas, ſed modus ipſe ordinationis & æquitatis complaceat, quòd Deus vindicet in eos. Et verè ſic erit. *Luc.* 18. Deus autem non faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe?

Triplex fructus ex malorum pœna.

Manus ſuas. Quaſi diceret: Non tantum gaudebit, imò etiam corrigetur, & mundior efficietur: quia *manus ſuas*, opera ſua, *lauabit*, ab immunditia ſi ſenſerit immundas, vt mundiores ſint, ſi iam habet mundas: *in ſanguine peccatoris*, in eius ſcilicet miſeria & morte: inde ſumpta lauandi occaſione. *Gregor.* In peccantium morientium ſanguine Sanctorum animæ manus lauant, quia dum peccatorum pœna conſpicitur, inſpicientis vita mundatur. Non tantum in hoc ſanguine, ſed & in pretioſiſſimo ſanguine Chriſti. *Apocalypſ.* 7 Lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni: ſumpta occaſione, vnde plus ſordet ille, plus eluceſcit iſte. *Apocalypſ. vlt.* Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: & qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc.

Et dicit homo: Si vtique. Hîc tertius fructus, & præmeditatio iuſtitiæ in remuneratione bonorum primò. Secundò in punitione malorum, ibi, *Vtique Deus.* Dicit ergo: Sic gaudebit, & congaudendo diuinæ iuſtitiæ, *homo*, id eſt, rationabilis & bonus, *dicet* intra ſe: *Vtique eſt fructus iuſto.* Vtique eſt dulce præmium quo reficitur. *Iſa.* 3. Dicite iuſto quoniam bene: quoniam fructum adinuentionum ſuarum comedet. Non ſic dicet homo animalis, qui quaſi ratione caret. 1. ad *Corinth.* 2. Animalis homo non percipit ea quæ Dei ſunt. *Vtique eſt Deus iudicans eos*, id eſt, malos, *in terra*, iudicio punitionis & afflictionis, de quo in *Pſal.* Iudica Domine nocentes me. Et eſt hic *ſi* pro quia. Alia litera *Auguſt.* eſt: *Et dicet homo*, ſicut prius: *Ergo eſt fructus iuſto.* Et ſequitur ex immediatè: *Manus ſuas lauabit*, &c. *Ergo eſt Deus iudicans eos in terra*, id eſt, malos, ex quo ſic abſorbentur ab igne. Et hoc verum eſt: quilibet enim comedet fructus quales fecit. De malis *Prou.* 1. Comedent fructus viæ ſuæ. De bonis *Eccleſ.* 6, Suſtine bonos fructus illius. Ideò monet Apoſt. ad *Coloſſ.* 1. Ambuletis dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes.

Duodecim fructus iuſtitiæ in hac vita.

Et nota, quòd duodecim ſunt fructus iuſtitiæ, quos habet iuſtus de iuſtitia ſua in præſenti. Primus, temporalium abundantia. *Iſa.* 1. Si volueritis & audieritis, bona terræ comedetis. Secundus eſt habitarum ſubiectio, velut ad vſum ſuum, & ad bonum. *Pſal.* Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius. Aliter non eſſent vere ſua, ſed ipſe magis rerum. 2. ad *Corinth.* 3. Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei. Tertius, ſpiritualium bonorum augmentatio. *Prou.* 4. Iuſtorum ſemina quaſi lux ſplendens, creſcit & proficit vſque ad perfectam diem. 2. ad *Corinth.* 3. Transformamur de claritate in claritatem. Quartus, multiplicatorum radicatio. Ad *Epheſ.* 3. In charitate radicati & fundati. Conſuetudo enim altera natura eſt. Quintus eſt ſpiritualium conſolationum frequens perceptio in doloribus huius mundi. *Pſal.* Secundum multitudinem dolorum meorum, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Sextus eſt ſecretorum reuelatio. *Gen.* 18. Nunquid celare potero Abraham quid facturus ſum? *Ioan.* 15. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ adiuui à patre meo, nota feci vobis. Septimus eſt hilaritas in operando, vt impleatur illud *Pſal.* Seruite Domino in lætitia. *Eccleſ.* 35. In omni dato hilarem fac vultum tuum. 2. ad *Corinth.* 9. Non ex triſtitia aut neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus. Octauus, iocunditas de triumpho quem ſentit ſe habere de diabolo. Hoc ſignificatum fuit in lætitia filiorum Iſraël de Ægyptiis. *Eccleſ.* 35. Homo qui iocundatur in filiis, id eſt, in operibus bonis, quantum ad præcedens: videns ſubuerſionem inimicorum, quantum ad hoc membrum. Nonus eſt fomitis debilitatio. *Geneſ.* 32. Neruus femoris Iacob emarcuit ex lucta cum Angelo. *Ioſuë* 10. Præcepit Dominus ſubneruari equos. Decimus, per certam experientiam eruditio. Sic dicebat *Paulus.* Non enim ignoramus aſtutias eius. *Eccleſ.* 24. Qui non eſt expertus, pauca recognoſcet. Vndecimus eſt

diuinorum

diuinorum prælibatio in contemplatione. *Psal.* Gustate, & videte quoniam suauis est Dominus. *Genes.* 32. Iacob facie ad faciem vidit Dominum, & saluaque facta est anima eius. Duodecimus, petitorum à Deo adeptio. *Psal.* Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Alij duodecim numerantur ad *Galat.* 5.

Sunt & duodecim quos habebit in futuro. *Ezech.* 47. Ex vtraque parte fluminis lignum vitæ pomiferum, afferens fructus duodecim à dextris, duodecim à sinistris. A dextris affert Christus, qui est lignum vitæ, iustis fructus duodecim in patria: à sinistris, in via, fluuio mortis in medio currente.

IN LVIII. PSALMVM.

1. *In finem. Ne disperdas Dauid in tituli inscriptione, quando misit Saül & custodiuit domum eius vt eum interficeret.*

2. *Psalmus agit contra custodes sepulchri Christi.*

Ripe me de inimicis meis. Hic est Psalmus octauus in secunda quinquagena, in quo postquam arguit Christi crucifixores, consequenter in hoc videtur arguere sepulchri obseruatores. Primò quidem voluerunt perimere vitam. Secundò famam. Quod notatur in titulo qui talis: *In finem. Ne corrumpas, vel disperdas Dauid in tituli inscriptione, quando misit Saül, & custodiuit domum eius vt interficeret eum.* Hìc notandum, quod habetur 1. *Reg.* 19. quòd Saül misit custodiri domum Dauid, vt exiens interficeretur, vel non exiret ab illa: sed per fenestram dimissus est ab vxore sua Michol, & sic euasit. Prima pars tituli patet ex prædictis. Psalmus hic dirigens nos *in finem*, Christum scilicet: moneo *ne* tu quicumque es, *corrumpas vel disperdas Dauid*, non in se, sicut prius, sed *in tituli inscriptione*, ipsum negando verum Regem. *Quando, quia misit Saül*, qui formam Iudæorum retinuit in hoc facto, id est, maiores Iudæorum, *& custodiuit* Synagoga illa, id est, custodiri fecit *domum eius*, scilicet quæ fuit domus antiquissima, & adhuc ab alio, Ioseph scilicet ab Arimathia, mutuata, *vt interficeret eum*, non corporaliter, iam enim sic interfecerat, sed famam eius & resurrectionis quantum in se erat, impediret. *Matth.* 27. Iube Domine custodiri sepulchrum. Et tunc dixit eis Pilatus: Habetis custodiam, &c. Sed inanis fuit eorum intentio, quia surrexit, & gentes ad fidem ipsius conuersæ sunt: & in fine mundi Iudæi conuertentur, sicut prophetatur in Psalmo, qui diuisus est in tres partes. In prima præmittitur oratio. In secunda prædictio, ibi, *Conuertentur ad vesperam.* In tertia gratiarum actio. *Ego autem cantabo.* In prima duo. Primò orat Christus pro seipso. Secundò pro Gentium conuersione, ibi, *Et tu Domine Deus virtutum.* Item in prima duo, secundum duo quæ petit. Primò petit liberationem. Secundò liberationis accelerationem, ibi, *Exurge in occursum.* Item in prima duo. Primò liberatio. Secundò persuasio, quòd debeat exaudiri, ibi, *Quia ecce cœperunt.* In prima tria, secundum tria genera inimicorum à quibus petit liberari. Primi sunt inimici corde. Secundi ore, ibi, *Et ab insurgentibus.* Tertij opere. *Ripe me de operantibus.*

Dicit ergo. *Deus* qui scis, & potes, *meus*, vnde bene debes: *ripe me de inimicis meis.* Inimici propriè hìc dicuntur, qui oderunt corde, quales erant Iudæi ad Christum. *Ioan.* 15. Odio habuerunt me gratis. Quippe *Amos* 5. Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfectè abominati sunt. Sic & mali generaliter bonos oderunt. *Exod.* 1. Oderunt autem Ægyptij filios Israël, sicut Cain Abel *Gen.* 4. Ismaël Isaac eiusd. 21. & Esau Iacob 28.

Et ab insurgentibus in me, id est, contra me, odium ostendendo per verba, *libera me*, quales erant qui dicebant ad Christum: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es, &c. Et in eodem: Dæmonium habes, quis te quærit interficere? Sic post odium cordis quod habent mali ad bonos, addit irrisiones. *Iob* 12. Deridetur iusti simplicitas: lampas contempta apud cogitationes diuitum: vnde in fine dicturi sunt: Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum.

Ripe me de operantibus. Hìc tertium, in quo dicuntur duo. Primò persequutio opere. Secundò persequutionis consummatio. *Et de viris.* Dicit ergo: Sic eripe à prædictis, & etiam *eripe de operantibus iniquitatem* in me, & contra me, quia colaphizant me. *Matth.* 26. Et dabant ei alapas, dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? *Mich.* 7. Percutient maxillam iudicis Israël. Sic impij pios. *Isa.* 58. Ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè. Sed Deus liberabit tandem & eripiet suos. *Iob* 36. Capiet pauperem de angustia. 2. ad *Corinth.* 1. Qui de tantis periculis eripuit nos. 3.

Et de viris sanguinum, qui sanguinem meum sitiunt effundere, *saluame. Matth.* 26. Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Sic mali sanguinem & mortem bonorum sitiunt qui eos corripiùt. *Prou.* 6. Viri sanguinum oderunt simplicem. Sed ab iis citò liberat, quia moriuntur citò. Suprà in *Psal.* Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.

Quia ecce ceperunt. Hìc persuasio, quòd debet exaudiri, & primo suadet ab illorum malitia. Secundò à sua innocentia. *Neque iniquitas.* In prima duo. Primò perfecta iniquitas. Secundò iniquitatis auiditas. *Irruerunt.* Ait ergo: Sic rogo, & necesse est, quòd exaudias, quia *ecce fortes*, id est, diuites & potentes in hoc sæculo, Pilatus, & Herodes. *Prou.* 18. Substantia diuitis vrbs roboris eius. De hac fortitudine Pilatus gloriabatur *Ioan.* 19. Nescis quia potestatem habeo dimittere te? Vel *fortes*, sua reputatione Iudæi, & illorum principes, qui se tam fortes reputabant, vt Deo non obedirent, sed suam iustitiam statuerent. Ad *Rom.* 10. Suam iustitiam statuere volentes, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Sic peccatores omnes & superbi bonos impugnantes, fortes sunt fortitudine mala. *Ierem.* 23. Factus est cursus eorum, & fortitudo dissimilis. *Sap.* 2. Sit fortitudo vestra lex iustitiæ. Fortitudo ista sanitas non est, sed insania. 4.

Ceperunt animam meam, vitam scilicet temporalem abstulerunt. *Thren.* 4. Venatione ceperunt

runt me quaſi alieni. Et infrà: Spiritus oris noſtri, Chriſtus Dominus, captus eſt in peccatis noſtris. Hoc intendebant in *Pſal.* Accipere animam conſiliati ſunt.

Irruerunt me fortes, cum impetu, cum auiditate capiendi animam meam. *Iob* 30. Quaſi rupto muro, & fracta ianua irruerũt in me. *Act.* 7. Et impetum fecerunt vnanimiter in eum. Hos arguit in *Pſal.* infrà: Quouſque irruitis in hominem? *Iſa.* 25. Spiritus robuſtorum turbo impellens parietem Sed tandem miſeria irruet ſicut fluuius in eos. *Iob* 22. Viri iniqui ſublimati ſunt ante tempus ſuum, & fluuius ſubuertet fundamenta eorum. *Exod.* 15. Irruat ſuper eos formido & pauor, in magnitudine brachij tui.

Neque iniquitas mea. Hîc ſumitur ratio ab innocentia ſua, quam oſtendit completè in duobus. In carentia mali, & præſentia boni. *Sine iniquitate.* Duo autem mala oſtendit à ſe remouere, cordis, & operis. *Neque peccatum.* Ait enim: Sic impugnant, quod debet te mouere ad eripiendum. Et etiam ô Domine *neque iniquitas mea*, hoc eſt, cordis mei eſt contra illos. *Ierem.* 2. Quid inuenerunt in me patres veſtri iniquitatis? *Neque peccatum*, eſt cauſa quare me perſequuntur. Peccatum, inquam, in ore vel opere. *Iſa.* 53. Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus, &c. Idem 1. *Petr.* 2. Supra *Pſal.* 1. Non abiit in conſilio impiorum, in via peccatorum non ſtetit, in cathedra peſtilentiæ non ſedit.

Sine iniquitate. Hîc additur carentiæ mali, boni præſentia: & hoc duplicis. Primò quantum ad ſe. Secundò quantum ad alios. *Et direxi.* Ait ergo: Sic ſine iniquitate fui, *& cucurri.* In via huius vitæ ambulat, qui implet mandata: ſed currit, qui conſilia. 1. ad *Corinth.* 9. Sic currite vt comprehendatis. 1. ad *Tim.* 4. Curſum conſummaui, &c. Et hoc, *ſine iniquitate*, id eſt, ſine intentionis peruerſitate. *Iſa.* 26. Semita iuſti recta eſt, rectus callis ad ambulandum, ſine obliquitate peruerſæ intentionis, & ſine palliatione ſimulationis. *Iacob.* 3. Sapientia quæ deſurſum eſt, ſine ſimulatione eſt.

Et direxi, alios ad bonos quantum potui, & verbo & exemplo: implens ad quod miſſus eram. *Luc.* 1. Ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. *Direxi* etiam, omnia referendo ad te. 1. ad *Cor.* 13. Siue comeditis, ſiue bibitis, ſiue aliquid aliud facitis, omnia ad honorem Dei facite.

6. *Exurge in occurſum.* Hîc eſt ſecundum primæ partis totius Pſalmi, in quo poſt petitam liberationem, petit liberationis accelerationem. Et primò petit accelerationem. Secundò accelerationis manifeſtationem, vt non ſolum citò illum liberet, ſed etiam liberationem manifeſtet. *Et vide.* Ait enim: Sic me affligunt, & iniuſtè: & propter hoc ô Domine *exurge*, qui dormire videris, *in occurſum meum*, vt occurrens liberes me, & inimicos diſſipes. *Num.* 10. Surge Domine, & diſſipa inimicos tuos.

Vel *exurge in occurſum meum*, id eſt, mihi currenti ad te per obedientiam, occurens per exauditionis accelerationem. *Iſa.* 64. Occurriſti lætanti & facienti iuſtitiam. Non enim poteſt ſe continere pius, quin occurrat currenti ad ſe. *Exod.* 4. Aaron frater tuus egredietur in occurſum tuum. *Matth.* 25. Quæ præparatæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias. *Iacob.* 4. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.

Et vide, id eſt, videre fac, quod occureris. non ſolum meam reſurrectionem mundo manifeſtando, ſed etiam mei ad te æqualitatem: occurrere enim Patrem filio, & filium Patri, eſt æquales in omnibus eſſe. Et hoc videre, id eſt, facere quod videatur, eſt hoc ipſum mundo manifeſtare, quamuis minor credatur ex infirmitate. Videre etiam facit, quod alicui occurrerit, quando conſtantiam in tribulationibus ſe elegiſſe oſtendit. *Deuter.* 13. Tentat vos Dominus Deus veſter, vt palam faciat vtrum diligatis eum, ſicut *Geneſ.* 22. Nunc cognoui, id eſt, cognoſcere feci, quod timeas Dominum.

Et tu Domine Deus virtutum. Hîc ſecunda pars totius primæ partis in qua orat. Oratione enim præmiſſa pro ſua liberatione, hîc ſubiungitur pro gentium conuerſione: & dicuntur duo. Primò confitetur, quod orat potentiam, & ſic allicit ad conſentiendum. Secundò ſubiungit deprecationem. *Et intende ad viſitandas.* Confitetur autem potentiam quantum ad cœleſtia. Secundò quantum ad terrena. *Deus Iſraël.* Dicit ergo: Sic libera, & eripe, & tu etiam *Domine virtutum* cœleſtium. Supra: Dominus virtutum, ipſe eſt rex gloriæ. Angeli enim virtutes cœlorum appellantur. *Luc.* 21. Nam virtutes cœlorum mouebuntur. Vel *Deus virtutum* gratuitarum, & gratum facientium dator. *Iacob.* 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, &c. *Deus Iſraël*, etiam hominum, ſed ſpecialiter Iſraëlitarum, quaſi Deus cœli & terræ. *Iudith* 9. Creator beſtiarum, & vniuerſæ creaturæ.

Intende ad viſitandas. Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur oratio: & dicuntur duo. Primò petit. Secundò addit modum quo impleri velit petitum. *Et non miſerearis.* Dicit ergo: Sic potens es, & propter hoc peto, *intende ad viſitandas omnes gentes*, viſitatione bona vt conuertantur, non mala vt damnentur. Notandum ergo eſt, quòd eſt viſitatio perſcrutationis & diſcuſſionis, qua viſitabit Deus in die iudicij. *Soph.* 1. Scrutabor Ieruſalem in lucernis, & viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis. Et eſt viſitatio vltionis temporalis. *Iſa.* 9. Quid facietis in die tribulationis, & calamitatis deſuper venientis? ad cuius confugietis auxilium? Et eſt viſitatio æternæ damnationis ſi præcedens non valet. *Iſa.* 24. Poſt dies multos viſitabuntur, dicitur de damnatis, non ad liberationem, vt ſomniauit *Origenes*, ſed renouationis ad pœnam. Sed eſt viſitatio bona liberationis à malos. *Ierem.* 15. Tu ſcis Domine, recordare mei, & viſita me, & erue me. Sic viſitauit Petrum *Act.* 12. Et beneficij temporalis. Sic dicitur viſitaſſe Saram quando dedit filium. *Geneſ.* 21. Viſitauit Dominus Saram, & aperuit vuluam eius. Et poſtmodum Rebeccam. *Gen.* 25. Superadditionis gratuitorum non gratum facientiũ, ſicut propheticæ inſpirationis. *Eccl.* 49. Oſſa illius viſitata ſunt, vt poſt mortem prophetarent.

Varia viſitationis ſpecies.

Colla

Collationis abundantis bonorum gratum facientium, de qua in *Pſal.* Viſitaſti terram, liberi arbitrij: & inebriaſti eam, omni gratia ſpirituali. Conſeruationis datorum. *Iob* 10. Viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum. Et redemptionis, quod eſt fons & origo boni. *Luc.* 11. Viſitauit nos oriens ex alto.

Non miſereris. Hîc ſecundum, in quo determinat modum: & legitur multipliciter. Primò enim iniquitas accipi poteſt vniuerſaliter pro omni peccato. Et ſic primò legitur. Vel pro peccato in Spiritum ſanctum: & hoc ſimpliciter comparatione ad omnes: vel comparatione ad Iudæos.

Dicit ergo: Sic viſita omnes gentes viſitatione miſericordiæ, non tamen pereat omnis iuſtitia: imò viſita, *& non miſereris*, penitus dimittendo omnibus qui operantur iniquitatem, ne facilitas veniæ incentiuum præbeat delinquendi. *Iſa.* 26. Indulſiſti Domine, indulſiſti genti, nunquid glorificatus es? Et in eodem, Miſereamur impio, & non diſcet facere miſericordiam. Propter hoc flagella ad bonum vt aliquo modo ſatisfaciant, & etiam flagella vt à futuris malis reſipiſcant. *Oſeæ* 2. Sepiam vias tuas ſpinis: & vt æternam damnationem non expectent. 2. *Machab.* 6. Etenim non ſinere peccatoribus ex ſententia agere, ſed ſtatim vltiones adhibere, magni beneficij indicium eſt. Vel ad peccatum in Spiritum ſanctum referatur: *Non miſereris omnibus qui operantur iniquitatem*, illam quæ nulla miſericordia digna eſt, ſcilicet qui peccant in Spiritum ſanctum. 1. *Ioan. vlt.* Eſt peccatum ad mortem, non pro eo dico vt roget quis. Vel *non miſereris omnibus qui operantur iniquitatem*, hanc, ſcilicet Iudæis, etſi ex abundanti tu aliquibus miſereris, vt ſint de illis de quibus *Luc.* 11. Qui autem dixerit verbum in Spiritum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Et *Matth* 12. ſimile.

7. *Conuertentur ad veſperam.* Hîc ſecunda pars totius Pſalmi huius, in qua poſtquam orauit, prædicit quæ futura ſunt de conuerſione Gentium & Iudæorum ad fidem. Et primò de conuerſione Gentium. Secundò Iudæorum, ibi, *Conuertentur ad veſperam*: ſecundò poſitum. In prima quatuor. Primò prædicitur conuerſio primitiuorum de Gentibus. Secundò deuotio illorum & feruor ad alios conuertendum. *Et famem patientur.* Tertiò modus conuertendi aliquos per prædicationem continuam, ibi, *Ecce loquentur.* Quartò non credentium eis pœna, & credentium fructus. *Et tu Domine deridebis.* Dicit ergo: Rogaui vt intendas ad conuerſionem Gentium, & ſic facies, quia *conuertentur ad veſperam*, in fine ſcilicet mundi. 1. ad *Cor.* 10. Nos ſumus in quos fines ſæculorum deuenerunt. 1. *Ioan.* 2. Filioli hora nouiſſima eſt. Et dicit, *Conuertentur*, non conuertent ſe, quia Dominus conuertit eos qui conuertuntur, quicumque ſunt illi. *Pſal.* Conuerte nos Deus ſalutaris noſter. *Ierem.* 15. Si conuerteris, conuertam te.

Et famem patientur. Hîc feruor monſtratur in duobus. In deſiderio interiori primò. Secundò in ſollicitudine, & labore exteriori. *Et circuibunt.* Dicit ergo: Sic conuertentur, & conuerſi famem patientur, id eſt, deſiderium vehemens conuertendi alios, & corrigendi. Et nota, quòd iuſti patiuntur famem quadruplicem. Primò audiendi verbum Dei. *Amos* 8. Mittam famen in terra, non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Dei. Bene operandi. *Matth.* 5. Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur. Et alios incorporandi, ſicut hîc dicitur. Sic eſuriebat *Paulus ad Philip.* 1. Teſtis eſt mihi Deus, quomodo cupiam vos in viſceribus IESV-CHRISTI. Hæc ſignificata fuit infame Petri *Act.* 10. Hæ tres in via. Sed tandem erit quarta in patria, ſcilicet videndi Deum. *Eccleſiaſt.* 24. Qui edunt me, adhuc eſurient. Famem, inquam, patientur, latrando *vt canes*, per prædicationem & vitiorum repreſſionem: & non ſunt de illis, de quibus *Iſa.* 56. Canes muti non valentes latrare. Hi ſunt canes linguam habentes medicinalem. *Luc.* 16. Canes veniebant, & lingebant vlcera eius. *Quadruplex iuſtorum fames.*

Et circuibunt ciuitatem, ſollicitè eam muniendo, *ciuitatem* ſcilicet Eccleſiæ exemplo Chriſti, de quo *Matth.* 4. Circuibat IESVS omnem Galilæam. *Cantic.* 4. Surgam, & circuibo ciuitatem. *Prouerb.* 6. Diſcutere, feſtina.

Ecce loquuntur. Hîc tertium, in quo tangitur modus prædicandi: & dicuntur duo. Primò declarat modum. Secundò probat ipſum. *Quoniam quis.* In prima tria. Parata voluntas ad docendum. *Ecce loquentur.* Secundò prolationis facultas. *In ore ſuo.* Tertiò efficacia verbi & poteſtas, ibi, *Et gladius.* Dicit ergo: Sic feruentes erunt ad conuerſionem aliorum: quoniam *ecce loquentur.* In promptu eſt vt alios doceant. Hoc neceſſarium eſt Prælato. 1. *Petr.* 5. Parati reddere rationem omni poſcenti, de ea quæ in vobis eſt fide, & ſpe. *Eccleſ.* 6. Lingua eucharis in bono homine abundauit. *Prou.* 14. Doctrina prudentum facilis. 8.

In ore ſuo, proprio non in alieno ore, vel vicario. Videtur enim eſſe paganus, vel barbarus qui per interpretem loquitur. *Geneſ.* 44. Neſciebant autem quod intelligeret Ioſeph, eò quod per interpretem loqueretur ad eos.

Et gladius in labiis eorum ad penetrandum efficaciter corda auditorum. Gladius, de quo ad *Epheſ. vlt.* Et gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Hic de quo *Matth.* 10. Non veni mittere pacem in terram, ſed gladium. Et *Iſa.* 49. dicit prædicator: Poſuit os meum quaſi gladium acutum. Ad *Hebr.* 4. Viuus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.

Quoniam quis audiuit? Hîc probatio modi præmiſſi. Quaſi diceret: Verè ita eſt, *quoniam quis audiuit* vnquam talia, quæ ab eis dicuntur? Quaſi dicat: Nullus: vnde alia litera addit, *Talia verba.* Miracula vt impleatur in ipſis quod de magiſtro illorum dicitur. *Luc.* 5. Mirabantur omnes in verbis gratiæ quæ procedebant ex ore eius. Et *Ioan.* 7. Nunquam ſic loquutus eſt homo, ſicut homo hic loquitur. De miraculis *Ioan.* 16. Qui credit in me, ſigna quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet. Ad *Hebræ.* 10.

Obtu

Obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis.

9. *Et tu Domine deridebis.* Hîc quartum, in quo ſubiungit miſeriam nolentium illis acquieſcere, & hoc primò. Et acquieſcentium fructum, & hoc ſecundò. *Fortitudinem meam.* In prima duo. Primò irriſio illorum qui non conſentient. Secundò irriſorum captiuatio. *Ad nihilum*, vel magis elongatio à vero eſſe. Dicit ergo: Sic prædicabunt: aliqui verò non credent: & propter hoc, *tu Domine deridebis eos. Prou.* 1. Ego vero in interitu veſtro ridebo. Et iuſtum eſt. *Proverb.* 4. Deluſores ipſe deludet. Et *Pſal.* Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus, &c.

Ad nihilum deduces omnes gentes, quæ non conſentient illis à vero eſſe repellendo, & iungendo ei qui non eſt. *Iob* 18. Habitant in tabernaculo eius, qui non eſt, diaboli ſcilicet. *Ezech.* 28. Nihili factus es, dicitur diabolo. Et *Boëtius* dicit, quòd mali homines non ſunt. *Iſa.* 40. Omnes gentes quaſi non ſunt: & quaſi ſtilla ſitulæ, ſic ſunt coram eo. Et 34. de Babylone. Extendetur ſuper eam menſura, vt redigatur in nihilum. *Act.* 5. Omnes qui crediderunt Theodæ, diſſipati ſunt, & redacti ad nihilum.

10. *Fortitudinem meam ad te.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur bonum volentium acquieſcere prædicationi, conuerſorum in principio Eccleſiæ. Et eſt duplex. Bona ordinatio ad Deum primò. Secundò ad proximum, ibi, *Ne occidas eos.* In prima duo. Primò confitetur conuerſus ſe bene ordinatum ad Deum. Secundò huius rei debitum, ibi, *Quia Deus ſuſceptor.* Dicit ergo: Verè illi erunt deriſi, & ad nihilum redacti: *ego vero*, dicit Eccleſia, *cuſtodiam fortitudinem meam*, à te mihi datam. *Iob* 39. Nunquid præberis equo fortitudinem? Hæc fortitudo de qua *Iſa.* 40. Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem. Et hoc, *ad te*, ſemper totum dirigens, & nunquam à te recedens, vt non dicam illud *Iob* 6. Quæ eſt fortitudo mea vt ſuſtineam, aut finis meus vt patienter agam? Et eſt contra feruorem nouitiorum, qui fortitudinem ſuam non cuſtodiunt, illam ad Dei ſeruitium conſeruando, ſed ſtatim eneruant. Sed in lege, mulier quæ auferebat virilia, ſine omni miſericordia puniebatur. *Deut.* 25. Hoc eſt contra illos, qui totam ætatis fortitudinem volunt non ad Deum, ſed ad mundi ſeruitium retorquere, cum dictum ſit *Exod.* 32. quòd Deo primitiæ offerantur.

12. *Deus oſtendit mihi.* Hîc ſignum, quod miſericordia præuenit, & magna. Quaſi diceret: Sic miſericordia præueniet me, & hoc *oſtendit mihi Deus.* Huius rei dedit mihi ſignum, *ſuper inimicos meos*, id eſt, inimicis meis ſic reprobatis, & ad malum præparatis & præſcitis. Ad *Rom.* 11. Vide bonitatem & ſeueritatem Dei. In eos quidem qui ceciderunt, ſeueritatem, in te autem, bonitatem. Deus enim ad oſtendendam maiorem in ſuis miſericordiam, exercet in aliis iuſtitiam. Ad *Rom.* 11. Suſtinuit vaſa iræ apta in interitum in multa patientiâ, vt notas faceret diuitias ſuas in vaſa miſericordiæ.

Ne occidas eos. Hîc ſecundus fructus, ſcilicet bona ordinatio ad Chriſtum, id eſt, oratio pro ipſo, non pro quocumque, ſed etiam pro inimico: & dicuntur duo. Primò petit à quo vult illis caueri. Secundò quid conferri, ibi, *Diſperge illos.* In prima duo. Primò petitio. Secundò petitionis ratio. *Nequando obliuiſcantur.* Dicit ergo: Sic oſtendit mihi ſuper inimicos meos: ſed ô Domine, *ne occidas eos*, ſpiritualiter occidi permittas, vel etiam corporaliter antequam conuertantur. *Matth.* 6.. Orate pro calumniantibus & perſequentibus vos, ſicut & Chriſtus fecit *Luc.* 23. & Stephanus *Act.* 7.

Nequando. Hîc ratio. Quaſi diceret: Ne occidas eos, *nequando obliuiſcantur populi mei*, id eſt, ne tradant me obliuioni populi, *vt mei*, ſit caſus genitiui: multum enim valet ad Dei memoriam exercitium ab inimicis infidelibus habitum. *Iſa.* 28 Vexatio dabit intellectum auditui. Si autem intelligatur de Iudæis ſpecialiter, oprimè, quia adhuc orat Chriſtus & Eccleſia vt ſeruentur, vt per ipſos paſſionis memoria ſuſcitetur in nobis, & veritas probetur per ipſos qui aduerſarij ſunt.

Notandum enim, quòd Iudæi reſeruantur, nec occiduntur in exemplum cautelæ, vt exemplo ipſorum, qui de tanta familiaritate deiecti ſunt ad tantam miſeriam, timeamus & caueamus. *Prou.* 21. Mulctato peſtilente ſapientior erit paruulus. In ſeruitium, vt ſint aſini noſtri deferentes vbique propter nos codices Hebraïcæ veritatis, ad vſum Eccleſiæ, ſi opus eſſet. *Auguſtin.* Hîc dicit, quòd diſperſi ſunt per mundum, vt nobis vbique codices deportarent. Item in opprobrium ſuum, vt vilificentur ab omnibus, qui omnium Deum vilificauerunt. *Pſal.* Facti ſumus opprobrium vicinis noſtris, ſuſannatio, & illuſio. In teſtimonium eorum quæ geſta ſunt contra Chriſtum. *Geneſ.* 4. Poſuit Dominus ſignum in Caïn interfectore fratris, & factus eſt vagus & profugus ſuper terram. Et vltimò in aculeum, vt videntes ipſos pungamur, & renouetur in nos memoria paſſionis Chriſti, & doleamus. *Iob* 21. Cum recordatus fuero, contremiſco, & poſſedit carnes meas tremor.

Quare Iudæi reſeruãtur.

Alia litera habet: *Nequando obliuiſcantur meæ.* Et eſt ſenſus: Ne occidas, & expone, me. *Nequando obliuiſcantur legis meæ:* quod eſſet quædam mors, imò vera mors. *Prou.* 4. Vita enim ſunt inuenientibus ea, & vniuerſæ carni ſanitas. Et loquitur de præceptis.

Diſperge illos in virtute tua. Hîc ſecundum. Primò enim petit à quo vult eis caueri, hîc quid conferri, quia miſeriam, ad bonum ſuum tamem. Secundò vtilitatem ex illa conſequentem, ibi, *Delictum oris.* Pœnam petit eis duplicem. Diſperſionem primò. Secundò deiectionem, ibi, *Et depone.* Dicit ergo: Sic rogaui ne occidas, ſed magis *diſperge illos*, quoſcumque Eccleſiæ inimicos, vel ſpecialiter Iudæos: & hoc, *in virtute tua. Deut.* 28. Diſperget te Dominus in omnes populos à ſummitate terræ vſque ad terminos eius. *Ierem.* 15. Dabo eos in feruorem vniuerſis regnis terræ. Et infrà: Diſpergam eos ventilabro in portis terræ.

Et depone eos protector meus Domine, de ſua ſuperbia & elatione: vel ab omni gloria deiiciens,

ciens, & honore, ſecundum Virginis prophetiam *Luc.*1. Depoſuit potentes de ſede. *Eccl.*10. Sedes ducum ſuperborum deſtruxit, & ſedere fecit mites pro eis. *Iſa.* 22. Expellam te de ſtatione tua.

13. *Delictum oris eorum.* Precatur eis vtilitatem conſequentem ex illa pœna, & hanc duplicem. Confuſionem de culpâ primò. Conuerſionẽ ad Chriſtum ſecundò, ibi, *Annuntiabuntur.* In prima duo. Primo vt peccatum eorum annihiletur, vel fruſtretur. Secundo, quod conuerſio ſequatur? *Et comprehendantur.* Dicit ergo: Sic depone eos, & etiam *delictum oris eorum.* Vel occide, vel dimitte. Et inculcat. *Et ſermonem labiorum ipſorum.* Vel primum refertur ſecundum *Gloſſam* ad peceatum cordis, & ſic os cordis intelligitur: ſecundum ad peccatum oris. Vel melius poteſt dici, quòd in primo tangitur peccatum oris. In ſecundo diligentia in peccando. Hæc ergo petit annihilari, quæ dixerunt contra ſe, cum dicebant: Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es, & dæmonium habes? Et illud *Matth.*27. Domine recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc viuens: Poſt tres dies reſurgam.

Et comprehendantur. Hîc ſecundum, in quo petit confuſionem conſequentem. Ait enim: Sic peccator deſtruatur, *& comprehendantur*, confuſi & ſtupefacti, *in ſuperbia ſua*, qua ſuperbiunt contra Chriſtum: quod factum eſt in multis Iudæorum. Videntes enim, quòd nihil profecerunt Chriſtum occidendo, & contra ipſum ſuperbiendo, comprehenſi ſunt in hac confuſione ſua. *Eccl.*23. In vanitate ſua comprehenditur peccator & ſuperbus. *Iob* 5. Apprehendit ſapientes in aſtutia eorum. *Oſeæ* 10. Confuſio Ephraim capiet eum. Et etiam comprehendantur confuſi, *de execratione*, qua Chriſtum ſunt execrati. *Eccleſ.* 1. Execratio peccatori ſapientia, Chriſtus, de quo 1. ad *Corinth.*1. Prædicamus Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam.

Et de mendacio, ſcripturarum ab ipſis corruptarum, quod eſt pernicioſum mendacium, de quo *Sap.* 1. Os quod mentitur, occidit animam. *Pſal.* Perdes omnes qui loquuntur mendacium.

Annuntiabuntur. Hîc ſecundum, in quo prædicendo precatur eorum conuerſionem ad ad præmiſſam confuſionem conſequentem: & dicuntur tria. Primò prædicitur confuſionis tempus. Secundò modus. *In ira conſummationis.* Tertiò conuerſio ipſa. *Et non erunt.* Ait enim: Sic peto vt bona confuſione confundantur: & ſic vlterius *annuntiabuntur* ab Apoſtolis & prædicatoribus conuertendi.

14. Et hoc *in conſummatione* ſæculi, quemadmodum dicit Paulus ad *Roman.*11. quòd poſtquam plenitudo Gentium intrauerit, conuertentur, vt ſic omnis Iſraël ſaluus ſit. Vel conuertendi *in conſummatione*: erunt enim viri perfectiſſimi qui in fine conuertentur, ſecundum illud ad *Roman.*5. Vbi abundauit delictum, ſuperabundabit & gratia. *Iſa.* 10. Conſummatio abbreuiata mundabit iuſtitiam. Et addit modum ſeu cauſam conuerſionis: & hæc fient *in ira conſummationis*, non conſumptionis: quia percutit filios ſuos Deus ad modicum vt reuocet eos ab errore. *Iſa.* 54. In puncto ad modicum dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. Ad *Rom.*8. Omnia cooperantur in bonum. Ipſe caſus, dicit *Gloſſa*, his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.

Et non erunt. Hîc tertium, ipſa conuerſio plena, in quo primò tangitur ipſa conuerſio. Secundò profectus poſt conuerſionem. *Et ſcient.* Ait enim: Sic annuntiabuntur ab Apoſtolis & prædicatoribus conuertendi, & per iram Dei bonam, *& non erunt* impij deinceps, à malo in bonum mutati. 1. *Reg.* 10. Mutaberis in virum alterum. *Prouerb.*12. Verte impios, & non erunt, ſicut factum eſt in Paulo, qui dicit de ſeipſo ad *Galat.*4. Viuo ego, iam non ego, viuit autem in me Chriſtus.

Et ſcient quia ego ſum Deus. Hîc tangitur profectus poſt conuerſionem, ſcilicet cognitio poteſtatis diuinæ ſuper Iudæos, & hoc primò. Et ſuper Gentiles, ibi, *Et finium.* Dicit ergo: Sic rogo vt conuertas eos, & iam non erunt impij, & etiam ſcient omnes, *quia Deus dominabitur Iacob*, Iudæorum de Iacob deſcendentium.

Et finium terræ, Gentilium ſcilicet qui in finibus terræ habitabant, comparatione ad Iudæos qui erant in medio, ſcient tribulationibus eruditi. *Iſa.*28. Vexatio dabit intellectum auditui. *Ezech.* 12. Ciuitates quæ habitabantur, deſolatæ erunt, terraque deſerta: & ſcietis quia ego Dominus, non tantum Iudæorum, ſed & Gentium. *Iſa.*54 Dominabitur tui qui fecit te, Dominus exercituum nomen eius. Et redemptor tuus ſanctus Iſraël, Dominus omnis terræ vocabitur, non tantùm tuæ. *Ioel.*3. Scietis quia ego Dominus Deus veſter habitans in Sion. 1. *Reg.* 2. Dominus iudicabit fines terræ: ipſe dabit imperium Regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui.

15. *Conuertentur ad veſperam.* Hîc ſecunda pars ſecundæ partis totius Pſalmi, in qua poſtquam præmiſit de conuerſione Iudæorum, ſubiungitur hîc eorumdem Iudæorum conuerſio perfecta: & dicuntur quatuor. Primò conuerſio. Secundò affectio conuerſorum, & deſiderium ad alios conuertendum. *Et famem.* Tertiò ſollicitudo implendi quæ deſiderabant. *Et circuibunt.* Quartò & vltimò compaſſio & anxietas pro illis quos conuertere non valebunt. *Si verò non fuerint ſaturati.* Dicit ergo: Sic rogabunt pro ipſis Iudæis Gentes, & tandem conuertentur, tamen *ad veſperam*, ſcilicet in fine mundi plenarie, aliquibus conuerſis completa reſurrectione & aſcenſione, quod fuit etiam tardè & quaſi ad veſperam. *Iſa.* 10. Si fuerit populus filiorum Iſraël quaſi arena maris, reliquiæ conuertentur. *Cõuerſio Iudæorum.*

Et famem patientur, animas conuertendi, *vt canes* ſeipſos reputantes non oues. Sic tangitur ipſorum humilitas, vt non ſint ſimiles ſuperbo Phariſæo, qui ouem ſe reputauit, non canem *Luc.* 18.

Vel, *vt canes*, vt prædicatores aliorum carnalitatem deuorare cupientes. *Apoc.*19. Venite & manducetis carnes regum & tribunorum. Hinc dictum eſt Petro *Act.*5. Macta & manduca. Et nota, quòd bonus canis eſt prædicator bonus. Primò quia ore latrat contra tyrannos *Comparatio prædicatoris cum cane.*

& hæreticos, qui lupi ſunt & latrones. Vnde quibuſdam improperatur. *Iſa.56.* Canes muti non valentes latrare. Dentibus mordet & lacerat vitia tanquam carnes. *Ierem.15.* Viſitabo ſuper eos quatuor ſpecies, dicit Dominus. Gladium ad occiſionem, & canes ad lacerandum. Lingua medetur vulneri relicto in anima per peccatum. *Luc.16.* Et canes veniebant, & lingebant vlcera eius. Verba enim prædicatoris debent eſſe medicinalia. *Ezech.47.* Et erunt fructus eius in cibum, & folia eius in medicinam. *Ioan.12.* Verba quæ ego loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt. Applaudit caudâ. Sic prædicator iuſtis monſtrando æterna præmia. *Tob.11.* Percurrit canis & quaſi nuntius blandimento caudæ gaudebat. Sic docet applaudere cauda. *Iſa.3.* Dicite iuſto, quoniam bene: fructum adinuentionũ ſuarum comedet. Gregem cuſtodit. Sic Doctores boni. *Act 20.* Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo poſuit vos Spiritus ſanctus regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Vigiliis intendit aliis dormientibus. *Luc.2.* Paſtores cuſtodiebant vigilias noctis, ſuper gregem ſuum. *Cant.5.* Inuenerunt me vigiles qui cuſtodiunt ciuitatem. Ad *Hebr.vlt.* Ipſi enim peruigilant tanquam rationem reddituri pro nobis. Odore prædam ſequuntur ſemper veſtigiis inſtando. Sic prædicator Chriſtum, eius veſtigiis adhærendo. *1.Pet.2.* Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. Talis canis fuit beatus *Iob* 24. Veſtigia eius ſequutus eſt pes meus. Pro Domino ſuo moritur. *Pſal.* Quoniam propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus, &c. Cæcus tamen naſcitur, donec ſuxerit vbera matris aliquo tempore. Sic prædicator donec ſuxerit vbera matris Eccleſiæ. *Cant.1.* Meliora ſunt vbera tua. Duo enim Eccleſiæ vbera ſunt, ſcilicet teſtamenta.

Et circuibunt. Hîc ſollicitudo in duobus, in inquiſitione, & ſui diuiſione. *Ipſi diſpergentur.* Dicit ergo: Sic erunt famelici, *& circuibunt* præ ſolitudine *ciuitatem.* Ad *Rom.12.* Sollicitudine non pigri. Et 2. ad *Corinth.12.* Præter ea extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum.

Ipſi diſpergentur. Ecce ſecundum. Sic circuibunt. Nunquid omnes ſimul? Non: imò *ipſi diſpergentur,* per loca diuerſa, *ad manducandum* ſpiritualiter, & incorporandum Eccleſiæ infideles, & Chriſti peccatores. *Oſeæ 4.* Peccata populi mei comedent. Et in *Pſal.* Dedit eum eſcam populis Æthiopum, id eſt, ſanctis paſſionibus & laboribus denigratis propter paſſionem Chriſti. *Cant.1.* Nolite me conſiderare quòd fuſca ſim, quia decolorauit me ſol.

Murmur in bonam partem ſumitur.

Si vero non fuerint ſaturati, & murmurabunt. Nota, quòd hæc coniunctio ſuperfluit, ſicut frequenter accidit in Hebræo. Et nota etiam, quòd murmuratio hîc ſumitur in bonum: eſt enim murmur compaſſionis: vnde *Gloſſa,* Murmurabunt, id eſt, dolebunt. Vel murmurabunt contra pigros, quos vix poterunt excitare ad bonum faciendum. Secundò eſt murmur diſſenſionis, & diſcordiæ, de quo *Ioan.7.* Et murmur multum erat de eo Alij dicebant, quia bonus eſt: alij non, ſed ſeducit turbas. Et eſt murmur impatientiæ, de quo 1. ad *Corinth.10.* Nec murmuraueritis, ſicut quidam eorum murmurauerunt, & à ſerpentibus perierunt. Et inuidiæ, quando fit melius alij quam ſibi, de quo *Matth.10.* Et murmurauerunt aduerſus patremfamilias dicentes, &c.

Et poteſt legi verſus iſte contra Archidiaconos, qui ad literam diſperguntur per Epiſcopatum, non ad prædicandum, ſed ad manducandum: & murmurant ſi non ſint ad libitum procurati. Non ſicut Eleezer qui ait *Geneſ.24.* Non comedam donec dixerim omnes ſermones. Et completis ſermonibus, paucis fuit contentus. Sic enim habetur ibi: Et appoſitus eſt in conſpectu eius panis. *Geneſ.18.* Angeli qui venerunt ad Abraham in meridie, habuerunt lac & butyrum & vinum, ferculum de carnibus, ſcilicet vitulum.

Poteſt etiam legi contra clauſtrales, qui per cameras diſperguntur, hic quatuor, & hic quinque relicto refectorio: & murmurant contra Abbatem ſi non miniſtrauerit ad ſuperfluitatem. *Oſeæ 10.* Diuiſum eſt conuiuium eorum, dimitte eos. Nota de monacho, qui ſolus in refectorio comedebat, & dimiſſa cultella plena paleis, iuit cum aliis.

Ego vero cantabo. Hîc eſt tertia pars Pſalmi, ſicut à principio dictum fuit, in qua ſubiungitur gratiarum actio poſt præmiſſam orationem, & futurorum prænuntiationem: & dicuntur duo ſecundum modum duplicem gratias referendi. Primò promittit ſe laudaturum ore. Secundò, quod magis placet Deo, opere, ibi, *Adintor meus.* In prima duo. Primò promiſſio gratiarum actionis ore. Secundò ratio quare agendæ, ibi, *Quia factus es.* In prima duo. Primò promittit ſe laudaturum. Secundò addit tempus & modum. *Et exaltabo mane.* Dicit ergo: Sic conuertentur Gentes, & Iudæi. *Ego autem,* hoc intelligens, *cantabo,* cantando ore laudabo, *fortitudinem tuam,* qua reprobatis malis & diuiſis in inferno, de Gentibus & Iudæis electos potenter colligis. *Exod.15.* Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus eſt, &c. Et additur, Fortitudo mea, & laus mea Dominus. *1.Reg.2.* Non eſt fortis ſicut Deus noſter. *Iob.9.* Si fortitudo quæritur, robuſtiſſimus eſt. Et ſuſcipiens, ſupple, *miſericordiam tuam,* me ab infidelitatis errore liberantem, *exultabo* corde, ne ſit laus tantum in voce. *Iſa.12.* Exulta & lauda habitatio Sion. *Pſal.* Cor meum & caro mea, id eſt, lingua, exultauerunt in Deum viuum. De vtroque, miſericordia ſcilicet & fortitudine. *Eccleſ.51.* Memoratus ſum miſericordiæ tuæ, ecce miſericordia, & operationis tuæ, ecce fortitudo, quæ à ſæculo ſunt. 17.

Commendatur tempus matutinum.

Et hoc, *manè.* Notandum enim, quòd manè laudandum, ſicut hîc dicitur. *Pſal.* Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Manè prædicandum. *Eccleſ.11.* Manè ſemina ſemen tuum. Manè contemplationi vacandum. *Iſa.26.* Anima mea deſiderauit te in nocte: ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis de manè vigilabo ad te. Et in *Pſal.* Manè aſtabo tibi & videbo, quoniam, &c. Manè etiam colligebatur manna. *Exod.16.* Et manè exeundum ad laborandum. *Cant.7.* Manè ſurgamus ad vineas. *Matth.20.* Paterfamilias exiit primo manè conducere operarios in vineam ſuam.

Quia

Quia factus es. Hîc tangitur ratio duplex. Prima ipsius exaltatio, quæ lætanter laudat. Secundò exaltati liberatio à multis tribulationibus. *Et refugium.* Ait ergo: Sic laudabo fortitudinem, & lætabor de misericordia, *quia factus es*, ô Domine, *susceptor meus*, cum reuersione de regione longinqua, vbi dissipaui substantiam, sicut filius prodigus. *Luc.*16. *Ierem.*3. Fornicata es cum amatoribus multis: & ego suscipiam te: tandem susceperus in gloria reuertentem ad te de præsenti miseria. *Prou.*29. Humilem spiritu suscipiet gloria.

Et refugium meum, quando oportuit, quia *in die tribulationis meæ. Exod.*25. Speciosa misericordia in die tribulationis, sicut nubes pluuiæ in tempore siccitatis. *Psal.* Petra refugium herinaciis. 2 *Reg.*22. Dominus petra mea, & robur meum.

18. *Adiutor meus.* Hîc secundum, in quo præmittit gratiarum actionem in opere: & primò præmittit opere. Secundò addit rationem. *Quia Deus.* Dicit ergo: Sic cantabo ore, & ô tu, *adiutor meus, psallam tibi*, opere: psallere enim est operari bene, eo ipso quod adiutor es. *Eccles.*34. Adiutorium casus, id est, à casu, exaltans animum, & illuminans oculos. Et 51. Confitebor nomini tuo, quoniam adiutor & protector factus es mihi.

Quia Deus. Hîc ratio laudis in opere, scilicet susceptio alia à præmissa: & tangitur susceptio, & susceptionis ratio, non debitum, sed pura Dei misericordia. *Deus meus misericordia mea.* Dicit ergo: Sic psallam, qui *es Deus meus*: vnde magis mirandum est. *Susceptor meus* ad familiaritatem, & præmium: & alia susceptio fuit incipientium, hîc iam perfectorum. Et hoc non imputo meis meritis, sed ô *Deus meus misericordia mea* es, ideſt, totum est ex misericordia tua. Ad *Rom.*6. Gratia autem Dei est vita æterna. Ad *Titum* 3. Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit. Ad quam salutem nos perducat IESVS CHRISTVS, qui cum Patre & Spiritu sancto, &c.

IN LIX. PSALMVM.

1. *In finem pro iis qui commutabuntur in tituli inscriptione ipsi Dauid in doctrinam, cum succendit Mesopotamiam Syriæ & Sobal, & conuertit Ioab, & percussit Edon in valle Salinarum duodecim millia.*

3. *Psalmus agit de conuersorum superiori Psalmo perfectione.*

DEus repulisti nos. Hic est Psalmus nonus in secunda parte totius libri, in secunda scilicet quinquagena, in quo postquam actum in Psalmo præcedenti de conuersione Gentium ad Christum, & etiam Iudæorum, quia parum est conuerti, nisi sequatur consummari in bono & saluari, agitur de eorum consummatione & sanatione in præsenti à reliquiis vitiorum, & futura glorificatione, in quibus erit plena commutatio, & consummata. Et hoc ostenditur satis in titulo proposito in Psalmo qui talis est: *In finem pro iis qui commutabuntur in tituli inscriptione ipsi Dauid in doctrinam, cum succendit Mesopotamiam Syriæ & Sobal, & conuertit Ioab, & percussit Edon, in valle Salinarum duodecim millia.* Hîc enim tangitur 2. *Reg.*11. 2. *Paral.*19. de percussione Ammonitarum, & illorum qui secum venerunt in adiutorium contra Dauid, scilicet illorum de Mesopotamia & Syria. Et illud quod habetur 2. *Reg* 8. quando Dauid percussit Aderezer Regem Sobal, & fecit sibi totam Syriam tributariam, & ipsa capra & subiecta, subiecit etiam sibi Idumæam 12. millibus Idumæorum interfectis in valle Salinarum. Sed vt apertè ostendatur, quod non respicit ad facta illa Psalmi intentio, sed ad significata, tangitur in titulo quod nusquam legitur, scilicet quod Dauid conuerterit Ioab. Remittantur ergo ad spiritualem intelligentiam, & conuersionem Ioab intelligamus spiritualiter, scilicet illorum qui per Ioab designãtur: & alias similiter victorias interpretemur. Et per hoc etiam, quia etsi Dauid illas legitur subiecisse prouincias, tamen non legitur succendisse, sicut hîc dicitur. Et iterum sicut superiùs dictum fuit, quod vbi in titulo pronomen discretiuum additur ad Dauid, intelligendum est non de literali. *Moralis tituli expositio.*

Nota ergo, quòd sunt homines elati superbi, qui significantur per Mesopotamiam: interpretatur enim eleuata vocatio, & Syria, sublimis. Et sunt in malitia inueterati, qui significantur per Syriam Sobal, quod interpretatur vana vetustas. Et sunt homines Deo inimici, & bonum in alios persequentes, qui designantur per Ioab, qui interpretatur inimicus. Et sunt terrenis omninò dediti, qui designantur per Edon, qui interpretatur terrenus. Omnes istos tamen ad sui tituli confessionem conuertit Christus, vt sequantur doctrinam Christianam secundum illud Psalmi, Dixit Dominus: Ex Basan, id est, ex confusione peccati conuertam: & succendit igne charitatis. Ad *Rom.*5. Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. Et hoc est quod in titulo dicitur. Subiectus Psalmus *in finem*, nos dirigens, supple, editus est, *pro iis qui commutabuntur* de regno diaboli, *in tituli inscriptione*, in hoc quod tituli inscriptione demonstratur, scilicet in regnum Christi. Inscriptione, inquam, facta *ipsi Dauid*, id est, Christo. *Ioan.*19. Vel *mutabuntur* non sibi, sed *ipsi Dauid*, id est, Christo, vt iam viuant ipsi soli. Ad *Galat.*3. Viuo ego iam non ego, viuit autem, &c. Consentientes in doctrinam Christi: hic enim verè de regno diaboli commutatur in regnum Christi, qui sequitur doctrinam eius, quæ est doctrina pietatis. Super illud 1. ad *Tim.* 3. Pietas ad omnia, &c. *Glossa:* Omnis summa doctrinæ Christianæ religionis de pietate, & misericordia. Pietate ad Deum, misericordia quantum ad proximum: quod totum factum est, *quando succendit Dauid*, id est, Christus, *Mesopotamiam Syriæ*, igne charitatis superbos & electos inflammauit. *Et Syriam Sobal*, in superbia & sublimitate antiquatos. *Et conuertit Ioab*, id est, inimicum prius, ipsum faciens amicum, sicut factum est in Paulo *Act.*9. Vel conuertit per hoc inimicum, id est, diabolum, retrorsum expellens, cum diabolus fugit, & retrorsum conuertitur quando homo conuertitur ad Christum, qui inimicus appellatur. *Matth.*13.

Matth. 13. Inimicus homo hoc fecit. *Et percuſſit*, gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Ad *Epheſ.vlt. Edon*, id eſt, de Edon vt ſit caſus genitiui, id eſt, de terrenis, *duodecim millia*, id eſt, generaliter mandata decalogi cum charitate gemina cuſtodientes: in millenario enim perfectio & vniuerſitas, in duodenario obſeruatio decalogi propter denarium, & charitas gemina propter binarium deſignatur. Sed quia non valeret conuerti niſi adeſſet humilitas, & diſcretio, ſignanter addit: *In valle Salinarum.* Vallis enim Salinarum ſic dicebatur à ſale, cuius ſimilitudo in illa valle reperiebatur. Et notatur in hoc humilis diſcretio, & diſcreta humilitas. Humilitas in valle. *Gregor.* Qui cæteras virtutes ſine humilitate congregat, quaſi puluerem in ventum portat. *Leuit.*2. præcipiebatur, quòd in omni ſacrificio Domini poneretur ſal. Et *Bernardus* dicit, quòd diſcretio eſt auriga virtutum.

Diuiditur autem Pſalmus in duas partes. Primò enim petit loquens in parte conuerſorum de Gentibus & Iudæis, conſummationem in bono. Secundò conuerſionem ipſarum tribulationum in vtilitatem, & gloriam, ibi, *Da nobis auxilium.* In prima duo. Primò petit vt ſanentur à reliquiis peccatorum. Secundò vt ſanati ſaluentur. *Saluum fac dextera.* In prima dicuntur tria. Primò recolunt bona quæ fecit ſibi Deus. Secundò petunt vt perficiat quod benè inchoauit eos ſanando, ibi, *Sana contritiones eius.* Tertiò oſtendunt, quòd ſanandi ſunt, ibi, *Quia commota eſt.* In prima duo. Primò oſtendunt bonum quod eis eſt à Deo factum. Secundò modum quo factum eſt, ibi, *Iratus es.* In prima duo ſecundum duplex bonum. Primum eſt malæ voluntatis amotio. Secundum, prauæ conſuetudinis deſtructio, ibi, *Deſtruxiſti nos.* Dicit ergo: O *Deus*, qui es fons & origo omnis boni, *repuliſti nos*, à malis delectationibus in quibus mergebamur, & quibus adhærebamus eas amaritudinibus reſpergendo. *Auguſt. in lib. Confeſſion.* Omnes delectationes meas amaritudinibus reſperſiſti, vt ſic ab illis me repelleres. *Oſeæ* 2. Sepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria, vt pungant, & impingas ambulans per illam, vt ſic repulſi à Deo conuertamur, & doctrinam tuam tanquam ſolidum & verum animæ cibum recipiamus. *Iſa.*28. Quem docebis ſcientiam, & quem intelligere facies auditum? ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus. Propter hoc *Thren.* 2. Repulit Dominus altare ſuum, maledixit ſanctificationi ſuæ, tradidit in manus inimicorum muros turrium eius. Sed contra. Ad *Rom.*11. Nunquid repulit Dominus plebem ſuam? Abſit. Reſponſ. Non repellit irreparabiliter, ſed ad tempus repellit ſuos, vt corrigantur.

Et deſtruxiſti nos, malam conſuetudinem in qua ædificati eramus, deſtruendo, & diſſipando. *Thren.*2. Deſtruxit pretioſa Iacob, peccata, & conſuetudines malas quæ videbantur ſpecioſa: ſed inter ipſos & Deum diuidebant. *Iſa.*59. Peccata noſtra diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum. *Iſa.*5. Diruam maceriam eius. *Ierem.*1. Poſui te vt euellas, vt diſſipes, deſtruas, & diſperdas: hîc diſperdas. Hic dicit *Baſilius*, qui ædificauit excelſum ſuperbiæ, huic deſtructio remedio erit.

Iratus es. Hîc ſubiungit modum repulſionis, & deſtructionis: & primò tangit quod fuit ex parte Dei repellentis, iram ſcilicet miſericordiæ mixtam. Secundò ex parte repulſorum. *Commouiſti.* Ait enim: Sic dixi, Repuliſti & deſtruxiſti, & hoc modo *iratus es nobis*, effectum irati in nobis exercendo, & tamen iratus miſertus es nobis. *Abac.*3. Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. Et in *Pſal.* Nunquid obliuiſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas? Quaſi diceret: Non. Ira autem temperata miſericordia valde libenter eſt ſuſtinenda, ne incurratur alia ira, imò furor. *Mich.*7. Iram Domini portabo, libenter, quia grauiter peccaui tibi.

Commouiſti terram. Hîc tangit quod factum 4.
eſt in pulſis, & ſunt duo. Primò tranſlatio de peccato in bonum. Secundò dolor & conturbatio pro peccato. *Et conturbaſti.* Dicit ergo: Sic miſericorditer iratus fuiſti, & ex hoc ſequutum eſt, quia *commouiſti terram*, terrenos homines Iudæos & Gentiles, transferens eos de peccato, impellens eos timore tuo, & terrens prædicationis gladio. *Iob* 37. Super hoc expauit cor meum, & emotum eſt de loco ſuo. Et in *Pſal.* Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ: vidit & commota eſt terra. Timor enim Domini cum venit in mentem, totam commouet, & concutit illam. *Ioan.*5. Angelus Domini deſcendebat in piſcinam, & mouebatur aqua.

Et conturbaſti eam, dolorem immittendo pro miſeriis & peccatis. *Pſal.* Cor meum conturbabatum eſt intra me, & formido mortis cecidit ſuper me. Et alibi: Anxiatus eſt in me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum. Nota ergo pulchrum ordinem. Primò timor commouet & concutit. Secundò dolor conturbat, & conuertit. Moueri enim eſt à timore. *Eccleſ.* 1. & in *Pſal.* Initium ſapientiæ timor Domini. *Eccleſ.*1. Qui ſine timore Domini eſt, non poterit iuſtificari. Et dicit, *Commouiſti & conturbaſti*: quia non eſt hominis ſeipſum commouere pro peccatis, niſi Deus hoc faciat. *Iſa.*26. Omnia opera noſtra operatus es in nobis. Item non dicit mouiſti, ſed *commouiſti, & conturbaſti*, quia nec Deus facit ſine homine præbente conſenſum. Auctor Deus eſt principalis. Ad *Rom.*9. Non eſt volentis nec currentis, ſed Dei miſerentis.

Sana contritiones. Ecce petitio: & appellat contritiones hîc quas ſanari petit, miſerias ex peccato relictas. *Pſal.* Qui ſanat contritos corde. *Ierem.*14. Sanabo contritiones eorum, diligam eos ſponteneè.

Quia commota eſt. Hîc tertium, in quo oſtenditur ratio ſanandi. Primò propter peccati dimiſſionem. Secundò propter fructuoſæ correctionis confeſſionem. *Oſtendiſti populo tuo.* Dicit ergo: Sic ſana, & dignum eſt, quòd ſanes eam, *quia commota eſt.* Quaſi diceret: Si commota eſt per peccati dimiſſionem, & tu debes per miſericordiam commoueri. 3. *Reg.* 3. Commota quippe ſunt viſcera eius ſuper filio ſuo. *Luc.*15. Pater miſericordia motus occurrit filio prodigo reuertenti.

Oſtendiſti populo tuo. Hîc oſtenditur confeſſio 5.
fructuoſæ correctionis. Primò ergo confitentur ſui afflictionem. Secundò afflictionis rationem. *Dediſti metuẽtibus.* Tertiò vtilitatem. *Vt fugiant.*

In

In prima duo. Primò confitentur ſe afflictos exterius. Secundò interius compunctos. *Potaſti nos.* Dicit ergo: Sic commota eſt terra, & etiam *oſtendiſti* experimento certo, *populo tuo dura*, afflictiones ſcilicet & flagella *Act.* 7. de vno de populo Dei: Oſtendam ei quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Multa dura & aſpera, ſicut ipſe narrat 1. ad *Corinth.* 11. eum opportuit ſuſtinere, vt poſſet dicere illud *Pſal.* Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras. Dura in principio & importabilia, ſed tandem per charitatem facilia & delectabilia. *Bernard.* Via Domini primò quidem amara eſt. Secundò tolerabilis, ſed tandem delectabilis. *Matth.* 11. Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. *Deut.* 33. Inundationes maris quaſi lac ſugent.

Potaſti nos. Quaſi diceret: Non tantum exterius afflixiſti, ſed interius vino compunctionis mordaci, & pungitiuo, nos potaſti. Et nota, quòd diabolus habet vina ſua diuerſa, quibus potat ſuos. Habet vinum luxuriæ quo potat multos, de quibus ad *Epheſ.* 5. Nolite inebriari vino in quo eſt luxuria. Et vinum inuidiæ, quod ei carius eſt, de quo *Deut.* 32. Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile. Sed optimum ſpecialiſſimis, vinum prauitatis hæreticæ. *Apocalypſ.* 17. Inebriati ſunt qui habitant terram de vino proſtitutionis eius. Proſtitui enim in Scriptura ſacra eſt in vino corrumpi. Deus autem ſua habet vina. Primum tribulationum: quaſi de aſſiſia, quo potat omnes generaliter. *Ierem.* 25. Sume calicem vini furoris huius de manu mea, & propina cunctis gentibus ad quas ego mitto te. Ipſe primo bibit de hoc vino, & poſt conſanguineis propinauit. *Matth.* 20. Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum? Reſp. Poſſumus. Calicẽ quidem meum bibetis. Sed melius compunctionis, quod datur tantum ſuis, nec inde bibunt ſerui, de quo hîc. 1. ad *Corinth.* 10. Non poteſtis bibere calicem Domini, compunctionem ſcilicet de peccatis. Hoc vinum eſt vulnerum ſanatiuum. *Luc.* 10. Samaritanus infudit vulneribus ſauciati vinum & oleum. Sed & vinum contemplationis vinum optimum tantum ſpecialiſſimorum amicorum, de quo *Eſther* 1. Vinum quoque abundans, & præcipuum ponebatur. Ad hoc potandum inuitantur chariſſimi. Sed hoc vinum nuptiale *Ioan.* 2. Bibere oportet nunc de primo, & ſecundo, quæ aliquid habent amaritudinis, qui vult bibere de tertio. Exemplum in libro de conſolatione: quia in templo Iouiniano erant duo dolia vini, vnum amari, & aliud dulciſſimi vini: oportebat autem bibere de amaro, qui volebat bibere de dulci.

Vinum Chriſti.

6. *Dediſti metuentibus.* Hîc ratio afflictionis tangitur. Quaſi diceret: Oſtendiſti dura exteriùs, interius amara, & per hoc, *dediſti ſignificationem*, non omnibus, ſed *metuentibus te.* Ad quid vtilem? ad duo. Ad fugiendum primò ſententiam æterni iudicij. Secundò ad liberationem vlterius à pœna inferni. Primum cum dicit, *Vt fugiant.* Secundum cum addit, *Vt liberentur.* Dicit ergo: Sic per hoc dediſti ſignificationem, huius nimirum, *Vt fugiant à facie arcus*, à ſententia ſcilicet, & ira iuſti iudicij. Et ſicut dicit *Gloſſa*, ſignum datur triplex hunc arcum fugiendi. Tribulatio præſens, hoc eſt primum. Si enim ſic Deus affligit in præſenti etiam chariſſimos ſibi, quid faciet in futuro in malitia obſtinatis? *Luc.* 22. Si in viridi hæc fiunt, in arido quid fiet? 1. *Petr.* 4. Tempus eſt vt iudicium incipiat ad domo Dei: quod ſi primum à nobis, quis finis iis, qui non credunt Euangelio? Ipſis etiam percuſſis ſignum eſt, quod non debeant æternaliter punire, quia hic ſunt correpti. 1. ad *Cor.* 11. Dum flagellamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.

Secundum ſignum eſt crux Chriſti, & paſſio vt ſequamur ipſum, & ſic euadamus iudicium. 1. *Petr.* 2. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum vt ſequamini veſtigia eius. Et ſic euadetis. *Exod.* 19. Habentes ſignum Thau ſcriptum in frontibus ſuis non ſunt percuſſi.

Signum tertium eſt ſcriptura, quæ veracitor oſtendit homini qualis eſt, & qualiter puniendus eſt, vt non murmuret de perſequutione. *Auguſt.* Proferatur ſpeculum ſcripturæ, quod nemini parcit, quod qualis es, talem te oſtendet tibi. *Iacob.* 2. Si quis autem eſt auditor & non factor, hic comparabitur viro conſideranti vultum, &c.

Vt liberentur dilecti. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic flagellas, vt diſtrictam iudicij ſententiam fugiant metuentes: & etiam *vt dilecti tui liberentur*, ab omnibus miſeriis propter pœnas, quas ſuſtinent in præſenti. Ad *Roman.* 8. Creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. *Iudith* 12. Orabat Iudith Dominum Deum Iſraël vt dirigeret eam ad liberationem populi ſui Iſraël. *Oſeæ* 13. De manu mortis liberabo eos: & etiam à culpis, ne in ſeruitutem diaboli redigantur, & peccati. Sed ſunt liberi. *Ioan.* 8. Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Infundit enim ſpiritum libertatis, ſcilicet Spiritum ſanctum. 1. ad *Corinth.* 3. Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas.

Saluum me fac. Hîc ſecundum, in quo petita ſanatione dolorum, & reliquiarum peccati, petitur conſequenter ſaluatio. Et primò petit. Secundò conquerendo oſtendit ardorem affectionis de ſalute omnium, & gloriæ, adeptione. Vel primò petit. Secundò oſtendit quis hoc conferre poſſit, quia Deus ſolus, ibi, *Quis deducet me?* Item in prima duo. Primò petit. Secundò probat, quòd neceſſe ſit impleri quæ petit. *Deus loquutus eſt.* Dicit ergo: Sic ſana contritiones, vt petij, & etiam *ſaluum me fac:* & hoc *dexterâ tuâ*, id eſt, in dextera collocando cum Agnis, non in ſiniſtra cum hœdis. *Matth.* 25. Agnos quidem ponet à dextris, hœdos autem à ſiniſtris. *Et exaudiuit me*, petentem æterna quæ das libenter, non temporalia: ne mihi reſpondeas, ſicut reſponſum eſt mulieri. 4. *Reg.* 6. Salua me Domine mi Rex: & reſpondit: Non te ſaluat Dominus: vnde te ſaluare poſſum? de area, vel de torculari? 7.

Deus loquutus eſt in ſancto ſuo. Hîc ſecundum, in quo oſtendit, quòd neceſſe ſit vt exaudiatur & ſaluetur: & dicuntur duo. Primò quia Deus promiſit. Secundò quid promiſerit. 8.

Lætabor. Dicit ergo: Sic peto, & ſcio quoniam exaudiet: *quia Deus*, qui non mentitur, *loquutus eſt*, etſi non per ſe,tamen *in ſancto ſuo*,Moyſe,vel quocumque prophera alio per Scripturas ſanctas. *Pſal* Semel loquutus eſt Deus. *Iob* 33. Semel loquitur Deus, & ſecundò idipſum non repetit. Scriptura enim immobiliter ſtat. Et *Prou.* 12. Labium veritatis firmum erit in perpetuum. *Matth.* 5. Vnum iota, aut vnus apex non præteribit à lege donec omnia fiant. *Loquutus eſt in ſancto*, antonomaſticè loquendo, ſcilicet Chriſto ſanctorum ſancto. *Dan.* 9. ad *Hebr.* 10. Nouiſſimè diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio.

Lætabor. Hîc ſecundum, ſcilicet quid promiſerit: & dicuntur duo. Primò quia promiſerit Eccleſiæ lætitiam. Secundò lætitiæ cauſam. *Et partibor.* Dicit ergo: Loquutus eſt,& hoc locutus eſt quod *lætabor.* Vel tale loquutus eſt, vnde ſequitur in me lætitia. *Pſal.* Lætabor ego ſuper eloquia tua,&c.Et alibi,Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi.

Et partibor Sichimam. Hîc tangit lætitiæ cauſam, poſtquam eſt certa Eccleſia de ſalute, & eſt duplex. Prima Iudæorum & Gentium conuerſio ad fidem Chriſti. Secundò conuerſorum promotio vſque ad perfectionem, ibi, *Meus eſt Galaad.* In prima duo. Primò conuerſio Gentilium. Secundò Iudæorum. *Et conuallem.* Dicit ergo: Lætabor, quia hoc dixit Deus, & hac cauſa *partibor Sichimam*, id eſt, Gentilium plebem, partem ad fidem conuertendo. Significat autem Sichima gentilitatem ratione facti, quia Iacob ibi idola abſcondit ſub therebintho, ſicut legitur *Geneſ.*35. Et ſimiliter Gentium idola ſub ligno crucis abſcondita ſunt, vt iam Gẽtilibus ad fidem de cruce Chriſti conuerſis, idololatra non reputetur. *Eccleſ.* 24. Expandi ramos meos quaſi therebintus. *Pſal.*Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates,& quorum tecta ſunt peccata.

Et conuallem tabernaculorum, id eſt, gentem Iudæorum per illam conuallem deſignatam, quia ibi Iacob cum ſuis habitauit, & ouibus fecit tabernacula: *metibor*, accipiendo partem meam. *Num.* 24. Quam pulchra ſunt tabernacula tua Iacob,& tentoria tua Iſraël! ſicut valles nemoroſæ. Nota alias lecturas in *Gloſſa* de Sichima.

9. *Meus eſt Galaad*, Hic ſecundum quod eſt cauſa lætitiæ, ſcilicet promotio conuerſorum: & dicuntur tria, ſecundum triplicem modum promotionis. Primò promotio ad virtutum excellentiam. Secundò ad vnionẽ & ſubiectionem ipſi Chriſto. *Iuda Rex meus.* Tertiò vſque ad aliorum conuerſionem, ibi, *In Idumæam.* In prima duo. Primò conſummatio in excellentia virtutum. Secundò ratio huius conſummationis. *Et Ephraim.* Dicit ergo:Sic conuertentur de Gentibus, & de Iudæis, & etiam *meus eſt*, iam factum reputo, *Galaad*, aceruus teſtimonij, & ſignificat multitudinem Martyrum. Ecce cumulus perfectorum corpus exponendo. *Ierem.*8. Nunquid eſt reſina in Galaad, aut medicus non eſt in terra? Tangit quæ debent nos ſanare: Galaad, exemplum Martyrum: reſina, ſacramentum: medicus,ordo Prælatorum.*Cantic.*7. Venter tuus, dicitur Eccleſiæ, ſicut aceruus tritici. Martyres enim perſequutionum flagellis ſunt triturati. Martyr autem idem quod teſtis. Tales autem ſunt verè Chriſti teſtes. *Iſa.*43.Verè vos teſtes mei, dicit Dominus. Supra dictum fuit quot cauſis aliquis Martyr.

Et Manaſſes, quod interpretatur obliuio,& ſignificat illos qui obliuiſcuntur omnium temporalium propter Chriſtum, ſequentes Paulum ad *Phil.* 3. Poſteriorum oblitus, ad anteriora me extendo. *Pſal.* Audi filia, & vide,& inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum:nec ſolum hoc, imò confuſionis & peccati. *Iſa.* 54. Confuſionis adoleſceutiæ tuæ obliuiſceris, & opprobrij viduitatis tuæ non recordaberis amplius. Item opprobrij pro Chriſto habiti: imò gloriam reputabunt. Ad *Rom.*1.Non enim erubeſco Euangelium.

Et Ephraim. Hîc ſecundum, ſcilicet ratio præmiſſorum: & continua, Sic in me ſunt perfecti Martyres & Confeſſores: ſed hoc non eſt ex me, imò fortitudo capitis mei eſt Ephraim, fructificans. Quaſi diceret: Quidquid fructus eſt in Martyribus, quidquid in Confeſſoribus, totum eſt ex mei capitis fortitudine: fructus enim ſunt bona opera. *Matth.* 3. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur. Et in eodem, Facite dignos fructus pœnitentiæ. Et hoc totum ex illius graui virtute & fortitudine,quod dicit de ſe ipſo: Niſi granum frumenti, &c.

*Iuda Rex meus.*Hîc ſecundũ quod pertinet ad virtutum coſummationem, inſeparabilis adhæſio cum ſuo capite,in quo dicuntur duo. Primò adhæſio. Secundò monſtratur adhæſionis fortitudo. *Moab*: quia tribulatio non ſeparat, ſed magis vnit. Dicit ergo: Sic in me ſunt perfecti, dicit Eccleſia, *& Iuda*, id eſt, Chriſtus de Iuda natus, *Rex meus* eſt. *Ind.* 1. Quis aſcendet, & erit dux belli? Iudas, Chriſtus. *Apocal.*5. Vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid.*Gen.penult.* Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, &c.

Moab olla. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: 10.
Sic Iudas eſt mihi Rex, cui adhæreo inſeparabiliter: imò tribulationibus magis confirmor, quia *Moab*, id eſt, tribulatio, & mala mihi ab aliis illata, eſt *olla*, non deſolationis, ſed *ſpei meæ*, magiſque & magis facit me Chriſto adhærere.In hoc ergo notandum,quòd per Moab tribulatio deſignatur, quia ſicut Moab genitus de filia patre ſuo abutente, ſic abutentibus mandato Dei quod debet eſſe nobis pater, & nos regere, naſcitur tribulatio, quæ eſt olla ſuccenſionis igne plena tepidis, & eos ſuccendit & ſeparat à Chriſto: ſed bonis fit olla ſpei. *olla multiplex accetio.*
Hæc eſt olla ſuccenſa quam videbat *Ierem.* 1. cuius facies ab Aquilone, à diabolo frigido ſine charitatis igne. *Luc.*12. Ignem veni mittere in terram. Sed iniuſtis impletur illud ad *Roman.*5. Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò ſpem. Ecce quod tribulatio eſt olla ſpem generans, non conſummationem. *Pſal.* Si exurgat aduerſum me prælium,&c.

Item in in olla coquuntur cibaria:per ollam ergo refectio ſignificatur. Senſus ergo eſt: *Moab*, id eſt mali: Moab enim interpretatur

ex

ex patre, & ſignificat quibus dictum eſt, Vos ex patre diabolo eſtis: ſed refectio ſpei meæ, quia combuſti malitia ſicut olla, & alios comburentes. *Ioel.* 2. Vultus eorum redigentur in ollam. *Naum* 2. Principes eorum quaſi nigredo ollæ. Meam ſpem reficiunt, quia ſpero conuertendos, vel quia præmium augmentant & coronam. *Iacob* 1. Beatus qui ſuffert tentationem, &c.

Poſt has duas ollas eſt olla, litera Veteris Teſta menti literaliter intellecta. 4. *Reg.* 4 Mors in olla, vir Dei, mors eſt in olla. Mens luxurioſa. *Iob* 41. Feruefcere faciet quaſi ollam profundum maris, congregando mala. *Ezech.* 24. Væ ciuitati ſanguinum, ollæ cuius rubigo in ea eſt, & rubigo eius non exiuit ex ea. Et mens diſſoluta. *Eccl.* 7. Riſus inſipientis, quaſi ſonitus ſpinarum ardentium ſub olla.

Sed olla vltima eſt Virgo Maria. *Eccleſ.* 13. Quid communicabit cacubus ad ollam? Diabolus ad Mariam? In hac fuit decoctus cibus noſtræ refectionis, Agnus immaculatus, de quo *Iſa.* 16. Emitte Agnum Domine. In qua facta fuit offa craſſa Deus homo.

In Idumæam ex endam. Hîc tertium, ſcilicet aliorum conuerſio poſtquam fuerint in virtutibus conſummati, in Chriſto confirmati: & dicuntur duo. Primò prædicationis dilatatio, vſque ad terrenos, & peccatis pleniſſimos. Secundò ipſorum conuerſio, & ſubiectio ipſi Eccleſiæ, ibi, *Mihi alienigenæ.* Dicit ergo: Sic adhærebo regi meo, *& extendam calceamentum meum*, Euangelium quo munitur pes ſpiritualis, ſcilicet affectus tanquam calceamento. *Cant.* 7. Quam pulchri ſunt pedes tui in calceamentis tuis filia principis. Ad *Epheſ.* 6. Calceati pedes in præparationem Euangelij pacis. Vel calceamentum, id eſt, Chriſti humanitatem, quæ mea eſt, quia diuinitatem in Chriſto calceauit cum eam celauit. *Ioan.* 1. Cuius non ſum dignus vt ſoluam corrigiam calceamenti eius. Calceamentum humanitas eſt, pes diuinitas. Sed corrigia, vnio diuinitatis ad humanitatem. Calceamentum eſt etiam exemplum antiquorum patrum. *Exod.* 12. Calceamenta habebitis in pedibus veſtris. Et calceamentum malum, opus mortuum, quod eſt abiiciendum de affectu. *Exod.* 3. Solue calceamenta de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. Extendam ergo primum, & ſecundum calceamentum, & tertium certè, *in Idumæam*, id eſt, vſque ad terrenos, id eſt, terrenis deditos. Idumæa enim terrena interpretatur. *Oſeæ* 2. Dicam non populo meo, populus meus es. Et per hoc, *alienigenæ mihi ſubditi ſunt.* Et non eſt fruſtrata intentio prædicantis, & calceamentum extendentis. *Pſal.* Alienigenæ cum habitantibus Tyrum.

Calceamentum bonum & malum.

11. *Quis deducet me?* Hîc ſecundum, in quo præmiſſa conuerſione, oſtenditur per quem erit illa conuerſio, quia ſolius Dei virtute: & dicuntur duo. Primò à quo tantum bonum fieri poterit. Secundò reſponſio, quod non niſi à Deo, ibi, *Nonne tu Deus.* In prima duo. Primò interrogat. Secundò aggrauat interrogationem ſeu quæſtionem. *Aut quis deducet me?* Dicit ergo: Sic mundum conuertam, & mihi ſubiugabo. *Sed quis deducet me*, meum dominium & poteſtatem, *in ciuitatem munitam*, in mundum qui ciuitas dicitur. *Oſeæ* 11. Ego Deus & non homo, & ingredior ciuitatem. Illa ciuitas de qua in *Pſal.* ſuprà. Vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate die ac nocte, &c. Et munita. Muri eius ſunt temporales diuitiæ, & tranſitoriæ. *Naum* 1. Aquæ muri eius, diuitiæ, quæ fluunt ſicut aqua de vno ad alterum. Foſſa profundiſſima, auaritia. *Eccleſ.* 5. Auarus non impletur pecunia. Turres ſunt dignitates. *Iſa.* 30. In die interfectionis multorum cum ceciderunt turres, & lux lunæ ſicut lux ſolis. Propugnacula omnem malitiam defendentia, aduocati mali, & ſæcularis ſcientia. *Exod.* 27. Filij Aradij cum exercitu tuo, ſuper muros tuos, in circuitu, ſicut in circuitu ſunt propugnacula. Aradij interpretatur deponentes, & ſignificat malos aduocatos, qui de dignitatibus deponunt & de diuitiis frequenter bonos.

Aut quis deducet me vſque in Idumæam? Non tantum vſque ad mundanorum, ſed vſque ad terrenorum & in terrenis defixorum conuerſionem, qui non ſentiunt mala ſua, nec proficere quærunt. *Iob* 24. Ipſi ſemper rebelles fuerunt lumini, neſcierunt vias ſuas. *Iſid.* Grauiter fœdatus eſt, cui non fœtet peccatum. Vel *ciuitatem munitam* appellat Eccleſiam triumphantem. *Pſal.* Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei, ad quam deſiderat deduci Eccleſia, ſic vt non ſola, ſed ſecum ducat terrenorum multitudinem à terrenis ſeparatorum.

Nonne tu Deus. Hic reſponſio, in qua oſtendit per quem fiet, & quomodo tantum bonum. Et primò per quem. Secundò quomodo. *Et non egredieris.* Dicit ergo: Sic quæro per quem fiet, & quis deducet me? *Nonne tu Deus?* Et non alius. Tu, inquam, *qui repuliſti nos*, ad bonum, vt in principio prius dictum eſt: Deus repuliſti, &c. Tuum enim deducere. *Pſal.* Deduxiſti ſicut oues populum tuum. *Deut.* 32. Dominus dux eius fuit, &c. 12.

Et non egredieris. Hîc tangit modum. Quaſi diceret: Sic deduces, *& non egredieris*, exterius te oſtendendo, ô Deus, *in virtutibus noſtris*, quemadmodum antiquitus tempore Moyſi mirabilia exteriora opera oſtendebas, Pharaonem & Ægyptum decem plagis affligendo, & mare diuidendo, & Ægyptios ſubmergendo, manna in deſerto miniſtrando, ſicut tempore Ioſuë, & Dauid qui Goliam lapide occidit. Sed intus operaberis, & latenter, gratiam infundendo, & veritatis tuæ cognitionem. *Iob* 4. Furtiuè ſuſcepit auris mea venas ſuſurri huius. *Iſa.* 45. Verè tu es Deus abſconditus, in tempore gratiæ. Et *Abac.* 3. Ibi abſcondita eſt fortitudo eius, qui antiquitus quaſi manifeſtus apparebas. In *Pſal.* Deus cum egredereris in conſpectu populi tui, &c.

Da nobis auxilium de tribulatione ipſa, vt ipſa ſit nobis auxilium eundi ad te, quod fit, quia tribulatio à peccatis mundat & abſolutum facit. *Tob.* 4. Cum iratus fueris, miſericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittes. Item tribulatio dilatat in bonum ſicut malleus aurum vel argentum. In *Pſal.* In tribulatione dilataſti mihi. Item certam ſpem præſtat de futuris bonis. Ad *Rom.* 5. Tribulatio 13.

Vtilitas ex tribulatione.

patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò ſpem. Et hoc peto, non ſalutem temporalem, *quia vana ſalus eſt hominis.* Salus hominis appellari poteſt ſanitas corporis, & hæc varia, ſicut fumus qui citò tranſit. *Iacob.*4. Quæ eſt enim vita noſtra? Vapor ad modicum parens. *Pſal.* Homo vanitati ſimilis factus eſt. Vel *ſalus hominis*, proſperitas temporalium, & hæc vana valdè. *Eccleſ.*2. Vidi cuncta ſub ſole, & ecce vniuerſa vanitas & afflictio ſpiritus. Propter hoc in perſona quærentium tales ſalutes *Iob* 30. Velut nubes pertranſiit ſalus mea.

14. *In Deo faciemus.* Hîc eſt tertium, in quo aſſerit confidenter ſe recepturum petitum: & dicuntur duo. Primò exaltatio ſui ſuper tribulationes. Secundò tribulationum deiectio. *Et ipſe ad nihilum.* Dicit ergo: Sic vana ſalus hominis, ſed nos *faciemus virtutem*, tribulationes ſuperando, & ſic conuertentur in bonum: *in Deo*, non virtute noſtra. 1. *Machab.* 3. De cœlo fortitudo eſt. *Iacob.*1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt. Ad *Coloſſ.*1. Laboro certando ſecundum operationem eius quam operatur in me in virtute. *Et ipſe*, Deus, non nos, *adducet tribulantes nos, ad nihilum*, eos æternaliter damnando cum illo cui dictum eſt *Ezech.*28. Nihili factus es. *Iſa.*24. Erunt omnes principes eius in nihilum. 1. *Machab.*2. A verbis viri peccatoris ne timueris, quia gloria eius ſtercus & vermis eſt: hodie extollitur, & cras non inuenietur. Vel ad nihilum noſtri reputatione, vt eos pro nihilo reputemus, dicentes illud *Pſal.* Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos: non tantum corporales & viſibiles, ſed inuiſibiles & ſpirituales: impleto quod rogat Apoſtolus ad *Rom. vlt.* Deus autem conterat Satanam ſub pedibus veſtris.

IN LX. PSALMVM.

1. *In finem. In Hymnis Dauid.*

2. EXaudi *Deus deprecationem.* Hic eſt Pſalmus decimus in ſecunda parte totius libri, ſecunda ſcilicet quinquagena: & rectè, ſcilicet ordinatus ad antecedentia: cum enim in Pſalmo præcedenti determinatum ſit de mirabili ſanatione, ſalute, & conuerſione tribulationum Eccleſiæ in lætitiam, ſubiungitur hic rectè Pſalmus lætitiæ, gratiarum actionis ſcilicet, & promiſſionis, quod perſoluentur. Et hoc ſatis oſtendit titulus qui talis eſt: *In finem. In Hymnis Dauid.* Et eſt ſenſus: Subiectus Pſalmus ordinans nos *in finem*, in Chriſtum ſcilicet, eſt *in Hymnis* lætitiæ, gratiarum actionis exhibendis, *ipſi Dauid*, hoc eſt Chriſto, per regulam ſuperius aſſignatam. Et præterea conſtat, quòd Dauid non componeret Pſalmum ad ſui laudem proferendam, qui tantæ humilitatis fuit, cum ſcriptum ſit *Prou.*27. Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua. Et quidam ſapientum: Omnis laus in proprio ore ſordeſcit. Ipſum ergo Iudam Regem ſuum, de quo in Pſalmo præcedenti tetigit, laudare hîc intendit.

Hic Pſalmus gratias agit pro beneficiis.

Diuiditur autem Pſalmus in tres partes, aliter quam *Gloſſa* diuidat. Primò petit quaſi humiliter inchoans vt audiatur. Secundò repetit beneficia quæ accepit à Deo, addens quod ſperat alia, ibi, *A finibus terræ.* Tertiò promittit ſe ſemper laudaturum opere, ibi, *Sic Pſalmum dicam.* In prima duo. Primò petit vt exaudiatur. Secundò vt ſuæ petitioni poſtquam audita fuerit, intendatur. *Intende.* Dicit ergo: O Deus, *exaudi deprecationem meam:* quæ eſt aſſidua: deprecatio enim ſonat aſſiduitatem, & ob hoc debes exaudire. *Luc.*18. Ipſemet exemplum poſuiſti de vidua, quæ propter inſtantiam impetrauit ab iniquo iudice fieri iuſtitiam de aduerſario. *Iacob. vlt.* Multùm valet deprecatio iuſti aſſidua. Quanto magis Eccleſiæ ex iuſtis congregatæ?

Intende orationi meæ: poſtquam exaudieris, vt illam non abiicias. Et eſt oratio, dicit *Gloſſa*, quæ purè Deo offertur. Deprecatio enim ad alium fieri poteſt: ſed oratio importat quod ad Deum ſingulariter & purè fiat. 1. ad *Tim.* 2. Volo viros orare leuantes puras manus in oratione. Sciebat enim Paulus quod volebat. Super 31. *Num.* dicit *Gloſſa:* Plus vnus iuſtus orando quam innumeri peccatores pugnando. Oratio enim iuſti cœlum penetrat: quid mirum ſi Deum vincit? Propter hoc dicitur alibi in *Pſal.* Intende voci orationis meæ. *Daniel.* 9. Exaudi Domine, attende Domine, placare, & fac.

3. *A finibus terræ.* Hîc repetit beneficia quæ recepit, vt per hoc alliciat ad dandum, quando aliquid petitur. Vel fortè non eſt alia deprecatio, nec alia oratio, quam petiit exaudiri, & cui volebat intendi, niſi iſtud quod modo repetitur hîc. Et primò repetit bona ad ſe pertinentia in ſe. Secundò ad ſe in ſuo capite Chriſto, ibi, *Dies ſuper dies.* In prima duo. Primò repetit quæ receperit. Secundò quæ adhuc ſe recepturum certiſſimè confidit. Vel primò quæ iam receperit in re. Secundò quæ in ſpe, ibi, *Inhabitabo.* In prima duo. Primò tangit meritum ex parte ſui. Secundò præmia & beneficia à parte Dei. *In petra.* Dicit ergo: Sic rogo vt exaudias & intendas, & ſcio quoniam ſic erit, tanquam experta, *quoniam à finibus.* Vel ſic, Exaudias, vel intendas, non aliud modò niſi hoc: *A finibus terræ*, non ab vno loco tantum: vnde non ſum ſicut vnus homo qui loquitur. *Ad te*, non ad alium Domine, *clamaui*, feruore animi: & hoc, *dum anxiaretur cor meum*, peccatis & pœnis. *Iſa.*19. Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis ſaluatorem & propugnatorem, qui liberabit eos, non de vna parte terræ, ſed de omni. *Ierem.*16. Ad te Gentes venient ab extremis terræ. *Iſa.*49. Dedi te in lucem Gentium, vt ſis ſalus vſque ad extremum terræ. *Baruch.*3. Anima in anguſtiis, & ſpiritus anxius clamat ad te. *Iacob. vlt.* Triſtatur aliquis veſtrum? oret æquo animo, & pſallat.

In petra exaltaſti. Hîc triplex exaltatio. In Chriſto. Promotio in bonum. *Deduxiſti.* Et protectio à malo. *Turris.* Dicit ergo: Sic exclamaui, & tu exaudiſti me, & hoc *in petra*, Chriſto. 1. ad *Corinth.* 10. Petra autem erat Chriſtus. *Matth.*16. Super hanc petram, quam confeſſus es, meipſum, ædificabo Eccleſiam meam.

meam. Ad *Eph.*2. Ipſo ſummo angulari lapide CHRISTO IESV. Hæc petra ad quam refugiendum peccatoribus. *Pſal.* Petra refugium herinaciis.Hæc ſuper quam ſtandum. *Exod.*33. Eſt locus apud me, & ſtabis ſupra petram. In qua manendum. *Ierem.*48.Relinquite ciuitates, habitate in petra habitatores Moab. In qua quieſcendum. *Prou.*30. Collocat in petra cubile ſuum. Sculptus enim fuit in cruce Chriſtus, vt locus in eo nobis daretur. *Zach.*3. Ego celabo ſculpturam eius.

4. *Deduxiſti me.* Hîc ſecundum,ſcilicet deductio de bono in melius. Quaſi diceret:Sic exaltaſti me,nec ſolum hoc imò *deduxiſti me.* Gloſſa: Per te viam, ad te virtutem, & vitam reficientem affectum. *Ioan.*14. Ego ſum via, veritas & vita. *Sapient.* 10. Iuſtum deduxit Dominus, &c. Et hoc, *quia factus es ſpes mea*: alios enim non deducis niſi ſperantes in te. Factus es mihi ſpes veniæ de peccatis relaxandis, ſpes gratiæ de bonis poſtea faciendis, ſpes gloriæ de præmiis adipiſcendis. Hac triplici ſpe, tanquam funiculo triplici me ducis ad te. *Eccl.* 2. Funiculus triplex difficilè rumpitur. Et tu es factus, ſupple, mihi, *turris fortitudinis*,non ſine indigentia: vnde addit, *A facie inimici*, infeſtantis me. *Prou.* 18. Turris fortiſſima nomen Domini, ad ipſum currit iuſtus, & exaltabitur. *Iſa.*5. Plantauit vineam, & turrim, Filium, in medio eius poſuit. Et turris fortitudinis: imò turris fortitudo ipſa. *Iob* 9. Si fortitudo quæritur, robuſtiſſimus eſt. Et 1. ad *Corinth.*1. Prædicamus Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam. De turre alibi.

5. *Inhabitabo in tabernaculo.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungit beneficia ſpe habita iam, etſi non re:& dicuntur tria.Primò beneficium finalis ſecuritatis. Secundò modus beneficij talis, ſcilicet qualiter conferetur, ibi, *Protegar.* Tertio ratio & cauſa huius ſecuritatis, ibi, *Quoniam tu Deus meus.* Dicit ergo: Hæc bona quæ præmiſi, mihi contuliſti, & etiam adhuc ſpero quoniam *in habitabo in tabernaculo tuo*,quicquid agat, quicquid inferat inimicus. Secundum hoc tabernaculum Eccleſia militans dicitur: tabernaculum enim militantium eſt: & hîc militamus. *Iob* 7.Militia eſt vita hominis ſuper terram. Et peregrinantium: & nos peregrinamur.2.ad *Corinth.*5.Quandiu ſumus in corpore, peregrinamur à Domino. Ad *Hebr.*11. Confitentes quia peregrini ſunt & hoſpites ſuper terram. Et hoc quod additur vſque *in ſæcula*, ſcilicet vſquequo ſæculum durabit. Ad *Rom.*8. Quia nihil poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in CHRISTO IESV. Ex hoc relinquittur, ſicut dicit *Gloſſa*, quòd Eccleſia ſemper bonos colliget, quod eſt, illos qui non putant ſe eſſe bonos,niſi in ſuo tempore. *Auguſt.* Noli inuidere cæteris poſt futuris. Noli quia tranſiſti, pontem miſericordiæ velle præſcindere.

Alæ Dei iuſtitia & miſericordia.

Sed quomodo hoc erit,quòd ſic inhabitabis? *Protegar in velamento alarum tuarum*, non mearum virtutum. Alæ Domini ſub quibus latent boni protecti in Eccleſia, ſunt iuſtitia, & miſericordia. Sub iuſtitia proteguntur iuſti, ne præſumant: ſub miſericordia impij, ne deſperent. His enim duobus modis ſcilicet per præſumptionem & deſperationem homines diabolo exponuntur. *Matth.* 23. Volui congregare filios tuos quemadmodum Gallina congregat pullos ſuos ſub alas,&c. Beatus qui confugerit & fotus fuerit ſub alis iſtis: ſi iuſtus, vt non præſumat: ſi peccator, vt non deſperet. *Ruth.* 2. Reddat tibi Dominus Deus tuus pro opere tuo, ad quem veniſti, ſub cuius alis confugiſti.

6. *Quoniam tu Deus meus.* Hîc eſt tertium in quo ſubiungit rationem ſiue cauſam, ſcilicet receptionem beneficij in aliquibus filiorum. Beneficij, inquam, æterni: vnde dicuntur duo. Primò tanquam rationem aſſignat ſui exauditionem. Secundò ſpecificat in quo fuit exaudita. *Dediſti.* Dicit ergo: Sic ſperabo inhabitare, & hoc modo protegar, nec mirum, quia *tu Deus meus*, non alius, *exaudiſti orationem meam*, de qua ſuprà dixi: à finibus terræ, &c. In qua de hoc precabar: *Quoniam dediſti hæreditatem*, ſcilicet æternam, *timentibus nomen tuum. Eccleſ.*1. Timentibus Deum bene erit in extremis, & in die defunctionis benedicentur. Benedictio autem ſalutis æternæ participatio, de qua *Iſa.* 58. Citabo te hæreditate patris tui Iacob. Sed quid eſt hæc hæreditas? Ipſe Deus. *Deuter.*18.Dominus ipſe hæreditas eorum.Hæreditas dulciſſima.*Eccl.*24.Hæreditas mea ſuper mel & fauum. Et abundantiſſima. *Eccl.*40. Timor Domini paradiſus benedictionis. Et hoc verum de timore caſto & filiali: hic enim qui abundantiſſimam infundit benedictionem:ſed hanc inchoat filialis timor. *Eccleſ.* 25. Timor Domini, initium delectationis eius. Propter hoc autem verbum,quia iam hæreditatem æternam adepti ſunt Apoſtoli, facti Chriſti cohæredes ad *Rom.*8. cantatur hic Pſalmus de Apoſtolis.

Deus hæreditas noſtra.

Dies ſuper dies Regis. Hîc ſecundum, in quo præmiſſis beneficiis quæ reſpiciunt ad ſe, hîc tangit beneficia quæ ſperat in capite: & dicuntur duo. Primò quæ ſunt beneficia quæ expectat in ſuo capite. Secundò increpat membra negligentiæ in imitatione capitis, ibi, *Miſericordiam & veritatem.*In prima duo. Primò,quòd expectat æternitatem. Secundò, quòd gloriam, vt ſit æternitas glorioſa, & gloria æterna, ibi, *Permanet.* In primò tangitur æternitatis collatio. Secundò collatæ duratio. *Annos eius.* Dicit ergo: Hæc bona mihi ſpero conferenda in me certiſſimè, & etiam *ſuper dies Regis* mei, Chriſti qui eſt Rex, & caput meum. Ille, inquam, Rex,de quo in præcedenti *Pſal.*Iuda Rex meus. *Prou.*21. Cor Regis in manu Dei, quocumque voluerit, vertet illud. *Adiiciis dies* ſuper dies præſentis temporis, dies æternitatis: vtrique enim dies in Chriſto, & temporis & æternitatis fuerunt. *Michæ.*5. Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus,ex te mihi egredietur qui ſit dominator in Iſraël, ecce dies temporis: & egreſſus eius à diebus æternitatis. *Annos eius*, Dei,extendens *vſque in diem generationis & generationis*,hoc eſt, vſque in diem æternitatis. Vel poſſet legi vt ad membra referretur, & tunc dies Regis appellarentur hic bonorum conuerſationes, Chriſtum imitantium, quibus adiiciuntur æternæ remunerationes, vt ſit ſenſus: *Dediſti hæreditatem timentibus nomen tuum.* Et verè,

verè, quia *ſuper dies Regis*, id eſt, Chriſti, in quibus vixerunt iſti ipſum inuitando quantum ad illos qui vixerunt minus. Et *ſuper annos eius*, id eſt, Chriſti, in quibus vixerunt iuſti, *adiicies dies*, dies, inquam, durantes, *vſque in diem generationis & generationis*, hoc eſt, æternitatis. Quaſi diceret: Pro bona conuerſatione, dabis dies æternitatis.

Quid longiorem vitam faciat.

Et nota hîc, quòd etiam in præſenti Dominus dies adiicit multis de cauſis. Primò propter ſapientiam. *Prou.* 28. Propter ſapientiam hominis & horum ſcientiam quæ dicuntur, vita ducis longior erit. Propter largitatem, & liberalitatem. In eodem, Qui odit auaritiam, longi fient dies eius. Propter parentum reuerentiam vt honorem. *Exod.*20. Honora patrem & matrem, vt ſis longæuus ſuper terram. *Eccl.*3. Qui honorat patrem & matrem, vita viuet longiore. Propter præceptorum Dei adimpletionem. *Deuteron.*11. Scribes ea ſuper poſtes, & ſuper ianuas tuas, vt multiplicentur anni tui. Propter lachrymoſæ orationis inſtantiam. *Iſa.* 38. Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas: ecce adiiciam ſuper dies tuos quindecim annos.

Hic etiam nota, quod eſt annus malus, ſcilicet ſterilitatis. *Luc.*13. Ecce tres anni ſunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio. *Iſa.* 38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Huiuſmodi dies ſunt peccata. *Iob.*3. Pereat dies in qua natus ſum. Septem dies, ſeptem mortalia. Sed annus prædeſtinationis collectus ex electis, tanquam ex clariſſimis diebus. *Iob* 3. de anno ſimiliter & diebus ſuis: Non computentur in diebus anni: dicitur de reprobato Angelo. Huius tres dies, Noë, Daniel, & Iob. *Ezech.*14. Et eſt annus relaxationis, annus ſcilicet Iubilæus, in quo omnia dimittuntur. *Leuit.*25. Et habet dies ſeptem, ſeptem ſcilicet ſacramenta. *Exod.*22. Septem diebus non erit fermentum in domibus veſtris, id eſt, nulla infidedelitas in ſacramentis. Item eſt annus benignitatis, ibi, *Pſal.* Benedices coronæ anni benignitatis tuæ. Et *Iſa.*61. Vt prædicarem annum placabilem. Huius dies ſunt ſeptem dona Spiritus ſancti. 7. Virtutes. *Eccleſ.*1. Dies ſæculi, virtutes & dona, quis dinumerat niſi Deus? Et eſt annus creatæ fœlicitatis. *Pſal.* Cogitaui dies antiquos, & annos æternos, &c. Huius ſeptem dotes. Et eſt annus increatæ æternitatis. *Pſal.* Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Hic habet diem vnicam lucem increatam. *Pſal.* Melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia.

Annus in bonam & malam partẽ accipius.

8. *Permanet in æternum.* Hîc ſecundum, in quo tangitur ſecundum expectatum, ſcilicet gloria. Ait enim: Adiicies dies ſuper dies Regis, & hoc factum eſt, quia iam etiam *permanet*, quaſi factum reputo, *in conſpectu Dei*, id eſt, in gloria, & æterna vita. Et hoc, *in æternum*: hæc enim gloria videre te. *Ioan.* 17. Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te, &c. *Iſa.* 33. Regem in decore ſuo videbunt. *Pſal.* Et permanebit cum ſole & ante lunam. Et *Luc.*1. Regnabit in Domo Iacob in æternum.

Miſericordiam. Hîc ſecundum, in quo dicto quod in Chriſto recipiet, conſequenter increpat negligentes imitari. Quaſi diceret: Sic æternus & glorioſus eſt Rex, ſed *miſericordiam eius*, hic in nobis implendam, & veritatem exhibendam in futuro, *quis requiret?* vt ipſas habeat, & ipſum imitetur. Quaſi diceret: Ratus, aut nullus. Ambulandum tamen eſſet per has vias poſt eum. *Oſeæ vltim.* Quis ſapiens, & intelliget hæc? quia rectæ viæ Domini, & iuſti ambulabunt in eis. Præuaricatores autem corruent in malum. Propter hoc dicitur *Michæ. 6.* Indicabo tibi homo quid bonum & quid Dominus requirat à te: Vtique facere iudicium, ecce veritas: & diligere miſericordiam. Vel ſic, Ita Rex *permanet in æternum in conſpectu Dei*, id eſt, permanebit. Et *quis requiret* exiſtens ibi, *miſericordiam & veritatem eius?* Quaſi diceret: Nullus in miſeria. Nullus quæret miſericordiam. *Apocalypſ.* 7. & *Iſa.* 25. Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis ſanctorum. Nullus veritatem, quia quilibet apertè videbit veritatis fontem. *Ioan.*5. Erunt omnes docibiles Dei. *Ioan.*14. In illa die non interrogabitis me quicquam. *Ierem.* 31. Non docebit vir vltra proximum ſuum, dicens: Cognoſce Dominum.

Sic Pſalmum dicam. Hic tertia pars Pſalmi, ſicut ſupra diuiſimus, in qua poſtquam petiit, & repetiit, promittit etiam duo. Laudem oris, & hoc primò. Secundò operis. *Vt reddam.* Vel primò laudaturum ſe dicit in futuro. Secundò non ceſſaturum in præſenti. Ait enim: Hæc bona mihi in me, & in meo capite contuliſti, & propter hoc *Pſalmum dicam*, laudabo te ore, *& in ſæculum ſæculi* conſequutiuum, hoc eſt, quandiu ſæculum continuabitur: ſemper enim ſtabit & durabit Eccleſia. *Matth. vltim.* Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. Vel *in ſæculum ſæculi* coneſquutiuum, hoc eſt, in alio ſæculo, & hoc. *Nomini tuo*, id eſt, ad honorem nominis tui. 1. ad *Corinth.* 14. Omnia ad gloriam Dei facite. Et ſic pſallam vel in præſenti vita, vel in futura, *vt reddam vota mea:* hoc enim neceſſarium eſt. *Pſal.* Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea. *Iſa.*19. Vota vouebunt Domino, & ſoluent. *Bernard.* Nihil placet Dei quicquid ei obtuleris, neglecto eo ad quod tu teneris. Et *hoc de die in diem*, id eſt, aſſiduè. *Eccleſiaſt.* 10. Quicquid poteſt manus tua, inſtanter operare. Et in 11. Mane ſemina ſemen tuum, opus bonum, & veſpere non ceſſet manus tua. Vel *de die* gratiæ, procedens vſque *in diem* perfectam gloriæ. *Prou.* 4. Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens, creſcit & proficit vſque ad perfectam diem, ſcilicet diem gloriæ, ad quam nos perducat qui eſt benedictus, & æternitatis dies, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. 9.

IN LXI. PSALMVM.

In finem, Per Idithum, Pſalmus Dauid. 1.

NOnne Deo ſubiecta erit anima mea? Hic eſt Pſalmus vndecimus in ſecunda parte, ſecunda 2.

cunda ſcilicet quinquagena. Poſtquam enim Eccleſia benefactori gratias reddidit recolendo eius beneficia, hîc conſequenter ſe conuertit tanquam vnus homo loquens ad ſeipſum, & alios, ſe hortando vt tanto benefactori ſit ſubiecta, & alios ſimiliter ſuggerentes oppoſitum increpando,& inſtruendo de propria conſtantia, quia à Deo non ſeparabitur, ſed omnia tranſiliens, ei ſoli ſubiacebit. Et hoc ſatis innuitur in titulo, qui talis eſt: *In finem, per Idithum Pſalmus Dauid.* Et eſt ſenſus: Pſalmus hic ſubiectus editus eſt per Idithum, id eſt, per tranſilientem: ſic enim interpretatur Idithum. Vnde non propter officium quia cantor erat in templo Domini,ſicut legitur.1.*Par.*15.Sed propter nominis interpretationem hic ponitur. Tranſilientem, inquam, *in finem*, Deum qui omnium finis eſt. *Apo.*1.Ego ſum α & ω, principium & finis.Vel in Chriſtum. Ad *Roman.*10. Finis legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti.

Pſalmus perſuadet parẽdum & adhærendũ Deo.

Diuiditur autem Pſalmus in tres partes. Primò hortantes ſe ad malum inſtruit, quòd ſoli Deo ſubiectus erit. Secundò increpat ſuadentes & impellentes ad malum, ibi, *Quouſque irruitis?* Tertiò ſubiungit exhortationem & ſuiipſius,& aliorum, ibi, *Veruntamen Deo ſubiecta.* In prima duo. Primò confitetur ſubiectionem animæ propriæ ipſi Deo quicquid ſuadeatur. Secundò aſſignat rationem multiplicem quare debeat ei ſubiici. *Ab ipſo enim.* Dicit ergo: Hæc bona quæ præmiſi, fecit mihi Deus, *nonne* ergo *Deo*, benefactori tanto, *ſubiecta erit anima mea?* Quicquid peruerſi homines ſuadeatis. Quaſi diceret: Ita eſt, & quia præter cauſas quæ tanguntur in litera ſequenti, & quæ præceſſerunt in Pſalmo antecedenti, ipſe mihi omnia ſubiecit. *Pſal.* Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius. Anima enim iuſti eſt illa mulier de qua *Apocal.* 12. dicitur, quod amicta erat ſole, & luna ſub pedibus eius, id eſt, omnia temporalia. *Geneſ.*1.Replete terram, & ſubiicite eam. Item ſemetipſum homini ſubiecit. *Luc.* 2. Deſcendit cum illis, & venit cum illis. Debemus autem ei ſubiici tanquã creatura creatori, quia *Iſa.* 45. Væ qui contradicit factori ſuo. *Deut.*32.Nonne ipſe eſt pater tuus, qui creauit, & fecit, & poſſedit te? Sicut materia ſuo artifici. *Ierem.*18. Nonne ſicut lutum in manu figuli, ſic omnes vos in manu mea domus Iſraël? *Iſa.* 63. Tu fictor noſter, & opus manuum tuarum omnes nos. Sicut diſcipuli Magiſtro. *Matth.*11.Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde. *Matth.*22. Magiſter,ſcimus quia verax es. Sicut ſponſa viro ſuo.2. ad *Corinth.*10. Deſpondi vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto. Sicut ancilla Domino ſuo.1.*Reg.*25.Famula tua ſit in ancillam, & lauet pedes famulorum Domini ſui. Debemus autem ſubiici propriam voluntatem abnegando. *Eccleſ.* 17. Fili, poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere.Senſum proprium abiicien do. *Pron.*3.Fili ne innitaris prudentiæ tuæ. Naturalem intellectum humiliando, maxime in fide ſacramentorum.2. ad *Corinth.*10. In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.

Quomodo & quare debet anima ſubiici Deo.

Ab ipſo enim. Hîc ſubiungit rationem multiplicem: & dicuntur duo. Primò ratio quare ſubiicietur. Secundò concluſio, quia perſeueranter,& nunquam mouebitur, ibi, *Non mouebitur.* In prima quatuor ſecundum rationem quadruplicem quam aſſignat. Prima eſt: quia filium dedit. Secunda: quia creauit. *Nam & ipſe Deus meus.* Tertia: quia iuſtificauit. *Et ſalutaris.* Quarta: quia ſaluauit iam in ſpe, vel adiuuit in bona operatione ſecũdum duplicem literam. *Suſceptor meus.* Dicit ergo: Sic ſubiecta eſſe debet anima mea: & hoc iuſtum: *nam ab ipſo*, Deo Patre, *ſalutare meum*, ſcilicet Filius, qui eſt illud ſalutare de quo *Gen. pen.* Salutare tuum expectabo Domine. Et *Luc.*2. Viderunt oculi mei ſalutare tuum.

Nam & ipſe Deus meus, per creationem. *Iudith.*5. Deus cœlorum & creator aquarum, & dominus vniuerſæ creaturæ. 3.

Et ſalutaris meus, per iuſtificationem & gratiæ ſuæ infuſionem. Ad *Roman.*8. Quos vocauit, hos & iuſtificauit.

Suſceptor meus, ad gloriam in futuro. *Prouerb.*29. Humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria. Vel ſicut vult *Gloſſa*, *ab ipſo ſalutare meum*, mea ſaluatio à peccato. *Matth.*1. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. *Ipſe Deus meus*, per cultum ſpecialem. *Geneſ.*28.Erit mihi Dominus in Deum. *Et ſalutaris meus*, per redemptionem & mortem ſpecialiter 1. *Pet.*1. Non enim corruptibilibus auro vel argento redempti, &c. *Suſceptor meus*, ſicut prius, ad gloriam.

Vel ſecundum aliam literam: *Adiutor*, ad bonam operationem, & in laboribus huius mundi. *Eccl.*51. Adiutor & protector factus es mihi. *Et* propter hoc, *non mouebor amplius* ab ipſo,ſicut in primis parentibus: vel ſicut antequam pœniterem. *Eccleſ.*11. Confide in Domino, & mane in loco tuo. *Eccleſ.* 10. Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris: & hoc ipſo me ſuſtinendo. *Ier.*34. Inuocetur ſuper domum ſanctum Iſraël, & confirmem te.1.*Pet. vlt.* Ipſe confirmabit & ſolidabit te. *Pſal.* Non dabis in æternum fluctuationem iuſto.

Quouſque irruitis. Hîc ſecundum, increpatio poſt inſtructionem: & dicuntur duo. Primò arguit eorum nequitiam.Secundò pietatis ſimulationem, ibi, *Ore ſuo benedicebant.* In prima duo. Primò arguit. Secundò arguendos iuſtitia oſtendit,ibi,*Cucurri in ſiti.* In prima duo.Primò de malitia in opere. Secundò in corde. *Pretium meum.* In prima tria. Primò arguitur eorum impetuoſitas, contra malos. Secundò crudelitas. Vel ſimpliciter ſecundum vnam literam.Secundò contra ſeipſos ſecundum aliam. *Interficitis.* Tertiò oſtenditur qualitas peccati,ibi,*Tanquam parieti inclinato.* Dicit ergo: Sic immobilis ſtabo, & vos miſeri aduerſarij *quouſque irruitis*, tanquam flumina, vel vt feræ in hominem. In *Pſal.* Supra, Irruerunt in me fortes. Sicut factum eſt *Act.* 7. in Protomartyre. Et impetum fecerunt vnanimiter in eum. Sed irruere poſſunt in hominem exteriorem, carnem ſcilicet, non in interiorem. *Iob* 9. Terra tradita eſt in manu impij.2.ad *Corinth.*4. Si is qui foris eſt noſter homo corrumpatur, tamen is qui intus eſt, renouatur de die in diem. *Matth.* 10. 4.

Nolite

Nolite timere eos qui occidunt corpus. Et ô miſeri *interficitis innocentem*, ſecundum aliam literam, ſicut Herodes & ſui. *Matth.* 2. Ecce crudelitas. *Ierem.*6. Crudelis eſt & non miſerebitur. Vel ſecundum noſtram: Et ſic *interficitis vos vniuerſi*, ſaltem ſpiritualiter, mandatum Dei tranſgrediendo, iniquitatem amando. *Pſal.* Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam. 1. *Reg. vlt.* Saül interficit ſeipſum in monte Gelboë. Et *Matth.*27. Iudas abiit, & laqueo ſe ſuſpendit. Et eſt tertia litera quæ ſic habet: *Quouſque apponitis onera grauia, & flagella ſuper hominem? Matth.*22. Imponunt onera grauia & importabilia humeris hominum, digito autem ſuo nolunt ea mouere. Et *interficitis omnes vos*, vt vos ſit ex parte ſuppoſiti. Quaſi diceret: Omnes eſtis interfectores. *Ezechiel.* 22. Viri detractores fuerunt in te ad effundendum ſanguinem. *Oſeæ* 6. Fauces virorum latronum, particeps ſacerdotum, in via interficientium veniẽtes de Sichem. *Tanquam parieti.* Hîc qualitatẽ peccati. Quaſi diceret: Irruitis in hominem, & tanquam *irrueretis parieti inclinato*, ad cadendum parato, *& maceriæ*, quæ ſine cæmento eſt, & adhuc, *depulſæ*, & propter hoc faciliori ad caſum. Et differt: quia paries appellatur propriè domorum, & qui fit propriè de omni materia, maceria autem propriè hortorum & vinearum clauſura, & de lapidibus ſine cæmento coniunctis. *Iſa.*25. Spiritus robuſtorum quaſi turbo impellens parietem. *Iſa.*5. Diruam maceriam eius, & erit in conculcationem.

5. *Veruntamen.* Hîc ſecundum, in quo arguit de peccato cordis. Quaſi diceret: Sic interficitis, opere ſcilicet: *veruntamen cogitauerunt repellere pretium meum*, dicit Eccleſia, id eſt, Chriſtum quo redempta ſum tanquam pretio. 1. ad *Cor.*6. Empti eſtis pretio magno. Pretium inæſtimabile quadruplex. Pretioſiſſima res ſum, dicit Eccleſia, quæ inæſtimabili pretio ſum redempta. *Aug.* O homo appende te ex pretio ne vileſcas. Vel animam meã, quæ fuit Chriſti ſanguinis pretium. *Deut.*24. Eadem die reddes mercenario pretium laboris ſui, animã ſcilicet tuã. Vel bona opera, quæ sũt pretiũ quo emitur vita æterna. *Prou. vlt.* Conſiderauit agrũ, & emit illũ, pretio bonorum operum. *Eccl.*17. Eleemoſyna viri quaſi ſacculus cum illo, ad emendum vitam æternam. *Matth.*6. Facite vobis ſacculos qui non veteraſcent. Vel vitam æternam, quæ eſt pretium bonorum, de quo *Iob* 28. Neſcit homo pretium eius, &c.

Quatuor res pretioſa, Eccleſia, anima, opus bonum, vita æterna.

Cucurri in ſiti. Hic oſtendit iuſtè increpandos. Quaſi diceret: Sic cogitauerunt contra me: ego tamen *cucurri* ad eos liberandos, & mihi incorporandos: *in ſiti*, in ardore magno, & deſiderio. Ad hoc enim monet me Paulus 1. ad *Corinth.*9. Sic currite vt comprehendatis. Sicut caput meum, de quo in *Pſal.* Exultauit vt gigas ad currendam viam. Et ſitiens illorum ſalutem, ſicut & ipſe *Ioan.*19. Sitit enim malus deſiderio temporalium. *Ierem.*2. Prohibe pedem tuum à nuditate, & guttur tuum à ſiti. Et ſicut bonus aliorũ ſalutem, ſicut hîc dicitur. *Matth.* 5. Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam. Et vitam. *Pſal.* Sitiuit anima mea ad Deum, &c.

Ore ſuo benedicebant. Hîc ſecundum, in quo arguit eos de pietatis ſimulatione. Dicit ergo: Sic cogitabant contra me abſque meritis meis, & *ore ſuo benedicebant* exterius, *& corde ſuo maledicebant* interius, ecce ſimulatio, ſicut ſcorpiones qui facie blandiuntur, & cauda pungunt. *Ezech.*2. Fili hominis cum ſcorpionibus habitas. *Prou.*1. Fili, ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis, &c. *Prou.*28. Vir iniquus lactat amicum ſuum ſermonibus, blandiendo: & ducit eum per viam non bonam, ſeducendo ſi poteſt.

Veruntamen Deo. Hîc tertium, ſecundum diuiſionem prius factam totius Pſalmi. Poſtquam enim inſtruxit, & inſtructos increpauit, hîc admonitionem ſubiungit. Primò alloquens animam propriam. Secundò omnium congregationem, ibi, *Sperate in eo omnis congregatio populi.* In prima duo. Primò exhortatio animæ vt Deo ſit ſemper ſubiecta. Secundò promiſſio reſpondentis animæ de perſeuerantia in ſubiectione, ibi, *Non emigrabo.* In prima duo. Primò exhortatio. Secundò exhortationis probatio, quod ei eſt acquieſcendum, ibi, *Quoniam ab ipſo.* Dicit ergo: Sic impugnant mali, *veruntamen anima mea eſto ſubiecta*, id eſt, in ſubiectione eius perſeuera ſubiiciendo collum intellectus. *Eccleſ.*51. Collum veſtrum ſubiicite ſapientiæ, & caput affectus veſtri, eius præceptis & conſiliis acquieſcendo. *Matth.* 11. Tollite iugum meum ſuper vos, &c. Et humerum bonæ operationis. *Eccleſ.* 6. Subiice humerum tuum, & porta illum. Nec tantum Deo ſubiecta eſto, ſed omni creaturæ humanæ propter eum. 1. *Petr.* 2. Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum. Ad *Epheſ.*5. Subiecti inuicem in timore Dei, & maximè prælatis eius. Ad *Hebr.*13. Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Deo ergo ſubiecta eſto, non alij pro peccato. *Eccleſ.*4. Non te ſubiicias omni homini pro peccato. 6.

Quoniam ab ipſo. Hîc probatio, quòd debet ſubiici, à quo tantum recipit bonum. Et dicuntur duo. Primò collatio patientiæ in aduerſis. Secundò probatio, quòd verè confertur ab eo. *Quia ipſe eſt Deus meus.* Dicit ergo: Sic ſubiiciaris, & debes: *quoniam ab ipſo eſt patientia mea. Iob* 17. vbi litera eſt, Vbi eſt præſtolatio mea, & patientia mea? Quis conſiderat, dicit Eccleſia, vbi eſt nunc præſtolatio mea? Tu es Domine Deus meus.

A Deo patientia triplicitèr.

Quia ipſe eſt Deus meus. Hîc probat, quòd verè dat patientiam per alia beneficia tria. Quia vocauit de infidelitate ad fidem, & hoc primum. Secundum: quia vocatum iuſtificauit. *Et Saluator.* Tertium: quia iuſtificatum adiuuit vt perueniat ad gloriam. *Adiutor.* Dicit ergo: Vere ab ipſo habeo bonum patientiæ, *nam & ipſe Deus meus* eſt, in vocando ad fidem: tunc enim quaſi de nihilo me fecit. 1. ad *Cor.*1. Qui vocat ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret. *Et Saluator meus*, me poſt vocationem iuſtificando. *Iſa.*45. Deus iuſtus & ſaluans non eſt præter me. *Adiutor meus*, ad gloriam perducendo per opera meritoria. *Exod.*2. Deus patris mei adiutor meus.

De iis tribus *Iſa.*17. Oblita es Dei ſaluatoris tui, ecce primum & ſecundum: & fortis adiutoris tui, ecce tertium. Ad *Aoman.*7. Quos vocauit, hos & iuſtificauit: & quos iuſtificauit,

uit, hos & magnificauit, in operibus bonis & meritoriis.

Non emigrabo. Hîc ſecundum huius partis, in quo ſubiungitur quaſi reſponſio animæ promittentis perſeuerantiam : & dicuntur duo. Promiſſio primò. Secundò multiplex ratio quare promittit hoc ſecurè. *In Deo ſalutare.* Dicit ergo: Sic inuito vt ſubiecta maneas, ô anima. Et reſpondet : *Non emigrabo*, à Dei ſubiectione ſicut auis deſerẽs nidum ſuum. *Oſeæ* 9. Ephraim ſicut auis auolauit. Ego autem non ſic : imò dicam illud, In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, Tranſmigra in montem ſicut paſſer ?

8. *In Deo ſalutare meum.* Hîc rationes ſumit promiſſionis à bonis in futuro habendis primò. Secundò ab habitis in præſenti. *Deus auxilij mei.* Beneficia habenda duo tangit, liberationem à malo, hoc eſt ſalus : collationem pleni boni, hoc eſt gloria. Ait enim : Sic *non emigrabo*, nec debeo, quia in Deo eſt *ſalutare meum*, id eſt, ab eo expecto ſaluari ab omni miſeria & culpa in futuro. *Ier.* 15. Saluabo te, & liberabo te : noli timere. *Luc.* 1. Exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.

Et gloria mea, conferente mihi omne bonum. In *Pſal.* ſuprà. Tu autem Domine ſuſceptor meus es, gloria mea, &c. *Ierem.* 9. In hoc glorietur qui gloriatur, ſcire, & noſſe me. 2. *Corinth.* 10. Qui gloriatur, in Domino glorietur.

Deus auxilij mei. Hîc tangitur bonum in præſenti duplex, adiutorium de pugna, & ſpes de victoria. *Et ſpes.* Dicit ergo: Sic in futuro, & nũc ipſe eſt : *Deus auxilij mei*, id eſt, à quo eſt auxilium mihi. *Oſeæ* 13. Perditio tua ex te Iſraël, tantum ex me auxilium tuum. *Deut.* 33. Aſcenſor cœli auxiliator tuus. *Et ſpes mea*, de victoria, *in Deo* eſt : quippe ex quo auxiliator eſt, nullus nocere poterit. *Iob* 17. Pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me. Ad *Rom.* 8. Si Deus pro nobis, quis contra nos ?

9. *Sperate in eo omnis.* Hîc ſecundum, in quo poſtquam monuit animam propriam alloquendo, ſubiungit exhortationem ad omnes generaliter : & dicuntur duo. Primò exhortatio. Secundò probatio, quòd acquieſcendum, ibi, *Semel locutus eſt Deus.* In prima duo. Primò exhortatio de ſperando in quo veraciter ſperandum eſt. Secundò dehortatio, ne ſperetur in quo non eſt ſperandum, ibi, *Nolite ſperare.* In prima duo. Primò exhortatio. Secundò neceſſitas exhortationis monſtratur. *Veruntamen mendaces.* In prima exhortatio primo. Secundò remotio eius quod poſſet in contrarium mouere, ibi, *Deus eſt adiutor.* In prima duo. Primo admonitio de ſperando in Deo. Secundò ſpecificatio modi quomodo ſperandum, ibi, *Effundite coram illo.* Dicit ergo : Sic monui animam meam vt Deo ſe ſubiiciat, & conſenſit. Sed ô vos omnis ſcilicet *congregatio populi*, *ſperate in eo*, quia *Prou.* 16. Qui ſperat in Deo, beatus eſt. Maximè ſi congregatio, quia *Matth.* 18. Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum, paratus ad dandum quod petunt. Quantò ergo magis vbi fuerit maxima multitudo à Deo facta, ſecundum illud *Michæ.* 2. Congregatione congregabo Iacob, congregatione intellectus in fidei vnitatem, & affectus in vnam voluntatem, ſecundum illud *Act.* 4. Erat multitudinis credentium cor vnum & anima vna. 1. *Mach.* 3. Congregauit Iudas congregationem fidelium.

Effundite coram illo, cogitationes, & affectiones veſtras, & per hoc mala. Nota enim, quòd quidam malè effundunt cor ſuum, cupidi in terram per cupiditatem. *Thren.* 3. Effuſum eſt in terra iecur meum. Guloſi in cibum per nimium ardorem in edendo. *Eccleſ* 37. Non te effundas ſuper omnem eſcam : in multis enim eſcis infirmitas. Luxurioſi in mulierem per peccatorum adinuentionem. *Geneſ. penult.* Rubem primogenitus meus, effuſus es ſicut aqua, viliter, & totaliter : non creſcas. *Ierem.* 50. Effuſi eſtis ſicut vituli ſuper herbam, mugiſtis vt tauri poſt vaccam. *Mala cordis effuſio.*

Sed effundite in confeſſione. *Thren.* 2. Effunde ſicut aquam cor tuum : ſicut aquam, non ſicut vinum, de quo remanet odor in vaſe : vel mel de quo remanet ſapor : vel lac de quo remanet color. Effundite in oratione. *Pſal.* Effndo in conſpectu eius orationem meam. 1. *Reg.* 1. Effudi in conſpectu domini animam meam. Effundite in operibus miſericordiæ. *Iſa.* 58. Si effuderis eſurienti animam tuam, & animam eſurientem repleueris. Nec timeatis, vt dicatis. Quid erit ſi ſic ſperamus, & confidimus? Iterum in peccata recidemus. *Bona effuſio.*

Deus adiutor noſter, non ad horam, ſed *in æternum. Matth. vlt.* Ego vobiſcum ſum, adiutor veſter, vſque ad conſummationem ſæculi.

Veruntamen vani filij hominum. Hîc ſubiungitur neceſſitas exhortationis, quia ſunt in peccatis, maximè in duobus. Amoris terrenorum, & confidentiæ in illis. Secundò doloſitatis quæ cauſatur ex illo, ibi, *Mendaces filij hominum.* Dicit ergo : Sic moneo vt ſemper ſperetis in Deo : & hoc neceſſe eſt, quia quicquid dicatur, *veruntamen filij hominum.* Vel ſic ad immediatum : Deus adiutor noſter in æternum : *veruntamen*, &c. Vel ad remotiora : Sic bonos affligunt mali, *veruntamen*, vos qui iniuſti eſtis, dicite, *vani filij hominum*, primorum ſcilicet parentum Adam & Euæ, *vani* corde, & quantum ad cogitatiuam, quia nihil ſciunt de Deo. *Sap.* 13. Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei. Et quantum ad motiuam, quia diligunt vana. *Pſal.* Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Et quantum ad ſermonem. *Pſal.* Vana loquuti ſunt vnuſquiſque ad proximum ſuum. Et quantum ad operationem. *Iſa.* 30. Ægyptus enim fruſtrà & vanè auxiliabitur. *Eccleſ.* 1. dicitur tibi, Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. 10.

Mendaces. Hîc ſecundum, ſcilicet doloſitatis peccatum. Et primò tangit doloſitatis culpam. Secundò conuenientiam omnium in illa culpa, ibi, *De vanitate.*

Ait enim : Sic vani ſunt, & etiam *filij hominum* vt prius, *mendaces* ſunt *in ſtateris* : non vt intendant plus aliis ſoluere : imò vt decipiant ad literam in ſtatera ponderis, in alia ponderant cum vendunt, in alia cum emunt. *Oſeæ* 12. Chanaan in manu eius ſtatera doloſa. *Leuit.* 19. Statera iuſta æquuſque ſextarius. Item in ſtatera diſcuſſionis Scripturarum, multum ponderantes *Multiplex ſtatera.*

derantes quod pro ſe, alleuiantes quod contra ſe: cum dicatur *Eccleſ.*21. Verba ſapientis ſtatera ponderabuntur. In ſtatera iudiciariæ poteſtatis: quid enim poteſtas iudiciaria, niſi quædam ſtatera ei qui iudicat data, vt iudicet vni ſicut alij. *Prou.*16. Statera doloſa abominabilis eſt apud Deum. Sed tandem veniet ſtatera diuinæ æquitatis, quæ omnia ad iudicium reducet, de qua *Iſa.*40. Cribrabit montes in ſtatera. *Iob* 6. Vtinam appenderentur peccata mea, & calamitas quam patior, in ſtatera. Sic filij hominum mendaces ſiunt in ſtateris, vt decipiant exiſtentes *in idipſum*, hoc eſt, vnum, non cuiuſlibet rei, ſed *de vanitate*, hoc eſt, in hac miſeria vnum ſunt, & ad inuicem colligati, quamuis per diuerſa vitia ſint diuiſi, ſicut vulpes Samſonis, quæ facies diuerſas habentes, caudas habebant ad inuicem colligatas. *Indic.* 15. *Daniel.vlt.* Congregati ſunt Babylonij quaſi vir vnus. *Oſeæ* 13. Colligata eſt iniquitas Ephraïm.

11. *Nolite ſperare.* Monuit ad ſperandum in quo ſperandum eſt, hic dehortatur à ſperando in eo in quo ſperandum non eſt. Et primò ne ſperent in peccatis. Secundò quod nec in diuitiis. *Et rapinas.* Dicit ergo: Sic monui, vt in Deo omnes ſperetis, & etiam nolite ſperare in iniquitate fictionis hypocriſis, ſicut hypocritæ faciunt, qui per ſuam diſſimulationem aliquid ſemper ſperant acquirere. *Abac.* 3. Sperauit in figmento fictor eius. Vel iniuſtæ acquiſitionis, ſicut vſurarij & rapaces. *Eccleſ.*31. Beatus vir qui non ſperat in pecuniæ theſauris.

Et rapinas. Hic quod non confidant in diuitiis: & dicuntur duo. Primò, quòd ipſas non rapiant, tanquam confidentes in illis. Secundò, quòd habitas ex iuſto non diligant. *Diuitiæ.* Dicit ergo: Nolite ſperare in peccatis, de diuitiis. *Rapinas*, id eſt, res raptas, *nolite concupiſcere*, ne ſitis de illis de quibus *Amos* 3. Theſaurizantes iniquitatem, & rapinam in cordibus ſuis. *Prouerb.*24. Ne æmuleris viros impios: rapinas meditabitur mens eorum. Et ne nobis accidat tandem quod dicitur *Iſa.* 32. Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis? Et quid de bene acquiſitis?

Diuitiæ ſi affluant, bene acquiſitæ, *nolite cor apponere*, eas inordinatè diligendo, quia 1. ad *Timoth.* 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum & in tentationem diaboli. Quaſi diceret: Habere non damno, ſed affectum ponere in illis, hoc reprobo. *Iob* 36. Deus potentes non abiecit, cum ipſe ſit potens: ergo nec diuites cum ipſe ſit diues. *Luc.* 19. Non abiecit Zachæum, quia diues, ſed intrans eius domum, ſalutem attulit, ſicut ibi dicitur. *Prouerb.* 13. Redemptio animæ viri propriæ diuitiæ.

12. *Semel loquutus eſt Deus.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit, quòd acquieſcendum exhortationi: vltio nolentium acquieſcere, & remuneratio acquieſcentium certiſſimè cognita: vnde tanguntur tria. Primò diuinæ voluntatis ordinatio æterna & perfecta. Secundò ordinatæ cognitio quantum ad hoc ſpectat, ibi, *Duo hæc audiui.* Tertiò explanatio, ibi, *Quia tu reddes.* Dicit ergo: Sic ſperate in Domino, non in iniquitate, vel diuitiis, quia ſemel locutus eſt Deus, id eſt, perfectè ordinauit ab æterno. Sed ordinatio hæc loquutio appellatur: quia in verbo facta eſt æterno, quod vnicum eſt. *Ioan.*1. In principio erat verbum, in quo totum completiſſime eſt diſpoſitum. *Iob* 33. Semel loquitur Deus, & idipſum non repetit.

Duo hæc audiui, auditu interiori intellexi, *quia poteſtas Dei eſt*, ad puniendum ſperantes in peccatis & diuitiis. *Iob* 36. Poteſtas & terror apud eum eſt, qui fecit concordiam in ſublimibus ſuis. *Apocal.* 12. Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei, & poteſtas Chriſti eius. *Dan.*7. Poteſtas eius poteſtas æterna. *Et tibi Domine miſericordia*, ſimul cum poteſtate, imò ipſe eſt miſericordia. Supra in *Pſal.* Deus meus miſericordia mea. *Luc.*6. Eſtote miſericordes ſicut & pater veſter, &c. Poteſtatem dicit habere Deum contra illos, qui dicunt ſe habere plenitudinem poteſtatis. Ille ſolum habet, qui nullum ſuprà ſe habet *Eccleſ.*5. Excelſo excelſior eſt alius, & ſuper hos eminentiores ſunt alij, & inſuper vniuerſæ terræ rex imperat ſeruienti. Qui nec miſericordiam habent in pauperes. *Amos* 6. Bibentes vinum in phialis, & vnguento optimo delibuti non compatiebantur ſuper contritione Ioſeph.

Et hoc nunc dixi, & explano: *Quia tu reddes vnicuique iuxta opera ſua*, bonis ex miſericordia, malis ex poteſtate & iuſtitia. *Iob* 34. Opus hominis reddet ei, & iuxta vias ſingulorum reſtituet ei. *Prouerb.*24. Reddet homini iuxta opera ſua. *Ierem.* 50. Iuxta omnia quæ fecit, faciet ei.

Sed aduerte, quòd iſta menſuratio in comparatione vnius puncti ad alium eſt: quia qui plus peccauit alio, plus punitur & ſemper citra condignum. Sed in bonis ſemper ſuprà. *Luc.* 6. Menſuram bonam & confertam & coagitatam dabunt in ſinum veſtrum. Bonam, quia ſecundum merita: confertam, &c. quia ſupra merita: cuius menſuræ participes faciat nos potens & miſericors, qui eſt benedictus per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

IN LXII. PSALMVM.

Pſalmus Dauid, cum eſſet in deſerto Idumææ. 1.

DEus Deus meus. Hic eſt Pſalmus duodecimus in ſecundâ parte totius libri, ſexageſimus ſecundus in toto libro. Præponitur autem titulus aperiens Pſalmi materiam & intentionem, qui talis eſt: *Pſalmus Dauid, cum eſſet in deſerto Idumææ.* Et tangit quod habetur 1. *Reg.*23. quòd Dauid fugiens Saül, habitauit in deſerto Mahon: quia tamen Pſalmum ibi non legitur ceciniſſe, & ſi fortè cecinerit, ad ſpiritualem intelligentiam recurrendum eſt. Eſt enim vox Chriſti per Dauid deſignati, ſicut frequenter dictum eſt: vel Eccleſiæ conuerſantis in deſerto Idumææ, in mundo ſcilicet qui deſertum appellari poteſt propter multitudinem reptilium, peccatorum ſcilicet in ipſo conuerſantium. *Pſal.* Illic reptilia quo- 2. *Argumẽtum Pſalmi, quomodo cõuerſandum iuſtis in deſerto huius ſæculi.*

rum

rum non eſt numerus. Et deſertum Idumææ, id eſt, ſanguineæ, quia ipſa peccata ſanguis appellantur. *Oſeæ* 4. Et ſanguis ſanguinem tetigit. Vnde hîc exprimit formam boni viatoris, & rectè conuerſantis inter malos mundi, & ſicut in Pſalmo præcedenti formam expreſſit tranſilientis omnia, & ſoli Deo ſe ſubiicientis, ſic hîc formam exprimit viatoris boni, & per deſertum mundi peregrinantis. *Iob* 21. Interrogate quemlibet de viatoribus, per deſertum Idumææ tranſeuntis, & hæc eadem illum intelligere cognoſcetis. *Thren.* 1. rurſus de tali viatore: O vos omnes qui tranſitis per viam, vt ſic in vtraque perfectus ſit homo, in contemplatiua ſcilicet & actiua, & tranſiliendo diſcat quid poſtmodum viator agere debeat.

Diuiditur autem Pſalmus in duas partes ſecundum *Gloſſam*. Primò oſtendit appetitum quem habet in deſerto perueniendi ad Deum. Secundò deſcribit ſtatum & bonorum & maiorum qui ſunt in mundo, ibi, *Si memor fui*. In prima duo. Primò oſtendit appetitum & feruorem deſiderij quem habet ad Deum. Secundò petit deſiderij augmentationem, ibi, *Sicut adipe*. In prima dicuntur duo. Primò petit. Secundò allicit ad dandum quòd petitum eſt. *Quoniam melior*. In prima quatuor. Primò quando fuerit in eo præcipuè illud deſiderium. Secundò quantum ſit illud deſiderium, ibi, *Sitiuit anima mea*. Tertiò locum deſcribit in quo, ibi, *In via deſerta*. Quartò finem deſiderij, ibi, *Sicut in ſancto*.

Dicit ergo: *Deus* per beneficium creationis, *Deus* per beneficium recreationis, ſed *meus* per beneficium expectatæ glorificationis: ſic exponitur illud *Matth.* 22. Diliges Dominum Deum tuum, &c. Dominum creatione, Deum recreatione, ſed tuum glorificatione.

Ad te vigilo de luce. Quid magnum dicit hic? Vigilare de die non eſt magnum, ſed ſi de nocte, hoc aliquid magnum eſſet. Reſp. Lux non accipitur hîc pro die artificiali, qui pars eſt naturalis, ſed pro toto tempore iſto, in quo tanquam in luce ſine die operandum. In alia autem vita nox erit, in qua iam non erit tempus operandi, ſed quieſcendi ab omni opere. *Eccleſ.* 9. Quicquid poteſt manus tua, inſtanter operare, &c. *Ioan.* 9. Me oportet operari donec dies eſt: venit nox in qua nemo poterit operari.

Vel ſecundam aliam literam, *Vigilo ad te diluculo*, in aurora, non ad potandum, ſicut multi vigilant. *Iſa.* 5. Væ qui ſurgitis ad ebrietatem ſectandam, ad potandum vſque ad veſperam. Non ad ſpoliandum homines, vel magis occidendum. *Iob* 24. Manè primò ſurgit homicida: interficit egenum & pauperem. Sed ad orandum te, & laudandum. Ad *Col.* 3. Orationi inſtantes, & vigilantes in ea. *Eccleſ.* 39. Iuſtus cor ſuum tradidit ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum. *Iſa.* 26, Mane in præcordiis meis vigilabo ad te. Qui ſic vigilat & orat, increpationem Dei duram euitat. *Iob* 38. Vbi eras cum me laudarent aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei? Ipſum Deum, ſi dormit, ſibi euigilat. *Iob* 8. Si diluculò ſurrexeris, & Omnipotentem deprecatus fueris, ſtatim euigilabit ad te. Carnem reprimit ne laſciuiat. *Eccleſ.* 31. Vigilia honeſtatis tabefaciet carnes. Deum inuenit. *Prou.* 8. Qui mane vigilauerint ad me, inuenient me. Propter hoc dicitur *Prou.* 8. Beatus qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei.

Vigiliarum vſus & vtilitas.

Sitiuit in te anima mea. Hîc ſecundum, in quo oſtendit quantum ſit deſiderium: quia tantum eſt vt totus deſideret. Et primò exprimit deſiderium mentis. Secundò etiam carnis. *Quam multipliciter.* Dicit ergo: Tali hora vigilans ad te, deprecor te. Nunquid tepidè, & ſola mente? Non: imò *ſitiuit*, tendens *in te anima mea*. *Sap.* 10. Sitierunt & inuocauerunt te, id eſt, inuocando ſitim habuerunt veniendi ad te. *Pſal.* Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. Sed ſi ſitit Deum, ſignum eſt, quòd guſtauerit aliquid de eius dulcedine. *Eccleſ.* 24. Qui bibunt me, adhuc ſitient. Bonum eſt ſitire, quando fons viuaciſſimus & optimus præparatus eſt, & inuitat etiam ad potandum aquas proprias. *Iſa.* 55. Omnes ſitientes venite ad aquas, dicit fons vitæ. *Ioan.* 7. Stabat autem IESVS & dicebat: Qui ſitit, veniat ad me, & bibat. Primò aquas de fonte eruditionis. *Prou.* 16. Fons vitæ eruditio poſſidentis. Et aquas de fonte caſti timoris. *Prou.* 14. Timor Domini fons vitæ. Et 13. Lex ſapientis, ſcilicet quâ ſe ligat ſapiens, fons vitæ.

Quam multipliciter. Quaſi diceret: Non tantum ſitiuit anima mea, imo *caro mea* etiam *quam multipliciter*, id eſt, valdè multipliciter ſitit & deſiderat. Nec mirum ſi caro ſitiat tendens in Deum, quæ ſicut alibi dicitur, in Deum exultat. Alibi in *Pſal.* Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Dicitur autem ſitire multipliciter, quia quantò caro in pluribus affligitur & deficit, tantò ardentiùs ad Deum venire ſitit. Suum autem ſitire & quaſi orare Deum, eſt ipſam carnem voluntariè & lætanter affligere. *Gilbertus:* Caro voluntariis afflicta diſciplinis, diuinam ſententiam ad propitiationem flectere nititur. Ipſa enim propter Deum ſupplicia, quædam ad eum ſupplicationes ſunt: voluptatis repreſſio, quædam eſt votorum expreſſio. Referri etiam poteſt ſitis & deſiderium mentis ad ſtolam animæ: ſitis verò carnis ad ſtolam corporis. Vel primum ad obtinendum ſpiritualia, ſecundum ad obtinendum corporalia: vtraque enim à Deo ſunt petenda.

In terra deſerta. Hîc tertium, in quo deſcribit locum in quo orat, vt maior orantis virtus oſtendatur, & neceſſitas orationis: quia in mundo quem deſcribit. Primò à contemptu bonorum. Secundò à cauſa contemptus duplici. Primò: quia non eſt in eo via ducens. *Inuia.* Secundò: quia nec aqua refrigerans ab ardore vitiorum. *Et inaquoſa.* Dicit ergo: Sic oro & deſidero, & in mane: & vbi es, *in terra deſerta*, in mundo à ſanctis derelicto & contempto tanquam deſer- 3.

Sæculi duo incommoda.

tum infructuoſum. *Ierem.* 4. Aſpexi terram, & ecce vacua erat, & nihili. *Oſeæ* 8. Culmen non eſt in eis ſtans, gramen non faciet farinam. Bene derelicto à ſanctis, quia non eſt homo in mundo. Omnes ſunt tanquam ſyluestres feræ, ratione non vtentes. *Ierem.* 8. Intuitus ſum, & non erat homo, actiuus bonus: & omne volatile receſſit, contemplatiuus, in via non ducente ad Dominum, ſed magis deuiante. *Iſa.* 33. Diſſipatæ ſunt viæ, ceſſauit tranſiens per ſemitam. *Ierem.* 2. Terram inhabitabilem & inuiam, per terram ſitis, & imaginem mortis. Et ſine illa via maximè, quæ dicit de ſeipſa. *Ioan.*13. Ego ſum via, veritas, & vita.

Et inaquoſa, ſine aqua gratiæ aquam vitiorum refrigerante, quæ es. 2. *Reg.*1. Montes Gelboë, nec ros nec pluuia veniant ſuper vos. *Num.* 21. Deeſt panis, & non ſunt aquæ.

Sic in ſancto. Hîc tertium, in quo oſtendit ad quid ſic ſitit. Quaſi diceret: Sic ſitio in deſerto, feruore deſiderij videndi te, & apparui tibi *in ſancto* propoſito. Sic *Exod.*3. Moyſes apparuit Domino in deſerto, & Dominus ei. Et hoc, *vt viderem* tandem aperta viſione quæ eſt per ſpeciem, *virtutem tuam, & gloriam tuam*, Chriſtum ſcilicet qui eſt virtus tua, & gloria tua, quia ſapientia tua.1.ad *Cor.*1. Prædicamus Dei virtutem, & Dei ſapientiam. Et *Prou.*10. Gloria patris, filius ſapiens. Multò ergo filius qui eſt ſapientia.

Et nota, quòd deſertum malum eſt, in quo eſt verè horror vitiorum. *Deut.*31. In loco horroris & vaſtæ ſolitudinis. Periculum leonum, ſuperborum pauperes opprimentium. *Eccleſ.*13. Venatio leonis onager in eremo. Latronum, corporalia rapientium. *Luc.* 10. Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Ierico, per deſertum ad literam, & incidit in latrones. Et ſerpentum venenum infundentium, dæmonum ſcilicet. *Deuter.* 8. Ductor noſter fuit in ſolitudine vaſta atque horribili, in qua fuit ſerpens flatu adurens, & ſcorpio, & dipſas. Serpens adurens flatu, quando per ambitionem ſurſum erigit. Scorpio facie blandiens, cauda pungens, cum ad luxuriam pertrahit. Sed dipſas qui cum pungit, ſitire facit, cum auaritiam ſuggerit. Vaſtitas tanta non poteſt coli. *Num.*21. Adduxiſti nos in locum iſtum peſſimum, qui ſeri non poteſt. Speluncæ doloſitatum, & latebræ. *Iob* 30. In deſertis habitabant torrentium, & in cauernis terræ. Sed deſertum bonum eſt crux Chriſti, clauſtrum, & cœlum, de quibus.

4. *Quoniam melior eſt miſericordia.* Hîc ſecundum, in quo allicit primò commẽdando. Secundò promittendo. *Labia mea laudabunt te*, &c. Dicit ergo: Hæc facio, vt videam virtutem & gloriam, & hoc mihi præſtabis, bene ſcio, *quoniam miſericordia tua*, effectus miſericordiæ tuæ, ſcilicet gratia & gloria. *Pſal.* Gratiam & gloriam dabit Dominus.

Super vitas, humanas quantumcumque proſperas, & longæuas, quibus nihil melius putant homines. *Iacob* 4. Quæ eſt enim vita veſtra? Vapor eſt ad modicum parens. *Et ſuper vitas*, actiuam ſcilicet & contemplatiuam, ſignificatas per Rachel & Liam. *Geneſ.*30. & Martham & Mariam. *Luc.* 10. Vel *ſuper vitas* quatuor figuratas per quatuor facies oſtenſas *Ezech.* 1. Facies hominis, vita coniugatorum: facies leonis qui habitat in deſertis, vita eremitarum: facies bouis qui terram colit, vita Prælatorum: facies aquilæ, vita clauſtralium per contemplationem ſurſum volantium. *Quadruplex vita ſignificata quatuor animalibus.*

Labia mea. Hîc allicit promittendo: & promittit duo. Laudem verborum primò. Secundò operum. *Sic benedicam te.* Dicit ergo: Sic deſidero: quod ſi impleueris, *labia mea laudabunt*, à te aperta ad hoc, quia per me non poſſem. Supra in *Pſal.* Domine labia mea aperies, &c. *Oſeæ vlt.* Auferomnem iniquitatem, & accipe bonum: reddemus vitulos labiorum noſtrorum.

Sic benedicam te. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Labiis laudabo, *ſic*, & *benedicam te in vita mea*, mihi à te data. Vel ſic vt ſit cauſale: *Melior eſt miſericordia tua*, &c. *Sic*, id eſt, ideò *benedicam*, &c. Vel labia laudabunt, quod datum eſt ex miſericordia tua, *ſic*, etiam, id eſt, ex dono miſericordiæ tuæ, *benedicam te in vita mea.* Si enim vita blaſphemaret, laus labiorum parum valeret. *Eccleſ.* 15. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatorum. Et 51. Laudabit vſque ad mortem anima mea Dominum, & vita mea. *Pſal.* Laudabo Dominum in vita mea. *Matth.*5. Sic luceant opera veſtra coram hominibus, &c. 5.

Et leuabo manus meas, in oratione & ſupplicatione pro bonis impetrandis. *Thren.* 3. Leuemus corda noſtra cum manibus. 1. *Tim.*1. Leuantes manus puras cum oratione. Ille autem bene leuat, qui bona opera operatur, & libenter orat. *Exod.* 17. Quando Moyſes leuabat manus, Ioſuë vincebat, & vincebatur Amalec: quando verò dimittebat, fiebat è contrario. Et nota, quòd manus debet extendi ad pauperem per compaſſionem. *Marc.*3. Extende manum tuam. Aperiri per largitatem. *Prouerb. vlt.* Manum ſuam aperuit inopi. Et leuari per rectam intentionem, vt totum fiat ad Dei honorem. Hoc eſt quod additur, *In nomine.* 1.ad *Corinth.*14. Omnia in gloriam Dei facite.

Sicut adipe. Hîc ſecundum totius primæ partis Pſalmi, in quo poſtquam oſtendit deſiderij feruorem, petit feruoris augmentationem: & dicuntur duo. Primò petit. Secundò allicit ad dandum petitum, ibi, *& labiis exultationis.* Dicit ergo: Sic dico, quòd leuabo manus ad petendum, & hoc petam vt anima mea repleatur, aliquantulum enim iam ſentit, *ſicut adipe & pinguedine*, id eſt, iis quæ per adipem & pinguedinem deſignantur, quæ antiquitus multum placebant Deo. In adipe interna delectatio, in pinguedine fortitudo ad benè operandum. Macilenta enim animalia debilia ſunt. Adeps etiam eſt pinguedo magis interna, pinguedo magis extrinſeca. 6.

Hic

Hic autem duo diligit Deus multum. Spiritualem lætitiam. *Eccleſ.*35. In omni dato hilarem fac vultum tuum. 2. ad *Corinth.*9. Hilarem datorem diligit Deus. Et fortitudinem ad bonum, de qua *Iſa.*40. Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem. Propter hoc dicebat Dauid: Fortitudinem meam, pinguedinem ſcilicet meam, ad te cuſtodiam: quia vis illam. *Leuit.*3. Adipem vituli qui operit vitalia, & pinguedinem adolebit Domino. Hoc impletur in bonis ſacerdotibus. *Ierem.*31. Animas ſacerdotum inebriabo pinguedine hac, vt toti ſint pinguedo. *Eccleſ.*47. Surrexit Nathan Propheta quaſi adeps ſeparatus à carne.

Et labiis exultationis. Hîc allicit promittendo. Quaſi diceret: Sic imple animam meam, & *os meum laudabit te*, non alium: & hoc *labiis*, non quibuſcumque, ſed *exultationis*: quippe *Matth.*12. Ex abundantia cordis os loquitur. Et dicit: *Labiis exultationis*: quia in labiis notatur aliquandò timoris magnitudo. *Abac.*3. A voce contremuerunt labia mea. Diſcretio. *Pſal.* Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea. Simulatio. *Iſa.*29. Populus hic labiis me honorat. Lætitiæ magnitudo ſicut hîc, & alibi in *Pſal.* Eructabunt labia mea Hymnum. Et alibi, Exultabunt labia mea cum cantauero tibi.

7. *Status bonorum & malorum in hoc ſæculo.*

Sic memor fui. Hîc eſt ſecunda pars Pſalmi, in qua poſtquam monſtrauit affectum quem habet ad Deum, deſcribit ſtatum bonorum in deſerto huius mundi ſimul & malorum. Et primò deſcribit ſtatum. Secundò præmium ſequens in futuro ex hoc ſtatu, ibi, *Rex verò lætabitur.* In prima duo. Primò ſtatum bonorum. Secundò malorum. *Ipſi verò.* In prima duo. Primò memoria Dei in proſperitate. Secundò in aduerſitate, ibi, *Et in velamento.* In prima duo. Primò memoria Dei in proſperitate. Secundò cauſa illius memoriæ, ibi, *Quia fuiſti adiutor.* Item in prima duo. Primò memoria in quiete. Secundò in actione. *In matutinis.* Dicit ergo: Sic labiis exultationis laudabo. *Sic*, quia *fui memor*: & hoc, *ſuper ſtratum meum*, ſtans, id eſt, quieſcens in mea proſperitate, quando ſolent aliorum homines obliuiſci. *Geneſ.*41. Succedentibus proſperis pincerna oblitus eſt interpretis ſui. Ephraïm enim & Manaſſes fratres ſunt. *Deuteron.*6. Cum dederit tibi Dominus ciuitates has magnas, obliuiſceris Domini Dei tui. Vileſcit enim acceptum beneficium. *Phil.* Nihil carius quàm beneficium cum petimus, nihil vilius cum accipimus. Quæ vel quid faciat obliuionem acceptorum, cupiditas accipiendorum.

Et nota, quòd eſt ſtratum menſa refectionis. *Luc.*22. Oſtendet cœnaculum grande ſtatum, & illuc parate nobis. Super hoc debemus Dei memorari ad ſeruiendum ei, non ad luxuriandum. 1. ad *Corinth.*4. Siue comeditis, ſiue bibitis, ſiue aliud facitis, omnia ad honorem Dei facite. Et eſt ſtratum lectus ægritudinis. *Pſal.* Vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius. Super hoc debemus memores eſſe Dei, nos humiliando & orando, ſicut Ezechias *Iſa.*38. & obtinuit quindenos annos ad corrigendum vitam. Et eſt ſtratum quietis & proſperitatis temporalis. De hoc hîc. Super hoc memores eſſe debemus gratias referendo ſicut Ioſeph, qui in proſperitate ſemper melioratus eſt *Geneſ.*41. & 42. & deinceps, non ſicut Salomon qui inde conuerſus eſt ad amorem mulierum, & vlterius in idololatriam 3. *Reg.*11. Et eſt etiam ſtratum conſcientiæ interioris, de quo *Iſa.*28. Coanguſtatum eſt ſtratum, &c. Super hoc debemus eſſe memores veniam deprecando, peccata deflendo, ſicut ille qui dicebat: Lauabo per ſingulas noctes, &c.

In matutinis. Quaſi diceret: Ad opera ſurgendum eſt ad literam. *Matth.*20. Exiit primo mane conducere, &c. *Cant.*7. Mane ſurgamus ad vineas. Vel *in matutinis*, id eſt, in operibus bonis in luce gratiæ factis: mala enim de nocte fiunt abſente luce gratiæ. *Ioan.*3. Qui male agit, odit lucem. Ad *Epheſ.*5. Quæ in occulto ab eis fiunt, turpe eſt dicere.

Quia fuiſti. Ecce ſecundum, ratio ſcilicet & cauſa. Quaſi diceret: Si in quiete cogito de te, & in operatione, hoc non eſt à me: *quia fuiſti adiutor meus*, ad hoc promouens me. *Eccleſ.*51. Adiutor & protector factus es mihi. 8.

Et in velamento alarum tuarum. Hîc deſcribit ſtatum bonorum in aduerſitate, & primò oſtendit ſtatum. Secundò addit cauſam. *Me ſuſcepit.* In prima duo, quæ faciunt iuſti in aduerſitate, in Deo protectore gaudent, hoc tangit primò. Ductori inſeparabiliter adhærent, hoc ſecundò. *Adhæſit anima.* Dicit ergo: Sic in proſperitate me habeo. Sed ſi occurrat aduerſitas, quid erit? *Exultabo*, & hoc non in me, ſed *in velamento alarum tuarum*, tanquam pullus ſub alis gallinæ protectus à miluo, ſcilicet à diabolo. *Auguſt.* Nos ſumus pulli ſub alis gallinæ: ſed illi creſcentes alis matris non indigent, ſed nos quantò magis creſcimus, tantò magis gallina indigemus. Fatui ergo præſumptuoſi qui ad alas non currunt. *Matth.*23. Quoties volui congregare filios tuos ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? *Deuteronom.*32. Expandit alas ſuas, & aſſumpſit eos. Ergo quantò maior es, tantò plus fuge ad alas: ibi abcondere humiliando te, & latendo quantum eſt in te. *Eccleſiaſt.*3. Quantò maior es, humilia te in omnibus, ſub iſto velamento. Notandum enim, quòd eſt velamen defenſionis à tribulatione iræ Dei, ſicut hîc dicitur. Et ab æſtu & feruore concupiſcentiæ. *Eccleſiaſt.*14. Satuit filios ſuos ſub tegmine illius, & protegentur à feruore verecundiæ. Et 1. ad *Corinth.*11. Non decet mulierem non velatam orare: ne oſtentans ſpeciem ſuam, alios moueat ad peccatum. In eodem, Mulier velet caput ſuum propter Angelos, Clericos. Cæcitatis quæ eſt ſuper oculos Iudæorum, vt nullam intelligant veritatem. 2. ad *Corinth.*3. Vſque in hodiernum diem velamen poſitum eſt ſuper oculos eorum, in lectione Veteris Teſtamenti. Malitiæ. 1. *Pet.*1. Habentes velamen malitiæ libertatem Scripturæ, ſub qua velatur profunditas veritatis. *Luc.*9. Et ignorabant verbum iſtud: quoniam velatum erat ante eos, vt non ſentirent illud. Gratiæ, caro Chriſti ſub qua latet gratia

Status bonorum in aduerſis.

Multiplex velamen.

tia ſacramentalis. Ad *Hebr.* 9. Initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, id eſt, per carnem ſuam. Gloriæ,quæ velatur ſub ſpeculo & ænigmate donec reueletur. Ad *Hebr.*6. Habemus fortiſſimum ſolatium qui confugimus ad tenendum propoſitam ſpem,quam ſicut anchoram firmam & tutam habemus, incedentem vſque ad interiora velaminis.

9. *Adhæſit.* Quaſi diceret: Non ſolum gaudeo de protectione, ſed etiam *adhæſit anima mea*, fortiter & inſeparabiliter, *poſt te*, vt ſequar te,nolens præire te,ne fortè audiam quod audiuit Petrus *Matth.*16. Vade poſt me ſathana.*Cant.*5.Trahe me poſt te. Alia litera habet: *Aggluntinata eſt anima mea*: in quo vehemens adhæſio monſtratur. *Ierem.* 14. Sicut adhæret lumbare ad lumbos viri, ſic agglutinaui mihi omnem domum Iſraël.1. *Reg.*18.Conglutinata eſt anima Ionathæ, animæ Dauid. De ſic conglutinatis intelligitur illud 1.ad *Corinth.6.* Qui adhætet Deo, vnus ſpiritus eſt.

Me ſuſcepit. Ecce ſecundum. Quaſi diceret ei qui quæreret, vnde potuiſti protegi, & adhærere? Non meis viribus, vel mea fortitudine: *ſed quia ſuſcepit me dextera tua*, aliis protegendo. *Pſal.* Suſcepit in pace animam meam, ab his qui appropinquant mihi.

10. *Ipſi vero in vanum.* Hîc tangit ſtatum malorum, & primò tanguntur tria. Machinatio contra bonos. Cupiditas. *Introibunt vſque.* Et doloſitas. Per primum impugnant vitam bonorum,per ſecundum ſubſtantiam, per tertium vtrumque, quod eſt ibi, *Partes vulpium*, quamuis quantum ad ſecundum & tertium ſit lectura duplex. Dicit ergo: Taliter me protegis, & tibi adhæreo,à malis recedens. *Ipſi vero*, cum pondere legendum, *quæſierunt* enim *animam meam*, vitam ſcilicet meam. Supra in *Pſal.* Fortes quæſierunt animam meam. Et alibi, Accipere animam meam conſiliati ſunt. Sed hoc *in vanum*, ex quo tibi adhæreo, quicquid infligant. *Iob* 2. Tu commouiſti me aduerſus eum fruſtra. *Prou.*5. Fruſtrà iacitur rete ante oculos pennatorum.

Status malorum & odium in bonos.

Introibunt. Hîc tangitur illorum cupiditas: & dicuntur duo.Primò cupiditas.Secundò pœna ex cupiditate ſequens. *Tradentur.* Ait ergo: Sic quærunt animam, & etiam *introibunt* affectu,& deſiderio vehementi, *in inferiora terræ*, id eſt, vſque in infimam terrenitatem: quod verum fuit ſpecialiter de Iudæis, qui ne terram amitterrent, occiderunt Chriſtum. *Ioan.*1. Ne forte veniant Romani, & tollant locum noſtrum & gentem. Sic omnes cupidi. *Eccleſ.*10. Proiecit in vita ſua interiora ſua. *Pſal.* Conglutinatus eſt in terra venter noſter. Et propter hoc *tradentur in manus*, ſcilicet in poteſtatem perſequutoris, Iudæi in manus Titi & Veſpaſiani. *Matth.*23. Amen dico vobis, venient hæc omnia ſuper generationem iſtam. Et hoc iuſtum, quia *Matth.*26. Omnis qui gladio percutit,gladio interibit.Et cupidi propter congregata frequentius occiduntur. Vel ſic: *Introibunt in inferiora terræ*, in infernum, dicit *Gloſſa.* Et eſt argumentum quod infernus ſit in terrâ. *Ezech.* 31. Omnes traditi ſunt ad mortem in terram vltimam.

11. *Tradentur in manus gladij*, ſententiæ diuini iudicij, de quo *Iob* 19.Fugite à facie gladij,quoniam vltor iniquitatum eſt gladius.

Partes vulpium. Ecce tertium. Quaſi diceret: Sic quærent animam meam perdere, ſic rapere ſubſtantiam, & ipſi *erunt partes vulpium*, ſeipſos doloſis coniungentes, & ſic iam vulpes exiſtentes. *Ezech.* 13. Quaſi vulpes in deſertis prophetæ tui, Iſraël. *Thren. vlt.* Obtenebrati ſunt oculi veſtri propter montem Sion, quia diſparuit, vulpes ambulauerunt in eo, ſcilicet fraudulenti & doloſi prælati. Vulpes etiam dicuntur dæmones, quia furantur alienam foueam: nec faciunt ſibi foueam ſed taxi deſœdando eam. Sic ipſi animas peccati fœtore ſibi acquirunt, & Chriſtum abiiciunt. *Luc.*9. Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. Terra rubra reſpergunt ne cognoſcantur. Sic diabolus transfigurat ſe in Angelum lucis vt bonus credatur. 2.ad *Corinth.*10.Sathanas transfigurat ſe, &c. Gallinis inſidiatur, illis maximè quæ fouent pullos. Sic diabolus prælatis, quorum eſt fouere ſubditos. 3.*Reg.vlt.* Non pugnabitis contra quempiam maiorem aut minorem niſi contra Regem Iſraël. 1. *Reg. vlt.* Totum pondus prælij verſum eſt in Saül. Hæretici etiam vulpes dicuntur. *Cantic.*2. Capite nobis vulpes paruulas. Et tyranni. *Matth.* 13. Dicite vulpi illi, &c.

Dæmonum collatio cum vulpibus.

12. *Rex vero lætabitur.* Hîc ſecundum, in quo deſcripto ſtatu bonorum & malorum quantum ad meritum, ſubiungit deſcriptionem quantum ad præmium. Et primò tangit præmium bonorum. Secundò malorum, ibi, *Quia obſtructum eſt.* In prima duo. Primò præmium capitis, ſcilicet Chriſti. Secundò corporis. *Laudabuntur.* Dicit ergo: Sic boni ſperabunt, & inſeparabiliter adhærebunt. *Rex verò*, eorum, ſupple, Chriſtus ſcilicet, de quo *Prouerb.* 21. Cor Regis in manu Dei, quocumque voluerit, vertet illud. *Ierem.* 23. Regnabit Rex, & ſapiens erit. *Apoc.*19. Habens in veſtimente, & in femore ſcriptum: Rex regum, & Dominus dominantium. *Laudabitur in Deo*, Patre. *Iſa.*35. Lætitia ſuper caput eorum,Chriſtum ſcilicet. Vel *Rex* exiſtens in Deo Patre vnum per diuinitatem cum illo, *lætabitur. Ioan.* 10. Ego & Pater vnum ſumus.

12. *Præmia vtrorũque.*

Lætabuntur. Quaſi diceret:Non tantum Rex præmiabitur, & caput bonorum, imò *laudabuntur* etiam omnes *qui iurant in eo*, non in idolo, vel in Deo ſomniato à capite ſuo. *Deuter.*6. Dominum Deum tuum timebis, & per nomen illius iurabis. *Matth.* 5. Reddas Domino iuramenta tua.

Sed contra *Matth.* 5. Sit ſermo veſter: Eſt, eſt, non, non: quod amplius eſt, à malo eſt. *Iac.*3.Ante omnia fratres mei nolite iurare.Reſpond. quòd Dauid hic non præcipit iuramentum, ſed magis innuit, ſi iurare oportet, in quo ſit iurandum. Eſt enim iuramentum prohibitum quod ſit ſine cauſa, vel ex cauſa iniuſta, permiſſum quod ſit ex cauſa.

Poſſet etiam dici ſicut vult *Gloſſa*, quòd non præcipitur ſacramentum vel iuramentum, ſed commendatur in Deo firmiter ſtabiliri. Vnde ſenſus eſt: *Laudabuntur omnes qui iurant*, firmiter ſtatuiſſe in eo ſe perſeueraturos, & ei ſeruituros:

uituros: & ob hoc erit laus in membris, lætitia in capite consummata.

Quia obstructum est, vt iam non obloquatur amplius, *os loquentium iniqua*, Iudæorum, Paganorum, Hæreticorum, & falsorum Christianorum. *Psal.* Omnis iniquitas oppilabit os suum. 1. *Reg.*3. Impij in tenebris conticescent. *Sap.*3. Non habebunt spem, nec in die agnitionis alloquutionem.

IN LXIII. PSALMVM.

1. *In finem, Psalmus Dauid.*

2. EXaudi Deus. Hic est Psalmus decimus tertius in secunda parte libri, secunda scilicet quinquagena: cum enim in præcedenti Psalmo magister instruxerit viatorem per desertum Idumææ, id est, per mundum incedentem, qualiter ei sit conuersandum, hic instruit cum quanta patientia sustinendum quod infertur à malis, proponens in exemplum patientiam Christi patientis, Iudæorum persequentium frustrationem, vt sic faciendo bona & sustinendo constanter mala, veniat tandem ad finem me Christum, & ob hoc nihil amplius in titulo ponitur nisi hoc: *In finem, Psalmus Dauid.* Quod est: Hic Psalmus dirigens nos *in finem*, id est, Christum, quia docet non deficere in tribulationibus, sed orare, & aduersitates irridere, *est Dauid* materialis vt auctoris, spiritualis vt loquentis & dantis exemplum suis.

Psalmus docet malos patienter ferendos exemplo Dauid & Christi.

Duo ergo dicuntur, sicut dicit *Glossa*. Primò quidem orat Christus in agonia Passionis positus, vt nos doceat similiter in passionibus orare. Secundò subsannat aduersarios & irridet, vt nos doceat non curare, ibi, *Sagittæ parvulorum.* In prima duo. Primò oratio pro sua liberatione ab aduersariis. Secundò aduersariorum descriptio, ibi, *Quia exacuerunt.* In prima duo. Primò orat. Secundò prouocat ad dandum quod petit, ibi, *Protexisti me.* Secundum autem lecturam duplicem dupliciter diuiditur Psalmus. Secundum primam, primò orat vt exaudiatur. Secundò specificat in quo velit exaudiri. *A timore inimici.*

Dicit ergo: O *Deus, exaudi orationem meam*, ad te factam *dum tribulor.* Alia litera: tunc enim potissime clamandum. *Isa.* 19. Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis. *Oseæ* 6. In tribulatione sua mane consurgent ad me. Sicut *Ionas* in 2. Dum anxiaretur in me anima mea, recordatus sum Domini. Et in hoc exaudi.

Eripe animam meam, non à morte, sed *à timore inimici*, vt ipsum non timeam, sed tantum te. Sed quomodo hoc? Nonne scriptum est *Prou.* 28. Fugit impius nemine persequente, iustus autem quasi leo confidens absque terrore erit? *Ierem.*21. Non timebis cum venerit æstus tribulationis & ardentis aduersitatis. Resp. Hîc dicit non vt eripiatur à timore in quo iam sit, sed vt in habita securitate conseruetur. Quod enim non timet, à Deo vult conseruari, quia sicut dicit *Gregor.* Bonum cito amittitur, quod à largiente non conseruatur.

Alio modo, & secundum aliam literam legitur: & dicuntur duo. Primò petit exaltationem sui. Secundò ereptionem. *Cum deprecor, à timore.* Ait enim: *Exaudi Deus orationem meam*, pro mea exaltatione & glorificatione ad te factam: *& eripe animam meam*, non à timore mortis, quia hanc omnis anima timet naturaliter, etsi ab ea eleuata aliquando virtute, propter bona consequentia desideretur, sicut in Paulo qui dicebat ad *Phil.* 1. Cupio dissolui, & esse cum Christo: sed *à timore inimici*, qui potest corpus affligere. *Iob* 9. Terra tradita est in manus impij: non anima. *Matth.*10. Nolite timere eos qui occidunt corpus, postea autem non habent quid faciant. Et hoc, *cum deprecor*, id est, in ipsa deprecatione, vt impleas illud *Isa. pennlt.* Adhuc illis clamantibus, ego exaudiam.

Vel referendo ad membra, *Cum deprecor*, id est, cum defero peccatum: tunc enim valet precatio. *Eccles.*35. Deprecatio pro peccato, est recedere ab iniustitia. Vel dum deprecor ei, quod precari consueui. Dicebam quondam illud *Prou.*30. Affer, affer, affer ventri concupiscentias suas, cupiditati delicias: modò precor, aufer vtrumque dicens illud *Eccles.* 18. Aufer à me ventris concupiscentias, & hoc contra primum. Et illud *Prou.*25. Aufer rubiginem de argento, non congregando, sed dispergendo: rubiginatur enim congregatum, clarificatur distributum.

Protexisti me. Hîc secundum, in quo prouocat ad dandum quæ petiit. Primò beneficia recepta quæ recolit: & dicuntur duo. Primò, quòd eum liberauerit à mala cogitantibus. Secundò, quòd à mala facientibus, ibi, *A multitudine.* Dicit ergo: Sic exaudi, & eripe, & certus sum, quòd sic erit: quia *protexisti me. Isa.*49. Sapientia proteget te in sempiternum. Et 2. Protector est omnium exquirentium se in veritate. Et hoc, *à conuentu malignantium* in corde Iudæorum. *Isa.*4. Iniqui sunt cœtus vestri. Est enim conuentus malignantium, scilicet corde, sicut hîc dicitur. Vanitati studentium in sermone, de quo in *Psal.* Non sedi cum concilio vanitatis, &c. Peruersorum in operatione. *Eccles.*10. Exhonorauit Dominus conuentus malorum. Et est conuentus bonorum concordium in charitate, de quo *Isa. vlt.* Conuentum facite omnes qui diligitis eam, scilicet Ierusalem. Et coniunctorum ad defensionem Ecclesiæ. 1. *Mach.*3. Congregatus est conuentus, & erant parati in prælium. Et est conuentus indifferens conuenientium ad tractanda quæcumque negotia. 1. *Mach.*13. Nulli ex proprio liceat congregare conuentum in regione sine ipso. Et *Iacob* 3. Si quis introierit in conuentu vestro habens annulum: & maximè ad causas terminandas. *Act.*19. Si causam habet aduersus aliquem, conuentus forenses aguntur, & proconsules sunt, accusent inuicem. 3.

A multitudine. Ecce secundum. Quasi diceret: Sic protexisti à conuentu malignantium, *& à multitudine* etiam *operantium*, non tantum cogitantium, vel volentium, *iniquitatem*: fabri enim sunt peccatorum. *Eccles.*11. Attende tibi à pestifero. Fabricatur enim contra te malum. Ad *Phil.* 3. Videte canes, videte malos operarios.

Quia exacuerunt. Hîc secundum totius primæ 4.

partis Pſalmi, in quo præmiſſa oratione perſuaſoria ab inimicis liberetur, ſubiungitur inimicorum deſcriptio à malitia & machinatione contra Chriſtum. Et primò deſcribuntur ab aperta impugnatione. Secundò ab occulta machinatione. *Intenderunt arcum.* Dicit ergo: Sic rogo vt liberes ab inimicorum timore, *qui*, vel, *quia exacuerunt contra me.* Vel ſic continua, ſicut vult *Gloſſa*. Protexiſti à malignantibus, & operantibus iniquitatem. Sed qui ſunt malignantes & operantes iniquitatem? *Qui exacuerunt linguas ſuas*, contra me adulando vt me ſubuerterent. *Matth.* 22. Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces. Illudendo, vt me in iracundiam deiicerent. *Matth.*26. Porphetiza nobis, quis eſt qui te percuſſit? Blaſphemando, vt me per impatientiam de via deducerent. *Matth.* 27. Si Filius Dei eſt, deſcendat de cruce, & credemus ei. Et hoc, *vt gladium. Pſal.* Lingua eorum gladius acutus. Bene gladius dicitur eorum lingua, qui vitam occidere potuit. Lingua enim Iudæi Chriſtum occiderunt, etſi non manu. Ad quod reſpiciens *Marcus*, dicit ipſum hora tertia crucifixum.

Machinatio malorũ contra Chriſtũ.

Intenderunt arcum. Hîc agitur diffuſiùs de machinatione occulta: & tanguntur tria. Primò machinatio. Secundò finis, ibi, *Vt ſagittent.* Tertiò modus, ibi, *Subitò.* Dicit ergo: In aperto: & etiam *intenderunt arcum*, id eſt, machinationem occultam, & ex improuiſio ferientem, ſicut arcus. *Ierem.*9. Extenderunt linguam ſuam quaſi arcum mendacij. *Arcum*, inquam, *rem amaram.* Occulta enim eorum machinatio fuit, vt per proprium diſcipulum traderetur: quòd fuit amarum valdè. Propter hoc dicit eis per *Ieremiam* in 2. Quomodo conuerſa es mihi in amaritudinem vinea aliena? *Deuter.*32. Fel draconum vinum eorum, & venenium aſpidum inſanabile.

Vt ſagittem in occulto immaculatum. Ecce finis propter quem intenditur arcus, vt immaculatus, Chriſtus ſcilicet, & deſignatus per agnum ſine macula. *Exod.*12. *Iſa.*53. & 1.*Petr.*2. Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius. *Ierem.*9. Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum loquuta eſt.

5. *Subitò ſagittabunt.* Hîc tangitur modus exequendi quod machinatum fuerat: & tanguntur duo, quæ pertinent ad partes principales, qualiter ſcilicet per ſeipſos. Secundò qualiter per alios, ſcilicet per falſos teſtes, ibi, *Scrutati ſunt iniquitates.* In prima quatuor. Primò, quòd improuisè. Secundò, quòd audacter. *Et non timebunt.* Tertiò, quòd obſtinatè. *Firmauerunt.* Quartò, quòd fraudulèter, ibi, *Narrauerunt vt abſconderent.* Dicit ergo: Sic machinabuntur, *& ſubito ſagittabunt.* Loquitur Chriſtus de ſe tanquam de alio. *Sagittabunt* accuſationibus quaſi ex improuiſo, tanquam neſciat reſpondere. *Thren.*3. Poſuit me, populus ſcilicet Iudæorum, quaſi ſignum ad ſagittam. Hi fuerunt ſignificati per ſagittarios, de quibus 1. *Machab.*9. Fundibularij, & ſagittarij præibant exercitum Bachidis. Mala ſagitta, malum verbum: lingua mala, malus arcus, à qua eſt emiſſa. Propter quod dicitur *Eccleſiaſt.* 28. Beatus vir qui tectus eſt à lingua nequam. Sed in Pſalmo dicitur alibi: Arcum conteret, & confringet arma, & ſcuta comburet igni.

Et non timebunt. Ecce quam audacter. *Pſal.* Non es timor Dei ante oculos eorum.

Firmauerunt ſibi. Ecce tertium. Quaſi diceret: Non timebunt: & tanquam obſtinati, *firmauerunt ſibi*, in corde ſcilicet, *ſermonem nequam*: vt ipſum conſtanter accuſarent, & occidi procurarent. *Prouerb.*26. Quando ſubmiſerit vocem ſuam, ne credas ei: ſeptem nequitiæ ſunt in corde eius, confirmatæ: vt non valeret, vel ipſius immaculata innocentia, vel quam plurima exhibita illis beneficia, vel excuſatio à iudice facta.

Narrauerunt vt abſconderent. Hîc quartum, 6.
ſcilicet quam fraudulenter: & dicuntur duo. Primò deliberatio abſcondendi malum. Secundò falſa æſtimatio, quod bene ſit abſconditum. *Dixerunt.* Dicit ergo: Sic obſtinati fuerunt, *&* etiam *vt abſconderent laqueos*, hoc eſt, deceptiones, & verba quibus impugnarent. *Prouerb.*1. Abſcondamus tendiculas contrà inſontem fruſtrà. *Pſal.* In via hac qua ambulabam, &c. *Ierem.*5. Inuenti ſunt in populo meo viri impij, abſcondentes laqueos & pedicas ad rapiendos viros.

Dixerunt in corde ſuo, vel certè ſeſe mutuò excitando: *Quis videbit eos?* Quaſi dicerent: Nullus, ſi fuerit à proprio diſcipulo traditus, à iudice condemnatus. *Daniel.*18. Et nemo nos videt, nec Deus. *Pſal.* Dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. *Iob.*23. Nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat. Sed *Iſa.*29. Væ qui profundi eſtis corde, vt abſcondatis à Domino conſilium. De vtroque *Eccleſiaſt.* 24. Quis me videt? Tenebræ circundant me, & parietes cooperiunt me. Et nemo circunſtat me, quem vereor? Delictorum meorum non recordabitur Altiſſimus.

Scrutati ſunt iniquitates. Hîc ſecundum, in 7.
quo oſtenditur quomodo machinati ſunt per alios: & dicuntur tria. Primò falſorum teſtium ſuppoſitio. Secundò fruſtratio ſupponentium ab intentione ſua. *Defecerunt.* Tertiò ratio defectus illorum, ibi, *Accedet homo*, &c. ſecundum magis propriam lecturam. Dicit ergo: Sic in ſe cogitauerunt, & etiam *ſcrutati ſunt*, id eſt, inquiſierunt à falſis teſtibus ſuppoſitis, *iniquitates.* In quo notandum, quòd ſcrutatur & inquirit diabolus vt ſubuertat. 1. *Petr.*5. Aduerſarius veſter diabolus circuit quærens quem deuoret. *Abdias.* Quomodo ſcrutati ſunt dæmones Eſau, peccatorem ſcilicet, inueſtigauerunt abſcondita eius? vſque ad terminum emiſerunt te. Et homo aliquandò, vt intelligat veritatem. *Ioan.*5. Scrutamini ſcripturas. Et in *Pſal.* Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius. Aliquandò vt curioſitatem impleat. *Prou.*25. Perſcrutator maieſtatis opprimetur à gloria. Aliquando vt bona rapiat aliorum. *Pſal.* Scruteur fœnerator omnem ſubſtantiam eius. Aliquandò vt ipſi perſonæ noceat, ſicut Saül Dauid. 1. *Reg.*23. Perſcrutator eum in cunctis millibus Iuda. vt hîc. Et ſcrutator Deus Eccleſiam. *Sophon.*1. Scrutabor Ieruſalem in lucernis. Et ipſam religionem. *Amos* 9. Si abſcondiſti fue-

Perſcrutatio diuerſo fine.

rint

rint in vertice Carmeli, in altum perfectionis & religionis, inde ſcrutans auferam eos. Sed maximè Prælatos. *Iſa.* 22. Scrutans virum, id eſt, Prælatum, & magnificus ſuper montes, ſuper Prælatos ſuperiores. Scrutatur autem peccata ſecundum illud *Iob* 9. Vt quæras iniquitatem meam, & peccatum meum ſcruteris. Vſque ad interiora deſideria. *Ierem.* 17. Ego Dominus ſcrutans corda, & probans renes. Imò vſque ad idipſa cogitata. 1. ad *Cor.* 2. Spiritus omnia ſcrutatur, etiam ſecreta Dei.

Defecerunt. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic ſcrutati ſunt, ſed *defecerunt ſcrutinio*, id eſt, in ſcrutinio ſuo: ipſi, dico, *ſcrutantes*. Vel ſic: *Scrutantes ſcrutinio*, id eſt, diligenter & ſollicite perſcrutantes, ſi quid inuenire poſſent contra Chriſtum, *defecerunnt*, nihil omnino inueniendo in quo poſſent eum accuſare. *Gen.* 19. Sodomitæ non poterant oſtium inuenire: Deus enim deſtruit ſapientiam ſapientium, & prudentiam, &c.

Quot hodie deficiunt in ſcrutiniis electionũ, non bene ſuam conſcientiã perſcrutantes, cum tamen dictum ſit *Thren.* 3. Scrutemur vias noſtras, quæramus, & reuertamur ad Dominũ, &c.

Accedit homo ad cor altum. Hic tertium, in quo tangitur ratio defectus in ſcrutinio ſecundum vnam lecturam ſcilicet. Duplex natura in Chriſto: vna paſſionibus expolita, ſcilicet humana: alia exaltans expoſitam, & exaltata, ſcilicet diuina. Primò tangitur humanæ expoſitio ipſi morti. Secundò diuinæ exaltatio, vel ipſius humanæ per diuinã. *Et exaltabitur.* Dicit ergo: Sic ſcutabunrur contra Chriſtum, & hoc fruſtrà, *quia accedet* homo, Chriſtus *& cor altum* erit ei. Accedet, inquam, ad Paſſionem. Et hoc ex alto corde, id eſt, ex profundo & altiſſimo conſilio ſuo. Nullus enim coëgit eum vt moreretur, ſed ipſe acceſſit voluntarius. *Iſa.* 53. Oblatus eſt quia ipſe voluit. *Ioan.* 10. Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam. Nemo tollit eam à me. Obiecit enim illis hominem, ſed virtute diuinitatis euaſit. Et hoc eſt quod ſubdit: *Exaltabitur Deus*, id eſt, virtute diuinitatis ſeipſum hominẽ ſuſcitabit, & glorificabit, ex quibus eius exaltatio relinquitur. *Iſa.* 52. Ecce puer meus exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit valde. Hoc fuit *Geneſ.* 22. vbi oblato ariete Iſaac euaſit. 1. *Reg.* 10. vbi Michol ſtatuam Dauid perſequutoribus expoſuit, ipſe verò Dauid euaſit. Hæc duo tangit Paulus ad *Eph.* 2. Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualẽ Deo: ſed formam ſerui accipiens, exinaniuit ſemetipſum. Vel ſic ſecundum lecturam aliam: Ita illi fruſtrãtur, & deficiunt, ſed *accedet homo*, fidelis aliquis vtens ratione, *ad cor altum*, ad ſcrutãdum, & inquirendum alta de Deo: vel, *& cor altũ*, habebit, ſupple: *& exaltabitur Deus*, in homine rationabiliter inquirẽte ſecreta Dei. *Prou.* 8. Qui manè vigilauerint ad me, inueniẽt me. Nec eſt contrarium quod dicitur *Prou.* 25. Perſcrutator maieſtatis opprimetur à gloria. Nec illud *Prouerb.* 17. Qui exaltat cor ſuum, quærit ruinam. Iſta enim intelligenda ſunt de homine brutali & carnali, qui nec dignus eſt nomine hominis. *Exod.* 19. Bellua quæ tetigerit montem, lapidabitur.

Sagittæ paruulorum. Hîc eſt ſecunda pars Pſalmi, ſcilicet perſequutorum ſic fruſtratorum irriſio: & tanguntur duo. Primò illorum irriſio. Secundò ad cumulum irriſionis, conſequens aliorum ædificatio, & fructus, ibi, *Conturbati ſunt.* In prima duo. Primò irridendo tangitur eorum fruſtratio in opere. Secundò in ſermone. *Et infirmatæ ſunt.* Dicit ergo: Sic perſequentur, & tam aſtutè: ſed *plagæ eorum*, quas Chriſto intulerunt, *factæ ſunt ſagittæ*, id eſt, à ſagitta. Græciſmus eſt. *Paruulorum*, id eſt non plus profecerunt plagando Chriſtum, quam paruulus ſagittando. Et bene paruulis comparantur, quia in veritate ſenſu valde paruuli extiterunt: contra illud 1. ad *Corinth.* 13. Nolite paruuli effici ſenſibus. Paruuli etiam ſermone, de imis & infimis tantum ſcientes loqui. 1. ad *Corinth.* 13. Cum eſſem paruulus, Iudæus ſcilicet, loquebar vt paruulus, &c. Paruuli etiam virtute: quia nullam habebant. Inuidia pleni, quæ exterminat omne bonum, & paruulum facit. *Iob* 5. Paruulum occidit inuidia. Et ſagittæ eorum vt paruulorum, quia non perforauerunt niſi Chriſti veſtem, carnem ſcilicet quæ veſtis eſt animæ. Non tetigerunt militem. *Iob* 10. Pelle & carnibus veſtiſti me.

Irridentur Chriſti perſecutores.

Et infirmatæ ſunt. Ecce quaſi nõ tantum opere nihil profecerunt, verum etiam *linguæ eorum infirmatæ ſunt*, id eſt, ſermones eorum caſſi fuerunt: & hoc, *contra eos*, in malo ſcilicet eorum. *Pſal.* Ipſi infirmati ſunt, nec fuit qui adiuuaret. Nonne contra eos lingua eorum infirmata eſt, quando ſcitum eſt per mundum vniuerſum, quòd ipſi cuſtodes corruperunt, & ſuggeſſerunt vt dicerent, quia ipſis dormientibus ſublatum eſt corpus eius, vt dicitur *Matth. vltimo.* 9.

Conturbati ſunt omnes. Hîc ſecundum, in quo oſtenditur ædificatio & fructus aliorum conſequens ex illorum fruſtratione: & dicuntur ſeptem. Primò bona conturbatio. Secundò timoris incuſſio. *Et timuit.* Tertiò promulgatio operum Dei, ibi, *Et annuntiauerunt.* Quartò promotio ipſorum ad intelligentiam ſecretorum, ibi, *Et facta.* Quintò lætitia & exultatio pro manifeſtatione veritatis, ibi, *Lætabitur iuſtus.* Sextò bonorum certa expectatio, ibi, *Et ſperabit.* Septimò magnificatio ipſorum ſic lætantium. *Et laudabuntur.*

Multiplex fructus ex irrito conatu Iudæorũ.

Dicit ergo: Sic confuſi erunt. Sed quid inde bonis accidit? *Conturbati ſunt*, bona conturbatione, *omnes qui viderunt eos*, ſic confuſos, oculo rationis: multi enim viderunt fortè oculo corporali qui non aduerterunt. *Iſa.* 21. Horrui vt audirem, turbatus ſum vt viderem. *Seneca*, Bonum eſt fugienda aſpicere in alieno malo. *Cant.* 6. Anima mea cõturbauit me propter quadrigas, id eſt, Euangeliſtas: Aminadab, ſpontanei, id eſt, Chriſti, qui annuntiauerunt Iudæorum confuſionem in vniuerſo mundo.

Notandum enim, quòd eſt turbatio doloris, de qua hic, & alibi in *Pſal.* Conturbata eſt anima mea, oculus meus, & venter meus. Timoris. *Matth.* 2. Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo, &c. & admirationis, de quo *Luc.* 1. Quæ cum audiſſet, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat, &c.

Et

10. Et poſt turbationem, *timuit omnis homo*, ſapiens vti ratione: tunc enim eſt homo,& hoc, omnis incipiens ſapiens ſapere. *Eccleſiaſt.* 1. Initium ſapientiæ timor Domini.Et in 15. Qui timet Deum,faciet bona.Nunc dicit,Facit iam.

Et annuntiauerunt. Quaſi diceret: Sic timore Domini concuſſi, *annuntiauerunt*, aliis prædicando, *opera Dei.* Supra in *Pſal.* Opera eius annuntiat firmamentum, firmitas ſcilicet conuerſorum. *Act.* 4. Non poſſumus quod audiuimus & vidimus non loqui. Seruus qui abſcondit talentum Domini ſui, grauiter eſt punitus *Matth.* 25. *Pſal.* Iuſtitiam tuam non abſcondi in corde meo,veritatem tuam & ſalutare tuũ dixi.

Et facta eius. Quaſi diceret: Sic annuntiauerunt, & ex hac annuntiatione profecerunt, quia *intellexerunt opera Dei*, quare homo factus eſt, natus, paſſus, &c. qui priùs ſimpliciter credebant, & aliis prædicabant. *Iſa.* 7. Niſi credideritis, non intelligetis. *Eccleſ.* 15. Impleuit eos Dominus ſpiritu ſapientiæ & intellectus. Quamuis enim in Spiritus ſancti miſſione repleti fuerint Spiritus ſancti dono ſeptemplici, de quo *Iſa.* 11. Super eum ſpiritus ſapientiæ & intellectus, &c. tamen ipſum prædicationis exercitium in multis eos magis intelligentes reddit.

11. *Lætabitur iuſtus.* Ecce quintum. Quaſi diceret: Si intellexerunt, & etiam *iuſtus*, audiens confuſionem Iudæorum, *lætabitur*, non in ſeipſo,vel in aliquo temporali commodo, ſed *in Domino. Zachar.* 10. Lætabitur cor eorum quaſi à viuo, & filij eorum videbunt, & lætabuntur, & exultabit cor eorum in Domino. Videbunt enim multos conuerti. *Iſa.* 9. Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe: ſicut exultant victores capta præda. Et 51. Lætitia ſemmpiterna ſuper capita eorum. Et 61. Oleum gaudij pro luctu.

Et ſperabit in eo, Deo ſcilicet, & eſt bonum ſextum: & hoc quando mali damnabuntur. Videns nunc omnia quæ prædixit Chriſtus impleri, firmatur in fide, & exultans tota ſpe, non confunditur. Ad *Roman.* 5. Spes non confundit. Et 12. Spe gaudentes, in tribulationibus patientes. Et tandem in futuro damnatis malis,

Laudabuntur omnes recti corde. Hoc eſt, diligentes Dominum. *Cantic.* 1. Recti diligunt te. Et hi, *laudabuntur. Prouerb. vltim.* Laudent eam in portis opera eius. 1. ad *Corinth.* 4. Tunc laus erit vnicuique à Deo. Illa laus de qua *Matth.* 25. Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuprà pauca fuiſti fidelis,ſuprà multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui: ad quod gaudium nos perducat, &c.

IN LXIV. PSALMVM.

1. *In finem, Pſalmus Dauid. Canticum Aggæi, Ieremiæ, vel Ezechielis. De verbo peregrinationis, vel de populo tranſmigrationis cum inciperent proficiſci.*

2. TE decet *Hymnus.* Hic Pſalmus decimus quartus ſecundæ partis, ſecundæ ſcilicet quinquagenæ. Cum enim in Pſalmo præcedenti monuerit viatorem ad patientiam exemplo capitis ſui Chriſti, de cuius actum eſt Paſſione, hic ſubiungit efficacem conſolationem viatoris in labore ſuo, & roborat in ipſo patientiam, agens de reditu à præſenti miſeria & labore, ad gloriam cœleſtis patriæ: qui figuratus fuit in reditu filiorum Iſraël,ad terram propriam, ad montem Sion, & in Ieruſalem, de Babylonica captiuitate. Et hoc exprimitur ſatis in titulo, qui talis eſt: *In finem, Pſalmus Dauid. Canticum Aggæi, Ieremiæ, vel Ezechielis. De verbo peregrinationis, vel de populo tranſmigrationis cum inciperent proficiſci.* Tangit enim in hoc titulo, & figurantem captiuitatem,ſcilicet captiuitatem Iudæorum factam, & reuerſionem poſt ſeptuaginta annos,ſicut prædixerat *Ierem.* 30. in Ieruſalem, & ipſe Ezechiel cum captiuatus, & Aggæus cum illis reuertens: quæ omnia habentur 4. *Reg.vlt.* & 2. *Paral.vlt. Ierem.* 39. &c.

Argumẽtum Pſalmi, ſolatur iuſtos ſpe reditus in cœleſtem Ieruſalem, ad literam reditus à captiuitate Babylonica.

Magis autem intendit de reuerſione ſpirituali, & ſignificata per illam, & ſecundum hoc ſenſus tituli talis eſt: Hic *Pſalmus Dauid*, id eſt, à Dauid factus, *dirigens non in finem*, in vitam ſcilicet æternam ad quam facti ſumus: *Canticum*, id eſt, lætitia & exultatio habita, *de verbo peregrinationis*, id eſt, de peregrinatione humani generis per verbum diaboli inobedientiam ſuggerentis facta. Peregrinationis, inquam, quaſi terminatæ in bonis. Vel Canticum *de populo tranſmigrationis reuertente*, ſupple, tendente ad Deum, vnde tranſmigrauerat. Boni enim ſunt tranſmigratores & peregrini, ſecundum illud Iacob *Geneſ.* 46. Dies peregrinationis meæ centum triginta anni pauci & mali. Et *Iob* 28. Lapidem caliginis,& vmbram mortis, duros ſcilicet & obcæcatos peccatores: diuidit torrens, id eſt, verbum Dei: à populo peregrinante, à bonis ſcilicet. Dicit enim *Auguſt.* Nullum maius ſignum eſt prædeſtinationis, quam audire libenter verbum Dei. Quod, inquam, Canticum *& Ieremiæ, & Aggæi, vel Ezechielis.* Iſti enim ſcribentes de literali reuerſione, ſcripſerunt & cantauerunt etiam de ſpirituali.

Vel per iſtos tres tangit tria genera hominum reuertentium ad patriam, ad quos pertinet. Contemplatiuos, qui per Ieremiam, qui excelſus interpretatur, deſignantur: qui tam excelſi ſunt, vt dicere poſſint, Noſtra conuerſatio in cœlis eſt. Ad *Phil.* 3. Et æternorum ſpe iam lætificatos, qui per Aggæum, qui feſtiuus interpretatur. Ad *Rom.* 12. Spe gaudentes. Iſti ſunt in quibus impletur illud *Pſal.* Reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi:quod conſequens eſt ad contemplationem. Et roboratos in bona operatione per Ezechielem, qui interpretatur, Roborauit me Dominus: quod iterum relinquitur ex gaudio ſcilicet ſpei certæ, & ſpirituali cordis exultatione, ſecundum illud *Iſa.* 40. Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem.

Tres Prophetæ tria genera iuſtorum ſignificant.

Canticum, inquam, habitum *cum inciperent proficiſci de Babylonia*, de confuſione peccati & mali, de qua *Eccleſ.* 4. Eſt confuſio adducens ignominiã. Hoc autem fit per charitatem,ſicut dicit *Gloſſa.* Incipit enim exire de Babylonia, &

tendere

tendete in Ieruſalem tanquam ciuis eius, qui incipit amare. Hinc eſt quod Paulus charitatem viam appellat. 1. ad *Corinth.* 13. Adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro. Hinc eſt quod clamat *Zachar.* in ſecundo, O, o, o, fugite de medio Babylonis.

Diuiſio Pſalmi de reditu & reditus auctore.

Pſalmus autem diuiditur ſecundum *Gloſſam* in duas partes. Primò agit de reditu, prædicando ipſum, & precando quod impleatur. Secundò de laudibus & virtute eius per quem fit reditus, vt à redeuntibus honoretur, ibi, *Spes omnium*, ſecundum *Gloſſam*: vel, ibi, *Exaudi nos Deus.* In prima duo. Primò dignum laude affirmat. Secundò orat, ibi, *Exaudi Deus orationem.* In prima duo dicit, vbi dignè laudabitur, quia in Patria. Secundò quo modo ibi laudabitur, quia in corpore, & in anima, ibi, *Reddetur tibi.*

Dicit ergo tanquam rediens de Babylonia ſpirituali, & ſpirans ad Ieruſalem: *O Deus* qui omnia ſcis, & potes, *te*, non alium, *decet hymnus*, ſicut *Dan.* 3. Conuerſi canebant hymnum, & benedicebant Dominum. 1. *Mach.* 4. In hymnis & confeſſionibus benedicebant Dominum. Ad *Coloſſ.* 3. Pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus cantantes, & pſallentes Deo in cordibus veſtris. Sed vbi? *In Sion*, in patria ſcilicet cœleſti, quæ Sion dicitur, id eſt, ſpecula, quia inde Deus omnia quæcumque hic inferiùs fiunt, ſpeculatur. *Eccleſ.* 23. Ecce oculi Domini in omni loco contemplantur bonos & malos.

Laudatur Deus in Eccleſia cœleſti & militante quæ Sion dicitur, multis de cauſis.

Hæc eſt illa Sion de qua *Pſal.* Quis dabit ex Sion ſalutare Iſraël? Et infrà in alio, virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. Et vere ibi laudandus, quia ſine omni culpa: & ſcriptum eſt *Eccleſ.* 15. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Propter quod dicitur in *Pſal.* Lauda Dominum Deum tuum Sion.

Vel Sion poteſt appellari Eccleſia militans, in qua nunc ſolum meritoriè laudari poteſt. *Pſal.* Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Quaſi diceret: Nullo. Sed in Sion, id eſt, in Eccleſia poſſumus, quæ Sion appellatur. *Iſa.* 32. Dixit Dominus cuius eſt igniculus in Sion, & caminus in Ieruſalem.

Et dicitur Sion, id eſt, ſpecula, quia de Eccleſia gloriam Dei valdè remotam ſpeculamur. 2. ad *Corinth.* 3. Nos verò gloriam Dei reuelata facie ſpeculantes, &c. Inſultus hoſtium præuidemus. *Iſa.* 21. Super ſpeculam Domini ego ſum, ſtans iugiter totis noctibus. Quia venientem amicum præuidemus. *Baruc.* 5. Exurge Ieruſalem, & ſta in excelſo, & circumſpice ad Orientem, & vide gloriam tibi à Domino venientem.

Speculum etiam, quia in ea homo poteſt videre immunditias ſuas, & maculas, reſpiciendo vitam bonorum. *Iob* 33. Reſpice homines, & dices, Peccaui, & verè deliqui. *Ezech.* 43. Fili hominis oſtende domui Iſraël templum, & confundantur ab iniquitatibus ſuis.

Et tibi reddetur votum. Plena laus cordis, & corporis, *in Ieruſalem*, in patria cœleſti: pro vtriuſque glorificatione. *Iſa.* 19. Vota vouerunt Domino, & ſoluent: tunc enim implebitur illud, Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. *Iſa.* 30. Canticum erit vobis ſicut nox ſanctificatæ ſolemnitatis.

Exaudi Deus orationem meam. Hîc ſecundum primæ partis, in quo orat: & dicuntur duo. Primò oratio ſiue petitio vt exaudiatur. Secundò ratio vnde datur ei confidentia impetrandi, & excitatiua ad orandum, ibi, *Ad te omnis caro.* Dicit ergo: Sic debes laudari in patria, & vt ad hoc perueniam, ô Deus, *exaudi Deus orationem meam* petentem non temporalia, ſed æternam fœlicitatem. *Matth.* 7. Omnis qui petit, accipit. 3.

Ad te omnis caro. Hîc ſecundum, & tangitur ratio multiplex mouens ad petendum, & confidentiam præſtans. Prima eſt vniuerſalis poteſtas Dei. Secunda, confeſſa iniquitas propria, ibi, *Verba iniquorum.* Tertia, Dei benignitas. *Et impietatibus.* Quarta, præmij quantitas, ibi, *Beatus quem elegiſti.* Dicit ergo. Sic rogo, nec mirum, quia ſpero, quòd *omnis caro*, non tantum animæ, ad te veniet, id eſt, coram te ad iudicium. 2. ad *Corinth.* 5. Omnes aſtabimus ante tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque prout geſſit in corpore, ſiue bonum, ſiue malum. Et eſt argumentum expreſſum de reſurrectione. *Iob* 19. Rurſum circundabor pella mea, & in carne mea, &c. 1. ad *Corinth.* 15. Omnes quidem reſurgemus. Et infrà, Si Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus. *Dei poſtiua.*

Vel *omnis caro*, id eſt, de omni gente, & ſexu, & conditione, *ad te veniet* aliquis, vt te & fruatur, & lætificetur. *Iſa.* 46. de hoc, Videbit omnis caro ſalutare Dei. *Gal.* 3. Vbi non eſt maſculus nec fœmina, Gentilis & Iudæus, Barbarus, & Scytha. Et bene dicitur: *Caro veniet ad te*, non lapis: duri enim non ſaluabuntur, ſed carnei. *Eccl.* 3. Cor durum malè habebit in nouiſſimis. Propter hoc promittit. *Ezech.* 11. Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum.

Verba iniquorum. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: non tantum me compellit tanta tua potentia, nec tantum præſtat fiduciam: imò & hoc, quia, *verba iniquorum*, dæmonum, primis parentibus per ſerpentem ſuadentium, vel verba iniquorum, ipſorum parentum ſe excuſantium, *prævaluerunt ſuper nos*, inducere miſeriam & culpam. *Ierem.* 28. Seduxerunt te, & prævaluerunt aduerſum te. 4.

Peccatum Angeli & Adæ tripliciter noxiũ.

Notandum enim, quòd diabolus peccauit in Deum, quando voluit deiicere hominem, & ipſum ſubiicere, qui Dei Filius erat. 14. *Iſa.* Aſcendam in cœlum, ſuper aſtra cœli, homines ſcilicet innocentes, & fonte gratiæ illuſtratos, exaltabo ſolium meum. In proximum, in ipſum hominem quem occidit. *Sap.* 4. Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Et in ſeipſum, quia qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam, vitam ſcilicet ſuam. Homo iterum peccauit in Deum, appetendo æqualem ſcientiam, ad minus in muliere. *Gen.* 3. Eritis ſicut Dei, ſcientes bonum & malum. In proximum, quia totam poſteritatem corrupit. *Ierem.* 31. Patres noſtri comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt. Et in ſeipſum. *Geneſ.* 3. Maledicta terra in opere tuo. Patres etiam hic poſſunt dici anteceſſores, qui filios induxerunt per iniqua verba in errorem,

1. ad

1. ad *Corinth.* 15. Corrumpunt bonos mores colloquia praua.

Et impietatibus. Hîc tertium. Quaſi diceret: Sic me mouet propria miſeria, & vniuerſalis iniquitas, *& iniquitatibus noſtris*, ſcio quod *propitiaberis:* vnde monet me tua pietas, prompta ad ignoſcendum. *Pſal.* Propter nomen tuum Domine propitiabis peccato meo, &c. Ad hoc poſitus es à Patre. Ad *Rom.* 3. Quem poſuit Dominus propitiatorem. Vnde ſignificabatur per propitiatorium. *Exod.*26. 1. *Pet.*2. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.

5. *Præmij magnitudo.*

Beatus quem elegiſti. Hîc eſt quarta ratio orandi & petendi vt perueniat in Sion, ſcilicet præmij quantitas, vel petiti: quia illuc perueniens, ad hoc vocatus, erit beatus. Duo ergo dicuntur. Primò vocat ad hoc, & electi beatitudo. Secundò probatio, quòd verè beatus. Dicit ergo: Sic rogo vt illuc etiam me transferas, quia *beatus eſt*, iam ſpe, *quem elegiſti*, de maſſa totius generis humani: *& aſſumpſiſti*, in ſortem tuam, & portionem. Electio reſpicit terminum à quo: aſſumptio terminum ad quem. Notandum enim, quòd Deus elegit prædeſtinando. Ad *Epheſ.*1. Elegit nos ante mundi conſtitutionem. Hoc non fuit niſi prædeſtinando, & ad fidem vocando. *Ioan.* 15. Ego elegi vos de mundo. Et rurſum: Non vos me elegiſtis, &c. Gratiam conferendo. Ad *Rom.*8. Quos vocauit, hos & iuſtificauit. *Ioan.* 6. Ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus eſt. Examinando & probando. *Iſa.* 44. Elegi te in camino paupertatis. Priuilegia dando, ſicut Ioannem Euangeliſtam. *Iſa.*42. Ecce puer meus quem elegi: ponam ſpiritum meum ſuper eum. *Pſal.* Exaltaui electum de plebe mea. Præ omnibus aliis & ſingulariter ſublimando Virginem, matrem ipſam faciendo, & de ea carnem aſſumendo. Eccleſia de ea, Elegit eam Deus & prælegit eam. Sibi vniendo in vnitate perſonæ, ſicut elegit hominem aſſumptum, de quo etiam intelligi poteſt quod hîc dicitur. Et *Cantic.* 6. Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus.

Multiplex Dei electio.

Habitabit. Hîc probatio, quòd verè beatus ſit: & dicuntur duo. Primò ratio quare beatus. Secundò petitionis inculcatio, vt ei concedatur tantum bonum, ibi, *Exaudi nos Deus.* In prima duo ſecundum duo quæ tacta ſunt. Primò cohabitatio ipſi Deo. Secundò bonorum cumulatio, ibi, *Replebimur.* Dicit ergo: Beatus eſt electus & aſſumptus, quia *habitabit*, non mouendus, nec eiiciendus vlteriùs: *in atriis tuis*, cœleſtis Ieruſalem. Iſta ſunt atria, de quibus alibi in *Pſal.* Qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri. Et alibi, Stantes erant pedes noſtri in atriis tui Ieruſalem. Habitabunt autem: quia diuerſis ſecundum merita diuerſa diuerſæ manſiones erunt. *Ioan.*14. In domo patris mei manſiones multæ ſunt. Et hoc verè fuit factum. *Pſal.* Beati qui habitant in domo tua Domine.

Bona cœleſtis Ieruſalē & domus Dei, id eſt, Eccleſia, Chriſti corporis, deipara.

Replebimur in bonis. Ecce ſecundum, repletio de bonis illius domus: & dicuntur duo. Primò repletio de bonis illis. Secundò bonorum ſpecificatio. *Sanctum eſt templum tuum.* Dicit ergo: Sic beatus, quia habitabit in domo, &c. & etiam nos qui illuc perueniemus, *replebimur in bonis domus tuæ*, Ieruſalem ſcilicet cœleſtis. *Pſal.* Qui replet in bonis deſiderium tuum. Replebimur vſque ad ſummum, vt ſuper fundamentum omni bono. *Matth.*25. Intra in gaudium Domini tui. Hæc eſt domus de qua *Baruch.* 3. O Iſraël, quam magna eſt domus Domini, & iugens domus profeſſionis eius!

Poteſt etiam legi de domo ſecunda, ſcilicet præſenti Eccleſia, & adhuc militanti. Quaſi diceret: Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti in vnitatem perſonæ, quia per eum *replebimur in bonis domus tuæ*, militantis Eccleſiæ, ſcilicet bonis gratiæ. *Ioan.* 1. Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis. Et poſt: Nos omnes de plenitudine eius accipimus, gratiam pro gratia. Hæc domus de qua *Matth.* 7. Ædificauit domum ſuam ſupra petram.

Vel domus Chriſti corpus, in qua habitauit diuinitatis plenitudo. Ad *Coloſſ.*2. In ipſo habitat diuinitatis plenitudo corporaliter. *Prou.*9. Sapientia ædificauit ſibi domum. Bonis huius domus replemur, cum Chriſti corpus recipimus plenum omni bono. *Sapient.* 16. Panem de cœlo præſtitiſti eis habentem in ſe omne delectamentum, & omnem ſaporis ſuauitatem. Hæc eſt Bethlehem domus panis tranſitiuè.

Domus etiam Dei Maria: omnis enim mulier domus eſt. *Geneſ.* 3. Coſtam autem quam tulerat Dominus de Adam, ædificauit in mulierem. Sed Maria Dei. *Eccleſ.*24. Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. Ex hac multa bona recipimus. Triticum refectionis. *Cant.*7. Vterus tuus ſicut aceruus tritici, vallatus liliis. Poculum lætitiæ & exultationis. In eodem, Vterus tuus ſicut crater tornatilis nunquam indigens poculis. Medicamentum noſtræ curationis. *Eccleſ.*38. Altiſſimus de terra creauit medicinam. Aquam noſtræ ablutionis, & fœcundationis. *Geneſ.*2. Fluuius egrediebatur de loco voluptatis, Dei filius de vtero Virginis. Pretium noſtræ redemptionis. 1. ad *Cor.*6. Empti enim eſtis pretio magno. *Apoc.*1. Qui redemit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.

Quæ bona nobis Virgo contulit.

6. *Diſtincte bona illa domus Dei explicat.*

Sanctum eſt templum. Hic ſpecificat bona quibus replebuntur, & ſunt duo. Sanctitas quam tangit primò: & æquitas quam ſecundò. *Mirabile.* Dicit enim: Sic replebimur bonis domus tuæ. Quænam ſunt illa? Sanctitas, quia *ſanctum eſt templum tuum*, iuſti ſcilicet, qui templum tuum ſunt. 1. ad *Cor.*3. Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.

Mirabile in æquitate ad proximum: iam enim in ſe ſunt iuſti: ad alios autem æquitatem habent, quod eſt habere iuſtitiam, quæ mirabiliter reddit vnicuique quod ſuum eſt. Vel de domo ſuperiori. *Sanctum eſt templum tuum*, ſupernum: quia in eo nulla omninò eſt pollutio. *Iſa.*35. Pollutus non tranſibit amplius per eam. *Mirabile in æquitate:* mirabiliter enim ibi diſtribuitur vnicuique de gloria, quantum hîc habuit de gratia. *Zachar.*4. Exæquabit gloriam gratiæ. *Ioan.* 1. Gratiam pro gratia. Item de tertia. *Sanctum templum tuum*, corpus tuum de Virgine aſſumptum. *Luc.*1. Quod enim naſcetur ex te ſanctum. *Mirabile in æquitate*, vnicuique digna retribuendo in die iudicij: homo enim

enim Chriſtus omnes iudicabit, & reddet ſecundum merita. *Ioan.* 5. Pater omne iudicium dedit filio, quia filius hominis eſt. Vel de quarta domo, ſcilicet de Maria. *Sanctum eſt templum tuum*, Maria in vterina ſanctificatione. *Pſal.* Sanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus. *Mirabile in æquitate*, in filij ſcilicet conceptione, quam æquum erat fieri: tunc enim continuit maius ſe. *Eccleſ.* 43. Vas admirabile opus excelſi.

Exaudi nos Deus. Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur Paſſionis inculcatio. Ait enim: Tanta ſunt bona domus tuæ, quòd illis replebimur ſi ibi fuerimus: quod vt fiat nobis, ô *Deus ſalutaris noſter, exaudi nos.* Supra in *Pſal.* Ipſe Deus ſalutaris meus. Et in eodem: Ab ipſo ſalutare meum.

De Chriſti reditu & auctoris virtutibus.

Spes omnium finium terræ. Hîc ſecunda pars Pſalmi ſecundum *Auguſt.* in qua poſtquam egit de exitu de Babylonia ſpirituali, ſubiungit de laude & commendatione eius, per quem eſt exitus: & hoc facit tripliciter. Primò prophetando virtutes Chriſti, & miracula quæ faciet. Secundò orando vt impleat quod præmonſtratum eſt, ibi, *Riuos eius inebrians.* Tertiò aſſerendo tanquam certus quod ita fiet, ibi, *Benedices coronæ.* In prima duo. Primò oſtendit bonũ quod faciet Chriſtus toti mundo ſua virtute. Secundò explanat modum, ibi, *Præparans montes.* Dicit ergo: Sic exaudi vt nos reducas ad patriam, & bonis domus tuæ nos repleas: tu, qui es futurus *ſpes omnium finium terræ.*, id eſt, exiſtentium in terræ finibus, & exiſtentium *in mari longè*, id eſt, in inſulis maris valde remotis. Ad *Epheſ.* 2. Enangelizatum eſt his qui longè, in finibus terræ, & in inſulis: & in his qui propè, circa Ieruſalem. Suprà in *Pſal.* Sperate in eo omnis congregatio populi. Supra in eodem, Ad te omnis caro veniet, etiam de finibus terræ.

Mare mundus iſte amarus valdè & ſpumoſus, fluctuans, & fremens, & tumens. Amarus, immundus, & ſpumoſus in luxurioſis: fluctuans in incredulis, & fremens in iracundis, tumens in ſuperbis. *Pſal.* Hoc mare magnum & ſpatioſum. Mare, in quo maiores piſces deuorant minores. *Abac.* 1. Facies homines ſicut piſces maris. *Auguſtin.* O piſcis malæ prædam vis, præda efficieris maioris piſcis. In hoc mari longè ſunt, qui in maioribus peccatis ſunt. *Luc.* 15. Filius prodigus in regionem longinquam abiit: his tamen Chriſtus ſpes efficitur, cum ad ſe conuertuntur.

7. *Chriſtus ſpes omnium per miracula & doctrinam.*

Præparans montes. Hîc ſecundum, in quo fiet Chriſtus ſpes omnium, quia per duo. Per miraculorum operationem ab Apoſtolis & prædicatoribus Chriſti, & per doctrinæ abundantiam. Et agit primò de primo, & ſecundò de ſecundo, ibi, *Viſitaſti terram.* In prima duo. Primò collatio virtutis & potentiæ ipſius Apoſtolis. Secudò effectus conſequens in aliis, & etiam in ſeipſis, ibi, *Qui conturbas profundum.* Dicit ergo: Sic omnium eris ſpes, & hoc quia tu, *accinctus potentia* diuinitatis (Diuinitas enim in Chriſto quaſi cingebat humanitatem, & tenebat) eris *præparans montes*, id eſt, Apoſtolos, *in virtute tua*, eis deſuper infuſa. *Luc. vlt.* Sedete in ciuitate donec induamini virtute ex alto. Et eſt argumentum expreſſum, quòd non inquantum homo dat Deus gratiam, & virtutes. Montes autẽ dicutur Apoſtoli, in quibus fundata ſedet Eccleſia. *Pſal.* Fundamẽta eius in montibus ſanctis. Et propter hoc eius fortitudinem diabolus admiratur. *Iudith.* 5. Dicite mihi quis eſt iſte populus qui montana obſidet? Hos præparauit Chriſtus conſtantiam tribuendo, vt nihil timeant. *Matth.* 10. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animæ autem non habent quid faciant. Et in opere ſtrenuitatem vt facerent quod docerent. *Matth.* 5. Vos eſtis lux mundi. Et infrà: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt, &c. Et veritatis intelligentiam. *Luc.* 9. Dabo vobis cor & intelligentiam, cui non poterunt reſiſtere aduerſarij veſtri. Et loquutionis & facundiæ gratiam, vt poſſet dici de quolibet illorum: Diffuſa eſt gratia in labiis tuis. Quia *Eccleſ.* 30. Homo acharis, hoc eſt, ſine gratia, quaſi fabula vana. In aduerſis patrientiam. *Matt.* 5. Qui te percuſſerit in vna maxilla, præbe ei & aliam. *Pſal.* Bene patientes erunt vt annuntient. In montibus grauitatem. *Ezech.* 1. Planta pedis eorum vt vituli, qui grauiter incedit. *Pſal.* In populo graui laudabo te. Et faciendi miracula poteſtatem. *Matth.* 10. Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones effugate.

Quando Chriſtus mõtes, id eſt, Apoſtolos præparauit.

8. *Qui conturbas profundum.* Hîc ſecundum, in quo tangitur effectus huius præparationis. Primò in aliis ab iſtis montibus. Secundò in ipſis, ibi, *Exitus matutini.* In prima duo. Primò oſtendit effectum metaphoricè. Secundò ſubiungitur expoſitio metaphoricè. *Turbabuntur gentes.* In prima duo. Primò conturbatio ignorantium & infidelium ſimpliciter. Secundò etiam rebellium. *Sonum fluctuum.* Dicit enim: Sic præparas montes, Apoſtolos, & primos prædicatores: & per hoc tu es, *qui conturbas profundum maris*, infideles, qui ſunt in profundo iniquitatis, & mundanæ amaritudinis. *Et conturbas ſonum*, id eſt, fluctuantes & ſonantes contra fidei veritatem, ſcilicet rebelles. *Iob* 38. Nunquid ingreſſus es in profundum maris? cor ſcilicet peccatoris, ad conturbandum ipſum bona conturbatione. *Iſa.* 57. Cor impij quaſi mare feruens. *Ierem.* 17. Profundum eſt cor hominis & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? *Oſeæ* 9. Profundè peccauerunt.

9. *Turbabuntur gentes.* Hîc explanat quod dixerat eo ordine quo prædixit. Ait enim: Verè conturbas profundum maris, id eſt, conturbabis: quia *à ſignis tuis*, à miraculis ab Apoſtolis factis, quæ tua erunt, tua inuocatione facta, & virtute. *Act.* 3. In nomine Domini IESV Nazareni ſurge & ambula. Et apprehenſa manu eius dextera alleuiauit eum. Et in 9. Enea ſanet te Dominus IESVS CHRISTVS: ſurge, & & ſterne tibi: & confeſtim ſurrexit.

Turbabuntur gentes, infideles. Ecce maris conturbatio. Alibi in *Pſal.* Timebunt gentes nomen tuum Domine. *Abac.* 3. Turbabuntur pelles terræ Madian, viſis nimirum ſignis. Angelus enim Domini, id eſt, gratia, deſcendebat in piſcinam, in Gentilitatem ſcilicet, & mouebatur aqua, Gentilium corda.

Et qui habitant terminos, Gentilitatis, rebelles veritati, qui ſunt in fine & termino erroris, ſimiliter *turbabuntur à ſignis*: qui bene dicuntur

termini terræ, quia ſicut terræ ſuperficies opponit ſe lumini ne tranſeat, ſic tales veritati. *Iob* 24. Ipſi ſemper rebelles fuerunt lumini. Habitantes etiam terminos ſuos auari, qui poſſeſſiones extendunt vſque ad terminum loci. Nunquid vos ſoli habitabitis in terra? *Malach.*1. iſti ædificabunt, & ego deſtruam, & vocabuntur termini iniquitatis.

Vel in bono, *habitantes terminos terræ*, finem mundi, vel proprij corporis, ſcilicet mortem, attendentes. *Iob* 14. Conſtituiſti terminos eius qui præteriri non poterunt. Hi omnes turbati ſunt à ſignis & miraculis quæ fieri videbunt, & timuerunt ſecundum illud *Pſal.* Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant, &c. Vel terminos terræ ad literam. *Iob* 35. Lumen eius ſuper terminos terræ.

Effectus præparationis Apoſtolorũ.

Exitus. Hîc oſtenditur effectus in ipſis, vel magis vitæ perfectio, quæ tangitur in duobus: in lætitia amiſſæ proſperitatis, & præſentia aduerſitatis. Hoc eſt enim quod hîc dicitur. Quaſi diceret: Sic à ſignis per prædicatores factis timebunt. *Et delectabis*, id eſt, delectabiles facies ipſis prædicatoribus, *exitus matutini* proſperitatis, quæ per matutinum intelligitur. *Et delectabis*, id eſt, delectabile facies, *veſpere*, id eſt, aduerſitatem. *Pſal.* Dominus cuſtodiat introitum tuum, in aduerſitate, & exitum tuum, à proſperitate: vt habeas patientiam & delectationem.

10.

Prædicitur Gentium conuerſio per Chriſti prædicationem.

Viſitaſti terram. Hîc ſecundum, in quo prædicitur de conuerſione gentium ad Chriſtum, exitu de Babylonia per prædicationem primitiuorum. Dicuntur ergo duo. Primò inſtitutio infidelium, & repletio donis Spiritus ſancti. Secundò modus & ordo quo hoc factum eſt, ibi, *Flumen Dei.* Et in prima duo. Primò inſtructio ad cognitionem boni & mali. Secundò repletio donorum Spiritus Sancti ad operationem boni, & fugam mali. *Multiplicaſti.* Dicit ergo: Sic miſiſti miracula facientes, *viſitaſti terram*, per prædicatores tuos, tanquam nubes vndique diſcurrentes. *Iſa.*60. Qui ſunt iſti qui vt nubes volant? *Luc.*1. Viſitauit nos Oriens ex alto, per has nubes, non per ſe. *Iſa.*60. Ponam viſitationem tuam pacem, & præpoſitos tuos iuſtitiam. *Et inebriaſti eam*, doctrina replens, ſicut ebrius repletur. *Cant.*5. Comedite amici, & inebriamini chariſſimi.

Multiplicaſti. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Non ſolum doctrina repleuiſti, quaſi vſque ad ebrietatem. Sed etiam *multiplicaſti* adhuc, id eſt, multiplex bonum ſuperaddidiſti. Quid? ſcilicet locupletare, vel ditare eam donis Spiritus ſancti. *Prou.*10. Benedictio Domini diuites facit. Ad *Epheſ.* 3. Det vobis Deus ſecundum diuitias gloriæ ſuæ.

Hic verſus de Virgine exponitur.

Hic verſus poteſt exponi de Virgine: hæc eſt enim terra, de qua *Iſa.*4. Et fructus terræ ſublimis. Et 45. Aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Hanc terram Deus viſitauit in vltima ſanctificatione, ſed inebriauit in filij conceptione, ſed locupletauit in ſua glorificatione. Vel vt totum referatur ad filij conceptionem. Viſitauit hanc terram in Angeli ſalutatione. *Luc.*1. Ingreſſus Angelus ad eam dixit: Aue, &c. Inebriauit in Spiritus ſancti infuſione. In eodem, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te. Multipliciter locupletauit in filij conceptione. In eodem, Ecce concipies in vtero, & paries filium. Hic erit magnus, &c. Et verè locupletata tunc fuit, quia in ſe continuit illum, de quo Paulus ad *Phil.*2. In ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Propter quod de ipſa dici poteſt illud *Prou. vlt.* Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.

Eccleſia eſt illud flumen.

Flumen Dei repletum eſt. Hîc ſecundum, in quo oſtendit ordinem & modum quo terra inebriata eſt doctrina, & donis locupletata: & dicuntur tria. Primò abundantia bonorum primitiuis de Eccleſia. Secundò à quo ſit illa abundantia, quoniam à Deo. *Paraſti.* Tertiò probatio, quòd ab illo. *Quoniam ita eſt.* Dicit ergo: Sic inebriaſti terram, & locupletaſti, & hoc ordine: *flumen Dei*, Apoſtoli & primitiui Eccleſiæ, qui egreſſi ſunt à Chriſto tanquam quoddam flumen. *Gen.*2. Fluuius, Apoſtolorum & primitiuorum chorus: voluptatis locus, Chriſtus. Hoc flumen de quo in *Pſal.* Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Hoc ergo *flumen repletum eſt aquis*, id eſt, Spiritus ſancti donis, & doctrinis, vt poſſit influere aliis. *Ioan.* 7. Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Vel flumen appellat alueum, & illi Apoſtolos comparat: aquis verò dona & doctrinas, ſicut dictum eſt. Item flumen Dei eius miſericordia, vnde orat Eccleſia petens miſericordiam: Effunde ſuper nos miſericordiam tuam. Hoc flumen dicitur repletum aquis, Spiritus ſancti donis, quibus nos irrigat, potat, & mundat. *Ezech.*48. Effundam aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam. Et maximè cum potat nos in altari ſanguine Chriſti, qui aqua dicitur, quia refrigerat ab ardore peccati, & fœcundat, & potat, & mundat. *Ezech.*47. Videbat aquam torrentem egredientem à latere templi.

Flumen eſt Dei miſericordia.

Parauit primitiuæ Eccleſiæ & Apoſtolis diuerſos cibos.

Paraſti. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic fuerunt donis Spiritus ſancti repleti primitiui: & tu *paraſti cibum illorum*, intelligentiam ſcripturarum, gratiam virtutum & donorum, quibus reficiuntur. *Eccleſ.*15. Cibauit eum pane vitæ & intellectus. Vel cibum illorum dicit corpus Dominicum, quo reficiebantur quotidie in Eccleſia primitiua. *Sap.*16. Panem de cœlo præſtitiſti eis ſine labore, habentem in ſe omne delectamentum, &c. Hunc cibum parauit in Virginis vtero, tanquam piſtrino, in cruce vt in clibano: & probatio huius, ſcilicet quod pares, eſt, *quoniam ita eſt præparatio eius.* Nullus enim ſciret talem præparationem cibi adinuenire, vt caro ſub ſpecie panis, ſanguis ſub ſpecie vini ſumeretur, niſi tu. *Iſa.*58. Cibabo te hæreditate patris tui Dauid, hoc eſt, Chriſti carne & ſanguine. Neque eſt cibus tantæ dulcedinis. *Pſal.* Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus. Vnde Mannæ comparatur, quod erat dulciſſimum. *Exod.*16.

Præſertim Euchariſtiæ, cuius præparatio eſt mirabilis.

11.

Riuos eius inebria. Hîc ſecundum: præceſſit prænuntiatio, hîc ſubiungitur oratio: & dicuntur duo. Primò petit. Secundò oſtendit quoddam bonum quod ſequetur ſi hoc fecerit Deus. *In ſtillicidiis.* In prima duo. Primò petit vt maiores gratia repleantur. Secundò, quòd à repletis ſpirituales filij generentur. *Multiplicaſti.* Ait enim: Sic video futurum, & vt fiat

orando,

orando, dico: ô Domine *tu inebrias*, plenitudine ſapientiæ & gratiarum, *riuos eius*, id eſt, maiores Eccleſiæ: vel riuos fluminis prædicti, hoc eſt, flumen prædictum, reples vſque ad riuos, hoc eſt, vſque ad ſummum. *Iſa.*8. Aſcendet ſuper omnes riuos aquarum.

Inebriat riuos, maiores Eccleſiæ.

Multiplica gemmina, filios ad fidem conuerſos. Ex inebriatione maiorum ſequitur multiplicatio filiorum ſpiritualium. *Geneſ.* 43. Biberunt fratres Ioſeph cum eo in meridie, & inebriati ſunt, & ſecuta eſt prædicatio. *Act* 2. Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui. *Zachar.*9. Bibentes inebriabuntur quaſi à vino, & replebuntur vt phialæ, quæ replentur ad effundendum aliis. *Act.*6. Verbum Dei creſcebat, & multiplicabatur numerus fidelium. Et quid ſequetur ex hoc? Quòd *germinans* aliquis, ſcilicet incipiens & rudis, *lætabitur*, lætitia ſpirituali & bona.

Gemmina filij ad fidem conuerſi.

In ſtillicidiis, id eſt, ſtillis, ſiue guttis cadentibus, *eius*, fluminis ſcilicet prædicti. Germinans, eſt iuſtus incipiens. *Pſal.* Iuſtus germinabit ſicut lilium. *Oſeæ vlt.* Ero ſicut ros, & Iſraël germinabit lilium. Hic germinans lætatur in ſtillicidiis, in prædicatione interpolata & modeſta. Hæc ſtillicidia de quibus in *Pſal.* Deſcendet ſicut pluuia in vellus, in incarnatione: & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram, in prædicatione. *Ioël.* 3. Stillabunt montes dulcedinem.

Germinans eſt iuſtus incipiens.

12. *Benedices coronæ.* Hîc tertium ſecundæ partis totius huius Pſalmi. Prædixit bona quæ facturus eſt Chriſtus Eccleſiæ, petiuit vt fiant: hic tertiò aſſerit certitudinaliter, quod ſic fient: & dicuntur duo. Primò aſſerit, quòd multa bona fidelibus conferentur. Secundum, quod gratiæ datori referentur. *Clamabunt.* In prima duo. Primò, quòd bona conferentur toti Eccleſiæ generaliter. Secundò, quòd ſecundum ſtatus ſpeciales ſpecialiter quædam. *Pingueſcent.* In prima duo ſecundum duo beneficia quæ aſſerit Deum collaturum toti Eccleſiæ generaliter. Primum, gratiæ infuſio. Secundum, ſequens ad hoc bonorum operum multiplicatio. *Et campi.* Dicit ergo: Sic rogaui, & ſic facies certus ſum, quia *benedices*, gratiam infundendo. *Eccleſ.* 3. Benedictio patris firmat domos filiorum. *Coronæ*, collationi ſcilicet fidelium, quæ eſt quaſi pulcherrima corona. *Iſa.*62. Eris quaſi corona gloriæ in manu Domini, & quaſi diadema, &c.

Bona toti Eccleſiæ & membris eius collata.

Corona fidelium congregatio.

Anni benignitatis tuæ, id eſt, temporis gratiæ, in quo benignus mundo apparuiſti. Ad *Tit.*3. Apparuit benignitas & humanitas, &c. *Iſa.*61. Vt prædicarem annum placabilẽ Domino. Hæc benedictio Abrahæ promiſſa. *Gen.*22. In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. *Pſal.* Dominus benedicet populo ſuo in pace.

Et campi tui, fideles tui, quos excoles ſicut campos. 1. ad *Corinth.* 3. Dei ædificatio eſtis, Dei agricultura eſtis. Plani & æquales per iuſtitiam & humilitatem: non montes Gelboë. 2. *Reg.*1. Montes Gelboë, nec ros, nec pluuia, &c. ſuſcepto ſemine verbi tui. *Matth.* 13. Semen eſt verbum Dei. *Replebuntur vbertate*, bonorum operum. *Pſal.* Inuenimus eam in campis ſyluæ, bonorum operum abundantiam in humilibus & iuſtis Eccleſiæ. Hæc vbertas de qua *Iſa.*7. Homo præ vbertate lactis comedet butyrum. Et in *Pſal.* Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.

Pingueſcent. Hîc ſecundum, in quo oſtendit quæ beneficia fecerat Gentibus & Iudæis ſpecialiter. Et primò qualia Gentibus, ſecundò qualia Iudæis, ibi, *Induti ſunt.* In prima duo beneficia. Primum eſt abundans deuotio ad Deum. Secundum, fortitudo laborandi lætanter in doctrina aliorum. *Et exultatione.* Dicit ergo: Hæc quæ præmiſi bona, certus ſum quòd facies omnibus, & etiam *ſpecioſa deſerti*, Gentilitatis ſcilicet, quæ infructuoſa erat, *pingueſcent* pinguedine internæ deuotionis, & ſpiritualis lætitiæ, quam petebat ſupra Dauid: Sicut adipe & pinguedine, &c. De qua *Ier.*31. Inebriabo animas ſacerdotum pinguedine. 13.

Et nota, quod eſt pinguedo terræ, ſcilicet abundantia, de qua in benedictione Eſau *Geneſ.* 27. Det tibi Deus de pinguedine terræ. *Pſal.* Adorabunt omnes pingues terræ. Hæc eſt valdè periculoſa: quia excæcat. *Iob* 15. Operuit faciem eius vt non videret Deum. Craſſitudo materiam iniquitatis præſtat. *Pſal.* Prodiit quaſi ex adipe iniquitatis eorum. Luxuriæ fomentum miniſtrat. *Ierem.*17. Filij colligunt ligna, & mulieres conſpergunt: colligunt adipem lignis, diſcurſus, & occaſiones luxuriandi. In adipe temporalium abundantia, quæ conſpergitur per mulieres, quando repræſentant & oſtendunt ſuas pulchritudines.

Pinguedo terra periculoſa.

Et eſt pinguedo peſſima & diabolica, delectatio in malitia, de qua *Iob* 15. Cucurrit aduerſus Deum erecto collo, & pingui ceruice armatus eſt. Sic pingues diabolus ad feſtum mactandos præparat. *Zachar.* 11. Paſce pecora occiſionis. *Ezech.*24. Pecus aſſume, hominem, qui ſicut pecus in peccatis eſt delectatus: congrega fruſta eius in ollam æneam, id eſt, in gehennam. 1. *Reg.* 15. Agag pinguiſſimus conſciſſus eſt in fruſta.

Pinguedo diabolica, delectari in malo.

Et eſt pinguedo optima internæ deuotionis, quaſi pinguedo deſerti, hoc eſt, clauſtri, & caſtus amor veræ pœnitentiæ, de qua hîc creatur ſicut alibi dictum eſt, ex dulci ſomno contemplationis, ex abundantia optimæ refectionis ſcripturæ & ſacramenti altaris, ex abiectione curæ & ſollicitudinis rerum temporalium, quæ pungunt ſicut ſpinæ.

Et exultatione. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic erunt deuoti, *& colles*, Gentiles ſcilicet, humiles, & propter hoc alti ſecundum diuinum iudicium. *Luc.* 14. Qui ſe humiliat, exaltabitur. *Accingentur*, ad ſtrenuè prædicandum, gladio verbi Dei. Supra in *Pſal.* Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, &c. Et hoc, *in exultatione*: ſecus enim non placeret. *Eccleſ.*35. In omni dato, &c. 2. ad *Cor.*9. Hilarem datorem, &c.

Induti ſunt. Hîc bonum in Iudæis, & primò in maioribus, vt in Apoſtolis. Secundò in aliis, ſcilicet in minoribus. *Et valles.* Ait enim: Sic in Gentilibus, & etiam *arietes ouium*, duces, ſupple, ſcilicet Apoſtoli: illi, inquam, arietes, de quibus *Iſa.*60. Arietes Nabaioth miniſtrabunt tibi. Defenſores etiam erant gregis, armati duobus cornibus, ſcilicet Teſtamentis. *Induti ſunt*, exultatione repete, propter 14.

Arietes Apoſtoli induti exultatione aut charitatis.

propter fructum, quem videbant in illis, quibus prædicabant. Vel melius, charitate quæ veſtis eſt nuptialis. *Matth.* 22. Amice quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?

Valles minores Eccleſiæ.

Et valles, id eſt, populi humiles Iudæorum, *abundabunt frumento*, verbi Dei, de quo *Prou.* 11. Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis. Benedictio autem ſuper caput vendentium populis proponentium. Propter hoc benedictus fuit Ioſeph, qui frumenta vendidit in populo. Et bene dicit: *Valles abundabunt:* quia in humilibus abundat verbum Dei, & ſapientia. *Prou.* 11. Vbi humilitas, ibi ſapientia. *Ioël.* 4. Ecce ego mittam vobis frumentum, vinum, & oleum, & replemini in eis.

Clamabunt. Oſtenſo quod beneficia conferentur, hîc aſſerit, quòd gratiæ referentur datori: & tangitur modus gratias referendi ex parte agentium gratias. Primò, quòd ardenter. Secundò, quòd lætanter. *Etenim.* Ait enim: Hæc beneficia facies: & propter hoc *clamabunt*, præ deſiderio in feruore. *Iſa.* 57. Clama ne ceſſes.

Etenim Hymnum, qui eſt cantus lætitiæ, *dicent* in gratiarum actionem. 2. *Machab.* 10. In Hymnis & confeſſionibus benedicebant Domino, qui magna fecit in Iſraël. Et eo ipſo, quod Hymnum dicent, magis ac magis abundabunt. *Gregor.* Si clamant in Hymno, abundabunt in frumento. Hæc audiant qui propter ſtudium dimittunt officium. Si in Hymno clamarent, & frumento abundarent: in frumento doctrinæ, & poſtea in frumento gloriæ horrei cœleſtis.

IN LXV. PSALMVM.

1. *In finem, Canticum Pſalmi reſurrectionis.*

2. IVbilate Deo omnis terra. Hic eſt Pſalmus decimus quintus ſecundæ partis, in toto 65. Cùm enim conſolatus ſit viatorem per deſertum Idumææ, hoc eſt, per miſeriam vitæ exemplo paſſionis Chriſti, & reuerſionis tandem in patriam, quia hac reuerſio fiet per reſurrectionem glorioſam, non qualem expectant Iudæi, ſed iam inchoatam in capite iuſtorum Chriſto, certa ſpe conſummandam in membris, monet in hoc Pſalmo ad iubilum & exultationem omnimodam in Deo, & conſideratis operibus Dei patienter aduerſa omnia ſuſtinere, & in ipſo ſolo omnes ſperare. Et hoc innuit titulus præmiſſus, qui talis eſt: *In finem, Canticum Pſalmi reſurrectionis.* Eſt enim ſenſus: *Canticum Pſalmi*, id eſt, canticum quod per muſicum inſtrumentum quod Pſalterium dicitur, cantabatur, & propter hoc *Canticum Pſalmi* appellatur, eſt *reſurrectionis*, id eſt, de reſurrectione. *Canticum*, inquam, dirigens nos, id eſt, intentionem noſtram, *in finem*, Chriſtum, vel magis propriè in gloriam conſummatam, quæ erit in reſurrectione generali. Et bene primò muſico inſtrumento, ſcilicet pſalterio, quod dicitur à ψάλλειν, quod eſt operari. Et poſtmodum reſpondebatur cantando, vt monſtraretur, quòd non niſi per bonam operationem ad reſurrectionis gloriam & gaudium peruenitur. *Matth.* 19. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.

Pſalmus hortatur ad iubilationem ex ſpe reſurrectionis.

Diuiditur autem Pſalmus ſicut iam haberi poteſt ex dictis, in quatuor partes. Primò monet in Deo exultare, & corde, & ore, & opere pro reſurrectione iam in capite inchoata, & in nobis poſtmodum conſummanda. Secundò monet Dei opera diligenter attendere, & conſiderare, vt feruentior ſit laus & iubilatio, ibi, *Venite & videte.* Tertiò etiam in aduerſis eum benedicere, & laudare, ibi, *Benedicite Gentes Deum noſtrum.* Quartò & vltimò, omnes in vnum collectos in ipſo confidere. *Venite & audite, & narrabo.* In prima duo. Primò eſt admonitio vt in Deo corde, ore, & opere exultent. Secundò ſupplicatio ipſi Deo, vt hæc in ipſis fiant, ibi, *Omnis terra adoret te:* per ſe enim non poſſent, niſi Deus daret. In prima tria. Primò vt in Deo exultent corde. Secundò, quòd opere. *Pſalmum dicite.* Tertiò, quòd ore. *Dicite Deo.* Dicit ergo: Sic reuerſi de Babylonia Hymnum dicent: ſed vos, *omnis* ſcilicet *terra*, id eſt, omnes in terra habitantes, non ſolum Iudæi, *iubilate Deo*, id eſt, exultate cordis lætitia, quæ non poſſit enarrari, nec penitus fileri. Hoc enim eſt iubilare. Et eſt hîc metonymia, in quo continens, ſcilicet *omnis terra*, inuitatur ad iubilandum, pro contento, ſcilicet pro habitantibus in ipſa. Alibi in *Pſal.* Iubilemus Deo ſalutari noſtro. *Zach.* 9. Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Ieruſalem. *Iſa.* 49. Laudate cœli, exultet terra, iubilate montes laudem. Et dicit ibi *Gloſſa*, quòd in cœlo eſt continuus iubilus, ſecundum illud *Iob* 33. Deprecabitur Dominum, & placabilis erit, & videbit faciem eius in iubilo. In terra autem debet eſſe à tempore gratiæ, ſicut monet *Sophon.* 3. Lauda filia Sion, iubila filia Ieruſalem: abſtulit à te Dominus iudicium tuum.

Hymnum dicite. Hîc ſecundum, & primò monet vt opera referant in Deum. Secundò, quòd ipſam gloriam operum, ibi, *Date gloriam.* Ait enim: Sic iubilate, & etiam *pſalmum dicite*, id eſt, bonum opus in medio agite: quaſi enim bonum opus dicit, qui bonum in publico facit. Sed hoc, *nomini eius*, id eſt, ad famam eius, & gloriam. *Matth.* 5. Videant opera veſtra, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt.

Date gloriam. Quaſi diceret: Non ſolum opus bonum in ipſum referatis, ſed *laudi eius*, ſi gloria & honor vobis exhibetur pro bonis operibus, *date gloriam* illam. Non enim vult nos hic habere gloriam, ſed tandem dabit nobis ſuam. 1. ad *Cor.* 2. Elegit ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt, deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius: ſed qui gloriatur, in Domino glorietur. *Auguſt.* Abſtulit gloriam noſtram, vt daret ſuam: abſtulit vacuam, vt daret plenam: abſtulit vanam, vt daret ſolidam. Propter hoc dicitur *Ierem.* 9. Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, nec fortis in fortitudine ſua, ne diues in diuitiis ſuis: ſed in hoc glorietur qui gloriatur, ſcire & noſſe me. Propter hoc dicebat *Paulus* 2. ad *Corinth.* 12. Pro huiuſmodi gloriabor, pro me autem nihil.

3. *Dicite Deo.* Hîc tertium, in quo monet laudare ore: & dicuntur duo. Primò monet vt confiteantur operum Dei admirabilem magnitudinem. Secundò, quòd nihilominus peruerſorum

sorum obstinationem, qui tantis operibus non franguntur. *In multitudine.* Dicit ergo: Sic iubilate corde laudantes, sic Psalmum dicite, bona ad honorem Dei facientes, & ore, *dicite Deo.* Ad quid Deo cum ipse omnia sciat? Resp. Non propter eius ignorantiam vt ipsum instruamus, sed propter nostram vtilitatem vt confitendo mereamur. *Tob.*12 Opera Dei reuelare & confiteri honorificum est. *Dicite* ergo *Deo, quam terribilia sunt*, timorem scilicet, & admirationem incutientia, *opera tua Domine! Eccles.*43. Ipse omnipotens super omnia opera sua, & terribilis Dominus, & magnificus vehementer, & mirabilis potentia sua. Et propter hoc dicebat *Abac.*in 3. Considerani opera tua, & expaui. Terribilia opera liberationis filiorum Israël de Ægypto. Liberationis, inquam, literalis, & multò plus spiritualis.

Terribilia Dei opera bonis & malis.

Et nota, quòd valdè terribilia debent esse opera creationis. Primò creaturis ipsis abutentibus, de quibus in Canonica Iudæ, Gratiam Dei in gratiam transferentes. Deum infestantibus. *Iob* 12. Abundant tabernacula prædonum, & audacter: & cum eo ipso quod abundant, prouocant Deum. Terribilia opera recreationis vicem non rependentibus. *Iudic.*9. Non reddidistis vicem beneficiis illius qui pugnauit pro vobis, & animam suam dedit pro vobis, vt vos erueret de manu Madiam. Et fortiori ratione mala pro tantis bonis retribuentibus. *Psal.* Retribuebant mihi mala pro bonis. *Ierem.*9. Nunquid redditur pro bono malum? Sed terribilissima, vt ita dicam, opera retributionis vltimæ, miseriam & afflictionem bonorum attendentibus: quia *Luc.*12. Si in viridi hæc fiunt, in arido quid fiet? *Prou.*11. Si iustus in terra recipit, quantò magis impius & peccator.

In multitudine. Ecce secundum. Quasi diceret: Sic terribilia sunt opera, & tamen *inimici tui mentientur tibi*, & in ipsa *multitudine virtutis tuæ.* Quasi diceret: Quamuis tam multa sit virtus tua, non timebunt, nec persoluent vota quemadmodum Pharaon Ægypto promittebat se dimissurum filios Israël, & mentiebatur. Sicut Iudæi qui videntes terribilia opera Dei. *Exod.*19. dixerunt, Omnia quæcumque dixerit Dominus, faciemus. Sed in omnibus sunt mentiti.

Vel vt sit expositio præcedentis. Quasi diceret: Verè terribilia sunt opera tua Domine, quia *inimici tui mentientur tibi*, scilicet contra te dicentes. *Ioan.*8. Dæmonium habes. *Luc.*11. In Beelzebuth principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Et multipliciter accusando coram Pilato. *Ioan.*18. Et tandem falsitatem velut adinueniendo, quod dormientibus custodibus corpus sublatum esset. *Matth.*28. Et hæc omnia mendacia, *in virtute tua*, declaranda: quia ex iis omnibus maior apparuit resurrectionis tuæ gloria & potentia. Propter hoc patientibus signum potentiæ suæ *Luc.*11. dicebat: Generatio praua & peruersa, signum quærit, & signum non dabitur ei nisi signum Ionæ Prophetæ: sicut enim Ionas, &c. *Ioan.*2. Soluite templum hoc, & in tribus diebus, &c.

4. *Omnis terra adoret.* Monuit vt honorent Deum, & exultent in illum corde, ore, & opere, hîc orat Deum vt hæc fiant, vt det gratiam hæc faciendi eo ordine, quo tacta sunt. Ait enim: Ad prædicta monui, & ô Domine, hoc rogo, quia omne bonum ex te! *Omnis terra adoret te*, tibi subiecta sit, te venerans corde. *Ioan.*4. Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. Vel saltem subiectione & timore. *Omnis terra*, terra viuentium, terra morientium, & terra mortuorum: cœlestia, terrestria, & infernalia. Ad *Phil.*2. In nomine IESV omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.

Et psallat tibi, bono opere. Hoc enim psallere, sicut sæpe dictum est supra. In *Psal.* Psallite Deo nostro, psallite, psallite regi nostro psallite. Et *Psalmum dicat*, ore te laudando: *nomini tuo*, ad honorem tuum retorquendo. *Tob.*12. Benedicite Domino omnes electi eius, agite diem lætitiæ, & confitemini illi.

Venite & videte. Hîc secunda pars Psalmi, 5.
in qua monet ad maiorem feruorem excitandum, Dei opera diligenter attendere: & dicuntur duo. Primò admonitio vt opera Dei considerentur diligenter. Secundò imprecatio obstinatis Iudæis, qui illa noluerunt attendere, sed in suis cæremonialibus perdurare, ibi, *Qui exasperant.* In prima quatuor. Primò monet vt se præparent. *Venite.* Secundò vt præparati opera Deus considerent. *Et videte opera.* Tertiò ratio quare debent considerare. *Terribilis.* Quartò exprimit opera, quæ considerari debent. *Qui conuertit.* Dicit ergo: Sic monui vt in Deo exultetis, & vt possitis feruentiùs, *venite*, peccata reliquendo in confessione: & *videte*, diligenti consideratione: *opera Dei:* ecce secundum, non enim potestis videre nisi oculo prius emundato & purgato à sordibus culpæ: vnde ad videndum Deum oportet prius venire. *Ioan.*1. A Nazareth potest aliquid boni esse? dixit Nathanaël nuntiantibus de Christo. Respondit Philippus: Veni, & vide. Et ad videndum eius locum. *Marc.vlt.* Venite, & videte locum. Et ad videndum opus ipsum Dei, Dei, inquam, *terribilis in consiliis super filios hominum*, id est, terribilia agentis de filiis hominum, & propter hoc multum considerandum. Deus enim quidem est humano intellectui valdè terribilis, cum attendit potentiam eius infinitam. *Esther* 15. Assuerus terribilis erat aspectu. *Psal.* Tu terribilis es, & quis resistet tibi? Sed terribilior longè in sapientia, qua regit genus humanum. Quis enim non terreatur considerans, quod istum ex propria misericordia saluat, alium ex iustitia damnat? *Gregor.* Videns Psalmista, quòd alius per misericordiam vocatur, alius per iustitiam reprobatur, & quod Dominus alij parcendo, alij irascendo mundum disponit, quia hoc ipsum consilium penetrare non potuit, dixit: Terribilis in consiliis super filios hominum. *Psal.* Consilium autem Domini in æternum manet. *Isa.*55. Omnis voluntas mea stabit, & omne consilium meum fiet. Et tamen nescitur cur ita sit. *Isa.* 40. Quis cognouit consilium Domini, aut quis consiliarius eius fuit?

6. *Tria beneficia conſideranda.*

Qui conuertit mare in aridam. Hîc tertium huius partis, in quo tanguntur opera conſideratione digna: & dicuntur duo. Primò enumeratio operum quæ ſunt conſideranda. Secundò ratio illorum. *Oculi eius ſuper gentes.* In prima tria ſecundum tria opera enumerata. Primò emendatio ab omni culpa præterita quam Deus facit in in ſuis. Secundò conſeruatio à futura. *In flumine pertranſibunt.* Tertiò exultatio in patria, ibi, *Lætabimur.* Dicit ergo: Sic venite ad videndum opera Dei, *qui conuertit mare*, mundum, & collectionem Gentilium, *in aridam*, vt omnis humor peccati, qui eſt humor marinus, in ipſo ſiccaretur vſque ad deſiderium æternorum. *Naum* 1. Increpans mare, & exiccans illud: quemadmodum figuratum fuit *Exod.*14. in illa materiali deſiccatione. Et nota, quòd mare etiam tribulatio, & tentatio appellatur. *Deut.*33. Inundationes maris quaſi lac ſugent, hoc eſt, tribulationes amaras.

Hoc ergo mare Dominus aliis aufert, ſicut nouitiis, & feruentibus, qui nihil omninò ſentiunt amaritudinis. *Exod.* 14. Abſtulit Dominus aquas maris, & ingreſſi ſunt filij Iſraël, nouiter egreſſi: imò adhuc egredientes de Ægypto. Aliis diuidit, perfectis, qui poſſunt portare, vnam tribulationem poſt aliam immittendo. *Pſal.* Qui diuiſit mare rubrum in diuiſiones: ſicut in beato Iob fuit factum, quia primò vix ille ſermonem compleuerat, & venit alius qui dixit, &c. Aliis verò deſiccat omninò, vt iam non ſit in eis amaritudo, glorificatis, & perfectiſſimis viris. *Apoc.*21. Et mare iam non eſt.

In flumine. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic mare deſiccat, & ipſi qui ante erant mare, *pertranſibunt pede*, ſicco, ſupple, id eſt, affectu non infecto: *in flumine*, in mundi volubili ſucceſſione, quæ eſt quaſi fluuius quidam. 1. *Reg.*14. Omnes morimur, & quaſi, &c. Aquæ etiam ſunt fluminis citò tranſeuntes, huius vitæ deciæ. *Cant.*8. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Per has tranſibunt vno pede, alio ſuſpenſo ad æterna, ſicut Iacob claudicantes *Geneſ.*31. *Gregor.* Labenti inhæremus, & labentem ſequimur, & cum cadente cadimus. *Bernard.* Si tibi eſt cor, ſi tibi eſt lumen oculorum, deſine iam illa ſequi, quæ miſerum eſt aſſequi. Beatus qui poſt illa non abiit, quæ poſſeſſa inquinant, acquiſita lacerant, amiſſa cruciant. Nonne ſatius cum honore dimittis, quam cum dolore perdis?

Ibi lætabimur. Ecce tertium, exultatio in patria. Quaſi diceret: Sic pertranſibunt pede, ſed quid cum illuc peruenerint? *Ibi lætabimur cum ipſo.*

7. *Horũ bonorum cauſa Dei intuitus.*

Qui dominatur in virtute ſua. Cant. 1. Exultabimus, & lætabimur in te. Deus autem eſt, qui in virtute ſua dominatur omni poteſtati & virtuti alteri. Ad *Roman.*13. Omnis poteſtas à Domino Deo eſt. *Pſal.* Tu Dominaris poteſtati maris. *Dan.*7. Poteſtas eius poteſtas æterna. Hoc eſt quod additur, *In æternum.*

Oculi eius. Hic ſecundum, in quo tactis operibus eminentibus, tangitur ratio illorum operum, reſpectus Dei ſcilicet. Dicit enim: Hæc bona fient filiis hominum: & hoc, quia *oculi eius*, Dei ſcilicet, *ſuper Gentes* reſpiciunt: illi oculi quibus reſpexit Petrum, & fleuit amarè. *Luc.*22. & quibus Matthæum ſedentem in telonio, & ſeparauit eum à lucris temporalibus. *Sap.*4. Et reſpectus eius in electos ipſius.

Iudæi exaſperant.

Qui exaſperant. Secundum illius partis, in qua monet ad Dei opera attendenda. Hîc imprecatur Iudæis, qui non acquieuerunt admonitioni, ſed in ſuis cæremonialibus perſtiterunt. Ait enim: Sic illis fiet. Sed *qui exaſperant*, Deum, ipſi obuiando, ei non obediendo, quales ſunt Iudæi. *Ezech.*3. Domus exaſperans eſt: *non exaltentur in ſemetipſis*, manentes, ſupple, hoc eſt, opinionibus falſis & ſtultis, quòd cæremonialia debent ſtare. Sed ſi humiliantur ad fidem Chriſtianam, exaltantur. *Luc.*12. & 18. Qui ſe humiliat, exaltabitur: & qui ſe exaltat, humiliabitur. Exaſperantes Dominum, ſcilicet peccatores & impij, non debent exaltari, ſicut hîc prohibet Dominus per Dauid. Aliter dicitur eis illud *Oſeæ* 8. Ipſi regnauerunt, & non ex me, & citò deiicientur. *Pſal.* Vidi impium ſuperexaltatum, impium exaſperantem Dominum: & tranſiui, & ecce non erat. Exaſperantes autem ſunt duri Prælati, & ſubditos prouocantes. Tales non debent exaltari. Nota de Roboam filio Salomonis: exaſperauit populum ſubditum, & totum deſtruxit. 3. *Reg.*12. Tales verò non exaltantur, habentes in ſemetipſis cauſam ſuæ humiliationis. *Michæ.*6. Humiliatio tua in medio tui eſt, ſcilicet crudelitas & exaſperatio tua.

Item duri prælati.

8. *Deus in aduerſis benedicendus.*

Benedicite Gentes Deum. Hic tertia pars Pſalmi, in qua monet Deum in aduerſis etiam benedicere, & laudare: quia beneficus eſt etiam in illos quemadmodum ipſe oſtendit exemplo ſui. Duo ergo dicuntur. Primò admonitio. Secundò ratio admonitionis. *Qui poſuit.* In prima duo. Primò monet Gentes, quòd Deum benedicant. Secundò, quod in publico, non latenter hoc faciant. *Et auditam.* Dicit ergo: Sic monui vt opera Dei conſideretis: &, ô Gentes, *benedicite Deum noſtrum*, in quacumque ſitis aduerſitate. *Iudith.*8. Laudate Dominum Deum noſtrum, qui non deſeruit ſperantes in ſe. *Eccl.*38. Verè in omni corde & ore collaudate, & benedicite nomen Domini. Prophetia autem de Gentilitate, quæ laudatura erat. *Eccleſ.*43. Sapientiam eius enarrabunt Gentes. 43. Et in 15. Lætamini Gentes cum plebe eius.

Et auditam. Quaſi diceret: Non benedicatis latenter, & in cubiculis: imò *auditam facite*, hoc eſt, faciatis vt ab aliis audiatur, *vocem laudis eius*, quâ ſcilicet laudatur, vt cortina cortinam trahat. *Exod.*26. Et qui audit me, dicat, Veni. *Apocal. vltimo.*

Vel *annuntiate vocem laudis eius*, qui laudatur à Deo præ omnibus aliis. Quæ eſt illa vox? Illa quæ inſonuit in Baptiſmate. *Matth.*3. & *Luc.* 3. Hic eſt filius meus dilectus, &c. Et quæ audita fuit in transfiguratione *Matth.* 17. Hanc autem auditam facite, vt ad fidem alios inuitetis. Non enim curat Deus de laude veſtra, ſi non curetis de proximi vtilitate. 1. *Ioan.*4. Si quis dixerit quia Deum diligo, & proximum ſuum odit, mendax eſt.

9.

Qui poſuit animam. Hîc ſecundum, ratio ſcilicet admonitionis præmiſſæ. Primò ponit pro ratione adiutorium ſibi exhibitum in tribulatione. Secundò fructum ex tribulatione. *Tranſiuimus*

ſtuimus per ignem. In prima tria. Primò, quòd ei Deus vitam præſtiterit. Secundò, quòd in præſtita vita ipſum conſeruauerit, ibi, *Et non dedit.* Tertiò modos conſeruandi, & etiam tribulationes in quibus conſeruauit, oſtendit, ibi, *Quoniam probaſti nos Deus.* Dicit ergo: Sic benedicite, & hoc iuſtum, *qui*, id eſt, quia ille *poſuit animam meam ad vitam*, quæ erat in morte de ſe. *Ezech.*16. Et dixi cum eſſes in ſanguine tuo, Viues. Ipſe enim hoc poteſt, mortem deſtruere, & vitam conferre. *Sap.*17. Tu es Domine qui vitæ tribuendæ, & mortis deſtruendæ habes poteſtatem. Sed ad quam vitam? Ad ſeipſum qui vita eſt. *Ioan.*14. Ego ſum via, veritas, & vita. Ponit enim Deus animas ad ſe conuerſas ad ſeipſum, vt vitam inde ſumant quantum volunt, ſicut brura animalia ponuntur ad præſepia plena.

Et non dedit. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic ad vitam te poſuit: ſed nunquid citò retraxit & permiſit cadere in petram? Non: imò *non dedit in commotionem*, à ſtatu illo, *pedes meos:* vt impleretur illud in me, quod ſupra petitum eſt: Et manus peccatoris non moueat me, ipſo Deo defendente vitam meam. *Ierem.*17. Defenſor vitæ meæ Domine Deus meus. Tamen aliquando prope fui vt conuerterer ſecundum illud *Pſal.* Mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei.

10. *Quoniam probaſti nos.* Hîc tertium, in quo modum tangit quo conſeruatus eſt, & in quibus conſeruatus. Duo autem dicuntur. Primum probatio ipſius & ſimiliũ ſibi per tribulationes. Secundò tribulationum ſpecificatio. *Induxiſti nos.* In prima duo. Primò intentio exponendi tribulationibus. Secundò promotio. *Igne nos.* Dicit ergo: Verè dixi, quia non dediſti in commotionem pedes meos, quoniam ô tu Deus *probaſti nos*, id eſt, ad probandum non perdendum tribulationibus expoſuiſti nos. *Deut.6.* Tentat vos Dominus Deus noſter, vt probet ſi diligatis eum. *Sap.*3. Tanquam aurum in fornace probauit electos Dominus. Et *Eccleſ.*26. Vaſa figuli probat fornax.

Igne ardentis tribulationis *examinaſti nos*, id eſt, puros, & abſque ſordibus reddidiſti. *Sicut examinatur argentum*, quod conſumpto plumbo & fæcibus manet puriſſimum. Suprà in *Pſal.* Igne me examinaſti, & non eſt inuenta, &c. Non ſumus de ill's de quibus *Ierem.6.* Conſumptum plumbum fruſtra conflauit conflator, malitiæ eorum non ſunt conſumptæ.

Quidam autem ſunt qui non poſſunt magnitudinem tribulationis, quæ ignis eſt, ſuſtinere, & tales Dominus per aquas purgat, hoc eſt, per minorem. *Num.*23. Quicumque ignem non poterit ſuſtinere, aquâ expiationis mundabitur, lachrymis & ſuſpiriis. Sed longè melior qui per ignem: aufert enim rubiginem omnem, quod non poteſt aqua. *Ezech.*13. Væ ollæ cuius rubigo eſt in ea, & rubigo eius non exiuit ex ea. Et nota, quòd vehemens tribulatio igni comparatur, quia ſicut ignis ſeparata conflat ſimul: tunc enim totum cor hominis, ſi antè diſperſum erat, colligitur. *Iob* 28. Auro locus eſt, in quo conflatur, tribulatio ſcilicet cordi bono. Conflata liquefacit, vt poſſint nouam formam recipere. *Eccleſ.*2. Homines receptibiles fiunt in camino tribulationis. Liquefactos purgat. *Gregor.* Quod lima ferro, quod fornax auro quod flagellum grano, hoc tribulatio iuſto. Sed hæc omnia fornax purgat, illud à rubigine, hoc à fæce, & tertium à palea. Sic conflatum, liquefactum, & purgatum in vas glorioſum & puriſſimum ſummus artifex tranſmutat, ſecundum illud *Prou.*25. Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas puriſſimum.

Tribulatio igni compa rata.

Induxiſti nos. Hîc ſecundum, tribulationum ſcilicet ſpecificatio, in carcerem, & in carcere afflictionem, ibi, *Poſuiſti tribulationes.* Et mortem. *Impoſuiſti homines.* Dicit ergo: Sic nos promouiſti & purgaſti per ignem tribulationis. Sed quænam illæ tribulationes? Ecce *induxiſti nos*, induci permiſiſti, *in laqueum*, in catenas, dicit *Gloſſa.* Ecce carcer. *Iob* 13. Poſuiſti in neruo pedem meum. *Pſal.* Præoccùpauerunt me laquei mortis. 2. ad *Corinth.* 12. dicit Paulus de ſeipſo: In carceribus frequenter. Ad *Eph. vlt.* Pro quo legatione fungor in catena iſta. Ad *Hebr.*11. Sancti ludibria & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres. 11.

Poſuiſti. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Non tantum carcerem ſuſtinuimus, *poſuiſti*, id eſt, poni permiſiſti, *tribulationes in dorſo noſtro*, tanquam pondus, vt noſtra ſuperbia domaretur, & curuaretur ſub manu tua. *Iob* 9. Sub quo curuantur qui portant orbem. 1. *Pet. vlt.* Humiliamini ſub potenti manu Dei. Tanquam malleo quo attenuaremur, vt eſſemus vas in honorem. *Pſal.* Suprà dorſum meum fabricauerunt peccatores, &c. Tanquam virgam & diſciplinam quâ inſtrueremur. *Prou.*22. Stultitia alligata eſt collo pueri, & virga diſciplinæ fugabit eam, percutiens in dorſo. *Prou.*10. Virga in dorſo eius qui indiget corde. 12.

Impoſuiſti. Ecce tertium. Quaſi diceret: Non ſolum impoſuiſti tribulationes, imò etiam *impoſuiſti homines ſuper capita noſtra*, vt ipſa auferrent, tyrannos ſcilicet nos occidentes. *Pſal.* Quoniam propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. *Thren.*4. Ceruicibus minabamur, & laſſis non dabatur requies. Homines capitibus ſubditorum impoſiti ſunt Prælati, qui ſupponuntur ad cuſtodiam. *Iſa.*61. Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes. Imò etiam omnes capitibus iuſtorum, qui eos omnibus ſubiici præcipit. 1. *Pet.* 2. Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum.

Tranſtuimus per ignem. Hîc ſecundum propter quod benedicendus Deus etiam in aduerſitate, ſcilicet fructus ſequens, quem expertus eſt in ſe. Primò ergo bonorum enumeratio, quæ conſequuta ſunt ex illa. Secundò gratiarum actio pro bonis illis. *Reddam tibi.* Tertiò confeſſio obligationis debitæ ad illam gratiarum actionem. *Quæ diſtinxerunt.* In prima tria, ſecundum tria bona quæ enumerantur. Primum, in nullo ceſſatio à bono propter mala. Secundum, tribulationum mitigatio per ſpem æternorum bonorum, ibi, *Et induxiſti nos.* Tertiò bonorum præſentatio tandem ipſi Deo in æternâ vita, ibi, *Introibo in domum.* Dicit ergo: Tales ſunt tribulationes, quas inferri permiſiſti, ſed non ſine fructu: *quia tranſiuimus*, non fracti,

per ignem, tribulationis maioris, *& per aquam*, minoris. Per ignem tribulatio, à quâ Deus animam liberat. *Geneſ.* 15. Eduxi te de Vr Chaldæorum. *Daniel.* 3. Tres pueri ab igne ſunt liberati. Per aquam proſperitas, quæ non eſt, minus periculoſa. *Ierem.* 14 Lumbare computruit iuxta Ephratem. De duobus ſimul. *Iſa.* 43. Cum tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: & cum ambulaueris in igne, non combureris. Sed è contrario in *Pſal.* Flamma combuſſit peccatores.

Et eduxit nos in refrigerium, dando æterna bona præguſtare & præſentire per gratiam tuam. *Sap* 4. Iuſtus ſi præoccupatus fuerit morte, in refrigerio erit: morte, id eſt, tribulatione ad mortem ducente: quia quantò maior erit anguſtia tribulationis, tantò maior erit delectatio. *Gregor.* Ad hoc quod magna ſit delectatio, oportet quod magna ſit tribulatio: quia quantò difficiliùs habetur, tantò charius poſſidetur.

Et nota ordinem ſecundum quod dicit *Gloſſa*: quia qui tranſit per ignem, quod eſt tribulatio grauis, facilè non perit in aquis proſperitatis.

13. *Introibo in domum tuam.* Hîc tertium bonum. Quaſi diceret: Non defecimus in tribulatione, ſed magis refrigerati ſumus. *Introibo in domum tuam*, per illas tribulationes: quippe *Act.* 14. Per multas tribulationes oportet intrare in regnum cœlorum, ipſum dominum domus ſcilicet. *Luc.* 23. Nonne oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam? *Geneſ.* 3. Dominus poſuit oſtium paradiſi flammeum gladium. Et 3. *Reg.* 2. Per turbinem Elias aſcendit in cœlum, & in curru igneo. Sed non introibo vacuus, *in holocauſtis*, in operibus totis incenſis charitatis ardore, quia *Exod.* 23. Non apparebis in conſpectu meo vacuus. *Pſal.* Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos.

Tribulatio iter ad cœlum.

Reddam tibi. Ecce ſecundum: poſitis enim fructibus, promittitur gratiarum actio pro illis. Quaſi diceret: Hæc bona facta ſunt mihi, & propter hoc, *reddam.* Vel ſic: tandem introibo domum tuam in holocauſtis, & interim *reddam tibi*, tanquam gratias agens, *vota mea. Iſa.* 19. Vota vouebunt Domino, & ſoluent. *Pſal.* Vouete & reddite Domino Deo, &c. Vt non ſim de illis de quibus *Prouerb.* 20. Ruina eſt homini deuotare ſanctos, & poſt vota retractare.

14. *Quæ diſtinxerunt.* Hîc tertium, confeſſio ſcilicet obligationis, in quo dicuntur tria. Primò quod obligatus. Secundò quando. *Et loquutum.* Tertiò ad quæ fuit obligatus *Holocauſta.* Dicit ergo. Reddam vota. Et hæc de bono: *quæ*, id eſt, quia illa *diſtinxerunt labia mea.* Quaſi diceret: Voluntariè promiſi illa. *Pſal. Voluntariè ſacrificabo tibi.*

In diſtinctione etiam notatur diſcretio. Quaſi diceret: Non ſolum voluntariè factum eſt, ſed cum magna diſcretione. *Leuit.* 2. In omni ſacrificio pones ſal. Item in diſtinctione notatur prælectio melioris: qui enim Deo vult offerre, debet diſtinguere quod melius eſt, & illud dare, ne ſit ſicut Cain, qui ſe dabat diabolo, & meliora ſua retinebat ſibi, & deteriora Deo dabat. *Gen.* 4. *Malach.* 1. Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens Domino offert debile. *Eccleſ.* 5. Diſplicet illi ſtulta, ſine diſcretione: & infidelis, ſine electione melioris, promiſſio.

Et loquutum eſt os. Hic ſecundum, in quo oſtendit quando. Quaſi diceret: Sic reddam vota quæ promiſi: *& loquutum eſt*, illa promittendo, *os meum*, non aliud, *in tribulatione mea. Nee.* 9. In die tribulationis ſuæ clamauerunt ad te, & tu de cœlo exaudiſti eos. *Eccleſ.* 50. Aperui os meum, & loquutus ſum. Et hoc *in tribulatione mea.* Argumentum contra illos, qui credunt ſe non teneri quando tribulatione compulſi vouent. *Oſeæ* 6. In tribulatione ſua manè conſurgent ad me. *Ion.* 1. Timuerunt timore magno Dominum, & immolauerunt hoſtias Domino, & vouerunt vota, &c.

15. *Holocauſta medullata.* Hîc tertium, quæ vouerit, & qualia. Primò, quòd deuota, & plena charitate ſacrificia. Secundò, quòd pura & conſummata ab omni malitia; ibi, *Cum incenſo.* Ait enim: Sic in tribulatione mea voui, & quid hoc? *Holocauſta medullata*, oblationes & opera pinguedine & medulla charitatis plena. Sicut enim medulla vitam totius animalis tenet, & conſeruat, ſic charitas omniũ bonorum. Propter quod dicitur *Eccleſ.* 25. Oblatio iuſti impinguat altare. Hîc medullata ſacrificia Deo offeruntur: ſed ipſe tandem nuda medulla, ſinceriſſima charitate ſuos ſatiabit. *Geneſ.* 46. Medullam terræ comedetis. *Iſa.* 25. Faciet Dominus in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium medullatorum. *Offerum tibi*, non alij: *cum incenſo arietum.* Hîc ſecundum, quia pura, quia abſque repugnatione ſuperbiæ, quæ ſignificatur in ariete: & cupiditate auaritiæ, quæ ſignificatur in boue, qui arat terram: & ſine fœtido motu luxuriæ, qui ſignificatur in hircis. Ait enim: Sic noui offerre holocauſta medullata: & hoc *cum incenſo*, id eſt, cum incenſione & deſtructione *arietum*, motuum ſuperbiæ reſiſtentium Deo, & repugnantium.

Offeram tibi boues, motus auaritiæ circa terrena negotiantes. *Cum hircis*, cum motibus fœdis. Offeram, inquam, mactando, & deſtruendo. *Geneſ.* 15. Abraham hæc tria Deo obtulit, & combuſſit. Arietes etiam Apoſtoli. Supra in alio *Pſal.* Induti ſunt arietes ouium. Et *Iſa.* 60. Arietes Nabaioth miniſtrabunt tibi. Cum incenſo ergo arietum fit Deo oblatio, quandò Deo opus bonum datur cum oratione Apoſtolorum, id eſt, cum modo orandi ab eis inſtitutio. *Pſal.* Dirigatur oratio mea ſicut incenſum. Item arietes ſunt Prælati. *Prouerb.* 30. Aries, nec eſt qui reſiſtat ei. Boues ſunt prædicatores. *Iob.* 1. Boues arabant, & aſinæ paſcebantur iuxta illos. *Prouerb.* 14. Vbi plurimæ ſunt ſegetes, ibi manifeſta eſt fortitudo boum. Hirci fœtidi peccatores. *Geneſ.* 27. Iſaac hœdis libenter veſcitur. Hæc tria genera offert Eccleſia, ſicut præceptum fuit *Leuit.* 3.

16. *Venite audite.* Hîc eſt quarta pars Pſalmi, in quâ monet exemplo ſui ſperare in Deum eos qui timent ipſum. Talibus enim magis neceſſaria eſt ſpes, ne nimio timore deſperent: & dicuntur duo. Primò enumerat bona ſibi à Deo facta. Secundò gratias agit, & benedicit pro illis,

illis,ibi, *Benedictus Deus.* In prima duo. Primò excitatio timidorum vt audiant bona à Deo ſibi facta narraturum. Secundò explicat illa bona, ibi, *Ad ipſum ore meo clamaui.* In prima tria. Primò vt ſe præparent. Secundò vt præparati audiant à narrante. *Audite.* Tertiò qui ſunt qui audire debent. *Omnes qui timetis.* Dicit ergo: Sic monui ad Deum benedicendum. Sed *venite*, fide, dicit *Gloſſa*, vos præparando. Fides enim ad audiendum, id eſt, intelligendum præparat. *Iſa.* 7. Niſi crediderit is, non intelligetis. *Philoſophus*, diſcentem oportet credere.

Audite, & ego narrabo. Supra in *Pſal.* Venite filij, audite me. *Eccleſ.* 51. Appropiate ad me indocti, & congregate vos in domum diſciplinæ. *Deut.* 33. Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina eius. Ecce quod bonum: qui & cauet malum audire, illud ſcilicet improperium, de quo *Iſa.* 30. Populus ad iracundiam prouocans eſt, & filij mendaces nolentes audire legem Domini.

Narrabo, inquam, *quanta fecit animæ meæ:* vt ſciatis quid faciet veſtræ, niſi per vos ſteterit: amat enim multum animas. *Sap.* 11. Tu Domine qui amas animas. Vos, inquam, *venite, & audite qui timetis Dominum. Malach.* 3. Vobis timentibus Deum orietur ſol iuſtitiæ. Etiam feneſtræ apertæ ſunt quicunque iam habentes initium ſapientiæ, & ſic apti, vt maiora doceamini. *Pſal.* & *Eccleſ.* 1. Initium ſapientiæ, timor Domini. Non timentibus enim Deum, quales contemptores verbi & illuſores, non eſt prædicandum verbum Dei. *Matth.* 7. Nolite ſanctum dare canibus, nec margaritas ſpargatis ante porcos.

17. *Ad ipſum ore meo clamaui.* Hîc ſecundum, in quo explicat bona quæ vult eos audire, quæ ſibi Deus contulit, quæ comprehendit in duobus. In bonis meriti: & hoc tangitur primò. Et in bonis præmij: & hoc ſecundò, ibi, *Propterea exaudiuit.* In prima tria. Primò, quòd dedit ei orare feruenter. Secundò, quòd lætanter. *Et exultaui.* Tertiò, quòd mundè, ibi, *Iniquitatem.* Dicit ergo: Narrabo quanta fecit mihi Dominus. Quænam illa ſunt? Hoc primò fecit mihi, quia *ad ipſum clamaui* ex feruore cordis, *ore meo*, non vicario. Non enim eſt recta oratio quæ non fit ad Deum, ſicut oratio Ochoziæ, quæ fiebat ad Baal. 4. *Reg.* 4. Neque quæ fit ſine cordis feruore. *Iſa.* 40. & *Matth.* 15. Populus hic labiis me honorat, &c. *Matth.* 15. Dimitte eam quia clamat poſt nos. Quod non fit proprio ore. *Ioan.* 9. Ætatem habet, pro ſe loquatur. Et nota, quòd clamant ad Deum veri adoratores, clamant pro Deo boni prædicatores: ſed clamant contra Deum falſi expoſitores, peccatorum ſuggeſtores.

Et exultaui. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Non tantum dedit vt clamarem: imò *& exultaui*, ipſo faciente, *ſub lingua mea*, in corde. Cor enim ſub lingua eſt. Radix enim eſt linguæ ſicut dicunt. Quemadmodum enim in fide neceſſe eſt vt iungantur os & cor, ſic in oratione. Ad *Rom.* 10. Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem, &c. Tunc impletur illud *Cant.* 2. Mel & lac, dulcedo ſpiritualis lætitiæ, ſub lingua tua, in corde ſcilicet tuo.

Iniquitatem ſi aſpexi. Hîc quod dedit orare mundo, & ponit probationem huius rei tanquam ſupponens ipſam primò: ſic enim legenda eſt. Sic dedit quod clamaui, ſic quod exultaui ſub lingua mea, & etiam quod iniquitatem non habui: ſed *ſi aſpexi* oculo dilectionis, non intuitu ſimplici, *iniquitatem in corde meo*, quia reſpectus ſumitur pro dilectione. Sic *Luc.* 9. Nemo mittens manum ad aratrum & reſpiciens retro, &c. id eſt, amans quæ retrò ſunt. Sic *Gen.* 19. Noli reſpicere poſt tergum tuum. Conſonat enim quod communiter dicitur: Vbi amor, ibi oculus. 18.

Non exaudiet Dominus: & ipſe exaudiuit, ſicut iam dicam: vnde certum eſt, quod dedit non aſpicere iniquitatem. Hoc eſt quod dicit *Gregor.* Si is qui diſplicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. Verum eſt de amante iniquitatem in actu: vnde *Gloſſa:* Puritas orationis auditur, & non aliter. *Ioan.* 9. Scimus, quia peccatores Deus non exaudit, volentes manere in peccatis, & pro æternis deprecantes: pro temporalibus enim forte exaudit eos, ſicut Alexandrum Magnum de montibus Caſpiis coniungendis.

Et nota, quòd orationem ne exaudiatur impedit nubes ſuperbiæ. *Thren.* 3. Oppoſuiſti nubem ne tranſiret oratio. Sartago luxuriæ. *Ezech.* 4. Sume tibi ſartaginem ferream, & pone eam inter te, & ciuitatem. Per murum cupiditatis. *Cant.* 2. *Ezech.* 43. Et murus inter me & eos. En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, quem fecimus nobis. Tonitruum rancoris, & diſcordiæ vt eſt in corde. *Eccleſ.* 28. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur. *Impedimenta orationis.*

Propterea exaudiuit. Hîc ſecundum, in quo oſtendit ſibi à Deo datum præmium qui dederat & meritum. Et primò quia bona quæ petiit, conceſſit. Secundò quia mala quæ nolebat, amouit. *Et intendit.* Dicit ergo: Sic dedit vt orarem, lætanter, feruenter, & purè: & *propterea*, quia ſic oraui, *Deus exaudiuit*, concedendo, & conferendo dona quæ petebam. In *Pſal.* Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus. *Iſa. vlt.* Et erit, antequam clament, ego exaudiam. 19.

Et attendit. Diligentiam importat, *voci deprecationis meæ*, de malis amouendis. *Iſa.* 63. Attende de cœlo, & vide de excelſo cœlorum habitaculo. *Ierem.* 18. Attende Domine ad me, & vide voces aduerſariorum meorum. *Daniel.* 9. Exaudi Domine, placare Domine, attende & fac. *Malach.* 3. Attendit Dominus & exaudiuit. Nota *Gloſſam:* Ecce viciſſitudo.

Benedictus Deus. Ecce ſecundum, in quo poſtquam ad illorum vtilitatem bona ſibi à Deo facta recoluit, gratiarum actiones pro tãto beneficio reddit. Duo dicuntur. Primò benedicit Deo. Secundò reddit rationem duplicem. *Qui non amouit.* Prima, quia perſeuerantiam contulit in orando. Secunda, quia orationem infructuoſam non dereliquit. *Et miſericordiam.* Dicit ergo: Hæc bona mihi fecit, & propter hoc *benedictus Deus*, ſit, ſupple, ab omni creatura ſua. 3. *Reg.* 8. Benedictus Deus non derelinquens nos, nec deſpiciens. Et 2. *Paral.* 6. Benedictus 20.

Dominus

Dominus Deus Iſraël, quia quod Dauid locutus eſt, &c. *Luc.* 1. Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitauit, &c. Benedictio autem iſta eſt gratiarum actio. Sicut Paulus benedicebat 2.ad *Corinth.* 1. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri IESV CHRISTI, &c. Et tres pueri eruti de igne *Dan.* 3. benedicebant Dominum vnâ voce: Benedictus es Domine Deus, &c.

Deus aliquando orationem vel orantem vel vtrumque abiicit.

Qui non amouit. Ecce prima ratio benedicendi. Quaſi diceret: *Benedictus ſit qui*, id eſt, quia *non amouit orationem meam*, ipſam repellendo. Deus enim aliquando amouet orationem, etſi non orantem, ſicut factum eſt in Paulo petente ſtimuli amotionem, quem non abiecit Dominus, etſi orantem non repulit. 2.ad *Cor* 12. Aliquando amouet & proiicit orantem, etſi non orationem, ſicut dæmones petentes quod eos mitteret in porcos, orationem quidem audiuit, ſed ipſos repulit. *Mar.* 8. Si eiicis nos, mitte nos in porcos. Aliquandò vtrumque, & orationem, & orantem, ſicut in illis dicit ſe facturum quibus dicit: Non noui vos: diſcedite à me operarij iniquitatis. *Matth.* 7. & 25. ſimile.

Vel *non amouit orationem*: quia tribuit mihi in illa perſeuerantiam: quia ſuper illud 1. ad *Theſſal* 5. Sine intermiſſione orate, *Gloſſa*: Non deſinit orare, qui non deſinit benefacere. Sicut autem Deus non amouet orationem noſtram, ſic nec nos debemus amouere. Stultus enim valdè eſt, qui inſtante adhuc bello ſcutum amouet: ſed bellum hominis continuum. *Iob* 13. Militia eſt vita hominis ſuper terram. Oratio autem eſt ſcutum. *Sap.* 18. Protulit ſetuitutis ſuæ ſcutum, orationem. Propter hoc dicit Dominus. *Luc.* 18. Oportet ſemper orare, & nunquam deficere.

Et miſericordiam ſuam. Ecce ratio ſecunda, quare & ex hoc ſit benedictus, quia ſicut non amouit orationem, *ſic non amouit miſericordiam ſuam à me. Pſal.* Miſericordia autem Domini ab æterno, & vſque in æternum, &c. Primum autem amouere orationem reſpicit ad meritum: hoc autem non amouere miſericordiam, ad præmium. Hoc eſt dare illud quod dedit inſtanter petere. Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis. Petite gratiam, & dabitur: quærite ſapientiam, & inuenietur: pulſate ad vitæ ianuam, & aperietur. Sic petere & pulſare det nobis, qui eſt benedictus per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

IN LXVI. PSALMVM.

1. *In finem, In hymnis Pſalmus cantici Dauid.*

2. DEus miſereatur noſtri. Hic eſt Pſalmus decimus ſextus in ſecunda parte libri, ſexageſimus ſextus in toto libro. Poſtquam in Pſalmo præcedenti monuit iubilare Deo, ipſum benedicere, & totum ſe in ipſum proiicere propter ſpem reſurrectionis glorioſæ: quia nec iſta facere poſſumus niſi Deus, quantum eſt ex parte ſui, gratiam infundat, præſtando miſericordiam, dando benedictionem, & niſi nos humiliemus Deo, quantum eſt ex parte noſtri, & ipſum exaltemus, inuitat nos in hoc *Pſal.* ad orationem, vt benedictionem impetremus, ad confeſſionem vt nos humiliemus, & Deum glorificemus, & laudemus: vnde laudis diuinæ expreſſiuus eſt Pſalmus iſte: & hoc innuitur in in titulo qui talis eſt: *In finem, In hymnis Pſalmus cantici Dauid.* In quo nota in principio quod ſupra dictum fuit, quare dicatur Pſalmus cantici: & expone titulum. *Pſalmus hic*, qui eſt *cantici*, poſt canticum votum prolatum muſico inſtrumento, quod eſt Pſalterium: vel *Pſalmus*, quia monet bene operari: cantici, quia cum lætitia cordis & exultatione aliquando etiam vocali, *in finem* nos ordinans, in Chriſtum ſcilicet, vel in Deum, & habendus in *hymnis* exhibendis *Dauid*, id eſt, Chriſto: vel certe inter hymnos materialis Dauid computandus.

Pſalmus ad orationē & confeſſionem laudis hortatur.

Diuiditur autem Pſalmus, ſicut iam tactum eſt, in duas partes. Primò oratio ad Deum pro beneficiis quibuſdam impetrandis neceſſariis ad hoc vt ad reſurrectionis gloriam veniatur. Secundò admonitio ad confeſſionem & laudem Dei pro bonis iam habitis, vt prima facilius impetrentur, vel impetrata conſeruentur, ibi, *Confiteantur.* In prima duo. Primò petit. Secundò oſtendit quo fine petierit. *Vt cognoſcamus.* In prima duo. Primò pro quibuſdam bonis petit, vt ſibi confiteantur. Secundò vt collata conſeruentur, ibi, *Et miſereatur noſtri.* In prima tria ſecundum bona quæ petit. Anima enim humana per peccatum facta eſt miſera in iraſcibili, maledicta in concupiſcibili, quæ non deſiderat niſi malum, cæca in rationabili. Petit ergo contra primum primò miſericordiam: contra ſecundum ſecundò benedictionem. *Et benedicat.* Contra tertium tertiò illuminationem. *Illuminet.*

Tria mala à peccato illata & illorum remedia.

Dicit ergo: Sic monui, vt iubiletis, & benedicatis Dominum: ſed quia hoc nullo modo poteſtis. *Iſa.* 26. Omnia opera noſtra, &c. *Ioan.* 15. Sine me nihil poteſtis facere. *Deus miſereatur noſtri.* Miſereatur: quia captiua tenetur noſtra iraſcibilis ne inſurgat contra malum, amouendo per miſericordiam, gratiam infundentem. *Geneſ.* 44. Miſereatur tui Deus fili mi. *Eccleſ.* 35. Miſerere noſtri Domine, reſpice nos.

Et benedicat nobis, maledictionem contrà malum, quod noſtra concupiſcibilis appetit, amouendo. *Num.* 6. Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te, oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui. *Illuminet vultum ſuum*, non ſuum in ſe, ſed ſuum *ſuper nos*, noſtram ſcilicet rationem, quæ quaſi vultus eius eſt, quia imago eius. *Pſal.* Signatum eſt ſuper nos lumē, &c. Illuſtrando & cæcitatem auferendo. In *Pſal.* ſupra, Deus meus meus illumina tenebras meas. Et alibi: Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte. Vel *illuminet vultum ſuum*, id eſt, manifeſtet nobis filium Deus pater, qui, inquam, filius eſt vultus eius, & hoc *ſuper nos*, id eſt, nobis. *Pſal.* Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus. Et alibi, In lumine tuo videbimus lumen. *Eccleſ.* 35. Oſtende nobis lucem miſerationum tuarum.

Et miſereatur noſtri. Ecce ſecundum. Quaſi diceret:

diceret : Hæc prædicta det, & *misereatur nostri*, in his omnibus nos conseruet. *Gregor.* Bene cito perditur, quod à largitore non custoditur.

Quadruplex gratia velut egressus quatuor fluuiorũ de paradiso.

Ecce iste petit hæc quatuor petenda, egressum quatuor fluuiorum de paradiso, quadruplicem scilicet gratiam ex Deo, quarum tres primæ quæ propriam irrigent terram, animæ scilicet potentiam : quarta vero, circueat totum. *Genes.* 3. *Eccles.* 41. Gratia sicut paradisus in benedictione, misericordia in sæculo permanet.

3. *Vt cognoscamus.* Hîc secundum primæ partis totius Psalmi, in quo ponit finem suæ petitionis, maximè quantum ad vsum illuminationis petitæ. Et est duplex ratio, scilicet vt cognoscatur Christus esse via. Secundò vt cognoscatur Christus esse medicina. *In omnibus Gentibus.* Ait enim : Sic Deus misereatur, benedicat, illuminet : & hoc, Deus, fiat, *vt cognoscamus viam tuam*, Christum, qui ducit ad te tanquam viam. *Ioan.* 14. Ego sum via, veritas, & vita. Sed quid prodest scire viam, si non ambuletur in ea? *Isa.* 30. Hæc via, ambulate in ea : non declinabitis, nec ad dexteram, nec ad sinistram. *Isa.* 2. Docebit nos vias suas, & ambulauimus in semitis eius. Et hoc in terra, in vita scilicet ista, quæ tenebris est plena. Sed notandum, quòd huius vitæ triplex est cognitio. Naturalis, etsi cognoscatur in suo appropriato, quod est sapientia. Ad *Rom.* 1. Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta prospiciuntur. Gratuita, quæ est per fidem. 1. ad *Corinth.* 14. Videmus nunc per speculum, & in ænigmate. *Ierem.* 9. In hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me. Et gloriosa, quâ cognoscetur in patria. 1. ad *Corinth.* 13. Tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. *Sapient.* 6. Scire te, sensus est consummatus. Et etiam cognoscamus, non tantum in Iudæis : sed *in omnibus Gentibus salutare tuum.* Esse salutare in medicinam omnium salutarem. *Isa.* 40. Videbit omnis caro salutare Dei. Et 49. Dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea, vsque ad extremum terræ.

4. *Confiteantur tibi populi.* Hîc secunda pars Psalmi, in qua subiungitur omnium admonitio ad confessionem : & dicuntur duo. Primò inuitat ad confessionem & laudem pro Christi vtili regimine. Ad idem pro Ecclesiæ fructificatione. *Confiteantur*, versu quinto. In prima tria. Primò inuitat ad confessionem. Secundò ad spiritualem lætitiam. *Lætentur & exultent.* Tertiò assignat vtriusque causam, ibi, *Quoniam iudicas.* In prima duo. Primò inuitat ad confessionem simpliciter. Secundò omnes inuitat generaliter. *Confiteantur.* Dicit ergo : Sic peto vt omnes cognoscant Christum : & quia hoc cerno, quod iam impletum, *confiteantur tibi*, ô *Deus*, *populi*, confessione laudis, de qua *Matth.* 9. Qui me confessus fuerit coram hominibus. Et ad *Phil.* 2. Omnis lingua confiteatur. Confessione veritatis, de qua *Ioan.* 1. Confessus est, & non negauit, quia non sum ego Christus. Confessione propriæ iniquitatis, de qua *Num.* 5. Vir siue mulier quæ fecerit aliquid de his quæ accidere solent hominibus, venient ad sacerdotem, & confitebuntur illi peccata sua. Expressior actus qui fit in Veteri Testamento de confessione facienda. *Iacob. vlt.* Confitemini alterutrum peccata vestra. Et fiant hæ confessiones corde simul, & ore, iuxta illud ad *Rom.* 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Nec tantum in vna terra, imò confiteantur his confessionibus *populi omnes. Isa.* 52. Parauit Dominus brachium suum, filium scilicet, in oculis omnium Gentium, & videbunt omnes fines salutare Dei nostri.

Lætentur & exultent. Hîc secundum, in quo monet ad lætitiam primò interiorem, secundò exteriorem. *Et exultent.* Ait enim : Sic confiteantur & lætentur interius, & exultent exterius Gentes. Benè post confessionem subditur de lætitia. Confessio enim primò humiliat & confundit, dum homo confitetur. *Eccles.* 41. Erubescite à Principe, & à iudice de delicto. Sed humiliatum & confusum purgat à pessimo, à vetustate. 1. *Machab.* 4. Ascendamus mundare sancta, & renouare. Sed confusum & purgatum lætificat multùm. *Psal.* Exultauerunt filiæ Iudæ propter iudicia, &c. Animæ scilicet confessionis filiæ. Sed etiam lætificatum Deo reconciliat. *Isa.* 57. Creaui fructum labiorum confitentium pacem, reconciliationem ad Deum. 5.

Fructus confessionis.

Quoniam iudicas. Hîc tertium, in quo subiungitur confessionis & lætitiæ causa duplex, Æquum iudicium in futuro, & auxilium in præsenti exhibitum in bonis vt securè veniant ad illud. *Et Gentes.* Ait enim : Sic lætentur Gentes & exultent, & hoc iustum est, *quoniam iudicas*, id est, iudicabis, *populos in æquitate*, *Isa.* 11. Arguet in æquitate pro mansuetis terræ. Verè in æquitate sine personarum omni acceptione. *Act.* 10. In veritate comperi, quod non est personarum acceptor Deus. *Prouerb.* 6. Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec accipiet pro redemptione dona plurima. Et interim Gentes *dirigis in terra*, præbens auxilium vt securi accedant ad te. Et etiam documentum. *Ierem.* 3. Lætamini & exultate in Domino Deo vestro, qui dedit vobis Doctorem iustitiæ, & directorem. *Isa.* 45. Omnes vias eius dirigam. Et iudicem. *Iob* 9. Meum iudicem deprecabor.

6. *Confiteantur tibi.* Hîc secunda pars, in qua inuitat ad confessionem pro fructificatione Ecclesiæ quæ sequuta est ex prædictis. Tria ergo dicuntur. Primò iteratio de confessione facienda ad honorem Dei. Secundò ratio talis confessionis, terræ fructificatio, ibi, *Terra dedit.* Tertiò postulatio benedictionis ab illo fructu & per illum : vel dilatationis illius fructus vsque ad gentiles omnes, ibi, *Benedicat nos.* In prima duo suprà. Primò simplex inuitatio ad confessionem. Secundò collectio omnium ad hoc vt confiteantur. *Confiteantur.* Dicit ergo : Sic confiteantur, quia iudicas, & dirigis : & etiam *confiteantur tibi populi Deus*, & repetit vt addat, Confiteantur tibi populi omnes. In hac repetitione notatur, quòd confessio frequenter est iteranda. *Ioan.* 11. Eamus iterum in Iudæam. Iudæa interpretatur confessio. Nec mirum cum frequens sit peccati iteratio. *Prouerb.* 14. Septies in die cadit iustus, & resurgit. Quater autem dicit, Confiteantur, propter

qua

Quater iteratur idem verbum propter quatuor confessionis effectus.

quadruplicem confessionis effectum. Vnum ad Deum quem glorificat. *Iosuë 7.* Fili confitere peccatum tuum, & da gloriam Deo. Ad confessorem quem obligat ad hoc vt ipsum reducat, quantum in se est, ad Ecclesiæ vnitatem. *Gen.7.* Noë redeuntem ad se columbam intromisit in arcam. Ad animam propriam quam purgat. *Psal.* Exercitabar, & scopebam spiritum meum. Ad diabolum quem necat proprio gladio, quem euaginat. *Iudith 2.* Interfecit Holofernem proprio pugione. *Iud.13.* Iudith confitens.

7. *Terra dedit.* Hîc secundum, quo monet ad confessionem. Sed quare? quia terra nostra, Virgo Maria, de eodem limo terræ de quo & nos. *Genes.2.* Formauit ergo Deus hominem de limo terræ. *Dedit fructum suum.* Terra ergo Virgo Maria. *Psal.* Benedixisti Domine terram tuam. Ad proferēdum fructum. *Isa.45.* Aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Terra, quia humilis: hæc est enim humillimum elementorum. *Luc.1.* Respexit humilitatem ancillæ suæ. Stabilis. *Eccles.1.* Generatio præterit, Apostolorum Christum relinquentium: & generatio aduenit, Iudæorum crucifigentium: terra autem in æternum stat, Maria in omnibus perseuerat fertilis: hæc enim elementum inter omnia fertilissimum, & intus plenum diuitiis, habens mineras auri & argenti. *Isa.2.* Repleta est terra auro & argento, & non est finis thesaurorum eius, & exterius arboribus & pecoribus. *Bar.3.* Qui replet terram pecudibus & quadrupedibus. Sed Maria tota fœcunda, & intus & extra. Hæc terra dedit fructum suum: fructum concepit in annuntiatione, conceptum protulit in natiuitate, prolatum ostendit in apparitione, sed ostensum dedit in purificatione. De primo & secundo *Luc.1.* Ecce concipies in vtero, & paries filium. De tertio ad *Tit.3.* Apparuit benignitas & humanitas saluatoris nostri Dei. De quarto in *Psal.* Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Et dicit, *Dedit*, non reddidit, quia semen non suscepit.

Virgo terra dicitur.

Quo tempore fructum tulit.

De alia triplici terra legitur. De terra corporis Christi, de qua *Iob 9.* Terra tradita est in manus impij. Hæc dedit fructum prædicationis, bonæ operationis, & tandem passionis. Vel terra, Ecclesia, de qua *Isa. vlt.* Nunquid periit terra in die vna, aut peribit gens simul? Hæc dedit fructum suum, trigesimum in coniugatis, sexagesimum in continentibus, centesimum in virginibus. *Matth. 13. Luc. 8.* Vel terra, liberum arbitrium. *Genes. 3.* Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi. Hæc dabit fructum bonarum affectionum, cogitationum, & operum. *Genes. 43.* Sumite de optimis terræ frugibus, & ferte viro munera.

8. *Benedicat nos.* Hic tertium. Quasi diceret: Sic confitemini, quia *terra*, Maria, *dedit fructum*, & in hoc fructu & semine *benedicat nos*, &c. Subiungitur ergo postulatio benedictionis à tam glorioso fructu: & dicuntur duo secundum duo quæ petuntur. Primum est gratiæ infusio ad fructificandum. Secundò ad conseruandum fructum quem fecimus. *Et metuant.* Dicit ergo: Sic *terra dedit fructum*, quod vt & nos possimus, *benedicat nos Deus* Pater gratiam infundendo, qua bona faciamus, & in terra Ecclesiæ multiplicentur. *Deus noster*, filius scilicet, *benedicat nos* Deus. Repete. Benedicat etiam Deus Spiritus sanctus. Benedicit ergo Pater. *Eccles.3.* Benedictio patris firmat domos filiorum. Benedicit Filius. Ad *Eph.4.* Benedixit nos omni benedictione spirituali in Christo, id est, per Christum benedicentem nos. *Act.1.* Eleuatis manibus ferebatur in cœlum, & benedixit eis. Benedicit Spiritus sanctus, in quo omnis benedictio fit. *Isa.65.* Qui benedictus est super terram, à Deo patre vel filio, benedicetur in Deo, id est, Spiritu sancto, hoc est, per Spiritum sanctum.

Et metuant. Ecce secundum. Quasi diceret: Sic tota Trinitas nos benedicat. *Et metuant eum.* Non dicit eos, vt notetur essentiæ vnitas. *Omnes fines terræ:* continens pro contento, id est, omnes in terræ finibus habitantes. *Ierem.5.* Metuamus Dominum Deum nostrum, quia *Eccles.8.* dicitur: Ego cognoui, quod bonum erit timentibus Deum: quippe timor Domini, charitatem quæ totius boni fons est, initiat. *Ierem.25.* Timor enim initium dilectionis eius. Et ipse omnia alia bona conseruat. Vnde hic etiam post petitam benedictionem ad bonorum multiplicationem, timorem vltimò adhibet ad conseruationem. *Eccles.25.* Timor Domini omnibus se supponit, sicut asseres lapidibus sunt tecti ne à vento tollantur.

IN LXVII. PSALMVM.

In finem, Psalmus Cantici ipsi Dauid. 1.

EXurgat Deus. Hic est Psalmus decimus septimus in parte secunda. Postquam enim monuit iubilare & benedicere Deū in *Psal.* decimo quinto pro sperata resurrectione, & ideo supplicare vt hoc ipsum conferat, quod suus populus possit confiteri, & ipsum laudare valeat, in decimo sexto tanquam impetrauit, & in hoc decimo septimo lætanter exultat pro resurrectione, & inuitat iocundè Christum ad resurrectionem, & inimicorum confusionem, Euangelij publicationem, & Ecclesiæ dilatationem per omnes Gentes. Et hæc lætitia & exultatio exprimitur satis in titulo qui talis est: *In finem, Psalmus Cantici ipsi Dauid.* Hoc est, hic *Psalmus Dauid* dirigens nos *in finem*, est *Cantici*, id est, lætitiæ & exultationis, & fortè primò vocibus cantabatur, postmodum musico instrumento quod Psalterium dicitur. 2.

Psalmus canit gloriam resurrectionu & ascensionis Christi.

Diuidi autem potest Psalmus aliter quam *Glossa* diuidat, in tres partes principaliter. Primò orat pro resurrectione, & quibusdam sequentibus ad illam, inuitans ad lætitiam. Secundò narrat quæ futura sunt post resurrectionem, ibi, *Deus cum egredereris*, vel egredieris. Tertiò prænuntiat Christum venturum, ibi, *Psallite Deo qui ascendit.* In prima duo. Primò orat pro resurrectione, & consequentibus quibusdam ad illam, inuitátque fideles ad laudem resurgentis, ibi, *Cantate Deo.* In prima duo. Primò orando petit Christi resurrectionem. Secundò consequentia ad illam in bonis & malis. *Et dissipentur.*

Dicit

Dicit ergo: Sic monui iubilare propter ſpem reſurrectionis, poſt Deum exorare vt daret huius rei facultatem: nunc ergo rogo,& vos ſimiter mecum: *Exurgat*,à morte,*Deus.Pſal.*Exurge, quare obdormis Domine? Quod & fecit: vnde alibi in *Pſal.*Domini & ſoporatus ſum,& reſurrexi: vnde poſtea cœlis apertis Stephanus vidit eum ſtantem. Stantes, nec mortui ſunt, nec dormiunt *Act.*10.

Et diſſipentur. Hîc orat contra perſequentes. Primò pro inimicorum deiectione. Secundò pro bonorum exaltatione, ibi, *Et iuſti epulentur.* In prima dicuntur tria, ſecundum tria mala quæ imprecatur. Primò diſperſionem per totum mundum.Secundò voluntariam ſeparationem & elongationem à Deo. *Et fugiant.* Tertiò omnimodam annihilationem in populo, vt omninò nihil proſint, ibi, *Sicut deficit fumus.* Dicit ergo: Sic rogo, quòd exurgat Deus, & diſſipentur inimici per totum mundum, ſcilicet crucifixores eius, qui inimici erant ſecundum regulam *Iacob.*3. Qui vult amicus huius mundi fieri,inimicus Dei conſtituitur. Hi ſunt diſſipati. *Iſa.*24. Diſſipatione diſſipabitur terra, Iudæa ſcilicet, & eius cogitationes, vt nihil ſimul ſit. *Iob 6.* Diſſipat cogitationes malignorum, vt non poſſint implere manus eorum quod cœperant.

Et fugiant. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Non ſolum diſſipentur, imo & fugiant terrore compulſi,& in deſperationem inducente, *à facie eius*, à præſentia ſua, non loco, quia hoc non poſſunt, cum Deus ſit vbique. *Act.* 18. Non longè eſt ab vnoquoque noſtrum. Sed voluntate & affectu, ſicut Cain. *Geneſ.*4.Ecce eiicis me à facie tua? *Qui oderunt eum. Ioan.* 18. Viderunt & oderunt,& me & Patrem meum, vt impleatur, &c.

Vſus eſt autem in hoc verſu Dauid verbis, quibus Moyſes vtebatur cum incedere volebat, & mouere caſtra:Surge Domine, & diſſipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te à facie tua.

3. *Sicut deficit fumus.* Hîc tertiũ,in quo petitur annihilatio eorũ in primo,& primò in præſenti,ſecundò in futuro,ibi,*ſicut fluit cera.* Dicit ergo: Sic diſſipentur, & fugiant, & etiam *deficiant*, euaneſcendo à poteſtate ſua. *Dan.*9. Cum venerit Sanctus ſanctorum, ceſſabit vnctio veſtra regia, & ſacerdotalis. Et hoc *ſicut fumus* deficit, qui quantò altiùs extollitur, tantò plus euaneſcit: ſic maximè euanuerunt Iudæi, quando ſe maximè extulerunt. *Pſal.* Deficientes quemadmodum fumus deficient. *Iſa.*65. Iſti fumus erunt in furore meo.

Comparatur ſuperbia fumo. Et nota, quòd ſuperbi comparantur fumo. Primò: quia fumus de corpore naſcitur:ſic ſuperbus de bono opere ſuperbus efficitur,& eleuatur in altũ.*Eccl.*22. Ante ignẽ camini vapor, & fumus inaltatur.Operationes enim quæ ſine charitate fiunt, ſunt quaſi quidam vapores ante ignem, miſerum cor eleuantes tanquã fumum. Citò à vento diſpergitur: ſic ſuperbus modici verbi flatu extollitur, & totus euaneſcit. *Iſa.* 9. Conuoluetur in ſuperbia fumi. *Sap.*5. Quaſi fumus qui à vento diſperſus eſt. Nocet oculis: ſic ſuperbia excæcat oculum rationis, imò ſolem.*Apocal.*9.Aſcendit fumus putei profundi, ſcilicet corde ſuperbi, ſicut fumus fornacis magnæ: & obſcuratus eſt ſol & aër de fumo putei. Mali etiam odoris eſt. *Sapient.*11. Vaporem ignium ſpirantes, aut fumi odorem proferentes, id eſt, fœtorem. Signum eſt incendij, id eſt, magnæ combuſtionis in corde. *Apoc.*18.Viderunt fumum incendij eius.Fuliginem, quæ nigra & amara eſt, inducit: ſic ſuperbia. *Oſeæ* 13. Et erunt ſicut fumus de fumario.

Sicut fluit. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic nunc deficiant, & in futuro, *peccatores pereant à facie Dei*, à præſentia ſcilicet Dei, *ſicut cera fluit à facie ignis. Iudith.* 16. Dura corda & obdurata in malitia ſicut cera liqueſcent à facie tua. *Michæ.* 1. Scindetur ſicut cera à facie ignis, tunc enim magni cerei ardebunt, & ab igne culpæ trahentur ad ignem pœnæ. *Gregor.* Qui ardent mente, ardebunt & carne: ab æſtu namque auaritiæ, tranſibunt ad ignem gehennæ.Vel in bono poteſt legi. Quaſi diceret: Sic mali deficiant vt fumus, boni verò *pereant*,non inquantum ſunt, ſed inquantum ſunt peccatores, vt iam non ſint amplius. *Prouerb.*12.Verte impium, & non erit. *A facie Dei*, ſpiritus ſcilicet in terris effuſi. *Sicut cera à facie ignis.* Spiritus enim ſanctus ignis eſt. *Luc.* 12. Ignem veni mittere,&c.*Act.*2.In igneis linguis ſuper Apoſtolos deſcendit.

Et iuſti epulentur. Hîc ſecundum,in quo orat pro iuſtorum exaltatione: & dicuntur tria ſecundum tria quæ petit eis. Primò reſurrectionem. Secundò lætitiam. *Et exultent.* Tertiò delectationis puritatẽ. *Et delectentur.* Ait enim: Sic fiat malis poſtquam ſurrexeris. *Et iuſti epulentur*,contemplatione Dei,quæ reficit hîc & in futuro, ſed minus nunc, plus incomparabiliter tunc. Nunc reficit ſuos Deus. *Eccleſ.*15.Cibauit illum pane vitæ & intellectus. In futuro *Luc.*22. Ego diſpono ſicut diſpoſuit mihi, &c. De vtraque epulatione *Iſa.*25. Faciet Dominus in monte hoc conuiuium. Mons, Eccleſia & militans, & triumphans. *Et exultent*: non comedant panem ſuum in luctu, ſicut *Tob.*3. & *Iſa.*65. Ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis: ecce ſerui mei bibent, & vos ſitietis: ecce ſerui mei lætabuntur, & vos confundemini: ecce ſerui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos præ contritione ſpiritus vlulabitis. 4.

Et delectentur. Hîc tertium. Quaſi diceret: Sic epulentur, & lætentur, & delectentur, non iam in timore aliquo admixto delectationi, vel in perturbatione aliqua, ſed *in lætitia. Tob.*7. Epulati ſunt benedicentes Deum. Hoc conuiuium quod fecit Ioſeph fratribus ſuis in meridie,& inebriati ſunt,*Geneſ.*43.Fercula quæ dat hîc in contemplatione, nemo ſcit, niſi qui accipit. In futuro autem dabit multa. Primum, vita ſine morte.*Iſa.*25. Præcipitabit mortem in ſempiternum, menſuram in illa præcipitatione. Secundum, ſanitas ſine infirmitate, aliter parum valeret vita. *Pſal.* Qui ſanat omnes infirmitates tuas. Tertium, plenitudo ſine defectione. *Pſal.* Qui replet in bonis deſiderium tuum.*Apoc.*21. Non eſurient neque ſitient amplius. Quartum,ſaturitas ſine faſtidio. *Eccl.*24. Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me;

Bona futũra gloria.

me, adhuc ſitient, &c. Quintum, pax ſine perturbatione. *Pſal.* Qui poſuit fines tuos pacem. *Iſa.*48. Vtinam attendiſſes ad mandata mqa, facta fuiſſet vt flumen pax tua. Sextum, ſcientia ſine ignorantia. 1. ad *Corinth.*12. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum: modò autem aliter. *Eccleſ.*24. Nebula texi omnem carnem. Septimum, gaudium ſine triſtitia. *Apocalypſ.*7. Iam non erit amplius, nec luctus, nec clamor, ſed nec vllus dolor. *Pſal.* Torrente voluptatis tuæ potabis eos. Modò comeditur agnus cum lactucis agreſtibus, ſed tunc non.

5. *Cantate Deo.* Hîc ſecundum primæ partis totius Pſalmi. Poſtquam enim orauit vt reſurgat, & bona conſequentia impleat, hîc ſecundò inuitat fideles ad fidem reſurgentis: & dicuntur duo. Primò inuitat ad laudandum reſurgentem. Secundò ad laudandum beneficia exhibentem, ibi, *Exultate in conſpectu.* In prima duo. Primò inuitat ad laudem. Secundò ſubiungit cauſam quare benedicendus. *Qui aſcendit ſuper occaſum.* In prima tria. Primò inuitat ad laudem mentis. Secundò oris. *Pſalmum.* Tertiò operis. *Iter facite.* Dicit ergo: Sic rogaui, modò conuerſus ad vos ô fideles dico: *Cantate Deo*, mente viuendo Deo Ad *Galat.*2. Viuo ego, iam non ego. Bene Deo canit, qui bonum diligit, quod eſt mente viuere Deo. *Iſa.*12. Cantate Domino, quoniam magnificè fecit. Si quæris quomodo cantus eſt? audi *Eccleſ.*40. Vinum & muſica lætificat cor: ſuper vtrumque autem dilectio ſapientiæ. Nec tantum mente, imò *Pſalmum dicite*, id eſt operamini: ipſa enim bona opera, ſicut frequenter dictum eſt, ſunt verba. Sed hoc, *nomini eius*, id eſt, ad eius laudem ordinata, vt nomen eius dilatetur, & glorificetur. *Matth.*5. Sic luceant opera veſtra bona coram hominibus, vt glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt.

Iter facite. Ecce tertium. Quaſi diceret: Sic cantate, & Pſalmum dicite, & vlterius *iter facite ei*: non ſolum vos præparando vt Deus ad vos veniat, ſed aliorum corda per prædicationem habilitando, ſicut Ioannes Baptiſta. *Luc.*1. Præibis ante faciem Domini parare vias eius. *Iſa.*40. Parate vias Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri. Et 62. Tranſite per portas, præparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides.

Qui aſcendit. Hîc aſſignat cauſam duplicem. Prima, mortis deſtructio. Secunda, vniuerſalis & ſingularis dominatio, ibi, *Dominus nomen.* Ait ergo: Sic cantate, Pſalmum dicite, prædicate Deo, *qui*, id eſt, quia ille *aſcendit ſuper occaſum*, id eſt, ſuper mortem ipſam deſtruendo, & in gloriam conuertendo. *Oſea* 13. O mors ero mors tua. 1. *Petr.*3. Qui eſt in dextera Patris ſedens, deglutiens mortem vt vitæ hæredes efficeremur. 1. ad *Corinth.*15. Abſorpta eſt mors in victoria. *Dominus*, ſimpliciter, *nomen illi*, verè & appropriatè. *Iſa.*42. Ego Dominus, hoc eſt nomen meum. Ad *Philip.* 2. Donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen.

Exultate in conſpectu. Hîc ſecundum huius partis, in quo inuitat ad laudandum beneficia exhibentem. Et primò inuitatio. Secundò ratio inuitationis, ibi, *Turbabuntur.* Ait ergo: Sic cantate, &c. Quæ dixi in honorem reſurgentis, facite, & etiam *exultate*, non in vanitate, ſed *in conſpectu eius.* 1. *Petr.*1. Exultabitis modicum nunc ſi oportet conſtritari. In conſpectu autem Dei exultare, eſt intus in conſcientia gaudere, vbi ſolus Deus videt. *Eccleſiaſt.* 30. Non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium.

Turbabuntur à facie. Hîc ratio exultationis. Prima, inimicorum certitudo. Secunda, bonorum exhibitio. *Patris orphanorum.* Dicit ergo: Sic exultate ne timeatis, quia qui vos turbant nunc, *turbabuntur à facie eius*, à præſentia ſcilicet eius. *Sapient.*5. Videntes turbabuntur timore horribili. *Mich.*7. Velut reptilia terræ turbabuntur de ædibus ſuis. *Ezech.*26. Turbabuntur inſulæ in mari.

Patris orphanorum. Hîc ſecundum, beneficiorum exhibitio. Primò miſeris corporaliter. Secundò miſeris ſpiritualiter, ibi, *Qui educit.* Vel melius. Primò quæ bona conferat bonis. Secundò quæ impiis, &c. In prima dicuntur quatuor, ſecundum quatuor beneficia quæ facit bonis. Primum, prouiſio in neceſſariis ſicut pater. Secundum, conſeruatio ab aduerſariis & protectio tanquam iudex. *Et iudicis.* Tertium, præſentiæ exhibitio. *Deus in loco.* Quartum, collectio ipſorum in vno viuendi modo. *Deus qui inhabitare.* Dicit ergo ſic: Dico, quòd mali turbabuntur à facie eius. Cuius *eius? Patris*, prouiſoris, & nutritoris, *orphanorum*: bonorum ſcilicet, quibus mortuus eſt pater, mundus ſcilicet, & mater, concupiſcentia mala, de quibus *Ezech.* 16. Pater tuus Amorrhæus, mundus: & mater Cethæa, concupiſcentia. Et Deus adoptat eos in filios ſtatim. *Ierem.*49. Relinque mihi pupillos tuos, & ego eos viuere faciam. *Ioan.*14. Non vos relinquam orphanos, vado, & venio ad vos. *Pſal.* Pupillo tu eris adiutor. Et alibi, Pater meus & mater mea derelinquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me.

6. *Quatuor beneficia bonis cõfert Deus.*

Et nota: Si Deus aſſumit & adoptat in filios quos carnales patres deſerunt, quid faciet de illis qui propter ipſum deſerunt & patrem & matrem, & totum mundum, & ipſam propriam voluntatem?

Et iudicis viduarum, eas ab oppreſſionibus defendendo: & eſt ſecundum beneficium. *Iſa.*1. Iudicate pupillo, & defendite viduam. Viduam autem dicit animam quæ ab hæreticis aliquandò deſponſauerat ſibi errorem in virum, ſicut è contrario boni deſponſant ſapientiam in vxorem. *Sapient.*7. Quæſiui eam mihi ſponſam aſſumere, & amator, &c. *Ioan.*4. Dixit Dominus Samaritanæ: Quinque viros habuiſti, qinque ſenſus tuos quibus obediebas: ſed nunc quem habes, error ſcilicet, quem tibi deſponſaſti, non eſt tuus vir: & ſi de facto, non de iure: imò adulter eſt. Tales ergo defendit Chriſtus, quibus moritur mundus, quibus moritur ſenſus proprius. *Prouerb.* 23. Non attingas paruulorum terminos, & agrum pupillorum non introëas: propinquus enim illorum fortis eſt, & ipſe iudicabit cauſas illorum contra te.

Deus in loco ſancto. Hîc tertium beneficium. 7.

Quaſi

Quasi diceret: Sic prouidet & defendit: & hoc potest, quia *Deus* est *in loco sancto suo*, in orphanis scilicet & viduis, quos locum suum facit & sanctum. 1. ad *Cor.* 3. Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Et illud inhabitat, etsi non videatur multis. *Gen.* 33. Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Tales enim sunt vera Ierusalem, vera Sion. *Zach.* 8. Habitabo in medio Ierusalem ego Dominus, habitans in Sion, in monte sancto meo.

Qui inhabitare. Hîc quartum beneficium tangitur. Quasi diceret: Sic habitat, & etiam ipse est, qui *facit inhabitare in domo*, in Ecclesia, vel ad literam in claustro, *vnius moris homines*, orphanos scilicet prædictos, & viduas: quod apertè fit, quando illi quibus mundus mortuus est, & sensus proprius, vniformiter viuunt & concorditer. *Act.* 3. Erat illis cor vnum, & anima vna. Et in 5. Erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis, & quotidie perdurantes vnanimiter in templo. Ad *Philip.* 2. Estote eandem charitatem habentes: vnanimes, idipsum sentientes. 3. *Reg.* 10. Regina Saba mirabatur vnitatem ministrantium Salomoni.

Beneficia malis collata, exoluit illos Deus vinculis praua consuetudinis.

Qui educit vinctos. Hîc beneficia quæ exhibet malis, quia extrahit eos de malitiis suis, & peccatis: & dicuntur duo. Primò liberatio consuetudine ligatorum. Secundò, quod maius est, præ superbia blasphemantium. *Similiter eos.* Tertiò obstinatorum omninò, quod est maximum. *Qui habitant in sepulchris.* Ait: Propter hæc exultate, quæ præmisi, & etiam quia ipse est *qui educit*, de statu peccati ad gloriosam pœnitentiam, *vinctos*, praua peccandi consuetudine, quæ vincit. *Prou.* 5. Funibus peccatorum suorum quisque constringitur. *Isa.* 5. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis: & ita fortiter aliquando sicut catena. Vnde *August.* eam catenæ comparat in lib. confess. *Isa.* 58. Si abstuleris catenam in medio tui. Et hoc *in fortitudine tua*, Samsonita. Fortitudo enim Samsonis, de qua *Iudic.* 16. quod omnia vincula disrumpebat, illam figurabat. 1. *Reg.* 2. Non est fortis sicut Deus noster: maximè, quando tam fortiter visus es catenas rumpere, quod sanguinem abundantissimè effudisti. *Zachar.* 9. Tu verò in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu, & alligasti inimicum. *Luc.* 11. Alligauit fortem, & vasa eius diripuit. *Apocal.* 20. Apprehendit serpentem antiquum qui est sathanas, & diabolus, & ligauit eum.

Similiter eos. Hîc est secundum. Quasi diceret: Sic educis vinctos peruersa peccandi consuetudine, similiter educens de peccatis eos *qui exasperant*, blasphemando. *Deut.* 32. Prouocauerunt eum in diis alienis, diis quos ignorabant. *Ezech.* 2. Domus exasperans est, & Deum quem prouocat sua infidelitate, & bonos quos persequitur. Eos etiam educit, *qui habitant*, tanquam omnino mortui, & in peccatis obstinati, & *in sepulchris* fœtidis, carnalibus desideriis. *Prouerb.* 20. Desiderium impiorum monumentum est pessimorum. *Matth.* 8. Dæmoniaci habitant in sepulchris. *Ezech.* 32. Assur in medio incircuncisorum, motuum scilicet carnalium, sepulchra eorum in circuitu eius.

D. Alb. Mag. Comment. in Psal.

Quasi diceret: In ipsis est, quasi in sepulchris quibusdam.

Et est notandum, quòd carnalia desideria, & fœtida dicuntur hîc sepulchra mortuorum in peccatis: in illis enim quiescunt, & è conuerso ipsi homines sunt sepulchra, desideria mortua in se continentia. *Matth.* 23. Væ vobis Scribæ & Pharisæi, hypocritæ, qui estis sicut sepulchra dealbata, intus autem pleni omni spurcitia.

8. *Secunda pars Psalmi enumerat quatuor beneficia Ecclesiæ post resurrectionem collata, doctrinam, missionem Spiritus sancti, miracula, Ecclesiæ dilatationem.*

Deus cum egredereris. Hîc est secunda pars Psalmi, in qua postquam præcessit oratio pro resurrectione, & inuitatio aliorum ad laudandum & benedicendum, sequitur narratio beneficiorum Ecclesiæ collatorum post resurrectionem: & diuiditur in quatuor partes. Primò ergo agit de beneficio instructionis per mundum diffusæ. Secundò de beneficio missionis donorum Spiritus sancti siue infusionis, ibi, *Dum discernit.* Tertiò operationis miraculorum quæ sequebatur ex donis, & doctrinam confirmabat, ibi, *Deus noster Deus saluos.* Quartò dilatationis, quod sequutum est ex tribus, ibi, *In Ecclesiis benedicite Deum.* In prima de benedictione prædicationis primò. Secundò de ministris prædicationis agitur, ibi, *Dominus dabit verbum.* Item prædicationis beneficium non est vbi deest gratia: vnde duo dicuntur. Primò de prædicationis beneficio agitur. Secundò de beneficio infusionis gratiæ, ibi, *Pluuiam voluntariam.* In prima tria. Primò ostenditur in quo facta est prædicatio. Secundò affectus sequens ex prædicatione illa. *Terra mota est.* Tertiò modus prædicationis tanquam causa illius effectus, ibi, *Etenim cœli.* In prima duo. Primò signatur tempus à Christi manifestatione per opera. Secundò à transmigratione Apostolorum ad gentes. *Cum pertransieris.* Dicit ergo: Sic petij resurrectione nos moueri ad lætitiam: nec mirum: quia, ô *Deus, cum egredereris*, manifestando te per opera, & resurrectionem mirabilem.

In conspectu populi tui, homini, qui populus tuus est. *Psal.* Nos autem populus eius, & oues pascuæ eius. Prius enim quasi clausus erat & absconditus. *Isa.* 45. Verè tu es Deus absconditus. Et 53. Quasi absconditus est vultus eius. Sed egressus est per opera mirabilia maximè, quando resurrexit. *Isa.* 42. Dominus sicut fortis egredietur. Præter hunc autem egressum est alius triplex. Æternitatis. *Michæ.* 5. Egressus eius ab initio, à diebus æternitatis. Temporalis natiuitatis. *Michæ.* 6. Ex te enim exiet dux. *Oseæ* 6. Quasi diluculum egressus eius. Sicut diluculum ab aurora, sic Christus ex Maria. Humanæ subuentionis. *Abac.* 2. Egressus es in salutem populo tuo. *Cum pertransires*, transmigrando de Iudæis *in desertum*, vel melius *in desertum*, scilicet ad Gentiles qui videbantur deserti à Deo. Hoc desertum est de quo suprà in *Psal.* In terra deserta, inuia, &c. *Isa.* 43. Ponam in deserto viam, & in inuio flumina.

Nota tres Christi egressus, à Patre, à Virgine, & egressus ad salutem gentium per prædicationem.

9. *Terra mota est.* Ecce effectus prædicationis. Quasi diceret: *Tunc*, quando scilicet egressus, quando transieris ad Gentes, *terra mota est.* Supra in *Psal.* Commouisti terram, &c. *Exod.* 15. Conturbati sunt principes Edon,

robuſtos Moab, &c. *Pſal.* Conturbati ſunt omnes qui videbant eos.

Etenim cœli. Hîc tertium, ſcilicet modus prædicationis. Duo ergo tanguntur. Moderata prædicatio, & origo illius moderaminis in prædicatione. *A facie Dei Sinai.* Dicit ergo: Sic nota eſt: *etenim*, quia, *cœli diſtillauerunt*, Apoſtoli modeſtè prædicauerunt, quod eſt ſtillare: qui dicuntur cœli. Suprà in *Pſal.* Cœli enarrant, &c. *Iob* 39. Super illos ſtillabat eloquium meum. Hæc ſunt ſtillicidia de quibus *Pſal.* Sicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. Hæc ſunt ſtillicidia dulcedinis, de quibus *Amos* 9. In illa die ſtillabunt montes dulcedinem. *Cantic.* 4. Fauus diſtillans labia tua. Sed quomodo dicuntur ſtillare Apoſtoli, cum abundantiſſimè effunderent doctrinam? *Eccleſ.* 9. Si repletæ fuerint nubes, effundentur ſuper terram. Reſp. Stillicidium quicquid ab eis de Deo dicitur, reſpectu eius quod dicendum eſſet. *Iob* 26. Si vix modicam ſtillam ſermonum eius audierimus, tonitruum magnitudinis eius quis poterit intueri?

Cauſa conuerſionis. Et nota, quòd ſatis mirum eſt, quòd ſtillicidium aſſiduum, prædicationis ſcilicet & lectionis: & mulier litigioſa, ſcilicet remordens conſcientia: & fumus, inferni intuitus & conſideratio, non eiiciunt multos de domo ſua, ſcilicet de conuerſatione peruerſa. *Prouerb.* 27. ſecundum aliam literam. Tria ſunt quæ hominem de domo eiiciunt: fumus, ſtillicidum, & litigioſa mulier.

A facie Dei Iſraël. Hæc eſt ratio etiam quaſi cauſa prima ſtillicidij ipſe Deus, quem deſcribit à legis datione, & à populi Iſraëlitici regimine. *A facie Dei.* Ait enim: Sic ſtillauerunt cœli, non hoc à ſe habentes, ſed *à facie*, benignitate ſcilicet *Dei Sinai*, qui dedit legem in Sinai. *Exod.* 20. *A facie Dei Iſraël*, rectoris ſcilicet populi Iſraëlitici. Infrà, Deus Iſraël ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ. *Iob* 28. Quis pluuiæ pater eſt, & ſtillas roris quis genuit? Ille conſtat, qui dixit *Matth.* 10. Non vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis. Aliæ literæ ponuntur in *Gloſſa*, & etiam leguntur.

10. *Secundũ beneficium poſt doct. inam gratiæ infuſio.* *Pluuiam voluntariam.* Poſtquam egit de beneficio prædicationis, hîc agit conſequenter de beneficio infuſionis gratiæ cum doctrinâ: aliter enim non valeret. *Gregor.* Fruſtra laborat exterius lingua prædicatoris, ſi non operetur interius gratia conditoris. Et tanguntur tria. Primò infuſio abundans. Secundò effectus ſequens ex illa infuſione, ibi, *Et infirmata eſt.* Tertiò ratio infuſionis illius, ſcilicet dulcedo, ibi, *Paraſti in dulcedine tua.* Dicit ergo: Sic ſtillabunt cœli, & etiam ô Deus *ſegregabis*, vel *ſegregaſti*, tanquam aliquid pretioſum, *pluuiam voluntariam*, gratiam abundantem. *Exech.* 34. Pluuiæ benedictionis erunt. Hæc pluuia verè de cœlo deſcendit. *Act.* 14. Benefaciens, de cœlo dans pluuias. Hæ ſunt aquæ de ciſterna Bethlehem, de Virgine Maria. *Luc.* 1. Aue gratia plena. 2. *Reg.* 23. Dauid deſiderauit aquas de ciſterna Bethlehem. *Pluuiam*, inquam, *voluntariam*, tuâ voluntate emiſſam. *Iac.* 2. Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis. Vel, *pluuiam voluntariam*, quia vniuſcuiuſque præparat voluntatem, & ei ſapit ſicut vult: optimè ſignata in illa pluuia, in qua pluebat Dominus manna filiis Iſraël in deſerto. *Exod.* 16. *Sap.* 16. Deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, ad quod volebat vnuſquiſque, conuertebatur. Et hoc, *hæreditati tuæ*, ſcilicet gentilitati de qua in *Pſal.* Dabo tibi gentes hæreditatem tuam.

Effectus gratiæ, infirmitatis agnitio. *Et infirmata eſt.* Hîc tangitur effectus gratiæ huius. Primò recognitio infirmitatis. Secundò conſummatio in bono. *Tu verò.* Tertiò omnimoda ſubiectio ipſi Deo. *Animalia tua.* Dicit ergo: Sic pluuiam ſegregabis, & ipſa infuſa hæreditati tuæ, ipſa hæreditas *infirmata eſt* ſui reputatione, ſeſe infirmam cognoſcens: quò enim plus abundat gratia, eò plus ſe nihil, & infirmam animam recognoſcit. *Luc.* 17. Cum omnia benefeceritis, dicite: Serui inutiles ſumus. *Tu verò* merito huius, *perfeciſti eam*, in bono. 1. ad *Corinth.* 12. Virtus in infirmitate, cognita, perficitur. *Pſal.* Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, cognitione ſua: poſteà accelerauerunt, ad perfectionem. *Prouerb.* 29. Humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria, perfectio ſcilicet glorioſa. Et *Pſal.* Perfeciſti eis qui ſperant in te. Et aliàs, Perfice eam, quam plantauit dextera tua.

Animalia tua. Hîc tertium, quare ſic humiliabitur, & perficietur? *Et animalia tua*, ſubiecti ſcilicet tibi vt animalia, *habitabunt in ea*, hæreditate quæ tua eſt. Hæc eſt enim hæreditas tua ſic completa, ſic infirmata, ſic perfecta. Quaſi diceret: Hæc fient tibi ſubiectis, ſicut ſubiiciuntur mitia animalia. Iſti greges de quibus *Exod.* 10. Cuncti greges pergent nobiſcum. Talia animalia, de quibus *Iſa.* 1. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum & aſinus præſepe Domini ſui. Et ille qui dicit alibi in *Pſal.* Vt iumentum factus ſum apud te. *Ioel.* 2. Nolite timere animalia regionis. Sed hæc omnia vnde? Nunquid ex meritis illorum qui ſic perficiuntur? Non: imo, ô Deus, hæc bona paraſti, æternaliter prædeſtinando, *pauperi*, populo tuo, ſupple, non in meritis ſuis, ſed *in dulcedine tua*, in dulci tua bonitate. 11

Nota enim, quòd bonus homo parat, ſecundum illud, Paratum cor meum. Paratum ad obſeruantiam mandatorum, ad perfectionem conſiliorum. Et Deus parat ei cibum. *Pſal.* Paraſti cibum illorum, quoniam ita eſt, &c. *Sapient.* 16. Panem de cœlo dediſti eis. Et parat eis locum in vita æterna. *Ioan.* 14. Vado parare vobis locum. Et parat ineffabile præmium. *Iſa.* 64. Oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te.

Nota etiam, quòd Deus parat pauperibus in dulcedine, non culpæ, de qua *Prouerb.* 5. Fauus diſtillans labia meretricis. Sed gratiæ, de qua *Eccl.* 24. Spiritus meus ſuper mel dulcis. Et gloriæ, de qua hic, & *Pſal.* Dulcis & rectus Dominus.

Item pauperi parat in dulcedine, quia ad literam dulciores ſunt reliquiæ pauperibus, quam diuitibus ipſe cibus. Quare? Quia

Dominus

Dominus optimum saporem facit illis reliquiis tanquam bonus coquus, scilicet famem.

12. *De prædicatoribus.* *Dominus dabit verbum.* Hîc secundum. Postquam elegit de beneficio prædicationis fructuosæ, agit de ministris, ostendens eorum conditionem primò. Secundò quendam fructum consequentem ex eis, ibi, *Et posteriora dorsi.* In prima duo. Primò collatio bonorum ministris à Deo. Secundò apponitur ex parte ipsorum conditio, ibi, *Si dormiatis.* In prima adhuc tria sunt bona à Deo exhibita sibi, doctrina, potentia faciendi miracula, *virtute multâ*, & authoritas ordinandi Ecclesiæ membra. *Et speciei domus.* Dicit ergo: Sic beneficium doctrinæ gratiosæ per mundum effundetur, quia *Dominus dabit*, non vendet. *Matth.* 10. Gratis accipistis, gratis date. *Prouerb.* 23. Noli vendere sapientiam. *Verbum* vtile & bonum, non friuolum. *Psal.* Misit verbum suum, & sanauit eos. Sanatiuum ergo & verissimum. *Luc.* 21. Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere aduersarij vestri. Propter hoc dicebat *Esther* in 14. Tribue in ore meo sermonem compositum. *Eccles.* In manu eius sumus nos, & sermones nostri. *Euangelizantibus*, non aliis. *Psal.* Aperi os, euangelizando: & imple illud, sapientiam infundendo, & *verbum. Prou.* 11. Qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. Et hoc *virtute multâ*, constantiæ adiuncta. *Act.* 4. Da seruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum. *Ierem.* 1. Dedi te in ciuitatem munitam, & in columnam ferream. Vel *virtute multâ* faciendi miracula adiunctâ, & est secundum beneficium. *Marc. vlt.* Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.

Eorũ virtus in prædicando.

Nota ergo hîc, quòd quidam euangelizant in potestate faciendi miracula, sicut Petrus, in cuius vmbra sanabantur infirmi. *Act.* 5. Alij in fortitudine & constantia, vt Paulus, qui dicebat ad *Roman.* 8. Certus sum quod neque mors, neque vita, &c. Alij in sapientia, sicut Stephanus. *Act.* 7. Non poterant resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur. Alij in infirmitate, sicut mercenarius, qui videt lupum venientem, & fugit. *Ioan.* 10. Alij in cupiditate, de quibus in *Psal.* Qui deuorant plebem meam vt cibum panis. *Ezech.* 13. Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis.

13. *Hæc virtus est à Christo.* *Rex virtutum dilecti.* Hîc conferentis hæc bona descriptio interseritur. Quasi diceret: Dominus dabit verbum. Quis Dominus ille? qui est *rex virtutum. Virtutum*, inquam, *dilecti*, Christi scilicet: Deus enim pater est rex virtutum angelicarum, & virtutum animis infusarum. *Psal.* Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Quæ virtutes sunt etiam Christi *dilecti* à Deo Patre. *Matth.* 3. Hic est Filius meus dilectus, &c. Et *dilecti* ab Angelis. 1. *Petr.* 1. In quem desiderant Angeli prospicere. Imò *dilecti* ab omni creatura. Deus quidem diligit quicquid diligere potest. *Dilecti* in humanitate, quia speciosus forma præ filiis hominum. *Dilecti* in Dei virtute, quia candor lucis æternæ, & speculum sine macula. *Sapient.* 7. Splendor gloriæ, & figura substantiæ patris, ad *Hebr.* 1.

Et speciei domus. Hîc tangitur tertium beneficium. Quasi diceret: Sic dabit verbum, dabit virtutem, dabit & authoritatem, quia dabit, repete, *diuidere*, distinguere, & ordinare, *spolia speciei domus*, id est, domus speciosæ, scilicet Ecclesiæ militantis: non quia ab Ecclesia sunt abstracta illa spolia, sed quia prædicatores à diaboli regno tulerunt illa. Vnde de Paulo dicitur illud *Genes. penult.* Beniamin lupus rapax, manè capiet prædam, & vesperè diuidet spolia. *Isa.* 9. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores captâ prædâ, quando diuidunt spolia. *Auctoritas Apostolorũ in ordinãdis Ecclesia.*

Aliter etiam potest, vt *dilecti* secundò positum, ad sequens referatur. Quasi diceret: Prædicta faciet *rex virtutum dilecti*, & etiam *dilecti diuidere spolia*, id est, ad diuidendum spolia: ad hoc enim Deus Pater dilexit Filium, vt spoliatorem diaboli eum faceret. *Isa.* 7. Voca nomen eius, Accelera, spolia detrahe, festina prædari. *Luc.* 11. Dum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet: si autem fortior illo, &c. *Alia expositio.*

Si dormiatis. Hîc tangitur ex parte ipsorum conditio. Notandum enim, quod columba est Ecclesia, pennæ huius columbæ ipsam ad alta subleuantes, sunt Doctores sacri, maximè primitiui, qui erant etiam eloquentia quasi deargentati. *Cõditio prædicantium.*

Notandum ergo, quod Græco vocabulo, *cleros* idem est quod sors, portio videlicet, quæ accidit ex diuisione alicuius hæreditatis maximæ. Cum autem per duo Testamenta habeantur æterna bona, quæ nostra sunt hæreditas: duo Testamenta cleros appellat, secundum duas hæreditates, æternam scilicet & temporalem. Sensus ergo est: Sic fiet vt prædixi, si vos qui estis pennæ columbæ deargentatæ, id est, eloquentes Doctores Ecclesiæ, *dormiatis* contemplando, *inter medios cleros*, inter duo scilicet Testamenta, & inter duas hæreditates, illam respuendo, illam verò eligendo, & ardenter quærendo. Et debuisset dixisse: Inter cleros, sed more Græcorum sic loquutus, qui cum debent dicere, inter me & te, dicunt inter medium nostrum. Pennæ ergo dicuntur Apostoli illi, de quibus *Malach.* 3. Vobis timentibus Deum orietur sol iustitiæ, Christus scilicet: & sanitas in pennis eius, id est, in Apostolis. Hæ pennæ de quibus supra in *Psal.* Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Et deargentatæ, argento scilicet eloquij. *Psal.* Eloquia Domini eloquia casta, argentum, &c. Propter hoc dicitur *Num.* 10. Fac tibi duas tubas argenteas. *Duo cleri duo Testamenta, vel hæreditas temporalis & æterna, inter quæ dormiendum prædicatori.*

Et pennæ ipsius columbæ Ecclesiæ quæ columba dicitur, primò quia felle caret. Ad *Ephes.* 4. Omnis amaritudo, ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis. Ad *Hebr.* 12. Ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat. Cadauere non vescitur: in quo notatur abstinentia. 2. *Petr.* 1. Ministrate in scientia abstinentiam. *Prouerb.* 21. Qui diligit epulas, in egestate erit. Non lædit *Ecclesia dicitur columba.*

ore. Ad *Epheſ.* 4. Qui furatur iam non furetur. Alienos pullos nutrit. *Matth.* 5. Diligite inimicos veſtros, &c. quia 1. ad *Corinth.* 13. Charitas non quærit quæ ſua ſunt. Gemitum habet pro cantu: & Eccleſiæ vox eſt, Heu mihi, quia incolatus mens prolongatus eſt. Et alibi, Laboraui in gemitu meo. *Iſa.* 59. Sicut columbæ meditantes gememus. Super aquas vt videat accipitrem & fugiat, ſicut Eccleſia ſuper aquas Scripturarum. *Cantic.* 5. Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuos aquarum quæ lacte ſunt lotæ, & reſident ſuper fluenta pleniſſima. Gregatim volat: & de Eccleſia dicitur *Cant.* 6. Terribilis vt caſtrorum acies ordinata. *Act.* 4. Erat illis cor vnum, & anima vna.

Et poſteriora. Hîc ſecundum huius partis, in quo oſtendit fructum conſequentem quendam ſi fuerint miniſtri, quales ſunt deſcripti. Et legitur dupliciter, quia dorſum poteſt hic ſignificare charitatem, vel extremorum in Eccleſia collectionem. Ait enim: Hæc fient quæ præmiſi ſi ſic inter duo teſtamenta dormieritis. *Et poſteriora dorſi eius*, id eſt, Eccleſiæ, ſcilicet charitas, in dorſo enim poſterius onera portantur, vnde per dorſum charitas deſignatur, de qua 1. ad *Corinth.* 13. Charitas omnia ſuſtinet. Et in dorſo ſic figuntur, virtutes, ſcilicet alæ ſpirituales in charitate, vt ſine ipſa nihil ſint. 1. ad *Corinth.* 13. Si habuero omnem fidem, charitatem non habeam, nihil mihi prodeſt.

Fructus prædicationis, charitas dorſo de auro ſignificata.

Erunt *in pallore auri*, id eſt, charitas Eccleſiæ erit ſicut aurum fuluum, quod eſt valdè pretioſum. 3. *Reg.* 6. Salomon fecit thronum eburneum, & veſtiuit illum auro fuluo. Vel in nitore auri, charitate & ſapientia: viror enim eſt claritas diuinæ ſapientiæ. *Sap.* 6. Clara eſt, & quæ nunquam marceſcit ſapientia. Alio modo ſic: *Et poſteriora dorſi eius*, Eccleſiæ ſcilicet illi qui erunt in temporibus extremis, erunt lucentes in charitate & feruidi. Ipſi enim erunt quaſi vas auri ſolidum. *Eccleſ.* 5. Ipſi erunt de quibus dictum eſt in *Pſal.* Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato.

15. *Alij ex prædicatione fructus.*

Dum diſcernit. Hîc ſecundum ſecundæ partis, in quo agitur de beneficiis poſt prædicationem exhibitis: & dicuntur duo. Primò enarratio bonorum. Secundò gratiarum actio pro exhibitis, & expectatio conſummationis illorum, ibi, *Benedictus Dominus.* In prima duo. Primò enarratio beneficiorum. Secundò probatio, quòd neceſſe erat conferte illa bona, vel collatorum magnitudo, ibi, *Currus Dei decem millibus.* In prima duo. Primò beneficij collatio. Secundò collatoris commendatio multiplex, ibi, *Mons Dei, mons pinguis.* In prima tria tanguntur. A quo collatum, & quando. Secundò quid collatum & quibus. *Reges ſuper eam.* Per quid. *In Selmon.* Dicit ergo: Sic de beneficio Eccleſiaſticæ prædicationis, & etiam *Reges ſuper eam*, id eſt, prædicatores ſancti, & Doctores, qui regunt Eccleſiam, & ob hoc reges dicuntur. *Eccleſ.* 33. Rectorem te poſuerunt. *Act.* 20. Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo poſuit vos Spiritus ſanctus regere Eccleſiam, &c.

Munditia regum & rectorum Eccleſia.

Dealbabuntur, id eſt, albiores efficientur niue, mundati penitus à peccatis. Suprà in *Pſal.* Et ſuper niuem dealbabor. *Iſa.* 1. Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur. *Dan.* 12. Eligentur, & dealbabuntur, & quaſi ignis probabuntur. *Apoc.* 7. Lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni. Et hoc *in Selmon*, id eſt, in vmbra: ſic enim interpretatur Selmon, ſcilicet infrigerante eos gratia ab ardore vitiorum.

Sub hac vmbra refrigerari quærebat, quæ dicebat *Cant.* 2. Sub vmbra illius ſedi, quem deſiderabam. Proiicitur autem vmbra hæc à Chriſto monte, in quem plenitudo lucis diuinæ deſcendit. Vnde ſignanter dictum eſt Mariæ perquirenti quomodo filium Dei ſuſtineret concipere *Luc.* 1. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Proiicitur etiam vmbra hæc à Maria: ipſa enim eſt tabernaculum. *Eccleſ.* 24. Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. Et *Iſa.* 4. dicitur, Erit tabernaculum in vmbra diei ab æſtu. *Eccleſ.* 34. Tegumen ardoris vmbraculum meridiei.

Et hoc *dum cœleſtis*, id eſt, Chriſtus, qui verè cœleſtis: aſcendit enim ſuper omnes cœlos, vt adimpleret omnia. *Iudic.* 9. Aſcendit Abimelech cum omni exercitu ſuo. *Diſcernit*, bonos à malis, gratiam illis conferendo, hos in peccatis dimittendo: & bonos ab inuicem, his maiora bona, his minora & pauciora conferendo. 1. ad *Cor.* 4. Quis enim te diſcernit? à malis, ſupple. Nonne cœleſtis? Quid habes quod non accepiſti? Quaſi diceret: Nihil. Et 12. Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem Dominus. *Matth.* 25. Vnicuique dedit ſecundum propriam virtutem, alij quinque, alij duo, alij verò vnum.

Mons Dei. Hîc ſecundùm, ſcilicet datoris commendatio. Commendatur autem multipliciter. Primò à vitæ altitudine. Secundò à bonorum operum abundantia & fertilitate. *Mons pinguis.* Tertiò à doctrinæ generalitate. *Mons coagulatus.* Quartò ab excellentia in bonitate ſuper alios, ibi, *Vt quid ſuſpicamini.* Quintò à priuilegij ſingularitate. *Mons in quo.* Dicit ergo: Hæc bona ſunt ſunt à cœleſti diſcernente qui cœleſtis, ſcilicet Chriſtus eſt *mons Dei*, vitæ altitudine. *Iſa.* 2. Erit præparatus mons domus Domini in vertice montium. *Daniel.* 2. Lapis de monte præciſus ſine manibus excreuit in montem magnum. Et eſt mons pinguis bonorum fertilitate, vnde alia litera habet: *Mons vberi. Geneſ.* 49. Aſer, id eſt, beatus, Chriſtus ſcilicet, pinguis panis eius.

16. *Auctor horũ beneficiorum commendatur.* *Dicitur mõs Chriſtus.*

Mons coagulatus. Hîc tertium, in quo commendatur à doctrinæ generalitate. Et primò à doctrina paruulorum. Secundò maiorum. *Mons pinguis.* Ait enim: Et ipſe *mons coagulatus*, id eſt, fluens, quaſi lacte coagulato, quod cibus eſt paruulorum. 1. ad *Corinth.* 13. Tanquam paruulis in Chriſto lac potum dedi vobis, non eſcam. *Hebr.* 5. Facti eſtis quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo. Hinc dicitur de Apoſtolis, qui doctrina ſimplici paruulos imbuebant: Et ſicut lac coagulati ſunt. Chriſtus etiam in ſe mons coagulatus, quia carnem

17. *Laus eius doctrinæ.*

coagulatam

coagulatam ex sanguine purissimo Virginis habuit. *Sap.*7. Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine. *Iob* 10. Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? Et sic factus caseus, cibus scilicet fatuorum. 1. ad *Cor.*1. Si quis vult sapiens fieri, stultus fiat, vt sapiens sit: vt de hoc caseo digne comedere possit.

Mons pinguis, quantum ad maiores, in quos influit pinguedinem, deuotionis abundantem, & cibum solidiorem. Ad *Hebr.*5. Perfectorum verò solidus est cibus. *Iudic.*9. Nunquid possum deserere pinguedinem meam?

17. *Vt quid suspicamini*? Ecce quartum, in quo commendat ab excellentia in bonitate. Ait enim: Sic est mons coagulatus & excellenter, quia *vt quid suspicamini montes coagulatos?* alios in comparatione ad ipsum. Quasi dicere: Male suspicamini. *Ioan.*3. Qui de cœlo venit, super omnes est. Si enim alij montes coagulati sunt, iste tamen super omnes est. *Mich.*4. Erit mons Domini præparatus in vertice montium.

Alij prædicatores sunt montes. Nota enim, quòd ideò montes dicuntur, quia super alios eleuati. *Toren.*3. Leuauit se super se. Ad *Phil.*3. Conuersatio nostra in cœlis est. Quia aquas, res scilicet temporales non retinent. 1. ad *Timoth.* 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Susceptam vndique effundunt, & distribuunt. *Tob.*4. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: sibi parum, illud etiam libenter impertiri stude. Quia lumen susceptum in se prius in inferiora spargit. *Psal.* Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.

Priuilegia Christi. *Mons in quo beneplacitum.* Hîc est quintum, in quo commendatur à priuilegij singularitate: & dicuntur duo. Primò priuilegij singularitas. Secundò singularitatis æternitas. *Etenim Dominus.* Dicit enim: Non suscepimini montem comparatione ad istum: ipse enim est mons, *in quo Deo beneplacitum est habitare in eo.* In eo superfluit, sicut frequenter in Hebræo contingit. Vel sic: *Mons in quo beneplacitum est Deo*, in eo scilicet habitare, *in Deo*, id est, vt inhabitet in eo per vnionem. *Ioan.* 1. Verbum caro factum est. Ad *Coloss.* 2. In quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter, non sicut in illis de quibus 1. *Corinth.* 10. Non in pluribus illorum beneplacitum est Deo. Imò nec sicut istis, de quibus in *Psal.* Beneplacitum est Domino super timentes eum: sed plus in infinitum. Nunquid inhabitabit ad tempus? Non.

In illo habitat diuinitas corporaliter. Etenim, quia *Dominus*, ipsa diuinitas, *habitabit*, in hoc monte, in Christo, *vsque in finem*, hoc est, finaliter. Et sic semper. Hinc dixit *August.* Qui dixerit Dei verbum assumptum deseruisse hominem, anathema sit. Hæc est enim coniunctio, & vnio coniugalis. *Matth.*19. Quos Deus coniunxit, homo non separet. *Psal.* Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, &c.

18. *Dona prædicatoribus collata.* *Currus Dei.* Hîc secundum beneficium tangitur, scilicet promotio illorum qui dealbati fuerunt in bonum: & dicuntur duo. Primò beneficiorum enumeratio. Secundò ratio exhibendi illa: quia filius accipit à patre, ibi, *Accepisti dona.* In prima duo. Primò beneficium respectu viuentium. Secundò respectu mortuorum. *Ascendisti in altum.* In prima tria secundum tria beneficia quæ tanguntur. Primum, prædicationis gratia. Secundum, spiritualis lætitia. *Millia lætantium.* Tertium, Dei præsentia, ex qua causantur duo prima, ibi, *Dominus in eis.* Dicit ergo: Sic dealbabuntur à morte tali, & ipsi etiam sicut *currus Dei*, &c. Vel ad immediatum: Deus habitat montem istum & per ipsum alios, vnde fiunt *currus Dei*, id est, currus portans Deum. *Currus*, inquam, *multiplex decem millibus*, innumeris. *Sunt currus Deum portantes.* In solo enim Deo numerati sunt, quia eius fuerunt, & sunt, & futuri sunt portitores. *Iob* 29. Nunquid est numerus militum eius? Et super quem non fulget lumẽ eius? *Dan.*7. Millia millium ministrabant ei, & decies millies, &c. Quod autem iusti currus sint. 4. *Reg.*2. Pater mi, currus Israël, & auriga eius, dixit Eliseus ad Eliam.

Millia lætantium. Ecce secundum, & construe, Currus est multiplex infinitis millibus, quia *millia sunt lætantium*, spirituali scilicet lætitia in Deum exultantium. Ad *Rom.* 12. Spe gaudentes. *Ioël.* 3. Filij Sion lætamini & exultate in Domino Deo vestro. Ad *Phil.*4. Gaudete in Domino semper.

Dominus in eis. Hîc tertium, causa scilicet vtriusque præmissorum. Quasi diceret: Bene dixi, quòd in eis prædicationis gratia & lætitia, quippe Dominus in eis est. Sed quomodo? *In sancto*, dato *in Sina*, vel in Sinai, scilicet in mandato quod bonum est, & sanctum, & iustum. Ad *Roman.*7. Mandatum quidem iustum, & sanctum, & bonum. Hoc autem non adimpletur nisi Deus sit in ipso adiutor. Ad *Phil.*2. Operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. Infundit enim charitatem, quæ eum præsentem habet: & sic potest mandatum compleri. Aliter non. Ad *Rom.* 13. Plenitudo legis est dilectio. Vel Dominus est in eis, & specificat vbi est in eis, *in Sina*, sed per Angelum. Ad *Galat.* 2. Lex data est per Angelos in manus mediatoris. *In sancto*, in homine assumpto, Christo scilicet. *Luc.*1. Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur, &c. *Dan.*6. Sanctus sanctorum.

19. *Dona patribus defunctis collata à limbo liberantur.* *Ascendisti in altum.* Hîc beneficium in mortuis factum, scilicet extractio ipsorum de limbo: & tanguntur duo. Terminus à quo traxit primò. Secundò ad quid, ibi, *Cepisti captiuitatem.* Ait enim: Sic prædestinationis gratiam & lætitiam per tui præsentiam præstitisti, *ascendisti in altum*, in cœlum. Hic ascensus fuit figuratus 3. *Reg.* 18. Ecce nubecula parua quasi vestigium hominis, ascendebat de mari. Prædictus *Michæ* 2. Ascendit pandens iter ante eos. Nec tantum in cœlum, imò super omne cœlum materiale. Ad *Eph.*4. *Ascensus Christi.* Ascendit super omnes cœlos, vt adimpleret omnia. *Psal.* Et occursus eius vsque ad summum eius. Nec mirum si ascendisti, quia deposuisti pondus superbiæ per veram humilitem. *Matth.* 11. Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Ad *Ephes.* 4. Qui descendit, per humilitatem, ipse est qui ascendit. Imò pondus omnis culpæ, de quo ad *Hebr.*11.

Depo

Deponentes omne pondus, & circunſtans nos peccatum : & hoc per veram innocentiam. *Iſa.* 53. 1. *Pet.* 1. Qui peccatum non fecit, &c. Et pondus fortunæ, cum quo nemo poteſt aſcendere. Super illud *Matth.* 19. Ecce nos reliquimus omnia. *Bernard.* Rectè Petre, & non ad inſipientiam, illum, qui exultauit vt gigas ad currendam viam, imò qui volauit, volauit ſuper pennas ventorum, ſequi non poteras oneratus, ſed hoc depoſuiſti per veram paupertatem. *Luc.* 9. Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. Et corpus naturale corruptibile, quod valde aggrauat. *Sapient.* 9. Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, &c. Sed hoc depoſuiſti per glorioſam reſurrectoinem. 1. ad *Cor.* 15. Oportet mortale hoc induere immortalitatem, & corruptibile hoc, &c.

Cepiſti, de lumbo inferni ad ducendum illuc, *captiuitatem*, homines iuſtos qui ibi tenebantur. *Zachar.* 9. Tu verò in ſanguine Teſtamenti eduxiſti vinctos de lacu, in quo non erat aqua. Vel de viuentibus poteſt legi: *Cepiſti captiuitatem*, peccatores in peccati ſeruitute, tanquam in quodam detentos carcere. *Ioan.* 8. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. *Prou.* 5. Funibus peccatum ſuorum quiſque conſtringitur. Cepiſti eos in reti prædicationis. *Thren.* 1. Expandit rete pedibus meis, conuertit me retrorſum.

Accepiſti dona. Ecce ſecundum, in quo enumeratis beneficiis, tangitur poteſtas conferendi illa, quia hæc accepit à patre. Ait enim : Si hæc bona contuliſti, & hoc quia *accepiſti dona* à Deo Patre. *Dona*, inquam, *in hominibus* exhibita. Vel ſic : *Accepiſti dona*, à Deo Patre, *in hominibus*, poſtmodum reformanda, & ipſis hominibus retribuenda. Primò in Apoſtolis. *Act.* 2. Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto. Poſtea per illos in aliis. *Pſal.* Suſcipiant montes pacem populo. Et rurſus : Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.

Etenim non credentes. Hîc ſecundum totius primæ partis illius, in qua agitur de beneficiis exhibitis poſt reſurrectionem. Quaſi diceret: Hæc bona feciſti, & hoc neceſſe erat. *Etenim*, quia *non credentes*, erant homines, ſupple, *Dominum Deum inhabitare*, per vnionem hominem Chriſtum : ſed eis eſt prædicatum poſtea. 2. ad *Cor.* 5. Deus erat in Chriſto mundum reconcilians Deo. Et ad *Coloſſ.* 2. In ipſo inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter. Vel *Deum*, id eſt, Patrem, *inhabitare Dominum*, per eſſentiæ vnitatem : cum tamen dicat *Ioan.* 10. Ego & Pater vnum ſumus. Et 14. Non credis quia ego in Patre, & Pater in me eſt?

20. *Gratiarum actio pro beneficiis memoratis.*

Benedictus Dominus die. Hîc ſecundum, in quo præmiſſa beneficiorum enumeratione, ſubiungitur exclamatio Prophetæ in gratiarum actionem cum aſſertione de beneficiis conſummandis : & ſecundum hoc dicuntur duo. Primò gratiarum continua actio. Secundò certa conſummatorum bonorum expectatio, ibi, *Proſperum iter.* In prima duo. Primò gratiarum actio. Secundò duratio vel continuatio. *Die quotidie.* Dicit ergo: Hæc bona fecit Deus, & propter hoc, *Deus ſit benedictus.* *Daniel.* 3. Benedictus Deus patrum noſtrorum. 2. *Eſdræ* 4. Benedixerunt Deum patrum ſuorum, & hoc *die* ſuccedente *quotidie* : vnde alia litera habet, *De die in diem.* Supra in *Pſal.* Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius, &c. *Eccleſ.* 51. Laudabit anima mea vſque ad mortem Dominum.

Proſperum iter. Hîc ſecundum, certa expectatio conſummationis bonorum futurorum. Ait enim : Sic ſit benedictus : & hoc iuſtum: *quoniam Deus ſalutarium noſtrum.* In *Pſal.* Domine Deus ſalutis meæ. Et dator, *faciet iter proſperum* veniendi ad illa ſalutaria. Sed quomodo dicitur hoc? Nonne dicitur *Matth.* 7. Arcta eſt via quæ ducit ad vitam? Quomodo ergo proſpera? Reſp. Arcta eſt ſine dubio in ſe, ſed ipſam arctitudinem ſanctis reddit dulcem, & ſic proſperam, ſecundum quod exponitur illud *Iſa.* 55. Proſperabitur in omnibus ad quæ miſi illum, quamuis multa dura paſſus ſit. Si quis enim bene confidat, eo ipſo quod anteceſſit, proſperum iter fecit, ipſe columna nubis & ignis, quæ filios Iſraël deducebat proſperè per deſertum. *Exod.* 14. *Tob.* 5. Bene ambulatis, & ſit Dominus in itinere veſtro : & Angelus bonus comitetur vobiſcum. Qui hanc non ſequitur, non proſperabitur. *Eccleſ.* 10. Labor ſtultorum affliget eos, qui neſciunt in vrbem pergere.

21.

Deus noſter Deus ſaluos. Hîc tertium ſecundæ partis, totius huius Pſalmi, in quo poſt narrata beneficia prædicationis & infuſionis donorum Spiritus ſancti, ſequitur beneficium mirabilis operationis maximè in conuerſione peccatorum quaſi deſperatorum, & humiliatione aduerſariorum : & ſecundum hoc dicuntur duo. Primò aduerſariorum humiliatio & deiectio. Secundò extremorum in peccatis conuerſio, ibi, *Dixit Dominus, Ex Baſan.* In prima duo. Primò deſcriptio aduerſarios confringentis. Secundò ſumma confractio ipſorum, ibi, *Veruntamen Deus confringet.* In prima duo. Primò deſcribit eum in virtute ſaluandi omnes generaliter qui ſaluantur. Secundò ab humilitate qua voluit ſicut alij ſubiici morti. *Et Domini Domini.* Vel à virtute ſeipſum ſuſcitandi potenter ſecundum aliam lecturam. Ait ergo: Hæc quæ præmiſi bona, faciet. *Et Deus*, non quorumcuque, illorum ſcilicet qui colunt idola : imò *noſter.* *Pſal.* Omnes dij Gentium dæmonia : Deus autem noſter in cœlo eſt.

Poteſtas vitæ & mortis in Chriſto.

Deus ſaluos faciendi, hoc eſt, ſaluandi omnes quicumque ſaluantur generaliter. *Act.* 4. Non eſt aliud nomen ſub cœlo, in quo oporteat nos homines ſaluos fieri. *Ioan.* 12. Non veni in mundum vt iudicem mundum, ſed vt ſaluificem ipſum. Et in 3. Non enim miſit Pater Filium vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Et quamuis tantæ virtutis ſit, tamen *Domini Domini* : Domini Iudæorum, Domini Gentium : vel Domini corporum, Domini animarum : vel Domini præcipientis quæ facienda ſunt, Domini prohibentis quæ ſunt cauenda:

cauenda: eſt *exitus*, de hac vita, *mortis*, exitus, ſupple. Mori enim voluit. *Iſa.*53. Tradidit in mortem animã ſuam. Ad *Phil.*2. Factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Hic exitus de quo alibi in *Pſal.*Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum. Et benè dicit eum hîc eſſe dominum, quia etiam cum exiret de mundo per mortem, ipſe tamen erat dominus mortis, quod nullus alius vnquam potuit. *Eccleſ.* 8. Non eſt in hominis poteſtate cohibere ſpiritum ne exeat. Nec habet poteſtatem in diem mortis. Sed Chriſtus dicit *Ioan.*10. Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam, nemo tollit eam à me. Vel ſic: Ita poteſt omnes ſaluare generaliter, & *domini* vitæ, & *domini* mortis. *Sap.* 16. Tu Domine vitæ & mortis habes poteſtatem. Eſt *exitus mortis*, id eſt, exitus à morte, id eſt, reſurrectio: quaſi ſuum ſuâ virtute à morte exire. *Oſeæ* 13. O mors ero mors tua. Vel ſic poſſet exponi: *Mortis domini domini exitus*, id eſt, Eccleſiæ reditus, qui vulgariter exitus appellatur, videat qui expendit quantum expendit.

22. *Deſtructio inimicorum Chriſti.*

Verumtamen Deus confringet. Hîc ſecundum, inimicorum deſtructio: & tanguntur duo. Primò deſtructio. Secundò conſummatio in deſtructione. *Verticem capilli.* Ait enim: Sic Deus quamuis Dominus morietur: *verumtamen Deus*, quantumcumque impotens videatur, *confringet capita inimicorum ſuorum*, naturalia ad literam. In *Pſal.* Conquaſſabit capita in terra multorum. *Apocal.*3. Tanquam vas figuli confringetur. *Iſa.* 30. Conteram eos contritione præualida, vt non inueniatur de fragmentis eius teſta, &c. Vel capita dicit maiores inter inimicos, quos confringet humiliando, vel tandem æternaliter cruciando. *Amos* 6. Væ qui opulenti eſtis in Sion, optimates, capita populorum. *Eccleſ.*24. Superborum & ſublimium, ſuper alios conſtitutorum, colla, propria virtute calcaui.

Et confringet verticem perambulantium in delictis ſuis, non illa relinquentium. *Verticem*, inquam, *capilli*, vanitatis. Capillus enim quid inutile eſt, & vanum. Vel *verticem capilli*, quia vſque ad capillum totam penitus confringet. Vel melius in vertice notatur ſuperbia. In capillo qui naſcitur ex ſuperfluo, temporalis abundãtia. Superbiam ergo de temporali abundantia ortam, quæ eſt vertex capilli, Dominus humiliabit, & deiecit eos qui perſeuerant in malis, quod eſt perambulare in delictis. *Prou.*1. Pedes eorum ad malum currunt. *Iſa.*2. Humiliabitur altitudo virorum, & incuruabitur vir.

23. *Conuerſio peccatorum.*

Dixit Dominus: Ex Baſan. Hîc ſecundum beneficium, extremorum in peccatis plena conuerſio & vniuerſalis: vnde dicuntur duo. Primò conſummatio conuerſionis. Secundò multitudo & differentia conditionum in conuerſis, & quidam ordo, ibi, *Præuenerunt principes.* In prima duo. Primò conſummata conuerſio. Secundò motiuum ad conuerſionem, & ratio quare, ibi, *Viderunt ingreſſus.* Et in prima duo. Primò conuerſio. Secundò conſummatio in couerſione, ibi, *Vt intingatur.* In prima duo. Primò conuerſio ſimpliciter omnium. Secundò magis immerſorum in peccatis. *Conuertam.* Dicit ergo. Sic de inimicis, ſed quantum ad alios, *dixit Dominus*, id eſt, ab æterno ordinauit. Vel, *dixit*, id eſt, ordinatum ab æterno me cognoſcere fecit, intus illam veritatem exprimens cordi meo. *Pſal.* Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. *Conuertam*, ad me, *ex Baſan*, id eſt, ex confuſione, peccatores ſcilicet in peccati confuſione exiſtentes. De qua *Eccleſ.*4. Eſt confuſio adducens ignominiam. *Michæ.*4. Venies vſque in Babylonem, ibique liberaberis. Nec quoſcumque conuertam, ſed *conuertam in profundum maris* exiſtẽtes, & demerſos inundatione amaritudinis & peccati, ſicut factum eſt in Matthæo, eiuſdem 9. in Maria *Luc.*7. in Paulo *Act.*9. In latrone & homicida *Luc.*23. Ad *Rom.*5 Vbi ſuperabundauit delictum, ſuperabundauit & gratia.

Et nota, quòd congruè dicit, *ex Baſan*: Baſan enim interpretatur bruchus, qui totum conſumit, & deſignat inuidiam. Vel pinguedo, & deſignat inflatam ſuperbiam. Hæc duo ad Paulum, qui inuidebat Eccleſiæ, & tumebat contra illam. Interpretatur etiam ſiccitas, & ſignat auaritiam quæ ſemper ſitit, & refertur ad Matthæum & latronem. Interpretatur confuſio, & ſignat luxuriam, & refertur ad Magdalenam.

Nota etiam, quòd eſt conuerſio inchoantis bonum, de quâ hic, & *Ezech.*18. Viuo ego, dicit Dominus, non eſt voluntatis meæ mors impij, ſed vt magis conuertatur & viuat. Et *Auguſt. de fide ad Pet.* Firmiſſimè tene neminem agere pœnitentiam, niſi quem Deus illuminauerit, & gratuita conuerſione conuerterit. Et eſt conuerſio proficientis, qui ſemper de bono tendit in melius. Hæc eſt de qua in *Pſal.* Domine Deus virtutum conuerte nos, ad illas ſemper plus, & plus. Et in Completorio quaſi nihil actum ſit, dicimus: Conuerte nos Deus ſalutaris noſter. *Ierem.*15. Si conuerteris, conuertam te. Et eſt conuerſio perfecti & contemplantis. *Cant.*7. Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius. *Ezech.*43. Conuerti me ad portam ſanctuarij, & ecce clauſa erat.

Alia litera habet: *Conuertar ad eos ex Baſan, conuertar ad eos in profundum maris:* nec mutatur ſenſus. Deum enim ad nos conuerti, eſt ad ipſum nos conuertere.

Vt intingatur. Hîc conſummatio in conuerſione. Plenè autem conuertitur ad Deum, qui morti pro eo ſe exponit, & qui alios ad ſe conuertit, non contẽtus ſaluare ſe. Duo ergo dicuntur. Primò conuerſio vſque ad martyrij paſſionẽ. Secundò vſque ad conuerſionẽ in prædicatores, ibi, *Lingua canum.* Dicit ergo: Sic dixit Dominus, & ſic fecit, faciẽtque: ô Deus ſic conuertes, *vt pes tuus* ſanctus & iuſtus, qui portat ſicut pes hominem, *intingatur in ſanguine*, proprio martyrium ſuſtinẽdo. Audi pedem *Act.*9. Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram Regibus & Gentibus, & filiis Iſraël. Audi in ſanguine tinctum. 2. ad *Cor.* 11. Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, &c. Et tandem fuit à Nerone decollatus. Talis pes debet calciari aurichalco conſtantiæ & fortitudinis, ignito igne charitatis. *Apocal.* 1. Pedes eius ſimiles aurichalco, quaſi in camino ardenti. Lauari butyro intimæ deuotionis. *Iob* 29. Lauabam pedes meos butyro. Et intingatur ſanguine paſſionis propriæ, vel capitis, vel magis

24. *Conuerſorũ perfectio & martyrium.*

magis vtriuſque ſi opus ſit. *Exod.*12.Præceptum fuit quod poſtes, pedes quaſi oſtij, tingerentur ſanguine agni, & proprio, ne audiant illud ad *Hebr.*12. Nondum vſque ad ſanguinem reſtitiſtis. Et oleo pietatis. *Deut.*33. Benedictus Aſer in filiis, tingat in oleo pedem ſuum.

Prædicatores à Gentibus conuerſi

Lingua canum. Ecce ſecundum. Quaſi diceret:Sic conuertentur vſque ad hoc vt in ſanguine tingantur,& etiam *lingua canum tuorum*, id eſt, prædicatorum tuorum, eſt facta *ex inimicis* prius. Quaſi diceret : Inimici conuerſi facti ſunt lingua canum, non malorum, quales ſunt detractores. Ad *Phil.* 3. Videte canes, videte malos operarios. Quales etiam peccata reiterantes poſt confeſſionem.2.*Petr.*2.Contingit illis illud veri prouerbij, canis conuerſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti. Sed *tuorum*, ſcilicet prædicatorum. Hi enim ſunt canes, de quibus ſuprà in *Pſal.* Famem patientur vt canes. *Luc.*16. Canes veniebant, & lingebant vlcera eius. Sed hoc nullus credat ab alio fieri : tamen fit, *ab ipſo* Deo : & eſt ſubita conuerſio ad alios. *Ioan.* 15. Sine me nihil poteſtis facere. Et nota, quod dicit, *Ex inimicis* fieri non prædicatorem, ſed ipſam linguam, quod plus eſt. Hæ ſunt linguæ lambentes aquas, in quibus Gedeon deuicit inimicos. *Iudic.*7.

25. *Notatur hic cauſa conuerſionis infidelium.*

Viderunt ingreſſus. Hîc ſecundum, in quo præmiſsâ conuerſione, ſubiungitur motiuum & ratio quare ſic conuertentur : quia videbunt Deum hominem procedere : vnde dicuntur duo. Primò ratio. Secundò probatio, quòd bene debet eos ad hoc mouere. *Ingreſſus Dei mei.* Ait enim : Sic conuertentur, & quid mouebit ad hoc illos : quia *videbunt*, ô *Deus*, *ingreſſus tuos.* Primò ingreſſum in vterum virginalem ſine carnis corruptione & libidine. *Ezech.* 43. Hæc porta, ſcilicet Maria, clauſa erit, & non tranſibit per eam vir, & Dominus omnium ingredietur in eam. Angelus ad eam *Luc.* 1. Ingreſſus Angelus ad eam dixit, Aue, &c. Sed tu ſolus in eam. In mundum. *Iſa.* 19. Aſcendet Dominus ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, mundum : & mouebuntur ſimulachra eius. In gloriam. *Hebr.* 9. Introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta. *Luc. vltim.* Nonne oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam ? Et per hos maxime ingreſſus eſt in mentem eorum vt conuerterentur ad te.*Apoc.*3. Sto ad oſtium & pulſo : ſi quis mihi aperit, introibo ad eum, &c.

Ingreſſus Dei mei. Nec mirum ſi moti ſunt hæc videntes, quia hæc videndo *viderunt ingreſſus Dei mei*, per creationem. *Deuteron.* 36. Nonne ipſe eſt Deus tuus, qui fecit, creauit & poſſedit te ? *Regis mei*, per gubernationem. *Apocal.* 12. Habens in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum : Rex regum, & Dominus dominantium. *Pſal.* Exultabo te Deus meus Rex. *Qui eſt in ſancto*, quolibet per gratiæ illuminationem & infuſionem,tanquam in templo. 1. ad *Cor.*2. Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Et ſpecialiter per vnionem in ſanctorum ſancto, homine ſcilicet Chriſto.Suprà, Deus in loco ſancto ſuo.

26. *Multitudo*

Præuenerunt principes. Hîc ſecundum huius partis, in quo præmiſſa mirabili conuerſione, oſtenditur multitudo & diuerſitas ſic conuerſorum : vnde primò conuerſio maiorum : ſecundò minorum. *Coniuncti.* Vbi oſtendit conuerſionem in vtroque ſexu. Primò in viris, poſt in fœminis. *In medio.* Ait enim : Sic videntes ingreſſus conuerſi ſunt, & hoc in illa conuerſione : *præuenerunt*, omnes alios, *principes*, Apoſtoli totius Eccleſiæ primates, ſicut ſuprà. Principes populorum cõgregati ſunt,&c. *Præuenerunt*, inquam, tanquam viæ præparatores aliis ad Deum, & Dei ad alios. *Iſa.* 40. Parate viam Domino, rectas facite ſemitas Dei noſtri. *Luc.* 10. Miſit eos binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem & locum quò erat ipſe venturus.

conuerſorum omnis conditionis & ſexus.

Coniuncti pſallentibus, minoribus bona facientibus, quod eſt pſallere. Vel ad literam laudes diuinas cantantibus. Ad *Coloſſ.*4. Cantantes,& pſallentes in cordibus veſtris Deo,&c. Argumentum, quòd prælati debent eſſe primi in choro ad pſallendum. *Ioan.*10. Bonus paſtor cum proprias oues emiſerit, ante eas vadit, & oues illum ſequuntur.

Exiſtentes etiam *in medio iuuencularum*, ad literam, *tympaniſtriarum*, in tympanis Deo iubilantium. *Exod.* 15. Maria ſoror Moyſi ſumpſit tympanum in manu, & egreſſæ ſunt mulieres cum illa. Sed nunc quia inſtrumenta verſa ſunt in laſciuiam, melius legitur de tympano ſpirituali, & iuuenculis ſpiritualibus, animabus ſcilicet ad Deum nouiter conuerſis. *Cantic.*6. Adoleſcentularum non eſt numerus. & in *Pſal.* Adoleſcentulæ dilexerunt te nimis. Tympaniſtriæ autem ſunt per carnis mortificationem. Pellis enim ſi non tenditur, non ſonat. Et itetum ſi nimium tenditur, rumpitur. Sic qui carnem non extendit in pœnitentia,ſonum non reddit : ſi vltra modum tenditur, rumpitur, & totum perditur. Propter hoc dicit *Auguſtin. in ſpeculo clericorum.* Carnem veſtram domate ieiuniis, & abſtinentia eſcæ & potus,quantum valetudo permittit : ne rumpatur. Tunc fugatur diabolus tantam diſcretionem non valens ſuſtinere. *Iſa.* 30. In citharis & tympanis & bellis præcipuis expugnabit eos. Et eſt argumentum hinc, quod Prælati debent eſſe in medio minorum domantium carnem, non in cauernis. 1. ad *Theſſ.* 2. Facti ſumus in medio veſtri, tanquam ſi nutrix foueat paruulos ſuos.

27.

In Eccleſiis benedicite. Hîc eſt quarta pars ſecundæ partis Pſalmi. Poſtquam enim actum eſt de beneficio prædicationis, & poſtmodum infuſionis donorum Spiritus ſancti, & tandem mirabilis conuerſionis extremorum in peccatis, monſtratur hic beneficium dilatationis Eccleſiæ, & multiplicationis per plures Eccleſias, & hoc dupliciter. Primò admonendo ad laudem Dei Eccleſiam ſub pluralitate. Secundo orando pro dilatatione eius à Ieruſalem vſque ad extremum terræ, ibi, *Manda Deus.* In prima duo. Primò inuitatio Eccleſiarum in plurali ad benedicendum. Secundò ratio quare benedictus Deus, ibi, *De fontibus.* Dicit ergo : Hæc bona quæ præmiſi, faciet Deus, & propter hoc *benedicite Deo.* Suprà eodem, Benedicite gentes Deum noſtrum. *Tob.* 12. Benedicite Deo omnes electi eius. *Deo*, inquam, creatione, & propter hoc

ei

ei debetur latria. *Domino*, gubernatione, [& pro hoc ei debetur dulia. *Iudith.* 8. Dominus vniuerſorum tu es. Et hoc *in Eccleſiis*, non in vna tantum Eccleſia, nec in conuenticulis hæreticorum, vel in choreis. Suprà in *Pſal.* Non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus.

De fontibus Iſraël. Hîc ratio benedictionis ſcilicet hauſtus doctrinæ Apoſtolicæ: & tanguntur duo. Primò portatio illorum doctrina Apoſtolica. Secundò ipſorum Doctorum ſpecificatio. *Ibi Benjamin.* Dicit ergo: Sic benedicite, & hoc *de fontibus Iſraël* potati, id eſt, de doctrina fontium Iſraël, ſcilicet Apoſtolorum. *Iſa.* 2. De Sion exibit lex, doctrina ſcilicet Dei, & verbum Domini de Ieruſalem.

Fons multiplex. Notandum autem, quòd eſt multiplex fons. Ipſe Pater. *Ierem.* 1. Dereliquerunt me fontem aquæ. *Baurch.* 3. Dereliquerunt fontem aquarum viuentium, Dominum. Filius. *Eccleſ.* 1. Fons ſapientiæ verbum Dei in in excelſis. *Pſal.* Apud te eſt fons vitæ filius, ex quo in *Ioanne:* Et verbum erat apud Deum. Spiritus ſanctus. *Ioan.* 4. Qui credit in me, fiet in eos fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Quod Ioannes exponens ait: Hoc autem dixit de Spiritu ſancto. Beata Virgo. *Cant.* 4. Hortus concluſus, fons ſignatus. *Eſther* 11. Fons paruus creuit in fluuium magnum, & in aquas plurimas redundauit. Sacra ſcriptura. *Prouerb.* 16. Fons vitæ eruditio poſſidentis. *Geneſ.* 24. Rebecca deſcendit ad fontem vt impleret hydriam. Apoſtolus quilibet & doctor, eſt fons vnus. *Iſa.* 12. Hauritis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Hi ſunt de quibus conqueritur per *Ioël.* 2. Exiccati ſunt fontes aquarum. Baptiſmus. *Zach.* 13. Erit fons patens domui Dauid in ablutionem peccatorum, & menſtruatæ. Pœnitentia. *Ioël.* 3. Fons de domo Dauid egredietur, & rigabit torrentem ſpinarum, mentem plenam peccatorum. Compaſſio ad aliorum mala. *Ierem.* 9. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, vt plorem die ac nocte interfectos populi mei? Gratia generalis. *Geneſ.* 2. Et fons aſcendebat de terra, ad irrigandum vniuerſam ſuperficiem terræ. Gratia ſupernaturalis, charitas. *Prouerb.* 13. Lex ſapientis, charitas ſcilicet, fons vitæ, vt declinet à ruina mortis. Charitas enim lex eſt ſapientis, Dei ſcilicet. *Iob* 11. Vtinam aperiret tibi Deus labia ſua, vt oſtenderet quod multiplex ſit lex eius. *Apoc.* 7. Deducet illos ad vitæ fontes aquarum. Hi ſunt duodecim fontes, quos filij Iſraël inuenerunt in Helin.

28. *Ibi Benjamin.* Hîc eſt ſecundum huius partis, ſcilicet Doctorum, quorum doctrinâ potantur, ſpecificatio. Et primò tangit quod pertinet ad Paulum ſpecialiter. Secundò quod ad illos qui de duabus tribubus. *Principes.* Tertiò quoad illos qui de decem, ibi, *Principes Zabulon.* In prima duo ſecundum duplicem conditionem per quam deſcribit Paulum. Primò tarditas conuerſionis. Secundò ſublimitas contemplationis, ibi, *In mentis.* Dicit ergo: Sic benedicite, quia potati illis fontibus, & ibi inter illos fontes. Vel benedicite in Eccleſiis: quia ibi, in Eccleſiis ſcilicet, *Benjamin* Paulus ſcilicet de Benjamin natus. Ad *Rom.* 15. Ego Iſraëlita ſum, de ſemine Abrahæ, de tribu Benjamin. Nec tantum ratione originis, ſed etiam propter interpretationem nominis. Benjamin enim interpretatur filius dexteræ: & Paulus à Chriſto iam in dextera poſito, ſcilicet in æterna vita, genitus eſt in fide. *Act.* 9. Circumfulſit eum lux de cœlo, & audiuit vocem dicentem de cœlo: Saüle, Saüle quid me perſequeris? Item ratione temporis, in quo conuerſus eſt ad fidem. Sicut enim Benjamin vltimus fuit in filiis Rachel, ſic vltimo vocatus inter Apoſtolos, vnde hic dicitur *adoleſcentulus.* 1. ad *Corinth.* 15. Ego ſum minimus Apoſtolorum. Hinc poteſt dici illud *Eccleſiaſt.* 11. Lætare iuuenis in adoleſcentia tua. Item ratione conſequentis ad natiuitatem. Sicut enim in partu Benjamin mortua eſt Rachel. *Geneſ.* 33. ita in partu ſpirituali Pauli, ſynagoga. *Act.* 9. Paulus confortabatur, & conualeſcebat, & confundebat Iudæos. Item ratione præſignatæ proprietatis. Sicut in ſacco Benjamin inuentus eſt ſcyphus Ioſeph argenteus. *Geneſ.* 44. ſic ipſe Paulus vas Dei factus eſt, & maxime ſcyphus ad potandum Gentes. *Act.* 9. Vas electionis mihi eſt iſte. Item ratione prænuntiatæ beatitudinis. *Deuter.* 33. de Benjamin: Amantiſſimus Domini, habitabit confidenter in eo. In thalamo quotidie commorabitur. Et ipſe dicit ad *Rom.* 8. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti quæ eſt in Chriſto Ieſu.

Lætus Apoſtoli Pauli qui iure Benjamin dicitur.

In mentis exceſſu, quandò mente excedens raptus eſt vſque ad tertium cœlum. 1. ad *Cor.* 12. Nec tantum tunc eum credimus meras exceſſiſſe humanas, ſed alias pluries: etſi non forte tantum 1. ad *Cor.* 5. Siue mente excedimus Deo, ſiue ſobrij ſumus nobis. Et in quarto. Conplantibus nobis non ad ea quæ videmus, ſed ad ea quæ non videntur. *Iob* 39. Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & ponet in arduis nidum ſuum?

Conuerſio aliorũ Apoſtolorũ prædicitur. *Principes Iuda.* Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Ibi Paulus, & *principes Iuda*, id eſt, de Iuda nati, Apoſtoli quantum ad Iacobum filium Zebedæi, Iacobum Alphæi, & Iudam fratrem eius, & Simonem Cananæum; qui omnes fuerunt de Iuda, & à Chriſto principes conſtituti. *Pſal.* Conſtitues eos principes ſuper omnem terram.

Principes Zabulon; id eſt, de terris, & de tribu Zabulon. *Principes Nephtalin*, de terra ſcilicet & tribu Nephtalin, fuerunt duces, vel erunt aliorum de Eccleſia. Hoc quantum ad Petrum & Andream, Philippum, Bartholomæum, & Matthæum. *Iſa.* 9. Primo tempore alleuiata eſt terra Zabulon, & terra Nephtalin, à peccatis ſuis, cùm ex ea Apoſtoli ſunt electi; ſicut habetur *Matth.* 4. *Luc.* 5. & *Ioan.* 1.

Aliter poteſt legi vt interpretationes nominum ſequamur. Interpretatur enim Iudas confeſſio, quæ omnium prima eſt his qui in Eccleſia præſunt. Ad *Rom.* 10. Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Ibi ergo principes Iuda, id eſt, principes confitentes. Zabulon interpretatur habitaculum fortitudinis. Et quid valeret confeſſio ſi in tempore tribulationis abſente fortitudine negatio fidei ſequeretur, ſicut in illis de quibus dicitur *Luc.* 8. In tempore credunt, & in tempore tentationis recedunt. Propter hoc etiam ſunt duces aliorum.

rum. *Principes Zabulon.* Sed quia poſt deuictas perſequutiones ſequitur latitudo, addit: *Principes Nephtalim*, quod interpretatur latitudo.

Tertio modo legit *Gloſſa*, de tribus virtutibus principalibus, quæ aliis præſtant, fides princeps confitentium, ſpes fortium, charitas gaudio dilatatorum. Prima ducit, ſecunda trahit, tertia perducit per haſtam tanquam tres duces. Sic homo Beniamin filius dexteræ fiet adoleſcentulus ſine peccati vetuſtate, & *in mentis exceſſu*, in contemplatione. Et tunc ſic conſtruendum. *Ibi*, id eſt, in Eccleſiis, eſt fidelis *Beniamin*, id eſt, filius dexteræ, & *adoleſcentulus*, ſine vetuſtate culpæ: *in mentis exceſſu*, ſublimium contemplatione: ſed eorum *duces* ad hoc fiunt, *Principes Iuda*, id eſt, fides, ſpes, charitas, quæ confeſſioni, fortitudini, dilatationi ſpiritus principantur.

29. *Orat pro dilatatione Eccleſiæ.*

Manda Deus virtuti. Hîc ſecundum huius partis, in quo ſubiungitur oratio pro dilatatione Eccleſiæ, & extenſione: & dicuntur duo. Primò oratio. Secundò tanquam impetratum ſit, omnium inuitatio ad gratiarum actionem. In prima duo. Primò oratio pro Eccleſia dilatanda, & confirmanda in bono quod habet. Secundò pro aduerſaria poteſtate conterenda & diſſipanda, ibi, *Increpa feras.* In prima duo adhuc. Primò oratio pro Eccleſia dilatanda & confirmanda. Secundò ſuaſio ad hoc ipſum propter bona inde ſequentia, ibi, *A templo tuo.* In prima duo, ſecundum quod tactum eſt. Primò oratio pro dilatatione. Secundò pro confirmatione. *Confirma.* Dicit ergo: Sic multæ Eccleſiæ, quod vt fiat ô Deus, *manda*, id eſt, notifica mundo, *virtutem tuam.*

Virtus Dei Apoſtoli.

Alia litera, *Filium tuum*, qui eſt virtus tua. 1. ad *Cor.* 1. Prædicamus Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam. Manda hanc virtutem qui mandas ſalutes Iacob Manda vt ei obediatur, & ipſam commenda, quod & factum eſt. *Matth.* & *Luc.* 3. Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui. Et 17. *Matth.* Et addatur mandatum: *Ipſum audite. Pſal.* Illic mandauit Deus benedictionem, & vitam.

Vel ſecundum noſtram: *Manda virtuti tuæ*, Apoſtolorum ſcilicet congregationi, ô *Deus*, prædicta facere, ſcilicet prædicare, mundum ad fidem conuertere, quod eſt factum. *Marc. vlt.* Illi autem profecti prædicauerunt vbique. *Eccleſ.* 33. Reple Sion inenarrabilibus verbis tuis, & gloria tua populum tuum. Virtutem autem vocat Apoſtolos, non tantum virtuoſos, ſed vndique virtute circumcinctos. *Luc.* 24. Sedete in ciuitate donec induamini virtute ex alto.

Confirma hoc Deus. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic dilata, & ô *Deus confirma hoc quod operatus es in nobis*, ſalutem. In *Pſal.* Operatus es ſalutem in medio terræ. Et hanc confirma. Alibi: Confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius. Confirmat autem tripliciter. Docendo verbo & exemplo, & per ſe, & per ſuos. 2. ad *Theſſal.* 2. Dominus IESVS & Deus & Pater exhortetur corda veſtra, & confirmet in omni opere bono, & ſermone. Confirmat, gratiam infundendo. *Auguſtin.* Manda docendo, confirma iuuando, gratiam infundendo. Confirma tribulationibus decoquendo. Sic olla ad ignem confirmatur. 1. *Petr.* 5. Modicum paſſos confirmabit, ſolidabitque. Sed tandem reformabit confirmatos in reſurrectione generali. Ad *Philipp.* 3. Saluatorem expectamus Dominum IESVM CHRISTVM, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ.

A templo tuo. Hîc ſecundum. Suaſio propter bonum ſequens, ſcilicet magnorum deuotionem: & tangitur etiam deuota ſubiectio, & modo debito exhibita, quia in Eccleſia: non enim valet quicquid extra exhibetur. Ait enim: Hæc facias, quòd ſi feceris, *Reges offerent tibi*, & non alij, *munera*, ad literam, ſicut factum fuit *Matth.* 2. Obtulerunt ei munera, aurum, &c. *Pſal.* Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, Reges Arabum, &c. Vel munera, deuotionis ſacrificia, ſicut quotidie fit per ſpirituales reges, qui ſe regere nouerunt. *Iſa.* 6. Omnes de Saba venient, aurum & thus, &c Et infrà: Gens & regnum quod non ſeruiet tibi, peribit. 30.

A templo. Ecce ſecundum Quaſi diceret: Tibi offerent inchoantes afferre, vel mittentes oblationes, *à templo ſancto tuo in Ieruſalem*, exiſtente, id eſt, quod eſt Ieruſalem, ſcilicet Eccleſia, non literalis illa, quæ prophetas occidit. *Matth.* 23. Ieruſalem quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, &c. *Ioan.* 4. Venit hora & nunc eſt quando non in monte hoc, nec in Ieroſolymis adorabitis Patrem, ſed in Ieruſalem ſpirituali per totum mundum diffuſa. *Malach.* 1. In omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.

Vel poſſet legi vt hoc quod dicitur, *à templo tuo in Ieruſalem*, ad antecedentia referretur, ſic: *Confirma quod operatus es in nobis*, incipiens *à templo tuo in Ieruſalem*: ibi enim prodeſſe incepit Chriſtus, & inde effluxit doctrina per totum mundum. *Iſa.* 2. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.

31. *Orat contra Eccleſiæ inimicos & hæreticos, qui feræ dicuntur.*

Increpa feras arundinis. Hîc ſecundum, in quo orat pro inimicorum Eccleſiæ diſſipatione, ſi noluerint conuerti: vnde dicuntur duo. Primò orat pro increpatione illorum vt ſic corrigantur. Secundò pro diſſipatione ſi noluerint corrigi, ſed magis litigare, ibi, *Diſſipa gentes.* In prima tria. Primò vt hæretici increpentur. Secundò neceſſitas propter quam increpandi, ibi, *Congregatio.* Tertiò monſtratur vtilitas quædam ſequens ex illa neceſſitate, ibi, *Vt excludant.* Dicit ergo: Sic dilata Eccleſiam & in bono confirma, quod vt fieri poſſit, ô *Deus increpa*, per tuos Doctores, *feras*, hæreticos non adhuc obſtinatos in infidelitate ſua: tui enim ſunt. Suprà in *Pſal.* Meæ ſunt omnes feræ ſyluarum, iumenta in montibus & boues.

Et dicuntur feræ, quia deuorant ſimplices. *Gen.* 37. Fera peſſima deuorauit filium meum Ioſeph. Item quia rodunt exterius ſcripturarum cortices, non intrantes ad medullam. *Iob* 30. Qui rodebant in ſolitudine, & comedebant herbas, & arborum cortices, non tangentes medullam. Item quia ſemper eſt pugna inter eos, & veros Chriſtianos, ſicut inter feras, & canes materiales. *Geneſ.* 13. Facta eſt rixa inter paſtores gregum Abrahæ & Loth. 1. ad *Cor.* 15. Secundum

cundum hominem ad bestias pugnauí Ephesi. Feras, inquam, *arundinis*, quia scripturas peruertunt, quæ calamo arundineo solent scribi. Vel propter instabilitatem: quia instabiles vt arundo, quæ mouetur ad omnem ventum. *Matth.* 11. Sed quid existis videre? Arundinem vento agitatam? 1. *Pet. vlt.* Indocti & instabiles deprauant scripturam ad suam ipsorum perditionem. Hos increpa vt desistant. *Naum* 1. Increpans mare, & exiccans illud.

Et necesse est, quia *congregatio taurorum*, conspiratio scilicet ceruicosorum, *in vaccis*, id est, inter vaccas, inter mulierculas scilicet & viduas, *populorum*, prohetant & docent ad literam. Vel *inter vaccas*, id est, inter semiuiros & molles, non inter boues, fortes scilicet. *Osee* 10. Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ, hæretici scilicet. 2. ad *Timoth.* 3. Ex iis sunt qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas, &c. Quippe omnes semiuiri sunt & molles, & propter hoc vaccæ volunt esse inter vaccas. *Amos* 4. Audite hoc vaccæ pingues, qui estis in monte Samariæ.

Fructus ex ruina hæreticorũ, manifestatio bonorum.

Et hoc tantum malum tamen permittis fieri, vt excludant, id est, notos & manifestos faciant, *qui probati sunt argento*, id est, in argẽto, in sacro scilicet eloquio. 1. ad *Cor.* 11. Oportet hæreses esse, vt qui sunt probati, manifesti fiant. Deus enim non sineret fieri mala, nisi inde eliceret bona. Et multo potentius de malo bonum est elicere quam malum impedire, vt non sit. *Dionysius*: Ad omnipotentissimam bonitatem suam magis pertinet de malis bona facere, quam mala non sinere esse. Contraria enim iuxta se posita magis elucescunt. Et *Aug.* Malos sustinuit esse Deus, vt maiorem haberent gloriam boni in adeptione gloriæ, in euasione tantæ pœnæ. Gaudebunt enim se euasisse pœnam, quâ videbunt alios cruciari. Vel posset legi vt esset intentio ipsorum hæreticorum. Ad hoc enim congregantur, vt à vaccis populorum, à simplicibus ne suis credant, excludant vnitatem Doctorum sactorum, & in sacro eloquio probatorum.

Dissipa gentes. Hîc est secundum, in quo petitur dissipatio eorum qui magis erunt obstinati: & dicuntur tria. Primò petitio. Secundò petiri asseritur adimpletio. *Venient.* Tertiò subiungitur modus adimplẽdi, & ordo, ibi, *Æthiopia.* Dicit ergo. Sic increpa, quod si forte increpatio non sufficit ad correctionem, *dissipa*, quod plus est, *Gentes*, hæreticos omnes fidei aduersarios, *quæ bella volunt*, quæ non correctioni, sed magis contentioni intendunt. *Gen.* 49. Simeon & Leui fratres vasa iniquitatis bellantia. *Prouerb.* 16. Homo peruersus, hæreticus scilicet, suscitat lites, & verbosus separat principes. Non sic fideles. 1. ad *Cor.* 11. Si quis videtur inter vos contentiosus esse, nos huiusmodi consuetudinem non habeamus. Sed sicut *Prou.* 17. dicitur, Inter superbos semper iurgia sunt. Hos dissipa, horum scilicet consilium peruersum, & mala opera *Iob* 5. Dissipat cogitationes malignorum, ne possint eius manus implere quod cœperant. Qui præoccupat sapientes in astutia eorum, & consilium prauorum dissipat. Supra in *Psal. Dissipa gentes quæ bella volunt.* Mali aduocati sunt, pro iis rogat vt dissipentur.

32. *Venient legati.* Ecce secundum. Quasi diceret: Sic petij, & sic fiet, quia *venient legati*, prædicatores, & prælati boni, mediatores ad reconciliationem, *ex Ægypto*, ex tenebris mundi & peccato, sicut Paulus, & Matthæus, & Petrus, qui fuerunt maximi peccatores. Hoc est quod cantamus de Augustino: Qui de tenebris Gentium lumen Ecclesiæ suæ vocauit Augustinum. 2. ad *Cor.* 4. Qui dixit de tenebris lumen splendescere. Talis ergo legatus erat, qui dicebat 2. ad *Cor.* 5. Pro Christo legatione fungimur. Et ad *Ephes. vlt.* Pro quo legatione fungor in catena.

Prædicatores sunt legati ex Ægypto.

Æthiopia. Hîc tertium, in quo tangitur modus & ordo quo fiet: & legitur tripliciter. Primò vt non sit ibi *Deo* in fine versus, *& eius* referatur ad Deum: & est sensus: Sic venient legati & Doctores, & *Æthiopia*, gens peccatis nigra & horrida, ad prædicationem legatorum mota, *præueniet*, seipsam per pœnitentiam affligendo *manus eius*, Dei scilicet percutientis. 1. ad *Cor.* 11. Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. Vel sic, vt sit ibi, *Deo*, in fine versus, & tunc dupliciter, quia relatiuum eius potest referri ad hoc quod est Æthiopia: & est sensus: Æthiopia, Deo fide adhærens, *præueniet manus eius*, id est, Æthiopiæ, scilicet opera sua per fidem: fides enim debet præcedere bona opera. *Hebr.* 11. Sine fide impossibile est placere Deo. Vel vt referatur ad Ægyptum, & tunc supponitur etiam per Ægyptum populus Iudæorum: & est sensus: *Æthiopia*, adhærens *Deo*, vt suprà, *præueniet manus eius*, scilicet Ægypti, hoc est, Iudaici populi: Gentiles enim ipsos ad fidem & bona opera præuenerunt. Ad *Rom.* 11. Cæcitas ex parte contigit in Israël, vt plenitudo Gentium intraret. Alia est litera: Æthiopia festinet manus dare Deo, quod planum est.

Regna terræ. Hîc secundum huius partis, 33. in quo inuitat pro Ecclesiæ dilatatione & conformatione omnia regna ad laudem Dei: & primò laudem deuotam oris. Secundò operis. *Psallite Domino.* Dicit ergo: Sic dilatabitur Ecclesia, & confirmabitur: & propter hoc, *regna terræ*, quæcumque, *cantate Deo*, in mentis puritate. Infra, Cantate Domino canticum nouum. *Psallite*, bona facite, *Domino*, ad honorem Domini qui hoc requirit. *Malac.* 1. Si ego Dominus, vbi timor meus? *Iudith.* 15. Modulamini ipsi Psalmum. 1. ad *Corinth.* 14. Psallam spiritu, psallam & mente.

Psallite Domino. Hîc tertia pars Psalmi huius, secundum quod diuisum fuit suprà, in qua Christum qui ascendit ad dexteram Dei Patris, ad iudicium venturum prænuntiat, & mortuos resuscitaturum: & dicuntur duo. Primò agit breuiter de gloria ascendentis. Secundò de potentia redeuntis ad iudicium, ibi, *Ecce dabit* In prima duo. Primò inuitat ad psallendum ad gloriam Dei. Secundò assignat causam ascendentis ad glotiam. *Qui ascendit.* Dicit ergo sic: Omnia regna terræ propter beneficia prædicta cantate, & etiam *psallite Deo*, id est, bona ad laudem & honorem Dei facite, sicut frequenter est expositum.

Prophetia de Christi ascensione & reditu ad iudicium.

Qui ascendit. Hîc assignat causam duplicem pertinentem ad gloriam ascendentis, scilicet ipsum locum ad quem ascendit. Secundò ipsum locum vnde ascendit, secundum vnam 34.

lecturam. Vel cauſam quare aſcendit ſecundum tertiam, ibi, *Ad Orientem.*

Dicit ergo ſic: *Pſallite Deo*, id eſt, quia ille *aſcendit ſuper cœlum cœli*, id eſt, ſuper omnem creaturam vſque ad dexteram Patris, id eſt, vſque ad bona Patris potiora. Ad *Epheſ.* 4. Aſcendit ſuper cœlos vt adimpleret omnia. *Marc. vltim.* Aſcendit in cœlum, & ſedet à dextris Dei. Ad *Hebræ.* 1. Sedet ad dexteram Dei in excelſis. Et hoc exiſtens *ad Orientem*, in Ieruſalem: vel circa quæ ad Orientem ſunt, ſicut dicit *Gloſſa.* Sed contra: Nonne dicitur, quòd Ieruſalem eſt vmbilicus terræ? Et iterum, Operatus es ſalutem in medio terræ? Reſpond. Locus vnde aſcendit, eſt in Ieruſalem ad Orientem, & propter hoc dicitur ad Orientem exiſtens aſcendiſſe. Vel ipſa Ieruſalem ad Orientem dicitur vrbi Romæ, vbi modò eſt ſedes & caput Eccleſiæ. Vel ſic: Ad Orientem nobis faciendum aſcendit, ſcilicet vt in nos ſuam oriri faciat gratiam tanquam ſolem. *Malach.* 3. Vobis timentibus Deum orietur ſol iuſtitiæ. *Iob* 11. Cum te conſumptum putaueris, orieris vt Lucifer. 2. *Petr.* 1. Habemus firmiorē propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, donec illuceſcat dies, & Lucifer oriatur in cordibus veſtris. Vel ſic: *Aſcendit ſuper cœlum cœli ad Orientem*, ad ſe ſcilicet verbum, referens aſcenſū: virtute enim verbi, quod oritur de Patre, aſcendit homo Chriſtus. *Zach.* 6. Ecce vir, Oriens nomen eius. *Luc.* 1. Viſitauit nos Oriens ex alto, ex Patre, qui excellenter altus eſt.

35. *Ecce dabit.* Hîc agitur de potentia redeuntis ad iudicium, & oſtenditur duplex: in ſuſcitando mortuos omnes generaliter, in ſublimando & glorificando ſanctos & electos ſpecialiter, ibi, *Super Iſraël.* In prima duo. Primò prænuntiat potentiam ſuſcitandi. Secundò inuitat ad glorificandum tam potentem, ibi, *Date gloriam.* Dicit ergo: Sic gloriosè aſcendit: ſed ecce in aperto mihi eſt, & quid præſens? *Dabit voci ſuæ*, ipſam eſſe, *vocem virtutis.* Supra in *Pſal.* Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.

Vox Chriſti triplex in virtute.

Et nota, quòd eſt vox Domini, quâ vſus eſt in præſenti, triplex. Eruditiua, quæ fuit in virtute. *Marc.* 1. Erat docens ſicut poteſtatem habens, nō ſicut Scribæ & Phariſæi. Increpatiua, quâ increpabat dæmones, & hoc in virtute. *Marc.* 1. & *Matth.* 9. Spiritibus immundis imperat, & obediūt ei. Deprecatiua, & hoc in virtute. Ad *Hebr.* 5. In omnibus exauditus eſt pro ſua reuerentia. *Apoc.* 1. Vox eius tanquā vox aquarū multarum, ſcilicet gratiarum & virtutū. Sed in iudicio erit vox ſuſcitatiua mortuorū, quæ erit magnæ virtutis. 2. ad *Theſ.* 4. Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo: & mortui, &c. Poſtea diſceptatiua, tantæ virtutis, vt nullus audeat mutire. *Matth.* 15. Eſuriui, & non dediſtis mihi comedere. Diffinitiua, cui nullus poterit reſiſtere. *Matth.* 25. Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo, & Angelis eius. De reſuſcitatiua ergo ſpecialiter intelligitur quod hîc dicitur: *Date gloriam Deo.* Secundum eſt. Quaſi diceret: Sic virtuosè ſuſcitabit omnes: & propter hoc *date Deo*, non idolo vel homini vano, *gloriam.* Supra in *Pſal.* Date gloriam laudi eius.

Super Iſraël. Hîc ſecundum, in quo monſtratur potentia in ſublimando ſpecialiter electos: & dicuntur duo. Primò declaratio potentiæ venientis ad iudicium in electos. Secundò benedictio tam potentis. *Benedictus.* In prima quatuor dicuntur. Primò manifeſtatio potentiæ eius ſuper omnes electos generaliter. Secundò ſuper perfectos ſpecialiter. *Et virtus.* Tertiò declaratio ſecundi, ibi, *Mirabilis Deus.* Dicit ergo: Sic omnes ſuſcitabit, & poſt apparebit omnibus euidēter. *Magnificentia eius ſuper Iſraël*, ſuper omnes electos, qui tunc erunt veri Iſraëlitæ Deum videntes, & eius gloriam apertè ſpeculantes. 1. ad *Cor.* 13. Videmus nunc per ſpeculū in ænigmate, tunc autem facie ad faciē. 1. *Ioan.* 2. Videbimus eum ſicuti eſt. Modò in cœlis latet magnificentia. *Pſal.* Eleuata eſt magnificentia tua ſuper cœlos. Et mixti ſunt boni malis. Sed tunc apparebit magnificentia diſtinctis his ab illis. *Matth.* 25. *Et virtus eius*, apparebit, ſupple, *in nubibus*, in ſanctis maioribus cum Chriſto venientibus vt iudicent. *Iſa.* 3. Dominus ad iudicium veniet cum ſenioribus populi ſui. *Prou. vlt.* Nobilis in portis vir eius cum ſenatoribus terræ. Hi ſunt nubes de quibus *Matth.* 23. & *Luc.* 21. Videbunt filium hominis venientem cum virtute magna, & maieſtate.

36. *Mirabilis Deus in operāda ſalute.*

Mirabilis Deus. Hîc probat ſecundum. Quaſi diceret: Benè dico, quòd in nubibus apparebit virtus eius, quòd *Deus* erit tunc *mirabilis in ſanctis ſuis*, præcipuè. Mirabilis quidem fuit prædeſtinando, eos qui videntur in mundo beati, reſpuens, & deſpicabiles eligens. *Gen.* 48. Iacob conſtituit Ephraim ante Manaſſem. Mirabilis in vocando, deſperatos *Matth.* 9. Matthæum. *Act.* 9. Saulum. In iuſtificando vocatos: quia ipſam iniquitatem facit viam ad iuſtificandum impios. *Mich.* 4. Ibi liberaberis. In magnificando iuſtificatos: quis enim crederet pauperem piſcatorē futurum orbis rectorem? *Eccl.* 11. Inſuſpicabilis portabit diadema. In exercēdo per tribulationes magnificatos, ſicut Iob in primo, & Paulo datus eſt ſtimulus carnis ſuæ, vt eum colaphizaret. Ad *Rom.* 12. In ſaluando exercitatos & purgatos, aliis damnatis. *Num.* 27. Factum eſt in caſtris grande miraculum, vt Chore pereunte filij eius non perirent. In glorificando ſaluatos vſque ad ſublimationem aſſeſſorum. *Iſa.* 60. Tūc videbis & affluēs, & dilatabitur cor tuum, quando conuerſa fuerit ad te, tanquam ad iudicem, multitudo maris, plebis iudicandæ. *Matt.* 19. Amē dico vobis, quòd vos qui ſequuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes iudicantes, &c.

Deus Iſraël ipſe dabit. Hîc probat primum. Quaſi diceret: Sic magnificentiam dixi futuram ſuper Iſraël, & hoc verè: quia *ipſe dabit*, in reſurrectione, *virtutem*, omnia ſuſtinendi, & nihil patiendi omninò, *& fortitutidnem* ſibi ſubiiciēdi omnia. *plebi ſuæ.* 1. ad *Cor.* 15. Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute. *Iſa.* 40. Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem. Vel poſſet legi hoc de præſenti. Quaſi diceret: Deus ſic erit in ſanctis mirabilis: nec diſcredatur, quia *Deus Iſraël ipſe dabit virtutem*, in anima, *& fortitudinem*, in corpore ſanctis, *plebi ſuæ. Iſa.* 40. Qui dat laſſo virtutem, & his qui non ſunt, fortitudinem & robur multiplicat. Et propter hæc bona, *benedictus Deus*, qui in ſeipſo benedictus eſt ab æterno vſque in æternum. Amen.

SECVNDA

BEATI ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORVM, COMMENTARII IN PSALMOS,

E M.S. Bibliothecæ ſancti Victoris Pariſ.

Recogniti per R. A. P. F. PETRVM IAMMY, ſacræ Theologiæ Doctorem, Conuentus Gratianopolitani, eiuſdem Ordinis,

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODEVNT.

PARS SECVNDA.

Operum Tomus Septimus.



LVGDVNI,

Sumptibus { CLAVDII PROST. / PETRI & CLAVDII RIGAVD, Frat. / HIERONYMI DELAGARDE. / IOAN. ANT. HVGVETAN. } *Via Mercatoria.*

M. DC. LI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

F. ALBERTI MAGNI, RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORVM, COMMENTARII IN PSALMOS,

Recognii per R. A. P. F. Petrum Lanny, Sacræ Theologiæ Doctorem, Conventus Parisiensis, eiusdem Ordinis.

QUAE PARATA IN LUCEM PRODEUNT.

PARS SECVNDA.

Operum Tomus Septimus.



LVGDVNI,

Sumptibus [illegible]

CLAVDII PROST,
PETRI CLAVDII FILII,
HIERONYMI DELAGARDE,
IOAN. ANT. HVGVETAN.

M. DC. XX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

PRIVILEGE DV ROY.

LOVYS par la grace de Dieu, Roy de France & de Nauarre, à Nos Amez & feaux Conſeillers, les Gens tenans nos Cours de Parlements, Maiſtres des Requeſtes ordinaires de noſtre Hoſtel, Baillifs, Seneſchaux, Preuoſts, leurs Lieutenants, & à tous autres de nos Iuſticiers & Officiers qu'il appartienda, Salut: Noſtre cher & bien Amé IEAN-ANTOINE HVGVETAN, le fils, Marchand Libraire à Lyon, Nous a fait remonſtrer qu'il deſireroit imprimer les *Oeuures d'Albert le Grand*, ce qu'il ne peut faire ſans grand frais, deſquels il craindroit d'eſtre fruſtré s'il n'auoit Nos lettres ſur ce neceſſaires, leſquelles il nous a treshumblement ſuppliés de luy accorder. A CES CAVSES, Nous auons permis & permettons par ces preſentes, à l'Expoſant d'imprimer ou faire imprimer, vendre & debiter en tous les lieux de noſtre obeiſſance ledit liure, en vn ou pluſieurs Volumes, en telles marques, en tel Caractaire, & autant de fois qu'il voudra, durant vingt ans entiers & accomplis, à compter du iour que chaque Volume ſera acheué d'imprimer pour la premiere fois: & faiſons treſexpreſſes deffences à toutes perſonnes de quelle qualité & condition qu'elles ſoyent de l'imprimer, faire imprimer, vendre ny debiter en aucun lieu de noſtre obeyſſance ſoubs pretexte d'augmentation, correction, changement de tiltre, fauſſes marques ou autrement, en quelque ſorte & maniere que ce ſoit, ſans le conſentement de l'Expoſant ou de ceux qui auront droit de luy, à peine de quinze mille liures d'amande, payables par chacun des Contreuenans, & applicables vn tiers à Nous, vn tiers à l'Hoſtel Dieu de Paris, & l'autre tiers audit Expoſant, de confiſcation des Exemplaires contrefaict, & de tous depens dommages & intereſts, à condition qu'il ſera mis deux Exemplaires dudit Liure en noſtre Bibliotheque publique, & vn à celle de noſtre tres-cher & Feal le Sieur Seguier Cheualier, Chancelier de France, auant que l'expoſer en vente à peine de nullités des preſentes. Du contenu deſquelles Nous voulons que vous faſſiez ioüir plainement & paiſiblement l'Expoſant, ou ceux qui auront ſon droit, empeſchant qu'il ne leur ſoit donné aucun empeſchement, Voulons auſſi qu'en mettant au commencement ou à la fin de chaſque Volume dudit Liure, vn Extraict des preſentes, elles ſoient tenuës pour duëment ſignifiées, & que foy y ſoit adiouſtée & aux coppies, collationnées par l'vn de nos Amez & feaux Conſeillers & Secretaires, comme à l'Original. Mandons au premier Noſtre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, de faire pour l'execution d'icelles, tous exploits neceſſaires ſans demander autre permiſſion. CAR TEL EST NOSTRE PLAISIR, nonobſtant Clameur de Haro, Chartre Normande, & autres

autres lettres à ce contraires. Donné à Paris le neufiéme iour de Nouembre, l'an de grace mil ſix cens quarante-quatre, & de noſtre Regne le ſecond.

Signé par le Roy en ſon Conſeil.

CONRART.

Ledit Huguetan a aſſocié au ſuſdit Priuilege Claude Proſt, Pierre & Claude Rigaud, Freres, & Hieroſme de la Garde, pour en iouyr auec luy durant le temps porté par iceluy, conformément à leur Scrit du 7. Fevrier 1644.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois le 6. Decembre 1650.

D. ALBERTI

D. ALBERTI MAGNI,

Ratisbonenſis Epiſcopi, Ord. Præd.

SECVNDA PARS

COMMENTARIORVM IN PSALMOS.

IN LXVIII. PSALMVM.

1. *In finem, pro iis qui commutabuntur, ipſi Dauid.*

2. SALVVM *me fac Deus.* Hic eſt Pſalmus decimus octauus in ſecunda parte. Cum enim Chriſtum ad reſurrectionem inuitauerit, & inimicorum confuſionem, & dilatationem Eccleſiæ poſtulauerit, ſubiungitur Pſalmus, in quo Chriſtus loquens introducitur, ipſam reſurrectionem, & fructum ex reſurrectione ſequentem, & inimicorum deiectionem poſtulans à Patre. Et hoc innuitur in titulo Pſalmi, qui talis eſt: *In finem, pro iis qui commutabuntur, ipſi Dauid.* Eſt enim ſenſus: Hic Pſalmus ordinans nos in finem noſtrum attendendum, & conſiderandum, ſcilicet Chriſtum, de quo *Rom.* 10. Finis legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti: vel præmium: quomodò enim finem expectare poſſumus de peccatis noſtris, ſi innocentem tanta legimus eſſe paſſum? Si iuſtus in terrâ recipit, quantò magis impius & peccator? *Luc.* 22. Si in viridi hæc fiunt, in arido quid fiet? 1. *Petr.* 4. Si autem primum à nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Euangelio? Conditus eſt *pro iis*, id eſt, pro tanto commutabili, ſcilicet pro paſſione, *qui commutabuntur*, & mala commutatione & bona. Eſt enim mala commutatio de bono in malum, qua ſumus omnes in Adam primò commutati. *Thren.* 4. Quomodò obſcuratum eſt aurum? mutatus eſt color optimus? Hoc in Iudæis, qui quia Chriſtum occiderunt, ſic mutati ſunt. *Pſal.* Mutauerunt gloriam ſuam. Et huius Chriſti paſſio eſt cauſa. Sed eſt bona, quæ etiam ex eadem paſſione cauſatur, de malo in bonum, de bono in melius, de ſpeculo ad ſpeciem, de miſeria ad omnimodam gloriam. Hæc eſt illa, de qua in Pſalmo: Hæc mutatio dexteræ Excelſi. Quia ſic non mutatur Moab, illi ſcilicet, qui ſunt ex patre diabolo, arguitur *Ierem.* 48. Requieuit in fæcibus ſuis, nec transfuſus eſt de vaſe in vas, & in tranſmigrationem non abiit, idcirco permanſit guſtus in eo, & odor eius non eſt mutatus. Hic, inquam, Pſalmus conuenit *ipſi Dauid*, id eſt, Chriſto, per regulam ſuperiùs dictam: quia cum ad Dauid additur nomen diſcretiuum, ſupponit Chriſtum.

Pſalmus poſtulat Chriſti reſurrectionem & fructũ ex ea conſequutũ.

Mutatio quadruplex.

Pſalmus autem diuiditur in duas partes. In prima ſupplicat pro liberatione à paſſione, & inimicorum deiectione. Secundò narrat beneficia ex paſſione conſequuta, ibi, *Ego ſum pauper.* In prima duo. Primò ponitur oratio pro ſuâ liberatione. Secundò imprecatio ipſis obſtinatis Iudæis, & perſeuerantibus in infidelitate, ibi, *Fiat menſa eorum.* Prima diuiditur in tres partes. Primò quidem Chriſtus caput Eccleſiæ pro ſe. Secundò pro ſuo corpore, ibi, *Eripe de luto.* Tertiò pro vtroque, ibi, *Ne auertas faciem.* In prima duo. Primò ſupplicatio pro liberatione. Secundò perſuaſio vt ei detur pro quo ſupplicatur, ſtatim, ibi, *Quoniam intrauerunt.*

Dicit ergo: O *Deus* Pater, *ſaluum me fac*, tu enim es qui ſaluas ſperantes in te, & nunc ſaluatum eſt quod ſaluas, ſecundum illud *Ierem.* 17. Saluum me fac, & ſaluus ero. Confunditur autem humana ſuperbia in hoc verbo, quæ non ſupplicat vt ſaluetur, cùm dicatur *Oſeæ* 13. Perditio tua Iſraël ex te, ſupple, eſt: & petit ſaluari, de quo Angelus *Matth.* 1. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.

Humana ſuperbia reprehenditur.

Quoniam intrauerunt. Hîc perſuaſio: perſuadet autem multipliciter. Primò ſumit rationes à malo quod patitur. Secundò à bono, quod ab ipſo exhibetur, ibi, *Veni in altitudinem.* Tertiò ab ipſo inimico à quo affligitur, ibi, *Multiplicati ſunt.* Quartò à cauſâ pro quâ patitur, ibi, *Quæ non rapui.* Quintò & vltimò à veritate & clementia eius qui rogatur, ibi, *In multitudine miſericordiæ tuæ.* In prima duo. Primò enim allegat mali magnitudinem. Secundò euadendi impoſſibilitatem per ſe, ibi, *Et non eſt ſubſtantia.* Iterum in prima duo. Primò allegat mali intenſionem. Secundò intenſi durationem. *Infixus ſum.* Dicit ergo: Sic ſaluum me fac, & neceſſe eſt, quoniam aquæ tribulationum & paſſionum, de quibus *Cantic.* 8. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Iſtæ ſunt aquæ ex quibus Moyſes aſſumptus eſt *Exod.* 2. in quibus multi periclitantur, non recurrentes ad Dei auxilium. *Pſal.* In diluuio aquarum multarum, &c. Iſtæ, inquam, aquæ *intrauerunt vſque ad animam meam. Matth.* 26. Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. *Ion.* 2. Circuierunt aquæ multæ vſque ad animam meam. Nec eſt enim contra illud *Iſa.* 42. Non erit triſtis neque turbulentus: quia illud intelligitur de triſtitiâ & paſſione, quæ turbat rationem: ſed hoc de paſſione, quæ non aſcendit vſque ad perturbationem.

3. *Infixus ſum in limo.* Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic intensè & multipliciter affligor, & etiam *infixus ſum*, tanquam detentus, *in limo profundi.* Homo limus. *Geneſ.*2. Formauit ergo Dominus hominem de limo terræ. Sed profundus limus, perfidus Iudæorum populus, totus terrenus ad terrena reſpiciens, & terrenis deditus, inter quos tanquam infixus tenebatur Chriſtus. *Geneſ.*37. Mittamus eum in ciſternam veterem. *Ierem.*38. Proiecerunt Ieremiam in locum Melchiæ, vbi erat limus, ad literam. Et notandum, quòd limus eſt terra tenax. Vnde limus ſecundum *Iſidor.* quaſi ligans humus: & *Caſſiod.* ſimiliter. Et ſignificat mundi diuitias, & delicias, quæ retinent homines ſicut limus. *Gen.*13. Vallis ſylueſtris multos habebat puteos bituminis. In hoc limo infiguntur multi, & notatur in infixione dilectionis vehementia, in limo tenacitatis magnitudos, in profundo tenacitatis oppreſſio. Sed Deus ſuos eduxit inde. *Sap.*10. Eduxit illum de limo terræ.

Profundus limus, Iudæi.

Et non eſt ſubſtantia. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Tam intenſa eſt tribulatio, & tam durabilis, *& non eſt ſubſtantia*, virtus ſcilicet euadendi à tribulatione tanta ſecundum carnem. Imò *Caſſiod.* Crucifixus ſum iniquitate Iudæorum, & non eſt carnis virtus euadendi mortiferam paſſionem. *Matth.*26. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infima. *Ioan.*6. Spiritus eſt qui viuificat: caro autem non prodeſt quicquam.

Subſtantia multiplex acceptio.

Notandum eſt, quod eſt ibi quadruplex ſubſtantia. Primò omnis natura appellatur ſubſtantia: ſicut dicitur, quod peccatum non eſt ſubſtantia, quia nulla natura eſt, ſed magis naturæ corruptio: vnde pater & filius dicuntur eiuſdem naturæ. Secundò poſſeſſio terrena. *Gen.*13. Erat eorum ſubſtantia multa, & non poterant habitare ſimul. Et *Prou.*3. De ſubſtantia tua da pauperibus. *Luc.*15. Da mihi portionem ſubſtantiæ quæ me contingit. Tertiò ſtabilitas vitæ, & incorruptio in qua creata eſt natura humana. De hac *Gloſſa:* Deus hominem fecit ſubſtantiam, atque vtinam manſiſſet in eo quod Deus eum fecit. Quartò virtus euadendi mala: virtus enim ſubſtantia appellatur. *Prou.*13. Bona eſt ſubſtantia, cui non eſt peccatum in conſcientiâ. Legi ergo poteſt de ſubſtantia in triplici acceptione ſuâ. Non eſt ſubſtantia, diuitiarum abundantia, pauper enim fuit. Vel non eſt ſubſtantia, id eſt, non eſt integra natura ſicut à Deo fuit condita, propter quod pati me contuenit. Vel non eſt ſubſtantia, virtus euadendi, ſicut dictum eſt ſuprà.

Veni in altitudinem. Hîc ſecundum, in quo ſumitur ratio à bono, quod exhibitum eſt ab illo, & tangitur triplex bonum: voluntas patiendi, labor conuertendi illos. *Laboraui.* Et mors ſine rebellione, & virtute repellendi eos qui cædebant. *Defecerunt.* In prima duo. Primo, quòd voluntariè ad tribulationes acceſſit. Secundo, quòd impletum fuit quod voluit. *Et tempeſtas.* Dicit ergo: Sic ſalua, quia tribulatiò eſt tanta: & etiam quia *veni* voluntariè, *in altitudinem maris*, tribulationis ſcilicet & amaritudinis. Hoc mare, de quo *Deut.*33. Inundationes maris quaſi lac ſugent. Ipſi etiam mali inter quos Chriſtus venit, mare dicuntur. *Iſa.*57. Cor impij quaſi mare feruens. In has amaritudines ſe proiecit voluntariè ſicut Ionas, Mittite me in mare propter me enim tempeſtas orta eſt.

Et tempeſtas, ſeditio & conturbatio Iudæorum, *demerſit me*, ad mortem trahendo. *Pſal.* Omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me. *Ion.*1. Facta eſt tempeſtas magna in mari: cùm ſubmergit impium: ſed maior cum aliquem iuſtum: ſed certè etiam maxima tempeſtas, quando ſubmerſit ipſum Dei filium. Sed ſicut tempeſtate ipſum impij demerſerunt, ſic ipſe eos in fine tempeſtabit. *Naum* 1. Dominus in tempeſtate & turbine veniet. *Iſa.*29. Erítque repente & confeſtim viſitabitur à Domino Deo exercituum in tonitruo & commotione terræ, & voce magna turbinis & tempeſtatis.

4. *Laboraui clamans.* Hîc ſecundum, & dicuntur duo. Labor in conuertendo ad bonum primò. Secundò laboris magnitudo. *Raucæ.* Dicit ergo: Sic ſuſtinere volui, & etiam *laboraui clamans*, pro eorum conuerſione. *Iſa.*1. Laboraui ſuſtinens, & pòſt clamans. *Ioan.*7. Stabat autem IESVS, & clamabat: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. *Ioan.*11. Clamauit voce magna dicens: Lazare veni foras. Clamare autem oportebat: quia ad ſurdos loquebatur. *Zach.*7. Aggrauauerunt aures ſuas ne audirent. *Prou.*1. Vocaui & renuiſtis.

Raucæ factæ ſunt. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Non modicum laboraui in clamando, imo *raucæ factæ ſunt fauces meæ*, propter magnitudinem laboris, ſicut gallina, quæ propter amorem pullorum efficitur rauca. *Matth.*23. Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alis, &c.

Defecerunt oculi mei. Hîc tertium. Quaſi diret: Non ſolùm voluntariè tribulationes ſuſtinui, vt vos conuerterem laboraui: ſed etiam *defecerunt oculi mei*, in morte: in ipſa enim deficiunt oculi: & hoc volui, *dum ſpero*, id eſt, quia ſpero in Deo meo. Ecce argumentum quod habuit ſpem: & hoc verum eſt de gloria corporis habenda. *Iſa.*53. Oblatus eſt quia ipſe voluit. Et deficientibus oculis corporalibus defecerunt & ſpirituales, ſcilicet Apoſtoli. *Matth.*26. At illi relicto eo omnes fugerunt. *Iob* 6. Amici quoque mei receſſerunt à me. Oculi ſunt homini valde amici.

Quæ fuit ſpes in Chriſto.

Hæc poſſunt exponi de prædicatoribus & doctoribus, quorum vox deficit in clamando, oculi in ſtudendo. Poteſt & eſſe vox pœnitentis, qui dicit: *Laboraui* in contritione, ad educendum colubrum tortuoſum. *Iob.*26. & *Iſa.*27. In die illa viſitabit Dominus ſuper Leuiathan ſerpentem tortuoſum. Dicitur, quòd adultera non poteſt parere donec nominauerit adulterum. Clamans in confeſſione primò. *Iſa.*26. Sicut quæ concepit, cum appropinquauerit ad ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis. In oratione ſecundò. *Bar.*3. Anima in anguſtiis poſita & ſpiritus anxius clamat ad te. In prædicatione tertiò. *Iſa.*68. Clama ne ceſſes, & annuntia populo meo ſcelera eorum. *Defecerunt oculi mei* in lachrimarum effuſione. *Thren.*2. Defecerunt præ lachrimis oculi mei. *Dum ſpero in Deo meo*, cœleſtium certa expectatione. *Pſal.* Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino. Hæc duo vltima *Iſa.*38. Attenuati ſunt oculi mei ſuſpicientes in excelſo. *Prou.*14. Iuſtus ſperat in morte ſua.

Vox pœnitentis clamantis in confeſſione, oratione & prædicatione.

Multiplicati

5. *Multiplicati sunt.* Hîc tertium, in quo sumit rationes ab ipso persequutore populo: & tangitur primò persequutorum multiplicitas. Secundò malignitas, ibi *Qui oderunt.* Tertiò malignitatis peruersitas, ibi, *Confortati sunt.* Dicit ergo: Tanta mala patior, propter quod salua: & etiam quia *multiplicati sunt* non modicum. Imo, *super capillos capitis mei*, quasi in infinitum. Suprà in *Psal.* Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me? *Iob* 30. In multitudine eorum consumitur vestimentum meum, corpus scilicet meum occiditur, vulneratur. *Isa.*46. Multiplicati sunt super locustas, & non est in eis numerus. Capilli etiam qui capiti adhærent, Sanctos significant. *Can.*4. Capilli mei sicut greges tonsarum, quæ ascendunt de lauacro. Super hos multiplicati sunt mali.

Qui oderunt me gratis, sine meritis. Ecce malignitas. Suprà in *Psal.* Gratis absconderunt mihi interitum laquei sui, id est, sine meritis. *Eccles.* 29. Possidebit illum inimicum gratis. *Thren.* 2. Venatione ceperunt quasi auem inimici mei gratis.

Confortati sunt. Hîc tertium, scilicet malignorum peruersitas, scilicet confortari in malo & lætari. Ait enim: Sic multiplicati sunt, & etiam *qui persequuntur me iniusti.* 1. *Pet.* 2. Dabit autem se iniustè iudicanti. *Confortati sunt*, in meâ afflictione, & sua malitia. *Ierem.* 5. Confortatæ sunt auersiones eorum. 1. *Reg.* 4. Confortamini, & estote viri Philistiim. *Ierem.* 9. Confortati sunt inter se: quia de malo ad malum egressi sunt.

Quæ non rapui. Hîc tertium, in quo sumit rationes à causâ patiendi, vt saluus fiat: & dicuntur duo. Primò, quia pro aliena patitur iniquitate, & ignorantia. Secundò, pro Dei obedientia & amore, ibi, *Quoniam propter te.* In prima tria. Primò, quòd non pro se, sed pro aliis pœnam soluit. Secundò cui soluit exponit. *Deus tu scis.* Tertiò petit vt illis proficiat pro quibus soluit, ibi, *Non erubescant.* Dicit ergo: Tanta patior & à tot, & à tam malis iniustè, & etiam *quæ non rapui, tunc*, in mea scilicet Passione, *exoluebam*, pro aliis satisfaciendo. *Genes.* 30. Dicebat Iacob, Ego damnum omne reddebam. Totum Christus reddidit, totum soluit, nihil est quod soluimus. *Iob* 17. Non peccaui, & in amaritudinibus moratur oculus meus. Pro alienis peccatis. *Isa.*53. Dominus in eo posuit iniquitates omnium nostrum. *Leu.*13. Hircus emissarius portat iniquitates in solitudinem. Rapuit diabolus quàntum in se fuit diuinitatem, volens ad æqualitatem ascendere diuinæ potestatis. *Isa.* 14. In cœlum ascendam: super astra cœli exaltabo solium meum. Rapuit & homo sapientiam quantum in se fuit, quando ad æqualitatem scientiæ affectauit peruenire, & fecit quod credidit se perducturum. *Genes.*3. Eritis sicut Dij scientes bonum & malum. Sed Christus non, quia naturaliter æqualis Patri semper fuit, est, & erit. *Phil.* 2. Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Soluit ergo Christus pro homine, non pro dæmone: quia fideiussorem se constituit carnem assumendo, hominis naturam, non dæmonis. *Heb.* 2. Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Et scriptum est *Prouerb.* 20. Tolle vestimentum eius, quia fideiussor est alieni.

Christus soluit quod Adã rapuit.

Deus tu scis insipientiam. Hîc est secundũ huius partis, in quo exponit quæ soluit. Ignorantias primò. Secundò culpas, ibi, *Et delicta.* Dicit ergo: Benè solui quæ non rapueram, quia ô *Deus* Pater, *tu scis*, qui nihil ignoras, *insipientiam meum*, id est, meorum, quantâ indigebat purgari pœnâ. Argumentum expressum, quod aliqua ignorantia est peccatum, quod verum est illorum verorum, quæ necesse est scire ad salutem. *Psal.* Corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. 6.

Aliqua ignorantia est peccatũ.

Et delicta mea, id est, meorum, & propter hoc reputo mea. Vel *mea*, quia à me susceptа. 1. *Petr.* 2. Peccatum non fecit, nec inuentus est dolus: sed ab aliis facta suscipit. In eodem, Qui peccata nostra ipse pertulit super lignum. *A te non sunt abscondita*, quin scias, qualiter pro illis emenda facienda. *Iob* 26. Infernus nudus est coram eo, & non est operimentum perditioni. 2. ad *Corinth.* 5. Eum qui non fecit peccatum, pro nobis fecit peccatum, id est, hostiam pro peccato. Sed si insipientiam habeant eorum quæ necessaria sunt ad salutem, articulorum scilicet fidei, & per hoc dicit, quomodo membra Christi erant? Et similiter si delicta tantâ punitione digna. Resp. Membra erant eius prædestinatione, non secundum statum in quo erant in ignorantia & delictis.

Non erubescant in me. Hîc tertium in quo petit vt illis prosit, pro quibus soluit: & diuiditur in partes duas. Primò quidem orat pro antiquis eius aduentum desiderantibus, vt illis prosit. Secundò pro modernis, ibi, *Non confundantur.* Dicit ergo: Sic solui & ignorantias & peccata: & propter hoc ô *Domine*, *Domine*, inquam, *virtutum.* Et potest dici, quòd duplicat *Domine* propter duplex dominium, Angelorum scilicet & hominum. *Non erubescant*, in me scilicet, frustrati sua fideli expectatione, 1. *Corinth.* 15. Si Christus non resurrexit, inanis est fides nostra. *Qui expectant te*, antiqui, qui tamen videre non potuerunt oculo carnis. *Luc.* 10. Multi Reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt. Et oculo mentis sicut Abraham. *Ioan.* 8. Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum. Expectant, inquam, remuneratorem pro fide, quam habent de me. *Eccles.* 35. Da mercedem Domine sustinentibus te. *Psal.* Vniuersi qui te expectant, non confundentur. 7.

Non confundantur. Hîc secundum. Quasi diceret: Sic rogo quoad præteritos, nunc autem quoad modernos, ô *Deus Israël*, Deum per fidem videntium nunc in via. 1. ad *Corinth.* 13. Videmus nunc per speculum, & in ænigmate. Et per speciem contemplantium. Ibidem, Tunc autem facie ad faciem. *Non confundantur super me* moriendo in carne, *qui quærunt te* in desiderio, & feruore, & syncera fide. *Amos* 5. Quærite me, & inuenietis, & non confundemini: quia *Rom.* 9. Omnis qui credit in eum, non confundetur.

Quoniam propter te sustinui. Hîc secunda causa tangitur patiendi, obendientia scilicet & amor Dei. Et primò pro causâ tangitur obedientia. Secundò amor feruens, seu amo- 8.

ris vehementia ad honorem Dei, ibi, *Quoniam zelus.* In prima duo. Primò, quòd ſuſtinuit propter obedientiam verba vilia. Secundò, quòd facta. *Operuit.* Dicit ergo: Prædictis cauſis ſaluum me fac, & propter hoc maximè, *quoniam propter te*, id eſt, propter voluntatem tuam, cui volebam in omnibus obedire, ſuſtinui opprobrium verborum. *Ierem.* 5. Scito quoniam propter te ſuſtinui opprobrium. *Ier.* 20. Factus eſt ſermo Domini mihi in opprobrium, & deriſum. *Auguſt.* Fœlix miſeria, cuius Deus eſt cauſa. Si autem quæratur, quæ ſint illa? *Matth.* 11. Ecce homo verax & potator vini. *Luc.*10. In Beelzebuth principe dæmoniorum eiicit dæmonia. *Ioan.*8.Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es, & dæmonium habes? Et *Matth.* 27. Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas. Propter hoc dicit *Thren.*3.Audiſti Domine opprobrium eorum aduerſum me.

Nec hoc tantum, imò *confuſio*, crucifixoribus velantibus, *operuit faciem meam. Matth.*14. Velatâ facie percutiebant eum dicentes: Quis eſt qui te percuſſit? Vel, *Confuſio operuit faciem meam.* Boni enim cum in ſe vilia perpetiuntur, confunduntur ad tempus confuſione propaſſionis, non paſſionis. *Tob.*4. Sara moleſtè tulit opprobrium ancillæ ſuæ. *Apocalypſ.*2. Blaſphemaris ab illis qui dicunt ſe Iudæos, & non ſunt. Tamen omnia in patientia ſuſtinenda. *Iſa.*50. Faciem meam non auerti ab increpantibus & conſpuentibus in me.

Alia litera: *Operuit*, ſecundum iudicium hominum, *faciem meam irreuerentia.* Et ſunt verba corporis: cum enim infideles blaſphemant Chriſtum, quaſi impudenter, oportet nos confiteri, nec curare de contemptu. *Seneca:* Æquo animo toleranda ſunt iniquorum conuicia, & ad honeſta tendenti contemnendus eſt iſte contemptus. 1.ad *Corinth.*4. Mihi autem pro minimo eſt vt à vobis iudicer, aut ab humano die.

9. *Extraneus factus ſum.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit quid ſuſtinuit à domeſticis: & tanguntur duo. Primò alienatio. Secundò vehementia alienationis. *Et peregrinus.* Dicit ergo: Quæ præmiſi, ſuſtinui ab omnibus ſimpliciter, & etiam *extraneus factus ſum fratribus meis* cognatione, Iudæis ſcilicet. *Iob* 19. Fratres meos longè fecit à me. Verè extraneus. *Cant.* 1. Filij matris meæ pugnauerunt contra me. Fratres etiam eius poſſunt dici eius conſanguinei, qui elongabant ſe ab eo, nec credebant. *Ioan.*7.Nec enim fratres eius credebant in eum.

Et peregrinus, quod plus eſt, qui aliunde venit, & citò tranſit. Vel extraneus refertur ad interiorem affectum, peregrinus ad exteriorem effectum. *Iob* 14. Quaſi peregrinus factus ſum in oculis eorum: ſeruum meum vocaui, & non reſpondit mihi. Verè peregrinus pluſquàm alius. *Ioan.* 1. In propria venit, & ſui eum non receperunt. *Luc.* 24. Tu ſolus peregrinus es in Ieruſalem. *Filiis matris meæ*, hoc eſt, Sinagogæ, qui benè me deberent cognoſcere. *Iſa.*1. Iſraël me non cognouit, & populus meus non intellexit. *Ierem.*8. Miluus, & hirundo, & ciconia cognouerunt tempus aduentus ſui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini, quo voluit iudicari vt latro, & crucifigi.

Quoniam zelus domus tuæ. Hîc ſecundum, in quo oſtenditur, quod non ſolum obedientia, ſed amoris vehementia facit mala ſuſtinere ad mortem, & bona reddit contra mala, quod eſt maioris perfectionis. Dicuntur ergo tria hîc. Primò amoris vehementia ad quærendum honorem Dei, & vtilitatem proximi. Secundò tanguntur mala quæ ſuſtinuit. *Et opprobria exprobrantium.* Tertiò bona quæ è contrario contulit, ibi, *Ego vero.* Dicit ergo: Hæc prædicta mala ſuſtinui propter te, vt tibi obediens inuenirer, & etiam *zelus*: feruens ſcilicet dilectio, *domus tuæ*, colligendæ tibi, & congregandæ, *comedit me*, quaſi abſorbuit me totum, vt eos qui peccabant contra te, flagellarem, ſicut factum eſt *Ioan.* 2. & *Matth.* 21. quando facto funiculo eiecit ementes, & vendentes de templo. *Iſa.*59.Opertus eſt Dominus quaſi pallio zeli. *Ierem.* 2. Zelatus eſt Dominus terram ſuam. *Zachar.* 1. Zelatus ſum Sion, & Ieruſalem zelo magno. Vel *comedit me*, id eſt, cauſa meæ conſumptionis & mortis fuit: propter hoc enim occiderunt me. 10.

Et notandum, quod eſt zelus dilectionis, vt hîc, & 3. *Reg.* 19. Zelatus ſum zelo pro Domino exercituum. Indignationis. *Iacob.*3. Vbi zelus & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus prauum. Præſentis iræ inflictæ ad correctionem. *Ezech.*16. Non iraſcar tibi amplius: zelus enim meus receſſit à te. Futuræ ad vindictam malorum. *Pſal.* Exardeſcet velut ignis zelus tuus. *Gloſſa*, ſcilicet ira tua. Inuidiæ. 1.ad *Cor.*3.Cum ſint inter vos zelus & contentio, nonne carnales eſtis, & ambulatis ſecundum hominem? *Zelus dilectionis, indignationis, iræ, & inuidiæ.*

Et etiam notandum, quod amor Dei dicitur amor quaſi zelotypi. Primò: quia ſponſæ apponit cuſtodes Angelos & homines. *Eſth.*2. Tradantur ſub manu Egei Eunuchi, qui eſt cuſtos puellarum Regis. *Iſa.*21. Pone ſpeculatorem: & quodcumque viderit, annuntiet. Item quia notat nutus & ſigna ſponſæ valdè diligenter. *Iſa.* 3. Pro eo quod ambulauerunt filiæ Sion extento collo, & nutibus oculorum ibant, & compoſito greſſu incedebant, decaluabit Dominus verticem filiarum Sion. Item quia ſuſpecta habet munera ab adultero accepta. *Oſeæ* 2. Dixit: Vadam poſt amatores meos, qui dant mihi lanam meam, & linum meum. Item grauiſſimè condemnat adulteram, & punit. *Exod.* 20. Ego ſum Dominus Deus zelotes, vindicans iniquitatem patrum in filios. *Pron.* 6. Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cuiuſquam precibus, nec accipiet pro redemptione dona plurima. Suſurrum adulteri & ſponſæ diligenter & latenter auſcultat. *Sapient.* 1. Auris zeli audit omnia, & tumultus cogitationum non abſcondetur. *Deus zelotes.*

Et opprobria. Hîc ſecundum, in quo tanguntur mala, quæ ſuſtinuit, & à quibus. Et primò quæ. Secundò à quibus, ibi, *Aduerſum me.* In prima duo. Primò vilitas & abiectio tangitur, Secundò bonorum quæ faciebat, peruerſa

peruerſa interpretatio, ibi, *Et operui in ieiunio.* Dicit ergo: Sic zelo ardebam, *& opprobria exprobrantium tibi* quandoque, ſicut mos fuit ſemper Iudæorum. Vel exprobrantium tibi in me, *ceciderunt ſuper me*, nunc. *Iob* 10. Aperuerunt ſuper me ora ſua exprobrantes. *Thren.*2. Aperuerunt ſuper me os ſuum omnes inimici tui. *Iſa.*58. Super quem luſiſtis, ſuper quem dilataſtis os, extraxiſtis linguam, &c.

11. *Et operui in ieiunio.* Hîc ſecundum, peruerſa interpretatio bonorum: & dicuntur duo, quæ peruertebant. Primò abſtinentia in victu. Secundò aſperitas in veſtitu. *Et poſui veſtimentum meum cilicium.* Vel quia Chriſtus non legitur fuiſſe indutus cilicio, primò peruerſa interpretatio humilitatis in conuerſatione. Secundò peruerſa interpretatio infirmitatis in paſſione. *Et poſui.* In prima duo. Primò tangitur bonum. Secundò interpretatio peruerſa ſubiungitur. *Et factum eſt.* Dicit ergo: Sic exprobrauerunt, & ego operui animam meam, animæ meæ potentiam, & dignitatem. *Abac.*3. Ibi abſcondita eſt fortitudo eius. *Iſa.*45. Verè tu es Deus abſconditus. Et hoc *in ieiunio:* ad literam, abſtinentiæ. *Matth.*4. Cum ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit. Vel ego dico exiſtens in ieiunio ſpirituali, ſcilicet in deſiderio ſaluandi illos. *Ioan.*4. Meus cibus eſt vt faciam voluntatem Patris mei. *Gloſſa*, Cibus Saluatoris eſt conuerſio peccatoris. Vel, *Operui animam meam* afflictam *in ieiunio*, & hoc exteriori hilaritate, nec exterminaui ſicut hypocritæ. *Matth.*6. Cum ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Et paulò poſt: Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum: & faciem tuam laua. Vel, *Operui animam meam in ieiunio*, de ipſo quoddam pallium faciens decentiſſimum, ſicut factum eſt in tribus pueris. *Daniel.*1. Poſt dies decem facti ſunt vultus eorum meliores, & corpulentiores, præ omnibus pueris, qui veſcebantur cibis regiis. Vel, Operui ad munitionem. Ieiunium hoc armatura contra inſultus tentatoris, imò ipſius Dei affligere volentis. *Ion.*2. Prædicauerunt ieiunium, & veſtiti ſunt ſaccis, à minori vſque ad maiorem, & ſic euaſerunt. *Et factum eſt* à peruersè interpretantibus, *in opprobrium mihi. Caſſ.* Boni malis ſunt opprobrio, quia eorum ſceleribus non acquieſcunt. *Iſa.*59. Veritas corruit in platea, & qui receſſit à malo, prædæ patuit.

Chriſtus nõ legitur indutus cilicio.

Cibus Saluatoris, conuerſio peccatoris.

12. *Et poſui veſtimentum.* Hîc ſecundum, peruerſa interpretatio oſtenſæ infirmitatis. Et primò bonum. Secundò ſubuerſio boni. *Et factus ſum illis.* Dicit ergo: Sic peruerterunt quia potentiam abſcondi, & etiam *poſui cilicium*, naturam humanam infirmam ſimilem peccatrici, *veſtimentum meum*, modo ſcilicet diuinitatis. *Apoc.*7. Factus eſt ſol ſicut ſaccus cilicinus. *Iob* 17. Saccum conſui ſuper cutem meam. Ad *Rom.*8. Miſit filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati. *Ion.*2. Rex Niniuæ induit ſe cilicio.

Et factus ſum illis in parabolam, irriſoriam & maledicam, cum morientis in cruce viderunt infirmitatem. Talis parabola, *Ierem.* 29. Ponat te Dominus ſicut Sedeciam, & ſicut Achab, quos frixit rex Babylonis in igne. *Iob* 30. Factus ſum illis in deriſum, & in exemplum coram illis. Sic qui pœnitentiis ſe affligit, ab aliis irridetur vt inſanus. *Sap.*5. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, *Hieron. ad Euſtoch.* Si quem viderint triſtem pro peccatis, atque pallentem pro ieiuniis ac ciliciis, & monachum vocant.

Qui pœnitentiis ſe affligit, irridetur ab aliis vt inſanus.

Aduerſum me. Hîc ſecundum in quo oſtenſo quæ mala patitur, oſtendit à quibus patitur, & in quibus locis ſit in parabolam. Primò, quòd in plateis. Secundò, quòd in tabernis. *Et in me pſallebant.* Vel ſecundum aliam literam, primò quod ſapientibus, & alios regentibus. Secundò mundanorum amatoribus. Ait enim: Hæc ſuſtinebam, & verè, quia *aduerſum me*, irridendo, bona in malum conuertendo, loquebantur, *qui ſedebant in porta*, in locis publicis, & conuentibus communibus, qui ſolent fieri in portis. *Thren.*3. Factus ſum in deriſum omni populo, canticum eorum totâ die. Vel *qui ſedebant in portâ*, id eſt, iudicibus, qui ibi faciebant iudicia. *Deut.*17. Iudices conſtitues in omnibus portis tuis. *Ruth vlt.* Acceſſit Booz ad portam vbi erant iudices. Et *Amos* 5. Odio habuerunt corripientem in porta. Et rurſus in eodem, Conſtituite in porta iudicium. 13.

Et in me pſallebant, irriſoriè, vt mea irriſio eſſet eis iocunditas muſici inſtrumenti, *qui bibebant vinum* in tabernis. *Prou.*14. Noli eſſe in conuiuiis potatorum. *Prou.*4. Comederunt panem iniquitatis, & vinum impietatis biberunt. Vel *qui bibebant* cum delectatione magno hauſtu *vinum* iocunditatis temporalis. *Ioël* 1. Flete, & vlulate qui bibitis vinum in dulcedine. Et verè vlulandum: quia valdè periculoſum, quia venenoſum. *Deuter.* 32. Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabili vulnere. Hoc eſt illud vinum, de quo *Prou.*30. Noli Lamuël, noli Lamuël regibus dare vinum.

Ego vero orationem. Hîc tertium totius huius partis. Oſtenſa enim amoris vehementiâ, oſtenſo quod ſuſtinuit mala: hic tertiò oſtendit, quæ contulerit bona. Duo ergo dicuntur. Primò, quòd orauit poſitus in tantis malis pro ſe, & pro illis. Secundò oſtendit, quòd exaudiendus ſit, ibi, *Tempus beneplaciti.* Dicit ergo: Hæc mala mihi intulerunt, *ego vero* è contrario, *orationem meam*, pro me factam vt ab iis liberarer, *ad te* dirigebam, ſup. *Caſſ.* Inſinuat cœleſtis doctor iurgiis hominum, non inflammatis rixis, ſed orationibus obuiandum. *Exod.*17. Amaleeh precibus eſt victus Moyſi, & Iſraël liberatus. 14.

Ad te etiam dirigebam orationem meam pro ipſis illuminandis, & à peccato abſoluendis. *Luc.*23. Pater ignoſce eis hoc peccatum, quia neſciunt quid faciunt. In *Pſal.* ſuprà, Ad te orabo Domine. Et quoniam ita eſt, exaudi, quia ô Deus, *tempus eſt beneplaciti* exhibendi, id eſt, reconciliationis, & gratiæ exhibendæ. Et ſcriptum eſt *Iſa.* 49. In tempore placito exaudiui te, & in die ſalutis adiui te. 2. ad *Cor.* 6. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc, &c. Ad *Gal.*4. Venit plenitudo temporis. *Pſal.* Tempus miſerendi Deus, quia venit tempus.

Quid ſit tempus beneplaciti.

In multitudine. Hîc eſt quinta pars, & vltima, in qua rogat vt ſaluetur ſumptâ ratione

à miſericordia & veritate eius quem rogat: & ſecundum hoc dicuntur duo. Primò ſumitur ratio ab abundantia miſericordiæ. Secundò à veridica promiſſione. *In veritate.* Dicit ergo: Sic ſalua me & libera, quia talibus cauſis affligor & torqueor. Et etiam exaudi *in multitudine miſericordiæ tuæ. Pſal.* Secundum multitudinem miſerationum tuarum Domine, &c. *Daniel.* 9. Non in iuſtificationibus noſtris, proſternimus preces coram te, ſed in miſerationibus tuis multis. Multa enim eſt miſereatio Dei, ſicut alibi dictum fuit, & valdè magna. *Auguſt.* Nemo de Dei pietate diffidat: maior enim eſt eius miſericordia, quàm noſtra miſeria: tardius ſiquidem ei videtur veniam peccatori dare, quam ipſi peccatori recipere: ſic enim feſtinat abſoluere reum à tormento conſciẽtiæ ſuæ, quaſi plus cruciet eum compaſſio miſeri, quam ipſum compaſſio ſui. Et variis modis exhibitæ, & per multos. *Neem.* 9. Per miſerationes multas dediſti ei ſaluatores multos. De magnitudine & multitudine. *Caſſiodor.* Non parua miſericordia fuit, quæ tam ingentia peccata ſuperauit. Multitudo quidem fuit delicti, ſed multò numeroſior miſericordia illa quæ vicit. Ad *Rom.* 5. Vbi ſuperabundauit delictum, ſuperabundauit & gratia.

Magnitudo & multitudo miſericordiæ Dei.

Exaudi me, etiam *in veritate ſalutis tuæ*, omnibus te petentibus promiſſæ. Bene tamen additur miſericordia de veritate: quia vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas. Promiſit enim per Prophetas, quod Chriſtum reſuſcitaret à mortuis. Suprà in *Pſal.* Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Et alios per ipſum. *Oſeæ* 6. Viſitabit nos poſt duos dies, & in die tertia ſuſcitabit nos. Et ſuſcitatus ſaluaret. *Iſa.* 56. Iuxta eſt ſalus mea vt veniat, & iuſtitia mea reueletur.

15. *Eripe me de luto.* Hîc ſecundum illius partis, in qua orat pro ſua liberatione. Orauit enim caput pro ſe, hîc orat pro corpore: & dicuntur duo. Primò oratio. Secundò perſuaſio, ibi, *Exaudi me Domine.* In prima tanguntur ſex. Primò petit vt corpus liberetur à conſenſu in peccatum. Secundò à malo actu, ibi, *Ab iis qui oderunt.* Tertiò à nimio amore peccati, ibi, *Et de profundis aquarum.* Quartò à conſuetudine. *Non me demergat.* Quintò à contemptu. *Neque abſorbeat.* Sextò à deſperatione, ibi, *Nec vrgeat.* Dicit ergo: Sic rogaui pro me vſque modò, ſed nunc pro membris dico: O Domine *eripe me de luto*, id eſt, corpus meum, non vt non ſentiam, ſed vt *non infigar* per conſenſum: luteum enim dicitur corpus humanum, ſiue humana natura. *Ier.* 18. Vas quod fecit de luto, diſſipatum eſt. Temporalis abundantia. *Abac.* 2. Væ qui congregat non ſua: vſquequò congregat aduerſum ſe denſum lutum? Culpa. *Exod.* 5. Filij Iſraël ſeruiebant in luto & latere. Et maximè peccatum luxuriæ: & hoc primò quia immundum eſt in ſe. *Ierem.* 2. Omnes qui quærunt eam, non deficient, in menſtruis inueniet eam. Item maculatiuum tangentium. *Ierem.* 2. Maculata es in iniquitate tuâ coram me, dicit Dominus. Item quia fœtet. *Amos* 3. Aſcendere feci putredinem caſtrorum veſtrorum ad nares veſtras. Et tenet. *Geneſ.* 13. Vallis ſylueſtris habebat multos puteos bituminis. Item quia porcis placet: ibi ſe balneant, id eſt, luxurioſis. 2. *Pet.* 2. Canis reuerſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti.

Luxuria luto collata.

Libera me ab iis qui oderunt me, dæmonibus, & malis hominibus, quod eſt propriè liberari ab actu. Homines enim & dæmones ſemper quærunt inclinare ad actum: quia non vident interiorem conſenſum. *Dan.* 13. Aſſentire nobis, & commiſcere nobiſcum.

Et de profundis aquarum, id eſt, à nimio amorem deliciarum. In his profundis ſe merſum ſentiebat, qui dicebat in *Pſal.* De profundis clamaui ad te Domine.

Non me demergat tempeſtas aquæ, carnalis motus tempeſtuoſæ non teneat concupiſcentiæ in praua conſuetudine. *Greg.* Quem mali operis iniquitas à bona ſtabilitate commouit, quaſi tempeſtas eum rapuit. Si verò in peccatorum tenebris ſederit, citò conſuetudo ipſum in foueam mergit. 16.

Nec abſorbeat me profundum, per pœnitendi contemptum. *Prouerb.* 18. Peccator cum in profundum peccatorum venerit, contemnit, & abſorptus eſt. *Ierem.* 51. Abſorbuit me quaſi draco. *Iob* 40. Abſorbebit fluuium, & non mutabitur, ſed adhuc ſperabit quia Iordanis influat in os eius.

Nec vrgeat, id eſt, claudat, *puteus*, iniquitatis profunditas, *os ſuum ſuper me* per deſperationem. Hic eſt puteus, de quo *Prouerb.* 23. Fouea profunda meretrix, id eſt, carnalis concupiſcentia: & profundus puteus aliena, id eſt, culpa, quæ aliena eſt à natura. Super quem vrget hic puteus os ſuum, ſcilicet culpa, aperit ſuper illum alius puteus os ſuum, ſcilicet gehenna, de quo *Apocalypſ.* 9. Sol & aër obſcuratus eſt de fumo putei abyſſi. Poſſent hæc legi de capite etiam, ſicut planum eſt in *Gloſſa*, ſed magis propriè, ſicut lectum eſt, de membris.

Exaudi me Domine. Hîc ſecundum, ſcilicet perſuaſio, quòd exaudiatur. Et primò allegat diuinæ miſericordiæ ſuauitatem. Secundò multiplicitatem in effectu, ibi, *Et ſecundum multitudinem.* In prima duo. Primò petit vt de peccatis exaudiatur. Secundò ratio, quare exaudiri debeat, ſupponitur. *Quoniam benigna eſt.* Dicit ergo: Hæc petij pro meo corpore, & tu Domine *exaudi me*. & hoc non meis meritis, ſed *quoniam miſericordia tua eſt benigna.* Alia litera habet ſuauis. *Benigna*, quia à benigno ſpiritu procedit. *Sapient.* 1. Benignus eſt enim ſpiritus ſapientiæ, & non liberabit, &c. Et à charitate benigna. 1. ad *Corinth.* 13. Charitas patiens eſt, benigna eſt. Et ſuauis, quia à ſuaui ſpiritu ſimiliter procedit. *Sap.* 12. O quam ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus in nobis. Et ſpecioſa eſt valdè quando indiget homo maximè. *Eccleſ.* 35. Specioſa eſt miſericordia in die tribulationis, ſicut nubes pluuiæ in tempore ſiccitatis. 17.

Miſericordia Dei benigna, ſuauis, & ſpecioſa.

Secundum multitudinem miſerationum. Hîc allegat multitudinem in effectu: in ſe enim non eſt niſi vna. Quaſi diceret: Sic exaudi, & hoc etiam *reſpice in me*, oculo miſericordiæ. *Pſal.* Reſpice in me, & miſerere mei. *Sap.* 4. Et reſpectus in electos illius. Non iuſtitiæ quo

aliquando

aliquando reſpicit malos. *Iob* 40. Reſpice cunctos ſuperbos, & contere illos. *Exod.*14. Reſpexit Dominus caſtra Ægyptiorum in columna ignis & nubis, & interfecit eos. Et hoc non meritis noſtris, ſed *ſecundum multitudinem miſerationum tuarum. Daniel.* 9. Non in iuſtificationibus noſtris, ſed in miſerationibus tuis multis, poſternimus preces noſtras coram te.

18. *Et ne auertas faciem.* Hîc tertium primæ partis totius huius Pſalmi. Orauit enim pro corpore, orauit pro capite & diſtinctè: hîc ſimul orat pro vtroque: & dicuntur tria. Primò petit Patrem ſibi benignum fieri. Secundò à benigno velociter exaudiri, ibi, *Quoniam tribulor.* Tertiò ab exaudiente liberari, ibi, *Intende animæ meæ.* Dicit ergo: Sic exaudi me orantem ſuprà pro me, immediatè pro meo corpore: *& ne auertas faciem tuam*, nunc, *à puero tuo*, meipſo, Chriſto ſcilicet, de quo *Iſa.* 42. Ecce puer meus quem elegi. Et 19. Puer natus eſt nobis, &c. Puer autem dicitur Chriſtus propter puritatem. *Iſa.*53. 1.*Pet.*2. Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt, &c. Propter humilitatem. *Matth.*11.Diſcite à me,quia mitis ſum, &c. Propter manſuetudinem. *Iſa.* 53. Sicut ouis ad occiſionem ductus eſt, & coram tondente ſe obmuteſcet. Propter omnimodam obedientiam. Ad *Phil.*2. Factus obediens vſque ad mortem, &c. Puer etiam dicitur aliquando propter ſeruitium & miniſtrationem.Sic Chriſtus *Matth.* 20. Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.

Quare Chriſtus dicitur puer.

Vel de quolibet iuſto, & quaſi de toto corpore legi poteſt. Quaſi diceret: *Ne auertas faciem tuam à puero tuo*, quolibet iuſto, qui puer eſt tuus. *Oſeæ* 11. Puer Iſraël, & dilexi eum.

Quoniam tribulor. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Ne auertas faciem tuam, ſed benignus eſto, & *exaudi me velociter.* Loquitur pro ſe. *Pſal.* Velociter exaudi me Domine, defecit ſpiritus meus. Quod & facit Deus. *Iſa.*65. Et erit, antequam clament,ego exaudiam, adhuc illis clamantibus ego exaudiam. Et hoc debes: *quoniam tribulor*, hoc enim promiſiſti. *Pſal.* Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. *Pſal.* Adiutor in tribulationibus.

19. *Intende animæ.* Hîc tertium, in quo petit ab exaudiente ereptionem. Primò animæ in occulto ab omni impatientia, & culpa. Secundò corporis in aperto à morte & à pœnalitate ab aliis inflictâ, ſiue referatur ad caput, ſiue ad membra, ibi, *Propter inimicos.* In prima duo. Primò excitat ad conſiderationem ſtatus animæ ſuæ. Secundò orat liberationem. *Et libera.* Ait enim: Sic benignum te exhibeas, & exaudias, & etiam *intende animæ meæ*, diligenter conſiderando eius triſtitiam & tribulationem. *Matth.* 26. Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Et in *Pſal.* in perſona membrorum:Et anima mea turbata eſt valde. *Et libera me*,ab illa triſtitia,& à tribulatione ſua, ne per impatiẽtiam pereant. *Iob* 33. Liberauit animam meam Deus, eum ſcilicet, qui rogat ipſum ne pergeret in interitum. *Iob* 17. Libera me, & pone me iuxta te. Modus autem liberandi optimus eſt,patientiam tribuendo. *Gregor.* Tunc melius in tribulatione liberat, cùm patientiam dat. Sic liberauit beatum Stephanum *Act.* 7.

Propter inimicos meos. Hîc ſecundum, in quo petit apertam liberationem corporis à morte. Et primò petit ereptionem. Secundò addit perſuaſionem, ibi, *Propter inimicos.*Dicit ergo: Sic intende animæ meæ, & libera animam meam in occulto,& etiam *eripe me* in aperto: *me* qui caput ſum, ſuſcitando: & alios Sanctos, qui corpus meum ſunt, conſeruando, ſicut apertè tres pueri in camino ignis ſunt conſeruati. *Dan.*3. Et ipſe Daniel à lacu eorum ereptus eſt. Eiuſdem 13.

Propter inimicos. Hîc perſuaſio, ipſorum inimicorum conuerſio, ſi non ſint obſtinati: vel confuſio, ſi obſtinati fuerint: vnde dicuntur duo: quia primò propter inimicos confundendos. Secundò oſtendit, quod ſunt confundendi. *Tu ſcis improperium.* Dicit ergo: Sic eripe *propter inimicos meos* confundendos, cùm me viderint reſurgentem, cùm membra viderint liberata. *Pſal.*Deduc me in iuſtitia tua, propter inimicos meos. *Iſa.*26. Videant gloriam Domini zelantes populi, videant & confundantur. Vel magis propter inimicos conuertendos: & ſic tangit finem ereptionis. *Gregor.* Plerumque Sancti ſaluari temporaliter, non propter ſe, ſed propter aduerſarios appetunt, vt dum illos Dominus per miraculum liberat, illos eodem miraculo ad æternitatem ducat. Idem:Propter me liberari à corporali tribulatione non appeto,ſed tamen eripi proprter aduerſarios concupiſco, vt dùm vita noſtra ſaluari mirabiliùs cernitur, ipſorum miraculorum viſu duritia aduerſariorum conuertatur.

20. *Tu ſcis improperium.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit quod non debent confundi. Et hoc probat primò rationibus ſumptis ex parte eius quem precatur. Secundò à parte eius qui affligitur ab illis, ibi, *Improperium expectauit.* Tertiò à parte eorum à quibus affligitur, ibi, *Et ſuſtinui.* In prima duo. Primò quia nouit Pater mala oris, quæ iniuſtè inferunt Filio, & ſuis. Secundò etiam operis, ibi, *In conſpectu tuo ſunt.* Vel meliùs, quia ſcit mala quæ patitur. Secundò, quia perſonas inferentes. *In conſpectu.* In prima dicuntur tria ſecundum tria, quæ Chriſtus ſuſtinuit, & adhuc ſuſtinent membra. Primum eſt opprobrium verborum. Secundum eſt confuſio cachinnorum, & ſignorum. *Et confuſionem.* Tertium inhonoratio factorum vilium, ibi, *Et reuerentiam.* Dicit ergo: Eripe propter inimicos, & potes benè, & debes, quia *tu ſcis improperium meum*, non à me alteri, ſed mihi ab aliis illatum. Suprà eodem, *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.*

Et confuſionem meam, ſignorum ſcilicet oſtenſorum ad confundendum me. *Matth.* 27. Illudebant eum mouentes capita ſua, dicentes: Vah qui deſtruis templum Dei, &c. Sic membra. *Iob* 12. Irridetur iuſti ſimplicitas.

Et reuerentiam meam, quam mihi exhibent. Ironia,id eſt,reuerentiã in facto,quia alapis me cædebant. *Iob*16. Aperuerunt in me ora ſua exprobrando, cachinnando, & exprobrantes percuſſerunt

cuſſerunt maxillam meam, ſaturati ſunt pœnis meis. Sic de membris ad *Hebr.* 11. Sancti ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt.

21. *In conſpectu tuo.* Hîc ſecundum. Quia nouit perſonas à quibus patitur. Dicit ergo: Nouiſti illatas paſſiones, & etiam perſonas inferentes: quia omnes qui tribulant me his contumeliis, his tormentis. *Sap.* 11. Contumelia & tormento interrogemus eum. *Sunt in conſpectu tuo*, in notitia ſcilicet tuâ, ita apertè ſicut illa quæ in conſpectu tuo ſunt. *Eccleſ.* 16. Ne dicas Deo: A facie Dei abſcondar, & ex ſummo quis mei memorabitur? in populo magno non cognoſcar. *Hebr.* 4 Omnia nuda ſunt & aperta oculis eius. *Iob* 26. Nudus eſt etiam infernus coram eo. Quid mirum ſi dicit, in conſpectu? Vicini enim ſunt proximi valdè. *Ezech.* 43. Fabricati ſunt limen ſuum iuxta limen meum, & murus inter me & illos. Imò in ipſa domo Dei ſunt. *Ierem.* 11. Quid eſt quod dilectus meus in domo mea multa ſcelera operatur?

Improperium expectauit. Hîc perſuadet ſumptis rationibus à parte ſuiipſius, qui patitur. Et primò quia voluntariè cuncta ſuſtinuit. Secundò quia conſortem non habuit. *Et ſuſtinui.* Dicit ergo: Propter hoc adiuua, nec ſolum, imò quia *cor meum*, voluntas ſcilicet deliberata, *expectauit improperium* verborum, cachinnorum, *& miſeriam* factorum, ab illis, à quibus deberem expectare honorem & beneficentiam. *Iſa.* 5. Et expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas. In expectatione autem notatur voluntas: quod enim expecto, hoc volo, ſicut & ipſe hoc volebat. *Iſa.* 23. Oblatus eſt quia ipſe voluit. Et feruor deſiderij. Et hoc non tantum voluit Chriſtus, & eius membra, ſed ardenter illa. *Luc.* 22. Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar. *Luc.* 12. Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor vt perficiam illud?

In expectatione voluntas & deſiderij feruor.

Et ſuſtinui qui ſimul. Hîc tertium, in quo perſuadet à rationibus ſumptis à parte affligentium. Et primò ab vniuerſitate illorum, quia nullus pro ipſo. Secundò à crudelitate. *Et dederunt.* In prima duo. Primò, quòd non inuenit in perſecutoribus compatientem in corde. Secundo, quòd nec opere, vel ſermone, ibi, *Qui conſolaretur.* Dicit ergo: Tu vides eorum malitiam, & ego ſuſtineo libenter. *Et* etiam *ſuſtinui* expectando, attendendo, & *non fuit* de tanta multitudine perſequentium, *qui ſimul contriſtaretur*, compatiens corde. *Pſal.* Conſiderabam ad dexteram & videbam, & non erat qui cognoſcere ſe per compaſſionem monſtraret *Iſa.* 63. Torculat calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum. Circumſpexi, & non eſt auxiliator: quæſiui, & non fuit qui adiuuaret.

Sed nonne Apoſtoli triſtabantur cum eo, & ſic contriſtabantur? Reſpondeo per hoc quod iam dictum eſt, quòd poteſt intelligi de crucifixoribus, Iudæis ſcilicet, & gentilibus, non de diſcipulis. Vel melius, loquitur de compaſſione pro damno ſpirituali, pro quo præcipuè Chriſtus dolebat: Apoſtoli autem dolebant ex carnali amore, quem ad Chriſtum habebant. Propter quod dicitur *Amos* 6. Nihil compatiebantur ſuper contritione Ioſeph: imò lætabantur de percuſſione eius ſpirituali, quam credebant, ſicut nunc de perditione membrorum eius, multi non curant, ſed rident. *Thren.* 3. Omnes inimici mei audierunt malum meum, & lætati ſunt.

Qui conſolaretur me, verbo vel facto, *ſuſtinui, & non inueni. Thren.* 1. Non eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis eius, Eccleſiam ſcilicet vel in capite, vel in membris. Et in 3. Audierunt quia ingemiſco ego, & non eſt qui conſoletur me, ſed ſola ſum. *Ierem.* 15. Solus ſedebam, quoniam amaritudine repleſti me. Quando enim aliquis eſt in amaritudine, relinquitur à falſis amicis. *Iob* 2. Amici eius non audebant accedere ad eum, quoniam videbant dolorem eius vehementem. *Eccleſ.* 6. Eſt amicus ſocius menſæ, & non permanebit in die neceſſitatibus.

22. *Et dederunt in eſcam.* Hîc ſecundum, in quo ſumit rationem à crudelitate in miniſtrando, quod pertinet ad cibũ. Secundo in miniſtrando, quod ad pertinet potum. *Et in ſiti.* Ait enim: Sic omnes aduerſarij fuerunt, nullus omnino conſolator: & etiam quod deterius eſt, *dederunt fel*, hoc non in medicinam, ſicut dedit Tobias patri ſuo. *Tob.* 11. ſed in eſcam, hoc eſt, ac ſi illud comedere deberem. *Matth.* 27. Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. Quam malam eſcam præparauerunt illi, de quo in *Pſal.* Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum, &c. *Iob* 38. Qui præparauit coruo eſcam ſuam. *Thren.* 3. Recordare paupertatis meæ, & tranſgreſſionis, abſinthij, & fellis.

Et in ſiti mea, cum dicebam, Sitio, *Ioan.* 19. *potauerunt me aceto.* Hoc manifeſtum eſt *Matth.* 27. & *Ioan.* 19. *Ierem.* 6. Quuomodo conuerſa es in prauum vinea aliena? Tamen quia non legitur de eſca ipſius Chriſti, melius legitur aliter. Notandum enim, quod eſt triplex eſca, quâ Deus reficit. *Pſal.* Omnem eſcam abominata eſt anima eorum. *Gloſſ.* Verbum Dei, vnde anima viuit. Et Euchariſtia, altaris ſcilicet ſacramentum. *Sap.* 16. Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum. Conſolatio interna. *Pſal.* Qui dat iumentis eſcam ipſorum, id eſt, humilibus & abiectis conſolationem. Prima reficit ſæculares. Secunda Sacerdotes. Tertia Clauſtrales. Sed in prima ponunt fel Scripturas corrumpentes. In ſecunda irreuerenter accedentes. In tertiâ in triſtitia Domino ſeruientes.

Triplex eſca qua Deus reficit.

Et in ſiti mea. Duplex eſt ſitis Dei qua ſitit, & qua ſitire facit. Et prima triplex. Humani generis redemptio per mortem propriam. *Pſal.* Cucurri in ſiti. Redemptorum conuerſio ad Deum. Sic ſitiebat cum dixit *Ioan.* 19. Sitio. Pauperum ſuſtentatio. *Matth.* 25. Sitiui, & non dediſtis mihi bibere. Sitis autem quâ nos ſitire facit, eſt quadruplex. Primò quidem ſitire facit doctrinam, de qua ſiti *Iſa.* 45. Omnes ſitientes venite ad aquas. Deinde gratiam, qua Deo placeamus, & intus refocillemur. *Ioan.* 7. Qui ſitit, veniat ad me & bibat: ad me fontem, & bibat gratiam, poſtea iuſtitiam, qua exitur in bonam operationem, de qua *Matth.* 5. Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam. Vltimò gloriam, de qua in *Pſal.* Sitiuit

Deus multis modis ſitit & ſitire facit.

anima

anima mea ad Deum fontem viuum. In prima ſiti Dei, quæ propriæ ſua eſt, poſuit Iudæus acetum ad literam. *Matth.*27. In ſecunda ponit omnis piger ad conuerſionem & lentus. In tertia ſpecialiter auarus.

23. *Fiat menſa eorum.* Sicut à principio Pſalmi dictum fuit, hîc eſt ſecunda pars primæ partis totius Pſalmi, in qua poſtquam egit de miſeria & paſſione, quam in ſe & in ſuis Chriſtus ſuſtinuit, agitur de imprecatione, quam contra obſtinatos crucifixores facit. Et primò imprecatur eis malum pœnæ. Secundò culpæ, ibi, *Appone iniquitatem.* Item in prima duo. Primò ponit imprecationem. Secundò ſubiungit imprecationis cauſam, ibi, *Quoniam quem tu percuſſiſti.* In prima duo. Primò imprecatur eis, legis & doctrinæ ablationem, & quod inde ſequitur. Secundò Ieruſalem, & templi, in quibus erat maximè eorum gloria, deſtructionem, ibi, *Effunde ſuper eos iram.* In prima duo. Primò imprecatur legis ablationem. Secundò conſequens ad illam. *Obſcurentur oculi.* In prima tria. Primò imprecatur eis tranſgreſſionem apertam. Secundò malè intellectæ amiſſionem dignam. *Et in retributionem.* Tertiò ſchiſmatum, & expoſitionum legis diuerſitatem. *Et in ſcandalum.*Dicit ergo: Talia mihi faciunt, & propter hoc, *fiat menſa eorum*, ſacra ſcilicet Scriptura eis ad hoc data, vt in ea reficerentur. *Exod.*26. Panes erunt ſemper ſuper menſam meam, quibus reficientur, qui ſpiritualiter intelligent Scripturam. *Eccleſ.*25. Cibabit illum pane vitæ & intellectus. *Coram ipſis*, ipſis ſcilicet videntibus, & aſpicientibus, *in laqueum*, quo capiantur, & apertè cognoſcantur tranſgreſſores. *Matth.*25. Ex ore tuo te iudico ſerue nequam. *Prouerb.*6. Illaqueatus es verbis oris tui, ipſa lege quam prædicabas.

Et in retributiones, vt digna retributione tranſgreſſi amittant, & detur aliis, ſcilicet Gentibus, ſicut eis factum eſt. *Matth.*21. Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Audi transferentes Meſſiam ad alios. *Act.*13. Quia repellitis verbum Dei, & indignos vos iudicaſtis vitæ æternæ, ecce conuertimur ad Gentes.

Et in ſcandalum, diſſenſionis, vt eadem diuerſimodè, & contrariè ab his gratia, ab aliis exponatur, & ab omnibus peruersè. Et hoc ſignificatum fuit *Matth.*27. quando paſſo Chriſto, velum templi ſciſſum eſt.

Poteſt etiam legi de menſa præmiſſa, quam parauerunt Chriſto, quæ fuit eis cauſa laquei. *Prouerb.*5. Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur. *Et in retributiones fiunt*, quia fami & miſeriæ ſunt expoſiti. *Sapient.*11. Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. *Et in ſcandalum*, vt ruant de peccato in peccatum, & tandem in infernum. *Eccleſ.*21. Via impiorum complantata lapidibus, vt reſpirent de culpa in culpam, & in fine eorum inferi, pœnæ, & tenebræ. *Iſa.*8. Offenderunt ex eis plurimi vt cadant, & conuertantur.

Menſa multiplex. Et nota hic,quod multiplex eſt menſa. Neceſſitatis ad ſuſtentationem. *Auguſt.*in ſpeculo Clericorum. Cum acceditis ad menſam,donec inde ſurgatis, &c. Guloſitatis. *Luc.*16. Lazarus cupiebat ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa diuitis, & nemo illi dabat. *Iſa.*28. Omnes menſæ eorum repletæ ſunt vomitu, ſordibuſque. Eruditionis, de qua hîc. *Prou.*9. Sapientia ædificauit ſibi domum.Et paulò pòſt, Propoſuit menſam, miſcuit & vinum. *Iſa.*21. Pone menſam, ſacram ſcilicet Scripturam: & contemplare in ſpecula, in ipſa ſcilicet ſtude. Idem enim eſt ſpecula & menſa. Cupiditatis, quia menſa nummulariorum. *Matth.*21.Nummulariorum effudit æs, & menſas eorum ſubuertit. Hæc tamen menſa frequenter fit in laqueum & in ſcandalum. Altaris.1.ad *Cor.*10. Non poteſtis eſſe participes menſæ Chriſti, & menſæ dæmoniorum, ſcilicet guloſitatis & cupiditatis, & æternæ refectionis. *Luc.*22. Ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam, &c.

Obſcurentur oculi. Hîc ſecundum, in quo poſtquam imprecatus eſt legis ablationem, imprecatur miſeriam inde conſequentem immediatè: alteram quantum ad intellectum & rationem, excæcationem: alteram quantum ad affectum, inclinationem ad malum. *Et dorſum eorum.* Dicit ergo: Sic omninò auferatur ab eis menſa Scripturæ: & etiam *obſcurentur oculi eorum*, intellectus ſcilicet eorum. *Iſa.*6. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, id eſt, excæcandum prædica. Quod videmus impletum. Ad *Rom.*6. Cæcitas ex parte contigit in Iſraël. Ex parte, quia in obſtinatis, hoc permittente Deo, & malitia eorum hoc agente. *Sap.*12. Excæcauit eos malitia eorum. 24.

Et dorſum eorum, affectum eorum, in quo importantur & bona & mala, *ſemper incurua*, ad terrena, vt illis inhient, & illa ament, ſicut incuruatus erat qui dicebat: Miſer factus ſum, & curuatus ſum vſque in finem, & hoc ſub ſeruitute dura peccati. 2.*Paral. vlt.* Incuruatus ſum multo vinculo ferri. *In oratione Manaſſes.*

Et nota, quòd oculus Eccleſiæ ſunt Prælati, qui alios debent videre, & pro aliis explorare. *Cantic.*6. Oculi tui columbarum. Et iterum, Oculi tui ſicut piſcinæ in Eſebon. Sed iſti ſunt obſcurati, imò excæcati. *Iſa.*56. Speculatores eius cæci omnes, & poſiti ad molam, ad circuitum rerum temporalium, & ponderoſarum cauſarum. *Iudic.*16. Samſon excæcatus poſitus eſt ad molam. Et quia cæci, & illi quos ducunt cæci, accidit quod dicit Dominus *Matth.*15. Si cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadent. Et dorſum incuruatum ad terrena diligenda & amanda. *Iſa.*2. Incuruatus eſt homo, & humiliatus eſt.Curuantur ita manifeſtè, vt videantur dæmones tranſire ſuper eos, & eos ſubiectos calcare.*Iſa.*51. Incuruare vt tranſeamus.Et bene ſequitur hæc captiuatio affectus obſcurationem intellectus, quia *Iſa.*5. dicitur: Propterea captiuus dictus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam. *Contra prælatos terrena inhiantes.*

Effunde ſuper eos. Hîc ſecundum', in quo imprecatur ciuitatis & templi deſtructionem, vt appareat maxima ira Dei ſuper illam gentem. Duo ergo dicuntur. Primò imprecatur eis iræ magnitudinem. Secundò oſtendit in quo velit illam exerceri. *Fiat habitatio.* In prima 25.

duo,

duo. Primò imprecatur iræ abundantiam. Secundò intenſionem. *Et furor.* Dicit ergo: Sic auferendo legem, excæcando & incuruando eos punias, & etiam *effunde*, abundanter immittendo tanquam fluuium, *iram tuam*, effectum iræ tuæ, *ſuper eos. Pſal.* Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt. *Thren.*3. Effudit quaſi ignem indignationem ſuam. *Ezech.*8.Effundam iram meam ſuper te,& complebo indignationem meam ſuper te.

Et furor iræ tuæ. Intranſitiua conſtructio, id eſt, ira tua furibunda, hoc eſt, effectus iræ tantus, ac ſi furioſus eſſes, *comprehendat eos.* Quod fiet potiſſimè in fine vniuſcuiuſque. *Thren.* 1. Omnes inimici eius apprehenderunt eam inter anguſtias. Quando putabit ſe ſecurum. *Eccleſ.* 23. Sicut pullus equinus fugabitur, & vbi non ſperabit, comprehendetur. Effuſa eſt iam ira in præſenti, ſed comprehendet eos furor in futuro. *Iſa.* 30. Ecce nomen Domini venit de longinquo,ardens furor eius, & grauis ad portandum.

26. *Fiat habitatio eorũ.*Hic ſecundũ,in quo oſtendit in quo velit effundi iram, quia in duobus. In deſtructione aperta ciuitatis, & terræ primò. Secundò ad maiorem cumulationem, templi, & domus regiæ, quæ erat in Ieruſalem. *Et in tabernaculis.* Dicit ergo: Sic effunde, & in hoc, *vt fiat habitatio eorum*, terræ ſcilicet, & domus illorum, quas inhabitant, *deſerta. Iſa.* 5. Niſi domus multæ fuerunt grandes & pulchræ abſque habitatore. *Matth.* 23. Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. *Iſa.* 1. Ecce relinquetur filia Sion in vmbraculum in vineis, & ſicut tugurium in cucumerario, & ſicut ciuitas quæ vaſtatur.

Et in tabernaculis eorum, habitationibus iocundis, templo ſcilicet & domo regia, *non ſit qui inhabitet, Ierem.*9. Deſerta ſunt tabernacula mea. Et in eodem,Dabo ciuitates Iudæ deſolatas, eò quod non ſit qui inhabitet. *Mich.* 3. Sion quaſi ager arabitur, & Ieruſalem quaſi aceruus lapidum erit,& mons templi in excelſis ſyluarum.

27. *Quoniam quem tu percuſſiſti.* Hîc ſecundum, ratio ſcilicet & cauſa, quare antecedentia imprecetur: & dicuntur duo. Primò perſequentium crudelitas. Secundò crudelitatis immenſitas. *Et ſuper dolorem.* Dicit ergo: Hæc fient eis, & digni ſunt: *quoniam quem tu percuſſiſti*, percutere voluiſti, non eum qui percuti meruit. *Zachar.* 12. Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis. Illum ſcilicet, qui dicit *Ioan.* 10. Ego ſum paſtor bonus. Non propter peccatum proprium, ſed omnium. *Iſa.*53. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eũ.Et rurſus:Propter ſcelus populi mei percuſſi eum. Sed ipſe ſanabit. *Iob* 5. Percutit, & manus eius ſanabunt. Hunc, inquam, perſecuti ſunt crudeliter valde. *Iob* 19. Quare perſequimini me ſicut Deus, & carnibus meis ſaturamini? Suprà eodem, Multiplicati ſunt qui perſequuti ſunt me inimici mei iniuſtè.

Et ſuper dolorem. Hîc immenſitas crudelitatis. Quaſi diceret: Sic perſecuti ſunt, & etiam *addiderunt* noua vulnera, *ſuper dolorem meum*, quem in crũce ſuſtinui, me rurſus crucifigentes, & quaſi vulnerantes. *Oſeæ* 13. Nunc addiderunt ad peccandum. *Iob* 16. Concidit me vulnere, ſuper vulnus. Hoc impletum fuit, quando mortuum, & ſepultum in ſepulchro perſequuti ſunt, blaſphemantes, & cuſtodias ponentes. *Ierem.* 13. Facta eſt quaſi ſpelunca hyenæ hæreditas mea, quæ ſæuit in cadauera mortuorum.

Et nota, quòd Chriſtus crucifigitur quadrupliciter. Primò ſcilicet pauperes affligendo,vnde dictum eſt Petro à Chriſto: Venio Romam iterum crucifigi. *Matth.* 25. Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Miniſtris eius debita præſidia ſubtrahendo. *Malach.* 3. Vos configitis me gens tota,& dixiſtis: In quo configimus te? in primitiis & decimis. In Sacramento vilipendendo. *Hebr.* 6. Rurſus Filium Dei crucifigentes, & oſtentui habentes. A via rectitudinis apoſtatando,maximè à promiſſo. *Gal.*3.Ante quorum oculos IESVS CHRISTVS præſcriptus, & rurſus crucifixus. *Chriſtus quadrupliciter crucifigitur.*

Appone iniquitatem. Hîc ſecundum huius partis imprecatoriæ, in quo poſtquam imprecatus eſt eis malum pœnæ, imprecatur rurſus malum culpæ. Et primò imprecatur eis culpæ cumulum. Secundò damnum ſequens, ibi, *Deleantur de libro.* In prima duo. Primò imprecatur eis cumulum culparum. Secundò perſeuerantiam in malitiâ. *Et non intrent.* Dicit ergo: Hæc mala pœnæ, quæ prædixi, illis eueniant, & etiam *appone*, apponi permitte,gratiam ſubtrahendo, *iniquitatem ſuper iniquitatem eorum*, vt contingat illis illud *Oſe.*4. Mendacium,furtum, homicidium, adulterium, inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit. Et illud *Apocal. vltim.* Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. *Iſa.*15. Apponam ſuper Dibon additamenta, id eſt, apponi permittam peccata. Primò permiſit,quod ſuos occiderunt: ſed appoſuit,quod Chriſtum Filium Dei & hæredem crucifixerunt, eiicientes extra vineam. *Matth.*21.& vlterius, quòd blaſphemi & excæcati ſunt. *Sap.*2. Excæcauit eos malitia eorum. 28.

Et non intrent. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic augeant peccata, & cumulent, & velut *non intrent iuſtitiam tuam*, in viam ſcilicet rectam veniendi ad te. *Sap.*5. Viam Dei ignorauerunt, ſcilicet iuſtitiam, qua itur ad Deum, quam præcepit quærere. *Matth.*6.Primum quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius. Sed ſuam iuſtitiam ſtatuam. Ad *Roman.*10. Suam volentes ſtatuere iuſtitiam, iuſtitiæ Dei non ſubiecti.

Deleantur de libro. Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur damnum ſequens ex cumulo, & perſeuerantia in malo: & dicuntur duo, ſcilicet certa damnatio eorum ſub metaphora. Secundò metaphoræ expoſitio. *Et cum iuſtis.* Vel ſic: Primò ipſorum ſeparatio ab antiquis ſanctis. Secundò, quòd etiam à modernis. *Et cum iuſtis.* Dicit ergo: Sic peccata cumulant, & in illis perſeuerent, & propter hoc *deleantur de libro viuentium.* Liber viuentium propriè appellatur diuina prædeſtinatio, in qua ſcripti ſunt ad vitam æternam electi. *Apocal.* 10. Qui non eſt inuentus ſcriptus in libro vitæ, miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulpturis ardentis. De hoc autem nullus deletur, qui in ipſo ſcriptus ſit: vnde intelligendum eſt: Deleantur, id eſt, delecti 29. *Liber viuentiũ quid ſit, & in eo ſcripti an deleri poſſint.*

leti eſſe manifeſtentur, cùm credant ſe eſſe ſcriptos. Et exponit ſe: *Et*, id eſt, *cum iuſtis non ſcribantur.* Non ſunt ſcripti niſi fortè ad tempus in pagina, in qua ſcribuntur omnes ſpecialiter iuſti, ex qua benè delentur. *Pſal.* In libro tuo omnes ſcribentur, & boni & mali. Vel ſic: *Deleantur de libro viuentium*, iuſtorum ſcilicet antiquorum, qui viui ſunt, etſi mortui reputentur à Sadducæis. *Matth.*21. Non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium.

Et cum iuſtis moderni temporis adhuc ſe in iuſtitia exercitantibus, *non ſcribantur.* 2. ad *Cor.* 6. Quæ ſocietas iuſtitiæ ad iniquitatem? ſed magis in terra, quam dilexerunt, in qua fixi fuerunt corde. *Ierem.*10. Recedentes à te in terra ſcribentur.

Libri multiplex acceptio. Et notandum eſt, quòd eſt multiplex liber. Creaturæ, in quo omnia leguntur. Ad *Rom.*1. Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. *Eccleſ.*24. Hæc omnia liber vitæ, id eſt, veram vitam, Deum ſcilicet oſtendentia. Scripturæ. *Bar.*4. Hic eſt liber mandatorum Dei. Præſcientiæ, in quo legebant Prophetæ, in quo omnia ſcripta ſunt. *Dan.*10. Annnuntio tibi quod expreſſum eſt in ſcriptura veritatis. Prædeſtinationis diuinæ, in quo tantum ſcripti ſunt electi ad vitam æternam. *Matth.*10. Gaudete & exultate, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. Et conſcientiæ. *Daniel.* 7. Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt.

30. *Ego ſum pauper.* Hîc ſecunda pars totius huius Pſalmi, in qua poſtquam actum eſt de poſtulatione reſurrectionis, & inimicorum deiectione, ſubiungitur de fructu ex miſeria & paſſionibus Chriſti, conſequente, cum gratiarum actione pro fructu illo: & ſecundum hoc duo dicuntur. Primò fructus ex miſeria conſequens oſtenditur. Secundò gratiæ referuntur pro illo fructu, cum admonitione aliorum ad idem, ibi, *Laudabo nomen Dei.* In prima duo. Primò deſcribit miſeriæ ſtatum. Secundò ſtatum ex illo fructu conſequutum. *Salus tua.* Status monſtratur in duobus. In defectu neceſſarij primò. Secundò in præſentia mali afflictiui. *Et dolens.* Ait enim: Sic illis fiat, & fiet. *Autem*, ſed, *ego ſum pauper.* Dicit ipſum caput pro ſe. *Luc.*9. *Matth.*8. Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet. 1.ad *Cor.*8. Cum eſſet dives in omnibus, pro nobis factus eſt egenus. Ecce carentia rerum.

Et dolens, præſentia miſeriarum, & paſſionum. *Thren.*1. Attendite & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus, ſignificatus per Iob, qui interpretatur *dolens. Iſa.*53. Vidimus eum virum dolorum, & ſcientem infirmitatem. De duobus ſimul *Thren.*3. Recordare paupertatis meæ, & tranſgreſſionis, abſinthij, & fellis.

Salus tua. Hîc fructus. Quaſi diceret: Sic fui pauper, & dolens, & ob hoc ô Deus, *ſalus tua*, ſaluatio ſcilicet tua, *ſuſcepit me. Pſal.* Exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me. *Iob* 22. Qui humiliatus fuerit paupertate, & dolore, erit in gloria. Si membra huius capitis volunt cum gloria ſuſcipi, neceſſe habent fieri pauperes & humiliari. *Senec.* Si vis vacare animæ, neceſſe eſt vt pauper ſis, aut pauperi ſimilis. Et in paſſionibus. *Act.* 4. Per multas tribulationes oportet intrare in regnum cœlorum.

Laudabo nomen Domini. Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur de gratiarum actione. Et primò promiſſio de gratiis reddendis. Secundò aliorum inuitatio ad hoc idem, ibi, *Videant pauperes.* In prima duo. Primò promiſſio de gratiarum actione. Secundò acceptatio ab ipſo Deo, vel commendatio referendi gratias in hunc modum. *Et placebit.* In prima duo. Primò, quòd gratias aget lætanter. Secundò, quòd patienter ad aliorum ædificationem, ibi, *Et magnificabo.* Dicit ergo: Sic me ſuſcepit ſalus extrahens de paupertate & dolore, & propter hoc *laudabo nomen Domini*, & in meipſo, & in membris meis. *Eccleſ.*51. Collaudabo nomen tuum aſſiduè. Et hoc *cum cantico*, cum mentis ſcilicet lætitia & exultatione. Eſt enim canticum exultatio mentis de æternis habita, in vocem prorumpens. *Iſa.*30. Canticum erit vobis ſicut nox ſanctificatæ ſolemnitatis. Et multum placet Deo laus talis, & diſplicet diabolo. In eodem, In citharis & tympanis & bellis præcipuis expugnabit eos. 31.

Et magnificabo eum in laude. Et ad hoc ipſum inuitantur in *Pſal.* Magnificate Dominum mecum. Sic Virgo *Luc.*1. Magnificat anima mea Dominum. Et in 7. Magnificabant Deum dicentes: Quia prophera magnus ſurrexit in nobis.

Et placebit Deo. Hîc ſecundum, acceptatio talis laudis per comparationem ad ſacrificium Deo valdè placens, ſcilicet ad ſacrificium vituli nouelli. Et tangit primò vituli nouitatem. Secundò magis ſpecificat tactam, ibi, *Cornua producentem.* Dicit ergo: Sic laudabo, *& placebit* talis laus *Deo ſuper vitulum nouellum*, qui præcipiebatur offerri pro peccato. *Leuit.*8. Præcipiebatur, quod vitulus vnius anni offerretur. 32.

Acceptius eſt ſacrificium laudis quam pecudum mactatio.

Cornua producentem. Hîc explanat nouitatem. *Cornua producentem, & vngulas*, quod ſit circa primum annum. Aperta reprobatio ſacrificiorum antiquorum pro ſacrificio laudis. Suprà in *Pſal.* Sacrificium laudis honorificabit me, & propter hoc placebit mihi. *Malach.*3. Et placebit Deo ſacrificium Iuda, & Ieruſalem. Sacrificium ſcilicet pietatis & miſericordiæ. *Mich.*6. Indicabo tibi ô homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: Vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam. Et laudis, cordis, & oris. *Oſeæ* 13. Reddemus vitulos labiorum noſtrorum. Et propter hoc dicitur per *Iſa.*in 1. Ne offeratis vltra ſacrificium: incenſum abominatio eſt mihi. Suprà in *Pſal.* Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti.

Poſſet exponi de illa gloriosâ laude quâ laudabitur Deus à Chriſto homine, & à membris in futuro. De hac *Auguſt. in fin. de ciuit. Dei.* Vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus. Hoc placebit *ſuper vitulum cornua producentem.*

Cornua producit vitulus, quando nouiter conuerſus ad fidem per baptiſmum creſcit in fide. Vel per pœnitentiam conuerſus creſcit in iuſtitia. Hæc ſunt cornua, de quibus in *Pſal.* Exaltabuntur cornua iuſti. *Luc.*1. Erexit nobis cornu ſalutis. 1. *Reg.* 2. Exaltatum eſt cornu meum.

meum in Deo. Vngulam producit, quando ſolidè ſtat ſpes, & figitur quando bonum inſtanter agit. *Iob* 39. Terram vngula ſcindit, exultat audacter: in occurſum pergit armatis.

33. *Videant pauperes.* Hîc ſecundum, aliorum inuitatio ad laudandum, & lætandum in Deo. Primò pauperum ſpecialiter. Secundò omnium generaliter, ibi, *Et laudent illum.* Dicit ergo in prima duo. Primò inuitat pauperes ad lætandum ſuper operibus iſtis Dei. Secundò ad quærendum ipſum Deum, ibi, *Quærite Dominum.* In prima duo. Primò inuitatio ad conſiderationem operum Dei. Secundò ad lætitiam pro illis. *Et lætentur.* Ait enim: Sic laudabo, & quoniam pauperes & dolentes ſic ſaluat, *videant*, hîc oculo intimæ conſiderationis, *pauperes.* Vel ſic: Sacrificium vitulorum non curat Deus, ſed laudis, quod poſſunt offerre pauperes. Ergo *videant*, hîc oculo fidei, & intelligentiæ, *pauperes*, *& lætentur*, ſicut Abraham, qui hæc videns à longè exultabat. *Ioan.*8. Abraham pater veſter exultauit vt videret diem meum, vidit & gauiſus eſt. Hoc non vident infideles Iudæi. 2. ad *Corinth.*5. Deus huius ſæculi excæcauit mentes hominum infidelium. *Et lætentur* ſpe. Ad *Rom.* 12. Spe gaudentes. Quomodo non habebunt, quod tam faciliter, ſcilicet ſacrificio oris habere poſſunt?

Quærite Dominum. Hîc ſecundum. Monuit ad lætandum, hîc ad quærendum. Secundò ſubiungit quæſitionis fructum. *Et viuet.* Tertiò probat fructus conſequentiam ad inquiſitionem, ibi, *Quoniam exaudiuit.* Dicit ergo: Sic videant & lætentur pauperes: & conuertit ſermonem ad illos duos pauperes. *Quærite Dominum*, feruenti charitate, & in cordis puritate. *Sapient.*1. In ſimplicitate cordis quærite illum. *Iſa.* 45. Quærite Dominum dum inueniri poteſt. Pauperes ergo quærant & mites. *Sophon.*2. Quærite Dominum omnes manſueti terræ, qui operati eſtis iuſtitiam: quærite pium, quærite manſuetum. *Matth.*7. Quærite & inuenietis. In quibus autem non inuenitur, dictum eſt ſuprà.

Et viuet, per eum, *anima veſtra*, hîc vita gratiæ, & tandem vita gloriæ. *Prouerb.*8. Qui me inuenerit, inueniet vitam. *Amos* 5. Quærite Dominum, & viuetis.

Et notandum, quod exquiritur Deus per confeſſionem, requiritur per pœnitentiam, inquiritur per orationem, ſed acquiritur per perſeuerantiam in his. Et nota, quòd cùm ſit vita ſicut dicitur hîc, & *Ioan.*14. Ego ſum via, veritas, & vita, non poteſt inueniri vbi non eſt niſi mors. *Aug.* Bonam vitam quæritis in regione mortis: non eſt ita: quomodo enim beata vita, vbi nec vita?

Chriſtus nõ inuenitur vbi non eſt niſi mors.

34. *Quoniam exaudiuit.* Hîc tertium, in quo probat conſequentiam fructus per diuinam conſuetudinem, quantum ad duo: ad exauditionem primò, & ad curam victorum ſecundò. *Et vinctos.* Dicit enim: Sic quærite, & viuet anima veſtra: & hoc verè: *quoniam exaudiuit*, exaudire ſemper conſueuit, *pauperes Dominus.* Suprà in *Pſal.* Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum, &c. *Iſa.* 49. Pauperum ſuorum miſerebitur, ſtatim reſpiciens ad pauperem. *Iſa. vlt.* Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos? Nullum quantumcumque diuitem, audit contra pauperem. *Eccleſ.*35. Non acipiet perſonam in pauperem, id eſt, contra pauperem: & deprecationem læſi exaudiet.

Et vinctos ſuos, vinctos ſcilicet iniquitatibus à ſe abſoluendos, & ſic ſuos, de quibus *Prou.*5. Iniquitates ſuæ capiunt impium, &c. *Iſa.*49. Et dices iis qui vincti ſunt: Exite. Vinctos ſuos, hoc eſt, legibus ſuis quæ vincula ſunt. *Eccleſ.*6. Vincula illius alligatura ſanitatis. Vel *vinctos ſuos*, pœnalitatibus inflictis ex ſua ſententia, quales erant exiſtentes in limbo. *Zach.*9. Tu verè in ſanguine teſtamenti eduxiſti vinctos de lacu in quo non erat aqua. *Non deſpexit*, quin curam haberet de illis, & ad liberandum diligentiam adhiberet.

Laudent illum. Hîc ſecundum, in quo poſtquam inuitauit pauperes ad laudem ſpecialiter, inuitat omnes de Eccleſia generaliter: & dicuntur duo. Primò inuitatio ipſorum ad laudem. Secundò multiplex ratio quare acquieſcendum admonitioni, ibi, *Quoniam Deus ſaluam.* In prima duo. Primò inuitat filios Eccleſiæ ſimpliciter ad laudandum. Secundò peccatores, ibi, *Omnia reptilia.* In prima duo. Primò maiores, ſcilicet Apoſtolos fundatores. Secundò alios, primò de Iudæis. *Et terra.* Secundò de Gentibus. *Mare.* Dicit ergo: Sic pauperes videant & lætentur, & etiam laudent illum corde, ore, & opere, *cœli*, Apoſtoli, & maiores de Eccleſia, & ſublimiores, de quibus ſupra in *Pſal.* Cœli enarrant gloriam Dei. Et alibi, Verbo Domini cœli firmati ſunt. *Et terra*, Eccleſia de Iudæis. De quâ terrâ *Iob* 28. Terra de qua oriebatur panis in loco ſuo, igni ſubuerſa eſt. De vtroque, & cœlis, & terra. *Iſa.* 49. Laudate cœli, & exultet terra. *Mare*, Eccleſia de Gentibus, quæ antè verſabatur tumultu & fluctuatione ſicut mare. *Iſa.* 57. Cor impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt. Sed Dominus increpauit hoc mare per prædicatores, & exiccatum eſt ab humore peccati & infidelitatis. *Naum* 1. Increpans mare, & exiccans illud. 35.

Et omnia reptilia in eis, in mari ſcilicet & in terrâ, & ipſi peccatores circa terrena repentes, & illis adhærentes. *Geneſ.* 3. Pectore & ventre repes. *Pſal.* Conglutinatus eſt in terra venter noſter.

Poſſet exponi ad literam de creaturis ipſis, quæ inuitantur ad Dei laudem, non quia laudent ipſæ cum ſint irrationabiles, ſed quia præbent laudis materiam. Poteſt etiam dici, quod in his tanguntur quatuor hominis differentiæ. In cœlis boni contemplatiui, qui toti iam ſunt in cœlo. Ad *Phil.* 3. Conuerſatio noſtra in cœlis eſt *Luc.* 8. Semen cecidit in terram bonam. Et in terra boni actiui qui fructificant in temporalibus. In mari mali contemplatiui, qui viuunt in cordis amaritudine. *Iſa.*58. Cor impij quaſi mare feruens. In reptibilibus mali actiui terrenis adhærentes, & guloſitati vacantes. *Gen.*3. Pectore & ventre repes.

Quatuor hominum genera.

Quoniam Deus ſaluam. Hîc ratio quare laudandus, 36.

dandus, ſcilicet reparatio Eccleſiæ & reſtitutio: & dicuntur duo. Primò reparatio. Secundò ſpecificatio illorum de quibus fiet illa reparatio, ibi, *Et ſemen ſeruorum.* In prima quatuor, quæ fient per ordinem. Primùm, ſaluatio ipſius Eccleſiæ, quod eſt à malo liberatio. Secundò, ſaluatæ reædificatio. *Et ædificabuntur.* Tertiò ædificatæ inhabitatio. *Et inhabitabunt.* Quartò habitatæ firma poſſeſſio. *Et hæreditate.* Dicit ergo: Sic laudent, & dignum eſt, *quoniam Deus ſaluam faciet*, & in præſenti à malo culpæ, & in futuro ab vtroque & culpæ & pœnæ. *Sion*, Eccleſiam ſcilicet, à culpa per fidei & charitatis vnitatem, aliter non. *Gen.* 8. Extra arcam, Eccleſiæ ſcilicet vnitatem, nihil omnino ſaluatum eſt. Per vitæ altitudinem. *Geneſ.* 19. Ne ſtes in omni circa regione, ſed in monte ſaluum te fac. Tandem à culpa & pœna per gloriam. *Iſa.* 4. Exultatio his qui ſaluati fuerint ex Iſraël: in monte Sion, & Ieruſalem erit ſaluatio.

Et ædificabuntur. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic ſaluabitur Sion, *& ciuitates Iuda*, particulares ſcilicet Eccleſiæ, quas Dominus monet alloqui per *Iſa.* 60. Dic ciuitatibus Iudæ. *Ædificabuntur*, eius gratia & virtute. *Ierem.* 30. Ædificabitur ciuitas in excelſo, & templum iuxta ordine in ſuum fundabitur. *Amos* 9. Reædificabo aperturas eius, & ea quæ corruerunt reſtaurabo.

Tribus Ægypti ciuitatibus tres Iudæ ciuitates oppoſitæ.

Et nota, quòd ſunt ciuitates Ægypti tres, quas cogente Pharaone filij Iſraël ædificant. Prima eſt Phitom os abyſſi, ſcilicet auaritia, quæ non poteſt impleri. *Eccleſ.* 5. Auarus non implebitur pecunia. *Eccleſ.* 13. Inſatiabilis oculus cupidi. Hanc ædificat mundi prudentia. Secunda eſt Rameſſes, id eſt, commotio tineæ, luxuria, quæ carnem commouet, ex qua oritur. 1. ad *Corinth.* 5. Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt, qui autem fornicatur in corpus, &c. Interpretatur etiam malitia detinens, & hoc vitium multum detinet. *Eccleſ.* 7. Laqueus venatoris, & ſagena cor eius. Hanc ædificat gula. Tertia, Heliopoleos: polis, id eſt ciuitas: helios, id eſt, ſolis. Hæc eſt ſuperbia, quæ ſemper appetit videri, & videre opera ſua bona tanquam quemdam ſolem, contra illud *Iob* 31. Si vidi ſolem cùm fulgeret, &c. Hanc ædificat diuitiarum abundantia: vermis enim diuitum ſuperbia, dicit *Auguſt.*

Sed Iudas, id eſt, confeſſio, ædificat tres contrarias, paupertatem, munditiam, & humilitatem. Iſtæ ſunt tres ciuitates refugij trans Iordanem, id eſt, poſt Baptiſmi tranſgreſſionem. *Deuter.* 4. & *Num. pen.* Ad has ciuitates ædificandas, dolor apportat aquam lachrymarum: humilitas ſabulum, ſterilitatem propriam recolendo, & calcem, recolens fomitis ardorem: ſed timor Dei lapides, ſcilicet bonas operationes quadrat, charitas ad coniungendum cæmentum miniſtrat.

Et inhabitabunt ibi. Hîc tertium. Sic ædificabuntur ciuitates, & habitabunt ibi in ædificatis. Qui? Illi de quibus poſt. *Et ſemen.* Vel ſicut vult *Gloſſa*, inhabitabunt ibi pauperes. *Sophon.* 3. Derelinquam in medio tui populum pauperem & egenum. *Iſa.* 65. Ædificabunt domos in Sion militanti per meritum, & habitabunt in Sion triumphanti per præmium. De primo. *Exod.* 2. Quia timuerunt obſtetrices, Dominus ædificauit illis domos, id eſt, merita contulit. De ſecundo *Ioan.* 14. In domo patris mei multæ manſiones ſunt.

Et hæreditate. Hîc quartum. Quaſi diceret: Non ſolum inhabitabunt ſicut in hoc, & paulò poſt receſſuri, imò *hæreditate*, id eſt, hæreditatis iure, *acquirent eam.* Vel acquirent eam hæreditatem, vt ſit ſibi hæreditas. *Iſa.* 57. Qui habet fiduciam mei, habitabit terram, & poſſidebit, tanquam hæreditatem & fundum, montem ſanctum meum.

Et ſemen ſeruorum. Hîc ſecundum, in quo præmiſſa reparatione Eccleſiæ ſubiungitur illorum ſpecificatio, qui ibi habitabunt hæreditantes ipſam. Et deſcribit eos à duobus: ab imitatione bonorum primò, & Dei dilectione ſecundò, quod totum conſummat. *Et qui diligunt.* Dicit ergo: Sic ædificabitur Eccleſia, & inhabitabitur, & poſſidebitur. *Et ſemen*, id eſt, imitatores, & filij ſpirituales, *ſeruorum eius*, Apoſtolorum, Prophetarum, & Patriarcharum. *Iſa.* 65. Educam de Iacob ſemen, & de Iuda poſſidentes montes ſanctos meos. *Poſſidebit eam. Eccleſ.* 44. Cum ſemine ipſorum perſeuerauit bona hæreditas, & nepotum ipſorum ſemen in Teſtamento ſtetit. Sed quam? Eam Ieruſalem viſionem pacis æternæ, quæ eſt Deus. *Eph.* 52. Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum. In *Pſal.* Dominus pars hæreditatis meæ, &c. *Ioſ.* 15. Leui non accepit partem inter fratres ſuos, quoniam Dominus pars eius eſt.

37.

Et qui diligunt nomen eius, non ſolum ipſum, ſed præ amoris vehementia in ipſo etiam nomine delectantur. Hi enim qui verè ſunt ſemen ſeruorum Dei, non carnales Iudæi. Hi, inquam, habitabũt in ea Ieruſalem, tanquam poſſeſſores. *Iſa. vlt.* Exultate in ea omnes qui diligitis eam. Amor enim Dei facit ciuem paradiſi, & dominum, Prælatum ſcilicet, & quaſi poſſeſſorem in Eccleſia militanti. Hinc à Petro quæſitum eſt *Ioan.* 21. Simon Ioannis diligis me plus his? & audita confeſſione tunc dictum eſt: Paſce, & ego tandem paſcam te in menſa in regno meo. *Luc.* 22. ad quam ille nos perducat, qui eſt benedictus per omnia ſæcula, &c.

IN LXIX. PSALMVM.

In remunerationem, quod ſaluum fecerit eum Dominus. 1.

Argumentũ Pſalmi, in tribulationibus præſidium eſſe à Deo. 2.

DEus in adiutorium meum. Hic eſt Pſalmus in ſecunda parte totius huius libri decimus nonus. Poſtquam enim in præcedenti Pſalmo caput Chriſtus pro ſua ſalute, & liberatione à morte orauit, & fructum ſuæ liberationis oſtendit, ipſum corpus attendens, quod multo fortius per ſe à ſuis miſeriis liberari non poſſit, orationem ſubiungit pro eius liberatione. Et hoc ſatis innuitur in titulo Pſalmi, qui talis eſt: *In finem Pſalmus Dauid pro rememoratione eſt.* Vel *in rememorationem, quòd ſaluum fecit eum Dominus.* Senſus enim hic eſt. *Pſalmus Dauid*, id eſt, iuſti cuiuſlibet ordinans nos *in*

finem noſtrum Deum, eſt pro rememoratione habenda de hoc quod ſaluum fecit eum Dominus iam in ſpe ab omni miſeria, & faciet tandem in re. Eo enim quod in hoc Pſalmo diuinum petitur adiutorium, & inimicorum confuſio, memoratur apertè, quod Deus ſaluum fecit ſolus, vt nullus de ſua liberatione glorietur in ſeipſo, ſed in Deo ſolùm.

Ex hoc patet differentia tituli provt ponitur in *Pſal.*37. Domine ne in furore tuo, in Pſalmis Pœnitentialibus, ad iniquitatem delendam: hic ponitur in rememorationem, quod à Deo ſit liberatio, non per humanum auxilium. *Oſeæ* 13. Perditio tua Iſraël ex te, tantum ex me auxilium tuum.

Diuiditur autem Pſalmus in duas partes. Primò oratio cum aliorum inuitatione ad lætandum in Deo. Secundò perſuaſio, quod debeat audiri, ibi, *Ego vero.* In prima duo. Primò orat. Secundò inuitat, ibi, *Exultent & lætentur.* Adhuc in prima duo. Primò orat pro ſua liberatione. Secundò quia plena liberatio in hoc eſt, pro inimicorum conuerſione, ibi, *Confundantur.* In prima duo. Primò petit liberari: & ſecundò liberationem accelerari, ibi, *Domine ad adiuuandum me feſtina.* Dicit ergo: Sic audio caput meum petere ſuam liberationem, & propter hoc dico: O *Deus intende in adiutorium meum*, id eſt, mihi exhibendum, non homo, quia nullus adiutor. *Iſa.* 63. Circunſpexi, & non erat auxiliator: quæſiui, & non fuit qui adiuuarer. *Eccleſ.* 50. Reſpiciens eram ad adiutorium hominum, & non erat. Non hic temporalis abundantia vel mammona. *Iſa.* 17. Ceſſabit auxilium ab Ephraïm. *Sophon.* 1. Argentum eorum & aurum non poterat liberare eos.

Attentio in oratione deſideratur.

Et nota, quòd dicit: *Intende*, in quo confundimur orantes, quia volumus Deum intendere nobis cum oramus: nos autem non intendimus iis quæ dicimus, ſed negligenter pertranſimus. *Caſſianus.* Precor Deum vt precem meam exaudiat, quam ego qui fundo non audio. Deprecor illum, vt mihi intendat, ego autem nec mihi nec illi intendo. Quid prodeſt ſola voce cantare, ſine cordis intentione.

Domine ad adiuuandum. Ecce accelerationis petitio. Hanc deſiderabat *Iob* in 30. Clamabo ad te, & non exaudies me: ſto, & reſpuis me, mutatus es mihi in crudelem. Et peto vt feſtines, quia nihil poſſum inchoare bonum ſine te. 2. ad *Cor.* 3. Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Ad *Phil.* 2. Operatur in nobis & velle & perficere.

De huius verſus vtilitate fuiè Caſſianus collat. 10.

Et nota, quòd in principio Horarum dicitur verſus iſte, vt Pelagiana hæreſis deſtruatur, quæ ponebat nos poſſe mereri per ſolum liberum arbitrium. Sed dicit *Caſſianus*, tanto honore concelebrat hunc verſum Eccleſia, vt quicquid Monachi aſſumpſerint, ſine huius verſus trina iteratione non inchoent. In hora prima, ſcilicet in Matutinis, præmittitur, Domine labia mea aperies, vt monſtretur quod ipſum inchoare etiam à Deo eſt, non tantum adiutorium in opere. In vltima autem hora, ſcilicet in Completorio, præmittitur, Conuerte nos Deus ſalutaris noſter, vt apertè oſtendatur, quod ſi quid mali in illis factum eſt, à nobis eſt. Alia autem cauſa præpoſitionis tangitur in *Gloſſ.* Vt variæ cogitationes, quæ ſunt muſcæ perdentes vnguenti ſuauiratem, excludantur. *Eccleſ.* 10. Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti.

Confundantur & reuereantur. Hîc orat pro inimicis, & primò pro inimicis perſequentibus opere. Secundò pro perſequentibus corde. *Auertantur retrorſum.* Tertiò pro perſequentibus ore. *Auertantur ſtatim.* Duo autem petit eis. Primò confuſionem pro culpa. Secundò timorem pro pœna, ibi, *Et reuereantur.* Ait enim: Sic pro me oraui, & rogo etiam pro iis, *qui quærunt animam meam*, id eſt, vitam meam perdere. Suprà in *Pſal.* Alieni inſurrexerunt aduerſum me, & fortes, &c. Et alibi: Ipſi verò in vanum, &c. *Confundantur*, confuſione bona, ſcilicet cognitione culpæ. *Ierem.* 17. Confundantur qui me perſequuntur, bona confuſione, de qua *Eccleſ.* 4. Eſt confuſio adducens gloriam. Et *Ierem.* 31. Confuſus ſum, & erubui. *Caſſiodorus*, Confundi eſt quando voluntates ſuas iniqua conſcientia ſtudio veritatis agnoſcens, de facti ſui peruerſitate turbatur. *Ezech.* 43. Confundantur ab iniquitatibus ſuis. 3.

Et reuereantur, id eſt, timeant, pœna futura concuſſi. *Caſſiod.* Reuerentia eſt timor pœnæ, ex conſideratione delicti: & hic timor neceſſarius eſt ad conuerſionem, & iuſtificationem. *Eccleſ.* 2. Qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari.

Timor ad iuſtificationem neceſſarius.

Auertantur retrorſum. Hîc ſecundum, in quo orat pro perſequentibus voluntate, & duo petit eis, primò humilitatem. Secundò pudorem bonum ſuiipſius pro delictis. *Et erubeſcant.* Ait enim: Sic de perſequentibus opere, & etiam *qui volunt mihi mala*, inimicantes ſcilicet corde, *auertantur*, à malis ſuis, *retrorſum* facti per humilitatem, non per ſuperbiam. Vnde Petro volenti antecedere, dictum eſt *Matth.* 16. Vade retrò me Satana, non enim ſapis quæ Dei ſunt, volens me docere, ſed quæ dæmonis ſuperbientis. *Ioan.* 20. Maria conuerſa retrorſum vidit Dominum, & agnoſcere meruit. Ex oppoſito autem conuerti dicitur retrorſum, qui reſpicit ad malum cum fuit in bono, ſicut vxor Loth retrò reſpexit. *Gen.* 29. Et in ſtatuam ſalis mutata fuit. Et *Luc.* 9. dicitur: Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei. 4.

Et erubeſcant, pudore ſuiipſius confuſi quando peccatum attendunt, quod optimum ſignum eſt. *Sen.* Erubuit, ſalua res eſt. *Rom.* 6. Quem fructum habuiſtis tunc in quibus erubeſcitis nunc? Quaſi diceret: Modicum, imò nullum, imò damnum. *Ierem.* 22. Confundaris & erubeſcas ab omni malitia tua.

Auertantur ſtatim. Hîc tertium, in quo orat pro perſequentibus ore, & precatur eis duo. Feſtinam à malo auerſionem, & adiunctam ſimul erubeſcentiam. *Erubeſcentes.* Dicit ergo: Sic illis qui perſequuntur me opere, & aliis qui voluntate, & etiam *qui dicunt mihi, Euge, euge*, ore mihi irridendo vel adulando.

Nota enim, quòd *euge* aliquando ſumitur

Euge multi-

Non

pliciter accipitur.

commendatoriè. *Matth.*25. Euge ſetue bone & fidelis. Aliquando applauſoriè. In *Pſal.* Non dicant in cordibus ſuis, Euge, euge animæ noſtræ. Aliquando admiratiuè. *Ezech.*26. Euge confractæ ſunt portæ populorum. Aliquando irriſoriè. *Pſal.* Dixerunt,Euge,euge viderunt oculi noſtri. Sic poteſt hîc accipi. Aliquando adulatoriè. In *Pſal.* Ferant confeſtim confuſionem ſuam,qui dicunt mihi,Euge,euge. Sic etiam poteſt hîc accipi: & eſt modus peſſimus. Ibi enim dicit *Auguſt.* Plus perſequitur lingua adulatoris, quam manus perſequutoris. *Iſa.* 5. Populus meus, qui te benedicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant. *Auguſt.* Fregit apprehenſor, factus es tanquam fictile vas, applauſit adulator, in igne crepuiſti.

Auertantur, à ſua iniquitate, & hoc ſtatim. *Eccleſ.*17. Auertere ab iniuſtitia tua, & ſtatim, quia in 5. dicitur: Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Et hoc *erubeſcentes*, ne ſint de illis, de quibus *Ierem.* 3. Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, non erubeſcis. Et illud in 6. Quin potius confuſione non ſunt confuſi, & erubeſcere neſciunt.

Pro triplici genere peccati erubeſcere debemus, & triplici de cauſa.

Et nota diligenter, quòd hîc iam tertiò rogat eis erubeſcentiam. Primò cum dixit: Confundantur in verſu ſecundo. Poſtea verò dixit: Erubeſcant in tertio. Et tandem dicit, *Erubeſcentes* in hoc quarto, vt monſtret, quod confundi debemus & erubeſcere pro triplici genere peccati, oris, cordis, & operis. Iterum triplici de cauſa. Propter peccati vilitatem, *Ierem.*2. Quam vilis facta es iterans vias tuas! Propter ingratitudinem, qua Deo ingrati ſumus. *Ierem.*13. Oblita es mei, & confiſa in mendacio. Tertiò propter Dei patientiam, & longanimitatem. *Gregor.* Patientiam Dei debemus erubeſcere, ſi iuſtitiam eius nolumus formidare.

5. *Exultent & lætentur.* Hîc ſecundum primæ partis, in quo poſtquam orauit, inuitationem ſubiungit: & dicuntur duo. Primò inuitat ad lætitiam operis & cordis. Secundò vocis. *Et dicant.* Et in prima, ſicut tactum eſt, primò ad lætitiam operis: ſecundò oris. *Et lætentur.* Dicit ergo: Sic rogo pro inimicis & pro me, & moneo *omnes qui quærunt te* voce, corde, opere. *Iſa.*21. Si quæritis, opere, quærite, corde, ſupple. Aliter erratur in via, nec valet. *Prou.* 19. Qui negligit viam ſuam, mortificabitur. Vt ſic quæratur Deus, ſicut nos ipſe ſollicitè quæſiuit. *Auguſt.* Vt quæreret te genus humanum, tu de cœlo miſericorditer reſpiciens, ipſum requiſiuiſti. *Ezech.*34. Ego ipſe requiram oues meas.

Omnes qui quærunt te, exultent, exteriùs. *Matth.* 6. Nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. *Et lætentur*, interiùs in corde, ſecundum illud *Pſal.* Dediſti lætitiam in corde meo. Et hoc *in te*, non in aliqua corporalitate. *Amos* 6. Qui lætamini in nihilo. *Iob* 36.Si lætatus ſum ſuper diuitiis meis.

Et dicant. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic exultent opere, lætentur corde, & etiam, *qui diligunt ſalutare tuum. Mich.*7. Ego aſpiciam ad Dominum meum, & expectabo Deum ſaluatorem meum, filium, de quo *Iſa.*40. Videbit omnis caro ſalutare Dei noſtri. Et *Luc* 2. Viderunt oculi mei ſalutare tuum. Vel, *Salutare tuum*, id eſt, iuſtitiæ ſanctitatem, quæ ſaluat. *Eccleſ.*30. Salus animæ in ſanctitate iuſtitiæ. *Quærunt*, intellectu, *diligunt*, affectu. Omnes, inquam, qui ſic diligunt ſalutare, dicant: *Magnificetur Dominus*, laudibus extollatur, qui in ſe tantus eſt, quo maior eſſe non poteſt. Et ſupra *Pſal.* Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum. Non fimbrias noſtras, ſicut illi, de quibus *Matth.* 23. Magnificant fimbrias ſuas. Vel *dicant ſemper* hoc: *Magnificetur Dominus*, ſicut ſancta animalia. *Apoc.*4. Animalia ſancta non habebant requiem nocte & die, dicentia Sanctus, Sanctus, &c.

Ego vero egenus. Hîc ſecundum totius Pſalmi, in quo præmiſſa oratione, ſubiungitur perſuaſio vt exaudiatur. Et primò perſuadet vt adiuuet. Secundò vt ad adiuuandum feſtinet, ibi, *Adiutor meus.* Dicit ergo: Sic rogaui vt adiuues & feſtines ô Deus, adiuua me in mundi tribulationibus & miſeriis. Suprà in *Pſal.* Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. *Ego vero egenus ſum*, alieno indigens auxilio, *& pauper*, carens proprio: propter quod hoc mihi debes. *Eccleſ.*11. Eſt homo egens recuperatione, & indigens virtute, & abundans paupertate. Duo bona facit hic. Propriam paupertatem recognoſcit humiliter. *Thren.* 3. Ego vir videns paupertatem meam. Non ſicut ille cui dicitur *Apocal.*3. Tu dicis, Quia diues ſum, non pauper, nullius indigeo, id eſt, non ſum egenus: & neſcis quia miſer es, & miſerabilis, & pauper, & nudus, & cæcus. Aliud eſt, quia auxilium Dei mei requiro ardenter, non humanum. *Iſa.*32. Væ qui deſcendunt in Ægyptum, in mundum, ad auxilium Pharaonis, alicuius in mundo potentis. Sed hic ad diuinum. 2. *Paral.*20. Videbitis auxilium Domini ſuper vos. 6.

Adiutor meus. Hîc ſecundum, in quo ſuadet vt feſtinet, allegans duo eius officia. Adiuuare in tribulatione ipſa, & liberare ab illa. *Et liberator.* Dicit ergo: Sic adiuua, & ô Domine *ne moreris*, ſed feſtina. *Dan.* 9. Ne moreris propter temetipſum Deus meus. *Ioan.* 4. Domine deſcende priuſquam moriatur puer meus. Et dicit *Caſſiodor.* Periclitantium mos eſt tardum iudicare, quamuis celerrimum præſtetur auxilium. Apud Dominum verè non eſt tardum. 2. *Petr.* 3. Non tardat Dominus promiſſionem. Et debes feſtinare, quia *adiutor meus* in ipſa tribulatione *es tu*, ex ipſo officio. *Pſal.* Cum ipſo ſum in tribulatione. *Iſa.*43. Cum pertranſieris per aquas,tecum ero, & flumina non operient te. Non vult hic vt ſibi dicatur illud *Iſa.* 17. Oblita es Domini Saluatoris tui, & fortis adiutoris tui non es recordata. 2. *Machab.* 3. Qui in cœlis habet habitatorem, adiutor loci eſt. Et *Auguſt.* dicit: Viam anguſtam ambulauimus, hæſimus in ſepibus, dicamus: Deus tu es adiutor meus.

Et liberator meus, ab ipſa tribulatione. *Daniel.* 6. Ipſe liberator & Saluator faciet

mirabilia. Saluator animam glorificabit, liberator corpus à miſeris reformabit, vt ſic integer & totus homo cum eo glorificetur, qui eſt benedictus per omnia ſæcula ſæculorum.

IN LXX. PSALMVM.

Pſalmus Dauid. Filiorum Ionadab, & priorum captiuorum.

1. *Argumentũ Pſalmi, omne bonũ eſſe à Deo.*

IN te Domine. Hic eſt Pſalmus 70. in toto libro, 20. in ſecunda parte, in quo poſtquam exemplo Chriſti Eccleſia petiuit à Deo feſtinum adiutorium; conuertit ſe ad filios ſuos, oſtendens à Deo eſſe omne bonum, & totum Dei gratiæ eſſe. Et loquitur ſecundum vnam expoſitionem omnibus filiis tam bonis quam malis: bonis qui ſignantur per filios Ionadab: malis qui per primos captiuatos de Iudæis ſignantur. Nota enim primò quod habetur *Ierem.* 35. de filiis Ionadab, qui ad præceptum patris ſui Rechab vinum non bibebant, in domibus non habitabant, in quibus ſignantur hærentes Patri cœleſti, de quo *Deuteron.* 32. Nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui fecit, &c. Et illud *Iſa.* 63. Tu pater noſter, & nos lutum: tu fictor noſter, & opera manuum noſtrarum omnes nos. Et etiam parentibus propter ipſum, & in his quæ non ſunt contra Deum, ſecundum illud *Exod.* 20. Honora patrem tuum, & matrem tuam, honore reuerentiæ. Notandum & illud 4. *Reg. vlt.* de captiuitate Iudæorum à Babyloniis prima, in qua monſtrantur captiuati Iudæi propter inobedientiam, & ſignant inobedientes, & captiuatos ſub carnali concupiſcentia propter primi hominis inobedientiam primò & principaliter, quam gemebat Paulus ad *Rom.* 1. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius, &c. Et rurſus: Video aliam legem in membris meis, captiuum me ducentem in lege peccati.

Senſus ergo tituli propoſiti hic eſt: *Pſalmus Dauid*, id eſt, à Dauid prophetâ editus. *Filiorum Ionadab, & primorum captiuorum* excitatiuus. *Filiorum Ionadab*, id eſt obedientium, & bonorum, vt bonum quod habent, gratiæ Dei attribuant, ſcientes illud 1. ad *Corinth.* 4. Quid habes quod non accepiſti? Et rurſus *Iacob.* 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt. *Et primorum captiuorum*, id eſt, ſub ſeruitute concupiſcentiæ detentorum, & in peccati ſeruitute, vt ſciant ſe per Dei gratiam non aliter liberandos. 1. ad *Cor.* 15. Gratia Dei ſum id quod ſum.

Vel poteſt accipi pro eiſdem, cum dicitur *filiorum Ionadab, & primorum captiuorum.* Eſt autem duplex captiuitas. Vna qua captiui ſumus in hoc mundo, & hæc prima: & alia qua in inferno, & hæc ſecunda. Eſt ergo ſenſus: *Pſalmus Dauid* excitatiuus *filiorum Ionadab*, Dei ſcilicet: Ionadab enim interpretatur voluntarius, interpretatur & Deus, de quo *Iacob.* in 1. Voluntariè enim genuit nos Deus, verbo veritatis. Vel *Ionadab* Ieſus Chriſtus, de quo *Iſa.* 53. Oblatus eſt quia ipſe voluit. *Et primorum captiuorum*, hoc eſt, ipſorum, qui tenentur adhuc in captiuitate prima. Vel *primorum captiuorum*, id eſt, prius captiuatorum, quàm eſſent ad Deum conuerſi: talibus enim Pſalmus hic eſt cantandus.

Diuiditur autem Pſalmus in duas partes. Primò quidem orat Eccleſia, oſtendens quod omne bonum à Deo habeat. Secundò intendit & vacat laudibus eius quem orat, ibi, *Deus quis ſimilis.* In prima duo. Primò orat petndo adiuuari ſimpliciter. Secundò in quodam ſtatu ſpecialiter, ſcilicet in ſtatu ſenectutis, ibi, *Ne proiicias me.* In prima duo. Primò orat vt impetret liberationem. Secundò vt ipſa impetrata gratias referre valeat, monſtrans in hoc quod cuius eſt bona dare, eiuſdem eſt conferre, quod grátiæ referantur, &c. ibi, *Repleatur os meum laude.* In prima duo. Primò orat pro ſua liberatione. Secundò magis ſpecificat à quibus velit liberari, addita perſuaſione, ibi, *Deus eripe me.* In prima tria. Primò tangit impetrandi fiduciam. Secundò ſubiungit petitionem. *In iuſtitia tuâ.* Tertiò primi probationem, quod ſcilicet ipſe debet confidere, ibi, *Quoniam firmamentum.* In prima duo. Primò tangit cauſam fiduciæ. Secundò fiduciam. *Non confundar.*

Tota ſpes in Domino ponenda.

Dicit ergo: Sic rogaui in Pſalmo præcedenti vt adiuues, & feſtines, nec deſpero, imò ô *Domine*, qui potes omnia, *in te ſperaui*, non in hominibus, quia *Ierem.* 17. Maledictus qui confidit in homine. Non in temporalibus rebus iuxta conſilium Pauli. 1. ad *Tim.* 6. Diuitibus huius ſæculi præcipe non altum ſapere, nec ſperare in incerto diuitiarum. Sed *in te*, de quo *Eccleſ.* 2. Nullus vnquam ſperauit in Domino, & confuſus eſt. Vnde *non confundar in æternum*, id eſt, nunquam confundar. 1. *Machab.* 1. Omnis qui ſperat in te, non infirmabitur: multo ergo fortiùs nec confundetur. Vel *non confundar in æternum*, id eſt, confuſione æternâ, & ſi forte in præſenti, amore Chriſti. *Auguſt.* Confuſi eſtis in Adam, recedite ab eo, & accedite ad Chriſtum, & confuſionem ſuſtinete pro eo, & in æternum non confundemini, id eſt, non confundemini æterna confuſione. Hæc eſt enim confuſio adducens gloriam *Eccl.* 4.

In iuſtitia tua. Hîc ſecundum, humilis petitio: & petuntur duo. Primò liberatio à malo. Secundò bonorum collatio, ibi, *Eſto mihi in Deum.* In prima tria ſecundum triplex malum à quo petit liberari. Primum eſt vt liberetur à mundi periculis. Secundum, quòd à poteſtate dæmonis. *Et eripe me.* Tertium ab infirmitate carnis, ibi, *Inclina ad me.* Dicit ergo: Sic ſperans non confundar: & propter hoc peto, *libera me*, à mundi periculis, quæ multa ſunt. 2. ad *Cor.* 11. Periculis latronum, periculis fluminum, periculis in falſis fratribus. 2.

Petit liberari à periculis mundi, poteſtate diaboli, & infirmitate carnis, per diuinã miſericordiã in qua cõfidit.

Et eripe me, de poteſtate dæmonis, quæ magna eſt valdè ſi permittis. *Iob* 41. Non eſt poteſtas in terra, quæ ei valeat comparari. *Luc.* 11. Fortis armatus cuſtodit atrium ſuum. Et hoc *in tua iuſtitia*, non in mea, ſecundum, quod exigit tua, non mea. *Pſal.* Iudica me Domine ſecundum iuſtitiam tuam, à te mihi datam: vnde ipſa quæ videtur mea, tua eſt. Ad *Rom.* 4.

Credenti-

Credenti in eum qui iuſtificat impium, reputata eſt fides ad iuſtitiam. Mea enim iuſtitia, quæ ex me eſt, nulla eſt. *Iſa.* 64. Facti ſumus immundi omnes nos, & omnes iuſtitiæ noſtræ tanquam pannus mulieris menſtruatæ.

Inclina ad me. Hîc tertium, & quia cum maiori difficultate euaditur carnis infirmitas, quia caro magis proxima eſt, dicit duo. Primò petit Dei dignationem, quod eſt auris inclinatio. Secundò petit ereptionem à carnis infirmitate. *Et ſalua me.* Dicit ergo: Sic ſalua à mundo, eripe à diabolo, & etiam *inclina aurem tuam*, infirmo, qui non poteſt vocem exaltare vſque ad te. Ecce petitio dignationis. Alibi in *Pſal.* Inclina ad me aurem tuam, accelera vt eruas me. *Caſſiodor.* Niſi diuina gratia ad hominem liberandum ſe inclinauerit, ad illam miſericordiam non ſuis meritis poteſt peruenire quam cupit. Inclina ergo aurem tuam, quæ ſurda non eſt. *Sap.* 1. Auris zeli audit omnia. *Oſeæ* 2. Exaudiam cœlos, &c.

Et ſalua me. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Ad hoc inclina vt ſalues me à carnis miſeria, & infirmitate. *Pſal.* Miſerere mei, quoniam infirmus ſum. Aduerſus enim hanc eſt pugna continua. Ad *Epheſ. vlt.* Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, tantum, ſupple. Ad *Galat.* 5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Ab hac ergo miſera infirmitate ſalua me. *Ierem.* 18. Sana me Domine, & ſanabor: nulla enim infirmitas eſt quam non ſanes. *Pſal.* Qui ſanat omnes infirmitates tuas, ſolo verbo. In *Pſal.* Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos. Et *Sap.* 16. Nec herba, nec malagma ſanauit eos, ſed omnipotens ſermo tuus Domine, qui ſanat vniuerſa.

3. *Eſto mihi.* Hîc ſecundum, in quo petit exhiberi ſibi bona: & ſunt duo. Primò protectio. Secundò ſuſceptio, ibi, *In locum munitum.* Dicit ergo: Sic liberes à malis, & etiam *eſto mihi in Deum*, non quomodocumque, ſed *protectorem*, qui me foueat, & defendat. Sicut gallina fouet & protegit pullum. *Pſal.* Sub vmbra alarum tuarum protege me. Sicut petra formidoloſum fouet & munit. *Prou.* 30. Lepuſculus, plebs inualida, collocat in petra cubile ſuum.

Et in locum. Hîc vt ſit ſuſceptio: & dicunduo. Primò vt ſuſcipiat. Secundò ratio & finis. *Vt ſaluum.* Ait enim: Et ſis mihi *in locum munitum*, qui ſuſcipit gentes, ne ab inimicis capiantur. *Auguſt. In locum munitum*, ne ad me inimici iacula perueniant. *Ierem.* 16. Dominus robur meum, & refugium meum in die tribulationis meæ. 1. *Reg.* 24. Habitauit Dauid in locis tutiſſimis Engaddi. *Iſa.* 4. Erit in vmbraculum diei ab æſtu, in ſecuritate, & abſconſione à turbine, & à pluuia. Et protegit & munit ſicut pugil & miles pro nobis agonizans. 1. *Machab.* 3. Iudas protegebat gladio ſuo caſtra Iſraël. Propter hoc dicitur *Prouerb.* 18. Turris fortiſſima nomen Domini, ad ipſum, &c.

Quoniam firmamentum. Hîc tertium, in quo oſtendit quod primo poſuit, ſcilicet impetrandi fiduciam, & probat per duo. Primò per hoc quod in bono firmat, & ſic certum eſt quod protector eſt. Secundò per hoc quod fugientes ad ſe congregat, ſicut munitus locus. *Et refugium.* Dicit ergo: Sic petij quod fiendum confido. Nec mirum, ſi confido, *quoniam firmamentum meum*, me protegens, *es tu. Pſal.* Firmamentum Dominus timentium eum. Et de iuſto. *Eccleſ.* 3. In tempore caſus inueniet firmamentum, ipſum Deum, non ſeipſum. *Auguſt.* enim dicit: Quantumcumque ſummus ſis ex gratia Dei, & quandiu portas terrenum vas, de teipſo, tanquam de vaſe fictili formidandum eſt.

Et refugium, ad quod fugio tanquam ad munitum locum. *Pſal.* Tu es refugium meum à tribulatione meâ, &c. Et alibi. Petra autem erat Chriſtus. 1. ad *Corinth.* 10. & *Pſal.* Petra refugium herinaciis. *Auguſt.* Confiteor infirmitatem meam, timidus ſum vt lepus, quia plenus ſpinis, vt herinacius.

Deus meus eripe me. Hîc ſecundum, in quo poſtquam petiit liberari & eripi, magis ſpecificat à quo liberari maximè petat, addens perſuaſionem: vnde dicuntur duo. Primò petit. Secundò addit perſuaſionem. *Quoniam tu es patientia.* In prima duo. Primò petit liberari & eripi à peccatore ſimpliciter. Secundò ſubdit per partes peccatorum diuerſitates. *Et de manu.* Dicit ergo: Sic petij, libera me, & eripe me: & ſpecifico, ô *Deus meus* qui omnia vides, & apertè cognoſcis. *Iob* 25. Nudus eſt, & infirmus coram te, & non eſt operimentum perditioni. *Pſal.* Vultus autem Domini ſuper facientes mala. *Eripe me*, ſicut ſupra petij, & hoc, *de manu peccatoris*, mali ſcilicet hominis. Alibi in *Pſal.* Eripe me Domine ab homine malo. Vel, *De manu peccatoris*, dæmonis. Suprà in *Pſal.* Non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moueat me. *Oſeæ* 13. De manu mortis, id eſt, dæmonis, qui mors appellatur, quia mortem induxit. *Sapient.* 2. Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum, liberabo eos. Ab hac enim manu ſine te non poſſum eripi. *Thren.* 3. Dedit me in manu, de quâ non potero ſurgere. 4.

Et de manu contra legem. Hîc ſecundum, in quo ſpecificat peccatorem per duas differentias. Per tranſgredientem legem quam ſuſcepit, & legem non habentem. *Et iniqui.* Ait enim: Sic, *eripe me de manu peccatoris, & etiam de manu contra legem agentis.* Contra legem eſt agens dupliciter: qui legem ſuſcipiens non obſeruat ipſam, ſicut ille cui Paulus dixit *Act.* 23. Percutiet te Dominus paries dealbate: iudicas me per legem, & contra legem iubes me percuti. Ad *Rom.* 2. Quicumque in legem peccauerint, ſecundum legem iudicabuntur. *Et iniqui*, qui ſcilicet legem non ſuſcipit, nec ſecundum legem viuit. Ad *Rom.* 2. Qui ſine lege peccauerunt, ſine lege iudicabuntur. Tales enim multum infeſtant bonos. *Prou.* 3. Viri impij oderunt ſimplicem, & quærunt animam eius. *Contra legẽ duplicit. r agitur.*

Quoniam tu es patientia. Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur perſuaſio. Perſuadet enim à duobus. Primò à bonis, quæ à Deo recipit. Secundò à bonis, quæ facit, ibi, *In te cantatio* 5.

mea. In prima duo. Primò bonorum collatio. Secundò monſtratur collationis inchoatio, vt monſtretur magnitudo illorum bonorum, ibi, *In te confirmatus ſum.* In prima duo. Primò patientiæ bonum in aduerſis. Secundò ſpei in proſperis. *Spes mea.*

Dicit ergo: Sic eripe, & hoc facere debes, *quoniam*, ô *Domine*, *tu es patientia mea*, & patiæ meæ dator, & cauſa. *Ierem.* 29. Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis: vt dem vobis famem & patientiam. Quid autem ſit patientia, dicit *Caſſiodor.* Patientia eſt vtilitatis aut honeſtatis cauſâ, rerum arduarum ac difficilium voluntaria & diuturna perpeſſio. Hanc dat Deus ſuis. *Ierem.* 3. Ponam te in murum æreum, & in columnam ferream. *Ezech.* 3. Ponam te vt ſilicem, & vt adamantem faciem tuam.

Patientiæ diffinitio.

Spes mea. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Tu dediſti patientiam, & etiam *tu es ſpes mea*, dator ſcilicet ſpei meæ, & hoc *à iuuentute mea*, vt tenderem in bona æterna: hoc enim eſt ſpes, ſcilicet certa expectatio futurorum bonorum, &c. Iuuenturem autem hic appellat, non literalem, ſed ſpiritualem, ſuam ſcilicet conuerſionem à peccato. *Eccleſ.* 11. Lætare iuuenis in adoleſcentia tua. Et optimè poſt patientiam ſubiungitur de ſpe, quia patientia ſpem creat. Ad *Roman.* 5. Tribulatio patientiam operatur, patientia verò probationem, probatio vero ſpem. *Caſſiodor.* Prius eſt vt cum Dei gratiâ per patientiam probemur, & vt tunc illam fructuoſam ſpem ipſo donante habere mereamur.

Patientia ſpei parens.

6. *In te confirmatus.* Hîc ſecundum, in quo oſtenditur magnitudo bonorum collatorum, per comparationem ad tempus dationis. Et primò confirmationis in bono. Secundò protectionis à malo. *De ventre matris.* Dicit ergo: Verè ſpes mea es à iuuentute, quia *confirmatus ſum in te* tendens *ex vtero*, ad literam, ex quo proceſſi vel eram in vtero matris meæ. *Iob* 31. Ab infantia creuit mecum miſeratio, & de vtero egreſſa eſt mecum. Hoc maximè in illis iuſtis qui in vtero matrum ſunt ſanctificati, ſicut Ieremias: de quo in 1. Priuſquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua, ſanctificaui te. Vel vterus ſpiritualiter accipitur pro Eccleſia, in qua eſt quilibet iuſtus, cum primò quaſi conceptus Eccleſiæ imbuitur ſacramentis, & aliquandiu Dei gratia confirmatur, ſecundum illud *Eccleſ.* 15. Firmabitur in illo, & non flectetur. Hanc petebat ſurpà in *Pſal.* Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis. 2. *Pet.* 4. Perficiet, confirmabit, ſolidabitque.

De ventre. Hic ſecundum. Quaſi diceret: Ex tunc ſic in bono confirmaſti, & etiam *tu*, non alius, es protector meus à malis irruentibus. *Iſa.* 31. Proteget Dominus Ieruſalem protegens & liberans, tranſiens & ſaluans. Protector autem eſt armaturam dando, qua poſſit malo reſiſtere, & ſtare. Ad *Eph. vltimo*, Accipite armaturam Dei, vt poſſitis in omnibus perfectè ſtare. Et hoc *de ventre matris meæ*, ad literam: ex quo proceſſi de ventre: quamuis enim omnes naſcamur filij iræ. Ad *Epheſ.* 2. Omnes naſcimur filij iræ: tamen ſtatim paratum eſt ſacramentum, in quo regeneramur. Et eſt argumentũ, quod in illo virtutes infunduntur armãtes & protegentes. Vel venter Eccleſiæ accipitur, in quo ſumus cum primo in bono concipimur, & eximus, cum proficimus & tendimus in profectum.

In ſacramento baptiſmi infunduntur virtutes.

De hoc ventre ſuprà in *Pſal.* Tu es qui extraxiſti me de ventre. Spes mea ab vberibus matris meæ Deus meus. In hoc ventre ſunt quidam multo tempore non proficientes in bono, nec potentes prodire in melius: vnde gemit Eccleſia *Ierem.* 4. Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo. *Iſa.* 46. Audite me domus Iacob, actiuorum: & reſiduum domus Iſraël, reliquiæ & fæces contemplatiuorum: qui portamini à meo vtero, adhuc & geſtamini à mea vulua: vſque ad ſenectam ego ipſe, & vſque ad canos ego portabo.

In te cantatio mea. Hîc ſecundum illius partis, in qua ponitur perſuaſio. Perſuader enim à bonis quæ facit, ſed non ex ſe: imò ex Dei benignitate, & auxilio: & dicuntur duo. Primò bona quæ retribuit. Secundò, quòd non à ſe eſt ipſa retributio, ibi, *Et tu adiutor.* In prima duo bona. Lætitia & exultatio in Deum pro bonis ſuis. Secundò mira patientia in aduerſis, ibi, *Tanquam prodigium.* Dicit ergo: Hæc bona contuliſti, & propter hoc *cantatio mea* laus otis, exultatio cordis mei eſt, ſupple, *in te* tendens *ſemper. Pſal.* Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi: & in præſenti vita: ſed quo cantico? Eſt enim mutiplex canticum. Malum, laſciuiæ & diſſolutionis. *Pſal.* Illic, in Babylone ſcilicet, in mundi conuerſione, interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos verba cantionum. Contemptus & irriſionis, quo mali de bonis cantant. *Thren.* 4. Factus ſum in deriſum omni populo, canticum eorum totâ die. Sed eſt bonum canticum. Prædicationis, de quo *Matth.* 11. Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis. *Ioël.* 2. Canite tuba in Sion. Confeſſionis. *Iſa.* 23. Sume citharam, circui ciuitatem meretrix obliuioni tradita: bene cane, frequenta canticum. Diuinæ laudis. *Pſal.* Cantate Domino canticum nouum, &c. Exultationis cordis. *Col.* 4. Pſallentes & cantantes Deo in cordibus veſtris. Munditiæ & puritatis virginalis, hoc de quo *Apocal.* 14. Cantabunt canticum nouum ante ſedem Dei & agni, quod non poterant dicere, niſi qui cum mulieribus non ſunt coinquinati. Et charitatis, de quo *Iſa.* 5. Cantabo dilecto meo canticum patruelis ſui. Et contemplationis Dei. *Pſal.* Hymnum cantate nobis de canticis Sion, id eſt, ſpeculæ, contemplationis ſcilicet.

Multiplex canticum.

Tanquam prodigium. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Soluo cordis lætitiam, & etiam in hoc peruerſo tempore *factus ſum tanquam prodigium multis* per benignam patientiam. 1. ad *Corinth.* 4. Spectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus. Sic Dauid ante arcam ſaltans prodigium factus Michol. 2. *Reg.* 6. Sic Iob ab amicis irridebatur, tanquam quoddam prodigium. *Iob* 12. Deridetur iuſti ſimplicitas, lampas contempta. Et infrà: Qui deridetur ab amico ſicut ego, &c. Sic omnes iuſti à malis. *Sap.* 5. Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum. 7.

Et tu. Ecce ſecundum. Hoc facio, canto lætanter,

lætanter, mirabiliter sustineo: & hoc non ex me: imò *& tu adiutor fortis*, ad hæc facienda & sustinenda. *Iob* 9. Si fortitudo quæritur, robustissimus est. *Rom.*8. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quasi diceret, Nullus.

8. *Repleatur os meum.* Hîc secundum, in quo postquam petiit liberationem, petit vt ei detur referre dignè gratiarum actionem. Petit ergo primò laudandi Dei abundantiam. Secundò subiungit illius abundantiæ finem, ad quid petat illud. *Vt cantem gloriam.* Dicit ergo: Sic rogaui vt eripias, & etiam *os meum* postea per gratiam tuam *repleatur laude* diuina, ne ingratus inueniar. *Iob* 8. Repleatur risu os tuum, & labia tua iubilo. Laus enim Dei implet os hominis sicut frænum retrahens à malo, & dirigens ad bonum. *Isa.*48. Laude mea infrænabo te, ne intereas. *Psal.* Illic iter quo ostendam illi salutare Dei.

Vt cantem gloriam. Hîc finis huius repletionis, scilicet publicatio gloriæ eius, & dignitatis. Secundò potestatis & magnitudinis. Dicit ergo: Sic repleatur os meum laude, ita *vt cantem gloriam tuam*, tuæ dignitatis magnificentiam. *Eccl.*36. Reple Sion inenarrabilibus verbis tuis, & gloria tua populum tuum. Gloria, inquam, tua, quam tibi apparas, quam solus habere vis. *Isa.* 43. Gloriam meam alteri non dabo.

Tota die magnitudinem tuam cantem. Suprà in *Psal.* Magnitudinis eius non est finis Gloria etiam Dei dicitur magnitudo in effectu. Vnde *Glossa*, Qui antequam essem, fuisti, &c. Et petit optimè os repleri, antequam gloria enarretur vel magnitudo, quia nec hæc, nec illa enarrari potest ex se, nisi à Deo adiuuetur homo. *Cassiod.* Si ille os nostrum non repleat, nec lingua mouetur, nec desideria honesta flammantur.

Variè à variis laudatur Deus. Et nota. Quidam laudant Deum vacuo omnino corde. *Matth.*25. Fatuæ Virgines exierunt obuiam sponso lampadibus vacuis. Quidam verò semipleno, qui non habent laudandi gratiam, nisi in prosperis: de quibus *Psal.* Confitebitur tibi cum benefeceris ei. Quidam verò corde pleno, quorum gratia redundat ex plenitudine cordis in labiis. *Matth.*12. Ex abundantia cordis os loquitur. *Psal.* Diffusa est gratia, de plenitudine quæ est in corde, in labiis tuis. *Psal.* Eructauit cor meum verbum bonum.

9. *Ne proiicias me.* Hîc secundum primæ partis Psalmi, in qua postquam petiit adiuuari, & liberari simpliciter, petit adiuuari, & Deum sibi fieri propitium in quodam statu specialiter. Et primò in statu senectutis, quando iam natura debilitari incipit. Secundò in statu decrepitæ ætatis, ibi, *Et vsque in senectam.* In prima duo. Primò pro se in illo statu precatur. Secundò aduersariis imprecatur. *Confundantur & deficiant.* In prima tria. Primò petit ne proiiciatur omninò à Deo in illo statu. Secundò, quod plus est, ne Deus elongetur, ibi, *Deus ne elongeris à me.* Tertiò, quod plus est, vt ab eo adiuuetur. *Deus in auxilium.* In prima duo. Primò petitio. Secundò petitionis expositio. *Cum defecerit.* Dicit ergo: sic rogaui simpliciter suprà & etiam hoc rogo: *Ne proiicias me*, à te abiiciendo, id est, à tua gratia, *in tempore senectutis*, literalis. Multa enim senem circumueniunt incommoda, & si à te proiicitur, totum amittitur. Sed non sic sit in me, ne sim de illis de quibus *Ierem.*4. Ego proiiciam vos, dicit Dominus, quia vos primò me proiecistis. *Ierem.*8. Verbum Domini proiecerunt: aliter non. 1. *Paral.* 18. Si dereliqueris ea, proiiciet te Dominus in æternum. Non ergo proiicias eum in iuuentute, ne ab ipso proiiciaris in senectute. Aliter petenti in senectute dicetur illud *Eccl.*25. Quæ in iuuentute non congregasti, quomodo inuenies in senectute?

Cum defecerit virtus mea. Hîc exponit se. Quasi diceret: Sic in senectute ne me proiicias, *cum defecerit virtus mea*, quod est senectus, in quocumque statu sim, ne derelinquas me, imò magis virtutem interiorem auge, secundum illud 2.*Corinth.*4. Cum exterior homo vester corrumpitur, ille qui intus est, renouatur de die in diem. Quod facit Deus diu portando, & nullum abiiciendo. *Psal.* Deus non derelinquit sanctos suos, in æternum conseruabuntur. Imò ab ipso mirabiliter innouantur. *Iob* 11. Cum te consumptum putaueris, orieris vt lucifer, & consurget tibi, quasi meridianus fulgor ad vesperum.

Quia dixerunt. Hîc secundum, scilicet persuasio: & dicuntur tria. Primò desolatio ab aduersariis. Secundò concordia & vnio in illa desolatione. *Et qui custodiebant.* Tertiò explanatio intentionis, & cogitationis illorum contra se, ibi, *Dicentes, Deus.* Dicit ergo: Sic ne proiicias me, nec debes, quia *dixerunt* inimici mei, desolantes me, *mihi mala*, quod non saluer à te. *Psal.* Multi dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo eius. 10.

Et qui custodiebant animam meam, ad decipiendum, & perdendum. *Ierem.* 20. Dixerunt custodientes latus meum: Si quomodo decipiatur, & prævaleamus apud eum. *Consilium fecerunt in vnum*, de me perdendo. *Prou.*1. Venite insidiemur sanguini, & abscondamus tendiculas contra insontem frustrà. *Psal.* Obseruabit peccator iustum. *Ioan.*11. Collegerunt Pontifices & Pharisæi, &c.

Dicentes, Deus dereliquit. Hîc tertium, in quo explicat intentionem cogitationum, & sunt quatuor, quæ cogitare eos asserit. Primum, derelictio eius à Deo. Secundò illatio ex hoc exhortatoria ad persequendum. *Persequimini.* Tertiò persecuti comprehensio. *Et comprehendite.* Quartò comprehensi afflictio ad libitum. *Quia non est qui eripiat.* Dicit ergo: Sic fecerunt consilium in vnum *dicentes* inter se. *Sap.*2. Dixerunt impij intra se non rectè cogitantes. *Deus dereliquit eum.* Falsum dicunt. *Osea* 1. Ego te non deseram, nec derelinquam. *Psal.* Cum ipso sum in tribulatione. *Isa.*43. Per aquas tecum ero, & flumina non operient te. 11.

Persequimini tardum, & iniquitatibus ponderosum, & hoc falsum. *Isa.*54. & 1.*Pet.*2. Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. *Et comprehendite eum*, tanquam inualidum, & impotentem ad defendendum. *Exod.* 15. Dixit inimicus: Persequar & comprehendam. *Prouerb.*1. Deglutiamus eum tanquam infernus viuentem. *Ierem.* 20. Prævaleamus

leamus aduerſus eum, & conſequamur vltionem ex eo.

Et poteſtis comprehenſum detinere. *Quia non eſt qui eripiat*: nec ipſe poteſt, vt ei competat illud *Iob* 6. A te non eſt auxilium mihi. Imò & amici mei receſſerunt à me. Et illud *Thren. vltim.* Circundederunt me, & non fuit qui adiuuaret.

12. *Deus ne elongeris.* Hîc petitio ſecunda. Quaſi diceret: Ne proiicias me, & etiam quod plus eſt, *Deus ne elongeris à me*, quamuis non proiecto. *Pſal.* Domine ne longè facias auxilium tuum à me. *Eccleſ.*35. Dominus non elongabit. Securus ſit à quo non elongatus eſt. *Iob* 17. Libera me Domine, & pone me iuxta te, & cuiuſuis, &c. *Phil.* 4. Dominus prope eſt, nihil ſolliciti ſitis. Timeat à quo remotus eſt. 1. *Machab.*12. Nec habent principem, nec adiutorem. Nunc ergo pugnemus, & tollamus de terra memoriam eorum. Planum eſt ergo impios, quos diabolus ſubiectos tenet, longè eſſe à Deo. *Prouerb.*15. Longe eſt Dominus ab impiis.

13. *Deus meus.* Ecce terium, *reſpice*, oculo miſericordiæ tuæ. De quo reſpectu *Sap.*4. Et reſpectus in electos illius. *Pſal.* Reſpexit in orationem humilium. *In auxilium meum*, id eſt, mihi præſtandum, ſicut reſpexiſti in auxilium filiorum Iſraël. *Exod.*14. Et hoc iuſtum eſt, ex quo reſpicio ad te. 2. *Paral.* 20. Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolum reſidui habemus, vt oculos noſtros dirigamus ad te. *Pſal.* Leuaui oculos meos in montes, ad ſanctos ſcilicet, in quibus Deus habitat: vnde veniet auxilium mihi.

Confundantur & deficiant. Hîc ſecundum huius partis, in quo poſtquam pro ſeipſo precatus eſt, aduerſariis imprecatur. Primò ergo ponitur imprecatio. Secundò perſuaſio ad obtinendum imprecatum, ibi, *Ego autem.* In prima duo. Primò imprecatur perſequentibus ore. Secundò opere, ibi, *Operiantur confuſione.* Primis imprecatur duo. Confuſionem, & fruſtrationem ab intentione. *Et deficiant.* Secundis duo ſimiliter. Confuſionis abundantiam in ſeipſis, & pudoris ad alios. *Et pudore.* Dicit ergo: Sic petij pro me in ſtatu ſenectutis, & hoc ore, conformans voluntatem meam diuinæ iuſtitiæ, *vt confundantur*, te adiuuante me, *detrahentes animæ meæ*, falſa mihi imponentes. *Ierem.*17. Confundantur qui me perſequuntur, confuſione mala. *Eccleſ.*4. Eſt confuſio adducens peccatum. Vel eſt oratio Eccleſiæ orantis pro inimicis iuxta illud *Matth.* 5. *Luc.* 6. Orate pro calumniantibus & perſequentibus, vt confundantur confuſione bona de qua in eodem 4. Eſt enim confuſio adducens gloriam.

Et deficiant, fruſtrati ab intentione ſua, qua me detinere intenderunt in morte. *Pſal.* Deficientes quemadmodum fumus deficient. *Detrahentes animæ meæ.* Repete. Et nota, quòd orat contra detractores Chriſtus, vt probetur verax, qui dixit *Roman.* 1. Detractores Deo odibiles. *Iob.* 6. Quare detraxiſtis ſermonibus veritatis, & ſubuertere nitimini amicum veſtrum?

Vel in bono. *Deficiant* à malo in quo ſunt, id eſt, malum in eis deficiat, & annihiletur. *Pſal.* Deficiant peccatores à terra, & iniqui ita vt non ſint. *Prou.*12. Verte impios, & non erunt. *Eccleſ.*14. Omne opus corruptibile in fine deficiet.

Et bene ſecundum primam lecturam, imprecatur confuſionem eis, qui Chriſtum confuderunt quantum in ſe fuit. Benè deficiet eis, qui eum deficere fecerunt, quantum potuerunt. *Deut.*30. Reddent ei ſicut facere cogitauit proximo ſuo.

Et etiam *qui quærunt mala mihi*, opere: vel quærunt ſi aliqua mala in me, vt illa apponant mihi, contra illud *Prouerb.*24. Ne inſidieris, & quæras iniquitatẽ in domo iuſti. *Operiantur*, præabundantia, *confuſione*, in ſeipſis. *Pſal.* Operiantur ſicut diploide confuſione ſua. *Et pudore*, quantum ad alios, quibus eorum malitiæ reuelentur *Naum* 4. Reuelabo pudenda tua, aliis, ſupple. Et hoc in facie tua, vt ſcilicet erubeſcas. *Ierem.* 8. Per multitudinem iniquitatis tuæ reuelata ſunt verecundiora tua.

14. *Ego autem ſemper.* Hîc ſecundum, in quo poſt orationem ſubiungitur perſuaſio. Perſuaſio autem à tribus. Primò promittit quædam. Secundò aſſerit, & quaſi ex ratione, ibi, *Quia non cognoui.* In prima duo. Primò promittit ſe ſperaturum. Secundò laudaturum. *Et adiiciam.* Dicit ergo: Sic afflixerunt me. *Ego autem ſperabo*, propter quod debes me exaudire. *Sperabo*, inquam, *in te. Pſal.* Deus adiutor meus, & ſperabo in eum, in quacumque ſim aduerſitate. *Iſa.*51. Qui ambulat in tenebris, & lumen non eſt ei, ſperet in Domino Deo ſuo. Etiamſi vſque ad mortem afflixerit me. *Iob.* 13. Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo.

Et adiiciam. Hîc promittit ſe laudaturum. Primò apud ſe. Secundò apud proximum. Vel primò promittit ſe vehementer laudaturum. Secundò laudem aliis ſe promulgaturum, ibi, *Os meum.* Dicit ergo: Sic ſperabo, & etiam *ſuper omnem laudem*, qua laudatur ab aliis, *adiiciam. Eccleſ.*21. Verbum, ad laudem Dei pertinens, ſupple, quodcumque audiet ſapiens, laudabit, & adiiciet.

Quomodo laudibus diuinis poſſit aliquid adiici.

Sed contra hoc videtur illud *Eccleſ.*18. Quis ſufficiet enarrare opera illius? Quaſi diceret: Nullus. Et rurſus 43. Glorificate eum quantum poteſtis, adhuc maior eſt omni laude. Reſp. Non loquitur niſi relatione ad laudantes aliquos, non relatione ad effectus, vel opera diuina. Vel meliùs. Promittit, quòd adiiciet laudem comparatione ad opera creationis, & conſeruationis, quia Deus adiicit opera glorificationis: non poteſt dici abſolutè, ſed comparatione poteſt.

Si autem eſt verbum Eccleſiæ, promittit quod ſuper laudem pro iuſtitia, quâ poterat laudare omnes generaliter, adiiciet laudem pro redemptionis operibus ſpecialiter.

Laus cordis, oris, & operis.

Et nota, quòd eſt laus cordis, de qua *Eccleſ.* 47. De omni corde ſuo laudabit Dominum, &c. Laus oris, de qua *Pſal.* Laudem Domini loquetur os meum. Et alibi: Semper laus eius in ore meo, &c. Laus operis mandatorum Dei. *Prouerb. vltim.* Laudent illum in portis opera eius. His adiicitur laus adimpletionis conſiliorum Dei. Item eſt laus dicto modo triplici, pro beneficio creationis, gubernationis, cui adiicitur laus pro beneficio glorificationis.

Item

Item laus triplici modo dicto pro triplici beneficio exhibita Deo Patri, exhibita Deo Filio, exhibita Deo Spiritui ſancto, cui adiicitur laus exhibita homini aſſumpto.

15. *Os meum annuntiabit.* Hîc ſecundum, in quo promittit ſe laudem aliis promulgaturum. Primò comparatione ad diuinam iuſtitiam. Secundò comparatione ad miſericordiam, ibi, *Tota die.* Vel primò promittit laudis promulgationem. Secundò in promulgando continuationem. Dicit ergo: Sic laudabo apud me, & etiam *os meum annuntiabit* aliis *iuſtitiam tuam*, non remanebit in corde. *Pſal.* Iuſtitiam tuam non abſcondi in corde meo. *Iſa.* 62. Tota die & nocte non tacebunt laudare nomen Domini. Et 58. Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam. *Apocalypſ. vlt.* Qui audit hoc, non ſileat, imò dicat: Veni. Et annuntiabit, repete, non ad horam, ſed *tota die ſalutare tuum*, illud, de quo *Geneſ.* 49. Salutare tuum expectabo Domine. Et *Luc.* 2. Viderunt oculi mei ſalutare tuum. Annuntiabit autem tota die, toto tempore huius vitæ. *Prou.* 13. Labium veritatis, quo annuntiatur & prædicaverbum Dei, erit in perpetuum.

16. *Quoniam non cognoui.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit confidentiam ſuam. Et primò vnde naſcitur confidentia. Secundò de quibus eſt illa. *Introibo in potentias.* Quia de duobus. Quod ad iuſtitiam Dei perueniet primò. Secundò quod ad illam, ſolam deſerta legis iuſtitia. *Domine memorabor.* Dicit ergo: Sic faciam, & ô Domine confidenter dico, *introibo in potentias Domini*, id eſt, virtutes, quæ poſſunt in deſtructionem vitiorum, fidem ſcilicet, aliaſque conſequentes ad illam, quæ Domini, quia à Domino ſunt. *Iacob.* 2. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum. Hoc ſanctuarium, de quo in *Pſal.* Donec intrem in ſanctuarium Dei, &c. Ad tantam intrans potentiam inuenit quietem. *Sapient.* 8. Intrans in domum meam, conquieſcam cum illa.

Et ô *Domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius*, non legis veteris, vel mundanæ, vel meæ propriæ, quæ nulla eſt. *Iſa.* 64. Omnes iuſtitiæ noſtræ quaſi pannus menſtruatæ. Sed *tuæ*, quam facturus es in iudicio, omnibus reddens ſecundum merita. 2. ad *Cor.* 5. Omnes nos oportet ſtare ante tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque.

Vel iuſtitiæ tuæ, Chriſti Filij tui. 2. ad *Cor.* 1. Qui factus eſt nobis à Deo Patre iuſtitia. Hîc ſolus ſit in memoria ſemper, & ſufficit. *Bern.* Merito iam viſiones & ſomnia non recipio, figuras & ænigmata nolo, ipſos quoque ſpiritus angelicos faſtidio, omnium quippe ſpecierum pulchritudinem ſuperat IESVS meus, ideo eius ſolius memorabor.

Et hoc: *Quoniam non cognoui literaturam*, literalem ſcilicet reſpuo legis intelligentiam, de qua 2. ad *Cor.* 3. Litera occidit, ſpiritus autem viuificat. Vel ad literam, Literaturam, id eſt, quia ſimplex fui: multis enim literatura ſua eſt occaſio perditionis. 2. ad *Cor.* 8. Scientia inflat. *Iſa.* 33. Vbi eſt literatus, ibi eſt verba legis ponderans, ſed de factis non curans. *Gregor.* Neſcio quam miſera coniuratione vitia literis adhæſerunt. Alia litera habet *negotiationem*, in quo oſtenditur quod negotiatores vix ſaluantur. *Oſe.* 11. Circumdedit me Ephraïm in negotiatione ſua.

Peccata literatorum.

Et nota, quæ mala faciat literatura, hoc eſt ſola ſcientia literarum, vbi deeſt charitas & lumen virtutum. Primò inflat. 2. ad *Cor.* 8. *Scientia inflat.* Secundò indignationem generat contra inſcios. *Eccleſ.* 1. Vbi ſcientia multa, ibi indignatio. Et ex hoc tertiò incorrigibilitatem præparat. *Eccleſ.* 12. Quis medebitur incantatori, à ſerpente percuſſo? *Matth.* 6. Quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? Hominem infatuat, facit enim eum de ſe credere magna. *Ierem.* 9. Stultus factus eſt omnis homo à ſcientia ſua. 2. ad *Corinth.* 8. Si quis exiſtimat ſe ſcire aliquid, nondum nouit quomodo oporteat eum ſcire. Hinc dicebat Feſtus ad Paulum *Act.* 26. Inſanis Paule, multæ literæ te ad inſaniam perducunt. Et tandem facit vt magna ambiant, & quæ ſupra ſe ſunt. Sicut patet in Angelo Lucifero, qui perfectus fuit ſcientia & decore *Ezech.* 28. & ambiuit fieri æqualis Deo. *Iſa.* 14.

Peccata negotiatorum.

Ex negotiatione multa mala proueniunt. *Ezech.* 27. In multitudine negotiationis tuæ repleta ſunt viſcera tua iniquitate. Primum malum eſt, negligentia in laborando, & ſeruiendo Deo. *Eccleſ.* 27. Difficilè exuitur negotians à negligentiâ. Cupiditas. De hoc intelligitur illud *Eccleſ.* 27. Sicut in medio compaginis lapidum figitur palus vt euadere non poſſit: ſic inter medium emptionis & venditionis anguſtiabitur peccatum, ſcilicet cupiditatis. Mendacium. *Eccleſ.* 26. Non iuſtificabitur caupo, id eſt, venditor vini, à peccatis labiorum ſuorum. Circumuentio. 1. ad *Theſſ.* 4. Ne quis ſupergrediatur, aut circumueniat in negotio fratrem ſuum. Doloſitas in malè menſurando. *Oſeæ* 12. Chanaam in manu eius ſtatera doloſa. Chanaam negotiator interpretatur. Oppreſſio pauperum. *Amos* 8. Quando veniet meſſis Iſraël, & venundabimus merces, & ſabbatum, & aperiemus frumentum, vt minuamus menſuram, & augeamus ſiclum, & ſupponamus menſuras doloſas, & poſſideamus argento pauperem, & egenum pro calceamento. Fœnus *Ezech.* 28. Damaſcenus negotiator tuus. Damaſcenus interpretatur habens ſanguinem, & ſignat fœneratorem, qui ſanguinem bibit pauperum. *Prou.* 30. Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ, quæ dicunt: Affer, affer.

17. *Deus docuiſti me.* Hîc tertium, in quo ad perſuadendum recolit beneficia: & dicuntur duo. Primò præcipuum recolit. Secundò promittit ob hoc ſe laudaturum. *Pronuntiabo.* Dicit ergo: Sic certiſſimè ſcio, quoniam introibo in potentias, & ô *Deus docuiſti me*, vnus & verus magiſter. *Matth.* 23. Vnus eſt magiſter veſter, qui docet interius. *Ioan.* 14. Ille vos docebit omnia, & ſuggeret, &c. Et per gratiam ſuam quam infundit. 1. *Ioan.* 2. Vnctio docebit vos de omnibus. Omnia autem quæ docet, ſunt vnum, ſcilicet iuſtitia, quæ neceſſaria eſt, & ſufficiens ad ſalutem, ſine qua quicquid ſcitur, ſtultitia eſt. *Oſeæ* 10. Cum venerit Dominus, docebit

vos iuſtitiam. *Ioël* 2. Dedit Dominus doctorem iuſtitiæ.

Et hoc *ex iuuentute mea* incipiens, *& vſque nunc* producens. Felix, quem docet hic magiſter: felicior, quem ex iuuentute docet: ſed feliciſſimus, quem vſque nunc. *Eccleſ.* 6. Fili ex iuuentute excipe doctrinam, & vſque ad canos inuenies ſapientiam.

Et propter hoc nolens eſſe ingratus *pronuntiabo* aliis *mirabilia tua.* Quæ autem ſunt illa, dicit *Gloſſa:* Quod me regis, &c. Et adde ad vltimum quod dicit *Auguſtin.* quod maius eſt iuſtificare impium, quam creare cœlum, & terram. Et iuſtum eſt vt qui beneficia Dei gratis recipit, aliis gratis effundat. *Matth.* 10. Gratis accepiſtis, gratis date. 1. *Pet.* 2. Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, &c. Et paulo poſt: Vt annuntietis opera eius.

18. *Et vſque in ſenectam.* Hîc eſt ſecunda pars ſecundæ partis primæ huius totius Pſalmi. Poſtquam enim petiit in ſtatu ſpeciali, ſcilicet in ſenectute non proiici, ſed potius adiuuari, hîc petit auxilium vſque in finem ætatis continuari: & dicuntur duo. Primò petit. Secundò oſtendit ad quid petat, & velit auxilium prolongari, ibi, *Donec annuntiem.* Dicit ergo: Sic ne proiicias me in tempore ſenectutis, quem à iuuentute docuiſti, & vlterius ego rogo: *Ne derelinquas me*, quin ſemper adiuues, *vſque in ſenectam & ſenium*, id eſt, vſque ad ætatem decrepitam. Et ſumitur pro eodem ſenium & ſenecta.

Sed opponet aliquis: Chriſtus vſque in ſenectutem non peruenit, ergo multo fortius nec ad ſenium: quomodo ergo hoc rogauit? Reſp. eſt, quod hoc non dicit pro ſe, ſed pro membris ſuis: aliqui enim vſque ad hoc perueniunt. Vel poteſt eſſe vox corporis Eccleſiæ ſcilicet: & ſecundum hoc, ſicut vult *Gloſſa*, in antecedenti verſu, & in iſto, quatuor ſtatus Eccleſiæ per quatuor ætates denotantur. Iuuentus Eccleſiæ Martyrum tempore fuit, qui fortiſſimè pugnauerunt. *Matth.* 10. Eſtote fortes in bello, & pugnate cum antiquo ſerpente. Et ſequutus eſt ſtatus perfectus in fidei dilatatione, quando poſt Martyres per ordinem fidei eſt dilatata, Apoſtolis vbique diſcurrentibus, & ſacris Doctoribus. *Pſal.* In omnem terram exiuit ſonus eorum. *Roman.* 1. Fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo. Et ſignificatur hæc ætas Eccleſiæ per hoc quod dicit, *Nunc.* Poſtea ſequitur ætas tertia, ſenecta, vel ſenectus, quando iam maturitas quædam incipit, & feruor caloris tepeſcit, de qua in *Pſal.* In populo graui laudabo te. Sed tandem ſequitur quarta, ſcilicet ſenium, quando in fine mundi charitatem abiicient frigidiſſimi facti, ſecundũ illud *Matt.* 24. Abundabit iniquitas, & refrigeſcet charitas multorum. Petit ergo vſque ad ſenium, & in ipſo ſenio non derelinqui, ſecundum promiſſionem factam *Matth.* 28. Ecce ego vobiſcum ſum, &c. Poſſunt autem diſtingui in quoliber, vt ad perfectionem perueniat & ſanctum ſenium, ſeptem ætates. Primo infantia, quam facit timor Dei. Secundò pueritia, quam facit pietas addita timori. Tertiò adoleſcentia, quam facit donum ſcientiæ & pulchrè conuerſandi. Quarta, iuuentus quam facit in nobis fortitudo, quando volumus & poſſumus viriliter operari bona. Quinta, ſenectus, quam facit donum conſilij, quo prudenter & maturè tranſitur ad conſilia. Sexta verò ſenecta, in qua iam ad omnia inferiora incipit debilitari, fortiter ad æterna eleuari, quam facit donum intellectus. Septima & vltima ſenium ſiue ætas decrepita, quando nihil omninò ſapiunt terrena iam, ſed tranſit ad cœleſtia, quam facit donum ſapientiæ. De iis *Iſa.* 11. Requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientiæ, & intellectus.

Quatuor ſtatus Eccleſiæ per quatuor ætates deſignati.

Donec annuntiem. Hîc ſecundum, ſcilicet ratio quare vult ita adiutorium continuari, ſcilicet vt habeatur facultas prædicandi Chriſtum, & etiam de Chriſto: & ſecundum hoc dicuntur duo. Primò vt Chriſtum annuntiet, vult vitam à Deo prolongari. Secundò vt ea quæ de Chriſto ſunt, vel ad Chriſtum pertinentia. *Potentiam tuam.* In prima duo. Primò vt poſſit annuntiare Chriſtum ſimpliciter. Secundò, quòd ex omnibus generaliter. *Generationi omni.* Dicit ergo: Sic ne derelinquas me vſque in ſenium, *donec annuntiem*, id eſt, annuntiauerim, *brachium tuum*, filium tuum, in quo & per quem omnia operaris. *Ioan.* 1. Omnia per ipſum facta ſunt. *Iſa.* 53. Et brachium Domini cui reuelatum eſt? Hoc eſt brachium, in quo congregauit nos Pater, congregatos leuauit in ſinu, & portauit. *Iſa.* 40. In brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit, fœtas ipſe portabit. In quo diabolum expugnauit. *Luc.* 1. Fecit potentiam, &c. Et nos liberauit *Exod.* 5. Redimam te, à diaboli ſeruitute, in brachio extento.

Filius brachium Patris.

Generationi omni. Ecce ſecundum. *Annuntiem*, inquam, generationi omni quæ ventura eſt, toto tempore vitæ meæ, ſi loquatur ſingularis iuſtus, & ſimpliciter, ſi Eccleſia. *Pſal.* Scribantur hæc in generatione altera, &c. Et alibi: Populo qui naſcetur, quem fecit Dominus. Non vni tantum generationi, ſed *omni*, quia Deus omnem diligit. *Sap.* 11. Diligis omnia, & nihil odiſti eorum quæ feciſti. *Mar.* Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.

19. *Potentiam tuam.* Hîc ſecundum, in quo poſtquam petiit vitæ dilationem, & conſeruationem in illa vt annuntiet Chriſtum, hîc petit vt annuntiet quæ pertinent ad ipſum. Et primò potentiam liberandi bonos. Secundò puniendi malos, ibi, *Et iuſtitiam tuam.* Tertiò glorificandi liberatos, ibi, *Vſque in altiſſima.* Dicit ergo: Sic ne derelinquas donec annuntiem Chriſtum, & etiam *donec annuntiem potentiam tuam*, quâ bonos à periculis liberas. *Pſal.* Duo hæc audiui: quia poteſtas Dei eſt. *Dan.* 7. Poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur. Tanta eſt potentia vt poſſit à dæmonibus occupatos liberare, & facere iuſtos. *Matth.* 3. Potens eſt Dominus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.

Et iuſtitiam tuam. Etiam annuntiem, per quam punis malos. *Pſal.* Iuſtitia tua ſicut montes Dei, iudicia tua, &c. Et *Prou.* 16. Iuſtitia firmatur ſolium Regis.

Vſque in altiſſima. Quaſi diceret: Annuntiabo potentiam tuam & iuſtitiam, extendens annuntiationem meam, *vſque in altiſſima magnalia*

qua

quæ feciſti: quod non ſolum hominem liberaſti, ſed liberatum ſuper omnes cœlos eleuaſti, & alios liberandos figuraſti. *Pſal.* Eleuata eſt magnificentia tua ſuper cœlos. *Iob* 5. Qui facit magna, & inſcrutabilia, quorum non eſt numerus. *Eccleſ.* 36. Cognoſcant quia non eſt Deus niſi tu, vt enarrent mirabilia tua.

Deus quis ſimilis tibi? Hîc eſt ſecunda pars totius Pſalmi, in quo poſtquam præmiſit orationem, ſubiungit eius quod rogauit commendationem: & dicuntur tria. Primò commendatio, quòd ſimilem non habeat aliquem. Secundò ſpecificatio aliquorum, in quibus commendabilis, ibi, *Quantas oſtendiſti.* Tertiò probatio, quòd vere iſta fecerit. *Nam & ego confitebor.* Dicit ergo: Sic rogaui te, cuius potentia in altiſſimis eſt, & propter hoc ſtupens dico: O *Deus quis ſimilis tui?* Quaſi diceret: Nullus. *Exod.* 15. Quis ſimilis tui in fortibus Domine, quis ſimilis tui? magnificus in ſanctitate. 1. *Paral.* 17. Non eſt ſimilis tui, & non eſt alius Deus abſque te. *Iſa.* 40. Cui ſimilem feciſtis eum, aut cui comparaſtis eum? Sed contrà: *Geneſ.* 1. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Sed reſponſio eſt, quòd eſt ſimilitudo imitationis. Hâc bene ſimilis eſt creatura creatori. Et ſimilitudo æqualitatis qua duos homines ſimiles dicimus in natura. Hac nulla creatura ſimilis eſt creatori.

20. *Quantas oſtendiſti.* Hîc oſtendit in quo tam mirabilis, vt non habeat ſimilem. Quia in hoc vt tam miſerum & deiectum hominem ſic exaltauerit: & dicuntur duo. Primò deiectio per multas miſerias. Secundò deiecti eleuatio ad magna, ibi, *Et conuerſus.* Dicit ergo: Non eſt ſimilis tibi: quia *quantas oſtendiſti*, &c.

Vel ſic: Nullus ſimilis tui, quod quia volui in Euâ matre mea, *quantas oſtendiſti mihi tribulationes* per experientiam, *multas* diuerſitate, *& magnas* acerbitate. *Act.* 14. Oſtendam ei quanta oporteat eum pro nomine meo pati. *Act.* 14. Per multas tribulationes oportet intrare in regnum cœlorum. Vt edoctus ſubiectus maneam tibi. *Act.* 60. Spiritus ſanctus proteſtatur mihi quoniam tribulationes & flagella manent me. Vt ſubiectus proficiam. *Caſſiod.* Tribulationes ad bonum prouehunt, & hominem ad vitam ducunt. *Ierem.* 6. ſecundum aliam interpretationem: Per omne flagellum erudiens Iſraël. *Eccleſ.* 34. Vir in multis expertus multa recogitabit. Vt imperfectum meum cognoſcam. *Thren.* 3. Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius. Vt melius aliis compati ſciam: ideò Petrum in peccatum cadere permiſit. *Matth.* 26. Ad *Hebr.* 4. Non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. Et ſubditur in 5. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius. Vt quanta ſit gehennæ pœna aduertam, ſi tanta eſt præſens. *Pſal.* Dediſti metuentibus te ſignificationem, &c.

Tribulatio ad multa vtilis.

Et conuerſus. Hîc ſecundum, ſcilicet releuatio à tribulatione, per quatuor quæ tanguntur. Primum eſt iuſtificatio. Secundum, iuſtificati extractio de profunda & mala conſuetudine. *Et de abyſſis.* Tertiò bonorum multiplicatio in extracto, ibi, *Multiplicaſti magnificentiam.* Quartum, interna conſolatio, ibi, *Et conuerſus.*

Dicit ergo: Sic oſtendiſti mihi tribulationes multas & malas, *& conuerſus* ad pietatem, per illas, & in illis *viuificaſti me*, prius mortuum in peccato. *Pſal.* Deus tu conuerſus viuificaſti nos. *Deut.* 32. Ego occidam, & ego viuere faciam. *Neem.* 9. Viuificas omnia, etiam illa quæ mortificare videris. *Tob.* 4. Poſt tempeſtatem tranquillum facit, & poſt lamentationem & fletum, exultationem immittit.

Nec tantum viuificaſti me, *& de abyſſis terræ*, id eſt, de terrena conſuetudine, quæ abyſſus eſt ſine byſſo candoris, plena ſcilicet tenebroſitate: vel ſine baſe, id eſt, ſine ſoliditate: *reduxiſti me* ad ſolidum gratiæ ſtatum. Hæc eſt abyſſus de qua *Iob* 28. Abyſſus dicit, Non eſt in me. De hac reducit Dominus electos. *Ier.* 29. Inueniar à vobis, & reducam captiuitatem veſtram. Et 32. Reducam eos ad locum iſtum, & habitare eos faciam confidenter.

Multiplicaſti. Hîc tertium. Quaſi diceret: Sic viuificaſti per tribulationes & de abyſſis terræ reduxiſti, etiam *multiplicaſti magnificentiam*, me flagellando, & per flagella in melius prouendo. *Geneſ.* 6. Quantò creſcebant aquæ diluuij, tantò eleuabatur arca à terra. *Exod.* 1. Quantò opprimebantur filij Iſraël à Pharaone, tantò multiplicabantur. Et nunc quia in electis tribulatio omnem ebibit ſuperbiam. *Iob* 6. Sagittæ Domini in me ſunt: quarum indignatio ebibit ſpiritum meum, ſuperbiam ſcilicet meam. Generat accelerationem ad Deum. *Pſal.* Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt. 21.

Et conuerſus conſolatus es me. Hîc quartum, conſolatio in labore tanto ex tribulatione. Quaſi diceret: Multiplicaſti magnificentiam, *& conuerſus* ab omni indignatione, conſolatus es me, poſt tantos, imò in tantis laboribus & miſeriis. *Pſal.* Secundum multitudinem dolorum meorum meorum conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. *Tob.* 4. Poſt lamentationem & fletum, conſolationem immittis. 2. ad *Corinth.* 1. Qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. Aliquando hæc conſolatio interius fit per inſpirationem internæ dulcedinis aliquando exterius per ſcripturas veritatis, quæ multa bona præmittunt tribulatis. *Caſſiod.* Hoc verbum quam paternum ſit debemus aduertere, vt famulos ſuos quamuis præmiſſa diſtrictione caſtiget, tamen triſtes permanere non patitur dum ſcripturarum diuinarum eos ſancto alloquio conſolatur: quæ conſolatio animos componit, afflictionem releuat, & mentem ſanat diuerſis languoribus fauciatam. Et nota, quòd bis dicit, *Conuerſus*, quia primo Deus conuertitur infundendo gratiam, quæ viuificat, & poſt conuertitur immittendo conſolationem, quæ patientiam generat & lætificat.

Deus interius & exterius conſolatur afflictos.

Nam & ego. Hîc ſecundum tertiæ partis huius Pſalmi, in quo oſtenſo quod magnus ſit Deus, & in quo ſit magnus, ſubiungitur probatio 22.

probatio, quod in his magnus. Primò per hoc quod dat in præſenti. Secundò per hoc quod daturus eſt in futuro, ibi, *Sed & lingua.* In prima duo. Primò per bona, quæ ei confert abſolutè. Secundò in comparatione ad proximum. *Exultabunt labia.* In prima duo ſecundum duo bona quæ ei conferuntur in præſenti in ſe: confeſſio diuinæ virtutis, & puræ fidei, & maceratio carnis. *Pſallam tibi.* Dicit ergo: Verè tribulaſti, & conuerſus conſolatus es me, nam & ego confitebor tibi, id eſt, ad honorem tuum, *veritatem tuam*, veritates ſcilicet, quæ de te ſunt, vel quod verè Deus es. Ad *Rom.* 10. Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem.

Pſalmi vaſis comparantur.

Et hoc *in vaſis Pſalmi*, hoc eſt, canendo Pſalmos, qui ſunt vaſa ipſam veritatem fidei ſeruantia. *Caſſiodor.* Pulchrè definitum eſt vaſa eſſe veritatis, quaſi ſpiritualia dolia vinum Domini incorrupto ſapore ſeruantia. Hæc ſunt illa vaſa, de quibus *Iſa.* 22. Suſpendam in eo omnem gloriam domus patris ſui, vaſorum diuerſa genera, omne vas paruulum à vaſe craterarum, vſque ad vas muſicorum. Pſalmi hæc ſunt vaſa craterarum, hoc eſt, ſcyphi nectar ſuauiſſimum continentes: & vaſa muſicorum omnem ſpiritualem harmoniam reſonantes. Non talia vaſa Ariſtotelis, Iuſtiniani, Hipocratis, quamuis à multis credatur. *Amos 6.* Sicut Dauid putauerunt ſe habere vaſa cantici. Vaſa ergo fragilia ſunt illorum ſcripturas, & veritatem vmbratilem, quæ tandem euacuacuabitur, continentia. *Pſal.* Diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.

Pſallam tibi. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Virtutem fidei pſallendo confitebor, *& pſallam tibi*, ad honorem tuum bona operabor: hoc eſt enim pſallere, ô *ſanctus Iſraël*, id eſt, qui ſanctificas Iſraël. Et hoc in cithara, quæ ſonat chordis tenſis, id eſt, mortificatione carnis. Suprà in *Pſal.* Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus. *Iſa.* 16. Venter meus ad Moab quaſi cithara ſonabit. Venter ad Moab quaſi cithara ſonat, quando caro mortificata diabolum fugat. Hæc cithara, de qua rurſus *Iſa.* 33. Sume citharam, carnis ſcilicet mortificationem: circui ciuitatem, conſcientiam, &c. Primùm fidei confeſſio ad contemplatiuam reſpicit. Secundò carnis mortificatio reſpicit ad actiuam.

23. *Exultabunt labia.* Hîc oſtendit bona, quæ ordinata erunt ad proximum. Vel poteſt exprimi modus, quo prædicta fient, quia lætanter. Primò ergo exprimitur lætitiæ quantitas. Secundò ſinceritas. *Et anima mea.* Ait enim: *Confitebor*, ſic citharizabo, & non in triſtitia cordis, imò *cum cantauero*, modis prædictis in Pſalmo veritatem, in bono opere carnis mortificationem. *Exultabunt labia mea*, interiora ſcilicet, vt dicit *Gloſſa*, hoc eſt, *labia* intellectus & affectus, *exultabunt*, extrà ſaltabunt, lætitiam exterius effundendo. Hæc ſunt labia, quæ volebat oſculari ſponſa à ſponſo cum dicebat *Cant.* 1. Oſculetur me oſculo oris ſui. Et de quibus ſuprà in *Pſal.* Labia mea laudabunt te in vita mea. Et rurſus: Et labiis exultationis laudabit os meum.

Et anima mea. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Non dico labia exultare ſuperficialiter, imò *& anima mea* exultabit cum cantauero tibi, quam redemiſti. *Tob.* 13. Ego & anima mea in Deo lætabimur. Et rurſus: Benedic anima mea Dominum, quia liberabit Ieruſalem.

Anima quam redemiſti, id eſt, redimere diſpoſuiſti, & quod iam factum reputo, ſanguine proprio. 1. *Pet.* 1. Non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis de mala veſtra conuerſatione, ſed pretioſo ſanguine agni immaculati. *Iob* 19. Scio quod redemptor meus viuit. *Iſa.* 51. Qui redempti ſunt à Domino, conuertantur & veniant in Sion cum laude.

Sed & lingua mea. Hîc ſecundum, in quo tangit bona exhibenda in futuro: & tangitur duplex bonum. Corporis glorificatio, inimicorum deiectio. *Cum confuſi.* Dicit ergo: Sic in præſenti conferes, *ſed & lingua mea*, corporis, dicit *Gloſſa*, vt ſit intranſitiua conſtructio, id eſt, corpus meum, quod totum tunc erit lingua, quia totum glorificatum loquetur vndique tuam gloriam, *meditabitur iuſtitiam tuam*, id eſt, meditandi iuſtitiam tuam præbebit materiam.

Et hoc *tota die*, in illa ſcilicet die, quæ tota erit, nihil habens de nocte: & tunc etiam continuè: quis enim non obſtupeſcat & admiretur, & cogitet diuinam iuſtitiam, videns corporum tam mirabilem reformationem? Ad *Phil.* 3. Saluatorem expectamus Dominum IESVM-CHRISTVM, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, in illa æterna die, de qua *Cant.* 1. Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie.

Et hoc fiet *cum* illi qui quærunt mala mihi, ſcilicet homines & dæmones *fuerint confuſi* in pœna, *& reueriti*, id eſt, verecundia pleni pro culpa. *Sapient.* 4. Venient in cogitatione peccatorum ſuorum timidi, & traducent illos ex aduerſo iniquitates ipſorum. Confuſi etiam & reueriti pro mea gloria, quam videbunt. *Mich. vltim.* Aſpiciet ad me inimica mea, & operietur confuſione ſua. *Caſſiodor.* Confunduntur inimici, quando aut hîc pœnitentiam gerunt, & ſe erraſſe cognoſcunt: aut certè in aduentu Saluatoris dum illa quæ fieri non credebant, ſuis oculis manifeſta conſpexerint. *Sapient.* 5. Videntes turbabuntur timore horribili, in ſubitatione inſperatæ ſalutis, gementes præ anguſtia ſpiritus, dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes: Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Et infrà: Nos inſenſati: vitam illorum æſtimabamus inſaniam. Ecce quomòdo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt, ad quam ſortem per gratiam ſuam perducat nos ille qui eſt benedictus per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

IN LXXI. PSALMVM.

Pſalmus, in Salomonem. 1.

DEus *iudicium tuum.* Hic eſt Pſalmus 71. in ſecunda parte huius libri 21. Poſtquam 2.

enim

enim in Psalmo 19. huius partis Ecclesia adiutorium postulauit, & in 20 totum à gratia Dei esse ostendit, hic in 21. de illo per quem omnis gratia, omnis profectus animæ, agendum fuit, scilicet de Christo mediatore Dei & hominum 1 ad *Timoth.*2. Et hoc vt est rector Ecclesiæ, & pacificus conuersator ipsius. Quod fit secundum quod innuit titulus, qui talis est: *Psalmus in Salomonem*, &c. Est enim sensus: Subiectus Psalmus est ordinans nos in Salomonem, verum scilicet Christum, qui in Salomone figuratus est, & signatus cum ratione nominis. Interpretatur enim pacificus, & Christus fuit pacis prædicator. *Matth.*6. Beati pacifici:quoniam filij Dei vocabuntur. Et pacis dator. *Ioan.* 14. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.Imò ipsa pax nostra factus est, in se reconcilians summa & infima adinuicem. Ad *Ephes.*2. Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Item ratione operis: quia sicut tempore Salomonis eius sapientia regnum Iudæorum augmentatum est, & multum ditatum, & in pace conseruatum: sic Christus Ecclesiam augmentauit, & extulit, & in pace firmauit. *Eccles.* 9. Inuentus est in ea vir pauper & sapiens, & liberauit ciuitatem illam per sapientiam suam. Agit ergo in hoc Psalmo de vero Salomone Christo secundum naturam & diuinam, & humanam secundum quam & Rex est. Et est quartus illorum, in quibus agitur de Christo. Primus est. *Quare fremuerunt.* Secundus, *Domine Dominus noster.* Tertius, *Cæli enarrant.* Et iste quartus.

Argumentū Psalmi, Christus rex pacificus.

Salomon figura Christi.

Diuiditur autem Psalmus hic in duas partes. Primò agitur de Christi regno. Secundò subiungitur gratiarum actio pro rectore tanto, & eius commendatio, ibi, *Sit nomen eius benedictum.* In prima tria. Primò enim petit vt iudicium det Christo. Secundò prædicit, quòd sic fiet, ibi, *Iudicabit pauperes.* Tertiò describit & Regem ipsum, & aduentum, & regnum, & regnandi modum, ibi, *Descendet sicut pluuia.* In prima duo. Primò petit vt Christo regnum detur. Secundò vt dandum priùs nuntietur, ibi, *Suscipiant montes.* In prima duo. Primò petit iudicium, & exequutionem iudicij dati Christo. Secundò ostendit finem, & vtilitatem quare petit, ibi, *Iudicare populum.* In prima duo. Primò petit vt detur Christo iudicandi authoritas. Secundò determinatur iudicij qualitas, ibi, *Et iustitiam tuam.* Vel primò petit. Secundò ad ostendendam cordis affectionem idem repetit.

Dicit ergo: Sic ô Deus à te sunt bona omnia, sed hoc per Regem Christum, & propter hoc peto, ô *Deus* Pater *da iudicium*, quod *tuum* est, & dare potes. *Deuter.*1. Non accipiatis cuiusquam personam: quia Dei iudicium est. 1. *Paralip.* 19. Videte quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini: hoc enim sibi retinuit, sicut & gloriam. *Isa.* 42. Gloriam meam alteri non dabo. Sicut & vindictam. *Deuter.*32. Mihi vindictam, & ego retribuam in tempore. Primum auferunt iudices mali, secundum superbi, tertium iracundi. *Da Regi*, id est, Christo, qui rex erit. *Ierem.*23. Regnabit Rex & sapiens erit. Imò Regum principalior. *Apocal.* 1. Primogenitus mortuorum, & princeps Regum terræ. Et 19. Habens in vestimento & in femore scriptum: Rex regum, & Dominus dominantium. Et Regum institutor. *Prou.* 8. Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.

Et iustitiam. Quasi diceret: Da iudicium non in iustitiâ, imò *iustitiam tuam*, exercendam, *da filio Regis*, tui scilicet, qui Rex es. *Psal.* Quoniam Deus magnus, & Rex magnus, &c. Et alibi: Rex omnis terræ Deus. Nota enim,quòd Deus Pater Rex dicitur, *Prouerb.*20. Rex qui sedet in solio,intuitu suo dissipat omne malum. Et Rex filius. In *Psal.* Tu es ipse Rex meus, &c. Primus secundo dedit iudicium. *Ioan.* 5. Pater omne iudicium dedit filio. Propter hoc dicitur *Isa.*33. Dominus Rex noster, Dominus legifer noster, Dominus iudex noster, ipse veniet, &c. Claustralis bonus. *Iob* 3. Requiescerem cum Regibus & consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines. Diabolus. *Iob* 41. Ipse est Rex super omnes filios superbiæ. Magnum regnum peccatum. Ad *Roman.*6. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Per quod innuit apertè, quòd in aliquibus regnat. Et mors, ad *Roman.*5. Regnauit mors ab Adam vsque ad Moysem. Caro. *Prouerb.* 30. Per tria mouetur terra, & quartum non potest sustinere, per seruum cum regnauerit.

Regis nomē diuersis attributum.

Iudicare populum. Hîc secundum, in quo tangit finem, quo vult Christo dari, scilicet vt discernat Dei populum, ab aliis qui non populus: & dicuntur duo. Primò, quod ad hoc vult Christo dari vt populum à non populo discernat. Secundo quis sit populus discernendus, declarat apertè. Et *pauperes tuos.* Dicit ergo: Sic rogo vt des iudicium & iustitiam. *Iudicare*, id est, ad iudicandum, id est, discernendum & separandum à malis *populum tuum*, & hoc *in iustitia tua* sine omni personarum acceptione, sicut & fuit. *Actu* 10. In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum & facit iustitiam, acceptus est illi. *Isa.*11. Non secundum visionem oculorum iudicabit, attendens purpuratum: nec secundum auditum aurium arguet, attendens ornatum verbotum, & linguam magniloquam.

Et pauperes. Exponit se. *Et pauperes in iudicio*, iudicare scilicet, ne sit de illis de quibus dicitur *Isa.* 1. Pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad eos: sed de illo verum sit illud *Isa* 11. Iudicabit in iustitia pauperes,& arguet in æquitate pro mansuetis terræ. Et nota quod dicit *Glossa*: Quidam tales, pauperes scilicet sunt populus Dei: & verum est de paupertate interiori,quæ est vera humilitas de qua *Matth.*5. Beati pauperes spiritu:quoniam ipsorum est regnum cœlorum. *Ierem.* 23. Faciet iudicium, & iustitiam in terra. Et 16. Præparabitur in misericordia solium, & sedebit super illud in veritate in tabernaculo Dauid iudicans, & quærens iudicium, & velociter reddens quod iustum est.

Suscipiant montes. Hîc secundum, in quo 3.

poſtquam petiit Chriſto regnum dari, petit priùs aduentum regnaturi nuntiari. Et primò per maiores. Secundò per minores etiam. *Et colles.* Dicit ergo: Sic rogo vt des filio tuo iudicium, hoc eſt, ad iudicandum mittas: ſed priùs *montes*, id eſt, Patriarchæ & Prophetæ, qui altitudine vitæ cœlo ſunt approximantes. Ad *Phil.*3. Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt. *Pſal.* Fundamenta eius in montibus ſanctis. Et *Iſa.*1. Erit præparatus mons Domini in vertice montium. *Suſcipiant pacem*, ipſum ſcilicet Chriſtum. Ad *Epheſ.*2. Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum. *Populo*, nuntiandum. *Iſa.*52. & *Naum* 1. Quam pulchri ſunt pedes euangelizantis, annuntiantis pacem, id eſt, Chriſtum. *Et colles*, minores ſcilicet prædicatores, *iuſtitiam* ſuſcipiant populo ſimiliter refundendam, id eſt, Chriſtum; qui eſt iuſtitia. 1.ad *Cor.*1. Qui factus eſt pro nobis à Deo Patre iuſtitia.

Duo prælatis neceſſaria, pacem cuſtodire & iuſtitiam adminiſtrare.

Tanguntur etiam duo quæ neceſſaria ſunt prælatis, & rectoribus aliorum. Primum vt pacem ſubditis quærant, quam in ſe habeant primò: ne ſuperbia ſua in Eccleſia diſcordias & ſchiſmata generent. 1. ad *Cor.*1. Idipſum dicatis omnes, vt non ſint in vobis ſchiſmata. Secundum vt minores Prælati iuſtitiam teneant, corrigendo & vnicuique debitum reddendo. Iuſtitia enim eſt reddere vnicuique quod ſuum eſt. *Sap.*1. Diligite iuſtitiam qui iudicatis terram.

Per montes etiam Prælati, per colles ſubditi. Debent ergo primi pacem influere inferioribus, Euangelij ſcilicet doctrinam, & reconciliationem ad Deum. *Geneſ.* 8. Columba detulit ramum oliuæ ad arcam. Et minores debent eis reddere iuſtitiam, humilem ſcilicet obedientiam. *Hebr. vlt.* Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant, quaſi pro vobis reddituri rationem.

4. *Iudicabit paupères.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit futurum quod petiit. Duo ergo dicuntur. Primò, quòd filius iudicabit. Secundò, quòd poterit. *Et permanebit.* In prima tria ſecundum tria, quæ ſunt in recto iudicio. Primum, diſcretio bonorum à malis. Secundum, bonorum remuneratio. *Et ſaluos.* Tertiò malorum deiectio. *Et humiliabit.* Dicit ergo: Sic petij quod iudicaturus adueniat, & venturus nuntietur. Et ſic fiet: quia *iudicabit*, à malis diſcernendo, *pauperes*, & humiles *populi* ſcilicet de minori plebe, hoc eſt, interiùs pauperes ſpirituali paupertate, de qua *Matth.* 5. Beati pauperes ſpiritu. Et exteriùs humiliter conuerſantes, quia in aliorum ſocietate non ſe ſuper alios extollentes. *Eccleſ.* 3. Quantò maior es, humilia te in omnibus. Vel, *populi*, id eſt, in populo latentes, ſicut granum inter paleas. Quaſi diceret: Qui modò latent inter malos, ab eo diſcernentur ſicut granum à palea. *Matth.* 3. Cuius ventilabrum in manu eius, & permundabit aream ſuam. Et 25. Separabit agnos ab hœdis. Agnos quidem ponet à dextris, & hœdos à ſiniſtris. *Malach.*4. Sedebit conflans, & emundans argentum.

Et ſaluos. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic iudicabit diſcernendo, *Et ſaluos faciet filios pauperum*, id eſt, pauperes: ſicut filia Sion, idem quod Sion, filia Ieruſalem, idem quod Ieruſalem. *Iacob.* 2. Nonne pauperes elegit Dominus, diuites in fide? Hoc triticum in horreum reponendum. *Matth.*3. Triticum ponet in horreum ſuum, paleas autem comburet igni inextinguibili. *Sophon.* 3. Derelinquam in medio tui populum pauperem & egenum à me ſaluatum. Vel *filios pauperum* diſtingue à pauperibus: pauperes enim fuerunt Apoſtoli & Prophetæ. Filij pauperum eorum ſequentes, boni filij de bonis patribus. *Prouerb.* 20. Iuſtus qui ambulat in ſimplicitate ſua, poſt ſe bonos filios derelinquens.

Et humiliabit, in præſenti eius potentiam debilitando, & ipſum vulnerando, *calumniatorem* diabolum. *Pſal.* Tu humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum, diabolum, qui calumniatur genus humanum. *Iſa.* 52. In Ægyptum deſcendit populus meus vt colonus eſſet ibi, & Aſſur abſque vlla cauſa calumniatus eſt eum. Sed humiliabitur. *Iſa.* 25. Humiliabit gloriam eius cum illiſione manuum eius, id eſt, potentiarum eius. Sed tandem in futuro humiliabit, annihilando penitus, ſecundum illud *Oſeæ* 13. Ero mors tua ô mors, morſus tuus ero inferne. *Abac.*3. Egreſſus eſt diabolus ante pedes eius, proiiciendus cum toto corpore ſuo in infernum. *Apocalypſ.* 12. Proiectus eſt accuſator fratrum, &c.

Et permanebit. Hîc ſecundum, in quo oſtendit, quòd dignus ſit & poſſit. Primò ex duratione potentiæ. Secundò ex dignitate. *Et ante lunam.* Ait ergo: Dixi, quod iudicabit, & dignus erit, & hoc poterit, nam & ipſe *permanebit* in ſua poteſtate, *cum ſole*, id eſt, quandiu erit ſol, vel tempora ſolis menſurata motu. *Daniel.* 7. Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum, &c. Quandiu ſol mouebitur, & diſtinguet tempora. *Geneſ.* 1. Fiant luminaria in cœlo, & diuidant diem ac noctem, & ſint in ſigna, &c. Imò etiam cum ſtante ſole permanebit: ſtabit enim ſol poſt iudicium, nec poteſtas Chriſti ceſſabit. *Abac.* 3. Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo. §.

Et ante lunam. Hîc ſecundum, & primò oſtendit dignitatem parabolicè. Secundò exponit parabolam. *In generatione.* Dicit ergo: Sic cum ſole permanebit, & ipſe erit etiam dignitate *ante lunam*, ante omnia ſcilicet mutabilia, quæ per lunam, quæ continuè mutatur, intelliguntur. Et exponit ſe. Erit, inquam, permanens *in generatione* ordinata in generationem alteram, id eſt, quandiu ſuccedent generationes, ipſe permanebit. *Eccleſ.*1. Generatio aduenit. Ipſe etiam ad literam *ante lunam*, & omnia mutabilia. *Prouerb.* 8. Antequam quicquam fuerit à principio, ordinata ſum. Et poſt omnia. *Apocalypſ.* 1. Ego ſum α, & ω, principium, & finis.

Per

Chriſtus cũ iuſto vt ſol cum ſole.

Per ſolem etiam iuſtus intelligitur, per lunam ſtultus & mutabilis. *Eccleſ.* 27. Homo ſanctus in ſapientia manet vt ſol, ſtultus vt luna mutatur. Cum ſole ergo permanet: quia cum iuſto eſt vt ſol cum ſole. *Malach.* 3. Vobis timentibus Deum orietur ſol iuſtitiæ. Sed ſol ſuperat ſolem. *Eccleſ.* 43. Nonne dies diem ſuperat, & ſol ſolem? Habet aliqua litera. *Sed antecedit lunam*, quia retrò ſe ponit fatuum peccatorem. *Geneſ.* 4. Ecce eiicis me à facie tua. Et *Pſal.* Proiectus ſum à facie oculorum tuorum. *Ierem.* 8. Facti ſunt in retrorſum, non in antè. *Matth.* 16. Vade retrò ſatana, dictum eſt Petro infatuato.

6. *Deſcendet ſicut pluuia.* Hîc tertium primæ partis Pſalmi, in quo poſtquam petiit, poſtquam aſſeruit propheticè ſic futurum vt petiit, deſcribit aduentum huius regis, & fructum, & regnandi modum: vnde quatuor dicuntur. Primò agit de aduentu, & modo adueniendi in mundum. Secundò de fructu ex eius aduentu conſecuto, ibi, *Orietur in diebus.* Tertiò de regni dilatatione, ibi, *Et dominabitur à mari.* Quartò de honore ei exhibendo ſic regnanti, ibi, *Coram illo.* In prima duo ſecundum duplicem modum duplicis aduentus eius. Primò, quòd veniet in Virginis vterum, ipſius integritatem conſeruando. Secundò, quòd in mundum ipſum bona præparando. *Et ſicut ſtillicidia.* Dicit ergo: Sic rogaui, & ſic fiet, & verè, quia *deſcendet* in vterum virginalem, implens deſiderium. *Iſa.* 64. Vtinam diſrumperes cœlos & deſcenderes. *Daniel.* 4. Ecce vigil, & ſanctus de cœlo deſcendit. Ad quid? Ad liberationem noſtram. *Exod.* 3. Vidi afflictionem populi mei, qui eſt in Ægypto, & deſcendi liberare eum. *Sicut pluuia*, vt Virginem, & nos per ipſam

Fructus ex primo Chriſti aduentu.

fœcundaret. *Iſa.* 65. Sicut deſcendit imber & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur, ſed inebriat terram, & germinare eam facit, ſic erit verbum, quod egreditur de ore meo. Vt ardorem concupiſcentiæ in ea penitus extingueret, & per eam in nobis ſedaret, vel minueret. *Daniel.* 3. Angelus Domini, quem poſtea dixit Nabuchodonoſor ſe vidiſſe quaſi filium Dei, deſcendit cum tribus pueris in fornacem, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem. Vt ſitum & deſiderium antiquorum & noſtrum ſedaret. *Pſal.* Expectabunt onagri in ſiti ſua, iſtam pluuiam. *Ioël.* 1. Beſtiæ agri quaſi area ſitiens imbrem ſuſpexerunt ad te. Propter hoc dicit *Ioan.* 7. Qui ſitit, veniat ad me, & bibat.

Beata Virgo velleri comparata.

Et hoc *in vellus*, ſicut in facto Gedeonis figuratum fuit. *Iud.* 6. Vellus enim Virginis vterus. Vellus enim eſt quid molle & tractabile. Sic Virgo beata. *Bern.* Reuolue totam Euangelij ſeriem, ſi quid durum, ſi quid aſperum inuenias in Maria, ad ipſam accedere ne verearis. Vellus in modico ſe conſtringit, quamuis magnum ſit. Et Maria, quæ tanta eſt ab aliis, ait *Luc.* 1. Ecce ancilla Domini. Item bibulum eſt aquæ, & Maria gratiæ. *Luc.* 1. Aue gratia plena. De vellere etiam fit veſtis: ſic etiam de carne Virginis facta eſt Chriſto veſtis. *Iob* 10. Pelle & carnibus veſtiſti me. *Prouerb. vltim.* Quæſiuit lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum. Veſtis purpurea. *Iſa.* 41. Quare ergo rubrum eſt veſtimentum tuum? 1. *Reg.* 2. dicitur de Samuele: Tunicam paruam ei faciebat mater ſua. Noſtras tunicas pater & mater faciunt. Leproſi ſumus, & habemus diſſuta veſtimenta ſecundum legem. *Leuit.* 13. Sed ipſe de vna tantum pœna. Item vellus per pluuiam purificatur & lauatur, non rumpitur: ſic virginalis vterus per filium purificatus mundior redditur, non corruptus. *Exod.* 3. Moyſes videbat ignem in rubo, nec comburebatur. *Pſal.* Deus meus impolluta via eius.

Et ſicut ſtillicidia. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic veniet in Virginis vterum, & etiam *deſcendet ſuper terram*, id eſt, veniet in mundum, *ſicut ſtillicidia* ſunt, quæ ipſam imbuunt vt ſit fœcundior. *Hebr.* 6. Terra ſuper ſe venientem bibens imbrem, & reddens herbam opportunam his à quibus colitur, erit in benedictionem. Vt ſtillicidia ergo deſcendit ſuper terram, quando per Apoſtolos & prædicatores, nuntiatus fuit. *Ioël.* 3. In illa die ſtillabunt montes dulcedinem. Hæc ſunt ſtillicidia, quibus ſuprà in *Pſal.* In ſtillicidiis eius lætabitur germinans.

Orietur in diebus. Hîc ſecundum, in quo oſtenditur ſic aduenientis fructus. Et primò qualis ſit fructus. Secundò quantum durabilis. *Donec auferatur.* In prima duo. Primò abundantia operum iuſtitiæ. Secundò pacis mutuæ. *Et abundantia.* Dicit ergo: Sic veniet, & ſicut ſtillicidia ad fructum terram præparabit. Ad quem fructum? Ecce: *In diebus eius*, qui vero dies erunt ex latione eius qui verè ſol eſt, ſuper terram. *Malach.* 3. Vobis timentibus Deum orietur ſol iuſtitiæ. *Sap.* 5. Sol intelligentiæ non illuxit nobis. Orietur tanquam prius non exiſtens *iuſtitia*, ex quo bonorum operum abundantia. *Iſa.* 45. Et iuſtitia oriatur ſimul. In *Pſal.* Veritas, Chriſtus. *Ioan.* 14. Ego ſum via, veritas, & vita: de terra, Virgine Maria orta: & iuſtitia de cœlo proſpexit. *Iſa.* 60. Super te Ieruſalem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Gloria eius, glorioſa iuſtitia ſcilicet in te videbitur. 7.

Et abundantia pacis. Bene conſequens eſt: ad iuſtitiam enim ſequitur pax. *Iſa* 32. Et erit opus iuſtitiæ pax. *Michæ.* 5. Et erit iſte pax, cùm Aſſyrius venerit in terram veſtram. Hoc eſt quod habetur *Iſa.* 2. Et *Mich.* 4. Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltrà ad prælium.

Donec auferatur luna. Ecce duratio fructus. Et eſt ſenſus, quod durabit in æternum, nunquam enim luna eſt auferenda. Alia litera habet, *Donec extollatur luna*, quæ eſt ad literam extollenda vſque ad ſolis claritatem. *Iſa.* 30. Erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum.

Luna etiam Eccleſia à vero ſole illuminata.

Cant. 6. Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum pulchra vt luna? Donec ergo extollatur luna, id eſt, Eccleſia, ad laudem reſurrectionis proueheatur vt ſit Chriſto conformata, & impleatur illud *Abac.* 3. Sol, Chriſtus, & luna, Eccleſia, ſteterunt in habitaculo ſuo, in cœlo empyreo. Sed quomodo eſt abundantia pacis, cum tot videamus bella, & Eccleſiam concuti tam multipliciter? Reſponſio duplex: quia illis qui verè ſunt Eccleſia & merito & numero, pax interius in Chriſto, quantumcumque crucientur exterius in mundo. *Luc.* 2. In terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Ioan.* 16. In mundo preſſuram, in me autem pacem habebitis. Item promiſſio eſt intelligenda ſub conditione, ſi ſeruata fuerint Dei præcepta. Cauſa enim bellorum ſunt peccata. *Iſa.* 48. Vtinam attendiſſes ad mandata mea, facta fuiſſet vt flumen pax tua.

Cauſa bellorum peccata.

Et dominabitur à mari. Hîc tertium, in quo agitur de regni eius dilatatione, & tanguntur duo. Primò ſignatur dilatatio quoad loca. Secundò quoad tempus. *Et à flumine.* Dicit ergo: Sic veniet, & talis fructus aduentus eius. *Et dominabitur à mari*, ex vno termino, *vſque ad mare*, terminans ex oppoſito, ita tamen quod illa maria non excludantur, ſed includantur. Et idem mare Oceanum, de quo influit quoddam exiguum in medio terrarum, & facit iſta maria quæ nauigiis frequentantur. Alibi in *Pſal.* Tu dominaris poteſtati maris.

Regni Chriſti dilatatio.

Et à flumine, Iordane, id eſt, ab illo tempore, quo audita eſt Patris vox ſuper baptizatum in Iordane. *Matth.* 3. & *Luc.* 3. Hic eſt filius meus dilectus: tunc enim incœpit prædicare, & inſtitutus eſt à Patre. *Vſque ad terminos orbis terrarum*, id eſt, vſquequo extendatur prædicatio ſua, & dominium vſque ad terminos orbis terrarum: quod non complebitur omninò & perfectè vſque ad finem mundi. Vnde quod dicitur de Apoſtolis, In omnem terram exiuit ſonus eorum, &c. intelligendum eſt, vel in ipſis Apoſtolis, vel in ſuis ſucceſſoribus. Tunc implebitur illud *Iſa.* 42. Laus eius ab extremis terræ. Vel poſſet intelligi ad literam, quod primò tangit extenſionem poteſtatis comparatione extremorum adinuicem. Secundò comparatione medij ad extrema, vt vbique regnare monſtretur. *Iſa.* 9. Multiplicabitur eius imperium, & regni, &c.

Spiritualiter autem mare mundus eſt. *Pſal.* Hoc mare magnum & ſpatioſum manibus, feciſti, ſupple, & eſt primum mare. Secundum infernus. *Pſal.* Transferentur montes in cor maris. Flumen iucundiſſimum paradiſus. *Geneſ.* 2. Fluuius egrediebatur de loco voluptatis. Et in *Pſal.* Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Et terminus terræ iuſtus, in quo terrenitas eſt determinata. *Pſal.* Viderunt omnes termini terræ ſalutare Dei noſtri. Dominabitur ergo à mundanis hominibus vſque ad damnatos, & à ſaluatis & regnantibus vſque ad iuſtos.

Quare mundus dicitur mare.

Et bene dixi *mare* mundum, quia fœtet remotis à mari, & longè ab illo nutritis. Tamen fœtorem propinqui non ſentiunt. Ad *Phil.* 3. Conuerſatio noſtra in cœlis eſt. A mari ergo remotus es, & quid? nunquid non fœtet tibi? In eodem, Hæc omnia arbitratus ſum vt ſtercora propter eminentem ſcientiam Domini mei IESV CHRISTI. Sed qui nutriuntur in croceis, in deliciis propinqui mari amplexati ſunt ſtercora, tanquam ſuauiter redolentia. *Thren.* 4. Item propinqui audacter intrant mare, ad piſcandum, quamuis multos periclitari videant quotidie, ſed remoti non audent. Sic mundani ingerunt ſe in mundum, vt beneficium aliquod vel lucrum piſcari valeant, quamuis multos ſic piſcantes periclitari non dubitent. *Iſa.* 19. Mœrebunt piſcatores. *Apocal.* 18. Negotiatores terræ flebunt. Item quando creditur in mari eſſe magna ſerenitas, tunc ſurgit tempeſtas: ſic in mundo cùm creditur pax, ſurgit diſcordia, & guerra, & tumultus. *Eccleſ.* 18. A mane vſque ad veſperam immutabitur tempus, & tempeſtas ſubmergens. 1. ad *Theſſ.* 5. Cum dixerint, pax, & ſecuritas, tunc repentè veniet illis interitus. Item in mari vnus piſcis alium comedit: ſic in mundo alius alium deſtruit, & alij detrahit. *Abac.* 1. Cur taces impio deuorante iuſtiorem ſe? Et infra: Et facies homines quaſi piſces maris. Sed poſtquam alios deuorauit aliquis magnus piſcis, ipſe deuoratur. *Iſa.* 32. Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis?

Coram illo procident. Hîc quartum, in quo agitur de exhibitione honoris & reuerentiæ ſic regnantis: & dicuntur duo. Primò de exhibitione honoris & reuerentiæ ipſi ſimpliciter. Secundò poſt reſurrectionem ſpecialiter, ibi, *Et viuet, & dabitur.* In prima duo. Primò, quòd ei reuerentia exhibebitur magna, & dilatabitur eius regnum. Secundò, quòd dignus erit, cui exhibebitur, ibi, *Quia liberabit.* In prima duo. Primò honor & reuerentia exhibita in ipſa conuerſione. Secundò ne generalis omnium crederetur & ſingulorum, aliquorum promotio in malis, ſecundum quod legit *Gloſſa.* Vel primò tangitur honorificentia. Secundò honorificentiæ vehementia. *Et inimici eius.* Dicit ergo: Sic regnabit, & intantum extendetur eius regnum, & honorabitur, quia *coram illo procident Æthiopes*, Gentiles horridi, peccatis denigrati, vt ad fidem recipiantur. Suprà in *Pſal.* Æthiopia præueniet manus eius Deo. *Iſa.* 42. Dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam, & Saba pro te. *Sophon.* 3. Vltra flumina Æthiopiæ inde ſupplices mei, diſperſi filiorum meorum. Tunc implebitur quod quaſi impoſſibile putabat. *Ierem.* 13. Si poteſt Æthiops mutare pellem ſuam, &c. 9.

Conuerſio Gentilium.

Et inimici eius, inde magis prouocati (non enim omnes conuertentur) *terram lingent*, ipſi delectabiliter & ardenter adhærendo. *Mich. vlt.* Lingent puluerem ſicut ſerpens. Vel terram appellat terrenos & ſchiſmaticos doctores, quibus adhærebunt. Regula enim eſt, quòd qui Deo non adhærent, ſtatim terrenis afficiuntur, & malis adhærent. *Iacob.* 4. Amicus huius mundi, inimicus Dei conſtituitur. Et benè dicit, *lingent*, quia

quia terrenis & falsis doctrinis non saturabuntur. *Eccles.5.* Auarus non implebitur pecunia.

Vel in bono potest legi. Quasi diceret: Sic procedent adorando in signum reuerentiæ, & etiam inimici eius paulò antè, *terram lingent* pedum tuorum, id est, quam calcabunt pedes tui, in signum maximæ humilitatis & reuerentiæ. *Isa.49.* Puluerem pedum tuorum lingent, & venient ad te curui qui detrahebant tibi.

Reges Tharsis. Hîc subiungitur de honore conuersorum ad ipsum. Et primò secundum status speciales. Secundò colligit in vnum omnes, ibi, *Et adorabunt eum.* In prima tria. Primò dicit, quòd honorabitur à contemplatiuis. Secundò à proficientibus, & pugnantibus. *Et insulæ.* Tertiò, quòd à prædicatoribus quasi de vtrisque factis, ibi, *Reges Arabum.* Ait enim: Sic conuertendo se ad Deum adorabunt, & inimici confundentur, & etiam *Reges Tharsis*, id est, contemplationis, Tharsis enim, sicut dicit *Glossa*, contemplatio interpretatur, *offerent munera. 2. Paral. 9.* Naues regis Salomonis veniebant de Tharsis, merces ad pacificum Christum deferentes de contemplatione, & deferebant inde aurum & argentum, id est, scientiam & eloquentiam: & ibi figuntur, sicut dicit *Glossa*, non statim redeunt: non enim citò acquiruntur merces pretiosæ. *Eccl.10.* Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris: & tunc de contemplatione rediens offeres munera, & teipsum Deo, & proximum quem conuertes. *Isa.69.* Offerentur super placabili altari meo.

Et insulæ, similiter afferent munera: insulæ vndique maris fluctibus quatiuntur, & signant illos qui probantur in tribulationibus, & aduersitatibus concutiuntur vndique, nec franguntur. *Oseæ 9.* Ephraïm, vt vidi, Tyrus erat. Et 70. quasi scopulus durissimus. De iis insulis *Isa.41.* Taceant ad me, id est, mei comparatione, dicit Christus, insulæ.

10. *Reges Arabum.* Hîc tertium: Arabia enim *& Saba* regiones sunt optimis plenæ odoribus, quæ delectant carnem, & signant mundi abundantiam, & delectationes, quas qui sibi subiiciunt, tanquam reges veri sunt. *Dona adducent*, alios exemplo sui ad Deum conuertentes. *Isa. vlt.* Adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus in domo domini. Arabs enim interpretatur humilis. *Isa.14.* Non ponet ibi, id est, in mundo, tentoria Arabs, id est, humilis. *Saba* significat incensos charitate. *Zach. 12.* Ponam duces Iuda vt caminum ignis in lignis. Tales possunt Deo adducere munera. Tales adducunt munera, aurum sapientiæ, thus deuotionis, myrrham mortificationis carnis. Vel potest legi de regibus illis ad literam, qui de regionibus his Christo munera attulerunt. *Matth.2.*

11. *Et adorabunt eum.* Hîc secundum, in vnum colligit quod dixerat per partes. Et primò colligit omnes maiores sub dignitate Regum. Secundò minores sub apellatione gentium. *Omnes gentes.* Dicit enim: Sic & contemplatiui, & alij venerabuntur eum: & bene *omnes reges adorabunt eum.* Vel spirituales reges ipsos bene regentes. *Isa. 60.* Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Aperientur portæ tuæ tota die iugiter, & nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducentur. Ad quid? ad humiliter adorandum. *Isa.49.* Vultui n terra demisso adorabunt te.

Omnes gentes. Fit distributio pro generibus singulorum, id est, de omni genere gentium aliqui *seruient ei.* Vel gentes, minores, & alij subiecti. *Isa. 60.* Gens & regnum quod non seruierit tibi, peribit. *Sophon. 3.* Reddam populis labium electum, vt inuocent in nomine Domini. Modò seruitur pecuniæ à multis. *Ierem.6.* Ad maiore vsque ad minorem omnes auaritiæ student. *Eccles. 11.* Et pecuniæ obediunt omnia. Sed simul non possunt seruire Deo. *Matth.6.* Non potestis seruire Deo & Mammonæ.

Quia liberabit. Hîc secundum, in quo præmissa veneratione subiungitur de venerationis ratione. Hæc autem est liberatio pauperis à diaboli potestate: vnde dicuntur tria. Primò assignatur pro causa venerationis liberatio pauperis. Secundò subiungitur descriptio paupertatis. *Et pauperem.* Tertio modus liberationis, ibi, *Parcet pauperi.* Dicit ergo: Sic venerabuntur, quod & iustum erit: *quia liberabit*, vel liberauit: & sumitur præteritum pro futuro certitudine prophetali: *pauperem*, genus humaaum, quantum ad credentium populum. *Ioan.8.* Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis, qui per vos pauperes estis. *Psal.* Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea. Et hoc, *à potente*, dæmone scilicet. *Iob 40.* Non est potestas super terram, quæ ei valeat comparari. *Ierem. 31.* Liberauit Dominus Iacob, & liberauit eum de manu potentis. 12.

Et pauperem. Ecce secundum. Quasi diceret: Liberauit pauperem, *& pauperem* talem, cui non erat adiutor. *Ecclesiast. 51.* Anima mea appropinquans erat in inferno deorsum. Circundederunt me vndique, & non fuit qui adiuuaret. Pauper ad literam non habet adiutorem. Omnes illum oderunt. *Prouerb. 14.* Etiam proximo suo pauper odiosus erit. Et diuites deuorant eos tanquam potentiores. *Eccles.23.* Venatio leonis onager in eremo: sic pascua diuitum pauperes. Tamen Dominus liberabit eos. *Ezech. 34.* Liberabo gregem meum de ore eorum. *Pauperi non est adiutor.*

Parcet pauperi. Hîc tertium, in quo subiungit de modo liberationis, & ordine: & tanguntur quatuor. Primum est culpæ deletio. Secundum, gratiæ infusio ad culpam delendam, & bonum faciendum. Tertium, pœnarum relaxatio merito passionum, ibi, *Ex vsuris & iniquitate.* Quartum, sublimatio sic à culpâ & pœna ereptorum, ibi, *Et honorabile.* Dicit enim: Sic dixi, quòd liberauit pauperem, & hoc ordine, & hoc modo, *parcet pauperi* qui nihil boni habet, *& inopi* qui multo bono indiget, culpam relaxando. *Isa. 49.* Et pauperum suorum miserebitur. 13.

Et animas pauperum saluas faciet, in præsenti gratiam infundendo, quâ iusti sint faciendo

cientes bona,& fugientes mala. Suprà in *Pſal.* Et animas pauperum tuorum ne obliuiſcaris in finem. Et pleniùs in futuro & apertiùs. *Iſa.* 49. Sciet omnis caro, quia ego ſaluans te, & redemptor tuus fortis. Et perfectè reddens eis corpora glorificata, & ſuæ excellentiæ conformata. Ad *Phil.* 3. Saluatorem expectamus Dominum IESVM CHRISTVM, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori, &c.

14. *Ex vſuris & iniquitate.* Hîc eſt tertium beneficium, ſcilicet pœnarum relaxatio propter propriam paſſionem. Ait enim: Sic à peccatis eruet, & gratiam infundet, & etiam *redimet* proprio ſanguine, & pœna propriæ paſſionis, animas eorum ex vſuris, id eſt,ex pœnis inflictis pro peccatis, & ipſa peccata excedentibus, *& iniquitate* diaboli illas vſuras exigente. Eſt enim vſura aliquando dicta impropriè, omnis ſcilicet mutuatio, ſecundum illud *Prouerb.* 22. Qui accipit mutuum,ſeruus eſt fœnerãtis. Propriè dicta, & eſt mala vſura, cupiditatis, de qua in *Pſal.* Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram. *Ezech.* 18. Ad vſuram non commodauerit. Et pœnæ redditæ pro peccato, quia *Gregor.* dicit: Æternum quod cruciat, momentaneum quod delectat. De tali vſura hîc. Et vſura bona, adimpletio prædicationis auditæ. *Matth.* 25 Et ego veniens vtique accepiſſem quod meum eſt cum vſura. Et exhibitionis miſericordiæ ad proximum, de qua *Prouerb.* 19. Fœnerantur Domino qui miſerentur proximo. De ſecundis vſuris redimet. *Iſa.* 44. Reuertere ad me quia redemi te, non quocumque pretio ſed pretioſo ſanguine. 1. *Pet.* 1. Non enim corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis de veſtra vana conuerſatione, ſed pretioſo ſanguine, &c.

Vſura multiplex mala & bona.

Et honorabile. Hîc eſt quartum, ſcilicet ſublimatio, ne videretur quod propter hoc quod redempti ſunt, viles haberentur: ſerui enim redempti viles haberi ſolent. Ait enim: Sic redimet, *& nomen eorum*, redemptorum ſcilicet, *erit honorabile*, & ſi non coram hominibus, ſed *coram ipſo* Deo, quia ipſemet imponet nomen in illis. *Iſa.* 62. Vocabunt tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit. Sed quod eſt illud nomen? Nomen ſanctitatis. In eodem *Iſa.* Et vocabitur populus ſanctus redemptus à Domino. Nomen filiationis. *Sap.* 5. Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij:ecce quomodo computati ſunt filij Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Et 1. *Ioan.* 3. Videte qualem charitatem dedit nobis Deus vt filij Dei nominemur, & ſimus.

Nomen ſeruorum Dei honorabile.

Vel *honorabile nomen eorum coram ipſo*, non modo nunc, ſed in regno futuro, vbi ſcripta ſunt. *Luc.* 10. Nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis, in calculo candidiſſimo & durabili valde, ſinceriſſima Dei prædeſtinatione. *Apocal.* 2. Qui vicerit, dabo ei calculum, & in eo nomen ſcriptum, quod nemo ſcit,niſi qui accipit. *Iſa. pen.* Vocabit ſeruos ſuos nomine alio, in quo qui benedictus eſt ſuper terram, benedicetur in Deo. Amen. Et aduerte, quòd omnia iſta dicuntur de pauperibus *Luc.* 16. Lazarus nominatus eſt, non diues, &c.

Et viuet. Hîc ſecundum, in quo agitur de reuerentia & honore exhibito ipſi reſuſcitato ſpecialiter: & dicuntur duo ſicut ſuprà. Primò exhibitio multiplicis reuerentiæ. Secundò ratio exhibendi, ibi, *Erit firmamentum.* In prima duo. Primò ſuppoſitio vitæ ipſius per reſurrectionem, etſi videatur mortuus. Secundò exhibitio reuerentiæ viuenti, ibi, *Et dabitur.* Dicit ergo: Sic exhibebitur iſti reuerentia & honor vt dignum eſt, *&* etiam *viuet* reſuſcitatus à morte, etſi mori videatur. 2. ad *Corinth. vlt.* Si Chriſtus mortuus eſt ex infirmitate, viuit ex virtute. *Apocal.* 1. Ego ſum primus & nouiſſimus,ſum viuus,& fui mortuus. Viuet,inquam, æternaliter tanquam in ſemetipſo habens vitam. *Ioan.* 6. Ego ſum via, veritas, & vita. 15.

Et dabitur ei. Hîc ſecundum, exhibito operis, & reuerentia, & primò tangitur à quibus exhibebitur. Secundò qualis. *Et adorabunt.* Ait enim: Sic viuet, & viuo: *& dabitur ei de auro Arabiæ*, de mundi ſapientibus, qui aurum ſunt propter ſapientiæ claritatem, ſed Arabiæ propter mundi vanitatem: & conuertentur ad Chriſtum, facti pro eo iudicio mundi fatui. 1. ad *Corinth.* 1. Stultam fecit Deus ſapientiam mundi huius. Et in quarto: Qui vult ſapiens eſſe, ſtultus fiat vt ſapiens ſit.

Et nota, quòd ei qui viuit vita gratiæ, datur aurum Arabiæ. Arabia interpretatur Occidentalis. Datur ergo ſapientia de extremo vitæ: qui enim benè vixerit, bene morietur. *Iſa.* 38. Viuens vita naturæ, & vita gratiæ, ipſe confitebitur tibi in fine, & illuminabitur luce ſapientiæ æternæ. *Iob* 11. Cum te conſumptum putaueris, orieris vt lucifer. Et in eodem,quaſi meridianus fulgor conſurget tibi ad veſperum.

Et adorabunt. Hîc modus venerationis tangitur in duobus. In augmentatione corporis Chriſti per orationem,& benedictionem ipſius per gratiarum actionem. *Tota die.* Dicit ergo: Sic ad eum ſapientes conuertentur, *& adorabunt*, id eſt, ad ipſum orabunt, *ſemper*, temporibus & horis debitis. 2.ad *Theſſ. vltim.* Sine intermiſſione orate. Et hoc *de ipſo* augendo & multiplicando in membris, & in corpore ſuo: hoc enim docet *Matth.* 6. Orate, Adueniat regnum tuum. Et hæc eſt oratio multum placens Deo. *Ioan.* 4. Veri adoratores adorabunt patrem in ſpritu & veritate. Non ergo orabunt pro aliqua re temporali: quippe qui habet aurum Arabiæ, ſapientiam occidentalem, id eſt, mortis conſiderationem, contemnit omnia temporalia. *Hieronym.* Facile contemnit omnia temporalia,qui ſe ſemper cogitat moriturum: quod eſt Philoſophia optima, iuxta illud, ſumma philoſophia eſt continua mortis conſideratio.

Summa philoſophia eſt continua mortis conſideratio.

Tota die. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Augebunt quantum poterunt ipſum ſecundum ſuum corpus. *Et benedicent ei*, & verbo & vita gratias referendo, *tota die*, id eſt, continuè. *Abac.* 3. Laudis eius plena eſt terra. *Apocal.* 5. Dabant honorem & benedictionem ſedenti ſuper thronum, viuenti in ſæcula ſæculorum. Et 19. Laudem dicite Deo omnes ſancti eius,& qui timetis Deum puſilli & magni.

Et erit firmamentum. Hîc ſecundum, in quo ſubiun 16.

subiungitur ratio honorificentiæ, & probatio quòd verè sit honorandus. Primò propter beneficia suis in præsenti impertita. Secundò propter exhibenda in futuro. *Et florebunt.* In prima duo, secundum duo beneficia. Primum est adimpletio scripturarum & confirmatio. Secundum, suorum exaltatio. *Superextolletur.* Dicit ergo: Sic honorabitur, & hoc iustum, quia *erit firmamentum*, stabilis veritatis adimpletio in se: ipse, dico, existens *in summis montium*, id est, Apostolis, & aliis sanctis, qui summa montium dicuntur, quia super Prophetas, & Patriarchas, qui fuerunt montes. *Psal.* Firmamentum est Dominus timentibus eum, & testamentum ipsius, &c. Et super omnes montes est. *Isa.*2. Erit præparatus mons domus domini in vertice montium, &c.

Et erit firmamentum in terra, quia omnia propter terrenos scripta. Ad *Rom.*15. Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Propter hoc dicitur de scriptura *Prou.*13. Labium veritatis firmum erit in perpetuum: quia in montibus & in Christo fundatum, & ab ipso totum est adimpletum. *Matth.*5. Non veni soluere legem, sed adimplere. Sic prælatorum vita debet esse firmamentum doctrinæ illorum. *Luc.*22. Et tú aliquando conuersus confirma fratres tuos.

Superextolletur. Hîc secundum beneficium in præsenti. Quasi diceret: Sic firmabitur scriptura per ipsum, *& fructus eius*, Regis scilicet cui petij dari iudicium, filij scilicet eius, *extolletur super Libanum*, id est, super cedros Libani, ad literam, quia iam cœlestes sunt conuersatione. *Phil.*3. Conuersatio nostra in cœlis est. Et tandem te adhuc plus extollentur, quando in cœlo collocabuntur. *Isa.*58. Extollam te super altitudinem nubium, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. Et iterum: Super altos mundi extollentur, quia illi confringentur ab illis sanctis. Suprà in *Psal.* Confringet Dominus cedros Libani. Et si exaltantur mali, modicum, & nihil est. *Sap.*4. Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, nec stabile fundamentum collocabunt.

Et florebunt. Hîc bonum in futuro exhibendum. Quasi diceret: Sic exaltabitur fructus, id est, filij, *de ciuitate*, Ecclesiæ, supple, *florebunt* æterna redolentia & nitore. *Psal.* Iustus vt palma florebit in domo Domini. Idem enim flos & fructus. *Eccles.*24. Flores mei, fructus honoris & honestatis. Fructus propter vtilitatem, quia multis sunt vtiles, docendo, prædicando, pro eis orando. Flores propter pulchritudinem. Et hoc *sicut fœnum terræ*, id est, sicut herba. *Isa.*58. Et ossa nostra sicut herba germinabunt. Hanc floritionem desiderabat *Eccl.*39. Florete flores quasi lilium, & frondete in gratiam.

17. *Sit nomen eius benedictum.* Hîc est secunda pars totius huius Psalmi, secundum diuisionem superius factam. Postquam enim egit de pacifico & potentissimo regimine Christi, subiungitur ipsius benedictio in gratiarum actionem eorum quæ dicta sunt. Et primò monet omnes ipsum benedicere generaliter. Secundò ipsemet benedicendi exemplum præbet, benedicens ipsum. *Benedictus Dominus.* In prima duo. Primò admonitio. Secundò ratio admonitionis, ibi, *Ante solem.* Dicit ergo: Sic veniet, vt prædixi, Rex filius Regis, & ea quæ prædixi, faciet: & propter hoc, *sit nomen eius*, ad literam, *benedictum* ab omnibus *in sæcula*, non tantum in vno sæculo. Vel ita: Sic rogaui patrem, & sic faciet, & propter hoc, *sit nomen eius*, Patris scilicet, hoc est, filius, qui nomen est Patris, & notificat Patrem sicut nomen notificat hominem. Hoc est nomen, de quo *Isa.*30. Ecce nomen Domini venit de longinquo. *Prou.* 30. Quod nomen eius, quod nomen filij eius, si nosti.

Ante solem. Hîc secundum, in quo subiungitur multiplex ratio, quare acquiescendum est admonitioni, & tangitur triplex. Primò æternitas. Secundò vtilitas. *Et in ipso benedicentur.* Tertiò sublimitas, siue dignitas. *Omnes gentes.* Dicit ergo: Sic sit nomen eius benedictum, & dictum est, quia *ante solem permanet*, in esse vero & completo, *nomen eius*: nec mirum, quia per ipsum omnia facta sunt. *Ioan.*1. Per ipsum facta sunt, & maxime sol. *Psal.* Tu fabricatus es auroram & solem. *Eccles.*24. Egò feci vt in cœlis oriretur lumen indeficiens. *Prou.*8. Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram. *Triplici de causa benedicendus Deus.*

Et benedicentur in ipso. Hîc secundum, scilicet vtilitas. Quasi diceret: Sic æternus est, & etiam *in ipso benedicentur*, non in alio, *omnes tribus terræ.* Ipse enim est de quo dictum est Abrahæ. *Genes.*22. In semine tuo benedicentur omnes gentes, illa benedictione, de qua *Matth.*25. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, &c. Et *Ephes.*1. Benedixit nos in Christo benedictione spirituali in cœlestibus. Et non tantum benedicetur tribus vna, sed *omnes tribus*, id est, de qualibet tribu aliqui. *Apoc.*14. Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus tribubus & gentibus & linguis, sedentes ante thronum.

Omnes gentes. Ecce tertium. Quasi diceret: Sic benedicendus, quia æternus, & vtilis, & magnæ dignitatis. *Et omnes gentes*, de omnibus gentibus aliqui *magnificabunt eum. Apocal.* 15. Quis non timebit te Domine, & non magnificabit nomen tuum? quoniam omnes gentes venient & adorabunt eum in conspectu tuo. Quis enim audiens, quod in Christo benedicentur omnes, non magnificet & beatificet ipsum. *Iob* 29. Auris audiens beatificat me. *Eccles.vlt.* Danti mihi gratiam, dabo gloriam. A simili, danti mihi benedictionem, dabo magnificentiam. Propter hoc illa benedicta, cui dictum est *Luc.*1. Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, intulit statim: Magnificat anima mea Dominum.

Benedictus Dominus. Hîc secundum secundæ partis huius Psalmi. Postquam enim quasi inuitauit ad benedicendum Deum, & nomen eius generaliter, præbet se in exemplum, & benedicit ipsum, & nomen eius prænuntians eius futuram gloriam, & deprecans vt impleatur quod præuidetur: & secundum hoc dicuntur tria. Primò benedicit. Secundò prædicit mundum replendum eius gloria, ibi, *Et replebitur.* Tertiò petit, quod sic sit, ibi, *Fiat, fiat.*

In prima duo. Primò benedicit naturæ diuinæ. Secundò eius gloriæ vel famæ, ibi, *Et benedictum nomen eius.* In prima duo. Primò benedicit. Secundò rationem ſubiungit, quare benedicendus. *Qui facit.* Dicit ergo: Sic monui benedicere Dominum, & ipſe dico: *Benedictus Dominus*, non quicumque, ſed *Deus Iſrael.* Et addit ſtatim cauſam, quare debet benedici: *qui facit*, id eſt, quia ipſe facit, *mirabilia ſolus.* Contrà: Imò multa mirabilia fecerunt ſui ſemper, & faciunt quotidie. *Ioan.16.* Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet. Reſp. Solus facit authoritate, quicumque faciat miniſterio: quicumque enim facit, in ipſo Deus facit. Alibi in *Pſal.* Tu es Deus qui facis mirabilia. *Ioan.15.* Si opera non feciſſem in eis, quæ nullus alius fecit, peccatum non haberent. *Iob 9.* Qui extendit cœlos ſolus, & fecit mirabilia abſque numero.

19. *Et benedictum nomen maieſtatis eius.* Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic benedictus ſit in ſe, & etiam *nomen maieſtatis eius*, hoc eſt, fama, & gloria maieſtatis eius, *ſit benedictum. Ezechi.3.* Benedicta gloria Domini de loco ſuo. *Tob.4.* Benedictum nomen tuum Deus patrum noſtrorum. Hoc eſt illud nomen, de quo *Cant.1.* Oleum effuſum nomen tuum: non enim ſine maieſtate eſt filius, quamuis apparuerit in terris humilis & abiectus. *Iſa.6.* Et domus repleta eſt maieſtate eius, id eſt, Chriſti, ſed tandem apparebit. *Luc.21.* Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli, cum poteſtate magna & maieſtate.

Et replebitur. Hîc prædictio. Quaſi diceret: Sic ſit nomen maieſtatis eius benedictum: *& replebitur* tandem *maieſtate eius*, gloria ſcilicet eius, *omnis terra. Iſa.6.* Repleta eſt terra gloria eius. Hoc in ſecundo aduentu quando fiet illud *Matth.24.* Sicut fulgur erit ab Oriente, & patet in Occidentem, ſic erit aduentus filij hominis, vt omnes impleantur eius glorioſiſſima maieſtate. Sed terribili maieſtate eius repleti erunt mali, ſed dulci boni. 1. ad *Cor.15.* Deus erit omnia in omnibus. In malis, maieſtas terribilis: in bonis, iocunda & amabilis, quia replebit eos cum gaudio. *Ioan.16.* Petite & accipietis, vt gaudium veſtrum impleatur. *Pſal.* Qui replet in bonis deſiderium tuum.

Fiat, fiat. Ecce tertium, in quo petit ſic fieri, & repetitur petitio ad oſtendendum feruorem deſiderij in petente, quod concedat qui eſt benedictus per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

IN LXXII. PSALMVM.

Defecerunt laudes Dauid filij Ieſſe. Pſalmus Aſaph.

1. QVam bonus Iſraël Deus. Hic eſt Pſalmus 72. in toto libro, in ſecunda autem parte 22. Cum enim in præcedenti Pſalmo actum ſit de mediatore Dei & hominum Chriſto IESV ſecundum naturam vtramque, & ſecundum eius regiam dignitatem, & honorificentiam ei ab omnibus exhibendam tanquam vero regi omnium & rectori, ne forte cerderet aliquis eum non rectè regere mundum, quia in eo malis proſpera, & bonis aduerſa tribuit. Et rurſus, ne credatur ei propter temporalia ſeruiendum ſicut ſeruiebatur antiquitùs. *Iſa.1.* Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis, obuiat Pſalmus iſte oſtendens rationem, quare malis temporalia conferuntur, & à bonis ſubtrahuntur, & quod Deo ſolum pro bonis æternis, non iam pro temporalibus ſeruiendum. Quod notatur ſatis latenter in titulo Pſalmi, ſecundum *Auguſt.* qui talis eſt: *Defecerunt laudes vel hymni Dauid filij Ieſſe. Pſalmus Aſaph*: ad cuius intelligentiam primò notandum, quòd Aſaph non accipitur hîc propriè pro illo, qui inter cantores templi de principalioribus erat, ſicut habetur 1. *Paral.15.* & 25. ſed ratione interpretationis: interpretatur enim congregatio, vel collectio, & ſignat bonos de populo Iudæorum, in vnitatem fidei & charitatis collectos, ſecundum illud *Act.4.* Erat illis cor vnum, & anima vna: qui tanquam vnus loquuntur in illo Pſalmo.

Pſalmus oſtendit non eſſe impoſterum ſeruiendum Deo pro temporalibus.

Aliud eſt notandum, quod Dauid appellatur aliquando, imò ferè ſemper ſimpliciter, & nullo addito, & ſignat tunc Chriſtum, vel quemlibet virum iuſtum, qui ſi non ſit filius Dei per naturam ſicut Chriſtus eſt, tamen eſt per gratiæ adoptionem, iuxta illud in *Pſal.* Ego dixi: Dij eſtis, & filij Excelſi omnes. Rarò autem, ſicut hic, dicitur filius Ieſſe, qui ad literam carnalis eius pater fuit. 1. *Reg.16.* Et ſignat tunc carnalem populum Iudæorum, vel aliquem de populo ſuo, qui Deo pro temporalibus antiquitus ſeruiebat.

Senſus ergo tituli eſt: Hic *Pſalmus* eſt, id eſt, competit, *Aſaph*, id eſt, iuſtorum collectioni, vel congregationi, agens de hoc quod *defecerunt laudes vel hymni.* Hymnus enim plus dicit quam laus, quia hymnus laus eſt, & Dei laus eſt cum cantico. *Dauid filij Ieſſe*, hoc eſt, Dauid ſecundum quod accipitur pro populo carnali pro temporalibus ſeruiente. Quaſi diceret: Oſtendit hic Pſalmus, quod iam Deo non pro temporalibus eſt ſeruiendum, ſicut antiquitùs, ſed defecit antiqua carnalium expectatio, noua ſuccedente, in qua pro ſpiritualibus & æternis bonis Deo ſeruitur.

Diuiditur autem Pſalmus in tres partes, quanquam *Gloſſa* diuidat aliter aliquantulum. Primò enim commendatur breuiter diuina bonitas. Secundò monſtratur humana infirmitas, quæ ſcandalizatur in malorum proſperitate, ibi, *Mei autem penè moti ſunt pedes.* Tertiò arguitur hominum peruerſa cupiditas, qui relicto bono æterno, ad quod creati ſunt, & in quo quodammodo iam ſunt, ad infima & terrena conuertuntur, ibi, *Quid mihi eſt in cœlo.* In prima duo. Primò exclamando diuina bonitas oſtenditur magna. Secundò quibus tam magna ſit, ſpecificatur. *Ab his qui.* Dicit ergo: *Quam bonus*, id eſt, valdè bonus, & ſuauis & iocundus, *Deus Iſraël*, non res ſuæ, ſicut mihi antiquitùs videbatur, dicit Aſaph. Verum dicit: bonus enim Deus Pater. *Naum 1.* Bonus dominus, & confortans in die tribulationis.

tionis. Bonus Deus Filius. *Ioan.* 10. Ego sũ pastor bonus. Bonus Deus Spiritus sanctus. *Sap.* 12. O quam bonus & suauis est spiritus tuus in bonis!

Deus vbique bonus. Et nota, quòd Deus est bonus in essentia. *Matth.* 19. Nemo bonus nisi solus Deus. In creatione, quia non creauit nisi bona. *Gen.* 1. Vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Bonus in patienti peccatorum expectatione. Ad *Roman.* 2. An diuitias bonitatis eius contemnis? Bonus in iustificatione. Ad *Roman.* 11. Vide bonitatem & seueritatem eius: bonitatem in vocatis, & seueritatem in reprobis. Bonus in promotione iustificati. *Psal.* Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Bonus in glorificatione. Ad *Ephes.* 2. Consedere nos fecit in cœlestibus in Christo, vt ostenderet in superuenientibus sæculis diuitias gloriæ suæ in bonitate.

Sed tam bonus, quibûs? *His qui recto sunt corde*, non corpore tantum, hoc est, amantibus & exquirentibus se. *Cant.* 1. Recti diligunt te. Qui autem sunt recti, dicit *Augustin.* Rectum habent qui hoc volunt quod vult Deus. His bonus. *Thren.* 3. Bonus est Dominus sperantibus in se, animæ quærenti illum. Intantum bonus his, vt dicat *Augustin.* Tantum bonus est Deus, vt nemini eum deserenti bene sit.

2. *Mei autem penè.* Hîc est secunda pars Psalmi, in qua exprimitur humana infirmitas, quæ in malorum prosperitate scandalizatur in videndo: & dicuntur duo. Primò, quòd impiis prosperantibus ferè inuiderit. Secundò quid ex eorum impietate & prosperitate secutum sit, ibi, *Ideò conuertetur.* In prima duo. Primò, quòd fere propter zelum malorum prsperantium corruerit à Dei gratia. Secundò prosperitatem & malitiam describit, ibi, *Quia non est respectus.* In prima duo. Primò, quòd à Dei gratia ferè corruerit. Secundò causam ruinæ ostendit, inuidentiam scilicet prosperitatis malorum, ibi, *Quia zelaui.* In prima duo. Primò, quòd ferè inductus sit in errorem. Secundò, quòd in culpam, ibi, *Penè effusi.* Dicit ergo: Sic verè bonus est Deus, vt nunc percipio, sed in imperfectiori statu, *penè* moti sunt à statu veritatis, *pedes mei*, in errorem lapsi, contra illud *Eccles.* 10. Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. Et rursum *Eccles.* 11. Sta in testamento tuo. *Psal.* Si dicebam, Motus est pes meus, misericordia tua Domine adiuuabat me.

Pene effusi sunt gressus mei, meæ voluntates, inclinationes ad culpam laxatæ. *Cassiodor.* Pedes arbitrium mentis, gressus inclinatio voluntatis. *Iob* 31. Nonne ipse omnes vias meas considerat, & omnes gressus meos dinumerat? *Thren.* 1. Subuersum est cor meum in meipso. Vix enim non videntibus veritatem, sed adhuc temporalia cernentibus cum desiderio potest contingere, quin scandalizentur in prosperitate malorum, & iudicent Deum peruersum. *Augustin.* Sicut sol habenti oculos puros tranquillus apparet, in oculos autem lippos quasi tela aspersa iaculatur lux, & nec sic mutatur, ita cum cœperis esse peruersus, & Deus peruersus tibi videbitur. Erit ergo pœna malis, quod est gaudium bonis.

Quia zelaui. Hîc secundum, in quo ostendit ruinæ causam, scilicet inuidentiam de prosperitate: & dicuntur tria. Primò, quòd inuidit. Secundò quibus. *Super iniquos.* Tertiò quarè. *Pacem.* Dicit ergo: Sic penè rui à statu diuinæ gratiæ. Quare? *Quia zelaui*, inuidendo, grauiter ferendo. Quibus? *Super iniquos*, contra illud suprà in *Psal.* Noli æmulari in malignantibus. Et *Eccles.* 9. Ne zeles gloriam & opes peccatoris. Et quare? *Pacem pecatorum videns.* *Prosperitas peccatorum.* Isti sunt quos dixit iniquos. *Pacem.* Contrà: In pace non possunt esse. *Isa.* 57. Non est pax impiis, dicit Dominus: Respons. Est pax interior, scilicet tranquillitas mentis de qua *Ioan.* 14. Pacem relinquo vobis, &c. Et pax exterior, securitas in peccato & mundi vanitate, de qua loquitur hîc. *Iob* 21. Domus eorum securæ sunt & pacatæ. Hæc est misera pax, de qua *Matt.* 10. Non veni pacem mittere, sed gladium. Hæc pax multam mouet intrinsecus turbationem. *Cassiodor.* Pax ista cum conscientia semper litigat, rixatur intrinsecùs: & cum hostem non habeat, secum ipsa decertat. *Pax interior & exterior.*

Sed hîc est dubitatio, quomodo cum inuidit, non omnino gressus effusi sunt? Et est Resp. quod sanctis si aliquando subrepat culpa, etiamsi mortalis sit, tamen quia citò redeunt ad diuinam gratiam, quasi non reputatur casus. *Cassiodor.* Vnde intelligimus & sanctis viris cogitationes prauas frequenter surripere, sed iterum in sanitatem pristinam eos reuerti.

Vel dic: *zelaui*, id est, ad zelandum concussus & motus fui: sed sic loquitur mallens aggrauare culpam, quàm excusare. *Gregor.* Cum malos florere infirmi conspiciunt, trepidant, & peccantium sospitate turbati, intus gressibus mentis nutant.

Quia non est respectus. Hic secundum, in quo prosperitatem & malitiam describit, per quam ferè corruit. Et primò describitur ab ipso prosperitas malorum. Secundò iniquitas prosperantium. Et primò monstratur causa secundi, ibi, *Ideo tenuit eos.* In prima duo. Primò quasi euasio ipsorum ab incommodo maiori. Secũdò plagarum curatio velox si fuerint illatæ. *Et firmamentũ.* Dicit ergo: Sic fere corrui propter eorum pacẽ. Sed nunquid habent pacem? Ita verè. *Quia non est respectus*, pronitas quædam, *morti eorum*, id est, ad moriendum eis. Vnde alia litera habet, *Inclinatio mortuorum.* *Iob* 21. Ducunt in bonis, in sanitate & lasciuia, dies suos. Nec est etiam respectus in eis ad mortem, vt de ipsa cogitent. *Thren.* 1. Sordes eius in pedibus eius, nec est recordata finis sui: contra illud *Eccles.* 7. Fili memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. *Prouerb.* 28. Viri impij non cogitant iudicium.

Et firmamentum, id est, duratio, non est, supple, *in plaga eorum*, imò si plagantur, statim curantur. *Iob* 21. Et non est virga Dei super illos, vt aliquid duret. Aliter etiam potest legi, vt monstretur quare in pace dimittantur, sic: Bene dixi, quòd pacem habent iniqui, & hoc permittit Deus, *quoniam non est declinatio mortis eorum*, quæ eos expectat, sed semper durabit: æterna enim est. *Isa. vltim.* Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. *Matth.* 25. Ite Maledicti in ignem æternum.

Et

Et firmamentum, erit ſupple, *in plaga eorum:* quia plaga eorum multum erit firmata, vt non poſſint ſanari. Nec plaga culpæ, quia volunt ſemper mala. *Ierem.* 30. Inſanabilis fractura tua, peſſima plaga tua. Nec plaga pœnæ. *Iſa.* 30. Et erit tranſitus virgæ fundatus.

Aſpectus Dei cauſa ſalutis.

Vel poteſt legi de morte peccati & plaga. Quaſi diceret: In plaga dimittuntur, quia non eſt reſpectus diuinæ miſericordiæ, de quo *Sapient.* 4. Et reſpectus in electos illius, quo reſpexit Matthæum *Matth.*9. & Petrum *Luc.* 22. Dicitur, quòd eſt quædam auis nomine Kalandra, quæ ſi auertit oculos ab infirmo, ſignum eſt mortis: ſi conuertit, ſignum eſt vitæ. Sic Chriſto auertente ſe à nobis, morimur. *Pſal.* Auertente autem te faciem tuam, turbabuntur, auferes ſpiritum eorum, & deficient, &c. Sed conuertente viuificabuntur. *Pſal.* Tu conuerſus viuificabis nos.

Et firmamentum, eſt ſupple, *in plaga eorum*, ſolidata, ſcilicet eſt & firmata plaga culpæ: vt mors & plaga idem ſcilicet peccatum appellentur. *Luc.* 10. Plagis impoſitis abierunt ſemiuiuo relicto. Has plagas non curat etiam Deus aliquando, nec ad mortem reſpicit ex indignatione magna, ſed dimittit animam miſeram peccare ad libitum ſuum. *Ezech.* 16. Tibi non iraſcar amplius: zelus enim meus receſſit à te. Ad *Rom.*1. Tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, vt faciant quod non oportet.

5. *In labore hominum.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit, quod etiam minora incommoda non incurrent, vel libenter & voluntariè aſſumpta, vel violenter impoſita. *Et cum hominibus.* Dicit enim: Sic euadunt mortem, vt etiam plagæ, ſi quæ ſunt, velociter tranſeant, & etiam *in labore hominum non ſunt.* Multi iniqui certè, nec aliqui in labore hominum qui verè ſunt homines, ſcilicet, ſanctorum. *Iob* 5. Homo natus ad laborem, & auis ad volatum. Et in *Pſal.* Labores manuum tuarum quia manducabis, &c. Vnde etiam non ſunt digni cibo. 2. ad *Theſſ.*2. Qui non laborat, non manducet. Multò fortius de fructu illo, de quo *Sapient.*5. Bonorum laborum glorioſus eſt fructus.

Et cum hominibus non flagellabuntur, id eſt, cum ſanctis qui verè homines dicuntur, quia rationem habentes, & ratione vtentes. *Iob* 33. Reſpiciet homines & dicet: Peccaui, & verè deliqui. Quos Dominus flagellat aliquando breui flagello ad correctionem. *Hebr.* 12. Quem enim diligit Dominus, caſtigat, flagellat autem omnem filium quem recipit. *Bernar.* Cum hominibus non flagellabuntur, ſed cum dæmonibus.

6. *Ideò tenuit eos.* Hîc ſecundum. Tacta enim malorum proſperitate, ſubiungitur de ſuperaddita iniquitate. Primò cordis. Secundò operis, ibi, *Prodiit quaſi ex adipe.* Tertiò ſermonis vel oris, ibi, *Cogitauerunt & loquuti ſunt nequitiam.* In prima duo. Primò tangit cordis eorum malitioſam ſuperbiam. Secundò oſtendit malitiæ ſuperabundantiam & diuerſitatem, ibi, *Operti ſunt.* Dicit ergo: In tanta pace & ſecuritate ſunt, *ideò tenuit os ſuperbia.* Benè dicit, *Ideò*, quia aduerſitas ſuperbiæ ſpiritum conſumit, & quaſi ebibit. *Iob* 6. Sagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum. Bene autem dicit, *tenuit*, quia ſuperbia ligat miſerum tanquam funis. *Prouerb.* 5. Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur. *Oſeæ* 4. Ligauit eum ſpiritus ſuperbiæ in alis ſuis. Et propter hoc dicitur *Iſa.* 24. Formido & fouea & laqueus ſuper te, qui habitator es terræ: formido auaritiæ, fouea luxuriæ, & laqueus ſuperbiæ. Et bene à ſuperbia incipit, de qua *Tob.*4. Superbiam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo, nunquam dominari permitte: in ipſa enim ſumpſit initium omnis perditio. *Eccleſiaſt.* 20. Initium omnis peccati ſuperbia.

Mala qua ex temporali proſperitate conſequũtur.

Operti ſunt. Hîc malitiæ & iniquitatis interioris abundantia, & primò comparatione ad proximum. Secundò comparatione ad Deum. *Et impietate.* Ait enim: Sic tenet eos ſuperbia, & etiam *operti ſunt:* abundantiam notat: *iniquitate ſuâ*, contra proximum, *& impietate*, contra Deum. Mala camiſia iſta, & de mala tela. *Iſa.*59. Telas araneæ texerunt ad faciendum ſibi operimentum. Sed tandem deſtruetur. *Iſa.*25. Præcipitabit Dominus mortem in ſempiternum, & telam quam orditus eſt ſuper nationes, id eſt, ordiri permiſit. Hæc eſt vnica partita iniquitate, & impietate, tunica leproſi ex diuerſis conſuta *Leuit* 23. *Iudus in Canon.* Abiicientes eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicam.

Prodiit quaſi ex adipe. Hîc tangitur malum in exitu operis: & dicuntur duo. Primò mali propalatio. Secundò facilis malorum inculcatio. *Tranſierunt.* Ait enim: Sic ſunt ſuperbi impij & iniqui, nec tantum in corde, imò *iniquitas eorum prodiit* in publicum per exteriorem operationem. *Iſa.* 3. Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt. 7.

Tranſierunt. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic exteriùs oſtenditur, & poſtea *tranſierunt* de peccato in peccatum, de vitio in vitium, ipſi, dico, tendentes, *in affectu cordis*, vt faciant quicquid eis concupiſcentia ſuggeret, contra illud *Eccleſiaſt.* 18. Fili poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere.

Et notandum hîc, quòd quidam putant, quod multo minor eſt culpa, quæ ſurgit ex infirmitate & ignorantia, quam illa quæ ſurgit ex rerum abundantia. *Auguſt.* Magis peccat qui ex adipe peccat, quàm qui ex infirmitate & defectu. Et *Caſſiod.* Pingue eſt, validumque peccatum, quod arbitrio magis quam neceſſitate committitur.

Et ſunt hîc notanda mala, quæ facit rerum abundantia. Primò facit abiicere pœnitentiam. *Oſeæ* 9. Ephraim, frugifer qui abundat in fructibus, quaſi auis auolauit. Inducit curioſam & prohibitam ſollicitudinem. *Oſeæ* 9. Ephraim, vt vidi, Tyrus erat. Tyrus interpretatur anguſtia: qui enim plus abundat, plus anguſtiatus eſt, & ſollicitus eſt: contra illud *Matth.*6. Nolite ſolliciti eſſe. *Prouerb.*11. Spes ſollicitorum peribit. Generat vanam confidentiam. 1. ad *Timoth.* 6.

Diuitibus

Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere, nec ſperare in incerto diuitiarum. Quia *Prouerb.9.* dicitur: Qui confidit in diuitiis ſuis, corruet. Negligentiam ad omne bonum ſpirituale. *Iſa.58.* Viam manus tuæ inueniſti, propterea non rogaſti. *Luc.12.* Anima mea habes multa bona repoſita in annos plurimos, quieſce, bibe, &c. Mortis timorem. *Eccleſ.42.* O mors, quàm amara eſt memoria tua homini habenti pacem in poſſeſſionibus ſuis. Inordinationem & petulantiam. *Deuter.32.* Incraſſatus eſt dilectus meus, & recalcitrauit, ſicut equus indomitus. Mandatorum Dei tranſgreſſionem. *Ierem.5.* Impinguati ſunt, & ditati, & præterierunt ſermones meos peſſimè. Diſcordiam & rixam. *Geneſ.13.* Erat ſubſtantia eorum multa, & non poterant habitare communiter, & facta eſt rixa inter paſtores Abraham, & Loth. *Deuter.penultim.* Dan fluet largiter ex Baſan. Dan cauſat Baſam, pinguedo luxuriam. *Ierem.5.* Saturaui eos & mœchati ſunt, in domo meretricis luxuriabantur. Ingratitudinẽ. *Iſa.45.* Accinxi te, diuitiis & poteſtate: & non cognoſti me, gratias referendo. *Oſeæ 7.* Erudiui eos, & confortaui brachia eorum, & in me cogitauerunt malitiam. Obliuionem. *Oſe.13.* Adimpleti ſunt, & ſaturati diuitiis, eleuauerunt cor ſuum, & obliti ſunt mei. Et tandem contemptum. *Iob 15.* Cucurrerunt aduerſum Deum extento collo. Et ibidem, Operuit faciem eius craſſitudo, &c. Et timorem mundanum. *Iob 15.* Sonitus terroris in auribus eius, & cum pax ſit, &c.

8. *Cogitauerunt & locuti.* Hîc tertium, in quo ſubiungitur de iniquitate oris: & dicuntur duo ſecundum duas iniquitates oris vel ſermonis. Primò, quòd ſermo eorum eſt nequitiæ. Secundo, quòd blaſphemiæ. *Poſuerunt in cœlum.* In prima tria. Primò modus ſermonis mali proferendi. Secundò loquutio præmeditati. *Et locuti ſunt.* Tertiò exceſſus in modo proferendi. *Iniquitatem.* Dicit ergo: Sic peccauerunt corde & opere, & etiam *cogitauerunt*, præmeditando priùs vt grauiùs peccarent ex deliberatione: & ſic *locuti ſunt nequitiam. Prouerb.27.* Nequitiæ ſunt in corde eius: quia ſpiritus nequam intrant illud. *Luc.11.* Tunc vadit & aſſumit ſeptem ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi. Et poſt exeunt per ſermonem, tanquam erumpens fœtor de ſepulchro. *Pſal.* Sepulchrum patens eſt guttur eorum. *Epheſ.4.* Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat.

Iniquitatem. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Loquuntur nequitiam, ſed forte ſubmiſsè? Non, imò *iniquitatẽ in excelſo loquuti ſunt*, vt poſſit à pluribus audiri. *Eccl.12.* Diues iniuſtè egit, & fremebit. Et rurſus *Prou.18.* Cum obſecrationibus loquitur pauper, diues autem effabitur rigidè. Et ſic loquens in *excelſo* nequitias, alios deædificat 1.ad *Corinth.25.* Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Vel, *In excelſum*, ſecundum aliam literam: & tunc eſt ſenſus: *In excelſum*, contra *Excelſum*; Deum ſcilicet. *Iob 12.* Audacter prouocant Deum, cum omnia dederit in manus eorum. *Dan.7.* Et ſermones contra Excelſum loquetur.

9. *Poſuerunt in cœlum.* Hîc oſtenditur peccatum blaſphemiæ, & tangitur culpa. Secundò culpæ vehementia. *Et lingua eorum.* Dicit enim: Sic nequitiam præmeditati, dixerunt, etiam, quod deterius, *poſuerunt in cœlum os ſuum*, id eſt contra cœlum, Deum blaſphemando, ipſi obloquendo contra illud *Exod.22.* Blaſphemia, quæ ponit in cœlo os ſuum. Ponit autem os in cœlum, qui contra Deum murmurat, ſicut illi de quibus in *Pſal.* Si verò non fuerint ſaturati, & murmurabunt. Qui Dei potentiam negat, ſicut alij qui dicebant, Nunquid poterit panem dare, aut parare menſam populo ſuo? Qui terrena eum regere non exiſtimat, & nec affirmat, de quibus 22. Nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat: contra illud *Pſal.* Qui plantauit aurem, non audit, qui finxit oculum, non conſiderat? Qui impunitatem ſibi & aliis peccatoribus promittit, & ſperat, ſicut illi, de quibus *Ierem.6.* Dicentes, Pax, pax, & non erit pax: quia 2.ad *Theſſ.4.* Cùm dixerint, Pax & ſecuritas, tunc repentinus ſuperueniet illis interitus, &c. Qui de Dei maieſtate malè ſentiendo blaſphemat dicendo Filium minorem Patre, & Spiritum ſanctum, quemadmodum Arrianus, contra illud *Ioan.10.* Ego & Pater vnum ſumus.

Qui dicuntur os ſuum ponere in cœlum.

Et lingua eorum tranſiuit, naturæ metas. Ecce vehementia peccati. *In terra*, vel *ſuper terram.* Alia litera, *Manens ſuper.* Ecce quàm longa lingua, quæ de terra attingit vſque ad cœlum. *Sap.18.* Stans in terra vſque ad cœlum attingebat. Vel *lingua eorum tranſiuit*, id eſt, mutata eſt: *terra*, id eſt, tota facta eſt terrena. *Iſa.29.* De terra loqueris, & de humo viſitabit eloquium tuum. *Ioan.3.* ſecundum communem literam: Qui de terra eſt, de terra loquitur.

10. *Ideò conuertetur.* Hîc ſecunda pars totius Pſalmi, in qua poſt oſtenſam impiorum proſperitatem, & prodeuntem inde iniquitatem, ſubiungit tandem vtilitatem inde in bonis conſecutam, & primò in ſuis. Secundò in ſe, ibi, *Et dixi: Ergo.* In prima duo. Primò, quòd per hoc boni, & qui verè ſunt de congregatione, ad Deum conuertentur. Secundò vnde conuertentur. *Et dixerunt: Quomodo ſcit Deus.* In prima duo. Primò, quòd conuertentur in præſenti. Secundò, quòd fructum aſſequentur in futuro. *Et dies pleni.* Dicit ergo Aſaph, quod interpretatur congregatio vel collectio. Sic mali proſperitate deteriorantur. Et ideò, *populus meus*, hoc intelligens & audiens, *conuertetur hic*, id eſt, in eadem ſententia mecum, quod proſperitas non eſt curanda: vel *hîc*, in præſenti vita adhuc exiſtens, & non expectans vſque in alia vita, ſecundum illud *Eccleſ.5.* Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem, acquieſcens conſilio *Eccleſ.17.* Conuertere ad Dominum, deprecare faciem eius, & minue offendicula. Bene dicit autem, quòd *ideo conuertetur*, magna enim ratio conuertendi ad Deum, eſt cognitio malitiæ diuitum. *Eccleſ.* Cum vidiſſem in omnibus vanitatem, conuerti me ad contemplandum ſapientiam. *Naum 3.* Omnis qui viderit te, reſiliet à te.

Qua elicitur viſa malorũ proſperitate & iniquitate.

Et dies pleni. Hîc præmium conuerſionis. Quaſi diceret conuertentur, & hoc *dies pleni*, dies

dies ſcilicet æternitatis, qui perfecti ſunt. *Prou.* 4. Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens proficit, & creſcit vſque ad perfectum diem. Vel *dies pleni*, non vacui, etiam in præſenti, ſicut in illis qui nihil boni faciunt, de quibus *Iob* 7. Ego habui menſes vacuos, & noctes laborioſas enumeraui mihi. Iuſti enim dies plenos habent in iudicio, in die ſcilicet mortis. *Inuenientur in eis. Iob* 5. Ingredieris in abundantia ſepulchrum. *Iob vlt.* Et mortuus eſt ſenex, & plenus dierum. Vniuſcuiuſque enim vita in fine ponderatur, ſi plena ſit bonis, vel vacua. *Dan.* 5. Appenſum eſt in ſtatera, & inuentum eſt minus.

Vel ſic: Dico quòd populus meus conuertetur, ad hoc vt ſentiat, prædicet, & doceat: & hoc, *quoniam dies pleni*, dies ſcilicet gratiæ & aduentus filij Dei, *inuenientur in eis. Galat.* 4. Quando venit plenitudo temporis, miſit Deus, &c. Tunc enim omnia contemnere Chriſtus docebit. *Matth.* 5. Beati pauperes ſpiritu. Et 19. Vade, & vende, &c. Et in eodem: Dico vobis, quòd vos qui reliquiſtis omnia, &c.

11. *Et dixerunt: Quomodo.* Hîc ſecundum, in q o oſtendit vnde conuerſi: quia à falſa æſtimatione diuinæ pietatis, & ſapientiæ: vnde dicuntur duo. Primò ponit eorum verba de Dei ſapientia, quaſi dubitationem exprimentia. Secundò ipſam quaſi probantia, ibi, *Ecce ipſi peccatores.* In prima duo. Primò ponit verba de modo ſciendi, dubitationem exprimentia. Secundò de ſcientia ipſa. *Et ſi eſt ſcientia.* Dicit ergo: Sic populus conuertetur, ſed vnde? Ecce: *Et dixerunt*, ante conuerſionem: *Quomodo ſcit Deus?* Quaſi diceret, vel nullo modo, vel ſatis obſcurè & incertè. *Iob* 22. Quid enim nouit Dominus? & quaſi per caliginem iudicat. *Iſa* 40. Quare dicis Iacob, & loqueris Iſraël: Abſcondita eſt via mea à Domino? *Ezech.* 8. Dicunt enim: Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram. *Pſal.* Dixerunt: Non videbit Dominus.

Et ſi eſt ſcientia in Excelſo? Hæc dixerunt. Quaſi dicerent. *Eccleſ.* 23. Nemo circunſpicit me, quomodo vereor? Delictorum meorum non memorabitur Altiſſimus. *Pſal.* Dixit in corde ſuo: Oblitus eſt Deus, auertit faciem ſuam, ne videat in finem.

12. *Ecce ipſi peccatores.* Hîc ſecundum, in quo ponit verba quaſi probantia quod ita ſit, quia peccatores obtinuerunt diuitias abundantes, quod non eſſet ſuſtinendum ab eo ſi ſapiens eſſet. Ait enim: Dicunt, quòd non eſt ſcientia in Excelſo, & hac ratione, quia dicunt: *Ecce ipſi peccatores*, qui Deo non obediunt, ſed ipſi contrarij ſunt, & potiſſimè raptores, *obtinuerunt diuitias*, id eſt, fortiter tenuerunt, & violenter ab aliis auferendo. *Iob* 12. Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum, & dicunt illud *Sap.* 2. Sit fortitudo noſtra lex iuſtitiæ. *Iob* 22. In fortitudine brachij tui poſſidebas terram.

Et abundantes, diuitiis ſup. Hinc admirando dicitur in *Iob* 21. Quare impij viuunt, ſublimati confortatique diuitiis? Et *Ierem.* 12. Quare via impiorum proſperatur, & bene eſt iis qui præuaricantur & iniquè agunt? Et in 9. Confortati ſunt, quia de malo ad malum egreſſi ſunt. Sed quantumcumque obtineant, nihilominus relinquent valde citò fortè. *Eccl.* 21. Suſtantia ſtulti eradicabitur. *Iob* 5. Vidi impium firma radice, & maledixi pulchritudini eius ſtatim. *Luc.* 12. Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te, quæ autem congregaſti, cuius erunt?

Et dixi: Ergo ſine cauſa. Hîc ſecundum, in quo oſtendit quid in ſeipſo ſecutum ſit, viſa malorum proſperitate & iniquitate, & ſunt tria. Primò quaſi deſperatio de merito omni. Secundò hæſitatio & reuocatio ſui ad dubitandum, ibi, *Si dicebam.* Tertiò veritatis cognitio, & determinatio, ibi, *Veruntamen propter dolos.* In prima duo, ſecundum duo bona de quibus deſperat. Primum eſt bonorum operatio. Secundum, malorum ſuſtentatio, ibi, *Et fui flagellatus.* In prima duo. Primò manifeſtatio præmij pro interiori bono, ſcilicet cogitatione. Secundò pro exteriore operatione, ibi, *Et laui.* Dicit ergo: Sic populus meus, & ego ipſe *dixi* motus ad iſta: *Ergo iuſtificaui cor meum*, peccata cum dolore cogitando, bonum deſiderando, *ſine cauſâ?* id eſt, ſine præmio, ſi bonis reddantur mala, & malis bona. *Iob* 22. Quid prodeſt nobis ſi orauerimus Deum? *Malach.* 3. Vanus eſt qui ſeruit Deo: & quod emolumentum, quòd ſeruiuimus ei? Non ſic deſperabat Iob, qui dicebat in 27. Iuſtificationem meam quam cœpi tenere, non deſeram. 13.

Et laui, ſine cauſâ repete, *inter innocentes manus meas*, id eſt, operationes meas, ad ſimilitudinem innocentium purificaui ſine præmij expectatione. Manus lauantur lachrymis. *Pſal.* Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis, bonas ſcilicet operationes, in quibus quieſco.

Quomodo autem inter innocentes lauantur manus, dicit *Caſſiodor.* Lauat inter innocentes manus ſuas, qui pias operas laudabili peragit inſtituto. Palliatus autem vt hypocrita, etſi lauerit, non tamen inter innocentes, ſicut factum eſt in Pilato, qui ad tegendum malitiam ſuam manus lauit *Matth.* 27. & dicit, Innocens ego ſum à ſanguine huius: vos videritis. Quantumcumque enim exterior exerceatur lotio, remanet interior peruerſa intentio, & immundum eſt totum. *Ierem.* 2. Si laueris te intus, & multiplicaueris tibi herbam borith, tamen maculata es iniquitate tua.

Et fui flagellatus. Hîc ſecundum, in quo oſtendit ſe fruſtrari à præmio ſuſtinendi mala, & primò ad ſuſtinendum malum continuè. Secundò voluntariè, ibi, *Et caſtigatio mea.* Dicit ergo: Sic pro nihilo bona facio, & etiam dixi: *Et fui flagellatus* flagellis Dei cui ſeruio, de quibus *Eccleſiaſt.* 22. Flagella & doctrina in omni tempore ſapientia. *Tob.* 13. Magnus es Domine: quia tu flagellas & ſaluas. Et hoc *tota die*, id eſt, aſſiduè, tanquam dilectus filius. *Eccleſ.* 30. Qui diligit filium, aſſiduat illi flagella. *Auguſt.* A me non recedant flagella: illi bene ſeruio, & flagellor: malus non ſeruit, & honoratur. 14.

Et

Et castigatio. Ecce secundum. Quasi diceret: Sic flagellor assiduè & voluntariè, quia *& castigatio mea* est *in matutinis.* Ad hoc manè surgo vt castiger. *Psal.* Castigans castigauit me Dominus. *Ierem* 31. Castigatus sum & eruditus. In manè enim ad literam bonum est disciplinari. *Eccles.* 31. Vigilia honestatis tabefaciet carnes. Sic Paulus castigabat corpus vigiliis matutinis. 1. ad *Corinth.* 9. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, &c.

15. *Si dicebam.* Hîc est secundum, scilicet hæsitatio & reuocatio sui à desperatione, & hoc per duo: per inconueniens quod inde sequitur, & expectationem veritatis cognoscendæ. Duo ergo confitetur hîc. Primò, quòd hæc docendo quæ præmisit, Sanctorum doctrinam reprobat. Secundò, quòd tandem, etsi cum labore, se veritatem cogniturum sperat, ibi, *Existimabam.* In prima duo. Primò se dicturum præcedentia supponit. Secundò inconueniens quod inde sequitur, subiungit. *Ecce nationem.* Dicit ergo: Sic dixi apud me, quòd pro nihilo laborabam, & totum perdebam, sed *dicebam in corde meo*, mecum loquens, & conferens primò ad limam sermonem, quam ad liguam ponens, si *narrabo sic* aliis, quod Deus hæc inferiora non curat, nec est spes seruientibus illi, asserens illud *Mal.* 3. Vanus est qui seruit Deo, & quod est emolumentum, quia custodiuimus vias eius?

Ecce, in aperto & in promptu hæc dicendo, *reprobaui nationem filiorum tuorum*, sanctorum scilicet Patriarcharum, & Prophetarum, qui oppositum docuerunt, quod est inconueniens magnum tam bonæ nationi contradicere. Hæc est enim illa, de qua *Eccles.* 3. Filij sapientiæ Ecclesia iustorum, & natio illorum obedientia, & dilectio. Hæ sunt enim nationes sanabiles à culpis & pœnis, de quibus *Sap.* 2. Deus sanabiles fecit nationes orbis terrarum. Sed malæ non sic. *Sapient.* 3. Nationis iniquæ diræ sunt consummationes. Si ergo hæc dico, ipse me ore meo condemno. *Iob* 15. Condemnabit te os tuum, & non ego. Sed hoc dico & narro, si tantum in hac vita sperantes sumus in Christo. Dicit enim *Paul.* 1. *Cor.* 15. Miserabiliores sumus omnibus hominibus.

16. *Existimabam vt cognoscerem.* Hîc secundum, in quo subiungitur spes de cognoscenda veritate aliquando, etsi cum labore: & tanguntur tria. Primò confidentia de cognoscenda veritate. Secundò pœna in cognoscendo, vel inquirendo, ibi, *Hic labor est.* Tertiò mensura pœnæ in durando, quia si in hac vita, non tamen in alia, ibi, *Donec intrem.* Dicit ergo: Sic videbam inconueniens sequens, si illud ponerem, & tunc *existimabam*, vt tandem cognoscerem, id est, cognoscere possem huius rei veritatem, & causam quare prosperantur mali, & affliguntur boni.

Quæstio laboriosa quare prouenit impijs prosperitas.

Sed hic est *labor*, laboriosa quæstio, & inuestigatio, *ante me*, ante oculos cordis mei. *Eccles.* 7. Dixi: Sapiens efficiar, & ipsa longiùs recessit à me. Alta profunditas, quis inueniet eam? Et in 2. Dedi cor meum vt scirem prudentiam, & sapientiam, & cognoui, quia in his omnibus esset labor & afflictio spiritus. Ad *Roman.* 1. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Vel *labor est ante me*, id est, quantum ad ea quæ ante me sunt, quæ mihi sunt præsentia, & quæ video in mundo fieri. Hæc enim si considero, nunquam ab hac quæstione me expedio. *Eccl.* 34. Sicut qui sequitur æstum, & pascit ventum, sic qui attendit ad visa mendacia. Vel *labor est ante me.* Quasi diceret: Non ante Deum: Deus enim potest mihi dare huius rei cognitionem, non ego mihi acquirere per meipsum. *Cassiodor.* Quis molem istam ignorantiæ, nisi per gratiam possit diuinitatis irrumpere? Quasi diceret: Nullus. *August.* Esto ante Deum, & non erit labor.

Donec intrem in sanctuarium. Hîc secundum, in quo monstratur pœnæ duratio, & intelligentiæ huius rei plenitudo. Duo ergo tanguntur. Primò terminus laboris in inquirendo. Secundò cognitio veritatis, & ratio etiam cognoscendi. *Et intelligam in nouissimis.* Dicit ergo: Sic ante me labor est hoc inuestigare, & hoc, *donec intrem in sanctuarium Dei*, id est, ad sanctuarium Dei, Christum scilicet mente attingam & cogitatione. Ipse enim sanctuarium pretiosum, ad quod qui intrat, haurit sapientiam: quippe ad *Coloss.* 2. In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Sanctus sanctorum. Sicut habetur *Dan.* 9. antiquitus cum summus sacerdos intrabat in sancta sanctorum, veritates ei multæ reuelabantur. *Exod.* 33. Ingrediente Moyse tabernaculum fœderis, loquebatur Dominus cum eo. 17.

Variis gradibus itur ad Deum.

Et nota, quòd in hoc sanctuarium intratur primò per peccati confessionem humilem, & venitur quasi ad portam. *Psal.* Introite portas eius in confessione. Postea vlteriùs proceditur per innocentiam baptismalem. *Psal.* Ego autem in innocentia mea ingressus sum. Sed iam vsque ad ipsum per Eucharistiæ sumptionem. *Psal.* Introibo ad altare Dei, &c. Post vsque ante ipsum per contemplationem. *Psal.* Introite in conspectu eius in exultatione, & hîc. Sed tandem in ipsum vsque ad intima, per gloriæ adeptionem. *Matt.* 25. Intra in gaudium Domini tui. Et rursus: Quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias.

Vel sanctuarium dicitur diuinæ dispensationis, sanctum secretum, vel lex diuinorum eloquiorum, quam qui diligenter attendit, intelligit quod non sine ratione ita sit.

Et intelligam. Quasi diceret: Vsquequo intrem in sanctuarium, in labore sum: & tunc cum intrauero, *intelligam in nouissimis eorũ*, quid futurum sit de eis, & ad quem finem venient.

Vel sic: *Donec intrem in sanctuarium*, per gloriæ adeptionem, sum in hoc labore: & tunc cum introiero, *in nouissimis eorum* visis & intellectis, *intelligam* veritatem de duobus præmissis. Qui enim benè attenderet nouissima malorum, bene intelligeret, quod prosperantur ad ad malum. *Deuter.* 32. Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima præuiderent! *Ier.* 17. Et in nouissimis suis erit insipiens.

Verumtamen propter dolos. Hîc tertium huius partis, in quo ostendit quid in se secutum sit, scilicet veritatis agnitio: & dicuntur duo. Primò, quòd ad illorum miseriam datur malis 18.

proſperitas. Secundò, quòd propter culpam, ibi, *Quia inflammatum eſt.*

Vel aliter: In primò oſtenditur cognitio veritatis, quantum ad male proſperantes. Secundò quantum ad ſeipſum. In prima duo. Primò, quòd propter mala etiam in præſenti ſuperuentura datur eis proſperitas in rebus. Secundò, quòd propter futura, ibi, *Quomodo facti ſunt?* In prima duo. Primò, quòd propter mala ſuperuentura datur eis proſperitas in rebus. Secundò, quòd propter hoc ipſum ſublimitas in honoribus, ibi, *Deiecisti eos.* Dicit ergo: Sic erraui, poſtea hæſitaui, reduci incipiens ad veritatem, & dicens in me, nunc: *Verumtamen poſuisti eos*, in promptu, vt ſatis accipiant iſta temporalia: & hoc *propter dolos eorum*, quos faciunt aliis, & vt dolos patiantur, qui accipiunt temporalia pro æternis. Et hoc iuſtiſſimum. *Sapient.*11. Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Dolum faciunt, & dolum patiuntur. Dolum faciunt. *Daniel.* 8. Dirigetur dolus in manu eius. Dolum patiuntur, quia à creatura alliciuntur & capiuntur. *Sapient.*14. Craturæ Dei factæ ſunt in odium, & in tentationem animæ hominum, & decipulam pedibus, hoc eſt, affectibus inſipientium. Et nota, quòd dicit: *Poſuisti*: hæc enim eſt falſa poſitio, quia citò dicitur eis, Cedat tempus: contraria enim eſt poſitioni, qua poſitus eſt Chriſtus. Primò in limo, quando naturam aſſumpſit noſtram ſcilicet in conceptione, de qua in *Pſal.* Et ego primogenitum ponam illum. *Pſal.* Infixus ſum in limo profundi. Secundò in præſepio. *Luc.*11. Inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio. Et tandem in patibulo. *Num.*21. Serpens æneus poſitus fuit in palo. Et in ſepulchro. *Matth.vlt.* Ecce locus vbi poſuerunt eum. In prima exinanitio & vilitas, quia formam ſerui accepit. In ſecunda paupertas. In tertia aſperitas.

Decepti ergo ſunt qui in honoribus & diuitiis & deliciis ponuntur, maximè propter dolos vel aduocatorum falſorum, vel malè eligentium. *Luc.* 2. Ecce hic poſitus eſt in ruinam.

Nota etiam, quod Dominus dat temporalia ad alliciendum, ſicut dabat Iudæis. *Iſa.* 1. Si volueritis, & audieritis, bona terræ comederis. Aliquando ad ſolatium, ſicut dat ſuis. *Cantic.* 2. Larua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Aliquando ad damnationem recto & æquo iudicio, ſicut dat reprobis, ſicut hîc.

Quare bona temporalia dantur malis.

Deiecisti eos. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic data eſt eis ad malum rerum proſperitas. Et etiam *dum alleuarentur*, in honoribus, *deiecisti eos*, eo ipſo. *Iob* 30. Eleuaſti me, & quaſi ſuper ventum ponens, allisiſti me validè. *Pſal.* Eleuans allisiſti me. *Iob* 24. Eleuati ſunt ad modicum, & non ſubſiſtent. Deiecit autem primò de dignitate in viliratem, vel ad minus ad mortem. *Iſa.* 22. Expellam te de ſtatione tua. Et poſt in gehennæ ignem. *Pſal.* In ignem deiicies eos.

19. *Quomodo facti ſunt.* Hîc eſt ſecundum, in quo oſtenditur, quod propter futura mala dantur eis bona: & dicuntur quatuor. Primùm tangitur malum futurum in ipſa morte. Secundò poſt mortem, ibi, *Perierunt.* Tertiò probatur primum. *Velut ſomnium.* Quartò ſecundum. *In ciuitate tua.* In prima duo. Primò admiratiua quæſtio de deſolatione mortis. Secundò reſponſio illi quæſtioni. *Subitò deficient.* Dicit ergo: Sic dediſti eis temporalia vt ipſos decipias, & eleuaſti vt deiicias, ſed etiam *Quomodo facti ſunt in deſolationem mortis. Ierem.*25. Terra facta eſt in deſolationem à facie iræ columbæ. Qui priùs hic habebant ſuam conſolationem. *Luc.*5. Væ vobis diuitibus, qui habetis hîc conſolationem veſtram: quia citò eritis in deſolationem. *Thren.*1. Non eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis eius. *Ezech.*36. Dabo te deſertum, atque deſolatum, ô mons peſtifer.

Subitò defecerunt. Ecce reſponſio. Quaſi diceret: Quæris quomodo deſolati? Reſpondeo. *Subitò defecerunt*, quando in maiori ſe credebant proſperitate. *Iob* 6. Vidi impium firma radice, vt credebatur, ſup. & maledixi pulchritudini eius ſtatim. Et 21. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto, &c. Citò ergo deficiunt. *Abac.* 2. Gentes in vacuum laborabunt, & deficient, & citò, quia in *Pſal.* Deficientes quemadmodum fumus deficient.

Perierunt. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic defecerunt in morte, & etiam *perierunt*, hoc eſt, peribunt æternaliter. Et hoc *propter iniquitatem ſuam*, non propter Dei ſæuitiam. *Iob* 6. Tempore quo fuerint diſſipati, peribunt. *Bar.* 3. Peribunt propter inſipientiam ſuam. Omnis enim iniquus ſtultus. *Eccleſ.*10. Cum perierit homo, hæreditabit ſerpentes, beſtias & vermes.

Velut ſomnium ſurgentium. Hîc probat primum per ſimilitudinem ſomnij. Quaſi diceret: Verè dixi, quòd ſubitò defecerunt, quia ô Domine defecerunt *velut ſomnium ſurgentium* de ſomno. *Iob* 20. Velut ſomnium auolans non inuenietur, tranſiet ſicut viſio nocturna. Alia litera: *Velut ſomno*, id eſt, à ſomno *exurgentes*, qui totum, quicquid ſomniabant, amittunt. Sic diues omnia ſua, quaſi quædam ſomnia deſerit. *Iob* 27. Diues cum dormierit, nihil ſecum afferet. *Eccleſ.*34. Multos errare fecerunt ſomnia. 20.

Temporalis proſperitas ſomnio comparatur.

Et nota hîc, quòd diuitiæ & temporalis proſperitas ſomnio comparantur. Primò quia multa cura & ſollicitudo cõcomitatur ſomnia: in ſtultis ſic diuitias. *Eccleſ.*5. Multas curas ſequũtur ſomnia: propter quod dicitur: Somnia ne cures. Secundò quia ſequitur ea multa deceptio: ſicut illos *Iſa.*30. Sicut ſomniat eſuriens & comedit, & cum expergefactus fuerit, vacua eſt anima eius, ſic erit multitudo omnium gẽtium. Tertiò, qui à velox deſitio: ſomnium enim modò eſt, modò non eſt. Sic diuitiæ. *Sap.*5. Tranſierunt omnia velut vmbra. Quartò quia ſomniantis elatio. *Eccleſ.*34. Somnia extollunt imprudentes. 1. ad *Tim.*6. Diuitibus huius ſæculi præcipe non altum ſapere. Quintò quia quædam futurorum prænuntiatio: ita illæ prænuntiant futurum interitum æternũ. *Greg.* Continuus ſucceſſus temporalium, certiſſimum eſt

reproba

reprobationis indicium. Sextò quia per oppoſitum debet eſſe ſomnij expoſitio. *Luc.* 6. Væ qui ſaturati eſtis, quia eſurietis: væ qui nunc ridetis, quia plorabitis, & huiuſmodi. *Luc.* 16. Exponit hoc modo Abraham ſomnium purpurati, & epulantis: Fili, recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem conſolatur, tu verò cruciaris.

Et in ciuitate tua. Hîc probat ſecundum, ſcilicet quod peribunt. Dicit enim: Sic dixi, quòd peribunt, & verè hoc dixi, quia *in ciuitate tua*, Ieruſalem ſcilicet cœleſti conſtituenda de bonis & iuſtis, *rediges imaginem ipſorum*, effigiem vitio acquiſitam, *ad nihilum*, ad te, qui verè es, elongando, & proiiciendo in æternum. alius enim accipit imaginem leonis per ſuperbiam & crudelitatem. *Ezech.* 39. Leo factus eſt, diligitque prædam accipere, & homines deuorare. Alius vulpis per doloſitatem. *Luc.* 13. Dicite vulpi illi. *Matth.* 8. Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos. Alius reptilis per cupiditatem terrenorum. *Ezech.* 8. Fode parietem, & vide, & ingredere, & ecce omnis ſimilitudo reptilium. In hoc enim vitio ferè omnes ſunt. Alij ſtruthionis per hypocriſim, & ſimulationem. *Thren.* 4. Filia populi mei quaſi ſtrurhio in deſerto, quæ aſſimilatur herodio, & accipitri, non tamen eſt. *Iob* 39. Pennas ſtruthionis ſimilis eſt pennis herodij & accipitris. Alius canis vel porci, per gulam, & luxuriam. 2. *Pet.* 2. Canis reuerſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti. Alius rhinocerotis per inobedientiam. *Iob* 39. Nunquid volet rhinoceros ſeruire tibi, aut alligabis eum loro tuo? Quaſi diceret: Non.

Homines diuerſorum animalium ſpeciem præſeferunt.

Imago etiam poteſt appellari temporalium gloria, quæ ad nihilum deueniet. *Prouerb.* 31. Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo. Alia litera: Fallax imago & iniqua pulchritudo. Vel imago hæreſis. *Ezech.* 16. Feciſti tibi imagines maſculinas, & fornicata es in eis. Sed iſtæ in ciuitate præſentis Eccleſiæ & futuræ ad nihilum redigentur.

21. *Quia inflammatum eſt.* Hîc ſecundum, poſtquam enim oſtendit datam eſſe reprobis proſperitatem, vt inde ruant in miſeriam & pœnam, oſtendit etiam, quòd digni ſunt vt ruant in illam, quia præſtant aliis ſcandalum & ruinam, ponens exemplum in ſeipſo: & dicuntur duo. Primò, quòd à malis proſperantibus occaſio ruinæ ſibi data fuerit. Secundò, quòd tamen à Deo adiutus ſit, ibi, *Tenuiſti manum.* In prima duo. Primò occaſio ruinæ in culpam, quod reſpicit ad affectum. Secundò in ignorantiam, quod reſpicit ad aſpectum, ibi, *Et neſciui.* In prima tria ſecundum triplicem culpam, in quam inductum ſe dicit. Primò, quòd in inuidiam. Secundò, quòd in inconſtantiam. *Et renes.* Tertiò in terrenorum immoderatum amorem. *Et ego ad nihilum.* Dicit ergo: Sic dat eis proſperitatem vt poſt affligantur. Et digni ſunt propter eorum vitam & exemplum quod ab eis accepi. *Cor meum inflammatum eſt*, inuidiâ, quæ ignis eſt. Suprà in *Pſal.* Supercecidit ignis, & non viderunt ſolem. Et *Iob* 1. Et ignis deſcendit de cœlo, inuidia de ſacerdotum & Phariſæorum collegio: & tactas oues, puerôſque, ſimplices, conſumpſit. Et alibi in *Pſal.* Et exarſit ignis in ſynagoga eorum, peccatorum ſcilicet, flamma combuſſit peccatores.

Et renes mei, quibus ſtat erectus homo, *commutati ſunt*, à ſtabilitate ſua, & inſtabilis factus ſum. Ecce inſtabilitas. *Pſal.* Nutantes transferantur filij eius, & mendicent, illa mendicitate de qua *Matth.* 25. Date nobis de oleo veſtro. Et *Luc.* 16. Mitte Lazarum vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam.

22. *Et ego ad nihilum redactus ſum*, per temporalium inordinatum amorem, terrena enim nihil ſunt. *Ierem.* 4. Aſpexi terram, & ecce vacua erat. *Ad nihilum*: ſic *Auguſt.* dicit, quòd efficeris illud quod diligis. *Iob* 30. Redactus ſum ad nihilum, abſtuliſti quaſi ventus deſiderium meum.

Et neſciui. Hîc oſtendit ſe inductum in ignorantiam vehementem, non tamen in infidelitatem. Vnde primò, quòd in ignorantiam inductus fuit. Secundò, quod non in idololatriam. Et primò ſupponit duo. Primò, quòd in ignorantiam redactus ſit. Secundò oſtendit ignorantiæ vehementiam. *Vt iumentum.* Dicit ergo: Sic inuidus, inſtabilis fui, terrena inordinatè dilexi, *& neſciui*, quòd periculoſius fuit me peccare, ſup. & errare. *Oſeæ* 7. Comederunt alieni robur eius, & ipſe neſciuit.

23. *Vt iumentum.* Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic ignoraui, & vehementer, quia *factus ſum vt iumentum*, quod valdè inſanum eſt & ſtolidum, & portat onera bona & mala: ſic ego æqualiter onera diaboli vt Dei, contra illud *Pſal.* Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Et hoc *apud te*, qui rectè iudicas, etſi non apud homines, qui magnam putant ſapientiam terrenis abundare. 1. ad *Cor.* 1. Sapientia huius mundi ſtultitia eſt apud Deum.

Et ego ſemper tecum. Ecce ſecundum, in quo oſtendit ſe nihilominus non inductum ad idololatriam. Quaſi diceret: Sic peccaui adhærendo terrenis, & ignorans miſer fui, *Et ego tamen ſemper tecum fui*, ô Deus, fide informi, vt non crederem idolis, ſed ſperarem etiam iſta omnia à te. *Oſeæ* 8. Væ eis qui receſſerunt à me facti infideles. Et nota etiam aliam lecturam in *Gloſſa*, ſecundum quod legitur in malo.

In bono etiam poteſt legi totum hoc ſic: Ita ad nihilum rediges impios, ſed me non, quia *cor meum inflammatum eſt.* Primò igne charitatis, ſicut illorum qui dicebant *Luc. vlt.* Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis de IESV dum loqueretur nobis in via? *Thren.* 1. De excelſo miſit ignem in oſſibus meis. Igne prædicationis. *Ierem.* 23. Nonne verba mea quaſi ignis, & quaſi malleus conterens petras. *Pſal.* Ignitum eloquium tuum vehementer, &c. Item eloquium Domini inflammauit eum igne ſanctæ meditationis. Suprà in *Pſal.* Concaluit cor meum intrà me, & in meditatione mea exardeſcet ignis. Per Euchariſtiæ ſumptionem: ſumimus enim ignitum carbonem, ſicut dicit *Damaſcenus*, & *Chryſoſt.* dicit, Quomodo poteſt ſpirare, quod in altari ſumitur

niſi ignem? Hic eſt ignis, qui ſemper ardet in altari. *Leuit.6.* Qui ardet dulciter, dulceſcit mirabiliter, & ſapit delectabiliter indutus pallio zeli. *Iſa.49.* Per præmij æterni præguſtationem. *Auguſt.* Guſtaui & ad horam, & adhæſit ſpiritus meus in pacem eius qui erit pax mea cum ei plene inhæſero. *Et renes mei,* interiores ſcilicet voluntates, *commutati ſunt,* in ſyncериſſimam caſtitatem. *Pſal.* Hæc mutatio dexteræ Excelſi. *Sap.* 8. Sciui, quia aliter non poſſum eſſe continens, niſi Deus dederit. *Et neſciui* per veriſſimam humilitatem. *Iob* 31. Si vidi ſolem, eúmque fulgentem, & lunam incedentem clarè. *Gregor.* Sancti ſua bona non vident, quæ aliis videnda publicant. *Vt iumentum factus ſum apud te,* per obedientiam integram & perfectam. *Geneſ. penult.* Iſachar aſinus fortis accubans inter terminos, vidit requiem, &c. Et 43. Filij Iacob duxerunt ad Ioſeph camelos aromatibus oneratos. Non apud diabolum, ſicut illi quibus *Paulus* 1. ad *Corinth.* 13. Ad ſimulachra muta provt ducebamini euntes. *Et ego ſemper tecum,* fui per perſeuerantiam, non ſicut illi de quibus *Luc.*4. Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt: ſed ſicut ille qui dicit ad *Rom.*8. Quis nos ſeparabit à charitate Dei, quæ eſt in CHRISTO IESV?

24. *Tenuiſti manum.* Hîc ſecundum, quantum ad primam lecturam, in quo poſtquam oſtendit, quòd ſcandalum à malis paſſus fuit, monſtrat quòd à Deo adiutus fuit: & tanguntur tria triplici gratiæ reſpondentia. Primum eſt eleuatio à culpa ſecundum gratiam præuenientem vel operantem. Secundum, promotio in operatione bona per gratiam concomitantem vel cooperantem. *Et in voluntate.* Tertium, conſummatio in gloria, per gratiam ſubſequentem, vel conſummantem. *Et cum gloria ſuſcepiſti me.* Dicit ergo: Sic inductus fui in ignorantiam & culpam, ſed tu non dereliquiſti me: imò *tenuiſti manum dexteram meam,* me à culpâ eleuando. *Iſa.* 42. Ego Dominus apprehendens manum dexteram tuam. *Matth.* 14. Apprehendit manum Petri ferè ſubmerſi. Aliter enim nihil potuiſſem. *Ioan.*15. Sine me nihil poteſtis facere, nec exire etiam à peccato: ſum enim ſpiritus vadens & non rediens.

Et in voluntate tua deduxiſti me, de vna bona operatione in aliam. *Pſal.* Deduxiſti me, quia factus es ſpes mea. Et alibi, Spiritus tuus deducet me in terram rectam. *Iſa.*63. Spiritus tuus ductor eius fuit. Et hoc *in voluntate tua,* ex gratia, non ex neceſſitate, aut coactione. *Iacob.*1. Voluntariè enim genuit nos Deus verbo veritatis. *Deut.*8. Eduxit te de terra Ægypti, & ductor tuus fuit in ſolitudine.

Et tandem *cum gloria ſuſcepiſti me,* in glorioſa ſcilicet vnione cum perſona filij. Vel *cum gloria,* ad literam, *ſuſcepiſti me,* nunc in ſpe, tandem ſuſcepturus in re. *Pſal.* Eripiam eum, & glorificabo eum. *Luc.* 14. Tunc erit gloria coram ſimul diſcumbentibus. Qui fuiſti inglorioſus & humilis cum pœnitentibus. *Prouerb.*15. Gloriam præcedit humilitas. Et in 29. Humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria. *Iob* 39. Qui autem humiliatus fuerit, erit in gloria.

Quid enim mihi eſt in cœlo. Hîc eſt tertia pars ſecundum diuiſionem à principio Pſalmi factam totius huius Pſalmi, quarta ſecundum *Gloſſam.* Oſtensâ enim diuina bonitate, & expreſſa humana infirmitate, quæ ſcandalizatur in malorum proſperitate, hic arguitur humana cupiditas, quæ bonis æternis omiſſis, ſeruit Deo pro temporali remuneratione. Duo ergo dicuntur. Primò cupiditatem ſuam arguit. Secundò arguendam oſtendit, ibi, *Quia qui elongant ſe à te.* In prima duo. Primò arguit peruerſam cupiditatem. Secundò oſtendit ſe illam euaſiſſe, ne quis credat eum hæc dicere, quia ſit in illo, ibi, *Defecit caro.* In prima duo. Primò admiratio de præmij magnitudine, quod ſit à Deo præparatum. Secundò redargutio ſui de cupiditate terrenorum, ibi, *Et à te quid volui.* Dicit ergo: In gloria me ſuſcipies in re, iam ſuſceptum ſpe, & verè in gloria. *Enim,* id eſt, quia, *quid mihi eſt in cœlo?* quantum præmium, quàm immenſum, quàm mirabile! Quare? Quia tu ipſe es illud. *Geneſ.* 15. Ego ſum merces tua magna nimis. Quid ergo eſt mihi in cœlo promiſſum? *Galat.*3. Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius. Quid repromiſſum? *Iacob.* 1. Beatus vir qui ſuffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Quid præparatum? *Iſa.* 63. Oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te? Quid oblatum? *Hebr.*12. In diſciplina perſeuerate? vobis enim tanquam filiis oſtendet ſe Deus. Quid repoſitum? 1. *Timoth.* 4. Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam redder mihi in illa die, &c. Quid conſeruatum? 1. *Petr.* 1. Coronam immarceſcibilem immaculatam conſeruatam in cœlis. 25. *Præmium fidelibus propoſitum.*

Et à te. Hîc arguit ſe. Quaſi diceret: Tantum bonum expecto. Ergo *quid volui à te ſuper terram?* Quaſi diceret: Stultus fui, quia hoc nihil eſt, comparatione ad illud quod in cœlo eſt. *Gregor.* Si conſideremus quæ & quanta ſunt quæ nobis in cœlo promittuntur, vileſcunt omnia quæ in terra poſſidentur: vileſcunt omnia, deſerit habita, diſpergit congregata, in cœleſtibus inardeſcit animus, nihil in terris libet, conſpicitur deforme quicquid de terrenæ rei placebat ſpecie, quia ſola pretioſæ margaritæ claritas fulget in mente.

Defecit caro. Hîc ſecundum, in quo oſtendit, quòd ad ſtatum præcedentem referendum ſit quod dictum eſt: quia iam euaſit: vnde redarguit. Oſtendit autem hoc ex duobus: ex auerſione à terrenis deſideriis corpore & mente. Secundò ex conuerſione ſui ad Deum. *Deus cordis.* Dicit ergo: Dixi quod ſtultè volui, ſed nunc non eſt ſic: imò *defecit caro mea,* carnales ſcilicet operationes exteriùs, *& cor meum,* malæ interiùs affectiones, & cogitationes. *Iob* 34. Si direxerit ad Deum cor ſuum, omnem ſpiritum eius & flatum ad ſe trahet, & deficiet caro eius. Quippe *Greg.* dicit, quòd præguſtato ſpiritu deſipit omnis caro. *Gregor.* Sicut mors corpus interimit: ſic ab amore temporalium æternæ vitæ claritas occidit. 26.

Deus

Deus cordis mei. Hîc ſecundum, conuerſio ſcilicet ſui ad Deum: & tanguntur duo. Primò conuerſio ad Deum per amorẽ. Secundò fortis adæſio, & ſingularis per conſtantiam. *Et pars mea.* Dicit ergo: Sic defecit & carnalis operatio, & voluntas in me. Et *Deus* eſt *cordis mei* poſſeſſor, ſicut amans poſſidet illud quod amat. Ecce conuerſio ad Deum & poſſeſſio, quia amat me, & infundit ſe cotdi meo. Ergo *cordis mei*, non ventris, non carnis. *Bernard.* In ſecreto cordis vult amari Chriſtus, in medullis cordis amoris accipit holocauſtum. *Deus cordis mei*, quæſitor & deſiderator. Aliud non quærit Deus & ſufficit ei. *Prou.*13. Præbe mihi cor tuum. *Cant. vlt.* Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum. *Auguſt.* Da mihi cor tuum, da mihi totum: & loquitur in perſona Chriſti. *Deus cordis mei*, qui es ſalus, laus, gloria, ſplendor, princeps, lumen, gaudium, pretium, ſponſus, iubilatio, veritas, charitas, dulcedo, pax, præmium, & vita. *Chryſoſtom.* Quicquid volueris, ego ſum.

Et pars mea Deus, non ad tempus, ſed *in æternum.* Bonam tibi partem elegiſti. *Luc.*10. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea in æternum. *Pſal.* Dominus pars hæreditatis meæ, tu es &c. *Thren.*3. Pars mea Dominus, dixit anima mea. *Ezechiel.* 44. Partem non dabitis eis, ego enim ſum pars Illorum.

27. *Quia ecce qui elongant ſe.* Hîc ſecundum, ſcilicet probatio, quòd bene fuit arguendus: & hoc probat ex damno ſeparantium ſe à Deo propter appetitum terrenorum, & fructu adhærentium ipſi, ibi, *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt.* In prima duo. Primò oſtendit damnum auertentium ſe à Deo. Secundò adhærentium creaturæ. *Perdidiſti omnes.* Dicit ergo: Sic conuerti me ad te, & debui, quia qui *elongant ſe*, per peccatum, *à te.* Aliter enim non elongatur quis. *Iſa.*59. Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum. *Prou.*15. Longè eſt Dominus ab impiis. *Iob* 21. Qui dicunt Deo: Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. *Ierem.* 2. Quid inuenerunt iniquitatis patres veſtri in me, quia elongauerunt à me? ſicut filius prodigus, qui abiit in regionem longinquam. *Luc.*15. Tales, inquam, *peribunt* alienati à vita, quæ Deus eſt. *Iob* 5. Longè fiant filij eius à ſalute, & conuertantur, & pereant.

Perdidiſti, præteritum pro futuro, id eſt, perdes. Vel perdidiſti iam in tuâ præuiſione, *omnes qui fornicantur*, in fornicatione permanent ſpirituali, non ſolum literali, *abs te.* id eſt, ſine te, facti ſup. *Oſeæ* 5. Non dabunt cogitationes ſuas, vt reuertantur ad Dominum, quia ſpiritus fornicationis in medio eorum.

Quadruplex fornicatio. Et nota, quòd eſt fornicatio corporalis mala, & hæc eſt triplex. Petulantiæ & curioſitatis ſenſuum, quandò non refrænantur. *Num.*15. Sequuntur cogitationes ſuas, & oculos per res varias fornicantes. Ex hac naſcitur ſecunda, ſcilicet fornicatio concupiſcentiæ interioris. *Hieron.* Væ nobis quia toties fornicamur, quoties concupiſcimus. Et ex his duabus ſequitur tertia fornicatio in exteriori opere carnali, de qua 2. ad *Corinth.*6. Fugite fornicationem. *Hebr.*12. Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. Ex his vlterius caditur aliquando in quartam ſpeciem, ſcilicet fornicationem idololatriæ, quæ eſt peſſima. *Sap.*14. Initium fornicationis exquiſitio idolorum, & adinuentio ipſorum.

Mihi autem adhærere. Hîc ſecundum, in quo oſtenditur per fructum Deo adhærentium: & dicuntur duo. Primò fructus adhærentium per rem in futuro. Secundò per ſpem in præſenti, ibi, *Ponere in Deo.* Dicit ergo: Debui conuerti ad te, ne damnum præmiſſum incurrerem. Et etiam *bonum eſt mihi adhærere Deo*, tanquam ſponſo dulciſſimo. *Geneſ.*2. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ. Et ſimili lege ſponſa patrem relinquet & matrem, & adhærebit ſponſo ſuo, tanquam amico fideliſſimo. *Pſal.* Adæhſit anima mea poſt te: vt tota conglutinetur tibi per charitatem. 1. *Reg.*18. Anima Ionathæ conglutinata eſt cum anima Dauid. *Deuteron.*10. Patribus noſtris conglutinatus eſt, & adamauit eos. Tanquam Regi potentiſſimo. *Pſal.* Innocentes & recti adhæſerunt mihi, quia ſuſtinui te. 28. *Fructus in adhæſione ad Deum.*

Et hoc valdè bonum: quia ſibi adhærentes illuminat: quippe in *Pſal.* dicitur: Accedite ad eum, & illuminamini. Multò ergo fortiùs adhærentes & illuminatos ad ſe magis trahit. *Cant.*1. Trahe me poſt te, & curremus in odorem, &c. *Gloſſa:* Non trahitur niſi qui adhæret. Tractos vnit ſibi. 1. ad *Cor.*6. Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt.

Ponere in Domino. Hîc ſecundum, in quo dicuntur duo. Primò, quòd ſperabit. Secundò ſubiungit ſperandi cauſam. *Vt annuntiem.* Quaſi diceret: Sic bonum eſt adhærere in futuro, & modò, *& ponere* in præſenti, donec ad perfectam veniatur adhæſionem, *ſpem meam in Domino.* 1. *Petr.*1. Omnem ſollicitudinem veſtram proiicientes in eum: quoniam ipſi eſt cura de vobis. *Eccleſ.* 2. Nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt. *Ier.*17. Beatur vir qui ſperat in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Et optimè poſt adhæſionem ſubiungitur de ſpe: qui enim adhæret modis prædictis, hic ſperare debet. Vel modò. Quod dicit *Bernard.* Adhærendum, inquit, Deo funibus pudoris, clauis timoris, glutino charitatis. Primum conſtringit fortiter & durè. Secundum fortiùs & duriùs. Tertium ſuauiter, & ſecurè.

Vt annuntiem omnes. Hic ſecundum, in quo ſubiungit cauſam ſpei: quia ad honorem Dei procurabit, vt primò quod modo debito. Secundò quod loco debito. *In portis.* Dicit ergo. Bonum eſt mihi ſperare, ita *vt annuntiem omnes prædicationes tuas*, non tantum quaſdam, ſicut multi. Notandum enim, quòd prædicatio fit ad docendum ignorantes, ad arguendum rebelles, ad corrigendum peruerſos, ad erudiendum & perficiendum bonos. Hoc eſt quod dicit *Paulus ad Tim.* 3. Omnis doctrina diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum. Et vbi? In publico, *in portis filiæ Sion*, id eſt, Ieruſalem, per quas omnes tranſeunt, vt omnes audire poſſint. *Deuteron.* 16. præceptum erat, *Quomodo prædicandũ.*

quod iudices conſtituerentur in portis. Argumentum, quòd in publico eſt prædicandum, non in latebris. *Ioan.* 18. Ego palam loquutus ſum mundo, & in abſcondito loquutus ſum nihil. *Iſa.* 45. Non in abſcondito loquutus ſum, in loco tenebroſo terræ. Portæ etiam ſunt Apoſtoli, in quibus prædicant, qui eorum doctrinæ ſe coaptant, & illos ſequuntur. Hæ ſunt portæ, de quibus *Tob.* 13. Portæ Ieruſalem ex lapide pretioſo, & ſmaragdo. Et *Apocal.* 20. Vidit Ioannes portas duodecim in ciuitate Ieruſalem. Opportet igitur in publico prædicare, & doctrinam Apoſtolorum ſequendo, aliter non valet. *Auguſtin.* Prædicatio præter Eccleſiam Dei mala eſt. Qui ſic prædicant, laudabuntur in portis, in iudicio in quo erunt quaſi duæ portæ: ingreſſus ad regnum, & ad infernum. *Prou.vltim.* Laudent eam in portis opera eius. Et ſic introduci faciunt ad gloriam, ad quam nos perducat, &c.

IN LXXIII. PSALMVM.

Intellectus Aſaph.

1. VT quid Deus repuliſti. Hic eſt Pſalmus 73. in toto libro, in 2. parte 23. Poſtquam enim in præcedenti oſtendit non eſſe Deo ſeruiendũ pro temporalibus, ſed magis pro æternis, & illum ritum veterem receſſiſſe, per quod bonos in bono confirmauit: hîc ſubiungitur pro malis obſtinatis in Iudaiſmo ſupplicatio, & ipſorum increpatio, vt tandem conuertantur ad Chriſtum ſaluatorem omnium, abiectis cæremonialibus. Et eſt ordo ſatis competens: quis enim neſciat, quod charitas debeat eſſe ordinata? Aſaph ergo quod interpretatur Synagoga vel collectio, & non quolibet, ſed bonorum de Iudæis ad Chriſtum conuerſorum, primò debuit ſeipſum confirmare: poſtmodum arguere malorum congregationem, & ei veritatem intellectam publicare, & pro ipſa orare. *Cantic.* 2. Ordinauit in me charitatem. Huius autem Pſalmi continentia exprimitur in genetali & latenter in titulo qui talis eſt: *Intellectus Aſaph.* Quaſi diceret: In ſubiecto Pſalmo, intellectus congregationis bonorum exprimitur, ſuper miſeros Iudæos excæcatos cum receſſerit vmbra, & acceſſerit veritas. *Apocal.* 20. Quia priora abierunt, & ecce noua facio omnia.

Argumentũ Pſalmi, oratio pro conuerſione Iudæorum.

Diuiditur autem Pſalmus in tres partes, ſicut hîc vult etiam *Gloſſa.* Primò deſcribit obſtinatorum Iudæorum miſeriam| lamentando ſuper illam, ſicut facit in aliis duobus, ſcilicet in 78. *Deus venerunt Gentes.* Et in 136. *Super flumina Babylonis.* In ſecunda oſtendit ſalutem in publico factam omnibus paratam ad Iudæorum increpationem, ibi, *Deus autem Rex noſter.* In tertia petit ſalutem illam extendi vſque ad gentem illam excæcatam, ibi *Memor eſto huius.* In ptima tria. Primò admiratiua conqueſtio de illius populi repulſione. Secundò excitatio Dei ad miſerandum ſuper illius populi afflictione, ibi, *Memor eſto congregationis.* Tertiò imprecatio aduerſariis illorum pro nimia ſeueritate, & crudelitate, ibi, *Leua manus.* In prima duo. Primò admiratiua conqueſtio quare Iudæos repulerit à ſua protectione. Secundò quare expoſuerit illos omni miſeriæ, ibi, *Iratus eſt.*

Dicit ergo: Sic Domine bonus es, vt oſtendi in Pſalmo præcedenti, & tamen *repuliſti* à tuâ protectione & defenſione, *oues paſcuæ tuæ.* Populum quem ſolebas doctrina legis & Prophetarum paſcere. Suprà in *Pſal.* Deus repuliſti nos, & deſtruxiſti nos. *Thren.* 1. Repulit Dominus altare ſuum. Sed contra in *Pſal.* Non repellet Dominus plebem ſuam. Et *Roman.* 10. Nunquid Deus repulit plebem ſuam? Abſit. Reſp. De finali repulſione intelligitur, & de plebe, quæ vera plebs eſt per æternam electionem. Hic autem intelligitur de repulſione per pœnam temporalem, & culpam: & de plebe, etiam non electa Deo ad gloriam æternam poſſidendam.

Repuliſti ergò *oues paſcuæ tuæ*, & hoc *in finem*, id eſt, omninò, ex toto, vt nec templum habeant, nec Regem. *Mich.* 1. Ieruſalem in aceruum lapidum erit, & mons templi in excelſa ſyluarum.

Iratus eſt furor tuus, eos omnibus miſeriis exponendo, paſcua ſubtrahendo. Et eſt modus loquendi ad grauandum. *Thren.* 2. Deſtruxit in furore mœnia virginis filiæ Iuda. Et in 4. Compleuit Dominus furorem ſuum, effudit iram indignationis ſuæ. Et hoc, *ſuper oues paſcuæ tuæ*, quarum ipſe paſtor eras. *Pſal.* Deduxiſti ſicut oues populum tuum. *Iſa.* 40. Sicut paſtor gregem ſuum paſcet. Propter hoc dicebamus in *Pſal.* Nos autem populus tuus, & oues. Sed *vt quid?* Quia terrenis inhæſerunt, & te dereliquerunt, imò non nouerunt. *Iſa.* 1. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe, &c. Et addit: Populus meus me non cognouit, & Iſraël non intellexit. *Ierem.* 8. Miluus in cœlo cognouit tempus aduentus ſui: populus autem meus non cognouit iudicium Dei ſui.

2. *Memor eſto congregationis.* Hîc eſt ſecundum, in quo orat, vel magis excitat diuinam pietatem ſuper illorum miſeria: & hoc repetendo beneficia, quæ illi populo contulit: & dicuntur duo. Primò excitat diuinam bonitatem ad eos. Secundò ſubiungit multiplicem perſuaſionem, quod debet eſſe benignus eis: quæ ſunt quatuor, primò quia ſui. *Congregationis tuæ.* Secundò quia ab eodem conditi, quod plus eſt. *Quam poſſediſti.* Tertiò quia liberati per ipſum ab Ægyptiaca ſeruitute. *Redemiſti virgam.* Quartò, quòd eius cultui principaliter mancipati, & ab eo ſingulariter inſtructi. *Mons Sion in quo habitaſti.* Dicit ergo: Sic quæſiui quare repellis & affligis, & ô Domine, *memor eſto*, beneuolentiam exhibendo & liberationem à miſeriis, qui videris oblitus. *Neem.vltim.* Memento mei Deus in bonum. *Thren.* 4. Recordare quid acciderit nobis, intuere & reſpice opprobrium noſtrum. Nec cuiuſlibet dico te eſſe memorem, ſed *congregationis tuæ*, quæ tua eſt, & à te iuſtiſſimè poſſeſſa. *Deut.* 32. Iacob funiculus hæreditatis eius. *Deuteron.* 7. Elegit te Dominus Deus tuus vt ſis ei populus peculiaris.

Quam poſſediſti ab initio, id eſt, quam ex quo creaſti, ipſo iure poſſediſti: vnde alia litera habet: Quam creaſti. *Deuteron.* 32. Nonne ipſe

eſt

eſt Deus tuus, qui creauit, & fecit, & poſſedit te? Vel poſſediſti in Patriarchis, & patribus antiquis. Et hoc eſt *ab initio. Exod.* 32. Memento Abraham, Iſaac, & Iſraël ſeruorum tuorum fidelium.

Populus Iudæorum fuit hæreditas Domini.

Redemiſti virgam. Ecce tertium. Quaſi diceret: Non ſolum tui ſunt, nec à te tantummodo creati, imò *redemiſti* de dura ſeruitute Ægypti, *virgam hæreditatis tuæ*, id eſt, portionem tuam, quaſi virgam ſignatam, & ab alia gente diſtinctam. Hæc virga figurata fuit in illa virga Moſaïca, quæ proiecta in terra, verſa eſt in colubrum, ſed reſumpta, fuit iterum virga. *Exod.* 4. Sic illa gens ad terram conuerſa facta eſt ſerpentina, quæ tamen redibit ad Deum poſteà in fine temporum. *Iſa.* 10. Si fuerit numerus filiorum quaſi arena, quæ eſt in littore maris, tamen reliquiæ ſaluæ fient.

Mons Sion. Hîc quartum. Quaſi diceret: Non tantum tui à te conditi & redempti, ſed etiam *mons Sion*, eſt ſup. *in quo habitaſti*, per cultum ſpecialem, & feciſti fieri templum, qui mons pertinet ad illam gentem. Et ſuperfluit, *in eo*, ſecundum quod frequenter fit in illo idiomate. *Ierem.* 14. Solij gloriæ tuæ recordare, nec irritum facias pactum tuum nobiſcum. Imò tandem inhabitaſti corporaliter in Ieruſalem prædicando, & in templo. *Pſal.* Homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam Altiſſimus. In ea, id eſt, in illa terra, quæ tota ad Ieruſalem pertinebat. Et ipſe fundauit eam Altiſſimus. *Leuit.* 20. Habitabo inter vos, & ero veſter Deus.

3. *Leua manus tuas.* Hîc tertium primæ partis huius Pſalmi, in quo aduerſariis imprecatur: & dicuntur duo. Primò imprecatio. Secundò conqueſtio de dilatione affligendi illos, ibi, *Signa noſtra non vidimus.* In prima duo. Primò imprecatio. Secundò perſuaſio multiplex vt acquieſcat imprecationi, ibi, *Quanta maligratus.* Dicit ergo: Sic memor eſto tuorum, quos videris repuliſſe, & *leua manum in*, id eſt, ſuper, *ſuperbias eorum*, qui eos deſtruxerunt. *Eccleſ.* 35. Alleua manum tuam ſuper gentes alienas, vt videant potentiam tuam. *Iſa.* 23. Manum ſuam ſuper mare, id eſt, ſuper ſuperbiam, leuabit, vel extendet.

Superbia mari comparatur.

Superbia autem mare dicitur, quia creſcit aduenientibus aquis diuitiarum, quantò enim ditantur multi, tantò ſuperbiunt, & extolluntur. Hoc ſentiebat Paulus qui dicebat 1. *Tim.* 6. Diuitibus huius ſæculi præcipe non altum ſapere, nec ſperare in incerto diuitiarum. Item quia vento gloriæ intumeſcit ſuperbus & inflatur ſicut mare. *Sap.* 4. Diſrumpet illos inflammatos, &c. 2. ad *Cor.* 6. Et vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis? Mare etiam fœtidum eſt: ſic ſuperbia Deo & hominibus. *Eccleſ.* 10. Odibilis eſt Deo & hominibus ſuperbia. Et optimè quia ſuperbi alti ſunt, dicit: *Leua manus tuas*, & ipſe reſpondet *Deut.* 32. Leuabo ad cœlum manum meam.

Quanta malignatus. Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur multiplex perſuaſio: & dicuntur duo. Primò ſumit rationes ab iis quæ fecerunt, vel facere propoſuerunt. Secundò ab ipſa faciendi intentione, ibi, *Polluerunt.* In prima duo. Primò ab iis quæ fecerunt ante deſtructionem. Secundò ab iis quæ in ipſa deſtructione. *Quaſi in ſylua.* In prima dicuntur quatuor, ſecundum quatuor quæ deſtructionem anteceſſerunt. Primò ipſorum maligna impugnatio. Secundò gloriatio de impugnatione peſſima, ibi, *Et gloriati ſunt.* Tertiò ſignorum poſitio in ſignum victoriæ in ciuitate, ibi, *Poſuerunt ſigna.* Quartò attributio victoriæ propriæ virtuti, & non Deo, ibi, *Et non cognouerunt.* Dicit ergo: Leua manus vt percutias inimicum, quia *quanta*, id eſt, quàm dura, & quàm miſera, *malignatus eſt*, malignè ſcilicet operatus eſt *inimicus*, gentilis populus, & idololatra, *in ſancto*, id eſt, in iis, quæ ſancta tua erant. *Thren.* 1. Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia eius. 1. *Mach.* 2. Sancta in manu exterorum facta ſunt, & templum eius ſicut homo ignobilis, & ipſi Prophetæ, & ſancti, contra illud *Pſal.* In Prophetis meis nolite malignari.

Et gloriati ſunt. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Non tantum ſunt malignati, imò & *gloriati ſunt*, quod peſſimum eſt, quia gloria peccati nulla petenda tibi eſt. Et in *Pſal.* Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? *Prou.* 1. Qui lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis. *Qui oderunt te*, ô tu Deus. *Pſal.* Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper. 4.

Sed quia quidam dicunt, quòd Deus odiri ab aliquo non poteſt per illud quod dicit *Auguſt.* Deus quem diligit, quicquid diligere poteſt: poteſt referri ad Ieruſalem: *In medio ſolemnitatis tuæ*, Paſchalis, quia, ſicut narrat *Euſebius*, anno à paſſione Domini 42. cùm Iudæi eſſent in Ieruſalem congregati ad celebrandum Paſcha, tunc Titus & Veſpaſianus intrauerunt vrbem, & gloriati ſunt de victoria, & omnes congregatos ceperunt ipsâ die qua interfecerunt Chriſtum, vt impleretur quod dictum fuerat per *Ierem.* in 12. dicentem: Congrega eos ſicut gregem ad victimam. *Amos* 5. Odi & proieci ſolemnitates veſtras. *Malach.* 2. Diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolemnitatum veſtrarum. 1. *Mach.* 2. Dies feſti eius conuerſi ſunt in luctum.

Hæc poſſunt dici multis clericis in ſolemnitate Paſchali: in medio enim ſolemnitatis, ad literam, inter Miſſam & veſperas ſunt in luſibus & choreis poſt comeſtionem ſuperfluam. *Exod.* 31. Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere. *Thren.* 2. Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt ſabbata eius. *Iſa.* 1. Sabbata veſtra, & neomenias, & ſolemnitates veſtras non feram, facta ſunt mihi moleſta, laboraui ſuſtinens.

Poſuerunt ſigna. Hîc eſt tertium. Quaſi diceret: Sic ſunt gloriati, & etiam *poſuerunt ſigna ſua*, vexilla in quibus erant depictæ aquilæ, & dracones: ſigna captionis, ſtatuentes illa ſuper muros Ieruſalem, & turres. *Oſea* 8. In gutture tuo ſit tuba. Quaſi diceret: Clama fortiter & horribiliter. Quaſi aquila, Romanorum, ſuper domum Domini. 2. *Paral.* 33. Manaſſes poſuit ſigna ſuper domum Domini. Hæc ſunt ſigna de quibus *Iſa.* 5. Leuabit Dominus ſigna in nationes procul. Sic in ſignum

captionis ſuiipſius à diabolo, quidam portant ſigna praua in capitibus, tonſuras, coronas florum, & ſuperflua veſtium ornamenta. *Ezech.* 16. Ad omne caput viæ ædificaſti tibi ſignum proſtitutionis tuæ.

5. *Et non cognouerunt.* Hîc quartum, quòd ſibi attribuerunt illam victoriam: vnde ſecundum communem literam duo tanguntur. Primò monſtratur eorum excæcatio, quia ſibi attribuerunt victoriam. Secundò ſpecificatur quomodo poſuerunt ſigna ad monſtrandum magis illorum ſuperbiam. *Sicut in exitu.* Ait enim: Poſuerunt ſigna, *& non cognouerunt*, hanc victoriam à Deo fuiſſe, ſuperbia excæcati. *Iſa.* 10. In fortitudine manus meæ, ego feci, & abſtuli terminos populorum, & principes eorum. Ipſi, dico, ponentes ſigna, *ſuper ſummum* turrium & murorum, *ſicut in exitu*, ſunt portæ & muri, ſic fit in illis captis.

Et nota ordinem. Primò enim homines excæcantur vt non intelligant veritatem. 2. ad *Corinth.*4. Deus enim huius ſæculi excæcauit mentes hominum infidelium. Poſtea ſigna ſua ponit in exitibus inferioribus, & in ſummis, id eſt, in maioribus. *Ierem.*6. A minori vſque ad maiorem omnes auaritiæ ſtudent. *Iſa.* 24. Et erit ſicut populus, ſic ſacerdos. Item exitus ſunt extrema corporis noſtri membra, ſicut pedes & manus, ſummum caput. In his ponunt dæmones ſigna ſua, in manibus chirothecas, in pedibus ſtrictiſſimos ſotulares, in capitibus coronas, & non cognoſcunt, quòd inde damna animabus proueniunt. *Iſa.*1. A planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas. *Sapient.* 3. Vbique relinquamus ſigna lætitiæ noſtræ, non ſit pratum quod non pertranſeat luxuria noſtra. Ad literam per muros ciuitatum, per prata adiacentia incedunt.

Damõ ſigna ſua ponit in externis, partibus hominis.

Alias portas.

6. *Quaſi in ſylua lignorum.* Hîc ſecundum, in quo poſtquam oſtendit eorum malitiam deſtructionem ciuitatis præcedentem, hîc ſubiungit de malitia concomitante illam: & dicuntur duo ſecundum duplicem modum deſtruendi. Primò in deiectione murorum & turrium: & primò tangitur. Secundò in combuſtione contentorum in muris & turribus, ſcilicet domorum, ibi, *Incenderunt igni.* In prima duo. Primò introgreſſio violenta, & quaſi præparatio ad deiectionem. Secundò deiectio, ibi, *In ſecuri & aſcia.* Dicit ergo: Sic quaſi victores poſuerunt ſigna ſuper muros, & in portis, *& exciderunt ianuas eius*, ciuitatis ſcilicet Ieruſalem, vt eſſet omnibus liber introitus, *quaſi in ſylua lignorum* eſſent, ipſi, dico, *in idipſum* exiſtentes omnes in vno, ſcilicet anima vna & voluntate. *Thren.*1. Omnes portæ eius deſtructæ. Et in 4. Non crediderunt Reges terræ, & omnes habitatores eius, quod ingrederetur hoſtis per portas Ieruſalem. *Deiecerunt eam.* Poſtquam ingreſſi ſunt, turres & muros proſternendo, *in ſecuri*, minores partes deſtruendo, *& aſcia*, minores comminuendo. *Thren.* 2. Deſtruxit & diſſipauit omnia mœnia eius. Hoc minatus fuerat eis Saluator *Luc.*19. Ad terram proſternent te, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem.

Prælati ſunt portæ Eccleſiæ.

Portæ Eccleſiæ, ſcilicet ſpiritualis Ieruſalem ſunt prælati, qui intromittunt vel expellunt: vnde primi prælati Apoſtoli portis comparantur *Apocal.*21. Sed dæmones in idipſum conuenerunt, & quaſi conſpirauerunt vt ipſos deiiciant. *Iob* 49. dicitur de ſquamis behemoth: Vna vni coniungitur, vt nec ſpiraculum quidem incedat per eas. *Oſeæ* 10. Congregabuntur ſuper eos populi, &c. *Luc.*11. Aſſumit ſeptem ſpiritus nequiores ſe. Et inuadit portas, prælatos, parum curans de aliis. 1. *Reg.vlt.* Totum pondus prælij verſum eſt in Saül. 2. *Reg. vlt.* Non pugnabitis contra minorem quempiam, aut maiorem, niſi tantum contra Regem Iſraël. Et deiiciunt has portas & comminuunt. *Thren.* 2. Defixæ ſunt in terra portæ eius.

7. *Incenderunt igni.* Hîc ſecundum, in quo tangitur deſtructio per combuſtionem. Quaſi diceret: Sic deiecerunt alta & fortia, & poſt conſummationem deſtructionis *incenderunt ſanctuarium tuum*, illam ciuitatem tuam ſanctam, vel ipſum templum, vel magis vtrumque, quia ciuitatem vſque ad templum. *Iſa.*64. Facta eſt in exuſtionem ignis, & omnia deſiderabilia eius verſa ſunt in ruinas. *Thren.*4. Succendit Dominus ignem in Sion, & deuorauit fundamenta eius.

Sanctuarium Dei ſunt & eſſe debent ſpiritualiter Clerici, quos ſuccendit igne luxuriæ diabolus, mediante guloſitate. 4. *Reg.vlt.* Nabuſardan princeps coquorum ſuccendit templum. *Ioël.*1. Ignis conſumpſit ſpecioſa deſerti, mundi ſcilicet Clericos.

In terra polluerunt. Hîc tertium, in quo ſubiungitur deſtruentium intentio per ea, quæ ſequuta ſunt deſtructionem. Apparet autem per hoc quod dicitur hîc, quòd non quærebant honorem Dei in illis factis: & duo tanguntur quæ pertinent ad deſtructionem diuini cultus. Primò pollutio templi, quod reſpicit ad locum. Secundò ſolemnitatum annihilatio, quod reſpicit ad tempus cultus. *Dixerunt in corde ſuo.* Dicit enim: Sic totum deſtruxerunt vſque ad combuſtionem, & etiam poſtea, *polluerunt tabernaculum nominis tui*, templum nomini tuo deputatum polluerunt, priuatas ad literam ædes facientes, & ſtabula iumentorum. *Pſal.* Polluerunt templum ſanctum tuum. Sicut aliàs factum fuerat, tempore ſcilicet Antiochi. 1. *Machab.*1. Contaminauerunt ſanctificationem.

Tabernaculum nominis Dei ſunt propriè Chriſtiani, & ſpecialiùs Clerici & Prælati. Iſti ſunt de quibus ſpecialiùs dicitur *Prou.* 8. Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. *Apoc.* 21. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. Sed hoc polluitur per abominationes & peccata. *Ezechiel.*22. Sacerdotes contemſerunt legem, polluerunt ſanctuaria, & coinquinabar in medio eorum.

Et hoc *in terra*, fixi per amorem: ex amore enim terrenorum accidit omnis pollutio. *Malach.* 1. Vos polluitis illud. Quid illud? Et ſanctuarium, & templum, & nomen ſanctum meum.

8. *Dixerunt in corde.* Hîc ſecundum, annihilatio ſolemnitatum, quia ex deliberatione & conſpiratione omnium. Deliberatio notatur in hoc quod dicit, *In corde ſuo.* Conſpiratio in hoc quod additur, *Simul.* Dicit ergo: Sic

pollue

polluerunt locum, & etiam *dixerunt*, non sine deliberatione, sed *in corde. Psal.* Iniquitatem meditatus est in cubili suo. *Sap.*2. Dixerunt impij apud se, non rectè cogitantes.

Et hæc, *Cognatio eorum simul*, vt nec vnus deesset, qui non concordaret. *Eccl.*21. Stupa collecta peccantium synagoga. *Ose.* 13. Colligata est iniquitas Ephraim. *Iud.*15. Vulpes Samsonis erant adinuicem colligatæ.

Sed quid dicebant? *Quiere faciamus omnes dies festos Dei à terra*, vt sic tota Dei deleatur memoria: libenter enim procurat diabolus, vt non fiant solemnitates. *Thren.*1. Viæ Sion lugent, eò quòd non sint qui veniant ad solemnitatem.

Quæ festa sint maximè exosa diabolo.

Et nota, quòd valdè libenter procurat, ne fiat festum natiuitatis, quod valdè est iocundum. *Luc.* 11. Ecce annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. Hoc festum fit in baptismo, quando homo filius Dei efficitur, & ei nascitur de aquis baptismatis. *Ioan.*1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Et iterum per pœnitentiam: per contritionem enim nascitur homo natiuitate in vtero, per confessionem natiuitate ex vtero. Hoc est magnum festum matris Ecclesiæ. *Ioan.*16. Mulier cùm parit, tristitiam habet: cùm autem peperit, iam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundo: primò toti curiæ cœlesti. *Luc.*15. Maius gaudium est in cœlo Angelis Dei, &c. Et istud festum nititur diabolus amouere omnino. *Apocal.* 12. Draco stabat ante mulierem parituram, vt partum eius impediret, vel deuoraret statim. Et similiter passionis, quæ est in satisfactione, quæ debet esse hilaris. *Eccles.*35. In omni dato hilarem fac vultum tuum. *Matth.*6. Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Et infrà: Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua. 2. ad *Corinth.*9. Hilarem datorem diligit Deus. Sed hoc annihilare vult, tentationes & tribulationes immittendo, sicut filios Israël exeuntes de Ægypto, vt sacrificarent Deo in deserto, Pharao nisus est impedire. *Exod.* 14. Et festum resurrectionis, quod in nobis fit, cum tota intentione superna quærimus, spretis his terrenis. *Col.* 3. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, &c. Ita quod non moriamini iterum in peccato, sed sicut de Christo dicitur *Roman.*6. Christus resurgens ex mortuis iam non moritur. De hoc festo in *Psal.* Reliquiæ cogitationis, sursum ad æterna tendentium, diem festum agent tibi. Hoc festum diabolus nititur destruere, cupiditatem & amorem terrenorum ingerendo. *Ioan.*12. Cogitauerunt ergo vt Lazarum, qui suscitatus erat, interficerent. Et festum ascensionis, quod fit, cùm homo de virtute in virtutem potenter ascendit. *Psal.* Ascensiones in corde suo disposuit. Hoc festum mirantur Angeli. *Cant.*3. Quæ est ista quæ ascendit de deserto, sicut virgula fumi, &c. Sed hoc tollit diabolus, si potest, per pueros Hiericontinos, & mundi irrisores, qui ascendentes irrident. 4. *Reg.* 2. Dicebant pueri de Hierico Eliseo, Ascende calue, ascende calue. Et festum missionis Spiritus sancti, quod faciunt contemplatiui, qui illuminantur & ardent amore Dei. Hoc est festum Sabbati. *Exod.*20. Memento vt diem Sabbati sanctifices. Festum anni iubilæi. *Leu.* 26. Sed hoc impedit diabolus, & annihilat, si potest, per curiosos & amatores huius mundi. *Luc.* 10. Martha volebat interrumpere festum Mariæ. Domine, inquit, non est tibi curæ, quòd soror mea, &c.

Signa nostra. Hìc secundum totius huius partis, in quo postquam petiuit inimicorum deiectionem, multiplici persuasione additâ, addit consequenter conquestionem de dilatione: & dicuntur tria. Primò conqueritur de dilatione sumens rationem à parte populi afflicti & miseri. Secundò à parte affligentis inimici, ibi, *Vsquequo Deus*? Tertiò à parte Dei, qui liberator deberet esse, ibi, *Vt quid auertis*? In prima tria secundum triplicem defectum de quo conqueritur. Primò, quòd careant signis in ænigmatibus futurorum ostensiuis. Secundò, quòd Prophetis futura nuntiantibus. *Iam non est propheta.* Tertiò, quòd liberatoribus in præsenti miseria in qua sunt, ibi, *Et nos non cognoscet.* Dicit ergo: Sic Domine rogo vt leues manum in superbias inimicorum, sed multum differs, quia *signa nostra*, quæ solebamus videre, quando eramus in captiuitate, vt liberaremur, *non vidimus* adhuc aliqua existentes in periculo. Tempore Achaz signum habuerunt de sua liberatione. *Isa.*7. Pete tibi signum à Domino Deo tuo. Et post pauca: Propter hoc dabitut Dominus ipse vobis signum. Signum etiam habuerat Abraham de liberatione filiorum suorum de Ægypto. *Genes.* 15. Signa etiam multa fecit eis Moyses vt eos liberaret: sed hæc euacuata sunt. 9.

Iam non est Propheta, nostram salutem nuntians, & prædicens liberationem: & hoc nostris nuntiis dicere possunt. *Ezech.* 3. Adhærere faciam linguam tuam palato tuo, quia populus exasperans est. Et propter hoc dissipamur. *Prouerb.* 30. Cum defecerit prophetia, dissipabitur populus.

Et nos non cognoscet amplius, vt liberet, sed in miseria permittet. *Iob.* 8. Negabit illum, & dicet, Non noui te: quippe quia non sunt de ouibus eius. *Ioan.*10. Ego cognosco oues meas.

Tria signa primitiua Ecclesiæ.

Hanc lamentationem possunt facere Sancti super modernam Ecclesiam. Signa enim nostra, quæ à Christo accepimus, non vidimus, signum scilicet paupertatis, de quo *Luc.*2. Et hoc vobis signum: Inuenietis infantem pannis inuolutum. Signum asperitatis, & doloris, de quo *Exod.* 12. Sanguis erit vobis in signum in ædibus vestris. *Ezech.* 9. Signa Thau in frontibus virorum gementium, & dolentium. Signum humilitatis, cum in aperto sunt pauperes & miseri. *Apocal.*9. Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoad vsque signemus seruos Dei nostri, non in occulto, sed, in frontibus eorum. Sed in *Psal.* dicitur: Turbabuntur qui habitant terminos, temporalia quæ cito terminantur: à signis tuis, tribus dictis.

Iam non est Propheta, qui fide sincera intendat in æterna. *Ierem.*5. Quærite in plateis Ierusalem, an inueneritis virum facientem iudicium, & quærentem fidem. Et propter hoc à Deo amplius non cognoscimur cognitione

approba

approbationis. *Matth.* 7. Amen dico vobis, Neſcio vos. Et 25. ſimiliter.

10. *Vſquequo Deus.* Hîc ſecundum, in quo ſumit rationes à parte inimici affligentis : & dicuntur duo. Primò conqueritur, quòd aduerſarij Deum impugnant & ſuos verbis. Secundò factis, ibi, *Irritat aduerſarius.* Dicit enim : Sic ſumus in miſeria, ſed ô Deus *vſquequò improperat inimicus ?* tibi, & tuis detrahens verbis. *Thren.* 1. Vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus eſt inimicus. Suprà in *Pſal.* Factus ſum opprobrium vicinis meis valdè, & timor notis meis.

Irritat, prouocando factis, *aduerſarius nomen tuum*, filium tuum, qui nomen tuum eſt, vt ab eo affligatur. Sed *in finem*, ducendo ipſum aduerſarium. *In finem*, in te Deum, qui es omnium finis. *Iſa.* 65. Populus meus qui ad iracundiam prouocat te, coram me eſt ſemper. *Ierem.* 32. Exacerbauerunt me in opere manuum ſuarum. Propter hoc dicitur *Deut.* 32. Ipſi prouocauerunt me in eo qui non erat Deus, ipſum adorando : & ego prouocabo eos in eo qui non eſt populus, ipſos per illum affligendo. Vel : *Irritat nomen tuum in finem*, id eſt, vſquequò ſit finis ſæculi, & tunc conuertentur.

11. *Vt quid auertis ?* Hîc tertium, in quo ſumit rationes, à parte Dei. Ait enim : Sic inimicus & verbis & factis irritat te. Vt quid tu qui tam pius & miſericors eſſe conſueuiſti, *auertis manum tuam, & dexteram tuam*, ſcilicet populum Iudæorum, *de medio ſinu tuo*, vt non conuertas eum in ſinum tuum, ſed magis auertis à ſinu, non dirigens ipſum *in finem*, id eſt, in Chriſtum. Iudaicus ergo populus Dei manus dicitur, manus in ſinu Dei ſana, ſed extra leproſa, & vilis. *Exod.* 4. Cum enim Deo adhæſerunt, bene fuit eis : quando elongati, tunc leproſi, & viles. Hæc manus eius dextera, in qua confringebat fidei aduerſarios. *Exod.* 16. Dextera tua magnificata eſt in fortitudine, dextera tua percuſſit inimicum. Sed hanc manum tanquam membrum putidum proiecit à ſe, & dedit in aliam manum. *Ezechiel.* 7. Dabo eum in manum alienam. *Thren.* 1. Dedit me Dominus in manu de qua non potero ſurgere. Et adhuc tenet eam paratus plus percutere. *Iſa.* 9. Adhuc manus eius extenta, & populus non eſt reuerſus ad percutientem. Hanc manum elongauit à Chriſto fine. *Apocalypſ.* 1. Ego ſum *α*, & *ω*.

Cur Iudaicus populus dicitur manus Dei.

12. *Deus autem rex noſter ante ſæcula.* Hîc eſt ſecunda pars totius huius Pſalmi : præmiſſa enim lamentariuâ conqueſtione ſuper miſeria Iudæorum, hîc ſecundo ſubiungit de ſalute exhibita toti mundo per Chriſtum in redargutionem excæcatorum Iudæorum, qui nolunt credere : & dicuntur tria in hac parte. Primò exhibitio ſalutis in publico. Secundò ſpecificatio, & modi, & ordinis in ſaluando. *Tu confirmaſti.* Tertiò commendatio Saluatoris quaſi ad probandum, quòd ſic ſaluare potuerit, ibi, *Tuus eſt dies.* In prima duo. Primò à quo ſalus ſit facta. Secundò, quòd in publico exhibita. *In medio terræ.* Dicit ergo : Sic relicti ſunt & abiecti, & ab inimicis conculcati. *Deus autem rex noſter. Iſa.* 33. Dominus rex noſter, Dominus iudex noſter, Dominus legifer noſter, Deus in diuina, rex in humana natura. *Apocalypſ.* 9. Habet in veſtimento, in natura humana, quæ fuit diuinitati quaſi veſtimentum. Ad *Phil.* 2. Habitu inuentus vt homo. Et in femore, id eſt, in connaturali origine, ſcriptum : Rex regum, & Dominus dominantium. *Ante ſæcula* exiſtens in diuinitate. Contra Arium, qui dicit Dei filium, puram creaturam. *Eccleſ.* 24. Ab initio & ante ſæcula creata ſum.

Operatus eſt ſalutem, ſecundum illud *Exod.* 15. & *Iſa.* 12. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. *Abac.* 3. Egreſſus es in ſalutem populo tuo. *Matth.* 1. Vocabis nomen eius IESVM : ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Et hoc *in medio terræ*. Ecce locus. Et nota, quòd operatus eſt ſalutem in incarnatione in medio terræ, id eſt, in vtero Mariæ, quæ terra dicitur in *Pſal.* Benedixiſti Domine terram tuam. *Iſa.* 45. Aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Item in paſſione, & hoc in medio terræ, id eſt, Ieruſalem, quæ dicitur terræ vmbilicus. *Luc.* 13. Non capit Prophetam perire extra Ieruſalem. Et *Matth.* 23. Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas. Item quotidiè operatur ſalutem in medio terræ, in exhibitione ſui in cibum ſalutarem : & hoc in medio terræ, Eccleſiæ ſcilicet, quæ eſt terra benedicta fluens lacte & melle. *Pſal.* Benedixiſti Domine terram tuam. In primo opere ſe nobis, & nos ſibi conformauit. In ſecundo reformatos redemit. In terio reformatos & redemptos reficit.

Chriſtus ſecundum per in medio.

Nota ergo, quòd in medio conceptus. *Iſa.* 12. dicit ad Virginem : Magnus in medio tui ſanctus Iſraël. In medio natus. *Abac.* 3. ſecundum aliam literam : In medio duorum animalium innoteſcens. In medio oblatus. *Pſal.* Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui. In medio conuerſatus, nec nimiam prætendens auſteritatem, nec nimis remiſſam vitam. *Ioan.* 1. Medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis. In medio in Paſſione. *Luc.* 23. Crucifixerunt autem cum eo duos latrones, vnum à dextris, alterum à ſiniſtris, medium autem IESVM. In medio in reſurrectione. *Luc. vlt.* Stetit IESVS in medio diſcipulorum ſuorum. Semper ergo in medio eſt, vt oſtendat quòd virtus eſt in medio, & quod non ſumus in angulo, ſed in publico, vt omnibus omnia facti cum Paulo 1. ad *Cor.* 9. omnibus viuamus.

13. *Tu confirmaſti.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur & modus & ordo operandi ſalutem, per tria beneficia omnibus in publico exhibita. Primum eſt beneficium vocationis. Secundum ereptionis à poteſtate diabolica, ibi, *Contribulaſti.* Tertium, inſtructionis abundantis, ibi, *Tu dirupiſti.* Dicit ergo : Sic dixi, quòd ſalutem operatus es in medio terræ : & verè, quia ô Domine *tu confirmaſti*, id eſt, firmata voluntate & recta vocaſti *mare*, Gentes fluxibiles, & amaras : & hoc, *in virtute tua*, quæ ſola hoc potuit. *Pſal.* In te confirmatus ſum, dicit Gentium populus, ex vtero, ex principio Eccleſiæ.

Ecclesiæ. *Matth.*8. Imperauit ventis & mari,& facta est tranquillitas magna. Vel *confirmasti*, reprimendo à peccato, & deficcando. *Num* 1. Increpans mare, & exiccans illud. Hoc significatum fuit *Exod.* 14. vbi virtute Domini aquæ maris sunt adinstar marmoris solidatæ.

Contribulasti. Hîc,secundum, in quo subiungitur de beneficio ereptionis à diabolo : & dicuntur duo. Primo annihilatio potestatis diaboli. Secundò membrorum eius conuersio, & coniunctio corpori Ecclesiæ, ibi, *Dedisti eum.* In prima duo. Primò annihilatio potestatis diaboli in suggerendo peecatum simpliciter. Secundò in suggerendo superbiam specialiter, ibi, *Tu confregisti.* Ait enim : Sic confirmasti mare, & *contribulasti capita*, potestates, & peccata, *draconum*, dæmonum, *in aquis*, scilicet baptismatis.Hoc significatum fuit etiam *Exod.* 15. vbi post aquarum solidationem, ingressi Ægyptij sunt submersi. Sic potestas & peccata dæmonis virtute baptismi.*Ezech.*36. Effundam super vos aquam mundam, & mundamini ab omnibus inquinamentis vestris. *Ioël. vlt.* Egredietur foris, id est, de domo domini : & & irrigabit torrentem spinarum, punctiones peccatorum impetuosè currentium. *Zach.* 13. Erit fons patens domui Dauid in ablutionem peccatorum, & menstruatæ. *Mar.vlt.* Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.

14. *Tu confregisti.* Hic secundum, eius annihilatio inquantum suggerit superbiam specialiter. Quasi diceret : Sic contribulasti capita draconum in aquis,& etiam *tu confregisti*,comminuendo, annihilando, *capita draconum*, principales & capitales suggestiones dæmonis, quæ sunt de superbia nostri. De virgine humillimâ dictum est *Genes.* 3. ad serpentem. Ipsa conteret caput tuum. Qui etiam draco dicitur *Apocal.*12. Proiectus est draco magnus, serpens antiquus.

Dedisti eum. Hîc tangitur membrorum eius conuersio ad vnitatem Ecclesiæ. Ait enim : Sic confregisti, & etiam *dedisti eum*, draconem scilicet, *escam populis Æthiopum*, Gentilibus prius nigris, & horridis per peccatum.

Diuersimodè vincitur & illuditur diabolus.

Notandum enim, quòd quidam illudunt diabolo, sicut qui ad suggestionem eius claustrum intrat,& postea perseuerat. *Iob* 40. Nunquid illudes ei ? quasi aui ? Alij suscitant dormientem,qui eum bonis operibus prouocant vt se impugnet.*Iob* 3.Qui parati sunt suscitare Leuiathan. Alij ligant, qui rationibus impediunt ne possit nocere. *Iob* 40. Nunquid alligabis eum, Behemoth scilicet, ancillis tuis, id est, orationibus Sanctorum, qui infirmos se reputant vt ancillæ ? Alij concidunt, alios exhortationibus ab eius vnitate separantes, qui erant eius membra. *Iob* 49. Concident eum amici,diuident eum negotiatores. Abscinditur ei cauda cùm auferuntur luxurioſi. Lingua cum detractores, adulatores, & mali aduocati, & hæretici : auris cum talium auditores. Alij conculcant & conterunt concisum, eius promissiones & comminationes vilipendendo. Ad *Rom. vlt.*Conterat Dominus satanan sub pedibus vestris. Alij comedunt, qui eius membra in corpus Ecclesiæ cuius sunt dentes, trahunt, & sibi vniunt, secundum quod hîc dicitur. Hinc dictum est Petro *Act.* 10. Surge Petre, macta, & manduca : hæc reptilia, hos serpentes, qui priùs fuerant quasi dæmones,id est, dæmonum membra, Ecclesiæ incorpora.

Tu dirupisti fontes. Hic est tertium, in quo 15.
subiungitur de tertio beneficio,quod est abundans doctrinæ effusio : sed quia non posset hoc bene fieri, nisi peruersa cessarent,dicuntur duo. Primò doctrinæ sanctæ abundans effusio. Secundò conclusio aliarum, ibi, *Tu siccasti.* In prima duo. Primò effusio doctrinæ per maiores prædicatores, & continuè officium exercentes. Secundò per minores, & timore aliquando desistentes. *Et torrentes.* Ait enim : Sic cessare fecisti à malo, ad fidem conuertisti, & etiam, *tu dirupisti*, vt fluerent abundanter, *fontes*, prædicatores promptos, & in doctrina abundantes. Hoc factum fuit quando Apostolos misit, qui per duodecim fontes repertos in Helin sunt designati *Exod.*15. Hi sunt de quibus *Isa.*12. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.*Isa.*41. Aperiam in summis collibus flumina, in medio camporum fontes. *Et torrentes*, dirupisti, sup. Doctores, siue prædicatores modò fluentes, modò timore mundano vel humano cessantes. In medio camporum *torrentes* dirupisti. De torrentibus iis *Isa.* 25. Scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine.

Tu siccasti, siccos fecisti, *fluuios Ethan*, quod interpretatur fortis, id est, diaboli, de quo *Luc.* 11. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet.*Iob* 40. Non est potestas super terram, quæ ei valeat comparari. Huius fluuij sunt scientiæ seculares physicæ, lucratiuæ, erroneæ. 1. ad *Corinht.* 1. Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. *Isa.*29. Peribit sapientia à sapientibus flante vento vrente, scilicet Spiritu sancto. *Ose.*13. Adducet Dominus ventum vrentem à regione deserti, & siccabit venas eius.

Tuus est dies. Hîc subiungitur beneficij com- 16.
mendatio, & commendatur à potestate in superioribus primò. Secundò in inferioribus, ibi, *Tu fecisti omnes.* Tertiò in mediis,ibi, *Æstatem & ver.*In prima duo.Primò ostendit potestatem in effectu corporum superiorũ.Secundò in causâ,ibi,*Tu fabricatus es.*Dicit ergo:Hæc beneficia contulisti, & potuisti, quia *tuus est dies, & tua est nox*, quæ sunt superiorum corporum effectus, & tamen in tua potestate. *Iob* 37. In manibus suis abscondet lucem, id est, in potestate,& præcipit ei vt rursus adueniat facta nocte. *Genes.*1.Diuisit lucem à tenebris, appellauitque lucem diem, & tenebras noctem.

Spiritualiter autem per diem intelliguntur perfecti. Suprà in *Psal.* Dies diei eructat verbum. Per tenebras peccatores culpis tenebrosi, secundum illud *Ephes.*5.Eratis aliquando tenebræ. Notandum enim, quòd peccator nox appellatur, sicut iam dixi, & sicut hîc dicitur. Nox diabolus, caput peccatorum. Noctem illam tenebrosus turbo possideat. Et peccatum. Ad *Roman.* 13. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Cæcitas mentis. *Iob* 3. Pereat nox in qua dictum est, Conceptus est homo.

Persequutio.

Perſequutio. *Pſal.* Per diem ſol non vret te, nec luna per noctem. *Iſa.* 21. Cuſtos quid de nocte ? cuſtos quid de nocte ? Tenebræ infernales. *Ioan.* 9. Venit nox, quando nemo poteſt operari. Dies iudicij, dies, iuſtus, Angelus, gratia, ſapientia, proſperitas, æterna claritas, ſecuritas in præſenti. *Matth.* 25. Media nocte clamor factus eſt, Ecce ſponſus venit.

Tu fabricatus es, tanquam faber. *Eccleſ.* 11. Neſcis opera Dei, qui faber eſt omnium. Et fabri filius. *Marc.* 6. Nonne hic eſt filius fabri? *Auroram.* Alia litera habet: *Lunam & ſolem. Pſal.* Fecit duo luminaria magna, ſolem in poteſtatem diei, lunam in poteſtatem noctis. *Geneſ.* 1. Fecit duo luminaria magna in firmamento cœli, luminare maius vt præeſſet diei, & luminare minus vt præeſſet nocti, & ſtellis. *Ierem.* 31. Qui dat ſolem in lumine diei, ordinem lunæ & ſtellarum in lumine noctis. Vel per ſolem ſapiens, per lunam ſtultus: vtriuſque conditor Deus. *Eccleſiaſt.* 26. Sanctus in ſapientia manet vt ſol, ſtultus vt luna mutatur.

Thema pro feſto natiuitatis B. Virginis.

Thema autem poteſt eſſe hoc in natiuitate Virginis matris, & ponatur vtraque litera: Tu fabricatus es auroram, lunam & ſolem, id eſt, Mariam, quæ aurora fuit in ſui natiuitate, luna in filij Dei conceptione, ſed ſol tandem in ſua aſſumptione. De tribus ſimul *Cant.* 6. Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol?

17. *Tu feciſti omnes terminos.* Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic potens es in ſupremis, & etiam *tu feciſti omnes terminos terræ.* Ecce potentia in infimis. Alibi in *Pſal.* Tui ſunt cœli, & tua eſt terra, orbem terræ & plenitudinem eius tu fundaſti, &c. *Pſal.* Domini eſt terra, & plenitudo eius. Vel per terminos terræ, fideles Eccleſiæ quoſlibet intellige, qui dicuntur termini terræ, quia quilibet in Eccleſia habet donum ſingularis gratiæ, & ſpecialis. *Eccleſiaſt.* 24. Non eſt inuentus ſimilis illi, qui conſeruaret legem Excelſi. 1. ad *Corinth.* 12. Diuiſiones autem gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult.

Æſtatem & ver. Hîc tertium, in quo commendatur à potentia in mediis, ſcilicet aëre: ex temperantia enim in aëre ſecundum humidum venit ver, & ex excellentia caloris venit æſtas. Ait enim: Sic potes in inferioribus, & infimis: & etiam *tu plaſmaſti*, ſcilicet *æſtatem*, in qua abundat calor, *& ver* in quo humor. Et quare non facit mentionem de autumno & hyeme? Reſpondeo dicendo, quod largè accipit æſtatem, & comprehendit etiam autumnum, & ver comprehendit hyemem. Item hic intendit mouere Deum ad miſericordiam, & propter hoc tempora magis temperata, & quaſi miſericordiora tangit. In autumno enim magis eſt vigens calor, in hyeme frigus.

Per æſtatem autem intelliguntur feruentes ſpiritu. Ad *Rom.* 10. Spiritu feruentes, Domino ſeruientes. Per ver fructificare incipientes, & nouelli, à quibus receſſit frigiditas peccati. *Cant.* 1. Hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit. Per ver quod eſt temperatiſſimum tempus & iocundum, intelliguntur præditi manſuetudine, de quibus Moyſes erat. *Num.* 12. Erat autem Moyſes manſuetiſſimus hominum, quos Dominus fecerat ſuper terram. Suprà in *Pſal.* Manſueti autem hæreditabunt terram.

Memor eſto huius. Hîc eſt tertia pars Pſalmi, in qua poſtquam lamentando oſtendit miſeriam Iudæorum, & mõſtrauit ſalutem vbique factam per Chriſtum, tertiò petit vt extendatur vſque ad miſerum populum Iudæorum. Et primò petit liberationem. Secundò liberationis acceleration em, ibi, *Exurge Domine.* In prima tria. Primò petit. Secundò neceſſitatem petendi exprimit. *Inimicus improperauit Domino.* Tertiò oſtendit multis rationibus, quòd debitor ſit miſerendi, ibi, *Non tradas beſtiis.* Dicit ergo: Hoc quod præmiſi Domine feciſti, & propter hoc rogo? *Memor eſto*, piè miſerando, *huius.* Cuius? Huius operis tui, ſcilicet facturæ tuæ, creaturæ tuæ, qui tibi in Patribus placuit aliquando. *Iſa.* 28. Memento quomodo ambulauerim coram te, & quod rectum eſt in oculis tuis fecerim. Quod & facies. *Iſa.* 49. Nunquid poterit mulier obliuiſci puerum ſuum, vt non miſereatur filij vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. 18.

Inimicus. Hîc ſecundum, in quo oſtendit, qua neceſſitate petierit, quia ratione duplici. Primò quia Iudæi blaſphemant verbo, tanquam Chriſtum odientes. Secundò, quòd facto, tanquam legis & mandatorum Dei ignorantiam habentes. *Et populus.* Dicit ergo: Sic rogo vt memor ſis, quia ecce *inimicus*, Iudæorum ſcilicet populus, *improperauit*, verbis, dicendo filio tuo Chriſto *Matth.* 11. Ecce homo vorax, & potator vini, peccatorum & publicanorum amicus. Et in 12. In Beelzebuth principe dæmoniorum eiicit dæmonia. *Ioan.* 8. Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es, & dæmonium habes?

Et populus inſipiens, habens legis tuæ ignorantiam, *incitauit*, ad iracundiam, *nomen tuum*, filium. *Iſa.* 27. Non eſt populus ſapiens, ideò non miſerebitur eius qui fecit illum. *Ierem.* 4. Stultus populus meus me non cognouit, filij inſipientes ſunt & vecordes. Hi incitant & prouocant contra ſe filium Dei. *Iob* 12. Audacter prouocant Deum, cum ipſe dederit omnia in manus eorum. Prouocant illum factis, cum alapis illum cædebant, in faciem conſpuebant, & tandem cruci affixerunt. *Matth.* 26. & 27.

Ne tradas beſtiis. Hîc tertium, in quo oſtendit, quòd debeat Dominus miſereri: & dicuntur tria. Primò enim oſtendit hoc ratione meriti aliquorum de populo. Secundò ratione promiſſi populo à Domino, ibi, *Reſpice in teſtamentum.* Tertiò ratione mali afflictiui, quod ſuſtinuit ille populus, ibi, *Ne auertatur humilis.* In prima duo, ſecundum duplex meritum aliquorum de populo. Primum eſt confeſſio peccati vel fidei. Secundum, omnium temporalium abdicatio, ibi, *Et animas pauperum.* Dicit ergo: Sic memor eſto, quia neceſſe eſt, & hoc certè debes, vnde rogo, ô Domine, 19.

ne

Ne tradas, id eſt, tradi permittas, *beſtiis*, id eſt, diabolo & eius Angelis.

Nota enim, quòd ſunt beſtiæ materiales ad literam, de quibus *Geneſ.*1. Fecit Deus beſtias terræ. Et ſpirituales ttipliciter. Primò beſtialiter viuentes. 1. ad *Corinth.* 15. Secundum hominem ad beſtias pugnaui Epheſi. *Eccleſ.* 10. Homo cum morietur, hæreditabit ſerpentes, beſtias, & vermes. Antichriſtus. *Apocal.*17.Beſtia quæ erat, non eſt, & in interitum ibit. Et dæmones. *Iob* 5. Beſtias terræ non formidabis. Et *Iſa.*56. Omnes beſtiæ agri venient ad deuorandum. Benè autem dicuntur beſtiæ, quia ſtulti ſicut beſtia. *Eccleſ.*25. Senem fatuum, & inſenſatum. Gloſſa diabolum. *Eccleſ.*4. Melior eſt pauper & ſapiens, Chriſtus ſcilicet, quam rex ſtultus, id eſt, diabolus. Item rapax eſt. *Ioan.*10. lupo rapaci comparatur. Et lupus, inquit, rapit, & diſpergit oues. Quia crudelis eſt. *Ierem.* 6. Crudelis eſt & non miſerebitur. Et vorax eſt, nihil enim ei ſufficit. *Iob* 40. Abſorbebit fluuium, & non mirabitur, ſed adhuc ſperabit quod influat Iordanis in os eius. Irrecuperabiliter tenet quod rapuerit. *Iſa.*5. Frendebit & tenebit prædam, & amplexabitur, & non erit qui eruat.

Quare diabolus dicitur beſtia.

His ergo beſtiis *ne tradas animas confitentes tibi*, confeſſione peccati vel fidei. Hanc enim quærit. *Gregor.* Satan nihil ſe feciſſe æſtimat, cum animam non ſauciat. Sed hoc non ſuſtineas, quia *Prouerb* 28. Qui autem confeſſus fuerit ea, peccata ſcilicet: & reliquerit, veniam conſequetur. Nec confitentes confeſſione fidei, & laudis. *Eſther* 14. Volunt claudere ora laudantium te.

Et animas pauperum. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi, *& animas pauperum tuorum* omnia propter te relinquentium, vel abiiciendo omnino, vel ſuppeditando, *ne obliuiſcaris* ducere *in finem*, Chriſtum: vel *in finem*, id eſt, finaliter: quod nullo modo facies. *Pſal.* Nunquid obliuiſcetur miſereri Deus? miſereri pauperibus? Non. In alio *Pſal.* Patientia pauperum non peribit in finem. *Iſa.* 9. Et pauperes homines in ſancto Iſraël exultabunt. Et *ibid.* 14. Paſcentur primogeniti pauperum, & pauperes homines fiduciaſiter requiſcent.

20. *Reſpice in teſtamentum.* Hîc ſecundum, in quo ſumitur ratio ex parte promiſſi: & dicuntur duo. Primò promiſſio tanquam cauſa, quare debeat miſereri. Secundò ratio & cauſa promittendi. *Quia repleti.* Vel ſic primò promiſſio. Secundò probatio, quòd nunc ſit tempus reddendi quod promiſſum eſt. Ait enim: Sic memor eſto propter prædicta, & etiam *reſpice*, oculo miſericordiæ, vt recolas, *in teſtamentum tuum*, in promiſſionem tuam de æterno regno tuis conferendo, tanquam teſtamentum firmatam. *Pſal.* Diſpoſui teſtamentum electis meis. *Auguſtin.* Reſpice Domine in teſtamentum tuum. Tabulas tenemus, hæreditatem poſſideamus. *Ierem.* 38. Feriam domui Iſraël, & domui Iuda Teſtamentum nouum, promittens æterna, non ſecundum quod diſpoſui patribus eorum, promittens terrena.

Quia repleti ſunt. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic reſpice, quia malitia in malis eſt conſummata. Et hoc eſt: *quia repleti ſunt iniquitatum*, id eſt, iniquitatibus. Genitiuus ponitur pro oblatio. *Qui obſcurati ſunt domibus terræ*, id eſt, terrenis poſſeſſionibus, quas amore inhabitant tanquam domos. Non eſt mirum, ſi vbi eſt iniquitas, & terra in abundantia, ibi eſt obſcuritas. *Iſa.*2. Repleta eſt terra, terrena anima, iniquitate. *Mich.* 6. Diuites eius repleti ſunt iniquitate. Et terra repleatur vſque ad excæcationem intellectus. *Exech.*45. Terra erat vſque ad feneſtras. Et ſic obſcurat totum. *Sap.*9. Terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Quando ſanguis abundat in oculis, videre non poſſunt clarè: ſed *Oſe.* 7. Sanguis ſanguinem tetigit. Quid ergo quando ſimul eſt puluis?

Ne auertatur humilis. Hîc tertium, in quo ſumit rationes à parte mali pœnæ quam ſuſtinent miſeri primò ab interiori. Secundò ab exteriori. *Pauper & inops.* In prima tangitur malum duplex. Humiliatio in ſuperbia, in qua fuit, & confuſio propter peccata quæ fecit. *Confuſus.* Ait enim: Sic eripe, quia promiſiſti, & etiam *populus confuſus* de peccato ſuo, & *factus humilis*, à ſuperbia deiectus, *ne auertatur*, hoc eſt, repellatur à tua miſericordia. In *Pſal.* Ne auertas faciem tuam à puero tuo, ſicut ab impiis. *Prou.*23. Ego auerſor impium. 21.

Vel ſic: Populus *humilis ne auertatur* à te per culpam. Sic enim periret. *Prouerb.*1. Auerſio populorum interficiet eos. Ipſe, dico, *factus confuſus*, confuſione mala, de qua *Eccleſ.*4. Eſt confuſio adducens ignominiam. Vel ſic: Populus *humilis ne auertatur*, id eſt, expellatur à te, ne modò ipſum non exaudias, & ſic fiat confuſus. Confunditur enim qui rogat & non exauditur. 3. *Reg.*2. Vnam paruulam petitionem peto à te, ne confundas faciem meam. Et poſt: Non eſt fas vt auertam faciem meam à te.

Pauper & inops. Hîc ſecundum, in quo tangit exteriora incommoda. Quaſi diceret: Humiliatus confuſus, bona confuſione audiatur, & ſic *pauper*, rebus externis, *& inops*, carens auxiliis, *laudabunt nomen tuum*, quod multum diligis. *Soph.* 3. Saluabo claudicantem, & eam quæ abiecta fuerat, congregabo. Ponam eam in laudem. *Iſa. vlt.* Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum corde, & trementem ſermones meos? Nec mirum, ſi grata eſt Deo laus pauperum, & inopium, quia maximæ virtutis eſt laudare in miſeria & inopia, & de ipſa miſeria laudes referre. *Caſſiodor.* Quàm glorioſa paupertas, quàm fœlix inopia, quæ Deum etiam tacita laudat, & de patientiæ ſuæ virtute concelebrat.

Exurge Deus. Hîc ſecundum tertiæ partis totius huius Pſalmi, in quo petit liberationis acceleratione: & dicuntur duo. Primò petitio. Secundò neceſſitas petendi illam acceleratione, ibi, *Memor eſto*, &c. In prima duo. Primò petit vt liberet ſuos. Secundò oſtendit, quòd ei incumbit eos iudicare. *Et iudica cauſam.* Dicit enim: Sic Domine rogaui vt memor ſis, ſed accelera etiam: & hoc eſt, *Exurge Deus*, ad confortandum & liberandum. In *Pſal.* ſuprà: Exurge, quare obdormis Domine? Et alibi, Exurgat Deus, & diſſipentur, &c. 22.

Iudica cauſam, non ſolum meam, vel illius populi pro quo rogaui, ſed etiam *tuam*. Quaſi diceret: Ad te pertinet, propter temetipſum fac. Suprà in *Pſal.* Exurge, & intende iudicio meo Deus meus & Dominus meus in cauſam meam, quæ eſt tua, quia *Matth.* 10. Qui vos ſpernit, me ſpernit. Et 25. Quod vni ex minimis meis non feciſtis, mihi non feciſtis.

Memor eſto. Hîc ſecundum, in quo oſtendit, quòd neceſſe ſit, quòd adiuuet, & quòd cauſa ſua etiam ſit per ipſorum malitiam. Vnde oſtenditur primò in malitia & vituperiis continuatis. Secundò malitiæ augmentum continuum, & intenſio, ibi, *Superbia eorum.* In prima duo. Primò petit vt memoriam habeat. Secundò inculcat ad maiorem expreſſionem. *Ne obliuiſcaris.* Ait ergo: Sic rogo vt exurgas, & neceſſe eſt, quia ô Domine rogo *memor eſto*, qui videris nunc oblitus, *opprobriorum tuorum*, contrà te probatorum, non ad horam, imò, *eorum, quæ ab inſipiente* populo *ſunt tota die*, probata contra te, & inculcata.

23. *Ne obliuiſcaris* blaſphemias *inimicorum tuorum*, qui vides ipſas operationes quantumcumque fiant in ſilentio. *Geneſ.* 4. Sanguis Abel fratris tui clamat ad me de terra. Et 18. Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum venit ad me. *Sap.* 1. Auris zeli audit omnia: & audita bene retinet. *Deut.* 32. Nonne hæc ſunt condita apud me, & ſignata in theſauris meis?

Superbia. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Non te moueant blaſphemiæ prolatæ iugiter, imò hoc, quod *ſuperbia eorum qui te oderunt*, Romanorum, dicit *Gloſſa*, id eſt, Titi & Veſpaſiani. *Iſa.* 16. Audiuimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valde. *Aſcendit ſemper*, intenditur & neſcit terminum magis altior. *Iob* 21. Si aſcenderit in cœlum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur.

Vel *aſcendit* ad te, vt tu videas, & memor ſis ad puniendum. 4. *Reg.* 19. Superbia tua aſcendit in aures meas, & non dimittam, quin iudicem: ſed glorioſos terræ humiliabo. *Iſa.* 45. Et humiles exaltabo. *Eccleſ.* 10. Sedes diuitum ſuperborum deſtruxit, & ſedere fecit mites pro eis: quia *Iob* 22. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria, ad quam nos perducat qui eſt benedictus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

IN LXXIV. PSALMVM.

1. *In finem, Ne corrumpas, Pſalmus Cantici Aſaph.*

2. *Confitebimur tibi Deus.* Hic eſt Pſalmus 74. in toto libro, in ſecunda parte 24. Cum enim in Pſalmo præcedenti redarguerit incredulos Iudæorum, quia ſaluti, quam operatus eſt Deus in medio terræ, non aſſentiunt, nec eius participes exiſtunt, & pro ipſis orauerit, in hoc Pſalmo conuertit ſermonem ad illos, monens vt timeant futurum iudicem Chriſtum, quem nunc contemnunt redemptorem: vnde de aduentu ad iudicium hic arguit, oſtendendo qualiter boni ſe præparabunt, quando veniet, & quomodò: & monendo impios vt caueant à iudice tam terribili, & ſententia irreuocabili. Et hoc innuitur ſatis in titulo, qui talis eſt: *In finem ne diſpergas, vel corrumpas, Pſalmus Cantici Aſaph.* Et eſt ſenſus: Pſalmus ſubiectus, qui eſt Cantici, quia de iuſtorum lætitia quam habebunt in die iudicij, ſecundum illud. Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam. *Et eſt Aſaph*, id eſt, pertinet ad congregationem bonorum, hoc intendit, *ne* tu Iudæe, vel quicumque hæretice, *diſperdas* ſperãtes in Chriſtum, eos ab eo auertendo, vt non credant ipſum futurum remuneratorem, & diſpergantur ad colligendas paleas per Ægyptum cum filiis Iſraël Ægyptiorum ſeruis. *Exod.* 1. Sed ſint vnum in charitate & fide, ſecundũ illud *Act.* 3. Erat illis cor vnum, & anima vna. Vel *ne corrumpas* fidem, iudicium non credendo, ne ſis de illis, de quibus dictum eſt: Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt. Tu, dico, tendens mente & conſideratione *in finem*, ad literam, in iudicij diem. *Eccl.* 8. Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis. *Thren.* 1. Sordes eius in pedibus eius, non eſt recordata finis ſui.

Hic Pſalmus autem diuiditur in duas partes. Primò ponitur promiſſio humilis confeſſionis, orationis, & laudis, vt præparentur ad iudicium beati, quorum congregatio hic loquitur. Secundò certa prænuntiatio futuri, vt terreantur mali, ibi, *Cum accepero tempus.* In prima tria ſecundum tria tacta. Primò humilis confeſſionis promiſſio. Secundò orationis & inuocationis diuinæ potentiæ, ibi, *Et inuocabimus.* Tertiò enuntiationis & enarrationis mirabilium Dei, ibi, *Narrabimus.*

Dicit ergo: Sic miſeri obſtinati ſunt, ſed ô Deus *confitebimur*, confeſſione iniquitatis, de qua *Iacob. vlt.* Confitemini alterutrum peccata veſtra. Et *Prou.* 28. Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem reliquerit ea & confeſſus fuerit, veniam conſequetur. Et hoc *tibi*, id eſt, ad honorem & laudem tuam. *Ioſ.* 7. Fili confitere peccatum tuum, & da gloriam Deo, non quæras propriam vtilitatem, ſicut hypocritæ. Et rem explicat ad maiorem confirmationem: *Confitebimur* ad gloriam, & hoc *tibi*, confitebimur, ſupl. ad noſtram confuſionem, & contra nos. *Pſal.* Dixi: Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino.

Vel *confitebimur* confeſſione iniquitatis, vt dictum eſt. *Confitebimur* confeſſione fidei & laudis de qua *Rom.* 10. Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. *Matth.* 10. Qui me confeſſus fuerit coram hominibus. Vel *confitebimur*, & iterùm confitebimur, vt frequentemus confeſſionem. *Iſa.* 23. Sume citharam, circui ciuitatem, bene cane, frequenta canticum. Vel *confitebimur* vniuerſum integram faciemus confeſſionem omnium peccatorum, non dimidiantes illam, ad minuendam culpam. *Leu.* 16. Sacerdos confiteatur omnes iniquitates filiorum Iſraël, vniuerſa delicta & peccata.

Et inuocabimus, poſt confeſſionem humiliter deprecando, *nomen tuum*, Deum ſcilicet in auxilium, quia ſcriptum eſt. *Iſa.* 4. & *Ioël.* 3. Omnis qui inuocauerit, intus ſcilicet vocauerit, nomen Domini, ſaluus erit, dummodò confeſſio præceſſerit, quæ cor mundet, aliter Deus non veniret: vnde optimè præmiſit, *Confitebimur. Sap.* 1. In maleuolam animam non intrabit ſapientia. Propter quod dicit etiam *Caſſiod.*

Pſalmus agit de aduentu Chriſti ad iudicium.

Debemus frequenter confiteri, & integrè.

Corda

Corda noſtra confeſſione purgemus, & ſic ad auxilium ſuſcipiendum nomen Dei inuocare debemus. *Eccleſ.*18. Ante orationem præpara animam tuam.

Narrabimus mirabilia. Hîc tertium. Quaſi diceret : Sic confeſſione facta, & oratione ſuppoſita, tunc *narrabimus*, aliis prædicando, *mirabilia tua*, quia aliter non auderemus : ne fortè audiremus illud : Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum ? Tu verò odiſti diſciplinam, &c. Poſt confeſſionem enim quæ purgat à malo, & orationem quæ replet bono, narrabimus quæ facturus es in iudicio. *Eccleſ.*15. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Narrabimus etiam mirabilia, quæ iam feciſti in vniuerſo, de quibus *Eccleſ.*11. Mirabilia opera Altiſſimi ſolius. *Iob* 9. Qui facit magna & inſcrutabilia, & mirabilia, quorum non eſt numerus. Mirabilia quæ in cœlo, vbi tam pulchrum ſolium poſuiſti. *Eccleſ.*43. Vas autem mirabile opus Excelſi. Quæ in terra, in qua cæcos illuminaſti, leproſos mundaſti, mortuos ſuſcitaſti. *Matth.*11. Cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt. Quæ in mari, vbi ſuper fluctus ambulaſti, imperio turbidum ſedaſti. *Matth.*14. Quæ in inferno, quem confregiſti, & inde captiuos extraxiſti. *Zach.*9. Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos de lacu in quo non erat aqua. *Tob.*12. Narrauerunt omnia mirabilia eius. *Eccleſ.*42. Nonne Deus fecit enarrare ſanctis omnia mirabilia ?

Opera Chriſti mirabilia.

3. *Cum accepero tempus.* Hîc eſt ſecunda pars Pſalmi, in qua ſubiungitur promiſſio de futuro iudicio, vt mali terreantur : & dicuntur quatuor. Primò agitur de tempore iudicij. Secundò de neceſſitate iudicandi, quia omnes, paucis exceptis, ſunt corrupti, ibi, *Liquefacta eſt terra.* Tertiò de publicatione iudicij, ibi, *Dixi iniquis.* Quartò de diuerſitate iudicandorum. *Ego autem.* Dicit ergo : Sic narrabimus mirabilia tua, vera membra Chriſti : vnde alia litera habet : *Narrabo.* Quaſi loqueretur totus Chriſtus pro corpore, quæ mirabilia ſi non audierint homines, *ego*, vt referatur ad caput, *iuſtitias iudicabo*, non tantum iniuſtitias, *cùm accepero tempus*, ad iudicandum.

Nota ergo, quòd dicit, *ego* diſcretiuè, quaſi diceret, non alius. *Ioan.*5. Pater omne iudicium dedit Filio. Et quòd iuſtitias iudicabit : non enim tantum mali iudicabuntur, ſed etiam iuſti. *Eccleſ.*3. Iuſtum & iniuſtum iudicabit Dominus. Si autem iuſtitias, quid de iniuſtitiis ? *Bern.* Quid faciet de iniuſtitiis, qui etiam iuſtitias iudicabit ?

Vel *iuſtitias iudicabo*, quæ videntur apud homines iuſtitiæ. *Bern.* Valdè verendum eſt ne tam ſubtili examine multæ noſtræ iuſtitiæ iniuſtæ reputentur. *Iſa.*64. Facti ſumus vt immundi omnes nos, & omnes iuſtitiæ noſtræ, quaſi pannus mulieris menſtruatæ. *Gregor.* Sæpè ſordet in oculis iudicis, quod fulget in oculis operantis. Sed *cum accepero tempus.* Tunc autem timebimus ipſum. *Galat.*6. Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei.

D. Alb. Mag. Comment. in Pſal.

Liquefacta eſt terra. Hîc oſtenditur neceſſitas iudicandi, quia omnes fluxerunt in peccatum, exceptis paucis à Deo confirmatis : vnde duo dicuntur. Primò omnium ferè decurſio in peccatum. Secundò aliquorum à Deo confirmatio in bono. *Ego confirmaui.* Dicit ergo : Sic iudicabo tandem, & neceſſe eſt, quia *terra liquefacta eſt*, in vitia & peccata, *& omnes qui habitant in ea*, illi adhærendo. 4.

Notandum enim, quòd eſt liquefactio bona, quæ fit in anima per diuinam colloquutionem. *Cantic.*5. Anima mea liquefacta eſt vt dilectus loquutus eſt. Et mala per timorem. *Iudith vlt.* Peccatores frigidi timore ſine calore dulcedinis liqueſcunt. Per auaritiam, & concupiſcentiam malam ſicut hic, & *Ezechiel.*24. Pone eam ſuper prunas cupiditatis & ardoris acquirendi, vacuam, ſine Dei gratia : & incaleſcat, & liquefiat æs eius, ſoliditas ſcilicet eius, ſi aliqua eſt.

Ego confirmaui. Hîc ſecundum. Quaſi diceret : Sic eſt liquefacta, tamen *ego confirmaui*, ne tota rueret in perditionem, *columnas eius*, ſanctos ſcilicet eam ſuſtinentes, ſicut ſuſtinetur ædificium à columnis. *Prouerb.*9. Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit in illa columnas ſeptem, ſanctorum ſcilicet vniuerſitatem. Hinc de quibuſdam ſanctis dicebat Paulus *Galat.*2. Iacobus, Ioannes, & Cephas, qui videbantur columnæ eſſe.

Et benè columnis comparantur ſancti, quia columna longa eſt, in quo longanimitas : gracilis, in quo humilitas : plana ſine gibbis, in quo paupertas : rotunda, in quo æternitas, quam habent in deſiderio. Hæ ſunt columnæ in ferculo Salomonis. *Cant.*3. Columnas eius fecit argenteas. Hæ columnæ circumdantes tabernaculum. *Exod.*26. *Sancti columnis comparantur.*

Dixi iniquis. Hîc tertium, in quo agitur de iudicij prænuntiatione & publicatione, vt mali ſint inexcuſabiles. Primò ergo tangitur omnium iniquorum admonitio vt caueant à malo. Secundò cauendi ratio, ſcilicet diuinum iudicium, ibi, *Quia nec ab Oriente.* In prima tria ſecundum triplex malum à quo eſt diſſuaſio. Primò à malo operis. Secundò cordis, ibi, *Nolite extollere.* Tertiò loquutionis, ibi, *Nolite loqui.* Dicit ergo : Sic columnas confirmaui, per quas *dixi iniquis*, nolens non admonitos punire : *Nolite iniquè agere. Iſa.*1. Quieſcite agere peruerſa. Non ſitis de illis, de quibus *Ierem.*9. Vt iniquè agerent laborauerunt. *Et delinquentibus.* In prima iterum duo. Primò vt caueant à malo opere. Secundò de mali operis manifeſtatione. *Et delinquentibus* dixi per eos : *Nolite exaltare cornu*, peccata ſi feceritis defendendo, potentiam ſi eſtis in illa extollendo, & minores deprimendo. *Pſal.* Non declines cor meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes, &c. Multum enim diſplicet Deo cum delinquens non humiliatur per delictum, ſed magis extollitur. Propter hoc dicit *Caſſiod.* Quod inſana lætitia effundit, triſtitia ſalutaris exurat : quos vulnerat elatio ſuperbiæ, ſanet humilis abiectio culpæ. Item Idem : Nunc venit ad maximum vitium excuſa 5. *Contra maximum vitium excuſationis.*

excuſationis quo valdè laborat humanitas, vt cum ſe quis non patitur dicere culpabilem, ſed prætendit excuſationes in peccatis.

6. *Nolite extollere in altum.* Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic cauete à malo opere, & etiam *nolite extollere in altum*, id eſt, contra Deum, qui altus eſt, *cornu veſtrum*, intus blaſphemando, murmurando. Dicit enim *Gloſſ.* Si enim humiliaueritis cornu veſtrum, Deus in vobis exaltabit ſuum. *Auguſt.* Cornu Chriſti exaltabitur in vobis, ſi non fuerit exaltatum cornu veſtrum: cornu veſtrum de iniquitate, cornu Chriſti de maieſtate. 1. *Reg.* 2. Et exaltatum eſt cornu meum in Deo meo. Non ſicut illi qui dicunt *Amos* 6. Nunquid in fortitudine noſtra aſſumpſimus nobis cornua?

Et dixi: *Nolite loqui iniquitatem aduerſus Deum*, vt non ſit in vobis peccatum loquutionis. Suprà in *Pſal.* Iniquitatem in excelſo loquuti ſunt. *Iſa.* 57. Super quem luſiſtis, extraxiſtis linguam, dilataſtis os? *Iſa.* 54. Omnem linguam reſiſtentem tibi in iudicio iudicabis.

Mali homines & ſuperbi ſunt recte ſicut limata, cum magno enim pondere incedunt. *Iſa.* 1. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate. Cornu proferunt aliquando, ſed citò retrahunt. Contra pauperes cornu emittunt, contra maiores retrahunt: ſed boni poteſtatem non timent. *Pſal.* Et exaltabitur ſicut vnicornis cornu ſuum. *Eccl.* 49. In vita ſua non pertimuit principem, & potentiâ nemo vicit illum.

7. *Quia nec ab Oriente.* Hîc ſecundum, in quo poſt admonitionem malorum vt caueant, ſubiungitur ratio quare cauere debent: quia non poterunt euadere iudicium: & dicuntur quatuor. Primò, quod nulla poteſt eſſe euaſio. Secundò ratio, quare non poterunt, ibi, *Quoniam Deus iudex eſt.* Tertiò in iudicio rectitudo, vt humiliet ſuperbum, & humilem exaltet, ibi, *Hunc humiliat.* Quartò ratio huius rectitudinis. *Quia calix in manu Domini.* In prima duo. Primò, quòd non eſt poſſibilis euaſio. Secundò, quòd nec abſconſio, ibi, *Nec à deſertis.* Ait enim: Sic cauete: *quia nec ab Oriente* veniet iudex vt in Occidentem fugiatis, *nec ab Occidente*, vt in Orientem. *Pſal.* Quò ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es, &c. *Amos* 9. Non erit refugium, & qui fugerit cum eis, non ſaluabitur. *Sap.* 16. Manum tuam effugere impoſſibile eſt. *Greg.* Fugiendi via vbique deeſt, quia qui te iudicat, vbique eſt.

Nullus poterit euadere iudicium.

Nec à deſertis montibus venit, ſup. vt ad montes fugias, & ibi lateas. *Eccleſ.* 36. Non dicas, Deo abſcondar, & ex ſummo quis mei memorabitur? in populo magno non agnoſcar: quæ eſt enim anima mea in tam immenſa creaturâ? Vel ſic: *Nec à deſertis montibus* eſſe tibi poterit operimentum. *Luc.* 23. Tunc dicent montibus, Cadite ſuper nos: & collibus, Operite nos.

8. *Quoniam Deus iudex eſt.* Ecce ratio euaſionis impoſſibilis, quia Deus iudicabit, qui nulli parcet. *Prouerb.* 6. Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cuiuſquam precibus, nec accipiet pro redemptione dona plurima: & omnes bene inueniet. *Greg.* Deus eſt infrà omnia non depreſſus, intra omnia non incluſus, extra omnia non excluſus, ſuprà omnia non elatus. Propter hoc dicitur *Iſa.* 2. Dies domini exercituum ſuper omnem ſuperbum & excelſum. Spiritualis intelligentia plana eſt in *Gloſſ.*

Hunc humiliat & hunc exaltat. Hic tertium, ſcilicet iudicij rectitudo. Quaſi diceret: Sic Deus iudex eſt, & rectus iudex, quia *hunc*, Iudæum ſcilicet, & quemcumque alium ſuperbum, humiliat. *Pſal.* Bonum mihi Domine quia humiliaſti me. *Et hunc*, humilem Gentilem, & quemcumque alium humilem, exaltat. 1. *Reg.* 2. Suſcitans de puluere egenum, & de ſtercore erigens pauperem. *Iob* 5. Ponit humiles in ſublimi, & mœrentes erigit ſoſpitate. De vtroque *Prouerb.* 29. Superbum ſequitur humilitas, & humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria. *Eccleſ.* 10. Sedes ducum ſuperborum deſtruxit, & ſedere fecit mites pro eis. *Ezech.* 17. Ego exaltaui lignum humile, & lignum ſublime humiliaui. *Luc.* 1. Depoſuit potentes de ſede, &c.

9. *Quia calix.* Hîc eſt quartum, ratio ſcilicet & cauſa huius rectitudinis, ſiue probatio quod rectè iudicabit, per hoc quod iam fecit: quia ſcilicet legem à Iudæis abſtulit, & Gentibus dedit, transferens ad ipſos ſpiritualem intelligentiam, illis relinquens literalem & carnalem: & ſecundum hæc dicuntur hic quatuor, & extenditur litera vſque ibi, *Ego autem.* Primò ergo monſtratur Chriſti potentia in comparatione ad legem. Secundò tranſlatio ipſius ad Gentilem. *Et inclinauit.* Tertiò ſpecificatio quantum ad quid tranſlata ſit. *Verumtamen fæx eius.* Quartò quantum ad quid apud Iudæos remanſerit. *Bibent.* In prima duo. Primò, quòd in poteſtate Chriſti ſit lex. Secundò legem deſcribit, ibi, *Vini meri.* Dicit ergo: Sic humiliat ſuperbum, & exaltat humilem: & hoc patet. *Quia calix*, id eſt, lex diuina, in manu eius, id eſt, in ſuâ poteſtate. *Galat.* 2. Data eſt lex per Angelos in manu mediatoris, Chriſti, de quo alibi dicit Paulus 1. *Tim.* 2. Mediator Dei & hominum CHRISTVS IESVS.

Nomine calicis intelligitur lex vel poteſtas iudiciaria Chriſti.

Calix autem dicitur lex, quia inde Dominus potat ſuos & inebriat. *Cant.* 5. ad hunc calicem inuitat dicens: Bibite & inebriamini chariſſimi. Hic eſt calix Ioſeph in quo potat ſuos, & in quo auguratur, quia facit futura nuntiare. *Geneſ.* 43. Et ſuprà in *Pſal.* Et calix meus inebrians quàm præclarus eſt.

Vini meri. Hîc deſcribit. Quaſi diceret: In manu Domini eſt calix, plenus vini meri, ſpiritualis ſcilicet intelligentiæ, & eſt Græciſmus. *Mixto*, id eſt, fæcibus coniuncto intelligentiæ literalis & carnalis. *Prou.* 9. Sapientia ædificauit ſibi domum. Et infra: Miſcuit vinum, propoſuit menſam.

Et inclinauit ex hoc. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic in poteſtatate ſua habet legem: ſed quid fecit? *Inclinauit ex hoc*, ſcilicet ex Iudæo, *in hoc*, ſcilicet in Gentilem, à Iudæis in Gentiles ipſam transferendo. *Matth.* 21. Auferetur à vobis regnum Dei, ſacra ſcilicet Scriptura: & dabitur genti facienti fructus eius.

Verumtamen

Veruntamen fæx eius, carnalis ſcilicet intelligentia, *non eſt exinanita*, id eſt, annihilata, ad Gentilem tranſlata, ſed ſpiritualis tanquam vinum merum.

Bibent omnes, Hic quartum. Quaſi diceret: Sic remanet adhuc carnalis intelligentia, ſed *omnes peccatores bibent* illam tanquam potantes fæces. *Ezech.*23. Potabit vſque ad fæces, & fragmenta eius deuorabit.

Aliter poteſt legi, vt calix appelletur hîc ſicut priùs aliquo modo intelligentia mutata. Quaſi diceret: *Calix*, id eſt, lex diuina, *in manu Domini*, *vini meri*, cœleſtis ſcilicet intellectus ſemper plenus quantumcumque hauriatur. *Iſa.* 58. Sicut fons aquarum cuius non deficient aquæ. Quippe exit ex indeficienti fonte, ſcilicet paradiſo, mixto tamen cum ipſo calice, quia ex duobus eſt, ſcilicet Veteri & Nouo. *Exechiel.* 1. Rota erat in medio rotæ. Mixtum ergo non habent Iudæi, tantum Vetus recipientes. Mixtum non habent Manichæi, tantum Nouo adhærentes: ſed Chriſtiani, vtrique conſentientes. 3. *Reg.* 2. Nec mihi, nec tibi ſit, dicunt lex Vetus, & Noua, ſed diuidatur. *Et inclinauit ex hoc in hoc*, vt priùs. *Veruntamen fæx eius*, ima & profunda diuinæ ſapientiæ, *non eſt exinanita*, id eſt, non ſunt aperta, & in publico poſita adhuc. *Iſa.*24. Secretum meum mihi. *Pſal.* Tenebroſa aqua in nubibus aëris. *Ioan.* 4. Puteus altus eſt, & in quo haurias non habes. Tamen *omnes peccatores terræ*, id eſt, Iudæi vt priùs, *bibent ex eo*, in fine veritatem intelligentes, & cum aliis credentes. *Iſa.*10. *Rom.*11. Reliquiæ Iſraël ſaluæ fient. *Iſa.* 19. Cognoſcetur Dominus ab Ægypto, à populo Iudæorum, tenebris ignorantiæ excæcato.

Tertio modo legitur, vt *calix* iudiciaria poteſtas in Chriſto appelletur. Hic calix de quo *Ierem.* 29. Sumes calicem furoris iræ de manu Domini, id eſt, ſumendum intelliges. Hic eſt *plenus vini meri*, id eſt, iuſto iudicio & æquiſſimo. *Pſal.* Deus iudex iuſtus. Vel vinum merum poteſt dici ſanctorum gaudium, quo inebriabuntur ſecundum illud *Pſal.* Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ. *Et mixto* tandem, quia miſericordia cum iudicio. *Pſal.* Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Mixto etiam quoad illos qui adhuc ſunt in præſenti, qui non purum, ſed mixtum dolorem habent, ſecundum illud *Prou.* 14. Riſus dolore miſcebitur. *Et inclinauit*, illam iudiciariam poteſtatem, *ex hoc*, hoc eſt ex vno, *in hoc*, id eſt, in alium, vt omnes iudicentur. 2. ad *Corinth.* 5. Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti vt recipiat vnuſquiſque prout geſſerit in ſuo corpore, ſiue bonum, ſiue malum. *Veruntamen fæx eius*, id eſt, pœna æterna, quæ eſt in diuina iuſtitia, *non eſt exinanita*, id eſt, non eſt finita, vel terminabilis. *Iſa. vlt.* Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. *Matth.* 25. Ite maledicti in ignem æternum. *Bibent omnes peccatores terræ*, ex illis fæcibus. *Ierem.*51. Bibiſti de manu Domini calicem furoris iræ eius: vſque ad fundum calicis bibiſti, & potaſti vſque ad fæces.

10. *Ego autem annuntiabo.* Hîc eſt quartum ſecundæ partis, in quo agitur de diuerſitate iudicandorum: & tanguntur duo. Primò remuneratio bonorum in præſenti. Et ſecundò bonorum & malorum in futuro. *Et omnia cornua.* In prima duo. Primò publicatio beneficiorum Dei. Secundò exultatio in Deo, ibi, *Cantabo Deo Iacob.* Dicit ergo: Sic Iudæi ſuperbientes, fæces bibent de calice ſcripturæ. *Ego autem*, dicit bonorum congregatio, caput cum membris, *annuntiabo* prædicando beneficia Dei, quæ inuenio in ſpirituali ſcripturæ intelligentia, *in ſæculum*, quandiu ſæculum erit. Vel ſic: *Bibent omnes peccatores* fæces calicis Dei in inferno. *Ego autem*, cum meis, *annuntiabo.* Alia litera: *Gaudebo*, interiùs in corde, & hoc *in ſæculum*, tenens quod promiſſum eſt. Iunge ergo vtramque literam, & erit: Annuntiabo in gaudio, & lætanter prædicabo. *Iſa.* 61. Spiritus Domini ſuper me, eò quod vnxerit me, euangelizare pauperibus miſit me. *Matth.*11. Pauperes euangelizantur, qui ſunt membra, non ſolum caput.

Cantabo. Quaſi diceret: Sic prædicabo aliis, & etiam *cantabo Deo Iacob*, id eſt, luctatoris, id eſt, Deo qui fortis eſt, & me magnificè ab omni malo eripuit. *Iſa.*12. Cantate Domino quoniam fecit.

Et omnia cornua peccatorum. Hîc remuneratio bonorum & malorum in futuro. Primò malorum. Secundò bonorum. *Et exaltabuntur.* Ait enim: Sic annuntiabo, & cantabo, & tandem *confringam omnia cornua* peccatorum, quæ modò extollunt ſe contra Deum. *Thren.*3. Confregit Dominus omne cornu Iſraël. Suprà, Nolite extollere in altum cornu veſtrum. 11.

Et exaltabuntur cornua iuſti, è contrario quibus impugnauit diabolum & peccatum. *Pſal.* Et exaltabitur ſicut vnicornis cornu meum. Et alibi, Et in nomine meo exaltabitur cornu eius. *Luc.*1. Erexit nobis cornu ſalutis in domo Dauid pueri ſui.

Et nota, quòd mali tria habent cornua quæ confringentur. Vnum cornu eſt potentia. Hoc confringetur per perpetuam ſeruitutem. *Ier.*16. Seruietis diis alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte. 1. *Reg.* 27. Multa mala fecit contra populum ſuum Iſraël: ergo erit mihi ſeruus ſempiternus. Secundum eſt temporalis abundantia. Hoc confringetur æterna paupertate, & egeſtate. *Luc.*16. Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti in aquam, vt refrigeret linguam meam. Magna inopia. Tertium, mundi ſapientia, & confringetur per æternam tenebroſitatem in qua erunt. *Abdiæ* 8. Perdam ſapientes de Idumæa, & prudentiam de monte Eſaü. 1. ad *Corinth.*1. Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo, ipſis reiectis in tenebras exteriores. *Matth.*25. Seruum inutilem proiicite in tenebras exteriores. *Cornua malorũ, potẽtia, diuitia & prudentia.*

Sed cornua iuſtorum, quibus impugnauerunt peccata: fides, ſpes, charitas. Hæc exaltabuntur. Fides vſque ad apertam viſionem. Spes vſque ad comprehenſionem. Charitas ad pleniſſimam fruitionem, ad quam nos perducat, &c. *Cornua iuſtorum, fides, ſpes, charitas.*

IN LXXV. PSALMVM.

1. *In finem, in carminibus Pſalmus Aſaph. Canticum ad Aſſyrios.*

2. NOtus *in Iudæa Deus.* Hic Pſalmus 75. in toto libro. 25. in 2. parte. Cum enim in *Pſal.* 23. Iudæos monuerit vt ſuſcipiant ſalutem in medio terræ factam, eos per aduentum Chriſti ad futurum iudicium in 24. terruerit, hîc tertiò eos confundere intendit, monſtrans eorum gloriam ad alios tranſlatam, & aliam eſſe veram Iudæam, & verum Iſraël eſſe, & veram Ieruſalem, & veram Sion, vbi Deus cognitus eſt veraciter, & quieſcit perenniter, expulſis aduerſariis, votis ab eo receptis. Et hoc mõſtratur in titulo qui talis eſt: *In finem in carminibus Canticum ad Aſſiyrios Pſalmus Aſaph.* Et eſt ſenſus: *Pſalmus* ſubiectus conuenit *Aſaph*, id eſt, bonorum congregationi. Pſalmus, inquam, dirigens, nos *in finem* noſtrum Chriſtum, in quo oſtendit terminatam legem, & per ipſum omnia tranſiſſe. Ad *Roman.* 13. Finis legis Chriſtus ad iuſtitiam. Et eſt *Canticum in carminibus* editum, quia agit de bonis & gratiis Gentilibus collatis, quod Deo confitentes, & ipſum cognoſcentes, ab ipſo illuminati & ſaluati ſunt. 1. ad *Corinth.* 4. Quid habes quod non accepiſti? *Iacob.* 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum. Hæc enim omnia bona à Deo ſimul cum Chriſto ſuſcepit. *Sap.* 7. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Et eſt *ad*, id eſt, cnntra *Aſſyrios*, non contra illos literales Aſſyrios, de quibus Angelus Domini 80. millia vna vice interfecit ante Ieruſalem. *Iſa.* 37. ſed contra ſignificatos per illos, ſcilicet Iudæos, qui dicuntur Aſſyrij, id eſt, dirigentes, ſed per antiphraſim, & quaſi irriſoriè. Magis enim poſſunt dici errantes, & errare facientes, quàm dirigentes. *Sapient.* 5. Ergo erauimus à via veritatis, dicent ipſi in fine. *Matth.* 15. Sinite illos, cæci ſunt, & duces eorum: ſi autem cæcus cæco ducatum præbeat, &c. Vel poſſunt dici dirigentes, id eſt, erigentes: erexerunt enim ſe ſemper contra Deum. Ad *Roman.* 10. Suam iuſtitiam volentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. *Iob* 15. Cucurrit aduerſus Deum erecto collo, & contra Omnipotentem. Et in facto etiam poſſunt dici Aſſyrij: quia ſicut illi antiquitus populum Dei perſequebantur, ſic iſti modò populum Chriſtianum.

Pſalmus oſtendit dona Iudæis collata ad Gentes eſſe tranſlata.

Quare Iudæi dicuntur Aſſyrij.

Diuiditur autem Pſalmus in tres partes. Primò tangit quæ bona à Iudæis, in alias gentes tranſtulerit. Secundò qualiter, & per quos, & quo ordine factum ſit, ibi, *Ibi confregit.* Tertiò exhorrando concludit, quod omnes indigni ſint tanto beneficio, & tam terribili iudici ſubiecti, ſoluendo quod promiſſum fuit, ibi, *Quoniam cogitatio.* In prima quatuor, ſecundum quatuor quæ tranſlata innuit ad Gentiles. Primum diuina cognitio. Secundò Dei magnificatio. *In Iſraël.* Tertiò ipſorum Gentilium præelectio, ibi, *Et factus eſt in pace.* Quartò inhabitatio electa de Gentilitate, ibi, *Et habitatio eius in Sion.* Per primum eſt Gentilitas Iudæa. Per ſecundum Iſraël. Per tertium hic Ieruſalem. Et per quartum Sion.

Dicit ergo: *Deus*, quem vos repellitis ô carnales Iudæi, eſt *notus in Iudæa* ſpirituali, non apud vos. Dicit enim *Iſa.* 1. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſæpe Domini ſui, Gentilis populus prius animalis, populus autem meus, à meis deſcendentes, ſcilicet à Patriarchis: me non cognouit. Et rurſum *Ier.* 8. Miluus in cœlo cognouit tempus ſuum, turtur, hirundo, & ciconia cuſtodiunt tempus aduentus ſui: populus autem meus non cognouit iudicium Dei. Et propter hoc ſpiritualis Iudæa ſunt Gentiles, & vera. Ad *Roman.* 12. Non enim qui in manifeſto Iudæus eſt, nec quæ in carne eſt circunciſio, ſed qui in abſcõdito Iudæus eſt, & circunciſio cordis in ſpiritu, non literalis. Iudæa interpretatur confitens. Qui veraciter confitẽtur corde per contritionem, ore per confeſſionem, & opere per ſatisfactionem. Talibus cognitus eſt Deus, per abundantis gratiæ infuſionem, non illis de quibus 2. *Timoth.* 2. Speciem quidem pietatis habentes, virtutem autem abnegantes. Nec illis de quibus *Tit.* 1. Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. Qui enim oſtendit ſe Deo in pura confeſſione ſecundum illud *Cantic.* 2. Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua, &c. oſtendit illi Deus ſe *Iob vlt.* Nunc oculus meus videt te.

In Iſraël. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic *in Iudæa* ſpirituali cognitus eſt: & *in Iſraël*, ſpirituali, ſup. *magnum nomen eius*, id eſt, magnificatur nomen eius, extollitur, & prædicatur, non in carnali. Illi enim dictum eſt *Ezechiel.* 26. Nomen meum polluiſtis inter gentes. Et ad *Roman.* 2. Per vos nomen meum blaſphematur inter Gentes. Sed de veris Iſraëlitis dicitur illud *Matth.* 9. Illi verò diffamauerunt illum, bona diffamatione, in tota terra illa. Et illud *Iſa.* 62. Tota die & nocte non tacebunt laudare nomen Domini.

Et factus eſt in pace. Alia litera, *in Salẽ*, id eſt, 3.
in Ieruſalem vera & ſpirituali, ſcilicet Eccleſia, quæ eſt pacifica. *Matth.* 5. Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos. *Matt.* 18. Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, per pacem & concordiam, non diuiſi perrancorem: ibi ſum in medio eorum. Locus meus ſunt. 2. *Corinth. in fine*, Pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobis. 3. *Reg.* 19. Non in turbine Dominus, nec in igne, ſed in ſibilo auræ tenuis, ibi Dominus. Ad hoc monſtrandum voluit in Sabbato, quod eſt dies quietis, quieſcere in ſepulchro, & ibi locari, ſed in carnali Ieruſalem, quæ non quærit niſi mundana, pax non eſt, & propter hoc nec poteſt ibi eſſe locus Dei. *Ioan.* 16. In mundo preſſuram, in me autem pacem habebitis.

Et habitatio eius in Sion, in vera Sion, ſcilicet in Eccleſia per fidem Dominum continuè ſpeculante. *Iſa.* 62. Vocaberis Voluntas mea in ea, & terra tua inhabitata: quia complacuit Domino in te. *Ezech. in fine.* Nomen ciuitatis ex illa die, Dominus ibidem. Hæc eſt Sion, id eſt, ſpeculatio, quæ Deum ſpeculatur per fidem. 1. ad *Corinth.* 13. Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem, &c. Sicut per Salem pacifici, ſic per Sion viri religioſi, vel prælati:

Sion

Sion enim ſpeculum, & ipſi debent eſſe ſpeculum aliis, ſecundum illud. *Iob* 33. Reſpiciet homines, & dicet: Peccaui, & nunc deliqui, & vt dignus eram non recepi. Per Iudæam ergo confitentes, qui Deum cognoſcunt: per Iſraël clerici, & ſtudentes in ſacris Scripturis, qui Deum magnificare debent & prædicare. Per Salem pacifici, qui iam Chriſtum habent in ſe quieſcentem: per Sion religioſi vel Prælati, qui familiarem, & cohabitantem.

Nota etiam hic, quòd locus Dei fuit Virginis vterus, præſepium, crux, & ſepulchrum. In primo deiecit ſuperbiam, in ſecundo diuitias, in tertio potentiam mundanam, claudi volens in loco modico.

4. *Ibi confregit.* Hîc ſecundum totius huius Pſalmi, quamuis aliquantulum aliter ſit in *Gloſſa* ſignatum, in quo oſtendit ordinem & modum, quo fuerit facta prædicta tranſlatio, quia per deiectionem aduerſariæ poteſtatis, & manifeſtationem veritatis, & incuſſionem timoris: & ſecundum hoc dicuntur tria in hac parte. Primò contrariæ poteſtatis deiectio. Secundò veritatis manifeſtatio bonis, quamuis malorum fuerit conturbatio, & dormientium in terrenis, ibi, *Illuminans tu mirabiliter.* Tertiò timoris incuſſio per prænuntiationem futuri iudicij, ibi, *Tu terribilis.* In prima duo. Primò deiectio contrariæ poteſtatis. Secundò ſpecificatio per metaphoras, & figuras. *Arcum, ſcutum.* Dicit enim: Sic notus eſt in Iudæa, magnificus in Iſraël, locum habens in Salem, & habitat in Sion. Nec mirum, quia *ibi*, in Eccleſia ſcilicet de Gentibus, *confregit potentias* dæmonum, qui in idolis venerabantur. *Iſa.*46. Confractus eſt Beel, contritus eſt Nabo, & fracta ſunt ſimulachra eorum.

Quæ ſint diaboli potentiæ.

Potentiæ etiam diaboli appellantur munitiones eius, id eſt, conſilia, machinæ, ſcilicet ſæculi potentes, multitudo exercitus, peccatorum diuerſitates & multitudines, & robur, ſcilicet obſtinati. Sed totum deſtruxit Dominus per ſanctas munitiones, id eſt, conſilia, quia Paulus dicit 2. ad *Cor.*10. Arma noſtra non ſunt carnalia, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes & machinas, id eſt, potentes deiecit, de quibus 1. *Machab.*6. Fecerunt machinas, & baliſtas, & exierunt quidam qui obſederant arcem. Et multitudines exercituum quæ magna ſunt: ſed tunc erant maximæ. *Eccleſ.*10. Stultorum infinitus eſt numerus. *Iſa.*29. Erit ſicut ſomnium viſionis nocturnæ multitudo omnium qui dimicauerunt contra Ariel. Et robur, ſcilicet obſtinatos. *Prou.* 22. Ciuitatem fortium aſcendit ſapiens, deſtruxítque robur fiduciæ eius.

Arcum, ſcutum. Hîc quasi ſpecificat. Et primò tangit eorum quæ ordinata ſunt ad bellandum deſtructionem. Secundò ipſius belli. Ordinata autem tangit tria, quæ ſunt ad impugnandum, & hoc de longè, & ſic *arcus:* aut de propè, & ſic *gladius:* aut ad defendendum, & ſic *ſcutum.* Dicit ergo: Sic confregit potentias, & *arcum*, qui de longè percutit, & ſignificat doloſitatem. Suprà in *Pſal.* Arcum conteret, & confringet arma. *Ierem.* 9. Exercenderunt linguam ſuam, quaſi arcum mendacij. *Et ſcutum* defenſionis peccati. Suprà in *Pſal.* Scuta comburet igni. 1. *Reg.*17. Clypeus æreus, defenſio reſonans & ſonora, tegebat humeros eius. *Gladium* peruerſarum ſuggeſtionum, quæ penetrant vſque ad cor. Suprà in *Pſal.* Gladium euaginauerunt peccatores, dæmones: quaſi dicat, ſuggeſtiones peruerſas extruxerunt. *Ezech.* 21. Duplicetur gladius, & triplicetur. Et eſt aliquandò valdè acutus hic gladius, & apparet aliquandò quod non ſit multum malum, quod ſuggeritur, ſed bonum. *Ezech.*21. Gladius exacuatus eſt & limatus: exacuatus vt ſcindat, ſed limatus vt ſplendeat. *Et bellum. Iſa.*2. Non exercebuntur vltrà ad prælium. Si enim peccant aliquando in Eccleſia, tamen humiliter ſe ſubiiciunt, nec bellant defendendo culpam à ſanctis eruditi, & Deo ſubiecti. Propter hoc hoc Chriſto nato pacem Angelus nuntiauit *Luc.* 2.

5. *Illuminans tu mirabiliter.* Hîc eſt ſecundum, ſcilicet illuminatio bonorum, & manifeſtatio veritatis eiſdem, inde turbatis malis. Et dicuntur tria. Primò bonorum illuminatio per ſanctos. Secundò inſipientium & reproborum conturbatio. *Turbati ſunt.* Tertiò ratio tantæ turbationis, ibi, *Ab increpatione tua.* Dicit ergo: Sic confractæ fuerunt aduerſariorum poteſtates: & ô tu Domine tu fuiſti *illuminans* mundum quantum ad electos tuos. *Ioan.*1. Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: verum eſt quantum ad ſeipſum, etſi omnes non ſunt illuminati propter peccatum ſuum. Vel omnem hominem qui illuminatur. *Iacob.*1. Omne datum perfectum eſt deſcendens à patre luminum. Propter hoc dicebat Simeon de ſalutari, quod receperat. *Luc.* 2. Quod paraſti, ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem Gentium. *Iſa.*69. Dedi te in lucem Gentium.

Et hoc, *à montibus æternis*, ſcilicet Apoſtolis, qui ſunt montes altitudine vitæ. *Pſal.* Fundamenta eius in montibus ſanctis. Et æterni, quia non niſi æterna quæſierunt, & æterni facti ſunt æternitatis participatione. *Col.*3. Si conſurrexiſtis cum Chriſto, facti ſcilicet montes alti: quæ ſurſum ſunt quærite, non quæ ſuper terram. Non ſitis montes Gelboë, quod interpretatur decurſus, & ſignificat prælatos in terrena per deſiderium decurrentes. 2. *Reg.* 1. Montes Gelboë nec ros, nec pluuia veniat ſuper vos. Iſti ſunt æterni colles, de quibus *Geneſ. penult.* Donec veniat deſiderium collium æternorum. Et alios illuminantes tanquam primò recipientes lucis radios à vero ſole Chriſto, de quo *Mal.*3. Vobis timentibus Deum orietur ſol iuſtitiæ. Propter hoc dicit *Greg.* Qui orientem ſolem videre non valet, irradiatos ab illo montes conſideret, ſicut faciebat Dauid. *Pſal.* Leuaui oculos meos in montes.

6. *Turbati ſunt.* Hîc eſt ſecundum, ſcilicet reproborum conturbatio: & dicuntur tria. Primò turbatio. Secundò duratio in illa conturbatione: vel conuerſio, ibi, *Dormierunt ſomnum ſuum.* Tertiò damnum ſequens ex illa turbatione, ibi, *Et nihil inuenerunt.* Dicit ergo: Sic illuminans bonos per montes, & ſuper hoc *turbati ſunt* qui deberent conſolari magis. *Omnes inſipientes corde.* Hîc addit ad expreſſionem maiorem quod Paulus dicit *Rom.*1. Obſcuratum

eſt inſipiens cor eorum, vnde deberent illuminari. Sunt enim corda quæ damnantam amantia obſcuritatem & ignorantiam, vt ad lucem turbentur. *Iob* 23. Si ſubitò apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis. *Pſal.* Turbati ſunt & moti ſunt ſicut ebrius. Et alibi: Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ, &c. De talibus Herodes & Iudæi. *Matth.* 2. Audiens autem Herodes, natam lucem, turbatus eſt & omnis Ieroſolyma cum illo. Nec mirum, quia inſipientes ſunt ſicut oculus infirmus. Et *Auguſt.* dicit: Oculis agris odioſa eſt lux.

Dormierunt ſomnum ſuum. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic turbati ſunt: ſed nunquid turbatione bona, quæ excitaret eos, & euigilaret à culpa? Non: imò *dormierunt*, in his temporalibus, & in mundi deliciis quieſcentes, *ſomnum ſuum*, ad differentiam ſomni ſanctorum. *Matth.* 25. Dormitauerunt omnes & dormierunt: in his bonis phantaſticis, & in his quieuerunt. *Ierem.* 48. Fertilis fuit Moab ab adoleſcentia ſua, requieuit in fæcibus ſuis. Proprietas ſomni eſt quod dormiens quieſcit ab operibus veris, & laborat in phantaſticis. *Auguſt.* Amauerunt præſentia, & in ipſis obdormierunt. *Caſſiodor.* Dormit qui profutura negligit, & caduca perquirit. *Ierem.* 41. Inebriabo eos, amore terrenorum, ſup. vt ſopiantur, & dormiant ſomnum ſempiternum.

Et nihil inuenerunt. Ecce tertium. Quaſi diceret: Sic dormierunt in temporalibus, & poſt quando euigilauerunt, *nihil inuenerunt omnes viri diuttiarum*, viri à diuitiis poſſeſſi, non ipſas poſſidentes, *in manibus ſuis*, in poteſtate ſcilicet ſua. *Iob.* 27. Dives cum dormierit, nihil ſecum auferet: aperiet oculos ſuos, & nihil inueniet. *Iſa.* 29. Sicut ſomniat ebrius & bibit, & cum expergefactus fuerit, vacua erit anima ſua, &c. *Et nihil inuenerunt*, id eſt, peccatum inuenerunt, quod nihil eſt. *Ioan.* 1. Sine ipſo factum eſt nihil. Nihil autem inuenerunt: quia nihil in manu pauperum poſuerunt. *Auguſt.* Da mihi ex eo quod dedi tibi, habuiſti me largitorem, habebis me redditorem. Item idem: Manus pauperum ſunt gazophilacium Dei, in quibus ſi terrena mittis, largiendo ſeruas, & ſeruando mittis. Amor temporalium ſimilis eſt lethargiæ, vbi eſt humor viſcoſus ligans hominem in anteriore parte crebri, & ſic amittere facit vſum ſenſuum, vt poſſit ſtimulis vel impulſionibus excitari. Sic amatores temporalium inuiſcantur, & omninò obſtupeſcunt ad ea quæ ante ſunt. *Phil.* 3. Præteritorum oblitus, ad ea quæ ante ſunt me extendens.

Amor tẽporalium ſimilis lethargiæ.

7. *Ab increpatione tua.* Hîc tertium, ratio tantæ excæcationis ad viſionem vel ortum luminis cœleſtis. Nec oportet hoc diuidere, ſed continuetur & conſtruatur litera ſic: Ita Domine turbantur & dormiunt: ſed ô *Deus Iacob*, minoris populi, non maioris de Eſaü, *qui aſcenderunt equos* ſuperbiæ, & temporalis abundantiæ, quæ equus eſt ſicut ſupra dictum fuit. *Pſal.* Fallax equus ad ſalutem. *Dormitauerunt*, modo ſupra dicto, *ab increpatione tuâ*, id eſt, ab ira tua eos excæcante vt non videant veritatem. De iis equis *Iſa.* 30. Væ qui deſcendunt in Ægyptum ad auxilium in aquis.

Et nota, quòd optimè dcit: Dormitauerunt, non propter hoc quin dormiant fortiter amatores mundi, ſed quia dormiunt, vt ita dicam, breuiter. *Prouerb.* 6. & 24. Palulum dormies, palulum dormitabis. Increpatio autem Deo dicitur aliquando excæcatio, ſicut hic dicitur. Aliquandò cohibitio à malo. Suprà in *Pſal.* Increpa feras arundinis. Reuocatio à malo. In *Pſal.* Ab increpatione tua fugient. Æterna damnatio. *Zachar.* 3. Increpet in te Deus Sathan.

Tu terribilis. Hîc tertium, ſcilicet timoris incuſſio: & dicuntur tria. Primò aptitudo in mittendo timorem in Deo oſtenditur. Secundò denuntiatio iudicij tam horribilis iudiciis ipſi mundo, ibi, *De cœlo auditum.* Tertiò timoris incuſſio toti mundo, ibi, *Terra tremuit.* In prima duo dicuntur. Primò aſſerit ipſum terribilem venturum ad iudicium. Secundò aſſignat cauſam quare debeat eſſe terribilis, ibi, *Et quis reſiſtet tibi?* Dicit ergo: Sic illuminaſti mundum per Apoſtolos, quamuis alii conturbentur, & dormientes in temporalibus illis adhæreant: ſed ô Domine, *tu terribilis es*, futurus in iudicio valdè. *Eccleſ.* 44. Terribilis Dominus, & magnus vehementer, maximè in iudicio. *Hebr.* 10. Terribilis eſt quædam expectatio iudicij. 8.

Deus terribilis in iudicio.

Et quis reſiſtet tibi? Ecce ſecundum, cauſa quare terribilis, quæ aſſignatur duplex. Potentia cui reſiſti non poterit: & ſententia contra malos, quæ irreuocabilis erit. *Ex tunc.* Ait enim: Tu terribilis es, & quid mirum, quia *& quis reſiſtet tibi?* Quaſi diceret: Nullus. *Eſther* 6. Non eſt qui tuæ poſſit reſiſtere voluntati. *Iob* 9. Quis reſtitit ei, & pacem habuit? Et propter hoc terribilis. *Iob* 20. Poteſtas & terror apud ipſum eſt.

Ex tunc, ex quo ſcilicet ad iudicium venerit, *ira tua*, effectus ſcilicet iræ tuæ, pœnarum inflictio, & ſcientia contra malos eſt duratura, vt nunquam reuocetur. 2. *Reg.* 1. Sagitta Ionathæ, Chriſti ſcilicet ſententia, non eſt auerſa retrorſum, vt ſit reuocata, poſtquam prolata fuit in damnatos. Propter hoc dicitur dies iudicij, dies iræ, quia nulla remiſſio, nullius peccati obliuio, quod non puniatur. *Caſſiodor.* Dies iræ dicitur, quia nihil vlterius per patientiam diſſimulabitur. *Sophon.* 2. Dies illa, dies iræ. Et ex hoc terribilis *Iſa.* 30. Ardens furor eius, & grauis ad portandum. *Naum* 1. Ante indignationem eius quis ſtabit? *Malach.* 3. Quis poterit cogitare diem aduentus eius, aut quis ſtabit ad videndum eum? Propter hoc dicit *Greg.* Prauitatem ſuam quiſque deſerat, Dei patientiam pertrimeſcat, ne qui tranquillum modò deſpicit, ſtatum poſtmodum euadere non poſſit.

De cœlo auditum. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Talis es, ita terribilis futurus, & vt terrorem mundo immitteres, *tu feciſti auditum*, hoc eſt, audire per prædicatores *iudicium* venturum, *de cœlo.* Audita eſt vox *Iſa.* 3. Dominus Deus ſuper eos videbitur, & exibit vt fulgur gladius eius. Et illud *Daniel.* 7. Ecce in nubibus cæli filius hominis veniet. Et illud Pauli 1. ad *Theſſ.* 4. Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo. Et illud 1. ad *Corinth.* 15. Canet enim tuba, 9.

&

& mortui reſurgent incorrupti. Vel de futuro ſicut vult *Gloſſa*. Quaſi diceret : *De cœlo auditum feciſti iudicium*, id eſt, facies rugiens ſicut leo. *Iſa.5*. Rugitus eius ſicut leonis, vt catulus leonis rugiet.

Terra tremuit. Hîc tertium, timoris incuſſio toti mundo propter iudicium : & dicuntur tria. Incuſſio, vtilitas illius incuſſionis. *Et quieuit*. Tertiò tempus. *Cum exurgeret*. Dicit enim : Sic prædicatum eſt iudicium, & hoc auditu *terra*, homo ſcilicet terrenus *tremuit*. *Amos* 3. Leo rugiet, quis non timebit ? *Iob* 23. Et cogitans cum timore ſollicitor.

Et quieuit, à culpa ceſſauit, ab idololatria : & ad fidem Dei ſeipſum conuèrtit. *Iſa.*13. Requieſcere faciam ſuperbiam infidelium, quod erit etiam in futuro, quando implebitur illud *Matth.*28. Erunt terræmotus per loca. Homines etiam tremebunt ſecundum illud *Sapient.*5. Videntes turbabuntur timore horribili. *Et quieuit*. Id eſt, quieſcet tunc peccator velit nolit à culpa, etſi non quieſcat à pœna. *Caſſiodor.* Quies iſta ſine requie eſt : quieſcent enim à malis operibus, ſed in ſuppliciis non quieſcent : quippe qui æterna flamma ſunt cruciandi. *Sophon.*1. Tribulabo homines, commouebo, & concutiam, & ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt. Sed ceſſabunt iam & omnino obmuteſcent. 1. *Reg.*2. Impij in tenebris conticeſcent.

Quies damnatorum ſine requie.

10. *Cum exurgeret*. Hîc determinat tempus, quando futurus eſt timor in mundo, quia poſt reſurrectionem : in quo tanguntur duo. Reſurrectio Chriſti, & ordinatio ad excellentiam iudicij futuri, & ſalutis bonorũ. *Vt ſaluos*. Ait enim : Sic terra tremuit & quieuit : ſed quando ? *Cum exurgeret*, id eſt, exurexiſſet, Deus venturus tandem *in iudicium*, quod figuratum fuit in illo materiali motu, qui fuit ad literam in Chriſti Reſurrectione. *Mar.vltim.* Et ecce terræmotus factus eſt magnus : Angelus enim Domini deſcendit de cœlo. In fine autem tunc maximè Chriſto exurgente ad iudicium erit malis ſcientibus eius potentiam. *Pſal.* Cognoſcetur Dominus iudicia faciens. *Sapient.*4. Venient in cogitatione peccatorum ſuorum timidi. Alibi in *Pſal.* Exurge Domine, non confortetur homo, &c. *Cum exurget in iudicium* venturus, vel *in iudicio* ſeſſurus cum bonis & malis. *Ioël. vlt.* Conſurgent & aſcendent omnes gentes in vallem Joſaphat. Ibi ſedebo vt iudicem omnes gentes in circuitu.

Sed ad quid ſic ? *Vt ſaluos faceret*, per illum timorem incuſſum toti mundo, non ipſum totum, ſed omnes manſuetos terræ, qui ſuſcipient manſuetè prædicationis doctrinam, ſecundum illud *Iacob.* 1. Suſcipite in manſuetudine inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras, & dare vobis terram viuentium. *Pſal.* Manſueti autem hæreditabunt terram. *Matth.* 5. Beati mites : quoniam ipſi poſſidebunt terram. Propter hoc *Soph.*2. Quærite Dominum omnes manſueti terræ.

11. *Quoniam cogitatio*. Hîc eſt tertia pars Pſalmi, in qua concluditur admonitio vt omnes reddant Deo vota ſua, & ei ſe ſubiiciant : & dicuntur tria. Primò allicit. Secundò monet, ibi, *Vouete*. Tertiò oſtendit, quòd neceſſe ſit acquieſcere admonitioni. *Terribili*. Duo autem proponit illectiua vel inductiua, quare Deo vouendum & reddendum. Primum, acceptatio propoſiti confitendi culpam, & dimittendi. Secundò delectatio Dei in deteſtatione dimiſſæ. *Et reliquiæ*. Dicit ergo : Sic prædicatum eſt mundo iudicium, ſed ô Domine, *quia cogitatio hominis*, quæ cogitat mala confiteri, & dimittere, *confitebitur tibi*, à te confeſſio reputabitur, vt ſtatim dimittas ei pœnam. *Pſal.* Dixi : Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino : & tu remiſiſti, &c. Et *Prouerb.* 28. Qui autem reliquerit ea, & confeſſus fuerit, veniam conſequetur. Vel *confitebitur tibi* confeſſione laudis. Se tantum de peccato accuſare, & peccatorem iudicare, eſt Deo laudem dare. *Ioſue.*7. Fili, confitere peccatum, & da gloriam Deo.

Et reliquiæ cogitationis, id eſt, reliquæ cogitationes, poſt has quæ ſunt in recordatione & memoria iugi culpæ ad ipſam omninò annihilandam & diminuendam, *diem feſtum agent tibi*, erunt tibi dies iocundæ & feſtiuæ ſicut feſtus dies. Hoc eſt quod dicitur *Luc.*5. Maius gaudium eſt in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, &c. Sic cogitare peccati deſtructionem eſt virilis cogitatio. *Iſa.* 32. Princeps ea quæ digna ſunt principe cogitabit. Et ſic fit Deo feſtum Paſchatis, feſtum Iudæorum, id eſt, confitentium. *Ioan.*6. Erat autem proximum Paſcha, dies feſtus Iudæorum. Et quoniam ita eſt, *vouete & reddite*, &c.

Aliter legitur, vt ad antecedentia referatur. Quaſi diceret : Manſuetos terræ ſaluabis : & dignum eſt, *quoniam cogitatio hominis* manſueti, & intelligitur in hoc ipſum quod dicit, *Hominis* : eſt enim homo animal manſuetum à natura, *confitebitur tibi*, confeſſione laudis interius : *& reliquiæ cogitationum*, id eſt, opera bona ex cogitationibus relicta, omnibus ſeruilibus abiectis, quæ ſunt peccati opera. *Ioan.*8. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati, *diem feſtum agent tibi*, vt laudent te vita, & opere, & conuerſatione, ſecundum illud : Laudabo Deum in vita mea.

Vouete & reddite. Hîc ſecundum, in quo infert admonitionem : & dicuntur duo. Primò admonitionem præmittit. Secundò oſtendit ad quos dirigit illam, ibi, *Omnes qui in circuitu*. Monet autem duo. Primò ad vouendum. Secundò ad ſoluendum quod votum fuerit, ibi, *Et reddite*. Dicit ergo : Quoniam ſic eſt vt præmiſi, propter hoc *vouete*, & poſt votum *reddite Deo veſtro*. Sed ſi vouere voluntarium eſt, quomodo hoc præcipit ? Et notandum eſt, quòd eſt duplex votum : neceſſitatis, quod eſt de his quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, ſicut abrenuntiare diabolo, & pompis eius, & talia quæ profitentur baptizati. Et eſt tale votum magis recognitio debiti, quam votum propriè loquendo, & tale cadit ſub præcepto : & de hoc loquitur hîc. Eſt & aliud, quod eſt ſupererogationis ſicut ſeruare virginitatem, intrare clauſtrum, & huiuſmodi : & de tali non loquitur hîc, nec hoc præcipit. Quod ſi de tali placet intelligere, tunc litera legenda eſt coniunctim, hoc eſt, ſi voueritis, reddite. *Deuter.* 23. Cum votum voueris, reddere Domino Deo tuo non tardabis

12. *Duplex votum.*

tardabis reddere : diſplicet enim Deo infidelis & ſtulta promiſſio. *Deut.*23.Quod ſemel egreſſum eſt de labiis tuis,obſeruabis, & facies ſicut promiſiſti Domino Deo tuo.

Omnes qui in circuitu. Hîc oſtendit quibus loquitur. Quaſi diceret: Sic reddite, *omnes qui affertis munera* acceptabilia, vos ipſos ſcilicet, *in circuitu eius* exiſtentes, & ipſo in medio, ipſe enim in medio eſt colentium ſe, & ſibi vota ſoluentium. *Matth.* 18. Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. *Apocalypſ.*7. Agnus qui in medio eorum eſt, reget eos. Hic eſt bonus circuitus. Videtur autem propriè loqui ſacerdotibus, qui circumeuntes altare munera offerunt ſacroſancta. Vnde ſacerdos dicit illud Pſalmi, Lauabo inter innocentes manus meas, & circundabo altare tuum Domine. *Caſſiodor.* In circuitu res agitur, cum munera fidelium ſacratiſſimis altaribus offeruntur. Ad *Rom.*12. Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuam, ſanctam, Deo placentem. *Iſa.*19. Cognoſcunt Ægyptij Dominum,& vota Domino vouent,& ſoluunt, & colunt eum in muneribus.

13. *Terribili, & ei.* Hîc tertium, in quo oſtendit neceſſitatem reddendi votum per duo quæ tangit, quæ ſunt in illo,cui vouetur. Terribilitas quæ primò tangitur, & poteſtas. Terribilitas incutiens timorem, poteſtas humilians etiam altitudinem. Dicit ergo : Sic reddite illi, cui neceſſe habetis, ſcilicet *terribili. Daniel.* 3. Obſecro Domine magne & terribilis. Suprà, Tu terribilis, & quis reſiſtet tibi ?

Et ei qui aufert ſpiritum. Hîc tangitur poteſtas. Primò in comparatione ad maiores, id eſt, ad principes qui paucioribus præſunt. Secundò ad Reges, qui pluribus. *Terribili.* Ait enim : Sic reddite terribili, id eſt, *ei qui aufert ſpiritum*, ſuperbiam ſcilicet & elationem principum, ipſos humiliando. *Iob* 6. Sagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum, elationem ſcilicet meam, & ſuperbiam. Vel ad literam *aufert ſpiritum*, id eſt, animam quando vult. *Pſal.* Auferes ſpiritum eorum, & deficient. *Daniel.*5. Deum autem qui habet flatum tuum in manu ſua, non glorificaſti. Imò ipſe eſt qui quando voluit præcepit, & factum eſt. *Num* 25. Tolle cunctos principes ſæculi, & ſuſpende eos in patibulis, &c.

Terribili apud Reges terræ, qui maiores ſunt principibus, & aliis terribiles, quia *Iob* 25. Poteſtas & terror apud eum eſt. Poteſtas, vt deiiciat illos ſtatim de regia dignitate ſi voluerit, quod in multis fit. *Eccleſ.*11. Omnis potentatus breuis vita. *Iſa.*22. Expellam te de ſtatione tua, & de miniſterio tuo deponam te. Et terror vt damnet æterna afflictione : quia etſi dicat Paulus *Hebr.*10. Horrendum eſt incidere in manus Dei, tamen principibus horribilius : de ipſis enim dicitur *Sapient.*6. Horrende & citò apparebit vobis, quoniam iudicium duriſſimum in iis fiet qui præſunt.

Sunt etiam boni Reges, qui ablato à ſe ſpiritu ſuperbiæ, humilitatis ſpiritu ſunt repleti vt benè ſe corrigant, de quibus *Prou.*21. Cor Regis in manu Dei, quocunque voluerit vertet illud. Tales timent Deum, & habent horrori ipſum audientes ipſum dicentem : Oſtendam vobis quem timeatis : Timete eum qui poteſt & corpus & animam perdere in gehennam. Et illud *Iſa.*8. Dominum Deum noſtrum ipſum ſanctificate, & ipſe terror noſter, & ipſe timor noſter, vt in ſanctificatione poſſitis perſeuerare, donec veniatis ad gloriam, ad quam nos perducat, &c.

IN LXXVI. PSALMVM.

In finem, pro Idithum, Pſalmus Aſaph. 1.

VOce mea ad Dominum.Hic eſt Pſalmus 76. in toto libro, in ſecunda parte 26. in quo poſtquam obſtinatos Iudæos confutauit oſtendendo per Chriſtum ad Gentiles gloriam eorum tranſlatam, & ei ſoli vero iudici & terribili ſeruiendum, ponit ſe in exemplum iuſtorum congregatio omnia tranſiliens & dimittens, & ad Chriſtum confugiens. Et hoc innuitur in titulo, qui talis eſt : *In finem, pro Idithum, Pſalmus Aſaph.* Et eſt ſenſus : *Pſalmus* ſubiectus conuenit *Aſaph*, id eſt, iuſtorum congregationi, & *in finem* Chriſtum nos ex toto dirigens. Loquitur *pro Idithum*, id eſt, pro tranſiliente, id eſt, in perſona tranſilientis omnia, & ad Chriſtum tranſeuntis, qui clamat *Eccleſ.*24. Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me. 2. *Pſalmus docet tranſilire omnia & ſequi Chriſtum.*

Pſalmus autem hic diuidi poteſt in partes duas principaliter. Primò enim Aſaph declarat quomodò, & ad quid in Deum tranſierit omnibus prætermiſſis & contemptis. Secundò oſtendit, quòd dignum ſit in illum toto affectu tranſire, qui tot bona per Chriſtum contulit, ibi, *Viderunt te aquæ.* Prima pars in tres diuiditur. Primò, quòd in Chriſtum tranſierit orando, meditando. Secundò, quòd ipſo inuento cogitauerit vtrum Deus eum reuocaturus ſit à peccato & corruptione, ad ſtatum incorruptionis & innocentiæ. *Anticipauerunt vigilias.* Tertiò quid inuenerit in hac ſua deliberatione, ibi, *Et dixi : Nunc cœpi.* In prima duo. Primò, quòd Deum exquiſierit. Secundò, quòd neceſſitate compulſus fuerit, ibi, *Renuit conſolari.* In prima duo. Primò, quòd quæſierit voce. Secundò, quòd opere, ibi, *In die tribulationis.* In prima duo. Primò, quòd quæſierit. Secundò, quòd fruſtratus non ſit. *Et intendit mihi.* In prima duo. Primò, quòd voce clamauerit ad Dominum. Secundò ad quid clamauerit. *Voce mea ad Dominum.* Ait ergo: Sic, miſeti, tranſlata eſt gloria veſtra à vero iudice & terribili, cui vota ſunt reddenda : & propter hoc *ego clamaui ad Dominum*, non ſuſurraui, vel muſſitaui, ſicut multi, de quibus *Iſa.*29. Et erit quaſi pythonis de terra vox tua, & de humo muſſitabit eloquium tuum. Imò, quod deterius eſt, ſicut aliqui quidam, qui nec os ſuum aperiunt, de quibus in *Pſal.* Os habent & non loquentur. *Clamaui autem voce mea*, non aliena, & vicaria, ſicut multi. Suprà in *Pſal.* Ad ipſum ore meo clamaui. Ne cogar dicere illud *Pſal.* Quoniam tacui, per meipſum : inueteraueruntoſſa

ossa mea, dum clamarem tota die per alium.

Varij clamores. Clamaui sicut ille qui clamat propter ignem. *Ioël.*2. Ad te Domine clamaui, quoniam ignis deuorauit speciosa deserti. Item sicut ille qui clamat propter belluam quando vult eum deuorare. Bellua enim est culpa. *Tob.*4. Ecce piscis immanis ad deuorandum eum, quem expauescens Tobias clamauit voce magna, dicens: Domine, inuadit me. Item sicut ille qui clamat propter latrones: peccata enim latrones sunt, quæ spoliant & vulnerant. *Luc.*10. Incidit in latrones, qui despoliauerunt eum. *Abd.* Si fures introissent ad te, nunquid conticuisses? Item sicut qui clamat propter hostium multitudinem insequentem ad mortem. *Exod.* 14. Leuantes oculos filij Israël, viderunt post se Ægyptios, & timuerunt valdè, & clamauerunt ad Dominum. Item sicut clamat homo videns tempestatem irruere super se, sicut *Ionæ* 1. Facta est tempestas magna in mari, ita vt nauis periclitaretur, clamaruntque nautæ ad Dominum. Sicut Petrus clamabat ad Christum *Matth.* 14. videns tempestatem super se venientem. Sicut ille qui dolet propter vulnerum inflictionem: peccatum enim vulnus pessimum est. *Isa.*38. Quasi leo sic contriuit omnia ossa mea. Et subdit: Sicut pullus hirundinis, sic clamabo. Propter rei multum diligendæ amissionem. *Exod.*13. Factus est clamor magnus in terra Ægypti, quia non erat domus in qua non iaceret mortuus. Sicut ille qui clamat propter rei dilationem, & clamat vt citò habeat. Sic qui dicebat: Et clamor meus in conspectu eius, existens moraliter, quia illa quæ ibi sunt desidero & affecto, introiuit in aures eius. *Voce mea ad Dominum* facta, & in ipsum tendente, vt ipsum possim habere: ad illud enim est res propter quod fit.

Et intendit mihi. Non fraudatus, non deceptus à propositio. *Exod.*3. Vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto, & descendi liberare eos. Adest clamantibus paratus semper adiuuare & liberare. *Deut.*22. Si corrupta fuerit virgo, & clamauerit, non est rea: si autem non clamauerit, rea erit.

3. *In die tribulationis.* Hic secundum, in quo dicit se quæsiuisse opere: & tanguntur tria. Primò tempus quando sic quæsierit. Secundò modus quærendi. *Manibus meis.* Tertiò fructus. *Et non sum deceptus.* Dicit ergo: Sic quæsiui voce, & etiam *in die tribulationis meæ*; adhuc me stimulante, Deum exquisiui. *Ose.*6. In tribulatione sua mane consurgent ad me. *Prouerb.*2. In tempore afflictionis suæ dicent: Surge, & libera nos. Et dicitur tribulatio in die fieri, vel dies esse per effectum, quia mentem tribulati illuminat. *Isa.*28. Vexatio dabit intellectum auditui. *Manibus meis*, id est, operibus meis, *contra eum*, vel *coram eo*, erectis vel factis: *nocte* tribulationis. Idem ergo dies, & nox dicitur. Dies, quia illuminat post tribulationis consummationem. Nox, quia turbat cum ineat præsentialiter. *Isa.*21. Custos quid de nocte? aduersitatis illatæ & miseriæ: quid de nocte? innatæ. Dixit custos: Venit mane & nox, nunc est, sup. Si quæritis, quærite. *Cant.* 3. In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea. Quæsitionis autem bonus modus est, quærere manibus puris, & mundis operibus. 1. *Tim.*2. Leuantes puras manus.

Quare tribulatio dicitur dies & nox.

Et non sum deceptus, inuento. *Sapient.*2. Quærite illum, quia inuenitur ab his qui non tentant illum. *Psal.* Non sunt fraudati à desiderio suo. Oratio enim primò expugnat inimicos, qui eam volunt impedire, quod signatum fuit *Exod.*17. vbi Moyse leuante manus, & orante, vincebantur inimici. Sanat, si contingat esse afflictum ab aduersario. *Matth.* 16. Hoc genus dæmoniorum non eiicietur nisi in oratione & ieiunio. Deum placat. *Exod.* 32. Dimitte me vt irascatur furor meus super eos. Et dixit Moyses: Domine dimitte eis hanc noxã, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti. Cœlos penetrat. *Eccles.*35. Oratio humiliantis se nubes penetrat. Impetrat. *Ioan.* 14. Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, hoc fiet vobis.

Orationis multiplex effectus.

Renuit consolari. Hîc secundum primæ partis totius huius Psalmi, in quo subiungitur necessitas sic petendi, scilicet afflictionis vehementia: & dicuntur duo. Primò carentia & fuga consolationum in tribulatione. Secundò, quod est quasi secutum in tribulationis vehementia, cùm dicit: *Defecit spiritus.* In prima duo. Primò fuga consolationum materialiũ, & malorum. Secundò ne credatur omnibus carere, præsentia spiritualium. *Memor fui.* Dicit ergo: Sic clamaui transire volens in Christum: nec mirum, quia *anima mea renuit*, vel negauit *consolari* consolationibus carnalibus, & impegit ad inquirendum Deum, sciens illud *Luc.* 6. Væ vobis diuitibus qui habetis consolationem vestram. Scio etiam, quòd illam habens fraudatur à diuinâ. *Bernard.* Delicata est diuina consolatio, non dabitur recipientibus alienam. Propter hoc dicebat *Iob* 6. Mittat manum suam & succidat me, & affligens me dolore non parcat. Vbi dicit *Glossa*, à regno cœlorum se alienat, qui in temporalibus consolationem expectat.

4. *Memor fui.* Hîc secundum, scilicet præsentia spiritualium. Et tangitur primò præparatio ad consolationem. Secundò delectatio & consolatio. *Et delectatus.* Dicit ergo: Sic illas renui, & his expulsis *memor fui Dei. Thren.* 3. Memoria memor ero. Et in eod. Recordare paupertatis meæ & transgressionis. *Cant.*8. Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.

Et delectatus sum. Hîc secundum, delectatio: & tanguntur duo. Delectatio, & in delectatione exercitatio. *Exercitatus.* Ait enim: Sic memor fui Dei, & delectatus sum in illo. *Isa.* 58. Tũc delectaberis super Domino Deo tuo. Quippe saporem habet in intellectu. *Eccl.*24. Spiritus meus super mel dulcis, in affectu & suauissimum & iocundissimum. *Ose.* 14. Memoriale tuum sicut vinum libaminum.

Exercitatus sum, in illa delectatione libenter immorando. *Matth.*17. dixit Petrus gustata consolatione: Domine bonum est nos hîc esse. Alia litera: *Et garriui.* Delectatio enim in Deo garrulam facit animam, vt non possit se continere quin aliquid dicat, nec potest totum effundere, quod est quædam iubilatio. *Sophon.* 3. Iubila Israël, & exalta in omni corde tuo. *Matth.* 12. Ex abundantia cordis

cordis os loquitur. *Pſal.* Eructauit cor meum verbum bonum.

Et defecit. Ecce ſecundum, ſcilicet miſeriæ vehementia vſque ad defectum ſpititus. Melius tamen poteſt dici ſecundum *Gloſſ.* illam, quia primò eſt Dei memoria. Secundò delectatio in illa. Tertiò exercitatio in habita conſolatione. Quartò defectio illius ſpiritus præ amoris vehementia, ſecundum illud 3. *Reg.* 10. Regina Sabba, poſtquam viderat Regem Salomonem, & domos eius, & eius ſapientiam, & ſeruorum ſuorum cultum & ordinem, non habebat vltrà ſpiritum. Hinc *Gregor.* Quantò in nobis ſpiritus Dei creſcit, tantò noſter in nobis deficit, & tantò in Deo plenè proficimus, cùm in nobis ipſis funditùs deficimus.

5. *Anticipauerunt.* Hîc ſecunda pars Pſalmi, in qua oſtendit quod inquiſierit in oratione ſua, vtrum Deus ipſum reuocaturus ſit miſericorditer ad incorruptionem. Et dicuntur hîc tria. Primò ſufficiens ſui præparario ad meditandum. Secundò diligens & pura meditatio, ibi, *Et meditatus ſum.* Tertiò ſpecificatio eius, ſuper quo meditatur, ibi, *Nunquid in æternum.* In prima dicuntur quatuor. Primò ſollicitudo præueniens. Secundò affectatio meditandi. *Et turbatus ſum.* Tertiò quies, ibi, *Et non ſum loquutus.* Quartò mentis eleuatio, ibi, *Cogitaui dies.* Dicit ergo: Sic oraui, nec fui deceptus, & etiam *oculi mei* ad literam, vel interiores affectiones & deſideria, *anticipauerunt vigilias*, aliquos præueniendo. *Pſal.* Præuenerunt oculi mei ad te diluculo. Bonæ vigiliæ ſunt de quibus *Eccleſ.* 31. Vigilia honeſtatis tabefaciet carnes.

Turbatus ſum, præ deſiderio in feruore ſciendi veritatem, & habendi locum meditandi, & eſt turbatio timoris, cùm timet vt non accidat quod deſiderat. *Iob* 23. A facie eius turbatus ſum: cùm viderem & audirem, corrui. Sed non turbatione deſperationis, de qua *Ierem.* 17. Ego non ſum turbatus te paſtorem ſequens.

Et non ſum loquutus. Ecce ſilentium quietum. *Ezechiel.* 3. Manſi ibi tacens. In *Pſal.* ſuprà: Poſui ori meo cuſtodiam. Et turſus: Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis. Sciebam enim, quòd loqui non prodeſſet. *Iob* 15. Si loquutus fuero, non recedet dolor meus.

Alia litera habet: *Inimici mei anticipauerunt*, &c. Et eſt cauſa quare defecit ſpiritus præ turbatione, & dolore: quia dæmones anticipant ad impugnandum. *Thren.* 3. Velociores fuerunt inimici noſtri aquilis cœli. Et bene dicit, quòd vigilias anticipant, quia ſemper vigilant. *Iob* 20. Qui me comedunt, non dormiunt. Et propter hoc *turbatus ſum*, neſciens, quid dicturus aut facturus eſſem.

Et non ſum loquutus, tacitè præeligens. *Exod.* 14. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Sed quomodò, cùm ſuperius dixerit clamaſſe voce? Reſp. Sancti piis vocibus in oratione ſeipſos & ſpiritum ſuum excitant, poſtmodum rapti in extaſi mentis ſilent.

6. *Cogitaui dies antiquos.* Hîc eſt quartum præparatorium ad meditandum, eleuatio ſui ad ſuperna: & dicuntur duo. Primò reuocatio ad memoriam ſtatus Adæ, in quo corruit. Secundò ſtatus gloriæ, quem peccando amiſit, ibi, *Et annos æternos.* Dicit ergo: Sic ſilui, & leuans mentis oculos ad præterita, *cogitaui dies antiquos*, in quibus Adam cecidit per peccatum. *Deut.* 32. Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas. Vtile enim eſt valde. *Iſa.* 46. Redite præuaricatores ad cor, & recordamini prioris ſæculi. *Conſideratio ſtatus peccati & gloriæ valde vtilis.*

Et annos æternos, quos amiſit per peccatum, niſi per miſericordiam Dei & pœnitentiam illos recuperaſſet, *in mente habui*, cogitans de illis. Hi ſunt anni de quibus in *Iob* 30. Complebunt annos ſuos in gloria. Et in *Pſal.* Tu autem idem ipſe eſt, & anni tui non deficient. Ibi debet eſſe oculus viri iuſti. *Deut.* 33. Oculus Iacob in terra frumenti, vini, & olei. *Iob* 39. De longè contemplantur eſcam. *Ierem.* 50. Recordamini procul Domini, & Ieruſalem aſcendat ſuper cor veſtrum.

Et meditatus ſum. Hîc ſecundum, ſcilicet pura & diligens meditatio. Et primò tangitur meditatio. Secundò ſubinfertur puritas. *Et ſcopebam.* Diligentia monſtratur in duobus. In tempore. *Nocte.* Et in modo, qui tangitur in duobus, quia veraciter & attentè, quia frequenter, non tantum ſemel. Primum in hoc quod dicit. *Cum corde meo.* Secundum in hoc quod ſubinfertur. *Et exercitabar.* Dicit ergo: Sic me præparaui, *& meditatus ſum nocte*, quando tempus magis aptum. *Iſa.* 26. Anima mea deſiderauit te in nocte. *Thren.* 3. Conſurge, lauda in nocte, & meditare, quia tunc vera acquiritur ſapientia. *Sapient.* 6. Qui de luce, id eſt, à principio lucis, quando adhuc quaſi nox, vigilauerint ad illam, non laborabunt, & aſſidentem foribus inuenient illam. 7.

Et hoc *cum corde meo*, confabulans, & illi loquens. *Eccleſ.* 31. Præcurre prior in domum tuam, & conſidera in mente, & ibi lude, & age conceptiones tuas, & tunc poterit cor calefieri & inflammari ad aliquod bonum. In *Pſal.* Concaluit cor meum intra me, reuocatum, ſupl.

Et exercitabar, in ipſa meditatione perſeuerans. *Eccleſiaſt.* 30. Congrega & contine cor tuum. Anima quæ non exercetur, ſine dubio citò rubiginatur: ſi exercetur, lucida redditur. *Prou.* 25. Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas puriſſimum.

Et ſcopebam, ſcopâ diligentis confeſſionis, *ſpiritum meum*, vt poſſet videre virum. Et iungit optimè hæc duo: quia ſi ſcopis mundetur omnia, & non exerceatur, ſed vacet, tunc citiùs occupatur à dæmonibus. *Luc.* 11. Inuenit eam ſcopis mundatam, & ornatam, tunc vadit & aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi.

8. *Nunquid in æternum?* Hîc tertium, ſcilicet ſpecificatio eorum, quæ meditabatur: & erant duo. Primum pertinet ad iram Dei & vindictam. Secundum ad miſericordiam, ibi, *Aut in finem.* In prima duo. Primò tangitur quod pertinet ad iræ durationem. Secundò ad ipſius intentionem. *Aut non apponet.* Ait ergo: Sic meditatus ſum. Et quid hoc? *Nunquid in æternum?*

æternum? Ecce duratio, *proiiciet Deus*, hominem, ſup. Et *Gloſſa, Proiiciet*, id eſt, proiectum, per peccatum primi hominis ſic dimittet. *Ierem.* 14. Nunquid proiiciens abieciſti Iudam, & Sion abominata eſt anima tua? Et poteſt reſponderi, quòd non: imò derelictus & proiectus non derelinquit. *Gregor.* Oſtendit Deus quantum nos diligit, qui etiam dum derelinquitur non derelinquit. 2 *Reg.* 5. Cum Saül, id eſt, diabolus regnaret ſuper nos, ſcilicet per peccatum, tu eras ducens, & reducens Iſraël.

Aut non apponet vt complacitior ſit adhuc? miſerando, quàm iratus fuerit puniendo. Quaſi diceret: Sic *Iſa.* 54. Ad modicum in puncto dereliqui te, & in miſerationibus multis miſertus ſum tui.

9. *Aut in finem.* Hîc tangit quod pertinet ad miſericordiam: & dicuntur tria. Primum pertinet ad euacuationem miſericordiæ omnino in effectu. Secundum ad negligentiam miſerendi. *Aut obliuiſcetur.* Tertium ad ſubtractionem ad tempus, ibi, *Aut continebit.* Dicit ergo: Sic meditando cogitabam de ira Dei, & etiam de miſericordia, quia etiam dicebam: *Aut* nunquid *miſericordiam ſuam*, quæ ei propria eſt, *abſcindet*, omninò abiiciendo, *à generatione* malorum *in generationem* bonorum? Et hoc *in finem*, id eſt, finaliter, vel *in finem* temporum illam non extendendo. Quaſi diceret: Non. *Thren.* 3. Non defecerunt miſerationes. Sed veniet tempus cum dicetur illud *Tit.* 3. Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam, &c. Et extenditur à generatione Iudæorum, ad generationem Gentilium, vt ſic omnes ſaluarer. *Ioan.* 12. Cum eſſet pontifex anni illius, prophetauit, quod IESVS moriturus eſſet pro gente, & vt filios Dei, qui diſperſi erant, congregaret. 1. *Ioan.* 1. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, nec tantum pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi.

10. *Aut obliuiſcetur miſereri Deus.* Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Et meditabar: *Aut* nunquid *obliuiſcetur miſereri* per negligentiam, ſi non abſcindit per impietatem miſericordiam ſuam Deus? Quaſi diceret: Non eſt poſſibile. *Iſa.* 49. Nunquid poteſt mulier obliuiſci infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. *Pſal.* Reminiſcere miſerationum tuarum Domine, & miſericordiarum tuarum quæ à ſæculo ſunt. Non enim eſt ſicut ſtruthio, de quâ dicitur *Iob* 35. Derelinquit in terra oua ſua, obliuiſcitur quod pes conculcet ea, aut beſtia agri conterat: duratur ad filios ſuos, quaſi non ſint ſui. *Geneſ.* 8. Recordatus eſt Dominus Noë, cunctorumque animalium. Non poteſt ſic obliuiſci. Nec eſt contrarium illud. *Thren. vltim.* Quare in perpetuum oblitus es, & dereliquiſti nos in longitudinem dierum? Hoc enim dicebat admirando, non aſſerendo. Nec illud *Oſe.* 2. Non addam vltra miſereri domui Iſraël, ſed obliuione obliuiſcar eos. Hoc enim intelligendum erat ſub conditione, ſi noluerint reuerti.

Aut continebit, vt non effluant, *miſericordias ſuas?* Et hoc *in ira ſua.* Ita ad tempus aliquando, ſecundum illud *Iſa.* 63. Multitudo viſcerum tuorum & miſerationum tuarum ſuper me continuerunt ſe. Et in 6. Miſerationes tuæ ſuper me continuerunt ſe, ſed ſimpliciter non, quantum eſt in ſe. *Abac.* 3. Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. Totum enim perditum eſſet, ſi miſericordias contineret, vt gratiæ non effluerent. *Iob* 12. Si continuerit aquas, gratiæ & miſericordiæ: omnia ſiccabuntur, ardore concupiſcentiæ. *Pſal.* Iratus es, & miſertus es.

Et dixi: Nunc cœpi. Hic eſt tertium primæ partis totius huius Pſalmi, in quo manifeſtat quid in ſua meditatione & diſcuſſione inuenerit: & dicuntur duo. Primò manifeſtat quid inuenerit. Secundò quaſi in gratiarum actionem prorumpit, ibi, *Deus in ſancto.* Dicuntur autem tria. Primò, quòd inuenerit veritatem. Secundò ſpecificat illam. *Hæc mutatio.* Tertiò probat, quòd verè ita ſit, ibi, *Memor fui.* Dicit ergo: Sic meditatus ſum vtrum Deus ad miſericordiam conuerteretur. *Et dixi*, in corde meo deliberans, & diſcernens: *Nunc* in hac meditatione, *cœpi* intelligere veritatem, quam priùs non intelligebam. *Deut.* 29. Dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, quia humiliatus ſum in oratione, & humilibus reuelantur ſuperna ſecreta, non ſuperbis. *Matth.* 11. Abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis, *Prou.* 11. Vbi humilitas, ibi ſapientia. 11.

Cœpi autem intelligere reductionem, & ſalutem humani generis, quando temporalia tranſiliui. *Iſa.* 28. Quem docebis ſcientiam, aut quem intelligere facies auditũ? Ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus. Et quod *hæc mutatio*, de corruptione in incorruptionem, *dexteræ Excelſi*, id eſt, potentiæ Dei, quæ eſt triplex. De malo in bonum, de qua in *Pſal.* Non enim eſt illis commutatio, & non timuerunt Deum. Et fit per gratiam baptiſmalem, vbi à ſordibus culpæ redditur ad gratiam innocentiæ. *Ezech.* 36. Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus veſtris inquinamentis. Fit etiam per pœnitentiam. *Iudith* 6. Exuit ſe viduitatis ſuæ veſtimentis, vt induit veſtibus iocunditatis. Et eſt mutatio de bono in melius. Suprà in *Pſal.* Inflammatum eſt cor meum, & renes mei commutati ſunt. Hæ fit per virtutum incrementum & augmentationem: vnde Sauli iam iuſto & humili dictum eſt 1. *Reg.* 10. Mutabilis in virum alterum, & prophetabis. Tertia mutatio eſt de meliori in optimum, de qua hîc. *Hæc mutatio dexteræ Excelſi.* Et fit tandem per glorificationem. 1. ad *Corinth.* 15. Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. Et eſt bene dexteræ iſta immutatio, ſiniſtræ enim mutatio eſt cum à quiete innocentiæ deiecti ſumus in miſeriam, de qua *Iob* 29. dicitur: Mutatus es mihi in crudelem. *Triplex mutatio laudabilis.*

Vel ſic: *Et dixi*, in corde meo: *Nunc cepi* aliquid, cum eleuatus ſum ad meditandum de æternis, mihi non attributis. Manens enim in corporalibus & infimis, nihil capit, quia nihil ſunt. *Eccleſ.* 34. Quaſi qui apprehendit ventum, & ſequitur æſtum, ſic qui attendit ad viſa mendacia. *Ierem.* 4. Aſpex terram, & ecce vacua erat, & nihili. Et quod potui ſic capere aliquid de æternis, mihi non attribuo,

ſed dico : *Hæc mutatio dexteræ Excelſi*, id eſt, filij Dei, qui eſt eius dextera de qua *Eccleſiaſt. 36.* Glorifica manum, & brachium dextrum.

12. *Memor fui operum Dei.* Hîc eſt tertium, in quo probat, quòd verè ita ſit, quia & opera Dei cognouit præſentia: & hoc primò:& præterita etiam cognoſcere proponit & inueſtigare, & experiri, ibi, *Quia memor ero.* Dicit ergo: Sic intellexi, à Deo commutandum genus humanum, & verè, quia *memor fui*, id eſt, in memoria & mente reuolui, *operum Dei*, oculis meis præſentium, ſolis, lunæ, & totius machinæ mundanæ, quæ mihi Dei potentiam & ſapientiam prædicabant. *Sap.13.* A magnitudine ſpeciei & creaturæ potuit eorum creator intelligi. Ad *Rom.1.* Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur. Nec tantum exteriùs conſpectorum, ſed etiam in me factorum miſericorditer *Iſa.63.* Miſerationum tuarum recordabor, & mecum impletarum. *Eccleſ. vlt.* Memoratus ſum miſericordiæ tuæ Domine,& operationis tuæ. Vt per hoc poſſim ampliora bona ſuſcipere. *Caſſiod.* Meliora meretur recipere, qui collata bona de corde probatur non amittere.

Beneficia Dei recolenda.

Quia memor ero. Ecce ſecundum, in quo probat per ſe ſecundum, propoſitum cognoſcendi: ſed quia cognitio ſurgit ex impletione mandatorum Dei,dicuntur tria. Primò operum præcedentium recordatio. Secundò recordationis frequentatio. *Et meditabor in omnibus.* Et tertiò mandatorum promittitur adimpletio, vt ſequatur certior & infallibilis cognitio. *Et in adinuentionibus.* Ait ergo: Sic fui memor, & etiam, *quia memor ero mirabilium tuorum. Eccleſ.42.* Memor ero operum Dei: & quod vidi, annuntiabo. Operum, inquam, *ab initio*, in antiquis patribus factorum. In Abraham de Vr Chaldæorum liberato. *Geneſ.12.* Et Loth de Sodomis educto, eiuſdem 19. Et per Abraham liberato, eiuſdem 18. Et populo Hebræorum ab Ægyptiaca ſeruitute erepto. *Exod.14.* Hæc enim quia non recolunt, improperatur eis. *Iſa.5.* Cithara, & lyra in conuiuiis veſtris: & opus Dei non reſpicitis, nec opera manuum eius conſideratis.

13. *Et meditabor.* Hîc eſt ſecundum. Quaſi diceret: Sic memor ero, nec ad horam vt citò labantur, ſed *meditabor* immorando in illis, *in omnibus operibus tuis.* In *Pſal.* Videbo, oculo intellectus, cœlos tuos, opera digitorum tuorum. Et alibi: In factis manuum tuarum meditabar.

Et exercebor in adinuentionibus tuis, in mandatis & præceptis, quæ à te inuenta ſunt, vt ſic poſſim ad certiorem cognitionem peruenire. *Pſal.* A mandatis tuis intellexi. Alibi in *Pſal.* In mandatis tuis exercebor. Iſtæ ſunt adinuentiones, de quibus *Iſa.11.* Notas facite in populis adinuentiones eius. Has oportet non tantùm cognoſcere, ſed cognitas adimplere. *Iacob.1.* Eſtote factores verbi & non auditores tantùm, fallentes voſmetipſos. *Pſal.* Meditabar in mandatis tuis,quæ dilexi nimis. Quia dulcia valde & ſuauia. *Eccleſ.23.* Nihil dulcius, quam reſpicere in mandatis Domini? *Caſſiod.* Quantò enim plus hauſerit, tantò amplius dulcia ſenſa perquirit. *Pſal.* Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, &c.

Deus in ſancto via tua. Hîc ſecundum huius partis: oſtenſo enim quid inuenerit in ſua meditatione,gratiarum actiones & Dei laudes ſubiungit. Laudat autem à beneficio duplici, ab eo ſcilicet quod filium fecit viam eundi ad ſe, & hoc primò. Ab eo quod virtutem trahendi ad ſe,ibi, *Notam feciſti.* In prima duo. Primò tangitur beneficium. Secundò admiratio & commendatio beneficij ſubiungitur, ibi, *Quis Deus magnus?* Dicit ergo:Sic inueni,quòd ſum renouandus, & ad vitam reducendus, & ô Deus, *in ſancto*,id eſt, in filio tuo, qui ſanctus ſanctorum dicitur. *Dan.9.* Et verè ſanctus,quia ſine terra. Sanctus enim idem eſt quod ἀγιος, ἀγιος autem dicitur ab ἀ quod eſt ſine, & γῆ,quod eſt terra. *Zach.9.* Ecce rex tuus venit tibi iuſtus & ſaluator,& ipſe pauper. 2.ad *Cor.8.* Scitis gratiam Domini noſtri IESV CHRISTI: quia cum eſſet dives in omnibus,pro nobis egenus factus eſt. Item ſanctum dicebatur Deo dicatum, & à communibus vſibus ſeparatum. Sic & ipſe ſanctus fuit, totus Deo deputatus, & dicatus. *Iſa.44.* Dico Cyro: Paſtor meus es, & omnem voluntatem meam complebis. Item Sanctus idem eſt, quod ſanguine tinctus. Et Chriſto conuenire conſtat, qui dicit *Ioan.17.* Ego pro eis ſanctifico meipſum,id eſt, ſanguine proprio me tingo, vt & ipſi ſancti ſint. Ad *Hebr.2.* Qui ſanctificat,& qui ſanctificantur,ex vno omnes. Item Sanctus idem eſt quod firmus. Et Chriſtus firmus valdè fuit, qui totius mundi onera portare potuit. *Iſa.53.* Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. In hoc ſancto *via tua*, quâ ad nos venis per miſericordiam, & nos ad te per ipſius imitationem. *Ioan.14.* Ego ſum via,veritas, & vita. Et rurſus in eodem. Nemo venit ad Patrem, niſi per me. *Hebr.10.* Initiauit nobis viam nouam.

Chriſtus multiplici titulo dicitur ſanctus.

Chriſtus via per quam Deus venit ad nos,& nos ad ipſum.

Quis Deus magnus, eſſentia & natura, *ſicut Deus noſter?* qui talem fecit nobis viam.2.*Reg.7.* Magnificatus es Domine, quia non eſt ſimilis tui, nec eſt Deus extrà te. *Pſal.* Non eſt ſimilis tibi in diis Domine, & non eſt ſecundum opera tua.

15. *Tu es Deus qui facis mirabilia.* Reſponſio. Quaſi diceret: Nullus eſt Deus vt tu: quia nullus faciens mirabilia ſicut tu. *Eccleſ.43.* Magnus vehementer & mirabilis potentia ipſius. *Iob 9.* Qui facit magna, & inſcrutabilia,& mirabilia, quorum non eſt numerus.

Notam feciſti in populis. Hîc tangit ſecundum beneficium, gratias referendo, quia fecit ſuam virtutem omnibus manifeſtam. Duo ergo dicuntur. Primò, quòd omnibus ipſam virtutem expoſuit ad bonum faciendum. Secundò, quòd & per ipſam à diabolo omnes eripuit, ibi, *Redemiſti.* Dicit ergo: Sic in ſancto via tua, & ipſum feciſti viam. Nec hoc tantùm, imò *in populis* tam Iudæorum, quàm Gentium, *feciſti notam virtutem tuam*, ſcilicet filium eſſe virtutem in Iudæis, quia illic opera tanta fecit, quòd neceſſe fuit ipſum confiteri eſſe virtutem tuam. *Ioan.15.* Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Et in 9. A ſæculo non eſt auditum vt quis aperiret oculos cæci nati. In Gentibus

hunc

nunc per Paulum prædicaſti. 1. ad *Corinth.* 1. Prædicamus Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam. Propter hoc *Iſa.*40. Videbit omnis caro ſalutare Dei. *Luc.* 2. Quod paraſti, ante faciem omnium populorum. Virtutes etiam Dei, charitas, miſericordia, & pietas. Hanc notam fecit viam, quæ ſolum via erat, ſcilicet mandata moralia. *Matth.*19. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. *Pſal.* Viam mandatorum tuorum cucurri.

16. *Redemiſti in brachio tuo.* Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Notam feciſti virtutem, quæ duceret,& quaſi portaret, & etiam *redemiſti populum tuum*, de ſeruitute Ægyptiaca, hoc eſt, diabolica & peccati. *Ioan.* 8. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.

Et ſpecificat: *Filios Iacob*, Iudæos, *& Ioſeph*, id eſt, Gentiles intellectos per Ioſeph, quia Ioſeph in Gentibus fuit venditus, & inter illas habitauit, & illas à fame liberauit *Geneſ.* 37. vſque ad finem. Alibi in *Pſal.* Qui regis Iſraël, intende, quantum ad Iudæos: qui deducis velut ouem Ioſeph, quantum ad Gentiles. Et hoc *in brachio tuo*, filio ſcilicet qui eſt virtus & brachium. *Exod.*7. Redimam te in brachio extento. Bene extentum fuit in cruce hoc brachium. *Iſa.*1. Sion in iudicio redimetur. Et 44. Noli timere ſeruus meus Iacob, quia redemi te. *Pſal.* Redemptionem miſit Dominus populo ſuo. Brachium ſcilicet filium, qui brachium dicitur. *Iſa.*53. Et brachium Domini cui reuelatum eſt?

17. *Viderunt te aquæ Deus.* Hîc eſt ſecunda pars totius huius Pſalmi, quarta autem ſecundum *Gloſſam*, in qua vt monſtret quod dignum eſt in Chriſtum tranſilire, modum & ordinem narrat, quo exhibita ſunt mundo beneficia: & dicuntur tria. Primò, quòd beneficia ſunt exhibita. Secundò qualiter, ibi, *Et vocem dederunt.* Tertiò per quos, ibi, *Deduxiſti ſicut oues.* In prima duo. Primò conuerſionis beneficium. Secundò confeſſionis fidei, in ipſis, & ab ipſis conuerſis. *Multitudo ſonitus.* In prima duo. Primò conuerſio populorum ſimpliciter. Secundò maiorum in illis, ibi, *Et turbatæ ſunt:* Et intellige de maioribus in peccatis. In prima duo. Primò conuerſio. Secundò timoris incuſſio in conuerſis, ibi, *Et timuerunt.* In prima duo. Primò conuerſio Iudæorum. Secundò Gentilium in ſecundo. *Viderunt.* Dicit ergo: Sic tranſiliui in Deum, & quid inuenerim in illa mea contemplatione expreſſi. Et iuſtum eſt tranſilire in tantum beneficium: quia ô *Deus aquæ*, populi ſcilicet Iudæorum, *viderunt te* oculo fidei, & etiam corporali. *Apoc.*17. Aquæ quas vidiſti, populi ſunt, & tribus. Iſtæ viderunt te inſtructæ à lege, & conferentes cum operibus quæ faciebas. *Ioan.*12. Nos cognouimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum. Propter hoc dicebat eis in 5. Scrutamini Scripturas, quoniam ipſæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me, &c.

Viderunt te aquæ, Gentes, Gentiles ſcilicet, quia omnes ſunt aquæ. 2. *Reg.*14. Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur. Gentes viderunt ad ipſum conuerſæ. *Iſa.*55. Gentem quam neſciebas, vocabis. Bene autem aquis comparantur populi, ſiue de Gentibus, ſiue de Iudæis, & maximè peccatores. Primò quia aqua de facili recipit impreſſiones, ſed citò amittit: ſic ipſi citò Dei imaginem recipiunt per reformationem, & citò amittunt. *Luc.* 8. In tempore credunt, & in tempore tentationis recedunt. *Pſal.* Imaginem ipſorum ad nihilum rediges. Secundò quia omni tentationi cedit, ſicut aqua vento omni. *Iacob.*1. Similis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur & circumfertur. Propter hoc dicitur 1. *Pet. vlt.* Cui reſiſtite fortes in fide, non ſicut aquæ labiles. Tertiò quia ſi non mouetur, corrumpitur, nam vitium capiunt niſi moueantur aquæ. *Ierem.*48. Fertilis fuit Moab ab adoleſcentia ſua, non eſt transfuſus, &c. Et in tranſmigrationem non abiit: idcircò remanſit guſtus eius in eo, & odor eius non eſt mutatus. Item ſaporem trahit à loco per quem tranſit: ſic peccator ab iis malitiam cum quibus conuerſatur, ſecundum illud *Senecæ*, A conuictu formantur mores. 1. ad *Cor.* 15. Corrumpunt bonos mores colloquia praua. *Pſal.* Cum ſancto ſanctus eris. Item admixta terræ lutum facit: ſic peccator terrenis admixtus efficitur lutum, non tantum lutoſus. *Pſal.* Vt lutum platearum delebo eos. *Eccleſ.*9. Mulier fornicaria quaſi ſtercus in via, perdetur & conculcabitur. Item quia ſemper ad procliuum tendit, id eſt, peccatori alij ſe coniungit, vt cum illo defluat in infernum. *Eccleſiaſt.* 27. Volatilia ad ſibi ſimilia congregantur: & ſimile applaudit ſuo ſimili, & totum in mare inferni inuadit. *Eccleſ.*40. Aquæ omnes in mare conuertuntur.

Comparatio peccatoris cũ aqua.

Et timuerunt. Ecce ſecundum, ſcilicet timoris incuſſio. *Ierem.* 10. Magnum nomen tuum in fortitudine, quis non timebit te? *Act.*5. Factus eſt timor magnus in vniuerſa Eccleſia.

Et turbatæ ſunt. Ecce ſecundum, ſcilicet magnorum conuerſio, vel conturbatio in bonum. *Et turbatæ ſunt abyſſi*, magni ſcilicet peccatores, & in peccatis profundi. Bene autem ex viſione ſequitur turbatio ſui. *Iob vlt.* Oculus meus videt te, idcirco ipſe me reprehendo. Et *Apoc. vlt.* Deus enim ipſam abyſſum ingreditur peccatorum & conuertit illam. *Iob* 38. Nunquid ingreſſus es in profundum maris, & in nouiſſimis abyſſi introiſti? Suprà in *Pſal.* Dixit dominus: Ex Bazan conuertam, conuertam in profundum maris.

18. *Multitudo ſonitus.* Hîc ſecundum beneficium, ſcilicet confeſſionis, & peccatorum in pœnitentibus, & laudis in aliis. Ait enim: Sic conuerſi ſunt, & facta eſt *multitudo ſonitus aquarum*, id eſt, plebium, quæ ſonabant alio ſono confeſſionis, & gemitus peccatorum ſuorum, quantum ad incipientes: de quo *Cant.* 2. Sonet vox tua, interior & exterior, in auribus meis, in quo ſono pereunt omninò peccata. *Pſal.* Periit memoria eorum cum ſonitu. Et alio ſono compaſſionis ad duros, & obſtinatos, de quo *Iſa.* 16. Venter meus ad Moab quaſi cithara ſonabit. Gratiarum actionis & laudis, quantum ad perfectos, de quo in *Pſal.* In voce exultationis & confeſſionis, &c. 1. *Paral.*15. Reſonet in excelſis ſonitus lætitiæ.

Vocem dederunt. Hîc ſecundum, in quo oſtendit per quæ & quomodo hoc factum ſit, quia per tria, quæ tanguntur hîc. Per Apoſtolorum prædicationem efficaciſſimam. Per miraculorum exhibitionem. *Illuxerunt coruſcationes tuæ.* Tertium per exempli boni exhibitionem, ibi, *In mari via tua.* In prima tria. Primò prædicatio. Secundò virtus & efficacia. *Etenim ſagittæ tuæ.* Tertiò dilatatio per totum mundum. *Vox tonitrui.* Dicit ergo: Sic conuerſi ſunt & confeſſi, & hoc, quia *nubes*, id eſt, Apoſtoli & prædicatores, qui nubes ſunt *Iſa.* 5. Mandabo nubibus meis ne pluant ſuper eam imbrem. Et *Iob* 37. Frumentum deſiderat nubes. Bonum opus ad hoc vt perficiatur optat prædicatores. *Iob* 38. Nnunquid noſti ſemitas nubium magnas? *Vocem dederunt. Eccleſ.* 11. Si repletæ fuerint nubes, effundent imbrem.

Etenim ſagittæ. Hîc ſecundum, ſcilicet efficacia prædicationis. Ait enim: Sic nubes dederunt vocem non inanem. *Etenim* quia *ſagittæ*, authoritates penetrantes & acutæ, *tranſeunt*, vel tranſierunt vſque ad intima cordis. *Iſa.* 40. Loquimini ad cor Ieruſalem, & aduocate eam. Hæ ſagittæ primò conturbant & diſſipant animam. *Pſal.* Miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos. Sed poſt illuminant. *Abac.* 3. In luce ſagittarum tuarum ibunt. Aliquando in aure remanent, quando verbum tantum auditur, ſed corde non retinetur, nec ei obeditur. Sed tranſeunt, quando vſque ad cor audientis perueniunt. *Gregor.* Pleraque prædicatio ad aures peruenit, ſed ceſſante diuina gratia, ad audientium corda non peruenit.

19. *Vox tonitrui.* Ecce tertium. Quaſi diceret: Prædicatur & efficaciter, & generaliter, quia *vox tonitrui tui*, prædicationis ſcilicet terribilis, *in rota*, in mundo, & per totum mundum. *Pſal.* In omnem terram exiuit ſonus eorum. *Eccleſ.* 44. Vox tonitrui tui verberabit terram. *Iob* 36. Tonabit in voce ſua, mirabiliter. *Apocal.* 4. De throno, de Apoſtolorum ſcilicet collegio, exibant fulgura, voces, & tonitrua. *Vox* etiam *tonitrui*, terroris ſcilicet, & comminationis diuinæ, *in rota*, in malorum turba, qui in rota ſunt. *Pſal.* In circuitu impij ambulant. Et alibi: Deus meus pone illos vt rotam.

Illuxerunt. Hîc ſecundum, in quo duo. Primò miraculorum operatio. Secundò efficacia illorum, ibi, *Commota eſt.* Dicit ergo: Illuxerunt coruſcationes, ſcilicet miraculorum operationes, *orbi terræ*, id eſt, mundo toti. *Iob* 38. Nunquid mittes fulgura, & ibunt, & reuerentia tibi dicent: Adſumus? *Gregor.* Sicut fulgura exeunt de nubibus, ſic miracula de prædicatoribus. Et *Auguſt.* dicit: Circuierunt Apoſtoli tonando, coruſcando. Ecce qui pluebant tanquam nubes, coruſcant tanquam miraculorum operatores. Et de his duobus *Marc. vlt.* Illi autem profecti, tanquam nubes, prædicauerunt vbique, Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis, miraculorum ſcilicet operationibus.

Commota eſt. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic coruſcauerunt, & ob hoc *commota eſt*, ab errore ad veritatis cognitionem, & *contremuit* à peruerſis moribus tranſiens ad honeſtatem, *terra*, continens ſcilicet pro contento. Suprà in *Pſal.* Conturbati ſunt, commoti ſunt, tremor apprehendit eos. *Agg.* 2. Adhuc vnum modicum, & mouebo cœlum, & terram, & aridam, & commouebuntur omnes gentes.

In mari via tua. Hîc tertium, boni exempli exhibitio: & dicuntur duo. Primò exhibitio boni exempli. Secundò inſultatio malis, qui nolunt illud ſequi, ibi, *Et veſtigia.* In prima duo. Primò oſtenſio pœnitentiæ. Secundò arctitudo vel vehementia oſtenſæ. *Et ſemitæ tuæ.* Ait enim: Sic prædicauerunt, & miracula fecerunt, & etiam *via tua*, id eſt, vita tua tota *in mari*, in amaritudine, & pœnitentia, vt ipſi exemplo tuo mouerentur. *Iſa.* 9. Agrrauata eſt via maris, quando ipſe Dei filius per illam pertranſiuit. *Abac.* 3. Viam feciſti in mari equis tuis. *Et ſemitæ tuæ*, conuerſationes ſtrictiſſimæ paupertatis, & extremæ & viliſſimæ mortis, *in aquis multis*, in tribulationibus quaſi infinitis, vt ipſi mouerentur. 1. *Petr.* 2. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum. Ibi fuit ſemita in aquis multis. *Pſal.* Omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me. 20.

Per has aquas oportet tranſire ad regnum. *Act.* 14. Per multas tribulationes oportet intrare in regnum cœlorum. In amaritudinem, & in aquas has debemus nos immergere poſt ipſum. *Iſa.* 43. Qui dedit in mari viam, & in aquis torrentibus ſemitam.

Per mare etiam poteſt intelligi mundus. *Pſal.* Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus. Et in aquis, in populis, ſemitæ eius, quoniam inter homines conuerſatur. *Baruc.* 3. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt: penetrans vſque ad corda eorum, ſicut fluuius currens in mare. *Eccleſ.* 24. Ego quaſi fluuius Diorix, & ſicut aquæ ductus exiui de paradiſo. Et quod mirabilius, hoc mare mortuum & ſalſiſſimum reddit dulce & viuum in ſuis. *Ezech.* 47. Egrediebatur de templo Domini fons aquæ viuæ, & deſcendebat in mare mortuum, & viuificabatur poſtea totum.

Et veſtigia tua. Quaſi diceret: Sic in mari via tua: ſed *veſtigia tua non cognoſcentur* cognitione approbationis, vt illa ſequantur, à malis & reprobis. *Iob* 21. Qui dicunt Deo: Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. Et in 11. Tu forſitan veſtigia eius comprehendes? dicunt impij bonis eos irridentes. Sed reſpondet iuſtus in 23. Veſtigia eius ſequutus eſt pes meus. *Eccleſ.* 11. Ignoras quæ ſit via Dei, dicitur miſero homini, & neſcis opera Dei, quæ per te facit, qui fabricator eſt omnium.

Deduxiſti ſicut oues. Hîc ſecundum, in quo oſtenditur à quibus hoc factum ſit: & dicuntur duo. Primò præmittitur diligentia ductoris. Secundò qui fuerunt per quos deducti ſunt. *In manu Moyſi.* Dicit ergo: O Domine tali ordine, & talia bona contuliſti mundo, & etiam *deduxiſti populum tuum*, non ſicut porcos, vel animalia alia, quæ 21.

duriter

duriter tractantur, ſed *ſicut oues:* hoc enim verum eſt quod deduxiſti. *Michæ. 6.* Eduxiſti populum tuum de terra Ægypti. *Pſal.* Eduxiſti eos, in ſpe, & non timuerunt. Et ſicut oues tanquam peculium tuum. *Deut. 7.* Elegit te Dominus Deus tuus, vt ſis ei populus peculiaris. *Pſal.* Qui deducis velut ouem Ioſeph. Tu paſtor. *Ioan. 10.* Ego ſum paſtor bonus: vos oues. *Pſal.* Nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius.

Et hoc *in manu Moyſi & Aaron.* Ecce per quos Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius, tanquam paſtores fideliſſimi. Moyſes aſſumptus ex aquis ſcripturarum. Hinc debet aſſumi ductor populi Dei, ſicut Moyſes *Exod. 2.* Aaron montanus, qui præcellit alios vitæ altitudine. *Ezechiel. 34.* Suſcitabo ſuper oues meas paſtores, qui paſcant eas. Iſtæ ſunt duæ virgæ in quibus regit populum ſuum Deus. *Zachar. 11.* Aſſumpſi mihi duas virgas, Moyſem & Aaron, vt deducant populum meum ad paſcua æternæ vitæ, ad quæ nos perducat, &c.

IN LXXVII. PSALMVM.

Intellectus Aſaph.

1. *Argumentũ Pſalmi, hortatur ad ingem beneficiorum Dei recordationem.*

Attendite populo meus. Hic eſt Pſalmus 77. in toto libro, in ſecunda parte 27. Poſtquã enim in exemplum ſeipſum poſuit Aſaph transiliendi in Chriſtum, & dimittendi legem veterem & temporalia omnia, hic confundit populum obſtinatum Iudæorum, recolendo beneficia, quæ ipſis ingratis Dominus contulit, in quibus etiam figurauit & præoſtendit beneficia, quæ modò per Chriſtum Eccleſiæ conferuntur: quia ſicut dicit *Gloſſa*, dum in hoc Pſalmo hiſtoria Teſtamenti Veteris recitatur, Noui Teſtamenti gratia declaratur, ſecundum illud 1. ad *Corinth. 10.* Omnia in figura contingebant illis. Scripta autem ſunt propter nos, in quos fines ſæculorum deuenerunt. Vnde titulus ſatis hoc exprimit, eſt enim talis: *Intellectus Aſaph*, in ſubiecto Pſalmo exprimitur, ſupl. Quaſi diceret: Non ſimplex hic hiſtoria accipienda eſt tantum, ſed quod ab Aſaph, id eſt, iuſtorum congregatione intelligitur in illa. Vel ſicut Græca tranſlatio oſtendit, *intellectus* poteſt hîc eſſe genitiui caſus, vt ſit ſenſus: Pſalmus hic ſubiectus eſt *intellectus*, ſcilicet intelligentiæ, vel de intelligentia data *Aſaph*, vt in hiſtoria intelligat, quæ ſpiritualiter ſunt in illa. *Luc. vlt.* Aperuit illis ſenſum vt intelligerent ſcripturas.

Pſalmus autem diuidi poteſt principaliter in duas partes: magna enim dicuntur. Proœmium præmiſit primò. Secundò narrationem ſubiungit, ibi, *Quanta audiuimus?* In prima duo. Primò excitatio ad audiendum. Secundò ratio quare debent excitari. *Aperiam in parabolis.* In prima duo. Primò monet ad attentionem eorum quæ data ſunt. Secundò ad humilitatem interiorem, quæ præparat ad attentionem, ibi, *Inclinate aurem.*

Ait ergo: O *populo meus*, Chriſtianus ſcilicet, non obſtinatus Iudæus, *attendite legem meam*, attendite cordis. *Apocalypſ. 21.* Ero illis Deus, & ipſi populus meus erunt. Et *Ezech. 34.* Vos ergo attendite. *Prou. 4.* Audite filij diſciplinam patris, & attendite vt ſciatis prudentiam. 1. ad *Timoth. 4.* Attende tibi, & doctrinæ.

Inclinate aurem veſtram, per humilitatem, *in verba oris mei*, ſuſcipienda ea, & effectui mancipanda. *Prouerb. 2.* Inclina cor tuum ad audiendum prudentiam. Et in 4. Auſculta ſermones meos, & inclina aurem tuam ad eloquia mea. Et hoc facit humilitas, quia ſicut dicit *Gloſſa*, tumor infuſa repellit: & altare Domini præceptum eſt fieri ad radices montis. *Exod. 24.* Aliter niſi aurem inclinaueris, cum clamaueris ad Deum, nec ipſe ſuam inclinabit. *Prou. 24.* Qui obturat aurem ſuam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.

Aperiam in parabolis. Hîc ſecundum, in quo probat, quòd debent attendere, per modum loquendi, quem tangit duplicem. Primò quia in apertis parabolis eſt loquuturus. Secundò quia in ænigmatibus obſcuris, ibi, *Loquar propoſitiones.* Dicit ergo: Sic attendite, & aurem inclinate: & neceſſe eſt, quia *aperiam os meum.* In hoc monſtratur magnitudo dicendorum, ſicut *Matth. 5.* Aperiens os ſuum docebat eos dicens, &c. Notandum etiam in hoc quod non eſt à ſe, niſi oris apertio, reliquum à Deo, ſicut illud *Pſal.* Aperi os tuum, & implebo illud. Notatur & debiti ſolutio: non enim debet tenere prædicator ſapientiam incluſam, ſed tenetur ore aperto eam aliis communicare. *Prou. 20.* Sapientia abſcondita, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque? 2.

In parabolis, virtutem manifeſtando per illas, & elucidando. *Eccleſ. 24.* Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. *Prou. 1.* Animaduertet parabolas, & interpretationes earum. *Matth. 12.* Hæc in parabolis loquutus eſt eis IESVS, & ſine parabolis non loquebatur eis, vt adimpleretur quod dictum eſt per prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, &c.

Loquar propoſitiones, id eſt, problemata. Dicit *Gloſſ.* quæſtiones dubitabiles, & quaſi ad oppoſita rationes habentes. *Ab initio*, ſumens exordium meæ loquutionis ab illo tempore, quo patres noſtri exierunt de Ægypto, vel à mundi initio. *Matth. 13.* Eructabo abſcondita à conſtitutione mundi.

Quanta audiuimus. Hîc eſt ſecunda pars, in qua narrationem ſubiungit: & dicuntur duo. Primò tangit beneficia toti Iſraëli exhibita, & admonitionem addit vt caueant ab ingratitudine. Secundo illa beneficia, quæ ad eductionem de Ægypto ſpecialiter, & ingratitudinem eductorum oſtendit, ibi, *Coram patribus.* In prima duo. Primò beneficiorum recordatio. Secundò exhortatio vt grati ſint, & caueant ab ingratitudine, ibi, *Filij qui naſcentur.* In prima duo. Primò beneficiorum recordatio. Secundò cognitionis continuatio, vt nullus excuſetur, ibi, *Non ſunt occultata.* In prima dicuntur tria, ſecundum modum triplicem cognoſcendi. Primò quæ ſunt cognita per prænuntiationem propheticam, & ſcripturam. Secundò per inſpectionem præſentem. *Et cognouimus.* Tertiò quæ per relationem patrum 3.

Beneficiorũ enarratio.

antecedentium, ibi, *Patres nostri.* Dicit ergo: Sic atendite quæ narrabo, quia magna sunt Dei beneficia, quia *quanta audiuimus*, à Prophetis prædicta, & in scripturis expressa. Quasi diceret: Valdè magna. *Iob* 5. Qui facit magna, & inscrutabilia, & mirabilia, quorum non est numerus. *Psal.* Deus auribus nostris audiuimus. *Et cognouimus ea*, propriis oculis videndo. 1. *Ioan* 1. Quod audiuimus & vidimus, & manus nostræ attrectauerunt. Hic ordo *Iob vlt.* Auditu auris audiui te, & nunc oculus meus videt te.

Et patres nostri narrauerunt. Hîc tertium, in quo dicuntur duo. Primò, quòd ex Patrum relatione cognita sunt beneficia. Secundò quæ sint illa, in generali tamen. *Narrantes.* Dicit ergo: Sic audiuimus & cognouimus, *& Patres nostri narrauerunt nobis. Deuteron.* 32. Interroga patrem tuum, & dicet tibi: maiores tuos, & annuntiabunt tibi.

4. *Narrantes laudes.* Hîc quæ sunt illa: & tanguntur tria. Primò populi multiplicatio, & conseruatio, quod intelligitur in laudibus, & pertinet ad diuinam bonitatem. Secundò multiplicati & conseruati liberatio à seruitute Ægyptiaca, quod pertinet ad virtutes, & respicit ad potentiam. Tertiò liberati refectio inaudita, quod tangit cum dicitur. *Et mirabilia:* & pertinet ad sapientiam. Ait ergo: Sic Patres narrauerunt, ipsi dico *narrantes laudes Domine*, est, materiam laudis Domini in populi sui multiplicatione. *Isa.* 63. Miserationum Domini recordabor, laudes Domini super omnibus quæ reddidit. *Et virtutes eius*, id est, potentias per quas nos liberauit. *Psal.* Cantabimus & psallemus virtutes tuas, quæ sunt potentia. Alibi in *Psal.* Quis loquetur potentias Domini? *Et mirabilia eius*, non quæ sustinuit, sed *quæ fecit*, cibando nos manna in deserto. *Exod.* 16. *Tob.* 13. Dispersit vos inter gentes, vt enarretis mirabilia eius. *Isa.* 12. Annuntiate in omnibus populis adinuentiones eius. Propter hoc dicit *Petrus* 1.2. Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes eius annuntietis qui vocauit vos in admirabile lumen suum.

Non sunt occultata. Hîc secundum, scilicet cognitionis continuatio: & dicuntur duo. Primò continuatio cognitionis. Secundò specificatio quorundam, quorum est cognitio continuata, ibi, *Et suscitauit.* Dicit ergo: Sic cognita fuerunt beneficia Dei modis dictis, & etiam *non sunt occultata*, sed propalata magis, *à filiis hominum*, succedentibus, sup. *in generatione altera*, tam Iudæorum quam Gentilium. *Deuter.* 4. Cunctis diebus vitæ tuæ docebis ea filios tuos. *Deuteron.* 29. Non solum vobiscum hoc fœdus ferio, sed & cunctis absentibus & præsentibus. Et in 6. Cum interrogauerit te cras filius tuus, dicens: Quid sibi volunt hæc testimonia? dices: Serui eramus in Ægypto.

5. *Et suscitauit.* Hîc specificat quodammodo aliqua beneficia, quorum cognitio est continuata: & dicuntur duo. Primò specificat. Secundò monstrat per quos, & ad quid sit facta, ibi, *Quanta mandauit.* In prima duo secundum duo beneficia quæ tangit. Primum pertinet ad notitiam veritatis. Secundum ad rectitudinem operationis, ibi, *Et legem.*

Dicit ergo: Sic continuata est cognitio, sed quorum? Ecce: *Et suscitauit testimonium*, cognoscendæ veritatis, *in Iacob*, in populo scilicet à Iacob descendente. *Abac.* 3. Suscitans suscitabit arcum tuũ, iuramenta tribubus quæ locutus est. Hoc est testimonium Vetus Testamẽtum, quod perhibet testimoniũ Christo. *Ioan.* 5. Scrutamini Scripturas: ipsæ enim sunt quæ testimonium perhibent de me. Et dicitur: *Suscitauit*, quia in cordibus hominum scriptum naturaliter mortuum erat, non viuum: sed quando datum est in monte Sinai. *Exod.* 20. Quasi viuificatum est in Iacob. *Prouerb.* 6. Discurre, suscita amicum tuum, id est, legem naturalem in amico.

Et legem posuit, quæ ordinat in bonam operationem, & ipsam ligat, *in Israël*: ergo bona est contra Manichæum. Ad *Roman.* 7. Scimus quoniam lex bona est, & mandatum iustum & sanctum. 1. ad *Tim.* 1. Scimus quoniam bona est lex, si quis ea legitimè vtatur. Lex autem charitas est. *Iob* 11. Ostendet tibi quod multiplex sit lex eius. Imo legis consummatio. Ad *Rom.* 13. Plenitudo legis est dilectio. *Matth.* 22. In his duobus mandatis tota lex pendet, & Prophetæ. Hanc Deus dat & ponit. *Ierem.* 31. Dabo leges meas in visceribus eorum, & in cordibus eorum superscribam eas. Sed testimonium, id est, legem naturalem suscitat.

Charitas est lex in cordibus nostris scripta.

Quanta mandauit. Hîc secundum, in quo per quos, & ad quid facta est illa continuatio. Et primò per quos. Secundò ad quid, ibi, *vt cognoscat.* Dicit ergo: Sic suscitauit, & posuit testimonium, & legem, & etiam *quanta mandauit*, id est, valdè magna *mandauit patribus nostris*, non vt in se retinerent illa, imò, *nota faceret ea filiis suis.* In hoc notatur differentia ad præceptum, quia mandatum est ei qui remotus est. Quasi diceret: Non tantum præsentibus præcepit, vt filiis suis nota facerent, sed & aliis mandauit qui futuri erant. *Deuter.* 6. Hæc sunt mandata atque iudicia, &c. Et in 11. Ama Dominum, & obserua mandata eius.

Vt cognoscat. Ecce finis. Ad hoc vult nota fieri filis, *vt* sic *cognoscat generatio altera*, quæ successura est semper. *Exod.* 12. Custodi verbum istud legitimum tibi vsque in sempiternum. Et nota, quòd filiis ad diffundendum aliis sunt magna communicanda, non porcis. *Matth.* 7. Nolite sanctum dare carnibus, nec margaritas spargere ante porcos. Et in 15. Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. 6.

Filij qui nascentur. Hîc secundum, in quo post beneficiorum enarrationem, hîc monet ad gratitudinem: & dicuntur duo. Primò monet vt tanquam grati non fileant. Secundò ostendit quem inde fructum consequi valeant. *Vt ponant in Deo.* Dicit ergo: Hæc beneficia sic sunt manifesta: ergo *filij qui*, *nascentur*, id est, quicumque nascentur, *& exurgent* crescendo, intelligendo, & probando quæ vera sunt: isti *enarrabunt filiis suis. Deuteron.* 6. Quæ præcipio tibi, narrabis filiis tuis. De filiis etiam spiritualibus legit *Glossa qui nascentur* in baptismate, secundum illud *Ioan.* 3. Oportet vos nasci denuò.

Et

Et rurſus : Niſi qui renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum cœlorum. Vnde nouiter baptizatis dicit Petrus: Quaſi modò geniti infantes, rationabiles ſine dolo lac concupiſcite Iſti ſunt filij. *Ioan.* 1. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. *Et exurgent*, quando ſic filij fient, à ſtatu culpæ ad ſtatum gratiæ. Ad *Rom.*13. Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Et ad *Coloſſ.*3. Si conſurrexiſtis cum Chriſto, &c. Hi enarrare debent filiis, quos generant in prædicatione. *Gal.*4. Filioli quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. 1. ad *Corinth.*4. Per Euangelium in CHRISTO IESV ego vos genui.

7. *Vt ponant in Deo.* Hîc ſecundum, vtilitas ſcilicet ſequens ex enarratione, & hæc duplex : adeptio boni boni, & vitatio mali, ibi, *Ne fiant.* In prima tria ſecundum triplex commodum. Primum eſt confirmatio ſpei in Deum. Secundum, iugis beneficiorum recordatio. *Et non obliuiſcantur.* Tertium, mandatorum Dei adimpletio, ibi, *Et mandata eius.* Dicit ergo: Sic enarrabunt : & hoc bonum conſequens inde: *Vt ponant in Deo ſpem ſuam*, ſecundum illud *Pſal.* Sperate in eo omnis congregatio populi, & firmi eſtote. *Hebr.*6. Certiſſimum ſolatium habemus qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram animæ habemus firmam & tutam.

Et non obliuiſcantur operum Domini. Minus dicit, & plus ſignificat, id eſt, iugiter recolant : ne fiant ſicut pincerna qui oblitus eſt interpretis ſui, *Geneſ.*40. & *Eccleſ.*9. Pauper qui per ſapientiam ſuam liberauerat ciuitatem, venit in obliuionem. *Deut.*6. Caue ne obliuiſcaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius.

Et mandata eius exquirant operando. *Tob.*4. Caue ne aliquando prætermittas mandata Dei, & in mente habeto Dominum Deum tuum.

8. *Ne fiant ſicut.* Hîc vitatio incommodi, & eſt hoc malum, imitatio primi ſceleris : & ſecundum hoc dicuntur duo. Primò vitatio imitationis patrum malorum. Secundò patrum iniquorum deſcriptio. *Generatio praua.* Dicit ergo: Sic narrabunt propter prædicta bona, & etiam propter hoc, *ne fiant ſicut patres eorum*, Adam, Iſmaël, Eſaü, & murmurantes tam frequenter in deſerto, & percuſſi & occiſi à Deo, vt ſit verum in illis quod dicitur *Ezech.*18. Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt.

Generatio praua. Hîc ſecundum, Patrum deſcriptio, & primò in generali omnes tangit. Secundò ad aliquos in ſpeciali deſcendit, ibi, *Filij Ephrem.* In prima quatuor tanguntur. Primò mala operatio. Secundò mala affectio. *Et exaſperans.* Tertiò peruerſa intentio. *Generatio quæ non direxit.* Quartò ſubuerſio in fine. *Et non eſt creditus.* Dicit ergo : *Ne fiant ſicut patres eorum*, ſcilicet *generatio praua*, quales illi fuerunt inobediendo, & mala faciendo: *& exaſperans*, affectione adhærendo ipſi malo quod facit. Generatio praua fuit Adam cum peccauit: ſed *exaſperans*, cum adhærens malo ſe excuſauit. *Deut.*32. Generatio praua atque peruerſa, hæccine reddis Domino populo ſtulte & inſipiens? *Ezech.*2. Noli eſſe exaſperans ſicut domus Iſraël exaſperans eſt.

Patrum deſcriptio in generali.

Generatio quæ non direxit. Ecce tertium. Quaſi diceret : Sic mala opere, ſic affectione, & etiam *generatio*, *quæ non direxit cum Deo cor ſuum*, vt illud rectificaret bona intentione : ſed magis ab eo diſtorſit ad terrena inclinando, & intentione illorum faciendo quæcumque faciebat, cui dictum eſt ſuprà in alio *Pſal.* Filij hominum vſquequo graui corde? Et è contrario in *Pſal.* Quàm bonus Iſraël Deus, his qui recto ſũt corde! Et verè bonus, quia attrahit ad ſe. *Iob* 34. Si direxerit ad Deum cor ſuum, ſpiritum illius & flatũ ad ſe trahet. Qui nõ habet cor directum vt ſurſum apertum ſit, ſed inferius, nihil boni poteſt recipere, vel tenere. Propter hoc dicitur *Eccleſ.*20. Gratiæ fatuorum effundentur. *Act.*8. dixit Petrus ad Simonem magum, qui pertinebat ad generationem iſtam : Cor tuum non eſt rectum cum Deo.

Et non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius, id eſt, ſpiritus eius non credidit : & hoc, *cum Deo*, id eſt, ſicut Deus vult credi. Ecce quartum, ſcilicet infidelitas. Alibi in *Pſal.* Non crediderunt in Deo ſalutari ſuo. Vel, *Non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius*, id eſt, ipſum ſpiritum ſuum Deo non crediderunt, nec commiſerunt dicentes illud ſuprà in *Pſal.* In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum : ſed magis ipſum ſibi retinuerunt.

9. *Filij Ephrem intendentes.* Hîc ſecundum, in quo deſcendit ad aliquos ſpecialiter deſcribendos, ſcilicet illos de Ephraïm. Et primò tangitur illorum auerſio à bono. Secundò ingratitudo monſtratur de accepto beneficio, ibi, *Et obliti ſunt beneficiorum.* In prima duo. Primò auerſio ipſorum à promiſſione. Secundò ſpecificatio illorum in quibus, & à quibus auulſi ſunt, ibi, *Non cuſtodierunt.* In prima duo. Primò tangitur illorum promiſſio de mandatis Dei conſeruandis. Secundò omiſſio in tempore neceſſitatis, ibi, *Conuerſi ſunt.* Ait enim : Sunt generatio mala & peruerſa omnes, & etiam *filij Ephrem*, id eſt, Ephrem, in quo comprehendit decem tribuum regnum, quia primus rex eorum ſcilicet Ieroboam, fuit de Ephraïm. 3. *Reg.*12. *Intendentes arcum, & mittentes* ex illo ſagittas, id eſt, ita facientes, ſicut ille qui arcum tendit, & mittit ſagittas præludendo, & quaſi comminando, quòd mirabilia faciet in bello : dicentes illud *Iob* 29. Et arcus meus in manu mea inſtaurabitur. *Conuerſi ſunt in die belli*, in neceſſitate, & tentatione à me recedentes. *Luc.*8. *Eccl.*3. Tempus pacis, & tempus belli. In tempore credunt, & in tempore tentationis recedunt. *Ierem.* 46. Vidi impios pauidos, & congaudentes. Imò aliquando etiam ſine bello fugiunt, & cedunt diabolo. *Prou.*27. Fugit impius nemine perſequente. *Oſeæ* 7. Reuerſi ſunt vt eſſent abſque iugo, illo de quo *Matth.* 11. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde.

10. *Non cuſtodierunt teſtamentum.* Hîc ſpecificat quomodo ſunt conuerſi, & à quibus : & dicuntur duo. Primò à quo ſunt auerſi, quia à lege, & teſtamento Dei. Secundò quomodò, quia voluntariè non coacte. *Et in lege eius.* Dicit ergo : Sic dixi, quòd conuerſi ſunt in die belli. A quo? *Non cuſtodierunt teſtamen-*

tum Dei, ſicut promiſerant, & maximè credebatur propter benedictionem quam dederat Iacob Ephraim. *Geneſ.penult.* ponens dexteram ſuper caput eius, & præponens illum fratri ſuo priùs nato. *Ierem.* 16. Me dereliquerunt, & legem meam non cuſtodierunt: & peius operati ſunt quam patres eorum, & propter hoc maledicti ſunt. *Iorem.* 11. Maledictus vir qui non audierit verba pacti huius, quod præcepi patribus veſtris: & non hoc coacti fecerunt. imò

Noluerunt ambulare, proficere ſcilicet, *in lege eius. Ierem.* 5. Incraſſati ſunt & impinguati, & præterierunt ſermones meos peſſimè: quia ex corde & voluntariè ſine voluntate emendandi ſe. In eodem 5. Indurauerunt faciem ſuam ſuper petram, & noluerunt reuerti. In lege autem veraciter ambulat & ſuauiter, ſicut bonus paleſtridus, qui Dominum Deum totis viſceribus amat. *Auguſt.* Ambulat ad Deum qui amat, quia ad Deum itur affectibus, non paſſibus. *Geneſ.* 12. dictum eſt Abrahæ: Ambula coram me, & eſto perfectus.

11. *Facilis beneficiorum obliuio & iniuriarum recordatio.*

Et obliti ſunt. Hic ingratitudo poſt auerſionem: & dicuntur duo. Primò ingratitudo. Secundò ingratitudinis magnitudo. *Et mirabilia eius.* Dicit ergo: Sic conuerſi ſunt, *& etiam obliti ſunt*, tanquam ingrati, beneficiorum eius. *Deut.* 32. Deum, qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui? Citò traditur beneficium obliuioni: pauci enim in Kalendario ſuo beneficia, maleficia autem multi habent. Et non quorumcumque beneficiorum, ſed *& mirabilium*, beneficiorum miraculosè factorum, *quæ oſtendit eis.* Infrà in *Pſal.* Obliti ſunt Domini qui ſaluauit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro. *Neem.* 9. Non ſunt recordati mirabilium eorum quæ oſtendit eis, & indurauerunt ceruices ſuas. *Oſeæ* 2. Ibat poſt amatores ſuos, & mei obliuiſcebatur. Hæc ſua conſuetudo ſemper fuit. Ipſi enim fuerunt qui dixerunt *Marc.* 7. Bene omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui: & tamen peſſimo genere ingratitudinis ingrati occiderunt. *Ierem.* 17. Nunquid redditur pro bono malum?

12. *Quædã beneficia in particulari recenſentur.*

Coram patribus eorum. Hîc ſecundum, in quo poſtquam recoluit beneficia collata illi populo generaliter, hîc ſecundò tangit quædam ſpecialiter. Primò quæ ei contulit in Ægypto. Secundò quæ in exitu de Ægypto, ibi, *Interrupit mare.* Tertiò quæ in deſerto, ibi, *Interrupit petram.* Quartò quæ in terra promiſſionis, ibi, *Et Induxit in montem.* In prima parte tanguntur duo. Primò modus exhibendi illis beneficia. Secundò locus. *In terrâ Ægypti.* Et primò vniuerſaliter. Secundò magis ſpecificando. *In campo Taneos.* Dicit ergo: Sic contulit eis beneficia multa: ſed deſcendo, & dico: *Mirabilia fecit:* & hoc apertè, quia *coram patribus eorum.* Et vbi? *In terra Ægypti. Exod.* 6. Multiplicabo ſigna & oſtenta mea in terra Ægypti. *Deut.* 29. Vos vidiſtis vniuerſa quæ fecit Dominus coram vobis in terra Ægypti. Et magis ſpecificat locum cum addit: *In campo Taneos.* Tannis enim eſt ciuitas Ægypti, in cuius campis facta ſunt mirabilia.

Spiritualiter autem in Ægypto Chriſtus multa mirabilia fecit, id eſt, in mundo coram noſtris patribus, Iudæis ſcilicet. *Iſa.* 19. Aſcendet Dominus ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, id eſt, mundum, & ibi fecit mirabilia coram principibus etiam noſtris, id eſt, Apoſtolis. Fecit mirabilia. *Ioan.* 10. Multa bona opera oſtendi vobis ex patre meo: propter quod opus eorum vultis me lapidare? Sed maximè *in campo Taneos*, id eſt, in beata Virgine fecit mirabilia, quæ fuit campus. Campus enim locus ſanus eſt: & ipſa ſine peccati infirmitate. Locus planus eſt: & ipſa plana manſuetudine. Locus latus: & ipſa lata charitate. Locus communis: & ipſa communis pietate. Locus fructifer: & ipſa fructifera bonorum operum multitudine, illius frumenti generatione & productione, quo Angeli & homines reficiuntur, qui dicit de ſe *Ioan.* 12. Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, &c. Hic eſt campus de quo *Cant.* 2. Ego flos campi. Et bene campus Taneos, quia Tannis interpretatur mandatum humile, & ipſa humiliter mandatum à Domino ſuſcepit, cùm dixit *Luc.* 1. Ecce ancilla Domini, fiat mihi, &c. *Collatio B. Virginis cum campo.*

13. *Via præparatio.*

Interrupit mare. Hîc ſecundum, in quo tangit beneficia in ipſo exitu præſtita, & fuerunt duo. Aquarum diuiſio, & exhibitio ductoris. *Et eduxit.* In prima duo. Primò aquarum diuiſio vt præberent viam. Secundò ſolidatio diuiſarum, ne ſubmergerent intrantes, ibi, *Et ſtatuit.* Dicit ergo: Sic oſtendit mirabilia in ipſa Ægypto: & in exeundo de Ægypto, *interrupit mare, & perduxit eos* per interruptionem. Hoc patet per 14. *Ezod. Sapient.* 19. In mari rubro viam ſine impedimento. *Iſa.* 43. Qui dedit in mari viam, & in aquis torrentibus ſemitam.

Et ſtatuit aquas, eas ſolidando, quaſi in vtre clauſæ eſſent. Suprà in *Pſal.* Congregans ſicut in vtre aquas maris. *Eccleſ.* 39. In verbo eius ſtetit aqua ſicut congeries. Et *Exod.* 14. Aquæ erant eis pro muro à dextris & à ſiniſtris. *Iſa.* 51. Nunquid tu ſiccaſti fluuios abyſſi vehementis? Fuit figura baptiſmatis. Sicut enim per aquas tranſilientes ſaluati ſunt, & eorum aduerſarij ſunt ſubmerſi, ſic in baptiſmate ſaluantur baptizati, & dæmones & peccata ſubmerguntur. Quantum ad primum. *Iſa.* 50. Ecce in increpatione deſertum faciam mare, vt poſſint tranſire per illud. *Naum* 1. Increpans mare, & exiccans illud. Quantum ad ſecundum. *Apoc.* 18. Hoc impetu mittetur Babylon in mare, diabolus & peccati confuſio in baptiſmate.

14. *Ductoris exhibitio.*

Et eduxit eos. Hîc ſecundum beneficium, exhibitio ductoris. Primò quantum ad diem. Secundò quoad noctem. *Et tota nocte.* Dicit ergo: Sic eis mare diuiſit, & iter præbuit, & eduxit eos *in nube diei*, id eſt, eis præſtita in die ad refrigerium. *Eccleſiaſt.* 34. Oculi Domini ſuper timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, vmbraculum meridianum. *Iſa.* 4. Et erit in vmbraculum diei ab æſtu. Ob hoc vt præſtaret refrigerium, voluit plantari in terra carnis noſtræ, & arbor fieri. *Cant.* 2. Sub vmbra illius quem deſideraueram, ſedi.

Et

Et tota nocte, eduxit illos, repete, *in illuminatione ignis*, ne errarent. *Iſa.*4. Et creauit Dominus ſuper montem Sion, & ſuper illos qui ad illum montem pertinent, & nubem per diem, & fumum, & ſplendorem ignis flammantis in nocte. *Sapient.* 10. Et fuit illis in velamento diei, & luce ſtellarum nocte. Secundum *Auguſt.* In nobis eſt dies calida, ardor concupiſcentiæ, contra quem Chriſtus præſtat refrigerium & gratiam : & nox ignorantia, contra quam dat lumen ſapientiæ ſuæ.

15. *Interrupit petram.* Hîc tangit beneficia illis exhibita in deſerto. Hæc autem ſunt duo. Primò ſitis releuatio miraculoſa. Secundò famis, ibi, *Et tentauerunt.* In prima duo. Primò tangit beneficium. Secundò ingratitudinem pro beneficio illo, ibi, *Et appoſuerunt.* In prima duo. Primò tangit ipſum beneficium. Secundò modum exhibendi illud, ibi, *Et eduxit.* In prima primò tangitur petræ diuiſio. Secundò abundans illorum potatio. *Et adaquauit eos.* Dicit ergo : Sic eduxit de Ægypto, ſed poſt *interrupit petram in eremo*, in deſerto ſcilicet vaſto, ſicut eremus. Et *Exod.*17.

Petra manauit fontè.

Et adaquauit, non ſolum potauit eos, *velut in abyſſo multa*, in profunda aquarum abundantia. *Exod.*17. Percuties petram, & exibit ex ea aqua *Pſal.* Percuſſit petrã, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt. *Sapient.*11. Data eſt illis aqua de petra altiſſima, & requies ſitis de lapide duro. Sic fit etiam ſpiritualiter : virga enim eſt crux, ſilex cor durum, aqua lachrymæ : ſi percutiatur cor durum Chriſti paſſione, mirum ſi non fluxerint aquæ largiſſimæ, maximè ſi percuſſio repetatur. *Num.*20. Moyſes percuſſit virga bis ſilicem, & egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ. Petra etiam Chriſtus. 1. ad *Cor.*10. Petra autem erat Chriſtus. *Iſa.*8. Erit autem in lapidem offenſionis, & petram ſcandali. Hæc percuſſa fuit virga, id eſt, lancea, ab vno crucifixorum, & fluxit aqua de latere. *Ioan.*19.

16. *Et eduxit aquam.* Hîc determinat modum quo exhibitum eſt hoc beneficium, quia mirabiliter & affluenter. *Et eduxit.* Dicit ergo : Sic dixi, quòd interrupit petram, & adaquauit eos. Sed quomodo ? Ecce : *Et eduxit aquam* potabilem, *de petra* interrupta : magnum miraculum. *Num.*20. Loquimini ad hanc petram, & dabit vobis aquam, & abundanter. Vnde *& eduxit*, deorſum de petra duxit aquas, *tanquam flumina*, *Iſa.*41. Aperiam in ſupremis collibus, in locis ſcilicet deſperatis, flumina. Hæc flumina lætificauerunt populum Dei. *Pſal.* Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Petra autem interrupta clauis & lanceâ, Chriſtus, ex qua fluxit aqua ſufficiens ad totum mundum potandum. 1. ad *Corinth.* 10. Bibebant autem de ſpirituali conſquente eos petrâ. Et ad abluendum omnes ſordes. *Zach.* 13. Erit fons patens domui Dauid in ablutionem peccatorum, & menſtruatæ,

Aqua multiplex acceptio ex ſcriptura.

Et poteſt hîc notari, quòd aqua dicitur primordialis materia. *Geneſ.*1. Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Humana natura, quæ fluxibilis eſt. *Apocal.*17. Aquæ ſuper quas meretrix ſedet, populi ſunt & tribus. 2. *Reg.* 14. Omnes morimur, & ſicut aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur. Tribulatioes. *Geneſ.*8. Aquæ multiplicatæ ſunt ſuper terram, & quantò multiplicabantur, tantò arca eleuabatur in ſublime. Ob hoc quidam tribulatus dicit : Omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me. Loquacitas vana. *Prou.*17. Qui dimittit aquam, caput eſt iurgiorum. Doctrina falſa. *Iſa.*1. Caupones tui miſcent aqua vinum, bono ſcilicet doctrinam falſam. Et *Iſa.*15. Aquæ Dibon peſſimæ ſunt. Sana doctrina. *Iſa.* 12. Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſaluatoris. Et 55. Omnes ſitientes venite ad aquas. Miſericordia. *Zach.* 9. Tu autem in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos de lacu, in quo non erat aqua. Lachryma. *Ierem.* 9. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? Dei gratia. *Ezech.*36. Effundam ſuper vos aquã mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis. Ipſe Spiritus ſanctus. *Ioan.* 7. Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Et Ioannes hoc exponit : Hoc autem dixit de Spiritu ſancto, quem accepturi erant, &c.

17. *Et appoſuerunt.* Hîc monſtratur ingratitudo : & dicuntur duo. Primò peccati iteratio. Secundò loci, in quo iteratum eſt, deterioratio, vt appareat certiſſimè ingratos fuiſſe. *In ira concitauerunt.* Dicit ergo : Hæc bona fecit eis, & tamen, *appoſuerunt adhuc*, ad peccata præcedentia ſcilicet, *peccare ei*, id eſt, non credere. Sic accipitur hîc peccare ſicut vult *Gloſſa*, ſicut ibi, *Ioan.*16. Arguet mundum de peccato, id eſt, de infidelitate. *Eccleſ.*21. Fili peccaſti, non adiicias iterum. Quod nunquam impleuerunt Iudæi. *Iud.*3. & 4. Addiderunt filij Iſraël peccare coram Domino. Et in 5. Filij Iſraël peccatis veteribus iungentes noua.

Peccare dicit non credere.

In iram. Hîc ſecundum. Quaſi diceret : Appoſuerunt in ipſo loco, vbi beneficia præcedentia receperunt. *Et excitauerunt in iram* ipſum inducendo, id eſt, in effectum iræ. Et hoc *in inaquoſo* loco, ſcilicet in deſerto, quod erat locus aridus & inaquoſus. *Pſal.* In terra deſerta, inuia, & inaquoſa. *Deuteron.* 32. Prouocauerunt eum in diis alienis. Et paulò poſt : Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus eſt.

Spiritualiter autem in cordibus inaquoſis & aridis à Dei gratia, ibi irritatur, & prouocatur Deus : quippe quia ibi habitat diabolus. *Luc.*11. Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, circuit loca arida & inaquoſa. *Tob.*8. Raphaël apprehendit dæmonem, & ligauit eum in ſuperiori deſerto regionis Ægypti.

18. *Et tentauerunt Deum.* Actum eſt de beneficio pertinente ad potum eis exhibito in deſerto, & de illorum ingratitudine : hic ſecundò de pertinente ad cibum. Et primò agitur de beneficij exhibitione. Secundò de populi afflictione, ſimul & ingratitudine, ibi, *Adhuc eſcæ.* Tertiò de ſimulata illorum pœnitentia, ibi, *Cum occiderit eos.* Quartò de vera Dei ad illos miſericordia. *Ipſe autem propitius.* In prima duo. Primò occaſio narratur beneficium exhibendi. Secundò ſubiungitur exhibitio ipſa beneficij, ibi, *Et mandauit.* In prima duo, ſecundum duo, quæ fuerunt ratio exhibendi. Primum eorum malignitas. Secundum, Dei benignitas, ibi,

Ideò

Ideò audiuit. Primum fuit quædam occaſio, ſed ſecundum cauſa. In prima duo. Primò tangitur malignitas cordis eorum. Secundò oris, tanquam procedens ex illa, ibi, *Et malè loquuti ſunt.* In prima duo. Primò doloſa illorum diſpoſitio. Secundò ſpecificatio in quo. *Vt peterent.* Dicit ergo: Verè appoſuerunt adhuc peccare, & ipſum concitauerunt, *& tentauerunt Deum*, id eſt, tentare diſpoſuerunt, *in cordibus ſuis.* Hæc tentatio de qua in *Pſal.* Nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundum diem tentationis in deſerto: contra illud *Deuter.6.* Non tentabis Dominum Deum tuum. *Eccleſ.* 18. Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe ſicut homo qui tentat Deum.

Et *vt peterent eſcas animabus ſuis*, id eſt, carnali vitæ ſuæ, ſicut accipitur hic. *Luc.*12. Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Nauſeabant autem ſuper cibum leuiſſimum, & optimum, ſcilicet Manhu. *Num.* 20. Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo: & erat grauis culpa. *Caſſiod.* Vehemens eſt culpa, quia talis diffidentia diuinam tangit iniuriam.

Et malè loquuti ſunt. Hîc malignitas oris: & dicuntur duo. Primò malignitas. Secundò in quo fuerit illa malignitas, ibi, *Et dixerunt.* Dicit ergo: Sic in corde, & poſt hoc, *malè loquuti ſunt de Deo.* Loquitur enim aliquis malè de Deo, ei lineamenta corporis & paſſiones corporales attribuendo, vt Iudæus qui ponit Deum ſedere in cœlo, & pedes habere in terra, propter illud *Iſa. vltim.* Cœlum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. Eius miſericordiam nimis extendendo, quòd omnes ſaluabuntur in fine, ſicut imponitur Origeni. Vel iuſtitiam arcendo, quòd nullus. *Iob* 12. Nunquid indiget Deus veſtro mendacio, vt pro eo loquamini dolos? Ipſum blaſphemando. Supra in *Pſal.* Poſuerunt in cœlum os ſuum. De ipſo verba deſperationis proferendo, ſicut hic, & *Num.*16. Vſquequò mihi detrahit omnis populus iſte?

19. *Qui malè loquantur de Deo.*

Dixerunt. Hîc ſecundum, in quo oſtenditur in quo, & quomodo ſunt malè loquuti. Et primò loquuntur diffidentes de potentia conferendi carnes. Secundò de potentia conferendi panes, ibi, *Nunquid & panem?* In prima duo. Primò interrogatio eorum iudicio in natiuam terminanda. Secundò reſponſio iudicatur affirmatiuè terminanda, ibi, *Quoniam percuſſit.* Dicit ergo: Sic malè loquuti ſunt, & dixerunt: *Nunquid poterit Deus*, quem colimus & ſequimur, *parare menſam* carnium *in deſerto?* Quaſi diceret: Non. Propter hoc conquerebatur de Moyſe. *Num.*20. Tu eduxiſti nos de Ægypto, & induxiſti in locum hunc peſſimum, vt moriamur. Idola dant carnes ſuis, ſed Deus noſter non poteſt dare nobis. *Sapient.*14. Malè ſenſerunt de Deo, attendentes idolis. Sed poteſt. *Pſal.* Paraſti in conſpectu meo menſam, &c.

20. *Quoniam percuſſit.* Hîc eſt quaſi reſponſio ei quod poſſet dici: Poterit dare, quia iam aquam dedit. Et eſt reſponſio eorũ: Nunquid poterit parare menſam, *quoniam percuſſit*, percuti fecit, *petram, & fluxerunt aquæ*, & non modicæ, imò *torrentes inundauerunt*? Si loquutus eſſet prius de pane, nihil diceret, quia conſtat, quòd prius dedit eis panes, Manhu ſcilicet, ſicut habetur *Exod.* 17. & poſt aquas *Exod.* 17. Propter hoc intelligitur de carnibus quæ poſt aquas eis datæ ſunt. Sic multi, quamuis non eſſet eis difficile credere Deum dare aquas baptiſmales, ſecundum illud *Ezech.* 36. Effundam ſuper vos aquam mundam, &c. Et rurſus *Zachar.*17. Erit fons patens domui Dauid in ablutionem peccatorum & menſtruatæ. Dicunt tamen non credentes altaris ſacramentum, illud *Ioan.* 6. Nunquid poterit nobis dare carnem ſuam ad manducandum?

Nunquid & panem poterit dare? Hîc exhibitio quoad panem. Primò quoad panis ſubſtantiam. Secundò quoad panis abundantiam, ibi, *Aut parare.* Dicit ergo: Et dixerunt etiam: *Nunquid & panem poterit dare?* Quaſi diceret: Non. Et non loquitur hîc de pane, qui deſcendebat de cœlo: illum enim iam habebat: ſed de artificiali pane, de quo *Num.* 25. Deeſt panis, & non ſunt aquæ.

Varia panis ſpecies quibus Deus nos reficit.

Hîc notandum, quòd in deſerto huius mundi dat Deus ad animarum refectionem, primò panem ſatis bonum, ſcilicet laborem bonæ operationis. *Pſal.* Labores manuum tuarum quia manducabis. *Geneſ.* 3. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Secundò vnanimitatem bonæ ſocietatis, quæ multum reficit. *Geneſ.pen.* Aſſer pinguis panis eius. Aſſer benedictus: ſocius enim benedictus eſt pinguis panis, per effectum. Anxietatem fraternæ compaſſionis. *Leu.*2. Obtulerunt ſacrificium coctum in clibano, cordis compatientis: de ſimila abſque fermento, conſperſum oleo pietatis. Quartò verbum ſacræ eruditionis. *Matth.*4. & *Luc.* & *Deuter.*8. Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, &c. Quintò diligentiam ſanctæ meditationis. *Eccleſ.* 15. Cibauit illum pane vitæ & intellectus. Et *Auguſtin.* Meditatio de te Domine, pluſquam cibus ſuauis. *Eccleſ.*23. Nihil dulcius quàm reſpicere, hoc eſt, meditari in mandatis Domini. Sextò lachrymam ſanctæ meditationis. *Pſal.* Cibauit nos pane lachrymarum. Et *Auguſt. in lib. Confeſſ.* Fluebant lachrymæ, & bene mihi erat cum illis. Septimò ſapientiam vel ſuauitatem contemplatiouis æternorum. Hic eſt panis ſimilaginis. Hic panis Angelorum, de quo infrà: Panem Angelorum manducauit homo. Et cum pane, carnes agni Paſchalis. *Exod.* 12. Et vituli ſaginati *Luc.* 15.

Aut parare menſam. Hîc ſecundum, in quo hæſitant de abundantia. Quaſi diceret: Et ſi poterit parare menſam, vt abundanter tribuat populo ſuo tanto? Quaſi diceret: Non. *Matt.*14. & 15. apparet quod mentiuntur: in deſerto enim parauit menſam.

Multiplex menſa nobis parata.

In ſpirituali autem deſerto parat menſam. Primò altaris, in qua dat carnem propriam in cibum, & ſanguinem in potum. 1. ad *Cor.* 11. Non poteſtis eſſe participes menſæ Dei, & menſæ dæmoniorum. Scripturæ ſacræ. *Prouerb.*9. Sapientia ædificauit ſibi domum. Et paulo poſt: Propoſuit menſam, miſcuit vinum, meditationis eorum intimæ, quæ in Chriſto ſunt & fuerunt. *Pſal.* Paraſti in conſpectu meo menſam. Cibus, conſideratio humanitatis Chriſti: ſed potus inebrians, conſideratio diuinitatis. Et in futuro

futuro proponet menſam gloriæ, de qua *Luc.* 22. Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum.

21. *Ideò audiuit.* Hîc ſecundum, in quo monſtratur poſt eorum malignitatem Dei benignitas: tamen ne ſtulta videatur, adiungitur & zelus: vnde dicuntur duo. Primò benignitas oſtenditur. Secundò adiungitur de zelo. *Et ignis accenſus eſt.* In prima duo. Primò oſtenditur benignitas in exhibendo quod petunt. Secundò in differendo flagellum, quia malè petierunt, ibi, *Et diſtulit.* Dicit ergo: Sic corde & ore contra Deum malignati ſunt, *& ideò*, ne viderentur iuſtè allegaſſe Dei impotentiam, *audiuit Dominus*, quæ petebant conferendo. *Sap.*1. Auris zeli audit omnia. *Pſal.* Qui plantauit aurem, non audiet? *Exod.* 16. Audiui murmurationem veſtram.

Et diſtulit, affligere illos, pro tanta iniquitate, ſed tamen omnia non abſtulit. *Eccl.*5. Altiſſimus patiens redditor eſt. Non enim præcipitat aliquandò ſententiam, ſed beniguiter expectat. *Iſa.* 30. Expectat vos Deus, Deus veſter, vt miſereatur veſtri. Sed multi abuntur iſta patientia. *Eccleſiaſt.* 8. Quia non profertur citò contra malos ſententia, idcircò filij hominum abſque timore vltro perpetrant mala.

Et ignis. Hîc ſecundum, ſcilicet zeli rectitudo: & dicuntur duo. Primò zeli rectitudo. Secundò ratio illius, ibi, *Quia non crediderunt.* Et primò comparatione ad minores, qui per Iacob. Secundò comparatione ad maiores, qui per Iſraël. Ait ergo: Sic benignus fuit præbendo petitum, differendo flagellum. Et tamen *ignis*, zeli Dei, *accenſus eſt in Iacob*, id eſt, contra Iacob, quantum ad populum. *Sophon.* 3. In igne zeli mei deuorabitur terra. Et *Deuteronom.* 32. Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima.

Et ira Dei, id eſt, effectus iræ Dei, *aſcendit in Iſraël*, id eſt, vſque ad maiores: nulli enim parcit Deus, qui perſonas non accipit. *Act.*10. *Prou.*6. Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, &c.

22. *Quia non crediderunt.* Hîc ratio quare ſic accenſa ira. Defectus fidei primò. Secundò ſpei, ibi, *Nec ſperauerunt.* Ait ergo: Sic ignis accenſus eſt in ira: *quia non crediderunt in Deo. Num.* 11. Vſquequò detrahet mihi populus iſte? quouſque non credet mihi in omnibus ſignis quæ feci coram eis? *Iſa.*53. Domine quis credidit auditui meo? vera, & formata fide. *Ierem.* 5. Circuite plateas Ieruſalem, & quærite ſi inueniatis virum quærentem iuſtitiam, & facientem fidem, &c.

Nec ſperauerunt in ſalutari eius, id eſt, quod ſaluare eos poſſet à facie famis. *Ierem.*2. Deſperaui, nequaquam faciam. Et 18. Dixerunt: Deſperauimus. Nihil tam deiicit animam vt deſperatio. *Prou.*24. Si deſperaueris in die angustiæ, minuetur fortitudo, &c.

23. *Et mandauit nubibus.* Hîc ſecundum totius illius partis, in qua agitur de beneficij exhibitione. Præmiſſa enim occaſione exhibendi, ſubiungitur ipſa exhibitio beneficij. Et cum ad cibum duo pertineant, panis & caro, primò agitur de collatione panis. Secundò carnis, ibi, *Tranſtulit Auſtrum.* In prima duo. Primò collatio panis. Secundò collati commendatio. *Et panem cœli.* In prima quatuor. Primò vnde collatus eſt eis panis. *Nubibus.* Secundò per quos. *Et ianuas cœli.* Tertiò qualiter. *Et pluit.* Quartò ad quid. *Ad manducandum.* Dicit ergo: Sic malignauerunt, & Deus benignus fuit, *& mandauit*, ac ſi eſſent rationabiles, *nubibus* deſuper exiſtentibus. *Iſa.*5. Mandabo nubibus meis. *Et ianuas cœli*, id eſt, cataractas cœli *aperuit*, quæ ſunt quaſi quædam portæ, per quas cœli videntur. *Geneſ.*7. Cataractæ cœli apertæ ſunt. *Aperuit.* Cœli aperti ſunt ergò in collatione Manhu *Exod.*16. Et *Ezechieli* in 1. Quoniam reuelata ſunt ei Eccleſiæ ſacramenta, & Stephano regnum cœli ingreſſuro. *Act.*8. Item nubibus Deus mandauit prædicare incarnationem filij. Prophetis inſpirauit. *Iſa.*45. Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum. *Et ianuas cœli aperuit*, quando quaſi ruptis cœlis deſcendit. *Iſa.*64. Vtinam diſrumperes cœlos, & deſcenderes. Ianuæ etiam ſecundum dictam diuiſionem, ſunt Angeli, ſicut in *Pſal.* Et eleuamini portæ æternales.

Incarnatio Prophetia reuelata.

Et pluit illis manna. Hîc tertium, qualiter eſt exhibitum, quia pluendo: vnde ait: *Et pluit illis manna*, id eſt, ad modum pluuiæ vel roris deſcendit. Hoc habetur *Exod.* 16. *Pſal.* Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ. Hæc pluuia duplicis alterius pluuiæ figura. Deſcenſus Filij Dei in vterum virginalem, ſecundum illud *Pſal.* Deſcendit ſicut pluuia in vellus. Et diſtributionis ſanguinis & carnis Chriſti per Sacramenti inſtitutionem. Manhu enim figura eſt expreſſa corporis Chriſti. Primò quia de cœlo deſcendit ſicut Manhu. *Ioan.* 6. Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi. *Pſal.* A ſummo cœlo egreſſio eius. Quia ſubtile valdè fuit, & corpus Chriſti tam ſubtile, quòd clauſo virginis vtero, ex ipſo exierit. *Ezech.* 44. Porta hæc clauſa erit, & non ingredietur per eam vir, & Dominus omnium exibit per eam. Item ſuaue fuit & minutum, ſicut legitur *Exod.* 16. Et totum humile, totum ſuaue, quicquid in Chriſto fuit. *Matth.* 11. Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde. Candidum apparuit: & de Chriſto ſponſa dicit *Cant.*6. Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Item ad ignem induruit, & ſolem liquefactum extat. Sic ad ignem luxuriæ & cupiditatis Chriſtus dureſcit. *Ioan.*6. Durus eſt hic ſermo: Quis poteſt eum audire? Et abierunt retrò, non potentes maſticare. Ad ſolem verò, ad cor fide illuminatum liqueſcit: quia tale reficit. *Auguſt.* Crede, & manducaſti. *Thren.*3. Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum, animæ quærenti eum. Item vnicuique ſapuit quod voluit. *Sapient.* 16. Habentem omne delectamentum, & omnem ſaporem ſuauitatis. Ad quod volebat vnuſquiſque conuertebatur. *Auguſt.* Tale eſt viuificum ſacramentum: in tua eſt voluntate, vt tibi conuertatur in amaritudinem nociuam, vel dulcedinem ſalutarem. Hunc cibum *pluit illis ad manducandum*, non ad vendendum. *Cant.*6. Comedite amici, bibite, & inebriamini chariſſimi.

24.

Manhu figura expreſſa corporis Chriſti.

Et panem cœli. Hîc commendatio cibi collati duplex. A loco primò. Deindè à miniſtro. *Panem Angelorum.* Quaſi diceret:Sic pluit illis manna : & in hoc *panem cœli* aërei. *Matth.*13. Volucres cœli comederunt illud. *Dedit illis*, non vendidit. *Matth.*10. Gratis accepiſtis,gratis date.

25. *Panem Angelorum.* Ecce ſecundum. Quaſi diceret : Sic fuit panis cœli , & etiam *homo manducauit panem Angelorum* , id eſt , ab Angelis miniſtratum. *Sapient. 6.* Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum. Dicitur, quòd quandiu hoc pane vſi ſunt , quòd Angelorum miniſterio eis dabatur.Non fuit ſuperfluitas in cibo vt egererent,nec fuit infirmus in eis,ſecundum illud : Et in tribubus eorum non erat infirmus.

Chriſtus panis Angelorum & hominum.

Angelorum etiam panis dicitur : quia refectio Angelorum in ſuo ſignato. Signabat enim Chriſtum , qui eſt vera refectio Angelorum per hoc quod Deus , & per hoc quod Deus & homo , hominum. *Ioan.*10.Ingredietur & egredietur , & paſcua inueniet. Ingredietur ad diuinitatem homo , & Angelus , & egredietur ad humanitatem homo , & paſcua inueniet.

Cibaria miſit eis. Hîc tertium , in quo ſubiungitur de panis collati abundantia. Quaſi diceret : Sic panem de nubibus per ianuas miſit ad comedendum , & hoc abundanter : nam *cibaria miſit eis in abundantia* tantâ , vt nauſearint ſuper illo cibo.*Num.*11. Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo. Abundantiſſimum enim cibum figurabat, qui totam Eccleſiam reficit , nec deficit. In *Pſal.* Et abundantia diligentibus te , quantum ad illos quos reficis in Eccleſia militanti. Et paulò poſt : Et abundantia in turribus tuis , in Angelis ſcilicet ſanctis , quos reficis in Eccleſia triumphanti.

26. *Transtulit Austrum.* Hîc ſecundum totius partis illius , in qua agitur de beneficij exhibitione:actum enim eſt de collatione panum, hic de collatione carnium : & dicuntur tria. Primò volatilium exhibito. Secundò aptitudo ad capiendum illa, ne fruſtrà viderentur miniſtrata , ibi , *Et ceciderunt.* Tertiò captorum comeſtio cum adiunctis circunſtantiis , ibi , *Et manducauerunt.* In prima duo. Primò miniſtratio volatilium. Secundò abundantia miniſtratorum. *Et pluit ſuper eos.* In prima duo ſecundum duplicem cauſam adducendi illa , quam tangit. Prima eſt tranſlatio Auſtri. Secunda , inductio Africi. Sunt autem hæc nomina ventorum. *Caſſiodor.* Auſter & Africus ſunt venti meridiani , quibus flantibus aëris temperantia præſtatur. De Auſtro enim planè dicitur in *Iob* 38. Nonne veſtimenta tua calida ſunt, cum perflata fuit terra Auſtro ? Huic Auſtro ventus collateralis à parte Occidentali eſt Africus , qui flat ab Africa , & indè adducit coturnices : abundant enim in illa terra. Et dicit , *in virtute ſua*,quia fortiùs ſolito & vehementiùs flare fecit tunc Deus ventum iſtum.

Nota , quòd Spiritus ſanctus vento comparatur , quia inuiſibiliter perflat ſicut ventus.

Spiritus ſanctus comparatur Auſtro & Africo.

Ioan. 3. Spiritus vbi vult ſpirat , & vocem eius audis , & neſcis vnde venit, aut quo vadat. Sic eſt omnis qui natus eſt ex Spiritu. Sed Auſtro comparatur , quando cor amore pietatis , & calore charitatis perflat. *Cantic.5.* Surge Aquilo , ventus rigidus & frigidus : & veni Auſter. *Iob* 39. Expandit alas ſuas ad Auſtrum. Africus autem quando minas & terrores mittit , quaſi tonitrua : hic enim ventus tonitrua & terrores generat. *Iſa.*21.Sicut turbines ab Africo veniunt de deſerto.

Et pluit ſuper eos. Hîc abundantia miniſtratorum volatilium , per comparationem ad terræ puluerem , & ad maris arenam. *Et ſicut arenam.* Ait ergo : Sic miſit per ventos illos , *carnes*, id eſt , coturnices. Aues quædam ſunt,quæ habent carnes ſapidiſſimas, & vocantur aues regiæ : abundant autem in Oriente, ſed in Occidente nullæ vel raræ ſunt : & dicunt , quod habitant circa mare , & currunt ad piſciculos, quos mare relinquit,quando retrahit ſe. Quod autem dicit , *ſicut arenam* , probabile eſt. *Numer.*11. Congregauerunt multitudinem coturnicum. Et in eodem : Sanctificamini hodie, cras enim comedetis carnes. 27.

Et ſicut arenam maris , pluit repete , *volatilia pennata.* Hoc addit vt oſtendat, quàm mirabile erat , quòd poterant capi & teneri : quia *Iob 5.* dicitur , Homo naſcitur ad laborem , & auis ad volatum. Per Auſtrum autem, quod interpretatur mollis , ſignatur mollities , & luxus deliciarum temporalium. Per Africum,qui eſt ventus fertilis , abundantia deliciarum. Ex iis duobus creantur carnes in abundantia , id eſt, peccata carnalia , quæ benè dicuntur volatilia pennata , quia valdè citò tranſeunt. *Sapient.5.* Omnia illa tranſierunt velut vmbra, & capi vix queunt à ſequentibus. *Eccleſ.*11. Si ſequutus fueris, non apprehendes.

Et ceciderunt in medio. Hîc monſtratur aptitudo ad capiendum , ne diceret aliquis : Quomodo , ſi volatilia & pennata , capi poterant? Quia in medio caſtrorum , & in circuitu illorum fatigata ruebant. Ait ergo : Sic in abundantia aduenerunt , *& ceciderunt in medio caſtrorum eorum* , volatilia fatigata *circa tabernacula eorum* In hoc monſtratur abundantia. *Num.* 11. Ventus autem egrediens à Domino arreptas vltra mare coturnices dètulit , & dimiſit in caſtra, itinere , quantum vno die confici poteſt , ex omni parte caſtrorum per circuitum : volabantque, id eſt , volare poterant, duobus cubitis ſuper terram. Sic carnes ſanctæ nobis miniſtrantur ſine omni labore. *Sap. 16.* Panem de cœlo præſtitiſti eis ſine labore , habentem in ſe omne delectamentum. 29.

Et manducauerunt. Hîc tertium,ſcilicet manducatio præbitorum illis cum ſaturatione , & impletione nimia , & debilitatione inordinata: vnde dicuntur tria. Comeſtio , & adimpletio ſui nimia. *Et ſaturati ſunt.* Et delectatio inordinata, & immoderata , ibi, *Et deſiderium.* Dicit ergo:Sic dedit volatilia ad capiendum apta: & poſt *manducauerunt* , quod non eſt malum de ſe : *& ſaturati ſunt* , quòd erat adhuc ſatis tolerabile : *nimis*, quod fuit vituperabile. *Numer.*11. Manducauerunt carnes coturnicum , in maxima abundantia. 29.

Et deſiderium eorum. Hîc tangit tertium , in quo duo dicuntur. Primò deſiderij adimpletio præſens. Secundò præſentis inordinatio immoderata , ibi , *Non ſunt fraudati.* Dicit ergo : Sic

nimis

nimis ſunt ſaturati, per immoderantiam ſumendi cibum. *Et attulit eis*, Deus, vel cibus, *deſiderium ſuum.* Quaſi diceret: Delectati ſunt in cibo tanquam in deſiderio ſuo: nec modicum delectati, quia

30. *Non ſunt fraudati à deſiderio ſuo*, in aliquo. Ex hoc accipitur, quòd quilibet ibi inueniebat ſaporem quem volebat. *Sapient.* 16. Ad quod volebat vnuſquiſque, conuertebatur.

Multipliciter peccatur in ſumptione cibi. Hîc notandũ, quòd peccatur in cibo multipliciter, videlicet quinque modis. Præproperè, ſcilicet ante tempus ſtatutum comedere. Sic Ionathas peccauit 1. *Reg.* 14. comedendo mel ante horam ſtatutam à Rege patre ſuo, & ferè interfectus eſt. Lautè, nimis delicata cibaria, & cara nimis quærendo. Sic diues epulo *Luc.* 16. propter quod ſepultus eſt in inferno. Nimis, in quantitate, quæcumque ſint cibaria. Sic iſti de quibus loquitur hic, & Holophernes *Iudith* 13. vnde poſtea decapitatus eſt à Iudith. Et infrunitè. Sic Eſaü *Geneſ.* 25. accepto pane, & lentis edulio comedit & bibit, & abiit paruipendens quod primogenita vendidiſſet. Studiosè, in præparando cum magna cura, ſicut filij Heli, qui volebant carnem crudam nec coctam, vt lautiùs eam ſibi præpararent, & ſacerdotio priuati ſunt & deiecti. 1. *Reg.* 4.

31. *Adhuc eſcæ.* Hîc ſecundum, ſcilicet afflictio illorum & pœna, ex culpa tamen illorum: & dicuntur quatuor. Primò tempus, in quo primò puniti ſunt, adhuc habendo cibum in ore. Secundò genus punitionis. *Et occidit.* Tertiò cauſa. *In omnibus his.* Quartò modus infligendi genus illud mortis, ibi, *Et defecerunt.* Dicit ergo: Sic contulit eis bona multa, panes & carnes: ſed *adhuc erant eſcæ in ore eorum*, hoc eſt, adhuc illis comedentibus illa cibaria, *& ira Dei*, quam diſtulerat ſup. *aſcendit ſuper eos*, ad opprimendum illos. *Num.* 11. Adhuc carnes erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini percuſſit eum, populum ſcilicet, plaga magna.

Adhuc contingit frequenter hoc guloſis: quia in comedendo percutiuntur vel infirmitate, vel morte ſubitanea. *Ioel.* 1. Flete & vlulate qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore veſtro, ſicut factum eſt in diuite, de quo *Luc.* 12. Anima mea habes multa bona repoſita in annos plurimos, comede, bibe, epulare. Et dictum eſt ei: Stulte hac nocte repetent animam tuam à te. Quod etiam verum eſt de cibo ſacratiſſimo Altaris. Multi enim in ſumendo, ſeipſos diuino occidunt iudicio. 1. ad *Cor.* 11. Quicumque manducauerit panem hunc, & calicem biberit indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Et ſubdit: Ideò inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.

Et occidit pingues. Hîc genus afflictionis. Primò quantum ad malos & incredulos. Secundò quoad bonos etiam inter eos inuolutos. *Et electos Iſraël.* Dicit ergo: Sic aſcendit ira, *& occidit pingues eorum*, non pinguedine corporali, & naturali, ſed ſpirituali, quâ tumebant contra Deum, quod procedebat ex abundantia temporali, ſicut pinguedo. In *Pſal.* Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum. Tales pingues occidit. *Amos* 4. Audite vaccæ pingues, quæ eſtis in monte Samariæ. Vel *pingues* guloſos, & pinguia quærentes. *Prou.* 21. Qui amat vinum & pinguia, non locupletabitur. 1. *Reg.* 14. arguitur Saül, quia pepercit Agag pinguiſſimo. Tales enim impinguantur à diabolo tanquam animalia occidenda & comedenda ab eo & à ſuis in feſto magno. *Zachar.* 11. Carnes pinguium comedet. Et propter hoc in eodem: Paſce pecora occiſionis. Primò quidem occidit illos per peccatum mortale. Secundò excoriat per inhoneſtam conuerſationem, & tandem comedit per finalem impœnitentiam.

Et electos Iſraël. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic illos occidit, & impediuit retrahendo ab aliquo bono, *electos Iſrael*, ſicut factum eſt in Moyſe & Aaron, qui propter peccata hæſitauerunt in eductione aquæ de petra *Num.* 20. Vel ſecundum literam aliam, *Compediuit.* Simul enim multi boni inuoluti ſunt cum malis, & puniti ad exemplum patientiæ, & quia bonum eſt ſe ſeparare à malis. *Gen.* 19. Loth ab Angelis eſt eductus de Sodomis, ne ſimul cum illis inuolueretur in pœna. Vel electos appellat inter eos magnæ authoritatis viros, quibus non pepercit. *Exod.* 15. Electi principes eius ſubmerſi ſunt in mari. *Pſal.* Non communicabo cum electis eorum.

In omnibus his. Hîc tertium, in quo tangitur afflictionis cauſa, ſcilicet perſeuerantia in malitia: vnde dicuntur tria. Primò perſeuerantia in malitia. Secundò quæ fuerit illa malitia, quia infidelitatis culpa. *Et non crediderunt.* Dicit ergo: Hæc bona eis contulit, & tamen occidit. Quare? Ecce, *peccauerunt adhuc*, peccatis prioribus addendo poſteriora, & hoc *in omnibus his*, mirabilibus & beneficiis, & correctionibus, & plagis. *Prouerb.* 1. Vocaui, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret: deſpexiſtis omne cõſilium meum, & increpationem meam neglexiſtis. *Iſa.* 9. Et populus non eſt reuerſus ad percutientem ſe. *Ierem.* 2. Ftuſtrà percuſſi filios veſtros, dicit Dominus. Et in 5. Percuſſiſti eos, & non doluerunt: attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam. 32.

Et non crediderunt, in infidelitate obdurati, *in mirabilius eius. Num.* 14. Vſquequò detrahit mihi populus, & non credet ſignis quæ feci coram eis?

Et defecerunt. Hîc quartum, in quo additur de modo afflictionis, quia ſubitò ſunt occiſi & interfecti. Et primò dicit ponendo metaphoram. Secundò exponit poſitam. *Et anni.* Ait ergo: Dixi, quòd occidit pingues & meritò, & hoc modo *dies eorum defecerunt*, non quocumque modo, ſed *in vanitate*, id eſt, ſicut res vana & citò tranſiens: vnde ſtatim exponit ſe. 33.

Et anni eorum cum feſtinatione, defecerunt. *Iob* 7. Dies mei velocius tranſierunt, quàm à texente tela ſuccliditur. *Iſa.* 38. Præciſa eſt à texente vita mea. Imò plus, ſuprà in *Pſal.* Deficientes quemadmodum fumus deficient. *Sap.* 2. Exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ: tranſibit tanquam veſtigium, & quaſi nebula diſſoluetur. Et in 5. Nos nati continuò deſinimus eſſe.

34. *Cum occideret illos.* Hîc tertium, in quo ſubiungitur ficta eorum pœnitentia. Duo ergo dicuntur. Primò conuerſio ipſorum ad Deum. Secundò monſtratur vera fictio in illa conuerſione, ibi, *Et rememorati ſunt.* In prima tria. Primò occaſio reuerſionis. Secundò reuerſio. *Et reuertebantur.* Tertiò feſtinatio in reuertendo. *Et diluculo.* Dicit ergo: Sic eos afflixit, *& cum occideret eos*, id eſt, aliquos eorum, quærebant eum aliqui, non adhuc occiſi, timore concuſſi. *Iſa.26.* Domine in anguſtia ſua requiſierunt te. Quia in 28. dicitur: Sola vexatio dabit intellectum auditui. Et *Gregor.* Oculos quos culpa claudit, pœna aperit.

Et ſic reuertebantur. Ierem. 4. Si reuerteris Iſraël, ad me conuertere. *Eccleſ.*17. Conuertere ad Dominum, & derelinque peccata tua. *Cantic.* 4. Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, &c.

Et diluculo, feſtinanter & ſine mora veniebant ad eum. *Oſeæ 6.* In tribulatione ſua mane conſurgent ad me. *Pſal.* Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraverunt. In diluculo etiam gratiæ, hoc eſt, in ortu eius anima reuertitur ad Deum. *Iſa.*26. Anima mea deſiderauit te in nocte: ſed & mane in præcordiis meis vigilabo ad te.

35. *Et rememorati ſunt.* Hîc monſtratur fictio vera in illa reuerſione, per duo, quæ in fictione: vera cognitio beneficij, & cogniti falſa dilectio. Primò tangitur primum. Secundò ſecundum, ibi, *Et dilexerunt eum.* In prima duo. Primò recordatio beneficij quod eſt in adiuuando ad bonum faciendum. Secundò in eiiciendo à malo. *Et Deus excelſus.* Dicit ergo: Sic quærebant, *& rememorati ſunt*, quod magis aggrauat illorum culpam, *quod Deus adiutor eſt eorum*, ſemper in bonis faciendis. *Pſal.* Deus adiutor noſter in æternum. Et alibi: Adiutor in tribulationibus, vt à bono non deſiſterem. *Et Deus excelſus*, non alius. *Pſal.* Excelſus Dominus, & humilia reſpicit. *Redemptor eorum eſt. Iſa.*42. Noli timere ſerue meus Iacob, quia redemi te, à malis pœnalibus in quibus ipſe eras. Bona erat hæc memoria, hæc recordatio, ſi bene vſi eſſent. *Cant.vlt.* Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum. *Eccleſ.*12. Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ.

36. *Et dilexerunt eum.* Hîc monſtratur falſa dilectio eius, quem nouerant ita beneficum. Primò ergo oſtenditur falſitas oris. Secundò malitia & peruerſitas cordis. *Cor autem eorum.* In prima duo. Primò falſitas in confitendo ſe amicos. Secundò in promittendo ſe mandata eius impleturos. *Et lingua ſua.* Dicit ergo: Sic rememorati ſunt, & dilexerunt eum, ſcilicet diligere confeſſi ſunt, *in ore ſuo*, contra illud *Ioan.*3. Filioli non diligamus verbo, nec lingua, ſed opere & veritate.

Et lingua ſua, promittente quod mandata ſua adimplerent, *mentiti ſunt ei. Pſal.* Linguis ſuis doloſè agebant. Et alibi: Filij alieni mentiti ſunt mihi. *Iſa.*29. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. *Ierem.*12. Prope es tu Domine ori eorum.

37. *Cor autem eorum.* Hîc malignitas cordis: & dicuntur duo. Primò priuatio rectæ intentionis. Secundò peruerſitas operis. *Nec fideles.* Dicit ergo: Tales fuerunt ore, quod patet. *Autem*, id eſt, quia, *cor eorum non erat rectum cum eo*, Deo ſcilicet, id eſt, ad Deum per charitatem & intentionem rectam: quia *Cant.*1. dicitur, Iuſti diligunt te. *Bernard.* Non decet more pecoris ſenſibus incubare, inhærere infimis, inhiare terrenis. Suprà in eodem *Pſal.* Non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius.

Nec fideles habiti ſunt in teſtamento eius, adimplendo in opere ſicut promiſerunt, contra illud *Pſal.* Vouete & reddite. *Eccleſ.*5. Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere. Et nota, quòd in teſtamento Dei, ſacra ſcilicet Scriptura, multi infideles inueniuntur. Alij ſupprimendo & abſcondendo, cum poſſent & deberent publicare. *Prou.*20. Sapientia abſcondita, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque? *Prou.*11. Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis. *Mat.* 25. de illo qui abſcondit pecuniam domini ſui. In vſurpando teſtamentum, faciendo ſe exequutores teſtamenti, cum tamen non ſint. *Ier.* 23. Ipſi currebant, & ego non mittebam eos. Ad *Rom.*10. Quomodo prædicabunt, niſi mittantur? Cancellando teſtamentum, addendo ſcilicet vel minuendo, quod non fuit in voluntate teſtatoris. *Apoc.vlt.* Si quis appoſuerit ad hoc, apponet Deus ſuper eum plagas. Hinc dicitur *Deut.*13. Non addes ad verbum, quod ego loquar ad te, nec minues. In vſurpatione teſtamentum appropriando ſibi per inanem gloriam & iactantiam. 2. ad *Cor.*4. Non ſumus ſicut plurimi adulterantes verbum Dei. In diſtributione teſtamenti, prædicando quibus non eſt prædicandum, Iudæis, hæreticis, obſtinatis, contra illud *Matth.*7. Nolite ſanctum dare canibus, nec margaritas ſpargere ante porcos. *Multi infideles in teſtamẽto Dei.*

Ipſe autem propitius, &c. Hîc ſubiungitur de immenſa Dei miſericordia, quod fuit quintum in hac totali parte, in qua recitantur beneficia exhibita in deſerto. Oſtenſis enim beneficiis illis exhibitis, & poſtea pœna illorum, & culpa, & tandem ficta illorum pœnitentia, ſubiungitur immenſa Dei miſericordia: & dicuntur duo. Primò miſericordia monſtratur. Secundò miſericordiæ immenſitas & vehementia, ibi, *Quoties exacerbauerunt.* In prima duo. Primò oſtenditur miſericordia. Secundò motiuum & prouocatiuum ad illam, ibi, *Et recordatus eſt.* In prima duo. Primò dimiſſio culpæ. Secùdò reuocatio illorum ad ſe, quod eſt quaſi immediatus effectus dimiſſionis. *Et non diſperdet.* Dicit ergo: Sic fictè pœnituerunt, & non verè: *ipſe autem miſericors fiet peccatis eorum*, ipſis quaſi compatiendo, *& propitius*, eis dimittendo. *Pſal.* Propitius eſto peccatis noſtris Domine. Et alibi: Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis. 2. *Paral.* 7. Propitius ero peccatis eorum. *Ioël.*2. Conuertimini ad me, quia benignus & miſericors ſum. 38.

Et non diſperdet eos, elongando à ſe, ſed magis in vnum cultum tenebit & colliget. *Naum* 2. Non adiiciet vltrà vt diſperdat eos. Et *Ier.*4. Te non faciam in conſumptionem.

Et abundauit. Hîc ſecundum, in quo oſtenditur miſericordia comparatione ad pœnam, in reſcindendo durationem. Secundò in mitigando intenſionem. *Et non accendit.* Dicit ergo: Sic dimiſit culpam, *& abundauit* miſericordia eius, intantum, *vt auerteret iram ſuam*, qua inceperat

inceperat illos affligere, orante Moyse & dicente: Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo quem scripsisti. Ad *Rom.* 15. Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. Abundauit misericordia super iustitiam. *Iacob.* 2. Misericordia superexaltat iudicium.

Et dicit *vt auerteret iram suam:* inceperat enim eos affligere, sed cessauit. *Isa.* 12. Confitebor tibi Domine, quoniã iratus es mihi: conuersus est furor tuus. *Ose. vlt.* Sanabo contritiones eorum, & diligã eos spontaneè, quia auersus est furor meus ab eis. In *Psal.* rogat hoc: Auerte irã tuã à nobis.

Et non accendit omnem iram suam, sed multum mitigauit illam: ira enim Dei ignis est, cui nihil resistit. *Deut.* 32. Ignis succensus est in furore meo. *Psal.* Exardescet velut ignis ira tua. Sed modò mitigatur, in futuro non. *Iob* 34. Nunc enim non infert furorem suum, nec vlciscitur scelus valdè, sed in futuro implebitur illud *Prou.* 6. Zelus & furor viri non parcet in die iræ, nec parcet cuiusquam precibus, nec accipiet pro redemptione dona plurima.

39. *Et recordatus est.* Hîc motiuum ad misericordiam, scilicet propria fragilitas ruendi in culpam. Secundò difficultas resurgendi à culpa. *Spiritus vadens.* Ait ergo: Superabundauit misericordia, *& recordatus est,* id est, per effectum ostendit se recordatum, *quia caro sunt,* fragiles scilicet ad ruinam. *Gen.* 6. Nõ permanebit spiritus meus, id est, gratia & effectus spiritus mei, in homine, qui caro est, fragilis ad ruinam & pronus. *Sap.* 9. Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam. In hoc etiam potest notari miseria pœnæ, & dicta duo in sequentibus: *Spiritus vadens, & non rediens.* Caro enim est res citò corruptibilis, & citò deficiens sicut vapor *Iacob.* 3. Quid est enim vita nostra? vapor ad modicum parens. *Spiritus vadens* in culpam, *& non rediens* à culpa. *Prou.* 2. Omnes qui ingredientur ad eam, non reuertentur. *Isa.* 54. Occidimus quasi fulmen vniuersi. *Vadens* etiam in mortem, *& non rediens.* 2. *Reg.* 14. Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur. Et vlteriùs in gehennam. *Sap.* 2. Non est qui sit agnitus reuersus ab inferis. Propter hoc dicit *Augustin.* Non reuerteretur ouis perdita, nisi pij pastoris misericordia sequeretur.

Prælatis notandum. In hoc autem informat Ecclesiæ Prælatos, vt attendant & considerent fragilitates peccantium, & ad misericordiam moueantur. *Cassiod.* Monet pium iudicem fragilitas considerata peccantium, quod carnalis cæcitas lumen cœlestis sapientiæ non videbat.

40. *Quoties exacerbauerunt.* Hîc secundum, in quo probatur misericordiæ vehementia, quia toties exacerbantibus & non recolentibus eius beneficia pepercit, & adimpleuit quod promiserat. Duo ergo dicuntur. Primò multiplicatio offensæ. Secundò intensio, ibi, *Et conuersi sunt.* In prima duo. Primò multiplicatio in verbis. Secundò in factis. *In ira concitauerunt.* Dicit ergo: Sic misertus est, quia valdè magnificum fuit, quia *quoties exacerbauerunt eum* sermonibus *in deserto?* Quasi diceret: Multoties, tanquam increduli, & verba infidelitatis proferentes. *Ierem.* 5. Populo huic factum est cor incredulum. *Num.* 24. Tentauerunt me iam per decem vices, nec crediderunt voci meæ. Et hoc *in deserto,* in quo deducebam eos. *Ierem.* 2. Non dixerunt: Vbi est Dominus, qui traduxit nos per desertum, per terram inuiam, & inhabitabilem?

In iram concitauerunt eum, factis ipsis, & hoc, *in inaquoso* loco, supl. *Deut.* 32. Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est, quia prouocauerunt eum filij sui, & filiæ.

Et conuersi sunt. Hîc secundum, in quo monstratur intensio offensæ. Primò ex modo offensionis, & genere. Secundò ex magnitudine offensi. *Et sanctum Israël.* Tertiò ex conditione offendentium, quia tot bona receperant, & obliuioni tradiderant, ibi, *Et non sunt recordati.* Dicit ergo: Sic exacerbauerunt multipliciter, nec modicum, quia *conuersi sunt,* à pacto & promissione, *& tentauerunt Deum.* Suprà eodem: Conuersi sunt in arcum prauum. Et alibi in *Psal.* Vbi tentauerunt me patres vestri, probauerunt & viderunt opera mea. 2. ad *Cor.* 10. Nec tentemus Deum, sicut quidam eorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt. 41.

Et sanctum Israël, id est, sanctitatem Israël. Quasi diceret: Illum qui tantus est & tam bonus est, vt sanctificet Israël, *exacerbauerunt. Exod.* 11. Ego Dominus sanctifico vos. Hunc exacerbauerunt. Quasi diceret: Non ex natura sua qua sanctus est, intulit eis malum, sed coactus, & exacerbatus. *Hieron.* Quicquid mali patimur, vitij nostri est, non Dei, qui dulcem Deum ad amaritudinem prouocamus, & cogimus sæuire nolentem.

Non sunt recordati. Hîc aggrauatur culpa ex parte ipsorum: quia Dei beneficia, quæ receperant, obliuioni dederunt. Et enumerat illa, prius illa tangens in generali. Secundò in speciali, ibi, *Et conuertit in sanguinem.* In prima ergo recolit illa generaliter comparatione ad tempus. Secundò comparatione ad locum, ibi, *Sicut posuit.* In prima duo. Primò tangitur beneficiorum obliuio. Secundò tempus in quo facta est determinatio, ibi, *Die qua redemit eos.* Dicit ergo: Sic peccauerunt tentando, quod est graue genus peccati: & contra sanctum, quod est grauius: & contra beneficium, *quia non sunt recordati manus eius,* potentiæ scilicet eius redimentis & liberantis eos. *Exod.* 5. Redimam te in brachio extento. Sed non sunr recordati. *Isa.* 17. Oblita es Domini Dei saluatoris tui, & fortis creatoris tui non es recordata. 42.

Non recordantur mali *manus,* quæ de nihilo nos creauit. *Iob* 10. Manus tuæ Domine fecerunt me. Et in *Psal.* Opera manuum tuarum ne despicias. Qua diabolũ tenentem percussit & occidit. *Exod.* 7. Scient quia extenderim manum meam super Ægyptum, & eduxerim filios Israël de medio eorum. *Isa.* 51. Nunquid nõ tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? Quam pro nobis in cruce extendit. *Isa.* 65. Expandi manus meas tota die ad populum non credentem, & contradicentem mihi. Quam perforati voluit, vt ostẽderet se omnia velle nobis dare, nihilque tenere. *Psal.* Aperiente autem te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. *Prou. vlt.* Manum suam aperuit inopi. Quam extendit ad extrahendum nos de carcere diaboli, & luto mundi. *Psal.* Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me, &c. Qua extraxit diabolum de cauernis cordium. *Iob* 26. Obstetricante *Memoranda opera manus Dei.*

manu eius, eductus eſt coluber tortuoſus. *Iſa.*11. In cauerna reguli, qui ablactatus fuit, mittet manum ſuam. Qua liberatos continuè protegit & defendit. *Sap.*5. Dextera ſua proteget eos, & brachio ſuo defendet eos. Quæ deducit in via iuſtum vſque ad perfectionem gloriæ. *Pſal.* Tenuiſti manum,& dexteram meam,& in voluntate tua, &c.

Die qua redemit eos. Hîc ſignatio temporis, *de manu tribulantis,* Pharaonis ſcilicet, & Ægyptiorum, quando clamabant afflicti ab illis. *Iſa.*19. Clamabunt ad Deum à facie tribulantis. *Eccleſ.*29. Ingratus ſenſu relinquit liberantem ſe.

43. *Sicut poſuit in Ægypto.* Hîc tangit beneficia comparatione ad locum. Primò quaſi in generali. Secundò in ſpeciali. *Et prodigia ſua.* Vel *ſigna* dicit quantum ad minora mirabilia, prodigia quantum ad maiora. Ait enim: Sic non ſunt recordati manus, nec recordati ſunt, *ſicut poſuit,*id eſt,qualiter poſuit, relatiuum pro infinito, *ſigna ſua in Ægypto. Exod.*7. Multiplicabo ſigna & oſtenta, *in terra Ægypti, & prodigia ſua*, ſcilicet maiora mirabilia, *in campo Taneos.* De hoc ſuprà.

Vnde notandum,quòd Dominus in Ægypto, in mundo peccatis & erroribus tenebroſo,poſuit ſigna ſua, ſcilicet ſigna paupertatis, vilitatis, & humilitatis. *Luc.*2. Et hoc vobis ſignum, Inuenietis infantem pannis inuolutum.Et hæc ſigna voluit toti mundo publicari & oſtendi. *Luc.*2. Ecce hic poſitus eſt in ruinam,& in reſurrectionem multorum,& in ſignum cui contradicetur. Sed non ſic Paulus, qui illa ſibi ipſi imprimebat fortiter. *Galat.vlt.* Stigmata Domini Iesv in corpore, &c.

44. *Et conuertit in ſanguinem.* Hîc eſt ſecundum: tactis enim in generali beneficiis, hîc intendit illa magis ſpecificare. Et primò tangit beneficia in affligendis inimicis exhibita. Secundò in liberando eos ab afflictis, ibi, *Et abſtulit ſicut oues.* In prima ſunt tot partes, quot plagæ ſiue afflictiones.

Sed nota, quòd non ſeruatur idem ordo hic numerando plagas illatas Ægyptiis,ac in *Exodo.* Prima ergo plaga, quæ fuit aquarum conuerſio in ſanguinem,continet duo. Primò conuerſionem fluuiorum,qui erant quaſi inferiores aquæ. Secundò pluuiarum etiam quæ quaſi ſuperiores. *Et nubes eorum*, addita cauſa conuerſionis illarum. *Ne biberent.*

Dicit ergo: Sic prodigia fecit in campo Taneos, & in Ægypto ſigna, & hoc, *Conuertit flumina eorum,& imbres eorum in ſanguinem,ne biberent.* De fluminibus bene legitur *Exod.*7. Eleuans virgam percuſſit aquam fluminis,quæ verſa eſt in ſanguinem.Piſces quoque in ea mortui ſunt. Sed videtur, quod per imbres intelligit aquas ciſternarum, quæ colliguntur de imbribus. Alia autem litera habet *manationes.*Et dicit *Gloſſa*, quod manationes appellat ſcaturigines, aquas quæ ab inferiori ebulliunt.

Prælati fluminibus & religioſi imbribus comparantur.

Flumina verò loquendo ſpiritualiter ſunt Prælati,qui debent currere. *Prou.*6.Diſcurre,feſtina,ſuſcita amicum. Et ad mare, ad peccatorem,qui mare eſt. *Iſa.*57. Cor impij quaſi mare feruens. Et ipſum ſubintrare vſque ad cor per prædicationem, & doctrinam. *Iſa.*40. Loquimini ad cor Ieruſalem, & aduocate eam. Hæc flumina in ſanguinem mutantur per affectionem carnalem. *Mich.*3. Væ qui ædificant Sion in ſanguinibus. *Oſeæ* 4.Sanguis ſanguinem tetigit, nepotulus fratrem.

Imbres de cœlo deſcendentes qui quaſi in ciſternis includuntur, ſunt religioſi, quorum conuerſatio in cœlis eſſe debet cum Paulo, de quo *Phil.*3. Conuerſatio noſtra in cœlis eſt. Et incluſi ſunt ad literam in clauſtris,ſicut pluuiæ in ciſternis. Ad *Coloſſ.*3.Mortui eſtis cum Chriſto,& vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Hi carnales effecti in ſanguinem vertuntur, & ſaporem cœleſtem amittunt.1.ad *Cor.*15. Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt.

Miſit in eos cynomiam. Hîc ſubiungitur de ſecunda plaga, non tamen ſecundum ordinem in *Exod.* Prior enim fuit plaga ranarum quam tangit hic poſterius. Dicit ergo: Sic per conuerſionem aquarum eos afflixit, & etiam *miſit in eos cynomiam*, muſcam caninam: cynos enim dicitur canis in Græco. *Exod.*8. Venit grauiſſima muſca in domo Pharaonis. *Et comedit eos*, id eſt,momordit,& morſu cruciauit quaſi vſque ad mortem. Sicut per ſanguinem carnalis affectio intelligitur, ſic per cynomiam oppoſitum, ſcilicet mens ſine affectione, & canina. Ad *Rom.*1. Sine affectione,ſine fœdere. *Phil.*3. Videte malos operarios: neſciunt niſi mordere. Ad *Gal.*5. Si inuicem mordetis & comeditis,videte ne conſummamini. 45.

*Et ranam,*miſit,ſupl. *& diſperdidit eos.* Rana ſignificat loquens: ranæ enim de fluuiis ebulliunt: fluuius autem, in quo Pharao ſubmergi facit paruulos Hebræorum *Exod.* 1. quid aliud quam ſcientia ſæcularis?De hoc ebulliunt ranæ garruli aduocati, & implent foſſata, principum curas & magnatum. Foſſata debent eſſe ad defenſionem Eccleſiæ, & debent iſta foſſata eſſe plena piſcibus,id eſt,fidelibus conſultoribus. In piſce enim fides intelligitur, ſicut habetur *Luc.* 11.Quis veſtrum patrem petit piſcem, nunquid pro piſce ſerpentem dabit illi? ſed pro piſcibus habent ranas. *Sap.* 19. Pro piſcibus eructauit fluuius multitudinem ranarum.

Et dedit ærugini. Hîc alia plaga,ſed de hac in *Exodo* non fit mentio. Potuit tamen fieri,quòd propter aëris intemperantiam generaretur ex ipſo aëre in fructibus quædam corruptio,quam vocat æruginem. Fructus autem appellat ſponte de terra naſcentia,& ſine humano labore, qualia ſunt quæ de arboribus. *Ioël.*1. Reſiduum locuſtæ comedit rubigo,quod idē eſt quod ærugo. 46.

Per æruginem autem,quæ latenter nocet,intelligitur ſpirituale vitiū aliquod,ſicut ſuperbia, vel inanis gloria, quod latenter totum comedit & corrodit. *Caſſiod.* Ærugo eſt amor turpis,honeſtatem vitæ occulta imminutione conſumens. Felix paratura, vbi non eſt ærugo. *Matth.*6. Theſaurizate vobis theſauros in cœlis,vbi nec ærugo,nec tinea demolitur.

Et *labores eorum*, fructus per laborem eorum, quales ſunt ſegetes, ſurgentes, dedit, ſupl. *locuſtæ.* De hoc *Exod.*9. & 10. & in *Pſal.* Dixit, & venit locuſta, & bruchus, cuius, &c. Locuſta dicitur quaſi longa haſta, & ſignat detractores, qui percutiunt à remotis, & frequenter omnia bona vaſtant in ſeipſis, & in aliis.

Locuſta detractores ſignificat.

Naum 3.

Naum 3. Paruuli tui ſicut locuſtæ locuſtarum. *Iudic.* 6. Cumque ſæuiſſet Iſraël, metebant Amalech, & Madian, quæ in herba erant, cuncta inſtar locuſtarum deuaſtantes. Vnde autem naſcuntur iſtæ locuſtæ, declaratur *Apoc.* 10. De fumo putei, de ſuggeſtione diaboli exeunt locuſtæ.

47. *Et occidit in grandine vineas eorum*, ad literam: quia tempore, quo iam quaſi viuebant per viriditatem, quæ eſt quaſi quædam vita. *Gregor.* Viuunt, dico, non per animam, ſed per viriditatem: grando deſtruxit illas, & ſic quodammodo occiſæ ſunt. Spiritualiter autem Eccleſia eſt vinea. *Iſa.* 5. Vinea Domini Sabaoth domus Iſraël eſt. Particulares vineæ, particulares ſunt Eccleſiæ. *Cant.* 1. Poſuerunt me cuſtodem in vineis. Sed hac grandine diſſentionum & litium occiduntur in capitulis. *Ioſ.* 10. Multo plures occiſi ſunt lapidibus grandinis, quàm quos interfecerunt filij Iſraël. Plures diſſentionibus occiduntur, quàm prædicationibus doctorum ad bonum conuertantur. *Sap.* 16. Ignis erat ardens in grandine, ignis iracundiæ in ſtulto ſermone.

Vineæ, Eccleſia, mori in vineæ, Clerici.

Et moros eorum, occidit repete, *in pruina.* De hoc nihil in *Exodo* legitur. Vinea autem, ſicut dictum eſt, eſt Eccleſia, ſed mori in vinea, Clerici ſunt in Eccleſia: debent enim Clerici habere fructum, primò album per vitæ munditiam. Secundò rubeum per charitatis feruorem. Tertiò nigrum per carnis mortificationem. Talis fuit illa morus, de qua 1. *Machab.* 6. Oſtendebat elephantibus ſanguinem vuæ & moti, ad acuendum eos in prælio. Pruina autem quæ ſurgit de aquis, eſt auaritia quæ ſurgit ex diuitiis. Hæc occidit moros, interficit ſcilicet Clericos. *Ierem.* 6. A minore vſque ad maiorem omnes auaritiæ ſtudent.

48. *Et tradidit grandini*, id eſt, expoſuit percuſſioni grandinis, *iumenta eorum*, quæ in plano inuenta ſunt. *Exod.* 9. Pluit Dominus grandinem ſuper terram Ægypti. Et iterum, Extende manum tuam ſuper vniuerſam terram Ægypti, vt fiat grando ſuper homines & iumenta.

Iumenta autem ſunt homines iumentani, homines ſcilicet carnales, de quibus *Ioël.* 1. Computruerunt iumenta in ſtercoribus ſuis. Et hi grandini traduntur, quia litibus & diſſentionibus occiduntur ad literam. 1. ad *Cor.* 1. Cum ſint inter vos zelus & contentio, nonne carnales eſtis? *Prou.* 23. Cui væ, cui rixæ? cui foueæ? cui ſuffoſſio oculorum? nonne his qui morantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis?

Et poſſeſſionem eorum, tradidit, ſup. *igni.* Hoc etiam non legitur in *Exodo*, etſi forte factum ſit. Poſſeſſio propriè animæ ſunt virtutes, quæ ipſam ditant & reficiunt. Sed hæ igne luxuriæ deuaſtantur, de quo *Iob* 31. Ignis eſt vſque ad conſumptionem deuorans, & vniuerſa eradicans germina. *Ioël.* 1. Ignis comſumpſit ſpecioſa deſerti. Et igne cupiditatis, de quo *Iob* 15. Ignis deuorabit tabernacula eorum, qui libenter munera accipiunt.

49. *Miſit in eos.* Hîc ſubiungitur de plaga primogenitorum. Et primò tangitur cauſa meritoria huius plagæ. Secundò quibus miniſtris eſt inflicta, ibi, *Immiſſionem.* Tertiò finalis cauſa infligendi, ibi, *Viam fecit.* Quartò genus & modus plagæ, ibi, *Et non pepercit.* In prima duo. Primò indignatio Dei dimittentis illos. Secundò caſus dimiſſorum. *Indignationem.* Dicit ergo: Sic eos in rebus ſuis afflixit, & poſt *miſit in eos iram*, id eſt, effectum iræ non corrigentis, ſed *indignationis ſuæ*, quia auertendo ſe ab eis, & illos dimittendo. *Exod.* 15. Miſiſti iram tuam quæ deuorauit eos, ſicut ſtipulam. Et iram indignationis. *Naum* 1. Indignatio eius effuſa eſt vt ignis. Hoc eſt malum ſignum. *Prouerb.* 16. Indignatio regis, nuntius mortis.

Indignationem. Hîc ſpecificatur effectus monſtrando in quæ peccata inciderint, quia in tria. Primò in peccatum ſuperbiæ. Secundò iracundiæ, quæ oritur ex illa. *Et iram.* Tertiò deſperationis, in quo conſummatio malitiæ. *Et tribulationem.* Dicit ergo: Sic miſit in eos iram indignationis, id eſt, effectum indignationis, ſcilicet *indignationem*, vt indignantes eſſent tanquam ſuperbi non humiliati. *Et iram*, non pacem, vt contra Deum offendantur & proximum. *Et tribulationem*, vt ſic irati tribularentur vſque ad deſperationem. Ex primo ſecundum, ex ſecundo naſcitur tertium.

Immiſſionem. Hîc ſecundum, quibus miniſtris. Ait enim: Hæc miſit faciens hanc *immiſſionem per Angelos*, non bonos, ſed *malos. Ioan.* 13. Cum miſiſſet diabolus in cor, vt traderet illum, &c. Sed intelligitur de culpis, immiſſio facta eſt ſuggerendo, non illabendo animæ, vel aliquid eidem infundendo. Sed in his etiam eſt pœna: pœnalis enim eſt indignatio, pœnalis ira, & deſperatio: vnde & tribulatio dicitur. Sic propriè immiſſio per ipſum fit, per eum enim Dominus affligit. 1. *Reg.* 16. Spiritus Domini malus exagitabat Saül. *Iob* 2. Egreſſus Satan à facie Domini percuſſit Iob vlcere peſſimo à planta pedis vſque ad verticem capitis. 2. *Paral.* 3. Angelus miſſus eſt in Ieruſalem, vt puniret eam.

Viam fecit. Hîc tertium, ad quid hoc fecerat, quia ad manifeſtandum æquitatem ſuam & rectitudinem in puniendo. Ait enim: Sic immiſit in eos hæc mala per malos Angelos: & hoc faciendo *viam fecit ſemitæ iræ ſuæ*, id eſt, monſtrauit æquiſſimam iram ſuam, ſicut ſemita eſt ſuper Ægyptios, hoc eſt, quod effectum iræ iuſtiſſimè exercebat in eos. Iuſtum enim fuit omnium iudicio ſuperbos contra Deum, & iracundos, & deſperantes de eo ſic affligi. *Ierem.* 10. Et in *Pſal.* Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt, &c. Aliquando enim Dominus quaſi iram ſuam claudit, & viam ad cognoſcendum non facit, quando punit ſcilicet apertè bonum, ſicut Iob, aut occultè malum, ſicut Dauid 2. *Reg.* 12. & *vlt.* Sed iram ſuam aperit, & ad eam viam facit, quando apertè malos vult puniri, vt omnes cognoſcant cur illos punit. *Ierem.* 50. Aperuit Dominus theſaurum ſuum, & protulit vaſa iræ ſuæ. 50.

Non pepercit. Hîc quartum, in quo tangitur genus plagæ, ſcilicet primogenitorum & primò naſcentium de terra interfectio. Secundò ſpecificatio

cificatio eorum, qui interfecti ſunt illa plaga, quia nõ omnia, ſed tantum primogenita, ibi, *Et percuſſit omne primogenitum.* In prima duo. Primò interfectio rationabilium. Secundò irrationabilium, ibi, *Et iumenta eorum.* Dicit ergo: Sic meruerunt puniri, & per tales puniti ſunt dicta ratione. Et *non pepercit à morte animabus eorum*, id eſt, vitæ eorum, quantum ad homines.

Et iumenta eorum in morte concluſit, quantum ad pecudes. Et hoc verum & ad literam. *Exod.* 12. Dominus autem animabus malorum non parcet in die iudicij. *Iob* 41. Non parcam ei & verbis ad deprecandum compoſitis. *Thren.* 2. Deſtruxit, & non pepercit. Animæ etiam non parcit, quia dimittit eam cadere in peccatum, quod eſt mors eius. *Ezech.*18. Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. *Et iumenta eorum in morte concluſit*, id eſt, concludet tandem, ipſa ſcilicet corpora. *Pſal.* Conclude aduerſus eos qui perſequuntur me. *Ezech.*7. Fac concluſionem fili hominis.

51. *Et percuſſit omne.* Hîc ſpecificat de interfectis. Et primò quantum ad ſenſibilia omnia. Secundò quantum ad vegetabibilia, ibi, *Primitias.* Ait ergo: Sic occidit eos, & eorum iumenta, ſed nunquid omnes? Imò, *& percuſſit omne primogenitum* tam in hominibus, quam iumentis, *in terra Ægypti. Exod.*11. Percuſſit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti. Et in eodem: Media nocte ingredietur Dominus Ægyptum, & morietur omne primogenitum Ægypti, à primogenito Pharaonis, & omnia primogenita iumentorum. *Pſal.* Qui percuſſit Ægyptum cum primogenitis eorum.

Primogeniti ſunt Prælati, diuites & potentes mundi. Primogeniti enim duplicem portionem & maiorem honorem habebant, & quaſi dominabantur aliis. Hos interficiet Dominus media nocte veniens. *Matth.*25. Media nocte clamor factus eſt. Ecce ſponſus venit. Tunc dictos primogenitos occidet. *Iſa.* 2. Dies Domini ſuper omnem ſuperbum, excelſum. *Iacob.* 5. Agite nunc diuites, primogeniti, plorate vlulantes in miſeriis veſtris, quæ aduenient vobis.

Primitias omnis laboris eorum, omnium terræ naſcentium per eorum laborem interfecit. Sed hoc factum eſt, non in filiis Iſraël, quamuis eſſent in Ægypto, ſed *in tabernaculis Cham*, id id eſt, in tabernaculis, & domibus Ægyptiorum de Cham deſcendentium, maledictio ſuo Chanaan.

52. *Et abſtulit ſicut oues populum ſuum.* Hîc tangit beneficia illis exhibita in illos educendo de inimicorum poteſtate: & dicuntur duo. Primò liberatio ab inimicis. Secundò ſecuritas liberatorum ab illis ne timerent inſequentes, ibi, *Et deduxit eos in ſpe.* In prima duo. Primò eductio illorum de medio ipſorum cum poteſtate. Secundò deductio eductorum per deſertum cum diligentia multa. *Et perduxit.* Dicit ergo: Sic illos plagis variis afflixit, *& abſtulit*, & in hoc notatur violentia, *populum ſuum* à poteſtate, *ſicut oues* eruuntur à lupis. *Amos* 3. Quomodo ſi eruat paſtor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ, ſicut eruentur filij Iſraël.

Spirituales autem oues ſunt iuſti. *Pſal.* Nos autem populus tuus, & oues paſcuas tuæ. Hos eruit Dominus cum quadam violentia à diabolo. Ex vna enim parte dæmon coarctans peccatorem. *Pſal.* Et Angelus Domini coarctans eos. Ex altera mundus retrahens. *Geneſ.* 31. Laban intendebat retrahere Iacob, ne iret in terram ſuam. Et altera caro alliciens. *Iac.*1. Vnuſquiſque tentatur à propria concupiſcentia abſtractus & illectus.

Et perduxit illos in deſerto, conſeruando diligenter tanquam gregem. *Exod.*13. Circumduxit eum per viam deſerti. *Deuteron.*32. Circumduxit eum, & docuit, & cuſtodiuit quaſi pupillam oculi ſui. *Iſa.* 40. Sicut paſtor gregem ſuum paſcit: ereptum ab Ægypto, & iuſtos ab infernali lupo. De quo *Ioan.*10. Lupus rapit & diſpergit oues: ſed Deus eripit, & cuſtodit eas. *Iſa.*49. Nunquid tolletur à forti præda, aut quod captum fuerit à robuſto, ſaluum eſſe poterit? Equidem tolletur à forti præda, & quod fuerat captum à robuſto, ſaluabitur. *Luc.*11. Si fortior ſuperuenerit, omnia arma diripiet, in quibus confidebat. *Iſa.*7. Voca nomen eius, Accelera, ſpolia detrahe, feſtina prædari.

Et deduxit eos. Hîc ſecundum: & dicuntur duo. Primò ſecuritas. Secundò ratio ſecuritatis, & potens inimicorum ſubuerſio, ibi, *Et inimicos eorum.* Dicit: Sic abſtulit eos ab inimicis, *& etiam deduxit eos in ſpe*, habendi promiſſum: *& non timuerunt*, aduerſantem inimicum. *Iſa.*41. Quis tu vt timeas ab homine mortali? videbat enim ſe protegi à Deo, vnde ſubdit: *Et inimicos eorum*, perſequentes, *operuit mare*: quod fuit cauſa ſecuritatis & ſpei. *Pſal.* Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Quaſi diceret: A nullo. Nota, quod Dominus ſuos deducit ad ſe per deſertum pœnitentiæ in vehiculo ſpei. *Gregor.* Conſideratio præmij minuit vim flagelli. Et *Seneca* dicit: Spes præmij ſolatium fit laboris. Hoc eſt vehiculum, quod miſit Ioſeph patri ſuo ſeni, vt veniret ad eum. *Geneſ.* 46. 53.

Deus educit nos in ſpe à tenebris peccatorum.

Et inimicos, dæmones ſcilicet & peccata, *operuit mare*, amaritudo tribulationis & pœnitentiæ. *Pſal.* Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum, &c. *Exod.* 15. Submerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus, in magna & vehementi contritione. *Thren.*3. Magna eſt velut mare contritio tua.

Et induxit eos in montem. Hic tertium, in quo oſtendit beneficia eis in terra illa exhibita. Et diuiditur hæc pars in duas ſecundum duo beneficia. Primum eſt introductio in terram promiſſionis. Secundum, afflictio & annihilatio inimicorum, ibi, *Et excitatus eſt.* In prima tria. Primò beneficij exhibitio. Secundò ingratitudo illorum poſt ſuſceptum beneficium, ibi, *Et tentauerunt eum.* Tertiò ſubinfertur punitio ingratorum, ibi, *Et audiuit Deus.* In prima quatuor. Primò introductio illorum vſque ad extremum terræ. Secundò inhabitantium in terra propter illos eiectio, ibi, *Et eiecit à facie.* Tertiò diuiſio terræ per partes, ibi, *Et ſorte diuiſit.* Quartò poſſeſſio terræ quaſi pacifica, ibi, *Et habitare fecit.* In prima duo. Primò introductio ipſorum vſque ad locum intimum. Secundò illius loci deſcriptio, ibi, *Montem.* Dicit ergo: Eos ſic eduxit de 54.

Ægypto,

Ægypto, deduxit per desertum, & tandem *induxit eos in montem sanctificationis suæ*, id est, in Sion, quod non adhuc sanctificauerat, sed post sanctificauit. *Exod.*15. Introduces eos, & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo, quod firmauerunt manus tuæ. *Iud.*1. Fuit Dominus cum Iuda, & habitauit in montanis. *Et sanctificationis*, quia ibi fuit templum, quod sanctificauit Deus postea. *Psal.* Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.

Montem. Hîc describit montem, scilicet *quem acquisiuit dextera eius*, propter Dauid seruum suum. 2. *Reg.*5. Cepit autem Dauid arcem Sion. Mons Sion, quod interpretatur speculum, vel specula, vita beata, in qua leguntur in speculo æternitatis, & apertè speculantur Deum. 1. ad *Cor.*13. Tunc autem facie ad faciem. Hunc acquisiuit dextera sua extensa in cruce. *Isa.* 64. Saluauit sibi dextera eius. Et hunc montem dat suis. *Psal.* Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet, &c. *Genes.*48. Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.

Et eiecit à facie. Hîc secundum, Gentilium scilicet effugatio. Ait enim: Sic induxit in terram vsque ad montem Sion, *& eiecit à facie eorum Gentes*, quæ erant in illa terra. *Deut.*7. Eiiciet Gentes multas coram te. *Amos* 2. Exterminaui Amorrhæum à facie eorum. Sic necessariò prius extirpat ab anima vitia, quam possit quiescere in ipsa. *Abac.*3. Egressus est diabolus ante pedes eius.

Et sorte diuisit. Quasi diceret: Sic induxit, sic eiecit aduersarium, *& diuisit eis terram in funiculo distributionis:* & hoc sorte, ne videretur acceptio personarum, si hoc propria facerent voluntate. Hoc factum est sub Iosuë. *Iosuë* 13. Tunc diuide terram nouem tribubus, & dimidiæ tribui Manasse. Et 18. Misit sortes coram eis, & diuisit terram coram filiis Israël. Sic expulsis vitiis diuiditur gratia vnicuique secundum propriam facultatem. *Matth.* 25. Vnicuique dedit secundum propriam virtutem, & profectus est statim. Ad *Rom.*12. Habentes donationes secundum gratiam quæ data est nobis differentes. 1.ad *Cor.*12. Diuisiones gratiarum sunt. Et postmodum gloriam. *Ioan.*14. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. *Psal.* Tibi Domine misericordia, & tu reddes vnicuique iuxta opera sua. 1. ad *Corinth.*3. Vnusquisque mercedem secundum proprium laborem accipiet.

55. *Et habitare fecit.* Hîc quartum. Quasi diceret: Sic introduxit hos, illos eiecit, his terram diuisit, *& habitare fecit*, nolentibus inimicis, *tribus Israël*, Iudæos scilicet, *in tabernaculis eorum*, Gentilium scilicet eiectorum. Alibi in *Psal.* Et dedit illis regiones Gentium, & labores populorum possederunt. *Vt custodiant*, &c. Sic iustos habitare faciet confidenter in datis virtutibus confirmatos, eiectis dæmonibus. *Isa.*35. In cubilibus, in quibus habitabant dracones, viror iunci & calami orietur: quia *Rom.*5. Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. Sic deiectis dæmonibus de cœlo, loco eorum homines substituit, ex quibus eorum ruinæ reparantur. *Eccles.*10. Sedes ducum superborum destruxit, & sedere fecit mites pro eis, & habitare securè. *Isa.*32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta. *Ierem.*23. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israël, &c.

Et tentauerunt. Hîc secundum, in quo post beneficij exhibitionem supponit ipsorum ingratitudinem, quam ostendit in duplici offensa: in tentatione potentiæ primò. Secundò in offensione bonitatis diuinæ. *Et exacerbauerunt.* Dicit ergo: Sic induxit eos. Et ipsi quid? Tentauerunt Deum excelsum, adhuc diffidentes de eius potentia & virtute, sicut priùs in deserto. *Num.* 14. Tentauerunt me per decem vices, & non obedierunt voci meæ. *Deut.*9. In incendio, & in tentatione, & in sepulchris concupiscentiæ prouocastis Deum. 56.

Et exacerbauerunt, commouerunt, & concitauerunt contra se. *Leuit.* 22. Vsque nunc exacerbauerunt me in operibus manuum suarum. *Ezech.* 30. Exacerbauerunt me filij Israël, & mandata mea non custodierunt.

Et testimonia. Hîc ostendit quomodo, & in quo exacerbauerunt, quia omittendo: & hoc tangit primò. Secundò committendo: & hoc secundò, ibi, *Quemadmodum patres.* In prima primò tangit eorum omissiones, quoad legem. Secundò quoad promissionem. *Et auerterunt.* Dicit ergo: Verè exacerbauerunt: *& testimonia eius*, Vetus scilicet Testamentum, quod attestatur Christo, sicut superiùs dictum fuit. *Ioan.*5. Scrutamini Scripturas: ipsæ enim sunt, quæ testimonium perhibent de me. *Non custodierunt.*

Et auerterunt se. Hîc secundum. Ait enim: Sic non custodierunt testimonia, sed nec promissa, imò, *& auerterunt se* à lege, vel promissione, & à me. *Zachar.*7. Verterunt ad me scapulam recedentes. *Isa.*59. Auersi sumus, ne iremus post tergum Domini. *Ierem.*2. Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te. Hæc auersio mala. *Prou.*1. Auersio paruulorum interficiet eos. 57.

Et non seruauerunt pactum. Ecce planè auersio à promissione. *Ierem.*11. Audite verba pacti huius & loquimini ad viros Iuda, & ad habitatores Ierusalem, & dicetis ad eos: Maledictus qui non audierit verba pacti huius. *Isa.* 34. Transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum.

Quemadmodum. Hîc ostendit eos exacerbasse committendo, peccato idololatriæ: vnde primò tangit idololatriæ culpam. Secundò culpæ vehementiam, ibi, *In ira concitauerunt.* Dicit ergo: Sic commiserunt, & auersi sunt, & conuersi sunt in arcum prauum, per intentionem peruersam, & operationem prauam. Intentio enim arcus est, operatio sagitta. Sicut enim ex arcu sagitta emittitur, sic ex intentione operatio emittitur. Sed tunc prauus arcus est intentio, cum operationem remittit in actorem. *Greg.* Arcus prauus existit, quando ipsum à quo habet ictum, percutit. Melius esset talium arcum confringi, intentionem peruersam ad nihilum, secundum illud: Et arcus eorum confringatur. *Ierem.*7. Facti sunt in retrorsum arcus eorum, & non in antè. Et hoc *quemadmodum patres eorum*, imò peius. *Ierem.*16. De- *Intentio arcus, operatio sagitta.*

reliquerunt me patres veſtri, ſed & vos peius operati eſtis.

58. *In ira concitauerunt.* Hîc oſtenditur vehementia culpæ, quia euidenter erant idololatræ, & diligenter exercebant eam. *Et in ſculptilibus.* Dicit ergo: Sic conuerſi ſunt ad idololatriam, *in ira concitauerunt eum*, id eſt, ad inferendum iram in collibus ſuis, in quibus idolis ſacrificabant. *Ierem.*2. Sub omni ligno frondoſo, & in omni colle ſublimi tu proſternebaris meretrix. Et in hoc arguuntur ſuperbi, qui in collibus dignitatum gloriantur, & quicquid faciunt propter illas, vnde ibi immolant, & totum perdunt. *Ierem.*3. Verè mendaces erant colles, multitudo montium. Et in 2. Non in foſſis, humilitatis ſupl. inueni eos.

Et in ſculptilibus cum magna diligentia factis, ſculptile enim fit cum magna diligentia, *eum prouocauerunt ad æmulationem*, ad indignationem ſcilicet. *Iud.*5. Fecerunt filij Iſraël malum, & ſeruierunt Baalim, in idolo facto opere ſculptili cum diligentia magna. *Pſal.* Simulachra gentium, argentum, & aurum, opera manuum hominum. Sicut colles dignitates, ſic ſculptilia ſunt Prælati. Idolum enim ſunt. *Zach.*11. O paſtor & idolum derelinquens gregem. Sed quidam ſunt idola fuſilia quæ cito fluunt, illi qui per commotionem & ſubreptionem præficiuntur. Alij ſculptilia, qui per longam diſceptationem. Et frequenter contingit tales nihil omninò valere. *Ierem.*16. Confuſus eſt omnis artifex in ſculptili.

Qui Prælati ſint idola fuſilia, & qui ſculptilia.

59. *Audiuit Deus.* Hîc tertium, ſcilicet punitio illorum pro ingratitudine: & quia non punit Deus, niſi cognita, ideò dicuntur duo. Primò, quòd attendit. Secundò, quòd attendens hæc mala, eos humiliauit ſtatim, ibi, *Et ſpreuit.* Ait enim. Hæc fecerunt, & nunquid Deus aduertit? Ita: quia *audiuit Deus.* Suum audire eſt attendere, & cognoſcere. Suprà: Ideò audiuit Deus, & diſtulit. *Sap.*1. Auris zeli audit omnia. *Pſal.* Qui plantauit aurem, non audiet?

Et ſpreuit. Hîc ſubiungitur humiliatio: & tanguntur tria. Primò humiliatio. Secundò humiliationis magnitudo, ibi, *Et ad nihilum.* Tertiò in quo humiliati intantum, ibi, *Et repulit.* Ait ergo: Sic audiuit, *& ſpreuit* Iſraël ſup. id eſt, dignum qui ſperneretur fecit. *Iſa.*33. Væ qui ſpernis, Deum ſup. nolendo obedire, nonne & ipſe ſperneris?

Et ad nihilum valdè, ad maiorem expreſſionem hoc addit, *redegit Iſraël. Iob* 16. Ad nihilum redacti ſunt omnes actus mei. *Pſal.* Ego ad nihilum redactus ſum, & neſciui. *Ier.*10. Corripe me Domine, verumtamen in iudicio, & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum reducas me.

60. *Et repulit tabernaculum.* Hîc tertium, in quo monſtrat quomodo, & in quo humiliauit eos: & dicuntur duo. Primò tangitur humiliatio quantum ad gloriam illorum, ſcilicet tabernaculum, & arcum. Secundò quantum ad ipſam gentem, ibi, *Et concluſit in gladio.* In prima duo. Primò humiliatio propter deſtructionem tabernaculi. Secundò deſcriptio deiecti, ibi, *Tabernaculum ſuum.* Dicit ergo: Sic redegit valdè ad nihilum, & verè, quia *repulit tabernaculum Silo*, id eſt, quod habebat in Silo, ſicut legitur 1. *Reg.*1. & 2. Sed hoc repulit. *Ierem.*7. Ite ad locum meum in Silo, vbi habitauit nomen meum à principio, & videte quæ fecerim. *Thren.*2. Diſſipauit quaſi hortum tentorium ſuum. Et in eodem: Repulit Dominus altare ſuum.

Tabernaculum. Hîc deſcriptio. Quaſi diceret: Silo repulit, quod erat tabernaculum, non cuiuſcumque, ſed ſuum tabernaculum, & ad quid addit, *vbi*, id eſt, in quo, habitauit in hominibus, id eſt, inter homines. *Apoc.*21. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum illis: Dominus enim propter malitiam hominum deſtruit frequenter ſanctum locum, quia locum non curat, niſi propter homines. 2. *Machab.*5. Non propter locum gentem, ſed propter gentem locum eligit Dominus: vnde mirum quod multas Eccleſias non ſubuertit, quia homines non tantum ſunt peccatores, ſed Chriſti miniſtri multas faciunt in illis abominationes. *Ierem.*11. Quid eſt, quod dilectus meus operatur in domo mea ſcelera multa? Silo etiam interpretatur auulſus. Cum ergo locus auellitur ab officio proprio, quia non ſeruitur ibi Deo, ſed magis peccato. *Iſa.*56. Domus mea domus orationis vocabitur. *Matth.*21. Vos feciſtis eam ſpeluncam latronum. Quid reſtat niſi vt deſtruatur incendio, ſicut arbor auulſa? *Iob* 19. Quaſi auulſæ arboris abſtulit ſpem meam.

Contra miniſtros Eccleſiæ.

61. *Et tradidit in captiuitatem.* Hîc tangitur humiliatio propter arcæ amiſſionem, quam tangit deſcribendo à duplici bono, quod eis exhibebat. Primum eſt fortitudo contra inimicos. Secundum, honor apud vniuerſos, ibi, *Et pulchritudinem.* Ait enim: Sic tabernaculum deiecit, & etiam *tradidit virtutem eorum*, id eſt, arcam, ad cuius præſentiam ſuperabant inimicos, & propter hoc dicitur virtus, *in captiuitatem.*

Et pulchritudinem eorum, eandem ſcilicet arcam, propter quam reddebantur omnibus honorati & mirabiles, tradidit ſup. in manu inimici. Tangit quod habetur 1. *Reg.*4. Ecce ſancta noſtra, & pulchritudo noſtra, & claritas noſtra deſolata eſt, & coinquinauerunt omnes gentes.

Per virtutem Eccleſiæ, intelliguntur milites, quorum eſt ipſam virtuosè defendere, ſed hos captiuat diabolus in peccatum, Deo permittente. *Naum* 2. Et miles captiuus eſt. *Iſa.*52. Solue vincula colli tui captiua filia Sion. Sed pulchritudo ſunt religioſi, in quibus debet eſſe omnis honeſtatis pulchritudo: & hi captiuantur. *Iſa.*3. Pulcherrimi quoque viri gladio cadunt. *Thren.* 1. Egreſſus eſt à filia Sion omnis decor eius.

Et nota, quod animam, quæ pulchritudo eius eſt, quippe ſecundum illam ſimilis eſt homo ſummæ pulchritudini, quæ Deus eſt. *Gen.*1. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, tradit Deus inimicis, primo corrumpendam & conſtuprandam. *Ierem.*2. Filij Mempheos & Taphnes conſtupraverunt te vſque ad verticem. Poſtea conculcandam, & deiiciendam de peccato in peccatum. *Ezech.*16. Vidi te conculcari in ſanguine tuo. Et vlterius mutilandam, vt auferat naſum diſcretionis, aures obedientiæ, & manus operationis bonæ. *Ezech.* 23. Præcident naſum tuum, & aures tuas. 1. *Reg.*5. Duæ palmæ manuum Dagon, peccatoris ſcilicet, abſciſſæ erant. Et tandem irriden

Tradit Deus animam peccatricē tortoribus diuerſimodè cruciandam.

irrridendam. *Iud.*11. Philistæi illudebant Samsoni capto, & excæcato *Psal.* Nequando irrideant me inimici mei.

62. *Et concluſit in gladio.* Hîc tangitur humiliatio quantum ad populum, poſtquam tetigit quantum ad cultum. Et primò miſeria & humiliatio populi generaliter. Secundò illorum etiam ſpecialiter, quibus maximè videbatur parcendum, ibi, *Iuuenes eorum.* In prima duo. Primò deiectio populi per mortem. Secundò ratio huius deiectionis. *Vt hæreditatem.* Dicit ergo: Sic abſtulit tabernaculum, & arcam, & etiam *concluſit populum ſuum*, à ſe quondam ſpecialiter electum, *in gladio*, vt ipſum non poſſet effugere. *Ezech.* 7. Fac concluſionem: quoniam terra plena eſt iudicio ſanguinum. Concluditur populus Dei in gladio pœnæ. Primò quia concludi ſe permittit in gladio culpæ, de quo *Prou.*22. Arma & gladij ad occidendam animam propriam, in manibus ſuperbi. *Iob* 16. Circumdedit me lanceis ſuis. *Eccl.*21. Quaſi romphæa omnis iniquitas.

Et hæreditatem ſuam. Hîc quaſi ratio. Quaſi quis diceret: Quare concluſit? Quia ſpreuit: vnde *& hæreditatem ſuam ſpreuit*, plebem ſcilicet Iſraëliticam. *Iſa.*19. Hæreditas mea Iſraël. *Pſal.* Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.

63. *Iuuenes eorum.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur de afflictione eorum, quibus fuit parcendum ſpecialiter. Primò quibus ratione ætatis. Secundò quibus ratione religionis, ibi, *Sacerdotes eius.* In prima duo ſecundum vtrumque ſexum. Dicit ergo: Sic populum vniuerſaliter concluſit, & etiam, quod crudelius videtur, *iuuenes eorum*, quibus videbatur miſerandum, comedit ignis, iræ Dei. *Soph.*1. In igne zeli eius deuorabitur terra. Vel iræ inimicorum debellantium. *Thren.*2. Virgines meæ, & iuuenes mei ceciderunt in gladio.

Et virgines eorum, quibus multò fortius parcendum, *non ſunt lamentatæ*, quia non vacabat vt plorarent ſuam virginitatem, vt filia Iephte *Iud.* 11. ſed ſubitò corrumpebantur, & occidebantur. *Amos* 5. Proiecta eſt virgo Iſraël, & non adiiciet vt reſurgat. *Thren. vltim.* Mulieres in Sion humiliauerunt.

Diuerſi gradus ignis luxuriæ.

Nota, quòd ignis eſt ardor luxuriæ, ſecundum illud *Iob* 31. Ignis eſt vſque ad conſumptionem deuorans, & vniuerſa eradicans genimina. Hoc igne ferè omnes incenduntur. *Iſa.*1. Regiones noſtræ ſuccenſæ ſunt igni. Sed hoc maximè ſuccenduntur virgines, & iuuenes, in quibus maximè viget. *Ioel.* 1. Ignis deuorauit ſpecioſa deſerti. Hoc igne quidam ſunt, qui non omninò ardent, ſed partim tanguntur, qui tactus inordinatos, & oſcula illicita, & conſenſus habent, ſed opus non conſummant, de quibus *Amos* 4. Facti eſtis quaſi cortex raptus de incendio. Alij ſunt, quos totos flamma occupat, quos peccare facit & opere, & conſu. *Ioel.*2. Poſt eum exurens flamma. *Pſal.* Pones eos vt clibanum ignis in tempore, &c. Alij toti incinerati ſunt, qui toti ſunt luxuriæ dediti, & nihil boni iam in eis remanſit conſumendum, niſi natura tantum. *Sapient.*15. Et cinis cor eius. *Iſa.* 35. Erunt populi ſicut de incendio cinis.

Sacerdotes eius. Hîc miſeria religioſorum in vtroque ſexu ſimiliter. Ait enim: Sic quantum ad ætatem, ſed & quantum ad religionem, *ſacerdotes eius ceciderunt in gladio* paſſi. *Thren.* 1. Sacerdotes mei, & ſenes mei in vrbe conſumpti ſunt. In eodem: Sacerdotes eius gementes, virgines eius ſquallidæ. Ad literam, ſacerdotes eius in gladio cadunt, quando ſurgente gladio tribulationis prælati non ſe erigunt, ſed timore & puſillanimitate cadunt. *Luc.* 21. His autem fieri incipientibus, ſcilicet tribulationibus & afflictionibus, leuate capita veſtra, non cadite. *Iob* 39. de bono equo dicitur: Vbi audierit ſonitum buccinæ, dicit vah! Vel cadunt in gladio auaritiæ, vel cuiuſlibet alterius culpæ. *Thren.* 2. Si occiditur in ſanctuario Domini ſacerdos & propheta? Quaſi diceret: Mirabile eſt quod occiditur, & in templo conuerſatur. 64.

Et viduæ eorum. Ecce religioſæ perſonæ, in altero ſexu, *non plorabantur* interfectæ & occiſæ. Non erat qui conſolaretur eas, ſicut Iob faciebat. *Iob* 29. Cor viduæ conſolatus ſum. Gens enim eſt, cui vult Dominus multum miſereri. Vnde *Iob* 24. improperat: Pauit ſterilem, quæ non parturit, & viduæ non benefecit. Et *Iſa.*1. Iudicate pupillo, defendite viduam. Et rurſus in eodem: Pupillo non iudicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad eos.

Et excitatus eſt. Hîc ſecundum huius partis, in quo agitur de ſecundo notabili beneficio, quod fuit in affligendo turpiter inimicos, & inſtituendo ex eis regem: & ſecundum hoc duo dicuntur. Primò inimicorum afflictio. Secundò honorifica regis inſtitutio & confirmatio. *Et repulit tabernaculum Ioſeph.* In prima duo. Primò ratio & cauſa reprobationis, vel magis præparatio ipſius Domini ad affligendum eos, & reprobandum. Secundò ipſa reprobatio, ibi, *Et percuſſit inimicos.* In prima duo. Primò præparatio eius ad puniendum libenter. Secundò ad potenter ſubiugandum. *Et tanquam potens.* Dicit ergo: Prædictum beneficium illis exhibuit, & ipſi ingrati fuerunt, & puniuit eos, quaſi dormiens ad bona exhibenda, & poſt *excitatus eſt Dominus* ad inimicos affligendum: & hoc *tanquam dormiens*, id eſt, tam faciliter. Quaſi diceret: Sicut dormiens ſurgit faciliter, ſic ipſe vt punitet, & faciliter eſt conuerſus. *Pſal.* Exurge, quare obdormis Domine? *Eccleſ.*36. Excita furorem, & effunde iram, id eſt, effectum iræ & furoris, quia in te excitari non potes ſempes manens in eodem ſtatu. *Ierem.*31. Quaſi de ſomno excitatus ſum, & ſomnus meus dulcis mihi. 65.

Multis modis dicitur Dominus excitari.

Excitatur autem Dominus per clamorem, cum fortiter ad illum clamatur in oratione. *Matth.*8. Et ſuſcitauerunt eum dicentes, Domine ſalua nos, perimus. Per pulſum, quando impellitur in membris ſuis, id eſt, quando affligitur in illis. Sic excitatus eſt occiſo Abel, ac ſi Caim ipſum pulſaſſet. *Geneſ.*4. *Pſal.* Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, &c. tanquam pulſatus. Per punctionem, quod fit in bono per lachrymarum abundantiam. Super 8. Tob. dicitur: Oratio vngit, & lachryma pungit. Vel in malo pungitur Deus, quando in iniquitate perſeueratur.

*Geneſ.*6.

Geneſ.6. Et tactus dolore cordis intrinſecus,ait: Pœnitet me feciſſe hominem: quia peccatum eorum aggrauatum eſt nimis. Per temporis opportunitatem quando ſatis dormiuit, quando ſcilicet tempus eſt miſerendi, ſecundum illud Pſalmi: Tempus miſerendi eius, quia venit tempus. Ad *Rom.*13.Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere.

*Tanquam potens.*Quaſi diceret:Excitatus eſt, *crapulatus à vino*, exiſtens vt videbatur, & hoc *tanquam potens. Ierem.* 23. Factus ſum tanquam vir ebrius, & quaſi madidus à vino, ſic ſuſtinendo quod affligantur. Sed tandem *tanquam potens* ſurgam potenter vindicans in aduerſarios. *Iob* 9. Deus cuius iræ reſiſtere nemo poteſt. Suprà in *Pſal.* Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi? Sicut fui quaſi ebrius dormiendo, ſic ero quaſi ebrius percutiendo. *Deuteron.*32. Inebriabo ſagittas meas ſanguine. Et *Iſa.*34. Inebriatus eſt in cœlo gladius meus,id eſt, ego qui in cœlo ſum gladius, ero percutiens quaſi ebrius. Vel melius,in cœlo, in ſuperbo populo, qui meos afflixit.

66. *Et percuſſit inimicos.* Hîc ſecundum, inimicorum afflictio vilis; in quo dicitur, quod vilis ipſorum percuſſio. Secundò vilis percuſſionis perpetuatio, ibi, *Opprobrium.* Dicit ergo: Sic excitatus eſt contra aduerſarios, *& percuſſit inimicos ſuos in poſteriora*, in ſecretiori parte natium. Et tangit quod habetur.1.*Reg.*5.& 6.Facta eſt confuſio mortis magna, & percuſſit in ſecretiori parte natium Azotum, & fines eius. Iſti autem erant, qui arcam Dei rapuerant, & ſignant illos, qui in prælationibus ſe ingerunt violenter, & quaſi arcam poſſident, quos Deus percutit in poſterioribus, in temporalibus ſcilicet, quæ poſteriora ſunt ſecundum Apoſtolum *Phil.*3.Poſteriorum oblitus,ad ea quæ ante ſunt extendens meipſum, ad deſtinatum proſequor ad brauium ſupernæ vocationis.Et hoc iuſtum: quia ad ea quæ poſterius ſunt, reſpiciunt cum vxore Loth *Geneſ.*19. Vel *in poſteriora* eos percutit,quia in fine damnabiliter ſupponit pœnæ gehennali. *Ezech.*7.Gladium meum euaginabo poſt eos.

Opprobrium. Hîc ſecundum, in quo tangitur vilitatis duratio. Quaſi diceret: Sic percuſſit viliter, & in hoc *opprobrium ſempiternum dedit illis*: per totum enim mundum Azotij ſic percuſſi,& ciuitates eorum ſunt in opprobrium, & à Deo damnati opprobrio ſempiterno confundentur. *Ierem.*20. Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium ſempiternum,quod nunquam delebitur. Quod etiam veriſſimum eſt de Iudæis, quia in poſterioribus percuſſi ſunt, ſicut eis promiſit Moyſes, *Deuter.*28.

67. *Et repulit tabernaculum.* Hîc ſecundum totius huius partis, in quo agitur de regni eorum inſtitutione, & confirmatione: & dicuntur duo. Primò quos repulit à regia dignitate, quia illos qui videbantur habere quaſi electionem, illos ſcilicet de Benjamin. Secundò quos elegerit, & confirmauerit, ibi, *Sed elegit tribum Iuda.* In prima duo. Primò repulſio deſcendentium de Ioſeph generaliter. Secundò deſcentium per Ephraim ſpecialiter. *Et tribũ Ephraim.* Dicit ergo: Sic inimicos turpiter deiecit, & etiam repulit à regia dignitate *tabernaculum Ioſeph*, id eſt, familiam Ioſeph, & verum eſt: Saül enim qui fuit primus rex, de Benjamin fuit. 1. *Reg.* 10. Sed ne quis diceret: Imò de Ephraim poſtea fuerunt reges Iſraël, qui,inquam,Ephraim fuit de Ioſeph, *& tribum Ephrem*,Ephraim per apocopem, *non elegit.* Sed Ieroboam violenter intruſit ſe,vel propter peccatum Salomonis permiſit hoc Deus, ſicut habetur 3.*Reg.*12.

Per Ioſeph, qui interpretatur filius accreſcens, huius mundi nobiles deſignantur, qui ſunt magni ſtatura ad literam, & poteſtate: ſed hos Deus non eligit. *Pſal.* Non in fortitudine equi voluntatem habet, &c. 1. *Reg.* 16. Non reſpicias altitudinem ſtaturæ eius, quoniam abieci eum, nec ſecundum intuitum hominum iudico. Ephraim interpretatur frugifer, & ſignat diuites, quos Deus non eligit. *Iacob.* 2. Nonne pauperes elegit Deus, diuites in fide, hæredes regni? Sed reſeruat eos ad hoc quod in 5. idem Iacobus dicit: Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miſeriis, quæ aduenient vobis. *Deus non eligit nobiles nec diuites, ſed humiles.*

Sed elegit tribum Iuda. Hîc ſecundum, quos elegerit, & confirmauerit. Et primò quantum ad tribum, quia de Iuda. Secundò quantum ad perſonam ipſam, & familiam, ibi, *Et elegit Dauid ſeruum ſuum.* In prima duo. Primò electio regis.Secundò ſedis regni determinatio. *Montem Sion.* Dicit ergo: Hos non elegit,ſed *elegit tribum Iuda*, ad literam, vt eſſent ex ea reges ad literam. In quo notatur, quod qui reges fiunt, debent eligi à Deo, non aſſumere ſibi & rapere honores. Ad *Hebr.*5. Nemo aſſumat ſibi honorem, ſed qui vocatus eſt à Deo tanquam Aaron. *Ioan.*15.Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. Et debent eſſent de Iuda: Iudas confitens infirmitatem ſuam & miſeriam. 1. ad *Corinth.*1. Infirma mundi,ſui reputatione, elegit Deus, vt confunderet fortia. *Iud.*1. Quis aſcendet contra Chananæum, & erit dux belli? Iudas aſcendet. *Geneſ. pen.* Non auferetur ſceptrum de Iuda. 68.

Montem Sion,&c.Hîc ſecundum.Quaſi diceret: Sic quantum ad tribum, ſed quantum ad locum, elegit *montem Sion, quem dilexit*, ad hoc vt eſſet regni ſedes. *Pſal.* Diligit Dominus portas Sion, &c. In monte ſignificatur vitæ eminentia. Talis debet eligi. *Pſal.* Elegit Moyſem ſeruum, Aaron, quem elegit ipſum. In Sion quod interpretatur ſpeculum vitæ. 1. *Mach.*4.Elegit Iudas ſacerdotes ſine macula.

Et ædificauit ſicut. Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur de regni confirmatione. Primò ex modo ſtatuendi templum. Secundò ex modo eligendi locum regni,ibi, *In terra.* Dicit ergo: Sic elegit tribum Iuda, & locum regni, *& ædificauit ſanctificium ſuum*, templum ſcilicet, vel propter ſancta, quæ erant in eo, vel propter hoc quod ibi ſanctificabantur immundi per oblationes & ſacrificia. Et hoc *ſicut vnicornis*, locus, ſupple, ædificatur, vt vnicornis ſit genitiui caſus. Vel *ſicut vnicornis*, vt ſit nominatiui caſus,ædificat ſibi locum:vnicornis enim ædificat ita locum, quòd nullus audet accedere ad deſtruendum: eſt enim animal ferociſſimum, habens in nare cornu. 69.

Sanctifi

Sanctificium autem eſt Eccleſia, quæ ædificabitur ſicut vnicornis, qui habet cornu in nare. In cornu autem poteſtas deſignatur. *Luc.*1. Erexit nobis cornu ſalutis, in domo Dauid pueri ſui. In nare quo diſcernuntur odores, diſcretio ſignificatur. *Iſa.* 2. Cauete ab homine, cuius diſcretio in naribus eius eſt. Cornu ergo in nare, poteſtas in diſcretione. Poteſtatem autem dedit Prælatis,quando dixit *Ioan.*20. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Sed in nare, id eſt, in diſcretione voluit ipſam eſſe, cùm ait *Matth.*5. habete in vobis ſal. De tali Prælato poteſt dici illud *Num.* 24. Cuius fortitudo ſimilis rhinocerotis. Idem eſt rhinoceros quod vnicornis.

In terra, non quacumque, ſed *quam fundauit in ſæcula*, permanſuram in regnum quantum erat in ſe, niſi per ipſos ſtaret. *Pſal.* Deus fundauit eam in æternum. Eccleſia vero in qua ſanctificatio, eſt fundata in ſæcula, quia generationibus ſuccedentibus ſemper manet Eccleſia. *Eccleſ.*1. Generatio præterit, generatio aduenit: terra autem in æternum ſtat. Fundata eſt enim ſupra firmam petram. *Matth.*16. Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. *Matth. vlt.* Ecce ego vobiſcum.

70. *Et elegit Dauid ſeruum ſuum.* Hîc ſecundum, in quo poſtquam præceſſit electio quantum ad tribum, hîc quantum ad perſonam, in quo dicuntur duo. Primò electio ipſius Dauid. Secundò officij conueniens adimpletio, ibi, *Et pauit eos.* In prima dicuntur tria. Primò electio Dauid præ omnibus de tribu Iuda. Secundò electi ſeparatio ab officio, in quo prius. *Et ſuſtulit.* Tertiò ſeparati acceptio ad officium regendi, ibi, *De poſt fœtantes.* Dicit ergo: Sic elegit tribum Iuda, & ex illa elegit Deus ſeruum ſuum. Hoc apertè habetur 1.*Reg.*16. Surge & vnge eum, ipſe enim eſt. Et fuit figura Chriſti: interpretatur enim manu fortis: & de Chriſto dicitur, Dominus fortis & potens. Et aſpectu deſiderabilis: & de ipſo dicitur 1.*Pet.*1. In quem deſiderant Angeli proſpicere: qui bene dicitur ſeruus propter formam ſerui acceptam.

Qualis debet eſſe qui eligitur Prælatus. In hoc autem oſtenditur, quòd ille qui ad prælationem eligitur, debet eſſe confitens, montanus, & ſapiens. Debet eſſe etiam manu fortis, vt poſſit reſiſtere aduerſariis pietatis. *Eccleſ.* 7. Noli fieri iudex, niſi virtute valeas irrumpere iniquitates. Et in 8. Ne ſpondeas ſuper virtutem tuam. Et cum hoc caueas, ne dominari quæras. 1.*Pet.* 5. Non quaſi dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo. Sed magis ſeruias aliis tanquam vnus ex ipſis factus. *Eccleſ.* 32. Rectorem te poſuerunt, eſto in illis quaſi vnus ex illis. *Luc.* 21. Qui maior eſt inter vos, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator.

Et ſuſtulit eum de gregibus ouium, ſeperando electum ab officio vili in quo erat. 1. *Reg.* 16. Erat paruulus paſcens oues, rufus pulchor aſpectu, decoraque facie. Et etiam poſt electionem adhuc pauit, non ſtatim cucurrit ad regnum: imò etiam poſtquam deuicerat Goliam. 1.*Reg.*17. Abiit Dauid vt paſceret gregem patris ſui in Bethleem. In hoc oſtenditur,quòd de ipſo grege ſumendus eſt paſtor Eccleſiæ. *Deuter.*17. Non poteris alterius gentis regem conſtituere, qui non ſit frater tuus. *Oſee* 2. Dabo eis vinitores ex eodem loco.

De poſt fœtantes accepit eum. Hîc tertium, ſegregati acceptatio. Et primò acceptatio. Secundò ad quid, ibi, *Paſcere.* Dicit ergo: *De poſt fœtantes*, id eſt, fœcundas oues. Debet enim qui prælatus maior inſtituitur, in inferiori gradu profeciſſe bona doctrina, & exemplo alios fœcundaſſe, vt ſit ſimilis illis de quo *Iſa.* 40. Fœtas ipſe portabit. Et tunc poteſt ad maiora vocari. 1. ad *Corinth.*3. Qui bene miniſtrauerit, bonum gradum ſibi acquirit, vt non fiat de hiſtrione Epiſcopus, de guloſo paſtor Eccleſiæ, de luxurioſo virginum conſecrator. Sed *Hieron.* dicit: Heri cathecumenus, hodie Epiſcopus: heri in theatro, hodie in Eccleſia eſt Prælatus.

Paſcere Iacob. Hîc ad quid accepit, quia ad paſcendum minores, hoc tangit primò. Secundò maiores. *Et Iſraël.* Dicit ergo: Sic accepit illum de poſt fœtantes. Ad quid? *Paſcere*, hoc eſt, ad paſcendum *Iacob* ſeruum ſuum, id eſt, populum qui de Iacob populo ſuo deſcendit. Hic modus loquendi repellit nos à ſenſu hiſtoriali: quia ille materialis Dauid non ad paſcendum populum eſt electus, ſed magis ad regendum. Vnde de ſignificato in ipſo, Chriſto ſcilicet intelligitur magis propriè, qui dicit de ſeipſo. *Ioan.* 10. Ego ſum paſtor bonus. Qui bene dicitur aſſumptus de poſt fœtantes, quia primò pauit oues Iudaïci populi, eis per ſeipſum prædicando. *Matth.*15. Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſraël. Sed de iis tranſlatus eſt ad paſcendas oues, populos Gentiles in Apoſtolis & prædicatoribus ſuis, illis ouibus relictis tanquam canibus. Hi enim ſunt vere hæredes Iacob, ſicut dicit Apoſtolus *Galat.*4. Non enim qui filij ſunt carnis, ſed qui promiſſionis filij ſunt, reputantur in ſemine. 71.

Et Iſraël hæreditatem ſuam, paſcere ſupl. Hoc quoad maiores, ſicut Iacob, quia laborans Iacob dicitur, Iſraël autem, id eſt, videns Deum, quod maius eſt, quia contemplans. *Eccleſ.*24. In Iacob inhabita, & in Iſraël hæreditare. Sic paſtor Eccleſiæ debet paſcere. *Ioan. vlt.* Paſce, paſce, paſce, & minores, & maiores: vnde ibi dictum eſt: Paſce agnos propter minores, paſce oues propter maiores. *Ierem.*3. Dabo vobis paſtores, qui paſcent vos, ſcientia, & doctrina. Et in 6. Paſcit vnuſquiſque eos, qui ſub manu ſua ſunt.

Et pauit eos in innocentia. Hîc ſecundum: præmiſſa enim electione, ſubiicitur de competenti officij adimpletione: & tanguntur quatuor in modo adimplendi officium, quia innocenter, & prudenter, & potenter, & vtiliter. Primum notatur in hoc quod dicit, *In innocentia.* Secundum in hoc quod dicit, *In intellectibus.* Tertium in hoc quod addit, *Et manuum ſuarum.* Quartum in hoc quod ſubiungit, *Deduxit eos.* Ait enim: Sic elegit eum ad paſcendum, *& pauit eos* de Iacob, & Iſraël, non ſe. *Ezech.*34. Væ paſtoribus qui paſcebant ſemetipſos. *In innocentia cordis ſui.* Hoc de Dauid non poteſt bene intelligi, quem conſtat poſt adeptionẽ regni peccaſſe peccato adulterij & homicidij. 72. *Qualiter Prælatus debet regere ſubditos.*

dij. 2. *Reg.* 11. & 12. & ſuperbiiſſe in enumeratione populi. 2. *Reg. vlt* De illo ergo intelligendum eſt, de quo *Iſa.* 53. & 1. *Pet.* 2. Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. *Apocal.* 7. Agnus qui in medio eorum eſt, paſcet eos. Prælatus autem debet paſcere ſubditos doctrina, & hoc *in innocentia*, qua paſcatur eius mens propria. *Prou.* 20. Secura mens quaſi iuge conuiuium.

Et in intellectibus, operibus ſcilicet ad intelligibilia eos eleuantibus, ecce quam ſapienter: *manuum ſuarum*, factis manibus ſuis potenter *Ioan.* 13. Exemplum dedi vobis humilitatis quæ eſt virtus intelligibilis, vt quemadmodum ego feci vobis, lauans pedes manibus propriis, ita & vos faciatis. Sic in manibus Chriſti intelligitur humilitas, & patientia in affixis in cruce. *Thren.* 1. O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor ſicut meus. Vehemens charitas: quia pro nobis illas extendit in morte. *Ioan.* 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam ſuam, &c. Et ſumma Patris largitas, qui ipſum ſic extendit, & omnibus expoſuit. Ad *Roman.* 8. Pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non omnia nobis cum illo donabit?

Deduxit illos, de peccato in virtutem, de virtute in virtutem duxit, quod eſt paſcere vtiliter: & tandem de virtute ad gloriam. *Pſal.* Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. *Sap.* 10. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei, ad quod nos perducat qui eſt benedictus per infinita ſæcula ſæculorum, &c.

IN LXXVIII. PSALMVM.

Pſalmus Aſaph.

1. *Deus venerunt Gentes.* Hic eſt Pſal. 78. Poſtquam enim Aſaph, hoc eſt, bonorum congregatio, ad confuſionem malorum obſtinatorum, beneficia eis exhibita à Deo recoluit, præuidens eos affligendos, & viliſſimè tractandos propter eorum peccata, & multos etiam iuſtos inuoluendos in afflictione & miſeria, ſubiungit lamentabilem deprecationem ad Deum ſuper illorum miſeria, qui cum impiis inuoluentur. Et eſt hic ſecundus Pſalmus lamentationis. Primus, vt ſuperius dictum eſt, fuit: *Vt quid Deus repuliſti in finem?* in quo lamentatur ſuper illorum obſtinatione, hic autem ſuper innocentum miſeria & afflictione ſimul cum impiis afflictorum, & ſuper templi violatione, & ſanctorum ſpoliatione, quæ omnia poſſent referri ad captiuitatem Babylonicam, vel ad illam, quæ eſt poſt Chriſti paſſionem per Romanos. Melius tamen refertur ad illam, quæ facta eſt per Antiochum Epiphanem, tempore Machabæorum, ſicut habetur in libro Macha. per totum. Titulus autem Pſalmi, ſatis apparet: eſt enim talis: *Pſalmus Aſaph.* Quaſi diceret: Pſalmus hic, quamuis editus à Dauid, conuenit tamen fideli Synagogæ, quæ in hoc introducitur deprecans & lamentans.

Pſalmus lamentatur Iudæorum miſeriam.

Diuiditur autem Pſalmus in tres partes ſecundum *Gloſſ.* Primò ponitur lamentatiua conqueſtio. Secundò oratio pro confuſione inimicorum veloci bonos affligentium, ibi, *Vſquequo Domine iraſceris?* Tertiò tanquam fructum ſenſerit orationis, ſubiungitur exultatiua concluſio, in qua eſt quaſi liberationis promiſſio, ibi, *Nos autem populus.* In prima duo. Primò lamentatio ſuper templi & ſanctorum pollutione. Secundò ſuper ciuitatis deſtructione, ibi, *Poſuerunt Ieruſalem.* In prima duo. Primò violenta ingreſſio loci ſancti. Secundò introgreſſi pollutio, ibi, *Polluerunt.*

Dicit ergo: Tot, & tanta bona populo contuliſti, & ipſe ſemper ingratus extitit, & propter hoc ô *Deus*, qui vides omnia, vnde non loquor ad te, ſuper his inſtruendo, ſed conquerendo, *Gentes*, id eſt, populi Gentiles, Antiochus Epiphanes, & ſui, *venerunt in hæreditatem tuam*, Ieruſalem, & montem Sion, quem tibi elegeras vt hæreditatem. *Iſa.* 39. Hæreditas mea Iſraël. *Thren.* 4. Hæreditas mea verſa eſt ad alienos. Et *Ierem.* 50. loquens ad illos, qui diripiunt hæreditatem ſuam, Exultatis, & magna loquimini.

Dei hæreditas quam ſanguine proprio acquiſiuit, eſt Eccleſiaſtica dignitas. *Pſal.* Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam. Sed hanc hæreditatem multi ingrediuntur violenter, vt fures, latrones. *Ioan.* 10. Quotquot venerunt, fures ſunt & latrones: quia ſua authoritate intrauerunt, non mea, cum tamen ſcriptum ſit *Exod.* 15. Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ. *Hebr.* 5. Nemo ſibi aſſumat honorem, ſed qui vocatus eſt à Deo tanquam Aaron.

Polluerunt templum. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Violenter ingreſſi ſunt, & poſt *polluerunt templum ſanctum tuum*, quæ prohibita erant intromittendo, & in illo faciendo quæ 1. *Machab.* 1. Aſcendit Ieruſalem, loquitur de Antiocho, in multitudine graui, & coinquinauerunt ſancta. Sic ſpiritualiter ingreſſi in dignitatibus, & honoribus, polluunt Eccleſiam Dei. *Ierem.* 23. A Prophetis, ab illis qui locum tenent Prophetarum: Ieruſalem, egreſſa pollutio ſuper omnem terram. *Ierem.* 2. Sacerdos & propheta polluti ſunt, & in domo mea inueni malum. Nec mirum, quia *Ezech.* 7. Introibunt in illud emiſſarij, luxurioſi ſicut equi ad illud opus deputati: & coninquinabunt illud.

Poſuerunt Ieruſalem. Hîc ſubiungitur lamentatio ſuper ciuitatis deſtructione. Et primò tangitur ciuitatis deſtructio quoad locum. Secundò quoad populum contentum in loco, ibi, *Poſuerunt morticinia.* Dicit ergo: Sic templum polluerunt, *poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſtodiam*, id eſt, quaſi locum ad cuſtodiam deputatum *pomorum*, fructuum ſcilicet. Solet enim ad pomorum cuſtodiam fieri aceruus lapidum altus, vt inde videat cuſtos per hortum. Idem eſt ergo ac ſi dixiſſet: Poſuerunt Ieruſalem in aceruum lapidum, & hoc intelligendum pomorum, non quæ ſunt, ſed quæ fuerunt, quaſi cuſtodiam poſt pomorum cuſtodiam. *Iſa.* 1. Derelinquetur filia Sion ſicut tugurium in cucumerario, & ſicut ciuitas, quæ vaſtatur. Notandum, quòd prophetia fuit Eccleſiæ in præſenti: non enim hodiè ſpiritualia cuſtodiuntur in

Eccleſia nũc in pomorum cuſtodiam poſita.

in Eccleſia, ſed tantum temporalia: vnde in pomorum cuſtodiam poſita eſt, non animarum. *Ierem.* 4. Quaſi cuſtodes agrorum ſunt in gyro. Vel in pomorum cuſtodiam, quia talibus cuſtodienda traditur, qui eam comedunt, & deuorant, ſicut pueri pomum, cum eis committitur ad cuſtodiam. *Iſa.* 1. Dabo pueros principes eorum. Exemplum de Epiſcopo qui commiſit Archidiaconatum nepotulo, cui noluit committere pomum. Non mirum ergo ſi ſub talibus cuſtodibus deſtruatur. *Iſa.* 64. Deſerta eſt ciuitas ſanctificationis, ſcilicet Eccleſia: Ieruſalem deſolata eſt, impleta eſt in Chriſtianis maledictio Iudæorum, quæ eſt *Matth.* 23. Relinquetur vobis domus veſtra deſerta.

Poſuerunt morticina. Hîc ſecundum, in quo tangitur iniuria ad populum. Primò in factis. Secundò in verbis, ibi, *Facti ſumus.* In prima duo. Primò iniuria in mortuis, vel magis ſæuitia. Secundò in viuis, ibi, *Effuderunt ſanguinem.* In prima duo. Primò expoſitio defunctorum auibus. Secundò beſtiis ſæuioribus, quod magis eſt inhumanum, ibi, *Carnem ſanctorum.* Dicit ergo: Sic quantum ad locum, & quantum ad populum, *poſuerunt morticina ſeruorum tuorum*, id eſt, corpora ex gladio relicta, *eſcas volatilibus cœli*, aërei, ſup. *Matth.* 13. Volucres cœli comederunt illud. *Pſal.* Dediſtis nos tanquam oues eſcarum. Et *Caſſiodor.* dicit: Contemptus corporum mortuorum non ad paruam refertur iniuriam: nam ſepultus eſt Chriſtus.

Carnes ſanctorum tuorum, poſuerunt ſup. eſcas repete, *beſtiis terræ*, ad literam. *Ierem.* 7. Sepelient in Tophet, eò quod non ſit locus. Et erit morticinum populi huius, in cibum volucribus cœli, & beſtiis terræ. Hoc impletum fuit 1. *Machab.* 7.

Morticina autem ſpiritualia ſunt occiſi à diabolo gladio mortalis culpæ, de quo *Eccl.* 21. Quaſi romphæa bis acuta omnis iniquitas. Hæc volucribus cœli, dæmonibus ſcilicet, qui volucres cœli dicuntur propter ſuperbiam. *Matth.* 13. Volucres cœli comederunt illud. Et beſtis terræ, eiſdem ſcilicet dæmonibus, qui etiam dicuntur beſtiæ propter crudelitatem. *Ezech.* 33. Qui in agro eſt, beſtiis tradetur ad deuorandum. 1. *Pet. vlt.* Aduerſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Proiiciuntur deuoranda propter negligentiam Prælatorum. *Iſa.* 56. Omnes beſtiæ agri venite ad deuorandum, omnes beſtiæ ſaltus: quare? ſpeculatores eius cæci omnes. Nec tantum morticina, ſed *ſanctorum carnes*, aliqua facta carnalia ſi in ſanctis inueniuntur, hæc publicant & exponunt omnibus deuoranda. *Iob* 19. Et carnibus meis ſaturamini. Et 31. Quis nobis det de carnibus tuis, & ſaturemur?

3. *Effuderunt ſanguinem.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur de ſæuitia in viuos, & monſtratur ſæuitia in duobus. In multitudine occiſorum. *Et non erat.* Dicit ergo: Sic in mortuos ſæuierunt, & *effuderunt ſanguinem eorum in circuitu Ieruſalem*, id eſt, in tanta eos abundantia occidebant. De hoc 2. *Machab.* 3. 6. & 8. 1. *Machab.* 1. Effuderunt ſanguinem innocentem. Et in eodem: Nolentes infringere legem, ſecundum iuſſum regis Antiochi trucidati ſunt. Sanguis enim peccatum eſt. *Oſeæ* 3. Sanguis ſanguinem tetigit. *Pſal.* Libera me de ſanguinibus. Sanguis ergo in circuitu Ieruſalem effunditur, cum peccatum omnibus de Eccleſia publicatur. *Ezech.* 24. Sanguis eius in medio eius, & in circuitu. Et in 16 Et dixi tibi, cum eſſes in ſanguine tuo, immerſa, ſup. Viue.

Et non erat qui ſepeliret. Tanta erat raritas remanentium, & occupatio ad ſui liberationem, ſi poſſent: vnde illud *Luc.* 9. Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos, & veni, ſequere me, ad fugam. Mortuos autem ſpiritualiter debent prælati ſepelire, & abſcondere per ſacramentum confeſſionis: cùm enim peccatum homo confitetur, tunc ſepelitur, & aſconditur etiam ipſi Deo. *Ezech.* 18. Quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius. *Pſal.* Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Remiſſæ per contritionem, tecta per oris confeſſionem. Sed iam non ſepeliunt, quia confeſſiones non audiunt. Et propter hoc peccatores ſepulti non ſunt. *Ierem.* 2. Non in foſſis inueni eos.

Prælati confeſſiones audiendo mortuos ſepeliũt.

Facti ſumus opprobrium. Hîc de iniuria in verbis facta, vt verbum largè accipiatur, prout comprehendit quodcumque ſignum: vnde dicuntur duo. Primò iniuria in verbo vero, quod eſt iniuria. Secundò in verbo interpretatiuo, ſcilicet ſigno. *Subſannatio.* Vbi duo tanguntur. Iniuria in ſigno in ipſo irridente, vel in irriſo. *Et illuſio.* Dicit ergo: Hæc mala, has iniurias inferunt perſonis in opere, & *facti ſumus vicinis noſtris opprobrium*, vt illudant verbis opprobrioſis. In alio Pſalmo ſuprà: Super omnes inimicos meos factus ſum opprobrium vicinis meis valde. *Ier.* 14. Non des nos in opprobrium propter nomen tuum, vt facias nobis contumeliã. 4.

Subſannatio, repete, facti ſumus, id eſt, nobis ſubſannatio fit, quæ eſt irriſio in ſigno, in eo qui irridet, quando naſum torquens rugat. *Ierem.* 20. Factus ſum in opprobrium tota die, omnes ſubſannant me. *Prou.* 1. Ego in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, quando quod timebatis, acciderit. *Pſal.* Dominus ſubſannabit eos, id eſt, ſubſannari facier.

Et illuſio, facti ſumus, ſup. *his qui in circuitu noſtro ſunt.* Illuſio eſt quando aliquid fit in eo cui exprobratur, quod eſt ſignum contemptus, ſicut factum eſt in Chriſto, cui velabant oculos, & illudentes dicebant: Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt, &c. *Matth.* 26. Et poteſt eſſe totum ſicut vult *Gloſſ.* vel fidelium tempore Machabæorum, vel Martyrum in primitiua Eccleſia, à tyrannis tortorum.

Vſquequo Domine. Hîc eſt ſecunda pars Pſalmi, in qua ſubiungitur oratio: & dicuntur duo. Primò conqueſtio de dilatatione miſeriæ. Secundò petitio, ibi, *Effunde iram.* In prima duo. Primò conquerendo quærit de duratione iræ Dei. Secundò de intenſione, ibi, *Accendetur velut ignis.* In prima duo. Primò quærit de duratione ſimpliciter. Secundò de termino durationis. *In finem.* Ait ergo: Sic nos affligunt inimici: ſed ô Domine, *vſquequo iraſceris?* id eſt, iræ actum in nobis exercens. *Iſa.* 64. Ne iraſcaris Domine ſatis. *In finem*, extendetur, 5.

ſup. ira tua. Dicamus ergo illud *Iſa.*12. Conuerſus eſt furor tuus, & conſolatus es me. *Pſal.* Deus iudex iuſtus, fortis & patiens, nunquid iraſcitur per ſingulos dies?

Accendetur velut ignis zelus tuus. Hoc eſt, intantum vt nullus poſſit ſuſtinere, ſicut nec ignem. Incendetur non in præſenti conuerſis, ſed in futuro in nolentibus conuerti. *Prouerb.6.* Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cuiuſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima. *Num.* 11. Accenſus ignis Domini deuorauit eos. *Zach.*1. Zelatus ſum Ieruſalem & Sion zelo magno, & in ira magna iraſcar. *Deut.*32. Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima.

6. *Effunde iram tuam.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur petitio. Primò ergo petit contra inimicos. Secundò pro ſe, ibi, *Ne memineris.* In prima primò petitio contra inimicos. Secundò perſuaſio, ibi, *Quia comederunt.* In prima duo. Primò imprecatur omnibus Gentilibus generaliter. Secundo fortioribus & maioribus ſpecialiter. *Et in regna.* Dicit ergo: Sic ne differas Domine, ſed *effunde iram tuam*, abundantiam notat, *in Gentes quæ te non nouerunt. Apocalypſ.*16. Ite, & effundite ſeptem phialas iræ Dei. *Ierem.* 4. Stultus populus me non cognouit. Idem *Ierem.* 10. Effunde indignationem tuam ſuper Gentes, quæ te non nouerunt.

Et *in regna quæ nomen tuum non inuocauerunt*, intus in corde non credendo, nec exterius ore confitendo. Ad *Roman.* 10. Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Sed magis inuocauerunt dæmonia. Regnum mundi, cupidi ſcilicet Mammona: regnum carnis, ſcilicet luxurioſi Beelphegor: regnum diaboli, Baal, quod interpretatur ſuperior. Hæc ſunt regna de quibus *Hebr.*11. Sancti per fidem vicerunt regna. *Iſa.*60. Gens, & regnum quod non ſeruierit tibi, peribit. Sed de inuocantibus Deum dicitur *Ioël.*3. & *Iſa.* 4. Omnis quicumque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.

Si autem quæritur, quid, & quomodo iuſtus imprecatur malis, ipſe ſcilicet Dauid loquens in perſona iuſtorum, ſcilicet Aſaph, hoc eſt, congregationis fidelis, poſſet dici ſicut dicitur à multis, quod non eſt imprecatio, ſed prædictio. Sed melius eſt vt dicamus, quod imprecatur eis ad literam malum multiplici de cauſa. Propter cordis ſui bonitatem, qua diligit vindictam de malis, eò quod bona & iuſta eſt. Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam. Secundò propter cordis rectitudinem: habet enim cor rectum, & propter hoc neceſſariò vult quod Deus vult, & rogat vt fiat quod Deus vult. *Matth.*6. Fiat voluntas tua. *Auguſt.* Diſtortum eſt cor, quod à rectitudine regulæ diſcrepat diuinæ. Item idem: Rectum habet cor, qui vult quod Deus vult. Tertiò propter ipſorum malorum conuerſionem, & meliorationem: eſt enim afflictio quædam medicinalis potio, qua debet omnis malus humor euacuari. Hinc dicitur *erem* 10. Cibabo populum iſtum abſinthio, & potabo eum aqua fellis. Quartò propter Dei honorem & laudem: ſicut enim in exaltatione bonorum laudandus eſt Deus, ita in malorum depreſſione. *Prou.*11. In bonis iuſtorum exaltabitur ciuitas, & in perditione impiorum erit laudatio. Quintò propter ipſam iuſtorum vtilitatem, qui inde corriguntur & meliorantur. *Prou.*21. Mulctato peſtilente ſapientior erit paruulus.

Multiplici de cauſa licet malis imprecari.

Quia comederunt. Hîc ſecundum, in quo præmiſſæ orationi additur perſuaſio, & hoc à crudelitate eorum, & hoc duplici: in populum, & in locum, ibi, *Et locum.* Ait enim: Sic effunde iram in tales, quia digni ſunt, *quia comederunt* tanquam crudeles beſtiæ, *Iacob. Ierem.*10. Comederunt Iacob, & deuorauerunt eum. *Mich.*3. Comederunt carnes populi mei, & pelles eorum deſuper eos excoriauerunt. 7.

Et locum eius, in quo colebat te, & tibi ſeruiebat, *deſolauerunt. Dan.*9. Aperi oculos tuos, & vide deſolationem noſtram. *Bar.*4. Nemo gaudeat ſuper me deſolatam. Magna enim deſolatio loci, quando habitatores recedunt. Sed 1. *Mach.* 1. dicitur: Fugerunt habitatores eius. Sed nec hoc ſolum, imò poſt receſſum locum deſtruxerunt. 1. *Mach.*4. Aſcenderunt in montem, & viderunt ſanctificationem deſertam.

Ne memineris iniquitatum. Hîc ſecundum, in quo poſtquam petiit contra inimicos, petit pro ſe, & petit duo: & ſecundum hoc dicuntur duo. Primò petit amotionem mali, ne ipſum ſcilicet imputet. Secundò boni adeptionem, vt in ipſo peragendo adiuuet, ibi, *Adiuua nos.* In prima duo. Primò petitio. Secundò perſuaſio. *Quia pauperes.* In prima duo. Primò petit vt culpa deleatur omninò. Secundò vt pœna abbreuietur, & citò terminetur, ibi, *Citò anticipent nos.* Dicit ergo: Sic illis facias, ſed quoad nos rogo, *Ne memineris*, id eſt, dele à nobis omninò: *iniquitatum noſtrarum antiquarum.* Quaſi diceret: Non in nobis, ſed in noſtris patribus inchoatarum. *Iſa.* 64. Ne memineris vltrà iniquitatis noſtræ, ſed dele eam de noſtro corde, quod eſt obliuioni tradere, implens illud *Iſa.*43. Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me. Ne ſimus de illis de quibus in *Pſal.* Poſuerunt ſigna ſua, ſigna. Et *Iſa.*57. Poſt oſtium, & retrò poſtem poſuiſti memoriale tuum. Vnde non poſſet tradi obliuioni iniquitas tua. 8.

Citò anticipent nos. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic deleas culpam, & etiam *miſericordiæ tuæ anticipent nos*, vt liberent à pœna: & hoc citò. *Pſal.* Domine ad adiuuandum me feſtina: quia *Eccleſ.*13. Mors non tardabit. *Ioan.*4. dicebat regulus: Deſcende Domine priuſquam moriatur filius meus. Anticipent nos miſericordiæ citò, quia tribulationum aquæ ferè ſuffocant nos. *Iſa.*8. Ibit per Iudam, inundans, & tranſiens vſque ad collum veniet.

Quia pauperes. Hîc perſuaſio à vehementia paupertatis & miſeriæ. Ait enim. Hoc facias: *quia pauperes facti ſumus nimis*, & rebus temporalibus tanquam afflicti & deiecti. *Apocal.*3. Pauper es, & miſer, & miſerabilis, & nudus, & cæcus. Vel certè meritis, quibus debeamus liberari. *Prouerb.* 13. Eſt quaſi diues, cùm nihil habeat, & eſt pauper, meritis, cum in multis diuitiis ſit. Et tu promiſiſti te pauperem exauditurum. *Pſal.* Deſiderium pauperum exaudiuit

Dominus

Dominus, præparationem cordis eorum, &c. Et nota, quòd pauper eſt, qui nihil habet de rebus mundi: ſed valde pauper, qui ſeipſum non habet: ſed nimis pauper, qui ſe non habet, & minus habet.

9. *Adiuua nos Deus.* Hîc ſecundum, in quo petit adiutorium ad bonum faciendum. Secundò ad malum, quod ipſum impedire poteſt, amouendum. *Et propter gloriam.* Tertiò ad inimicos confundendum & puniendum, ibi, *Et innoteſcat.* In prima dicuntur duo. Primò oratio, & deinde perſuaſio. *Salutaris noſter.* Ait enim: Sic peccata iam facta, & pœnas pro illis debitas amoue, & etiam *adiuua nos*, ad bonum faciendum, *Deus ſalutaris noſter:* vnde hoc potes, quia *Deus:* hoc debes, quia *ſalutaris. Abac.*3. Exultabo in Deo IESV, id eſt, ſalutari meo. *Caſſiod.* Bene infirmitatem intellexit, qui ſaluatorem medium totis viribus inuocauit. Et Deum, non hominem. *Eccleſiaſt. vlt.* Aſpiciens eram ad adiutorium hominum, & non erat. *Ioan.*15. Sine me nihil poteſtis facere.

Et propter gloriam. Hîc ſecundum, in quo petit ſibi caueri à malo, quod poſſet impedire, & hoc duplici. Primò pœnæ. Secundò culpæ. *Et propitius.* In prima, primò tangitur perſuaſio. Secundò oratio, ibi, *Libera nos.* Ait enim: Sic adiuua ad faciendum bonum, quia Deus es ſalutaris, & etiam propter gloriam nominis tui publicandam, & reuelandam, non noſtram. *Pſal.* Non nobis Domine, non nobis, &c.

Libera nos, à malis pœnalibus, à bono retrahentibus. *Dan.*3. Erue nos in mirabilibus tuis, & da gloriam nomini tuo, nomini ſalutari, de quo ſuprà.

Et propitius eſto. Hîc petit erui à malo culpæ, ſi ceciderit. Et primò petitio. Secundò perſuaſio. *Propter nomen tuum.* Ait enim: Sic libera à malo pœnæ, & etiam *propitius eſto peccatis noſtris*, ſi poſt oblita præcedentia ceciderimus. *Dan.*9. Tibi Domino Deo noſtro, miſericordia, & propitiatio. *Eſth.*6. Propitius eſto funiculo hæreditatis tuæ.

Propter nomen tuum. Hîc perſuaſio, ſcilicet à Dei gloria, quam tangit, primò quaſi implicitè. Secundò explicat ipſam. *Ne fortè dicant.* Dicit ergo: Sic eſto propitius, & hoc *propter nomen tuum. Ierem.*4. Ne des nos in opprobrium propter nomen tuum, quod eſt IESVS. *Matth.*1. Imò magis quod eſt Deus. Vnde ſubdit quaſi exponendo ſe.

10. *Ne fortè dicant in Gentibus*, ſi non adiueueris: *Vbi eſt Deus eorum?* Quaſi diceret: Non eſt: vel ſi eſt, remotus eſt. Suprà in *Pſal.* Dicitur mihi per ſingulos dies: Vbi eſt Deus tuus? Sic dicebat vxor Tobiæ in 2. Manifeſta facta eſt vana ſpes tua, & eleemoſynæ tuæ modò apparuerunt. Sic & Chriſto in cruce pendenti. *Matth.*27. Confidit in Deo, liberet eum ſi vult. Et eſt iuſtis afflictio ſumma. *Caſſiod.* Quamuis fideles diuerſa flagella patiantur, iſtud tamen ab eis non poteſt ferri, quando creaturarum omnium inſultatur auctori.

Et innoteſcat in nationibus. Hîc petit adiutorium, ad inimicum puniendum, & in aperto, vt omnes videant: & dicuntur duo. Primò petitio vt inimicus puniatur. Secundò qualiter velit puniri determinat ibi, *Redde vicinis.* In prima primò petitio. Secundò perſuaſio, ibi, *Introeat in conſpectu.* Dicit ergo: Sic adiuua, & libera à malo: & etiam *innoteſcat in nationibus*, vt apertè cognoſcentes videant, & hoc *coram oculis noſtris*, & quid?

Vltio ſanguinis ſeruorum tuorum. Hucuſque pendet conſtructio: hanc enim non potes diſſimulare. *Deuter.* 32. Sanguinem ſeruorum vlciſcitur. Sed in aperto hoc volo fieri, vt ego ipſe videam. *Ierem.*20. Videam quæſo vltionem tuam ex eis. Et ipſæ nationes, ipſi ſcilicet inimici. *Iſa.*26. Domine exaltetur manus tua: videant & confundantur zelantes populi. *Eccleſiaſt.* 25. Alleua manum, aperte affligendo, ſuper gentes alienas. *Ierem.* 17. Induc ſuper eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos. *Sanguinis*, inquam, *qui effuſus eſt* ita abundanter. Suprà eodem: Effuderunt ſanguinem eorum tanquam aquam, &c.

Introeat in conſpectu tuo. Hîc perſuaſio à duobus. A miſeria deprecantium, & à morte præcedentium patrum. *Secundum magnitudinem.* Ait ergo: Sic vindica apertè, & vt hoc facias, *introeat in conſpectu tuo*, ille optimus aduocatus *gemitus*, non quorumcumque, ſed *compeditorum:* tales enim, qui in afflictione ſunt, libenter audis. *Eccleſ.*35. Deprecationem læſi ipſe exaudiet. Plus enim, & efficacius loquitur ei gemitus cordis, quàm verba oris: propter quod dicitur in *Pſal.* Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum, &c. *Ezech.*18. Quacumque hora ingemuerit peccator, &c. *Eccleſ.* 35. Ne deſpicias viduam, ſi effuderit loquelam gemitus. 11.

Compediti autem ſunt omnes, ſi diligenter aduertunt, ſaltem compedibus corporis ſui, & propriæ carnis: modò hos compedes non ſentiunt, niſi qui grauati ingemiſcunt, ſicut ille qui dicebat *Phil.* 1. Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Et *Rom.* 7. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? His compediti ſunt etiam reges quantumcumque magni. *Pſal.* Ad alligandos reges eorum in compedibus. Et ſunt compedes iniquitatis, & culpæ, quibus compediti ſunt mali figurati in illis, de quibus *Dan.*3. Tres viros in ignem miſerunt compeditos. Et ſunt compedes mandatorum Dei, & legis diuinæ. *Eccleſ.* 6. Mitte pedem tuum in compedes illius. His compediti ſunt iuſti. *Homines diuerſimodè compediti.*

Secundum magnitudinem. Hîc allegat & perſuadet à morte parentum: & tangitur petitio in hoc, quod dicitur: *Poſſide filios.* Perſuaſio in hoc quod addit, *Mortificatorum.* Ait ergo: Sic eripe, & *poſſide* liberando & affligendo. Vnde alia litera habet: *Reſpice in filios. Ioan.*1. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. *Ezech.*17. Poſſidebo te in conſpectu omnium Gentium. *Zachar.* 2. Poſſidebit Dominus Iudam in partem ſuam in terra ſanctificata, & eliget Ieruſalem. *Secundum magnitudinem brachij tui*, potentiſſimi ad liberandum, & ampliſſimi ad amplexandum, & fortiſſimi ad tenendum. *Iſa.* 40. In brachio ſuo leuabit agnos, fœtas ipſe portabit. *Iſa.*2. Parauit Dominus brachium ſuum,

ſuum, ab alieno dominio nos eripere, & ſolus poſſidere. *Iſa* 26. Domini poſſederunt nos Deus abſque te. *Filios mortificatorum*, id eſt, occiſorum pro te.

Alia litera: *Morte punitorum.* Sancti mortificati fuerunt, quia ad literam afflictionibus & pœnitentia ſe afflixerunt, ſicut vnus illorum dicit 2. ad *Corinth.* 4. Mortificationem IESV CHRISTI in corpore noſtro circumferentes. Et boni fideles eorum filij. 1. ad *Cor.* 4. Per Euangelium in CHRISTO IESV ego vos genui. *Galat* 4. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.

12. *Redde vicinis noſtris.* Hîc ſecundum totius huius partis, in quo petit adiutorium ad inimicum affligendum & puniendum. Petito enim quod puniatur, hic quantum puniri velit determinatur. Et primò petit determinando menſuram pro inimicitiis in factis illatis. Secundò pro illatis in verbis, ibi, *Improperium ipſorum.* Dicit ergo: Sic petij vt vltionem de inimicis facias: *& redde vicinis noſtris*, pro afflictione, qua afflixerunt nos, *in ſinu eorum*, in intimis eorum, non tantum, quantum ipſi nobis malum, ſed *ſeptuplum. Iſa.* 65. Reddam & retribuam in ſinum veſtrum iniquitates veſtras, & iniquitates patrum veſtrorum ſimul, dicit Dominus. Et infrà parum: Remetiar opus eorum primum in ſinu eorum. Et *Ierem.* 31. Tu reddes Domine iniquitates patrum in ſinu eorum. Hoc autem facit in ſeptuplum, perfectè ſcilicet puniendo. *Eccleſ.* 7. Ne ſemines mala in ſulcis iuſtitiæ, & non metes ea in ſeptuplum.

Improperium ipſorum. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic redde quod malè geſſerunt in nobis, & etiam redde *improperium ipſorum*, id eſt, pœnam pro improperio ipſorum ab ipſis facto: vnde addit, *quod exprobrauerunt tibi Domine*, non quod ſuſtinuerunt propter te. *Iſa.* 37. Cui exprobraſti, & quem blaſphemaſti, & ſuper quem dediſti vocem?

Mala quæ peccator incurrit. Et nota hîc, quòd peccator, quando mortaliter peccat, ſeptem pœnas, vel ſeptem mala incurrit in præſenti ſtatim, vnde bene dicit *ſeptuplum.* Primum eſt cæcitas. *Sap.* 2. Excæcauit illos malitia ſua. *Geneſ.* 19. Sodomitæ ſtatim cæcitate percuſſi ſunt. Secundum, temeritas & & ſtoliditas quaſi bruti. *Pſal.* Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt, &c. Et alibi: Intelligite ſapientes in populo. Et ſtatim addit: Et ſtulti aliquando ſapite. Tertium quod ſequitur ex iis, error in eligendo quod expedit. *Iſa.* 5. Væ qui dicitis bonum malum, &c. Quartum, contemptus Dei, cuius voluntati vult ſuam præponere. *Iob* 15. Cucurrit aduerſus Deum erecto collo, & pingui facie armatus eſt. Ad *Rom.* 10. Suam iuſtitiam volentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Quintum, impudentia, quia coram Deo & Angelis eius audet quod non auderet coram aliquo homine. *Heb.* 4. Omnia nuda ſunt & aperta oculis eius. Et Boëtius dicit in fine libri ſui. Magna nobis indita, ſi diſſimulare nolumus, neceſſitas probitatis, cum cuncta agimus ante oculos iudicis cuncta cernentis. Vnde verſus.

Cur quid turpe geris, qui me ſpectare rubeſcis.
Cur ſpectante Deo, non magis ipſe rubes?

Sextum eſt debilitas reſiſtendi malo, & ruendi in eo pronitas. *Thren.* 1. Abierunt abſque fortitudine ante faciem ſubſequentis. Septimum, conſcientiæ remanſio & ſeueritas: pungit enim fortiter & arguit. *Ierem.* 2. Arguet te malitia tua, & auerſio tua increpabit te. *Iſa. vlt.* Vermis eorum non morietur.

Et in futuro iterum ſeptem, quæ tanguntur in illo verſu, Pluet ſuper peccatores, &c. Primum eſt abundantia pœnæ gehennalis. *Pluet.* Secundum grauitas. *Super peccatores*, quaſi opprimens illos. Tertium inſeparabilitas. *Laqueos.* Quartum aſperitas. *Ignis.* Quintum fœtor & vilitas. *Sulphur.* Sextum horribilitas. *Spiritus procellarum.* Septimum verò multiplicitas, quod notatur in hoc quod dicit: *Pars calicis.*

13. *Nos autem populus tuus.* Hic eſt tertia pars totius huius Pſalmi, in qua ſubiungitur læta concluſio tanquam confidentis, quod exaudietur. Primò ergo promittit confeſſionem laudis in ſeipſis. Secundò confeſſionis diuulgationem in aliis, ibi, *In generatione, & generaoionem.* Dicit ergo: Sic rogaui vt liberares, & inimicos ſic affligeres, quod & facies. *Autem*, ſed *nos populus tuus*, per fidei vnitatem, & concordiam. *Deut.* 7. & 27. Elegit te Dominus Deus tuus, vt ſis ei populus peculiaris, ab alio ſegregatus, in te vnus. *Act.* 4. Erat illis cor vnum, & anima vna. Cor vnum fide, anima vna charitate. Cor vnum fide, anima vna pace & concordia.

Et oues, per innocentiam. Infra in *Pſal.* Nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius. *Ezech.* 34. Vos autem greges mei homines eſtis. Paſcuæ tuæ per doctrinam qua paſcimur & nutrimur. *Ezech.* 34. In paſcuis vberrimis paſcam eas in montibus Iſraël. Suprà in *Pſal.* In loco paſcuæ ibi me collocauit. In doctrina ſacra. *Matth.* 4. & *Luc.* 4. & *Deut.* 8. Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit ex ore Dei.

Confitebimur tibi, confeſſione laudis, *in ſæculum*, conſequutiuum ſæculi, id eſt, perſeueranter, & continuè. *Pſal.* Confitebimur tibi Deus, confitebimur, &c. Et dignum eſt, quia ſemper in omni ſæculo, quia Dominus omnium ſæculorum es. *Tob.* 13. Benedic Domino ſæculorum.

In generatione & generationem. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic laudabimus, & alios exemplo noſtro inuitabimus, quamuis laudem tuam credant vniuerſi extinxiſſe, quia annuntiabimus laudem tuam, aliis ſcilicet nuntiabimus, vt cortina cortinam trahat. *Exod.* 26. & *Apoc. vlt.* Qui audit, dicat, Veni. *Tob.* 12. Coram omnibus viuentibus confitemini illi. Et hoc *in generatione, & generationem*, id eſt, ſicut ſibi ſuccedunt omnes generationes: vel in generatione præſenti, & tendentes in generationem futuram, vt ibi laudemus. *Pſal.* Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Ad quam domum, ad laudandum ſe, nos perducat qui eſt benedictus per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

IN

IN LXXIX. PSALMVM.

1. *In finem, pro iis qui commutabuntur, & pro Aſſyriis teſtamentum Aſaph, Pſalmus.*

2. QVi regis Iſraël. Hic eſt Pſalmus 79. in toto libro, 29. in ſecunda parte libri. Poſtquam enim Aſaph, hoc eſt, bonorum congregatio, miſerorum afflictionem, & templi antiqui deſtructionem deplorauit, & inimicorum petiit vltionem, quia nouit non eſſe reparationem, niſi aduenientе Dei filio, mediatore Dei & hominum, qui nouum reſtituet templum, & legem dabit nouam, & omnes aduerſarios veritatis deiiciet, ſecundum illud *Ioan.* 4. Cum venerit Meſſias, ille reſtituet omnia: conuertit ſe ad petendum aduentum filij Dei, & hoc vt commutet & innouet omnia, & vetera aboleat. Et hoc ſatis innuitur in titulo huius Pſalmi. *In finem, pro iis qui commutabuntur, & pro Aſſyriis teſtamentum Aſaph.* Et legitur dupliciter titulus. Primò vt ſint omnino idem, qui commutabuntur & Aſſyrij, ratione tantum aliqua differentes. Alio modo vt diuerſi ſupponantur. Primo modo ſic: Pſalmus ſubiectus ordinans nos *in finem* Chriſtum, cuius aduentum precando apertè prænuntiat. Ad *Rom.* 10. Finis legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. Editus *pro his qui commutabuntur*, de bono in melius, de ſtatu infidelitatis ad fidem, de conuerſatione inhoneſta ad ſanctam, ſecundum illud, Hæc mutatio dexteræ Excelſi. *Et pro Aſſyriis*, id eſt, dirigentibus eiſdem, ſcilicet poſt commutationem in Deum directè tendentibus, vt in ipſis impleatur illud *Pſal.* Dirige greſſus meos in ſemitis tuis. Pſalmus, inquam, talis eſt *teſtamentum Aſaph*, illuminatæ ſcilicet congregationis, vel populi ad Deum conuerſi: hinc enim accipiunt teſtamentum fidei ſuæ, Chriſtum ſcilicet aduenisſe, redemptorem, & ſaluatorem eſſe. *Ioan.* 5. Scrutamini Scripturas: ipſæ enim ſunt quæ loquuntur de me. Et *Luc. vlt.* Impleri oportebat, quæ ſcripta ſunt in lege, & Prophetis, & Pſalmis de me. Vel poteſt legi alio modo, ſicut dictum eſt. *Pſalmus* hic ſubiectus: *in finem* nos ordinans, vt prius, editus eſt, *pro his qui commutabuntur*, conuerſi ad fidem ſicut ſuprà. *Et pro Aſſyriis*, id eſt, peruerſis Iudæis dirigentibus, ſcilicet erigentibus ſe contra Chriſtum. *Iob* 15. Cucurrit aduerſus eum erecto collo. De vtriſque enim agitur in hoc Pſalmo.

Argumentũ Pſalmi, deprecatio primi aduentus per quem fit reparatio generis humani.

Diuiditur autem Pſalmus in duas partes, ſicut vult *Gloſſa*. Primò petit aduentum Chriſti ad ſaluandum ſuos. Secundò ſalutem conſummari & perfici adiunctis reliquiis Iudæorum, & in fide congregatis, ibi, *Vineam de Ægypto*. In prima tria, quia tria petit per ordinem. Primò vt intendat Deus quaſi conuerſus ad populum ſuum. Secundò vt appareat poſtquam intenderit, ibi, *Manifeſtare*. Tertiò, quod plus eſt, vt ſalutem potenter præbeat, ibi, *Excita potentiam*. In prima tria, ſecundum tria per quæ intendit mouere ipſum quem petit. Primò enim allegat potentiam, qua regit. Secundò bonitatem qua deducit. *Qui deducis.* Tertiò ſapientiam, qua cognoſcit, ibi, *Qui ſedes ſuper.*

Dicit ergo: Sic affligimur: templum deſtructum eſt: ſed ô Domine, *qui regis Iſraël* per potentiam tuam. *Pſal.* Dominus regit me, & nihil mihi deerit. *Iſa.* 33. Dominus rex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus iudex noſter. *Iſa.* 49. Miſerator eorum reget eos, & ad fontes aquarum deducet eos. *Intende* ſuper nos. Alibi in *Pſal.* Intende mihi, & exaudi Domine, placatus. *Daniel.* 9. Exaudi Domine, placare, attende, & fac. Et etiam intende, *qui deducis*, de bono in melius, *Ioſeph*, ſubiectos, & caſtos tibi, ſicut fuit Ioſeph. Deducis, inquam. *Pſal.* In voluntate tua deduxiſti me. *Sapient.* 10. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas. Et hoc *ſicut ouem* diligenter, & dulciter, quod ſpectat ad bonitatem. *Pſal.* Deduxiſti ſicut oues populum tuum. Et poſſunt eſſe verba ad Patrem, vel magis propriè ad Filium, qui officio paſtor dictus eſt, & antequam incarnaretur, & poſt. *Ioan.* 10. Ego ſum paſtor bonus, &c.

Qui ſedes ſuper Cherubim. Hîc tertium vt referatur ad antecedentia. Quaſi diceret: Sic intende, *qui regis* per potentiam, *deducis* per bonitatem, *qui ſedes ſuper Cherubim*, per plenitudinem ſapientiæ. *Iſa.* 6. Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum. Hoc ſolium Cherubim eſt. *Pſal.* Qui ſedet ſuper Cherubim, moueatur terra.

Quare Deus dicitur potius ſedere ſuper Cherubim quam ſuper Seraphim.

Si autem quæritur quare magis ſuper Cherubim ſedere dicitur, quam ſuper Seraphim? Dicendum, quod Cherubim interpretatur plenitudo ſcientiæ, & hoc pertinet ad iudicem, & iudicum eſt ſedere. Magis ergo dicitur ſedere ſuper Cherubim, id eſt, per plenitudinem ſcientiæ iudicare, quàm ſuper Seraphim.

Et nota diligenter tres ſtatus, quos tangit. Per Iſraël, quod interpretatur videns Deum, fideles incipientes, luce fidei Deum videntes. Per Ioſeph, qui interpretatur accreſcens, proficientes de virtute in virtutem, & creſcentes. Per Cherubim, quod interpretatur plenitudo ſcientiæ, perfecti, & iam in plenitudine ſcientiæ contemplantes. Primos regit in via pacificos illuminando. Secundos deducit virtutibus adaugendo. Sed in tertiis requieſcit & ſedet, eis tranquillitatem cordis, & pacem conferendo.

3. *Manifeſtare coram.* Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic intende, & poſt *manifeſtare*, manifeſtus in carne appare, *coram Ephraim, Benjamin, & Manaſſe*, ſcilicet coram populo Iudæorum, quem conſtat ab iis deſcendiſſe.

Similiter ab aliis conſtat: cur ergo non tangit alios Patriarchas, Iudam, Leui, & alios? Reſpon. Ad literam poteſt eſſe, quia quaſi in tribus locis diuiſi erant, quantum ad cultum. Manaſſe enim quantum ad dimidiam tribum ſuam, cum duabus aliis tribubus citra Iordanem erat, & erexerat altare ad memoriam Dei habendam. Et vltra Iordanem erant diuiſi in duo regna. Poſt Salomonem in Samaria regnauit Roboam de tribu Ephraïm. Et aliæ

tribus duæ, & dimidia in Ieruſalem adorabant, quæ erant in tribu Benjamin. Per hos ergo tres poſſunt omnes intelligi, vbicumque eſſent: his autem omnibus manifeſtus apparuit. *Bar.*3. Poſt hoc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. *Tit.*3. Apparuit benignitas & humanitas ſaluatoris noſtri Dei. Manifeſtauit etiam filius manifeſtatus. *Ioan.*17. Pater manifeſtaui nomen tuum hominibus quos dediſti mihi.

Spiritualiter autem per Ephraim, coniugati in operibus miſericordiæ fructificantes, ſecundum illud *Coloſſ.*1. In omni opere bono fructificantes. Per Benjamin,qui filius dexteræ interpretatur, cœtus Prælatorum, de quo Paulus, qui tantus Prælatus fuit, minimus etiam inter fratres. Et *Eccleſ.*3. Quanto maior es, humilia te in omnibus. Per Manaſſem,qui interpretatur obliuioſus, religioſi, qui omnia obliuioni tradunt & poſtponunt propter Deum. *Pſal.* Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, &c. Ad *Phil.*3. Poſteriorum oblitus ad anteriora ante me extendens. Coram his apparet Dominus, his dat aliquid ſentire de ſe. *Pſal.* Meus eſt Manaſſes, & Ephraim ſuſceptio capitis mei. Et alibi: Ibi Benjamin adoleſcentulus.

Excita potentiam. Hîc tertia pars, in qua petit tertium, ſcilicet quod potenter ſalutem præbeat. Primò ergo petitur præparatio ipſius Dei ad ſaluandum. Secundò ipſa ſaluatio, ibi, *Et ſaluos.* Tertiò modus ſalutationis, ibi, *Deus conuerte nos.* Dicit ergo: Sic oſtende,ſic appare, & etiam *excita potentiam tuam*, quæ videtur ſopita, vt noua facias ſigna. Suprà in *Pſal.* Excitatus eſt tanquam dormiens Dominus. *Eccl.*36. Innoua ſigna,& immuta mirabilia. Hoc impletum fuit in reſurrectione maximè,quia ſurrexit in potentia & virtute maxima. 1 *Corinth. vlt.* Si crucifixus eſt ex infirmitate, viuit ex virtute.

*Et veni. Abac.*2. Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. *Veni* in primo aduentu, in baculo crucis tuæ, vt Goliam interficias. 1.*Reg.*17. Tu venis ad me cum baculo. *Veni* in ſecundo cum virtute & potentia in nube, ſicut aſcendiſti, vt bonos mulceas, & malos terreas. *Act.*1. Quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem in cœlum, ita veniet. Et hoc *vt ſaluos facias nos.* In primo nos ab errore liberando, in vnitatem fidei congregando. *Pſal.* infrà: Saluos fac nos Domine Deus noſter, & congrega nos de nationibus. In ſecundo ab omni miſeria liberando. *Dan.*10. In illa die ſaluabitur omnis populus tuus, qui inuentus fuerit in libro vitæ ſcriptus. *Zach.* 9. Saluabit Dominus in die illa gregem populi ſui. *Ezech.*35. Saluabit vos ab omnibus inquinamentis veſtris.

4. *Deus conuerte nos.* Hîc tertium, in quo explicat ſaluationis modum, orando vt ſic fiat, & ſuadendo: vnde duo dicuntur. Primò explicatio modi in orando. Secundò perſuaſio, ibi, *Domine Deus virtutum.* In prima duo ſecundum duo quæ petit ad modum ſaluandi pertinentia. Primum ex parte noſtra, conuerſio ad Deum. Secundum ex parte Dei, ſui manifeſtatio ad conuerſos. *Oſtende faciem.* Dicit ergo: Sic petij, quòd ſalues, & hoc modo, ô *Deus conuerte nos*, aliter non poſſumus conuerti. *Thren.*4. Conuerte nos Domine, & conuertemur. *Ezechiel.* 3. Non conuertes te à latere in latus. *Oſeæ* 7. Ephraim factus eſt quaſi ſubcineritius, qui non reuerſatur per ſe.

Oſtende faciem tuam, conuerſis te manifeſtando, ipſos illuminando. *Pſal.* Illumina faciem tuam ſuper ſeruum tuum.Hæc facies filius eſt, quem quærit oſtendi in carne. *Hebr.*1.Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius. Et ſic *ſalui erimus. Iſa.*45. Conuertimini ad me, & ſalui eritis. Conuerte ergo nos gratiam infundendo, oſtende faciem intus ſapientia illuſtrando, & ſic tandem ſalua in vtroque perſeuerantiam præſtando. *Luc.*19. Venit filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat.

Domine Deus virtutum. Hîc eſt perſuaſio. 5. Duplici autem modo perſuadet. Primò conquerendo de miſeria & miſeriæ duratione. Secundò petitionem replicando, ibi, *Deus virtutum.* Dicit ergo: Sic ſalua ô Domine: ſed ô *Domine Deus virtutum*, cœleſtium Angelorum. *Pſal.* Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ. Et animæ infuſarum. *Iacob.* 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum, &c. *Luc.vlt.* Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.

Quouſque iraſcêris. Supra in antecedenti Pſalmo: Vſquequo Domine iraſcêris in finem? Non debet eſſe perpetua ira tua. *Iſa.* 57. Non in ſempiternum litigabo, nec in æternum iraſcar, quia ſpiritus à facie mea egreditur. Et hoc *ſuper orationem ſerui tui*, populi ſcilicet tibi ſeruientis. Iraſci dicitur Dominus ſuper orationem, quando non exaudit illam, ſed differt in tribulatione dimittendo orantem, ſicut *Iob* in 30. Clamabo ad te, & non exaudies: mutatus es mihi in crudelem. Et iterum in 29. Vociferabor vim patiens, & nemo exaudiet. *Abac.*1. Vociferabor ad te, & non exaudies.

Cibabis nos pane. Hîc ſubiungitur miſeriæ 6. deſcriptio, oſtendendo primò miſeriæ continuitatem. Secundò nihilominus ex parte Dei iuſtitiam, ibi, *In menſura.* Tertiò modum & ſpem, ibi, *Poſuiſti nos.* Continuitas monſtratur per comparationem ad ea, quæ tanquam neceſſaria continuè homini exhibentur. Primò comparatione ad neceſſarium cibum. Secundò ad potum. *Et potum dabis.* Dicit ergo: Quouſque iraſcêris? Nec mirum ſi conqueror, quia *cibabis nos pane lachrymarum*, id eſt, lachrymas dabis nobis iugiter, ſicut datur panis. *Et potum*, earumdem lachrymarum, *dabis nobis*, id eſt, lachrymas ſicut potum: & hoc *in menſura*, vſquequo meruerint peccata noſtra, ſicut exponit *Caſſiod.* Dicit enim *Caſſiod.* Iſta duo ſunt quibus viuit omnis humanitas, vt panem pro qualibet eſca ponas, potum pro omni potione. Non deſinebat ergo à lachrymis, cui lachrymæ erant cibus & potus, cum poſt menſuram lachrymarum futura erat corona gaudiorum.

Panis lachrymarum quid ſit.

Panis etiam lachrymarum dici poſſunt lachrymæ reficientes, & conſolatoriæ. Cum enim homo in his miſeriis lamentatur, in hoc etiam conſolatur, quia ſentit ſe non affligendum

dum æternaliter illis lachrymis, de quibus *Matth.* 25. & 13. Ibi erit fletus & stridor dentium: sed temporaliter ad correctionem tanquam filium. Ad *Hebr.* 12. Quem enim diligit Deus, castigat, & flagellat omnem filium, quem recipit. Propter hoc ipsis lachrymis se reficit *Iob* 6. Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt. Et in *Psal.* Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes, &c. Potus etiam sunt satis suaues. Quis enim non gaudeat, & non suauiter bibat de potu calicis Domini? *Matth.* 20. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Statim dixerunt: Possumus. *Deuteron.* 33. Inundationes maris, amararum lachrymarum, quasi lac sugent. Deus ipse talibus lachrymis, in quibus pro peccatis lachrymans delectatur, inebriatur totus. *Isa.* 17. Inebriabo te lachryma mea. Et has dat in mensura, quia secundum quantitatem & numerositatem culparum, debet esse quantitas & numerositas lachrymarum. *Apocal.* 18. Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Vel *in mensura*, quia lachrymæ cum discretione sunt habendæ, & à Deo dantur in mensuratione. Aliter enim non placent. *Bernard.* Lachrymæ bonæ sunt, si non sint continuæ. *Ierem.* 31. Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis, quia est merces operi tuo.

Et nota, quòd est panis lachrymarum pro propriis peccatis bona anxietas, de quo hic. Et est panis mendacij, temporalis voluptas, de quo *Prouerb.* 20. Suauis est homini panis mendacij, & postea implebitur os eius calculo. Et est panis doloris, amoris peruersitas cum homo reficitur in ipso malo, de quo in *Psal.* Surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris. *Iob* 20. Panis eius in vtero eius vertetur in fel aspidum, quod totum corrumrumpit: hoc est enim maximè corruptium.

7. *Posuisti nos.* Hîc tertium, in quo ostendit modum & speciem, siue etiam causam miseriæ. Et hanc assignat duplicem contradictionem: à proximis in fide eis nolentibus consentire: & irrisionem ab inimicis blasphemantibus in fide. *Et inimici nostri.* Dicit ergo: Sic cibabis & potabis lachrymis: & hoc quia *posuisti nos in contradictionem vicinis nostris*, vt nobis ipsi vicini sint contrarij, nolentes credere quod credimus, sicut factum est in Athenienſibus, qui contradicebant Paulo & Barnabæ. *Act.* 17. Nouorum dæmoniorum annuntiator est iste. Imò ipsi, qui erant de eodem genere. *Act.* 13. Iudæi autem repleti sunt zelo, & contradicebant his quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes: contra illud *Eccles.* 4. Non contradices verbo veritatis vllo modo. Pœna autem contradictorum. *Isa.* 66. Erubescent omnes, qui pugnant aduersum te, erunt quasi non sint, & peribunt qui contradicunt tibi.

Et inimici nostri subsannauerunt nos, signis & cachinnis irridendo, quod in hominem mortuum crederemus, non attendentes quòd esset verus Deus. Suprà in antecedenti *Psal.* Facti sumus opprobrium vicinis nostris, & subsannatio & illusio, &c. 4. *Reg.* 10. Spreuit te, subsannauit virgo filia Sion. Sed non frangimur his subsannationibus, & contumeliis, sed bibimus eas suauiter. *Iob* 34. Quis enim homo sicut Iob, qui bibit subsannationem tanquam aquam? Imò etiam ex illis proficimus, & ad nos redimus. *Cassiodor.* Qui exire à se foras per delicias potuit, compulsus contumeliis ad se rediit.

Deus virtutum conuerte nos. Hîc secundo modo persuadet à replicatione petitionis. Dicit enim: Sic rogaui, & moueri debes, quia sic affligimur: sed ô *Deus virtutum* possessor & dator omnium. *Psal.* Exaltare in vitute tua, cantabimus & psallemus virtutes tuas. *Conuerte nos*, immittendo calorem & ardorem Spiritus sancti, conuertentem frigidos & congelatos in humiditatem labilem. *Psal.* Conuerte Domine captiuitatem nostram, sicut torrens in Austro, conuertitur, sup. *Isa.* 64. Conuertere Domine propter seruos tuos: hoc est quod promittis. *Ierem.* 30. Conuertam conuersionem populi mei Israël. Et 32. Conuertam conuersionem Iuda, & Ieruſalem, & ædificabo eos. Conuerte auersos, qui habent faciem vbi deberet habere dorsum, & è conuerso. *Ierem.* 7. Facti sunt in retrorsum, dirigentes intentionem suam, sup. & non manum. *Zach.* 7. Verterunt ad me scapulam recedentes. Conuerte euersos, quasi extra versos, qui habent cor ad exteriora & os, cum deberent esse intus. *Thren.* 2. Effusum est in terra iecur meum. *Matth.* 6. Vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum. Et propter hoc de Iuda dicitur *Act.* 1. Effusa sunt in terra viscera tua. Conuerte reuersos ad iniquitates pristinas per recidiuationem. 2. *Pet.* 2. Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti. Conuerte diuersos, ad diuersa scilicet versos, modo ad vnum vitium, modo ad aliud. *Iob* 20. Cogitationes variæ succedunt sibi, & mens mea in diuersa rapitur, dixit Sopha. Non sicut illa, de qua 1. *Reg.* 1. Et vultus eius non sunt amplius in diuersa mutati. Conuerte inuersos, qui habent foris, quod deberet intus esse per hypocrisim & simulationem. *Matth.* 23. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui apparetis foris hominibus speciosi, intus autem estis pleni spurcitia & immunditia. Et infra: Qui mundatis quod de foris est calicis, & catini. Conuerte peruersos, qui peruertunt Scripturas per hæreticam prauitatem. *Ierem.* 23. Peruertistis verba Dei viuentis. *Isa.* 1. Quiescite agere peruersè. Conuerte subuersos, qui habent inferius quod deberet esse sursum. Peccatum enim & caro debent esse subtus. *Genes.* 3. Subtus erit appetitus tuus. *Roman.* 6. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Sed fit in malis super, quia in illis est peccatum. *Ioan.* 8. Qui facit peccatum, seruus est peccati, & caro regina. *Prouerb.* 30. Per tria mouetur terra, & quartum non potest sustinere, quod est per ancillam cum hæres fuerit Dominæ suæ.

8.

Varia conuersionis species.

Ostende faciem tuam, misericordiam, qua propriè cognoscaris. *Esther. vltim.* Et facies tua plena est gratiarum. *Eccles.* 36. Ostende nobis lucem miserationum tuarum. Vel ipsam faciem, essentiam, & naturam tuam. *Isa.* 52. Oculo ad oculum videbunt cum conuerterit Sion. 1. ad *Corinth.* 13. Tunc autem facie ad faciem. *Et sic salui erimus. Zachar.* 8. Ecce ego saluabo populum meum de terra Orientis. Et

in 9. Saluabit te Dominus in die illa, vt gregem populi ſui.

9. *Vineam de Ægypto.* Hîc eſt ſecunda pars totius huius Pſalmi. Poſtquam enim aduentum Chriſti petiit ad ſaluandum populum ſuum, hic ſecundo ſub metaphora vineæ conſummari ſalutem petit, vnita Eccleſia & collecta de reliquiis Iudæorum cum Gentibus. Et vt moueat iudicem, oſtendit diligentiam quam habuit in plantatione huius vineæ & promotione, & ſeueritatem quam exercuit de deſtructione eius, quantum ad Iudæos.

Diuiditur ergo pars iſta in 4. partes. Primò agitur de inchoatione Eccleſiæ à tempore, quo educta eſt de Ægypto. Secundò de promotione, quatenus tranſlata eſt, & extenſa, ibi, *Et plantaſti.* Tertiò de deſtructione promotæ quantum ad alteram ſui partem, ſcilicet quantum ad Iudæos, ibi, *Vt quid deſtruxiſti.* Quartò, & vltimò ſupplicatur pro perfectione, vt reliquiæ reducantur ad Gentiles, & fiat vna, ibi, *Deus virtutum conuertere.* In prima quatuor. Primò trãſportatio plantationis de longinquo. Secundò remotio impedimenti à loco in quo fuit plantanda, ibi, *Eieciſti Gentes.* Tertiò plantatio. *Et plantaſti.* Quartò præparatio loci ad extendendum ſe, aliter fructificare non poſſet, ibi, *Dux itineris.* Dicit ergo: Sic Domine veni, & ſalua, & conſumma, & perfice Eccleſiam tuam, quam ſicut vineam promouiſti, quia *vineam de Ægypto tranſtuliſti*, id eſt, Iudæorum gentem. *Iſa.* 5. Vinea Domini Sabaoth, domus Iſraël eſt. Hanc tranſtuliſti per mare rubrum, in terram promiſſionis. *Sap.* 10. Tranſtulit illos per mare rubrum, & tranſtulit eos per aquam nimiam.

Eccleſia collatio cum vinea.

Bene autem vinea appellatur Eccleſia Dei, quæ erat tunc tantum in illa gente. Primò quia tormento fructificat, foſſionibus, putationibus. Sic Eccleſia. *Exod.* 1. Quantò plus affligebantur filij Iſraël, tantò plus multiplicabantur & creſcebant. *Pſal.* In tribulatione dilataſti mihi. Secundò ſola vinum dat. Sic Eccleſia ſola ſanam doctrinam mundo propinat. *Matth.* 7. Nunquid colligunt de ſpinis, Iudæis, paganis, hæreticis, vuas? Quaſi diceret: Non: etſi fortè vinum videatur, peſſimum eſt. *Deuteron.* 32. Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile. Pinguis terra vinum debile facit, & quaſi aquoſum. Sic in pinguedine temporalium deuotio debilitatur & tepeſcit. *Iſa.* 1. Caupones tui miſcent aqua vinum. *Pſal.* Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum. Item inter petras, in loco eminenti, in radio ſolis melius vinum facit. Sic in duritia patientiæ, in eminentia vitæ, in feruore charitatis magis eſt feruor deuotionis. *Iſa.* 5. Vinea facta eſt dilecto meo in cornu, id eſt, in alto, olei, quod naſcitur in locis calidis. *Ierem.* 31. Ieruſalem adhuc plantabis vineam in montibus Samariæ. Item quod abſcinditur de vinea, inutile fit præterquam ad ignem. Sic quod ab Eccleſia præterquàm ad gehennam. *Ezechiel.* 15. Fili hominis, quid fiet de ligno vitis? Et infrà: Ecce igni iam datum eſt in eſcam: vtramque partem eius conſumpſit ignis. Paxillis ſuſtentari quærit. Sic Eccleſia ſanctorum exemplis fulciri. *Cantic.* 1. Fulcite me floribus, ſtipate me malis: flores & mala, ſanctorum appellat exempla.

Eieciſti Gentes. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic *tranſtuliſti, & eieciſti Gentes*, vt purgares locum in quo plantanda erat. *Deuter.* 7. Eiiciam à facie tua Gentes. Et in 9. & 24. Paulatim expellam & eiiciam eos à conſpectu tuo.

Et plantaſti eam. Ecce tertium. *Ierem.* 3. Ego plantaui te vineam electam, omne ſemen verum. Et 24. Plantabo eos, & non euellam. *Exod.* 15. Plantabis eos in monte hæreditatis.

Dux itineris. Hîc quartum, in quo ſubiungitur de præparatione ad extenſionem. Ait enim: Sic tranſtuliſti Gentes, eieciſti à facie eius, & plantaſti, & etiam vt poſſet extendi, *dux fuiſti itineri eius*, id eſt, te actore data eſt ei via per quam extenditur. *Iſa.* 63. Spiritus Domini ductor eius fuit. Quod autem ſic exponendum ſit, & non referendum ad eductionem de Ægypto, & deductionem per deſertum, patet ex hoc quod dicit alia litera: *Viam fecit in conſpectu eius*, ſicut vineæ plantatæ fit via, vt poſſit extendi. Hoc autem fecit Deus Pater, cum miſit filium ſuum, quando palmites ſcilicet huius vineæ miſit, qui dicit de ſeipſo. *Ioan.* 14. Ego ſum via, veritas, & vita. *Baruc.* 3. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt: vt eſſet ſic eis via, & eſſet dux. *Ierem.* 3. Dux virginitatis meæ tu es. *Ierem.* 55. Ducem ac præceptorem Gentibus dedi te. Et ſic profecit, aliter non profeciſſet. *Caſſiod.* Ideò vinea profecit, quia ſuum agricolam vidit, & ab eo imbrem prædicationis accepit, & fructus dulciſſimos procreauit. 10.

Plantaſti radices. Hîc ſecundum, ſcilicet de promotione vineæ ſic plantatæ, quantum ad numeroſitatem: & dicuntur duo. Primò præparatio ad multiplicationem. Secundò quæ inde ſequuta eſt multiplicatio, ibi, *Et implenit.* Dicit ergo: Sic plantaſti vineam tranſportatam, & vlteriùs *plantaſti radices eius*, illos ſcilicet, qui totam vineam illam ſuſtentabant, Apoſtolos, & prophetas. Ad *Rom.* 11. Non tu radicem portas (loquitur de Prophetis & Apoſtolis) ſed radix te. Ad *Epheſ.* 2. Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum. Hos plantaſti in charitate, ſecundum illud *Epheſ.* 3. In chatitate radicati & fundati. Plantaſti etiam, quaſi in cordibus auditorum & electorum à te. *Eccleſ.* 24. Et in electis meis mitte radices. Et in eodem: Et radicaui in populo honorificato. Et tunc eruperunt radices, & multiplicatæ ſunt. *Oſeæ vlt.* Erumpet radix eius vt Libani.

Et implenit terram, Iudæam ſcilicet, quando tria millia ſunt conuerſi. *Act.* 2. & 8. de Samaria tota, quæ recepit verbum Dei. Totum enim replebatur vinea fertili, & vino optimo. *Iſa.* 11. Repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris operientibus.

Operuit montes. Hîc ſecundum, ſcilicet probatio multiplicationis. Et primò quantum ad altitudinem. Secundò quantum ad loci dilatationem, ibi, *Extendit palmites.* In prima primò extenſio ſecundum altitudinem. Secundò altitudinis vehementia. *Et arbuſta eius.*

Dicit

Dicit ergo : Sic terram impleuit, quod pa-
tet, quia *vmbra eius operuit montes*, hoc est, in-
tantum ascendit, quòd in montibus vmbram
fecit. Et bene dicit quia cognitio in veteri le-
ge vmbra erat. Ad *Hebr.* 10. Vmbram habens
lex futurorum bonorum, non ipsam imagi-
nem rerum. Hæc operuit montes, quia sub
vmbra legis vixerunt Prophetæ & antiqui pa-
tres. *Thren.* 4. In vmbra illius viuemus inter
gentes.

Vmbra nociua & vtilis. Nota ergo, quòd est vmbra nociua & dam-
nabilis, culpa scilicet mortalis. *Isa.* 9. Habitan-
tibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.
Et maximè peccatum hypocrisis. *Iob* 40. Sub
vmbra dormit in secreto calami. Et est vmbra
labilis, quæ valdè citò deficit, scilicet bona
temporalia. *Sapient.* 5. Omnia transierunt ve-
lut vmbra. *Eccles.* 34. Sicut qui apprehendit
vmbram, & sequitur æstum, sic qui attendit ad
visa mendacia. Et cognitio vitæ præsentis. *Can-
tic.* 4. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pasci-
tur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinen-
tur vmbræ. Sed est vmbra vtilis, vmbra pro-
tegens, Dei potentia *Psal.* Sub vmbra ala-
rum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.
Vmbra refrigerans ab ardore vitiorum, Passio-
nis Christi memoria. *Isa.* 4. Erit in vmbraculum
diei ab æstu, & in protectionem & absconsio-
nem, &c. *Ioan. vltim.* Ionas propter ardorem
sedit sub vmbraculo. Et vmbra delectans, æter-
norum bonorum meditatio pura. *Cantic.* 2. Sub
vmbra illius quem desideraueram, sedi : & fru-
ctus eius dulcis gutturi meo. Et viuificans, caro
Christi, in altaris sacramento exhibita. *Thren.* 4.
Spiritus oris nostri, Christus Dominus, sub vm-
bra illius viuemus inter Gentes.

Et arbusta eius, id est, vineæ, *cedros* cooperuit,
non omnes, sed *Dei*. In hoc vehementia mul-
tiplicationis quantum ad loca alta. Cedri enim
altissimæ arbores sunt, & sunt in montibus:
vnde necessariò ipsis montibus sunt altiores:
vnde per *cedros Dei* designantur Apostoli pro-
phetis sublimiores, & super ipsos. Quasi di-
ceret : Nati sunt ipsi cedri Libani, quas plata-
uit, qui sub vmbrà legis fuerunt. Sed non sic
mali cedri, scilicet superbi, de quibus in Psal-
mo : Confringet Dominus cedros Libani : Et
Isa. 2. Dies Domini super omnes quercus Ba-
zan sublimes. Super bonos ergo extensa sunt
huius vineæ arbusta. *Ezech.* 34. Multiplicata
sunt arbusta eius.

Extendit palmites. Hîc secundum, in quo
probatur multiplicatio per loci distensionem,
quam signat à duplici termino. Ait enim : Ita
multiplicata est, quòd in loca alta ascendit, &
etiam *extendit palmites suos*, filios scilicet Iu-
dæos, *vsque ad mare*, quod est terminus Iudææ
ex vna parte : *& vsque ad flumen propagines eius*,
ex altera, scilicet Iordanem. Et verum est: etiam
vltra Iordanem erant duæ tribus & dimidia,
Ruben, Gad, & dimidia tribus Manasses *Nu-
mer.* 34. & 32. & *Iosue* 13. hoc erat prophetа-
tum. *Isa.* 54. Angustus est mihi locus, fac mihi
spatium vt inhabitem. *Genes.* 13. dictum erat
Abrahæ : Leua oculos tuos ad Orientem, &
Occidentem, ad Aquilonem & Meridiem. Om-
nem terram, quam conspicis, dabo tibi & se-
mini tuo. *Ezech.* 17. Facta est vinea & fructi-
ficauit in palmites, & emisit propagines. Sic
de familia & palmitibus Dei, non sic de fami-
lia & palmitibus diaboli : imò sicut dicitur
Ierem. 5. Auferte propagines eius, quia non sunt
Domini. Et *Isa.* 15. Propagines fortium mar-
cescere facies. *Naum* 2. Propagines eius cor-
ruperunt.

Vt quid destruxisti ? Hîc est tertium, con- 13.
questio de destructione sic ædificatæ, & multi-
plicatæ. Et primò tangitur conquestio super
destructione. Secundò notatur ad exaggeratio-
nem per quem facta sit illa destructio, ibi, *Et
vindemiant eam.* Dicit ergo : Sic plantasti, & sic
multiplicata fuit, & tamen destruxisti postea
maceriam eius, qua circundabatur ad custo-
diam. Est autem maceria clausura vinearum
de lapidibus adinuicem congregatis facta. Et
muri Ierusalem ad literam destructi fuerunt.
Matth. 24. Non relinquetur lapis super lapi-
dem, qui non destruatur. *Isa.* 5. Auferam se-
pem eius, & diruam maceriam eius, & erit in
direptionem.

Et vindemiant. Ecce secundum. Quasi dice-
ret : Sic destruxisti maceriam, & ex hoc acci-
dit, quod *vindemiant eam* ad libitum, *omnes qui
prætergrediuntur viam*, Gentes quæ sunt extra
viam legis, & mandatorum Dei, de quo in
Psal. Viam mandatorum tuorum cucurri. Et
Prouerb. 4. Ducam te per semitas æquitatis.
Thren. 2. Vide Domine & considera, quoniam
vindemiasti me. Sed vt quid hoc fieri voluisti?
Et respondet *Glossa*, Quia superba, &c. *Pro-
uerb.* 29. Superbum sequitur humilitas. *Luc.* 14.
& 18. Qui se exaltat, humiliabitur. Et quia ser-
uos ad se missos occidit, & filium hæredem.
Matth. 21. Ecce hæres: venite, occidamus eum.
Sed *Luc.* 22. Omnis qui gladio percutit, gladio
peribit.

Vinea autem est Ecclesia, sicut suprà dictum
fuit, cuius maceria debent esse prælati, & cu-
stodes : sed in direptionem dati sunt, & destru-
cti per pusillanimitatem & negligentiã. *Ezech.*
13. Non ascendistis ex aduerso, nec opposuistis
vos murum pro domo Israël. Causa autem est:
quia viri custodes, & prælati non sunt, sed vti-
litatem propriam quærentes vt mercenarij.
Ioan. 10. Mercenarius autem & qui non est pa-
stor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum
venientem, & fugit, & lupus venit, & rapit,
& dispergit oues *Ierem.* 5. Lupus ad vesperam
vastauit eos : pardus vigilans, &c. Et prætер-
gredientes Dei mandata falsi fratres totam de-
struunt & vindemiant. *Abd.* Si vindemiatores
intrassent ad te, nunquid non racemum reli-
quissent in te? Quasi diceret : Non sunt vinde-
miatores, sed destructores vineæ.

Exterminauit eam. Hîc secunda pars, in qua 14.
declarat à quo vindemiata, & destructa sit spe-
cialiter : & dicuntur duo. Primò, quòd à Tito
sunt deiecti. Secundò, quòd à Vespasiano tan-
dem penitus consumpti, & in seruitutem reda-
cti. Dicit ergo : Sic destructa est : & hoc quia
aper de sylua, veniens, sup. scilicet Vespa-
sianus, *exterminauit eam*, extra proprios termi-
nos posuit eam : *& singularis ferus*, Titus scili-
cet, descendens de eadem sylua, vel saltu, *de-
pastus est eam*, vsque ad radicem.

Sylua siue saltus Gentilitas, sola Iudæa
vide

videbatur vinea: ſed de hac ſylua & ſaltu venerunt aper & ferus cum magnis exercitibus, & totam deſtruxerunt. *Iſa.* 46. Omnes beſtiæ agri venite ad deuorandum, omnes beſtiæ ſaltus. *Iſa.* 1. Vos depaſti eſtis vineam meam.

Aper eſt diabolus: aper enim eſt immundus. Sic diabolus. *Luc.* 11. Cum immundus ſpiritus exierit ab homine. Fortis. *Matth.* 12. & *Luc.* 11. Cum fortis armatus cuſtodit, &c. Crudelis ſicut aper. *Ierem.* 6. Crudelis eſt, & non miſerebitur. Superbus. *Iob* 40. de Beemoth, Ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Lutum diligit, & vbi quieſcit. *Iob* 40. In vmbra dormit ſub ſecreto calami in locis humidis.

Aper etiam eſt luxurioſus, ſed aper de ſylua luxurioſus innaturali luxuria. Aper enim dente percutit: ſic luxurioſus innaturali luxuria detrahit corripientibus ſe, & contra hod vitium prædicantibus. *Geneſ.* 19. Litigabant contra Loth, & ipſum affligere volebant Sodomitæ, quia corripiebat eos.

Superbia & luxuria deſtruunt Eccleſiam.

Malum ergo ſuperbia & luxuriæ totam vineam Dei, Eccleſiam ſcilicet deſtruit. De luxuria *Bernardus*: Luxuria & ſitis ebria, delectatio momentanea, amaritudo æterna: lucem odit, tenebras appetit, velamen quærit, & ſenſus habetat. Et *Hieron.* Luxuria pœnitentiam tollit, faman lædit, corpori dat paralyſim, oculis cæcitatem, burſam reſerat, immicatur Deo, placet diabolo, animam interficit, vitam æternam eripit, fœtor eius aſcendit in cœlum, ignis deſcendit in infernum. Hoc eſt putredo carnis, ſterquilinium corporis, odium angeli, diſcordia proximi, cibus diaboli, quid per ſingula moror? corpus & animam in infernum deducit. Sed de innaturali dicit *Bernardus:* Amputata ſunt quinque capita idoli: ſed heu hodie innumera ſurrexerunt, quis reædificauit illas ciuitates incendij?

15. *Deus vittutum.* Hîc eſt quarta pars ſecundæ partis huius Pſalmi. Poſtquam enim egit de vineæ plantatione, plantatæ promotione, promotæ poſtmodum deſtructione, ſubiungitur hîc ſupplicatio pro conſummatione eius & perfectione: & diuiditur hæc pars in tres partes. In prima oratio. In ſecunda probatio, quòd fieri poſſit quod petit, ibi, *Incenſa igni.* Tertiò perſuaſio vt ſic ſit, ibi, *Fiat manus.* In prima duo. Primò petit vineam perfici. Secundò oſtendit ſuper quem, & in cuius fide hoc velit fieri, ibi, *Et ſuper filium.* In prima petit duo antecedentia ad perfectionem. Secundò perfectionem ipſam, ibi, *Et perfice.* In prima tria ſecundum tria antecedentia. Primò petit ipſum pacificari vineæ. Secundò pacificatum oculo miſericordiæ ipſam reſpicere. *Reſpice de cœlo.* Tertiò reſpectam curare à vitiis & peccatis. *Et viſita.* Dicit ergo: Sic eſt deſtructa vinea Iudææ, ſed ô *Deus virtutum*, quæ in cœlis ſunt, Angelorum ſcilicet, quæ in ſanctis, gratiarum, ſicut frequenter dictum eſt, *conuertere* ab ira tua ad miſericordiam. *Pſal.* Conuertere Domine & eripe animem meam. Et alibi: Conuertere Domine vſquequo, & deprecabilis eſto ſuper ſeruos tuos. *Couertere*, quia non habes ad nos faciem pietatis, ſed dorſum indignationis. *Ierem.* 18. Dorſum, & non faciem oſtendi eis. *Et* conuerſus *reſpice* oculo miſericordiæ *de cœlo* ſummo, de quo in *Pſal.* A ſummo cœlo egreſſio eius: & inde effectum miſericordiæ infundendo. *Daniel.* 9. Aperi oculos tuos, & vide tribulationem noſtram. *Iſa.* 63. Reſpice de excelſo cœlorum habitaculo. Super vineam veram, Eccleſiam ſcilicet, iugiter reſpicit. *Deut.* 11. Oculi eius in ea ſunt à principio anni vſque in finem.

Et viſita, ſanando, ſicut medicus infirmum, *vineam iſtam*: quod & factum eſt. *Auguſt.* Magnus venit medicus, quia magnus vbique iacebat ægrotus. *Luc.* 11. Viſitauit nos oriens exalto.

Et nota, quòd ſicut dicit *Bernard.* viro ſapienti vinea eſt ſua vita, ſua mens, ſua conſcientia. In hac vinea plantauit Dominus omne ſemen verum, ſicut dicitur *Ierem.* 2. In intellectu ſemen veritatis, legem ſcilicet naturalem: in affectu autem bonitatis. Sed diabolus hanc conuertit in hortum olerum. Dixit Achab ad Naboth 3. *Reg.* 21. Da mihi vineam tuam, & faciam eam mihi hortum olerum. Hortum olerum ex anima facit, quando ſapientiam carnis, mundi, & diaboli inſerit, quæ tanquam olera herbarum cito decident. Hanc citò tradunt aliqui diabolo, quia conuerſa eſt in deſertum. *Prouerb.* 24. Per agrum pigri hominis tranſiui, & per vineam viti ſtulti, & ecce totum repleuerunt vrticæ, & ſuper faciem eius ſpinæ.

Hanc viſitat Deus conſeruando, gratiam infundendo. *Iob* 10. Viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum. *Eccleſ.* 34. Quaſi parturientis cor tuum phantaſias patitur, niſi ab Altiſſimo fuerit emiſſa viſitatio.

Et perfice eam. Hîc petit perfectionem. Quaſi diceret: Sic vide, & viſita, & etiam tandem *perfice eam*, vineam, ſup. reliquias conuertendo, *quam plantauit*, ſicut dictum eſt antea. Ad *Rom.* 11. Cæcitas contigit in Iſraël, donec plenitudo Gentium intraret, & ſic omnis Iſraël, nondum ſaluus, ſaluus fieret. *Iſa.* 10. Reliquiæ conuertentur: reliquiæ, inquam, Iacob, ad Dominum Deum ſuum: vt ſic fiat, ſicut dicitur *Ioan.* 10. Vnum ouile, & vnus paſtor: vna vinea, & vnus poſſeſſor, & intimus circumcultor.

Qualiter Deus perficit animam.

Et nota, quòd cum vinea ſit anima, ſicut dictum eſt ſupra, Deus illam perficit dando primò cultores, ipſius animæ potentias & vires. *Oſeæ* 2. Dabo tibi vinitores ex eodem loco, ex ipſa ſcilicet anima. Et poſtmodum perficit quaſi fodiendo, circumfodiendo, quando tribulationes immittit & infirmitates. 2. ad *Corinth.* 12. Nam virtus in infirmitate perficitur. Poſtmodum excidendo quaſi palmites, quando facit exire imperfectas operationes. *Pſal.* Perfice greſſus meos, &c. Et tandem perficit, quaſi fructum maturando per perſeuerantiam & conſtantiam in opere bono. 1. *Pet. vlt.* Perficiet, confirmabit, ſolidabitque.

Et ſuper filium. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic rogo vt ipſam perficias: ſed in quo perficies eam? Et hoc *ſuper filium hominis, quem confirmaſti*

firmaſti tibi, ſcilicet ſuper hominem aſſumptum, ſuper illum qui dicit ſuprà in *Pſal.* In te confirmatus ex vtero, de ventre, &c. Et infrà in alio *Pſal.* Confirmaſti ſuper me manum tuam. Hic eſt filius hominis, ſicut frequenter ſe vocauit in Euangelio. *Matth.* 16. Quem dicunt homines eſſe filium hominis? & 20. Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. *Luc.* 19. Venit filius hominis quærere & ſaluare quod perierat. Super hunc, inquam, tanquam ſuper firmiſſimum fundamentum perfice vineam. Ad *Epheſ.* 2. Superædificati ſuprà fundadamentum Apoſtolorum & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide CHRISTO IESV. Nulla vinea poteſt eſſe perfecte bona, niſi palmites figantur & naſcantur de vite bona: & Chriſtus vitis eſt vera & bona *Ioan.* 13. Ego ſum vitis vera, & pater meus agricola eſt. Et propter hoc bonum vinum non poteſt facere palmes, niſi manſerit in hac vite. *Ioan.* 15. Sicut palmes non poteſt fructum facere, niſi manſerit in vite, ſic nec vos niſi in me manſeritis. Et rurſus ibidem: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.

17. *Incenſa igni.* Hîc ſecundum totius huius partis, in quo probatur, quòd poſſit facere quod rogatur: quia ſtatim ſola increpatione ſua omne peccatum in ea deſtruetur, quod comprehendit in duplici differentia. In peccatum quod naſcitur ex amore malo inflammate, quæ dicuntur *incenſa igni.* Et in peccatum quod naſcitur ex timore male retrahente, & humiliante, quæ dicuntur *ſuffoſſa.* Ait ergo: Sic rogaui vt vineam tuam perficias, quod & potes, quia *ab increpatione* ſolâ *vultus tui*, id eſt, ſi tantum vultum contra illa conuerteris, *peribunt incenſa igni*, id eſt, igne, id eſt, corda cupiditate inflammata: & *ſuffoſſa*, id eſt, corda humilitate mala, in ſeruis deiecta. *Pſal.* Infirmabuntur, & peribunt à facie tua.

Magna efficacia vultus Domini. Magnæ efficaciæ eſt intuitus faciei Domini. *Thren.* 4. Facies Domini diuiſit eos. Ad nihilum deducit omne malum. *Iſa.* 10. Computreſcit iugum à facie olei. In *Pſal.* Ad nihilum deductus eſt. Deſtruit incenſa igne cupiditatis, de quo *Mich.* 6. Adhuc ignis in domo impij, & menſura minor iræ plena. Et incenſa igne carnalis voluptatis, de quo *Iob* 31. Ignis eſt vſque ad conſumptionem deuorans, & vniuerſa eradicans genimina. Et igne auaritiæ, de quo *Iob* 1. Ignis conſumpſit ſpecioſa deſerti, Religioſos multos, qui in deſerto Eccleſiæ inter alios debent eſſe ſpecioſi. Et igne ambitionis, de quo ſuprà: Incenderunt igni ſanctuarium tuum: qui enim ſanctiores videntur, aliquando ſunt magis ambitioſi. Et igne inuidiæ, quo incenduntur homines diabolici, de quo in *Pſal.* Supercecidit ignis, & non viderunt ſolem.

Et ſuffoſſa ſeorſum in foſſa, tanquam in quadam fouea. *Iſa.* 24. Formido & fouea, & laqueus ſuper te, qui habitator es terræ. *Iſa.* 48. Pauor & fouea ſuper te ô habitator Moab.

Et nota, quòd in vinea Domini incenſa igni ſunt prauis moribus corrupti: ſed ſuffoſſa propriè qui in tenebris ſunt, & fundamentum fidei amiſerunt, ſcilicet hæretici. Sed primi pereunt à facie Chriſti morientis in cruce, qui de latere ſuo aquam voluit exire. Et ſecùdi etiam à facie patientis & habentis foſſas manus & pedes, ſecundum illud *Pſal.* Foderunt manus meas & pedes meos, &c.

Fiat manus tua. Hîc eſt tertium huius partis totius, in qua agitur de vineæ conſummatione. Petita eſt conſummatio, probatum eſt quod fieri poſſit ab eo, hîc ſubiungitur perſuaſio, quòd debeat fieri. Perſuadet enim primò multiplici ratione. Secundò orationis iam bis poſitæ adhuc iteratione, ibi, *Domine Deus virtutum.* In prima duo. Primò ſumit rationem à parte capitis. Secundò à parte corporis. *Et non diſcedimus.* In prima duo, ſecundum duplicem dignitatem hominis Chriſti, qui eſt caput Eccleſiæ, quam tangit. Prima eſt dignitas vnionis. Secunda, inſeparabilitas in illa vnione, ibi, *Et ſuper filium.* Dicit ergo: Sic rogaui, quod implere potes, & hoc debes Domine, quia rogo, *fiat manus tua*, id eſt, oſtendatur potentia tua, *ſuper virum*, Chriſtum *Iſa.* 4. Apprehendent ſeptem mulieres virum vnum, &c. *Ier.* 32. Nouum faciet Dominus ſuper terram, fœmina circumdabit virum. *Zach.* 6. Ecce vir, Oriens eſt nomen eius. *Dexteræ tuæ*, vt ſit intranſitiua conſtructio, hoc eſt, qui eſt dextera tua, ſcilicet ipſe filius tuus, qui dextera dicitur in *Pſal.* Dextera manus tua confregit inimicum. Vnde notandum, quòd Chriſtus homo dicitur filius dexteræ ratione dictâ, primò ſcilicet ratione vnionis. Item ratione fruitionis: continuè enim erat in dextera in æternis bonis. *Cant.* 2. de hac dextera: Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Item ratione ſeſſionis, qua ſedet à dextris. *Mar. vltim.* Aſcendit in cœlum, & ſedet à dextris virtutis Dei. Et in *Pſal.* Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis. Item quia nihil ſiniſtrum, hoc eſt, malum in eo fuit, vel eſſe potuit: ſed ambidexter fuit, ſicut Aioth *Iudic.* 3.

18.

Chriſtus dicitur filius dexteræ triplici de cauſa.

Et ſuper filium hominis, non hominum, ergo Virginis filium, fiat manus tua dextera, repete, *quem*, inquam, *confirmaſti tibi*, inſeparabili vnione. *Pſal.* Confirmatum eſt cor eius, & non commouebitur. Et alibi: Manus mea auxiliabitur ei, & brachium meum confirmabit. *Eccleſ.* 15. Confirmabitur in illo, & non flectetur. Vir dexteræ, quia de Spiritu ſancto conceptus: filius hominis, quia de Virgine natus.

Beata autem Virgo homo appellatur in ſacra Scriptura, licet ſoleat poni quaſi ſemper hæc dictio, *homo*, pro genere maſculino. Primò quia homo eſt animal manſuetum natura, & ipſa eſt manſuetiſſima: non enim nata eſt filia iræ, ſicut nos omnes naſcimur. *Epheſ.* 2. Fuit enim in vtero ſanctificata, & nos ei cantamus: *O benigna.* Et per vellus quod valdè tractabile eſt, deſignatur. *Pſal.* Deſcendet ſicut pluuia in vellus. Item animal riſibile: riſum enim nobis protulit, ſcilicet Chriſtũ, vt dicere poſſet: Riſum mihi fecit Dominus. *Geneſ.* 21. Ipſe enim eſt ſolum & verũ gaudium iuſtorum. *Phil.* 4. Gaudete in Domino ſemper, iterum, &c. Item capax Dei eſt, quod eſt eſſe ad imaginem Dei, & eſſe verè hominem. *Geneſ.* 1. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Et ipſa capax fuit Dei, & in mente, & in vtero. *Eccleſ.* 14. Et qui creauit me, requieuit in tabernalo mea.

Quare B. Virgo appellatur homo.

meo. Item ratione fortitudinis. Ipſa enim eſt illa,quam quærebat Salomon *Prou. vlt.* Mulierem fortem quis inueniet ? Et forti dictum eſt de ea. *Geneſ.*3. Ipſa conteret caput tuum. Item ipſi Chriſto ſecundum carnem non tantum mater,ſed & pater fuit : totus ſuus fuit. *Matth.*1. Donec peperit filium ſuum. Et *Luc.* 11. Et peperit filium ſuum primogenitum. Et quid dicam quia digniſſima creaturarum fuit, & eſt, vnde cantamus ei : Et omni laude digniſſima. *Eccleſ.*24. Quaſi cedrus exaltata ſum in libano, & quaſi cypreſſus in monte Sion.

19. *Et non diſcedimus à te.* Hîc ſecundum, in quo ſumit rationes à parte corporis ad ſuadendum. Et ſunt tres ſecundum vtilitatem triplicem quam conſequitur corpus. Prima, fortis adhæſio cum ſuo capite. Secunda, vitæ ſuſceptio ab eodem. *E viuificabis nos.* Tertiò commiſſio ſui ipſi Deo omnino, & in omni neceſſitate, ibi, *Et nomen tuum.* Dicit ergo : Sic fac merito ipſius Chriſti, *&* ſi hoc feceris, *non diſcedimus*, id eſt, non diſcedemus, *à te*, infideles facti. 4.*Reg.*2. Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia non derelinquam te. *Ruth.*2. Ne quæſo aduerſeris mihi, vt relinqaam te, & abeam. *Ioan.* 6. Domine ad quem ibimus ? verba vitæ æternæ habes. Vt poſſimus tàndem dicere illud *Pſal.* Et non diſceſſit retro cor noſtrum. 1. *Reg.* 13. Nolite recedere à regno Domini.

Et viuificabis nos, vitam fidei infundendo. *Aba.*2. Iuſtus meus ex fide ſua viuit. Et gratiarum motũ ad bene operandum tribuendo. *Pſal.* Viuificaſti me, & de abyſſis terræ iterum reduxiſti me. *Iſa.*57. Vt viuificet ſpiritum humilium, & viuificet cor contritorum.

Et nomen tuum. Ecce tertium. Quaſi diceret: Sic adhærebimus inſeparabiliter, viuificabimus dulciter, *& nomen tuum inuocabimus*, inſtanter in omni tribulatione, tanquam totos nos proiicientes in te. *Ioël.* 3. & *Iſa.* 4. Et erit, omnis quicumque inuocauerit,ſaluus erit. Propter hoc monet in 12. Confitemini Domino, & inuocate nomen eius, & ſcitote quoniam excelſum eſt nomen eius.

20. *Domine Deus virtutum.* Hîc ſecundum huius partis, perſuaſoriæ ſcilicet orationis replicatio. Et primò, ſicut ſuperius iam fecit, per tria petit conuerſionem Dei ad ſe. Secundò manifeſtationem conuerſi,per oſtenſionem faciei. *Et oſtende faciem.* Tertiò effectum ex vtroque ſequentem ſupponit. *Et ſalui.* Dicit ergo : Sic perfice dictis rationibus vineam, & quod toties dixi, iterum, rplico, ô *Domine Deus virtutum* : expone ſicut ſuprà, *conuerte nos*, à triſtitia & luctu in gaudium. *Ierem.* 31. Conuertam luctum eorum in gaudium, & conſolabor eos. Conuerte nos à paupertate ad veram virtutum poſſeſſionem. *Ierem.*30. Conuertam eos ad terram ſuam, & poſſidebunt eam.

Conuerſio perfecta quatuor exigit.

Et nota, quòd quaſi poſt conſummationem petit conuerti. *Eccleſ.*18. Cum conſummauerit homo, tunc incipit. Et nota, quòd quater locutus eſt in hoc Pſalmo de conuerſione : quia à quatuor oportet nos conuerti, à carnis voluptate, à mundi vanitate, à parentum amore, à rerum poſſeſſione, ſi plenè volumus conuerti. De his quatuor *Cantic.* 6. Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere, &c.

Et oſtende faciem tuam, faciem naſcentis contra auaritiam : ibi enim videberis pannis inuolutus. *Luc.* 2. Faciem morientis & patientis in cruce contra luxuriam : ibi enim in dolore fuit maximo. *Thren.* 1. O vos omnes qui tranſitis per viam,&c. Faciem iudicantis contra ſuperbiam. *Iſa.*2. Dies Domini ſuper omnem arrogantem, & ſuperbum : & humiliabitur. *Pſal.* Turbabuntur à facie eius patris orphanorum, & iudicis viduarum.

E ſalui erimus, illa ſalute de qua *Iſa.*46. Saluatus eſt Iſraël ſalute æterna, ad quam nos perducat,qui eſt vera ſalus,vita & Deus,& rex per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

IN LXXVIII. PSALMVM.

Pro torcularibus ipſi Aſaph, quinta ſabbati. 1.

EXultate Deo adiutorio noſtro. Hic eſt Pſalmus octuageſimus in toto libro, in 2. parte 30. Continuatio autem ad præcedentem Pſalmum ſic haberi poteſt: In præcedenti Pſalmo petiit aduentum Chriſti Eccleſia ſub metaphora venientis, hîc tanquam videat venientem, & Eccleſiam conſummantem, ſubiungitur bonorum inuitatio, vt relictis mundanis,& infimis, ad æterna eleuentur, & in Deum lætentur, & malorum redargutio terrenis adhærentium. Hoc autem notatur in titulo Pſalmi aliquantulum obſcuri. Eſt enim talis : *In finem pro torcularibus ipſi Aſaph,quinta ſabbati* : in quo notandum eſt, quòd quinta ſabbati, hoc eſt, die quinta fecit Dominus ex aquis aues ad altum eleuatas, & piſces in infimis natantes,ſicut habetur *Geneſ.* 1. Notandum etiam, quòd torcular materiale, ad hoc eſt vt preſſura ſui vinum ſeparet ab acino in cellario patris familias recondendum, & oleum ſimiliter ab amurca, ſic enim appellatur fæx oliuarum. Bene ergo per torcularia particulares Eccleſiæ deſignantur, in quibus per preſſuras tanquam pondere torcularis, boni tanquam vinum optimum eliquantur, & mali tanquam acinum relinquuntur. Boni tanquam aues in aquis baptizati ad alta euolant, malis in infimis, tanquam piſcibus relictis:de quibus vtriſque mentio fit in hoc *Pſal.* De bonis inuitando eos ad ſubliniora, de malis eost edarguendo, quia diligunt infima. 2.

Pſalmus hortatur fideles vt cũ ſumma lætitia Deo laudem dicant.

Senſus ergo tituli eſt:Hic Pſalmus ſubiectus editus *pro torcularibus*, id eſt, pro Eccleſiis, in quibus ſunt vinum,& oleum in cellario æterno recondendum. *Cantic.* 2. Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. Acinum & amurca tanquam fæces, proiicienda in infernum, ſecundum illud *Matth.* 25. Seruum inutilem proiiciet in tenebras exteriores. *Ipſi Aſaph*, eſt cantandus, id eſt, congregationi bonorum : vt à ſeipſa meliùs excitetur, & promoueatur. *Apoc. vltim.* Qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc. *Pſal.* Ibunt de virtute in virtutem. *Quinta ſabbati* : quia quod in eo continetur, quaſi ſpectare videtur ad illud quod illa die factum eſt, ſcilicet quod aues

&

& piſces de aquis,baptizati,ſunt diuiſi : illis ad ſumma tendentibus,his in infimis demerſis : illi volucres cœli, iſti piſces maris, ſecundum illud *Pſal.* Volucres cœli, & piſces maris, &c.

Iam patet ex iſtis diuiſio. Pſalmus iſte diuiditur in duas partes. Primò inuitantur boni ad lætandum in Domino, & in melius tranſeundum. Secundò arguuntur mali de amore terrenorum, ibi, *Audi populus.* In prima duo. Primò bonos inuitat ad laudem, & ſpiritualem lætitiam.Secũdò ſubiungitur laudis cauſa,ibi, *Quia præceptum in Iſraël eſt.* In prima tria. Primò monet exultare & lætari in Chriſto corde. Secundò etiam ſeruire opere, ibi, *Sumite Pſalmum.* Tertiò ipſum laudare ore,ibi, *Buccinate.* In prima duo. Primò inuitat ad lætitiam. Secundò modum lætitiæ determinat,ibi,*Iubilate.*

Dicit ergo: Sic veniet, & vineam perficiet: & propter hoc ô *iuſti exultate*, non congaudentes mundo, & eius vanitatibus. *Oſe.9.* Noli lætari Iſraël,& noli exultare,ſed *Deo*,& in Deo ſecundum illud *Iſa.* 41. Exultabis in Domino, & lætaberis in ſancto Iſraël. *Ierem.*31. Exultate in lætitia Iacob,id eſt,in Deo,quod eſt bene pugnantium,& diabolum ſupplantantium lætitia. Et hoc non cuicumque Deo, ſed *adiutori noſtro. Pſal.* Deus adiutor noſter in æternum. *Adiutori*, inquam, ad bonum cogitandum. 2. ad *Cor.* 3. Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis, &c. Et ad volendum cogitatum. *Phil.*2. Operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. Et ad loquendum volitum. *Matth.*10. Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.Et tandem ad operandum.*Iſa.*26.Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine. *Ioan.*15. Sine me nihil poteſtis facere.

Deus adiutor ad bonũ cogitandum, volẽdum, & operandum.

Iubilate. Ecce ſecundum. Quaſi diceret:Dixi, *Exultate*, ſi quæritis quomodo? Addo modum: *Iubilate*, ſic corde lætando,vt neceſſe ſit laudem promere *Deo Iacob* ſpecialiter dilecti, cum Eſaü reprobauerit. *Malach.* 1. Iacob dilexi: Eſaü autem odio habui.*Iſa.*44.Iubilate extrema terræ, quia Dominus redemit Iacob. *Zach.*9. Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Iſraël.*Soph.*3. Iubila Iſraël, lætare, & exulta in omni corde filia Ieruſalem.

3. *Sumite Pſalmum.* Hîc ſecundum, in quo monet ei ſeruire opere: & dicuntur quatuor. Primò monet ad bonam operationem.Secundò ad propriæ carnis mortificationem.*Et date tympanum.* Tertiò ad hilaritatem in bona operatione,ibi,*Pſalterium.* Quartò ad lætam patientiam in aduerſitate, ab exteriori. *Cum cithara.* Dicit ergo:Sic exultate corde,& etiam *ſumite* in manibus propriis, *Pſalmum* bonæ operationis. *Ioan.*5. Operamini non cibum qui perit.*Eccl.*9. Quicquid poteſt manus tua, inſtanter operare.

Et date tympanum, mortificationis carnis: tympanum enim fit de pelle mortua.Ad *Coloſ.*3. Mortificate membra veſtra,quæ ſunt ſuper terram.*Exod.*15.Maria ſoror Aaron,ſumpſit tympanum in manu.Tympanum dabat qui dicebat 2.ad *Cor.*4. Mortificationem IESV in corpore veſtro circumferentes. Et in illo percutiebat. 1. ad *Cor.*9. Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo.

Pſalterium. Sumite, ſupl. ſed *iucundum*, vt exultetis in bona operatione, agentes bona, & carnem mortificantes, non cum triſtitia ſicut hypocritæ. *Matth.*6. Cum ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ, triſtes. Et hoc *cum cithara*, cum læta patientia: cithara enim tacta dulcem reddit ſonum : ſic vincitur penitus inimicus, *Iſa.*30. In cithara,& tympanis, & bellis præcipuis expugnabit illos. *Iſa.*16. Venter meus ad Moab quaſi cithara ſonabit.

Aliter legit *Gloſſa: Sumite Pſalmum*, id eſt, bona ſpiritualia, *& date tympanum*, id eſt, temporalia danti vobis ſpiritualia. Ad *Galat.vlt.* Communicet autem is qui catechizatur, ei qui ſe catechizat,in omnibus bonis. 1. ad *Cor.*9. Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, non magnum eſt,ſi carnalia veſtra metamus.Ad *Phil.vlt.*Nulla Eccleſia mihi communicauit in ratione dati & accepti, niſi vos, &c. Quod autem ſubditur, *Pſalterium iucundum*,refertur ad hoc quod dixit, *Sumite Pſalmum:* ſpiritualia enim debent in lætitia recipi. Quod ait, *Cum cithara*, ad illud referendum eſt, *Date tympanum. Eccleſ.*35. In omni dato hilarem fac vultum tuum.1.ad *Cor.*9. Hilarem datorem diligit Deus.

Buccinate. Hîc eſt tertium, in quo monet ipſum laudare ore:in quo tanguntur tria. Inuitatio ipſorum ad laudem oris. Secundò determinatio temporis in generali. *In Neomenia.* Tertiò declaratio in ſingulari de ipſa die, ibi, *In inſigni die.* Dicit ergo: Sic corde, ſic opere Deum honorate, & etiam *buccinate tuba*, ore exultate. Inſtrumentum enim hoc ad buccam pertinet: & inde dicitur *Oſeæ* 5. Clangite buccina in Gabaa,tuba in Rhama.Et hoc *in Neomenia*,id eſt, in noua luna. Neos nouum,mene luna. Ad literam præceptum erat Iudæis.*Leuit.*24. & *Num.*24. quod in noua lunatione Septembris,ſeptẽ diebus tuba clangerẽt:& dicunt iſtam inſtitutionem fuiſſe in memoriam liberationis Iſaac à morte, & immolationis arietis pro illo. Et ob hoc in cornu arietis fortiter buccinabãt. 4.

In inſigni. Hîc ſpecificat ipſum diem. Quaſi diceret : Sic buccinate, & in noua luna, & hoc potiſſimè facite *in inſigni die ſolemnitatis veſtræ*, quæ erat fortè Sabbatum, quod erat infra illos ſeptem dies.

Et nota, quòd poteſt eſſe thema in natiuitate beatæ Virginis. Ipſa enim eſt luna.*Cant.*6. Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum pulchra vt luna : quæ noctem illuminat ſubtracto ſole: & ipſa non deſerit peccatorem, ſed cordi eius lucem impetrat, vt videat. *Geneſ.*1. Fecit Deus duo luminaria, luminare maius, &c. Item luna dicitur quaſi lucens vna, excedit enim alia in claritate luminaria : & hæc omnes ſanctos. *Prou.vlt.* Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas. Item quò plus appropinquat ſoli, minùs ſe oſtendit : hoc ſciunt Aſtrologi. Sic Maria inquantum ſoli iuſtitiæ magis propinquauit, intantum vt mater diceretur, plus ſe humiliauit, & quaſi abſcondit. *Luc.*1. Ecce ancilla Domini, &c. Sed hæc luna noua illuxit, quando nata fuit, ſcilicet menſe Septembri, qui eſt menſis omnis plenitudinis, & ſeparatus ab imbre : & ipſa ſeptem gratiis Spiritus ſancti repleta, nata eſt, reddentibus illam ab imbre peccati immunem. *Luc.* 1. Aue gratia plena, dixit ei Angelus.

Thema pro feſto natiuitatis B.Virginis.

Tritico plena fuit. *Cant.* 2. Venter tuus ſicut aceruus tritici, vallatus liliis. Et in 7. Venter tuus ſicut crater tornatilis, nunquam indigens poculis. Ecce frumentuum & vinum, quibus ſumus ſtabiliti. *Geneſ.* 22. Frumento & vino ſtabiliui eum. In hac ergo luna menſis Septembris tubicinandum eſt tuba prædicationis. Ipſe enim prædicator eſt tuba. *Iſa.* 58. Quaſi tuba exalta vocem tuam. Et debet eſſe argentea per ſonum, & munditiam. *Num.* 10. Fac tibi duas tubas argenteas. Nec debet ſonare ex ſe, ſicut nec tuba, ſed ex flatu, id eſt, ex inſtigante Spiritu ſancto. *Matth.* 10. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, &c. Item inuitare debet ad bellum contra diabolum, ad feſtum gaudiorum æternorum, ad audiendum diuinum præceptum, ad conuiuium æternarum epularum.

5. *Quia præceptum in Iſraël.* Hîc poſtquam inuitauit ad lætitiam in Deo, & laudem, ſubiungit cauſam, quare lætandum: & hanc multiplicem. Primò propter præceptum. Secundò propter iudicium, quod fiet bonum facientibus. *Et iudicium.* Tertiò propter ſignificatum, ibi, *Teſtimonium in Ioſeph.* Quartò propter fructum inde conſequentem, ibi, *Diuertit ab oneribus.* Dicit ergo: Sic exultate, & buccinate, & hoc debetis, *quia præceptum eſt* à Domino per Moyſem, *Exod.* 22. *Leuit.* 24. *Num.* 29. Et in *Pſal.* dicitur: Præceptum poſuit Deus, & non præteribit illud populus Dei. *Deut.* 6 Audi Iſraël, & obſerua quæ præcepit tibi Deus. Et hoc *in Iſrael*, id eſt, Iudæis, quibus data eſt lex, non Gentibus. *Exod.* 20. *Ierem.* 31. Dabo legem in viſceribus eorum, & in cordibus eorum ſuperſcribam eam.

Et iudicium Deo Iacob, ſuper ipſum Iacob, ſi non fecerit præceptum. Ad *Rom.* 2. Iudicium Dei in eos qui talia agunt. Iudicabuntur enim ſecundum legem, qui ipſam ſuſceperunt: qui autem peccauerunt ſine lege, ſine lege peribunt. Ad *Rom.* 2. Deus etiam Iacob poteſt dici Deus de Iacob ſecundum carnem natus, filius ſcilicet Dei, cuius erit iudicare. *Ioan.* 5. Pater omne iudicium dedit filio.

6. *Teſtimonium in Ioſeph.* Hîc tertium, quod propter teſtimonium: in quo tanguntur tria. Datio præcepti in teſtimonium, & tempus dandi. *Cum exiret de terra.* Et modus. *Linguam.* Dicit ergo: Sic præcepit, ſic iudex erit, & etiam *poſuit illud*, præceptum ſcilicet de ſolemnitate facienda hoc modo, *in Ioſeph*, hoc eſt, in Iudæis de Ioſeph deſcendentibus: *teſtimonium*, rei ſcilicet poſtmodum faciendæ in ſpirituali Ioſeph, ſcilicet in Eccleſia de Gentilitate. *Deut.* 4. Audi præcepta Domini, & teſtimonia. Et Dauid propter hoc dicit: Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua, præcepta ſcilicet in teſtimonium mihi data. Sed quando? *Cum exiret*, Ioſeph, ſup. gens ſcilicet Iudæorum, *de terra Ægypti. Pſal.* In exitu Iſraël de Ægypto.

Linguam, quam non nouerat, nunquam antea audierat, *audiuit*, Dominum ſcilicet loquentem Moyſi, & præcepta dantem. *Exod.* 19. & 24. Per Ioſeph, qui interpretatur accreſcens, Eccleſia Gentium, quæ per totum mundum creuit in immenſum dilatata. *Pſal.* Et dominabitur à mari, &c. Huic in teſtimonium æternæ ſolemnitatis datur ſolemnitas temporalis. *Leuit.* 23. Hoc erit vobis memoriale in generationibus veſtris. Sed hoc cum exit de terra Ægypti, de tenebroſitate ſcilicet peccati. *Deut.* 33. Lætare Zabulon in exitu tuo, de peccato.

Dantur & æterna teſtimonia egreſſionis ipſius de Ægypto, ſcilicet iſta, gaudium & patientia in tribulatione, facilitas & hilaritas in bona operatione, æternæ fœlicitatis præguſtatio, ſecretorum Dei cognitio. *Mich. vlt.* Secũdum dies egreſſionis eius de terra Ægypti oſtẽdam ei mirabilia. Tunc audit linguam quam non audierat, Deum ſecum dulciſſimè confabulantem. *Oſeæ* 12. Ducam eam ad ſolitudinem, & loquar ad cor eius. *Iſa.* 28. In loquela labij ſuaui, & diſtincta, & lingua alta loquitur ad populum iſtum. *Soph. vlt.* Reddam populis labium electũ.

Diuertit ab oneribus. Hîc quartum, probat à fructu, & vtilitate conſequente adimpletionẽ mandati: in quo dicuntur duo. Primò liberatio populi à Babylonica ſeruitute. Secundò prouocatio ad liberationem, ibi, *In tribulatione.* In prima duo. Primò liberatio ab hoc onere. Secundò laboris ſpecificatio, ibi, *Manus eius in cophino.* Dicit ergo: Sic dedit præceptum quod fuit teſtimonium illi populo: & Dominus propter præceptũ implendũ, *diuertit dorſum eius ab oneribus*, vt iam non portaret illa. *Exod.* 1. & 2. Et filij Iſraël ſeruiebant Ægyptiis apportantes lutum & lateres & paleas ad conſtruendum ciuitates. Sed nunquid onera portauerunt? Ita. *Manus eius*, ſcilicet populi, *in cophino ſeruierunt*, inſtrumẽto quo portatur lutum, ſicut habetur *Exod.* 2. & 3. Suos autem quos Dominus fecit exire de Ægypto, quibus teſtimonium dat, duertit ab onetibus peccati & iniquitatis: de quibus oneribus *Ier.* 17. Nolite portare onera in die ſabbati. Et in *Pſal.* Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue, &c. Et *Iſa.* 58. Et omne onus diſrũpe. *Mat.* 11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis. Et à ſeruitute vili eripit, de qua *Ioan.* 3. Qui facit peccatũ, ſeruus eſt peccati. 7.

In tribulatione mea. Hîc eſt ſecundum, prouocatio ipſius Domini ad liberationem: & ſunt duo prouocatiua. Primò oratio eorum. Secundò probatio orantium per tribulationem, ibi, *Probaui te.* In prima duo. Primò probatio eorum in aperta tribulatione. Secundò etiam in abſcondito, ibi, *Exaudiui te in abſcondito.* Dicit ergo: Sic diuertit ab onere, eruit à vili ſeruitute: & mutat perſonam, vt quaſi Deus loquatur: & ô tu populo hoc feci, quia *in tribulatione inuocaſti me*, ſicut patet *Exod.* 2. *Iſa.* 23. Domine in anguſtia ſua requiſierunt te. *Oſeæ* 6. In tribulatione ſua manè conſurgẽt ad me. *Ioan.* 2. Cum anguſtiaretur in me anima mea, Domini recordatus ſum. 8.

Et liberaui te, ſic clamantem. *Exod.* 14. Liberauit Dominus Iſraël in die illa de manu inimici. *Pſal.* Ad Dominum cum tribularer, clamaui, & exaudiuit me. 2. *Machab.* 4. Et nunc clamemus ad Dominum, & miſerebitur noſtri Deus noſter.

Et exaudiui te in abſcondito tempeſtatis, hoc eſt, in tempeſtate abſcondita, quia ad literam nec apertè audebant conqueri propter Ægyptios aggrauantes manus ſuas ſuper eos cum conquerebantur, ſicut habetur *Exod.* 3.

Probaui te apud aquam contradictionis. Num. 20. Nunquid de petra potero vobis aquam elicere? *Quæ ſint aquæ contradictionis.*

cere? Vel in bono melius: *Probaui te apud aquam contradictionis*, populos tibi in fide aduersantes, quibus viriliter restitisti. 1. ad *Cor.* 6. Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant. Aqua etiam contradictionis est præsens tribulatio, cui à multis contradicitur, & à paucis consentitur. Et tamen aqua ista est fornax iustorum & probatorum. *Eccles.* 27. Vasa figuli probat fornax, & viros iustos tentatio tribulationis. Aquæ etiam contradictionis, quibus scilicet est contradicendum, sunt sermones adulationis, in quibus tanquam in fornace probatur homo. *Prou.* 27. Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, ita probatur homo ore laudantium.

9. *Audi popule meus.* Hîc est secunda pars totius Psalmi, in qua conuertitur sermo ad malos, & admonentur vt ad Christum conuertantur, quamuis non acquiescant: vnde dicuntur quatuor. Primò admonitio. Secundò contemptus admonitionis. *Et non audiuit.* Tertiò pœna & afflictio pro contemptu, ibi, *Et dimisi eos.* Quartò & vltimò aggrauatio contemptus eorum, ibi, *Et cibauit.* In prima duo. Primò monet ad audientiam præceptorum Dei. Secundò ad præceptoris laudem, vel peccatorum confessionem, ibi, *Dilata os tuum.* In prima duo. Primò monet vt audiant. Secundò causas addit quare audire debent, ibi, *Quia contestabor tibi.* Dicit ergo: Sic monui bonos, vt exultent in Domino, sed conuertens sermonem dico. *Populo meus* ab aliis gentibus separatus. *Deut.* 7. Elegit te Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris. *Audi. Deut.* 6. Audi Israël, & obserua quæ præcepit tibi Dominus: aliter non audieris. *Prou.* 28. Qui declinat aurem suam, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. *Audi* patrem piissimum, præcepta iustitiæ proferentem. *Eccles.* 6. Audi fili disciplinam patris tui. *Audi* Doctorem iustitiæ, regulas vitæ proferentem. *Ioël.* 2. Filij Sion exultate in Domino Deo vestro, qui dedit vobis Doctorem iustitiæ.

Alias, contestabor te. *Et testificabor tibi.* Hîc secundum, scilicet probatio quod debet audire. Primò propter confirmationem virtutis. Secundò propter consequentiam multiplicis vtilitatis. *Israël si audieris me.* Tertiò ratione authoritatis. *Ego enim sum Dominus.* Quartò ratione beneficentiæ & liberationis iam factæ, ibi, *Quoniam eduxi te.* Dicit ergo: Sic audi, & *contestabor tibi*, id est, eorum quæ dicturus sum, testis ero, ipse qui iudex. *Ierem.* 11. Consurgens contestatus sum Ierusalem. Et simili modo loquitur Petrus 2. *Pet. vlt.* Hæc scripsi vobis obsecrans & obtestans. *Ierem.* 29. Ego sum iudex & testis, dicit Dominus Israël.

10. *Si audieris me.* Hîc est secundum, ratio vtilitatis sequentis, quæ est duplex. Primò quia non finget sibi nouum Deum. Secundò quia nec adorabit ab aliis iamdiu factum. *Nec adorabis.* Ait ergo: Sic audi, & debes, & etiam ô Israël *si audieris me*, mihi obediendo, *non erit in te Deus recens*, recenter fabricatus, & factus à te. *Deuter.* 4. Caue nequando obliuiscaris Domini Dei tui, & facias tibi sculptam similitudinem.

Neque adorabis Deum alienum, ab aliena gente factum. *Gen.* 35. Abiicite deos alienos de medio vestri. *Deut.* 6. Non habebis deos alienos in conspectu meo. 1. *Reg.* 7. Auferte deos alienos de medio vestri.

Ego Dominus. Hîc tertium: Ait enim: Audi, & debes audire: ego enim sum verissimo essendi modo. *Exod.* 3. Ego sum qui sum: quia esse meum omnino inuariabile est, & immutabile. *Et sum Dominus Deus tuus: Dominus*, qui timendus: *Deus*, qui honorandus: *tuus*, qui amandus. *Qui eduxi te de terra Ægypti.* Ecce beneficium liberationis. *Deut.* 5. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, & de domo seruitutis. 11.

Dilata os. Ecce secundum, in quo subiungit admonitionem de confessione: & dicuntur duo. Admonitio, & ratio quare acquiescendum. *Et implebo illud.*

Dicit ergo: Sic audi, & postea *dilata* confitendo culpam propriam, & Dei laudem, *os tuum*, & confundetur inimicus. 1 *Reg.* 2. Dilatatum est os meum super inimicos meos. Et proximus ædificabitur, sicut Paulus aperiebat 1. ad *Cor.* 1. Os nostrum patet ad vos, instruendos & ædificandos, ô Corinthij.

Et ego adimplebo illud, gratiam infundendo in animam, intantum vt redundet per labia exteriùs. *Cassiod.* Tunc sensus spirituali gratia repletur, quando in laudes Domini os dilatatum esse cognoscitur. *Eccles.* 15. Impleuit eum Dominus spiritu sapientiæ & intellectus: vsque ad labia. *Psal.* Diffusa est gratia in labiis tuis. Et nota, quòd prius dixit, quod eduxit eum de Ægypto quam ad apertionem oris ipsum induceret. Quicquid aperit os in Ægypto, citò impletur vilibus, quia non videt. *Luc.* 15. Filius prodigus os implebat de siliquis porcorum, & tamen non satiabatur. *Prou.* 13. Iustus comedit, & implet animam suam: venter autem impiorum insatiabilis.

Et non audiuit populus. Hîc secundum, scilicet contemptus populi & inobedientia. In prima duo. Primò inobedientiæ culpa. Secundò inobedientiæ magnitudo & vehementia. *Et Israël.* Ait enim: Sic imperaui: *& populus meus.* Hoc potest intelligi quantum ad minores. *Non audiuit* obediendo *vocem meam. Ierem.* 5. Locutus sum ad vos de mane consurgens, & non audistis orationem meam. Et tamen in eodem dicit: Audite vocem meam, & eritis mihi populus, & ego vobis Deus. Magnus fructus, & ex inobedientia magnum est damnum. *Bern.* Magnum inobedientiæ vitium, quo Angelus cœlum, homo paradisum, Saul regnum, Salomon amorem perdidit diuinum. Magna autem virtus, quando nihil habet de suo in prosperis. *Bern.* Tantò maius habet meritum, quantò minus haber propriæ voluntatis admixtum. *Hieronym.* Quantum propriæ voluntati subtraxeris, tantum virtuti adiicies. 12. *Multiplex damnum ex inobedientia.*

Et Israël, cui tantum beneficium contuli, quod Israël ipsum vocaui, *non intendit mihi*, tanto beneficio & tali. *Zachar.* 7. Noluerunt attendere, & auerterunt scapulam recedentes. Et nota, quòd vocem clamantis Dei non audiuit Israël, id est, clerici Deum videntes. Primò quia surdi sunt. *Isa.* 42. Quis surdus nisi seruus meus? Et propter hoc in eodem: Surdi audite, *Quare clerici non audiunt vocem Dei.*

audite, & cæci intuemini ad videndum. Clerici aures obturant & tegunt amore peccati, timore ſatisfaciendi. *Pſal.* Sicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas: vna in terra, amore ſcilicet terrenorum: alia in cauda, timore ſcilicet finiendi peccatum, & ſatisfaciendi, quia in tumultu ſunt voluptatum & cogitationum tumultuantium. Ob hoc Dominus volens curare ſurdum, & mutum, eduxit illum extra turbam. *Matth.* 9. Quia non attendunt, ſed aliis occupati ſunt, ſicut hic. Non ſic ſurdi illi, de quibus *Baruch.*1. Aures omnis populi erectæ erant ad librum. Quia dormiunt in peccatis ſuis. *Eccleſ.*22. Cum dormiente loquitur, qui enarrat ſtulto ſapientiam. Quia neſciunt intelligere linguam Dei, quæ non eſt de terra, ſicut ipſi terreni ſunt. *Ioan.*3. Qui de terra eſt, de terra loquitur. *Pſal.* Neſciunt nec intelligunt. Quia nolunt ex certa malitia. Hi ſunt filij diaboli, de quibus *Ioan.* 8. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. *Pſal.* Noluit intelligere vt bene ageret.

13. *Et dimiſi eos.* Hîc tertium huius partis, ſcilicet pœna pro contemptu tanti beneficij. Et primò tangit pœnam damni, quæ eſt in amiſſione boni iam habiti. Secundò pœnam ſenſus, ibi, *Et erit tempus.* In prima duo. Primò amiſſio boni iam habiti. Secundò habendi, ſi per eos non ſtetiſſet, ibi, *Si populus meus.* In prima duo. Primò amiſſio & ſubtractio gratiæ conſeruantis eos. Secundò effectus ſequens ex amiſſione illa, ibi, *Ibunt in adinuentionibus ſuis.* Dicit ergo: Sic contempſerunt vocem meam, & propter hoc *dimiſi eos*, gratiam ſubtrahendo, *ſecundum deſideria cordis eorum*, vt non refrænarent illa. Ad *Rom.* 1. Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum. Deſideria animam occidentia, ſecundum illud *Prou.* 22. Deſideria occidunt pigrum. Propter hoc dicit Petrus 1. *Petr.* 2. Obſecro vos abſtinere à carnalibus deſideriis, quæ militant adueꝛſus animam. Et hoc eſt magna indignatio & ira Dei. 2. *Machab.6.* Et enim multo tempore non ſinere peccatoribus ex ſententia agere, ſed ſtatim vltionem adhibere, magni beneficij indicium eſt. *Auguſt.* Magna ira Dei eſt peccantes non corrigere, non flagellare eum delinquentes. *Exod.*16. Zelus meus receſſit à te, tibi non iraſcetur amplius.

Magna indignatio Dei, peccantes nõ corrigere.

Ibunt in adinuentionibus. Hîc ſecundum, effectus ſequens ex dimiſſione. Quaſi diceret: Sic dimiſi, & ob hoc *ibunt* ad libitum, *in adinuentionibus ſuis* degentes, & viuentes, contra illud *Eccleſ.* 28. Fili, poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Et ſecundum illud *Eccleſ.*30. Filius remiſſus (ferè dixiſſet dimiſſus) vadet in præceps, ruendo in peccatum. Adinuentiones autem appellat peccatum, quæ contra Deum ſunt. *Iſa.*3. Adinuentiones eorum contra Dominum. Sed *Oſe.*12. dicitur: Iuxta adinuentiones eorum reddet eis peccatum. Dicitur autem adinuentio, quia non eſt factum, vel creatum à Deo, ſed à diabolo, & homo adinuenit illud. *Auguſt. de Eccleſ. Dog.* Malum à Deo non eſt creatum, nec factum, ſed à diabolo vel homine eſt inuentum.

14. *Si populus meus.* Hîc oſtenditur amiſſio boni habendi ſi per eum non ſtetiſſet: in quo dicuntur tria. Primò quaſi cauſa ad beneficium cum conditione. Secundò beneficium, ibi, *Pro nihilo.* Tertiò deſtructio cauſæ, ibi, *Inimici.* Cauſa autem tangitur duplex. Primò inobedientia minorum. Secundò maiorum, ibi, *Iſraël.* Dicit ergo: Sic dimiſi eos, & etiam aliud damnum: quia *ſi populus meus*, minores ſcilicet in Iudæis, *audiſſet me*, clamantem per Baruch in 3. Audi Iſraël mandata Dei. *Et ſi Iſraël*, maiores ſcilicet in Iudæis, *ambulaſſet in viis meis*, id eſt, in mandatis & præceptis quibus itur ad vitam. *Matth.*19. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. *Baruch.*3. Si in via Dei ambulaſſes, habitaſſes vtique ſuper terram in pace.

Pro nihilo forſitan. Ecce beneficium ſequutum, ſcilicet inimicorum deiectio ſiue humiliatio. Secundò humiliatorum afflictio & tribulatio. *Et ſuper tribulantes.* Dicit enim: Si hoc feciſſent, humiliaſſem inimicos eorum, & hoc *pro nihilo*, id eſt, gratis. Vel *pro nihilo*, id eſt, vſque ad nihilum illos deducendo, ſecundum illud *Pſal.* Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus. Et alibi: Ad nihilum deuenient tanquam aqua decurrens. *Ezech.*26. Ad nihilum redigam te, & non eris. *Zachar.*9. Humiliabitur ſuperbia Aſſur. Et hoc *forſitan*, nec eſt dubitatiuum, imò magis ironicum, vel deriſorium. 15.

Et ſuper tribulantes eos, opere: inimici enim magis dicuntur, qui odiunt corde: *miſiſſem manum meam*, ipſos tribulando. *Deut.*8. Dabit Deus inimicos tuos, & qui conſurgent aduerſum te corruentes in conſpectu tuo. *Exod.*5. Oſtendiſti manum, & deuorauit eos terræ. *Mich.*1. Affliget affligentes nos, & contumeliam facientes in ſuperbia.

Inimici Domini. Hîc tertium, deſtructio cauſæ. Quaſi diceret: Si obediſſent, ſic feciſſem: ſed nunquid obedierunt? Non, imò *inimici Domini mentiti ſunt*, in omnibus quæ promiſerant ſe ſeruaturos. Qui ſunt inimici, dicit *Iacob.*4. Amicus huius mundi, inimicus Dei conſtituitur. Hi Domino mentiuntur. *Pſal.* Filij alieni, id eſt, alienati, mentiti ſunt mihi. *Act.*5. Cur tentauit cor veſtrum ſatanas, mentiri vos Spiritui ſancto? Mentiti ſunt verbo promittentes in baptiſmate, quod non ſoluerunt in opere. *Ierem.*34. Non obſeruauerunt verba fœderis mei. Sed *Ezech.*17. dicitur: Qui diſſoluit pactum, nunquid effugiet? Et 11. *Ierem.* Irritum fecerunt pactum, quod pepigi cum eis. Mentiti ſunt facto, ſicut illi qui etſi ore teneant fidem, facto tamen impugnãt. Ad *Tit.*1. Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. *Pſal.* Mendaces filij hominum, non tantum in verbis, ſed in ſtateris. Alij mentiuntur ſigno, ſicut hypocritæ, qui prætendunt ſigna ſanctitatis, cum interius nulla ſit: qui poſſunt dicere illud *Iſa.*30. Protecti ſumus mendacio, & mendacium poſuimus ſpem noſtram. 16.

Multis modis homines Domino mẽtiuntur.

Et erit tempus. Hîc tangitur pœna ſenſus. Ait enim: Sic punientur pœna damni, quia mendaces. *Et* etiam *tempus eorum*, in quo affliguntur, erit *in ſæcula illa æterna. Iſa. vlt.* Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. *Matth.* 25. Ite maledicti in ignem æternum. Vel tempus dicit variationem pœnæ.

Quaſi

Quasi diceret : Variatio illorum à pœna in pœnam erit in sæcula , sicut supra *Iob* 24. Transibunt ab aquis niuium ad calorem nimium. *Apocalyps.* 20. Bestia & pseudoprophetæ tribulabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.

Sed contra *Apocal.* 10. Iurauit per viuentem in sæcula sæculorum , quod tempus non erit amplius. Respon. Tempus non erit per mensuram motus primi mobilis ad generationem & corruptionem rerum ordinati : sed tẽpus erit secundum quod sonat in mensuram mutationis & varietatis. Si autem opponatur contra hoc quod dicit , quòd tribulabuntur die ac nocte. Ergo cum dies & nox sint per circuitum solis, adhuc tunc circuibit. Dicendum quod dies appellatur perpetua illuminatio beatorum & regionis superioris, nox verò perpetua tenebra damnatorum. Affligentur ergo mali die , quia carebunt illa : affligentur nocte , quia erunt in illa.

17. *Cibauit eos.* Hîc quartum , in quo subiungitur contemptus aggrauatio per recordationem beneficiorum maximè notabilium , quæ tanguntur duo. Cibatio illorum manna,& potatio aqua dulcissima. *Et de petra.* Dicit ergo: Sic contempserunt & mentiti sunt Deo , & tamen Dominus *cibauit* , id est , cibauerat , *illos ex adipe frumenti* , id est , Manhu , quod ita delicatum erat sicut adeps frumenti. *Exod.* 16. Et satiauit , vel saturauit eos melle , & potauit aqua dulcissima , & suaui sicut mel profluenti de petra , in eodem 16. Vel potest referri ad bonitatem terræ , in qua duxit eos, quæ abundabat in tritico delicato , caseo , & in melle intantum quod de rupibus videretur affluere,in quibus apes mellificabant. *Deut.* 32. Constituit eum super excelsam terram , vt comederet fructus agrorum , vt sugeret mel de petra , & oleum de saxo durissimo , & hircos cum medulla tritici.

Spiritualiter autem hoc improperatur Clericis, & Theologis, maxime autem sacerdotibus. Sacerdotes enim satiat adipe frumenti in altaris sacramento. *Psal.* Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Et alibi : Adipe frumenti satiat te. Scholares autem satiat melle dulcissimo sapientiæ. *Prouerb.* 25. Fili mel inuenisti, comede quantum tibi sufficit. Extende sicut Ionathas summitatem virgæ , acumen mentis tuæ , & gusta , & illuminabuntur oculi tui, sicut sui 1. *Reg.* 14. Melle profluente de petra Christo, de quo 1. ad *Corinth.* 10. Petra autem erat Christus.

Comparatio sapiẽtiæ cum melle. Et bene dicitur *mel* diuina sapientia. Mel enim mundificat, & sapientia Dei. *Ioan.* 15. Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Conseruat maximè fructus à corruptione : sic sapientia Dei. *Prou.* 2. Prudentia seruabit te , vt eruaris à visione mala. Item aposthemata curat : sic scientia manans à Christo , superbiam euacuat , & humiliat. *Psal.* In veritate tua , cognita , sup. humiliasti me. Item penetrat : sic sapientia Dei vsque ad intima. Ad *Hebr.* 4. Viuus est sermo Dei, & efficax , & penetrabilior omni gladio ancipiti. Amaras potiones sui admixtione dulcorat: sic sapientia amaram pœnitentiam reddit dulcem. Hæc est farinula Elisei , quæ dulcorauit pulmentum. 4. *Reg.* 5. Item dulce est : nemo dubitat. Et *Psal.* dicit : Quam dulcia faucibus meis eloquia tua. *Eccles.* 6. Vetbum dulce multiplicat amicos. Et est naturâ calidum : sic sapientia Dei. *Ierem.* 23. Nonne verba mea quasi ignis , &c. His ergo cibis interim suos Deus reficit. Donec eos melle diuinitatis suæ abundanter reficiat in patria illa, ad quam nos perducat qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

IN LXXXI. PSALMVM.

Psalmus Asaph.

Argumentũ Psalmi, cæcitas Synagogæ.

D*Eus stetit in synagoga.* Hic est Psalmus 81. in toto , 31. in secunda parte libri. Cum enim in præcedenti Psalmo suos inuitauerit vt terrenis contemptis , ad cœlestia eleuentur, & malos redarguerit , quia iacent in infimis , & damna, quæ inde assequentur , ostenderit,consequenter in hoc Psalmo mirabilem eorum excæcationem ostendit , quòd habentes præsentem saluatorem,vel præsentialiter instruentem, non cognouerunt , nec Deum crediderunt , sed tanquam purum hominem spreuerunt , & abdicauerunt. Et præponitur titulus communis : *Psalmus Asaph.* Hoc est : Hic Psalmus Synagogæ excæcatæ , Deum præsentialiter habenti , & non cognoscenti competit , & ei est cantandus. 1.

Diuiditur autem Psalmus in duas partes. Primò monstratur Synagogæ excæcatio , quæ nec præsentem Dominum corporaliter,nec vtiliter docentem cognouit. Secundò imprecatio contra ipsam , vt Deus illam iudicet,& affligat pro iis quæ commisit, ibi, *Exurge Deus , iudica terram.* In prima duo. Primò ostenditur spreuisse , & cognouisse præsentem. Secundò docentem,ibi, *Ego dixi.* In prima duo:monstratur Dei præsentia , & arguuntur & monentur. Secundò illorum excæcatio & ignorantia , ibi, *Nescierunt.* In prima tria. Primò prophetat eius præsentiam , loquens de ea tanquam de iam exhibita. Secundò increpat Synagogam contemnentem eius præsentiam , ibi , *Vsquequo iudicatis ?* Tertiò monet ad iudicij rectitudinem , ibi , *Iudicate egeno.* In prima duo. Primò prædicat Dei præsentiam futuram in medio Iudæorum. Secundò innuit præsentis vtilitatem & virtutem , ibi , *In medio autem.*

Dicit ergo : Sic vos boni exultetis in Deo, & mali confundantur in seipsis , terrenis adhærentes , quia *Deus* ipse per propriam præsentiam in humanitate *stetit.*

Deus multipliciter stare dicitur. Notandum autem , quòd Deus stat per diuinitatis immutabilitatem. *Boëtius* ,

Stabilisque manens dat cuncta moueri.

Luc. 18. Stans autem IESVS iussit cæcum adduci ad se. *Glossa* , Stat vt Deus. Stat per iudicij exequutionem , secundum illud *Isa.* 3. Stat ad iudicandum populos Dominus. Stat ad intima cordis per ipsius expectationem ad bonum. *Apocalyps.* 3. Sto ad ostium , & pulso , si quis mihi aperuerit , &c. Stat per naturæ immortalis

talis incorruptionem. *Ioan.* 20. Stabat autem IESVS in litore maris. Per auxilij promptitudinem. *Act.* 7. Video cœlos apertos, dixit Stephanus, & IESVM ſtantem, &c. Stat per præſentiæ exhibitionem in carne, ſecundum quod hîc dicitur. *Deus* ergo *ſtetit in ſynagoga.* Nota ſecundum Auguſtinum, quod eſt congregatio, & conuocatio, & ſynagoga, & Eccleſia. Congregatio eſt quorumcumque animalium & rerum adunatio, conuocatio verò rationabilium, ſed ſynagoga rationabilium ſub lege timoris viuentium, Eccleſia ſub lege gratiæ & amoris. *In ſynagoga ſtetit deorum*, id eſt, Iudæorum, qui dicuntur dij quadam adoptionis prærogatiua, ſicut infra dicetur. *Ego dixi, Dij eſtis*, &c. Vel deos dicit maiores Iudæorum, & prælatos eorum, inter quos frequenter ſtetit. *Exod.* 22. Diis non detrahes: debent enim eſſe toti deiformes, & conformes Deo, per legis ſcientiam & vitam & gratiam.

In medio autem. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Stetit in ſynagoga, & ad quid? Ecce, *in medio*, exiſtens, ſup. *diudicat*, id eſt, diſcernit in iudicio diſcretionis. *Diiudicat*, de quo in *Pſal.* alibi: Iudica me Deus, & diſcerne, &c. *Deos*, id eſt, Iudæos, vel Iudæorum maiores, & prælatos, hos faciens vaſa gloriæ in honorem, alios vaſa vilitatis in contumeliam. Ad *Roman.* 9. Non quia hoc meruerunt qui fiunt vaſa gloriæ in honorem, ſed hoc tantum ex gratia. 1. ad *Corinth.* 4. Quid habes quod non accepiſti? *Iacob.* 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, &c. *Ioan.* 9. Ego in iudicio veni in mundum, vt qui non vident, &c. Libenter autem eſt in medio, ſicut alibi dictum eſt, & maximè deorum, ſcilicet hominum ſpiritualium, Deo fidelium. *Matth.* 18. Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum ſum.

2. *Vſquequo iudicatis?* Hic ſecundum, in quo monſtrata Dei præſentia, arguitur Iudæorum peruerſitas, & malitia. Et primò in maioribus ipſum purum hominem iudicantibus. Secundò in minoribus maioribus aſſentientibus, ibi, *Et facies.* Ait ergo: Sic Deus ſtetit in medio: & vos iudices populi *iudicatis iniquitatem*, dicentes ipſum hominem purum, & non Deum. *Iſa.* 5. Expectaui vt facerent iudicium, iudicando de me rectum, ſicut eſt, & ecce iniquitas. *Mich.* 3. Audite iudices domus Iſraël, qui abominamini iudicium, & omnia recta peruertitis. *Et* vos minores, *ſumitis facies*, id eſt, ſimilitudines, *peccatorum*, maiorum veſtrorum, quos imitamini occidendo Chriſtum, & petendo vt interficiatur: hic eſt enim vnus modus ſumendi faciem. Sumunt etiam facies in perſonarum acceptione, quando propter exteriora aliquis honoratur. *Prouerb.* 28. Qui cognoſcit in iudicio faciem, non bene facit. In ſanctitatis ſimulatione. *Mala.* 1. Non ſeruaſtis vias meas, & accepiſtis faciem in lege. In peccatorum perpetratione: in iniuſtitia enim faciem accipit, qui iniquitatem facit. *Naum* 2. Facies eorum ſicut nigredo. In malorum imitatione, ſicut accipitur hîc. *Eccleſ.* 4. Ne accipias faciem contra faciem tuam. Sed hoc vſquequo? In *Pſal.* ſuprà: Filij hominum vſquequo graui corde?

3. *Iudicate egeno.* Hîc tertium, ſcilicet in quo monet argutos: & dicuntur tria. Primò monet de Chriſto rectè in corde ſentire. Secundò hoc ipſum confiteri ore, ibi, *Pauperem & humilem.* Tertiò opere demonſtrare, ibi, *Eripite pauperem.* Dicit ergo: Sic male iudicatis, & maiores & minores, ſed moneo, *iudicate egeno*, id eſt, ad honorem egeni facti propter vos, Chriſti ſcilicet. 2. ad *Corinth.* 8. Qui cum eſſet dives in omnibus, pro nobis egenus factus eſt. *Et pupillo*, id eſt, Chriſto, qui in terris ſine patre, cum tamen matrem habuerit. *Exod.* 22. præceptum erat eis: Pupillo non nocebitis. Et arguuntur ſuper hoc *Iſa.* 1. Pupillo non iudicant, ipſi Chriſto: & cauſa viduæ, id eſt, Eccleſiæ, ad eos non ingreditur.

Nec tantum ſic iudicetis corde, imò *humilem* ſpiritu, *& pauperem* rebus, ipſum ſcilicet Chriſtum, qui talis fuit, *iuſtificate*, iuſtum prædicate. Humilis fuit. *Matth.* 9. Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Pauper. *Matth.* 8. & *Luc.* 9. Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. Hic iuſtificandus iuſtus, prædicandus iuſtus. *Ierem.* 22. Et hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter. Propter quod intulit *Matth.* 11. Iuſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis. Sed à malis? Non. Imo magis è contrario, mali iuſtificantur, & boni condemnantur. *Iſa.* 5. Væ qui iuſtificatis impium pro numeribus, & iuſtitiam iuſti auferris ab eo.

Eripite pauperem. Hîc tertium, in quo monet hoc ipſum opere demonſtrare: & dicuntur duo. Primò monet vt Chriſtum eripiant. Secundò à quibus ipſum debent eripere. *Et egenum.* Dicit ergo: Sic iuſtum prædicate Chriſtum, & etiam *pauperem*, Chriſtum, *eripite* à à morte. *Prouerb.* 24. Erue eos qui ducuntur ad mortem, & eos qui trahuntur ad interitum, liberare ne ceſſes. *Iob* 37. Eripiat pauperem de anguſtia. 4.

Et egenum liberate de manu peccatoris, ipſum crucifigentis. *Eccleſ.* 4. Libera eum qui iniuſtitiam de manu ſuperbi patitur. *Iob* 22. Liberate oppreſſum de manu calumniatoris.

Neſcierunt, nec intellexerunt. Hic ſecundum illius partis, in quo oſtenduntur non cognouiſſe præſentem: præmiſſa enim Chriſti præſentiâ, ſubiungitur hîc illorum excæcatio & ignorãtia: & dicuntur duo. Primò excæcatio. Secundò vehementia excæcationis, ibi, *In tenebris.* In prima duo. Primò, quòd neſcierunt. Secundò, quòd nec ſcire voluerunt. *Nec intellexerunt.* Dicit ergo: Sic Deus ſtetit coram ipſis, & ipſi neſcierunt eum eſſe Deum verum, & redemptorem ſuum. 1. ad *Corinth.* 1. Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. *Iſa.* 23. Præ vino neſcierunt, præ ebrietate errauerunt. 5.

Nec intellexerunt, id eſt, intelligere noluerunt. Intelligere enim eſt intellectum ad aliquid applicare. *Pſal.* Noluit intelligere vt bene ageret. *Iſa.* 44. Neſcierunt, neque intellexerunt, obliti ſunt vt non videant oculi eorum, & intelligant corde.

In tenebris ambulant. Hîc tangit cauſam. Quaſi diceret: Sic neſciunt, nec ſcire volunt, quia *ambulant* ſuauiter & delectabiliter *in*

tenebris

tenebris miseriæ & culpæ. *Ioan.*12. Qui in tenebris ambulat, nescit quò vadat.

Mouebuntur. Hîc monstratur vehementia cæcitatis & ignorantiæ, maximè secundum secundam literam, quæ est: Sic in tenebris ambulant. Et tamen *fundamenta terræ* ad literam *mouebuntur*, ipsis scientibus & videntibus, ipso patiente. *Matth.*27. *Iob* 9. Qui commouet terram de loco suo. Ipsis etiam excæcatis mouebuntur *fundamenta terræ*, illi scilicet qui erunt in fundamento terrenitatis, scilicet Gentiles. *Psal.* Commouisti terram, & conturbasti eam, sana, &c. Fundamenta etiam terræ, in terrenis fundati, quæ sunt vana, mouebuntur in fine valde crudeliter. *Iob* 4. Qui terrenum habent fundamentum, velut à tinea consumentur.

6. *Ego dixi: Dij estis.* Hîc secundum primæ partis totius Psalmi, in quo postquam egit de præsentia, agit de doctrina. Duo ergo dicuntur, quæ illis proposuit. Primò eorum dignitatem. Secundò tandem casum & miseriam. *Vos autem sicut.* Dignitas monstratur in duobus: in conformitate cum Deo si voluerint, & iusta regni expectatione, ibi, *Et filij.* Dicit ergo: Sic præsens fuit coram populo suo, & mutat personam introducens loquentem. Et cum *ego dixi* vobis, vel bonis specialiter, vel omnibus si vellent generaliter, *Dij estis*, id est, diuini facti, & conformes Deo per gratiæ adeptionem. Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, videtur tangere generis nobilitatem magnam, & excellentiam nominis hæreditatis, cum addit: *Et estis filij Excelsi. Ioan.*1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri. *Exod.*4. Primogenitus meus Israël. *Isa.* 1. Filios enutriui, & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me. Ad *Rom.*9. Non qui filij carnis, ij reputantur in semine. *Rom.*8. Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, &c.

7. *Vos autem sicut homines.* Hîc secundum. Præmissa enim excellenti eorum dignitate, subiungit de miseria & afflictione eorum: & tangitur duplex afflictio. Per temporalem mortem, sicut parentis primi. Per æternam damnationem, sicut diaboli, ibi, *Et sicut vnus.* Dicit ergo: Sic estis dij, & Dei filij: *Vos autem moriemini*, primi parentes morte temporali, *sicut homines*, quia nunc homines estis, vt sonet in corruptionem & culpæ & miseriæ, sicut 1.*Cor.*3. Nonne carnales estis? nonne homines estis? Nec tantum moriemini, sed etiam in peccato. *Ioan.*8. Quæretis me, & non inuenietis, & in peccato vestro moriemini. Et sine spe ad gratiam redeundi. *Prou.* 12. Mortuo homine impio, nulla erit vlterius spes.

Et sicut vnus. Ecce secundum. Quasi diceret: Sic moriemini, & post *cadetis* in infernum, *sicut vnus de principibus*, dæmonibus scilicet, hoc est, irrecuperabiliter, sicut illi principes dæmones dicuntur, quia malis sine dubio principantur. *Ioan.*14. Venit princeps mundi huius, &c. Et in 12. Princeps huius mundi eiicietur foras. Ad *Ephes.*3. Ambulastis secundum principem sæculi huius, qui operatur in filios diffidentiæ. Et in vlt. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum. Hi ceciderunt turpiter. *Luc.*10. Videbam satanam, quasi fulgur de cœlo cadentem. Vel principes ad literam dicit. Ipsi citò moriuntur. *Eccles.*10. Omnis potentatus breuis vita. Et in *Psal.* Tanquam fœnum velociter arescent. Moriemini ergo citò sicut principes, & ita affligemini sicut illi. *Sap.*18. Simili pœna seruus cum Domino afflictus est.

8. *Exurge Deus.* Hîc est secunda pars totius huius Psalmi, sicut superiùs dictum fuit, in qua postquam præcessit narratio de populi illius voluntaria excæcatione, subiungitur imprecatio: & dicuntur duo. Primò imprecatio, vt iudicet iudicio damnationis obstinatos Iudæos. Secundò responsio dubitationis, quæ posset oriri, ibi, *Quoniam tu hæreditabis.* In prima duo. Primò petitur præparatio ad iudicium. Secundò ipsum iudicium. *Et iudica terram.* Ait ergo: Sic voluntariè sunt excæcati: vnde rogo Domine confirma voluntatem meam voluntati tuæ, non vindictam sitiens, *exurge*, ad iudicandum præpara te: & tunc *iudica terram* vindicta, scilicet iudicio damnationis. *Psal.* Exurge Deus, iudica causam meam. *Isa.*2. Cum surrexerit Dominus percutere terram. *Oseæ* 4. Iudicium Domini cum habitatoribus terræ.

Quoniam tu hæreditabis. Ecce secundum. Quasi diceret quis: Quomodo hoc faciet, cùm hæc gens sit eius hæreditas? *Isa.*19. Hæreditas mea Israël. Et responderet: Hoc facere potest: *quoniam tu hæreditabis*, illis repulsis, *in omnibus Gentibus*, id est, in omni genere Gentium. *Malach.*1. In omni loco sacrificatur, & offertur oblatio munda nomini meo, quia nomen meum magnum est in Gentibus.

Vel sic: Hæreditabis in omnibus Gentibus, aliquibus de omni Gente hæreditatem æternam dabis. Non remanebit vacua si Iudæos repuleris. 1.*Petr.*1. Regenerauit nos in spem viuam, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam. *Hebr.*9. Repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis, ad quam nos perducat verus hæres IESVS CHRISTVS, qui est benedictus, &c.

IN LXXXII. PSALMVM.

Canticum Psalmi Asaph.

1. DEus quis similis erit tibi? Hic est Psalmus 82. in toto libro, in secunda vero parte 32. Cum enim in Psalmo præcedenti de obstinatione & cordis excæcatione malos redarguerit, & imprecatus eis fuerit in generali, hîc diffusiùs agit de eorum malitia, & persequutione bonorum, & vltione tandem accepta de ipsis, vel accipienda, vnde lætitia erit iustis, secundum illud *Psal.* Lætabitur iustus cum viderit vindictam, &c. Et hoc innuitur satis in titulo, qui talis est: *Canticum Psalmi Asaph.* Est enim sensus: *Psalmi Canticum*, hoc est, quod cantandum *Asaph*, iustorum congregationi, propter vltionem inimicorum suorum, quæ ibi continetur, est *canticum Psalmi* consequutiuum. Primò enim cantabitur in musico instrumento, psalterio scilicet. Secundò in voce & choro. Est etiam canticum Psalmi: quia inuitat ad lætitiam, quæ in cantico, & operationem bonam, quæ in Psalmo notatur.

Psalmus imprecatur Ecclesiæ persequutoribus.

Diuiditur autem Psalmus in partes duas.

Primò imprecando inimicis deſcribit illorum malitiam contra ſanctos fideles. Secundò determinat pœnam, qua vult illos puniri, ibi, *Fac illis ſicut Madian.* In prima duo. Primò petitio vt vindicet. Secundò petitionis ratio. *Quoniam ecce inimici.* In prima duo. Primò captat beneuolentiam. Secundò orat, ibi, *Ne taceas.* Dicit ergo: Sic obſtinati ſunt inimici: ſed ô *Deus*, Chriſtus ſcilicet, *quis ſimilis erit tibi?* in fortitudine inter omnes homines ad iudicium venientes. Quaſi diceret: Nullus. *Exod.*15. Nullus ſimilis tibi in fortibus Domine, nullus in dignitate & claritate. *Auguſt.* Multis in humilitate ſimilis eſſe voluiſti, etiam ipſis latronibus tecum crucifixis. Ad *Phil.*2. In ſimilitudinem hominum factus, &c. Sed in claritate cum veneris, quis erit ſimilis tibi? Non erit ſimilis in ſapientia, & diſcuſſione eorum quæ ad iudicium pertinent. *Iob* 29. Non eſt ſimilis ei in legiſlatoribus.

Ne taceas. Hîc petitio, & petit duo. Primò, quòd afflictionem & vindictam penitus non omittat. Secundò, quòd nec etiam intentet, ſed fortiter ipſos percutiat. *Nec compeſcaris.* Dicit ergo: Sic Domine nullus tibi ſimilis, & propter hoc rogo, *ne taceas*, eorum nequitias diſſimulando penitus, ſicut taces. Diu enim & ſatis tacuiſti. *Iſa.*42. Silui, ſemper tacui: quaſi parturiens loquar. Et 57. Ego tacens, & quaſi non videns. *Abac.*1. Quare taces impio deuorante iuſtiorem ſe? Et reſpondet *Iſa.*42. Vociferabitur & clamabit ſuper inimicos ſuos. Mihi etiam roganti non taceas. Tunc enim Dominus roganti tacet, quando quod rogatur, non implet. Suprà in *Pſal.* Deus meus, ne ſileas à me, nequandò taceas à me. *Nec compeſcaris*, refrænando te. Vnde alia litera: Ne mitiges, nec miteſcas ſuper impios. Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non nouerunt.

Vel in bono: & eſt bona petitio, *ne taceas*, à doctrina, quam ſemper me doceas, implens illud *Iſa.*3. Non faciet vltrà auolare à te doctorem tuum. *Nec compeſcaris*, à flagellando. *Auguſt.* Hîc vre, hîc ſeca. *Ierem.*10. Corripe me Domine, verumtamen in iudicio, & non in furore tuo. Per hæc duo reformatur in nobis Dei imago: per doctrinam intellectus illuminatur, per flagella affectus humiliatur.

Quoniam ecce inimici. Hîc ſecundum, ſcilicet ratio, quare non debet acquieſcere, & quâ
3. mouetur ad irrogandum. Et eſt prima illorum malitia, quam primò tangit. Secundò concordia multorum in illa, quod tangitur ibi, *Quoniam cogitauerunt.* Item in prima primò tangitur malitia & culpa in Deum. Secundò in populum Dei, ibi, *Et ſuper populum tuum.* In prima duo, ſecundum duplicem malitiam illorum, quam tangit. Primò quia doctrinam Chriſti, & Eccleſiæ abiiciunt. Secundò quia vanum dictum extollunt, & introducere intendunt. Et loquitur ac ſi eſſet in tempore Anti-Chriſti. *Qui oderunt te.* Dicit ergo: Sic afflige, & dignum eſt, *quoniam ecce*, in aperto, *inimici tui ſonuerunt*, contradicendo veritati in Eccleſia prædicatæ. Inimici Eccleſiæ primò circumdant & ambiunt Eccleſiam. *Luc.*19. Circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te. Poſtea ſonant clamando indiſcretè. *Pſal.* Multitudo ſonitus aquarum, &c. Sed *Iſa.*17. Væ multitudini populorum multorum, vt multitudo maris ſonantis: & tumultus turbarum, ſicut ſonitus aquarum multarum.

Et qui oderunt te. Ecce ſecundum, in quo ſubiungit, quòd etiam Deum alienum extollunt, ſicut in Anti-Chriſto fiet. Ait enim: Sic ſonant, *& qui oderant te:* aliqui enim tales ſunt. Suprà in *Pſal.* Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper. *Ioan.*15. Nolite mirari ſi odit vos mundus: ſcitote quia priorem, &c. Tales extulerunt caput ſuum ſuper Anti-Chriſtum, dicentes ipſum eſſe Deum & prædicantes. *Dan.* 11. Eleuabitur & magnificabitur aduerſus omnem Deum, & aduerſus Deum deorum loquetur. 1. ad *Theſſ.* 2. Aduerſatur, & extollitur ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Hoc eſt enim maledictum caput, de quo *Abac.*3. Maledixiſti capiti bellatorum eius. Et habebit alia ſub ſe capita, de quibus in *Pſal.* Conquaſſabit capita, &c.

Et nota, quòd caput in ſcriptura aliquandò accipitur propriè, ſicut *Matth.*27. Et tranſeuntes mouerunt capita ſua dicentes. Aliquando impropriè, & tranſumptiuè, & in bono, Deus. 1.ad *Corinth.*11. Caput Chriſti Deus. Hoc eſt caput in Chriſto, in illa perſona ipſe Chriſtus. In eodem: Caput viri Chriſtus. Et in *Pſal.* Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei. Quicumque ſponſus. In eodem, Caput mulieris vir. In malo: Initium diabolicæ ſuggeſtionis. *Geneſ.* 3. Ipſa conteret caput tuum. Peccatum ſuperbiæ, & elationis. In *Pſal.* ſuprà: Contribulaſti capita draconis in aquis. Ipſe diabolus. *Abac.* 3. Percuſſiſti caput de domo impij. Indifferens, ratio & mens. *Pſal.* Impinguaſti in oleo caput meum. *Caput ſumitur in bonâ & in malâ partem.*

Super populum tuum. Hîc ſecundum, in quo monſtratur malitia eorum in Dei populum, & 4.
primò cordis, ſecundò oris. *Dixerunt*, *Venite.* In prima duo. Primò maligna cogitatio, & deliberatiua contra omnes generaliter. Secundò contra ſanctos Dei ſpecialiter. *Cogitauerunt.* Ait enim: contra te fecerunt ô Deus, & etiam *ſuper populum tuum*, opprimendum, ſup. *malignauerunt*, malignum fecerunt conſilium. Hi erunt homines mundani. 1. *Ioan. vlt.* Totus mundus in maligno poſitus eſt. *Prou.*12. Conſilia impiorum fraudulenta. Propter hoc dicitur in *Pſal.* de illis: Abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis. *Et cogitauerunt aduerſus ſanctos tuos*, quomodò eos deſtruerent. Alibi in *Pſal.* Cogitauerunt, & loquuti ſunt nequitiam. *Thren.* 3. Vidiſti cogitationes eorum aduerſum me, dicit ſanctorum congregatio.

Dixerunt, *Venite.* Hîc malitia oris tangitur, quæ fuit in duobus. In inuitatione mutua ad 5.
populos diſpergendum. Secundò ad annihilandum penitus, quantum in illis eſt, ibi, *Et non memoretur.* Dicit ergo: Sic corde cogitauerunt, & *dixerunt* ore, ſe mutuò exhortando: *Venite*, *& diſperdamus eos*, ſanctos ſcilicet Dei, *de gente.* Hoc eſt inuitatorium diabolicum. *Sapient.*2. Dixerunt apud ſe non rectè cogitantes: Venite circumueniamus iuſtum. Et *Ierem.*11. Dixerunt impij: Venite, eradamus eum de terra viuentium. Inuitatorium autem carnis *Inuitatoriũ diaboli, carnis, & mũdi.*

eſt

eſt illud. *Sapient.*2. Venite, fruamur bonis quæ ſunt, tanquam, &c. Et poſt: Non ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Inuitatorium autem mundi. *Prouerb.*1. Venite inſidiemur ſanguini, omnem pretioſam ſubſtantiam reperiemus. *Exod.*1. Venite, ſapienter opprimamus eos.

6. *Quoniam cogitauerunt.* Hîc ſecundum, in quo tacta eorum malitia, hîc tangitur ipſorum in malo concordia vniuerſalis. Et primò tangitur illorum concordia ad malum. Secundò ſignanter nominantur qui concordant in illud. *Aduerſum te teſtamentum.* Ait enim: Sic corde, ore, & opere maligni ſunt, propter quod non compeſcaris. Et etiam, *quoniam cogitauerunt* interius deliberando, *vnanimiter*, ſimul. Vnanimitas refertur ad identitatem cordium & animorum, ſimul ad congregationem & vniuerſalitatem perſonarum. *Dan. vltim.* Congregati ſunt Babylonij ad Regem, & dixerunt: Trade nobis Danielem. Mali enim primò rumpunt confœderationem, quam habent cum Deo & & ſanctis, & poſt confœderantur contra Deum & ſanctos cum ipſo diabolo. *Iſa.*28. Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. *Iſa.* 3. Congregati ſunt ibi milui alter ad alterum, & fortiter adinuicem colligati. *Iud.* 15. Vulpes Samſonis, etſi diuerſas habebant facies, habebant tamen caudas adinuicem colligatas. *Iob* 40. Nerui teſticulorum Leuiathan, illi per quos diabolus generat, perplexi ſunt. Et ſicut dicit *Hieronymus*, magna confuſio, quòd vix inueniuntur boni ita coniuncti ad bonum, ſicut membra diaboli feruent & vniuntur ad malum. *Hieron.* Infelix populus, qui non habet tantam in bono concordiam, quantam mali in malo: omnia enim ſuſtinent mali diſcrimina, vt ſuas compleant voluntates.

Aduerſum te teſtamentum. Hîc ſecundum, ſpecificatio illorum, qui congregantur, & tangit vndecim gentes, in quibus 11. vitia deſignantur, quibus impugnatur Deus. Ait enim: Hoc dixi, quòd ſimul cogitauerunt, & etiam *tabernacula Idumæorum*, id eſt, Idumæi, qui in tabernaculis habitabant, ſicut eorum pater Edom, id eſt, Eſaü. *Cantic.*1. Nigra ſum, ſed formoſa ſicut tabernacula Cedar, *diſpoſuerunt teſtamentum*, id eſt, indiſſolubiliter ordinauerunt, ſicut teſtamentum indiſſolubile. *Sap.*1. Sponſiones poſuerunt ad illam, mortem ſcilicet, vt coniuuant ſimul. Et hoc *aduerſum te* coniurando. *Iſa.* 8. Quidquid loquitur populus iſte, coniuratio eſt. Idumæus autem interpretatur ſanguineus, & ſignificat homicidas, qui ſanguinei rectè dicuntur, quia ſanguinis effuſores: & his Dominus minatur tanquam inimicis. *Iſa.*34. Ecce ſuper Idumæam deſcendit gladius, & ſuper populum interfectionis.

Vndecim vitia vndecim gentibus deſignata.

Et Iſmaëlitæ ſimiliter diſpoſuerunt teſtamentum, ſup. ab iſto deſcenderunt, qui populum Dei impugnauerat, ſecundum illud quod dictum eſt *Geneſ.* 16. Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum: & ſignat ſchiſmaticos & rebelles. Interpretatur autem Iſmaël obediens ſibi, & ſignat guloſos, qui deos faciunt ventres, quibus in omnibus obediunt. Ad *Phil.* 3. Quorum Deus venter eſt. Sed horum tabernacula ſic diſponentium teſtamentum contra Deum, deſtruentur. *Iob* 9. Tabernaculum impiorum non ſubſiſtit. *Iſa.* 28. Aufertur ſicut tabernaculum vnius noctis.

Moab & ab agarem ad literam cum illis fuerunt. Sed per Moab, qui interpretatur ex patre, ſignantur hæretici, quibus propriè dicitur illud *Ioan.* 8. Vos ex patre diabolo eſtis. Et maxime, quia omnes ſunt ſuperbi: & de Moab dicitur *Iſa.*16. Audiuimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valdè. Item ex adulterio nati fuerunt Moabitæ: ſic hæretici generantur ex adulterio cum ſcriptura. 2. ad *Corinth.*3. Non ſumus, ſicut Doctores plurimi hæreticorum, adulterantes verbum Dei. 7.

Agarem, ad literam dicebantur de Agar deſcendentes, & interpretantur ſuſcitantes, feſta, & deſignantur per eos otioſi & pigri, qui non ceſſant ſomniare feſta, vt in illis vacent, non contemplationi, ſed luxuriæ, & crapulæ, & ebrietati. *Thren.*1. Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt ſabbata eius. *Iſa.* 1. Feſtiuitates & ſolemnitates veſtras non feram. *Eccleſiaſt.* 34. Multa mala docuit otioſitas.

Gebal, ad literam quis iſte fuerit ſiue nomen populi vel perſonæ, non recolo me legiſſe. Dicunt autem quidam magiſtrorum, quod populus quidam, id eſt, Lebal. Lebal autem interpretatur, ſicut vult *Gloſſa*, vallis vana, & deſignat hypocritas, qui vanè humiliantur, ſecundum illud *Eccleſiaſt.* 19. Eſt qui nequiter ſe humiliat, & interiora eius plena ſunt dolo. 8.

Et Ammon, populus qui deſcendit de Loth, per filiam minorem *Geneſ.* 19. Interpretatur populus turbidus, & ſignat iracundos, & pacis turbatores. *Prouerb.* 28. Vir iracundus ſuſcitat rixas: & qui ad indignationem facilis eſt, erit ad peccandum procliuior.

Et Amalec, qui fuit filius Oliphat, primogeniti Eſaü, à quo populus Amalecitarum, contra quem pugnauit populus Dei *Exod.* 13. Interpretatur autem lingens terram, per quod intelliguntur auari. *Mich. vltim.* Lingent puluerem ſicut ſerpens. Et in *Pſal.* Inimici eius terram lingent.

Alienigenæ, id eſt, Philiſtæi: ſic enim accipitur, vt vult *Gloſſa*, vnde Græca litera habet Philiſtiim: & interpretatur Philiſtiim potione cadentes, per quod intelliguntur guloſi, & ebrioſi. *Luc.* 19. Videte ne grauentur corda veſtra crapula, vel ebrietate. *Ioël.* 1. Vlulate ebrij, & flete qui bibitis vinum in dulcedine.

Cum habitantibus Tyrum. Tyrij ad literam vicini erant, & frequenter eos impugnabant. Tyrus enim interpretatur anguſtia. Habitantes ergo Tyrum, ſic in anguſtia exiſtentes: & hi ſunt inuidi, qui omni bono aliorum torquentur, & ipſum ſuum vitium eſt eis tormentum, ſecundum illud:

Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Maius tormentum. *Horatius lib.*1. *epiſt.*

*Ezech.*27. Ventus Auſter, proſperitas ſcilicet viſa à malis, contriuit te ô Tyre.

Etenim Aſſur venit cum illis, ad componendum iſtud peſſimum teſtamentum. De iſto ſcitur

ſcitur quoniam inimicus fuit populo Dei, & ipſum deſtruxit: imò caput fuit omnium aliorum in deſtructione, ipſe ſcilicet Nabuchodonoſor, de quo *Iſa.* 10. Væ Aſſur virga furoris mei,& baculus in manu mea ipſe eſt. Aſſur autem interpretatur tollens robuſtum, vel tollens aſperitatem, & ſignificat luxuriam, quæ fortes emollit & eneruat, ſicut factum eſt in Samſone, qui per mulierem ſic emollitus eſt, vt ab inimicis captus vinceretur. Interpretatur etiam vilitas: & hoc quia hominem vilem reddit. *Irem.* 2. Quam vilis facta es iterans vias tuas! *Eccleſ.* 9. Mulier fornicaria quaſi ſtercur conculcabitur in via.

Facti ſunt in adiutorium filiis Loth, omnibus deſcendentibus de Moab & Ammon ad impugnandum Dei populum. Loth autem declinans interpretatur, & ſignificat apoſtatas declinantes ab eo quod promiſerunt. *Pſal.* Declinantes in obligationes adducet Dominus, &c. Loth etiam interpretatur concluſus, & ſignat deſperantes, qui verè in manibus inimici ſunt concluſi, contra quod Dauid gratias agebat in *Pſal.*ſuprà: Nec concluſiſti me in manibus inimici, ſtatuiſti in loco, &c. Et alibi imprecatur aduerſariis: Conclude aduerſus eos qui perſequuntur me.

Hoſtiũ Dei & Eccleſiæ inſignia.

Et nota,quòd vndecim genera malorum tetigit,vt oſtendat eſſe transgreſſores,tranſgreſſionis enim numerus eſt vndenarius. Vide etiam, quòd iſti omnes venientes ad bellũ contra ſanctos habẽt propria ſigna in vexillis & in ſcutis. Hæretici enim deferunt in vexillo & in ſcuto imaginem lupi. Schiſmatici bubonis, quem omnes aues inuadunt. Superbi vnicornis. Accidioſi & pigri gliris, quod eſt animal quod adorauit Cato menſe vno. Hypocritæ ſcorpionis, qui blanditur facie, ſed cauda pungit acerrimè. Iracũdi leonis. Auari talpæ,quæ non ceſſat terram ſuper ſe fodere. Guloſi porci. Inuidi tigris, quia dicitur quod fœtibus ſuis nigris inuidet. Luxurioſi aſini, vel hyenæ. Deſperantes, hominis ſe in fluuium præcipitantis, vel laqueo ſuſpendentis.

10. *Fac illis ſicut Madian.* Hic eſt ſecunda pars totius huius Pſalmi, in qua determinat ipſam pœnam, quâ vult eos puniri, ſic in Deum & in ſuum populum inſurgentes:& dicuntur duo. Primò in forma imprecationis pœnas obſtinatorum & incorrigibilium prophetat. Secundò ad incorrigibiles & obſtinatos deſcendit ſpecialiter,ibi, *Imple facies.* In prima duo. Primò imprecatio prophetando pœnam eorum in præſenti. Secundò in futuro, ibi, *Sicut ignis.* In prima duo adhuc. Primò imprecando prophetat eis pœnam mortis temporalis. Secundò captiuitatis, ibi, *Deus meus pone illos.* In prima duo. Primò imprecatur minoribus. Secundò maioribus, ibi, *Pone principes.* In prima duo. Primò imprecando pœnam prophetat.Secundò ſpecificat & determinat quæ eſt illa pœna, ibi, *Diſperierunt in Endor.* In prima dicuntur tria, ſecundum tria exempla, iuxta quæ petit illos puniri. Primò ſicut puniti fuerunt Madianitæ. Secundò ſicut Siſara. *Et Siſaræ.* Tertiò ſicut Iabin Rex Chanaan, ibi, *Sicut Iabin in torrente.* Dicit ergo: Sic rogaui Domine, ne compeſcaris, quia contra te & tuos ſunt congregati, & confœderati. Imò *fac illis ſicut* feciſti, *Madian*,illi populo qui deſcendit de Abraham per Cethuram. *Geneſ.*21. Hos enim per Gedeonem deſtruxit. *Iudic.* 6. & 7. *Et* ſicut feciſti *Siſaræ*, quem Iahel lacte potatum transfixit. *Iud.* 4. *Et ſicuo Iabin*, feciſti ſup. *in torrente Ciſſon.* In eod. *Iudic.*4.

Madian interpretatur contradictio, ſiue declinans iudicium, & ſignificat aduocatos malos, qui ſemper contradicunt omni bono, & iudicium declinant, cauſas protelando. *Iſa.*41. Peribunt qui contradicunt tibi: quæres eos, & non inuenies viros rebelles tuos. Siſara autem interpretatur excluſio gaudij, & deſignat hypocritas, quia ſe à gaudio excludunt, & triſtes ſunt. *Matth.* 6. Nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. *Eccleſ.*4. Felix qui non habuit animi ſui triſtitiam. Et 30. Ne des animæ tuæ triſtitiam. Iabin autem interpretatur ſapiens, & ſignificat ſapientes illa ſapientia carnis, de qua dicitur *Roman.* 4. Prudentia carnis mors. Vel illâ, de qua 1.ad *Corinth.*3.Sapientia huius mundi ſtultitia eſt apud Deum. Ciſſon interpretatur lætificans, & ſignat temporalium abundantiam, quâ lætificat Iabin, quamuis tranſeat ſicut torrens. Nota de diuite *Luc.* 12. Senſus ergo eſt: Fac illis ſicut perfidis aduocatis, hypocritis, & peruersè, aſtutis.

Diſperierunt in Endor. Hîc ſecundum, in quo determinat pœnam: & dicuntur duo. Primò tangitur locus in quo perierunt. Secundò modus, quia vſque ad putrefactionem viliſſimam. *Facti ſunt.*Ait enim:Fac eis ſicut illis. Sed quid illis feciſti? Ecce, *Diſperierunt in Endor.* Fons eſt à quo torrens Ciſſon deſcendit. *Ind.*5. Torrens Ciſſon traxit cadauera mortuorum. Endor autem interpretatur fons generationis,& ſignificat peccatum luxuriæ, in quo pereunt multi. *Eccleſiaſt.*6. Propter ſpeciem mulieris perierunt multi. 11.

Facti ſunt vt ſtercus terræ, putrefacti, & fœtidi, & conculcati. *Ind.* 5. Conculcat anima mea robuſtos. *Iſa.*6.Facta ſunt morticina eorum ſicut ſtercus in medio terræ. Et bene luxurioſi dicuntur facti vt ſtercus,quia viles valde. *Ier.*2. Quam vilis facta es iterans vias tuas!Et vt ſtercus, quia *Eccleſ.* 9. Omnis mulier fornicaria, quaſi ſtercus in via conculcabitur. *Ier.* 8. Quaſi ſterquilium ſuper faciem terræ erunt. Nota, Manaſſes, prælatus negligens & obliuioſus, non deleuit habitatores Endor. *Ind.* 1.

Et nota hîc,quòd eſt ſtercus luxuriæ,ſicut hîc expoſitum eſt.Et *Ioel.*1.Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo. *Gloſſa*, Iumentum in ſtercore putreſcere, vitam in luxuria finire. Mundanæ gloriæ. 1.*Mach.*2. A facie viri peccatoris ne timueritis,quia ſtercus & vermis eſt:hodie extollitur,& cras non erit niſi ſtercus.4.*Reg.*9.Erunt carnes Ieſabel vt ſtercus ſuper faciem terræ. Vilitatis ad literam, & abiectionis. *Pſal.* Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem.1.*Reg.*2. Suſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem. Abundantiæ temporalis. Ad *Phil.* 3. Omnia arbitratus ſum vt ſtercora.Quæ excæcauerunt Tobiam in oculis eius cadentia. *Tob.* 2. Eſt etiam hæc occaſio mali, etiamſi non ſit malum. Sed ſunt ſtercora bona.

bona. Primum, memoria & recordatio perpetratæ iniquitatis. *Luc.*13. Sine fodiam circa illam hoc anno, & mittam ſtercora, pœnitentiæ & aſperitatis. *Ezech.*4. Facies tibi panem de fimo boum pro ſtercoribus humanis. *Eſther* 14. Pro vnguentis variis cinere & ſtercore impleuit caput. *Iob* 2. Scidit veſtimenta, & ſedit in ſterquilinio.

12. *Pone principes.* Hîc ſecundum, in quo poſtquam prædixit optando minorum afflictionem, hic ſecundo optando prædicit ſimiliter maiorum. Et primò optat eis prædicendo pœnam. Secundò ſubiungit rationem, quare iuſte ſint puniendi, ibi, *Qui dixerunt.* In prima primò petit pœnam principum. Secundò omnes in vnum colligit, ibi, *Omnes principes eorum.* Dicit ergo: Sic affligе minores,& etiam *pone principes eorum*, id eſt, maiores inter eos & principaliores, *ſicut Oreb, & Zeb, & Zebee, & Salmana. Iud.*7.& 8. habetur de deſtructione illorum. Oreb autem interpretatur coruus, & ſignat prælatos loquaces, contra illud 1. *Reg.* 2. Nolite multiplicare loqui, &c. Et in *Pſal.* Diſperdat Dominus vniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam. *Prou.* 14. Vbi ſunt verba plurima, ibi frequenter egeſtas. Zeb autem interpretatur lupus, & deſignat rapaces. *Ioël.*3. Iudices eius lupi, veſpere nihil relinquebant in mane. *Ezech.* 22. Principes eius quaſi lupi rapientes. Zebee victima:benè poſt rapinam, qua deſignat illos, qui de bonis ſubditorum quæ rapiunt, Deum placare ſe credunt, cum magis offendant, & dicatur *Eccleſ.* 34. Qui offert victimam de ſubſtantia pauperis, quaſi qui immolat filium in conſpectu patris. Salmana, vmbra commutationis, ſignificat inſtabiles, qui mouentur ſicut vmbra, contra illud *Iacob.*1. Qui autem hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur. Interpretatur etiam perfectus vel conſummatus, & ſignat contemnentes, qui in profundo ſunt vitiorum. *Prouerb.* 8. Peccator cum venerit in profundum peccatorum, contemnit. Eſt ergo ſenſus: Fac principibus eorum, ſicut loquacibus, raptoribus, de rapto immolantibus, & inſtabilibus, & contemnentibus.

Omnes principes. Hîc colligit in vniuerſali. Quaſi diceret: Non tantum de aliquibus principibus illorum loquor: ſed, *omnes principes eorum* ſic pone: quia digni ſunt. *Iſa.*1. Principes eius infideles, ſocij furum, & crudeles minoribus. *Prou.* 29. Cum impij ſumpſerint principatum, gemet populus.

13. *Qui dixerunt.* Hîc eſt ratio, quare ſic ſunt tractandi. Ait enim: Sic pone principes, & omnes, *qui*, id eſt, quia illi *dixerunt*, ſeſe mutuò inuitando: *Poſſideamus ſanctuarium Dei*, Ieruſalem, & templum quod in ea eſt: & hoc *hæreditate*, id eſt, iure hæreditatio, vt nunquam dimittamus, nec reſtituamus iis ad quos pertinet. *Pſal.* Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam. Hoc apertè contra Prælatos, qui Eccleſiaſticas dignitates conferunt nepotulis, ac ſi eas vellent iure hæreditatio poſſidere: vnde oſtenditur, quod non ſunt ſacerdotes ſecundum ordinem Melchiſedech, ſed ſecundum ordinem Aaron. *Deut. vlt.* præcepit Dominus Moyſi, vt præficeret ſibi in ſucceſſorem Ioſue, non aliquem de parentela ſua Et Dominus non Ioanni conſanguineo ſuo, ſed Petro commiſit Eccleſiam. *Ioan.vlt.* Paſce oues meas. Prælati autem noſtri ſi vnquam poſſunt, dimittunt reliquias ſuas paruulis ſuis. Sed in *Pſal.* dicitur: Non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus. Sed multi ſunt tales ædificatores. *Bernard.* Huic paruulo forſitan nondum nato, Eccleſiaſtica beneficia prouida ſane parentum ſollicitudo parat. Illum præpoſitus vel Decanus,vt ſibi ſuccederet,materno educauit affectu,in deliciis nutriens.Ille dignus Archidiaconatu, vtpotè filius principis: magis autem ſi ſit Epiſcopi conſobrinus, in quo tota eſt Epiſcopata progenies.

Contra prælatos, nepotulis conferētes dignitates Eccleſiaſticas.

In declamationibus.

14. *Deus meus pone.* Hîc ſecundum illius partis, in qua agitur de pœna illorum in præſenti. Petiit enim prædicendo pœnam mortis illorum, hîc inſtabilitatis & captiuitatis: & dicuntur duo. Primò petitur eis inſtabilitas, vt deducantur de loco ad locum literaliter, ſpiritualiter de peccato in peccatum. Secundò fragilitas & debilitas, vt non poſſint reſiſtere vllo modo, ibi, *Et ſicut ſtipulam.* Dicit ergo: Sic Deus meus occidantur, quod non aliquos contingat euadere. *Deus meus pone illos vt rotam*, vt ſcilicet ſint inſtabiles ſicut rota, & in poſterioribus eleuati, ſcilicet in terrenis, in anterioribus, ſcilicet in ſpiritualibus deprimantur. *Pſal.* In circuitu impij ambulant. 1. *Reg.*25. Anima inimicorum tuorum rotabitur, quaſi impetu & circulo fundæ. *Eccleſ.*33. Præcordia fatui, quaſi rota currus, & quaſi enſis verſatilis cogitatus illius. *Iſa.*22. Mittet te Dominus, dicitur ad Sobnam, quaſi pilam ſuper terram. *Thren.*1. Peccatum peccauit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt.

Et ſicut ſtipulam, quæ valdè fragilis eſt & debilis, vt omninò reſiſtere non poſſit, *ante faciem venti*, qui portat eam, quocumque voluerit. *Iſa.*40. Turbo quaſi ſtipulam auferet eos. Et 47. Ecce omnes facti ſunt quaſi ſtipula, ignis conſumpſit eos. *Iob* 21. Erunt quaſi paleæ ante faciem venti. Comparantur ergo hi ſtipulæ, quia fragiles: alij pulueri, quia ſteriles. *Pſal.* Non ſic impij, non ſic, ſed tanquam puluis, &c. Et folio, quia leues. *Iſa.*43. Cecidimus quaſi folium vniuerſi.

15. *Sicut ignis qui comburit.* Hîc ſecundum, in quo poſtquam prædixit de pœna eorum temporali, ſubdit conſequenter de æterna. Et primò tangitur modus affligendi illos cum ſimilitudine quadam. Secundò tempus, quo erit afflictio illa, & adaptatio ſimilitudinis, ibi, *Ita perſequeris.*In prima duo. Primò enim comburuntur ſicut ſylua, quia ſteriles. Secundò ſicut montes, quia elati & ſuperbientes. *Et ſicut flamma.* Ait enim: Sic Domine illos punies in præſenti, vt dixi, & etiam, *ſicut ignis qui comburit ſyluam*, ſalicem ſcilicet infructuoſam, quod ipſi ſunt: qui combuſti primò igne impietatis, & poſtea conſumendi igne gehennali. *Iſa.*9. Succenſa eſt quaſi ignis impietas, veprem & ſpinam vorabit: & tandem ſuccendetur in denſitate ſaltus.

Et ſicut flamma comburens montes, vſque ad fundamentum. *Iſa.* 29. Viſitabitur in voce flammæ

flammæ ignis deuorantis. *Deuteron.* 32. Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & montium fundamenta comburit.

16. *Ita perſequeris.* Hîc applicat ſimilitudinem, & tangit tempus afflictionis, quod ſignat à duobus. A commotione tranquilli. *In tempeſtate tua.* Ab ira benigniſſimi, ibi, *Et in ira tua.* Dicit ergo: *Ita*, ſcilicet ſicut ſyluam per ignem, ſicut montes per flammã *perſequeris eos*, perfectè ſcilicet inſequeris, *in tempeſtate tua*, in iudicio tuo ingruente, quod ſicut tẽpeſtas erũpens ſuper caput illorum veniet *Iob* 26. Morietur in tempeſtate anima illorum. *Naum* 1. Deus in tempeſtate & turbine veniet. *Pſal.* In circuitu eius tempeſtas valida. Sicut emim tempeſtas venit ex improuiſo, & euitari non poteſt, ſic dies illa, & miſeria ſuper damnandos. *Iſa.* 47. Irruet ſuper te calamitas, quam non poteris expiare.

Ira Dei in iudicio. *Et in ira tua*, id eſt, effectu iræ tuæ, qui benigniſſimus es in natura, *turbabis eos*, quippe quia ira tua erit implacabilis. Hoc bene cognoſcent. *Prouerb.* 6. Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cuiuſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima. Imò, quod plus eſt, immitigabilis. Modò enim mitigari poteſt ſecundum *Pſal.* Vt mitiges ei à diebus malis. Et alibi: Et non accendit omnem iram ſuam. Sed tunc non ſic. *Iſa.* 50. Aperuit Dominus theſaurum ſuum, & protulit vaſa iræ ſuæ. Item quia etſi non poſſit placari omninò, nec aliquantulum mitigari, nullo modo poterit plus differri. Modò enim diſſimulat peccata hominum propter pœnitentiam *Sapient.* 11. Sed tunc reddet ſine dilatione. *Iſa.* 16. Velociter reddens quod iuſtum eſt. Item quantò nunc benignior, tantò tunc erit crudelior. Ad *Roman.* 2. An ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & iuſti iudicij Dei. Item quia importabilis. *Naum* 1. Ante faciem indignationis eius quis ſtabit? *Iob* 6. Quæ eſt fortitudo mea vt ſuſtineam? Propter hoc dicitur *Sap.* 5. Videntes turbabuntur timore horribili. *Ierem.* 49. Periit conſilium à filiis, inutilis facta eſt ſapientia eorum.

17. *Imple facies.* Hîc ſecundum totius huius partis, in quo imprecatur pœnam ad correctionem corrigibilibus & prædeſtinatis: & dicuntur duo. Primò petit pœnam ad correctionem. Secundò ſi contemſerit correctionẽ, æternaliter punientem, ibi, *Erubeſcant.* In prima duo. Primò petitur pœna. Secundò ſubiungitur petitionis ratio & cauſa, ibi, *Et quærent nomen.* Dicit ergo: Sic imprecatus ſum omnibus, & maioribus ſpecialiter: ſed ô Domine rogo *imple facies eorum*, id eſt, aliquorum inter illos, ignominia, vilitate, opprobriis, & abiectione, cum culpis.

Afflictio ad correctionem vtilis. *Et quærent nomen tuum Domine*, qui antea quærere noluerunt. *Auguſt.* Quærent nomen tuum, qui ſuum quæſierunt. Et *Caſſiodor.* Plerumque propter opprobrium culparum corrigitur, qui ab omnibus culpatur. *Mich.* 4. Venies vſque in Babylonem, ibique liberaberis. *Pſal.* Dixit Dominus, Ex Baſan conuertam, ex confuſione ſcilicet conuertam. *Ezech.* 16. Scies, quia ego Dominus, vt recorderis, & confundaris.

Erubeſcant.. Hic ſecundum, in quo ſimiliter duo. Primò petitio de eorum æterna damnatione, qui pœnitere noluerunt. Secundò petitionis ratio, ibi, *Et cognoſcant.* In prima primò petitur miſeria & afflictio illorum interior. Secundò exterior. *Et confundãtur.* Interior duplex. Erubeſcentia interior in ſeipſis de culpa. Remorſio conſcientiæ pro pœna. *Et conturbentur.* Ait enim: Sic imple facies eorum ignominia, vt te quærant: quod ſi noluerint, *erubeſcant* tandem in ſeipſis pro culpa perpetrata. *Iſa.* 1. Erubeſcetis ſuper hortis, quos elegeratis vobis. 18.

Et conturbentur, intus in conſcientia turbentur. *Pſal.* Ipſi videntes, ſuas iniquitates, ſup. conturbati ſunt, commoti ſunt. Et alibi: Turbati ſunt & moti ſunt ſicut ebrius. *In ſæculum ſæculi* conſecutiuum. Nunquam enim ceſſabit remorſio conſcientiæ in illos. *Iſa. vltim.* Vermis eorum non morietur.

Et confundantur. Hîc exteriorem pœnam imprecatur duplicem: deiectionem ab aliis, quod appellatur confuſio, & afflictionem. *Vt pereant.* Ait enim: *Et confundantur* ab aliis miſſi, & deiecti. *Ierem.* 18. Confundantur qui me perſequuntur. *Eccleſiaſt.* 4. Eſt confuſio adducens ignominiam.

Et pereant, æternæ miſeriæ & afflictioni deputati. *Iſa.* 60. Gens & regnum quod non ſeruierit tibi, peribit. 2. *Pet.* 2. In corruptione ſua peribunt.

Et cognoſcant. Hîc ſecundum, ratio ſcilicet petitionis, ne videatur hoc petere mala intentione: & tangitur duplex. Primò vt cognoſcant Dei potentiam. Secundò vt potentiam ſingularem, ibi, *Tu ſolus.* Dicitergo: Sic peto eos puniri: & hoc, *vt cogcoſcant quia nomen tibi Deus.* In *Pſal.* Cognoſcetur Dominus iudicia faciens. *Ezech.* 25. Faciam in eis vltiones magnas: & ſcient, quia ego Dominus, cum dedero vindictam magnam ſuper eos. 19.

Et cognoſcant etiam, *quia tu ſolus Altiſſimus in omni terra.* Et videant impletum illud *Iſa.* 2. Exaltabitur ſolus Dominus in die illa. Et illud 55. Sicut exaltantur cœli à terra, ita exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris. *In omni terra*, ſcilicet in terra mortuorum, in inferno: in terra morientium, in mundo: in terra viuentium, in cœlo, ad quam nos perducat qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

IN LXXXIII. PSALMVM.

Pro torcularibus filiis Core Pſalmus. 1.

QVam dilecta tabernacula tua. Hic eſt Pſal. 83. in toto libro, in 2. parte libri 33. Cum enim actum ſit in Pſalmo præcedenti de pœna acinorum & amurcæ, hîc agitur conſequenter de gloria vini & olei per torcularia eliquatorum, & in cellaria patrisfamilias recondendorum: vt ſicut pœna illorum à malo declinare facit, ſic iſtorum gloria inuitet nos ad bonum. Priùs enim malum eſt declinandum, conſequenter bonum faciendum. *Pſal.* Declina à malo, 2.

Pſalmus agit de gloria filiorum Core, id eſt, Chriſti crucifixi.

malo,& fac bonum. *Ierem.*1. Poſui te vt euellas, & diſſipes,& deſtruas: & poſt ædifices & plantes. Hoc autem vinum, hoc oleum, quid aliud ſunt quam filij Chriſti pauperis & in Caluaria crucifixi. Ipſe enim eſt qui dicit de ſe. *Luc.*9. Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, &c. 2. ad *Cor.* 8. Cum eſſet diues in omnibus, pro nobis egenus factus eſt. Et *Ioan.*19. legitur in Caluaria crucifixus. Ob hoc optimè dicitur in titulo huius Pſalmi: *In finem pro torcularibus filiis Core, Pſalmus*, hoc eſt, hic *Pſalmus* dirigens nos *in finem*, Chriſtum ſcilicet, de quo *Rom.*10. Finis legis Chriſtus ad iuſtitiam. Vel *finem*, vitam æternam. *Rom.*6. Nunc autem habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem autem vitam æternam. *Pſalmus*, dico,editus *pro torcularibus*, hoc eſt,pro iis,qui de torcularibus ſpiritualibus, Eccleſiis ſcilicet, vel tribulationibus, quæ ſunt in Eccleſia militanti, tanquam torcularia. *Iſa.*63. Torcular tribulationum calcaui ſolus: eliquantur, ſcilicet *pro* bonis *filiis Core*, & caluandi, id eſt, filiis calui, Chriſti ſcilicet paupertate decaluati, & in Caluaria crucifixi, per caluum Eliſeum deſignati, cui illudendo dicebant pueri Ierico: Aſcende calue, aſcende calue. Et bene iis cantandus: quia de illorum gloria poſt preſſuras hic agitur, & de modo habendi, & de medio per quem poterit haberi.

Vnde Pſalmus in tres partes diuiditur ſecundum *Gloſſam.* Primò oſtendit quàm amabilis, quàm concupiſcibilis, quàm beata ſit felicitas & gloria bonorum. Secundò quo mediatore & adiutore ad illam peruenire poſſit, ibi, *Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te.* Tertiò ſe conuertit ad ſupplicandum mediatori, vt in Deo impleat officium, ibi, *Dòmine Deus virtutum.* In prima tria ſecundum triplicem modum monſtrandi quàm amabilis. Primò admirando quantitatem amoris. Secundò oſtendendo affectum dilectionis quam habet ad illam, ibi, *Concupiſcit,& deficit.* Tertiò iam adeptos beatificando,ibi,*Beati qui habitant.*

Dicit ergo: Sic Domine, vt præmiſi, punies acinum & amurcam: ſed ô *Domine virtutum*, ſcilicet angelicarum, & cœleſtium, & etiam infixarum affectibus hominum. *Pſal.* Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ. *Quàm dilecta*, ſunt, ſupl. cordibus bene diſpoſitis, *tabernacula* tua, illa ſuperiora & æterna. Vocantur autem tabernacula Dei, Eccleſiæ adhuc militantes, quippe in tabernaculis militatur. Et nunc poteſt dici illud *Iob* 7. Militia eſt vita hominis terram. Hæc ſunt tabernacula, de quibus *Num.*24. Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſraël. Et religioſorum congregationes: in tabernaculo enim quieſcitur & dormitur: & in religionibus quieti & contemplationi vacatur. *Cant.* 2. Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas ceruóſque camporum, ne ſuſcitetis neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit. Hæc ſunt illa tabernacula,de quibus *Gen.*25.Iacob autem vir ſimplex habitabat in tabernaculis. Et cœleſtes manſiones: in tabernaculis enim iocundantur homines: & de illis qui ibi erunt, dicitur: Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus

Tabernacula dicuntur Eccleſiæ militantes, congregationes religioſorũ, & cœleſtes manſiones.

ſuis. *Iſa.*33. Oculi tui videbunt Ieruſalem ciuitatem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poteſt. *Pſal.* Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, &c.

Prima tabernacula ſunt amabilia, ſecunda amabiliora, ſed tertia, vt ita dicam, amabiliſſima. Sed quare? Primò propter ſummam munditiam,quæ in illis inuenitur. *Iſa.*35.Via ſancta vocabitur: non introibit per eam pollutus. *Apoc.vlt.* Foris canes, & venefici. Secundò propter ſummam pacem & concordiam, quæ ibi inuenitur. *Pſal.* Participatio eius in idipſum. Et iterùm ibi: Ecce quàm bonum, & quàm iocundum, &c. Item propter ſummam ſecuritatem. *Pſal.* Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum.*Iud.*18.Vidimus terram opulentam, introibimus ad ſecuros in regionem latiſſimam. Propter omnimodam libertatem. *Galat.* 4. Illa, quæ ſurſum eſt Ieruſalem, &c. Propter omnimodam triſtitiæ abiectionem. *Apoc.*7. & 21. Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis ſanctorum. Et in *Pſal.* Sicut lætantium omnium,&c. Item propter omnis boni pleniſſimam adeptionem.*Pſal.*Qui timent Dominum, non minuentur omni bono.

Concupiſcit & deficit. Hîc ſecundum, in quo probat, quòd amabilis, oſtendendo affectionem ſuam ad illam. Monſtrat ergo primò affectionis vehementiam. Secundò vehementiæ cauſam, ibi, *Etenim paſſer.* In prima duo. Primò quòd concupiſcit vehementer. Secundò, quod totaliter & mente, & corpore, ibi, *Cor meum.* Dicit ergo: Sic mirabiliter ſunt dilecta Deo, & homini & Angelo: & etiam *anima mea concupiſcit*, & præ vehementia *deficit*, tendens *in atria Domini. Pſal.* Defecit in ſalutare tuum anima mea. 3. *Reg.* 10. Videns regina Sabba ſapientiam Salomonis, & domum quam ædificauerat, &c. & non habebat vltra ſpiritum. *Auguſt.* Deus meus, in quo deficio vt fortis ſim. Sunt autem ſecundum *Gregor.* Qui appetunt, ſed non deficiunt, qui cœleſtia concupiſcunt, ſed adhuc à terrenorum delectationibus minimè laxantur: ſed ſunt qui concupiſcunt & deficiunt, illi ſcilicet, qui mundo omninò mortui ſunt. *Gregor.* Qui ad appetenda æternitatis atria accenditur, dignum eſt vt ab hoc temporalitatis amore laxetur. 3.

Cor meum & caro mea. Hîc ſecundum, in quo oſtendit, quod totaliter, & lætanter concupiſcit. Ait enim: Sic deſidero vehementer, & etiam *cor meum:* poteſt referri, ſicut quidam volunt ad vim animæ cognitiuam: *& caro mea*, ad motiuam refertur: vt ſic tota anima expreſsè comprehenderetur. *Pſal.* Sitiuit anima mea, &c. Propriè cor ad animam & caro adiiciuntur: caro enim quando in Deum exultat, tunc animæ lætantis bonam operationem non impugnat. Vnde alibi: Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter, &c. *Exultauerunt in Deum virum*, in ſeipſo. *Ioan.* 5. Sicut pater habet vitam in ſemetipſo: & operatur in effectu. *Act.*17. Qui dat omnibus vitam: non in mundo mortuo, carne vili, & vana ſuperbiâ. *Cant.*2. Exultabimus, & lætabimur in te.

Non ſolum anima iuſti ſed etiã caro in exultationem Domini prorumpit.

Poteſt melius dici, vt exultatio cordis referatur ad ſtolam animæ : exultatio verò carnis referatur ad ſtolam corporis. Quaſi diceret: Suſpiro, & deſidero, propter bonum animæ & corporis, quod expecto. 1. ad *Theſſ. vlt.* Ipſe Deus pacis ſanctificet vos per omnia: vt integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus in aduentu Domini ſeruetur.

Et nota, quòd quidam deſiderant, ſed non exultant, qui habent quandam ſpem, hoc eſt, modicam conſolationem, de quibus poteſt intelligi illud *Prou.* 13. Spes quæ differtur, affligit animam. Sed concupiſcunt & gaudent, qui interiùs dulcedinis æternæ aliquid præguſtant, quo deſiderium inflammatur. *Eccleſ.* 24. Qui edunt me, adhuc eſurient. Hi ſunt pauperes qui in alio quàm Deo conſolationem non habent. *Iſa.* 30. Paſcentur primogeniti pauperum, & pauperes hominis in ſancto Iſraël exultabunt.

4. *Etenim paſſer.* Hîc ſecundum, in quo tangitur ratio & cauſa tam vehementis, & tam vniuerſalis exultationis, ſcilicet vtilitas loci, quæ primò tangitur : & dignitas quæ tangitur ſecundò, ibi, *Altaria tua.* In prima duo ſecundum vtilitatem duplicem. Primò, quia eſt locus quietis. Secundò fomenti & nutritionis. *Et turtur nidum.* Dicit ergo : Sic exultauerunt cor meum & caro. *Etenim*, quia *paſſer*, id eſt, ratio ad alta volans pennis virtutum, *inuenit ſibi domum*, in qua habitet & conuerſetur & quieſcat. Ad *Phil.* 3. Conuerſatio noſtra in cœlis eſt, tanquam in domo illa, de qua 2. ad *Corinth.* 5. Scimus quoniam ſi domus noſtra terreſtris corrumpitur, habemus domum non manu factam in cœlis.

Et turtur, caro caſta & munda, *nidum*, locum nutritionis & fomenti, *vt reponat* tanquam fouendos *pullos ſuos*, actus ſcilicet bonos, ex gratia mouente generatos, quaſi de carne. Ad ponendum in hoc nido pullos mouebat Dominus *Matth.* 6. Theſaurizate vobis theſauros in cœlo, vbi nec tinea, nec ærugo, &c.

Paſſer actiuum, turtur vero cõtemplatiuum deſignat.

Paſſer etiam poteſt dici bonus actiuus, qui multa patitur, & turbatur frequenter. Paſſer enim à patiendo dicitur. *Luc.* 10. Martha, Martha, ſollicita es, & turbaris, &c. Hic eſt paſſer immolatus pro leproſo, pro ſpiritu peccato infecto. *Leuit.* 14. Turtur autem, quæ eſt auis ſolitaria, contemplatiuus. *Cant.* 2. Vox turturis audita eſt in terra noſtra. Et in 6. Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis, quæ ſoli ſuo compari ſe coniungit. Ibi ergo & paſſer inuenit domum, quia illam bonis ædificat actionibus. *Pſal.* Ieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas, in qua quilibet ædificat domum ſuam. Et turtur nidum, contemplatiuus locum, ad reponendum & fouendum, ſcilicet ſanctas meditationes & affectiones, quæ ibi dulciter tanquam in nidulo requieſcunt. *Iob* 30. In nidulo meo, ponens, ſup. pullos meos, moriar.

Bene autem operans pullos dicitur dimittere : quia verè contemplatiui viri, ſemper opera ſua reputant quaſi nulla. *Eccleſ.* 18. Cum conſummauerit homo, tunc incipiet. *Luc.* 17. Cum omnia bene feceritis, dicite : Serui inutiles ſumus. Audi nullum reputantem opus ſuum. 1. ad *Corinth.* 15. Ego autem minimus ſum Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari, &c. *Iſa.* 28. Sicut pullus hirundinis ſic clamabo.

Altaria tua Domine. Hîc ſecundum, in quo tangitur loci dignitas, quam oſtendit à loci conditione, quoniam altaria ſunt. Secundò à præſidentis in loco dignitate, ibi, *Rex meus.* Ait enim : Sic inuenit paſſer domum, & turtur nidum. Sed quæ ſunt illa ? *Altaria tua* cœleſtia, *Domine virtutum.* Notandum verò, quòd ſicut erant antiquitùs duo altaria : holocauſtorum, in quo animalia auferebantur: & thymiamatis, in quo puluis ſuauiſſimus. De primo *Exod.* 26. Facies & altare de lignis ſetim, ad offerenda holocauſta. De alio *Exod.* 37. Facies & altare ad adolendum thymiama, & adolebit Aaron incenſum ſuper illud ſuaue fragans Domino. Sic Chriſtus eſt altare duplex : in ipſo enim & ſuper ipſum offeruntur bona opera actiuorum, tanquam animalia : & deſiderium & meditationes contemplatiuorum tanquam thymiama. *Pſal.* Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.

Altaria holocauſtorum & thymiamatis in Chriſto.

Et nota, quòd æterna vita hîc deſignata eſt per tabernaculum. *Quàm dilecta tabernacula.* Per atrium. *Deficit anima mea in atria Domini.* Per domum. *Etenim paſſer inuenit ſibi domum.* Per nidum. *Et turtur nidum.* Et tandem per altare, hîc. *Altaria tua.* In tabernaculo iocunditas, in atrio latitudo, in domo ſecuritas, in nido ſuauitas, in altari notatur loci illius ſanctitas.

Gloria cœleſtis diuerſis nominibus expreſſa.

Rex meus. Hîc ſecundum, in quo oſtenditur dignitas loci, à dignitate præſidentis in loco, quia rector eſt qui præſidet, & creator. *Deus meus.* Ait enim : Hæc loca ſunt loca ſancta, quia altaria & tua, qui es *rex meus* me regendo, & *Deus meus*, creando omnia, omnibus præſidendo. Alibi in *Pſal.* Exaltabo te Deus meus rex.

Beati qui habitant. Hîc tertium, in quo oſtendit quam amabilis, iam adeptos beatificando. Beatificat autem illos à duobus, à cohabitatione cum Deo, & à continua Dei laude, qui ſecum cohabitat, ibi, *In ſæcula.* Dicit ergo : Sic Domine tabernacula tua ſunt dilecta, & ſic à me ſunt etiam ardenter & ex toto me concupita : & etiam *beati qui habitant in domo tua*, tanquam iam adepti illa, & cohabitantes tecum, ô Domine. 3. *Reg.* 2. Beati ſerui tui, & beati viri tui, qui ſtant coram te ſemper. Quare ? Quia habent quicquid deſiderant: & beatus eſt ſecundum *Auguſt.* cui omnia optata ſuccedunt : & hoc in eis : vnum enim deſiderant, & hoc habent. Suprà in *Pſal.* Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini. 5.

Et nota, quòd beati qui habitant in domo illa : quia habitant in domo clara. *Apocal.* 10. Non eget ſole nec luna, vt luceant in ea: ſed claritas Domini illuminabit eam. Item quia in magna, & ampla. *Baruc.* 3. O Iſraël, quàm magna eſt domus Domini, & ingens locus poſſeſſionis eius, excelſus, & immenſus. Item quia in munda. *Apocalypſ. vltim.* Non introibit in illam quid coinquinatum, aut immundum, & faciens iniquitatem.

Partes quibus conſtat beatitudo.

Item

Item quia in opulenta, & omni bono refecta. *Pſal.* ſuprà: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis, &c. Item quia in ſocietate plena. Non habitat ibi ſolus, qui ibi eſt. *Apoc.*14. Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat. Item quia in pacifica, & tranquilla. *Iſa.*32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis. Item quia in iocunda, ſicut hic ſubiungitur ſtatim.

In ſæcula ſæculorum laudabunt te. Sæcula, inquam, *ſæculorum* horum tranſeuntium conſecutiua. *Iſa.*51. Gaudium & lætitia inuenitur in ea, gratiarum actio, & vox laudis. Et 65. Serui mei laudabunt primò exultatione cordis. *Tob.*13. Per omnes vicos eius cantabitur Alleluia. Eadem enim ciuitas, quæ & domus. *Auguſt.* Hoc erit totum negotium noſtrum cantare Alleluia.

6. *Beatus vir, cuius auxilium.* Hîc eſt ſecunda pars totius huius Pſalmi, in qua poſt multiplicem commendationem gloriæ bonorum, ſequitur determinare modum quo peruenitur ad illam & adiutorium: & dicuntur tria. Primò beatificat à Deo adiutum ad illuc aſcendendum. Secundò determinat adiutorij modum. *Etenim benedictionem.* Tertiò adiutorium ſic perfectum. *Ibunt de virtute in virtutem.* In prima duo: vbi enim eſt adiutorium, duo concurrunt: aliquid ex parte adiuuantis, auxilium ſcilicet: aliquid ex parte adiuti, niſus ad bonum. Et primò tangit primum. Secundò ſecundum, ibi, *Aſcenſiones in corde.* Dicit: Quam dilecta ſunt tabernacula, tam concupita, & fœlices qui adepti ſunt illa: ſed hoc nullus poteſt per ſe. *Etenim homo* ſpiritus vadens, & non rediens: ſed ille vir eſt beatus beatitudine viæ, *cuius eſt auxilium abs te*, ad ſurſum aſcendendum. *Ioan.*7. Nemo venit ad me niſi Pater meus traxerit illum. Et rurſus in 14. Nemo venit ad Patrem niſi per me. Et propter hoc dicit Iudith, Non deſeras præſumentes de te: ſed poſt te trahas. *Cantic.* 1. Trahe me poſt te, tu qui potuiſti aſcendere per te. *Deuter.*33. Aſcenſor cœli auxiliator tuus.

Aſcenſiones. Hîc ſecundum, quod requiritur ex parte adiuti, ſcilicet niſus ad bonum: & tanguntur duo. Primò niſus ad aſcendendum, quod eſt diſponere & velle vt aſcendat. Secundò tangit aſcenſus terminum, ſecundum vnam lecturam, ibi, *In valle.* Vel difficultatem in niſu & conatu, ſecundum aliam. Ait enim: Beatus eſt cuius eſt auxilium abs te, ſi tamen *aſcenſiones in corde ſuo* diſpoſuit volendo, & conando ad aſcenſum. In corde autem ſignanter dicit ad excludendum illos, qui non volunt intus aſcendere gradibus virtutum, ſed exterius cum diabolo gradibus dignitatum. *Iſa.*14. Aſcendam in cœlum, ſimilis ero Altiſſimo. *Bern.* Multiplica præbendas, ad Archidiaconatum aſpira, euola ad Epiſcopatum, paulatim aſcendis, ſed non paulatim deſcendis. Videbam ſatanam quaſi fulgur de cœlo cadentem. *Luc.*9.

Gradus ad beatitudinẽ. Qui autem ſunt gradus, quos in corde diſponit? Poteſt dici quod ſunt ſex. Primus fidei veræ. Secundus, peccati proprij & defectus cognitio. Tertius, pro recognitis humilis ſatisfactio. Quartus, veritatis in ſcripturis inquiſitio. Quintus, aliorum inſtructio. Sextus, omnium propter Deum abdicatio. Hi ſunt ſex gradus, ſex aſcenſiones ad thronum Salomonis. 3. *Reg.*10.

In valle. Hic tangit aſcenſus difficultatem. 7.
Quaſi diceret: *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit*, exiſtens *in valle lachrymarum*, ſcilicet *in loco quem poſuit*, id eſt, diſpoſuit Deus, vt hîc eſſet hæc miſeria, & fletus. *Pſal.* Euntes ibant & flebant, mittentes, &c. *Ierem.*31. In fletu venient, & in miſericordia reducam eos.

Vel ſic: In valle lachrymarum diſpoſuit aſcenſiones, tendens *in locum*, *quem poſuit*, Deus ſup. finem aſcendendi, & terminum. *Caſſiod.* Locum poſuit, qui & gradus ordinat. Poſuit, id eſt, diſpoſuit & præparauit, ab æterno prædeſtinando aſcenſores. *Matth* 25. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. *Ioan.*14. Si quominus dixiſſem vobis, quia vado parare locum. Diſponit etiam, gratiam infundendo. In eodem *Ioan.* Cum abiero, & præparauero vobis locum, iterum veniam & aſſumam vos ad meipſum.

Etenim benedictionem. Hîc ſubiicitur ſecun- 8.
dum, ſcilicet adiutorij modus, ſcilicet Euangelicæ gratiæ exhibitio ſuper præcepta legis antiquæ, moralia intelligo. Ait enim: Sic felix qui adiutus eſt abs te. *Etenim*, quia, *legiſlator*, ſcilicet Chriſtus, cuius fuit miniſter Moyſes, *dabit benedictiones*, Euangelicas inſtructiones, & gratias adiuuantes, ad implendum quod fuit præceptum. Si enim Chriſtus non fuiſſet legiſlator, Iſaias non dixiſſet 33. Dominus rex noſter, Dominus legifer noſter, ipſe veniet. Et Dauid: Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos. Quaſi diceret: Mitte filium, qui legiſlator eſt. Hic dedit & dat benedictiones. Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam. Et alibi: Benedixiſti Domine terram tuam. *Ioan.*1. Lex per Moyſem data eſt, gratia & veritas per IESVM CHRISTVM. Has optabat cum dicebat: Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus.

Ibunt de virtute. Hîc eſt tertium, ſcilicet profectus ſic à Deo adiutorum: & tanguntur duo. Primò progreſſus in profectu. Secundò terminus in progreſſu. *Videbitur.* Sic Deus dabit gratiam infundendo, & tunc *ibunt* progrediendo *de virtute in virtutem.* Quomodo hoc *Dubium.* eſſe poteſt? Imò ſimul infunduntur virtutes omnes: ergo non itur de vna in aliam. Reſp. Hoc intelligitur quantum ad virtutum actus, non quantum ad habitus. *Prou.*4. Iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens proficit, & creſcit vſque ad perfectam diem.

Videbitur Deus. Hîc tertium, ſcilicet terminus in progreſſu. Quaſi diceret: Sic ibunt de virtute in virtutem, donec videbitur Deus, deorum Dominus quacumque ratione dij dicantur: *in Sion*, in altitudine & ſpeculatione æternæ vitæ. *Iob* 33. Videbit faciem eius in iubilo. *Iſa.* 33. Regem in decore ſuo videbunt. Regem regum, Dominum dominantium. *Apoc.*19. Deum deorum. Alibi in *Pſal.* Deus deorũ Dominus locutus eſt. Et hoc *in Sion*, in Eccleſia triumphante. *Iſa.* 31. Super capita

corum venient in Sion cum lætitia & laude, & gloria ſempiterna.

9. *Domine Deus virtutum.* Hîc eſt tertia pars Pſalmi, in qua poſtquam extulit gloriam electorum, & oſtendit per cuius auxilium poteſt ad illam peruenîri, hîc tertiò petitionem ſubiungit ad ipſum adiutorem, vt ipſo mediante ad illam peruenire poſſit. In prima duo. Inſtanter petit. Secundò ſe confidere oſtendit, quòd impetrabit, ibi, *Domine virtutum.* In prima duo. Primò petitio cum oratione motiua ad orandum. Secundò probatio, quòd debeat exaudiri, ibi, *Elegi abiectus eſſe.* Item in prima duo. Primò excitat iudicem ad attentionem. Secundò determinat petitionem, ibi, *Protector noſter.* In prima duo. Primò allicit & excitat ad audientiam. Secundò ad audientiæ diligentiam. *Auribus percipe.* Dicit ergo: Tanta ſunt præmia electorum, ad quæ non peruenitur niſi te adiuuante, & propter hoc ô *Domine virtutum*, angelicarum conditor & creator, & humanarum infuſor, *exaudi orationem meam.* 2. *Mach.* 1. Exaudiat Dominus orationes veſtras.

Quare dicitur Deus Iacob. Et ô *Deus Iacob*, conſeruator à fraudibus, & perſequutionibus Laban. *Gen.* 1. Niſi Deus patris mei Abraham, & timor Iſaac affuiſſet mihi, forſitan me nudum dimiſiſſes. *Deus Iacob* propagator. In eadem 33. Leuatíſque Eſaü oculis, vidit mulieres & paruulos, & ait: Quid ſibi volunt iſti: & ſi ad te pertinent? Reſpondit: Paruuli ſunt, quos mihi Dominus donauit ſeruos tuos. *Deus Iacob* ditator. In eadem 32. Domine minor ſumi cunctis miſerationibus tuis: in baculo enim meo tranſiui Iordanem iſtum, & nunc cum duabus turmis regredior. *Deus Iacob* exaltator, faciens ipſum Iſraël. In eadem 32. Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, ſed vocaberis Iſraël. *Auribus percipe*, id eſt, diligenter attende, quæ petiturus ſum. 3. *Reg.* 8. Sint oculi tui aperti & aures tuæ intentæ. Et ſuprà in *Pſal.* Auribus percipe verba mea.

10. *Protector noſter aſpice.* Hîc ſubiungitur petitio, & petit duo. Vt ipſum protegat loquens in perſona humilium. Secundò vt nomen Chriſti dilatet, & diffundi faciat per mundum, ibi, *Et reſpice.* Et hoc ſecundum vnam lecturam. Secundum aliam meritum Chriſti allegat. Ait enim: Sic petij vt attendas diligenter quod peto: quidnam illud? O *Deus protector noſter*, quaſi ex officio. *Eccleſ.* 33. Protector potentiæ, & firmamentum virtutis. Suprà in *Pſal.* Protexiſti me à conuentu malignantium. *Et reſpice*, id eſt, protege nos: tuum enim aſpicere eſt protegere. Suprà in *Pſal.* De cœlo proſpexit Dominus, vidit filios hominum. Hic reſpectus, de quo *Sapient.* 4. Et reſpectus in electos illius. *Thren.* 3. Oculus meus afflictus eſt, nec tacuit, eò quod non eſſet requies, donec reſpiceret Dominus, & videret de cœlis. *Et reſpice*, id eſt, reſpicere fac mundum: quod enim facis nos facere, hoc diceris facere. *Geneſ.* 22. Nunc cognoui, quia timeas Dominum, id eſt, cognoſcere te feci. *In finem Chriſti tui*, oculo fidei, vt ipſum verum Deum & hominem cognoſcant. Fac reſpicere in faciem Chriſti tui, naſcentis in matris integritate. In faciem viuentis in pauertate, patientis in dolore, reſurgentis in gaudio, aſcendentis in gloria, iudicantis in maieſtate. 3. *Reg.* 10. Vniuerſa terra videre vultum Salomonis deſiderabat.

Vel ſic: Rogo nos reſpicias: quod ſi non propter nos, ſaltem reſpicias *in faciem Chriſti tui*, vt eius amore, cui ſimiles ſumus & conformes, nos protegas. 2. *Mach.* 8. Precabuntur Dominum vt eripiat eos: etſi non propter eos, tamen propter teſtamentum quod erat ad patres eorum, & propter gloriam nominis ſui. Et conſtat, quòd libenter reſpicit Deus in faciem dilecti filij. *Matth.* 3. & 17. & *Luc.* 3. & 9. Hic eſt filius meus dilectus. Et vbicumque inuenis eius ſimilitudinem. Propter hoc dicitur 1. ad *Cor.* 15. Sicut portauimus imaginem terreni, ſic portemus imaginem cœleſtis.

11. *Quia melior.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur motiuum orantis & ratio ad orandum, ſcilicet præeminentia vitæ æternæ ad bona temporalia. Ait enim: Sic oro, & hoc facio. *Quia dies vna in atriis tuis*, habita, ſupl. *melior eſt ſuper millia* dierum in hac vita, quantumcumque ſint in illis ſuauia, & delectabilia: quia omnia vana: quod ſciens Iob ait in 17. Diem hominis non deſideraui, tu ſcis.

Nota ergo, quòd in atriis Domini eſt dies ſynceriſſima, ſine nocte. *Apoc.* 20. Ciuitas illa non eget ſole, neque luna: nam claritas Dei illuminabit illam. Et infrà: Et nox non erit in ea. Et dies vna eſt: quia omninò immutabilis de cætero, & inuariata. *Zach. vlt.* Erit dies vna quæ nota eſt Domino. Hæc dies dulciſſima, & ſuauiſſima. *Hieron.* O ſi quis in cordis ore iam guſtauerit quæ ſit illa dulcedo cœleſtium præmiorum, qui illi hymni, qui chori Angelorum, quam incomprehenſibilis viſio ſanctæ Trinitatis. Quantò dulcius eſt quod intus vidit, tantò amarius eſt quod foris manet. Et *Gregor.* dicit: Quantò patria dulcior, tantò auidior, vbi Angelorum & hominum vnum erit colloquium, vnum conuiuium. Ibi non languebit amor, nec liquefiet dilectio. Et *Auguſt.* O fœlix ciuitas, cœleſtis manſio, ſecura patria, totum continens quod delectat, vbi ſine fine videbitur Deus, ſine faſtidio amabitur, ſine fatigatione laudabitur.

Elegi abiectus. Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur probatio, quòd debeat exaudiri. Et primò allegat ex parte ſui ſumens rationem. Secundò ex parte Dei, ibi, *Quia miſericordiam & veritatem.* Ex parte ſui allegat duo. Electionem boni primò. Secundò deteſtationem mali, ibi, *Magis quam habitare.* Ait ergo: Sic rogo, & exaudiri debeo, quia *elegi*, quamuis ſim rex, *magis abiectus eſſe in domo Dei*, in Eccleſia ſcilicet, quæ domus Domini eſt. *Iſa.* 56. Domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus. Humilis eſſe volo. 2. *Reg.* 6. Ludam, & vilior fiam, pluſquam factus ſum, & ero humilis in oculis meis. Sic Paulus abiectus erat in hac domo. 1. ad *Cor.* 4. Facti ſumus omnium peripſema vſque adhuc. Pulchra eſt talis vilitas & abiectio, & fœtida è contrario exaltatio. *Caſſiod.* O abiectio pulcherrima! ô ſublimitas fœtidiſſima! Iſta eſt vallis lachrymarum, in qua ſi ad templus plangitur, ſine fine gaudebitur. Et idem ibidem: Qui apud ſe habetur abiectus, apud Deum habetur acceptus. *Magis quam habitare in tabernaculis peccatorum*, exaltatus & magnus.

Et

Et nota, quòd non dicit *magis*, quia hoc aliquantulum eligat, sed quia nullo modo. Quippe *Num.*16. Recedite à tabernaculis hominum impiorum, ne simul cum illis inuoluamini. In tabernaculo interfectus est Sisara. *Iud.*4. *Iob* 8. Tabernaculum impiorum non subsistet. Omninò sensit Moyses sicut iste. Ad *Hebr.*11. Fide Moyses grandis factus negauit se filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iocunditatem: maiores delicias æstimans, thesauris Ægyptiorum improperium Christi.

12. *Quia misericordiam.* Hîc allegat sumendo rationes à parte Dei, & allegat duo. Primum est meriti quod sentit habere, dilectio. Secundum est præmij & in præsenti & in futuro larga retributio, ibi, *Gratiam & gloriam.* Ait enim: Sic debeo, quia bonum elegi, ex parte mea, & malum fugi: & etiam confido: *quia misericordiam*, &c. Vel ad immediatum: Plus volo abiectus esse in domo Dei, quam cum peccatoribus habitare: *quia Deus diligit misericordiam*, quæ est in domo sua, scilicet in Ecclesia, & in me seruo illam: *& veritatem.* Misericordia in exhibendo alij bonum, veritas in puniendo seipsum. Hæc duo diligit Deus. *Mich.*6. Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: Vtique facere iudicium, &c. ecce veritas: & diligere misericordiam, ecce misericordia. *Psal.* Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Propter hoc monet Salomon *Prou.*24. Misericordia & veritas non te deserant. Hæc requiritur à nobis in opere, hæc in doctrina, vt hoc ipsum alios doceamus. Suprà in *Psal.* Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam. Hæc ipsa in nobis operatur. *Ierem.*11. Ego Dominus faciens misericordiam & iudicium, & iustitiam in terra. *Isa.*62. Ego Dominus diligens misericordiam & iudicium. *Glossa*, Referatur misericordia ad beneficia exhibita in præsenti, veritas ad reddenda in futuro.

Gratiam. Hîc secundum, longa præmij retributio: & dicuntur duo. Primò retributio. Secundò retributionis magnitudo, ibi, *Non priuabit.* In prima duplex retributio, in præsenti gratiæ, in futuro gloriæ. *Et gloriam.* In præsenti, id est, augmentum gratiæ, tanquam quoddam præmium in præsenti. Dicit enim *August.* quòd gratia meretur augeri, vt aucta mereatur perfici: omnem enim gratiam dat Deus, non tantum iustificantem, sed & operantem, & consummantem. *Iacob.*1. Omne datum optimum, & omne donum, &c.

Et gloriam, in futuro dabit, scilicet præmium, salutem æternam. *Isa.*46. Dabo in Sion salutem, & victoriæ coronam. 2. ad *Tim. vlt.* De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. Et bene iungit gratiam, & gloriam: quia secundum mensuram gratiæ erit mensura gloriæ. *Zach.*4. Exæquabit gratiam gratiæ. *Ioan.*1. De plenitudine eius omnes accepimus, gratiam pro gratia.

13. *Non priuabit bonis.* Hîc monstratur retributionis magnitudo. Quasi diceret: Sic facientibus misericordiam & veritatem, dabit gratiam & gloriam: & etiam, quod plus est, *non priuabit bonis* his *eos*, *qui ambulant*, conuersatione, *in innocentia.* Ambulare in innocentia est hic, etsi ardua non aggrediantur, tamen cauere à diuina offensa: & si alij non conuertantur, seipsum mundum custodire. Et est magnitudo diuinæ bonitatis, quod talibus etiam bona spiritualia in præsenti & in futuro non negantur. *Psal.* Ego autem in innocentia mea, cauendo à transgressione madatorum Dei, ingressus sum, in regnum gratiæ & gloriæ. Et alibi: Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, &c. Quæ omnia per negationem dicuntur. *Isa.*56. Non dicat Eunuchus: Lignum aridum ego sum, non possum filios spirituales Domino generare. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, & elegerint quod ego volui, & tenuerint fœdus meum: dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus.

Domine virtutum. Hîc est secunda pars tertiæ partis totius huius Psalmi, in qua postquam orauit, se confidere de impetrando ostendit indirectè, commendando & confidentem & sperantem in Deo. Ait enim: Sic petij, & spero quod impetrabo: vnde audacter dico: *O Domine virtutum*, dator & conseruator, *beatus homo* est iam in præsenti, *qui sperat in te*, qui, id est, quia ille: ipsa enim spes iam beatificat ipsum. *Ierem.*17. Beatus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. *Isa.*30. Beati omnes qui expectant eum. Spes autem est expectatio. Propter hoc dicit Paulus *Rom.*8. Spe salui facti sumus. Et tandem erimus saluati re, ipso præstante, qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

IN LXXXIV. PSALMVM.

In finem, filiis Core, Psalmus. 1.

BEnedixisti *Domine terram.* Hic est Psalmus 2.
in toto libro 84. in secunda parte 34. Cum enim in præcedenti Psalmo egerit de gloria bonorum, ipsam commendando, & insinuauerit quòd ad illam perueniatur solo Dei adiutorio & benedictione, consequens fuit ostendere, per quid præcipuè ad illam peruenitur, quænam illæ benedictiones, per quas electi ad tantam gloriam extolluntur. Hæ autem sunt gratiæ & beneficia per incarnationem filij mundo exhibita: vnde competenter agitur in hoc Psalmo de primo aduentu filij Dei, & benedictionibus per illum mundo datis. Et sic est tertius Psalmus, in quo agitur de incarnatione. Primus est, *Cœli enarrant.* Secundus, *Qui regis Israël.* Tertius est iste. Quia autem aduentus filij Dei, & beneficia ab adueniente exhibita non omnibus profuerunt, sed tantum iis qui per baptismum in Christo regenerati sunt, bene dicitur in titulo: *In finem, Psalmus filiis Core.* Hic est *Psalmus* ordinans nos *in finem*, Christum scilicet qui finis est. Ad *Rom.*10. Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti. Et *Apocalyps.*1. Ego sum α & ω, principium & finis. *Filiis Core*, in est, Christi calu à

Argumentũ Psalmi, primus aduentus Christi, & beneficia per illũ vniuerso collata.

mundi diuitiis denudati, & ad literam in Caluaria crucifixi. *Ioan.* 19. Et baiulans sibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum, vbi crucifixus est: cantandus, sup.

Psalmus autem diuitur in tres partes, aliter aliquantulum, quam *Glossa*. Primò propheticè dicitur Dei ad humanum genus reconciliatio. Secundò quamuis prædicta sit, supplicatur vt sic fiat. *Conuerte nos Deus salutaris.* Tertiò explanatur quomodo hoc nouerit, & quo ordine totum fiendum sit, ibi, *Audiam quid loquatur.* Plena reconciliatio in duobus est: in collationi benignitatis humanæ naturæ, & hoc primò tangitur: & amotione mali, & hoc secundò, ibi, *Auertisti captiuitatem.*

Dicit ergo: Sic Domine, beatus est homo, qui confidit & sperat in te: & nunc, quoniam ô *Domine benedixisti*: præteritum ponit pro futuro certitudine prophetali, id est, benedices, *terram tuam*, quam in Adam maledixeras. *Genes.* 3. Maledicta terra in opere tuo. *Zachar.* 3. Sicut eratis maledictio, id est, maledicti, sed emphaticè loquitur, sic eritis benedictio.

Multiplex terræ acceptio.

Vt autem appareat de qua terra intendit, & quibus benedictionibus illam benedixerit, notandum, quòd terra appellatur impius terrenis inhians, & illis adhærens. *Genes.* 3. dictum est serpenti: Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ. Et terra dicitur ipse Christus siue humus. *Isa.* 2. Ingredere in petram, abscondere in fossa humo. Terra etiam quilibet iustus. *Matth.* 13. Semen cecidit in terram bonam. Terra etiam dicitur anima. *Psal.* Anima mea sicut terra sine aqua tibi. *Ios.* 15. & *Iudic.* 1. Terram arentem, animam scilicet siccam, dedisti mihi. Terra corpus. *Gen.* 1. Formauit igitur Deus hominem de limo terræ. Synecdoche est, id est, hominis partẽ, corpus. Homo ipse totus, quia de terra conditus quoad corpus, & in terra postmodum cõuersatur, & tandem in terram reducendus. *Ierem.* 23. Terra, terra, terra: terra conditione, terra conuersatione, terra consummatione: audi sermonem Domini. Triumphans Ecclesia. *Psal.* Mansueti autem hæreditabunt terram. Et alibi: Credo videre bona Domini in terrâ viuentium. Et *Matth.* 25. Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram. Virgo beata. *Psal.* infra: Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. *Isa.* 4. Et fructus terræ sublimis. Militans Ecclesia: sic accipitur hîc, & *Genes.* 28. Terram, in qua dormis, dabo tibi. Et in 12. Et veni in terram, quam monstrauero tibi.

Benedictio quinque modis sumitur.

Benedictio autem quinque modis accipitur. In malo *Iob* 1. Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis, id est, maledixerint. Et in 2. Benedic Deo & morere. Aliquando in bono, & quasi semper: sed aliquando est benedictio siniſtra, quæ est in abundantia temporali, communis bonis & malis. *Genes.* 27. In rore cœli & in pinguedine terræ erit benedictio tua, dictum est Esau. Et in 19. dixit Laban ad Iacob: Benedixit mihi Deus propter te. *Iob vltim.* Et Benedixit Dominus nouissimis Iob, & plus quam primis. Et est benedictio dexteræ, quæ duplex est: gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro. De prima in *Psal.* Benedicti vos à Domino. Et alibi: Benedicat nos Deus, Deus noster. De secunda *Matth.* 25. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. De vtraque in *Psal.* Viduam eius benedicens, benedictione gratiæ, benedicam, benedictione gloriæ. Et tertia, præparatio ad vtramque, quæ est benedictio prędestinationis, de qua ad *Eph.* 1. Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, in quo elegit nos ante mundi constitutionem. Benedictio autem gratiæ triplex est. Prima est gratiam infundendo, quantum ad statum incipientium, de qua in *Psal.* Domine præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Secunda in merito augendo & multiplicando, quantum ad statum proficientium. Tertia est in bono consummando, quantum ad statum perfectorum. *Genes.* 32. Non dimittam te nisi benedixeris mihi: & benedixit eum in eodem loco. Omnes dat terræ suæ, militanti Ecclesiæ, excepta prima.

Auertisti: Hîc secundum, in quo est reconciliatio, scilicet in mali amotione. Et primò in amotione mali culpæ. Secũdò in amotione mali pœnæ, ibi, *Mitigasti omnem.* In prima tria. Primò remotio originalis culpæ. Secundò debilitatio inclinationis ad culpam, quæ est ex fomite, ibi, *Repulisti.* Tertiò deletio, etiam actualis, ibi, *Operuisti omnia.* Dicit ergo: Sic benedixisti, id est, benedices, & etiam *auertisti*, remouendo, *captiuitatem*, originalem culpam, sub qua captiuus tenebatur Iacob, populus scilicet tuus. Hæc captiuitas, de qua in *Psal.* alibi: In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, &c. Et alibi: Cum conuerterit Dominus captiuitatem plebis suæ, &c. *Isa.* 45. Captiuitatem meam dimittet non in pretio, nec in muneribus.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ. Hic est secundum. Quasi diceret: Sic culpam originalem destruxisti, & etiam *remisisti*, id est, remittes, *iniquitatem*, id est, inæqualitatem fomitis, vt non sit iam intensus, quantum solet, nec regnet, nec dominetur. Ad *Roman.* 6. Non regnet peccatũ in vestro mortali corpore. *Matt.* 9. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. 1. *Ioan.* 1. Remittentur vobis peccata vestra propter nomen eius. Et in eodem, Fidelis est Deus vt remittat peccata vestra, & emundet vos ab omnibus inquinamentis vestris. Et tandem *operuisti*, non videndo ad pœnam, *peccata omnia eorum* actualia. *Psal.* Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.

Quo autem teguntur, dicitur *Prouerb.* 10. Vniuersa delicta operit charitas. 1. *Pet.* 4. Charitas operit multitudinem peccatorum. Sicut enim carbonis nigredo igne tegitur cum penetrat carbonem: sic peccata igne charitatis cum penetrat animam. *Thren.* 4. Denigrata est super carbones facies eorum. Sed aduenientе igne illo, de quo *Luc.* 12. Ignem veni mittere in terram: & quid volo nisi vt accendatur? nigredo tegitur, & contritione cordis, & amaritudine, sicut significatum fuit *Exod.* 14. in Ægyptiis, quos operuit mare rubrum. *Exod.* 15. Flauit spiritus tuus, & operuit eos mare. Submersi, &c.

Mitigasti omnem. Hîc secundum, scilicet amotio mali pœnæ: in quo dicuntur duo. Primò mitigatio temporalis, quia omninò amoueri

ueri non poteſt. Et ſecundò plena remotio æternæ, ibi, *Auertiſti ab ira.* Ait enim: Sic amouiſti culpam, & etiam *mitigaſti* minorando *omnem iram tuam*, in præſenti pro peccatis inferendam. In *Pſal.* Beatus quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum, vt mitiges ei à diebus malis. Diebus, inquam, præſentis temporis, pœnalibus, & miſeriis plenis. Ad *Epheſ.* 4. Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt. Mitigat autem Dominus præſentes miſerias, vel noſtræ fragilitati & imperfectioni temperando, ſecundum illud 2 ad *Cor.*10. Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari ſupra id quod poteſtis. Vel patientiam & fortitudinem tribuendo, ſecundum illud *Ezech.*3. Vt adamantem & vt ſilicem ponam faciem tuam. *Ierem.*1. Dedi te in murum æneum, & columnam ferream. Vel conſolationem & dulcedinem infundendo. *Pſal.* Cum ipſo ſum in tribulatione. *Dan.*3. Angelus Domini fecit medium fornacis, quaſi ventum roris flantem. *Eſther vlt.* Conuertit Dominus ſpiritum regis in manſuetudinem.

Deus multis modis præſentes miſerias mitigat.

Auertiſti. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic temperaſti præſentem aduerſitatem, & *auertiſti* teipſum *ab ira*, non quacumque, ſed *indignationis tuæ.* Ira enim, ſed non indignationis, eſt afflictio præſentis temporis: ſed ira indignationis, afflictio æterna & gehennalis. Et appellatur ira effectus iræ in Deo, hoc eſt, effectus ac ſi ira in Deo eſſet. Suprà in *Pſal.* Et abundauit vt auerteret iram ſuam. *Iſa.* 60. In indignatione mea percuſſi te, quantum ad damnatos: & in reconciliatione mea miſertus ſum tui, quantum ad alios. *Oſeæ* 13. Diligam eos ſponteneè, quia auerſus eſt liuor meus, hoc eſt, ira indignationis, ab eis.

5. *Conuerte nos Deus.* Hîc ſecundum, in quo petit vt fiant quæ fienda prædixit: & dicuntur duo. Primò petit. Secundò oſtendit quomodo totum fieri poterit, ſi filius Dei aduenerit incarnatus, ibi, *Oſtende nobis.* In prima tanguntur tria. Primò petitio. Secundò oſtenditur opportunitas impetrandi, quod petit, ibi, *Nunquid in æternum.* Tertiò vtilitas conſequens ex petito, ſi concedat, ibi, *Deus tu conuerſus*, vel *conuertens*, ſecundum aliam literam. In prima duo ſecundum duo quæ petit. Primò vt auertat ab eo malum pœnæ, ibi, *Et auerte iram.* Dicit ergo: Sic Domine ſcio, quòd facies bona promiſſa tuis, & propter hoc rogo ne excludamur, ſed magis tu qui es *Deus* per creationem, *ſalutaris* per redemptionem, *noſter* per præſentem iuſtificationem. *Iſa.*35. de his tribus: Ecce Deus noſter, expectauimus eum, & ſaluabit nos. *Conuerte nos* ad te à malis culpæ. Suprà in *Pſal.* Domine Deus virtutum conuerte nos. *Thren.*4. Conuerte nos Domine, & conuertemur ad te. *Amos* 9. Conuertam captiuitatem populi mei.

Et auerte. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic nos conuerte à culpis, & etiam *auerte iram tuam*, effectum iræ tuæ, *à nobis. Iſa.*64. Ne iraſcaris Domine ſatis. *Dan.*9. Auertatur obſecro ira tua à ciuitate ſancta tua.

6. *Nunquid in æternum.* Hîc ſecundum, in quo mõſtratur opportunitas, quærẽdo vſquequo extẽdatur ira. Quaſi diceret: Satis vſque nũc eſt extenſa. Primò ergo quærit ſi puniet in æternitate ſuos, & ſuppoſito quòd nõ, quærit ſecundò ſi in toto iſto tempore, ibi, *Aut extendes iram.* Dicit ergo: Sic rogo, vt placatus ſis auertendo malum, & culpæ & pœnæ: & tempus eſt, quia *nunquid in æternum iraſceris nobis?* Quaſi diceret: Non. *Iſa.*57. Non in perpetuum litigabo, nec in perpetuum iraſcar. *Pſal.* Nunquid obliuiſcetur miſereri Deus? Non eſt poſſibile: imò ſi ad modicum eſt eius ira, at ſemper eſt eius miſericordia in ſuos. *Iſa.*54. Ad punctum & in modico dereliqui te, & in miſerationibus multis miſertus ſum tui. Et paulo poſt: In modico indignationis abſcondi faciem meam pauliſper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui.

Aut extendes. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: *Aut* ſi non eſt futura æterna, *extendes iram tuam*, effectum ſcilicet iræ tuæ, *à generatione* continuando, *in generationem*, hoc eſt, vſque in mundi finem. *Pſal.* Aut in finem miſericordiam ſuam abſcondet à generatione in generationem? Vel ſic: *Nunquid extendes iram tuam à generatione* peccatrice, in qua peccatum regnauit, *vſque in generationem* ſub gratia regnantem, vt deſtruas vtramque. De prima generatione. *Epheſ.*2. Omnes naſcimur filij iræ. De ſecunda. *Ioan.*3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire, &c. 1. *Ioan.*5. Omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat, ſed gratia Dei conſeruat eum: & malignus non tangit eum. Item eſt generatio carnalis, quæ ſtatim præterit, & quaſi continuè, & ſuccedit. *Eccleſ.*1. Generatio aduenit, & generatio præterit. Et eſt generatio perſeuerans, quando mortale hoc induerit immortalitatem, de qua *Matth.* 19. In regeneratione cum ſederit filius hominis. Dicit ergo: Nunquid extendes manum tuam à generatione hac prætereunte, vſque in generationem permanentem.

Duplex generatio, trãſiens, & permanens.

7. *Deus tu conuerſus.* Hîc eſt tertium, in quo tangitur vtilitas conſequens ex petito ſi conceſſum fuerit, & eſt duplex. Prima, viuificatio populi conuerſi. Secundò honor Dei, ibi, *Et plebs tua.* Dicit ergo: Sic petij, vt conuertas nos, & ipſe conuertaris ab ira: & hic fructus, O *Deus conuerſus ab ira* indignationis. Vel ſecundum aliam literam: *Tu conuertens* nos à peccatis noſtris, & culpis, *& viuificabis nos. Pſal.* Et conuerſus viuificaſti me, & de abyſſo terræ reduxiſti me. Vita gratiæ in præſenti, iuxta illud *Abac.*3. In medio annorum viuificà illud. 1. *Reg.*2. Dominus mortificat, gratiã ſubtrahẽdo: & viuificat, gratiam infundendo: ſed hoc in humiles. *Iſa.*57. Vt viuificet ſpiritum humilium. Et tandẽ vita gloriæ in futuro, de qua in *Pſal.* Quoniam apud te eſt fons vitæ. *Oſeæ* 6. Viuificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos. Prima dies eſt dies legis naturalis. Secunda legis Euangelicæ, & tertia eſt dies gloriæ.

Et plebs tua. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic viuificabis, & tandem *plebs tua*, humilis populus, & qui videtur abiectus. *Luc.*12. Nolite timere puſillus grex. *Lætabitur in te*, lætanter te colendo, & tibi ſeruiendo. *Caſſiod.* Plebs proſperè lætabitur in te, quæ infeliciter exultabat in ſe. *Cant.*1. Exultabimus, & lætabimur in te. *Pſal.* Lætabimur in ſalutari tuo. Et *Abac.* 3. Exultabo in Deo IESV meo.

8. *Ostende nobis Domine.* Hîc ſecundum totius huius partis, in quo petit impleri prædicta. Cum enim petierit diuerſa, hîc oſtendit quomodo totum compleri poterit, ſi filius Dei aduenerit. Primò ergo petit filij incarnationem. Secundò incarnati vtilitatem, vt prædicetur, moriatur, totus pro nobis expendatur. *Et ſalutare.* Dicit ergo: Hæc petij vt nos conuertas, & ab ira auertaris, quod totum vt fiat, rogo Domine Deus Pater, *oſtende nobis* manifeſtando in aſſumpta carne, *miſericordiam tuam*, Chriſtum ſcilicet: ipſe enim illa miſericordia eſt, de qua ad *Tit.* 2. Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit. Oſtende ergo Chriſtum vt lumen ad illuminandum cæcos & obtenebratos. *Eccleſ.*36. Oſtende nobis lucem miſerationum tuarum. *Iſa.*9. Habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis. Vt exemplum ad nos humiliandum. *Ioan.* 13. Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Vt viam ad ambulandum rectè ad patriam. *Ioan.*14. Ego ſum via, veritas, & vita. *Iſa.*35. Hæc eſt directa via, ita vt ſtulti non errent in ea. Vt animatorem ad patiendum. Ad *Hebr.*12. Curramus ad propoſitum nobis certamen, reſpicientes in actorem fidei & conſummatorem IESVM. 1. *Pet.* 2. Chriſtus paſſus eſt pro vobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini, &c. Vel reclamatorium ad nos reuocandum. *Ioan.* 12. Ego ſi exaltatus fuero à terra, oſtendens carnem rubeam in cruce, omnia traham ad me. *Matth.*24. Vbicumque fuerit corpus, congregabuntur & aquilæ. Vt aduocatum pupillorum ignorantium, ſecundum illud 1. *Ioan.* 1. Aduocatum habemus ad patrem IESVM, &c. Vt medicum ægrotantium. *Matth.*10. de ſeipſo loquens Dei filius, ait: Non eſt opus valentibus medico, ſed male habentibus. Et tandem vt præmium & brauium laborantium & currentium, de quo 1. ad *Cor.*9. Multi quidem currunt, vnus autem accipit brauium.

Chriſti diuerſa officia.

Et ſalutare tuum, ipſum ſcilicet Chriſtum, nobis in incarnatione oſtenſum, *da nobis* in ipſa paſſione, vt ſit hoſtia pro nobis. *Geneſ. penult.* Salutare tuum expectabo Domine. *Luc.* 2. Viderunt oculi mei ſalutare tuum. *Hieron.* IESVM quem confitemur rogemus, vt mereamur eius aduentus luce illuſtrari, eius via dirigi, veritate corrigi, & vita locupletari. Et ego addo: Et morte redimi. Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis *Iſa.*9.

9. *Audiam quid loquatur.* Hîc eſt tertia pars, in qua poſtquam futuras benedictiones prædidixit, & ſecundò vt impleantur petiit, hic tertiò inſinuat, qualiter iſta cognouerit, & quo ordine complendum ſit. Secundum hoc dicuntur duo. Primò qualiter Chriſtum venturum ad pacificandum hominem Deo, & ipſum hominem ſaluandum cognouerit, quia Deo loquente in ſe. Secundò qualiter veniens, quæ bona contulit, ibi, *Verumtamen propè timentes.* In prima duo. Primò promittit propheta, quòd audiet in ſe loquentem Deum. Secundò oſtendit quid audiet à loquente, ibi, *Quoniam loquetur pacem.* Ait ergo: Sic venit: & oraui, quod ſic fiat. Sed vnde hoc ſcire potes? Ecce *audiam* auditu auris intelligentiæ, & auerſus à mundi ſtrepitu, *quid loquatur in me Dominus Deus.* Loquitur Deus in ſuis teſte Paulo 2. ad *Cor.vlt.* An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus? *Matth.* 10. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtris, qui loquitur in vobis. *Oſeæ* 2. Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius. Loqui autem in ipſo eſt inſpirare ei quod vult ei reuelare, quod fit ipſam veritatem aliquando cordi intimando & monſtrando, ſicut factum eſt in iſto, vt in prologo huius libri dicitur. Aliquandò mediante bono Angelo. *Zach.*1. Angelus Domini loquebatur in me verba bona, & conſolatoria, non malus Angelus, qui in multis loquitur. 3. *Reg.vlt.* Ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum. 1. *Ioan.* 4. dicitur propter hoc, Nolite credere omni ſpiritui, ſed probate ſpiritus vtrum ex Deo ſint.

Quoniam loquetur. Hîc ſecundum, quid loquetur, quia pacem duplicem. Primò Dei ad Iudæos. Secundò ad Gentiles omnes, ibi, *Et in eos qui conuertuntur.* In prima duo. Primò pacificatio cum Iudæis. Sed quia non vniuerſaliter cum omnibus, oſtendit cum quibus de illis, ibi, *Et ſuper ſanctos.* Ait ergo: Sic audiam quid loquatur in me: & quid illud? *Quoniam loquetur* tandem *pacem in plebem ſuam.* Hoc eſt dictu: Pacificabitur tandem plebi ſuæ, ſcilicet Iudæis, qui ſunt eius plebs ſpecialiter. *Deut.*7. Elegit te Dominus Deus tuus, vt ſis ei populus peculiaris. *Iſa.*26. Pacem faciet mihi. Vel, *loquetur pacem*, quia mittet ad eos filium, qui erit pax eorum. Ad *Epheſ.* 2. Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum. Qui pacem dabit. *Ioan.*14. Pacem reliquo vobis, pacem meam do vobis. Et pacem prædicabit, & per ſe, & per ſuos. *Iſa.*55. Creaui fructum labiorum pacem. *Ioan.*16. Hæc loquutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis.

Et ſuper ſanctos ſuos. Hîc ſpecificat ſuper quos de plebe loquetur pacem. *Quia ſuper ſanctos ſuos.* Ait enim: Sic loquetur pacem in plebem, & *ſuper ſanctos ſuos*, bonos & iuſtos de Iudæis, non ſuper peuerſos, & in malitia obſtinatos: ſuper illos quibus loquens Petrus ait: 1. *Petr.*1. Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta. Super hos loquetur pacem: quia & ad ſeipſum, & ad ſeinuicem reddit pacificos, & charitate coniunctos. *Act.*4. Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna: vt ſancti qui erant in terra de Iudæis, eſſent etiam vnum cum ſanctis, qui in cœlo erant, ſcilicet Angelis. Ad *Coloſſ.*1. Pacificans quæ in cœlis ſunt, & quæ in terris. Et *in eos*, quaſi ſic, Pacem loquetur ad Iudaïcam plebẽ, & etiam *in eos* generaliter *qui conuertuntur ad cor*, ad propriam interius rationem, ſeipſos arguentes, quod coluerint deos fictitios, quod eſt omninò contrarium rationi. Abit enim homo per culpam, & maximè infidelitatis à corde ſuo, & ipſum perdit. *Oſeæ* 7. Ephraim columba ſeducta non habens cor. Sed conuertitur ad ſe per pœnitentiam. Propter hoc clamat in *Iſa.* in 26. Redite præuaricatores ad cor.

Verumtamen propè timentes. Hîc ſecundum, in quo poſtquam oſtendit, qualiter prædicta 10.

cogno

cognouerit, quia Deo loquente in seipso, hîc ostendit qualiter veniens, quæ dona contulerit: & dicuntur duo. Primò ad quos venerit primò & specialiter. Secundò quæ contulerit veniens, ibi, *Misericordia & veritas.* In prima duo. Primò quod ad Iudæos venerit. Secundò ad quæ loca specialiter declinauerit. *Vt inhabitet.* Ait enim: Sic loquetur pacem: *Verumtamen salutare ipsius*, Dei scilicet Patris, hoc est, filius, erit, supple, *propè timentes eum*, Iudaicum scilicet populum, qui solus non dæmonia timebat, sed Deum, ita quod propriè quidem natus est de illa gente. *Ioan.* 4. Salus ex Iudæis est. Et in tantum prope, *vt gloria eius*, supple, scilicet Patris, hoc est filius. *Prou.* 10. Gloria Patris filius sapiens. *Inhabitet in terra nostra*, in Iudæa, strictè sumédo Iudæã. Natus enim fuit in Bethleem. *Mich.* 5. Et tu paruula es in millibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israël. In Ierusalem prædicauit frequentissimè, & docuit. *Isa.* 46. Dabo in Sion salutem, & in Ierusalem gloriam meam. *Zach.* 2. Ecce venio & habitabo in medio tui. *Agg.* 1. Maior erit gloria huius domus secundæ, quam primæ.

Quæ dona Christus nobis suo primo aduentu contulit.

Moraliter autem prope timentes est salutare, quia soli timentes Deum saluti appropinquant *Psal.* Voluntatem timentium se faciet, &c. Quid volunt nisi saluari? Isti sunt qui conuertuntur ad cor. *Eccles.* 21. Qui timet Deum, conuertetur ad cor suum: & Deus saluabit ipsum, quia *Act.* 10. In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum & operatur iustitiam, acceptus est illi. Et in tantum prope salutate sunt, vt in ipsa eorum terra, in corpore scilicet, *inhabitet gloria*: in corpore enim tandem glorificabuntur. Ad *Phil.* 3. Saluatorem expectamus, Dominum IESVM CHRISTVM, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, &c. 1. ad *Corinth.* 15. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria.

II. *Misericordia & veritas.* Hîc secundum huius partis, in quo ostendit, quæ bona veniens illis præstiterit, ad quos venit, & quomodo, & per quid. Primò ergo ostendit quæ bona præstiterit. Secundò quomodo, & per quid, ibi, *Veritas de terra.* In prima dicuntur quatuor. Primò tangitur misericordiæ beneficium in Gentium vocatione ad fidem. Secundò veritatis in promissi adimpletione. *Et veritas.* Tertiò decoris iustitiæ in peccatorum punitione. *Iustitia.* Quartò pacis & concordiæ Dei ad hominem, quod causatum est ex iustitia. *Et pax.* Dicit ergo: Ad tales venit spiritualiter, & tunc *misericordia* in Gentium vocatione ad fidem Christi, *& veritas* in promissorum Iudæis adimpletione, *obuiauerunt sibi*, obuiatione pacis & reconciliationis, sicut *Prouerb.* 22. Diues & pauper obuiauerunt sibi. *Misericordia* enim erat, quæ in cœlo inclusa, relicta Gentilitate in tantis infidelitatis tenebris. *Psal.* Domine in cœlo misericordia tua. *Veritas* autem, qua dictum fuerat primo homini, Quacumque die comederitis, morte moriemini, in terra erat. In eodem *Psal.* Et veritas tua vsque ad nubes. Sed obuiauerunt misericordia descendente, & misero homine ascendente per ipsam mortem & flagellum in cœlum, post aduentum mediatoris. *Ioan.* 1. Misericordia & veritas per IESVM CHRISVM facta est. Potest etiam legi de obuiatione contradictionis: quia misericordia pro miseri hominis liberatione illud allegabat.

Veritas de terra. Hîc secundum, in quo ostendit quomodo hoc totum factum sit, & per quid, quia per duo. Per veritatem, id est, Christum de Virgine nascentem, & hominis iustificationem: vnde dicuntur quatuor. Primò tangitur origo Christi de Virgine. Secundò hominis per ipsum iustificatio. *Et iustitia.* Tertiò ostendit originis modum. *Etenim Dominus.* Quartò iustificationis, ibi, *Iustitia ante eum.* Dicit ergo: Hæc bona faciet, quia *veritas*, Dei filius Christus, qui dicit *Ioan.* 14. Ego sum via, veritas, & vita: *orta est*, sicut radix, & virgultum, *de terra*, de Maria. *Isa.* 53. Ascendit sicut radix, & sicut virgultum de terra sitienti. Terra Maria, quia humilis, stabilis, & fertilis, sicut superius satis dictum fuit, & sitiens desiderio æternorum. *Iud.* 6. significata fuit per siccam aream, sed tandem abundantissimè complutam rore Spiritus Sancti. *Isa.* 45. Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra. Et propter hoc fructum protulit gloriosum. In eodem, Germinet Saluatorem. Fructum satietatis. *Eccles.* 24. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini. Fructum gloriæ. *Isa.* 4. Erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis. Fructum sanitatis. *Eccles.* 38. Altissimus de terra creauit medicinam. Et propter hoc benedicta. Ad *Heb.* 6. Terra super se venientem bibens imbrem, & geminans herbam opportunam, his à quibus colitur, benedictioni proxima est. Propter hoc dicit ei Angelus *Luc.* 1. Benedicta tu in mulieribus.

12. *Christus veritas & iustitia.* *Fructus ex Virgine Maria.*

Et iustitia, idem quod veritas. 1. ad *Cor.* 1. Qui factus est nobis à Deo Patre iustitia, & sanctificatio, &c. *De cœlo* descendens *respexit*, cordibus hominum gratiam infundendo. *Respectus*, de quo *Sapient.* 4. Gratia & misericordia in sanctos eius, & respectus in electos illius. *Cassiodor.* Iustitia de cœlo prospexit, quando humano generi periclitanti, filius Dei mirabili dispensatione subuenit.

Horum bonus ordo est. Primò enim de terra, de terreno scilicet homine, veritas oriri debet, confessio scilicet verissima peccatorum: & statim iustitia respicit, dimittendo quæ confessa sunt. *Psal.* Dixi, Confitebor aduersum me, &c.

13. *Etenim Dominus dabit.* Hîc tertium, in quo ostendit modum originis, quo veritas de terra orta est, quia per Spiritum sanctum. Tangitur ergo descensus Spiritus sancti in Virginem. Secundò filij origo de Virgine. *Et terra nostra.* Ait enim: Sic dixi veritatem de terra ortam. *Etenim Dominus* Deus *dabit*, in ventrem, & in mentem Virginis *benignitatem*, Spiritum sanctum, cui benignitas appropriatur. *Sapient.* 1. Benignus est enim spiritus sapientiæ. *Et terra nostra*, Virgo scilicet beata: nostra enim est, & sua, hoc est, Dei. Nostra: quia fructu de se prodeunte pascit famelicos precibus suis, tanquam

quam foliis de ipſa prodeuntibus, reconciliat reos, ſoliditate ſua ſuſtentat debiles & infirmos, & tandem in ſe ſuſcipit cadentes, & lapſos. Sua: quia in ea conuerſatus, ex ea conceptus, in ea & de ea natus, & ab ea nutritus.

Vel ſic quantum ad ſecundam lecturam verſus præcedentis: Bene dixi, quòd veritas in confitendo orta eſt de terra, de peccatrice anima: *& iuſtitia de cœlo proſpexit*, gratiam remiſſionis infudit. *Etenim*, id eſt, quia, *Dominus dabit benignitatem*, ſpiritum bonam voluntatem inſpirantem. *Pſal.* Exaudi me Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua, benignitatis & ſuauitatis effectrix. *Et* tunc *terra noſtra*, corpus ſcilicet noſtrum, *dabit fructum ſuum*, opus ſcilicet bonum, opus, inquam, pœnitentiæ. Ad *Roman.*2. An ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?

Iuſtitia ante eum. Hic oſtendit ſecundum, ſcilicet iuſtificationis modum, qui tangitur in duobus. In punitione ſui pro delictis, & profectu bonæ operationis, ibi, *Et ponet in via.* Dicit ergo: Sic veritas orta eſt de terra, quia benignitas à Deo eſt data: & iuſtitia de cœlo proſpexit, quia *iuſtitia ante eum*, Deum ſcilicet ad cor homins venturum, *ambulabit*, quaſi præparans ei viam: iuſtitia enim hîc iuſtificatio dicitur, qua homo ſeipſum pro peccatis punit. *Iſa.*58. Anteibit iuſtitia tua faciem eius. Iuſtitia enim antecedit Deum ad hominem venturum: & ſapientia deducit hominem ad Deum, vt ei occurrat. *Sapient.*9. Deducet me in operibus ſobriè.

Et ponet in via, ſic parata, *greſſus ſuos*, ipſum hominem promouẽdo de bono in melius. Propter hoc monet *Iſa.*in 40. Parate viam Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri, peccata confitendo. Nos, propter ea quæ male geſta ſunt, puniendo: hæc eſt enim via iuſti. *Iſa.*26. Semita iuſti recta eſt, rectus callis ad ambulandum. *Iſa.*45. Ego ſuſcitaui eum ad iuſtitiam, & omnes vias eius dirigam. Nota ergo, quòd Chriſti miſericordia comes fuit indiuiduus. *Iob* 31. Ab infantia mecum creuit miſeratio. Veritas ante eum loqui docuit. *Iſa.*53. Non eſt inuentus dolus in ore eius. Iuſtitia ante ambulauit, & viam præparauit, ſicut hîc dicitur. Et pax ei lectum, in quo dormiuit, ſtrauit. Supra 4. *Pſal.* In pace in idipſum dormiam, & requieſcam.

IN LXXXV. PSALMVM.

Oratio Dauid.

1. INclina Domine aurem. Hic eſt Pſalmus 85. in toto libro, in 2. parte 35. In præcedenti enim Pſalmo, ſicut viſum eſt ſupra, actum eſt de aduentu filij Dei in carnem, & aſſumptione humanæ naturæ: in hoc autem agitur de veritate aſſumptæ. Monſtratur autem in hoc Pſalmo fuiſſe homo, indigens fuiſſe, & pauper, & hoc quia agitur hic de eius oratione. Orantis autem eſt eſſe pauperem, & infirmum, quæ ſunt proprietates humanitatis veræ. Item in præcedenti Pſalmo actum eſt de filij Dei incarnatione, per quam mutata eſt maledictio in multiplicem benedictionem: hic autem ſubiungitur de hominis Chriſti oratione, & interpellatione ad Patrem pro cuſtodia benedictionum, continuatione, & augmento illarum, & in ſe & in membris: & hoc breuiter tangitur in titulo, qui talis eſt: *Oratio Dauid*, non in materialis, & ſi illi poſſint quæ dicuntur hic conuenire ſed magis ſpiritualis, id eſt, Chriſti, qui Dauid dicitur pluribus rationibus, ſuperiùs tactis, quas hic repetere non oportet. *Argumentũ Pſalmi, oratio Chriſti patientis, vt monſtrat titulus.*

Diuiditur autem Pſalmus in duas partes, in quarum prima orat Chriſtus pro ſuis, in ſecunda vero pro ſeipſo, ibi, *Deus iniqui inſurrexerunt.* In prima duo. Primò petit conſeruari in bono, & à malo liberari. Secundò in bono promoueri, ibi, *Deduc me Domine.* In prima petit duo. Primò petit exaudiri. Secundò oſtendit perſuaſionibus, quod debeat, addens quid petat, ibi, *Quoniam inops.* In prima duo. Primò petit vt eum Deus humiliter audiat. Secundò, quòd audita tribuat, & petitum adimpleat. *Et exaudi.* Dicit ergo: Sic Domine benedixiſti terram benedictione multiplici: ſed rogo ô *Domine inclina aurem tuam*, mihi infimo & infirmo: vnde audire non poteris, niſi te inclinaueris: altiſſimus enim es, & potentiſſimus. *Pſal.* Inclina ad me aurem tuam, accelera, &c. Auris autem Dei eſt eius intelligentia, qua cordis noſtri capit & diſcernit deſideria & cogitationes ipſas. *Sap.*1. Auris zeli audit omnia. Hanc Deus inclinat: quia non tantum ſuperioribus intendit, ſicut amici Iob eum putabant credere. *Iob* 22. Circa cardines cœli perambulat, nec noſtra diiudicat: ſed omnia inferiora diligenter attendit, & ſubtiliter diſcutit. *Sapient.*6. Æqualiter eſt illi cura de omnibus. Et dicit *Auguſt.* Inclinat autem ſuam, ſi non erigis ceruicem tuam: humiliato appropinquat, non in ſeipſo exaltato.

Et exaudi me, quæ peto conferendo. *Dan.*9. Propter temetipſum inclina Deus aurem tuam, & audi.

Quoniam inops. Hîc ſecundum, in quo ponit rationes ſuas, orans adhuc vt impleatur quod petit, ſimul determinando quid petit: & diuiditur in tres partes. Primò ponit rationes à parte ſui, qui petit. Secundò à parte modi petendi, ibi, *Miſere mei Domine.* Tertiò ex parte eius quem petit, ibi, *Quoniam tu Domine.* In prima parte duo, ſecundum duo quæ allegat, quare debeat exaudiri. Primum eſt indigentia. Secundum, conuerſatio perfecta. *Cuſtodi animam.* In prima indigentiam allegat duplicem, defectum ſcilicet auxilij, & defectum rei, ibi, *Et pauper.* Ait enim: Sic inclina aurem, & exaudi, & hoc debes, *quoniam ego ſum inops*, id eſt, ſine ope vel auxilio, vel ex meipſo, vel ex aliquo alio niſi ex te. *Caſſiodor.* Hoc dicendo conditionem humanitatis oſtendit, quæ ex ſe nihil habere poteſt, niſi ex largitione diuinæ bonitatis acceperit. 1.ad *Corinth.*4. Quid habes quod non accepiſti? *Iacob.*1. Omne datum optimum, &c. *Iob* 6. Ecce non eſt mihi auxilium ex me, neceſſarij quoque mei receſſerunt à me.

Et pauper carens rebus. 1.ad *Corinth.*8. Qui cum eſſet dives in omnibus, pro nobis egenus factus eſt. *Bernard.* Factus filius Dei pauper, vt pauper fieret diues. *Auguſtin.* Pauper Dei eſto,

vt

vt ipso implearis. Quicquid enim aliud inueneris sine ipso, pauper efficieris. Diues Pharisæus ostendit diuitias virtutum, & pauper effectus est. Publicanus confitebatur inopiam suam, & diues factus est. *Prou.* 14. Est quasi diues, cum nihil habeat: & quasi pauper, cum in multis diuitiis sit.

Custodi animam meam. Hîc secundum, in quo allegat perfectionem, & hanc duplicem: sanctitatis & humilitatis, ibi, *Saluum fac seruum.* Dicit ergo: Sic rogo vt audias. Quidnam vis? *Custodi animam meam.* Confundit Apollinaristas, si in propria persona loquatus Christus. Dicunt enim ipsum non habere animam, sed pro anima diuinitatem. *Cassiod.* Audiant Apollinaristæ, Christum habere animam, & perfecti hominis sumpsisse naturam, quia non poterat non habere eam, ad quam specialiter probatus est venisse saluandam. Si pro membris loquitur, bene pro anima rogat, non pro corpore: hæc enim est, quæ ab ipso specialiter diligitur. *Sapient.* 11. Tu Domine, qui saluas animas. Hæc est quæ omni diligentia custodienda est, quod ostendit Dominus moriens in cruce. *Luc.* 23. In manus tuas commendo spiritum meum. *Prou.* 4. Omni custodia serua cor tuum. 1. *Reg.* 25. dixit Abigail ad Dauid: Anima mea Domini mei custodita est quasi in fasciculo viuentium.

Eliditur error Apollinaristarum Christū habere animā negantium.

Deus animā diligentissimè custodit.

Et nota, quòd Deus custodit animam, vt ciuitatem, muros & antemuralia ponendo in ea. *Isa.* 26. Saluator ponetur in ea murus, & antemurale, per effectum, quia dat prælatos maiores & minores, qui sunt muri & antemurale. Item custodes ponendo. *Isa.* 62. Super muros tuos Ierusalem constitui custodes. Item vt vineam. *Isa.* 22. Nocte & die seruo eam. Item vt zelotypus sponsam. *Exod.* 20. Ego sum Deus zelotes. Item vt thesaurum: thesaurus enim est cor: vnde habemus thesaurum istum in vasis fictilibus. Item vt famulum & seruum in compedibus ægrotantem. *Eccles.* 33. Seruo maleuolo tortura & compedes. In *Psal.* Nisi Dominus custodierit ciuitatem.

Christus sãctus in se & in suis mẽbris, sed differenti sanctitate.

Quoniam sanctus sum, & in meipso, & in membris meis, quæ membra sunt in me viuentia, non paralytica. Notandum enim, quòd Christus sanctus est inquantum Deus, essentialiter. *Leuit.* 19. Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Sanctus inquantum homo per gratiam vnionis, & singulariter sanctus, vnde *Daniel.* 9. dicitur Sanctus sanctorum. *Luc.* 1. Quod nascetur ex te sanctum. In membris verò suis per gratiam adoptionis & accidentaliter: vnde illa sanctitas est longè differens à primis duabus. Sic Paulus in principio Epistolarum suarum salutabat vt sanctos in pluribus locis. Ad *Rom.* & ad *Cor.* & ad *Ephes.* & ad *Phil.* *Apoc. vlt.* Sanctus sanctificetur adhuc.

Saluum fac. Hîc secundum. Quasi diceret: Sic salua: quia sum sanctus & nihilominus humilis, non confidena de me, sed de te: vnde dico: *Saluum fac seruum tuum*, Domine *Deus meus*, *sperantem in te:* non in se. Dicit enim *Gregor.* Bonum citò perditur, quod à largitore non custoditur.

Qua seruitus competit Christo.

Se autem dicit Christus seruum, non à seruitute, quia serui sunt existentes in seruili timore, sed à seruitio quo filij famulantur. *Psal.* Seruus tuus ego sum, & filius ancillæ tuæ. Et rursus *Isa.* 49. Seruus meus es tu Israël, quia in te gloriabor. Seruus opera iustitiæ exercendo: sicut principis. Ad *Rom.* 6. Cum serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Et parum suprà: Liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ. Seruus ad fidem colligendo incrudelos, secundum illud *Isa.* 49. Parum tibi est vt sis mihi seruus, ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israël conuertendas.

Et nota, quòd duo petit: animam custodiri à malo inferendo, & saluam fieri à malo iam illato.

Miserere mei Domine. Hîc secundum, in quo ponit rationes à modo petendi. Et primò quia petitio est instans, & improba. Secundò quia anxia. *Lætifica animam.* Tertiò quia recta intentione facta, ibi, *Quoniam ad te Domine.* Dicit ergo: Sic custodi, & salua rationibus prædictis, & etiam ô *Domine miserere mei*, pœnam pro malis, in quibus sum, relaxando: *quoniam ad te clamaui*, non semel, vel vnica die, sed *tota die.* *Gloss.* id est, omni tempore. Ecce orationis instantia, quæ multum valet ad impetrandum. *Iacob. vlt.* Multum valet deprecatio iusti assidua, non tantum quæ fit per voces, sed per bonos actiones. *Psal.* Tota die expandi ad te manus meas. *Cassiodor.* Magna voce clamat, qui quamuis lingua taceat, bonis tamen operibus perseueranter exclamat. *Luc.* 11. Et si perseuerauerit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget. 3.

Lætifica animam serui tui. Lætitiam petit: ergo monstrat se tristem. Propter hoc dicit *Glossa*, Lætifica animam in passione tristitiæ. Alibi in *Psal.* Redde mihi lætitiam, &c. Bona autem petitio, quia non petit corporalem vel temporalem lætitiam, sed spiritualem, quæ à solo Deo est. *Psal.* Consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. *August.* Tu solus es iocunditas animæ, amaritudine plenus est mundus. *Iob* 8. Hæc est lætitia viæ eius. Sic lætabatur quæ dicebat: Lætata sunt in salutari tuo. 1. *Reg.* 2. *Isa.* 56. Lætificabo eos in domo orationis meæ. Et hoc debes: *quoniam ad te*, non ad alia, *Domine animam meam leuaui*, vt sit oratio mea recta. Alibi in *Psal.* Ad te Domine leuaui animam meam. *Thren.* 3. Leuemus corda nostra cum manibus ad Deum. *August.* Frumentum tuum de terra leuas, ne putrescat, & cor tuum permittis putrescere? In curru igne charitatis, in quo Elias est leuatus in cœlum. 4. *Reg.* 2. & *Eccles.* 48. Huius currus quatuor sunt rotæ. Prima, intellectus non errans. Secunda, voluntas adhærens intellectui. Tertia, memoria perseuerans in adhæsione. Quarta, fortitudo non flaccescens in bona operatione. Sic enim diligitur Deus, & ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, & ex totis viribus. Equi duo, cogitatio beneficij creationis, & recreationis. Sed auriga, Spiritus sanctus. *Isa.* 58. Sustollam te super altitudinem nubium. 4.

Quoniam tu Domine. Hîc tertium, in quo sunt rationes à parte eius quem rogat, scilicet ipsius 5.

ipſius Dei : in quo dicuntur duo. Primò ratio exauditionis ex parte bonitatis Dei. Secundò ex parte poteſtatis , *Quoniam magnus.* In prima dicuntur duo. Primò ſumitur ratio à bonitate. Secundò ab vtilitate conſequente ſi impleatur quod petitur, ibi, *Non eſt ſimilis tibi.* In prima tria. Primò explicat bonitatem , tanquam cauſam quare petit. Secundò ſubiungit petitionem. *Auribus percipe.* Tertiò dat reſponſionem ad tacitam quæſtionẽ quæ fieri poſſet, quare ſcilicet ita fidenter clamat , ibi, *In die tribulationis.* In prima tria ſecundum tria, per quæ apparet bonitas diuina. Primum, ſuauitas in conferendo bona. Secundum, mititas , ſiue manſuetudo in ſuſtinendo mala. *Et mitis.* Tertiò multitudo miſericordiæ , ſeu copia in dimittendo perpetrata , quando petitur venia. *Et multæ.* Dicit ergo : Sic adiuua prædictis rationibus,& etiam *quoniam tu Domine ſuauis* , beneficia conferendo. *Sapient.* 12. Quam bonus & ſuauis ſpiritus tuus in nobis Domine. *Pſal.* Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.

Et mitis,peccata tolerando. *Auguſt.* Mitis es Domine tolerans me : ex ægritudine defluo,cura,& ſtabo:confirma me, & firmus ero. *Matth.* 11. Diſcite à me, quia mitis ſum. *Et multæ miſericordiæ* , dimittendo quæcumque male dicta ſunt , vel negligenter omiſſa. *Pſal.* Multæ miſericordiæ & verax es. *Ierem.* 9. Tu Deus multæ miſericordiæ , non dereliquiſti eos. 2. *Reg. vltim.* Multæ miſerationes eius. Sed *omnibus inuocantibus te. Pſal.* Propè eſt Dominus omnibus inuocantibus eum. *Eccleſ.* 2. Quis inuocauit eum , & deſpexit illum ? Nullus. Si inuocas Deum , tanquam Deum , ſecurus eſto,quia exaudieris. Et bene dixi tanquam Deum : Deus enim medullis cordis eſt inuocandus. Deus ſpiritus , intus in ſpiritu interpellandus. *Iſa.* 4. Omnis qui inuocauerit , intus vocauerit , nomen Domini , ſaluus erit. *Ioan.* 4. Deus ſpiritus eſt , & eos qui adorant eum, opportet adorare in ſpiritu & veritate.

6. *Auribus percipe Domine.* Ecce ſecundum,in quo ſubiungit petitionem, & duo petit. Primò vt perfectè audiatur quod petit. Secundò vt audita perfectè adimpleat. *Et intende.* Dicit ergo:Qui talis es, *auribus percipe orationem meam*, pro bonis impetrandis. Quid ſit auris Dei, ſuperiùs dictum eſt , quia eius ſimpliſſima eſſentia , quæ idem eſt quod ipſe : ſed in plurali dicit , *Auribus* , propter multitudiuem intellectorum.

Et attende , perfectè & efficaciter dando petitum , *voci deprecationis meæ* , quæ eſt propriè pro malis amouendis. *Auguſt.* Vis quod Deus figat in auribus ſuis orationem tuam ? fige in manibus tuis legem ſuam.

7. *In die tribulationis.* Hîc eſt tertium , in quo dat reſponſionem quæſtioni , quæ poſſet fieri. Quid ita inſtanter & ita confidenter petis tantam maieſtatem , auribus percipere verba tua, & illis intendere ? Reſp. *In die tribulationis clamaui ad te* , fortius & ardentius , quàm alias *Caſſiodor.* Licet à ſanctis viris à Domino iugiter ſupplicetur , in tempore tamen tribulationis enixiùs petitur. *Bar.* 3. Et tunc Domine Deus Iſraël, anima in anguſtiis , & ſpiritus anxius clamat ad te. *Iſa.* 26. Domine in anguſtia ſua requiſierunt te. *Oſe.* 6. In tribulatione ſua manè conſurgent ad me.

Quia exaudiſti me. Libenter enim vadunt pauperes , vbi eleemoſynas conſueuerunt accipere. *Naum* 1. Bonus Dominus , & confortans in die tribulationis. *Pſal.* Inuoca me in die tribulationis , & eruam te , & honorificabis me. 2.*Paralip.* 20. Clamabimus ad te in tribulationibus noſtris , & exaudies nos , ſaluoſque nos facies. Et hoc decens valde. *Eccleſ.* 36.Specioſa miſericordia in die tribulationis , ſicut nubes pluuiæ in tempore ſiccitatis.

Non eſt ſimilis tui. Hîc ſecundum , in quo 8.
oſtendit quam vtilitatem conſequetur ſic exauditus : & dicuntur duo. Primò motiuum ad vtilitatem, ſcilicet Gentium conuerſio. Secundò ipſa vtilitas , ſcilicet Gentium conuerſio ad Dei cultum , & fidem. *Omnes Gentes.* In prima duo. Primò , quòd ſimilem non habet in eſſentia, qui ſic exaudit tribulatos. Secundò, quòd nec in potentia. *Et non eſt ſecundum opera.* Dicit ergo : Sic exaudiſti in tempore tribulationis : & propter hoc , *non eſt ſimilis tibi ô Domine. Iſa.* 40.Cui ſimilem feciſti Deum ? *Ierem.* 10. Non eſt ſimilis tui Domine, magnus tu,& magnum nomen tuum in fortitudine. Et *hoc in diis* , hoc eſt , in idolis , quæ reputabantur dij. Et verè nihil ibi tibi ſimile : quia illa ſunt dæmonia.2. ad *Corinth.*6. Quæ communicatio lucis, quæ Deus eſt , ad tenebras , vmbras ſcilicet infernales:aut quæ couenientia Chriſti ad Belial? Nec in cultoribus ſuis,quia in *Pſal.* Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes,qui confidunt in eis. Si ergo idola non ſunt Deo ſimilia , nec ipſi. *Iſa.* 46 . Ego ſum Deus , & non eſt vltra Deus, nec eſt ſimilis mei.

Non eſt ſimilis Deo in eſſentia , nec in potentia.

Et non eſt ſecundum opera tua. Et hoc patet: dictum eſt enim ſupra , quòd opera eius ſunt opera ſuauitatis , & benignitatis, & multæ miſericordiæ : ſed opera idolorum, dæmonum, & ſuorum ſunt opera crudelitatis. *Ierem.*6.Crudelis eſt, & non miſerebitur.

Omnes gentes quaſcumque. Ecce ſecundum, in 9.
quo præmiſſa occaſione vtilitatis , ſubiungitur de ipſa vtilitate , quæ tangitur triplex. Primò aduentus omnium gentium ad fidem,vt ſic approximent corde. Secundò cultus diuini exhibitio, vt ſic veniant etiam opere. *Et adorabunt.* Tertiò eius quem colunt confeſſio , vt ſic glorificent ore , ibi , *Et glorificabunt.* Dicit ergo: Sic exaudies in die tribulationis , non habes ſimilem : & propter hoc cum viderunt te ſic exaudire , *omnes gentees quaſcumque feciſti* : tuæ enim ſunt omnes. *Pſal.* Qui fecit cœlum & terram , mare & omnia quæ in eis ſunt. *Venient* ad te, id eſt, ad fidem quæ eſt de te. *Iſa.*2. In illa die erit præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles,& fluent ad eum omnes gentes. *Iſa.*60.Leua in circuitu oculos tuos,& vide : omnes iſti &c. *Et adorabunt* , opere te colendo , *coram te Domine. Pſal.* Adorabunt eum omnes reges, omnes gentes ſeruient ei. *Iſa.* 60. Venient ad te curui filij eorum , qui te humiliauerunt , & adorabunt veſtigia pedum tuorum. *Et glorificabunt* , gloriosè laudabunt, & extollent ore nomen tuum , quod eſt glorioſum in ſe, ſicut dicitur *Dan.*3.. *Eccleſ.*14. Glorificate eum quantum

tum poteſtis. *Iſa.*44. Et glorificabit me beſtia agri.

10. *Quoniam magnus es tu.* Hîc eſt ſecundum, in quo oſtendit, quòd debet exaudiri, ſumens rationes ex parte potentiæ eius quem rogat: & dicuntur duo. Primò tangit potentiæ magnitudinem. Secundò ſingularitatem. *Tu es Deus ſolus.* Item in prima duo. Primò tangitur magnitudo eſſentiæ. Secundò virtutis & operationis miraculoſæ. *Et facies.* Dicit ergo: Sic moneo, vt exaudias, ſumens rationes ex tua bonitate, & etiam exaudi, *quoniam magnus es tu.* Alia omnia nihil ſunt comparatione tui. *Iſa.*40. Omnes gentes quaſi non ſint, & ſicut ſtilla ſitulæ, ſic ſunt coram te. *Sap.*11. Sicut gutta roris antelucani, ſic eſt orbis totus coram te. Propter hoc dicitur *Iob* 36. Ecce Deus magnus vincens ſcientiam vniuerſorum.

Et faciens mirabilia, vt monſtretur magnitudo in miraculoſa operatione. *Iob* 5. Fecit magna & inſcrutabilia & mirabilia abſque numero. *Eccleſ.*43. Nonne Deus fecit ſanctos ſuos enarrare mirabilia ſua? Quaſi diceret: Sic.

Tu es Deus. Quaſi diceret: Non ſolum magnus es eſſentialiter, & potentialiter, ſed & ſingulariter: *quia tu es Deus ſolus* magnus. *Iſa.* 45. Ego Deus, & non alius. Alia litera addit, *Magnus.* Sic: Quia tu es Deus ſolus magnus, contra illos qui putant ſe eſſe magnos. *Pſal.* Quoniam Deus magnus Dominus, & rex magnus ſuper omnes deos. Multò ergo fortiùs ſuper homines elatos & vanos. Hic magnus Deus fecit mirabilia in creando, ſed mirabiliora in recreando, ſed mirabiliſſima, vt ita dicam, faciet glorificando.

11. *Deduc me Domine.* Hîc eſt ſecunda pars primæ partis huius Pſalmi. Poſtquam enim pro membris petiit amotionem mali, hîc conſequenter petit in bono promoueri: & dicuntur duo. Primò petitio. Secundò perſuaſio vt conferatur petitum, ibi, *Confitebor tibi.* In prima tria, ſecundum tria quæ petit. Primò petit promoueri in bono. Secundò in æternorum contemplatione, quod cauſatur ex primo. *Et ingrediar.* Tertiò lætificari in his cum moderamine. *Lætetur cor meum.* Dicit ergo: Sic petij amotionem mali, ſed & hoc *Domine* rogo: *Deduc me*, gratiam proficiendi conferendo: *in via tua*, non ad viam tuam, quaſi in ipſa via, quæ eſt iuſtitia, iam poſitus ſim: ſed quæro proficere in illa. *Iſa.*30. Hæc via, ambulate in ea. In hac deduc me. *Sap.* 10. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas. Hæc via ſemita eſt ſtricta & arcta, & à paucis trita. *Matth.*8. Arcta eſt via quæ dicit ad vitam, & pauci inueniunt eam. Promittis autem te ducturum ad te conuerſum per illam. *Prou.*4. Ducam te per ſemitas æquitatis, quas cum ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui.

Et ingrediar. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Me deduc, & vlterius ingrediar, ſic deductus contemplando: *in veritate tua,* in te qui veritas es. *Ioan.*14. Ego ſum via, veritas, & vita. Loquitur enim Chriſtus pro membris, quæ ingrediuntur in ipſam veritatem per contemplationem. Suprà in *Pſal.* Donec intrem in ſanctuarium Dei. Et *Ierem.*3. Patrem vocabis me, in bonis operibus proficiendo, & me imitando: & poſt me ingredi non ceſſabis, æternam veritatem contemplando. Nec eſt fructuoſus hic introitus: quia *Ioan.*10. dicitur: Per me ſi quis introierit, ſaluabitur, ingredietur, & egredietur.

Lætetur cor. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic proficiam, ſic intrem, & tunc *lætetur cor meum:* non enim poteſt eſſe profectus in iuſtitia, quin ſit lætitia: quæ enim mulier parit maſculum, & non lætatur? *Ioan.*16. Cum autem peperit maſculum, non meminit preſſuræ, propter gaudium. Quis terræ cultor non lætatur in manipulorum collectionem? *Iſa.*9. Lætabuntur coram te ſicut qui lætantur in meſſe. Sic tamen *lætetur cor meum, vt timeat* non timore ſeruili, ſed iuſto, & ſancto, de quo ſuprà in *Pſal.* Timor Domini ſanctus permanet, &c. ſi enim lætitia ſine timore habeatur, citò degenerat in laſciuiam vanam, & præſumptionem. Propter hoc dicitur ſuprà in *Pſal.* Exultate ei cum tremore. *Deut.*25. Non accipies pro pignore ſuperiorem, aut inferiorem molam. Item ipſe tremor habet lætitiam, & lætificat. *Eccleſ.*1. Timor Domini delectabit cor Et in 2. Qui timetis Dominum, ſperate in eo, & in oblectationem veniet vobis miſericordia.

Timeo, inquam, te, non tantum te, qui venturus es. *Ierem.* 10. Quis non timebit te ô rex gentium? *Luc.*12. Timete eum qui poteſt corpus & animam mittere in gehennam. Sed, *nomen tuum*, etiam vt audire tantum nomen timeam. *Malach.*2. Leui à facie nominis mei timebat: non tantum à facie, ſicut Adam, qui timuit à facie Domini deambulantis in paradiſo *Geneſ.*3.

Confitebor tibi Domine. Hîc perſuaſio vt petitum conferatur. Perſuadet autem ob Dei laudem, quæ ſequetur inde: vnde dicuntur duo. Primò promittit Dei laudem ſi hæc contulerit. Secundò addit laudis cauſam, vt monſtret digne laudandum, ibi, *Quia miſericordia tua.* In prima duo, ſecundum confeſſionem duplicem quam promittit. Primò integram confeſſionem cordis. Secundò oris, ibi, *Et glorificabo.* Dicit ergo: Sic Domine deduc, fac ingredi, lætifica: & ſi feceris, tunc *confitebor tibi*, confeſſione intimæ laudis, ô *Domine Deus meus*, non in parte cordis, *ſed in toto corde meo:* ne ſim de illis, qui ex parte cordis confitentur, & ex parte non, ſed mundani & vanis dediti ſunt, de quibus *Oſe.*8. Diuiſum eſt cor meum, nunc interibunt. Toto enim corde oportet ad Deum conuerti. *Ioan.*2. Conuertimini ad me in toto corde veſtro. *Pſal.* Confitebor tibi Domine in toto corde meo. 12.

Et glorificabo. Ecce ſecundum. Sic corde confitebor, ſed quia ad *Rom.*10. dicitur, Ore fit confeſſio ad ſalutem, *glorificabo* in ore meo. *Eccleſ.*3. Confitemini illi in voce labiorum veſtrorum. *Pſal.* Confitebor Domino nimis in ore meo: *nomen tuum*, non ad horam, ſed *in æternum*, in alia vita poſt iſtam. *Iſa.*24. In Ieruſalem glorificatus erit. Et 51. Gaudium & lætitia inuenientur in ea, gratiarum actio, & vox laudis.

Quia miſericordia tua. Hîc ſecundum, in quo tangitur cauſa laudis duplex, ſcilicet multiplicis boni collatio. Secundò ab inferno liberatio. *Et eruiſti.* Dicit ergo: Sic confitebor, & dignum eſt, *quia miſericordia tua*, qua mihi exhibes multa bona, *magna eſt. Eccl.*17. Quam magna eſt miſe- 13.

ricordia Dei, & propitiatio illius conuertentibus ad ſe! *Et ſuper me*, quia *Iacob.*1.Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, &c. *Et eruiſti animam meam*, à malo liberando, *ex inferno inferiori.*

Infernus multipliciter dicitur.

Nota enim, quòd eſt infernus infrà, vt ita dicam, ſcilicet hæc mortalitas, in quam cadimus à ſtatu gratiæ, quaſi à paradiſo in peccatum. *Prou.*9. Qui applicabitur illi, mulieri ſcilicet, deſcendet ad inferos. Et in 2. Inclinata eſt ad inferos domus illius. Et eſt infernus inferior, de quo hîc loquitur, ſcilicet limbus, à quo anima Chriſti rediit. Suprà in *Pſal.*Non derelinques animam meam in inferno. Et *Auguſt.* Peruenit vſque ad infernum, ne nos ibi remaneremus. Et eſt infernus infimus, de quo *Prou.*27. Infernus & perditio non replebuntur. *Iſa.*5. Propterea dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino. Et de iſtis cantat Eccleſia: In inferno nulla eſt redemptio. *Iob* 17. In profundiſſimum infernum deſcendunt omnia. In eo gehennalis eſt afflictio.

14. *Deus iniqui.* Hîc eſt ſecunda pars totius Pſalmi, in qua poſtquam præmiſſa eſt Chriſti oratio, quam facit pro membris, ſubiungitur conſequenter oratio quam facit pro ſeipſo. Ante aduertendum, quòd ſicut illud quod dictum eſt in antecedentibus, conueniebat capiti, quamuis de membris ſpecialius diceretur: ſic quod dicitur hic de capite ſpecialiter, poteſt & membris ſecundario conuenire. Diuiditur autem in duas partes: nam primò allicit & prouocat ad pietatem illum quem orat. Secundò exponit quæ petat, ibi, *Reſpice in me.* In prima duo. Primò prouocat & allicit iudicem à perſequutiuum malitia & impietate. Secundò ab ipſius iudicis bonitate, ibi, *Et tu Domine Deus.* In prima duo. Primò allegat perſequentium crudelitatem. Secundò peruerſitatem. *Et non propoſuerunt.* Secundum duplicem crudelitatem perſequentium: oris ſcilicet, & hoc primò: & ſecundò operis, ibi, *Et ſynagoga.* Dicit ergo: Sic rogaui pro meis, ſed etiam pro meipſo, ô *Deus*, quem nihil latet. Ad *Hebr.*4. Omnia nuda ſunt & aperta oculis eius, ad quem nobis ſermo. *Iniqui*, Iudæi ſcilicet, *inſurrexerunt ſuper me*, id eſt, contra me. Oppreſſionem vocat: *ſuper me*, coram iudice nequiter accuſando. *Pſal.* Inſurrexerunt in me teſtes iniqui. *Sap.*2. Dixerunt impij non rectè cogitantes: Circumueniamus iuſtum, quoniam contrarius eſt operibus noſtris.

Et ſynagoga, id eſt, congregatio *potentium*, Principum, Sacerdotum, & Phariſæorum, *quæſierunt animam meam*, vitam meam perdere machinando, contra quam potuerunt opere. Hæc ſynagoga, de qua *Eccl.*3. Synagogæ peccantium non erit ſanitas: frutex enim peccati radicabitur in illis. *Matth.*26. Concilium fecerunt in vnum, vt dolo IESVM tenerent & occiderent. Et *Ioan.*11. Collegerunt ergo Pontifices & Phariſæi concilium, &c.

Et non propoſuerunt. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic fuerunt crudeles, & etiam peruerſi, & auerſi à Deo: quia *non propoſuerunt te*, vt tuo timore retraherentur, *in conſpectu ſuo. Pſal.* Non eſt timor Dei in conſpectu eius, inquinatæ ſunt vræ illius, &c. Et alibi: Non eſt Dei timor ante oculos eorum. Sed magis ad terrena mentis oculos conuerterunt, ſecundum illud *Pſal.* Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram. Suprà in *Pſal.* Quoniam alieni inſurrexerunt aduerſum me, & fortes quæſierunt animam meam, & non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum.

Et tu Domine Deus. Hîc ſumit rationes à iudicis bonitate, tangens primò quod pertinet ad eius miſericordiam & pietatem. Secundò quod ad iuſtitiam & veritatem. *Et verax.* In prima duo. Primò eius miſericordiam. Secundò oſtendit in quibus dixerit miſericordem, ibi, *Patiens.* Miſericordiam tangit duplicem. Primò quantum ad actum miſerendi ſpecificat in duobus. In expectando peccantes ad pœnitentiam primò. Secundò in conferendo multa bona conuerſis à peccato. Primum cum dicit, *Patiens.* Secundum cum addit, *Et multæ miſericordiæ.* Dicit ergo: Tales ſunt illi: *& tu Domine miſerator*, in actu miſericordiam exhibendo. *Iſa.*49. Miſerator eorum reget eos, & ad fontes aquarum deducet illos. *Et miſericors* in habitu & natura. *Ioël.*1. Benignus & miſericors eſt. In *Pſal.* ſimiliter de vtroque: Miſerator & miſericors Dominus. *Patiens*, expectando peccatores. 1. *Pet.*4. Patienter agit propter nos Dominus, nolens aliquos perire, ſed omnes expectat ad pœnitentiam. *Eccleſ.*5. Altiſſimus patiens eſt, redditor tamen, *& multæ miſericordiæ*, bona multiplicia conuerſis tribuendo. *Thren.*3. Miſerebitur ſecundum multitudinem miſericordiarum ſuarum, quæ eſt non ſolum in condonando, ſed etiam in donando multa bona. Multæ etiam miſericordiæ omnibus condonando, omnes recipiendo. *Sap.*11. Miſereris omnium, quia omnia potes. Multæ etiã miſericordiæ multa beneficia omnibus continuando, nunquam deficiendo. *Thren.*3. Non defecerunt miſerationes eius. 15.

Et verax, promiſſa reddendo, & vnumquemque, ſecundum merita renumerando. *Ioan.*3. Qui autem receperit eius teſtimonium, ſignauit quoniam Deus verax eſt. Ad *Rom.*3. Deus verax eſt, omnis autem homo mendax.

Reſpice in me. Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur oratio: & dicuntur duo. Primò petit iudicem inclinari ad miſericordiam. Secundò determinat in quo vult ſibi exhiberi illam, ibi, *Da imperium.* In prima duo. Primò petit ad ſe iudicem conuerti. Secundò conuerſum ad ſe pietate inclinari. *Et miſerere.* Dicit ergo: Hi crudeles ſunt, & tu tam benignus es: & propter hoc rogo, *ô Domine reſpice in me*, oculos pietatis conuertendo ad me. *Deut.*26. Reſpice Domine de ſanctuario tuo, illo reſpectu, de quo *Sap.*4. Et reſpectus in electos illius. 16.

Et miſerere mei, pietate inclinando ad me. *Exod.* 33. Miſerebor cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit.

Da imperium puero. Hîc ſecundum, in quo ſpecificat in quo velit ſibi exhiberi miſericordiam, & cur in illo, vel in illis: & dicuntur duo. Primò in quibus vult illam exhiberi determinat. Secundò cauſam determinat, quare in illis. *Et confundantur.* In prima duo ſecundum duo, in quibus petit ſibi exhiberi miſericordiam, in collatione ſcilicet iudiciariæ poteſtatis, & acceleratione

celeratione glorioſæ reſurrectionis, ibi, *Et ſaluum me fac.* Ait ergo: Sic miſerere. In quo? *Da imperium*, poteſtatem & miniſterium iudicandi, quia authoritas ſemper eſt apud te, *puero tuo*, mihi homini. 1. *Reg.*2. Dabit imperium puero ſuo, & ſublimabit cornu, &c. Imperium præcipiendi bonis, & malis: bonis vt intrent in gaudium, malis vt deſcendant in infernum. Suprà in *Pſal.* Deus imperium tuum Regi da.

Quare Chriſtus dicitur puer.

Et nota, quòd Chriſtus dicitur puer, propter paupertatem: pueri enim nihil habent. *Matth.*9. Vulpes foueas habent, &c. Propter puritatem vitæ & innocentiam. *Iſa.*54.& 1.*Pet.* 2. Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt, &c. Propter humilitatem: humiles enim ſunt pueri, & ſedent ad terram. Ad *Phil.*2. Exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens. *Matth.*11. Diſcite à me, quia mitis ſum, &c. Propter manſuetudinem: offenſi enim ſtatim placantur. Nonne iam dictum eſt: Diſcite à me, quia mitis ſum, &c. *Ierem.*11. Ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam. Et tandem propter obedientiam. Ad *Phil.*2. Factus obediens Patri vſque ad mortem, mortem autem crucis. Hic ergo eſt, de quo *Act.*3. Conuenerunt in ciuitate iſta aduerſus puerum tuum IESVM, quem inunxiſti.

Et ſaluum fac. Hîc petit ſecundum, ſcilicet acceleratione & manifeſtationem glorioſæ reſurrectionis. Dicuntur ergo duo. Primò petit reſurrectionem. Secundò reſurrectionis manifeſtationem, ibi, *Fac mecum.* Dicit ergo: Sic da imperium puero tuo, *&* *ſaluum fac*, non in anima, hoc enim iam habet ab inſtanti conceptionis: ſed in corpore, ipſum poſt triduum ſuſcitando: *filium ancillæ tuæ*, *Mariæ* ſcilicet, quæ dicit *Luc.* 2. Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.

Nota enim, quòd ancilla dicitur beata Virgo propter humilitatem. *Luc.*1. Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Eccleſia propter ſubiectionem. *Pſal.* Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri, dicunt qui ſunt de Eccleſia, ad Dominum Deum noſtrum. Synagoga propter ſeruilem timorem. *Gen.*21.& *Gal.* 4. Eiice ancillam, & filium eius. Apoſtoli & prædicatores, propter paupertatem, & officium diſcurrendi ad prædicationem. *Prou.*1. Miſit ancillas ſuas vt vocarent ad arcem. Caro propter fragilitatem. *Prou.*30. Per tria mouetur terra, & quartum ſuſtinere non poteſt, & hoc eſt per ancillam cum hæres fuerit dominæ ſuæ. *Bern.* Dominam ancillari, & ancillam dominari, magna abuſio eſt.

17. *Reſurrectio eſt ſignum Chriſti.*

Fac mecum ſignum. Hîc ſecundum, in quo petit reſurrectionis manifeſtationem. Ait enim: Sic ſalua, & *fac ſignum* reſurrectionis: ſic enim appellatur ipſa reſurrectio. *Matth.*12. Generatio praua & adultera ſignum quærit: ſed ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ prophetæ. *In bono:* non enim fiet in bono omnibus reſurrectio, ſed in malo aliquibus, ſcilicet damnatis. *Dan.*12. Alij ſurgent in opprobrium, vt videant ſemper 2. *Mach.*6. Tibi autem ad vitam reſurrectio non erit. Bene autem dicitur ſignum Chriſti reſurrectio, quia ſignum eſt reſurrectionis iuſtorum, & figura. *Aug. de ciuitate Dei.* Talia futura ſunt corpora noſtra in reſurrectione noſtra, quale Chriſtus in reſurrectione ſua monſtrauit exemplum. Ad *Phil.*3. Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. Et hoc *ſignum fac mecum.* In quo notantur duo, vt in ipſo Chriſto fiat, & etiam vt cum ipſo Deus pater hoc faciat. Chriſtus enim Deus cum Deo patre in ſeipſo homine operatus eſt reſurrectionem.

Signum etiam in bono crux Chriſti eſt, quod petere debemus fieri in nobis, ad confuſionem diaboli. *Hieron.* Muniat nos ſignum poteſtatis tuæ, quod videntes poteſtates aduerſæ fugiant confuſæ. Sic enim fac vt videant me reſurrexiſſe, qui oderunt me. *Iob* 19. Pater clarifica filium tuum. Tunc enim Pater filium ſuum clarificauit, quando reſurrectionem eius Iudæis, imò toti mundo nuntiari fecit.

Et confundantur. Hîc oratio petitionis, ſcilicet inimicorum confuſio ex duplici cauſa. Ex liberatione Chriſti à pœna mortis, & conſolatione pro gloria reſurrectionis. Ait enim: Sic volo vt videant. Ad quid? *Vt confundantur*, confuſione mala, de qua *Eccl.*4. Eſt confuſio adducens ignominiam. *Iſa.*26. Videant Domine, videant zelantes populi, & confundantur: confundantur, inquã, ſuper hoc: *quoniam tu Domine adiuuiſti me*, in angaria paſſionis. *Pſal.* Audiuit Dominus, & miſertus eſt mei, & factus Dominus adiutor meus. *Et conſolatus es me*, in gloria reſurrectionis. *Auguſt.* Contriſtatus eſt in paſſione, conſolatus in corona, hoc eſt, in reſurrectione, quando gloria & honore eſt coronatus. Hanc conſolationem petebat in *Pſal.* vbi dicebat: Fiat miſericordia tua vt conſoletur me. Hinc diſcimus, quod triſtitiam ſequitur conſolatio, non lætitiam. *Matth.*5. Beati qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur, in illa cœleſti patria conſolatione æterna. *Iſa. vlt.* Ego ipſe conſolabor vos, & in Ieruſalem illam cœleſtem conſolabimini, nunquam poſtmodum deſolandi: ad quam conſolationem nos perducat, qui eſt benedictus per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

IN LXXXVI. PSALMVM.

Filiis Core Pſalmus Cantici.

1. *Pſalmus cõmendat Eccleſiam ſub metaphora ciuitatis.*

FVndamentà eius in montibus. Hic eſt Pſalmus 86. in toto libro, 36. in parte ſecunda libri. Poſtquam enim egit de benedictionibus Eccleſiæ collatis per incarnationem filij Dei, & oratione eiuſdem filij Dei, vt benedictionibus augeatur & confirmetur: primum in 84. ſecundum in 85. hic conſequenter ſubiungitur Eccleſię exclamatoria commendatio, & hoc generaliter, tam militantis in via, quàm iam triumphãtis in patria: cuius commendatio non filios Babylonis, ciuitatis ſcilicet diaboli lætificat, ſed filios crucifixi Chriſti, & propter hoc competenter dicitur in *Pſal. Filiis Core Pſalmus Cantici*, hoc eſt, *Pſalmus* iſte *Cantici* conſecutiuus: primò enim cãtabatur in humana voce, poſtea muſico inſtrumento, quod Pſalterium appellatur: quod optime fiebat: in cantu enim lætitia æterna deſignabatur, reſpiciens ad illam partem Eccleſiæ, quæ iam læta triumphat in patria, de qua dicitur *Iſa.* 52. Gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis. *Iob* 38. Et concentum cœli quis dormire faciet? Nullus. Iugiter enim cantant, & laudant.

In Pſalmo bona operatio monſtrabatur, quæ reſpicit ad illam partem Eccleſiæ, quæ adhuc militans laborat in via, cùm dicatur *Geneſ.*3. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Et illud *Iob* 5. Homo natus ad laborem. Et *Eccleſ.*9. Quicquid poteſt manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, &c. Hic ergo *Pſalmus cantici*, cantandus eſt, ſup. *filiis Core*, id eſt, Chriſti in Caluaria crucifixi, paupertate extrema decaluati. *Ioan.* 19. Baiulans ſibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum, vbi crucifixerunt eum. *Matth.*11. Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autèm hominis, &c. Et eſt pulchra coniunctio Pſalmi, & Cantici, bonæ operationis ſcilicet, & gaudij æternæ contemplationis Dei: vnum enim ſequitur ad aliud. *Matth.*19. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.

Diuiditur autem Pſalmus in duas partes, ſecundum hæc quæ tacta ſunt. Primò commendat Eccleſiam, ſub metaphora ciuitatis quantum ad partem adhuc in terris militantem, ſpecialiter, etſi quodammodo poſſit toti conuenire. Secundò quantum ad triumphantem ſpecialiter, ibi, *Sicut lætantium.* In prima duo. Primò enim commendatur ab ædificio & fundatione. Secundò ab ipſo fundatore, ibi, *Nunquid Sion.* In prima duo. Cum enim huius ciuitatis ædificatio inchoata fuerit in Iudæis, & in Gentibus conſummata, primò commendat eam à fundatione Iudæorum. Secundò Gentilium, ibi, *Memor ero.* In prima tria. Primò commendatur ab ipſa fundatione, & loco in quo fundata eſt. Secundò à bonitate parietum & murorum, quaſi ſuperædificatorum. *Diligit Dominus.* Tertiò à fama & gloria ſic conſtructa, quantum ad copiam omnium bonorum in illa, ibi, *Glorioſa dicta.*

Dicit ergo: *Fundamenta eius.* Cuius *eius*? quid enim anteceſſit, ad quod relatiuum hoc referatur? Sed reſponſio eſt ſecundum *Gloſſam*, quòd ad mentem Prophetæ refertur, de hac intentiùs in corde loquentis continuè, & ipſam ruminantis, ſicut Maria. *Ioan.*20. Si tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, & ego eum tollam. Vel refertur ad hoc quod ſequitur, ſcilicet ad Sion, quæ ſignificat Eccleſiam præſentem, quæ iam ſub pallio figurarum contemplatur veritatem, ſed ex parte quantum poſſibile eſt in vita iſta, modò ſcilicet, limpidè in futuro. 2. ad *Corinth.*4. Nos autem reuelata facie gloriam Domini contemplantes, &c. *Eius* ergo, id eſt, Sion, *fundamenta ſunt in montibus ſanctis*, id eſt, ex montibus ſanctis, ſcilicet ex Apoſtolis & Prophetis, qui montes ſunt propter fidei altitudinem. Suprà in *Pſal.* Suſcipiant montes pacem in populo. Et ſancti propter vitæ puritatem. *Leuit.* 19. Sancti eſtote, quoniam ego ſum ſanctus. A Deo ſanctificati. *Ioan.*17. Pater ſanctifica eos in veritate. *Caſſiod.* Sancti Apoſtoli, qui ſoliditate fidei & excellentia ſanctitatis, montes dicuntur. Fundamenta ex lapidibus ſolidis. Qui enim ſunt montes ſancti, ipſi lapides ſolidi. *Eccleſ.*25. Fundamenta æterna, æternaliter permanſura, ſuper petram ſolidam, & ex lapidibus pretioſis. Hi enim, qui montes ſancti, qui lapides ſolidi, lapides ſunt pretioſi. *Iſa.*54. Fundabo te in Saphiris. Iſti ſunt duodecim lapides, in fundamento Eccleſiæ ſuper lapidem Chriſtum omnia ſuſtentantem. *Apocal.*21. Murus ciuitatis habet fundamenta duodecim, in quibus Apoſtolorum nomina & Agni erant ſcripta. Ad *Epheſ.*2. Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarũ, ipſo ſummo angulari lapide, &c.

Diligit Dominus. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Talia ſunt fundamenta, qualia ſuperædificata. Dicit ergo: *Dominus diligit portas Sion*, propter illarum vtilitatem, & pulchritudinem, Prælatos, & prædicatores, Apoſtolorum & Prophetarum ſucceſſores, qui portæ dicuntur, quia per illos intratur in Eccleſiam & exitur. 2.

Diligendæ autem ſunt portæ: quia ipſæ ſunt pretioſæ valdè. *Apocal.*21. Singulæ portæ ex ſingulis margaritis erant. Et pulchræ valdè ſculptæ martyrij ſculptura. *Iſa.*54. Ponam portas tuas in lapides ſculptos. Et varietate diſtinctæ. *Tob.*13. Portæ Ieruſalem ex Sapphiro, quod habet colorem cœleſtem: & ſmaragdo, quod habet viridem, ædificabuntur. Ob hoc enim, quia debent eſſe lapides pretioſi, portant in manibus anulos continentes lapides pretioſos.

Tales portas diligit Deus, *ſuper omnia tabernacula Iacob*, ſuper omnia figuralia tabernacula hoc figurantia. *Num.*24. Quàm pulchra ſunt tabernacula tua Iacob, tentoria tua ô Iſraël! 1.*Reg.*1. Helcana plus diligebat Annam, quam Fenennam. Per Annam noua Eccleſia, per Fenennam Synagoga.

Maria ciuitas eſt, fundamentum ſapientia, in ſanctis montibus, in altiſſimis virtutibus, de qua ſapientia dicit *Eccleſ.*24. In ciuitate ſancta, inciſa, ſup. coram ipſo miniſtraui, egreſſa de illa in mundum. Hæc habuit portas à Deo valdè diligendas, ſcilicet ſenſus corporeos, modeſtos & honeſtos. Si enim portæ ſenſus non eſſent, Ieremias non dixiſſet in 9. Mors intrauit per feneſtras. Ingreſſa eſt mors per feneſtras ſenſuum, tanquam per quaſdam portas.

Glorioſa dicta ſunt. Hîc tertium, in quo commendatur à fama. Ait enim: Sic fundata eſt ciuitas talibus portis decenter ornata & famoſa. Quia ô tu *ciuitas Dei*, quam Deus inhabitat, quam conſeruat, & quam regit & ordinat, *glorioſa dicta ſunt de te*, valdè, & famoſa. Quænam ſunt illa? Primum quia ſancta. Secundum quia noua, nihil in te vetus: de quibus duobus *Apocal.* 1. Vidi ciuitatem ſanctam Ieruſalem nouam, deſcendentem de cœlo. Quia iocunda, & opulenta, & firma: de quibus tribus *Iſa.* 33. Reſpice Sion ciuitatem ſolemnitatis noſtræ, ecce iocunditas: oculi tui videbunt ciuitatem opulentam, ecce apertè quam opulenta: tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, ecce quàm firma, & quàm clara, & quàm lucida. *Apoc.*21. Ciuitas illa non eget ſole nec luna, ſcilicet materialibus: ſed lucerna eius eſt agnus, qui totam certè illuminat Eccleſiam militantem & triumphantem, quamuis clarius iſtam vltimam partem. Item quia in regno, & legibus, & huiuſmodi decentiſſimè adornata. *Auguſt.* Hortor te fieri ciuem illius ciuitatis, vbi rex veritas, lex charitas, dignitas ſanctitas, pax fœlicitas, vita æternitas. Econtrario in ciuitate diaboli, ibi rex falſitas, lex cupiditas, dignitas iniquitas, lis fœlicitas, vita temporalitas. 3.

Glorioſa dicta de ciuitate Dei referuntur.

De

De Maria glorioſa dicta ſunt valde, quia ſine ſemine virili fœcunda, ſine grauedine grauida, ſine dolore puerpera: quia lactauit, nutriuit, attrectauit, tenuit omnium redemptorem. Quæ maior his gloria? *Prou. vlt.* Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu verò ſupergreſſa es vniuerſas.

4. *Memor ero Rahab.* Hîc ſecundum, in quo agit de hac ciuitate, inquantum ædificata eſt, & conſtructa ex Gentilitate. Oſtendit enim nullum ab ea repulſum, ſed omnes ipſam recipere ſine perſonarum acceptione, per quinque, quæ tangit: *Rahab*, quod eſt nomen proprium vilis perſonæ: Babylonem, quod eſt nomen ciuitatis malæ: & alienigenas, quod pertinet ad extraneitatem in genere & conuerſatione: per Tyrum, quod eſt nomen regionis contrariæ Deo: per populum Æthiopum, quod eſt nomen gentis inimicæ. Dicit ergo: Sic glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei (mutat enim perſonam Propheta, & loquitur in perſona Dei) *memor ero:* recipiendo in hanc ciuitatem, *Rahab*, id eſt, ſignificatæ Gentilitatis per Rahab, de qua habetur *Ioſ.* 2. quod Rahab recepit exploratores, & per coccinum in feneſtra ſaluata eſt. Sic Gentilitas recepit prædicatores, & per paſſionem Chriſti impreſſam in fronte & in memoria liberata eſt.

Et Babylonis, id eſt, Gentilitatis per Babylonem deſignatæ, exiſtentis in confuſione infidelitatis & peruerſæ operationis. Non enim Dominus ignorat ſuos, quos elegit, quantumcumque remoti videantur. 2. ad *Tim.* 2. Nouit Dominus qui ſunt eius. Nouit autem memoriter & ad bonum. *Neem.* 5. Memento mei Deus in bonum: quod & facit ſi volueris pœnitere, etſi Rahab fueris, & Babylon. *Iſa.* 23. Bene cane, frequenta canticum, vt memoria tui ſit meretrix obliuioni tradita. Et 13. de Babylone: Babylon illa glorioſa in regnis.

Et hoc, *ſcientibus me*, id eſt, per ſcientes me, per Apoſtolos ſcilicet, & prædicatores, quibus præcipiam talos ad fidem recipere, Iudæis contemnentibus derelictis. *Act.* 13. Quia repellitis verbum Dei, & indignos vos iudicaſtis vitæ æternæ, ecce conuertimur ad Gentes: ſic enim præcepit nobis Dominus. Sic impletum eſt illud, quod dixit Dominus Phariſæis: Publicani & peccatores præcedent vos in regnum Dei. *Iſa.* 52. Quibus non eſt annuntiatum de eo, viderunt. Et 60. Et Gentes, quæ te non nouerunt, ad te current.

Ecce alienigenæ, aliunde nati quam de Iudæa, de qua ſuprà in *Pſal.* Notus in Iudæa Deus: & non propè, imò in diſtantia propriæ voluntatis & morum. *Et Tyrus:* nec ſolum, imò cum ipſis exiſtentes in diſtantia locorum, ſcilicet *populus Æthiopum*. Hi omnes *fuerunt illic*, in illa ciuitate congregati de alienigenis. *Iſa.* 61. Ædificabunt filij peregrinorum muros tuos. Et rurſum: Filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent.

De vocatione Tyri innuebat Dominus *Matth.* 11. Si in Tyro & Sidone facta fuiſſent, quæ facta ſunt in te, olim pœnitentiam egiſſent in cilicio, & cinere. Et in 15. dictum eſt mulieri Syropheniſſæ: Mulier magna eſt fides tua. De Æthiopia in *Pſal.* Æthiopia præueniet manus eius Deo. *Sophon.* 3. Vltra flumina Æthiopiæ viri ſupplices mei.

Per hæc autem quinque, quæ tanguntur in his duabus verſibus, deſignantur peccatorum diuerſitates. Per Rahab, peccatis expoſiti. Per Babylonem, multitudine peccatum confuſi. Per alienigenas, in inuentionibus peccatorum innaturalibus, in quibus nati non ſunt, defixi. Per Tyros, in peccatis adimplendis ardentes & anxij: Tyrus enim interpretatur anguſtia. Per Æthiopes nigros, inſeparabilitas. *Ierem.* 12. Si poteſt Æthiops mutare pellem ſuam, &c. *Naum* 2. Facies hæc omnium, ſicut ingredo ollæ. In peccatis obſtinati.

Hos autem omnes Eccleſia recipit, hos Maria in ſe colligit, ſecundum quod ei dictum eſt *Iſa.* 16. Pone quaſi mortem vmbram tuam in meridie: abſconde fugientes, & vagos ne prodas: venient ad te profugi mei: Moab, eſto latibulum eorum.

5. *Nunquid Sion dicet: Homo.* Hîc eſt ſecundum primæ partis totius huius Pſalmi, in quo ſubiungitur commendatio ab ipſo fundatore, qui eſt verus Deus & homo, quamuis hoc videatur Synagogæ incredibile: & dicuntur duo. Primò commendatio ab ipſo fundatore, quem deſcribit. Secundò reſponſio quæſtioni quæ fieri poſſet, qualiter iſtud cognouit, ibi, *Dominus regnauit in ſcripturis populorum.* In prima duo. Primò aſſerit fundatorem Deum & hominem. Secundò oſtendit in Synagoga infidelitatem ſecundum vnam literam, & veram literæ ordinationem. Ait enim: Sic fundata eſt ciuitas, ex talibus ædificata: quod valdè eſt mirabile & glorioſum, *Homo natus eſt in ea*, in ipſa Eccleſia, quantum ad partem etiam militantem. *Iſa* 9. Paruulus natus eſt nobis. Paruulus homo paruulus factus. *Matth.* 1. Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. *Et ipſe* exiſtens *Altiſſimus*, id eſt, Deus: *fundauit eam. Luc.* 1. Vocabitur Altiſſimi filius. Et fundator eius. *Iſa.* 54. Fundabo te in Saphiris, in Apoſtolis, & Prophetis, ſicut ſuprà dictum fuit. Ad *Hebr.* 11. Abraham expectabat ciuitatem fundamenta habentem, cuius artifex & conditor Deus. Imò in ſeipſo fundauit eam, tanquam in primo fundamento. 1. ad *Corinth.* 3. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt CHRISTVS IESVS. *Iſa.* 28. Mittam in fundamentis Sion lapidem pretioſum, in fundamentis fundamentum.

Chriſtus fundator Eccleſiæ.

Sed *nunquid homo* aliquis, quantumcumque eloquens dicet hoc? id eſt, perſuadebit Sion, vt ipſa hoc credere poſſit? Quaſi diceret: Non. *Abac.* 1. Opus factum eſt in diebus veſtris, quod nemo credet, cum narrabitur. Credit enim Sion ipſum purum hominem, & non Deum, quia videbat eius carnalem matrem & conſanguineos. *Matth.* 12. Ecce mater tua & fratres tui, foris ſtant quærentes te. Et in 13. Nonne hic eſt filius fabri, &c. *Ioan.* 19. Ecce homo, dicebant: non, Ecce Deus.

Secundum ergo iſtam literam & lecturam, Sion hic dicitur Synagoga. Vel ſecundum eandem

dem poteſt legi. vt Sion dicatur Eccleſia. Quaſi diceret: Sic natus in ea homo fundauit eam verus Deus. Sed *nunquid homo* dicet hoc, id eſt, perſuadebit per ſe Sion, id eſt, Eccleſiæ? Quaſi diceret: Non poterit niſi virtute Spiritus ſancti hoc perſuadere. *Matth.* 10. Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. *Luc.* 21. Dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere aduerſarij veſtri.

Secundum aliam literam, quæ ſic habet: *Mater Sion dicet homo*, &c. legitur dupliciter. Primò vt ſit ratio congregandi Gentiles ad Eccleſiam, ſic: Ita venient gentiles, & erunt de Eccleſia: ſed vnde erit hoc? Quia homo dicet, *Sion mater*, mea es, ſup. & ipſe, qui hoc dicet, eſt in *ea natus homo*, *& tamen ipſe* exiſtens *Altiſſimus*, fundauit eam. Vel ſic vt ſit increpatio Synagogæ infidelis. Quaſi diceret: Sic fundabitur ciuitas glorioſa, ſed mater Sion, id eſt, Synagoga infidelis & miſera, quæ mater eſt Eccleſiæ primitiuæ, vt *Sion* genitiui caſus ſit, *dicet: Homo* purus eſt Chriſtus. Et tamen *homo natus eſt in ea*, *& ipſe fundauit*, &c. Vnde ipſa mater talis eſt increpanda, quæ proprium de ſe natum filium non agnoſcit. *Iſa.* 1. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſraël autem non cognouit me, & populus meus non intellexit.

6. *Dominus narrabit.* Hîc ſecundum, ſcilicet reſponſio anthypaphoræ. Poſſet enim quæri: vnde hoc noſti? Et reſpondet: Quoniam ex Scripturis, quas deſcribit à duobus: ab auditoribus illarum, quibus quaſi tranſmiſſæ ſunt: & auctoribus illarum, illis, inquam, à quibus editæ ſunt, ibi, *Et principum.* Dicit ergo: Sic natus eſt in ea homo Deus, qui fundator eius. Vnde hoc noſti? Vel ſic: Magnum miraculum dixi, quòd Deus naſceretur in ciuitate quam fundauit, nec aliquis diſcredat: quia *Dominus narrabit*, vel *narrauit* (ponitur enim futurum pro præterito) quòd ita futurum ſit, *in ſcripturis populorum*, id eſt, propter populos factis, & ad ipſos directis. Ad *Roman.* 15. Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Et ibi continetur de Chriſto vero homine, & Deo. *Luc. vltim.* Incipiens à Moyſe & ptophetis, interpretatur illis, in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant. *Ioan.* 5. Si crederetis Moyſi, forſitan & mihi crederetis: de me enim ille ſcripſit. Et ibidem: Scrutamini ſcripturas: ipſæ enim ſunt quæ loquuntur de me.

Et principum. Hîc ſecundum. *Et* in ſcripturis, repete, *Principum*, Patriarcharum, Prophetarum, *horum qui fuerunt in ea*, tanquam ciues. Vel *qui fuerunt in ea*, Principes, quamuis quando erant extrà, eſſent viles, quaſi non repuati. Vel poteſt referri ad futurum: & ſic Principes in ea intelliguntur Apoſtoli, qui in ſuis ſcripturis hæc oſtenderunt. De quibus Principibus in *Pſal.* Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham. Et alibi: Conſtitues eos Principes, &c. Quamuis eſſent primò infirmi piſcatores. *Eccleſ.* 38. Narratio eorum, iſtarum ſcilicet rerum, quod Chriſtus ſit Deus & homo: in filiis taurorum, id eſt, Patriarcharum, Prophetarum, ſcilicet Apoſtolorum, qui fuerunt filij taurorum, id eſt, Patriarcharum.

Sicut Lætantium. Hîc ſecunda pars totius huius Pſalmi, in qua commendatur Eccleſia ſpecialiter quantum ad partem Eccleſiæ quæ iam triumphat, & lætatur in cœlis de triumpho: & tanguntur tria hîc. Primò iocunditas ciuium. *Sicut lætantium.* Secundò iocundantium vniuerſalitas. *Omnium.* Tertiò ſoliditas iocunditatis. *Habitatio.* Dicit ergo: Sic fundata es, ſic famoſa, & à tanto fundatore conſtructa, *& omnium* habitantium, in te ſup. *habitatio eſt ſicut lætantium.* Sicut non eſt nota ſimilitudinis, ſed expreſſiuum veritatis. Habitatio autem non in tranſitum ſonat, ſed in fixionem manſionis. *Iſa.* 62. Habitabit iuuenis cum virgine, & habitabit in te Dominus Deus tuus. Sed quomodo? Lætanter valdè. *Iſa.* 65. Gaudebo in populo meo, & non erit vltrà vox fletus. Et in 31. Canticum erit vobis, ſicut ſanctificatæ ſolemnitatis, ſicut qui pergit cum tibia, vt intret in domum Domini. Quid autem cantabitur ibi à lætantibus, determinatur *Tob.* 13. Per omnes vicos eius cantabitur Alleluia. *Caſſiodor.* Orate, tranſit, ſed laudare ſuccedit. Perpetua ſecuritas manet: quia peruerſitas nulla miſcetur. Æterna fœlicitas perſeuerat: quoniam nequaquam contrarietate aliqua conſtat eſſe violandam. 7.

Et nota, quod Dominus totum mundum fecit tanquam aulam magnam, quam inhabitaret. *Iſa. vltim.* Cœlum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. *Ierem.* 23. Cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus. Fecit & cœnaculum, in quo reficeretur, & reficeret hominis mentem & animum. *Apoc.* 3. Sto ad oſtium, & pulſo: ſi quis mihi aperuerit, cœnabo cum ipſo, & ipſe mecum. Fecit & quaſi cubiculum in quo dormiret, Virginis vterum. *Eccleſ.* 24. Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, Hæc fuit conclauis ſanctiſſima, in qua veſtem nouam induit, ſcilicet carnem noſtram. Pro hac ergo parte dici poteſt Eccleſiæ: *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.* Omnes enim motus in Maria, fuerunt motus lætitiæ, & iocunditatis, intantum vt veraciter dicere poſſet illud *Geneſ.* 21. Riſum fecit mihi Dominus. Quantum ergo ad hanc partem, fundauit Dominus Eccleſiam ſuam in ipſius Mariæ conceptione, ſed fundatam ſanctificauit in ipſius emundatione ab originali culpa, ſed emundatam inhabitauit in carnis aſſumptione de ipſa, vt nos redimeret Deus noſter, in homine, Deus noſter, qui eſt benedictus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

IN LXXXVII. PALMVM.

Canticum Pſalmi, filiis Core, in finem, 1.
pro Maheleth ad reſpondendum,
intellectus Eman Iſraëlitæ,
vel *Ezrahitæ.*

DOmine Deus ſalutis meæ. Hic eſt Pſalmus 87. in hoc totali libro, in ſecunda verò parte 37. qui bene ſequitur Pſalmum antecedentem. Cum enim in antecedenti Pſalmo Eccleſiam commendauerit tam militantem adhuc in terris, quàm triumphantem in cœlis, 2.

tanquam

tanquam quæreret aliquis eius vetbis inflammatus, qualiter ero numero & merito de Eccleſia militante, qualiter præmio de triumphante? ſubiungit modò agens de Chriſti paſſione, & paſſionis imitatoribus, qualiter ad prædicta peruenitur. 2.ad *Corinth.*1. Si enim compatimur, & corregnabimus: & ſi fuerimus ſocij paſſionum, ſimiliter erimus conſolationum. *Act.*14. Per multas tribulationes oportet intrare in regnum cœlorũ. Quippè *Luc.vlt.*Sic oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam. Hoc autem ſatis in titulo demonſtratur, qui talis eſt: *Canticum Pſalmi, filiis Core, in finem, pro Maheleth, ad reſpondendum, intellectus Eman Iſraëlitæ*, vel *Ezrahitæ*. Eſt enim ſenſus, quod hoc, quod ſubiectum eſt, eſt *canticum* ſubſequutiuum *Pſalmi*. Primò enim muſico inſtrumento, quod eſt Pſalterium, cantabatur, & ſic Pſalmus erat propriè. Poſtmodum vocibus hominum repetebatur, & ſic erat Canticum. Hoc, inquam, Canticum ſubſequutiuum Pſalmi, *in finem*, Chriſtum ſcilicet. Ad *Rom.*10. Finis legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti, nos ordinans, *filiis Core* cantandum eſt, id eſt, filiis Chriſti decaluati: Core enim decaluatus interpretatur: & ipſe ſine ſuperfluitate temporalium conuerſatus eſt in hoc mundo. *Luc.*9. Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis, &c. 2. ad *Cor.*8. Cum eſſet diues in omnibus, pro nobis egenus factus eſt. Et eſt *pro Maheleth, ad reſpondendum*. Vbi notandum, quod propoſitio pro ſumitur pro *in*. Maheleth autem interpretatur chorus. Senſus ergo eſt: Ad reſpondendum in choro. Hoc eſt ſecundum literam, quod dictum eſt, quòd præcinente inſtrumento muſico, poſtmodum vocibus hominum reſpondebatur in choro. Et *eſt intellectus*, in hoc quod ſubiectum eſt, *Eman Iſraëlitæ*. Quare Iſraëlita? quia de populo Iſraël. Vel Ezrahitæ quia de patribus aduenerat Orientis, & erat de cantoribus templi, & in hoc Pſalmo cantando fortaſſe præcipuus, & etiam exponendo.

Pſalmus monet nos vt paſſionem Chriſti imitemur, & ſic ei reſpondeamus.

Expoſitio moralis tituli.

Spiritualiter autem quod ſubiectum eſt, Canticum appellatur, quia cum ſpirituali lætitia eſt cantandum, & ad illam nos inuitat. Sed Pſalmi canticum, quia ad bonam operationem. Et eſt cantandum filiis Core, filiis Chriſti in Caluaria crucifixi. *Ioan.* 19. Et baiulans ſibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum, vbi crucifixerunt eum. Et hoc ad reſpondendum ipſi Chriſto, vt ſcilicet patiantur ſi opus ſit pro ipſo, ſicut ipſe pro ipſis, ſecundum illud 1. *Pet.*2. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. Et etiam pro proximo, ſecundum illud 1. *Ioan.*3. Sicut Chriſtus poſuit animam ſuam pro nobis, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Et hoc pro Maheleth, id eſt, in Maheleth, hoc eſt, in choro: aliter enim bene non reſpondemus Chriſti paſſioni, niſi viuamus in concordia, & vnitate: vt ſimus de illis, de quibus *Act.* 4. Erat illis cor vnum & anima vna. 1. ad *Cor.*13. Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt. Et eſt intellectus non cuiuſlibet, ſed Eman, ſcilicet fratris eius: Eman enim interpretatur frater eius, hoc eſt, Chriſti, illius ſcilicet, qui cum Paulo in cruce Chriſti tantum gloriatur, qui ad illos pertinet, de quibus Chriſtus ait *Matth.*12. Qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt, hic mihi frater, & ſoror, & mater eſt. Eman, inquam, Iſraëlitæ, id eſt, fide Deum videntis: vel Ezrahitæ, hoc eſt, aduenæ ſui reputatione, qui dicit cum *Pſal.* Quoniam aduena ego ſum, & peregrinus apud te.

Diuiditur autem Pſalmus in duas partes. Primò Chriſtus quaſi in paſſione poſitus introducitur orans pro ſeipſo. Secundò pro membris illi reſpondentibus, hoc eſt, ſuam paſſionem imitantibus, ibi, *Et ego à te Domine*. In prima duo: quia primò ponitur Chriſti petitio. Secundò neceſſitas & ratio ſuæ petitionis. *Quia repleta eſt malis*. In prima duo. Primò captatio beneuolentiæ eius quem rogat. Secundò petitio, ibi, *Intret in conſpectu*. Captat enim beneuolentiam ſumens rationem primò à parte Dei, quem rogat, quia ſuum eſt ſaluare. Secundò à parte ſui, qui rogat, quia iugiter & feruenter rogat. *In die clamaui.*

Dicit ergo: O *Domine* Pater *Deus ſalutis meæ*, vt ſit intranſitiua conſtructio, id eſt, qui es ſalus mea. Suprà in *Pſal.* Dominus illuminatio mea, &c. Vel tranſitiuè, *Domine Deus ſalutis meæ* auctor. *Iſa.*42. Abſque me non eſt ſaluator. *Pſal.* Operatus es ſalutem in medio terræ. *Matth.*1. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Et dator. *Iſa.*46. Dabo Sion ſalutem, & in Ieruſalem gloriam meam. *Iudith vlt.* Dediſti ſalutem in manu fœminæ. Et mandator. *Pſal.* Qui mandas ſalutes Iacob. Conſeruator. *Prou.*3. Cuſtodiet rectorum ſalutem, & proteget gradientes ſimpliciter.

In die clamaui, & nocte coram te. In hoc quod dicit, *in die, & nocte*, notatur orationis continuitas. In hoc quod addit, *Clamaui*, feruor: In hoc autem, quod addit, *Coram te*, recta intentio. Orandum enim eſt ſemper, in die & nocte. *Luc.*18. Dicebat autem eis, quoniam oportet orare ſemper, & nunquam deficere. 1. ad *Theſſ.*5. Sine intermiſſione orate. Et in proſperitate quæ per diem, & in aduerſitate quæ per noctem. *Iſa.*21. Venit mane & nox: ſi quæritis, quærite: conuertimini, venite. Orandum eſt feruenter, & cum clamore cordis. *Pſal.* In die tribulationis meæ clamaui ad te. Et recta intentione contra hypocritas. *Matth.*6. Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.

Neceſſaria in oratione.

Intret oratio mea. Hîc ſecundum, in quo orat, & duo petit. Primò, quòd Deus orationem eius recipiat. Secundò, quòd receptam humiliter impleat. *Inclina aurem.* Dicit ergo: Sic tu es Deus ſalutis meæ, & ego clamo tota die: Vnde rogo: *Intret oratio mea in conſpectu tuo.* Nota *Gloſſ.* Virtus magna puræ orationis, &c. Ad hoc autem quod intret oratio, oportet, quòd non veniat vacua, ſed afferat ſecum ipſum orantis animum humiliatum, quia munus excellentiſſimum: aliter eiicietur cum homine foras. *Exod.*23. Non apparebis in conſpectu Domini Dei tui vacuus. Propter hoc dicit Daniel in 3. In animo contrito, & ſpiritu humiliato, venientes, ſuſcipiamur à te Domine. *Prou.* 8. Donum hominis dilatat viam eius, ſic & orationis.

3.

Tria quibus impeditur oratio vt nõ exaudiatur. Sed notandum, quod tria impediunt orationem, ne ingrediatur. Primum eſt ſi ſit timida, talis enim oratio nihil audet aggredi. Propter hoc dicitur *Iob* 1. Siquis indiget ſapientia, poſtulet à Deo in fide nihil hæſitans. Et *Caſſiodor.* Nullus ab oratione repellitur, niſi qui in ea timidus inuenitur. Secundum eſt ſi ſit tepida, quia talis non valet progredi. Propter hoc monet Paulus *Roman.* 12. Orationi inſtantes, ſpiritu feruentes: cum enim feruet, tunc progreditur & dirigitur ſicut incenſum in conſpectu Dei. Tertium eſt, quando eſt temeraria, hoc eſt, præſumptuoſa, & non humilis, quia tunc non valet ingredi. *Eccleſ.* 5. Oratio hmiliantis ſe nubes penetrabit.

Inclina aurem, humiliter concedendo quæ peto, ad *precem meam.* Suprà in *Pſal.* Inclina Domine aurem tuam: quoniam inops, &c. *Dan.* 60. Inclina aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide.

4. *Quia repleta eſt.* Hîc ſecundum, ſcilicet ratio vel neceſſitas petendi, quæ tangitur duplex. Prima eſt peſequutio inimicorum. Secunda, elongatio notorum, qui debent eſſe proximi, & amici, ibi, *Longè feciſti.* In prima duo. Primò perſequutio ab inimicis illata deſcribitur. Secundò oſtenditur, quòd ſit illata non ſine ordinatione diuina & diſpoſitione, ibi, *Poſuerunt me.* In prima duo. Primò perſequutio illata factis. Secundò verbis, ibi, *Æſtimatus ſum.* In prima duo. Primò perſequutio quaſi ex parte animæ, quæ eſt repletio dolorum. Secundò ex parte corporis, quæ eſt magnitudo pœnæ, vſque ad ſeparationem, ibi, *Et vita mea.* Dicit ergo: Sic rogo, & neceſſe habeo, quia *anima mea repleta eſt malis*, doloribus ſcilicet, & anxietatibus, dicit Chriſtus *Thren.* 1. O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, &c. *Thren.* 3. Repleuit me amaritudinibus. *Matt.* 26. Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Et propter hoc exauditus eſt. Nihil enim tam valet ad hoc vt exaudiaris, ſicut dolore repleri. *Auguſtin.* Vis audiri? Pauper eſto: dolor clamat, non faſtidium. Illa beata anima malo pœnæ repleta eſt: ſed nunc repletæ ſunt malo culpæ: vnde in *Pſal.* Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum. Ad *Roman.* 1. Repletos omni iniquitate.

Huius autem repletionis ſignum eſt certiſſimum ponderoſitas qua ſemper ad ea quæ deorſum ſunt, inclinatur. *Eccleſ.* 22. Super plumbum quis grauabitur? Et quod illi aliud nomen, quam fatuus? Signum eſt & redundantia per os. *Matth.* 12. Ex abundantia cordis os loquitur. Et hoc quia capere non poteſt aliquid boni, ſed ipſum abominatur. *Eccleſ.* 3. Execratio peccatori ſapientia. Et 27. Anima ſatiata conculcabit fauum. Signum eſt etiam quod non reſonat percuſſa, hoc eſt, quod ſi affligitur, gratias non agit. *Ierem.* 5. Fruſtrà percuſſi filios veſtros, diſciplinam non receperunt.

Et vita mea. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic anima repletur doloribus, quod frequenter contingit in homine non moriente: ſed etiam *vita mea*, anima ſcilicet, *appropinquauit in inferno*, veniens ſcilicet vſque ad ſeparationem ſui à corpore. *Eccleſ.* 51. Anima mea appropinquauit in inferno deorſum. In figuram huius dicebat *Iob* 17. In profundiſſimum infernum deſcendit anima mea.

Æſtimatus ſum. Hîc tangitur perſequutio oris, quâ blaſphemabant in eum, blaſphemia triplici. Primò quia credebant & dicebant eum neceſſitate, ſicut alios homines, moriturum. Secundò quia diuino auxilio deſtitutum, ibi, *Factus ſum.* Tertiò, quod deterius eſt, propter peccatum proprium mortuum & occiſum, nec ad vitam reuerſurum, ibi, *Sicut vulnerati.* Dicit ergo: Sic perſequuti ſunt opere, & etiam *æſtimatus ſum* ab eis, hoc adinuicem aſſerentibus, & colloquentibus, *cum deſcendentibus in lacum*, deſcenſurus ex neceſſitate in infernum, ſicut alij illuc deſcenderunt, cum tamen moriar voluntate mea. *Iſa.* 53. Oblatus eſt quia ipſe voluit. *Ioan.* 10. Habeo poteſtatem ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam. Et ibid. Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam. 5.

Factus ſum. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Æſtimant me neceſſitate vt alios, moriturum. Et *factus ſum* illorum æſtimatione & aſſertione, *ſicut homo ſine adiutorio* diuino, ſup. & ſic me æſtimant adiutorio diuino deſtitutum. *Sapient.* 2. Si filius Dei eſt, liberet eum de manibus noſtris. Et multa talia, quæ dicebant pendenti in cruce: cum tamen ſim liber à neceſſitate moriendi, habens ſemper promptum diuinum adiutorium.

Inter mortuos, quia ſolus ſine peccato. *Iſa.* 53. Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt, &c. Vere liber & liberans aliquos. *Ioan.* 8. Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. 6.

Sicut vulnerati. Hic tertium, in quo dicuntur duo. Primò tangit illorum blaſphemiam. Secundò blaſphemantium pœnam tangit. *Et ipſi de manu.* In prima duo. Primò, quòd blaſphemantes dixerunt ipſum non reſurrecturum eſſe. Secundò Deum omninò obliuioni tradidiſſe. *Quorum non es memor.* Dicit ergo: Sic æſtimatus ſum ab eis neceſſitate moriturus, & à Dei auxilio deſtitutus, & etiam æſtimatus ſum, *ſicut vulnerati*, occiſi gladiis, *in ſepulchris dormientes*, qui nunquam poſtea euigilant. Nec mirum: quia viderunt lanceâ & clauis vulneratum. *Matth.* 27. & *Ioan.* 19. Dormientes autem in ſepulchris vocat mortuos. *Iſa.* 14. Omnes reges gentium vniuerſi dormierunt. *Dan.* 12. Dormientes in puluere terræ euigilabunt.

Nota hic, quòd eſt vulnus pœnæ, de qua *Iob* 2. Conuulnerauit lumbos meos. Et rurſum, Concidit me vulnere ſuper vulnus, &c. Et eſt vulnus culpæ, quod eſt multiplex, ſcilicet ſuggeſtionis diabolicæ. *Iſa.* 14. Corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes. Culpæ omnis generaliter. *Luc.* 10. de illo qui incidit in latrones qui deſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis abierunt, ſemiuiuo relicto. *Eccleſ.* 21. Quaſi romphæa bis acuta omnis iniquitas, & plagæ illius non erit ſanitas. O homo agnoſce quam grauia vulnera ſunt peccata tua, pro quibus neceſſe fuit filium Dei vulnerari. Sed ſpecialiter luxuriæ, quod ſeparat carnem, & elicit ſanguinem. *Iſa.* 1. Vulnus, & liuor, & plaga tumens, &c. Vulnus luxuriæ, liuor auaritiæ, & plaga tumens ſuperbiæ. Et eſt vulnus gratiæ, vulnus ſcilicet charitatis. *Cantic.* 4. Vulnerata charitate ego *Vulnus pœnæ, culpæ, & gratiæ.*

ego ſum. Et in eodem : Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa. *Gilebert.* Talia vulnera in me multiplica Domine Deus meus. Primum vulnus ſuſtinuit Chriſtus , vt nos à ſecundis vulneribus liberaret , & tertiis vulneraret.

Quorum non es. Ecce ſecundum. Quaſi diceret : Æſtimatus ſum ſicut vulnerati dormientes , *quorum* etiam vulneratorum , Deus *non es memor amplius* , ad reſurrectionem & liberationem : de quibus ſcriptum eſt : Periit memoria eorum cum ſonitu. Et *Eccleſ.9.* Obliuioni data eſt memoria eorum.

Et ipſi , ſic æſtimantes de me , *de manu tua*, protegente eos à miſeria , *repulſi ſunt* , vt iam non protegantur , ſed omni miſeriæ exponantur , in pœnam prædictæ blaſphemiæ. Suprà in *Pſal.* Deus repuliſti nos , & deſtruxiſti nos. *Thren.3.* Repulſa eſt anima mea , oblitus ſum bonorum.

7. *Poſuerunt me.* Hîc tanguntur perſequutio in morte , vel poſt mortem. Et legitur tripliciter : quia lacus inferior poteſt ſonare in pœnam , aut in culpam. Si in pœnam , aut temporalem , aut gehennalem , ſcilicet limbum : & dicuntur tria. Primò, quòd turpiſſima morte eſt occiſus. Secundò , quòd obliuioni datus ab occiſoribus. *In tenebroſis.* Tertiò , quòd in locum vilem deiectus, ibi, *Et vmbra mortis.* Dicit ergo : Sic perſecuti ſunt me vſque ad mortem, & etiam *poſuerunt me* , ad literam , *in lacu inferiori* , in extrema morte , & viliſſima , quia morte crucis eum conciderunt , quæ erat mors latronum. *Sapient.* 2. Morte turpiſſima condemnemus eum. Ad *Phil.* 2. Factus eſt obediens Patri vſque ad mortem , mortem autem crucis.

Et in tenebroſis , vt eſſem omnino perditus, & obliuioni traditus , tanquam res latens in tenebris , quæ penitus non videtur. *Pſal.* Collocauit me in obſcuris , tanquam mortuos ſæculi. *Thren.* 3. In tenebris collocauit me tanquam mortuos ſempiternos.

Et in vmbra mortis , id eſt , in loco ſordido & fœtido me poſuit , in quo homines occiduntur & puniuntur. Et ſic eſt ſignum mortis, ſicut vmbra corporis. *Gloſſ.* Vmbra mortis,&c. hic eſt locus Caluariæ , in quo latrones & ſeditioſi & homicidæ plectebantur,crucifixus eſt, & iuxta ſepultus , ſicut habetur *Ioan.* 19. Vel ſic : *Poſuerunt me* , ſua reputatione , *in lacu inferiori* , in profunditate ſcilicet omnium vitiorum , quamuis innocens eſſem. *Geneſ.* 40. Et hic innocens in lacum miſſus ſum. *Et in tenebroſis :* & exponit ſe , id eſt , *in vmbra mortis*, in morte ſcilicet amariſſima , quæ eſt quaſi vmbra mortis gehennalis , per quam veniebatur ad illam. *Pſal.* Sicut vmbra cum declinat, ablatus ſum. Tertio modo ſic : *Poſuerunt me*, id eſt , animam meam , mortem inferendo , in lacu inferiori , in limbo ſcilicet. *Zachar.9.* Tu verò in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos de lacu, in quo non erat aqua. *In tenebroſis:* quia ibi erat carentia viſionis diuinæ quantum ad illos qui tenebantur. *Et vmbra mortis:* quia imago erat ex hoc ipſo pœnæ gehennalis, quæ verè mors eſt. *Iſa.9.* Sedentibus in regione vmbræ mortis , lux orta eſt eis.

Super me confirmatus eſt. Hîc ſecundum , in 8.
in quo oſtenduntur quæ geſta ſunt, facta fuiſſe diuina diſpoſitione, vel magis indignatione, ſecundum illorum æſtimationem. Duo autem ſunt quæ iſti æſtimabant. Primò irreuocabilitatem iræ Dei ſuper illum. Secundò effectus iræ Dei vniuerſalitatem. *Et omnes.* Dicit ergo: Sic perſequuti ſunt & ante mortem , & in morte , vel poſt mortem , & etiam illorum opinione , *furor tuus* , effectus ſcilicet tanquam tui furibundi , *confirmatus eſt ſuper me* , vt nunquam ceſſes me in furore affligere. Suprà in *Pſal.* Confirmaſti ſuper me manum tuam , & non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ. Credunt illum furorem iam veniſſe ſuper me, de quo *Iſa.*30. Ardens furor eius , & grauis ad portandum : quem timens pœnitens , dicit ſuprà in *Pſal.* Domine ne in furore tuo arguas me.

Et omnes fluctus tuos , non ſolum aliquos, vt ſic vniuerſaliter affligeres : fluctus enim dicit tribulationum paſſiones : *induxiſti ſuper me*, hoc eſt , induci feciſti. *Thren.*3. Inundauerunt aquæ ſuper caput meum,& dixi : Perij. *Eccl.*24. In fluctibus maris ambulaui. Suprà in *Pſal.* Veni in altitudinem maris. *Ioan.* 2. Omnes gurgites tui & fluctus tui ſuper me tranſierunt.

Longè feciſti. Hîc ſecundum huius partis: 9.
poſtquam enim egit de perſequutione inimicorum , hîc ſubiungit de elongatione & fuga notorum : & diuiditur in duas partes , ſecundum duo notorum genera. Quidam enim erant noti Chriſto communi notitia , & beneficiorum exhibitione , ſcilicet Iudæi, quibus prædicabat. Alij conuictus & conuerſationis ratione, ſcilicet Apoſtoli, quos ſpeciales & familiares habebat.

Primò ergo agit de elongatione Iudæorum. Secundò Diſcipulorum. *Traditus ſum.* In prima duo. Primò elongatio Iudæorum à Chriſto tangitur. Secundò abominatio eius à quo ſunt elongati: quia viderunt eum tam turpiter mori, ibi , *Poſuerunt me.* Dicit ergo : Sic me perſequuti ſunt aduerſarij , Gentiles ſcilicet , Scribæ & Phariſæi , & etiam ô Domine , *tu feciſti* , permittendo vt fieret , *notos meos* , qui prædicationes audierant , miracula viderant , *longè à me* , per fugam & deteſtationem. *Iob* 19. Fratres meos longè fecit à me , & noti mei , quaſi alieni receſſerunt à me. *Elongatio Iudæorũ & diſcipulorũ à Chriſto.*

Poſuerunt me , non tantùm abominabilem, ſed quod maius eſt , *abominationem ſibi* , qui eos tot bona docueram. *Amos* 5. Loquentem perfectè abominati ſunt. *Iob* 19. Abominati ſunt me quondam conſiliarij mei. Et 30. Filij ſtultorum & ignobilium abominantur me , & longe fugerunt à me. Et nota , quòd notos hîc appellat , non quos ipſe nouit , ſed qui eum nouerant. Vel ſi eos quos nouit , non notitia approbationis , ſed notitiæ ſimplicis.

Traditus ſum. Hîc ſecundum , ſcilicet elongatio diſcipulorum : & tanguntur tria. Primò ipſius traditio à Iuda , quod fuit magna elongatio. Secundò poteſtatis abſconſio in illo articulo. *Et non egrediebar.* Tertiò Apoſtolorum infirmatio in fide Chriſti & amore , ibi,

Oculi

Chriſtus à multis traditus, ſed diuerſa intentione.

Oculi mei. Dicit ergo:Sic notis factus ſum abominatio, & etiam *traditus* ſum à multis, à proprio diſcipulo moto auaritia. *Matth.* 26. Qui autem tradidit eum, dedit eis ſignum dicens: Quemcumque &c. *Luc.*22. Iuda, oſculo filium hominis tradis? Traditus ſum à Iudæo Pilato, à ſacerdotibus, & Phariſæis, & hoc ex inuidia. *Matth.*27.Sciebant enim,quòd per inuidiã tradidiſſent eum. *Ioan.*19.Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Traditus à Pilato miniſtris, vt crucifigeretur, & hoc ex damnabili negligentia. *Ioan.* 19. Tradidit ergo illis IESVM vt crucifigeretur. Et *Matth.* 27. IESVM verò flagellatum tradidit voluntati earum, vt crucifigeretur. De hac dicit *Matth.* 20. Tradent eum Gentibus ad illudendum & flagellandum. Traditus etiam eſt à diabolo hæc omnia procurante, & hoc ex ignorantia, qua neſciebat eum Deum.2.ad *Corinth.*2. Si cognouiſſent, nunquam dominum gloriæ crucifixiſſent. Traditus eſt etiam à Patre, & hoc ex ſumma clementia & miſericordia quam habuit ad humanum genus. Ad *Rom.*8. Proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Item à ſeipſo, & hoc fecit ex obedientia. Ad *Epheſ.*5.Tradidit ſemetipſum pro nobis.

Et non egrediebar, potentiam meam demonſtrando, ſed magis latebam eam abſcondendo. *Abac.* 3. Cornua in manibus eius,ibi abſcondita eſt fortitudo eius.*Iſa.*45. Verè tu es Deus abſconditus.

10. *Oculi mei.* Hîc eſt tertium. Quaſi diceret: Sic fuit à Iuda traditus, ſic quantum ad poteſtarem abſconditus, & ob hoc, *Oculi mei,*Apoſtoli ſcilicet mei,qui debebant eſſe oculi,& lumen totius corporis myſtici in me,totius mundi. *Matth.* 5. Vos eſtis lux mundi. *Langueunt. Iob* 17.Caligauit ab indignatione oculus meus, & membra mea in nihilum redacta ſunt. Et hoc, *propter inopiam*, fidei, & amoris à me. *Zachar.*12. Percutiam paſtorem, Chriſtum: & diſpergentur oues gregis, ſeparatæ ab eo, à vera fide in ipſum,& charitate. Oues gregis Apoſtoli: hinc habemus, quòd oculi ſunt Prælati, quorũ multi languent præ inopia bonorũ ſpiritualiũ.*Iſa.*56. Speculatores eius,oculi:cæci omnes. Et infra:Ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiã,omnes in viã ſuam declinauerunt,vnuſquiſque ad auaritiam ſuam, à ſummo vſque ad nouiſſimum. Si autem inopia bonorum ſpiritualium non languerent,bene toti corpori prouiderent. *Ierem.* 31. Inebriabo animas ſacerdotum pinguedine. Et quid ſequitur? Et populus meus adimplebitur bonis. Si ergo oculus tuus ſcandalizet te, inopia languens, erue eum, & proiice abs te *Matth* 6. & 18.

Contra prælatos bonorũ ſpiritualium inopia laborantes.

Clamaui ad te. Hîc tertium, in quo præmiſſa petitione & petendi neceſſitate, ſubiungitur perſuaſio,vt impetretur petitum. Perſuadet autem à duplici clamore: oris, & operis. Vel perſuadet à deuotione orationis primò. Secundò à perſeuerantia in opere bono, ibi, *Tota die.* Dicit ergo: Sic rogaui Domine, & debeo impetrare, quia ô *Domine clamaui*, ad te clamore cordis & feruoris. Clamauit Chriſtus ad populum clamore inſtructionis. *Ioan.* 7. Stabat autem IESVS, & clamabat: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.

Multiplex Chriſti clamor.

Clamauit ad mortuum clamore poteſtatis, & oſtenſione virtutis ſuæ. *Ioan.*11. Et clamans voce magna, dixit: Lazare veni foras, & prodiit qui mortuus fuerat, ligatis manibus & pedibus iuſtitis. Clamauit ad Deum Patrem in ſignum humilitatis & ſubiectionis, & oſtenſionis veræ humanitatis. *Matth.* 27. Et clamauit voce magna, Heli, Heli, Lamazabathani. Et *Luc.* 23. Et clamans voce magna dixit: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.

Tota die. Ecce ſecundum, in quo tangitur eius iugis bona operatio: & dicuntur hîc duo. Primò, quòd iugiter bona fecit. Secundò ne quis crederet, quòd per hoc omnes ſaluaſſet, quibus bona eius opera non profecerint,oſtendit, ibi, *Nunquid mortuis*? Dicit ergo: Sic clamaui ad te ore: ſed ne hoc parum videatur,*tota die*, non vna tantum, ne credatur intelligendum die Paſſionis,in qua manus habuit in cruce extenſas, quia nec illa tota extenſas habuit. *Expandi ad te*, bona faciendo, *manus meas.* Expandi ad populum Iudæorum, dans exemplum bona faciendi. *Iſa.*65. Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi. *Expandi ad te*, ad impetrandum quod volebam, & pro me, & pro meis. *Pſal.* Expandi manus meas ad te.

Nunquid mortuis. Hîc oſtendit quibus non profuerit manuum eius extenſio,quia non profuit obſtinatis in malitia, quos nominauit his quinque nominibus. Primò mortuos. Secundò ſepulchris clauſos. *Nunquid narrabit aliquis*? Tertiò perditos, ibi, *Et veritatem.* Quartò tenebris inuolutos, ibi, *Nunquid cognoſcentur.* Quintò à Deo obliuioni traditos. *Et iuſtitiam tuam.* In prima duo ſecundum duplicem quæſtionem, quam facit, in partem negatiuam terminandam. Prima,ſi proderunt mortuis mirabilia per ſe facta. Secunda, ſi ſacramenta per miniſtros exhibita, ibi, *Aut medici.* Dicit ergo: Sic expandi tota die manus meas, ſed *nunquid*, ô Deus Pater, *mirabilia*, quæ facies per me, & in me, *facies mortuis?* non corpore (talibus enim ſunt facta multa, filiæ Archiſynagogi. *Matth.*9. Et filio viduæ *Luc.*7. & quatriduano Lazaro *Ioan.* 11.) ſed anima? Quaſi dicat: Non: nullam enim in ſemetipſis habentes vitam, miracula irrident, & non credunt: & ſic coram ipſis fiunt, ſed non ipſis. Tales ſunt mortui, de quibus in *Pſal.* Collocauit me in obſcuris, ſicut mortuos ſæculi. *Et Apocalypſ.* 2. Nomen habes quod viuas, & mortuus es.

11. *Peccatorum obſtinatio variis nominibus expreſſa.*

Aut nunquid, ſup. *medici*, Apoſtoli ſcilicet mei,& ſubſequentes prædicatores, & prælati, *ſuſcitabunt*, tales mortuos, ſup. & ſic *confitebuntur tibi*, confeſſione laudis? Quaſi diceret: Non: quia de talibus ſcriptum eſt in *Pſal.* Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui. Et, In inferno autem, in obſtinatione in peccato, quis confitebitur tibi? Quaſi diceret: Nullus. *Eccleſ.* 17. A mortuo, quaſi ab eo qui non eſt, perit confeſſio. Medicos ergo hîc appellat prædicatores, & prælatos.

Medicus naturalis & ſpiritualis, bonus & malus.

Notandum enim, quod eſt medicus naturalis, qui curat corpora per artem medicinæ ad literam. *Eccleſ.* 38. Honora medicum propter neceſſitatem. Et eſt ſpiritualis malus, ſcilicet

licet Philoſophus qui vana docet & inutilia. *Matth.* 5. de muliere, quæ expenderat omnia bona ſua in medicos, & ſemper deteriùs habebat, Anima ſcilicet, quæ expendit omnia naturalia in Philoſophos ſcrutandos, nec ſanatur. Sed bonus eſt medicus, Prælatus, qui habet artem medicandi, ſacram ſcientiam, & medicamina, ſcilicet ſacramenta. *Ierem.* 8. Nunquid non eſt reſina in Galaad, aut medicus non eſt ibi? Alioquin dicat illud *Iſa.* 3. Non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis, nec veſtis, nolite me conſtituere iudicem ſuper vos. *Geneſ. vltim.* Præcepit Ioſeph ſeruis ſuis medicis, vt aromatibus condirent patrem. Sed eſt optimus medicus, qui ſolo ſanat verbo, imò ſolo nutu & voluntate. *Matth.* 9. Non eſt opus valentibus medico, ſed malè habentibus. *Luc.* 4. Vtique dicetis mihi: Medice cura teipſum. *Auguſt.* Magnus de cœlo venit medicus, quia manus in terris iacebat ægrotus. Hic eſt Chriſtus, qui eſt ſalus *Matth.* 1.

12. *Nunquid narrabit.* Hîc ſecundum, in quo idem dicit per alia, ſicut dictum eſt: *Nunquid narrabit aliquis*, exiſtens, ſup. *in ſepulchro*? hoc eſt, anima exiſtens in peccato, quæ corpus ſuum habet vt ſepulchrum, quales erant illorum animæ, quibus Dominus dicebat: Væ vobis Scribæ & Phariſæi, qui eſtis ſimiles ſepulchris dealbatis, &c. *Miſericordiam tuam*? Quaſi diceret: Non. *Pſal.* Nunquid puluis, impius qui tanquam puluis in ſepulchro latet in corpore ſpecioſo, confitebitur tibi? Quaſi diceret: Non. *Pſal.* Non ſic impij, non ſic, ſed tanquam puluis. *Et*, exiſtens, ſup. *in perditione*, nunquid annuntiabit veritatem tuam. Quaſi diceret: Non: non enim veritati credunt, quare nec ipſam nuntiabunt. Si enim alij peccatores, etiamſi fideles excluduntur, quantò magis infideles & obſtinati? de quibus hic loquitur. *Pſal.* Peccatori autem dicit Deus: Quare tu enarras iuſtitias, &c. *Eccleſ.* 11. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. *Eccleſ.* 27. Narratio peccantium odioſa. Propter hoc primò mundãtur labia *Iſa.* 6. & tunc mittitur ad prædicandum. Et *Ieremiæ* dictum eſt in primo: Priuſquam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de vulua, ſanctificaui te, & ſic prophetam in gentibus dedi te. Poſiti ergo in ſepulchro, & in perditione, non narrant miſericordiam & veritatem: quia nemo contra ſe libenter loquitur. Prius ergo neceſſe eſt vt ſuſciteturꝫ & tunc loquetur. *Luc.* 7. Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui.

13. *Nunquid cognoſcentur.* Hîc quarto nomine vocantur, ſcilicet nomine tenebrarum: quia *nunquid* etiam *mirabilia tua*, quæ per me operaris, *cognoſcentur in tenebris*? In peccatoribus, qui non tantum ſunt tenebroſi, ſed magis tenebræ, alios ſcilicet obtenebrantes prauis exemplis ſuis. *Ioan.* 1. Lux, Chriſtus, in tenebris lucet, in peccatoribus ſcilicet tenebroſis, & alios obſcurantibus: & tenebræ eam non comprehenderunt. 2. ad *Corinth.* 6. Quæ conuentio lucis ad tenebras? Propter hoc monet *Eccleſ. in vltim.* Memento creatoris tui, antequam tenebreſcat.

Et iuſtitia. Ecce quintum. Nunquid cognoſcetur, ſup. *in terra oblionis*, in terreno ſcilicet corde, & à te obliuioni tradito, vel tui oblito, iuxta illud *Pſal.* Obliuioni datus ſum, tanquam mortuus à corde. Nota ergo, quòd mortui dicuntur reprobi, quibus opera Chriſti non proſunt: mortui per mortalem culpam, ſepulti per prauam conſuetudinem, ſed perditi per obſtinationem in culpa, tenebroſi per peccati diuulgationem, & terra obliuionis per contemptum & deſperationem. Res enim quæ contemnitur, citò traditur obliuioni. Hi non intellexerunt mirabilia, quæ Chriſtus in terris fecit, nec illa, quæ adhuc facit in impij iuſtificatione. Quis enim neſciat, quòd in impij iuſtificatione claudo reſtituitur greſſus, manco manus, cæco viſus, ſurdo auditus, & muto loquela: leproſus mundatur, paralyticus confirmatur, dæmoniacus liberatur, & tandem mortuus ſuſcitatur? *Impij iuſtificatio mirabilis.*

14. *Et ego ad te.* Hîc eſt ſecunda pars totius huius Pſalmi, in qua orat pro membris, ſe tamen non excluſo. Membris, inquam, patientibus, ſicut ipſe à malis paſſus, & ſic reſpondentibus ipſi, ſicut in titulo tactum fuit.

Primò ergo tangitur petitio. Secundò perſuaſio. *Pauper ſum ego.* In prima duo. Primò petitio. Secundò conqueſtio de dilatione petiti, ibi, *Vt quid Domine*? In prima duo. Primò tangitur deuotio petentis. Secundò inſtantia orationis, ibi, *Et mane.* Dicit ergo: Tales ſunt illi quibus non prodeſt manuum mearum extenſio. *Et ego*, Domine Deus Pater, in membris meis, & pro ipſis membris, *ad te*, non ad alium, *clamaui*, ex feruore cordis, ſup. In *Pſal.* A finibus terræ ad te clamaui, clamori quem promittis te exauditutum. *Iſa.* 32. Ad vocem clamoris tui, ſtatim vt audierit, reſpondebit tibi.

Et mane. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic clamaui ex feruore cordis: *& oratio mea*, non lenta, *præueniet te*, ita inſtanter orabo. Suprà in *Pſal.* Mane aſtabo tibi, & videbo. Scio enim quod ſcriptum eſt *Iob* 8. Si diliculo conſurrexeris ad eum, ſtatim euigilabit ad te. *Iſa.* 26. Anima mea deſiderabit te in nocte, & in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.

Sed ſecundum hoc videtur, quòd Deus poſſit præueniri. Sed contra in *Pſal.* Miſericordia eius præueniet me. Et *Bern.* dicit: Deus inueniri poteſt, præueniri non poteſt. Reſp. Non præuenitur inquantum eſt largitor gratiarum. Præuenitur autem inquantum eſt præmiator bonorum. Propter primum dicitur: Præoccupat qui ſe concupiſcunt. *Sapient.* 6. Propter ſecundum dicitur in 16. Oportet ſolem præuenire ad benedictionem illam percipiendam, quæ dicetur in die iudicij, Venite benedicti: & illud *Eccleſiaſt.* 18. Ante iudicium interroga teipſum, & in conſpectu Dei inuenies propitiationem. *Dubium, an Deus poſſit præueniri.*

15. *Vt quid Domine repellis.* Hîc ſubiungitur conqueſtio: & dicuntur duo. Primò conqueritur, quòd orationem ſuam non recipit. Secundò, quòd magis miſeriam infligit, ibi, *Auertis.* Dicit ergo: Sic oro, & iuſtè: & tu Domine *repellis orationem meam*, non dando quod poſtulo. Sed *vt quid*? Similiter Iob conqueritur in 19. Clamabo vim patiens, & nemo exaudiet. Et *Thren.* 3. Cum clamauero & rogauero, excluder

excludet orationem meam. Et *Abac.*1. Vſque quo clamabo, & non exaudiet. Sed poteſt reſponderi. Ad bonum tuum, vt petas ardentiùs. *Caſſiodor.* Sicut ignis flatu venti repellitur, vt viuacius animetur: ſic differtur oratio, vt orantis animus fortius accendatur. Et iterum vt habita ſeruentur diligentiùs, & humiliùs habeantur. *Gregor.* Differt Dominus dare quod petitur, vt dilatum ardentius appetatur, & petatur auidiùs: collatum ſeruetur diligentiùs, & humiliùs habeatur. Item vt ei melius conferatur, etiam non dando quod petitur, quia neſcimus quid nobis bonum eſt ita bene ſicut ſcit Deus. Ad *Rom.*8. Quid oremus ſicut oportet neſcimus.

Quare Deus vota noſtra differt.

Auertis faciem tuam à me, tanquam indignatus mihi in effectu, quod eſt miſeriam infligendo. *Ierem.*18. Dorſum, & non faciem oſtendam eis. *Iſa.*54. Auerte parumper faciem meam à te. Non enim ſimpliciter abiicit ſuos. Ad *Rom.*11. Nunquid repellit Dominus plebem ſuam? Abſit.

16. *Pauper ſum ego.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur perſuaſio vt impetretur petitum. Perſuadet autem à miſeria, quaſi omnibus innata. Secundò ab inflicta à Deo, ibi, *In me tranſierunt.* Tertiò ab auxilij carentia, ibi, *Elongaſti me.* In prima duo. Primò oſtendit miſeriarum diuerſitatem. Secundò diuerſitatum continuationem in quocumque ſtatu, ibi, *Exaltatus autem.* Dicit ergo: Sic clamaui, & tu repellis: tamen non deberes, quia *pauper ſum ego*, quantumcumque videar diues. Siue loqueretur pro ſe caput Chriſtus, verum diceret. 2. ad *Corinth.* 8. Qui cùm eſſet diues in omnibus, pro nobis genus factus eſt: ſiue etiam loqueretur pro membris: nullus enim ita diues, quin pauper ſit, æque fortè ſicut ille qui nihil habet. *Gregor.* In rebus terrenis pauper & diues, quamuis non pari proſperitate fulciantur, compari tamen anxietate turbantur: quia quod ille cum metu poſſidet, iſte cum anxietate appetit. *Apocal.*3. Tu dicis, quia diues ego, & nullius egeo: & neſcis, quia miſer es, & miſerabilis, & nudus, & cæcus?

Multiplex paupertas.

Et nota, quòd eſt paupertas miſeriæ & paſſibilitatis, quam nullus euadit: & eſt medicinalis, & de hac loquitur hic. Etenim Cato:

Infantem nudum cum te natura creauit,
Paupertatis onus patienter ferre memento.

Et eſt paupertas indigentiæ & egeſtatis, quæ eſt in mendicis, & eſt tolerabilis, de qua *Matth.*26. Pauperes ſemper habetis vobiſcum, & cum vultis, poteſtis illis benefacere. Et eſt paupertas culpæ & iniquitatis, de qua *Apocalypſ.*3. Tu dicis, quia diues ſum ego, & nullius egeo: & neſcis quia pauper es, & miſer, & miſerabilis, & nudus, & cæcus, & deteſtabilis? Et eſt damnoſa. Et eſt paupertas voluntaria, & virtutis, qua omnia reliquuntur propter Chriſtum. *Matth.*19. dicunt Apoſtoli: Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te: pauperes facti ſicut tu. 2. ad *Corinth.* 8. Qui cum eſſet diues in omnibus, pro nobis egenus factus eſt. Et in *Pſal.* Ego ſum pauper & dolens. Hæc perfecta & optabilis. Et eſt paupertas ſpiritus & humilitatis cordis, qua homo de ſe non ſentit aliquid, de qua *Matth.*5. Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Hæc eſt beata & delectabilis.

Et in laboribus, ſum, repete, *à iuuentute mea. Iob* 5. Homo natus ad laborem, & auis ad volatum. Quod ſi ipſe Chriſtus de ſeipſo hoc dicit, quod vtique verum fuit, quis audeat iam otiari? Quis ſanè filiis Adæ feriandum arbitretur, quibus dictum eſt *Gen.* 3. In ſudore vultus tui viſceris pane tuo: cum legamus de Domino, ego ſum *in laboribus à iuuentute mea?*

Labor exercendus.

Exaltatus autem. Hîc oſtendit laboris & doloris continuationem. Ait: Sic ſum pauper, & in labore, non tantum in vno ſtatu: *autem*, ſed *exaltatus*, in quo videor paupertatem euaſiſſe & laborem: *humiliatus ſum*, ecce paupertas, *& conturbatus*, ecce labor. Et loquitur quantum ad quædam membra, quæ quantò exaltantur, tantò humiliantur. *Geneſ.*6. Arca in ſuperiori parte ſui ſtrictior erat. *Ezech.*42. Gazophylacia templi in ſuperioribus erant humiliora. *Eccleſ.*3. Quantò magnus es, humilia te in omnibus.

Alia litera habet *confuſus*, pro *conturbatus:* & tunc ſic legitur: Humiliatus ſum in confeſſione peccati, & confuſus in deteſtatione confeſſi. *Eccleſ.*4. Eſt confuſio adducens gloriam. Et *Caſſiodor.* O beata confuſio, quæ æternum tollis opprobrium, in futuro. Ibi enim nullum oprobrium, nulla confuſio. *Auguſt.* Non erimus inopes, quia noſtra copia erit ipſe Chriſtus ens omnia in omnibus: nec laborabimus, quia nulla remanebit infirmitas: nec exaltati humiliabimur & conturbabimur, quia nulla ibi erit aduerſitas.

In me tranſierunt. Hîc ſecundum, in quo perſuadet ab inflicta à Deo miſeria: & dicuntur duo. Primò perſuadet ab afflictione. Secundò ab afflictionis magnitudine, ibi, *Circundederunt.* In prima duo. Primò ab afflictione iam immiſſa. Secundò ab expectata, ibi, *Et terrores.* Dicit ergo: Sic clamo vt exaudias, & debeo, propter innatam miſeriam, & etiam ô Domine, *iræ tuæ*, effectus ſcilicet iræ, afflictiones & miſeriæ, *tranſierunt in me.* Quaſi diceret: Non permanſerunt ſuper me. *Iſa.*8. Ibit per Sion mundans, & tranſiens vſque ad collum veniet. *Naum* 1. In diluuio prætereunte, non manente, conſummationem faciet iniquitatum, quas puniet. Tribulationes enim iuſtorum quaſi nihil reputantur ab eis. 2. ad *Corinth.* 5. Quod in præſenti eſt tribulationis noſtræ momentaneum, & leue, ſupra modum in ſublimitate æternæ gloriæ pondus operabitur in nobis. Sed in malis erunt miſeriæ non tranſeuntes. *Iſa.*30. Erit tranſitus virgæ fundatus. *Ioan.* 3. Qui incredulus eſt Filio, non habet vitam, ſed ira Dei manet ſuper illum. 17.

Et terrores tui, id eſt, de tuis afflictionibus futuris ſuper me, *conturbaueruut me*, intellectu & affectu turbauerunt me. *Iob* 6. Terrores Domini militant contra me. Et 31. Semper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum. *Gregor.* Iuſtorum mens non ſolum perpen

Deus timendus.

perpendit quod tulerat, ſed etiam pauet quod futurum formidat: videt qualia in hac vita patitur, & metuit ne poſt hanc vitam grauius patiatur.

18. *Circumdederunt me.* Hîc perſuadet ab inflictæ miſeriæ magnitudine, & oſtenditur magnitudo ex duobus. Primò ex continuatione. Secundò ex multitudine, quia vnum flagellum non ſuccedit alteri, ſed ſimul veniunt omnia, ibi, *Circumdederunt me.* Dicit ergo: Sic affligis, vnde miſerendum: & etiam *circumdederunt me tota die.* Ecce continuatio in afflictione, ſicut aqua, quæ tota die currit, nec deficit. *Ioan.*2. Circumdederunt me aquæ vſque ad animam, abyſſus vallauit me. Et hoc *tota die*, id eſt, continuè. *Ierem.* 16. Dabo vos in manibus inimicorum veſtrorum, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte. *Matth.* 14. Nauicula in medio mari iactabatur fluctibus: erat enim illis ventus contrarius. Sed iuſtis, & electis ſunt huiuſmodi tribulationes, tanquam protectiones, & defenſiones à culpis. *Exod.*14. Aquæ erant eis pro muro à dextris, & à ſiniſtris.

Circumdederunt me, tribulationes meæ, non vna poſt aliam, imò *ſimul.* Ecce multiplicitas. *Iob* 16. Circumdedit me lanceis ſuis, conuulnerauit lumbos meos. *Pſal.* Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me.

Amici recedunt à nobis in aduerſitate conſtitutis.

Elongaſti à me. Hîc tertium, in quo perſuadet à defectu humani adiuutorij. Solent autem adiuuare in tribulationibus ij qui iuncti ſunt tribulato. Primò ergo oſtendit ſe priuatum coniunctis affectione. Secundò coniunctis beneficiorum exhibitione. *Et proximum.* Tertiò coniunctis ſecretorum reuelatione, quod eſt maxima familiaritas. *Et notos.* Dicit ergo: Tales miſeriæ ſuſtineo innatas, tales inflictas, & etiam ô Domine *elongaſti*, id eſt, elogari permiſiſti, *à me*, ſic afflicto, *amicum*, mihi prius voluntatis vnitate coniunctum, *& proximum*, mihi iunctum beneficiis: talis enim dicitur proximus. *Luc.* 10. Quis tibi videtur proximus fuiſſe ei qui incidit in latrones? Qui fecit in illum miſericordiam. Vel proximus appellatur iunctus ſanguinitate ſicut vult *Gloſſ. Pronerb.* 14. Etiam proximo ſuo pauper odioſus erit. Valde enim citò recedunt veniente tribulatione, ſicut valdè citò redeunt accedente proſperitate. *Iob* 6. Fratres mei præterierunt me ſicut torrens, qui raptim tranſit in conuallibus. *Iob* 19. Dereliquerunt me propinqui mei.

Et notos meos, qui me vſque ad intima cognoſcebant: & ſunt tales ſpeciales amici: vnde arguit *Ioan.* 15. Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos: quia omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis. Vel noti, ſola fama me cognoſcentes: etiam tales receſſerunt, *à miſeria* mea, nolentes eius participes fieri. *Eccleſiaſt.*13. Humilis cum ceciderit, expelletur à notis. Suprà eodem: Longè feciſti notos meos à me. Et quia longe fiunt à miſeria mea in præſenti, longe fient etiam à gloria, ad quam nos perducat, qui eſt benedictus per inifinita ſæculorum ſæcula. Amen.

D. Alb. Mag. Comm. in Pſal.

IN LXXXVIII. PSALMVM.

Intellectus Ethan Iſraëlitæ. 1.

2. MIſericordias *Domini.* Hic eſt Pſalmus 88. in toto libro, 38. in ſecunda parte libri. Cum enim in Pſalmo præcedenti actum ſit de Chriſti paſſione, per quam fundata eſt Eccleſia, & in bonis exaltata, deſcendit hîc ad declarandum ſpecialiter illa bona, quæ per incarnationem & paſſionem Chriſti Eccleſia eſt conſequuta. Sunt autem primò & principaliter duo, ſcilicet liberatio à malo, de qua agitur primò, & profectus in bono, de quo ſecundò. Prima autem diuiditur in tres partes, ſecundum liberationem à triplici malo. A malo culpæ, de quo agitur in hoc Pſalmo. A malo pœnæ, de quo ſecundò. Et à malo tentationis & inclinationis ad culpam, de quo agitur tertio. Primum in hoc Pſalmo. Secundum in ſequenti., *Domine refugium.* Tertium in tertio, ibi, *Qui habitat.* Sed quia non niſi fortium in bonis operibus, & contemplatium veritatem æternam eſt intelligere, quomodo per incarnationem & paſſionem filij Dei à malo culpæ liberamur, rectè præponitur hic titulus: *Intellectus Ethan Iſraëlitæ.* Ethan enim interpretatur robuſtus, & erat vnus de principibus cantoribus. Iſraelita interpretatur videns Deum. Senſus ergo eſt, quòd ſubiectum in hoc Pſalmo, *intellectus*, non cuiuſlibet, ſed robuſti. *Iſa.*28. Quem docebis ſcientiam, & quem intelligere facies auditum? Non paruulos, quibus adhuc lacte opus eſt, non ſolido cibo, ſicut quibuſdam dicit Paulus ad *Hebr.* 5. ſed ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus, qui iam ſunt robuſti, dum tamen Iſraëlitæ ſint, oculos mentis ad diuina & ea quæ ſurſum ſunt, eleuantes, ſecundum illud 1. ad *Cor.* 4. Non contemplantibus nobis ea quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna.

Argumentũ Pſalmi, primus incarnationis & paſſionis fructus, liberatio à malo culpæ.

Diuiditur autem Pſalmus in duas partes principaliter. Primò ſe cantaturum & etiam alios promittit de miſericordiis Domini, quibus voluit filium incarnari & pati. Secundò ne credantur omnibus fuiſſe fructuoſæ iſtæ miſericordiæ, & vt appareat fructus illarum, oſtendit quibus non ſint factæ illæ miſericordiæ, & quibus factæ ſunt, ibi, *Tu verò repuliſti.* In prima duo. Primò promittit ſe & alios cantaturos Dei miſericordias. Secundò promiſſum reddit, ibi, *Tunc loquutus es.* In prima duo. Primò promittit ſe cantaturum Dei miſericordias. Secundò alios, ſcilicet ſucceſſores ſuos Apoſtolos, ibi, *Confitebuntur cœli.* In prima iterum promittit duo. Primò ſe laudaturum. Secundò oſtendit rationem quare eſt verè laudandus, ibi, *Quoniam dixiſti.* In prima duo. Primò, quòd cantabit miſericordiam. Secundò, quòd miſericordia non eſt ſine iuſtitia. Tertiò, quòd non ſilebit veritatem, ibi, *In generatione.*

Dicit ergo: *Cantabo*, non tantum ore, ſed interiùs etiam corde. Ad *Coloſſ.*3. Cantantes in cordibus veſtris Deo. Et etiam vita, & conuerſa-

tione, ſecundum illud *Pſal.* Cantabo Domino in vita mea. *Miſericordias Domini.* Non dicit miſericordiam, quas multiplex eſt effectus vnius miſericordiæ, quæ eſt ipſe Deus. 2. *Reg. vltim.* Multæ miſerationes eius. *Pſal.* Secundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. *Iſa.*63. Miſerationum Domini recordabor ſuper omnibus, quæ reddidit nobis. Miſericordias, inquam, *in æternum*, manſuras, ſup. Alibi in *Pſal.* Miſericordia autem Domini ab æterno, & vſque in æternum. Vel *in æternum* poteſt determinare cantabo: & tamen notanda quæſtio quæ eſt in *Gloſſa*, & quæſtionis ſolutio.

Septem miſericordiæ Domino cantandæ.

Et nota, quòd ſeptem miſericordias enumerat *Bernardus*, quæ cantandæ ſunt Domino, ſuper illud *Matth.* 8. de ſeptem panibus. Prima eſt: quia à peccatis hominem conſeruat. *Oſeæ* 2. Sepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria. *Thren.*4. Miſericordiæ Domini eſt, quod non ſumus conſumpti, in omnibus peccatis miſeri, & ſic conſumpti, & nihil omninò effecti. Secunda eſt: quia peccantem ad pœnitentiam expectat. *Sapient.*11. Miſereris omnium quia omnia potes, diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam. Tertia: quia vocat poſt expectationem: de quo intelligitur illud *Eccleſ.* 18. Patiens eſt Deus in illis, primò: & effundet ſuper illos miſericordiam ſuam, poſt vocando ipſos. Hanc ſenſerat Paulus cum dicebat, Cum autem placuit ei qui me ſuggregauit ex vtero matris meæ, & vocauit ad pœnitentiam per gratiam ſuam. Quarta: quia ſuſcipit tam velociter, & tam dulciter pœnitentem. *Eccleſiaſt.* 18. Magna eſt miſericordia Dei conuertentibus ad ſe. *Luc.* 15. de filio prodigo, qui dulciter & quàm miſericorditer à pio patre receptus eſt. Quinta: quia à peccatis corripit, & vitam in melius commutat. *Iudith.*7. Tu quia pius es, miſerere noſtri, aut tuo in flagello vindica iniquitates noſtras. Sexta eſt gratiæ allatio ad promerendam vitam æternam. *Iſa.*49. Miſerator eorum potabit eos, & deducet eos ad fontes aquarum, fontes, inquam, vitæ. Septima eſt ſpei infuſio de bonis æternis obtinendis, de qua in *Pſal.* Si dicebam, Motus eſt per meus, affectus ſcilicet vt inclinetur ad culpam, miſericordia tua Domine, id eſt, ſpes habita de te, & in te, adiuuabat me.

In generatione. Hîc ſecundum, in quo promittit ſe nuntiaturum veritatem, & in æternum ſicut miſericordiam. Ait enim: Sic cantabo miſericordiam, *& annuntiabo veritatem*, non meam, quia ex me nulla eſt. *Pſal.* Omnis homo mendax, Deus autem verax. *Ioan.*8. Qui ex propriis loquitur, mendacium loquitur. Sed *tuam:* quia ex te eſt: tu enim ſolus verax. Et *Ambroſ.* dicit: Omne verum à quocumque dicatur, à Deo eſt. Et hoc, *in ore meo.* Os quidem meum eſt, veritas tua. *Auguſt. in Gloſſa:* Duo quædam ſunt, &c. Adde illud ad *Rom.*6. Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati, &c.

Vel annuntiabo veritatem tuam, non ex ore meo procedentem tantum, ne ſim de illis, de quibus per *Iſaiam* dicitur: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me: ſed *in ore meo* manentem, & illud tanquam mel indulcantem. *Apocalypſ.*10. Erat in ore meo quaſi mel dulce. Et hoc, *in generatione* Iudæorum, *& generatione* Gentilium. Vel *in generatione* antecedente, *& generatione* ſubſequente, hoc eſt, perpetuò. Semper laus eius in ore meo.

Quoniam dixiſti. Hîc eſt ſecundum, ſcilicet cauſa & ratio laudis miſericordiæ eius, vel reſponſio ad id quod poſſet quæri, ſcilicet quomodò ſcit miſericordias Domini, quas cantaturum promittit, vel melius vtrumque. Duo ergo dicuntur. Primò cauſa laudis aſſignatur ex parte miſericordiæ exhibendæ. Secundò ex parte miniſtri per quem facta eſt exhibitio, ibi, *Iuraui Dauid ſeruo meo.* In prima dicuntur tria. Primò cauſa laudis ponitur, miſericordiæ exhibitio ipſis Gentilibus. Secundò promiſſionis redditio ipſis Iudæis, ibi, *Præparabitur veritas.* Tertiò modum tangit exhibendi vtrumque, ſcilicet Noui Teſtamenti collationem, ibi, *Diſpoſui.* Dicit ergo: Cantabo miſericordias, & hoc iuſtum, *quoniam dixiſti*, hoc eſt, mihi oſtendiſti, poſt quod non licet tacere. *Amos* 3. Deus loquutus eſt, quis non prophetabit? Hoc, inquam, dixiſti, Quoniam *miſericordia*, tua, ſup. *ædificabitur*, non vacillabit, non cito tranſiet, ſicut multorum miſericordiæ, quibus dicitur *Oſeæ* 6. Miſericordia veſtra, quaſi nubes matutina, & quaſi ros mane pertranſiens. Malè fundata eſt talium miſericordia. Et hoc, *in cœlis*, id eſt, per cœlos, per Apoſtolos, qui cœli dicuntur in *Pſal.* Cœli enarrant gloriam Dei. Vel *in cœlis*, id eſt, in electis tuis, qui cœli ſunt, id eſt, caſa helios, in quibus habitas & ſedes. *Iſa.*66. Cœlum mihi ſedes eſt. Vtrique autem cœli dicuntur, & Apoſtoli ſpecialiter, & omnes iuſti generaliter, quia in cœlis deſiderio & certa ſpe conuerſantur, ſecundum illud ad *Phil.*3. Conuerſatio noſtra in cœlis eſt. 3.

Præparabitur veritas. Hîc eſt ſecundum. Quaſi diceret: Sic in cœlis ædificabitur miſericordia, & hoc per cœlos: & veritas tua, id eſt, vera promiſſio tua, *præparabitur in eis*, id eſt, per eos, ſicut ſuprà: & hoc ſpecialiter in Iudæis. Et *Gloſſa*, *Præparabitur*, id eſt, præparata dabitur. Ad *Rom.* 15. Dico enim Ieſum Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis, propter veritatem Dei, ad implendas promiſſionis patrum.

Vel poteſt legi vt referatur ad eoſdem. Quaſi diceret: Miſericordia ædificabitur in cœlis, in electis ſcilicet tuis. Et ſequitur: *Veritas tua præparabitur*, antequam miſericordia infundatur, *in eis.* Oportet enim antequam homo ſuſcipiat Dei miſericordiam ſe ſaluantem, quòd præparetur veritate, qua ipſe iudicet ſe, ſecundum illud *Eccleſ.* 18. Ante iudicium præpara iuſtitiam, ecce veritas præparata: & apud Deum inuenies propitiationem. Miſericordia enim in aliquo non poteſt ædificari, niſi primò per veritatem præparantem, cordis

vitia

vitia extirpentur. Hinc dictum eſt *Ierem.* in 1. Poſui te vt euellas & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes primò, & poſtmodum vt ædifices & plantes. Tunc impletur illud *Ierem.*33. Ædificabo eos ſicut à principio.

4. *Diſpoſui teſtamentum.* Hîc tertium, in quo tangit modum exhibendi vtrumque, ſcilicet collationem Noui Teſtamenti. Ait enim: Sicut dixiſti miſericordiam te ædificaturum, miſericordiam exhibuiſti: & hoc per hoc quod dixiſti: *Diſpoſui* iam, in æterna mea ordinatione, *Teſtamentum* Nouum *electis meis*, hoc eſt, Teſtamentum Nouum, poſt quod non erit aliud. Primum enim fuit promiſſionis, hoc eſt conſummationis. Ad *Hebr.*9. Sub priori Teſtamento accipiunt repromiſſionem, ſed ſub Nouo rem promiſſam, ſecundum illud, Memor fuit Teſtamenti ſui, verbi quod mandauit in mille generationes.

Iurauí Dauid. Hîc ſecundum, in quo ſumitur ratio cantandi miſericordias, ex parte eius cui facta eſt promiſſio, & tangitur duplex, ſecundum duplicem promiſſionem. Prima eſt de Chriſto de Dauid naſcituro. Secunda de nato perpetuò regnaturo, ibi, *Et ædificabo.* In prima tangitur confirmatio promiſſionis. *Iurauí.* Et quaſi cauſa promiſſionis. *Dauid ſeruo meo.* Et ipſa promiſſio. *Vſque in æternum.* Dicit ergo: Sic cantabo miſericordias, quoniam hoc quod præmiſi, dixiſti in corde, ſed etiam & hoc *iurauí*, id eſt, firmiter ſtatui: loquitur in perſona Domini. Vel repete, *Dixiſti*, ſuprà poſitum. *Pſal.* Iurauit Dominus & non pœnitebit eum. *Caſſiod.* Diuinum ſacramentum promiſſionis noſcitur eſſe ſecuritas: quia ſolus iuſtè diffinitiuè promittit, cui ſubiacet implere quod dixerit. Humana enim fragilitas ideò prohibetur ſacramentorum promiſſionibus ſe obligare, quia non eſt in poteſtate ipſius, quæ pollicetur efficere. *Auguſt.* Aliam aſſignat rationem, ſcilicet ne conſuetudine iurandi citò labatur in periurium. Ait enim: Bene prohibetur homo iurare, ne conſuetudine iurandi labatur in periurium. Deus ſolus ſecurè iurat, qui falli non poteſt. Sed cui? *Dauid* veritatem, &c. Iurauit autem, quia ſeruus eius electus. Elegit Dauid ſeruum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ouium. Et quid iurauit?

Quare non licet homini ſacramentorum obligationibus ſe obligare.

5. *Vſque in æternum præparabo ſemen tuum*, hoc eſt, dabo tibi ſemen in æternum manſurum, ſcilicet Chriſtum. Ad *Rom.*1. de filio ſuo, Qui factus eſt ei de ſemine Dauid. 2. *Reg.*7. Suſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de vtero tuo. Hoc eſt illud ſemen, de quo *Iſa.*1. Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma & quaſi Gomorrha eſſemus, &c.

Et ædificabo. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic ſemen dabo, & *ædificabo*, firmiter ſtabiliendo, ſicut res quæ ædificata eſt, *ſedem tuam*, id eſt, regnum ſuper quod ſedes: & hoc, *in generationem & generationem*, id eſt, in æternum. *Iſa.*9. Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet illud, & corroboret, amodò & vſque in ſempiternum. Sed quia hæc non poſſunt intelligi de materiali regno Dauid, ſicut apertè videmus, melius exponuntur hæc dicta de ipſo Chriſto, qui eſt verus Dauid, hoc eſt, manu fortis: hic eſt enim de quo in *Pſal.* Dominus fortis & potens, &c. Ille fortior ſuperueniens ad alligandum fortem. *Luc* 11. Et aſpectu deſiderabilis: quia ſpecioſus forma præ filiis hominum. Huic iurauit, firmiter ſtatuit Deus ſolium ſuum duraturum & regnum, ſcilicet fidelium collegium. *Ezech.*34. Ego Dominus ero eis in Deum, & ſeruus meus Dauid princeps erit in medio eorum. Sed nunquid ad tempus? Abſit. 2. *Reg.* 7. Stabiliam thronum eius vſque in ſempiternum. Et nunquid ſolus, non multiplicatis filiis? Abſit. *Ezech.* 44. Cum ſemine eorum perſeuerant bona, & nepotum ipſorum ſemen in teſtamento ſtetit, & filiorum ipſorum hæreditas propter ipſos in æternum manet.

Confitebuntur cœli. Hîc ſecundum, in quo poſtquam promiſit ſe cantaturum Dei mirabiles miſericordias, hîc promittit alios narraturos: & dicuntur duo. Primò promittit alios laudaturos. Secundò oſtendit cauſam laudis, ibi, *Quoniam quis in nubibus.* In prima duo. Primò promittendo determinat qui laudabunt. Secundò quando, & vbi, ibi, *Etenim veritatem.* Dicit ergo: Sic cantabo ego miſericordias: *& cœli*, Apoſtoli, & Apoſtolici viri, in quibus erit ædificata miſericordia. Suprà eodem: Dixiſti, Miſericordia ædificabitur in cœlis. Hi, inquam, cœli, *confitebuntur*, confeſſione laudis, *mirabilia tua*, mirabiles miſericordias tuas, & operationes admirandas. *Pſal.* Cœli enarrant gloriam Dei. Hæc autem mirabilia, quæ cœli confitentur, ſunt tria mirabilia à Deo facta. Quòd Deus homo: miranda nimis vnio. *Ioan.* 1. Verbum caro factum eſt. *Pſal.* Homo natus eſt in ea, &c. Quòd mater Virgo. *Iſa.*7. Ecce Virgo concipiet & pariet filium. Quòd cor humanum fidele, & ad talia credendum aptatum. *Luc.*1. Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur, &c. *Iſa.*25. Domine Deus meus es tu, exaltabo te, & confitebor nomini tuo: quoniam feciſti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, amen. 6.

Etenim veritatem. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic confitebuntur mirabilia: quando, & vbi? *Etenim confitebuntur veritatem tuam*, impleta ſcilicet promiſſione. Ecce quando. Et hoc, *in Eccleſia ſanctorum*, in congregatione iuſtorum. Ecce vbi. *Pſal.* Confitebor tibi in Eccleſia magna. Inter credentes enim veritas Dei qua impleuit mirabilia quæ promiſerat, eſt narranda: & credentes dicimus, qui vel iam credunt, vel credituri æſtimantur, non aliis qui irrident & contemnunt. *Matth.*7. Nolite ſanctum dare canibus.

Quoniam quis in nubibus. Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur confeſſionis ratio, ſcilicet Dei excellentiſſima magnitudo. Duo ergo dicuntur. Primò excellens magnitudo Dei. Secundò probatio, quòd verè excellit, ibi, *Deus qui glorificatur.* In prima duo, ſecundum duplicem excellentiam, quam demonſtrat in Chriſto. Prima quantum ad humanitatem. Secunda quantum ad diuinitatis potentiam. *Similis erit Deus.* Dicit ergo: Sic confitebuntur cœli mirabilia. Nec mirum, ſi ſecuri confitentur illa: *quoniam quis æquabitur Domino?* id eſt, 7.

Christo, *in nubibus*, in hominibus prædicantibus. Etsi enim Christus Deus in nube carnis apparuit, secundum illud *Isa.* 19 Ascendet Deus super nubem leuem. Et prædicatores & Apostoli nubes sunt, secundum illud *Isa.* 5. Mandabo nubibus meis, ne pluant super eum imbrem. Et 60. Qui sunt isti qui vt nubes volant? tamen nullus adæquari poterit. *Iob* 28. Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum. Et infrà: Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia, nec tinctura mundissimæ componetur. Quippe *Ioan.* 3. Qui de cœlo venit, super omnes est. Quia *Ioan.* 1. Pater non dedit filio spiritum ad mensuram. In *Psal.* & *Hebr.* 1. Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Similis erit Deo. Hîc secundum. Quasi diceret: Christo nubi nulla nubes æquari poterit. *Aut quis in filiis Dei* existens, filiis, inquam, adoptiuis, secundum illud *Psal.* Ego dixi: Dij estis, filij Excelsi omnes? Ad *Rom.* 8. Si autem filij, & hæredes. *Similis erit*, in essentia & natura, *Deo*, id est, Christo, qui verus est Deus. *Exod.* 9. Non est similis mei in omni terra. Et 15. Non est similis tibi in fortibus Domine, magnificus in sanctitate, IESVS CHRISTVS. Non est tibi similis Domine: magnum enim est nomen tuum. *Mich.* 5. Quis similis Domine tui, qui aufers iniquitatem. Et intelligendum est de similitudine potentiæ & naturæ, non de similitudine imitationis & vestigij, de qua dicitur *Genes.* 1. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.

Nullus similis Deo in natura & potentia.

8. *Deus qui glorificatur.* Hîc ostendit assertam de Deo magnitudinem excellentem. Primò ergo ostendit, quòd excellit in essentia omnem sanctum. Secundò, quòd in efficacia, ibi, *Domine Deus virtutum.* In prima duo. Primò ostendit, quòd excellit omnes sanctos, quia honoratur per illos. Secundò, quòd est super illos. *Magnus, & terribilis.* Dicit ergo: Sic nullus similis, quia *Deus* est *qui glorificatur* ab hominibus, *in consilio*, id est, per consilium, *sanctorum suorum*: vnde euidens est cum consulantur credere in illum, quod sit excellentior.

Deus multis modis glorificatur.

Glorificatur ergo Deus per fidem credentium. *Psal.* Omnes gentes quascumque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum. Per peccati proprij confessionem. *Ios.* 7. Fili, confitere peccatum tuum, & da gloriam Deo. Per boni operis exhibitionem in aperto. *Matth.* 5. Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Per laudes & gratiarum actionem. *Luc.* 2. Reuersi sunt pastores glorificantes, &c. Per doctrinæ sinceritatem, secundum illud *Isa.* 24. In doctrinis glorificate Deum. Per intentionis rectitudinem. 1. ad *Cor.* 10. Siue manducatis, siue bibitis, siue aliquid aliud facitis, in gloriam Dei facite.

Magnus & terribilis. Ecce secundum. Quasi diceret: Sic honoratur per illos, & etiam ipse est magnus in potentia, *& terribilis*, maiestate, *super omnes, qui in circuitu eius sunt*, scilicet super sanctos qui circumdant eum, sicut milites suum regem. *Zachar.* 9. Circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi euntes & redeuntes, sicut assessores iudicem. *Apoc.* 5. Iris erat in circuitu sedis. In iride, sanctorum diuersitas designatur. Et in eodem: Et in circuitu sedilia 24. & super thronos 24. seniores sedentes: super omnes tam præpotens & terribilis est. *Iob* 25. Potestas & terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis.

Domine Deus virtutum. Hîc secundum, in quo ostendit excellentiam in efficacia & opere: & tanguntur tria. Primò quæstionem repetit in negatiuam partem terminandam. Secundò quia potentia, & virtus, & operatio: potentiam eius, & virtutem exprimit, ibi, *Potens es.* Tertiò effectus fluentes ex illa potentia exprimit, in quibus omnes excellit, ibi, *Tu dominaris potestati.* Dicit ergo: Sic excellis omnes in essentia & magnitudine, & ô *Domine virtutum Deus*, Angelorum. *Isa.* 6. Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth, quod idem est quod exercituum, Angelorum, vel virtutum animabus infusarum. *Iacob.* 1. Omne datum optimum, & omne, &c. Pro vtrisque dictum est suprà: Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ. Et *Ierem.* 11. Tu Domine Sabaoth, qui iudicas iustè, & probas renes & corda. *Quis similis tibi:* in efficacia & operatione. Quasi diceret: Nullus. 4. *Reg.* 8. Non est similis tui in cœlo sursum, & in terra deorsum. 9.

Potens es. Hîc secundum, in quo exprimit potentiam, & tangit potentiam primò. Secundò potentiæ & virtutis veritatem. *Et veritas.* Ait enim: Sic enim non est similis, quia ô Domine, potens es ex teipso, & per te, & non ab alio, nec per alium: sed omnia alia ex te sunt potentia, & per te. Ad *Rom.* 13. Omnis potestas à Domino Deo est.

Et veritas tua, id est, vera potentia tua, *in circuitu tuo*, non tantum in te, sed in alios affluit ex te. *Iacob.* 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est. Veritas etiam tua, qua reddis per misericordiam promissa, non tantum vbi es in cœlo, vel vbi in terra natus es, apparet, sed *in circuitu tuo*, per totum scilicet mundum est diffusa. *Cantic.* 1. Oleum effusum nomen tuum.

Tu dominaris potestati maris. Hîc tertium, in quo specificat effectus diuinæ potentiæ & virtutis. Et primò quæ facit in præsenti. Secundò quæ faciet in futuro, ibi, *Tuum brachium.* In prima duo. Primò tangit effectus, quoad amotionem mali, vel cohibitionem. Secundò quoad collationem boni. *Tui sunt cœli.* In prima duo. Primò tangitur cohibitio mali à bonis simpliciter, nihil inferendo aduersariis bonorum. Secundò cohibitio mali affligendo aduersarios bonorum, ibi, *Tu humiliasti.* In prima duo. Primò tangitur simplex repressio tentationum, & tribulationum. Secundò cohibitio surgentium aliquo modo, ibi, *Motum autem fluctuum.* Dicit ergo: Sic potens es, & verè, quia ô Domine *tu dominaris potestati maris*, mundi scilicet, non tantum materialis maris. Mundus enim mare est, sicut suprà dictum est multis rationibus. *Psal.* Hoc 10.

mare

mare magnum & ſpatioſum manibus, &c. feciſti, ſup. Poteſtati autem mundanæ Dominus dominatur. *Iob* 38. Quis concluſit oſtiis mare? *Ierem.* 5. Poſuit arenam terminum maris, ſubtiliſſimam ſuam & innumerabilem ſapientiam. *Matth.* 4. Dixit mari, Sile, & obmuteſce: & ſtatim obediuit. *Matth.* 8. Quis eſt hic, quia venti, & mare obediunt ei?

Motum autem fluctuum eius, ſi ſurgat, ſcilicet tentationem, & tribulationem, ſi veniat, *tu mitigas*, temperando vt poſſit ſuſtineri. 1. ad *Cor.* 10. Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari ſuprà id quod poteſtis: ſed faciet cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere. *Dan.* 3. Angelus Domini deſcendit cum Anania & ſociis eius in fornacem, & fecit medium fornacis, tanquam ventum roris flantem. *Pſal.* Vt mitiges ei à diebus malis, &c.

11. *Tu humiliaſti.* Hîc ſecundum, in quo oſtenditur mali repreſſio, aduerſarios affligendo. Et primò tangitur capitis aduerſariorum humiliatio ſiue deiectio. Secundò malorum diſperſio, ibi, *In brachio virtutis.* Dicit ergo: Sic fluctus tentationum inundauerunt, & mitigas: & etiam *tu humiliaſti ſuperbum*, ſcilicet diabolum. In *Pſal.* ſuprà: Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper. Quomodo ergo humiliatus dicitur? Reſp. Eſt humiliatio quæ eſt actus virtutis: hæc non eſt in diabolo, & opponitur ſuperbiæ. Et eſt humiliatio quæ eſt deiectio, ſic accipitur ſic: vnde bene additur: *Sicut vulneratum.* Vulneratus enim humiliatur vt deiectus, & hic humiliatus eſt diabolus. *Iſa.* 14. Dicent tibi: Et tu vulneratus es, ſicut & nos. Et 51. Nunquid non tu percuſſiſti ſuperbum, vulneraſti draconem? Quaſi diceret: Sic.

In brachio. Hîc ſecundum, membrorum eius diſperſio. Quaſi diceret: Sic vulneraſti ſuperbum, & *diſperſiſti inimicos tuos*, in diuerſas partes ſparſiſti, captiuando eos per mundum, ſecundum illud *Pſal.* Diſperge eos in veritate tua. Vel *diperſiſti*: quia aliquos ad te attraxiſti, ipſum ſpolians. *Luc.* 11. Si autem fortior illo ſuperuenerit, auferet vaſa eius, & ſpolia diuidet. Alias, *dimiſiſti*, tanquam excæcatos, & in malitia obſtinatos. Ad *Rom.* 11. Cæcitas contigit ex parte in Iſraël. Et hoc, *in brachio virtutis tuæ*, intranſitiua conſtructio, hoc eſt, in brachio tuo, filio tuo qui eſt brachium tuum.

Brachium Patris Chriſtus. Brachium Patris Chriſtus, in quo omnia fecit & refecit, in quo diabolum proſtrauit, quod pro corpore percutiendum obiecit, quod pro ſanitate totius corporis minui voluit. *Iſa.* 53. Et brachium Domini cui reuelatum eſt? Et 40. Et brachium eius dominabitur. Et eſt virtus. 1. ad *Cor.* 1. Prædicamus Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam.

12. *Tui ſunt cœli.* Hîc tangitur effectus diuinæ potentiæ quantum ad boni collationem. Et primò quantum ad bonum creationis. Secundò quantum ad bonum recreationis, ibi, *Thabor & Hermon.* In prima tanguntur tria. Primò omnium rerum poſſeſſio. Secundò poſſeſſorum conſeruatio. *Orbem terræ.* Tertiò poſſeſſorum & conſeruatorum creatio de nihilo, quod omnibus maius eſt. *Aquilonem & mare.* Ait ergo: Sic reprimis mala, & etiam confers bona: quia *tui ſunt cœli*, ad literam, *& tua eſt terra*, materialis iſta. *Deut.* 10. Domini Dei tui cœlum, & cœlum cœlorum. Et in *Pſal.* Domini eſt terra. De ambobus *Iſa.* 43. Extendens cœlos, & ſtabiliens terram ſolus.

Nec tantum hæc tua ſunt, tanquam ab alio tibi data, imò *orbem terræ*, terræ ad literam ambitum, qui ex nulla parte alicui immittitur rei: *& plenitudinem eius*, id eſt, replentia ipſam, omnia *tu fundaſti*, vt ſtaret firmiter. *Pſal.* Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſæculi, ſpiritus tui virtute totum continente, & replente. *Sapient.* 1. Spiritus Domini replcuit orbem terrarum.

Aquilonem, hoc eſt, Aquilonarem ventum, qui malus eſt, *& mare*, quod eſt amariſſimum, *tu creaſti*, de nihilo feciſti: multo ergo fortius omnia alia. *Gloſſa* dicit Aquilonem, diabolum, quem Deus condidit. *Iob* 39. Ecce Beehemoth, quem feci tecum. Hic Aquilo, de quo *Cant.* 5. Surge Aquilo, & veni Auſter. *Et mare*, id eſt, ſæculum. *Iſa.* 51. Ego Dominus, qui conturbo mare, & intumeſcunt fluctus eius. 13.

Thabor & Hermon. Hîc ſecundum, in quo tanguntur effectus potentiæ quantum ad beneficia recreationis. Et legitur hoc tripliciter. Quia Thabor & Hermon poſſunt accipi literaliter prout ſunt quidam montes Syriæ, & ſic ſignificatur vocatio ad fidem. Vel ratione interpretationum nominum, & hoc referendo ad cauſam conuerſionis, vel ad ipſos vocatos. Primo modo ſignificatur vocatio tam Iudæorum, quam Gentilium communiter. Secundo modo per Thabor vocatio Iudæorum, per Hermon vocatio Gentium. Dicit ergo. Hæc bona feciſti, & propter hoc *Thabor & Hermon*, id eſt, gentilitas, per iſtos montes qui ſunt in terra Gentium, deſignata, *exultabunt*, non in ſe, ſed *in nomine tuo*, inuocato ſuper eam. De monte Thabor habetur *Matth.* 17. & *Mar.* 9. & *Luc.* 9. Creditur enim fuiſſe mons, in quo Dominus fuit transfiguratus. De Hermon dicitur in *Pſal.* Sicut vos Hermon, qui deſcendit in montem Sion. Hic eſt ergo ſecundum hanc lecturam, quod prædictum eſt ab *Iſa.* 35. Lætabitur deſerta, & inuia exultabit ſolitudo. Deſerta & inuia ſolitudo, hoc eſt Gentilitas ibi, ſicut hic *Thabor & Hermon.* *Conuerſio Gentilium.*

Vel ſic ſecundum interpretationes nominum. Thabor interpretatur veniens lumen, deſignat gratiã deſcendentem à fonte luminum Deo, ſecundum illud *Iacob.* 1. Omne datum optimum, & omne donum, &c. Et in *Pſal.* Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. Hermon anathema eius interpretatur: anathema autem ſeparatio eſt. Senſus ergo eſt: Hæc quæ præmiſi, feciſti: propter quod *Thabor*, id eſt, illi ad quos venit lumen gratiæ tuæ: & *Hermon*, qui propter hoc ſunt ſeparatio eius, id eſt, ſeparati ab eo, id eſt, diabolo, *exultabunt in nomine tuo*: quippe ſeipſos gaudebunt ereptos à diabolo, tanquam prædam. *Iſa.* 9. Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores capta præda. Vel ſic vt referantur hæc ad vocatos. Sicut hæc omnia feciſti, & pro-

pter hoc *Thabor*, id eſt, veniens lumen, Iudæi ſcilicet, ad quos primò lumen veritatis, quod eſt Chriſtus, venit. *Ioan.*1. Erat lux vera. Et in 8. Ego ſum lux mundi. Et *Matth.*15. dicit: Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël. Et *Hermon*, id eſt, anathema eius, Gentilitas ſcilicet, quæ erat à Deo ſeparata, & anathematizata. Ad *Epheſ.*2. Eratis illo tempore ſine Chriſto, alienati à conuerſatione Iſraël, & hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo. *Exultabunt in nomine tuo*, vt ſuprà.

14. *Tuum brachium.* Hîc ſecundum, in quo poſtquam attigit effectus diuinæ potentiæ in præſenti, in quibus non habet Deus ſimilem, tangit effectus eiuſdem potentiæ in futuro, maximè in iudicio: & dicuntur duo. Primò tangit quæ pertinent ad iudicem. Secundò quæ ad iudicandos, ibi, *Beatus populus.* In prima parte tria. Primò tangitur iudicis deſcriptio. Secundò oratur vt potenter iudicet, & ad gloriam ſuam, ibi, *Firmetur manus tua.* Tertiò oſtenditur quomodo iudicabit, ibi, *Iuſtitia & iudicium.* Dicit ergo: Sic redemiſti nos à poteſtate diaboli, & nos eruiſti: nec mirum, quia *brachium tuum*, id eſt, filius tuus, qui brachium tuum eſt, ſicut parum ante dictum eſt, *cum potentia*, eſt, ſup. Vel ſic, vt non dependeat ab antecedentibus, ſed magis incipiat hic quaſi noua narratio de futuris. Hoc feciſti in præſenti, & ô Domine, *brachium tuum*, filius tuus in quo tandem bonos remunerabis, & malos punies, *cum potentia*, eſt, ſup. *Luc.*1. Fecit potentiam in brachio ſuo. Et cum potentia indeficienti. *Dan.*7. Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, &c. *Matth. vltim.* Data eſt mihi poteſtas in cœlo & in terra.

Firmetur manus. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Brachium tuum potens eſt, ſed rogo ô Domine, *manus tua*, id eſt, operatio tua, *firmetur*, non flectaris à recte iudicando, & ſic *exaltetur*, honoretur ſcilicet, *dextera tua*, filius. Quaſi diceret: Si firmiter in iudicio ſteterit in puniendo malos & remunerando bonos, tunc exaltatus erit. *Pſal.* Exurge Domine, ad iudicandum, & exaltetur manus tua. Et alibi: Exaltare Domine, ſed, *in virtute tua. Iſa.*33. Nunc conſurgam, dicit Dominus, nunc exaltabor, nunc ſubleuabor.

Vel ſic ſecundum *Gloſſ. Firmetur manus tua*, operatio tua iudiciaria ſuper malos, & vt ipſos iuſtè iudices & diſtrictè, quod vtique fiet, quia ſcriptum eſt *Eccleſ.*15. Firmabitur in illo, & non flectetur. Hoc in recto & in hoc quod iuſtum eſt: irreuocabilis enim erit eius ſententia. *Pſal.* Quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita. *Prouerb.*12. Labium veritatis firmum erit in perpetuum. *Et exaltabitur*, per hoc, *dextera tua*, boni ſcilicet, qui in dextera tua erunt in die iudicij, ſecundum illud *Matth.*5. Agnos quidem ponet à dextris, hœdos verò à ſiniſtris.

15. *Iuſtitia & iudicium.* Hîc agitur modus iudicandi, in quo dicuntur duo. Modus quo iudicabit primò, & ratio modi, ibi, *Miſericordia & veritas.*

Dicit ergo: Sic peto vt iudices, & ſic erit: quia *iuſtitia*, quæ eſt in exequutione eius quod rectum eſt, & *iudicium* quod eſt in deliberatione, & diſcretione recti, erunt, ſup. *præparatio ſedis tuæ.* Sedes enim eſt æterna eius tranquillitas, in qua iudicat. Iuſtitia ergo & iudicium, quod tunc exercebit, præparabunt ſedem, non vt ſit in te, quæ æterna eſt, ſed vt in manifeſtatione, vt omnibus appareat videntibus iuſtitiam & iudicium, quod ſerenus iudex ſit. *Iſa.*16. Sedebit ſolium in veritate, in tabernaculo Dauid iudicans, & quærens iudicium, & velociter reddens quod iuſtum eſt. Et in 19. Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iuſtitia.

Miſericordia & veritas. Hîc ſecundum, ſcilicet ratio iudicandi in iuſtitia & iudicio: quia præceſſit miſericordia bona promittens, & veritas promiſſa reddens. Ait enim: Sic iudicabit in iudicio & iuſtitia, quia interim, ſcilicet vſque ad diem iudicij, *miſericordia*, promittens quòd deleas culpas volentibus pœnitere. *Ezech.*18. Quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius. *Et veritas*, promiſſa reddens: dimittis enim nunc peccata, & deles illa. *Iſa.*43. Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me. De vtroque *Prouerb.*20. Miſericordia & veritas cuſtodiunt regem. *Præcedent faciem tuam*, ad iudicium venturi. Hæc duo ſignificantur in duobus Diſcipulis quos mittebat ante faciem ſuam in omnem ciuitatem, & locum, quò erat venturus. *Luc.*10.

16. *Beatus populus.* Hîc ſubiungitur de iudicandis, vel de effectibus diuinæ potentiæ comparatione ad ipſos iudicandos, & maxime bonos. Primò ergo tangitur ipſorum præmium. Secundò meritum præmij. *Domine in lumine.* Tertiò ratio & cauſa ipſius meriti. Prima, ibi, *Quoniam gloria virtutis.* Dicit ergo: Sic iudicabit interim exhibens miſericordiam & veritatem, & tunc, *beatus*, erit, ſup. *populus, qui ſcit iubilationem*, qui ſcit gaudere in Deo gaudio ineffabili, & de Deo. *Caſſiodor.* Iubilatio eſt copioſa mentis exultatio, quæ verbis non poteſt explicari, nec penitus ſubticeri. *Gregor.* Iubilatio eſt, quando ineffabile gaudium mente concipitur, quod nec abſcondi poteſt, nec ſermonibus explicari: intelligi poteſt, exprimi non poteſt: cum autem ſentitur, tunc plenè cognoſcitur. Hic eſt nouus calculus, in quo nomen nouum à ſolo accipiente cognitum. *Apocal.*2. Dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit. Calculus nouus, Chriſtus, nomen nouum, inconſuetum de Chriſto gaudium, & iubilus. *Beatus populus*, qui hoc ſcit: experimento enim ſolo ſcitur quid ſit. *Auguſt.* O beate populę, putas intelliges iubilationem? *Quid ſit iubilatio.*

Domine in lumine. Hîc ſubiungitur meritum, & hoc triplex. Primum eſt illuminatio fidei, quantum ad rationabilem lætitiam in Deo. Secundò quantum ad concupiſcibilem. *In nomine tuo.* Tertiò ſancta exaltatio, ſeu indignatio quantuum ad iraſcibilem, ibi, *Et in iuſtitia.*

Dicit ergo. Sic Domine beatus populus, & dignum eſt, quia ô *Domine ambulabunt*, proficiendo

ficiendo de virtute in virtutem. *Pſal.* Ibunt de virtute in virtutem, *in lumine vultus tui*, id eſt, in fide de vultu tuo, ſcilicet de filio, vel Spiritu ſancto procedenti. *Iſa.*40. dicit ad filium : Ambulant gentes in lumine tuo. 1. ad *Cor.*5. Per fidem ambulamus, & non per ſpeciem. Hoc lumen, de quo in *Pſal.* Signatum eſt ſuper nos lumen, &c.

17. *Et in nomine tuo.* Hic ſecundum. Quaſi diceceret: Sic fide erunt illuminati, & etiam *exultabunt tota die*, non ad horam : quod reſpicit ad concupiſcibilem. *In nomine tuo*, in efficacia nominis tuo. *Abac.*3. Exultabo in Deo Ieſu meo. Quare? Quia nomen virtutis. *Act.*4. Non eſt aliud nomen ſub cœlo, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Hoc nomen de quo Paulus *Phil.*2. Dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu, &c.

Et exaltabuntur, magnos ſe reputantes, quod reſpicit iraſcibilem, non in ſeipſius : ſic enim exaltati humiliantur. *Luc.* 14. & 18. Qui ſe exaltat, humiliabitur. Sed *in tua iuſtitia*, id eſt, in iuſtitia eis data à te, & hoc eis ſcientibus & fatentibus : aliter non eſſet iuſtitia. *Eccleſ.* 20. Qui operatur iuſtitiam, exaltabitur. *Auguſt.* Auferat iuſtitiam ſuam de medio, & humilietur: veniat Dei miſericordia, vt exaltetur. Poſſunt autem hæc referri ad præmium, vt præmium, quod tactum eſt generaliter, cum dicitur, *Beatus populus*, quaſi ſpecificaretur. *Domine, in lumine vultus tui*, in contemplatione tuæ luminoſæ diuinitatis : *ambulabunt : in lumine*, filio, videntes lumen ipſum Patrem, & è contrario. *Pſal.* Apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.

Et in nomine tuo. Nomen appellatur cognitio, hoc eſt, in cognitione tua, *exultabunt tota die*, in illa die, quæ tota eſt, & integra dies. *Zachar.*14. Erit dies vna nota quæ eſt Domino: in hac exultabunt in cognitione tui. *Cant.*1. Exultabimus & lætabimur in te. Hoc ad gloriam concupiſcibilis.

Et in iuſtitia tua, quam videbunt in malos exerceri, & de malis, *exaltabuntur. Pſal.* Omnia cornua peccatorum confringam, ipſos damnando in infernum : & exaltabuntur tunc cornua iuſti, in iuſtitia Dei hoc facientis. In *Pſal.* Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam. Et reſpicit hoc ad iraſcibilem.

18. *Quoniam gloria virtutis.* Hic tertium, in quo tangitur præmij & meriri prima cauſa & ratio, quæ tangitur quaſi quadruplex. Prima, Deus virtutum eis dator. Secundò ipſe conſeruator. *Et in beneplacito.* Tertia, eius incarnatio, ibi, *Quia Domini eſt aſſumptio.* Quarta, incarnati paſſio. *Et ſancti Iſraël.* Ait ergo : Hæc bona habebunt in præmio & in merito, & hoc non ex ſe, ſed ob hoc, *quoniam gloria virtutis eorum tu es*, id eſt, dator & infuſor glorioſæ virtutis eorum. Vnde non in ſe, ſed in te ſolo eſt gloriandum : vt dicant : Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini, &c. Et impleant illud *Ierem.*9. Non glorietur fortis in fortitudine ſua, nec ſapiens in ſapientia ſua, nec dites in diuitiis ſuis, ſed in hoc glorietur qui gloriatur, ſcire & noſſe me. Et illud 2. ad *Cor.*10. Qui gloriatur, in Domino glorietur. *Et in beneplacito tuo*, non in noſtro exercitio, *exaltabitur*, proficiendo, *cornu noſtrum*, id eſt, virtus noſtra. 1. *Reg.*2. Exaltatum eſt cornu meum in Deo meo. Et *Luc.* 1. Erexit cornu ſalutis nobis. Quia ſicut in *Pſal.* dicitur : Beneplacitum eſt Domino in populo ſuo, & exaltabit manſuetos in ſalutem.

Quoniam Domini eſt. Hic eſt tertium. Quaſi diceret : Sic hæc bona habent, quia virtutes dat, datas augmentat: & etiam, *quoniam Domini*, filij tui ſcilicet, *eſt aſſumptio noſtra*, id eſt, noſtræ carnis, id eſt, quia filius noſtram aſſumpſit naturam. Supra in *Pſal.* Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti. 1. *Tim.*3. Magnum eſt pietatis Sacramentum, quod manifeſtum eſt in carne, aſſumptum eſt in gloria, id eſt, in vnione glorioſa. *Phil.* 2. Formam ſerui accipiens, & habitu inuentus vt homo. *Hebr.*2. Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. 19.

Et ſancti Iſraël. Hic quarta cauſa, quæ totum conſummat, ſcilicet incarnati paſſio. Ait enim : Sic Domini eſt aſſumptio, & etiam aſſumptio noſtra eſt *Regis noſtri*, illius, qui regit nos, qui omnium regum Rex eſt. *Apoc.*19. Ipſe eſt Rex regum, & Dominus dominantium. Et in primo. Primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ. 1. *ad Cor.*15. Oportet illum regnare donec ponat inimicos ſuos ſcabellum pedum ſuorum. *Sancti*, id eſt, ſanctificantis, *Iſraël* per ſuam paſſionem *Iſa.* 12. Magnus in medio tui ſanctus Iſraël. *Epheſ.*5. Tradidit ſemetipſum pro Eccleſia vt ipſam ſanctificaret. *Ioan.*18. Ego pro eis ſanctifico meipſum, vt & ipſi ſancti ſint. Idem ergo eſt ac ſi dixiſſet : Hæc bona erunt eis, quia virtutum es dator, datarum auctor, & carnem noſtram aſſumpſiſti, & paſſione tua eos ſanctificaſti.

Tunc loquutus es. Hic eſt ſecunda pars primæ partis totius huius Pſalmi, in qua poſtquam promiſit ſe cantaturum, & alios ſimiliter, Dei miſericordias, ſpecificat illos : & dicuntur duo. Primò adimpletio eorum, quæ præmiſit de Chriſto, ſub typo & figura Dauid. Secundò correctio leuis eorum qui crediderunt, ſi forte in aliquo deuiauerunt, ibi, *Si autem dereliquerint.* In prima tria ſecundum tria quæ impleta videmus in Chriſto, quæ dicit ſub typo Dauid. Primum, ipſius exaltatio in Regem. Secundò exaltati promotio & confirmatio in regnum, ibi, *Manus enim mea.* Tertiò honoratio exaltati & promoti finalis, & cum perſeuerantia, ibi, *Ipſe inuocauit me.* In prima duo. Primum, promiſſio de Chriſto ſublimando. Secundò deſcriptio meriti ſublimandi, ibi, *Inueni Dauid.* In prima duo. Primò tangitur modus promittendi, & quibus promiſit. Secundò quid. *Et dixiſti, Poſui.* 20.

Dicit ergo: Sic miſericordias promiſi me cantaturum, & alios ſimiliter. Nec dicas, de te, Non eſt mirum, ſed de aliis : quomodo enim hac ſciunt? Quia *tunc*, quando mihi hæc oſtendebas, *loquutus es* etiam *ſanctis tuis in viſione* : ſolus non ſum cui reuelaueris. *Oſe.* 12. Loquutus ſum per Prophetas, & viſionem multiplicaui eis. *Amos* 3. Non faciet Dominus verbum, niſi reuelet ad ſeruos ſuos Prophetas. *Geneſ.*18. Nonne celare potero Abraham, quæ facturus ſum? Quaſi diceret : Non. 2. *Pet.* 2.

Spiritu ſancto illuminati, loquuti ſunt ſancti Dei homines.

Et dixiſti, Poſui. Hîc ſecundum, quid promiſerit, quia mundo ſubuentionem per Chriſtum, & ſubuentoris exaltationem, ibi, *Et exaltaui.* Dicit ergo: Sic loquutus es, *& dixiſti*, ſicut ipſi publicauerunt: *Poſui adiutorium*, humani generis, non iam in puro homine, qui impotens eſt, ſed *in potente*, Chriſto ſcilicet, qui etſi infirmus per humanitatem, potens tamen eſt per diuinitatem, de quo in *Pſal.* Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. In hoc poſitum eſt à Deo patre adiutorium: ipſe enim adiuuit nos. *Iſa.*41. Ego Dominus auxiliatus ſum tui. 1. ad *Corinth.*6. In die ſalutis adiui te. Ad *Hebr.*2. Potens eſt his qui tentantur auxiliari.

Adiutoriũ humani generis in Chriſto.

In hoc autem adiutorio bene figuratus fuit per Dauid, de quo 1. *Reg.*22. Conuenerunt ad eum omnes qui oppreſſi erant ære alieno, & factus eſt eorum princeps.

Et exaltaui. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic poſui adiutorium in Chriſto, *& electum de plebe mea*, natum verè electum. *Cantic.*6. Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Et *Iſa.*43. Ecce puer meus electus, quem elegi, poſui ſuper eum ſpiritum meum. Hunc, inquam, electum *exaltaui.* Præteritum pro futuro. *Iſa.* 4. In illa die erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ ſublimis. Et 52. Ecce puer meus exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit valde. Ad *Phil.* 2. Deus exaltauit illum, & dedit illi &c.

21. *Inueni Dauid ſeruum.* Hîc ſecundum, in quo præmiſſa Chriſti ſublimatione in promiſſo, ſubiungitur ſublimandi deſcriptio quantum ad meritum: quia merito obedientiæ ſublimatus fuit: vnde tangitur obedientia tanquam cauſa ſublimationis. Secundò ſublimatio, vt cauſatum ab illa. Cauſa, dico, meritoria, non efficiens propriè, ibi, *Oleo ſancto meo.* Dicit ergo: Sic in Chriſto poſui adiutorium, & ſic exaltaui ipſum: ſed quare? Quia *Dauid*, id eſt, Chriſtum, qui eſt manu fortis & aſpectu deſiderabilis, *inueni ſeruum meum*, id eſt, ſeruientem mihi, & verè obedientem. Ad *Phil.*2. Factus eſt Patri obediens vſque ad mortem. Obediens in curandis animabus à ſordibus peccatorum. *Pſal.* Manus eius in cophino ſeruierunt. *Iſa.* 49. Parumne eſt tibi vt ſis ſeruus meus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fæces Iſraël conuertendas? Et propter hoc *oleo ſancto meo vnxi eum*, hoc eſt, illum exaltatum ſuper alios mihi gratos. *Pſal.* & *Hebr.*2. Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. *Iſa.* 61. Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, euangelizare miſit me pauperibus.

Thema de Confeſſore Epiſcopo.

Et poteſt eſſe thema de Confeſſore Epiſcopo: & tangitur meritum primò, cum dicitur: *Inueni Dauid ſeruum meum.* Et præmium, cum ſubinfertur, *Oleo ſancto.* In merito tangitur humilitas. *Inueni.* Quaſi diceret, latentem ex humilitate non ſe ingerentem, ſicut ille qui abſcondit ſe fugiens in montem, ne fieret Rex. *Ioan.* 6. Et plena iuſtitia. *Dauid* aſpectu deſidetabilis, vt ſit mundus declinando à malo: & manu fortis, vt ſit promptus ad operandum. *Pſal.* Declina à malo, per munditiam: & fac bonum, per fortitudinem. Et ſimplex obedientia. *Seruum. Iſa.*49. Seruus meus es tu Iſraël, quia in te gloriabor. Et charitas. *Meum*, vt totum ſe det mihi ex amore, & ego me ſibi. *Ioan.*17. Omnia mea tua ſunt, & tua mea ſunt. Petrus enim primò requiritur de charitate & paſſione, quam ſuſcipiatur ad oues paſcendas, & agnos. *Ioan. vltim.* Talem humilem, iuſtum, obedientem, charitatiuum vnxit Deus oleo, non malo, quod eſt doctrina hæretica. *Prou.*5. Nitidius oleo guttur eius, dicitur de meretrice, hæretica ſcilicet prauitate. Nec alio malo, quod eſt adulatio blanda, de quo in *Pſal.* Oleum peccatoris non impinguet caput meum. Et *Oſe.* 13. de Ephraim dicitur: Et oleum in Ægyptum ferebat. Sed bono, quod eſt dulcis inſtructio, de quo *Luc.*10. dicitur, quod Samaritanus qui interpretatur *cuſtos*, infudit vulneribus ſauciati vinum aſperæ correctionis, & oleum blandæ exhortationis, quod eſt gratiæ dulcedo & donorum Spiritus ſancti: de quo *Iſa.*10. Computreſcet iugum, peccati ſcilicet, à facie olei. Hoc eſt oleum, quod ſugitur de ſaxo duriſſimo, Chriſto ſcilicet. *Deut.*32. Quod eſt nitor bonæ conſcientiæ, de quo *Eccleſ.* 10. Oleum de capite tuo non deficiat. *Matth.* 25. Fatuæ virgines caruerunt hoc oleo, & non intrauerunt cum ſponſo ad nuptias. Quod eſt etiam ſplendor bonæ famæ, de quo *Cantic.* 1. Oleum effuſum nomen tuum. Et vltimò, oleo optimo, quod eſt pinguedo æternæ lætitiæ, de quo tactum eſt in *Pſal.* Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, &c. Vnxi ergo eum oleo primo in baptiſmate, tanquam infirmum, & vulneratum, ad ſanitatem recuperandam. Oleo ſecundo in confirmatione, tanquam pugilem ad vincendum. Oleo tertio & quarto, tanquam mulierem ad decorem. Oleo vltimo, tanquam regem & præſulem ad honorem.

Manus enim mea. Hîc ſecundum, in quo poſtquam actum eſt de exaltatione Chriſti in regnum, ſubiungitur de promotione ipſius in regno: & dicuntur duo. Primò roboratio. Secundò profectus poſt roborationem, ibi, *Et veritas.* In prima duo, ſecundum duo in quibus roboratio notatur. Primum eſt diuini adiutorij exhibitio. Secundum, inimicorum deiectio, ibi, *Nihil proficiet inimicus.* In prima duo. Primò promiſſio adiutorij in pugna contra aduerſarios. Secundò confortationis per adiutorium: ſi enim adiutorio non confortaretur, parum valeret, ibi, *Et brachium meum.* Dicit ergo: Sic exaltabitur meus Dauid in regnum. *Enim*, ſed poſt hoc, *manus mea*, verbum ex me ab æterno natum, per quod feci omnia, *auxiliabitur ei*: quippe in ipſo erat, & ipſum in vnitate perſonæ aſſumpſerat. 2. ad *Corinth.* 2. Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi. *Col.*2. In quo habitat plenitudo omnis diuinitatis corporaliter. 22.

Et brachium meum, idem quod manus, *confortabit eum*, in regno confirmando. 2. *Reg.* 7. Fui tecum in omnibus vbicumque ambulaſti, firmans regnum tuum in æternum. Et in 8. Firmabo regnum tuum in ſempiternum. Hoc non in literali Dauid impletum eſt, nec in filio aliquo eius, niſi in Chriſto, quantum ad ſpeciale regnum,

regnum, qui dicit ſuprà in *Pſal.* ad Patrem: In te confirmatus ſum ex vtero.

23. *Nihil proficiet.* Hîc ſecundum, in quo promittitur inimicorum depreſſio. Primò ſpiritualis. Secundò etiam corporalis,ibi, *Et concidam.* In prima duo. Primò fruſtratio inimici inſidiantis & tentantis. Secundò tandem eius repreſſio poſtquam viderit ſe humiliatum, ibi, *Et filius iniquitatis*: Ait enim: Sic adiuuabo eum: *& inimicus* eius,diabolus, *nihil proficiet in eo* tentato, in tribulationibus laceſſito. Tentatus enim fuit à diabolo. *Matth.*& *Luc.*4. *Dan.* 11. Veniet rex Aquilonis, & comportabit aggerem. Sed nihil valebit, nihil lucrabitur. *Ioan.*14. Venit enim princeps huius mundi, & in me non habet quicquam: quod ſignificauit illa victoria Dauid literalis contra Goliam Philiſtæum. 1.*Reg.*17.

Sauiens in Chriſtũ diabolus, nihil lucratus eſt.

Et filius iniquitatis non apponet vltrà, poſtquam deiectus fuerit, *nocere ei*, in propria perſona ipſum tentans, ſed in membris, in diſcipulis, & Apoſtolis: ſed ibi etiam nihil nocuit,quia ſeruati ſunt,excepto perditionis filio, ſcilicet Iudâ. *Ioan.* 17. Nemo ex iis periit niſi filius perditionis. Nec nocere poteſt in electis. Multò ergo minus nocere poteſt inimicus homo, ſi inimicus diabolus non poteſt. Propter hoc dicitur *Iob* 35. Homini qui ſimilis eſt tibi, nocebit iniquitas tus, ſed Deo non poteſt.

24. *Et concidam.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur depreſſio inimici & aduerſarij corporalis: & dicuntur duo. Primò diuiſio illorum à concordia & conſpiratione contra ſeipſum, vt non ſint vniti in facienda malitia. Secundò elongatio ipſorum à ſuo capite,ſcilicet diabolo. Vel etiam Chriſto ſecundum lecturam *Gloſſ.*& redit quaſi in idem, ibi, *Et odientes.* Dicit ergo: Sic deprimetur diabolus: *& concidam*,ſecando, & diuidendo, *inimicos eius*, vt non ſint vnum in conſpirando contra ſe, ſed diuiſi: & hoc *à facie eius*, à præſentia & potentia ſua, quæ eſt quaſi eius facies.2.*Reg.*5. Diuiſit Dominus inimicos meos coram me, ſicut diuiduntur aquæ. *Thren.*4. Facies Domini diuiſit eos.

Et odientes eum in fugam conuertam, vt à diabolo fugiant, cui coniuncti erant, & fugiant ad ipſum Chriſtum. *Pſal.* Inimicos autem eius in fugam conuertam. Sed quomodo fugere poterunt. Dicitur enim in *Pſal.* Nec ab Oriente, nec ab Occidente, nec à deſertis montibus, eſt mihi fuga, ſup. Quoniam Deus iudex eſt. Et alibi: Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero,&c. Reſp. Sicut dicit *Gloſſ.* Ab ipſo irato fugient ad ipſum placatum. *Pſal.* Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus.

25. *Et veritas mea.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur de profectu in regnum: & dicuntur duo. Primò cauſa & ratio proficiendi. Secundò profectus ipſe,ibi, *Et in nomine.* Cauſa profectus eſt miſericordia cum veritate. Ait enim: Sic confirmabitur in regno, & vlterius, *miſericordia mea*, ea quæ in me eſt,dicit Deus Pater, *& veritas mea*, eadem veritas, quæ eſt in me, *cum ipſo.* Nihil enim diuiſum habent Pater & Filius, ſed quæ ſunt vnius, alterius etiam ſunt. *Ioan.* 17. Omnia mea tua ſunt, & omnia tua mea ſunt: & propter hoc in regno. *Prou.* 20. Miſericordia & veritas cuſtodient regem. *Iſa.* 16. Præparabitur in miſericordia ſolium, & ſedebit ſuper illud in veritate.

Et in nomine. Hîc ſecundum, ſcilicet exaltatio: & dicuntur duo. Primò exaltatio,& regni dilatatio, ſeu potentiæ. Secundò ſpecificatio, quantum dilatabitur,ibi, *Et ponam.* Dicit ergo: Sic miſericordia & veritas cum ipſo: *& exaltabitur cornu eius*, id eſt, potentia eius, proficiendo ſup.quantum ad homines, non in ſe. Et hoc *in nomine meo*, id eſt, virtute ſermonis mei. Suprà in *Pſal.* Exaltabuntur cornua iuſti, &c. *Reg.*2. Sublimabit cornu Chriſti ſui.

Et nota, quòd in hoc verſu iungit in Rege, hoc eſt, in Prælato, duo quæ valdè ſunt neceſſaria. Miſericordiam, ne nimis durus ſit & auſterus. *Eccleſ.* 7. Noli eſſe nimis iuſtus: quia *Prou.* 30. dicitur: Qui nimis emungit, elicit ſanguinem. *Ezech.*34. Cum potentia & auſteritate imperabatis eis,& diſperſæ ſũt oues meæ. 3. *Reg.*12. Roboam decem partes regni amiſit propter auſteritatem ſuam. Veritatem, ne nimis mollis, vel remiſſus,& foueat vitia in ſubditis. *Prou.*8. Qui mollis & remiſſus eſt in opere ſuo, frater eſt opera diſſipantis. *Eccl.*7. Noli quærere fieri iudex, niſi virtute valeas irrumpere iniquitates. Propter hoc dicitur *Luc.* 10. quòd Samaritanus infudit vulneribus ſauciati vinum & oleum:vinum ex vite veritatis,oleum ex oliua pietatis.

Duo in prælato neceſſaria, miſericordia & veritas.

Et ponam in mari. Hîc ſecundum, in quo quaſi determinatur potentiæ extenſio: & dicuntur duo. Primò dominatio ipſius, & extenſio potentiæ in Gentiles. Secundò in Iudæos, qui per fluuium deſignantur, ibi, *Et in fluminibus.* Dicit ergo: Sic exaltabitur in meo nomine. Sed quantum? Ecce. *Et ponam manum eius*, id eſt, potentiam, *in mari*, in Gentilitate amara peccatis. *Iſa.*59. Cor impij quaſi mare feruens. *Gen. pen.* Zabulon, Chriſtus (Interpretatur enim habitaculum fortitudinis) in littore maris ambulabit. *Pſal.* Et dominabitur à mari vſque ad mare. 26.

Et in fluminibus, id eſt, in cupidis, dicit *Gloſſa.* Iſti ſunt Iudæi qui ſuper omnes ſemper arſerunt cupiditate & diuitiarum, & bonorum, & deſcenderunt in mare. *Ioan.*11. Si dimittimus eum ſic, venient Romani, & tollent locum noſtrum & gentem: melius eſt ergo vt vnus moriatur. *Eccleſ.*1. Omnia flumina, omnes cupidi, intrant in mare, amaritudinem mundi & peccati. Per flumina etiam poſſunt deſignari iuſti, quia non ſunt tempeſtuoſa ſicut mare. *Iſa.*32. Erit quaſi vir, qui abſcondit ſe à vento, & celat ſe à tempeſtate. Item quia arctam viam tenent, & fluunt inter ripas, & non ſunt ita diffuſi ſicut mare. *Matth.*7. Arcta eſt via quæ ducit ad vitam. Item ſuper ſe pontem & tranſitum fieri permittunt. Sic ſancti, humiles & ſubiecti volunt eſſe, vt quaſi per eos tranſitus ſit.*Eccleſ.*6. Subiice humerum tuum, & porta illum. Item in mare non deſcendit, donec totum conſummatum ſit. Sic ſancti in mundum non deſcendunt, donec perfectos & fortes ſe ſentiant.*Gen.*12. Abrahã iam ſenex deſcẽdit in Ægyptũ. Senſus ergo eſt,quòd ſuper malos, qui per mare, & ſuper bonos, qui per flumina deſignãtur eius poteſtas extẽdetur.

Comparatio iuſtorũ cum fluminibus.

Ipſe

Ipſe inuocabit me. Hîc tertium, in quo poſtquam præceſſit promiſſio de exaltatione in regnum, & iterum promotio exaltati, hic ſubiungitur de honorificentia promoti: & dicuntur duo. Primò meritum ad honorificentiam. Secundò ipſa honorificentia, ibi, *Et ego primogenitum.* In prima tria ſecundum triplicem modum honorandi patrem, ex quo meruit & ab eo honorari. Primum patrem eum confitebitur, eò quod filius ipſe ſit Deus. Secundo quia Dominum & Deum, eò quod homo, *Deus meus.* Tertiò conſeruatorem, eò quod infirmus. Tria enim hæc eſt videre in Chriſto, diuinam naturam, & humanam, & in humana infirmitatem. Ibi tertium, *Et ſuſceptor.* Ait ergo: Sic exaltabo, ſic exaltatum promouebo. *Et ipſe,* hoc intelligens, nec factus ingratus, *inuocabit me,* intus in corde inuocabit me dicens: *Pater meus es tu,* naturalis, per hoc quod ego Deus. Hinc dicebat *Ioan.*14. Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum &c. Hinc in 20. Aſcendo ad Patrem meum. Et in 17. Pater clarifica filium tuũ, vt filius tuus &c. Quippe Pater vocauit eum filium. *Pſal.* Dominus dixit ad me: Filius meus es tu. Et ad *Hebr.*1. Cui vnquam dixit Angelorum: Filius meus es tu? Et propter hoc optimè promittebat 2.*Reg.*5. Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in filium.

Deus meus, inuocabit me, repete, dicens: *Deus meus,* inquantum homo ſum. *Matth.*27. Deus Deus meus, quare me dereliquiſti?

Et ſuſceptor. Ecce tertium, & repete: Ipſe inuocabit me dicens: *Tu es ſuſceptor ſalutis meæ,* hoc eſt, tu es ſuſceptor mei infirmi, ſalutis meæ auctor. Suprà in *Pſal.* Cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus. Et alibi in *Pſal.* Exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me, aliter non potuiſſem.

29. *Et ego primogenitum.* Hîc ſecundum, in quo præmiſſo merito, in quo debeat honorati, ſubiungitur de honorificentia perpetua: vnde dicuntur duo. Primò honorificentia. Secundò honorificentiæ perſeuerantia. *In æternum ſeruabo.* In prima duo. Primò honorificentia, quia dabit ei ius primogenituræ. Secundò honorificentiæ vehementia, quia non apud quoſcumque, ſed apud magnos & honorificos, quia apud reges, & ſuper eos ipſos, ibi, *Exelſum ponam.* Dicit ergo: Sic honorabit me, & ego reddere ei volens mercedem, *ponam,* id eſt, conſtituam, *illum primogenitum.* Ad *Roman.*8. Vt ſit ille primogenitus in multis fratribus. Ad *Coloſſ.*1. Primogenitus omnis creaturæ. Non enim iuſtum eſt vt amittat in humanirate, quod habet ex diuinitate: *Eccleſ.* 24. Ego ex ore Altiſſimi prodij, primogenita ante omnem creaturam. Propter hoc etiam potuit dici in *Matth.*1. Peperit filium ſuum primogenitum.

Chriſtus primogenitus.

Tria ſpectãt ad ius primogeniti.

Nota, quòd tria ſpectant ad ius primogeniti, ſcilicet quod maiorẽ portionẽ recipit. Sic Chriſtus, cui non eſt datus ſpiritus ad menſuram. *Ioan.*3. Magis quam alij fratres honoratur. Sic Chriſtus: vnde ſedet ad dexteram Patris. *Mar. vltim.* Aliis diuidit hæreditatem. Sic Chriſtus ſuis: quod ſignificatum fuit in diuiſione terræ quam fecit *Ioſue.*13. 1.*Corinth.*12. Diuidens ſingulis prout vult.

Et nunquid tantum apud vis homines? Non, imò conſtituam eum *excelſum præ regibus terræ.* Vel ſicut habet litera alia, *apud reges,* quod valdè magnum eſt. *Iſa.*52. Super ipſum continebunt reges os ſuum. *Apocal.*1. Et princeps Regum terræ. Et 20. Rex regum, & dominus dominantium.

In æternum ſeruabo illi. Hîc ſecundum, ſcilicet perſeuerantia & perduratio in illa honorificentia: & dicuntur duo. Primò perſeuerantia & duratio honorificentiæ in ſeipſo. Secundò in ſemine ſuo, ibi, *Et ponam in ſæculum.* In prima duo, ſecundum duo, per quæ monſtratur apertè perſeuerantia. Primum eſt conſeruantio in bonis iam habitis. Secundò conſummatio in habendis, ibi, *Et teſtamentum.* Dicit ergo: Sic honorabo illum, ſed nunquid ad tempus? Non: imò *ſeruabo illi,* id eſt, in illo, *miſericordiam,* bona illi ex miſericordia exhibita, *in æternum. Iſa.*54. In miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui. 2. *Reg.*5. Stabiliam domum eius vſque in ſempiternum. Hoc eſt ſemen, de quo *Iſa.*65. Educam de Iacob ſemen, & de Iuda poſſidentem montes ſanctos meos, & electi mei poſſidebunt eam. Ad *Rom.*1. Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, &c.

Et ponam in ſæculum ſæculi. Hic ſecundum, 30.
in quo promittitur honorificentiæ perſeuerantia in filios: & dicuntur duo. Primò perpetuatio ſeminis in ſe. Secundò in regia dignitate, ibi, *Et thronum eius.* Ait enim: Sic illi faciam in ſeipſo, *& ponam,* hoc eſt, conſtituam, *ſemen eius in ſæculum ſæculi* conſequutiuum, vt ſicut ſæcula ſe conſequuntur, ſic continuentur. *Iſa.*53. Si poſuerit animam ſuam pro peccato, videbit ſemen longæuum. Hoc ſemen, de quo *Iſa.*1. Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus. Et 61. Omnes qui videbunt eos, dicent: Iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus.

Et thronum. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic ponam ſemen in perpetuum, *& thronum eius,* ſcilicet ſeminis, ponam *ſicut dies cœli,* quæ æterna eſt, nunquam tendens ad occaſum. 1. *Paral.*17. Thronus eius erit firmiſſimus in ſempiternum: ſicut illa dies, de qua in *Pſal.* Melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia, extra atria tua. *Iſa.*65. Secundum dies ligni vitæ, ſup. erunt, dies populi mei.

Si autem dereliquerint filij eius. Hîc ſecundum 31.
totius huius patris, in qua præmiſſas ſpecificat miſericordias. Prima enim fuit in Chriſti exaltatione, de qua actum eſt à principio huius partis vſque huc. Secunda eſt in blanda credentium correctione, à culpa, ſi eos contingat peccare. Blanda ergo correctio miſericordiam habet. Duo ergo dicuntur. Primò promittitur blanda correctio. Secundò nihilominus miſericordiæ commixtio, & continuatio, ibi, *Miſericordiam autem meam.* In prima duo. Primò tangit credentium in Chriſto ſub conditione culpam. Secundò pœnam, ibi, *Viſitabo,* &c. In prima quatuor ſecundum quatuor à quibus poſſunt fideles declinare. Primum eſt lex, quæ reſpicit quid colendum & quomodo, quaſi in viis & modo colendi errauerit. Secundum, iudicia, quæ determinant quid reddendum ſit pro male geſtis, vel bene, ibi, *Et in iudicijs.* Tertium,

tium, iuſtitiæ quibus docetur quid cauendum, *Si iuſtitias meas.* Quartum, mandata, quæ oſtendunt quid agendum, quod tangitur, ibi, *Et mandata.* Dicit ergo: Sic ipſum in ſe & in ſuis filiis iuſtis ſublimabo. *Si autẽ filij eius*, id eſt, Chriſti, *dereliquerint legem meam*, quæ docet eos quid & quomodo colendum. *Prouerb.* 4. Legem meam non derelinquetis. Quia *Abac.* 4. Omnes qui dereliquerint legem, ibunt in mortem. Tales fuerunt Iudæi. *Zachar.* 7. Poſuerunt cor ſuum vt adamantem, aggrauauerunt aurem ſuam, vt non audirent legem.

Et in iudiciis meis, quibus determino quid reddendum, *non ambulauerint*, ea cuſtodiendo, ſecundum illud *Ezech.* 20. Iudicia mea non cuſtodierunt vt facerent ea: quæ cum fecerit homo, viuet in eis.

32. *Si iuſtitias meas*, quibus docentur quid cauendum, *prophanauerint. Gloſſ.* Male operando, quamuis prophanare iuſtitias propriè ſit ſuperſtitiones aliquas diuinis ſuperinducendo, quemadmodum arguuntur feciſſe Scribæ & Phariſæi. *Matth.* 15. *Deuter.* 16. Non plantabis lucum, & omnem arborem iuxta altare meum. *Gloſſ.* Iuxta altare plantat, qui iuſtitiis diuinis cæremonias totum obumbrantes adiungit.

Et mandata mea, quibus docentur quid agendum. *Num.* 9. Patres mei, & ſacerdotes non fecerunt legem tuam, & non attenderunt mandata tua & teſtimonia tua, quæ teſtificatus es in eos.

33. *Viſitabo in virga.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur de pœna promiſſa ſub conditione culpæ. Et primò tangit pœnam minorum peccatorum. Secundò maiorum. *Et in verberibus.* Dicit ergo: Si prædicto modo peccauerint, *viſitabo in virga iniquitatis eorum*, ſicut medicus viſitat vulneratos, ſicut pater viſitat filios: & hoc, *in virga*, in leui correctione, vt ſic conſeruentur, & non deſtruantur. *Iob* 10. Viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum. *Auguſt.* Si bonus es, noli repellere diſciplinam: quis enim filius, quem non corripit pater? *Deteron.* 12. Ad *Hebr.* 12. Si extra diſciplinam eſtis, adulteri eſtis, & non filij. *Prouerb.* 12. Qui parcit virgæ, odit filium. Quare 29. dicitur: Correctio & virga tribuunt ſapientiam. Propter hoc dicebat *Paulus* 2. *ad Corinth.* 5. In virga veniam ad vos? Et ſapiens Dauid dixit ſuprà in *Pſal.* Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.

Et in verberibus, viſitabo, repete, quæ maiora ſunt, *peccata eorum*, vt caueam eis à grauioribus peccatis, & per conſequens à grauioribus flagellis. *Eccleſ.* 30. Tunde latus eius dum puer eſt, ne fortè induret, & non credat tibi. In eodem: Qui diligit filium, aſſiduat illi flagella. *

38. *Et thronus eius.* Hîc regni ſublimatio, & dicuntur duo. Primò promiſſio. Secundò promiſſionis certificatio, ibi, *Et teſtis.* Sublimatio regni in duobus monſtratur: in mirabili dignitate, & ſumma fertilitate: quia nihil imperfectionis, ſed abundantia omnis boni, ibi, *Et luna.* Dicit ergo: Sic ſemen eius manebit, *& thronus eius*, in quo regnans Chriſtus ſedebit, ſcilicet iuſti, & fidelis in eum: *ſicut ſol*, qui clarus eſt, & glorioſus inter corpora viſibilia, erunt, ſup. *in conſpectu meo*, etſi modo videantur viles 1. *Ioan.* 3. Filioli nondum apparet quid erimus: cum autem apparuerit, ſimiles ei erimus. Et ipſe eſt ſol. *Mala.* 3. Vobis timentibus Deum orietur ſol iuſtitiæ. Ergo ſicut ſol. *Matth.* 13. Tunc fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno Patris ſui, ſicut & ipſe Chriſtus, etſi non non tantum quantum ipſe Chriſtus. Ad *Phil.* 3. Saluatorem expectamus Dominum IESVM CHRISTVM, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. Hic eſt ſol, de quo *Eccleſ.* 11. Dulce lumen, & delectabile oculis videre ſolem.

Et nota hic, quòd thronus dicuntur omnes iuſti & fideles, ſcilicet Eccleſia tota, ſicut hîc dicitur ratione dicta, in ipſis Deus ſedet, & quieſcit, & iudicat ipſoſmet, & diſcutit. *Apocal.* 4. Angeli erant in circuitu throni, & quatuor animalium. Thronus etiam ſancti minores, ſuper quos ſedebunt maiores, qui eos iudicabunt. *Matth.* 19. Sedebitis ſuper thronos iudicantes duodecim tribus Iſraël. Thronos appellat minores iuſtos ab aliis iudicandos. Et ſpecialiſſimè Doctores. *Apocal.* 3. De throno, de Doctore & prædicatore bono, exibant fulgura, voces, & tonitrua: fulgura miraculorum, voces admonitionum, tonitrua comminationum. Angeli omnes: *Dan.* 7. Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit. Throni poſiti, Angeli Dei ordinati. Quidam Angelorum ordo ſpecialiter. *Coloſſ.* 1. In ipſo, id eſt, in Chriſto, condita ſunt omnia, Throni, Dominationes, principatus, &c. Quælibet anima iuſta. *Dan.* 7. Thronus eius, anima in qua ſedet Deus: flamma ignis, & rotæ ignis accenſus. Quatuor enim ſunt rotæ in anima, in qua Deus ſedet ſuper quatuor virtutes cardinales, quæ rotæ debẽt eſſe igne charitatis incenſæ. Ipſe Chriſtus homo. *Pſal.* Parauit in iudicio thronum ſuum. Ibi enim nunc requieuit Deus, hinc iudicabit. Et beata Virgo. 3. *Reg.* 10. Fecit ſibi Salomon thronum de ebore grandem, & veſtiuit eum auro fuluo.

Qui dicantur throni Dei.

Et ſicut luna. Ecce ſecundum, ſcilicet omnis boni perfectio. Ait enim. Sic erit ſicut ſol eius thronus, *&* erit *ſicut luna perfecta*, cui nihil deficit, nec ad tempus, imò *in æternum. Eccl.* 50. Quaſi luna plena in diebus ſuis. In hoc etiam poteſt ſtola animæ deſignari, ſicut in præcedenti ſtola corporis: ſicut luna perfecta, eſt anima glorificata.

Et teſtis in cœlo. Hîc ſecundum totius huius partis, quaſi quæreret quis: Quomodo hoc credi poterit, quod iuſti in cœlo ſint tales futuri? Reſpondet: *Et teſtis*, huius rei quam dixi, eſt *in cœlo*, ipſe filius Dei, quem quaſi iam intueor in corpore glorificato, in quo & atteſtatur nunc reſurrectioni. *Iob* 16. Ecce in cœlo teſtis meus, & conſcius meus in excelſis. Hic eſt verus teſtis, quia *Prouerb.* 14. Verus teſtis non mentitur. Hoc quod dixit *Paulus* 1. *ad Corinth.* 15. Si Chriſtus reſurrexit, &c.

Tu vero repulisti. Hîc eſt ſecunda pars totius huius Pſalmi, in qua poſtquam miſericordias Domini cantauit, hoc eſt, promiſſiones quas promiſit ex miſericordia, narrauit, oſtendit in quibus & quando implendum ſit, quia non in ſeipſo, vel in filio Salomone, ſed in futuro 39.

ſemine

ſemine longe poſt: quod facit conquerendo de dilatione promiſſionis, & ſupplicando pro impletione: & ſecundum hoc dicuntur hic duo. Primò conqueſtio de dilatione promiſſorum & repulſione ſui, & illorum qui ſuo tempore & vſque ad Chriſtum futuri erant. Secundò nihilominus ſupplicatio pro impletione dilatorum, ibi, *Memorare quæ mea.* In prima duo. Primò conqueſtionis cauſa & ratio, ſcilicet dilatio promiſſorum, & afflictionis magnitudo, ibi, *Euertiſti teſtamentum.* In prima tria. Primò dimiſſio Dauid & regni ſui in peccatum. Secundò expoſitio illorum opprobriis & obloquutionibus hominum. *Deſpexiſti.* Tertiò dilatio promiſſi redemptoris ipſorum ab iis miſeriis, ibi, *diſtuliſti.* Dicit ergo: Hæc bona Domine, quæ narraui, omnia promiſiſti: *tu verò*, quod ſatis mirabile eſt, *repuliſti* Dauid & eius regnum, permittendo eos cadere in peccata, ſicut patet de ipſo Dauid. 2. *Reg.* 11. qui cecidit in peccatum adulterij & homicidij & diſſentionis. *Pſal.* Deus repuliſti, & deſtruxiſti nos. *Thren.* 2. Repulit Dominus altare ſuum.

Et deſpexiſti, opprobriis & tribulationibus exponendo, ſicut patet quaſi per totum ſecundum Pſalmum, & duodecimum, & deinceps. *Pſal.* Audiuit Dominus, mala quæ fecit Dauid, & ſpreuit: & ſperni illum permiſit iuſto ſuo iudicio. *Iſa.* 32. Væ qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris? Cum deſieris contemnere, contemneris. Sed contra eſt iſtud *Pſal.* Opera manuum tuarum Domine, ne deſpicias. *Naum* 3. Nudaberis, & eris deſpecta.

Diſtuliſti etiam *Chriſtum tuum*, Chriſtum à te promiſſum. *Pſal.* ſupra. Audiuit Dominus, & diſtulit. Non dicit abſtuliſti, ſed *diſtuliſti.* Chriſtus enim ſi eis eſt dilatus, non tamen eſt ablatus. Sed hic eſt mos Dei, repellit dimittendo cadere in peccatum, deſpicit tribulationibus exponendo, differt Chriſtum ſuum, tribulationes continuari permittendo. Sic & mundus facit eis qui Chriſti ſunt. A mundo enim huiuſmodi repelluntur, repulſi deſpiciuntur: ſi negotium habent, multum differuntur.

40. *Euertiſti teſtamentum.* Hîc ſecundum, in quo monſtratur magnitudo mali, quòd ſuſtinet, & hoc dupliciter. Primò, quòd ſuſtinet ſimpliciter, non comparando ad hoſtes. Secundò, quòd ſuſtinet ab hoſtibus, ibi, *Diripuerunt eam.* In prima quatuor. Primò miſeria exprimitur quam ſuſtinet pro Chriſti promiſſi dilatione. Secundò pro templi pollutione, ibi, *Prophanaſti.* Tertiò pro ciuitatis deſtructione, ibi, *Deſtruxiſti.* Quartò pro turris, quæ omnia defendere debebat, deiectione, ibi, *Poſuiſti firmamentum.* Dicit ergo: Sic promiſſum diſtuliſti, & ob hoc dolens dico, *Euertiſti teſtamentum*, promiſſionem, *ſerui tui*, hoc eſt, ſeruo tuo factam. Vel teſtamentum dicit legem veterem, per ſeruum ſuum Moyſem Iudæis datam quam videbat euacuandam, ſicut probat *Paulus Rom.* 3. & 4. quaſi per totum, & ad *Gal.* 2. & 3. & 4. & ad *Hebr.* 8. 9. & 10.

Prophanaſti. Hic ſecundum, templi pollutio, quod eſt prophanatio, intromiſſio immundorum & prophanorum. Ait enim: Euertiſti teſtamentum, & etiam *prophanaſti*, prophanari permiſiſti, *ſanctuarium eius*, ſcilicet templum, & hoc *in terra*, in cœlo enim non poteſt prophanari. Hoc autem factum eſt dilato aduentu Chriſti tempore Machabæorum. 1. *Mach.* 3. Sancta tua conculcata ſunt, & contaminata. Et ibid. Sancta noſtra, & pulchritudo noſtra deſolata ſunt. Suprà in *Pſal.* Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum.

Deſtruxiſti omnes. Hîc tangitur tertium, ſcilicet ciuitatis deſtructio, quæ erat circa templum ſicut ſepes. Ait enim: Sic prophanaſti ſanctuarium, & etiam *deſtruxiſti*, deſtrui permiſiſti, *omnes ſepes eius*, munitiones murorum, quibus impediebatur, quibus cuſtodiebatur ne eſſet acceſſus ad templum. *Thren.* 2. Deſtruxit in furore ſuo munitiones virginis filiæ Iuda. Ibid. Præcipitauit omnia mœnia eius, diſſipauit munitiones eius. 41.

Nota etiam, quòd ſepes ad literam vocat hîc muros ipſius ciuitatis Ieruſalem. Sepes etiam appellatur cuſtodia Angelorum, quæ ab eis ablata eſt, & ſic quodammodo in eis deſtructa. *Iſa.* 5. Auferam ab ea ſepem, & erunt in direptionem. Aſperitas flagellorum Dei. *Oſeæ* 2. Sepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria, hoc, eſt flagellis, vſque ad ſanguinem pungentibus, & duritia. Orationes ſanctorum, quæ muniuit contra flagella Dei. *Ezech.* 22. Quæſiui de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret appoſitus coram me ne diſperderem eos. Senſuum cuſtodia. *Eccleſ.* 2. Qui diſſipat ſepem, mordebit eum coluber, id eſt, diabolus. Clauſtrales obſeruantiæ. *Iſa.* 58. Vocaberis ædificator ſepium, auertens ſemitas iniquitatum. *Eccleſ.* 36. Vbi non eſt ſepes, diripietur poſſeſſio. 1. *Paral.* 4. Hi ſunt ſinguli habitantes in ſepibus, homines humiles, & ſua reputatione fragilia facientes, habitantes in obſeruantiis regularibus. *Sepes quæ prohibet introitum in animam.*

Poſuiſti firmamentum. Hîc eſt quartum, deſtructio turris ad literam. Quaſi diceret: Sic deſtruxiſti muros, & *poſuiſti firmamentum eius*, arcem ſcilicet Sion, quæ erat totius terræ firmamentum, *formidinem*: quia ibi poſuerunt aduerſarij munitionem, & inde terrebant omnes: vel diruerunt eam Romani, & tunc maximè ſunt territi. *Ezech.* 7. Operiet eos formido, & in omni parte erit confuſio. Vel firmamentum appellat ipſum Deum, qui prius erat eis firmamentum. *Pſal.* Dominus firmamentum meum, & refugium meum. Sed factus eſt eis formido, contra quod rogabat Iob in 17. Non ſis mihi tu formidini.

Et nota ordinem. Prius deſtruitur ſepes, & poſt Deus eſt formidini. Si ergo non vis ipſum eſſe tibi formidini, ſepi portas ſenſuum tuorum. Oculos ne videant, & intret mors. *Ierem.* 9. Mors intrauit per feneſtras, ingreſſa eſt domus noſtras. Aures, ne detractiones recipiant, ſecundum illud *Eccleſ.* 26. Sepi aures tuas ſpinis, & noli audire linguam nequam. Et ſic de aliis.

Diripuerunt eum. Hîc ſecundum, in quo tangit mala, quæ paſſi ſunt comparatione ad aduerſarios, quæ ſunt duo in generali. Afflictio, & vilificatio ſeu deiectio à dignitate. Primum hîc. Secundum ibi, *Et ſedem eius.* In prima duo. 42.

duo. Primò tangitur afflictionis multiplicitas. Secundò afflictorum inutilitas. Aliquando enim reportant afflicti correctionem ex ſua afflictione, quod eſt magna vtilitas, ibi, *Deſtruxiſti eum.* In prima tria. Primò ipſorum deiectio, & in rebus ſuis, & in perſonis propriis, quod erat graue Secundò inimicorum eleuatio, quod eſt grauius. *Exaltaſti dexteram.* Tertiò ipſorum inimicorum de ſua oppreſſione exaltatio, quod eſt grauiſſimum, ibi, *Lætificaſti.* In prima duo. Primò deſtructio paſſionum terrenarum. Secundò vilificatio per opprobria. *Factus eſt opprobrium.* Dicit ergo: Sic affliguntur, & etiam *omnes tranſeuntes viam diripuerunt eum. Iſa.*45. Diuitias tuas & theſauros tuos dabo in direptionem. Vel eum ad literam diripuerunt, per terras varias diſtrahendo. *Iſa.*5. Deſtruam maceriam eius, & erit in direptionem.

Factus eſt opprobrium. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Direptus eſt populus, & *factus eſt opprobrium vicinis ſuis. Ezech.*22. Dedi te in opprobrium gentibus, in vniuerſis inſulis, quæ iuxta te ſunt, & procul. *Thren.*1. Vide Domine & conſidera, quoniam facta ſum vilis.

43. *Exaltaſti dexteram.* Hîc ſecundum, ſcilicet inimicorum exaltatio. Ait enim: Sic deieciſti populum quondam tuum: *& exaltaſti*, quod peius eſt, *dexteram*, potentiam ſcilicet, *deprimentium eum.* In *Pſal.* Dominati ſunt eorum, qui oderant eos. *Thren.*1. Facti ſunt hoſtes eius in capite, inimici eius locupletati ſunt. Et infrà: Vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus eſt inimicus. *Amos* 5. Hoſtes iuſti accipientes munus, & pauperes deprimentes. Tales hodie Dominus permittit exaltari. *Neem.*3. Duces & principes grauauerunt populum, ſed & miniſtri eorum depreſſerunt eos.

Lætificaſti. Ecce tertium. Quaſi diceret: Ita exaltaſti deprimentes, *& lætificaſti omnes inimicos eius*, quod eſt grauiſſimum. *Thren.*2. Lætificauit ſuper te inimicos tuos, & exaltauit cornu hoſtium tuorum. Et in primo. Omnes inimici audierunt malum meum, Domine, lætati ſunt, quoniam tu feciſti. Et in eod.2. Plauſerunt ſuper te manu, plauſu gaudij, & irriſionis, omnes tranſeuntes viam.

44. *Auertiſti adiutorium.* Hîc magnitudo mali in ſubtractione adiutorij primò humani, ſecundò diuini. *Et non es auxiliatus.* Dicit ergo: Sic affligis deſtruendo totum, *& auertiſti gladium adiutorij*, vt iam nullus eſſet qui adiuuaret, vt poſſet dicere inimicus illud *Iſa.*10. Inuenit quaſi nidum fortitudinem populorum manus mea: non fuit qui moueret pennam, & ganniret. Et *Thren.*1. Recordata eſt Ieruſalem dierum afflictionis ſuæ, cum caderet populus eius in manu hoſtili, & non eſſet auxiliator.

Et bene dicit *auertiſti*, quia hoc accidit, quia à Deo derelicti ſunt. *Deut.*32. Quomodo perſequatur vnus mille, & duo fugent decem millia? Nonne ideò quia Deus ſuus vendidit eos, & Dominus concluſit illos? Sic in bello ſpirituali, aliquando Dominus gladium adiutorij auertit, quando verbum prædicationis, quod eſt gladius (*Epheſ. vlt.* Et gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei) in tempore tentationis ipſi prædicatori non proficit. *Gregor.* Omnipotens Deus, cum ductorem reſpicit non operari quæ dicit, in die belli adiutorium gladij auertit: quia in tentationis certamine cadit. Habet igitur gladium, ſed in bello hunc non adducit, quia cum aduerſitas tentationis eruperit, verbi obliuiſcitur, quod docuit.

Et non es. Hîc ſubtractio diuini. Quaſi diceret: Sic gladium adiutorem auertiſti, *& non es auxiliatus*, in bello ſpirituali, in cuius auxilio citò vinceret. 1. *Mach.* 3. Non in multitudine exercitus victoria, ſed de cœlo fortitudo eſt. Aliter ſuccumbunt quicumque pugnant. *Ioan.*16. Sine me nihil poteſtis facere. Nec in bello corporali, ſicut iam dictum eſt, nec in ſpirituali, de quo *Iob* 40. Memento belli, & non addas vltrà loqui. Bellum inquam triplex, cum carne, cum mundo, & cum diabolo.

Deſtruxiſti eum. Hîc poſtquam præmiſſa eſt 45. tribulationum multiplicitas, conſequenter monſtratur ipſarum inutilitas, quia nec per illas emendati ſunt, nec à peccatis mundati, imò magis nociui facti ſunt, quia deteriores inde facti ſunt. Ait enim: Sic afflixiſti eos multipliciter, & etiam *deſtruxiſti eum*, populum ſcilicet tuum, *ab emũdatione*, ab eo ſcilicet, à quo debuit emendari, ſcilicet à tribulatione. *Ier.*5. Percuſſiſti eos, & non doluerunt: attriuiſti eos, & noluerunt recipere diſciplinam. Et eſt ſignum certum reprobationis, quando quis flagellis non mundatur nec emendatur, ſed deterioratur. *Caſſ.* Frequenter mundat diuinitas, quos flagellat, vt mundatum recipiat, quem peccatis ſordidum reſpuebat. Quos verò ab emundatione diſſoluit, id eſt, remouit, hos iam damnare decreuit. *Signum reprobationis, incorrigibilitas.*

Et ſedem. Hîc ſecundum. Dicta enim populi multiplici miſeria & afflictione, ſubiungitur de eiectione illius de regno: & dicuntur duo. Primò deiectio. Secundò effectus conſequens ex deiectione, ibi, *Perfudiſti eum.* In prima duo. Primò deiectio à regia dignitate. Secundò feſtinatio in deiectione, quia non expectauit tempus, quo adhuc poterat durare, ibi, *Minoraſti dies.* Dicit ergo: Si afflixiſti populum illum, & inutiliter, *& etiam ſedem eius*, ſedem, inquam, regiæ dignitatis & ſacerdotalis, *colliſiſti in terra*, tanquam deiiciens illam ex contemptu. *Eccleſ.* 10. Sedes ducum ſuperborum deſtruxit, & ſedere fecit mites pro eis. *Oſeæ* 3. Sedebunt filij Iſraël multo tempore ſine rege & principe. *Luc.*1. Depoſuit potentes de ſede.

Minoraſti dies. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic deſtruxiſti, & etiam *minoraſti dies temporis eius*, ipſius regni & ſedis, vt minus duraret regnum, quam tamen feciſſet, ſi non fuiſſent peccata eorum. *Iob* 22. Virij impij ſublati ſunt ante dies ſuos. *Pſal.* Viri ſanguinum & doloſi, non dimidiabunt dies ſuos. *Prou.*10. Anni impiorum breuiabuntur. *Eccleſ.* 10. Regnum à gente in gentem transfertur, propter iniuſtitias, & iniurias multas.

Perfudiſti eum. Hic effectus ſequens ex deſtructione. Quaſi diceret: Sic deſtruxiſti regnum, & ex hoc *perfudiſti eum confuſione*, ſcilicet populum illum. Suprà in *Pſal.* Confuſio faciei cooperuit me, ſicut color cooperit florem. *Ierem.*28. Dabo vos in opprobrium ſempiternum, & ignominiam, quæ nunquam obliuione delebitur.

47. *Vſquequo Domine.* Hîc ſecundum, in quo poſtquam præceſſit conqueſtionis cauſa, & ratio, ſubiungitur ipſa conqueſtio: & dicuntur duo. Primò conqueritur de ſubtractione miſericordiæ. Secundò de infflictione multæ miſeriæ, ibi, *Exardeſcet.* In prima duo. Primò conquerendo quærit ſimpliciter de duratione ablationis miſericordiæ. Secundò comparatione ad finem temporis, ibi, *In finem.* Ait enim: Hæc mala venient ſuper populum tuum: ſed ô Domine, *vſquequo auertis faciem tuam*, tanquam indignans miſericordiam ſubtrahendo, vſque *in finem* incluſiuè? Quaſi diceret: Non. Quia Paulus dicit ad *Rom.*11. Cæcitas ex parte contigit in Iſraël, donec omnis plenitudo Gentium introiret, & ſic omnis Iſraël ſaluus fieret. Similis conqueſtio ſuprà in *Pſal.* Vſquequo Domine obliuiſceris me in finem? Et alibi: Nunquid in æternum iraſceris nobis, aut extendes iram tuam à generatione in generationem?

Exardeſcet ſicut ignis ira tua, infligendo pœnam, & conſumendo omnia. Quaſi diceret: Nimis durum eſſet. Poſſet reſpondere Dominus illud *Oſeæ* 8. Furor meus in eos: vſquequo non poterunt emendari? ſed cum fuerint emendati, tunc ceſſabo.

48. *Memorare quæ mea ſubſtantia.* Hîc ſecunda pars ſecundæ partis totius Pſalmi. Poſtquam enim præceſſit conqueſtio de magnitudine afflictionis, & miſeriæ, & dilatatione miſericordiæ, hic ſubiungitur oratio pro feſtinatione liberationis: & dicuntur duo. Primò poſtulatio pro ſe. Secundò contra aduerſarios ſuos, ibi, *Memor eſto.* In prima tria, ſecundum tria quæ allegat, quæ poſſunt mouere iudicem. Primum eſt conſideratio humanæ dignitatis generaliter. Secundum, conſideratio potentiæ & virtutis in Chriſto ſpecialiter, ibi, *Quis eſt homo, qui viuet?* Tertiò conſideratio miſericordiæ propria, & promiſſionis factæ, ibi, *Vbi ſunt miſericordiæ tuæ.* In prima duo. Primò orat vt conſideret naturæ dignitatem, ſicut fuit in Adam creata, à Chriſto aſſumpta. Secundò finem ad quem creauit eam, quia non ad hoc vt perderetur, ſed magis vt ſaluaretur. *Nunquid.* Dicit ergo: Sic ô Domine ſum conqueſtus, ſed rogo, *memorare*, qui videris oblitus, *quæ*, eſt, ſup. *mea ſubſtantia*, non mea corruptela, quemadmodum dignam creaſti meam ſubſtantiam, quando non erat ſubſtantia, & quemadmodum illam dignam feciſti in Adam. Hæc eſt illa ſubſtantia, de qua *Eccle.*13. Bona eſt ſubſtantia, cui non eſt peccatum in conſcientia: qualis fui ſubſtantia Adam in ſtatu innocentiæ. Hæc ſubſtantia quam ſe amiſiſſe conqueſtus eſt ſuprà in *Pſal.* Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia. Hæc ſubſtantia, quam filius prodigus diſſipat viuendo luxuriosè. *Luc.*18. Diſſipauit omnem ſubſtantiam viuendo luxuriosè. Quaſi autem nihilum efficitur per conſuetudinem in peccando. Et ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te. *Quæ* etiam *mea ſubſtantia*, in Chriſto eſt futura. De Dauid enim natus eſt. Radix Ieſſe, arbor Dauid, flos Maria, fructus Chriſtus, & ſubſtantia.

Nunquid enim. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic conſidera ſubſtantiæ dignitatem & finem. *Enim* quia, *nunquid conſtituiſti vanè*, pro nihilo, & ſine vtilitate, *omnes filios hominum?* vt non ſit in tota eorum ſubſtantia, quod poſſit maſſam perditam liberare. Quaſi diceret: Non eſt ita: vane enim omnes conſtituti ſunt, ſi tantum in vanitatem tendunt adhærendo vanitati, quia vanitas eſt per quam vani fiunt. *Ierem.*2. Ambulauerunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt. *Pſal.* Homo vanitati ſimilis factus eſt. Deus enim ſic fecit hominem, vt per ſe ſi nollet adhærere gratiæ, iret à virtute in vanitatem. *Sapient.*1. Deus ſanabiles fecit nationes orbis terrarum. *Auguſt.* Deus ſapientiam ſuam mirabilem fecit, per quam omnes vanitates emendauit. Et *Caſſiodor.* Cum memor fuit ſubſtantiæ noſtræ, & à morte nos eripuit, & in ſpe magnæ beatitudinis collocauit.

Quis eſt homo? Hîc allegat Chriſti dignitatem, quam tangit duplicem. Primò ex parte corporis, quod in morte non potuit detineri. Secundò ex parte animæ, quæ potuit de limbo eripi. *Eripuit animam.* Dicit ergo: Hoc memorare, & etiam hoc, *quis eſt homo?* qualis, & quantus, *qui viuet*, reſurgens à morte, &, poſt, *non videbit mortem* perpetuò victurus. Ad *Rom.*6. Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi, &c. *Pſal.* Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Ab illis exceptus eſt, pro quibus dicitur 2. *Reg.*14. Omnes morimur, & ſicut aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur. Et ab illis, de quibus dicitur *Eccleſ.*10. Non eſt homo qui ſemper viuat. 96. *Dupiex Chriſti dignitas.*

Eruet animam ſuam. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Quantus eſt, & qualis, qui ſic dominatur vitæ & morti, & *eruet animam ſuam.* cum multis aliis, *de manu inferi*, de limbo ſcilicet. *Pſal.* Eruiſti animam meam ex inferno inferiori: dicit Chriſto aliquis ſanctorum. Alij autem non ſunt tantæ virtutis, ſed ſunt ſpiritus vadens ad limbum, & non rediens. *Caſſiodor.* Sicut non poteſt homo animam ſuam eripere de manu mortis, ſic neque de poteſtate inferi. *Iſa.* 49. Nunquid à forti tolletur præda, aut quod captum fuerit à robuſto, ſaluabitur? Non ab homine, ſed à Deo. *Oſeæ* 13. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.

Vbi ſunt miſericordiæ. Hîc tertium, in quo orando allegat diuinam miſericordiam, & promiſſionem: & dicuntur duo. Primò allegat antiquam Dei miſericordiam, promittentem liberatorem, de quo ſuprà. Secundo antiquitatis certitudinem, ibi, *Sicut iurasti.* Ait enim: Sic ero Domine, vt recolas naturæ humanæ dignitatem, & Chriſti excellentiam: & etiam Domine, *vbi ſunt miſericordiæ tuæ*, tot bona promittentes, & hæ *antiquæ*, id eſt, ab antiquo talia promittentes. *Iſa.*63. Vbi eſt zelus tuus, & fortitudo tua, multitudo miſerationum tuarum? continuerunt ſe ſuper me. Antiquæ ſunt miſericordiæ: quia à tempore Abraham factæ erant promiſſiones ex Dei bonitate & miſericordia. *Iſa.*25. 50. *Miſericordia Dei antiqua.*

Miſera

Miſerationes tuas antiquas fideles, amen. In *Pſal.* Reminiſcere miſerationum tuarum, & miſericordiarum tuarum, quæ à ſæculo ſunt.

Sicut iurasti. Ecce ſecundum. Quaſi diceret *Vbi ſunt miſericordiæ antiquæ*, ſic firmæ, *ſicut iurasti Dauid:* & hoc, *in veritate tua*, in ſancto tuo, qui eſt veritas tua. Chriſtus enim eſt veritas. *Ioan.*14. Ego ſum via, veritas, & vita. Suprà eodem: Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar, &c.

51. *Memor eſto.* Hîc ſecundum huius partis, in quo poſtquam petiit pro ſe, conſequenter petit contra aduerſarios: & dicuntur duo. Primò petitio pro puniendis aduerſariis. Secundò ſubiungitur exclamatio in gratiarum actionem, pro commutatione pœnarum, quæ infliguntur in bonum afflictorum. *Benedictus.* In prima dicuntur quatuor. Primò petit Deum, vt recolat, quibus fiat opprobrium. Secundò qualiter patienter ſuſtineat populus Dei, & à quibus, ibi, *Quod continui.* Tertiò qua cauſa inferant opprobria aduerſarij. *Quod exprobrauerunt.* Quartò quod ſit illud opprobrium explicat, ibi, *Quod exprobrauerunt.* Dicit ergo: Sic Domine horum memorare. Et etiam ô Domine memor eſto ad puniendum, quia oblitus videris dum non punis, *opprobrij ſeruorum tuorum*, hoc eſt, ſeruis tuis obiecti. Volunt ſancti vt Deus in memoria habeat bona, quæ faciunt. *Neem.*5. Memento mei Deus in bonum ſecundum opera quæ ego feci. Et mala quæ ſuſtinent, ſicut hic, & ſuprà: Memor eſto opprobriorum tuorum, eorum quæ ab inſipiente ſunt tota die.

Quod continui. Hîc ſecundum, à quibus, & quomodo. Quaſi diceret: Memor eſto opprobrij ſeruorum tuorum, quod opprobrium multarum gentium, id eſt, à multis gentibus illatum, ego continui patienter portando & delectabiliter, *in ſinu meo*, in ſecreto cordis mei. *Ierem.* 15. Scito quoniam propter te ſuſtinui opprobrium. 2. *Tim.*2. Qui piè volunt viuere in Chriſto IESV, perſecutionem patientur. Sed certè beati ſunt ſuſtinendo. *Matth.* 5. Beati eritis, cum exprobrauerint vobis homines, &c.

52. *Quod exprobrauerunt.* Ecce tertium. Quaſi diceret: Memor eſto opprobrij quod ſuſtinemus, & qualiter ſuſtinemus. Quod, inquam, opprobrium, *inimici tui*, quia inimici: nulla alia ratio exprobrandi Domino. 1. *Reg.*17. Ego exprobraui agminibus Iſraël hodie. *Thren.*2. Aperuerunt ſuper os ſuum inimici mei.

Quod exprobrauerunt. Ecce quartum, in quo vult commemorari, quid exprobrauerunt. Quaſi diceret: Et hoc memor eſto, *quod exprobrauerunt commutationem Chriſti tui*, hoc ſcilicet, quod mutabilis fuit, paſſibilis, mortalis, ſepultus, & talia.

Multiplex Chriſti mutatio.

Notandum enim, quòd prima mutatio Chriſti fuit in incarnatione, quando creator factus eſt creatura, paruus immenſus, & temporalis æternus. Secunda in transfiguratione, quando ex humili apparuit ſublimis, ex vili glorioſus. *Matth.*17. *Marc.*9. & *Luc.*9. Tertia in cœna, in ſacramenti Altaris inſtitutione, quando panem voluit tranſmutari in carnem ſuam, & vinum in ſanguinem. *Matth.* 26. Et ſic in ſe mutare etiam ſumentis animam. Vnde ab *Auguſt.* dictum eſt in lib. Confeſſ. Non tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me. Quarta in paſſione, in qua ex pulchro factus eſt pallidus, ex ſano liuidus, & ex viro mortuus. 1. *Reg.*21. Immutauit Dauid faciem ſuam coram Achis. *Iſa.*53. Vidimus eum non habentem ſpeciem. Quinta fuit in reſurrectione. Hæc mutatio dexteræ Excelſi, quia ipſe dicit: Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me. Hanc commutationem improperant inimici, & maximè quartam, quia ibi fuit commutatus Chriſtus maximè ab honore in ignominiam. *Iſa.*53. Deſiderauimus eum deſpectum, & nouiſſimum virorum. A diuitiis in paupertatem. 2. ad *Corinth.*8. Scitis gratiam Domini noſtri IESV CHRISTI: quia cum eſſet diues in omnibus, pro nobis egenus factus eſt, maximè in cruce, vbi acerum mendicauit. A dominio in ſeruitutem. *Matth.*20. Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. A deliciis in horrorem. *Thren.*1. O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite, & videte, &c. A fortitudine in infirmitatem. *Abac.* 3. Ibi abſcondita eſt fortitudo eius. Et tandem à vita in mortem. Ad *Philip.*2. Factus obediens Patri vſque ad mortem, mortem autem crucis.

Benedictus Dominus. Hîc eſt ſecundum, in quo ſubiungitur exclamatio in gratiarum actionem: & dicuntur duo. Primò exclamatio in laudem Dei. Secundò in diuinæ laudis confirmationem: *Fiat.* Ait enim: Sic exprobrant inimici, & temporale eſt opprobrium, *Dominus autem benedictus eſt*, & benedictus ſit in æternum. Et ſtatim confirmat aſſertionem replicando: *Fiat, fiat.* Simile habitum fuit ſuprà, & ibi expoſitum. Benedictum nomen maieſtatis eius, fiat, fiat. Amen. 53.

IN LXXXIX. PSALMVM.

Oratio Moyſi hominis Dei.

1. *Argumentum Pſalmi, ſecundus incarnationis & paſſionis fructus, ablatio mali pœnæ.*

DOmine refugium. Hic eſt Pſalmus 89. in quo poſtquam in præcedenti Pſalmo oſtendit fructum incarnationis filij & paſſionis, ablationem ſcilicet mali culpæ, hîc agit de fructu alio, ſcilicet ablatione mali pœnæ, quod facit orando & ſupplicando attentius vt fiat. Vnde hic *Pſal.* ſicut dicitur in *Gloſſa*, eſt tertius inter illos qui ab oratione intitulantur. Primus eſt: *Exaudi Domine iuſtitiam meam.* Secundus, *Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me.* Hic autem tertius. Eſt autem talis titulus: *Oratio Moyſi hominis Dei.* In quo notandum, quod Moyſes homo Dei dicitur contra Manichæum. *Deut.*33. Hæc eſt benedictio, qua benedixit Moyſes homo Dei filios Iſraël. Hæc autem quæ in Pſalmo ſubſcribuntur, non dicuntur eius oratio, quia Pſalmum condiderit, ſed quia de talibus eſt Pſalmus iſte, quæ Moyſes prophetauit & præuidit, ſcilicet de aduentu Chriſti, & fructu aduentus eius. *Deut.*18. Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus de gente veſtra, ipſum ſicut me audietis. Vnde

ſenſus tituli eſt: In hoc ſubiecto Pſalmo non eſt oratio ipſius Dauid qui illum compoſuit, ſed *Moyſi hominis Dei*, viſio vel intellectus, ſeu etiam propheria. Quæ enim hic apertè orauit & petiit Dauid adimpleri, hæc eadem latebant in figura ſub lege,& verbis Moyſi. 1.ad *Cor.*10. Omnia in figura contingebant illis: quanquam poſſit eſſe verum, quòd hoc ipſum, quod precatur Dauid in hoc Pſalmo, precatus fuerit Moyſes,etſi ſcripturam non habemus.

Diuiditur autem Pſalmus in duas partes. In prima enim orat, vt non permaneat humana infirmitas,ſed tollatur. Secundò,quòd apertè,vt Deus in ablatione honorificetur,ibi, *Dexteram tuam.* In prima tria. Primò captatio beneuolentiæ iudicis. Secundò ſupplicatio,ibi,*Ne auertas.*Tertiò perſuaſio,ibi, *Et dixiſti,Conuertimini.* In prima duo. Cum enim duplex natura ſit in Chriſto, humana ſcilicet, & diuina, primo captat beneuolentiam ſumpta ratione à parte naturæ humanæ,ſecundum quam factus eſt nobis refugium. Secundò ſumpta ratione à parte diuinæ, quatenus omnia anteceſſit æternitate & dignitate,ibi,*Priuſquam montes.* In prima primò confitetur ipſum refugium ſpeciale Iudæorum. Secundò vniuerſale, Iudæorum ſcilicet & Gentium, ibi, *A generatione.*

Dicit ergo: O Domine fili Dei,vt ſupponat pro perſona in natura vtraque, tu *es factus*, ſecundum quod homo, *refugium nobis. Ierem.*16. Domine refugium meum in die tribulationis. Refugium factus eſt, ſecundum id quod factus eſt, ſecundum naturam humanam. *Ioan.* 1. Verbum caro factum eſt.Secundum enim quod Deus, nulla in eum cadit factio, nulla omninò mutatio. *Malach.* 3. Ego Deus, & non mutor. *Num.*23. dicit Balaam, non eſt Deus vt homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur.

Et nota,quod Dominus eſt refugium ab æſtu concupiſcentiæ carnalis, à turbine diabolicæ ſuggeſtionis, à pluuia affluentiæ mundanæ vanitatis. *Iſa.*4. Erit in vmbraculum diei ab æſtu, & in ſecuritatem, & abſconſionem à turbine, & à pluuia. Concupiſcentia enim, ignis eſt æſtum immoderatum generans. *Eccl.* 9. Concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit. Diabolus eſt quaſi ventus turbinis fortiter impellens. *Iſa.*25. Spiritus robuſtorum, dæmon ſcilicet, velut turbo impellens parietem. Affluentia mundana pluuia eſt affluens. *Pſal.* Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. Sed ab iis refugium eſt Dominus.2.*Reg.*2.Tu es refugium meum,& ſaluator meus. Et hoc *à generatione* Iudæorum extendendo miſericordiam,*in generationem* Gentilium. Vel à generatione vna in generationem aliam ſuccedentem, quaſi continuum & in omnibus ſucceſſionibus es refugium. *Eccleſ.*1. Generatio præterit, generatio aduenit: terrra autem in æternum ſtat.

Dominus eſt refugiũ iuſtis, & Domina peccatoribus.

Et nota, quòd Dominus eſt refugium fortiſſimum iuſtis tanquam turris fortiſſima.*Prou.*18. Turris fortiſſima nomen Domini,ad ipſum curret iuſtus, & ſaluabitur. Domina autem eſt refugium peccatoribus, & ipſis impiis, vt lateant apud ipſam, ne à Deo damnentur in infernum. *Iſa.*16. Pone ſicut noctem vmbram tuam in meridie: ſuſcipe fugientes,& vagos ne prodas: venient ad te profugi mei, Moab eſto latibulum eorum, refugium omnibus tribulatis & tentatis. *Bern.* Inſurgunt venti tempeſtatum,ſcopuli tribulationum,reſpice ſtellam Mariam.

Priuſquam montes. Hîc ſecundum, in quo captat beneuolentiam à dignitatis confeſſione. Confitetur autem primò anteceſſionem reſpectu creaturæ. Secundò æternitatem. *A ſæculo.* In prima autem confitetur quod antecedit omnem creaturam per partes, & diſtinctè. Secundò omnem in collectione. *Et orbis.* Primò, quòd omnem Angelicam. Secundò, quòd humanam, ibi, *Aut formaretur.* Dicit enim ſic: Domine tu es refugium meum per hoc quod es homo, & etiam *tu es Deus priuſquam montes fierent*, non iſti materiales, hoc enim non eſſet magnum, ſed Angeli, qui ſunt montes altiſſimi, de quibus dicitur in *Pſal.* Leuaui oculos meos in montes, &c. Sicut enim montes cuſtodiunt terram iacentem in medio, ſic ipſi ſancti Angeli plebem cuſtodiunt, & circunſtant. Alibi in *Pſal.* Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi ſui. 2.

Aut formaretur terra, id eſt, humana natura, quæ formata fuit quantum ad corpus, quod de limo factum fuit decens & aptum. *Geneſ.*2. Formauit ergo Dominus Deus hominem de limo terræ. *Iſa.*45. Formans terram, & faciens eam. Quamuis de vtroque poſſet exponi ad literam. *Prou.* 8. Nondum montes graui mole conſtiterant, adhuc terram non fecerat, & ego parturiebar.

Orbis, in quo totum comprehendit in collectione. *Ierem.*10. Qui præparat orbem terræ in ſapientia ſua. *Pſal.* Orbem terræ & plenitudinem eius tu fundaſti. *Prou.*8. Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio. *Eccl.*24. Ego ex ore Altiſſimi prodij, primogenita ante omnem creaturam. Sic iſta omnia antecedis.

Et quod plus eſt, *tu es Deus à ſæculo, & uſque in ſæculum*, id eſt, in æternum. Hic modus eſt loquendi in ſcriptura, quando vult æternitatem exprimere, quod fortè accidit propter ambiguitatem verbi Græci, quod eſt æquiuocum ad ſæculum & æternum. *Eccleſ.*24. Ab initio & ante ſæcula creata ſum: & etiam omnia in me includo. *Apoc.*1 Ego primus, & nouiſſimus. Et nota *Gloſſam*, Optime tu es.

Ne auertas hominem. Hîc ſecundum, in quo captata beneuolentia,ſupponitur breuis petitio. Petit enim ſecundum vnam lecturam,vt hominem non permittat auerſum à ſe, conuerti ad terrena. Secundum aliam vt non permittat humiliatum & percuſſum auerti à bonitate ſua. Dicit ergo: Talis es Domine, vnde rogo te, *ne auertas*, à tuis æternis bonis & teipſo, *hominem in humilitatem*, in res externas humiles & viles intantum vt ſtercora appellentur. *Thren.*3. Qui nutriebantur in croceis,amplexati ſunt ſtercora. *Phil.* 3. Hæc omnia arbitratus ſum vt ſtercora propter eminentem ſcientiam Domini noſtri IESV CHRISTI. Multos autem auerti permittit à ſe, & ad hæc conuerti, de quibus ipſemet conquetitur. *Ierem.* 2. Duo mala fecit populus meus: dereliquerunt me fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas. 3.

Vel

Vel ſic: *Ne auertas*, hoc eſt, ne auerti permittas, *hominem* in humilitate poſitum & in deiectione, hoc eſt, in infirma carne. *Iud.* 8. Humiliatus eſt valde Iſraël in conſpectu Madian.

Varia humiliationis genera.

Notandum enim, quòd eſt humiliatio virtutis, largè lonquendo: & hæc duplex. Veritatis. *Pſal.* In veritate tua humiliaſti me. Et *Luc.* 14. & 18. Qui ſe exaltat, humiliabitur. Et ſimulationis, quæ eſt in hypocritis. *Eccleſ.* 19. Eſt qui nequiter ſe humiliat, & interiora eius plena ſunt dolo. Hæc eſt humiliatio Gabaonitarum, quæ fuit ſimulata vt haberent familiaritatem cum Ioſue. *Ioſ.* 8 Item veritatis, hoc eſt, veræ veritatis, quæ eſt triplex. Prima cordis. *Matt.* 11. Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde. Sermonis & exteriorum ſenſuum. 1. ad *Cor.* 10. Ego autem cum veniſſem ad vos, non veni in ſublimitate ſermonis. Et 2. ad *Corinth.* 10. In facie quidem humilis inter vos. Tertia operis. *Pſal.* Humiliabam in ieiunio animam. Item eſt humiliatio deiectionis. Vna in præſenti de qua hic, & alibi in *Pſal.* Humiliamini autem peccatores vſque ad terram. *Dan.* 3. Humiles ſumus hodie pluſquam gentes omnes propter peccata noſtra. In futuro triplex. Prima in morte. *Iud.* 4. Humiliabit Dominus in die illa, in die ſcilicet mortis, Iabin regem Chanaan, ſapientes ſcilicet mundi. Secunda erit in iudicio. *Iſa.* 2. Humiliabitur altitudo virorum, & exaltabitur Dominus ſolus in die illa. Tertia in gehennali ſupplicio, de qua *Luc.* 18. Qui ſe exaltat, humiliabitur.

Et dixiſti: Conuertimini. Hìc eſt tertium primæ partis, totius huius Pſalmi. Poſtquam enim beneuolentiam captauit, poſtquam orauit, hìc ſubiungitur perſuaſio, vt impetrare poſſit petitum. Perſuadet autem primò à rectitudine petendi, quia petit conſona diuinæ voluntati: & à neceſſitate eius pro quo petit, ſcilicet hominis, ibi, *Quoniam mille anni.* Dicit ergo: Sic petij, & bene debet concedi. *Et*, id eſt, quia *dixiſti*, exhortando, præcipiendo: *Conuertimini* à terrenis ad me, *filij hominum.* Quaſi diceret: Hæc peto, quia vis conuerſionem, & non auerſionem. Nonne tu es, qui per Ieremiam dicis, in 15. Si conuerteris Iſraël, ad me conuertere. Et in 8. Nunquid qui cadit, non reſurget: & qui auerſus eſt, non reuertetur? Et in *Ioël.* 2. Conuertimini ad me in toto corde veſtro.

Quoniam mille anni. Hìc ſecundum, in quo perſuadet à neceſſitate eius pro quo petit: & dicuntur duo. Primò tangit hominis miſeriam. Secundò miſeriæ cauſam, ibi, *Quia defecimus.*

Partes miſeriæ hominis, breuitas vitæ, ſollicitudo, vanitas, & mutabilitas.

Allegans hominis miſeriam in hac vita, primò allegat vitæ breuitatem. Secundò ſollicitudinem, ibi, *Et cuſtodia in nocte.* Tertiò vanitatem. *Quæ pro nihilo habentur.* Quartò mutabilitatem, ibi, *Manè ſicut herba.* Dicit ergo: Quaſi ne auertas à te hominem, quia rogo quod vis: & etiam ſi auerteris illum à te, nihil erit vita ſua. *Quoniam mille anni*, ſi tantum vixerit, ſunt *ante oculos tuos*, in tua cognitione, *tanquam dies heſterna quæ præteriit*, quæ eſt iam in præteritione. Vnde eſt quaſi dicat: Reſpectu tuæ æternitatis, tota vita præſens quaſi nihil. 2. *Pet.* 3. Vnum autem nõ lateat vos chariſſimi, quia vnus dies ante Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut vna dies. *Eccl.* 11. Si annis multis vixerit homo, & in iis omnibus lætatus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis, & dierum multorum. Dies multos appellat bona multiplicia æternæ vitæ. Nam ibi ſunt ſimul multi dies, multæ ſanctorum gloriæ & fœlicitates, qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita. Totum enim vanitas eſt. *Iob* 8. Heſterni quippe ſumus, & ignoramus, quoniam ſicut vmbra dies noſtri ſuper terram. Non dies ſuper cœlum. *Sapient* 5. Nos nati continuò deſinimus eſſe. *Iſa.* 38. Præciſa eſt velut à texente vita mea: dum ad huc ordirer, ſuccidit me: de mane vſque ad veſperã finies me. Et probat Seneca, quòd quaſi nihil eſt. Ait enim: Quicquid retrò actum eſt, mors tenet: futurum nobis incertum eſt: præſens tantum tenemus, & hoc ipſum cum morte diuidimus. Et *Caſſiod.* De longinquitate dierum vitæ non poteſt eſſe ſecuritas, vbi terminus feſtina celeritate ſuſcipitur.

Et cuſtodia in nocte. Hìc ſecundum, in quo ſubiungit de ſollicitudine. Quaſi diceret: Sic ſunt mille anni, quaſi heſterna dies, & quaſi nihil: & ſunt etiam quaſi *cuſtodia in nocte.* Cuſtodia in nocte, cum hoc quod parum durat, vna enim cuſtodia non habet horas niſi tres, magnam habet ſollicitudinem, & cum timore magno fit. *Luc.* 2. Erãt autem paſtores in regione eadem cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. *Caſſiodor.* Pulchrè humanam vitam nocturnis comparauit excubiis, vbi totum ſub obſcuritate & trepidatione geritur, quando mens hominum vitiis carnalibus circumdata pulſatur. 4.

Vita humana nocturnis comparata excubiis.

Quæ pro nihilo habentur. Ecce tertium, in quo oſtendit vanitatem. Ait ergo: Si auertas hominem ab æternitate tua, vita eius breuis, & ſollicitudine plena: & etiam *eorum*, à quibus auerteris teipſum, *anni erunt*, tanquam illa, ſup. *quæ pro nihilo habentur. Gloſſa*, Somnia, & imaginationes, quæ videntur de nocte, quæ pro nihilo reputantur. *Iob* 20. Velut ſomnium auolans non inuenietur. Tanquam vmbra quæ valdè vana eſt. *Sapient.* 5. Tranſierunt omnia illa tanquam vmbra. *Iacob.* 4. Quæ eſt enim vita noſtra? Vapor eſt ad modicum parens. *Sapient.* 5. Quaſi lanugo, quæ à vento tollitur: & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur: & tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt. 5.

Et nota, quòd anni impiorum, & tota eorum vita dicitur eſſe pro nihilo: quia eſt otioſa. *Matth.* 20. Quid hìc ſtatis tota die otioſi? Quia non redeunt eis, nec in æternitate fructificant: nec enim ſunt ſeminati. *Sapient.* 3. Si longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & ſine honore erit ſenectus illorum. Item quia pro eo quod nihil eſt, dantur, ſcilicet pro peccato. *Ioan.* 1. Et ſine ipſo factum eſt nihil. *Gloſſa*, peccatum. *Prou.* 23. Cor impiorum pro nihilo.

Manè ſicut herba. Hìc eſt quartum, in quo ſubiungit de mutabilitate: & tanguntur tria. Primò velocitas mutabilitatis, quia ſtatim incipiens eſſe mutatur. Secundò neceſſitas, quia nec ipſa robuſtior ætas poteſt obſiſtere, ibi, *Manè floreat.* Tertiò multiplicitas tranſitus, maximè in fine. *Veſperè decidat.* Dicit ergo: Sic pro nihilo eſſent anni ſi auertas: nec mi- 6.

rum ſi *mane*, id eſt, citò *tranſeat*, id eſt, mutetur: & hoc, *ſicut herba* quæ quàm citò eſt, in mutatione eſt. *Iſa.*37. Facti ſunt ſicut fœnum agri, & ſicut gramen paſcuæ, & ſicut herba tectorum, quæ exaruit.

Manè. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic dixi, quòd tranſeat, & addo *manè*, in principio iuuentutis ſuæ, quod eſt manè totius ætatis, *floreat*, pulcher appareat. *Iob* 14. Quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra. *Iſa.* 40. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, &c. *Et* tamen *tranſeat*, mutetur, & deficiat. *Sap.*2. Tranſit vita noſtra,tanquam veſtigium nubis. *Iorem.*48. Date florem Moab, quia florens adhuc, ſup.egredietur. *Iſa.*18. Ante meſſem totus effloruit, &c.

Veſperè decidat. Hîc tertium, in quo tangitur tranſitus multiplicitas, & tangitur triplex maximè in fine ætatis. Primò tranſitus in morte, cum anima à corpore ſeparatur. Secundò tranſitus in indurationem, cum humor naturalis totus conſumitur. *Induret.* Et tertiò in incinerationem, cum partes ad inuicem ſeparantur. *Et areſcat.* Ait ergo: Sic tranſeat ſicut herba, & non obſtet flos & vigor iuuentutis, ſed veſpere ætatis, ſcilicet quandiu vox erit, decidat in mortem. Supra in *Pſal.* Quemadmodum olera herbarum citò decident. *Iſa.*40. Exiccatum eſt fœnum, & decidit flos. Nimirum ſic addit: quia *Matth.*3. Iam ſecuris ad radicem poſita eſt. Sed caueat in quam partem cadat: quia *Eccleſ.*11.Si ceciderit lignum ad Auſtrum, ibi erit: ſi ad Aquilonem, ibi erit: vbicumque ceciderit, ibi erit, ſucco & humore omni recedente. Et ſic tandem àreſcat redactus totus in puluerem. *Pſal.*Aruit tanquam teſta virtus mea. *Eccleſ.*14. Omnis caro ſicut fœnum veteraſcet, hoc eſt, areſcet. Spiritualiter autem multi in veſpere, in fine ſcilicet vitæ ſuæ, decidunt in mortalem culpam, indurantur per peccati conſuetudinem, & areſcunt penitus per omnis gratiæ amiſſionem.

In fine vitæ triplex tranſitus.

Herba multipliciter dicitur.

Et eſt notandum hîc, quòd eſt herba materialis & indifferens. *Sap.*16. Domine nec herba, malagma ſanauit eos, ſed omnipotens ſermo tuus, qui ſanat omnia. Item quælibet res præſenti vitæ neceſſaria. *Pſal.* Qui producit in montibus fœnum, & herbam ſeruituti hominum. Et eſt herba mala, ſcilicet vanitas mundana, & delectatio carnis, qua diabolus paſcitur. *Iob* 40. Huic Beemoth, hoc eſt, diabolo, montes herbas ferunt. Et eſt herba bona, ſcilicet doctrina diuina. *Prou.*27. Aperta ſunt prata, & apparuerunt herbæ viuentes. Sed melior operatio bona, de qua *Geneſ.*1. Producat terra herbam virentem. Sed eſt optima,caro Chriſti, quæ reficit ſancto fœno animalia eius. *Iob* 6. Nunquid rugiet onager cum habuerit herbam? aut mugiet bos, cum ante plenum præſepe ſteterit?

7. *Quia defecimus.* Hîc ſecundum, in quo tacta humana miſeria, ſubiungitur de eiuſdem miſeriæ cauſa, & tangitur duplex: & ſecundum hoc dicuntur duo in hac parte. Prima enim cauſa eſt diuina iuſtitia, quæ pœnam infligit pro peccato. Secunda, miſericordia, qua infligit ipſam pro bono ordinans eam ad purgationem noſtram & gloriam, malis verò ad damnationem, de quo ibi, *Quoniam ſuperuenit.* In prima duo. Primò oſtendit propter peccatum pœnas homini eſſe inflictas. Secundò exprimit pœnarum quaſdam differentias, ibi, *Quoniam omnes dies noſtri.* In prima duo. Primò oſtendit pœnæ inflictionem. Secundò oſtendit eſſe iuſtum, quia propter peccata noſtra & iniquitates, ibi, *Poſuiſti.* In prima duo. Primò tangitur pœna ex parte corporis, afflictionis ſcilicet, & mortalitatis. Secundò ex parte animæ, ibi, *Et in furore tuo.* Dicit ergo: Sic miſeri ſumus, & hoc *quia defecimus*, id eſt, in defectum ſcilicet & mortalitatem verſi ſumus, *in ira tua*, id eſt, in effectu procedente quaſi ab irato. Hæc ira, de qua *Mich. vlt.* Iram Dei portabo, quoniam peccaui ei. *Iob* 4.Venit ſuper te plaga, & defeciſti: tetigit te, & conturbatus es. Et in 10. Multiplicas iram tuam aduerſum me, & pœnæ tuæ militant in me. Et 34. Deficiet omnis caro ſimul.

Duplex cauſa humanæ miſeria.

Et in furore tuo, id eſt, in effectu tui quaſi furibundi, *turbati ſumus*, timentes timore magno mori, & diſſolui. *Pſal.* Conturbatus eſt à furore oculus meus: à furore, inquam, tuo conſiderato. *Iob* 23. A facie eius turbatus ſum, & conſiderans eum timore ſollicitor. Et 22. Conturbat te formido ſubita: nullus enim eſt qui non turbetur contra mortem, & timeat illam. Vnde ſicut dicit *Gloſſa*, Dominus dicebat Petro: Cum autem ſenueris, alius te cinget, & ducet te quò non vis. Et ipſe ſaluator Dominus vitæ & mortis dicit. *Matth.*26. Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.

8. *Poſuiſti iniquitates.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit iuſtam pœnæ inflictionem: quia omnia peccata, omnia mala pleniſſimè cognouit. Duo ergo dicuntur. Primò, quòd habuit peccatorum cognitionem apertiſſimam. Secundò quòd omnium pleniſſimam. *Sæculum noſtrum.* Ait ergo: Sic afflicti ſumus, & in corpore, & in anima à te, nec iniuſte: quia *tu poſuiſti*, poſitas habuiſti, vel poſitas eſſe voluiſti, *iniquitates noſtras* (ſumitur largè pro omni peccato) vt videres & cognoſceres illas, & iniquitates originales, de quibus in *Pſal.* In iniquitatibus conceptus ſum. Et iniquitates ſuperadditas actuales, de quibus *Prou.*5. Iniquitates ſuæ capiunt impium: omnes poſuiſti in conſpectu tuo, vt omnes cognoſcas. *Hebr.* 4. Omnia nuda ſunt & aperta oculis eius,ad quem nobis ſermo. *Deut.*32.Nonne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis? dicit de peccatis illorum. *Iob* 14. Signaſti quaſi in ſaculo delicta mea. Nec tantum alicuius iniquitates poſuiſti in conſpectu tuo, ſed, *ſæculum noſtrum*, hoc eſt, quicquid in hoc noſtro ſæculo fit, poſuiſti *in illuminatione*,hoc eſt,in præſentia luminoſa,*vultus tui.Pſal.*Vultus autem Domini ſuper facientes mala. Si enim fugiunt lucem quantum poſſunt, & illam odiunt mali, tamen non euadunt. *Ioan.*3. Qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Tamen non euadit lucem: quia *Iob* 34. dicitur: Oculi eius ſuper greſſus hominum, & omnes vias illius conſiderat. *Eccleſiaſt.*23. Oculi Domini multò plus lucidiores ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum.

Peccata noſtra Deo notiſſima.

Quoniam

9. *Quoniam omnes dies.* Hîc ſecundum, in quo poſita miſeriæ cauſa, diuina ſcilicet iuſtitia, exponit miſeriarum humanarum multa incommoda, & primò ex parte animæ. Secundò ex parte corporis, ibi, *Anni noſtri ſicut aranea.* In prima duo. Primò miſeria ex parte intellectus, ſicut vult *Gloſſa.* Secundò ex parte affectus, ibi, *Et in ira tua.* Dicit ergo: Verè defecimus in ira: *quoniam omnes dies*, interiores mentis illuminationes, *defecerunt. Gloſſa*, Cognitio noſtra, &c. In *Pſal.* Dies noſtri declinauerunt. Et *Iob* 9. Dies mei velociores fuerunt curſore: ſi enim ad modicum & raptim veritas videatur, ſtatim tamen tanquam quidam curſor elabitur.

Miſeria intellectus humani.

De diebus etiam naturalibus hominis poteſt intelligi, quia valde citò tranſeunt. *Iob* 14. Breues dies hominis ſunt, numerus menſium eius apud te eſt.

Et in ira tua, id eſt, in effectu iræ tuæ, *defecimus*, ex parte affectus, deficientibus & inanibus inhærendo per amorem. *Eccleſ.* 1. Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes, & omnia vanitas. Et propter hoc ſumus quaſi nihilum, & inane. *Iſa.* 40. Omnes gentes quaſi non ſint, & tanquam nihilum & inane reputatæ ſunt.

Anni noſtri ſicut aranea. Hîc miſeria ex parte corporis, hoc eſt, vitæ corporalis: & tanguntur tria. Primò vanitas in labore. Secundò breuitas in duratione. *Dies annorum.* Tertiò afflictio in extenſione vltrà certum terminum, ibi, *Si autem in potentatibus.* Ad primum autem intelligendum notandum primò, quod annos accipit pro viuentibus in annis: & in hoc quod dicit, *meditabuntur*, poteſt intelligi meditatio actiua, vel paſſiua. Dicit ergo: Sic affiicti ſumus in anima: & quantum ad corporalem vitam noſtram, *anni noſtri*, id eſt, vita noſtra, vel nos viuentes in annis, *meditabuntur*, actiuè, hoc eſt, cogitabimus, *ſicut aranea*, quæ non meditatur, nec laborat, niſi in vanitate telæ, & doloſitate, vt inde capiat muſcam. Vel paſſiuè: & differt parum ſenſus. *Anni noſtri*, ſicut prius, *meditabuntur*, id eſt, ab aliis meditantibus, & attendentibus reputabuntur, *ſicut aranea*, id eſt, aranearum vita, quæ tota inutilis eſt, & vana. *Iſa.* 59. Telas araneæ texuerunt: telæ eorum non erunt in veſtimentum. Multorum ſcholarium meditatio, ſicut aranearum eſt, quia toti ſunt in curioſitatibus perſcrutandis, Aſtronomiæ, & Geomantiæ, & eorum quæ nihil vtilitatis habent, ſed totum eſt vanitatis & curioſitatis. 2. ad *Timoth.* 2. Stultas & ſine diſciplina quæſtiones deuita, ſciens, quia generant lites. Et ſunt tales ſicut araneæ rete inflati & timidi. 1. ad *Tim. vlt.* Superbus eſt nihil ſciens, & languens circa quæſtiones, & pugnas verborum, ex quibus oriuntur rixæ, iræ, inuidiæ.

Malignitas vitæ noſtræ per ſimilitudinem declarata.

Curioſi & auari cum aranea collati.

Sic multorum cupidorum ſunt meditationes ſicut araneæ: ſubtiliter enim exquirunt, & totos ſe euiſcerant in exquirendis nouis modis acquirendi, & contractuum diuerſis laqueis & vſurarum. *Luc.* 16. Prudentiores filij huius ſæculi, filiis lucis in generatione ſua ſunt. Et bene comparantur araneæ. Aranea enim texit ſila ſubtilia, & ad inuicem iuncta. Sic auarus curioſitatem curioſitati iungit, & ſic quaſi ad capiendum aliquid telam facit. *Iſa.* 19. Confundentur qui operantur linum, plectentes & texentes ſubtilia. Et eruit viſcera Sic auarus totum ſe euiſcerat in acquirendo. *Eccleſiaſt.* 10. Nihil iniquius, quàm amare pecuniam: hic enim venalem habet animam ſuam, & proiecit in vita ſua intima ſua. Irretit fraude ſua miſeram muſcam. Sic auarus verbis ſuis & fallaciis pauperem. *Prou.* 7. Irretiuit eum ſermonibus ſuis. In tela, quam facit, eſt eius fiducia tota. Sic auarus in iis quæ acquirit. *Iob* 6. Tela araneæ fiducia eius. Suſpendit ſe in tela ſua. Sic auarus totus ſuſpenditur in labore ſuo & anguſtia ſua. *Eſther* 7. Aman ſuſpenſus eſt in patibulo, quod parauerat Mardochæo. Ob hoc voluit Dominus Iudam ſuſpendio interire. *Act.* 1. Et ſuſpenſus crepuit medius. Tabeſcit ſuſpenſa in illa. Sic auarus totus tabeſcit ſuſpenſus in amore ſuorum. *Pſal.* Tabeſcere feciſti ſicut araneam animam eius. Et tandem valdè citò perit totus labor, & confidentia ſua ad modicum flatum Sic auarus citò perdit omnia. *Oſeæ* 7. In aranearum telis erat vitulus Samariæ, qui erat eorum ſpes & confidentia.

10. *Dies.* Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic ſunt in vano labore dies noſtri, & ſunt pauci, quia *dies annorum* complentur, *in ipſis* 70. annis. Vel ſecundum aliam literam, quæ habet, *Anni*, ſic conſtrue: *Dies annorum noſtrorum.* Hoc proponitur vt locum habeat ſequens relatio, *In ipſis diebus annorum noſtrorum*, ſunt, ſup. 70. *anni.* Primum quidem antequam peccata eſſent multiplicata, erant anni octingenti, nongenti, ſed multiplicato peccato, & facto diluuio breuiati ſunt. *Geneſ.* 7. Erunt dies hominis centum viginti. Poſtea quaſi in medietate decurtati facti ſunt 70. Ergo mali ſunt, quia araneæ, & breues, quia ſeptuaginta. *Gen.* 47. dicit Iacob: Dies peregrinationis meæ centum viginti annorum, parui, & mali.

Dies noſtri mali & breues.

Si autem in potentatibus. Hîc eſt tertium, ſcilicet afflictio in extenſione vltra numerum taxatum. Ait enim: Sic ſunt anni vitæ anni ſeptuaginta, *ſi autem octoginta anni*, ſunt, ſup. *in potentatibus*, in illis ſcilicet, qui multum poſſunt, & fortem & potentem habent naturam, *& amplius* (coniunctio ſuperfluit, ſicut frequenter accidit in Hebræo) *erit labor* in agendo, *& dolor* in patiendo.

Sed contra hoc videtur *Ioſuë* 14. Hodiè octoginta quinque annorum ſum, ſic valens, vt eo valebam tempore, quo ad explorandum miſſus ſum. Reſp. Speciale donum fuit, & gratia ſpecialis. Tamen nec adhuc illo tempore intantum erat natura infirmata, & debilitata, ſicut tempore Dauid. 2. *Reg.* 20. de Berzelai, qui octogenarius erat, & dixit: Nunquid vigent ſenſus mei ad diſcernendum ſuaue vel amarum? *Eccleſiaſt.* 18. Numerus annorum vitæ hominis, vt multum centum anni.

Sed iterum: Quomodo dicitur quod vltra octuaginta labor & dolor? nonne ſimiliter ante? Conſtat, quod ſic: quia *Geneſ.* 3. dictum eſt primo homini, & nobis in illo: In labore comedes omnibus diebus vitæ tuæ. Reſpon.

Verum eſt, quòd ſemper in labore & dolore. *Iob* 5. Homo natus ad laborem, & auis ad volatum. Sed tunc præcipuè eſt in miſeria cum calor naturalis in ipſo refriguerit. 1. *Reg.*4. De Heli, cuius oculi caligauerant, & videre non poterant. 3. *Reg.* 1. de Dauid qui non poterat calefieri. Et dixit quidam: Multa ſenem circumueniunt incommoda. Propter hoc dicitur *Eccleſ. vlt.* Memento creatoris tui in diebus iuuentutis, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent: antequam tenubeſcat ſol, & lumen, & ſtellæ, & luna, & reuertantur nubes poſt pluuiam: quando commouebuntur cuſtodes domus, & nutabunt viri fortiſſimi, & otioſæ erunt molentes in minuto numero, & obtenebreſcent videntes per foramine.

Nota etiam lecturas alias myſticas, quæ ſunt in *Gloſſa.*

Quoniam ſuperuenit. Hîc ſecundum illius partis, in qua agitur de pœna in relatione ad cauſam pœnæ. Actum eſt enim in relatione ad iuſtitiam, hîc in relatione ad miſericordiam. Duo autem dicuntur. Primò ratio inflictionis pœnæ, Dei miſericordia ad corripiendum. Secundò admiratio Prophetæ ſuper tantum beneficium, & tam diſtrictum. Primò quoad bonos. Secundò quoad malos, ibi, *Quis nouit poteſtatem*? Dicit ergo: In his miſeriis ſumus, & in laboribus, ſed ſuſtinendum eſt patienter: *Quoniam ſuperuenit manſuetudo*, ſuper nos, ſcilicet venit, dum hanc pœnam infligit: *&* ſic *corripiemur. Iſa.* 28. Vexatio dabit intellectum auditui. *Ierem.*6. ſecundum aliam literam: Per omne flagellum erudiens Iſraël. Et 31. Caſtigaſti me Domine, & eruditus ſum. Et hoc magna Dei miſericordia. *Pſal.* Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me. 2. *Mach.*6. Nunquam à nobis miſericordiam ſuam amouet corripiens. Et in eod. Etenim non ſinere peccatoribus ex ſententiâ agere, ſed ſtatim vltionem adhibere, magni beneficij indicium eſt. Propter hoc dicebat ſapientiſſima Iudith in 8. Flagella Domini quibus corripimur, ad emendationem non ad perditionem noſtram eueniſſe credamus.

Deus ex miſericordia nos corripit.

Mirũ quod feræ mãſuefcunt, & peccatores non conuertuntur.

Et mirum, quòd peccator non corripitur à crudelitate ſua, & non manſueſcit. Sunt enim quædã animalia, quæ fiunt mãſueta & tractabilia per incantationẽ, ſicut ſerpentes. Sic peccator deberet per prædicationem: prędicatio enim incantatio eſt. *Eccl.*12. Quis medebitur incantatori à ſerpente percuſſo? id eſt, prædicatori. Sed ſicut dicitur in *Pſal.* Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem incantantium. Alia manſueſcunt per oculorum clauſionẽ, ſicut aues rapaces. Et peccatores oculos amiſerunt. *Matth.*15. de quibuſdã peccatoribus: Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum: etiam quamuis videantur claros habere oculos, & apertos. *Act.*9. Apertiſque oculis nihil videbat. Alia per cibi oſtenſionem, quando famem patiuntur, ſicut nobiles aues. Et peccatores famelici ſunt. *Oſe* 4. Comedent, & non ſaturabuntur. Et quaſi exponit ſe: Fornicati ſunt, & non ceſſauerunt. Et cibus offertur eis tanquam reclamatorium. *Matth.* 11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiã vos. Alia per timorem, ſcilicet quando vident alia verberari, ſicut leo quando verberatur canis coram eo. *Prouerb.*19. Peſtilente flagellato, ſapientior erit paruulus. Propter hoc dicitur *Luc.* 19. Mementote vxoris Loth, quæ verſa eſt in ſtatuam ſalis, quia reſpexit retrò. Et ipſi vident propriis oculis, tot turpiter mori, & ex improuiſo. Alia per flagella, vt elephas: dicitur enim, quod cum aliquis aſcendit domeſticum elephantem, & habet iuxta ſylueſtrem quem verberat fortiter, tunc domatur. Peccatores autem multiplici miſeria à Deo flagellantur, nec corriguntur. *Ierem.*5. Percuſſiſti eos, & non doluerunt: attriuiſti eos, & noluerunt recipere diſciplinam. Alia domantur per vincula, vt equus. *Eccleſ.*34. Iugum & lorum curuant collum durum. Graue autem iugum, & vinculum forte ſuper peccatores. *Eccleſ.*40. Occupatio magna & iugum graue ſuper filios Adam. Et *Prouerb.* 5. Vinculis peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur. Alia per onera, vt taurus, & aſinus. *Eccleſ.*33. Cibaria, & virga, & onus aſino, &c. Et peccator oneratus eſt valdè. *Pſal.* Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue, &c. Alia per pellis aduſtionem, ſicut catus. Et peccator totus aduſtus eſt. *Iſa.*13. Facies combuſtæ, facies eorum. *Thren.*3. Denigratæ ſunt ſuper carbones facies eorum. *Ioël.* 3. Omnes vultus redigentur in ollam. Alia per amaræ rei guſtationẽ, vt muſtela, quæ poſtquam aliquid amari guſtauerit, non mordet. Et peccator plenus amaritudine. *Ierem.*8. Potum dedi vobis, id eſt, dari permiſi, aquam fellis. *Thren.*3. Inebriauit me abſynthio. Alia per amplexum virginalem, ſicut rhinoceros: & Deus amplexatur brachiis pietatis peccatorem: læua amplexatur, dando temporalia, dextera, dando bona ſpiritualia. *Cantic.*2. Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Quis nouit poteſtatem. Hîc ſubiungitur exclamatio ſuper miſericordia Dei flagellante: & dicuntur duo. Primò exclamando & quærendo oſtendit charitatem cognoſcentium virtutem diuini flagelli. Secundò effectus multiplicitatem ſequentem ex flagello & virtute Dei. *Et præ timore.* Dicit ergo: Sic manſuetudo ſuperueniens nos corripit: ſed, *quis nouit*, id eſt, noſſe potuit ad plenum, *poteſtatem iræ tuæ*? Ira enim tua tantæ virtutis & poteſtatis eſt, vt ſit in infligendo mala vera miſericordia, & aliquando ſit ira in parcendo, & conferendo bona. De primo *Abac.* 3. Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. De ſecundo *Zach.*1. Ira magna iraſcar ſuper gentes opulentas. Quaſi diceret: Hoc ipſum quod opulentas feci, magna ira fuit. 11. *Mira poteſtas iræ Dei & cognitu difficilis.*

Et quis nouit dinumerare iram tuam, id eſt, effectus tui quaſi irati illatos, ſup. *præ timore tuo*, id eſt propter timorem tuum habendum & aſſequendum. Vel, *quis poteſt dinumerare*? Quaſi diceret: Nullus. Et hoc *præ timore*: quia cogitans iſta, timet, & conturbatur, nec poteſt diſcernere. *Iob* 31. Semper ſuper me Deum quaſi tumentes fluctus timui, & pondus eius ferre non potui. Vel ſic: *Quis nouit dinumerare*, diſtinguere 12.

ſtinguere, *iram tuam*, effectus iræ tuæ: & hoc *præ timore tuo*, id eſt, per timorem tuum à ſe habitum & conceſſum. Timor enim Dei dat ſcientiam diſcernendi inter effectus iræ Dei. *Eccleſiaſt.* 21. Qui timet Deum, excipiet doctrinam eius.

Dexteram tuam ſic notam fac. Hîc eſt ſecunda pars totius huius partis, in qua poſtquam petiit vt Deus humanam miſeriam à nobis remoueat, ſubiungit qualiter deſiderat hoc fieri, ſcilicet manifeſtando diuinam virtutem, & in quibus habeat efficaciam, & promouendo homines ad bonam operationem: & ſecundum hoc dicuntur duo. Primò optat & rogat vt apertè hoc faciat, potentiam demonſtrando, & bonorum prudentiam, qui corripienti conſentiunt. Secundò, quòd promoueat bonos ſemper de bono in melius, ibi, *Reſpice Domine.* In prima duo. Primò petitio. Secundò perſuaſio, vt ſuæ acquiſcat petitioni, ibi, *Repleti ſumus.* In prima duo. Primò petitio. Secundò petiti acceleratio, vel quaſi conqueſtio de mora adimplendi, ibi, *Conuertere Domine vſquequo?* In prima duo. Primò petit vt manifeſtetur Dei potentia in liberatione hominis à miſeria. Secundò vt manifeſtetur ſequens effectus, ſcilicet iuſtorum prudentia, ibi, *Et eruditos.* Ait enim: Sic Domine homines corripis, affligendo, quamuis hoc non videatur: ſed ô Domine, rogo, *fac notam dexteram tuam*, id eſt, filium tuum, qui eſt dextera tua, de qua in *Pſal.* Saluauit ſibi dextera eius, & brachium ſanctum eius. Et alibi: Dextera Domini fecit virtutem. *Sic*, id eſt, ita apertè, vt poſſimus eam imitari appetendo cœleſtia, & terrena contemnenda, & ſic quaſi liberemur apertè à dicta ſuperius miſeria, qua terrenis adhæremus. Sic nota fuit Paulo, qui dicebat 2. ad *Corinth.* 4. Non contemplantibus nobis, quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna. Dextera autem poteſt appellari æterna vita. *Cant.* 2. Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Et *Matth.* 25. Agnos quidem ponet à dextris. Petit ergo: Notam fac Domine dexteram tuam, id eſt, vitam æternam: *ſic*, id eſt, ſicut præſentem noſcimus & temporalem, vt impleatur illud 2. ad *Corinth.* 13. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. 1. *Ioan.* 3. Videbimus eum ſicuti eſt. Et *Ioan.* 16. dicitur: Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum, &c.

Et eruditos. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic notam fac dexteram, filium, & æternam vitam: *& eruditos corde:* eruditos, inquam, non in mechanicis, vel aliis artibus, ſed in ſapientia vera, quam docet Deus. *Iſa.* 28. Erudiet eum Deus ſuus. *Ioan.* 16. Cum veniet ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.

Hæc autem ſapientia erit in obſeruatione mandatorum Dei ſui, ſiue ſint præcepta, ſiue conſilia: vnde alia litera habet loco eius, quod habemus, Eruditos corde, *compeditos. Eccleſ.* 6. Mitte pedem tuum in compedes illius: vincula enim illius alligatura ſanitatis. Hæc ſapientia de qua *Prou.* 16. Fons vitæ eruditio poſſidentis, mandata ſcilicet Dei, & conſilia. De qua etiam *Iacob.* 3. Sapientia, quæ deſurſum eſt, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, & ſic de aliis.

Conuertere Domine. Hîc ſecundum, ſcilicet conqueſtio de mora: & dicuntur duo. Primò conqueritur de mora quæ eſt in afflictione mali: mali, inquam pœnalis. Secundò in amotione boni. *Et deprecabilis.* Ait ergo: Sic Domine oſtende potentiam, demonſtra quibus dederis ſapientiam: & ô *Domine conuertere*, ab irato in benignum & miſericordem, quemadmodum Petro feciſti. *Luc.* 22. Et conuerſus Dominus reſpexit Petrum. Suprà in *Pſal.* Vſquequo auertis faciem tuam à me? 13.

Et deprecabilis eſto, dando bona quæ petimus, *ſuper ſeruos tuos.* Sed hoc vſquequò expectabimus? vſquequo dimittatis peccata, poſſet reſpondere. *Thren.* 3. Nos inique egimus, & ad iracundiam prouocauimus: idcircò inexorabilis es. *Exod.* 32. Quieſcat ira tua Domine, & placabilis eſto ſuper nequitia populi tui. Citius enim adeſt tua miſericordia, quàm relinquantur peccata. *Iob* 32. Precabitur Dominum, & placabilis erit ei. Hoc eſt frequentius: ſed aliquando etiam ſine precibus ſola benignitate manum tribuit, & benignum ſe exhibet. *Ierem.* 13. Placatus ſum ſuper malo quod feci vobis. Sic in Matthæo factum eſt ſedenti in telonio *Matth.* 9. Et in Paulo Eccleſiam perſequente. *Act.* 9.

Repleti ſumus. Hîc ſecundum, in quo præmiſſa ratione, ſubiungitur ſtatim perſuaſio: & dicuntur duo. Primò perſuadet à certitudine ſpei, quam iam habent de futuro bono. Secundò à magnitudine gaudij, quod habent de præſenti malo: malo, inquam, pœnæ, ibi, *Lætati ſumus.* In prima tria, quæ tanquam ſperantes certiſſimè dicunt iam ſe eſſe adeptos. Primum eſt repletio omni bono. Secundò exultatio in replente Deo. *Et exultauimus.* Tertiò delectatio in vtroque, in repletione illa, & gaudio, ibi, *Delectati ſumus.* Dicit ergo: Sic rogaui vt ſis placabilis, & conuerſus, & ſic erit indubitanter: quia ex certa ſpe, quam habemus, tanquam iam factum. Sic dico, *Repleti ſumus miſericordia tua*, effectibus ſcilicet miſericordiæ tuæ, in nos impluentibus, & hoc, *mane*, hoc eſt, die æternitatis nobis inchoante. *Sophon.* 3. Mane iudicium ſuum dabit, & non abſcondetur. Et in *Pſal.* Mane aſtabo tibi, & videbo, verum eſſe te. Et hæc Dei manifeſtatio erit animæ ſatiatio. *Ioan.* 14. Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis. *Pſal.* Satiabor cum apparuerit gloria tua. 14.

Exultauimus. Factum dicit quod adhuc futurum eſt, propter ſpei certitudinem. Poſt repletionem ſequitur exultatio, quia in Gallico Prouerbium eſt: Venter ſaturatus ludit. *Iſa.* 23. Gaudium & lætitiam obtinebunt. *Cant.* 1. Exultauimus & lætabimur in te, nos ſatiante. *Iſa.* 65. Serui mei comedent, & vos eſurietis: ſerui mei bibent, & vos ſitietis. Et ſubiungitur ſtatim: Serui mei lætabuntur, & vos confundemini: ſerui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos præ contritione vlulabitis.

Et delectati ſumus, ne credatur repletio faſtidioſa, exultatio ficta, *in omnibus diebus noſtris.*

ſtris. Dies hîc appellantur bona æternitatis, ſecundum varias cogitationes veritatum, quæ omnes ſimul erunt, & omnes delectabunt animam. Hi enim ſut dies, de quibus in *Pſal.* Quis eſt homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Et rurſum: Notum fac mihi Domine finem meum, & numerus dierum meorum, quis eſt?

15. *Lætati ſumus.* Hîc ſecundum huius partis perſuaſoriæ, in quo perſuadet à lætitiæ & exultatione in ipſo malo pœnæ & eius effectu. Duo ergo dicuntur. Primò exultationem allegat in humiliatione & deiectione. Secundò in deiectionis continuatione & duratione, ibi, *Annis.* Dicit ergo: Sic iam quaſi tenemus æterna bona, & propter hoc *lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti*, abiiciendo, deiiciendo: quia hoc eſt quaſi illorum bonorum cauſa, & propter hoc venitur ad illa. *Tob.* 3. Poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lamentationem & planctum, exultationem immittis. Et *Bern.* dicit: Hoc lætitiæ genus neſcierunt cœli, Angeli ſcilicet, qui ſunt in cœlo, niſi per filios Eccleſiæ. Et addit. Opportunè poſt triſtitias gaudium ſubeſt, poſt laborē quies, poſt naufragium portus. Placet cunctis ſecuritas, ſed ei magis qui timuit: iocunda omnibus eſt lux, ſed ei, qui euaſit de poteſtate tenebrarum iocundior. Propter hoc dicit ſancta Iudith in 8. De vera humilitate gloriemur. *Iacob.* 1. Glorietur humilis in exaltatione ſua.

Annis. Hic ſecundum: Quaſi diceret: Læti ſumus pro diebus humiliationis, *annis* ſcilicet, ne putentur eſſe dies, *quibus vidimus* & ſenſimus mala pœnalia, ſecundum illud 1. *Machab.* 2. Viderunt mala quæ fiebant in populo Iuda. Et nota quod dicit: vidimus mala, non non videmus: & humiliaſti dixit ſuprà, non humiliabimur: bonum eſt enim humiliatum fuiſſe. *Pſal.* Bonum mihi Domine, quia humiliaſti me. Bonum mala vidiſſe, ſed non videre. 1. *Machab.* 3. Melius eſt nobis mori in bello, quàm videre mala gentis noſtræ, & ſanctorum.

In tribulationibus lætandū, multis de cauſis.

Et nota, quòd lætandum eſt pro tribulationibus, multis rationibus. Primò quia ſanant animam à morbo culpæ. *Iob* 5. Ipſe vulnerat, in corpore ſup. & medetur, in mente. Quia purgant ſanatam. *Sapient.* 3. Tanquam aurum in fornace probauit electos Dominus. *Pſal.* Igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas. *Auguſt.* Quod fornax, &c. Quia ardorem concupiſcentiæ ſedant. *Exod.* 14. Aquæ ſubmerſerūt Ægyptios, tribulationes motus carnis & feruores inordinatos. Quia audaciam ex vſu præſtāt, impugnando, & patienter ſuſtinendo. *Eccl.* 34. Qui non eſt expertus, qualia ſcit? Ad *Roman.* 5. Tribulatio patientiam operatur. Hinc dicit *Seneca*, Illum quæro, volo, & approbo, cuius dentes crepuerunt ſub pugna, qui ſanguinem ſuum fudit & vidit, & proiectus ab aduerſario ſuo, animum ſuum non proiecit. Quia intellectum illuminant. *Iſa.* 28. Vexatio dabit intellectum auditui. *Ierem.* 6. Per omne flagellum erudieris Iſraël. Quia Dei dilectionem ad afflictum demonſtrat. *Tob.* 12. Quia acceptus eras Deo, neceſſarium fuit vt tentatio probaret te. Ad *Hebr.* 12. & *Prouerb.* 3. Quem enim diligit Deus, caſtigat, & flagellat omnem filium, quem recipit. Quia ſecuritatem contra diuinum iudicium præſtant. *Naum* 1. Non conſurget duplex tribulatio. *Pſal.* Adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis, propterea non timebimus dum turbabitur terra. Quia noſtro capiti, Chriſto ſcilicet, nos conformant. 3. *Petr.* 2. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, &c.

16. *Reſpice in ſeruos.* Hîc ſecundum ſecundæ partis totius illius, in qua orat. Poſtquam enim petiit diuinæ virtutis oſtenſionem, & electorum manifeſtationem, conſequenter petit illorum promotionem & conſummationem in bono: & dicuntur duo. Primò explanat pro quibus orat. Secundò quid illis optat. *Et ſit ſplendor.* In prima duo. Primò rogat pro nobis iuſtis, qui tunc erant, vel iam fuerant. Secundò pro imitatoribus illorum qui ſuccedunt eis. *Et dirige filios.* In prima duo. Primò rogat pro bonis. Secundò allegat, quia Dei opus ſunt. *Et in opera tua.* Ait ergo: Hæc quæ rogaui Domine facias, & etiā Domine rogo iterū, *reſpice*, oculo miſericordiæ, *in ſeruos tuos.* Et ſtatim allegat cauſam, id eſt, *in opera tua.* Quaſi diceret: Propter hoc debes reſpicere, quia ſunt *opera tua.* *Iſa.* 64. Tu pater noſter, & nos lutum: tu factor noſter, & opera manuum noſtrarum omnes nos. Et propter hoc reſpice illo reſpectu de quo *Sapient.* 4. Et reſpectus in electos illius. *Iſa.* 64. Ecce reſpice, populus tuus omnes nos.

Dirige filios. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Rogaui, quòd reſpicias in ſeruos tuos, qui nunc ſunt, nec tantum in illos, imò *dirige filios eorum*, imitatores illorum, & ſucceſſores in bono, quales filij erant, vel eſſe debebant, quibus Paulus dicebat 1. ad *Corinth.* 4. Per Euangelium ego vos genui. Ad *Gal.* 4. Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. De hoc ſemine & filiis *Eccleſ.* 43. In teſtamento ſtetit ſemen eorum, & filij eorum poſt eos. Filij etiam poſſunt dici opera, quæ Deus in nobis dirigit, non nos illa noſtra virtute. Ad *Phil.* 2. Deus, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona volūtate. Hoc legitur etiam de Iudæis, qui tunc erant. *Gloſſa*, Et eorum filiis, & ſucceſſoribus, pro quibus Dauid rogat videns in ſpiritu futuram filiorum obſtinationem, & tamen conuerſionem illorum qui erunt in fine, ſecundum Prophetam *Iſa.* in 10. & Paulum 11. *Roman.*

17. *Et ſit ſplendor.* Hîc ſecundum, in quo magis explanat, quid illis optat, & ſunt tria. Primò optat gratiæ illuminationem. Secundò operum directionem, per illuminationem illam, ibi, *Et opera manuum.* Tertiò directorum vnionem in charitate, ibi, *Et opus manuum.* Dicit ergo: Sic rogaui vt reſpicias ſeruos, & filios illorum dirigas. Et quid petis à reſpiciente? Hoc: *Et ſit ſplendor*, lux gratiæ illuminantis interius, *Domini Dei noſtri*, hoc eſt, à Domino Deo noſtro nobis infuſa, *ſuper nos*, nobis dominans, nos regens, & continens: ſicut ſuper illos, qui dicunt ſuprà in *Pſal.* Signatum eſt ſuper nos lumen vultus, &c. Hic eſt ſplendor, qui promittitur *Iſa.* 58. Implebit ſplendoribus animam tuam. Et *Iob* 11. Quaſi meridianus fulgor conſurget tibi ad veſperam: fugatis enim

Gratia dominans, regens, & continens.

quaſi

quasi tenebris culpæ, facit quasi splendescere gratiam suam in cordibus electorum. 2. ad *Cor.* 4. Deus qui de tenebris fecit splendescere lumen suum, illuxit cordibus nostris.

Splendor etiam Domini, Dei Patris scilicet, est filius. Ad *Hebr.* 1. Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris. *Isa.*2. Propter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur vt splendor iustus eius, &c. Hunc ergo splendorem volo fieri super nos vt nos illuminet. *Ioan.*1. Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. His splendoribus tanquam imagine reformante reformatur in nobis imago scilicet similitudinis, ratio, memoria, & voluntas.

Et opera. Hîc est secundum. Quasi diceret: Sic splendor super nos sit, *& opera manum nostrarum dirige*, tu, inquam, existens per hunc splendorem, per hanc gratiam, *super nos*, quia aliter non possunt dirigi. *Ierem.* 10. Scio Domine, quòd non est hominis, vt dirigat gressus suos. Sed cuius est? Domini. *Prou.*16. Domini est dirigere gressus. Et 20. A Domino diriguntur gressus viri. Quis autem hominum potest dirigere gressus suos? *Psal.* suprà: A Domino gressus hominis dirigentur. Gressus autem idem sunt quod opera, siue interiora, siue exteriora. 2. ad *Thess.* 3. Dominus autem dirigat corda & corpora nostra in charitate Dei, & patientia Christi.

Et opus manuum. Hîc tertium. Quasi diceret: Sic dirige opera, vt in charitate fiant: & etiam *opus manuum nostrarum dirige*, vt ad vnum finem, ad vnum tendant præmium. Vnde soluitur hoc quod posset hîc quæri: quomodo cum dixerit ante, omnia opera manuum in plurali, nunc dicit opus in singulari? Et iterum, qualiter differt hic, & ibi, quod dicit, *Dirige?* Et est responsio ad primum secundum *Gregor.* quia sanctorum opera, & multa sunt, & vnum. Sic enim ait: Omnia præcepta, & vnum sunt, & multa. Multa per diuersitatem operis, vnum in radice charitatis. Iterum ad aliud patet: quia diriguntur opera dupliciter, quantum ad principium à quo sunt, scilicet charitatem, & hoc petiit primò: & quantum ad illud ad quod sunt, præmium scilicet & finem, & hoc petiit secundò. Item: quia petierat opera dirigi simpliciter, repetit vt dirigantur ad vnum omnia vniuersaliter, secundum illud, Vnam petij à Domino, hanc requiram, vitam scilicet æternam, ad quam nos perducat qui est benedictus, &c.

IN XC. PSALMVM.

Laus Cantici Dauid.

1. *Argumentũ Psalmi, tertius incarnationis & passionis fructus, repressio tentationis.*

QVI *habitat in adiutorio.* Hic est Psalmus 90. in toto libro, in secunda vero parte libri 60. Sicut enim dictum fuit superius in Psalmo 84. actum fuit de liberatione à malo culpæ, per mediatorem Christum, 89. de liberatione à malo pœnæ, tam innatæ, quam inflictæ, in hoc autem 90. agitur de liberatione à malo tentationis, à quo culpa. De diuersitatibus enim tentationum agitur in hoc Psalmo, & protectione confidentium in Christum, qui tentatus vicit diabolum. *Matth.* & *Luc.*4. Et de verbis etiam huius Psalmi roborata est diaboli tentatio. Vnde signanter dicitur in titulo huius Psalmi: *Laus Cantici Dauid.* Quasi dicat: In hoc subiecto Psalmo, est *laus*, non quæcumque, sed *Cantici*, hoc est, quod est Canticum, quod soli Deo, & de solis spiritualibus est. *Dauid* vero, hoc est, Christo cantanda. *Isa.*1. Cantate Domino quoniam magnificè fecit.

Diuiditur autem Psalmus in tres partes. In prima, diuina protectio in tentatione & pugna promittitur. In secunda monstratur victoria in pugna, ibi, *Cadent à latere tuo.* In tertia corona post pugnam, ibi, *Quoniam in me sperauit.* In prima duo. Primò promittit in Deo speranti liberationem. Secundò modum liberandi ostendit, & causam quare sperandum est in tali liberatore, ibi, *Dicet Domino.*

Dicit ergo: *Qui habitat*, per spem & confidentiam, *in adiutorio Altissimi*, Dei scilicet, non hominis puri, vt sit de illis, de quibus *Ierem.*17. Beatus vir qui confidit in Domino. *Habitat* etiam per deuotam orationem ipsum deprecando. *Bernard.* Non habitat in adiutorio Altissimi, qui non poscit Deum adiutorem suum, sed sperat in multitudine diuitiarum suarum. Qui habitat etiam per perseuerantiam in fide recta. *Bernard.* Non habitat in adiutorio Altissimi, qui in tempore credit, & in tempore tentationis recedit. Adiutorium Altissimi beata Virgo, quæ Deum Patrem adiuuit, vt vnicum habeant filium ipse & ipsa. *Genes.*2. Faciamus ei adiutorium simile sibi. In hoc est habitandum, tanquam in loco tutissimo. Suprà in *Psal.* Sicut lætantium omnium habitatio est in te. Qui sic habitat in adiutorio Altissimi, *commorabitur in protectione Dei cœli*, vt vndique concussus, prosperis scilicet, & aduersis, semper ab eo protegatur. *Prou.* 18. Turris fortissima nomen Domini, ad ipsum curret iustus, & saluabitur. *Psal.* Protector est omnium sperantium in se. Et alibi: Dominus protectio tua super manum dexteram tuam. Et Ieremias, postquam dixit: Benedictus vir qui confidit in Domino: adiecit statim: Et erit Dominus fiducia eius, vt cum ipso commoretur sicut mater & conquiescat, secundum illud *Deut.*33. In eo quasi in thalamo tota die commorabitur. *Psal.* Non commouebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem.

Adiutorium Altissimi B. Virgo.

Et nota, quòd Dominus suos adiuuat. Primo hostium virtutem & potentiam minuendo. *Iudith* 9. Erige brachium tuum sicut ab initio, & allide virtutem eorum. Impetum eorum flagellorum impediendo. *Iudith* 9. Tenuit pedes eorum abyssus, & aquæ operuerunt eos. Aquæ tribulationes, abyssus tribulationum immensitas appellatur. Suis impetendi audaciam tribuendo. *Iudith* 13. Confirma me Domine rex Israël, & respice in hac hora ad opera manuum tuarum. Virtutem ad pugnandum præstando. *Isa.* 40. Qui dat lassato virtutem, & his qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat. Coadiutores adiungendo Angelos ipsos. *Psal.* Immittet Angelus Domini in circuitu timentiũ eum. *Psal.* Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Arma tribuendo, de quibus

Quomodo Deus nos adiuuat.

bus *Epheſ.6.* Accipite armaturam fidei. Et 2. *Mach.vltim.* Accipe gladium ſanctum, munus à Deo tibi miſſum, in quo deiicies, &c. Longanimitatem & perſeuerantiam tribuendo. *Pſal.* Poſuiſti vt arcum æreum brachia mea. *Iſa.40.*

2. Current, & non laborabunt: laborabunt, & non deficient.

Dicet Domino. Hîc ſecundum, in quo oſtendit modum ſperandi & cauſam: & ſecundum hoc duo dicuntur. Primò oſtendit modum. Secundò cauſam, ibi, *Quoniam ipſe.* In prima duo, ſecundum duo, quæ ſunt in bono modo ſperandi in Deo. Primum eſt diuinæ bonitatis confeſſio. Secundò ſpei in ipſum, ipſa voce expreſſio, ibi, *Sperabo in eum.* In prima tria. Primò confeſſio gratiæ promouentis ad bonum. Secundò liberantis à malo. *Et refugium meum.* Tertiò conferentis ipſum eſſe, ibi, *Deus meus.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd qui ſperat, adiuuabitur. Sed quomodo ſperat? Sic: *Dicet Domino*, voce confeſſionis & gratiarum actionis: *Suſceptor meus es tu*, ad bonum faciendum. Suprà in *Pſal.* Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti mei. *Eccleſ.51.* Adiutor & ſuſceptor factus es mihi, & liberaſti corpus meum à perditione. *Iſa.42.* Ecce ſeruus meus ſuſcipiam eum. Vel *ſuſceptor meus es tu*, tanquam medicus infirmi ad curandum. *Sapient.16.* Neque herba, neque malagma ſanauit eos Domine, ſed omnipotens ſermo tuus, qui ſanat omnia.

Et refugium meum, liberando à malo, à quo recedens & fugiens per te, venio ad te. *Eccleſ.21.* Quaſi à facie colubri fuge peccatum. Currens ad Dominum vt ad refugium. *Pſal.* Tu es refugium meum à tribulatione quæ circumdedit me. Et alibi: Deus noſter refugium & virtus. Securum & tutum refugium. *Iob 18.* Libera me Domine, & pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me. *Deus meus* es tu, per creationis beneficium. *Eccleſ.18.* Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul.

Sperabo in eum. Hîc ſecundum, expreſſio ipſius ſpei per vocem. *Iob 13.* Etiamſi occiderit me, ſperabo in eum.

3. *Quoniam ipſe liberauit.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit ſperandi cauſam, & aſſignatur duplex. Primò ſuſceptum iam à Deo beneficium. Secundò ſuſcipiendum, ibi, *Scapulis ſuis.* Suſceptio duplex. Liberatio à tentatione diaboli, quam facit blandiendo. Secundò ab illa, quam facit detrahendo, ibi, *Et à verbo aſpero.* Dicit ergo: Sic ſperabo, & iuſtum eſt, *quoniam ipſe*, non ego, *de laqueo venantium*, de tentatione dæmonum, quæ eſt vt laqueus, illa ſcilicet, qua blanditur & illaqueat. *Iſa.24.* Qui explicauerit ſe de fouea, tenebitur laqueo. De hoc petit liberari infrà in *Pſal.* Cuſtodi me à laqueo, quem ſtatuerunt mihi. Quia ſicut alibi dicitur, Laqueum parauerunt pedibus meis.

Diabolus venator, homo beſtia quam venatur.

Et nota, quòd diabolus venator eſt. *Gen.1.* Nembroth autem cœpit eſſe fortiſſimus venator, & potens in terra. Interpretatur autem apoſtata, vel tyrannus, quorum vtrumque competit diabolo, qui & apoſtatauit à Deo per ſuperbiam, & tyrannus eſt per crudelitatem quam exercet contra hominem. Homo autem eſt beſtia, quam venatur. Vnde *Bernard.* Quid ſuperbis, ô homo? quid ſecurum te iactas? vide quia beſtia factus es, cui laquei præparantur. Habet autem pro retibus mulieres pulchras. *Eccleſ.7.* Inueni mulierem morte amariorem: laqueus venatorum eſt, & ſagena cor eius. Et diuitias. 1. ad *Timoth.6.* Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum diaboli. Et ſicut venator conſiderat tempus & locum, quia non venatur beſtias, quæ non ſunt de ſayſo, ſcilicet homines pauperes & abiectos, reputat enim eos beſtias macilentas: ſed diuitiis & dignitatibus impinguatos. *Abac.1.* Incraſſata eſt pars eius, & cibus eius electus. Locum, quia præterit tuguria pauperum, miſerorum domicilia, carceres captiuorum, & non ceſſat circuire regum palatia & principum, cathedras Epiſcoporum & doctorum, capitula clericorum, nundinas mercatorum, & tabernas guloſorum. Super 4. *Matt.* dicit *Gloſſa*, Tentationibus congruunt loca *Thren.3.* Venatione ceperunt me.

Et à verbo aſpero, à tentatione quam emittit detrahendo, ſicut accidit in illis, qui timore linguarum detrahentium, vel cultum Chriſtianitatis blaſphemantium, dimittunt facere bona. *Iob 15.* Sonitus terroris ſemper in auribus eius. Et in *Pſal.* Ibi trepidauerunt præ timore, vbi non erat timor.

Triplex verbum aſperii, à quo Deus ſuos liberat.

Nota etiam, quòd eſt triplex verbum aſperum, à quo Deus ſuos liberat. Primum eſt: O vos mortui, qui iacetis in ſepulchris, ſurgite, & venite ad iudicium. Secundum aſperius: Eſuriui, & non dediſtis mihi comedere. Sed tertium eſt aſperrimum: Ite maledicti in ignem æternum, &c. *Iob 5.* A flagello linguæ abſconderis. Et in *Pſal.* Ab auditione mala non timebit. *Bernard.* Suſtinuiſti Domine hoc verbum aſperum: Tolle, tolle, crucifige eum, vt nos ab illo verbo aſpero liberares: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt, &c.

4. *Scapulis ſuis.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit in Deo ſperandum eſſe propter beneficium ſuſcipiendum. Et eſt hoc beneficium liberationis à tentatione: & dicuntur duo. Primò tanguntur genera & modi defenſionum ſperandarum. Secundò tentationum, à quibus liberat & defendit, ibi, *Non timebis.* In prima duo. Primò, quòd defendit & dulciter. Secundò, quòd potenter, ibi, *Scuto circumdabit.* In prima duo. Primò tangitur dulcis defenſio ab ardore tentationis. Secundò quaſi dicti expoſitio, ibi, *Et ſub pennis.* Dicit ergo: Sperandum eſt in Deo, quia prædicta bona fecit mihi, & etiam faciet adhuc alia, quia, ô tu quicumque es in aduerſitate & ardore tẽtationis, *ipſe obumbrabit tibi*, refugiũ tribuendo, *ſcapulis ſuis*, propriis. *Pſal.* Obumbraſti ſuper caput meum in die belli *Luc.1.* Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ecce ſcapulæ, in quibus portatur onus, hæc vmbra, quam deſiderabat ſponſa *Cant.2.* Sub vmbra illius quem deſideraueram, ſedi: & fructus eius, &c. *Iſa.4.* Erit in vmbraculum diei ab æſtu. Non eſt hæc vmbra hederæ, vel cucurbitæ, quæ ſtatim ſuper caput Ionæ exaruit *Ion.3.*

Sed quia poſſet aliquis mirari, quomodo ſcapulis poſſit obumbrare, ideò exponit ſe, *& ſub pennis eius*, quæ protegunt à parte anteriori,

ſperabis,

ſperabis, hoc eſt, ſperare poteris. Alas appellat quod dixerat ſcapulas. Pennas de quibus ſuprà: Sub vmbra alarum tuarum ſperabo, donec, &c. & *Mal. vlt.* Sanitas in pennis eius. Hinc eſt quod comparat ſe gallinæ ſub alis pullos ſuos congreganti. *Matth.* 23. Quoties volui congregare pullos tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſub alas, &c. Item ſcapulæ poſſunt referri ad operationem mirabilium Dei. Per operationes enim virtus oſtenditur, ſicut per ſcapulas hominis fortitudo. In alis autem, quæ in altum auem ſubleuant, prophetica & legalis inſtructio.

5. *Scuto circumdabit te.* Hîc ſecundum, in quo promittit, quod defendet potenter: quod poteſt notari in ſcuto. Ait enim: Sic ſcapulis & alis proteget te benigniter, & etiam potenter, quia *veritas eius*, quæ perſonas non accipit, ſed omnes in ſe ſperantes protegit. *Act.* 10. Non eſt perſonarum acceptio apud Deum. *Circumdabit te ſcuto* potentiæ & virtutis ſuæ. 2. *Reg.* 22. Dominus ſcutum meum, & robur meum. Hoc autem ſcutum eſt recordatio paſſionis & laboris Chriſti, qua protegit ab omni malo, ſecundum illud *Thren.* 3. Dabis eis ſcutum cordis, laborem tuum. Et in *Pſal.* Scuto bonæ voluntatis tuæ, qua pro nobis mori & pati voluiſti: coronaſti nos, vt nos defenderes ab hoſte.

Non timebis à timore. Hîc ſecundum, in quo poſt diuerſitates liberationum ſubiungit de diuerſitate tentationum, à quibus liberat: & dicuntur quatuor ſecundum quatuor tentationum genera, à quibus liberat. Prima eſt leuis & occulta, de qua primò. Secunda, leuis & aperta, de qua ſecundò, ibi, *A ſagitta volante.* Tertia, grauis & occulta, de qua tertiò, ibi, *A negotio perambulante in tenebris.* Quarta, grauis & aperta, de qua quartò, ibi, *Ab incurſu.* Vel ſic: Primò promittit liberationem ab illa quæ accidit ex timore aduerſitatis. Secundò ab illa quæ ex blandimento proſperitatis. Tertiò ab illa quæ ex ſubreptione vel ignorantia. Quartò ab illa quæ ex coactione & violentia: & ſignantur in eiſdem locis. Homo enim ruit in peccatum, vel quia timet, vel quia allicitur, vel quia ignorat, vel quia cogitur. Dicit ergo: Sic proteget ſcapulis & pennis, & ſcuto circumdabit te: & ſic non timebis, id eſt, ſecurus eſſe poteris, *à timore nocturno.* Timor nocturnus, puſillanimitas quædam latens interiùs appellatur, qua tentatur homo, etſi leuiter, tamen latenter. *Bernard.* Timor nocturnus, puſillanimitas, propter quam ſcutum non eſt deſerendum. *Prou.* 31. de forti muliere, quæ protegitur iſto ſcuto: Non timebit domui ſuæ à frigoribus niuis. *Ierem.* 17. Non timebit cum venerit æſtus, & in tempore ſiccitatis non erit ſollicitus. Sed de non protectis à Domino dicitur *Sapient.* 16. Dormientes monſtrorum excitabantur timore. *Iſa.* 35. Dicite puſillanimes, confortamini, & nolite timere.

Quatuor tentationum genera.

6. *A ſagitta volante.* Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic poteris non timere à timore nocturno, & etiam à ſagitta, id eſt, tentatione, *volante in die*, facta in aperta cognitione illius qui tentatur. Hæc ſagitta volans, adulatio blandiens. *Ierem.* 9. Sagitta vulnerans, lingua eorum: dolum loquuta eſt. Citò enim & leuiter volat adulatio, & vſque ad intima cordis penetrat, & vulnerat per inanem gloriam, & citò valdè occidit animam. Hæc eſt altitudo diei, de qua ſuprà in *Pſal.* Ab altitudine diei timebo, ego vero in te ſperabo.

A negotio. Hîc tertium. Quaſi diceret: Sic ab occulta & leui tentatione non timere poteris, & leui & aperta: & etiam *à negotio perambulante in tenebris*, non timebis, repete, ſcilicet à grauiori tentatione & occulta, quæ eſt ambitio. De ambitione *Bernard.* Ambitio eſt ſubtile malum, ſecretum vitus, peſtis occulta, doli artifex, mater hypocriſis, liuoris parens, vitiorum origo, virtutum rubigo, tinea ſanctitatis, cicatrix cordium, ex remediis morbos cauſans, ex medicina languorem, alienat mentem, obliuiſci facit veritatem, negotium agit tenebrarum, proditionem inueſtigando, & iniquitatem virtutum imagine palliando. Ad *Epheſ.* 5. Quæ in occulto faciunt, turpe eſt dicere. *Ioan.* 12. Qui ambulat in tenebris, neſcit quò vadat.

Ambitionis elegans deſcriptio.

Ab incurſu. Hîc eſt quartum. Quaſi diceret: A prædictis tentationibus non timebis: & etiam non timebis *ab incurſu*, *& à dæmonio meridiano*, id eſt, dæmonio meridiano in aperto, tanquam in meridie ingruente, id eſt, grauiter impellente, & tentante. Grauiter enim dæmon impellit tanquam leo ſæuiſſimus. 1. *Petr. vlt.* Aduerſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit, &c. Et eſt meridianus, quando quod apertè malum eſt, ſuggerit, ſicut in Anti-Chriſto faciet. Et nota quod dicit *Bernardus*: Incipientes tentat timor nocturnus, proficientes ſagitta volans, negotium perambulans in tenebris Prælatos, ſed dæmon meridianus Doctores. Et hij dicere poſſunt illud *Matth.* 15. Filia mea malè à dæmonio vexatur.

7. *Cadent à latere.* Hîc eſt ſecunda pars totius huius partis, in qua poſtquam actum eſt de confidentia in Deo in pugna, & rationibus confidendi in ipſo, ſubiungitur hîc de victoria in pugna per Chriſtum habita. Duo autem dicuntur. Primò victoria bonorum, malis peditis & damnatis. Secundò de actore victoriæ, & miniſtris, ibi, *Quoniam tu es Domine.* In prima tria. Primò aliquorum qui ſe bonos æſtimant, per tentationem, & malorum impulſionem deiectio. Secundò bonorum victorioſa liberatio. *Ad te autem non appropinquabit.* Tertiò malorum, per quos qui videbantur boni, deiecti ſunt, recta punitio & aperta, ibi, *Verumtamen oculis tuis.* In prima duo. Primò aliquorum qui videntur in perfectionis ſtatu, deiectio. Secundò plurium, qui in ſtatu imperfectionis. *Et decem millia.* Dicit ergo: Sic de te & in te confidentes Domine adiuuabis: ſed de ſe præſumentes, *cadent mille*, in tentatione, & hoc, *à latere tuo*, quales ſunt perfecti, qui omnia reliquerunt propter Chriſtum.

Notandum enim, quòd eſt latus Chriſti naturale, quod ſcilicet perforatum fuit in cruce, ſicut habetur: Vnus militum lancea

aperuit latus eius. *Ioan.19.* & ſtatim exiuit ſanguis, & aqua : ſanguis in ſignum noſtræ redemptionis, aqua in ſignum baptiſmalis ablu-
Latus ſpirituale Chriſti, aſſeſſores in iudicio. tionis. Et eſt latus ſpirituale, ſocietas aſſeſſorum ſuorum in iudicio, hoc eſt, perfectorum, qui coniudicabunt. *Matth.* 19. Amen dico vobis, quod vos qui ſecuti eſtis me, &c. Sic accipitur hîc, ſicut dicimus conſiliarios Prælati, & familiam, latus ipſius. *Iob* 15. De lateribus illius aruina dependet. *Bernard.* Sanum te dixerim dolentem latera ? Quaſi dicat : Nullo modo : loquitur ad Eugenium Papam. De latere ergo Chriſti, proh dolor! multi cadunt : nec mirum cum ceciderit Lucifer. *Iſa.* 14. Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris ? Propter hoc bonum eſt conſilium *Eccleſ.*2. Ne deflectatis ab illo, ne cadatis. 1. ad *Cor.*10. Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat : quia *Luc.*24. dicitur : Videbam Sathanam, quaſi fulgur de cœlo cadentem.

Per decem millia, quod eſt maius, *à dextris tuis*, id eſt, de illis qui ſe exiſtimant futuros à dextris, & cum bonis iudicandis tanden ſaluandos : vt ſint de illis, de quibus dicitur, Agnos quidem ponet à dextris *Matth.*25. Per latus etiam dextrum deſignatur proſperitas, per ſiniſtrum aduerſitas. Significatur ergo, quod plures cadent à latere dextro Dei, id eſt, à proſperitate, quàm à ſiniſtro, id eſt, ab aduerſitate. *Prouerb.* 1. Proſperitas ſtultorum perdet eos. 2. *Reg.* 11. Dauid in auduerſitate humilis, & charitatiuus : in proſperitate cecidit in adulterium, & ſeditionem, & homicidium.

Ad te autem. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic cadent præſumentes de ſe : *ad te autem*, ô Chriſte, id eſt, ad totum corpus tuum, congregationem ſcilicet electorum, *non appropinquabit*, vt animam lædat, fidem corrumpat finaliter, etſi tamen temporaliter affligat, ſecundum illud *Iob* 9. Terra tradita eſt in manus impij. Sed in primo dicitur : Veruntamen animam eius ſerua.

8. *Veruntamen oculis.* Hîc tertium, ſcilicet malorum, per quos boni in apparentia deiecti ſunt, punitio : & dicuntur duo. Primò diligens culpæ illorum conſideratio. Secundò digna pro culpa punitio. *Et retributionem.* Dicit ergo : Sic Domine à latere tuo cadent aliqui, ſed plures à dextris : ſed te non tangent, victor eris : & hoc non impunè facient, quia *tu oculis tuis*, videntibus quæ fecerunt mali, qui eos impulerunt, *conſiderabis*, quantitatem culpæ eorum. *Prouerb.* 16. Omnes viæ hominis patent oculis eius. Ad *Hebr.* 4. Omnia nuda ſunt & aperta oculis eius, ad quem nobis ſermo. *Iob* 14. Veſtigia pedum meorum conſiderasti. Sic videbis oculis propriis : videbis etiam oculis membrorum, quia certè in fine ipſa membra Chriſti, videbunt oculis ſuis iniquitates & culpa impiorum, qui bene tui oculi tunc dicuntur, non modò. *Bernard.* Quomodo tuos hîc dixeris oculos, quos ſomnus occupat, fumus turbat, puluis ſauciat, & humor obnubilat, & nouiſſima mors excæcat ? *Eccleſ. vlt.* Obtenebreſcent videntes per foramina. Tunc tui erunt oculi, cùm omnia iſta non erunt, cùm eis vteris ad libitum tuum, tam liberè quàm ſecurè.

Et retributionem. Hîc ſecundum, ſcilicet digna pro culpa retributio. Quaſi diceret : Sic conſiderabis eorum merita, *& videbis* poſtea, & in te & in membris tuis, *retributionem eorum dignam. Pſal.* Cum perierint peccatores, videbis eorum dignam retributionem, ſecundum illud *Iſa.*27. In menſura contra menſuram, cum abiecta fuerit, iudicabit eam. *Luc.* 6. Eadem menſura qua menſi fueritis, remetietur vobis. *Apoc.*18. Quantum glorificauit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.

Quoniam tu es Domine. Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur de authore & miniſtris liberationis, & victoria bonorum, malis deiectis: & dicuntur duo. Primò de authore, & eius virtute. Secundò de miniſtris, ſcilicet Angelis. *Quoniam Angelis ſuis.* In prima duo. Primò tanquam cauſa ſecuritatis, ſpes in Chriſto & refugium tangitur. Secundò ſubiungitur effectus ſequens ex cauſa, ibi, *Non accedet ad te.* In prima duo, ſecundum duo quæ in Chriſto conſiderata ſecurum faciunt, quod ſit ſpes de bonis adipiſcendis, refugium de malis cauendis, ibi, *Altiſſimum.* Dicit ergo : Sic malis cadentibus boni ſtabunt : & , ô *Domine, tu es ſpes mea*, de bonis æternis adipiſcendis. *Ierem.* 16. Spes mea tu in die afflictionis. *Bernard.* Sperent hi in ſcientia literarum, hi in aſtutia mundi, hi in qualibet ſæculi vanitate, mihi adhærere Deo bonum eſt : ſi ſæuiat mundus, ſi fremat malignus, ſi caro aduerſus ſpiritum concupiſcit, ſi conſurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo. 9.

Chriſtus ſpes noſtra & refugium noſtrum.

Altiſſimum. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic es ſpes de bonis adipiſcendis, & etiam *poſuiſti refugium tuum*, ad quod refugiamus in cauendis malis, non creaturam aliquam, ſed *altiſſimum*, filium ſcilicet à morte ſuſcitatum, ſi eſt ſermo ad Patrem. Vel teipſum, ſi ſit ſermo ad filium, qui es altiſſimus IESV-CHRISTE. *Pſal.* Mirabilis in altis Dominus. Hoc refugium Iob, qui dicebat in 17. Libera me Domine, & pone me iuxta te, & cuiuſuis manus, &c. Ibi *Gregor.* In altum mentem fixerat, & ideo hoſtis ad eum accedere non valebat. Et quamuis altiſſimum ſit hoc refugium, eſt tamen optimum, & ſecurum valdè. *Bernard.* Ad omnem tribulationem, ad omnem neceſſitatem aperta nobis eſt arx refugij, ſinus matris expanſus, parata foramina petræ, viſcera Dei noſtri, nimirum patentia ad introeundum. Propterea clamat *Iſa.* in 2. Ingredere in petram, & abſcondere in foſſa humo. 2. *Reg.* 22. Eleuator meus, & refugium meum.

Non accedet ad te. Hîc ſecundum, ſcilicet effectus ſpei iuſtorum : & dicuntur duo. Primò conſeruatio totius Chriſti, quantum ad animam. Secundò quoad corpus. *Et flagellum.* Dicit ergo : Sic es ſpes, ſicut refugium: & quoniam ſic es, ô tu Chriſte, *non accedet ad te malum*, nec ad te qui caput es, nec ad membra tua. Malum, inquam, culpæ, de quo *Eccl.*15. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: 10.

lum: ad quod voluerit, mittet manum ſuam. Sed hoc malum non accedet ad Chriſtum, & ſuos. *Iſa.*12. Non nocebunt,& non occident in omni monte ſancto meo.

Et flagellum, pœnarum miſeriæ, *non appropinquabit tabernaculo tuo*, corpori tuo, quod eſt tabernaculum animæ tuæ. Hoc tabernaculum, de quo in *Pſal.* In ſole poſuit tabernaculum ſuum. Et rurſus *Leuit.*26. Ponam in medio veſtri tabernaculum meum. Nec corporibus tuorum, quæ ſunt ſimiliter tabernacula, & ſunt tua. *Iob* 11. Et ſcies quoniam pacem habeat tabernaculum tuum. In corpore ſuo tanquam in tabernaculo habitat, qui mundum & ſanum ipſum conſeruat, nec conſentit diabolo, & peccato, vt inde faciat aram porcorum. 1.ad *Cor.*6. An neſcitis quoniam corpora veſtra templa ſunt Spiritus ſancti? Et non eſtis veſtri. Talibus flagellum non appropinquat, vt illis noceat,ſed impiis,ſecundum illud *Iſa.*28. Flagellum inundans cum tranſierit, eritis quaſi in conculcationem.

11. *Quoniam Angelis.* Hîc ſubiungitur de miniſtris victoriæ: & dicuntur tria. Primò demandatio ipſis miniſtris, vt ſcilicet conſeruent. Secundò officij exequutio, ſcilicet conſeruatio, ibi, *In manibus.* Tertiò quod ſequitur ex hoc, aduerſantium conculcatio. *Super aſpidem & baſiliſcum.* In prima duo. Primò, quòd facta eſt Angelis demandatio. Secundò oſtenditur de quo, ibi, *Vt cuſtodiant.* Dicit ergo: Sic Domine refugium es, & ſpes, & propter hoc nec malum accedet ad te, nec flagellum: & etiam quicumque es de corpore Chriſti, *Deus mandauit*, id eſt, mandatum dedit, *Angelis ſuis, de te. Hebr.*1. Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. Quid mandauit? *Vt cuſtodiant te. Iſa.*62. Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes. Et *cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Exod.*33. Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedet te. Angelus deducit in via Tobiam iuniorem, à 1. *Tob.* vſque ad 13. *Bernard.* Parum eſt quod fecit Angelos ſuos ſpiritus, fecit eos & pædagogos. Et iterum dicit: In quouis angulo ſunt Angeli, ne audeas illo præſente, quod me præſente non auderes.

Mandatum Angelis vt nos cuſtodiant.

Quæ ſint viæ hominum, dæmonum, Angelorum, & Dei.

Et nota, quòd dicit, *in omnibus viis tuis:* ſunt enim viæ hominum, vanæ concupiſcentiæ, à quibus retrahit eos. In *Eccleſ.*18. Poſt concupiſcentias tuas non eas. Sunt etiam viæ dæmonum, ſcilicet præſumptio, & obſtinatio in malo: qui per has incedit, per vias dæmonum vadit. Per has itur quadrupliciter. Primò per diſſimulationem defectus proprij. Sic incedit de quo Paulus ait: Qui ſe exiſtimat aliquid eſſe, cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit, ſeorſum à via Dei ducit, & inducit in viam dæmonum. Secundò per ignorantiam ſui, quid ſit in natura, quia puluis, & cinis. *Iacob.*4. Quid eſt vita noſtra? Vapor ad modicum parens. Tertiò per excuſationem peccati cogniti, ſicut Adam in muliere: Mulier quam dediſti mihi, dedit mihi, & comedi. Quartò per contemptum cogniti & confeſſi, ſicut ille, de quo *Prouerb.*18. Impius cum venerit in profundum peccatorum contemnit. Et eſt via Angelorum, qua aſcendunt contemplando, deſcendunt autem miniſtrando, quâ incedere debent Prælati. *Geneſ.*28. Iacob vidit Angelos aſcendentes, & deſcendentes. Et eſt via Dei duplex: coniuncta ſcilicet miſericordia & veritas. *Pſal.* Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas. His ambulandum,verum confitendo de conſcientia ſua pura, dolendo de culpa, & ſibi miſerendo.

In manibus portabunt te. Hîc eſt ſecundum, ſcilicet officij iniuncti plena exequutio. Primò ex parte ſeruientis, quia portat. Secundò ex parte portati, quia non offendit. *Ne forte.* Vel, in primo officij exequutio. Secundò ratio & neceſſitas exequendi illud. *Ne fortè.* Dicit ergo: Sic *Angelis mandauit de te, vt te cuſtodiant*, & ipſi implentes officium, ô tu Chriſte, & loquitur toti corpori, *portabunt te in manibus.* Non quia Angelus habeat manus hoc dicitur, ſed eius virtus & potentia, manus appellatur eius. *Daniel.*13. Angelus Domini portauit Abacuc vſque ad lacum leonum vbi erat clauſus Daniel. *Et in manibus. Ezechiel.*10. Extendit Cherubim manum ſuam. Et in 43. Aſſumpſit me ſpiritus, & eleuauit me. *Act.*8. Angelus Domini portauit Philippum in Azotum. 12.

Ne fortè. Ecce ratio & cauſa talis officij. Quaſi diceret: Sic portabunt, & hoc, *ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*, hoc eſt, ne inclines ad culpam. *Prouerb.*4. Ducam te per ſemitas æquitatis, quas cum ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum. Lapis etiam Chriſtus. *Pſal.* Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, &c. Ad hunc offendit, qui recta fide in eum non credit. *Iſa.*8. Erit in lapidem offenſionis, & petram ſcandali.

Effectus cuſtodiæ Angelorum.

Et eſt notandum hîc, quòd Angeli adiuuant & cuſtodiunt nos, & exiſtentes in peccatis, & exiſtentes in gratia & operibus bonis. In peccatis cuſtodiunt. Primò dæmones arcendo. *Tob.*10. Raphaël Angelus ligauit dæmonem, qui interfecerat ſeptem viros Saræ. Secundò hoſtes viſibiles coërcendo. *Geneſ.*32. Iacob timenti fratris incurſum, obuia fuit Angelorum multitudo, & dixit: Caſtra Dei ſunt hæc. 4. *Reg.*6. Puer Eliſei perterritus propter hoſtium multitudinem, vidit maiorem copiam Angelorum. *Ioſ.*5. Apparuit Angelus cui ait: Noſter es, an aduerſariorum? Tertiò dormientes in peccatis excitando. *Act.*12. Percuſſóque latere Petri, excitauit eum, &c. Quartò admonendo vt reſipiſcant à peccatis. *Iudic.*2. de Angelo, qui improperauit filiis Iſraël, & leuauerunt vocem ad Dominum, & fleuerunt. Quintò tentationem mitigando. *Daniel.*3. Angelus Domini deſcendit cum Azaria, & ſociis eius in fornacem, & fecit medium fornacis, tanquam ventum roris flantem. Sextò ſi læſi fuerimus, curam adhibendo. *Tob.*11. Angelus docuit minorem Tobiam, vt de felle piſcis liniret oculos patris, & viſum reciperet.

Item ambulantes in bonis operibus adiuuant. Primò viam demonſtando. *Tob.*6.

Angelus oſtendit Tobiæ iuniori, viam qua iretur in Rages ciuitatem Medorum. Secundò impedimenta auferendo de via. *Exod.*33. Præcedat te Angelus meus, & eiiciam à facie tua Amorrhæum, Ethæum, & Iebuſæum, &c. Tertiò negligentem inuitando. 3. *Reg.*19. Surge, comede: grandis enim tibi reſtat via, dixit Angelus Eliæ pigritanti. Quartò inſtruendo in dubiis & perplexitatibus. *Matth.*2. Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. *Dan.*8. dixit Angelus ad Angelum, Fac Danieli intelligere viſionem. Quintò ſupplicando pro bonis. *Dan.*10. Nemo eſt adiutor noſter in omnibus his, niſi Michaël. Adiuuare autem erat orare, vt adimpleretur deſiderium. Sextò orationes noſtras & eleemoſynas Domino præſentando. *Tob.*12. Cum orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino. Propter hoc dicitur *Iſa.*6. Sex alæ vni, qui adiuuat peccatores, & ſex alæ alteri, qui adiuuat in bonis proficientes.

13. *Super aſpidem.* Hîc tertium, quod ſequitur ex primis, ſcilicet dæmonum conculcario ſecundum omne genus tentandi. Tentat enim aut occultè, & hoc dupliciter. Voluntatem, & intentionem corrumpendo vt velit malum, & intendat, ſic eſt aſpis. Aut bonum impediendo quod inceptum eſt, ſic eſt baſiliſcus qui flatu interficit, quia retrocedere facit à bono. Aut apertè, & hoc vel in principio operis, obuiando bono, & ſic eſt leo, aut in fine perſeuerantiam auferendo, & ſic eſt draco. Dicit ergo: Sic Deus mandauit Angelis, & ſic agent: & propter hoc, *tu ambulabis*, quicumque de corpore es Chriſti, *ſuper aſpidem*, ſuper dæmonum voluntatem, & intentionem, interius venientem. *Pſal.* Venenum aſpidum ſub labiis eorum. Quaſi diceret: Venenum peſſimum portant ſub labiis, quia aſpidum. *Deuter.*32. Et venenum aſpidum inſanabile. De hypocrita etiam dicitur *Iob* 20. Caput aſpidum ſuget, hoc eſt, venenum dæmonum in principio operis malum ſuadentium.

Et baſiliſcum. Baſiliſcus rex ſerpentum, & vocatur alio nomine regulus, & flatu interficit, & ſignat diabolum, qui flatu latenti hominem à bono opere retrahit, & quaſi repellit. *Iſa.*14. De radice colubri egredietur regulus, & ſemen eius abſorbens volucrem, hominem ſcilicet in bono proficientem.

Et conculcabis leonem, apertè ſæuientem, & ad malum impellentem. 1. *Petr.vlt.* Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, &c. *Prou.*22. Dicit piger: Leo eſt foris, in medio platearum occidendus ſum.

Et draconem, conculcabis, ſup. dæmonem, occulte bonis inſidiantem, & illa deſtruentem. *Apocalypſ.* 22. Draco traxit poſt ſe tertiam partem ſtellarum. Has tentationes omnes, adiutorio Angelorum ſancti conculcant. *Geneſ.* 3. Ipſa conteret caput tuum. *Ioſ.* 5. Ponite pedes ſuper tuum colla regum iſtorum.

14. *Quoniam in me ſperauit* Hîc tertium totius huius partis, in quo ad conſolationem ſubiungit fructus victoriæ & victorum remunerationem. Primò in amotione mali. Secundò in collatione boni, ibi, *Et glorificabo eum.* In prima tria. Primò promittit liberationem ab omni culpa, merito ſpei habitæ in ſe. Secundò protectionem in tentatione ad culpam inclinante merito fidei, ibi, *Protegam eum.* Tertiò ereptionem ab omni malo, merito deuotæ orationis ſurgentis ex charitate, ibi, *Clamauit.* Dicit ergo: Sic vides authorem Deum, & Angelos miniſtrantes: & poſt hæc omnia liberabo eum, id eſt, liberum reddam eum ab omni culpa, vt iam amplius non peccet. Et hoc *quoniam in me ſperauit. Pſal.* In te Domine ſperaui, non confundar in æternum, confuſione culpæ. *Eccleſiaſt.* 2. Nullus ſperauit in eo, & confuſus eſt. Hæc eſt libertas vera, de qua *Ioan.* 8. Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Et dulcis. *Bernard.* Dulciſſima libertas Chriſti in ſe ſperantibus. Propter hoc dicit Dauid: Deus meus ſperabo in eum.

Protegam. Hîc protectio à tentatione, fidei merito: & dicuntur duo. Primò protectio. Secundò ratio, ipſa fides. *Quoniam.* Dicit ergo: Sic liberabo eum à malo culpæ, merito ſpei, & etiam *protegam eum. Pſal.* Protector eſt ſperantium in ſe. *Iſa.* 30. Proteget Dominus exercituum Ieruſalem: protegens, liberans, tranſiens, & ſaluans. Protegens vt ſtrenuus, liberans vt prouidus, tranſiens tanquam ſollicitus, & ſaluans vt pius.

Quoniam cognouit. Hîc ratio protectionis, ſcilicet *quoniam cognouit nomen meum*, quod eſt nomen omnipotentiæ. Cognouit, inquam, cognitione fidei ænigmatica. *Exod.* 15. Omnipotens nomen eius. Nec tantum in ſe cognouit, ſed etiam alios cognoſcere fecit. *Ioan.*18. Pater, manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi. Cognouit etiam cognitione approbationis, & timoris, vt ipſum timeat & reuereatur. *Bernard.* Non nouit nomen Domini, qui ipſum in vanum accipit. *Exod.*20. vel qui dicit, Domine, Domine, & non facit quæ dicit: qui non honorat vt patrem, nec timet vt Dominum. *Malach.* 1. Si ego pater, vbi eſt honor meus? Filius quippe honorat patrem, & ſeruus timet Dominum ſuum. Et qui non deſiderat vt ſemper ſanctificetur in eo. *Matth.*6. Sanctificetur nomen tuum.

Clamauit ad me. Hîc eſt tertium, ereptio à malo pœnæ, merito deuotæ orationis, quæ ſurget ex charitate: & dicuntur tria. Primò orationis deuotio. Secundò exauditio orantis ſic, tanquam in generali. *Et ego exaudiam.* Tertiò ſpecificatio in quo exaudietur, ibi, *Cum ipſo ſum.* Dicit ergo: Sic merito ſpei liberabo eum à malo culpæ, merito fidei à malo tentationis & impellentis ad culpam. *Et* etiam *clamauit ad me*, toto corde, & feruore cordis. *Iſa.* 22. Ad me clamauit ex Seir.

Et ego exaudiam eum. Ecce ſecundum: ſtatim enim audit. *Iſa.*30. Ad vocem clamoris tui, ſtatim cum audierit, reſpondebit tibi. Imò antequam clames, dum habes deſiderium clamandi.

mandi. *Iſa. penult.* Et erit, antequam clament, ego exaudiam: verum eſt voce: adhuc illis clamantibus ego exaudiam, clamantibus, inquam, corde. *Pſal.* Deſiderium cordis eorum audiuit auris tua.

Et nota ordinem. Primò cognoſcitur Deus, cognitus rogatur, & rogatus exaudit. *Bernard.* Fructus notitiæ nominis, eſt clamor orationis: fructus orationis exauditio, & oſtenſio ſaluatoris. Item, miram pietatem Dei, qui ſolo merito clamandi exaudit. *Bernard.* Dulcis lex, quæ meritum exauditionis conſtituit in clamore poſtulationis. Et propter hoc ſine dubio, qui non clamat, aut tepidè aut remiſsè clamat, non debet exaudiri. Vnde idem: Merito non exaudietur, qui clamare diſſimulat, qui remiſsè aut tepidè clamat.

Cum ipſo. Hîc tertium, in quo eſt exauditio, quia in duobus. In præſentiæ ſuæ exhibitione, & plena ereptione poſt exhibitionem. *Eripiam.* Ait ergo: Sic exaudiam clamantem, ſed in quo? In hoc, *Cum ipſo*, ſtatim, *ſum in tribulatione* conſolator. *Iſa.* 43. Cum tranſieris per aquas, tribulationum, ſup. tecum ero, & flumina non operient te. Cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te. 2. ad *Corinth.* 1. Qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. Et in eodem, Secundum quod abundant paſſiones Chriſti in nobis, abundant & conſolationes per Chriſtum.

Eripiam eum. Pſal. Vidit cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum eripuit eos. 2. ad *Corinth.* 1. De tantis periculis eripuit nos: ſperamus quod & eripiet. Eripiam, inquam, cum de carne corporis, de periculo tentationis, de voragine æternæ damnationis.

Et glorificabo eum. Hîc ſecundum, in quo eſt remuneratio, ſcilicet boni collatio: & tangitur triplex bonum. Primum, glorificatio in anima & corpore. Secundò glorificationis duratio. *Longitudine dierum.* Tertium, quod totum conſummat, aperta Dei cognitio, ibi, *Et oſtendam illi.* Dicit ergo: Sic liberabo omninò à malis, & poſt hoc *glorificabo eum*, in anima, & corpore. *Prou.* 3. Glorificaberis ab ea, cum & eam fueris amplexatus.

16. *Longitudo dierũ, æternitas quam nullus terminat finũ.*

Longitudine dierum. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Glorificabo, ſed nunquid ad tempus? Non: *replebo eum longitudine dierum*, hoc eſt, æternitate, in qua ſunt puri dies ſine ſucceſſione noctium. *Prouerb.* 3. Longitudo dierum in dextera illius. *Prouerb.* 28. Qui odit auaritiam, longi fient dies eius. Item in hac vita diebus non implemur materialibus, ſed magis euacuamur quotidie, vſquequo moriamur, & iam nulla dies remaneat. *Bernard.* Vita qua viuimus, magis mors eſt, nec ſimpliciter vita, ſed vita mortalis. Quid enim agimus, ex quo primò viuere incipimus, niſi morti appropinquare, & mori incipere? Ibi verò viuitur, vbi vita munda eſt & vitalis. Suprà in *Pſal.* Apud te eſt fons vitæ: vbi dies boni, & interminabilis longitudo dierum.

Viſio Dei vita æterna.

Et oſtendam illi. Ecce tertium, ſaluatoris manifeſtatio. Ait ergo: Sic replebo glorificatum æternitate, & *oſtendam illi*, aperta viſione, *ſalutare meum*, filium, & in hoc quod eſt Deus, & in hoc quod eſt homo: vt oculo intellectus videat ipſum Deum, glorificatus in anima, & oculo carnis ipſum hominem, glorificatus in corpore. *Ioan.* 17. Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti IESVM-CHRISTVM. *Iſa.* 52. Viderunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri. *Auguſt. de anima, & ſpiritu.* Propter hoc factus eſt homo vt totum lætificaret hominem. *Exod.* 33. Oſtendam tibi omne bonum. *Bernard.* Non iam in fide erudiam, non exercebo in ſpe, ſed adimplebo, vt in æternum iam videat quem concupiſcit, in quem credidit, quem ſemper optauit, quem nobis oſtendat pius Pater, qui hoc promittit, qui eſt benedictus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

IN XCI. PSALMVM.

Pſalmus Cantici, in die ſabbati. 1.

2. *Argumentũ Pſalmi, quartus paſſionis fructus, profectus in vita contemplatiua & actiua.*

Bonum eſt confiteri Domino. Hic eſt Pſalmus 91. in toto libro, 41. in ſecunda parte libri: in quo ſicut ſuperius dictum fuit, poſtquam actum eſt de fructu conſequente ex paſſione Chriſti, quantum ad remotionem mali, & hoc triplicis, mali ſcilicet culpæ, mali pœnæ, & mali tentationis ad culpam impellentis, hîc ſubiungitur de fructu, qui eſt in aſſecutione boni, quod, inquam, bonum, eſt profectus in contemplatiua & in actiua vita. Sed quia vix aut nunquam proficere ſic poteſt quis, niſi mentem habuerit in quiete, quod eſt non turbulentam & commotam habere, rectè ergo in titulo dicitur: *Pſalmus Cantici, in die ſabbati.* Ad cuius intelligentiam notandum, ſicut vult *Gloſſa*, quòd eſt triplex ſabbatum. Temporis, de quo *Geneſ.* 2. Requieuit Dominus die ſeptimo ab omni opere quod patrarat. Et *Exod.* 20. Memento vt diem ſabbati ſanctifices. Et eſt ſabbatum pacis interioris, quies ſcilicet interior, & tranquillitas mentis. Sic monebat ſabbatizare. *Iſa.* in 1. Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, dicit Dominus. Et 58. Vocaberis ſabbatum delicatum, &c. Et eſt ſabbatum æternitatis, de quo ad *Hebr.* 4. Itaque reliquitur ſabbatiſmus populo Dei. Primum ſabbatum figura eſt ſecundi, & tertij. Secundum verò ducit ad tertium, ſicut meritum ducit ad præmium. *Iſa. vlt.* Erit ſabbatum ex ſabbato. Secundum verò acceptionem ſecundam ſumitur hîc: vnde ſenſus tituli talis eſt: *Pſalmus* ſubiectus *Cantici* conſecutiuus, ſup. cantandus eſt *in die ſabbati*, id eſt, in quiete mentis, & tranquillitate. In corde enim turbido & turbato, quale eſt cor impium. *Iſa.* 57. Cor impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt: non placet Deo laudatio. *Eccleſ.* 15. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.

Pſalmus autem poteſt diuidi in duas partes. In prima enim agitur de profectu in contemplatiua vita. Secundò in actiua, quorum vtrumque eſt fructus ſequens ex paſſione Chriſti, quantum ad promotionem in bono, ibi, *Et exaltabitur ſicut.* Primum ſpectat ad quietem mentis: ſecundum verò

ad laborem actionis. In prima duo, ſecundum duo quæ contemplanda ſunt in Deo, bonitas ſcilicet, & ſeueritas: bonitas in electis, ſeueritas in reprobis. Hoc docet contemplari Paulus ad *Roman.* 11. Vide ergo bonitatem Dei, & ſeueritatem. Primò ergo commendatur ſtatus contemplatiuæ, quantum ad contemplationem bonitatis. Secundò quantum ad contemplationem iuſtitiæ & ſeueritatis, ibi, *Cum exorti fuerint.* In prima duo. Oppoſita enim iuxta ſe poſita magis eluceſcũt. Primò ergo commendatur profectus contemplantium diuinam bonitatem. Secundò reprobatur ſtatus reprobantium illam, qualis eſt ſtatus ſtultorum, ibi, *Vir inſipiens.* Iterum in prima duo. Primò commendatur ſtatus contemplatiuæ, quantum ad exteriores actus aliquos, quos habet, pſallere, & confiteri. Secundò quantum ad interiores, qui ſunt contemplari, & cogitare, ibi, *Quia delectaſti me.* In prima duo. Primò commendatio ſtatus contemplatiuæ, quantum ad actus exteriores. Secundò determinatio modi, qualiter exercendi ſunt, & quando, ibi, *Ad annuntiandum.* In prima duo ſecundum actum duplicem quem commendat, confiteri primò, & pſallere ſecundò, ibi, *Et pſallere.*

Cõfeſſio peccatorũ multum vtilis.

Dicit ergo: Sic Dominus liberat à malis. Ergo *bonum eſt confiteri Domino*, confeſſione laudis, & fidei. *Matth.* 10. Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, &c. Ad *Roman.* 10. Ore confeſſio fit ad ſalutem. *Bonum eſt confiteri*, confeſſione peccati, ad euomendum venenoſum & ſuperfluum cibum. *Eccleſ.* 31. Si coactus fueris in comendendo multum, ſurge & euome, & refrigerabit te. Ad ſanitatem conſequendam: quia ſic medico infirmitas detegitur. *Eccleſ.* 38. Qui delinquit in conſpectu eius qui fecit illum, incidet in manus medici. *Boëtius*: Si operam medicantis expectas, oportet vt vulnus detegas. *Ierem.* 8. Nunquid non reſina, &c. Ad pugnandum contra diabolum, carnem, & mundum. *Ioſ.* 1. Quis aſcendet contra Chananæum, & erit dux belli? Iudas aſcendet. Iudas, confitens. Ad placandum Deum, quando iraſcitur. *Geneſ.* 44. Accedens autem Iudas propius confidenter, ait: Oro Domine, loquatur ſeruus tuus verbum in auribus tuis, & ne iraſcaris famulo tuo, & vſque ad lachrymas ipſum commouit. Ad glorificandum ipſum ſic placatum. *Ioſ.* 7. Fili confitere peccatum tuum, & da gloriam Deo.

Et pſallere. Ecce ſecundum: fides enim & laus ſine opere mortua eſt *Iacob.* 3. Propter hoc addit: ô *Altiſſime*, bonum eſt, repete, *pſallere nomini tuo*, hoc eſt, ad honorem nominis tui bonum operari. *Eccl.* 1. Vnus eſt creator Altiſſimus, ad cuius honorem eſt pſallendum. *Pſal.* Pſallite Deo noſtro, pſallite, pſallite regi noſtro pſallite, pſallite ſapienter. Et bonum eſt pſallere, ad literam canere Pſalmos. Primò quia dæmones fugãtur. 1. *Reg.* 17. Prouidete aliquem bene pſallentem. Et poſt, Dauid percutiebat manu, & leuius habebat Saül, & recedebat ab eo ſpiritus malus. Boni Angeli aduocantur. *Pſal.* Præuenerunt principes coniuncti pſallentibus, &c. *Pſal.* In conſpectu Angelorum pſallem tibi. Illuminat mentem. 4. *Reg.* 4. ſignificatum fuit hoc, vbi legitur, quòd Eliſeus neſciens quid futurum eſſet tribus regibus, ait: Adducite mihi pſaltem: & dum pſalleret, facta eſt ſuper eum manus Domini, & tunc prophetauit. *Pſal.* Pallam, & intelligam. Exhilarat animam. *Pſal.* Cantabo, & pſalmum dicam Domino.

Bonum eſt pſallendo laudare Deum.

Ad annuntiandum manè. Hîc ſecundum, quando, & qualiter. Et primò quando. Secundò qualiter hoc exercere oportet, ibi, *Ad annuntiandum.* Et reſpicit primum propriè ad actum confeſſionis. Secundò ad actum lætitiæ & exultationis, qui eſt pſallere, ibi, *In decachordo.* In prima duo. Quia in proſperitate confitendum. Secundò, quod etiam in aduerſitate ibi, *Et veritatem.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd bonum eſt confiteri Domino: & hoc, *ad annuntiandum*, aliis, *miſericordiam tuam*, & hoc, *manè*, proſperitatis, hoc eſt, ſic eſt confitendum, vt tua miſericordia in proſperitate nuntietur, quia tunc euidentior eſt, quando multis confers bona. *Pſal.* Venit tempus miſerendi eius, quia venit tempus. Ecce quod iſte miſericordiam nuntiant. 3.

In vtroque tempore, proſpero ſcilicet & aduerſo debemus laudes Domini confiteri.

Et veritatem. Ecce ſecundum, & repete: Bonum eſt confiteri ad annuntiandum *veritatem tuam*, & hoc, *per noctem*, aduerſitatis. Nox enim aduerſitas dicitur. Alibi in *Pſal.* Per diem ſol non vret te, neque luna per noctem. Tunc enim, in nocte ſcilicet aduerſitatis, annuntiare oportet diuinam iuſtitiam. Ex Dei enim iuſtitia eſt, quod nobis conferuntur mala, ſed ex miſericordia bona.

Manè etiam literaliter nuntianda eſt Dei miſericordia, & veſpere veritas & iuſtitia, vt ſemper laudes diuinas ſeminemus. *Eccleſiaſt.* 40. Manè ſemina ſemen tuum, & veſperè ne ceſſet manus, &c. *Iſa.* 26. Anima mea deſiderauit te in nocte, & de manè in præcordiis meis vigilabo ad te.

In decachordo pſalterio. Hîc ſecundum, in quo oſtendit, quomodo pſallendum, quia tripliciter. In Decalogi obſeruatione. In hilari mentis deuotione. *Cum cantico.* Et in carnis mortificatione. *In cithara.* Dicit ergo: Sic confitendum, vt miſericordia & veritas nuntietur, & pſallendum *in pſalterio decachordo*, id eſt, decem chordarum. Ita ſcilicet eſt pſallendum, vt fundetur ſuper obſeruantiam decem mandatorum, & adimpletionem, de quibus *Exod.* 20. *Pſal.* In pſalterio decem chordarum pſallite illi. Et hoc *cum cantico*, cum læta & hilari mentis deuotione: aliter enim non placet Deo. *Eccleſ.* 25. In omni dato hilarem fac vultum tuum. 2. ad *Corinth.* 9. Hilarem datorem diligit Deus. *Iud.* 5. Ego ſum, qui Domino canam in cithara, id eſt, in carnis mortificatione, quæ per citharam deſignatur, quæ ab inferiori ſonum reddit. *Apoc.* 14. Et vocem, quam audiui, quaſi citharœdorum, &c. *Iſa.* 21. Sume citharam, circui ciuitatem, &c. 4.

Quia delectaſti me. Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur de profectu contemplatiuæ quantum ad actus interiores mentis, quantum ad affectum. Secundò quantum ad intellectum. Affectus enim delectationem habet, intellectus admirationem. Ibi eſt ſecundum, *Quam magnificata ſunt.* In prima duo. Primò delectatio in 5.

operibus

operibus creationis tangitur. Secundò in operibus recreationis. *Et in operibus manuum.* Dicit ergo: Sic bonum eſt confiteri, bonum eſt pſallere, &, ô Domine, quia *delectaſti me*, hoc eſt, delectationem præſtitiſti, *in factura tua*, cum ipſam intueor, & contemplor, non delectatione mala, ſed ſancta & ordinata.

Multi malè delectãtur in facturis Dei aſpiciendis, guſtandis, tangendis, audiendis & olfaciendis.

Notandum enim, quòd quidam delectantur malè in facturis Dei aſpiciendis. *Eccleſ.* 9. Auerte faciem tuam à muliere compta: propter ſpeciem enim mulieris multi perierunt. Alij in guſtandis, de quibus *Ioël.* 1. Flete & vlulate, qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore veſtro. Alij in tangendis, vt fures, & impudici. Propter primos, dicit *Tob.* in 2. Non licet nobis de furto quicquam aut edere, aut contingere. Propter ſecundos. *Eccleſ.* 13. Qui tetigerit picem, id eſt, viſcoſam meretricem: inquinabitur ab ea. Alij in audiendis, qui in muſicis inſtrumentis luxuriantur. *Iſa.* 5. Cithara & lyra & vinum in conuiuiis veſtris. *Amos* 6. Putauerunt ſe habere vaſa cantici, ſicut Dauid. Alij in olfaciendis, qui ponunt mugetum, & ſimilia circa veſtes, quibus dicitur *Iſa.* 3. Et erit pro ſuaui odore fœtor. Sed *me delectaſti*, quia referendo ipſam ad te, docet me in eſſe tuam potentiam, in pulchritudine ſapientiam, in vtilitate bonitatem.

Et in operibus. Ecce ſecundum. Sic in operibus creationis delector, & *in operibus manuum tuarum*, quibus me recreaſti & reformaſti ipſis in cruce extenſis, *exultabo. Pſal.* In operibus manuum tuarum, cogitandis lætanter & enarrandis, *exercebor*, ne ſim de illis, quibus dicitur *Iſa.* 5. Et opus Domini non reſpicitis, ſcilicet IESVM, ſicut Paulus, qui dicebat *Gal. vlt.* Abſit mihi gloriari niſi in cruce Domini noſtri IESV CHRISTI. Et *Abacuc*, qui dicebat in 3. Exultabo in Deo IESV meo.

Poſſet etiam primum referri ad opus incarnationis: mirabilis enim factura fuit humanam naturam vnire verbo, & vnam fieri perſonam. *Ioan.* 1. Verbum caro factum eſt. Secundum, ſicut expoſitum eſt, ad opus paſſionis. Vel poteſt totum referri, ſicut *Gloſſa* innuit, ad id quod Deus facit in nobis, in quo delectandum & lætandum. *Iſa.* 26. Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine. *Ioan.* 16. Sine me nihil poteſtis facere. Ad *Phil.* 2. Operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.

6. *Mirabilia opera Dei, & humano intellectu inſcrutabilia.*

Quam magnificata ſunt. Hîc ſecundum, in quo tangitur profectus intellectiuæ, quantum ad actum admirationis. Et primò tangitur admiratio quantum ad opera Dei vniuerſa. Secundò quantum ad opera regiminis vniuerſi ſpecialiter, ibi, *Nimis profundæ.* Dicit ergo: Sic Domine delector in affectu in factura & exulto, & etiam admiror intellectu, quia dico: *Quàm magnificata ſunt opera tua Domine*, id eſt, valdè magnificata, vltra meam comprehenſionem. *Iſa.* 12. Cantate Domino, quoniam magnifice fecit. Et *Luc.* 1. admirans Virgo exclamat: Magnificat anima mea Dominum. Et poſt pauca: Quia fecit mihi magna qui potens eſt.

Nimis profundæ. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic magnificata ſunt opera, *& cogitationes tuæ*, quibus regis & ordinas vniuerſum, *nimis profundæ factæ ſunt*, vt non poſſimus intellectu comprehendere. In *Pſal.* Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam. Et ſumitur hîc profundum pro alto. *Iſa.* 60. Exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris, ſicut exaltantur cœli à terra. Tam bonæ ſunt. *Ierem.* 29. Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis. Hanc altitudinem Paulus admiratur cum dicit: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ illius!

7. *Vir inſipiens.* Hîc ſecundum totius huius partis, in qua agitur de profectu contemplantium diuinam bonitatem. Poſtquam enim egit de profectu bonorum, ſubiungit conſequenter de profectu malorum, qui non cogitant nec attendunt iſta: & dicuntur duo. Primò, quòd imbutus ſapientia mundi, talia non admittit. Secundò, quòd carnalis non capit, nec intelligit. *Et ſtultus.* Dicit ergo: Sic Domine ſcio, & vere ſcio, quia tibi confiteri, & tibi pſallere bonum eſt, & delector in tuis operibus, & admiror: ſed *vir inſipiens*, ſine ſapientia vera, quæ deſurſum eſt, etſi repletus ſit mundana, *non cognoſcet:* quippe de tua ſubſtantia, quaſi ignorantiam habet. *Pſal.* ſuprà: Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus. *Et ſtultus*, qui neſcit niſi carnalia, *non intelliget hæc:* carnalis enim eſt. Et paulus dicit 1. ad *Cor.* 2. Carnalis homo non percipit ea quæ Dei ſunt. Propter hoc exclamat infrà: Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite. *Deut.* 32. Vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima præuiderent. Sed non poteſt eſſe, quia totum ſtultitiam reputant. 1. ad *Cor.* 2. cum dixit Paulus, Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, ſtatim addit, Stultitia enim eſt illi, & intelligere non poteſt, id eſt, non vult. Propter quod *Iſa.* minatur talibus in 5. Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum, &c. cuiuſmodi dicitur *Prou.* 20. Parata ſunt deriſoribus tormenta, & mallei percutientes ſtultorum corporibus.

8. *Cum exorti fuerint.* Hîc ſecundum, in quo agitur de contemplatione diuinæ ſeueritatis in impios, & peccatores obſtinatos. Primò ergo ponitur deſcriptio miſeriæ eorum. Secundò ſingularis Dei ſublimatio, ibi, *Tua voce.* Tertiò cauſa & ratio & modus tantæ miſeriæ, ibi, *Quoniam ecce inimici.* Miſeria eorum triplex deſcribitur. Primò breuis duratio illorum in proſperitate. Secundò manifeſtatio ſui in iudicio, velint nolint. *Et apparuerint.* Tertiò æterna damnatio poſt iudicium, ibi, *Vt intereant.* Dicit ergo: Sic non cognoſcent, nec intelligent ſtulti & inſipientes quæ præmiſi, nec etiam intelligent, *cum exorti fuerint peccatores ſicut fœnum*, quod poſt modicum nitorem, ſtatim areſcit. *Pſal.* infrà: Sicut fœnum dies eius, tanquam flos agri ſic efflorebit. *Iſa.* 40. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni. *Iacob.* 1. Exortus eſt ſol, cum ardore vnius febris, & arefecit fœnum.

Triplex miſeria peccatorum.

Et apparuerint. Secundum in illorum miſeria. Quaſi diceret: Hæc non intelligent, *cum*

apparuerint, in iudicio, *omnes qui operantur iniquitatem.* Quaſi diceret: De hac apparitione non cogitant, & tamen erit indubitanter. *Ioël.* 3. Ecce congregabo omnes gentes in valle Ioſaphat. 2. ad *Corinth.*5. Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti. Hanc apparitionem deſiderabat ſanctus Dauid ſuprà in *Pſal.* Quando veniam, & apparebo ante faciem Domini? *Hieron.* Apparere intolerabile eſt malis, latere impoſſibile.

Vt intereant. Ecce tertium. Quaſi diceret: Dico, quòd non intelligent cum apparuerint, qui iniquitatem operantur. Apparuerint, inquam, *vt intereant*, non temporaliter, imò *in ſæculum ſæculi* conſecutiuum, hoc eſt, in æternitate. Hic eſt interitus, de quo *Prou.*1. Ego in interitu veſtro ridebo.

9. *Tu autem.* Hìc ſecundum, in quo ſupponitur ſingularis Dei ſublimatio. Quaſi diceret: Sic illi deiicientur & interibunt: *tu autem Domine*, & non alius, vt *tu*, ſit diſcretiuum, *es Altiſſimus in æternum. Pſal.* Quis ſicut Dominus Deus noſter qui in altis habitat? *Eccleſ.*5. Altiſſimus patiens eſt redditor.

10. *Quoniam ecce inimici.* Hìc tertium, in quo ſubiungitur modus & ratio ſic puniendi: ratio, quia *inimici:* modus, quia *peribunt*, in futuro, & hoc tangitur primò: & in præſenti *diſpergentur*, & hoc ſecundò. *Et diſpergentur.* Dicit ergo: Sic illis erit miſeria, quia non intelligent infelices: & hoc iuſtum: *quoniam ecce inimici tui Domine:* & repetit ad demonſtrandum feruorem, & veritatis conſtantiam, & certitudinem, *peribunt.* Suprà in *Pſal.* Periit memoria eorum cum ſonitu. Inimici autem Dei poſſunt dici omnes peccatores generaliter. Ad *Rom.*5. Cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo in morte filij eius. Sed ſpecialiter ſuperbi. *Pſal.* Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper. Iudices peruerſi. *Amos* 5. Hoſtes iuſti, Chriſti ſcilicet, accipientes munus. Palpatores peccati, quos mundus diligit. *Iacob.* 4. Amicus huius mundi, inimicus Dei conſtituitur. Homines guloſi. Ad *Phil.*3. Inimici crucis Chriſti, quorum Deus venter eſt. Perſequutores fidei & ſanctorum. *Deut.*6. Inimicus ero inimicis tuis. Idololatriæ dediti. *Iſa.* 63. Vtinam diſrumperes cœlos, & deſcenderes. Et poſt, nomen tuum notum fieret inimicis tuis.

Qui maximè dicantur inimici Dei.

Et diſpergentur. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic in futuro, & in præſenti *diſpergentur omnes operantes iniquitatem*, per diuerſa vitia, & etiam loca. *Pſal.* Diſperge illos in virtute tua. *Thren.* 4. Diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum. Poteſt etiam intelligi de futuro, vt primum pertineat ad inflictionem mali, *peribunt:* hoc autem ad amiſſionem boni, & ſeparationem à bonis. *Matth.* 25. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, &c.

11. *Et exaltabitur.* Hìc ſecunda pars totius Pſalmi, in qua poſtquam actum eſt de profectu in contemplatiua, agitur de profectu in actiua. Et diuiditur in tres partes. Primò agitur de profectu quantum ad potentiam. Sumus enim potentiores contrà diabolum per Chriſti paſſionem. Secundò quantum ad bonitatem, ibi, *Et ſenectus mea.* Tertiò quantum ad ſapientiam, ibi, *Et inſurgentibus.* Dicit ergo: Sic illi peribunt, quia non intelligent, ſecundum illud *Iſa.*5. Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam. *Et exaltabitur cornu meum*, virtus & potentia mea augebitur. *Pſal.* Exaltabuntur cornua iuſti. Et *Luc.* 1. Erexit nobis cornu ſalutis. Et hoc, *ſicut vnicornis*, in quantum vnicum cornu geſtat, inquantum omnia ſuperat, ab omnibus ſe defendit. Quaſi diceret: Dabitur potentia omnibus tentationibus reſiſtendi, & omnia ſuperandi. Et bene dicit, quia verè ſuperans omnia, & vincens, vnus eſt, ſecundum illud 1.ad *Corinth.* 9. Plures quidem currunt, ſed vnus accipit brauium. Hìc ergo vnicornis deſignat virtutis vnitatem & perfectionem. Alibi verò in *Pſal.* contra ſuperbiam dicitur: A cornibus vnicornium humilitatem meam.

Et ſenectus mea. Hìc oſtenditur profectus in bonitate: & dicuntur duo. Primò quantum ad cumulum meritorum. Secundò quantum ad deteſtationem vitiorum, ibi, *Et deſpexit.* Dicit ergo: Sic augebitur in me virtus & potentia: *& ſenectus mea*, mihi à Deo data, erit, ſup. *in miſericordia vberi*, dabitur mihi vber, & multa miſericordia vſque in ſenectutem, quod eſt maximum donum. Senes enim ſolent eſſe multum auari. *Hieronym.* Cum cætera vitia in ſenectute veteraſcunt, ſola auaritia iuueneſcit.

Senectus etiam poteſt hìc appellari, non ratione ætatis, ſed magis maturitatis, & honeſtatis. *Deuteronom.*33. Erunt dies iuuentutis tuæ, ſicut & ſenectus tua. *Sapient.*4. Senectus enim venerabilis eſt non diuturna, nec numero annorum computata. Cani enim ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata. Senſus ergo eſt: Vita mea honeſta & grauis erit in miſericordia vberi. Suprà in *Pſal.* Mons Dei, ſanctus ſcilicet vir, mons vber, mons pinguis.

Et notandum, quod ſenes libenter debent facere opera miſericordiæ, & ſua erogare. Primò quia deficit eis via, & ideò debent aliis viaticum impertiri. *Senec.* Deficiente via, augere viaticum dementia eſt. *Luc.*5. Sulte, hac nocte repetent animam tuam à te. Secundò quia deficiunt nundinæ, non licebit iam amplius vendere, & emere, ſicut mercatores faciunt in fine nundinarum. *Ezechiel.* 46. In nundinis & ſolemnitatibus erit ſacrificium, id eſt, largitio eleemoſynarum. *Prouerb. vltim.* Conſiderauit agrum, & emit illum. *Matth.* 13. Inuenta autem vna pretioſa margarita, &c. Tertiò quia nihil omninò ſecum portare poterunt de mundo iſto, ſed omnia eos dimittere oportet ſtatim. 1. ad *Timoth.* 6. Nihil intulimus in hunc mundum, nec dubium, quod nec aliquid auferre poterimus. Quartò quia ad patriam vadunt, vbi amicis & aduocatis indigebunt. *Luc.* 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

Senes debent libenter opera miſericordiæ exercere.

Et deſpexit. Hic ſecundum, profectus quantum ad deteſtationem vitiorum. Ait enim: Sic in miſericordia vberi erit ſenectus mea, & ob 12.

hoc

hoc iam *deſpexit oculus meus.* Modus loquendi eſt, quia ſignum deſpectus & indignationis, ſolet oſtendi maximè in oculis. Suprà in *Pſal.* Et ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus. Et alibi: Iniquos odio habui. Sed odio perfecto, de quo alibi: Perfecto odio oderam illos. Quod eſt odire iniquitatem, non naturam. *Pſal.* Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum. Vel *deſpexit* tanquam viles factos & deiectos coram me. *Ierem.* 18. Dabo inimicos corruentes in conſpectu tuo.

Et in inſurgentibus in me. Hîc tangitur profectus in ſapientia: & dicuntur duo. Primò per quid erudietur, & proficiet. Secundò per quem, & in quo, ibi, *Iuſtus vt palma.* Ait enim: Sic proficiam in potentia, & bonitate, & etiam *in inſurgentibus in me*, id eſt, contra me, *malignantibus*, mala inferentibus, *audiet auris mea* veritatem Dei intus me inſtruentem. *Matth.* 13. Qui habet aures audiendi, audiat. Et *Apocal.* 2. & 3. Qui habet aures audiendi, audiat. *Pſal.* Audiam quid loquatur in me Dominus. Ex tribulatione enim exterius ingruente, Deus inſtruit interius. Ob hoc dicitur *Eccleſ.* 28. Vexatio dabit intellectum auditui.

13. *Iuſtus vt palma.* Hîc ſecundum, in quo & quo ordine inſtruitur, quia de profectu & modo proficiendi iuſtorum. Primò ergo inſtruitur in his quæ pertinent ad iuſtorum actiones. Secundò in his quæ ad paſſiones, ibi, *Adhuc multiplicabuntur.* Tertiò in his quæ ad prædicationes, ibi, *Bene facientes.* In prima duo. Primò inſtructio quantum ad inchoationem bonorum operum. Secundò quantum ad exercitium & profectum in illis, ibi, *Sicut cedrus Libani.* Tertiò quantum ad conſummationem, ibi, *Plantati in domo Domini.*

Dicit ergo: Sic inſtruar malignis inſurgentibus, in hoc ſcilicet, quod *iuſtus*, qui ſuſtinet patienter mala, *florebit* in inchoatione boni, *ſicut palma.* Vel *iuſtus* qui eſt *vt palma*, ipſe primò *florebit.* In *Pſal.* Et floruit caro mea.

Iuſtus palma comparatur. Iuſtus autem palmæ comparatur. Primò quia palma in ſtipite eſt rugoſa, & aſpera, & vilis, & tamen in ramis ſuperius valdè pulchra eſt. Sic ſancti exterius in habitu ſunt humiles, & abiecti, ſed in ramis operum valde pulchri. *Cantic.* 1. Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Ieruſalem. Tarda eſt in fructu. Sic ſancti hic non expectant fructum operis, ſcientes illud *Prouerb.* 13. Subſtantia feſtinata minuetur. Et in 20. Subſtantia, ad quam feſtinatur in principio, in fine benedictione carebit. Abraham fecit fructum iam ferè centenarius. *Geneſ.* 17. & 21. Amaram radicem habet, ſed fructum dulcem. Sic iuſti tanquam radicem figunt pœnitentiæ amaritudinem, ſed ſurgit fructus dulciſſimus. Ad *Hebr.* 12. Omnis quidem diſciplina in præſenti non videtur eſſe gaudij, ſed mœroris: poſteà fructum pacatiſſimum affert exercitatis. Habet folia fortiter adhærentia, non cadentia in terram. Sic iuſti verba ſtabilia, & vera, non defluentia in terram. 1. *Reg.* 5. Ex verbis Samuelis nullum cecidit in terram. *Prouerb.* 12. Labium veritatis firmum erit in perpetuum. Et gladio ſimilia, & acuta. Sic ſanctorum verba. *Eccleſ. vltim.* verba ſapientum quaſi ſtimuli. *Iſa.* 49. Poſuit os meum quaſi gladium acutum. Sunt enim verba Dei de quibus *Epheſ. vlt.* Et gladium ſpritus, quod eſt verbum Dei. Et recta. Et iuſtus altus valdè & rectus. Ad *Phil* 3. Conuerſatio noſtra in cœlis eſt. In ſignum victoriæ confertur victoribus. *Apocal.* 7. Et palmæ in manibus eorum. Et iuſti erunt Chriſto dati vt victori. *Iſa.* 46. Eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.

Sicut cedrus. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Audiet auris quod iuſtus florebit vt palma, & etiam quod *ſicut cedrus Libani multiplicabitur*, operibus bonis proficiendo. Et nota, quòd iuſtus comparatur cedro. Primò quia cedrus non putreſcit. Sic nec iuſtus, putredine luxuriæ, de qua *Ioël.* 1. Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo. Secundò quia ſunt ſicut cedrus, maxime Libani. *Eccleſ.* 24. Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano. Tertiò quia cedrus in profundum radices figit, vnde ita alta fit. Et ſancti mittunt in profundum radicem per humilitatem. *Luc.* 14. & 18. & *Matth.* 24. Qui ſe humiliat, exaltabitur. *Eccleſ.* 3. Quantò magnus es, humilia te omnibus. Quartò quia odorifera. Et ſancti odoriferi per bonam famam. *Pſal.* Myrrha, & gutta, & caſia, à veſtimentis tuis, à domibus eburneis. 2. ad *Corinth.* 2. Chriſti bonus odor ſumus in omni loco. Quintò quia fructuoſa. Sic ſancti fructuoſi. *Cantic.* 6. Et ſterilis non eſt inter eas, dicitur de ouibus Dei.

Item comparatur cedro.

14. *Plantaſti in domo.* Hîc tertium, in quo tangitur inſtructio, quantum ad conſummationem: & dicuntur duo, in quibus eſt boni conſummatio. Primum, perſeuerantia, quod notatur in plantatione. Secundum, lætitia & exultatio, quod notatur hic in floritione, quæ eſt in atriis, ibi, *In atriis domus.* Dicit ergo: Sic audiet auris, quod iuſtus florebit vt palma, multiplicabitur vt cedrus: & etiam audiet, quòd ſancti *plantati in domo Domini* per perſeuerantiam in fide & bono opere, illa plantatione de qua *Ierem.* 1. Poſui te vt euellas, & diſſipes, & diſperdes, & deſtruas, & ædifices, & plantes. Plantati, inquam, à Domino: aliter citò eradicarentur. *Matth.* 15. Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur. *Sap.* 4. Adulterinæ plantationes, non dabunt radices altas.

Quidam in Eccleſia Dei fixi ſunt, ſicut palmes qui citò auelli poteſt, illi ſcilicet qui in tempore credunt, & in tempore tentationis recedunt. *Luc.* 18. Sed iuſti radicantur fortiter. Ad *Epheſ.* 3. In charitate radicati & fundati. *Pſal.* Erit ſicut lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.

In atriis domus Dei noſtri, in Eccleſia ſcilicet militanti, quæ quaſi atria domus Domini, Eccleſiæ ſcilicet triumphantis: *florebunt*, lætanter ſeruiendo, & bonum exemplum præbendo. *Cantic.* 2. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Et poſſunt dicere illud quilibet pro ſe: Ego flos campi, & lilium conuallium. *Cantic.* 2. Flores apparuerunt in terra noſtra.

15. *Adhuc multiplicabuntur.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit ſe inſtrui in ſanctorum paſſionibus. Ait ergo: Sic video, quòd florebunt, ſiue multipli

multiplicabuntur, & perſeuerabunt: & ecce auris mea audiet, quoniam adhuc *multiplicabuntur*, & hoc, *in ſenecta*, in tribulationibus, & hoc in fine mundi, quando tribulationes abundabunt: quia *Exod.* 1. dicitur, quòd filij Iſraël, quò plus affligebantur, eò plus multiplicabantur. *Geneſ.* 15. Suſpice cœlum (dictum eſt Abrahæ) & numera ſtellas ſi potes: ſic erit ſemen tuum: multiplicabo filios tuos ſicut ſtellas cœli, & ſicut arenam quæ eſt in littore maris. *Pſal.* Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur. Tunc implebitur horreum Domini, proiecta in ignem palea. *Matth.* 3. Cuius ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam, triticum ponet in horreum ſuum, paleas, &c.

Et bene patientes. Hîc profectus in prædicatoribus, quod fuit triticum: & tanguntur duo prædicare volentium. Perfecta patientia primò. Secundò res prædicata ab ipſis oſtenditur, ibi, *Quoniam rectus.* Dicit ergo: Sic proficient in actionibus, & in paſſionibus: *& bene patientes erunt*, non tantum patientes, quia ſunt aliqui, qui ob hoc tantũ ſunt, quia aliud facere vel nõ audent, vel non poſſunt, quibus 1. *Pet.* 4. Nemo veſtrum patiatur vt fur, aut homicida, aut maledicus, aut alienorum appetitor: qui ſi poſſent, & auderent, ſe defenderent: ſed, *bene* ſitis *patientes*, vt libenter ſuſtineatis pro Chriſti nomine exaltando. Vnde ſubdit: Si autem vt Chriſtianus, non erubeſcat: glorificet autem Deum in iſto nomine. Et infra: Hi qui patiuntur ſecundum voluntatem Dei, fideli creatori commendent animas ſuas. Vt annuntient ipſum nomen Chriſti. *Prou.* 19. Doctrina viri per patientiam noſcitur.

16. *Quoniam rectus Dominus.* Hîc oſtendit quid ſic patientes prædicabunt, quia duo, Dei ſeueritatem in puniendo malos, & ſecundò Dei benignitatem in renumerando bonos. *Et non eſt iniquitas.* Dicit ergo: Bene patientes erunt vt annuntient. Quid? Hoc: *Quoniam Dominus Deus noſter*, ibi, ſup. *rectus.* Hoc patet, quia homo quem fecit ad imaginem ſuam Deus. *Geneſ.* 1. Ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecit illum, rectus factus eſt. *Eccleſ.* 7. Deus fecit hominem rectum, & ipſe implicuit ſe infinitis quæſtionibus. Et quia rectus à rectis diligendus. *Cantic.* 1. Recti diligunt te. Rectus ergo in reddendo malis, quod ipſi meruerunt.

Quæ potiſſimum debent Prædicatores annuntiare.

Et non eſt iniquitas in eo, vt decipiat iuſtos propter ſe multa paſſos, eos in aliquo defraudando. *Pſal.* Exiſtimaſti inique, qũòd ero tui ſimilis? ſed hoc falſum. Ad *Roman.* 9. Nunquid eſt iniquitas apud Deum? Abſit. Sed bonitas, & pietas, qua ſuos remunerabit ſupra condignum, imò ſupra cogitatum. *Iſa.* 64. & 1. ad *Corinth.* 2. Oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe, ad quæ nos perducat, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum.

Amen.

IN XCII. PSALMVM.

Laus Cantici ipſi Dauid in die ante ſabbatum, quando fundata eſt terra.

1. D*Ominus regnauit decorem indutus eſt.* Hic eſt Pſalmus 92. in toto libro, 42. in ſecunda parte libri. Cum enim in præcedentibus Pſalmis egerit de fructu multiplici, quem conſecuta eſt Eccleſia à paſſione Chriſti quantum ad liberationem à malo triplici, & adeptionem boni, agitur conſequenter de bonis, quæ Chriſtus in ſeipſo conſequutus eſt, ex ſua paſſione, ſcilicet de Chriſti exaltatione, qua exaltatus eſt merito paſſionis. In illa enim meruit, & ſibi & nobis. Conſtat, quòd ſibi, quia Paulus dicit *Philip.* 2. Factus eſt obediens vſque ad mortem, &c. Exaltatio autem duplex. Prima in confeſſione ad dexteram Patris, tanquam rex huius mundi. Secunda in reuerſione ad iudicium, vt iudicet & remuneret vnumquemque. De ſecundo agitur in Pſalmo conſequenti. *Deus vltionum Dominus.* De prima in iſto, quod ſatis in titulo demonſtratur, qui talis eſt: *Laus Cantici ipſi Dauid in die ante ſabbatum, quando fundata eſt terra.* Sciendum enim, quòd ſicut habetur ex primo *Geneſ.* dies ante ſabbatum eſt dies ſexta, ſcilicet ſexta feria, in qua ſexta feria annis multis reuolutis Chriſtus paſſus eſt, & reſuſcitari meruit: vnde iam quaſi reſuſcitatus ſpe fuit, & tunc Eccleſiam fundauit, quæ terra dicitur. *Sapient.* 1. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Et *Eccleſ.* 1. Generatio præterit, generatio aduenit. Terra autem in æternum ſtat. Senſus ergo tituli eſt: Quod ſubiectum eſt, eſt *laus Cantici*, id eſt, laus diuina. Canticum enim exultatio de diuinis: *ipſi Dauid*, id eſt, Chriſto, canenda, ſup. Vbi enim *ipſi* additur ad *Dauid*, intelligitur Chriſtus, ſicut ſuperius dictum fuit. Et hoc, *in die ante ſabbatum*: & ſumitur propoſitio pro propoſitione, id eſt, pro die ante ſabbatum, id eſt, in ſexta feria, *quando terra*, id eſt, Eccleſia, *eſt fundata.* Vel dies ante ſabbatum, dies ſcilicet ſexta, tempus gratiæ appellatur, quod eſt ſæculi ſexta ætas, & ſexta dies magnæ ſeptimanæ.

Argumentũ Pſalmi, quintus paſſionis fructus, confeſſio Chriſti regis ad dexteram Patris.

Diuiditur autem pſalmus ſecundum *Gloſſam* in ſeptem partes. Sed poteſt diuidi artificioſius in tres, ſecundum tria quæ concurrunt ad plenitudinem regiæ poteſtatis, ſcilicet ipſa poteſtas regia, & duo comites eius, ſcilicet veritas, & ſanctitas, ſecundum quod dicit *Hieron. Exod.* 18. Prouide tibi viros potentes, ecce primum: & timentes Deum, ecce ſanctitas: in quibus ſit veritas, ecce veritas apertè. In prima ergo parte agit de Chriſti regia poteſtate. In ſecunda de eius veritate, ibi, *Teſtimonia tua.* In tertia de ſanctitate, ibi, *Domum tuam Domine.* In prima duo. Primò agit de Chriſti regia poteſtate in ſe. Secundò in regno ſuo, & ſuis, ibi, *Etenim firmauit.* In prima quatuor ſecundum quatuor quæ tangit de Chriſto. Primò tangit in ipſo regiam dignitatem. Secundò decentiam in regnando, per quam bonos allicit, ibi, *Decorem.* Tertiò poteſtatem & fortitudinem in ſe ad terrendum malos, ibi, *Indutus eſt fortitudinem.*

titudinem. Quartò in his quæ ſunt circa ſe vt in miniſtris, ibi, *Et præcinxit.*

Regia dignitas Chriſti & poteſtas.

Continua ergo, & dic: Sic multa bona veniunt Eccleſiæ ex Chriſti paſſione, & etiam ex ipſa, *Dominus*, Chriſtus, *regnauit*, in manifeſtatione, qui ab æterno regnauit ſecundum quod Deus in ſe, ſecundum quod homo à conceptione. Innotuit autem per propriam reſurrectionem, innotuit per miraculorum operationem, & per Apoſtolorum prædicationem per vniuerſum mundum. Hinc reſuſcitatus dixit *Matth. vlt.* Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra, id eſt, manifeſtata dari. Regnauit autem in cœlo, ſedens ad dexteram Patris. *Luc.*19. Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam, accipere ſibi regnum. Regnauit in mundo, ſuper omnes reges. *Apoc.*1. Primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ. Sed hanc vltimam portionem non exiſtimat de regno, quia multos habet contradictores in mundo. Vnde *Ioan.*18. dicit: Regnum meum non eſt de hoc mundo. Quare non regnaret? de ſemine regio eſt ſecundum carnem. Ad *Rom.*1. Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid. Propter hoc dicit Gabriel *Luc.* 1. Vocabitur Altiſſimi filius. Propter hoc dicitur *Apocal.*19. Habet in veſtimento, in carne: & in femore, in diuinitate quæ totum ſuſtentat, ſicut femora totum hominem, ſcriptum: Rex regum, & Dominus dominantium. Habet ſapientiam, quæ regibus eſt neceſſaria. *Ierem.*23. Regnabit rex, & ſapiens erit. Habet poteſtatem arcendi inimicos, quæ neceſſaria eſt. *Eccleſiaſt.*7. Noli fieri iudex niſi virtute valeas irrumpere iniquitates. Et de Chriſto. *Luc. vlt.* Erat vir potens in opere & ſermone. Miſericordiam & veritatem, quæ neceſſariæ ſunt ad regni confirmationem. *Prou.* 20. Miſericordia & veritas cuſtodiunt regem. Et 3. *Reg.* 6. legitur, quòd Nathan, filius columbæ, & Sadoch, quod interpretatur iuſtus, per quod intelligitur iuſtitia, inunxerunt Salomonem regem, id eſt, Chriſtum. Habet thronum, Virginis matris vterum. 3. *Reg.*10. Salomon fecit ſibi thronum de ebore grandem. Et habet ſceptrum, crucis patibulum. *Iſa.* 9. Cuius imperium, id eſt, imperij ſignum, ſuper humerum eius. Vel inflexibilem iuſtitiam. *Pſal.* Reges eos in virga ferrea. Habet purpureum indumentum, carnem ſanguine rubricatam. *Prou. vlt.* Purpura & byſſus indumentum eius. *Iſa.* 63. Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum? Non reſtat, niſi quod habeat vnctionem: & hanc habuit. *Iſa.* 61. Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me.

Dominus ergo *regnauit*, *decorem indutus eſt*, hoc eſt, pulchritudinem ſuos allicientem. *Pſal.* Amictus lumine ſicut veſtimento, quod eſt foris, & origo omnis decoris, in quo decore videbitur à ſuis. *Iſa.* 33. Regem in decore ſuo videbunt. *Pſal.* Confeſſionem & decorem induiſti.

Indutus eſt fortitudinem, ad arcendum aduerſariorum malitiam. *Prouerb. vlt.* Fortitudo & decor indumentum eius. In eodem: Accinxit fortitudine lumbos ſuos. Decor ſine fortitudine vergeret in remiſſionem, fortitudo ſine decore in crudelitatem.

Et præcinxit ſe. Fortibus miniſtris circumdedit, Angelis ſcilicet. Ad *Hebr.*1. Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus. *Dan.*7. Millia millium miniſtrabant ei, &c. Et poteſt hic notari diſtinctio quam facit *Gloſſa.*

Etenim firmauit. Hîc ſecundum, in quo agitur de poteſtate regia, quantum ad regni potentiam, quam oſtendit in tribus. In murorum firmitate, quibus bene firmas habet ciuitates. Secundò à fluuiorum inundatione, & aquarum marinarum, ibi, *Eleuauerunt.* Tertiò à turrium altitudine, ibi, *Mirabilis in altis.* Et notatur triplex ſtatus illorum, in quibus regnat Chriſtus. Actiui, qui per muros. Doctores, qui per flumina. Et contemplatiui, qui per turres. In prima duo. Primò tangitur firmitas murorum, quantum ad maiores, qui debent eſſe ſtabiles. Secundò quantum ad minores, ibi, *Parata ſedes.* In prima duo. Primò maiorum confirmatio. Secundò vehementia confirmationis. *Qui non commouebitur.* Dicit ergo: Sic regnauit fortis, & potens in ſe, & in his qui circa ſe. *Etenim* per hoc, *firmauit*, in fide, *orbem terræ*, ſuos per totum orbem terratum diffuſos. Orbis terræ appellatur Eccleſia militans: orbis: quia ſine angulo. *Bernard.* Vbi angulus, ibi ſordes. Vel certe quia adhuc militat in terra. *Eccleſ.*1. Terra autem in æternum ſtat. *Sapient.*1. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Hunc orbem firmauit in fide in maioribus. *Pſal.* Qui firmauit terram ſuper aquas. *Ezech.* 1. Super capita eorum firmamentum ad monſtrandum, quoniam ſunt firmata.

Quare Eccleſia dicitur orbis.

Qui non commouebitur, ita firmatus eſt, licet concutiatur. *Matth.*7. Venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt ſuper domum illam, & non cecidit: fundata enim erat, &c. Hæc eſt nauis inſtitoris, quæ ſi fluctibus concutiatur, tamen non ſubmergitur. *Prouerb.* 3. Facta eſt quaſi nauis inſtitoris, de longè, &c. 2.

Parata eſt ſedes. Hîc confirmatio quantum ad minores: & dicuntur duo. Primò minorum confirmatio. Secundò reſponſio quæſtioni, quæ poſſet fieri, vel dubitationis remotio, ibi, *A ſæculo tu es.* Ait enim: Sic firmaſti orbem terræ, maiores, qui debent alios continere: & etiam *ſedes tua*, minores & humiles, in quibus requieſcis & ſedes. *Iſa. vlt.* Quis eſt eſt iſte locus quietis meæ? Et ſubdit paulo poſt: Ad quem reſpiciam, vt in illo quieſcam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos? *Parata eſt*, firmiter ſcilicet ſtabilita, & immutabiliter. Supra in *Pſal.* Thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo. Et hoc: *ex tunc*, id eſt, ex quo paſſus es, quia hoc in illa paſſione meruiſti: & tamen temporalis tantum non es credendus, imò *à ſæculo tu es Deus*, id eſt, ab æterno. Sæculum enim ſic more ſcripturæ accipitur pro æternitate.

Vel poteſt legi de iudiciaria poteſtate, quæ erit ſedes Chriſti, in iudicio parata, à iuſtitia & iudicio, ſicut alibi in *Pſal.* Iuſtitia & iudicium præparatio ſedis tuæ. *Matth.* 19. Cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, &c. quæ parata eſt *ex tunc*, id eſt, ex quo tu es: & tu es à ſæculo Deus, vnde parata eſt à ſæculo, id eſt,

ab

ab æterno. *Dan.7.* Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur.

3. *Eleuauerunt flumina.* Hîc eſt ſecundum, in quo oſtendit regni potentiam aquarum abundantia & inundatione. Primò dulcium. Secundò amararum, ibi, *Mirabiles elationes.* In prima parte ſecundum noſtram literam dicuntur duo. Primò maiorum fluminum inundatio. Secundò minorum, ibi, *A vocibus aquarum.* In prima duo. Primò prædicationis effuſio. Secundò feruor & deuotio in effuſione, ibi, *Eleuauerunt flumina.*

Dicit ergo: Sic firmatum eſt regnum, & etiam in illo regno, *flumina*, ô Domine, *eleuauerunt:* & antequam dicat quid eleuauerunt, repetit, *eleuauerunt flumina vocem ſuam.*

Cur Apoſtoli vocantur flumina.

Nota, quòd Apoſtoli flumina vocantur, quia Spiritu ſancto repleti, & quaſi toti ſpiritus effecti ſunt in die Pentecoſtes, ſicut legitur *Act.2.* Spiritus autem ſanctus fluuius eſt, ſecundum illud *Pſal.* Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. De donis etiam Spiritus ſancti, quibus erant repleti, quilibet per ſe, dicitur *Ioan.7.* Qui crediderit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hæc flumina, de quibus *Eccleſ.24.* Ego ſapientia effudi flumina, id eſt, Apoſtoli per mundum diſperſi. Hæc ergo flumina eleuauerunt vocem ſuam, nolentes propter ſummum ſacerdotem, & Iudæorum concilium ſilere. *Act.4.& 5.* Non poſſumus, quod audiuimus & vidimus, non loqui. *Iſa.* 68. Clama, ne ceſſes, exalta quaſi tuba vocem tuam tu, qui euangelizas Sion, exalta, noli timere.

Eleuauerunt. Hîc monſtratur feruor maximus in prædicatione. Quaſi diceret: Eleuauerunt vocem in ſimplici prædicatione flumina, & etiam Spiritu ſancto intumeſcentes: flumina iſta, *eleuauerunt fluctus ſuos*, contra omnes eis reſiſtentes, impetuoſas prædicationes. *Act.7.* Non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui, qui loquebatur. *Luc.21.* Dabo vobis os & ſapientiam, quibus non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri. Qui habet enim ſpiritum Dei, in ſe celare veritatem non poteſt: ſed arguit cum confidentia. *Greg.* Qui ſpiritum Dei habet, veritatem celare non poteſt. *Ierem.20.* Factum eſt verbum Domini in corde meo, quaſi ignis æſtuans, & defeci, ferre non ſuſtinens.

4. *Eleuauerunt fluctus*, maiores, facto clamore magno, *à vocibus aquarum multarum*, minorum ſcilicet cum ipſis prædicantium, & veritati atteſtantium. *Act.4.* Qui cum audiſſent, omnes leuauerunt vocem vnanimiter, dicentes: Domine, tu qui feciſti cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt, &c. Secundum *Auguſt.* non eſt in litera iſtorum duorum verſuum, niſi tantum, *eleuauerunt flumina vocem ſuam à vocibus aquarum multarum.* Et legit modo vno non mutando aliquid à dicta litera.

Vel poteſt legi ſecundum noſtram literam, etiam in malo, vt quod dictum eſt de Apoſtolis, dicatur de Gentilibus prophetis, leuantibus vocem contra prædicatores & prædicationem.

Mirabiles elationes. Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur inundatio aquarum amararum, & marinarum, ſcilicet tribulationum. Ait enim: Sic Apoſtoli, qui erant flumina, dulcem aquam miniſtrantia, leuauerunt vocem, eleuauerunt fluctus: & tunc factæ ſunt *mirabiles elationes maris*, id eſt, tribulationes ex mundo, qui mare dicitur, ſurgentes. *Pſal.* Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus. *Abac.1.* Facies homines, quaſi piſces maris. Hoc mare contra prædicatores & Apoſtolos inundauit, ſed ſuſtinuerunt patienter, imò libenter. *Act.5.* Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati. *Deuteron.33.* Inundationes maris quaſi lac ſugent.

Nunc etiam elationes maris, id eſt, mundi honores ſunt mirabiles, quia dantur ſtultis, & inſciis, & de quibus nullo modo credentur. *Eccleſ.10.* Vidi ſtultum poſitum in dignitate ſublimi. Mirabiles etiam, quia inde bella in capitulis, & lites in curiis. *Iſa.3.* Tumultuabitur puer contra ſenem, & ignobilis contra nobilem. Intantum prævalent iſtæ elationes, & tot & tantas vndas ſuſcitant, quod ferè ſubmergitur nauis Petri, & maximis repletur vndis.

Mirabilis in altis. Hîc tertium, in quo oſtendit dignitatem regni & fortitudinem, à turrium altitudine. Ait enim: Sic aquæ marinæ non deſunt, ſcilicet perſecutiones, & amaritudines mundanæ: & tamen *Dominus in altis*, exiſtens ſcilicet, in ſanctis tanquam in turribus, *eſt mirabilis*, elationes illas reprimendo. *Pſal.* ſuprà. Mirabilis Deus in ſanctis ſuis. *Iſa.9.* Et vocabitur nomen eius admirabilis.

Vel ſic: Ita ſæuiunt mundani: ſed, *in altis*, hoc eſt, in principibus mundi, qui alti mundi reputatione ſunt, *mirabilis Dominus*, eos ſedando, mitigando. Suprà in alio *Pſal.* Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas.

Et nota, quòd Deus eſt mirabilis in ſeipſo. *Eſther vlt.* Mirabilis es Domine, & facies tua plena eſt gratiarum. In operibus creationis. *Apoc.15.* Magna & mirabilia tua Domine. Et in miraculoſis. *Dan.14.* Ipſe eſt liberator, & conſeruator, faciens mirabilia in cœlo & in terra. In conſiliis maximè redemptionis generis humani. *Iſa.28.* Vt mirabile faceret conſilium ſuum. In beneficiis. *Neem.9.* Non ſunt recordati mirabilium tuorum, quæ feceras eis. In nomine. *Iudic.13.* Cur quæris nomen meum, quod eſt mirabile? In doctrinis. *Luc.8.* Mirabantur omnes in his quæ procedebant ex ore Dei. In promiſſione. *Eccleſ.42.* Fecit ſanctos enarrare mirabilia ſua, hoc eſt, mirabilia promiſſa ſua. In pœnis. *Iob* 10. Et reuerſus mirabiliter me crucias. Et 26. Tonabit in voce ſua mirabiliter. In præmiis, vt hîc: *Mirabilis*, &c.

Mirabilis Deus in ſe & in operibus ſuis.

Teſtimonia tua. Hîc eſt ſecunda pars totius huius Pſalmi, ſicut ſuperius eſt diuiſum. In qua commendatur Chriſtus rex à veritate. Ait enim: Tam potens eſt, & in ſe, & in ſuo regno: & etiam ô Domine, *teſtimonia tua*, verba ſanctorum tuæ veritati atteſtantia, *credibilia facta ſunt nimis*, ita lucidè apparent vera, ex teſtimoniis prophetarum præcedentium, ex rationibus naturalibus hoc ipſum atteſtantibus, & ex miraculoſis operationibus. Suprà in alio *Pſal.* Teſtimonium Domini fidele.

5. *Laus Chriſti à veritate.*

Vel

Vel, *teſtimonia tua*, verba ſcilicet, quibus teſtabaris eos paſſuros multa, te tamen conſolaturum eos. *Ioan.16.* In mundo preſſuram, in me autem pacem habebitis. *Luc.21.* Surgit gens contra gentem, & regnum aduerſus regnum. Et poſt: His autem fieri incipientibus, leuate capita veſtra, tanquam conſolati & empti, quoniam appropinquat, &c.

Nimis autem non notat hîc ſuperfluitatem, ſed abunduntiam, ſicut ibi, Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis. Et alibi: Nimis honorati ſunt amici tui Deus. Et *Can.* 1. Adoleſcentulæ dilexerunt te nimis.

Vel teſtimonia prophetiæ dicuntur, quæ Chriſto atteſtabantur, quæ in Chriſto impletæ, credibiles ſunt factæ. *Eccleſ.* 36. Da mercedem ſuſtinentibus te, vt prophetæ tui fideles inueniantur.

Domum tuam. Hîc tertia pars Pſalmi, in qua ad laudem Chriſti, ſubiungitur de eius ſanctitate. Quis enim dubitet habentem domum ſanctam, multo fortius ſanctum eſſe? & tanguntur duo. Primò ſanctitas. Secundò ſanctitatis perpetuitas, cum addit: *In longitudinem dierum.* Dicit ergo: Domine potens, & verax, & etiam propter eminentem ſanctitatem, quæ in te eſt: ô *Domine ſanctitudo*, ſanctitatis habitudo, *decet domum ſuam*, fidelium congregationem. *Leuit.11.* Sancti eſtote, quia & ego ſanctus ſum. Vnde immundi foras eiiciendi ſunt. *Apocalypſ. vlt.* Foris canes, & venefici. Et nota breuiter, quòd hæc domus Dei homo eſt, quem decet ſanctitudo, ſecundum corpus, abſtinentiæ & caſtitatis: ſecundum animam ſanctitudo claritatis. Eccleſia, quam decet ſanctitudo vnitatis. Religio, quam decet ſanctitudo obedientiæ & humilitatis. Hoſpitale, quod decet ſanctitudo pietatis. Sacra ſcriptura quam decet ſanctitudo veritatis, vt ſic tandem veniatur ad illam ſupernam domum, in qua eſt ſanctitudo æternitatis, ad quã nos perducat, &c.

Domus Dei, Eccleſia, religio, hoſpitale, ſcriptura.

IN XCIII. PSALMVM.

Pſalmus ipſi Dauid, quarta ſabbati.

1. *Argumentũ Pſalmi, ſextus paſſionis fructus, poteſtas Chriſti iudicis.*

Deus vltionum Dominus. Hic eſt Pſalmus 93. in toto libro, in ſecunda parte 43. in quo, ſicut ſuperius dictum fuit, poſtquam dictum eſt de Chriſti regia poteſtate ac dignitate, quam nunc habet, agitur de eius iudiciaria poteſtate, quam in iudicio exercebit, quamuis nunc ſileat & ſuſtineat patienter. *Iſa.42.* Tacui ſuper filiis, vt parturiens loquar. *Eccleſ.5.* Altiſſimus patiens eſt redditor. Sic & ſui patienter agunt præſentis vitæ curſum, & expectant. Vnde in titulo Pſalmi, dicitur eis cantandus Pſalmus iſte: vel tangitur de illis, & patientia ipſorum: eſt enim talis: *Pſalmus ipſi Dauid, quarta ſabbati.* Ad cuius intelligentiam, notandum, quod quarta die ante ſabbatum, facta ſunt in cœlo luminaria, ſicut habetur *Geneſ.1.* in quo figuratur vita ſanctorum, qui ſunt in cœlo fixi meditatione, & conuerſatione. Ad *Phil.3.* Conuerſatio noſtra in cœlis eſt. Et tanquam luminaria. Ad *Phil.2.* Sine querela, & ſimplices filij Dei, in medio peruerſæ & prauæ nationis, inter quos lucetis tanquam luminaria in mundo. Senſus ergo tituli eſt: *Pſalmus* iſte, ſubiectus, qui eſt *Dauid*, vt auctoris, eſt cantandus *quarta ſabbati*, id eſt, Sanctis deſignatis per illa quæ facta ſunt quarta ſabbati, quia patienter agunt curſum ſuum vt ſydera, diem iudicij expectantes.

Diuiditur autem Pſalmus in tres partes. In prima parte agit de poteſtate Chriſti iudicis, contra ſuperbiam inimicorum Eccleſiæ. Secundò de ſcientia, ſeu ſapientia contra eorumdem blaſphemiam, ibi, *Et dixerunt, Quomodo?* In tertia de bonitate eius contra malitiam, ibi, *Quis conſurgit mihi?* In prima parte dicuntur tria, quæ neceſſaria ſunt ad iudicis poteſtatem, eò quod iuſta ſit. Primum eſt iuſtus animus in iudice. Secundum, iuſtus ordo iudicij. Et iuſta cauſa in eo qui iudicatur. De primo agit primò. De ſecundò ibi, *Exaltare qui iudicas terram.* De tertio ibi, *Vſquequo peccatores?* In prima duo ſecundum duo, quæ faciunt animum iudicis iuſtum. Seueritas, quæ nulli parcit, & libertas quæ munera à quoquam non accipit, ibi, *Liberè egit.*

Dicit ergo: Sic regnat Dominus ad dexteram Dei patris, & ipſe Dominus, qui putatur à quibuſdam non iudicaturus, tanquam oblitus, vel aliis occupatus exiſtens, *Deus vltionum:* & repetit, *Deus vltionum*, ad maiorem confirmationem. *Deut.32.* Sanguinem ſeruorum vlciſcetur. *Pſal.* Et vlciſcens in omnes adinuentiones eorum. *Ier.47.* Vltionem capiã, & non reſiſtet mihi homo. *Naum 1.* Vlciſcens Dominus in hoſtes ſuos.

Et nota, quòd replicatur *Deus vltionum*, quia punit anima ſimul & corpore. *Apoc. 1.* Habet gladium in ore, ex vtraque parte acutum. Item quia punit malos in ſe, & in aliis, cum quibus & in quibus peccauerunt. Vſurarius deuorabit in inferno filium ſi poterit, & locator locatricem. *Iſa.9.* Erit populus quaſi eſca ignis: vnuſquiſque non parcit fratri ſuo. Item qnia hic punientur, & etiam in futuro. *Ier.17.* Duplici contritione contere eos Domine Deus noſter. Hic autem vlciſcitur ſe multipliciter. Primò excæcando inimicos ſuos. *Sap.2.* Malitia eorum excæcauit eos. *Iſa.6.* Excæca cor populi eius, & aures eius aggraua. Secundò in reprobum ſenſum dando, vt putent bona, quæ verè mala ſunt, & è contrario. Ad *Rom.2.* Poſtea tradidit eos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant quæ non oportet. Tertiò multis amaritudinibus eos reſpergendo. *Eccl.2.* Cuncti dies hominis doloribus & ærumnis pleni ſunt. *Act.8.* In felle amaritudinis, & in obligatione peccati video te eſſe. Quartò damnis rerum, & ægritudinibus corporum affligendo, ſicut factum eſt in Herode *Act.17.* & in Antiocho 2. *Machab. vlt.*

Deus multipliciter vlciſcitur homines.

Dominus ergo *Deus vltionum liberè egit*, ſemper ſine omni coactione, in omnibus quæcumque fecit: & liberè aget in iudicio. Liberum enim iudicium Dei ab omni coactione. *Sap.11.* Quis dicet tibi: Quid feciſti? aut quis ſtabit contra iudicium ruum? *Iob vlt.* Voluntati eius quis reſiſtet? A praua affectione: quia nec odio, nec amore, nec pretio, nec prece poterit corrumpi. *Prou.6.* Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cuiuſquam precibus, nec accipiet, &c.

Secundum hanc literam, *liberè* deſcendit à libertate. *Auguſt.* autem in quodam ſermone de paſſione Domini exponit *liberè*, id eſt, libera-

liter, vt deſcendat à liberalitate:cum enim poſſit pro peccato primi hominis,totum hominem deſtruxiſſe, liberaliter ipſum morte propria liberauit: & cum poſſet de iuſtitia damnare peccantem in infernum,ſanat febrem immittendo, imò aliquando beneficia exhibendo.

2. *Exaltare.* Hîc ſecundum, in quo monſtratur iuſtus ordo in iudicando, ad quem concurrunt tria quæ tanguntur hîc. Primum, authoritas. Secundum, diſcuſſio meritorum. *Qui iudicas.* Tertium, retributio debita, quod notatur cum dicit: *Redde retributionem.* Ait enim:Sic Dominus iuſtus eſt in iudicando, & propter hoc Domine, *exaltare,* id eſt, appare in illa authoritate & altitudine, quam habes ad iudicandum. In *Pſal.* ſuprà: *Exaltare Domine in virtute tua. Iſa.* 2. Exaltabitur Dominus ſolus in die illa. Solus enim habebit authoritatem iudicandi, quæ iudici, vt dictum eſt, eſt neceſſaria. Ad *Rom.*13. Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat aut cadit. *Qui iudicas terram*, iudicio diſcuſſionis, quod etiam neceſſarium eſt iudici. *Iob* 29. Cauſam quam neſciebam, inueſtigabam. Et Paulus 1 ad *Corinth.*4. Nolite ante tempus iudicare. Ante tempus iudicat, qui ante diſcuſſionis iudicium, definitionis iudicium præcipitat, ſicut fecit Dauid concedendo ſeruo Miphiboſeth medietatem rerum ſuarum. Terram autem hic appellat terrenos homines, qui iudicabuntur: ſed cœleſtes, qui reliquernnt omnia propter Chriſtum, ipſi iudicabunt cum Chriſto. *Matth.* 19. Amen dico vobis, quod vos qui reliquiſtis omnia, &c. Cœli ſunt, non terra. Suprà in *Pſal.* Cœli enarrant gloriam Dei.

Conditiones iudicii.

Redde. Ecce tertium. Quaſi diceret: Sic oſtende authoritatem, & merita diſcute, & poſtmodum, *redde retributionem ſuperbis*, non humiliter pœnitentibus, ſed ex ſuperbia contumacibus, & inflatis: quod & faciet. *Iſa.* 2. Dies Domini ſuper omnem ſuperbum, & arrogantem, & humiliabitur. *Pſal.* Retribuet abundanter facientibus ſuperbiam. Et alibi: Opprobrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis. Et hoc neceſſarium eſt poſt authoritatem & diſcuſſionem. *Deut.* 26. Iuſtè quod iuſtum eſt exequeris.

3. *Vſquequo peccatores.* Hîc tertium, in quo tangitur iuſta cauſa in iudicio Chriſti, quia iudicabit iudicio damnationis eos, qui verè damnati erunt, ſcilicet peccatores, quorum culpam tangit in generali, primò conquerendo de dilatione iudicij eorum. Secundò ſpecificando ipſam. *Vſquequo peccatores.* Dicit ergo: Redde ſuperbis merita, & citò, quia ô Domine *vſquequo peccatores*, durabunt in peccatis ſuis, & permittentur in illis? *Iob* 21. Quare impij viuunt, ſublimati ſunt, confortatique diuitiis? Et *Ierem.* 12. Quare via impiorum proſperatur, bene eſt his, qui præuaricantur, & impie agunt?

Vana peccatorum iactantia.

Vſquequo peccatores? Hîc ſpecificat illorum culpam, primò tangens malitiam cordis. Secundò oris. *Effabuntur.* Tertiò operis. *Omnes qui operantur.* Dicit ergo: Sic quandiu durabũt peccatores generaliter,& *vſquequo peccatores gloriabuntur?* ſuperbiendo in cordibus ſuis ſpecialiter. *Pſal.* Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Et alibi: Gloriati ſunt, qui oderunt te in medio ſolemnitatis tuæ. Hæc gloria citò tranſiens eſt. *Iſa.* 40. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos fœni. Vilis, & fœtens Deo, & Angelis eius. 1. *Machab.* 2. A verbis hominis peccatoris ne timueritis: gloria eius, ſtercus & vermis eſt: hodie extollitur, & cras non inuenietur. Et tandem miſeriam cumulans. *Apocalypſ.*18. Quantum glorificauit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.

4. *Effabuntur & loquentur.* Hîc ſecundum, in quo tangitur culpa oris,quam vocat duplicem: ſuperfluitatem. *Effabuntur.* Et peruerſitatem. *Et loquentur iniquitatem.* Ait enim: Sic *gloriabuntur* in corde, & etiam *effabuntur*, extra per abundantiam fabuntur. *Matth.* 12. Ex abundantia cordis os loquitur.Notatur in hoc arrogantia & iactantia. *Ierem.*48. Scio arrogantiam tuam, & iactantiam tuam.

Et loquentur iniquitatem. Ecce malitia & peruerſitas *Iſa.* 59. Labia veſtra loquuta ſunt mendacium, & lingua veſtra iniquitatem fatur.

Omnes qui operantur. Hîc tangitur peccatum operis. Primò in generali. Secundò ſpecificantur mala eorum opera, ibi, *Populum tuum.* Dicit ergo: Sic effabuntur & loquentur: loquentur, inquam, repetit ſecundum communem literam, quod non habet vera litera *Auguſt. Omnes qui operantur iniquitatem.* Hic ergo tangitur culpa operis. In *Pſal.* Diſcedite à me omnes,qui operamini iniquitatem.Et *Matth.*7. Diſcedite à me operarij iniquitatis, quia non noui vos.

5. *Populum tuum Domine.* Hîc ſpecificatur illorum culpa in opere. Et primò tangit peccatum quo peccant mali in ſanctos, male eos vilificando, quod eſt contra honores. Secundò eos depauperando, quod eſt contra diuitias. *Et hæreditatem.* Tertiò occidendo contra delicias, & voluptates corporales, ibi, *Viduam, & aduenam.* Dicit ergo: Sic quæro quandiu durabunt operantes iniquitatem? Sed quam iniquitatem faciunt? Hanc vtique,*populum tuum Domine humiliauerunt*, ipſum vilificando, conculcando. 2. ad *Corinth.* 4. Tanquam purgamenta facti ſumus huius mundi. *Eccleſiaſt.* 10. Vidi ſeruos in equis, & principes ambulantes ſicut ſeruos ſuper terram. *Iſa.*28. Humiliaberis de terra loquens,& de humo viuificabis eloquium tuum.

Et hæreditatem tuam, fideles tuos qui in te credunt, & hæreditas tua ſunt. *Eccleſ.* 24. In Iacob inhabita, & in Iſraël hæreditare. *Iſa.*19. Hæreditas mea Iſraël. *Vexauerunt*, ſpoliando, res proprias auferendo. *Mich.*3.Qui comedunt carnem populi mei, & pollem deſuper excoriauerunt. *Iſa.*1. Regionem veſtram coram vobis alieni deuorant.

Hæreditas Dei ſumi poteſt pro charitate.

Nota etiam, quòd charitas hic hæreditas Dei, id eſt, hæreditas à Deo data, poteſt dici. Primò quia immobilis, ſicut hæreditas, quantum eſt de ſe. 1. ad *Corinth.* 13. Charitas nunquam excidit. Item homo pro hæreditate ſe exponit morti. Sic per charitatem antequam amittant ipſam, viri iuſti. 3. *Reg.* 21. Naboth

prius

prius voluit mori, quàm amitteret hæreditatem. Ad *Rom.* 8. Scio, quòd nec mors neque vita poterit nos ſeparare à charitate Dei, &c. Item hæreditas paſcit Dominum ſuum. Sic charitas. *Pſal.* Et paſceris in diuitiis eius. Hæc hæreditas in bonis non deſtruitur, ſed vexatur, vt creſcat. *Gregor.* Quod flatus carboni, hoc tribulatio charitati.

6. *Viduam & aduenam.* Hîc tertium, in quo tangitur peruerſa operatio contra proximum, occidendo: & dicuntur tria ſecundum tria genera miſerabilium perſonarum. Primum genus eſt viduarum, quæ carent adiutorio mariti. Secundum, aduenarum, qui carent adiutorio proximi & cogniti. *Et aduenam.* Tertium, pupillorum, qui carent adiutorio patris proprij. *Et pupillos.* Dicit ergo: Sic humiliant populum tuum, & ſic ſpoliant, & etiam, quod deterius eſt, *interfecerunt*, ad literam: *viduam*, auxilio mariti deſtitutam, *& aduenam*, deſtitutum auxilio proximi & noti. *Deuteron.* 24. Non peruertes iudicium viduæ, & pupilli. *Iſa.* 1. Iudicate pupillo, & defendite viduam. *Exod.* 23. Pupillo & viduæ non nocebitis. *Et pupillos occiderunt*, quod crudeliſſimum eſt, ad literam, vel eorum ſuſtentationem auferendo, vel ſubtrahendo. *Eccleſ.* 34. Panis egentium, vita pauperum eſt: qui defraudat illum, vir ſanguinis eſt.

Viduam ſpiritualiter hic appellat animam à Chriſto ſponſo viduatam, de qua *Iob* 24. Pauit ſterilem quæ non parturit, & viduæ non benefecit. Aduenam, non habentem hic manſionem, ſed inquirentem, & tendentem ad æternam. Ad *Hebr. vlt.* Non habemus hîc manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. Pupillum, ſpiritum, qui caret patre diabolo, & matre concupiſcentia mala, de quibus *Ezechiel.* 16. Pater tuus, diabolus ſcilicet, Amorrhæus, mater tua Cethæa. Tales opprimant impij in hac vita, verbis & operibus malis.

7. *Et dixerunt: Non videbit Dominus.* Hîc ſecunda pars Pſalmi, in qua agitur de ſcientia Chriſti iudiciis, qua redarguitur aduerſantium infidelium blaſphemia. Secundò redarguit illam, ibi, *Intelligite inſipientes.* Tertiò Iudæis oſtendit ſapientiam, ibi, *Qui plantauit.* In prima duo. Primò tangitur eorum blaſphemia, quantum ad exteriorem actum cognoſcendi. *Non videbit.* Secundò quantum ad interiorem diſcernendi. *Nec intelligit.*

Dicit ergo: Sic mala loquuntur, & iniquitem, *&* etiam *dixerunt*, contra Deum loquentes: *Non videbit Dominus*, mala quæ facimus. *Eccleſ.* 33. Circunſtant me tenebræ, quis me videt? delictorum meorum non memorabitur Altiſſimus. *Iob* 22. Quid nouit Deus? quaſi per caliginem iudicat. Hoc eſt quod ſubiungitur: *Nec intelliget Deus Iacob*, luctatorum, Chriſtianorum ſcilicet, vt diſcernat cognita vel viſa: & hoc falſum eſt. *Eccleſ.* 23. Domino Deo antequam crearentur, omnia ſunt agnita, ſic & poſt perfectum, ſicut ante, ſup. reſpicit omnia. Ad *Hebr.* 4. Omnia nuda & aperta ſunt oculis eius. Talibus, qui latere ſe putant, dicitur *Iſa.* 32. Væ qui profundi eſtis corde, vt à Deo abſcondatis conſilium.

D. Alb. Mag. Comment. in Pſal.

Intelligite inſipientes. Hîc arguit eorum ſtultitiam. Et primò quantum ad humana. Secundò quantum ad diuina. *Et ſtulti.* Ait enim: Sic dicunt miſeri: ſed conuerſus ad illos, dico: *Inſipientes*, qui eſtis *in populo*, de numero ſcilicet hominum, vnde ſaltem humana ratione debetis vti, *intelligite* humana. *Pſal.* Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. *Ioan.* 4. dixit Dominus Samaritanæ: Voca virum tuum. *Gloſſa*, intellectum tuum. 8. *Contra negantes diuinam prouidentiam.*

Et ſtulti aliquando ſapite, hoc eſt, ſaporate, quæ vere ſaporata ſunt, ſcilicet cœleſtia, quæ non guſtatis. Ad *Coloſſ.* 3. Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Hoc intelligite, hoc ſapite, quoniam ſicut in *Iob* dicitur 24. Oculi eius in viis hominum. Et *Prouerb.* 6. Omnes viæ hominum patent oculis eius.

Qui plantauit aurem. Hîc probat diuinam ſapientiam iudicis: & dicuntur duo. Primò oſtendit veritatem ſcientiæ in iudice. Secundò infert felicitatem ex eruditione, quæ eſt ab ipſo, ibi, *Beatus homo quem tu erudieris.* In prima duo. Primò oſtẽdit veritatem ſcientiæ iudicis, quantum ad actus exteriores. Secundò quantum ad interiores, ibi, *Qui corripit gentes.* In prima duo. Primò oſtendit ſcientiam in iudice quantum ad exteriorem quo diſcimus. Secundò quantum actum quo diſcernimus, per nos ipſos, quod eſt videre, ibi, *Aut qui finxit.* Dicit ergo: inſipientes intelligite, ſtulti ſapite, quid? Hoc: *Qui plantauit aurem*, humanam in homine, *non audiet?* Quaſi dicat: Abſurdum eſſet ipſum carere auditu, qui ipſum largitur aliis. Simile *Iſa. vltim.* Si ego, qui aliis generationem tribuo, ſterilis ero? *Act.* 17. Non manibus humanis colitur, indigens aliquo. In *Pſal.* Bonorum meorum non eges. *Sapient.* 1. Auris zeli audit omnia. 9.

Aut qui finxit, fingendo fecit, ſicut figulus de luto, *oculum*, *non conſiderat*? non habet virtutem conſiderandi & diſcernendi res ſicut oculi colores. *Eccleſ.* 23. Oculi Domini multo plus lucidiores ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum.

Et Nota, quòd Dominus dicitur plantare aurem, & fingere oculum. In aure obedientia, quia quando dat obedientiam, ad hoc dat, vt ſemper augeat ipſam. *Matth.* 13. Qui habet aures audiendi, audiat. *Pſal.* In auditu auris obediuit mihi. In oculo ſapientia, quem Deus fingit: quia qui ſapiens eſt, ſe nihil eſſe ſentit omninò. 1. ad *Corinth.* 2. Si quis vult inter vos eſſe ſapiens, ſtultus fiat: annihiletur vt fictile, vt ſapiens ſit Item plantat aurem, qui iniungit obedientiam, ſcilicet prælatus. Qui ergo aliis iniungit vt obediant, non audiet? Quaſi diceret: Nunquid obediet? Ita: ne dicatur ei illud *Matth.* 23. Væ tibi Scriba, & Phariſæe, qui alligas onera grauia, & importabilia humeris hominum, digito autem tuo non vis ea mouere. Qui fingit oculum, alij vigilias, & diligentem ſui iniungit cuſtodiam, non conſiderat? id eſt, conſiderare debet vigilando in ſui propria cuſtodia? Ita: ne ei dicatur illud *Roman.* 2. Qui alios doces, cur teipſum non doces? *In aurẽ obedientia, in oculo ſapientia.*

Qui corripit. Hîc ſecundum, in quo oſten- 10.

dit ſcientiam iudicis, quantum ad actus interiores, qui ſunt tres. Arguere, de quo primò: docere, de quo ſecundò, ibi, *Et qui docet hominem.* Scire, de quo tertiò, ibi, *Dominus ſcit.* Dicit ergo: Sic non caret viſu, non auditu: & etiam ille, *qui corripit gentes*, miſerias & pœnalitates infligendò pro peccato originali: vel qui corripit in præſenti frequenter pro culpis manifeſtis. *Ierem.* 10. Corripe me Domine in iudicio, & non in furore tuo. *Pſal.* Propter iniquitatem corripuiſti hominem. *Non arguet?* Quaſi diceret: Imò certè arguet. *Iſa.* 11. Et arguet in æquitate pro manſuetis terræ. Arguet in præſenti ſpiritum ſapientiæ & ſcientiæ infundendo. *Ioan.* 16. Cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio. Arguet tandem in iudicio omnia manifeſtando. *Pſal.* Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.

Qui docet. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Et nunquid docebit, *qui docet hominem ſcientiam?* Quaſi diceret: Sic *Eccleſ.* 1. Omnis ſapientia à Domino Deo eſt. *Pſal.* Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me. *Iob* 32. Inſpiratio Omnipotentis docebit te. *Ioan.* 16. Cum venerit ille ſpiritus veritatis, docet vos omnem veritatem. Et poſſet eſſe thema in Pentecoſte, quando miſſus eſt Spiritus ſanctus, qui arguit & docet.

Deus multis modis arguit. Et nota, quòd Dominus arguit primò per culpæ oſtenſionem. *Pſal.* Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam. Secundò per conſcientiæ remorſionem. *Ierem.* 2. Arguet te malitia tua, id eſt, mala conſcientia tua: & auerſio tua increpabit te, id eſt, conſcientia à Deo auerſa. Per Spiritus ſancti inſpirationem. *Ioan.* 16. Cum venerit ille, arguet mundum de peccato. Per prælatorum correctionem, iuxta illud 2. *Tim.* 4. Argue, increpa, obſecra. Per diſceptationes in iudicio. *Iſa.* 2. Arguet populos multos. Et in 11. Arguet in æquitate pro manſuetis terræ. *Iudas in Can.* Cum venerit, arguet omnes impios.

11. *Dominus ſcit cogitationes.* Hîc tertium quod pertinet ad tertium interiorem actum, ſcilicet ſcire. Primò ergo oſtendit quòd habet ſcientiam cogitationum hominum. Secundò quid ſciat de illis. *Quoniam vanæ.* Ait ergo: Sic arguit, & ſic docet, & poteſt, *quoniam Deus ſcit* cogitationes hominum. *Eccleſ.* 22. Non præteriit illum vllus cogitatus. *Iob* 24. Oculi eius in omnibus viis hominum, hoc eſt, in omnibus operibus, tam interioribus, quàm exterioribus. Et quid ſcit de illis? *Quoniam vanæ ſunt. Iob* 11. Ipſe novit hominum vanitatem. *Eccl.* 1. Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes, vanitas vanitatum, & omnia vanitas.

12. *Beatus homo, quem tu erudieris.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit poſt probatam iudicis ſapientiam, eorum, qui ab eo docti fuerint, felicitatem: in quo dicuntur duo. Primò tangitur in generali felicitas. Secundò ſubditur in ſpeciali, in quo, ibi, *Vt mitiges.* In prima primo tangitur eruditorum felicitas. Secundò erudiendi diuerſitas vel docendi. *Quem tu erudieris Domine.* Eſt enim duplex modus. Per flagella, quem tangit primò. Per legis ſuæ verba, quem ſecundo, ibi, *Et de lege.* Dicit ergo: Sic omnia ſcit vſque ad hominem cogitata: & propter hoc *beatus homo*, hîc iam beatitudine ſpei, poſtmodum beatitudine rei, *quem tu erudieris Domine*, id eſt, extra ruditatem poſueris. *Pſal.* Erudimini, extra ruditatem ponamini, qui iudicatis terram. Et hoc flagello tribulationis, quaſi martello. *Ier.* 6. Per omne flagellum erudieris Iſraël. Et per ignem charitatis. *Thren.* 1. Deo excelſo miſit ignem in oſſibus meis, id eſt, charitatẽ, & erudiuit me. *Et de lege*: & beatus, ſup. eſt, ſi *de lege tua docueris eum*, id eſt, per legis tuæ verba, implens in eo illud *Iſa.* 54. Ponam omnes filios tuos doctos à Domino. *Ioan.* 7. Erunt omnes docibiles Dei.

Beatus qui per flagella à Deo erudiuntur, & per legem docetur.

Beati ergo, qui tanquam paruuli perſecutionibus eruditiuntur. *Matth.* 5. Beati qui perſequutionem patiuntur propter iuſtitiam. Et beati, qui de lege tua docentur, id eſt, de charitate Dei, quæ vera eſt lex eius. *Iob* 11. Vtinam aperiret tibi labia & loqueretur tecum, & oſtenderet tibi quam multiplex ſit lex eius. Hanc docet diſcipulos ſuos. Quos? illos qui reliquerunt omnia propter ſe. *Luc.* 14. Qui venit ad me, & non renuntiauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Propter hoc dicitur *Oſeæ* 2. Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius. Propter hoc dicitur *Prou.* 1. Audi fili mi legem Patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. *Lex Dei, charitas.*

13. *Vt mitiges ei.* Hîc ſecundum, in quo tangitur vtilitas in ſpeciali: & tangitur triplex. Primò mitigatio doloris in tribulatione. Secundò conſeruatio in ipſa mitigatione, ibi, *Quia non repellet Dominus.* Tertiò remuneratio poſt tribulationes in æterna vita, ibi, *Quoadusque.* Mitigatio tangitur in duobus. In lenitate. *Mitiges.* In breuitate. *Donec fodiatur.* Ait enim: Sic Domine, beatus, quem tu erudieris: ad hoc, inquam, *vt mitiges ei*, id eſt, mitigationem facias, *à diebus malis*, diebus, inquam, tribulationis. Supra in *Pſal.* Mitigaſti omnem iram tuam. Et alibi: Motum autem fluctuum eius tu mitigas. Dies autem dicit malos propter malitiam pœnæ, quæ in eis eſt. Suprà in *Pſal.* In die mala liberabit eum Dominus. *Matth.* 6. Sufficit diei malitia ſua. Ad *Epheſ.* 6. Redimentes tempus: quoniam dies mali ſunt. Et hoc *donec*, id eſt, quandiu *fouea fodiatur peccatori*, id eſt, quandiu peccator delectatus fuerit: peccatoris enim delectatio, foueæ eſt foſſio. *Iſa.* 24. Formido, timor ſcilicet aduerſitatis, & fouea, delectatio vitæ præſentis, & laqueus, ſcilicet impœnitentia finalis, ſuper te qui habitator es terræ. *Pſal.* Lacum aperuit, & effodit eum. Et hoc erit cito: parum enim poterit durare præſens delectatio. *Pſal.* Tanquam fœnum velociter areſcent, & quemadmodum olera herbarum citò decident.

Deus multipliciter adueſa mitigat.

Et nota, quòd Dominus tribulationes mitiget, conſolationem interiùs immittendo. *Pſal.* Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ, &c. *Eccleſ.* 38. Vnguenta faciet ſuauitatis, & vnctiones conficiet ſanitatis, quæ liniunt. Exempla ſanctorum ante oculos ponendo. *Greg.* Si facta patrum priorum recolamus, grauia non erunt quæ ſuſtinemus. *Ierem.* 38. Funes eius pannis veteribus fuerunt inuoluti.

Chriſti

Chriſti paſſionem recolendo. *Exod.*16 Moyſes poſuit lignum in aquis Marah, & dulcoratæ ſunt. *Eccleſ.*37. Nonne à ligno dulcorata eſt aqua? Hauſtum modicum ſupernæ dulcedinis in tribulatione tribuendo. *Eccleſ.*43. Obuians ros ab ardore venienti, humilem efficiet eum. *Gregor.* Guſtato ſpiritu, deſipit omnis caro, & omnis carnalis quies. Præmium ante oculos cordis adducendo. 2. ad *Cor.*4. Id quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. *Gregor.* Conſideratio præmij minuit vim flagelli.

14. *Quoniam non repellet.* Hîc ſecundum, ſcilicet conſolatio in tribulatione: & tanguntur duo. Primò conſolatio. Secundò conſolationis continuatio, ibi, *Et hæreditatem.* Dicit ergo: Quem erudieris vt mitiges, eſt verè beatus: *quia Dominus non repellet plebem ſuam*, à ſua conſolatione, quin conſoletur eam. Ad *Rom.*9. Nunquid repulit Deus plebem ſuam? Quaſi diceret: Non. Imò magis viſitat eam tribulatam. *Luc.*7. Viſitauit Dominus plebem ſuam. Contra ſuprà in *Pſal.* Deus repuliſti nos. Reſp. Non repellit nos ab vtilibus, ſed à nociuis, à diuitiis ſcilicet, & deliciis, ſicut pia mater puerum ab aqua & igne.

Et hæreditatem ſuam. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic non repellet à ſua conſolatione, & etiam *hæreditatem ſuam non derelinquet*, quin ſe continuet in conſolatione. *Matth. vlt.* Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. *Pſal.* Non vidi iuſtum derelictum, &c. Et infrà: Non dereliquet ſanctos ſuos, in æternum conſeruabuntur. *Ioſue* 2. Non deſeram te, neque derelinquam.

15. *Quoaduſque iuſtitia.* Hîc tertium, ſcilicet remuneratio glorioſa, quia iudices fient in iudicio extremo: & dicuntur tria. Primò tangitur dicta remuneratio. Secundò ſupponitur quæſtio orta ex dicto. *Et qui.* Tertiò additur ſtatim reſponſio. *Omnes.* Ait ergo: Sic cum ipſis eſt eos conſolando, nec derelinquit eos, *quoaduſque*, incluſiuum eſt, non quia deſerat eos tunc, *iuſtitia*, ipſi ſcilicet, qui modo iuſti ſunt, *conuertatur in iudicium*, id eſt, fiant iudices cum Chriſto, quod erit in extremo iudicio, quando veraciter eruditi à Deo, & eius veri diſcipuli iudicabunt cum illo, ſecundum illud *Matth.* 19. Amen dico vobis, quòd vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, &c. *Iob* 16. Et iudicium pauperibus tribuit. *Luc.* 11. Propterea ipſi iudices veſtri erunt.

Iuſtitia conuertetur in iudicium quando diſcipuli Chriſti cum ipſo iudicabunt.

Et qui iuxta. Hîc quæſtio. Quaſi diceret: Sic iuſtitia, quam habent modò aliqui, in iudicium conuertenda. *Et qui iuxta illam?* id eſt, qui appropinquant ad illam iuſtitiam. Alia litera: *Et qui habent illam?* Verè pauci habent illam veram. *Iſa.* 64. Omnes iuſtitiæ noſtræ quaſi pannus mulieris menſtruatæ. Et reſpondet: *Omnes qui recti ſunt corde*, appropinquant iſti iuſtitiæ. Et hinc videtur, quod ſolum recti ſunt corde, qui omnia relinquũt propter Chriſtum. Sed dicunt: Verum eſt, & hoc eſt dupliciter: omnia ſuppeditando, quod faciunt boni ſæculares: vel abiiciendo, quod faciunt boni clauſtrales. Sed certè hîc loquitur de illis, qui iudicaturi ſunt, quales ſunt illi, qui omnia non tantum ſuppeditant, ſed abiiciunt. Tamen aduertendum, quòd prudenter quærit, *Qui iuxta illam?* quia iuxta illam ſunt etiam boni ſæculares, qui recto ſunt corde, etſi non ſicut in illa ſicut clauſtrales. *Cant.* 1. Recti diligunt te. Recti autem ſunt, qui volunt quod ipſe vult, & dicunt illud *Matth.*26. Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.

Quis conſurget. Hîc tertia pars Pſalmi. Cum enim in parte præcedenti egerit de iudicis poteſtate, & poſtmodum de iudicis veritate, agit hîc tertiò de eiuſdem iudicis bonitate: & dicuntur duo. Primò commendatur Dei bonitas à miſericordia, qua liberat oppreſſos à malignis. Secundò à iuſtitia, quâ punit malignos opprimentes, ibi, *Nunquid adhæret?* In prima duo. Primò introducit iuſtum conquerentem de tribulatione, quam inferunt impij in Deum, & in ipſum. Secundò ſubiungit eiuſdem iuſti reſponſionem, Dei miſericordiam confitentis, ibi, *Niſi quia Dominus.* In prima duo. Primò conqueſtio de defectu auxilij contra malos, interiori voluntate. Secundò contra malos, exteriori opere. *Aut quis ſtabit?* Dicit ergo: Sic potenter, & prudenter Deus regit omnia, quod multi non æſtimant, ſed magis contrarium, propter quod dico: *Quis conſurget mihi?* id eſt, pro me, & ad vtilitatem mei, *aduerſus malignantes*, in interiori voluntate? *Iob* 31. Quis mihi tribuet adiutorem? In *Pſal.* Conſiderabam ad dexteram & videbam, & non erat qui cognoſceret me. 16.

Aut quis ſtabit, vt me adiuuet, *aduerſus operantes iniquitatem?* Ecce apertè malitia in opere, quos odit in hoc quod mali ſunt, iuſtus, ſicut & Deus. *Matth.*7. Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis. Et qui non eſt ſecum, ad tales deſtruendos, contra ſe eſt. *Matth.*13. Qui non eſt mecum, contra me eſt.

Contra tales autem, & ex parte Chriſti, deberent eſſe prælati, vt deſtruerent malitiam, & in bono confortarent. Sed *Bernard.* dicit, Quem dabis mihi de prælatis, qui non magis inuigilet marſupiis euacuandus, quam moribus informandis? *Ezechiel.* 13. Non aſcendiſtis ex aduerſo, malorum: nec appoſuiſtis vos murum pro domo Domini. Ad *Phil.*4. Omnes quærunt quæ ſua ſunt, non quæ IESV CHRISTI.

17. *Niſi quia Dominus.* Hîc ſecundum, ſcilicet reſponſio confitentis diuinam miſericordiam, & auxilium: & dicuntur tria. Primò confitetur ſe adiutum contra malum tentationis ad peccatum, vel pœnæ gehennalis. Secundò contra malum culpæ actualis. *Si dicebam.* Tertiò contra malum pœnæ temporalis. *Secundum multitudinem.* Dicit ergo: Sic quæro adiutorium, ſed ſi humano careo, non tamen diuino, quia *niſi*, &c. Vel ſic: Conqueror de adiutorio meo: nec mirum, quia *anima mea habitaſſet in inferno*, ad literam: vel *in inferno*, in conſenſu ſcilicet in peccatum, quod eſt habitare in inferno per cauſam, *niſi*, obſtitiſſet, ſup. *quia Dominus adiuuit me. Deut.*33. Dominus illi adiutor. Et rurſus in eodem: Aſcenſor cœli auxiliator tuus. *Pſal.* Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.

18. *Si dicebam.* Hîc ſecundum. Liberatio à malo culpæ. Ait enim: Sic adiuuit in tentatione: & etiam ô Domine, *miſericordia tua adiuuabit me.*

me. Thren. 3. Miſericodiæ eſt Domini, quod non ſumus conſumpti. Et hoc ſi dicebam, confitendo ex corde, *motus eſt pes meus*, ex ſtatu gratiæ in ſtatum culpæ. Suprà in *Pſal.* Benedictus Dominus, qui non dedit in commotionem pedes meos. Commotio autem pedum, in malum ſonat. *Ierem.* 14. Populus hic dilexit mouere pedes ſuos, & Deo non placuit. Tamen ſi hoc dicit confitendo, qui ſic commotus fuerit, liberatur. *Pſal.* Dixi: Confitebor aduerſum me, &c. *Iſa.* 43. Narra ſi quid habes malitiæ, & culpæ, vt iuſtificeris. Sic confitens & ſperans, proculdubio adiuuaberis. *Pſal.* In ipſo ſperauit cor meum, & adiutus ſum.

Secundum multitudinem. Hîc eſt tertium, quaſi liberatio à malo temporalis pœnæ. Satis enim bene liberatur, qui in ipſo malo à Deo conſolatur. Dicit ergo: Sic liberatus ſum à malo tentationis, & à malo culpæ actualis: & etiam *conſolationes tuæ lætificant animã meam:* & hoc *ſecundum multitudinem dolorum*, exiſtentium, ſup. *in corde meo.* 2. *Corinth.* 1. Sicut abundant Chriſti paſſiones in nobis, ita per Chriſtum habitant conſolationes. Ibid. Si fuerimus ſocij paſſionum, ſimul erimus & conſolationum. Et maximè ſi in corde eſt dolor de peccatis, indubitanter ſequitur & conſolatio. *Iſa.* 51. Conſolabitur Dominus ruinas Sion. *Tob.* 3. Poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lamentationem & fletum, exultationem immittis.

Secundũ dolores Deus conſolatoria præſtat remedia.

Et nota hic, quod tribulatio eſt animæ cibus, ſed amarus valdè, & inſipidus, niſi ſalſa aliqua condiatur. *Iob* 7. Nunquid poterit comedi inſulſum, quod non eſt ſale conditum? Non, niſi ſalſa apponatur. Nota ergo, quòd Sancti primũ ferculũ doloris habent de incolatu præſentis miſeriæ: ſed ecce ſalſa. *Matth. vlt.* Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. Secundum doloris ferculum, de dilatione patriæ: ſed ecce ſalſa ſtatim. *Apoc. vlt.* Ecce venio citò, & merces mea mecum. Tertium eſt dolor pro defectu compunctionis. *Iudic.* 1. Terram arentem dediſti mihi, &c. Salſa ſtatim. *Iſa.* 54. Effundam aquam ſuper ſitientem, & pluuiam ſuper aridam. Quartum pro infeſtatione malorum hominum. *Ezech.* 2. Increduli, & ſubuerſores tecum, & cum ſcorpionibus habitas. Ecce ſalſa: Beati qui perſequutionem patiuntur propter iuſtitiam. Quintum, dolor pro impetitione Dæmonum. *Luc.* 22. Simon, ſatanas expetiuit te vt cribraret, &c. ſed ſtatim ſalſa: Ego autem rogaui pro te, &c. Sextum, dolor de carnis contrarietate. Ad *Gal.* 5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, &c. Ad *Roman.* 7. Infelix ego homo, quis me liberabit? &c. ſed ſalſa. *Cantic.* 2. Sub vmbra illius quem deſideraueram, ſedi, vt ſit mihi in refrigerium ab ardore concupiſcentiæ. Vltimum & ſeptimum, de malorum proſperitate. *Iob* 21. Quare impij viuunt, ſublimati ſunt? &c. *Ier.* 12. Quare via impiorum proſperatur? Salſa in *Pſal.* Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani: & tranſiui, & ecce non erat.

20. *Nunquid adhæret?* Hic ſecundum tertiæ partis totius Pſalmi, in quo oſtendit lenitatem diuinam in reproborum damnatione: & hoc facit quæſtiones ponendo, & quæſtionibus illis reſpondendo: & ſecundum hoc dicuntur duo. Primò quærit. Secundò reſponſionem ſubiungit ad quæſita, ibi, *Et factus eſt.* In prima duo. Primò quæſtio quaſi dubitatoria. Secundò ratio illius conqueſtionis duplex. Prima: quia ſanctos præcipit miſerias ſuſtinere. *Qui fingis.* Secunda: quia malos permittit iuſtos affligere, ibi, *Captabunt.* Dicit ergo: Sic Domine miſericors es, me à prædictis miſeriis liberando: ſed ô Domine, *nunquid ſedes iniquitatis*, id eſt, iniquus aliquis iudex, nunquid iungetur tibi, tanquam iniquitatis amator ſis? De tali ſede *Apocal.* 2. Scio vbi habitas, vbi ſedes eſt ſatanæ. Sed tu non ibi habitare potes Domine, nec malum aliquod tecum eſſe poteſt. 2. ad *Cor.* 6. Quæ communicatio lucis ad tenebras, aut quæ pars iuſtitiæ cum iniquitate? Nulla. Imò innocentes & recti adhæſerunt mihi.

Qui fingis. Hîc ratio quæſtionis & conqueſtionis quaſi duplex. Prima: quia iuſtos præcipit laborare. Secunda, quia malos permittit affligere illos, ibi, *Captabunt.* Dicit ergo: Sic quæro, ſi tibi iungitur iniquus, *qui*, id eſt, quia tu *fingis laborem*, id eſt, facis de labore aliquid *in præcepto*, ipſis ſanctis & iuſtis. Quaſi dicat: Laborare eos præcipis, & miſeriam ſuſtinere. *Eezech.* 9. A ſanctuario meo incipite. 2. *Pet.* 4. Tempus eſt vt incipiat iudicium à domo Dei. Multo ergo magis fingis illud in præcepto malis: oportet enim eos ſuſtinere labores, ex quo boni ſuſtinent illos. 2. *Pet.* 4. Si enim initium à nobis, quis finis iis qui non credunt Euangelio?

Et nota, quod Dominus laborem præcipit. 2. ad *Timoth.* 2. Labora igitur ſicut bonus miles, Chriſti. Sed fingis, quia molle, & quaſi fictile reddis in præcepto charitatis, quod adiungis, quæ omnia mollia & ſuauia reddit. Propter quod dicitur *Matth.* 11. Iugum meum ſuaue eſt. Et illud *Bernard.* Amanti omnia ſunt facilia.

Captabunt in animam. Hîc ratio ſecunda, quia permittit bonos à malis affligi, & hoc dupliciter. Primò in anima. Secundò in corpore, ibi, *Et ſanguinem.* Ait enim: Sic ſanctos laborare præcipis: & etiam *impij captabunt in animam iuſti*, vt ſi poſſint ad peccatum trahant ipſam, vel calumniam imponant. *Sapient.* 2. Circumueniamus iuſtum, quoniam contrarius eſt operibus noſtris. *Oſea* 6. Calumniam paſſus eſt Ephraim. *Et* ſi non poſſint in animam, *ſanguinem innocentem condemnabunt*, in iudicio falſo. Exemplum de Suſanna *Dan.* 13. de Naboth *Reg.* 21. & de Vria 2. *Reg.* 11. 21.

Hic iuſtus poteſt appellari Chriſtus, de quo *Ierem.* 43. Et hoc nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter. Impij ergo captant, id eſt, capere tentant diuitias, delicias, & honores: & hoc *in animam*, id eſt, contra animam *iuſti*, id eſt, Chriſti: & per hoc ſanguinem innocentem condemnant, quia peccato illorum, qui illum occiderunt, participant: quia propter hæc deſtruenda, & vt non appeterentur, vitam dedit Chriſtus. *Ier.* 11. Dedi dilectam animam meam in manus inimicorum eius. Ad *Hebr.* 6. Rurſum filium Dei crucifigentes & oſtentui habentes.

Et

Iudicium diuerſimodè iniquum.

Et nota, quòd ſanguis innocens in iudicio condemnatur. Primò cum homo à non ſuo iudice iudicatur. Ad *Rom.* 13. Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Quando à ſuo ſine teſtibus iudicatur, quando iudex, vult eſſe iudes & teſtis. *Iob* 13. Nunquid faciem eius accipitis, & pro Deo, id eſt, loco Dei, iudicare nitimini? cuius ſolius eſt eſſe iudicem & teſtem. *Ierem.* 29. Ego ſum iudex & teſtis, dicit Dominus. Quando ſub vno tantum condemnantur. *Deuter.* 19. Vnus teſtis non ſtabit contra aliquem, ſed in ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum. Quando ſine deliberatione & teſtium examinatione ſententia profertur. *Iob* 31. Cauſam quam neſciebam, diligenter inueſtigabam. Ob hoc datur lex de perſcrutando falſo teſte. *Deut.* 19. Quando fortiora teſtimonia non admittuntur, vt quando non creditur monachis, & ſacerdotibus, contra mercatores, & meretrices. *Pſal.* Inſurrexerunt in mę teſtes iniqui, &c.

22. *Et factus eſt Dominus.* Hîc ſecundum, in quo reſpondet ipſe iuſti prædictis quæſtionibus. Et primò quare iuſtos præcipit laborare. Secundò quare malos permittit ſanctos affligere. *Et reddet.* In prima duo ſecundum duo quæ aſſignantur pro ratione. Primò vt Deus ſe exhibeat refugium iuſtis à malo. Secundò vt exhibeat ſe adiutorium in malo, ibi, *Et Deus meus.* Dicit ergo: Sic ſanctos præcipit laborare. Quare? *Et*, id eſt, quia, dicit ipſa *Gloſſ. factus eſt*, mihi laboranti & afflicto, *Dominus in refugium.* Suprà in *Pſal.* Domine refugium factus es nobis. *Prou.* 18. Turris fortiſſima nomen Domini, ad ipſum fugiet iuſtus, & ſaluabitur. Et *Deus meus*, factus eſt, *ſpei meæ*, id eſt, mihi ſperanti, *in adiutorium.* Suprà in *Pſal.* Iuſtum adiutorium meum à Domino. Et alibi: In ipſo ſperauit cor meum, & adiutus ſum. Adiuuat Dominus ſpem, firmans ipſam, ne degeneret in præſumptionem, per timorem. *Sap.* 17. Timor eſt præſumptionis, id eſt, ſpei, adiutorium.

23. *Et reddet illis.* Hîc reſpondet ſecundæ quæſtioni, quare bonos ſinit affligi à malis, quia alibi proponit malos affligere: & hoc dupliciter. Pœna ſenſibili, quam tangit primò: & pœna priuatiua, quam tangit ſecundò, ibi, *Et in malitia.* Ait ergo: Sic dixi, quod mirum eſt, quòd bonos à malis affligi Deus patitur, ſed video, quod non pro nihilo: *&*, id eſt, quia *reddet illis*, ſcilicet impiis, *iniquitatem ipſorum*, id eſt, pœnam pro iniquitate ipſorum. *Ioël.* 2. Cito velociter viciſſitudinem reddet. *Thren.* 3. Reddes eis vicem, Domine, iuxta opera manuum ſuarum. *Ierem.* 51. Tempus vltionis eſt Domino, tempus ſcilicet iudicij: viciſſitudinem ipſe retribuet.

Et diſperdet. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic affliget: *&* *Dominus Deus noſter diſperdet illos*, à ſuo regno ſeparans & diuidens, perdet: & hoc, *in malitia*, id eſt, propter malitiam ipſorum. *Matth.* 25. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. *Luc.* 12. Diuidet eum, partémque eius ponet cum hypocritis. Vel diſperdet, in diuerſis partibus perdet, ſcilicet in anima & corpore. *Ierem.* 17. Duplici contritione contere eos Domine Deus noſter. A qua diſperſione nobis caueat, qui eſt benedictus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

IN XCIV. PSALMVM.

Laus cantici ipſi Dauid.

1. *Pſalmus monet populum Iudaïcum vt ad fidē Chriſti conuertatur, & eius paſſionis fructus iā commemoratos aſſequatur.*

V*Enite exultemus.* Hic eſt Pſalmus 94. in quo poſtquam in antecedentibus oſtendit multiplicem vtilitatem conſequutam, & in Chriſto & in Eccleſia ex Chriſti paſſione, monet ad lætitiam & exultationem, aſſequutos præcedentia bona vel in ſpe vel in re, ad fletum non aſſecutos, promittens, ſi noluerint conuerti, pœnam æternam. Et ad primam partem Pſalmi reſpicit titulus, qui talis eſt: *Laus cantici ipſi Dauid.* Et eſt ſenſus, *laus* iſta quæ eſt in ſubiecto Pſalmo, vel ad quam inuitat in ſubiecto Pſalmo, eſt *cantici*, id eſt, lætitiæ & exultationis. *Pſal.* Laudate eum in tympano & choro. Et eſt *ipſi Dauid*, cantanda, ſup.

Diuiditur autem Pſalmus in tres partes, ſecundum illa quæ vidit *Ezechiel.* ſcripta. Lamentationes, carmen, & væ. In prima enim inuitat ad exultationem: ecce carmen. In ſecunda ad fletum: ecce lamentationes, ibi, *Venite adoremus.* Tertiò comminatur nolentibus exultare & flere, æternam miſeriam: ecce væ, ibi, *Hodie ſi vocem.* In prima duo. Primò inuitatio ad exultationem & lætitiam. Secundò perſuaſio, quòd acquieſcendum ſit inuitationi, ibi, *Quoniam Deus magnus.* In prima quatuor. Primò inuitat ad lætitiam. Secundò ad lætitiæ vehementiam, ibi, *Iubilemus Deo.* Tertiò ne ſit diſſoluta lætitia, ad humilem confeſſionem. *Præoccupemus faciem.* Quartò ne ſit infructuoſa ad lætam exteriorem operationem, ibi, *Et in Pſalmis.*

Dicit ergo: Hæc bona quæ promiſi vobis, ſunt à paſſione Chriſti, & ipſe, quia regnat venturus iudex. Ergo *venite*, per veram fidem. 2. ad *Corinth.* 5. Per fidem ambulamus, & non per ſpeciem. *Iſa.* 2. Venite aſcendamus ad montem Domini. *Matth.* 11. Venite ad me omnes qui laboratis, &c. Venite ad corda veſtra, qui extra receſſiſtis per curioſitates, & vana deſideria. *Iſa.* 44. Redite præuaricatores ad cor. Venite, colligite cor, vnde affectiones & deſideria. *Eccleſiaſt.* 30. Congrega & contine cor tuum: fugit enim, & longè receſſit à me. *Iſa.* 29. Cor autem eorum longè eſt à me.

Exultemus, mente, & hoc, *in Domino*, non in mundo, ſicut Abraham. *Ioan.* 8. Abraham pater veſter exultauit vt videret diem meum: vidit, &c. *Cantic.* 1. Exultabimus & lætabimur in te. Ad *Phil.* 4. Gaudete in Domino ſemper, &c.

Iubilemus Deo. Iubilatio eſt vehemens exultatio. *Iſa.* 44. Iubilate Deo extrema terræ: *Deo*, inquam, *ſalutari noſtro*, illi per quem tot bona recepimus, quot ſunt ſuperius præmiſſa. Hic enim eſt vere ſalutaris. *Iſa.* 25. Exultabimus & lætabimur in ſalutari eius. Et in *Pſal* Lætabimur in ſalutari tuo.

Et notatur in hoc Pſalmo tota Trinitas per appropriata. In Domino, quod ſonat potentiam, perſona Patris. In Deo, quod interpretatur videns, ſapientia, perſona Filij. In ſaluta-

Trinitas exprimitur per appropriata.

ri, quod eſt ex bonitate, bonitas, quæ competit Spiritui ſancto.

Præoccupemus faciem. Hîc tertium. Quaſi diceret : Sic lætemur , & vehementer : ſed quia parum valeret ſine humilitate , *faciem eius* , venturi ad iudicium , *præoccupemus* , id eſt , præueniamus in confeſſione noſtrorum peccatorum. *Eccleſ.* 18. Ante iudicium præpara iuſtitiam tibi , & in conſpectu Dei inuenies propitiationem. Tunc enim, quando facies apparebit, tarde erit, quia *Eccleſ.* 18. dicitur : A mortuo, tanquam ab eo qui non eſt, perit confeſſio. Iam enim præceſſiſſet accuſator diabolus, de quo *Apocal.*12. Proiectus eſt accuſator fratrum. Hæc autem facies ita terribilis erit, quòd nullus poſſet benè tunc confiteri. *Apoc.*6. Abſcondite vos à facie ſedentis ſuper thronum.Vultus erit ſatis horribilis.In *Pſal.* Vultus autem Domini ſuper facientes mala.

Et in Pſalmis. Ecce quartum. Quaſi diceret: Et quia iterum non valet nec exultatio , nec confeſſio ſine opere bono , ſubdo : *Et iubilemus* : ita tamen,quòd *in Pſalmis*, id eſt, in operibus bonis. Pſalmus enim , ſicut ſuperius dictum fuit , dicitur à ψάλλειν , quod eſt, tangere, per quod bona operatio deſignatur. Iungenda autem ſunt bona operatio , & mentis exultatio. *Eccleſ.*35. In omni dato hilarem fac vultum tuum. 1.ad *Corinth.*9. Hilarem datorem diligit Deus.

3. *Quoniam Deus magnus Dominus.* Hîc ſecundum , in quo ſubiungitur cauſa & ratio exultandi in ipſo , modo dicto : & aſſignatur pro cauſa , potentia , ſapientia , & bonitas diuina: & ſecundum hæc tria dicuntur. Primò aſſignat pro cauſa diuinæ potentiæ magnitudinem. Secundò diuinæ ſapientiæ excellentiam,ibi,*Quia in manu eius.* Tertiò diuinæ bonitatis euidentiam, ibi , *Quoniam ipſius.* In prima duo. Primò oſtenditur poteſtatis quantitas,quia magna. Secundò vniuerſalitas,quia nullus extra dominum poteſtatis eius , ibi , *Quoniam non repellet Dominus.* In prima duo. Primò poteſtatis magnitudo. Secundò excellentia in magnitudine & dignitate. *Et Rex magnus.* Dicit ergo : Sic exultate in Deo , & debetis , *quoniam Deus* ipſe eſt *Dominus magnus.* In *Pſal.* ſuprà.Magnus Dominus , & laudabilis nimis. 2.*Paral.*3. Magnus Dominus Deus noſter. *Et Rex magnus*, non tantum abſolutè , ſed *ſuper omnes deos* Gentilium , ſcilicet dæmones , quibus principatur. In *Pſal.* Omnes dij Gentium dæmonia. Vel magis deos appellat homines etiam ſanctos, qui adoptione ſunt dij , ſecundum illud *Pſal.* Ego dixi , Dij eſtis, & filij Excelſi omnes , vos autem , &c. ſed ſuper omnes hos eſt. *Apocal.*1. Princeps regum terræ. Et 19.Rex regum, & Dominus dominantium.

Quia non repellet. Ecce tertium. Quaſi diceret : Sic pſallendum , quoniam tam excellentis eſt poteſtatis,& etiam , *quia Dominus non repellet*,extra limites ſuæ potentiæ excludendo plebem ſuam. Ad *Roman.*9. Nunquid repulit Dominus plebem ſuam ? Abſit. Nec alius auferre poteſt à ſua poteſtate.Et nota,quòd non repellet Dominus ad ſe venientem , de infidelitate ſcilicet conuerſum ad fidem. *Ioan.*5.Et eum qui venit ad me , non eiiciam foras. Nec orantem, nec quærentem, nec pulſantem. *Luc.*11. de his tribus : Petite , & accipietis : quærite, & inuenietis : pulſate,& aperietur vobis. Omnis enim qui petit , accipit : & qui quærit , inuenit , & pulſanti aperietur.

Deus venientem ad ſe non repellit.

Quia in manu. Hîc ſecundum , in quo probat lætandum in eo,propter dictam eius ſapientiæ excellentiam:& dicuntur duo. Primò,quòd per ſapientiam infima regit omnia. Secundò, quòd per eandem contemplatur omnia ſuprema , ibi, *Et altitudines montium.* Dicit ergo:Sic lætandum in eo , quia totum poteſt , & etiam *quia omnes fines terræ*,multo fortius ergo media, *ſunt in manu eius* , in ordinatione ſcilicet eius, & regimine. *Iob* 10. Non eſt qui de manu mea poſſit eruere.*Sapient.*3. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt. Et 18. Manum tuam effugere impoſſibile eſt. Terra etiam eſt omnis homo.*Geneſ.*3.Terra es,& in terram ibis.Fines terræ, qui viuũt in extrema terrenitate,qui etiam regnum Dei non euadunt. *Et altitudines montium* , ipſa ſcilicet ſublimia, *ipſius ſunt*,ad regendum. Hoc patet per aliam literam,quæ habet : *Ipſe conſpicit.* Alibi : Dominus humilia reſpicit , & alta à longè cognoſcit. 4.

Omnia diuinæ prouidentiæ ſubiecta.

Quoniam ipſius eſt mare. Hîc tertium, in quo allegat ad exultandum in Deo , bonitatis eius euidentiam. Primò comparatione eius ad impios , quos conuertit. Secundò ad bonos , & iam conuerſos , quos iam fructificare facit. *Et ſiccam.* In prima duo. Primò oſtendit ipſius miſericordiam ad impios.Secundò effectum miſericodiæ per conuerſionem illorum, ibi, *Et ipſe fecit.* Ait ergo : Sic prædictis rationibus in Deo exultate. Quia tam potens eſt , & tam ſapiens: & etiam *quoniam ipſius eſt mare* , id eſt , peccatores & impij , qui ſunt mare , ab eius miſericordia comprimuntur à multis iniquitatibus & peccatis. *Iſa.*57. Cor impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt. Sed hos reprimit & continet. *Ioan.*26.In fortitudine illius maria congregata ſunt.Et 38.Qui concluſit oſtiis mare, poſuit vectes & oſtia, &c. 5.

Et ipſe fecit illud , mare ſcilicet , per miſericordiam ſuam conuertendo ad ſe , vt iam non eſſet mare, ſed aqua dulcis. *Prou.* 12. Verte impios, & non erunt.

Et ſiccam , id eſt , mentem ſtabilem & ſolidam , qualis eſt mens iuſta,*manus eius formauerunt*,imbrem gratiæ infundendo ad fructificandum. Tunc enim bene eſt mens formata ſicut terra , quando producit opera bona in fide virentia.*Geneſ.*1. Vocauit aridam terram,mentem ſcilicet ſtabilem , & ſolidam. Sed hanc informat. *Iſa.* 44. Populum iſtum formaui mihi in laudem , & gloriam meam. Talem terram habebat , qui dicebat *Ioſ.* 15. & *Iud.* 1. Terram arentem dediſti mihi : & formam petebat cum dicebat : Iunge & irriguum. Talem qui dicebat in *Pſal.* Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. Sed formatam habebat , & bene irrigatam, cum dicebat : Lauabo per ſingulas noctes lectum, &c.

Venite adoremus. Hîc ſecundo pars totius Pſalmi , in qua inuitat ad lamentationem. Et dicuntur duo. Primò inuitatio. Secundò perſuaſio vt acquieſcant , per rationes , ibi , *Quia ipſe eſt Dominus Deus noſter.* In prima quatuor. 6.

Primò

Primò monet approximare fide, quod reſpicit cor. Secundò adorare confeſſione diuinitatis, quod reſpicit os. *Adoremus.* Tertiò procidere, & ſe humiliare, quod reſpicit totum corpus. *Et procidamus.* Quartò cum lachrymis orare, quod ad oculos pertinet. Et ſic ad totum pertinet, cor, os, & corpus. *Ploremus coram Domino.* Dicit ergo: *Venite*, paſſibus fidei, ſicut ſuprà. Vel meliùs, quia loquitur iam conuerſis, *venite*, de virtute in virtutem ambulando. *Pſal.* Ibunt de virtute in virtutem. *Ioan.3.* Qui facit veritatem, venit ad lucem. *Adoremus*, diuinitatis confeſſione. *Apoc.14.* Adorauerunt viuentem in ſæcula ſæculorum. *Et procidamus*, ſtrato toto corpore per humilitatem, ſicut reges. *Matth.2.* Et procidentes adorauerunt eum. *Ante Deum*, ad literam. Et ſpiritualiter, *ante Deum*, intentione, vt ipſi ſoli propter hoc intendamus placere: non ante homines, vt illorum quæramus fauores. *Matth. 6* Videte, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.

Sancte orationis forma tribuitur.

Ploremus coram Domino qui fecit nos, continuè, & die ſcilicet & nocte, ſicut ille qui dicebat *Ierem.9.* Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, vt plorem die ac nocte interfectos populi mei? *Thren.1.* Plorans plorauit in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius. Et in eodem: Deduc quaſi torrentem lachrymas die ac nocte.

7. *Quadruplex cauſa, quare Dominus debeat adorari.*

Quia ipſe eſt Dominus. Hîc perſuadet à quatuor. Primò quia nos fecit, hoc eſt, à beneficio creationis. *Quia ipſe eſt Dominus.* Secundò à beneficio gubernationis. *Deus.* Tertiò à beneficio redemptionis. *Noſter.* Quartò à beneficio nutritionis, & prouiſionis. *Et nos populus.* Dicit ergo: Sic adoremus, & procidamus, & ploremus ei, *quia ipſe eſt Dominus*, creatione: Deus, omnium noſtrorum limpidiſſima cognitione: *noſter*, redemptione. *Ioſ.24.* Seruiemus Domino, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter.

Et nos populus. Hîc à beneficio prouiſionis & nutritionis allegat, & ſuadet. Et primò à nutritione. Secundò à diligentia in illa. *Et oues.* Ait enim: Sic ſeruiamus, quia Dominus Deus noſter, & nos etiam *populus paſcuæ eius.* Supra in *Pſal.* In loco paſcuæ ibi me collocauit. *Ezech.34.* In paſcuis vberrimis paſcam eos.

Et oues manus eius, id eſt, regiminis eius, ſicut oues paſtoris, qui valde diligens eſt in ouibus ſeruandis. *Geneſ.31.* Æſtu vrebar, & gelu, fugiebátque ſomnus ab oculis meis. *Luc.2.* Paſtores erant in regione eadem, cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. Imò quod plus eſt. *Ioan.10.* Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis. *Bernard.* Nos populus tuus, & oues paſcuæ tuæ, ſequimur te per te ad te, quia via es, veritas, & vita. *Ioan. 14.* Via in exemplo, veritas in promiſſo, vita in præmio.

8. *Hodie ſi vocem.* Hîc tertia pars Pſalmi, in qua minatur pœnam, ſi non exultauerint in Deo, & fleuerint. Dicuntur ergo duo. Primò monet vt ab obduratione cordis caueant, ſed obediant promiſſis. Secundò ſubiungit pœnam, ſi cauere negligant, ibi, *Sicut in irritatione.* Dicit ergo: Sic monui, & ſic dixi, quòd oues eius ſumus. Ergo *ſi audieritis hodie*, tempore ſcilicet gratiæ, quod eſt vera dies. Ad *Rom.13.* Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. *Vocem eius*, Euangelij ſcilicet prædicationem, quod eſt eius vox, & de ore eius exiuit. *Matth.5.* Aperiens os ſuum docebat eos, dicens: Beati pauperes ſpiritu, &c. Propter hoc dicebat in 10. *Matth.* Qui vos audit, me audit. Et Paulus 2. ad *Cor.vlt.* An experimentum quæritis eius, qui loquitur in me, Chriſtus? *Nolite obdurare corda veſtra*, quin acquieſcatis. Ad *Hebr. 3.* Non obduretur quis in vobis fallacia peccati. In hoc enim poterit apertè diſcerni, ſi eſtis de ouibus eius. *Ioan.10.* Oues meæ, vocem meam audiunt. Sed de capris diaboli dicitur *Iob* 41. Cor eius indurabitur quaſi malleatoris incus. Et verè induratum eſt cor, quod non audit, & emollitur ad verbum Dei, quia ignis eſt & malleus, qui emolliunt ipſum ferrum. *Ierem.23.* Nonne verba mea, quaſi ignis, & quaſi malleus conterens petras? Pluuia eſt & ros, quæ terram denſiſſimam ſolent emollire. *Deut.32.* Concreſcat vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum. Sed non emolliuntur multi, imò magis indurantur, ſicut cor illius, qui intra aquam dureſcit, vt lapides, & terra ſabuloſa, quæ quantò magis compluitur, tantò magis indureſcit. De talibus conqueritur. *Prou.1.* Vocaui, & renuiſtis.

Multorum corda lapidea, & ſabulo comparanda.

9. *Sicut in irritatione.* Hîc facta perhibitione de culpa, ſubiungitur de pœna, ſi non acquieuerint. Pœna, inquam, tali, quali eorum patres inobedientes puniti ſunt in deſerto: vnde dicuntur duo hîc. Primò tangit antecedentium patrum culpam. Secundò pœnam, vt eorum exemplo terreantur. Ibi eſt ſecundum, *Quadraginta annis.* In prima tangitur primò culpa in generali. Secundò locus culpæ, & tempus, ibi, *Secundum diem.* Tertiò ſpecificatur culpa. *Vbi tentauerunt.* Et quartò aggrauatur. *Probauerunt, & viderunt.* Dicit ergo: Sic monui, vt non obduretis corda veſtra ſicut factum eſt à patribus veſtris in irritatione. *Ierem.19.* Libauerunt diis alienis ad irritandum me. Sed contra 1. *Cor.13.* Charitas non irritatur. Et 1. *Ioan.4.* Deus Charitas eſt. Reſp. Non dicitur hoc quod in Deum cadat motus irritationis, ſed quia ab eo exit effectus, quaſi eſſet irritatus, ſicut in ira accidit, & furore.

Secundum diem, hoc eſt, in die *tentationis*, ecce tempus, *in deſerto*, factæ, ſup. ecce locus: frequenter enim irritauerunt eum in deſerto. *Num.14.* Tentauerunt me per decem vices, dicentes: Nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto? Tentati enim de gula, ſtatim ſuccumbebant tentantes Deum. *Luc.8.* In tempore credunt, & in tempore tentationis recedunt.

Vbi tentauerunt me patres veſtri. Hîc ſpecificat irritationem, quia ipſa fuit tentatio: & aggrauat: *Probauerunt*, ſenſibus ſuis communiter: *& viderunt*, ipſo viſu ſpecialiter: *opera mea. Deut.5.* Probauimus hodie, quod loquente Deo cum homine vixerit homo. Suprà in *Pſal.* Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti. Et alibi: Ipſi videbunt mirabilia eius in profundo. *Num.14.* Videbunt maieſtatem meam, & ſigna mea, quæ feci in deſerto, & in ſolitudine.

10. *Quadraginta annis.* Hîc ſubiungitur de pœna patrum ſic obdurantium & irritantium, & ordine quo fuit inflicta: & dicuntur quinque. Primò Dei indignatio ad ſic obſtinatos Secundò nihilominus peccãtium redargutio per prædicatores ſuos, ibi, *Et dixi.* Tertiò illorum obſtinatio in malo. *Ipſi vero non cognouerunt.* Quartò firma ordinatio de puniendis illis, ibi, *Quibus iurauí.* Quintò & vltimò determinatio pœnæ, qua ſunt puniendi, ibi, *Si introibunt.* Dicit ergo: Sic irritauerunt me tentando tanquam obdurati: & propter hoc *fui offenſus illi generationi*, effectum aliquem oſtendens offenſi, *quadraginta annis*, deducens illos per deſertum circumeundo. *Num.* 32. Iratus Dominus ad Iſraël, circumduxit illum per deſertum quadraginta annis.

Et dixi. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic fui offenſus, & tamen *dixi* eis per prophetas & prædicatores meos, Moyſen, Ioſue, & alios: *Semper hi erant corde*, voluntariè, quod multum aggrauat peccatum. *Thren.* 4. Errauerunt cæci in plateis. Et libenter. *Pſal.* Noluit intelligere vt bene ageret. Errat enim aliquis homo ex pura ignorantia, non affectans illam, nec eſt tanta culpa, ſicut illi de quibus *Iſa.* 19. Errare fecerunt Ægyptum, ſicut errat ebrius & vomens in omni opere ſuo.

Qui maximè Deum irritant. Et nota, quòd irritant aliqui Deum in clauſtro, ſicut guloſi, qui ſemper timent mori fame: *Pſal.* Tentauerunt Deum in cordibus ſuis, vt peterent eſcas animabus ſuis. Irritant ipſum & prouocant ipſum homines hypocritæ & aſtuti. *Iob* 36. Simulatores & callidi prouocant iram Dei.

11. *Et iſti non cognouerunt.* Hîc tertium, ipſorum ſcilicet obſtinatio. Ait enim: Sic ipſis dixi. Dixi, feci vt corrigerentur: *& iſti non cognouerunt*, id eſt, cognoſcere noluerunt, *vias meas. Iſa.* 1. Iſraël me non cognouit, & populus meus non intellexit. Et *Ierem.* 8. Stultus populus meus non cognouit me. Propter hoc dicitur *Iſa.* 5. Idcirco captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam.

Quibus iurauí, id eſt, firmiter ſtatui, *in ira mea*, id eſt, ſicut irati ſolent firmiter ſtatuere per iuramenta.

Si introibunt. Ecce quintum. Quaſi diceret: Sic firmiter ſtatui. Quid? *ſi introibunt in requiem meam*, nunquam mihi de cætero credatur. Eſt ibi apentheſis. Vel *ſi*, pro non, *Si introibunt*, id eſt, non introibunt, id eſt, non intrabunt, *in requiem meam*, illam ſcilicet terram materialem ad requieſcendum illis præparatam. *Num.* 14. Non videbunt terram pro qua iuraui patribus eorum. Quaſi diceret: Nec illi qui fuerint obturati tempore gratiæ, introibunt in illam requiem, per iſtam deſignatam, quam deſiderabat Dauid, in *Pſal.* Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo, &c. Ibi enim ſolummodo eſt vera & certa requies. *Iſa* 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in requie opulenta. Propter hoc dicit Sapiens *Eccleſiaſt.* 24. In omnibus requiem quæſiui, & in hæreditate Domini morabor, tanquam ibi ſolummodo inueniens illam. Et Paulus *Hebr.* 4. Feſtinemus ingredi in requiem illam, ad quam perueniamus ipſo adiuuante, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

IN XCV. PSALMVM.

Pſalmus Dauid, quando domus ædificabatur poſt captiuitatem.

C*Antate Domino.* Hic eſt Pſalmus 95. in quo poſtquam inuitauit ad fidem Chriſti, & lætitiam in ipſo populum Iudæorum, quia Eccleſia ex duplici populo ſubſtituenda erat, Iudaico ſcilicet & Gentili (Dicit enim Paulus *Roman.* 1. prædicationem Euangelij virtutem Dei eſſe, Iudæo primum, & Græco, id eſt, Gentili poſtmodum) in hoc Pſalmo ſubiungitur Gentium inuitatio ad fidem, & lætitiam in Chriſto, exuto veteri homine, id eſt, antiqua idolorum conſuetudine, ſecundum illud ad *Epheſ.* 4. & *Coloſſ.* 3. Exuite veterem hominem cum actibus ſuis, & induite nouum, qui ſecundum Deum creatus eſt. Nec ſic fecit mentionem de primo aduentu Chriſti, quin etiam more Scripturæ ſupponat & adiungat de ſecundo: non enim vult in eum credi tantum tanquam in redemptorem, ſed etiam eum timeri vt iudicem, ſecundum illud: Lætetur cor meum vt timeat nomen tuum. Et ſic eſt ſecundus iſte Pſalmus illorum, in quibus agitur de primo aduentu. Primus eſt, *Deus deorum Dominus locutus eſt.* 1.

Argumentũ Pſalmi, agitur de vtroque aduentu Chriſti.

Quia autem ex fide in Chriſtum redẽptorem & iudicem ædificatur Eccleſia tota, & in bono perſeuerat, & in requie, præponitur titulus: *Pſalmus Dauid, quando ædificabatur domus poſt captiuitatem.* Alludit autem hic titulus illi figurali ædificationi domus Domini, à Zorobabel, & Ieſu filio Salathiel, poſt reuerſionem de Babyloca ſeruitute. 4 *Reg. vltim.* 2. *Paral.* 6. & Aggæi 1. & 2. & *Zachar.* 3. Magis autem intelligitur de ſpirituali ædificatione Eccleſiæ quæ facta eſt Gentibus ad fidem confluentibus, ſecundum illud *Iſa.* 1. Erit in nouiſſimis diebus præparatus meus domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles & fluent ad eum omnes Gentes, & dicent: Venite, & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob. Senſus ergo tituli hic eſt: *Pſalmus* ſubiectus, qui eſt *Dauid*, à Dauid ſcilicet editus, eſt *de his*, quæ facienda ſunt, *quando ædificabitur domus Domini*, id eſt, Eccleſia. *Iſa.* 56. & *Matth.* 21. Domus mea, domus orationis vocabitur cunctis gentibus. *Poſt captiuitatem*, diaboli, ſub quo captiua Gentilitas tenebatur, quia *Ioan.* 8. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Sed liberata eſt per filium Dei. In eodem: Si filius Dei vos liberauerit, verè liberi eritis.

Diuiditur autem Pſalmus ſecundum quod iam tactum eſt, in duas partes principaliter. In prima agitur de inuitatione Gentium ad fidem aduentus primi. Secundò ſecundi, ibi, *Commoueatur à facie eius.* In prima duo. Primò quidem omnes monet ad Dei laudem vniuerſaliter. Secundò prælatos ad prædicationem fidei de primo aduentu Chriſti ſpecialiter, & ſubditos ad obedientiam, ibi, *Annuntiate*

nunciate de die. In prima duo. Cum enim duplex ſit natura in Chriſto, inuitat primò ad laudem diuinitatis pleniſſimè, ſcilicet trium perſonarum. Secundò ad laudem humanitatis, ibi, *Et benedicite nomini eius.* In prima tria ſecundum trés perſonas ad quarum laudem inuitat. Primò inuitat ad laudandum Patrem. Secundò filium. *Cantate Domino omnis terra.* Tertiò Spiritum ſanctum. *Cantate Domino.*

Dicit ergo: Sic vos Iudæi venite ad exultandum in Domino, & coram ipſo plorandum. Et vos Gentiles *cantate Domino*, Deo Patri. *Iudic.* 5. Ego ſum qui canam Domino. *Iſa.*12. Cantate Domino, quoniam magnificè fecit. Sed quid canemus? *Canticum nouum.*

Triplex innouatio. Nota, quod canticum nouum cantat, qui exuto veteri homine, & per gratiam innouatus, exultat. Hoc autem fit tripliciter. Prima enim innouatio fit per baptiſmum, in quo ſubmerſis Ægyptiis, & filiis Iſraël liberatis, & per aquam innouatis, cantandum eſt illud Cant. *Exod.* 15. Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus eſt. Secunda eſt per pœnitentiam, de qua in *Pſal.* Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. *Et ad Epheſ.* 4. Renouamini ſpiritu mentis veſtræ. Sic renouatis cantandum eſt canticum *Iudith* in 16. quod interpretatur confitens. Tunc cantauit canticum hoc Iudith Domino, dicens: Incipite Domino in tympanis. Tertia verò innouatio, erit tandem per glorificationem. *Apocal. vlt.* Ecce noua facio omnia. Et tunc cantabitur illud *Apoc.* 14. Cantabunt canticum nouum ante ſedem Dei & agni.

Canticum veteris hominis, non eſt rectè dicendum canticum nouum, nec etiam canticum, ſed tinnitus porcorum ſuper eſcas, quamuis ipſis non videatur. *Amos* 6. Qui canitis ad vocem Pſalterij: ſicut Dauid putauerunt ſe habere vaſa cantici. Bibentes in phialis vinum, & optimo vnguento delibuti: & nihil compatiebantur ſuper contritione Ioſeph. Hinnitus equorum in fœminas. *Ierem.* 5. Equi amatores in fœminas & emiſſarij facti ſunt. Vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat.

Cantate. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic cantate Deo Patri, canticum nouum: & etiam ô vos, *omnis terra*, idem cãticum *cantate Domino*, id eſt, filio: iuſtum enim eſt, vt cantetur ipſi, qui ſe nouum fecit hominem, canticum nouum. *Ierem.* 31. Nouum fecit Dominus ſuper terram, fœmina circumdabit viuum. Qui nouum dedit charitatis mandatum. *Ioan.* 15. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem. Qui ipſum cor, quo ſibi vult cantari facit nouum. *Pſal.* Renouabis faciem terræ. *Ezech.* 36. Dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum. Bene antem omnis terra inuitatur, quia in natura humana, filio Dei vnita, per Apoſtolos ad fidem generaliter inuitatur. *Pſal.* Iubilate Deo omnis terra. Et alibi: In omnem terram exiuit ſonus eorum.

Iuſtum eſt vt canticum nouum cantetur ei qui ſe nouum fecit hominem.

2. *Cantate Domino.* Hîc tertium. *Gloſſ.* Spiritui ſancto. Huic cantandum nouum canticum: quia nouus, id eſt, innouans eſt Spiritus. *Pſal.* Spiritum rectum innoua in viſceribus meis. Et faciens cantare in abundantia tribulationum illos quos replet. *Act.* 5. Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati. Et *Iacob.* 1. Omne gaudium exiſtimate fratres, cum in diuerſas tentationes incideritis. Et in ſpe æternorum. *Rom.* 12. Spe gaudentes. Propter hoc dicitur 1. *Reg.* 2. Recedant vetera de ore veſtro, noxiæ ſcilicet cantilenæ. Et in *Pſal.* Hymnum cantate nobis de canticis Sion.

Et benedicite. Hîc ſecundum, in quo poſtquam monuit ad laudem diuinitatis, monet ad laudem humanitatis. Quaſi diceret: Sic cantate diuinitatem commendando, & benedicite nomini eius, quod eſt IESVS, humanitati impoſitum, & cui benedicendum, quia in ipſo ſolo ſalus, & benedictio. *Act.* 4. Non eſt aliud nomen ſub cœlo, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Ad *Phil.* 2. Dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine IESV, &c.

Annuntiate de die. Hîc ſecundum, in quo poſtquam actum eſt de laude, ſubiungitur de prædicatione: in quo dicuntur duo. Primò, monet Prælatos ad prædicandum. Secundò ſubditos ad obediendum prædicationi, ibi, *Afferte Domino.* In prima duo. Primò inuitantur ad prædicationem. Secundò fructus prædicationis oſtenditur, ibi, *Confeſſio & pulchritudo.* In prima duo. Primò inuitat Prælatos ad laudem humanitatis Chriſti. Secundò diuinitatis. *Quoniam magnus Dominus.* In prima tria. Primò inuitat ad prædicationem fidei paſſionis. Secundò fidei glorioſæ reſurrectionis, ibi, *Annuntiate inter gentes gloriam eius.* Tertiò mirabilia Aſcenſionis. *In omnibus populis.* Dicit ergo: Sic cantate Deo omnes. Et vos Prælati, quorum præcipuè eſt, ex officio, *annuntiate ſalutare eius*, Chriſtum ſcilicet perſeuerantes, *de die in diem*: in quo tangit quid prædicandum, quia ſalutare, Chriſtus ſcilicet, de quo *Geneſ. penult.* dixit Iacob: Salutare tuum expectabo Domine. Et de quo *Luc.* 2. Viderunt oculi mei ſalutare tuum. Et bene ſalutare, quia *Hebr.* 5. dicitur, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ. *Pſal.* Operatus eſt ſalutem in medio terræ, quando in Ieruſalem paſſus eſt. Et qualiter prædicandum, quia inſtanter, & continuè. *Eccleſ.* 9. Mane ſemina ſemen tuum, & veſperè ne ceſſet manus tua. *Ierem.* 25. Loquutus ſum ad vos de mane conſurgens. In his enim duobus, in oratione, de qua præmiſit, & in prædicatione de qua hîc loquitur, debet eſſe Prælatorũ inſtantia. *Act.* 6. Nos autem orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus.

Quid & qualiter prædicandum.

Annuntiate inter Gentes. Hîc ſecundum. Quaſi diceret. Sic annuntiate, quod fuit per paſſionem: & etiam ne credatur anima relicta in inferno, & corpus putrefactum, *annuntiate gloriam eius*, ſcilicet eius reſurrectionem, *inter Gentes*, illam gloriam, de qua in *Pſal.* Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum, &c. Et alibi: Gloriam & magnum decorem impones ſuper eum. De qua etiam Paulus dicit: Vidimus IESVM propter paſſionem mortis, gloria & honore coronatum.

In omnibus populis. Hîc tertium. Quaſi diceret,

ret: Sic annuntiate ſalutare & gloriam,& etiam annuntiate *in omnibus populis*, Dei quantum ad bonos, mundi quantum ad auaros, carnis quantum ad luxurioſos, & diaboli quantum ad ſuperbos (& hæ tres partes ad malos pertinent) *mirabilia eius*,quæ fecit in ſua aſcenſione, cum carnem humanam in cœlum duxit, & à dextris Dei collocauit. Argumentum quod prædicandum eſt omnibus, non tantum clericis Pariſius. *Rom.* 1. Sapientibus & inſipientibus debitor ſum. *Iſa.*32. Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas. *Matth. vlt.* Illi autem profecti prædicauerunt vbique. Mulus non vult mingere niſi in aqua,ſic multi prædicare niſi vbi eſt doctrina. *Gregor.* Vecordem ſe aſſerit,qui hortis ſitientibus, in fluminibus aquam fundit. Vere autem mirabilia, quæ in aſcenſione fecit mirabilia hominibus: vnde *Act.* 1. Apoſtolis dictum eſt: Viri Galilæi quid admiramini aſpicientes in cœlum? Et Angelis *Iſa.*63. Quis eſt iſte qui venit de Edon, tinctis veſtibus de Boſra?

4. *Quoniam magnus Dominus.* Hîc ſecundum, in quo monet ad prædicandam Chriſti diuinitatem, vel fidem de diuinitate. Et tangitur primò propter quid eſt timendus, ſcilicet eius potentia. Secundò propter quid eſt amandus, bonitas. *Et laudabilis.* Tertiò propter quid honorandus & colendus. *Terribilis.* Dicit ergo: Sic annuntiate quæ pertinent ad humanitatis fidem: & hoc etiam prædicate, *quoniam Dominus magnus*, capacitate, quoniam omnes capit etiam ſpiritus, & ipſe à nullo capitur plene, niſi à ſeipſo. *Sap.*7. Qui capit omnes ſpiritus intelligibiles. Item magnus duratione. *Exod.* 15. Dominus regnabit in æternum, & vltra. Item magnus largitate: dat enim omnibus, & magna. *Iacob.*1. Qui dat omnibus affluenter, & nulli improperat.

Magnus Dominus capacitate, duratione & largitate.

Et laudabilis nimis, ſuper potentiam rationabilis creaturæ. *Eccleſ.* 43. Exaltate illum quantum poteſtis: maior eſt enim omni laude. *Dan.*3. Et laudabilis in ſæcula. In *Pſal.* de his duobus: Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis. Et cum tam magnus eſſet, paruus tamen fieri voluit ſecundum illud *Iſa.*9. Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Ad *Philip.*2. Exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem, &c.

Terribilis. Hîc probat, quòd colendus, quia iuſtus, & terrens malos, etiamſi dij dicantur. Duo ergo dicuntur. Primò, quòd iuſtitiam exercet, etiam in diis. Secundò probat hoc & oſtendit, ibi, *Quoniam omnes dij Gentium.* Dicit ergo: Sic magnus, & laudabilis, & etiam *terribilis*, in exercendo iuſtitiam *ſuper omnes deos*, nuncupatione, & hominum reputatione, vel adoptione. *Pſal.* Deus deorum Dominus loquutus eſt: & totum tremit, & terretur. *Iob* 25. Poteſtas, & terror apud eum, qui facit concordiam in ſublimibus ſuis. Et 26. Columnæ cœli contremiſcunt.Propter hoc dicitur *Eccleſiaſt.*43. Terribilis Dominus, & magnus.

5. *Quoniam omnes dij Gentium.* Hîc probat ex duobus. Ex malitia & iniquitate deorum aliorum, & ex virtute Dei propria. *Dominus autem.* Dicit ergo: Benè dico, quòd aliis diis eſt terribilis. *Quoniam omnes dij Gentium*, Gentiliter viuentium, *dæmonia.* Contra in *Pſal.* Simulachra gentium argentum & aurum, opera, &c. ergo non dæmonia. Et *Phil.*3. Quorum Deus venter eſt. *Epheſ.*5. Nec auarus, quod eſt idolorum ſeruitus, ergo nummus eſt auaro Deus. Et *Auguſt.* dicit: Quod quiſque plus amat & colit, hoc illi Deus eſt. Reſp. ad primum. Idola & ſimulachra dæmonia reputantur, quia illis dæmonia præſidebant. Ad alia dicendum, quod in auaritia & gula, dæmonibus quodammodo ſeruitur: quia illud quod eis placet, in his agitur: vnde dæmonia quodammodo dici poſſunt, & pecunia & gula. Sed *Ierem.*10. dicitur: Dij, qui non fecerunt cœlum & terram, pereant de terra. Dij etiam Gentium ſunt prælati. *Pſal.* Deus ſtetit in ſynagoga deorum. Et multi ipſorum ſunt dæmonia. Primò quia propriam excellentiam diligunt ſicut dæmones. 3. *Ioan.* Is qui amat primatum gerere in eis,Diotrephes, non recipit nos. Secundò quia ex hoc incurrunt apoſtaſiam ſicut dæmones. *Iob* 34. Qui dicit regi, id eſt, prælato alios regenti, Apoſtata. Vbi etiam dicit *Gregor.* Superbus rector toties ad apoſtaſiæ crimen dilabitur, quoties præeſſe aliis delectatur. Tertiò quia bonos affligunt & torquent ſicut dæmones. *Pſal.* Immiſſiones per Angelos malos. *Iſa.*3. loquitur Dominus prælatis: Vos depaſti eſtis vineam meam, & rapina pauperis in domo veſtra: quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis? Quartò quia propter peccatum conſtituti ſunt ſuper homines ſicut dæmones. *Iob* 34. Qui regnare facit hypocritam, propter peccata hominum. *Oſeæ* 23. Dabo eis regem in furore meo. Quintò quia maximas caudas, & conſortia ſecum trahunt deorſum, ſicut diabolus. *Apoc.* 12. Cauda draconis trahebat ſecum tertiam partem ſtellarum, & miſit in terram. Et *Gregor.* Cum paſtor per abrupta graditur, neceſſe eſt vt per præcipitium grex ſequatur. Sextò quia Dei cultum ſicut dæmones vſurpare ſibi volunt. *Ezech.*27. dicitur diabolo: Eleuatum eſt cor tuum, & dixiſti: Deus ego ſum, & in cathedra Dei ego ſedi. Et *Zachar.* 6. ad prælatum: O paſtor, & idolum. Hinc eſt quod ſibi volunt flecti genua à miniſtris. Septimò quia incorrigibiles ſunt ſicut dæmones, de quibus *Iob* 41. Non fugabit eum vir ſagittarius, in ſtipulam verſi ſunt ei lapides fundæ. Et *Eccleſ.*12. Quis medebitur incantatori, Prælato à ſerpente percuſſo? Quaſi diceret: Nullus.

Prælati, dij Gentium & dæmonia.

Dominus autem. Hîc ſecundum. Sic patet quod terribilis eſt ſuper omnes deos, quia ſunt dæmonia, & etiam propter hoc, *quia Dominus cœlos fecit*, ad literam: vnde manifeſtum eſt, quod magna poſſit. *Pſal.* Opera manuum tuarum ſunt cœli. Et alibi. Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum. Cœlos etiam fecit, viros ſcilicet cœleſtes & ſanctos,qui cœli ſunt, quia in cœlo conuerſantur. Ad *Phil.* 3. Conuerſatio noſtra in cœlis eſt. Quia lucem doctrinæ, & calorem bonæ operationis influunt.

Confeſſio & pulchritudo. Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur de fructu conſequente ex prædicatione: 6.

dicatione, & tanguntur quinque fructus. Primus, peccati confeſſio. Secundus ſequens ex hoc, interior pulchritudo & vera. *Et pulchritudo.* Tertius, ſancta conuerſatio. *Sanctimonia.* Quartus, operum magnitudo. *Et magnificentia.* Quintus, deſiderium & affectio ad æterna, & ipſorum contemplatio, ibi, *In ſanctificatione.* Ait enim: Sic annuntiate quæ fidei ſunt, quantum ad vtramque in Chriſto naturam: & ſic ſequitur in populo *confeſſio* delictorum ſuorum, de qua *Ioſ.7.* Fili quid feciſti? & da gloriam Deo. Et *Iacob. vltim.* Confitemini alterutrum peccata veſtra. Et eſt fructus hic magnus: quia *Prou.28.*dicitur: Qui abſcondit ſcelera ſua,non dirigetur: qui autem confeſſus ea fuerit, & reliquerit, veniam conſequetur.

Quinque prædicationis fructus.

Et pulchritudo, non exterior, quæ vana eſt, *Prou.vlt.* Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo. *In conſpectu eius*,id eſt, Dei, hoc eſt,intus,quam efficit confeſſio. *Auguſt.*Qui affectat decorem, frequentet confeſſionem. Et hic in *Gloſſa:* Si amas pulchritudinem, confitere, vt ſis pulcher. Et *Bernard.* Ama confeſſionem, ſi amas decorem. Et eſt, *in conſpectu Dei:* quia taliter pulchrum Deus reſpicit, non peccatis inquinatum. *Abac.* 1. Mundi ſunt oculi tui, & ad iniquitatem reſpicere non poteris.

Sanctimonia,exterior ſcilicet conuerſatio ſancta & honeſta: vel ſanctitas ſecundum literam aliam, quod eſt idem. Et eſt hæc ſanctimonia interioris pulchritudinis conſeruatiua. Ad *Hebr. vlt.* Sequimini pacem & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum. Statim enim amittit interiorem munditiam, de qua *Matth.5.* Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt.

Et magnificentia, in operibus arduis, & magnis. Ad *Rom.*8. Quos vocauit, hos & iuſtificauit: & quos iuſtificauit, hos & magnificauit, magnos in operibus fecit. *Eccleſ.*44. Magnificauit illum in conſpectu regum. Alia litera. Et hoc, *in ſanctificatione eius*, vt actoris. Sanctificationem autem hîc appellare poteſt ſanctam affectionem, & deſiderium ſanctum, quod eſt in contemplatiuis. 1. ad *Theſſ.*4. Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra.

7. *Afferte Domino patriæ.* Hîc poſtquam inuitauit Prælatos ad fidei prædicationem, inuitat ſubditos ad obedientiam, hoc eſt, ad cultum diuinum & honorem: vnde dicuntur duo. Primò monet & inuitat ad colendum Deum affectu. Secundò effectu. *Tollite hoſtias.* In prima dicuntur duo. Primò monet ad colendum Deum affectu in vniuerſali. Secundò ſpecificat quem cultum velit exhiberi, ibi, *Afferte Domino gloriam.* Dicit ergo: Sic vos Prælati nuntiate: ſed vos habitatores *patriæ Gentium.* Quaſi diceret:Omnes generaliter tam indigena quam aduena vel peregrinus, *afferte Domino*, id eſt, offerte Deo. Et determinat quid. *Afferte Domino*, &c. Quia primò monet ad offerendum gloriam. Secundò gloriæ vehementiam. *Afferte Domino gloriam nomini eius.* Ait enim: Sic dixi, quòd Domino afferatis: ſed vt ſciatis quid, dico, *Afferte Domino gloriam*, ipſum glorificando interius in corde, magnum & glorioſum reputando. *Et honorem*, bonum quod habetis totum ei attribuendo, tanquam cauſæ, fonti, & origini. *Iacob.*1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum, &c. 2. ad *Corinth.*4. Quid habes quod non accepiſti? Quaſi diceret: Nihil.

8. *Afferte Domino gloriam*, ita quòd *nomini eius* etiam. Quaſi diceret: Non tantum glorificetis in ſe,ſed etiam in ſuo nomine. *Apoc.*4. Dabunt gloriam & honorem & benedictionem ſedenti ſuper thronum, viuenti in ſæcula ſæculorum. Hinc & Eccleſia dicit: Gloria Patri, & Filio, &c.

Tollite hoſtias. Hîc monet ad colendum effectu, quod eſt hoſtias offerendo in loco debito, & modo debito: vnde dicuntur tria. Primò quid offerendum. Secundò vbi. *Introite.* Tertiò quo modo, quia æternorum intentione, ibi, *Adorate Dominum.* Dicit ergo: Sic date gloriam Deo, & ſacrificium cordis interius, & etiam *tollite*, eleuate in altum, in aperto, non in abſcondito, *hoſtias*, operationes bonas & offerendas.

Hoſtia multiplex.

Et nota, quòd eſt hoſtia oris, ſcilicet confeſſio pura, & peccati exprobratio. *Leuit.*4. Si peccauit princeps, offeret hoſtiam Domino, hircum, id eſt, peccati exprobrationem. Gratiarum actionis. *Leuit.* 23. Si immolaueritis hoſtiam pro gratiarum actione Domino, vt placabilis poſſit eſſe vobis, eodem die comedetis illam. Laudis. *Pſal* Sacrificabo tibi hoſtiam laudis. 1. *Paralipom.* 29. Immolauerunt hoſtias, & laudes, & holocauſta mente deuota Domino. Et eſt hoſtia cordis, ſcilicet contritio de propriis peccatis. *Pſal.* Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies. Compaſſionis de miſeriis alienis. *Leuit.*9. Cum immolaueris hoſtiam pro populo, orabis pro eo, id eſt, compaſſionem habebis ad populum. Congratulationis bonis alienis. *Exod.*18. Obtulit Iethro cognatus Moyſi, viſa gloria Moyſis, tanquam congratulans illi, hoſtias Domino. Et eſt hoſtia operis. Prima, mortificatio carnis. Ad *Rom.*12. Obſecro vos vt exhibeatis corpora veſtra, hoſtiam viuam, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. Patientiæ in aduerſis. *Sapient.*3. Quaſi aurum in fornace probauit illos, & quaſi holocauſti hodiam accepit illos. Tolerantia laboris, & ſimplicitatis. *Leuit.* 1. Hoſtiam offeretis de bobus, in quibus labor: & de ouibus, in quibus ſimplicitas & innocentia. Miſericordiæ & pietatis in pauperes, & largitionis eleemoſynarum. Ad *Hebr. vlt.* Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci: talibus enim hoſtis promeretur Deus.

Et introite in atria eius. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Tollite hoſtias, ſed non vbique offeratis illas, imò, *introite in atria eius*, in Eccleſiam ſcilicet militantem, per fidei & charitatis vnitatem. Hæc ſunt atria, de quibus in *Pſal.* Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Ieruſalem. *Exod.* 23. Non apparebis in conſpectu Domini Dei tui vacuus. Qui autem extra offert, nihil proficit. *Prouerb.* 21. Hoſtiæ impiorum abominabiles.

9. *Adorate Dominum.* Hîc tertium. Quaſi diceret: Sic afferte in Eccleſia militante, & etiam *adorate*, exiſtentes intentione & mente, *in atrio ſancto eius. Gloſſ.* in cœlo, vt in veſtris

hoſtiis cœleſtia intendatis. Hoc eſt atrium mundorum, & verè mundatorum, de quo in *Pſal.* Concupiſcit,& deficit anima mea in atria Domini. Et alibi: Beatus, quem elegiſti & aſſumpſiſti, inhabitabit in atriis tuis. *Gloſſa* diſtinguit duplex atrium, doctrinam propheticam primum, & Euangelicam & Apoſtolicam ſanctorum, ſecundum & ſanctum.

Commoueatur à facie eius. Hîc eſt ſecunda pars principalis totius huius Pſalmi, in qua poſtquam monuit ad prædicationem primi aduentus Chriſti, hic ſecundò agit de prædicatione ſecundi: & dicuntur duo. Primò monet prædicare iuſtitiam aduentus ſecundi ad malorum compunctionem. Secundò ad bonorum exultationem, ibi, *Lætentur cœli.* In prima duo. Primò exprimitur finis prædicationis, qui eſt malorum compunctio, & commotio ad pœnitentiam. Secundò tangitur forma prædicationis. *Dicite in Gentibus.* Dicit ergo: Sic vos iuſti tollite hoſtias, vt Deo immoletis, ſed, *vniuerſa terra*, non pars terræ, *commoueatur* ad pœnitentiam & compunctionem, *à facie eius*, ad iudicium venturum conſiderata & audita per nos prædicantes. Hanc commotionem deſiderabat *Iſa.*64. Vtinam diſrumperes cœlos, & deſcenderes: à facie tua montes defluerent. De hac etiam ſuprà: Commouiſti terram, & conturbaſti eam, ſana, &c. *Iſa.*7. Commotum eſt cor eius, ſicut commouentur ligna ſyluarum à facie venti. *Iſa.* 24. Commotione commouebitur terra, agitatione agitabitur terra.

Prædicationis finis & forma.

10. *Dicite in Gentibus.* Hîc ſecundum, in quo datur forma prædicationis. Et primò monet vt prædicent iudicis dignitatem. Secundò ſeueritatem, ibi, *Etenim correxit.* Tertiò æquitatem, ibi, *Iudicabit orbem.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd commoueatur terra, quod vt fieri poſſit, *dicite*, vos prædicatores & prælati, *in Gentibus*, hoc, *quia Dominus regnauit*, in notitia & manifeſtatione. *Matth.vlt.* Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, qui regnat ſemper poteſtate. *Dan.*7. Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur. Regnauit etiam à ligno ſecundum aliam literam, quia poſt opprobria, & mortem turpiſſimam, quam in ligno ſuſtinuit, regnum accepit, ſicut ſuprà dictum eſt, in manifeſtatione, qui acceperat iam à conceptione. *Apoc.*19. Habens in veſtimento, & in femore ſcriptum: Rex regum,& Dominus dominantium.

Etenim correxit. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic dicite, quod regnauit: & hoc dicite, repetit: *Etenim*, quia correxit, id eſt, corriget *orbem terræ.* Methonymia eſt, id eſt,habitatores terræ. *Qui non commouebitur*, poſt ab illa correctione, ſed ſtabit: ſententiam enim proferet immobilem. 2. *Reg.*1. Sagitta Ionathæ non eſt auerſa retrorſum. Vel poteſt legi de præſenti, ſic: Orbis terræ eſt Eccleſia. *Sap.* 1. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, Eccleſiam ſcilicet toto terrarum orbe diffuſam. Hic orbis qui non commouebitur: ſemper enim ſtabit, quicquid dicat, quicquid machinetur hæreticus: quia fundatus eſt ſupra firmam petram. *Matth.*7.1.ad *Cor.*3.Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt,quod eſt CHRISTVS IESVS. *Pſal.* Deus in medio eius non commouebitur. Hunc orbem correxit, corrigere non ceſſauit à principio mundi. Primò diluuium immittendo. *Genſ.*7. Sodomitas igne ſulphureo conſumendo. *Gen.*19. Filios Iſraël propter peccatum idololatriæ in deſerto proſternendo. *Exod.*32. Et in infinitis Veteris Teſtamenti: & in Nouo, morti Martyres exponendo.Diligit enim ipſam Eccleſiam,& propter hoc incorrectam non dimittit. *Eccleſ.*30. Qui diligit filium, aſſiduat illi flagella. Hanc correctionem Ieremias petit in perſona Eccleſiæ, in 10. Corripe me Domine in iudicio,non in furore tuo.

Deus à principio correxit orbem terra, nec corrigere ceſſat.

Iudicabit populos. Ecce tertium. Quaſi diceret: Sic corripiet quaſi irreuocabiliter, & tamen *iudicabit populos in æquitate*, quia ſine perſonarum acceptione. *Prou.*6. Non accipiet perſonam cuiuſquam. Item quia remuneratione ſupra condignum quantum ad bonos, citra condignum quantum ad malos. Quantum ad primum. *Iſa.*64. Oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te. Quantum ad alios ſuprà in *Pſal.*Et abundauit vt auerteret iram ſuam & non accendit omnem iram ſuam.

11. *Lætentur cœli.* Hîc ſecundum ſecundæ partis principalis huius Pſalmi. Poſtquam enim inuitauit Prælatos ad prædicandum aduentum iudicis ſecundum ad terrorem malorum, hîc monet prædicare ad conſolationem electorum: & dicuntur duo. Primò lætitia iuſtorum & exultatio. Secundò lætitiæ cauſa & ratio, ibi, *Quia venit.* In prima duo. Primò lætitia tangitur ipſorum prædicantium. Secundò illorum quibus prædicatur. *Exultet terra.* Dicit ergo: Sic corripiens irreuocabiliter iudicabit in æquitate, & propter hoc *lætentur cœli*,lætanter prædicent, & doceant Apoſtoli & Apoſtolici viri. Ipſi enim dicuntur cœli. Suprà in *Pſal.* Cœli enarrant gloriam Dei. Hi lætentur ſuper diuinam æquitatem. *Apoc.*18.Exulta ſuper eam cœlum.

Et exultet terra. Hîc ſecundum, in quo tangitur lætitia ſubditorum. Et primò actiuorum. Secundò contemplatiuorum, ibi, *Gaudebunt campi.* In prima duo. Primò tangitur lætitia actiuorum in ſtatu proſperitatis. Secundò in ſtatu aduerſitatis, ibi, *Commoueatur.* Et hoc in ſtatu minoris aduerſitatis, quod notatur in mari,& maioris,quod notatur in plenitudine eius. Dicit ergo: Sic lætentur prædicatores, *& exultet terra*, plebs prædicatoribus ſubiecta, & ab eis compluta. Hæc terra, de qua in *Pſal.* & alibi: Meus eſt enim orbis terræ. *Eccleſ.*1. Generatio aduenit, generatio præterit: terra autem in æternum ſtat.

Commoueatur. Bona commotio de malo in bonum,de triſtitia in lætitiam,*Mare*,illi de Eccleſia, qui ſunt in amaritudine tribulationis: *& plenitudo eius*, in quibus abundantia amaritudinis. *Apoc.*10.Angelus,id eſt,Chriſtus poſuit pedem dextrum conſolatorem ſpiritum, ſuper mare, id eſt, ſuper exiſtentem in amaritudine. 2. ad *Cor.* 1. Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ſic abundant & conſolationes per Chriſtum. *Pſal.* Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.

Gaudebunt

12. *Gaudebunt campi.* Hîc de lætitia contemplatiuorum. Primò quantum ad ſtatum imperfectionis. Secundò quantum ad ſtatum perfectionis. *Tunc exultabunt.* In campis enim naſcuntur herbæ & flores, & talia minus firma, ſed in ſyluis ſolida ligna. Dicit ergo: Gaudebunt campi, contemplatiui viri. *Gloſſa*, Lenes & mites: & addere potes humiles, quales ſunt à mundi actionibus ſeparati. In *Pſal.* de campis iſtis: Aſcendunt montes, & deſcendunt campis. Quaſi diceret: Eleuant ſe potentes ſæculares, ſed humiliant ſe boni contemplatiui. Hi campi, de quibus *Deut.*8. In cuius campis, & montibus, in bonis Eccleſiæ contemplatiuis & prælatis: erumpunt fluuiorum abyſſi, profunditates inſcrutabiles doctrinarum. Hi campi, qui continent in ſe florem illum, de quo *Iſa.*11. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de raeice eius aſcendet. Propter quod dicitur *Cantic.*2. Ego flos campi, & lilium conuallium.

Qualiter lætari debent contẽplatiui.

Ei omnia quæ in eis ſunt, in ipſis campis: in bonis enim contemplatiuis, totum quod ſunt, & corpus & anima, in Deum gaudent. Dicunt enim illud in *Pſal.* ſuprà: Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Et quicquid eſt ex parte animæ, omnes vires, voluntas, ratio, intellectus, & memoria.

13. *Tunc exultabunt.* Hic ſecundum. Quaſi diceret: Sic gaudebunt campi, minores & imperfectiores in ſtatu contemplationis. Et *tunc* etiam *exultabunt omnia ligna ſyluarum*, firma, alta, & fructuoſa. Signant perfectiores in contemplatione. *Iſa.*56. Omnia ligna ſyluarum plaudent manu. Quamuis enim ſyluarum ſint ligna, quia in ſolitudinibus conuerſantur, iuxta illud, Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine: tamen ſunt ligna fructuoſa: ipſi enim ſunt ligna oliuæ, ficus, & vitis, quæ nolunt relinquere pinguedinem & dulcedinem, & exhilarationem, vt promoueantur ſuper alia ligna. Et hoc *à facie* Domini: quippe enim dicere poterunt illud *Eſth.*'vlt. Facies tua plena eſt gratiarum. Ipſis erit facies gratioſa, imò glorioſa, ſed malis vultus terribilis. Suprà in *Pſal.* Vultus autem Domini ſuper facientes mala.

Quia venit. Hîc tangitur cauſa, & ratio lætitiæ & exultationis: & tangitur triplex. Primò iudicij velocitas. Secundò æquitas, ibi, *Iudicabit orbem terræ.* Tertiò veritas. *Et populos.* Æquitas reſpicit ad executionem ſcientiæ, veritatis ad meritorum diſcuſſionem, velocitas autem in geminatione aduentus monſtratur. Dicit ergo: Sic illi lætabuntur, iſti exultabunt à facie Domini: & hoc, *quia venit*, in primo aduentu manſuetus. *Zachar.*9. & *Matth.*20. Ecce rex tuus venit tibi manſuetus, & in ſe, & in ſuis, ſcilicet Apoſtolis, & aliis prædicatoribus ſanctis.

Quoniam venit, in ſecundo ſeuerus, & terribilis, iudicare terram. *Pſal.* Deus manifeſtè veniet, Deus noſter, & non ſilebit. *Matth.*24. & *Luc.*21. Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & maieſtate, &c.

Iudicabit orbem. Hîc ſecundum. Non ſolum quia venit, lætabuntur, ſed etiam, quia *iudicabit orbem terræ*, id eſt, orbis terræ habitatores, *in æquitate*, illa quam petit *Iob* 23. Æquitatem proponat contra me. Et de qua *Iſa.*11. Arguet in æquitate pro manſuetis terræ.

Et populos, iudicabit, ſup. Et eoſdem dicit populos, quos dixerat orbem terræ: *in veritate ſua*, non falſorum teſtium, quia iudex & teſtis. *Ierem.* 29. Ego ſum iudex & teſtis, dicit Dominus. Nec ſecundum dicta falſorum aduocatorum, vel conſilia. *Malach.*2. Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non eſt inuenta in labiis illius. Sed illos mittet in ignem æternum, ſicut minatus eſt *Matth.*25. Iſtos autem ſecum deducet ad regnum perpetuum, ſicut ibi promittit ſuis, ad quod nos perducat ipſe qui eſt ſumma & æterna veritas, benedicta, & benedicenda per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

IN XCVI. PSALMVM.

Pſalmus ipſi Dauid, quando terra eius reſtituta eſt ei.

1. *Argumentũ Pſalmi, fideliũ lætitiæ ex antecedentibus iudiciũ, mũdi ſcilicet immutatione & Chriſti iudicis apparitione.*

Dominus regnauit, exultet terra. Hic eſt Pſalmus 96. in toto libro, 46. in ſecunda parte libri: in quo poſtquam egit de ſtatu Eccleſiæ, & beneficiis, quæ ab ipſo mediatore paſſo & mortuo recepit ſimpliciter, hîc agit de ſtatu Eccleſiæ quantum ad ſtatum iudicij futuri, & de his quæ circa iudicium erunt ſpecialiter: & ſecundum hoc dicuntur duo. Primò lætitia & exultatio pro ſtatu Eccleſiæ, quantum ad præambula ad iudicium. Secundò quantum ad ipſum iudicium, ibi, *Cantate Domino.* Quia vero inſtante iudicio reuocabitur ad fidem Chriſti ſynagoga, proprer quod magua lætitia, & ſic plena erit Chriſto reſtituta Eccleſia. *Matth.* 12. Cum autem veniet Elias, reſtituet hæc omnia. Et *Iob* 83. Reſtituetur vt lutum ſignaculum. Rectè præmittitur in titulo: *Pſalmus ipſi Dauid, quando terra eius reſtituta eſt ei.* Quamuis enim ad literam, literali Dauid terra ſit reſtituta, quam quaſi amiſerat, auferente eam Abſalone filio ſuo 2. *Reg.* 19. & regnauit pacificè in 20. tamen quia ſicut ſuperiùs dictum fuit, cum hoc pronomen diſcretiuum additur, Dauid, accipitur pro Chriſto, cui in ſua reſurrectione terra proprij corporis eſt reſtituta, & etiam per prædicationem Apoſtolorum Eccleſia, & maximè in finali Iudæorum conuerſione, manifeſtum eſt, quòd magis intelligendum eſt ſpiritualiter quod dicitur in titulo, vt ſit ſenſus: *Pſalmus* ſubiectus, *ipſi Dauid*, id eſt, Chriſto, eſt cantandus, agens de hoc quod factum eſt, præteritum pro futuro, *quando reſtituta eſt ei terra*, id eſt, proprium corpus, vel poſt reſurrectionem propriam Eccleſia, vel inſtante iudicij tempore conuerſa Synagoga: de quo propriè magis intelligitur Pſalmus iſte: & ſecundum hoc quod legitur de aduentu ſecundo diuidemus, quamuis *Gloſſa* etiam de primo exponat, & ſecundum hoc diuidat.

Duo ergo principaliter dicuntur, ſecunduna duo ad iudicium præambula, de quibus debent gaudere boni. Primum eſt immutatio quæ fiet

in mundo. Secundum, Chriſti apparitio venientis in mundum, de quo ibi, *Et videbunt omnes.* In prima dicuntur duo. Primò inuitat fideles de Eccleſia ad laudem. Secundò ponitur ratio & cauſa, quare acquieſcendum eſt inuitationi, ibi, *Nubes & caligo.* In prima duo. Primò inuitat in proſperitate exiſtentes. Secundò in aduerſitate, ibi, *Lætentur inſulæ multæ.* In prima duo. Primò præmittitur lætitiæ cauſa. Secundò inuitatio, ibi, *Exultet terra.*

Dicit ergo: *Dominus*, verus. *Ioan.* 13. Vos vocatis me magiſter & Domine, & bene dicitis, ſum etenim. Et vniuerſalis. *Apoc.*19. Rex regum, & Dominus dominantium. *Regnauit*, in lætitia hominum, qui rex eſt ab æterno ſecundum diuinitatem. *Dan.*7. Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum quod non corrumpetur. Et ab inſtanti conceptionis ſecundum quod homo: Vnde Magi de ſtatim nato dicebant *Matth.* 2. Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? 1.ad *Cor.*15. Oportet illum regnare donec ponat inimicos, &c.

Exultet terra, iuſtus firmiter ſtans, & in proſperitate exiſtens. *Eccleſ.*1. Generatio præterit, generatio aduenit: terra autem, iuſtus ſcilicet, in æternum ſtat. Hæc terra, de qua in eodem 10. Beata terra, cuius rex nobilis eſt. Iuſtus enim, rex eſt nobilis, ſcilicet Chriſtus de ſtirpe regia ex parte patris, & ex parte matris. Terra ergo iuſtus, quia ſtabilis terra, quia fertilis. Eſt enim terra illa, de qua *Hebr.* 6. Terra ſuper ſe venientem ſæpe bibens imbrem, & reddens herbam opportunam his, à quibus colitur, benedictioni proxima eſt. Item humilis eſt iuſtus, ſicut terra infima ſtat. *Luc.*14. Cum inuitatus fueris ad nuptias, recumbe in nouiſſimo loco: ſis terra, ſi tu vis iuſtus eſſe.

Comparatio iuſti cum terra.

Lætentur. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic exultet iuſtus fructificans, & ſtabiliter manens: & etiam *Inſulæ multæ*, iuſti exiſtentes in tribulatione, & varia compaſſione, *lætentur.* Hæ ſunt inſulæ, de quibus *Iſa.*41. Taceant ad me, id eſt, mei comparatione, inſulæ, ſanctorum animæ quantumcumque tentationum fluctibus concuſſæ. Et 42. Legem eius inſulæ expectabunt. Dicuntur autem iuſti inſulæ, quia vndique ſunt in amaritudine pro peccatis propriis & alienis. *Deut.*33. Nephtalim mare poſſidebit. Nephtalim, ceruus emiſſus, & ſignificat iuſtum. *Pſal.* Transferentur montes, iuſti ſcilicet, in cor maris. Fluctibus non cedunt. *Iob* 38. Hîc, ad iuſtum ſcilicet, confringes tumentes fluctus tuos. Naufragos, tentatos ſcilicet & infirmos, ſuſcipiunt ſicut inſulæ. 1. ad *Theſſ.*5. Conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos. Receptos aqua dulci & cibariis recentibus reficiunt, ſicut inſulæ. *Iſa.*21. Qui habitatis terram Auſtri, cum panibus occurrite fugienti, ferte aquas, &c.

Item cum inſulis.

2. *Nubes & caligo.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur cauſa & ratio, quare acquieſcendum exhortationi: & tangitur duplex, ſcilicet immutatio in mundo, quantum ad media in mundo. Secundò quantum ad extrema, ibi, *Vidit, & commota eſt.* In prima duo. Primò immutatio. Secundò fructus immutationis illius, ibi, *Iuſtitia, & iudicium.* Dicit ergo: Sic exultet terra, lætentur inſulæ, & debent, quia *in circuitu eius*, Domini ſcilicet regnantis, ad iudicium venientis, erit *nubes & caligo*, id eſt, nubes caliginoſa. *Luc.* 21. Videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli. De nube etiam *Ezech.* 1. Nubes magna, & ignis inuoluens. De caligine. *Soph.*1. Dies tenebrarum & caliginis. De vtroque in *Pſal.* Nubes & caligo ſub pedibus eius. In primo etiam aduentu fuit nubes, & caligo in circuitu eius quoad malos, quibus nebuloſus & caliginoſus apparuit: non enim eum cognouerunt. Et dicitur illis fuiſſe caliginoſus & nebuloſus, qui in ſe erat clariſſimus, quia non illuminabat ad intelligendum, ſicut dicitur indurare, quando non confert gratiam ad pœnitendum.

Chriſtus in vtroque aduentu caligine inuolutus.

Iuſtitia, & iudicium, viſa & cognita, ſunt *correctio ſedis eius*, hoc eſt, iuſtorum, in quibus ſedet. *Sapient.*8. Anima iuſti, ſedes Dei eſt. Hæc ſedes corrigitur, quando malos videt affligi, tempeſtari, excæcari. *Ier.*30. Caſtigabo te in iuſtitia & iudicio. Per hoc enim quod vident alios affligi, adhærentes iuſtitiæ fidei, de ſeipſis faciunt iudicium, ſecundum illud *Pſal.* Feci iudicium & iuſtitiam, non tradas, &c. 1. ad *Cor.* 11. Si nos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.

Ignis ante ipſum. Hîc ſecundum. Immutatio 3.
ſcilicet mundi quantum ad materiam igneam: & hoc dupliciter. Primò quantum ad materiam igneam, in infirmo circa terram. Secundò in ſupremo, ibi, *Alluxerunt.* In prima ergo duo. Primò ignis anteceſſio. Secundò finis, & ratio quare. *Et inflammabit.* Ait enim: Sic nubes erit & caligo, & etiam *ignis præcedet ante ipſum*, ad iudicium venientem. *Pſal.* Ignis in conſpectu eius exardeſcit, in magna abundantia, & impetu magno. *Daniel.*7. Fluuius igneus rapidúſque egrediebatur à facie eius. Et calore vehementiſſimo vſque ad elementorum ſolutionem. 1.*Petr.*4. Elementa calore ſoluentur. Ante ipſum autem in primo aduentu præcedebat ignis, ſcilicet charitatis. *Luc.*12. Ignem veni mittere in terram, &c. quantum ad bonos. Ignis cupiditatis, quoad malos. *Eccleſ.*9. Concupiſcentia eius, quaſi ignis exardeſcit.

Et inflammabit inimicos eius in circuitu, iam eis quodammodo inchoans viam gehennalem. *Dan.*7. Corpus beſtiæ, mali ſcilicet, datum eſt ad comburendum. *Pſal.* Sicut ignis qui combutit ſyluam, & ſicut flamma comburens montes, ita perſequeris, &c. Qui autem ſunt inimici determinat *Iacob.* in 4. Qui amicus eſt huius mundi, inimicus Dei conſtituitur. In bono etiam legi poteſt. Ignis enim charitatis, quo circumdatus fuit in aduentu primo, inimicos eius ad bonum inflammauit, vt erudirentur & amarent. *Thren.*3. De excelſo miſit ignem in oſſibus meis, in viribus ſcilicet animæ meæ, & erudiuit me. *Act.*2. Spiritus infundens charitatem apparuit in linguis igneis.

Alluxerunt fulgura. Hîc immutatio quantũ ad 4.
cœlũ, quod eſt ſuperius. Quaſi diceret: Sic ignis inferius comburet, & etiam *fulgura*, quæ à ſuperiori deſcendũt, *alluxerunt*, præteritũ pro futuro, certitudine prophetali, ſecundum quod refertur

ad

ad aduentum ſecundum. *Ezech.*2. De igne fulgur egrediens. Hoc eſt quod dicitur *Matth.*24. Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret in Occidentem. *Apocal.* 16. Facta ſunt fulgura, & voces, & tonitrua. Fulgur etiam timoris terrentis præcedit ignem charitatis inflammantis, quo diſſipantur inimici. In *Pſal.* Fulgura coruſcationem, & diſſipabis eos.

Vidit, & commota eſt terra. Hîc ſecundum, in quo tangitur immutatio in extremis, & primò in illo quod eſt deorſum. Secundò in eo quod eſt ſurſum, ibi, *Annuntiauerunt.* In prima duo. Primò terræ immutatio ſimpliciter. Secundò modus immutationis. *Montes ſicut cera.* Dicit ergo: Sic totum commotum eſt, aqua, ignis, & inferior, & ſuperior. Vidit etiam Dominum ad iudicium venientem, maieſtatem ipſius ſentiendo, ac ſi videret, *terra*, ad literam, *& commota eſt. Luc.* 21. Erunt terræ motus per loca, & peſtilentiæ, & fames. *Iſa.* 24. Commotione commouebitur terra, agitatione agitabitur terra. *Apocalypſ.* 17. Terræ motus factus eſt magnus. In primo etiam aduentu mota eſt, per lucem, & miraculorum fulgurationem. *Mota eſt terra*, corda ſcilicet terrena. In *Pſal.* ſuprà: Commouiſti terram, & conturbaſti eam. *Iſa.*7. Commotum eſt cor eius, ſicut commoueri ſolent ligna ſyluarum à facie venti. *Iob* 37. Super hoc expauit cor meum, & motum eſt de loco ſuo.

5. *Montes ſicut cera.* Hîc oſtenditur modus commutationis, quia commouebuntur vehementer. Primum quantum ad montes. Secundum quantum ad partes terræ quæ ſunt in plano. *A facie Domini.* Dicit ergo: Sic commouebitur terra, & intantum, quod *montes fluxerunt*, hoc eſt, fluent, *à facie*, id eſt, præſentia, *Domini*, venientis ad iudicium, *ſicut cera à facie ignis*, citò & vehementer. *Iſa.*63. Vtinam diſrumperes cœlos & deſcenderes: à facie tua montes defluerent. *Pſal.* Sicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant, &c. Propter hoc dicitur *Iſai.*2. de ſpiritualibus montibus: Dies Domini ſuper omnem montem excelſum, & humiliabitur. A facie autem Domini in cruce pendentis deberent *montes*, prælati Eccleſiæ & Doctores, lachrymis compaſſionis defluere, à facie venturi ad iudicium lachrymis doloris & anxietatum: & ſic eſſet, ſi Spiritu ſancto eſſent afflati, quia in *Pſal.* dicitur: Flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ. Sed magis defluunt luxuria multi. *Ezech.* 23. Vt fluxus equorum fluxus eorum. Et cupiditate. 2.*Reg.*12. Defluxerunt, & contrahentur in anguſtiis ſuis.

A facie Domini, id eſt, à præſentia Domini ſicut priùs, *omnis terra*, etiam quæ eſt in plano fluxit, id eſt, fluet. *Apoc.*16. Omnis inſula fugit, & montes non ſunt. Si enim montes in bono defluerent, omnis terra ſimiliter in bono defluereret. Cum autem in malo defluunt, & alij ſimiliter mali fiunt. 6.

Annuntiauerunt cœli. Hîc quaſi immutatio in ſuperiori. Ait enim: Sic mouebitur terra: *& cœli* tunc *annuntiauerunt*, hoc eſt, annuntiabunt, qui ante ſilere videbantur, *iuſtitiam eius*, per mirabilia ſigna quæ in illis apparebunt. *Luc.*21. Erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis. Et infrà: Virtutes cœlorum mouebuntur. *Ioël* 4. Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem. *Apocal. vlt.* Sol factus eſt niger quaſi ſaccus cilicinus.

Et nota, quòd dicit, quòd cœli annuntiabunt iuſtitiam. Iuſtitiæ enim Dei annuntiatores debent eſſe cœli alti per contemplationem, clari per ſcientiam, mundi per puram caſtitatem. *Pſal.* Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iuſtitias? &c. *Quales debent eſſe qui iuſtitiã annuntiant.*

Et viderunt omnes populi. Hîc eſt ſecunda pars. Actum eſt enim in parte præcedenti de lætitia & exultatione iuſtorum propter immutationem mundi præambulam ad iudicium, hic propter iudicis apparitionem, & manifeſtationem: in quo dicuntur duo. Primò iudicis apparitio manifeſta. Secundò conſequentia apparitionem illam, ibi, *Confundantur omnes.* Dicit ergo: Sic immutabuntur omnia, ex quibus exultare & lætari debent Sancti, & etiam *viderunt*, id eſt, videbunt, *omnes populi gloriam* eius, ipſum, inquam, in humanitate glorificatum. *Apocalypſ.* 1. Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. *Luc.*21. Tunc videbunt filium hominis venientem cum poteſtate magna, & maieſtate. *Manifeſtatio Chriſti iudicij.*

Nec eſt contrarium quod dicitur *Iſa.* 26. ſecundum aliam literam: Tollatur impius ne videat gloriam Dei. Illud enim intelligetur de gloria diuinitatis, quæ à ſolis mundis corde eſt viſibilis, nec poteſt ſine delectatione videri. *Matth.* 5. Beati mundo corde: quoniam ipſi Dem videbunt. Et *Ioan.*17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te, &c. Quod poteſt etiam intelligi de aduentu primo: tunc enim viderunt gloriam Dei apertè, vel oculo corporali, quibus præſens fuit, vel fidei, quibus per prædicatores ſuos innotuit. *Iſa.*40. Et videbit omnis caro ſalutare Dei. *Baruc.* 3. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.

Confundantur omnes. Hîc tanguntur effectus conſequentes ad hanc viſionem: & dicuntur duo. Primò exponuntur effectus. Secundò ſubiunguntur rationes illorum effectuum, ibi, *Quoniam tu Dominus.* In prima tria, ſecundum tria conſequentia viſionem iudicis, quæ tangit. Primum eſt confuſio reproborum. Secundum, reuerentia Angelorum ei exhibenda, ibi, *Adorate.* Tertiò exultatio communiter iuſtorum. *Audiuit, & lætata eſt.* In prima duo. Primò confeſſio adorantium idola, ſculptilia condendo, & ſculpendo facta. Secundò fundendo: hæc enim dicuntur ſimulachra, ibi, *Qui gloriantur.* Ait ergo: Sic videbitur à bonis: & tunc

Confundantur omnes qui adorant ſculptilia, idola ſculpendo facta. *Iſa.*1. Confundentur ab idolis, quibus ſacrificauerunt: & erubeſcetis ſuper hortis, quos elegeratis. Et 42. Confundentur confuſione, qui confidunt in ſculptili, & qui dicunt conflatili, Dij noſtri. Et hoc eſt quod ſubiungitur. 7.

Qui gloriantur in ſimulachris ſuis, ſup. confundentur. Nec mirum: quia in *Pſal.* infra: Simulachra Gentium argentum & aurum, opera &c. *Iſa.*19. Mouebuntur ſimulachra Ægypti, & cor Ægypti tabeſcet in medio eius. Et nota, quòd clericorum ſimulachra, ſunt libri pulchri & curioſi: prælatorum, nepotuli: militum,

arma & equi: negotiatorum,denarij: fœminarum, ornatus pretioſi: & adulatorum, diuites epulones, & Prælati.

Adorate eum. Hîc ſecundum, reuerentia ab Angelis exhibenda. Quaſi diceret: Sic confundentur qui adorant ſculptilia,& ſimulachra,ſed non ſic Deus noſter: imò ô vos, *omnes Angeli eius*, creatione,*adorate eum.*Ad *Hebr.*1. Adorent eum omnes Angeli eius. *Apoc.*7. Adorauerunt viuentem in ſæcula ſæculorum. Adorate admirando, timendo,humiliter ei obediendo,& eius voluntatem feruenter exequendo. *Iob* 26. Columnæ cœli contremiſcunt ad nutum eius. Nota, quòd Baal adorant, non Deum ſuperbi, Beelzebuth immundi, ſcilicet guloſi: Beelphegor luxurioſi, Dagon acedioſi, Mercurium cupidi, Apollinem in ſcientiis curioſi.

8. *Audiuit.* Hîc tertium, ſcilicet iuſtorum exultatio. Primò iam glorificatorum, & Deum ante iudicium videntium,propter ſui corporis reſurrectionem glorioſam. Secundò iuſtorum qui viui inuenientur, propter iudiciorum Dei reuelationem. Dicit ergo: Sic manifeſtabitur gloria Chriſti, mali confundentur, Angeli adorabunt: *Audiuit hoc Sion*, id eſt, congregatio iuſtorum iam Deum contemplantium, *& lætata eſt*, expectans certiſſimè corporis glorificationem. Hæc eſt illa Sion, de qua in *Pſal.*ſuprà: Diligit Dominus portas Sion, ſuper omnia tabernacula Iacob. Expectat vt corpus recipiat glorioſum. *Phil.*3. Saluatorem expectamus, &c. Tunc lætabitur. *Zach.*2. Lauda & lætare Sion, quia ecce venio citò.

Exultauerunt. Hîc ſecundum, in quo tangit primò lætitiam, & adiungit cauſam quaſi propriam. *Propter iudicia.* Ait enim: Sic lætabuntur illæ animæ: & etiam *filiæ Iudæ*, animæ ſcilicet confitentes, & permanentes in fide, *exultauerunt.Iſa.*40. Dic ciuitatibus Iudæ Eccleſiis particularibus: Ecce Deus veſter. Iſtæ ſunt filiæ Iudæ, de quibus *Dan.*13. Sic faciebatis filiabus Iſraël, ſed non filia Iuda ſuſtinuit iniquitatem veſtram.

Et hoc *propter iudicia tua Domine*,non animo comprehenſibilia. Ad *Rom.*11. O altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius. *Pſal.* Iudicia tua abyſſus multa. Tunc autem erunt manifeſta. 1. ad *Cor.* 4. Veniet Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, iudicia Dei, quæ quaſi in profundiſſimis tenebris nunc ſunt abſcondita. *Apoc.*15. Omnes gentes venient & adorabunt, quoniam iudicia tua manifeſta ſunt.

Poſſet legi ab illo loco, *Audiuit*, ſicut legit *Gloſſa*, ad primum aduentum referendo. Audientes enim illi de primitiua Eccleſia, quæ per Sion intelligitur quantum ad maiores, & per filias Iudæ quantum ad minores,*iudicia Dei*, quod ſcilicet Gentes conuertebantur ad fidem Chriſti,lætati ſunt,& exultauerunt vehementer, ſicut habetur *Act.*10.

9. *Quoniam tu Dominus altiſſimus.* Hic eſt ſecundum. Poſtquam enim tacta ſunt conſequentia ad manifeſtum aduentum Chriſti, tangitur hîc ratio conſequentiæ illorum: & dicuntur tria, ſecundum tria conſequentia. Primò redditur ratio primi, ſcilicet confuſionis idololatrarum. Secundò ſecundi, adorationis ſcilicet Angelorum, ibi, *Nimis exaltatus.* Tertiò tertij, ſcilicet lætitiæ & exultationis ſanctorum, ibi, *Qui diligunt Dominum.* Ait enim: Sic dixi,quòd in aduentu tuo Domine confundentur idololatræ. Et hoc, *quoniam tu Dominus*, &c. Vel ſic continua: Propter iudicia exultabunt, quæ ſunt: *Quoniam tu Dominus altiſſimus*, in potentia, *ſuper omnem terram. Eccleſ.*43. Terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentiæ, vt poſſit omnes idololatras confundere.

Nimis exaltatus es, quantum ad capacitatem humani intellectus, non quantum ad meritum, *ſuper omnes deos*, id eſt, diuinos, ſcilicet Angelos: & propter hoc debent te adorare. Ad *Epheſ.*1. Conſtituens illum ad dexteram ſuam ſuper omnem principatum & poteſtatem. Principatus autem & poteſtates dij ſunt. *Pſal.* Non eſt ſimilis tui in diis Domine. Et alibi:Ego dixi, Dij eſtis, & filij, &c.

Qui diligitis. Hîc tangitur ratio tertij: & dicuntur duo. Primò ratio lætitiæ ſanctorum ponitur. Secundò ex illa ratione concluditur inuitando ſanctos ad illam, ibi, *Lætamini.* In prima duo. Primò tangitur ratio ex parte ſanctorum viatorum adhuc. Secundò iam beatorum, ibi, *Lux orta eſt.* Ratio autem adhuc viatorum, eſt odium mali, & deteſtatio quam tangit, ſanctos ad illud inuitando: vnde dicuntur duo. Primò inuitatio ſanctorum ad mali odium, quod generabit in illis cauſam lætitiæ. Secundò ratio inuitationis, ibi, *Cuſtodit Dominus.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd filiæ Iudæ exultauerunt propter diuina iudicia: & bene, quia dico vobis, vos *qui diligitis Dominum, odite malum* ſemper, vt ſic gaudeatis in diuinis iudiciis. Ad immediatum continuat *Gloſſa.*Talis eſt Dominus, & propter hoc, *qui diligitis Dominum*, quod præcipitur *Deuter.*6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. *Matth.*22. ſimiliter. *Odite malum:* hoc enim ſequens eſt ad illud, quia Deus hoc mandat. *Amos 6.* Odite malum, & diligite bonum. *Ioan.*14. Si quis diligit me, mandata mea ſeruabit. Et 1. *Ioan.*2. Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt. Et loquitur de notitia affectata. Propter hoc dicitur *Eccleſ.*2. Qui diligunt Dominum, obſeruabunt verbum eius. Malum etiam poteſt appellare diabolum, cum quo Deus diligi non poteſt. *Matth. 6.* Nemo poteſt, &c. Vel mundum, de quo 1.*Ioan.*3. Totus mundus in maligno poſitus eſt: quem qui diligit,Deum odit. *Iacob.*4. Amicus huius mundi, inimicus Dei conſtituitur. 10.

Inuitat bones ad mali od.um.

Cuſtodit Dominus. Hîc ratio quare acquieſcendum admonitioni, duplex. Primò quia Dominus tales cuſtodit in bono. Secundò quia liberat à malo. *De manu.* Dicit ergo: Sic dico, quòd malum odiatis, qui deum diligitis, quia hic eſt fructus. *Cuſtodit Dominus*, in bono in quo ſunt, *animas ſanctorum ſuorum*, malum ſcilicet odientium. *Pſal.*Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe. Et hoc verum eſt maximè quantum ad animas.*Iob* 9.Terra tradita eſt in manus impij. Sed *Sap.*3. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt. *Iob* 1. Verumtamen animam eius ſerua. *Sap.*11. aſſignatur cauſa, quia dicitur: Tu Domine, qui amas animas.

De

De manu. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Non ſolum in bono in quo ſunt, cuſtodit *de manu peccatoris*, dæmonis ſcilicet poteſtate, *liberabit eos.* Hoc petit Dauid infra: Eripe me de manu peccatoris. *Eccleſ.* 51. Liberaſti me ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ. *Oſeæ* 13. De manu mortis liberabo eos.

11. *Lux orta eſt.* Hîc eſt ſecundum, in quo tangitur cauſa lætitiæ in beatis de iudiciis diuinis: & tangitur duplex. Prima mentis illuſtratio, qua videbunt pleniſſimè veritatem: & hoc reſpicit intellectum. Secunda, repletio lætitiæ, quod pertinet ad effectum. *Rectis corde.* Dicit ergo: Sic iuſti viatores, vel non adhuc glorificati, lætabuntur in iudiciis: quia malum odiunt: & etiam iuſtus iam glorificatus, quia *lux*, cognitio ſcilicet aperta veritatis, *orta eſt iuſto. Malac.* 3. Vobis timentibus Deum, quod iuſtorum eſt, orietur ſol iuſtitiæ. *Iſa.* 26. Ros lucis, quam rorabis ſuper ſanctos tuos, ros tuus. *Et rectis corde*, iuſtis, qui diligunt. *Cantic.* 1. Recti diligunt te. *Lætitia*, eſt orta, ſup. à Deo *Pſal.* Quàm bonus Iſraël Deus his, qui recto ſunt corde! *Iſa.* 51. Venient in Sion cum laude: & lætitia ſempiterna ſuper capita eorum. Et rurſus in eodem: Gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.

Thema pro feſto Epiphaniæ, & natiuitatis Domini & B. Virginis.

Et poteſt eſſe thema in Apparitione. Tunc enim *lux*, ſtella ſcilicet, quæ eſt ſecundum Philoſophos congregatio lucis in corpore quinto, *orta eſt iuſto*, ad oſtenſionem & honorem iuſti, Chriſti ſcilicet, de quo *Ierem.* 23. Et hoc eſt nomen nouum quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter. Et ex hoc ipſo, *rectis corde*, tribus ſcilicet Magis, lætitia. *Matth.* 2. Videntes autem ſtellam Magi, gauiſi ſunt gaudio magno valde.

Poteſt etiam eſſe thema in Chriſti natiuitate. Ipſe enim eſt lux. *Ioan.* 1. Erat lux vera, quæ illuminat, &c. Hæc lux erat in corde Patris abſcondita. *Iob* 36. Qui abſcondit lucem in manibus ſuis, in poteſtate ſua ſcilicet. Sed poſtmodum ſparſit ipſe in mundum, per Virginem matrem. *Iob* 38. Per quam viam ſpargitur lux? Per Mariam ſparſit lucem ad illuminandum intellectum, in natiuitate filij. Diuiditur æſtus tunc, aut æſtus tunc diuiſus eſt, quando diſpertitæ linguæ tanquam ignis ſuper Apoſtolos viſæ ſunt, ſcilicet in Pentecoſte. Hæc *lux orta eſt iuſto*, in tenebris huius vitæ degenti. *Iſa.* 9. Habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis. *Et rectis corde*, paſtoribus, credentibus ipſis etiam peccatoribus, & in ſuperna tendentibus, *lætitia. Luc.* 2. Ecce annuntio vobis gaudium magnum, &c.

Poteſt etiam eſſe thema in Virginis Matris natiuitate. Ipſa enim eſt lux, de qua in *Pſal.* Emitte lucem tuam, & veritatem tuam. Quia orta gaudium attulit, non tantum rectis corde, ſed etiam cunctis, ſed magis iuſtis. *Eſth.* 3. Iudæis noua lux oriri viſa eſt, gaudium, honor, & tripudium. Fuit autem lux auroræ in propria natiuitate: ſed lux lunæ in filij Dei conceptione: ſed lux ſolis in filij parturitione. *Cantic.* 2. Quæ eſt iſta quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol? Sed lux ſtellæ in peccatorum ſuſceptione: ſtellæ enim de nocte lucent, & ipſam illuminant. *Num.* 23. Orietur ſtella ex Iacob, & virga conſurget ex Iſraël. *Iudith* 15. Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſraël, tu honorificentia populi mei mei.

Lætamini in Domino. Hîc ſecundum huius partis, in qua præmiſſa ratione mutiplici de lætitia bonorum ſuper diuina iuſtitia, ſubiungitur ipſorum inuitatio, quaſi concludendo ad lætitiam in Deo, & confeſſionem: & ſecundum hoc dicuntur duo. Primò inuitatio ipſorum ad lætitiam interiorem cordis. Secundò etiam ad exteriorem oris, ibi, *Et confitemini.* Dicit ergo: Sic iuſtis orta eſt lux, & lætitia. Ergo *iuſti lætamini*, in corde interius, *in Domino.* Alibi in *Pſal.* Lætamini in Domino & exultate iuſti. Et alibi: Anima mea exultabit in Domino, non in mundo. Ad *Phil. vltim.* Gaudete in Domino ſemper: iterum dico gaudete. In mundo enim non eſt gaudendum, ſed gemendum, quoniam preſſuræ in eo ſunt. *Ioan.* 16. In mundo preſſuram, in me autem &c. 12.

Et confitemini, ore. Ad *Roman.* 10. Ore autem confeſſio fit ad ſalutem. *Memoriæ ſanctificationis eius*, id eſt, quia memor fuit vt nos ſanctificaret. *Iſa.* 49. Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, &c. Sanctificauit, inquam, per proprium filium, quem fecit ſanctificationem noſtram. 1. ad *Corinth.* 1. Qui factus eſt nobis iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.

Poſſet etiam legi: *Confitemini memoriæ ſanctificationis eius*, id eſt, confitemini habendo memoriam, quòd ipſe nos ſanctificauit, & lauit in ſanguine proprio. *Apocal.* 1. Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Et hoc vult nos habere in memoriam. *Thren.* 3. Recordare paupertatis meæ, tranſgreſſionis, abſynthij, & fellis. Et ſubiungitur: Memoria memor ero. Delectabilis & dulcis memoria. Suprà in *Pſal.* Memor fui Dei, & delectatus ſum, iam in ſpe æternorum, poſtmodum in re: ad quam lætitiam nos perducat, qui eſt benedictus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

IN XCVII. PSALMVM.

Pſalmus ipſi Dauid.

Argumentũ Pſalmi, lætitia fidelium ex vtroque aduentu Chriſti.

Cantate Domino. Hic eſt Pſal. 97. in toto libro, in ſecunda vero parte 47. Poſtquam enim egit de lætitia iuſtorum, pro eis quæ erant antecedentia ad iudicium, mundi ſcilicet immutatione, & iudicis manifeſtatione, hîc pro eo quod erit in ipſo iudicio, ſcilicet pro iudicis æquitate, ſicut patet in concluſione totius huius Pſalmi. Sed quia magis apparet iudicantis in aduentu ſecundo æquitas, ſi manifeſtetur redimentis benignitas, agitur etiam de primo aduentu. Præmittitur autem titulus ſatis per ſe notus. *Pſalmus ipſi Dauid.* 1.

Diuiditur autem Pſalmus in duas partes, ſecundum duo præacta. Primò enim agit de lætitia & exultatione ipſius Eccleſiæ, ipſam ad hanc inuitando pro primo aduentu. Secundò pro ſecundo, ibi, *Iubilate Deo omnis terra.* In prima duo. Primò ponit inuitationem. Secundò rationem, quare ſit exultandum in Deo, & lætandum, ibi, *Quia mirabilia.* In prima duo. Primò

inuitatio ad exultationem. Secundò determinatio modi quo exultandum eſt eis & lætandum. *Canticum nouum.* Dicit ergo : Sic lætandum cauſis ſuperius expreſſis, & etiam adhuc dico : *Cantate*, ad humorem & laudem Domini, non quolibet modo, ſed *canticum nouum.* Et nota, quòd raucedo impedit ne poſſit homo cantare. Raucus fit homo per ſiccitatem nimiam. Hic eſt auarus, qui totus aridus eſt. *Pſal.* Aruit tanquam teſta virtus mea. Et etiam per clamorem nimium. Hic eſt aduocatus, qui tota die clamat in foro, nec poteſt in choro. *Pſal.* Laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ. Nec leproſus : impedit enim lepra. Ad literam, leproſus non celebrat : hic eſt Simoniacus, qui propriè leproſus dicitur. 4. *Reg.* 5. Lepra Naaman adhærebit tibi, dictum eſt Giezi, qui ſpiritualia vendidit. Impedit etiam locus : non enim vbique cantandum. *Pſal.* Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena ? Sic arcetur piger & ſomnolentus, qui non vult dicere horas in Eccleſia, ſed in camera. Impedit etiam pinguedo, quando eſt nimia, ſcilicet abundantia rerum temporalium, & comeſſatio nimia. *Iud.* 3. Erat autem Eglon craſſus nimis. Eglon enim interpretatur feſtiuitas inutilis. Quaſi diceret : Vbi eſt pinguedo nimia, ibi eſt feſtiuitas inutilis, non ad lætandum in Deo, & cantandum. Impedit etiam triſtitia. *Eccleſ.* 22. Muſica in luctu, importuna narratio. Sic arcetur acedioſus, qui triſtis eſt ſemper. Impedit etiam interdictum. *Amos* 6. Tace, ne recorderis nomen Domini. Contra quod *Eſther* in 6. Ne claudas ora canentium te. Sic arcetur ſuperbus, qui ab aliis ſe ſeparat, nec vult eſſe communis aliis. Et mors etiam impedit. *Pſal.* Non mortui laudabunt te Domine. Sic arcetur luxurioſus, qui tanquam mortuus computreſcit in ſtercore proprio. *Ioël.* 1. Computruerunt iumenta.

Cantus impedimenta.

Quia mirabilia fecit. Hîc ſecundum, in quo ſubiunguntur rationes, quare cantandum : & dicuntur tria, ſecundum tres rationes, quas aſſignat. Prima, operatio mirabilium, quod ſpectat ad Deum. Secundò ſaluatio hominum, quod reſpicit ad bonitatem, ibi, *Saluauit ſibi.* Tertia, manifeſtatio, quod pertinet ad veritatem ſeu ſapientiam, ibi, *Notum fecit Dominus.* Dicit ergo : Sic cantate canticum nouum, & debetis : *quia mirabilia fecit. Iſa.* 12. Cantate Domino, quoniam magnifice fecit. Mirabilibus nouis debetur canticum nouum, & ipſe impleuit illud *Eccleſ.* 36. Innoua ſigna, immuta mirabilia. *Iob* 5. Qui facit magna & inſcrutabilia. Sed quænam mirabilia fecit ? In incarnatione Matrem ſine corruptione concipere, ſine labore in vtero portare, ſine dolore parere. Propter hoc dicitur *Iſa.* 9. Vocabitur nomen eius admirabilis. Mirabilia in conuerſatione, claudos currere, cæcos videre, mortuos viuere. *Luc.* 5. Magnificabant Deum dicentes : Quia vidimus hodie mirabilia. In paſſione, quia tradidit filium pro inimicis, iudicem pro damnatis, primum pro nouiſſimis. *Iſa.* 25. Domine Deus meus exaltabo te, & confitebor nomini tuo. Mirabilia in Sacramenti altaris inſtitutione, quando dedit ſanguinem in potum, carnem in cibum. *Pſal.* Memoriam fecit mirabilium ſuorum, eſcam dedit timentibus ſe.

Triplex ratio quare debeamus cantare Domino canticum nouum.

Mirabilia quæ operatus eſt Chriſtus.

Saluauit ſibi. Hîc ſecunda ratio, ſcilicet hominum ſaluatio per filium Dei : in quo dicuntur duo. Primò per quem facta ſit ſaluatio, quia per filium. Secundò qualiter per illum. *Et brachium.* Dicit ergo : Sic dixi, quòd mirabilia fecit : & hoc vnum de mirabilibus : quia *dextera eius*, filius ſcilicet, qui eſt dextera Patris. *Cant.* 2. Dextera illius amplexabitur me, vt extrahat me à periculo. Hoc eſt quod ſubdit : *Saluauit*, id eſt, ſalutem fecit, *ſibi*, id eſt, ad honorem Dei. *Pſal.* Dextera Domini fecit virtutem. *Luc.* 19. Venit filius hominis ſaluum facere quod perierat.

Et brachium. Hîc eſt ſecundum : in brachio enim fortitudo notatur. Vnde cum dixit, *Et brachium ſanctum eius ſaluauit*, id eſt, ſalutem fecit, intelligitur ſaluaſſe fortiter hoc brachium, de quo *Iſa.* 53. Et brachium Domini cui reuelatum eſt ? *Iſa.* 63. Saluauit mihi brachium meum. Et 59. Saluauit ſibi brachium ſuum. *Iob* 40. Si habes brachium ſicut Deus, & ſimili voce tonas. *Luc.* 1. Fecit potentiam in brachio ſuo.

Notum fecit. Hîc tertium, ſcilicet tertia ratio, quare cantandum, ſcilicet Saluatoris manifeſtatio. Secundò quibus facta fuit. *In conſpectu Gentium.* Dicit ergo : Sic fecit mirabilia, ſic ſaluauit, propter quod cantandum : & etiam *ſalutare ſuum*, dexteram illam per quam ſaluauit, *& brachium*, de quo dicebat *Iacob Geneſ. penult.* Salutare tuum expectabo Domine. *Notum fecit Dominus*, ipſum apertè manifeſtando mundo. *Bar.* 4. Poſt hæc in terris viſus eſt. *Luc.* 2. Viderunt oculi mei ſalutare tuum : quem viderunt certè, & cognouerunt ſibi Saluatorem promiſſum Iudæi, & ſuum Deum. *Pſal.* Notus in Iudæa Deus. 2.

In conſpectu. Hîc ſecundum, in quo oſtendit quibus. Et primò, quòd Gentibus. Secundò, quòd Iudæis, ibi, *Recordatus eſt.* Tertiò, quòd ſimul omnibus, ibi, *Viderunt omnes.* Dicit ergo : Sic dixi, quod notum fecit ſalutare : & benedixi, quia *in conſpectu Gentium*, Gentilium ad literam, reuelauit *iuſtitiam ſuam*, id eſt, Chriſtum, qui dicitur, ſicut dicit Gloſſa, *ſalutare*, quia ſaluat : *iuſtitia*, quia iuſtificat. 1. ad *Corinth.* 1. Factus eſt nobis à Deo Patre iuſtitia. *Pſal.* Iuſtitia de cœlo proſpexit.

Recordatus eſt. Hîc ſecundum, in quo oſtendit Iudæis manifeſtatum : & dicuntur duo. Primò manifeſtatio propter miſericordiam promittentem adimplendam. Secundò propter veritatem, ſolutionem promiſſi exigentem. *Et veritatis ſuæ.* Dicit ergo : Sic reuelauit ipſum in conſpectu Gentium, & etiam recordatus eſt in effectu, ſalutare ſcilicet mittendo, oſtendendo, *miſericordiæ ſuæ*, quamuis videretur oblitus. *Abac.* 3. Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.

Et veritatis ſuæ, qua debuit ſoluere promiſſum factum domui Iſraël. *Mich. vltim.* Dabit veritatem Iacob, miſericordiam Abraham. Ad *Roman.* 15. Dico autem IESVM CHRISTVM miniſtrum fuiſſe circunciſionis, propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones patrum. Ad Iſraël enim in propria perſona

miſſus

miſſus eſt, ſicut ipſe dixit *Matth.* 15. Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierant domus Iſraël. *Luc.* 1. Suſcepit Iſraël puerum ſuum.

Viderunt omnes. Hîc tertium, in quo oſtendit manifeſtatum ſimul omnibus, Gentibus ſcilicet & Iudæis. Et quid dicam? *Viderunt omnes termini terræ*, oculo interiori fidei, quo videmus hîc in via. 1.ad *Corinth.* 13. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate. De omni enim terra, vſque ad terminos habitationis audierunt prædicationem Apoſtolorum, & crediderunt aliqui. *Pſal.* In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. *Salutare Dei noſtri*, à Deo Patre noſtro ſcilicet datum. *Iſa.* 9. Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Et omnibus. *Roman.* 8. Qui proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.

Effectus pœnitentiæ. Salutare Dei ſpiritualiter loquendo, eſt pœnitentia. Ipſa enim ſaluat à malo, quod peccatoribus Dominus comminatur. *Ierem.* 18. Si pœnitentiam egerit gens illa à peccato ſuo, agam & ego pœnitentiam ſuper malo quod dixi vt facerem illi. Et vitam æternam dat. *Matth.* 3. Agite pœnitentiam: appropinquabit enim regnum Dei. Hoc ſalutare non vult videre terra, diuites huius mundi, dicentes illud *Iob* 21. Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. Sed *fines terræ*, pauperes, in quibus terrenitas eſt finita. Illi vident intellectu & affectu. *Matth.* 11. Confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.

4. *Iubilate Deo.* Hîc ſecunda pars Pſalmi, in qua inuitat ad exultationem pro ſecundo aduentu, & æquitate iudicis in illo: & dicuntur tria. Primò tangitur modus exultationis, & laudis, ad quam inuitat. Secundò diſtinctè determinat quos inuitat, ibi, *Iubilate in conſpectu.* Tertiò cauſa, quare tales inuitat, ibi, *Quoniam venit iudicare terram.* In prima tria. Primò inuitat ad laudem & exultationem cordis. Secundò oris. *Cantate.* Tertiò operis. *Exultate.* Dicit ergo: Sic monui ad canticum & exultationem propter aduentum primum, & addo: *Iubilate*, lætitia cordis tanta, quòd omninò taceri non poſſit, nec penitus exprimi, *omnis terra. Iſa.* 49. Iubilate montes laudem. *Sophon.* 3. Iubila filia Ieruſalem. Et bene dicit: *Omnis terra:* nullus enim expers beneficij. Et *Pſal.* Nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius. *Luc.* 6. Solem ſuum facit lucere ſuper bonos & malos, & pluit ſuper malos & iniuſtos. Et propter hoc nullus debet eſſe, qui non laudet. *Pſal.* Laudent illum cœli & terra, mare, &c.

Cantate voce. *Iſa.* 12. Cantate Domino, quoniam magnifice fecit.

Et exultate & Pſallite. Hîc tertium, in quo monet lætari in opere: & dicuntur duo. Primò monet lætanter bonum operari. Secundò addit de modo lætitiæ illius, ibi, *Pſallite Domino.* Dicit ergo: Sic iubilate, & cantate, & *exultate, pſallite*: coniunctim poteſt legi, id eſt, exultanter pſallite, id eſt, operamini: pſallere enim, ſicut frequenter dictum eſt, eſt operari. *Iud.* 5. Ego ſum, ego ſum, qui canam & pſallam Domino Deo Iſraël. *Eccl.* 35. In omni dato hilarem fac vultum tuum 1.ad *Corin.* 9. Hilarem datorem diligit Deus.

Pſallite Domino. Hîc ſecundum, in quo magis exprimit modum, quo vult nos pſallere. Primò cum carnis mortificatione per abſtinentiam. Secundò cum honeſta conuerſatione, cum addit: *Et voce Pſalmi.* Tertiò cum ſanctorum imitatione. *In tubis ductilibus.* Dicit ergo: Dixi, quòd pſallatis, & ecce modum addo quo pſallere debetis. *Pſallite Domino in cithara. Apocal.* 14. Et vocem quam audiui, quaſi citharœdorum citharizantium in citharis ſuis. 5. *Commendatur diſcreta carnis mortificatio.*

In cithara, repetit, vt excitet attentionem: intenti enim debemus eſſe in carnis mortificatione, ne tantum faciamus vt naturam deſtruamus. Ad *Roman.* 12. Rationabile obſequium veſtrum. *Geneſ.* 4. Lamech credidit ſe occidere feram, & occidit hominem. Vel ob hoc repetit, vt oſtendat duplicem eſſe citharam, mortificationis carnis, de qua *Iob* 30. Verſa eſt in luctum cithara mea. Et compaſſionis ad alios. *Iſa.* 16. Venter meus ad Moab quaſi cithara ſonabit.

Et voce Pſalmi. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic cum cithara pſallite, & etiam *cum voce Pſalmi*, ita vt veſtrum pſallere ſit aliis vox & ædificatio vt idem agant. *Matth.* 5. Sic luceant opera veſtra coram hominibus, vt videant, &c. Vel ſecundum *Gloſſam* primò dicit, *Pſallite Domino in cithara*, & poſt ordine contrario, *In cithara*, & *voce Pſalmi*, vt monſtretur æqualiter intendendum carnis mortificationi, & bono operi.

In tubis ductilibus. Hîc tertium, in quo dicuntur duo. Primò vt pſallant in imitatione Martyrum, qui fuerunt tubæ ductiles, Martyrij & perſecutionum malleis producti. Secundò in imitatione Confeſſorum, qui fuerunt tubæ corneæ, ibi, *Et voce.* Dicit enim: Pſallite in cithara, & voce pſalmi, & etiam *in tubis*, id eſt, in Prædicatorum imitatione, qui tubæ ſunt. *Iſa.* 58. Quaſi tuba exalta vocem tuam, *ductilibus* malleo martyrij & paſſionum. Hoc dicitur de illis duabus magnis tubis, & ductilibus, Petro ſcilicet, & Paulo. *Num.* 10. Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare poſſis populum. 6.

Et voce tubæ. Et pſallite *in voce tubæ corneæ*, ad ſimilitudinem tubarum de cornu, quales fuerunt ſancti Confeſſores, qui tubæ fuerunt per prædicationem, ſed corneæ per carnis ſubiectionem, ſicut cornu carnem ſubiicit ſibi & ſitu & natura. Tale cornu erat, qui dicebat 1. *Corinth.* 9. Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauerim, &c. *Prædicatores, tubæ corneæ.*

Iubilate in conſpectu. Hîc tertium, in quo diſtinctè determinat quos inuitet. Quia primò Angelos, in conſpectu Dei iugiter aſſiſtentes. Secundò homines. *Commoueatur mare.* Dicit ergo: Sic ad laudem & exultationem inuito, ſed ſpecificè vos & dico, *Iubilate*, exiſtentes *in conſpectu regis Domini*, regnantis per ſapientiam, dominantis per ipſam. Iſti ſunt Angeli qui ſemper in conſpectu Dei aſſiſtunt, vnde vnus illorum loquens Tobiæ, dixit in 12. Ego ſum Raphaël, qui aſto in conſpectu Dei. *Matth.* 18. Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei,

mei, qui in cœlis est. Et sine dubio iubilant. *Iob* 38. Vbi eras cum me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei, Angeli scilicet sancti.

7. *Commoueatur mare.* Hîc inuitat homines, & primò pœnitentes. Secundò proficientes in bono. *Orbis terrarum.* Tertiò Prælatos aliis doctrinæ fluenta influentes. *Flumina.* Quartò perfectos. *Montes.* Dicit ergo: Sic ô vos Angeli, *iubilate & mare*, pœnitentes scilicet adhuc existentes in amaritudine. Hoc mare, iuxta quod IESVS ambulabat. *Matth.* 4. Ambulabat IESVS iuxta mare Galilææ. *Genes.* 49. Zabulon in littore maris ambulabit. Zabulon, ceruus emissus, signat Christum emissum de cœlo, tanquam ceruum velocissimum. *Cant.* 2. Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.

Et plenitudo eius, maris scilicet, hoc est, in plena amaritudine existentes, & ipsam totam haurientes, secundum illud *Deut.* 33. Inundationes maris, quasi lac sugent.

Orbis terrarum, & ne credas ipsum loqui de orbe materiali, addit, *& qui habitant in eo*, id est, qui sunt in orbe digni hoc nomine. Isti sunt qui fructificant in bonis operibus, & ipsa communicant aliis circumquaque sicut orbis. De hoc orbe *Sap.* 1. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.

8. *Flumina plaudent.* Hîc tertium. Quasi dicebat: Sic lætentur pœnitentes, sicut & profi-
Comparatio Prædicatorũ cum fluminibus. cientes: & etiam *flumina*, Prælati scilicet & Doctores sancti, Spiritu sancto pleni, & aliis influentes, *plaudent manu. Eccles. iast.* 24. Ego sapientia effudi flumina super terram. Vnde quatuor fluminibus fluentibus de paradiso *Genes.* 2. comparantur quatuor Euangelistæ. *Psal.* Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. *Apocalyps. vltim.* Ostendebat mihi fluuium, sanctum scilicet virum, procedentem de sede Dei, de Dei ordinatione & dispositione, in qua sedet stabiliter sicut homo in sua sede.

9. *Simul.* Ecce quartum. Quasi diceret: Sic plaudent flumina: *& montes*, viri perfecti & stabiles, *exultabunt in conspectu Domini. Isa.* 52. Montes & colles cantabunt coram Deo laudem. Et est argumentum, quod Sancti lætabuntur in aduentu Christi ad iudicium. *Isa.* 52. Simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt. Et hoc erit satis citò, etsi tardè videatur, quia *Iacobus* dicit in vltimo: Ecce iudex ante ianuam assistit.

Gloss. legit etiam aliter referendo ad aduentum primum, appellans mare, legem amaram Mosaicam, quæ commota est, & dulcis facta per appositionem ligni crucis, sicut significatum fuit *Exod.* 15. Et eius plenitudo, scilicet legalia sacramenta. Orbem etiam terrarum appellat Gentilitatem, quæ commota est ad conuersionem. Suprà in *Psal.* Commouisti terram, & conturbasti eam. Legit etiam referendo ad secundum, mare appellans sæculum, quod timore commouebitur, Domino ad iudicium veniente. Suprà in *Psal.* Hoc mare magnum, & spatiosum manibus, cuius plenitudo sunt homines pleni iniquitate & peccatis. Ad *Rom.* 1. Repletos omni iniquitate, & malitia. Orbis terrarum propriè sumitur, qui commouebitur in faciem meliorem. 2. *Petr.* 3. Nouos cœlos, & nouam terram, secundum promissa eius expectamus. *Apoc. vlt.* Ecce noua facio omnia.

Quoniam venit. Hîc tangitur ratio & causa quare inuitat ad exultationem: & tanguntur duo. Aduentus iudicis, & æquitas iudicij. *Iudicabit orbem.* Dicit ergo: Sic iubilent, & exultent à conspectu Domini: *quoniam venit*, Dominus, sup. *iudicare terram. Isa.* 3. Ecce Dominus ad iudicandum venit cum senioribus populi sui. *Ioan.* 12. Nunc iudicium est mundi.

Iudicabit orbem terrarum. Hîc secundum, in quo pro causa lætitiæ, tangitur æquitas iudicij, quæ est in duobus. Primò in meritorum discussione. Secundò in distributione post discussionem admixta pietate. *Et populos in æquitate.* Dicit ergo: Sic gaudebunt, quia Dominus venit, & iudicabit orbem terrarum, ad literam habitatores orbis terrarum, duscutiendo merita singulorum. *Isa.* 5. Iudicium Domini cum populo suo, & cum Israël diiudicabitur. *Dan.* 7. Iudicium sedit, & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est liber vitæ, & iudicati sunt super ea quæ scripta erant in libris.

Et populos. Ecce secundum. Quasi diceret: Sic iudicabit singulorum merita, & post *iudicabit populos*, eis retribuendo, *in æquitate*, sicut æquum est, hoc est, secundum sua merita, ita tamen quod omninò non sint sine misericordia relaxante aliquid quantum ad malos, cumulante maiora præmia quantum ad bonos. 2. ad *Corinth.* 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque prout gessit in corpore suo, siue bonum, siue malum. Et in *Psal.* Reddet vnicuique iuxta opera sua. 1. ad *Corinth.* 3. Vnusquisque secundum proprium laborem recipiet.

Vel secundum *Glossam*, posset referri primum quod dicit, *Iudicabit orbem terræ in iustitia*, ad malos, qui in terra sunt, quia terram diligunt: & orbis sunt, quia circuierunt. *Psal.* In circuitu impij ambulant. Quos iudicabit in iustitia Deus, sine misericordia scilicet saluante, non tamen sine relaxante aliquid de pœna. *Iacob.* 2. Iudicium sine misericordia fiet illi, qui non fecerit misericordiam. Secundum autem ad bonos potest referri, qui per populos designantur, quibus retribuet in æquitate: quia secundum quod meruerunt. *Luc.* 6. Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis: & plus addet ex misericordia vt iustitia fiat æquitas. In eodem *Luc.* 6. Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superefluentem, dabunt in sinum vestrum: qua mensura nos remuneret, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

IN XCVIII. PSALMVM.

Psalmus ipsi Dauid.

1. *Dominus regnauit, irascantur populi.* Hic est Psalmus 98. in toto libro, in 2. vero parte libri 48. *Psalmus inuehitur in*

populos Christo regi iratos, & ad eũ adorandum nos inuitat exẽplo antiquorum.

libri 48. Cum enim actum sit in Psalmis præcedentibus de regno & gloria Christi, quia de gloria eius & regno mali contristantur. *Matth.* 2. Audiens autem Herodes Rex, natum scilicet Regem, iratus est, & omnis Ierosolyma cum illo: boni autem lætitia replentur, exultant, & venerantur. *Luc.* 2. Annuntio vobis gaudium magnum. In hoc Psalmo subiungitur quasi inuectio contra malos, irascentes de regno Christi, & inuitatio bonorum ad lætitiam, & sanctorum patrum ipsum venerantium antequam esset homo imitationem. Titulus autem nihil habet noui, nec expositione indiget prolixiori.

Psalmus autem diuiditur in duas partes. Primò annuntiat Christi regiam potestatem, quasi malos subsannando, & excitando ad confitendum Christo. Secundò inuitat ad imitandum antiquos sanctos, in Christi veneratione, ibi, *Exaltate Dominum.* In prima duo. Primum, regnum Christi annuntiat, velint nolint mali. Secundò excitat vt resipiscant, vt Deo confiteantur, & ad fidem quæ de Christo est, se humilient. *Confiteantur nomini.* In prima duo. Primò annuntiatio regiæ potestatis in Christo, quantumcumque murmurent mali. Secundò descriptio regnantis, vt magis qui offenduntur, timeant, ibi, *Dominus in Sion.* In prima quatuor. Primò exprimit dignitatem regiam Christi. Secundò malorum iram. *Irascantur.* Tertiò repetit. *Qui sedet super Cherubim.* Quartò subiungit malorum commotionem iterato, ibi, *Moueatur.*

Dicit ergo. *Dominus* Christus, quamuis humilis factus in mundo, *regnauit*, & in re sicut ab æterno, & in manifestatione, maxime post resurrectionem, & regnabit. *Isa.* 35. Dominus regnabit in iustitia. *Exod.* 15. Dominus regnabit in æternum & vltrà.

Irascantur populi, veritati contrarij, & rectitudinis inimici. Et non dicit hoc imprecando, vel monendo, sed prædicendo, id est, irascentur. Modum tamen loquendi talem seruat, vt innuat quod eorum iram non curat, sed magis semper bona multa consequentia ipsam desiderat. *Psal.* Videbit & irascetur, &c. *Isa.* 8. Irascetur, & maledicet regi suo. Irascitur Iudæus contra Christum, & repellit verbum, & Gentilis populus vocatur, quod est magnum bonum. *Act.* 13. Quoniam repellitis verbum Dei, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes.

Qui sedet. Hîc tertium. Quasi diceret: Dominus regnat, quantumcumque irascantur populi. Deus, inquam, *qui sedet super Cherubim.* Quasi diceret: In regnando vsque super Cherubim est exaltatus. Suprà in *Psal.* Qui sedes super Cherubim, appare coram Ephraim, Benjamin, & Manasse. Ad *Ephes.* 1. Consedere eum fecit ad dexteram suam, super omnem principatum, & potestatem. *Ezech.* 1. Super capita animalium firmamentum, & super firmamentum thronus, & super thronum filius hominis.

Moueatur terra. Ecce quartum. Quasi diceret: Sic sedet, quantumcumque voluerit *moueatur terra*, de eius regia potestate. *Isa.* 24. Commotione commouebitur terra. *Psal.* Commota est contremuit terra. Et alibi: Fundamentia montium conturbata sunt & commota sunt.

Et nota, quòd sicut dicit *Glossa*, charitas est Cherubim: interpretatur enim scientiæ plenitudo: & Paulus dicit *Roman.* 13. Plenitudo legis est dilectio. Hic thronus aureus, qui si fuerit in corde tuo, ibi sedebit Christus, nec auelletur quantumcumque sæuiat mundus. 1. ad *Corinth.* 13. Charitas nunquam excidit. *Psal.* Thronus eius, charitas, sicut sol in conspectu meo. Sol lucet, & calet, & manet.

Dominus in Sion. Hîc secundum, in quo subiungitur regnantis descriptio: in quo dicuntur duo. Primò super Iudæos dignitas & potestas. Secundò dignitatis generalitas. *Excelsus.* Ait enim: Sic dixi, quòd Dominus regnauit, Dominus, inquam, qui sedet super Cherubim, quem si ignoras, dico, *ipse est Dominus magnus*, & hoc, *in Sion*, id est, in Iudæis per Sion intellectis, quæ erat principalior pars in eorum metropoli, scilicet in Ierusalem. *Psal.* Notus in Iudæa Deus, in Israël magnum nomen eius. Sion enim speculum, vel specula interpretatur, & signat animam Deum contemplantem, scientia diuinorum ad superna eleuatam. In hac Deus magnus est, & tam magnus, vt ad ipsum non possit attingere. *Iob* 6. Ecce Dominus magnus vincens scientiam nostram. 1. ad *Timoth.* 6. Lucem habitat inaccessibilem. *Psal.* Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, &c. *Et excelsus*, non tantum super aliquos, sed *super omnes populos*, scilicet super omnes Iudæos, imò certè & Gentiles. *Psal.* Excelsus super omnes Gentes Dominus, &c. Quamtumcumque videantur magni aliqui, & sapientes, super eos est. *Iob* 36. Ecce Dominus excelsus in sua fortitudine, & non est similis ei in legislatoribus. Quippe *Ioan.* 3. dicitur: Qui de cœlo venit, super omnes est. 2.

Confiteantur nomini. Hîc secundum primæ partis Psalmi huius: postquam enim præcessit prænuntiatio regni Christi, & regnantis descriptio, quantumcumque contrarij offendantur, hic subiungitur ipsorum inuitatio ad cultum & confessionem Christi: in quo dicuntur duo. Primò inuitatio. Secundò persuasio, ibi, *Quoniam terribile.* Dicit ergo: Sic regnauit Deus, quamtumcumque irascantur aduersarij, & moueantur: sed vtinam *confiteantur* ad veritatem conuersi, *nomini sancto tuo*, id est, ad honorem nominis sancti tui. *Nomini*, inquam, iam magno per famam & gloriam, qua dilatatum est vbique. Suprà in *Psal.* Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur, &c. Imò nomini quod benedictum est. *Dan.* 3. Benedictum est nomen gloriæ tuæ, quod est sanctum. Nomen excelsum. *Phil.* 2. Dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Nomen salutare. *Act.* 4. Non est aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat homines saluos fieri. Nomen glorioſum. *Isa.* 43. Adduxisti populum tuum, vt faceres tibi nomen gloriæ. 3.

Nominis Christi excellentia.

Quoniam terribile & sanctum est. Hîc persuasio: & dicuntur duo. Primò persuadet à maiestatis eius magnitudine, quasi à seueritate. Secundò à bonitate, ibi, *Et honor regis.* Dicit ergo:

Sic

Sic dixi, quòd confiteantur nomini ſancto tuo: & iuſtum eſt: *quoniam terribile & ſanctum eſt*, maieſtate. *Iob* 25. Poteſtas & terror apud ipſum eſt, qui facit concordiam in ſublimibus ſuis. *Pſal.* Tu terribilis es, & quis reſiſtit tibi? Quaſi dicat: Nullus.

Et honor. Ecce ſecundum, in quo commendatur à bonitate, & oſtenditur in duobus. Primò quia ad bonum afficitur, & diligit. Secundò quod aliis ipſum largitur & infundit, ibi, *Tu paraſti.* Quaſi diceret: Ita terribilis, in quo ſeueritas, in ipſos tuo nomine: & tam benignus es, quia *honor regis*, Chriſti ſcilicet, *diligit iudicium*, hoc eſt, quærit vt ei cum diſcretione ſeruiatur. Honorem autem appellat prædicationem de eo, & doctrinam *Pſal.* Iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit. Ad *Roman.* 2. Iudicium Dei ſecundum veritatem, non ſecundum adulationem.

4. *Tu paraſti directiones.* Hîc ſecundum, in quo oſtenditur bonitas, quia aliis bonum largitur: & tanguntur duo ſecundum duo bona, quæ dat. Primum eſt electio æterna. Secundum, finalis graria, ibi, *Iudicium & iuſtitiam.* Dicit ergo: Verè bonus, quia iudicium diligit: & etiam ô *tu* Domine *paraſti* ab æterno in tua prædeſtinatione, *directiones*, quibus electi ad te diriguntur. Prædeſtinatio enim eſt præparatio gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro. *Roman.* 9. Vaſa miſericordiæ præparauit in gloriam. Et bene dicit *directiones*: omnes enim torti facti ſunt per peccatum: ſed Deus præpauit directiones, vt recti efficerentur. *Cantic.* 1. Recti diligunt te. Hic directionem petebat qui dicebat: Deduc me Domine in via tua, & dirige me in ſemita recta perfectæ charitatis.

Duplex gratia ad ſalutem neceſſaria.

Iudicium. Hîc ſecundum, in quo dicuntur duo, ſecundum duplicem gratiam, quam largitur neceſſariam ad ſaluté. Prima eſt diſcretionis agendorũ, quæ appellatur *iudiciũ*. Secunda, operationis bonæ, & exequutionis, quæ dicitur *iuſtitia*. Ait enim: Sic paraſti directiones: & non pro nihilo: imò *tu feciſti iudicium*, id eſt, gratiam iudicandi & diſcernendi quod bonum eſt. Suprà in *Pſal.* Iuſtè iudicate filij hominum. *Et iuſtitiam*, gratiam perducendi ad effectum quod deliberatum eſt. Ad *Roman.* 8. Quos prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit, iudicium & iuſtitiam præbendo.

5. *Exaltate.* Hîc eſt ſecunda pars totius huius Pſalmi, in qua inuitat ſanctos præſentis Eccleſiæ, præſentis dico pro tempore ſuo, ad venerationem ſanctorum imitatione antiquorum patrum: & dicuntur duo ſecundum naturam duplicem in Chriſto. Primò ad naturam humanam in Chriſto venerandam inuitat. Secundò ad venerandam diuinam, ibi, *Exultate*, ſecundo loco poſitum. In prima dicuntur tria. Primò monet ad venerationem & ad orationem Chriſti in generali. Secundò ſpecificat, in quo velit eum venerari, ibi, *Et adorate.* Tertiò aſſignat cauſas, quare in hoc debeat venerari, ibi, *Quoniam ſanctum.* Dicit ergo: Sic in nobis operatur iudicium & iuſtitiam: ergo *exultate*, quantum ſcitis & poteſtis, *Dominum Deum noſtrum*, filium, qui propriè noſter eſt. *Eccleſ.* 43. Exultate eum quantum poteſtis: maior eſt enim omni laude. Vnde bene exaltandus eſt. Et etiam pro noſtra vtilitate, non pro ſua, quia in eodem, & in eundem exultantes replebimur virtute. Propter hoc dicit Dauid ſuprà in *Pſal.* Exultabo te Domine. Et infra ſimiliter.

Commouemur vt nomen Domini magnificare non deſinamus.

Et adorate ſcabellum pedum eius. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Dico, Exultate venerando, adorando, & etiam *adorate ſcabellum pedum eius*, eius ſcilicet humanitatem: Deus enim habet quaſi duos pedes, ſcilicet ſapientiã & virtutem, quibus quaſi quodammodo per creaturas diſcurrit: & Dei Filius eſt vtrumque. 1. ad *Corinth.* 1. Prædicamus Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam. Et hic habet *ſcabellum*, ſcilicet humanam naturam, quam pro nobis aſſumpſit, quæ terra eſt. *Iſa. vltim.* Cœlum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. Et hæc adoranda. *Iſa.* 40. Adorabuut veſtigia pedum tuorum.

Quoniam ſanctus eſt. Hîc tertium, in quo ponuntur rationes ſic adorandi, duæ. Primò ſanctitas ipſius adorati. Secundò dignitas, ſeu authoritas adorantium, ibi, *Moyſes & Aaron.* Dicit ergo: Sic dico, quod ſcabellum eius adoretis, & debetis, *quoniam ſanctus eſt*, qui in eo eſt, ſup. & cuius ſcabellum eſt: imò ſanctus ſanctorum. *Dan.* 9. Vel *quoniam ſanctum eſt*, ipſum corpus & humanitas Chriſti. *Luc.* 1. Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei. Suprà in *Pſal.* Tu autem in ſancto habitas, laus Iſraël.

6. *Moyſes & Aaron.* Hîc probat propter dignitatem antiquorum, qui iam adorauerunt, & vtilitatem: vnde duo dicuntur. Primò meritum adorantium antiquorum deſcribitur. Secundò præmium, ibi, *Domine Deus noſter.* In prima duo. Primò tangit meritum antiquorum, quantum ad fidé credendorum. Secundò quantum ad obedientiam, mandatorum, ibi, *Cuſtodiebãt teſtimonia.* In prima duo. Primò tangitur diuerſitas inuocantium, & ipſum in fide venerantium. Secundò modus venerandi, ibi, *Inuocabant Dominum.* In prima tria ſecundun tres ſtatus venerantium quos tangit. In Moyſe potentes, in Aaron ſancti, in Samuele ſapientes & dono prophetiæ illuſtrati. Dicit ergo: Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctus eſt, qui ſedet ſuper illud: vel quoniam ipſum eſt ſanctum: & etiam imitatione præcedentium. Quoniam Moyſes, qui priuilegium habuit poteſtatis, fecit enim ſigna & portenta in Ægypto à 7. *Exod.* vſque ad 14. Diuiſit mare rubrum, & populum tranſduxit in eodem, aquas dulcorauit in 15. & panem cœleſtem dedit populo 16. & multa alia. Ipſe tandem fuit, cui dictum eſt: Conſtitui te deum Pharaonis. *Et Aaron*, qui priuilegium ſanctitatis: fuit enim ſanctificatus. *Leuit.* 8. & alios ſanctificabat eiuſdem 14. de lepra, & in multis aliis locis. *In ſacerdotibus eius*, id eſt, in numero ſacerdotum. Sed hoc verum eſt de Aaron, de Moyſe autem non videtur: ipſe enim ſacerdos non fuit. Et eſt reſponſio ſecundum *Gloſſ.* quòd ſacerdos non fuit conſecratione & inſtitutione, ſed officio quodam digniſſimo. Si enim non obtulit carnales hoſtias, tamen obtulit pro populo frequenter ſpirituales, orans aſſiduè

Moyſes priuilegiũ habuit poteſtatis, Aaron ſanctitatis, Samuel prophetiæ.

aſſiduè Deum pro populo derelinquente. *Exod.* 17. In *Pſal.* ſuprà : Et dixit vt diſperderet eos, ſi non Moyſes.

Et Samuël , qui fuit in domo prophetiæ priuilegiatus. 1. *Reg.*3. Cognouerunt omnes à Dan vſque Berſabee , quòd fidelis Samuël propheta eſſet Domini. Samuël , quia fuit de tribu Benjamin , & quia ad tempus ſolum propter peccatum Heli , ſacerdos fuit , non ponitur inter ſacerdotes ſimpliciter , ſed inter inuocantes.

Thema pro concione ſynodali, Et nota , quod bonum thema eſt in ſynodo: quilibet enim ſacerdos debet eſſe Moyſes , aſſumptus ſcilicet ab aquis voluptatum , & diuitiarum , vt non maneat in illis. Et debet eſſe nutritus in aquis lachrymarum , vt ploret pro peccatis propriis , & ſubditorum , & in aquis ſcripturarum. Debet eſſe Aaron montanus , per viræ eminentiam , vt ſua conuerſatio ſit in cœlis. Ad *Phil.*3. Et ſoliditatem, vt non moueatur vento ſuperbiæ & inanis gloriæ. Debet etiam eſſe Samuël , petitus à Domino , & ab eo datus , ſicut Samuël fuit. 1. *Reg.* 1. Vt non ſit intruſus violenter , nec ambierit honorem ſacerdotij. Ad *Hebr.*5. Nemo aſſumat ſibi honorem , &c. Sit etiam Samuël, id eſt , audiens Dei , ſic enim interpretatur: audiens , inquam , illud *Luc.*6. Date, & dabitur vobis.

Forma inuocandi Deũ. *Inuocabant Dominum.* Hîc ſecundum , in quo ſubiungitur inuocationis modus , qui triplex tangitur. Primò , quòd deuotè inuocabunt , & reuerenter. Secundò , quòd vtiliter. *Et ipſe.* Tertiò quod fideliter , ibi , *In columna.* Dicit ergo : Sic Sancti honorabant Deum, & ipſi *inuocabant* , intus in corde vocabant, *Dominum* , quod eſt reuerentiæ & deuotionis. Ad ſic inuocandum inuitat *Iſa.* 55. Quærite Dominum dum inueniri poteſt , inuocate eum dum prope eſt. Et in *Pſal.* Inuoca me in die tribulationis. Et non fruſtrà & inutiliter, imo *& ipſe exaudiebat eos. Iſa.* 4. *Ioel.* 2. Et erit quicumque inuocauerit , id eſt , intus in corde ſuo vocauerit , nomen Domini , ſaluus erit.

7. *In columna nubis.* Hîc tertium. Quaſi diceret : Sic inuocabant reuerenter , & vtiliter : *&* ipſe *loquebatur ad eos* , non per ſemetipſum , & immediatè oſtendens ſuam eſſentiam & naturam , ſed *in columna nubis* , ſicut ad literam fiebat Moyſi *Exod.* 19. 20. & 24. Vel *in columna nubis* , hoc eſt , in figuris & ænigmatibus obſcuris, ſicut nubes eſt obſcura : in quo monſtratur fidelitas ipſorum , quoniam his , quæ aprte non videbant , fortiter credebant. In *Pſal.* Tenebroſa aqua in nubibus aëris. Vel *in columna nubis* , id eſt , in fide incarnationis Chriſti. Et poteſt ſumi *in* , pro *de.* Eius enim incarnatio fuit ſui in nube oſtenſio. *Iſa.* 19. Aſcendet Dominus ſuper nubem leuem. *Num.* 12. Deſcendet Dominus in columna nubis.

8. *Cuſtodiebant teſtimonia.* Hîc tangitur patrum præcedentium obedientia in agendis. Et primò in præceptis addito ſigno aliquo. Secundò in iuſſis ſimplici verbo. *Et præceptum.* Dicit ergo : Sic antiqui Deum venerabantur in credendis , & etiam *cuſtodiebant teſtimonia eius* , id eſt , præcepta eis data ſigno aliquo in teſtimonium , ſigno , inquam , hoc ipſum quod præcipitur monſtrante. *Pſal.* Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.

Et præceptum , ſimplici verbo iniunctum, *quod dedit illis :* aliter non poſſunt ingredi ad vitam. *Matth.*19. Si vis ad vitam ingredi,ſerua mandata : qui enim ſeruat & cuſtodit hæc, diligit : & qui diligit , vitam accipit. *Ioan.*14. Si diligitis me , mandata mea ſeruate. Et iterum : Si quis diligit me , mandata mea ſeruat , & ſic ſaluabitur , & Pater meus diliget eum , & ad eum veniemus. Dicit autem præceptum in ſingulari : quia totum in vno charitatis præcepto comprehendit. *Ioan.* 15. Hoc eſt præceptum meum , vt diligatis inuicem. Hoc autem cuſtodiendum eſt : quia pulchrum : dilectio enim pulchra eſt : dilectio Dei , & proximi in Deo. *Eccleſiaſt.* 24. Ego mater pulchræ dilectionis , &c. Quia leue eſt & ſuaue. *Matth.* 11. Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Et *Auguſt.* dicit : Tam leue , vt nullus ſe poſſit excuſare de portando , niſi mentiri velit. Quia delectabile. *Ioan.* 14. Si diligeretis me , gauderetis vtique. Et *Bernard.* dicit : Omnis amor dulcis eſt : ergo potiſſimè amor ſummi & dulciſſimi boni. Quia lucidum & illuminatiuum cordis. *Pſal.* Præceptum Domini lucidum , illuminans oculos. 1. *Ioan.*2. Vnctio , hoc eſt , charitas , docebit vos de omnibus. Quia nouum. *Ioan.* 15. Mandatum nouum do vobis , vt diligatis inuicem. Ita nouum , & ſemper placens ſicut noua. Ipſum enim eſt quod dicit *Eccleſ.* 24. Qui edunt me , adhuc eſurient. Quia forte & ſtrenuum. *Cantic.* 8. Fortis eſt vt mors dilectio , dura vt infernus æmulatio. Et tandem legis diuinæ , imò omnis boni conſummatiuum. Ad *Rom.*13. Plenitudo legis eſt dilectio. 1. ad *Timoth.*1. Finis præcepti eſt charitas. Propter hoc dicitur *Luc.* 10. Porro vnum eſt neceſſarium.

Præceptum Domini cuſtodiendum multiplici de cauſa.

Domine Deus noſter. Hîc ſecundum , in quo poſtquam tetigit meritum antiquorum patrum , tangit & præmium : & hoc duplex. Primò præmium quod reſpicit ad miſericordiam. Secundò quod ad iuſtitiam , ibi , *Et vlciſcens.* Primum duplex. Collatio gratiæ delentis culpam , & miſericordiæ relaxantis pœnam. *Deus tu propitius.* Dicit ergo:Sic cuſtodiebant teſtimonia & præcepta : & ô tu , *Domine Deus noſter , exaudiebas eos* , gratiam illis dando. *Iſa.* 53. Ad vocem clamoris tui ſtatim vt audierit , reſpondebit tibi. Et in 58. Tunc inuocabis , & Dominus exaudiet. Et ô tu, *Deus propitius fuiſti eis* , pœnam miſericorditer relaxando. *Ierem.* 5. Si inueneritis virum facientem fidem , hoc eſt , ſecundum quod fides requirit operantem , propitius ero ei. Imò teipſum feciſti eis propitiationem. 1. *Ioan.*1. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. 9.

Et vlciſcens. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic miſericordiam exhibes , tamen non ſine iuſtitia , imò *& vlciſcens es* , vt iuſtus inueniaris , hoc eſt , *in omnes adinuentiones eorum.* Alia litera , ſicut vult *Gloſſa* , habet , *affectiones* , & conſtat , malas : aliter enim Deus non vlciſceretur : quamuis enim non multum,

tamen ſancti peccabant. 1.*Ioan.*1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus. Et Deus vlciſcitur illas. *Pſal.* Deus vltionum Dominus, Deus vltionum, pro omiſſis & commiſſis. Hæc autem vltio ſaltem in hoc eſt, quod malis aliorum cruciantur. 2. ad *Cor.*11. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Et eſt talis vltio ex magna miſericordia. 2.*Machab.*6. Statim vltiones adhibere, magni beneficij indicium eſt. *Gregor.* Magna eſt miſericordia, in præſenti miſericordiam non conſequi.

9. *Exaltate Dominum.* Hîc ſecundum, in quo poſtquam monuit Chriſtum venerari in natura humana, hîc monet quod in diuina: & dicuntur tria. Primò monet vt naturam diuinam in Chriſto honorent & adorent. Secundò vbi adorare debent. *In monte.* Tertiò addit rationem, quare debent honorare, ibi, *Quoniam ſanctus Dominus.* Dicit ergo: Sic monui exaltare & venerari Chriſti humanitatem, ſed adhuc dico pro diuinitate: *Exaltate Dominum Deum noſtrum*, Chriſtum ſcilicet, *& adorate*, hoc eſt, ita quod adoretis eius diuinitatem corde, ore, & opere. *Baruch.* 4. Hic eſt Deus noſter, & non æſtimatur alius abſque eo: hunc adoremus. *Ioan.* 4. Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate.

Sed vbi? *In monte ſancto eius*, in Eccleſia ſcilicet, non conuentibus hæreticorum. *Deut.* 12. Caue ne offeras holocauſtum in omni loco, ſed in loco, quem Dominus Deus tuus elegerit, qui eſt mons Eccleſiæ. *Iſa.*2. Aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob. Et hæc eſt ratio, quare eſt adorandus: *quoniam ſanctus Dominus Deus noſter. Leuit.*11. Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum. Et 19. Ipſe autem eſt regula, & ſummum ſanctitatis. *Dan.*9. Sanctus ſanctorum: cui ſanctitati nos conformet, qui ſanctus eſt ab æterno, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

IN XCIX. PSALMVM.

1. *Pſalmus in confeſſione.*

2. *Pſalmus docet ingredi in regnum Chriſti per confeſſionẽ.*

IVbilate Deo omnis terra. Hic eſt Pſalmus 99. in toto libro, 49. in ſecunda parte libri. Cum enim in Pſalmo antecedenti inuectionem fecerit contra motos & iratos de regno Chriſti, & bonos inuitauerit exemplo antiquorum ſanctorum ad adorandum Chriſtum, hîc vlterius monet ad ingreſſum in regnum Chriſti, docens modum, quo poterunt eſſe de regno eius: quia per confeſſionem duplicem, peccati proprij, & laudis ipſius Chriſti, quarum prima pertinet ad imperfectos, ſecunda ad perfectos, & quaſi iam veniam aſſecutos de peccatis. Propter hoc bene dicitur in titulo Pſalmi: *Pſalmus in confeſſione*, id eſt, *Pſalmus* ſubiectus eſt *in confeſſione*, id eſt, de confeſſione, vt ſumatur propoſitio pro propoſitione.

Diuiditur autem Pſalmus in duas partes. Primò inuitat ad ſummam lætitiam in Deo, & ad eius ſeruitium omnes generaliter. Sed quia hoc non eſt niſi exiſtentium in regno Chriſti, ſecundò inuitat ad introitum in regnum, determinans introëundi modum, ibi, *Introite in conſpectu eius.* In prima duo. Primò inuitat ad ſummam lætitiam, quæ eſt iubilus, quaſi inuitans ad ſtatum contemplationis. Secundò ad ſeruiendum lætanter, quod reſpicit ad ſtatum actionis, ibi, *Seruite.*

Dicit ergo: Sic antiqui Sancti Chriſtum adorauerunt, vtramque naturam in illo venerantes: & propter hoc, ô *omnis terra*, continens pro contento, id eſt, omnes in terra habitantes, *iubilate*, vehementi lætitia exultate, *Deo*, id eſt, ad honorem Dei. Supra in alio *Pſal.* omnino idem: Iubilate Deo omnis terra, Pſalmum dicite nomini eius. *Sophon.* 3. Iubilia ſatis filia Ieruſalem: vt aſcendas ad contemplationis ſtatum, coniunctus Racheli pulcherrimæ, cum Iſraël. *Geneſ.*31.

Quod ſi non poteſtis, ſaltem *ſeruite Domino*, in operibus iuſtitiæ & miſericordiæ, & hoc, *in lætitia* ſpirituali & ſancta. *Luc.*2. Seruiamus illi in ſanctitate, & iuſtitia, ſcilicet in operibus iuſtitiæ & ſanctitatis: & hoc lætanter. *Eccleſ.*35. In omni dato hilarem fac vultum tuum. 2. ad *Corinth.*9. Non ex triſtitia aut ex neceſſitate, hilarem enim datorem diligit Deus. Bene autem eſt in lætitia ſeruiendum: quia ei ſeruire regnare eſt, & ſumma ingenuitas.

Introite in conſpectu. Hîc eſt ſecunda pars Pſalmi, in qua inuitat ad ingreſſum ad regnum, determinans ingrediendi modum: & ſecundum hoc dicuntur duo. Primò monet lætanter introire propriam conſcientiam: hoc enim primum volentibus intrare regnum Dei. Secundò Chriſti miſericordiam, ibi, *Introite portas.* In prima duo. Primò monet intrare propriam cenſcientiam, vbi Deus videt. Secundò oſtendit huius introitus vtilitatem, ibi, *Et ſcitote.* Dicit ergo: Sic monui vt Deo ſeruiatis in lætitia: quod ſi vultis, *introite in conſpectu eius*, id eſt, in conſcientiis, & cordibus veſtris. *Iſa.*46. Redite præuaricatores ad cor, vbi Deus videt. 1. *Reg.* 16. Homines vident ea quæ patent, Deus autem intuetur cor. Et *in exultatione*, vt intus conſcientia exultetis. *Iſa. vlt.* Serui mei laudabunt præ exultatione cordis.

Poſſet aliter legi, vt ſit tanquam fructus ſeruitij læti. Quaſi diceret: Monuit vos ſeruire in lætitia, & ſic *introite*, id eſt, introibitis, *in conſpectu eius in exultatione*, id eſt, videbitis eum in lætitia. *Iob* 36. Videbis faciem eius in iubilo. *Matth.* 25. Intra in gaudium Domini tui. Et 3.*Reg.*10. dicitur: Beati ſerui, qui aſſiſtunt in conſpectu tuo ſemper.

Scitote quoniam Dominus. Hîc ſecundum, in quo ſubiungit talis introitus fructum & vtilitatem. Primus eſt, quia cognoſcunt Chriſti diuinitatem. Secundus, quia diuinitatis poteſtatem. *Ipſe fecit nos.* Tertiò bonitatem, ibi, *Populus eius.* Dicit ergo: Sic monui vt intretis lætanter ad corda veſtra: *& ſcitote*, id eſt, & ſciatis, *quoniam Dominus*, IESVS, quem hominem videtis exterius. *Baruch.* 3. In terris viſus eſt, & cum homi

hominibus conuerſatus eſt. Quem crucifixiſtis. *Matth.* 27. *Marc.* 15. *Luc.* 23. *Ioan.* 19. *Ipſe eſt Deus. Bar.* 3. Hic eſt Deus, Deus noſter, & non æſtimabitur alius abſque eo.

Ipſe fecit nos. Hîc oſtendit potentiam diuinitatis, primò illam aſſerendo. Secundò remouendo quod poſſet eſſe dubium, cum addit: *Et non ipſi nos.* Ait enim: Sic ſcietis, *quoniam ipſe eſt Deus*, & etiam quoniam *ipſe fecit nos.* Ad *Epheſ.* 2. Ipſius factura ſumus. *Iſa.* 64. Opera manuum noſtrarum omnes nos. Quippe *Ioan.* 1. dicitur: Omnia per ipſum facta ſunt.

Sed ne dicas, quod patres noſtri nos faciunt, addit: *Et non ipſi*, fecimus, ſup. *nos:* alioqui ſicut draco mendaces erimus, qui dicit *Ezech.* 29. Ego feci meipſum. Sed verum diceret, ſi adderet, diabolum & peruerſum & malum. 2. *Machab.* 7. dixit bona mater ad filios: Neſcio qualiter in vtero meo apparuiſtis, nec enim ſpiritum & animam dedi vobis & vitam. Sed ne dicerent: Tu dediſti ſaltem corporis membra, addit: Et ſingulorum membra non ego ipſa compegi, ſed mundi creator qui formauit hominis natiuitatem, quique hominum inuenit originem.

Populus eius. Hîc oſtendit diuinitatis bonitatem in duobus. Primò in eruditione ſpirituali, qua regimur. Secundò in prouiſione neceſſariorum, quibus ſuſtentamur. *Et oues.* Ait enim: Sic ipſe fecit, quia ſumus, ſup. *populus eius*, quem ſua regit & conſeruat bonitate. *Iſa.* 60. Vocabunt eum populum ſanctum, redemptum à Domino.

Et oues paſcuæ eius, quas paſcit, & quibus in neceſſariis prouidet. Suprà in *Pſal.* ſimile omnino. Nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius. Et alibi: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit. *Ezech.* 34. In paſcuis vberrimis paſcam eam. *Ioan.* 10. Si quis per me introierit, egredietur, & ingredietur, & paſcua inuenier.

Introite portas eius. Hîc ſecundum, quod pertinet ad introducendi modum. Monuit autem intrare propriam conſcientiam, hîc diuinam miſericordiam, quam nomine portarum ſignificauit, ſicut vult *Gloſſa.* Ait enim: Sic ſi intraueritis ad corda veſtra, vos cognoſcetis eſſe oues eius: ergo ne lupus ſi extra manſeritis, vos rapiat & diſcerpat, *introite portas eius*, latas & ſpatioſas, ſcilicet miſericordiam, quæ dicitur portæ in plurali, propter effectuum miſericordiæ Dei multiplicitatem. *Introite*, inquam, *in confeſſione* peccati proprij: aliter non intrabitis, niſi peccata veſtra, tanquam xenia quædam Domino præſentetis. *Exod.* 23. Non apparebis in conſpectu meo vacuus. *Oſeæ vlt.* Tollite vobiſcum verba confeſſionis, ſup. & conuertimini ad Dominum, & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem. Peccata enim hœdi ſunt, quibus noſter Iſaac liberè veſcitur, ſi ei præſententur. *Gen.* 27.

Cõfeſſio peccatorum bona & mala.

Et nota, quòd eſt confeſſio peccati mala, cum qua non eſt intrandum, ſcilicet confeſſio hypocriſis, & ſimulationis, qualis fuit confeſſio Saulis. 1. *Reg.* 15. de qua dicitur *Iſa.* 29. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. Et coactionis, qualis fuit confeſſio Achan, quem coëgit ſors confiteri peccatum ſuum, & lapidatus eſt. *Ioſ.* 7. Fili confitere peccatum tuum, & da gloriam Deo. Deſperationis, qualis fuit Iudæ. *Matth.* 27. Peccaui tradens ſanguinem iuſtum, & abiens laqueo ſe ſuſpendit. Et Caini *Gen.* 4. Negotiationis, qualis eſt illorum, qui confitentur vt aliquid lucrentur. *Pſal.* Confitebitur tibi cum benefeceris ei.

Atria eius in hymnis. Ecce ſecunda pars ſecundæ partis totius huius Pſalmi: poſtquam enim inuitauit, ad ingreſſum in regnum Chriſti, hîc inuitat ad laudem, poſtquam fuerimus ingreſſi: & dicuntur duo. Primò inuitatio ad laudem poſt ingreſſum. Secundò perſuaſio, quòd acquieſcendum eſt inuitationi, ibi, *Quoniam ſuauis eſt.* In prima duo. Primò ad confeſſionem laudis inuitat. Secundò ad manifeſtationem laudis, vel continuationem, ibi, *Laudate nomen eius.* Dicit ergo: Sic intrate portas miſericordiæ confitendo, & etiam *confitemini illi*, confeſſione laudis, & hoc *in hymnis*, id eſt, in cantando: hymnus enim eſt, ſicut dictum fuit ſuprà, laus Dei cum cantico. Et hoc facite exiſtentes *in atria eius*, vel ſi non eſt, ita quod credimus deficere, repetendum eſt intrantes. Hæc atria intramus in confeſſione laudis tertia die. Prima dies eſt culpæ, ſecunda pœnitentiæ, tertia gloriæ. *Eſther* 4. Die tertia ſtetit Eſther in atrio domus regiæ. Et ibi confitebimur confeſſione laudis. *Pſal.* Hymnus omnibus ſanctis eius.

Item cõfeſſio laudis bona & mala.

Nota etiam hîc, quòd eſt confeſſio laudis mala, quæ ibi eſſe non poterit. Elationis, qualis confeſſio Phariſæi. *Luc.* 18. Gratias tibi ago Domine, quia non ſum ſicut cæteri hominum. Proditionis, de qua *Matth.* 22. Magiſter ſcimus, quia verax es, & viam Dei, &c. Adulationis, qualis regis Achis ad Dauid. 1. *Reg.* 29. dixit Achis ad Dauid: Scio, quia bonus es tu in oculis meis. Deriſionis, qualis fuit Iudæorum irridentium Chriſtum. *Matth.* 27. Aue rex Iudæorum. Coactionis, qualis fuit dæmonum Chriſtum confitentium. *Marc.* 1. Scio te quod ſis ſanctus Dei, veniſti ante tempus perdere nos.

Laudate nomen. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic monui confiteri confeſſione laudis, & ne credatis vos tantum debere laudare eum tunc, *laudate*, etiam nunc, *nomen eius*, vt continuetis laudem. Nunc enim habetis nomen, ſed tunc habebitis & nomen & rem. *Apoc.* 19. Laus & virtus Deo noſtro.

Quoniam ſuauis. Hîc ſecundum totius illius partis, in qua inuitat ad laudandum, ſcilicet perſuaſio, quòd ei ſit acquieſcendum. Et eſt ratio triplex, quare laudandum. Prima, Dei ſuauitas & bonitas. Secunda, ſuauitatis æternitas, ibi, *In æternum miſericordia.* Tertiò continuitas & nunc & in futuro, vel generalitas, ibi, *Et vſque in generationem.* Dicit ergo: Sic laudate, & confitemini confeſſione laudis, & debetis, *quoniam Dominus eſt ſuauis.* Infra in *Pſal.* Suauis Dominus vniuerſis. Suauis in ſe. *Sapient.* 12. O quàm bonus & ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus in nobis! Suauis Dominus in nomine & recordatione. Suprà in *Pſal.* Pallite nomini eius quoniam ſuaue.

Suaui guſtari. 1. *Petr.* 1. Si tamen guſtatis, quoniam ſuauis eſt Dominus. *Eccleſ.* 49. Memoria illius in omni re, quaſi mel indulcabitur. Suauis tactui. 2. *Reg.* 23. Ipſe eſt tenerrimus ligni vermiculus. Auditui, quia ipſe eſt verbum bonum, & ſuaue. *Eccleſ.* 6. Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos. Olfactui, quia *Eccleſ.* 49. Memoria Ioſuë, id eſt, IESV, in compoſitione odoris facta, opus pigmentarij. Viſui. 1. *Petr.* 1. In quem deſiderant Angeli proſpicere.

In æternum miſericordia. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic eſt ſuauis, & *miſericordia eius* manet *in æternum*. *Iſa.* 54. In miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui. Et hoc continuè & vniuerſaliter omnibus, quia *in generatione* præſenti, extendendo *in generationem* futuram. *Pſal.* Non eſt qui ſe abſcondat à calore eius, id eſt, miſericordia, & pietate. *Luc.* 6. Qui ſolem ſuum, ſolem miſericordiæ, facit oriri ſuper bonos & malos, & pluit, pluuiam miſericordiæ, ſuper gratos & ingratos, quam nobis infundat, qui eſt benedictus per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

IN C. PSALMVM.

Pſalmus ipſi Dauid.

1. *Pſalmus canit miſericordiã Dei & iudicii.*

Miſericordiam & iudicium. Hic eſt Pſalmus centeſimus, vltimus in ſecunda parte huius libri. Cum enim in præcedenti Pſalmo monuit ad exultationem & iubilationem introëuntes in regnum Chriſti, hîc ſubiungit, quid cantandum, & propter quid ei tunc iubilandum, quia propter miſericordiam, quam exhibebit bonis ſupra condignum remunerando, & malis citrà condignum. Et iudicium nihilominus, quod in malis exercebit, eos digna pœna puniendo, ſecundum illud *Iſa.* 27. In menſura contra menſuram, cum abiecta fuerit, iudicabis eam. *Luc.* 6. In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. Præponitur autem titulus talis: *Pſalmus ipſi Dauid*, id eſt, Chriſto, qui ſecundum regulam ſupra dictam deſignatur, eſt cantandus. Ipſe autem verè miſericors eſt, & verè iuſtus. *Pſal.* Miſericors & miſerator Dominus. Et alibi: Iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit.

Diuiditur autem Pſalmus in tres partes. Primò tangitur materia cantus, & modus, & ſtatus cantandi. Secundò latius explicatur ſtatus. Vel ſic, & melius. Primò promiſſio, quòd cantabit modo debito. Secundò probatio, quòd ſic erit, ibi, *Perambulabam.* In prima duo. Primò tangitur materia cantus. Secundò modus. *Pſallam, & intelligam.*

Dicit ergo: O Domine, *cantabo tibi*, hoc ſcilicet, *miſericordiam*, qua bonos remuneras ſupra condignum, & illis parcis: *& iudicium*, quo malos punis. Bene cantat Deo hæc duo, quia in *Pſal.* dictum eſt ſuprà: Duo hæc audiui, quia tibi Domine miſericordia, & tu reddes vnicuique iuxta opera ſua. Tibi miſericordia, quia dicis *Matth.* 9. Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Tibi iudicium cantandum, quia *Ioan.* 5. Omne iudicium dedit Pater Filio, vt omnes honorificent, &c. Hæc ſemper cantanda ſunt: quoniam hæc duo Deus opere ſuo coniungit. *Pſal.* ſurpà: Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas. Hæc duo à nobis requirit. *Mich.* 6. Indicabo tibi ô homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: Vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam. Bene autem miſericordiam præponit iudicio, quia *Iacob.* 2. dicitur: Miſericordia ſuperexaltat iudicium.

Et nota, quòd quidam cantant Deo tantum iudicium, ſcilicet deſperantes. *Amos* 6. Conuertiſtis in amaritudinem iudicium, dulcedinem miſericordiæ ab eo non ſperantes. Quidam cantant tantum miſericordiam, ſcilicet præſumentes, & dicentes illud: Nunquid in æternum proiiciet Deus, & non apponet vt complacitior ſit adhuc? Alij neutrum, obliuioſi & ingrati, de quibus in *Pſal.* Obliti ſunt beneficiorum eius. Et rurſus quantum ad iudicium. Auferuntur iudicia tua à facie eius. Alij vero vtrumque, grati & ſecuri. *Pſal.* quantum ad miſericordiam: Miſericordias Domini in æternum cantabo. Et alibi quantum ad iudicium: Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ.

2.

Pſallam & intelligam. Hic ſecundum, in quo ſubiungit cantandi modum, quia dupliciter, adiuncta hilaritate boni operis, & deuotione cordis. *Et intelligam.* Vbi tangit & cordis deuotionem & attentionem. *Intelligam.* Et deuotionis materiam, vel cauſam. *In via immaculata.* Dicit ergo: Sic cantabo, ſed quomodo cantabis? *Pſallam*, in hilaritate bona faciam. Scio enim, quòd aliter non placet cantus niſi manu miniſtretur, ſed magis diſplicet: & propter hoc cum cantu agenda bona. *Eccleſ.* 22. Muſica in luctu, in operibus luctu dignis, importuna narratio. *Eccleſ.* 35. In omni dato hilarem fac vultum tuum. 2. ad *Cor.* 9. Hilarem datorem diligit Deus. *Et intelligam*, exiſtens *in via immaculata.* Quid intelligam? hoc, *quando venies ad me*, per gratiam, vel in morte mea iudicaturus me, & miſericordiam exhibiturus.

Qui bene operatur, intelligit quid ſibi vtile eſt.

Bene verum dicit. Qui enim bene operatur, intelligit quid ſibi vtile eſt. In *Pſal.* infrà: A mandatis tuis intellexi. Et alibi: Intellectus bonus omnibus facientibus eum. Propter hoc dicitur *Eccleſ.* 37. Anima viri ſancti enuntiat aliquando vera, quàm ſeptem circumſpectores ſedentes in excelſo. Nec eſt contrarium, quod dicitur *Iob* 11. Si venerit ad me, non videbo eum: & ſi abierit, non intelligam. Et illud *Ioan.* 3. Spiritus vbi vult ſpirat, & neſcis vnde veniat, &c. hoc enim per naturam verum eſt: ſed quantum de illuminatione ſuperna, quam meremur pſallendo, & innocenter viuendo, datur intelligentia, & ſentitur aduentus gratiæ ad animam, & receſſus. E contrario autem mundanis inuoluti & peccatis, non intelligunt. 1. ad *Corinth.* 2. Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. *Caſſianus*, Impoſſibile eſt animam, quæ mundanis diſtenſionibus, vel tenuiter occupatur, donum ſcientiæ promereri, vel genitricem fieri ſpiritualium ſenſuum, vel tenacem fieri ſacrarum lectionum. Fœlix qui intelligit

ligit aduentum eius, ad ſe in morte venientis. *Luc.* 12. Eſtote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet. *Apoc.* 1. Ecce venio cito, & merces mea mecum.

Perambulabam in innocentia. Hìc ſecundum, in quo ſubiungitur probatio, quòd verè taliter cantabit, & in tali ſtatu, ſcilicet innocentiæ, oſtendendo in ſe veram innocentiam: & dicuntur hæc in perſona generalis iuſti. Duo ergo dicuntur. Primò oſtendit innocentiam ſuam abſolutè in ſe. Secundò in comparatione ad alios, ibi, *Facientes præuaricationes.* In prima duo ſecundum duo in quibus eſt innocentia vera in ſe abſolute. Primò quia in bono continuè profecit. Secundò quia à malo ſollicitè ſibi cauit, ibi, *Non proponebam.* In prima duo. Primò profectus in bono opere, cum perſeuerantia in profectu. Secundò cum tranquillitate mentis, ibi, *In medio.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd pſallam exiſtens in via immaculata, & verè exiſtens in illa, quia *perambulabam*, in bono ſemper proficiendo manens, ſup. *in innocentia cordis mei.* Ecce profectus cum perſeuerantia. Talem quærit Deus. *Gen.* 12. dixit ad Abraham, Ambula coram me, & eſto perfectus. Talem remunerat gloriosè. *Pſal.* Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia. Suprà in *Pſal.* Quis aſcendet in montem Domini, &c. ſtatim ſubiungitur: Innocens manibus, & mundo corde. *Iob* 22. Saluabitur innocens, ſaluabitur autem munditia manuum ſuarum. Perambulabam, inquam, tranquillus & pacificus, *in medio domus meæ*, id eſt, cordis, dicit *Gloſſa. Sap.* 8. Intrans in domum meam, conquieſcam cum illa. Et *Eccleſ.* 27. Præcurre precor in domum tuam, & ibi lude, & age conceptiones tuas.

Ab hac domo expellunt miſeros homines tria, ſicut habetur *Prou.* 27. Fumus, id eſt, ſuperbia, quæ in altum ſe eleuat, & inanis fit. Stillicidium, carnalis concupiſcentia, quæ quaſi guttando totum conſumit. Et vxor mala, auaritia, quæ diſcurrere, & acquirere iniuſtè cogit.

Nota, quòd eſt innocentia iniquitaris, quæ eſt in illis, qui volunt malum facere, ſed non datur facultas. Et eſt innocentia impoſſibilitatis, in illo qui nec poteſt velle nocere, ſicut in paruis. Et etiam voluntatis. Et nota hic, quòd eſt innocentia inchoans, quando homo poteſt ſi vellet diligenter procurare, malum facere, & non facit. *Eccleſ.* 15. Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus. Et eſt innocentia proficiens, quando data occaſione mali homo refugit, cuius exemplum dedit Dominus, quando vocatus ad regnum fugit. *Ioan.* 6. Et eſt innocentia perfecta, quando etiam trahitur ad malum, & quaſi cogitur, & tamen renuit. Hæc eſt innocentia Ioſeph. *Gen.* 39.

Triplex gradus innocentiæ.

3. *Non proponebam.* Hìc ſecundum, in quo eſt vera innocentia, ſcilicet in perfecta cautela contra malum. Ait enim: Sic perſeueranter profeci in bono, & etiam *non proponebam*, hoc eſt, cum propoſito ponebam, etſi ſurriperet, *ante oculos meos*, oculos, inquam, cordis, *rem iniuſtam.* Hoc eſt dictu, ei quod eſt iniuſtum, non conſentiebam. *Iob* 31. Pepigi fœdus cum oculis meis non corporalibus, ſed ſpiritualibus: quod patet per hoc quod ſequitur, Vt ne cogitarem quidem de virgine, cogitatione ſcilicet affectata: de alia enim non poteſt intelligi: hoc enim ipſum dicendo, neceſſariò de virgine cogitabat.

Facientes præuaricationes. Hìc ſecundum totius ſecundæ partis Pſalmi, in quo oſtendit innocentiam ſuam comparatione ad alios: in quo dicuntur tria. Primò deteſtatio malorum, & quaſi elongatio à ſe. Secundò bonorum aduocatio contra ſe, ibi, *Oculi mei.* Tertiò ſic ſeparatis malis, & adiunctis bonis, tandem malorum deſtructio, ibi, *In matutino.* In prima duo. Primò deteſtatio malorum in opere. Secundò malorum in corde. *Non adhæſit.* Tertiò malorum in ſermone, ibi, *Detrahentem.* Dicit ergo: Sic quantum eſt in me, & ad me, innocens fui, & etiam quantum ad alios: quia *facientes præuaricationes*, legis ſcilicet tranſgreſſores, *odiui*, non homines. *Pſal* Odiſti omnes qui operantur iniquitatem, inquantum ſunt tales. Et alibi: Iniquos odio habui, non naturas iniquorum. In *Pſal.* Odiui Eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo. *Sap.* 11. Nihil odiſti eorum, quæ feciſti.

Non adhæſit mihi. Hìc deteſtatio malorum corde. Et primò malorum in volendo, quod malum eſt morum. Secundò in errando, in his quæ ad fidem pertinent, ibi, *Declinantem.* Dicit ergo: Sic odiui opere delinquentes, & etiam corde, quia *non adhæſit mihi*, per amorem, qui duo vnum efficit. 1. ad *Cor.* 6. Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt, *cor prauum*, habens ſcilicet voluntatem prauam aliud appetentem & volentem quàm velit Deus. *Ierem.* 17. Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Et bene dicit, quia mali aliquando ſibi inuicem fortiter cohærent. *Iob* 41. Corpus eius, Behemoth ſcilicet, compactum ſquamis ſeſe prementibus: vna vni coniungitur, vt nec ſpiraculum poſſit per eas incedere. 4.

Declinantem. Hìc ſecundum. Quaſi diceret: Sic non adiunxit ſe mihi cor prauum, & etiam *declinantem à me*, id eſt, à mea fide, *maligum*, hæreticum propter quem dicitur 1. *Ioan.* 5. Totus mundus in maligno poſitus. *Ierem.* 6. Omnes iſti principes declinantes, ambulantes fraudulenter. *Non cognoſcebam*, ita omnino abiiciebam, ac ſi non cognoſcerem. *Matth.* 7. Non noui vos. Ad *Tit.* 3. Hæreticum hominem poſt primam aut ſecundam correctionem deuita.

Detrahentem ſecreto. Hìc deteſtatio malorum ore. Ait enim: Sic malos opere odiui, & malos corde: & etiam *detrahentem*, ſermone non aperto, quia falſa non citò in aperto dicuntur, ſed *ſecretò proximo ſuo.* Vel ob hoc dicit ſecretò, quia ſi talem perſequebatur, qui detrahit in ſecreto, multò fortius in aperto detrahentem. *Hunc perſequebar*, tanquam ſerpentem venenoſum. *Eccleſ.* 11. Sicut ſi mordeat ſerpens in ſilentio, nihil minus habet qui occultè detrahit. *Prou.* 6. Sex ſunt quæ odit anima mea, & vltimum eſt, Qui ſeminat inter fratres diſcordias. Ad *Rom.* 1. Detractores Deo odibiles. Nec ſolum Deo, imò hominibus. *Prou.* 18. Abominatio hominum detractor. *Eccleſ.* 28. Suſurro, & bilinguis maledictus erit. 5.

Fugienda malorum consortia.

Superbo oculo. Hîc secundum, in quo monstrat se vehementer detestari malorum consortium, quia nec ab eis necessaria accipere voluit. Et in *superbo* intelligitur vna radix peccatorum. In hoc quod addit, *Insatiabili corde*, duplex alia, scilicet concupiscentia oculorum, quæ respicit ad auaros, & concupiscentia carnis, quæ ad luxuriosos. Ait enim: Sic detestatus sum malos, & etiam cum hoc, scilicet cum *superbo oculo*, modus est loquendi. *Isa.* 2. Oculi sublimis hominis humiliabuntur. *Prou.6.* Oculos sublimes detestatur Dominus. *Et* cum *corde insatiabili*, id est, auaro & cupido. *Eccl.*13. Insatiabilis oculus cupidi. *Eccles.*5. Auarus non implebitur pecunia. Corde etiam insatiabili, id est, luxuriosus. *Hieron.* super illud *Oseæ* 4. Forniati sunt, & non cessauerunt. Voluptas insatiabilis & habita, famem, non saturitatem parit. Propter hoc dicitur *Prou.* 29. de auaritia & luxuria: Sanguisugæ duæ sunt filiæ, quæ dicunt, Affer, affer.

Cum hoc non edebam, etsi me inuitaret, attendens illud *Prou.*23. Noli esse in conuiuiis peccatorum. Et *Prou.* 24. Noli esse cum homine inuido. 1. ad *Corinth.* 5. Si quis fornicator est aut auarus, cum huiusmodi nec cibum sumere. Nec est contrarium quod ipse Dominus comedit cum peccatoribus *Matth* 9. & *Luc.*7. Intelligitur enim hîc de nutritione, & consortio nutriendi eos in peccato, ibi autem intentione reuocandi eos à peccato fiebat comestio. Nec dicit se refutasse eorum consortium in comestione quantum ad locum, sed quantum ad modum.

6. *Oculi mei.* Hîc secundum, postquam ostendit se malos detestatum fuisse, ostendit se bonos attraxisse, & coniunxisse sibi. Et primò ostendit quos habuerit socios. Secundò quos subiectos, ibi, *Ambulans.* Dicit ergo: Hos detestatus sum, & odiui: sed *oculi mei*, desideria scilicet cordis mei, & affectiones, erant, sup. vel sunt *ad fideles terræ*, non ad principes, & episcopos, & potentes, sed fideles, etsi paupe-res. *Psal.* Oculi eius in pauperem respiciunt. *Sap.*4. Et respectus in electos illius.

Et dicit fideles terræ, quia terra sunt. *Gen.*3. Terra es, & in terram ibis. Et in terra degunt. *Bernard.* Mirabilis est coniunctio fidei cum humano corde, virginitatis cum matre, diuinitatis cum humanitate.

Sed ad quid respicis ad tales? *Vt sedeant mecum*, socij & collaterales mensæ, vt possim dicere illud *Iob* 31. Si comedi buccellam meam solus, malè mihi accidat. *Sedeant*, inquam, *mecum*, non ego super eos, quamuis maior inter eos. *Eccles.*33. Rectorem te posuerunt, esto in illis quasi vnus ex ipsis. Sedeant etiam mecum in fidei vnitate & charitate omnes fideles de mundo, & tandem in remuneratione in regno cœlestis patriæ. Hoc exponit *August.* de illa sessione in iudicio ad iudicandum, de qua *Matth.*19. Amen dico vobis, quod vos qui secuuti estis me, sedebitis, &c. vt sint verba Christi, & sic videtur relinquere, quod soli tales appellandi sunt fideles.

Ambulans. Ecce secundum, quos habuit subditos & ministros, & describit eos à triplici virtute. A continentia, ab humilitate. *Non habitabit.* Et à concordia & pace. *Qui loquitur.* Dicit ergo: Tales habui socios, & etiam *ambulans in via immaculata*: abstinentiæ & continentiæ, & per hoc beatus. *Psal.* Beati immaculati in via. 3. *Reg.*10. Beati serui tui, & beati viri tui: *hic mihi ministrabat*, in signum meæ munditiæ. *Eccles.* 10. Secundum iudicem populi, sic & ministri eius.

7. *Non habitabit.* Hîc secundum. Quasi diceret: Sic ministrat mihi immaculatus: sed quia vitæ munditia aliquando superbiam generat, dico, *Non habitabit in medio domus meæ*, in qua ad literam sunt serui Domini in cameris, *qui facit superbiam. Psal.* Neque habitabit iuxta te malignus, nec permanebunt, &c. Vel domum dicit cor proprium. Quasi diceret: Non habitabit in corde meo, quod domus mea est. *Sapient.*7. Intrans in domum meam, conquiescam cum illa. Et *Eccles.* 22. Præcurre prior in domum tuam.

Si autem loquitur Christus, de domo duplici verum dicit, de Ecclesia scilicet militante, in qua non manet per perseuerantiam, qui facit superbiam: si enim ad modicum sint in illa, citò redeunt ad peccata: & sic non habitant. *Luc.*8. Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Et sunt extrà. Hæc domus, de qua *Prouerb.* 9. Sapientia ædificauit sibi domum. Et domo iam triumphante in cœlo, de qua *Baruch.*3. O Israël quàm magna est domus Domini! In qua non habitabit superbus. *Apocalyps. vlt.* Foris canes, & venefici, & omnis qui facit superbiam. Et eiectus conculcabitur penitus. *Isa.*31. Pedibus conculcabitur corona superbiæ Ephraim.

Qui loquitur. Ecce tertium. Quasi diceret: Sic mihi ministrat mundus, humilis, & pacificus, qui non seminat discordias, nec durè aliis saltem loquitur, *& iniqua*, quia *qui loquitur iniqua*, detrahendo aliis, & malitiosa perferendo, *non direxit*, id est, non profecit, nec placuit, *in conspectu oculorum meorum*: etsi fortè aliis placuerit: imò à conspectu meo ilum statim proieci, sciens illud *Eccles.* 29. Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios. Et illud *Psal.* Vir linguosus non dirigetur in terra.

Prælati debent habere compositam familiam.

Audiant hæc Prælati: debent enim habere compositam familiam valde. *Seneca.* Compositus miles, compositam debet habere familiam, & castam, sicut hîc dicitur, & *Exod.*3. legitur, quòd Dominus voluit occidere Moysen, quia habebat familiam incircumcisam. *Genes.* 17. Præcepit Dominus Abrahæ, vt non ipse tantum, sed omnes de domo sua circumciderentur, tam vernaculi, quam emptitij. Ipsi etiam principes gentium solent habere eunuchos seruientes sibi, habitu & gestu humiles, sicut dicitur hic. Et Dominus talem elegit. 1. ad *Corinth.* 1. Infirma mundi elegit vt confunderet fortia, & ignobilia & contemptibilia, vt non glorietur omnis caro coram eo. Maturam ætate & moribus grauem: quia *Iob* 12. In antiquis est sapientia. Et in *Psal.* In populo graui, familia scilicet moribus honesta, laudabo te. *Bernard.* Desistant Episcopi comatos pueros & comptos secum habere: certe inter mitratos discurrere calamistratos non decet, id est, domum

mum Epiſcopi decet ſanctitudo, decet honeſtas ſacerdotum, decet modeſtia, domeſtici autem cæteris honeſtiores, aut omnibus fabula ſunt.

8. *In matutino.* Hîc tertium totius huius partis, in qua oſtendit innocentiam ſuam comparatione ad alios. Poſtquam enim oſtendit ſe deteſtatum fuiſſe malos, & bonos aduocaſſe, hîc tertiò etiam oſtendit ſe etiam occidiſſe & deſtruxiſſe malos: in quo dicuntur duo. Primò, quòd deſtruxit malos. Secundò ad quid, *vt diſperderem.* Dicit ergo: Sic malis repulſis, adhæſi bonis: & quid plus? *In matutino*, id eſt, în cognitione veritatis, & poſt diſcuſſionem cauſæ diligentem, *interficiebam omnes peccatores terræ*, ad literam, non in nocte. *Geneſ.*18. Deſcẽdam,& videbo &c. *Iob* 29.Cauſam quam neſciebam, diligentiſſimè inueſtigabam. Vel *interficiebam*, in bono in quantum peccatores erant, vt iam peccatores non eſſent. *Prou.* 12. Verte impium, & non erit. Exhortatione ſimplici, ſicut Samſon in mandibula aſini multa millia Philiſtinorum occidit. *Iud.*15. Et in me peccatores, dæmonum ſcilicet ſuggeſtiones, quas peccatores appellat cauſaliter, quia homines efficiunt peccatores, *interficiebam*, annihilabam, *in matutino*, id eſt, in initio. Dies enim mala eſt tentatio, cuius mane eſt initium tentationis. De hac *Iob* 3. Pereat dies in qua natus ſum. Et *Ierem.* 20. Maledicta dies in qua natus ſum.

Diabolicæ tentationes in ipſis initiis debent eiici.

Vel in matutino gratiæ: cum enim incipit in corde gratia relucere, tunc per confeſſionem occiduntur omnes ſuggeſtiones diabolicæ. *Exod.* 14. Iam aduenerat vigilia matutina, & reſpiciens Dominus per columnam ignis & nubis ſuper caſtra Ægyptiorum, exercitum eorum deſtruxit, & rotas curruum ſubuertit. Sic & Chriſtus in matutino, quando illucere incipiet dies æternitatis, de qua in *Pſal.* Melior eſt dies vna in atriis tuis, interficiet peccatores morte æterna. *Exod.* 15. Interficiet eos manus mea.

Vt diſperderem. Ecce ſecundum, ſcilicet quare interficiebam. *Vt diſperderem*, deorſum perderem, *de ciuitate Domini*, de Eccleſia militante, quantum in me erat. Hæc eſt ciuitas de qua *Eccleſ.*9. Ciuitas parua, & pauci in ea viri. Vel de triumphante, quæ eſt ciuitas illa, de qua in *Pſal.* Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei. *Omnes operantes iniquitatem. Apocal.*21.Non intrabit in illam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens. *Iſa.*35. Non tranſibit pollutus per eam. *Apoc.vltim.* Foris canes, & venefici, & idolis ſeruientes, & omnis qui amat & facit mendacium, relictis ſanctis & filiis Altiſſimi, de quorum numero nos faciat, qui eſt benedictus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

IN CI. PSALMVM.

1. *Oratio pauperis cum anxiaretur, & in conſpectu Domini effudit precem ſuam.*

2. DOmine exaudi orationem. Hic eſt Pſalmus in toto libro 101. & primus in 3. parte libri. Cum enim ſicut in principio libri dictum fuit, prima quinquagena propriè reſpiciat ad ſtatum incipientium, ſecunda verò ad ſtatum proficientium, & tertia ad ſtatum perfectorum, ſtatus autem perfectorum ſit in contemplatione & deſiderio æternorum contemptis omnibus temporalibus rebus & mobilibus, hic autem ſtatus incipiat ab oratione & paupertate, oratione, inquam, pro præſenti miſeria auferenda, vel ſaltem comprimenda, optimè hic Pſalmus primus eſt in hac tertia quinquagena. Agitur enim in hoc Pſalmo, ſicut vult titulus, de oratione pauperis anxiati: ſic enim habet titulus: *Oratio pauperis cum anxiaretur, & in conſpectu Domini effudit precem ſuam*, ſecundum illud 1.*Reg.*1. Omne vinum, & omne quod inebriare poteſt, non bibi, ſed effudi animam meam in conſpectu Domini. Et *Thr.*2. Conſurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum: effunde ſicut aquã cor tuum in conſpectu Domini. Et eſt quintus in Pſalmis Pœnitentialibus. Primus enim reſpondet contritionis cordis, ſecundus confeſſioni oris, tertius verò cum aliis ſequentibus ſpectat ad ſatisfactionem operis, quæ conſiſtit in paſſione voluntaria aduerſitatum vel tribulationum, vel illatarum ab aliis: ſic in tertio, vbi dicitur, In flagella paratus ſum: vel ſibiipſi à ſeipſo inflictarum: ſic in quarto: vel immiſſarum à Deo: ſic in iſto: vel in bona habitudine ſui ad proximum: ſic in ſequentibus duobus: De profundis. &, Domine exaudi orationem.

Tertia quinquagena ad perfectos pertinet.

Argumentũ Pſalmi, lamentatur præſentis ſæculi miſeriã

Diuiditur autem hic Pſalmus in duas partes principaliter. In prima enim orando, conquerendo agit de defectu humanæ mortalitatis. In ſecunda de ſtatu æternitatis & ſtabilitatis, ad quam tranſimus per Chriſtum, ibi, *Tu autem Domine.* In prima duo. Primò orat tangendo in vniuerſali humanam miſeriam, & mutabilitatem. Secundò ſpecificat per partes, quanta ſit humana mutabilitas, & miſeria, ibi, *Quia defecerunt.* In prima duo. Primò petit vt exaudiatur. Secundò oſtendit modum, quo vult exaudiri, ibi, *Et clamor.*

Dicit ergo: *Domine*, quia potes, *exaudi*, ad effectum audi, vel in exitu de corpore, vel de mundo, *audi*, tunc enim tempus eſt, *orationem meam. Iudith* 1. Deus creator totius creaturæ exaudi miſeram deprecantem, & de tua confidentem miſericordia.

Et clamor meus. Hîc ſubiungit modum quo velit exaudiri, quadruplicem, quia à Deo ipſo propriè & ſpecialiter, & ab ipſo benigniter. *Ne auertas.* Et tertio, quòd vniuerſaliter quandocumque clamauit, ibi, *In quacumque die tribulor.* Et velociter, ibi, *In quacumque die inuocauero te.* Dicit ergo: Sic rogo vt exaudias orationem, non per Angelum, quem des mihi adiutorem: ſed *clamor meus*, & cordis, & oris, *ad te* ipſum *veniat*, non ad alium. *Pſal.* Clamauerunt iuſti, & Dominus, ipſe, non alius exaudiuit eos. Et alibi: Et clamor eius in conſpectu eius, introiuit in aures eius. *Eccleſiaſt.* 11. Clamor pauperis, vſque ad aures venit.

Non auertas faciem. Hîc tertium. Quaſi diceret: Et ſi audis ipſemet, *non auertas*, tanquam indignans & iratus *faciem tuam*, ſed 3.

benignè conuertas illam ad me. *Pſal.* Non auertas faciem tuam à puero tuo. *Thren.*3. Vocem meam audiſti, non auertas faciem tuam à ſingultu meo, & clamoribus. Dominus enim aliquando auertit ab hominibus faciem. *Ierem.*15. Non eſt anima mea ad populum iſtum, eiice illos à facie mea. Et 18.Dorſum,& non faciem oſtendam eis.

In quacumque. Ecce tertium. Quaſi diceret: Sic exaudi per teipſum & benigniter, & etiam *in quacumque die tribulor*, qui infrà ſum, *inclina ad me*, clamantem, *aurem tuam*, qui es ſurſum. *Auguſt.* Tribulor deorſum, tu autem es ſurſum. *Ioan.*8. Vos de deorſum eſtis, ego autem de ſupernis ſum. *Iſa.*36. Inclina Domine aurem tuam. Et ita faciet: Dominus enim libenter audit tribulatum. *Ion.*2. Clamaui ad Dominum de tribulatione, & exaudiuit me.

In quacumque die. Hîc quartum. Quaſi diceret: Sic exaudi velociter tribulatum, & *in quacumque die inuocauero te*, id eſt, intus vocauero te, *velociter exaudi me*, ſine dilatione, quod & facis. *Eccleſ.*2. Quis inuocauit Dominum, & confuſus eſt? Etſi non fortè velociter deſideriis, velociter tamen meritis. *Iſa.* 30. Ad vocem pauperis, ſtatim vt audierit, reſpondebit ei. *Iſa.penult.* Et erit, antequam clament, ego audiam: adhuc illis clamantibus, ego exaudiam.

4. *Quia defecerunt.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit quaſi ſpecificando, humanæ miſeriæ quantitatem: & dicuntur tria. Primò ſpecificat lamentando miſeriam afflictionis, comparatione ad carnem & corpus proprium. Secundò miſeriam paupertatis comparatione ad mundum, ibi, *Similis factus.* Tertiò miſeriam abiectionis, ibi, *Tota die contriſtatus.* In prima tria, ſecundum tria, in quibus humanum genus deplorat. Primò oſtendit lamentando defectum debilitatis, quoad robur. Secundò mortalitatis, ibi, *Percuſſus ſum.* Tertiò ignorantiæ & cæcitatis, ſeu erroris, ibi, *A voce gemitus.* In prima duo. Primò tangit defectum debilitationis, quantum ad euaporationem & euaneſcentiam. Secundò quoad conſumptionem, ibi, *Et oſſa mea.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd tribulor, propter quod peto exaudiri & bene, quia *dies mei defecerunt.* Metonymia eſt, ego in diebus meis exiſtens, & vita mea defecit per euaporationem, *ſicut fumus. Sap.* 5. Omnia illa tranſierunt tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt. *Pſal.* Deficientes,quemadmodum fumus defecerunt. *Iacob.*4. Quid eſt vita noſtra? Vapor eſt ad modicum parens.

Et oſſa mea. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic affligor euaneſcendo tanquam fumus & etiam *oſſa mea aruerunt*, humore deficiente, *tanquam cremium*, quod dicitur à cremo cremas. *Pſal.* Aruit tanquam teſta virtus mea, & oſſa mea conturbata ſunt. *Luc.*21. Areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione, &c. Vel ex compaſſione. 2. ad *Cor.*11. Quis ſcandalizatur,& ego,&c. Vel ex timore gehennæ. *Gen.*29. Æſtu vrebar & gelu.

5. *Percuſſus ſum.* Hîc ſecundum, in quo monſtratur defectus mortalitatis. Primus in ſeparatione animæ à corpore. Secundus, deſiccatio ab humore gratiæ, ibi, *Et aruit cor meum.* Tertiò ratio vtriſque, ſcilicet contemptus boni æterni, ibi, *Quia oblitus ſum.* Dicit ergo: Sic deficio, quantum ad debilitatem, & etiam *percuſſus ſum*, in infirmitate, *vt fœnum*, & mortuus ſuum, id eſt, mortalis factus ſum. *Iſa.*40. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos fœni.

Et aruit. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic mortalis ſum, & ab humore gratiæ deſiccatum eſt *cor meum. Num.*11. Anima noſtra arida eſt. *Ioan.*15. Mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & in ignem mittent, & ardebit.

Et hæc omnia: *Quia oblitus ſum comedere panem meum*, multiplicem panem. Primò panem materialem: qui enim obliuiſcitur comedere panem ſuum, & ſemper vult comedere alienum, aridus efficitur à gratia Dei. De hoc enim pane dicitur *Gen.* 3. In ſudore vultus tui veſceris, &c. Hunc enim panem comedit, cui quod habet ſufficit. Item panem multiplicis gratiæ, quem debemus comedere, de quo in *Pſal.* Pauperes eius ſaturabo panibus,multiplicis gratiæ: hunc enim panem comedimus,quando multiplicis gratiæ operibus nos ipſos exercemus. Item doctrinæ quam debemus quotidie ruminare, de quo *Eccleſ.*9. Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas, & poſt tempora multa inuenies eum. Hunc comedimus,quando audita memoriæ commendamus. Item Euchariſtiæ, qui obliuioni non debet tradi, de quo *Sap.*16. Panem de cœlo præſtitiſti eis, habentem in ſe omne delectamentum & omnem ſaporis ſuauitatem. Hunc comedimus, quando cum deliberatione firmiter credimus. *Auguſt.* Crede, & manducaſti. Et pœnitentiæ, quem cito obliuioni tradimus, de quo in *Pſal.* Cibabit nos pane lachrymarum, & potum dabit nobis in lachrymis in menſura. Hunc comedimus, quando opera miſericordiæ amplectimur. Beatudinis æternæ,qui valdè eſt appetendus,de quo *Eccleſ.* 15. Cibauit illum pane vitæ & intellectus. Et *Luc.*14. Beatus qui comedit panem in regno Dei. Hunc aliquo modo comedimus, quando orationi vacamus.

Panis multipliciter ſumitur.

6. *A voce gemitus.* Hîc tertium malum, quod deplorat, ſcilicet cæcitatis & ignorantiæ: Ait enim: Sic mortalis factus ſum, & etiam *os meum*, ratio mea, quæ totum deberet ſuſtentare, *adhæſit*, excæcata, & miſera per conſenſum, *carni meæ. Pſal.* Adhæſit pauimento anima mea. Pauimentum, caro eſt terrena diligens, & in illis proſtrata. Et hoc, *à voce*, id eſt, propter vocem: *gemitus mei*, id eſt, quæ generat in me gemitum, & dolorem, hoc eſt, à voce, id eſt, ſuggeſtione diaboli. *Thren.*4. Multi ſunt gemitus mei. Et hoc à voce diaboli, quæ inflammat me ad peccatum. *Ierem.* 11. A voce loquelæ grandis, exarſit ignis in ea. Os etiam dicuntur fortes, caro infirmi. Os ergo debet adhærere carni, quia fortes debent ſupportare infirmos. Ad *Rom.* 13. Debemus nos firmiores,infirmorum imbecillitatem ſuſtinere. Et hoc quod ſic faciant, manifeſtatur *à voce gemitus mei*, dicit Chriſtus, id eſt, gemitus eis à me dati, ſicut in Paulo euidenter apparebat, qui dicebat 2.ad *Cor.*11.Quis infirmatur,& ego non infirmor? Vtinam poſſet dici illud *Cant.*2. Vox turturis audita eſt in terra noſtra.

Similis

7. *Similis factus ſum.* Hîc ſecundum totius illius partis, in qua demõſtrat & ſpecificat humanam miſeriam. Oſtenſa enim humana miſeria quantum ad afflictionem, hic eandem oſtendit quantum ad paupertatem. Et diuiditur in tres partes, ſecundum tres aues, per quas deſignat illam. Eſt enim pauper in eremo, qui comparatur aui in ſolitudine. Et eſt pauper in clauſtro, qui comparatur nicticoraci in domicilio. Et eſt pauper in ſæculo, quamuis fortè ſit conſtitutus in alto, qui deſignatur in paſſere in tecto. Secundum, ibi, *Factus ſum ſicut.* Tertium ibi, *Vigilaui.* Dicit ergo: Tot ſunt miſeriæ meæ afflictionis, & etiam quantum ad paupertatem, *ſimilis factus ſum pelicano.*

Tria pauperum genera per tres aues declarãtur.

Dicunt, quòd pelicanus eſt auis Ægyptiaca, ciconiis corporis magnitudine ſimilis, macie ſemper affecta, quæ non gregatim volat, ſed in ſolitudine ſempet conuerſatur. *Iob* 39. Didici in ſolitudine domum.

Sicut nicticorax. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Non tantum illam ſuſtineo miſeriam, imò etiam *factus ſum ſicut nicticorax*, id eſt, noctis coruus, coruini ſcilicet generis auis, quæ nocte quærit ſibi domum, *in domicilio* habitans, hoc eſt, in muris domorum: ſic vir in ruinoſis domibus habitat, & quærit ſibi cibum cœleſtem per orationem. *Thren.*2. Conſurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum. *Iſa.*26. De mane in præcordiis meis vigilabo ad te. Vtilis enim valde ſpiritui, & eius refectiua iſta vigilia, cum diſcretione facta, quia domat carnem. *Eccleſ.* 31. Vigilia honeſtatis tabefaciet carnes.

In hoc ipſo notatur paupertas, quia in domiciliis habitat, non in palatiis. 2.*Reg.*11. Arca Dei erat ſub pellibus.

Legitur hoc in *Gloſſa*, de ſtatu triplici eorum ad quos poteſt prædicator & debet declinare, qui ſunt in triplici ſtatu per has tres aues deſignati. Et de Chriſto qui ſecundum ſui ſtatum triplicem, huic aui triplici aſſimilatur.

8. *Vigilaui, & factus ſum.* Hîc tertium, in quo comparat ſe paſſeri, & in duobus. Primò quantum ad actum. Secundò quantum ad locum. *Et factus ſum.* Ait enim: Sic aſſimilatus ſum pelicano, & nicticoraci: & etiam *vigilaui ſicut paſſer*, in nocte ad literam. *Matth.*24. Vigilate igitur, quia neſcitis diem, neque horam. Et *Luc.* 12. Vigilate itaque, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. 1.*Pet.*4. Vigilate in orationibus. *Matth.*26. Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.

Et factus ſum ſicut paſſer, qui modico cibo contentus eſt, *ſolitarius*, non in multitudine, & longa cauda ſauciorum, exiſtens tamen *in tecto*, in altiori loco in Eccleſia. Hoc eſt tectum, à quo non eſt bonum deſcendere inſtanti iudicio. *Matth.*24. Qui autem in tecto eſt, non deſcendat aliquid quærere in domum ſuam. Exiſtentes autem in illo debent eſſe paſſeres, cibo modico contenti. *Caſſiodor.* Non per ingluuiem ventris eſcarum ambitione decipiar, paupere cibo contentus. Et deberent eſſe ſolitarij, non trahentes poſt ſe conſortia ambitioſa, & ſuperflua. *Amos* 6. Væ qui opulenti eſtis in Sion, qui confiditis in monte Samariæ optimates, capita populi, ingredientes pomposè domum Domini.

3. *Tota die exprobrabant.* Hîc tertium, in quo tangitur miſeria abiectionis & vilitatis, quæ eſt in exprobratione ab aduerſariis facta: & dicuntur duo. Primò abiectio, & exprobratio. Secundò ratio quare exprobrant, ibi, *Quia cinerem.* In prima duo ſecundum modos duos exprobrandi, quos tangit. Primò apertè propter mala, quæ fecit. Secundò occultè, & quaſi ſub commendatione propter bona quæ omiſit, ibi, *Et qui laudabant.* Dicit ergo: Sic afflictus ſum, ſic pauper, & etiam abiectus, quia *inimici mei*, dæmones. *Matth.*13. Inimicus homo hoc fecit. Et mali homines, hæretici, tyranni, fratres falſi, *exprobrauerunt mihi*, & hoc improperando mala, quæ geſſi, *tota die*, frequenter, & in aperto. *Pſal.* Inimici mei dixerunt mala mihi. Nec mirum, quia ipſi Chriſto improperabant quod non erat malum in veritate, ſed tantum ſua reputatione. *Matth.*9. Quare magiſter veſter cum peccatoribus manducat? Et in 11. Ecce homo vorax, & potator vini. *Luc.* 7. Hic ſi eſſet propheta, ſciret profectò, quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt.

Pœnitentiã agentes à peccatoribus irridentur.

Et qui laudabant. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic exprobrabant apertè: *& qui laudabant me*, in ore ſuo, & in aperto magnificantes bona ſi feci aliqua, *aduerſum me iurabant*, conſpirando latenter contra me. *Iſa.* 8. Omnia quæ loquutus eſt populus iſte, coniuratio eſt. *Iſa.*5. Populo meus, qui te benedicunt, ipſi te decipiunt, ad te decipiendum tendunt, ſicut & ipſi Chriſto faciebant, cui in ore dicebant illud *Matth.*22. Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces: & concilia faciebant latenter, qualiter ipſum perderent. *Ioan.*11.

10. *Quia cinerem.* Hîc ſecundum, in quo ponit rationes, quas habebant inimici exprobrandi. Et diuiditur in duas partes, ſecundum duplicem miſeriam, propter quam exprobrant, quam tangit. Prima miſeria, quæ voluntarie ſuſcepta eſt. Videntes enim voluntariè miſerum, exprobrabant. Secunda à Deo propter peccatum inflicta, propter quam & irridebant, ibi, *A facie iræ.* Iuprima duo, ſecundum duplicem miſeriam voluntariam. Prima eſt carnis mortificatio. Secunda, vera cordis deuotio. *Et potum meum.*

Dicit ergo: Sic exprobrauerunt mihi inimici mei. Cur hoc? *Quia* agens pœnitentiam, *comedebam panem*, panem, inquam, nigrum & aſperum, *tanquam cinerem*: plus agens quam Rex Niniue qui ſedebat in cinere. *Ion.* 2. Et quam Iob qui dicit in 13. Nunc oculus meus videt te, idcirco ipſe me reprehõdo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere. Pœnitens enim debet vti iis quæ prius erant ei abominabilia. *Iob* 6. Quæ prius nolebat tangere anima mea, cibi mei ſunt. Item cineres ſunt ignis reliquiæ, & peccatorum ignis. *Ioan.* 1. Ignis deuorauit ſpecioſa deſerti: & de quodam peccato, ſcilicet de luxuria. *Iob* 31. Ignis eſt vſque ad conſumptionem deuorans, & vniuerſa eradicans genimina. Et de auaritia. *Prouerb.*3. Ignis nunquam dicit, Sufficit. Per cineres ergo reliquiæ peccatorum deſignantur, quas pœnitens tanquam ignem deuorat, quia paulatim illas annihilat.

Per cineres reliquiæ peccatorum deſignantur.

annihilat. *Iſa.* 10. Computreſcit iugum peccati à facie olei. Et in 14. Perdam Babylonis nomen, progeniem, & germen.

Et potum. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Aſpera comedebam, propter quod irridebant: & etiam, *potum meum*, ad literam, *miſcebam cum fletu*, tanta erat cordis contritio, & deuotio. Alibi in *Pſal.* Potum dabit nobis in lachrymis in menſura. Bona mixtura, quam facit gratia contritionis, ſed melior quam facit gratia deuotionis, quando ad literam calix bibitur cum lachrymis. *Auguſtinus* dicit: Iſte panis, de corpore Chriſti, ſanus ægris, quem lachrymæ faciunt dulcem. Et ego dico, iſte calix. *Prouerb.* 9. Bibite vinum, quod miſcui vobis. Lachrymæ ſanguis cordis ſunt. Ergo ſanguini ſanguis iungitur. *Oſeæ* 4. Sanguis ſanguinem tetigit, eo modo quo tangi poteſt. Ille enim glorioſus ſanguis in venis eſt, ſed exteriores ſpiritus iunguntur, & miſcentur.

11. *A facie iræ.* Hîc tangit miſerias à Deo propter peccatum inflictas. Dicuntur ergo duo. Primò, quòd à Deo eſt ei miſeria inflicta. Secundò ſpecificat per partes quæ ſit illa, ibi, *Quia eleuans.* Dicit ergo: Sic cinerem comedo, lachrymam bibo: & hoc, *à facie*, à præſentia *iræ*, id eſt, percuſſionis & affectionis, *indignationis tuæ*, id eſt, à tua indignatione, quaſi procedente, & ipſam ſequente. Quaſi diceret: Primò indignatus eſt auferendo gratiam. Secundò iratus immittendo pœnam. *Naum* 1. Indignatio eius effuſa eſt vt ignis. De ira *Roman.* 3. Ira Dei manet ſuper eos. *Epheſ.* 2. Eramus omnes naturæ filij iræ.

Quia eleuans. Hîc tangit & ſpecificat inflictas à Deo miſerias, quas comprehendit in tribus. In ablatione dignitatis, hîc prima. In breuitate vitæ & durationis, hîc ſecunda, ibi, *Dies mei.* In neceſſitate mortis, ibi, *Et ego ſicut fœnum arui.* Ait ergo: Bene dixi, quòd affligis, & effectum irati in me exerces, quia *eleuans*, me primò ad tantum honorem, vt eſſem ad imaginem tuam ſecundum illud *Geneſ.* 1. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem, &c. Vt præeſſem cunctis animantibus terræ, & piſcibus maris, & volatilibus cœli, in eodem. *Alliſiſti me*, ſtatim propter peccatum inobedientiæ deiiciendo. *Geneſ.* 3. Emiſit eum de loco voluptatis. *Gloſſ.* Quintò magis fuit in donis eleuatus, tantò grauior fuit caſus. *Iob* 30. Eleuaſti me, & quaſi ſuper ventum ponens alliſiſti me.

12. *Dies mei ſicut vmbra.* Hîc ſecunda miſeria inflicta, ſcilicet breuitas vitæ, & neceſſitas moriendi. Et non tantùm alliſiſti & deieciſti à dignitate, imò *dies mei defecerunt*, defectibiles facti ſunt, *ſicut vmbra.* 1. *Paral.* 3. Dies mei quaſi vmbra ſuper terram, & nulla in eis mora. In *Pſal.* Sicut vmbra cum declinat, ablatus ſum. Nec tantum dies, ſed anima tranſierunt ſicut vmbra. *Sapient.* 5. Et nota, quòd bene comparatur vitæ noſtræ breuitas vmbræ. Primò quia ſicut vmbra fit ex oppoſitione opaci corporis ad luminoſum, ſic breuitas vitæ noſtræ facta eſt ex oppoſitione peccati ad Deum. *Iſa.* 59. Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum. Item quia vmbra vana res, & vacua eſt: ſic dies hominis vani, & vacui. De vanitate *Eccleſ.* 1. Vanitas vanitatum, &c. De vacuitate. *Iob* 7. Ego habui menſes vacuos, & noctes laborioſas enumeraui mihi. Item res obſcura: vmbra ſic vita noſtra ignorantia, & obſcuritate plena, imò obſcuritas tota. *Iob* 3. Viro cuius abſcondita eſt via, & circumdedit eum Deus tenebris. *Gregor.* Valde mens humana affligitur, quia ad intelligenda quæ Dei ſunt, excæcatur. Cito tranſit ſicut vmbra vita noſtra. *Iob* 7. Dies mei velocius tranſierunt quam à texente tela ſuccidit, & conſumpti ſunt abſque vlla ſpe. Et in 9. Dies mei velociores fuerunt curſore. *Iſa.* 38. Dum adhuc ordirer, ſuccidit me. Retineri nequeunt dies, ſicut nec vmbra. *Eccleſ.* 8. Non eſt in hominis ditione cohibere ſpiritum, nec habet poteſtatem in die mortis. Item ſimilitudinem corporis habet, cum tamen corpus non ſit: ſic vita noſtra vitæ ſimilitudinem, & tamen mors eſt. *Auguſt.* Idem ipſe homo ſimul eſt viuens & moriens, & viuens, ſed morti accedens, & à vita diſcedens. Quid enim eſt aliud noſtrum viuere, niſi de vita tranſire? Et hoc eſt mori. Propter hoc dicitur *Geneſ.* 3. Quacumque die comederitis, morte moriemini. Item vmbra in fine diei longior apparet: ſic homo, quò plus ſeneſcit, eò plus ſe viuere credit. *Ierem.* 6. Væ vobis, quia declinauit dies, quia longiores factæ ſunt vmbræ veſperi.

Vita noſtra vmbra collata.

E go. Ecce tertium, ſcilicet neceſſitas moriendi. Ait enim: Sic deiectus à dignitate, ſic in breuitate vitæ poſitus: & etiam *arui ſicut fœnum*, id eſt, factus ſum ſicut fœnum aridum, quod neceſſariò morietur ſtatim, & euelletur. *Pſal.* Fiant ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur exaruit. *Iſa.* 40. Exiccatum eſt fœnum, & cecidit flos.

13. *Tu autem Domine.* Hîc ſecunda pars principalis huius Pſalmi, in qua poſtquam egit de defectu humanæ mortalitatis, agit de immutabilitate æternitatis, ad quam tranſitus per Chriſtum. Diuiditur ergo hæc pars in duas. Primò agitur de immutabilitate Chriſti, ſecundum quod Deus. Secundò de data homini per Chriſtum, ibi, *Tu exurgens.* In prima duo. Primò agitur de immutabilitate Chriſti abſolutè, ſecundum quod Deus. Secundò de immutabilitate eius in comparatione ad nos, ibi, *Et memoriale.* Dicit ergo: Sic Domine miſer ſum, & nihil niſi miſeriam habeo: *tu autem Domine in æternum permanes. Iſa.* 40. Verbum Domini manet in æternum. Ad *Hebr.* 6. Tu autem Domine in æternum manebis, ſolium tuum in generatione in generationem. Æternitas ergo tua meam labilem releuet temporalitatem.

Et memoriale. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic in te permanet, & in comparatione autem ad me, *memoriale tuum*, de quo *Oſeæ vltim.* Memoriale tuum ſicut vinum Libani permanet, *in generatione, & generationem*, hoc eſt, in æternum. Quaſi diceret: Mei perpetuam habes memoriam, vt exhibeas miſericordiam. *Pſal.* Aut obliuiſcetur miſereri Deus? Nullo modo, etſi iratus videatur. *Abac.* 3. Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. Per memoriale noſtri recordatur, quia in manibus & pedibus portat & latere. *Iſa.* 49. Nunquid poteſt mulier obliuiſci infantem ſuum, vt non miſereatur pupillo

vteri

vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen tui non obliuiſcar: in manibus meis deſcripſi te.

14. *Tu exurgens.* Hîc ſecundum totius huius partis: tacta enim immutabilitate Chriſti ſecundum quod Deus eſt, hic agitur de immutabilitate data ab ipſo Eccleſiæ, quæ eſt duplex. Altera præſentis vitæ, ſcilicet ædificatio in fide ſtabili. Altera in futuro, quæ eſt in mutatione corporis & animæ. De prima hîc, de ſecunda ibi, *Reſpondit ei*, ſecundum vnam lecturam, ſecundum aliam ibi, *Paucitatem*. In prima duo. Primò Eccleſiæ ædificatio in fide vera per Chriſtum. Secundò ipſius ædificatoris commendatio à fidelibus, ibi, *Scribantur hæc*. In prima duo. Primò tangitur diuina miſeratio, tanquam fons & origo ædificationis. Secundò ædificatio ipſa, ibi, *Quoniam placuerunt*. In prima duo. Primò tempus miſerationis. Secundò opportunitas miſerandi, ibi, *Quia nouit*. Dicit ergo: Bene dixi, quòd mei habes memoriam: *& tu exurgens*, quaſi de quodam ſomno & torpore, in quo videris eſſe, *miſereberis Sion*, id eſt, miſeriæ Sion miſericordiam exhibebis. In *Pſal.* ſuprà: Propter miſeriam inopum, &c. *Eccleſ.*36. Miſereberis ciuitatis tuæ Ieruſalem. Reple Sion mirabilibus tuis. *Quia tempus miſerendi eius*, venit, ſup. & inculcat ex animi feruore, & propter certitudinem, *quia venit tempus*. Venit autem tempus placitum. *Iſa.*49. In tempore placito exaudiui te. Tempus acceptum. 2. ad *Cor.* 6. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Tempus opportunum, de quo *Eccleſ.*35. Speciosa miſericordia in die tribulationis, ſicut nubes pluuiæ in tempore ſiccitatis. Tempus plenum. *Gal.*4. Quando venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum. Hoc tempus, de quo *Iſa.* 14. Prope eſt vt veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur.

15. *Quoniam placuerunt.* Hîc eſt ſecundum. Tacta enim diuina miſericordia, per quam facta eſt Eccleſiæ ædificatio, hîc ſubiungitur de ædificatione ipſa: & dicuntur quatuor. Primò per quem fuerit ædificata, tanquam quibuſdam mediis. Secundò de quibus fuerit ædificata, hoc eſt, qui fuerunt tanquam media, ibi, *Et timebunt*. Tertiò quo actore fuerit ædificata, ibi, *Et timebunt*. Tertiò quo actore fuerit ædificata, ibi, *Quia ædificauit*. Quartò quare hoc, quo motiuo, ibi, *Reſpexit*. In prima duo ſecundum duo per quæ eſt ædificata Eccleſia. Apoſtolorum ſcientia, quam habuerunt de prophetis. Secundum, miſericordia qua pereuntibus miſerti ſunt, ibi, *Et terræ eius*. Dicit ergo: Bene dixi, quòd ædificabis Sion, hoc eſt, Eccleſiam: & hoc, *quoniam ſeruis tuis*, id eſt, Apoſtolis, *placuerunt lapides eius*, Sion ſcilicet. Sion, Eccleſia: lapides ſuper quos eſt fundata, Prophetæ: lapides viui, imò viuaciſſimi. 1. *Pet.* 2. Vos ipſi tanquam lapides viui, ſuperædificamini in domos ſpirituales. Hi lapides placuerunt ſeruis Chriſti, Apoſtolis, quia in eorum ſcripturis & in imitatione eorum delectati ſunt. *Iſa.*61. Vocabimini ſerui Dei noſtri. Et hi ſerui ædificauerunt. *Neem.*2. dicunt: Surgamus & ædificemus. 1. ad *Cor.*3. Dei ædificatio eſtis, Dei agricultura eſtis.

Et terræ eius miſerebuntur. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Placebit eis ſcientia prophetica, non Ariſtotelis, vel Hippocratis, vel Iuſtiniani: & in ipſis erit miſericordia: quia *& terræ eius*, id eſt, Sion, hoc eſt, terræ eius in Eccleſia, *miſerebuntur*, imitatores tui facti, de quo in *Pſal.* Miſericordia Domini plena eſt terra. *Sap.*11. Miſereris omnium, quoniam omnia potes. Sic miſerebatur ille ſeruus, qui dicebat 2. ad *Cor.*11. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?

Benè miſerentur terræ, qua eam doctrina & prædicatione conuertunt in cœlum, & de obſcuriſſima faciunt clariſſimam, gratia iuuante. 2. ad *Cor.*4. Transformamur de claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu.

Thema optimum in feſto beati Stephani. Sanctis enim Dei lapides placuerunt, Ieremiæ Virgini, & Stephano protomartyri, de quo dicitur, Lapides torrentis illi dulces fuerunt. Corpus atterebant, animam ſatiabant. *Matth.*4. Dic vt lapides iſti panes fiant. Non dicit Chriſtus: ſed lapides Stephani, ei panes erant, qui lapidabatur à vobis, ſubductis falſis teſtibus, & de ciuitate eiectus, ſicut ſignificatum fuit in Naboth, de quo 3. *Reg.*21. Eductum Naboth de ciuitate, lapidauerunt. Et tamen terræ, miſeris ſcilicet & terrenis ſe lapidantibus miſerebuntur, quemadmodum beatus Stephanus poſitis genibus orabat pro lapidantibus. *Act.*8. *Thema pro feſto ſanctiſ Stephani.*

Et timebunt. Hîc ſecundum, de quibus eſt ædificata, quia de minoribus Gentium, quos tangit primò. Et de maioribus, quos ſecundò. *Et omnes reges.* Dicit ergo: Sic erunt ſapientes ſerui tui, ſic charitatiui, & miſericordes: *& timebunt*, propter hoc ô Domine, *Gentes* communiter *nomen tuum. Ierem.*10. Quis non timebit te ô rex Gentium? *Apoc.* 15. Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum? Quoniam omnes Gentes venient, & adorabunt te. Verum dicit. *Iſa.* 2. Eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes, nec ſolum minores, imò *omnes reges*, & maiores, ſcilicet in Gentibus, & alios regentes, *gloriam tuam*, glorioſam potentiam tuam, timebunt, ſup. *Pſal.* Adorent eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei. *Iſa.*49. Vultu in terram demiſſo, in ſignum humilitatis, adorabunt te reges. 16.

Quia ædificauit. Hîc tertium, in quo oſtenditur, quo authore fuerit ædificata, & quia actor ſapiens non ædificat ſine intentione, duo tangit. Primò ædificationis actorem. Secundò actoris intentionem, ibi, *Et videbitur*. Dicit ergo: Bene per hæc ædificabitur, & à talibus, *quia ædificauit*, præteritum pro futuro certitudine prophetali: *Sion*. Ipſe eſt actor principalis, non alius. *Iſa.* 45. Omnes vias eius dirigam, & ipſe ædificabit ciuitatem meam. Et in 5. Ædificauit turrim in medio eius. 17.

Et videbitur. Ecce ædificantis intentio. Quaſi diceret: Sic ædificauit Sion, id eſt, Eccleſiam: *& videbitur*, ab ea, propter hoc ædificauit ipſam, *in gloria ſua. Iſa.*33. Regem in decore ſuo videbunt. Et in 52. Reuelabitur gloria Domini, quia 1. *Ioan.*3. Tunc videbitur ſicuti eſt. *Matth.* 23. & *Luc.* 21. Tunc videbunt filium hominis

hominis venientem in poteſtate magna, & maieſtate. Et mali expellentur. *Iſa.*26. In terra ſanctorum iniqua geſſit, non videbit gloriam Domini. Et alia litera habet: Tollatur impius ne videat gloriam Dei.

18. *Reſpexit in orationem.* Hîc quartum, ſcilicet quo motiuo ædificauit illam, propter orationes humilium ipſum vrgentes: de quibus tanguntur duo. Primum, quia preces illorum humilium ſuſcepit. Secundum, quia ſuſceptos exaudiuit. *Et non ſpreuit.* Dicit ergo: Sic ædificauit Eccleſiam: ſed quare fecit hoc? quo mouente? Certè quia *reſpexit*, oculo pietatis, *in orationes humilium*: quippe humiles elegit. 1. *Corinth.*1. Infirma mundi elegit Deus. Propter quod dicitur *Sapient.* 4. Et reſpectus illius in electos eius. Iterum *Eccleſ.*35. Non deſcendet donec reſpiciat eam Altiſſimus. Propter hoc dicit illa beata, quam reſpexerat: Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.

Et non ſpreuit. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Nondum inſpexit vt reciperet, *& non ſpreuit precem eorum*, quin petitum adimpleret. In *Pſal.* Non ſpreuit, neque deſpexit deprecationem pauperis. *Iudith.*9. Manſuetorum, & humilium tibi ſemper placita fuit deprecatio.

19. *Scribantur hæc.* Hîc ſecundum totius huius partis, in qua agitur de Eccleſiæ ædificatione. Cum enim oſtenderit quomodo, & per quem, & ex quibus, & à quo ædificata fuit, ſubiungitur hîc actoris ædificationis commendatio: & dicuntur duo. Primò, quòd laudabitur. Secundò probatio, quòd bene laudandus, ibi, *Quia reſpexit.* In prima duo. Primò geſtorum commendatio ſcripto, vt illorum maneat memoria. Secundò quod ſequens eſt ad hoc, laudis Chriſti continuatio, ibi, *Et populus.* Dicit ergo: Sic ædificata eſt Eccleſia à Deo miſerante orationibus humilium. *Hæc* ergo, ne in oblitionem veniant, *ſcribantur*, ſcripto commendentur, *in generatione altera*, futura. *Iſa.*30. Scribe ſuper buxum, & in libro diligenter exara illud, & erit in nouiſſimo in teſtimonium vſque in ſempiternum. Hæc fuit ſapientia Euangeliſtarum, qui ſcripſerunt quæ viderunt de Chriſto & audierunt, ad vtilitatem ſequentium. *Ioan.* 21. Hæc autem ſcripta ſunt vt credatis, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.

Et populus. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic moneo, quòd ſcribantur: *& populus qui creabitur.* Quis iſte populus? iam enim aliqui populi non fiunt de nihilo, ſicut *Geneſ.*1. In principio creauit Deus cœlum & terram. Tropicè, quando de peccatore fit iuſtus. Peccatum enim facit hominem nihil eſſe. *Ezech.*28. Nihili factus es, dicitur peccatori Angelo. Ergo cum de peccatore iuſtus efficitur, creatur quodammodo. Propter hoc dicitur in *Pſal.* Cor mundum crea in me Deus. 1. ad *Corinth.*5. Si quæ noua creatura in Chriſto, vetera tranſierunt. *Iacob.*1. Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt ſimus principium aliquod creaturæ eius. Hic populus *laudabit Dominum. Ierem.* 31. Venient in Sion, & laudabunt. *Iſa.*52. Simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, cum conuerterit Dominus Sion.

20. *Quia proſpexit.* Hîc probat, quòd verè laudandus, quia terræ miſeratus eſt: & tangitur primò miſeratio. Secundò monſtratur in quibus, ibi, *Vt audiret gemitus.* In prima duo. Primò aſpectum miſericordiæ de excelſis direxit. Secundò ſpecificat ad quos, & vnde direxerit. Dicit ergo: Sic laudabit populus creandus, & iuſtum erit: quia Dominus *proſpexit*, propitius aſpexit, *de excelſo ſancto ſuo*, habitaculo. Et ſpecificat: *Dominus aſpexit in terram. Eccleſiaſt.* 16. Terram reſpexit, repleuit eam bonis. *Exod.*14. Reſpexit ſuper filios Iſraël, & liberauit eos.

Et hoc, *de cœlo.* Ecce excelſum ſanctum ſuum. *Pſal.* Reſpice de cœlo, & vide. Proſpicit ergo ſanctum ſicut eſt, quia propitius aſpicit, & proſpicit, quia procul aſpicit. Primum quantum ad bonos, ſicut dictum eſt. Secundum quantum ad malos, de quibus dicitur: Proſpicit Dominus quod veniat dies eius. Vel proſpicit, id eſt, procul aſpicit, etiam bonos ipſos ab æterno prædeſtinando, & aſpicit eoſdem gratiam infundendo, & iuſtificando. Ad *Roman.* 8. Quos prædeſtinauit, hos & vocauit, &c.

Vt audiret. Hîc ſecundum, in quo monſtratur in quibus fuerit propitius, quia in tribus bonis, quæ contulit ſimplicibus hominibus & abiectis. Primum, ſolutio illorum à peccato & diabolica ſeruitute. Secundò deputatio ipſorum ad laudandum Deum poſt ſolutionem, ibi, *Vt annuntient.* Tertiò aliorum adunatio ad fidem de Chriſto per laudem, ibi, *In conueniendo.* In prima duo. Primò tangit meritum ſoluendorum, ſcilicet gemitum. Secundò præmium, ſcilicet ſolutionis beneficium. *Vt ſolueret.* Dicit ergo: Sic miſertus eſt, & in hoc, *vt audiret gemitus compeditorum. Exod.*3. & *Act.*7. Vidi afflictionem populi mei, qui eſt in Ægypto, & gemitum eorum audiui, tanquam exiſtentium in compedibus peccati, de quibus 2. *Reg.*3. dicitur in commendationem cuiuſdam: Manus tuæ non ſunt ligatæ, & pedes tui non ſunt compedibus aggrauati. Et *Ierem.* 39. Vinxit eum compedibus vt duceretur in Babylonem. Vel in compedibus timoris Domini, de quibus *Eccleſ.*6. Iniice pedem tuum in compedes illius. Sed Dominus ab vtriſque liberat, & ſoluit compeditos per gratiam. Sed ſunt compedes indifferentes, infirmitas naturæ, de quibus *Thren.* 3. Aggrauauit compedem ſuum ſuper me. *Sapient.* 9. Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam. Sed ab iis ſoluit conferendo gloriam. 21.

Vt & ſolueret. Hic primum gemitus præmium tangitur. Quaſi diceret: Sic audiuit gemitum, & ad hoc, *vt ſolueret filios interemptorum*, ad literam mortuorum, & damnatorum in inferno, vt dicamus ei illud *Pſal.* Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Et alibi: Miſit Rex, & ſoluit eum, princeps populorum, & dimiſit eum.

Vt annuntient. Hîc ſecundum beneficium: & dicuntur duo. Primò deputatio ſolutorum ad officium prædicationis. Secundò ad officium laudis, ibi, *Et laudem.* Ait ergo: Sic ſoluit. Ad quid? Ad hoc beneficium vlterius, *vt annuntient nomen Domini*, prædicando, dilatando, *in Sion*, in Eccleſia, quæ Deum per fidem contemplatur. 1. *Pet.* 1. Vt virtutes 22.

eius

eius annuntietis, qui de tenebris vocauit vos in admirabile lumen ſuum. *Pſal.* Vt annuntient omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.

Et laudem eius, dicant, vel annuntient, *in Ieruſalem*, in Eccleſia, in qua ſola videtur vera pax. *Apocal.* 20. Laudem dicite Deo noſtro omnes ſancti eius, & qui timetis Deum puſilli & magni. *Eccleſiaſt.* 35. Laudate Dominum, & date nomini eius magnificentiam. *Iſa.* 40. Occupabit ſalus muros tuos, & portas tuas laudatio.

23. *In conueniendo.* Hîc tertium, in quo tangitur de tertio beneficio, ſcilicet aliorum ad fidem Chriſti adunatio. Quid enim valeret dediſſe vt annuntiarent, ſi nullum conuerterent. Duo ergo tanguntur. Primò minorum adunatio ad fidei vnitatem. Secundò maiorum. *Et reges.* Ait enim: Sic ad hoc ſoluit vt prædicent & laudent: & hoc *in conueniendo populos*, homines minores & populares, *in vnum. Ioël.* 2. Congregate populum, vocate cœtum. *Oſeæ* 2. Congregabuntur filij Iuda, & filij Iſraël, & ponent caput vnum ſibi, ſcilicet Chriſtum, ſicut factum eſt, quando verum fuit illud *Act.* 4. Erat illis cor vnum, & anima vna. Ob hanc enim vnionem faciendam filius Dei mori voluit. *Ioan.* 11. Expedit vt vnus homo moriatur pro populo, dixit Caïphas, & non tota gens pereat. Quod exponens Ioannes ait: A ſemetipſo non dixit: ſed cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetauit, quòd IESVS moriturus eſſet pro gente. Nec tantum pro gente, ſed vt filios Dei, qui diſperſi erant, congregaret in vnum.

Concordia multum diligenda & appetenda.

Et nota, quòd vnitas & concordia diligenda eſt, & multum appetenda. Primò quia Deus illam approbat. *Eccleſ.* 25. In tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ probata ſunt coram Deo & hominibus: concordia fratrum, amor proximorum, vir & mulier ſibi conſentientes. Imò, quod plus eſt, non tantum approbat, ſed diligit. *Cant.* 4. Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui, hoc eſt, in vnione & concordia maiorum & minorum. Hanc præcipit *Matth.* 5. Eſto conſentiens aduerſario tuo dum es in via. *Gen.* 45. dixit Ioſeph fratribus ſuis, videte ne iraſcamini in via. Ad *Rom.* 12. Quantum in vobis eſt, ſi fieri poteſt, pacem cum omnibus habentes. Angelorum conſortes facit homines: ipſi enim vnum ſunt, & concordes. *Iob* 25. Qui facit concordiam in ſublimibus ſuis. Et 38. Concentum cœli quis dormire faciet? Verè ibi concentus, quia omnes in vnum canunt illud *Iſa.* 6. Sanctus, ſanctus, ſanctus, &c. Fortitudinem & victoriam contra inimicum tribuit. Vnde *Seneca:* Pugna vnanimiter aggreſſa victoriam parit. 1. *Reg.* 12. Egreſſi ſunt quaſi vir vnus. Et poſtea ſequitur, quòd percuſſerunt Ammon, qui obſidebat Iabes Galaath. *Prou.* 18. Frater qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma. Religionem ædificat & conſtruit. 2. *Reg.* 7. dixit Dominus ad Dauid: Non ædificabis mihi domum, quia vir ſanguinis es: ſed Salomon, qui regnabit in diebus pacis, ille ædificabit. *Eccleſiaſt.* 47. Salomon regnabit in diebus pacis, cui ſubiecit Dominus omnes hoſtes, vt conderet domum in nomine ſuo, & pararet ſanctitatem in ſempiternum. Efficaciam orationi tribuit. *Matth.* 18. Vbicumque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Et rurſum: Si duo vel tres ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quam petierint, fiet illis. Per eam augetur gratia & creſcit. *Act.* 2. Erant omnes pariter in eodem loco. Et quid ſequitur? Factus eſt repentè de cœlo ſonus, aduenientis ſpiritus, &c.

Deſtruitur autem hæc vnitas per diſcordiam. *Prouerb.* 13. Inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt. Per inuidiam. *Iacob.* 2. Si cor amarum habetis, & contentiones in cordibus veſtris. *Iacob.* 4. Vnde bella & lites in vobis, niſi ex concupiſcentiis quæ militant in vobis? Per ambitionem dignitatum, ſicut canes contendunt pro oſſe ſibi proiecto. *Geneſ.* 38. Propter te diuiſa eſt maceria, poteſt dici ambitioſo, qui primus vult naſci ad dignitatem. Propter nimiam imperantis auſteritatem. Exemplum 3. *Reg.* 13. de Roboam. *Ezech.* 34. Cum potentia & auſteritate. Per ſingularitatem. *Deut.* 12. Non ſacrificetis mihi in omni loco, ſed in loco quem elegit Dominus Deus veſter. *Exod.* 25. Omnes cortinæ, & omnia ſaga tabernaculi vnius menſuræ erant, & ſibi inuicem adhærebant. *Pſal.* Singularis ferus depaſtus eſt eam.

Reſpondit ei. Hîc ſecundum ſecundæ partis totius Pſalmi. Poſtquam enim actum eſt de Eccleſiæ ædificatione, in via à Chriſto iam in æternitatem tranſlato, ſubiungitur de tranſitu Eccleſiæ eiuſdem ad æternitatem, quam deſiderat, ad quam ſuſpirantes gemimus in miſera vita. Tria ergo dicuntur in hac parte. Primò deſiderium & petitio pro tranſitu ad æterna, & fine præſentis vitæ. Secundò perſuaſio, quod ſit petitioni acquieſcendum, ibi, *Initio tu Domine.* Tertiò læta concluſio, pro certitudine adipiſcendi quod petitum eſt, ibi, *Filij ſeruorum.* In prima duo. Primò determinatio ſtatus petentis. Secundò petitio, ibi, *Paucitatem.* Notandum tamen, quòd ſecundum vnam literam, quam primò ponit *Auguſt.* hoc primum ordinatur ad antecedentia, vt ſit ſenſus: Sic Dominus ſoluit à compedibus miſeros, vt annuntient in Sion, & in Ieruſalem laudent. *Et Sion*, id eſt, Eccleſia vel Ieruſalem, & eſt idem, *reſpondit ei*, id eſt, Deo in ſuis prædicatoribus, hoc eſt, fructum fecit: ſicut terra dicitur cultori reſpondere, quando fructum reddit. Sic habes quid reſpondit, quia bonam operationem: cui reſpondit, Deo: ſed vbi exiſtens? *In via virtutis ſuæ.* Virtus Eccleſiæ omnis eſt à Deo. *Luc. vlt.* Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto. *Iacob.* 1. Omne datum optimum, &c. Sed via virtutis, qua venit à patre luminum, Chriſtus eſt. *Iob* 38. Per quam viam ſpargitur lux, diuiditur æſtus? per Chriſtum. *Ioan.* 14 Ego ſum via. Secundum hanc lecturam de antecedentibus eſt hic Pſalmus. 24.

Sed aliter poteſt legi, ſicut diuiſum eſt. Quaſi diceret: Sic ædificata eſt Eccleſia, & ipſa exiſtens, id eſt, perſeuerans, & fortiter ſtans, *in via virtutis ſuæ*, id eſt, in fide, quæ

eſt via virtutis. 2. ad *Corinth.5.* Per fidem ambulamus, & non per ſpeciem. *Reſpondit ei,* Deo loquenti in ſuis prædicatoribus. Quid ? Ea quæ ſequuntur : *Paucitatem :* & ſunt tria, quæ petenda dicit. Prmum vt vita miſera finiatur. Secundum vt finita non reuertatur, ibi, *Ne reuoces me.* Tertium eſt vt æterna conferatur, ibi, *In generatione.*

Dicit ergo : Exiſtens in hoc ſtatu reſpondit. Quid ? Hoc : *Paucitatem dierum meorum. Iob* 14. Breues dies hominis ſunt. *Geneſ.* 46. Dies peregrinationis meæ centumtriginta anni pauci, & mali. *Nuntia mihi.* Quaſi diceret : Citò fac finem. Hanc paucitatem ſuprà in *Pſal.* tangit : Notum fac mihi Domine finem meum. Hanc ipſo facto ſibi nuntiari deſiderabat, qui dicebat ad *Phil.*1. Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Hanc nolebat, qui plorans annos ter quinos impetrauit. *Iſa.* 38. Vel poteſt eſſe vox Eccleſiæ loquentis Chriſto capiti, quod Eccleſia exiſtens in fide reſpondit. *Nuntia mihi paucitatem dierum meorum.* Dicunt enim hæreti, Iudæi, & pagani, hic actu finituram, ſed tu nuntia quid verum ſit : quod facit *Matth. vlt.* Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.

25. *Ne reuoces me.* Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Paucitatem dierum meorum nuntia, & *ne reuoces me*, poſtquam finiuero vitam, *in dimidio dierũ meorum*, ad literam, ſicut Ezechiam regem, qui bene voluit reuocari ad vitam, & quindecim anni ſunt ei additi. *Iſa.*38. Vel ſic ſecundum *Gloſſam :* Petij vitæ terminum nuntiari mihi, & tamen, *ne reuoces me in medio dierum meorum*, id eſt, totam vitam permitte currere, ne fiat mihi ſicut peſſimis, de quibus in *Pſal.* Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos. *Iob* 15. Antequam impleantur dies ſui, peribit. *Iſa.*38. Ego dixi : In dimidio dierum meorum, &c.

In generatione. Ecce tertium. Quaſi diceret: Sic non me reuoces, ſed anni tui, mihi à te dati, ſint *in generatione & generationem*, ſicut æterni. Vel ſic dicatur : *Anni tui*, ad literam, ſunt *in generatione & generationem*, id eſt, æterni. In hoc quod eius annos commendat, tales ſuos fieri poſtulat. *Pſal.* Anni tui non deficient. *Iob* 35. Numerus annorum eius inæſtimabilis.

26. *Initio tu Domine.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur perſuaſio, quòd debeat transferri ad immutabilitatem, & in ipſam mutari, per hoc quod Deus alia minus nobilia immutabilia faciet, ipſe manens immutabilis : vnde dicuntur duo. Primò agit de mundi immutatione in formam immutabilem. Secundò ne Deus tranſmutans crederetur mutabilis, ſubiungit Dei immutabilitatem, ibi, *Tu autem Domine.* In prima tria. Primò quaſi incipere volens altius, tangit de creatione. Secundò de creatorum corruptione quantum ad formas, quas nunc habent, ibi, *Ipſi peribunt.* Tertiò de corrumptorum immutatione quantum ad formam meliorem, ibi, *Et ſicut opertorium.* In prima duo. Primò tangit de terræ creatione. Secundò cœli. *Et opera.* Dicit ergo : Sic Domine peto, & hoc potes, & debes, quia *ô tu Domine*, non alius: *fundaſti*, fundatam & ſtabilem creaſti, *terram*, ad literam : *& opera manuum tuarum*, tuæ ſcilicet potentiæ, *ſunt cœli.* Verum eſt. *Geneſ.*1. In principio creauit Deus cœlum & terram. *Iſa.*8. Manus meæ fundauerunt terram, & dextera mea menſa eſt cœlos. Et 51. Tetendit cœlos, & fundauit terram. Vel ſi eſt in textu *initio*, tunc legendum : Fundaſti terram *initio*, id eſt, per initium, ſcilicet filium. *Sapient.*8. Quando præparabat cœlos, aderam, cum ipſo eram cuncta componens. Et *Gloſſa* hoc modo exponit *Geneſ.*1.

Ipſi peribunt. Hîc ſecundum, in quo oſtendit corruptionem creatorum : & dicuntur duo. Primò corruptio. Secundò modus in corrumpendo, ibi, *Et omnes ſicut.* In prima duo. Primò ipſorum corruptio. Secundò ne fortè crederet quis Deum cum iis corrũmpi, obuiat opinioni falſæ. *Tu autem permanebis.* Ait ergo : Sic creaſti cœlos, & tamen, *ipſi peribunt*, ſecundum formam in qua nunc ſunt, non ſecundum ſubſtantiam ſuam.1.ad *Cor.*7. Præterit figura huius mundi. Quaſi diceret : Non ſubſtantia. *Eccl.*1. Generatio præterit, generatio aduenit, terra autem in æternum ſtat : multò ergo fortiùs cœlum. 27. *Qualiter cœli mutabuntur.*

Tu autem permanebis : cum his non peribis, ſed ipſa tenebis in eo quod erunt, aliter penitus defluerent in nihilum. *Gregor.* Eſſentia eorum ad nihilum omninò tenderet, niſi actor omnium manu regiminis eam teneret. *Malach.* 3. Ego Dominus & non mutor. *Eccleſiaſt.* 43. Omnipotens Deus ſtabilis in gloria ſua.

Et omnes. Ecce ſecundum, in quo ſubiungit tranſeundi modum. Ait enim : Sic cœli peribunt, *& omnes veteraſcent*, priorem formam amittent, *ſicut veſtimentum*, longo vſu primam amittit formam. Sed quomodo dicit, *ſicut veſtimentum ?* veſtimentum paulatim & ſucceſſiuè formam amittit, ſed illa ſubito amittent. *Iſa.*51. Cœli ſicut cera liqueſcent. 1. *Petr.* 3, Cœli & terra magno impetu tranſient. Reſponſio poſſet eſſe, quòd non attenditur ſimilitudo quantum ad modum in pereundo, ſed quantum ad id quod perire debet. Quaſi diceret : Sicut ibi forma, ſic hic. Vel hæc ſimilitudo ſumitur quantum ad id propter quod totum dicitur, quantum ſcilicet ad hominem, in quo omnia mutabuntur ſicut veſtimentum. Compoſitum enim eſt humanum corpus ex omnibus, & ipſum animæ veſtimentum. *Iob* 10. Pelle & carnibus veſtiſti me, oſſibus, &c. Hoc autem mutabitur, & omnia elementa ſuperiora, quæ per cœlos, inferiora, quæ per terram intelliguntur.

Et ſicut opertorium. Hîc ſecundum, in quo oſtendit corruptorum reparationem in meliorem formam, & hoc per duplicationem immutationis, & exemplum. Ait enim : Sic dico, quòd peribunt, ſicut veſtimentum veteraſcendo, hoc eſt, primam formam amittendo. *Et mutabis eos ſicut opertorium* mutatur ab homine in melius, *& mutabuntur*, in veritate non deſtruentur. Hinc ſumpſit Paulus quod dixit ad *Hebr.*1. Velut amictum mutabis eos, & mutabuntur. 2. *Petr.* 3. Nouum cœlum, & nouam terram expectamus ſecundum promiſſa eius. *Apocalypſ.*21. Vidi cœlum nouum, & terram nouam.

28. *Deus immutabilis.*

Tu autem idem. Dicta rerum mutabilitate, hîc ſubiungitur de Dei immutabilitate, à qua eſt illa mutabilitas: & oſtenditur non eſſe ex mutatione aliqua primò. Et non tendere in mutabilitatem aliquam ſecundò. *Et anni.* Ait enim: Sic meliorabuntur alia, in quo mutabuntur: *tu autem*, illorum immutator & meliorator, *idem ipſe es*, non mutatus ex priori. *Exod.*3. Ego ſum qui ſum: non qui fui, vel ero.

Et anni tui, duratio ſcilicet tua, *non deficient*, vt muteris in aliud, vel tendas in non eſſe. *Greg.* Anni eius non deficiunt, quia ſicut eius æternitas nullo initio incipit, ita nullo fine terminatur.

Opertorium multiplex bonum & malum.

Et nota hîc, quòd eſt opertorium bonum, charitas. *Prou.*10. Vniuerſa delicta operit charitas. Et 1. *Pet.*4. Charitas operit multitudinem peccatorum Pœnitentia. *Ioſ.*2. Operuit eos ſtipula lini, id eſt, humili confeſſione, & pœnitentia peccati. Sic loquitur pœnitens vbi dicit in *Pſal.* Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Verecundia. Vnde de Rebecca dicitur. *Gen.*24. At illa tollens pallium ſuum, tanquam verecunda, operuit ſe. Taciturnitas. *Num.*19. Vas quod non habuerit operculum aut ligaturam, immundum erit. Tribulatio. *Gen.*7. Operti ſunt aquis diluuij omnes montes, qui ſunt ſub vniuerſo cœlo. Sed malum eſt triplex. Culpæ, ſcilicet hypocriſis. *Zach.*13. Non operiantur amplius pallio ſaccino, vt mentiantur. Ignorantiæ. *Exod.*19. Nubes denſiſſima operuit montem. Pœnæ æternæ. *Iſa.*14. Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum vermes.

29. *Filij ſeruorum.* Hîc eſt tertium principale huius partis. Poſtquam præceſſit ſupplicatio pro adeptione æternitatis, & perſuaſio vt ſibi acquieſcatur, hic ſubiungitur concluſio læta, quòd ſic fiet vt petitum eſt: & dicuntur duo. Primò, quod Apoſtolorum ſucceſſores ad æternitatem & immutabilitatem transferentur. Secundò tangit meritum tranſlationis, ſcilicet bonas operationes. *Et ſemen eorum.* Dicit ergo: Sic æternus es, & tibi iungi petij, & video, quod *filij*, id eſt, imitatores, *ſeruorum tuorum*, Prophetarum ſcilicet, & Apoſtolorum, *habitabunt*, terram viuentium, participes æternitatis facti. Et alludit illi facto, quod filij illorum, qui exierunt de Ægypto, meruerunt terram promiſſionis: ipſi autem non intrauerunt niſi duo, Caleph filius Iephone, & Ioſuë: quamuis non ſit ſimile, quoad hoc quod illi non intrauerunt, ſerui intrant quales ipſi fuerunt. *Matth.*25. Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca, &c. Suprà in *Pſal.* Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis, &c. Reſponſio: Serui, & imitatores ſeruorum: propter hoc Paulus volens habere tales filios dicebat 1. *Cor.*11. Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Et Ioannes dicebat quibuſdam in 1. *Can.*1. Filioli mei, nouiſſima hora eſt. *Gloſſa* aliter exponit etiam appellans filios opera bona, vt ſit ſenſus: *filij ſeruorum habitabunt*, cauſaliter, id eſt, bona opera ſeruorum, quæ ſunt tanquam eorum filij, habitare facient. *Pſal.* Habitabunt recti cum vultu tuo. *Ioan.*17. Pater, quos dediſti mihi, volo vt vbi ego ſum, & ipſi ſint mecum.

Et ſemen eorum. Hic ſecundum. Quaſi dicet: Tales habitabunt: *&*, id eſt, quia *ſemen eorum*, opera ſcilicet illorum bona, quæ ſunt tanquam quædam illorum ſemina, defigitur ab eis per rectitudinem intentionis, & per hoc dirigit eos vt totum vadat ſimul, & operans, & operatum, *in ſæculum*, id eſt, in æternitatem. *Eccleſ.*14. Omne opus electum iuſtificabitur: & qui operatur illud, honorabitur. *Caſſiod.* Nihil prauum, nihil poteſt eſſe ibi diſtortum: ſed ſancti eius cum Domino ſtabili voluntate gaudebunt. Ad quam ſtabilitatem, & ad quod gaudium nos perducat, qui eſt benedictus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

D. Alb. Mag. Comment. in Pſal.

IN CII. PSALMVM.

Pſalmus ipſi Dauid.

I. *Pſalmus hortatur ad laudem Dei & gratiarũ actionem.*

BEnedic anima mea. Hic eſt Pſalmus 102. in toto libro, ſecundus in tertia parte libri. Cum enim in præcedenti Pſalmo præceſſerit vox pauperis anxiati, vſque ad panis comeſtionem ſimilis cineri, hîc conuertitur ad beneficiorum Dei recordationem & laudem ipſius, propter illa, ne fortè ruat in deſperationem. Et præponitur titulus iam frequenter expoſitus: *Pſalmus ipſi Dauid*: quod eſt: *Pſalmus* ſubiectus, *ipſi Dauid*, id eſt, Chriſto, per quem omnia bona in nobis ſunt, quo mediante omnia in nos influunt, eſt cantandus.

Et diuiditur Pſalmus in duas partes principales. Primò inuitat ad benedicendum Deum proprium ſpiritum. Secundò Angelicum, & omne ſimul creatum, ibi, *Benedicite Domino.* In prima dicuntur duo. Primò inuitatio animæ propriæ ad benedicendum, & Dei beneficia recolendum. Secundò probatio, quòd acquieſcendum eſt perſuaſioni: vel magis enumeratio beneficiorum, propter quæ benedicendus, & commendandus eſt, ibi, *Qui propitiatur.* In prima duo. Primò inuitat ad benedicendum. Secundò ad recolendum beneficia à benedicendo recepta, ibi, *Et noli obliuiſci.* In prima primò inuitatio. Secundò inuitationis inculcatio, ibi, *Benedic anima*, ſecundo loco poſitum. In prima duo. Primò inuitatio animæ ad laudandum in ſe ſimpliciter. Secundò ex totis viribus vniuerſaliter. *Et omnia.*

Dicit ergo: *Benedic anima mea Domino. Tob.*13. Anima mea benedic Dominum, quoniam, &c. *Et omnia.* Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic anima benedic ex teipſa, *& omnia quæ intra me ſunt*, motiuæ verres, & apprehenſiuæ, benedicite ſup. *nomini ſancto eius*, laudando, gratias referendo, ipſum medullitus appetendo. Omnia enim quæ intra ſunt, benedicunt quando non repugnantes in voluntate ipſum deſiderant & appetunt. *Iſa.*26. Anima mea deſiderauit te in nocte, & in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. 1. ad *Cor.*14. Pſallam ſpiritu, pſallam & mente. Et eſt ſacrificium multum placens Deo, intima cordis oratio. *Chryſoſt.* Oratio eſt ſpirituale tributum animæ.

2. *Benedic anima.* Hîc ſecundum, ſcilicet inuitationis ad maiorem expreſſionem inculcatio.

Et noli obliuiſci. Præmiſſa inuitatione ad benedicendum, hîc inuitat ad recolendum beneficia, vnde ſurgit laus, & benedictio. *Deut.*6.

Caue nequando obliuiſcaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti. Duo autem ſunt, quæ faciunt obliuiſci beneficiorum Dei: mundana proſperitas. *Gen.*40. Succedentibus proſperis pincerna oblitus eſt interpretis ſui. *Deut.*8. Caue vt poſtquam comederis, & biberis, & ſatiatus fueris, non reminiſcaris Domini Dei tui. Superbia. *Oſeæ* 12. Eleuauerunt cor ſuum, & obliti ſunt mei.

Beneficia Dei iugiter recolenda.

Nullus deberet obliuiſci: quia magna beneficia non citò obliuioni traduntur: & beneficia recreationis magna ſunt. In *Pſal.* Magna opera Domini, exquiſita, &c. Item quia noua & inconſueta: & talia ſunt Dei opera. *Ierem.* 31. Nouum fecit Dominus ſuper teram. Item quia aliqua ſigna in memoriam relicta ſunt: & Dominus magnum ſignum reliquit noſtræ recreationis, Altaris ſacramentum. *Pſal.* Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe. Multi tamen obliuiſcuntur beneficij paſſionis Chriſti, contra illud *Eccleſ.*29. Gratiam fideiuſſoris ne obliuiſcaris, dedit enim pro te animam ſuam. Beneficij liberationis à poteſtate diabolica. *Eccleſ.*9. Vir pauper & ſapiens liberauit ciuitatem per ſapientiam ſuam, & nullus deinceps recordatus eſt viri illius. Quotidianæ & aſſiduæ ſubuentionis. *Iſa.* 17. Oblita eſt Dei ſaluatoris tui, & fortis adiutoris tui non es recordata.

3. *Qui propitiatur.* Hîc eſt ſecunda pars primæ partis totius Pſalmi. Præmiſſa enim exhortatione de benedicendo Deo, & de recolendo eius beneficia, hic oſtendit quæ ſunt illa beneficia, vt ſic probet iuſtè benedicendum, & monſtret quid iugiter recolendum. Tangit ergo primò beneficia ſibi exhibita ſpecialiter, hoc eſt, ipſi animæ ſuæ. Secundò beneficia in aliis, & cum aliis, ibi, *Faciens miſericordias.* In prima quinque ſecundum quinque beneficia, quæ tangit. Primum eſt culpæ remiſſio. Secundum eſt infirmitatis contractæ ex culpa ſanatio. *Qui ſanat.* Tertium, redemptio à pœna inflicta pro originali culpa, ibi, *Qui redimit.* Quartum, largitio coronæ pro redemptionis victoria, ibi, *Qui coronat.* Quintum eſt omnis deſiderati adeptio, & omnis contrarij remotio, vt plena ſit beneficentia & perfecta, ibi, *Qui replet.* Dicit ergo: Sic benedic, & beneficia recole, & debes, *qui*, id eſt, quia ille *propitiatur*, non tantum aliquibus, ſed *omnibus iniquitatibus tuis*, culpas remittendo. *Dan.*9. Tibi Domine miſericordia, & propitiatio. Penitus delendo. *Iſa.* 43. Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua.

Qui. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic benedic, quia remittit culpas, & etiam *qui*, id eſt, quia ille *ſanat omnes*, non tantum aliquas, *infirmitates tuas.* In *Pſal.* infrà: Qui ſanat contritos corde, & alligat omnes contritiones eorum, quæ derelictæ ſunt ex peccato. Sic ſanari petebat. *Ierem.* in 17. Sana me Domine, & ſanabor. *Auguſt.* Aliud eſt infixum telum de corpore demere, aliud vulnus, quod relictum eſt, ſanare. In primo eſt propitiatio, in ſecundo ſaluatio. *Luc.*10. Samaritanus appropriauit ſauciato, ecce propitiatio: vulnera eius alligauit, ecce curatio.

Qui redimit de interitu. Hic eſt tertium, quod eſt redemptio à pœna pro originali debita. 4
Quaſi diceret: Sic benedic propter prædicta, & etiam *qui*, id eſt, quia ille *redimit*, vel redimet, *vitam tuam de interitu*, de corruptione quam incurrit propter culpam originalem, de qua dicitur *Sap.*9. Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam. Sed ab hac redempti ſumus per Chriſti ſanguinem. 1. *Pet.*1. Non corruptibilibus auro vel argento, redempti eſtis de veſtra vana conuerſatione, ſed pretio ſanguinis agni incontaminati & immaculati IESV CHRISTI. *Oſe.*13. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.

Qui coronat. Ecce quartum. Quaſi diceret: Et ob hoc benedic: *qui*, id eſt, quia ille *coronat te*, poſt tentationum victoriam, non tuis meritis, ſed *miſericordia ſua & miſerationibus* ſuis. Miſericordia refertur quaſi ad affectum, miſeratiõ ad officium. *Iacob.*1. Beatus vir qui ſuffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Propter hoc dicebat Paulus tentationum victor. 2. *Tim. vlt.* De reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, & victoriæ. *Cant.* 4. Veni de Libano, veni coronaberis. Corona gloriæ ſi fuerit de ſimpliciter ſaluandis, de qua *Apoc.*3. Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Corona gloriæ, & honoris, ſi fuerit de priuilegiandis, martyr, virgo, vel prædicator. De vtraque in *Pſal.* Gloria & honore coronaſti eum Domine. *Exod.*26. Super menſam poſita erat aurea, & aureola.

Qui replet in bonis. Hîc quintum beneficium, 5.
in quo dicuntur duo. Primò tangit beneficium. Secundò modum exhibendi ipſum, ibi, *Renouabitur* Dicit ergo: Sic benedic propter hoc Deum, *qui*, id eſt, quia ille *replet deſiderium tuum*, non in malis, quæ poſt pugnam nulla omninò poterit velle, ſed *in bonis. Prou.*11. Deſiderium iuſtorum omne bonum. Implebit intellectum ſplendore, & luce. *Iſa.*58. Implebit ſplendoribus animam tuam, & oſſa tua liberabit. Affectum ſuauitate. *Prou.*12. Iuſtus de fructu oris ſui replebitur bonis. Quod ſi quæris, qualiter hoc fiet? Reſp.

Renouabitur iuuentus tua, quæ nunc vadit veteraſcendo: & hoc, *vt aquilæ*, renouantur: vel vt iuuentus aquilæ renouatur, per renouationem ſcilicet habetur. Renouaberis enim anima & corpore. Ad *Epheſ.*4. Renouamini ſpiritu mentis veſtræ, ecce animæ renouatio: & induite nouum hominem, exteriorem, qui eſt ſicut veſtimentum interioris, ecce renouatio corporis. Ad *Rom.*12. Reformamini in nouitate ſenſus veſtri. An non bene renouatur vt aquila, qui depoſito carnis pondere volat quaſi aſſumptis pennis ad cœlum empyreum? *Iſa.* 40. Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas vt aquilæ, volabunt & non deficient, donec veniant ad cœlum empyreum, imò ad ipſum Chriſtum. *Matth.*24. Vbicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.

Et nota, quòd ſi volumus ad illam renouationem venire, oportet, quod primò renouemur mente tãquam homines. Ad *Eph.*4. Renouamini ſpiritu mentis veſtræ: quod fit per charitatẽ, quæ eſt mandatum nouum. *Ioan.*15. Mãdatum nouum do vobis. Secũdò pelle, id eſt, conuerſatione exteriori, vt ſerpentes in arcto pœnitẽtiæ. *Mat.*10. *Forma renouationis.*

Eſtote

Eſtote prudentes ſicut ſerpentes. *Coloſſ.*3. Exuite vos veterem hominem cum actibus ſuis. Tertiò plumis, id eſt, cogitationibus & deſideriis, quæ oriuntur de corde, ſicut plumæ de carne. *Iob* 39. Nunquid per ſapientiam tuam plumeſcit accipiter? *Coloſſ.*4. Quæ ſurſum ſunt quærite, qui ante quærebatis quæ deorſum, ſicut ille qui dicebat *Phil.*1. Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Quartò roſtro, ſicut aquilæ, id eſt, ſermone, vt prius loquentes maneamus in ſilentio. *Eccl.*32. Loquere in cauſa tua vix. Et hoc, roſtrum allidendo petræ, id eſt, Chriſtum imitando, qui eſt petra, ſicut dicitur *Iſa.*53. Sicut agnus coram tondente ſe obmutuit. Quintò cornibus, ſicut cerui, id eſt, potentia & fortitudine, ſicut fit per humilitatem. *Pſal.* Cornua peccatorum confringam & exaltabuntur cornua iuſti.

6. *Faciens miſericordias Dominus.* Hîc ſecundum huius partis, in quo ponit rationes, quare benedicendus. Poſitis enim beneficiis ſibi exhibitis in ſe, vel etiam exhibendis, tangit exhibita in aliis. Et primò tangitur diuina miſericordia quaſi generaliter. Secundò effectus miſericordiæ ſpecialiter, ibi, *Miſerator & miſericors.* In prima duo. Primò miſericordiæ exhibitio. Secundò notificatio exhibitæ, ibi, *Notas fecit.* In prima duo. Primò qualiter miſericordiam exhibuit, quia cum iudicio. Secundò quibus exhibuit, ibi, *Omnibus iniuriam.* Dicit ergo: Hæc fecit tibi Deus, ô anima, propter quod benedicendus. Et etiam ipſe eſt *Dominus faciens miſericordias. Exod.* 20. Ego Dominus faciens miſericordiam in millia multa diligentibus me. Non tamen ſine iudicio quo punit, & hoc ipſum eſt miſericordia. *Eccl.*35. Dominus non elongabit, ſed faciet iudicium, & iudicabit iuſtos. *Ier.*22. Faciet iudicium, & iuſtitiam in terra. Et hoc, *iniuriam patientibus. Pſal.* Facit iudicium iniuriam patientibus, dat eſcam, &c. Miſericordias ergo exhibet bonis, ita tamen, quod iudicat in malis, qui bonos oppreſſerunt, ſi tamen patientes fuerint, vel per ſuos miniſtros, quibus hoc præcipit. *Iſa.*1. Quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, defendite viduam, &c. vel per ſeipſum. *Deut.*32. Mihi vindictam, & ego retribuam. *Eccl.*28. Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam.

7. *Notas fecit.* Hîc ſecundum, miſericordiarum ſic exhibitarum, & talibus manifeſtatio: & dicuntur duo. Primò cui manifeſtatæ ſunt primò & principaliter. Secundò quibus ſecundariò & per primum, ibi, *Filiis Iſraël.* Dicit ergo: Sic fecit miſericordiam, & iudicium: quomodo hoc ſcis? quia *notas fecit Moyſi* ſeruo ſuo, *vias ſuas*, quæ comprehenduntur in his duobus. In *Pſal.* Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas. *Oſe.vlt.* Hæ viæ Domini, iuſti ambulabunt in eis. Sed non ſic impij, imò de ipſis in *Pſal.* Ipſi verò non cognouerunt vias meas, quia nolunt. *Iob* 21. Qui dicunt Deo, Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. Maxime autem Prophetis reuelat ſecreta ſua. *Amos* 3. Non faciet Dominus verbum, niſi reuelauerit per ſeruos ſuos Prophetas.

Et filiis Iſrael, per ipſum Moyſem, *voluntates ſuas*, non carnalibus: hi enim ignorant quid Deus velit. *Iſa.*1. Iſraël me non cognouit, & populus, &c. ſed veris Iſraëlitis qui Deum vident pura fide. *Gen.*18. Num celare potero Abraham quæ facturus ſum? *Ioan.*15. Dicit veris Iſraëlitis: Omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Quæ autem ſint eius voluntates, quas notas fecit, dicitur *Eccleſ.*35. Beneplacitum eſt Domino recedere ab iniquitate. 2.ad *Theſſ.*4. Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra.

8. *Miſerator & miſericors.* Hîc ſecundum, in quo deſcendit ad monſtrandum effectus miſericordiæ, ex quo ſunt cogniti. Et primò tangit illos quodammodo implicitè. Secundò explicitè, ibi, *Non in perpetuum.* In prima tria. Primò tangitur effectus primus in culpæ deletione & pœnæ relaxatione. Secundò ſecundus in longanimi relabentium expectatione, ibi, *Longanimis.* Tertiò tertius in peccantium reuocatione diuerſis & variis modis, ibi, *Et multum.* Dicit ergo: Sic eſt faciens miſericordias & iudicium, & hoc verum eſt; quoniam ipſe eſt *miſerator* in actu, *& miſericors* in habitu, peccata remittendo. *Eccleſ.*2. Pius & miſericors Dominus, remittit in tempore tribulationis peccata. *Longanimis* in peccantium expectatione. Ad *Rom.*2. An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis eius ignoras? *Et multum miſericors*, peccantes reuocando multis modis, qui tanguntur in *Gloſſa. Iſa.*55. Multus eſt ad ignoſcendum. *Thren.*3. Multæ ſunt miſerationes eius. *Ioel.*3. Benignus & miſericors eſt, & patiens, & multæ miſericordiæ.

9. *Non in perpetuum iraſcetur.* Hîc ſecundum, in quo plus deſcendit ad monſtrandum explicitè effectus, primò miſeratoris, & miſericordis. Secundò longanimis ſiue patientis, ibi, *Quomodo miſeretur.* Tertiò multum miſericordis, ibi, *Miſericordia autem Domini.* In prima duo. Primò oſtendit ſe miſericordē in relaxatione pœnæ à primis parentibus contractæ. Secundò in relaxatione pœnæ culpæ ab homine voluntate perpetratæ, ibi, *Non ſecundum peccata.* In prima duo. Primò relaxatio pœnæ contractæ quam patimur in præſenti. Secundò ad quam obligamur in futuro, ibi, *Nec in æternum.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd miſerator eſt & miſericors, & verè, quia *non in perpetuum iraſcetur*, pœnam & miſeriam infligendo pro peccato primorum parentum. *Iſa.*57. Non in ſempiternum litigabo, nec in æternum iraſcar. *Pſal.* Nunquid in æternum proiiciet Deus? aut non adiiciet vt complacitior ſit adhuc?

Nec in æternum comminabitur, ærernam pœnam comminando, quæ infligenda eſt in futuro, quam comminatur *Iſa.*1. Si autem nolueritis audire me, gladius deuorabit vos. *Iob* 19. Fugite à facie gladij. Et hic eſt ignis æternus ille, de quo *Matth.*25. Ite maledicti in ignem æternum, &c.

10. *Non ſecundum.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit relaxationem pœnæ culpæ ab homine voluntate perpetratæ: & dicuntur duo. Primò relaxatio. Secundò plena dimiſſio. *Quoniam ſecundum altitudinem.* In prima duo. Primò relaxatio quantum ad minora peccata. Secundò quantum ad maiora, ibi, *Nec ſecundum iniquitates.* Dicit ergo: Sic relaxat pœnam omnem pro originali debitam, & etiam, *non ſecundum*

peccata noſtra, quæ noſtra ſunt, quia voluntariè facimus illa, *fecit nobis*, pœnam infligendo, ſed magis pepercit. *Nec ſecundum iniquitates noſtras*, maiores, *retribuit nobis. Iob* 33. Peccaui, & verè deliqui, & non vt eram dignus, recepi. *Iob* 11. Intelliges quòd multa minora exiget à te, quam mereatur iniquitas tua. *Pſal.* Si iniquitates obſeruaueris, &c.

11. *Quoniam ſecundum altitudinem.* Hîc ſecundum, ſcilicet plena dimiſſio, & eſt hæc pars diuiſa in duas. Primo confirmatio miſericordiæ. Secundò ipſa dimiſſio, ibi, *Quantum diſtat ortus.* Dicit ergo: Sic non punit nos ſecundum quod meruimus, *quoniam corroborauit miſericordiam ſuam*, hoc eſt, miſericordiam roboratam exhibuit, *ſuper timentes ſe. Pſal.* Confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius. *Prou. vlt.* Corroborauit brachium ſuum, miſericordiam ſcilicet ſuam, quæ eſt vnum eius brachium, quo attrahit peccatores. Et bene dicit, *ſuper timentes ſe*, quia illos maximè miſericorditer protegit. *Eccleſ.* 34. Oculi Domini ſuper timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris.

Et hoc, *ſecundum altitudinem cœli à terra.* Quaſi diceret: Sicut cœlum ſe habet ad terram, quæ punctus eſt ad ipſum in diſtantia, ſic miſericordia eſt ad homines quaſi infinita. *Iſa.* 55. Sicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ, &c. Et ſicut leges cœli æternæ ſunt, ſic miſericordia Domini ad homines eſt æterna. *Ier.* 31. Si defecerint leges cœli coram me, dicit Dominus, tunc & ſemen Iſraël deficiet vt non ſit coram me. Iterum cœli beneficia multa influunt in terram, ſic à Deo, ſuper timentes ſe. Vnde nota *Gloſſam.* Cœlum enim vndique terram circuit.

12. *Quantum diſtat.* Hîc ſecundum, ipſa dimiſſio, & hæc eſt pars indiuiſa. Ait enim: Sic miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe cotroborat, & ex hoc accidit, qnòd *longè fecit à nobis iniquitates noſtras. Mich.* 7. Deponet iniquitates noſtras, & proiiciet, procul iaciet, in profundum maris omnia peccata noſtra, ita longè faciet iniquitates. *Prou.* 30. Vanitatem, & verba mendacij longè fac à me.

Quantum diſtat ortus ab occidente, claritas ſcilicet à tenebris, inter quæ nulla conuenientia poteſt eſſe. 2. *Cor.* 6. Quæ communicatio luci ad tenebras? *Caſſiod.* Tantum iniquitates noſtræ longè ſunt cum nobis peccata noſtra dimittuntur, quantum poteſt præclara dies à nocte tenebroſa diſtare. Propter hoc quibuſdam conuerſis dicit *Paulus*, *Epheſ.* 5. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. *Eccl.* 2. Tantum præcedit ſapientia, quæ eſt vera in cauendo malum & faciendo bonum, ſtultitiam, quæ eſt in oppoſito: quantum differt lux à tenebris. Et in eodem: Sapientia oculi in capite eius, ſtultus autem in tenebris ambulat. Propter hoc miraculum Dei maximum in iuſtificatione impij, quia de tenebris fit lux. 2. ad *Cor.* 4. Qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere.

Iuſtificatio impij miraculoſa.

13. *Quomodo miſeretur.* Hîc ſecundum, in quo poſtquam oſtendit explicitè effectus miſericordis, & miſeratoris, oſtendit effectus longanimis in miſericordia: & dicuntur duo. Primò miſericors expectatio ad pœnitentiam. Secundò ratio huius miſericordis longanimitatis, ibi, *Quoniam ipſe cognouit.* Dicit ergo: Sic oſtendi, quòd verè miſericors, & miſerator ſit, & etiam longanimis, *quoniam miſertus eſt timentibus ſe. Deut.* 9. Timeamus Dominum Deum noſtrum, eritque nobis miſericors. Sed quomodo? Ita: *Quomodo miſeretur pater filiorum*, ſcilicet longanimiter expectando. Nec mirum, pater enim eſt. *Iſa.* 64. Tu fictor noſter, & nos lutum: tu pater noſter, & opera manuum tuarum omnes nos. *Matth.* 6. Pater noſter qui es in cœlis. Et Patris eſt filios ſupportare. *Deut.* 1. Portauit te Dominus ſicut portare ſolet homo paruulum ſuum. Et ſi affligit, miſeretur vt pater. Sæuiat quantum vult, pater eſt: ſi flagellat & affligit, pater eſt. Fili, ſi ploras, ſub patre plora, quod patris medicina eſt, non pœnæ caſtigatio, non damnatio, noli flagellum repellere, ſi non vis repelli ab hæreditate. *Iudith* 6. Tu qui pius es, miſerere noſtri, & in tuo flagello vindica iniquitates noſtras.

Deus corrigit vt pater.

14. *Quoniam ipſe cognouit.* Hîc ſecundum huius particulæ, in qua ponit rationem longanimitatis huius, ſcilicet cognitionem humanæ fragilitatis, quam monſtrat tripliciter. Primò in ingreſſu huius vitæ. Secundò in progreſſu, ibi, *Homo ſicut fœnum.* Tertiò in egreſſu, ibi, *Quoniam ſpiritus.* Quantum ad ingreſſum oſtendit miſeriam duplicem: quantum ad animam, quia ex nihilo: quantum ad corpus, quia de luto, ibi, *Recordatus eſt.* Dicit ergo: Sic miſeretur. Quare? *Quoniam ipſe cognouit*, certiſſimè, *figmentum noſtrum*, quid ſit, quantum poſſit, ſicut fictor. *Pſal.* Qui finxit ſigillatim corda eorum. Ad *Rom.* 9. Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit: Quid me feciſti ſic? Nouit ergo, quòd corda noſtra, animas noſtras fecit de nihilo. Cognouit etiam figmentum noſtrum, quod nos fingimus. Quilibet enim fingit ſibi idolum, illud ſcilicet quod amat ſuper omnia, & hoc ipſe cognoſcit. *Sap.* 15. Cum ſit mortalis homo, mortuum, denarium qui eſt res mortua, fingit, illud ſibi faciens idolum.

Duplex hominis miſeria in ingreſſu.

Nota etiam, quòd Deus fortes, aureos, & argenteos nos fecit, ſcilicet in Adam, ſed ipſe peccando fictiles nos fecit: quod deplorat *Ieremias Thren.* 4. Filij Sion inclyti & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli?

15. *Recordatus eſt.* Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic nouit, quòd ſumus figmentum ex parte animæ: & etiam *recordatus eſt*, *quoniam puluis ſumus*, ſecundum corpus. *Geneſ.* 3. Puluis es, & in puluerem reuerteris. Et 18. Loquar ad Dominum meum, cum ſim puluis & cinis. *Aug.* Puluerem tuum cogita, noli extolli, quicquid melius es, miſericordia Dei es.

Hominis vita breuis & proſperitas inſtabilis.

Homo ſicut fœnum. Hîc ſecundum, in quo monſtratur fragilitas in progreſſu: & dicuntur duo. Primò vitæ breuitas. Secundò proſperitatis in vita vanitas, & inſtabilitas. *Dies eius.* Dicit ergo: Sic miſertus eſt attendens miſeriam in ingreſſu & quantum ad corpus, & quantum ad animam: & etiam hoc recordatus, quoniam *homo*, vita ſcilicet hominis, *ſicut fœnum*, quod citò valdè tranſit. *Iſa.* 40. Omnis caro fœnum. Suprà in *Pſal.* Et quemadmodum olera herbarum citò decident. In *Pſal.* immediato: Et ego ſicut fœnũ arui.

arui. 1. *Mach.* 2. Hodie extollitur, & cras non inuenietur. Et tamen hoc fœnum Dei potentia & virtute ſolidabitur in vitrũ glorioſum. *Aug.* Noli mirari te participem æternitatis Chriſti, qui primò particeps factus eſt fœni tui: quod excelſum eſt tibi non negabit, qui prius pro te, quod eſt humile, ſuſcepit.

Dies eius. Hìc eſt ſecundum. Quaſi diceret: Sic breuis eſt vita, & proſperitas inſtabilis & vana, *quia dies eius*, &, id eſt, proſperitas & gloria & pulchritudo, *efflorebunt*, extra florebunt, & apparebunt, ſed *tanquam flos agri*, qui citò cadit & vanus valde eſt *Iſa.* 28. Erit flos decidens, gloria exultationis eius. Et in 40. Omnis gloria eius quaſi flos agri. *Iob* 13. Quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra. *Iſa.* 18. Ante meſſem, ante mortem ſcilicet, totus efflоruit, tota eius pulchritudo, proſperitas, & gloria abſceſſit.

16. *Quoniam ſpiritus pertranſibit.* Hìc tertium, ſcilicet miſeria in egreſſu: & tanguntur duo. Primò ſeparatio ſpiritus à carne. Secundò omnium poſſeſſionum amiſſio à ſpiritu ſeparato, ibi, *Et non cognoſcet.* In prima duo. Prima ſeparatio ſpiritus à carne. Secundò ſtatus poſt ſeparationem, ibi, *Et non ſubſiſtet.* Dicit ergo: Dies eius efflorebunt: *quoniam ſpiritus in illo*, exiſtens ſup. *pertranſibit.* Perfectus in ſe manens tranſibit. *Pſal.* Exibit ſpiritus eius, & reuertetur in terram ſuam. Et perfectus manens in ſuis naturalibus. Suprà in *Pſal.* In imagine pertranſibit homo interior.

Et non ſubſiſtet, corpus, homo exterior. *Iob* 7. Oculi tui in me, & non ſubſiſtam. Et infrà: Et ſi mane me quæſieris, non ſubſiſtam, ablato ſpiritu omnia viuificante & tenente. *Ariſtoteles:* Recedente anima, corpus decidit & marceſcit. Infrà in ſeq. *Pſal.* Auferes ſpiritum eorum, & deficient.

Et non cognoſcet, ipſe ſcilicet, *amplius locum ſuum*, domum & poſſeſſiones alias, vt reuertatur ad illas. Non agnoſcit etiam fortè ipſum ſuum locum, quia ſtatim homine mortuo tranſit ad alium. *Iob* 7. Non reuertetur vltrà in domum ſuam, nec cognoſcet eum amplius locus eius. Ad ipſum etiam corpus in hunc modum non redibit, ſed magis corpus ad ſpiritum tranſibit in reſurrectione generali factum perpetuum, ſicut animæ ſunt perpetuæ.

17. *Miſericordia autem Domini.* Hìc tertium totius illius partis, in qua oſtendit explicitè effectus bonitatis diuinæ. Oſtenſo enim in quibus, & quomodo eſt miſerator & miſericors, in quibus longanimis, hìc in quibus multum miſericors, quia in duobus, quæ tanguntur hìc: in conſeruando perpetuò ſuos à malo, ne recidiuent ſcilicet in peccatum. Secundò in remunerando pro bono, quod tangitur ibi, *Et iuſtitia illius.* In prima duo. Primò duratio diuinæ miſericordiæ quaſi à parte ante, à parte ſcilicet principij. Secundò à parte finis. *Et vſque.* Dicit ergo: Sic oſtendi, quòd bene miſerator & miſericors, & bene longanimis: & etiam rectè dixi multum miſericordem, *autem*, quia *miſericordia Domini ab æterno*, à mundi principio, ex quo fuerunt timentes eum, *ſuper timentes ſe. Pſal.* Reminiſcere miſerationum tuarum Domine, & miſericordiarum tuarum quæ à ſæculo ſunt. Et etiam ab æterno propriè, *& vſque in æternum*, erit ſup. *Eccleſ.* 40. Miſericordia Domini in æternum permanet. *Thren.* 3. Non defecerunt, non ſunt defectibiles, miſerationes eius. Propter hoc dicitur. *Eccleſ.* 2. Qui tenetis Dominum, ſperate in illum, & in oblectationem veniet nobis miſericordia. Aliter ſubtrahet miſericordiam, ſi non timetis, & neceſſariò ibitis in ruinam. *Eccleſ.* 28. Si non tenueris te inſtanter in timore Domini, citò ſubuerteretur domus tua.

Et iuſtitia illius. Ecce ſecundum, in quo oſtendit multum miſericordem in reddendo illis quod meruerunt: & eſt hæc miſericordia Dei iuſtitia. Et primò tangitur bonorum abſoluta remuneratio. Secundò comparatiuè ad malos, quibus dominabuntur, ibi, *Et regnum.* In prima duo. Primò dicit, quòd remunerabit bonos. Secundò, quòd remunerare poterit illos, ibi, *Dominus in cœlo.* In prima duo dicuntur. Primò quos remunerabit. Secundò quare. *His qui ſeruant.* Dicit ergo: Sic ex miſericordia continuè & perpetuò ſeruat timentes ſe, & etiam *iuſtitia*, remuneratio ſcilicet iuſta, *illius*, ab ipſo ſcilicet facta, *in filios filiorum.* Quaſi diceret: Non tantum remunerat patres primos, qui iuſti fuerunt, ſed filios, & iterum filios eorum. Et appellat hìc non filios carnales: multi enim iuſtos nullos carnales habuerunt, & multi filij iuſtorum, carnalibus filiis caruerunt. Propter hoc dicendum, quod filios appellat imitatores, ſicut è contrario. *Exod.* 20. Ego ſum Deus zelotes viſitans iniquitates patrum in filios, vſque in tertiam, & quartam generationem.

His qui ſeruant. Hìc ſecundum, in quo addit, quare remunerabit: & dicuntur duo. Primò, quob ob hoc ſaluat, quia teſtamentum eius cuſtodiunt. Secundò, quia diligentes in cuſtodiendo ſunt, ibi, *Et memores.* Dicit ergo: Sic remunerationem facit, & hoc *his qui ſeruant teſtamentum eius. Eccl.* 44. Semen eius, boni ſcilicet filij, in teſtamento ſtetit. Qui ſunt hi, *Deuter.* 31. dicitur. Qui dixerunt patri ſuo, & matri ſuæ, Neſcio vos: & fratribus ſuis, Ignoro vos: & neſcierunt filios ſuos. Hi pactum tuum ſeruauerunt, iudicia tua ô Iacob, & legem tuam ô Iſraël. De malis è contrario. *Iſa.* 24. Tranſgreſſi ſunt leges meas, mutauerunt ius, diſſipauerunt fœdus ſempiternum. 18.

Et memores ſunt. Hìc ſecundum. Quaſi diceret: Illos remunerat, qui teſtamentum ſeruant & cuſtodiunt. Nec tantum hoc, imò *memores ſunt mandatorum ipſius. Pſal.* Non obliuiſcantur opera Dei, & mandata eius exquirant. *Deut.* 8. Obſerua, & caue, ne quando obliuiſcaris Domini tui, & negligas mandata eius. Et hoc, *ad faciendum ea.* Si enim ſunt memores ad dicendum, vel reddendum ſicut pueri, & nihil faciendum, parum merentur. *Caſſiod.* Si quis pſalterium voce reddat, non eſt memor Dei, niſi quæ præcipiuntur effecerit. *Auguſt.* Memoria eſt retinentibus mandata eius, non vt illa reddant, ſed vt illa faciant. Tunc ſequitur remuneratio. *Apoc.* 20. Iudicium eſt, vel iudicatum de ſingulis ſecundum opera illorum.

Dominus in cælo. Hîc ſecundum, in quo poſtquam oſtendit, quod remunerabit, oſtendit quod poſſit. Quaſi diceret: Sic remunerabit facientes, & poterit, quia *Dominus*, cum in infirmitate aſſumpta pro nobis crucifixus ſit, nihilominus *parauit ſedem ſuam in cœlo*, vt iudicet. Supra in *Pſal.* Dominus in cœlo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes eius. *Hebr.* 11. Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi. Et in eodem: Sedet ad dexteram maieſtatis in excelſis.

Et regnum. Hîc ſecundum, ſcilicet remuneratio ſuorum comparatione ad malos. Ait enim: Sic remunerabit in iuſtitia ſanctos, gloriam conferendo, *& regnum ipſius*, iuſti ſcilicet regnum facti ſecundum illud 1. *Pet.*1. Vos eſtis genus electum, regale Sacerdotium. *Apocal.*1. Fecit nos Deo, & Patri regnum. *Dominabitur omnibus*, malis ipſis ſub pedibus poſitis. *Pſal.* Omnium inimicorum ſuorum dominabitur, eius regnum ſup. 1. *Cor.*15. Oportet illum regnare donec ponat inimicos ſuos ſcabellum pedum ſuorum. *Malach.vlt.* Calcabitis inimicos, cum fuerint ſicut puluis, ſub planta pedum veſtrorum.

20. *Benedicite Domino.* Hîc ſecundum totius huius Pſalmi, in quo poſtquam ad Dei laudem rationabilem creaturam, humanam ſcilicet, animam ſuam propriam inuitauit, hîc conuertit ſermonem ſecundò ad alias creaturas, & inuitat illas ad laudem. Primò angelicam ſpecialiter. Secundò ipſam, & omnem aliam vniuerſaliter ibi, *Benedicite Domino omnia opera.* Tertiò ne videretur excludere animam propriam, repetit exhortationem ad illam ſingulariter, ibi, *Benedic anima.* In prima duo. Primò inuitat Angelos inter nos & Deum mediatores, quantum ad, cognoſcenda. Secundò quantum ad agenda ibi, *Benedicite Domino omnes virtutes eius.* In prima duo. Primò inuitat Angelos ſimpliciter. Secundò ſpecificat quos, ibi, *Potentes virtute.* Dicit ergo: Sic inuitaui animam ad benedicendum: ſed ô vos *omnes Angeli eius*, Domini ſcilicet, *benedicite Domino.* Infrà in *Pſal.* Laudate eum omnes Angeli eius. *Iſa.* 6. Seraphim clamabant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. *Apocal.*4. Requiem non habebant die & nocte dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Nec eſt hæc inuitatio vel exhortatio ad Angelos, quia indigeant, ſed vt monſtret, quòd voluntati Angelorum concordet.

Angeli mediatores inter Deum & homines.

Potentes virtute. Hîc ſpecificat quibus loquatur, & deſcribit eos ab habitu primò. Poſt ab actu, ibi, *Facientes.* Dicit ergo: Benedicite eum omnes Angeli eius, qui eſtis *potentes virtute*, in vobis exiſtente, data vobis à vero creatore, non repleti vino ſicut mali, intantum, vt dicamini Virtutes Dei. *Dan.* 3. Benedicite Domino omnes Virtutes eius.

Facientes. Hîc ab actu: & tanguntur duo. Primò actus. Secundò finis actus. *Ad audiendam.* Dicit ergo: Sic eſtis potentes virtute, & *facientes verbum illius*, ad homines: & hoc, *ad audiendam*, id eſt, *vt* homines audiant *vocem ſermonum eius*, per vos ſcilicet. Angeli Abrahæ voluntatem Dei manifeſtauerunt. *Gen.* 17. De circunciſione, 18. de Sodomitarum ſubmerſione, & Loth de euaſione incendij. Moyſi de cultura Dei, & tabernaculi inſtitutione. *Exod.* 20. & deinceps. *Tob.* 11. Dixit vnus è talibus: Manifeſto vobis veritatem, & non abſcondam à vobis occultum ſermonem. *Dan.*10. Veni vt docerem te ea quæ ventura ſunt populo tuo.

Benedicite Domino. Hîc ſecundum, in quo inuitat Angelos mediatores quantum ad agenda: in quo tanguntur tria, quæ ſunt in Angelis illis. Primò virtus. Secundò officium. *Miniſtri eius.* Tertiò opus. *Qui facitis.* Dicit ergo: Sic benedicite vos, qui nos inſtruitis. *Benedicite* etiam ipſum *omnes virtutes eius.* Vel ad vnum ordinem ſicut eſt dictum, loquitur ſpecialiter: vel ad omnes, quia ſicut ſunt alij mediatores in illuminando & docendo nos, ſic in agendo. Quaſi dicat: Benedicite illum, qui ſic vos virtutibus repleuit, vt Virtutes dicamini. *Pſal.* Laudate Dominum in virtutibus eius. 21

Miniſtri eius. Hîc tangit officium. *Dan.*7. Millia millium miniſtrabunt ei, & decies centena, &c. Ad *Hebr.*1. Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi.

Qui facitis voluntatem eius, quam in ipſo legitis, & videtis. *Caſſiod.* Angelis verbum Domini eſt voluntas eius, quia cum Dominum inuentur, voluntatis eius veritatem agnoſcunt, quam ſtatim faciunt. Propter hoc *Matth.* 6. monet vt oremus: Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in in terra: ſicut in cœlo ab Angelis, ſic in terra à nobis.

Benedicite Domino. Hîc ſecundum totius huius partis, in quo poſtquam inuitauit ad benedicendum Deum creaturam angelicam ſpecialiter, inuitat ſimul omnem: & dicuntur duo. Primò inuitatio ad benedicendum. Secundò ne crederetur, quod non eſſet benedicendus niſi in Iudæa vel in templo, determinat locum in quo benedicendus, ibi, *In omni loco.* Vel ſecundum aliam literam probatio, quòd ſit benedicendus ab omni creatura. Dicit ergo: Sic benedicite Dominum Angeli, imò *omnia opera eius*, Dei ſcilicet, *benedicite Domino. Tob.*8. Domine Deus Patrum noſtrorum benedicant te oculi, & terra, fontes, & flumina, & omnia quæ in eis ſunt, & 13. Benedicite, & cantate ei.

Et hoc, *in omni loco dominationis eius*, non in vno tantum. *Caſſiod.* Sicut nulla creatura à laudibus Domini iubetur excipi, ita nec locus quiſquam relinquitur qui à tali munere ſegregetur. *Mal.*1. A ſolis ortu vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum, & in omni loco offertur nomini meo oblatio munda. Vel ſecundum aliam literam, quæ habet, *dominationes:* Sic dixi, Benedicite, & debetis: *quoniam dominationes eius* ſunt *in omni loco*, nullo excepto. *Caſſiod.* Cum in omni loco dicitur, nihil excipitur, quia in omni loco dominatur.

Deus ſemper & vbique benedicendus.

Benedic anima mea. Hîc tertium, in quo redit ad animæ exhortationem, ne crederetur eam in omnibus operibus non comprehendiſſe. Ait enim: Sic omnia opera benedicite, & tu *anima mea benedic Domino:* ſicut dicit *Gloſſa*, à quo incipit, in hoc terminatur Pſalmus, vt monſtretur, quòd debet eſſe circularis Dei benedictio, & ſine fine, ſecundum illud: Benedicam Dominum in omni tempore. Benedic ergo, ô anima mea, vt benedicat te Deus noſter, illa benedictione, de qua *Matth.*25. Venite benedicti Patris mei percipite

percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Quod nobis præſtet, qui eſt benedictus per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

IN CIII. PSALMVM.

Pſalmus Dauid.

1. *Argumentũ Pſalmi, iterum ad laudem Dei admonet ex cõſideratione operum naturæ & gratiæ.*

Benedic anima mea Domino. Hic eſt Pſalmus 103. in quo poſtquam monuit animam, & Angelos, imò omnem creaturam ad Dei laudem, & gratiarum actionem, hîc ſubiungit cauſam, quia propter opera creationis, ipſa enim cum attenduntur diligenter, conditor cognoſcitur, cognitus benedicitur, & benedicto gratiæ referuntur, ſecundum illud *Sap.*13. A magnitudine ſpeciei & creaturæ poterat eorum creator viſibiliter cognoſci. Et ad *Rom.*1. Inuiſibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus eius, & diuinitas. Et *Auguſtin.* dicit: Videtis fabricam mundi amplam, ex cœlo & terra, & omnibus quæ in eis ſunt, ex huius fabricæ magnitudine & pulchritudine, magnitudo creatoris & pulchritudo oſtenditur. Titulus autem præpoſitus nihil habet noui, ſed communi modo indicat quod ſubiectum eſt cum actore: *Pſalmus Dauid.*

Diuiditur autem Pſalmus in tres partes. Primò eſt inuitatio animæ propriæ ad laudandum & glorificandum Deum, propter magnificentiam operum creationis. Secundò inuitationis inculcatio in fine Pſalmi. *Benedic*, &c. In prima duo. Primò inuitatio ad benedicendum Deum. Secundò, quòd maius eſt, ad perpetuo glorificandum, ibi, *Sit gloria Domini in ſæculum.* In prima duo. Primò inuitatio animæ propriæ ad benedicendum. Secundò probatio, quod benedicendus ſit, per opera creationis, ibi, *Domine Deus.*

Dicit ergo: Sic anima mea monui vt Deo benedicas, & adhuc dico, ô *anima mea benedic Domino.* Et in *Pſal.* infrà: Lauda anima mea Dominum. Quid autem ſic benedicere Deum, dicit *Caſſiodor.* Benedicere Deum, eſt eius magnalia confiteri. Bene autem dicit: *Anima benedic*, non os: multi enim ore benedicunt, qui maledicunt corde. *Pſal.* Ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant. *Ambroſ.* Cum vox in ore, corpus in choro, & cor in foro, tunc male diuiditur homo.

Domine Deus meus. Hîc ſecundum, in quo probat quòd benedicendus, quia magnificatus multum: vnde duo dicuntur. Primò magnificatum vehementer aſſerit. Secundò ſpecificat in quibus magnificatus ſit, ibi, *Confeſſionem.* Dicit ergo: Sic anima monui, vt Domino benedicas, quod & debes, quia ô *Domine Deus meus, magnificatus es vehementer.* 1. *Paralip. vlt.* Tua eſt Domine magnificentia & poteſtas. *Eccleſ.*43. Admirabilis magnificentia Domini, tam vehemens, tam mirabilis, vt non habeat finem. *Pſal* Magnitudinis eius non eſt finis. Non habet parem. 1. ad *Cor.*8. Siquidem ſunt dij multi, & domini multi, vnus tamen eſt Deus. Nec habet inueſtigatorem. *Eccleſ.*18. Quis inueſtigabit magnalia eius, virtutemque magnitudinis eius? Et in 43. Quis videbit eum, & inueſtigabit, & magnificabit ab initio?

Confeſſionem & decorem. Hîc ſecundum, in quo oſtendit in quibus magnificatus ſit, quia in duobus. Primò quia magnificus in operibus naturæ. Secundò, quod in operibus etiam gratiæ, ibi, *Emitte ſpiritum.* In prima duo. Primò oſtendit magnificatum in operibus naturæ generaliter. Secundò deſcendit quaſi ad opera ipſa ſpecialiter, ibi, *Extendens cœlum ſicut pellem.* In prima tria, ſecundum tria quæ tangit in omni creatura generaliter. Primò, quòd eſt laudis diuinæ materia. Secundò, quòd decora in ſe. Tertiò, quòd luminoſa, quaſi aliis communicando ſe. Dicit ergo: Sic dixi Domine, *quoniam magnificatus es:* & vere hoc dixi, *quia confeſſionem induiſti*, creaturarum ſcilicet vniuerſitatem, materiam confeſſionis laudis præbentem, *& decorem*, eandem ſcilicet craturam formatam, & pulchram. *Deus magnificus in operibus naturæ.*

Amictus lumine, eadem creatura luminoſa, & aliis ſe communicante ſicut lux, *tanquam veſtimento.* Quaſi diceret: Sicut homo latet in ſuo veſtimento, ſic tu in tuis latitas creaturis, in omnibus exiſtens, & ipſas implens. *Ierem.*23. Cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus. Et ipſas ſuſtines, & portas omnes ſicut homo veſtimentum ſuum. Ad *Hebr.*1. Portanſque omnia verbo virtutis ſuæ. 2.

Poteſt etiam legi de incarnatione: Filius enim Dei carnem noſtram induit tanquam veſtimentum. *Prou. vlt.* de ſapientia Dei: Quæſiuit lanam & linum, ſuauem & mundiſſimam Virginis carnem, & operata eſt conſilio manuum ſuarum, ſibi veſtimentum. Et inde laudatur & glorificatur: vnde ipſa confeſſio laudis dicitur, quaſi confeſſionis cauſa. *Luc.*2. Gloria in excelſis Deo. Et iterum: Reuerſi ſunt paſtores glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant, &c. Et ipſa decora ſine culpa omni. *Iſa.*53. 1. *Pet.*2. Qui peccatum non fecit. Et *Pſal.* Specioſus forma præ filiis hominum. Et ipſa lumen, quia ad literam in reſurrectione facta eſt lucidior ſole. Hominibus, qui ſunt lux, amictus eſt tanquam veſtimento. Ad *Epheſ.*5. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Et circundantibus ſe dixit. *Matth.*5. Vos eſtis lux mundi. *Iſa.*49. Viuo ego, dicit Dominus, quia his omnibus velut ornamento veſtieris.

Actiuè etiam legi poteſt. Ipſe enim eſt, qui nos induit confeſſione, dans gratiam confitendi peccata, in qua ſordida culpæ deponimus veſtimenta, & decore nos induit virtutum. Quod ſignificatum fuit *Eſth.*15. Depoſuit veſtimenta fletus ſui, & circumdata eſt gloria ſua. *Auguſt.* Induimus confeſſionem, quando Domino vniuerſaliter confitemur: decorem, quando virtutibus ornamur. Item idem: Accuſando incipe confiteri, à confeſſione incipis decorari, decorata à ſpecioſo præ filiis hominum incipis amari. Ipſe tamen amictus eſt lumine ſicut veſtimento, vt quantumcumque coneris, non poſſis comprehedere. 1. ad *Tim. vlt.* Lucem habitat inacceſſibilem. Quippe ipſemet ſibi eſt indumentum. Et 1. *Ioan.*1. dicitur: Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ.

Extendens

Extendens cœlum. Hîc ſecundum, in quo deſcendit ad ſpecificandum opera naturæ, in quibus Deus magnificatus eſt: & dicuntur duo. Primò in diſpoſitione creaturarum. Secundò in conſeruatione diſpoſitarum, ibi, *Potabunt omnes beſtiæ.* In prima duo. Primò monſtratur magnificentia in diſpoſitione ſuperiorum. Secundò in inferiorum, ibi, *Qui fundaſti.* In prima duo, quia primò monſtratur magnificentia in diſpoſitione irrationabilium ſuperiorum. Secundò rationabilium, ibi, *Qui facis Angelos.* In prima duo. Primò oſtendit magnificentiam in diſpoſitione cœli relata ad contenta. Secundò relata ad continens, ibi, *Qui tegis aquis.* Dicit ergo: Sic es creaturis circumdatus, & es *extendens cœlum ſicut pellem*, quia ſicut pellis ſua extenſione totum animal comprehendit, ſic cœlum omnia corporalia hæc. *Iſa.*44. Extendens cœlos ſolus, & ſtabiliens terram. *Ierem.*51. Dominus prudentia ſua extendit cœlos. Et in *Iſa.*41. Qui extendit cœlos quaſi nihilum, & expandit eos quaſi tabernaculum ad inhabitandum.

3. *Qui tegis aquis.* Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic cœlos diſponis ad continendum, & etiam *tegis aquis ſuperiora eius*, ad literam. Hoc dicit propter cœlum cryſtallinum, quod eſt quaſi aquæ congelatæ, & eſt immobile ſuſcipiens lucis influentiam ab empyreo. *Geneſ.*1. Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. *Dan.*3. Benedicite aquæ quæ ſuper cœlos ſunt Domino.

Iuſtus eſt cœlum quod Deus multipliciter extendit.

Item iuſtus cœlum eſt, in quo ſedet & quieſcit Deus. *Iſa. vltim.* Cœlum mihi ſedes eſt. Et extendit illud propter eleemoſynarum largitionem. *Prouerb. vltim.* Manum ſuam aperuit inopi, & palmas &c. Per perfectam obedientiam. *Ioan. vltim.* Extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis. Per contemplationem. *Ezech.*2. Extendit, vel expandit illud coram me. Sed ſicut pellem, per carnis mortificationem, vt inde faciat ſibi tentorium. *Iob* 36. Extendet nubes quaſi tentorium ſuum.

Gloſſa etiam aliter legit, vt per cœlum intelligatur ſacra Scriptura. *Iſa.* 34. Complicabuntur quaſi liber cœli. In his autem altiora ſunt duo charitatis præcepta. *Matth.*22. In his duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ. Et hæc ſuperiora aquis teguntur, ſcilicet Spiritu ſancto, qui dicitur aqua. *Ioan.*7. Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu ſancto, quem accepturi erant credentes in eum.

Qui ponis nubē. Hîc ſecundum, in quo oſtendit Dei magnificentiam quantum ad cœlum aëreum per duo, quæ tangit, quæ Deus in illo facit. Nubes congregat, in quibus etiam aſcendit, & ventos creat, quibus velocius currit. *Qui ambulas.*

Dicit ergo: Sic magnificus es in firmamento, cœlo ſcilicet ſydereo, & magnificus, *qui*, id eſt, quia tu *nubem*, quam facis in aëre, & congregas, *aſcendis*, in tua aſcenſione, verè ab infimo nubes eleuas. *Ierem.*10. Eleuat nubes ab extremitatibus terræ 3. *Reg.*18. Ecce nubecula aſcendebat de mari. Et in nube aſcendit. *Act.*1. Nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.

Dominus in nube ſuſpiciendus.

Et nota, quòd Dominus in nube venit ad nos, quam aſcendit mundum ingreſſurus, ſcilicet carnem ſuam. *Iſa.* 19. Aſcendet Dominus ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum. In eadem nube conuerſatus eſt inter nos. *Exod.* 14. Columna ignis & nubis erat cum filiis Iſraël, ipſos protegens & regens. In nube abiit à nobis, ſicut iam dictum. Et *Num.*10. Eleuata eſt nubes de tabernaculo fœderis. 4. *Reg.*1. Elias aſcendit in cœlum in turbine, hoc eſt, in nube. Nubes nobis deſeruiunt ad irrigandum nos, de quibus. *Iſa.*60. Qui ſunt illi, qui vt nubes volant? &c. Id eſt, Apoſtoli. In nube nobiſcum remanſit ad nutriendum nos, ſcilicet in ſacramento altaris. 3. *Reg.* 8. Dixit Dominus vt inhabitaret in nebula. *Eccleſ.*43. Medicina omnium in feſtinatione nebulæ. In nube redibit. *Luc.*21. Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum poteſtate magna, & maieſtate.

Qui ambulas ſuper. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic tu es *qui ſuper ventorum pennas*, id eſt, velocius quàm illi currant, tu curris: vnde quod dixi, ſuper nubem aſcendis, non propter indigentiam tuam hoc dixi, ſed propter prophetiam. In *Pſal.* ſuprà. Volauit ſuper pennas ventorum. Et ab eo eſt diſcurſus nubium, vnde illis non indiget. *Iob* 33. Magnificentia eius diſcurrunt nubes, veræ & literales, & ſpirituales.

4. *Qui facis Angelos.* Hîc ſecundum, ſcilicet illa pars, in qua monſtratur magnificus & magnificatus in ſuperioribus, quantum ad creaturas rationabiles: & dicuntur duo. Primò, quòd illas ad miniſtrandum ordinat. Secundò, quòd miniſtrantes amore ſui nihilominus inflammat, ibi, *Et miniſtros.* Dicit ergo: Sic magnificatus es, quia hoc facis in cœlis: & *qui*, id eſt, quia tu *facis Angelos tuos*, id eſt, nuntios tuos (Angelus enim eſt nomen officij, non naturæ) *ſpiritus*, id eſt, ſubſtantias ſpirituales, eas mittendo ad miniſtrandum eis. Ad *Hebr.* 1. Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. Nuntiauerunt Abrahæ voluntatem Dei de Sodoma ſubuertenda, & Iſaac naſcituro. *Geneſ.* 18. Et Iacob loquuti ſunt, eiuſdem 32. & Moyſen de lege Dei inſtruxerunt *Exod.*20. Et Manue loquuti ſunt de filio naſcituro, Samſone ſcilicet *Iud.*13. Et in multis ſcripturæ locis leguntur nuntij fuiſſe.

Angeli annuntiãt voluntatẽ Dei hominibus.

Et miniſtros tuos, id eſt, vt tibi miniſtrent, *flammam vrentem* facis, id eſt, Angelos, qui lucent & ardent toti charitate. *Iſa.* 6. Volauit vnus de Seraphim, quod interpretatur ardens. Hîc notatur quales debent eſſe nuntij Dei, Prælati, quia Angeli. *Mal.*2. Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem ex ore eius requirent: Angelus enim Domini exercituum eſt. Spiritus eſſe debent, vt non viuant ſecundum carnem. *Roman.*8. Debitores ſumus non carni, vt ſecundum carnem viuamus, ſed ſecundum ſpiritum. Item debent eſſe ignis ardens zelo honoris Dei, & Eccleſiæ. *Gregor.* Qui non ardet, non incendit. *Zachar.* 12. Ponam duces Iudæ ſicut caminum ignis in lignis. Propter hoc à Petro inſtituendo requiritur amor, & quaſi triplex. Primus amor, amor ſimplex: ſecundus

Quales debent eſſe prælati.

ſecundus amor, zelus : tertius amor, ardor. *Ioan. vltimo.*

5. *Qui fundaſti terram.* Hîc ſecundum, in quo monſtrata Dei magnificentia comparatione ad ſuperiores creaturas, hic monſtrat comparatione ad diſpoſitionem inferiorum. Et primò tangitur diſpoſitio ante diluuium, ibi, *Super montes.* Tertiò poſt diluuium. *Ab increpatione.* In prima duo. Primò terræ diſpoſitio. Secundò aquæ, ibi, *Abyſſus.* In prima duo. Primò notatur terræ ſtabilitas. Secundò ſtabilitatis perpetuitas. *Non inclinabitur.* Dicit ergo : Sic magnificatus es, quantum ad ſuperbiam : & etiam *qui*, id eſt, quia tu *fundaſti terram. Iſa.* 48. Manus mea fundauit terram, &c. Etſi Dominus fundauit terram. Et hoc, *ſuper ſtabilitatem ſuam*, id eſt, dedit ei propriam naturam & ſtabilitatem, propter quam ſtat tanquam ab illa ſuſtentata, & in illa fundata. Hæc autem ſtabilitas eſt forte humiditas, per quam ſtat. Infrà in *Pſal.* Qui firmauit terram ſuper aquas. Et ſuprà: Super maria fundauit eum, &c. orbem ſcilicet terrarum.

Non inclinabitur, quin ſtet fortiter, *in ſæculum ſæculi*, hoc eſt, in æternum. Contra *Luc.* 22. Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea, &c. Reſp. Tranſibunt non vt non ſint, ſed vt meliora ſint & pulchriora, & ſic non erunt ad non eſſe inclinata. Terra autem eſt Eccleſia fluens lacte & melle. *Exod.* 3. Sed hæc eſt fundata *ſuper ſtabilitatem ſuam*, petram ſcilicet firmiſſimam Chriſtum. *Matth.* 7. Fundata erat ſupra firmam petram. Propter hoc non cadit, ſed ſtat in æternum. *Eccleſ.* 1. Trrra autem in æternum ſtat. Fundata etiam eſt ſuper fidem Chriſti, quæ deficere non poteſt, quicquid agant mali. *Matth.* 16. Et ſuper hanc petram, fidem ſcilicet, quam confitebatur Petrus, ædificabo Eccleſiam meam. In *Pſal.* Deus in medio eius non commouebitur.

Eccleſiæ ſtabilitas.

6. *Abyſſus ſicut veſtimentum.* Hîc tangitur diſpoſitio aquæ. Quaſi diceret : Sic diſponis terram, & *abyſſus*, mare ſcilicet, & omnis aquarum congeries, *& amictus eius ſicut veſtimentum.* Ad literam, aquæ marinæ, & flumina operiunt terram. *Iſidorus* dicit quod Oceanus dicitur ipſum mare, eò quod orbem circundat, vt poſſit dicere terra illud *Ionæ* 2. Vallauit me abyſſus. Sic Eccleſia abyſſo tribulationum circundatur & vallatur. 1. ad *Timoth.* 2. Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patiuntur. Sed ſicut veſtimentum quod fouet indutum. In his enim non deſtruitur, ſed magis fouetur, & calor charitatis in ea conſeruatur. *Exod.* 1. Filij Iſraël, quò plus affligebantur, eò plus creſcebant, & multiplicabantur.

Super montes. Hîc ſecundum, in quo tangitur de diſpoſitione creaturarum inferiorum in ipſo diluuio. Ait enim : Sic aliquando abyſſo circundabatur terra, & tantum creuit, quòd *aquæ abyſſi* ſup. ſtabunt tua diſpoſitione *ſuper montes*, eleuatæ ſupra cubitis quindecim, ſicut habetur *Geneſ.* 8. Et iterum : Aquæ præualuerunt nimis, opertique ſunt montes vniuerſi ſub cœlo.

Aqua deliciarum & voluptatum modò operuit montes, Prælatos & magnos homines, aſcendens vſque ad ſummum illorum. In *Pſal.* Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque animam meam.

Ab increpatione. Hîc tertium, quo tangitur magnificentia Dei in diſpoſitione creaturarum inferiorum poſt diluuium: & dicuntur quatuor. Primò oſtenditur Dei magnificentia in diminutione aquarum. Secundò in apparitione montium, & camporum, ibi, *Aſcendunt montes.* Tertiò in reluſione aquarum in propriis alueis, ibi, *Terminum poſuiſti.* Quartò in recuperatione ſoliti curſus, & originum ſuarum, ibi, *Qui emittis fontes.* In prima duo. Primò Dei magnificentia in cohibitione fluxus inordinati aquarum. Secundò in diminutione cohibitarum, ibi, *A voce tonitrui.* Dicit ergo : Sic ante diluuium erant aquæ, ſic in diluuio, & poſt *fugient*, quaſi retrocedendo, non fluendo iam amplius, *ab increpatione tua*, hoc eſt, ac ſi eſſent à te de in ordinato fluxu increpatæ. *Naum* 1. Increpans mare, & exiccans illud. Suprà in *Pſal.* Ab increpatione tua Domine, ab inſpiratione ſpiritus iræ tuæ. 7.

A voce tonitrui tui, hoc eſt, venti terribilis, & ſicci, *formidabunt*, fugientes, & euaporationibus diſperſæ & diminutæ. *Geneſ.* 8. Adduxit Dominus ſpiritum ſuper terram, & diminutæ ſunt aquæ, & clauſi ſunt fontes abyſſi. Quia verò ſicut dicit *Gloſſa*, in futuro loquitur, non in præterito, magis ad ſenſum ſpiritualem recurrendum. Aquæ ergo populi ſunt ſecundum illud *Apocal.* 17. Aquæ multæ, populi ſunt, & tribus, & linguæ. Sed iſtæ fugiunt peccata ab increpatione Dei per flagella. *Eccleſ.* 11. Malitia vnius horæ obliuionem facit luxuriæ maximæ. Et à voce prædicationis, tanquam à voce tonitrui diuini formidant. *Abac.* 3. Domini Domine audiui auditum tuum, & timui. *Oſeæ* 10. Leo rugiet, & formidabunt filij maris.

8. *Aſcendunt montes.* Hîc ſecundum, in quò oſtenditur magnificentia in montium, & camporum apparitione. Primò montium. Secundò camporum. *Et deſcendunt.* Ait enim : Sic aquas compeſcuiſti : & tunc *aſcendunt montes*, id eſt, eleuati ſe oſtendunt : *& deſcendunt campi*, oſtendunt tanquam deſcenderint inferius ſe deprimi : & hoc, *in loco quem fundaſti eis*, quem fundando eis ſtatuiſti. *Geneſ.* 8. Tunc apparuerunt cacumina montium, & exiccata eſt ſuperficies terræ. Montes ſunt prælati, qui debent aſcendere ſurſum in loco, quem fundauit eis Deus, ſcilicet vt vita eorum emineat ſuper alios ab humero & ſurſum. 1. *Reg.* 10. Ab humero & ſurſum fuit Saül eminentior omni populo. Campi autem ſunt ſubditi in inferno, & in lata via poſiti. Suprà in *Pſal.* Campi replebuntur vbertate. Hic etiam locus à Deo fundatur, ſcilicet nouiſſimus, vt ſint obedientes & humiles. *Luc.* 14. Vade, & recumbe in nouiſſimo loco, & ibi funderis. *Eccleſ.* 10. Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris.

9. *Terminum poſuiſti.* Hîc tertium, in quo monſtratur magnificentia in reclusione aquarum in alueis ſuis : & dicuntur duo. Primò illarum reclusio in alueis ſuis. Secundò cauſa & ratio ſic recludendi & reprimendi illas ne terram operiant,

riant, ſicut in diluuio, ibi, *Nec conuertentur.*

Tentationũ & afflictionũ terminui.

Dicit ergo: Sic aqua minuiſti, & apparuerunt montes, & campi: & etiam *terminum poſuiſti illis*, alueos proprios, *quem non tranſgredientur. Iob* 38. Circumdedi mare terminis ſuis, & dixi: Huc vſque venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. *Ier.*5. Qui poſuit arenam terminum mari, præceptum ſempiternum quod non præteribit.

Nec conuertentur. Ecce ratio ſic comprimenda. Quaſi diceret: Sic poſuiſti terminum: *nec conuertentur*, amplius ab alueis ſuis, *operire terram*, ſicut in diluuio. *Geneſ.*9. Non inducam amplius aquas diluuij ſuper omnem terram, nec erunt aquæ diluuij ad delendam vniuerſam carnem. Sic Dominus aquas tribulationum comprimit, ne opprimant Eccleſiam. 1. ad *Corinth.*10. Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari ſupra id quod poteſtis. *Iſa.*43. Cum pertranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te.

Et nota hîc, quòd ſunt termini & menſuræ tentationis, ſicut hîc. Et ſunt termini terrenitatis, de quibus ſuprà: Et timebunt qui habitant terminos à ſignis tuis. Et prælationis: cuilibet enim menſuratum eſt in quo poſſit. 2. ad *Corinth.* 10. Nos non in immenſum gloriabimur, ſed ſecundum menſuram regulæ, quam menſus eſt nobis Deus, pertingentem vſque ad vos. *Sapient.*2. Noli tranſgredi terminos, quos poſuerunt patres tui. Et vitæ. *Iob* 13. Conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt.

Modus loquendi præſcribitur.

Et nota, quòd aquæ etiam ſunt loquutiones ſuperfluæ, de quibus *Prou.*17. Qui dimittit aquam, caput eſt iurgiorum. His terminum Dominus poſuit quando dixit *Matth.* 12. De omni verbo otioſo quod loquuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij. Hunc terminum loquaces homines tranſgrediuntur,

Serm. de triplici cuſtodia.

in vanis tempus perdentes. *Bernard.* Nemo veſtrum, fratres, parum æſtimet tempus, quod in verbis conſumitur otioſis. Volat verbum irreuocabile, volat tempus irremeabile: nec aduertit inſipiens quid amittat. Libet fabulari, aiunt, donec hora prætereat: ô donec pertranſeat tempus: donec pertranſeat hora, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam, miſeratio conditoris indulget.

10. *Qui emittis fontes.* Hîc quartum, in quo oſtenditur magnificentia in reſtitutione originum & ſolitorum curſuum fluuiorum: & ſecundum hoc duo dicuntur. Primò reſtitutio originum. Secundò curſuum. *Inter medium montium.* Dicit ergo: Sic magnificus es aquas includendo in propriis alueis: & etiam, *qui*, id eſt, quia tu *emittis*, ad literam extra terram mittis, *fontes in conuallibus*, vbi duo montes concurrunt, ibi enim frequentius ſunt fontes. In *Pſal.* ſuprà: Apparuetunt fontes aquarum. *Caſſiodor.* Certum eſt conualles aquis abundare copioſis, fontiumque ibi eſſe frequentiam maximam, vbi ſunt arua iacentia.

Inter medium montium. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Reddis originem & debitum curſum quia aquæ fluentes & collectæ de fontibus *pertranſibunt inter medium montium*, in conuallibus ſcilicet. *Iob* 6. Torrens raptim tranſit in conuallibus. Spiritualiter autem conualles ſunt humiles propter humilitatem duplicem, in quibus Dominus fontes gratiarum emittit, & doctrinarum. *Iacob.* 4. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. *Iſa.*41. Aperiam in medio camporum fontes, id eſt, humilium. Hi enim implent illud *Iſa.*12. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Montes autem ſuperbi, qui remanent aridi. 2. *Reg.* 1. Montes Gelboë, nec ros, nec pluuia veniant ſuper vos. Sed debent nihilominus currere inter montes, inter duo Teſtamenta, vt feruore gratiarum regatur doctrina ſcripturarum. Iſti ſunt montes ænei, de quibus egrediunrur quatuor quadrigæ. *Zach.*6.

In humilitate hominũ aquæ diuinæ ſemper æſtuant.

Potabunt omnes. Hîc ſecundum illius partis, in qua ſpecificando monſtrat Dei magnificentiam, per comparationem ad creaturas. Monſtrauit enim magnificentiam, in comparatione ad diſpoſitionem creaturarum, tam ſuperiorum: quam inferiorum, hîc quantum ad conuerſationem: & dicuntur duo. Primò oſtendit magnificentiam in conſeruatione creaturarum in terra. Secundò in mari, ibi, *Hoc mare magnum.* In prima iterum dicuntur duo. Primò monſtratur per quem fit conſeruatio. Secundò oſtenditur magnificentia ex tali conſeruatione, ibi, *Quàm magnificata ſunt.* In prima tria, ſecundum tria quæ tangit, per quæ eſt conſeruatio. Primum cibi & potus miniſtratio. Secundum, loci competentis ad inhabitandum procuratio, ibi, *Saturabuntur.* Tertiò temporum variatio ad faſtidium alleuiandum, ibi, *Fecit lunam.* In prima duo. Primò cibi miniſtratio irrationabilibus ſylueſtribus. Secundò domeſticis, ibi, *Producens fœnum.* Et primò irrationabilibus ſylueſtribus greſſibilibus. Secundò volatilibus, ibi, *Super ea volucres cœli.* Et prima primò miniſtratio ſylueſtribus irrationabilibus habitantibus in propinquo ad homines. Secundò habitantibus in remoto, ibi, *Expectabunt onagri.* Dicit ergo: Sic pertranſibunt aquæ, nec pro nihilo, quia *potabunt omnes beſtiæ agri*, non deſerti, vt intelligas, quod de magis proximis loquitur, quæ frequentant loca ab hominibus culta: hæc enim expectant à te ſuſtentationem. *Ioël.* 1. Beſtiæ agri, quaſi area ſitiens imbrem, ſuſpexerunt ad te. Et tu exaudis dicens illud *Iſa.* 56. Omnes beſtiæ agri venite ad deuorandum. 11.

Expectabunt onagri, aſini ſylueſtres, qui habitant in deſertis remotiſſimis, *in ſiti ſua*, habere à te potum. *Ierem.* 13. de his onagris: Onagri ſteterunt in rupibus, traxerunt ventum quaſi dracones: vt inde aliquo modo refocillentur, donec à te potentur. Beſtiæ agri Gentiles ſunt, vel ſimplices, qui potantur aquis doctrinæ. *Iſa.*43. Beſtia agri glorificabit me: quia dedi in deſerto aquas, vt darem potum populo meo. Onagri verò ſuperbi & Iudæi, qui nolunt nunc bibere, ſed expectant vſque ad finem ſuum, hoc eſt, vſque ad conuerſionem reliquiarum. *Dan.* 5. Eleuatum eſt cor regis, & depoſitus eſt de ſolio regni, & ablata eſt gloria eius, & cum onagris erit habita

habitatio eius. Moraliter per beſtias, carnales homines deſignantur. *Eccl.*10. Cum morietur homo,hæreditabit ſerpentes,dæmones qui portabunt animam, beſtias, carnales parentes qui deuorabunt ſubſtantiam, & vermes, qui comedent carnem. Onagri autem viri iuſti, quos libenter venatur diabolus,ſi poteſt. *Eccl.*13. Venatio leonis,onager in eremo.Beſtia ergo bibit, quia carnalis homo delectationibus præſentibus ſe reficit: ſed onager expectat, & ſuſtinet ſitim, donec de plenitudine bonorum ſe reficiat, dicens illud *Pſal.* Satiabor cùm apparuerit gloria tua.

12. *Super ea volucres.*Hic ſecundum,ſcilicet conſeruatio ſylueſtrium volatilium, & oſtenditur conſeruatio quantum ad cibum,& quaſi ex conſequenti vt monſtret de quibus loquitur quantum ad locum. *De medio petrarum.* Ait enim: Sic conſetuas animalia ſylueſtria quadrupedia: & etiam *ſuper ea*, ſcilicet fontes & flumina,& conualles: vel *ſuper eos* ſecundum aliam literam, id eſt,montes; *habitabunt volucres*, vt ab aquis habeant cibum. Volucres, inquam, cœli aëris. *Matth.* 13. Volucres cœli comederunt illud. *Matth.6.* dicit Dominus, quòd Deus paſcit volatilia,quamuis non ſeminent,nec metant.

De medio petrarum,in quibus quaſi ſecurè habitant,& inde procul vident,*dabunt voces*, ad te pro refectione. *Iob* 39. Quis præparauit coruo eſcam ſuam, quando pulli eius ad Deum clamant, eò quod non habeant eſcas.

Anima cum horto comparatur.

Et nota, quòd anima exiſtens in gratia, eſt quaſi hortus pulcherrimus. *Cant.*4.Hortus conclusus es ſoror mea ſponſa. Sed poſt peccatum fit ſolitudo & deſertum *Ioël.*2.Quaſi hortus voluptatis terra coram eo, & poſt eum quaſi ſolitudo deſerti. Et ad hunc hortum veniunt volucres cœli,ſcilicet Angeli,de quibus *Iob* 28.Abſcondita eſt ab oculis omnium viuentium,& volucres cœli latet. Et reſident ſuper arbores, ſcilicet ſuper virtutes. *Dan.*4.In ramis eius conuerſabantur volucres. *Matth.*13.Volucres cœli veniunt,& habitant in ramis eius.Et dulces cantus perſonant, ſcilicet dulces cogitationes & affectiones ſanctas excitant. Et hoc, *de medio petrarum*, ſcilicet duarum naturarum in Chriſto, quæ dicuntur petræ. *Iob* 38 de aquila: In petris manet, in duabus Chriſti naturis, & in præruptis ſilicibus commoratur, in Angelorum ruinis.

13. *Rigans montes.*Hic ſecundum.Poſtquam enim actum eſt ad Dei magnificentiam demonſtrandam de conſeruatione irrationabilium ſylueſtrium, hîc de conſeruatione domeſticorum, & hoc per cibi procurationem. Duo autem tanguntur in hac parte. Primò origo nutrimentorum & cauſa.Secundò ipſius nutrimenti multiplicatio. *Producens fœnum.* In prima duo. Primò montium irrigatio. Secundò inferiorum, per quam irrigationem ſurgit herba, ibi, *De fructu.* Dicit ergo: Sic omnia tam ſylueſtria,quam volatilia conſeruas, cibum prouidendo, & etiam *rigans montes*,literales:& hoc,*de ſuperioribus ſuis*, cœlis ſcilicet, vel *tuis*, quia cœli tui ſunt. *Pſal.* Cœlum cœli Domino. *Deut.* 11. Terra montuoſa eſt & campeſtris, de cœlo expectans pluuiam.

Et *terra*, inferiora quæ ſunt in plano ſub montibus,*ſatiabitur*,abundanter irrigata,& hoc *de fructu operum tuorum*, id eſt, per fructuoſa opera tua, non humana diligentia. *Ezech.*34. Deducam imbrem in tempore ſuo, & pluuiæ benedictionis erunt. Eccleſia terra eſt, ſicut ſupra dictum fuit habens montes, maiores ſcilicet in Eccleſia, quos irrigat Deus gratia ſua. *Geneſ.* 2. Fons aſcendebat, Chriſtus ſcilicet. *Eſth.* 15. Fons paruus creuit in fluuium magnum, ad irrigandam vniuerſam ſuperficiem terræ: ergo montes. Terra infima ſunt minores,quos rigat Dominus pluuia abundantiſſima gratiæ ſuæ. *Pſal.* Viſitaſti terram, & inebriaſti eam. Tunc germinant bene operando. *Pſal.* In ſtillicidiis eius lætabitur germinans.

Et tunc ſatiatur etiam operibus bonis, quæ tuorum operum ſunt fructus. *Prou.vlt.* Date illi de fructu manuum ſuarum. *Ioan.*15. Poſui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.

Producens fœnum. Hîc ſecundum, in quo tacta cauſa multiplicationis nutrimenti, ſequitur de ipſo nutrimento, quod tangit duplex. Primò nutriuntur in hyeme. Secundò in vere, & æſtate, ſcilicet per herbam, ibi, *Et herbam ſeruituti hominum.* Dicit ergo: Sic irrigas inde producens fœnum umentis, quo nutriuntur in hyeme. In *Pſal.* infrà: Qui dat iumentis eſcam ipſorum, &c. *Et herbam*, qua viuunt in æſtate, *ſeruituti hominum*, iumentis, quæ ſeruiunt hominibus. In *Pſal.* infrà: Qui producit in montibus fœnum, & herbam ſeruituti hominum. Iumenta in Eccleſia Dei, actiui boni, qui portant onera, & laborant vt alij ſuſtententur. *Iob* 12. Interroga iumenta & docebunt te. Boni prælati & Doctores. His dat Dominus fœnum temporalium. Debentur eis temporalia. 1. *Corinth.*9. Si ſeminamus vobis ſpiritualia, magnum eſt ſi carnalia veſtra metamus? Quaſi diceret: Non. Et ibidem: Ordinauit Deus his, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere. *Herbam ſeruituti hominum*, eiſdem: quid enim ſunt ipſi niſi aliorum ſerui? 1.*Cor.*9. Cum eſſem liber in omnibus, omnium me ſeruum feci. 14.

Vt educas panem. Hîc ſecundum: poſtquam enim oſtenſa eſt Dei magnificentia in ſuſtentatione creaturarum irrationabilium: & dicuntur duo. Primò monſtratur magnificus in origine. Secundò in diuerſitate nutrimenti. *Et vinum.* Dicit ergo: Sic rigas, vt nutrimentum iumentis proferat, ipſam terram: & etiam *vt educas panem*, quod eſt hominis nutrimentum, *de terra. Iſa.* 30. Dabitur pluuia ſemini tuo, vbicumque ſeminaueris: & erit panis frugum terræ tuæ vberrimus. *Prou.* 12. Qui operatur terram ſuam, ſatiatur panibus. Panis hic petitur. *Matth.6.*Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

Et vinum. Hîc ſecundum, in quo monſtratur magnificentia in diuerſitate nutrimenti. Primò in hoc quod pertinet ad potum.Secundò in hoc quod ad condimentum, ibi, *Vt exhilaret.* Tertiò in hoc quod ad cibum. *Et panis.* Dicit ergo: Sic rigas, vt des homini nutrimentum: Et etiam facis, vt vinum lætificet cor hominis. *Eccl.*31.Vinum in iocunditatem creatum eſt,non in ebrietatem ab initio. 15.

Multiplex vinum. Et nota, quòd eſt vinum malum, vinum ſcilicet erroris, de quo *Prou.* 31. Noli Lamuël, noli regibus dare vinum. Hoc inebriat diabolus Ægyptum. *Iſa.* 19. Errare fecit Ægyptum in omni populo ſuo, ſicut erat ebrius, & vomens. Et libidinis. Hoc inebriat multos fortiter, & inflammat. *Prou.* 21. Luxuriosa res eſt vinum, ardoris, & concupiſcentiæ, & libidinis. Et eſt vinum bonum compunctionis, de quo in *Pſal.* Potaſti nos vino compunctionis: & potum dabis, &c. Et ſpiritualis conſolationis, de quo *Prou.* 30. Date ſiceram mœrentibus, & vinum, his qui amaro ſunt animo: bibant, & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ. Et æternæ iocunditatis. *Matth.* 27. Non bibam amodò de hoc genimine vitis, donec bibam illud nouum in regno meo. Sacramenti altaris, quod in re ſanguinis eſt, ſcilicet vinum ſpiritus, de quo *Eccl.* 9. Vade, & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum. Hoc vinum lætificat. *Eccl.* 30. Exultatio animæ & corporis, vinum in iocunditate potatum. *Neem.* 3. Vinum conuertit in iocunditatẽ, omnem mentem. Vinum floridum quantum ad incipientes, qui per cor, incipientes florere virtutibus, illud transfundunt. Vinum ferratum quoad proficientes, qui intus fortiter tribulantur vt ferrata. Vinum roſatum quoad perfectos, qui iam diſſolui cupiunt & eſſe cum Chriſto. *Phil.* 1. Roſæ enim naturæ ſunt diſſolutiuæ.

Et exhilaret. Hîc ſecundum, ſcilicet olei collatio. Quaſi diceret: Sic rigas terram vt vinum lætificet cor hominis, & etiam *vt exhilaret faciem hominis in oleo.* Ad literam, vngere ſolebant antiquitus capita ſua & facies in ſignum lætitiæ. *Mal.* 6. Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua. Oleum etiam eſt ſpiritualis lætitia, quæ exhilarat ſpiritualem faciem, mentem ſcilicet. *Deut.* 11. Vt colligatis frumentum, vinum, & oleum. Hoc oleo vnctus eſt perfectus vir, cui dicitur: Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ conſortibus tuis, vt dicatur de eo illud *Geneſ* 27. Frumento, vino, & oleo ſtabiliui eum: vt ſemper vngatur hoc oleo, iuxta illud *Eccl.* 9. Et oleum de capite tuo non deficiat.

Et panis. Hîc tertium, ſcilicet eius quod pertinet ad cibum. Et *panis confirmet*, productus de terra, *cor hominis:* ſi enim pane corpus primò reficiatur, nihilominus ipſum cor confirmatur. *Act.* 9. de Paulo dicitur: Et cum ſumpſiſſet cibum, confortatus eſt. Et eſt panis vitæ, Chriſtus ſcilicet. *Ioan.* 6. Ego ſum panis vitæ, qui de cœlo deſcendi. Hic de terra educitur, de Virgine Maria. *Iſa.* 45. Aperiatur terra, & germinet ſaluatorem. Et hoc cibat ſuos. *Eccleſ.* 15. Cibaui illum pane vitæ, & intellectus. Ad confirmandum cor. 3. *Reg.* 19. Comedit Elias panem, & ambulauit in fortitudine illius, quadraginta diebus, vſque ad montem Dei Oreb. 1. *Reg.* 30. Cum comediſſet Saũl, reuerſus eſt ſpiritus eius, & refocillatus. *Gen.* 18. Ponam buccellam panis, & confortate cor veſtrum.

Chriſtus panis vitæ.

16. *Saturabuntur ligna campi.* Hîc ſecunda pars illius partis, in qua agitur de magnificentia Dei in conſeruatione ſenſibilium. Oſtenſa enim magnificentia ex miniſtratione cibi, hîc oſtenditur ex præparatione loci: & ſecundum hoc dicuntur duo. Primò locorum præparatio volatilibus. Secundò greſſibilibus, ibi, *Montes excelſi.* In primaduo. Primò Dei magnificentia in loci origine. Secundò in habitatione volatilium in illo loco, ibi, *Illic paſſeres.* Locus volatilium ſunt arbores. Primò ergo monſtratur Dei magnificentia in origine arborum, ad locandum aues in terra plana. Secundò in montuoſa, ibi, *Et cedri.* Dicit ergo: Sic effundis pluuias, quibus herbæ creſcant ad nutrimentum iumentorum: & etiam illis pluuiis *ſaturabuntur* vt creſcant, & condenſa fiant, *ligna campi*, ligna ſcilicet in plana terra ſita. *Ezech.* 30. Eleuabuntur in altitudine ſua omnia ligna ſyluarum, Et ibidem: Multiplicata ſunt arbuſta, & eleuati ſunt rami præ aquis multis. Dicuntur autem ſaturari figuratiuè, ſicut plaudere. *Iſa.* 55. Omnia ligna regionis plaudent manu. Et ſimile in *Pſal.* ſuprà.

Et cedri. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic ſaturabuntur arbores in plano, & etiam *cedri Libani*, qui eſt magnus mons in Phœnice, *quas* cedros ipſe Deus ibi *plantauit*, non alius. *Eccleſ.* 24. Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano. Altiſſimæ enim ſunt.

Sed nota, quòd per ligna campi deſignantur minores. *Pſal.* Inuenimus eam in campis ſyluæ, ſcilicet inter abiectos & humiles per ſapiẽtiam, ſecundum illud *Prou.* 11. Vbi humilitas, ibi ſapientia. Per cedros Libani, maiores & perfecti, qui iam ſunt in culmine perfectionis. *Iſa.* 41. Dabo in ſolitudine, in religione & in clauſtro, cedrum. Hos & illos plantat Deus: aliter citò eradicantur. *Matth.* 15. Omnis plantatio quam non plantauerit pater meus, eradicabitur. Hi & illi gratiæ pluuia nutriuntur & creſcunt. *Matth.* 13. Cum autem creuerit, maius fit omnibus oleribus. Comedunt enim, & ſaturantur pane, & vino, de quibus ante immediatè. De pauperibus in *Pſal* ſuprà: Edent pauperes, & ſaturabuntur. Et de diuitibus paulo poſt in eod. Manducauerũt, & ſaturati ſunt omnes pingues terræ.

Illic paſſeres. Hîc magnificentia in locatione 17.
volatilium in loco præparato. Et primò volatilium inter homines conuerſantium. Secundò ſylueſtrium, ibi, *Herodij domus.* Dicit ergo: Sic arbores præparas in montibus, & in campis. *Illic* autem, id eſt, in ſic præparatis, *paſſeres nidificabunt*, qui ſunt quaſi domeſticæ aues. *Iſa.* 18. Æſtate perpetua erunt ſuper eum volucres. *Caſſiod.* Paſſer minuta & cautiſſima nimis auis eſt, monachorum ſignificans paruitatem, qui in cedris Libani, id eſt, patrimonio potentum Chriſtianorum, velut in quibuſdam ramis monaſteria ſibi quaſi nidos aliquos ædificare monſtrantur. Suprà in *Pſal.* Paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi. *Dan.* 4. In ramis eius volucres conuerſabantur.

Herodij domus. Hîc tangitur ſecundum, ſcilicet magnificentia Dei in prouiſione loci volatilibus ſylueſtribus, volens, quantum poteſt intelligi de litera, quòd de loco maximo prouideatur eis, quæ maximè ſunt ſylueſtres. Ait enim: Sic paſſeres nidificant in campis, & in cedris: *& domus*, id eſt, nidus, *herodij eſt dux eorum*, tantus eſt in montibus, & tam altus, quod vbicumque volẽt, eos tamen adducit ad ſe, ſe illis, herodiis ſcilicet oſtendendo. Dicitur enim, quòd herodij in maxima cedro nidificãt, & nidum maximum ibi faciũt. *Hieron. Caſſ.* Herodius auis rapaciſſima omnium maior, quæ & aquilam vincere dicitur, &

ipſam

ipſam habere eſcam. Vel ſic vt intelligatur hæc auis, nullum nidum habere ſibi proprium ſicut aliæ aues, ſed vbicumque nox eam accipit, ibi habet nidum. Senſus ergo eſt. *Herodij domus dux eorum*, hoc eſt, vbi herodius ducitur, ibi domum habet. *Caſſiod.* Herodij non ſicut aliæ aues, nidos habent ſibi conſtitutos, vt vadant ad veſperam: ſed vbicumque apprehenderint eos tenebræ, ibi dormiunt.

Hæc allegoricè de Paulo poſſunt legi. Herodius enim eſt auis rapax, & deſignat tribum Benjamin, de qua dicitur *Geneſ. penult.* Benjamin lupus rapax. Huius ergo herodij domus dux eſt paſſerum: quia Paulus eſt ductor humilium, qui de hac tribu fuit: & etiam cedrorum, quia & magnos conuertit. Ipſe enim dicit ad *Rom.* 1. Sapientibus & inſipientibus debitor ſum. De Chriſto etiam ſecundum aliam literam, allegoricè exponitur, & vide *Gloſſ.*

Per herodiũ intelligũtur pauperes, per ceruos contemplatiui.

Moraliter autem per herodium, qui domum non habet, pauperes intelliguntur, qui non habent manentem ciuitatem, ſed futuram inquirunt, qui dicunt cum Chriſto *Matth.* 8. Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis, non habet vbi caput reclinet. Et tales habent domum Deum. *Act.* 17. In quo viuimus, mouemur, & ſumus. 1. *Ioan.* 4. Qui manet in charitate, in Deo manet, &c. Qui dux eſt paſſerum. *Deut.* 32. Dominus eius ductor fuit, & non erat cum eo Deus alienus.

18. *Montes excelſi.* Hîc magnificentia Dei, ex prouiſione greſſibilibus. Primò maioribus, ſicut ceruis. Secundò etiam minoribus, ibi, *Petra refugium.* Dicit ergo: Sic prouides de loco volatilibus & greſſibilibus, quia *montes excelſi ceruis*, ſup. refugium ſunt, ex litera ſequenti: & hoc verum eſt ad literam. *Cant.* 3. Fuge dilecte mi, aſſimilare capreæ, hinnuloque ceruorum, ſuper montes Bethel.

Petra etiam tua diſpoſitione, eſt *refugium herinaciis*, hoc eſt, hericiis. *Caſſiod.* Herinacius eſt idem, quod hericius, cuius cutem inuicem ſeparum acutiſſimæ denſiſſimæque communiunt: ſed ne aliqua fraude poſſit interfici, refugium habet ſemper in ſaxis.

Nota ergo, quòd per ceruum, viri contemplatiui ſignificantur, qui tranſeunt lutoſa luxuriæ, foſſas ſuperbiæ, & ſpineta auaritiæ. *Abac.* 3. Pones pedes meos quaſi ceruorum. Et ſic facis eos habitare in montibus ſublimioris vitæ. Vnde ſtatim ſequitur in *Abac.* Et ſuper excelſa deducet me victor, in &c. 2. *Reg.* 23. Dominus robur meum, & petra mea. *Iſa.* 2. Ingredere in petram.

19. *Fecit lunam.* Hîc tertium totius partis, in qua oſtenditur Dei magnificentia in creaturarum conſeruatione. Poſtquam enim oſtendit magnificentiam ex cibi adminiſtratione, & iterum ex loci competentis prouiſione, hîc tertiò ex temporum viciſſitudine & mutatione. Viciſſitudo autem temporum, ex duobus magnis luminaribus præciuè, luna ſcilicet, & ſole. Primò ergo quantum ad noctis ſucceſſionem. Secundò quantum ad ſucceſſionem diei, ibi, *Ortus eſt ſol.* In prima duo. Primò temporis nocturni diſpoſitio. Secundò animalium ordinatio & conſeruatio in illo, ibi, *In ipſa pertranſibunt.* In prima tanguntur tria. Primò Dei magnificentia in lu-

næ oſtenſione. Secundò in ſolis abſconſione & occaſu, ibi, *Poſuiſti tenebras.* Dicit ergo mutando perſonam. Hæc quæ præmiſi, Deus fecit: vnde mangificandus eſt. Et etiam *fecit lunam in tempora*, determinata lucere. Verè fecit lunam. *Pſal.* Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas, &c. Et hoc ad lucendum in tempore ſuo. *Gen.* 1. Sint in ſigna, & tempora, & dies, & annos. *Pſal.* Lunam in poteſtatem noctis.

Sol cognouit occaſum ſuum, hoc eſt, ita ad occaſum declinauit regulariter & aſſiduè, ac ſi ipſum locum cognoſceret. *Eccleſ.* 1. Oritur ſol, & occidit, & ad ſuum locum reuertitur. *Eccl.* 17. Quid lucidius ſole? & hic deficiet. *Ierem.* 31. Qui dat ſolem in lumine diei, lunam & ſtellas, in lumine noctis.

Luna ſpiritualiter loquendo eſt Eccleſia, quæ à ſole lucet, non à ſe. *Cant.* 6. Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna? Et hanc fecit in tempore, quia tranſeuntem ad æterna, non hic permanentem. Ad *Epheſ. vlt.* Exhibebit ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, neque rugam, quando implebitur illud *Iſa.* 30. Erit lux luna, ſicut lux ſolis. Et hæc non tranſit, quia ipſe *ſol cognouit*, præſciendo, approbando, *occaſum ſuum*, tranſitum ſuum. *Ioan.* 13. Siens IESVS quia venit hora eius, vt tranſeat &c. Suprà in *Pſal.* Qui aſcendit, audacter, ſuper occaſum, id eſt, mortem, Dominus nomen illi.

Poſuiſti tenebras. Hîc tertium. Quaſi diceret: Sic lunam in tempore ſuo feciſti apparere, & ſolem occidere: & ſic *poſuiſti tenebras* per mundum, & facta eſt nox, quia ipſæ tenebræ ſunt nox. *Gen.* 1. Appellauitque lucem, diem, & tenebras noctem. *Iſa.* 65. Ego Dominus formans lucem, & crans tenebras. Bene autem ſpiritualiter poſt occaſum ſolis, ſequitur poſitio tenebrarum, quia vero ſole moriente in cruce, id eſt, occidente, tenebræ factæ ſunt per vniuerſam terram. *Mat.* 27. *Amos* 8. Occidet ſol in meridie, & obtenebreſcere faciam terram in die luminis. Sic poſt occaſum ſolis gratiæ, in corde fiunt denſiſſimo tenebræ. Hæ ſunt tenebræ Ægyptiacæ *Exod.* 10. 20.

In ipſa pertranſibunt. Hîc ſecundum, magnificentia Dei in conſolatione beſtiarum, in noctis tempore, & oſtēdit hoc in ſylueſtribus maxime. Et primò tangit quaſi naturam omnium generaliter. Secundò aliquarum ſpecialiter. *Catuli leonum.* Ait enim: Sic noctem feciſti, & *in ipſa pertranſibunt*, vel tranſeundo ad loca ſua, vel ad quærendum eſcas ſibi, *omnes beſtiæ ſyluæ.* Hæc eſt enim natura ſylueſtrium animalium, maximè rapacium, vt de nocte tranſeant ad quærendum eſcas. Hîc patet quod propriè loquitur *Ieremias* in 5. Percuſſit eos leo de ſylua, lupus ad veſperam vaſtauit eos.

Spiritualiter autem excæcatis Iudæis in morte Chriſti, & tenebris factis ſuper eorum corda, *beſtiæ*, id eſt, vaſtatores dæmones, & Romani eorum bona omnia deuaſtantes pertranſierunt, per eos tranſierunt, totum deuorantes impleta prophetia. *Iſa.* 56. Omnes beſtiæ agri venite ad deuorandum. *Sapient.* 16. Mugientium valida beſtiarum vox venit, ſuper infideles ſup. *Ezech.* 39. Dic cunctis beſtiis terræ, Præparate vos ad victimam.

21. *Catuli leonum.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit ſpecialiter Dei magnificentiam in procuratione de nocte aliquarum beſtiarum ſpecialiter. Quaſi diceret: Sic in nocte, quam paraſti pertranſierunt beſtiæ, ſcilicet *catuli leonum rugientes vt rapiant*, prædam aliquam, & portent ad ad foueam. *Naum* 2. Leo cepit ſufficienter catulis ſuis, & implcuit præda ſpeluncas ſuas, & cubile ſuum rapina. Et ſic *quærant* ſibi *prædam à Deo. Pſal.* Qui dat eſcam omni carni. Leo diabolus eſt. 1. *Pet.* 5. Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens, &c. Et catuli leonum, membra & filij diaboli. *Ioel.* 1. Dentes eius, vt catuli leonis. In nocte ergo ignorantiæ inuadunt miſeras animas, & permittente Deo, tanquam in hoc eos cibante, eas deuorant. *Ierem.* 51. Contra te rugient leones Iſraël. *Eccleſ.* 13. Venatio leonis onager, religioſus rudis & ignorans in eremo. *Mich.* 5. Quaſi leo in iumentis ſyluarum, & quaſi catulus leonis rugientis in gregibus pecorum: qui cum tranſierit, & conculcauerit, & ceperit, non eſt qui eruat.

22. *Ortus eſt ſol.* Hîc ſecundum. Poſtquam oſtendit magnificentiam quaſi in conſeruatione & & regimine animalium quantum ad noctem, hîc quantum ad diem. Primò ergo oſtenditur diei exhibitio. Secundò regimen & diſpoſitio creaturarum, in illo, ibi ſtatim, *Et congregati ſunt.* Dicit ergo: Sic de nocte mirabiliter animalia regis: & poſt, *ortus eſt ſol*, id eſt, fit dies, *Eccl.* 1. Oritur ſol.

Et congregati ſunt. Hîc ſecundum, in quo dicuntur duo. Primò diſpoſitio ſylueſtrium animalium. Secundò hominum, quia illa ſedantur & quieſcunt, & homines à quiete ſurgunt, & ad laborem vadunt, ibi, *Exibit homo.* In prima duo. Primò reuocatio animalium rapacium in vnum. Secundò quietatio adunatorum. *Et in cubilibus.* Dicit ergo: Sic ſol oritur, & ſtatim *congregati ſunt*, catuli leonum, ſup. *& collocabuntur*, ad quietem, *in cubilibus ſuis.* Chriſtus eſt ſol illuminans intelligentias hominum iuſtorum. *Sapient.* 5. dicturi ſunt mali: Sol intelligentiæ non illuxit nobis. Huius quadruplex eſt ortus. Primus æternus de Patre. *Luc.* 1. Viſitauit nos oriens ex alto, ex Patre Deo. Secundus temporalis de matre, de quo *Zach.* 6. Ecce vir, oriens eſt nomen eius. Tertius ſimiliter temporalis in Reſurrectione, quãdo ortus eſt rutilans & glorioſus, de quo hîc ſecundum *Gloſſ.* & *Geneſ.* 19. Ortus eſt ſol ſuper terram, qui prius latebat intus. Et Loth egreſſus eſt die Sodomis. Quartus item temporalis in cordibus timentium eum per gratiam. *Malach.* 3. Vobis timentibus Deum orietur ſol iuſtitiæ. Ad hunc ortum fugiunt dæmones ſtatim. *Iob* 24. Si apparuerit aurora, quæ eſt nuntia ortus ſolis, arbitrantur vmbram mortis, & dicunt illud quilibet pro ſe *Matth.* 12. Reuertar in domum meam, vnde exiui, ad animam pigri, ſed per confeſſionem mundati. Et ibi intrant & quieſcunt. *Iſa.* 34. Erit cubile draconum, & paſcua ſtruthionum.

Quadruplex Chriſti ortus.

23. *Exibit homo ad opus ſuum.* Hîc ſecundum, in quo monſtratur Dei magnificentia in ordinatione hominum in tempore diuino: & tanguntur duo. Primò hominum expergefactio ad laborandum. Secundò virtus ad continuandum laborem. *Et ad operationem.* Dicit ergo: Sic orto ſole ſylueſtria rapacia congregantur: & tunc *exibit homo ad opus ſuum*, faciendum, ſup. expergefactus à ſomno *& ad operationem ſuam*, continuandam, *vſque ad veſperam*, quando iterum quieſcit. *Iob* 7. Si dormiero, dicam, Quando conſurgam? & rurſum expectabo veſperam. De luce ergo operandum. *Eccleſ.* 11. Mane ſemina ſemen tuum, & veſperè non ceſſet manus tua. Sed de nocte ceſſabit. *Ioan.* 9. Me oportet operari opera eius qui me miſit, donec dies eſt. Sic dum gratia lucet in corde, dum eſt tempus gratiæ, exeundum eſt de mundo, & operationi bonæ intendendum. Exeundum autem propter officium: quia non poteſt bene fieri in mundo. 1. *Timoth.* 6. Nemo militans Deo, implicet ſe negotiis ſæcularibus. *Matth.* 6. Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire. Propter periculum. *Eccl.* 13. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicat ſuperbo, induet ſuperbiam. Propter ſupplicium: nimis enim affligit ſuos. *Exod.* 2. Ægyptij affligebant filios Iſraël in operibus duris, luti & lateris. *Ierem.* 6. Seruietis diis alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte. Propter malitiam hominum mundanorum. *Iob* 30. Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum. *Mich.* 6. Frater fratrem ſuum venatur ad mortem. Propter miſeriam & indigentiam. *Luc.* 15. Filius prodigus ſeruiens in porcorum nutritione, cœpit egere & eſurire. Et tandem propter præmij magnitudinem. *Geneſ.* 12. dictum eſt primò Abrahæ: Egredere de terra tua. Poſt egreſſo, in 15. Ego ſum merces tua magna nimis. *Matth.* 19. Amen dico vobis, quòd vos qui reliquiſtis omnia, &c. Et tunc poſtquam homo exierit, eſt operandum inſtanter. *Eccleſ.* 9. Quicquid poteſt manus tua, inſtanter operare. *Ioan.* 9. Venit nox, quando nemo poterit operari. Et proficiendum. *Ioan.* 12. Ambulate dum lucem habetis.

Suadet vt à mũdo exeamus & bonis operibus intẽdamus.

24. *Quam magnificata.* Hîc ſecundum totius illius partis, in qua agit de Dei magnificentia in conſeruatione animalium in terra degentium. Oſtenſa enim mirabili conſeruatione, ſubiungitur admiratio, & exclamatio pro inſpecta & cognita diuina maieſtate. Et dicuntur tria. Primò ex conſideratione magnitudinis creaturarum, laudat diuinam potentiam. Secundò ex prudenti ordinatione & pulchra laudat ſapientiam, ibi, *Omnia in ſapientia.* Tertiò ex conſideratione repletionis terræ bonis poſſeſſionibus & vtilibus laudat bonitatem, ibi, *Impleta eſt.* Dicit ergo: Hæc quæ præmiſi Domine ordinaſti, & feciſti, & propter hoc *quam magnifitata ſunt*, magna ſcilicet, & multa ſunt, *opera tua:* vnde certum, quod procedunt ex multa & magna potentia. In *Pſal.* ſupra: Quàm magnificata ſunt opera tua Domine! nimis &c. *Iſa.* 12. Cantate Domino, quoniam magnificè fecit.

Omnia. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic ſunt magnificata, & ordinatè facta, & diſpoſita: quia *omnia in ſapientia feciſti*: vnde commendanda ſapientia. *Prouerb.* 8. Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta diſponens. *Sapient.* 8. Sapientia attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit &c. Hæc

eſt

eſt ſapientia genita filij Dei. 1. ad *Corinth.* 1. Prædicamus Chriſtum, Dei virtutem, & Dei ſapientiam.

Impleta eſt. Ecce tertium. Quaſi diceret: Sic ſapienter facis omnia, & etiam *terra repleta eſt poſſeſſione tua*, poſſeſſionibus bonis, & vtilibus, quod commendat tuam pleniſſimam bonitatem. Et optime dicit terram plenam poſſeſſione Domini: quia quicquid in terra eſt, poſſeſſio Domini eſt. *Pſal.* Domini eſt terra, & plenitudo eius. Et *Ier.* 23. Cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus. Poſſeſſionibus bonis, tanquam bonus.

25. *Hoc mare magnum.* Hîc ſecundum. Poſtquam enim monſtrauit Dei magnificentiam in conſeruatione creaturarum in terra, oſtendit magnificentiam in conſeruatione earum, quæ in mari: & dicuntur duo. Primò oſtendit conſeruationem illarum, quæ in mari ſunt ſpecialiter. Secundò colligando ſimul cum illis omnia vniuerſaliter, ibi, *Aperiente te.* In prima quatuor. Primò monſtratur magnificentia Dei quantum ad loci prouiſionem. Secundò quantũ ad multiplicationem conſeruatorum in loco illis prouiſo, ibi, *Illic reptilia.* Tertiò quantum ad appetitum & deſiderium, ad ſe ordinatum quaſi naturaliter, ibi, *Omnia à te expectant.* Et quartò quantum ad appetitus & deſiderij complementum, ibi, *Dante te illis.* In prima duo. Primò oſtenditur Dei magnificentia in loci profunditate. Secundò in latitudine. Primum intelligitur in eo quod dicit, *magnum.* Secundò in hoc quod addit, *ſpatioſum.* Dicit ergo: Sic magnificata ſunt opera tua in terra, & etiam tua poſſeſſione impletum eſt *hoc mare*, ad litteram, *magnum* profunditate, *& ſpatioſum* latitudine. Et nota, quòd *manibus* non habent *Aug.* nec *Caſſiod.* Si autem placet exponere literam, ſic legendum: Prædicta tu feciſti, & etiam *manibus*, tuis ſup. id eſt, potentia tua feciſti *hoc mare magnum, & ſpatioſum*, ſicut prius. Hoc mare mundus eſt, & aſſignatæ fuerunt rationes ſuprà, ſuper illud, Et piſces maris, qui perambulant, &c. Sed adde, quia mare omnes ſordes recipit, & immundum eſt, & ſpumoſum: ſic & mundus. *Aug.* O munde immunde ſi ſic fugiens ita tenes, quid faceres ſi maneres. Et propter hoc illum, qui eſt fons omnis munditiæ, à ſe expellit. *Iob* 28. Mare loquitur, Non eſt mecum. Hoc eſt magnum & ſpatioſum: homines enim mundani ambulant vias latas & ſpatioſas, quæ ducunt ad mortem. *Mat.* 7. *Ierem.* 22. dicit vnus de piſcibus huius maris: Ædificabo mihi cœnacula ſpatioſa.

Illic reptilia. Hîc ſecundum, in quo oſtenditur magnificentia quantum ad multiplicationem conſeruatorum in mari: & tangit quatuor genera quæ conſeruantur in mari. Primò reptilia quæ naturaliter ibi ſunt omnino. Secundò animalia quædam etiam quadrupedia, ibi, *Animalia puſilla.* Tertiò rationabilia quæ ibi conuerſantur artificialiter per naues, ibi, *Illic naues.* Quartò & vltimò monſtruoſa, ibi, *Draco ipſe.* Dicit ergo: Sic mare, ſic alia tu feciſti, & *illic* feciſti & poſuiſti *reptilia*, piſces, *quorum non eſt numerus. Gen.* 1. Producant aquæ reptile animæ viuentis. Et nota, quòd reptilia etiam ſunt terræ. *Gen.* 1. Producat terra reptilia & beſtias & iumenta in genere ſuo. Per hoc deſignantur auari & cupidi, qui ſemper volunt repere ad diuitias & altiores dignitates. *Bernard.* Circuit ſedulus explorator reptans pedibus & manibus, ſi quo modo ſe ingerat in patrimonium Crucifixi. Et ſunt reptilia aquarum, ſcilicet luxurioſi. *Ezech.* 8. Ingreſſus vidi abominationes reptilium. Iſti ſunt infiniti in mari mundi.

Animalia puſilla. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic ſunt reptilia infinita, & etiam *animalia puſilla*, ibi ſunt, ſup. *cum magnis*: in mari enim conuerſantur quædam quadrupedia. *Iob* 3. Paruus & magnus ibi ſunt. Sic in mari mundi ſunt magna animalia, magni piſces homines potentes. De magnis. *Ioan.* 21. Traxit rete in terram plenum magnis piſcibus. De puſillis. *Marc.* 8. Et habebant piſciculos paucos. Magni autem puſillos comedunt. *Abac.* 1. Facies homines quaſi piſces maris, & quaſi reptilia non habentia ducem. Ibidem exponendo ſe: Quare taces impio conculcante iuſtiorem ſe?

Illic. Ecce tertium. Quaſi diceret: Non tantum ſunt ibi reptilia, & animalia, ſed etiam *illic pertranſibunt naues*, & ſic homines artificialiter ibi erunt. Sed nota, quòd in mari huius mundi ſunt naues bonæ, quæ tandem venient ad portum ſalutis, ſcilicet viri iuſti: vnde de forti muliere dicitur. *Prou.* 8. Facta eſt quaſi nauis inſtitoris, de longè portans, &c. Et bene naui comparantur. Primò quia fragiles portant pretioſa valdè. 2. ad *Cor.* 5. Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus. Item nauis ex parte maris clauſa eſt, & ſuperius aperta: ſic iuſti quærunt quæ ſurſum ſunt, non quæ infrà. *Coloſſ.* 3. Quæ ſurſum ſunt quærite, &c. Item nauis tranſiens mare, calcat ipſum: ſic iuſti calcant, & ſuppeditant ſibi mundum. *Phil.* 3. Omnia arbitratus ſum vt ſtercora, propter eminentem ſcientiam Domini mei Ieſu Chriſti. Item nauis habet malum altum, & velum in illud dependens: ſic iuſtus crucis Chriſti memoriam, & mundiſſimam eius carnem, in ipſa dependentem & extenſam. *Thren.* 3. Recordare paupertatis meæ, &c. Ventus autem agitans nauem hanc Spiritus ſanctus eſt. *Ezech.* 1. Vbi erat ſpiritus impetus, illuc gradiebantur cum ambularent. Et habet anchoram ſpem. Ad *Hebr.* 1. Firmiſſimum ſolatium habemus qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram animæ habemus, firmam & tutam. Sed ſunt naues quæ periclitantur in mari, cupidi hinc inde vento cupiditatis tempeſtuoſæ agitati. 1. ad *Tim.* 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli: quæ mergunt hominem in interitum.

26.

Comparatio iuſtorũ cum naui.

Draco iſte. Hîc quartum, vbi tangit de inhabitatione monſtruoſorum in mari. Quaſi diceret: Sicut ibi ſunt reptilia innumerabilia, ſunt animalia puſilla, & magna, ſunt homines nauigantes. Et etiam *draco iſte*, monſtruoſus, *quem formaſti*, id eſt, feciſti in hac forma, vt cum natatilibus aquas inhabitaret, & cum volatilibus volaret, quod eſt monſtruoſitas maxima, & ſic *ad illudendum eis*: monſtra enim ad illudendum videntur facta.

Spiritualiter autem hic draco, eſt diabolus. *Apoc.* 12. Proiectus eſt draco ille magnus, id eſt, diabolus. Et dicitur draco: quia ſibilat ſuggerendo

Quare diabolus dicitur draco.

rendo peccata ſuauiter. *Sap.* 17. Siue ſpiritus ſibilans, aut inter ſpiſſos arborum ramos auium ſonitus ſuauis. Item igniuomus eſt draco : ſic diabolus ignem ſpirat per ſuos. *Act.* 6. Saulus adhuc ſpirans minarum, & cædis in diſcipulos,&c. & per ſe. *Sap.*12. Ira plenas beſtias, aut vaporem ignis ſpirantes. Item in eremo & locis incultis habitat. *Ierem.* 49. Erit Aſor in habitaculum draconum. Aſor tollens foramen interpretatur. Hi ſunt qui nulla poſſunt perforari, vel ſcindi diſciplina. Item in Babylone habitant dracones : & dæmones in illis, qui ſunt in peccati confuſione. *Iſa.*13. Replebuntur domus eorum draconibus, id eſt, Babyloniorum. Item in arena : & dæmones in anima infructuoſa : vnde per Ieremiam comminatur Dominus in 9. Dabo Iſraël in aceruos arenæ, & cubilia draconum. Et in locis humidis & marinis. *Ezech.* 24. Ecce ego ad te draco magne, qui cubas in medio fluminum. Et in 32. Aſſimilatus eſt draconi qui eſt in mari. Multum vigilat : & dæmon nunquam dormit. *Iob* 30. Qui comedunt me, non dormiunt. Cauda ſua elephantem ligat, & ſic cadere facit, & occidit : ſic diabolus per adulatores magnos qui caſti ſunt, & magnæ vitæ, tanquam per caudam ligat, & in ſuperbiam ducit, & ſic occidit. *Apocal.*11. Draco traxit cauda ſua tertiam partem ſtellarum in terram. Sed ei illuditur à Deo, quando aliquis quem iam tenebat, conuertitur. *Iob* 40. Nunquid illudes ei quaſi aui ?

27. *Omnia à te expectant.* Ecce tertium, ſcilicet ordinatio appetitus ſui & deſiderij ad ipſum Deum : non quod illa animalia ordinent, ſed ipſe Deus hoc facit vel ordinat naturaliter, non deliberatiuè. Ait enim : Sic locum præparas huiuſmodi animalibus : & ipſa taliter multiplicas : & etiam te faciente, *omnia*, hæc ſup. *expectant à te vt des illis eſcam in tempore.* Ipſi enim draconi prouidet in cibo, qui ſicut alibi dicitur, dat eſcam omni carni. Draconi etiam ſpirituali dat eſcam, ſcilicet diabolo. *Auguſt.* Si bene vixeris, Chriſtum cibum habebis : ſi male, draconi cibus eris. *Ierem.* 51. Abſorbuit me quaſi draco, impleuit ventrem ſuum teneritudine mea.

28. *Dante te illis.* Hîc quartum, ſcilicet deſiderij complementum. Quaſi diceret : Sic ad te inhiant, *& dante te illis* cibum, *colligent* illum. *Sap.*6. Paruum & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt illi cura de omnibus. Nec eſt contrarium, quod dicit *Paulus* 1.*Cor.*9 Nunquid de bobus cura eſt Deo ? Eſt enim Deo cura prouiſionis, ſed non eruditionis,& legis, dando talibus in ſcripto ſicut homini.

Aperiente autem te. Hîc ſecundum totius huius partis, in quo colligit in vnum, & in generali quod dixerat in ſpeciali, & per partes: & dicuntur duo. Primò monſtratur magnificentia Dei, quia ſua largitate replet omnia. Secundò,quod ſub trahente largitatem deficiunt, ibi, *Auertente autem te.* Dicit ergo : Sic das cibum, & breuiter, *Aperiente te manum tuam*, miſericordiæ & largitatis tuæ, *omnia implebuntur bonitate*, bonis ſibi ad neceſſitatem neceſſariis. Infrà in *Pſal.* Aperis tu manum tuam, & imples. *Sapient.* 1. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. *Eccleſ.* 17. In terram reſpexit Dominus, & impleuit eam bonis ſuis.

Auertente autem te. Hîc ſecundùm, ſcilicet defectus illorum, ſi ſubtrahat beneficium, in quo tria tanguntur ſecundum tres gradus, qui ſunt in defectu talium. Primus, afflictio. Secundus, mors ſpiritu ablato, ibi, *Auferes ſpiritum.* Tertius, incineratio corporis, ibi, *Et in puluerem.* Dicit ergo : Sic aperiente te manum, bonitate implentur omnia : *auertente autem te faciem*, largitatis & miſericordiæ, *turbabuntur.* Quid mirum ? Quia ipſemet Dauid dixit de ſe ſupra : Auertiſti faciem tuam, & factus ſum conturbatus. *Deut.*31. Abſcondam faciem meam ab eo, & erit in deuorationem. *Iob* 12. Si continuerit aquas, beneficiorum ſuorum, omnia ſiccabuntur. *Adminiſtratio Dei qua mundus regitur.*

Auferes ſpiritum. Ecce ſecundum. Quaſi diceret : Turbabuntur te faciem auertente, & etiam *auferes ſpiritum eorum*, quo viuificantur: *& deficient*, ruendo in mortem, vt poſſint dicere illud *Iob* 7. Sagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum.

Et in puluerem ſuum, vnde ſumpta ſunt, *reuertentur.* puluis facta. *Eccleſ.vlt.* Et reuertatur in terram ſuam vnde venit. Spiritualiter aufert Deus ſpiritum elationis ab homine, quando vult, & tunc deficit in ſe, & humiliatur tanquam conuerſus in puluerem. *Iob* 34. Si direxerit ad Deum cor ſuum, omnem ſpiritum eius & flatum ad ſe trahet, & deficiet omnis caro ſimul,& homo in puluerem reuertetur : deficiet carnalitas, & ſuperbia in humilitatem conuertetur. 29.

Emitte ſpiritum. Ecce ſecundum,in quo poſtquam Dei magnificentia oſtenſa eſt in operibus naturæ, oſtenditur conſequenter in operibus gratiæ : & dicuntur duo. Primò magnificentia Dei in Spiritus ſancti emiſſione. Secundò in operibus, quæ per Spiritum ſanctum fiunt,ibi, *Et creabuntur.* Dicit ergo : Sic magnificatus es Domine in operibus naturæ ſuperus enumeratis, ſed multò magis in operibus gratia : vnde rogo Domine, *Emitte ſpiritum tuum*, ad inſtruendum & iuſtificandum poſt miſſionem Filij ad redimendum. *Sap.*9. Senſum tamen quis nouit,niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum ſanctum tuum de altiſſimis? 30.

Et creabuntur. Hîc ſecundum, in quo oſtenditur diuina magnificentia in iis quæ agit Spiritus ſanctus : & ſunt duo. Primum eſt peccatoris iuſtificatio & conuerſio, quæ eſt quaſi creatio ipſius. Secundum eſt conuerſi profectus, & ambulatio in bonum, imò de bono in melius, ibi, *Et renouabis.* Dicit ergo : Rogo ſic vt Spiritum emittas, *& creabuntur*, de nihilo ad fieri. *Iudith vlt.* Miſiſti ſpiritum tuum,& creata ſunt. *Pſal.* Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum,&c. Ad *Epheſ.*2. Ipſius factura ſumus creati in Chriſto.

Et renouabis. Hîc ſecundum, ſcilicet profectus. Quaſi diceret:Sic emiſſo ſpiritu creabuntur, *&* poſt, *renouabis faciem terræ*, ipſos in melius promouendo, ſecundum illud *Coloſſ.*3. Induite vos nouum hominem,qui ſecundũ Deum creatus eſt. Ad *Epheſ.*4. Renouamini ſpiritu mentis veſtræ. *Caſſiod.* Te toties Dominus creat, quoties te de vetuſtate peccati in nouum hominem

minem inſtaurare dignatur. *Ezech.* 36. Dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum.

31. *Sit gloria Domini.* Hîc ſecundum diuiſionem ſuperius factam eſt ſecunda pars totius huius Pſalmi, in qua poſtquam monuit Deum magnificare ex operibus creationis, & etiam recreationis, hîc monet ad gratiarum actionem & glorificationem actoris pro operibus tantis: & dicuntur duo. Primò admonitio ad laudem glorioſam, & gratiarum actionem pro tantis operibus. Secundò determinatio temporis, in qua ſunt illæ gratiarum actiones exhibendæ, ibi, *Cantabo Domino.* In prima ergo duo. Primò admonitio de gratiarum actione, & Dei glorificatione. Secundò ratio quare eſt glorificandus, & gratiæ ei referendæ, ibi, *Lætabitur.* Dicit ergo: Sic monui, ô anima, vt Deum benedicas, quia magnificatus es vt oſtendi: & etiam moneo, *ſit gloria Domini*, à te illi data per gratiarum actionem multiplicem, *in ſæculum*, id eſt, perpetuò: quia ipſe eſt rex ſæculorum. 1. *Tim.* 1. Regi ſæculorum immortali, &c. Non ſic gloria hominis, quæ valde citò tranſit. *Iſa.*40. Omnis gloria eius quaſi flos agri. Ergo breuis & vilis certe in oculis Dei. 1. *Machab.*2. Gloria eius ſtercus, & vermis. Propter hoc ſancti ſoli Deo dant gloriam. *Iſa.*42. Ponant Deo gloriam, & laudem eius in inſulis non dabunt. Sciunt enim illud *Iſa.*42. Gloriam meam alteri non dabo. Nec iudicium occultorum. 2. ad *Cor.* 4. Qui autem iudicat me, Dominus eſt. Nec vindictam. *Deut.*27. Mihi vindictam, & ego retribuam illi.

Lætabitur. Hîc ſecundum, ratio ſcilicet quare glorificandus. Et primò generalis. Secundò ſpecialis multiplex. *Qui reſpicit.* Dicit ergo: Sic monui vt glorificetur Deus, quia *lætabitur Deus in operibus ſuis*, non faciet aliquid, vnde debeat contriſtari: quippe *Gen.*1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.

32. *Qui reſpicit.* Hîc ſpecificantur opera, pro quibus eſt glorificandus: & tanguntur duo. Primò opus miſericordiæ in iuſtificatione peccatoris. Secundò ſuperborum punitio in repreſſionem & condemnationem elationis, ibi, *Qui tangit.* Dicit ergo: Sic Domino ſit gloria in ſæculum, &c. *qui reſpicit*, oculo miſericordiæ *terram, & facit eam tremere*, tremore contritionis & doloris de peccatis. Sic Petrum tremere fecit. *Luc.*23. Reſpexit Dominus Petrum. Et poſt tremore concuſſus, fluit amare. *Pſal.* De præparato habitaculo tuo, reſpexit ſuper filios hominum. *Sap.*4. Et reſpectus eius in electos illius. Et hic reſpectus facit tremere illo tremore, de quo Paulus. *Hebr.*13. Cum timore & tremore ſalutem veſtram operamini. *Iob* 9. Commouet terram de loco ſuo.

Qui tangit montes. Hîc ſecundum ſuperborum punitio. Quaſi diceret: Sic reſpicit terram, & facit eam tremere: & etiam *tangit montes*, ſuperbos ſcilicet & elatos, *& fumigant*, id eſt, compunguntur ad pœnitentiam. Tactus hic eſt illius eſt digiti, de quo *Exod.*8. Digitus Dei eſt hic. *Pſal.* Tange montes, & fumigabunt. Vel tangit affligendo. *Geneſ.*27. Accede huc, vt tangam te. *Iob* 1. Tange os eius, & carnem. *Et fumigant* in inferno. *Iſa. penult.* Iſti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die.

Cantabo Domino. Hîc ſecundum, in quo poſtquam monuit ad glorificandum, determinat & ſpecificat magis, quandiu glorificandus, & à quibus. Primum hic. Secundum ibi, *Deficiant.* In prima duo. Primò ponens ſe in exemplum, dicit quod pſallet, & cantabit Deo. In ſecunda petit, quòd exaudiatur eius oratio, ibi, *Iocundum ſit.* In prima duo. Primò, quòd laudabit ore. Secundò, quòd opere, ibi, *Pſallam Deo.* Dicit ergo: Hæc quæ præmiſi, & gratiæ & naturæ fecit Deus, & propter hoc *cantabo* tibi, ô *Domine in vita mea*, quæcumque illa ſit, ſiue præſens, ſiue futura. *Pſal.* Laudabo Dominum in vita mea, pſallam Deo meo quandiu fuero. Nec mirum: quia ſicut dicitur *Eccl.*17. A mortuo, tanquam ab eo qui non eſt, perit confeſſio. *Pſal.* Non mortui laudabunt te Domine, ſed ego viuens cantabo. *Pſal.* In te cantatio mea ſemper. *Semper laudes Domini velle probatur edicere.*

34. *Pſallam Deo meo*, bona operando, *quandiu ſum.* Ecce iſte vult pſallere. *Pſal.* Cantabo, & Pſalmum dicam Domino. *Abac.*3. Super excelſa deducet me victor, in Pſalmis canentem.

Iocundum ſit ei. Hîc ſecundum, in quo petit orationem ſuam Deo fieri acceptam: in quo dicuntur duo. Primò petit vt ſit accepta oratio. Secundò oſtendit quis fructus inde ſequens ſit, ibi, *Ego verò.* Dicit ergo: Sic orabo, & cantabo Domino: ſed quia aliter mihi valet, rogo: *Iocundum ſit ei eloquium meum*, in pſallendo & orando prolatum: vt non dicat mihi illud *Amos* 5. Auferam tumultum carminum tuorum. Et illud *Iſa.*1. Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Sed magis impleatur illud *Pſal.* Deo meo ſit iocunda laudatio, noſtra ſup.

Ego verò, ſi ita fuerit, *delectabor in Domino*, non in aliquo alio niſi in ipſo. *Tob. vlt.* Ego & anima mea delectabimur in Domino. Hoc ipſum autem multum Deo placet, vt in ipſo ſit noſtra delectatio. *Caſſiod.* Sit nobis diuinitas dulciſſima, vt & vita noſtra ei reddatur accepta. *Cant.*7. Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius, delectationem cordi meo intendendo. Et vlterius quod rogatur & deſiderium totum implet. *Pſal. Delectare* in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.

Deficiant peccatores. Hîc ſecundum, in quo oſtendit à quibus laudandus ſit quia à iuſtis, non à peccatoribus. Ait enim: Sic laudabo, & delectabor & vt meo exemplo laudare poſſint, *deficiant peccatores à terra*, non vt non ſint, ſed vt peccatores *non ſint.* Peccatores autem appellat, qui peccant in ſeipſos. *Et iniqui*, qui peccant in proximos, deficiant, repete, ita vt non ſint impij. *Pſal.* Sicut fluit cera à facie ignis, ſi pereant peccatores, &c. *Prou.*2. Impij de terra perdantur, in quantum impij ſunt, ſecundum illud 12. Verte impium, & non ibit. Vnde non eſt imprecatio quod dicitur hîc, ſed magis oratio. *Auguſt.* Peccatores cupit conuerti. Et *Caſſiod.* Magis eſt oratio, quam maledictio: quia omnes iuſtos fieri cupit.

33.

35. *Benedic anima mea Domino.* Hîc ſecunda pars Pſalmi, ſcilicet inuitationis ad laudandum Deum inculcatio: vnde Pſalmus hic ſicut & præcedens dicitur circularis, ſiue periodalis, quia à benedictione incipit, & terminatur in benedictionem, demonſtrans, quod laus

diuina incipiens hîc, durat etiam in futuro. Incipit hîc, vt anima benedicens, gratia repleatur. *Prou.*11. Anima quæ benedicit, impinguabitur, pinguedine deuotionis & gratiæ, de qua ſuprà in *Pſal.* Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Sed in futuro perſeuerabit, quia non poterit anima Deo coniuncta tantam pulchritudinem non laudare, quantam videbit. 1.ad *Cor.*13. Videmus nunc per ſpeculum,& in ænigmate,tunc autem facie ad faciem. 1. *Ioan.*3. Videbimus ipſum ſicuti eſt. *Ioan.*14. Qui autem diligit me,diligetur à Patre meo:& ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. In qua manifeſtatione, tota in laudem perpetuam prorumpet. *Caſſiod.* Laudabunt iugiter Dominum: quia ſemper eum videbunt: dum illa pulchritudo inenarrabilis, excitat præconium ſine fine diligentis. Ad quem ſtatum nos perducat, qui eſt benedictus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

IN CIV. PSALMVM.

Alleluia.

1. *Argumentũ Pſalmi, inuitat pariter ad laudem Dei ex conſideratione beneficiorum exhibitorum Abrahæ & ſeminibus.*

Confitemini Domino. Hic eſt Pſalmus quartus in ſecunda parte libri, centeſimus quartus in toto libro. Poſtquam enim monuit ex conſideratione beneficiorum toti humano generi, imò toti creaturæ exhibitorum ad laudandum Deum, hîc ad eandem laudem ex conſideratione beneficiorum exhibitorum Abrahæ & ſemini eius: ſemini, inquam, ſpirituali in fide, non carnali procreato ex carne. Quia verò beneficia talibus præparata, vt exhibeantur, & iam exhibita,quaſi ineffabilia ſunt, præponitur titulus huic Pſalmo, *Alleluia*, quod interpretatur ſecundum *Caſſiodorum*, *Laudate inuiſibilem:* quia *allelu*, idem eſt quod laudate, *ia* inuiſibilis. Dicitque *Caſſiod.* quod eſt carmen Angelicum, & à nullo interpretum mutatum.

Alleluia, carmen Angelicum.

Carmen verò Angelicum dici poteſt: quia ſi immunes à peccato debent laudare Deum. *Eccl.*15. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris: illi ſpecialiter qui omninò puri & mundi ſunt à peccato, ſcilicet Angeli. Dicant ergo ipſi ſpeciali priuilegio: *Alleluia.* Item ſuum eſt propter laudis exercitium & frequentiam. Si enim homo quaſi ad tempus laudat: ſed illi non ceſſant. *Apoc.*4. Requiem non habebant clamantia atque dicentia: Sanctus, Sanctus, &c. Cantent ergo, qui cantare conſueuerunt *Alleluia.* Item ſuum eſt propter continuam Dei fruitionem & perpetuam, qua excitantur ad laudem vt non poſſint non laudare. *Matth.*18. Angeli eorum ſemper vident, &c. Et in conſpectus eius, tantæ ſcilicet pulchritudinis,non poſſunt non laudare, nec ſilere à laude. *Apoc.*14. Cantabant canticum nouum ante thronum Dei & Agni. Talis ergo titulus inſinuat, & Pſalmi materiam,quia de laude Dei agit, & actoris intentionem, quia mouere nos intendit ad Dei laudem.

Diuiditur autem Pſalmus in duas partes. Primò inuitat ad Dei laudem. Secundò ſubdit laudandi rationem, ibi, *Ipſe Dominus.* In prima duo. Primò inuitat ad laudem Dei exteriorem. Secundò ad interiorem, ibi, *Lætetur cor meum.* In prima tria. Primò inuitat ad laudem Dei exteriorem. Secundò determinat modum, quo laudandus eſt, ibi, *Narrate omnia.* Tertiò quare laudandus, ibi, *Laudamini.* In prima duo. Primò monet ad laudem oris. Secundò operis: hæc enim duo exterius ſunt, ibi, *Et pſallite ei.* In prima quatuor ſecundum quatuor, quæ per ordinem ſe ſequuntur. Primum nominis eius confeſſio, vt non ſileatur tempore debito. Secundò, confeſſi inuocatio in oratione priuata. *Et inuocate.* Tertiò, confeſſi & inuocati prædicatio aliis, ibi, *Annuntiate.* Quartò, in confeſſo, inuocato, prædicato, dulcis modulatio, ibi, *Et cantate ei.*

Dicit ergo, *Confitemini*, vos filij Abrahæ veri, *Domino*, id eſt, ad honorem Domini, non celantes eius poteſtatem, & virtutem. Ad *Rom.*10. Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio,&c.

Et inuocate nomen eius, in veſtris orationibus ſecurè, poſtquam illud confeſſi fueritis. *Iſa.*55. Inuocate Dominum dum prope eſt. Prope enim eſt, confitenti, ſup. Propter quod dicitur in Pſalmo alibi: Laudans inuocabo Dominum. *Iſa.*12. Confitemini Domino, & inuocate nomen eius.

Annuntiate. Ecce tertium. Quaſi diceret: Sic annuntiate,ſic inuocetis, & poſt *annuntiate opera eius*, prædicando, aliis publicando, *inter gentes. Iſa.*12. Annuntiate hoc in vniuerſa terra. *Act.*11. Loquebantur ad Græcos annuntiantes Dominum Ieſum. *Tob.*13. Confitemini Domino filij, & in conſpectu gentium laudate eum.

Cantate ei. Hîc quartum. Quaſi diceret: Sic confitemini, inuocate, & prædicate: & etiam *cantate*, cum modulatione vocis, laudate apertè. Suprà in *Pſal.* Cantate Domino, & benedicite nomini eius. Et alibi: Cantate Domino canticum nouum. 2.

Et pſallite ei. Hîc ſecundum. Poſtquam enim monuit laudare, hîc monet laudare opere: hoc enim eſt pſallere. Supra: Pſallite ei in cithara, in cithara & voce Pſalmi.

Narrate omnia. Hîc ſecundum. Poſtquam enim monuit ad laudem Dei ore & opere, hîc ſubiungit modum quo laudandus eſt: quia nihil de mirabilibus eius tacendum eſt. Ait enim: Sic monui vt laudetis, & etiam moneo, *Narrate omnia mirabilia eius. Tob.*12. Vos benedicite Deum & narrate omnia mirabilia eius. *Pſal.* Narrabo omnia mirabilia tua. *Modus laudandi Deũ.*

Sed contra: Nonne eſt hoc impoſſibile, omnia mirabilia Dei narrare? Conſtat, quòd ſic. Infrà: Quis loquetur potentias Domini? Quaſi diceret: Nullus. *Caſſiod.* Non eſt humanarum virium enarrare omnia, quæ virtus diuinitatis operatur. Reſp. Omnia narrate, id eſt, nihil ſupprimite timore hominum. *Matth.*10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, &c. Vel pudore. *Rom.* 1. Non enim erubeſco Euangelium: virtus enim Dei eſt.

Laudamini in nomine. Hîc tertium, in quo ſupponit laudis finem: finis enim laudis diuinæ debet eſſe, vt homo qui laudat, in Deo laudetur, non in ſe: vel in nomine Domini, non in ſuo. Ait ergo: Sic laudate, & ſic *laudamini*: non in veſtro nomine, ſed *in nomine ſancto eius. Auguſt.* Non velit quiſquam 3.

de

debono opere, tanquam in sua virtute laudari. *Psal.* In Domino, non in seipsa, laudabitur anima mea.

Lætetur cor. Hîc secundum, in quo postquam monuit ad exteriorem Dei laudem, monet ad interiorem. Interius autem Deum laudat, qui ipsum desiderat, & recolit eius beneficia, & ad memoriam reuocat. Duo ergo dicuntur. Primò monet Deum laudare. Secundò continuare desiderium, ibi, *Quærite faciem.* In prima tria. Primò tangit modum, quo vult Deum quæri & desiderari. Secundò monet ad desiderium & inquisitionem. *Quærite.* Tertiò ostendit fructum sequentem etiam in præsenti ex illo desiderio, ibi, *Et confirmamini.* Dicit ergo: Sic exterius laudate: & si quæritur interius Deus desiderio, & auiditate, *lætetur cor quærentium Dominum*, hoc est, lætanter & iocundè quæratur: & dignum est, quia alibi in *Psal.* dicitur: Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Et *Sap.6.* Præoccupat eos qui se concupiscunt, & inuenitur ab iis qui quærunt eum. *Thren.* 3. Bonus est Dominus animæ quærenti illum.

4 *Quærite Dominum.* Hîc secundum. Quasi diceret: Sic est modus quærendi, vt quærens lætetur: & tale opus, quod cum lætitia exercetur, libenter est implendum. Ergo quærite interius desiderando Dominum. *Sap.* 1. In simplicitate cordis, quærite illum: & inuenire citò poteritis modò. *Isa.* 55. Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est. *Luc.*11. Quærite,& inuenietis. Quærite Dominum, non mundum. Primò quia quærentes punguntur, sicut aliquandò qui quærit rosam, incurrit punctionem: qui mellis dulcedinem, incurrit aculeum apis. *Hieron.* Hoc habet voluptas omnis, quòd in fine pungit. *Isa.*7. Sibilabit Dominus muscæ punctioni & immunditiæ: quæ est in extrema parte fluminis Ægypti, delectationum scilicet mundi. Secundò, quia falluntur turpiter: credentes enim se aliqnid inuenire, nihil inueniunt. *Psal.* Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. *Eccles.*34. Sicut qui apprehendit vmbram, & persequitur ventum: sic qui attendit ad visa mendacia. *Luc.*15. Per totam noctem laborantes, nihil cepimus. Tertiò, quia tales fatigantur, & laborem pro paruo mirabiliter. *Eccl.*11. Si secutus fueris, non apprehendes: & non effugies, si præcucurreris. Est homo laborans, & festinans, & dolens impius, & tanto magis non abundabit. Quartò, quia etsi aliqua sunt adepti, citò deficiunt. *Sap.*5. Transierunt omnia velut vmbra. *Ioël.*1. Expergiscimini ebrij, flete, & vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine: quoniam periit ab ore vestro. Quintò, quia etsi maneant, citò in fastidium veniunt. *Num.*11. Comederunt filij Israël vsque ad nauseam. *Ierem.*25. Bibite in aureo calice Babylonis, & inebriamini, & vomite. Vltimò, quia possessa onerant, amata inquinant, & amissa cruciant, sicut dicit *Bernardus.*

Ratio multiplex, quare non debeamus quærere mundum.

Quærite ergo Dominum, & confirmamini. Ecce fructus, id est, confirmabimini: quærentes enim Deum, sicut vult *Glossa*, fortes fient & illuminati, & hîc infusa virtute, & in patria diuina fruitione. De primo. *Act.*16. Confortabantur in fide.2.ad *Corvlt.* Confortamini: omnia vestra in charitate fiant. De secundo dicit *Anselm.* Qui semel Deo fruetur, nec timore torqueri poterit, nec falsitate decipi, nec experiri indigentiam, plenitudinem non amare non poterit, nec Deus deseret amantem se, nec aliquid potentius poterit eum superare.

Quærite faciem. Ecce secundum, in quo monet ad perseuerantiam in quærendo. Quasi diceret: Sic quærite, & *quærite faciem eius*, Christum filium, per quem cognoscitur, sicut homo per faciem: *semper*, & in præsenti, & in futuro. *Psal.* Faciem tuam Domine requiram: non tantum quæram, sed requiram. Quasi diceret: Continuò & incessanter quæram.

Mementote mirabilium. Hîc est secundum illius partis, in qua monet ad laudem Dei interiorem: monet enim ad eius beneficia recolenda: in quo dicuntur duo. Primò monet ad memorandum eius mirabilia prodigia. Secundò ostendit qui debeant in memoria habere illa, ibi, *Semen Abraham.* In prima tria, secũdum tria, quæ vult haberi in memoria. Prin ò beneficia eis exhibita in Ægypto, scilicet multiplicationem maximam. Secundò exhibita ante eductionem illorum de Ægypto. *Et prodigia.* Tertiò exhibita in ipsa eductione illorum de Ægypto, inimicos iusto iudicio submergendo & suffocando, ibi, *Et iudicia.* Dicit ergo: Sic laudate Deum, interius ipsum desiderando, & quærendo: & vt desiderium inflammetur, *mementote mirabilium eius, quæ fecit*, vos in Ægypto multiplicando mirabiliter, sicut habetur *Exod.* 1. *Iob* 5. Qui fecit magna, & inscrutabilia, & mirabilia, quorum non est numerus. 5.

Prodigia etiam mementote, quæ fecit ad educendum vos de Ægypto, à 7. *Exod.* vsque ad 14. *Exod.*7. Multiplicabo signa, & ostenta in terra Ægypti.

Et iudicia oris eius, hoc est, ab ore eius contra Pharaonem procedentia, quando in mari rubro submersi sunt. *Exod.*14. *Exod.*8. Educam populum meum filios Israël de terra Ægypti, per iudicia maxima.

Semen Abraham. Hîc secundum, in quo ostendit, quos recolere beneficia Dei velit. Et primò, quòd ab Abraham seminatos. Secundò, quòd natos de Iacob. *Filij Israël.* Ait ergo: Sic monui recolere Dei beneficia vos specialiter, qui estis *semen Abraham*, id est, imitatores Abrahæ, *serui eius*, in fide. *Galat.* 4. Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius in sæcula. Vocatur autem Abraham seruus competenter, quia ipsi datum est primò præceptum de circuncisione, quod fuit initium seruitutis: serui enim talibus signis solent signari. *Gen.*17. Item quia obediuit in filij immolatione, quantum in se fuit. *Gen.*22. Circuncisi ergo, & obedientes, hi sunt veri filij Abrahæ, non carnales Iudæi. Ad *Rom.*9. Non enim qui filij carnis, hi semen Abrahæ sunt. 6.

Quare Abraham signanter dicitur seruus Dei.

Filij Iacob, imitatione similiter, *electi eius*, & hoc in bona operatione luctando contra carnem, mundum, & diabolum. Iacob enim luctator interpretatur: & dicitur electus, quia ab ipso vtero, priusquam nati essent, reprobato

Esaü,

Esau, à Deo electus est. *Mal.*1. Nunquid non fuit frater Esau Iacob? Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Sic ergo addit optimè filiis Abrahæ, per quos imbuti in recta fide, filios Iacob, vt sint etiam simul fortes in bona operatione. Parum enim est esse filium Abrahæ per fidem, nisi sis Iacob per bonam operationem. *Iacob.*2. Fides sine operibus, &c.

7. *Ipse Dominus Deus noster.* Hîc secunda pars totius huius Psalmi. Postquam enim inuitauit filios Abrahæ & Iacob ad laudem, & beneficiorum Dei memoriam, hîc assignat causam laudis, & ipsa beneficia, propter quæ laudandus est, specificat. Et secundum sex beneficia illi genti exhibita ad literam, sunt sex partes. Primum est terræ Chananæorum promissio. Secundum est contra inimicos fratris protectio, ibi, *Cum essent numero.* Tertium, iplorum in terra Ægypti multiplicatio, ibi, *Et populum.* Quartum est à seruitute Ægyptiaca liberatio, ibi, *Misit Moysem.* Quintum, ipsorum sustentatio in deserto, ibi, *Expandit nubem.* Sextum, ipsorum in terram promissam introductio, ibi, *Quoniam memor.* In prima quatuor. Primò dicitur quis promisit. Secundò quando & quomodo promisit, ibi, *Memor fuit.* Tertiò quibus promisit, ibi, *Quod disposuit.* Quartò quid, ibi, *Dicens, Tibi.* In prima duo. Describitur enim promittens à dominio duplici. In Iudæis primò: & in Gentibus secundò. Ait ergo: Sic laudate, & beneficia eius recolite, quia ipse *Dominus Deus noster*, non tantum apud nos potest, imo, *in vniuersa terra iudicia eius*, currunt. *Isa.*54. Dominus omnis terræ vocabitur. Sed contra in *Psal.* Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Respond. Verum est primò & principaliter, sed omnibus manifestauit secundariò, vt fieret ex Gentibus & Iudæis vnum ouile, & vnus pastor in Christo.

Sex beneficia Iudæis diuinitus collata.

8. *Memor fuit.* Hîc secundum, quando & quomodo qui tantus est, promiserit: in quo dicuntur duo. Primò innuit eum ab antiquo promisisse. Secundò promissionem diuulgasse, ibi, *Verbi quod mandauit.* Dicit ergo: Ipse Deus noster, & Dominus, in vniuersa terra, *memor fuit testamenti sui*, promissionis suæ, *in sæculum*, id est, à sæculo, à longo tempore factæ. *Luc.*1. Et memorari testamenti sui sancti, iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum. *Exod.* 32. Dicebat Moyses: Recordare Abraham, Isaac, & Iacob seruorum tuorum fidelium, quibus iurasti per temetipsum, &c.

Verbi quod mãdauit, nuntiari & publicari, & *in mille generationes*, id est, in omnes. Finitum sumitur pro infinito, sicut vult *Glossa*. *Psal.* Mandauit in æternum testamentum suum. Et si intelligatur de promissione literali, tunc intelligenda est conditio, si mandatis meis obedierint. Si autem intelligatur spiritualiter, de Testamento Nouo & promissionibus factis in illo, sicut vult *Glossa*, tunc planum est. In *Psal.* Illic, in Testamento scilicet Nouo, mandauit Dominus benedictionem, & vitam vsque in sæculum.

9. *Quod disposuit.* Hîc tertium, quibus promisit: & secundum tres, quibus facta est illa promissio, hîc dicuntur tria. Primum Abraham. Secundum Isaac. *Et iuramenti.* Tertium Iacob, ibi, *& statuit illud.* Dicit ergo: Sic fuit memor testamenti, promissionis scilicet, quod testamentum disposuit *ad Abraham. Genes.* 12. 15. & 17. & 22.

Et iuramenti sui, fuit memor, repete, *quod disposuit ad Isaac. Genes.*25. Tibi, & semini tuo dabo vniuersas regiones has, complens iuramentum. Sic ad literam de promissione literali, sed de spirituali adhuc verius fuit, quæ fuit cum promissa est illis terra viuentium. Tantæ enim excellentiæ fuit hoc beneficium, vt dicit *Augustin.* quòd admirati sunt super hoc Angeli, desiderabant antiqui, confundebantur dæmones, & adorabant homines. Et confirmata fuit promissio iuramento, communi chirographo, & pignore certo. De iuramento planum est, sed ipse Christus, Deus & homo fuit commune chirographum, & fuit certum pignus.

Et statuit illud. Ecce tertium, in quo ostendit promissum Iacob: sed quia binonimus erat, ostenditur ei facta promissio secundum vtrumque nomen. Ait enim: Sic Abrahæ promisit, & Isaac: *&* etiam *illud*, promissionem illam scilicet, *statuit Iacob in præceptum*, dans illud, hoc est, præcipiens vt crederent illud firmiter adimplendum in 28. *Genes.* quando adhuc tantum nomine Iacob vocabatur. Et reducam te in terram hanc, nec dimittam donec vniuersa compleuero. 10.

Et Israël, ipsi Iacob iam Israël vocato, *in testamentum æternum*, æterno scilicet mansurum. *Genes.*35. quando iam vocabatur Israël: Terram quam dedi Abraham, & Isaac, dabo tibi & semini tuo post te. Verè æternum testamentum, quia in *Psal.* Non prophanabo testamentum meum: & quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita. Ipse enim mentiri non potest. *Ioan.*14. Ego sum via, veritas, & vita. *Num.*23. Non est Deus vt homo, vt mutetur, neque vt filius hominis vt mentiatur. *Mal.*3. Ego Deus, & non mutor. *Iacob.* 1. Apud quem nulla est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.

Dicens, Tibi dabo. Hîc quartum, in quo determinat quid eis sit promissum: in quo dicuntur duo. Primò quid eis promissum sit vt detur. Secundò modus quo dandum est id quod promittitur, ibi, *Funiculum.* Sic talis & tantus, qui est Dominus, non tantum Iudæorum, sed etiam Gentium promisit, & talibus *dicens*, determinando quid promitteret: *Tibi*, Abraham, Isaac, & Iacob, *dabo terram Chanaan*, sicut multis, iam promissionibus est monstratum ad literam. Sed quomodo dabo vobis? *funiculum*, mensuram scilicet cuilibet debitam, *hæreditatis vestræ. Eccles.* 44. Dedit Dominus Iacob hæreditatem, id est, terram hæreditario possidendam: & diuisit eis terram in tribubus duodecim. *Psal.* Sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis. 11.

Et nota spiritualiter, quòd per Abraham, qui vocatur pater multarum gentium, signantur prælati, qui aliis præficiuntur. *Genes.* 27. Esto Dominus fratrum tuorum. Per Isaac, qui interpretatur risus, incipientes subditi: ipsi enim sunt in quorum gaudio non admiscetur extraneus, & pro quibus gaudent & rident Angeli.

Quatuor status hominum.

Angeli. *Luc.* 15. Maius gaudium eſt in cœlo, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, &c. Per Iacob, proficientes, qui ſunt in lucta & in pugna contra vitia, & dæmonia. Ad *Eph. vlt.* Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, aut &c. & cum Deo in oratione. *Oſeæ* 12. Luctatus eſt cum Angelo, fleuit, & rogauit eum. Per Iſraël, perfecti & contemplatiui, qui iam quodammodo reuelata facie Deum contemplantur, quantum in via eſt poſſibile. 2. ad *Corinth.* 3. Nos autem reuelata facie Deum contemplantes transformamur de claritate in claritatem, &c.

His datur terra Chanaan, id eſt, terra humilium: ſic enim Chanaan interpretatur. *Matth.* 5. Beati mites: quoniam ipſi poſſidebunt terram. Et ante parum: Beati pauperes ſpiritu, &c. Et hoc ſecundum menſuram vnicuique debitam à menſore Chriſto. *Zachar.* 5. Ecce vir, & funiculus menſoris in manu eius. *Ioan.* 14. In domo patris mei manſiones multæ ſunt. 1. ad *Cor.* 15. Differt ſtella à ſtella in claritate. Et hoc in hæreditatem. Iſta enim hæreditas eſt inamiſſibilis. *Pſal.* Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.

12. *Cum eſſent in numero breui.* Hîc tangitur ſecundum beneficium, propter quod Deus laudandus, & ipſi confitendum: ſcilicet protectio populi Iſraëlitici, adhuc parui numeri, & peregrinantis in terra: in quo dicuntur duo. Primò conuerſatio illius populi, ante ingreſſum in Ægyptum. Secundò in ingreſſu, ibi, *Et vocauit.* In prima duo. Primò neceſſitas protectionis monſtratur. Secundò modus, ibi, *Non reliquit.* Neceſſitas protectionis monſtratur in duobus. In paucitate populi inter multos malos habitantis: & inſtabilitate tranſeuntis de extraneo loco ad extraneum, ibi, *Et pertranſierunt.* In prima duo. Primò enim monſtratur paucitas propter numerum abſolutè. Secundò comparatione ad culturam terræ: quantum enim ad hoc, erant non tantum pauci, ſed & pauciſſimi, ibi, *Pauciſſimi.* Dicit ergo: Sic confitendum Domino, quia promittere voluit terram: ſed ne credas interim à Deo dimittendos, quia *cum eſſent* adhuc *numero breui*, etiam tempore Iacob, & poſt reditum de Meſopotamia Syriæ. *Gen.* 34. dixit Iacob ad filios ſuos poſtquam occiderant Schimitas: Nos pauci ſumus, illi pariter conglobati percutient me, & delebor ego, & familia mea. Neque hoc eſt contra hoc quod dictum eſt Abrahæ *Geneſ.* 22. Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & ſicut arenam, quæ eſt in littore maris: non enim reſpiciebat iſta promiſſio ad id tempus, ſed magis ad iſtud, quod modo eſt.

Pauciſſimi. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic cum eſſent pauci numero in ſe, & etiam *pauciſſimi incolæ eius*, id eſt, ad colendum illam terram, quam inhabitabant, cuius cultores erant ad literam. *Pſal.* Iacob accola fuit in terra Cham. *Geneſ.* 34. Terra in poteſtate veſtra eſt, negotiamini, & exercete eam. Ad illud tempus redacta videtur Eccleſia in multis locis: pauci enim ſunt numero in Eccleſiis, ſed incolæ qui fructum faciant & laborem, pauciſſimi. *Thren.* 1. Quomodo ſedet ſola ciuitas, Eccleſia ſcilicet, vt non ſit iam colonus in ea, ad procurandum animarum ſalutem: plena populo, ad recipiendum fructum, & præbendam? *Luc.* 10. Meſſis quidem multa, operarij autem pauci. Sufficient ergo pauci denarij, quando dicetur in fine illud *Matth.* 20. Voca operarios, colonos ſcilicet: & redde illis mercedem ſuam, incipiens à nouiſſimis vſque ad primos.

Operarij pauci in Eccleſia.

Et pertranſierunt. Hîc ſecundum, quod pertinet ad neceſſitatem protegendi, ſcilicet inſtabilitas. Et monſtratur primò inſtabilitas. Secundò inſtabilitatis quantitas, ibi, *Et de regno.* Ait enim: Sic numero breui fuerunt, & pauciſſimi ad colendum: *&* etiam *pertranſierunt*, tanquam peregrini, & inſtabiles, *de gente*, vna, *in gentem*, alteram, quod totum fieri poterat in vno regno, & fiebat. Ad *Hebr.* 11. Fide demoratus eſt Abraham in terra promiſſionis, tanquam in aliena, in caſulis habitando. Qui in caſulis habitat, de loco currit ad locum, non moratur in vno. Et Iſaac dicitur *Geneſ.* 25. Iſaac peregrinatus eſt in terra Geraris. Et de Iacob *Gen.* 33. Iacob venit in Sochot. Sed nunquid manſit ibi? Non. Sequitur enim: Et tranſiuit in Salem vrbem Sichimorum, quæ eſt in terra Chanaan. 13.

Et de regno, pertranſierunt, repete, *ad populum alterum*, alterius ſcilicet regni. Ecce vehemens inſtabilitas. Nota, ſicut dicit *Gloſſa*, quòd terra illa Chanaan non erat adhuc regnum, ſed poſtmodum fuit. Sed contra: Nonne *Gen.* 14. legitur, quòd Melchiſedech rex Salem, occurrit Abrahæ recedenti de victoria regum? Sed reſpondet Paulus ad *Hebr.* 7. dicens, quod Melchiſedech interpretatur rex iuſtitiæ, vel pacis. Non dicitur ergo Melchiſedech rex Salem, propter hoc quod illi ciuitati dominaretur tanquam rex, ſed propter nominis interpretationem.

Sic noſtri Patriarchæ, Prælati ſcilicet Eccleſiarum, pertranſeunt tanquam peregrini de gente in gentem, de regno ad populum alterum. Cum enim in vna ciuitate fuerint præbendati, dicunt illud Pauli ad *Hebr. vlt.* Non habemus hîc permanentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. Sed caueant ne & de ipſis non dicatur illud 2. ad *Cor.* 5. Quandiu ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino. Non ſunt de illis, de quibus ad *Epheſ.* 2. Iam non eſtis hoſpites, & aduenæ, &c.

Non reliquit hominem. Hîc ſecundum totius huius partis. Oſtenſa enim neceſſitate protegendi eos, hîc ſubiungitur modus protectionis: & dicuntur duo. Primò protectio à minoribus. Secundò & maioribus, ibi, *Et corripuit.* Dicit ergo: Cum eſſent pauci, & in ſe, & ad colendum terram, & inſtabiles, *non reliquit*, tanquam conſeruator eorum, *hominem nocere eis.* Verum eſt *Geneſ.* 12. de Abraham, cum deſcendit in Ægyptum. Et 26. de Iſaac, in Geraram. Et de Iacob dicitur 35. *Gen.* Cum profecti eſſent Iacob, & domus eius, terror Domini inuaſit omnes per circuitum ciuitates, & non ſunt auſi perſequi fugientes. 14.

Et corripuit. Hîc ſecundum, ſcilicet illorum protectio in comparatione ad maiores: & dicuntur duo. Primò maiorum repreſſio, ne illis nocerent. Secundò declaratio modi, per quem ſunt repreſſi. *Dicens: Nolite.* Dicit ergo: Sic eis,

vel

vel eos, nocere hominem non reliquit: *& corripuit pro eis reges*, volentes iniuriari, & nocere, ſicut Regem Ægypti per Abraham, cuius vxorem abſtulerat. *Geneſ.*12. Et Abimelech regem Geraræ, eiuſdem 20. & 26 per Iſaac.

15. *Dicens: Nolite tangere.* Hîc oſtenditur modus reprimendi eos. Primò reprimit eos à malitia in effectu. Secundò in ipſo affectu. *Et in Prophetis.* Ait enim: Sic pro eis corripuit reges, ſed quomodo? *Dicens: Nolite tangere*, nolendo affectu, *Chriſtos meos*, Abraham, Iſaac, Iacob. Ecce adhuc non erat materialis vnctio in Iudæis: incepit enim tempore Saülis. Et Patriarchæ Chriſti, id eſt, vncti appellantur, & quaſi Chriſtiani: vnde euidens eſt, quòd vnctos intelligit vnctione ſpirituali, qua omnes dicimur Chriſtiani, de qua in *Pſal.* Inueni Dauid ſeruum meum, oleo ſancto meo vnxi eum. Sed præcipuè, & abundantiſſimè caput omnium Chriſtianorum, Chriſtus, de quo in *Pſal.* Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. *Caſſiodor.* Attendendum eſt, quod Patriarchas Chriſtos appellauit, cum adhuc non eſſet vnctio celebrata. A Saül autem iſta vnctio cœpit initium. 1. *Reg.*10. ſed hic dicitur, quia erant in ſpiritu Chriſtiani.

Et in prophetis. Ecce ſecundum, in quo cohibet affectum. Quaſi diceret: Sic nolite tangere nocendo in affectu: & etiam *nolite malignari*, in interiori affectu, *in Prophetis meis*, id eſt, contra Prophetas meos, ſcilicet Patriarchas: erant enim prophetæ *Geneſ.*20. Non dimiſi te vt tangeres eam, Saram ſcilicet: & nunc redde eam viro ſuo, quia prophetа eſt, & orabit pro te. Nonne prophetauit de Chriſto *Gen.*24. quando dixit famulo ſuo: Pone manum tuam ſub femore meo, & iura mihi?

Vncti dicũtur Epiſcopi & ſacerdotes, quos prohibet D minus tangi.

Chriſti autem, vncti ſcilicet ſunt prælati, maximè Epiſcopi & ſacerdotes, qui nulla ratione ſunt tangendi. Ipſi ſunt quibus dixit Dominus. *Zachar.*2. Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. 1. *Reg.*26. Quis extendit manum ſuam in Chriſtum Domini, & innocens erit? Quaſi diceret: Nullus. Tanguntur autem à tyrannis, in perſonis aliquando, quod crudele eſt & horribile. 2. *Reg.* 1. Quare non timuiſti mittere manum tuam vt interficeres Chriſtum Domini? Tanguntur etiam in rebus ſuis. *Iob* 1. Ignis Dei deſcendit de cœlo, & tactas oues, pueroſque conſumpſit. Tanguntur etiam debitum ſuſtentamentum non præbendo, in quo ſe fortiter tangi conqueritur Dominus *Malach.* 3. Si affligit, vel affigit homo Deum ſuum, quia vos configitis me? gens tota. Et dicitis: In quo configimus te? In primitiis, & in decimis, quas non ſoluitis. Prophetæ autem ſunt Doctores. 1. ad *Cor.* 14. Contra quos non eſt malignandum. Supra in *Pſal.* Qui malignantur, exterminabuntur.

16. *Et vocauit famem.* Hîc ſecundum. Poſtquam enim oſtendit protectionis beneficium, ante deſcenſum populi in Ægyptum, hîc tangit beneficium exhibitum in deſcenſu: & tanguntur tria. Primò prouocatio ipſorum ad deſcenſum. Secundò protectio in deſcenſu, ibi, *Miſit ante eos.* Tertiò ingreſſus illorum, ibi, *Et intrauit Iſraël.* In prima duo dicuntur. Prouocatio enim illorum ad deſcenſum fuit. Primò ergo tangitur immiſſio famis. Secundò cauſa & modus, quo eſt immiſſa fames illa, ibi, *Et omne firmamentum.* Dicit ergo: Sic ſeruauit eos, & protexit, & poſt hoc *vocauit famem ſuper terram*, id eſt, ac ſi vocaſſet venire fecit. Vel vocare dicitur famem, quia vocat Angelos malos, per quos iſta fiunt, permittendo vt faciant. *Geneſ.* 42. Facta eſt fames in terra Chanaan. Et iterum in eodem. Creſcebat quotidie fames in vniuerſa terra, maximè Ægypti & Chanaan.

Qualiter Deus immittit famẽ in mundũ.

Et omne firmamentum. Ecce cauſa famis, & ratio. Quaſi diceret: Famem vocauit. *Et*, id eſt, quia, *omne firmamentum*, omne robur, & omnem fortitudinem, *panis contriuit. Geneſ.*17. In toto orbe panis deerat, & oppreſſerat fames totam terram. Implebatur tunc, quod poſtea comminatus eſt per Moyſen. *Leuit.* 26. Confringam baculum panis, vt decem mulieres in clibano vno coquant panes, & non ſaturabimini. *Iſa.* 3. Auferet Dominus à Ieruſalem & à Iuda omne robur panis, & omne robur aquæ. Sic Dominus famem ſpiritualem immittit in mundum. *Amos* 8. Mittam famem in terram, non famem panis, nec ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Dei. Deinde iuſtitiæ, de quo *Matth.*5. Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam. Tertiò Euchariſtiæ. *Iob* 5. Panem eius famelicus comedet, quia *Iſa.*58. dicitur: Frange eſurienti panem tuum. Quartò dulcedinis diuinæ. *Eccleſ.*24. Qui edunt me, adhuc eſurient. Et vltimo ſalutis animarum. In *Pſal.* Famen patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem.

17. *Miſit ante eos.* Hîc tangitur ipſorum protectio, deſcribendo, & oſtendendo ſtatum miniſtri protectionis: in quo dicuntur duo. Primò diuina ordinatio mittens miniſtrum protectionis tempore debito. Secundò miſſi deſcriptio, quantum ad ſtatum duplicem humilitatis & dignitatis, ibi, *In ſeruum.* Dicit ergo: Sic famem vocauit, ſed volens ſuos conſeruare, *miſit ante eos virum*, Ioſeph ſcilicet, qui vir bene dicitur, propter ætatem, propter ſexum, & propter probitatem: vnde verſus:

Vir notat ætatem, vir ſexum, vir probitatem.

Propter quod dicebat fratribus *Geneſ.*45. Pro ſalute enim veſtra miſit me Dominus ante vos. Biennium eſt quod eſſe cœpit fames in terra, & adhuc reſtant anni quinque: præmiſit me Dominus vt reſeruemini. Quando tales à Deo præmittuntur populo, qui viri ſunt, beneuolentia Dei eſt: quando iuuenes & molles, tunc ira Dei eſt. *Iſa.*3. Dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis. Et bene dicit, *ante eos*: boni enim paſtoris, qui eſt vir à Deo miſſus, eſt præire, ſecundum illud *Ioan.*10. Bonus paſtor cum proprias oues emiſerit, ante eas vadit, & oues illum ſequuntur. Stella antecedebat Magos *Matth.*2.

In ſeruum venundatus eſt. Hîc deſcribitur miniſter protectionis. Primò ergo tangitur eius humilitiatio. Secundò humiliati exaltatio, ibi, *Eloquium Domini.* In prima duo. Primò humiliatio illius à fratribus propriis. Secundò ab Ægyptiis. *Humiliauerunt eum.* Dicit ergo: Sic miſſus eſt vir: *& Ioſeph*, ille vir ſcilicet, qui miſſus eſt ante eos, *venundatus eſt in ſeruum*, à fratribus

fratribus propriis. *Gen.37.* Vendiderunt Ioſeph Iſmaëlitis. Et hoc, *in ſeruum*, ſed peruenit ad honorem maximum. *Greg.* Ioſeph venditus eſt à fratribus, ne adoraretur: ſed ideò eſt adoratus, quia venditus. *Caſſiod.* Venundatus Ioſeph ad ſeruitium, peruenit ad gloriam.

18. *Humiliauerunt.* Hîc ſecundum, humiliatio ſcilicet ab Ægyptiis, quæ fuit in incarnatione iniuſta: & dicuntur duo. Primò eius compeditio in carcere. Secundò moratio & duratio in illo carcere, ibi, *Ferrum pertranſiit.* Dicit ergo: Sic fratres vendiderunt, & Ægyptij quibus venditus fuit ab Iſmaëlitis, *humiliauerunt pedes eius, in compedibus* illos ponendo. Tangit quomodo poſitus fuit in carcere, quia noluit conſentire vxori domini ſui. *Geneſ.39.* His auditis Dominus, nimis credulus verbis vxoris ſuæ, iratus eſt valdè, tradiditque Ioſeph in carcerem, vbi vincti regis cuſtodiebantur. Et in 40. dixit pincernæ: Memento mei, cum bene tibi fuerit, vt ſuggeras Pharaoni, vt educat me de iſto carcere, quia furto ſublatus ſum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum miſſus ſum.

Ferrum indicat duram tribulationem.

Ferrum pertranſiit. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: In hac tribulatione fuit, ſed quamdiu? Reſpondet: *Ferrum*, id eſt, dura tribulatio & domitrix omnium, *pertranſiit animam eius.* Sic loquutus eſt Simeon ad Mariam. *Luc. 2.* Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Vel vt ſit hypallage: *Ferrum pertranſiit animam eius*, id eſt, anima eius pertranſiit ferrum. Idem ſenſus.

19. Et hoc, *donec veniret*, id eſt, eueniret, *verbum eius*, quod prædixerat de liberatione pincernæ regis. Et nota, quòd facta eſt dura tribulatio, ſicut dicitur hic, & 2. *Paral. vlt.* Dixit Manaſſes: Multo vinculo ferri, multa ſcilicet dura, & tenaci tribulatione, incuruatus ſum.

Ferrum etiam eſt anima dura, & quaſi ferrea, ſed acuitur ferro tribulationis. *Prou. 27.* Ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit faciem amici ſui. Primum ferrum de terra tollitur, quia exiſtentibus in terrenis occupationibus, multæ duræ tribulationes oriuntur. Et ſecundum de terra tollitur, in qua latet, quando anima à corpore ſeparatur. *Iob* 28. Ferrum de terra tollitur.

Eloquium Domini. Hîc ſecundum, quod pertinet ad deſcriptionem miniſtri liberationis. Præmiſſa enim eius humiliatione, ſequitur de eius exaltatione: in quo duo dicuntur. Liberatio à miſeria in qua erat: hoc neceſſe fuit ad hoc vt exaltaretur. Secundò liberati ſublimatio, ibi, *Conſtituit eum.* In prima duo. Primò cauſa & ratio liberationis ipſius. Secundò liberatio. *Miſit rex.* Dicit ergo: Sic fuit in vinculis, & in carcere, donec veniret verbum. Sed nunquid venit? Ita ſcilicet non ab eo fuit, ſed à Deo: quia *eloquium Domini:* verbum Dei factum ad cor ipſius, per linguam Dei, quæ eſt Spiritus ſanctus. *Act.2.* In igneis linguis apparuit: *inflammauit eum*, interius illuminando aſpectum mentis, inflammando affectum. Quippe in *Pſal.* infrà: Ignitum eloquium tuum vehementer. Et *Prouerb.30.* Omnis ſermo Dei ignitus, clypeus eſt ſperantibus in ſe. *Ierem. 23.* Nonne verba mea quaſi ignis, & tanquam malleus conterens petras? Propter hoc dicebant illi duo, ad quorum cor loquebatur. *Luc. vlt.* Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via? *Bernard.* Non poteſt capere frigidum pectus verbum eius. De Elia dicitur: Verbum eius ardebat qua facula.

20. *Miſit rex.* Hîc liberatio, & primò à vinculis. Secundò à carcere, ibi, *Et dimiſit eum.* Et in prima tangitur liberans authoritate primaria, ſcilicet rex, & ſecundaria, ſcilicet, *princeps populorum.* Dicit ergo: Sic eum diuinum eloquium inflammauit: & tunc *miſit rex*, hoc cognito, ad principem carceris, *& ſoluit eum*, à vinculis, *princeps populorum.* Sic poteſt legi litera ſatis bene. Vel poteſt totum referri ad regem: & hoc quod dicitur, *princeps populorum*, legi cum ſequenti. Quaſi diceret: Miſit rex & ſoluit eum, per miſſos: *Princeps populorum*, miſit, repete, *& dimiſit eum*, de carcere. *Geneſ.41* Statim ad regis imperium, eductum de carcere Ioſeph totonderunt, & veſte mutata obtulerunt regi. Sic impleuit Pharao, quod præcipitur regibus & prælatis. *Iſa. 58.* Dimitte eos, qui confracti ſunt, liberos. Et *Luc. 6.* Dimittite, & dimittemini.

Effectus eloquij diuini.

Spiritualiter cor inflammatum à diuino eloquio & alloquio, non poteſt teneri, nec compedibus peruerſæ conſuetudinis, nec carcere profundæ voluptatis. *Act. 12.* Ad deſcenſum Angeli, & alloquium Petri, catenæ ſolutæ ſunt, & carcer apertus, & exiuit Petrus.

21. *Conſtituit eum.* Hîc ſecundum. Poſtquam præmiſſa eſt liberatio, hîc ſubiungitur liberati ſublimatio: & dicuntur duo. Primò ſublimatio Ioſeph à rege. Secundò ſublimantis intentio & finis, ibi, *Vt erudiret.* In prima duo, ſecundum duo, in quibus eum ſublimauit. Primò in conferendo in domum ſuam dominium. Secundò in regnum, & terram totam principatum. *Et principem.* Dicit ergo: Sic ſoluit eum, & dimiſit de carcere, & poſt *conſtituit eum*, firmiter ſtabiliendo, *dominum domus ſuæ. Gen.41.* Conſtitui te ſuper vniuerſam terram Ægypti.

22. *Vt erudiret.* Hîc ſecundum, ſcilicet ſublimantis intentio, quæ tangitur duplicata inſtructio, ſcilicet Pharaonis, & principum de ſomniorum expoſitione. Et ſecundò, quod maius eſt, ipſorum ſapientum, & coniectorum Ægypti, qui per ſenes ſignantur hic. *Et ſenes eius.* Dicit ergo: Sic ſublimauit liberatum. Ad quid? *Vt erudiret principes eius*, Pharaonis, ſup. *ſicut ſemetipſum*, in ſomniorum expoſitione, in terræ gubernatione. *Geneſ.41.* Prouideat rex virum ſapientem & induſtrium, qui conſtituat præpoſitos per ſingulas ciuitates, & omnes obediant ei.

Et ſenes eius, qui erant ſapientiores, & diuini. *Iob* 12. In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia. *Prudentiam doceret.* Sed vbi docuerit ſenes prudentiam, ſi non legatur in textu hiſtorico, credendum tamen

est, sicut dicit *Glossa*, tantum virum non tantum ministrandis temporalibus intentum fuisse, sed etiam spiritualibus, vt sapientes Ægypti ab eorum vana reuocaret sapientia.

Contra prælatos. Hinc autem instruimur, quòd Prælati super domum Dei, & terram Ecclesiæ debent à Deo constitui. *Ierem.*1. Ecce constitui te, non alius, super gentes, & super regna. Et in *Psal.* gloriatur vt bene institutus dicens: Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion, &c. Ad quid? Non ad luxuriandum ex expendendum in superfluis bona domus Domini, sed ad instruendum, & regendum. *Bernard.* Timeant Clerici ministri Ecclesiæ, qui in terra sanctorum, quam possident, tam iniquè agunt, vt stipendiis, quæ sibi sufficere potuissent, minimè contenti, superflua, quibus sustentandi erant pauperes, impiè sacrilegéque sibi retineant, & in vsus superbiæ suæ atque luxuriæ, victum pauperum consumere non verentur, duplici profecto iniquitate peccantes, quia & aliena diripiunt, & sacris in suis turpitudinibus abutuntur.

Potest etiam exponi de beato Petro, & successoribus eius, quos Christus super Ecclesiam, imo super principes Ecclesiarum constituit: *Vt erudiret principes*: Episcopos, & Prælatos de somniorum veritate, omnia tanquam somnia reputando. *Act.*3. Argentum, & aurum non est mihi.

Et senes, Doctores de prudentia, quod bonum est eligendo, quod malum est fugiendo, non de cupiditate & parentum carnali dilectione. Sed *Isa.* 46. dicitur: Speculatores eius cæci omnes: speculator in altissimo domus totius est constitutus.

23. *Et intrauit Israël.* Hîc tertium totius illius partis, in qua agitur de beneficio in descensu in Ægyptum exhibito. Dicto enim de prouocatione ad desertum, scilicet inductione famis, & descripto ministro protectionis, hîc describitur tertium, scilicet populi descensio in Ægyptum: & tanguntur duo. Primò descensus in terram Ægypti. Secundò possessio terræ, & cultura illius post descensum, ibi. *Et Iacob.* Ait ergo: Sic venit fames, & Ioseph antecessit: & tunc intrauit Iacob in Ægyptum, non solus, sed cum omnibus suis. *Genes.* 46. Venit Iacob in Ægyptum cum omni familia, filij eius, & nepotes, & cuncta simul progenies.

Et Iacob, qui & Israël, *accola fuit*, id est, colonus, *in terra Cham*, in Ægypto. Sciendum enim, quòd de Cham, qui fuit pater Chanaan, descenderunt Ægyptij, vnde terra eorum dicebatur terra Cham, scilicet terra Gessen, quam dedit ei rex Ægypti per Ioseph. *Gen.*47. Ioseph patri & fratribus suis dedit possessionem in optimo terræ loco Rameses, vt præceperat Pharao. *August.* Accola, non indigenam, sed aduenam ostendit.

Sed quare dicitur Israël Ægyptum intrasse, & Iacob accola fuisse, magis quam è conuerso? Respond. Propriè loquitur scriptura. Ægyptus enim interpretatur tenebra, & quis tenebram intraret, nisi videret? valde fatuus esset. Israël autem interpretatur videns Deum. *Amos* 7. Qui vides, Deum sup. gradere in Ægyptum. Iacob autem interpretatur luctator, & fortis contra Deum. Talis debet esse accola terræ, aliter citò cadet. Samson enim citò cecidit *Iudic.*15.

Et auxit populum. Hîc tangitur tertium beneficium, scilicet multiplicatio in Ægypto. Secundò conuersio cordis Ægyptiorum in odium, & inuidiam contra populum illum, quod quasi sequutum est ex primo, ibi, *Conuertit cor.* In prima duo. Primò illius populi multiplicatio in numero. Secundò quia hoc parum esset, multiplicati roboratio & confirmatio, ibi, *Et firmauit.* Dicit ergo: Sic filios Israël protexit in terra Chanaam, & postmodum introduxit in Ægyptum: & tandem *auxit populum suum*, non modicum, sed *vehementer. Exod.* 1. Filij Israël venerunt, atque germinantes multiplicati sunt. *Isa.* 9. *Multiplicasti gentem.* 24.

Et firmauit eum, roborando, & confirmando, *super inimicos eius. Exod.*1. statim quando dixit: Et germinantes multiplicati sunt, addidit: Et roborati impleuerunt terram. Et in eodem dixerunt Ægyptij: Ecce populus fortior nobis est: venite, sapienter opprimamus eum.

Conuertit cor. Hîc secundum, scilicet consequenter ad augmentum populi. Primò odium cordis in Ægyptiis. Secundò operis, ibi, *Et dolum facerent.* Dicit ergo: Sic auxit & multiplicauit eos: & tunc *conuertit cor eorum*, scilicet Ægyptiorum, *vt odirent populum eius.* Et intellige sanè: *Conuertit*, non malitiam immittendo, sed permittendo, gratiam non infundendo, vt resipiscerent. *Exod.*1. Oderunt filios Israël Ægyptij. 25.

Et dolum facerent, cordis malitiam exequendo, *in seruos eius*, calumniando. *Isa.* 52. In Ægyptum descendit populus meus, & Assur absque vlla causa calumniatus est eum. Nonne etiam magnus dolus fuit, quòd præceperunt *Exod.* 1. Si masculus fuerit, interficite: si fœmina, reseruate? Ecce quod ex illorum felicitate crescebat illorum inuidia, & deteriores fiebant. Versus:

Ægyptij Hebræs inuidiam habuerunt sæuissimam.

Inuidus alterius opibus marcescit opimis.

Placuit Abel Deo. *Gen.*4. Et inuidus Cain inde magis factus est macilentus. Sic fratres Ioseph ex ipsius bonitate. Sic Ægyptij ad profectum Iudæorum, Iudæi ad profectum Christi.

Misit Moysen. Hîc tangit quartum beneficium, quod est liberatio filiorum Israël de Ægypto per Moysen: & dicuntur quatuor. Primò quorum ministerio facta sit liberatio. Secundò per quæ facta est liberatio, scilicet per plagas & flagella, ibi, *Misit tenebras.* Tertiò modus liberationis, talibus ministris, & per talia, ibi, *Et eduxit eos.* Quartum quod secutum est in inimicis ex tali liberatione, ibi, *Lætata est Ægyptus.* In prima dicuntur duo. Primò missio illorum, per quos facta est liberatio. Secundò mittentis intentio, ibi, *Posuit in eis.* In prima duo. Primò missio Moysi tanquam primi & principalis. Secundò associatio Aaron ipsi Moysi, ibi, *Aaron.* Dicit ergo: Sic multiplicati sunt in Ægypto, & afflicti, & Dominus ad liberandum eos *misit Moysen*, verè misit *Exod.*3. 26.

Qui

Qui eſt, miſit me ad vos. Et verè: quia ex toto mundo ipſum elegit vt mitteret. *Eccl.*45. Elegit eum ex omni carne.

Et Aaron. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic Moyſen miſit, ſed fortè non ſocium ſuum: imò & miſit *Aaron, ipſum quem elegit.* Et ſi fortè ſuffeciſſet dixiſſe, Miſit Aaron quem elegit, magis expreſſit addens pronomen diſcretiuum, *ipſum. Exod.* 4. Aaron frater tuus, ſcio quòd vir eloquens ſit: ipſe egreditur in occurſum tuum, loquere ad eum, & pone verba mea in ore eius. *Eccleſiaſt.*45. Ipſum elegit Aaron ab omni viuente offerre illi ſacrificium.

Qui eligendi vt educant populum de Ægypto.

Per Moyſen, qui interpretatur nutritus in aquis, eruditus & nutritus in aquis ſcripturarum, imo qui ſit fons. *Prou.*5. Deriuentur fontes tui foras. Et quod ſic fuerit. 1.*Cor.*9. Cum eſſem liber in omnibus, omnium me ſeruum feci. Item quòd Dei ſeruus, vt gloriam Dei quærat, non ſuam. *Iſa.*42. Laudem eius, Dei ſcilicet, non ſuam, in inſulis nuntiabunt. Per Aaron, qui montanus, in vita altus. *Iſa.* 40. Super montem excelſum aſcende tu, qui euangelizas Sion. Et 42. De vertice montium clamabunt. Item à Deo electus. *Deut.*17. Conſtitues eum, quem Dominus Deus tuus elegit de numero fratrum tuorum. Hi debent eligi ad educendum populum Dei de Ægypto. Suprà in *Pſal.* Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius.

27. *Poſuit in eis.* Hîc ſecundum huius particulæ, ſcilicet ad quid miſit, ſcilicet ad duo. Primò ad nuntiandum minora Dei miracula, quæ ſignificantur per ſigna. Secundò maiora, quæ ſignificantur per prodigia, ibi, *Et prodigiorum.* Dicit ergo: Sic miſit tales, *& poſuit*, tanquam mittens ad hoc, *verba ſignorum ſuorum*, minorum mirabilium, *in eis*, vt ipſa prædicerent Pharaoni, & verbo implerent: *&* etiam verba *prodigiorum ſuorum*, hendorum ſup. *in terra Cham. Exod.*7. Cum dixerit vobis Pharao: Oſtendite ſigna, dices ad Aaron: Tolle virgam tuam, & proiice coram Pharaone. Et rurſus in 7. & in 9. Multiplicabo ſigna, quantum ad minora: & oſtenta, quantum ad maiora, in terra Ægypti. Verbà dicit, quia ipſa facta erant verba, quia ſignantia.

28. *Miſit tenebras.* Hic ſecundum, in quo oſtendit, per quæ facta eſt ab illis liberatio, ſcilicet ſigna, & portenta, quæ tangit ad illorum liberationem facta. Primò ergo tanguntur ſigna tenebrarum: & dicuntur tria. Primò tenebrarum immiſſio. Secundò effectus conſequens ex immiſſis, ibi, *Et obſcurauit.* Tertiò quædam tantæ plagæ conditio, ſecundum vnam lecturam, vel ipſorum afflictorum per illam plagam, vel miniſtrorum Dei ad infligendum plagam ſecundum diuerſas literas. *Et non exacerbauit.* Dicit ergo: Sic miſit Moyſen, & Aaron: & per eos *miſit tenebras*, ſuper terram Ægypti denſiſſimas. *Exod.*10. Extende manum tuam in cœlum, & ſint tenebræ ſuper totam terram Ægypti, tam denſæ, vt palpari queant.

Et obſcurauit, id eſt, obſcuritatem immiſit: hoc conſequens eſt, & effectus tenebrarum. Et hoc verum. Tanta enim facta eſt obſcuritas, ſicut ibi legitur, quòd tribus diebus nemo vidit fratrem ſuum, nec mouit ſe de loco, in quo erat.

Et non exacerbauit. Ecce tertium. Quaſi diceret: Sic immiſit tenebras, & ſequuta eſt obſcuritas. *Et* tamen Deus *non exacerbauit*, hanc miſeriam immittendo, *ſermones ſuos*, id eſt, in hoc non fuit tam acerbus, ſicut in aliis quibuſdam plagis: nec fuit in hoc conſummatio: maior enim plaga fuit mors primogenitorum, quæ ſequuta eſt iſtam. Vel ſecundum aliam literam: *Et exacerbauerunt*, Ægyptij, promittendo, quòd dimitterent populum, & non complendo, *ſermones eius*, Dei ſcilicet.

Spiritualiter autem hæc eſt prima miſeria reproborum, immiſſio tenebrarum in corda eorum. *Geneſ.*1. Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. *Iob* 30. Circumdedit eum Deus tenebris. Et ex hoc ſurgit horribilis obſcuritas in corde hominis. Ad *Epheſ.*4. Tenebris obſcuratum habentes intellectum. Et tamen adhuc reſtat afflictio. *Iſa.* 5. & 9. Et adhuc manus eius extenta. Vel ſecundum aliam literam, excæcati, & obſcurati peccatores reprobi, tunc magis exacerbant Deum. *Pſal.* Exacerbauit Dominum peccator.

Prima miſeria reproborum, cæcitas mentis.

29. *Conuertit aquas.* Hîc tangit ſecundum ſignum, vel portentum: in quo dicuntur duo. Primò aquarum conuerſio in ſanguinem. Secundò effectus ſequens ex conuerſione, ſcilicet mors piſcium, ibi, *Et cecidit.* Ait ergo: *Conuertit aquas eorum*, Ægyptiorum ſcilicet, *in ſanguinem.* Suprà in *Pſal.* Conuertit in ſanguinem flumina eorum. *Exod.*8. Aquæ conuerſæ ſunt in ſanguinem. *Et occidit piſces eorum.* Quomodo enim viuere poſſent in ſanguine? *Exod.* 8.* Piſces mortui ſunt in aquis: verum eſt in ſanguinem conuerſis.

Spiritualiter autem per aquas ſapientia deſignatur, quæ potat animam. *Eccl.*15. Aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum. Et extinguit ardorem peccati. *Eccleſ.*3. Ignem ardentem extinguit aqua. Sed hanc reprobi excæcati in ſanguinem conuertunt, in mundanam ſcilicet ſapientiam, vel carnalem. Sapientia enim mundi contentioſa eſt, & ſapientia carnis immunda: vtraque ſanguis. Prima corrumpit caput animæ intellectum. Secunda affectum, qui eſt quaſi cor, & medium in anima. *Iſa.*1 Omne caput languidum, & omne cor mœrens. Et tunc moriuntur piſces, homines curioſi & luxurioſi, de quibus *Abac.*1. Facies homines ſicut piſces maris. Quippe in ſanguine non eſt vita piſcis, ſed in aqua. *Iſa.*50. Computreſcent ſine aqua, & morientur in ſiti. Sapientia autem Dei contraria eſt: quia & munda, & pacifica. *Iacob.*2. Sapientia quæ deſurſum eſt, primum quidem pudica eſt, contra immunditiam: deinde verò pacifica, contra tumultuoſitatem.

Sapientia mundi & carnis contraria eſt ſapientiæ Dei.

30. *Et dedit terra eorum ranas.* Hîc eſt tertium ſignum, ranarum procreatio. Duo ergo dicuntur. Primò ranarum multiplicatio. Secundò vehementia multiplicationis, vel infeſtatio Ægyptiorum per multiplicatas. *In penetralibus.* Ait enim: Sic aquas in ſanguinem conuertit, *&* dedit, poſt hoc, *terra eorum ranas.* Vel ſecundum aliam literam. *Dedit terram eorum in ranas. In penetralibus,*

in caminis ſcilicet & cubiculis *regum ipſorum*. *Exod.*7. Aſcendent ranæ, & ingredientur domum tuam, & cubilum lecti tui.

Aduocati ranis comparati.

Poſt conuerſionem veræ ſapientiæ in mundanam & carnalem, ſequitur ranarum multiplicatio, aduocatorum garrulorum. *Apocal.*17. Vidi de ore dracones, dæmonis ſcilicet, & de ore pſeudo-prophetæ,diaboli longam vitam & diuitias promittentis, tres ſpiritus immundos, malos ſcilicet aduocatos, qui auferunt ſcilicet rem & corpus & famam, in modum ranarum gatrientium,& aſcendunt vſque ad cubicula regum, magnis enim ſunt familiares. *Pſal.* Miſit in eis ranas, & diſperdidit eos.

32. *Dixit, & venit.* Hîc quartum ſignum, ſcilicet immiſſio muſcarum in abundantia. Primo ergo tangit muſcarum procreationem. Secundo creatarum, vel immiſſarum abundantiam, ibi, *In omnibus.* Et primò tangitur immiſſio maiorum. Secundò minorum. *Et cyniphes.* Dicit enim : Dixit & fecit prædicta, & poſt hæc, *dixit* per Moyſen ſeruum ſuum, qui etiam ab æterno hoc dixerat,in æterno Filio ſuo ſic fiendum ordinauerat. *Et venit cynomia,* maior muſca, *& cyniphes*, minores & ſubtiliores. Et non parum, imò ſic factum eſt *in omnibus finibus eorum. Exod.* 8. Facti ſunt cyniphes in hominibus, & iumentis, & venit muſca grauiſſima in domum Pharaonis, & ſeruorum eius.

Spiritualiter autem poſt ranarum multitudinem, bene ſequitur de muſcis, quia per illas generantur ſollicitudines, animam atrociter pungentes. *Gregor.* Iſraël recepit ſabbatum immune,id eſt,quietem mentis & tranquillitatem: Ægyptus autem percuſſa eſt, muſcarum, id eſt, ſollicitudinum pungentium multitudine. Propter hoc dicitur *Matth.* 6. Nolite ſolliciti eſſe animæ veſtræ, quid comedetis, aut corpori veſtro, quo induamini. Quaſi diceret : Abiicite muſcas. Ipſe enim non Beelzebuth, deus muſcarum.

Poſuit pluuias. Hîc eſt quintum ſignum & portentum, ſcilicet immiſſio grandinis, igne admixto:vnde tanguntur duo. Primò immiſſio grandinis cum igne. Secundò effectus ſequens ex immiſſione, ibi, *Et percuſſit.* In prima duo. Primò grandinis immiſſio in maxima quantitate. Secundò ignis admixtio. *Ignem comburentem.* Dicit ergo : Sic multiplicatam miſit muſcam, & etiam *poſuit pluuias eorum*, quibus deberent terræ naſcentia foueri & nutriri, *grandinem*, totum deſtruentem. *Exod.*9. Pluit Dominus grandinem, *Ignem comburentem*, omnia ligna, quæ grando deſtruere non poterat, poſuit, repete, *in terra eorum. Exod.* 9. Ignis & grando pariter mixta ferebantur.

Spiritualiter autem, poſt ſollicitudines mordentes & pungitiuas, ſequitur grando litium, ignis inuidiæ & cupiditatis diuitiarum. *Sap.*16. Per fortitudinem brachij tui flagellati ſunt aquis niuis, & grandinibus, & pluuiis, perſequutionem paſſi ſunt & per ignem. Certè plures hodiè litibus, quæ ſunt grando, occidunturin malo, quam occidantur verbo Dei in bono. *Ioſuè* 10. Mortui ſunt plures lapidibus grandinis, quam quos filij Iſraël occiderant gladio. Et ignis ligna fortiſſima, mentes religioſorum conſumit. *Ioël.* 1. Ignis cupiditatis deuorauit ſpecioſa deſerti.

33. *Et percuſſit vineas.* Hîc ſecundum, ſcilicet effectus grandinis & ignis, ſcilicet deſtructio arborum. Et primò tangitur de quibuſdam ſpecialiter. Secundò de omnibus generaliter. *Et contriuit.* In prima duo, ſecundum duo genera, quæ tangit, vineam ſcilicet, & ficulneam. Ait enim : Sic immiſit grandinem & ignem. Et quid occidit ? *Percuſſit vineas eorum*, ad literam, & ficulneæ eorum ſimiliter. *Et* breuiter, *contriuit omne lignum finium eorum. Exod.* 9. Omne lignum regionis confregit.

Per vineam Doctores, de quibus debet elici potus vitæ inebrians animas. Per ficulneam Prælati, qui ſua dulcedine debent minores reficere, & ſub vmbra foliorum refrigerare. *Iud.*9. de vite & ficulnea. Sed vinea ardet frequenter igne ambitionis & ſuperbiæ. *Ier.*11.Ad vocem loquelæ grandis exarſit ignis in ea. Et ficus aret ſine fructu, habens tantum folia, & propter hoc maledicta. *Matth.*21. *Luc.* 13. Succide illam, vt quid etiam terram occupat? *Abac.*3. Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis. Per ligna finium, boni ſubditi & fortes : ſed hæc omnia litibus, & cupiditatis igne deſtruuntur, iuxta illud *Ioël.* 1. Vinea confuſa eſt, & ficus elanguit : malogranatum, & palma, & malum, & omnia ligna agri aruerunt.

34. *Dixit, & venit.* Hîc ſextum ſignum, ſcilicet de locuſtarum immiſſione, ad conſumendum penitus, ſi aliquid viride germinaſſet : & dicuntur tria. Primò cauſa illius plagæ, ſcilicet immiſſionis locuſtarum. Secundò immiſſio illorum. *Et venit locuſta.* Tertiò effectus ſequens ex immiſſione illa, ibi, *Et comedit*. Dicit ergo: Hæc promiſſa fecit, & etiam *dixit*, expone,vt prius.

Et venit. Hîc ſecundum, in quo tangitur primò immiſſio locuſtæ. Et ſecundò immiſſarum infinita multiplicatio. *Cuius non erat.* Et in primo tangitur immiſſio ſecundum duplicem ſtatum locuſtæ : quædam enim ſalit, quæ propriè eſt locuſta : quædam reſidet, quæ eſt bruchus. Salit quando iam creuit, ſed reſidet adhuc parua. Ait ergo : *Et venit*, per dictionem illam, *locuſta*, quæ ſalit de loco ad locum, & maior eſt : *& bruchus*, parua locuſta adhuc, quæ reſidet : *cuius*, locuſtæ & bruchi, *non erat numerus*, apud homines,etſi apud Deum. *Exod.* 10. Extende manum tuam ſuper Ægyptum, & veniat locuſta, & deuoret omnem herbam,quæ reſidua eſt grandini.

35. *Et comedit.* Hîc ſecundum, ſcilicet effectus ſequens ex hac locuſtarum & bruchorum immiſſione : & tangitur duplex. Primò deſtructio cibi iumentorum. Secundò hominum. *Et comedit omnem fructum.* Dicit ergo:Sic miſit locuſtam, & bruchum, *& comedit*, locuſta & bruchus, *omne fœnum in terra eorum*, vt cibus iumentis deficeret. *Et comedit omnem fructum*,tam arborum, quàm ipſas ſegetes,*terræ eorum*,vt homo quid comederet,non haberet. *Exod.*10.Nihil virens relictum eſt in herbis terræ. Et iterum in eodem:Deuorata eſt omnis herba terræ: & quicquid pomorum in arboribus fuit.

Per

Per locuſtam quæ ſurſum ſalit, ſignificatur præſumptio, quæ eleuatur in altum. Per bruchum, qui reſidet quaſi nihil mali faciens, hypocriſis. Et bene bruchus fit locuſta, quia omnis hypocrita præſumptuoſus. Hæc ergo duo vitia, *omne fœnum*, opera bona miſericordiæ ſcilicet, & pietatis, quibus paſcuntur minores, *& omnem fructum*, ſolidora perfectionis opera deuaſtant. *Iud.6.* Cumque ſæuiſſet Iſraël, aſcendebat Madian, & Amalech, & cæteri Orientalium nationum, hoc eſt, multitudo dæmonum, & apud eos fugientes tentoria, tanquam manentes, ſicut erant in herbis cuncta vaſtabunt, & præſumptionem & hypocriſim ſuadentes.

Omnis hypocrita præſumptuoſus.

36. *Et percuſſit omne.* Hîc ſignum ſeptimum, quod fuit immiſſio mortis primogenitorum tam in hominibus, quàm inmentis. Et ſecundum hoc dicuntur duo. Primò occiſio primogenitorum in hominibus. Secundò in iumentis, ibi, *Primitias.* Ait ergo: Sic omnia terræ naſcentia ſunt occiſa. *Et* tandem *percuſſit omne primogenitum*, in hominibus, ſup. *in terra eorum*, Ægyptiorum ſcilicet, non Hebræorum.

Primitias. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Percuſſit morte primogenita hominum, & etiam *primitias*, primogenita ſcilicet, *omnis laboris eorum*, hoc eſt, ad omnem valentes laborem: & ſic intelliguntur primogenita pecorum. *Exod.11.* Mortuum eſt omne primogenitum in terra Ægypti.

Ecce ſpiritualiter conſummatio iniuſtitiæ. Poſt præſumptionem enim & hypocriſim ſequitur odium, & inuidiæ peccatum, quæ deſtruunt primogenitum omnis boni, charitatem ſcilicet, & auferunt primitias præcipuas, optimas operationes noſtras, vt omninò nihil nobis proſint. 1. ad *Corinth.13.* Si diſtribuero omnes ſubſtantias meas in cibos pauperum, & tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, quæ per peccatum odij & inuidiæ fugatur, & occiditur quodammodo, nihil mihi prodeſt.

Et nota, quòd ſunt primitiæ innocentiæ, ſancti ſcilicet innocentes, de quibus *Apoc.14.* Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo & agno. Et ſunt primitiæ gratiæ, ſcilicet charitas, & ſpiritus dilectionis. Ad *Rom.8.* Nos ipſi ingemiſcimus primitias ſpiritus habentes. Et ſunt primitiæ glorioſæ reſurrectionis, ſcilicet Chriſtus. 1. ad *Corinth.15.* Chriſtus reſurrexit primitiæ dormientium, reſurgentium ſup. Et ſunt primitiæ laboris & operationis bonæ, ſcilicet meliorum virtutum opera. De his poteſt intelligi quod hic dicitur. *Eccleſ.35.* Non minuas primitias manuum tuarum.

37. *Et eduxit nos.* Hîc tertium, in quo poſtquam oſtendit per quos facta ſit eductio, & per quæ, hîc tertiò oſtendit quis ſit educendi modus: & oſtenditur in duobus. In diuitiarum multiplicatione, & corporum ſanitate, ibi, *Et non erat.* Diuites enim & ſani ingreſſi ſunt. Ait ergo: Sic Moyſen & Aaron miſit, per ipſos talia & tanta mirabilia fecit: *&* poſt *eduxit eos*, de Ægypto, *cum argento & auro*, ab Ægyptiis petito & obtento. De hoc *Exod.12.* quomodo poſtulauerunt ab Ægyptiis vaſa aurea & argentea, & illi dederunt, & cum his receſſerunt.

In hoc autem oſtenditur qualiter Dominus ſuos de mundo eiicit, diuites ſcilicet in auro diuinæ ſapientiæ, & argento promptæ eloquentiæ. De quorum vtroque *Iob* 28. Habet argentum venarum ſuarum principia, & auro locus eſt, in quo conflatur. *Gen.13.* Abraham aſcendit de Ægypto diues in poſſeſſione auri & argenti. Quæ etiam quodammodo ab Ægyptiis, Philoſophis ſcilicet infidelibus extorquenda ſunt, & rapienda. *Auguſtin.* 2. lib. de doctrina Chriſtiana: Philoſophi ſi fortè aliqua vera dixerunt fidei noſtræ accommoda, formidanda non ſunt, ſed ab ipſis, tanquam ab iniuſtis poſſeſſoribus ſunt in vſum noſtrum vendicanda, ſicut aurum ab Ægyptiis in meliorem vſum ſibi vendicauerunt filij Iſraël.

Infideles Philoſophi eloquentia iniuſti poſſeſſores.

Et non erat. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic exierunt locupletes: & etiam ſani, quia *non erat in tribubus eorum infirmus. Deuteron.7.* Auferet à te Dominus omnem languorum, & infirmitates Ægypti peſſimas. Sic non tantum diuites in ſapientia & eloquentia, ſed fortes in virtute & ſanos ſuos educit Dominus. *Iſa.40.* Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem.

38. *Lætata eſt Ægyptus.* Hîc quartum totius huius partis, in qua agitur de beneficio in ipſorum liberatione de Ægypto. Poſtquam enim oſtendit per quos egreſſi ſunt, & per quæ, & quomodo, oſtendit, quid ſecutum ſit in illis à quibus receſſerunt, quia lætitia: & tanguntur duo. Quia lætitia primò, & ſecundò cauſa lætitiæ, ibi, *Quia incubuit.* Dicit ergo: Sic exierunt de Ægypto, & tunc *lætata eſt Ægyptus.* Metonymia, continens pro contento, id eſt, Ægyptij, *in profectione illorum*, ſcilicet filiorum Iſraël. Et ſtatim addit, quare lætati ſunt: *quia incubuit timor eorum*, ſcilicet filiorum Iſraël, *ſuper eos*, ſcilicet Ægyptios, id eſt, eos totos arctauit ſicut rete. *Exod.12.* Cogebant Ægyptij filios Iſraël, dicentes: Exite velociter, ne fortè moriamur. Hoc etiam poſſet dici de illis, qui remanſerunt aliis ſubmerſis, quando perſequebantur. *Caſſiodor.* Qui in Ægypto remanſerunt, omninò lætati ſunt: quia ſimilia minime pertulerunt. Sic mali remotis, vel mortuis bonis, vel corporaliter, vel ſpiritualiter, ſicut quando intrant clauſtra, lætantur. Primò, quia timent eorum ſocietatem. *Iſa.43.* Erit terra Iuda Ægypto in pauorem. Item eos oneri habent, tanquam graue pondus. *Eccleſiaſt.13.* Pondus ſuper ſe tollit, qui honneſtari ſe communicat. *Zachar.12.* Erit in die illa, ponam Ieruſalem lapidem oneris omnibus populis. Item quia eos etiam videre vix ſuſtinent. *Sapient.12.* Grauis eſt nobis etiam ad videndum. 1. *Reg.19.* Non rectis oculis aſpiciebat Dauid Saül. *Gregor.* Tenebræ, id eſt, mali, non poſſunt videre lumen, id eſt, bonos. Item quia ſe nihil ab illi reputari vident, & volunt reputari aliquid. *Sap.2.* Tanquàm nugaces æſtimati ſumus ab illo, abſtinet ſe à viis noſtris, tanquam ab immunditiis. *Iob* 18. Quare reputati ſumus vt iumenta, & ſorduimus coram te. Item quia iuxta tales magis apparent: quia

Mali lætantur abſentia bonorum.

oppoſita iuxta ſe poſita, magis eluceſcũt. *Ioan.*3. Qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Item quia boni eos arguendo fortiter mordent. *Sap.*2. Improperat nobis peccata legis. Propter hoc fugauit Ieſabel Eliam. 3.*Reg.* 19. Et Herodes decollauit Ioannem. *Matth.* 14. Item quia malos rumores eis apportant, ſcilicet de morte æterna. 3.*Reg.*22. dixit Achaz de Michæa: Ego odi eum: non curo de ſua ſocietate, quia non prophetat mihi niſi malum. Vltimò quia impedimento eis ſunt ad faciendum malum. *Iud.*1. Arctauit Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum, vt ad planiora deſcenderent.

39. *Expandit nubem.* Hîc tangitur beneficium quintum, ſcilicet populi ſuſtentatio in deſerto poſt egreſſum: & dicuntur duo. Primò ſuſtenſtentatio populi in deſerto, quantum ad id quod eſt exterius neceſſarium, ſicut domus & ductor. Secundò quantum ad id quod interius, ſicut eſt alimentum, ibi, *Petierunt, & venit.* In prima duo. Primò beneficium protegentis loco domus. Secundò ducentis loco viæ, quæ non erat in deſerto, ibi. *Et ignem.* Dicit ergo: Sic educti ſunt, & poſt ipſis in deſertum tranſductis, *expãndit nubem*, ad literam, *in protectionem eorum*, ab ardore ſolis in die, & tenebris in nocte. *Exod.* 15. Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem. *Et ignem*, expandit, repete, *vt luceret eis per noctem. Caſſiodor.* Nubes data eſt, vt ſolis temperet ardorem. Ignis conceſſus eſt, vt tenebrarum poſſet auferre caliginem.

Spiritualiter autem, nubes eſt Chriſti caro. *Iſa.*19. Aſcendet Dominus ſuper nubem leuem. Hæc fuit expanſa in cruce. *Iſa.penult.* Expandi manus meas tota die. Ignis autem Spiritus ſanctus eſt. *Luc.*12. Ignem veni mittere in terram. Primum datum eſt ad refrigerandum voluntatem contra ardores malos. Secundum ad illuminandum intellectum contra hæreticos errores. De vtroque *Neem.*9. In columna nubis ductor fuiſti eorum per diem, & columna ignis per noctem, vt oſtenderes eis viam, per quam ingrederentur. *Iſa.*4. Et creabit Dominus ſuper eam, locum montis Sion, & vbi inuocatus eſt, nubem per diem, & fumum & ſplendorem ignis flammantis in nocte.

40. *Petierunt, & venit.* Hîc ſecundum beneficium, ſcilicet ſuſtentatio, quantum ad id quod eſt interius. Et primò quantum ad cibum. Secundò quoad potum. *Dirupit petram.* In prima duo. Primò collatio cibi ad tempus. Secundò continuatio quandiu eſſent in deſerto, ibi, *Et pane cœli.* Dicit ergo: Sic protexit ab exterioribus moleſtiis, & etiam *petierunt*, carnes ſup. *Exod.*16. *Et venit coturnix* in abundantia maxima. Nec ſunt coturnices, ſicut quidam æſtimant, & ſuperius dictum fuit, ſed aues quædam regales habentes carnes ſaporis optimi. *Num.*11. Ventus egrediens attulit coturnices, & dimiſit in caſtris, & ex omni parte caſtrorum per circuitum.

Et pane cœli, manhu ſcilicet, quod durauit eis per totum tempus, quo fuerunt in deſerto, *ſaturauit eos. Exod.*16. *Pſal.* Pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis. *Exod.* 16. Veſperè comedetis carnes, & manè ſaturabimini panibus. Spiritualiter autem, hic cibus eſt caro Chriſti: ipſa enim eſt cibus. *Ioan.*6. Caro mea verè eſt cibus. Sed caro propter delectationem, & panis propter neceſſitatem. In eodem: Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi. *Pſal.* Panem Angelorum manducauit homo. *Sapient.*10. Panem de cœlo præſtiſti eis.

Dirupit petram. Hîc ſecundum, ſcilicet protectio, quantum ad interius neceſſarium, ſcilicet potum: & dicuntur duo. Primò aquarum collatio. Secundò abundantia collatarum, ibi, *Abierũt in ſicco.* Dicit ergo: Sic cibum dedit, & etiam propter eos, *dirupit petram*, non adædificandum, imò *& affluxerunt aquæ.* Supra in alio *Pſal.* Et eduxit aquam de petra, & eduxit tanquam flumina aquas.

Abierunt. Ecce ſecundum, ſcilicet abundantia potus. Quaſi diceret: Sic eduxit aquam de petra: *& abierunt*, piæ abundantia, *flumina in ſicco. Exod.* 16. Percuſſit Moyſes virga bis ſilicem, & egreſſæ ſunt largiſſimæ, ita vt biberet & populus & iumenta. 41.

Spiritualiter autem petra Chriſtus eſt. 1.*Corinth.*10. Petra autem erat Chriſtus. Hæc propinat potum de ſeipſa, ſicut & ſe dedit in cibum. *Sap.*11. Sitierunt, & inuocauerunt te: & data eſt illis aqua de petra altiſſima, & requies ſitis de lapide duro. Sed non niſi de percuſſa petra in cruce, propter populi ſui ſcelera, *Iſa.*53. Propter ſcelus populi mei percuſſi eum. Et *Ioan.*19. dicitur, quòd ſtatim fluxerunt aqua & ſanguis. Aqua ad abluendum, ſanguis ad redimendum. Duo ergo, ſicut hic tangitur, data ſunt de petra hac, & duo alia *Deuteron.*32. Vt ſugeret mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo. Sanguis redimit, aqua lauat, oleum ſanat & mel reficit. *Chriſtus, ſpiritualis petra quæ vitales aquas emanat.*

42. *Quoniam memor.* Hîc vltimum beneficium, ſcilicet introductio in terram promiſſionis: & dicũtur quatuor. Primò motiua ratio ad conferendã illis terrã iſtam. Secundò eductio illorum de deſerto, ibi, *Et eduxit.* Tertiò terræ collatio, ibi, *Vt cuſtodiant.* In prima duo tanguntur. Primò promiſſi memoria & recordatio. Secundò ad quos facta fuerit illa promiſſio, ibi, *Quod habuit.* Dicit ergo: Hæc bona quæ præmiſi, fecit, etiam *memor fuit* (loquitur per figuram anthropotatos, ipſe enim nullius rei obliuiſcitur) *verbi*, veri, *ſancti ſui*, Angeli boni, *quod habuit*, ad quemlibet, ſed *ad Abraham puerum ſuum.* Hic eſt verbum illud *Geneſ.*22. Semini tuo dabo terram hanc. *Geneſ.* 6. Recordatus ſum pacti mei quod pepigi tecum. *Pſal.* Memor eſto verbi tui ſeruo tuo. Et *Luc.* 1. Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ, & veritatis ſuæ domui Iſraël. Dominus enim ſemper recordatur electorum ſuorum, etſi videatur ad tempus eos tradere obliuioni. *Iſa.*49. Et dixit Sion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus eſt mei. Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen tui non obliuiſcar. *Iob* 4. Recordare, obſecro te, quis vnquam innocens periit, aut quando recti deleti ſunt.

Et eduxit populum ſuum. Hîc ſecundum, ſcilicet

licet eductio populi de deſerto : & dicuntur duo ſecundum modum duplicem educendi eos. Primò quia cum lætitia exteriori, quæ eſt propriè exultatio. Secundò cum interiori, quæ eſt propriè lætitia. *Et electos.* Dicit ergo : Sic memor fuit promiſſi: *& eduxit populum ſuum*, filios Abraham, *de deſerto, cum exultatione*, exteriori hilaritate : *& electos ſuos*, eundem populum. *Deut.*10. Conglutinatus eſt Dominus patribus tuis, & amauit eos, & elegit ſanctum eorum, id eſt, vos, de cunctis gentibus. *In lætitia* interiori. Hæc erat petitio Moyſi. *Num.*27. Prouideat Dominus Deus ſpirituum omnium, hominem, qui poſſit educere eos de deſerto, & introducere in terram promiſſam, ne ſit populus abſque paſtore. Populus Dei egreditur & educitur à Deo de mundo in exultatione & lætitia. *Iſa.*55. In lætitia egrediemini. Quippè educuntur de labore ad quietem, de paupertate ad æternam hæreditatem, de vilitate ad ſummam gloriam. *Iſa.*65. Educam de Iacob ſemen, & de Iuda poſſidentem montes ſanctos meos: hæreditabunt terram, viuentium, ſup. electi mei, & ſerui mei habitabunt ibi.

44. *Et dedit illis.* Hîc tertium huius partis. Poſtquam enim præmiſit rationem & motiuam conferendi illis terram, & ſuppoſuit illorum eductionem de deſerto, ſubiungitur collatio terræ Palæſtinæ : vnde duo dicuntur. Primò collatio immobilium, ſcilicet terræ ipſius. Secundò mobilium, ibi, *Et labores.* Dicit ergo: Sic eduxit eos, & poſt *dedit* illis regiones Gentium. *Ioſ.*1. Surge, & tranſi Iordanem iſtum, in terram quam ego dabo filiis Iſraël : omnis locus quem calcauerit pes veſter, veſter erit.

Clerici poſſident diuitias ſanctorum laboribus acquiſitas.

Et labores. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic regiones dedit, & etiam *poſſederunt labores populorum*, id eſt, diuitias, & mobilia. *Caſſiod.* Quod dixit, regiones Gentium, ad poſſeſſionem videtur pertinere terrarum : labores verò populorum, ad diuitias longo tempore congregatas. De vtroque *Deut.*6. Introducet te Dominus in terram, pro qua iurauit patribus tuis, Abraham, Iſaac, & Iacob, & dabit tibi ciuitates optimas, quas tu non ædificaſti, & domos plenas cunctis opibus. *Ioſuë* 24. Dedi vobis terram, in quâ non laboraſtis, & vrbes quas non ædificaſtis, & vineas, & oliueta, quæ non plantaſtis. Sic ad literam : terram Eccleſiæ, & diuitias Eccleſiarum, laboribus ſanctorum, & eorum paſſionibus acquiſitas, dat Deus modò multis. *Ioan.* 4. Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introiſtis. Suprà in *Pſal.* Pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem. *Amos* 6. dicitur eis, clericis ſcilicet: Tranſite in Chalane, & videte, & ite inde in Emath magnam, & deſcendite in Geth Palæſtinorum, & ad optima quæque regna terrarum, ſi non eſt latior terminus veſter, termino eorum. Sed timeant: labores aliorum poſſident non ſuos, non enim laborant, quia ſupra in *Pſal.* In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ſed cum dæmonibus, dicit *Bern.*

45. *Cur bona temporalia dantur clericis.*

Vt cuſtodiant. Hîc eſt quartum, ad quid illis contulit, quia ad duo : ad cuſtodiam mandatorum, apertè ad iuſtitiam pertinentium, qualia ſunt decem moralia : & ad inquiſitionem figuralium, vt ſenſum ſpiritualibus inquirant & impleant, ibi, *Et legem.*

Ait enim. Hæc dedit illis. Ad quid ? *Vt cuſtodiant iuſtificationes*, non enim vt in datis temporalibus finem ponerent. Iuſtificationes autem dicit præcepta apertè iuſtitiam continentia. *Et legem eius*, cæremonialium ſcilicet, *exquirant*, diligenter ſpiritualem intellectum ſcrutando. De his duobus dicebat ipſe Dauid infra in *Pſal.* Legem pone mihi Domine viam iuſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper. Sic promiſerunt quando receperunt legem, quod ipſam cuſtodirent. *Exod.* 19. & 44. Quicquid Dominus iuſſerit, faciemus. Et *Ioſuë* 24. Domino Deo noſtro ſeruiemus, & obedientes erimus præceptis eius. Sic certe clericis dantur multo fortiori ratione bona Eccleſiaſtica, vt ipſi iuſtificationes Dei cuſtodiant, & exquirant legem Domini, non iniuſtitiam : & dicant cum beato *Iob* 27. Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea. Iuſtificationem, quam cœpi tenere, non deſeram, donec me introducat in iuſtorum remunerationem. Hic eſt ordo, vt bona temporalia ad impletionem mandatorum Dei ordinemus, & per impletionem mandatorum ad vitam ingrediamur. *Matth.*19. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Ad quam vitam per mandatorum ſuorum obſeruantiam, nos perducat qui eſt benedictus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

IN CV. PSALMVM.

Alleluia, Alleluia.

1. *Argumẽtum Pſalmi, hortatur adhuc ad laudandum Deum propter beneficia Hebræis exhibita, licet ingratis.*

C*Onfitemini Domino.* Hic eſt Pſalmus 105. in toto libro, in tertia verò parte quintus. Cum enim egerit in Pſalmo præcedenti de laude Dei pro beneficiis patribus eorum exhibitis, qui electi & iuſti fuerunt, hîc ſubiungit de laude Dei pro beneficiis exhibitis, etiam peſſimis & ingratis, qui tamen poſtmodum conuerſi ſunt, & pœnituerunt : vnde in titulo Pſalmi ſecundum *Auguſt.* eſt duplex *Alleluia*, quia duplici ratione laudandus mõſtratur Deus, tum quia beneficia ſua exhibuit, tum quia etiam ingratis, ipſos ſi pœniteant non abiiciendo, nec pro ingratitudine ſua.

Diuiditur autem Pſalmus in quatuor partes. Primò monet ad Dei laudem. Secundò addit in generali rationem, quare laudandus. *Quoniam bonus.* Tertiò monſtratur laudantis cuiuſcumque inſufficientia, ibi, *Quis loquetur.* Quartò probando inſufficientiam, ſpecificat cauſam laudis, quam tetigerat in generali, ibi, *Peccauimus.*

Dicit ergo. *Confitemini*, confeſſione laudis: *Domino. Eſdræ* 3. Concinebant in hymnis & confeſſione Domino. Confitemini etiam confeſſione peccati, & propriæ iniquitatis, quoniam & hæc confeſſio pertinet ad laudem Dei: qui enim ſe condemnat & humiliat, Deum laudat & exaltat. *Tob.* 13. Confitemini Domino peccatores, & facite iuſtitiam coram Deo, credentes quod faciet vobiſcum miſericordiam ſuam. *Ioſ.*7. Confitere peccatum tuum, & da gloriam Deo.

Quoniam bonus. Hîc ſupponit rationem in

generali tamen, diuinam ſcilicet bonitatem, quam oſtendit in ipſo abſolute primò. Secundò comparatione ad alios. *Quoniam in ſæculum.* Ait enim : Sic confitemini illi confeſſione laudis, & debetis, *quoniam debemus*, eſſentialiter, & ex ſe. *Matth.*10. Nemo bonus, niſi ſolus Deus. Et confitemini confeſſione peccati : *quoniam in ſæculum miſericordia eius.* Bonitas ad creaturam extenſa eſt, vt exhibeat miſericordiam. Primò peccatum dimittendo. *Dionyſius* : Deus eſt bonum ſubſtantiale, quod ad omnia exiſtentia ſuam extendit bonitatem. Et *Caſſiodor.* Miſericordia, qua dimittit peccata, eſt in ſæculum, tandem ad gloriam perducendo. *Eccleſ.*17. Glorificaberis in miſerationibus illius. Propter hoc dicit *Iudith* in 13. Confitemini omnes, quoniam in æternum miſericordia eius.

2. *Quis loquetur.* Hîc tertium, in quo oſtendit laudantis inſufficientiam : & hoc facit quærendo, & reſpondendo, & orando. Primò ergo interrogat, ſi aliquis ſit dignus laudare. Secundò reſpondet, quòd ſic, ſcilicet iuſtitiam implens in opere, ibi, *Beati qui cuſtodiunt.* Tertiò quia iuſtitiam nullus habet in ſe, orat, vt ei detur iuſtitia, vt poſſit laudare, ibi, *Memento noſtri.* In prima duo ſecundum duo quæ quærit. Primò quis ſufficiat laudare diuinam potentiam. Secundò effectuum potentiæ generalitatem. *Auditas.* Ait ergo : Sic monui vt laudetis: ſed *quis* laudando, confitendo, *loquetur potentias Domini*? Potentias dicit in plurali, propter effectuum diuerſitatem à potentia exeuntium. *Eccleſ.* 18. Virtutem magnitudinis eius quis enuntiabit? Etiamſi intrauerit quis in ipſas potentias, ſicut Dauid, qui dicebat, introibo in potentias Domini. Dicitur enim *Eccleſ.*43. Mirabilis potentia ipſius : glorificate eum quantum poteſtis, maior eſt enim omni laude, & ſuperualebit adhuc.

Non mihi ſi linguis centũ ſint, oraque centum, ferrea vox.

Auditas. Hîc ſecundum. Quaſi diceret : Sic quæſiui quis loquetur potentias? & quis etiam *faciet auditas*, aliis enuntiando, *omnes laudes eius*? id eſt, omnes operationes, ex quibus laudandus. *Eccleſ.*18. Quis ſufficiet enarrare omnia opera illius? Pro omnibus enim laudandus eſt, corde, ore, & opere : imo toto corde, toto ore, & omni opere.

3. *Beati qui cuſtodiunt.* Hîc ſecundum, in quo reſpondet deſcribens laudatorem à duobus, ſcilicet à recto iudicio rationis, & forti impletione boni operis, ibi, *Et faciunt.* Dicit ergo: Sic quæſiui : Quis loquetur, & quis auditas facies laudes Dei? Reſpondeo : *Qui cuſtodiunt*, interius diligenter perſcrutando, *iudicium*, quid ſcilicet agendum, quid fugiendum. *Pſal.* ſuprà: Iuſtè iudicate filij hominum.

Et faciunt. Ecce ſecundum. *Iuſtitiam in omni tempore* exequuntur in opere, quod faciendum iudicauerunt in mente. *Tob.* 13. Filiis veſtris mandate vt faciant iuſtitias, & ſint memores Dei & benedicant illum in omni tempore. De vtroque in *Pſal.* Feci iudicium, & iuſtitiam. *Iſa.*56. Cuſtodite iudicium, & facite iuſtitiam. *Michæ.* 6. Indicabo tibi ô homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te : Vtique facere iudicium, quod eſt in interiori diſcretione, & in animi excitatione. Qui tales ſunt, *beati*, iam beatitudine viæ & ſpei, poſt beatificandi beatitudine patriæ, & rei.

Et nota, quòd beati verè qui cuſtodiunt *iudicium*, rectè inter carnem & ſpiritum iudicando poſt rationes, & allegationes. Spiritus enim allegat aduerſus carnem, & caro aduerſus ſpiritum. *Galat.*5. Spiritus primò allegat imaginis Dei formitatem dicens illud. *Thren.*4. Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum. Secundò ſterilitatem & confuſionem. *Roman.* 6. Quem fructum habuiſtis tunc in iis in quibus erubeſcitis nunc. Allegat damnum, & pœnam in præſenti, dicens illud *Luc.* 10. Deſcendens in Hierico ſpoliatus eſt gratuitis, ecce damnum: & vulneratus in naturalibus, ecce pœna. Et tandem æternam mortem. *Roman.*8. Stipendia autem peccati, mors, æterna ſup. *Gregor.* Momentaneum eſt quod delectat, æternum quod cruciat. Habens adiutorem Spiritum ſanctum, qui clamat per Scripturam. *Eccleſ.*18. Fili poſt concupiſcentias tuas non eas. Et per Paulum. *Roman.* 13. Non in comeſſationibus, & ebrietatibus.

Beatus qui rectè inter carnem & ſpiritum iudicat.

E contra caro allegat infirmitatem propriam, dicens illud *Luc.* 22. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Et *Iob* 6. Nec fortitudo lapidis, fortitudo mea. Allegat timorem defectus, ſi non comederit ſatis, & biberit, dicens illud : Comedamus, & bibamus : cras enim moriemur, ſi non comedimus, ſup. Diuinam largitatem, quæ omnia creauit ad hominis neceſſitatem. *Geneſ.* 9. Ecce omnia data ſunt vobis in eſcam, tantummodo carnem cum ſanguine non comedatis.

Sed beata ratio quæ rectè iudicat, & dat pro ſpiritu iuſtam ſcientiam, dicens illud. Ad *Roman.*6. Exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Et non iudicat Deum, ſed ſeipſam cum carne connumerans iudicat contra ſe, & contra carnem, dicens : Ego ſum fatua, tu peruerſa. 1. ad *Corinth.* 11. Si noſmetipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.

Memento noſtri Domine. Hîc eſt tertium, in quo orat, ex quo homo non ſufficit, ſed iudicium & iuſtitia ſufficientem faciunt, vt ſibi præſtetur ſufficientia ex qua iudicium & iuſtitia. Dicuntur ergo duo. Primò petitio. Secundò petitionis ratio, ibi, *Ad videndum.* In prima duo ſecundum duo quæ ſolent eſſe in homine per ordinem. Primò petit memoriam beneficij promiſſi, quod eſt tanquam interius. Secundò miſſionem filij, per quem eſt iudiciũ & iuſtitia, ibi, *viſita nos.* Dicit ergo : Sic Domine quæſiui, quis ſufficit enarrare laudes tuas? Et reſpondi, quia nonniſi illi, qui faciunt iudicium & iuſtitiam : & quia hoc à te eſt, rogo, *Domine*, quia potes omnia, *memento noſtri*, & hoc, *in beneplacito populi tui*, hoc eſt, meritis ſanctorum, qui tibi placuerunt. Vel vt ſimus *in beneplacito populi tui*, id eſt, populus beneplacens tibi, hoc eſt, ſimus de populo tuo. *Pſal.* Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum. 4.

Nec tantum ſic recorderis, imò *viſita nos in ſalutari tuo*, vt effectu exteriori miſericordiam exhibeas, filium tranſmittendo, aliter nihil valeret nobis totum. *Eccleſ.*34. Cor tuum phantaſias patitur, niſi ab Altiſſimi fuerit emiſſa viſitatio.

tatio. Et ſic factum eſt quando miſit filium ſuum: ipſe enim veritatem, & verbo', & facto declarauit. *Luc.*1. Viſitauit nos oriens ex alto. Et ſic ſumus ab omni malo cuſtoditi. *Iob* 10. Viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum. Per ſalutare ſuum Chriſtum, de quo *Luc.*2. Viderunt oculi mei, ſalutare tuum. *Gen.*49. Salutare tuum expectabo, Domine.

Dominus viſitat nos multis modis.

Et nota, quòd Dominus viſitauit nos per filium, tanquam per comminatorem pœnarum, ſi non dimiſerimus peccata. *Iſa* 29. A Domino Deo exercituum viſitabitur, & tonitruo & comminatione & voce magna. Multa enim eius tonitrua in Euangeliis leguntur. Viſitat etiam puniendo, quando nolumus corrigi. *Iſa.*27. In die illa viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & grandi & forti. Et 23. Viſitabit Dominus Tyrum. Viſitat etiam corrigendo, quando non valet ſimplex comminatio. *Amos* 3. Tantummodò cognoui vos ex omnibus cognationibus terræ, & viſitabo ſuper vos omnes iniquitates veſtras. *Pſal.* Viſitabo in virga iniquitates eorum. Item ſanando ab omni infirmitate, imo ſuſcitando à morte. *Luc.* 7. Propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus viſitauit plebem ſuam. Propter hoc dicebat *Matth.*9. Non eſt opus valentibus medico. Sanitatem per diſciplinam conſeruando. *Soph.*3. Suſcipiet diſciplinam, & non peribit habitaculum eius, propter omnia, in quibus viſitaui eam. Tandem & vltimò liberando per miſericordiam. *Soph.* 3. Ad veſperam viſitabit eos Dominus Deus eorum, & auertet captiuitatem eorum.

5. *Ad videndum.* Hîc ſecundum, ſcilicet viſitationis finis & ratio, ſcilicet quare hoc petit, quæ aſſignatur triplex. Prima vt Deus videatur in patria per ſpeciem, hîc per fidem, quod reſpicit ad aſpectum. Secunda ad exultandum in viſo, & delectandum, quod reſpicit ad affectum, ibi, *Vt lauderis.* Dicit ergo: Sic peto vt viſites in ſalutari tuo, & hoc *ad videndum* te, nunc per ſpeculum & in ænigmate, & hoc *in bonitate*, hoc eſt, per bonitatem, *electorum tuorum*, electis tuis præſtitam.

Vel de viſione in futuro poteſt legi. Sic peto, quòd nos in ſalutari tuo viſites, & hoc *ad videndum* te per ſpeciem, de qua *Tob.*13. Beatus ero, ſi fuerint reliquiæ meæ ad videndum claritatem Ieruſalem. 1. *Ioan.*4. Videbimus eum ſicuti eſt. Et etiam *ad lætandum* tandem in te, & per te, & hoc *in lætitia gentis tuæ*, id eſt, in conſortio iuſtorum de te lætantium. *Iſa.* 65. Serui mei lætabuntur, & vos confundemini. Serui mei laudabunt præ exaltatione cordis, & vos præ contritione ſpiritus vlulabitis. Et etiam ad hoc mitte, *vt lauderis* à nobis tanquam exiſtentibus, *cum hæreditate tua*, cum Angelis ſcilicet & ſanctis, quæ iam hæreditas tua ſunt. *Pſal.* Beata gens cuius eſt Dominus Deus eius, populus quem elegit in hæreditatem ſibi. Vt ſint hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti. *Iſa.*19. Hæreditas mea Iſraël, videns Deum.

Cur ſancti vocãtur electi, gens Dei, & hæreditas.

Et nota, quòd ſanctos triplici nomine appellat. Electos, comparatione ad æternam Dei prædeſtinationem & electionem. *Epheſ.*1. Elegit nos ante mundi conſtitutionem. Gentem Dei, propter fidei & cultus identitatem. *Deut.*4. Quæ eſt enim alia gens ſic inclita, vt habeat cæremonias, iuſtáque iudicia, & vniuerſam legem, quam ego propono vobis hodie. Hæreditatem, propter regni æterni participationem. *Pſal.* Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam.

Peccauimus cum patribus. Hîc quartum, in quo ſpecificat beneficia, & deſcendit ad illa, per quæ Deus eſt laudandus: & diuiditur in duas. Primò pro ratione laudis ponitur dimiſſio multitudinis peccatorum quoad culpam. Secundò petitur, vt beneficium compleatur, plena ſaluatio quoad pœnæ dimiſſionem plenariam & oblationem, ibi, *Saluos nos fac.* In prima duo. Primò narratio de multitudine peccatorum illius populi. Secundò dimiſſio enumeratorum & narratorum, ibi, *Et vidit cum tribularentur.* In prima duo. Primò narrantur peccata eorum in generali. Secundò in ſpeciali, ibi, *Patres noſtri in Ægypto.* In prima duo. Primò in perſona peccatoris populi loquens, confitetur ſe patres in peccato imitatos fuiſſe. Secundò quod in vtroque peccandi genere, & contra Deum, & contra proximum, ibi, *Iniuſtè.* Dicit ergo: Sic inuitaui ad laudem: & dignum eſt vt laudemus. Vel ad proximum poteſt continuari: Sic petis vt viſites. Et hoc neceſſarium, quia *peccauimus cum patribus noſtris*, ipſos ſcilicet imitando, *iniuſtè egimus*, contra proximum, *iniquitatem fecimus*, contra Deum. Idem omninò *Iudith* 7. *Dan.*9. Iniquitatem fecimus, impiè geſſimus. 6.

Patres noſtri. Hîc ſecundum, in quo enumerat in ſpeciali peccata eorum, & primò facta in Ægypto, & in exitu de illa. Secundò facta in deſerto, ibi, *Citò fecerunt.* Tertiò facta in terra promiſſionis, ibi, *Non diſperdiderunt.* In prima duo. Primò enumerat peccata ab ipſis in Ægypto, & in exitu facta. Secundò aggrauat multum narrando Dei beneficia, etiam ingratis exhibita, ibi, *Et ſaluauit eos.* In prima tria. Primò notatur peccatum eorum, quod reſpicit intelligentiam, ſcilicet ignorantia affectata. Secundò quoad memoriam. *Non fuerunt memores.* Tertiò quoad voluntatem. *Et irritauerunt.* Dicit ergo: Sic dixi, quia *Patres noſtri in Ægypto*, exiſtentes, *non intellexerunt*, id eſt, intelligere, & aduertere noluerunt, *mirabilia tua*: non enim aduertebant miſeri, quid illa ſpiritualiter deſignabant. *Pſal.* Neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant. *Deut.*29. Viderunt oculi tui portenta & ſigna ingentia, & non dedit tibi Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures audientes, vſque in præſentem diem. 7.

Non fuerunt memores multitudinis miſericordiæ tuæ, ſed magis illius ſunt obliti. *Neem.*9. Noluerunt audire mandata tua, & ſic non ſunt recordati mirabilium tuorum, quæ feceras eis. Suprà in *Pſal.* Obliti ſunt beneficiorum eius, & mirabilium eius, quæ oſtendit eis.

Et irritauerunt. Ecce tertium peccatum, ſcilicet voluntatis. Quoniam ſic obliti ſunt: & ipſi *aſcendentes in mare*, *mare*, inquam, *rubrum*, quando ſcilicet exibant de Ægypto, *irritauerunt eum.* Hæc irritatio facta eſt, quando exiſtentes in caſtris ſuper littus maris, viderunt inſequentes Ægyptios. *Exod.*14.

&

& dixerunt Moyſi: Forſitan non erant ſepulchra in Ægypto, idcirco tuliſti nos vt moreremur in ſolitudine. Sic multi quaſi ſuper littus ſtagni gehénalis, maris rubri, nihilominus prouocant Deum, & irritant iam ſenes, & prope finem vitæ ſuæ exiſtentes. 3. *Reg.* 14. Irritauerunt Deum pro omnibus, quæ fecerunt patres eorum, & in peccatis ſuis, quæ peccauerunt. *Ierem.* 32. Filij Iſraël, qui vſque hodie exacerbant me, in opere manuum ſuarum.

8. *Et ſaluauit eos.* Hîc ſecundum, in quo tangitur peccati eorum aggrauatio per beneficia eis exhibita à Deo, quæ tanguntur hîc: & dicuntur duo. Primò beneficiorum exhibitorum enumeratio. Secundò gratiarum actio, & laus benefici, ſed tempore paruo, non cum perſeuerantia, ibi, *Et crediderunt.* In prima duo. Primò tanguntur beneficia illis exhibita generaliter. Secundò ſpecificantur, ibi, *Et increpuit* In prima duo. Primò beneficium in generali tangitur. Secundò ratio beneficij, ibi, *Propter nomen.* Dicit ergo: Sic peccauerunt, *&*, tamen *ſaluauit eos*, Dominus ſup. ab Ægyptiis inſequentibus, ipſos inſequentes in mare ſubmergendo. *Exod.* 15. Electi principes eius ſubmerſi ſunt in rubro, abyſſi operuerunt eos. Et hoc, *propter nomen ſuum*, manifeſtandum: vnde ſtatim addit.

Vt notam faceret potentiam ſuam. Ezech. 20. Scietis, quia ego Dominus, cum benefecero vobis propter nomen meum. *Ierem.* 14. Domine fac propter nomen tuum, quoniam multæ ſunt auerſiones noſtræ. Propter hoc dicebat Moyſes in Cantic. *Exod.* 15. Dextera tua magnificata eſt in fortitudine, in multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti aduerſarios tuos. Sic certè Dominus ſuſtinet & ſaluat à multis malis temporalibus multos malos & peccatores, vt oſtendat potentiam ſuam in patientia, quâ ſcit ſcilicet pati & ſuſtinere. Ad *Roman.* 9. Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum. *Pſal.* Notam feciſti in populis virtutem tuam.

9. *Et increpuit mare.* Hîc ſpecificat beneficia ad aggrauandam eorum culpam: & dicuntur quatuor ſecundum quatuor beneficia, quæ recolit. Primum eſt maris diuiſio. Secundum, populi per ſiccum deductio. *Et deduxit eos.* Tertium eſt facto tranſitu, ab hoſtibus liberatio, ibi, *Et ſaluauit eos.* Quartum eſt hoſtium miranda ſubuerſio, ibi, *Et operuit aqua.* In prima tanguntur duo. Primò iuſſio diuina ipſi mari facta. Secundò maris feſtina obedientia. *Et exiccatum eſt.* Dicit ergo: Dixi, quòd ſaluauit, & verè dixi: *& increpuit mare*, id eſt, mari quaſi ipſum increpando præcepit. Nec hoc factum eſt voce aliqua formata, ſed imperio diuinæ ſapientiæ, quod inditum eſt creaturæ communi. *Auguſt.* Potentiam diuinam, qua hoc factum eſt, increpationem appellauit. *Naum* 1. Increpans mare, & exiccans illud. Hoc ad literam. *Exod.* 14. Et hoc eſt quod ſequitur hîc.

Increpationem vocat occultũ diuinitatis imperium.

Et exiccatum eſt, obediendo ſtatim ſuo creatori. *Matth.* 8. Quis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei? Sic ſpiritualiter. Cor enim peccatoris mare eſt, quod tumet per ſuperbiam. *Ionæ* 1. Mare ibat, & intumeſcebat. 1. *Corinth.* 1. Ne quis veſtrum infletur aduerſus alium. Et in 8. Scientia inflat. Feruet per inuidiam. *Iſa.* 57. Cor impij, quaſi mare feruens. Impius eſt proprie inuidus. Tempeſtuoſum eſt per iracundiam, vt poſſit dici de illo illud *Pſal.* In circuitu eius tempeſtas valida. Nullus poteſt habere pacem cum illo. Salſum per auaritiam, qua ſemper ſitit auarus: & quò plus potæ, plus ſitiuntur aquæ. *Ioan.* 4. Qui beberit ex hac aqua, non ſitiet iterum. Profundum per acediam: vbi enim bene profundum eſt mare, ibi ſtabile. *Ierem.* 17. Profundum eſt cor hominis, & inſcrutabile. Verum eſt: acedioſus non inuenit in ſe profundum. Abſorbens omnia per gulam. *Iſa.* 14. Et ſemen eius, diaboli ſcilicet, abſorbens volucrem. *Iob* 40. Abſorbebit fluuium, & non mirabitur, id eſt, ea quæ ſunt in fluuiis omnia. Fœtens per luxuriam. *Amos* 3. Aſcendere feci fœtorem caſtrorum veſtrorum, vſque ad nares veſtras, & non eſtis reuerſi ad me, dicit Dominus. Et quidam dixit:

Cor peccatoris cum mari comparatur.

Inficit, & fœtet, quando patratur opus.

2. *Mach.* 9. Fœtore & odore illius caſtra grauabantur Antiochi.

Et deduxit eos. Ecce ſecundum beneficium. Quaſi diceret: Sic exiccauit: *& tunc deduxit eos in abyſſis*, inter aquas ſcilicet profundiſſimas, *ſicut in deſerto*, ita ſcilicet ſicco pede, ac ſi eſſent in deſerto. *Exod.* 15. Filij Iſraël ambulauerunt per ſiccum. *Iſa.* 63. Eduxit eos per abyſſos quaſi equum in deſerto non impingentem.

Et ſaluauit. Hîc tangitur tertium beneficium, ſcilicet liberatio ab hoſtibus: & tangitur primò liberatio ab inimicis generaliter. Secundò à dominio & poteſtate Pharaonis ſpecialiter, ibi, *Et redemit.* Dicit ergo: Sic mare diuiſit, ſic per illud eos duxit, *&* ſic *ſaluauit eos de manu*, id eſt, de poteſtate *odientium. Exod.* 14. Liberauit Dominus Iſraël de manu Ægyptiorum. 10.

Et redemit eos, id eſt, ac ſi redemiſſet, liberauit *de manu inimici*, Pharaonis ſcilicet. *Exod.* 15. Dux fuiſti in miſericordia tua populo tuo, quem redemiſti. Sic Chriſtus ſanguine in paſſione ſua nos liberauit, quantum in ſe fuit, etſi ſimus in peccatis, ab inimicis, & redemit de poteſtate diaboli. *Pſal.* Saluaſti nos de affligentibus nos, & odientes nos diſperdidiſti & redemiſti. *Oſeæ* 13. De manu mortis liberabo eos, & de morte redimam eos. Quo? ſanguine proprio pretioſo. 1. *Pet.* 1. 1. Non enim corruptibilibus auro & argento redempti eſtis, &c.

Et operuit aqua. Hîc eſt quartum beneficium, ſcilicet inimicorum mors & occiſio: & tanguntur duo. Occiſionis & mortis qualitas, quia ſubmerſi. Secundò occiſorum generalitas, ibi, *Vnus ex eis.* Dicit ergo: Sic ſunt liberati: *& operuit*, tanquam multum abundans, *aqua tribulantes*, tribulare volentes, *eos. Exod.* 14. Reuerſæ ſunt aquæ, & operuerunt eos, nec vnus quidem ſuperfuit ex eis. Hoc eſt quod ſequitur hîc, vnus ex eis non remanſit. Sic ſpiritualiter in aquis baptiſmatis aquæ lachrymarum, quæ vim habent à Chriſti paſſione, ſufficiunt ad deletionem omnis culpæ. *Iudith* 5. Aquis cooperti ſunt, vt non remaneret ſaltem vnus qui factum poſteris renuntiaret. 11.

Et crediderunt in verbis. Hîc ſecundum, ſcilicet

ſcilicet breuis laus, & gratiarum actio pro beneficiis ſuprà dictis: & tanguntur duo. Primò fides, & deuotio cordis. Secundò laus exterior, & gratiarum actio oris, ibi, *Et laudauerunt.*

Dicit ergo: Hæc beneficia illis contulit, & intantum aperta, quòd ipſi *crediderunt*, quaſi coacti, *verbis eius. Exod.* 13. Crediderunt filij Iſraël Domino, & Moyſi ſeruo eius. Ante non poterant, nunc conuicti credunt. *Ioan.* 4. Niſi ſigna & prodiga videritis, non credetis. Talis fuit ſanctus Thomas, cui dictum eſt *Ioan.* 20. Quia vidiſti me Thoma, credidiſti: beati qui non viderunt, & crediderunt: quia credere quod non videtur, multò glorioſus eſt. *Caſſiodor.* Si bonum ſit viſis acquieſcere, multò melius eſt promiſſa credidiſſe.

Et laudauerunt, ore coram omnibus, *laudem eius.* In hoc quod dicit: *Laudauerunt laudem*, oſtendit laudis magnitudinem. *Pſal.* Confitebitur tibi, confeſſione fidei, cum beneferis ei.

13. *Citò fecerunt.* Hîc ſecundum totius illius partis, in quo numerat & narrat illorum peccata. Tactis enim illorum peccatis, quæ fecerunt in Ægypto, & in exitu de illa, hîc tangit peccata quæ fecerunt in deſerto: & dicuntur tria. Primò tangit peccatum ingratitudinis, quia obliti ſunt beneficia ſtatim. Secundò peccata libidinoſæ voluntatis illorum, ibi, *Et concupierunt.* Tertiò peccatum incredulitatis, ad quod redierunt, ibi, *Et fecerunt vitulum.* Primum reſpicit ad memoriam illorum. Secundum ad voluntatem. Tertium ad intelligentiam, conuerſam tamen in practicâ. In prima duo dicuntur. Primò illorum velox obliuio. Secundò quaſi ratio & cauſa tam velocis obliuionis, quia aduertere noluerunt quo conſilio fiebant illa, ibi, *Et non ſuſtinuerunt.* Dicit ergo: Sic crediderunt, & laudauerunt procedentes per deſertum, *& citò fecerunt.* Quid? *Obliti ſunt beneficiorum eius*, contra illud *Deut.* 4. Ne obliuiſcaris verborum quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo omnibus diebus vitæ tuæ.

Et non ſuſtinuerunt. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic obliti ſunt, *&* hoc quia *non ſuſtinuerunt*, deliberando, & diſcernendo, *conſilium eius*, quia ſcilicet ratione hoc faciebat. Vel ſic: *Non ſuſtinuerunt* patienter ſufferendo, *conſilium eius*, defectum ſcilicet victualium, quem Dominus non ſine conſilio bono permittebat eos pati. Nec dicitur hoc quia in Deum cadat conſilium propriè, ſed ad modum hominum loquitur, ſecundum illud *Iſa.* 45. Omne conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet. Sic multi Dei gratiam, & remiſſionem peccatorum ſentientes in ſe credunt in Deum, & laudant ipſum, ſed citò omnia obliuioni tradidiſſe videntur: de quibus Dominus *Luc.* 8. Ad tempus credunt, & in tempore tribulationis recedunt, quibus dicitur illud *Eccleſ.* 2. Væ iis, qui perdiderunt ſuſtinentiam. Et in eodem: Suſtine ſuſtentationes Dei, & illi ex corde coniungere: quia in *Pſal.* dicitur: Suſtinentes autem Dominum, ipſi hæreditabunt terram, viuentium, ſup.

14. *Et concupierunt concupiſcentiam.* Hîc ſecundum, in quo tangitur peccatum libidinoſæ voluntatis: & tanguntur duo. Primò concupiſcentia delectabilium. Secundò honorum, ibi, *Et irritauerunt.* In prima duo. Primò oſtenditur concupiſcentia illorum quantum ad delicias. Secundò collatio concupitorum à Deo, ad aggrauationem culpæ illorum, ibi, *Et dedit eis.* In prima duo. Primò monſtratur in ipſis concupiſcentia cordis. Secundò expreſſio tentationis per os, hæſitando de diuina potentia, ibi, *Et tentauerunt.* Dicit ergo: Sic receſſerunt citò, *&* poſt *concupierunt concupiſcentiam in deſerto.* Hic ſimilis loquutio ſuperius poſitæ: *Laudauerunt laudem.* Sic enim loquitur, vt monſtret concupiſcentiæ vehementiam. *Deuter.* 9. In incendio, & in ſepulchro concupiſcentiæ prouocaſtis Dominum. *Num.* 11. Vulgus promiſcuum flagrauit deſiderio carnium, &c.

Et tentauerunt Deum, ore ſuo dicentes: Non poteſt Dominus dare nobis carnes. Suprà in *Pſal.* dixerunt: Nunquid poterit Deus dare panes in deſerto, aut parare menſam populo ſuo? Et hoc, *in aquoſo*, id eſt, in deſerto ſicco, ſine aqua. Si multi poſtquam ad Deum ſunt conuerſi, tamen ipſum tradiderunt obliuioni, ruunt in vanas concupiſcentias eſcarum. *Sapient.* 19. Ducti concupiſcentia poſtulauerunt ſibi eſcas epulationis. Propter hoc monet Paulus 1. ad *Corinth.* 10. Non ſumus concupiſcentes malorum, ſicut & ipſi concupierunt. Et infrà: Nec tentemus Deum, ſicut quidam ex eis tentauerunt, & à ſerpentibus perierunt.

Et dedit eis. Hîc ſecundum, ſcilicet adim- 15.
pletio deſiderij illorum ad aggrauandum culpam: & tangitur primò collatio concupitorum. Secundò abundantia collatorum, ibi, *Et miſit ſaturitatem.* Dicit ergo: Sic concupierunt concupiſcentiam, *&* Dominus *dedit eis petitionem ipſorum*, non in modica abundantia, imò, *miſit ſaturitatem in animas ipſorum.* Saturitas in corpus mittitur, cum repletur: in animam autem, cum cibus faſtiditur. Et de ipſis in *Pſal.* ſuprà: Manducauerunt, & ſaturati ſunt nimis. Sic, heu! indignans Dominus multis exiſtentibus id deſerto, dat multas delicias, & carnes multas. *Sapient.* 19. In alloquutione deſiderij, aſcendit eis de mari ortygometra. *Exod.* 16. Factum eſt veſpere, & aſcendit coturnix, & operuit caſtra: auis habens carnes ſapidiſſimas, & regias, & in tanta abundantia, quod pauci ſunt qui ſe potuerint continere: ſed vſque ad nauſeam comederunt. *Num.* 11. Comedatis non vno die, aut duobus, aut quinque, aut decem, ſed vſque ad menſem dierum, donec exeat per nares veſtras, & vertatur in nauſeam.

Et irritauerunt Moyſen. Hîc ſecundum, con- 16.
cupiſcentia ſcilicet honorum. Et primò tangitur culpa in concupiſcendo. Secundò ſubiungitur pœna condigna, ibi, *Aperta eſt terra.* In prima duo. In concupiſcendo honores contra duos peccabant, Moyſen ſcilicet & Aaron. Quantum ad primum dicit: Sic concupierunt & obtinuerunt etiam concupitum. *Et* poſt *irritauerunt*, prouocando ad iram quantum in ſe fuit, *Moyſen*, ambiendo dominium eius, & poteſtatem, *in caſtris* exiſtentes, quod aggrauat, quia erant in deſerto, & vagabundi: vnde magis humiliari debuiſſent. Et etiam irritauerunt

runt *Aaron ſanctum Domini*, id eſt, ſanctificatum Domino,& conſecratum, eius ſacerdotium ſimiliter ambiendo. *Num.*16.Cum ſtetiſſent aduerſus Moyſen & Aaron,dixerunt: Sufficiat vobis, quia omnis multitudo ſanctorum eſt, & in ipſis eſt Dominus: cur eleuamini ſuper populum Domini?

Caſtra mala & bona. Et nota, quòd ſunt caſtra mala, in quibus Deus prouocatur. Primò caſtra Ægyptiorum, tyrannorum ſcilicet, filios Iſraël perſequentium. *Exod.*14. Reſpexit Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum, & ſubuertit rotas curruum eorum, & ſubmerſi ſunt in profundo. In his prouocatur per crudelitatem. Secundò ſunt caſtra Philiſtiim. Philiſtiim enim interpretatur potione cadentes. 1.*Reg.* 28. Conuenerunt Philiſtiim, & venerunt in caſtra. In his irritatur per gulam. Tertiò ſunt caſtra mundi, de quibus 4. *Reg.*7. Venimus ad caſtra Syriæ, & neminem inuenimus niſi equos.Equi autem ſunt ſuperbi & guloſi, qui ſunt in mundo. In his prouocatur per vanitatem. Sunt & caſtra diaboli, de quibus *Iſa.* 38. Egreſſus autem Angelus Domini percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia. In his irritatur per ſuperbiam. Quintò ſunt caſtra deſerti, ſcilicet religioſorum in paupertate & deiectione viuentium, in quibus eſt murmur & ambitio, de quibus hîc. Et *Num.*11.& 16. Coturnix operuit caſtra. In iis irritatur per impatientiã,& inobedientiam.Sed ſunt bona caſtra,collectio religioſorum in humilitate Deo famulantium, inter quos eſt Deus. *Geneſ.* 32. Caſtra Dei ſunt hæc. Ad hæc prouocatur Deus, vt ad illa veniat,& ſic fiat.1.*Reg.*4.Venit Deus in caſtra, non fuit tanta exultatio heri, & nudius tertius.

17. *Aperta eſt terra.* Hîc ſecundum, ſcilicet pœna pro culpa tali: & dicuntur duo. Primò tangitur pœna maiorum, principum ſcilicet. Secundò minorum, ibi, *Et exarſit.* Duo autem dicuntur in prima parte. Primò præparatio punitiui, ſcilicet terræ. Secundò conditio punitorum omni modo puniendi, ibi, *Et deglutiuit.* Dicit ergo:Sic ambierũt intantum vt irritarent Moyſen & Aaron. *Et aperta eſt terra*, tanquam præparans ſe ad illorum abſorptionem, *& deglutiuit Dathan*, qui erat vnus de principalibus in irritatione illa, *& operuit Abiron*, qui erat alius. Ecce modus in puniendo exiſtentes ſup. *ſuper congregationem* illam murmurantem.*Num.* 16. Confeſtim diſrupta eſt terra ſub pedibus eorum, & deuorauit eos, cum omni ſubſtantia eorum, deſcenderuntque viui in infernum, operti humo. Ipſi deſiderabant terrenum honorem, & principatum, modò terrram habuerunt ſatis. *Caſſiodor.* Deglutiti ſunt à terra:quia terram ſapuerunt, vt ipſa pœnæ qualitas ſcelera facta atteſtetur. *Sap.*11.Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.

18. *Et exarſit ignis.*Hîc tangitur pœna minorum: & dicuntur duo. Primò tangitur cauſa & ratio puniendi eos, ſcilicet thurificatio, & officij ſacerdotalis vſurpatio. Secundò punitio,ibi,*flamma combuſſit.* Ait enim: Sic illi à terra ſunt abſorpti: *& ignis exarſit in Synagoga eorum*, in multitudine ſcilicet illis ſubiecta, quia Chore cum ducentis quinquaginta accepit thuribulum,& poſuit ignem vt thurificarent. Sed quid? *flamma combuſſit*, ex prædictis procedens thuribulis, *peccatores.* Ignis egreſſus à Domino interfecit eos. *Num.*16.

Vſurpantes thurificantium officium, ſunt mali ſacerdotes,qui accedunt indigni cum rege Ozia. 2. *Paral.* 26. qui ob hoc percuſſus eſt lepra in fronte. Et iſti frequenter percutiuntur igne luxuriæ, & permittuntur cadere in vana carnis deſideria,quæ ſunt ignis.*Iob* 31.Ignis eſt vſque ad conſummationem deuorans, & vniuerſa eradicans genimina. *Ioël.*1. Ignis deuorauorauit ſpecioſa deſerti. Quippe ipſi efficiuntur quaſi ſtupa. *Eccleſ.* 20. Stupa collecta ſynagoga peccantium contra Deum. Hic malus ignis eſt valdè. *Ambroſ.* O admirabilis ignis luxuriæ, cuius gula materia, flamma concupiſcentia, fumus infamia,cinis immunditia. O ſi poſſemus homines excitare, & cum illis pariter excitari, vt tales eſſemus amatores vitæ permanentis, quales ſunt amatores vitæ fugientis. Permittuntur etiam ſuccendi & comburi igne cupiditatis, vt ſint munerum acceptores, & ſacramentorum venditores. De quo igne. *Prouerb.* 30. Ignis nunquam dicit danti, Sufficit. *Iob* 15. minatur eis ignem gehennalem. Ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. *Contra ſacerdotes.*

Et fecerunt vitulum. Hîc tertium, in quo tacto peccato ingratitudinis, quo peccauerunt in deſerto, & peccato libidinoſæ voluntatis, addit de peccato infidelitatis, comparatione ad diuinam potentiam. Secundò ad Dei veritatem, ibi, *Pro nihilo habuerunt.* Tertiò ad diuinam bonitatem, ibi, *Et initiati ſunt.* Et dicuntur duo in prima parte. Primò illorum culpa. Secundò Moyſi interceſſio pro pœna mitiganda, vel etiam dimittenda, ibi, *Et dixit vt diſperderet.* In prima duo. Primò tangitur peccatum commiſſionis. Secundò omiſſionis, ibi, *Et obliti ſunt.* In prima dicuntur tria. Primò compoſitio idoli. Secundò compoſiti exterior veneratio. *Et adorauerunt.* Tertiò interior gloriatio in illo, ibi, *Et irritauerunt.* Dicit ergo: Sic peccauerunt peccato ingratitudinis, & peccato libidinoſæ voluntatis: *&* etiam *fecerunt vitulum in Horeb* exiſtentes. Sed ad quid? Nunquid vt tanquam Deum adorarent? Subdit: *Et adorauerunt ſculptile. Exod.*32.Fecerunt vitulum conflatilem, atque immolantes dixerunt: Hi ſunt dij tui Iſraël,qui te eduxerũt de terra Ægypti. Hoc autem fecerunt *in Horeb*, vel Horeb, quod interpretatur Caluaria, in quo ſignificatur eos tandem in Caluaria peccaturos contra Deum, ipſum negando, occidendo. *Thren.*1. Peccatum peccauit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt. 19.

Sed quid eſt quod dicit,quod *adorauerũt* ſculptile, cum ille vitulus ſculptilis non fuerit,ſed magis conflatilis? Reſp. Vtrumque fuit. Primò conflatilis fuit: ſed quia in conflatione non fuit plene formatus, poſtmodum ſculptus eſt. Vitulus laſciuus & iuuenilis, Prælatus voluptatibus deditus. *Ierem.*51. Effuſi eſtis, quaſi vituli ſuper herbam. Hic vitulus formatur in Caluaria, in Eccleſia, in qua Dominus crucifigitur à talium formatoribus. *Hebr.*6. Rurſum filium Dei crucifigentes, & oſtentui habentes: & adorant *Contra Prælatos.*

adorant ipſum tanquam idolum, derelinquentes gregem. Et bene idolum : quia oculos habet, & non ad videndum ſcripturas, & ad ſtudendum in illis : aures habet, ſed non ad audiendum pauperum peccatorum confeſſiones: pedes, ſed non ad ambulandum ad faciendas viſitationes: os habet, ſed non ad loquendum populo, & prædicandum. *Pſal.* Os habent, & non loquentur, &c.

20. *Et mutauerunt.* Hîc tertium huius partis, ſcilicet compoſiti idoli interior veneratio, & aggrauat eorum culpam à duobus. Ab eo quod reliquerunt, Deum ſcilicet, & ab eo, ad quod ſe conuerterunt. *In ſimilitudinem.* Dicit ergo: Sic adorauerunt exterius venerando ſculptile, & etiam *mutauerunt gloriam ſuam*, Deum ſcilicet, qui eſt immutabilis in ſe. *Malach.*3. Ego Deus, & non mutor. *Iacob.*1. Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Et debet eſſe illorum gloria, ſicut eius, qui dicit in *Pſal.* ſuprà. Tu autem Domine ſuſceptor meus es, gloria mea.

In ſimilitudinem, non in ipſam veritatem, *vituli*, non lactentis adhuc, ſed *comedentis fœnum. Ierem.*2. Populus meus mutauit gloriam ſuam in idolum. Sic omnes peccatores *gloriam ſuam*, glorioſam Dei ſimilitudinem, mutant quando peccant, in idolum, vel luxuriæ, vel ſuperbiæ, vel auaritiæ. Ad *Rom.*1. Mutauerunt gloriam, ſcilicet imaginem, incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem corruptibilis hominis. Hoc quantum ad luxurioſos, qui imagines hominum ſculptibilium in vtroque ſexu habent in corde. *Ezech.*16. Feciſti tibi imagines maſculinas, & fœmininas: & volucrum, quantum ad ſuperbos qui ad alta volant: atque ſerpentium, quantum ad cupidos qui circa terram ſerpunt.

Spiritualiter autem tales ſunt adulatores, qui gloriam Dei dant idolis, Prælatis vanis, & inutilibus, qui comedunt fœnum, quia quæ carnis ſunt, quærunt, & curam carnis agunt in deſideriis : de quo *Iſa.*40. Omnis caro fœnum. *Gregor.* Fœnum veſcitur, qui carnalibus deſideriis delectatur : & propter hoc tandem ab eo comedetur, de quo *Iob* 40. Fœnum quaſi bos comedet. Boni autem Prælati qui ſunt iumenta Dei, dicentes illud : Vt iumentum factus ſum apud te : ipſi comedunt bonum fœnum, Scripturarum ſacrarum ſenſum. *Prouerb.* 27. Collecta ſunt fœna de montibus, de teſtamentis duobus.

21. *Obliti ſunt Deum.* Hîc ſecundum, in quo tangitur peccatum omiſſionis, quod fuit obliuiſcendo Dei beneficia. Et tangit primò in generali. Secundò in ſpeciali, ibi, *Qui fecit.* In qua parte tangitur primò beneficium multiplicationis in tribulatione. Secundò afflictionis Ægyptiorum diuerſis plagis, ibi, *Mirabilia in terra.* Tertiò ſubmerſionis illorum in mari rubro, ibi, *Terribilia.* Primum reſpicit ad potentiam Dei. Secundum ad ſapientiam. Tertium verò ad iuſtitiam quæ eſt bonitas. Dicit ergo: Sic peccauerunt committendo, & etiam omittendo, quia *obliti ſunt Deum, qui ſaluauit eos*, multis modis & variis. *Iſa.*17. Oblita es Domini Saluatoris tui, & fortis adiutoris tui non es recordata.

22. *Qui fecit magnalia in Ægypto*, ipſos in afflictione & perturbatione multiplicando. *Deut.*11. Viderunt diſciplinam Dei noſtri, magnalia eius, & manum robuſtam, & brachium extentum, ſigna & opera quæ fecit in terra Ægypti. Qui etiam fecit *mirabilia*, ſigna & plagas, *in terra Cham*, in Ægypto ſcilicet, quæ fuit terra Cham, & ab ipſo deſcenderunt Ægyptij. *Exod.*4. Extendam manum meam, & percutiam Ægyptum, in cunctis plagis, & in omnibus mirabilibus meis. *Terribilia in mari rubro*, quando ſubmiſit Pharaonem cum omni exercitu ſuo. *Deuter.*10. Ipſe eſt ſalus tua, Deus tuus, qui fecit tibi hic magnalia, & terribilia, quæ viderunt oculi tui.

Nota autem, quòd Ægyptus mundus eſt, terra Cham mundus, mare rubrum mundus. *Magnalia fecit* Deus in mundum veniendo. *Iſa.*19. Aſcendet Dominus ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum. Mirabilia in mundo conuerſando, aquam in vinum conuertendo, ſanitatem conferendo, & mortuos ſuſcitando, & de paucis panibus multa millia ſaturando, & tandem corpus in cibum, & ſanguinem in potum dando. *Pſal.* Tu es Deus qui facis mirabilia. *Terribilia* fecit in mundo moriendo. Quis enim non terrebitur audiens Dei filium morientem? *Iſa.* 19. Erit terra Iuda in pauorem. Et in 10. Confringet Dominus lagunculam, proprij corporis, in terrore : quia *Luc.* 23. dicit ipſe : Si in viridi hæc fiunt, in arido quid fiet?

Chriſtus fecit magnalia in incarnatione, mirabilia in conuerſatione, terribilia in morte.

Et dixit vt diſperderet. Hîc ſecundum. Præmiſſa illorum culpa omiſſionis, & commiſſionis, ſubiungitur interceſſio pro pœna mitiganda : & dicuntur duo. Primò tangitur Dei comminatio ad puniendum illos. Secundò Moyſi ſupplicatio. *Si non Moyſes.* Tertiò intentio deprecantis. *Vt auerteret iram.* Dicit ergo : Sic peccauerunt : *& dixit* : Dominus ſup. comminando, vt *diſperderet eos. Exod.*32. Cerno quod populus duræ ceruicis ſit, dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos. *Num.*17. Vſquequò detrahet mihi populus iſte? Vſquequò non credet mihi in omnibus ſignis, quæ feci coram eis. Feriam igitur eos peſtilentiâ, atque conſumam. 23.

Si non Moyſes. Hîc ſecundum. Quaſi diceret : Sic dixi, vt diſperderet, quod & feciſſet, *ſi non Moyſes electus eius. Eccleſ.* 45. Elegit eum ex omni carne : *ſtetiſſet in conſpectu eius*, in oratione : & hoc *in confractione*, illa ſcilicet, ne fieret. *Exod.* 32. Obſecro Domine Deus meus, peccauit populus tuus peccatum grande, dimitte eis noxam hanc, aut dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.

Et nota, quod Moyſes electus Dei, Chriſtus eſt, qui eſt aſſumptus ex aquis tribulationum & paſſionum. *Marc. vltim.* Et Dominus quidem Ieſus, poſtquam loquutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum. Hic ſtetit in ſua paſſione, ſtat in Sacramenti altaris conſummatione, ſtabit in iudicij exequutione. In prima ſtatione confractus eſt ad literam clauis & lancea. In ſecunda confringitur in ſpecie accidentium extrinſeca. In tertia confringetur in oſtenſione & apparentia, quando monſtrabit omnibus latus & vulnera. *Iſa.* 53. Attritus eſt, omnibus his modis, propter ſcelera

Chriſtus, Moyſes electus ſtans, & confractus.

noſtra, vt ſolidaret quod confractum in nobis erat. *Ezech.* 34. Quod confractum eſt conſolidabo. Et *Iob* 16. dicitur: Tenuit ceruicem meam,& confregit me. Confractus ergo IESVS dicitur: non quia confracta fuerunt eius oſſa. *Exod.* 11. Os non comminuetis ex eo. *Ioan.* 19. Non fregerunt eius cura: ſed propter multiplicia tormenta quæ ſuſtinuit.

Vt auerteret iram. Ecce tertium. Quaſi diceret: Sic ſtetit in confractione, *vt auerteret:* vel, *& auerteret*, ſic *iram eius*, ſcilicet Dei, *ne diſperderet eos. Deut.* 10. Suppliciter deprecabar ne deleret vos vt fuerat comminatus: & orans dixi: Domine Deus ne diſperdas populum quem redemiſti, quod etiam fecit. Propter aliqua bona gratuita ſeruat aliquando multitudinem magnam: nec diſperdidiſſet Sodomitas, *Geneſ.* 19. ſi decem viros bonos inueniſſet. *Iſa. penult.* Quomodo ſi inueniatur granum in botro, & dicatur, Ne diſſipes illud, ſic faciam propter ſeruos meos, vt non diſperdam totum.

24. *Et pro nihilo.* Hîc ſecundum, in quo tangitur incrudelitas veritatis promiſſæ: in qua duo dicuntur. Primò culpa. Secundò pœnæ comminatio propter illam. *Et eleuauit manum.* In prima duo. Primò tangitur infidelitas in corde interius. Secundò effectus ſequutus in ore exterius, ibi, *Et murmurauerunt.* In prima dicuntur duo. Primò contemptus, & quaſi nulla rei promiſſæ reputatio, non credendo quod eſſet tantum bonum, quantum dicebatur. Secundò incrudelitas verbis promittentis, ibi, *Non crediderunt verbo*, vel, *in verbo.* Dicit ergo: Sic peccauerunt peccato ingratitudinis, & etiam tanquam infideles *habuerunt pro nihilo*, tanquam nihilum ſcilicet reputantes, *terram deſiderabilem. Num.* 13. Detraxerunt terræ, quam inſpexerunt, dicentes: Terra quam circuimus, deuorat habitatores ſuos. Et infrà dixit vnus ad alterum: Conſtituamus nobis ducem,& reuertamur in Ægyptum.

Terra deſiderabilis Virgo beata, caro Chriſti, vita beata.

Et nota, quòd eſt triplex terra deſiderabilis, Virgo beata, caro Chriſti, vita æterna, quas pro nihilo habent multi, magis quærentes ea quæ ſuper materialem hanc terram ſunt, contra illud ad *Coloſſ.* 3. Quæ ſurſum ſunt quærite, triplicem illam terram, non quæ ſuper iſtam terram materialem. Sed *Phil.* 2. dicitur: Omnes quærunt quæ ſua ſunt, non quæ IESV CHRISTI, quia non eius matrem, non eius carnem, non eius gloriam.

Non crediderunt verbo eius, quòd ſcilicet eſſet illis daturus eam, quamuis promitteret illam. Propter hoc non intrauerunt illam. Ad *Hebr.* 3. Non poterant intrare in requiem illam, propter incredulitatem ſuam. Propter hoc ibidem ſubdit *Paulus*: Videte ne ſit in aliquo veſtrum cor incredulitatis, diſcedendi à Deo: quia ſi hoc, eritis electi. *Apocal.* 21. Foris canes, & venefici, & omnis qui facit & amat mendacium, quales ſunt infideles: quia ad *Hebr.* 11. Impoſſibile eſt ſine fide placere Deo.

25. *Et murmurauerunt.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur de effectu culpæ infidelitatis eorum, quæ fuit duplex. Murmur, quod primò tangitur: & inobedientia, quæ ſecundò, ibi, *Non exaudierunt.* Dicit ergo: Sic fuerunt infideles, *& murmurauerunt*, contra Deum & miniſtros eius, *in tabernaculis ſuis. Exod.* 16. Murmurauit omnis multitudo contra Moyſen & Aaron in ſolitudine. *Deut.* 1. Ad ſermonem Domini Dei veſtri murmurauiſtis in tabernaculis veſtris.

Et non exaudierunt, opere adimplendo, *vocem Domini.* Ecce inobedientia. Hoc tamen promiſerunt *Exod.* 19. Omnia quæcumque iuſſerit Dominus, faciemus. *Exod.* 16. Quoniam non audierunt Dominum, ſed dimiſerunt Manhu vſque mane. *Ezech.* 3. Dominus Iſraël nolunt audire me, quia nolunt audire te: quia qui non audit fidelem Domini miniſtrum, contemnit audire ipſum Dominum. *Matth.* 10. Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.

Et eleuauit manum. Hîc ſecundum, in quo præmiſſa multiplici eorum culpa infidelitatis, murmuris, & inobedientiæ, ſubiungit de pœna in comminatione: & dicuntur duo ſecundum duplicem pœnam, quam comminatur. Prima, interfectio delinquentium. Secunda, captiuatio ſeminis eorum. *Et vt deiiceret.* In prima duo. Primò tangitur comminatio. Secundò declaratio pœnæ. *Et vt proſterneret.* Dicit ergo: Sic peccauerunt: *&* ipſe *eleuauit ſuper eos: ſuper*, oppreſſionem notat: *manum ſuam*, comminando. *Pſal.* Leua manus tuas in ſuperbias eorum. Et *Deut.* 32. Leuabo ad cœlum manum meam. Et poſt: Reddam vltionem hoſtibus meis, & his qui oderunt, &c. Et quid minatus eſt in leuando? *Vt proſterneret eos*, occidendo, *in deſerto. Num.* 14. In ſolitudine hac iacebunt cadauera veſtra. 1. ad *Corinth.* 10. Non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo: nam proſtrati ſunt in deſerto. Hoc autem, ſicut ibidem dicit Apoſtolus, in figura multorum, qui in deſerto religionis proſternuntur, non ad cœleſtia eleuantur. Suprà in *Pſal.* Deſtruxiſti eos ab emundatione, ab eo, à quo deberent emundari. 26.

Et vt deiiceret. Hîc ſecundum, quod comminatus eſt, ſcilicet ſeminis captiuitatem: & dicuntur duo. Primò, quòd minatus eſt captiuitatem. Secundò in ipſa captiuitate diſperſionem. Si enim in vno aliquo loco eſſent captiuitati, hoc aliquod eſſet remedium: ibi ſecundum: *Et vt diſperderet.* Ait enim: Sic minatus eſt eis mortem, *& vt deiiceret*, captiuando, *ſemen eorum*, filios & nepotes, *in nationibus*: nec hoc tantum, imò *& vt diſperderet eos*, poſt deiectionem, in diuerſas partes perderet, *in regionibus*, ſicut apertè factum eſſe nunc videmus, quia per totum mundum diſperſi ſunt. *Pſal.* Diſperde illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine. Sic diſperduntur mali religioſi per curas mundi, & deſideria mundana, ad ſeruiendum dæmoni. *Pſal.* In malitia eorum diſperdet eos. *Bar.* 2. Diſperſit nos in omnibus populis, & facti ſumus ſubtus, & non ſuprà, quia peccauimus Domino Deo noſtro. *Exod.* 2. Filij Iſraël diſperſi ſunt per Ægyptum ad colligendas paleas. 27.

Et initiati ſunt. Hîc tertium, in quo tangitur peccatum incredulitatis, comparatione ad diuinam bonitatem: & dicuntur duo ſecundum duo, quæ concurrunt ad Dei bonitatem, ſcilicet iuſtitia, & miſericordia. Primò ergo oſtenditur 28.

peccatum eorum, quoad opus iuſtitiæ. Secundò quoad opus miſericordiæ, ibi, *Et irritauerunt eum.* In prima dicuntur tria. Primò eorum culpa. Secundò pœna pro tali culpa eis inflicta, ibi, *Et multiplicata eſt.* Tertiò placatio Domini vt ceſſaret pœna, ibi, *Et ſtetit Phinees.* In prima duo. Primò perpetratio culpæ. Secundò iudicis offenſio pro culpa. *Et irritauerunt eum in adinuentionibus ſuis.* In prima dicuntur duo. Primò dedicatio ſui idolo fornicationis. Secundò veneratio eius in opere. *Et comederunt.* Dicit ergo: Sic peccauerunt non credentes diuinam potentiam, nec ſummæ veritati aſſentientes: & etiam *initiati ſunt*, id eſt, conſecrati & dedicati, *Beelphegor*, idolo gentium, & maximè fornicationibus, & comeſtionibus vacantium: & vt totum conſummaretur, *comederunt de ſacrificiis mortuorum*, id eſt, de immolatis idolis, quæ res ſunt mortuæ, omni vita carentes: vel de oblatis mortuis hominibus, quos credebant Deos, non credentes diuinam iuſtitiã talia punituram. *Num.* 25. Initiatus eſt Iſraël Beelphegor, & comederunt de ſacrificiis, & adorauerunt deos eorum.

Beelphegor, ſimulachrum libidinis.

In declamat. Spiritualiter autem ſacrificia mortuorum comederunt, hoc eſt, pro mortuis data, & illata, clerici beneficiati. *Bernard.* Væ, væ tibi clericè: mors in olla. 4 *Reg.* 4. Mors in ollis carniũ: mors in huiuſmodi deliciis eſt, quia peccata ſunt populi, quæ comedis. *Oſe* 4. Peccata populi mei comedent. Sumptus Eccleſiaſticos gratis habere te reputas? Cantando, vt aiunt, tibi prouenire videntur: ſed bonum erat tibi magis fodere, aut etiam mendicare. Sollicitus eſto tanquam redditurus rationem pro eis fundere gemitus, dignos agere pœnitentiæ fructus. Sed heu! quamuis ſic comedant ſacrificia mortuorum, tamen multi initiantur Bel, id eſt, gulæ, *Daniel. vlt.* Magnus Deus Bel, qui tanta comedit, & bibit. *Phil.* 3. Quorum Deus venter eſt. Alij initiantur Beelzebuth, qui eſt Deus muſcarum, diuitiarum quæ pungunt, & inquietant, vnde ſpinæ vocantur à Domino. *Matth.* 13. *Auguſt.* Diuitias inueniſti, requiem perdidiſti. Alij Beelphegor, quod interpretatur habens hiatum, luxuriæ ſcilicet, quæ ſemper hiat & nunquam ſatiatur. *Oſeæ* 4. Fornicati ſunt, & non ceſſauerunt. *Hieron.* Voluptas famem, non ſatietatem parit.

29. *Et irritauerunt.* Hic ſecundum, ſcilicet iudicis offenſio pro culpa perpetrata. Ait enim: Sic peccauerunt, & ſic *irritauerunt eum*, Deum ſcilicet, *in adinuentionibus ſuis*, in idolis, quæ adinuenerunt, vt illa colerent: non enim habuerunt à patribus ſuis. *Num.* 25. Iratus Dominus dixit Moyſi: Tolle cunctos principes populi, & ſuſpende in patibulis contra ſolem. Et dixit Moyſes. Occidat vnuſquiſque proximos ſuos, qui initiati ſunt Beelphegor, id eſt, conſecrati & dedicati. Et ſic, *multiplicata eſt in eis ruina.* Ecce pœna mortis. *Num.* 25. Occiſi ſunt 24. millia hominum. Sic initiati luxuriæ, ruent, & occidentur. *Zach. vlt.* Ecce ruina muli, & equi, & aſini, & omnium iumentorum. Et hoc à Chriſto. *Luc.* 2. Ecce hic poſitus eſt in ruinam, luxurioſorum & malorũ. Qui ſeruiunt luxuriæ, dicuntur initiati Beelphegor: quia illud peccatum eſt quaſi introductio in omne peccatum. Ad hoc enim iam pueri currunt, & incipiunt iam eſſe peccatores. Et has introductiones eis legunt, qui eos ducunt ad proſtibula, & magis qui eos proſtituunt, eis abutendo, ſecundum illud *Ioël* 3. Poſuerunt puerum in proſtibulo, & puellam vendiderunt pro vino vt biberent. Initio peccatorum ſunt hæc, imò ſicut dixit Dominus. *Matth.* 14. Initio ſunt dolorum.

Peccatum luxuriæ, introductio in omne peccatum.

Et ſtetit Phinees. Hîc tertium. Tacta enim illorum culpa, quantum ad infidelitatem bonitatis diuinæ, vt eſt iuſtitia, & ſuppoſita illorum pœna, ſubiungitur hîc punientis placatio per Phinees facta: & dicuntur duo. Primò placatio Domini. Secundò eius per quem placatus eſt, remuneratio. *Et reputatum.* In prima tria. Primò placantis conditio, per quam placauit Deum. Secundò Dei placatio. *Et placauit.* Tertiò ceſſatio à pœna poſt placationem. *Et ceſſauit.* Dicit ergo: Sic peccauerunt, & ſic affecti ſunt: & tunc *Phinees*, conſtantia mentis & virtute contra fornicantes. *Num.* 25. Phinees filius Eleazari ſacerdotis, filij Aaron, ſurrexit in medio multitudinis, & accepto pugione perfodit ambos in locis genitalibus. *Et placauit*, Deum ſup. per hunc modum. Vnde in eodem: Auertit iram meam à filiis Iſraël, quia zelo meo commotus eſt contra eos. 30.

Et ſic *ceſſauit quaſſatio*, populi. *Num.* 25. Ceſſauit plaga à filiis Iſraël, eò quod zelatus eſt Phinees pro Domino Deo ſuo, & expiauit ſcelus filiorum Iſraël. Sic ſi eſſet in Eccleſia Dei, qui zelaret zelo bono, de quo *Paulus* 2. *Cor.* 11. Æmulor enim vos Dei æmulatione. Et de quo in *Pſal.* Zelus domus tuæ comedit me. Et interficeret non ſolum fornicantes corporaliter, ſed etiam ſpiritualiter, omnes ſcilicet peccatores, iuxta illud *Pſal.* In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, pugione verbi Dei. *Epheſ. vlt.* Et gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei: tunc Deus poſſet per talem reconciliari. *Eccleſ.* 45. Phinees in timore Dei ſtetit, in reuerentia gentis, in bonitate, & alacritate animæ ſuæ placuit Deo Iſraël.

Et reputatum eſt. Hîc ſubiungitur eius, per quem Dominus placatus eſt, remuneratio. Et primò remuneratio. Secundò æternitas in præmio, quo remuneratus eſt. *In generationem, & generationem.* Dicit ergo: Sic Phinees placauit, *& reputatum eſt ei ad iuſtitiam*, quia datum eſt præmium iuſti, ſcilicet ſacerdotium. Reputatione, inquam, extenſa, *in generationem* præſentem, *& generationem* durantem *vſque in ſempiternum*: quod eſt generatio futura. 1. *Mach.* 2. Phinees pater noſter zelando zelum, accepit teſtamentum ſacerdotij æterni. Iam non eſt Phinees. *Bern.* Vbi eſt qui ſe exhibeat Phineem fornicantibus, Ioannẽ regibus, Eliam ſacerdotibus. Et poſt ſubdit: Quem dabis mihi de numero Prælatorum, qui non magis inuigilet marſupiis euacuandis, quàm vitiis extirpandis? Tali ſacerdotium perpetuum daretur. *Eccl.* 45. Statuit illi teſtamentum pacis, & principem ſanctorum & gentis ſuæ fecit illum, vt ſit illi ſacerdotij dignitas in æternum. Adhuc durat ſacerdotium Martini, Germani, Nicolai, Auguſtini. 31.

Et irritauerunt eum ad aquas. Tacta populi infidelitate comparatione ad diuinam iuſtitiam, hîc tangitur comparatione ad miſericordiam, quæ fuit in populi illius ſuſtentatione: 32.

& dicuntur duo. Primò tangitur illorum culpa. Secundò vexatio Moysi pro illa. *Et vexatus est Moyses.* Dicit ergo: Sic peccauerunt incredulí de diuina iustitia, & etiam *irritauerunt eum*, Deum scilicet, *ad aquas contradictionis*, id est, ad quas populus iurgando Moysi contradixit. *Num.* 20. Ista est aqua contradictionis, vbi iurgati sunt filij Israël contra Dominum, & sanctificatus est in eis. Ista de qua in *Psal.* Probaui te apud aquas contradictionis. *Num.* 20. Conuenerunt aduersus Moysen & Aaron, & versi in seditionem dixerunt eis.

Aquæ contradictionis, scientia legum.

Aquæ contradictionis scientia legum, & varietas Decretalium. *Prou.* 17. Qui dimittit aquas, caput est iurgiorum. Istæ propter transgressiones positæ sunt. *Gal.* 3. Nam non ex lege hæreditas, quia Christi patrimonium & hæreditas æterna Legistis non debent dari. Ideò dicitur *Genes.* 25. quòd Abraham filiis concubinarum largitus est munera, Isaac autem hæreditatem reliquit. *Gen.* 21 Eiice ancillam, & filium eius. Ibi irritatur Deus. *Isa.* 5. Expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas: iustitiam, & ecce clamor.

Et vexatus est Moyses. Hîc secundum, scilicet Moysi turbatio & vexatio pro culpa illorum: in quo tanguntur tria. Primò Moysi inordinata & culpabilis turbatio. Secundò ratio turbationis, illorum, culpa scilicet, ibi, *Quia exacerbauerunt.* Tertiò modus vel effectus turbationis, ibi, *Et distinxit in labiis.* Dicit ergo: Sic peccauerunt: *&* tunc *vexatus est Moyses*, quasi conturbatus, & quodam tædio affectus & impatientia, *propter eos*, sic irritantes & exasperantes. *Num.* 21. Conuenerunt aduersus Moysen & Aaron, & versi in seditionem dixerunt: Cur eduxisti nos in solitudinem, vt moriamur?

33. *Quia exacerbauerunt.* Ecce causa turbationis: *Quia exacerbauerunt*, durius loquendo, *spiritum eius.* Spiritus sonat hîc in superiorem animæ partem, scilicet rationem, quæ turbata fuit in illorum sermonibus, contra illud *Ioan.* 13. Non turbetur cor vestrum, &c.

Et distinxit. Hîc tertium, scilicet effectus, vel modus perturbationis: quia non sicut in aliis sanctis, seuerè Moyses processit, sed distinguens hoc ab aliis hæsitauit. Ait enim: Sic irritauerunt Moysen, & sic propter eos vexatus est, & turbatus: *&* *distinxit*, hoc miraculum vel signum, & apparuit *in labiis suis*: quia non cum tanta constantia fecit hoc sicut alia, sed hæsitando dixit *Num.* 20. Audite rebelles & increduli: Nunquid de petra hac poterimus vobis aquas elicere? Hæc autem hæsitatio, qua dixit: Nunquid? &c. fuit illud peccatum. *Iacob.* 1. Postulet autem à Deo nihil hæsitans.

34. *Non disperdiderunt.* Hîc tertium totius illius partis, in qua tangit peccata illorum. Tactis enim peccatis illis, quæ fecerunt in Ægypto, & postmodum quæ in deserto, hîc tangit facta in terra promissionis: & dicuntur duo. Primò tangitur culpa inobedientiæ illorum. Secundò idololatriæ illorum, ibi, *Et seruierunt.* In prima duo. Primò tangitur culpa eorum quantum ad omissionem. Secundò quantum ad commissionem, ibi, *Et commixti sunt.* Dicit ergo: Præmissa fecerunt in Ægypto, *&* tandem venientes in terram promissionis, *non disperdiderunt gentes*, eas destruendo, vel captiuando, *quas Dominus dixit illis*, vt eas disperderent. *Deut.* 7. Cum tradiderit eos Dominus Deus tibi, percuties eos vsque ad interemptionem. Sed *Ios.* 1. dicitur quando iam erant in terra: Confortare, & esto robustus, vt custodias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses seruus meus. Sed hæc omiserunt. *Iud.* 1. Non sunt deletæ gentes quæ sunt in terra. Et in 3. Filij Israël habitauerunt in terra Chananæorum, & duxerunt vxores filias eorum, cum tamen dictum esset etiam *Deut.* 7. Non inibis cum eis fœdus, nec sociabis cum eis coniugia.

Et commixti sunt. Hîc secundum quod pertinet ad culpam, scilicet commissio: in quo dicuntur duo. Primò cum malis habitatio. Secundò ipsorum malorum, & in malis imitatio, ibi, *Didicerunt.* Dicit ergo: Sic peccauerunt peccato omissionis, & etiam commissionis: *&*, id est, quia *commixti sunt inter Gentes*, loco & habitatione, imò matrimoniorum coniunctione, sicut tempore Esdræ factum est, 1. *lib.* 9. Tulerunt de filiabus eorum filiis suis, & commiscuerunt semen sanctum cum populis terrarum. 35.

Clerici debent à laicis separari quantum ad affectum, habitum, officium, & vitam.

Nota hîc diligenter, quòd in omni operatione sua natura tendit ad hoc, sicut vult Philosophus, vt separet nobile ab ignobili: vnde finis plantarum, est palma, in qua separatur actiuum à passiuo, masculinum à fœminino. Similiter & gratia ad hoc tendit, vt pretiosum à vili segregetur, & hoc ostendit Dominus in principio scripturæ. Vidit, inquit, Deus, lucem quòd esset bona, & separauit lucem à tenebris. Ergo filij Israël, clerici scilicet, debent à laicis separari. *Num.* 1. Tribum Leui noli numerare, nec pones summam eorum cum filiis Israël: sed constitues eos super tabernaculum testimonij & cuncta vasa eius. Ideò dicitur eis. 1. *Petr.* 2. Vos estis genus electum, & regale sacerdotium. Et hæc separatio attendenda est quantum ad affectum, habitum, officium, & vitam. Sed heu! totum idem quantum ad affectum. *Ierem.* 6. Omnes auaritiæ student, à minori vsque ad maiorem. Quantum ad habitum: quæ enim differentia ad milites, imò ad mulieres, quod turpius est? *Soph.* 1. Visitabo super omnes, qui vestiti sunt veste peregrina. Item quantum ad officium. 2. *Mach.* 4. Sacerdotes iam non circa altaris officia dediti erant, sed contempto templo, & sacrificiis neglectis, festinabant participes fieri palæstræ, & prælationis eius iniustæ. Et quantum ad vitam, & conuersationem. *Isa.* 24. Et erit sicut populus, sic sacerdos. Item inter ipsos clericos debet esse separatio, quia Prælatorum vita debet excedere vitam simplicium clericorum. *Gen.* 49. Gad accinctus præliabitur ante eum. Et ad *Hebr.* 5. dicit Paulus: Omnis Pontifex ex hominibus assumptus est, & pro hominibus, in his, quæ sunt ad Deum.

Et didicerunt. Hîc secundum, malorum imitatio. Ait enim: Sic inter Gentes sunt commixti: *&* sic *didicerunt opera eorum*, mala & pessima. *Ierem.* 8. Sapientes sunt vt faciant mala, bona autem facere nescierunt.

Et

36. *Et ſeruierunt.* Hîc tangitur peccatum idololatriæ : & dicuntur duo. Primò veneratio exhibitio idolis. Secundò vehementia venerationis , quia vſque ad filiorum immolationem, ibi, *Et immolauerunt filios.* In prima duo. Primò veneratio idolorum. Secundò ſcandalizatio aliorum in facto , quod multum aggrauat, ibi, *Factum eſt.* Ait enim : Sic commixti ſunt , & didicerunt illorum opera. *Et ſeruierunt* , idololatrando, *ſculptilibus eorum. Iudic.9.* Surrexerunt filij , qui non nouerunt Dominum , & opera, quæ fecerat cum Iſraël , feceruntque malum in conſpectu Domini. Et iterum in eodem : Multò maiora faciebant quàm patres eorum, ſequentes Deos alienos , & ſeruientes eis. 1. *Reg.* 8. Dereliquerunt me , & ſeruierunt diis alienis.

Et factum eſt illis. Hîc ſecundum. Quaſi diceret : Sic ſeruierunt : *& factum eſt illis in ſcandalum* , & proprium , & aliorum. *Ioſuë* 23. Si volueritis his gentibus , quæ habitant inter vos , & eorum erroribus adhærere , erit vobis in foueam , & in laqueum , & in offendiculum , & etiam aliis. *Ierem.7.* Poſuerunt offendicula in domo , in qua inuocatum eſt nomen meum. *Matth.18.* Væ ergo mundo à ſcandalis Clericorum, & Eccleſiæ Prælatorum. Veruntamen, ſicut ibi , melius eſſet ei vt ſuſpenderetur mola aſinaria collo eius, &c.

37. *Et immolauerunt.* Hîc oſtenditur vehementia in veneratione , quia vſque ad immolationem progeniei:& dicuntur tria.Primò filiorum, & filiarum immolatio. Secundò modus immolandi. *Et effuderunt.* Tertiò infectio totius terræ ex immolatione , ibi , *Et infecta eſt.* In prima duo. Primò filiorum immolatio. Secundò filiarum. *Et filias.* Dicit ergo : Sic ſeruierunt ſculptilibus , & non in modico, imò multum, quia *immolauerunt filios ſuos* , ipſos comburendo , vel aliquo modo interficiendo, ad literam. *Et filias ſuas,* circa quas maior quodammodo pietas eſſe debebat , *dæmoniis* , id eſt , idolis , in honorem dæmoniorum fabricatis. Sed ſi hoc nuſquam legitur in hiſtoria rei geſtæ, mentiri non poteſt Propheta:& videtur probari per hoc quod dixit illis Moyſes *Deut.* 7. Caue ne imiteris abominationes Gentium. Hæc autem erat abominatio,quod filios & filias immolabant, ſecundum quod *Ierem.7.* dicitur : Ædificauerunt excelſa Tophet , quæ eſt in valle filij Hennon , vt incenderent filios ſuos , & filias ſuas igni. Et Moyſes *Deut.32.* idem dicit omninò , quod hic dicitur : Immolauerunt filios ſuos , & ſanguinem idolis libando,& carnem incendendo. Sic multi prælatorum filios & filias dæmoniis immolant , quia eos exemplis peruerſis ad peccatum inflammant. *Ierem.7.* Filij colligunt ligna, patres ſuccenderunt ignem , & mulieres eorum conſpergunt adipem.

38. *Et effuderunt.* Hîc ſecundum , immolandi modus : & dicuntur tria. Primò ſanguinis effuſio & innocentis. Secundò quorum ſit ſanguis, ad culpæ eorum aggrauationem,ibi, *Sanguinem filiorum.* Tertiò cui ſit effuſus , vel quibus , ibi, *Quos ſacrificauerunt.* Dicit ergo : Sic immolauerunt filios & filias : *&* etiam *effuderunt:* in hoc notatur abundantia : *ſanguinem innocentem.* 4. *Reg.* 27. Factum eſt verbum Domini contra Manaſſe , propter peccata quæ fecit , propter vniuerſum ſanguinem quem effudit,& impleuit Ieruſalem cruore inuocentium. Et 21. Fudit Manaſſes ſanguinem innoxium multum nimis, donec impleretur Ieruſalem vſque ad os. *Pſal.* Effuderunt ſanguinem ipſorum tanquam aquam in circuitu Ieruſalem.

Sanguinem filiorum. Hîc ſecundum , quorum fuerit effuſus ſanguis. Quaſi diceret : Sic ſanguinem effuderunt , *ſanguinem* ſcilicet *filiorum ſuorum , & filiarum ſuarum. 2. Paral.*28. Achab luſtrauit filios ſuos, igne iuxta ritum Gentium, & ſacrificabat thymiama,& immolabat in omnibus collibus.

Quæ ſacrificauerunt. Ecce tertium , in quo aggrauat ratione eorum quibus immolabant, quia ſic ſacrificabant & immolabant ſanguinem filiorum & filiarum ſuarum , *quas* , inquam , filias , *ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaan.* 4. *Reg.* 22. Dereliquerunt me , & libauerunt diis alienis.

Spiritualiter autem, filij ſunt fortiora opera, filiæ infirma:vnde *Exod.*1. legitur Pharao præcepiſſe, quòd filiæ ſeruarentur , & filij ſubmergerentur in fluuium : fortiora enim opera, vult diabolus in dilectationum flumine ſuffocari:de infirmis autem non facit vim. *Apocal.*20. Stetit draco ante mulierem parituram , vt cum peperiſſet maſculum , ipſum abſorberet. Et Herodes præcepit *Matth.* 2. omnes maſculos interfici à bimatu,& infrà.Filios ergo dæmoniis immolat, qui fortia opera facit vt inde laudem acquirat, vt prædicator , & rector. *Oſeæ* 9. Ephraïm adducet ad interfectorem filios ſuos. Qui autem minora opera , ſcilicet ieiunium , & vigiliam, immolat ei filiam,quod Dominus etiam prohibet *Matth.* 6. Cum ieiunatis , nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes, &c.

Filios dæmoniis immolat,qui bona opera facit vt inde laudē acquirat.

Et infecta eſt. Hîc ſubiungitur totius terræ infectio ex hac immolatione.Et primò tangitur mortis generalitas, quantum ad locum. Secundò corruptibilitas & infectio , quantum ad inhabitantes, ibi , *Et contaminata eſt.* Dicit ergo: filios , & filias immolauerunt : *&* ſic *infecta eſt terra* , id eſt , habitatores terræ , *in ſanguinibus*, eorum, in peccatis ſcilicet, id eſt , propter peccata eorum , quæ dicuntur ſanguines. *Pſal.* Libera me de ſanguinibus. *Oſeæ* 4. Sanguis ſanguinem tetigit. *Ezechiel.7.* Fac concluſionem , quoniam repleta eſt terra iudicio ſanguinum.

39. *Et contaminata.* Hîc tangitur infectio , & primò infectio. Secundò modus infectionis,vel in quo illa infectio. Dicit enim: *Et contaminata in operibus eorum. Leuit.* 18. Non polluamini in omnibus , in quibus contaminatæ ſunt vniuerſæ Gentes , & in quibus polluta eſt terra.

Et fornicati ſunt. Hîc modus infectionis, ſcilicet ſpiritualis fornicatio : vnde addit : *Et*, id eſt , fornicati ſunt *in adinuentionibus ſuis* , id eſt , idolis quæ adinuenerunt. *Sap.* 13. Initium fornicationis,exquiſitio idolorum : adinuentio eorum , corruptio vitæ.

40. *Et iratus eſt furore.* Hîc ſecundum totius huius partis. Poſtquam enim tetigit eorum culpam in ipſa terra promiſſionis perpetratam, ſupponit hîc ipſorum pœnam : & dicuntur tria.

Primò tangitur ira Dei ad illos in indignatione. Secundò punitio illorum per ipſos inimicos. *Et tradidit.* Tertiò humiliatio illorum ſub inimicis poſt punitionem, ibi, *Et humiliati ſunt.* In prima duo. Primò tangitur Dei indignatio ad illos. Secundò vehementia indignationis, ibi, *Et abominatus eſt.* Dicit ergo: Sic ipſi peccauerunt: *& iratus eſt furore Dominus*, id eſt, tanquam iratus ira furibundi factus eſt, *in populo ſuo*, id eſt, contra populum ſuum. *Iud.*2. Iratus Dominus contra Iſraël. Et non tantum iratus, quod magnum eſt, ſed *abominatus eſt hæreditatem ſuam*, tanquam penitus abiiciens illam. *Leu.* 26. Cadetis inter ruinas inimicorum veſtrorum, & abominabitur vos anima mea. *Oſe.* 4. Facti ſunt abominabiles, ſicut ea quæ dilexerunt.

41. *Et tradidit.* Hîc ſecundum, ſcilicet punitio illorum per ipſos inimicos: & tanguntur tria. Primò dimiſſio illorum ipſis Gentibus. Secundò dominatio Gentium, & præpotentia ſuper illos. *Et dominati ſunt.* Tertiò afflictio ſubiectorum. *Et tribulauerunt.* Dicit ergo: Sic abiecit eos, *& ſic tradidit eos in manu*, id eſt, in poteſtate, *Gentium. Iud.*14. Addiderunt filij Iſraël malum facere coram Domino, & tradidit eos in manu Iabim, Regis Chanaan.

Et dominati. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic traditi ſunt eorum poteſtati, & iſti non eos dimiſerunt liberos, imò *qui oderunt eos, dominati ſunt eorum. Neem.*9. Impoſuiſti reges ſuper nos propter peccata noſtra, & corporibus noſtris dominantur. Et dominabantur iniquè. *Iſa.*52. Dominatores eius iniquè agunt. Et viles qui dominantur. *Thren.*4. Serui dominati ſunt noſtri, nec fuit qui nos redimeret de manu inimicorum.

Et tribulauerunt. Ecce tertium. Quaſi diceret: Sic tradidit, & inimici ſunt dominati, ſed non pacificè, imo *& tribulauerunt eos*, affligendo indebitè, *inimici eorum*: vt poſſent dicere veraciter illud *Pſal.* Exprobrauerunt mihi, qui tribulauerunt me inimici mei.

42. *Et humiliati ſunt.* Hîc tertium, ſcilicet ipſorum humiliatio ſub inimicis, poſt punitionem. Et hoc relatione ad duplex malum ipſorum. Primò ad malum ingratitudinis. Secundò ad malum recidiuationis, ibi, *Ipſi autem exacerbauerunt.* In prima duo. Primò tangitur illorum directio, & humiliatio. Secundò ratio, ſcilicet ingratitudo, ibi, *Sæpe liberauit.* Dicit ergo: Sic afflicti ſunt ab inimicis, & poſt omnia, *humiliati ſunt ſub manibus eorum.* Verum eſt. *Ier.* 6. Super te aſcendent quaſi equi parati ad prælium, aduerſum te filia Sion. Dolores apprehenderunt nos vt parturientem. *Iud.* 6. Humiliatus eſt Iſraël in conſpectu Madian, & hoc iuſtè factum eſt, quia ſup. *ſæpe liberauit eos*, & parum valuit. *Iud.* 6. Clamauerunt ad Dominum, & ſuſcitauit eis liberatorem, & liberauit eos. Et in eod. Liberans vos de manibus Ægyptiorum, & omnium inimicorum, qui affligebant vos, & noluiſtis audire vocem meam.

Ipſi autem exacerbauerunt. Hîc tangitur humiliationis pœna comparatione ad malum recidiuationis: vnde duo tanguntur. Eorum recidiuatio in culpam. Secundò pœna propter illam. *Et humiliati ſunt.* Ait ergo: Sic afflicti quia ingrati: *ipſi autem exacerbauerunt eum*, peccata iterando, & hoc, *in conſilio ſuo*, ex certa deliberatione, & præmeditatione. *Bar.*4. Exacerbaſtis Deum excelſum, qui fecit vos, immolantes dæmoniis, & non Deo. *Ierem.*32. Erant filij Iſraël, & filij Iuda facientes malum in oculis meis ab adoleſcentia ſua, & vſque nunc exacerbauerunt me in opere manuum ſuarum.

Et humiliati ſunt, hoc modo, *in iniquitatibus ſuis*, id eſt, propter iniquitates ſuas. *Pſal.* Priuſquam humiliarer, humiliatione deiectionis & miſeriæ, ego deliqui. Et nota hîc, quòd humiliatur multum homo per peccatum. Primò de diuite fit pauper. *Apocal.* 3. Tu dicis, quia dines ſum, & locupletatus, & nullius egeo, & neſcis quia pauper es & nudus. De rege coronato fit ribaldus. *Iob* 17. Balteum regum diſſoluet: propter peccata ipſorum, & præcinget fune, ſicut ribaldus, renes eorum. De libero fit ſeruus. *Ioan.*8. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati: & tali ſeruus, qui nullo poteſt placari obſequio. De hærede fit exhæredatus. *Epheſ.* 5. Omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, non habet partem in regno Dei & Chriſti. De milite & nobili fit ignobilis, & ruſticus. 1. *Reg.*2. Quicumque glorificauerit me, honorificabo eo: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. De ſacerdote fit degradatus. 1. *Pet.*2. Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, dicitur illis, qui ſunt in gratia. Sed *Oſeæ* 4. Tu ſcientiam repuliſti, & ego repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi. *Iſa.*22. Expellam te de ſtatione tua, dicitur pecanti. De templo Dei fit fanum Bacchi. 2. *Mach.*14. Hoc Dei templum Libero patri dedicabo, vel conſecrabo. Membrum meretricis ad literam fit de membro Dei. 1. *Corinth.* 6. Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? Abſit. De ſano fit æger. *Luc.*10. de illo qui incidit in latrones, & diſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis &c. De pulchro fit turpis. *Ierem.*30. Conuerſæ ſunt facies eorum in auruginem. *Thren.*1. Egreſſus eſt à filia Sion omnis decor eius. De forti fit debilis. *Thren.* 1. Abierunt abſque fortitudine, ante faciem ſubſequentis, vel tribulantis. De ſtabili fit inſtabilis. *Thren.* 1. Peccatum peccauit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt.

Homo valdè humiliatur per peccatum.

Et vidit cum tribularentur. Hîc ſecundum, in quo poſtquam monſtrauit eorum culpam multiplicem, ſubiungit diuinam miſericordiam eis nihilominus exhibitam: & tanguntur primò motiua ad miſerendum. Secundò ipſa miſericordia, ibi, *Et pœnituit.* In prima duo. Primò tangit motum ex parte ipſorum. Secundò ex parte patrum. *Et memor fuit.* In prima duo ſecundum duo, quæ in ipſis fuerunt, quæ mouerunt Deum. Primum, ipſorum tribulatio. Secundò conuerſatio tribulatorum ad Deum per orationem, ibi, *Et audiuit.* Dicit ergo: Tantæ fuerunt nequitiæ, & peruerſitatis: & Deus nihilominus *vidit cum tribularentur*, oculo miſericordiæ ſuæ. *Iſa.*59. Vidit Dominus, & malum, pœnæ ſup. apparuit in oculis eius. *Pſal.* Aſpice in me, & miſerere mei. 43.

Et audiuit orationem eorum. Exod. 3. Vidi afflictionem populi mei qui eſt in Ægypto,

pto, & gemitum eorum audiui. *Iud.*2.Flectebatur Dominus miſericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vaſtantium. Nota *Gloſſ.* Talis eſt nobis, quales nos illi.

45. *Et memor fuit.* Ecce ſecundum. Apertè enim ait: Sic tribulationem aſpexit, & eorum orationem audiuit: & etiam *memor fuit teſtamenti ſui*, æternæ promiſſionis ſuæ ad Abraham factæ. In *Pſal.* antecedenti. Memor fuit in ſæculum teſtamenti ſui, verbi, quod mandauit in mille generationes. Et alibi: Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ, & veritatis ſuæ domui Iſraël.

Et pœnituit eum. Ecce ſecundum, in quo præmiſſis motiuis ad miſerandum, ſequitur ipſa miſericordia: & primò exhibitio miſericordiæ in amotione mali. Secundò in exhibitione boni, ibi, *Et dedit eos in miſericordias.* Dicit ergo: Sic motus fuit ad miſericordiam per prædicta: & tunc *pœnituit eum*, id eſt, ac ſi pœniteret eum, fecit: quia ceſſauit affligere, & amouit inflictam pœnam: & *ſecundum multitudinem miſericordiæ ſuæ*, magis, quàm meritis illorum. *Ierem.*18. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam: agam & ego pœnitentiam à malo, quod locutus ſum vt facerem ei. Et hoc *ſecundum multitudinem miſericordiæ ſuæ.* 2.*Paral. vlt.* dixit Manaſſes: Saluabis me indignum ſecundum magnam miſericordiam tuam.

46. *Et dedit eos.* Hîc ſecundum, in quo oſtenditur boni exhibitio ex miſericordia: & dicuntur duo. Primò bonorum collatio. Secundò magnitudo, vſque ad admirationem aduerſantium. *In conſpectu.* Ait enim: Sic pœnitens fuit mala amouendo, & etiam, *dedit eos in miſericordias*, id eſt, ex miſericordia dedit eis bona multa. Et hoc, *in conſpectu eorum qui ceperunt eos*, hoc eſt, tanta fuit in eis gratia, vt etiam inimicis, qui eos captiuauerunt, placerent, ſecundum quod legitur de *Tobia* in 2. Dedit Dominus gratiam Tobiæ, in conſpectu Salmanaſar regis, & dedit illi poteſtatem quocumque vellet ira, habens poteſtatem facere quæcumque voluiſſet. Similiter de *Daniele* in 1. Dedit ei Dominus gratiam & miſericordiam in conſpectu principis eunuchorum. Et in 2. Extulit rex Danielem in ſublime, & multa munera, & magna dedit ei: & conſtituit eum principem ſuper omnes prouincias Babylonis. Sic de Ioſeph *Gen.*40.& 41. Vel dedit eis miſericordias, non in occulto, ſed *in conſpectu omnium, qui ceperant eos*, vt inde confunderentur inimici eorum.

Sic Dominus in conſpectu dæmonum qui animas ſeducunt & capiunt, aliquando facit miſericordias maximas, apertè liberando eas, & de faucibus eorum extrahendo, ſecundum illud *Iob* 29. Conterebam molas iniqui, & de dentibus eius auferebam prædam: quod eſt dæmonum magna illuſio. *Iob* 40. Nunquid ludes ei, quaſi aui? & bonorum Angelorum magna exultatio. *Luc.* 15. Maius eſt gaudium ſuper vno peccatore pœnitentiam, &c.

47. *Saluos fac nos.* Præmiſſa Dei miſericordia pro beneficiis exhibitis illi populo, & maximè in peccati dimiſſione, ſubiungitur hîc ſupplicatio pro plena reconciliatione, vt erepti non tantum à culpa ſed ab omni miſeria, poſſint liberius confiteri & laudare: & dicuntur tria. Primò ſupplicatio pro liberatione à captiuitate & miſeria. Secundò ratio quare petit liberari populum, ab illa ſup. *Vt confiteamur.* Tertiò ſubiungitur interim diuina laudatio à Propheta optante, quod laudetur Deus ab omni creatura humana, ibi, *Benedictus Dominus.* In prima primò petit liberari à miſeria, quam ſuſtinent in terra propria. Secundò reuocari à captiuitate, qua tenentur in terra aliena, ibi, *Et congrega nos.* Dicit ergo: Hæc bona quæ præmiſi, Dominus populo contulit, ex quibus laudandus eſt manifeſtè: &, *ô Domine Deus noſter, Domine*, qui potes: *Deus*, qui ſcis: *noſter*, qui velle debes: *ſaluos nos fac*, à miſeriis, quas patimur. 4.*Reg.*19. Saluos nos fac Domine Deus noſter de manu eorum, vt ſciant omnia regna terræ, quia tu es Deus ſolus: & ſic fecit & dixit: Protegam ciuitatem hanc, & ſaluabo eam propter me, & propter Dauid ſeruum meum: non occupabit eam clypeus.

Et congrega nos, diſperſos, *de nationibus*, in quibus diſperſi ſumus. Apparet, quod Propheta non loquitur pro tempore ſuo: tunc enim non erant diſperſi: ſed pro temporibus captiuitatum variarum, quas poſteà videbat paſſurum populum propter iniquitates ſuas: & exauditus eſt. *Ierem.*31. Adducam eos de terra Aquilonis, & congregabo ab extremis terræ. Et 32. Congregabo eos de vniuerſis terris, ad quas eieci eos, & reducam eos ad locum ſuum.

Vt confiteamur. Hîc ſecundum, in quo tangitur finis petiti, ſcilicet liberationis, & congregationis: & tangitur duplex confeſſio: diuinæ laudis primò. Secundò exultatio in tali confeſſione, ibi, *Et gloriemur.* Dicit ergo: Sic petij ſaluari, & liberari: & hoc, *vt confiteamur*, confeſſione laudis, *nomini ſancto tuo*, dicentes illud *Eccleſ.*15. Confitebor tibi Domine Rex, & collaudabo te Deum ſaluatorem meum, confitebor nomini tuo. Et illud *Pſal.* Confitebimur tibi Deus, confitebimur.

Et gloriemur. Quaſi diceret: Non tantum confiteamur, hoc enim parum eſſet, imò & *gloriemur in laude tua*, non in humana potentia, dicit *Gloſſa.* Debemus autem Deum laudare, & confiteri lætanter. *Iſa.*51. Gaudium & lætitia inuenientur in ea, gratiarum actio, & vox laudis. Debemus etiam ſuauiter, vt ſentiamus dulcedinem in laude latentem, & ſaporemus eam. *Pſal.* Guſtate, & videte quoniam ſuauis eſt Dominus. Sic pſallimus ſapienter cum ſapore. *Pſal.* Pſallite regi noſtro, pſallite, pſallite ſapienter. Si guſtamus & ſaporamus, dulcem eum inuenimus. Et *Caſſiod.* dicit: Quantò ille nobis dulceſcit, tantò illi efficimur chariores. Ex toto corde diligamus Deum, vt ex toto corde ab eo diligamur. Debemus etiam laudare glorianter, ſicut hîc dicitur. *Auguſt.* Suauis eſt Deo noſtra laudatio, ſi nos in Domino gloriamur.

Debemus laudare Deũ lætãter, ſuauiter, ſapienter, & glorianter.

48. *Benedictus Dominus.* Hîc tertium, in quo Propheta prorumpit in laudem, iterum videns implendum, quod petiit: & dicuntur duo. Primò benedicit optando quod perpetuò ſit benedictus. Secundò prædicit, quòd ſic fiet. *Et dicet omnis.* Dicit ergo: Sic petij ſaluationem

& liberationem ad laudandum:& interim dico: *Benedictus*, ſit ſup. *Dominus Deus Iſrael*, non ad tempus, ſed *à ſæculo*, id eſt, ab æterno, *& vſque in ſæculum*, hoc eſt, vſque in æternum. Quaſi diceret: Sicut eius benedictio & beatitudo non habuit principium, ſic careat & fine. 1. *Paralip.* 16. Benedictus Dominus ab æterno, & vſque in æternum. *Eccleſ.* 51. Laudabo nomen tuum aſſiduè, & collaudabo illud in confeſſione.

Et dicet. Quaſi diceret: Sic laudando & benedicendo petij, & ſic fiet, & eſt: *Et dicet omnis populus*, à te liberatus & ſaluatus: *fiat, fiat.* Vnum fiat notat in laudante populo libertatem, alterum replicatum notat æternitatem. Liberè enim & æternè laudabit omnis populus ſuus, & ob hoc beatus. *Pſal.* ſuprà: Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te: de quorum numero nos faciat, qui eſt benedictus per omnia, &c.

IN CVI. PSALMVM.

Alleluia, Alleluia.

1. *Argumẽtum Pſalmi, ſuadet iterum alleluiatica gaudia ex beneficiis generaliter exhibitis.*

CONfitemini Domino, quoniam bonus. Hic eſt Pſalmus 106. in toto libro, ſextus vero in tertia parte libri. Poſtquam enim egit in Pſalmo 104. de beneficiis Abrahæ & ſemini exhibitis, ſemini, inquam, bono & iuſto, & in 105. de beneficiis exhibitis ſemini eius malo & impio, ſed tandem per pœnitentiam conuerſo, hîc tandem in hoc 106. inuitat ad laudem pro beneficiis exhibitis omnibus generaliter, ſcilicet pro redemptione & liberatione à captiuitate, quæ ad omnes reſpiciunt generaliter: omnes enim quantum in ſe fuit, Dominus redemit, nec deſtruxit. Vnde bene ſignificata fuit redemptio hæc, & liberatio, per redemptionem Iudæorum de captiuitate Babylonica, quæ omnibus fuit generalis, tam bonis, quàm malis. Nec determinatur de peccatis & pœnis redeuntium, ſed tantum de reditu ipſorum & aduentu in Ieruſalem. Vnde ſecundum literam videtur quodammodo Pſalmus tangere de illa reuerſione. Et propter hoc in titulo duplex præponitur *Alleluia:* vnum pro liberatione à malo, alterum pro reuocatione ad bonum. Quid autem ſit *Alleluia*, ſuperius dictum fuit.

Diuidi autem poteſt in duas partes totus Pſalmus, quamuis aliter ſecundum *Gloſſ.* Primò inuitat ad Dei laudem multiplici ratione. Secundò oſtendit quibus eum conuenit laudare. *Videbunt recti.* In prima duo. Primò inuitat ad Dei laudem. Secundò ſubdit ſtatim laudis rationem. *Quoniam bonus.*

Dicit ergo: Sic *confitemini* confeſſione peccati, & præcipuè laudis, *Domino*, ad honorem Domini. *Tob.* 13. Confitemini Domino omnes electi eius, agite dies lætitiæ, & confitemini. Confitemini primò culpam: poſt, agendo diem lætitiæ, ſubiungite laudem. Et nota *Gloſſam.* Hoc nequit optime, &c. Poteſt quidem qui non guſtauit, hoc aliqualiter facere, ſed optimè non poteſt. Bene quidem confitetur, qui peccatum euomit, melius, qui laudat, ſed optimè, qui eleuato intellectu & affectu guſtat. Hic enim totus rapitur in eius laudem. Propter hoc ad hunc guſtum nos inuitat. *Pſal.* Guſtate & videte, quoniam ego ſum Deus, &c. Confitemini ergo, ſi tamen guſtatis quam ſuauis eſt Dominus. 1. *Petr.* 2.

Quoniam bonus. Hîc ſecundum, in quo ſubiungit rationes quare confitendum: & primò in vniuerſali, & quaſi generaliter. Secundò deſcendendo ad ſpecialia beneficia ſpecialiter, ibi, *Errauerunt in ſolitudine.* In prima duo. Primò ratio laudis, ex beneficiis vniuerſaliter comparatione ad laudandum. Secundò comparatione ad laudantes, ibi, *Dicant nunc.* Ex parte Dei duplex ſumitur ratio. Vna, *quoniam bonus*, bona conferendo: alia, quoniam miſericors malum amouendo & miſeriam: miſericordia enim miſeriam reſpicit, ibi, *Quoniam in ſæculum.* Dicit ergo: Sic confitemini, *quoniam bonus*, ſuauis ſcilicet, & dulcis. *Sapient.* 13. O quàm bonus & ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus in nobis. Si ergo bonitas eſt ratio laudis, qui bonitatem non ſenſit, quomodo laudabit? qui verum non guſtauit, quomodo laudabit? Propter hoc dicit *Caſſiodor.* Qui guſtare renuit, minimè confitetur. Petrus guſtauit in monte Thabor dulcedinem Dei *Matth.* 17. & ibi voluit remanere, & tabernacula fabricare. Domine, inquit, bonum eſt nos hîc eſſe, &c. Guſtus tranſit, & negauit. *Matth.* 27.

Quoniam in ſæculum. Ecce ſecundum huius particulæ. Quaſi diceret: Non ſolum laudandus, quoniam bonus bona transfundendo, imo, *quoniam in ſæculum miſericordia eius*, hoc eſt, in æternum ſuper miſeros ad remouendum mala. *Pſal.* Confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius. Et *Auguſt.* dicit: In nonnullis Scripturarum locis, *In ſæcula*, idem eſt, quod in æternum.

2. *Dicant nunc qui redempti ſunt.* Hîc ſecundum, in quo ſumitur generalis ratio ex parte laudantium, ſcilicet ipſorum redemptio: vnde dicuntur duo. Primò redemptio. Secundò à quo, & quomodo ſunt redempti. *Quos redemit.* Dicit ergo: Sic confitemini, quoniam bonus & miſericors: & etiam *qui redempti ſunt à Domino*, eo ipſo quod redempti, *dicant nunc*, confeſſionem laudis & peccati. *Iſa.* 48. Auditum faciet vſque ad extrema terræ, redemit Dominus Iacob ſeruum ſuum. Sed quo pretio? Petrus determinat. 1. *Canon.* 1. Non enim corruptibilibus auro & argento redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione, ſed pretioſo ſanguine, &c.

A quo & quomodo ſumus redẽpti.

Quos redemit. Hîc ſecundum, in quo oſtendit à quo, & quomodo ſunt redempti: & tanguntur duo. Primò liberatio à ſubiectione, qua erant ſubiecti inimico. Secundò à diſperſione per totum mundum. *De regionibus.* Dicit ergo: Sic confiteantur redempti, *quos*, id eſt, quia illos *redemit de manu inimici*, id eſt, de poteſtate, ſub qua tenebantur captiui. *Ierem.* 31. Redemit Dominus Iacob, & liberauit eum de manu potentiæ. Et ſubdit: Et venient, & laudabunt in Sion. Huius redemptionis pretium miſit Deus in filij incarnatione, in ſacco mortalitatis noſtræ, quem aſſumpſit filius de tela mundiſſima, Virgine Maria. *Ioan.* 3. Deſcendit rex de ſolio ſuo, & inductus eſt ſacco. Sed ipſum

pretium

pretium de ſacro expoſuit in natiuitate : vnde tunc cantat Eccleſiam tanquam gratias agens: Redemptionem miſit Dominus populo ſuo. Sed ſaccus, vt exiret de pretio aliquid, ſciſſus eſt in Circunciſione. *Luc.* 2. Conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer, vt ſaccus gloriosæ carnis eius ſcinderetur. Sed latiſſimè ſciſſus eſt, & ruptus, & conſciſſus in ſua paſſione, vt totum pretium effunderetur. *Pſal.* Conſcidiſti ſaccum meum, & ſic redempti omninò. *Oſe.* 14. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.

De regionibus. Hîc liberatio à diſperſione: vnde dicuntur duo. Primò congregatio ex locis diuerſis. Secundò illorum locorum ſpecificatio. *A ſolis.* Ait ergo : Sic redemit, *& congregauit eos*, in fidei & Eccleſiæ vnitatem, *de regionibus. Ierem.* 31. Annuntiate in inſulis, quæ procul ſunt, & dicite : Qui diſperſit Iſraël, congregabit eum. *Iſa.* 11 Leuabit Dominus ſignum, crucis, in nationes procul, & congregabit diſperſos Iſraël. *Zachar.* 10. Sibilabo eis, & congregabo eos.

3. *A ſolis ortu.* Ecce ſecundam, in quo ſpecificat vnde congegabit, tangens apertè quatuor partes mundi. Ait enim : Sic congregandi, ſed vnde? *A ſolis ortu*, hoc eſt, ab Oriente, *& occaſu*, hoc eſt, ab Occidente, *ab Aquilone*, aquilonari parte ſcilicet, *& mari*, Auſtrali parte. Ad literam enim oceanum habet terra Ieruſalem ad Auſtrum. Nec mirum, quia circuit totam terram. *Iſa.* 44. Ab oriente adducam ſemen tuum, & ab occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, Da, & Auſtro, Noli prohibere. *Ierem.* 31. Adducam eos de terra Aquilonis, & congregabo eos ab extremis terræ. *Matth.* 8. Multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob.

4. *Errauerunt in ſolitudine.* Hîc ſecundum totius illius partis, in quo ſubiungitur ratio laudis. Tacta enim ratione, quare laudandus quaſi in generali, hîc tangitur in ſpeciali, tangendo beneficia ſpecialia quatuor, & ſecundum hoc quatuor partes ſunt hîc. Primum eſt liberatio à miſeria in via. Secundum, liberatio à miſeria, quam habuerunt in ipſa Babylone, ibi, *Sedentes in tenebris.* Tertium, liberatio à malo & difficultate, quam habuerunt in receſſu. *Et qui deſcendunt.* Quartum, liberatio à terrore Babyloniorum poſt liberationem, ibi, *Et exaltant.* In prima dicuntur tria. Primò tangitur malum quod fuit in progreſſu in Babylonicam ciuitatem. Secundò clamor ad Deum pro malo illo, ibi, *Et clamauerunt.* Tertiò confeſſio laudis, pro liberatione à malo illo, ibi, *Confiteantur Domino.* In prima tria ſecundum tria mala in via. Primum, error & ignorantia viæ. Secundum, carentia loci ad quieſcendum in nocte. *Viam ciuitatis.* Tertium, defectus cibi & potus, & in die, & in nocte, ibi, *Eſurientes & ſitientes.* Dicit ergo : Sic monui vt confiteamini, quia *errauerunt in ſolitudine*, quæ, inquam, ſolitudo erat *in inaquoſo*, loco ſup. quidam fugientes, & vagantes, tanquam profugi Cain ſuper terram. *Geneſ.* 4. Alij capti ſunt ab inimicis non euadentes, ſicut Sedechias. 4. *Reg. vltim.* Fugit per viam, quæ ducit ad campeſtria, & ſolitudines: & perſecutus eſt exercitus Chaldæorum regem.

Sic ſpiritualiter contingit quod in deſerto, & in inaquoſo, vbi nulla eſt lachrymarum abundantia, ſed omnis indeuotio, ibi erratur. *Ierem.* 17. Habitabis in terra ſiccitatis, in deſerto, in terra ſalſuginis, & inhabitabili. Importabile enim tale clauſtrum, & erratur ibi. *Iſa.* 16. Errauerunt in deſerto.

Viam ciuitatis. Hîc ſecundũ malũ. Quaſi diceret: Sic errauerunt, & *non inuenerunt viã ciuitatis*, Babylonicæ ſup. *habitaculi* eſſe. Quaſi diceret: Nullum inuenerunt in via illa habitaculum. Non leguntur habitaculum inueniſſe, donec venerunt in Babylonem. Nec mirum, quia non erant in via, ſed extra.

Sic notandum, quòd Chriſtus eſt, in quo ſolo quieſcendum eſt. *Ioan.* 16. In mundo preſſuram, in me autem pacem habebitis. Ipſe eſt habitaculum noſtrum. *Act.* 17. In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus. Sed ad ipſum habitaculum non venitur niſi per ipſam viam. *Ioan.* 14. Ego ſum via, veritas, & vita, ſed ipſe vt recta via ducit nos ad ſeipſum. *Hilar.* Nos in erronea via non ducit Chriſtus, qui eſt via : nec per falſa, qui veritas eſt : nec in mortis relinquit errore, qui vita eſt. Ab hac errant qui dicturi ſunt *Sapient.* 3. Errauimus à via veritatis: & propter hoc ad habitaculum non peruenimus. *Eccleſ.* 10. Labor ſtultorum affliget eos, qui neſciunt in vrbem pergere. *In Chriſto ſolo quies.*

5. *Eſurientes & ſitientes.* Hîc tertium malum, ſcilicet defectio cibi & potus. Et primò defectus. Secundò effectus ſequens ex illo. *Anima illorum.* Dicit ergo : Sic errabant, habitaculum non inueniebant, & erant præ inopia *eſurientes*, non habentes cibum, *& ſitientes*, non habentes potum. Sic implebatur in ipſis illud, quod Moyſes prædixerat comminando. *Deuteron.* 18. Immittet Dominus ſuper te famem, & eſuriem. Et poſt : Seruies inimico tuo in fame, & ſi.i, & omni penuria. Et ſic, *anima eorum tabeſcebat in ipſis* : toti erant fame, & miſeria tabidi, & ſqualentes. *Baruch* 4. Mortui ſunt doloribus peſſimis, in fame, & ſiti. Recte qui non habitant in Chriſto, & errant ab ipſo via vera, vacui & eſurientes ſunt, quia carent doctrina verbi Dei ſolidiori : & ſitibundi, quia carent doctrina faciliori. *Amos* 8. Mittam famem in terram, non famem panis, nec ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Dei. Hæc fames in Gentilibus Philoſophis, qui deſiderabant refici veritate & potari, ſed nihil capiebant, quod eos reficeret. *Prouerb.* 13. Iuſtus comedet, & ſaturabitur. Venter autem impiorum inſaturabilis. Hæc eſt enim amicorum menſa, quibus dicitur. *Cant.* 4. Comedite amici & bibite, & inebriamini chariſſimi. Et propter hoc tabefacta eſt in ipſis anima, & mortui ſunt. *Thren.* 2. Leua manus tuas ad Deum pro animabus paruulorum, quia defecerunt fame & ſiti. *Iſa.* 5. Nobiles eorum interibunt fame, & multitudo eorum ſiti exaruit.

6. *Et clamauerunt.* Hîc ſecundum totius huius partis. Deſcripta enim miſeria quam tranſeundo in Babylonem ſuſtinuerunt, hîc ſubiungitur de clamore afflictorum pro illa amouenda: & dicuntur tria. Primò clamor ad Deum, & vociferatio

vociferatio pro illa miſeria. Secundò illorum ereptio ab illa. *Et de neceſſitatibus.* Tertiò tangitur modus acceptionis, ibi, *Et eduxit illos.* Dicit ergo: Sic fuerunt in miſeria & tribulatione, *&* tunc *clamauerunt ad Dominum cum tribularentur. Pſal.* Ad Dominum cum tribularer, clamaui. *Oſe.* 6. In tribulatione ſua mane conſurgent ad me.

Et de neceſſitatibus. Hîc ſecundum, liberatio. Sic clamauerunt, *&* *de neceſſitatibus*, ſcilicet ineuitabilibus, *liberauit eos.* Talia mala ſua vocabat neceſſitates. Supra in *Pſal.* De neceſſitatibus meis erue me. Et ſicut illos corporaliter, ſic clamantes ad ſe ſpiritualiter, pro defectu veritatis, liberat efficaciter. *Bar.* 4. Clamate ad Dominum, & eripiet vos de manu inimicorum veſtrorum. Et hoc in ipſo clamore, vel ante ipſum clamorem. *Iſa. penult.* Et erit, antequam clament, ego exaudiam. *Pſal.* ſup. Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus.

7. *Et deduxit eos.* Hîc tertium, modus ſcilicet liberationis: in quo dicuntur duo. Primò liberatio ab errore. Secundò à defectu receptaculi, vel loci ad quieſcendum, ibi, *Vt irent.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd ipſos liberauit, ſed à quibus, & quomodo? Addit: *&* *deduxit eos*, de via erronea dirigens illos, *in viam rectam.* Et ad quid vlterius? *Vt irent in ciuitatem habitationis*, id eſt, per ciuitates & loca, vbi habitacula inuenirent. Hoc tamen etſi nuſquam legatur in hiſtoria, tamen potuit eſſe factum. Ad hoc tamen poſſet adduci illud *Ierem.* 31. Adducam eos per torrentes aquarum in via recta, & non impingent in ea. Sed ſpiritualiter clamantes ad Dominum in deſerto, præ fame, & ſiccitate, & errore, Dominus dirigit, oſtendens rectitudinem ſemitarum conſilij diuini. *Iſa.* 35. Erit vobis via recta, vt ſtulti non errent per eam. Et hoc, vt eant, non ſedeant, in ciuitatem habitationis, in illam ſupernam Ieruſalem, dicentes illud *Hebr.* 11. Non habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus, quæ eſt ciuitas habitationis. *Eccleſ.* 34. In habitatione ſancta coram ipſo miniſtraui. Et in *Pſal.* Sicut lætantium omnium, habitatio eſt in te.

8. *Confiteantur Domino.* Hîc tertium totius huius partis, ſcilicet gratiarum actio, vel exhortatio ad gratiarum actionem pro illa liberatione: & dicuntur duo. Primò inuitat ad gratiarum actionem. Secundò ſubdit gratiarum actionis rationem referendo beneficium, quod quaſi ſiluerat, ibi, *Quia ſatiauit.* In prima duo. Primò vt laudando confiteatur miſericordiam, à malo liberantem. Secundò vt mirabilia eius, & potentiam bona exhibentem. *Et mirabilia eius.* Dicit ergo: Sic liberauit: & ob hoc moneo, *Miſericordiæ eius*, quibus à malo liberat, quæ multæ ſunt in effectibus, vna tamen in eſſentia & natura, *&* *mirabilia eius*, quibus magna facit, & bona dat, exhibita, *filiis hominum*, qui hoc non merentur, ſed magis oppoſitum, *confiteantur Domino*, id eſt, ſint materia laudis Domini & confeſſionis. Dicit enim *Tob.* in 12. Benedicite Deum cœli, & coram omnibus viuentibus confitemini illi quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam. Et rurſus in eodem: Benedicite Domino, & enarrate omnia mirabilia eius. Supra in *Pſal.* Narrabo omnia mirabilia tua.

Quia ſatiauit. Hîc ſecundum, ſcilicet ratio quare confitendum illi, & laudandus, ſcilicet refectio eſurientium: & tanguntur duo. Primum refectio. Secundò quo ſint refecti, vt maior gratia appareat, ibi, *Et animam eſurientem.* Dicit ergo: Sic confiteantur Domino miſericordiæ, & dignum eſt, *quia ſatiauit animam inanem*, proficiſcentium in Babylonem, quæ inanis erat præ fame. Et quomodo? Addit: *Et animam eſurientem ſatiauit*, non prauis cibis, ſed *bonis*, iuxta illud *Luc.* 1. Eſurientes impleuit bonis Et quod dicit animam, partem ſumit pro toto, per ſynecdochen, ſicut illud *Exod.* 1. Iacob deſcendit in Ægyptum cum animabus 70. Propriè tamen ad redemptos loquitur, & etiam de redemptis: animas enim ſanat Deus. *Ierem.* 3. Inebriaui animam laſſam, & omnem animam eſurientem ſaturaui. Aliter deficerent in via. *Mar.* 8. Si dimiſero eos ieiunos, deficient in via. Sed quo cibo? ſeipſo in altaris ſacramento. *Ioan.* 6. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Et *Matth.* 26. Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. Dat panem ſimilagineum de farina delicatiſſima. *Pſal.* Adipe frumenti ſatiat te. Dat panem pinguiſſimum. per effectum. *Geneſ. penult.* Aſer, pinguis panis eius. Et propter hoc dicitur *Ierem.* 31. Animas ſacerdotum inebriabo pinguedine. *Chryſoſtom.* Carnem aſſumptam propoſuit pro nobis in edullium, vt per cibum inuitaret nos ad guſtum diuinitatis. Item virtutibus & donis reficit, & corde mundo & ſecuro. *Pſal.* pauit eos in innocentia cordis ſui. *Prou.* 11. Secura mens, quaſi iuge conuiuium. Ipſo temporali bono tertiò. *Iſa.* 1. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. *Pſal.* Tu das illis eſcam in tempore. Sed nota, quòd dicit animam vacuam per humilitatem. 4. *Reg.* 4. Vaſa vacua replet Eliſeus, eſurientem per charitatem. Tanta enim vis charitatis eſt & eſuries, vt non ſufficiat iam cibus temporalis, ſed totum mũdum Deus proiiciat in os eius: nec aliqua ſpecialis virtus aut donum, in ipſa enim eſt ignis: & *Prouerb.* 30. dicitur: Ignis nunquam dicit: Sufficit. Sed ipſum Deum deuorare quærit. *Pſal.* Zelus domus tuæ comedit me. *Iob* 40. Abſorbebit fluuium, temporalium virtutum, & donorum, & non mirabitur, ſed ſperabit adhuc, quòd Iordanis influat in os eius.

9. *Multiplici cibo reficiũtur humiles.*

10. *Sedentes in tenebris.* Hîc ſecundum, in quo agitur de ſecundo beneficio, quod eſt eis exhibitum liberando eos à miſeria, quam ſuſtinuerunt in ipſa Babylone. Et primò incarceratorum tangitur beneficium. Secundò non incarceratorum, ibi, *Omnem eſcam.* In prima dicuntur quatuor. Primò ipſorum in Babylone incarceratio, & afflictio. Secundò incarceratorum & laborantium clamor ad Deum, & ſupplicatio, ibi, *Et clamauerunt.* Tertiò clamantium liberatio, ibi, *Et de neceſſitatibus.* Quartò inuitatio ad gratiarum actionem pro liberatione illa, ibi, *Confiteantur Domino.* In prima duo ſecundum duplicem illorum miſeriam, quam tangit. Primò incarcerationem. Secundò in laboribus affectionem. *Et humiliatum eſt.* In prima duo. Primò tangitur incarcerationis

&

& vinculorum pœna. Secundò pœnæ cauſa, ibi, *Quia exacerbauerunt*. In prima duo. Primò monſtratur carceris obſcuritas vehemens, & immoderata. Secundò crudelitas. *Vinctos*. In prima primò obſcuritas. Secundò obſcuritatis immenſitas. *Et vmbra*. Dicit enim: Sic ſatiauit eos poſtmodum, *ſedentes* in Babylonia, *in tenebris*, in carcere ſcilicet tenebroſo, *& vmbra mortis*, ita ſcilicet tenebroſo, vt quaſi mors, & morti aliquid ſimile videretur. *Thren.* 3. In tenebroſis collocauit me quaſi mortuos ſempiternos. Spiritualiter in tenebris ſedent, qui in peccatis quieſcunt, quæ perpetrant. Peccatum enim tenebra dicitur, quia tenebroſam facit animam. *Epheſ.* 5. Eratis aliquando tenebræ, &c. *Et vmbra mortis*, æternæ, quia ad ipſam eſt via, ſicut vmbra ducit ad illud, cuius eſt vmbra. Hinc dicitur in *Pſal.* Collocauit me in obſcuris, ſicut mortuos ſæculi, non adhuc ſicut mortuos inferni. Sed Dominus tales viſitat aliquando, & illuminat. *Iſa.* 9. Habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis. *Luc.* 1. Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent.

Vinctos. Hîc tangitur carceris crudelitas, in defectu boni, quod notatur in mendicitate; & præſentia mali, quod notatur in ferrea vinculatione. *Vinctos ferro*. Ait enim: Sic ſedentes in tenebris & vmbra mortis viſitauit, vel adiuuit: & etiam *vinctos ferro*: ecce dura vinculatio: & hoc, *in mendicitate*, in defectu & inopia omnis boni. Improbatur in illis, quod comminatus eſt Moyſes *Deut.* 28. Deſeruies inimico tuo in fame, & mendicitate, & cum penuria, & imponet iugum ferreum ſuper caput tuum. *Baruch* 1. Poſtquam cepit Nabuchodonoſor Iechoniam, & principes, & cunctos potente, duxit eos vinctos in Babylonem. *Iſa.* 22. Duréque ligati ſunt. Sic peccatum fortiter, & durè valdè ligat hominem. 2. *Eſdræ vlt.* Incuruatus ſum multo vinculo fieri. Et mendicum, & pauperrimum facit. *Luc.* 15. de filio prodigo, qui porcorum ſiliquas quaſi mendicabat: in regione enim longinqua cœpit egere. *Prou.* 14. Miſeros facit populos peccatum.

11. *Quia exacerbauerant*. Hîc præmiſſa pœna ſubiungitur cauſa, vt monſtretur eſſe iuſta, ſcilicet ipſa culpa, quæ tangitur duplex. Contemptus legis Dei ei præcipientis multa. Secundò verò contemptus prophetiæ eis quod perfectum eſt conſulentis, ibi, *Et conſilium*. Dicit ergo: Sic vidit ſedentes in tenebris & vinctos ferro, quia *ipſi exacerbauerunt*, indignationem & crudelitatem notat: *eloquia Dei*, ſibi per Moyſem data. *Ierem.* 32. Filij Iſraël exacerbauerunt me in opere manuum ſuarum.

Et conſilium Altiſſimi, per Prophetas & prædicatores ſibi datum, *irritauerunt*. Suprà: Irritauerunt eum in adinuentionibus ſuis. *Ier.* 38. Dixit Ieremias ad Sedechiam: Si conſilium dedero tibi, non me audies. Peccatoees exacerbant Deum, non ſeruando præcepta eius, quando peccant in ſæculo exiſtentes. *Ezech.* 20. Exacerbauerunt, & iudicia mea non cuſtodierunt. Clauſtrales irritant Dei conſilia, quia conſilia Dei, quæ ſe ſeruare promiſerunt, non ſeruant. *Prou.* 1. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes, &c. Ambo ſimul in *Pſal.* Exacerbauerunt Deum excelſum, & mandata eius non cuſtodierunt. Propter hoc in carcere peccati dignè detinentur. *Baruch.* 2. Traditi eſtis aduerſariis veſtris: exacerbaſtis enim eum qui nutriuit vos.

Et humiliatum eſt. Hîc ſecundum, in quo tangitur afflictio in laboribus, & poteſt referri ad diuerſos. Alij enim incarcerati erant, de quibus dixit: Alij laboribus afflicti, de quibus hîc agit. Vel ad eoſdem. Poteſt enim eſſe, quod de die cogebant eos labores, de nocte verò incarcerati erant, ſicut ſuprà dictum eſt: & dicuntur duo. Primò afflictio & miſeria in laborando. Secundò carentia ſolatij in adiuuando. *Et non fuit*. In prima duo. Primò labor & afflictio cordis. Secundò corporis. *Et infirmati ſunt*. Dicit ergo: Sic quantum ad incarceratos, vel ſic de nocte erant incarcerati, & de die *humiliatum eſt cor eorum*, & hoc, *in laboribus* magnis & importabilibus. Suprà in *Pſal.* Humiliati ſunt ſub manibus eorum. *Dan.* 3. Sumus hodiè humiles in vniuerſa terra, propter peccata noſtra. 12.

Et infirmati ſunt, corpore. *Thren.* 1. Infirmata eſt mea virtus, dedit me Dominus in manu, de qua non potero ſurgere. Hæc infirmitas, de qua Dauid ſuprà conquerebatur: Sana me Domine, quoniam infirmus ſum. *Nec fuit qui adiuuaret*, & propter hoc labor parum profuit, & plus grauauit. Nota *Gloſſam*, Deſiſtente Deo. *Eccleſ.* 51. Circundederunt me vndique, & non erat qui adiuuaret.

Et clamauerunt. Hîc ſecundum totius huius partis, ſcilicet poſt afflictionem in Babylone clamor & afflictio. Dicit enim: Sic afflicti ſunt carceribus & laboribus: *& cum tribularentur, clamauerunt ad Dominum*. *Iſa.* 19. Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Saluatorem, qui liberabit eos.

Et liberauit eos de neceſſitatibus eorum. Hîc tertium, liberatio, in quo duo. Primò liberatio. Secundò modus liberandi. *Et eduxit*. Expone ſicut ſuprà. *Eſther* 14. Libera nos Domine manu tua, & adiuua me, nullum habentem auxilium, niſi in te Domine. Tu etenim ſcis Domine infirmitatem meam, & neceſſitatem. *Mich.* 4. Venies vſque in Babylonem ibique liberaberis. Redemit te Dominus de manu inimicorum tuorum. 13.

Et eduxit eos de tenebris. Hîc oſtenditur modus liberationis: in quo dicuntur duo. Primò ereptio vel eductio ipſorũ à carceribus tenebroſis multum. Secundò à vinculis, ibi, *Et vincula*. Dicit ergo: Sic clamauerunt, & liberauit. Et quomodo? Ecce. *Et eduxit eos de tenebris*, de carceribus ſcilicet tenebroſis, *& vmbra mortis*, hoc eſt, vehementer horribilibus, & obſcuris. *Iſa.* 49. Dedi te in lucem Gentium, vt diceres his, qui in tenebris ſunt, reuelamini. 14.

Et vincula eorum diſrupit. *Pſal.* Diruiſti Domine vincula mea, &c. *Iſa.* 42. Dedi te in lucem Gentium, vt educeres de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentem in tenebris & vmbra mortis. *Ierem.* 30. Conteram iugum de collo tuo, & vincula diſrumpam, & non dominabuntur tui amplius alieni.

Et nota, quòd peccatum dicitur vmbra mortis, id eſt, ſimile morti. Primò quia ſeparat animam *Quare peccatum dicitur vmbra mortis.*

mam à Deo vita ſua, ſicut mors corpus ab anima. *Iſa.* 59. Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis. Item quia frigidum reddit ab amore Dei. *Ierem.* 6. Sicut frigidam facit ciſterna aquam ſuam, ſic frigidam fecit malitiam ſuam. Item quia contemptibilem reddit etiam amicis, ſcilicet Angelis. *Ierem.* 4. Contempſerunt te amatores tui, Angeli ſcilicet, qui tam ſollicitè ad tui cuſtodiam ex amore vigilabant. Item quia fœtidum reddit per infamiam. *Ioel.* 2. Aſcendit fœtor, & aſcendit putredo eius, quia ſuperbe egit. Item quia putreſcere facit per obſtinationem. *Ioel.* 1. Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo. Item quia vermis eum iam corrodit, vermis, inquam, conſcientiæ. *Ierem.* 2. Arguet te malitia tua, & auerſio tua increpabit te. Hic vermis, de quo *Iſa. vlt.* Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.

15. *Confiteantur Domino.* Hîc quartum totius huius partis, ſcilicet inuitatio ad gratiarum actionem pro illa liberatione: & dicuntur duo. Primò inuitat ad laudis confeſſionem. Secundò replicat laudis rationem, ibi, *Quia contriuit.* Et diuide ſicut ſuprà. Primò enim inuitat ad laudem miſericordiæ pro amotione mali. Secundò mirabilium pro exhibitione boni. *Et mirabilia.* Miſericordia à bonitate procedit, ſed mirabilia à potentia: lege vt ſuprà.

16. *Quia contriuit.* Hîc ſecundum, ſcilicet ratio laudis, quæ tangitur duplex. Primò liberatio ipſorum à carcere. Secundò à labore eos humiliante, ibi, *Suſcepit eos.* In prima duo. Primò portarum deſtructio, quibus tenebantur. Secundò vectium, quibus portæ ſuſtentabantur, ibi, *Et vectes.* Dicit ergo: Sic confiteantur, & dignum eſt, *quia*, Dominus ſup. *contriuit portas æreas*, quibus tenebantur clauſi, *& confregit vectes ferreos*, quibus portæ vehebantur. *Iſa.* 45. Portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. In eodem: Detraxi vectes vniuerſos, & Chaldæos in ſuis nauibus gloriantes. Per portas æneas, conſuetudines vitiorum: per vectes ferreos, & defenſiones & excuſationes. *Caſſiod.* Portæ æneæ ſunt conſuetudines peccatorum vitioſæ, vectes ferrei, ſpiritus immundi, qui illas ianuas peccatorum, ne circumdatos exire liceat, obſerare nituntur. Sed Dominus totum deſtruit. *Ier.* 51. Contriti ſunt vectes eius, portæ eius excelſæ igne comburentur. *Amos* 1. Conteram vectes Damaſci.

17. *Suſcepit eos de via.* Hîc ſecundum, à quo ſunt liberati, quia à labore eos humiliante. Et dicuntur duo. Primò liberatio. Secundò ratio quare erant afflicti labore, additur ibi, *Propter iniuſtitias.* Dicit ergo: Sic liberauit de carcere, & etiam *ſuſcepit eos*, ſurſum ad ſe cepit, *de via*, quia ibant ad labores tota die, via, inquam, *iniquitatis eorum*, vel quia nequiter & irati ibant ad labores, vel quia iniquitas eorum hanc viam meruerat, ſicut probat ſtatim litera ſequens. *Exod.* 7. Ite ad onera veſtra, vacatis otio, & propter hoc dicitis: Eamus in deſertum. *Propter iniuſtitias enim, &c.* Vel ſic. Suſcepit eos de via laboris, in qua erant propter iniquitatem: *enim*, quia *propter iniuſtitias ſuas humiliati ſunt*, vilificati ſcilicet & deiecti. *Baruch* 2. Facti ſumus ſubtus, non ſupra, quia peccauimus Domino Deo noſtro.

Spiritualiter laborant miſeri in peccatis. *Ierem.* 9. Vt iniquè agerent, laborauerunt. Laborant in variis, & ſuperfluis rebus. *Sapient.* 3. Vacua eſt ſpes illorum, & labor ſine fructu. Et tamen ſi volunt clamare & reuerti ad Dominum, libenter ſuſcipit illos, *Ierem.* 3. Tu fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, & ego ſuſcipiam te: & gratanter valde, & lætanter, ſicut pater filium prodigum ſuſcipit. *Luc.* 15. *Ezech.* 20. In odorem ſuauitatis ſuſcipiam vos, cum eduxero vos de populis, & congregabo vos de terris, in quibus diſperſi eratis. In hoc etiam monet nos peccatores non contemnere, ſed ſuſcipere. *Rom.* 15. Suſcipite inuicem, ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos.

18. *Omnem eſcam.* Hîc ſecundum totius illius partis, in qua agit de beneficio exhibito exiſtentibus in ipſa Babylone. Dicto enim de beneficio incarceratis in illa exhibito, hîc ſecundo de exhibito non incarceratis: in quo dicuntur ſicut in præcedenti quatuor. Primò ipſorum pœna. Secundò ſupplicatio pro illa amouenda. *Et clamauerunt.* Tertiò liberatio illorum ab ea. *Et de neceſſitatibus.* Quartò admonitio de gratiarum actione pro illa liberatione, ibi, *Confiteantur Domino.* In prima duo ſecundum duplicem miſeriam, in qua erant. Altera interior, cibi abominatio, quod eſt interius: & mortalis afflictio, quod eſt malum exterius, ibi, *Et appropinquauerunt.* Dicit ergo. Sic afflicti & liberati ſunt qui in carceribus erant: ſed quid de aliis? *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum.* Primò interiori diſtemperantia & corruptione: & non tantum hoc, imo præ afflictione nimia, *appropinquauerunt vſque ad portas mortis.* Modus eſt loquendi.

Multi faſtidiunt cibum ſpiritualem, quare, & quam periculosè.

Sic contingit ſpiritualiter, quòd erepti de carcere peccati, & labore, etſi non redeant ad peccatum, tamen omnem eſcam ſibi ſalubrem faſtidiunt & abominantur, ſcilicet Dei verbum, quod eſt optimum condimentum. *Matth.* 4. Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit ex ore Dei. *Prouerb.* 9. Sapientia propoſuit menſam, miſcuit vinum: & valde bona cibaria in illo, palato ſano præparauit. *Iſa.* 55. Audite audientes me, & comedite bona, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra. Item altaris Sacramentum, quod eſt cibus ſaluberrimus & ſuauiſſimus. *Sapient.* 16. Angelorum eſca, qui ſemper viuunt propter illam eſcam, nutriuiſti populum tuum Domine. De ſuauitate infrà: Panem de cœlo præſtitiſti eis ſine labore, habentem in ſe omne delectamentum, & omnem ſaporis ſuauitatem. Tertia eſca, mentis cibus tertius, contemplationis guſtus, de quo *Iob* 38. Quis præparat coruo eſcam ſuam, quando pulli eius ad Deum clamant? *Eccleſ.* 15. Cibauit illum pane vitæ & intellectus. Sed has eſcas multi abominantur, & faſtidiunt illas. *Num.* 11. Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo.

cauſa

Cauſa autem huius eſt: quia aliis eſcis, id eſt, aliis ſcientiis, & delectationibus ſe replent. *Eccleſ.* 36. Omnem eſcam manducabit venter: omnia vult audire, de omnibus vult ſcire, delectationes guſtare. Et eſt cibus cibo melior. Quaſi diceret: Stultus eſt, omiſſo quod minus bonum eſt, deberet de meliori comedere. *Prouerb.* enim 27. dicitur: Anima ſatiata, calcabit fauum: & anima eſuriens, etiam amarum pro dulci ſumet. Propter hoc dicitur *Eccleſ.* 37. Non te effundas ſuper omnem eſcam: in multis enim eſcis non erit ſanitas. Propter hoc Daniel abſtinebat à cibis Nabuchodonoſor. *Daniel.* 1. & Tobias à cibis Gentilium in primo. Non eſt modicum periculum faſtidire cibos iſtos, ita vt poſſit dici de talibus illud *Iob* 33. Appropinquauit corruptioni anima eius, & vita illius mortiferis. Et ipſi de ſeipſis: Vita mea erat appropinquans in inferno deorſum.

19. *Et clamauerunt.* Hîc ſecundum, clamor & vociferatio pro liberatione. Ait enim: Sic abominati ſunt, & tunc *cum ſic tribularentur, clamauerunt ad Dominum. Pſal.* Clamauerunt iuſti, quando ſentiunt ſe quodam tædio affici, & Dominus exaudiuit eos. *Bar.* 3. Domine anima in anguſtiis poſita, & ſpiritus omnis clamat ad te.

Et de neceſſitatibus eorum. Hîc liberatio, in qua dicuntur duo. Primò liberatio. Secundò modus liberationis, ibi, *Miſit verbum ſuum.* Dicit ergo: Sic clamauerunt: & ſtatim *liberauit eos de neceſſitatibus eorum.* Expone vt ſup. *Neem.* 9. In tempore tribulationis ſuæ clamauerunt ad te, & tu de cœlo exaudiſti eos. *Pſal.* Iſte pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, & ex omnibus tribulationibus eius ſaluauit eum. *Dan.* 3. Saluos nos fecit de manu mortis.

20. *Miſit verbum ſuum.* Hîc ſecundum, ſcilicet modus liberationis, in quo tanguntur tria. Primò promiſſi adimpletio. Secundò ſanatio in corpore. *Et ſanauit.* Tertiò ereptio à morte, quod conſequens eſt ad ſecundum. *Et eripuit.* Dicit ergo: Sic dixit, quòd liberabit, ſed quomodo? Ecce: *Miſit verbum ſuum*, hoc eſt, impleuit promiſſum, quòd liberarentur poſt 70. annos de captiuitate. *Ierem.* 25. & 29. *Et ſaluauit eos*, ab illa eſcarum abominatione: & *eripuit eos de interitionibus eorum*, in quibus erant iam fere. 1. *Eſdræ* 1. In primo anno regis Perſarum vt impleretur verbum Domini ex ore Ieremiæ, ſuſcitauit Dominus ſpiritum Cyri regis Perſarum, & traduxit vocem in omni regno ſuo, & per ſcripturam dicens, &c.

Verbum Dei creatum & increatum ſanat & eripit à morte.

Spiritualiter autem legitur hoc de verbo creato, quod Dominus per prædicatores mittit, tanquam medicamentum ad ſanandum à morbo peccati. *Sapient.* 16. Nec herba, nec malagma ſenauit eos, ſed omnipotens ſermo tuus Domine, qui ſanat omnia. Quid enim eſt prædicator niſi quidam pretioſorum vnguentorum confector? *Eccleſiaſt.* 38. Vnguentarius faciet pigmenta ſuauitatis, & vnctiones conficiet ſanitatis: & liberat per conſequens à mortibus, vel interitionibus inferni. *Iacob.*

vltim. Qui conuerti fecit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſcire debet quoniam liberat animam illius à morte. De verbo etiam æterno Dei Filio legitur, quem Deus miſit, quando ipſum incarnari voluit. *Ioan.* 1. Verbum caro factum eſt. *Galat.* 4. Quando venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, vt eius contritione & attritione ſanarentur à morte culpæ. *Iſa.* 53. Attritus eſt propter ſcelera noſtra, curanda ſup. In eodem: Cuius liuore ſanati ſumus. De interitionibus eripiemur in eius glorioſa reſurrectione, ſcilicet de limbo, ad quem omnes nos deſcendebamus, ſecundum illud *Zachar.* 9. Tu verò in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos de lacu, in quo non erat aqua. Propter hoc dicitur *Ierem.* 30. Obducam cicatricem tuam, & à vulneribus tuis ſanabo te, per vtrumque verbum meum, creatum ſcilicet, & increatum.

21. *Confiteantur Domino.* Hîc quartum, ſcilicet inuitatio ad gratiarum actionem, & laudem pro tanto beneficio: & dicuntur duo. Primò inuitat ad confeſſionem laudis. Secundò exprimit modum confeſſionis talis, ibi, *Et ſacrificent.* In prima duo. Primò inuitat ad laudandum miſeriam amouentem. Secundò ad potentiam, per quam fiunt mirabilia, beneficia conferentem. *Et mirabilia eius.* Dicit ergo: Sic fecit, & propter hoc *confiteantur Domino miſericordiæ eius*, id eſt, materiam exhibeant confeſſionis laudatoriæ, *filiis hominum* exhibitæ. Non vult hic vt tradamus obliuioni, Dei miſericordias, qui toties hoc inculcat. *Iſa.* 63. Miſerationum Domini recordabor ſuper his omnibus, quæ reddit nobis, & ſuper multitudinem bonorum quæ largitus eſt. *Pſal.* Miſericordias Domini in æternum cantabo.

Et mirabilia eius, ſunt laudis materia, *filiis hominum*, repete oſtenſa in beneficiorum exhibitione. *Apocalyp.* 15. Cantabunt canticum Moyſi ſerui Dei, & canticum Agni dicentes: Magna & mirabilia ſunt opera tua Domine. *Eccleſiaſt.* 11. Mirabilia opera Altiſſimi ſolius, & glorioſa, & abſconſa, & inuiſa opera illius.

22. *Et ſacrificent.* Hîc exprimit confeſſionis & laudis modum, quem tangit in duobus. Primò enim monet ad confeſſionem laudis in ore. Secundò ad deuotionem in laudando in corde, ibi, *Vt annuntient.* Dicit ergo: Sic dico, quòd confiteantur, & in confitendo *ſacrificent ſacrificium laudis*, vocalis. *Oſea vlt.* Reddemus vitulos labiorum noſtrorum. Et in *Pſal.* Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Et alibi: Sacrifiium laudis honorificabit me. Propter hoc dicit Paulus ad *Hebr. vlt.* Offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo.

Et annuntient opera eius. Quomodo? *In exultatione*, cordis & corporis, ſup. *Pſal.* Labiis exultationis laudabit os meum. *Tob.* 12. Benedicite Deum omnes electi eius, agite diem lætitiæ, & confitemini illi.

23. *Qui deſcendunt mare.* Hîc tertium, in quo agitur de beneficiis exhibitis in reuerſione: & diuide in quatuor ſicut & præcedentia.

Primò tanguntur mala & aduerſa reuertentium. Secundò clamor pro liberatione, ibi, *Et clamauerunt.* Tertiò ipſorum liberatio poſt clamorem, ibi, *Et de neceſſitatibus.* Quartò inuitat ad actionem gratiarum, ibi, *Confiteantur Domino.* Mala autem reuertentium tangit, quantum ad illos, qui nauibus per mare deſcenderunt, appellans mare more ſcripturæ, omnem aquarum collectionem. Primò ergo tangit periculorum certitudinem per experientiã. Secundò qualitatem & magnitudinem & cauſam, ibi, *Et ſtetit.* In prima duo. Primò deſcriptio cognoſcentium pericula. Secundò cognitio certa illorum à talibus, ibi, *Ipſi viderunt.* A duobus autem eos deſcribit: à deſcenſione in mare, & operatione in illo poſtquam deſcenderunt. *Facientes operationem.* Dicit ergo: Sic laudent in Babylone à miſeria liberati, & etiam qui deſcendunt mare, vel Euphratem, fluuium maximum ad literam, quo venitur in Ieruſalem, vel mare ipſum per quod aliqui forſitan redierunt: ſed primum magis, quia certum eſt, quòd Euphrates iacet inter Babylonem & terram promiſſionis. 2. *Eſdræ* 2. Si Regi videtur bonum, da mihi literas ad duces, qui ſunt trans flumen, donec veniam, & videam: qui & dedit.

Facientes. Quaſi diceret: Qui deſcendunt mare in nauibus, & ſunt *facientes operationem in aquis multis.* Pendet conſtructio in ſequentibus. Vel ſecundum *Gloſſam* poteſt ordinari cum antecedenti litera. Sed puto melius primo modo: & tunc ſequitur ſequens verſus.

24. *Ipſi viderunt.* Primò tangitur cognitio operum Dei generaliter à talibus. Secundò mirabilium in aquis ſpecialiter. *Et mirabilia.* Ait enim: *Ipſi viderunt*, certa experientia, *opera Domini, & mirabilia eius in profundo*, in mari ſcilicet, vel Euphrate facta.

Spiritualiter autem mare eſt mundus. *Pſal.* Hoc mare magnum & ſpatioſum manibus, &c.

Cur mundus dicitur mare. *Abac.* 1. Facies homines ſicut piſces maris. Naues in hoc mari ſunt Eccleſiæ diuerſæ per mundum fluctuantes. Hæc eſt claſſis Hiram, quæ afferebat aurum de Tharſis, & claſſis Salomonis. Chriſtus enim Hiram, & ipſe Salomon. Hiram frater meus videns: & ipſe frater noſter per naturam humanitatis, videns omnia per naturam diuinitatis: & ipſe Salomon, id eſt, pacificus. Nauigatores harum nauium, ſunt ipſi Prælati, quippe ipſi ſunt piſcatores. *Matth.* 5. Faciam vos fieri piſcatores hominum. Ipſi vident opera Dei, & mirabilia quæ facit in mundo. *Eccl.* 42. Qui nauigant mare, enarrant pericula eius. Propter hoc vnus nauta, ſcilicet Petrus, ad quem totam pertinebat regere Eccleſiam, dicebat 1. *Petr.* 2. Fratres, obſecro vos per miſericordiam Dei, vt abſtineatis vos à carnalibus deſideriis: tanquam ab aquis profundiſſimis. Et Paulus 2. *Cor.* 11. tanta narrat huius maris pericula, vbi ait: Periculum latronum, periculum ex Gentibus, periculum ex genere, periculum in falſis fratribus. Nauis etiam crux, pœnitentia ſcilicet, quæ per crucem deſignata eſt. *Sap.* 14. Exiguo ligno, pœnitentiæ modicæ, quæ virtutem habet à Chriſto, credunt homines animas ſuas: & tranſeuntes mare per ratem liberati ſunt. Qui ergo in mundum nauibus his deſcendunt, ipſi narrare poſſunt mirabilia, quæ in ſeipſis vident, & ſentiunt, quomodo ceſſant, & ſurgunt tempeſtuoſi fluctus tentationum. *Ierem.* 39. Dicetis: Vniuerſa opera eius bona valde: in ſermone enim eius ſtetit aqua quaſi congeries.

Dixit & ſtetit. Hîc ſecundum. Præmiſſa enim periculorum certitudine, ſubiungitur de magnitudine: & dicuntur duo ſecundum hoc. Primò pericula. Secundò periculorum monſtratur vehementia, ibi, *Anima eorum.* In prima duo, ſecundum duo ex quibus ſunt in mari pericula. Primò ventorum colliſio. Secundò fluctuum commotio & eleuatio, ibi, *Et exaltati ſunt.* In prima tangitur cauſa colliſionis ventorum in hoc quod dicit: *Dixit.* Secundò colliſio ipſa. *Et ſtetit.* Dicit ergo: Sic dicunt, quòd viderunt pericula: quænam fuerunt illa? *Dixit*, Dominus, ſup. in verbo ſuo æterno ordinauit, cuius dicere eſt facere, *& ſtetit*, non tranſeundo venit, *ſpiritus*, id eſt, ventus, *procellæ*, id eſt, procelloſus. Hic autem ventus ex diuerſis & contrariis collectus. Infrà in *Pſal.* Spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius. 25.

Et exaltati. Ecce ſecundum, fluctus commotio: in quo dicuntur duo. Primò fluctuum commotio. Secundò motus commotionis, ibi, *Aſcendunt.* Dicit ergo: Sic factus eſt ventus procelloſus, *& exaltati ſunt fluctus eius*, maris ſcilicet. *Iſa.* 51. Ego Dominus qui conturbo mare, & intumeſcunt fluctus eius.

Spiritualiter autem ſpiritus procellæ tentatio eſt, & tribulatio, quæ eſt tempeſtas maris, de qua *Eccleſ.* 43. Tempeſtas Aquilonis congregatio ſpiritus, iræ ſcilicet principum mundanorum, & dæmonum: ſpiritus enim pro ira accipitur. *Gen.* 6. Non permanebit ſpiritus meus in homine. Hoc autem fit ad præceptum Dei aliquando. *Ionæ* 1. Mare ibat, & intumeſcebat. *Matth.* 8. Quis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei? Et *Ion.* 1. Dominus miſit ventum magnum, & facta eſt tempeſtas. Et exaltantur aliquando fluctus, tamen ſuper illos eſt Eccleſia. *Gen.* 7. Multiplicatæ ſunt aquæ, & eleuauerunt arcam in ſublime.

Aſcendunt vſque ad cœlos. Hîc tangit modum in duobus. In ſumma eleuatione, & infima depreſſione. *Et deſcendunt.* Ait enim: Sic dixi, quod exaltati ſunt fluctus eius, & intantum, quod *aſcendunt vſque ad cœlos*, iudicio hominum, vel vſque ad cœlos, ad illam partem aëris, quæ dicitur cœlum. *Matth.* 13. Volucres cœli comederunt illud. *Et deſcendunt vſque ad abyſſos*, id eſt, ad abyſſorum profunda. *Pſal.* Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus. 26.

Anima eorum. Hîc ſecundum, in quo tactis periculis monſtratur periculorum vehementia. Et hoc per tria: quia anima effecta eſt tabida, vt quaſi corpus mouere non poſſit: & turbata, vt pacem amiſerit in ſeipſa: & ignorans, vt quaſi excæcata ſit eius intelligentia. Secundum ibi, *Turbati ſunt.* Tertium ibi, *Omnis ſapientia.*

Dicit

Dicit ergo: Sic fluctus aſcendunt, & deſcendunt, & tanta eſt tribulatio, quòd *anima eorum*, in his malis pœnalibus, *tabeſcebat. Iob* 30. In memetipſo marceſcit anima mea: poſſident me dies afflictionis. Sic contingit Prælatis. Aſcendunt mundi perturbationes aliquando vſque ad turbationem maiorum, deſcendunt vſque ad turbationem infimorum. *Iob* 41. Feruefcere faciet quaſi ollam profundum maris. Olla in bulliendo modò eleuatur, modò deprimitur, & tunc cadunt puſillanimitate miſeri, & tabeſcunt. *Sap.*16. Ingrati ſpes, tanquam hybernalis glacies tabeſcet, diſperiet tanquam aqua ſuperuacua. *Pſal.* Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet: cum deberet patienter expectare. Et alibi: Tabeſcere feciſti ſicut araneam animam meam.

27. *Turbati ſunt.* Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Tabefacta eſt anima, ita vt non moueret corpus: & etiam *turbati ſunt ſicut ebrius, & moti.* Turbatio ſonat in principium inſtabilitatis interioris in affectu: moti, in conſummatione. Turbatione enim in mari mundi ſurgente, turbatur totum aliquando. *Ezech.*27. In die ruinæ tuæ à ſonitu clamoris gubernatorum tuorum, conturbabuntur claſſes. Et nota, quòd eſt conturbatio admirationis in rationabili. *Cant.* 6. Anima mea conturbata eſt propter quadrigas Aminadab. *Luc.*1. Quæ cum audiſſet, turbata eſt in ſermone eius. Doloris in concupiſcibili. *Pſal.* Anima mea turbata eſt valdè, ſed tu Domine vſquequo? Timoris in iraſcibili. *Matth.*2. Audiens autem Herodes rex turbatus eſt, &c. Occupationis inanis. *Luc.*10. Martha, Martha ſollicita es, & turbaris, &c.

Conturbatio multiplex: quæ ex ebrietate, valdè culpabilis & damnoſa.

Sed culpabilis valdè, quando accidit ex ebrietate, quæ multa mala facit. Depauperat. *Eccleſ.*19. Operarius ebrioſus non locupletabitur. Secreta reuelat. *Prouerb.*30. Nullum ſecretum, vbi regnat ebrietas. Virtutem minorat. *Eccl.*31. Ebrietatis animoſitas, imprudentis offenſio, minorans virtutem, & faciens vulnera. Amaricat animam. *Eccleſ.*31. Amaritudo animæ vinum multum potatum. Inficit, & venenat. *Prou.*23. Ne intuearis vinum cum flaueſcit in vitro: ingreditur enim blande, ſed in nouiſſimis mordebit vt coluber. Hominem à ſeipſo alienat, auferendo cor. *Oſeæ* 4. Fornicatio, & ebrietas auferunt cor. A Deo per apoſtaſiam ſeparat. *Eccleſ.*19. Vinum & mulieres apoſtatare faciunt à Deo. Sic inebriat materiale vinum. Sed eſt ſpirituale num, quod inebriat periculoſius multum, ſcilicet ſcientia ſæcularis. *Bernard.* Scientia ſæcularis inebriat curioſitate, non charitate: inebrians, non reficiens: implens, non nutriens: onerans non robur præbens.

Et omnis ſapientia eorum. Hîc tertium, ſcilicet quòd efficitur ignorans. Ait enim: Sic anima tabeſcit mota: & etiam *omnis ſapientia eorum*, quæ in anima conſtat, *deuorata eſt*, ad literam in magna tempeſtate: præ turbatione enim nihil omninò videntur ſcire nautæ, ſed totum dimittunt ire ſicut poteſt. *Act.*27. Tempeſtate autem non exigua imminente, iam ablata erat omnis ſpes ſalutis. Et poſt: Committebant ſe in mari laxantes iuncturas gubernaculorum. Sic in Eccleſia, ſurgente conturbatione magna, perit frequenter nautarum conſilium, & ſapientia. *Ezech.*7. Conturbatio ſuper conturbationem veniet, & peribit conſilium à ſenioribus. Quippe aliquando ſunt inebriati amore temporalium. *Iob* 13. Errare faciet eos, quaſi ebrios.

28. *Et clamauerunt.* Hîc ſecundum. Præmiſſa enim tribulatione, ſubiungitur de clamore, & auxilij diuini inuocatione. Ait enim: Sic reuertentes per mare fuerunt in tribulatione, & poſt hoc, *clamauerunt ad Dominum cum tribularentur*: ſicut illi qui peribant. *Ion.*1. Timuerunt valde, & clamauerunt ad Deum ſuum. Et ibidem: Clamauerunt nautæ ad Dominum, & dixerunt: Quæſumus domine, ne pereamus. Et ita debet fieri vt conuertamus nos ad Deum, cum non poſſumus amplius. 2. *Paral.*20. Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolum reſidui habemus, vt oculos noſtros leuemus ad te. Pro tempeſtate clamabant diſcipuli. *Matth.*8. cum dicebant: Domine ſalua nos, perimus.

Et de neceſſitatibus. Hîc quartum, ſcilicet ipſorum liberatio poſt clamorem. Et dicuntur tria. Primò liberatio. Secundò liberationis modus. *Et ſtatuit procellam.* Tertiò exultatio & lætitia pro tribulatione, ibi, *& lætati ſunt.* Dicit ergo: Sic clamauerunt, *& de neceſſitatibus eorum eduxit eos* in terram ſuam ſcilicet in terram Chanaan. Sic ſpiritualiter Dominus quando clamant ad eum in ſuis tribulationibus Prælati, & neceſſitatibus, ipſe viam facit, & liberat eos cum ſuis. *Iſa.*43. Ego Dominus Deus Iſraël, qui dedi in mari viam, & in aquis torrentibus ſemitam: qui eduxi quadrigam, & equum. *Sap.*10. Inimicos eorum demerſit in mare, & ab altitudine inferorum eduxit eos. *Iob* 33. Deprecabitur Dominum, & placabilis erit ei.

29. *Et ſtatuit procellam.* Hîc ſecundum, in quo tangitur modus liberationis, qui oſtenditur in duobus. In conuerſione ventorum in auram lenem, & in fluctuum ſedatione, ibi, *Et ſiluerunt.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd eduxit eos de tribulationibus eorum, *& ſtatuit procellam*, ventorum multitudinem contrariam, *in auram* lenem: *& fluctus eius*, maris ſcilicet propter ventos commoti, *ſiluerunt. Eccl.*43. In ſermone eius ſiluit ventus, & in cogitatione ſua placauit abyſſum, ſicut *Ion.*1. dicitur: Stetit mare Domino imperante à feruore ſuo.

Sic ſpiritualiter cum clamatur ad Chriſtum in tribulationibus, ſedat illas, quod ſignificatum fuit *Luc.*8. Deſcendit procella, & venti in ſtagno præliabantur. Et poſt: Surgens IESVS imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna. *Prou.*16. Cum placuerint Deo viæ hominis, inimicos eius conuertat ad pacem. *Matth.*8. Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei?

30. *Et lætati ſunt.* Hîc tertium. Præmiſſa enim liberatione, & ſuppoſito liberationis modo, ſubiungitur liberatorum exultatio: & dicuntur duo ſecundum duplicem cauſam lætitiæ quam tangit. Prima eſt ſedatio. Secunda, deductio illorum ad portum debitum, ibi, *Et deduxit.* Dicit ergo: Sic ſunt liberati, *& lætati ſunt, quia ſiluerunt*, fluctus, ſup. ſicut mari ſedato, lætati ſunt nautæ. *Ion.* 6. Sic & anima à tribulationibus ſentiens ſe ereptam, non

modicum lætantur : & paſtores Eccleſiæ videntes tribulationum ſedationem. *Tob.*3. Non delectaris, Domine, in perditionibus noſtris, quia poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lamentationem & fletum, exultationem immittis. *Ioan.*15. Triſtitia veſtra vertetur in gaudium, aqua in vinum *Ioan.*2.

Et eduxit eos, propter quod etiam ſunt lætati, *in portum voluntatis eorum*, ſcilicet terram promiſſionis, & in Ieruſalem. Spiritualiter autem Ieruſalem portus voluntatis eſt, quia omnes beatitudinem appetunt, etſi multi tendant ad illam tramite deuio: ſed Dominus ſuos deduxit. *Iſa.*35. In lætitia egrediemini, & in pace educemini. *Sap.*10. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, ſicut dum IESVS eſſet in mari. *Ioan.* 6. voluerunt accipere IESVM in naui, & ſtatim fuerunt ad terram, ad quam ibant.

31. *Confiteãtur Domino.* Hîc eſt quarta pars totius illius partis, in qua agitur de beneficio exhibito reuertentibus per mare. Oſtenſo enim periculo, clamore ad Deum, & liberatione, ſubiungitur incitatio eorum ad liberatorem laudandum : & diuide ſicut prius omninò. Quia primò inuitat ad laudem miſericordiæ. Secundò potentiæ. *Et mirabilia.* Ait enim : Sic liberauit, & propter hoc, *confiteantur Domino miſericordiæ eius*, id eſt, opera miſericordiæ, ſint nobis laudis materia : *& mirabilia eius*, id eſt, opera mirabilia, *filiis hominum* exhibita ſint materia laudis & confeſſionis. *Pſal.* Confiteantur tibi Domine omnia opera tua. *Iudith* 13. Laudate Deum, qui non deſerit ſperantes in ſe, & in me adimpleuit miſericordiam ſuam. 2. *Reg. vltim.* Multæ ſunt miſericordiæ eius. *Eccleſiaſt.* 17. Quàm magna Dei miſericordia, & propitiatio illius conuertentibus ad ſe.

32. *Et exaltent eum.* Hîc eſt quarta pars, in qua agitur de quarto beneficio poſt reuerſionem illis exhibito : in quo dicuntur duo. Primò inuitatio ad laudandum Deum & exaltandum. Secundò ſubiungit quaſi cauſam laudis ipſum beneficium, ibi, *Poſuit flumina.* In prima duo. Primò inuitat ad laudem operis, quod eſt per exaltationem. Secundò oris, ibi, *Et in cathedra ſeniorum.* Vel ſic : Primò inuitatio minorum. Secundò maiorum. *Et in cathedra.* Ait enim : Sic Deus laudetur propter præcedentia beneficia : & etiam *exaltent eum*, per opera bona, *in Eccleſia* exiſtentes, Eccleſia, inquam, *plebis*, id eſt, de plebe, & minoribus collecta : *& laudent eum* exiſtentes *in cathedra ſeniorum*, ſicut maiores.

Exaltandus eſt Deus. *Tob.* 13. Confitemini & exaltate Regem ſæculorum in operibus veſtris. Et laudandus voce. In eodem : Confitemini Domino filij Iſraël, & in conſpectu Gentium laudate eum. Maximè vos maiores, qui eſtis in cathedra, de qua *Matth.* 24. Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. De vtriſque ſimul *Apoc.*19. Laudem dicite Deo noſtro omnes ſancti eius, & qui timetis Deum, puſilli & magni.

Poteſt etiam legi aliter, ſecundum quod vult *Gloſſa*, vt *in* ſumatur pro, *pro. Exaltent eum*, Deum ſcilicet, *in Eccleſia plebis*, id eſt, pro Eccleſia : *& in cathedra ſeniorum*, id eſt, pro cathedra ſeniorum, *laudent eum.* Et ſic etiam poteſt reſpicere ad literam antecedentem, vt tangatur cauſa, quare confitendum & laudandum.

Thema in feſto cathedra ſancti Petri.

Thema autem hîc poteſt eſſe in feſto cathedræ beati Petri : tunc enim celebrat Eccleſia feſtum de Petri exaltatione, & incathedratione, quæ facta fuit in Antiochia. Tangitur exaltatio primò. Secundò à quibus exaltatur. *In Eccleſia plebis.* Et tertiò quomodo : *Et in cathedra ſeniorum*, ponentes eum, ſup. *laudent eum*, quia ſublimando, commendando. Exaltatus eſt autem Petrus, merito humilitatis, & merito fortitudinis, & virtutis. Humilis fuit, & pauper, & piſcator, & hoc magis dilexit, quàm multas diuitias. *Matth.* 4. Sed veriſſimè amator humiliratis & paupertatis, cum iſta dereliquit propter Chriſtum. Sic Ioſeph poſt miſeriam & paupertatem, quam ſuſtinuit in Ægypto, exaltatus eſt à Deo. *Gen.*39.40.& 41. Hic eſt enim mos Dei, viles & abiectos exaltare, non diuites & pompatos. 1.*Reg.*2. Suſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem. Item merito conſtantiæ & virtutis : Petrus enim dicitur, id eſt, firmus : præ aliis enim audacter & fortiter fidem eſt confeſſus. *Matth.*16. Tu es Chriſtus filius Dei viui. Dauid poſtquam deuicerat leonem, vrſum, & gigantem, id eſt, carnem, mundum, & diabolum, exaltatus eſt in Regem. 1. *Reg.*17. & deinceps. *Eccl.*7. Noli quærere fieri iudex, niſi virtute valeas irrumpere iniquitates, &c. Et merito ſanctitatis, quam facit propriè charitas, quæ eſt animæ ſanctificatrix, quia aſſimilat fonti ſanctitatis ipſi Deo. Amor enim ſecundum Dionyſium aſſimilatiuus, & vnitiuus eſt. *Ioan.vlt.* Simon Ioannis diligis me plus aliis? quo conceſſo, ſtatim ſequitur : Paſce oues meas.

Quare autem feſtum fiat de exaltatione, prima ratio eſt, quia in ipſo fundatur Eccleſia, cum autem primi lapides templorum, & Eccleſiarum iaciuntur, ſolemnizatur. *Matth.* 16. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Lapis limpidiſſimus fidei ſynceritate, firmus ſtabili charitate, politus paupertate, & politia vitæ, ſed ſculptus prudentia & diſcretione. Item quia tunc quaſi noua miſſa in publicum cantatur, de quo ſolet fieri lætitia magna. Quippe ſacerdos cum primo celebrat, tunc apotheca Spiritus ſancti adimpletur, & tunc cella gratiarum, & aromatum vas omnibus gratiis repletur. Quid enim feſtum Angeli non celebraretur? Angelus enim ſacerdos efficitur in actu cum celebrat. *Mal.*2. Angelus enim Domini exercituum eſt. Imo dij ſunt ſacerdotes, & ſtellæ totum mundum illuminantes. Item quia in hoc miſericordia Dei magna oſtenditur, qui tantum peccatorem, qui eum ter negauit, tantum exaltauit. *Matth.*26. *Marc.*15. & *Luc.*22. & *Ioan.*18.

33. *Poſuit flumina.* Hîc ſecundum huius partis, in quo tangitur ratio laudis. Et primò iuſtitiæ Dei opera in Babyloniis, quos deſtruxit. Secundò in Hebræis, ibi, *Poſuit deſertum.* In prima duo. Primò tangitur deſtructio terræ malorum. Secundò ratio, & cauſa ipſius deſtructionis, ſcilicet ipſorum malitia, ibi, *A malitia inhabitantium.* In prima duo.

Primò

Primò tangitur remotio humoris à terra Babyloniorum. Secundò quod ſequens eſt, terræ conuerſio in ſalſuginem, vt non poſſet fructificare, ibi, *Terram fructiferam.* In prima duo. Primò deſiccatio fluuiorum ex quibus humor per totam terram diffundebatur. Secundò originum, ibi, *Et exitus.* Dicit ergo: Sic exaltent eum: & dignus eſt exaltari, quia *poſuit flumina in deſertum*, id eſt, in tanta ſiccitate, quanta eſt deſertum. *Et exitus aquarum*, origines ſcilicet illarum, poſuit, repete, *in ſitim*, in tantam ſiccitatem, vt ipſæ etiam ſitirent *Ierem.5.* Siccitas erit ſuper aquas Babylonis, id eſt, loca aquarum: & areſcent, quia terra ſculptilium eſt, & in portentis gloriantur.

Spiritualiter autem ſculptilia ſunt Prælati inutiles & muti & cæci ſicut ſcuptilia. *Zachar.* 11. O paſtor, & idolum. Super terram horum, Eccleſiam ſcilicet immitteret Dominus ſiccitatem magnam, ſiccando flumina doctrinarum. *Iſa.* 16. Ponam flumina, fluentes doctores, & in doctrina abundantes, in inſulas, vt tribulentur, & vndique concutiantur ſicut inſula: & ſtagna, quæ colgerunt aquas de fontibus, doctoribus, vt in ipſis piſces fidei nutriantur, in ſitim, defectum ſcilicet doctrinæ. *Amos* 8. Mittam famem in terram, non famen panis, nec ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Dei. *Iſa.*19. Nudabitur alueus riui à fonte ſuo, & omnis ſementis irrigua ſiccabitur, & areſcet. Sed quando Prælati boni & ſancti ſunt, tunc eorum terram Dominus fortiter irrigat. *Iſa.* 44. Effundam aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam. Et in 30. Dabitur pluuia ſemini tuo: vbicumque ſeminaueris.

34. *Terram fructiferam.* Ecce ſecundum, ſcilicet terræ conuerſio in ſalſuginem, id eſt, in ſterilitatem. Sal enim ſi conſperſum fuerit, inducit ſterilitatem, & propter hoc pro ſterilitate ſalſugo accipitur. *Ierem.* 51. Factæ ſunt ciuitates in ſtuporem: terra inhabitabilis, & deſerta, in qua nullus habitat, vt non tranſeat per eam filius hominis.

Et hoc totum, *à malitia*, id eſt, propter malitiam, *habitantium in ea*, in Babylone ſcilicet. In hoc ergo tangitur tantæ ſterilitatis cauſa. Dominus enim ad literam terram fertilem facit ſterilem propter inhabitantium malitiam, quia male vtuntur bonis terræ, nec Deo reddunt quod debent, ſcilicet primitias, & decimas. *Mal.*2. Cum accederetis ad aceruum viginti modiorum, erant decem. Et poſt in tertio: Afferte omnem decimam in domum meam, ſi non aperuero vobis cataracta cœli, nunquam credite mihi ſup.

Nota ergo ſpiritualiter hic pulchrum ordinem. Propter hominum malitiam ſiccantur flumina doctrinarum. *Ezech.*3. Adhærere faciam linguam tuam palato tuo, & eris mutus, nec quaſi vir obiurgans, quia domus exaſperans eſt. Poſtmodum deſiccat exitum gratiarum, quæ meliores aquæ ſunt. *Ioël.*1. Exiccati ſunt fontes aquarum, Spiritus ſanctus, Dei filius, & Maria, de quibus *Iſa.* 12. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Poſt hæc redditur terra liberi arbitrij omninò ſterilis propter defectum bonorum operum, quod ſequitur ex illis. *Ierem.*22. Scribe virum iſtum ſterilem, quia non proſperabitur in diebus ſuis. *Sap.*3. Vacua eſt ſpes illorum, & labores ſine fructu. *Iob* 28. Terra, de qua oriebatur panis, igni ſubuerſa eſt.

35. *Poſuit deſertum.* Hîc ſecundum totius huius partis. Poſtquam enim tetigit opera diuinæ iuſtitiæ inflicta malis, Babyloniis ſcilicet, propter quæ Deus eſt laudandus, hîc ſubiungit opera miſericordiæ exhibita bonis, ſcilicet Hebræis: & oſtenditur bonum illorum quaſi in duobus. Primum eſt liberatio illorum à malo penuriæ. Secundum à malo ruinæ, & quaſi infamiæ, quod templum erat deſtructum. *Et pauci facti ſunt.* In prima duo. Primò liberatio illorum à malo penuriæ. Secundò effectus ſequens ex illa liberatione, ipſorum ſcilicet multiplicatio, & in ſe, & in ſuis. *Et benedixit.* Item penuriam habebant duplicem, ciborum, & habitatorum. De ereptione à prima primò. De ereptione à ſecunda ſecundò. Item in prima duo. Primò præparatio ad multiplicationem terræ naſcentium. Secundò multiplicatio. *Et fecerunt.* In prima tria ſecundum triplex præparatorium. Primum eſt terræ irrigatio vt humectaretur. Secundum, hominum inhabitatio. *Et collocauit.* Hominum, inquam, affectantium bona terræ. Tertiò exercitatio illorum per culturam, ibi, *Et ſeminauerunt.* In prima duo. Primò terræ irrigatio per aquas ſtantes. Secundò per fluentes, ibi, *Et terram ſine aqua.* Dicit ergo: Sic fecit Babyloniis: ſed è contrà *poſuit deſertum*, terram ſcilicet filiorum Iſraël, quæ quaſi in deſertum redacta erat, *in ſtagna aquarum*, in abundantia aquarum quaſi ſtantium: *& terram ſine aqua*, poſuit, repete, *in exitus aquarum*, à quo exeuntes ſunt aquæ fluentes. *Iſa.*35. Sciſſæ ſunt in deſerto aquæ & torrentes in ſolitudine, & quæ erat arida in ſtagnum, & ſitiens in fontes aquarum.

Nota: Spiritualiter deſertum eſt clauſtrum, in quo ad literam Dominus facit abundare aquas gratiarum, quæ ſunt quaſi aquæ ſtagnorum, quæ non fluunt in alium, & aquas fluuiorum, doctrinarum ad alios fluentium. *Iſa.*43. Ponam in deſerto viam, & in ſicco flumina, & glorificabit me beſtia agri, quia dedi in deſerto aquas, & flumina in inuio, vt darem potum populo meo. Et in 49. Miſerator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos. *Clauſtrum deſerto comparatum.*

36. *Et collocauit.* Hîc ſecundum, quod præparatorium eſt ad abundantiam, ſcilicet hominum famelicorum inhabitatio: & dicuntur duo. Primò talium collocatio. Poſtmodum reſponſio quæſtioni quæ poſſet fieri, quomodo inhabitare poterant cum eſſet terra deſtructa? *Et conſtituerunt.* Dicit ergo: Sic dedit aquas in abundantia, *& collocauit illic* homines *eſurientes*, vt prouocarentur ad laborandum, illos de quibus ſuprà eodem: Eſurientes & ſitientes, anima eorum in ipſis defecit, præ fame.

Et conſtituerunt ciuitatem habitationis. Singulare ponit pro plurali: quia ciuitates reſtituerunt ad inhabitandum. Non ergo quæras, quomodo ſunt collocati. *Neem.* 2. Venite, & ædificemus muros, & non ſimus vltra in opprobrium: ſurgamus, & ædificemus, ipſe Deus nos iuuat.

Spiritualiter Dominus eſurientes collocat in deſerto, in clauſtro, de quibus dicitur *Matth.5.* Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam. Et replet eos bonis ſuis. *Luc.1.* Eſurientes impleuit bonis. *Iob 5.* Bibent ſitientes diuitias eius. Et tales ædificant Eccleſiam Dei, ſicut ciuitatem, quia prædicant, & docent, quomodo ſit Eccleſia in charitate, & fide vna. In *Pſal.* Ieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas. Propter hoc dicere poſſunt fidelibus Eccleſiæ: Dei ædificatio eſtis. 1. ad *Cor.* 3. Et per hoc ædificant ſibi domos glorioſas in cœlis. 2. ad *Cor.5.* Ædificationem habemus à Deo, in cœlo, domum non manu factam.

Multiplex ciuitas habitationis. Et nota, quod eſt ciuitas habitationis, concordia, in qua habitandum, quia *Prouerb.18.* Frater qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma. Clauſtrum, in quo ſocietas bona. *Prou.21.* Ciuitatem fortium, omnia propter Chriſtum relinquentium, aſcendet ſapiens, quamuis ſtultus reputetur. Eccleſia militans. *Eccleſ.9.* Ciuitas parua, & pauci in ea viri. Fidelis anima, in qua habitat Dei ſapientia. *Eccleſ.24.* In ciuitate ſanctificata ſimiliter requieui. Bonus prælatus. *Ierem.1.* Dedi te in ciuitatem munitam. Et non mirum. *Matth.5.* Non poteſt ciuitas abſcondi ſuprà montem poſita. Et Virgo beata, in qua habitandum eſt deuotione. *Pſal.* Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei. Et triumphans Eccleſia, in qua habitandum deſiderio, & meditatione. Hæc eſt illa, de qua in *Pſal.* Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. *Pſal.* Quis deducet me in ciuitatem munitam? &c. *Iſa.31.* Oculi tui videbunt Ieruſalem ciuitatem opulentam.

37. *Et ſeminauerunt.* Hîc tertium, ſcilicet inhabitantium labor, & exercitatio. Primò in his, quæ pertinent ad cibum. Secundò in his, quæ ad potum. *Et plantauerunt.* Dicit ergo: Sic terram rigauit, cultores poſuit in illa. *Et* ipſi *ſeminauerunt agros*, vt haberent cibum: *& plantauerunt vineas*, vt haberent potum, ſicut Noë. *Geneſ.9.* Agri ſunt ſubditi, qui ſubſunt ſicut terræ: & ſimiliter vineæ ſubditorum animæ. Nec eſt inconueniens, in terra fertili, ſicut dicitur de terra Apuliæ, ſi in eadem terra ſit ager, & vinea. 1. *Corinth.3.* Statim vt dixit: Dei ædificatio eſtis, Dei agricultura eſtis. Et *Iſa.5.* Vinea Domini Sabaoth, domus Iſraël eſt. Ipſi ergo ſeminandi ſunt ſermine verbi Dei, de quo *Matth.14.* & *Luc.8.* Semen eſt verbum Dei. Et plantandi vitibus virtutum. *Iſa.37.* Seminate, & metite, & plantate vineas, & comedite fructus illarum. Et certe qui colunt bene terram ſuam, ſunt in abundantia: qui autem non colunt, ſunt in egeſtate, & miſeria. *Prouerb.12.* Qui operatur terram ſuam, ſaturabitur panibus. Et in *vltim.* Conſiderauit agrum, & emit illum, vt in illo laboraret: & de fructu manuum ſuarum plantauit vineam. Sed de pigro dicitur *Prouerb.24.* Per agrum pigri hominis tranſiui, & per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleuerant vrticæ, & ſuperficiem eius ſpinæ.

Et fecerunt fructum. Hîc ſecundum, ſcilicet poſt præparatoria ad abundantiam, ipſorum bonorum abundantia. Quaſi diceret: Sic paraſti: & tunc *fecerunt fructum*, non quemcumque, ſed *natiuitatis*, hoc eſt, bonum, & competentem, & in abundantia, quaſi naturalem, non degenerem. *Zachar.8.* Semen pacis erit, terra dabit germen ſuum, & vinea fructum ſuum.

Nota etiam, quòd agros ſeminant actiui boni, qui ſeminant opera miſericordiæ. 2. ad *Cor.9.* Qui parce ſeminat, parce & metet: qui autem ſeminat in benedictionibus, &c. *Galat.5.* Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet. Vineas autem plantant boni contemplatiui, de vitibus paradiſi transferêtes, & in terra cordis ſui figentes, ex quibus eliciunt vinum optimum, & bibunt. Qui plantat vineam, & de fructibus eius non edit, talis debet reuerti in domum ſuam, in propriam conſcientiam, ſi adhuc noua eſt plantatio, non ire ad bellum. *Deut.21.*

Et benedixit eis. Hîc ſecundum. Poſtquam enim oſtendit multiplicationem terræ naſcentium, ſubiungit de multiplicatione filiorum, & animalium. Et primò tangitur de primo. De ſecundo poſt, ibi, *Et iumenta.* Ait enim: Sic multiplicata ſunt bona terræ, & poſt hoc *benedixit eis*, aptitudinem ad generationem præbendo, *& ſic multiplicati ſunt. Pſal.* A fructu frumenti, vini, & olei ſui multiplicati ſunt. *Geneſ.27.* In pinguedine terræ, & rore cœli deſuper erit benedictio tua. *Geneſ.23.* Benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum. *Geneſ.22.* ad Abraham ſimiliter: Benedicam tibi: Et ſtatim ſequitur: Et multiplicabo ſemen tuum. 38.

Et iumenta eorum non minorauit. Minus dicit, & plus ſignificat, quia illa multiplicauit. Contra *Neem.2.* Non erat mihi iumentum, niſi animal, cui inſidebam. Reſp. Verum eſt, in principio reuerſionis habuerunt iumenta pauciſſima, ſed poſt ſunt multiplicata. *Ierem.31.* Confluent ad bona Domini ſuper frumento, vino, & oleo, & fœtu pecorum, & armentorum. Poſt agrorum ſeminationem & vinearum plantationem, tunc dat Dominus benedictionem poſteritatis: & ſequitur filiorum multiplicatio, & iumentorum bonorum rationabilium, & ſimplicium conuerſio ad Deum. *Iſa.51.* Benedixi Abrahæ, & multiplicaui eum. *Iob vltim.* Benedixit Dominus nouiſſimis Iob, pluſquam primis.

Et pauci facti ſunt. Hîc ſecundum huius partis, ſcilicet ipſorum liberatio à malo ruinæ templi, quæ ruina erat eis quaſi etiam quædam infamia: & tanguntur duo. Primò liberatio eorum ab impugnatione impedientium ædificationem. Secundò adiutorium in reædificatione, ibi, *Et adiuuit.* In prima duo. Primò tangitur contradictio malorum ipſis bonis in ædificatione. Secundò ipſorum bonorum liberatio, per diſſenſionem immiſſam inter malos, ibi, *Effuſa eſt.* In prima duo. Primò oſtenditur paucitas bonorum, quæ fuit in principio, vt ſic monſtretur aptitudo ad tribulationem. Secundò vexatio à malis, ibi, *& vexati ſunt.* Dicit ergo: Sic redierunt, & multiplicati ſunt: *&* tamen *pauci facti ſunt*, ad templum reædificandum: multi enim repuerunt, & alij propter laborem auerſi ſunt: & opus erat grande: *&* ſic *vexati ſunt à tribulatione malorum*, hominum, qui eos impediebant, *& dolore* laborum, quos ſuſtinebant die ac nocte. De hac contradictio- 39.

ne

ne & vexatione à Thabeel & Sanaballat, & aliis. *Neem.* 4. multum, & *Eſdræ* 4.

Spiritualiter: Multiplicatis fidelibus, & iumentis, id eſt, ſimplicibus, fiunt citò pauci: quia ad infidelitatem & prauos mores reuertuntur. *Iſa.* 9. Multiplicaſti gentem, & non magnificaſti lætitiam. Nec ſunt niſi pauci, qui templum reædificent, quia *Matth.* 7. Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam: & pauci ambulant per eam. Et, Anguſta eſt porta, & pauci intrant per eam. Et illi pauci tribulantur à malis, & vexantur. 2. *Tim.* 2. Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto, perſequutionem patiuntur.

40. *Effuſa eſt contemptio.* Hîc tangitur bonorum liberatio, per contemplationem malorum, & diuiſionem ab inuicem: & dicuntur duo. Primò malorum diſſentio. Secundò error & amiſſio omnis conſilij, contra bonos, ibi, *Et errare fecit.* Dicit ergo: Sic tribulati ſunt, & vexati: & tunc *effuſa eſt* (nota abundantiam) *ſuper principes* illis aduerſantes, *contemptio*: *& ſic errare fecit eos* Deus *in inuio* conſilij, *& in via*, qua poſſent aſſequi quod attendebant. *Neem.* 4. Diſſipauit Dominus conſilium eorum, & nos reuerſi ſumus ad muros, vnuſquiſque ad opus ſuum. Verumtamen ipſi impedierunt nos ad tempus.

Sic Dominus hæreticos aduerſantes ædificantibus Eccleſiam, contendere facit ad inuicem. *Geneſ.* 3. Paſtores Abraham, & Loth ad inuicem contendebant. *Iud.* 5. Diuiſo contra ſe Ruben, magnanimorum reperta eſt contentio. Quamuis enim ſint contra Eccleſiam colligati, tamen habent facies diuerſas, ſicut vulpes Samſonis. *Iud.* 16. Hoc autem totum accidit, quia ſuperbi ſunt: & *Prou.* 13. dicitur: Inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt: & ſic cadunt in errorem. Ad *Rom.* 1. Obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt: vt poſſit de eis dici illud *Matth.* 22. Erratis, neſcientes Scripturas, nec virtutem Dei. Errant autem in via plana, & apertiſſima fidei, & morum, quæ nunc detecta eſt apertè. *Iſa.* 35. Hæc erit vobis via directa, ita vt ſtulti non errent per eam. Propter hoc dicturi ſunt illud *Sap.* 5. Errauimus à via veritatis.

41. *Et adiuuit pauperem.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur de adiutorio: in quo dicuntur duo. Primò tangit ipſum adiutorium. Secundò adiutorij modum. *Et poſuit.* Dicit ergo: Sic liberauit ab impedientibus ædificationem: *&* etiam, *adiuuit pauperem*, illum populum, *de inopia*, qua non poterat ædificare, liberans illum. Dominus pauperem facit & ditat: Dominus pauperem facit, in exilium mittendo: & ditat poſtmodum, vnde ædificetur dando. Et verè de inopia Dominus liberat: quia per ipſam inopiam liberat à multis malis. A malo luxuriæ. *Eccl.* 6. Cum defecerint ligna, extinguetur ignis. Item:

Inopia vtilis ad multa.

Non habet vnde ſuum paupertas paſcat amorem.

A malo impatientiæ. *Eccleſ.* 13. Diues iniuſtè aget, & fremebit: pauper autem læſus tacebit. Ad *Roman.* 5. Tribulatio patientiam operatur. A malo otioſitatis. *Prou.* 16. Anima laborantis laborat ſibi, quia compulit eum os ſuum. Et multa bona præſtat. Primò quia purgat. *Iſa.* 48. Elegi te in camino paupertatis. Ad laudem Dei excitat. *Pſal.* Pauper & inops laudabunt nomen tuum. Humiliter loqui facit. *Prou.* 18. Cum obſecrationibus loquetur pauper: diues autem effabitur rigidè. Tandem pauperem Deo ad memoriam reducit. *Pſal.* Ego autem mendicus ſum & pauper: Dominus ſollicitus eſt mei.

Et poſuit. Ecce modus & ratio adiuuandi, quia dat voluntatem humiliter obediendi. Ait enim: Sic adiuuit: & hoc iuſtum, quia *poſuit familias*, quas reduxerat de captiuitate, *ſicut oues*, ſimpliciter & humiliter obedientes. Ecce quod dicitur *Iob* 11. Cum te conſumptum putaueris, te humiliando, orieris vt lucifer, ad altitudinem aſcendendo. Bene autem ouibus comparantur humiles, & obedientes: quia *Ioan.* 10. dicitur: Oues meæ, vocem meam audiunt. *Ezech.* 34. Vos autem oues paſcuæ meæ, homines, eſtis.

42. *Et videbunt recti.* Hîc eſt ſecunda pars huius Pſalmi. Poſtquam enim inuitauit ad laudem Dei propter multa & magna beneficia, hîc ſecundò oſtendit, qui ſunt qui debent laudare, & recitare illa: & dicuntur tria. Primò conditio illorum, qui laudare debent, & recolere hæc beneficia. Secundò eorum, qui non debent. *Et omnis iniquitas.* Tertiò infertur ex hoc laudantium raritas. *Quis ſapiens?* Dicit ergo: Hæc beneficia Deus fecit, *& recti videbunt*, illa oculo intimæ conſiderationis, & intellectus: *& lætabuntur*, deſiderio & feruore interioris affectus. Quippe enim recti diligunt Deum. *Cant.* 1. Recti diligunt te. Et hi vident Deum in beneficiis ſuis, tanquam ſolem in radiis ſuis, quia aliter non poſſunt, & lætantur. *Prou.* 15. Lux oculorum lætificat animam. *Eccleſ.* 11. Dulce lumen, & delectabile eſt oculis videre ſolem, Deum in radiis ſuis. Sed non vident, nec lætantur, qui habent oculos excæcatos ſtercoribus hirundinum, ſcilicet temporalibus, cum Tobia in 2. Propter hoc dicere poſſunt illud *Tob.* 4. Quale mihi gaudium eſt, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video?

Et omnis iniquitas. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Recti videbunt, & laudabunt: *& omnis iniquitas oppilabit os ſuum*, id eſt, obſtruet. Os iniquitatis eſt os iniqui: quicquid enim habet ſeruus, totum eſt Domini. Et *Ioan.* 8. dicitur: Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Iniquitas ergo os ſuum obſtruit, & oppilat: quia ipſum ad laudandum reprimit, & refrænat. *Prouerb.* 10. Os iniquorum operit iniquitas. *Matth.* 22. Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? &c. at ille obmutuit oppilato ore iniquitate propria. Oppilat etiam os iniquorum iuſtorum aperta bonitas. 1. *Pet.* 2. Sic enim eſt voluntas Dei, vt bene facientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum inſipientiam.

43. *Quis ſapiens?* Hîc tertium, in quo oſtenditur aptorum ad recolendum, & laudandum paucitas: vnde dicuntur duo. Primò quærit quis affectus ſit ad tenendum Dei beneficia in corde. Secundò quis acutus ad inueſtigandum illa. *Intelliget.* Dicit ergo: Sic recti videbunt & lætabuntur, & iniquitas obmuteſcet. *Quis*

ergo *ſapiens*, ſaporans ſcilicet, *& cuſtodiet hæc?* in corde ſuo. *Quis* notat hic raritatem. Illi enim ſolum hoc poſſunt, qui Deum ſapidè diligunt. *Prouerb.6.* Dilectio, cuſtodia eſt legum ipſius. Cuſtodit hæc qui audiens, quod Deus adiuuat pauperem & inopem, diligit & quærit veram paupertatem, & ipſam tanquam pretioſum theſaurum in ſinu ponit.

Et intelliget, acutè diſcutiendo, *miſericordias Domini?* Quia non ſuperbis,& diuitibus exhibẽtur,ſed pauperibus,& humilibus: verè pauperibus. *Matth.*11.Confiteor tibi Pater,quia abſcõdiſti hæc à ſapientibus & prudentibus,in oculis ſuis,& reuelaſti ea paruulis. Quia hîc pauperibus & humilibus gratiam cumulas,& reſiſtis ſuperbis. *Iacob.*4.Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiã,in præſenti, & tandẽ gloriam æterni regni in futuro. *Matth.* 5. Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Et vtinam, ſicut dicit Moyſes *Deut.*32. ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent multi, vt tandem ipſi nobiſcum, & nos cum ipſis perueniremus ad prædictum regnum, ipſo præſtante, qui eſt benedictus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

IN CVII. PSALMVM.

1. *Canticum Pſalmi ipſi Dauid.*

2. *Paratum eſt cor meum.* Hic eſt Pſalmus 107. in toto libro in tertia vero parte 7. In præcedentibus enim Pſalmis monuit ad laudem Dei pro beneficiis exhibitis populo antiquo, ſcilicet Hebræorum, hîc monet 2. ad laudem, vel magis promittit ſe laudaturum pro beneficiis exhibitis populo nouo, ſcilicet Chriſtiano, vel in ſuo capite, vel in ſeipſo: & ſecundum hoc dicuntur duo in hac parte. Primò promiſſio laudis pro beneficiis exhibitis populo nouæ legis in ſuo capite Chriſto, quæ ſunt Incarnatio, Paſſio, Reſurrectio, & huiuſmodi. Secundò inuitat ad laudem pro beneficiis illi populo exhibitis in ſeipſo, ibi, *Laudate pueri Domium.*

Argumentũ Pſalmi, Filij Dei incarnatio.

In prima quinque, ſecundum quinque beneficia,de quibus agit in quinque Pſalmis.Primum beneficium eſt Incarnatio, de qua agitur in hoc Pſalmo: vult enim *Gloſſa*, quòd agatur de Chriſto, ſecundum vtramque naturam. Secundò de beneficio Paſſionis in ſequenti Pſalmo. *Deus laudem meam.* Tertiò de beneficio Reſurrectionis. *Dixit Dominus Domino meo.* Quartò pro beneficio conuerſionis panis materialis in corpus ſuum, vt fiat nobis eſca. *Confitebor tibi Domine in toto.* Quintò & vltimò de beneficio adhuc futuro in re, ſed habito in ſpe,ſcilicet de aduentu in iudicium. *Beatus vir qui timet.*

Quod autẽ agatur hic de beneficio Incarnationis filij Dei, oſtendit ſatis titulus præmiſſus, qui talis eſt: *Canticum Pſalmi*, conſecutiuum, ſup. canbatur enim voce humana, poſt inſtrumento quod vocabatur pſalterium: *ipſi Dauid*, id eſt, Chriſto, per regulam ſuperius dictam, quod vbicumque *ipſi* additur ad *Dauid*, de Chriſto debet intelligi. Chriſtus autem ſonat in perſonam, in qua duæ naturæ vniuntur, humana ſcilicet, & diuina. Et ſunt collecta verba huius Pſalmi ex duobus aliis Pſalmis ſcilicet 56.& 59.Primus, *Miſerere mei Deus, miſerere.* Secundus, *Deus repuliſti nos.* Et eſt ſextus inter illos,qui agunt de vtraque natura Chriſti. Primus enim fuit, *Quare fremuerunt.* Secundus, *Domine Dominus noſter.* Tertius, *Domine in virtute tua.* Quartus, *Deus vltionum.* Quintus, *Deus ſtetit in ſynagoga.* Et hic ſextus.

Diuiditur autem Pſalmus in duas partes. In prima enim laudat pro beneficio incarnationis, quod præuidet futurũ. In ſecunda conuerſus ad Deum orat, vt impleatur tantum bonum, ibi, *Exaltare ſuper cœlos.* In prima duo. Primò promittit ſe laudaturum in ſe, quod eſt etiam laudare. Secundò in ſuis, ibi, *Confitebor in populis.* In prima duo. Primò promittit ſe laudaturum, oſtendendo ſui promptitudinem ad laudem. Secundò ſubiungit beneficium, propter quod vult laudare tanquam cauſam laudis,ibi, *Exurge pſalterium.* In prima duo. Primò oſtendit ſui promptitudinem. Secundò ad quid promptus ſit, quia ad laudem, ibi, *Cantabo & Pſalmum.* Oſtendit autem ſui promptitudinem ex duobus. Primò ex remotione mali, quod impedit laudem Dei. Secundò ex oppoſitione boni, ad quæ duo reſpicit. *Paratum* repetitum. Vel ſic poſſet litera diuidi magis ſecundum *Gloſſam*, vt loquatur Chriſtus oſtendens primò ſui promptitudinem ex duobus dictis ad laudandum pro ſua reſurrectione. Secundò ſubiungatur vox Patris ad eandem reſurrectionem Chriſtum inuitantis. *Exurge.* Tertiò iterum vox Filij tempus ſuæ reſurrectionis oſtendentis,ibi, *Exurgam.*

Dicit ergo ſecundum primam diuiſionem: Sic inuitaui alios ad laudandum, propter multiplicia bona antiquis exhibita: ſed etiam *cor meum*, non tantum os, *paratum eſt*, per amotionem culpæ, ô *Deus.* Et repetit, *Paratum cor meum*, deſiderio & feruore. Scio enim illud *Eccleſ.*15.Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Et iterum illud *Ierem.* 48. Maledictus qui facit opus Dei negligenter. Et dicit, *Cor*, id eſt, anima, non caro,quia *Matth.*26. dicitur: Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. 1.*Reg.*8. Præparate corda veſtra Domino. Debet autem parari cor amouendo malum, & extendendo deſiderium: vel debet parari ſecundum vtrumque, aſpectum ſcilicet, & affectum. Item debet parari ad oppropria, debet parari ad flagella. Item debet parari ad implendum præceptum. Debet etiam parari ad perficiendum conſilia. Vel parari debet ad cantandum, vt moueat os ad cantandum: parari ad operandum, vt moueat manum. De quibus duobus ſubdit ſtatim.

Quomodo & ad quid debet cor parari.

Cantabo. Et eſt ſecundum, in quo oſtendit ad quid paratus ſit, quia ad cantandum ore & opere. *Et pſallam.* Et hoc eſt pro glorioſa aſſumptione ſui, hoc eſt, naturæ ſuæ à filio Dei Ait enim: Sic eſt paratum cor meum, vnde *cantabo*: & hoc, *in gloria mea*, in aſſumptione naturæ meæ à te:quod eſt mihi maxima gloria. *Pſal.* Tu autem Domine ſuſceptor meus es, gloria mea. *Et pſallam*,bene operando, hoc eſt enim pſallere, ſicut ſuperius dictum fuit. *Luc. vltim.* Vir potens opere & ſermone. Si autem loquitur Chriſtus,vt vult *Gloſſa*,tunc eſt ſenſus:

Cantabo,

Cantabo, & pſallam in gloria mea, id eſt, in reſurrectione mea glorioſa.

3. *Exurge gloria mea.* Hîc ſecundum, ſcilicet cauſa & ratio, quare velit ſic cantare, quod fecit prædicendo. Primò ergo prædicit incarnationem. Secundò introducit Filium quod prædictum eſt aſſerentem. *Exurgam diluculo.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd paratum eſt cor meum ad cantandum, & pſallendum. Nec mirum: quia ô *pſalterium, & cithara*, tu, inquam, qui es *pſalterium* futurus bene operando, *cithara* patiendo, *exurge*, id eſt, exurges à ſomno, qui videris nunc dormire, carnem aſſumendo. Bona coniunctio pſalterij cum cithara.

Exurgam diluculo. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic dicis, quòd exurgam, in mundum veniendo, carnem aſſumendo: & ego confirmo: *Exurgam*, & hoc, *diluculo*, id eſt, cito: vel in principio temporis gratiæ, quod erit dies. Ad *Roman.* 14. Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. *Pſal.* ſuprà: Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus. Vel ſecundo modo. Quaſi diceret: Sic dicis fili te paratum cantare & pſallere pro tua reſurrectione: ergo, ô pſalterium, & cithara, ſicut prius, exurge à morte: & reſpondet ſtatim: *Exurgam diluculo.*

Bene autem dicitur pſalterium Chriſtus, & cithara: quia in ipſo eſt omnis gratia ad bene operandum, & ad ſuſtinendum. *Eccleſ.*24. In ore omnis gratia veritatis. *Cantic.* 5. Dilectus meus candidus, decore omnium virtutum, & rubicundus, tolerantia paſſionum. Hic procul dubio reſurrexit ſecundum omnem lecturam. *Oſeæ* 6. Quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus eius. Et eſt argumentum, quòd reſurrectio fuit in mane. Sed poteſt dici, quod loquitur quantum ad manifeſtationem reſurrectionis, non quantum ad corporis reſumptionem. Nec valet quod dicunt aliqui, quod media nocte ſpoliauit infernum, & in aurora ſurrexit, quia *Prouerb. vlt.* dicitur aperte: De nocte ſurrexit. Dominus enim diuiſit tempus, tantum dans quieti, quantum labori: & ipſe tota die Iouis, & nocte ſequenti vigilauit, & de die Veneris nouem horis. Quieuit ergo mortuus tribus horis, quæ reſtabant de die illa, & duodecim de nocte ſequenti, & duodecim de die ſabbati, & ſex de nocte, & ſunt vtrobique nouem & viginti quatuor horæ.

4. *Confitebor tibi in populis.* Hic ſecundum, in quo promittit ſe in ſuis laudaturum: & tanguntur duo. Primò promittit ſe laudaturum in aliis. Secundò ſubiungit rationem laudis. *Quia miſericordia tua.* In prima dicuntur duo. Primò promittit ſe laudaturum ore. Secundò opere, ibi, *Et pſallam tibi.* Dicit ergo: Sic paratus ſum in meipſo: & etiam, *confitebor tibi Domine*, confeſſione laudis, & hoc, *in populis*, mihi ſubditis. Si loquitur Chriſtus, in conuerſis à me, & per meam doctrinam, & per bonam vitam. Si loquitur iuſtus, ſuprà in *Pſal.* Confitebor tibi in nationibus. *Iſa.* 49. Exaltabo ad populos ſignum meum, vt ad laudem Dei conuertam illos. *Et pſallam*, opere, *in nationibus*, ad honorem tuum, & gloriam. *Act.*13. Audierunt, quia in nationes gratia Dei effuſa eſt.

Vel ſic poteſt legi: *Confitebor tibi* ô *Domine in populis*, hoc eſt, coram populis, & in aperto: *& pſallam*, bona faciam *in nationibus*, coram nationibus. Quaſi diceret: Coram Iudæis, & Gentilibus confitebor tibi ore, & opere. *Iſa.*52. Quibus non eſt narratum de eo, videbunt, iuſtorum bonam vitam: & qui non audierunt, per prædicationem, contemplati ſunt, miram ſanctorum operationem. *Matth.*5. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona. *Tob.* 12. Benedicite Deum cœli, & coram omnibus viuentibus confitemini illi. Item in Iudæis Chriſtus verbis confitetur, quia habent legis verba, quæ Chriſtum ſonant: ſed in Gentibus pſallitur, quia bonis operibus repletur.

5. *Quia magna eſt.* Hîc ſecundum, ratio & cauſa laudis: & tangitur duplex. Prima, miſericordia in Angelos confirmata. Secunda, veritas per Apoſtolos oſtenſa, ibi, *Et vſque ad nubes.* Dicit ergo: Sic confitebor, & iuſtum eſt: quia miſericordia tua, quâ Angelos in bono confirmaſti, *magna eſt ſuper cœlos*, ſpirituales, Angelos ſcilicet. *Pſal.* Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris, &c. Magna etiam, quâ per te ſunt reparati. Ad *Epheſ.*1. Inſtauratio omnia in Chriſto, quæ in cœlo, & quæ in terris. Super cœlos etiam eſt miſericordia tua magna, quia maior eſt, quam quæcumque, & quorumcumque Sanctorum merita. *Pſal.* Melior eſt miſericordia tua ſuper vitas. *Iob* 9. Si habuero quippiam iuſtum, non reſpondebo, ſed meum iudicem deprecabor. *Iſa.*41. Taceant ad me inſulæ.

Angeli per Chriſtum reparati.

Et vſque ad nubes, Apoſtolos tuos ſcilicet, venit *veritas tua*, vt illam diffundant per mundum. Apoſtoli enim ſunt nubes, de quibus comminando Iudææ dicit Dominus. *Iſa.*5. Mandabo nubibus meis, ne pluant ſuper eam imbrem. Et in 40. Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant? Has repleuit aqua ſapientiæ & veritatis. *Eccl.* 15. Repleuit eum Dominus ſpiritu ſapientiæ, & intellectus. *Ioan.*16. Cum autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Item miſericordia Dei Chriſtus eſt: ipſe eſt enim Dei virtus. 1. ad *Corinth.*1. Hæc autem eſt propriè miſericordia. Et ipſe eſt veritas. *Ioan.*14. Ego ſum via, veritas, & vita. Hæc miſericordia multum creuit, & hæc veritas, quamuis in principio eſſet parua. *Iſa.*9. Paruulus natus eſt nobis. Sed *Dan.* 2. Lapis creuit in montem magnum, omnes nubes, & omnes cœlos excedentem. Ad *Phil.* 2. Dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine IESV, &c. *Iſa.*52. Exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit valde. Ad *Hebr.* 1. Cui aliquando dixit Angelorum: Filius meus es tu? Ad *Epheſ.* 4. Aſcendit ſuper omnis cœlos, vt adimpleret omnia.

6. *Exaltare ſuper cœlos.* Hîc eſt ſecunda pars, in qua conuerſus erat vt hæc impleantur, pro quibus ſe laudaturum promiſerat. Dicuntur ergo duo. Primò orat vt impleatur filij Dei incarnatio. Secundò monſtrat bona ex illa ſecutura, vt ſic prouocet ad dandum petitum, ibi, *Vt liberentur.* In prima dicuntur duo. Primò vt

Angelis

Angelis innoteſcat filij Dei incarnatio. Secundò quòd etiam omni homini nota fiat, ibi, *Et ſuper omnem terram.* Dicit ergo: Sic laudabo propter prædicta ſi fiant: & propter hoc ô Dei patris fili, *exaltare*, exaltatum te oſtende, *ſuper cœlos*, ſuper Angelos, carne aſſumpta & paſſa ipſos reparando. Ad *Epheſ.*3. Vt innoteſcat diſpenſatio ſacramenti abſconditi principibus, & poteſtatibus in cœleſtibus. *Et ſuper omnem terram gloria tua* innoteſcat. Sic enim præmiſiſti *Num.*16. Implebitur gloria mea vniuerſa terra. Hoc eſt quod dicitur *Dan.* 2. quòd mons magnus repleuit totam terram. *Eccl.*42. Gloria Domini plenum eſt opus eius. *Matth.vlt.* Data eſt mihi omnis poteſtas.

7. *Vt liberentur dilecti.* Hîc ſecundum, in quo oſtenditur fructus exaltationis huius, propter quod eſt petẽda: in quo dicuntur duo, ſecundum duplicem fructum. Primus eſt liberatio electorum à malo. Secundus, promotio ipſorum in bono, ibi, *Exultabo.* In prima duo. Primò tangitur electorum liberatio in petendo, quia in conſequentia ad petitum. Secundò certitudo quod fiet, vel probatio quod fieri debet, ibi, *Deus loquutus eſt.* In prima duo. Primò tangitur liberatio electorum à pœna. Secundò ab ipſa culpa, ibi, *Saluum fac dextera.* Dicit ergo: Sic rogo vt exalteris, carnem aſſumendo: & hoc *vt liberentur dilecti tui*, à pœna limbi, in qua detinentur. *Zach.*9. Eduxiſti vinctos de lacu, in quo non erat aqua.

Vel *Dilecti* ad literam, Apoſtoli, & Apoſtolorum credentes & imitatores. *Ioan.*15. Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos. Aliter enim non poterãt verè liberari. *Ioan.*8. Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. *Ierem.*31. Redemit Dominus Iacob, & liberauit eum de manu potentioris, per ſpiritum libertatis, quem infundit. 2. ad *Corinth.* 3. Vbi ſpiritus Domini, ibi, libertas.

Liberentur etiam omnes creaturæ, quæ quaſi ſeruæ tenentur & gemunt, quas diligis. *Sapient.*11. Nihil odiſti eorum, quæ feciſti. Et *Roman.* 8. dicitur: Liberabitur creatura à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.

Saluum fac dextera. Hîc ſecundum, ſcilicet electorum liberatio à culpa: in quo dicuntur duo. Primò liberatio ab inſtanti. Secundò à futura. *Et exaudi me.* Dicit ergo: Sic exaltare, vt dilecti liberentur, & etiam *dextera tua*, id eſt, propitiationis tuæ fauore, quod eſt dextera, *ſaluum fac*, à culpa dilectos tuos ſup. tua enim dextera protegit. *Exod.*33. Protegam te dextera mea. Ipſa ſaluat. Supra in *Pſal.* Saluauit ſibi dextera eius. Et exaltat etiam. Infra in *Pſal.* Dextera Domini fecit virtutem. Æternitatem dat. *Prouerb.* 3. Longitudo dierum in dextera eius: quam porrigit, vt accipiatur quod ibi eſt. *Prouerb.*1. Extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Dextera etiam Dei filius, in qua, & per quam ſaluat. *Matth.* 8. dicunt huic dexteræ: Domine, ſalua nos, perimus. Huic loquitur *Ierem.* 17. Saluum me fac, & ſaluus ero, nunc in ſpe. *Roman.*8. Spe ſalui facti ſumus: & tandem in re. Ad *Phil.*3. Saluatorem expectamus Dominum IESVM CHRISTVM, &c.

Et exaudi me. *Gloſſa* dicit, quòd ordine præpoſtero loquitur: debuiſſet enim dixiſſe vt videtur, *Exaudi me*, primò, & poſt *ſaluum me fac.* Sed poteſt dici, quòd primum refertur à peccatis præſentialiter exiſtentibus & in actu, hoc autem, ad ſaluandum à futuris. *Eſther.*14. Exaudi Domine eos, qui nullam ſpem habent, niſi in te. *Pſal.* ſupra: Exaudi me Domino, quoniam benigna eſt miſericordia tua, &c.

Deus loquutus eſt. Hîc ſecundum, in quo tactis beneficiis in modo petendi, & orandi, ſubiungitur certitudo de implendo quod petitum eſt. Ait enim: Sic dico, quòd ſaluum facias, quod exaudias, & ſic fiet, *Deus loquutus eſt in ſancto ſuo*, meipſo, ſi loquitur Chriſtus: vel ſi loquitur Dauid, *in ſancto ſuo*, Chriſto ſcilicet. Hic eſt ſanctus de quo *Luc.* 1. Quod naſcetur ex te ſanctum. Et *Dan.*9. Sanctus ſanctorum. In hoc loquutus eſt Deus. Ad *Hebr.*1. Nouiſſimè diebus iſtis loquutus eſt nobis in Filio, & in ſeipſo loquente, & in organo ſuo Paulo. 2. ad *Corinth. vltim.* An experimentum quæritis eius, qui loquitur in me, Chriſtus? Et aduerte *Gloſſam.* Quare non eſt per ſanctum ſuum, ſed *in.* Hæc autem loquutus eſt in ſancto ſuo Chriſto. *Luc.*15. & *Matth.*18. 8.

Exultabo & diuidam. Hîc ſecundum totius illius partis, in qua agitur de filij Dei incarnatione. Tacto enim fructu pertinente ad liberationem mali, tangit pertinentem ad promotionem in bono: & dicuntur duo. Primò Eccleſiæ in bonum promotio. Secundò oſtenditur per quem ſit illa promotio, ibi, *Quis deducet me?* In prima duo. Primò tangitur Eccleſiæ promotio, vel delectatio in generali. Secundò in ſpeciali. *Meus eſt Galaad.* In prima duo. Primò tangitur dilatatio in Gentilitatem generaliter. Secundò in ſynagogam ſimiliter in generali. *Et conuallem.*

Dicit ergo: Sic rogaui Domine, vt exalteris ad liberationem dilectorum, & à pœna & à culpa: quod ſi fueris, *exultabo.* Vel ſecundum aliam literam, *exaltabor.* Et bene concordant, quia in exaltatione Eccleſiæ, eſt ipſa lætitia. *Et diuidam Sichimam*, populum ſcilicet laborantem in peccato, & idololatria. Sichima interpretatur labor humilium: & Gentilitas peſſimè ſub virtute idolorum premebatur. *Eccleſ.vltim.* Populus ſtultus, qui habitat in Sichimis. *Ierem.* 9. Vt iniquè agerent laborauerunt. Et in 16. Seruietis diis alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte. Sed hunc populum Dominus diuiſit, quando maiorem illorum partem, ad fidem vocauit. *Matth.*13. Elegerunt bonos in vaſa ſua. Diuiſit etiam adinuicem: quando diuerſas gratias illis dedit, ſecundum illud *Matth.*25. Vnicuique autem dedit ſecundum propriam virtutem. Ad *Rom.*12. Vnicuique ſecundum quod Deus diuiſit menſuram fidei, & fecit eum laborare labore bono propter æterna. *Geneſ.penult.* Vidit requiem quod eſſet bona, & ſuppoſuit humerum ad portandum.

Et conuallem tabernaculorum. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic diuidam Sichimam, *& dimetiar*, menſura debita, *conuallem tabernaculorum*, gentem ſcilicet Iudæorum, alios ad me vocans vt viuant, alios dimittens vt pereant.

Vocat

Vocat autem Iudæos *tabernacula*, alludens ei quod dixit Balaam *Num.* 23. Quàm pulchra ſunt tabernacula tua Iacob, tentoria tua ô Iſrael Hæc tabernacula dimenſus eſt, alios aſſumens, alios relinquens. 2. *Reg.* 8. Menſus eſt Dauid duos funiculos, vnum ad occidendum, alium ad viuificandum. Aliis gratiam tribuens in præſenti, & aliis auferens, ſuis tamen meritis. 1. *Reg.* 2. Dominus mortificat, & viuificat. Et in futuro, aliis gloriam dans, aliis vero infligens mortem æternam. *Matth.* 23. Duo erunt in mola vna, vnus aſſumetur, & alius relinquetur. Et inter aſſumptos etiam diuerſas menſuras habebit. *Luc.* 6. Ea menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis. *Ioan.* 14. In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.

9. *Meus eſt Galaad.* Hîc ſecundum, in quo ſpecificat magis de dilatatione Eccleſiæ & ſublimatione: & ſecundum hoc duo dicuntur. Primò ipſius dilatatio & ſublimatio in illis qui de Iudæis. Secundò in illis qui de Gentibus, ibi, *Moab lebes.* In prima duo. Primò Eccleſiæ multiplicatio per multas bonorum differentias. Secundò ipſius ſublimatio, ibi, *Iuda rex meus.* In prima tria, ſecundum tres differentias ſanctorum de Iudæis, in quibus, & per quos dicit ſe dilatandum. Prima differentia eſt Martyrum, quorum collectio Galaad appellatur. Secunda contemplatiuorum, quæ per Manaſſem intelligitur. Tertia actiuorum, quæ per Ephraïm deſignatur. Dicit ergo: Sic exalteris, & multiplicaberis ex Gentibus, & Iudæis: quod ſi feceris, *meus eſt Galaad*, id eſt, Martyres mihi teſtimonium perhibentes manſerunt in vnum congregati tanquam in aceruo vno. *Iſa.* 43. Vos teſtes eſtis mei, dicit Dominus, contra infideles, & contra male & tepidè viuentes. *Iob* 10. Inſtauras teſtes tuos contra me. Quomodo enim peruerſum, vel tepidum non confundat paſſio vel vita Martyrum? *Act.* 1. Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad extremum terræ.

Et *Manaſſes*, erit meus, ſup. ſcilicet obliuioſi omnium terrenorum, & carnalium amicorum. Manaſſes enim interpretatur obliuio. De talibus erat qui dicebat ad *Phil.* 1. Poſteriorum oblitus, ad anteriora autem me extendens, ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernæ vocationis.

Et Ephraim frugifer, qui fructificat in operibus. Actiui iſti ſunt: eſt *ſuſceptio* (emphaticè loquitur) *capitis mei*, Chriſti, id eſt, ſuſcipiet Chriſtum meum. De talibus fructificantibus ad *Coloſſ.* 1. In omni opere bono fructificantes. Iſti ſuſceperunt Dei filium, ſicut truncus ſuſcipit in intimo, quod inſeritur in illo. *Iacob.* 1. Suſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras. Ipſe enim eſt caput corporis, quod eſt Eccleſia. Ad *Epheſ.* 1. Et magis fructificantes facit: imo per hoc ipſum quod ſuſcipiunt, fructiferi ſunt. *Sapient.* 5. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Nos ergo ſuſcipimus Chriſtum in nobis per veram fidem, & ipſe ſuſcepit nos in ſe per pietatem. Ad *Rom.* 15. Suſcipite inuicem, ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos.

Iuda rex meus. Hîc ſecundum, ſcilicet Eccleſiæ dilatatio, quantum ad exultationem. Quaſi diceret: Sic dilatabor, & etiam *Iuda* erit *rex meus*, quod erit magna dignitas, quia Regem habebo de Iuda, ſcilicet Chriſtum, de quo *Gen. penult.* Iuda, adorabunt te filij patris tui; in Chriſto, qui de Iuda fuit, ſicut Paulus dicit ad *Hebr.* 7. & *Apocal.* 5. Vicit leo de tribu Iuda. *Iud.* 1. Quis aſcendet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli? dixitque Dominus: Iudas aſcendet, ecce dedi terram in manu ipſius.

Moab lebes. Hîc ſecundum, in quo tangi- 10. *Eccleſiæ dilatatio.*
tur dilatatio, quantum ad conuerſos de Gentibus, quæ tangitur in differentia triplici. Primò quòd multplicabitur ex ſuperbis. Secundò quòd ex cupidis. *In Idumæam.* Tertiò quòd ex carnalibus & luxurioſis, ibi, *Mihi alienigenæ.* Dicit ergo: Sic ſi fueris exaltatus, hæc bona prouenient, quæ prædixi: & etiam *Moab*, ſuperbi. *Ierem.* 50. Audiuimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valde, *erit lebes*, vaſcula, *ſpei meæ*, in quibus erit ſpes mea. Quaſi diceret: Ipſi ſuperbi in Gentibus conuertentur, & erunt vaſa ſpei. In alio Pſalmo dicitur olla, quod idem eſt. *Iob* 41. Feruefcere faaciet Dominus, ſcilicet feruore bono, quaſi ollam profundum mare, cor ſcilicet profundiſſimi peccatoris, feruore deuotionis, & ſpei. *Zach. vlt.* Erunt lebetes prius in domo Domini, quaſi phialæ coram Altari. Et ſine dubio Moab interpretatur ex patre, & ſignat filios illius, qui appetit eſſe pater, ſcilicet peccatores. *Ioan.* 8. Vos ex patre diabolo eſtis. Iſti ſiunt lebes ſpei, quia in ipſis debemus ſpem accipere. *Oſeæ* 4. Dabo ei vallem Achor ad aperiendam ſpem. Quis enim cogitat miſericordiam Dei in peccatores maiores, quàm fuit Achor *Iudith* 7. conuerſos ad Chriſtum, & ab ipſo Chriſto, & non inde haurit ſpem? Sicut Magdalenam *Luc.* 7. Matthæum 9. *Matth.* Paulum *Act.* 9. *Sophon.* 3. Auferam de medio tui magniloquos ſuperbiæ tuæ, ſuperbos ſcilicet, qui magna ſciunt loqui, & pauca facere, vt fiant vaſa gratiæ meæ.

In Idumæam. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic conuertentur ſuperbi, & etiam *extendam calceamentum meum*, humanitatem meam, tanquam calceamentum diuinitati vnitum, *in Idumæam*, in ſanguineam ciuitatem, in cupidos, & auaros, qui rapiunt quæ pauperum ſunt. *Eccleſ.* 34. Panis egentium, vita pauperum eſt: qui defraudat illum, vir ſanguinum eſt. In tales calceamentum ſuum Eccleſia extendit, quia fidem de incarnatione prædicat, & immittit. *Iſa.* 55. Ecce Gentes quas neſciebas, vocabis. *Oſeæ* 2. Dicam non populo meo, populus meus es tu. Hoc calceamentum, cuius corrigiam ſoluere indignum ſe fatebatur Ioannes Baptiſta. *Ioan.* 1. Poteſt etiam dici ipſum Euangelium. Munit enim interiores animæ pedes valde fortiter. Ad *Rom.* 1. Non enim erubeſco Euangelium: virtus enim eſt omni credenti in ſalutem. De hoc calceamento *Eph. vlt.* Calceati pedes in præparatione Euangelij pacis. Sed hoc extenſum fuit in Idumæam, quando per Paulum cupidis de Gentibus dicebatur. 1. ad *Tim.* 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum, & in tentationem diaboli.

Mihi alienigenæ. Ecce tertium. Quaſi diceret:

Sic

Sic ſuperbi conuertentur, cupidi recipient fidem de incarnatione, & Euangelij prædicatione: & *alienigenæ*, luxurioſi, qui alieni ſunt multùm à Deo, *mihi amici facti ſunt*, id eſt, fient, ſi fecerint quæ ſupra petij in *Pſal.* Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic. *Naum* 1. Legatum ad Gentes mihi: quæ erant à Deo alienæ, ſicut dicit eis poſtmodum Paulus, propter enormia peccata luxuriæ. *Epheſ.* 2. Eratis in illo tempore ſine Chriſto, alienati à conuerſatione Iſraël.

11. *Quis deducet me.*? Hîc ſecundum, in quo oſtendit per quem fecit hæc omnia bona, completo etiam quod petitum eſt ſuprà: quia non humana ſapientia, ſed potentia diuina. Et hoc facit quærendo, reſpondendo, & orando. Primò quidem quærit per quem fieri poterit. Secundò oſtendit, per ipſum Deum, non per alium. *Nonne tu Deus*? Tertiò petit vt ipſe faciat, quod ſine ipſo nequaquam poterit, ibi, *Da nobis auxilium.* In prima duo ſecundum duplicem quæſtionem, quam facit propter duplicem difficultatem, quam conſpicit in conuertentibus. Primò ergo quærit per quem rebelles contra Deum conuerti poterunt, & mutari. Secundò per quem peccatis abominabilibus inquinati, ibi, *Quis deducet*? Dicit ergo: Sic dixi, quòd ſi fuerit incarnatus, iſta bona proue-
Mundus cũ ciuitate munita comparatus. nient, ſed *quis deducet me*, id eſt, fidem de me, *in ciuitatem munitam*? id eſt, in mundum incredulum, & rebellem, & bonis contrarium.

Hæc eſt illa ciuitas, de qua ſuprà: Vidi iniquitem, & contradictionem, contra Deum, in ciuitate. Hæc eſt munita muris diuitiarum. *Naum* 3. Aquæ, muri eius, id eſt, diuitiæ, quæ creſcunt & decreſcunt. Mali enim frequentius habitant in talibus. *Iob* 12. Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum. Propugnaculis ſcientiarum ſæculariũ, quæ multum ſcilicet eleuantur in altum. 2. *Cor.* 10. Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei. Foſſatis auaritiæ, quæ tam profunda facit corda & ampla, vt non poſſint repleri. *Eccleſ.* 5. Auarus non implebitur pecunia, ſed miro modo profundior & capacior efficitur. Turribus ſuperborũ, inflatorum, & elatorum. *Iſa.* 2. de turribus his: Dies Domini ſuper omnem turrim excelſam. Et in 30. In die interfectionis multorum cum ciderint turres, ſcilicet in die iudicij, erit lux lunæ &c. Armis detractorũ alios vulnerantium. *Pſal.* Filij hominum, dentes eorum arma & ſagittæ. Et 53. Lingua eorum gladius acutus. Et multitudine populorum. *Eccleſ.* 1. Stultorum infinitus eſt numerus. Regum & principum fortitudine: dæmones enim in ea principantur. Sed de dæmone dicitur *Iob* 40. Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ ei valeat comparari.

Quis deducet me, id eſt, fidem meam quam teneo, ſi loquatur Eccleſia: vel *me*, id eſt, fidem, quæ de me eſt, ſi loquitur caput Eccleſiæ: *vſque in Idumæam*? id eſt, in ſanguineam ciuitatem, peccatorum abominationem. *Iſa.* 1. Manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt. *Oſeæ* 4. Sanguis ſanguinem tetigit. Vel primum poſſet referri ad infernum. Quaſi diceret: Quis deducet me in ciuitatem munitam? gehennam ſcilicet, vt inde animas captiuatas extraham? Similis quæſtio *Iſa.* 49. Nunquid tollerur à forti præda? aut quod captum eſt à robuſto, ſalùum eſſe poterit? Et ſecundum refertur ad mundum ſicut prius.

Nonne tu Deus? Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur reſponſio: & dicũtur duo. Primò nomine proprio deſignat deductorem in ciuitatẽ, & in Idumæam. Secundò deſignati nomine ſubiungit deſcriptionem. *Qui repuliſti.* Dicit ergo: Sic quæſiui quis hoc facere ſufficiet: *Nonne tu Deus*? Quaſi diceret: Sic & non alius. *Iſa.* 16. Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine. *Ioan.* 16. Sine me nihil poteſtis facere. Nec ipſe Paulus hoc poterat ſicut ipſe fatetur. 1. *Cor.* 15. Non autem ego, ſed gratia Dei mecum. 12.

Qui repuliſti nos. Hîc deſcriptio per duo. Primò per expoſitionem ſuorum tribulationibus. Secundò per auxilij exterioris ſubtractionem. *Et non exibis Deus.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd tu Deus deduces me, ſi deducor: *Deus*, inquam, *qui repuliſti nos*, tribulationibus exponendo, ac ſi non curares de nobis. Suprà in *Pſal.* Deus repuliſti nos, & deſtruxiſti nos. *Thren.* 3. Repulit Dominus altare ſuum. Nec eſt contrarium quod dicitur in *Pſal.* Non repellet Dominus plebem ſuam. Et Paulus ad *Roman.* 8. & 11. Nunquid repulit Deus plebem ſuam? Reſponſ. Repellit ad tempus, tribulationibus exponendo, ſicut loquitur hîc: non repellit, finaliter damnando, ſicut loquitur Paulus & *Pſal.*

Et non egredieris Deus. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Tribulationibus nos exponis: *& non egredieris*, te exterius manifeſtando, *in virtutibus noſtris*, nobis à te datis, ſicut faciebas antiquis patribus, ſed magis dimittes nos ſecundum exteriorem apparentiam in manibus eorum. *Dan.* 3. Tradidiſti nos in manibus peſſimorum inimicorum, præuaricatorumque. *Dan.* 9. Vigilauit Dominus ſuper malitiam, & adduxit eam ſuper nos.

Da nobis. Hîc tertium huius partis, in quo poſtquam quæſiuit per quem poſſit fieri ſaluatio, & reſponſo quòd per Dominum ſolummodo, ſubiungitur ſupplicatio vt per ipſum fiat: & dicuntur duo. Primò ſupplicatio vt per ipſum fiat liberatio. Secundò aſſertio, quòd fiet tanquam à certo per ſpiritum prophetiæ, ibi, *In Deo faciemus.* In prima duo. Primò petitio. Secundò petitionis ratio, ibi, *Quia vana.* Dicit ergo: Sic Domine, non alius quàm tu poterit prædicta facere, & propter hoc rogamus, *Da nobis auxilium*: & hoc, *de tribulatione*, nos liberando. Suprà in *Pſal.* Adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis. Adiuua, tribulationem temperando, vt poſſimus ſuſtinere, ſicut adiuuiſti tres pueros in fornace, *Dan.* 3. 1. ad *Corinth.* 10. Fidelis Deus, qui non permittit vos tentari ſuper id quod poteſtis: ſed faciet cum tentatione profectum, vt poſſitis ſuſtinere. Vel ſic: *Da nobis auxilium*, & hoc, *de ipſa tribulatione*, vt ex ipſa noſter illuminetur intellectus, ſecundum illud *Eccleſ.* 24. Mittit diſciplinam quaſi lucem. Proficiat in bonum affectus. *Prou. vltim.* De nocte ſurrexit. De nocte enim ſurgere, eſt de tribulatione proficere. 13.

Quia

Quia vana. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic da nobis auxilium, & neceſſe eſt: *quia ſalus hominis*, ab homine expectata, qui purus homo ſit, & non Deus, *eſt vana. Iſa.* 30. Ægyptus fruſtra auxiliabitur. Quippe àvano quid poſſet eſſe niſi vanitas? *Pſal.* Verumtamen vniuerſa vanitas omnis homo viuens. *Ierem.* 3. Verè in Domino Deo noſtro ſalus Iſraël. Propter hoc dicitur in 18. Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum.

14. *In Deo faciemus.* Hîc ſecundum, in quo poſtquam petiit, fiducialiter implendum ait quod petiit: & dicuntur duo. Primò ſcilicet virtuoſa operatio. Secundò inimicorum annihilatio, quæ dabuntur à Deo. Secundum ibi, *Ipſe ad nihilum.* Dicit ergo: Sic petij, & ſic fiet, quia nos *faciemus* tandem, *virtutem*, virtuoſam ſcilicet operationem, non in nobis. 1. ad *Cor.* 15. Non autem ego, ſed gratia Dei mecum. Et *Coloſſ.* 1. Laboro certando ſecundum operationem eius, quam operatur in me, in virtute. 1. *Machab.* 3. Non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cœlo fortitudo eſt.

Et ipſe, non alius, *deducet ad nihilum inimicos noſtros*, homines terrenos, qui nos impugnant. *Ierem.* 8. Aſpexi terram, terrenos ſcilicet homines: & ecce vacua erat, & nihili. *Geneſ.* 1. Terra autem erat inanis, & vacua. *Iſa.* 40. Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt. coram eo. Et de lucifero dicitur *Ezechiel.* 28. Nihili factus es. Inimicos enim annihilat, non vt non ſint omninò, ſed vt nihil poſſint contra bonos. *Ezech.* 26. In nihilum redigam te, & non eris, & requiſita, non inuenieris. Et ſuppeditati ſunt. *Malach. vltim.* Calcabitis impios, cum fuerint ſicut puluis, ſub planta pedum veſtrorum. Hoc petebat Paulus *Rom. vlt.* Deus conteret ſatanam ſub pedibus veſtris velociter, vt nec ipſe nec membra ſua contra nos aliquid poſſint. Et hæc omnia Deo attribuenda ſunt, non homini. *Deuteron.* 23. Ne dicas in corde tuo, Fortitudo manus meæ, & robur hoc mihi præſtiterunt, ſed recorderis Domini Dei tui, quia ipſe tibi vires præſtitit.

IN CVIII. PSALMVM.

1. *In finem, Pſalmus Dauid.*

2. *Argumentũ Pſalmi, Chriſti paſſio.*

DEus laudem meam. Hic eſt Pſalmus 108. Poſtquam enim egit immediate ante de beneficio incarnationis, agit de beneficio Paſſionis: vt propter illud beneficium laudetur Deus. Et eſt quintus in numero illorum Pſalmorum, in quibus agitur latè & diffuſe de Chriſti paſſione. Primus, *Deus Deus meus reſpice in me.* Secundus, *Iudica Domine nocentes me.* Tertius, *Exaudi Domine orationem meam cum deprecor.* Quartus, *Saluum me fac Deus.* Et hic quintus, quod ſatis oſtenditur in titulo. Sic enim exponendus eſt: *Pſalmus* ſubiectus eſt *Dauid*, id eſt, Chriſti, *in finem*, humiliati, ſup. ſcilicet vſque ad paſſionem mortis, & crucis. Ad *Philip.* 2. Exinaniuit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.

Diuiditur autem Pſalmus in tres partes, ſecundum tria quæ petit Chriſtus introductus hic. Primò laudis ſuæ ſupplicationem merito paſſionis. Secundò inimici illam procurantis deiectionem. *Conſtitue Domine.* Tertiò exuta mortalitate glorioſam reſurrectionem, ibi, *Tu autem Domine fac mecum.* In prima duo. Primò petit laudis ſuæ publicationem. Secundò aſſignat multiplicem rationem, quare in hoc debeat exaudiri, ibi, *Quia os peccatoris.*

Dicit ergo: Chriſtus, *ô Deus* Pater qui eruis ſuſtinentes te, & liberas eos de manu anguſtiæ *Eccleſ.* 51. *ne tacueris laudem meam*, id eſt, laudem meam ab hominibus taceri ne permiſeris. *Pſal.* Ne ſileas, nequando taceas à me, & aſſimilabor deſcendentibus in lacum. Hoc autem fiet ſi me clarificaueris. *Ioan.* 14. Pater, clarifica filium tuum. Et *Ioan.* 12. ſimiliter. Et reſponſum eſt: Et clarificaui, & iterum clarificabo. *Matth.* 3. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Et ſimiliter in 17. Propter hoc ſpecialiter verum eſt de Chriſto, quod dicitur *Prou.* 10. Memoria iuſti cum laudibus. *Ierem.* 27. Hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter.

Quia os peccatoris. Hîc ſecundum, in quo ſubiungit rationem & cauſam, quare debeat eius laus publicari, ſcilicet illatio mali ſine cauſa, & in publico: & dicuntur tria. Primò iniuria. Secundò quòd ſine cauſa fuit illata. *Et expugnauerunt.* Tertiò quod benefico, & conferenti bona, ibi, *Pro eo vt me diligerent.* In prima tria ſecundum triplicem iniuriam, quam fecerunt Iudas, & Iudæi. Primò iniuriati ſunt proferendo verba vituperij. Secundò doli. *Loquuti ſunt.* Tertiò damni. *Et ſermonibus odij.* Dicit ergo: Sic Domine laus mea non taceatur, & dignum eſt: *quia os peccatoris*, Iudæ ſcilicet, qui peccator fuit antonomaſticè, & non credebat manifeſtus eſſe, *& doloſi, apertum eſt ſuper me*, per conuicia, & vituperia. *Iob* 16. Aperuerunt in me, hoc eſt, contra me, ora ſua. *Thren.* 3. Aperuerunt ſuper nos os ſuum omnes inimici noſtri. Aperuit ſuper eum os ſuum peccator, & doloſus Iudas, quando dixit *Matth.* 26. Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? Aperuerunt peccatores doloſi Iudæi, cum dixerunt ad inuicem illud *Sap.* 2. Venite, circumueniamus iuſtum.

Locuti ſunt aduerſum me. Hîc ſecundum. 3. Quaſi diceret: Apertè conuiciabantur peccatores & doloſi: & etiam *loquuti ſunt aduerſum me lingua doloſa*, lingua ſcilicet exterius blandienti. *Matth.* 22. Magiſter, ſcimus quia verax es, &c. *Ierem.* 9. Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum loquuta eſt. *Eccleſ.* 22. In labiis ſuis indulcat inimicus, in corde ſuo inſidiatur vt ſubuertat te in foueam. *Loquuti ſunt etiam lingua doloſa*, detrahendo, pro qua rogat *Pſal.* infrà: Domine libera me à labiis iniquis, & à lingua doloſa. Detrahebant autem Iudæi Chriſto multipliciter. Primò attribuendo ei quod ſuum non erat. *Luc.* 11. In Beelzebuth principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Male attribuendo quod ſuum erat. *Sap.* 2. Filium Dei ſe nominat. Et *Ioan.* 19. Filium Dei ſe fecit. Attenuando bonum quod fecerat, quando ſatiauerat

Iudæi multipliciter Chriſto detraxerunt.

tiauerat in deſerto quinque millia quinque panibus, dixerunt *Ioan. 6.* Moyſes dedit nobis manna in deſerto, ſicut ſcriptum eſt, &c.

Et ſermonibus odij. Hîc tertium. Quaſi diceret: Sic conuitia dixerunt, & detraxerunt, & etiam *circumdederunt me ſermonibus odij.* Sermones odij propriè ſunt, quibus damnum alteri procuratur: & ipſi ſermonibus mortem ipſius procurauerunt. *Ioan.19.* Tolle, tolle, crucifige eum. *Pſal.* ſecundum aliam literam: Lingua eorum machæra acuta.

Et expugnauerunt. Hîc ſecundum, in quo oſtenſa illorum culpa, & nequitia, innocentiam ſuam oſtendit ad culpæ aggrauationem. Dicit enim: Sic conuitiati ſunt, detraxerunt, damnum vſque ad mortem procurauerunt: & in his omnibus *expugnauerunt me*, & hoc, *gratis*: id eſt, pro nihilo & ſine cauſa. *Pſal.* Dum loquebar illis, impugnabant me gratis. Et alibi: Principes perſequuti ſunt me gratis.

Nota *Gloſſam*: *Sicut piis per ſe placet æquitas, &c.* contra quod videtur eſſe illud *Auguſt.* Nullus vult malum. Et eſt reſponſio, quòd nullus vult malum propter ſe, ſed propter annexum. Vel melius: Nullus benè diſpoſitus: malè autem diſpoſitus poteſt velle. De talibus autem hîc loquitur.

4. *Pro eo vt me diligerent.* Hîc eſt tertium, in quo oſtendit, quòd non tantum ſunt iniuriati innocenti & bono, ſed etiam benefico, vnde hîc oſtendit eorum malitiam, & ſuam beneficentiam. Et primò quantum ad verba. Secundò quantum ad facta. *Et poſuerunt.* Tertiò quantum ad interiora cordis, ibi, *Et odium.* In prima duo. Primò eorum malitia. Secundò beneficentia Dei. *Ego autem.* Dicit ergo: Sic impugnauerunt me cum nihil meruiſſem: & etiam, quod plus eſt, *detrahebant mihi*, aperte & in publico, *pro eo vt me diligerent*, id eſt, vt me diligere deberent, id eſt, dilectionem in ſermone oſtendere, in ſermone conferendo cum aliis de me. Venenum peſſimum eſt detractio, maxime de benefico. *Eccleſ.10.* Sicut ſi mordet ſerpens in ſilentio, nihil minus habet qui occultè detrahit. Deo odibile malum. *Prou. 6.* Sex ſunt quæ odiuit anima mea, & vltimum deteſtatur: & illud eſt, Qui ſeminat inter fratres diſcordias. *Rom.* 1. Detractores Deo odibiles. Peccatum inter omnia ſtultiſſimum: quia nihil lucratur, & pluribus nocet. *Iob* 19. Stultè deſpexerunt me, & cum ab eis receſſiſſem, detrahebant mihi. *Hieron.* Quid tibi prodeſt ſi mala mea aliis referas, & peccatis meis in detractionibus meis vulneres alterum? hoc non eſt me emendare, ſed tuo vitio ſatisfacere. Et vnitatis Eccleſiæ ſciſſiuum, & deſtructiuum. *Auguſt.* in libro contra quinque hæreſes: Caput meum ſpinis expoſui, manus meas clauis obieci, lancea latus meum perforaui, tot vt non dicam nimiis aſperitatibus lanceatus ſum, ſanguinem meum fudi, animam meam tradidi, vt te mihi coniugerem: & tu diuidis me à te, vel te à me? Et ſubdit: Erubeſcite Chriſtiani: tunicam hominis iam mortui, & in cruce pendentis, Pilati milites non ſunt auſi diuidere, & vos Chriſti charitatem, in cœlo regnantis, imò ipſius Dei in terris diuiditis.

Detractio, graue peccatum.

Ego autem. Hîc ſecundum, Chriſti beneficia. Ait enim: Sic illi detrahebant: *ego autem orabam.* Certe verum eſt pro ipſis. *Luc.23.* Pater ignoſce illis, non enim ſciunt quid faciunt. *Iob* 16. Hæc paſſus ſum abſque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces, pro ipſis, ſup.

Et poſuerunt. Hîc ſecundum, in quo oſtendit & eorum malitiam, & ſuam beneficentiam, in facto & opere. Ait enim: Sic detrahebant, & ego orabam: & etiam *poſuerunt aduerſum me mala*, id eſt, repoſuerunt, & hoc, *pro bonis* illis exhibitis. *Pſal.* ſuprà: Retribuebant mihi mala pro bonis. *Ierem.* 18. Nunquid redditur pro bono malum? Si ſaltem pro bonis nullum malum mihi facerent, ſuſtineri poſſet. *Zachar.*11. Si bonus eſt in oculis veſtris, mercedem meam afferte mihi: quod ſi non, quieſcite, non reddatis malum. Sed non fecerunt hoc. *Ioan.*10. Multa bona opera oſtendi vobis à Patre meo, propter quod horum vultis me lapidare? 5.

Et odium. Ecce tertium, in quo monſtrat malitiam eorum, & ſuam beneficentiam, quantum ad interiora cordis. Ait enim: Sic mala pro bonis reddiderunt: & etiam *odium*: cordis ſui, *pro dilectione mea*, qua diligebantur à me. *Amos* 5. Odio habuerunt corripientem in porta. *Ioan.*15. Oderunt me, & Patrem meum, vt impleatur ſermo qui in lege eorum ſcriptum eſt, quia odio habuerunt me gratis. *Prou.* 29. Viri ſanguinum, Iudæi, & omnes mali oderunt ſimplicem, Chriſtum ſcilicet, & omnem virum bonum. Diligendus autem eſſet Chriſtus pro ſua dilectione, quam prior exhibuit. 1. *Ioan.* 4. Diligamus Deum, quoniam ipſe prior dilexit nos. *Bernard.* Inueniri poteſt in dilectione, ſed præueniri non poteſt.

Conſtitue ſuper eum. Hîc ſecunda pars totius huius Pſalmi, in qua poſtquam orauit pro ſuæ laudis manifeſtatione, orat conſequenter pro inimici & proſecutoris mortis ſuæ deiectione: & hoc non optando eius pœnam, ſed prædicendo, & conformando voluntatem ſuam voluntati diuinæ. Primò ergo orat, & prædicit traditoris pœnam, & omnium malorum in illo. Secundò ſubiungit cauſam, quare iuſtè ſit puniendus, ibi, *Pro eo quod non eſt recordatus.* In prima duo. Primò orat pro pœna proditoris in ſeipſo. Secundò in ſuis, vel filiis, vel parentibus, ibi, *Fiant filij eius.* In prima duo. Primò petit pœnam, qua punitus eſt à dæmone. Secundò illam qua punitus eſt ab ipſo Deo iuſto iudice, & hoc in occulto, ibi, *Cum iudicatur.* In prima duo. Primò petit dæmonis dominationem ſuper Iudam. Secundò conſenſum Iudæ ad dæmonis voluntatem, ibi, *Et diabolus.* Dicit ergo: Sic oro, & meam laudem non taceas, quia perſequutionem patior ab inimico, & etiam conformando meam voluntatem diuinæ iuſtitiæ, & ipſam appetendo. *Matth.* 5. Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam: dico, *Conſtitue ſuper eum*, quem dixi ſupra peccatorem & doloſum, *peccatorem*, ſcilicet diabolum, qui dicitur peccator antonomaſticè. Primò quia ab ipſo eſt initium peccati. *Sap.* 2. Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Propter antiquitatem peccandi. *Ioan.* 8.

Quare diabolus dicitur antonomaſticè peccator.

Ille

Ille erat homicida ab initio. Propter magnitudinem peccati, quia voluit eſſe ſimilis Deo. *Iſa.* 14. Ero ſimilis Altiſſimo. Propter aſſiduitatem peccandi, quia non ceſſat. 1. *Pet. vlt.* Aduerſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens, &c. *Abac.* 1. Interficere gentes non ceſſat.

Et diabolus ſtet. Quaſi diceret: Sic dominetur ei diabolus: & etiam *ſtet à dextris eius*, vt opera ſint in dextera, ſibi ſcilicet tanquam placentia, ſecundum illud quod dicitur de iniquis: Dextera eorum, dextera iniquitatis. E contra autem Dominus à dextris ſanctorum eſt. Suprà in *Pſal.* A dextris eſt mihi Dominus, ne commouear. Et nota, quòd diabolus eſt à ſiniſtris illis quibus aufert tantum temporalia, ſicut bono *Iob* in 1. & *Tobiæ* in 2. A dextris aliis, quibus aufert ſpiritualia. 1. *Reg.* 11. Naas voluit eruere dextros oculos viris de Iabel Galaad. Naas ſerpens, diabolum ſignat. Ante faciem illis qui ſibi non cauent à culpa. *Haba.* 3. Ante faciem eius ibit mors. *Prou.* 4. Via impiorum tenebroſa: quia tenebrarum Angelus antecedit: neſciunt vbi corruunt. Aliis à tergo, quos impellit in culpam. Suprà in *Pſal.* Fiant viæ illorum tenebræ & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos. Aliis ſuprà, quos ad libitum conculcat. *Iob* 20. Et venient ſuper eum horribiles. Sed aliis eſt infrà, qui eum conculcant. *Rom. vlt.* Deus conteret ſatanam ſub pedibus veſtris.

Diabolus aliis eſt à ſiniſtris, aliis à dextris, aliis ante, aliis à tergo, aliis ſupra, aliis infra.

7. *Cum iudicatur, exeat.* Hîc ſubiungit petitionem pro pœna, à iudice Deo inuiſibiliter infligenda: in quo petit duo. Primò ipſius à iudice Deo condemnationem. Secundò fruſtrationem orationis ſi effuderit, imò conuerſionem in malum. *Et oratio eius.* Dicit ergo: Sic diabolus ſtet à dextris eius, & eius conſentiat voluntati: & etiam *cum iudicatur*, à ſummo & vero iudice, qui iudicat in occulto. 1. *Cor.* 4. Qui autem iudicat me, Dominus eſt. *Exeat condemnatus*, ſententiam ſcilicet reportans condemnationis. *Ioan.* 5. Qui non credit, iam iudicatus eſt. Exeat etiam in iudicio generali à Chriſti conſortio, ſecundum illud *Matth.* 25. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. Non ſit de numero illorum ſeruorum, quibus dicetur illud *Matth.* 26. Intra in gaudium Domini tui. *Apocalyp. vlt.* Foris canes, & venefici.

Et ſi orauerit, *oratio eius fiat*, ei ſup. *in peccatum*, non tantum carens fructu: Deus enim peccatores non exaudit, imò eorum orationes execratur. *Prou.* 28. Qui declinat aurem ſuam, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. *Iſa.* 1. Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtræ, &c.

8. *Fiant dies.* Hîc ſecundum, in quo imprecatur quaſi in ſeipſo pœnam viſibilem: & dicuntur duo, ſecundum pœnam duplicem. Prima eſt vitæ abbreuiatio. Secunda, dignitatis eius tranſlatio. *Et Epiſcopatum eius.* Dicit ergo: Sic puniatur pœna inuiſibili, & etiam *fiant dies eius pauci*, per mortis eius acceleration em, ſicut debetur malis. *Iob* 15. Antequam impleantur dies eius, peribit. *Pſal.* Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos, &c. Et maximè in honore conſtituto-

rum. *Eccleſiaſt.* 10. Omnis potentatus breuis vita. *Eccleſ.* 8. Non ſit bonum impio, nec prolongentur dies eius. *Prou.* 10. Dies impiorum breuiabuntur.

Et Epiſcopatum eius. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic acceleretur eius mors, & *Epiſcopatum eius*, dignitatem ſcilicet Apoſtolatus, in qua erat Iudas à Deo poſitus, *accipiat alter*, Matthias ſcilicet, ſicut & factum eſt. *Act.* 1. Et cecidit ſors ſuper Matthiam. Deus enim deponit de ſede iniquitatis iniquos, & ſubſtituit humiles & pios. *Iſa.* 22. De ſtatione tua deponam te, dictum eſt Sobnæ, & ſtatim ſubſtituitur Eliachim. *Eccleſ.* 10. Sedes ducum ſuperborum deſtruxit, & ſedere fecit mites pro eis. Alter accipit decedentium dignitates, ipſi enim nihil portant ſecum. *Pſal.* Non deſcendet cum eo gloria eius. *Apoc.* 3. Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Dicit enim *Hieron.* Nullus accipit, niſi quod alius dimittit. *Iſa.* 22. Suſcitabo ſeruum tuum Eliachim, & induam illum tunica tua.

Fiant filij eius. Hîc ſecundum, in quo poſt- 9.
quam ei imprecatus eſt pœnam in ſeipſo, etiam miſeriam imprecatur in ſuis. Et primò in ſucceſſoribus. Secundò in anteceſſoribus. *In memoriam redeat.* In prima quinque, ſecundum quinque mala, quæ eis imprecatur. Primum eſt orphanitas, vt ita dicam. Secundum, viduitas, quantum ad vxorem. *Et vxor eius.* Tertium, inſtabilitas. *Nutantes transferantur.* Quartum, paupertas. *Et mendicent.* Quintum, mortis velocitas, ibi, *Fiant nati eius.* Dicit ergo: Sic in ſe puniatur: & etiam *filij eius fiant orphani.* Hoc ſequitur ex hoc quod præceſſit: Fiant dies eius pauci. *Et vxor eius vidua*, & hoc ſimiliter ſequitur ex illo. *Ierem.* 18. Fiant vxores eorum abſque liberis, & viduæ, & viri earum interficiantur morte. De vtroque *Exod.* 17. Erunt vxores veſtræ, viduæ, & filij veſtri pupilli. In his filiis & in hac vxore punitus eſt Iudas, quia propter hos habebat loculos, & erat fur. *Ioan.* 12. *Ierem.* 5. Filij colligunt ligna, & mulieres conſpergunt adipem.

Nutantes transferantur. Hîc tertium. Quaſi 10.
diceret: Sic ſint orphani filij, vxor vidua, & *filij mutantes*, mente, *transferantur*, inſtabilitate exteriori: hoc enim facit peccatum. *Geneſ.* 4. Cain poſt fratricidium factus eſt vagus & profugus ſuper terram. *Thren.* 1. Peccatum peccauit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt. *Iob* 18. Transferentur rupes, homines ſcilicet, qui videntur ſtabiles & fortes, de loco ſuo, propter culpam ſuam. Nec tantum reddit inſtabiles quantum ad locum, ſed etiam quantum ad opus proprium. *Prou.* 11. Impius facit opus inſtabile. Et etiam quantum ad propoſitum. *Sap.* 4. Plantationes adulterinæ non dabunt radices altas, nec ſtabile fundamentum collocabunt.

Et mendicent. Hîc imprecatur quartum malum, ſcilicet paupertatem. Secundò oſtendit modum, quo fieri poſſit tanta paupertas, ibi, *Scrutetur fœnerator.* In prima duo, ſecundum duo, in quibus eſt arctiſſima paupertas. Primum, defectus cibi. Secundum, loci. *Et eiiciantur.* Dicit ergo: Sic transferantur

facti inſtabiles, *& mendicent*, cibos præ inopia. *Ierem.*18. Da filios eorum in famem. *Iob* 20. Filij eorum atterentur egeſtate. *Prou.*20. Mendicabit egeſtate, & non dabitur ei.

Et eiiciantur de habitationibus ſuis, vt careant locis ad inhabitandum propriis. *Iob* 18. Auellatur de tabernaculo ſuo fiducia eius. *Iſa.* 22. Expellam te de ſtatione tua.

11. *Scrutetur fœnerator.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit modum, quo ad tantam paupertatem poterunt deuenire, quia duo. Per præſentiam ſpoliantis & diripientis, primò. Secundò, per carentiam adiuuantis. *Non ſit illi.* Spolians eſt duplex: aut ſub palliatione boni, & eſt fœnerator: aut ſine, & eſt raptor. *Et diripiant.* Dicit ergo: Sic rogo, quod mendicent, & eiiciantur: quod ſic poterit fieri: *fœnerator ſcrutetur omnem ſubſtantiam eius*, poſtquam mutuò acceperit, & non ſoluerit. *Pſal.* ſuprà: Mutuabitur peccator, & non ſoluet fœneratori, & fœnus creſcit, & tandem ad literam, totum ſcrutatur fœnerator, & portat ſecum. *Abdiæ*, Quomodo ſcrutati ſunt Eſau, inueſtigauerunt abſcondita eius? Magnum Dei beneficium ei, qui euadit periculum fœneratorum. *Pſal.* Ex vſuris & iniquitate redimet animas eorum. Et *Ieremias* glorianter dicit in 15. Non fœneraui, & non fœnerauit mihi quiſquam. 4. *Reg.* 14. Clamauit mulier ad Eliſeum: Venit creditor vt tollat duos filios meos.

Et deripiant, in aperto, *alieni labores eius*, vt accidat ei illud *Iſa.* 1. Regiones veſtras alieni coram vobis deuorant. Et 52. Facti ſunt in rapinam, nec eſt qui eruat: in direptionem, nec eſt qui dicat, Redde. *Ierem.* 17. Theſauros tuos in direptionem dabo. *Pſal.* Diripuerunt eum omnes tranſeuntes viam. Hanc maledictionem non timent qui in cœlo theſaurizant, ſecundum conſilium Domini. *Matth.*6. Theſaurizate vobis theſauros in cœlo, vbi nec ærugo, nec tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur.

12. *Non ſit illi adiutor.* Hîc ſecundum, in quo imprecatur adiutorij carentiam: & quantum ad opus exterius primò, & quantum ad compaſſionem interius ſecundò, ibi, *Nec ſit qui miſereatur.* Dicit ergo: Sic adſint fœneratores, adſint diripientes: *& non ſit illi adiutor*, ad liberandum ab hoc vel ab illo. *Iſa.*10. Quid facietis in die viſitationis, & calamitatis deſuper venientis, ad cuius confugietis auxilium? *Deut.* 28. Oues hæ dentur inimicis tuis, & non ſit qui te adiuuet.

Nec ſit qui miſereatur. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Non ſit adiutor exterius in opere, *nec ſit qui miſereatur*, interiori comparatione, *pupillis eius*, quorum ætas & ſtatus deberet ad compaſſionem mouere. *Iſa.*9. Pupillorum eius, & viduarum non miſerebitur. Et in 14. Sagittis paruulos interficient, & lactentibus veſtris non miſerebuntur. *Iacob.*2. Iudicium ſine miſericordia fiet illi, qui non fecit miſericordiam.

13. *Fiant nati.* Hîc quintum malum, quod imprecatur ei in ſucceſſoribus, ſcilicet mortis velocitas: & dicuntur duo. Primò imprecatur filiis mortem. Secundò mortis velocitatem, & generalitatem ſimul. *In generatione vna.* Ait enim: Sic ſint pauperes, *& fiant nati eius in interitum*, vt ipſi intereant propter peccatum patris. Ad *Rom.* 6. Stipendia autem peccati mors. Et *Ioan.*8. Vos in peccatis veſtris moriemini. Et nota quòd dicit: *Fiant in interitu*, quaſi diceret, ſemper ſint in ipſo interitu: vnde videtur mortem imprecari æternam. 2. ad *Theſſal.* 1. Pœnas dabunt in interitu æternas. Et tunc intelligendum eſt de filiis imitationis,

In generatione vna. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic intereant, & ſic *deleatur nomen eius in vna generatione*, vt velociter eius poſteritas finiatur, & tota annihiletur vſque ad nominis amiſſionem. *Eccleſ.* 41. de patre impio queruntur filij: quoniam propter ipſum ſunt in opprobrio. *Iſa.* 14. In iniquitate patrum non conſurgent, nec habitabunt terram. Et in eodem: Perdam Babylonis nomen, progeniem, & germen.

14. *In memoriam redeat.* Hîc ſecundum illius partis, in qua imprecatur Iudæ malum in ſuis. Primò enim imprecatus eſt in ſucceſſoribus, hic in anteceſſoribus: illis, quia imitati ſunt Iudam: iſtis, quia imitatus eſt illos. Primi à Iuda quaſi receperunt: hi in Iudam quaſi influxerunt. Et primò precatur Deum iugem habere memoriam de eorum culpa. Secundò infligere pœnam pro illa. *Et diſpereat.* In prima duo. Primò precatur Deum habere memoriam. Secundò memoriæ continuitatem, ibi, *Fiant contra Dominum.* Et in prima primò precatur Deum habere memoriam peccati patris. Secundò matris, ibi, *Et peccatum matris.* Ait enim: Sic puniatur in ſuis ſucceſſoribus: *& iniquitas patrum eius*, ſi fortè abceſſerat, *redeat in memoriam in conſpectu Domini*, vt propter ipſam affligat Iudam, ipſorum imitatorem in iniquitate. *Iob* 21. Deus ſeruauit filiis eorum dolorem patris. *Apoc.* 16. Venit Babylon in memoriam coram me. *Oſeæ* 9. Rercordabitur iniquitates eorum, & viſitabit peccata eorum.

Et peccatum matris eius non deleatur, non ſit tanquam res deleta, quæ non eſt in memoria, ſed ſit ſicut illæ, de quibus *Ierem.*17. Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo, in vngue adamantino. Hæc mater eius, puto, eſt carnalis Ieruſalem, de qua 24. *Matth.* Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis prophetas, ſicut ſpiritualis & cœleſtis eſt mater noſtra. Huius peccatum non eſt deletum. *Thren.*3. Vigilauit iugum iniquitatum noſtrarum in manu eius. Et *Ierem.*31. Dabo vos in opprobrium, & ignominiam ſempiternam, quæ nunquam delebitur.

15. *Fiant contra Dominum.* Hîc ſecundum, in quo precatur memoriæ continuationem. Quaſi diceret: Sic petij, quòd Dominum peccata illorum in memoria habeat, & non ad tempus, imò *fiant*, peccata illa, *ſemper contra Dominum*, id eſt, ante oculos Domini: vnde alia litera habet, *In conſpectu Domini*, tanquam ſignata & fixa. *Deuteron.* 37. Nonne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis? *Ierem.*18. Ego Deus ſcrutans corda, & renes. Ad *Hebr.* 2. Omnia nuda ſunt, & aperta oculis eius. Vel ſic: *Fiant contra Dominum*, pater & mater, *ſemper*, vt

vt ſint blaſphemi, & contradicentes diuinæ voluntati. *Luc.*11. Qui non eſt mecum, per fidem, & obedientiam, contra me eſt. *Iob* 34. Ne deſinas ab homine iniquitatis,tanquam oblitus, quin ſemper eum affligas: quia addit ſuper peccata blaſphemiam.

Et diſpereat. Hîc ſecundum,in quo poſtquam precatus eſt Deum habere iugem de peccatis eorum memoriam, addit pœnam, qua vult eos puniri, vt diſpereant vſque ad memoriæ annihilationem. Ait enim: Sic veniat iniquitas in memoriam, & ſemper ſit in illa, *& diſpereat de terra*, ad literam, *memoria eorum*, vt non ſint omninò alicuius bonæ famæ. *Iob* 18. Memoria illius pereat de terra, & non celebretur nomen eius in plateis. *Eccleſ.*10. Perdidit Dominus memoriam ſuperborum: memoriam dulcem, bene redolentem non relinquunt, ſed fœtentem memoriam. *Prou.* 10. Memoriaiuſti cum laudibus: nomen autem impiorum putreſcet.

16. *Pro eo quod non eſt recordatus.* Hîc ſecunda pars totius illius in qua petit aduerſarij pœnam. Poſtquam enim petiit pœnam, hîc ſubiungit cauſam, quare tali pœna puniendus, ſcilicet Iudæ culpa. Peccauit autem Iudas contra Chriſti humanitatem: & hanc culpam tangit primò. Peccauit & contra diuinitatem:& hanc tangit ſecundò. *Hoc opus eorum qui detrahunt.* In prima tria dicuntur. Primò de perſecutione Chriſti hominis. Secundò de motiua cauſa perſecutionis,ibi,*Et induit maledictionem.* In prima tanguntur quatuor. Primò crudelitas perſecutionis, tanquam diſpoſitio ad perſequendum. Secundò ipſa perſecutio, ibi, *Et perſecutus eſt.* Tertiò perſecuti deſcriptio,ibi,*Hominem inopem.* Quartò ad quid. *Mortificare.* Dicit ergo: Sic fiat ei vt dixi: & iuſtum eſt: *pro eo*, id eſt, quia, *non eſt recordatus*, propter duritiam cordis, & crudelitatem,*facere miſericordiam. Ierem.6.* Crudelis eſt, & non miſerebitur eius: tamen diſcipulus erat eius qui dixerat *Matth.* 5. Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Et in 9. Diſcite quid eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Et audiſſe poterat illud *Eccleſ.*28. In hominem ſibi ſimilem, non habet miſericordiam, & pro peccatis ſuis deprecabitur? Quaſi diceret: Nihil valebit illi, quia *Iacob.*2. Iudicium ſine miſericordia fiet illi, qui non fecerit miſericordiam.

17. *Et perſecutus eſt.* Ecce perſecutio ipſa, ſed quam ſtatim ſequitur perſecuti deſcriptio,quem deſcribit à tribus. A deſtitutione omnis humani auxilij. A carentia ad ſuſtentationem neceſſarij. *Et mendicum.* Ab afflictione cordis interiori. *Et compunctum.* Ait enim:*Perſequutus eſt hominem inopem*, ſine ſpe humani vel mundani auxilij,*& mendicum*,carentem rebus ad ſuſtentationem neceſſariis.Ipſe enim erat,in cuius perſona Dauid loquens in *Pſal.*dicebat: Inops, & pauper ſum ego. *Iſa.*64. Circumſpexi, & non erat auxiliator. *Pſal.* Tribulatio proxima eſt, & non eſt qui adiuuet. *Thren.* 3. Recordare paupertatis meæ.

Et compunctum, multis doloribus, *corde*, interiùs. Alibi in *Pſal.* Ego ſum pauper & dolens. *Gen.* 6. Tactus dolore cordis intrinſecùs. Hunc perſequebantur miniſtri Pilati & Iudæorum, ſecundum illud, Confortati ſunt ſuper me, qui perſecuti ſunt me inimici mei iniuſtè: ſed Iudas erat principalior. *Luc.*22. Ecce turba, & Iudas vnus de duodecim antecedebat eos. Sed ad quid perſecutus eſt? *Mortificare*, id eſt, ad mortificandum & occidendum, ſicut apparuit ex poſt facto. Hæc ergo perſecutio figurata fuit in illa perſecutione, qua perſecutus eſt Saül Dauid. 1. *Reg.* 24. Quem perſequeris rex Iſraël? quem perſequeris? canem mortuum, & pulicem vnum. Qua perſecutus eſt Caïn Abel fratrem ſuum. *Gen.*4. Quâ Abſalon patrem proprium.2.*Reg.*16.17.18.& 19.

Et dilexit maledictionem. Hîc tangitur motiua cauſa perſecutionis, quæ eſt duplex. Prima, adhæſio peccato immoderata, vel commutabili bono. Secunda, abiectio & contemptus immutabilis boni. *Et noluit benedictionem.* In qualibet tangũtur duo.Primò culpa.Secundò adhærens neceſſariò pœna. Ait enim: Sic perſecutus eſt, ſed quomodo factum eſt hoc? quis ipſum mouit? Et reſpondet: *Dilexit maledictionem*, res temporales, quæ dicuntur maledictio occaſionaliter. *Eccleſiaſt.*3. Qui amat periculum, in illo peribit. 1. ad *Tim.* 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum, & in tentationem diaboli. *Et veniet ei*, maledictio, ſup. *Abac.*2. Væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ. Appellat fortè maledictionem, ipſam malitiam quæ ei placebat. *Pſal.* Dilexiſti malitiam ſuper benignitatem.*Deut.*11. Ex propono coram vobis maledictionem, & benedictionem. *Eccleſ.* 15. Appoſuit tibi Dominus ignem, & aquam, peccatum ſcilicet, & bonum: ad quod volueris, porriges manum tuam. Sic & Iudæi maledictionem dilexerunt, & venit ſuper eos,quando dixerunt. *Matth.*27. Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Et venit ſuper illos illud *Oſeæ* 12. Sanguis eius ſuper eum veniet, & opprobrium eius reſtituet ei Dominus Deus ſuus. 18.

Et noluit benedictionem, benedictum ſcilicet Chriſti conſortium, nec coniunctionem ſui cum Deo: *& elongabitur ab eo*, multum: quia deſcendit in infernum, ille aſcendit in cœlum. *Pſal.*Qui elongant ſe à te,peribunt.1.*Paral.*28. Si dereliqueris eum, proiiciet te vſque in ſempiternum.Et Iudæi ad literam hanc benedictionem noluerunt, quando dixerunt cæco illuminato. *Ioan.*9.Tu diſcipulus illius ſis: & ab eis eſt elongatus tranſiens ad Gentes. *Pſal.* Longè à peccatoribus ſalus. *Iob* 5. Longè fient filij eius à ſalute. *Act.*13. Ad nationes longè mittam te, quia *Eccleſ.* 15. dicitur: Longè eſt Dominus à ſuperbia, & dolo.

Et induit maledictionem. Hîc tertium, in quo agitur de modo perſequendi. Et primò quia perſequutus eſt exteriori opere. Secundò quia interiori voluntate, *& intrauit.* Tertiò quod fraudulenter in vtroque, vel apertè ſecundum diuerſos modo legendi. *Fiat illi.* Quartò quod conſtanter. *Et ſicut zona.* Dicit ergo: Sic motus eſt, quia dilexit malum, & odiuit bonum: *&* tunc *induit maledictionem ſicut veſtimentum*, hoc eſt, ſicut veſtimentum eſt extrinſecum, ſic maledictio, id eſt, culpa, ex qua maledictio ſequitur, facta eſt illi extrinſeca. *Oſeæ* 4. Maledictum, furtum, homicidium inundauerunt in Iuda, & populo Iudæorum.

Et intrauit ſicut aqua. Hîc oſtendit, quòd interiori voluntate Et primò monſtratur corruptio voluntatis. Secundò deliberatio illius corruptionis, hoc eſt quod non ex abrupto, ſed ex deliberatione fuit. *Et ſicut oleum.* Ait enim: Sic induit maledictionem, vt eſſet extrà: & etiam, *intrauit in interiora eius*, id eſt, in voluntatem eius, *ſicut aqua*, quæ intrat de facili in ventrem, & vix exit de ventre, infrigidat, & corrumpit, & digeſtionem impedit. De primo *Gen.*8. Proni ſunt ſenſus hominis, & cogitatio in malum ab adoleſcentia ſua. De ſecundo *Ierem.*13. Si poteſt Æthiops mutare pellem ſuam, & pardus varietates ſuas,& vos poteritis bene facere, cum didiceritis malè. De tertio *Ierem.* 6. Sicut frigidam facit ciſterna aqnam, ſic frigidam fecit malitiam ſuam. De quarto. *Pſal.* Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt. Propter hoc inſultando dicebat Eliu beato *Iob* in 34. Qui bibit ſubſannationem quaſi aquam.

Comparatio peccati cum oleo.

Et ſicut oleum, intrauit, ſup. *in oſſibus eius*, in intelligentia, & ratione, in quibus tota debet eſſe animæ fortitudo. *Iob* 20. Oſſa eius implebuntur vitiis adoleſcentiæ ſuæ. Oleum penetratiuum eſt, nec facit tumultum cum penetrat, ſed valdè blandè intrat: ſic culpa. *Prou.*23. Ingredietur blandè, ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber. Oleum etiam rem inunctam reddit habilem & flexibilem, in quo notatur delectatio ad peccatum, & facilis inclinatio rationis. *Prou.*2. Exultant cum malè fecerint. *Thren.* 4. Lubricauerunt veſtigia mea: quippe hæc oleo erant vncta. De hoc oleo in *Pſal.* Oleum peccatoris non impinguet caput meum.

19. *Fiat ei ſicut.* Ecce tertium. Quaſi diceret: Sic exteriori opere, interiori voluntate perſequutus eſt: & etiam *fiat ei*, id eſt, fiet ei illa culpa,maledictio, *ſicut veſtimentum*, non quodcumque, ſed *quo operitur*,id eſt, ad operiendum. Quaſi diceret: Erit in eo culpa fraudulentiæ, qua cooperit malitiam ſuam.*Ierem.*43.Captiuos ducet illos, diabolus, ſup. & amicietur terra Ægypti ſicut amicitur paſtor pallio ſuo. Terra Ægypti, qua amicitur ſicut paſtor pallio, fraudulentiæ, peccati, & ſimulationis. Vel ex oppoſito veſtimentum, quo operitur homo, ſicut pallium propriè exterius omnibus apparet, etſi ipſo operiatur homo. Senſus ergo eſt: *Fiat ei*, malitia ſua, *ſicut veſtimentum*, *quo operitur*, nota ſcilicet omnibus, & aperta, ſecundum illud *Pſal.* Operti ſunt iniquitate & impietate ſua. Et iniquitas & impietas extra erunt, non operta, ſed cunctis manifeſta. *Iob* 26. Nullum operimentum eſt perditioni. *Iſa.* 1. Peccatum ſuum ſicut Sodoma prædicauerunt, non abſconderunt.

Et ſicut zona. Ecce quartum. Quaſi diceret: Sic ſit, vel ſic erit eius malitia in aperto: & etiam fiat ei, id eſt, fiet ei, *ſicut zona*, *quâ ſemper præcingitur.* Præcingimur vt expeditè & conſtanter aliquid faciamus. Senſus ergo eſt: Sit ad iniquitatem perpetrandam conſtans & expeditus. 2. *Reg.* 20. Ioab accinctus erat gladio, quo interfecit Amaſan, quem primò oſculatus fuit, & ſalutauit. Sic Iudas peccato ſeditionis accinctus, IESVM occidit, quem ſaluauit, & oſculatus eſt. *Matth.* 26. Sed pro hac zona, funiculum, quos ſuſpenſus eſt, reportauit. *Iſa.*3. Et erit pro zona funiculus.

Hoc opus eorum. Hîc ſecundum totius illius partis, in qua agitur de perſecutione Chriſti à Iuda, & Iudæis, vt monſtretur quare ſunt puniendi. Poſtquam enim actum eſt de perſecutione eius quantum ad humanitatem, hîc agitur de perſecutione eius quantum ad diuinitatem, quæ erat in detractione & blaſphemia. Duo ergo dicuntur. Primò detractionis culpa. Secundò in quo erat detractio illa, & blaſphemia, ibi, *Qui loquuntur mala aduerſus animam meam.* Ait enim: Sic perſecuti ſunt hominem inopem, & mendicum: & *hoc*, talis perſecutio, *eſt opus eorum*, *qui* etiam *detrahebant mihi*, & hoc, *apud Dominum.* Verum eſt quod detrahebant ei Iudæi. *Ioan.* 9. Non eſt hic homo à Deo qui Sabbatum non cuſtodit. Et in 10. Dæmonium habet, & inſanit. Sed hoc apud Dominum, quia Dominum non latebat eorum detractio. *Sapient.* 1. Tumultus murmurationum non abſcondetur. Quare? Quia auris zeli audit omnia. In eodem *Iob* 19. Stulti deſpexerunt me, & cum receſſiſſem ab eis, detrahebant mihi. 20.

Et qui loquuntur. In hoc ſpecificat, in quo detrahebant, *aduerſus animam meam*, dicentes, quod non habuit poteſtatem reſumendi corpus ſuum, & ſic negabant diuinitatis potentiam in me. *Matth.* 27. Recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc viuens: Poſt tres dies reſurgam. Et dixerat etiam *Ioan.*10. Poteſtatem habeo ponendi animam meam,& iterum ſumendi eam.

Et tu Domine. Hîc eſt tertia pars totius huius Pſalmi. Poſtquam enim petiit pro manifeſtatione ſuæ laudis, & pro pœna, & deſtructione proditoris, hic petit tertio pro amotione mortalitatis, & gloria reſurrectionis. Dicuntur autem duo. Primò petitio in generali. Secundò in ſpeciali, ibi, *Libera me*, *quia egenus.* In prima duo. Primò petitio. Secundò ratio petitionis, quæ tangitur duplex. Omnipotentia, & ſuauis miſericordia. Primum, cum dicit: *Propter nomen tuum.* Secundum, cum addit: *Quoniam ſuauis.* Dicit ergo: Sic illi faciunt: *& tu Domine* animæ meæ, *Domine* corporis, non ſis otioſus, ſed *fac mecum*, quia non tu ſolus operaris, ſed ego tecum, & tu mecum. *Ioan.* 14. Pater in me manens, ipſe facit opera. Suprà in *Pſal.* Fac mecum ſignum in bonum. Quid mirum ſi dicit Filius Patri ſuo, *fac mecum*, quia ipſum liberum arbitrium cum Deo operatur. 1. ad *Corinth.* 3. Dei adiutores ſumus. 21.

Propter nomen tuum. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Dixi, quòd mecum facias, tamen non excludo, quin hoc ipſum facias, *propter nomen tuum*, non meritis præcedentibus. Nulla enim merita præceſſerunt, quibus poſſet natura humana ad tantam excellentiam ſublimari. *Pſal.* Propter nomen tuum viuificabis nos. Sed quod eſt illud nomen?Illud de quo *Exod.* 15. Omnipotens eſt nomen eius. *Daniel.*3. Da gloriam nomini tuo, ſcilicet liberando, vt videaris omnipotens.

Quia

Quia ſuauis eſt. Ecce tertiũ,& ratio ſecunda. Quaſi diceret:Sic fac propter nomen tuum:fac etiam,*quoniã miſericordia tua eſt ſuauis.*Ipſa enim idem eſt quod tu,& de te. Suprà in *Pſal.*Quoniam tu Domine ſuauis & mitis. Suauis ergo eſt miſericordia, ſicut hîc dicitur. Specioſa. *Eccleſ.*35. Specioſa eſt miſericordia in tempore tribulationis, ſicut nubes pluuiæ in tempore ſiccitatis. Vniuerſalis.*Pſal.* Suauis eſt Dominus vniuerſis, miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Et æterna.*Pſal.*Miſericordia eius ab æterno, & vſque in æternum, ſuper timentes eum.

Libera me', quia. Hîc ſecundum, in quo agitur de peccatis in ſpeciali: & dicuntur duo. Primò petit miſeriæ amotionem. Secundò collationem boni,maximè Reſurrectionis glorioſæ. *Adiuua me Domine.* In prima dicuntur duo. Primò petitio. Secundò ratio, quare exaudiendus ſit, ibi, ſtatim, *Quia egenus.* Dicit ergo: Sic Domine petij, vt mecum facias. Si quæras quid? Ecce: *Libera me,* à malis & miſeria mortalitatis. *Iob* 17. Libera me Domine, & pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me.

22. *Quia egenus.* Hîc ſupponit rationes, quare exaudiendus eſt,ſcilicet mala quæ ſuſtinuit propter iuſtitiam,& mundi redemptionem. Et primò tangit mala quæ ſuſtinuit in factis. Secundò quæ in verbis, ibi, *Et ego factus ſum.* Tertiò quæ in ſignis,ibi,*Viderunt me.* Et in prima duo. Primò quæ ſuſtinuit in ſeipſo. Secundò quæ in ſuis, ibi, *Et excuſſus ſum.* In prima duo. Primò carentia boni. Secundò mali præſentia. *Et cor meum.* In prima duo. Primò carentia auxilij. Secundò neceſſarij ad ſuſtentationem, ibi, *Et pauper ſum.* Dicit ergo: Sic libera, & debes, *quoniam egenus,*id eſt, ſine generatione, & gente, quæ me iuuet, *ego ſum, & pauper,* carens rebus ad ſuſtentationem neceſſariis. 2. ad *Cor.* 8. Scitis gratiam Domini noſtri IESV CHRISTI, qui cum diues eſſet in omnibus pro nobis egenus factus eſt. *Thren.*3. Ego vir videns paupertem meam. Et tales ſolet adiuuare. *Iſa.* 25. Factus eſt fortitudo pauperi, & egeno in tribulatione ſua. *Pſal.* Pupillo,qui egenus eſt, & pauperi tu eris adiutor.

Et cor meum. Ecce præſentia mali, ſimplicis tribulationis primò: & mortis ſecundò, ibi, *Sicut vmbra.* Dicit ergo: Sic egenus & pauper ſum factus: *& cor meum*, intra me conturbatum eſt. *Matth.*26. Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. *Ierem.*23. Contritum eſt cor meum in medio mei. *Ioan.*12. Nunc,inquit,anima mea turbata eſt turbatione propaſſionis, quæ non turbauit rationem,vel contriſtauit. *Iſa.*42. Non erit triſtis, nec turbulentus.

23. *Sicut vmbra.* Hîc ſecunda miſeria in præſentia mali, ſcilicet mors. Ait enim: Sic turbatum eſt cor meum: & etiam ego *ablatus ſum,* de mundo per mortem, *ſicut vmbra*, quæ citò tranſit valdè, quia homo ſum, & hominum cõditioni meſubieci. *Iob* 8.Sicut vmbra dies noſtri ſuper terram. *Iſa.* 53. Abſciſſus eſt de terra viuentium. Et hoc, *cum declinat*: tunc enim citiùs tranſit. *Pſal.* Sicut vmbra declinauerunt dies mei. Miranda res: Chriſtus ſol eſt. *Sap.* 5. Sol intelligentiæ non illuxit nobis. *Mal. vlt.* Vobis timentibus Deum, orietur ſol iuſtitiæ. Imò lux. *Ioan.* 8. Ego ſum lux mundi. Sed hic ſol, iſta lux facta eſt ſicut vmbra in ſua paſſione. *Ioel.*3. Sol conuertetur in tenebras. Et citò in mortem declinauit. *Ioan.*19. Inclinato capite emiſit ſpiritum.

Et excuſſus ſum. Hîc eſt ſecundum. Oſtenſis enim, quæ in ſeipſo ſuſtinuit ipſe Chriſtus, quantum ad facta, oſtendit quæ in ſuis: & dicuntur duo. Primò deiectio ſuorum, Apoſtolorum ſcilicet. Secundò ne crederentur deſperati, tangitur conſolatio. *Et caro.* In prima duo. Primò ſuorum, ſcilicet Apoſtolorum diſperſio. Secundò diſperſorum infirmatio, ibi, *Genua mea.* Dicit ergo: Sic in me ſum afflictus, *& in membris meis, excuſſus ſum ſicut locuſtæ,* quæ ſimul non manent, ſed de loco ad locum ſalientes diſperguntur. *Ioan.*16.dicit illis paucis, quos habebat: Iam venit hora vt diſpergamini, terrore perſequentium, vnuſquiſque in propria, & relinquatis me ſolum. *Zachar.*13. Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis. *Matth.*26. Tunc Diſcipuli relicto eo fugerunt. Et optimè dicit, *Excuſſus:* ſicut farina in cribro excutitur,ſic Apoſtoli fuerũt fortiter excuſſi. *Luc.*22.Simon ſatan expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum. Sed his excuſſis, ſucceſſerunt poſtea filij optimi, & non excuſſi, ſed aduerſarios fortiter ſauciantes. *Pſal.* Sicut ſagittæ in manu potentis, quæ vulnerant fortiter, ita filij excuſſorum. Hoc autem tempore Martyrum,& Confeſſorum:nunc autem excutiuntur à diabolo valdè de facili, qui in alto poſiti ſunt. *Apocal.*6.Stellæ ceciderunt ſuper terram, ſicut ficus mittit groſſos ſuos.

Genua mea. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: 24.
Sic à me exceſſi ſunt, in quo tanquam in quadam arbore quieſcebant, & *genua mea,* ipſimet, tanquam genua me ſuſtentabant,*infirmata ſunt,* timore mortis & miſeriæ. *Ezech.*7. Omnia genua fluent aquis. Tamen poſtea fuerunt, ſicut dicetur, confirmata. *Iob* 3. Genua trementia confortaſti. Et hoc, *à ieiunio,* id eſt, propter ieiunium, propter mei carentiam, qui eos tanquam viuus panis reficiebam. *Ioan. 6. Marc.* 2. Venient dies quando auferetur ab eis ſponſus, & ieiunabunt.

Et caro mea. Hîc ſecundum, ſcilicet illorum aliqua conſolatio ex Chriſti reſurrectione. Ait enim: Sic infirmati ſunt à ieiunio, & poſt ne infirmitas illa ad mortem eſſet,*caro mea immutata eſt*, in melius ſcilicet immutata, ſecundum illud 1. ad *Corinth.*15. Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. Et *Iob* 14. Expecto donec veniat immutatio mea. Et hoc, *propter oleum*, id eſt, propter gratiam tuam, non meis meritis, quæ oleum dicitur. *Iſa.*10. Computreſcet iugum à facie olei, id eſt, gratiæ Dei. Tanta enim fuit in Chriſto gratiæ plenitudo virtute vnionis, vt non potuerit detineri morte, ſed ſtatim cum voluit,reſurrexit. *Act.* 10. Vnxit eum Deus Spiritu ſancto, & virtute. *Pſal.* Vnxit te Deus,Deus tuus,oleo lætitiæ, &c.

Et ego factus ſum. Hîc de iniuria in verbo, 25.
poſtquam actum eſt de iniuria in facto. Ait enim: Sic perſecuti ſunt me, & in me, & in meis: & etiam *ego factus ſum opprobrium illis,*

ab eis multa vituperia ſuſtinendo. *Thren.*3. Factus ſum in deriſum omni populo, canticum eorum tota die. Et in eodem: Saturabitur opprobriis. Chriſtus enim non ambitione, & pompa per mundum incedebat, ſed in ſimplicitate, & propter hoc irridebatur. *Iob* 22. Deridetur iuſti ſimplicitas. Et illis deriſionibus noſtras ſuſtulit deriſiones, illis maledictionibus noſtras maledictiones. *Gal.*3. Chriſtus redemit nos de maledicto, factus pro nobis maledictum.

25. *Vtderunt me.* Hîc ſubiungitur de iniuria in ſigno. Quaſi diceret: Sic factis iniuriati ſunt, & verbis irriſerunt: & etiam *viderunt me* in cruce pendentem, & *mouerunt capita ſua*, irridendo me tali ſigno. *Iſa.* 53. Vidimus eum, & non erat ei aſpectus: quaſi nihil erat ad aſpiciendum. *Deuteron.*28. Erit vita tua quaſi pendens, id eſt, verè pendens, ante te. Videbant ergo, & caput mouebant *Matth.* 27. Prætereuntes autem blaſphemabant mouentes capita ſua. *Ierem.*12. Caput ſuum mouebit, & plaudet manibus.

26. *Adiuua me Domine.* Hîc ſecundũ, in quo poſtquam petiit liberari à malo, petit promoueri in bono. Duo ergo dicũtur in hac parte. Primò petit glorioſam reſurrectionem. Secundò vt magis moueat, oſtendit effectus conſequẽtes ad illam, ibi, *Et ſciant quia manus.* In prima tria. Primò petit auxilium homo Chriſtus à Deo Patre. Secundò ſubiungit in quo velit adiuuari. *Saluum me fac.* Tertiò per quid, per miſericordiam, non per iuſtitiam. *Secundum miſericordiam.* Ait enim: Sic factus ſum illis opprobrium in verbo, illuſus in facto: ſed ô *Domine Deus meus*, rogo, *adiuua me.* In quo? *Saluum me fac*, à morte, imò à mortalitate, & me in meipſo, & me in membris meis. Et hoc non meis meritis, ſed *ſecundum miſericordiam tuam.* 2. *Paral.* in fine: Saluabis me indignum ſecundum miſericordiam tuam. Pro ſua ſalute orauit, cum *Luc.*23. dixit: Pater in manus tuas commẽdo ſpiritum meum. Pro ſuis *Ioan.*17. Pater ſerua eos in nomine tuo, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus. *Tit.*3. Nos ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.

27. *Et ſciant quia manus.* Hîc tangit effectus conſequentes ad ſaluationem. Et primò conſequentes in omnibus tam bonis, quam malis indifferenter. Secundò conſequentes in malis ſpecialiter, & in bonis, ibi, *Maledicent illi.* In prima duo ſecundum duplicem conditionem in omnibus conſequentem indifferenter. Primò, quòd ſciant Chriſtum Dei filium. Secundò, quòd incarnatum. *Et Domine tu feciſti eam.* Ait enim: Sic adiuua, & ſalua: & ſcient per hoc, *quia manus tua hæc*, eſt ſup. quæ in oculis eorum eſt, nec ipſam cognoſcunt, id eſt, ſcient me eſſe manum tuam, illam, de qua ſcriptum eſt: Manus tua Gentes diſperdidit, & plantaſti eos. Suprà in *Pſal.* Et quam petierunt dicentes illud cum deſiderio & feruore: Emitte manum tuam de alto. Et *Iſa.*26. Domine exaltetur manus tua, filius tuus ſcilicet in cruce eleuetur. Scient, inquam, boni ad gloriam, mali autem ad pœnam: illi experiendo bonitatem & dulcedinem, iſti ſentiendo iuſtitiam. *Ioan.*8. Cum exaltaueritis filium hominis, tunc ſcietis, quia ego ſum, &c.

Et tu Domine. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Scient me manum eſſe, & ſcient, quia *tu Domine feciſti eam*, manum ſcilicet: feciſti, inquam, carnem ſecundum illud *Ioan.*1. Verbum caro factum eſt. *Iſa.*44. Hæc dicit Dominus faciens & reformans te ab vtero. Nemo enim poſſet illam generationem tam mirabilem feciſſe, niſi tu, imò nec excogitaſſe, nec poſſet adhuc explicare. *Iſa.* 53. Generationem eius quis enarrabit? Propter hoc petebat Eccleſiaſticus 35. Glorifica manum, & brachium dextrum.

28. *Maledicent illi.* Hîc tangit ſpeciales in malis: & hoc primò. Secundò in bonis, ibi, *Confitebor Domino.* In prima dicuntur duo, ſecundum duplex malum, quod ſequitur in malis. Primò malum culpæ. Secundò pœnæ, ibi, *Qui inſurgunt.* Maledictio qua maledicent Chriſto inaniter: vnde tangitur eorum miſeria: & poſtea agitur de Chriſti gloria. *Et tu benedices.* Ait ergo: Sic omnes ſcient, & *illi maledicent*, ſcilicet peruerſi, & in malitia obſtinati, & mihi in me, & in membris meis, deteriores Balaam, qui timebat maledicere populo Dei. *Num.*23. Quomodo maledicam cui non maledixit Dominus?

Et tu benedices, eorum maledictionem in benedictionem conuertendo, ſicut de maledictione Balaam factum fuit *Num.*23. Vertit Dominus maledictionem in benedictionem. Quomodo autem hoc fiat, dicitur *Matth.* 5. Beati eritis cum maledixerint vobis homines, & exprobrauerint.

Qui inſurgunt in me, vel nunc ante Reſurrectionem, vel poſt, *confundantur*, illa confuſione, de qua *Eccleſ.*4. Eſt confuſio adducens peccatum, impatientiæ, & blaſphemiæ. *Ier.*17. Confundantur qui me perſequuntur, & non confundar ego. Et in *Pſal.* Confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos.

Seruus autem tuus, ego ſcilicet, per oppoſitum *lætabitur*, vel in ſeipſo, vel in membris ſuis. In ſe propter victoriam de inimicis. Suprà in *Pſal.* Lætabitur Dominus in operibus ſuis. Et vocat ſe ſeruum Chriſtus propter perfectam obedientiam, quæ fuit in ipſo. *Phil.* 2. Factus eſt obediens vſque ad mortem. Propter veram humilitatem. *Matth.*11. Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Propter miniſtrationem: hæc eſt enim ſeruorum. *Matth.* 20. Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. Lætabitur etiam in membris ſuis, ſecundum illud *Iſa.*65. Serui mei lætabuntur, & vos confundemini.

Quare Chriſtus vocat ſe ſeruum.

29. *Induantur qui detrahunt.* Hîc ſubiungitur de modo confuſionis. Et primò, quod euidenter. Secundò, quòd totaliter, intus ſcilicet, & extra. *Et operiantur.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd confundentur aduerſarij: & hoc ſic fiat, quod illi *qui detrahunt mihi*, *induantur pudore.* *Pſal.* Induantur confuſione & reuerentia qui maligna loquuntur ſuper me. Et iterum: Operiantur confuſione & pudore, qui quærunt mala mihi. Indumentum hominis exterius videtur. Quaſi diceret: Sic confundantur, vt exterius appareat omnibus. *Ierem.*17. Videam vltionem tuam ex eis.

Et

Et operiantur. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic confundantur euidenter, & etiam *operiantur confuſione ſicut diploide.* Diplois, ſicut vult *Gloſſa*, dupiex pallium eſt. Quaſi diceret: Operiantur confuſione duplici, & interiori, & exteriori. *Ierem.* 17. Duplici contritione contere eos. Et ſic factum eſt: interiori enim confuſione, & exteriori confuſi ſunt Chriſti perſecutores Iudæis, ſecundum illud *Iſa.* 40. Suſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis. Sicut & boni duplicia recipiunt pro bonis, & nunc, & in futuro, ſecundum illud *Iſa.* 61. In terra ſua duplicia poſſidebunt. *Bar.* 5. Circumdedit te Dominus diploide. *Apocal.* 18. In poculo quod miſcuit, miſcete illi duplum. Magna enim & multiplex eſt confuſio inimicorum Chriſti, cum vident eum ita per vniuerſum mundum glorificari. *Iſa.* 29. Non modò confundetur Iacob, nec vultus eius erubeſcet: ſed quando? Cum viderit filios ſuos opera manuum mearum in medio ſui ſanctificantes nomen meum.

Confitebor Domino. Hîc ſequitur de effectibus
30. in bonis ſpecialiter. Hi autem effectus ſunt confeſſio, & eiuſdem publicatio apud multos. Duo ergo dicuntur. Primò confeſſio, & eiuſdem publicatio apud multos. Secundò probatio, quòd dignum eſt vt laudetur, ibi, *Qui aſtitit.* In prima duo. Primò confeſſio. Secundò publicatio confeſſionis. *Et in medio multorum.* Dicit ergo: Sic mali peccabunt, & confundentur, cum adiueneris: ego autem in membris meis, bonis ſcilicet & iuſtis, *confitebor Domino*, confeſſione laudis, non tantum corde, ſed etiam *in ore meo.* Ad *Rom.* 10. Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. *Eccleſ. vlt.* Confitebor tibi Domine rex, interius corde, & collaudabo te Deum ſaluatorem meum, ore. Et hoc, *nimis*, id eſt, valdè, dicit *Gloſſa*: non enim notat hîc laudis ſuperfluitatem, ſed laudis abundantiam, ſicut alibi in *Pſal.* Nimis honorati ſunt amici &c. Et alibi dilectionis vehementiam. *Cant.* 1. Adoleſcentulæ dilexerunt te nimis.

Et in medio multorum. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Laudabo & multum, & in abſcondito, imò *in medio multorum laudabo eum.* Suprà in *Pſal.* In medio Eccleſiæ laudabo te, cantando, & exultando in te. *Eccleſ.* 24. In medio multorum habebit laudem. Et prædicando, & docendo, ibi, In medio Eccleſiæ aperuit os eius, & impleuit eum Dominus ſpiritu ſapientiæ & intellectus. *Ioan.* 18. dedit exemplum huius rei, qui dixit: Quotidie apud vos eram. Vt quæratur non tantum propria vtilitas in cantando in Eccleſia, ſed communis in docendo. 1. ad *Cor.* 10. Non quærens quod mihi eſt vtile, ſed quod multis.

Quia aſtitit à dextris. Hîc ſecundum, ſcili-
31. cet probatio, quòd dignum ſit confiteri in publico, & hoc ex duplici beneficio, quod exhibet ſuis, ſcilicet quia munit eos in tentationibus, & conſeruat: tandem quia à miſeriis, & tribulationibus animam ſaluat. Dicit ergo: Sic confitebor Domino, & laudabo publicè: & iuſtum eſt: *Qui*, id eſt, quia ille, *aſtitit*, tanquam muniens & conſeruans, *à dextris pauperis. Pſal.* A dextris eſt mihi ne commouear. *Pron.* 3. Dominus erit in latere tuo, & cuſtodiet pedem tuum ne capiaris. 1. ad *Timoth.* 3. Dominus aſtitit mihi & confortauit me. Stat autem Dominus à dextris iuſtorum, quia ex illa parte diabolus impugnare vult potiſſimè. *Zachar.* 3. Oſtendit mihi Dominus IESVM ſacerdotem magnum: & Satan ſtabat à dextris eius. Et quia iuſti non habent niſi dexteram, nihil eſt in illis ſiniſtrum. *Iud.* 3. Aod vtraque manu pro dextera vtebatur.

Vt ſaluum. Ecce ſecundum, ſcilicet ſaluatio. Quaſi diceret: Sic munit ſtans in dextera: & ad hoc vlteriùs aſtitit, *vt ſaluum faceret*, non vt diuitias cumularet, vel honores, aut ſanitates corporis daret, *animam meam*, expoſita carne afflictionibus. *Iob* 9. Terra tradita eſt in manus impij: ſed anima ſalua remanet in manu Dei. *Sapient.* 3. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt. Et hoc, *à perſequentibus*, ipſam animam. *Eccleſ.* 51. Liberaſti me de manu quærentium animam meam, ſicut feciſti beatum *Iob* in 1. Verumtamen animam illius ſerua. *Matth.* 10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Quia Deus ſaluat illam nunc, tandem ſaluaturus cum illa proprium corpus. Ad *Phil.* 3. Saluatorem expectamus Dominum IESVM CHRISTVM, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ. Quod in nobis impleat, qui eſt benedictus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

IN CIX. PSALMVM.

Pſalmus Dauid.

DIxit Dominus Domino meo. Hic eſt Pſal- 1.
mus 109. in toto libro, nonus in tertia *Argumentũ Pſalmi, Chriſti ſublimatio.*
parte libri: in quo poſtquam actum eſt de beneficio Incarnationis, & Paſſionis, agitur de beneficio ſublimationis ipſius Chriſti, ad quod deuentum eſt per humilitatem Paſſionis, ſecundum illud *Luc.* 18. & 14. Qui ſe humiliat, exaltabitur. Et Paulus de Chriſto ad *Phil.* 3. Humiliauit ſemetipſum factus obediens, Patri, vſque ad mortem crucis, propter quod & Deus exaltauit &c. Nec hoc dico propter hoc quod tota ratio exaltationis fuit ex parte humiliatæ humanitatis, ſed ex parte vnitæ diuinitatis: vnde aſſignans ſublimationis Chriſti rationem, aſſignat in hoc Pſalmo, & ex parte diuinitatis, & ex parte humanitatis. Eò enim ipſo fuit excellentior humilitas, quod erat vnita diuinitas, vt impleret Chriſtus in ſe illud *Eccleſ.* 3. Quantò maior es, humilia te in omnibus. Titulus autem nihil habet noui, propter quod nec noua indiget expoſitione.

Pſalmus autem hic, quia agitur in ipſo de vtraque natura Chriſti, ad probandum, quod verè ſublimandus fuerit, & exaltandus, dicitur ſeptimus inter illos, in quibus agitur de vtraque natura Chriſti. Primus enim fuit, *Quare fremuerunt.* Secũdus, *Domine Dominus noſter.* Tertius, *Domine in virtute tua.* Quartus, *Deus iudicium tuum regi da.* Quintus, *Deus ſtetit in ſynagoga.* Sextus, *Paratum cor meum.* Septimus, hic.

Diuiditur autem in duas partes. Primò agit de Chriſti ſublimatione. Secundò de ratione ſublimandi, ibi, *Tecum principium.* In

prima

prima duo. Sublimatio enim duplex tangitur, quam oſtendit in Chriſto. Altera exaltationis in dignitate. Altera dilatationis in ſubditis. Primò oſtendit primam in Chriſto. Secundò ſecundam, ibi, *Virgam virtutis.* In prima duo. Primò tangitur eius occulta ſublimatio, quandiu in fide ambulamus. 2. ad *Cor.* 5. Secundò aperta, quando reuelabuntur abſcondita tenebrarum. 1. ad *Cor.* 4. In prima duo. Primò oſtendit Patrem operatum in Chriſto homine. Secundò quid operatus ſit in illo, quia ſublimationem vſque ad confeſſionem, ibi, *Sede à dextris meis.*

Dicit ergo: *Dominus*, Deus Pater, ſup. & ſumitur perſonaliter, ſicut 2. *Corinth.* 1. Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri IESV CHRISTI. Vel eſſentialiter pro tota Trinitate, ſicut *Iſa.* 63. Pater noſter es tu. *Matth.* 6. Pater noſter qui es in cœlis. *Dixit*, non oris flatu vocem formando, ſed opere implendo: ſuum enim dicere, facere eſt. In *Pſal.* Dixit, & facta ſunt. Vel *dixit*, id eſt, in æterno verbo ſuo ordinauit, & ſic complebit. Ordinatio enim eius æterna caſſa eſſe non poterit. *Num.* 23. Dixit Dominus, & non faciet? loquutus eſt, & non implebit? Quaſi diceret: Non eſt poſſibile. Sed ſecundum lecturam hanc ſumitur Pater perſonaliter: ſecundum aliam eſſentialiter. *Domino meo*, homini Chriſto, qui ſecundum quod homo, etſi non per id quod homo, ſed per hoc quod humanitas diuinitati eſt vnita in eo, alias filius eſſet tantum, non Dominus. *Matth.* 22. Quomodo vocat eum Dominum, ſi filius eius eſt? tantum, ſup. Quaſi diceret: Non fieret hoc.

Sede. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Quid Dominus Pater dixit Domino tuo? Hoc: *Sede à dextris meis*, in potioribus bonis meis, ſed adhuc occultatis. *Apoc.* 4. Sedes poſita erat in cœlo, & ſuper ſedem ſedens. Hoc factum fuit in eius aſcenſione. *Mar. vltim.* Aſcendit in cœlum, & ſedet à dextris Dei. Ad *Hebr.* 1. Sedet à dextris Dei in excelſis.

Duplex expoſitio huius verſus.

Donec ponam. Hîc ſecundum. Tetigit primo exaltationem Chriſti, ſed occultam, hic apertã. Ait enim: Sic dixit, cuius dicere facere eſt, vt ſederet, & hoc, *donec ponam inimicos tuos*, omnes ſcilicet infideles, præordinatos tamen ad vitam, *ſcabellum pedum tuorum*, ſubiectos ſcilicet tuis pedibus, id eſt, æternæ diuinitati tuæ, quæ omnia ſuſtinet & ſuſtentat. Ad *Hebr.* 1. Portanſque omnia verbo virtutis ſuæ. Quaſi diceret: Occulta ſit exaltatio, *donec* in fine mundi, quando omnes erunt ſubiecti: & tunc iam non amplius regnabit in occulto, quod eſt quodammodo imperfectè regnare, ſed apertè. 1. ad *Cor.* 13. Cum venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. Et ſic ſumitur *donec* propriè, & vſitatiori modo.

Vel ſic: *Sede à dextris meis donec ponã inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*, id eſt, quandiu ponã eos ſcabellum, & hoc erit æternaliter. Et ſic cum præceſſit Chriſti dignitas, ſubiungitur dignitatis eius æternitas. *Dan.* 7. Poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnũ quod non corrumpetur. Sic accipitur *donec* in multis locis Scripturæ. 1. *Reg.* 3. Heli non poterat videre lucernam, donec extingueretur, id eſt, quandiu lucebat, & ardebat. Et *Matth.* 1. Ioſeph autem vir eius non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum, id eſt, quandiu non peperit.

Nec ſequitur in his, *Sede donec ponam inimicos*: ergo non ſedebis quando poſuero, &c. Non cognouit donec peperit: ergo poſt cognouit. Lucernam non vidit donec extingueretur: ergo poſt vidit. Quia ſicut dicit *Hieron.* contra Heluidium. Non ſequitur: Heluidius non eſt confeſſus donec mortuus: ergo poſt mortem eſt confeſſus: non valet. *Chryſoſt.* ſimiliter: Non loquebatur ei donec mortuus: ergo poſt loquebatur. Nullo modo ſequitur. 1. ad *Tim.* 4. Donec venio, attende tibi, & doctrinæ: non attendet cum venerit Paulus? Abſit.

Subiiciuntur ergo inimici Chriſti pedibus eius quotidie, & ipſe regnat: & ſemper ſubiicientur, & ſemper regnabit. *Eccleſ.* 23. Superborum & ſublimium colla virtute propria calcaui. *Iſa.* 45. Hæc dicit Dominus Chriſto meo Gyro, hæredi ſcilicet, cuius apprehendi dexteram, vt ſubiiciam ante faciem eius gentes, & fiant omnes inimici ſcabellum perpetuum. Vt dicat illud *Iſa. vlt.* Cœlum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum.

Virgam virtutis. Hîc ſecundum primæ partis totius huius Pſalmi, in qua agitur de ſublimatione quantum ad regni dilatationem: & tanguntur duo. Primò nomine regni, Chriſti inchoatio. Secundò ad quos ſit ipſius extenſio, ibi, *Dominare in medio inimicorum tuorum.* Ait enim: Sic ſublimatus es, ô Chriſte, dignitate vſque ad dexteram Patris: & etiam *Dominus emittet virgam*, regiam ſcilicet poteſtatem, quam tibi conferet, *virtutis tuæ*, virtuoſæ dominationis tuæ, *ex Sion*, ad literam ex illo loco. Ex Iudæis ſcilicet, pro quibus accipitur Sion, emiſſum eſt regnum, tanquam à principio & origine. *Iſa.* 2. De Sion exibit lex. Regnum ergo Chriſti virga dicitur. *Naum* 24. Conſurget virga ex Iſraël, id eſt, regnum Chriſti ab Iſraëlitis inchoabit, & percutiet duces Moab, principalia membra diaboli. *Iſa.* 11. Egredietur virga de radice Ieſſe. Et bene dicitur virga, quia in Chriſti regno eſt iuſtitia, virga dura ad puniendos malos. *Pſal.* Reges eos in virga ferrea. Et miſericordia, ſcilicet virga aurea & tractabilis ad promouendos bonos. Hæc eſt virga Aſſueri. *Eſther. vltim.* 2.

Cur regnum Chriſti dicitur virga.

Dominare. Ecce extenſio. Etenim ſic emittet ex Sion virgam: *dominare*, ô tu Chriſte, vel dominaberis per hunc modum, vel dominabitur Deus Pater per te, *in medio inimicorum tuorum*, hoc eſt, vſque ad ipſorum medium extenditur. Primò enim factus eſt Chriſtus paruus lapis in Iudæa, ſed poſtmodum factus eſt mons magnus in toto mundo. *Dan.* 2. *Pſal.* Dominabitur à mari vſque ad mare. *Geneſ.* 49. Manus eius in ceruicibus inimicorum ſuorum: vt illos deiiciat, & ſubiiciat fidei ſuæ. Et hoc factum eſt, quando repulſa veritas à Iudæis tranſiuit ad Gentes. *Act.* 13. Oportebat primum loqui vobis verbum Dei: ſed quoniam indignos vos iudicaſtis vitæ æternæ, ecce transferimur ad Gentes. Et etiam *in medio* dicit optimè, quia in ipſis cordibus eorum, quæ in medio eorum ſunt, eſt regnum ipſius. *Iſa.* 12. Magnus & in medio 3.

medio tui sanctus Israël. *Luc.* 17. Regnum Dei intra vos est, expulsis alienis diis. 1.*Reg.*7. Auferte deos alienos de medio vestri.

Tecum principium. Hîc secunda pars totius Psalmi. Præmissa enim Christi exaltatione, hîc subiungitur de exaltationis tantæ ratione. Et cum duplex sit in Christo natura, primò sumit rationes à parte diuinitatis. Secundò à parte humanitatis, ibi, *Iurauit Dominus.* In prima duo, secundum duo quæ tanguntur de Christi diuinitate. Primum est vnitas cum Patre in creando. Secundum, æterna generatio ipsius ex Patre, ibi, *Ex vtero.* In prima tangitur vnitas in creando. Secundò tantæ vnitatis imperceptibilitas in statu moderno, sed tunc in futuro, ibi, *In die virtutis tuæ.* Dicit ergo: Sic dixit Pater filio, vt sederet ad dexteram, & regnum eius iterum dilataret, assignans rationem hanc, & dicens: O tu fili, ego sum *principium* vnum, & idem *tecum. Ioan.*10. Ego & Pater vnũ sumus, vna essentia & natura. Vnum etiam principium mecum manifestandum, non in hoc miserabili tempore, sed *in die*, hoc est, in claritate *virtutis tuæ*, tui scilicet, qui virtus mea es. 1. ad *Corinth.* 1. Prædicamus Christum Dei virtutem, &c. manifestando *in splendoribus sanctorum*, quando sancti efficientur splendidi, & in anima, secundum illud *Isa.*58. Impleuit splendoribus animam tuam: & in corpore, secundum illud *Tob. vltim.* Luce splendida fulgebis. Et illud *Matth.* 24. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris mei. Et nota *Glossam*, quæ assignat rationem, quare dicit: Ego sum tecum principium, nam tu es mecum.

Ex vtero. Hîc tangitur æterna generatio ex Patre, propter quod exaltandus. Quasi diceret: Sic sublimaberis, quia etiam *genui te*, illa inenarrabili generatione, de qua *Isa.* 53. Generationem eius quis enarrabit? *Ex vtero*, ex mea secreta substantia & occulta. Ex Patre enim dicitur filius, quasi tripliciter. Ex ore. *Eccles.* 24. Ego ex ore Altissimi prodij, primogenita, &c. Ex corde. *Psal.* Eructauit cor meum verbum bonum. *Ex vtero*, quia consubstantiale, & secum vnum. Et hoc, *ante Luciferum*, & per hoc ante omnem creaturam. *Prouerb.* 8. Ab initio, antequam quicquam faceret, ordinata sum. Aliam lecturam tangit Glossa de Dauid materiali.

4. *Iurauit Dominus.* Hîc secundum, in quo sumit rationes à parte humanitatis. Ratio autem fuit, ipsius humanitatis immolatio in ara crucis. Dicuntur autem quatuor in hac parte, secundum quatuor quæ ad hanc oblationem concurrerunt. Primò quis sacerdos, quoniam ipsemet, qui seipsum obtulit. Secundò quis finis, & fructus, vel quæ virtus magis huius oblationis fuit, ibi, *Dominus à dextris.* Tertiò tempus huius oblationis, vel modus, ibi: *De torrente.* Quartò & vltimò tam fructuosè & virtuosè offerentis exaltatio, ibi, *Propterea.*

Dicit ergo in prima, quòd ex Dei dono Christus homo fuit sacerdos offerens seipsum: & tanguntur tria. Primò diuina promissio. Secundò irreuocatio firmatæ promissionis. *Et non pœnitebit.* Tertiò materia promissionis, ibi, *Tu es sacerdos.* Dicit ergo: Sic dignum est quod sedeas, quia vnum es principium cum Deo Patre secundum quod Deus, & etiam quantum ad humanitatem, *Dominus* Deus Pater *iurauit*, firmiter promisit. Ad *Hebr.*7. Illi quidem sacerdotes sine iureiurando facti sunt: hic autem cum iureiurando. Iurauit autem per semetipsum. *Genes.* 22. Per memetipsum iuraui, dicit Dominus.

Et non pœnitebit eum. Ecce irreuocabilitas: non enim cadit vel cadere potest in Deum pœnitentia. 1.*Reg.*15. Nec enim est vt homo agat pœnitentiã. Contra *Genes.*6. Pœnitet me fecisse hominem. 1. *Reg.* 15. Pœnitet me, quòd constituerim Saül Regem. Et in eodem in fine: Samuel lugebat Saül, quoniam Dominum pœnitebat, quòd constituisset regem Saül. Resp. Mutatio fit in re exteriori, nullo modo in diuino consilio, quod est idem quod Deus: in nobis autem cum pœnitemus, fit mutatio in vtroque. Dicitur ergo Deus pœnitere propter mutationem rei, non pœnitere propter stabilitatem consilij.

Tu es sacerdos. Hîc tertium, de quo fit illa irreuocabilis promissio, quia de duobus. De sacerdotij æternitate, & de qualitate. *Secundum ordinem.* Dicit ergo: Sic firmauit & promisit. Quid? hoc: *Tu es sacerdos*, futurus, sup. *in æternum*, sacerdotio perpetuò duraturo. *Eccles.* 45. Statuit illi testamentum æternum. *Hebr.*7. IESVS autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Sed quale erit sacerdotium: *Secundum ordinem Melchisedech.* Dicitur autem sacerdos Christus *secundum ordinem Melchisech.* Primò ratione generis, quia sine genealogia fuit: nihil enim legitur de patre & matre eius carnalibus. Et Christus dixit *Matth.*12. Quæ est mater mea, & fratres mei? Ratione nominis. Dicitur enim Melchisedech idem quod Rex Salem, id est, rex pacis. Et de Christo dicitur *Isa.*9. Vocabitur nomen eius, pater futuri sæculi, princeps pacis. Ad *Ephes.* 2. Ipse est pax nostra. Ratione operis: benedixit enim Abrahæ *Genes.* 14. Et ipse dicit *Num.* 6. Inuocabunt nomen meum super filios Israël, & ego benedicam eis. Decimas accepit. Et Christo debemus dare primitias & decimas, confitendo cum Paulo. *Phil.*2. Operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. Panem & vinum obtulit *Genes.*14. Et Christus sanguinem suum sub specie vini, & carnem sub specie panis discipulis dedit, & Deo Patri obtulit, & offerri quotidie facit. *Matth.*26.

Christus sacerdos secũdum ordinẽ Melchisedech.

Dominus à dextris. Hîc secundum, in quo tangitur virtus huius sacerdotis, qui seipsum obtulit, vel fructus. Et primò in Iudæis, vel comparatione ad Iudæos. Secundò ad Gentiles, ibi, *Iudicabit in nationibus.* In prima tangitur in quibus de Iudæis specialiter apparuerit passionis virtus, & quando. *In die iræ.* Dicit ergo: Sic Dominus fortiter eum statuit sacerdotem seipsum offerentem: &, ô tu Pater (conuertit sermonem ad Patrem) *Dominus*, Christus, *à dextris tuis*, in dextris scilicet tuis constitutus, sicut paulò ante dictum est, *confregit reges*, maiores scilicet de Iudæis, & alios regentes confregit in corpore per Romanos, quando tanquam vas confractum, quilibet principum mundi portauit partem suam. *Apocal.* 3. Tanquam vas figuli confringentur.

5.

Pſal. Et tanquam vas figuli confringes eos. *Iob* 38. Brachium excelſum confringetur. Confregit in mente, quando quod cogitabant, totum diſſipatum eſt & annihilatum. *Iob* 5. Diſſipat cogitationes malignorum, ne poſſint implere manus eorum quod cœperant. Et hoc, *in die iræ ſuæ*, quando ſcilicet in illis iram exercuit per Romanos, & eos interius contriuit, & exterius. *Matth.*21. Super quem autem lapis ille ceciderit, conteret eum. Hi ſunt reges, de quibus in *Pſal.* ſuprà, & *Act.* 4. Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, &c. Sed impletum eſt illud *Iſa.* 33. Contriti ſunt in Sion peccatores.

Iudicabit in nationibus. Hîc tangitur virtus, vel fructus in Gentilibus: & tangitur primò in omnibus generaliter. Secundò in maioribus ſpecialiter, ibi, *Conquaſſabit.* In prima autem duo. Primò oſtendit eius dominium in Gentibus. Secundò fructus in omnibus communiter. *Implebit.* Ait enim: Sic confregit reges ſibi contrarios, & etiam *iudicabit in nationibus*, hoc eſt, ad Gentes, vt in illis fiat iudex, tranſibit. *Iſa.*41. Iudicium Gentibus proferet. *Ierem.* 23. Regnabit rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium & iuſtitiam in terra. Et 25. Iudicium Domini cum Gentibus. *Act.*15. In nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt.

Chriſtus reparauit ruinas hominũ & Angelorum.

Implebit ruinas. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic tranſibit ad Gentes, & *implebit*, poſt tranſitum ad illas, *ruinas illarum*, id eſt, reſtaurabit, reuocans à culpa idololatriæ, in quam ceciderant. *Iſa.*49. Terra ruinæ tuæ anguſtia erit. Et 51. Conſolabitur Dominus Sion, Eccleſiam ſcilicet, & omnes ruinas eius, reparabit, ſup. & in triumphante quantum ad Angelos, & in militante quantum ad homines: totum enim ante ruinoſum erat. *Iſa.* 2. Ruit enim Ieruſalem, & Iudas concidit. Implet etiam ruinas ſecundum *Gloſſam*, quia humilibus, & per humilitatem coram ipſo ruentibus, dat gratiæ abundantiam. 4. *Reg.*4. Vaſa vacua implet oleo Eliſeus. 1. *Pet.*4. Humilibus autem dat gratiam. *Iob* 11. Cum te conſumptum putaueris, orieris vt lucifer.

Conquaſſabit. Ecce ſecundus fructus in Gentibus. Quaſi diceret: Sic ruinas reparabit, vel humiles gratia replebit, & *conquaſſabit*, humiliando, *capita multorum*, prius per ſuperbiam erecta. *Pſal.* Tu confregiſti capita draconis, ſuperbos & elatos, qui ſunt eius capita. *Luc.* 20. Omues qui ceciderint ſuper lapidem iſtum, conquaſſabuntur. *Iſa.* 3. Humiliabitur altitudo virorum in die illa. Et 45. Glorioſos terræ humiliabo. Et hoc, *in terra*, ad literam in hac vita. Vel in terra copioſa, ſecundum aliam literam. Multi enim conquaſſantur in terrenorum abundantia. *Prou.*1. Proſperitass ſtultorum perdet eos. Vel in bono, vt ſit conquaſſatio bona. *Auguſt.* Melius eſt homini capite conquaſſato humiliter incedere, quàm capite erecto in futuro in iudicium mortis incidere.

7. *De torrente.* Hîc tertium huius partis, in quo poſtquam egit de Chriſti ſacerdotio, & poſt de virtute, vel fructu ſacerdotij, ſubiungitur de modo offerendi. Ait enim: Sic ſacerdos æternus Chriſtus confringens reges, implens ruinas, conquaſſans capita: ſed vnde hoc? quod eſt ipſius ſacrificium? Ecce, *De torrente*, de tribulatione, & anguſtia turbulenta & tranſitoria, *bibet*, inuitans conſanguineos ad eundem potum. *Matth.*20. Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Ad literam in horto trans torrentem Cedron captus fuit, & ad paſſionem ductus. 2. *Paralip.*16. *Ioan.*19. Rex Dauid orans gradiebatur per torrentem, & mirabiliter, & delectabiliter, omnes duros lapides huius torrentis ſuſtinuit. In *Pſal.* Lapides torrentis, & de torrente, illi dulces fuerunt. Hi ſunt lapides de torrente, quibus Dauid Goliam interfecit.

Propterea. Hîc quartum, ſcilicet exaltatio tam virtuosè offerentis. Ait enim: Sic bibit de torrente, pleno hauſtu, *propterea exaltabit*, in altum, audacter eleuando, *caput*, tanquam victor. Vel Dominus exaltabit caput ipſius. Ad *Phil.* 2. Humiliauit ſemetipſum, factus obediens, Patri, vſque ad mortem: propter quod & Deus exaltauit illum. *Eccleſ.* 11. Sapientia humiliati exaltabit caput ipſius. Et in 20. Eſt qui ab humilitate leuabit caput. Si ſic oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam, certum eſt, quòd nec nos intrabimus niſi per humilitatem. *Luc.* 14. & 18. Qui ſe humiliat, exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit valdè, affectus ſui cum Deo, firmiſſima coniunctione. Hæc eſt gloria, de qua *Iob* 22. Qui autem humiliatus fuerit, erit in gloria, ad quam nos perducat, &c.

IN CX. PSALMVM.

Alleluia.

C*Onfitebor tibi Domine.* Hic eſt Pſalmus 110. in toto libro, decimus in tertia parte libri. Poſtquam enim egit de Chriſti ſublimatione vſque ad dexteram Dei Patris, quod factum fuit in Aſcenſione, quando receſſit à nobis, ne nos videatur penitùs deſeruiſſe, agitur hic de beneficio commanſionis nobiſcum in Sacramento Altaris, in quo & nobiſcum perpetuò manere voluit, & nos reficere: ex quo potiſſime eſt à nobis laudandus: vnde intitulatur *Pſal. Alleluia*, & perfectè laudandus: vnde Pſalmus hic eſt digeſtus per omnes literas Alphabeti Hebraici: ſicut enim hîc dicitur, & ſuper Pſalmum 24. *Ad te Domine leuaui animam meam*, illi qui non per omnes literas diſtinguuntur, ad imperfectos laudatores pertinere videntur: qui autem per omnes, ad perfectos, qualis eſt iſte, &, *Beatus vir.* Et, *Beati immaculati.* Hilarius tamen vult in *Gloſſa*, quòd omnes huiuſmodi Pſalmi, qui per elementa digeruntur, ad rudes pertineant, & ſint ad inuitandum eos ad inſtructionis elementa & primordia diuinæ laudis. Sed *Caſſiodor.* cuius eſt ſententia prima, reſpicit ad numerum literarum, quia per omnes digeritur Pſalmus: Hilarius ad ſubſtantiam ipſarum, quia ſunt elementa, vel ordinem, quia prima principia in doctrina. Et bene vtrumque: quia in ſacra doctrina

1. *Argumentũ Pſalmi, inſtitutio ſacramenti altaris.*

Conciliatio Caſſiodori cũ Hilario.

doctrina per totum : & eſt lac quo paruulorum & rudium nutriatur infantia. 1. *Cor.*3. Tanquam paruulis in Chriſto lac potum dedi vobis non eſcam. Et eſt ſolidus cibus, quo perfectorum fortitudo amplius roboretur. Ad *Hebr.*5. Facti eſtis, de quibuſdam, quibus lacte opus eſt, non ſolido cibo. Et parum poſt : Perfectorum autem eſt ſolidus cibus.

Si autem quærat quis, quomodo cum non ſint niſi decem verſus in toto Pſalmo iſto, dicitur digeſtus per omnes literas Alphabethi ? Dicendum, quòd literæ non tantum præponuntur verſibus, ſed clauſulis, ita quòd in octo verſibus ſunt 16. In duobus autem in quibus ſunt ſex clauſulæ, ſunt ſex, & ſic ſunt 22.

Diuiditur autem Pſalmus in tres partes. Primò quidem promittit in perſona generalis iuſti, laudis confeſſionem. Secundò oſtendit laudis rationem, & cauſam, ibi, *Magna opera.* Tertiò, ne videatur, quod ad tempus debeat pro cauſis his laudari, ſubiungit laudis perpetuitatem, ibi, *Laudatio eius.* In prima duo. Primò promitttitur confeſſio laudis. Secundò ſupponitur modus laudis ipſius, ibi, *In toto corde.*

Dicit ergo : O Domine qui aſcendiſti ad dexteram patris, *confitebor tibi*, confeſſione exultationis & laudis, quæ gaudet, ſicut dicit *Gloſſa* : non iniquitatis, quæ luget : laudis quæ gratias agit, non iniquitatis quæ vulnus oſtendit. Ergo videtur, quòd non ſit gaudium in confeſſione peccati. Sed contra *Auguſt.* de pœnitentia. Peccator de peccatis doleat, & de dolore gaudeat, & ſe non doluiſſe doleat. *Prou.*14. Cor quod nouit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio eius non miſcebitur extraneus. Reſp. In confeſſione laudis, in ipſo actu laudis eſt exultatio. In confeſſione peccati, in ipſo actu dolor, ſed poſt de hoc ipſo quod doluit, gaudium. Loquitur ergo *Gloſſa*, prout in actu ſuo ſunt iſtæ confeſſiones, ſcilicet confeſſio laudis, & confeſſio iniquitatis.

In toto corde meo. Hîc ſecundum, in quo tangitur laudis modus, qui tangitur in tribus. In integritate cordis. Diſcretione. *In conſilio iuſtorum.* Et pietate. *Et congregatione.* Ait enim : Sic dixi, quòd confitebor, ſed quomodo ? *In toto corde meo*, non in parte. *Ioel.*2. Conuertimini ad me in toto corde veſtro. *Oſeæ.*11. Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt. Si intereunt, qui non totò corde laudant, ſed tantum parte cordis, quid de illis, qui ſolo ore muſſitant vel clamant, & nihil corde, de quibus *Iſa.*29. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Et *Ierem.*12. Prope es tu ori eorum &c. Qui autem toto corde laudat, pro certo teneat, quòd omnem inimici tentationem fugat. Hæc eſt enim perfecta doctrina tentationes fugandi, laudare Deum. *Pſal.* Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis ſaluus ero. Et ob hoc optimè præponitur *Aleph*, quod interpretatur mille, in quo perfectio vel doctrina tentationum fugiendarum ſup. Quaſi diceret : Quod hic dicitur, eſt perfecta doctrina fugandi tentationes.

D. Alb. Mag. Comm. in Pſal.

In conſilio iuſtorum. Hîc ſecundum eorum quæ pertinent ad modum. Quaſi diceret : Sic confitebor corde integro, *& in conſilio iuſtorum*, vt confitear diſcretè. *Eccleſ.*32. Fili, ſine conſilio nihil facias. Conſilium autem iuſtorum dicitur conſilium Dei, iuſtis datum, vt perficiantur. *Matth.*19. Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, &c. Et illud 1. *Cor.*7. De virginibus autem præceptum non habeo, conſilium autem do. Perfectum enim eſt confiteri in vera paupertate, & virginitate, & diſcretum valdè.

Et congregatione. Ecce tertium, quòd cum pietate. Confiteri enim quocumque modo extra congregationem Eccleſiæ non valet, ſed confiteri in congregatione ſanctorum & iuſtorum : quia *Matth.* 18. Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum, infundens veram fidem, vel augens, & charitatem vt ſint vnum. *Act.*4. Erat illis cor vnum, & anima vna. Idem eſt ergo ac ſi dixiſſet, Confitebor tibi in Eccleſia exiſtens, in fide, & charitate. *Eccleſ.*51. Congregate vos in domum diſciplinæ. Et propter hoc huic clauſulæ optimè præponitur *Beth*, quod interpretatur domus. Quaſi diceret : In congregatione quæ eſt Domus Dei, illi confitebor.

Magna opera. Hîc ſecundum, in quo ſubditur ratio & cauſa laudis : & dicuntur duo. Primò ſumit rationes à qualitate operum Dei vniuerſaliter. Secundò ab opere, quo liberat ſuos ſpecialiter, quia de illo intendebat, ibi, *Memoriam fecit.* In prima dicuntur quinque ſecundum quinque, quæ dicit de diuina operatione. Primò quia magna. Secunda quia cum diligentia & diſcrete facta. *Exquiſita.* Tertiò quòd glorioſa. *Confeſſio.* Quartò quòd decora. *Et magnificentia.* Quintò quod perſeuerans. *Et iuſtitia eius.* Dicit ergo : Sic dixi, quòd confitebor, & dignum eſt, quia *opera*, in ſingulari, vt vlt *Gloſſ. Domini*, à Domino nobis oſtenſa, eſt *magna.* Vel in plurali, opera Domini ſunt magna. *Iob.*5. Qui facit magna, & inſcrutabilia. Et quod opus maius illo, quod fit in conuerſione impij ? Nullum. *Auguſt.* Maius eſt de impio facere pium, quàm cœlum & terram creare. Et ipſe hoc vult. *Ezech.*18. Nolo mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & viuat. Et ſuum velle eſt facere. *Pſal.* Quodcumque voluit, Dominus fecit. Propter hoc bene præponitur huic clauſulæ tertia littera *Gimel*, quod interpretatur plenitudo diuinæ bonitatis.

Exquiſita. Hîc ſecundum. Quaſi diceret : Sic opera eius magna, *in omnes voluntates eius*, non tantum in quibuſdam : & *exquiſita*, id eſt, omni diligentia & diſcretione facta. Vel in plurali : nec refert, quia alibi in *Pſal.* Omnia in ſapientia feciſti. Quid magis exquiſitum quàm hoc, quod conuerſis mala præcedentia conuertantur in bonum ? *Rom.*8. Omnia cooperantur in bonum his, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. Quid magis exquiſitum, quàm quod ipſam ſæuitiam malorum conuertit in bonum ? *Dan.*3. Fecit medium fornacis, quaſi ventum roris flantem.

Tanta ſapientia, tanta exquiſitio, vt non attingi poſſit à ſenſu humano. *Rom.*11. O altitudo diuitiarum ſapientiæ, &c. Ipſe enim Deus in creaturis facit opera, tanquam in tabulis ſcripturas, quæ nemo legere poſſit, vel ſufficit: vnde præponitur huic clauſula *Daleth*, quod interpretatur tabulæ vel tabularum & eſt idem, ac ſi diceret: Tam exquiſita, & ſubtilia ſunt opera Dei in creaturis, vt ipſæ creaturæ ſint tabulæ tabularum, ad quarum capacitatem, nullus poſſit attingere. *Eccleſ.*3. Mundum tradidit Deus diſputationi eorum, vt non inueniret homo quod operatus eſt Deus, à principio mundi vſque ad finem.

3. *Confeſſio.* Hîc tertium, & quartum, ſcilicet glorioſa operatio Dei, & pulchra. Pro eo enim quod hîc dicitur, *Confeſſio & magnificentia*, habet litera *Hieronymi* ſecundum Hebraicam veritatem, *Gloria, & decor opus eius:* & ſecundum noſtram literam, *Confeſſio* laudis, quæ eſt eius gloria, & *magnificentia* operis, hoc eſt, opus magnificum, & perfectum, quod eſt decorum, nobis factum, non eſt à nobis, ſed, *opus eius*, eſt ſup. ipſe enim in nobis facit totum. *Rom.*10. Non eſt volentis, nec currentis, ſed Dei miſerentis. Ad *Phil.*2. Operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate. *Eccleſ.*3. Vidi ſub ſole, nec velocium eſſe curſum, nec fortium bellum, ſed totum Dei, & noſtrum eſſe, & noſtrum viuere. *Rom.*10. Ex quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia. *Act.* 17. In eo mouemur, viuimus, & ſumus. Propter hoc præponitur optime *He*, quod interpretatur eſſe, vel viuere. Ac ſi dicat: Non ſolum opus noſtrum, ſed radix operis, eſſe, & viuere, opus ſuum eſt.

Et iuſtitia. Hîc quintum. Quaſi diceret: Sic magna ſunt, & exquiſita, glorioſa, & decora: *& iuſtitia eius*, qua vnicuique reddit quod ſuum eſt, & quod ei debetur, *manet in ſæculum ſæculi*, hoc eſt, in æternum. *Sap.*1. Iuſtitia perpetua eſt, & immortalis. *Iſa.*24. Dominus exercituum, & quis poterit infirmare? Manet enim non corrumpitur: vnde bene præponitur *Vau*, quod interpretatur hæc, vel ipſa. Quaſi diceret: Iuſtitia hæc de qua loquitur hic, eſt ipſa, manens in ſe ſtabilis & firma.

4. *Memoriam fecit.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungit rationem laudis, ab opere refectionis ſpecialiter. Primò ergo commendatur Sacramenti altaris inſtitutio. Secundò operatio illius per miniſtros Eccleſiæ, ibi, *Opera manuum.* Tertiò ipſius Sacramenti perceptio cum effectu ſuo, ibi, *Sanctum & terribile.* In prima duo. Primò inſtitutionis commendatio. Secundò publicatio inſtituti, per prædicationem. *Virtutem operum.* In prima duo. Primò inſtitutio tangitur. Secundò monſtratur promiſſionis diuinæ adimpletio in inſtitutione, ibi, *Memor fuit.* In prima duo. Primò ad quid inſtituerit. Secundò quid. *Eſcam dedit.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd confitebor, quia magna, exquiſita, glorioſa, & decora, & perſeuerantia eius opera: & etiam, *fecit memoriam*, id eſt, memoriale reliquit, *mirabilium ſuorum*, id eſt, ad hoc quod ſequitur inſtituit, vt memoria mirabilium ſuorum remaneret. *Pſal.* Memoriale tuum in generatione, & generationem. Hoc memoriale, quod totos nos debet rapere ad ipſum, & omninò inebriare. *Oſeæ vlt.* Memoriale eius, ſicut vinum Libani. Maximè autem illorum mirabilium, quæ pro nobis fecit, quando pati voluit. *Luc.*22. Hoc facite in meam commemorationem. Quotieſcumque hæc feceritis, mortem Domini annuntiabitis. Memoriale puri, & conſolatio dulcis, dixit quidam. *Dominus*, inquam, *miſerator*, in actu, *miſericors*, quaſi in habitu. Suprà in *Pſal.* Miſeratot & miſericors Dominus, longanimis, & multum miſericors. Verè miſerator & miſericors, qui eſt origo olei miſericordiæ: vnde oliuæ comparatur ſuprà in *Pſal.* Ego autem ſicut oliua fructifera. *Ierem.*11. Oliuam pulchram, ſpecioſam, vberem, fructiferam, vocabit Dominus nomen tuum. Propter hoc optimè huic clauſulæ præponitur *Zain*, quod interpretatur oliua. Quaſi diceret in ſubſtantia, quod eſt dictum de Dei miſericordia. Et *Heth*, quod interpretatur pauſum: Quis ad hanc oliuam non pauſat?

Sacramentũ altaris, memoriale mirabiliũ Dei.

5. *Eſcam dedit.* Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic ad memoriam habendam aliquid fecit. Quidnam illud? *Eſcam dedit*, non vendidit, *timentibus ſe.* Patet, quòd non loquitur de materiali eſca: hanc enim non ſolum timentibus dat, ſed certè non timentibus, etiam in maiori abundantia. *Iob* 12. Abundant tabernacula prædonum. Sed de ſpirituali, ſcilicet corpore proprio & ſanguine, de ſe ipſo. *Sap.*16. Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum. Si autem tam glorioſam eſcam dat in præſenti, quid dabit in futuro? Dat enim ſe in altari modo in arrham, & pignus. Ad *Epheſ.*1. Qui eſt pignus hæreditatis noſtræ. *Chryſoſt.* Qui genuerunt alios, multoties dant illis edere alia: ego autem non ita: ſed carnibus meis nutriui vos, omnes vos nobiles eſſe volens, & de futuris bonis fidem præbens. Et in cibum, ſicut hic dicitur, & *Ioan.*6. Caro mea verè eſt cibus. *Cant.*6. Comedite amici, bibite, & inebriamini chariſſimi. Hoc Ioannes ſatiatus, & inebriatus obdormiuit in ſinu Ieſu. *Ioan.*13. In medicinam ſaluberrimam, & generalem. *Eccleſiaſt.*43. Medicina omnium in feſtinatione nebulæ. 3. *Reg.*8. Dixit Dominus vt inhabitaret in nebula: ſicut pillulæ medicinales. *Auguſt.* Qui vulnus habet, medicinam quærit. In comitem inſeparabilem. *Matth. vlt.* Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. Implet illud *Luc. vlt.* Mane nobiſcum Domine. *Ioan.*6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. In reconciliationem, & pacem. *Epheſ.*1. Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum. Ideò optimè ibi ei dicitur: Dona nobis pacem. In hoſtiam ſalutarem pro quotidianis delictis noſtris. *Ambroſ.* Quotieſcumque hoc Sacramentum ſumitur, dignè ſubaudi, peccata dimittuntur. Hæc menſa conuiuas ſuos peccatis obligatos, venialibus, ſup. immunes, & liberos facit. Verſus.

Chriſtus in euchariſtia arrha, cibus, medicina, comes, pax, hoſtia.

Arrha, cibus, medicina, comes, pax, hoſtia,
Chriſtus.

Et ob hoc optimè præponitur hæc littera *Teth*, quod

quod interpretatur bonum: quid enim æquè bonum iſto cibo, vel melius? Nihil.

Memor erit in ſæculum. Hîc ſecundum: tacta enim ſacramenti inſtitutione, monſtratur impleta diuina promiſſio. Ait enim: Sic dixi, quòd memoriam fecit, hoc eſt, faciet, & eſcam dedit, & ſic, *memor erit*, memorem ſe eſſe implendo demonſtrabit hic, *teſtamenti ſui*, promiſſionis ſuæ, *in ſæculum* duraturi. *Luc.*1. Iurauit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis. Iterum in omnibus antiquis ſacrificiis, quid aliud fiebat, niſi ex ipſis factis ſe futurum verum ſacrificium, quo reficeremur in conſpectu eius, figurabatur? Sed figuram impleri, & promiſſionem reddi oportebat. *Matth.*5. Iota vnum, aut vnus apex, non præteribit à lege, donec omnia fiant. *Iſa.*55. Verbum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum. Propter hoc optimè præponitur ibi *Iod*, quod interpretatur ſcientia, vel principium, id eſt, ſcientia, quæ eſt principium, ſcientia ſcilicet omninò certa, & infallibilis, lex diuina. *Matth.* 24. Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.

6. *Virtutem operum.* Præmiſſo de ſacramenti inſtitutione, hîc ſubiungitur de inſtituti diuulgatione, cum aliis mirabilibus, quæ fecit Chriſtus: & dicuntur duo. Primò tangitur diuulgatio. Secundò ratio, quare voluit diuulgari. *Vt det illis.* Ait enim: Sic dedit eſcam, memor teſtamenti, & poſt hoc *virtutem operum ſuorum. Gloſſa* dicit, quòd cæcos illuminauit, quòd claudos ambulare facit. *Luc.* 11. Et ego addo, quod maius eſt, quòd panem & vinum in carnem & ſanguinem proprium conuertit: quod ſuos inde paſcit. *Annuntiauit populo ſuo*, paruo, in Eccleſia conuerſo. Hæc erat virtus, de qua *Eccleſ.*18. Virtutem magnitudinis eius quis enarrabit? Virtus autem Dei, quæ hoc fecit, quid aliud eſt quàm manus Dei? Propter hoc bene præponitur *Caph*, quod interpretatur palma, vel manus. Quaſi diceret: Annuntiari voluit populo ſuo manum ſuam, potentiam ſcilicet, quæ antè neſciebatur. *Iſa.*53. Et brachium Domini cui reuelatum eſt?

7. *Vt det illis hæreditatem.* Hîc ſecundum, finis diuulgationis. Ait enim: Sic annuntiauit populo ſuo virtutem: *vt* poſt prædicationem, *det illis hæreditatem Gentium*, id eſt, ipſas Gentes faciat regni cœleſtis hæredes. Audientes enim Gentes Dei virtutem, & maximè quòd ſe exhiberet eſcam, conuerſæ ſunt, & expulſis Iudæis, hæredes regni factæ ſunt. *Matth.*21. Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. *Iſa.*55. Ecce Gentes, quas neſciebas, vocabis: Gentes quæ te non nouerunt, ad te current. Et in 2. Et fluent ad eum omnes Gentes. Et 60. Ambulabunt gentes in lumine tuo. Et hæ factæ ſunt hæreditas, quæ corde Chriſto ſeruierunt, & ſubiectæ ſunt. Vnde bene ponitur ibi *Lamed*, quod interpretatur cor ſeruiens. Quaſi diceret: Gentes dedit illis hæreditatem, quia cor ſeruiens & obediens contulit. *Ezech.*11. Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum.

Opera manuum eius. Hîc ſecundum. Poſtquam enim actum eſt de ſacramenti inſtitutione, & inſtituti publicatione, hîc agit de tranſubſtantiatione, & virtute verborum. Et primò agit de primo, de tranſſubſtantiatione, & verborum virtute. Secundò de perpetuitate, ibi, *Mandauit in æternum.* In prima tria. Primò agit de tranſſubſtantiatione. Secundò de virtute verborum, per quam fit tranſſubſtantiatio, ibi, *Fidelia.* Tertiò de fructu, & vtilitate, ibi, *Redemptionem.* In prima duo. Primò tangitur corporis Chriſti præſentia vera. Secundò abſconſio ſub ſpeciebus panis & vini iuſta. *Et iudicium.* Ait enim: Sic hæc fecit publicari, vt Gentes hæreditarent regnum: ſed quomodo fit hoc? Ecce, *Opera manuum eius*, hoc eſt, potentiæ ſuæ in illo ſacramento exercitatæ, eſt *veritas*, non phantaſia, vt ibi ſit vera eſca, eſca corporis & ſanguinis Chriſti. *Ioan.* 6. Caro mea verè eſt cibus, in altari, ſup. Et rurſus: Non ſicut manducauerunt patres veſtri manna in deſerto, & mortui ſunt. *Pſal.* Omnes viæ tuæ, operationes tuæ, veritas, non phantaſia. *Dan.*3. Vniuerſa opera tua vera. Vnde ſecure potes dicere in cœna: *Hoc eſt corpus meum.*

Et iudicium. Quia etſi verè ſit ibi & præſentialiter corpus tuum, tamen iuſto iudicio latet ſub illis ſpeciebus, quia qui adhuc eſt in carne mortali, non ſufficit quod latet ſub corporalibus & viſibilibus ſpeciebus, intueri. *Eccleſ.*16. In iudicio Dei opera eius ab initio. *Pſal.* Omnes viæ eius iudicia. Vnde optimè præponitur hîc litera Hebræa, *Men*, quod interpretatur ex ipſis. Ac ſi diceret, quod ſic veraciter præſens aſſiſtit, latet tamen ſub ſpeciebus illis, eſt ex ipſis, ex natura illorum, quæ aliter non caperent. Hoc tamen aliter legit *Gloſſa*, ſicut in illa patebit, ſed hæc lectura plus placet, & magis conſequentiæ literæ conſonat.

Fidelia omnia. Hîc tangitur de virtute & commendatione verborum, de quibus tangit quatuor. Primò, quòd fide digna. Secundò, quòd firma & ſtabilia. *Confirmata.* Tertiò, quòd impleta. *Facta.* Quartò, quòd diſcreta. *Et æquitate.* Dicit ergo: Sic præſentialiter ibi eſt, quia *omnia mandata eius*, verba ſcilicet, quibus conficitur altaris ſacramentum, ſecundum mandatum ſuum, ſicut & alia, ſunt, ſup. *Fidelia* 1. ad *Tim.* 2. Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus. *Iſa.* 25. Feciſti mirabilia, cogitationes fideles, amen. Fidelia enim neceſſe eſt eſſe, quæ à fideliſſimo ſunt mandata. *Deut.* 32. Fidelis Deus, & abſque vlla iniquitate. Hæc autem verba, ſunt illa propriè, in quorum fide iuſtus reficitur, & paſcitur ſecundum illud *Abac.* 2. Iuſtus meus ex fide ſua, maximè verborum quæ in altari proferentur, viuet. Et ob hoc optimè præponitur litera Hebræa, *Nun*, quod interpretatur paſcens eos, vel paſcua eorum. Ac ſi diceret: Hæc ſunt fidelia mandata eos paſcentia, eorum paſcua. 8.

Confirmata. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic ſunt fidelia, & ſunt etiam *confirmata*, à Deo, *in ſæculum* conſecutiuum *ſæculi*, id eſt, quandiu ſeſe ſæcula ſubſequentur, & ſibi inuicem ſuccedent, confirmata morte ipſius teſtatoris, qui quaſi condidit ex illis teſtamentum. Ad *Hebr.* 9. Teſtamentum in morte teſtatoris confirmatum eſt: & per illa confirmata confirmat ſuos in bono.

Per hoc confirmantur Eccleſiæ Prælati, & ſacerdotes. *Pſal.* de ipſis: Ego confirmaui columnas eius: quippe per illa verba præſens eſt Deus, & ſumitur Deus, qui omnia poteſt confirmare, ſicut dicit Paulus 2. *Theſſ.* 2. Fidelis Deus, qui confirmabit vos. Et propter hoc optimè præponitur *Samech*: interpretatur enim adiutorium, vel firmamentum, & coniunge firmum adiutorium. Ac ſi diceret: Per hæc verba, quæ mandauit, quæ in ſe firma, firmum adiutorium.

Facta. Ecce tertium. Quaſi diceret: Sic ſunt fide digna, firma, *& facta*, id eſt, completa, *in veritate*, id eſt, ſecundum quod veritas tradidit illa, quæ dicit *Ioan.*14. Ego ſum via, veritas, & vita.

Et æquitate. Ecce quartum, quod diſcreta. Quaſi diceret: Impleta ſunt in æquitate, in libro ſcilicet rectitudinis & iuſtitiæ, vt nihil addendum ſit, vel minuendum. *Deut.*4. Non addetis ad verbum, quod ego loquor vobis, de confectione ſacramenti altaris, nec auferetis ex eo. *Prou.*30. Ne addas verbis illius, ne arguaris, & inueniaris mendax, in illo, qui omnia videt & omnia diſcernit. Vnde hic præponitur *Ain*, quod interpretatur fons, vel oculus. Quaſi diceret: Verè in veritate facta, & æquitate, quia à fontali oculo, qui omnia intuetur. *Iob* 13. Ecce omnia vidit oculus meus.

9. *Redemptionem miſit.* Hîc tangitur fructus, vel vtilitas, ſequens ex tanta verborum virtute. Ait enim: Sic ſunt fidelia mandata, &c. per hæc *miſit redemptionem*, à quotidianis peccatis, & negligentiis, *Dominus populo ſuo*, ipſum filium ſuum, qui noſtram redemptionem quotidie operatur, miſſus ad nos, & miſſus ad ſe in ſacramento altaris. *Pſal.* Copioſa apud eum redemptio. 1. ad *Cor.*1. Factus eſt nobis à Deo ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. *Hebr.* 9. Introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta. Quis enim adinueniſſe potuiſſet niſi ipſe? vt ex ore hominis ſermo procederet, quo prolato redemptio populi mitteretur? Vnde optimè præponitur hîc *Phe*, quod interpretatur ex ore. Ac ſi apertè diceret: Ex ore ſacerdotum ſacra verba proferentium redemptio mittitur ad populum. *Sapient.* 16. Nec herba, nec malagma ſanauit eos, &c.

Mandauit. Hîc ſecundum, in quo poſtquam egit de tranſubſtantiatione, & verborum virtute, agit de perpetuitate. Ait enim: Sic ſunt fidelia mandata Dei, & efficacia, & perpetuò durantia: quia *mandauit teſtamentum ſuum*, hoc nouum duraturum, *in æternum*, totum ſcilicet nouum, in quo & hæc continentur & mandantur. *Hebr.*9. Hic eſt ſanguis teſtamenti quod mandauit Deus ad vos. Et æterni teſtamenti, quia *Matth.* 26. Hic eſt calix ſanguinis mei, noui & æterni teſtamenti.

Cur Euangelium dicitur teſtamentũ æternum.

Dicitur autem Euangelium æternum teſtamentum: quia ei aliud non ſuccedit, ſicut æterno nihil ſuccedit. *Ierem.* 31. Conſummabo ſuper domum Iſraël, & ſuper domum Iuda teſtamentum nouum. In morte enim confirmatur voluntas teſtatoris, quæ non iterabitur. *Rom.*6. Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur. Item quia proprio ore conditum eius qui æternus eſt, ſcilicet filij Dei. *Prou.*12. Labium veritatis firmum erit in perpetuum. Et ipſe veritas. *Ioan.*14. Quia quod promittit, eſt æternum. *Matth.*19. Centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Imò quod plus eſt, ad æterna ducit. *Ioan.*14. Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam, id eſt, ſalire facientis. Et hoc habet nouum propriè à ſacramento altaris, quod eſt maxima conſolatio, quod datur nobis, quod nos ad vitam perducit æternam: vnde & viaticum appellatur. Propter hoc bene præponitur hic *Sade*, quod idem eſt quod conſolatio. *Iſa.*40. Conſolamini, conſolamini populo meus, dicit Deus veſter. Conſolamini, quia do me vobis in cibum: ſed plus conſolamini, quia per hoc duco vos ad æternum.

Sanctum & terribile. Hîc tertium huius partis, in quo agitur de tanto ſacramento. Acto enim de inſtitutione, de confectione, & virtute verborum, agitur de modo ſumendi huiuſmodi ſacramentum, & fructu ſpeciali ſic ſumentium. Debet autem ſumi cum timore, vt aliquid ſapiat palato cordis: vnde dicuntur duo. Primò modus quo ſumendus eſt, quia cum timore. Secundò fructus ſic ſumentis. *Intellectus bonus.* In prima duo. Primò cauſa modi tangitur. Secundò ſubiungitur modus ſumendi. *Initium ſapientiæ.* Ait enim: Sic ſeipſum veraciter in altari, & dat & dabit: ſed aduertendum, quòd *nomen eius* eſt *ſanctum.* Verum eſt. *Luc.*1. Quod naſcetur ex te ſanctum. Imò, Sanctum ſanctorum. *Dan.*9. *Phil.*3. Dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt ſit non tantum ſanctum, ſed ſanctiſſimum. *E terribile. Eccleſ.*43. Terribilis Dominus, & magnus vehementer. *Eccleſ.*1. Vnus eſt creator omnipotens, altiſſimus, & rex potens, & metuendus nimis. Sanctum, quia ſanctificans dignè accedentes ad ſe in altari. *Leuit.* 11. Ego Deus, qui ſanctifico vos. Terribile quantum ad indignè accedentes, quia 1. ad *Cor.*11. Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit. Propter hoc de vtroque in *Pſal.* Confiteantur nomini tuo, quoniam terribile & ſanctum eſt. Et maximè in ſumptione ſacri calicis in altari: vnde determinat quod hic dicitur litera præpoſita, quæ eſt *Coph*, quod interpretatur calix, vel potatio, quia terribile & ſanctum nomen eſt, cum ſumitur in calice, & potatur. 10.

Initium ſapientiæ. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic eſt ſanctum, & terribile, & propter hoc *initium ſapientiæ*, id eſt, ſaporis, & illuminationis. Verè in illo eſt timor Domini. *Prouerb.*1. Principium ſapientiæ timor Domini. Et loquitur hîc de initiali timore, qui inchoat ſaporem: ſed filialis & caſtus, hic conſummat. Seruilis enim tantum expellit mala. *Eccleſ.* 1. Timor Domini expellit peccatum. Sed initialis facit bona, & ſaporat quodammodo ſacramenta. *Eccleſ.*15. Qui timet Deum, faciet bona, in inchoatione: vnde hîc eſt initium boni proprie intrinſecum, quod oſtendit præcedens litera *Res*, quod interpretatur caput. Quaſi diceret: Quia ſanctum & terribile eſt, quod potatur, & ſumitur, caput boni operis habe timorem, ſcilicet initialem.

Intellectus

Intellectus bonus. Hîc ſequitur effectus. Quaſi diceret: Sic ſumatur cum timore, ſi ſaporem vis habere: quia *omnibus* ſic *facientibus eum*, ſcilicet intellectum ipſius Sacramenti, eſt *intellectus bonus.* Quaſi diceret: Si ſic intelligit aliquis, & ſi operatur in ipſo ſacramento, bonus eſt eius intellectus, vel in bonitate augetur & promouetur. Si enim ſcit & intelligit ſic faciendum, & non facit, vel alio modo facit, peccat: non eſt ei ad bonum intellectus. *Iacob.*4. Scienti bonum, & non facienti, peccatum eſt illi. *Luc.*12. Seruus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens, plagis vapulabit multis. Propter hoc dicitur *Prou.*23. Quando ſederis vt comedas cum pincipe, imo principum principe, diligenter attende quæ tibi apponuntur, & ſtatue cultrum in gutture tuo, id eſt, comede cum timore, & vt ſtatim moriturus, & accidet tibi facienti hunc intellectum bonum: quod bonum litera præmiſſa dicit *Sin:* interpretatur enim egreſſio tentationis: fugat enim mirabiliter, & facit tentationes egredi digna ſumptio ſacramenti altaris.

Laudatio eius. Hîc ſecundum totius huius Pſalmi, ſicut à principio dictum fuit, in quo poſtquam præmiſit confeſſionem laudis, addit de perpetuatione. Ait enim: Sic propter antecedentia beneficia laudabo, ſed non ad tempus: quia *laudatio eius*, paſſiua, qua laudandus eſt, *manet in ſæculum ſæculi* conſecutiuum, hoc eſt, in noſtro æterno. *Eccleſ.*51. Laudabit vſque ad mortem anima mea. Vel in æternitate: vnde ibi etiam laudabo. *Daniel.* 3. Laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula. In hoc erit finis meus, in hoc omnium quæ ago conſummatio. *Auguſt.* Videbimus, amabimus, & laudabimus. Ecce quod erit in fine ſine fine. Ecce *Thau* litera vltima, quæ hic præponitur, & interpretatur conſummatio, ad quam nos perducat, qui eſt benedictus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Gloſſa alias lecturas ſatis planè perſequitur, nec immorari oportet.

IN CXI. PSALMVM.

Alleluia reuerſionis Aggæi & Zachariæ.

1. *Argumentũ Pſalmi, aduẽtus Chriſti ad iudicium.*

Beatus vir qui timet. Hic eſt Pſalmus 111. in toto libro, in tertia vero parte 11. in quo poſtquam egit de Chriſti Aſcenſione, & rurſus de eiuſdem nobiſcum manſione in ſacramento, agit de reuerſione ipſius ad iudicium, & iuſta retributione tam piis, quam impiis, ſecundum merita illorum, quæ reuerſio figurata fuit in reuerſione Aggæi & Zachariæ de Babylone, & templi reædificatione: quia ſicut in illa reuerſione templum eſt ædificatum, ſic Chriſto reuertente ad nos in die iudicij, templa corporum reædificabuntur. Si enim illa vocat Paulus 1. ad *Corinth.* 3. Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Et in 6. An neſcitis quia corpora veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui habitat in vobis, & non eſtis veſtri? quæ bene poſt annos 70. quia idem per 7. & per 70. deſignatur, & poſt reuolutionem temporum quæ per ſeptem dies currunt, fiet reuerſio, & templorum reædificatio. Hanc autem reuerſionem ſpiritualem, hanc corporum reformationem intelligentes ſancti Prophetæ, Aggæus & Zacharias, in illa figurari, non tam pro illa materiali, quam pro hac ſpirituali laudabant Deum. Et hoc eſt quod dicit titulus Pſalmi: *Alleluia reuerſionis Aggæi & Zachariæ.* In hoc Pſalmo ſubiecto, eſt laus Dei, *Aggæi & Zachariæ*, id eſt, ab Aggæo & Zacharia, *reuerſionis*, id eſt, pro reuerſione. Fortè verbis ſimilibus Deum laudabant, vel laudare poterant. Melius autem exponitur titulus, ſi ad interpretationes nominum recurratur. Aggæus enim interpretatur feſtinus: Zacharias, memor Domini. Senſus ergo eſt: In hoc Pſalmo agitur, vnde laudandus eſt Deus, à populo ſuo feſtino, & memore ſui, ſcilicet populo Chriſtiano, quia de reuerſione ipſorum, & de confuſione peccati ad ſtatum gratiæ & gloriæ.

Digeſtus eſt autem Pſalmus per literas Alphabeti Hebraici, ſicut & præcedens, & ſecundum quod in antecedenti viſum eſt, ſi diligentius attendatur, non ſine ratione literæ præponuntur.

Diuiditur autem Pſalmus in duas partes. In prima tangitur bonorum ſecundum præcedentia merita remuneratio. Secundò eſt diuerſa malorum punitio propter peccata præcedentia, ibi, *Peccator videbit.* In prima duo. Primò tangitur bonorum remuneratio ex meritis propriis abſolutè. Secundò ex his quæ habet comparatione ad alios, ibi, *Exortum eſt in tenebris lumen.* In prima dicuntur duo. Primò tangit meritum beatorum. Secundò præmium ſequens ex merito, ibi, *Potens in terra.* In prima duo tanguntur, in quibus eſt meritum iuſtorum, timor faciens à malo declinare, & bona voluntas, quæ facit in actum bonum exire ſi adſit facultas, ibi, *In mandatis.*

Dicit ergo: *Vir qui timet Dominum*, & per hoc declinat à malo, eſt *beatus*, non beatitudine patriæ, ſed viæ, & hic inchoata, non adhuc conſummata. Inchoatur enim in peccati expulſione. *Eccleſ.*1. Timor Domini expellit peccatum: & ex hoc beatum facit. *Pſal.* Beati omnes qui timent Dominum. *Eccleſ.*25. Beatus homo, cui donatum eſt habere timorem Domini. *Prou.* 28. Beatus homo, qui ſemper eſt pauidus.

In mandatis eius, id eſt, Dei, *volet nimis*, eſſe & commorari. *Eccleſ.*2. Qui timent Dominum, cuſtodient mandata eius. Et iterum 23. Nihil melius, quam timere Deum. Et ſubdit ſtatim quare: Et nihil dulcius quàm reſpicere in mandatis eius. Quare autem magis dicit, *volet*, vel *cupit* in mandatis eſſe, quam mandata faciet, tangit *Gloſſa.* Item quod dicit, *nimis*, non notat ſuperfluitatem, ſed notat abundantiam: multum enim fortificat timor Domini animam ad bene volendum, iuxta illud *Prou.*13. In timore Domini fiducia fortitudinis. Et inde eſt quod primæ clauſulæ præponitur *Aleph*, quod interpretatur doctrina, hic, *Beth* quod interpretatur domus.

Iunge ergo & inuenies, doctrina domus. Quaſi diceret: Hæc eſt doctrina Eccleſiæ, quæ domus Dei eſt. *Iſa.*46. Domus mea, domus orationis vocabitur: ſcilicet declinat à malo propter timorem Domini, & mandata Domini facere velle facit.

2. *Potens in terra.* Hîc ſecundum, in quo præmiſſo de merito, ſubiungit de præmio quod ſequitur ex his: & eſt quadruplex. Primum, in bono propoſito confirmatio. Secundum, bonorum operum multiplicatio. *Generatio rectorum.* Tertium, gloria propriæ conſcientiæ. *Gloria & diuitiæ.* Quartum, perpetuatio vel perſeuerantia iuſtitiæ. *Iuſtitia eius.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd beatus qui timet, & vult opera bona, Dei mandata: & verè, quia *ſemen*, bonum ſcilicet propoſitum in corde eius ſeminatum, *erit potens in terra*, cordis ſui, vt nullo modo poſſit auelli, iuxta illud *Roman.*8. Quis nos ſeparabit à charitate Dei, quæ eſt in CHRISTO IESV? Scio quòd nec mors, nec vita, nec inſtantia, nec futura. *Eccleſ.*44. Semen eorum, propoſitum ſcilicet bonum, in teſtamento Dei, ſup. ſtetit. Et ſic

Generatio rectorum, filij, *benedicetur*, multiplicabitur ſcilicet. *Matth.*13. Aliud fecit fructum trigeſimum, aliud ſexageſimum, aliud centeſimum. Chriſtus vir eſt beatus. *Zachar.*6. Ecce Oriens nomen eius. Et *Ierem.*31. Fœmina circumdabit virum. Iſte autem vir eſt timens Deum. *Iſa.*11. Et replebit eum ſpiritus timoris Domini. Hic in mandatis Dei pleniſſimam habuit voluntatem. *Ioan.*5. Deſcendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me. *Matth.*26. Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Huius ſemen fuerunt Apoſtoli, de quo *Iſa.*1. Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, &c. Iterum in 61. Iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus. Et ſemen potens contra carnem. 1. *Corinth.*9. dicit vnus illorum: Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo. Contra mundum. 1. *Corinth.*2. Spiritualis homo omnia diiudicat. Contra dæmonem. *Rom. vlt.* Deus conteret ſatanam ſub pedibus veſtris. *Geneſ.*22. Poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum. Et eorum generatio, filij ſcilicet, benedicta eſt: vnde in *Pſal.* dicitur Eccleſiæ primitiuorum: Benedixit filiis tuis in te. *Prouerb.*20. Iuſtus qui ambulat in ſimplicitate ſua, bonos poſt ſe filios derelinquet. *Pſal.* Super populum tuum benedictio tua.

In hoc verſu ſunt duæ literæ, *Gimel*, quod interpretatur retributio, & *Daleth* quod interpretatur tabularum. Iunge ergo & dic: Retributio tabularum. Quaſi diceret: Pro receſſu à malo, & voluntate boni, quod eſt ex tabulis legis diuinæ, hæc eſt retributio vt ſit ſemen potens, & generatio benedicta.

3. *Gloria & diuitiæ.* Quaſi diceret: Sic qui timet Dominum, potens erit & in operibus benedictus: & *gloria*, boni & ſecuri teſtimonij, *in domo eius*, in interiori conſcientia, quæ domus eſt. *Eccleſ.*32. Præcurre prior in domum tuam. Et ſuprà in *Pſal.* Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ. Et hæc eſt illi gloria, de qua *Prouerb.*21. Theſaurus deſiderabilis, & oleum in habitaculo iuſti. Vel ſcientiarum ad ſalutẽ neceſſariarum. *Iſa.*33. Diuitiæ ſalutis, ſapientia, & ſcientia. Nec mirum ſi diuitias habet qui Deum timet, quia *Iſa.*33. Timor Domini, ipſe eſt theſaurus eius. Propter has diuitias dicebat quibuſdam Paulus 1. ad *Corinth.*1. In omnibus diuites facti eſtis, ſcilicet in ſcientiis, & virtutibus, vt poſſit iuſtus dicere illud, Mecum ſunt diuitiæ & gloria. Et illud *Sapient.*7. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illo timore Dei.

Et iuſtitia. Ecce quartum bonum, ſcilicet perſeuerantia in iſtis bonis. Ait enim: Sic in domo conſcientiæ erunt gloria & diuitiæ. *Et iuſtitia eius*: totum comprehendit quicquid eſt eſt boni in anima, *in ſæculum ſæculi*, hoc eſt, in æternum manſura ſup. *Iob* 27. Innocentiam meam quam cœpi tenere, non deſeram. *Prouerb.*10. Iuſtus in æternum non commouebitur. Et ibidem: Iuſti quaſi fundamentum ſempiternum. Nec ipſa per ſeipſam deficiet, quia *Sap.*1. Iuſtitia perpetua eſt, & immortalis. Et optimè ponuntur hic duæ literæ Hebraicæ, ſcilicet *He* & *Vau*. *He* enim interpretatùr, hæc vel ipſa: *Vau* verò interpretatur, vita. Quaſi diceret: Gloriari in conſcientiæ teſtimonio, & in iuſtitia perſeuerare, hæc eſt vita, & verè vita, & ſola vita.

Exortum eſt in tenebris. Hîc ſecundum, in quo oſtenſis bonorum præmiis ex meritis propriis habitis, timore ſcilicet, & bona voluntate, hîc ſubiungitur de præmiiis habendis, per merita comparatiuè accepta. Duo ergo tanguntur. Primò aduentus Chriſti ſecundum vnam expoſitionem primus, in quo eſt radix meriti iuſtorum. Vel ſecundum aliam, in quo fiet retributio ſecundum merita illorum comparatiua, ibi, *Iocundus homo.* In prima duo. Primò aduentus Secundò aduenientis magis deſcribitur, ibi, *Miſericors.* Dicit ergo: Sic qui timet, habebit bona præcedentia, ſed etiam *rectis*, qui timent, & bonum volunt, *exortum eſt lumen*, quod lumen *Dominus miſericors* in habitu, *& miſerator* in actu bonis, *& iuſtus* malis, ſcilicet Dei filius Chriſtus. Suprà in *Pſal.* antecedenti: Miſerator & miſericors Dominus, eſcam dedit, &c. Hîc dicitur, quòd exhibuit ſuam præſentiam timentibus. *Mal.*3. Vobis timentibus Deum orietur ſol iuſtitiæ. Sed talibus timentibus, qui recti ſunt, hoc eſt, qui non timent tantum ſeruiliter, ſed diligenter. *Cant.*1. Recti diligunt te..

4.

Vel de ſecundo aduentu, in quo apparebit, & orietur rectis lux vera. *Iſa.*58. Orietur in tenebris, in turbationibus, quæ erunt in fine mundi, lux tua, & tenebræ tuæ erunt quaſi meridies. Tantò enim fulgore omnes illuminabit, vt ſecreta cordium pateant. 1. *Corinth.*4. Nolite ante tempus iudicare, donec veniat Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. Hoc autem quod ſequitur, *miſerator & miſericors, & iuſtus*, non mutatur.

Quare Chriſtus dicitur lumen.

Et nota, quòd lumen dicitur Chriſtus primò quia ſpecioſus eſt ſicut lumen, quod ſpecioſum eſt. *Sapient.*7. Specioſior eſt, Dei ſapientia, ſole, & luci, materiali, comparata, inuenitur prior. Quia ininquinabilis eſt, ſicut *Sapient.*7. Attingit vbique propter ſuam munditiam. Sui diffuſiuus, ſine omni diminutione. *Eccleſ.*1. Effudit illam Deus ſuper omnia opera ſua,

ſua, & ſuper omnem carnem. Sapientia enim Dei Patris relucet in omnibus, etiam in carne, qua nihil fragilius. Quia occultorum oſtenſiuus eſt, ſicut lumen. *Ioan.5.* Omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Quia malè agentibus odioſus, ſicut lux. *Ioan.3.* Qui malè agit, odit lucem. *Sap* 5. Grauis eſt nobis etiam ad videndum. Sanis oculis ad videndum delectabilis. *Eccleſ.11.* Dulce lumen, & delectabile eſt oculis videre ſolem. *Tob.* 4. Quale mihi gaudium, qui in tenebris ſedeo, &c. Imputribilis ſicut lux. *Pſal.* Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Item quia principium omnis motus & cognitionis ſicut lux. *Ioan.1.* Omnia per ipſum facta ſunt. *Mich.* Indicabo tibi ô homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te. Tandem quia Patri coæquæuus, qui eſt verus, & fontalis ſol. *Sap.7.* Emanatio quædam eſt omnipotentis Dei ſincera. Hic ergo optimè præponitur *Zain* primæ clauſulæ, quod interpretatur oliua: & *Heth* ſecundæ, quod interpretatur pauor. Ac ſi apertè diceret: Aduenientе Chriſto, vel in primo, vel in ſecundo aduentu, adeſt oliua pauens, oliua virens miſericordia, bonos terrens, & malos, & illis terrorem incutiens.

5. *Iocundus homo.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur de retributione: & primò ponitur retributio, quantum ad liberationem à malo. Secundò quantum ad adeptionem boni, ibi, *Paratum cor eius.* In prima tanguntur duo. Primò tanguntur merita. Secundò præmia ad carentiam mali pertinentia, ibi, *Quia in æternum.* In prima tria. Primò tangitur compaſſio cordis. Secundò exhibitio operis. *Et commodat.* Tertiò dulcedo ſermonis, ibi, *Diſponit ſermones ſuos.* Dicit ergo: Sic exortum eſt, præteritum pro futuro, *lumen rectis*, in iudicio: ſed non timeat pius, quia ille homo *iocundus eſt*, id eſt, gratus Deo, & amabilis: vnde alia litera habet *ſuauis*, *qui miſeretur*, proximo ſuo. *Luc.6.* Eſtote miſericordes, quia, &c. *Matth.5.* Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conquentur. *Prou.11.* Benefacit animæ ſuæ vir miſericors. Propter hoc dicitur *Eccleſ.30.* Miſerere animæ tuæ placens Deo: gratus Deo ſcilicet & ſuauis.

Et commodat, miſericordiam exhibens in opere, ſicut præceptum fuit *Deut.15.* Præcipio tibi vt aperias manum tuam fratri tuo egeno, & pauperi qui tecum verſatur in terra. Et in quo determinatur ibidem. Dabis mutuum. Quando? Cum perſpexeris indigere. *Luc.6.* Date mutuum, nihil inde ſperantes, non ab homine, ſed multas vſuras à Deo, quia *Prou.19.* dicitur: Fœneratur Domino qui miſeretur pauperis, mutuum dando.

Diſponit etiam *ſermones ſuos in iudicio*, rationis, dulciter loquendo, non impetuosè cum ſuo proximo, & pro tempore & loco. *Prou.10.* Qui moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt. *Eccleſ.28.* Verbis tuis facito ſtateram, vt ſit in illis modus, & menſura: & tempus loquendo obſerua, quia *Eccleſ.3.* dicitur: Tempus eſt loquendi, & eſt tempus tacendi. *Eccleſ.20.* Sapiens tacebit vſque ad tempus.

Vel *diſponit ſermones ſuos*, & ordinat profe-

renda, *in iudicio.* Diligenter enim conſiderat quid in iudicio arguenti Domino de miſericordia poſſit reſpondere, & propter hoc facit opera miſericordiæ. *Abac.2.* Contemplabor vt videam quid dicatur mihi, & quid reſpondeam ad arguentem me.

Quia in æternum. Præmiſſis meritis, hîc ſubiunguntur præmia. Et tanguntur tria. Primò perſeuerantia in bono opere. Secundò recordatio bonorum æterna. *In memoria.* Tertiò ſeparatio eius & ſecuritas à ſententia iudicis, condemnante malos, ibi, *Ab auditione mala.* Dicit ergo: Bene dixi, quòd ille qui miſericors eſt corde, commodat opere, ſermones dulces habet & bene diſpoſitos, gratus eſt Deo, *quia*, Deo dante, *non commouebitur*, ab iis bonis, *in æternum. Prou.12.* Radix iuſtorum non commouebitur. Et in 10. Iuſtus quaſi fundamentum ſempiternum, & in ſe, & in operibus ſuis, quæ non tranſeunt, ſed perpetuò perſeuerant. Suprà in *Pſal.* Tota die miſeretur & commodat, & ſemen illius in æternum manebit. 6.

Ergo operari bonum miſericordiæ proximo eſt vtile. Hæc dicunt literæ quæ ponuntur hîc. Prima *Teth*, quod interpretatur bonum. Secunda *Iod* quod interpretatur principium. Tertia *Caph* quod interpretatur manus. Quaſi diceret: Bonum principium veniendi ad Deum, eſt manus mutuum dans proximo, & illi miſericordiam exhibens.

In memoria æterna. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic non commouebitur à bono, & ipſe *iuſtus erit in memoria æterna*, vt nullo modo tradatur obliuioni à Deo. *Prou.10.* Memoria iuſti cum laudibus: & æternè perſeuerans, quia *Eccl.15.* Bonum nomen permanebit in tuto. 7.

Ab auditione. Ecce tertium. Quaſi diceret: Sic erit in memoria, & *non timebit ab auditione mala*, malitia pœnæ & miſeriæ, qua dicetur illud *Matth.25.* Ite maledicti in ignem æternum. *Iob 6.* A flagello linguæ abſconderis, & non timebis calamitatem, æternam ſup. cum venerit ſuper malos. Securitatem ergo, & ſpem æternam habebit. Hoc eſt, quod oſtenditur literis præpoſitis: *Lamed*, interpretatur enim erectio: *Men*, ex ipſis. Quaſi diceret apertè: Erectio animæ vt non timeat ab auditione mala, eſt ex ipſis de quibus loquutus ſum, miſericordiæ operibus.

Paratum cor eius. Hîc ſecundum, in quo agitur de retributione bonorum in iudicio, quantum ad boni adeptionem. Et primò tangit meritum comparatione ad alium. Secundò præmium, ibi, *Cornu eius.* In prima duo. Primò tangitur meritum comparatione ad Deum, ad quem bene ordinatur. Secundò comparatione ad proximum, ibi, *Diſperſit, dedit.* In prima dicuntur tria. Primò tangitur meritum promptæ ſpei. *Confirmatum eſt.* Tertiò ſtabilis charitatis, ibi, *Non commouebitur.* Dicit ergo: Sic non timebit ab auditione mala vir miſericors factus Deo gratus, & etiam *cor eius paratum eſt*, meritis præcedentibus, & gratia Dei, *ſperare in Domino*, non in mundo. *Pſal.* Bonum eſt ſperare in Domino, quàm ſperare in principibus, quicquid illi contingat. *Sap.12.* Cum de nobis iudicatur, ſperemus miſericordiam tuam, etiam in iudicio mortis. *Iob 13.* Etiamſi occiderit me,

in ipſo ſperabo. *Prouerb.*14. Iuſtus ſperat in morte ſua. Sunt autem tria, quæ parant cor ad ſpem certam. Primum eſt miſericordia aliis exhibita. *Eccleſ* 4. Eſto pupillis miſericors, vt pater, & pro viro matri illorum, & eris tu velut filius Altiſſimi obediens, & miſerebitur tui magis, quàm mater. Et illud *Matth.*5. Beati miſericordes. Et illud *Prouerb.*14. Qui miſeretur pauperi, beatus erit. Et paſſionum ſuſtinentia. *Roman.*5. Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò ſpem. Et Sanctorum exempla, Pauli, Matthæi, Magdalenæ. *Oſe.*2. Dabo eis vallem Achor ad aperiendam ſpem.

Tria quæ parant cor ad ſpem.

8. *Confirmatum eſt.* Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic ſperat, & etiam *cor eius confirmatum*, in fide à Deo. *Pſal.* Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis à templo tuo, &c. *Act.*16. Confirmabantur in fide. Et *Coloſſ.*2. Confirmati in fide: & confirmati à Spiritu ſancto. *Pſal.* Spiritu principali confirma cor meum Deus. Confirmatum ab Altaris ſacramento. *Pſal.* Panis cor hominis confirmat.

Non commouebitur. Ecce tertium. Quaſi diceret: Sic ſperabit, in fide firmus erit, & etiam *non commouebitur*, à ſtabili charitate, quantumcumque alij irrideant. *Iob* 12. Deridetur iuſti ſimplicitas. Et rideant. *Luc.*6. Væ vobis, qui ridetis nunc. *Roman.* 8. Quis nos ſeparabit à charitate Dei, quæ eſt in CHRISTO IESV? *Prou.* 12. Radix iuſtorum non commouebitur, id eſt, charitas, quia in Deo firmatur. *Eccleſ.*15. Firmabitur in illo, & non flectetur. *Pſal.* Rex ſperat in Domino, & in miſericordia Altiſſimi non commouebitur.

Donec deſpiciat inimicos ſuos, id eſt, donec tempus illud veniet, in quo deſpiciet deſpicientes ſe. Tale *donec* eſt hic quale ſuprà in *Pſal.* Donec ponam inimicos tuos. Non enim intelligendum eſt, quod commouendus poſtquam deſpexerit. 1. *Paral.*17. Non commouebitur vltrà populus meus Iſraël, nec filij iniquitatis atterent eos. Sed magis è contrà. *Mal. vltim.* Calcabitis impios cum fuerint ſicut puluis ſub plantis pedum veſtrorum. Iuſtus ergo hîc in terra fide ſua paſcitur, ſpe firmiter roboratur, & charitate carnalis concupiſcentia tanquam fonte quodam viuo extinguitur. Hoc notant tres literæ hic poſitæ ordine dicto: *Nun*, quod interpretatur paſcens: *Samech*, firmum adiutorium: & *Ain*, fons.

9. *Diſperſit, dedit.* Hîc tangit meritum comparatione ad proximum, in quo dicuntur duo. Primò ad proximum ordinatio debita. Secundò perſeuerantia in ordinatione illa, ibi, *Iuſtitia eius.* Dicit ergo: Sic ad Deum bene ordinatus eſt, & ad proximum, quia *diſperſit*, non ad luxuriandum, ſicut filius prodigus, qui diſſipauit omnem ſuam ſubſtantiam cum meretricibus, ſed *dedit pauperibus.* Ecce quod eleemoſyna in pluribus locis debet diſpergi, non totum in vno loco dari, ſicut ſemina diſperguntur. *Iſa.* 32. Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas. Propter hoc ſemina appellantur eleemoſynæ à Paulo. 2. *Corinth.*9. Qui parcè ſeminat, parce & metet. *Luc.*6. Omni perenti te tribue, non vni tantum. Et pauperibus debet erogari, non illis qui abundant in reditibus. *Iſa.*58. Frange eſurienti panem tuum. *Luc.* 14. Cum facis conuiuium aut cœnam, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos: & beatus eris, quia non habent &c. *Prou.*28. Qui dat pauperi non indigebit.

Eleemoſyna ordinatur.

Iuſtitia eius, eleemoſynarum ſcilicet largitio, *manet in ſæculum ſæculi* conſecutiuum. Largitio enim eleemoſynarum dicitur iuſtitia: quia quod ſuperfluum habes, pauperum eſt: & quia cum iudicio debet homo illam exequi, vt retineat ſibi quod eſt neceſſarium, & proximo pauperi det ſuperfluum: & ſic reddet vnicuique quod eſt ſuum. *Eccleſ.*14. Secundum vires tuas ex porrigens da pauperi. 2. *Corinth.*9. Non vt nobis ſit tribulatio, aliis autem remiſſio. Propter hoc *Iſa.* 58. poſtquam loquutus eſt de eleemoſyma, ſubiungit: Anteibit faciem tuam iuſtitia tua, id eſt, eleemoſyna, & miſericordia.

Cornu eius. Ecce præmium, poſtquam præceſſit meritum. Ait enim: Sic ordinatus eſt quoad Deum, & quoad proximum, & propter hoc *cornu eius*, humile in hac vita & deiectum, ſcilicet eius potentia, *exaltabitur in gloria*, æterna. *Luc.* 14. & 18. Qui ſe humiliat, exaltabitur. Eleemoſyna enim in eo primo ardorem extinguet peccati. *Eccleſ.* 3. Sicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna reſiſtit peccatis. Secundo viam faciet ad regnum, & introitum. *Prouerb.*18. Donum hominis dilatat viam eius, & ante principes ſpatium ei facit. Tandem intromiſſum exaltare faciet. *Eccleſ.*20. Qui operatur iuſtitiam, exaltabitur. *Pſal.* Exaltabuntur cornua iuſti. Et alibi: Exaltabit cornu populi ſui. Ecce verba multum pauperum, & largorum conſolatoria. Pauperum, quia tanta promittuntur ſuis largitoribus: largorum, quia pro modicis temporalibus æterna tribuuntur. Hoc monſtratur in literis *Phe*, & *Coph*: interpretantur enim diſciplina, conſolatio, potiò. Ac ſi dicat: Hæc eſt diſciplina confortans, & potans.

Effectus eleemoſynæ.

Peccator videbit. Hîc ſecundum totius Pſalmi, in quo agitur de malorum punitione. Et primò de inflictione mali. Secundò de amotione boni, ibi, *Deſiderium peccatorum.* In prima dicuntur quatuor. Primò gloriæ bonorum cognitio, & ſuæ miſeriæ. Secundò commotio & ira de ſua afflictione. *Et iraſcetur.* Tertiò inuidia de bonorum exaltatione, ibi, *Dentibus ſuis fremet.* Quartò perſeuerantia in his. *Et tabeſcet.* Dicit ergo: Sic iuſtus exaltabitur, & *peccator videbit*, hoc, & ſuam propriam miſeriam, *& iraſcetur*, commotus, & conturbatus propter illam. *Sapient.*5. Videntes turbabuntur timore horribili. *Iſa.*8. Cum eſurierit, æterna fame & miſeria, iraſcetur. Et in eodem: Iraſcetur, & maledicet regi ſuo, & Deo ſuo. Sicut è contrario dicitur de iuſto, in *Pſal.* Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam, &c. 10.

Dentibus ſuis fremet, præ inuidia de bonorum gaudiis, quæ amiſit. In *Pſal.* ſuprà: Obſeruabit peccator iuſtum, & ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis. *Matth.*13. Ibi erit fletus, & ſtridor dentium.

Et tabeſcet, malum inuidiæ in ſe retinens, & impotens complere quod deſiderat. *Ezech.*4. Contabeſcãt in iniquitatibus ſuis, & in maxima inuidia

inuidia. *Sapient. 6.* Neque cum inuidia tabeſcente iter habebo. *Amos vlt.* Qui tangit terram, terrenam animam, affligendo eam, & tabeſcet. *Pſal.* Et tabeſcere feciſti ſicut araneam animam eius.

Deſiderium. Ecce carentia omnis boni. Quaſi diceret: Sic affligitur, *& deſiderium peccatorum peribit*, ab eis, vt nihil omninò deſideratorum habere poſſint. *Apocalypſ. 18.* Deſiderabilia animæ tuæ receſſerunt à te, & omnia pinguia & præclara perierunt. *Iob 41.* Spes eius fruſtrabitur eum. Sed bonorum, non. *Prouerb. 11.* Expectatio iuſtorum lætitia, ſpes autem impiorum peribit. Illa lætitia omne bonum eſt. In eodem: Deſiderium iuſtorum omne bonum, ſicut illis, omne malum.

Hoc monſtratur in tribus literis, quæ hîc tanguntur: *Res*, quod interpretatur caput: *Sin*, egrediens: *Thau* verò conſummatio. Ac ſi diceret: Malorum caput diabolus erit, egrediens à Deo egreſſione conſummata, hoc eſt, repleta omni miſeria. A qua egreſſione nobis caueat Dominus, præmium bonorum, qui eſt benedictus per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

IN CXII. PSALMVM.

Alleluia.

1. *Pſalmus agit de laude Dei pro conuerſione Gentilium.*

Laudate pueri Dominum. Hic eſt Pſalmus 112. in toto libro, in tertia verò parte 12. Et ſicut ſuperius dictum fuit in *Pſal. Paratum cor meum*, in quinque præcedentibus Pſalmis immediatis, egit de beneficiis Dei, populo Chriſtiano exhibitis in capite ſuo Chriſto, vel in re, vel in ſpe, hinc aget de beneficiis exhibitis in ipſo corpore: & diuiditur in duas partes totum quod ſequitur. Primò agit de beneficiis in corpore Eccleſiæ exhibitis in conuerſione fidelium. Secundò in vnione conuerſorum ad inuicem, & Deo, & in Deum, ibi, *Dilexi quoniam.* In prima duo. Primò enim agit de laude Dei pro conuerſione Gentium in hoc *Pſal.* 112. Secundò de laude Dei pro conuerſione Iudæorum in ſequenti, ſcilicet 113. Titulus autem Pſalmi eſt *Alleluia:* quia agit de laude diuina pro Gentium conuerſione.

Diuiditur autem Pſalmus in duas partes. Primò agitur de diuina laude. Secundò verò de laudis cauſa, & ratione, ibi, *Excelſus ſuper.* In prima dicuntur tria. Primò inuitat ad Dei laudem. Secundò ad laudis perpetuitatem. *Sit nomen.* Tertiò ad laudis generalitatem, ibi, *A ſolis ortu.* In prima inuitat ad laudem eius in ſe. Secundò in ſuo nomine. *Laudate nomen.*

Dicit ergo: Sic monui ad laudem Dei pro beneficiis in capite Chriſto exhibitis, & me etiam promiſi laudaturum, & vos ô *pueri*, non ætate, ſed ſimplicitate, & cordis puritate, *laudate Dominum.* Talium enim laus ſpecioſa eſt, non in ſordibus peccatorum voluptuantium. *Eccleſ. 15.* Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, ſed pueri. *Pſal.* Ex ore infantium & lactentium: qui carent malitia, nec fantur detractionis, adulationis, & blaſphemiæ verba, & ſugunt lac doctrinæ: perfeciſti laudem, vt ſint laudantes pueri, puritate oris, puritate cordis, & puritate operis. *Dan. 3.* Tunc hi tres pueri quaſi vno ore Deum laudabunt in fornace, dicentes, &c. *Auguſt.* Sit ſenectus veſtra puerilis, & pueritia ſenilis, id eſt, vt nec ſapientia veſtra cum ſuperbia, nec humilitas ſine ſapientia, vt laudetis Dominum in ſæculum ſæculi.

Laudate nomen Domini. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic laudate Dominum, nec ſolum ipſum in ſe, ſed *laudate nomen Domini*, id eſt, Dominum in ſuo nomine, quod eſt nomen pueri, & pietate redundans. *Cantic. 1.* Oleum effuſum nomen tuum. Nomen ſalubre. *Act. 4.* Non eſt aliud nomen ſub cœlo, in quo oporteat homines ſaluos fieri. Nomen excelſum. Ad *Phil. 2.* Dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Propter hoc dicitur *Eccl. 51.* Laudabo nomen tuum aſſiduè. *Ioël. 2.* Laudabitis nomen Domini Dei veſtri, qui fecit vobiſcum mirabilia.

Sit nomen Domini. Hîc inuitat ad laudis perpetuitatem. Quaſi diceret: Sic laudate nomen: & *nomen* eius *ſit benedictum*, à nobis non ad tempus: ſed, *ex hoc nunc*, & *vſque in ſæculum.* Et, ſuperfluit more Hebraico, hoc eſt, vſque in æternum, vel vſque in ſæculum futurum. Quaſi diceret, quod non eſt ceſſandum ab eius laude. De iſto *Tob. 3.* Sit nomen tuum benedictum in ſæcula. *Eccleſ. 51.* Laudabit vſque ad mortem anima mea Dominum. Et certè ſi ſic eſt, poſt mortem non ceſſabit, etſi non audiatur. *Pſal.* Benedicam Dominum in omni tempore, imò vltra omnia tempora. *Dan. 3.* Benedictum nomen gloriæ tuæ, & laudabile, & ſuperexaltatum in omnibus ſæculis. 2.

A ſolis ortu. Hîc tertium. Quaſi diceret: Sic monui vt laudetur, & ſemper, *à ſolis ortu* ſit *laudabile nomen Domini*, id eſt, laudetur, & laudabile reputetur, quod in ſe ſemper eſt laudabile, *vſque ad occaſum. Malach. 1.* A ſolis ortu vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus. *Iſa. 4.* A finibus terræ laudes audiuimus, gloriam iuſti. Et 42. Cantate Domino canticum nouum, laus eius ab extremis terræ. Et 45. Sciant hi qui ab ortu ſolis, & qui ab Occidente, quoniam abſque me non eſt Deus. 3.

Excelſus ſuper omnes. Hîc ſecunda pars Pſalmi, ſcilicet ratio, & cauſa quare laudandus: quia cum eſſet tam excelſus, vſque ad conuerſionem Gentium humiliari eſt dignatus: vnde dicuntur duo. Primò ipſius celſitudo. Secundò celſitudinis humiliatio, ibi, *Humilia reſpicit.* In prima duo. Primò tangitur ipſius celſitudo. Secundò celſitudinis incomparabilitas, & magnitudo, ibi, *Quis ſicut.* In prima duo. Primò celſitudo diuina comparatione ad inferiores creaturas. Secundò comparatione ad ſuperiores, ibi, *Et ſuper cœlos.* 4.

Dicit ergo: Sic monui vt Deus laudetur: & hoc dignum eſt: quia *Dominus* eſt *exceſſus ſuper omnes Gentes.* Ergo fortius ſuper omnes alias creaturas inferiores. *Iſa. 12.* Mementote quoniam excelſum

excelſum eſt nomen eius. Etiam ſuper illos, qui videntur aliis fuiſſe excelſiores. *Iob* 35. Excelſus Dominus in fortitudine ſua, & non eſt ſimilis ei in legiſlatoribus. Et in *Pſal.* Cognoſcant quia nomen tibi Dominus: tu ſolus altiſſimus ſuper omnem terram.

Et ſuper cœlos, non tantum ſuper Gentes, id eſt, Angelos, qui ſunt cœli ſpirituales, *gloria eius*, eſt ſup. *Iſa.* 57. Hæc dicit Dominus excelſus, & ſublimis habitans æternitatem. *Iob* 40. Excelſior cœlo eſt. De vtroque *Iſa. vltim.* Cœlum mihi ſedes eſt, & terra ſcabellum pedum meorum. *Iob* 37. Super omnes cœlos conſiderat, & lumen eius ſuper omnes terminos terræ. *Eccleſ.* 24. Ego feci vt in cœlis oriretur lumen indeficiens, & quaſi nebula texi omnem carnem.

5. *Quis ſicut Dominus.* Ecce ſecundum, in quo monſtratur celſitudinis incomparabilis magnitudo. Quaſi diceret: Sic dixi, quòd excelſior ſuper omnes gentes: & verè dixi, quia *quis*, quantumcumque excelſus eſt, ſup. *ſicut Deus noſter?* excelſus. *Exod.* 15. Quis ſimilis tui in fortibus Domine? *Iſa.* 6. Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, in ſe, eleuatum, comparatione ad omnem creaturam. Imò ſi poteſt aliqua creatura aliquo modo à longè ſequi, & non attingere celſitudinem, valdè magnum eſt. *Eccleſ.* 23. Ego in altiſſimis habito, & thronus meus in columna nubis. *Pſal.* Mirabilis in altis Dominus.

Sed ſedem amiſit, & habitationem ſuam *Michæ.* 7. Periit ſanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt. Vnde impletur illud *Luc.* 9. Filius hominis non habet vbi caput reclinet.

6. *Et humilia reſpicit.* Hîc ſecundum, in quo monſtrata Dei filij excellentia, monſtratur eius condeſcenſio pia: & dicuntur duo. Primò hominibus condeſcenſio, & illorum reſpectus generaliter, in quocumque ſtatu ſint. Secundò fructus condeſcenſionis, ibi, *Suſcitans de terra.* Dicit ergo: Tantus eſt Deus, & tamen, *humilia reſpicit*, eis condeſcendendo, non tantum in vno loco, imò *in cœlo, & in terra. Iſa. vltim.* Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & humilem, & contritum, & trementē ſermones meos? *Luc.* 1. Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. *Pſal.* infrà: Excelſus Dominus, & humilia reſpicit. *Exod.* 25. Reſpexit Dominus humilitatem noſtram, labores & anguſtias: quippe omnes videt. Quantò ergo potius illos quos amat? In omni loco oculi Domini contēplantur bonos & malos, ſed differenter: oculo ſiniſtro malos reſpicit, eorum facta interiora & exteriora iudicando: bonos autē in melius promouendo, oculo dextro, vel à peccatis liberando, ſi electi ſunt. *Sap.* 4. Et reſpectus in electos illius.

7. *Suſcitans de terra.* Hîc tangitur condeſcenſionis & reſpectus fructus. Tangitur autem duplex. Primò gentium ereptio à culpa. Secundò ereptorum congregatio in Eccleſia, ibi, *Qui habitare facit.* In prima duo. Primò ereptio. Secundò finis, & ratio, ibi, *Vt collocet.* In prima duo. Primò ereptio Gentium ab amore terrenorum. Secundò à voluptate carnalium deſideriorum. *Et de ſtercore.* Dicit ergo: Sic reſpicit humilia, & per hunc reſpectum eſt *ſuſcitans*, quaſi mortuum, *inopem*, qui opem gratiæ non habebat. Et hoc, *de terra*, in qua iacebat per concupiſcentiam terrenorum. *Pſal.* Conglutinatus eſt in terra venter noſter. *Amos* 7. Quis ſuſcitabit Iacob de terra, in qua iacet, quis paruulus eſt? & paruulorum ſcilicet amator factus. Nullus hominum hoc poterit. *Eccleſiaſt.* 51. Aſpiciens eram adiutorium hominum, & non erat. Propter hoc dicitur inops, ſed ille ſuſcitabit illum, qui ſuſcitauit Archiſynagogi filiam in domo mortuam. *Matth.* 8. vel 9. Filium viduæ in porta Naim. *Luc.* 7. Et Lazarum quatriduanum. *Ioan.* 11.

Et de ſtercore, fœtore ſcilicet carnalium voluptatum, *erigens pauperem.* 1. *Reg.* 2. idem fere. Et nota, quòd ſtercora dicuntur temporalia *Tob.* 2. Excæcatus eſt ſtercoribus hirundinum. Et *Thren.* 4. dicitur: Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora. Et Apoſtolus omnia temporalia tanquam ſtercora reputabat. *Phil.* 3. Et carnalia vitia, ſicut hic. *Ioël* 1. Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo. *Soph.* 1. Corpora eorum ſicut ſtercora. *Eccleſ.* 9. Mulier fornicaria, quaſi ſtercus in via conculcabitur. Et pœnitentiæ vilia indumenta. *Luc.* 13. Dimitte illam & hoc anno, donec fodiam circa illam, & mittam ſtercora.

Bona temporalia & vitia carnalia dicūtur ſtercora.

8. *Vt collocet eum.* Hîc finis & intentio liberantis ab his, & erigentis: & tangitur duplex. Primò collocatio eius cum Angelicis poteſtatibus. Secundò cum Apoſtolis, ibi, *Cum principibus.* Ait enim: Sic ſuſcitat de terra, ſic erigit de ſtercore, & ad hoc, *vt collocet eum*, inopem ſcilicet, *cum principibus*, Angelis. *Apocal.* 21. Menſura hominis, quæ eſt Angeli: vnum ſcilicet facti ſunt Angeli & homines per Chriſtum. *Apocal. vlt.* Vide ne feceris: conſeruus enim tuus ſum, & fratrum tuorum. Quod autem Angeli principes ſint, manifeſtè apparet per illud *Dan.* 12. In illo tempore conſurget princeps magnus. Et in *Pſal.* ſuprà: Conuenerunt principes coiuncti pſallentibus. Et etiam, *collocet cum principibus populi ſui*, iudicibus, *ſup.* hi enim ſunt Apoſtoli. *Pſal.* Conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Et alibi: Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham. *Matth.* 19. Amen dico vobis, quòd vos qui ſecuti eſtis me, &c. Cum his multos conſtituit de gentibus propter ſe omnia relinquentes, & ipſum ſequentes. Propter hoc dicitur *Iob* 35. Iudicium pauperibus tribuit, & reges in ſolio collocat in perpetuum.

9. *Qui habitare facit.* Hîc ſecundus fructus diuini reſpectus, ſcilicet congregatio Gentium (ad quod tendebat Pſalmus) in vnitatem primitiuæ Eccleſiæ, & ipſius fructificatio: vnde dicuntur duo. Primò ipſorum congregatio & vnio cum Eccleſia. Secundò vnitæ exultatio in fructificatione filiorum, & bonorum operum, ibi, *Matrem filiorum.* Dicit ergo: Nullus eſt ſicut Deus noſter, qui prædicta bona facit, & etiā, *qui habitare facit in domo*, in primitiua Eccleſia, de Iudęis, quæ domus erat, non ciuitas adhuc. *Ioan.* 10. Alias oues habeo, quæ non ſunt de hoc ouili, & illas oportet me adducere. *Sterilem*, Gentilitatem, quæ prius omninò ſterilis erat à bonorum opere, à ſpiritualium filiorum generatione:

vnde

vnde per Saram significabatur. *Genes.*16. Sed vnitam cum primitiuis de Ecclesia. *Ephes.* 2. Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. *Psal.* Qui habitare facit vnius moris in domo, Ecclesiæ, de qua *Matth.* 21. Domus mea, domus orationis vocabitur.

Matrem. Hîc secundum, in quo subiungitur exultatio cum causa exultationis. Ait enim: Sic sterilem fecit inhabitare in Ecclesia, faciens etiam ipsam, *matrem filiorum. Isa.*54. Lauda sterilis, quæ non paris: erumpe & clama, quæ non parturis, quia multi filij desertæ, magis quam eius, quæ habet virum, &c. 1. *Reg.*2. Donec sterilis peperit plurimos: & quæ multos habebat filios, infirmata est. *Lætantem*, nunc post partum, etsi in ipso partu aliquantulum contristetur. *Ioan.*16. Mulier cum parit, tristitiam habet: cum autem peperit, non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum. *Genes.*20. Dixit Sara post partum: Risum fecit mihi Dominus. In *Psal.* Infrà: In domum Domini, dicit gentilis populus, id est, in Ecclesiam, lætantes ibimus, in militantem hîc, & postmodum in triumphantem, ad quam nos perducat, qui est benedictus in sæcula, &c.

IN CXIII. PSALMVM.

Alleluia.

Psalmus agit de laude Dei pro conuersione Iudæorum.

1. IN exitu Israël de Ægypto. Hic est Psalmus 113. in toto libro, 13. in tertia parte libri, in quo agit de laude Dei pro conuersione Iudæorum. Et quia illorum conuersio est duplex, alia particularis inchoata in primitiua Ecclesia & vsque nunc continuata, alia vero vniuersalis in fine mundi fienda, agetur de vtraque, præposito titulo satis exposito, scilicet Alleluia.

Et diuiditur Psalmus in duas partes secundum has duas conuersiones, seu vocationes. In prima agitur de laude Dei pro Iudæorum conuersione particulari. In secunda verò pro vniuersali, ibi, *Domus Israël sperauit.* Quamuis sequendo *Glossam* posset de omnibus ad fidem conuersis exponi. Sed illas melius, & magis propriè figurauit exitus de Ægypto. In prima dicuntur duo. Primò tangitur conuersio. Secundò laus Dei pro conuersione illa, cum detestatione spurcitiæ idolorum, ibi, *Non nobis Domine, non nobis*, &c. In prima tanguntur tria. Primò conuersio tangitur. Secundò quorum ministerio facta sit, ibi, *Montes exultauerunt.* Tertiò cuius authoritate, ibi, *A facie Domini.* Et in prima tangitur primò quorundam conuersio: de particulari enim agitur. Secundò quorundam auersio, imo plurimorum, ibi, *Mare vidit.* Ad conuersionem autem concurrunt duo quæ tanguntur. Primò mali desertio. Secundò adhæsio bono, ibi, *Facta est Iudæa.* Et desertio mali primo in se. Secundò occasiones mali. *Domus Iacob.*

Dicit ergo: *Israël* (potest esse nominatiui casus, vt locum habeat sequens relatio) *in exitu de Ægypto*, spirituali, scilicet de peccato, quod dicitur Ægyptus, quia Ægyptus tenebræ interpretatur, & peccatum tenebra est. *Prou.*3. Via impiorum tenebrosa. *Psal.* Fiat via illorum tenebræ, & lubricum. *Sap.*1. Excæcauit eos malitia eorum. Qui exitus figuratus fuit in exitu literali, de quo *Exod.*14.

Domus Iacob. Hîc secundum. Quasi diceret: Israël in exitu de Ægypto, id est, cum exiret de Ægypto: & *Domus Iacob*, in exitu, id est, cum exiret, *de populo barbaro*, id est, de malorum consortio, scilicet infidelium, secundum illud Pauli 1. ad *Cor.*6. Exite de medio infidelium, & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis.

Cur peccatores appellantur barbari.

Dicuntur autem mali & infideles barbari. Primò propter bestialem deformitatem, quæ in ipsis est. *Tit.*1. Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Propter indomabilitatem: quia nulla lege refrænantur. *Isa.*24. Transgressi sunt leges meæ, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum. Propter habitus diuersitatem: quia barbari pellibus animalium induuntur. *Abac.*3. Turbabuntur pelles terræ Madian. *Ierem.*13. Nunquid potest Æthiops mutare pellem suam? Propter victus asperitatem: barbari enim vilibus, & asperis pascuntur, sicut peccator. *Iob* 30. Manducabant herbas, & arborum cortices, id est, in vanis & apparentibus delectantur. Propter solitudinis inhabitationem: habitant enim peccatores in peccatis, & penuriis gratiæ Dei, & sapientia. *Iob* 30. In desertis habitabat torrentium, & in cauernis terræ. Propter ferocitatem & bellorum amorem. *Psal.* Dissipa Gentes, quæ bella volunt. *Iacob.*4. Vnde bella & lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis quæ militant in membris vestris? Propter barbarum & crinium longitudinem. *Hieron.* Homines fuge, quos videris catenatos, habentes barbam prolixam, longos crines, sordidos habitus.

Posset etiam legi, vt hec quod dicitur *Israël*, & *domus Iacob*, esset genitiui casus, & patet constructio sic: *In exitu Israël*, id est, Israëlitici populi, *de Ægypto*, vt suprà: *domus*, id est, familiæ, *Iacob*, *de populo barbaro.*

2. *Facta est Iudæa.* Hîc secundum, scilicet adhæsio bono, quia confessio diuinæ potestatis, & laus: & tanguntur duo. Primò Dei confessio. Secundò fructus sequens ex laude, ibi, *Israël potestas.* Ait enim: Sic Israël de peccato exeunte, & domo Iacob de prauo consortio, *facta est sanctificatio eius Iudæa*, confessio laudis diuinæ. Quasi diceret: Laudauit Deum, in quo sanctificatus fuit, & confessus est ipsum. Confessio enim fidei sanctificat. *Act.*15. Fide purificans corda eorum. 1. *Cor.*6. Abluti estis, & sanctificati in nomine eius. Ad *Rom.*10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Sicut & ipsa confessio peccati. 2. ad *Tim.*2. Si quis emundauerit se ab his, erit vas sanctificatum Domino in honorem. *Isa.*45. Narra si quid habes, vt iustificeris.

Hæc sanctificatio figurata fuit in illa literali, qua sanctificati fuerunt ingredientes terram illam. *Ios.*3. Sanctificamini: cras enim faciet in vobis Dominus mirabilia. Hæc sanctificatio placet Deo non modicum. 2. *Thes.*4. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, per peccati confessionem, & fidei puritatem.

Israël potestas eius. Ecce secundum. Quasi diceret: Sic sanctificati sunt, & sic *Israël*

Factus

factus eſt *poteſtas eius*, ipſius ſcilicet Iſraël. Quaſi diceret: Per hoc Iſraël factus eſt potens, qui primò in peccato ſeruus, & deiectus erat. *Ioan.*4. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Quid mirum? Qui bene peccata confeſſus eſt, & fide purgatus, charitatem habet. *Cant.*8. Fortis eſt vt mors dilectio. Et *Anguſt.* Nihil fortius habente charitatem. *Ioan.*1. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Hæc poteſtas figurata fuit in illa poteſtate, quæ collata fuit filiis Iſraël, poſt ingreſſum in Iudæam. *Ioſ.*1. Omnis locus quem calcauerit veſtigium pedis veſtri, veſter erit.

Mare vidit. Hîc ſecundum, in quo agitur
3. de auerſione, & obſtinatione aliquorum de Iudæis, quamuis apertè cognoſcerent ipſum eſſe Chriſtum: & dicuntur duo ſecundum duplicem cauſam. Prima eſt amaritudo inuidiæ. Secunda, amor carnalis obſeruantiæ, ibi, *Iordanis.* Dicit ergo: Sic exeuntes fideles de peccato, & de prauorum conſortio, ſanctificati & fortes facti ſunt: ſed *mare*, Iudæi multi, inuidia liuidi ſicut mare, & turbulenti itacundia, *vidit*, opera Chriſti, *& fugit*, reſiliit à bono & conuerſione. *Iſa.* 6. Videte viſionem, & nolite cognoſcere, vrgente vos inuidia & turbatione. *Iſa.*57. Cor impij quaſi mare feruens. *Iſa.*30. Fugietis à verbo donec relinquamini. In aliquibus tamen, qui boni fuerunt, viam habuit doctrina Chriſti. *Sap.*19. In mari rubro via ſine impedimento. Sed hoc verum eſt, quando mare rubeum eſt per dolorem peccatorum, & paſſionis Chriſti meditationem: vnde ſic tranſitus ſignificatus fuit maris rubri diuiſione, & libero tranſitu, per illud *Exod.*14.

Iordanis. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic exiſtentes in infidelitatis amaritudine fugerunt: *Iordanis* verò, id eſt, exiſtentes in carnalium obſeruatione, quæ iuſto Dei iudicio Iudæis ſunt impoſita, *conuerſus eſt retrorſum*, à Deo, & fidei veritate. *Zach.*7. Noluerunt attendere, ſed auerterunt ſcapulam recedentes. *Iſa.*59. Auerſi ſumus, ne iremus poſt tergum Dei noſtri. Hoc eſt quod dicitur *Ioan.* 6. Quando inuitabat ad eſum ſuæ carnis, & potum proprij ſanguinis. Multi enim abierunt retrò, & vltra non ambulabant cum Ieſu.

Vel ſic poſſet legi, vt primum huius verſus ad malos referretur, ſecundum ad bonos. Quaſi diceret: *Mare*, mundani ſcilicet homines, *vidit*, poteſtatem conuerſorum ad Chriſtum, *& fugit*, retraxit ſe à ſuo timore, & feruore *Naum* 1. Increpans mare, & exiccans illud. *Et Iordanis*, humiles baptizati: Iordanis enim humilis defectus interpretatur, & in Iordane Dominus baptizatus eſt *Matth.*3. & *Luc. conuerſus eſt*, à peccatis ſuis, *retrorſum*, ad Deum à quo in eſſe exiuit. *Iſa.*30. Conuertimini, ſicut in profundum receſſeratis filij Iſraël. *Eccleſ.*1. Ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur.

Montes exultauerunt. Hîc ſecundum: tacta
4. enim aliquorum conuerſione, oſtenditur hîc per quos facta ſit iſta conuerſio, & per quales, quia per Apoſtolos exultantes, & per Apoſtolis ſimiles. Tria ergo dicuntur in Apoſtolorum conuerſione. Primò illa exultatio tanquam ductorum gregis, & Apoſtolorum ſequacium. Secundò ipſorum admiratio de obduratione nolentium conuerti, ibi, *quid eſt tibi mare?* Tertiò repetitur exultatio Apoſtolorum, & eorum ſequacium, pro multiplicatione fidelium, ibi, *Montes exultaſtis.* Et in prima duo. Primò exultatio Apoſtolorum tangitur. Secundò Apoſtolos imitantium, & ſequacium illorum. *Et colles.* Dicit ergo: Sic aliqui ſunt conuerſi, aliis remanentibus in erore: *& montes* Apoſtoli ſcilicet, *exultauerunt*, pro conuerſione. *Pſal.* Montes exultabunt à conſpectu Domini. *Iſa.*9. Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores capta præda. Et 49. Iubilate montes laudem. Montes dico facti, *vt arietes*, gregum ſcilicet ductores. Hi enim ſunt arietes, de quibus ſuprà: Afferte Domino filios arietum. *Prou.*30. Aries, & non eſt qui reſiſtat ei. Fuit talis aries Petrus, fuit & Paulus.

Dicuntur autem Apoſtoli montes propter firmitatem. *Rom.*8. Quis ſeparabit nos à Charitate Dei, quæ eſt in Chriſto? Hinc Pſalmus: Fundamenta eius in montibus ſanctis, id eſt, firmis. Sanctum enim idem eſt quod firmum. Item propter vitæ eminentiam. *Phil.*3. Conuerſatio noſtra in cœlis eſt. *Dan.*3. Lapis paruus, primo vilis & abiectus, Petrus, & Andreas: venit in montem magnum. Item propter priorem radiorum ſuſceptionem, & infuſionem aliis. *Pſal.* Suſcipiant montes pacem populo. *Apoſtoli comparantur montibus.*

Et colles. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic Apoſtoli ſunt lætati: *& colles*, ſcilicet minores ſancti & Apoſtolorum ſucceſſores & illis ſubiecti, *exultauerunt*, pro conuerſione infidelium, *ſicut agni omnium*, ſicut ſimplices & benigni. *Act.*13. Diſcipuli replebantur Spiritu ſancto, & gaudio. Et ſicut agni. *Sap.*19. Tanquam agni exultauerunt magnificantes te Domine, qui liberaſti eos. *Iſa.*55. de vtriſque: Montes & colles cantabunt coram vobis laudem.

Quid eſt tibi mare. Hîc ſecundum, in quo
5. ſubiungitur admiratio pro obduratione nolentium conuerti propter infidelitatem. Secundò nolentium conuerti propter carnalium obſeruationum amorem. *Et tu Iordanis.* Lege ergo ſic: Ita Apoſtoli, & Apoſtolorum Diſcipuli, exultabunt, dicentes admirando: *O mare*, amare, ſcilicet populo Iudæorum, *quid eſt tibi quod fugiſti?* ſcilicet à tam apertiſſima veritate. Talis increpatio eſt 2. *Paral.*24. Quare tranſgredimini mandatum Domini, quod vobis non proderit, & dereliquiſtis Dominum, vt derelinqueret vos? Et hæc increpatio pro fuit in aliquibus. *Iſa.*43. Dedit in mari viam. Et in 50. In increpatione mea deſertum faciam mare, vt eiiciat mortuos ſuos, id eſt, malos motus. *Apoc.*20. Et mare reddidit mortuos ſuos, confitendo & enarrando illos.

Et tu Iordanis. Hîc eſt ſecundum. Quaſi diceret: Quid eſt infidelis populus, quod à veritate fugis? *Et tu Iordanis* populo humiliter deſcendens in carnales obſeruantias, quid eſt tibi, repete, *quia conuerſus es*, fugiendo à bona informatione, *retrorſum*, & ſermones doctrinæ ſanæ abiiciendo? *Pſal.* Proieciſti ſermones meos retrorſum. *Iſa.*5. Quid vltra debui facere vineæ meæ, & non feci? *Mich.*3. Populo meus quid feci tibi? & in quo moleſtus fui? Non eſt cauſa ex parte mei, ſed ex parte tui.

*Act.*7.

Act.7. Dura ceruice, & incircunciſi corde, vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis.

6. *Montes exultaſtis.* Hîc tertium, in quo ſubiungitur iterata Apoſtolorum, & ſubiectorum illis exultatio pro multiplicatione fidelium. Et primò maiorum. Secundò minorum. *Et colles.* Dicit ergo conuertens ſermonem ad illos: O vos *montes*, quid *exultaſtis* de conuerſorum multiplicatione, *ſicut arietes*, gregum plurimorum læti duces? Hanc multiplicationem & lætitiæ cauſam in montibus videbat Ezechiel cum dicebat in 35. Vos montes Iſraël ramos veſtros germinetis, & fructum faciatis populo meo vnde gaudeatis. *Phil.4.* Itaque fratres mei dilectiſſimi, gaudium meum, & corona mea. *1.Theſſ.2.* Quæ eſt ſpes mea, aut gaudium, aut corona gloriæ, nonne vos in Domino?

Et colles. Et quid eſt *colles*, quod exultaſtis, repete, *ſicut agni ouium? Iſa.51.* Aperiam in ſupremis collibus flumina, gaudiorum, ſup.

A facie Domini. Hîc tertium, in quo oſtendit cuius authoritate facta fuerit conuerſio, quia per vnum: & dicuntur duo. Primò quòd per ſolum Deum facta fuerit. Secundò quòd neceſſe fuit ita fieri. *Qui conuertit petram.* In prima dicuntur duo. Primò quod per Deum conuerſio facta ſit, & Iudæorum commotio ad pœnitentiam. Secundò oſtendit de quo Deo intelligit, quia non de recenti aliquo, ſed de Patriarcharum Deo. *A facie Dei Iacob.* Dicit ergo: Sic conuerſi ſunt, & Apoſtoli cum ſuis ſucceſſoribus ſunt lætati: ſed per quem hoc factum eſt? Ecce: *Terra*, ſcilicet Iudæorum terrena corda, *mota* ſunt ad pœnitentiam & conuerſionem, *à facie Domini*, à præſentia ſcilicet Domini. *Bar.3.* Poſt hæc in tertis viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Et à præſentia etiam ſpirituali: quia præſens eſt per clementiam ſuam & gratiam, quam infundit in illis intuitu ſuo, ſicut Matthæum intuitus eſt in 9. *Matth.* & Petrum *Luc.23. Prou.20.* Rex qui ſedet in ſolio iudicis, intuitu ſuo diſſipat omne malum. De vtroque poteſt intelligi illud *Pſal.* Terra mota eſt, etenim cœli diſtillauerunt à facie Dei Sinaï. Et *Iud.5.* Terra mota eſt, cœli & nubes ſtillauerunt, montes fluxerunt à facie Dei Iſraël. *Iſa.64.* Vtinam diſrumperes cœlos, & deſcenderes! à facie tua montes defluerent.

7. *A facie.* Hîc ſecundum. Non à facie cuiuſcumque dei, hoc dico fieri, ſed *à facie*, id eſt, à præſentia, & à clementia *Dei Iacob.* Hoc dico fieri ab eo, qui eſt Deus antiquus, & non recens. *Exod.3.* Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. In *Pſal.* ſuprà: Iſraël ſi audieris me, non erit in te deus recens.

8. *Qui conuertit petram.* Hîc oſtendit, quod per Deum fieri hoc neceſſe fuit, nec poſſet per alium, quod fuit ſecundum. Et primò quantum ad conuerſos de peruerſis moribus ad gratiam. Secundò quantum ad conuerſos de infidelitate ad fidem, ibi, *Et rupem.* Ait enim: Sic dixi, quòd hæc facta ſunt *à facie Domini*, hoc eſt, ab eius præſentia & ſpirituali & corporali: & neceſſe fuit: *qui*, id eſt, quia ille conuertit hæc faciendo, *petram*, plebem ſuam duriſſimam, *in ſtagna aquarum*, in loco gratiarum, ſicut ſtagna loca ſunt ſtantium aquarum.

Et rupem, eandem ſcilicet plebem duram ſicut rupes, *in fontes aquarum*, in abundantiam ſcilicet ſcripturarum ad alios deriuatarum, ſicut apertè videmus in Paulo factum, qui prius durus erat ſicut petra, & factus eſt vas gratiarum. *Act.9.* Vas electionis mihi eſt iſte, ad portandum gratiam meam. *1.Cor.15.* Non autem ego, ſed gratia Dei mecum. Et *2.Cor.12.* Sufficit tibi gratia mea. Et prius ſicut rupes durus, factus eſt fons doctrinarum abundantiſſimè irrigans totum mundum. *Prouerb.5.* Deriuentur fontes tui foras. Sic Stephanus de dura petra ſtagnum factus eſt. *Act.7.* Stephanus plenus gratia & fortitudine. Et etiam fons doctrinarum. In eodem: Non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui loquebatur. *Iſa.35.* Sciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitudine: & quæ erat arida, in ſtagnum, & ſitiens in fontes aquarum. *Chriſti & ſanctorum comparatio cum petra in aquas conuerſa.*

Petra etiam & rupes fuit Chriſtus. *1.Cor.15.* Petra autem erat Chriſtus. *Dan.2.* Lapis præciſus de monte ſine manibus confregit ſtatuam. Sed hunc lapidem percuſſit Deus, percuti in cruce fecit gladio lanceæ. *Ioan.14.* Et egreſſæ ſunt aquæ largiſſimè ad abluendum totum mundum. Aquæ, quas non poterat Ezechiel tranſuadere. 47. Aquæ dulciſſimæ, imò mel, oleum. *Deut.32.* Vt ſugerent mel de petra, oleúmque de ſaxo duriſſimo.

Non nobis Domine, non nobis. Hîc ſecundum totius primæ partis Pſalmi: actum enim eſt de Iudæorum particulari conuerſione, hîc ſubiungitur de Dei laude pro conuerſione illa, cum idolorum deteſtatione: & ſecundum hoc dicuntur duo. Primò enim agitur de diuina laude propter præcedens beneficium. Secundò de ſimulachrorum deteſtatione, ibi, *Simulachra Gentium.* In prima duo. Primò petit à Deo ſingularem eius glorificationem. Secundò addit petitioni perſuaſionem, ibi, *Nequando dicant.* In prima petit primò, vt Deus ſui, non hominum procuret gloriam. Secundò oſtendit ſuper quo eum gloriari velit. *Super miſericordia.* Dicit ergo: Sic per te ſolum Domine ſunt conuerſi, tanquam actorem principalem, & propter hoc petij, *ô Domine non nobis*, ab infidelitate recedentibus, *non nobis*, fidei veræ adhærentibus. Vel *non nobis*, Iudæis, *non nobis*, Gentibus, *da gloriam:* quia omnes quantum ex nobis nihil ſumus, niſi peccatores. *Rom.3.* Non eſt enim diſtinctio: omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Sed ipſam *da nomini tuo*, famæ tuæ, vt prædiceris glorioſus. *Dan.3.* Da gloriam nomini tuo Domine, & confundentur omnes, qui oſtendunt ſeruis tuis mala. Et reſpondet *Iſa.42.* huic petitioni: Gloriam meam alteri non dabo. Et 48. Propter me faciam, vt non blaſphemer in Gentibus, & gloriam meam alteri non dabo. Et propter hoc dicebat Paulus *1.Tim.1.* Soli Deo honor & gloria. Et *Apoc.5.* Benedictio, & honor, & gloria ſedenti ſuper thronum. 1.

Super miſericordia. Hîc ſecundum, in quo & ſuper quo vult ipſi procurare gloriã, & non nobis, quia ſuper duobus. *Super miſericordia*, bonos aduocante, & ſuper *veritate*, ſeu iuſtitia, malos 2.

puniente. Ait enim : Sic dixi, vt non detur nobis gloria, ſed & hoc *ſuper miſericordia tua*, qua vocatos ad fidem conuertiſti. *Tit.* 3. Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum &c. *Thren.* 3. Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti, quia non defecerunt miſerationes eius. Sed quos vocat, iuſtificat, & ſaluat. Ad *Rom.*8. Quos vocauit, hos & iuſtificauit: & quos iuſtificauit, hos & magnificauit.

Et veritate tua, qua tuo iudicio in errore ſuo alios dimiſiſti. *Apocalypſ. vlt.* Iuſtum eſt, vt qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. Qua & eos punies in futuro, ſi non fuerint correcti. Ad *Rom.*2. Reddet vnicuique iuxta opera ſua. 2. ad *Corinth.*5. Omnes nos oportet aſtare ante tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque prout greſſit in ſuo corpore, ſiue bonum, ſiue malum. Hæc duo vtique ferè in Deo iunguntur. *Pſal.* Vniuerſæ viæ Domini, miſericordia, & veritas eius. Et hæc duo in nobis ſunt neceſſaria, vt ſimus miſericordes & veraces, quia *Prouerb.* 15. dicitur: Miſericordia & veritate, non vna ſine altera, redimitur iniquitas. Et in 14. Miſericordia & veritas præparant bona.

Nequando dicant. Hîc eſt perſuaſio ad petitionem ſuperius factam adimplendam, ſcilicet vt infidelium vitetur irriſio: in quo duo. Primò vt euitetur infidelium blaſphemia & irriſio. Secundò ſecundum *Gloſſam* nihilominus ſupponitur fidelium reſponſio ad illam irriſionem, ibi, *Deus autem noſter.* Sed poteſt dici melius, quòd ſuadet, vt ſic euitetur irriſio. Secundò probatio, quòd verè eſt irriſio & blaſphemia, ibi, *Deus autem noſter.* Dicit autem: Sic facias Domine, *nequando*, id eſt, aliquando *dicant Gentes*, Deum volentes habere oculis corporalibus viſibilem, *Vbi eſt Deus eorum?* Quaſi diceret: Nuſquam eſt, quia videri non poteſt. Suprà in *Pſal.* Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, *Vbi eſt Deus tuus?* De hoc ſatis ibi.

3. *Deus autem noſter.* Hîc probatio, quòd verè blaſphemant hæc dicendo. Primò in hoc quod Deum credunt eſſe nuſquam. Secundò, in hoc quod nullam omnino rem. *Omnia.* Ait enim: Sic volo, quòd prædicta facias, ne hoc dicant, quia verè blaſphemia. *Autem*, quia *Deus noſter in cœlo*, ſecundum manifeſtationem, & apparentiam. *Iſa. vlt.* Cœlum mihi ſedes eſt. *Iob* 11. Excelſior cœlo, & quid facies? *Eccl.*24. Ego in altiſſimis habito. 1.*Tim.*1. Lucem habitat inacceſſibilem, mortalibus oculis, non glorificatis. Et etiam

Omnia quæcumque voluit, fecit. Benè mentiuntur dicentes, quod omninò nihil eſt. *Sap.* 12. Subeſt tibi poſſe cum volueris. *Iob* 9. Quis reſtitit ei, & pacem habuit? Et in 20. Anima eius quæcumque voluit, fecit. *Iſa.*45. Omne conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet. *Pſal.* Omnia quæcumque voluit Dominus, fiet in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis.

4. *Simulachra Gentium.* Hîc ſecundum, ſcilicet, in quo ſubiungitur de ſimulachrorum deteſtatione: & dicuntur duo. Primò deteſtatio ipſorum idolorum. Secundò imprecatio colentibus illa, in quo ſunt deteſtanda, ibi, *Similis illis.* In prima duo. Primò oſtendit idolorum vanitatem in ſe, quod omninò ſint ſine vita. Secundò inutilitatem, quia nulla poſſunt membrorum exercere officia, ibi, *Os habent.* Vanitatem autem oſtendit quantum ad materiam primò. Secundò quantum ad actorem. *Opera manuum.* Dicit ergo: Verè talis eſt Deus noſter vt dixi: ſed *ſimulachra Gentium*, ſunt *argentum & aurum*, id eſt, de auro & argento, quæ ad literam trahuntur de terra, & terra ſunt. Et *Ierem.* 41. dicitur: Aſpexi terram, & ecce vacua erat & nihili.

Opera manuum. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic in materia ſunt, & ſunt *opera manuum hominum*, non à Deo facta, vel genita. *Oſea* 8. Argentum & aurum ſuum fecerunt ſibi idola, vt interirent. *Iſa.*2. Repleta eſt terra idolis, opus manuum ſuarum adorauerunt: contra hoc quod prohibitum eſt. *Exod.* 30. Non facies tibi ſculptile. *Baruch. vlt.* Artifices, qui faciunt ea, non ſunt multi temporis. Nunquid ergo poſſunt ea, quæ ab ipſis fabricata ſunt, eſſe dij? Quaſi diceret: Nullo modo. Si autem vana pretioſiora videntur, & ſunt illa, quæ de argento ſunt & auro, quid erit de lignеis, & luteis? *Sap.*13. Infelices ſunt, & cum mortuis ſpes illorum eſt, qui appellauerunt deos opera manuum hominum, aurum & argentum, artis inuentionem.

Os habent, & non loquentur. Hîc ſecundum, 5.
in quo oſtendit illorum inutilitatem. Primò quia carent vſu membrorum, animantium vitam, perfectam habentium. Secundò habentium etiam imperfectam, ibi, *Et non clamabunt.* In prima, quod non habent vſum membrorum animantium habentium vitam perfectam, & rationabilium. Secundò, quòd nec irrationabilium, ibi, *Oculos.* Dicit ergo: Sic dij gentium, vani ſunt, & inutiles omninò, quia *os habent*, ſecundum apparentiam, quia animalia rationalia vocem formare potentia, & tamen *non loquentur*, tanquam omnino vſu oris carentia. *Bar. vlt.* Lingua eorum polita à fabro. Ipſa etiam inaurata, & inargentata, non poſſunt loqui.

Oculos habent, illa ſimulachra ſecundum apparentiam, & *non videbunt*, vt vſum oculorum exerceant: quippè ſine anima ſunt. *Sapient.*15. Effigies ſculpta per varios colores, cuius aſpectus non eſt, citò dat concupiſcentiam, & diligit mortuæ imaginis effigiem ſine anima. Iterum: Si animam haberent, oculos tamen plenos habent puluere, vt videre non poſſint. *Baruch. vlt.* Oculi eorum pleni ſunt à puluere introeuntium.

Aures habent, & non audient. Hîc oſtendit 6.
vſus auditus defectum. *Nares habent, & non odorabunt:* hîc olfactus. *Manus habent, & non palpabunt:* hîc tactus. Sed quare non facit mentionem de guſtu? Reſponſio. Poſſet eſſe, quòd guſtus quidam tactus eſt, & ſub ipſo comprehenditur. Iterum: Illa tantum tangit, per quæ idola ad alios, ſcilicet idololatras, videbantur ordinata: guſtus autem ad ſeipſum, & ad ſuſtentationem ipſius ſubſtantiæ, & propter hoc non commemoratur.

Quare non fit ibi mētio de guſtu.

Pedes

7. *Pedes habent, & non ambulabunt.* Ecce defectum motus. *Sap.*15. Omnia idola nationum, deos æstimauerunt, quibus nec oculorum visus est ad videndum, nec nares ad percipiendum spiritum, nec aures ad audiendum, nec digiti manuum ad tractandum, sed & pedes eorum pigri sunt ad ambulandum. *Sap.*13. Pro itinere perit ab eo, qui ambulare non potest.

Non clamabunt. Hîc ostendit, quòd carent vsu sensus animalium imperfectorum: omnia enim animalia vocem emittere possunt à gutture: quod non possunt etiam simulachra. *Bar. vlt.* Nec regibus benedicent, nec maledicent. Et arguit in eodem miram idololatrarum stultitiam. Ait enim: Qui cum audierint mutum non posse loqui, offerunt illud ad Bel, ac si loqueretur.

Prælati inscij & peruersi ex duplici capite arguuntur, ex promotione & conuersatione.

In his arguuntur Prælati inscij, & peruersi, qui idola sunt & simulachra. *Zach.*11. O pastor, & idolum derelinquens gregem. Primò de mala adeptione prælationis, quia indigni sunt. Sunt enim aurum & argentum cupiditate & amore. *August.* Si paleam sequeris, palea efficeris: ergo si aurum & argentum sequeris, aurum & argentum efficeris. Et talis non debet exaltari, sed corruere. *Prouerb.*10. Qui confidit in diuitiis suis, corruet. Iterum qui male introducti, non à Deo, sed ab aduocatis, à carnalibus amicis, versutiis, & subtilitatibus quibusdam, quasi fabricati. *Oseæ* 7. Ipsi regnauerunt, & non ex me, principes extiterunt, & non cognoui.

Secundò de negligenti conuersatione, & insufficienti. Primò quia non docent. Os habent, & non loquentur. *Ierem.*10. In similitudinem palmæ fabricata sunt, & non loquuntur. Secundò quia ignorant. Oculos habent, interiores, & non videbunt, intelligentes veritatem. *Isa.*28. Sacerdos, & propheta nescierunt. Et 56. Pastores ignorauerunt intelligentiam. Tertiò quia doceri non sustinent ab aliis. Aures, inquit, habent, & non audient. Dicitur tamen illis *Sap.* 6. Audite ergo reges, & intelligite, & discite iudices finium terræ. *Apoc.*2. Qui habet aures audiendi, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis, per scripturas sacras. Quartò quia non discernunt & iudicant, quid sit bonum, & quid malum, qui sint boni & qui mali. Nares habent, & non odorabunt, bonum à malo discernendo, sed totum confundunt. *Isa.*3. Erit pro suaui odore fœtor. Quintò quia per opus bonum non illuminant alios. Manus habent, & non palpabunt. *Prou.*21. Noluerunt manus eius quicquam operari. Et si aliquando os habeant, & loquantur, frequentius tamen carent vsu manuum. *Gen.*27. Vox quidem vox Iacob est, sed manus sunt Esaü. Sextò quia desideriis bonis ad æterna non currunt. *Sap.* 15. Pedes eorum pigri ad ambulandum. Nec mirum, quia spinas multas habent in pedibus, id est, diuitias. Spinæ diuitiæ à Domino appellãtur. *Luc.*13. Septimò quia non gemunt pro propriis & alienis peccatis, quod est clamare in gutture, quod suum esset tamen. *Iob* 26. Gigantes gemunt sub aquis. Sed magis eructant sonantes in gutture propter crapulam. *Psal.* Sepulchrum patens est guttur eorum, ad recipiendum carnes diuersorum animalium mortuorum. *Oseæ* 8. In gutture tuo sit tuba sonans, quasi aquila super domum Domini, existens, sup.

Similes illis fiant. Hîc secundum, in quo imprecatur cultoribus, & factoribus idolorum. 8. Et primò factoribus. Secundò cultoribus. *Et omnes.* Dicit ergo: Sic vana sunt simulachra, & omnino inutilia, & propter hoc peto, quod *similes illis fiant qui faciunt ea. Sap.*14. Idolum maledictum est, & ipsum, & qui fecit illud: & odibilis est Deo impius, & impietas eius: si fuerint similes, nihil fient, quia 1.*Cor.*8. Idolum nihil est: ergo ipsi nihil. Et hoc verum est. *Isa.*44. Plastæ idoli nihil sunt.

Et omnes qui confidunt in eis, colentes ea tanquam deos. *Sap.*15. Malorum amatores digni sunt morte, qui spem habent in talibus, & qui faciunt illos, & diligunt, & colunt. *Isa.* 42. Confundantur confusione, qui confidunt in sculptili: qui dicunt conflatili, Vos Dij nostri. *Eccles* 27. Conteretur cum delinquente delictum. Simulachra sunt mali & negligentes Prælati. Ergo qui faciunt ea, id est, simulachra illa, fiant eis similes in pœna: sed de ipsis dicitur *Sapient.*6. Iudicium durissimum in illis qui præsunt, fiet. Et in illis ergo, qui tales faciunt: imò qui vt fiant consentiunt, si resistere possunt. Ad *Rom.*1. Non solum qui talia agunt, sed qui facientibus consentiunt, digni sunt morte.

Domus Israël. Hîc secunda pars Psalmi, in 9. qua agit de generali conuersione, à sanctis Patribus expectata & prædicta, & complenda in fine mundi: & dicuntur tria in hac parte. Primum, Sanctorum expectatio, quòd in fine fiet conuersio. Secundò ipsa conuersio, ibi, *Dominus memor.* Tertiò gratiarum actio pro conuersione illa, ibi, *Non Mortui.* In prima duo. Maiorum spes & expectatio. Secundò minorum, ibi, *Qui timent.* In prima duo. Primò expectatio maiorum, quantum ad principes vel sapientes. Secundò quantum ad sacerdotes, vel ad sanctiores, ibi, *Domus Aaron.* In prima duo. Primò expectatio. Secundò conditio illorum, qui expectant interim. *Adiutor.* Ait ergo: Sic sunt vana simulachra, sed *domus Israël*, videntium Deum, scilicet maiores in sapientia Christianorum, *sperauit in Domino*, quod adhuc conuertet reliquias Israëlitarum. *Soph.* 3. Sperabunt in Domino reliquiæ Israël.

Adiutor, in bonis agendis, & *protector*, in malis cauendis, *eorum est.* Adiutor etiam in conuertendis reliquiis electorum, & protector ab insidiis reproborum. *Eccles.*2. Scitote quoniam nullus sperauit in Domino, & confusus est: permansit in mandatis eius, & derelictus est. Sed adiuuat, & protegit, & liberat, & saluat. *Isa.* 31. Proteget Dominus Deus exercituum Ierusalem, protegens, & liberans, transiens, & saluans. *Ierem.* 10. Expectatio Israël saluator eius, in tempore eius, in tempore tribulationis.

Domus Aaron. Hîc secundum, spes sacerdotum, vel sanctiorum: & diuide sicut antecedentem versum, & lege sicut supra, & adde, quòd ipsos sacerdotes & sanctiores in tota Ecclesia dicit sperare, quia & ipsi non adhuc apprehendunt in re, sicut nec alij, sed adhuc ambulant in spe. *Phil.*3. Ego autem non arbitror me comprehendisse: sequor autem. 10. *Spes sacerdotum.*

Hæc ſpes deſignabatur in tunica ſacerdotis ſummi hyacinthina, quæ colorem habebat cœleſtem. *Exod.*28. In portione ſignata, qua carebant Leuitæ. *Ioſuè* 14. Non accipient Leuitæ aliam partem in terra, niſi vrbes ad habitandum, & ſuburbana ad alenda pecora. Vrbes ſunt virtutes: ſuburbana ad alenda pecora, ſunt Scriptura ſacra. *Pſal.* Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es qui reſtitues (non adhuc reſtituiſti) hæreditatem meam mihi.

11. *Timor optimè iungitur cum ſpe.*

Qui timent Dominum. Hîc ſecundum, ſcilicet ſpes, & expectatio minorum: & diuide verſum ſicut prius, & lege, & nota, quòd optimè iungitur timor cum ſpe: vnum enim non debet eſſe ſine altero. *Deut.*24. Non accipies loco pignoris ſuperiorem, aut inferiorem molam. Superior mola eſt ſpes, inferior verò timor. *Eccleſ.*2. Qui timetis Dominum, ſperate in eo, & in oblectatione erit anima veſtra. Sic debent ſperare omnes. Suprà in *Pſal.* Sperate in eo omnis congregatio populi. Tales Dominus oculo miſericordiæ reſpicit, ab aduerſario illo protegit ſcuto potentiæ ſuæ, ad bene operandum virtutem infundit, & refrigerium ab ardore concupiſcentiæ tribuit, precem exaudit, adiuuat ſi ceciderit, exaltat, illuminat, ſanat, viuificat, & tandem æterna benedictione benedicit. *Eccleſ.*34. tanguntur hæc omnia bona vna auctoritate: Oculi Domini ſuper timentes eum, ecce quod reſpicit: protector potentiæ, ecce quod protegit: firmamentum virtutis, ecce quod virtutes infundit: tegimen ardoris, & vmbraculum meridiani, ecce quod refrigerium tribuit: deprecatio offenſionis, id eſt, pro offenſione, ecce quod exaudit: adiutorium caſus, ecce quod adiuuat ſi ceciderit: exaltans animam, ecce quod planè exaltat: illuminans oculos, ecce quod illuminat: dat ſanitatem, ecce quod ſanat: & vitam, ecce quod viuificat: & benedictionem, ecce quod in finali benedictione totum conſummat.

12. *Dominus memor fuit.* Hîc ſecundum, poſtquam enim egit de expectatione conuerſionis, ſubiungitur hîc de ipſa conuerſione. Duo ergo dicuntur. Primò de conuerſione agitur. Secundò de deſiderio & affectione ad conuerſorum multiplicationem, ibi, *Adiiciat Dominus.* In prima duo. Primò tangitur ipſa conuerſio. Secundò ratio conuerſionis, & cauſa, ibi, *Et benedixit nobis.* Dicit ergo: Sic ſperauerunt, & non ſunt fruſtrati, quia *Dominus memor fuit noſtri*, tandem conuertendo: loquitur de futuro, tanquam de præſenti. *Iſa.* 49. Et dixit Sion: Dereliquit me Dominus, & oblitus eſt mei. Nunquid poterit mulier obliuiſci infantem ſuum, vt non miſeratur filio vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui.

Et benedixit. Hîc ſecundum, in quo tangitur cauſa & ratio conuerſionis. Primò in generali. Secundò in ſpeciali quantum ad ſtatus diuerſos conuerſorum, ibi, *Benedixit domui Iſraël.* Dicit ergo: Sic memor fuit, nos conuertendo: & pro quia: quia *benedixit nobis*, gratiam infundendo. Ad *Epheſ.*2. Benedictus Deus, & pater Domini noſtri IESV CHRISTI, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto. *Iſa.*19. Erit benedictio in medio terræ cui benedixit Dominus, dicens: Benedictus populus meus Ægypti, id eſt, populus, qui prius erat in tenebris erroris & culpæ.

Benedixit domui Iſraël. Hîc ſecundum, in quo ſpecificat: & ſicut in expectatione, primò tangitur gratiæ infuſio maioribus. Secundò minoribus, ibi, *Benedixit omnibus.* In prima duo. Primò gratiæ infuſio poſitis in potentia, vel in alto ſapientiæ. Secundò poſitis in altitudine vitæ. *Benedixit domui.* Dicit ergo: Dico, quòd benedixit, gratiam infundendo: & verè, quia *benedixit domui Iſraël*, videntium ſcilicet Deum, & potentium, ſicut Iſraël dicitur videns Deum, & potens fuiſſe. *Geneſ.*22. In ſemine tuo, Chriſto ſcilicet, benedicentur omnes gentes. *Num.*6. Inuocabunt nomen tuum ſuper filios Iſraël, quando baptizabunt eos: & benedicam eis.

Hæc benedictio figurata fuit in illa, qua Iſraël ab Angelo benedictus fuit *Geneſ.* 32. Non dimittam te, donec benedixeris mihi. Et parum poſt: Et benedixit eum in eodem loco.

Benedixit domui Aaron, exiſtentibus in ſacerdotali dignitate, & vitæ ſanctitate. *Deut.*33. Benedic Domine fortitudinem eius, ſcilicet Leui, & opera manuum eius ſuſcipe. 13.

Benedixit omnibus. Hîc ſecundum, in quo oſtenditur infuſio gratiæ minoribus. Et primò quod minoribus vniuerſaliter infundit. Secundò quod non illos à maioribus diſcreuerit, ibi, *Puſillis cum maioribus.* Dicit ergo: Sic benedixit, id eſt, gratiam maioribus infudit, & etiam, *benedixit omnibus*, non tantum aliquibus, *qui timent Dominum.* Iſti ſunt minores, & quaſi incipientes. *Prou.*1. Initium ſapientiæ timor Domini. Et hos Dominus omnes acceptat. *Act.*10. dicit: In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. Propter hoc dicitur *Eccl.*40. Timor Domini ſicut paradiſus benedictionis.

Puſillis. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic benedixit omnibus timentibus, non diſcreuit, ſed benedixit *puſillis cum maioribus*: quippe *Sapient.*6. Puſillum, & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt illi cura de omnibus. Non timeant ergo puſilli, ſed ſolummodo Deum timeant: & bene erit illis. *Luc.*12. Nolite timere puſillus grex, quoniam placuit Patri meo dare vobis regnum. Timentes enim & puſilli & magni ſunt benedictum ſemen ad fructificandum. *Iſa.* 61. Illi ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.

Adiiciat Dominus. Hîc ſecundum, in quo tangitur conuerſorum multiplicatio per modum optandi. Primò ergo optatio multiplicationis. Secundò rationis, per quam fieri debeat illa multiplicatio, ibi, *Benedicti vos à Domino.* In prima duo. Primò multiplicationis maiorum optatio. Secundò minorum. *Et ſuper filios veſtros.* Ait ergo: Sic dixi, quòd fiet conuerſio, & rogo, quod *Dominus adiiciat ſuper vos*, ô vos conuerſi maiores, ſicut in primitiua Eccleſia fiet. *Act.*2. Dominus augebat, qui ſalui fierent quotidie in idipſum. Optimum enim eſt cum multiplicantur boni Prælati, dum tamen augeatur charitas in illis. 14.

illis. 1. *Theſſ.* 3. Dominus vos multiplicet & abundare faciat charitatem veſtram, inuicem, & in omnes.

Et ſuper filios veſtros, adiiciat maiorem numerum. *Geneſ.*30. Addat mihi Dominus filium alterum. *Deut.*1. Adaugeat Dominus Deus patrum noſtrorum ad hunc populum multa millia, & benedicat eis ſicut loquutus eſt. Hæc multiplicatio promiſſa fuit. *Iſa.*44. Effundam benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam, & germinabunt quaſi ſalices, iuxta fluentes aquas. Et præfigurata in illa promiſſione. *Deut.* 28. Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu vteri tui, & fructu iumentorum tuorum, & fructu terræ tuæ.

15. *Benedicti vos.* Hîc ſecundum, in quo optat Dei benedictionem, per quam fieri debeat illa augmentatio. Primò ergo optat Dei benedictionem, & gratiam ad augmentum. Secundò benedicentis facit deſcriptionem, cum addit: *Qui fecit cœlum.* Dicit ergo: Sic petij, quòd Dominus addat ſuper numerum patrum, & filiorum, & vt hoc ſit, *vos*, ſitis vtique ſcilicet, *benedicti à Domino*, per gratiæ ſuæ infuſionem. *Tob.* 13. Omnes benedicentur, & conuertentur ad Dominum. *Zach.*8. Saluabo vos primò, & eritis mihi benedictio. *Iſa. penult.* Seruos meos vocabo nomine alio, in quo qui eſt benedictus ſuper terram, benedicetur à Domino. Amen.

Qui fecit cœlum. Hîc eſt benedicentis deſcriptio. Primò à poteſtate. Secundò à ſapientia, & bonitate, ibi, *Cœlum cœli.* Dicit ergo: Sic benedicti ſitis à Domino, non quocumque, ſed ab illo, *qui fecit cœlum*, omnem ſuperiorem naturam, *& terram*, ſcilicet omnem inferiorem. *Gen.*1. In principio creauit Deus cœlum & terram. *Ierem.*10. Fecit terram, & in fortitudine ſua extendit cœlos. *Qui fecit cœlum*, maiores de vobis, qui cœleſte ſunt, *& terram*, minores, aliis tamen nutrimentum dantes, quod ſolius potentiæ ſuæ eſt. Propter quod dicitur *Ierem.*10. Dij qui non fecerunt cœlum & terram, pereant de terra. Maiores & contemplatiui dicuntur cœlum, quia in cœlo verſantur conuerſatione. *Phil.*3. Conuerſatio noſtra in cœlis eſt. Minores & actiui dicuntur terra, quia aliis fructificant, & ipſos portant. *Pſal.* Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Propter hoc in omni ſenſu dicitur *Apoc* 14. Timete Dominum, & adorate eum qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt.

16. *Cœlum cœli Domino.* Hîc deſcribit à ſapientia ſimul, quia ſic diſtinxit: & à bonitate, quia dedit hominibus, non reddidit. Ait enim: Sic benedicti ſitis ab illo, qui tantum poteſt, vt cœlum & terram faceret diſtinguens, vt *cœlum cœli*, ſupremum ſcilicet cœlum, *Domino*, ſibi ſcilicet retineret. *Pſal.* Aſcendit ſuper cœlos cœlorum ad Orientem. *Deut.*10. Domini Dei tui eſt cœlum, & cœlum cœlorum. *Cœlum cœli*, maiorem quemcumque, qui propriè Domini eſt, quia in illo quieſcit, & ſedet. *Iſa. vlt.* Cœlum mihi ſedes eſt. Et ipſum docet, puritatem & claritatem ſuæ ſapientiæ immediatè infundendo, ſicut eius ſapientia limpidius in cœlis apparet. Tale cœlum erat Paulus *Galat.*1. Notum vobis facio Euangelium, quia nec ab homine, nec per hominem accepi illud, neque didici, ſed per reuelationem Domini noſtri IESV CHRISTI. Capit autem cœlum tale de eo quod poteſt, ſed totum non poteſt. 3. *Reg.*8. Si cœlum, & cœli cœlorum te capere non poſſunt, quis ego ſum vt ædificem templum nomini tuo?

Terram autem. Quaſi diceret: Sic cœlum ſibi retinuit: *terram autem dedit filiis hominum*, ad inhabitandum. *Deut.*1. Tradidi vobis terram, egredimini, & poſſidete eam. De vtroque *Eccleſ.* 1. Deus in cœlo, & tu ſuper terram. *Terram autem*, materialem, & ſpiritualem, *dedit filiis hominum*, ad fructificandum in ea, & laborandum, quia *Prou.*12. dicitur: Qui operatur terram, ſaturabitur panibus.

Non mortui laudabunt te. Hîc tertia pars tertiæ partis totius huius Pſalmi. Poſtquam enim egit de conuerſionis expectatione primò, & ſecundò de conuerſione expectata, hîc tertiò agitur de gratiarum actione pro completa: & tanguntur duo. Primò qui non ſunt digni laudare. Secundò qui ſunt digni, & qualiter laudabunt, ibi, *Sed nos qui viuimus.* In prima duo. Primò excludit à laude in peccatis finaliter mortuos. Secundò in inferno damnatos. Primum ſequitur, & creatur, à ſecundo, ibi, *Nec omnes.* Dicit ergo: Sic implebitur tandem, & recordante Domino, vniuerſalis conuerſio: ſed ô *Domine*, pro hac conuerſione *non laudabunt te mortui.* In *Pſal.* ſuprà: Nunquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam, ipſam laudando, & tibi confitendo? *Eccleſ.* 17. A mortuo, quaſi non ſit, perit confeſſio. Mortuus autem eſt, qui eſt in peccato, dum tamen vult manere in illo: & hic laudare non poteſt, quia *Eccleſ.*15. dicitur: Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Propter hoc dicitur in *Pſal.* Mors peccatorum peſſima, tota in miſeria, non in laude. Mala in rerum temporalium amiſſione, quas dilexit: peior in animæ à corpore ſeparatione: ſed peſſima in vtriuſque perditione in infernum, & contritione ab igne & vermi. *Iſa. vlt.* Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. 17.

Qui mortui poſſint laudare Deum.

Sed ſunt mortui qui poſſunt laudare. Primi mortui peccato, de quibus *Rom.* 6. Exiſtimate vos mortuos quidem peccato. Et mortui mundo, de quibus *Col.*3. Mortui quidem eſtis mundo, & vita veſtra abſcondita eſt, &c. Mortui cum Domino in tribulationibus & miſeriis. *Rom.*6. Si mortui fuerimus, ſcimus, quoniam viuemus cum illo. Mortui ad literam pro Domino, ſicut Martyres ſancti. *Pſal.* Pretioſa eſt in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. *Rom.*8. Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Mortui in Domino, in fide ſcilicet Domini. *Apocal.* 14. Beati mortui qui in Domino moriuntur. *Act.*4. Obdormiuit in Domino.

Nec omnes. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic mortui non laudabunt, *nec omnes qui deſcendunt in infernum*, laudare poterunt. *Iſa.*38. Non infernus confitebitur tibi, nec mors laudabit te. 1. *Reg.* 2. Impij in tenebris conticeſcent. Hic ergo confitere & lauda, quia *Eccleſ.*9. Quodcumque poteſt manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia, apud inferos, quò, &c.

18. *Sed nos qui viuimus.* Hîc ſecundum, in quo oſtenditur qui poſſunt laudare, & modus, quo laudabunt : & ſecundum hoc duo dicuntur. Primò conditionem tangit laudantium. Secundò laudis modum, quoniam æternaliter. *Ex hoc nunc.* Ait enim: Sic nec mortui, nec damnati, poterunt confiteri confeſſione laudis, *ſed nos qui viuimus*, eius benedictione, *benedicimus Domino*, confeſſione laudis, cantantes. *Pſal.* Laudabo Dominum in vita mea. *Eccleſiaſt.*17. Viuens, & ſanus confiteberis Domino. *Iſa.*38. Viuens, viuens ipſe confitebitur tibi: viuens vita naturæ, & viuens vita gratiæ. Sed quomodo? Æternaliter.

Ex hoc nunc, in quo laudamus in præſenti, *& vſque in ſæculum futurum. Iſa.* 38. Pſalmos noſtros cantabimus omnibus diebus vitæ noſtræ in domo Domini: & in præſenti Eccleſia, & etiam in cœleſti. *Tob.*13. Benedicite Domino omnes electi eius, & agite diem lætitiæ,& confitemini illi. Et in vlt. Mandate filius veſtris, vt ſint memores Dei, & benedicant Dominum in omni tempore. Hic ſemiplene benedicunt Deum iuſti, ſed ibi totaliter, & plenè. *Iſa.*51. Venient in Sion laudantes, lætitia ſempiterna ſuper capita eorum : vt toti ſuperfundantur lætitia ſempiterna, ad quam nos perducat, qui eſt benedictus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

IN CXIV. PSALMVM.

Alleluia.

Pſalmus inuitat ad laudem Dei ex vnione membrorum Eccleſiæ per charitatem.

1. *Dilexi, quoniam exaudiet.* Hic eſt Pſalmus 114. in quo poſtquam egit de conuerſione Gentilium in 112.& de conuerſione Iudæorum in 113. agit de laude Dei pro vnione conuerſorum in vno grege, ad quem ouem perditam propriis humeris pius paſtor reportauit. *Luc.*15. In vna domo vnius patrisfamilias, ad quam filium prodigum reduxit benigniſſimè. In eodem. Sed quia vnio fidelium in Eccleſia eſt per charitatem, fidem, & morum conformitatem, & hæc omnia in Chriſto, quatuor ſunt Pſalmi ad inuicem conſequentes. Primò enim inuitat ad laudem per vnionẽ membrorum per charitatem & amorem, quod reſpicit ad affectum. Secundò per fidem, quod reſpicit ad intellectum,ibi, *Credidi propter quod.* Tertiò, pro vnione in exteriori cultu, & opere, in illo. *Laudate Dominum*, quod reſpicit ad exteriorem affectum. Quartò pro cauſa & ratione ſic vniendi membra, ſcilicet angulari lapide Chriſto, in quarto *Pſal.* ſcilicet, *Confitemini.* Titulus autem præpoſitus huic Pſalmo ſatis expoſitus eſt, ſcilicet *Alleluia.*

Duo ergo dicuntur in hoc Pſalmo, in quo agit de vnione membrorum Eccleſiæ in ipſa charitate. Primò enim dicit ſe habere dilectionem, loquens in perſona totius Eccleſiæ. Secundò, ſubiungit dilectionis cauſam,ibi, *Quoniam exaudiet Dominus*, vel *exaudiuit*, ſecundum aliam literam.

Perfecta dilectionis partes.

Dicit ergo in perſona Eccleſiæ loquens: *Dilexi*, dilectionem ad Deum, & proximum habui, non fictam, ſicut monet Paulus *Rom.*12. Dilectio ſine ſimulatione. Non adulatoriam, quia *Ioan.*dicit 1. *Can.*3. Fratres non diligamus verbo,neque lingua, ſed opere & veritate. Non vanam, qua diliguntur vana, quia Dauid dicit: Filij hominum, vt quid diligitis vanitatem? Nonnunquam enim diliguntur peccata, & occiditur anima: de quo in *Pſal.* Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Sed magnam, imò maximam. *Matth.*12. Hoc eſt primum & maximum mandatum:Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Feruentem. *Rom.* 12. Spiritu feruentes,Domino ſeruientes. *Ezech.*1. Vbi erat ſpiritus impetus, illuc gradiebantur cum ambularent. Anxiam & vrgentem. 2. ad *Corinth.*5. Charitas Chriſti vrget nos. Langorem inducentem. *Cantic.* 5. Nuntiate dilecto meo, quia amore langueo. Imò occidentem. *Cantic.*6. Fortis eſt vt mors dilectio. *Bernard.* Mirabilis amor, quia non excidit, ſed occidit. Viuificantem. 1.*Ioan.*3. Qui non diligit, manet in morte. Ergo qui diligit, in vita. Omnia breuiter adimplentem. Ad *Rom.*13. Plenitudo legis eſt dilectio.

Quoniam exaudiet Dominus. Hîc ſecundum, ratio & motiuum ad dilectionem : & tangitur duplex. Primò liberatio à malis præſentis vitæ & miſeriæ. Secundò certa expectatio quietis futuræ & gloriæ, ibi, *Conuertere anima mea.* In prima duo. Primò exprimit certam ſpem, quam habet de liberatione cum orabit. Secundò oſtendit magnitudinem tribulationis, qua compulſus orabit, ibi, *Circumdederunt.* In prima duo. Primò aſſerit ſe certum, quòd exaudietur. Secundò vnde hoc præſumit. *Quia inclinauit.* Dicit ergo : Sic dilexi, quod dilexi: & ad hoc mouit me,*quoniam exaudiet Dominus*, ſicut certitudinaliter ſpero, *vocem orationis meæ. Eccleſ.*3. Qui diligit Dominum, exorabit pro peccatis ſuis, & continebit ſe ab illis, & in oratione exaudietur.

Quia inclinauit. Hîc oſtendit, vnde præſumit exaudiri : & tangit duplicem rationem: vnam à parte Dei, alteram à parte ſui. *Et in diebus meis.* Ait enim : Sic dico, quòd propter hoc dilexi, quia exaudiet. Sed vnde hoc ſcis? *quia inclinauit aurem ſuam mihi.* Bona præſumptio, quòd exauditurus ſit, qui aurem humiliter inclinauerit. Propter hoc petij ſuprà in *Pſal.* Inclina aurem tuam. Et Ezechias 4.*Reg.* 20. Inclina aurem tuam, & exaudi. Auris enim Dei Patris eſt Filius : ſicut enim per aurem vox venit ad animam, ſic per Filium oratio ad Patrem : vnde omnes orationes fere terminamus, *Per Dominum.*Sed hanc aurem inclinauit,quando filium incarnari voluit, imò pati. Hæc ergo auris inclinatio eſt impetrandi certa præſumptio. Ad *Rom.*8. Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit. 2.

Et in diebus. Ecce ratio ex parte ſui : parum enim valet Dominum aurem inclinaſſe, ſi hic ſileret. Propter hoc addit, *Et in diebus meis*, meæ ſcilicet tribulationis, *inuocabo*, intus vocabo, ponens os in aure. *Ioël.* 4. Quicumque inuocauerit, ſaluus erit. Modò dies inuocandi ſunt Deum. 2. ad *Corinth.* 6. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis, in quibus auris Dei eſt inclinata.Ibidem.Ait enim:

Tempore

Tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis audiui te.

3. *Circumdederunt me.* Hîc ſecundum: oſtenſa enim certa ſpe de liberatione, oſtenditur neceſſitas clamandi ex tribulationum magnitudine, & clamor ipſe: & tanguntur tria. Primò tribulationes, & miſeriæ. Secundò clamor ad Deum, & deprecatio, ibi, *Et nomen Domini.* Tertiò exauditio, ibi, *Et liberauit me.* In prima duo. Primò tangitur afflicto à Deo pro peccatis inflicta. Secundò ab hominibus illata, ibi, *Tribulationem.* Primam tangit duplicem: temporalem, in qua eſt in re: & æternam, in qua in expectatione ſi non exaudiat, ibi, *Et pericula.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd certus ſum, quòd exaudiet clamantem, & neceſſe habeo, quia *circumdederunt me*, vndique ſtipando, *dolores mortis*, peccata, quæ ſunt dolorum cauſa, & mortis. Suprà in *Pſal.* idem: Circumdederunt me, tanquam funes quidam. *Prouerb.* 5. Funibus peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur. Sunt funes doloris, & mortis, quia horum cauſa. *Sapient.*1. Deus mortem non fecit, ſed impij manibus & pedibus arceſſierunt illam. Circumdant autem, ante dolorem præbendo pro apertis peccatis. *Pſal.* Peccatum meum contra me eſt ſemper. A poſteriori, pro occultis. Ab occultis meis munda me Domine.. A dextris, pro creatis ex proſperitate. *Prouerb.*1. Proſperitas ſtultorum perdet eos. A ſiniſtris, pro creatis ex aduerſitate. *Pſal.* Deſtruxiſti eum ab emundatione. *Iob* 4. Circumdedit eum Deus tenebris.

Et pericula inferni. Quaſi diceret: Sic miſeriis temporalibus circumdatus ſum: & etiam, *pericula inferni*, id eſt, peccata ad infernum trahentia, *inuenerunt me. Prouerb.*5. Pedes illius, peccatricis animæ, deſcendunt in mortem, & ad inferos greſſus illius. Et valde cito, vnde maius perculum. *Iob* 21. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.

4. *Tribulationem & dolorem.* Ecce ſecundum, in quo ſubiungit de pœna ab homibus illata. Quaſi diceret: Sic inuenerunt me mala illa, pro peccatis à Deo inflicta, & poſt *tribulationem*, quam mali inferunt, *& dolorem*, intrinſecus ex tribulatione ſurgentem, *inueni*, apertè cognoui, & intellexi. *Thren.* 3. Ego vir videns paupertatem meam. Inueni autem ipſam eſſe vtilem, & ſalutarem, quia oculos cordis mei illuminantem. *Eccl.*24. Emittit diſciplinam, quaſi lucem gaudium infundentem ipſi affectui. *Hebr.* 12. Omnis quidem diſciplina non videtur in præſenti eſſe gaudij, ſed mœroris, cum ineſt, poſtea autem fructum pacatiſſimum affert exercitatis per eam. Et tandem æterna præmia conferentem. 2. *Corinth.*4. Hoc momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate, æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. Vel de iiſdem miſeriis loquitur, de quibus ſuprà. Quaſi diceret: Sic circumdederunt me peccata & miſeriæ, & obligatio ad gehennam, me neſciente: ſed poſt, te illuminante, in me inueni tribulationem illam, & dolorem. *Iſa.*9. Habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis.

Tribulatio vtilis & ſalutaris.

Et nomen Domini. Hîc ſupplicatio: & tangitur primo oratio. Secundò modus liberandi, ibi, *Domine libera animam meam.* Dicit ergo: Sic fui in tribulatione: & *, vt hæc vidi, & cognoui, ſic *nomen Domini*, potentiam & pietatem, *inuocaui*, intus in corde vocaui. *Iſa.* 26. Domine in anguſtia ſua requiſierunt te. *Oſe.*6. In tribulatione ſua manè conſurgent ad me. *Ion.* 11. Clamaui ad Dominum de ventre inferi.

O Domine libera. Hîc ſecundum, modus ſcilicet inuocandi. Primò quod voce ſe humiliauit. Secundò quod opere, ibi, *Humiliatus ſum.* In prima duo ſecundum duplicem modum humiliandi ſe. Primò liberationem petendo, in quo innuit ſe ſeruum & miſerum. Secundò Dei bonitatem confitendo, ibi, *Miſericors Dominus.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd inuocaui, dicens, *O Domine libera*, à miſeria, *animam meam*, quam eo ipſo confitebor eſſe miſeram, quo hæc dico. Sub hac miſeria gemebat illa anima quæ dicebat *Roman.* 7. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et *Eccleſ.*4. Libera eum qui iniuriam patitur, hominem ſcilicet, de manu ſuperbi, ſcilicet diaboli: quod & promiſiſti. *Oſe.*13. De manu mortis liberabo eos. 5.

Miſericors Dominus. Hîc ſecundum, in quo confitetur Dei bonitatem. Bonitas autem conſiſtit in duobus: in miſericordia, quam tangit primò: & iuſtitia, quam ſecundò. *Et iuſtus*, tertiò probat primum, ipſum ſcilicet miſericordem eſſe. *Et Deus noſter.* Quartò ſecundum, ſcilicet iuſtum, ibi, *Cuſtodiens.* Dicit ergo: Sic dixi: libera animam, & adieci: *Miſericors Dominus*, & hoc debes facere. *Ioël.* 2. Benignus & miſericors eſt. *Exod.*22. Pauper ſi clamauerit ad me, exaudiam eum, quoniam miſericors ſum. Et tamen iuſtus, ne miſericordia remiſſio debeatur. Supra in *Pſal.* Iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit. Et infra in alio: Iuſtus Dominus in omnibus viis ſuis.

Et Deus noſter. Ecce primi probatio. Quaſi diceret: Dixi, quod miſericors eſt, & verum dixi: quia *& Deus noſter miſeretur*, in actu: non tantum miſericors eſt in habitu. *Iſa.*14. Miſerebitur Dominus Iacob, & Iſraël ſaluabitur: etiamſi Dominus offenſus videatur. *Ab.*3. Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.

Cuſtodiens paruulos. Hîc probat ſecundum. Quaſi diceret: Sic apparet, quòd miſericors, quia miſeretur: & quod iuſtus, quia *Dominus* eſt *cuſtodiens* paruulos, ſicut bonus præpoſitus, bonus paſtor: paruulos enim ad ſe aduocat. *Matth.* 19. Sinite paruulos venire ad me. Et amplexatur. *Matth.* 10. Et complexans paruulum, ſtatuit in medio eorum. In exemplum ponit. *Matth.*20. Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruulus iſte, non intrabitis in regnum cœlorum. Conſolatur. *Luc.*12. Nolite timere puſillus grex, quoniam complacuit Patri meo dare vobis regnum. Inſtruit. *Matth.* 11. Abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Et tuetur eos, & cuſtodit, ſicut hic dicitur. *Sapient.* 10. Cuſtodiuit eum ab inimicis, & à ſeductoribus tutauit eum. 6. *Paruuli Deo dilecti.*

Humiliatus ſum, facto: & propter hoc, *liberauit me*: quippe *Eccleſ.*35. dicitur: Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit. *Deuter.* 25. Re-

ſpexit humilitatem noſtram, & labores, & anguſtias, & eduxit nos in manu forti.

Conuertere anima mea. Hîc eſt ſecunda pars Pſalmi, in qua ponit pro cauſa laudis certam ſpem quietis æternæ & gloriæ: & dicuntur duo ſecundum duo quæ tangit, in quibus tota gloria conſiſtit. In quiete perfecta ab omni culpa & pœna, & hanc tangit primò. In debita decentia & reformatione, ita vt oculis diuinis placeat, ibi, *Placebo Domino.* In prima primò exhortando tanquam certâ ſpe firmus mouet animam ad quietis æternæ deſiderium. Secundò oſtendit vnde tanta ſpes habet ortum. *Quia Dominus.* Dicit ergo: Sic dilexi, quoniam bona antecedentia mihi fecit: & etiam ô *anima mea,* hortor, *conuertere*: affectione & deſiderio, *in requiem tuam*, ad quam te inuitat Apoſtolus *Hebr.* 4. Feſtinemus ingredi in illam requiem. Imo ipſe Chriſtus *Matth.*11. Tollite iugum meũ ſuper vos: & inuenietis requiem animabus veſtris, non in præſenti mundo. *Ioan.*16. In mundo preſſuram, in me autem pacem habebitis. Propter hoc monet *Michæas* in 2. Surgite & ite, quia non habetis hic requiem. *Auguſt.* Cor meum Domine inquietum eſt, donec perueniat ad te. *Ierem.*31. Vade ad requiem tuam Iſraël. Vel conuertere, id eſt, conuerteris: & hoc prædictio.

Lib. confeſſ. cap. 1.

Quia Dominus. Hîc oſtendit vnde ceperit tantam ſpem, ex beneficiis ſcilicet iam acceptis: & tangit pro cauſa accepta beneficia, primò in generali. Secundò in ſpeciali, ibi, *Quia eripuit.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd conuertaris, vel certe quoniam conuerteris: nec mirum, *quia Dominus benefecit tibi.* Non viribus tuis hoc poteris, ſicut nec alia: ſed beneficio ſui verum eſt. *Zach.*7. Miſertus ſum, & conuerſus cogitaui vt benefaciam domui Iuda & Ieruſalem. *Ezech.* 20. Scietis quia ego Dominus, cum benedixero vobis propter nomen meum.

8. *Quia eripuit.* Hîc ſpecificat beneficia recepta tria. Primum eſt liberatio à culpa. Secundum à pœna debita pro illa, ibi, *Oculos meos.* Tertium à recidiuo & ruina, ibi, *Pedes meos à lapſu.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd benefecit tibi: *quia eripuit animam meam de morte*, culpa. 2. *Cor.* 1. De multis periculis nos eripuit, & eruet, maximè de morte pœnæ æternæ. *Oſe.*13. De manu mortis liberabo eos: de morte eruam eos. In eodem: Ero mors tua ô mors.

Oculos meos à lachrymis, non deuotionis & feruoris pro deſiderio æternorum, ſed compunctionis & timoris pro reatu & pœna. *Ierem.* 31. Quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis, quia merces eſt operi tuo. *Iſa.*25. Auferet Dominus omnem, &c.

Pedes meos, affectus ſcilicet, *à lapſu*, recidiui. *Pſal.* Pes meus ſtetit in directo. Et alibi: Et ſtatuit ſupra petram pedes meos. *Prouerb.* 3. Ambulabis fiducialiter in via tua, & pes tuus non impinget. Hæc eſt autem ſuauiſſima & ſaluberma requies nunc in præſenti, ſcilicet conſcientia munda, ſecura, & quieta. Eſt animæ cuicitra, conſcientiæ puritas, opertorium, ſecuritas, ceruical, tranquillitas: & etiam via mundiſſima & recta ad veniendum ad requiem prædictam.

9. *Placebo Domino.* Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic anima mea conuerteris in requiem tuam, quod ſpero per dicta: ſed nunquid ibi tantum requies? imo *placebo Domino*, gloriosè reformatus, qui modò diſpliceo turpiter deformatus: & hoc *in regione viuorum. Ierem.*18. Fecit illud vas alterum, ſicut placuit in oculis eius. *Eſth.*5. Placuit Eſther in oculis eius. Sed non placent adhuc ambulantes in carne. *Rom.*8. Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt: donec ſit reparata, & corruptibile hoc induerit incorruptionem. 1. *Corinth.*15. quod fiet, *in regione viuorum*, in vita ſcilicet æterna, in paradiſo. In inferno enim regio eſt mortuorum: in hoc mundo, regio morientium: ſed ibi eſt regio viuorum, ad quam nos perducat, & ſibi placere faciat, qui eſt benedictus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

IN CXV. PSALMVM.

Alleluia.

10. *Pſalmus hortatur ad laudem Dei ex inuictorũ martyrum fide & conſtantia.*

CRedidi, *propter quod locutus ſum.* Hic eſt Pſalmus 115. in toto libro, in tertia parte 15. Poſtquam enim egit de fidelium vnitate in charitate in *Pſal.* præcedenti, hic ſubiungit de fide, & vnione in conſtantia fidei. Sed quia & fides, & vnio in illa, & conſtantia totum eſt à Deo, Deus inde laudandus eſt: & propter hoc præponitur titulus: *Alleluia.*

Pſalmus autem diuiditur in duas partes. Primò agitur de conſtantia ſanctorum & vnione in fide vera. Sancti enim per fidem vicerunt regna. *Hebr.* 11. Secundò de gratiarum actione pro vnione & conſtantia, quia omnia à Deo ſunt data, ibi, *O Domine quia ego ſeruus tuus.* In prima tria. Primò loquens in perſona ſanctorum in fide vnitorum Eccleſiæ, & conſtantium, fatetur ſe corde credere: ſed quia ex abundantia cordis os loquitur *Matth.* 12. &, Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. *Roman.* 10. ſecundò confeſſum eſſe fidem ore, ibi, *Propter quod locutus ſum.* Tertiò, propter confeſſionem multa ſuſtinuiſſe, ibi, *Ego autem humiliatus.*

Dicit ergo: Sic dixi, quòd dilexi propter beneficia prædicta, & etiam *credidi*, fidem qua crederem in corde habui, & aliis per hanc vnitus fui: fidem, inquam, formatam per dilectionem operantem. *Gal.* 5. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam.

Propter quod. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic credidi, *propter quod locutus ſum*, ore confitendo quod tenebam corde. *Luc.* 9. Qui me erubuerit & ſermones meos, erubeſcam & ego eum coram Patre meo. *Matth.*11. Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. Seruus piger fidem ſeruabat in terra cordis tanquam pretioſum domini ſui talentum, & damnatus eſt, quia per prædicationem illud nõ expoſuit. *Matt.*25.

Ego autem. Hîc tangitur tertium, ſcilicet illud in quo confitetur ſe ſuſtinuiſſe mala propter fidei confeſſionem, & maiora adhuc velle ſuſtinere: & ſecundum hoc duo dicuntur. Primò, quod iam mala ſuſtinuit. Secundò, quod ad maiora promptus ſit, ibi, *Quid retribuam.* In prima duo. Primò quod tribulationem

ſuſtinuit.

sustinuit. Secundò quod non ex se, sed ex Deo dante. *Ego dixi.* Dicit ergo: Sic credidi, & locutus sum: *ego autem* propter prædictam confessionem, *humiliatus sum*, vilificatus & afflictus, *nimis*: vehementiam notat. *Iudic.6.* Humiliatus est valde Israël in conspectu Madian. *Psal.* Humiliatus sum vsquequaque Domine. Sic enim promisit suis Dominus. *Matth.* 10. Tradent vos in conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos. Sed *Iob* 22. dicitur: Qui humiliatus fuerit, propter fidei veritatem & constantiam, erit in gloria.

11. *Ego dixi.* Hîc secundum: postquam enim se humiliatum dixit, ostendit se hoc potuisse ex Deo, non ex se. Ait enim: Sic propter fidem humiliari sustinui, nec ex hoc superbiui. *Autem*, quia, *ego dixi in excessu meo*, id est, in contemplatione æternorum, in qua est excessus naturæ corruptæ per peccatum: *Omnis homo*, quantum est de se, *mendax*, falsitas est & vanitas. De hoc excessu in *Psal.* Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu. Et est excessus tribulationis & passionis, de quo *Luc.19.* Dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem. In vtroque se inuenit homo vanum & mendacem. *Rom.3.* Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax, ex se. Propter hoc dicitur alibi in *Psal.* Ego autem dixi in excessu mentis meæ: Proiectus sum à facie oculorum tuorum.

12. *Quid retribuam Domino.* Hic secundum, in quo postquam ostendit, quid pro fide passus fuerit, ostēdit quòd ad maiora etiam promptus sit: in quo dicuntur tria, secundum tria, per quæ ostendit se promptum. Primò ex diligenti inquisitione quid ei retribuendum, qui tot bona contulit. Secundò ex voluntaria præparatione sui ad mortem, ibi, *Calicem salutaris.* Tertiò ex desideratæ mortis aperta sustentatione, ibi, *Vota mea.* Dicit ergo: Sic propter fidem loquutus sum, & vehementer humiliatus: sed hoc nihil, imò, *quid retribuam Domino?* non pro vno tantum beneficio, sed, *pro omnibus*, bonis, *quæ retribuit*, tribuit scilicet, & iterum tribuit, *mihi.* Simile *Tob.12.* Quid poterimus dare viro isti sancto? quam mercedem dabimus ei? quid dignum poterit esse beneficiis suis? Meipsum à deuoratione piscis eripuit, & dæmonium ipse compositum: te quoque lumen cœli videre fecit: & omnibus bonis repleti sumus. *Mich.6.* Quid dignum offeram Domino? curuabo illi genu meum. Nihil verè fidelis inuenit, quod sufficiens sit. *Iob 9.* Si voluerit homo contendere cum eo, non poterit respondere vnum pro mille. Ipse enim filius Dei est ipsa sapientia, de qua *Sapient.7.* Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. *Roman.* 8. Nunquid non pariter cum illo omnia nobis donauit?

13. *Calicem salutaris.* Hîc secundum, in quo ostendit se promptum ex voluntaria præparatione sui ad mortem: in quo dicuntur duo. Primò præparatio sui ad mortem pro Deo. Secundò modus præparandi se. *Et nomen.* Dicit ergo: Sic quæsiui quid retribuere potero: sed certe, *calicem salutaris*, id est, calicem ad salutem ducentem, mortem scilicet, *accipiam*, in desiderio & amore. Calix enim ab ipso Domino appellatur. *Matth.26.* Pater, si possibile est, transeat à me calix iste. Sed, *salutaris*: vnde ipse dicebat instante mortis hora. *Ioan.12.* Pater, saluifica me hac hora. *Ierem.31.* Tempus tribulationis Iacob, & ex ipsa saluabitur. Propter hoc consanguineos ad hunc calicem inuitabat. *Matth.20.* Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?

Et nomen Domini. Ecce secundum. Quasi diceret: Sic accipiam calicem ad mortem me præparando, sicut qui accipit calicem ad bibendum se præparat. *Et*, quia hoc non est meum, vt bibam per meipsum, *nomen Domini inuocabo*, quod virtuosum est. *Phil.2.* Dedit illi nomen, quod est super omne nomen. *Act.4.* Non est aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat homines saluos fieri, calicē scilicet salubrem sustineri. 1. *Mach.3.* De cœlo fortitudo est, ad sustinendam pro iustitia mortem. *Eccl.vlt.* Inuocaui Dominum patrem Domini mei, vt non derelinqueret me in die tribulationis, & in die superborum sine adiutorio.

14. *Vota mea.* Hîc tertium, in quo ostendit se paratum ad maiora, ex desideratæ mortis aperta sustentatione: & dicuntur duo. Primò mortis aperta sustentatio. Secundò ratio quare velit eam in aperto sustinere, ibi, *Pretiosa in conspectu.* Dicit ergo: Sic accipiam calicem ad mortem me præparando, & tandem *reddam vota mea*, desideria scilicet mortis, *coram omni populo eius*, in aperto, & in communi. *Phil.* 2. Cupio dissolui, & esse cum Christo. *Act.* 21. Non solum ligari, sed & mori paratus sum, propter nomen Domini mei IESV CHRISTI: non solum pro ipso, sed pro proximo. 1. *Ioan.4.* Si ipse pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.

15. *Pretiosa in conspectu.* Hîc secundum. Quasi diceret: Sic reddam vota mea, morrem scilicet in desiderio habitam. *Isa.* 19. Vota vouerunt Domino, & soluent: quia *mors sanctorum eius*, quam pro nomine, & fide eius sustinent, *est pretiosa in conspectu Domini.* Primò quia est æternæ claritatis. *Iob.11.* Cum te consumptum putaueris, orieris vt Lucifer, & quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam. Acquisitio perpetuæ quietis. *Apoc.* 14. Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo enim iam dicit, &c. Possessio perpetuæ securitatis. *Iob* 11. Et defossus securus dormies, & non erit qui te terreat. Ingressus abundantiæ, & suauitatis, vel satietatis. *Iob* 5. Ingredieris in abundantia sepulchrum. Hostia veræ placationis, secundum illud *Rom.12.* Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiā viuā sanctam, Deo placentem. Euasio æternæ damnationis, & mortis. *Apoc.2.* Qui vicerit, nō lædetur à morte secunda. Nullus autem melius vincit, quàm qui pro Christo mortem sustinet. Propter hoc dicitur *Deut.33.* Lætare Zabulon. Zabulon ceruus emissus, anima omnia transiliens, pro Christo contemnens, in exitu tuo.

Cur mors sanctorum dicitur pretiosa.

16. *O Domine quia ego seruus.* Hîc secunda pars totius huius Psalmi, in qua subiungit pro tantis beneficiis sibi datis, gratiarum actionem: & dicuntur tria. Primò describit statum proprium, vt ostendat se posse gratias agere.

Secundò

Secundò promittit ſe gratias redditurum, ibi, *Tibi ſacrificabo.* Tertiò oſtendit modum, quo reddet gratias, ibi, *in conſpectu omnis populi.* In prima duo. Primò oſtendit conditionem & ſtatum, comparatione ad recreatorem. *Ego ſeruus.* Ait enim: Sic ſuſtinui pro fide, & paratus ſum maiora ſuſtinere: ergo, *O Domine quia ego ſeruus tuus*, iure creationis. *Iſa.* 49. Seruus meus es tu Iſraël. *Ego ſeruus tuus*, iure recreationis. *Roman.*6. Liberati à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ. Tunc enim pretio me eruiſti. 1. *Corinth.* 6. Empti enim eſtis pretio magno, &c.

Et filius ancillæ tuæ, Eccleſiæ, quæ eſt fidelium congregatio. *Sapient.* 9. Noli me reprobare à pueris tuis: quoniam ſeruus tuus ego ſum, & filius ancillæ tuæ. Humilitas magna: non audet ſe vocare filium ſuum, ſed ancillæ filium ſe nominat. *Luc.* 15. Iam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut vnum de mercenariis tuis.

Vincula peccatorũ variis modis ſoluuntur.

Dirupiſti vincula. Hic tertiò deſcribit ſtatum, quantum ad ſeipſum: quia ſolutus per gratiam Dei à vinculis peccatorum. Ait enim: Sic vota reddam, quia ſeruus, & quia filius ancillæ, & etiam, quia *dirupiſti*, beneficio gratiæ tuæ, *vincula mea*, peccata, quibus quaſi quibuſdam vinculis aſtringebar. *Prouerb.*5. Funibus peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur. *Sap.* 10. Hæc in vinculis non dereliquit eum. In *Pſal.* ſuprà: Et vincula eorum diſrupit. *Ierem.*30. Auferam iugum eius, diaboli ſcilicet, de collo tuo, & vincula illius diſrumpam. Hæc autem vincula diſrumpuntur per confeſſionem, quantumcumque dura, & fortia. *Iſa.* 58. Diſſolue, confitendo peccato, colligationes iniquitatis. Item per iniuriarum dimiſſionem: qui enim alium abſoluit ab iniuria illata, ipſe ſe ſoluit. *Matth.*6. Dimitte nois debita noſtra. Et *Iſa.* 51. Solue vincula colli tui, captiua filia Sion. Per clauium poteſtatem. *Matth.* 21. Inuenietis aſinam alligatam, & pullum alligatum, cum ea: ſoluite, & adducite mihi. *Matth.*15. Quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Per aliorum orationem. Hoc ſignificatum fuit *Actor.*12. per ſolutionem vinculorum Petri cum fieret oratio ſine intermiſſione, ab Eccleſia ad Deum pro eo. Et potiſſimè, & valdè velociter, per ſeptem donorum Spiritus poſſeſſionem. *Iudic.*16. Samſon quandiu habuit ſeptem crines, tandiu omnia vincula diſrupit, tanquam eſſent de ſtupa.

17. *Tibi ſacrificabo.* Hic ſecundum, in quo poſtquam tetigit ſtatum ſuum, tanquam rationem, quare gratias agere velit, ſubiungit promiſſionem de gratiarum actione. Primò laudis. Secundò operis, ibi, *Vota mea.* In prima duo. Primò quòd laudabit. Secundò quod hoc ipſum à Deo habebit. *Et nomen Domini.* Dicit ergo: Sic ſeruus ſum, & ancillæ filius, & à peccatorum vinculis ſolutus, & propter hoc *tibi ſacrificabo hoſtiam laudis*, id eſt, laudem oris, tanquam hoſtiam. In *Pſal.* ſuprà: Sacrificium laudis honorificabit me. *Hebr.* 13. Offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo. Hoc eſt offerre vitulum labiorum. *Oſe.*14. Auſer omnem iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum.

Et nomen Domini. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic ſacrificabo, & quia per me nihil poſſem, *nomen Domini inuocabo.* Idem ſuprà parum. *Tob.*13. Nomen magnum, dicitur Eccleſiæ, inuocabitur in te. *Deuter.*32. Nomen Domini inuocabo. Date magnificentiam Deo, &c.

Vota mea Domino. Hîc ſecundum, ſcilicet gratiarum actio in opere. Ait enim: Sic ſacrificabo hoſtiam laudis, & *reddam vota mea*, id eſt, meipſum, *Domino Deut.*23. Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere. *Eccleſ.*5. Quodcumque voueris Domino, redde: melius eſt enim non vouere, quàm poſt votum promiſſa non reddere. 18.

In conſpectu omnis. Hîc tertium totius huius partis, ſcilicet illa pars in qua addit de modo referendi gratias, qui tangitur duplex. Primò, quod euidenter vt pluribus poſſit proficere. Secundò, quod fideliter. *In atriis domus Domini.* Tertiò, quod benigniter ſine turbatione aliorum, ibi, *In medio tui.* Dicit ergo: Sic dabo ſacrificium laudis, & meipſum, & hoc *in conſpectu omnis populi eius*, vt omnes ædificem, ad hoc ipſum excitem. *Eccleſ.* 7. Sacrificium offeres Domino in conſpectu omnis viuentis. *Matth.*5. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona: quia *Luc.*9. Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub medio, ſed ſuper candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant. Et hoc

In atriis domus Domini, id eſt, Eccleſiæ, non extra domum, quia nihil valeret aliter, niſi eſſem in domo per fidem. *Heb.*11. Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. *Pſal.* Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Ieruſalem. Et hoc *in medio tui Ieruſalem*, hoc eſt, pacificè & benigniter. Ieruſalem enim viſio pacis interpretatur: in tali enim loco, in quo eſt fides, & pax, ſibi vult ſacrificari. *Deut.*10. *Deuter.*22. Caue ne offeras in omni loco, ſed in eo, quem elegerit Dominus Deus tuus: vt per hoc quod offeres in hac materiali Ieruſalem, venias conſequenter ad illam, quæ ſurſum eſt, quæ eſt mater noſtra. *Gal.*4. Ad quam nos perducat, qui eſt benedictus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. 19.

IN CXVI. PSALMVM.

Alleluia.

Argumentũ Pſalmi, quòd creator debeat to to orbe laudari, ex cõfirmatione fidelium in fide & charitate.

L*Audate Dominum omnes.* Hic eſt Pſalm. 116. in toto libro, in tertia vero parte libri 16. in quo inuitat ad laudem poſt confirmationem Eccleſiæ in fide & charitate, in qua ſunt vnita eius membra. Et proponitur titulus vſitatus, & ſatis apertus. *Alleluia.* Pſalmus autem diuiditur in duas partes. Primò ponitur inuitatio ad Dei laudem. Secundò ratio quare laudandus ſit Deus, ibi, *Quoniam confirmata eſt.* In prima duo. Primò inuitatio Gentium. Secundò Iudæorum, ibi, *Laudate eum omnes populi.* Ait enim: O vos *omnes Gentes*, vt nulla gens omnino excipiatur, *laudate Dominum*, ad quem fluxiſtis, à quo receptæ eſtis. *Iſa.* 2. Fluent ad eum omnes Gentes. *Ierem.* 16. Ad te Gentes venient ab extremis terræ. Et multum honorate. *Roman.*15. Dentes autem ſuper miſericordia honorate Deum. Ab ipſo etiam illuminatæ & inſtructæ. *Pſal.* In conſpectu 1.

conſpectu Gentium reuelauit iuſtitiam ſuam, & de ſe genitam, ipſum filium. 2.ad *Corinth.*1. Qui factus eſt à Deo Patre nobis iuſtitia, &c. Et omnes dicit, quia nullas excluſit. *Act.*1. In omni gente qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi.

Laudate eum omnes populi, Iudæorum. *Iudith* 13. inuitat illos laudare Dominum Deum noſtrum, qui non deſeruit ſperantes in ſe. De hoc Pſalmo ſumpſit Paulus quod dixit ad *Rom.* 15. Laudate Dominum omnes Gentes, & magnificate eum omnes populi.

2. *Quoniam confirmata eſt.* Hîc ſecunda pars, in qua ſubiungitur ratio quare ſit laudandus: & tangitur duplex. Primò confirmatio ipſorum in miſericordia liberante à malo pœnæ, & culpæ. Secundò confirmatio in veritate interius illuminante ad cognitionem boni. *Et veritas.* Dicit ergo: Sic laudate Gentiles, & Iudæi: & debetis, *quoniam ſuper nos confirmata eſt*, vt perſeueret perpetuo, *miſericordia eius. Daniel.* 3. In omnia ſæcula miſericordia eius. *Thren.* 3. Non defecerunt miſerationes eius. Firmata fuit miſericordia eius ſuper nos in incarnatione, ſed confirmata in ſua paſſione. *Pſal.* Corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe. Hanc confirmationem petebat, qui dicebat: Spiritu principali confirma cor meum. Et alibi: Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis. Vel firmata in ſua Reſurrectione, ſed confirmata in ſui exhibitione in altari. Hoc eſt enim ſacramentum, quo confirmamur & roboramur à Deo miſericorditer. 2. ad *Cor.* 1. Qui confirmat nos, nobiſcum eſt.

Et veritas Domini manet in æternum, non ad tempus. Hoc eſt verum de veritate increata, quæ Chriſtus eſt. *Ioan.*14. Ego ſum via, veritas, & vita. *Ioan.*12. Nos audiuimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum. 3. *Eſdræ* 4. Veritas manet, & inualeſcit, & viuit, & obtinet in ſæcula. Et de creata quadruplici. De veritate fidei. *Pſal.* In generatione & generationem veritas tua. *Prou.*12. Labium veritatis firmum erit in perpetuum. De veritate inſtructionis in agendis. *Matth.* 5. Vnum iota, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. De veritate comminationis. *Matth.* 24. poſtquam multa terribilia dixit: Cœlum, inquit, & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. De veritate promiſſionis. *Num.*23. Non eſt Deus vt homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur.

IN CXVII. PSALMVM.

Alleluia.

1. *Pſalmus monet laudare Deum à liberatore nobis exhibita.*

CONfitemini Domino. Hic eſt Pſalmus 117. in toto libro, 17. in tertia parte libri, in quo, ſicut ſuperius dictum fuit, poſtquam monuit ad laudem Dei pro vnione fidelium in charitate & fide, & confirmatione in his, monet ad laudem, & gratiarum actionem pro liberatore, & cauſa vnionis, ſcilicet Chriſto, in quo tanquam in lapide angulari, ſunt vniti: & præponitur titulus, præmiſſo in nullo diſſimilis, ſcilicet *Alleluia*.

Pſalmus autem diuiditur ſecundum ea quæ tacta ſunt, in duas partes principaliter. Primò enim inuitat ad Dei laudem, aſſignans cauſam, liberationem à tribulatione & miſeria. In ſecunda verò orat, vt aperta fidei ianua Eccleſiæ, intret Gentilitas cum plebe Iudaica, & fiat vna Eccleſia, ibi, *Aperite mihi portas iuſtitiæ.* In prima duo. Primò inuitat ad Dei laudem, addita ſemper ratione, quare laudandus. Secundò ſubiungit probationem rationis additæ, & manifeſtationem, ibi, *De tribulatione inuocaui Dominum.* In prima duo. Primò inuitat fideles generaliter, addita ratione. Secundò quoſdam ſpecialiter, iuxta literam conuerſos de Iudæis: iuxta ſenſum ſpiritualem, fideles in ſtatu differentes, ibi, *Dicat nunc Iſraël.* Iam patet quia in prima adhuc duo. Primò inuitat. Secundò aſſignat rationem, quare debeant acquieſcere inuitationi, ibi, *Quoniam bonus.*

Dicit ergo: Sic fideles monui vt laudetis pro confirmationem fidelium, in vnione, & charitate, & fide: ſed nunc dico, *Confitemini Domino*, confeſſione laudis. Suprà in *Pſal.* multoties idem habitum eſt: *Confitemini*, non ſolum Iudæi, ſed etiam Gentiles omnes generaliter, quia etiam veſtrum eſt confiteri. *Ierem.* 23. Adhuc dicetur in loco iſto, quem vos dicitis deſertum eſſe, vox dicentium, Confitemini Domino.

Quoniam bonus. Hîc ratio quare confitendum: & tangitur duplex. Primò Dei bonitas abſoluta in ſe. Secundò comparata ad noſtram miſeriam, quæ eſt miſericordia. *Quoniam in ſæculum.* Dicit ergo: Sic monui vt confiteamini, & debetis: *quoniam bonus*, eſt ſup. & hoc in ſe, & per eſſentiam ſuam & naturam. *Matth.* 19. Vnus bonus eſt Deus. Et *Marc.*10. Nemo bonus niſi ſolus Deus. Verè bonus, imò in bonitate ditiſſimus. Ad *Rom.*2. An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis ignoras? Et rurſus in 11. Vide bonitatem Dei, & ſeueritatem.

Quoniam in ſæculum. Quaſi diceret: Non ſolum quia bonus in ſe confitemini, ſed *quoniam in ſæculum*, extenditur, ſup. *miſericordia eius*, qua peccata condonat. *Dan.*3. idem: Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius. 2. *Paral.*16. Confitemini Domino, & inuocate nomen eius. Et poſt: Quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius. *Tob.* 13 Confitemini illi, quoniam fecit nobiſcum miſericordiam ſuam.

Dicat nunc Iſraël. Hîc ſecundum, in quo monet eos ad laudem, ſecundum ſtatus diferentes. Nec ſolum vt ipſi in ſe laudent, ſed etiam vt alios ad laudem inuitent. Et primò monet maiores per ſe. Secundò addendo ſimul etiam minores, ibi, *Dicant nunc qui timent.* In prima duo ſecundum ſtatum duplicem maiorum. Primò monet ſapientiores. Secundò ſanctiores, ibi, *Dicat nunc domus Aaron.* Et in prima duo. Primò inuitatio. Secundò ratio quare acquieſcendum inuitationi. *Quoniã bonus.* Dicit ergo: Sic monui omnes generaliter: modò dico, *Dicat Iſrael*, viuens Deum. Hi ſunt ſapientes, monendo alios ad laudem.

Et

Et *nunc*, non differat. *Exod.* 26. Cortina cortinam trahat: & qui audit, dicat: Veni *Apocal. vltim.*

Vel ſic: *Iſraël*, ſicut prius, *dicat* laudem confeſſionis Domino, & ſtatim, *nunc. Dan.*3. Benedicat Iſraël Dominum, laudet, &c. *Iſa.* 54. Miſerationum Domini recordabor, laudatio Domini ſuper omnibus, quæ reddidit mihi Deus. Sed quare hoc dicet Iſraël? vel ad hoc quid ſuadebit? hoc: *Quoniam bonus*, in ſe: *quoniam miſericordia eius*, ad nos, *in ſæculum*, in æternum ſcilicet. *Pſal.* Miſericordia autem Domini ab æterno, & vſque in æternum ſuper timentes eum. *Iſa.* 54. In miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui. *Thren.* 3. Non defecerunt miſerationes eius.

3. *Dicat nunc domus Aaron.* Hîc inuitatio ſanctorum: & dicuntur duo. Primò inuitatio ipſorum ad laudem, vel ad aliorũ inuitationem. Secundò ratio quare acquieſcendum. *Quoniam in ſæculum.* Ait enim. Sic dixi, quòd laudet vel alios inuitet domus Iſraël, & etiam *Domus Aaron*, qui ſacerdos fuit, & per hoc ſuperior eſt de iure, *dicat*, vel alios inuitando ad laudem Dei, vel ipſum in ſe laudando, & *nunc*, ſine mora. *Dan.*3. Benedicite ſacerdotes Domini Domino. Qui enim magis laudare debent, quàm Aaronitæ, ſcilicet ſacerdotes? ipſi enim ſunt Angeli, & hoc eſt officium Angelorum. *Malach.*2. Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem ex ore eius requirent: Angelus enim Domini exercituum eſt. 1. *Corinth.* 11. Mulier autem velet caput ſuum propter Angelos. Et presbyteris ſeptem Eccleſiarum ſcribens Ioannes, Angelos eos vocat *Apocal.* 1.2. & 3. Et 1. *Paral.* 16. dicitur: Conſtituit Dauid circa arcam Domini, de Leuitis, qui miniſtrarent, & recordarentur opera Domini, & glorificarent & laudarent Deum Iſraël. Thema in Synodo, & in capitulo fratrum Prædicatorum, vel prouinciali, vel generali.

Quoniam in ſæculum. Hîc ratio quare laudare debent, quæ ponitur vna tantum, ſcilicet bonitas Dei, operatiua ſcilicet, vt eſt ad nos ordinata. Sed quare non ponuntur duo, ſicut in præcedenti verſu? Reſpond. Poteſt eſſe, quòd prius loquebatur ad peritiores, quaſi contemplatiuos, quorum eſt reſpicere & intueri diuinam bonitatem, non ſolum in ſuis effectibus, ſed etiam in ſe: hic autem ad miniſtros Eccleſiæ, ſcilicet ſacerdotes, quorum eſt propriè conſiderare diuinam bonitatem, eorum miniſterio in alios influentem, quorum eſt dicere Deo illud: Oleum effuſum nomen tuum. *Cant.* 1.

4. *Dicant nunc qui timent.* Hîc colligit minores cum maioribus ſub conditione timentium, quamuis hoc magis ad minores poſſit pertinere: & diuide verſum ſicut ſuperiores, & eodem modo lege. Sed aduerte, quòd quamuis Deus repellat laudem peccatorum. *Eccl.* 15. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Et in *Pſal.* Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras? &c. Tamen non repellit laudem ab ore timentis, ſed acceptat. *Actor.* 10. In omni gente qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. Quippe & minores, qui in ſtatu timentiũ ſunt, & maiores, qui in ſtatu diligentium, ipſe fecit. *Sap.*6. Puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt illi cura de omnibus. Propter hoc optimè dicitur *Apoc.* 19. Laudem dicite Domino noſtro omnes ſancti eius, & qui timetis Deum puſilli & magni.

De tribulatione inuocaui. Hîc ſecundum primæ partis totius Pſalmi. Poſtquam enim inuitauit ad Dei laudem, reddendo ſemper rationem, quare laudandus, hîc addit rationis declarationem, oſtendendo in ſeipſo, & per ſeipſum Dei miſericordiam & benignitatem, qua ſe liberauit: vnde dicuntur duo. Primò confitetur ſui liberationem à tribulatione. Secundò modum liberationis exequitur, ibi, *Omnes gentes circuibunt.* In prima tanguntur duo. Primò inuocantis liberatio. Secundò per quem facta fuerit, ibi, *Dominus mihi adiutor.* Et in prima duo tanguntur. Liberatio enim exigit aliquam præparationem à parte liberati: vnde dicuntur duo. Primò præparatorium ad liberationem, ſeu inuocatio Dei in tribulatione. Secundò liberatio ſic præparati, ibi, *Et exaudiuit me.* Dicit ergo: Sic monui confiteri, quoniam bonus in ſe, miſericors ad nos: & hoc dixi tanquam expertus, quia *de tribulatione mea*, in qua anxiabar, *inuocaui Dominum. Oſe.* 6. In tribulatione ſua mane conſurgent ad me. *Ion.* 2. De tribulatione inuocaui Dominum. Hoc enim præcipit in *Pſal.* Inuoca me in die tribulationis. 5.

Et exaudiuit Dominus. Iſa. 19. Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis, exaudiens eos, Saluatorem, & propugnatorem, qui liberabit eos. *Ierem.* 29. Inuocabitis, & ego exaudiam. *Iſa.* 64. Factus ſum eis ſaluator in omni tribulatione eorum. *In latitudine*, ponens *me*, vt iam non arctatus curram ad præmia. *Pſal.* ſuprà: Eduxit me in latitudinem. Et alibi: Statuiſti in loco ſpatioſo pedes meos. *Prou.*4. Ducam te per vias æquitatis, quas cum ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui.

Dominus mihi adiutor. Hîc ſecundum, in quo poſtquam eſt actum de inuocantis liberatione, agit hîc conſequenter de liberatoris excellenti poteſtate. Duo ergo tanguntur. Primò liberatoris poteſtas. Secundò excellentia, & incomparabilitas ad adiutorium Angelicum & humanum, ibi, *Bonum eſt.* In prima duo. Primò oſtenditur adiutoris poteſtas, ex ſecuritate adiuti. Secundò ex contemptu aduerſantis inimici, ibi, *Dominus mihi adiutor.* In prima duo. Primò confeſſio adiutorij. Secundò promiſſio ſecuritatis, ex confidentia tanti adiutorij, ibi, *Non timebo.* Dicit ergo: Sic inuocaui, & exauditus fui, & non ſum per alium liberatus, imò ipſe *Dominus mihi adiutor*, fuit ſup. Suprà in *Pſal.* Adiutor in opportunitatibus in tribulatione. *Eccleſ.* 51. Confitebor nomini tuo, quia adiutor & protector factus es mihi. *Deuter.* 33. Adiutor illius contra aduerſarios erit. Sic ergo ille adiutor, & tu quid? *Non timebo quid faciat mihi homo?* ſed ſecurus ero. *Iſa.* 51. Quis es tu, qui adiutus es à Domino vt timeas ab homine mortali, & ad filium hominis, qui quaſi fœnum areſcit? *Ierem.* 1. Ne timeas à facie eorum. Quippe ex quo Deus eſt adiutor, non eſt timendum. *Roman.*8. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Et ipſe homo nihil eſt, quare ergo timeretur? 1. *Machab.* 1. A verbis viri peccatoris ne timueritis, 6.

timueritis, quoniam gloria eius ſtercus eſt: hodie extollitur, & cras non inuenietur.

7. *Dominus mihi adiutor.* Hîc ſecundum, in quo monſtratur adiutoris poteſtas, ex contemptu aduerſarij, quod plus eſt quam non timere. Primò ergo repetitò confitetur dominicum adiutorium. Secundò inimicorum contemptum. *Et ego deſpiciam.* Dicit ergo: Sic non timebo, quicquid agat homo, & etiam *Dominus mihi adiutor.* Color rhetoricus eſt in capite diuerſorum verſuum idem dicere. *Exod.*2. Deus patris mei adiutor meus, & eruit me de manu Pharaonis. 2. *Mach.*3. Ille qui in cœlo habet habitationem, adiutor eſt loci illius. *Et ego*, tali adiutore protectus, *deſpiciam inimicos meos.* In *Pſal.* ſuprà: Et deſpexit oculus meus inimicos meos. *Iudith.*9. Da mihi in animo conſtantiã vt contemnam illum. Deſpiciam illos in præſenti, & plus etiam in futuro, quando verè deſpiciendi erunt viles vt cadauera. *Iſa.vlt.* Exibunt & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati ſunt in me. *Mal.vlt.* Calcabitis impios, &c.

8. *Bonum eſt confidere.* Hîc ſecundum: monſtrata enim liberatoris potentia, hîc oſtenditur eiuſdem potentiæ excellentia. Primò comparatione ad humanam naturam. Secundò comparatione ad Angelicam, ibi, *Bonum eſt ſperare.* Dicit ergo: Sic Dominus adiuuat, vt mihi ſecuritas, & contemptus aduerſariorum, & etiam *bonum eſt confidere in Domino*, id eſt, melius, (poſitiuum ſumit pro comparatiuo) *quàm confidere in homine*: & eſt abuſiua comparatio, quia in homine non eſt bonum confidere. *Iſa.*30. Confiſi ſunt ſuper populum, qui eis prodeſſe non poterit, nec fuerunt eis in auxilium & vtilitatem aliquam, ſed in confuſionem. Et rurſum in eodem: Erit fortitudo Pharaonis vobis in confuſionem, & fortitudo Ægypti in ignominiam. Et in 37. Confidis in baculo iſto confracto, Ægypto, cui ſi innixus fuerit homo, confringetur. Et propter hoc dicitur *Ierem.* 17. Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum. Sed in Domino confidere bonum. *Eccleſ.*32. Qui confidit in Domino, non minoratus erit. Eſt propter hoc dicitur è contrario. *Ier.*17. Beatus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius.

9. *Bonum eſt ſperare.* Hîc tangit excellentiam comparatione ad naturam Angelicam. Ait enim: Sic excellit humanum adiutorium, & etiam Angelicum, quia *bonum eſt ſperare* (& eſt abuſiua comparatio ſicut ſuprà: tamen aliquo modo videtur magis ſperandum in Angelo, quàm in homine) *in Domino*, & totum ſe illi proiicere, *quàm ſperare in principibus*, in Angelis ſcilicet, qui principes dicuntur. Suprà in *Pſal.* Præuenerunt principes coniuncti pſallentibus. Sed nec in illis, quamuis per eos nos conſeruet Dominus, nec in hominibus etiam. In *Pſal.* infra: Nolite confidere in principibus, nec in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus. Sed de Domino dicitur *Thren.*3. Bonus eſt Dominus ſperantibus in ſe, animæ quærenti illum. Quia *Prouerb.* 29. dicitur: Qui ſperat in Domino, ſubleuabitur. *Eccleſ.*2. Nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt. Nec mirum: omnia enim ſunt bona quaſi accidentaliter, & reſpectiuè, ipſe ſolus bonus in ſe, & per ſe eſſentialiter.

Multiplex bonum.

Notandum enim, quòd eſt bonum naturæ creatæ. *Gen.*1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Et eſt bonum in genere, quod eſt bonum in ſe, ſed poteſt fieri malè. *Tob.*12. Bona eſt oratio cum eleemoſyna & ieiunio. Et eſt bonum gratiæ, quod adhuc ſupereminet, de quo *Eccl.*13. Bona eſt ſubſtantia, cui non eſt peccatum in conſcientia. Et eſt bonum gloriæ creatæ. *Pſal.* Labores manuum tuarum, quia manducabis, &c. Hoc præguſtauerat Petrus *Matth.*17. Domine bonum eſt nos hîc eſſe. Et eſt bonum increatæ, quod eſt bonum in ſe, & per ſe. In *Pſal.* infrà: Bonus es tu, & in bonitate tua doce me. *Eſther* 11. Qui es ſolus rex potens, & bonus. In hoc ergo bono confidere, in hoc totam ſpem ponere, excedit ſine comparatione omnem ſpem, omnium confidentiam in alia re.

Omnes gentes. Hîc ſecundum totius illius partis, in qua probat Dei miſericordiam exemplo ſui. Cõfeſſus eſt enim ſuam liberationem, hic addit liberationis modum. Et tangit modum duplicem liberationis, quem eſt expertus. Primò quia liberat, à caſu conſeruando. Secundò ſi cadere contingat, à caſu erigendo. ibi, *Impulſus euerſus.* In prima duo ſecundum genus duplex perſecutorum ad caſum impellentium. Primi infideles de Gentibus. Secundi infideles de Iudæis. Primò ergo tangitur liberatio à primis, ne ruere faciant. Secundò à ſecundis, ibi, *Circumdantes.* In prima duo. Primò modus perſecutionis iuſti, in cuius perſona loquitur, ab ipſis Gentibus. Secundò modus diuinæ liberationis. *Et in nomine Domini.* Dicit ergo: Dixi me inuocaſſe in tribulatione Dominum, & ab eo me liberatum, & verum dixi, quia *omnes Gentes*, non quædam tantum, *circuierunt me*, dicit Eccleſia primitiuorum, explorando, inquirendo ſi me poſſent ſuffocare & deſtruere. *Pſal.* In circuitu impij ambulant. *Thren.*1. Hoſtes eius in circuitu eius, inſtructi à magiſtro ſuo diabolo, de quo dicit Petrus. 1. *Can.*1. Aduerſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Et ipſe dicit ad Dominum. *Iob* 1. Circuiui terram. Facti ſunt inimici, tanquam qui obſident ciuitatem, qui circumdant eam. *Iob* 19. Obſederunt in gyro tabernaculum meum. *Eccl.*9. Extruxit munitiones, & perfecta eſt obſidio.

Et in nomine Domini. Hîc ſecundum, modus ſcilicet liberationis. Quaſi dicerer: Sic perſequuti ſunt, & ego *vltus ſum in eos*: & hoc, *in nomine Domini*, id eſt, in potentia Domini. *Exod.* 15. Omnipotens nomen eius: ſuum enim eſt vlciſci. *Eccleſ.*28. Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam. *Deut.* 37. Vindictam retribuet in hoſtes eorum. Propter hoc dicebat Dauid Goliæ. 1. *Reg.*17. Tu venis ad me cum gladio, & haſta, & clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, agminum Iſraël.

11. *Circumdantes circumdederunt me.* Hîc de perſecutione à Iudæis: & dicuntur duo. Primò modus perſecutionis ex parte perſecutorum, id eſt, illorum qui perſequuti, & verè paſſi ſunt cum

modo liberationis. Secundò ex parte perſequentium, ibi, *Circumdederunt me.* In prima autem duo. Primò tangit modum perſequutionis. Secundò liberationis. *Et in nomine.* Dicit ergo: Sic Gentes ſunt me perſecutæ, & Iudæi *circumdantes*, caput meum, dicit Eccleſia primitiuorum, *circumdederunt me*, corpus ipſum. Circumdederunt Iudæi ſeipſis inquirendo quis eſſet. *Ioan.* 10. Circumdederunt Ieſum Iudæi dicentes: Si tu es Chriſtus, dic nobis palam. Circumdederunt verbis & fraudulentiis. *Thren.* 3. Circumædificauit aduerſum me, vt non egrediar. Circumdederunt veſtibus irriſoriis. *Ioan.*19. Veſtem purpuream circumdederunt ei.

Et in nomine Domini. Quaſi diceret: Sic circumdederunt me, & perſequebantur, & in me, & in meo capite: *& in nomine Domini*, factus ſum, ſup. *quia vltus ſum in eos*, per Romanos, qui eos deſtruxerunt, & per dæmones, qui damnatos in inferno affligunt. *Iſa.*61. Vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem retributionis Deo noſtro. Et 63. Dies vltionis in corde meo, annus retributionis meæ venit. Propter hoc dicitur *Iſa.* 1. Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor in eis.

12. *Circumdederunt me.* Hîc ſecundum, in quo tangitur modus perſequendi, ex parte ipſorum perſequentium: & ſicut ſuprà dicuntur duo. Primò perſequutionis modus. Secundò deliberationis, ibi, *Et in nomine Domini.* In prima duo. Primò quòd perſecuti ſunt latenter & aſtutè. Secundò quòd ardenter & apertè. *Et exarſerunt.* Dicit ergo: Sic & caput & corpus perſequuti ſunt vniuerſaliter, & quantum in ipſis, *circumdederunt me*, perſequendo, *ſicut apes*, latenter & aſtutè, ſicut apes, quæ mel habent, & aculeum ſub melle abſconditum. Sic ipſi verba adulationis habebant aliquando dulcia. *Matth.*12. Magiſter, ſcimus quia verax es, &c. ſed aculeus in fine extractus eſt. *Luc.*23. Crucifige, crucifige eum. Item apis alios pungendo ſe enecat. Sic Iudæi pungendo Chriſtum in cruce ſe deſtruxerunt: amiſerunt enim locum & gentem. *Ioan.*11. *Dan.*9. Non erit eius populus, qui eum negaturus eſt: & ciuitatem, & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce vẽturo. Item apes ſibi inutiles, aliis valde vtiles ſunt. Sic Iudæi inutiliter ſibi Chriſtum occiderunt. *Matth.* 27. Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Et aliorum vtilitatem procurauerunt paſſione Chriſti, quæ mel eſt. Quid enim dulcius paſſione? Nunquid non cantat Eccleſia: Dulce lignum, dulces clauos? Et lumen eſt. *Matth.* 27. In paſſione Chriſti velum templi ſciſſum eſt. *Tob.*12. Fel piſcis illuminabit oculos Tobiæ. Item breues multi effecti ſunt non habentes iam regnum, nec ſacerdotium. *Matth.*21. Auferetur à vobis regnum Dei. *Eccleſiaſt.*11. Breuis in volatilibus. Item poſt amiſſum aculeum non ſunt mellificantes. Sic nec Iudæi poſt amiſſam potentiam mel fecerunt, ſed omninò deiecti & depoſiti ab omni honore ſunt. *Pſal.* Diſperde illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine.

Iudæi cum apibus collati.

Et exarſerunt. Hîc ſecundum, pertinens ad modum perſequutionis, ex parte perſequentium. Quaſi diceret: Sic vt apes perſecuti ſunt aſtutè, & latenter: *& exarſerunt*, ardenter me perſequendo, *ſicut ignis in ſpinis*, qui crepitat ibi, & ſonat: in quo notatur, quòd aperte: ardor enim & ignis inuidiæ eos repleuerat: de quo igne *Iob* 1. Ignis Dei deſcendit de cœlo. Et ipſi erant ſpinæ: vnde optimè prædicitur de eis *Iſa.*33. Spinæ cõgregatæ igni comburentur. *Eccleſ.*8. Sicut ſonitus ſpinarum ardentium ſub olla, ſic riſus ſtulti.

Et in nomine. Ecce ſecundum. Dicto modo tribulationis, additur de modo liberationis, & expone vt ſuprà. *Iſa.*63. Conuerſus eſt in inimicum, & ipſe debellauit eos. Et in 35. Deus iudex adducet vltionem. Sic impletum eſt quod petebatur ſuprà in *Pſal.* Erue me à circumdantibus me. Et alibi: Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me.

Impulſus euerſus ſum. Hîc ſecundum, in quo poſtquam oſtendit ſe liberatum à Deo ne caderet, hîc oſtendit ſe liberatum vt à caſu etiam, qui contigit, eum Dominus benignè ſuſciperet: & dicuntur duo. Primò liberatio à caſu. Secundò liberatoris commendatio, ibi, *Fortitudo mea.* In prima duo. Primò tangitur caſus, cum ſua cauſa. Secundò cadentis ſuſceptio à pietate diuina, ibi, *Et Dominus ſuſcepit me.* Dicit ergo: Sic eripuit, & adiuuit à tribulatione liberando, ſed tamen aliquando *impulſus* ab inimico tentando, *euerſus ſum*, à ſtatu gratiæ & virtutum, ad ſtatum culpæ. Hoc non poteſt pertinere ad caput Chriſtum: quantumcumque enim eum inimicus impulerit *Mat.* 3. & *Luc.* tamen euertere non potuit: ſed ad membra refertur. *Euerſus* ergo *ſum*, ita *vt caderem.* 3. *Reg.*13. Peccauit domus Ieroboam, & euerſa eſt. Peccat autem impulſus, qui tentatus & ſuaſus peccat. 2. *Paral.*22. Mater Ochoſiæ, impulit eum vt impiè ageret. Et impulſus homo citò cadit, niſi fortiter Deo ſtabili adhæſerit. *Eccl.* 2. Ne deflectatis à Domino ne cadatis. 13.

Et Dominus ſuſcepit me, ne ruerem in mortem æternam, quia rueram in mortis æternæ cauſam. Suprà in *Pſal.* Me ſuſcepit, ſurſum ſcilicet cepit, dextera tua. *Pſal.* Cum ceciderit iuſtus, etiam aliquando in mortale, quod Dominus permittit ad eius humiliationem, non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam: ſed frequentiſſimè eripit à caſu, qui eſt in charitate, quo ſcilicet cadit in veniale. *Prou.*24. Septies in die cadit iuſtus, & reſurgit.

Fortitudo mea. Hîc ſubiungitur de laude liberatoris: & dicuntur duo. Primò ſoluit laudem debitam pro liberatione. Secundò promittit laudis continuationem, ibi, *Non moriar.* In prima dicuntur duo. Primò laudem debitam tanquã gratus ſoluit. Secundò oſtendit, quòd etiam competentem valde, ibi, *Dextera Domini fecit.* In prima duo. Primò ſoluit laudem. Secundò vbi ſit laus illa, quia interius in corde, oſtendit, ibi, *Vox exultationis.* Dicit ergo: Sic Dominus liberauit me à caſu, & propter hoc *Dominus* ipſe *fortitudo mea*, non ego hoc à me habere potui. 2. *Reg.*22. Dominus robur meum, & petra mea. *Iſa.* 25. Factus eſt fortitudo pauperi, fortitudo egeno, in tribulatione ſua. *Abac.* 3. Dominus fortitudo mea. Et hoc reſpicit iraſcibilem. 14.

Et

Et laus mea, id est, laudis est mihi materia: & hoc respicit rationabilem. Solum enim rationabilia laudare possunt. Suprà in *Psal.* Non mortui laudabunt te Domine.

Et factus est, nõ in se aliquid *Mal.*2. Ego Dominus, & non mutor. Sed, *mihi in salutem.* Idem *Exod.* 15. Fortitudo, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Et *Isa.* 12. & hoc respicit ad concupiscibilem. Bonum est tali fortitudini inniti, quæ lætificat & sanat. *August.* in lib. Confess. Qui in te non stas, proiice te in eum: noli metuere, non te subtrahet vt cadas: proiice te, securus excipiet te, & sanabit te. Et in hoc salutari lætandum est. *Ab.*3. Exultabo in Deo IESV meo.

15. *Vox exultationis.* Hîc secundum, in quo vox illa erit, quia in cordis intimo, sicut in omnibus iustis debet esse. Ait enim: Sic laudo, & hoc interius in corde, quia *vox exultationis, & salutis*, non exterius est, sed magis *in tabernaculis iustorum*, in secretis scilicet cordibus eorum. Sunt enim tabernacula iustorum corda. De iis dicitur *Naum* 24. Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, tentoria tua ô Israël! Et hæc replentur interius exultatione, & laude, & salubri virtute, & gratia. *Prouerb.* 21. Thesaurus desiderabilis, & oleum in tabernaculo iusti. *Soph.*3. Lætare, & exulta in omni corde tuo. In tali tabernaculo existenti, & superius intendenti, apparet Dominus. *Genes.*18. Abrahæ sedenti in ostio tabernaculi apparuit Dominus.

16. *Dextera Domini fecit.* Hîc secundum, in quo ostendit, quòd competit eum laudari. Primò quia virtutes infundit, per quas iustificat. Secundò quia profectum in virtutibus tribuit. *Dextera Domini.* Tertiò quia à recidiuo custodit, ibi, *Dextera Domini.*. Dicit ergo: Sic laudo interius in corde confitendo ipsum esse meam fortitudinem, & salutem: & bene, quia *dextera Domin*, potentia scilicet Domini, *fecit virtutem*, in anima mea, per quam expulit culpam, & dæmonem. *Exod.* 15. Dextera manus tua percussit inimicum. *Iob* 14. Operi manuum tuarum porriges dexteram, virtutem infundendo.

Dextera Domini exaltauit me, in bono promouendo. 1.*Reg.*2. Exaltatum est cornu meum in Deo meo. 1.*Pet.vlt.* Humiliamini sub potente manu Dei: vt vos exaltet in tempore visitationis. Ad exaltationem venitur per solam humilitatem. *Luc.*14. & 18. Qui se humiliat, exaltabitur.

Dextera Domini fecit virtutem, conseruando me à recidiuo in culpam. *Exod.*33. Protegat te dextera mea. Et nota, quòd dextera Domini facit virtutem, præcipuè in altari, panem in corpus proprium commutando. *Ioan.*6. Panis quem ego dabo, &c. Et exaltat humanam naturam, cui datum est per Deum posse, quod non datum est Angelo, in homine sacerdote. *Matth.* 26. Hoc facite in meam commemorationem. Dextera Domini facit virtutem sumentis animam roborando. *Psal.* Panis cor hominis confirmat. Ibi ergo verum est dicere illud *Iob* 5. Qui facit magna, & inscrutabilia, quorum non est numerus

17. *Non moriar, sed viuam.* Hîc secundum totius huius partis, in qua agitur de gratiarum actione. Postquam enim laudes soluit, hîc laudis continuationem promittit: & dicuntur duo. Primò promissio de laudis continuatione. Secundò ratio quare continuanda sit, ibi, *Castigans castigauit.* In prima duo. Primò sperando promittit præparationem sui ad dignè laudandum. Secundò laudis continuationem. *Et narrabo.* Ait enim: Sic iam laudaui Deum, sicut dignum erat, & etiam, *non moriar*, morte culpæ, *sed viuam*, vita gratiæ cum Paulo *Gal.* 2. Viuo ego, vita gratiæ, iam non ego, sed mortuus sum culpæ: viuit autem in me Christus. Sic viuam vita gratiæ vt non sit separabilis à me. *Rom.* 8. Quis me separabit à charitate Dei, quæ est in CHRISTO IESV? Nec mors, nec vita, &c. Vel de vita corporali. Quasi diceret: *Non moriar*, ab inimicis etiam interfectus, *sed viuam*, vita gloriæ. *Sap.*3. Visi sunt oculis insipientium mori, illi autẽ sunt in pace. *Iob* 29. Sicut palma multiplicabo dies. Quando creditur quod mortua sit, tunc diutius viuit. *Exod.* 1. Quantò plus opprimebantur filij Israël, tantò multiplicabantur. Sic non moriar, sed viuam. *Et* tunc *narrabo opera Domini*, laude continua, non cessabo. *Eccles.* 17. Viuens, & sanus confiteberis, & laudabis Dominum. *Isa.*38. Viuens, viuens, viuens vita naturæ, viuens vita gratiæ: vel viuens primò vita gratiæ, & postmodum vita gloriæ, confitebitur tibi. In alio non placet. *Eccles.*15. Non est speciosa laus in ore peccatoris. Narrabo, inquit, opera Domini, non mea. *Eccl.*42. Quæ vidi, annuntiabo: in sermonibus Domini opera eius. *Tob.* 13. Opera Domini reuelare & confiteri honorificum est.

18. *Castigans castigauit me.* Hîc ratio continuationis, quæ tangitur quasi duplex, scilicet ipsius per flagella castigatio primò. Et mortis euasio per correctionem illam secundò. *Et morti.* Ait enim: Sic laudem continuabo, & iustum est, quia *Dominus castigans castigauit me.* Replicatio frequentiam castigationis demonstrat. *Ierem.*30. Castigo te in iudicio, vt non tibi videaris obnoxius: mea percussio erit tua sanatio, à superbiæ peccato maxime. *Deuter.* 32. Percutiam, & ego sanabo.

Et sic *morti*, æternæ, *non tradidit me.* Minus dicit, & plus significat: imò ipsam me fecit euadere. *Ezech.* 18. Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat. Propter hoc percutio virga correctionis, sciens illud *Prouerb.*23. Si percusseris eum virga, non morietur. Propter hoc optimè dicit *Iudith* in 8. Flagella Domini, quasi serui qui corripimur, ad emendationem, & non ad perditionem euenisse credamus. *Hebr.*12. Quem enim diligit Deus, castigat, & flagellat omnem filium, quem recipit.

19. *Aperite mihi portas.* Hîc secundum totius huius Psalmi, in quo postquam primitiuorum Ecclesia multiplices gratias Deo egit pro multiplici beneficio, introducitur Ecclesia de Gentibus, petens ingressum ad vnitatem fidei, vt simul cum illis primis laudare possit: & conseruationem, vt possit in laude habere perseuerantiam. Et secundum hæc, hæc pars est diuisa in duas. Primò petit portarum apertionem, vt ingrediatur ad fidei vnitatem. Secundò

petit vt perpetuò laudare poſſit, finalem in laudibus perſeuerantiam. *O Domine ſaluum me fac.* In prima dicuntur tria. Primò petit. Secundò confidenter aſſerit ſe exauditum, ibi, *Confitebor tibi.* Tertiò prorumpit in laudem & exultationem pro illa exauditione, ibi, *Hæc eſt dies quam fecit.* In prima tria. Primò petitio vt portæ fidei ſibi aperiantur. Secundò petitionis ratio, & cauſa finalis, ibi, *Ingreſſus in eas.* Terriò commedatio portæ ſingularis, ad quam venitur per primas, ibi, *Hæc porta Domini.* Dicit ergo: Sic audio confitentem Eccleſiam primitiuorum, & cauſas ſuæ cõfeſſionis aſſignantem multa beneficia: & propter hoc dico, *Aperite*, vos Doctores miniſterio, *mihi*, ad vtilitatem mei, *portas*, inquam, *iuſtitiæ*, fidei, fides enim iuſtitia eſt. *Geneſ.*15. *Rom.*3. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. *Coloſſ.*4. Orate, vt Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ſui ad loquendum. *Iudith* 14. Aperite nobis portas, quoniam nobiſcum Deus.

Has portas aperiunt boni Doctores, quando Scripturas exponunt, & benè viuunt. *Apoc.*11. Habent poteſtatem claudere cœlum, & aperire portas eius, quia linguæ eorum claues cœli factæ ſunt. Sed illi magis claudunt, qui bene docent, & male viuunt. *Matth.*23. Væ vobis Scribæ & Phariſæi, hypocritæ, qui tuliſtis clauem ſcientiæ, & nec vos intratis, nec alios intrare permittitis. Sed Chriſtus aperit authoritate propria, & virtute. *Iſa.*22. Aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. In his portis ſcripta ſunt Cherubim, & palmæ, ſcientiæ ſcilicet plenitudo, & bona operatio, quæ in Cherubim, & palma monſtratur. 2. *Reg.* 6. *Ezech.*42.

Ingreſſus in eas, & ſic in fide exiſtens, *confitebor Domino*, confeſſione fidei, & laudis, de qua *Rom.*10. Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Fides enim ex auditu, ſacrarum ſcripturarum eſt. *Pſal.* Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum, ſcripturas aperiendo, ſuum enim eſt. *Luc. vlt.* Aperuit illis ſenſum vt intelligerent ſcripturas.

20. *Triplex porta, quæ itur ad Deum.*

Hæc porta Domini. Hîc tertium, in quo ſubiungitur cuiuſdam portæ commendatio, ad quam ducunt illæ. Quaſi diceret: Sic ingreſſus confitebor Domino, Chriſto, & *hæc* eſt *porta Domini*, ipſe ſcilicet Chriſtus. Ego ſum oſtium, ſi quis per me introierit, ſaluabitur. *Iuſti intrabunt in eam*, ingredientes ad æternam vitam. *Apoc. vlt.* Beati qui intrant per portam, Chriſtum ſcilicet, in ciuitatem. Vide ergo diligenter, quod Scripturæ portæ ſunt veniendi ad fidei iuſtitiam. Fides rurſus porta eſt veniendi ad Chriſtum, & Chriſtus porta veniendi ad Deum. Has omnes portas hoc ordine ingreditur anima iuſta. *Eſther* 15. Ingreſſa eſt cuncta per ordinem oſtia, & ſtetit ante regem. Legitur & de porta tribulationis, quam Sancti ſibi petunt aperiri, ſcientes per ipſam introitum eſſe ad regnum. *Act.*14. Per multas tribulationes oportet intrare in regnum cœlorum. Has ingreſſi iuſti laudant Deum. *Act.*5. Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam, &c. *Iacob.* 1. Omne gaudium exiſtimate fratres, &c. Et hæc ipſa eſt porta Domini, quia per tribulationem & mortem introiuit in regnum. *Luc. vlt.* Oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.

Confitebor tibi Domine. Hîc ſecundum, in quo confitendo & laudando aſſerit ſe exauditam, oſtendendo etiam à quo, & per quem: & ſecundum hoc dicuntur hic tria. Primò confitendo aſſerit ſe exauditam. Secundò oſtendit, per quem ſit exaudita, ibi, *Lapidem, quem reprobauerunt.* Tertiò à quo, quia à Domino, ibi, *A Domino factum eſt.* In prima duo. Primò promittit laudis confeſſionem. Secundò addit confeſſionis rationem. *Quoniam exaudiſti me.* Dicit ergo: Sic petij, & iam certa ſpe promiſſum tenens, dico? *O Domine confitebor tibi*, confeſſione laudis. 21.

Quoniam exaudiſti me. Hîc tangit confeſſionis laudem, in quo duo. Primò exauditio. Secundò in quo. *Et factus es mihi.* Ait enim: Sic confitebor, & dignum eſt, *quoniam exaudiſti me.* In quo? *Et factus es mihi in ſalutem*, ab errore infidelitatis, à morte iniquitatis. Ecce iterum confitetur. *Ioan.*11. Eamus in Iudæam iterum, id eſt, in confeſſionem. Et optimè iunguntur confeſſio, & exauditio, fratres enim ſunt. *Iudic.*1. Dixit Iudas Simoni fratri ſuo: Aſcende mecum. Et maxime pro ſalute ei confitendum, quia ipſe ſolus ſaluat. *Iſa.*43. Non eſt abſque me ſaluator. Et 63. Factus eſt eis ſaluator in omni tribulatione.

Lapidem, quem reprobauerunt. Hîc ſubiungit per quem exaudita ſit omninò, hoc eſt, per quem ſalus ſit facta, quod eſt ſecundum, quia per Chriſtum coniungentem duos diſcipulos in vnum, tanquam parietes duos in vno lapide angulari. Duo ergo tanguntur. Primò lapidis conditio quantum ad homines. Secundò monſtratur per hunc lapidem facta coniunctio, ibi, *Hic factus eſt.* Dicit ergo: Sic certus ſum, quòd aperientur portæ, & introibo, quia *lapidem*, id eſt, lapis, ſicut illud *Ioan.*14. Et ſermonem, quem audiſtis, non eſt meus: *quem reprobauerunt ædificantes*, Iudæi ſcilicet, qui ſoli in toto ædificabant orbe. 1. *Pet.*2. Ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum. *Act.*4. Hic eſt lapis, qui reprobatus eſt à vobis. Reprobauerunt autem Chriſtum, quia in ipſo cæſpitauerunt, & ſcandalizati ſunt. *Iſa.*8. Erit vobis in lapidem offenſionis, & petram ſcandali. *Matth.*11. Et beatus eſt qui non fuerit ſcandalizatus in me. 22.

Hic, inquam, lapis, *factus eſt in caput anguli.* *Mat.*21. An non legiſtis in ſcripturis, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli? *Zachar.* 10. dicitur de Iuda: Ex ipſo angulus. *Epheſ.*2. Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum. *Iſa.*28. Mittam in fundamentis Sion lapidem angularem probatum, pretioſum, in fundamento fundamentum. Et ſic factum eſt vnum ouile per ipſum, & vnus paſtor. *Ioan.*10.

A Domino factum eſt iſtud. Hîc tangitur tertium huius partis, ſcilicet à quo, & quomodo hoc ſit factum: & ſecundum hoc tanguntur duo. Primò tangit actorem. Secundò modum operandi, ibi, *Et eſt mirabile.* Dicit ergo: Sic per lapidem angularem, Chriſtum 23.

ſcilicet,

ſcilicet, facta eſt mea ſaluatio, & *iſtud factum eſt*, non ab homine, ſed *à Domino* ipſo. Vel *iſtud*, ipſe ſcilicet lapis angularis, *à Domino factus eſt*, ſecundum quod homo. *Gal.*4. Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege.

Et eſt mirabile in oculis noſtris, & tantæ multitudinis gentium conuerſio, & ipſius Dei incarnatio. De primo. *Iſa.*49. Adhuc dicent in auribus tuis filij ſterilitatis tuæ: Dilata nobis locum ad inhabitandum: & dices in corde tuo: Ego ſterilis, & non pariens, & quis genuit mihi iſtos? De ſecundo. *Ierem.*31. Nouum faciet Dominus ſuper terram, fœmina circumdabit virum. Et *Iſa.vlt.* Antequam parturiret, peperit: quis audiuit vnquam tale, aut quis vidit huic ſimile? *Abac.*3. ſecundum aliam literam: Conſideraui opera tua, & expaui. Et bene *in oculis noſtris* dicit, quia in aperto facta ſunt omnia. *Iſa.*52. Parauit brachium ſuum in conſpectu omnium Gentium. Et in *Pſal.* Viderunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri. *Bar.* 4. In terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.

24. *Hæc eſt dies quam fecit Dominus.* Hîc ſecundum, in quo poſtquam petiit, & petitionem ſuam exauditam oſtendit, conſequenter prorumpit in vocem laudis & exultationis: & profert duo præ gaudio vehementi. Primò temporis, quo hæc facta ſunt, commendationem. Secundò aliorum inuitationem ad lætitiam & exultationem, ibi; *Exultemus, & lætemur.* Ait ergo: Sic Dominus mihi portas iuſtitiæ aperuit per lapidem angularem. Ergo *hæc eſt dies, quam fecit Dominus:* in qua ſcilicet hæc facta ſunt, dies ſalutis & gratiæ. 1. *Reg.*11. Hodie fecit Deus ſalutem in Iſraël. 2.*Cor.*6. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Dies refrigerij. *Zach.*13. In die illa exibunt aquæ viuæ de Ieruſalem, aquæ ſcilicet gratiarum, ardorem concupiſcentiæ refrigerantes. Dies ſuauitatis & dulcedinis. *Ioël.*3. In die illa ſtillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lac & mel.

Dies mala & bona. Notandum enim, quòd eſt dies mala, in qua homo naſcitur ad peccatum, quam facit diabolus. *Iob* 1. Pereat dies in qua natus ſum. Et *Ierem.*20. Maledicta dies in qua natus ſum. Et dies temporalis proſperitatis, quæ multis eſt cauſa perditionis. *Ierem.*17. Diem hominis non deſideraui, tu ſcis. Sed eſt dies naturæ quæ bona eſt, de qua *Geneſ.*1. Vocauítque lucem diem, & tenebras noctem. Et eſt dies gratiæ, quæ eſt melior. *Ioan.* 8. Abraham pater veſter exultauit vt videret diem meum. Et eſt dies gloriæ, de qua in *Pſal.* Melior eſt dies vna in atriis tuis, &c. *Eccleſ.*33. Quare dies diem ſuperat? dies gratiæ diem naturæ, & dies gloriæ diem gratiæ? à ſole, lucem ſuam influente, ſicut vult, de quo *Mal.* 3. Vobis timentibus Deum orietur ſol iuſtitiæ. *Oſeæ* 6. de tribus: Viuificabit nos poſt duos dies, & die tertia ſuſcitabit nos. De media intelligitur quod hîc dicitur, & de tertia, quæ nobis in die ſancto Paſchæ illuceſcere cœpit, poteſt intelligi, quæ nobis reducitur tota illa ſeptimana ad memoriam, & ad imitationem, vt quemadmodum Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgamus. *Rom.*6. Quomodo Chriſtus reſurrexit, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. *Col.* 3. Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, ad gratiarum actionem de tanto beneficio. *Phil.*4. In omni oratione & obſecratione cum gratiarum actione preces veſtræ innoteſcant apud Deum.

Exultemus. Ecce ſecundum. Quia tanta eſt dies, ergo *exultemus*, extrà, *& lætemur*, intra, *in ea. Soph.*3. Exulta, & lætare Iſraël. *Iſa.*65. Gaudebitis, & exultabitis vſque in ſempiternum, in his quæ ego creo. Exultemus ergo & lætemur, quia illuminati, qui prius eramus cæci. *Iſa.* 9. Habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis. Quia liberati, qui eramus ſerui. *Ioan.*8. Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Quia redempti, qui eramus captiui. 1.*Petr.*1. Redempti eſtis de veſtra vana conuerſatione, pretioſo ſanguine agni immaculati, & incontaminati IESV CHRISTI.

O Domine ſaluum me fac. Hîc ſecundum totius huius ſecundæ partis Pſalmi, in quo poſtquam petiit ingreſſum, & vnionem in fide cum primitiuis de Eccleſia, & obtinuit, adiungit & petit finalem in his bonis perſeuerantiam, vt in ipſa etiam tribulatione, non ceſſet à laude: & dicuntur tria. Primò petit vt detur ei ſalus & confirmatio in tribulatione. Secundò aſſerit ſe exauditum. *Benedictus qui venit.* Tertiò laudes ſoluit, pro impetratione petiti, ibi, *Conſtituite diem.* In prima duo. Primò petit ſaluari à malo. Secundò proſperari in bono, ibi, *O Domine bene proſperare.* Dicit ergo: Sic vniri aliis petij, & obtinui, quia etiam dies ſalutis ſunt, dico: *O domine*, qui omnia potes, *ſaluum me fac*, à peccatis meis omnibus, ab omnibus ſæculi huius tempeſtuoſi cladibus. Sic clamabat Petrus *Matth.*14. Domine ſaluum me fac. Sic alij diſcipuli *Matth.*8. Domine ſalua nos, perimus. Et cauſa additur in *Pſal.* Inundatio ſcilicet delectationum, ſeu etiam perſequutionum. Saluum me fac, inquit, Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam. Et tu huius rei habes & artem & officium. 1. *Tim.*4. Speramus in Deum viuum, qui ſaluator eſt omnium. *Act.*4. In aliquo alio non eſt ſalus. 25.

Et *ô Domine*, poſtquam ſaluaueris *bene proſperare*, id eſt, benè, & per iter proſperum fac me incedere, ſicut feciſti Ioſeph à tribulatione. *Gen.*39. Fuit Dominus cum Ioſeph, & erat vir in cunctis proſperè agens. Et ſicut Ezechiam, de quo 2.*Par.*33. In omnibus operibus ſuis, fecit proſperè quæcumque voluit Ezechias. Et hoc fiet, quia ſuprà in *Pſal.* Proſperum faciet nobis ſalutarium noſtrorum.

Benedictus. Hîc ſecundum, in quo aſſerit ſe exauditum, primò confitens ſe ſaluatum per Chriſtum à Deo Patre miſſum. Secundò per collegium miniſtrorum eius, ibi, *Benediximus vobis.* Dicit ergo: Sic peto ſaluari à malo, & in bono adiuuari: & ſic erit, quia *benedictus es.* Vel ſic: *Qui venit in nomine Domini*, ad hoc vt ſaluaret, ad hoc vt adiuuaret. *Matth.* 21. Idem. *Apoc.*4. Qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt. Et dicit: *In nomine Domini*, non in ſuo proprio nomine, in quo veniet Anti-Chriſtus. *Ioan.*5. Ego veni in nomine Patris mei, 26.

& non accepiſtis me: alius veniet in nomine ſuo, & ſuſcipietis eum.

Benediximus vobis. Hîc ſecundum, in quo confitetur ſe ſaluatum per collegium miniſtrorum, inducens miniſtros loquentes & dicentes duo. Primò quòd populo benedixerunt. Secundò quod non authoritate ſua, ſed Dei hoc fecerunt, ibi, *Deus Dominus.* Sic verè per benedictum ſalus facta eſt tanquam per actorem, & Dominum: tamen & nos ſæcerdotes & prælati, *benediximus vobis*, vt miniſtri, ne videatur contrarium, quod dicitur *Num. 6.* Inuocabitis vos ſacerdotes nomen meum ſuper filios Iſraël, & ego benedicam eis: verum eſt authoritate, ſed noſtrum miniſterio. *Eccleſ.44.* dicitur de Aaron: Benedictionem omnium gentium dedit illi.

Benediximus ergo *vobis de domo Domini*, exiſtentibus, vel eſſe volentibus, ſcilicet de Eccleſia, de qua egredietur fons baptiſmatis, in quo mundantur omnes & ſanctificantur. *Ioël. 3.* Fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem ſpinarum. *Zachar.1.* Erit patens domui Dauid, & habitantibus Ieruſalem in ablutionem peccatorum, & menſtruatæ. His qui ſunt in hac domo, benediximns. *Pſal.* Benedictionem dabit, tanquam miniſter, legiſlator.

27. *Deus Dominus.* Ecce ſecundum, in quo confitetur actorem Deum. Quaſi diceret: Benediximus, tamen *Deus* omnium creatione, *Dominus* poteſtate & gubernatione hoc fecit, tanquam principalis actor, *& illuxit nobis*, illuminando nos prius. *2. Corinth.4.* Deus qui de tenebris iuſſit lumen ſuum ſplendeſcere, illuxit in cordibus noſtris. *1. Pet. 2.* De tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum. Illùxit ſicut verus ſol timentibus ſe. *Mal. 3.* Vobis timentibus, &c.

Conſtituite diem. Hîc tertium huius partis, in quo poſtquam petiit, & ſe exauditam aſſeruit, ſubiungit laudem pro exauditione, & prorumpit in illam: & dicuntur tria. Primò quod ex lætitia cordis aliis indicit, vt diem ſolemnitatis conſtituant. Secundò promittit, quòd in illa die conſtituta confitebitur, & laudabit, ibi, *Deus meus.* Tertiò imitando alios ad hoc ipſum, concludit totum, ibi, *Confitemini Domino.* In prima tria dicuntur. Primò indicit & monet vt diem ſolemnem ſtatuant. Secundò quòd multitudinem magnam in illa die congregent, & hominum, & virtutum, & bonorum operum, ibi, *In condenſis.* Tertiò quod vſque ad altaris ſacramentum accedant, ibi, *Vſque ad cornu altaris.* Ait ergo: Sic per ipſum Dominum, & per ipſos miniſtros ſaluatus ſum, & in bono proſperatus: ergo ô vos omnes de Eccleſia, *conſtituite diem ſolemnem*, vel conſtitutam cuſtodite, retrahentes vos ab omni opere iniquitatis & cupiditatis: hoc eſt enim primum quod exigitur. *Ierem. 18.* Cuſtodite animas veſtras, & nolite portare onera in die Sabbati. In ſpirituali lætitia & exultatione. *Pſal.* Reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi. *Neem. 8.* Dies ſanctificatus eſt Domino, nolite contriſtari, & nolite lugere, quia dies ſanctus Domini eſt. In votorum ſolutione ipſi Domino. *Exod. 23.* Non apparebis in conſpectu Domini Dei tui vacuus. In hilari eleemoſynarum largitione. *1. Eſd.8.* Comedite pinguia, & bibite mulſum, & mittite partes iis, qui non præparauerunt ſibi. *Roman.12.* Qui miſeretur, cum hilaritate.

Et hoc *in condenſis*, in denſitate & congregatione hominum. *Ioël.2.* Vocate cœtum congregate populum. *Exod.13.* Tribus vicibus per annum apparebit omne maſculinum in conſpectu Domini Dei ſui.

Vos dico incedentes *vſque ad cornu altaris*, vt participetis ipſius altaris ſacramentum. *Exod. 30.* Deprecabitur Aaron ſuper cornua altaris in ſanguine, qui oblatus eſt pro peccato. Cum enim ſacerdos cibat, & potat communicantes, ad cornu altaris ad literam decens eſt fieri, & orando debet hoc facere. In cornu etiam poteſtas intelligitur, vt ſit ſenſus: *Incedentes vſque ad cornu altaris*, id eſt, vſque ad poteſtatem altaris: quæ, inquam, poteſtas eſt ipſius altaris ſacramentum, quia poteſtatiuè confirmat animam, & corroborat ipſam. *Pſal.* Panis cor hominis confirmat. *Ioan. 6.* Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita, confirmanda ſup.

Deus meus. Hîc promittit ſe laudaturum: & 28.
dicuntur duo. Primò promittit, quòd propter ſeipſum, Deum ſcilicet ipſum laudabit. Secundò quod etiam propter beneficium, ibi, *Confitebor tibi.* Et dicuntur duo. Primò promittit laudem oris, præmiſſa ratione laudis. Secundò laudatio operis, quæ melior eſt, præmiſſa etiam ratione, ibi, *Deus meus es tu, & exaltabo te.* Dicit ergo: Sic monui diem ſolemnem conſtituere: & ego ipſe dico, *Deus meus es tu*, iure creationis: & propter hoc, *confitebor tibi*, confeſſione laudis. *Iſa. 37.* Tu es Deus meus ſolus omnium regnorum terræ, & confitebor tibi Domine Deus.

Deus meus es tu, iure recreationis: & propter hoc, *confitebor tibi, & exaltabo te*, operibus bonis te exaltandum oſtendam, & colendum. *Tob.13.* Confitemini Domino, regemque ſæculorum exaltate in operibus veſtris. *Eccleſ.51.* Collaudabo te Deum ſaluatorem meum. *Exod.15.* Iſte Deus meus, glorificabo eum, Deus patris mei, & exaltabo illum.

Confitebor tibi. Hîc promittit ſe laudaturum, propter beneficium iam adeptum: vnde tangitur primò laudis promiſſio. Secundò laudis ratio, ibi, *Quoniam exaudiſti me.* In prima duo tanguntur, quia exaudiuit, & in quo, ibi, *Et factus es mihi in ſalutem.* Litera plana eſt, & legenda ſicut ſuprà. *2. Paral.20.* Clamabimus ad te in tribulationibus noſtris, & exaudies nos, ſaluoſque facies. *2. Reg22.* Saluator meus de iniquitate liberabit me.

Confitemini Domino. Hîc tertium huius partis, 29.
in quo poſtquam induxit vt diem conſtituant ad laudandum, & ſeipſum promiſit laudaturum, concludit inuitando cunctos ad Dei laudem: & dicuntur duo ſicut ſuprà. Primò inuitatio ad laudem. Secundò ratio quare debeant conſentire inuitanti, ibi, *Quoniam bonus.* Et tangitur duplex bonitas ipſius. Primò abſoluta. Secundò comparata, ibi, *Quoniam in ſæculum miſericordia.* Et legatur litera ſicut ſuprà, hoc addito, *Quoniam* Deus *bonus* eſt tactui, quia ſuauis eſt. *Sap.12.* O quàm bonus, & quàm ſuauis eſt

Bonitas Dei diffunditur in omnibus animæ facultatibus.

est Domine spiritus tuus in nobis! Gustui, quia dulcis. *Eccles. 24.* Spiritus meus super mel dulcis. Et 49. Memoria eius quasi mel in omni ore indulcabitur. Olfactui, quia balsamum odoriferum valde. *Eccles. 24.* Quasi balsamum non mixtum odor meus. *Genes. 27.* Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni. Auditui, quia verbum melodiosum, & dulcissimum. *Eccl. 6.* Verbum dulce multiplicat amicos. Visui, quia lumen temperatissimum. *Eccl. 11.* Dulce lumen, & delectabile est oculis videre solem. Intellectui, quia veritas. *Ioan. 14.* Ego sum via, veritas, & vita. Affectui, quia charitas est. Hæc in via hîc, sed propter imperfectionem nostram minus plenè, sed in patria hæc omnia erunt plenissimè in suis, de quorum numero nos faciat, qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

IN CXVIII. PSALMVM.

Alleluia.

Psalmus agit de diuersis meritis fidelium incipientiũ, proficientiũ, & perfectorum.

1. BEati immaculati in via. Ecce Psalmus 118. in toto libro, in tertia vero parte libri 18. Postquam enim egit de laude Dei pro filiorum vocatione, & eorumdem vnione in fide & charitate in eis confirmata per lapidem angularem Christum, nunc intendit agere de diuersitate meritorum fidelium, in Ecclesia vnitorum: vnde sicut sol vnus in se existens, multitudine radiorum totum illuminat mundum, sic Psalmus iste, tanquam spiritualis sol, diuersorum meritorum radios ad nos emittit: & infelices, qui aliquo ipsius non tangunrur radio, dicturi illud *Sap. 5.* Sol intelligentiæ non illuxit nobis. Pro tanto ergo beneficio, & tam multiplici, laudandus est vere Deus. Vnde Psalmus intitulatur à fine & intentione narrantis has diuersitates meritorum, & præponitur, *Alleluia.*

Psalmus autem diuiditur in tres partes, secundum tres meritorum diuersitates. In prima ergo agit de meritis incipientium. In secunda de meritis proficientium, ibi, *Legem pone.* In tertia de meritis perfectorum, ibi, *Mirabilia testimonia.* In prima duo, secundum duo quæ sunt incipientibus necessaria. Primum est recessus à malo. Secundum verò accessus ad bonum, ibi, *Retribue seruo.* In prima duo, secundum duo quæ concurrunt ad recessum à malo. Primum est cessatio à malo, & hoc primò. Secundum, correctio ipsius mali, & destructio in seipso per pœnitentiam, ibi, *In quo corrigit.* In prima dicuntur duo secundum causam duplicem cessandi à peccato. Vna est intuitu præmij, & de hoc primò. Secundò intuitu diuini præcepti, & de hoc secundò, ibi, *Tu mandasti.* In prima duo. Primò commendat statum cessantium à peccato, quos immaculatos appellat. Secundò à contrario vituperat non cessantium statum, ibi, *Non enim qui operantur.* In prima duo. Primò fideles immaculatos, hoc est, à peccato cessantes beatificat. Secundò assignat causas, quare. *Qui ambulant.* Et assignat causam triplicem. Prima est, quia legem diuinam custodiunt. Secundò, quia ipsam inquirunt, ibi, *In toto corde.* Tertiò, quia toto corde Deum perquirunt, ibi, *In toto corde.*

Beati, in via vitæ, fidei, & Christi existentes immaculati.

Dicit ergo: *Immaculati*, sine macula peccati viuentes, *in via*, ad literam in præsenti vita, quæ debet esse via ad vitam, sunt *beati*: quippe, quia nimis arduum & difficile est quandiu sumus in hac vita, quin & nos maculemur. *Eccles. 13.* Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Sed in patria non est sic. *Apocalyps. 14.* Sine macula sunt ante thronum Dei. Existentes etiam in via fidei. Fides enim formata via est. *Isa. 35.* Hæc via, ambulate in ea. 2. ad *Corinth. 5.* Per fidem ambulamus, & non per speciem. In hac qui verè sunt, immaculati sunt. Ipsa enim à macula mundat. *Psal.* suprà: Lex Domini immaculata: lex Domini, fides scilicet formata: immaculata, per effectum: conuertens animas. *Act. 15.* Fide purificans corda eorum. Via est Christus, qui dicit *Ioan. 14.* Ego sum via, veritas, & vita. Per hanc pollutus non incedit. *Isa. 35.* Via sancta erit, & non transibit pollutus per eam. In via ergo vitæ, fidei, & Christi existentes immaculati, *beati* sunt. *Eccles. 31.* Beatus dives, qui inuentus est sine macula, beatitudine viæ. Per pulchras enim vias incedere, quædam beatirudo est. Et *Prou. 3.* dicitur: Viæ eius, Dei scilicet, viæ pulchræ. *Qui ambulant*, id est, quia illa ambulant, *in lege Domini*, ipsam custodiendo. *Ezech. 16.* Requiram eum vtrum ambulauerit in lege mea, an non. Non enim sistendum in via Dei, nec in lege, sed semper ambulandum. *Sapient. 7.* Spiritus sanctus, qui monet in hac via existentem, mobilis est. *Ioan. 12.* Ambulate dum lucem habetis, diuinæ legis. *Prou. 6.* Mandatum lucerna est, & lex lux.

2. *Beati qui scrutantur.* Hîc tangitur causa secunda beatitudinis. Quasi diceret: Sic beati qui ambulant in lege, & etiam *beati qui*, id est, quia illi *scrutantur*, diligenter perquirendo, *testimonia eius*, Scripturas scilicet sacras, quæ ei testificantur. *Ioan. 5.* Scrutamini scripturas, ipsæ enim sunt, quæ testimonium perhibent de me. Et per hoc beati sunt vere iam in via, quia *Prou. 3.* dicitur: Beatus vir qui inuenit sapientiam, qua cognoscuntur æterna. Et hæc inuenitur in sacra scriptura. *Ioan. 17.* Hæc est vita æterna vt cognoscant te: quæ iam inchoat hîc in via, in patria consummanda. *Bar. 4.* Beati sumus Israël, quoniam quæ Deo placita sunt, manifesta sunt nobis. Et hæc manifestatio per scripturas scrutatas inuenitur. Cum scrutamur scripturas sacras, tunc nobis loquitur, & sapientiam suam nos facit audire. 3. *Reg. 10.* Beati serui tui, qui stant coram te semper, vt audiant sapientiam tuam. Et benè præmisit, sicut vult *Glossa*, quòd immaculati, & in lege ambulantes, quia aliter non est quis dignus scrutari scripturas, & perquirere, nisi sit probabilis vitæ.

In toto corde. Hîc tertia causa. Quasi diceret: Sic sunt beati immaculati, quia legem custodiunt, scripturas scrutantur, & etiam quia in illis *exquirunt eum*, Deum scilicet, *in toto corde*, non in cordis parte, ne dicatur eis illud *Oseæ 11.* Diuisum est cor eorum, nunc interibunt. *Eccles. 1.* Ne accesseris ad eum duplici corde, sed toto & integro: sic poteris inuenire.

*Deut.*11. Inuenies Deum, ſi cum toto corde quæſieris eum. *Ierem.*29. Quæretis me, & inuenietis, cum quæſieritis ex toto corde veſtro.

Non enim qui operantur iniquitatem. Hîc ſecundum, in quo commendato ſtatu bonorum ceſſantium à peccato intuitu præmij, ſequitur vituperatio ſtatus permanentium in peccato. Ait enim: Tales ſcilicet immaculati, beati: *enim*, ſed, *qui operantur iniquitatem*, non ſolum exterius, ſed etiam interius: & appellat iniquitatem omne peccatum. 1. *Ioan. vlt.* Qui facit peccatum, & iniquitatem facit, nam omne peccatum iniquitas. *Non ambulauerunt in viis eius*, Dei ſcilicet, id eſt, à Deo ſtatutis: quippe talis tortuosè incedit, & viæ iuſtorum ſunt rectæ. *Iſa.* 26. Via iuſti recta eſt, rectus collis iuſti ad ambulandum. Talis ambulat in tenebris. *Prou.* 4. Semita iuſti quaſi lux ſplendens, proficit, & creſcit vſque ad perfectam diem. Ambulat etiam in limoſis, & lutoſis, in quibus vſque ad vmbilicum infigitur frequenter, ſecundum illud *Pſal.* ſuprà: Infixus ſum in limo profundi. *Sap.*3. Ambulauimus vias difficiles, ad exeundum de illis. Sed via iuſti pulchra, & munda, &c. *Prou.*3. Viæ eius viæ pulchræ, & ſemitæ eius ſemitæ pacificæ.

4. *Tu mandaſti.* Hîc ſecundum huius partis, in qua agit de ceſſatione à malo. Poſtquam enim tetigit de ceſſatione à malo, intuitu præmij, ſubiungit de ceſſatione intuitu diuini præcepti: & dicuntur duo. Primò miratur diuinæ iuſſionis diſtrictionem. Secundò ſubiungit ſupplicationem, vt detur ei cuſtodire quod iubet Dominus, & in cuſtoditis perſeuerare, ibi, *Vtinam dirigantur.* Dicit ergo: Sic iſti non ambulant in viis tuis, & tamen *tu mandaſti*, &c. Vel ſic ſecundum diuiſionem dictam continua. Qui ambulant, ſunt beati, & propter hoc ambulant, & etiam quia *tu*, cui obediendum magis quam aliis. *Act.*5. Oportet obedire Deo, magis quàm hominibus. Et in 4. Petrus autem & Ioannes dixerunt ad principes ſacerdotum: Si iuſtum eſt vos potius audire, quàm Deum, vos ipſi iudicate. *Tu mandaſti* per legem & prophetas: *mandata tua:* non figuralia, quæ fuerunt vmbra tantum, & dicuntur lex. *Hebr.*10. Vmbram habens lex futurorum, non ipſam veritatem: nec prohibitiones, quæ teſtimonia appellantur. Suprà eodem: Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius. *Sed mandata*, quæ ſine omni velamine ſunt in iuſſione vt fiant, qualia præcepta affirmantia moralia. *Exod.*20. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Et illud: Memento vt diem Sabbati ſanctifices. Et *Deut.*6. Diliges Dominum Deum tuum, &c. *Cuſtodiri nimis.* Non notat ſuperfluitatem, ſicut *Eccleſ.*7. Noli eſſe nimis iuſtus, ſecundum aliam literam. Sed diligentiæ magnitudinem, in cuſtodiendo ſuper magnitudinem dilectionis & exaltationis. In *Pſal.* infrà. Nimis honorati ſunt amici tui Deus.

5. *Vtinam dirigantur.* Hîc ſubiungitur ſupplicatio: & duo petit. Vt detur ei mandata cuſtodire, & hoc primò. Secundò vt in cuſtodia iugiter perſeuerare, ibi, *Non me derelinquas.* In prima duo. Primò ſupplicatio, ſeu deſiderij ſui manifeſtatio, quod & quædam ſupplicatio eſt. Secundò perſuaſio vt acquieſcatur deſideranti, ibi, *Confitebor tibi.* In prima duo. Primò exponit deſiderium. Secundò tangit motiuum, ad deſiderandum, ibi, *Tunc non confundar.* Dicit ergo: Sic beatus eſt, qui immaculatum ſe ſeruat, & cuſtodit quæ mandaſti cuſtodiri: & ideò dico, *Vtinam*, deſiderium exprimit & affectionem, *dirigantur*, à te non ab alio, *viæ meæ:* ad quid? *ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas. Ierem.*10. Scio Domine, quod non eſt hominis vt dirigat greſſus ſuos. *Prouerb.* 16. Cor hominis diſponit viam ſuam: ſed Domini eſt dirigere greſſus. Propter hoc orat in *Pſal.* Deduc me Domine in via tua, & dirige me in ſemita recta. Dirigitur autem per charitatem, quia *Auguſt.* dixit: Bona opera extra charitatem, ſunt curſus extra viam: curſus, inquam, inutilis, & tortuoſus. 1. ad *Corinth.*13. Si linguis hominum loquar & Angelorum: charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans aut cymbalum tinniens.

6. *Tunc non confundar.* Hîc ſecundum, ſcilicet ratio quare petit. Ait enim: Sic deſidero, quia *cum perſpexero in omnibus mandatis tuis*, non in aliquibus tantum, *non confundar.* Imo bene poteris confundi poſt mandatorum Dei inſpectionem: inſpexiſſe enim non facit vitare confuſionem, ſed feciſſe. *Iacob.*4. Scienti enim illud, & non facienti, peccatum eſt illi. *Luc.*12. Seruus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens, plagis valupabit multis. Et *Iacob.* 1. Si quis auditor eſt verbi, & non factor, hic comparabitur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo: conſiderauit enim ſe, & abiit, & oblitus eſt qualis fuerit. Cur non ſimiliter, ſi quis inſpector eſt, imò magis ſimiliter? Reſponſ. Vis facienda eſt in hoc quod dicit *perſpexero*, id eſt, perfectè inſpexero: inſpicit enim, qui cogitat, & intelligit: ſed perſpicit, qui intelligit & facit. *Iacob.*2. Si quis autem perſpexerit in lege perfectæ libertatis, non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis, hic beatus in ſuo facto erit.

Quid ſit mãdata Dei perſpicere.

Et dicit, *In omnibus*, non in quibuſdam, quia *Iacob.*2. Si quis totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus, quoad pœnam damni, etſi non quoad pœnam ſenſus. Sed qui in omnibus perſpicit, vt dictum eſt, non confunditur confuſione mala, de qua *Eccleſ.*4. Eſt confuſio adducens ignominiam. *Eccleſ.*24. Qui audit me, non confundetur. Generat enim perſpicere ſpem, de qua ſcriptum eſt *Rom.*5. Spes autem non confundit, ſed infundit, vt dicit *Bernadus.*

7. *Confitebor tibi.* Hîc eſt ſecundum, in quo ſubiungitur perſuaſio à duobus. A confeſſione laudis, qua confitebitur inſtructus & directus in mãdatis. Secundò à promiſſione adimplendi Dei iuſtificationes, ibi, *Iuſtificationes tuas.* In prima tria tanguntur. Promiſſio confeſſionis primò. Et modus confitendi ſecundò, ibi, *In directione.* Et ratio confitendi, ibi, *In eo quod didici.* Dicit ergo: Sic deſidero, vt euitem confuſionem: quod ſi dederis, *confitebor tibi*, confeſſione laudis, & gratiarum actionis, & non ero ingratus, ſciens quod Ioas rex Iuda, & filius eius, non ſunt annumerati in genealogia regum. *Matth.* 1. quia fuerunt ingrati beneficiis Ioiadæ ſummi pontificis, interficientes filium

filium ſuum Zachariam inter templum, & altare. 2. *Paral.* 34. & *Matth.* 23. *Sap.* 5. Ingrati ſpes, quaſi glacies hybernalis, quæ citò deficit, & annihilatur. *Pſal.* Confitebitur tibi cum benefeceris ei.

Quomodo ſit confitendū.

Confitebor ergo, & hoc *in directione cordis mei*, ad te ſup. qui enim ad hoc benedicit vt hominibus placeat, vt aliquid temporale acquirat, procul dubio non confitetur in directione cordis. Confitendum enim eſt Domino in corde viuo. *Eccleſ.* 18. A mortuo, tanquam ab eo qui non eſt, perit confeſſio. *Pſal.* Non mortui laudabunt te Domine. *Iſa.* 38. Viuens, viuens ipſe confitebitur tibi. Et corde integro, non partito. Suprà in *Pſal.* Confitebor tibi Domine in toto corde meo. Quippe partitum mortuum eſt. *Oſeæ* 10. Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt. Et in recto, & directo ad ſe, ſicut hîc dicitur. Et ſic confitentem Deus trahit ad ſe. *Iob* 34. Si direxerit ad Deum cor ſuum, totum ſpiritum eius & flatum ad ſe trahit.

Sic ergo confitebor *in eo*, id eſt, propter *quod didici*, à te, non ab alio. *Ioan.* 6. Erunt omnes docibiles Dei. *Iudica iuſtitiæ tuæ*, iudicia diſcretionis in præſenti, quibus apud te diſcernis bonos à malis, ſecundum illud *Pſal.* Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente, non ſancta. *Ioan.* 5. Qui non credit, iam iudicatus eſt. Et iudicia diffinitionis & retributionis in futuro, de quibus *Dan.* 7. Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt, & iudicati ſunt ex iis, quæ ſcripta erant in libris.

8. *Iuſtificationes tuas.* Hîc ſecundum, per quod ſuadet, & quaſi diceret: Sic laudabo, inſuper & *cuſtodiam iuſtificationes tuas*, opera iuſtitiæ faciendo. Suprà in *Pſal.* Dedit illis regiones gentium, & labores populorum poſſederunt, vt cuſtodiant iuſtificationes eius.

Non me derelinquas. Hîc ſecundum, quod petit, ſcilicet vt ei detur perſeuerare in cuſtodia mandatorum & iuſtificationum. Ait enim: Sic deſidero vt dirigantur viæ meæ: & tunc cuſtodiam iuſtificationes: & tu Domine, *ne me derelinquas vſquequaque*, hoc eſt, finaliter: ſecundum aliam literam, *vſque valde.* Deus enim ad modicum aliquando ſuos derelinquit. *Iſa.* 49. Ad modicum, & in momento dereliqui te: & hoc paſſionibus aliquando exponendo ſup. Aliquando verò exponendo tentationibus, vt virtus perficiatur, ſicut Paulum, cui datus eſt Angelus ſatanæ, ſtimulus ſcilicet carnis ſuæ, vt ipſum colaphizaret. 2. ad *Cor.* 12. Et in eodem: Virtus in infirmitate perficitur. Sed derelinquit vſque valdè, quando in impatientiam, vel in mortalem culpam cadere permittit. Suprà in *Pſal.* Deus dereliquit eum, perſequimini, & comprehendite eum.

In hoc octonario, in quo oſtenditur quomodo ceſſatur à peccato intuitu præmij, & mandati Dei, & oratur vt detur intelligere mandata, & proficere, & perſeuerare, & ob hoc bene *Aleph*, quod interpretatur doctrina, præponitur.

Beth.

9. *In quo corrigit.* Actum eſt in præcedenti octonario, de merito incipientium, quantum ad ceſſationem à malo, hîc quantum ad correctionem mali, à quo ceſſatum eſt, quod non fit niſi per cuſtodiam legis Dei. Sic ergo procedit in hac parte. Primò oſtendit per quid ſit vitæ correctio, in illo etiam, qui magis feruens eſt in peccato, ſcilicet adoleſcens. Secundò petit in perſona talis, vt ei detur legis adimpletio. *In toto corde.* Tertiò promittit, vt perſuadeat, & illum moueat à quo petit, ibi, *In mandatis.* In prima duo, per quæ propoſitum oſtendit. Primò interrogatio. Secundò reſponſio. *In cuſtodiendo ſermones.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd iuſtificationes tuas cuſtodiam, & iuſtum eſt, quia *in quo corrigit?* id eſt, per quid corrigit, *viam ſuam*, lubricam, & tenebroſam. Suprà in *Pſal.* Fiat via illorum tenebræ, & lubricum. *Adoleſcentior*, id eſt, adoleſcens, comparatiuum enim ponit pro poſitiuo. Hi enim ſunt, qui ad literam dicunt illud *Sapient.* 2. Venite, fruamur bonis, quæ ſunt, & vtamur creatura, tanquam in iuuentute celeriter. Et infrà: Nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Nemo noſtrum exors ſit luxuriæ noſtræ. *Luc.* 15. Adoleſcentior illius totam ſuam ſubſtantiam diſſipauit cum meretricibus viuendo luxuriosè. Adoleſcentes etiam, imò pueri poſſunt dici peccatores, qui relictis veris bonis, adhærent temporalibus his caducis, & vanis, de quibus *Iſa. penult.* Puer centum annorum maledicetur. Et *Paulus* 1. *Corinth.* 14. Nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia pueri eſtote.

Vel in bono: Adoleſcens quicumque veteri vita dimiſſa nouus efficitur, & ſequitur Adam nouum. Adoleſcens ergo in quo corrigit viam ſuam? Et reſpondet: *In cuſtodiendo*, in opere, *ſermones tuos*, qui recti ſunt, imò regula. *Seneca:* Diſtorta non niſi ad regulam corriges. Et verè adoleſcentiores corriguntur ad regulam ſermonis Dei, non ſenes, & inueterari in ſua malitia. Propter quod dicitur *Eccleſiaſt.* 6. Fili à iuuentute excipe doctrinam, ſermonem Dei ſup. & vſque ad canos inuenies eam. *Prou.* 22. Adoleſcens iuxta viam ſuam etiam cum ſenuerit non recedet ab ea. Propter hoc dicitur *Thren.* 3. Bonum erit viro cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Sed de inueteratis dicitur *Ier.* 13. Si poteſt Æthiops mutare pellem ſuam, & pardus varietates ſuas: & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum.

In toto corde meo. Hîc ſecundum, in quo petit duo. Primò petit illuminari ad intelligentiam mandatorum. Secundò gratia perfundi ad impletionem intellectorum, ibi, *Benedictus es.* In prima tria. Primò petitionis modus. Secundò quid petatur, ibi, *Ne repellas me.* Tertiò probatio, quòd exaudiendus, ibi, *In corde meo.* Ait enim: Sic in cuſtodiendo ſermones viam corrigit adoleſcens: ergo Domine *exquiſiui te*, id eſt, rogaui te: & hoc, *in toto corde meo, ne repellas:* quia dicit *Auguſt.* Qui non toto corde quærit, negligens eſt, & repellitur. Sed ſecundum hoc omnes repelluntur. Quis enim poteſt in hac vita toto corde exquirere? maximè de inchoantibus, de quibus hic loquitur, cum *beatus Auguſtinus* dicat, quod hoc mandatum: Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, non poſſit impleri in via? Sed reſponſio 10.

reſponſio eſt, quòd hîc intelligendum eſt de totalitate apta, vt non ſit cor in mortali culpa, non de totalitate æqua, quæ caret etiam veniali. *Ioel.*2. Conuertimini ad me, rogandum ſup. in toto corde veſtro. Et quid quæris in toto corde? *Ne repellas me à mandatis tuis*, intelligendis, ſaporandis, ſicut repellis non toto corde rogantes, ſed terrenis adhærentes. *Sapient.*1. In maleuolam animam non introibit ſapientia. Tepidus enim eſt, qui nec charitate feruet in Domino, nec eſt frigidus algore maiorum iniquitatum. Talem expellit Dominus, & proiicit. *Apoc.*3. Quia nec frigidus es, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo. *Geneſ.*3. Adam poſt culpam de paradiſo, ſermonum Dei, & à ligno vitæ, ſacra ſcilicet arcetur intelligentia. *Prouerb.*3. Lignum vitæ eſt, dicitur de ſapientia, omnibus apprehendẽtibus eam. Legit etiam Gloſſa de Doctoribus, & Prælatis, ſicut planum eſt in illa.

11. *In corde meo.* Hîc ſecundum. Probat enim, quòd exaudiri debeat ratione quaſi duplici: quia in memoria mandata tenuit, & quia bona intentione hoc fecit. *Vt non peccem tibi.* Ait enim: Sic rogo, Ne repellas, & debes audire, quia *abſcondi eloquia tua*, tanquam theſaurum pretioſiſſimum, & gemmas pretioſiſſimas, *in corde meo. Matth.*13. Simile eſt regnum cœlorum, ſacra ſcilicet ſcientia, diuina eloquia. *Matth.*21. Auferatur à vobis regnum Dei, ſcilicet ſacra ſcientia: theſauro abſcondito in agro, in corde ſcilicet humano. *Prou.*10. Sapientes abſcondunt ſcientiam.

Docti cauere debent ne peccent adulatione, vel auaritia, vel iactãtia, vel loquacitate incauta.

Et hoc, *vt non peccem tibi*, aliquo quatuor modorum peccandi, qui tanguntur in *Gloſſa*, vel adulatione vt placeam hominibus. Scio enim illud: Diſſipat Dominus oſſa eorum qui hominibus placent. Et Ezechias peccauit theſauros oſtendendo nuntiis regis Babylonis. 4. *Reg.*20. *Iſa.*39. Vel auaritia vt aliquid lucretur temporale, ſciens quia ſcriptum eſt *Mat.*10. Gratis accepiſtis, gratis date. Vel iactantia quod plura nouerim oſtentando, ſciens illud: Diſperdat Dominus vniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam. Vel loquacitate incenta, timens illud *Prouerb.*10. In multiloquio non deerit peccatum. Prius enim volo audire, & in corde meo retinere, quàm aliis reſpondere. *Proueb.*18. Qui plus reſpondet quàm audiat, ſtultum ſe eſſe demonſtrat, & confuſione dignum. Propter hoc dicit *Iacob.* in 1. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, & tardus ad loquendum. *Luc.* 2. Maria conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo. *Eccleſ.*3. Eſt tempus loquendi, & tempus loquendi, & tempus tacendi. Nec eſt hoc contra illud ſuprà in *Pſal.* Iuſtitiam tuam non abſcondi in corde meo, veritatem tuam, & ſalutara tuum dixi. Et *Matth.*25. Damnatur ſeruus inutilis, qui abſcondit pecuniam Domini ſui. Hîc loquitur in ſtatu incipientium, qui adhuc ſilere debent: in aliis autem locis in ſtatu prælatorum, & prouectorum. Vel hîc loquitur de abſconſione, quantum ad canes & ad porcos: ibi verò quantum ad pios auditores. *Matth.*7. Nolite ſactum dare canibus, &c.

12. *Benedictus es.* Hîc ſecundum, in quo petit ſecundam gratiam dari, vt poſſit implere quæ cognouit: & dicuntur tria. Primò oſtendit Dei benignitatem, & manſuetudinem. Secundò ſubiungit petitionem. *Doce me.* Tertiò perſuaſionem. *In labiis meis.* Dicit ergo: Sic petij, ne me repellas, & etiam *Domine benedictus es*, & in teipſo, qui es æterna & ſumma benedictio, & in tuis, in quos gratiam infundis, & ſic eos benedicis. *Pſal.* Benedictionem, gatiæ ipſam infundendo, dabit legiſlator. 2. *Cor.*2. Benedictus Deus, & pater Domini noſtri IESV CHRISTI. Et quia ſic benedictus, *doce me*, facere ſup. non tantum intelligere, vt ſupra petij, *iuſtificationes tuas*: ſine te enim non poſſum. *Iſa.*26. Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine. *Ioan.*15. Sine me nihil poteſtis facere. *Phil.*2. Deus qui operatur in nobis velle & perficere, pro bona voluntate.

In labiis meis. Hîc perſuaſio. Perſuadet autem à duobus. A manifeſtatione iudiciorum Dei aliis, vel interiori diſcuſſione, & hoc primò. Secundò à delectatione ſpirituali in mandatis Dei, ibi, *In via teſtimoniorum.* Quaſi diceret: Sic rogo, quòd doceas me facere iuſtificationes tuas: & hoc neceſſe vt faciam, quia *pronuntiaui in labiis meis*, diſtinctè & diſcretè aliis, *omnia iudicia oris tui. Pſal.* Annuntiaui iuſtitiam tuam in Eccleſia magna, ecce labia mea non prohibebo, &c. 13.

Sed contra: Statim dixit, quòd abſcondit eloquia Dei in corde: eloquia autem Dei, iudicia Dei ſunt. Reſp. Diſtingue tempora. Primò quidẽ eloquia Dei ſunt abſcondenda, & maximè canibus & porcis, poſtmodum publicanda his, à quibus ſperatur fructus fidei & bonæ operationis. Et eſt optima ratio, quare debet dare vt faciat. Rector enim aliorum prius debet facere, quam alios doceat. *Act.*1. Cœpit IESVS facere, & docere. *Rom.*2. Qui alios doces, cur teipſum non doces? Vel poſſet intelligi de labiis cordis interioribus, non de labiis exterioribus, quæ *Seneca* vocat ſumma. Non, inquit, à ſummis labiis iſta venerunt. Habent enim fundamenta duo, ſcilicet labia interiora, intellectum ſcilicet, & affectum. *Soph.*3. Reddam populis meis labium electum, vt interius in corde ſuo primò pronuntient, quàm labiis exterioribus exterius proferant. Sic enim proferre exterius, vt non diſcernatur interius, eſt confundere labium, quemadmodum factum eſt in ædificantibus turrem Babylonicam. *Geneſ.*11. Da ergo facere, quia *in labiis*, interioribus prius *pronuntiaui omnia iudicia*, tam illa, quibus iudicas in præſenti, quàm illa quibus iudicaturus es in futuro, de quibus in *Pſal.* Iudicia tua abyſſus multa. *Rom.*11. O altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ illius! *Iudicia*, inquam, *oris tui*, id eſt, per os tuum, quemcumque prophetarum, mihi oſtenſa. Prophetæ enim ora ſunt. *Iſa.*40. Os enim Domini loquutum eſt. Et *Ierem.*15. Si ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meum eris.

In via teſtimoniorum. Hîc ſecundum, in quo ſuadet à delectatione in mandatis Dei. Ait enim: Sic doce facere, quia pronuntiaui, & etiam *delectatus ſum*, interius in corde, *in via teſtimoniorum tuorum.* Nota, ſicut vult *Gloſſa*, quòd teſtimonia dilectionis Dei ad nos ſunt 14.

beneficia

beneficia ſemper generi humano à Deo exhibita, potiſſimè illa, quæ per Chriſtum ſunt nobis exhibita, ſicut Incarnatio, Paſſio, & alia huiuſmodi, in quorum via, id eſt, exhibitione ordinata, delectandum. Suprà in *Pſal.* Memor fui Dei, in beneficiis ſuis ſup. & delectatus ſum. Et alibi: Delectaſti me Domine in factura tua, in his ſcilicet, quæ pro me feciſti.

In his delectatus ſum, *ſicut in omnibus diuitiis*, non temporalibus, & corporalibus, quas Paulus vocat ſtercora. *Phil.* 2. Omnia arbitratus ſum vt ſtercora. *Thren.*3. Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora. Et ſtercora, non ad fructum fouentia, ſed excæcantia. *Tob.* 2. Stercora excæcauerunt oculos Tobiæ. Sed etiam ſpiritualibus, quales ſunt Philoſophorum & omnium huiuſmodi ſcientiæ. Et minus dicit,& plus ſignificat: multo enim magis in his teſtimoniis delectandum.

Teſtimonia etiam poſſunt dici ſacræ ſcripturæ,de quibus poteſt dicere Deus:Scrutamini ſcripturas: ipſæ enim ſunt quæ teſtimonium perhibent de me. *Ioan.* 5. Via autem ad hæc teſtimonia intelligenda, Chriſtus eſt. *Ioan.* 14. Ego ſum via, veritas, & vita. In hac delectandum ſuper omnes diuitias & theſauros. *Iob* 28. Neſcit homo pretium eius. Et paulo poſt: Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione illius. *Sapient.* 7. Præpoſui illam omnibus regnis, & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius. Quippe ipſe eſt, de quo *Coloſ.* 2. In ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.

15. *In mandatis tuis.* Hîc tertia pars, in qua poſtquam oſtendit in quo ſit correctio peccati, & petiit vt hoc detur ei, promittit vt iudicem efficacius mouere poſſit. Quatuor autem promittit ſi Deus præcedentia dederit. Primum eſt exercitatio in mandatis diuinis. Secundum, conſideratio diuinæ iuſtitiæ & pietatis, ibi, *Conſiderabo.* Tertium, meditatio in cæremoniis inſtitutis, vt intelligatur interior ſenſus ſpiritualis, ibi, *In iuſtificationibus.* Quartum, iugis verborum Domini recordatio, ibi, *Non obliuiſcar.* Dicit ergo: Sic peto mihi dari, quo via corrigatur: & tunc ô Domine *exercebor in mandatis tuis*, vſu exterioris operis, terram corporis exercendo, & colendo, & ſic ædificando vlterius conſcientiam meam, ſecundum illud *Prou.* 24. Diligenter exerce agrum tuum, & poſtea ædifices domum tuam. Non ero otioſus. *Prou. vlt.* Conſiderauit ſemitas domus ſuæ, & panem otioſa non comedit.

Et conſiderabo, diligenter cogitando, *vias tuas*, veritatem ſcilicet & miſericordiam. Suprà in *Pſal.* Vniuerſæ viæ Domini, miſericordia & veritas. Et ſequitur, ſicut *Gloſſa* dicit optimè, conſideratio cognitionis ad impletionem diuinæ iuſſionis. *Pſal.* A mandatis tuis intellexi. Et ſuprà: Intellectus bonus omnibus facientibus eum. Et *Gloſſa* hîc: Nemo enim ad penetralia intellectus peruenit,niſi vita pura prius proximus fuerit.Sed contrarium videtur: multi enim vita longè, & peccatis propriis elongati loquuntur aliquando ſubtiliora,quàm iuſti. Reſpon. Penetralia intellectus appellat, non ſubtilitatem cognitionis, quam attingunt mali, ſed ſaporem dulcedinis diuinorum eloquiorum, quem ſentiunt ſoli boni, & tum verè cognoſcunt, & penetrant ad interiora. *Auguſt.* Plus mihi videtur valere in hac inquiſitione, viuendi, quàm loquendi modus.

In iuſtificationibus tuis. Hîc tertium. Quaſi diceret: Sic exercebor in mandatis, qui prius in peccatis, & conſiderabo vias tuas, qui prius ſequebar proprias: *& meditabor*, profunde cogitando, & diſcutiendo, *in iuſtificationibus tuis*, in cæremonialibus præceptis, quaſdam ſpirituales iuſtitias continentibus, ſicut ferè omnia, quæ traduntur à 21. *Exod.* vſque ad finem, & per totum *Leuiticum.* Et in talibus neceſſaria eſt valdè meditatio, & valdè placens Deo. Suprà in *Pſal.*Et erunt vt complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper: vt mediter inquirendo, quid lateat veritatis ſub vmbra. Ad *Hebr.* 10. Lex vmbram habens futurorum. Quid ſolidi ſub figura. 1.*Cor.*10. Omnia in figura contingebant. 16.

Non obliuiſcar. Ecce quartum. Quaſi diceceret: Sic meditabor, qui prius meditabar in vanitatibus: & ſic *non obliuiſcar ſermones tuos*, in corde meo ſcribens illos. *Deut.*6. Audi Iſraël mandata Dei, & ea in corde tuo, tanquam in libro ſcribe. Et in 8. Caue nequando obliuiſcaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius atque iudicia. Non obliuiſcar ergo, qui prius obliuiſcebar.

Attende ergo in hoc octonario, quomodo iſte incipiens confeſſus ſit, in quo ſit correctio viæ peccatoris, quomodo humiliter petiit, qualiter confundendo ſe promittit ſe de cætero facturum oppoſitum eorum quæ ante fecit. Vnde ſecundum *Auguſt.* huic octonario præponitur *Beth* optimè, quod interpretatur confuſio: hic enim ſe confundit bona confuſione. *Eccleſiaſt.* 4. Eſt confuſio adducens gloriam. *Mich.* 4. Venies vſque in Babylonem, confuſionem ſcilicet de peccatis propriis, ibique liberaberis. Et rectè poſt *Aleph*, quod interpretatur doctrina: prius enim peccator doctrina illuminatur ad cognoſcendum ſtatum ſuum, & ſtatim confunditur, ſecundum illud *Ier.* 31. Poſtquam oſtendiſti mihi, ecce *Aleph*: percuſſi femur meum, confuſus ſum, & erubui, ecce *Beth*, quod interpretatur confuſio, ſed in bonum.

Gimel.

Retribue ſerno tuo. Hîc eſt ſecunda pars illius, in qua agit de merito incipientium.Cum enim actum ſit de merito illorum, quantum pertinet ad receſſum à malo, hic de merito illorum, quantum ad acceſſum ad bonum. Cum enim incipientes poſt receſſum à malo, difficultatem habeant faciendi bonum, tum ex parte infirmitatis naturalis, tum ex parte conſortij ad peccatum trahentis, tum ex parte conſuetudinis peccandi; quæ omnia neceſſe eſt per Dei gratiam amoueri, quantum poteſt in hac vita, hic ſunt duo octonarij. In primo ſupplicatio contra naturalem infirmitatem, & trahentem ad peccatum turbam. In ſecundo contra conſuetidinem peccandi contractam, ibi, *Adhæſit pauimento.* Ex hoc iam patet diuiſio primæ partis.Primò enim petit auxilium gratiæ 17.

contra

contra infirmitatem propter peccatũ primorum parentum contractam. Secundò contra turbam malorum, ad peccatum inclinantem, & trahentem, ibi, *Aufer à me opprobrium, & contemptum*, &c. In prima duo. Primò petitio auxilij contra infirmitatem. Secundò oſtendit illius infirmitatis multiplicis cauſam, ibi, *Increpaſti ſuperbos.* In prima duo. Primò ſupplicatio pro auxilio contra infirmitatem humanam. Secundò perſuaſio, ibi, *Concupiuit anima.* In prima duo. Primò petit ſibi tribui ſpiritualem vitam, contra omnem infirmitatem ſimpliciter. Secundò ſpiritualia bona contra ſpirituales infirmitates, excæcationem, & exilium ſpirituale, ibi, *Reuela oculos.* In prima tria. Primò petit vt ſibi gratis, & iteratò detur. Secundò ſpecificat quid ſibi velit dari. *Viuifica me.* Tertiò ad quid. *Et cuſtodiam.*

Dicit ergo: Sic petij viam meam, & mala præcedentia corrigi: ſed volens aſſurgere ad bona facienda, rogo ô Domine, *retribue*, tribue nunc, ſicut alias tribuiſti, ad minus in Adam innocentiam: non tribue meritis, quæ mala ſunt. *Rom.*11. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quaſi diceret: Nullus. Sed nos illi cum tribuerit, tunc aliquo modo retribuere poſſumus, gratias referendo, pro ipſo ſi opus eſt patiendo. In *Pſal.* ſuprà: Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam. *Retribue* ergo pro malis, quæ feci, id eſt, loco mali pœnæ quod merui, *ſeruo tuo*: non audet adhuc dicere filio. *Luc.*15. Iam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut vnum de mercenariis tuis. Sed quid vis tibi retribui? *Viuifica me*, per fidem formatam, quæ eſt vita animæ. *Aabac.*2. Iuſtus meus in fide ſua viuit.

Vel ſecundum diuiſionem factam, poſſunt eſſe verba correcti, non ex præſumptione petentis ſibi retribui, ſed ex ſpe certa, quam iam habet, dicentis: Domine malum dimiſi, malum correxi: ergo, *retribue* mihi vitam, motum ſcilicet, & ſenſum ſpiritualem, vt cognoſcam & faciam bona: vel certe vitam bonam, & coronam perpetuam. Credo enim illud, & ſpero firmiter. *Iacob.*1. Beatus vir qui ſuffert tentationem, quales ſunt inchoantes, & ſeparantes ſe à malo, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. 2. *Reg.*2. Et nunc retribuet nobis Dominus miſericordiam & veritatem. In *Pſal.* Noli obliuiſci retributiones eius.

Viuifica ergo: *& cuſtodiam*, ſi viuificaueris in præſenti, *ſermones tuos.* Ecce ad quid petit: viuus enim, ſicut vult *Gloſſa*, cuſtodit, & cuſtodiendo viuit. Verum eſt: ſemper enim magis & magis viuificatur, qui cuſtodit. *Ioan.*6. Verba quæ ego loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt. Et illud *Matth.*4. & *Deut.*5. Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Verum eſt, humilis. *Iſa.*57. Vt viuificet ſpiritum humilium, & viuificet cor contritorum.

18. *Reuela oculos.* Hîc deſcendit ad ſpeciales infirmitates: & primò petit reuelationem occultorum contra malum ignorantiæ. Secundò contra malum exilij & abiectionis, familiaritatem, ibi, *Incola ego ſum.* In prima duo. Primò petit occultorum cognitionem contra malum ignorantiæ. Secundò ſubiungit cauſam, quare velit illa ſibi dari. *Et conſiderabo.* Dicit ergo: Sic peto vt viuifices, & ſpecificans plus rogo: *Reuela*, ignorantiam contractam remouendo, *oculos meos*, interiores per peccatum primorum parentum velatos, quod ſignificabatur in velo poſito ante templum. *Exod.*26. Et in velamine, quod erat poſitum ſuper faciem Moyſi. *Exod.* 33. 2. *Cor.*3. Velamen poſitum eſt ſuper corda eorum; vſque in hodiernum diem. Non iam tamen velati ſunt oculi multorum, ſed potius excæcati: quia *Ambroſ.* dicit: Grauat oculos diuturnum velamen.

Et ſic *conſiderabo mirabilia de lege tua*, antiqua, attendendo quomodo mirabiliter in agno materiali agnus ſpiritualis figurabatur. *Exod.* 11. & 12. & in manducatione, ſpiritualis refectio doctrinæ ſacræ, & eiuſdem 16. & ſimiliter in multis aliis locis. Vel noua, ſicut diligere inimicos, & illis bene facere. *Matth.* 5. *Luc.*6. Et omnia propter Chriſtum relinquere. *Luc.* 14. Corpus & ſanginem Chriſti in altari ſumere. *Ioan.*6. Hæc enim ab oculo videri non poſſunt cooperto, ſed oportet velamen remoueri. *Tob.*10. De oculis Tobiæ, quaſi membrana oui, id eſt, ſubtilis pellicula eſt extracta, & ſic viſum recepit. 2. ad *Cor.*4. Nos autem reuelata facie gloriam Dei contemplantes. *Iob* 14. Reuelat profunda de tenebris. Sed quibus? humilibus. *Matth.*11. Abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.

19. *Incola ego ſum.* Hîc ſecundum, in quo petit familiaritatem contra exilium, & eiectionem: & dicuntur duo. Primò miſeriam recognoſcit. Secundò petit contra illam miſeriam conſolationem. *Non abſcondas.* Ait enim: Sic cæcum illumina, & etiam *incola*, extraneus cultor: vnde alia litera habet, *inquilinus*, quod idem eſt quod alienæ poſſeſſionis inhabitator, vel peregrinus, aliunde aduentitius: & hoc verum eſt: homo enim primus in paradiſo factus eſt, & nos in illo. *Geneſ.* 2. Iuſti etiam incolæ, & inquilini, & peregrini ſunt hîc corpore, tamen in cœlo mente. Suprà in *Pſal.* Aduena ego ſum, & peregrinus ſicut omnes patres mei. *Geneſ.*46. Dies peregrinationis meæ mali, & pauci. *Hebr* 11. Confitentes ſe eſſe aduenas, & peregrinos ſuper terram. Et ipſemet oſtendit ſe eſſe peregrinum. *Phil.*3. Conuerſatio noſtra in cœlis eſt. *Hebr.vlt.* Non habemus hîc manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus.

Non abſcondas à me, tanquam à peregrino, *mandata tua.* Minus dicit, & plus ſignificat. Imò reuela mihi illa, tanquam familiari, & amico. *Ioan.*15. Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos: quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Imo quia peregrino: Abraham enim peregrinus erat in terra Chanaan. *Geneſ.*12. Egredere de terra tua, &c. Et poſt dictum eſt de illo in 18. Num celare potero Abraham, quæ facturus ſum? Quaſi diceret: Non, ſed ei reuelabo. Reuela ergo, non tantum non abſcondas, mihi incolæ & peregrino. *Dan.*2. Eſt Deus in cœlo reuelans conſilia, propter ſe peregrinis.

20. *Concupiuit anima mea.* Hîc ſecundum huius partis

partis, in quo ſubiungitur perſuaſio ad dandum quod petitum eſt, ſcilicet deſiderium perſeuerandi in amore mandatorum. Ait enim: Sic rogo, & debeo exaudiri: quia *anima mea* (in hoc expreſſio concupiſcendi notatur) *concupiuit deſiderare iuſtificationes tuas*, id eſt, iuſtitiæ opera, quæ iuſtificant animam, ſaltem in manifeſtatione: & hoc, *in omni tempore*, non in quodam tantum, ſicut illi de quibus *Luc.* 8. In tempore credunt, & in tempore tentationis recedunt. Vera ſapientia eſt amare iuſtitiam, & ipſi deſiderio adhærere. Hæc eſt illa de qua dicitur *Sap.* 6. Concupiſcite ſermones meos, & adamate illos. Et infrà: Concupiſcentia ſapientiæ, ad regnum deducet perpetuum. Hunc amorem habent ad veram ſapientiam, qui perfecti ſunt, ſed aliquando corpore aggrauante, aliqui retardantur, maximè imperfecti. *Sap.* 9. Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Et nunc quod vident eſſe bonum, ſcilicet ſemper iuſtitiæ deſiderio inhærere, concupiſcunt: & hæc ipſa perſeuerantia concupiſcentiæ, eſt à gratia gratum faciente, nihil aliud fortè, quàm ipſa virtus perſeuerantiæ. Aliquando etiam exiſtens in mortali, hoc bonum cognoſcit, & quodam naturali inſtinctu hoc appetit: ſed culpa oppreſſus langueſcit, ſicut Balaam, qui dicebat *Numer.* 22. Moriatur anima mea morte iuſtorum. Et rurſus: Hæc dicit homo, qui cadens apertos habet oculos. Primò ergo ſecundum quod trahi poteſt ex *Gloſſa*, eſt cum quodam langore concupiſcere, qui eſt exiſtentis in mortali. Poſtmodum in gradu ſecundo, non iam ipſum deſiderium, ſed continuationem amoris, & deſiderij appetere, quod eſt in gratia exiſtentis, ſed imperfecti. Tertiò continuè adhærendo delectari, quod eſt perfecti, vt dicat iam illud *Iob* 6. Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia, quam habeo, de malis quæ geſſi, cibi mei ſunt.

Vera ſapientia eſt amare iuſtitiam.

21. *Increpaſti ſuperbos.* Hîc ſecundum totius primæ partis huius octonarij. Petitis enim remediis contra vitium cæcitatis, & exilij, hîc oſtendit vnde illas miſeras in ſe habuerit, quia à primis parentibus peccantibus, & à Deo cum ſua poſteritate punitis: & dicuntur duo. Primò primorum parentum increpatio ſuper peccato ſuperbiæ. Secundò illorum & omnium illis ſimilium punitio, ibi, *Maledicti, qui declinant.* Dicit ergo: Sic Domine petij, vt iſtis miſeriis remedia apponas, quas contraxi, quia *increpaſti*, &c. Vel ſic: Concupiui deſiderare iuſtificationes tuas, quæ docent omnem humilitatem: quia *increpaſti*, ſuam miſeriam eis oſtendendo, *ſuperbos*, omnes per illam Scripturam. *Eccl.* 10. Quid ſuperbis, terra & cinis? Et maximè illos primos parentes, qui vt eſſent diis ſimiles, appetierunt. *Geneſ.* 3. Adam vbi es? Quaſi diceret: Attende à quanta dignitate, ad quantam deueniſti miſeram. *Ierem.* 2. Vide vias tuas in conualle, ſcito quid feceris. *Naum* 1. Increpans cor ſcilicet peccatoris, & exiccans illud ab humore gratiæ.

Maledicti. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic increpaſti, & etiam *maledicti*, ſunt ſup. & huic malo pœnæ addicti, non ſolum illi, ſed *qui*, id eſt, quicumque *declinant* etiam nunc, *à mandatis tuis.* Non dicit, qui non faciunt mandata: multi enim non faciunt, qui ignorant, vel quia infirmitate retrahuntur: ſed, *qui declinant*, cum poſſunt, nec faciunt, ſed ex ſuperbia ſe auertunt. *Prou.* 28. Qui declinat aurem ſuam, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. *Pſal.* infrà: Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem, hoc eſt cum dæmonibus, qui propriè operarij ſunt iniquitatis.

Declinatur autem malè omittendo quod Deus præcipit, ſed peius contrarium faciendo ei quod præcipit, ſed peſſimè excuſando quod factum fuerit. Propter quod rogat infrà: Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis.

Auferà me opprobrium. Hîc eſt ſecunda pars totius octonarij: petito enim remedio contra infirmitates, quas haber in ſeipſo ex ſe, hic contra illud malum, quod ab alio: hoc autem eſt exprobatio & contemptus infidelium iniuſta: & dicuntur duo. Primò petitio. Secundò perſuaſio vt inclinetur ad dandum à quo petit. *Seruus autem tuus.* In prima tria. Primò petit auferri opprobria, & contemptus. Secundò oſtendit quæ ſint illa opprobria, ibi, *Quia teſtimonia.* Tertiò à quibus potentiſſimè, & quando ſunt illata. *Etenim ſederunt.* Dicit ergo: Sic petij contra cæcitatem & exilium, & etiam ô Domine, *aufer à me opprobrium*, quod audio in verbis, *& contemptum*, quem ſuſtineo in factis. Et eſt propriè vox Sanctorum in primitiua Eccleſia, quibus exprobrabatur, & qui contemnebantur. Nec hoc dicunt quin libenter ſuſtineant, ſed vt ipſis exprobratoribus & contemptoribus bona impetrent: ſciunt enim ſe inde beatiores. *Iob* 12. Deridetur iuſti ſimplicitas. *Pſal.* Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me. *Sap.* 5. dicturi ſunt: Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Sic contemnebamus. Et in eodem: Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Et quare improperant, quare contemnunt? *Quia teſtimonia tua exquiſiui*, in Scripturis ſacris: multi enim hodie habentur opprobrio & contemptui, quia teſtimonia Dei exquiſierunt, & fiunt Theologi acquieſcentes Chriſti exhortationi dicentis: Scrutamini Scripturas: ipſæ enim ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me. Teſtimonia etiam ſunt martyria ſecundum *Gloſſam.* Martyr enim Græcè idem eſt quod teſtis: & martyres, idem quod teſtes: & martyria, idem quod teſtimonia. Quia paſſiones & martyria quærebam pro Chriſto pati, exprobrabant, & contemnebant homines. Et exprobrauerunt, & eiecerunt nomen noſtrum tanquam malum, propter filium hominis.

22.

23. *Etenim ſederunt.* Hîc oſtenditur à quibus, & quando patiatur iſta, quia à principibus, & in iudicio ſedentibus. Tangitur ergo primò illorum diſpoſitio in iudicio. Secundò ipſius impugnatio per opprobria. *Et aduerſum me.* Ait ergo: Sic dixi, quod opprobrium ſuſtineo & contemptum: ſi quæris, à quibus? Ecce, *Etenim* (hæc eſt aſſertio) *ſederunt*, tanquam deliberantes, & iudicium prolaturi, *principes.*

Suprà in *Pſal.* Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum: *&* ipſimet *loquebantur aduerſum me*, mihi improperando, vilificando, accuſando, vt contra legem Dei ipſi aduerſarij eſſent, qui iudices eſſe debebant. *Deut.* 32. Et inimici noſtri ſunt iudices, quod eſt magna peruerſitas. *Mich.* 3. Audite principes domus Iacob, & iudices domus Iſraël, qui abominamini iudicium, & omnia recta peruertiſtis, iudices facti & accuſatores, ſicut factum fuit in B.Stephano. *Act.*7.Vnde & hoc optime cantatur de illo.

Seruus autem tuus. Hîc perſuaſio vt exaudiatur, ſcilicet exercitatio in bono cum impugnaretur: & tanguntur duo. Primò exercitatio ſui in bono. Secundò modus, quo exercebatur. *Nam & teſtimonia tua.* Dicit ergo: Sic loquebantur aduerſum me ipſi iudices exprobrando, contemnendo: tu autem quid? Ecce: *Seruus tuus exercebatur*, meditando, *in tuis iuſtificationibus*, qualiter ſcilicet plenè vilificaretur. Qui enim hæc meditatur, non vincitur, ſed fortificatur contra omnes inimicos. *Sap.*7. Sapientiam, meditantis Dei iuſtificationes, non vincit malitia.

24. *Nam & teſtimonia.* Hîc ſecundum, modus ſcilicet ſe exercendi: & tangitur in duobus. In meditatione vtilitatis perſequutionis, & dilectione interiori ipſius perſecutoris. Ait enim: Sic dixi, quòd ſeruus tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis, & bene: *nam*, id eſt, quia *meditatio mea eſt teſtimonia tua*, id eſt, martyria, paſſiones ſcilicet, & vituperia, quia finem conſidero, & coronam, ſecundum illud 2. ad *Corinth.* 4. Hoc momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. Vel *meditatio mea*, eſt martyria tua, id eſt, martyria, & paſſiones, quas ſuſtinuiſti: qui enim illa conſiderat quæ Chriſtus ſuſtinuit, ſuſtinere pro illo affectat, & quærit. 1. *Mach.* 6. Oſtendebant elephantis ſanguinem vuæ & mori, ad acuendos eos in prælium. *Et conſilium meum*, eſt ſup. *iuſtificationes tuæ*, iuſtificationes à te nobis traditæ, vt diligamus ipſos inimicos noſtros. *Matth.* 5. & *Luc.* 6. Iuſtificationes à te oſtenſæ in teipſo, qui pro tuis rogaſti inimicis. *Luc.* 23. Pater ignoſce illis: non enim ſciunt quid faciunt.

Sic ergo deſideranti proficere, & gementi ſub miſeria cæcitatis, & præſentis exilij, & inter hoſtes patienti, certè debetur retributio à iudice iuſto Deo. Propter hoc rectè præponitur litera *Gimel*, quod interpretatur retributio.

Daleth.

25. *Adhæſit pauimento.* In præcedenti octonario petiit liberari, vel auxilium ſibi dari contra infirmitates & hoſtes, quæ omnia erant mala pœnæ, hic contra malas conſuetudines retrahentes & relabi facientes in aliqua mala culpæ: & dicuntur duo. Primò petitio. Secundò perſuaſio more ſuo, ibi, *Viam veritatis.* In prima dicuntur duo. Primò petit remedium contra cauſam culpæ, & recidiui. Secundò contra culpam ipſam, vt longè amoueatur, ibi, *Viam iniquitatis.* In prima duo. Primò petit contra antiquam conſuetudinem malam auxilium. Secundò contra tædium quoddam ex illa generatum, ibi, *Dormitauit anima mea.* In prima tria. Primò petit contra prauam conſuetudinem retrahentem gratiam. Secundò, illuminantem in agendis, ibi, *Doce me.* Tertiò dirigentem in ordine agendorum, ibi, *Viam iuſtificationum.* Item in prima dicuntur tria. Primò oſtenditur neceſſitas petitionis. Secundò petitur. *Viuifica.* Tertiò monſtratur confidentia petentis. *Vias meas.* Dicit enim: Sic Domine petij velamen amoueri, & contra exilium conſolari, coadiuuari contra hoſtes: ſed heu timor concutit me, quia *anima mea*, ad imaginem tuam facta, *adhæſit pauimento*, corpori ſuo, quod eſt terra ſicut pauimentum. *Gen.* 2. Formauit ergo Dominus Deus hominem, quantum ad corpus, de limo terræ: & tam pulchrum, & varietate ſenſuum depictum, hic oculi, ibi aures, ibi naſus, & os ſubtus. Hinc dicitur in *Pſal.* de beata anima: Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, quantum ad interiorem virtutum pulchritudinem: circumdata varietate, corpore proprio varietatibus membrorum inſculpto & picturato: & nihilominus conculcandum & ſuppeditandum ſicut pauimentum, ſicut Paulus 1.ad *Corinth.*9. Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo. Nulla maior ſeruitus, quam pauimenti, quod ab omnibus conſpuitur, conculcatur. Vel pauimentum terra appellatur, ſicut vult *Gloſſa*, quia in magna Dei domo, quæ mundus eſt, cœlum eſt ſicut camera, ſeu teſta, terra ſicut pauimentum, florum & herbarum diuerſitatibus picturata, & ab hominibus calcanda.

Primo pauimento adhæret anima per luxuriam. Secundò per auaritiam. Suprà in *Pſal.* Adhæſit in puluere anima noſtra, conglutinatus eſt in terra venter noſter. Sed magis eſſet conculcanda vt veraciter haberetur. *Ioſ.*1. Omnis locus quem calcauerit pes veſter, veſter erit. Sic adhæſit anima mea, vnde praua conſuetudine, quaſi recidiuo morior, ſed

Viuifica me. Ecce petitio: & hoc, *ſecundum verbum tuum*, quod dicis *Ezech.* 18. Nolo mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & viuat. Vel *ſecundum verbum tuum*, id eſt, per verbum tuum, & doctrinam, quod eſt animæ vita, & quotidie ipſam plus & plus promouet in vita. *Deut.*8. & *Matth.*4. Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, &c. Vel de verbo increato: *Viuifica me ſecundum verbum tuum*, id eſt, per Verbum increatum tuum, quod eſt vita. *Ioan.*14. Ego ſum via, veritas, & vita. Et viuificat quos vult. *Ioan.*5. Filius quos vult, viuificat.

Vias meas. Ecce tertium. Quaſi diceret: In tali ſtatu ſum, & ſic peto, & confido, quòd ſic fiet: quia *vias meas*, malas, peccata ſcilicet, & iniquitates, *enuntiaui*, extra nuntiaui confitendo, *& exaudiſti me*, dimittendo, implens illud *Iſa.*43. Dic tu iniquitates tuas, vt iuſtificeris. Alia litera habet: *Expoſui*, quod idem eſt, & importat parum plus, enuntiationem ſcilicet deſtinctam, & apertam, & talem procul dubio Dominus exaudit. *Prouerb.*28. Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur, qui autem 26.

tem confeſſus ea fuerit, & reliquerit, veniam conſequetur.

Doce me. Hîc ſecundum, in quo petit gratiam illuminantem in agendis. Quaſi diceret: Sic peto vt viuifices, gratiam fortiter ſtandi præſtando, & etiam *doce me*, ne errem in agendo, *iuſtificationes tuas*, virtutes ſcilicet bonas, iuſtificantes animas. *Sap.8.* Sobrietatem, & prudentiam docet, & iuſtitiam & virtutem, quibus nihil eſt vtilius hominibus.

27. *Viam iuſtificationum.* Hîc tertium, in quo petit directionem in modo, & ordine faciendi: & dicuntur duo. Primò petit. Secundò fructum ſequentem oſtendit, ſi aſſecutus fuerit, ibi, *Et conſiderabo.* Ait ergo: Sic rogo vt illumines, & etiam *inſtrue me*, non ſolum iuſtificationes docendo, ſed *viam*, id eſt, iuſtificationum modum & ordinem. Non enim ſatis eſt bona agere, niſi fiant debito modo, & debito ordine. Hinc Paulus monet 1. ad *Cor.*14. Omnia honneſtè, & ſecundum ordinem fiant in vobis. Vel quantum ad modum. *Inſtrue me*, docendo *viam*, id eſt, ſpiritualem intelligentiam, *iuſtificationum tuarum*, in lege præceptarum, quam multi neſciunt. *Bar.*3. Viam ſapientiæ neſcierunt, ſpiritualem ſcilicet intelligentiam in cæremoniis.

Et exercebor. Ecce fructus, *in mirabilibus tuis*, vel operibus vel iuſtificationibus, quia tam mirabilibus figuris nos inſtruis, quas nullus alius potuiſſet cogitaſſe. Suprà in *Pſal.* In adinuentionibus tuis exercebor.

28. *Dormitauit anima mea.* Hîc ſecundum, in quo poſtquam rogauit pro remedio contra conſuetudinem prauam, hîc petit contra tædium quoddam ex ea generatum. Primò ergo oſtendit incommodum. Secundò petit remedium, ibi, *Confirma me.*

Dicit ergo: Sic Domine adhæſi pauimento contra quod petij, & etiam *anima mea*, non corpus, *dormitauit*, lentè aſſurgens ad bonum. Dormit enim, qui oblitus eſt Dei omninò: ſed dormitat, qui quaſi fatigatus lentus eſt, nec ad bonum properat. De vtroque *Prou.6.* Paululum dormies, paululum dormitabis. *Mat.25.* Dormitauerunt omnes, & dormierunt. Et hoc *præ tædio*, orto ex praua conſuetudine, & præ longa feruoris expectatione, quam non poſſum aſſequi. *Sap.1.* Exiguum eſt, & cum tædio tempus vitæ noſtræ. 2. *Cor.1.* Supra modum grauati ſumus, ita vt tæderet nos etiam viuere. Et nota, quòd dormitat, qui conſentit: dormit, qui facit: obdormit, qui aſſueſcit, ſicut fluit, & effluit, & pereffluit. *Hebr.2.* Oportet nos diligentius obſeruare, ne pereffluamus.

Confirma me. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic afficior tædio, vt cito poſſim cadere, & propter hoc peto, *Confirma me*, miſſa Spiritus ſancti virtute, *in verbis tuis*, in præceptis quæ teneo, ne cadam ab illis, ſed præcedam ad alia. *Pſal.* Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis. *Luc. vlt.* Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto. Teſta mollis ſum, & fragilis, ſed mitte ignem Spiritus ſancti me conſolantem, & in bono confirmantem, ſicut in Apoſtolis factum fuit. *Act.2. Eccleſ.27.* Vaſa figuli probat: probata & ſolida reddit, fornax, Spiritus ſancti.

Viam iniquitatis. Hîc ſecundum primæ partis octonarij huius. Poſtquam enim petiit remedia contra occaſionem culpæ, ſcilicet prauam conſuetudinem, & quandam acediam, hîc petit contra culpam, ſine qua non poteſt eſſe, vel in quam timet incidere. Et primò petit ſe elongari à futura. Secundò veniam de præterita, ſi aliqua eſt. *Et de lege tua.* Ait enim: Sic da remedium contra conſuetudinem prauam, & contra acediam: & etiam *viam iniquitatis*, intranſitiua conſtructio, id eſt, operationem iniquam, quam multi calcauerunt, & ſic eſt trita multum. *Matth.7.* Lata eſt via, quæ ducit ad perditionem: & multi ambulant per eam: qui dicturi ſunt in fine illud *Sap.5.* Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis. *Amoue à me*, amoueri concede flabello gratiæ tuæ, ſicut Abraham abigebat aues à ſacrificio ſuo. *Geneſ.*15. Et ſicut Iob, qui dicit in 31. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem de virgine. 29.

Et de lege tua, ſi in aliquo trangreſſus, *miſerere mei.* Vel *miſerere mei*, ſi in aliquo deliqui: & hoc *de lege tua*, id eſt, ſecundum legem tuam, quæ eſt clementiæ, non ſecundum Moſaycam, quæ eſt lex iuſtitiæ. *Prou. vlt.* Lex clementiæ in lingua illius. *Sap.*11. Miſereris omnium, qui omnia potes.

Viam veritatis. Hîc eſt ſecunda pars huius octonarij. Præmiſſa enim petitione ſubiungitur hîc perſuaſio. Perſuadet autem à bonis à Deo iam receptis, quæ tangit quatuor. Primum eſt veritatis electio. Secundum, iudiciorum retentio in corde. *Iudicia tua.* Tertium, teſtimoniis diuinis adhæſio, relictis teſtimoniis falſitatis, ibi, *Adhæſi teſtimoniis.* Quartum, lata mandatorum impletio, ſecundum aliquod tempus, ibi, *Viam mandatorum.* Dicit ergo: Sic Domine propter conſuetudinem, & tædium timeo, & peto auxilium, & debes audire, quia *elegi*, relicta falſitate, *viam veritatis*, vt ipſa informetur intellectus, & ſic merito prudentiæ da quod petij: non enim ſum de illis, qui dicturi ſunt in fine illud *Sap.5.* Errauimus à via veritatis, & lumen intelligentiæ non illuxit nobis. 30.

Et etiam *iudicia tua*, quibus in præſenti iam iudicas, & quibus in futuro iudicabis, *non ſum oblitus*, id eſt, teneo illa memoria. Prima occulta ſunt, & contra illa non murmuro, ſciens illud: Iudicia tua abyſſus multa. Et Paulum audio clamantem *Rom.*11. Incomprehenſibilia ſunt ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ illius. Alia erunt aperta, & illa timeo, & vtraque abſcondi, non tradidi obliuioni. *Deut.*4. Ne obliuiſcaris verborum, quæ viderunt oculi tui, quantum ad iudicia in præſenti: & quæ audierunt aures tuæ, quantum ad iudicia in futuro.

Adhæſi teſtimoniis. Hîc tangitur tertium, 31.
ſcilicet adhæſio teſtimoniis: vnde dicuntur duo. Primò dicit ſe adhærere. Secundò infert ex hoc, quod caueat ei à confuſione ſicut ſuprà petit. Noli me confundere. Ait enim: Sic elegi viam, ſic in memoria teneo iudicia: & etiam ô *Domine adhæſi*, voluntate & amore, *teſtimo-*

niis tuis, non pauimento, ſicut ante conuerſionem faciebam. *Deut.*10. Domino Deo tuo ſeruies, & illi adhærebis. Primum quod elegi, fecit prudentia. Secundum, quòd iudicis obliuiſcor, conſtantia. Sed quod adhæreo, facit delectatio & charitas vera, & propter hoc: *Nolì me confundere*, non dando quod ſupra petij, ſcilicet perſeuerantiam in bono opere, ne dicatur mihi illud *Luc.* 14. Iſte homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare. Sed ſi adiuuas, non confundar. *Iſa.* 50. Dominus Deus auxiliator meus, & ideò non ſum confuſus.

32. *Viam mandatorum.* Hîc quartum, in quo perſuadet à quarto, ſcilicet læta mandatorum adimpletione: & dicuntur duo. Primò læta adimpletio. Secundò ratio adimplendi & tempus, ibi, *Cum dilataſti.* Dicit ergo: Sic me non confundas, quia elegi veritatis viam, & non ſum oblitus iudicia, & adhæſi teſtimoniis: & etiam quia *cucurri*, faciliter & lætanter, vt bonus equus, ſicut dicit *Gloſſa*, ſtimulatus calcaribus timoris tui, flagellatus correctionibus, & gratia directus, *viam mandatorum. Abac.*3. Viam feciſti in mari, in amaritudine ſcilicet mundi, equis tuis. Ad hunc curſum nos inuitat *Paulus* 1.*Cor.*9. Sic currite vt comprehendatis. De hac Salomon *Prou.* 4. Ducam te per ſemitas æquitatis, quas cum ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum.

Cucurri ergo, ſed non ſemper fui in hac lætitia, ſed *cum dilataſti*, delectationem in iuſtitia infudiſti, *cor meum*, dilatans & extendens. Suprà in *Pſal.* Dilataſti greſſus meos ſubtus me, & non ſunt infirmata veſtigia mea. Non eſt ita dilatatio culpæ, quæ triplex eſt. Superbiæ. *Matth.*6. Dilatant enim phylacteria ſua, & magnificant fimbrias ſuas. Et luxuriæ. *Iſa.*57. Dilataſti cubile tuum iuxta me, ſuſcepiſti adulterum. Auaritiæ, agrum agro copulando, & domum domui. *Iſa.*5. Væ qui coniungitis domum domui, & agrum agro copulatis, vſque ad terminum loci. *Amos* 1. Super tribus ſceleribus filiorum Ammon, & ſuper quatuor non conuertam eum: eò quod diſſecuerit prægnantes Galaad ad dilatandum terminum ſuum, qui ducit ad dilatationem gehennæ, de qua *Iſa.*5. Dilatauit infernus animam ſuam. Sed eſt dilatatio meriti, de qua *Paulus* 1.*Cor.*6. Os noſtrum patet ad vos, ô Corinthij, cor noſtrum dilatatum eſt ducens ad dilatationem præmij, de qua *Iſa.*60. Tunc videbis, & affluues, & admirabitur, & dilatabitur cor tuum.

Dilatatio culpæ & meriti.

Ecce in hoc octonario apertè monſtratur quantum timeat hic relabi, quamuis viam veritatis elegerit, iudiciorum memor ſit, & adhæſerit teſtimoniis, & mandata etiam aliquando lætanter impleuerit, propter præcedentem conſuetudinem, & acediam boni, quam patitur aliquando. Vnde præponitur hîc benè litera *Daleth*, quod interpretatur timor, ſiue natiuitas: hic enim timor propriè naturalis, & ex natiuitate contractus.

He.

33. *Legem pone mihi Domine.* In præcedenti parte actum eſt ad hoc vt laudetur Deus de meritis incipientium, hîc agitur ad hoc ipſum de meritis proficientium. Merita proficientium ſunt in tribus. In facilitate bene operandi, & in voluntate certa cognitionis Dei & mandatorum eius, & in delectatione operis boni. In prima ergo agitur de profectu in habilitate bene operandi. In ſecunda de profectu in cognitione boni, ibi, *Bonitatem feciſti.* In tertia de profectu in delectatione, & amore boni, ibi, *Quomodo dilexi.* In prima dicuntur quatuor, ſecundum quatuor, quæ concurrunt ad hoc quod aliquis ſit habilis ad bonum. Primum cordis promptitudo. Secundum, ſtrenuitas operis. Tertium, in tribulatione, ſi ſurgit, conſolatio. Quartum, perſeuerantiæ propoſitum. Et de his quatuor agitur in quatuor octonariis, ſicut ſunt numerata & ordinata. In hoc ergo octonario agitur de cordis promptitudine, ſupplicando vt detur: in quo dicuntur duo, ſecundum duo, quæ concurrunt ad hoc vt cor habiliteur. Primum eſt gratia inclinans ad verum bonum. Secundum, gratia auertens à vanis rebus & nociuis. Primò ego petit primam gratiam. Secundò ſecundam, ibi, *Auerte oculos.* In prima dicuntur quinque, ſecundum quinque quæ petit, per quæ cor poteſt inclinari ad bonum faciliter. Primum eſt legem ſibi poni. Secundum, gratiam fieri ad intelligendum poſitam & ſcrutandum, ibi, *Da mihi intellectum.* Tertium, ad cuſtodiendum intellectam, ibi, *Et cuſtodiam.* Quartum, conferri gratiam ad proficiendum, ibi, *Deduc me.* Quintum, ad gratis faciendum omnia, ibi, *Inclina cor.* In prima tria. Primò petit imponi ſibi legem. Secundò ſpecificat quam. *Viam iuſtificationum.* Tertiò ad quid velit ſibi imponi illam. *Et exquiram.* Dicit ergo: Sic Domine rogaui, in perſona incipientis & ruere timentis. Noli me confundere: ſed nunc in perſona proficere volentis, imò eo ipſo proficientis, quod hic rogat, rogo, *Pone*, id eſt, impone, *mihi*, non ſuperbo, qui ſalutem ſuam operari dedignatur, *legem*, non illam veterem, quæ, ſicut dicit Petrus, fuit onus, quod nec Apoſtoli, nec patres eorum portare potuerunt, ſed legem nouam, charitatis ſcilicet, ſuauiter ligantem. *Oſeæ* 11. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Impone in humero, ſecundum illud *Iob* 31. Librum ſcribat ipſe qui iudicat, de rebus charitatis, & clementiæ, vt in humero meo portem illam. Impone cordi, ipſam in eo ſcribendo, ſecundum illud *Ierem.* 31. Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in cordibus eorum ſuperſcribam illam. Legem, inquam, *viam iuſtificationum tuarum*, id eſt, per quam venitur ad iuſtificationes tuas: fide enim per dilectionem operante, ad iuſtificationem veram venitur. *Rom.* 4. Arbitramur hominem iuſtificari per fidem, non ex operibus legis. Et in quinto: Iuſtificati ex fide, pacem habeamus, per dilectionem operantem ſup. ſemper.

De meritis proficientiũ.

Et exquiram. Ecce ad quid volo poni eam, vt in illa meditet, illam ſcruter. In *Pſal.* ſuprà: Cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius requirant. *Prouerb.* 2. Si quæſieris eam, quaſi pecuniam inuenies timorem Domini. Bonum

eſt

est illam inquirere, non mundanam sapientiam, sicut filij Agar *Bar.*3. qui exquisierunt prudentiam, quæ de terra est.

34. *Da mihi intellectum.* Hîc secundum. Quasi diceret : Sic pone legem charitatis, legem Euangelicam : & *da mihi intellectum*, illius sup. id est, gratiam, qua possim intelligere illam. 2.*Paral.* 1. Da mihi sapientiam, & intelligentiam. 2. ad *Tim.*2. Dabit tibi Dominus intellectum in omnibus. Datur enim gratia intelligendi paruulis à Deo. *Matth.* 11. Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. *Iob* 32. Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam. *Iob* 38. Quis dedit gallo intelligentiam ? *Psal.* Intellectum tibi dabo, & instruam te. Da ergo mihi intellectum : & sic *scrutabor legem tuam :* aliter frustrà eam scrutarer. In eodem. suprà : Beati qui scrutantur testimonia eius. *Ioan.* 5. Scrutamini scripturas, quoniam &c. non secreta Dei, quia *Isa.* 40. dicitur : Qui dat secretorum scrutatores, quasi non sint. Non maiestatis potentiam infinitam, quia *Prou.*25. Perscrutator maiestatis opprimetur à gloria.

Et custodiam illam. Ecce tertium. Quasi diceret: Sic da ad intelligendum gratiam, & scrutandum : & etiam da, *vt custodiam illam in toto corde meo.* Legem in toto corde custodit, qui Deum toto corde diligit. Ad hanc custodiam inuitat Salomon *Prou.*4. Custodi eam in medio cordis tui. Et talis custodia vtilis valdè est. *Prouerb.*30. Qui custodit mandatum, custodit animam suam, & saluat eam. *Luc.*11. Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud, in corde, non tantum habentes in ore, sicut dicitur de sacerdotibus. *Malach.*1. Labia sacerdotis custodiunt scientiam.

35. *Deduc me Domine.* Hîc quartum, in quo petit gratiam ad proficiendum in lege posita, eundo de virtute in virtutem, vsque ad perfectionem. Et primò petitio. Secundò persuasio. *Quia ipsam.* Ait enim : Sic legem pone, intelligere fac & custodire : & etiam *deduc me in semitam mandatorum tuorum.* Via mandatorum præcepta sunt, quia sunt latiora : sed semita sunt consilia : vnde petit vsque ad consilia prouehi. *Isa.*2. Docebit nos vias suas, præceptorum: & ambulabimus in semitis eius, consiliis scilicet, ipso tamen ductore. *Deut.*8 Ductor eius fui in solitudine magna, atque horribili. *Isa.*63. Spiritus Domini ductor eius fuit. Et hoc per semitas consiliorum. *Prouerb.* 4. Ducam te per semitas æquitatis. Hæc semita bona, quia declinare facit à malo. *Prou.* 16. Semita iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulandum. Lucida. *Prou.* 6. Semita iustorum, quasi lux splendens, proficit, & crescit. Pacifica. *Prou.* 3. Omnes viæ eius pulchræ, & semitæ eius pacificæ.

Quia ipsam. Ecce secundum. Quasi diceret: Sic deduc per semitam, *quia ipsam volui*, etsi in me non inueni vt possem proficere. Ad *Rom.*7. Velle mihi adiacet, perficere autem non inuenio. Tales erant, de quibus 1. *Mach.* 4. Elegit Iudas sacerdotes habentes voluntatem in lege Dei.

36. *Inclina cor meum.* Hîc quintum, in quo petit gratiam ad faciendum gratis, non ex cupiditate, omnia prædicta. Primò ergo petit vt vehementer inclinetur ad implendum voluntatem Dei. Secundò quod gratis efficiatur ab eo. *Et non in auaritiam.* Ait ergo : Sic legem pone, intellectum da, & custodire fac, & proficere : & super hæc omnia, *inclina cor meum*, id est, gratiam da cor meum inclinari facientem, *in testimonia tua*, in scripturarum dicta, quæ testificantur tuæ potestati, & tuæ sapientiæ, & tuæ bonitati. *Isa.*2. Inclinabitur homo, & humiliabitur vir, & sic erit sapiens, quia *Prou.*11. Vbi humilitas, quæ est inclinatio quædam, ibi sapientia. Inclina ergo cor meum, qui præcipis vt inclinetur. *Prou.* 10. Inclina aurem tuam ad cognoscendam sapientiam.

Et non in auaritiam, hoc est, sic inclina, vt non quæram in inclinatione terrena, sicut illi, de quibus in *Psal.* suprà : Oculos suos statuerunt declinare in terram. *Prou.* 17. Oculi stultorum in finibus terræ. 1.*Reg.*8. dicitur de malis filiis Heli : Declinauerunt post auaritiam, acceperúntque munera. Sed boni inclinantur ad Deum. *Isa.*17. Inclinabitur in die illa homo ad factorem suum, & ad sanctum Israël respicient.

37. *Auerte oculos.* Hîc est secunda pars octonarij, in quo postquam petiit gratiam ad proficiendum in bono, hîc petit ad cauendum mala, & inducentia in malum, non ad cauendum malum culpæ mortalis, hoc est enim incipientium. Et primò petit gratiam ad cauendum malum, & auertendum se à malo vanitatis. Secundò à malo cuiusdam elationis, quæ solet oriri ex profectu, ibi, *Statue seruo tuo.* Tertiò à malo suspicionis de aliis habitæ, ibi, *Amputa opprobrium.* Primum respicit ad concupiscibilem. Secundum ad irascibilem. Tertium ad rationabilem, cuius est iudicare. In prima dicuntur duo. Primò petit à vanitatibus auerti per gratiam Dei. Secundò quasi effectum subiungit consequentem ex hoc, scilicet in Christo plus & verius viuificari. *In via tua.* Dicit ergo : Sic petij vt prædictam gratiam ad prædicta bona conferas, & etiam *auerte*, id est, gratiam auertendi præbe, *oculos meos*, exteriores scilicet, *ne videam vanitatem*, creaturæ allicientis per visum animam. Frequenter enim per oculos intrat concupiscentia, & mors occasionaliter. *Ierem.* 9. Mors intrauit per fenestras, ingressa est domos nostras. Et Dominus ait *Matth.* 5. Qui vidit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. *Eccles.*9. Propter speciem mulieris, exterius inspectam, multi perierunt. Non enim licet, sicut dicit *Gregorius*, intueri, quod non licet concupisci. Sed magis interiores oculos concupientum, qui post peccatum, in primis parentibus aperti sunt. *Gen.* 3. Hos auerte, *ne videant*, id est, concupiscant aliquantulum, etiam leuiter, *vanitatem*, aliquid terrenum, aliquid creatum : totum enim vanitas est. *Gen.* 1. Terra erat inanis, & vacua. *Ierem.*4. Aspexi teram, & ecce vacua erat, & nihili. Ad *Rom.* 8. Vanitati subiecta est creatura, non volens.

Hos auerte à vanitate, & his conuersis in te, *viuifica*, id est, viuificabis me, *in via tua*, in Christo scilicet, qui est via qua itur ad te. *Ioan.*14. Ego sum via, veritas, & vita. Vel *in via*

via tua, in lege tua, quæ via eſt eundi ad te,& vita eſt. *Prouerb.*4. Cuſtodi legem meam, & erit vita animæ tuæ. Lex, inquam, ſpiritualis, quia *Ioan.* 6. dicitur: Spiritus eſt qui viuificat.

38. *Statue ſeruo tuo.* Hîc ſecundum, in quo petit auerti ab elatione, quod eſt ſtatui in eloquio Dei: & dicuntur duo. Primò petit ſtatui, & firmari, ne eleuetur. Secundò oſtendit per quid hoc fieri poterit, quia per gratiam diuini timoris. *In timore tuo.* Dicit ergo: Sic auerte à vanitate, & etiam *ſeruo tuo* auerſo à vanitate, *ſtatue eloquium tuum.* Hypallage eſt, id eſt, in eloquio tuo ſtatue ſeruum tuum, ne efferatur. *Bar.*3. Statuit Dominus verbum ſuum, quod loquutus eſt. Sed quibus? Seruis ſuis. *Geneſ.*9. Statuam pactum meum vobiſcum.

Sed hoc fac, *in timore tuo*, ponens me, qui me cuſtodiat, me reprimat. *Prouerb.*14. In timore Domini fiducia fortitudinis. Et in 10. Radix ſapientiæ, quæ tenetur in corde, ne aduolet, timere Deum, vel timor Domini. Propter hoc dicitur in 27.Niſi te tenueris in timore Domini conſtanter, citò ſubuertetur domus tua.

39. *Amputa opprobrium.* Hîc tertium, in quo petit gratiam retrahentem à malo ſuſpicionis: proficientes enim ſuſpiciones à cordibus ſuis auellere ſine magna Dei gratia non poſſunt: & dicuntur hic tria. Primò petit amputari à ſe falſa iudicia & ſuſpiciones. Secundò commendat diuina, quæ omninò ſunt infallibilia. *Quia iudicia tua.* Tertiò perſuadet, vt ſibi detur charitas, quæ euacuet omninò talia, ibi, *Ecce concupiui.* Ait ergo: Sic oculos auerte à vanis, & ſtatuens mihi eloquia, ſerua me ab elatione: & etiam *amputa*, falce gratiæ tuæ, *quod ſuſpicatus ſum*, id eſt, da gratiam, vt iam non ſim ſuſpicioſus, *opprobrium* ſcilicet *meum.* Quaſi diceret: Ipſa ſuſpicio naſcitur in me, ex eo quod eſt in me opprobrium & malum: homo enim malum quod habet in ſe, citius in alio ſuſpicatur. Suprà in *Pſal.* Aufer à me opprobrium & contemptum. *Ioſ.*6. Hodie abſtuli opprobrium Ægypti à vobis:ſuſpicionem, quæ malum eſt valdè adhærens, & multos perdit, quando diffinitiuum faciunt de aliis iudicium. *Eccleſ.*3. Multos ſupplantauit ſuſpicio, & detinuit in vanitate ſenſus eorum. Propter hoc monet Dominus *Matth.*6. Nolite iudicare, & non iudicabimini. *Cant.*2. Tempus putationis, ſuſpicionum, aduenit.

Suſpicio vitanda.

Quia iudicia tua. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic aufer ſuſpiciones à me, *quia iudicia tua*, quæ certa ſunt & vera, *iocunda* ſunt & delectabilia amatoribus veritatis, ſed mea vana, & fallibilia. In *Pſal.* ſuprà: Iudicia Domini vera, iuſtificata in ſemetipſa, deſiderabilia ſuper aurum, &c.

40. *Ecce concupiui.* Hîc tertium, in quo ſubiungitur perſuaſio ad impetrandum gratiam, qua ſuſpicio auferatur: & tanguntur duo. Primò ratio, quare debeat acquieſcere iudex. Secundò petitionis determinatio. *Viuifica me.* Dicit ergo: Sic rogo à me auferas falſa iudicia, quæ non ſunt ſicut tua: & *ecce* Domine *concupiui mandata tua*, de charitate ad iſtam ſuſpicionem opprobrioſam amputandam: vera enim charitas, ſentire facit bonum de aliis, non malum. 1. *Cor.*13. Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non gaudet ſuper iniquitate, non eſt ambitioſa, certè nec ſuſpicioſa. Et dicit mandata, quia etſi vna ſit charitas, duo tamen mandata. *Matth.*22. In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & Prophetæ.

Et propter hoc quia concupiſco, *viuifica me*, charitatem infundendo in me, qui ſum mortuus ex me: & hoc non in mea, ſed *in tua æquitate*, id eſt, in Chriſto, ſcilicet per Chriſtum, qui tua eſt æquitas. Illa, inquam, quam petebat *Iob* 23. dicens: Æquitatem proponat contra me. Ibi *Gloſſa*: Æquitas iudicia, mediator Dei & hominum CHRISTVS IESVS. Alia litera habet: *In iuſtitia*, & ipſe iuſtitia. 1. *Cor.*1. Qui factus eſt nobis à Deo Patre ſanctificatio, & iuſtitia, &c.

Ecce quam petit gratiam ad bonum promouentem, à vanitate, elatione, & ſuſpicione retrahentem: & tandem concluſit in vita totam orationis ſeriem. Et propter hoc præponitur litera Hebræa *He*, quod interpretatur eſt, vel viuo: qui enim habuerit, ille eſt, & viuit.

Vau.

41. *Et veniat ſuper me.* In præcedenti octonario, actum eſt de humilitate cordis, hîc ſecundò ſubiungitur de ſtrenuitate exteriori, & in ore, & in opere, quod eſt ſecundum in merito proficientium, quantum ad habilitatem ad bonum: & dicuntur duo. Primò ſupplicatio pro gratia ſtrenuitatis, ad confitendum veritatem, & faciendum bonum exterius in opete. Secundò confeſſio, quod impetrauit quod petit, ſecundum quod legit *Gloſſa.* Vel melius fortè perſuaſio ad impetrandum quod petiit, ibi, *Et ambulabam.* In prima duo. Primò petitur gratia ad ſtrenuè confitendum. Secundò ad agendum, ibi, *Et cuſtodiam legem.* In prima duo. Primò petit gratiam ad audacter & ſtrenuè confitendum ſibi dari. Secundò datam non auferri, ibi, *Et ne auferas.* In prima dicuntur tria. Primò petit ſibi conferri gratiam protegentem. Secundò venire illum per quem habenda eſt gratia, ibi, *Et ſalutare tuum.* Tertiò ad quid petit ipſam, ſubiungit, ibi, *Et reſpondebo.* Dicit ergo: Sic Domine habita cor vt petij, legem ponendo, gratiam ad intelligendum dando, &c. *Et* etiam ô *Domine miſericordia tua veniat*, non tantum in me, ſed *ſuper me*, ad protegendum ſcilicet me. Super enim hîc notat protectionem, non oppreſſionem. *Iſa.*1. Viſio, quam vidit Iſaias filius Amos ſuper Iudam, & Ieruſalem. Super me ergo effundatur.. *Eccl.*18. Effundit ſuper illos miſericordiam ſuam. *Veniat* etiam *miſericordia tua*, filius qui eſt & iuſtitia quantum ad ſecundum aduentum, & miſericordia quantũ ad primum. *Iſa.*14. Prope eſt vt veniat dies eius,& miſerebitur Dominus Iacob. Veniat, inquam, vt ſit ſuper me tanquam caput, quod ſupereminet omnibus membris. *Eph.* 1. Dedit ipſum caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus eius.

Salutare tuum. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Da miſericordiam ſuper me exiſtendo tanquam protegentem: & vt hoc ſit, veniat

ſalutare

ſalutare tuum, filius ſcilicet, & hoc *ſecundum eloquium tuum*, per Patriarchas, & Prophetas. Ait enim Iacob *Gen.* 49. Salutare tuum expectabo Domine. Et *Iſa.* 52. Videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri. *Zachar.* 2. Ecce veniam, & habitabo in medio veſtri. Et in 9. Ecce rex tuus venit tibi iuſtus & ſaluator. Venit autem & ipſe ſuper nos, vt nos protegeret. *Iſa.* 26. Vrs fortitudinis noſtræ Sion, Saluator, &c. & vt nos excitaret ad bonum. *Deuteron.* 32. Quaſi aquila ad volandum prouocans pullos ſuos, & ſuper eos volitans.

42. *Et reſpondebo.* Hîc tertium, ad quid petit illam gratiam, ad ſtrenuè reſpondendum & audacter infidelibus, & aduerſariis: vnde dicuntur duo. Primò promiſſio de audaci reſponſione, ſi petita gratia data fuerit. Secundò quia erit etiam firmatus ſpe victoriæ, ibi, *Quia ſperaui.* Ait ergo: Sic veniat ſuper me gratia per ſalutare: & tunc audacter & ſtrenuè *reſpondebo verbum* fidei, & confeſſionis, *exprobrantibus*, Iudæis ſcilicet, qui de fide Chriſtiana ſcandalizantur, & Gentibus qui reputant illam ſtultitiam. 1. ad *Corinth.* 1. Mali enim ſolent exprobrare bonis. *Ierem.* 15. Scito, inquit, quoniam propter te ſuſtinui opprobrium. Sed his reſpondeo, non confuſus de me, ſed *quia ſperaui in ſermonibus tuis*, quibus dicis *Deut.* 30. Prope eſt verbum nimis in ore tuo, prope eſt in corde tuo. Et illud *Luc.* 21. Dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere omnes aduerſarij veſtri. Et tunc accepta ſapientia potero reſpondere. *Prou.* 27. Stude ſapien iæ fili mi, vt poſſis exprobranti reſpondere ſermonem. Aliter non reſpondeas mihi prius habita ſapientia. *Eccl.* 5. Si eſt tibi intellectus, reſponde proximo tuo: ſin autem, ſit manus ſuper os tuum.

43. *Et ne auferas.* Hîc ſecundum. Poſtquam enim petiit gratiam ſibi dari ad ſtrenuè reſpondendum, hîc petit eandem gratiam non auferri: & dicuntur duo. Primò petitio. Secundò ratio quare adiiciendum. *Quia in iudicis.* Dicit ergo: Sic da gratiam, & reſpondebo: & etiam *ne auferas*, gratiam ſubtrahendo, *de ore meo verbum veritatis*, ſtrenuæ & audacis confeſſionis & prædicationis, *vſquequaque*, omninò ſcilicet, vel vſque valde, & ſi ad horam auferas, ſicut in Petro factum eſt. *Matth.* 26. tamen reſtituas citò, ſicut feciſti illi. *Luc.* 22.

Multis de cauſis verbũ veritatis aufertur de ore prædicatoris.

Notandum autem, quod verbum veritatis aufertur de ore prædicatoris. Primò propter indignitatem prædicantis. *Pſal.* Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iuſtitias meas? Proper temporis importunitatem. *Eccleſ.* 20. Ex ore fatui reprobabitur parabola, quia non profert eam in tempore ſuo. Propter ætatis inſufficientiam. Hinc dicebat *Ieremias* in principio, cum ad prædicandum mitteretur, ſciens quod reprobaretur, niſi ex ſpeciali gratia: A, a, a, Domine Deus meus, quia puer ego ſum, & neſcio loqui. Propter incredulitatem, ſicut in Zacharia patre Ioannis factum eſt. *Luc.* 1. Pro eo quod non credidiſti verbis meis, eris tacens, & non poteris loqui. Propter audientium malitiam. *Ezech.* 2. Adhærere faciam linguam tuam palato tuo, quoniam domus exaſperans eſt. *Iſa.* 5. Mandabo nubibus meis, ne pluant ſuper eam imbrem.

Quia in iudiciis. Ecce ratio quare ſic peto, quòd non auferas, & debes non auferre: *quia* non in me, nec in aliquo alio homine, ſed *in iudiciis tuis*, quibus aliquando flagellas me, *ſuperſperaui*, non tantum ſperaui, quia inde maius aliquid expectaui. *Iob* 8. Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo. *Pſal.* Si exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo: quia ſupra condignum ſperabo. Ad *Rom.* 8. Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Vel ſuperſperabo, quia non tantum ſperabo, ſed gloriabor, quod eſt plus. Ad *Rom.* 5. Gloriamur in infirmitatibus, ſcientes quia tribulatio patientiam operatur. Vel ſuperſperaui in iudiciis tuis: timens enim iudicia tua, gratiam cuſtodiui: timor enim cuſtodit bona in anima, & reprimit, & conſeruat, & ſic ex conſequenti per ſpem ſubleuat, & ſic ipſe timor ſpem generat.

44. *Et cuſtodiam legem tuam.* Hîc ſecundum primæ partis. Poſtquam enim petiit gratiam ſtrenuè proferendi, petit hîc gratiam ſtrenuè operandi, quia perſeueranter: & dicuntur duo. Primò petit gratiam operandi perſeueranter. Secundò exponit de qua perſeuerantia intendit. *In ſæculum.* Ait enim: Sic petij vt gratia ad reſpondendum detur, & non auferatur: & etiam rogo, *cuſtodiam*, id eſt, cuſtodire mihi detur, quod erit ſi non abſtuleris verbum, *legem tuam ſemper*, legem ſcilicet charitatis, quam ſuperius mihi poni petij: & hoc *in ſæculum*, conſecutiuum *ſæculi.* Exponit quod dixerat *ſemper. Prou.* 3. Cuſtodi legem meam atque conſilium, & erunt vita animæ tuæ. Eſt autem hæc cuſtodia per dilectionem: qui enim habet & cuſtodit charitatem, legem tuam cuſtodit. *Sap.* 6. Dilectio, cuſtodia legum eſt. *Rom.* 14. Plenitudo legis eſt dilectio.

45. *Et ambulabam.* Hîc eſt ſecunda pars huius octonarij, in qua ſecundum *Gloſſam* gratulabundus confitetur ſe adeptum eſſe quod petiit. Sed aduertendum diligenter, quòd loquitur Eccleſia, quæ in ſuis partibus prædicta impleri petiit, & vt moueat iudicem, & perſuadeat, recolit tanquam grata, quæ in aliquibus iam accepit, aliis ab illis, pro quibus iam petit: & ſunt duo quæ confitetur ſe accepiſſe, quæ ſuprà petebat, tamen in aliis ſe accepiſſe fatetur, quàm in illis pro quibus petiit. Primum, ſtrenuitas operationis bonæ. Secundum, audacia prædicationis veræ, ibi, *Et loquebar.* In prima duo. Primò confitetur ſe gratiam operandi accepiſſe. Secundò oſtendit quare accipit, ibi, *Quia mandata tua.* Dicit ergo: Sic petij gtatias has mihi dari pro aliquibus membris: *& ambulabam* iam *in latitudine*, mandatorum in quibuſdam: vnde Domine hoc etiam dabis aliis. *Pſal.* Dilataſti greſſus meos ſubtus me, & non ſunt infirmata, &c. quin ſtrenuè & viriliter incedam. Hæc autem latitudo charitas eſt, de qua infrà in eodem: Omnis conſummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis. Hæc eſt latitudo, de qua *Paulus Epheſ.* 3. Vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit longitudo, latitudo, &c.

tanta enim eſt charitatis latitudo, vt vſque ad inimicos extendatur.

Quia mandata tua. Ecce ſecundum. Quaſi dicat: Sic ambulabam non meis meritis, ſed *quia mandata tua*, orationibus, & ſuplicationibus, *exquiſiui*, & tu dediſti: vnde & ſic nunc facies: quia *Luc.*11. Petite, & accipietis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis. *Sapient.* 6. Hanc exquiſiui à iuuentute mea, ſcilicet ſapientiam implendi mandata Dei.

46. *Et loquebar.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit ſe audacter docuiſſe: & dicuntur duo. Primò oſtendit in ſe fuiſſe docendi audaciam. Secundò rectam ad dicendum præparationem, ibi, *Et meditabar.* In prima duo. Primò quòd in conſpectu terribilium docuerit. Secundò quòd timor & confuſio abfuerit. *Et non confundar.* Ait ergo: Sic ambulabam in latitudine, & etiam *loquebar in teſtimoniis*, *in*, pro de, id eſt, de teſtimoniis tuis, ſcilicet de teſtimoniis ſcripturarum, non de fabulis. Hæc ſunt teſtimonia, de quibus ſuprà in *Pſal.* Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis. *Ioan. vlt.* Scimus quia verum eſt teſtimonium eius. Vel in teſtimoniis, vt ſumatur propriè, id eſt, in martyriis, quando ſancti occidebantur. *Act.*4. In teſtimoniis loquebantur, qui rogabant. Da ſeruis tuis loqui cum fiducia verbum Dei. Et hoc *in conſpectu regum*, terribilium, vnde maior poterat eſſe timor. *Matth.*10. Ante reges & præſides ducemini.

Et tamen *non confundebar*, confuſio aberat. *Eccleſ.*7. Ne extimeſcas faciem potentis. Talem volebat Paulus eſſe Timotheum, cum dicebat 2.*Tim.*2. Cura teipſum ſollicite exhibere operarium inconfuſibilem, rectè tractantem verbum Dei: quia *Prou.*20. dicitur: Qui timet hominem, cito corruet. *Iſa.*1. Dominus Deus auxiliator meus, & ideò non ſum confuſus. *Luc.*9. Qui me erubuerit, & ſermones meos, hunc filius hominis erubeſcet cum venerit in maieſtate ſua.

47. *Et meditabar.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit in ſe præceſſiſſe rectam præparationem ad loquendum, quia inſpectionem: loquuturus enim debet primò meditari, quid loquatur. Et operationem: non enim decet hominem docere, quod non facit, ibi, *Et leuaui.* Ait ergo: Sic loquebar, nec confundebar, *& meditabar in mandatis tuis*, non ex deſperatione, vt non crederem te dare poſſe quod dicerem, cum dicas *Matth.* 10. Dum ſteteritis ante reges & præſides, nolite cogitare, &c. Sed *quæ*, id eſt, quia *dilexi nimis.* Ob hoc iuſtus meditatur. In *Pſal.* ſuprà: Os iuſti meditabitur ſapientiam. *Deut.*6. Meditaberis ea ſedens in domo tua. In *Pſalmo primo*: In lege eius meditabitur die ac nocte. *Eccleſ.*6. Cogitatum tuum habe in lege Dei.

48. *Et leuaui manus.* Hîc oſtendit ſe præparatum per operationem: & dicuntur duo. Primò quòd recta intentione operatus eſt. Secundò quòd in bono opere exercitatus, ibi, *Et exercebar.* Ait enim: Sic meditabar loquuturus coram regibus, & etiam faciebam quod dicebam, quia *& leuaui manus meas*, non ad terrena depreſſi, *ad mandata tua*, implenda. Ac ſi dixiſſet: Intentione ſuperiorum, manum miſi ad implenda mandata. Sic leuare monet *Ieremias Thren.* 3. Leuemus corda noſtra cum manibus ad Dominum. *Exod.* 17. Cum leuaret manus Moyſes, vincebatur Amalec.

Quæ dilexi. Sicut ſuprà ſubiungit cauſam, quare leuauerit: *Quæ*, id eſt, quia illa *dilexi.* Dilectio ergo quæ fecit meditari, fecit & opere adimplere intẽtione recta, non ſicut antiquitus. Iudæi enim mandata adimplebant temporalium amore. *Iſa.*1. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. *Exod.* 17. Manus Moyſis, Iudaici populi, graues erant, ad terrena tendentes.

Et exercebar. Hæc eſt vera litera. Quaſi diceret: Sic recta intentione operatus ſum, non tantum ſemel, imò *exercebar*, frequenter operando & cogitando, *in iuſtificationibus tuis*, in mandatorum operibus, quæ iuſtificatum oſtendunt. Suprà in *Pſal.* Meditabor in omnibus operibus tuis, & in aduentionibus tuis exercebor.

Vide ergo diligenter, quomodo gratiam petierit ad aduerſarios fidei, & ipſam non auferri, & perſuaſerit tanquam gratus ex bonis iam acceptis: tam dignis autem petitionibus deeſſe non poteſt, cuius honor deſideratur, qui dicit *Iſai. penul.* Et erit, antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis petentibus, ego exaudiam. Et 58. Tunc inuocabis Dominum, & ipſe exaudiet: clamabis, & dicet, Ecce adſum. Propter quod hic præponitur litera Hebræa *Vau*, quod interpretatur ipſe. Quaſi dicat: Iis clamoribus, qui hîc fiunt, adeſt ipſe qui petitur præſens, & non alius.

Zain.

Memor eſto. Hîc ſubiungitur tertium, quod pertinet ad meritum proficientium, quantum ad habilitatem bene operandi. Actum eſt enim de promptitudine cordis, de ſtrenuitate exterioris operis: ſed quia adhuc vt ſit bene habilis, neceſſaria eſt conſolatio ſpiritualis, agitur hîc de conſolatione laborantis, & ſtrenuè operantis. Diuiditur autem iſte octonarius, ſecundum quatuor cauſas conſolationis, quas tangit hîc loquens in perſona prompti corde, & ſtrenui in exteriori opere. Prima eſt æternorum bonorum diuina promiſſio. Secunda, iudiciorum Dei recordatio, ibi, *Memor fui iudiciorum.* Tertia, ſcripturarum læta meditatio, ibi, *Cantabiles mihi erant.* Quarta, vigil oratio, ibi, *Memor fui.* In prima dicuntur duo. Primò petit cito adimpleri diuinam promiſſionem ſibi factam. Secundò oſtendit diuinæ promiſſionis efficaciam, ibi, *In quo mihi ſpem.* Dicit ergo: Sic da ſtrenuitatem in opere & confeſſione nominis, ipſemet adſtans mihi: & ô Domine, *memor eſto*, non ad memoriam reducendo, ſicut nos qui obliuiſcimur, ſed citò adimplendo, vt ad modum habeas memorantis, *verbi tui*, promiſſionis ſcilicet tuæ. Verbi, inquam, facti, *ſeruo tuo*, non ſeruo pecuniæ. *Matth.* 6. Non poteſtis Deo ſeruire, & Mammonæ. *Epheſ.* 5. Auaritiæ, quod eſt idolorum ſeruitus. Non gulæ, de qua ſcribitur ad *Hebr. vlt.* Habemus altare, de quo non habent edere poteſtatem, qui

49.

taber

tabernaculo deſeruiunt ſui corporis. Non alicuius breuiter creaturæ, ſicut illi de quibus ad *Rom.*1. Seruierunt potius craturæ, quàm creatori. Non peccati, quod deterius eſt. *Ioan.* 8. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.

In quo mihi ſpem. Hîc oſtendit effectum promiſſionis. Primò quia generat in eo ſpem. Secundò quia per ſpem in aduerſitatibus conſolationem, ibi, *Hæc me conſolata eſt.* Ait ergo: Sic cito imple verbum promiſſionis, *in quo*, verbo, *dediſti mihi ſpem*, id eſt, per quod verbum ſpem in me generaſti. Hoc verbum poteſt eſſe illud *Matth.*9. Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. In hoc ſpes peccatoribus. Et rurſus illud *Iſa.*49. Si poteſt mulier obliuiſci infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui: & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. In hoc ſpes in tentatione laborantibus. Et iterum. *Ioan.* 16. Confidite, ego vici mundum. In hoc ſpes certantibus, & in bono proficientibus. Et adhuc *Matth.*5. Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt. In hoc ſpes perfectis, & iam à labore tentationum quieſcentibus. Omnes hi per hæc verba ſpei adhærent tanquam anchotæ firmæ, & tutæ. Ad *Hebr.* 6. Confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram animæ habemus firmam, & tutam.

Quæ verba potiſſimũ in nobis ſpem generent.

50. *Hæc me conſolata eſt.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit effectum ſecundum, qui eſt conſolatio in affectione: vnde dicuntur tria. Primò, quòd ex ſpe eſt conſolatio. Secundò ratio, quare conſolatur illa ſpes. *Quia eloquium tuum.* Tertiò ſpecificatio tribulationis, in qua eſt conſolatio, ibi, *Superbi iniquè.* Dicit ergo: Sic rogo vt cito promiſſionem impleas operantem in me ſpem: & *hæc* ſpes *conſolata eſt me*, ſed non niſi *in humilitate mea*, id eſt, quando ſum humiliatus, & confeſſus peccata: quia *Iob* 22. dicitur: Qui autem humiliatus fuerit, erit in gloria. *Iudith* 6. Reſpice Domine ad humilitatem noſtram. Tales enim reſpicit, & conſolatur. *Iſa. vlt.* Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & humilem, &c. Vel, *in humilitate mea*, id eſt, in deſpectione, & afflictione, non ſolum illa quam patior pro primorum parentum peccato, ſed etiam quam ſuſtineo ab inimico. Scio enim illud *Prou.*15. Gloriam præcedit humilitas. Et illud *Act.*14. Per multas tribulationes oportet intrare in regnum cœlorum. In ſermone ergo Domini iuſtè inuenit ſpem, & conſolationem, ſecundum illud *Rom.*15. Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.

Quia eloquium. Ecce ratio quare ſpes conſolatur. Quaſi diceret: Idcirco dico, quòd ſpes conſolata eſt me, *quia eloquium tuum*, qui tam verus, & certus, & fixus es, *viuificauit me*, viuacem intellectum & affectum præbuit, vt ſperarem. *Leuit.* 18. Cuſtodite leges meas, & præcepta mea, quæ faciens homo viuet in eis. *Deut.*32. Cuſtodite vniuerſa, quæ ſcripta ſunt in volumine legis huius, quæ non in caſſum præcepta ſunt vobis, ſed vt ſinguli in eis viuerent: multo fortius quæ ſcripta ſunt in volumine Euangelico viuifico. *Ioan.*6. Verba quæ ego loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt. Et in 8. Si quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non guſtabit in æternum.

Superbi iniquè agebant. Hîc tertium, in quo ſignanter oſtendit, qualiter humiliatus fuerit, & à quibus: & ne videatur cecidiſſe, duo tanguntur. Primò à quibus, & qualiter impugnatus fuerit, & afflictus, quia à ſuperbis & iniquè agentibus valde. Secundò qualiter ſteterit, ibi, *A lege autem tua.* Dicit ergo: Sic dixi me conſolatum in humiliatione, & verè in humiliatione & deiectione: quia *ſuperbi* perſequutores mei, qui nolebant ſub te humiliari, *iniquè agebant*, contra me, & non parum, imò *vſquequaque*, id eſt, multum: vnde alia litera habet, *Vſque valdè.* Superbo enim non ſufficit, quòd malus ſit, niſi alios auertat à bono, & affligat eos. *Prou.* 3. Noli prohibere eum, qui bene facit, ſi potes, & ipſe bene fac. Sed non quieſcit agere iniquè contra bonos. *Ierem.* 9. Vt iniquè agerent, contra bonos ſup. laborauerunt. *Iſa.*52. Dominatores eius iniquè agunt. Propter hoc clamat *Abac.* in 2. Quare non reſpicis contemptores, & taces iniquo opprimente iuſtiorem ſe? Ipſi ita, & tu quid? Ecce: *A lege autem tua non declinaui*, quantumcumque me impellerent. *Pſal.* A iudiciis tuis non declinaui, quia tu legem poſuiſti mihi. *Iob* 31. Si declinauerit pes meus de via, male mihi accidat, ſup. *Eccleſ.*10. Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcendit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris, legem ſcilicet Dei. *Epheſ.*4. Nolite locum dare diabolo, impatientiam in tribulationibus habendo, à lege Dei recedendo.

51.

Memor fui iudiciorum. Hîc ſecundum, in quo agitur de ſecundo, per quod eſt in ipſo conſolatio: & dicuntur tria. Primò iudiciorum Dei recordatio. Secundò conſolatio ex conſideratione illa. Tertiò tædium quoddam, & cordis afflictio propter mala aliena, ibi, *Defectio tenuit me.* Sic enim diuinorum iudiciorum recordatione Sanctos conſolatur, vt etiam pro alienis miſeriis affligantur. Secundum eſt ibi, *Et conſolatus ſum.* Tertium ibi, *Defectio tenuit.* Dicit ergo: Sic conſolationem habui in promiſſis tuis, & etiam *memor fui iudiciorum tuorum*, ô *Domine*, Domine, inquam, *à ſæculo*, ex quo fuit cui poſſes dominari. Iudiciorum, inquam, quia malos punies in æternum. Ad hoc enim monet *Iob* in 19. Fugite à facie gladij, quoniam vltor iniquitatum eſt gladius: & ſcitote eſſe iudicium, de quo noluit impius cogitare. *Prou.*28. Viri impij non cogitant iudicium: qui autem inquirunt Dominum, animaduertunt omnia. Huius memor fui, & conſolatus ſum cogitans quanta erit ſanctorum lætitia de miſeria illorum. *Pſal.* Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam, manus ſuas, &c. Et eſt iudicium mortis, de quo *Eccleſ.*38. Memor eſto iudicij mei: ſic enim erit & tuum. *Et conſolatus ſum*, quia ſuprà in *Pſal.* Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. Et eſt iudicium afflictionis, quo tuos affligis in præſenti, & in hoc ipſo conſolaris. *Hebr.* 12. An obliti eſtis conſolationis, quia vobis tanquam filiis offert ſe Deus? Propter hoc dicitur *Iob* 6. Soluat manum ſuam, & ſuccidat me. Et hæc ſit mihi conſolatio, vt affligens me dolore non parcat. Et eſt iudicium proprium, quo

52.

Multiplex iudicium.

Filius

Filius Dei iudicatus fuit, de quo *Eccleſ.*3. Iudicium patris, Dei quod dedit filio, audite filij. Et hoc conſolatorium eſt Sanctorum, de quo in *Pſal.* Virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.

Defectio tenuit me. Hîc tertium, in quo ſubiungitur nihilominus afflictio pro ſpiritualibus miſeriis aliorum: & dicuntur duo. Primò tangit propriam afflictionem, vſque ad defectionem. Secundò rationem illius defectionis, ibi, *pro peccatoribus.* Dicit ergo: Sic conſolatus ſum tua meditans iudicia, quantum eſt de me: ſed quantum ad alios, *defectio tenuit me*, vel *tædium*, ſecundum aliam literam, & afflictio cordis, *pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam*: tantum zelo arder pro bono illorum. Infra eodem: Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei. *Thren.*2. Defecerunt præ lachrymis oculi mei, conturbata ſunt viſcera mea, effuſum eſt in terra iecur meum, ſuper contritione filiæ populi mei. Sic deficiebat *Paulus* 2. *Cor.*11. Quis infirmatur, & ego non infirmorum? quis ſcandalizatur, & ego non vror? 2.*Pet.*2. Animam iuſti iniquis operibus cruciabant.

54. *Cantabiles mihi erant.* Hîc tertium, ex quo eſt conſolatio ſcripturarum, iuſtitiæ meditatio & lectio. Et tangitur primò conſolatio propter ſcripturas, & modos conſolandi. Secundò locus in quo datur hæc conſolatio, vt maior appareat, ibi, *In loco.* Ait enim: Sic conſolatus ſum promiſſione, iudiciorum tuorum recordatione, & quamuis deficiam aliena miſeria, & tranſgreſſione, tamen *iuſtificationes tuæ*, ſcripturæ ſacræ, mandata iuſtificantia continentes, *erant mihi cantabiles*, ſicut cantilena delectabiles, cum illas cogito, lego: vel ad literam in Eccleſia decanto. In *Pſal.* ſuprà: Cantate Domino canticum nouum. *Iudith* 16. Cantate Domino in cymbalis. Multum enim ſolantur ſcripturæ. *Iob* 35. Qui dedit carmina in nocte. Carmina in nocte, ſcripturæ ſacræ in tribulatione. *Rom.*15. Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.

In loco peregrinationis meæ, in hac vita, quæ peregrinatio eſt. 2.*Cor.*5. Quandiu ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino. Sancti enim peregrini ſunt, quod probat, quia in hac vita non ædificant magna palatia, ſed expectant æterna. *Hebr.*13. Non habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. Quia ſemper finem vitæ ſuæ conſiderant. *Iſa.*33. Oculi eius terram cernent de longè. Quia minus quàm poſſunt ſe onerant, ſicut illi boni peregrini, qui dicebant *Matth.*19. Ecce nos reliquimus omnia, &c. Quia pretioſas veſtes non curant, ſed tantummodo neceſſarias, ſecundum illud *Pauli* 2. *Tim.*6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Quia fortia calceamenta ſibi procurant: ſanctorum exempla ad muniendum affectus. *Ierem.*2. Prohibe pedem tuum à nuditate. *Exod.*2. Calceamenta habebitis in pedibus. Quia quotidie computant cum ſeipſis, qualiter expendunt vitam ſuam. *Pſal.* Meditabar in nocte cum corde meo. Quia bonis ſe iungunt, & mala conſortia abhorrent, vel fugiunt quantum poſſunt. *Eccleſ.*27. Volatilia ad ſibi ſimilia congregantur. Quia de via diligenter inquirunt, dicentes illud *Pſal.* Notam fac mihi viam in qua ambulem.

Sancti in hac vita peregrini.

55. *Memor fui nocte.* Hîc eſt quarta pars, & vltima huius octonarij, in qua oſtendit ſe conſolatum vigili oratione: & tanguntur tria. Primò vigil oratio. Secundò fructus ſequens ex illa vigilia. *Et cuſtodiui.* Tertiò neceſſitas vigilandi in oratione, ſiue cauſa. *Hæc facta eſt mihi.* Dicit ergo: Sic conſolatio, & conſolationi fuerunt mihi iuſtificationes tuæ, & etiam *memor fui nocte*, materiali ad literam. In *Pſal.* ſuprà: Memor fui tui ſuper ſtratum meum, in matutinis meditabor in te. *Thren.*2. Conſurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum. Vel in nocte aduerſitatis. *Iſa.*26. Anima mea deſideraui te in nocte. Et infrà: Domine in anguſtia ſua requiſierunt te. Tunc enim cum aduerſitates ſurgunt, Deo cantandum. *Iob* 35. Qui dedit carmina in nocte, lætitiam in tribulatione.

Et cuſtodiui. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic in nocte oraui, & hoc modo *cuſtodiui legem tuam*, quia ſcriptum eſt: In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam, & literali, & ſpirituali, quod eſt proſperitas: & nocte, literali, & ſpirituali, quod eſt aduerſitas: canticum eius. Vel ſic: *Cuſtodiui legem tuam*, quæ docet in tribulatione nos conuerti ad te. 2.*Paral.*20. Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros leuemus ad te.

59. *Hæc facta eſt mihi.* Hîc tertium, ſcilicet neceſſitas vigilandi de nocte: vult enim *Gloſſa*, vt hoc relatiuum, hæc, referatur ad noctem. Ait ergo: Sic memor, & vigil fui in nocte: & *hæc*, vigil nox, *facta eſt mihi*, id eſt, propter hoc in nocte vigilaui, *quia iuſtificationes tuas exquiſiui:* quia quærebam, per quem poſſem iuſtificari, & tunc ſciebam me magis impugnari ab aduerſario: tunc enim, de nocte ſcilicet, deiecit Petrum *Matth.*26. quando ter negare fecit. Suprà in *Pſal.* Facta eſt nox, in ipſa pertranſierunt omnes beſtiæ ſyluæ. Vel de nocte aduerſitatis, ita fui memor nocte, & nox *hæc* aduerſitatis, *facta eſt mihi*, ad vtilitatem mei, vt per illam inſtruerer. *Iſa.*28. Vexatio dabit intellectum audiui. *Thren.*3. Miſit ignem, tribulationis, in oſſibus meis: & erudiuit me, vt ſanctior & purior fierem. *Apoc. vlt.* Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc: & qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc. Imò vt per ipſam ſaluarer. *Ierem.*30. Tempus tribulationis Iacob, & ex ipſa ſaluabitur. Et hoc, *quia cuſtodiui*, vel *exquiſiui iuſtificationes tuas.* Sic enim tuos illuminas, purgas, & ſaluas.

Ecce quomodo in hoc octonario oſtendit ſe conſolatum in tribulationibus, ex Dei promiſſione, ex iudiciorum recordatione, ex Scripturarum lectione, & recitatione, & ex vigili oratione in nocte materiali, & ſpirituali. Vnde optime præponitur litera ad hoc exhortans nos, *Zain* ſcilicet, quod interpretatur huc, vel duc te: & iunge, huc duc te. Quaſi diceret: Tu quicumque es qui vis proficere, ad hæc quæ hic audis, duc te, ad promiſſionem diuinam, & iudiciorum memoriam, &c.

Heth.

Heth.

57. *Portio mea Domine.* In hoc quarto octonario agitur de quarto, quod eſt neceſſarium, nempe perſeuerantiæ propoſito, quæ primò requiritur in proficiente. Quid enim valeret promptitudo cordis, quid ſtrenuitas operis, quid conſolatio ſpiritualis, ſi non daret propoſitum perſeuerandi agendo bonum, & ſuſtinendo malum? Nihil. Propter hoc in hoc octonario quarto agitur de propoſito perſeuerandi. Et primò de propoſito perſeuerandi in agendo bonum. Secundò etiam in ſuſtinendo malum, vt nunquam propter hoc deſiſtat. Et ſecundum hoc dicuntur duo hîc. Primò confitetur ſe habere propoſitum adimplendi bonum ſimpliciter, & perſeuerandi in illo ſimpliciter. Secundò etiam ingruente perſecutione ſpecialiter, ibi, *Paratus ſum, & non ſum turbatus.* In prima confitetur propoſitum perſiſtendi. Secundò monſtrando vnde habeat fiduciam perſiſtendi, ne præſumptio iudicetur tale propoſitum, ibi, *Deprecatus ſum.* Dicit ergo: Affectuosè loquens ad Dominum, ſic conſolatus ſum: ſed ô tu Domine, qui es *portio mea.* Alia litera, *Pars mea*, quod idem eſt. In *Pſal.* infrà: Dixi, Tu es ſpes mea, portio mea, &c. Et ſuprà in alio *Pſal.* Dominus pars hæreditatis meæ. *Thren.*3. Pars mea Dominus, dixit anima mea. Volo eſſe de ordine Leuitarum. *Deut.*18. In terra eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars tua, & hæreditas tua. Et ſicut tangitur in *Gloſſa*, idem eſt ac ſi diceret: Me non inflammat libido, quæ eſt pars luxurioſi: non ſtimulat auaritia, quæ eſt pars auari: non exterminat laſciuia, quæ eſt pars diſſoluti: non decolorat luxuria, quæ eſt pars guloſi: non ſternit ambitio, quæ eſt pars ſuperbi: non macerat inuidia, quæ eſt pars inuidi: non aliqua cura ſæcularium erit ſollicitans, quæ eſt pars curioſi: ſed tu portio mea optima. *Luc.*10. Optimam partem elegit ſibi Maria.

Ergo ô *Domine portio mea, dixi*, firmiter propoſui, *cuſtodire legem tuam*, ſcilicet in cuſtodia legis perſeuerare & perſiſtere. Suprà in *Pſal.* Dixi, Cuſtodiam vias meas. Et infrà: Iuraui & ſtatui, cuſtodire iudicia, &c. De talibus erant illi, de quibus dictum eſt 1. *Machab.* 1. Multi diffinierunt apud ſe non infringere legem Domini.

58. *Deprecatus ſum.* Hîc tangitur fiducia propoſiti, vnde ſit, quia ex duobus: ex conuerſione affectus ſui in Deum per orationem, & conuerſione omnium, ſcilicet operum, quod fit per rectam operationem, ibi, *Cogitaui vias meas.* In prima duo. Primò aſſerit ſe oraſſe, & ſic affectum conuertiſſe in Deum. Secundò oſtendit, quid orauerit. *Miſerere mei.* Dicit ergo: Sic propoſui non confidens de viribus meis, imò *deprecatus ſum*, conuertens affectum meum ad te, *faciens tuam*, filium ſcilicet per quem cognoſceris, ſicut homo per faciem. *Iob* 6. Deprecabor Dominum meum, patrem: & ad Deum, filium, ponam eloquium meum. Hæc facies, quam deſiderabat Moyſes *Exod.*33. Si inueni gratiam in oculis tuis, oſtende mihi faciem tuam. Sed hoc non poterat eſſe: ſed viſa eſt in incarnatione, tamen velata pallio noſtræ mortalitatis. *Iſa.*45. Verè tu es Deus abſconditus. Sed in futuro videbitur apertè, & in magna exultatione. *Iob* 33. Deprecabitur Dominum, & placabilis ei erit, & videbit faciem eius in iubilo. Deprecatus ſum ego faciem, & hoc *in toto corde meo*, quia, ſicut dicit *Auguſt.* diuiſa mens non impetrat. 2.*Reg.*7. Inuenit ſeruus tuus cor ſuum vt oraret te. *Sapient.*8. Adij Dominum, & deprecatus ſum illum, & dixi ex totis præcordiis meis.

Miſerere mei. Ecce quid rogauerit. Quaſi diceret: Deprecatus ſum in toto corde meo, dicens ſup. *Miſerere mei*, veniam præſtando, gratiam perſeuerantiæ infundendo: & hoc *ſecundum eloquium tuum. Ezech.* 18. Omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor amplius.

59. *Cogitaui vias meas.* Hîc ſecundum, ex quo confidentia, ſcilicet affectuum, hoc eſt, operum conuerſio ad Deum. Et primò tangitur operum conſideratio cum diligentia. Secundò conſideratorum conuerſio in Deum, ibi, *Et conuerti pedes.* Dicit ergo: Sic oraui, & etiam *cogitaui*, diligenter attendi & inſpexi, *vias meas*, operationes meas. Primò enim ſtandum eſt ſuper vias ſuas. *Ierem.*6. State ſuper vias veſtras. Poſtea inſpiciendæ ſimpliciter. *Ierem.*2. Vide vias tuas. Tertiò cogitandæ ſunt, ſicut dicitur hîc, & *Prouerb. vlt.* de forti muliere: Conſiderauit ſemitas domus ſuæ. Quartò recogitandæ. *Iſa.* 38. Recogitabo tibi omnes annos meos. Quintò diligenter ſcrutandæ. *Thren.* 3. Scrutemur vias noſtras. Et ſextò corrigendæ. Suprà eodem: In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam. Cauſa autem omnium horum tangitur *Prou.*14. Eſt via quæ videtur homini recta, nouiſſima autem eius ducunt ad mortem.

Et conuerti. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic primò cogitaui, & tunc *conuerti pedes meos*, à vitiis meis prauis, *in teſtimonia tua*, quæ errare non poſſunt, vt de cætero ambularem ſecundum illa. *Iſa.* 31. Conuertimini, ſicut in profundum receſſeratis filij Iſraël in longinquum. *Iſa.* 23. Ducent eam longè pedes ſui, ad peregrinandum. Sed reuerti oportet, & conuertere pedes cum filio prodigo redeunti. *Luc.*15.

60. *Paratus ſum.* Hîc eſt ſecunda pars huius octonarij, in qua poſtquam oſtendit ſe paratum perſeuerare ſimpliciter, oſtendit etiam ſe paratum in aduerſitate ſpecialiter: & dicuntur duo. Primò fatetur ſe promptum in aduerſis & conſtantem. Secundò vnde habeat promptitudinem, & conſtantiam, ibi, *Media nocte.* In prima duo. Primò confitetur ſui promptitudinem in aduerſitate non obſtante. Secundò in promptitudine conſtantiam, ibi, *Funes peccatorum.* In prima tria. Primò fatetur promptam eſſe voluntatem. Secundò rationem quietam nec turbatam, ibi, *Et non ſum turbatus.* Tertiò ad quid promptam. *Vt cuſtodiam.* Dicit ergo: Sic propoſui cuſtodire legem, & etiam *paratus ſum*, prompta voluntate. Suprà in *Pſal.* Paratum cor meum Deus. Tales volebat Paulus eſſe Corinthios ad eleemoſynas 2. ad *Cor.* 9. Parati ſitis, ne cum venerint Macedones, inueniant vos imparatos. Sic paratus erat Samuël 1. *Reg.* 3. Ecce ego, vocaſti enim me. *Et non ſum turbatus,*

mota

mota ratione. *Ierem.*27. Ego autem non ſum turbatus te paſtorem ſequens. *Ioan.*14. Non turbetur cor veſtrum, neque formidet. Sic paratus etat, nec turbabatur, qui dicebat. *Act.* 20. Paratus ſum mori in Ieruſalem pro nomine Domini Ieſu Chriſti.

Vt cuſtodiam. Quaſi diceret: Ad hoc paratus ſum, *vt cuſtodiam mandata tua*, quacumque aduerſitate ingruente. *Eccleſ. vlt.* Deum time, & mandata eius obſerua, hoc eſt omnis homo. Felix qui dicere poteſt illud *Luc.*18. Hæc omnia cuſtodiui à iuuentute mea.

61. *Funes peccatorum.* Hîc fatetur ſe conſtantem. Duo ergo dicuntur. Primò confitetur aduerſariis ſe circumdatum. Secundò penitus ſe immotum, ibi, *Et legem.* Dicit ergo: Sic non turbor aduerſitatibus malorum hominum, & etiam *funes peccatorum*, id eſt, tentationes ad peccata trahentes, *circumplexi ſunt me*, ſcilicet motus carnales inclinantes ad culpam, & dæmonum ſuggeſtiones. 1. *Reg.*22. Circumdederunt me contritiones mortis, & torrentes Belial conturbauerunt me. *Prou.*5. Funibus peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur. Et in 7. Contexui funibus lectum meum. Vnus ergo funis, formes: alius, conſuetudo praua. Tertius, ſuggeſtio diabolica, à quibus non euadit niſi conſtans. *Eccleſiaſt.*4. Funiculus triplex difficilè rumpitur.

Qui dicũtur funes peccatorum.

Et tamen, quamuis ita circundatus funibus, *legem tuam non ſum oblitus*, attendens illud *Prou.*3. Filij ne obliuiſcaris legem matris tuæ. Iſte ergo volens proficere ſentit ſe circumplexum. Hoc eſt quod dicit *Gregor.* Cum quis ſe expedire mititur, tunc conſpicit, quàm duris funibus teneatur.

62. *Media nocte.* Hîc tertium, in quo eſtendit per quæ habeat tantam fiduciam, quia per tria. Per deuotam & ſollicitam gratiarum actionem ad Deum. Per participationem bonorum aliorum, ibi, *Particeps ego ſum.* Tertiò per abundantiam diuinæ miſericordiæ, ibi, *Miſericordia Domini.* In prima duo. Primò gratiarum actio ſollicita. Secundò ſuper quo eſt illa gratiarum actio, ibi, *Super iudicia.* Dicit ergo, Sic promptus ſum, & conſtans, & confidentiam habeo, quia *media nocte*, præ ſollicitudine, *ſurgebam*, aliis iacentibus, *ad confitendum*, confeſſione laudis, & gratiarum actionis. Sic nox accipitur ad literam: tunc enim ſicut in alio octonario tactum fuit, magis ſolent tentationes inſurgere. *Luc.*22. Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. Et tunc refugientes, & vigilantes ad ſe Deus magis adiuuat. *Exod.* 12. In noctis medio percuſſit Deus omne primogenitum in terra Ægypti. Vel *media nocte*, id eſt, in profunda tribulatione: tunc enim ſurgendum ad gratias referendum Deo. In *Pſal.* infrà: In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum.

Super iudicia. Ecce ſuper quo gratias agit. Quaſi diceret: Sic ſurgebam ad confitendum, & gratias agendum: & hoc, *ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ*, iudicantis me dignum miſeria & afflictione: per hoc enim ſcio me eſſe de domo tua, & familia. 1. *Pet.*4. Tempus eſt vt iudicium incipiat à domo Dei. *Ezech.*9. A ſanctuario meo incipite. Stultus valdè eſt, qui non gratias agit de ſua purgatione in præſenti. *Dan.* 3. Iuſtus es Domini in omnibus quæ feciſti nobis. In eodem: In veritate, & in iudicio iuduxiſti omnia hæc: iudicia enim vera feciſti.

Particeps ego ſum. Hîc ſecundum, ſcilicet bonorum factorum participatio. Et primò confidenter aſſerit ſe participem bonorum à malo per timorem Dei recedentium. Secundò bonum per amorem facientium, & cuſtodientium. Dicit ergo: Sic confido, quia in ipſis malis gratias ago, & etiam ſi merita mea non ſufficiunt, *particeps ego ſum*, non aliquorum tantum, ſed *omnium timentium te*, & ſic à malo declinantium. Membrum enim non poteſt non eſſe particeps boni commembri ſui. *Eph.*3. Comparticipes promiſſionis in CHRISTO IESV. *Apoc.*1. Particeps in tribulatione & regno. Omnes enim veri fideles dicunt illud *Prou.*1. Marſupium vnum ſit omnium noſtrum. Timentes autem Deum non ſolum recedunt à malo, ſed etiam bonum faciunt. *Eccleſ.*15. Qui timet Deum, faciet bona.

Et cuſtodientium. Quaſi diceret: Sic ſum particeps timentium, & etiam *cuſtodientium mandata tua*, ſicut ego cuſtodio, & alios participes eſſe volo bonorum quæ ago, non alius. *Prou.*6. Ne ſint alieni participes tui, ſicut dicitur 1. ad *Cor.*12. Si compatitur vnum membrum, compatiuntur & alia: ſi gloriatur vnum membrum, congaudent & alia. Hæc eſt enim natura charitatis, vt communia quærat, non propria. 1. ad *Cor.*13. Charitas non quærit quæ ſua ſunt. Et *Auguſt.* ſic exponit in ſpeculo: Charitas, de qua ſcriptum eſt, quod non quærit quæ ſua ſunt, ſic intelligitur, quia communia propriis, non propria communibus anteponit.

Explicat *Gloſſa* hunc verſum etiam de Chriſto, qui per naturæ humanæ aſſumptionem omnium particeps eſt effectus. *Ioan.*1. Verbum caro factum eſt: & ſic particeps hominum. Ad *Hebr.*2. Et ipſe participauit eiſdem.

Miſericordia tua Domine. Hîc tertium, ſcilicet miſericordiæ Dei abundantia, ex quo eſt confidentia: & tanguntur duo. Primò exprimit diuinæ miſericordiæ plenitudinem. Secundò quaſi animo feruente ſubiungit petitionem. *Iuſtificationes.* Ait ergo: Sic gratias ago in aduerſitatibus, & bonorum aliorum particeps exiſto, vnde confido: potiſſime autem, quia *miſericordia tua Domine plena eſt terra*, terra ad literam materialis. *Eccleſ.*16. Reſpexit Dominus terram, & repleuit eam bonis ſuis, frugibus, arboribus, opibus. Et etiam habitatores terræ pleni ſunt eius miſericordia, ſiue boni, ſiue mali. *Matth.*5. & *Luc.*6. Solem ſuum facit oriri ſuper bonos & ſuper malos, & pluit ſuper gratos & ingratos. *Iſa.*6. Plena erit omnis terra gloria eius. Terra etiam ſpiritualis virgo Maria. *Luc.*1. Aue gratia plena, imò miſericordia. Ipſa eſt enim vena aurea dulcedine miſericordiæ plena, tanquam manna. *Num.*11. Ipſa oliua in oleo miſericordiæ abundantiſſima. *Eccleſ.*24. Ego quaſi oliua ſpecioſa in campis. Quid enim magis plenum oleo, quam oliua?

Doce me. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Confido ex miſericordiæ tuæ abundantia, ô Domine, & propter hoc rogo: *Doce me iuſtificationes tuas*, & veraciter cognoſcere, & adimplere

implere fortiter, *Matth.*23. Vnus est magister vester. *Ioel.*2. Filij Sion exultate in Domino Deo vestro, qui dedit vobis doctorem iustitiæ. Alibi in *Psal.* Benedictus es Domine, doce me iustificationes tuas.

Vide ergo quomodo in hoc octonario, proponit stare, etiam in aduersitate, non confisus de suis meritis, sed magis aliorum, & de diuinæ misericordiæ abundantia, ad quam confugiens concludit totum in oratione. Et hoc notat litera præposita *Heth*, quod interpretatur pauor, non quod tantum timeat recidiuare, quantum timet se minus habere de cautela & sollicitudine perseuerandi in bono quantum oporteat.

Theth.

65. *Bonitatem fecisti.* Hic est nonus octonarius, in quo postquam determinatum est de merito proficientium, quantum ad habilitatem ad bonum, quia habilitas illa posset esse citò præcipitatio, nisi adesset boni cognitio, agitur hîc de merito proficientium, quantum ad cognitionem boni: & diuiditur in quatuor partes, secundum quatuor quæ cognoscere oportet proficere volentem. Primum est ipsa bonitas diuina. Secundum est Dei æquitas. Tertium veritas. Et quartum charitas. Et secundum hæc quatuor, in hoc ordine sunt quatuor octonarij. In hoc ergo primo agitur de profectu in cognitione diuinæ bonitatis. Diuiditur autem in tres partes. Cum enim nullus sit, qui non sit expertus in aliquo bonitatem diuinam, primò recolendo quod ipsam senserit, gratias agit de bonitate diuina. Secundò petit pro ipsa amplius sentienda, & intimius cognoscenda, ibi, *Bonitatem, & disciplinam.* Tertiò vt ostendatur ratio suæ petitionis, ostendit profectum suum in cognita, ibi, *Bonum mihi Domine.* In prima duo. Primò recolendo beneficium gratias agit, quia accepit à Deo bonitatem. Secundò assignat acceptionis causam, non sua merita, sed Dei veritatem, ibi, *Secundum verbum.*

Ait ergo: O Domine sic propono firmiter stare, & iustum est, quia *fecisti bonitatem cum seruo tuo. Baruch.*2. Domine secundum omnem bonitatem tuam fecisti nobis. *Sap.*12. O quàm bonus & suauis est spiritus tuus in nobis! *Cum seruo tuo*, nunc, sed antequam faceres bonitatem, inimico, cui debebatur pœna. Vel *cum seruo tuo*, est enim seruus culpæ. *Ioan.* 8. Qui facit peccatum, seruus est peccati, & hic est inimicus. Et est seruus gratiæ expellentis peccatum, quæ est timor seruilis. *Ioan.* 8. Seruus non manet in domo in æternum, quia 1. *Ioan.*4. Perfecta charitas foras pellit timorem. Et est seruus reuerentiæ, qui timet amore filiali, & etiam initiali, de quo *Matth.* 25. Euge serue bone, & fidelis. Cum seruo primo facit bonitatem, ipsum expectando ad pœnitentiam, quamuis suus non sit. Ad *Rom.* 1. An diuitias bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis eius contemnis? Cum secundo facit bonitatem, ipsum ad perfectiorem gratiam transferendo. *Luc.*12. Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

Seruus peccati, gratiæ & reuerentiæ.

Bonitatem ergo fecisti cum seruo tuo, & hoc *secundum verbum tuum*, non secundum meritum meum. *Psal.* Quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita. *Isa.*65. Verbum quod egredietur ex ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed prosperabitur. Sed *Num.* 10. dicitur: Dominus bona promisit Israëli. 2. *Paral. vlt.* Tu autem Domine secundum bonitatem tuam, promisisti pœnitentiam remissionis peccatorum.

66. *Bonitatem & disciplinam.* Hîc secundum, in quo petit se doceri bonitatem: & primò petit vt doceatur quid faciendum sit. Secundò quomodo faciendum sit, ibi, *Bonus es tu.* In prima duo. Primò petitio. Secundò persuasio, ibi, *Quia in mandatis.* In prima tria secundum tria, quæ petit. Primò petit bonitatem ad operandum, quod iustum est. Secundò disciplinam ad sustinendum quod malum est: malum, inquam, pœnæ. *Et disciplinam.* Tertiò scientiam veram ad discernendum quid expediens est. *Et scientiam.* Dicit ergo: Sic bonitatem mecum fecisti, ipsam sensi, sed vlterius rogo, *Bonitatem doce me*, quæ est fructus lucis. *Ephes.*5. Fructus autem lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate. Illam bonitatem doce, quam præcipis facere. In *Psal.* suprà: Spera in Domino, & fac bonitatem. Illam, quæ est malis in abominatione. *Psal.* Detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatẽ. Nec est inconueniens si dixerit superius sibi datam, & hîc petit eam doceri, quia multa nobis à Deo dantur, quæ à nobis minimè vt expedit cognoscuntur. Vel petit quod habet, vt melius habeatur. *Et disciplinam*, qua possim æquanimiter sustinere pœnalia, doce me repete, magnum enim bonum est. *Prou.* 15. Disciplinam qui abiicit, infelix est: quamuis aliquantulum hic videatur aspera. Ad *Hebr.*12. Omnis quidem disciplina in præsenti quidem non videtur esse gaudij, sed mœroris, postea autem fructum pacatissimum affert exercitatis per illam. *Et scientiam* ad discernendum clarè quod bonum expediat, quia non est salus sine hac. *Sapient.*19. Vbi non est scientia animæ, non est bonum. *Sapient.* 13. Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.

Quia in mandatis. Hîc persuasio, quòd ei petitum concedatur. Allegat autem triplex meritum. Primò meritum fidei, quantum ad intellectum. Secundò meritum humilitatis, quantum ad interiorem affectum. Tertiò meritum obedientiæ, quantum ad exteriorem effectum. *Propterea eloquium.* Dicit ergo: Sic me doceas, & debeo exaudiri: *quia crediti in mandatis tuis*, quod ipsa essent tua, & ipsis acquiescens non disceptaui. *Eccl.* 33. Homo sensatus credit legi Dei, quia *Isa.*7. dicitur: Nisi credideritis, non permanebitis. 2. *Tim.*4. dicebat Paulus: Scio cui credidi, & certus sum.

67. *Priusquam humiliarer.* Hîc secundum. Quasi diceret: Sic credidi, sic facias mihi, & etiam quia dico: *Deliqui priusquam humiliarer.* Quasi diceret: Et humilio me confitendo deliquisse, & etiam me humilem confiteor, cum dico, *Humiliarer.* Non enim potui prius humiliari, quàm delinquere, quia in ipso Adam deliqui saltem. Ad *Rom.* 5. In Adam omnes peccauerunt. Quamuis & hoc verum sit de actuali,

ſi loquatur Dauid ipſe, vel in perſona adulteri, vel iuſtificati. *Prou.* 19. Antequam conteratur, exaltatur cor hominis. Et in 29. Superbum ſequitur humilitas.

Propterea eloquium. Hîc tangitur tertium pertinens ad meritum: & continua ſic: Priuſquam humiliarer, deliqui. *Propterea*, & ne iterum me humiliari oporteret, *ego cuſtodiui eloquium tuum*, omnia propter te relinquendo. *Deut. penult.* Qui dixerunt patri ſuo & matri ſuæ, Neſcio vos: & fratribus ſuis, Ignoro vos: & neſcierunt filios ſuos: hi cuſtodierunt eloquium tuum Domine, & pactum tuum ſeruauerunt.

68. *Bonus es tu.* Hîc ſecunda pars huius partis, in qua petit de bonitate edoceri. Petito enim, quòd in bonitate doceatur, petit hic in modo edoceri: & dicuntur tria. Primò allicit iudicem, ipſum commendando. Secundò petit, ibi, *Et in bonitate.* Tertiò neceſſitatem petendi oſtendit, ibi, *Multiplicata eſt.* Dicit ergo: Sic petij in bonitate edoceri, ſed adhuc addo: O Domine *bonus es tu*, in te & eſſentialiter. Suprà in *Pſal.* Confitemini Domino, quoniam bonus. *Marc.* 10. & *Luc.* 18. Nemo bonus, niſi ſolus Deus. Bonus etiam tuis in te ſperantibus. *Thren.* 3. Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum, animæ quærenti illum: ipſum enim reficit & paſcit. *Ioan.* 10. Ego ſum paſtor bonus. Ipſam illuminat & inſtruit verè. *Marc.* 10. & *Luc.* 18. Magiſter bone, quid faciendo vitam æternam poſſidebo?

Et in bonitate tua. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Bonus es: & rogo, *doce me iuſtificationes tuas*, opera ſcilicet iuſtitiæ, quæ tua ſunt. *Iſa.* 26. Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine. Et hoc, *in bonitate tua*, non in auſteritate Moſaica. *Apocal.* 19. Datum eſt illi vt operiret ſe byſſino ſplendido, & candido. Byſſinum enim iuſtificationes ſunt ſanctorum. *Mich.* 5. Docebo te homo quid ſit bonum: vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam, quam prædicat Euangelica ſuauitas, Chriſti bonitas.

69. *Multiplicata eſt ſuper me.* Hîc tertium, in quo ſubiungitur petendi neceſſitas, quæ tangitur duplex. Aduerſariorum multiplicatio, & in ſe, & in malitia. Secundò conſenſus & coadunatio illorum contra ſe, ibi, *Coagulatum eſt.* Et in qualibet tanguntur duo. Primò ſuarum aduerſariorum mala conditio. Secundò bona ſui. Ait enim: Sic peto, & neceſſe habeo, quia *iniquitas ſuperborum*, qui non ſunt humiliati, ſicut ego, *multiplicata eſt*, ipſis multiplicatis, & in ſe, & in ſuis iniquitatibus, & in robore: & hoc, *ſuper me. Super*, hîc oppreſſionem notat, id eſt, ad opprimendum me. *Pſal.* Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, &c. *Ezech.* 52. Aſſumpſit me ſpiritus, id eſt, ad ſe ſumpſit ſpiritus: & audiui poſt me vocem commotionis magnæ. Impugnat enim caro, impugnat inimicus. Ad *Epheſ. vlt.* Non enim eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, tantum ſup. ſed aduerſus principes, & poteſtates, &c. *Pſal.* Domine quid multiplicati ſunt qui tribulant me? &c. Et tu quid? *Ego autem in toto corde meo ſcrutabor mandata tua.* Infrà in *Pſal.* Niſi quod lex tua meditatio mea eſt, tunc forte, &c. Ibi enim inuenit homo finem laboris ſui, & fructum, & ſuſtinet patienter. 1. *Petr.* 1. Reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum veſtrarum: de qua ſalute ſcrutati ſunt, & exquiſierunt Prophetæ. Et propter hoc dicitur *Pſal.* Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Et ſubditur: Vt mitiges ei à diebus malis.

Coagulatum eſt. Hîc ſecundum, quod facit ad neceſſitatem, quod tangit ſicut dictum eſt, adiungens conditionem bonam quantum ad ſe. Ait enim: Sic multiplicati ſunt, & etiam *cor eorum*, malitioſum contra me: *coagulatum eſt*: & hoc, *ſicut lac*, quod prius corrumpitur, corruptum coagulatur: ſic & corda ſua prius in ſeipſis corrupta; deinde contra me fiunt vnita, & vnumquodque ſe in ſe colligendo, & ſeipſa ad inuicem vniendo. Boni enim habent corda mollia, & tractabilia. *Iob* 23. Deus molliuit cor meum. Sed mali dura & coagulata. *Ezechiel.* 2. Patres eorum præuaricati ſunt pactum meum, & legem meam vſque ad hanc diem, & filij dura facie, & indomabili corde ſunt. *Iob* 39. In ſimilitudinem lapidis durantur aquæ. *Ierem.* 5. Indurauerunt facies ſuas ſuprà petram. Et tu quid? *Ego verò legem tuam meditatus ſum.* Et in illa meditatione accendebatur ignis diuinus in corde. In *Pſal.* ſuprà: Et in meditatione mea exardeſcet ignis. Et tunc anima mea non indurata, ſed liquefacta eſt. *Cantic.* 5. Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus loquutus eſt, ad me per ſcripturas. *Ierem.* 23. Nonne verba mea, quaſi ignis ad liquefaciendum animam, & quaſi malleus ad conterendum ipſam, vt citius liquefiat? 70

Bonum mihi quia humiliaſti me. Hîc tertia pars totius huius partis octonarij, in qua poſtquam gratias egit de bonitate ſibi exhibita, & petiit cognitionem ſibi dari de illa, oſtendit quomodo profecerit in percepta Dei bonitate: vnde non mirum ſi petit illam magis cognoſcere. Et dicuntur tria in hac parte. Primò confitetur ſe ex bonitate Dei profeciſſe. Secundò, in quo profecerit, quia in legis cognitione, ibi, *Vt diſcam.* Tertiò probatio, quòd in illa profecerit, ibi, *Bonum mihi lex oris.* Dicit ergo: Sic Domine gratias egi de ſcita bonitate, ipſam petij amplius mihi manifeſtari: nec mirum, quia hoc ipſum, *quod humiliaſti me*, ſenſi & expertus ſum *bonum mihi*, fuiſſe, ſup. Humiliaſti, inquam, flagellando, quia per hanc humilitatem me illuminas. *Ierem.* 31. Caſtigaſti me Domine, & eruditus ſum. *Prou.* 19. Virga atque eruditio tribuit ſapientiam. Per hanc me probas. *Eccl.* 3. In humilitate patientiam habe: quia in igne probatur aurum, &c. Per hanc me tibi aſſimilas. 2 ad *Corinth.* 12. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti, quæ me ſimilem faciat Chriſto, ſcilicet patientia. 71

Vt diſcam. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Bonum eſt mihi, & in hoc, *vt diſcam*, experimento, *iuſtificationes tuas*, virtutes illas, per quas iuſtificas animas, humilitatem, manſuetudinem. *Matth.* 11. Diſcite à me, quia mitis

mihi ſum, & humilis corde. *Iſa.* 28. Vexatio dabit intellectum auditui.

72. *Bonum mihi lex oris.* Ecce tertium, probatio ſcilicet, quòd in hoc eſt bonum, quod addiſcere legem fecit: & dicuntur duo. Primò quòd bona lex Dei ei ſit. Secundò bonitatis excellentiam oſtendit. *Super millia.* Ait ergo: Sic dixi, quòd bonum eſt mihi me humilia tum fuiſſe, intantum, vt diſcam iuſtificationes tuas, quod non eſt modicum, quia *bonum mihi*, eſt ſup. *lex oris tui:* & quantum, addit, *ſuper millia:* finitum ponitur pro infinito: *auri, & argenti*, id eſt, ſuper omne aurum, & argentum. *Prou.* 8. Melior eſt ſapientia cunctis opibus pretioſiſſimis. *Sap.* 7. Diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius: quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in comparatione illius.

Aduerte ergo diligenter, quod in hoc octonario, primò de bonitate accepta gratias egit, & bonitatis ſibi cognitionem dari rogauit, & quàm bonum ſit humiliari à Deo oſtendit: quod ſuper omnia delectat & placet animæ bene ordinatæ. Ergo hic optimè præponitur litera Hebraica *Theth*, quod interpretatur bonum, vel excluſio, hoc eſt, hic agitur de bono quod omnem triſtitiam ſua delectatione excludit.

Iod.

73. *Manus tuæ Domine.* Hîc ſecundo, ſicut ſuperius dictum fuit, agitur de merito proficientium, quantum ad cognitionem diuinæ æquitatis. Sicut enim in antecedente octonario, confeſſus eſt ſe expertum eſſe diuinam bonitatem, ſic hîc confitetur cognouiſſe diuinam æquitatem, iuſtitiam ſcilicet cum miſericordia, vbi dicit: *Cognoui Domine.* Et petit Deum magis ſemper promoueri, in illa æquitate, vt ſentiat eius miſericordiam in afflictionibus ſe pie conſolantem. Diuiditur autem octonarius iſte in quatuor partes. Primò quidem gratias agendo beneficium creationis recolit. Secundò petit dari ſibi intellectum legis. *Da mihi intellectum.* Tertiò recognoſcit ſe expertum diuinam æquitatem, ibi, *Cognoui Domine.* Quartò & vltimò quærit ſemper regi ſecundum illam, & in hac conſolari, ibi, *Fiat miſericordia tua.* In prima primò recolit gratias referendo beneficium creationis, quantum ad animam. Secundò plaſmationis, quantum ad corpus. *Et plaſmauerunt.*

Dicit ergo: Ita bona eſt Domine lex tua; & iuſtum eſt, quia ô *Domine manus tuæ fecerunt me*, ad imaginem & ſimilitudinem tuam. *Geneſ.* 1. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. *Eccleſiaſt.* 19. Deus creauit hominem de terra, ſecundum imaginem ſuam fecit illum. *Et plaſmauerunt me*, ſecundum corpus. *Iſa.* 64. Tu pater noſter, nos vero lutum, & opera manuum noſtrarum omnes nos. De vtroque ſimul, & per eadem verba. *Iob* 10. Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me. *Iſa.* 63. Creaui eum, quantum ad animam: formaui eum, quoad corpus: feci eum, quantum ad vtrumque. Manus autem Dei potentia appellatur, & ſapientia, quia per hanc operatur, ſicut homo per manus. Suprà in *Pſal.* Hoc mare magnum & ſpatioſum manibus, feciſti ſup.

Da mihi intellectum, non potentiam intellectiuam, quoniam hanc dediſti in creando, ſed ad intelligendum gratiam, ſicut promittis in *Pſal.* ſuprà: Intellectum tibi dabo, & inſtruam te, &c. 2. *Tim.* 2. Intellige quæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum. *Sap.* 7. Dedit mihi Dominus horum quæ ſunt ſcientiam veram. Da tu, non alius, etiam Angelus, ſicut *Dan.* 10. Veni intellectum tibi dare, dicit Angelus. Sed impropriè loquitur: hoc enim ſolus Deus facit. *Eccleſ.* 2. Homini bono dedit Deus ſapientiam, intelligentiam, & ſcientiam. Da ergo intellectum, ſed ad quid? *vt diſcam mandata tua*, non leges humanas, & præcepta. *Deut.* 5. Diſcite ea, & opere complete.

Solius Dei eſt dare intellectum.

74. *Qui timent te videbunt me.* Hîc perſuaſio ab vtilitate illorum, quia boni inde proficient, ſi Dominus ei dederit quod petit: vnde duo tanguntur. Primò aliorum lætitia & exultatio in cognitione boni illius. Secundò determinat cuius boni. *Quia in verba tua.* Dicit ergo: Sic da intellectum: quod ſi feceris, *qui timent te*, timore filiali, *videbunt me*, nec triſtabuntur, vt inuidi, ſed lætabuntur, vt charitatiui, & inquirentes vt poſſint boni inueniri. *Eccleſ.* 2. Qui timent Dominum, inquirunt quæ beneplacita ſunt illi. Et dicit *Gloſſa*, *Videbunt*, non tantum extra, ſecundum illud *Matth.* 5. Videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt: ſed & intra. Contra 1. ad *Cor.* 1. Quis hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui eſt in illo? Quaſi diceret: Nullus. Reſp. Exteriora, quæ conſtant, videre poteſt, & cognitione certa cognoſcere: interiora autem cognitione coniecturæ videre, & comparatione ad exteriora. *Matth.* 7. Omnis arbor ex fructu ſuo cognoſcitur. 1. ad *Cor.* 2. Spiritualis homo omnia diiudicat. Videbunt ergo bona mea exteriora certa cognitione & experimentali: videbunt & interiora coniectura. *Et lætabuntur. Exod.* 4. Aaron frater tuus egredietur in occurſum tuum, videnſque te lætabitur corde. 1. *Cor.* 13. Charitas autem congaudet veritati. *Sapient.* 7. Amans bonum, actum: ſic enim eſt de neceſſitate, vbi eſt vera charitas. 1. *Cor.* 12. Si gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra.

Quia in verba. Ecce ſecundum. Dixi, quòd videbunt me, & lætabuntur, ſuper quo? *quia ſperaui*, imò *ſuperſperaui in verba tua.* Ecce quòd cognoſcent interiora: ſpes enim in interioribus eſt. *Prou.* 27. Quomodo in aquis reſplendent vultus reſpicientium, ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus.

75. *Cognoui Domine.* Hîc tertium, in quo recognoſcit ſe expertum diuinam æquitatem. Duo ergo tanguntur. Primò cognitio æquitatis in diuinis iudiciis. Secundò modus cognitionis, quia experimentaliter, ibi, *Quia in virtute tua.* Dicit ergo: Sic Domine peto mihi dari intellectum, ad mandata implenda, & fateor ô Domine, *cognoui quia iudicia tua*, non tantum æqua, ſed *æquitas* ipſa. *Prou.* 16. Pondus & ſtatera iudicia Domini ſunt. Iudicia autem appellat executiones iudiciorum, flagella ſci-

licet peccatorum, & etiam filiorum. *Pſal.* Iudicabit orbem terrarum in iuſtitia, & populos in æquitate. *Iſa.* 11. Arguet in æquitate pro manſuetis terræ. Et vnde hoc cognouiſti? *Quia humiliaſti me:* & hoc, *in veritate*, humiliatione deiectionis in mortem, & moriendi neceſſitatem: in hoc enim fuit iuſtitia: iuſte enim inobedienti inflicta eſt pœna mortis, & cum miſericordiam, ne perpetuò duraret in miſeria: ecce æquitas. Suprà in *Pſal.* Humiliaſti nos in loco afflictionis. Et ſuprà eodem: Priuſquam humiliarer, ego deliqui.

Et nota, quòd eſt falſa humilitas, quæ nihil prodeſt, imò magis Deum prouocat. *Eccleſiaſt.* 19. Eſt qui nequiter ſe humiliat: interiora autem eius plena ſunt dolo. Et *Iob* 35. Simulatores & callidi prouocant iram Dei. Sed eſt vera humilitas quæ eſt ordinatiua, dans cuique locum ſibi debitum, ſicut è contrario ſuperbia deordinat totum, & alienum vult vſurpare locum, quemadmodum factum eſt in lucifero, qui ad æqualitatem Dei voluit aſcendere. *Iſa.* 12. Ego ſimilis Altiſſimo. *Num.* 16. Filij Core locum Aaron voluerunt vſurpare. *Eccleſiaſt.* 10. Vidi ſeruos in equis, & principes ambulantes ſuper terram. Vrbana eſt, quia facit cedere alij. *Luc.* 14. Recumbe in nouiſſimo loco. *Matth.* 10. Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Sine modo: ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. Ad *Roman.* 12. Honore inuicem præuenientes. Fidelis eſt, quia nihil vult contingere de rebus Domini ſui, gloriam ſuam totam illi relinquit, non vult eam furari, dicens illud *Tob.* 2. Videte ne furtum ſit. Scit enim illud *Iſa.* 42. Gloriam meam altari non dabo. Item prudens eſt in conſeruandis ſuis: vituperia enim & deiectiones ſibi retinet & amat, nec alij communicat illa. *Bernard.* Verè humilis, non vult humilis prædicari, ſed vilis reputari. 3. *Reg.* 31. Naboth, ſeſſio interpretatur, id eſt, humilitas, noluit hæreditatem ſuam aliqua ratione relinquere.

Vera humilitas eſt ordinatiua, vrbana, fidelis & prudens.

76. *Fiat miſericordia tua.* Hîc eſt quarta pars & vltima huius octonarij, in qua expertus æquitatem, petit diuinam miſericordiam, quæ ſemper eſt in iudiciis æquitatis: & dicuntur quinque. Primò petit gratiam miſericordiæ Dei conſolantem ſe in pœnis. Secundò viuificantem à culpis, ibi, *Veniant mihi.* Tertiò ad confundendum malos, ibi, *Confundantur.* Quartò ad promouendum bonos, ibi, *Conuertantur mihi.* Quintò ad purificandum conſcientiam, & ſic pœnam æternam euitandum, ibi, *Fiat cor meum.* In prima duo. Primò petitio. Secundò probatio, quòd debet exaudiri. *Secundum eloquium.* Dicit ergo: Sic Domine experientia cognoui tuam æquitatem, in qua miſericordia eſt: & propter hoc rogo: *Fiat miſericordia tua*, ad hoc, *vt conſoletur me*, in laboribus & pœnis. *Dan.* 3. Fac nobiſcum ſecundum manſuetudinem tuam, & ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ. Et hoc ad conſolandum. *Iſa.* 51. Conſolabitur Dominus Sion, & conſolabitur ruinas eius. 2. ad *Corinth.* 1. Conſolatur nos in omni tribulatione noſtra: tunc enim quando inſurgit tribulatio, ſpecioſa eſt conſolatio & opportuna. *Eccleſ.* 35. Speciosa eſt miſericordia in tempore tribulationis, quaſi nubes pluuiæ in tempore ſiccitatis.

Secundum eloquium. Allegat hic duo. Dei promiſſionem, & propriam ſeruitutem. Ait enim: Sic peto vt mihi fiat miſericordia conſolans: & hoc *ſecundum eloquium tuum*, promiſſionis ſcilicet tuæ quæ debet eſſe ſtabilis. *Iſa.* 10. Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet. *Matth.* 24. Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. Et hoc, *ſeruo tuo*, cui teneris. *Iſa.* 41. Et nunc ſerue meus Iacob, quem elegi, ne timeas.

Veniant mihi. Hîc ſicut dictum fuit ſuprà, petit miſericordiam viuificantem. Et primò tangitur petitio. Secundò perſuaſio. *Quia lex tua.* Ait ergo: Sic petij miſericordiam conſolantem: ſed adhuc dico, & peto: *Veniant mihi miſerationes*, effectus ſcilicet miſericordiæ tuæ, in quibus diſperſa congregas. *Iſa.* 54. In miſerationibus multis congregabo te. Et animas tibi deſponſas. *Oſeæ* 2. Sponſabo te mihi in iuſtitia, & iudicio, & miſericordia, & miſerationibus, quas in his continuas. *Thren.* 3. Miſerationes eius non defecerunt. Hæ, inquam, miſerationes tuæ veniant mihi: *& viuam*, per illas vitam continuabo ſpiritualem. Talis enim loquitur qui viuebat, cum hæc loqueretur. *Iob* 10. Vitam & miſericordiam tribuiſti mihi. *Oſeæ* 6. Viuemus in conſpectu eius. 77.

Quia lex tua. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic peto viuificantem miſericordiam, & debeo: *quia lex tua meditatio mea eſt*, & ipſi debet adiungi vita tanquam effectus immediatus. *Prouerb.* 4. Cuſtodi præcepta mea: in medio cordis tui: vita enim ſunt inuenientibus ea.

Confundantur ſuperbi. Hîc tertium, in quo petit gratiam miſericordiæ ad confuſionem ſuperborum: & dicuntur duo. Primò petitur ſuperborum confuſio. Secundò probatio, quòd verè ſunt confundendi, ibi, *Quia iniquitatem.* Dicit ergo: Sic detur gratia ad conſolandum, detur ad viuificandum, & etiam per gratiam miſericordiæ mihi datam, *confundantur ſuperbi*, qui nolunt ſub Dei miſericordia humiliari. *Iob* 40. Diſperge omnes ſuperbos in furore tuo, & reſpiciens omnem arrogantem humilia. Et rurſus in eodem: Reſpice cunctos ſuperbos, & confunde eos: quod promittit Dominus ſe facturum. *Oſeæ* 4. Gloriam eorum in ignominiam commutabo. Confundantur, inquam, 78.

Quoniam iniquitatem fecerunt in me. Hîc perſuaſio à duobus: à conditione malorum, & à ſua exercitatione. *Ego autem.* Nota, quòd iniquitas reſpicit factum ipſum, iniuſtè autem ad faciendi modum, quia ſine omni deliberatione. *Ierem.* 20. Audiui contumelias multorum in circuitu, & terrorem: perſequimini, & perſequamur eum. Tales ergo ſuperbos confunde. *Sapient.* 15. Omnes inſipientes, & infelices ſuprà modum ſuperbi ſunt: ſed Dominus tandem eos confundet. *Iob* 4. Vidi eos, qui operantur iniquitatem, qui ſeminant dolorem, & metunt, & eos flante Deo periiſſe.

Ego autem exercebor. Hîc ſecundum. Ait enim: Sic confundantur propter malitiam, &

propter

propter meam patientiam. *Autem*, quia, *exercebor in mandatis tuis*, vt quantumcumque perſequantur, benefaciam eis, per illud *Prou.* 25. Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, &c. ſi ſitit, &c. *Math.*5. & *Luc.*6. Benefacite his qui oderunt vos, orate pro calumniantibus & perſequentibus vos. Suprà eodem fere idem: Etenim ſederunt principes & aduerſum me loquebantur: ſeruus autem tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis.

79. *Conuertantur mihi timentes te.* Hîc quartum, in quo petit gratiam miſericordiæ, ad promotionem bonorum: & dicuntur duo. Primò petit per miſericordiam ſibi exhibitam conuerti minores bonos vel actiuos. Secundò maiores, ſiue contemplatiuos. *Et qui nouerunt.* Dicit ergo: Sic fiat in me miſericordia, qua confundantur illi. *Timentes autem te, conuertantur mihi*, facti ſocij. *Ierem.* 15. Ipſi conuertentur ad te, & tu non conuerteris ad eos. *Iſa.* 10. Reliquiæ Iſraël conuertentur. Et in 6. Conuertentur, & erunt ſicut terebinthus, vt poſſint dicere: Conuerti pedes meos in teſtimonia tua.

Et qui nouerunt. Quaſi diceret: Sic illi minores conuertantur: & etiam illi *qui nouerunt teſtimonia tua*; maiores ſcilicet, & contemplationi teſtimoniorum dediti, & ne ſciant ad damnationem ſuam; & ferant literas ſicut Vrias. 1. *Reg.* 11. Quia *Eccleſ.* 34. Vnus ædificans, ſcilicet ſcientia: & alius deſtruens, ſcilicet vita: quid prodeſt niſi labor? Imo ne magis quàm alij damnentur. *Iacob.* 4. Scienti bonum, & non facienti, peccatum eſt illi. *Luc.*12. Seruus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens, plagis vapulabit multis.

80. *Fiat cor meum.* Hîc eſt quintum, & vltimum, in quo petit gratiam ad cordis puritatem: & tanguntur duo. Primò petitio. Secundò ratio petitionis. *Vt non confundar.* Dicit ergo: Sic fiat ſuper me miſericordia, vt confortet, vt viuificet, vt aduerſarij confundantur, vt boni meliores efficiantur: & etiam vlterius per eandem *fiat cor meum immaculatum*: & ſi macula peccati mortalis caret, careat etiam venialis: ad hoc enim electus ſum. *Epheſ.* 1. Elegit nos ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati. Aliter enim non poſſumus ingredi. In *Pſal.* Qui ingreditur, ſine macula, oportet vt ſit, ſup. Eſt autem quadruplex macula, cum fiunt opera iuſtitiæ, quæ eſt remouenda, quando ſcilicet fiunt diminutè, vt quando fit ieiunium ſine eleemoſyna & aliis operibus miſericordiæ. Quando negligenter, etiamſi fiant omnia, ſicut contingit in oratione. Quando etiam mercenariè, ſicut quando fiunt adiuncto aliquo pretio temporali, ſicut in euntibus ad Eccleſiam propter partitiones. Puritas autem cordis, ſicut dicit *Bernardus*, tria facit, libertatem, exultationem, & ſecuritatem. Fiat ergo cor meum immaculatum, ad quid? Ad hoc *vt non confundar*, in futuro illa confuſione, de qua *Oſeæ* 10. Confuſio Iſraël capiet eum. Et *Ierem.*2. Quomodo confunditur fur quando comprehenditur, ſic confuſi ſunt domus Iſraël.

Quadruplex macula in bono opere remouenda.

Vide ergo quomodo à principio octonarij, recognoſcens ſe à Deo conditum in corpore, & anima, petierit ſibi dari legis intellectum: & rurſus confitens ſe expertum æquitatem diuinam, petit miſericordiæ continuationem propter plura bona. Propter quod bene præponitur litera Hebraica *Iod*, quod interpretatur confeſſio, vel deſolatio, ſcientia, ſeu principium. Ac ſi dicat: In hoc octonario, exiſtens in deſolatione, ſe factum confitetur, habens à principio ſcientiam diuinæ æquitatis, quam in ſe eſt expertus.

Caph.

81. *Defecit in ſalutare tuum.* In hoc octonario tertio agitur de merito proficientium in cognitione tertij, ſcilicet diuinæ veritatis. Actum eſt enim de merito in cognitione diuinæ bonitatis primò, poſteà de cognitione diuinæ æquitatis, hîc agitur de merito & feruore cognoſcendæ veritatis. Diuiditur autem iſta pars in tres partes. Primò oſtendit affectum ſuum in cognitionem apertam veritatis. Secundò in atteſtationem ipſius veritatis, ibi, *Omnia mandata tua.* Tertiò in adimpletionem veritatis in opere, ibi, *Ego autem non dereliqui.* In prima duo: qui enim affectat veritatem, procul dubio perſequitur errorem. Duo ergo dicuntur. Primò oſtendit effectum ſuum ad cognitionem veritatis. Secundò ad deteſtationem erroris, ibi, *Narrauerunt mihi.* In prima duo. Primò exprimit deſiderium quod habet de cognoſcenda veritate. Secundò idoneitatem & præparationem, quæ eſt in ſe ad ſuſcipiendum illam, ibi, *Quia factus ſum.* In prima duo, ſecundum duo, per quæ exprimit deſiderij cognoſcendæ veritatis magnitudinem. Primum eſt duratio deſiderij, quam primò tangit. Secundò intentio ipſius deſiderij, quam ſecundò, ibi, *Defecerunt oculi mei.* In prima duo. Primò exprimit deſiderij durationem. Secundò ſpem nihilominus, quam habet de adimpletione ſperati, ibi, *Et in verbo tuo.*

Dicit ergo: Sic Domine cognoui bonitatem, & æquitatem, & etiam ô Domine, *anima mea*, ſic loquendo affectionem exprimit, *defecit*: præ nimia expectatione, *in ſalutare tuum*, intendens ſup. Et legitur primò de Chriſto, qui tam longa expectatione ab antiquis patribus eſt expectatus, vt penè deficerent. *Prou.* 3. Spes quæ differtur, affligit animam. Sic deficiebat illa anima, quæ dicebat *Cant.*2. Nuntiate dilecto meo, quia amore langueo. Sic deficiebat qui dicebat anxius *Iſa.*16. Emitte agnum Domine dominatorem terræ. Et rurſus in 64. Vtinam diſrumperes cœlos, & deſcenderes, ô ſalutare Dei. Illud, inquam, de quo Iacob *Geneſ.*49. Salutare tuum expectabo Domine. *Pſal.* Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini, expectans eius beneficium, ſcilicet ſalutare, ſicut pauper in atrio diuitis. Vel *in ſalutare tuum*, promiſſum, hoc eſt, in verbis tuis promittentibus ſalutem nobis, quæ ſcio vera eſſe, vt vellem apertè videre & cognoſcere. *Ierem.*20. Factus eſt ſermo Domini, promittentis tot bona, quaſi ignis æſtuans in corde meo: non videns adhuc impleri, ferre non ſuſtinens.

Et in verbum tuum. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic anima deficit præ longa expectatione: *& tamen ſuperſperaui*, id eſt, pluſquam ſperaui, vel expectaui, pluſquam poſſit dici, vel cogitari, *in verbum tuum*, ſciens certiſſimè, quoniam non erit caſſum, & vanum. *Iſa.* 64. Oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti diligentibus te. 1. ad *Cor.* 2.

82. *Defecerunt oculi mei.* Hîc ſecundum, in quo monſtratur vehementia deſiderij, ex intentione. Duo ergo dicuntur. Primò monſtratur vehementia deſiderij. Secundò finis, ibi, *Dicentes, Quando conſolaberis me?* Dicit ergo: Sic deſidero, vt anima mea quaſi præ prolixitate deſiderij defecerit: & etiam, *oculi mei*, interiores ſcilicet intellectuales, propter quorum limpiditatem antiquitus dicebantur Prophetæ videntes. 1. *Reg.* 9. Iſti, inquam, deficiunt in ſanctis, cum intendunt in verbum Dei, & eloquium eius: vnde addit: *In eloquium tuum*, quando penetrarere non poſſunt ad intimam veritatem. *Ierem.* 14. Defecerunt oculi eorum, virorum ſcilicet perfectorum, omnia propter Chriſtum relinquentium, & à turbis hominum recedentium: eò quòd non eſſet herba, id eſt, ſcriptura eis manifeſtata: tunc enim quaſi ex terra prodit herba, quando veritas exit & elicitur de ſcriptura. Hi ſunt oculi, quos Paulus petit illuminari in Epheſiis. *Epheſ.* 1. Deus illuminet velociter corda veſtra.

Dicentes. Hîc ſecundum, in quo tangitur finis deſiderij, ſcilicet diuina conſolatio. Ait enim: Sic oculi præ deſiderio deficiunt, *dicentes:* horum dicere eſt deſiderare, quaſi deſiderio tendentes, & ſuo modo appetentes: *Quando conſolaberis me?* ſi enim interiores oculi non loquerẽtur, non diceretur *Thren.* 2. Non taceat pupilla oculi tui. Hac loquutione tantum locuti fuerant oculi Ezechiæ, vt pene deficerẽt. *Iſa.* 38. Attenuati ſunt oculi mei, ſuſpiciẽtes in excelſo. Sed Dominus cõſolatur eos qui habent oculos ſic loquentes. *Iſa.* 52. Conſolabitur Dominus Ieruſalem. Et in vltimo: Quomodo ſi cui mater blandiatur, ita conſolabor vos. Sed malorum oculi fruſtrantur, & deficiunt omninò. *Iob* 11. Oculi impiorum deficiunt.

83. *Quia factus ſum.* Hîc ſecunda pars, in qua poſtquam oſtendit deſiderium & feruorem, oſtendit ſui aptitudinem ad recipiendum. Primò per bonam diſpoſitionem concupiſcibilis, quoniam refrigerata eſt ab ardore peccati. Secundò ex parte rationabilis, quæ vigil eſt ad retinendum, ibi, *Iuſtificationes.* Tertiò ex parte iraſcibilis, quæ laborat ſuſtinendo patienter malum illatum, ibi, *Quot ſunt dies.* Dicit ergo: Sic deſidero mihi veritatem aperiri, & infundi, & paratus ſum ad ſuſcipiendum illam: *quia factus ſum ſicut vter in pruina.* Vter eſt pellis mortua ad reponendum liquorem, & ſignificat carnem mortalem noſtram, quæ eſt vter nouus, quando per gratiam fuerit renouata: ſed vetus, quando non eſt à veteri vita tranſlata. *Luc.* 15. Nemo mittit vinum nouum in vtres veteres: ſed vinum nouum in vtres nouos mittunt, &c. Quæ tunc eſt in pruina, quando in ea refrigeratur per infuſionem cœleſtis roris carnalis concupiſcentia. *Exod.* 16. Manhu, id eſt, Dei gratia, apparuit in ſimilitudinem pruinæ. Et hæc pruina, iſte ros ardorem refrigerat carnalis concupiſcentiæ. *Eccleſ.* 18. Nonne ardorem refrigerat ros? Et iterum 43. Obuians ros ab ardore venienti, humilem efficiet eum.

Gratia, ſpiritualis ros & pruina refrigerans concupiſcentiam.

Iuſtificationes. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic refrigeratus ſum ab ardore concupiſcentiæ per pruinam gratiæ tuæ: & etiam *non oblitus, fortiter illas in mea tenens memoria, iuſtificationes tuas:* & ſic diſpoſita eſt mea rationabilis. Infrà in eodem: In æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas, quia in ipſis viuificaſti me. 2. *Mach.* 2. Dedit illi Dominus ne obliuiſcatur mandata eius. Non ſum ego oblitus, ſed magis, non tantum in corde, ſed tenui illa in opere. *Iob* 27. Iuſtificationem meam, quam cœpi tenere, non deſeram.

84. *Quot ſunt dies ſerui.* Hîc tertium, in quo oſtendit ſufferentiam iraſcibilis. Primò in longa liberationis ſuæ expectatione à Deo à miſeriis his præſentibus. Secundò in longa aduerſariorum ſuſtentatione, ibi, *Quando facies?* Et vtrumque innuit quærendo. Dicit ergo: Sic ardor concupiſcentiæ refrigeratus eſt, & rationabilis tuarum iuſtificationum tenax eſt, & iraſcibilis patiens eſt in expectatione longa: quia, *quot ſunt dies ſerui tui?* per quos oportet expectare, vt remuneres, quia multi ſunt: & ſi affligor, patienter porto. *Prou.* 13. Spes quæ differtur, affligit animam. Multi videntur remunerationem expectanti, etſi in ſe ſint pauci: parum enim eſt totum tempus vitæ humanæ. *Gen.* 46. Dies peregrinationis meæ centum & triginta anni, pauci & mali. *Iob* 10. Nunquid non paucitas dierum meorum finietur breui? Quaſi diceret: Sic.

Quando facies. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Anguſtor expectatione renumerationis, & ſuſtineo, ſed & *quando facies iudicium de perſequentibus me?* quorum afflictiones, quibus me affligunt, nunc porto. *Apocalypſ.* 6. Vſquequo Domine ſanctus & verus non vindicas ſanguinem noſtrum? Sed ſecundum hoc videtur iſte vindictam expetere, contra illud *Leuit.* 19. Non quæres vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Reſp. Non quærit, qui à Deo, ad quem pertinet, illam quærit: ſed qui propria authoritate illam accipit, vindictam ille dicitur quærere. Scit enim iſte illud *Deut.* 32. Mea eſt vltio, & ego retribuam eis in tempore. *Prouerb.* 21. Gaudium eſt iuſto facere iudicium. Verum eſt quando fit ab eo, qui facere debet.

85. *Narrauerunt mihi iniqui.* Hîc ſecundum totius huius partis octonarij, in quo oſtendit affectionem ſuam in deteſtationem erroris. Duo ergo tanguntur. Primò falſitatum & errorum propoſitio à multis. Secundò illarum deteſtatio ab iſto amatore veritatis, ibi, *Sed non vt lex.* Dicit ergo: Sic affecto apertè cognoſcere veritatem, & deteſtor falſitatem, quia *iniqui narrauerunt mihi*, proponendo, ad credendum exhortando, *fabulationes*, falſas diuerſarum ſectarum aſſertiones. Hæ ſunt fabulæ de quibus 1. *Tim.* 1. Rogaui te vt remaneres, Epheſi cum irem in Macedoniam, & denuntiares quibuſdam ne aliter docerent, & intenderent fabulis. Et ruſum 1. *Tim.* 4. Ineptas & inanes fabulas deuita. Multi enim valdè citò fabulationes recipiunt.

recipiunt. 2. *Timoth.*4. A veritate autem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.

Narrauerunt ergo *fabulationes, ſed non*, fuerunt mihi ſup. *vt lex tua*, vt reputarem veras, ſicut legem tuam. *Pſal.* Et lex tua veritas. *Mal.*2. Lex veritatis fuit in ore eius. *Non vt lex tua*, vt ſentirem gratioſas. *Prou.*13. Doctrina bona dabit gratiam. Vt iudicarem æternas, ſicut eſt lex tua. *Bar.*4. Hic eſt liber mandatorum Dei, & lex, quæ eſt in æternum. Non pietate plenas, ſicut lex tua. *Prou.vlt.* Lex clementiæ in lingua eius.

86. *Omnia mandata.* Hîc ſecundum totius octonarij, in quo poſtquam oſtendit affectionem ſuam ad cognoſcendum veritatem, hîc oſtendit eandem ad teſtificandum veritati, & pro ipſa ſuſtinendum: & dicuntur duo. Primò innuit ſe ſuſtinuiſſe aduerſariorum perſecutionem, petens adiutorium & ſubuentionem. Secundò oſtendit perſequutionis vehementiam, ibi, *Paulominus conſummauerunt.* In prima tria. Primò tangitur mandatorum Dei conditio, quia vera. Secundò perſecutio illata ab inimicis, propter illa, ibi, *Iniqui perſequuti ſunt me.* Tertiò oratio pro perſecutione ſuperanda. *Adiuua me.* Dicit ergo: Sic illi fabulationes narrant, quas ego deteſtor, *ſed omnia mandata*, non quædam tantum, *veritas*, non vanitas. Veritas enim hîc accipitur vt eſt contraria vanitati, non falſitati. 2. *Reg.*17. Verbum Dei verum eſt in ore ſuo, efficax ſcilicet, & non vanum. Et *Ioan.*17. Sermo tuus veritas eſt, non falſitas, vel vanitas, ſed veritas & ſoliditas, intantum vt omninò vani ſint, qui non ſolidantur per doctrinam Dei. *Sap.*13. Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei.

Iniqui perſecuti ſunt me: propter illam veritatem, quam diligo, cui atteſtor, in qua delector. Nec mirum: quia ipſi adhærendo, à malo recedo. Et *Iſa.*59. dicitur: Qui receſſit à malo, prædæ patuit. 2. *Timoth.*3. Omnes qui per volunt viuere in CHRISTO IESV, veritati adhærendo, perſequutionem patientur. Sed conſolantur *Matth.*5. Beati qui perſequutionem patiuntur propter iuſtitiam.

Adiuua me. Ecce tertium. Quaſi diceret: Sic veritas me delectat, propter hanc ſuſtineo: O *Domine adiuua me*, ad vincendum perſequentes, & patienter ſuſtinendum. *Eſther* 14. Domine adiuua nos, quia Rex noſter es tu. Et paulò poſt: Adiuua me, non habentem auxilium niſi in te.

87. *Paulominus conſummauerunt.* Hîc ſecundum. Poſtquam enim oſtendit ſe pati propter veritatem perſequutionem, orando pro liberatione, monſtrat perſequentis vehementiam. Ait enim: Sic adiuua, quoniam iniqui perſequuntur me, & non modicum, quia *paulominus*, id eſt, fere, *conſummauerunt me in terra*, affligendo, quia non poterunt cum eo in cœlo. *Iob* 17. Libera me Domine, & pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me. Perſecuti ſunt ergo ferè vſque ad conſummationem motam ſine moderamine. 1. *Eſdr.*9. Nunquid iratus es nobis vſque ad conſummationem? *Ierem.*4. Deſolata erit omnis terra, ſed tamen conſummationem non faciam.

Ego autem non dereliqui. Hîc tertium totius octonarij, in quo oſtendit affectionem ad impletionem veritatis cognitæ, & perſeuerantiam, quam habuit in adimpletione: & dicuntur tria. Primò fatetur propriam in adimpletione veritatis conſtantiam. Secundò petit viuificantem deinceps miſericordiam, ibi, *Secundum miſericordiam.* Tertiò declarat petitionis finem, vt ſcilicet cuſtodiat perpetuò veritatem, ibi, *Et cuſtodiam.* Dicit ergo: Sic Domine ſuis perſequutionibus ferè me conſummauerunt: *ego autem*, quantumcumque perſequerentur me, *non dereliqui mandata tua*, ſecundum illud *Prou.* 4. Bonum donum tribuam vobis, legem meam non derelinquatis. Et in 3. Diſciplinam Domini ne abiicias. Et infra: Miſericordia, & veritas, de quibus ſunt omnia mandata Domini, non te deſerant. In mandatis enim Domini, quæ ſunt de charitate, debemus fortiter ſtare, nullo modo ab illis ſeparari, ſicut ille qui dicebat *Rom.*8. Quis nos ſeparabit à charitate Dei, quæ eſt in CHRISTO IESV. Quaſi diceret: Nihil. Hic eſt locus quem non derelinquamus. *Eccleſiaſt.*10. Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris.

88. *Secundum miſericordiam.* Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic vſque modo perſeueraui, ſed vt vlterius poſſim continuare, *viuifica me*: & hoc non ſecundum merita mea, ſed *ſecundum miſericordiam tuam*: opus enim tuum ſum, quicquid ſum naturæ, ſeu gratiæ. *Abac.*3. Opus tuum Domine, viuifica illud. Opus tuum extra te qui vita es, non poteſt eſſe niſi mortuum. *Act.*17. In ipſo mouemur, viuimus, & ſumus. *Oſe.*6. In conſpectu eius viuemus inter Gentes. *Iob* 10. Vitam & miſericordiam tribuiſti mihi.

Et cuſtodiam. Hîc tertium. Quaſi diceret: Sic non dereliqui vſque modo, & petij, vt etiam nunc me iuſtifices, & ſic *cuſtodiam*, perſeuerando in his, *teſtimonia oris tui*, tanquam cordi meo ligata, & in Chriſto ſignata, ſecundum illud *Iſa.*8. Liga teſtimonium, ſigna legem. In diſcipulis meis cuſtodiam etiam teſtimonia tua, martyria, amando & ſuſtinendo, ſi opus ſit, libenter illa.

Vide ergo quomodo in hoc octonario ſe deſiderare cognitionem certam oſtendit, & ad hoc totis viribus inclinatum, & præparatum, & velle adimplere, & perſeuerare in adimpletione. Vnde huic octonario recte præponitur litera Hebraica *Caph*, quod interpretatur incuruatus, incuruatione bona, quæ eſt humilitas, non erectus erectione ſuperbiæ & elationis, de qua *Iob* 5. Cucurrit aduerſus Deum erecto collo.

Lamed.

89. *In æternum Domine.* In hoc quarto octonario, ſicut dictum fuit ſuprà, agitur de merito proficientium in cognitione diuinæ charitatis. Ad hanc autem aſcenditur per contemplationem creaturarum, & per meditationem ſcripturarum. Tria ergo dicuntur in hoc octonario. Primò agitur de contemplatione æternæ legis in creaturis. Secundò de meditatione in ſcripturis, quam ſit vtilis, ibi, *Niſi quod lex tua.* Tertiò relinquitur ex his cognitio charitatis certiſſima in vltimo verſu, ibi, *Omnis conſummationis.*

In prima dicuntur duo. Primò contemplatio legis æternæ in ipſis creaturis. Secundò ratio, & cauſa, quare ſit in illis, ibi, *quoniam omnia ſeruiunt tibi.* In prima quatuor. Primò contemplatio legis æternæ in rationabili creatura ſuperiori, ſcilicet Angelica. Secundò in rationabili inferiori, ſcilicet humana, ibi, *In generatione & generationem.* Tertiò in irrationabili inferiori, ibi, *Fundaſti terram.* Quartò in irrationabili ſuperiori, ibi, *Ordinatione tua.* Dicit ergo: Sic cognoui diuinam bonitatem, diuinam æquitatem, & etiam exarſi in cognitione veritatis diuinæ, & nunc *Domine*, inquirens de fine omnium charitate hoc cognoui, quoniam *verbum tuum permanet in cœlo.* Vel ſic ſecundum *Gloſſam:* Viuifica me, & cuſtodiam teſtimonia oris tui, quæ verè ſunt cuſtodienda, quia ô *Domine*, qui tanta potentia regis omnia, *verbum tuum permanet in cœlo*: & hoc, *in æternum.* Et poteſt legi quadrupliciter hoc, ſecundum quadruplex verbum illi reſpondens. Cœlum enim dicitur empyreum. *Geneſ.*1. In principio creauit Deus cœlum & terram. Et filius Dei verbum. *Ioan.*1. In principio erat verbum. Ergo ô *Domine verbum tuum*, id eſt, filius, *permanet in cœlo* empyreo, *in æternum*, quamuis non capiatur ab illo. 3.*Reg.*8. Cœlum, & cœli cœlorum te non capiunt. Cœlum iterum appellatur cœtus Angelorum. *Matth.*6. Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, in cœtu ſcilicet illo Angelico, & in terra, in humana creatura. Verbum, diuina voluntas. *Iſa.*46. Verbum Domini manet in æternum. Et 55. Omne conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet. O *Domine verbum tuum*, voluntas tua, *permanet in æternum*: & hoc, *in cœlo*, in cœtu Angelico, à quo cecidit Lucifer, quia in eo non permanſit. *Iſa.*14. Quomodo cecidiſti Lucifer de hoc cœlo? Reſpons. Quia in veritate non ſteti. *Ioan.*8. Cœlum eſt firmamentum. Dicitur *Geneſ.*1. Et vocauit firmamentum, cœlum. Verbum Domini, ſtatutum. Suprà in *Pſal.* Verbo Domini cœli firmati ſunt, &c. Ergo ô *Domine*, *verbum tuum*, ſtatutum tuum permanet in æternum, *in cœlo*, in ipſo firmamento, & his, quæ ſunt in illo. *Iob* 25. qui facit concordiam in ſublimibus ſuis. Cœlum etiam dicitur iuſtus quilibet, de quo *Iſa. vlt.* Cœlum mihi ſedes eſt. Verbum, diuina lex, & Dei præceptum. *Matth.*24. Cœlum, & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. Ergò ô *Domine*, *verbum tuum*, lex tua ſcilicet & præceptum, *permanet in æternum*, vt non vlterius moueatur, *in cœlo*, in iuſto. *Eccl.* 27. Homo ſanctus in ſapientia manet, ſicut ſol: ſtultus autem vt luna mutatur.

Quadruplex Dei verbum manet in quadruplici cœlo in æternum.

90. *In generatione & generationem.* Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic permanet verbum tuum in cœlo, in cœtu angelico, & etiam *veritas tua*, permanet, repete, *in generatione* antiqua, quæ fuit ſub Veteri Teſtamento, *& generationem* nouam, quæ viuit ſub Nouo. Vel *in generatione, & generationem*, id eſt, in omnium generationum à principio mundi ſucceſſione. In *Pſal.* ſuprà: Memoriale tuum in generatione, & generationem. Et in alio infrà: Generatio, & generatio laudabit opera tua. Succedunt enim generationes, & tranſeunt, & ſemper in illis, ſtant veritatis amatores, & veraces. In *Pſal.* ſuprà: Miſericordia Domini confirmata eſt ſuper nos, & veritas eius manet in æternum.

Fundaſti terram. Hîc tertium. Quaſi diceret: Sic lex tua, æterna manet in Angelis, & hominibus, ex his enim generatio, non ex Angelis: & etiam *fundaſti terram*, irrationabilem creaturam infimam, *& permanet*, ſicut eſt fundata. *Eccleſ.*1. Generatio præterit, generatio aduenit, terra autem in æternum ſtat, tanquam à Deo fundata. Manet autem quantum ad ſubſtantiam, quamuis tranſitura ſit quantum ad figuram. 1.*Cor.*7. Præterit figura huius mundi. Vel terra etiam poteſt dici Eccleſia. Suprà in *Pſal.* Benedixiſti Domine terram tuam. Et hanc Dominus fundauit. *Iſa.*51. Vt plantes cœlos, & fundes terram. *Prou.*3. Dominus ſapientia ſua fundauit terram, & ſtabiliuit illam prudentia.

Et permanet, non caſura, quantumcumque concutiatur: fundata enim eſt ſuper Chriſtum. 1.*Cor.*3. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt CHRISTVS IESVS. Propter hoc dictum ſuprà in *Pſal.* Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſæculi, vt deficiat, etſi concutiatur vt aliquando quaſi tota contremiſcat. *Agg.*2. Adhuc modicum, & mouebo cœlum & terram.

Ordinatione tua. Hîc quatum. Quaſi diceret: 91.
Sic permanet in rationabili creatura ſuperiori, & inferiori, & rurſus in inferiori irrationabili: ſed quid de irrationabili ſuperiori? Ecce: *Dies*, qui cauſatur ex influentia lucis à ſuperioribus, & illorum motu perſeuerat continua ſucceſſione: & hoc, *ordinatione tua*, id eſt, à te facta. *Ierem.* 31. Qui dat ſolem in lumine diei, ordinem lunæ & ſtellarum in lumine noctis. In *Pſal.* infrà. Fecit duo luminaria magna, ſolem in poteſtatem diei, lunam & ſtellas, in poteſtatem noctis. Sic ergo ordinatione tua perſeuerat dies temporis, & multò verius dies æternitatis, de qua *Zach. vlt.* Eſt dies vna, quæ nota eſt Domino. Suprà in *Pſal.* Melior eſt dies vna in atriis tuis, ſuper millia.

Quoniam omnia. Ecce ſecundum totius huius partis, ratio ſcilicet & cauſa omnium dictorum. Quaſi diceret: Sic verbum permanet in Angelis, veritas in hominibus, terra tua fundatione ſtat, & ordinatione tua dies perſeuerat, & hoc totum: quia *omnia ſeruiunt tibi*, debita tibi ſeruitute ſubiecta. *Sap.*13. Creatura tua tibi creatori deſeruiens, excandeſcit in iram aduerſus inſenſatos. Et in vlt. Omnis creatura deſeruiens erat tuis præceptis, vt pueri tui inuenirentur illæſi. *Iudith* 9. Dominus totius creaturæ tu es.

Niſi quod lex tua. Hîc eſt ſecunda pars huius octonarij, ſicut ſupra dictum fuit. Poſtquam enim egit de contemplatione legis æternæ in creaturis, hîc agit de meditatione in ſcripturis oſtendendo quam vtilis ſit. Procedit autem ſic in hac parte. Primò vtilitatem meditandi ſcripturas oſtendit. Secundò promittit ſe perſeueraturum in meditatione illorum. *In æternum non obliuiſcar.* Tertiò petit vlterius per hoc promoueri, & ſaluari, *Tuus ſum ego.* Dicit ergo: Sic manet veritas in creaturis, & *Lex tua*, 92.

omnia

omnia ſubiicit & continet : vere ita eſt, quia *fortè periiſſem*, ruendo in mortale peccatum, & vltra forſitan in gehennam, & hoc *in humilitate mea*, in deiectione ſcilicet, & afflictione, ſic enim accipitur humilitas. *Eccleſ.*2. In humilitate tua patientiam habe. Et ſuprà eodem : Priuſquam humiliarer, ego deliqui. Et hoc *fortè*, nota eſt liberi arbitrij. Quaſi diceret : *Periiſſem*, non coactus, ſed voluntarie ad malum inclinatus. *Eccleſ.*15. Ante hominem vita & mors, bonum & malum : quod voluerit, dabitur ei. Et hoc, *niſi quia lex tua meditatio mea eſt*, ſed eius meditatio me conſeruauit à periculo. *Deuteron.* 8. Si vero oblitus Domini Dei tui ſecutus fueris deos alienos, prædico tibi quòd omninò diſpereas. Propter hoc dicitur *Eccleſ.*15. Beatus vir qui in ſapientia morabitur, & in iuſtitia, id eſt, in lege iuſtitiæ, meditabitur. Legem autem dicit fidem, ſicut vult *Gloſſa*, per dilectionem operantem. *Galat.*5.

93. *In æternum non obliuiſcar.* Hîc promittit ſe ſeruaturum in memoria legem tam vtilem : & dicuntur duo. Primò promiſſio. Secundò ratio, quare ſic implebit, ibi, *Quia in ipſis.* Dicit ergo : Sic meditatio legis conſeruauit me à periculo, & ego *in æternum non obliuiſcar*, id eſt, quandiu vixero, hoc eſt enim meum æternum, *iuſtificationes tuas*, antiquas, ſed euangelicas charitatis, *in æternum*, propriè ſumendo. 1 *Cor.* 13. Charitas nunquam excidit. *Prou.*3. Fili mi non obliuiſcaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum cuſtodiat. *Iſa.*44. Seruus meus es tu Iſraël, non obliuiſceris mei. Et *tuas*, inquit, non meas. *Prou.*9. Si iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me.

Quia in ipſis. Ecce ratio, quare non obliuiſci petit : *quia in ipſis*, iuſtificationibus tuis, *viuificaſti me*, non, quia ſciui, ſed quia feci. *Deut.*18. Qui fecerit, viuet in eis. *Matth.*19. Hoc fac, & viues.

94. *Tuus ſum ego.* Hîc tertium, in quo petit : & dicuntur duo. Primò petitio. Secundò additur ſtatim perſuaſio, ibi, *Quoniam iuſtificationes.* Dicit ergo : Sic Domine lex tua me conſeruauit meditata, viuificauit cuſtodita, & propter hoc rogo, qui *tuus ſum* ſingulariter, non plurium. *Matth.*6. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire, *Sap.*9. Seruus tuus ſum ego, & filius ancillæ tuæ. Tuus etiam ſum ſimpliciter & abſolutè, & iure creationis, & iure recreationis. *Ezech.*18. Omnes animæ, meæ ſunt. *Rom.*17. Siue viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus. 1. *Cor.*3. Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei. *Saluum me fac. Ierem.*17. Saluum me fac & ſaluus ero. *Sap.*9. Noli me reprobare à pueris tuis. *Dan.*9. Propter temetipſum exaudi Domine, placare Domine, & fac, me ſaluum ſup. Si enim tuus ſum, propter temetipſum facies me ſaluum.

Quia iuſtificationes. Hîc ſubiungitur perſuaſio à duobus : à diligentia in inquirendo Dei bonitatem, à perfecta intelligentia inquiſitæ contra inimicorum expectationem, ibi, *Me expectauerunt.* Dicit ergo : Sic rogo vt me ſalues, & certè debes : *quoniam exquiſiui*, cum diligentia ſcilicet quæſiui, *iuſtificationes tuas*, & obtinui vt intelligerem illas. *Matth.*7. Quærite, & inuenietis. *Iſa.*21. Si quæritis, quærite. *Mat.*6. Primum quærite, id eſt, primum inquirite, regnum Dei, ſacram ſcilicet ſcripturam, in qua ſunt iuſtificationes, quæ dicitur regnum, quia ductiua eſt ad regnum..

Me expectauerunt. Hîc ſecundum, à quo perſuadet : & dicuntur duo. Primò impugnatio ab aduerſariis. Secundò nihilominus conſeruatio mandatorum Dei, & fixio intellectus in illis, ibi, *Teſtimonia.* Ait ergo : Sic exquiſiui mandata, & etiam *peccatores*, mali homines, & dæmones, *expectauerunt me*, mihi inſidiando, & ad culpam impellendo, *vt* ſic *perderent me*, dæmones enim quaſi latrones ad inuicem ſibilant ſeſe adùocando. *Oſeæ* 6. Quaſi fauces virorum latronum. Et ſpoliant gratuitis, & vulnerant in naturalibus. *Luc.*10. Homo quidam deſcendens ab Ieruſalem in Ierico, incidit in latrones, qui deſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis, abierunt. Et inſidioſè expectant & latenter. Suprà in *Pſal.* Inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in ſpelunca ſua. Et ardenter affectant deuorare. *Thren.*2. Frenduerunt dentibus ſuis, & dixerunt : En, deuorabimus eum. Expectant etiam bonos & iuſtos. *Iob* 40. Abſorbebit fluuium, & non mirabitur, ſed habet fiduciam, quòd influat Iordanis in os eius. *Apoc.* 12. Draco ſtabat ante mulierem maſculum portantem, vt deuoraret fœtum eius. Et nota, quod optime dicit, *Expectauerunt me* : quia perdere non poſſunt, niſi prius homo perdat ſe : conſenſum enim eius neceſſe eſt ad perditionem præuenire. Vnde dicunt *Iſa.*50. Incuruare vt tranſeamus. 2. *Reg.*1. Saül ſuper haſtam ſuam incumbebat, vt interficeret ſe. 95.

Teſtimonia. Ecce ſecundum. Quaſi diceret : Illi credebant me citò periturum : ſic autem non fuit, quia *teſtimonia tua*, ſcripturarum, *intellexi*, id eſt, in ipſis intellectum fixi : & ſic inueni quid perſiſtentibus promitteretur, quia corona. *Iacob.*1. Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit, &c. Vel *teſtimonia tua*, id eſt, martyria tua, tuis ſcilicet illata, *intellexi*, perfectè, quia vidi ducentia ad finem glorioſum, & ſic omnem dolorem mitigantia. *Greg.* Conſideratio præmij diminuit vim flagelli. *Rom.*8. Non ſunt condignæ paſſiones huius ſæculi ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

Omnis conſummationis. Hîc eſt tertium totius octonarij, in quo relinquitur certa cognitio charitatis : & dicuntur duo. Primò certa cognitio ex prædictis ipſius charitatis. Secundò quædam cognitæ deſcriptio, ibi, *Latum mandatum.* Et nota, quòd conſummatio appellatur aliquando in ſcripturis finis. *Matth.*24. Quod ſignum aduentus tui, & conſummationis ? Et conſumptio. 1. *Eſdræ* 9. Nunquid iratus es nobis vſque ad conſummationem ? id eſt, vſque ad conſumptionem. Item abbreuiatio. *Iſa.*10. Conſummationem & abbreuiationem faciet Dominus ſuper terram. Et figurarum impletio. *Ioan.* 19. Conſummatum eſt. Extremum iudicium. *Eccleſ.*18. Memento iræ in die conſummationis. Extrema damnatio. *Sap.*3. Filij adulterorum in conſummationem erunt. Et perfectio ipſius rei. Hoc modo, & primo poteſt accipi hîc conſummatio. 2. ad *Cor. vlt.* Hoc & oramus veſtram conſummationem. Et ſecundo ſic : Ita lex tua

Conſummationis multiplex acceptio.

manet

manet in vniuerſis creaturis, & meditatus ſum in ſcripturis, & ſic & per creaturas & per ſcripturas, *vidi finem omnis conſummationis*, id eſt omnis perfectionis. Et quid eſt illud? *Mandatum tuum*, quod eſt *latum nimis*, ſcilicet mandatum de charitate, quod præcipitur extendi vſque ad inimicum. *Matth.5.* & *Luc.6.* Diligite inimicos veſtros, benefacite iis qui oderunt vos. Charitas enim finis eſt omnium bonorum. 1. *Tim.1.* Finis præcepti eſt charitas. Et ſic eſt conſummatio quaſi à parte poſt. Et eſt radix, ex qua omne bonum oritur. *Matth.* 22. Ex his duobus mandatis tota lex pendet, & prophetæ: & ſic eſt quaſi à parte ante conſummatio.

Vel ſecundum hunc ſenſum etiam ſic: *vidi finem omnis conſummationis*, id eſt Chriſtum: omnis enim perfectionis ipſe finis eſt. Propter ipſum enim, & ad ipſum omnis perfectio. *Rom.* 10. Finis legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. Vidit hunc finem Dauid in ſpiritu prophetiæ, ſicut & Abraham. *Ioan.8.* Abraham pater veſter exultauit vt videret diem meum. Et ob hoc, *mandatum tuum*, de charitate, *nimis latum*, factum eſt ſup. mihi ad implendum, ſentiendo in me illud, quod dicit ipſe finis mandati. *Matth.11.* Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. *Prou.4.* Ducam te per ſemitas æquitatis, &c.

Vel ſic: *Vidi finem*, terminum, & deſitionem, *omnis conſummationis*, omnis veri conſumptibilis: vidi enim omnia quaſi terminanda ad minus ſecundum ſtatum, in quo nunc ſunt. *Pſal.* Mutabis ea, & mutabuntur. Sed *mandatum tuum* de charitate, non eſt conſumptibile, ſed *latum nimis*, quia ſemper durabile. 1. *Cor.13.* Charitas nunquam excidit. Semper enim videbimus Deum in ſe, & in ſuis, & ſpetabimus, & laudabimus.

Attende autem diligenter quomodo in hoc octonario intellexit legem æternam Dei in creaturis, & meditatus fuerit in ſcripturis, & tandem latitudinem ſenſerit Charitatis. Duo prima ad intellectum reſpiciunt, ſed tertium ad affectum: ergo totum cor huius eſt in diuinis occupatum. Ergo bene præponitur *Lamed* litera Hebraica, quæ interpretatur cor ſeruientis. Ac ſi diceret: Per hæc quæ dicuntur hîc, totum cor habet ſeruituti diuinæ occupatum, ſed non ſeruitute niſi filiali, quæ glorioſa.

Mem.

97. *Quomodo dilexi.* Hîc eſt tertia pars & vltima illius, in qua agitur de merito proficientium. Poſtquam enim egit de merito illorum, quantum ad habilitatem ad bonum, & poſtmodum quantum ad cognitionem boni & diuinæ voluntatis, hîc agitur quantum ad delectationem in cognita, & ipſius dilectionem. Et primò agitur de dilectione ſimpliciter & abſolute. Secundò comparatione ad malos legem deſtruentes in ſe, & non complentes, & in aliis etiam impugnantes, ibi, *Iniquos odio habui.* In prima autem dicuntur duo, ſecundum duo propter quæ diligenda eſt cognitio diuinæ voluntatis. Primò ex perceptione & præguſtatione diuinæ bonitatis, quæ ſentitur in lege. Secundò ex perceptione veri luminis, & regentis animam, & ducentis ad gloriam. *Lucerna pedibus.* In prima duo. Primò exprimitur amor diuinæ legis, & voluntatis eius vehementia. Secundò ratio dilectionis tangitur, ibi, *Super inimicos.* In prima duo. Primò dilectio quantum ad affectum. Secundò quantum ad intellectum, ibi, *Tota die meditatio mea eſt.*

Dicit ergo: Sic vidi Domine mandatum, & legem charitatis, quæ eſt finis omnis perfectionis, nec ſum triſtatus ex hoc, imò, *quomodo*, quàm fortiter, quàm vehementer, *dilexi legem tuam*! de dilectione: vel admiratione. Quaſi diceret: Vnde hoc mihi datum, quod dilexi legem tuam? Dilexi, inquam, vt ſcutum vnde me fortiter protegerem. *Prou.30.* Omnis ſermo Domini, ignitus clypeus eſt ſperantibus in ſe. Samaritani receperunt legem, propter leones, tanquam gladium aduerſarios expugnantem. *Hebr.4.* Viuus eſt ſermo Domini, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Tanquam locum & terram theſaurum pretioſiſſimum continentem. *Iob* 28. Habet argentum venarum ſuarum principium: & auro locus eſt, in quo conflatur, ſacra ſcilicet lex & ſcriptura. *Geneſ.2.* Ibi inuenitur bdellium, & lapis onychinus, & aurum terræ illius optimum. Nolui eam diligere ſicut adulteram, ſicut qui lucra temporalia quærunt propter illam. 2. *Cor.2.* Non ſimus ſicut plurimi adulterantes verbum Dei.

Tota die meditatio mea eſt. Hîc oſtenditur vehementia dilectionis, quantum ad hoc quod pertinet ad intellectum. Quaſi diceret: Multum dilexi in affectu, & etiam *lex tua eſt meditatio mea*, mei ſcilicet intellectus, *tota die*, & etiam nocte: vnde diem hîc accipit naturalem. In *Pſalmo primo*: In lege eius, Dei ſcilicet, meditabitur die ac nocte. Quippe *Matth.6.* dicitur: Vbi eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum eſt. Sed theſaurus eſt, ſicut ſuperius dictum eſt. Item meditationem ſuam dicit de die, non de nocte: quia tota eſt de noua, & in noua lege, quæ dies eſt. *Geneſ.1.* Fecit Deus duo luminaria magna, luminare maius vt præeſſet diei, Chriſtum vt præeſſet Nouo Teſtamento, & luminare minus vt præeſſet nocti, id eſt Moyſen vt præſſet Veteri.

98. *Super inimicos meos.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur dilectionis ratio, dilectionis, inquam, tam vehementis, ſcilicet perceptio diuinæ bonitatis ſecundum tres gradus. Primò ex perceptione diuinæ bonitatis in ipſo intellectu tamen practico. Secundò in effectu, ibi, *Ab omni via mala.* Tertiò in affectu, ibi, *Quàm dulcia.* In prima tria. Primò perceptio diuinæ bonitatis, ad dandum prudentiam in cauendis. Secundò ſubtilitatem in contemplandis. *Super omnes docentes.* Tertiò diſcretionem in agendis. *Super ſenes.* In prima duo. Primò collatio boni prudentiæ ad cauendum malum. Secundò ratio & modus conferendi. *Quia in æternum.* Dicit ergo: Sic dilexi legem, & tota die meditor illam: & iuſtum eſt, quia *mandato tuo*, id eſt, per mandatum tuum, *prudentem me feciſti*, me ſcilicet cauere malum docuiſti: & hoc, *ſuper inimicos meos*, id eſt, pluſquam ſint inimici mei prudentes, Iudæi ſignis innitentes, & Pagani

ſiue

siue Græci sapientiam quærentes. 1.*Cor.*1. Iudæi signa petunt,& Græci sapientiam quærunt. Prudentiam quidem carnis habent quæ mors est. *Rom.*8. Prudentia autem carnis mors est. Prudentiam suam terrenam laboriosè acquirunt. *Bar.*3. Filij Agar, qui exquisierunt prudentiam, quæ de terra est: & quamuis sint in istis multis iustis prudentiores, secundum illud *Luc.*16. Prudentiores filij huius sæculi filiis lucis, in generatione sua sunt, tamen dono tuo prudentior illis sum.

Quia in æternum. Ecce modus & ratio, quo collata est illa prudentia: *Quia in æternum mihi est*, cordi infixum, sup. mandatum tuum de timore tuo. *Eccles.vltimo*: Deum time, & mandata eius, de timore obserua: quia per hunc prudenter declinatur à malo. *Prou.*14. Sapiens timet, & declinat à malo: & maximè quando fixum habet in corde, & manet in illo tanquam sapiens, non citò mutatur ab eo tanquam stultus. *Eccles.*27. Iustus in sapientia manet sicut sol: stultus autem vt luna mouetur.

99. *Super omnes docentes.* Hîc secundum, in quo subiungitur de perceptione diuinæ bonitatis, quantum ad intellectum, scilicet quantum ad subtilitatem in contemplandis: & dicuntur duo. Primò Doctorum etiam excellentium supergressio in contemplanda veritate. Secundò causa, & ratio. *Quia testimonia.* Dicit ergo: Sic pudentiam dedisti ad cauenda mala, & etiam *intellexi*, veritatem rei, & spiritualem scripturæ contemplatus sum intelligentiam,*super omnes docentes me*, Scribas, & Pharisæos,qui videntur me docere. *Matth.* 23. Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Sed iusti, qui sunt Ecclesiæ filij, multò melius à Domino docentur. *Isa.*54. Ponam omnes filios meos doctos à Domino. *Ioan.*5. Et erunt omnes docibiles Dei. Et propter hoc multò verius super omnes docentes se sciunt veritatem. *Eccles.*37. Anima viri sancti aliquando magis enuntiat vera, quàm septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum. Nec mea factum est industria: sed *quia meditatio mea*,diligens scilicet inquisitio, *& testimonia tua*, id est, de testimoniis tuis spiritualiter intelligendis, non tantum literaliter, sicut docentes me volunt intelligi. Scio enim illud 2. *Cor.*3. Litera occidit, spiritus autem viuificat *Ioan.*6. Spiritus est qui viuificat,caro non prodest quicquam. Præterea qui meditatur in testimoniis diuinis, & in meditando non tantum intelligit, sed etiam inflammatur ad amorem Dei & proximi, super multos Doctores intelligit.*Cassiod.* Quia enim charitas igne verbi Dei accenditur, dicit se ex meditatione verbi profecisse.

100. *Super senes intellexi.* Hic tertium, in quo ostendit se sensisse diuinam bonitatem, quantum ad intelligentiam agendorum: & tanguntur duo. Primò excellentia & supergressio expertorum in agendis. Secundò ratio & modus, quo hoc factum est, ibi: *Quia mandata.*Dicit ergo: Sic prudentior inimicis fui in cauendis,perspicacior Doctoribus in intelligendis: & etiam *super senes*, scilicet qui multa experti sunt in agendo, secundum illud *Iob* 12.In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.*Intellexi*:quippe multi certe senum antiquorum post multam experientiam pessimi fiunt, secundum illud *Dan.*13. Egressa est iniquitas de Babylone à senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum. *Ierem.* 23. A Prophetis Ierusalem egressa est pollutio super omnem terram.

Quia mandata. Ecce secundum. Quasi diceret: Super senes intellexi, qui tales fuerunt: & hoc fuit, *quia mandata tua*, non hominum, *quæsiui*, vt facerem illa, cum illi facerent contrarium. *Ierem.*5. Hi magis fregerunt iugum, ruperunt vincula. Et in 6. Præterierunt sermones meos pessimè. *Isa.*24. Transgressi sunt leges meas,mutauerunt ius,dissipauerunt fœdus sempiternum.

*Ab omni via mala.*Hîc secundum totius octonarij, perceptio diuinæ bonitatis per legem suam in effectu.Et primò in declinando à malo, & cessatione ab illo. Secundò in operando bonum, ibi, *A iudicis.* In prima duo. Primò cohibitio sui; & cessatio à malo. Secundò ratio & finis se cohibendi, ibi, *Vt custodiam.* Dicit ergo: Sic profeci per legem tuam, Domine, quantum ad intellectum, vt scirem quid cauendum, quid credendum & quid agendum: & sic *prohibui pedes meos*, affectiones scilicet meas, *ab omni via malà*, inimicorum, Doctorum peruersorum,& malorum seruorum.*Prou.*1. Fili mi ne ambules cum eis. Ab omni etiam concupiscentia, vt non sequerer illam. *Eccles.* 18. Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere,&c. 101.

Est enim triplex via mala à qua pedes prohibendi sunt, de qua *Ioan.*2. Quicquid est in mundo, aut est concupiscentia carnis, quæ est via immunda & lubricosa.*Thren.*3. Lubricauerunt vestigia mea in capite omnium platearum. Aut concupiscentia oculorum, quæ est valdè tenebrosa. *Prou.*4. Via impiorum, auarorum scilicet crudelium, tenebrosa. Aut superbia vitæ, quæ est via periculosa, quia latronibus plena. Omnes enim superbi, & ostendentes sua bona, à latronibus, dæmonibus scilicet spoliantur, vt possit dicere superbus illud *Iob* 19. Venerunt latrones, & fecerunt viam suam per me.

Vt custodiam. Ecce secundum. Quasi diceret: Sic prohibui pedes meos, & ad hoc, *vt custodiam mandata tua*,de cauendo mala,nullo modo recurrendo in illa, & recidiuando. Scio enim illud *Eccles.*34. Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum, quid prodest lauatio eius? *Luc.* 11. Beati qui audiunt verbum Dei, declinando à malo,& custodiunt illud.

A iudiciis tuis. Hîc secundum, in quo monstrat se sensisse Dei bonitatem, per legem suam in faciendo bonum: & tangitur primò bonorum mandatorum adimplétio. Secundò ratio & & causa, quare voluit adimplere, ibi, *Quia tu legem.* Dicit ergo: Sic pedes à malo prohibui, & etiam *non declinaui*, quin omnia adimplerem, *à iudiciis tuis*, mandatis institutis, ex recto iudicio datis, & hominum vitam regulantibus. *Deut.*23. Leget illud omnibus diebus vitæ suæ, ne declinet ad dextram vel sinistram, sicut *Iob* 31. Si declinaui gressus meos de via. Iudicia enim Dei via sunt ad ambulandum rectissima 102.

rectiſſima. *Iſa.*35.Hæc erit vobis via directa,ita vt ſtulti non errent per eam. *Num.*21. Via regia gradiemur, non declinabimus ad dextram nec ad ſiniſtram. Ipſa ſunt, ſicut vult *Gloſſa*, regula illa, de qua *Galat.vlt.* Quicumque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia.

Quia tu legem. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Non declinaui, & hoc fuit, *quia tu legem*, (legem appellat iudicia ipſa) *poſuiſti mihi*, in corde eam digito ſcribendo.*Ierem.*31. Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in cordibus eorum ſuperſcribam eam. *Legem*, inquam, *poſuiſti mihi*,quam ſupra petebam dicens: Legem pone mihi Domine viam iuſtificationum. *Iſa.* 23. Dominus legifer noſter, Dominus iudex noſter, Dominus rex noſter, ipſe veniet & ſaluabit nos.

103. *Quam dulcia faucibus.* Hîc tertium ſecundæ partis, totius octonarij, in quo oſtendit ſe percepiſſe bonitatem diuinæ legis: & etiam *eloquia tua*, facta ſunt, *quam dulcia*, id eſt valdè dulcia, *faucibus meis*, interioribus ſcilicet affectui meo ad meditandum. *Ezech.* 3. & *Apocal.* 11. Factus eſt in ore meo (dicitur de libro comeſto) quaſi mel dulce, imò pluſquam mel: vnde ſubdit: *Super mel ori meo*,interiori,factum eſt dulce ſup. quando debeo illud eloqui etiam ore exteriori. *Eccl.* 23. Nihil dulcius, quàm reſpicere in mandatis Dei. *Prou.*24. Fili comede mel, dulcedinem ſcilicet diuini eloquij:quia bonum eſt: etſi cortex exterior videatur aliquibus aliquando inſipidus, interior medulla, ſenſus ſcilicet ſpiritualis,ſemper eſt dulciſſimus. *Eccl.*24. Spiritus meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum: faucibus interioribus de quibus *Iob* 12. Nonne auris verba diiudicat,& fauces comedentis ſaporem?

104. *A mandatis tuis.* Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic mihi dubia fuerunt eloquia tua, & ex hoc *à mandatis tuis*,mihi interius dulceſcentibus, *intellexi*, maiorem ſcilicet & certiorem intelligentiam habui. *Eccl.*1. Fili concupiſcens ſapientiam, conſerua iuſtitiam, & Deus præbebit illam tibi, certiorem & maiorem. *Geneſ.*1. Abraham bonus erat & obediens. Et quid dixit Dominus? Num celare potero Abraham quæ geſturus ſum? *Marc.*3. Impoſuit Simoni, obedienti ſcilicet nomen Petri, quod interpretatur ſciens.

Propterea odiui. Ecce ſecundum, odium oppoſiti, quod tangitur tanquam cauſatum à primo. Ait enim: Sic faucibus meis,diuinæ legis, & mandatorum Dei ſenſi dulcedinem, & *propterea odiui omnem viam iniquitatis*, in qua mali erudiuntur. *Sap.*5. Laſſati ſumus in via iniquitatis,& perditionis. Ipſam autem odit inquantum poteſt, & refugit, qui dulcedinem diuinæ legis guſtauit, implens illud *Eccleſ.*27. Quaſi à facie colubri fuge peccatum.

Vide ergo in hoc octonario, quomodo confitetur ſe mandata Dei in effectu, & in intellectu, & in ipſo interiori affectu ſenſiſſe, tanquam dicat intima viſcera ſua ex ipſis repleta. Et hoc ſignat litera Hebraica præpoſita, *Mem*: interpretatur enim viſcera, & ex ipſis. Quaſi diceret: Ex ipſis Dei mandatis dicit viſcera ſua hîc repleta.

Nun.

Lucerna pedibus meis. Hîc ſecundum, in quo agitur de dilectione diuinæ legis, ratione veri luminis quod infundit ad regendum animam, & ducendum in ſummum bonum: & dicuntur tria. Primò diuinæ legis commendatio, tanquam deſideratæ & amatæ. Secundò fortis adhæſio amatæ & dilectæ, ibi, *Iuraui & ſtatui.* Tertiò profectus multiplex ex amata tangitur, ibi,*Humiliatus ſum.*In prima duo.Primò diuinæ legis commendatio quantum ad Teſtamentum Vetus.Secundò quantum ad Nouum. *Et lumen.* 105.

Dicit ergo: Sic Domine dilexi legem tuam, propter bonitatem & dulcedinem quam ſenſi in illa: & etiam *verbum tuum*, per Moyſem, & Prophetas ad nos delatum, eſt *lucerna*, lux in teſta, veritas ſcilicet ſub multiplici figura, *pedibus meis*, dirigendis ad te, ſcilicet affectionibus meis. 2.*Pet.*1. Habetis certiorem propheticum ſermonem, cui bene facitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco. *Iob* 29. Lucerna ſplendebat ſuper caput meum, lex diuina ſuper mentem & affectum.

Et verbum tuum Euangelium, eſt *lumen ſemitis meis*, oſtendendis: nunquam enim ante ſemitæ conſiliorum Dei erant oſtenſæ,ſed latebant,donec venit Euangelij lumen. *Iſa.*40. Ambulabunt Gentes in lumine tuo.De vtroque ſimul *Prou.*6. Mandatum lucerna eſt, & lex lux. Mandatum, quantum ad legem veterem, quæ quaſi à remotis mandabatur: lex verò ligans ſuauiter & apertè illuminans, quantum ad Euangelium.

Lucerna etiam, verbum, Dei filius *pedibus meis*: lucerna enim lux in teſta, diuinitas in perſona filij latens in carne noſtra, de qua *Matth.*5. Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, crucem ſcilicet. 2.*Cor.vlt.* An experimentum quæritis eius,qui in me loquitur Chriſtus? Et ipſum lumen, imo lux ad ſemitas oſtendendum illuminans corda, & per ſeipſam docens. *Ioan.* 1. Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et in 8. Ego ſum lux mundi, &c. 1.*Ioan.*1.Deus lux eſt,& tenebræ in eo non ſunt vllæ. *Ioan.* 12. Ambulate dum lucem habetis, vobis ſemitas oſtendentem. *Lucerna verbum Dei increatum.*

Iuraui & ſtatui. Hîc ſecundum, firma ſcilicet adhæſio ipſi legi per ſacramentum oris, & propoſitum firmum cordis. *Et ſtatui.* Ait enim: Sic verbum tuum me luce perfundit,& propter hoc, *iuraui*, ore aſſerendo cum atteſtatione diuina, & *ſtatui*, firmiter in corde, *cuſtodire*, &c. Vel ſecundum poteſt eſſe primi expoſitio. Quaſi diceret: *Iuraui & ſtatui*, in corde meo firmiter proponendo, *cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ*, leges tuas, à tua iuſtitia, tanquam quædam iudicia manantes,vt ſic manerem ſemper in illis. *Heb.* 6. Omnis controuerſiæ finis eſt iuramentum. Si autem rumpitur, caueat ſibi, qui præterit. *Ezech.*17. Iuramentum quod ſpreuit, & fœdus quod præuaricatus eſt, ponam in caput eius. Oportet ergo cuſtodire quando iuramentum eſt, maximè *iudicia iuſtitiæ*. *Iſa.*56. Cuſtodite iudicium, & facite iuſtitiam. *Eccleſ.*32. Qui timent Deum, inuenient iudicium, & iuſtitiam quaſi lumen accendent. 206.

Humiliatus

107. *Humiliatus sum.* Hîc est tertium totius octonarij, in quo tangitur profectus sequens ex legis dilectione : & tanguntur sex gradus. Primus, voluntatis humiliatio. Secundus, deuota oris loquutio voluntaria. Tertius, diligentia in bona operatione, ibi, *Anima mea.* Quartus, prudentia in aduersitate, ibi, *Posuerunt peccatores.* Quintus, lætitia in tribulatione, ibi, *Hæreditate acquisiui.* Sextus, promptitudo perseuerantiæ, ibi, *Inclinaui cor meum.* In prima duo. Primò asserit se humiliatum. Secundò petit viuificari secundum verbum, ne fortè illa humiliatio inanis sit, ibi, *Viuifica me.* Dicit ergo : Sic fortiter proposui adhærere, tanquam amator verus legi tuæ, & per illam *humiliatus sum*, ô *tu Domine* : & hoc ; *vsquequaque*, id est ; *vsque valde*, vt habet alia litera, non sicut illi de quibus *Ecclesiast.* 19. Est qui nequiter se humiliat, interiora autem eius plena sunt dolo. Sed sicut ille qui dicebat. 2. *Reg.*6. Ludam, & vilior fiam. 1. *Pet.*5. Humiliamini sub potenti manu Dei, quantumcumque sitis. *Ecclesiast.* 3. Quanto magnus es, humilia te in omnibus.

Viuifica me. Ecce secundum. Quasi diceret : Humiliatus sum valde, sed Domine peto, *viuifica me*, aliter enim parum valeret humilitas mea, *secundum verbum tuum*, vt scilicet secundum verba tua viuam, cum ratione faciendo, & discretione. Ad *Rom.* 12. Sit rationabile obsequium vestrum. Talibus etiam qui humiliantur, promittit spiritum viuificationis : vnde peto vt ibi reddat ipsum. *Isa.*17. In sancto habitans, & cum contrito & humili spiritu, vt viuificet spiritum humilium, & viuificet cor contritorum. *Iacob.*4. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, viuificantem.

108. *Voluntaria oris mei.* Hîc secundus gradus tangitur, scilicet deuotio in locutione, quam petit fieri beneplacitam : & quia non potest esse hoc sine diuino regimine, duo dicuntur. Primò petit vt eius loquutio Deo placeat. Secundò vt ipsum de loquendis instruat, ibi, *Iudicia tua.* Ait ergo : Sic humiliatus sum corde, & deuotus etiam sum ore, quia ô *Domine* rogo, *fac beneplacita tibi*, id est, tuæ maiestati, *voluntaria oris mei*, id est, sacrificia & orationem ore meo tibi oblatam.

Oris oblatio extorta, simulatoria, & voluntaria.

Notandum enim, quòd est oblatio oris. *Oseæ vlt.* Reddemus vitulos labiorum nostrorum. Sed hæc oblatio aliquando est extorta, quemadmodum in dæmonibus. *Luc.*4. Exibant dæmonia à multis, clamantia, & dicentia: Quia tu es filius Dei. Aliquando est simulatoria, sicut in illis, quibus dicitur *Isa.*29. Populus hic ore suo & labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Aliquando voluntaria, & tunc placet Deo. *Ezech.*46. Cum fecerit princeps spontaneum holocaustum, aut pacifica voluntaria Domino, aperietur ei porta.

Et iudicia tua. Hîc secundum. Quasi diceret : Sic tibi placeant, & vlterius per hæc, *iudicia tua doce me*, quæ aliter non possum scire. Ad *Roman.* 11. Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ illius ! *Luc. vlt.* Aperuit illis sensum vt intelligerent scripturas. Tantæ enim rectitudinis sunt, quod tu solus nosti illa. *Isa.* 28. Ponam iudicium in pondere, & iustitiam in mensura.

Anima mea in manibus. Hîc tangitur gradus tertius, scilicet diligentia in operando. Et primò exterius. Secundò verò interius, ibi, *Et legem tuam.* Dicit ergo : Sic humiliatus sum, & etiam in loquutione deuotus, & iterum *anima mea*, est per diligentiam & considerationem vehementem, *in manibus meis*, in operibus meus exterioribus, sicut 1. *Reg.* 19. de Dauid : Posuit animam suam in manu sua, & percussit Philistæum. Sicut dicebat Iob de seipso in 13. Animam meam porto in manibus meis. Tales sunt adimplentes illud Pauli *Phil.*2. Cum timore & tremore salutem vestram operamini. Alia litera habet : *Anima mea in manibus tuis*, vbi sunt animæ sanctorum. *Sap.*3. Iustorum animæ in manu Dei sunt, Vbi securè est. *Iob* 10. Cum sit nemo, qui de manu tua, &c. *Ioan.* 10. Non rapiet eos quisquam de manu mea. 109.

Et legem. Quasi diceret : Sic diligens sum in exteriori operatione, & etiam *legem tuam non sum obtitus*, eam tenens in iugi memoria, & meditatione, secundum illum *Prou.*3. Fili ne obliuiscaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custodiat.

Posuerunt peccatores. Hîc est quartus gradus, scilicet prudentia in tentatione. Duo ergo dicuntur. Primò tentatio. Secundò prudens euasio ab illa, ibi, *Et de mandatis.* Dicit ergo : Sic anima mea in manibus meis, diligenter quæcumque agerem attendendo, & etiam *posuerunt peccatores*, mundani homines, & dæmones, *laqueum mihi.* Laqueum, inquam, tentationis. *Psal.* Absconderunt superbi laqueum mihi. *Prouerb.*1. Tendamus contra insontem tendiculas frustrà. Hic est laqueus, de quo *Isa.* 24. Formido, & fouea, & laqueus super te, qui habitator est terræ. Formido auaritiæ, fouea luxuriæ, laqueus superbiæ. *Ierem.*6. Inuenti sunt in populo meo, viri impij, insidiantes quasi aucupes, ponentes laqueos & pedicas ad cupiendum viros. Sic isti mihi fecerunt. Et tu quid ? Ecce : *Et de mandatis tuis non erraui*, recedens aliquo modo ab illis, & sic liberatus ab illis : quippe *Prou.*1. dicitur : Frustrà iacitur rete ante oculos pennatorum, iustorum oculos sursum ad Dei mandata erigentium : sed magis inuoluti sunt in laqueis, qui illos tetenderunt. *Eccles.* 27. Qui alij parat laqueum, peribit in illo. Propter hoc dicitur *Eccles.* 35. Salutare sacrificium est attendere mandatis Dei, quia per hoc euadit homo à periculo. 110.

Hæreditate acquisiui. Hîc est quintus gradus, scilicet exultatio in tribulatione : & tanguntur duo. Primò affectio sustinendi pro Deo. Secundò exultatio in tribulatione, & martyrio, ibi, *Quia exultatio.* Et est secundum ratio primi. Dicit ergo : Sic prudenter euasi in tentatione, & quod magis est, *acquisiui*, desiderio & oratione, *testimonia tua*, id est, martyria, vt venirent super me : & hoc *hæreditate*, id est, tanquam hæreditario iure. 111.

Sic enim fuerunt tribulati, & turbati patres mei omnes. *Iudith* 8. Abraham pater noſter tentatus eſt, & per multas tribulationes tentatus amicus Dei factus eſt. Sic Iſaac, ſic Iacob, ſic Moyſes, & omnes qui placent Deo, per multas tribulationes tranſierunt: imò ipſe Chriſtus 1. *Petr.* 2. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum patiendi tanquam hæreditatem. Hanc hæreditatem acquiſiui, *in æternum*, ducentem. Per hanc enim habetur æterna hæreditas. *Sap.* 5. In paucis vexati, in multis benè diſponentur, æternaliter. Et bene, quia 2.*Cor.*4. Hoc momentaneum & leue, tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublime æternæ gloriæ pondus operabitur in nobis.

Quia exultatio. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic acquiſiui, iure hæreditario martyria ſuſtinere, *quia exultatio cordis mei ſunt*, illa. *Act.* 5. Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati. *Act.* 5. Propter hoc tanquam quædam pretioſa iocalia, tibi offerebat martyria, plagarum cicatrices & verbera Paulus. 2.ad *Cor.* 4. Semper mortificationem CHRISTI IESV in corpore veſtro circumferentes. *Galat. vlt.* Stigmata Domini IESV in corpore meo porto.

112. *Inclinaui cor meum.* Hîc ſextus gradus, & vltimus, ſcilicet promptitudo perſeuerantiæ: & dicuntur duo. Primò tangitur prompta obedientia. Secundò obedientiæ promptæ cauſa, ibi, *Propter retributionem.* Ait enim: Sic in martyriis gaudeo, & *inclinaui*, humiliando, *cor meum*, non ad cognoſcendas tantum, ſed *ad faciendas iuſtificationes tuas*, & non ad tempus ſicut multi, ſed *in æternum.*

Septem notanda quæ ad iuſtificationem conferunt.

Et nota, quòd dicit iuſtificationes in plurali, quia ſeptem ſunt per quæ iuſtificatur anima. Primum eſt prædicatio. *Ioan.* 15. Iam vos mundi eſtis propter ſermonem quem loquutus ſum vobis. *Ezech.*33. Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini. Secundum, ſacramentorum perceptio. *Ioan.* 2. Sex hydriæ poſitæ erant ad purificationem Iudæorum. Sex enim ſacramenta purgant propriè, ſed ſeptimum non ſic, ſcilicet matrimonium, quamuis conſeruet ab inquinatione. Tertium, oratio. *Eccleſiaſt.* 38. Ora Dominum, & ipſe curabit te. Propter hoc dicit *Iacob. vlt.* Oratio fidei curabit infirmum: & ſi in peccatis eſt, dimittentur ei. Quartum, eleemoſynarum largitio. *Luc.* 11. Veruntamen, quod ſupereſt, date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis. Quintum, peccati remiſſio ipſi proximo cum delinquit in nos. *Eccleſiaſt.*28. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur. *Matth.* 6. & *Luc.* 7. Dimittite, & dimittetur vobis. Potens toleratio tribulationum. *Gen.*7.Dominus lauat mundum aquis diluuij, & fornax purgat aurum. *Sapient.* 3. Tanquam aurum probauit electos Dominus. Fratrum reuocatio à malo per prædicationem. *Ierem.*15. Si conuerteris, conuertam te. In huius rei figuram Eliſeus ſepties ſuper puerum oſcitauit, & Naaman ſepties in Iordane lauit. 3.*Reg.*5.

Propter retributionem. Hîc ſecundum, ſcilicet cauſa, & ratio perſeuerantiæ huius, ne fortè viderentur inani gloria, vel mundana proſperitate ſic perſeuerare. Ait enim: Sic cor meum inclinaui ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum: & hoc totum facio, *propter retributionem*, æternam quam conſidero. *Prou.* 13. Iuſtis retribuentur bona, & æterna bona. *Matth.*25. Venite benedicti patris mei, percipite regnum, non temporale, ſed quod vobis paratum eſt ab origine mundi.

Vide ergo diligenter, quomodo verbum Dei commendauit, quia & lucerna eſt, & animam per tot gradus aſcendere facit: humilitatem præbet cordis, deuotionem loquutionis, diligentiam operis, prudentiam in tentatione, lætitiam in tribulatione, & tandem perſeuerantiam in bono opere. Vnicus ergo adiutor virorum, & verè reficiens eos eſt ſermo Domini, ſiue increatus, ſiue creatus, qui eſt lex diuina. Propter quod bene præponitur litera Hebraica *Nun*, quod interpretatur vnicus, vel paſcua. Quaſi diceret apertè: Sermo Dei, de quo agitur in ſubiecto octonario, eſt animæ adiutor, & paſtor.

Samech.

113. *Iniquos odio habui.* Hîc ſecundum totius huius partis, in qua agitur de dilectione diuinæ legis. Actum eſt enim de dilectione ipſius abſoluta, hîc de relata ad malos. Et primò ad malos ſimpliciter. Secundò ad malos legem impugnantes ſpecialiter, ibi, *Feci iudicium.* In hac autem parte tria dicuntur, ſecundum tres malorum differentias. Primò quidem agitur de dilectione legis, comparatione ad iniquos. Secundò comparatione ad malignos, ibi, *Declinate à me.* Tertiò comparatione ad præuaricatores, ibi, *Præuaricantes reputaui.* Primi odiuntur, ſecundi deteſtantur, tertij deſpiciuntur: & totum hoc per amorem diuinæ legis. Primi peccant contra diuinam bonitatem, ſecundi ex certa ſcientia contra Dei veritatem, tertij contra maieſtatem, ſiue poteſtatem. In prima dicuntur tria. Primò confitetur habitum ad iniquos odium. Secundò ſuum ad legem Dei affectum, ibi, *Et legem.* Tertiò oſtendit conſequentem ex vtroque fructum, ibi, *Adiutor & ſuſceptor.*

Dicit ergo: Sic Domine dilexi legem, quia ſic me fecit proficere: & etiam *iniquos*, malitioſos contra tuam bonitatem, *odio habui*, inquantum tales ſunt: quòd enim ſunt per naturam, diligo: quod autem per culpam, odio. *Oſea* 9. Exoſos habui eos, ſicut & tu. *Eccl.*12. Altiſſimus habet odio peccatores. *Sapient.* 14. Similiter ſunt odio Deo impius, & impietas eius. Alia litera habet, *tumultuoſos.* Quos autem ſignificat per hoc, niſi aduocatos malos, qui totum mundum cauſis perturbant, & litibus? *Iſa.* 3. Tumultuabitur puer contra ſenem, & ignobilis contra nobilem. Et lenas choreis & cantilenis totum replentes. *Exod.* 32. Ioſuë audiuit tumultum cantantium, & ducentium choreas coram vitulo conflatili. Et clericos poſt multam potationem falſa voce cantantes in Eccleſiis. *Amos* 3. Aufer à me tumultum carminum tuorum.

Et

Et legem. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic illos habui, *& legem tuam*, è contrario, *dilexi.* Supra: Quomodo dilexi legem tuam Dominem. Ibi ſatis de hoc.

114. *Adiutor & ſuſceptor.* Hîc tertium, in quo ſubiungit fructum. Hic autem fructus eſt firma in Deum ſpes, & fiducia: vnde duo dicuntur. Primò confitetur ſe adiutum, & protectum de præterito. Secundò ſperare de futuro, ibi, *Et in verbum tuum.* Ait ergo: Sic dilexi legem, & propter hoc, *adiutor*, ad faciendum bonum, *& ſuſceptor*, ad cauendum malum, *es tu*, non alius. *Eccleſ. vlt.* Adiutor & protector factus es mihi, & liberaſti corpus meum à perditione. *Iſa.*41. Auxiliatus ſum tui, & ſuſcepi te dextera iuſti mei. *Dan.*3. In animo contrito & ſpiritu humilitatis, ſuſcipiamur à te Domine, vt à malo liberes, & adiuues ad bonum faciendum.

Et in verbum tuum ſuperſperaui; de futuris, non tantum ſperaui. Scio enim, quòd reddes quod promittis. *Num.*23. Non eſt Deus vt homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur. Dicit ergo, & non faciet, loquutus eſt, & non implebit? *Eccleſ.*2. Nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt. Verba enim legis tuæ certam generant ſpem. *Eccleſ.*24. In me omnis ſpes vitæ & virtutis. *Eccleſ.*14. Felix qui non habuit animæ ſuæ triſtitiam, & non excidit à ſpe ſua. Et expone ſuperſperaui, non tantum ſperaui, ſicut eſt ſuprà frequenter expoſitum.

115. *Declinate à me maligni* Hîc ſecundum, in quo monſtratur dilectio legis comparatione ad malignos: & dicuntur tria. Primò malignorum deteſtatio. Secundò ſtudium mandatorum Dei, vel in mandatis Dei, ibi, *Et ſcrutabor.* Tertiò ſupplicatio pro promotione ſui in ſtudio illo: non enim credit per ſe poſſe ſufficere, ibi, *Suſcipe me ſecundum.* Dicit ergo: Sic iniquos odio, legem diligo, & etiam vobis malignis dico: *Declinate à me maligni*, vos enim deteſtor. Malignos autem vocat ex certa ſcientia veritatem Dei impugnantes. Declinate, inquam, ne ego vobiſcum etiam declinem: quia in *Pſal.* infrà dicitur: Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem. *Num.*16. Recidite à tabernaculis hominum impiorum, & ne tangatis quæ pertinent ad eos, ne inuoluamini in peccatis eorum. 1. *Reg.*15. Recede ab Amalec, ne forte inuoluam te cum eo. *Eccleſ.*35. Beneplacitum eſt Domino recedere ab iniquitate, & deprecatio pro peccatis recedere ab iniuſtitia.

Et ſcrutabor. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic declinate à malo, *& ſcrutabor*, meditando, conferendo, *mandata Dei mei*, ſicut ipſe præcipit *Ioan.*5. Scrutamini ſcripturas, in quibus putatis vos vitam habere. Non enim poſſunt bene ſcrutari vbi maligni impugnant, & aſſiſtunt, ſiue homines, ſiue dæmones: quia *Eccl.* 16. Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti. Dicat ergo volens ſcrutari illud *Cant.* 5. Surge Aquilo, & veni Auſter, hoc eſt, recede maligne, & veni ſpiritus amoris & temperantiæ.

116. *Suſcipe me.* Hîc tertium, in quo petit promoueri à Deo, ſciens quoniam aliter non poſſit dignè ſcrutari, & hoc petendo gratiam triplex impedimẽtum remouentem. Primò ergo petit remoueri omnis pœnæ. Secundò confuſionem culpæ, ibi, *Et non confundas me.* Tertiò impugnationem, quæ fit in tentatione, ibi, *Adiuua me, & ſaluus ero.* In prima duo. Primò petit. Secundò quendam fructum addit, ſi habuerit quod petit. *Et viuam.* Ait ergo: Sic Domine volo ſcrutari mandata tua ſi mali abſceſſerint: & vt hoc poſſim, *Domine ſuſcipe me*, ab eorum conſortio trahendo ad te. Et hoc, *ſecundum eloquium tuum. Iſa.*42. Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum. *Luc.*1. Suſcepit Iſraël puerum ſuum. *Et viuam*, vt ſic poſſim penetrare ad intima & interiora legis tuæ: quippe ſeparatus à malis, coniunctus ero tibi, qui es vita. *Ioan.*14. Ego ſum via, veritas, & vita. Imò finis vitæ.

Et non confundas me. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic libera à pœna, vt reddas aptum ad ſcrutandum. *Et* etiam propter hoc ipſum, *non confundas me*, ſed à cauſa confuſionis elonga: non confundas, inquam, *ab expectatione mea*, quam ſpero in ſpiritum vberius infundi. *Eccl.* 2. Nullus ſperauit in eo, & confuſus eſt. *Rom.*5. Spes non confundit. Supra in *Pſal.* Vniuerſi qui te expectant, non confundentur.

Adiuua me, & ſaluus ero. Hîc tertium, in quo petit adiutorium contra tentationem. Et primò petit. Secundò finem ſuæ petionis adiungit, ibi, *Et ſaluus ero.* Ait ergo: Sic non confundas me, & etiam *adiuua me*, contra tentationem quancumque inſurgentem. *Eſth. vlt.* Adiuua me, nullum habentem auxilium niſi in te, Domine 117.

Et ſaluus ero. Hîc tangit finem duplicem. Primus, ſaluatio. Secundus, in lege Dei continua meditatio. *Et meditabor.* Ait enim: Sic adiuua me, *& ſaluus ero*, ab omni tentatione: aliter non potero. 1. ad *Corinth.*10. Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari ſupra id quod poteſtis. Et ab omni impugnante. *Deut.*33. Adiutor illius contra aduerſarios eius erit. *Soph. vlt.* Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipſe ſaluabit, & gaudebit ſuper te in lætitia.

Et meditabor. Hîc dicuntur duo. Primò promiſſio iugis meditationis. Secundò ratio, quare iugiter velit meditari, ibi, *Spreuiſti.* Dicit ergo: Sic ſaluabis, *& meditabor*, ſaluatus à tentatione, *ſemper*, continuè pro loco & tempore, *in iuſtificationibus tuis*, quòd à te ſolo iuſtificantur animæ. 1. *Tim.* 4. Hæc meditare, & in his eſto, vt perfectus ſis. In hac meditatione inflammatur ad amorem Dei. Supra in *Pſal.* In meditatione mea exardeſcet ignis: Tali promittitur corona. *Apoc.*2. Eſto fidelis in iuſtificationibus Dei, meditando ipſum ſolum iuſtificatorem, credendo vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

Spreuiſti omnes. Hîc ratio, quare meditari decreuit continuè, ſcilicet non meditantium abiectio: vnde duo dicuntur hic. Primò abiectio à lege Dei recedentium. Secundò ratio abiectionis illorum, ibi, *quia iniuſta eſt.* Dicit ergo: Sic meditabor, & neceſſe habeo, 118.

quia ſpreuiſti, eos à te repellendo, *omnes diſcedentes à iudiciis tuis*, quibus doces nos, & inſtruis in lege tua. *Iob* 34. Nunquid qui non amat iudicium, ſanari poteſt? Quaſi diceret: Non. Quales ſunt illi, quibus dicitur *Prou.*1. Deſpexiſtis omne conſilium meum, quibus etiam flagellando nos corripis: talia enim non ſunt contemnenda. *Iob* 5. Increpationem Domini ne reprobes: quoniam ipſe vulnerat & medetur. Sed quando ſpernunt & abiiciunt, à Domino ſpernuntur & abiiciuntur. Suprà in *Pſal.* Hæreditatem ſuam ſpreuit. Et fiunt tunc incorrigibiles, & obſtinati. *Eccleſ.* 7. Conſidera opera Domini, quod nemo poſſit corrigere, quem ipſe deſpexit.

Quia iniuſta eſt. Ecce ſecundum., ſcilicet ratio quare ſunt ſpernendi. Quare ſic ſpernis diſcedentes? *Quia cogitatio eorum iniuſta eſt:* affectata, inquam, & de corde producta ſecundum illud *Matth.*15. De corde exeunt cogitationes malæ: & iſtæ à Deo ſeparant. *Sapient.* 1. Peruerſæ cogitationes ſeparant à Deo. *Iob* 35. Nunquid æqua tibi videtur cogitatio? Quaſi diceret: Non eſt ita, ſed iniuſta eſt. Et Deus illam cognoſcit, & talia cogitantem abiicit. *Iob vlt.* Scio quoniam omnia potes, & nulla te latet cogitatio.

119. *Præuaricantes reputaui.* Hîc tertia pars totius octonarij. Oſtenſo enim quod diligat legem, comparatione ad iniquos, & rurſus comparatione ad malignos, quorum primos odit, & ſecundos deteſtatur, hîc ſubiungitur tertium de dilectione legis, comparatione ad præuaricantes quos contemnit, & legem diligit, & in illa confirmari petit. Et ſecundum hoc tria dicuntur. Primò contemptus præuaricatorum. Secundò affectus ex hoc ipſo ad mandata Dei, ibi, *Ideò dilexi.* Tertiò peitio pro confirmatione in illo affectu & timore, ibi, *Confige timore.* Dicit ergo: Sic tu ſpreuiſti diſcedentes à iudiciis tuis, quos ego deſpexi: quia *præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ*, amatores ſup. quia etſi omnes non habeant legem ſcriptam, habent tamen legem naturalem, & ſic omnes ſunt præuaricatores. Præuaricatio enim reſpicit ad legem. *Iſa.*24. Præuaricantes præuaricati ſunt, & præuaricatione tranſgreſſorum, vel ſcriptæ vel naturalis legis, præuaricati ſunt ad minus illius duplicis: quarum pro prima eſt *Matth.* 7. & *Luc.* 6. Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis. Et alibi: *Tob.*4. Vide ne feceris alij quod tibi non vis fieri.

Ideò dilexi. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic reputaui eos peccatores, & deſpexi eos, id eſt, ne ſimilis eſſem illis, *dilexi teſtimonia tua*, in lege tua ſcripta, quia fidelia valde & honeſta. Suprà in *Pſal.* Teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis. Suprà in *Pſal.* In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitiis.

120. *Confige timore tuo.* Hîc tertium, in quo petit confirmari in amore illo. Et primò petitio. Secundò ratio petitionis, ibi, *A iudiciis.* Dicit ergo: Sic dilexi teſtimonia tua, & ideo rogo: *Confige carnes meas*, ſi opus ſit in ligno crucis, & hoc *timore tuo*, caſto ſup. id eſt, tantum timorem caſtum cordi meo infunde, vt velim cum Chriſto crucifigi: & carnalia etiam vitia mea timore ſancto ſuo non ſolum liga, imò *confige*, vt ſim de illis, de quibus Paulus ad *Galat.* 5. Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.

A iudiciis enim tuis. Hîc eſt ſecundum. Quaſi diceret: Sic peto carnes timore tuo configi: & hoc, *enim*, quia, *à iudiciis tuis timui*, à futuris, inquam, iudiciis, quibus ita ſtrictè iudicabis. *Iob* 31. Quaſi tumentes ſuper me fluctus Deum ſemper timui.

Vide ergo, quomodo in hoc octonario iuſtus aſſeruit ſe propter legem Dei, quam diligit, odire iniquos, deteſtari malignos, deſpicere præuaricantes & peccatores, & petiit timore Dei, quaſi quodam clauo configi, & reprimi omnia carnalia, per quæ omnia firmus ſtet in lege Dei. Ergo audi iuſti viri firmamentum: ſic enim interpretatur litera Hebræa præpoſita huic octonario, quæ eſt *Samech:* Audi, vel firmamentum. Iunge ergo, & dices: Audi firmamentum.

Ain.

Feci iudicium. Hîc eſt ſecundum, in quo poſtquam oſtendit dilectionis vehementiam ad legem Dei comparatione ad malos ſimpliciter, hîc comparatione ad deſtruentes legem ſpecialiter. Et primò petitio auxilij contra tales. Secundò lamentatio pro deſtructione legis à talibus, ibi, *Tempus faciendi.* Tertiò expreſſio feruoris ac deſiderij ad legem Dei, ibi, *Ideò dilexi.* In prima duo. Primò petitio auxilij contra calumniantes, & intendentes deſtruere legem. Secundò ſupplicatio pro aduentu eius, per quem erit veræ legis adimpletio, ibi, *Oculi mei defecerunt.* In prima duo, ſecundum duo quæ petit. Primò ne permittat eum ab impugnante legem conuinci. Secundò quod plus eſt ne permittat eum in calumniando ſuperari, ibi, *Suſcipe ſeruum.* In prima duo. Primò allegato vt moueat iudicem merito prudentiæ & iuſtitiæ. Secundò petitio, ibi, *Ne tradas me.* 121.

Dicit ergo: Sic Domine iniquos odiui, ſuperbos contempſi, & præuaricatores legis tuæ ſpreui, & etiam *feci iudicium*, interius diligenter quid bonum eſt diſcutiendo, quod eſt prudentiæ: *& iuſtitiam*, exterius opere adimplendo quod iudicatum eſt, quod eſt iuſtitiæ. Iudicium ergo primò debet fieri. *Prou.*12. Cogitationes iuſtorum iudicia. Et hoc placet Deo. *Mich.* 6. Indicabo tibi ô homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: Vtique facere iudicium; vſque ad diſtrictam conſiderationem factorum, & etiam fiendorum. 1. ad *Corinth.* 11. Si nos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. *Et iuſtitiam*, aliter non eſſet pax. *Iſa.* 36. Iuſtitiam non fecimus in terra, idcircò ceciderunt habitatores eius. Dicitur enim *Eccleſiaſt.* 4. Vſque ad mortem certa pro iuſtitia.

Et

Et propter hoc Domine, *non tradas me calumniantibus me*, impiis legem impugnantibus & eam destruere volentibus. Et dicit, *Tradas*, id est, tradi permittas, sicut ad *Rom.* 1. Tradidit illos Dominus in passiones vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis. Tales calumniatores sunt hæretici. *Oseæ* 12. Chanaam, in manu eius statera dolosa, calumniam dilexit. Chanaam interpretatur commutatus, significat hæreticum de veritate fidei, ad falsitatem infidelitatis conuersum, in cuius manibus traduntur frequenter pauperes scientia, & diuites possessione terrena. *Oseæ* 5. Calumniam passus est Ephraim, cœpit abire post sordes. *Iob* 9. Terra, terrena scilicet corda, tradita est in manu impij.

Suscipe seruum. Hîc secundum, in quo plus
122. petit, ab illis scilicet non calumniari, id est, in calumniando superari: & tangit duo. Primò sui promotionem in bono. Secundò calumniantium euitationem, vt ab illis non superetur, ibi, *Non calumnientur.* Dicit ergo: Sic non tradas me calumniantibus, imò *suscipe seruum tuum in bonum*, sursum scilicet ad bonum eleua, & cape quem illi impellunt quantum possunt ad malum. Suprà in *Psal.* Impulsus euersus sum vt caderem, & Dominus suscepit me. 2. *Reg.* 22. Eleuator meus, & refugium meum. Seruum tuum dicit, non mammonæ *Matth.* 6. Non potestis Deo seruire, & mammonæ. Non culpæ *Ioan.* 8. Qui facit peccatum, seruus est peccati.

Non calumnientur me, id est, calumniando superent, *superbi*, dæmones, hæretici, Iudæi, Pharisæi. *Isa.* 52. In Ægyptum descendit populus meus, in errorem scilicet, & tenebras ignorantiæ: & Assur, diabolus, hæreticus, Iudæus, Pharisæus, absque vlla causa calumniatus est eum. Et propter hoc ad Dominum clamandum. *Iob* 35. Propter multitudinem calumniatorum clamabunt illud *Isa.* 38. Domine vim patior, responde pro me.

123. *Oculi mei defecerunt.* Hîc secundum, scilicet eius postulatio, per quem fit legis declaratio & adimplerio ad euacuationem calumniarum: & dicuntur duo. Primò tangit meritum, quo vult impetrare. Secundò petit, ibi, *Fac cum seruo.* Duplex allegat meritum. Primò desiderium saluatoris. Secundò cognitionis eloquiorum Dei. *Et in eloquium.* Dicit ergo: Sic Domine petij, & etiam *defecerunt oculi mei*, interiores ardenter & feruenter tendendo, *in salutare tuum. Isa.* 38. Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in Excelso, quando veniet Excelsus.

Et nota, sicut tangit *Glossa*, quòd sunt oculi animæ imperfecti, qui nihil possunt intueri nisi supplicia, vt currant ad pœnitentiam. Et sunt oculi proficientes, qui contemplantur misericordiam Christi, qua conferuntur æterna, & sunt primis aliquantulum clariores. Illi oculi sinistri sunt, isti dextri. Sed sunt oculi purissimi, perfecti, qui figuntur in ipsa diuinitate, vulnerantes cor sponsi. *Cantic.* 5. Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno crine colli tui, & vno, hoc est, in vnitate, oculorum tuorum. Et rursus: Auerte oculos tuos à me, quoniam ipsi auolare me fecerunt: quò enim perfecta plus figere tales oculos in Deum desiderat, eò plus auolat ab ea aliquando, & magis se elongat. Sunt animæ miseræ, de quibus *Genes.* 3. Aperti sunt oculi eorum.

Et in eloquium. Hîc secundum. Quasi diceret: Sic præ desiderio oculi mei, in salutare tuum deficiunt: & etiam *in eloquium iustitiæ tuæ*, clarius cognoscendum. Eloquia enim iustitiæ tuæ nimis alta non possum attingere sine hauritorio gratiæ. *Ioan.* 4. Puteus altus est, & in quo haurias non habes. Et obscura multum. *Psal.* Tenebrosa aqua in nubibus aëris. Et signata. *Dan.* 12. Tu autem Daniel signa sermones istos, vel claude. *Isa.* 8. Liga testimonium, signa legem. Et profunda valdè. *Ezechiel.* 47. Aquæ torrentis profundæ erant, vt transuadari non possent. Eloquia etiam iustitiæ appellat ipsius Saluatoris, id est, Christi eloquia, qui est iustitia. 1. ad *Corinth.* 1. Qui factus est nobis à Deo patre iustitia, & sanctificatio, & redemptio.

Fac cum seruo tuo. Hîc petit duo secundum 124.
duo quæ præmisit. Primò aduentum Saluatoris. Secundò cognitionem veritatis. *Et iustificationes.* Dicit ergo: Sic desidero salutare, sic cognoscere eloquia iustitiæ. Ergo Domine *fac cum seruo tuo.* Quasi diceret: Veni, & mecum operare in carne. *Sapient.* 9. Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, vt mecum sit, & mecum laboret. *Baruch.* 3. Post hæc in terra visus est, & cum hominibus conuersatus est. Et hoc *secundum misericordiam tuam*, non secundum merita mea. *Tit.* 3. Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam, &c. Vel sic: *Fac mecum*, libero meo arbitrio cooperante, *secundum misericordiam tuam.* 1. ad *Corinth.* 3. Dei adiutores sumus. *Ecclesiast. vltim.* Memor fui miserationis tuæ, & cooperationis tuæ, quæ à sæculo sunt.

Et iustificationes tuas. Ecce secundum, in quo petit instrui in duobus. In iustificationibus, vt earum virtutem attendat, & in testimoniis, vt finem & vtilitatem aduertat, ibi, *Seruus tuus.* Dicit ergo: Sic fac secundum tuam misericordiam, & etiam *iustificationes tuas*, quo modo scilicet, & per quid iustificas, *doce me.* Tuum enim est non alterius, cor meum ad intelligendum illas illuminare. *Iob* 38. Per quam viam spargitur lux? Respon. Per illam, quæ est vita, & veritas, quæ dicit *Ioan.* 14. Ego sum via, veritas, & vita.

Seruus tuus sum ego. Hîc secundum, in quo 125.
finis & vtilitas, scilicet testimoniorum cognitio: & dicuntur tria. Primò captat beneuolentiam largitoris. Secundò supplicat. *Da mihi intellectum.* Tertiò finem determinat, ad quem petit, ibi, *Vt sciam.* Dicit ergo: Sic doce iustificationes, & etiam *seruus tuus*, non culpæ, vel creaturæ, à te etiam vt seruus redemptus, *sum ego. Sap.* 9. Noli me reprobare à pueris tuis, quoniam seruus tuus ego sum, & filius ancillæ tuæ. Et hoc non est parum. *Isa.* 49. Parum est mihi vt sis mihi seruus, ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israël conuertendas? Imò magnum. 3. *Reg.* 10. Beati serui tui.

Da mihi intellectum. Ecce quid petit. *Luc.*18. Quid vis vt faciam tibi? Domine vt videam. Da mihi mel dulcedinis tuæ in ſummitate virgæ, rationis ſcilicet meæ, vt illuminentur oculi mei. 1.*Reg.*14.

Vt ſciam teſtimonia tua. Ecce ad quid hoc poſtulo, *vt ſciam teſtimonia tua*, ſcilicet ſcripturarum, quantum valeant, quantum vtilia. Vel *teſtimonia*, id eſt, martyria pro te ſuſtentata, quia multum. *Matth.*10. Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo. Et rurſus ne ſit inanis confeſſio. *Sap.*3. In paucis vexati, in multis bene diſponentur. 2.*Cor.*4. Hoc momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublime, æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.

126. *Tempus bene faciendi.* Hîc eſt ſecunda pars totius octonarij, in qua poſtquam petiit auxilium contra legem impugnantes, oſtendens affectum ſuum ad legis impletionem, & ad legis veram cognitionem, ſubiungit lamentationem pro deſtructione legis à talibus: & eſt indiuiſa pars iſta. Ait enim: Sic peto, vt ſciam teſtimonia tua, quod eſt valdè neceſſarium, quia ô Domine, ipſi *diſſipauerunt tempus*, ipſum in peccatis & in tranſgreſſionibus expendendo, tempus, inquam, *faciendi*, legem tuam, non tantum diſcendi ipſam, quale fuit tempus veteris legis, in quo prænuntiabatur tantum futura noua lex à Prophetis. *Eccleſ.*3. Eſt tempus loquendi, & eſt tempus tacendi, & magis opere adimplendi: Hoc eſt enim tempus adimpletionis, & plenitudinis, de quo *Gal.*4. Quando venit ergo plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum. Et propter hoc tempus ſalutis: non enim diſcere legem, ſalutem operatur, ſed adimplere. 2. *Cor.*6. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Sed hoc tempus diſſipauerunt peſſimi Iudæi, id eſt, legem in hoc tempore obſeruandam, & mali Chriſtiani, inſtante Anti-Chriſto, vt impleatur in illis illud *Iſa.*24. Tranſgreſſi ſunt leges, diſſipauerunt fœdus ſempiternum. *Zach.*7. Poſuerunt cor ſuum vt adamantem, ne audirent legem.

127. *Ideò dilexi.* Hîc eſt tertia pars totius octonarij, in qua monſtratur vehementia dilectionis, & feruor affectus ſui ad mandata Dei. Sed quia dilectio probatur per opera, primò monſtratur affectus. Secundò effectus, ibi, *Propterea ad omnia.* Dicit ergo: Sic illi diſſipant, & quantò plus illam diſſipant, tantò plus ardeo, & diligo: vnde *ideo*, quia ſcilicet diſſipant, *dilexi mandata tua*, in lege ſcripta, quod eſt vtile, quia *Ioan.*14. Qui diligit me, diligetur à Patre meo.

Dilexi ergo, & hoc, *ſuper aurum, & topazion.* Suprà in *Pſal.* Deſiderabilia ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum. Ergo non diligit illa more Iudaico, qui tantum diligunt illa propter terrena commoda, & iſte ſuper omnia, quia ſuper aurum, & lapidem pretioſiſſimum, qui vocatur topazius. *Prou.*13. Melior eſt negotiatio eius, legis ſcilicet diuinæ, acquiſitione auri vel argenti. Et in 8. Melior eſt ſapientia cunctis opibus. *Sap.*8. Non comparaui illi lapidem pretioſum. Et *Iob* 28. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, non lapidi ſardonico pretioſiſſimo, vel ſaphiro. Hic eſt lapis, de quo *Exod.*28. in deſcriptione rationalis: In primo ordine iaſpis, ſardius, topazius, & ſmaragdus. Et *Ezech.*28. Omnis lapis pretioſus ornamentum tuum, ſardius, topazius, & iaſpis. Et *Apoc.*21. dicitur nonus in fundamento ciuitatis nouæ. Hic autem lapis, ſic vocatur à quadam inſula ſic dicta, in qua inuenitur: vnde Poëta,

Nominis eiuſdem topazion inſula gignit.

Et habet virtutes mirabiles. Hæmorroidas ſanat, & luna mutata, mutatur, & vndas maris, ſicut dicunt, compeſcit: vnde Poëta, *Topazii pro prietates.*

Fertur hemorroidis idem lapis auxiliari:
Quodque magis mirum, lunam ſentire videtur:
Feruentes etiam compeſcere dicitur vndas.

128. *Propterea ad omnia.* Hîc ſecundum, in quo monſtrat dilectionem ſuam in effectu. Et primò quantum ad exitum in operationem bonam. Secundò quantum ad mali generalem deteſtationem, ibi, *Omnem viam.* Dicit ergo: Sic dilexi ſuper omnes diuitias, mandata tua in affectu, & etiam *propterea*, quia tantum dilexi corde, *ad omnia*, non ad quædam tantum, quod nullo modo poterat vetus lex, *mandata tua dirigebar*, illa recta intentione faciendo, quod ſequitur ex dilectione. *Cant.*1. Recti diligunt te. *Prou.*4. Dirige ſemitas pedibus tuis, & omnes viæ tuæ ſtabilientur. *Ioſ.*1. Eſto robuſtus valdè, vt facias & cuſtodias legem, quam præcepit tibi Moyſes. *Iacob.*2. Quicumque totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus.

Ad omnia ergo facienda dirigebar, & *odio habui omnem viam iniquam.* Supra eodem: Iniquos odio habui, & abominatus ſum. Non ſum de illis, qui credunt ſe ſimul malum & bonum poſſe diligere, ex vtraque parte inclinati, quibus dicitur 3. *Reg.*18. Vſquequo claudicatis in duas partes? *Rom.*12. Odientes malum, & adhærentes bono.

Vides ergo quomodo petiit adiuuari contra veritatem doctrinæ impugnantes, quomodo prælegit omnibus diuitiis cognitionem legis, & odio habens malum, ad bonum totum cor dirigit: vnde bene præponitur litera Hebraica *Ain*, quod interpretatur oculus, vel fons. Quaſi diceret: : Hic qui hic loquitur, quid neceſſarium ſit & bonum, & inter bona etiam, quid melius, fontali oculo intuetur.

Phi.

129. *Mirabilia teſtimonia tua.* Sicut à principio totius huius Pſalmi dictum fuit, cum actum ſit in prima parte de merito incipientium, poſtmodum proficientium, hic tertiò agitur de meritò perfectorum. Sunt autem tria genera perfectionis. Eſt perfectio Prælatorum, & eſt perfectio laborantium in actiua, & perfectio quieſcentium in contemplatiua, & Deo vacantium. Agitur ergo primò de merito perfectorum, in ſtatu Prælationis. Secundò in ſtatu actionis. Tertiò in ſtatu contemplationis. Secundum ibi, *Clamaui in toto corde meo.* Tertium vero ibi, *Principes perſequuti ſunt me gratis.* In prima duo, *De meritis perfectorum.*

ſecundum

secundum duo quæ requiruntur ad perfectionem Prælati. Primò quod sit perfectus in seipso absolutè. Secundò quod relatione ad alios, quos habet regere, de quo ibi, *Iustus es Domine.* In se autem debet perfici in duobus. In diligenti inquisitione mirabilium Dei, vt instruatur in scientia. In feruenti supplicatione, & humili oratione ad Deum, vt perficiatur in vita. Primò ergo loquens in persona iusti in statu prælationis absolutè, & in se perfecti, confitetur se Dei voluntatem inquisiisse. Secundò ardenter orasse, ibi, *Os meum aperui.* In prima tria. Primò necessitas inquirendi monstratur, quia *mirabilia.* Secundò infertur inquisitio. *Ideò scrutata est.* Tertiò fructus & vtilitas sequens ex inquisitione, ibi, *Declaratio sermonum.*

Dicit ergo: Sic Domine legem tuam impugnant, & dissipant, sed non omnino desperandum, vt totum propter hoc abiicias, nam *mirabilia* sunt *testimonia tua*, antiquis patribus mirabiliter, & tam misericorditer facta, de quibus *Iob* 9. Qui facit magna, & inscrutabilia, & mirabilia, quorum non est numerus. Item creaturæ omnes, quæ attestantur tuæ potentiæ, & tuæ sapientiæ, & tuæ bonitati, de quibus *Ioan.* 5. Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me. Item præcepta, quæ verè attestantur bonitati, de quibus *Iob* 37. Sta, cessando à peccato, & considera mirabilia Dei, præcepta. Omnia autem hæc sunt nobis mirabilia Domine, non tibi. *Eccl.* 39. Nihil est mirabile in conspectu eius.

Ideò. Hîc secundum. Quasi diceret: Sic sunt mirabilia, & antiquis Patribus facta, & opera, & præcepta, & quia mirabilia, inquisitione indigent, & *ideò scrutata est ea anima mea*, non diuinitatis secreta, quia *Prou.* 25. dicitur: Perscrutator maiestatis opprimetur à gloria. Sed scripturæ continentes & mirabilia Patribus facta, & tua præcepta, hæ scrutandæ. Et creaturæ diligenter inspiciendæ, quia per eas ad cognitionem diuinitatis venitur. *Sap.* 10. A magnitudine speciei & creaturæ potuit creator eorum visibiliter cognosci. *Roman.* 1. Mirabilia Dei, per ea quæ facta sunt, à creatura mundi intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius ac diuinitas. Quod autem dicit *anima*, notat diligentiam in scrutando.

130. *Declaratio sermonum.* Hîc tertium, in quo subiungit suæ inquisitionis fructum. Primò quantum ad se singulariter. Secundò quantum ad alios qui præparati sunt generaliter. *Et intellectum.* Ait enim: Sic anima mea scrutata est, hoc inueniens, quod *declaratio* manifesta scilicet, *sermonum* ante inquisitionem occultorum *illuminat* ipsam: quippe *Prou.* 6. Mandatum lucerna est, & lex lux. Et supra eodem: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen, &c. Declarantur autem occulta scripturarum. Primò per inquisitionem diligentem. Postea per publicationem, & per adimpletionem, sicut in figuratis. Per promissorum solutionem, in promissionibus, & commonitionibus.

Et intellectum. Ecce secundum. Quasi diceret: Sic illuminat animam meam scrutantem, & etiam *dat paruulis*, humilibus scilicet, qui malitia paruuli sunt, secundum illud 1. *Cor.* 14. Nolite paruuli effici sensibus, sed malitia paruuli estote. *Intellectum. Matth.* 11. Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. *Mat.* 18. Sinite paruulos venire ad me. *Prou.* 8. Intelligite paruuli astutiam, & insipientes animaduertite.

131. *Os meum aperui.* Hîc secundum, in quo postquam confessus est se inquisiuisse diligenter, confitetur se orasse feruenter: & dicuntur quinque. Primò orationis feruor. Secundò vtilitas inde consecuta, ibi, *Et attraxi spiritum.* Tertiò feruoris causa, ibi, *Quia mandata.* Quartò materia, scilicet quid orauit tam feruenter, ibi, *Aspice in me.* Quintò & vltimò ostendit in oratione sua deuotionis & ardoris vehementiam, ibi, *Exitus aquarum.* Dicit ergo: Sic diligenter mandata Dei scrutatus sum, & etiam *aperui os meum*, literale, scilicet corporis, quod aperitur bene in confessione. *Rom.* 10. Ore confessio fit ad salutem. Et in Dei laude: vnde in *Psal.* suprà: Domine, inquit, labia mea aperies. Et quid? *Et os meum annuntiabit laudem tuam*, & in prædicatione & instructione aliorum. *Eccl.* 15. In medio Ecclesiæ aperuit os eius. *Isa.* 10. Non fuit qui aperiret os, & ganniret. Et in inuestigatione veritatis, per discussionem cum sapientiori. *Ezech.* 3. Aperui os meum, & cibauit me volumine. Et in oratione ad literam, sicut hîc dicitur, & alibi in *Psal.* Aperi os tuum, in deuota oratione: & implebo illud.

Et attraxi spiritum, id est, Spiritus sancti gratiam, ad bene operandum. *Iob* 34. Si direxerit ad Deum cor suum, in oratione sup. spiritum illius & flatum, scilicet fidei, ad se trahet. Et hoc totum feci, *quia mandata tua desiderabam*: desiderium enim mandatorum cognoscendorum & implendorum vrgebat me sic os aperire. *Sap.* 7. Optaui, & datus est mihi sensus: inuocaui, & datus est mihi spiritus sapientiæ. *Eccl.* 6. Cogitatum habe in præceptis Dei, & concupiscentia sapientiæ dabitur tibi. *Matt.* 7. *Luc.* 11. Petite, & inuenietis, mandatorum Dei intelligentiam, dum tamen quæsieritis per diligentiam, & pulsaueritis per instantiam.

132. *Aspice in me.* Hîc tertium, in quo determinat quid orauerit, quia gratiam ad sex. Primò ad remittendum culpam. Secundò ad dirigendum in operationem bonam, ibi, *Gressus meos.* Tertiò ad protegendum in tentationibus bona facientem, ibi, *Vt non dominetur.* Quartò ad liberandum in tribulationibus tentationes superantem, ibi, *Redime me.* Quintò ad reuelandam veritatem in scripturis occultatam, ibi, *Faciem tuam.* Sextò & vltimò ad intelligendum reuelatam, ibi, *Et doce me.* In prima duo. Primò petit misericordiæ gratiam peccata dimittentem. Secundò ostendit dimittendi mensuram, ibi, *Secundum iudicium.* Dicit ergo: Sic dico quòd rogaui, & in rogando spiritum attraxi, & ad hoc motus fui propter mandatorum Dei dilectionem: & hoc est quod oraui, O Domine *aspice in me*, illo respectu, quo respicis humiles, & contritos. *Isa.* vlt. Ad quem respiciam, nisi ad humilem & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Et *Sap.* 4. Et respectus in electos illius. *Ierem.* 14. Ponam oculos meos super eos ad placandum, & reducam eos in terram

hanc. Gratiam peccata remittentem infundendo. *Eccleſ.* 36. Miſerere mei Deus omnium, & reſpice nos.

Secundum iudicium. Hîc ſecundum; in quo quaſi determinat miſericordiæ menſuram. Quaſi diceret: Sic reſpice, & miſericordiam fac, & hoc *ſecundum iudicium diligentium nomen tuum*, id eſt, in diligentibus non tantum te, ſed etiam ipſum *nomen tuum* ſanctum, quos prius dilexiſti miſericordiam præſtando, quàm ipſi te. 1. *Ioan.* 4. In hoc eſt charitas Dei, non quia nos dileximus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit vos. Et infrà: Nos ergo diligamus Deum, quia ipſe prior dilexit nos. Vel ſic: *Miſerere mei:* nec rogo omnino me à pœna abſolui. Sed miſereariſ tantum ſecundum iudicium afflictionis diligentium nomen tuum, vt me affligas ſecundum illos, non ſicut damnatos: tales enim diligis. *Prou.* 8. Ego diligentes me diligo: & propter hoc corripis. *Apoc.* 1. Ego quos amo, arguo & caſtigo. *Hebr.* 12. Quem enim diligit Deus, caſtigat, & flagellat omnem filium quem recipit.

133. *Greſſus meos.* Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic da miſericordiam culpam remittentem: & etiam *dirige*, greſſus meos in bonam operationem. Greſſus dicit animæ affectus, qui tunc à Deo directi ſunt, cum in bonum opus prodeunt, quod ſolius eſt Dei. *Ierem.* 10. Scio Domine, quòd non eſt hominis via eius, nec viri eſt vt ambulet in ea, & dirigat greſſus ſuos. Quaſi diceret: Imò tui. *Prou.* 16. Hominis eſt præparare cor, Dei autem eſt dirigere greſſus. Quos Deus ſic dirigit, pulchros & fortes reddit. Fortes, quia *Luc.* 10. dicitur: Dedit vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones: quippe quia calceat talium greſſus ferro patientiæ, & ære munditiæ. Æs enim eſt imputribile. *Dent.* 33. Ferrum & æs calceamentum eius. Et pulchros reddit, quia *Cant.* 7. dicitur. Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia principis. Et dirige greſſus ſic paratos, *ſecundum eloquium tuum*, ſicut promittis, perducendo ad lumen vitæ.

Et non dominetur mei. Hîc tertium. Quaſi diceret: Sic da gratiam culpam remittentem, da greſſus dirigentem: & per gratiam tuam, *non dominetur mei omnis iniuſtitia*, etſi aliqualiter tentando pulſet, non tamen dominetur deiiciendo: ſi enim deiicit, dominatur. *Ioan.* 8. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. 2. *Pet.* 2. A quo quis ſuperatus eſt, eius & ſeruus eſt. Et propter hoc monet Paulus *Rom.* 6. Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore. *Geneſ.* 3. Subtus te erit appetitus eius, peccati ſcilicet, & culpæ. Nec hoc dicitur propter hoc, quod homo per ſe poſſit dominium euitare. Ad quid enim ad hoc peteret gratiam, ſi ſine gratia iſtud poſſet? ſed ob hoc dicitur, quia ſi vult, poteſt ad gratiam manum mittere, & recurrere ad ipſam, ſicut facit iſte. Si autem non dominatur iniuſtitia, munda reputatur anima. Suprà in *Pſal.* Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo.

134. *Redime me.* Hîc quartum, in quo petit gratiam in tribulationibus perſecutionum liberantem. Et primò petitio. Secundo petitionis finis & ratio vt moueat iudicem, ibi, *Vt cuſtodiam.* Ait enim: Sic petij gratiam liberantem à culpa, dirigentem in bona, in tentationibus conſeruantem, & etiam oraui hoc ô Domine, *Redime me à calumniis hominum*, impugnantium me: hoc enim frequenter bonos impedit. *Ezech.* 22. Populi terræ calumniabantur calumniam. Sed quos calumniabuntur? Bonos, qui hic reputant ſe aduenas & peregrinos. In eodem *Ezech.* Aduenam opprimebant calumnia, abſque iudicio. Et talis calumnia frequenter terret, & impedit bonos. *Eccleſ.* 26. A tribus timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit: delaturam ciuitatis, & collectionem populi, & calumniam mendacem.

Vt cuſtodiam. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Peto à calumnia redimi, & hoc, *vt cuſtodiam*, id eſt, cuſtodire valeam, *mandata tua:* quia *Prou.* 19. Qui cuſtodit mandatum, cuſtodit animam ſuam.

Faciem tuam. Hîc eſt quintum, in quo petit gratiam ad reuelandum velata in Scriptura. Ait enim: Sic da gratiam culpam remouentem, in bonum dirigentem, à tentationibus liberantem, & à calumniis redimentem: & etiam hoc: *Illumina faciem tuam*, id eſt, apertè oſtende veritatem tuam, quæ in ſcripturis antiquis eſt velata, per quam tanquam per faciem cognoſceris: & hoc non ſuper alios, ſuper me ſeruum tuum ſaltem. Hæc facies velata fuit Iudæis, ſicut ſignificatum fuit *Exod.* 33. in velamine, quod erat ſuper faciem Moyſi. In volo etiam, quod dependebat ante faciem tabernaculi Domini. *Exod.* 26. Et eſt adhuc, ſicut dicit Paulus, ſuper corda Iudæorum. 2. *Cor.* 3. Adhuc velamen eſt ſuper corda eorum. Sed in ſeruis Domini eſt reuelata, & illuminante gratia monſtratur, ſicut dicitur 2. *Cor.* 4. Deus qui prædixit de tenebris lumen ſplendeſcere, ipſe illuxit cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei, in facie Ieſu Chriſti. 135.

Vel faciem appellat imaginem Dei in anima ſua, quæ dicitur facies Dei, quia per ipſam aſcendit anima ad cognitionem Dei. *Faciem* ergo *tuam*, id eſt, à te mihi datam, & per quam aſcendo ad tui cognitionem, *ſuper ſeruum tuum*, in ſublime animæ ſerui tui ſitam, *illumina*, luce tuæ bonitatis, ſuper illam irradies, qui es ſol intelligentiæ. *Sap.* 5. Sol intelligentiæ non illuxit nobis: & iuſtitiæ, vt totum illuſtret, intellectum ſcilicet & effectum. *Mal.* 3. Vobis timentibus Deum orietur ſol iuſtitiæ. Vel faciem appellat filium, quem petit manifeſtè apparere. Suprà in *Pſal.* Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalui erimus.

Et doce me, qui ſolus potes, *iuſtificationes tuas*, in figuris velatas & abſconditas. *Ioël.* 2. Dedit nobis Doctorem iuſtitiæ.

136. *Exitus aquarum.* Hîc quintum & vltimum ſecundæ partis octonarij, in quo oſtendit feruoris & deuotionis in oratione vehementiam, per lachrymarum, quas dicit ſe effudiſſe abundantiam: vnde duo tanguntur. Lachrymarum effuſio in abundantia. Secundò cauſa effuſionis illarum, ibi, *Quia non cuſtodierunt.* Dicit ergo: Sic dixi, quod feruenter oraui, & ex hoc gratiam merui. Et quid monit ad orandum, tetigi: & quid etiam oraui: & fuit orationis feruor vehemens, quia *oculi mei deduxerunt*, in diuerſas

ſas partes, & deorſum duxerunt, *exitus aquarum. Ieremias* 9. talem abundantiam deſiderabat cum dicebat: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? Et inuitabat ſeipſum ad hoc in 14. Deducant oculi mei, lachrymas per diem, & noctem. Et in *Thren.* 1. Ego plorans, & oculus meus deducens aquas. Non dicit hic oculi, fortè iam vnum amiſerat in plorando: & alios ad hoc inuitat. *Thren.* 2. Deducant oculi tui lachrymas per noctem, & non taceat pupilla oculi tui.

Propter quid flendum.

Quia non cuſtodierunt. Ecce ratio & cauſa fletus tanti, vna ſcilicet, quia mandata Dei non cuſtodierunt. Pro mandati ergo diuini trangreſſione primò flendum eſt abundanter. *Mich.* 1. Faciam planctum quaſi draconum, qui diuicti ab elephante, ſibilant fortiter & plangunt: & luctum velut ſtruthionum, quæ dicuntur plorare fortiter ouis conculcatis. Item pro vitæ ſterilitate, cum homo videt ſe nihil boni facere. Hic eſt fletus Annæ 1. *Reg.* 2. Cum eſſet Anna amaro animo pro ſterilitate ſua, orauit Dominum flens largiter. *Iud.* 11. Dimitte me vt duobus menſibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam. Item pro diminutione pœnitentiæ, quia peracta non eſt. Sic Ezechias 4. *Reg.* 20. *Iſa.* 38. conuerſus ad parietem, fleuit fletu magno. Pro impetranda erudītione. *Geneſ.* 21. Cum non eſſet aqua in vtre, doctrina in mente, qua pueri ſunt imbuendi, Agar leuauit vocem & fleuit, & exaudiuit Dominus vocem pueri. Pro impetranda patris benedictione. *Geneſ.* 27. Cumque eiulatu magno fleret, motus Iſaac dixit ad eum, &c. Pro præguſtanda ſpirituali dulcedine. *Geneſ.* 32. Non dimittam te, niſi benedixeris mihi, niſi internam dulcedinem ſentire feceris: & hoc dicebat cum fletu. *Oſeæ.* 12. Fleuit, & rogauit eum in Bethel. Pro lætitia & exultatione cognitionis diuinæ, quando aliquantulum irradiat in contemplatione. *Geneſ.* 45. Præcepit vt nullus intereſſet agnitioni mutuæ, eleuauitque vocem cum fletu. Item pro patris & propinquorum ſpirituali morte. *Geneſ. vlt.* Quod cernens Ioſeph, fleuit ſuper faciem patris: & oſculans, & deoſculans eum.

Hîc etiam ſecundum hoc plorat & eadem de cauſa, vt ſit ſenſus: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt*, calumniantes, & mali à quibus liberari petij, *legem tuam.* Et huic ſenſui concordat litera præpoſita octonario, ſcilicet *Phe*, quod interpretatur *Errauit.* Ac ſi diceret: Ponderet aliquis cur plorat iſte populum legem non cuſtodientem. Ecce errauit: & deplorat illius errorem, quamuis ad ſeipſum referri poſſit. Ac ſi dicat: Ecce hic ſcrutatus eſt mandata Dei, & orauit cum tanta lachrymarum abundantia. Cur hoc? Ecce *Phe*, hoc eſt, errauit, & errorem ſuum lamentis correxit.

Sade.

137. *Iuſtus es Domine.* Actum eſt in parte præcedenti de prælati perfectione in ſe, hic comparatione ad alios, ad quod concurrunt quinque. Primò ſui accuſatio coram Deo, vel melius recognitio diuinæ iuſtitiæ. Secundò feruens zelus, & dilectio delinquentium, ibi, *Tabeſcere me fecit.* Tertiò humilitas & ſui defectus, & recognitio & confeſſio, ibi, *Adoleſcentulus.* Quartò perſeuerantia in bono, in tribulatione & anguſtia, ibi, *Tribulatio & anguſtia.* Quintò æquitas in iudicando, vt non ſit acceptio perſonarum in iudicio, ibi, *Æquitas teſtimonia.* In prima duo. Primò quaſi accuſando ſe confitetur Deum eſſe iuſtum, etiam cum affligit illum. Secundò probatur, quòd verè ſit iuſtus, ibi, *Et rectum iudicium.*

Dicit ergo: Sic Domine ploro abundanter, quia non cuſtodiebant, vel inimici mei, vel ipſi oculi mei, legem tuam: & non eſt mirum, quia ô *Domine iuſtus es*, teſtimonio. *Ierem.* 12. Iuſtus es Domine ſi diſputem tecum. *Iuſtus* in corde, quia iuſtitiam diligis. Suprà in *Pſal.* Iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit. *Iuſtus* in ore, quia iuſtitiam loqueris. *Iſa.* 43. Ego qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſaluandum. *Iuſtus* in opere, quia iuſta ſemper & iuſtè facis. *Pſal.* Iuſtus Dominus in omnibus operibus ſuis. Tu es ergo iuſtus ille, de quo *Iſa.* 57. Iuſtus perit, & non eſt qui recogitet in corde ſuo. Et rectè vocatus iuſtus. *Ierem.* 23. Hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter. *Prou.* 2. Qui negligit damnum propter amicum, iuſtus eſt. Ipſe verò non tantum propter amicum, ſed propter inimicum etiam.

Et rectum iudicium. Hîc ſecundum, in quo probat veraciter iuſtum, per tria quæ veraciter iuſtum probant & oſtendunt. Primum eſt interior diſcretio in diſcernendo merita. Secundum, voluntatis ſuæ & rectitudinis publicatio ne quem excuſet ignorantia, ibi, *Mandaſti iuſtitiam.* Tertium, pœnæ promulgatio ſi non fecerit, quod rectum eſt, & præmij ſi fiat, ibi, *Et veritatem tuam.* Dicit ergo: Sic dico, quòd iuſtus es, & verè, quia *& iudicium tuum*, quo interius diſcernis quid agendum, *eſt rectum. Iob* 9. Si fortitudo quæritur, robuſtiſſimus eſt: ſi æquitas in iudicio, nemo audebit pro me iudicium reddere. Quaſi diceret: Tanta eſt rectitudo, quod nullus poterit negare, quin bene ſit iudicatum. *Sap.* 5. Induet pro thorace iuſtitiam, & accipiet pro galea iudiciū certum & rectum, in me affligendo. *Dan.* 3. Viæ tuæ rectæ, & omnia iudicia tua vera. Iudicia vera feciſti iuxta omnia quæ induxiſti ſuper nos.

Mandaſti iuſtitiam. Hîc ſecundum. Quaſi 138.
diceret: Diſcretè, & rectè iudicas, & etiam tu *mandaſti*, vt omnes ſcirent: *iuſtitiam tuam*, conſeruari: quæ, inquam iuſtitia eſt *teſtimonia tua*: ipſa enim iuſtitia cum mandatur & publicatur, teſtis eſt iuſtitiæ mandantis, qui vult ſubditos præmunire. *Prou.* 12. Qui quod nouit loquitur, iudex iuſtitiæ eſt: qui quod nouit faciendum loquitur, mandando vt fiat, iudex iuſtitiæ eſt, qui in ſeipſo eſt. Iuſtitiam autem mandaſti omnibus, & præcipuè iudicibus. *Sap.* 1. Diligite iuſtitiam qui iudicatis terram. Et mandaſti ipſam iuſtitiam *nimis*, id eſt, multum: quia per multos, & multo tempore eam feciſti prædicari & publicari. *Et veritatem tuam*, ſimiliter mandaſti, qua reddis vnicuique vt meretur. *Rom.* 2. Scimus, quod iudicium Dei, id eſt, retributio, eſt ſecundum veritatem in his qui talia agunt. Veritatem etiam iudicibus mandat obſeruandam. *Zach.* 8. Veritatem & iudicium pacis iu-

dicate

dicate in portis veſtris, ſicut & ego. *Apocal.5.* iuſtæ & veræ ſunt viæ tuæ Domine rex ſæculorum. *Pſal.* Iudicabis orbem terrarum in æquitate, & populos in veritate ſua.

139. *Tabeſcere me fecit.* Hîc ſecundum, in quo poſtquam præceſſit ſui accuſatio, & commendatio diuinæ iuſtitiæ, ſubiungit de zelo. Loquens ergo in perſona perfecti Prælati, confitetur zeli vehementiam. Secundò aſſignat tanti zeli cauſam, ibi, *Quia obliti ſunt.* Dicit ergo: Sic Domine iuſtus es, & propter hoc quia ſic mandaſti iuſtitiam, *zelus meus*, vel *tuus*, ſecundum aliam literam, id eſt, *zelus meus*, quia in te eſt, *tuus*, quia à te mihi datus, vehemens ſcilicet charitas, *fecit me tabeſcere.* Tabeſcere enim facit infirmitas, & pœna. *Pſal.* Tabeſcere feciſti ſicut araneam, &c. Et inuidiâ. *Sap.6.* Nec cum inuidia tabeſcente iter habebo. Et paſſionis Chriſti memoria. *Thren.3.* Recordare paupertatis meæ, &c. Et paulo poſt: Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea. Et iracundia. *Pſal.* Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet. Et dilectionis vehementia, ſicut hic dicitur. In *Pſal.* infrà: Vidi præuaricantes, & tabeſcebam. Et *Ioan.2.* Zelus domus tuæ comedit me, quod eſt plus etiam, quam tabeſcere, quia totum me conſumpſit.

Triplex cauſa zeli.

Quia obliti ſunt. Hîc ſecundum, in quo ſubiungit cauſam tanti zeli triplicem, inimicorum tranſgreſſionem, eloquij diuini feruorem. *Ignitum eloquium.* Et feruentis eloquij dilectionem. *Et ſeruus tuus.* Dicit ergo: Sic me fecit zelus meus tabeſcere: & hoc, *quia inimici mei*, eo ipſo, *obliti verba tua. 3.Reg.19.* Zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum filij Iſraël. Et eſt virtus multum placens Deo. *Num.25.* Erit tam ipſi, quam ſemini eius, pactum Domini ſempiternum, quia zelatus eſt pro Deo ſuo. Dum tamen ſit ſecundum ſcientiam, non qualis eſt Iudæorum. *Rom.10.* Perhibeo illis teſtimonium, quoniam zelum quidem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Et ſit ſiue amaritudine. *Iacob.2.* Quod ſi zelum amarum habetis, lites & contentiones habebitis.

140. *Ignitum eloquium.* Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Zelum habui, quia inimici ad modum obliuioſorum tua verba habent, ſed etiam quia *eloquium tuum*, à te in lege datum, & per Prophetas probatum, eſt *ignitum*: & hoc, *vehementer. Prou.30.* Omnis ſermo Domini, quaſi ignitus clypeus eſt ſperantibus in ſe. *Eccleſ.48.* Surrexit Elias quaſi ignis, & verba eius ardebant quaſi facula. Hunc ardorem ſentiebat, qui dicebat *Ierem.20.* Factus eſt ſermo Domini quaſi ignis æſtuans in corde meo, elauſuſque in oſſibus meis, & defeci ferre non ſuſtinens. Et in 23. dicit ipſe Dominus: Nonne verba mea quaſi ignis, & quaſi malleus conterens petras?

Cur eloquiũ Domini dicitur ignitum.

Et verè ignis, quia illuminat. Suprà in *Pſal.* Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Supià eodem: Declaratio ſermonum tuorum illuminat. Et rurſus: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Accendit & inflammat ſicut ignis. *Ierem.5.* Ego dedi verba mea in ore tuo, in ignem, & populum iſtum in ligna. Liquefacit dura. *Cant.5.* Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus loquutus eſt. *Iob 28.* Lapis calore ſolutus in æs vertitur. Aridis nutritur, & vnctuoſis, operibus ſcilicet pœnitentiæ aſperis, & operibus miſericordiæ & deuotionis: ſed hudis extinguitur, ſicut aquoſis, ſcilicet luxuriæ operibus. Supra eodem: A mandatis tuis intellexi. Et ſuprà in alio: Intellectus bonus omnibus facientibus eum. Cinerem generat, & relinquit, ſcilicet humilitatẽ & mortis memoriã. *Gen.3.* Memento quia cinis es, & in cinerem reuerteris. *Eccl.10.* Quid ſuperbis terra & cinis?

Et ſeruus tuus. Ecce tertium. Quaſi diceret: Sic ignitum eloquium tuum, & inflammat cor, *& ſeruus tuus*, ego ſcilicet, *dilexit illud.* Supra eodem: Dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion. Et ibidem de hoc ſatis.

Adoleſcentulus ſum. Hîc ſubiungitur conditio tertia, ſcilicet vera humilitas, quæ eſt in confeſſione ſui defectus aperta: & dicuntur tria. Primò defectus proprij confeſſio. Secundò ne credatur vitioſus & culpabilis, nihilominus legis Dei obſeruatio, ibi, *Iuſtificationes.* Tertiò cauſa & ratio, quare proprium ſic confitetur defectum, & conſeruat in corde diuinum præceptum, ibi, *Iuſtitia tua.* Dicit ergo: Sic zelo tabeſco, & patum proficio propter defectum, ex parte mea, quia *adoleſcentulus ſum ego*, quantum ad defectum in ſcientia. *Iob 12.* In antiquis eſt ſapientia: & propter hoc cum non ſim antiquus, minus audeo loqui. *Eccl.32.* dicitur: Adoleſcẽs loquere in cauſa tua, vix cum neceſſe fuerit. Sic & Ieremias qui dicebat in primo: A, a, a, Domine Deus neſcio loqui, quia puer ego ſum, & contemptus in vita: non enim mea ſimplicitas aliquid reputatur à ſuperſtitioſis hominibus & ſuperbis. *Iob 22.* Deridetur iuſti ſimplicitas. Lampas contempta apud cogitationes diuitum, ſed non apud Deum, qui frequenter tales eligit. *1.Cor.1.* Ignobilia mundi & cõtemptibilia elegit Deus. Et Ioſeph elegit, qui erat minor, & contemptibilis inter fratres. *Geneſ.37.* Sic Dauid *1.Reg.17.* & *Daniel.13.* Suſcitauit Dominus ſpiritum pueri iunioris. 141.

Et tamen *iuſtificationes tuas*, quantumcumque contemnar, *non ſum oblitus.* Suprà eodem: In æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas, quia in ipſis viuificaſti me. Non debet contemni adoleſcentia, quæ Dei iuſtificationes non obliuiſcitur. *1.Tim.4.* Nemo adoleſcentiam tuam contemnat, dicitur Timotheo in Dei iuſtificationibus erudito.

Iuſtitia tua. Hîc tertium, in quo ſubiungitur cauſa & ratio quare vult contemni, & quare iuſtificationes non obliuiſcitur: & tangitur duplex. Primò præmij æternitas. Secundò promiſſionis veritas. *Et lex tua.* Ait ergo: Sic contemnor, nec curo, ſed adhæreo iuſtificationibus, quia *iuſtitia tua*, quæ reddis vnicuique iuxta merita, eſt ſup. *iuſtitia in æternum*, æterna ſcilicet, & promittens æterna bona bonis, vel æterna ſupplicia malis. *Sap.1.* Iuſtitia perpetua eſt & immortalis. *Dan.9.* Donec deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna. 142.

Et lex tua, quæ nos docet iſta, *veritas. Mal.2.* Lex veritatis fuit in ore eius, ſcilicet Leui, de cuius ſtirpe Moyſes legiſlator fuit. Et noua veritas. *Ioan.17.* Sermo tuus veritas eſt. Propter hoc qui veritatis ſunt amatores, audiunt vocem,

&

& legem Dei. *Ioan.*18. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.

143. *Tribulatio & angustia.* Hîc quartum, in quo tangitur perseuerantia in bono, in tribulatione & miseria. Duo ergo dicuntur. Miseriarũ multiplicatio, & intra & extra. Secundò in bono constãtia cum additur, *Mandata tua.* Dicit ergo: Sic ignorans & contemptus sum, & tamen constans, quia *tribulatio*, exterior, *& angustia*, interior cordis, *inuenerunt me*, paratum illas sustinere gratanter & lætanter. Scio enim illud 2. ad *Tim.*3. Omnes qui piè volunt viuere in Christo, persequutionem patiuntur. *Act.*14. Per multas tribulationes oportet intrare in regnum cœlarum. Vnde gaudeo cum in portu me sentio. Propter quod dicitur *Iob* 6. Hæc sit consolatio mea, vt affligens me, dolori non parcat.

Mandata tua. Hîc secundum. Quasi diceret: Sic inuenerunt me mala multa: & tamen *meditatio mea est* ipsa mandata tua de dilectione semper habenda in te, & in proximo. *Rom.*8. Quis nos separabit à charitate Dei, quæ est in CHRISTO IESV? tribulatio? &c. *Iosue* 1. Non recedat volumen istud de ore tuo. De ore, inquam, cordis: necesse est quod aliquando de ore corporis. *Cant.vlt.* Aquæ multæ, tribulationum & angustiarum, non potuerunt extinguere charitatem.

144. *Æquitas testimonia.* Hîc quarta conditio: quantumcumque enim accusator sui sit, quantumcumque zelator, quantumcumque humilis & constans prælatus, tamen non valet ad regendum, si non sit in eo æquitas, vt non sit omninò acceptio personarum apud Deum: & dicuntur tria. Primò confitetur beneficio legis se habere æquitatem. Secundò petit legis intelligentiam, ibi, *Intellectum da mihi.* Tertiò consequentem inde tangit vtilitatem, ibi, *Et viuam.* Ait ergo: Sic in tribulatione constans sum, & perseuero: & etiam *testimonia tua*, scripturarum scilicet dicta, vel ipsa martyria, quæ video sanctos fuisse passos, sunt mihi *æquitas*, hoc est, æquitatis causa. *Leuit.*22. Æquum iudicium sit inter vos, vt nullo modo personas accipiatis. *Deut.*16. Non accipies personam, & munera. *Testimonia*, inquam, *tua in æternum* mansura, quantum ad legem, in æternum regnum ducentia quantum ad martyria.

Intellectum da mihi, & legis, & vtilitatis martyriorum. 2. *Paral.*1. Da mihi sapientiam & intelligentiam, vt ingrediar, & egrediar coram populo tuo. Aliter non possum benè in regimine populi ministrare. *Prou.*1. Intelligens gubernacula possidebit. Et 14. Acceptus est Regi minister intelligens. *Et* sic *viuam*, vita gratiæ in præsenti, & vita gloriæ in futuro.

Vide ergo quomodo hic sui accusator, & zelator fortissimus, & constans in tribulatione & deiectione, maneat semper in æquitate, & tanquam consolatus petat intelligentiam semper ampliorem, vt sic assequatur vitam: vnde non cadit per desperationem, quamuis tabescat propter malos, sed consolatur magis propter diuinam iustitiam, & diuinæ legis veritatem. Vnde hîc præponitur litera *Sade*, quod interpretatur consolatio.

Coph.

Clamaui in toto. Sicut superius dictum fuit in *Mirabilia testimonia* &c. Postquam actum est de merito perfectorũ in statu perfectionis propriè, hic subiungitur de merito perfectorum quoad statum actionis, qui siue in prosperitate sint, siue in aduersitate, tamen cor habent semper ad legem Dei, & mandata ipsius adimplenda. Primò ergo tangitur meritum ipsorum in statu prosperitatis. Secundò aduersitatis in sequenti octonario. *Vide humilitatem.* In prima tanguntur tria. Primò confitetur se orasse feruenter pro legis intelligentia & adimpletione. Secundò instanter. *Præueni in maturitate.* Tertiò adhuc persistens orat confidenter, ibi, *Vocem meam.* In prima duo. Primò confitetur se feruenter orasse pro legis intellectu requirendo. Secundò pro adimplendo in opere intellectum. *Clamaui ad te.* In prima tria. Primò confitetur modum quo orauit, quia cum clamore & cordis integritate. Secundò quid orauerit. *Exaudi me.* Tertiò ad quid. *Iustificationes tuas.* 145.

Ait ergo: O *Domine clamaui.* In hoc feruor intelligitur, qui fuit in Moyse *Exod.*14. & in Anna 1. *Reg.*1. & in Susanna *Dan.*14. Et hoc, *in corde meo*, non in cordis parte, sicut Iosaphat 2. *Paral.*1. Iosaphat autem timore perterritus, totum se contulit ad rogandum Dominum, sicut Daniel, & sui. *Dan.*4. Nunc sequimur te in toto corde, & timemus te, & quærimus facien tuam.

Exaudi me. Hîc secundum. Quasi diceret: Sic clamo: & hoc clamo, ô *Domine exaudi me. Dan.*9. Exaudi Domine orationem serui tui. *Ion.*2. Clamaui ad Dominum de tribulatione, & exaudiuit me.

Iustificationes. Ecce tertium. Quasi diceret: Sic rogaui vt exaudires. Sed ad quid vis exaudiri? Ad hoc, vt *requiram*, quæram scilicet, & iterum quæram, *iustificationes tuas. Isa.*21. Si quæritis, quærite. 2. *Paral.*34. Cum adhuc esset puer, cœpit requirere Deum patris sui Dauid, id est, mandata & præcepta eius, quæ iustificationes Dei sunt.

Clamaui ad te, saluum me fac. Hîc secundo confitetur se feruenter orasse, pro implendo quod fuerit intellectum. Impletur autem cauendo malum, & hoc confitetur primò se firmiter rogasse: & faciendo bonum, & hoc confitetur secundò. *Vt custodiam.* Ait ergo: Sic clamaui vt des gratiam requirendi: & etiam ô Domine *clamaui ad te*, non ad alium dicens sup. *Saluum me fac*, à malo me conseruando, non tantum pœnæ, sed etiam culpæ. *Matth.*14. Et cum cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine saluum me fac. Quamuis enim iustificationes requisierim, & illas intelligam, tamen superbus sum, si per hoc saluari me dixerim. *Greg.* Qui ex scientia, quam habet, erigitur, vnde debet erigi, excæcatur. *Isa.*43. Ego Dominus, & non est absque me Saluator. 146.

Vt custodiam, opere adimplendo, *mandata tua*, quia sic mandasti. *Psal.* supra eodem: Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.

Præueni in maturitate. Hîc secunda pars totius octonarij. Postquam enim confessus est orasse se feruenter, pro intelligentia legis & impletione,

hîc

hîc confitetur oraſſe ſe inſtanter & ſollicitè. Duo ergo dicuntur. Primò oſtendit in oratione fuiſſe inſtantiam, cum ipſo clamore de quo ſuprà, ſeu feruore. Secundò vigilantiam, & circumſpectionem, ibi, *Præuenerunt oculi.* In prima duo. Primò tangitur orantis inſtantia. Secundò inſtantiæ cauſa, ibi, *Quia in verba tua.* Dicit ergo: Sic oraui ardenter, & clamando, & etiam *præuent in maturitate*, hoc eſt, cito, & de nocte: *& clamaui* in oratione. *Thren.*1. Surge, lauda in nocte, in principio vigiliarum. Sicut Iacob *Geneſ.*32. Vir luctabatur cum eo vſque mane. Scut Ezechias, qui dicebat *Iſa.*38. Sicut pullus hirundinis ſic clamabo. Sic enim oportet. *Sap.*16. Oportet præuenire ſolem ad benedictionem. Nec hoc dicitur, quia poſſit Deus iuſtificans præuenire, ſed remunerans. Dicit enim *Bernardus*, quòd inueniri poteſt Deus, præueniri autem non poteſt.

Et in verba. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic præueni horam Diei, & remunerationem: *& verba tua*, quibus promittis præuenientibus bona, *ſuperſperaui.* Expone ſicut ſuprà. Vel *ſuperſperaui*, ſcilicet ſuperna ſperaui, & æterna. 1.*Cor.*15. Si tantum in hac vita in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.

148. *Præuenerunt oculi.* Hîc ſecundum, in quo monſtrat in oratione ſua vigilantiam: & dicuntur duo. Primò quod vigilauit. Secundò ad quid vigilauit. *Vt meditarer.* Dicit ergo: Sic tanquam inſtans, & ſollicitus, vrgente ſpe præueni horam, & etiam *oculi mei præuenerunt ad te* directi: & hoc, *diluculo. Iſa.*26. De mane in præcordiis meis vigilabo ad te. *Eccleſ.*29. Iuſtus cor ſuum tradet ad vigilandum diluculò ad Deum qui fecit illum. *Prou.*8. Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie. Et ad quid?

Vt meditarer, vt meditandi gratiam haberem, *eloquia tua. Eccl.*15. Beatus homo qui in ſapientia morabitur, & in iuſtitia meditabitur. Iſtæ enim ſunt ſapientum vigiliæ. *Prou.*15. Cor ſapientis quærit doctrinam. Et in eodem: Mens iuſti meditabitur ſapientiam. Vtiles & fructuoſæ. *Prou.*8. Qui mane vigilauerint ad me, inuenient me. Et in ſapientia conſummatæ. *Sap.*6. Cogitare de illa, ſenſus eſt conſummatus. Ad vigilandum ergo manè temporis, ad literam, non ſolum nocte, quomodo Chriſtus captus eſt. *Ioan.*18. Quia in mane reſurrexiſſe innotuit, mane Diſcipulis piſcantibus apparuit *Ioan.*20. Mane Ægyptios ſubmerſit *Exod.*14. Mane etiam iuuentutis. *Thren.*3. Bonum erit viro cum portauerit iugũ Domini ab adoleſcentia ſua. *Mat.* 18. Sinite paruulos venire ad me. Manè etiam gratiæ, & illud diluculum, quo gratia infunditur cordi præparato: de quo *Oſe.*6. Quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus eius, ad animam, ad illuminandum ipſam per radiorum gratiæ infuſionem.

149. *Vocem meam audi.* Hîc tertium, in quo adhuc orat confidenter. Duo ergo dicuntur. Primò orationem præmittit cum perſuaſione. Secundò oſtendit confidentiam, quam habet de adimpletione, ibi, *Prope es tu Domine.* In prima duo. Primò oratio. Secundò perſuaſio multiplex vt acquieſcatur, ibi, *Appropinquauerunt.* In prima duo. Primò petit vt miſericorditer audiatur. Secundò vt viuificetur. *Et ſecundum iudicium* Dicit ergo: Sic oraui frequenter, & inſtanter, & adhuc non ceſſo, imo dico: *Domine audi vocem meam*, quia clamo ad te: & hoc, *ſecundum miſericordiam tuam. Bar.*3. Audi Domine, & miſerere, quia Deus es miſericors. Et in eodem: Fac nobiſcum ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ. Et petit audiri efficaciter. Scit enim quod auditu ſimplici auditur. *Sap.*1. Auris zeli audit omnia. *Thren.*3. Vocem meam audiſti, ne auertas aurem à ſingultu meo. *Iudith.* 9. Exaudi me miſeram & de tua miſericordia præſumentem.

Et ſecundum iudicium. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Audi miſericorditer, & viuifica me, ablata per miſericordiam miſeria: & hoc, *ſecundum iudicium tuum*, diſcretionem tuam, quæ primò aufert mala, & poſtmodum confert bona: vnde ordinatè dictum eſt ſuprà in *Pſal.* Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Vel *viuifica me ſecundum iudicium tuum*, quo iudicas remittendum eſſe peccatum pœnitenti. *Prou.*28. Qui confeſſus fuerit, & reliquerit ea, veniam conſequetur. Vel *ſecundum iudicium tuum*, non ſecundum legis Moſaicæ, quæ interficiebat. *Exod.*23. & quaſi per totum Leuiticum. *Deut.*28. ſed *Ioan.*6. Verba quæ ego loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt. Vel *viuifica*, lege peccati mortuum: propter quod clamabat Paulus in perſona Gentilium. *Rom.*7. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Dominum IESVM CHRISTVM.

150. *Appropinquauerunt perſequentes.* Hîc ſecundum huius partis, in quo ſubiungitur perſuaſio. Perſuadet autem à neceſſitate petendi, quam oſtendit duplicem: appropinquationem inimicorum & perſequentium ad malum, & elongationem à bono, ibi, *A lege autem tua.* Dicit ergo: Sic peto miſeriam amoueri, veram vitam dari, vel magis in data conſeruari. Nec mirum ſi peto Domine, quia *perſequentes me*, & verbis & factis, *appropinquauerunt iniquitati*, id eſt, iniquitati ſe coniunxerunt, quia ſola me perſequuntur iniquitate, non propter culpam meam. *Amos.*6. Separati eſtis in diem malum, & appropinquatis ſolio iniquitatis. Tales timeo, ſicut filij Iſraël *Exod.*14. Cum appropinquaret Pharao, qui inique perſequebatur filios Iſraël, leuãtes oculos ſuos timuerunt valdè. Sic & rogo, etſi ſiue culpa ſim patiens ſecundum Petri regulam. 1. *Pet.*4. Nemo veſtrum patiatur tanquam fur aut homicida. Vel ſic: *Perſequentes me iniquitati*, id eſt, ex iniquitate: in hoc enim inquitati ſeruiunt, & quaſi ad honorem iniquitatis faciunt, *appropinquauerunt*, mihi ſup. vnde compellor clamare ne plus appropinquent: propinqui enim ſunt in verborum exacerbatione, ſed propinquiores in rerum ablatione, ſed propinguiſſimi in proprij corporis afflictione.

A lege autem tua. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic iniquitati appropinquant, *longe autem facti ſunt à lege tua. Zach.*7. Noluerunt attendere, & auerterunt ſcapulam, recedentes. *Bar.*3. A facie ipſorum longè facta eſt. *Mich.*7. In die illa longè fiet lex.

151. *Propè es tu Domine.* Hîc eſt tertia pars partis

partis totius octonarij. Oſtendit enim, vnde ei confidentia de adimpletione eius quod petitum eſt, quia ex tribus. Ex diuina promptitudine ad conferendum. Ex certitudine promiſſionum, ibi, *Et omnes viæ.* Et immutabilitate ſtatutorum, ibi, *Initio cognoui.* Dicit ergo: Sic petij, & confido, quia ô Domine, *tu es prope*, non tantum magnitudine maieſtatis ſecundum illud *Ierem.* 23. Cœlum & terram ego impleo. Vel cognitione tuæ perſpicacitatis, qua penetras omnia, ſecundum illud *Eccl.* 23. Oculi Domini multò plus lucidiores ſunt ſole, contemplantur in omni loco bonos & malos. Et *Hebr.* 4. Omnia nuda ſunt & aperta oculis eius. Sed promptitudine adiuuandi propter excellentiſſimam bonitatem. *Iſa.* 55. Quærite Dominum dum inueniri poteſt, inuocate eum dum prope eſt. Qui enim voluerint appropinquare tibi orando, appropinquas exaudiendo. *Iacob.* 4. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Imo facis nos etiam tibi propinquos tua bonitate, ſecundum illud Pauli *Epheſ.* 2. Qui aliquando fuiſtis longè, facti eſtis propè. Ergo cum propè ſis, propè me facies, non oportet me eſſe ſollicitum, quin quæ peto tribuas. *Phil.* 4. Dominus propè eſt, nihil ſolliciti ſitis.

152. *Et omnes viæ.* Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic es propinquus, & etiam verus, quia *omnes viæ tuæ veritas*, neſcis ambulare per deuia falſitatis, quin ſemper reddas quod promittis. *Dan.* 4. Vniuerſa opera tua vera, & viæ tuæ rectæ, & omnia iudicia tua vera. Oppoſitionem nota, quæ eſt in *Gloſſa*, & ſolutionem.

Initio cognoui. Hîc tertium, ex quo naſcitur confidentia, immutabilitas ſtatutorum ſuorum. Duo ergo dicit. Primò de ſtatutis Dei, quæ eius bonitatem atteſtantur, quid cognouerit. Secundò quid ſit illud ſpecificat, & oſtendit, quia immutabilia & æterna, ibi, *Quia in æternum.* Ait ergo: Sic propinquus es, & verus, & ſtabilis, & firmus, non variabilis: quia *initio cognoui*, id eſt, primo & præcipuè cognoui: & ſumitur aduerbialiter. Vel, *initio cognoui de teſtimoniis tuis*, quibus promittis bona petentibus. Et quid cognouiſti de eis? Hoc, *quia in æternum fundaſti ea.* Sic fundaſti ea quæ ſunt in æternum manſura. *Matth.* 24. Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. *Prouerb.* 12. Labium veritatis firmum eſt, & perpetuum. Nec mirum quia ſuper petram firmiſſimam, ſcilicet ſuper Chriſtum ſunt fundata. 1. *Cor.* 3. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Ipſe enim à Deo poſitus eſt fundamentum, non ſolum ſcripturæ, ſed etiam totius Eccleſiæ. *Iob* 28. Vbi eras cum ponebam fundamenta terræ?

Et nota, quòd ſecundum *Gloſſam* hîc præponitur litera *Coph*, quod interpretatur concluſio, vel aſpice, quia ſecundum *Gloſſam* iſte tanquam timens ſibi concludi à diabolo, & ab ipſo includi, clamat ad Dominum, vt aſpiciat, ſicut patet in principio octonarij. Poteſt tamen dici, quod iſte, ſicut expoſitum eſt, primò dixit ſe oraſſe ardenter, poſtmodum ſollicitè & inſtanter, tandem confidenter totum concludens in diuina pietate, veritate, ſtabilitate. Pietas reſpondet Spiritui ſancto, veritas Filio, ſtabilitas Patri. Præponitur ergo Coph, quod interpretatur aſpice, & concluſio, ac ſi aperte tibi dicatur: Aſpice huius orationis concluſionem eſſe elegantem.

Res.

153. *Vide humilitatem meam.* Hîc ſecundum, quod pertinet ad meritum perfectorum actiuorum, ſcilicet meritum illorum in ſtatu aduerſitatis, in quo refugiunt ad Deum, & orant à tribulatione liberari: & dicuntur duo hîc. Primò ſupplicatio aſſignando cauſas quare exaudiendus ſit. Secundò confidentia, quòd exaudiendus ſit, ibi, *Principium verborum.* In prima duo ſecundum duo quæ petit, in quibus eſt plena tribulatio. Primò quidem petit ab omni malo liberari. Secundò æternaliter viuificari, ibi, *Propter eloquium tuum.* In prima duo. Primò petit eripi à malis æternis. Secundò à præſentibus miſeriis, ibi, *Iudica iudicium.* In prima tria. Primò petit vt humilitatem eius attendat. Secundò vt merito humilitatis illius eripiat à malis æternis, ibi, *Et eripe me.* Tertiò probat, quòd exaudiendus, ibi, *Quia legem.*

Dicit ergo: O Domine clamaui ardenter, inſtanter, & tu es prope: ergo vide, oculo pietatis, & miſericordiæ, de quo in *Pſal.* ſuprà: Oculi Domini ſuper iuſtos. Et *Sap.* 4. Et reſpectus in electos illius. *Humilitatem meam. Iudith* 6. Reſpice Domine ad humilitatem noſtram, & ad facies ſanctorum intende. Et ſic facit Dominus libenter. *Deut.* 26 Reſpexit Dominus humilitatem noſtram, & laborem, atque anguſtias. In *Pſal.* infrà: Humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit. Huius teſtis eſt illa quæ dicit *Luc.* 1. Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Sicut enim tumor ventris ſignum eſt corruptionis, ſic tumor mentis ſignum eſt corruptionis ſpiritualis: & ſicut gracilitas ſignum eſt virginitatis & integritatis, ſic humilitas integritatis ſpiritualis & virginitatis.

Et eripe me. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic humilitatem reſpice, & ſic à malis æternis eripe. *Dan.* 3. Erue nos in mirabilibus tuis. Hoc eſt enim bene ſanctis facere. 2. *Petr.* 2. Nouit Deus ſuos de tentatione eripere, & per hoc certè de æterna damnatione. Propter hoc quod humilitas meretur ereptionem, dicitur *Prou.* 16. Melius eſt humiliari cum mitibus, quàm diuidere ſpolia cum ſuperbis. Et rurſus in 15. Gloriam ereptionis à malo æterno, præcedit humilitas.

Quia legem. Hîc probat. Quaſi diceret: Rogo vt eripias, & debes, *quia legem tuam*, quam doces *Matth.* 11. Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Et rurſus *Luc.* 13. & 18. Omnis qui ſe humiliat, exaltabitur. *Non ſum oblitus.* Infrà eodem. Quære ſeruum tuum, quia mandata tua non ſum oblitus.

Iudica iudicium. Hîc ſecundum, in quo petit à miſeriis præſentibus redimi: & dicuntur duo. Primò petit eum iudicem in cauſa

quæ eſt inter ſe, & aduerſarium ſuum. Secundò redemptorem à miſeria in qua deiectus eſt ab illo, ibi, *Et eripe me.* Dicit ergo: Sic humilitatem vidi, & eripe, & etiam *iudicium meum*, id eſt, cauſam quam habeo contra diabolum, *iudica*, ſicut in illo feciſti, qui dicebat *Thren. 3.* Iudicaſti Domine cauſam animæ meæ. Et *Ierem. 20.* Videam quæſo, inquit, vltionem tuam ex eis: tibi enim reuelaui cauſam meam. Hoc ipſum enim vis alios facere. *Leuit. 21.* Iudicate vi oppreſſum. Sic accipitur iudicium, ſcilicet pro cauſa. *Iob 33.* Æquitatem proponat contra me, & perueniet ad victoriam iudicium meum, id eſt, cauſa mea.

Et redime me, à malis, & miſeriis præſentis vitæ. *Eccleſ. 26.* Oſtende nobis lucem miſerationum tuarum, & redime nos, ſicut per Prophetam Oſeæ promiſiſti in 13. De morte redimam eos, ſanguine meo proprio. 1.*Petr.1.* Non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis à veſtra vana conuerſatione, ſed pretioſo ſanguine Agni immaculati, & morte IESV CHRISTI.

154. *Propter eloquium.* Hîc ſecunda pars primæ partis, in qua petit etiam ſecundam partem beatitudinis: non enim eſt beatitudo vera in liberatione à malo, ſed etiam in adeptione boni, quod eſt vera & æterna vita. Diuiditur autem hæc pars in duas. Primò petit iuſtificari ſumendo rationes per id quod eſt ex parte Dei. Secundò per id quod eſt ex parte ſui, quod tamen habet à Deo, ibi, *Multi qui perſequuntur.* In prima autem duo dicuntur. Primò enim petit allegando diuinam veritatem. Secundò allegando miſericordiæ ipſius abundantiam, ibi, *Miſericordiæ tuæ multæ.* In prima duo. Primò petit vitam allegando diuini eloquij veritatem. Secundò ſpecificat in quo propriè veritas eloquij exiſtat, ibi, *Longè à peccatoribus.* Dicit ergo: Sic iudicando cauſam meam me redime, *& viuifica me*, vita æterna & glorioſa, de qua *Ioan. 16.* Hæc eſt autem vita æterna vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti IESVM CHRISTVM. *Ezechiel. 18.* Si auerterit ſe impius ab impietate ſua, vita viuet, & non morietur. Vel de vita gratiæ ſic: Iudicans cauſam meam, redime me à miſeriis præſentibus, vt non ſuccumbam in illis. Et *viuifica me*, vita gratiæ, de qua *Epheſ. 2.* Conuiuificauit nos in Chriſto. Et hoc *propter eloquium tuum*, confirmandum, in quo tuis vitam promittis vtramque. *Ioan.6.* Verba quæ ego loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt. *Ioan. 10.* Oues meæ vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do eis.

155. *Longè à peccatoribus.* Hîc ſecundum, in quo ſpecificat in quo conſiſtit veritas eloquij, quia in repulſione malorum à ſalute, & ſic innuit etiam quod in vocatione bonorum ad ſalutem: & dicuntur duo. Malorum elongatio à ſalute, & ratio elongationis, ibi, *Quia iuſtificationes.* Dicit ergo: Miſerere mei propter eloquium tuum, quo dicis, *Longè à peccatoribus ſalus.* Vel ſic: Me viuifica, ſed non peccatores, *longè* enim *à peccatoribus ſalus*: non longè per naturam, cum dicat Paulus *Act.17.* Cum non longè ſit ab vnoquoque noſtrum: ſed longè per gratiam. *Prou. 15.* Longè eſt Dominus ab impiis. Et *Eccleſ.15.* Longè eſt ab iniuſtitia & dolo. Quod longè autem ſit, dicitur *Iſa.55.* Sicut exaltantur cœli à terra, ita exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris. Propter hoc dicunt mali *Iſa. 59.* Expectauimus iudicium, & non eſt: ſalutem, & elongata eſt à nobis. *Luc.15.* Filius prodigus abiit in regionem longinquam, à ſalute ſup.

Quia iuſtificationes. Ecce ſecundum, in quo tangitur cauſa elongationis. Quaſi diceret: Sic ſalus eſt longè, & hoc *quia non exquiſierunt iuſtificationes tuas*, quas ego exquiſiui: & propter hoc propè debet eſſe mihi. *Eccleſiaſt. 2.* Protector eſt omnibus exquirentibus ſe in veritate.

Miſericordiæ tuæ multæ. Hîc ſecundum, in quo allegat ex parte Dei, adhuc miſericordiæ eius multitudinem: & dicuntur duo. Primò confitetur diuinæ miſericordiæ multitudinem. Secundò infert petitionem, ibi, *Secundum iudicium.* Dicit ergo: Sic Domine propter eloquij tui veritatem me viuifica, & etiam nunc *miſericordiæ tuæ multæ*, ſunt ſup. 2. *Reg. vltim.* Melius eſt vt incidam in manus Domini: multæ enim miſericordiæ eius ſunt. *Ioël.2.* Patiens & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia. Et magnæ valdè. *Eccleſ. 2.* Secundum magnitudinem eius, ſic & miſericordia illius cum ipſo eſt. Et *Auguſt.* de magnitudine diuinæ miſericordiæ: Ampliſſimus ſinus miſericordiæ Dei, vbi tot Sanctorum animæ recipiuntur. Imò omnes. *Sapient.11.* Miſereris omnium, quoniam omnia potes. Et propter hoc peto, *Viuifica me*, & hoc, *ſecundum iudicium tuum*, & præſens, quo parcis omnibus, & omnia regis, & futurum, in quo miſericordes miſericordiam conſequentur. *Matth. 5.* Viuifica, inquam, & vita gratiæ, pluſquam ſim in præſenti, & vita gloriæ in futuro: tuum enim eſt. *Iob 23.* Spiraculum Omnipotentis viuificauit me, vita gratiæ. Et *Oſeæ 6.* Poſt duos dies, poſt diem potentiæ & iuſtitiæ, viuificabit nos. 156.

Multi qui perſequuntur me. Hîc ſecundum, in quo ſumit rationes à parte ſui. Allegationes ergo primò ponit. Secundò adiungit petitionem, ibi, *In via tua.* Duo autem allegat. Primò conſtantiam. Secundò charitatis vehementiam, ibi, *Vidi prænaricantes.* In prima tanguntur duo. Primò perſequentium multitudo. Secundò conſtantia & fortitudo in perſequutione, ibi, *A teſtimoniis.* Dicit ergo: Sic Domine ex parte tua veritas, & pietas, propter quæ debeo audiri: & etiam *multi* ſunt *qui perſequuntur me*, de loco ad locum fugando, iuxta illud: Si vos perſequuti fuerint in vnam ciuitatem, fugite in aliam. *Ierem. 20.* Audiui contumelias multorum, & terrorem in circuitu: perſequimini, & perſequamur eum. *Et tribulant me*, affligendo. Suprà in *Pſal.* Domine quid multiplicati ſunt qui tribulant me? Sic illi: ſed ego *non declinaui* ad dexteram, nec ad ſiniſtram, *à teſtimoniis tuis*: quia ſentiebam viam rectam. *Iſa. 35.* Hæc erit vobis via directa, vt ſtulti 157.

non

non errent per eam. Et propter hoc dicitur in 30. Hæc via, ambulate in ea, nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram.

158. *Vidi præuaricantes.* Hîc allegat charitatis vehementiam: & primò ad proximum. Secundò ad Deum, ibi, *Vide quoniam mandata.* In prima duo. Primò tangitur vehemens dilectio, etiam ad malos. Secundò in quo eſt illa dilectio, ibi, *Quia eloquia tua.* Dicit ergo: Sic conſtans fui in aduerſis, & etiam zelum habui ad proximum, quia *vidi præuaricantes legem tuam*, & in illa peccantes: vnde alia litera habet, *pactum non ſeruantes: & tabeſcebam*, quia ſciui, quòd effugere te non poſſunt, ſecundum illud *Ezech.* 17. Nunquid qui diſſoluit pactum, effugiet? Quaſi diceret: Non. Et ob hoc tabeſco. *Thren.* 3. Et tabeſcet in me anima mea. Suprà in eodem: Tabeſcere me fecit zelus meus. Quare? *Quia eloquia tua non cuſtodierunt:* imò magis tranſgreſſi ſunt. Sic Phinees zelauit *Num.*25. Sic Elias 3. *Reg.* 18. ſic Chriſtus *Matth.*21. *Ioan.*2.

Et nota, quòd ille zelat qui bonus eſt actiuus ardore dilectionis in proximos, quod debet eſſe maximè & potiſſimè in prælatis: aliter totum perditum eſt. Et nota, quòd multa ſunt ſigna zelantis Prælati. Primum ſollicitudo, in eligendo bonos, ad conſtituendum in beneficiis Eccleſiaſticis. Architectus enim eſt. Dicat ergo illud *Iſa.*9. Lateres ceciderunt, ſed quadris lapidibus ædificabimus: ſycomoros ſuccidêrunt, ſed cedros immutabimus. *Cant.*3. Ferculum fecit ſibi rex Salomon de lignis Libani. *Exod.*17. Prouide tibi de omni plebe viros gnaros, qui oderint auaritiam. Item per frequentem viſitationem, & diſcurſum per parochiam ſuam. *Matth.*4. & *Luc.*5. Circuibat totam Galilæam docens in ſynagogis eorum, & prædicans regnum Dei. Per vigilem inquiſitionem eorum, quæ agunt ſubditi, & quæ circa eos aguntur. *Luc.*2. Paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. Iacob nocte, & die æſtu vrebatur & gelu. *Gen.* 31. Per ſingulorum cogitationem. *Ioan.* 10. Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ. *Geneſ.*3. Adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea. *Prou.*12. Nouit iuſtus animas iumentorum ſuorum. Et in 27. Diligenter agnoſce vultum pecoris tui. Bene cognoſcunt multi nomina excommunicatorum, vt habeant emendas. Per compaſſionem ad infirmos. Ad *Rom.*14. Debemus nos firmiores imbecillitatem infirmorum ſuſtinere. 1. ad *Cor.*9. Factus ſum infirmis infirmus vt gallina, vt omnes lucrifaciam. Per ratam meritorum diſcuſſionem, vt ab vnoquoque exigat quod poteſt, & non plus. *Gen.*33. Noſti Domine mi, quod paruulos habeam teneros, & oues, & boues fœtas mecum, quas ſi ambulando plus fecero laborare, morientur vna die cuncti greges. Per temporalium adminiſtrationem, ſecundum quod poteſt: gallina enim dimittit pullo ſuo granum. 2. ad *Cor.*12. Parentes debent theſaurizare filiis. *Ezech.* 34. Væ paſtoribus, qui paſcebant ſemetipſos, & gregem meum non paſcebant. Per expoſitionem ſui ad mortem pro ſubditis, ſi opus fuerit. 2. *Reg. vlt.* Vertatur obſecro manus tua in me, iſti qui oues ſunt, quid fecerunt? *Ioan.* 10. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis. Et in 18. Si ergo me quæritis, ſinite hos abire.

Signa zelãtis Prælati.

159. *Vide quoniam mandata.* Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic proximos ardenter dilexi, & etiam Domine *vide quoniam mandata tua*, & per hæc teipſum, *dilexi. Ioan.*14. Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, quod eſt ipſa diligere, ipſe eſt qui diligit me. *Prou.*3. Qui diligit illam, ſcientiam Dei, in qua continentur eius mandata, diligit vitam. *Prou.*3. Præcepta mea cor tuum cuſtodiat. Suprà eodem: Dilexi mandata tua ſuper aurum, & topazion.

In miſericordia tua. Ecce concludit hîc ſecundò ex omnibus præmiſſis. Quaſi diceret: Sic verax es, & miſericordiæ multæ, & ego conſtans, & zelator: ergo *in miſericordia tua*, quia nec mea merita reputo ſufficere, *viuifica me.* Ad *Rom.* 8. Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, &c. Sed miſericordia Dei dabit vitam, quippe quia & ipſa dat vitam gratiæ. Ad *Epheſ.*2. Deus qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, conuiuificauit nos Chriſto.

160. *Principium verborum.* Hîc ſecundum totius octonarij, in quo ſubiungitur confidentia poſtquam præceſſit oratio, & petitio ſatis deuota: & notatur confidentia ex duobus. Ex origine verborum Domini: & hoc primò: & iudiciorum ſtabilitate, ibi, *In æternum.* Ait ergo: Sic peto à malis æternis, & præſentibus miſeriis liberari, poſtulans mihi etiam vitam dari, & ſic erit: quia *veritas eſt principium verborum tuorum*, id eſt, verba tua ortum habent ex veritate, & procedunt ex illa, vnde non poſſunt eſſe niſi vera. *Num.* 23. Non eſt Deus vt homo vt mentiatur, ſed ex veritatis fonte procedunt omnia verba ſua. *Eccleſ.*16. In veritate enuntio ſcientiam: in veritate, inquam, fundatam. *Ioan.*17. Sermo tuus veritas eſt. Ad *Rom.* 3. Eſt autem Deus verax, omnis autem homo mendax.

In æternum. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic à veritate procedunt verba tua, & *omnia iudicia iuſtitiæ tuæ*, quibus iudicas tuis æterna bona tribuenda, & malis æterna ſupplicia, *in æternum*, ſtabilia ſup. *Pſal.* Iudicia tua abyſſus multa. Abyſſus ſine baſe eſt & fundo, & ſic ſine fine, ſicut æternum. Ad *Roman.* 11. Quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ illius, quia ad finem iudiciorum & operum attingi non poteſt.

Vide ergo quomodo humilitatem ſuam, quam in principio allegauerat, vt à malis eriperetur, conſtantiam rationis quâ non declinabat à teſtimoniis Domini, & per hoc ipſum Chriſtum caput ſuum conſeruat, concludens totum in Dei veritate, & æternitate: vnde bene præponitur hîc litera Hebraica *Res*, quod interpretatur caput vel primatus: & ſupplendum eſt, conſeruat. Quaſi dicat: In hoc octonario veram humilitatem, quæ caput eſt virtutum, & rationis integritatem, quæ caput eſt animæ, & ipſum Chriſtum per hoc ipſum conſeruat, totum referens ad Dei veritatem, & æternita-

tem, tanquam ſerpens ſapientiſſimus. *Matth.* 10. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes.

Sin.

161. *Principes perſequuti ſunt.* Hîc eſt tertia pars totius illius partis, in qua agitur de merito perfectorum, quantum ad contemplationis ſtatum. Status autem contemplantium eſt in duobus. In vacatione ab omni cura temporali, vacando lectioni, & diuinæ laudi, & de hac agitur in hoc octonario. Secundò in deſiderio feruenti peruenienti ad finem, & conſummationem, de quo in ſequenti. *Appropinquet deprecatio.* In prima tanguntur tria. Primò præambula ad lætitiam ſpiritualem in lege Dei, & eius laudem. Secundò ſpiritualis lætitia, & diuina laus, ibi, *Lætabor ego.* Tertiò fructus, & vtilitas ſequens ex lætitia & laude illa, ibi, *Pax multa.* Præambula ſunt purgantia ipſam animam, quæ ſunt duo. Tribulatio non quæcumque, ſed à magnis illata, de qua primò. Dei timor de quo ſecundò, ibi, *Et à verbis tuis.*

Dicit ergo: O Domine ſic verax es, & iuſtus, & propter hoc loquor ad te, tibi oſtendo: *Principes*, dæmones, & mali homines, *perſecuti ſunt me*, dæmones: ipſi enim principes dicuntur. *Eph.* 1. Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem aut ſanguinem, ſed aduerſus principes, & poteſtates tenebrarum tuarum. *Ioan.* 12. Nunc princeps huius mundi, non dubium quin de dæmone loqueretur, eiicietur foras. Et in 14. Venit enim princeps huius mundi, & in me non habet quicquam. Homines etiam mali in dignitatibus conſtituti, de quibus ſuprà in *Pſal.* Dixit inimicus: Perſequar, & comprehendam, diuidam ſpolia, implebitur anima mea. Perſequar in tentatione, comprehendam in conſenſu, diuida in ſpolia, in gratuitorum amiſſione, & implebitur anima mea in morte, & velociter & ardenter. *Thren.* 4. Velociores fuerunt perſequutores noſtri aquilis cœli. Et hoc *gratis*, ſine meritis meis. *Prou.* 1. Abſcondamus tendiculas contra inſontem fruſtrà. *Iſa* 52. Aſſur abſque vlla cauſa calumniatus eſt eum. Ecce tribulatio clariorem & puriorem reddens animam, & ad contemplandum aptiorem.

Et à verbis tuis. Ecce ſecundum, ſcilicet diuinus timor. Quaſi diceret: Sic ſum tribulatus, & etiam *cor meum formidauit à verbis tuis.* Nec mirum: quid enim ſunt verba tua niſi quidam rugitus leonis crudeliſſimi? Et *Amos* 3. dicitur: Leo rugiet, quis non timebit? Propter hoc dicitur *Eccleſ. vlt.* Deum time, & mandata eius obſerua: hoc eſt omnis homo. Tu etiam Dominus verus, & ſimpliciter omnium Dominus. Et *Malach.* 1. dicitur: Si ego Dominus, vbi eſt timor meus? Et bene iungitur cum præcedenti. Ac ſi diceret: Perſequuti ſunt me principes, ſed illos non timui, ſed te, vt vtroque illorum, tribulatione, & tuo purgaret timore. *Matth.* 10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animæ autem non habent quid faciant: ſed illum timete, qui poteſt corpus & animam mittere in gehennam.

162. *Lætebor ego.* Hîc ſecundum, ſcilicet ſtatus ſic purgati, qui oſtenditur in tribus. In lætitia vehementi in lege diuina habita primò. In ingenti odio ad mala legi Dei contraria ſecundò. Secundum ſequitur ex primo, ibi, *Iniquitatem odio.* In frequenti laude Dei, & quaſi continua, quod ſequitur ex duobus, ibi, *Septies in die.* In prima duo. Primò lætitia in eloquiis diuinis. Secundò lætitiæ vehementia, ibi, *Sicut qui inuenit.* Dicit ergo: Sic tribulatus ſum, & timui, & per hoc purgatior redditus, *lætabor ego ſuper eloquia tua*, in eloquiis ſcilicet tuis. *Eccleſ.* 51. Lætatum eſt cor meum in ea, diuina ſcientia, ſapientia. Et hoc non modicum, imò vehementer, quia *ſicut qui inuenit ſpolia multa. Iſa.* 9. Lætabuntur coram te, in eloquiis ſacris, quibus cum eis, tanquam cum aſiſtentibus loqueris, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores capta præda, quando diuidunt ſpolia: quippe meſſem colligit, in qua non laborauit. *Ioan.* 4. Ego mihi vos metere quod non laboraſtis. Spolia pretioſiſſima inuenit, & diuidit. *Sap.* 7. Omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua. Hæc pretioſa ſpolia à Iudæis auferuntur. *Matth.* 21. Auferetur à vobis regnum Dei, ſempiterna ſcilicet ſacramenta. Qui ergo à verbis timebat vt purgaretur, hic iam verba quaſi ſpolia colligit vt ditetur.

Iniquitatem odio habui. Hîc ſecundum, in quo dicuntur tria ſimiliter. Primò iniquitatis odium, & deteſtatio. Secundò vehementia deteſtationis. *Et abominatus ſum.* Tertiò ratio & cauſa tanti odij, ibi, *Legem autem tuam.* Dicit ergo: Sic purgatus lætitiam vehementem in lege habui, & etiam *iniquitatem habui odio*, non ſum ſicut ille, de quo ſuprà in *Pſal.* Aſtitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odiuit. Sed ſicut tu, de quo *Eccleſiaſt.* 12. Altiſſimus odio habet peccatores. Nec tantum odiui, imò quod plus eſt, & *abominatus ſum*, ipſam iniquitatem *Eccleſ.* 17. Nimis odito execrationem, peccatum ſcilicet, & inquitatem. *Prou.* 29. Abominantur iuſti virum impium, non propter naturam, ſed propter iniquitatem, quæ eſt venenoſa *Eccleſ.* 21. Quaſi à facie colubri fuge peccatum. 163.

Legem autem tuam. Ecce tertium. Quaſi diceret: Sic iniquitatem vehementer odiui: *autem*, quia, *legem tuam dilexi. Sapient.* 6. Concupiſcite ſermones meos, dicit Sapientia, & diligite illos. Talis autem concupiſcentia non eſt modicum fructuoſa. *Sap.* 6. Concupiſcentia ſapientiæ ad regnum deducet pepetuum.

164. *Septies in die.* Hîc tertium, ſcilicet frequens laus Dei, & continua. Duo ergo tanguntur. Laudis frequentia primò. Laudis materia ſecundò, ibi, *Super iudicia.* Dicit ergo: Sic lætatus ſum in eloquiis, odiui contraria illis, & etiam *laudem dixi tibi*, ô Domine: & hoc, *ſepties in die*, id eſt, ſemper, & continuè. In ſeptenario enim ſignatur perfectio, & per totum tempus duratio, ſicut *Eccleſiaſt.* 9. Da partes ſeptem, nec non & octo. In ſeptennario prefectio huius temporis, in octo autem perfectio æternitatis intelligitur. Et *Mich.* 5. Suſcitabo ſuper eum ſeptem paſtores, id eſt, paſtores eos per totum tempus hoc paſcentes. Vel ſepties ad literam, quia ſepties per me cado in die, & per te ſepties reſurgo: vnde in

emendam

emendam septies tibi sacrificium laudis offero. *Prou.*24. Septies in die cadit iustus, & resurgit. *Iosue* 6. Septeno circuitu muri Ierico corruerunt, laude scilicet septies repetita omnis defectus corruit & destruitur.

Super iudicia non peruersa, sed *iustitiæ*, non hominum, sed *tuæ*, quia vera sunt. *Daniel.*3. Iudicia vera fecisti omnia, quæ induxisti super nos. *Psal.* Iudicia Domini vera, & iusta. *Apoc.* 19. Gloria, laus, & virtus Deo nostro, quia vera, & iusta sunt iudicia eius, quãuis sint nobis imperscrutabilia, secundum illud *Rom.*11. O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ illius!

165. *Pax multa diligentibus.* Hîc tertium totius octonarij, in quo subiungit vtilitatem & fructum sic vacandi Deo, & intendendi legi eius: & tangitur duplex, pacis multitudo in præsenti, & salutaris expectatio in futuro, ibi, *Expectabam.* In prima duo. Primò pacis multitudo à seipsis. Secundò ab aliis, vt etiam ab aliis scandalizari non possit, ibi, *Et non est illis.* Dicit ergo: Sic legem dilexi, & septies laudem dixi, & iteratò: quia iam cum ipso est *pax multa*, in illo qui dicit *Ioan.* 16. In mundo pressuram, in me autè pacem habebitis. Et illa pax de qua *Phil.*4. Et pax, quæ exuperat omnem sensum. Imò ipsemet, quia *Eph.*2. Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. *Diligentibus legem tuam*, bonis & boni amatoribus. *Luc.*2. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, non impiis. Quia *Isa.*57. dicitur: Non est pax impiis, dicit Dominus.

Sed contra: Nonne dicitur bonis *Matth.*10. Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum? Quomodo autem ouis pacem multam habere potest inter lupos? 2. *Tim.*3. Omnes qui piè volunt viuere in CHRISTO IESV, persequutionem patientur. Resp. Pax multa est illis quantum ad animam, sed non quantum ad corpus: quantum enim ad ipsum dicitur. *Iob* 9. Terra tradita est in manus impii.

Et non est illis. Ecce secundum. Quasi diceret: Sic illis est pax, in se, & à Deo: *& non est illis scandalum*, ab alio, quantumcumque enim alij qui mali sunt sæuiant, ipse non scandalizatur. Et est argumentum, quod loquitur de perfectis. 1. *Ioan.*1. Qui diligit fratrem suum, in luce manet, & scandalum in eo non est. Nec etiam est illis scandalum in lege Dei: intelligunt enim totum iusti, & non offendunt, sicut illi, de quibus dicitur *Isa.*8. Erit autem in lapidem offensionis, & petram scandali duabus domibus Iuda, si fortè aliquid non intelligunt, sed secundum quod dicitur *Exod.*12. Si quid residuum est quod non possint intelligere, igni comburent, Spiritui sancto committent.

166. *Expectabam salutare.* Hîc secundus fructus, siue vtilitas secunda, scilicet salutaris expectatio, quantum ad præcedentes patres ad aduentum primum, quantum ad modernos ad secundum: & tanguntur duo. Primò salutaris expectatio. Secundò virtus & efficacia huiusmodi expectationis, vel bonorum ex hac expectatione causatorum, enumeratio, ibi, statim, *Et mandata tua.* Dicit ergo: Sic pacem habui, & etiam *expectabam salutare*, à te nobis datum in primo aduentu, & dandum in secundo. Ad primum aduentum, qui dicebat, *Genes.vlt.* Salutare tuum expectabo Domine. Et *Iob.*17. Vbi est ergo nunc præstolatio mea, & patientia mea? tu es Domine Deus meus. Ad secundum expectant propriè, de quibus dicitur *Prou.*10. Expectatio iustorum lætitia. Ad vtrosque illud quod dicitur *Thren.*3. Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.

Et mandata tua. Hîc secundum, enumeratio bonorum ex hac expectatione sequentium: & dicuntur duo. Primò enumerat illa bona. Secundò probat, quòd verè habet illa, ibi, *Quia omnes viæ.* In prima tria. Primò charitas, & amor mandatorum. Secundò patientia, ibi, *Custodiuit anima mea.* Tertiò exercitium in operatione bona, ibi, *Seruaui mandata.* Dicit ergo: Sic salutare expectabam, sed quia expectatio vana est, quæ non surgit ex bona opere: *& dilexi mandata*, quæ ducunt ad ipsum salutare, & salutaris fructum. *Ioan.*6. Verba vitæ æternæ, ad vitam scilicet æternam ducentia, habes. Et propter hoc dicitur *Prouerb.* 8. Doctrinam magis, quàm thesaurum eligite.

Nota, quòd non possunt expectare salutem formidolosi, sed statim tradunt se diabolo, signati per Sobnã, qui statim tradidit ciuitatem. *Isa.*22. *Naum* 3. Omnes munitiones tuæ sicut ficus cum grossis suis, si concussæ fuerint, cadent in os comedentis. *Deut.*20. Qui formidolosus est, reuertatur in domum suam. Infirmi donec transierit accessio, sed statim volunt bibere. *Ierem.*51. In calore eorum ponam potus eorum, & inebriabo eos vt sopiantur. In *Psal.* Expectabunt onagri in siti sua. Dominus cum sitiret in cruce, non statim voluit bibere *Ioan.* 19. Pueri donec fructus sint maturi, sed immaturos comedunt, & nociuos. 1. *Reg.*2. de filiis Heli, qui non poterant expectare donec carnes coquerentur. *Isa.*28. Quasi temporaneum ante maturitatem Autumni: quod cum aspexerit videns, statim vt manu tenuerit, vorabit illud. Nota de Esau. *Genes.*25. Cupidi qui volunt modis omnibus ditari in præsenti. *Prou.*13. Substantia festinata minuetur, & quæ paulatim manu colligitur, multiplicabitur. Et 28. Qui festinat ditari, non erit innocens. *Qui non possũt expectare salutem.*

167. *Custodiuit anima mea.* Hîc secundum, scilicet patientia: & tanguntur duo. Primò patientia. Secundò quòd informata, aliter parum valet, ibi, *Et dilexit ea.* Dicit ergo: Sic dilexi mandata habens charitatem, & etiam *custodiuit anima mea* (In hoc notatur affectio) *testimonia tua*, martyria: ecce fortitudo, & patientia in confitendo audacter, & testimonium perhibendo. 2. *Tim.*1. Noli erubescere testimonium Dei. Sed ne ita videar custodisse sicut hæretici, addo: *Et dilexit ea vehementer*, ex dilectione & charitate, quæ in me erat: in quo excludit hæreticorum martyria. Aliter enim non valerent, si non esset ibi charitas. 1. *Cor.*13. Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil prodest mihi. Dilectio autem facit fortiter sustinere. *Cant.*8. Fortis est vt mors dilectio. Imò lætanter. *Act.*5. dicitur de

repletis charitate : Ibant gaudentes Apoſtoli à conſpectu concilij , &c.

168. *Seruaui mandata.* Hic tertium , ſcilicet exercitatio in iuſtitia. Ait enim : Sic charitatem habui , & amorem ad mandata , quia expectabam , & fortem habui patientiam : & etiam *ſeruaui* , exercendo me in opere , *mandata tua*, de agendis , *& teſtimonia tua* , de cauendis. *Matth.*19. Si vis ad vitam ingredi , ſerua mandata. *Eccl.*15. Si volueris præcepta ſeruare , & illa ſeruabunt te. *Sap.*6. Cuſtodia legum, conſummatio eſt incorruptionis.

Quia omnes viæ meæ. Ecce ſecundum , in quo probat , quòd verè charitatem habuit , & patientiam, & bonorum operũ exercitationem. Ait enim : Sic dilexi , fortis , & patiens fui , & vehementer dilexi : quod patet , *quia omnes viæ meæ*, ſunt *in conſpectu tuo*, id eſt, à te illuminatæ, qui dignaris illas intueri oculo miſericordiæ,& ſic in bonum dirigere. *Sap.*4. Et reſpectus eius in electos illius. Non enim mea contemplatio facit illas bonas , ſed tua magis intuitio , quæ eſt emplaſtrum in medicina vulnerum omnium peccatorum.

Cupidè anhelabat Matthæus lucris temporalibus , ſed tu vidiſti ſedentem in telonio , & ſtatim eſt curatus. *Matth.*9. Vulnere triplicato trinæ negationis ſauciatus erat ad mortem Petrus. *Luc.* 22. Sed tu reſpexiſti eum , & ſtatim eſt curatus. Ecce litera præpoſita Hebræa, ſcilicet *Sin* , quod interpretatur ſuper vulnus. Ac ſi diceret titulus : Vide quomodo in hoc octonario , in principio dixit tribulatum ſeipſum, & timidum, & rogaſſe ſepties, & expectaſſe ſalutare, & tandem conſpectum Dei, in omnibus ſic ſanatum , vt charitatem haberet , & patientiam , & operum iuſtitiæ exercitationem , ipſo intuitu Dei , tanquam emplaſtro ſuper vulnus poſito.

Tau.

169. *Appropinquet deprecatio.* Hic ſecundum quod ſuperius dictum eſt, ſubiungitur de merito perfectorum in ſtatu contemplationis, inquantum eleuantur feruenti deſiderio ad æterna. Sed quoniam quantò plus feruet in Deum anima, tantò plus humiliatur , & ſeipſam deſpicit , ſecundum illud *Pſal.* Ego dixi in exceſſu mentis meæ : Proiectus ſum à facie oculorum tuorum. Et *Iob vlt.* Ecce oculus meus vidit te , ideò me reprehendo , & ago pœnitentiam in fauilla,& cinere. Propter hoc duo dicuntur in hoc octonario. Primò petit ardenter. Secundò confitetur propriam miſeriam humiliter , ibi , *Erraui ſicut ouis.* In prima autem ſecundum tria qua petit , ſicut tres partes. Primò petit intellectus illuminationem. Secundò malorum amotionem ab affectu, ibi, *Intret poſtulatio.* Tertiò ſalutarem vitam , & perpetuam , ibi, *Fiat manus.* In prima duo. Primò petit in generali à Deo exaudiri. Secundò ſpecificat in quo velit exaudiri , ibi , *Iuxta eloquium tuum.* Dicit ergo : Sic ſeruaui mandata,non mea virtute, ſed magiſtri, & ob hoc peto vlterius : *O Domine appropinquet deprecatio tua* : ego enim in propria perſona non poſſum,grauatus corporis pondere. *Sap.*9. Corpus quod corrumpitur,aggrauat animam. Elongatus primorum parentum , & ſuperadditorum à me peccatorum multitudine. *Iſa.*49. Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum. Deſidero enim magis ſi fieri poſſet in propria perſona appropinquare. *Iob* 24. Quis mihi tribuat,vt cognoſcam,& inueniam illum, & veniam vſque ad ſolium eius ? Sed cum non poſſim, *appropinquet deprecatio mea*, per humilitatem. *Eccl.*35. Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit. *In conſpectu tuo* , facta ſup. *Dan.*3. Sic fiat ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo hodie, vt placeat tibi.

Iuxta eloquium tuum. Hîc ſecundum ſpecificat. Quaſi diceret : Sic peto, quod oratio appropinquet , ſiue deprecatio , hæc ſcilicet , *Da mihi intellectum* , & hoc , *iuxta eloquium tuum*, id eſt , ſicut in tuo promittis eloquio. In *Pſal.* Intellectum tibi dabo,& inſtruam te. Et *Iſa.*54. Ponam vniuerſos filios tuos doctos à Domino. Vel iuxta eloquium tuum , vt meus ſcilicet intellectus tuis reguletur eloquiis. 2. *Cor.* 10. In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti. Vel melius : loquitur enim hîc perfectus, qui & intelligit quid credendum, quid agendum , & intellectum ſubiicit diuinis eloquiis. *Da mihi intellectum iuxta eloquium tuum*, id eſt, profundum & ſubtilem, ſicut profunda ſunt, & ſubtilia valde eloquia tua. Suprà eodem:Reuela oculos meos,& conſiderabo mirabilia de lege tua. *Iob* 32. Inſpiratio Omnipotentis dat intelligentiam , de profundis Scripturarum. *Eccl.*15. Impleuit eum Dominus ſpiritu ſapientiæ & intellectus.

Intret poſtulatio. Hîc ſecundum, in quo petit malorum amotionem ab affectu. Scit enim quoniam aliter habere non poterit intellectus limpiditatem. Duo ergo dicuntur. Primò petitio. Secundò perſuaſio , ibi , *Eructabunt labia.* In prima duo. Primò petit quaſi in generali mali amotionem. Secundò magis declarat petitionem , ibi , *Secundum eloquium.* Dicit ergo: Sic Domine petij, quod appropinquet deprecatio , quæ eſt propriè loquendo de bonis adipiſcendis : & etiam *poſtulatio mea*, de malis amouendis , *in conſpectu tuo*, facta ſup. non tantum appropinquet , ſed etiam *intret.* In *Pſal.* ſuprà: Intret oratio mea in conſpectu tuo, inclina aurem tuam ad precem meam. Poſtulatio autem eſt de malis amouendis propriè : aliquando tamen eſt etiam de bonis adipiſcendis. *Iacob* 1. Si quis indiget ſapientia , poſtulet à Deo , poſtulet autem in fide nihil hæſitans. Intrat autem poſtulatio duplici pede ad Deum. Dextro pede , quando fit cum deſiderio quodam æternorum. Siniſtro , quando fit cum contemptu temporalium. Sicut è contrario filius prodigus hoc pede duplici à pio patre ſe elongauit. 170.

Secundum eloquium tuum , in quo promittis hoc per Prophetas. *Bar.* 4. Clamate ad Dominum , & liberabit vos. Dicit enim *Gloſſa*, quòd graue eſt luctari tam diu contra carnem , & dæmonem. *Epheſ. vltim.* Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem aut ſanguinem tantum , ſed aduerſus Principes , & poteſtates , aduerſus mundi rectores tenebrarum hatum. Nota *Gloſſam* : Supra petit intellectum ſecundum eloquium , &c.

Eructabunt

171. *Eructabunt labia.* Hîc ſecundum huius partis, ſcilicet perſuaſio ad efficacius impetrandum quod petitum eſt: perſuadet autem per promiſſionem. Duo autem promittit. Primò Dei laudem, & lætitiam in illa laude, cum dederit petita. Secundò veritatis prædicationem. *Pronuntiabit lingua.* Dicit ergo: Sic intellectum da, & purifica mala remouendo, vt magis intelligam, & *labia mea eructabunt*, ex abundanti cordis lætitia, *hymnum*, diuinam laudem cum lætitia & cantu prolatam. *Iſa.* 54. Decanta laudem, hinni, quæ non pariebas. Ad *Epheſ.* 5. Loquentes vobismetipſis in Pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus. *Cum docueris me iuſtificationes tuas*, fidei articulos, in quos animas iuſtificas. Ad *Rom.* 5. Iuſtificati ergo ex fide pacem habeamus. Et operationes bonus: Dominus enim quos docuerit, non tantum in credendis illuminat, ſed ad bona faciendum excitat. *Ioan.* 6. Omnis qui audit à patre, & didicit, hic venit ad me. Venire autem ad Chriſtum eſt bona facere, non tantum cognoſcere. *Iſa.* 2. Docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius. Eructat autem plenus. *Eccl.* 15. Impleuit eum Dominus, &c. Sic plenus qui dicebat ſuprà: *Eructauit cor meum.*

172. *Pronuntiabit lingua ſua.* Hîc ſecundum, in quo dicuntur duo. Primò enim promittit veritatis prædicationem. Secundò addit cauſam. *Quia omnia.* Dicit ergo: Sic labia mea hymnum eructabunt, & etiam *lingua mea pronuntiabit*, aliis prædicando, *eloquium tuum. Eccl.* 27. Vir ſapiens, qui à Deo edoctus fuerit, plebem ſuam erudit, & fructus ſenſus illius fideles ſunt, Et 39. Tanquam imbres mittet eloquia ſapientiæ ſuæ. In *Pſal.* ſuprà dicebat inſtructus à Deo: Annuntiaui & loquutus ſum. Non ero ſicut ſeruus piger, qui abſcondit talentum Domini ſui, & damnatus eſt. *Matth.* 25.

Quia omnia mandata. Hîc ſecundum huius particulæ, quia lingua mea pronuntiabit eloquium tuum, quod iuſtum eſt pronuntiari, & publicari, *quia omnia mandata tua æquitas*, æquitate plena. 2. *Eſdr.* 9. Non eſt in iudicio eius iniquum quid. Ad *Rom.* 7. Mandatum ſanctum, iuſtum, & bonum. Ecce ergo, quomodo promittit enarrare ad gloriam Dei, ſi ei dederit ſcientiam, & vitam. *Eccleſ.* 51. Danti mihi ſapientiam, dabo gloriam.

173. *Fiat manus tua.* Hîc tertium primæ partis, in quo tendens ad æterna, & intendens in illa, petit ſalutarem vitam, & æternam: & dicuntur duo. Primò petit medium ad ſaluandum. Secundò oſtendit fructum, ibi, *Viuet anima.* In prima duo. Primò petit diuinum adiutorium ad ſaluandum generaliter. Secundò oſtendit deſiderium ad adiutorium illud. *Concupiui ſalutare.* In prima duo. Primò petit adiutorium. Secundò addit cauſam, quare debeat exaudiri. *Quoniam mandata.* Dicit ergo: Sic da intellectum, & purifica affectum, & etiam *fiat manus tua*, potentia & adiutorium tuum, *vt ſaluet me*, ab omni miſeria præſenti: hoc enim poteſt tua manus. *Iſa.* 49. Nunquid abbreuiata eſt manus Domini vt ſaluare nequeat? Quaſi diceret: Non: vel ſalutare me protegendo vt nihil timeam, ſed ſecurè pronuntiare audeam vt promiſi. *Iſa.* 49. In vmbra manus ſuæ protexit me. Vel manum appellat filium. Quaſi diceret: Filius tuus, qui manus tua dicitur. *Eccleſ.* 36. Glorifica manum, & brachium dextrum. *Fiat*, incarnetur. *Ioan.* 1. Verbum caro factum eſt. Et hoc, *vt ſaluet me:* & debet ſic fieri: *quoniam mandata tua*, quicquid alij faciant, *elegi*: quippe ipſa ſunt vita in præſenti. *Deut.* 30. Elige ergo vitam, vt & tu viuas. Dilige Dominum Deum tuum, atque obedias voci eius. *Iacob. vlt.* Teſtes vos eſtis, quia ipſi elegeritis vobis Dominum, vt ſeruiatis ei. Elegi, inquam, mandata tua de humilitate. *Pſal.* Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitare, &c. Ad *Hebr.* 11. Magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iocunditatem.

174. *Concupiui ſalutare tuum.* Hîc oſtendit affectum ſuum ad adiutorium petitum, ſecundum vnam lecturam. Vel magis ponit rationem ſecundam, quare debeat ſaluari, ſcilicet deſiderium ſalutaris. Ait enim: Sic elegi mandata, & etiam *concupiui ſalutare tuum*, ô Domine, quicquid alij concupiſcant. Salutare appellat hîc diuinum eloquium, cuius deſiderat ſcire veritatem, & cognoſcere, quàm ſit ſalubre. *Eccleſ.* 6. Cogitatum habe in præceptis Altiſſimi: & concupiſcentia ſapientiæ dabitur tibi. Et *Sap.* 6. Concupiſcentia ſapientiæ ad regnum deducet perpetuum. Vel ſalutare dicit Chriſtum, qui non eſt tantum adiutorium ſalutis, ſed etiam actor, & verum ſalutare. *Iſa.* 25. Exultabimus, & lætabimur in ſalutari tuo. *Geneſ. penult.* Salutare tuum expectabo Domine.

Et lex tua. Hîc ratio tertia, legis ſcilicet meditatio poſt mandatorum electionem, & ſalutaris concupiſcentiam. Ait enim: Sic mandata elegi, & ſalutare concupiui, propter quod debeo ſaluari: & etiam *lex tua eſt meditatio mea. Deut.* 6. Meditaberis ea in domo tua ſedens, & in via ambulans. 1. *Tim.* 4. dicit Paulus Timotheo: Hæc meditare, & in his eſto. *Eccleſ.* 14. Beatus vir qui in ſapientia commorabitur, & in iuſtitia meditabitur.

175. *Viuet anima mea.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungit ſalutaris fructum, quem tangit duplicem, vitam, & laudem. *Et laudabit te.* Ait enim: Sic petij, vt manu tua fiat ad ſaluandum me: quod ſi fecerit manus tua, *anima mea viuet*, coniuncta vitæ ſuæ quæ Deus eſt. *Deut.* 7. Ipſe eſt vita tua. *Oſeæ* 6. Viuemus in conſpectu eius. *Ioan.* 17. Ego ſum via, veritas, & vita. *Coloſ.* 3. Vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.

Et laudabit te. Hîc tangit ſecundum, ſcilicet laudem. Et primò tangit laudem. Secundò quoddam excitatiuum ad laudem, ibi, *Et iudicia tua.* Dicit ergo: Sic viuet anima, & laudabit te, aliter non poſſet, niſi viua. *Iſa.* 38. Non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te. Et paulo poſt: Viuens ipſe confitebitur tibi. *Eccleſ.* 17. A mortuo, tanquam ab eo qui non eſt, perit confeſſio. Sed viuens vita gloriæ, ille laudabit. *Iſa.* 66. Serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos præ contritione ſpiritus vlulabitis. *Iob* 33. Videbit faciem eius in iubilo. *Iſa.* 30. Canticum erit vobis ſicut ſanctificatæ ſolemnitatis.

Et iudicia tua. Ecce ſecundum, ſcilicet excitatiuum ad laudem. Ait enim: Sic anima mea viuens laudabit te: & ad viuendum fortius & vehementius *adiuuabunt me iudicia tua*, quibus in futuro iudicabis. Quis enim videns rectitudinem Dei in puniendo malos, & remunerando bonos, non prorumpet in laudem mirabilem Dei, & iuſtitiæ eius, & dicet: Iuſtæ, & veræ, & ſanctæ ſunt viæ tuæ, Domine Deus rex omnipotens? *Apocalypſ.* 15. Iudicia etiam, quibus flagellas, & iudicas me in præſenti, adiuuabunt me ad viuendum vita æterna, & laudandum, quia & carnalia deſideria reprimunt, & ſpiritum feruentiorem reddunt. *Greg.* Mala quæ nos hîc premunt, ad Deum nos ire compellunt. Propter hoc dicitur *Ezech.* 9. A ſanctuario meo incipite. Et 1. *Petr.* 4. Tempus eſt vt incipiat iudicium à domo Dei.

Iudicia autem tua, quibus reprimis malos, ne ſæuiant quantum volunt, adiuuabunt me, in præſenti vt multiplicer magis, dicit de Eccleſia. Per flagella enim magis eſt dilatata. *Pſal.* In tribulatione dilataſti mihi. Iudicia etiam tua, quibus iudicatus es, adiuuabunt me. Cogitant enim ſancti, quomodo Chriſtus pro ipſis iudicatus eſt. *Prou.* 12. Cogitationes iuſtorum iudicia, & ſic libenter ſuſtinent mala, & armantur patientia. Ad *Hebr.* 12. Recogitate eum, qui talem aduerſus ſemetipſum ſuſtinuit contradictionem, vt non fatigemini animis veſtris. 1. *Petr.* 4. Chriſto ergo in carne paſſo, & vos eadem cogitatione armamini.

176. *Erraui ſicut ouis, quæ periit.* Hîc ſecunda pars totius octonarij, in qua poſtquam orauit ardenter, ſciens humilitatem eſſe ſcalam ad aſcendendum, orat hîc humiliter, & propriam confitetur miſeriam. Tria ergo dicuntur hîc. Proprij erroris humilis & ſimplex confeſſio. Secundò deuota petitio. *Require.* Tertiò allegatio meriti proprij, ne videretur omninò præſumere, ibi, *Quia mandata.* Dicit ergo: Sic Domine da intelligentiam, da affectionis puritatem, & veram confer vitam, quia ô Domine confiteor, & dico: *Erraui*, & periculosè, quia *ſicut ouis, quæ periit. Iſa.* 53. Omnes nos quaſi oues errauimus: vnuſquiſque in viam ſuam declinauit. Errauimus omnes in illa prima oue, quæ condita fuit in innocentia, Adam ſcilicet. Ad *Rom.* 5. In quo omnes peccauerunt. 1. *Pet.* 2. Eratis ſicut oues errantes, imò periclitatæ. *Thren.* 3. Inundauerunt aquæ ſuper caput meum: dixi, Perij. *Luc.* 15. Filius meus mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus eſt.

Quære ſeruum tuum, id eſt, require: vnde *Gloſſa* legit, Require: ſic enim promiſiſti per prophetam. *Ezech.* 34. Quod perierat, requiram. *Luc.* 15. Relictis in deſerto, cœlo ſcilicet, nonaginta nouem, venit ad illam quæ perierat.

Quia mandata tua non ſum oblitus, ſed teneo illa memoria: etſi per me proficere non valeo, nec opere adimplere. *Prou.* 3. Fili ne obliuiſcaris legis meæ, & mandata mea cor tuum cuſtodiat: tu enim inſcripſiſti ea in meo. *Ier.* 31. Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eam. Quod ergo memoriter impreſſiſti in meo corde, fac exterius exercere in opere.

Vides quanto deſiderio hîc deſiderat oratione appropinquare Deo, ad ipſum intrare, & tandem vita viuificari æterna: & hæc omnia non per ſe, ſed reducentem ſe ad vitam ſaluatorem poſſe: & in hoc conſummatio eſt, nec eſt iam vlterius, quid quærere debeam. *Eccleſ.* 43. Conſummatio verborum ipſe eſt. Propter hoc hîc litera Hebræa *Tau*, quæ interpretatur conſummatio, bene præponitur. In filio enim Deo hominem aſſumente, plena eſt, & integra vniuerſi conſummatio.

IN CXIX. PSALMVM.

Canticum graduum.

AD *Dominum cum tribularer.* Hic eſt Pſalmus 19. in tertia quinquagena, quæ eſt tertia pars totius huius libri: & eſt primus inter quoſdam Pſalmos, quorum quilibet *Canticum graduum* intitulatur. Cum enim in antecedenti Pſalmo loquens Eccleſia diuerſa merita tetigerit filiorum, incipientium, proficientium, & perfectorum, vt inde laudetur Deus, & glorificetur, hîc conſequenter ne credatur vnicum membrum Eccleſiæ ab infimo peccati, vſque ad ſummum non poſſe aſcendere, oſtendit quindecim gradus aſcendentis ad Deum animæ, ipſo Deo eam promouente: vnde & ipſe mirabiliter & magnificè laudandus: & hoc in his quindecim Pſalmis, qui hîc per ordinem ſupponuntur, qui eodem modo intitulantur. Et loquitur in omnibus his vir perfectus, oſtendens per quos gradus vſque ad ſummum perfectionis aſcenderit, Omnipotentis manu adiuuanti. Quoniam autem hic aſcenſus cum lætitia mentis recolitur, & ſpirituali exultatione, rectè *Canticum graduum*, Pſalmus quilibet intitulatur. Canticum enim eſt mentis exultatio pro æternis. 1.

Ordo autem Pſalmorum in ipſa lectione clarius exponitur, hoc tantummodo prænotato, quod quinque primi pertinere videntur ad receſſum à malo, ſequentes verò quinque ad profectum in bono, & quinque vltimi ad perfectionem in bono. Et quia primus omnium gradus aſcendendi cum recedit quis à malo, eſt ſuſpirare, & ſui liberationem petere à Deo, in hoc Pſalmo, in quo agitur de primo gradu, agitur de petitione & clamore exiſtentis in peccato pro liberatione. *Petit Prophetа à malis ſeculi liberari.*

Diuiditur autem Pſalmus in duas partes. In prima petitio & clamor ad Dominum, vt à miſeria liberetur. Secundò ſpecificatio quorundam impedimentorum, impedientium liberationem, ibi, *Heu mihi, quia incolatus meus.* In prima tria. Primò petitio, vt à malo liberetur, & fructuoſa. Secundò petentis deliberatio, ſecundum vnam lecturam, quomodo poſſit impleri ſua petitio, vel Domini interrogatio facta ipſi petenti, ibi, *Quid detur tibi?* Tertiò ſolutio ipſius poſt deliberationem, vel reſponſio Domini, ibi, *Sagittæ potentis.* In prima duo. Primò fructuoſa petitio pro liberatione ſui à malo generaliter. Secundò ſpecificat à quo velit potiſſimè liberari, & ſpecialiter, ibi, *Domine libera animam meam.* In prima tanguntur quatuor. Primò innuit orationem ſuam fuiſſe rectam. *Ad Dominum.* Secundò neceſſariam.

Cum

Cum tribularer: tunc enim potiſſimè tempus eſt clamandi. *Oſe.6.*In tribulatione ſua mane conſurgent ad me. Tempus exaudiendi, quia *Eccleſ.*35 Specioſa eſt miſericordia Dei in tempore tribulationis, quaſi nubes pluuiæ in tempore ſiccitatis. *Clamaui*, ſicut Ionas in 2. Clamaui ad Dominum in tribulatione mea. *Et exaudiuit me. Iſa.*64.Et erit antequam clament,ego exaudiam,adhuc illis clamantibus ego exaudiam.

2. *Domine libera.* Hîc ſecundum, in quo ſpecificat à quo malo propriè petat liberari. Et primò quia à malo linguæ apertè mala ſuggerentis. Secundò à malo linguæ occultè mala ſuadentis. *Et à lingua.* Dicit enim: Sic clamaui ad Dominum,nec infructuosè.Et quid petiuiſti? Clamaui dicens: O *Domine libera animam meam*, non dico corpus, & terram meam, quia ſcio illud *Iob* 9.Terra tradita eſt in manus impij. A quo? *A labiis iniquis*, malum mihi ſuadentibus. *Eccleſ.*12. In labiis ſuis indulcat inimicus, & in corde ſuo inſidiatur, vt ſubuertat te in foueam. Talia enim labia diſperdis. Suprà in *Pſal.* Diſperdat Deus vniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam.

Et à lingua doloſa,mala occultè machinante. *Ierem.*9. Sagitta vulnerans, quæ percutit latenter, lingua eorum dolum loquuta eſt. *Iob* 5. A flagello linguæ abſconderis. Debemus autem petere, vt liberemur à lingua, & labiis malis. Primò auaritiæ, quæ non loquitur niſi de terrenis. *Iſa.* 29. De terra loqueris, & de humo muſſitabit eloquium tuum. *Ioan.*3. ſecundum communem literam: Qui de terra eſt, de terra loquitur. Luxuriæ, de qua *Eccleſ.*9. Eloquium eius quaſi ignis exardeſcit. *Iob* 31. Ignis eſt vſque ad conſumptionem deuorans Detractionis, de qua in *Pſal.* Dentes eorum arma,& ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Adulationis. *Prou.*7. Irretiuit eum ſermonibus multis, & blanditiis labiorum pertraxit eum.*Prou.* 11. Simulator ore decipit amicum. Suſurrij. *Eccl.*27. Suſurro,& bilinguis maledicetur, multos enim turbauit pacem habentes. Hæreticæ prauitatis. 2.*Tim.*2.Prophana & vaniloquia deuita: ſermo enim eorum vt cancer ſerpit. *Pſal.* Venenum aſpidum, &c.

3. *Quid detur tibi.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur petentis deliberatio, & ſibi colloquentis, quid remedij contra hoc poterit apponi. Ait ergo: Sic petij à labiis iniquis liberari animam, & à lingua doloſa, ſed ô tu anima mea, vt ipſe, qui petit deliberando loquatur ſecum. Vel, vt ſit vox Dei, ô tu quem labia iniqua affligunt, & doloſa lingua, *quid detur tibi*, primò, *aut quid apponatur tibi*, poſtquam fuerit datum, *ad*, id eſt,contra, *linguam doloſam?* Quaſi diceret: Difficile eſt inuenire: & ſi inuentum fuerit, difficile eſt vti: Dominus tamen, qui medicus ſummus eſt, ipſe inuenit medicinam. *Eecleſ. vlt.* Liberaſti corpus meum à perditione. Et ſubdit: A laqueo linguæ iniquæ, & à labiis operantium mendacium. Vna autem medicina eſt, vt aures obſtruantur. *Eccleſ.*38. Sepi aures tuas ſpinis, & noli audire linguam nequam: aliter vix euadere poteris.Indomabilis enim eſt lingua. *Iacob.* 3. Linguam nullus hominum domare poteſt. Etenim lingua malum inquietum.

Sagittæ potentis. Hîc tertium, ſcilicet ſolutio poſt deliberationem; vel ipſius Domini reſponſio, poſt factam à ſeipſo quæſtionem. Et duo docet apponenda vel danda remedia.Sacræ ſcripturæ verba primò. Secundò ſanctorum exempla, ibi, *Cum carbonibus.* Dicit ergo: Sic delibero, quid dabitur tibi, ô anima mea contra prædicta mala.Vel ſic:Quæro à te,dicit Dominus, & reſpondeo: *Sagittæ potentis*, ſermonis Dei, ſcilicet ſacræ ſcripturæ authoritates, *acutæ*, penetrabiles. *Hebr.*4. Viuus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiſti. Iſtæ ſunt ſagittæ de quibus *Iſa.*13.Sagittis paruulos interficient.*Ierem.*51. Acuite ſagittas, implete pharetras. 4. *Remedium contra labia iniqua & linguam doloſam.*

Cum carbonibus, Sanctorum ſcilicet exemplis,*deſolatoriis*, carnalium cogitationum: vnde alia litera habet, *Vaſtatoriis*, qui enim bene conſiderat Sanctorum exempla, quantum ſuſtinuerunt, non ſolum à labiis, & linguis iniquis, ſed etiam perſequutoribus crudeliſſimis, omnis ira & impatientia contra detractores,& ad malum trahentes deſolatur, & vaſtatur, *Ezech.*10.Imple manum tuam prunis,carbonibus, quæ ſunt ſuper Cherubim, plus eſt enim facere, quam ſcire, & effunde ſuper ciuitatem, id eſt, Eccleſiam, vt ad bonum inflammetur. *Tob.*6. Cordis eius particulam,cuiuſlibet piſcis, & curioſi diſcurrentis per mundum, ſi ſuper carbones ponas, id eſt, ſuper exempla Sanctorum, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum.

Heu mihi quia incolatus meus. Hîc ſecunda pars Pſalmi,in qua poſtquam oſtendit ſe oraſſe, cum eſſet in miſeriis pro ſua liberatione, ſpecificat impedimenta detinentia, vt non poſſet exire: & dicuntur duo. Primò impedimenta enumerat, & tangit. Secundò oſtendit qualiter ſe habuerit, quantum ad aliquid illorum, ibi, *Cum his qui oderunt.* In prima tria, ſecundum tria impedimenta quæ tangit. Primum, exilij prolongatio. Secundum, cum malis habitatio. *Habitaui cum habitantibus.*Tertium,mentis euagatio, ibi, *Multum incola.* Dicit ergo: Sic clamaui, deliberaui, & inueni: vel Dominus interrogauit, & ipſemet ſoluit: & etiam clamando, & ſuſpirando dixi: *Heu mihi*, væ & miſeria eſt mihi,& eſt impedimentum ad bonum, *quia incolatus meus*, in his miſeriis, *prolongatus eſt. Iob* 10. Tædet animam meam vitæ meæ. *Sapient.*2. Cum tædio eſt tempus vitæ meæ. Sic gemebat qui dicebat *Rom.*7. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? 5.

*Habitaui cum habitantibus Cedar.*Ecce ſecundum. Heu eſt mihi, quia incolatus meus eſt prolongatus: ſed ſi cum bonis eſſet habitatio, hoc aliquid eſſet: ſed *habitaui cum habitantibus Cedar.* Cedar fuit malus, fuit enim de filiis Iſmaël: ſed ſecundum hoc melior alia tranſlatio, quæ habet, *cum tabernaculis Cedar*, hoc eſt, cum tabernaculis malorum, qui per Cedar ſunt intelligendi. Si autem eſt, *Habitaui cum habitantibus Cedar*, ibi *Cedar* ſumitur pro interpretatione ſua: interpretatur enim *tenebræ*: & eſt ſenſus: *Habitaui cum habitantibus tenebras*, cum malis ſcilicet,qui habitant tenebras peccatorum per amorem.*Ioan.*3.Dilexerunt homines

magis

magis tenebras, quàm Lucem. *Iob* 30. Frater fui draconum & ſocius ſtruthionum. *Ezech.*2. Fili hominis increduli & ſubuerſores ſunt tecum,& cum ſcorpionibus habitas.*Thren.*1. Habitauit inter Gentes, nec inuenit requiem.

6. *Multum incola.*Hîc tertium. Quaſi diceret: Sic incolatus meus prolongatus eſt, mali ſcilicet, inter quos & *anima mea*, quæ deberet diuinis intendere, *fuit multum incola*, id eſt, in multos incola, & vagando, & diſcurrendo per multa. Vel *multum incola*, multum his terrenis infixa. *Iſa.*52. In Ægyptum ductus eſt populus meus, vt colonus eſſet ibi, peregrinus à Deo & patria ſua propria. 2.*Cor.*5. Quamdiu ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino.

7. *Cum his, qui oderunt.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit qualiter ſe habuerit cum illis malis, cum quibus habitauit, quia patienter. Vnde primò oſtendit patientiam. Secundò patientiæ vehementiam. *Cum loquebar illis.* Ait ergo: Sic habitaui cum habitantibus Cedar, & tamen *cum his*,&c. Vel: Sic longus fuit incolatus,nec modicum grauis, quia *cum his qui oderunt pacem*, cum Schiſmaticis, & diſcordibus, *eram pacificus*, attendens illud *Eph.*4. Solliciti ſeruare vnitatem in vinculo pacis. Et illud *Hebr.* 12. Sanctimoniam ſequimini, & pacem, ſine qua nemo videbit Deum. *Rom.*12.Quantum ex vobis eſt, ſi fieri poteſt, cum omnibus hominibus pacem habentes,quia *Matth.*5. Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur.

Nec tantum pacem habui ad verba,ſed etiam ad facta:quia & ipſi *impugnabant me gratis*,omninò ſine cauſa, cum loquebar illis,illos volens corripere de male geſtis. *Iſa.*52. In Ægyptum deſcendit populus meus, & Aſſur abſque vlla cauſa calumniatus eſt eum, non niſi quia eum corripiebat.*Prou.*9.Qui arguit impium,ſibi maculam generat. Et 15. Non amat peſtilens eum, qui ſe corripit. *Prou.* 13. Qui illuſor eſt, non audit cum arguitur. *Amos* 5. Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfectè abominati ſunt.

IN CXX. PSALMVM.

Canticum graduum.

1. *Confidit Propheta auxilio Dei & ſanctorũ.*

LEuaui *oculos meos.* Hîc ſecundus gradus. Poſtquam enim oſtendit ſe oraſſe cum eſſet in miſeriis pro liberatione, hîc oſtendit confidentiam ſe habuiſſe in oratione, & conſolationem.Conſolationem autem oſtendit in duobus. In confidenti oratione, & animæ propriæ alloquutione', ibi, *Non det in commotionem.* In prima duo. Primò oſtendit in quibus habeat fiduciam ſecundariò. Secundò in quo principaliter, & primò, ibi, *Auxilium meum.* In prima duo. Primò erectio cordis ad ſanctos. Secundò expectatio ſubuentionis ab illis. *Vnde veniet?* Dicit ergo: Sic clamaui exiſtens in miſeriis. Quaſi diceret:Inclinatus adhuc in primo gradu, & paululum ſurgens ad ſecundum, *leuaui oculos meos*, interiores, & mentales, non corporales, quorum erectio ſignum ſuperbiæ eſt. *Prou.*30. Generatio,cuius excelſi ſunt oculi, & palpebræ in altum porrectæ. Et *Eccleſ.*23. rogat: Extollentiam oculorum ne dederis mihi. Sed mentalium bona eleuatio. *Geneſ.*18. Cumque eleuaſſet oculos ſuos, apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum. Sed quo leuaſti? *Ad montes*, Sanctos ſcilicet vita, & ſcientia, & charitate ad Deum ſurſum eleuatos. *Iob* 39. Circumſpicit montes, & virentia quæque perquirit.

Iſti ſunt montes à Deo librati, & diſtincti. *Iſa.*40. Librauit montes in pondere, & colles in ſtatera. Montes, quos ille ſol æternus illuminat. In *Pſal.* Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. Quos calore charitatis inflammat. *Eccleſ.* 43. Sol tripliciter exurens montes.Exurit,vt omnem malitiam in illis conſumat. Exurit,vt ardenter bonum appetere faciat. Exurit,vt tanquam flammam bonum opus emittant. Ad hos montes oculi ſunt leuandi. Primò vt viſa eorum rectitudine, noſtram deuiationem, & tortitudinem agnoſcamns. *Iob* 33. Reſpiciet homines, & dicet: Peccaui, & vere deliqui. Vt viſa eorum munditia, de noſtra immunditia confundamur. *Ezech.*43. Fili hominis oſtende domui Iſraël templum, & confundantur ab iniquitatem ſuis bona ſcilicet confuſione. Vt in ipſis tanquam in libris à Deo ſcriptis quid agendum ſit legamus. *Iob* 31. Librum ſcribat ipſe qui iudicat. 2. *Cor.* 7. dicit vnus liber: Capite nos, id eſt, quæ in nobis ſunt: neminem læſimus,neminem corrupimus. Vt bonum propoſitum concipiamus. *Geneſ.*30. Oues Laban ad virgarum intuitum concipiebant,ſed decorticatarum, id eſt, pauperum. Vt eorum exemplo mala mundi conculcemus. *Ierem.*45. Ecce quos ego ædificaui, virrutibus, ego deſtruo, quantum ad corpus: & quos, in diuitiis, plantaui, ego euello, ab illis: & vniuerſam terram. Et tu quæris tibi grandia? Vt ex his bonis, quæ illis contulerit Deus, gratias Deo agamus. *Apoc.*4. Dignus es accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tunc caſta omnia, & propter voluntatem tuam erant. Vltimò vt ab iis auxilium expectemus, ſicut hîc dicitur.

Oculi in ſanctos intendendi.

Vnde, id eſt, à quibus montibus, *auxilium veniet mihi.*Sancti enim ſuis nos adiuuãt orationibus. *Apoc.*5. Habentes ſinguli phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum. 2. *Mach.vlt.* dicitur de ſancto Ieremia: Hic eſt fratrum amator,& populi Iſraël: hic eſt qui multum orat pro populo,& vniuerſa ſancta ciuitate.4.*Reg.*6. Aperuit Dominus oculos pueri Eliſei, & vidit, & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Eliſei.

2. *Auxilium meum à Domino.* Hîc ſecundum: oſtenſo enim in quibus habeat confidentiam ſecundariò, hîc in quo principaliter. Et primò confitetur in Deo auxiliandi auctoritatem. Secundò poteſtatem. *Qui fecit.* Dicit ergo: Sic confidens leuaui oculos meos ad Sanctos, per eos auxilia impetrando, ſed *auxilium meum*, præcipuè & primo, *à Domino. Iſa.*1. Dominus Deus auxiliator meus. *Oſe.*13. Perditio tua Iſraël ex te,tantummodo ex me auxilium tuum tanquam ex principali authore.*Deut.*33. Aſcenſor cœli auxiliator tuus. Et poteſt bene, *qui fecit*, id eſt, quia ille fecit, *cœlum*, omnem ſupremam naturam, *& terram*, omnem ſcilicet infimam,

infimam. *Geneſ.*1. In principio creauit Deus cœlum, & terram. *Iſa.* 45. Ego feci terram, & ſuper eam hominem creaui ego : manus meæ extenderunt cœlos. *Coloſ.*1. In ipſo condita ſunt omnia, quæ in cœlo, & in terra.

3. *Non det in commotionem.* Hîc ſecunda pars totius huius Pſalmi, in quo monſtratur confidétia per animæ propriæ alloquutionem. Alloquitur autem eam primò pro ea ſupplicando, vt in gradu in quo eſt, conſeruetur à Domino. Secundò vt conſeruata confirmetur in bono maiori, & perfecto, ibi, *Cuſtodiat animam.* In prima tria. Primò petit. Secundò oſtendit promptitudinem Domini, ad hoc quod petit, ibi, *Ecce non dormitabit.* Tertiò tanquam certus, completum eſſe aſſerit quod petit, ibi, *Dominus cuſtodit te.* In prima duo, ſecundum duo quæ pertinent ad conſeruationem in bono in quo eſt. Primò ne recidat in culpam præteritam. Secundò ne torpeat, quod eſt quædam præparatio ad ruinam, ibi, *Nec dormitet.* Dicit ergo : Sic anima mea auxilium meum à Domino, & propter hoc ipſum rogo, *non det pedem tuum*, affectum tuum, *in commotionem*, ne recidat per culpam, ſicut ſupra timebat in *Pſal.* Mei autem penè moti ſunt pedes, penè, &c. Ex pede enim ſic moto lætatur diabolus, & irridet. In *Pſal.* ſuprà : Dum commouentur pedes mei, ſuper me magna locuti ſunt. Qui autem pedem fortiter fixerit, & direxerit ad bonum, nihil timebit. *Prou.*4. Dirige ſemitas pedibus tuis, & omnes viæ tuæ ſtabilientur. Hoc autem ſolus poteſt Dominus. *Prou.*3. Dominus erit in latere tuo, & cuſtodiet pedem tuum ne capiaris. Propter hoc dicitur *Prou.*12. Radix iuſtorum, affectus qui eſt radix omnis boni, non commouebitur.

Neque dormitet, non in ſe, Deus enim in ſe nunquam dormitat, ſed in te per pigritiam, *qui cuſtodit te*, ſicut & omnium cuſtos eſt. *Iob* 17. Quid faciam tibi ô cuſtos hominum ? Et *Iſa.* 21. dixit cuſtos : Si quæritis, quærite, conuertimini, & videte. Ipſe eſt Samaritanus, qui interpretatur cuſtos, qui vulneratum ſuſcipit. *Luc.*10. Et quantum in ſe eſt ſemper vigilat cuſtos iſte. *Ierem.*1. Virgam vigilantem ego video. Quippe *Sap.*12. Cura eſt ei de omnibus. Aliquando tamen dormit in cordibus pigritantium, quod ſignificatum fuit *Matth.*8. vbi legitur, quod in naui dormiebat.

4. *Ecce non dormitabit.* Hîc ſecundum huius partis, in quo oſtendit, quòd ad dandum petitum promptus ſit, & ad vtrumque petitorum : vnde duobus præmiſſis, ſcilicet non det, non dormitet, reſpondet duo quæ dicit : *Non dormitabit, ne dormiet.* Ait enim : Sic peto ô anima, & tamen ſcio, quòd ille *qui cuſtodit Iſraël*, vnde & te cuſtodiet, ſi volueris eſſe Iſraël, videns ſcilicet Deum : cuſtodit, inquam, per gratiam. *Iob* 10. Viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum. Et per Prælatorum & Angelorum diligentiam. *Iſa.*62. Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes. *Non dormitabit*, ſicut petitum eſt. Non det in commotionem, neque, &c. *Iſa.*5. Ecce non dormitabit, neque dormiet, neque ſoluetur corrigia calceamentorum eius. *Ierem.* 21. Vigilabo ſuper eos, vt ædificem & plantem eos, & cuſtodiam ædificatos & plantatos ſicut vineam. *Iſa.*27. Nocte & die ſerua eam. Significatus per Iacob, qui dicebat : Nocte & die æſtu vrebar, & gelu.

Dominus cuſtodit te. Hîc tertium in quo certus aſſerit ſe iam habere quod petebat, alloquens animam ſuam. Et primò oſtendit, quòd cuſtodit animam potenter. Secundò quod diligenter. *Per diem ſol.* Tertiò quod generaliter, ibi, *Dominus cuſtodit te ab omni malo.* Dicit ergo : Sic petij vt te cuſtodiat, promptum eſſe ipſum oſtendi : & ſic iam reputo impetratum : quia *Dominus cuſtodit te*, in bono quod habes : *Dominus protectio tua*, à malo, ne in illud recidiues. *Prou.*2. Cuſtodiet rectorum ſalutem, & protegit gradientes ſimpliciter. *Iſa.* 51. Adiutor & protector factus es mihi. 5.

Et hoc, *ſuper manum dexteram tuam*, id eſt, fortius, & potentius, quàm poſſet te cuſtodire & protegere dextera tua. *Iſa.* 49. Sub vmbra manus ſuæ protexit me, melius quam ego poſſem me protegere. *Eccl.*6. Amicus fidelis, fortis protectio. Iterum manus ſiniſtra eſt in nobis poteſtas à Deo nobis data regendi & conſeruandi temporalia. Per ſiniſtram enim temporalia intelliguntur, ſecundum illud *Cant.*2. Læua eius ſub capite meo, id eſt, temporalia à Deo mihi data ſub mente ſunt : & dextera, æterna bona, ſecundum illud idem : & dextera illius amplexabitur me. Per manum autem poteſtas intelligitur. *Eccleſ.*18. Mors & vita in manibus linguæ. Senſus eſt ergo : Dominus cuſtodit te & protegit exiſtens ſuper poteſtatem ab ipſo tibi datam, ad bona æterna acquirenda. Dedit quidem tibi poteſtatem ad æterna bona. *Ioan.*1. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Sed nec per illam poteſtatem attinges ad illa, niſi per ipſum cuſtodientem, & protegentem illa, & quaſi etiam manu tenentem, & regentem, ſecundum illud *Iſa.* 41. Ego Dominus apprehendens manum tuam. Et 45. Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt ſubiiciam ante eum gentes.

6. *Per diem ſol.* Hîc ſecundum, quod cuſtodit ſcilicet diligenter. Et primò quia cuſtodit in proſperitatis die. Secundò quòd in aduerſitatis nocte. *Neque luna.* Dicit ergo : Sic cuſtodit fortiter, & etiam ipſo protegente, & cuſtodiente, *ſol*, malæ concupiſcentiæ, *non vret te*, bonum gratiæ deſiccando, ad peccatum inflammando, ſicut illi, de quibus *Matth.*13. Orto autem ſole, concupiſcentiæ carnalis, æſtuauerunt. Et hoc *per diem*, temporalis proſperitatis : de quo *Eccleſ.*11. In die bonorum non immemor ſis malorum.

Neque luna, timor malè humilians, & inſtabilem animum reddens. *Eccleſ.*27. Stultus vt luna mouetur. *Per noctem*, aduerſitatis, de qua *Prou.vlt.* Non extinguetur in nocte lucerna eius.

Vel ſol appellatur diuinitas, quæ eſt lux, imò finis totius luminis, & lucis. 1. *Ioan.*1. Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ. Dies huius ſolis eſt ſapientia. *Iob* 1. Vnuſquiſque faciebat conuiuium in die ſuo. Senſus ergo eſt : Chriſti diuinitas non te opprimet in die ſapientiæ, cum diuinam inquires ſapientiam, ſicut illos, de quibus dicitur *Prou.*25. Perſcrutator maieſtatis opprimetur à gloria. Luna etiam,

Chriſti caro. *Cant.*4. Pulchra vt luna, electa vt ſol. Pulchra vt luna, in natiuitate: electa vt ſol, in reſurrectione. Nox autem cognitio imperfecta. Suprà in *Pſal.* Nox nocti indicat ſcientiam. Senſus ergo eſt: *Neque luna*, id eſt, Chriſti caro, *vret te*, errare te faciet per noctem cognitionis ænigmaticæ & obſcuræ. 1. ad *Corinth.* 13. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: ſed non erramus, ſed magis promouemur. 2. ad *Corinth.* 3. Transformamur de claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu.

7. *Dominus cuſtodiat introitum.* Hîc ſecundum, in quo ſpecificat quomodo petit cuſtodiri, quia conſummatè, & perfectè: quia primò petit ipſum cuſtodiri in initio, & in fine cuiuſque operis: vt bonis principiis, ſicut dicit *Gloſſa*, boni exitus adiungantur. Secundò perpetuò, ibi, *Ex hoc nunc.* Ait ergo: Sic petij, vt cuſtodiat animam, ſed ſic cuſtodiat, vt *Dominus cuſtodiat introitum tuum*, in opus bonum, & *exitum tuum*, ab illo opere. 1. *Reg.* 29. Exitus & introitus tuus mecum eſt. *Ioan.* 10. Per me ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingredietur, ad operationem bonam: & egredietur, terminando ipſam: & paſcua inueniet, in omnibus delectationem, & ſpiritualem refectionem. *Apoc.* 1. Ego ſum α & ω, principium & finis. Et hoc faciat *ex hoc nunc*, & *vſque in ſæculum*, id eſt, ſemper ſic te conſeruet, vt impleat illud *Matth. vlt.* Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. Quod nobis concedat, &c.

IN CXXI. PSALMVM.

Canticum graduum.

1. *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi.* Hic eſt Pſalmus vigeſimus primus in tertia parte libri, in toto libro 21. in ordine verò graduum tertius. Poſtquam enim oſtendit ſe ad hoc peruenisſe, vt in Sanctis, & Sanctorum conditore Deo fiduciam haberet, oſtendit etiam vlterius ſe aſcendisſe, vt de tali confidentia lætaretur & exultaret. Primò enim anima volens à malo recedere, gemit pro miſeriis in quibus verſatur. Secundò confidit in Sanctorum meritis, & in Deo, & oculos extollit ad illos. Tertiò concepta ſpe ſalutis, & perueniendi ad vitam, lætatur, & erigit oculos ad æterna bona. Et de gradu hoc tertio agitur in hoc Pſalmo, nec mutatur titulus, nec in verbis, nec in verborum ſubſtantia, niſi quod magis hic competit quod dicitur *Canticum*, quia apertè agitur de lætitia ſpirituali.

Gaudet Propheta ex ſpe ad ſupernã Ieruſalem perueniendi.

Diuiditur autem Pſalmus in duas partes. Primò affirmat ſe lætari de ſpe perueniendi ad cœleſtem Ieruſalem. Secundò conuerſo ſermone ad maiores, optat ciuibus pacis abundantiam, & hoc ex charitate, ibi, *Rogate quæ ad pacem.* In prima tria. Primò affirmat cordis proprij lætitiam. Secundò tangit lætitiæ rationem, ibi, *In his quæ dicta ſunt mihi.* Tertiò rationis certitudinem, ibi, *Illuc enim aſcenderunt.*

Dicit ergo: Sic leuaui oculos ad montes, & auxilium meum in Domino totum poſui: & tunc *lætatus ſum*, corde. 1. *Reg.* 2. Exultauit cor meum in Domino. Spei enim eſt gaudium generare in corde, & lætitiam. Ad *Rom.* 12. Spe gaudentes.

In his quæ dicta ſunt mihi. Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur lætitiæ ratio duplex. Magnitudo auditorum primò: & efficacia, ſiue virtus ſecundò, ibi, *Stantes erant.* Et in prima duo. Primò aſſignat pro ratione generali ea quæ audiuit. Secundò ſpecificat quæ, vel quid audierit, ibi, *In domum.* Dicit ergo: Sic dixi me lætatum: & ecce in quo: *In his quæ dicta ſunt mihi*, à Prophetis, & Doctoribus omnibus, ſacris Apoſtolis, & aliis exterius in aure corporis, vt ſic crederem. Ad *Rom.* 10. Fides ex auditu. *Matth.* 13. Qui habet aures audiendi, audiat. Non enim ſum de illis, de quibus conqueritur *Iſa.* 53. Domine quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui reuelatum eſt?

In domum Domini. Ecce ſpecificat quid audierit, quia hoc, *in domum Domini*, latam, & ſpatioſiſſimam. *Bar.* 3. O Iſraël, quàm magna eſt domus Domini, & ingens locus poſſeſſionis eius! Securam & pacificam. *Iſa.* 35. Non erit ibi leo, & mala beſtia non aſcendet per eam, nec inuenietur ibi. *Iſa.* 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis. Opulentam, & omni bono refertam: vnde ibidem in Iſaia ſequitur: In tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta. *Ibimus*, non paſſibus pedum corporalium, ſed affectionum ſanctarum, & ſpiritualium. Infrà in *Pſal.* Euntes ibant, & flebant. Sic ibant illa animalia ſancta, de quibus *Ezechiel.* 1. Ibant & reuertebantur. Sic monet Paulus non tantum ire, ſed etiam currere. 1. ad *Cor.* 9. Sic currite vt comprehendatis.

Domus Dei ampla & omni bono refecta.

2. *Stantes erant.* Hîc ſecundum, ſcilicet fructus & efficacia auditorum. Hi autem fructus, hæc efficacia, quia affectum eleuat ad æterna infimis derelictis. Duo ergo dicuntur. Primò affectuum ad æternam Ieruſalem eleuatio. Secundò ipſius Ieruſalem, vt magis exprimatur ratio gaudij, deſcriptio, ibi, *Ieruſalem quæ ædificatur.* In prima duo. Primò affectuum ad æterna eleuatio. Secundò eleuatorum ſtabilitas, & erectio. *Stantes erant.* Dicit ergo: Sic diuiſus ſum in auditis, & dum dicerentur iſta præ gaudio, *pedes mei*, interiores affectus, de quibus *Ierem.* 2. Cuſtodi pedem tuum à nuditate. *Ezech.* 1. Pedes enim (dicitur de animabus ſanctis) pedes erecti. *Erant in atriis tuis*, non propriè hic accipit atria, quæ ſunt pars exterior domus, ſed pro interioribus, & penetralibus domus, vt erant pedes illius, qui dicebat *Phil.* 4. Conuerſatio noſtra in cœlis eſt. Et illius, qui ſimiliter dicebat *Iob* 7. Suſpendium elegit anima mea. Et hîc, *ſtantes*, erecti fortiter, & ſtabiliti ne cadant. 1. *Cor.* 10. Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. Vt paratè & promptè tibi deſeruiant: ſeruientis enim eſt ſtare. 3. *Reg.* 18. Viuit Dominus, in cuius conſpectu ſto. Vt fortiter pugnent contra aduerſarios, mundum, carnem, diabolum. *Pſal.* Qui ſtatuiſti ſuprà petram pedes meos. Et alibi: Statuiſti in loco ſpatioſo pedes meos. Vt alios, ſi opus ſit, adiuuent: adiuuantium enim eſt ſtare. *Act.* 7. Stephanus vidit IESVM ſtantem, tanquam adiuuare paratum. *Galat.* 6. Alter alterius onera portate. *Prou.* 18. Frater qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma.

Ieruſalem

Ieruſalem quæ ædificatur. Hîc ſecundum, in quo ad maioris gaudij expreſſionem, ſubiungitur illius Ieruſalem deſcriptio, in qua ſtabant pedes. Deſcribitur autem à duobus. A ciuium inhabitantium vnione, quemadmodum in materiali ciuitate. A poſſeſſionis identitate, idem enim omnes ibi participant, ibi, *Cuius participatio.* Dicit ergo: Tantæ efficaciæ ſunt audita, vt in atriis Ieruſalem ſtare faciant pedes meos: Illius, inquam, Ieruſalem, non quæ in terris eſt, ſed *Ieruſalem quæ* in cœlis *ædificatur* ex viuis lapidibus, *vt ciuitas*, vt ſit in illa ciuium vnitas ſub iiſdem legibus, & Rege vno, & eodem. Hæc vnitas de qua ſuprà in *Pſal.* Gloriosa dicta ſunt de te, ciuitas Dei. Et *Apocal.* 21. Oſtendit mihi ciuitatem nouam Ieruſalem. Hæc ciuitas quæ ædificata eſt & fundata in ſaphiris, cœleſtibus ſcilicet viris. *Iſa.* 54. Sternam per ordinem lapides tuos, fundabo te in ſaphiris: habēs portas ex ſaphiris, & ſmaragdis. Ad ipſam enim eſt introitus per Apoſtolos, qui cœleſtes fuerunt, & fideles, & fidei promulgatores. *Apocal.* 21. Portæ Ieruſalem ex ſaphiro & ſmaragdo.

Cuius participatio. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic ædificatur vt ciuitas, *cuius* etiam *participatio eius*, eſt, non in diuerſum, ſicut in aliis ciuitatibus, vnus vnum poſſidet, & alius aliud, ſed *in idipſum*, vt vnum & idem, quod ſemper eſt idipſum immutabile & inuariabile, ſit ab omnibus participatum. Si enim idem participatur in Eccleſia militanti adhuc ſecundum illud *Act.* 4. Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, vnum ſcilicet nōſſe, & vnum velle, quanto magis in illa triumphante? Hoc eſt vnum de quo in *Pſal.* ſuprà: Vnam petij à Domino, hanc requiram. Et de quo *Luc.* 10. Porro vnum eſt neceſſarium. Hoc idipſum, quod ſemper idem eſt, & verè eſt, quod dicit *Exod.* 3. Ego ſum qui ſum. In quem non cadit non eſſe, nec alio modo eſſe. *Iacob.* 1. Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.

Bonum cœleſtis Ieruſalem totũ & immutabiliter participatur ab omnibus & ſingulis ciuibus.

4. *Illuc enim aſcenderunt.* Hîc tertium, in quo ſubiungitur rationis certitudo, quæ tangitur duplex. Primò minorum iuſtorum aſcenſio ad illam ciuitatem. Secundò, quod etiam fortius eſt, maiorum diſpoſitio in illa, ibi, *Quia illic ſederunt.* In prima duo. Primò minorum iuſtorum aſcenſio. Secundò finis & ratio aſcenſus illorum, ibi, *Ad confitendum.* Aſcendentium iuſtorum etiam minorum tangitur duplex conditio neceſſaria ad aſcenſum. Interior iuſtitia coram Deo, & exterior oſtenſa etiam proximo, & manifeſtata. *Teſtimonium.* Dicit ergo: Sic dixi me lætatum, quia in illam ſupernam Ieruſalem ibimus: & vnde hoc ſcis? vnde certus exiſtis? Ecce: *enim* quia, *illuc aſcenderunt tribus*, non quæcumque, ſed *tribus Domini*: coram Domino iuſtæ & ſanctæ. Et in hoc quod dicit, *tribus*, notantur minores. *Iob* 3. Paruus & magnus ibi ſunt. Hæ ſunt tribus quæ mutuò ſe inuitant. *Iſa.* 2. Venite, aſcendamus in montem Domini. *Zach. vlt.* Aſcenderunt de anno in annum, quolibet anno ſcilicet vt adorent regem Dominum exercituum.

Teſtimonium Iſraël. Hoc ſecundum. Quaſi diceret: Sic aſcenderunt tribus Domini, quæ ſunt *teſtimonium*, per opera ſua bona, *Iſraël*, id eſt, quæ ſunt in Iſraël, vel ſeipſas eſſe verum Iſraël. *Matth.* 7. A fructibus eorum cognoſcetis eos, id eſt, ab operibus. Omnis enim arbor ex fructu ſuo cognoſcitur. *Ioan.* 7. Opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me. Vel *teſtimonium* perhibentes *Iſraël.* Datiui caſus, de bonitate Dei per opera ſua bona, ſecundum illud *Matth.* 5. Sic luceant opera veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.

Ad confitendum. Ecce ad quid aſcenderunt, *ad confitendum*, confeſſione laudis, *nomini Domini*, illius ciuitatis. *Iſa.* 51. Venient in Sion laudantes, lætitia ſempiterna ſuper capita eorum. *Auguſt.* Videbimus, amabimus, laudabimus. Hæc confeſſio, de qua ſuprà: In voce exultationis, & confeſſionis, &c.

Quia illic ſederunt. Hîc ſecundum, in quo probatur & oſtenditur certitudo, ex diſpoſitione maiorum in illa. Et tangitur illorum diſpoſitio, comparatione ad Deum, cum in iudicio aſſidebunt. Secundò comparatione ad populum iudicandum, ſuper quem diſpoſiti erunt, ibi, *Sedes ſuper domum.* Dicit ergo: Sic ſunt ibi maiores, & etiam certus ſum de præmiſſis: quia *illic*, in illa Ieruſalem, *ſederunt in iudicio*, tanquam cum Chriſto iudicantes. *Matth.* 19. Cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos, &c. *Dan.* 7. Throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit. *Sedes*, ſancti maiores, in quibus Deus ſedet, & per quos iudicat. *Iſa. vlt.* Cœlum mihi ſedes eſt. *Sap.* 10. dicitur de ſapientia: Intrauit in animam ſerui Dei. 5.

Sedes ſuper domum. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic cum Deo poſiti erunt in iudicio ſancti, qui ſunt eius ſedes, *ſedes*, inquam, exiſtentes *ſuper domum Dauid*, ſuper bonos etiam, ſed imperfectos. Sicut enim ſuper illos fuerunt diſpoſiti in præſenti, primò vt eos cuſtodiant. *Matth.* 24. Quis putas eſt fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram? Sic ibi diſponitur vt maiorem gloriam habeant. *Luc.* 12. Super omnia bona ſua conſtituet eum.

Rogate quæ ad pacem ſunt. Hîc eſt ſecunda pars Pſalmi, in qua promiſſa lætitia & cauſa lætitiæ, quia audiuit ſe iturum in domum Domini, & certus fuit, verba conuertendo ad iudices, orat vt ad illam æternam pacem, & abundantiam veniatur. Primò ergo monet iudices, vt quod in ſe eſt faciant. Secundo orat, ibi, *Fiat pax in virtute.* Tertiò cauſam ſic orandi aſſignat, ibi, *Propter fratres meos.* In prima duo. Primò monet diligenter iudices, quæ pertinent ad pacem inquirere, & ad illam ductiua. Secundò quæ ad abundantiam, ibi, *Et abundantia.* Dicit ergo: Sic maiores ſedebunt iudices, vt reddant ſecundum merita: ergo ô vos qui ſic ſeſſuri eſtis, *rogate*, interrogate diligenter, & inquirite, *quæ ad pacem ſunt Ieruſalem*, illius ſupernæ ducentia, vt ſciatis conſequenter, qui ſunt illi pro quibus iudicandum, vel contra quos iudicandum. 1. *Cor.* 2. Spiritualis omnia diiudicat, & ipſe à nemine iudicatur. Sancti enim qui iudicaturi ſunt, 6.

habebunt quaſi interrogandi officium, ſicut iudices: vnde de Domino dicitur in *Pſal.* ſuprà: Dominus interrogat iuſtum, & impium. Si legit *Gloſſa*: Aliter poteſt legi, vt ſit ad omnes ſermo. Quaſi diceret: Sic perueniemus ad illam ſupernam Ieruſalem, ſi fuerimus de infima Ieruſalem, & pacifici in illa, & propter hoc ô vos omnes, *rogate*, id eſt, à Deo petite, *quæ ad pacem ſunt Ieruſalem*, adhuc militantis valentia. *Ierem.* 39. Quærite pacem ciuitatis, ad quam vos tranſmigrare facit Dominus. *Tob.* 13. Beati omnes, qui diligunt te, & qui gaudent ſuper pacem tuam. 1. *Eſdræ* 9. Deprecatio veſtra ad Dominũ, vt daretur pax illius in omni loco.

Et abundantia. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic interrogate, per quæ venitur ad pacem, & per quæ quæritur pax. Interrogate etiam vos iudices per quæ eſt *abundantia* æterna, non omnibus, ſed *diligentibus te*, ô Domine ſup. Et hæc ſunt opera miſericordiæ: per illa enim venitur ad pacem, & ad æternam abundantiam. *Mat.* 5. Beati miſericordes: quoniam ipſe miſericordiam conſequentur. Quam pacem ſcilicet & abundantiam innuit *Iſa.* 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, ecce pax: & in requie opulenta, ecce abundantia. *Iſa.* 60. de abundantia: Tunc videbis & affluës.

7. *Fiat pax in virtute.* Hîc ſecundum, in quo orat: & primò orando petit charitate mediante ad pacem venire, & ipſam in nobis fieri. Secundò ad abundantiam, ibi, *Et abundantia.* Dicit ergo: Sic rogate vos iudices, vel orando, vel interrogando: & ego ipſe rogo ô Domine, *fiat pax*, & in præſenti, & in futuro, de qua duplici *Ioan.* 14. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. *Gregor.* Hic relinquo, illic do. Et hoc *in virtute tua*, id eſt, per virtutem tuam, ſcilicet charitatem: charitas enim generat pacem. *Galat.* 5. Fructus ſpiritus charitas, gaudium, pax. Præmiſit charitatem, vt tanquam generata ab ea ſupponeret gaudium & pacem. Et *Eph.* 4. Solliciti ſeruare vnitatem ſpiritus, in vinculo pacis. Vnitatem ſpiritus dixit charitatem, ex qua ſequitur vinculum pacis.

Et abundantia. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic rogo, quòd pax fiat per eandem virtutem, ſcilicet charitatem: & per pacem etiam *in turribus tuis*, in maioribus & ſublimioribus qui ſunt in cœlis, tanta ſcilicet *abundantia*, vt influant aliis. *Deut.* 33. Nephtalim abundantia perfruetur. Nephtalim interpretatur, *Dilatauit me*, & ſignat perfectiores in charitate dilatatos. Hi etiam ſunt turres. *Cant.* 7. Collum tuum ſicut turris eburnea. *Iſa.* 5. Plantauit vineam, & ædificauit turrim in medio eius. Et hanc abundantiam in alios merendo transfundunt, à quibus bona temporalia receperunt, ſicut dicit *Gloſſa*.

8. *Propter fratres meos.* Hîc tertium, ſcilicet ratio ſic orandi, vel ita prædicandi bona illius ſupernæ Ieruſalem: & dicuntur duo. Primò propter quid, & quæ fuerit ratio petendi, vel prædicandi pacem eius. Secundò petendi, vel prædicandi abundantiam, ibi, *Propter domum Domini.* Dicit ergo: Sic rogaui, ſed prædicaui pacem ſupernæ Ieruſalem, & ô tu Ieruſalem *loquebar*, vel orando, vel aliis prædicando, *pacem* prædicaui *de te*: & hoc, *propter fratres meos*, mihi ſanguine & cognatione coniunctos, & *proximos*, affines ſcilicet in ciuitate. Vel *fratres* dicit coniunctos fide, *proximos*, coniunctos charitate, vt ad illam pacem, illos oratione attraherem, prædicatione allicerem, quod multum placet Deo. *Iſa.* 52. Quàm pulchri ſunt ſuper montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem! hoc enim ipſemet fecit. *Epheſ.* 2. Veniens euangelizauit pacem nobis, qui longè, &c. Et maximè quando fit propter fratres: tunc enim ex charitate fit, quæ non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ aliorum. 1. ad *Cor.* 13. Charitas non quærit quæ ſua ſunt, quam vult nos habere præ omnibus, & ſuper omnia. *Coloſ.* 3. Super omnia charitatem habete, quæ eſt vinculum perfectionis.

9. *Propter domum Domini.* Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic propter alios quæſiui pacem, & etiam ô tu Ieruſalem, *quæſiui* orando, prædicando, non propter me, ſed *propter domum Domini* Dei *noſtri*, charitatiua inquiſitio, *bona tibi*, id eſt, bona quæ in te ſunt, illuminatio intellectus & ſplendo. *Bar.* 3. Deus oſtendet ſplendorem ſuum in te. Conſolatio affectus. *Iſa. vlt.* Ieruſalem conſolabimini, videbitis, & gaudebit cor veſtrum. Benedictio vtriuſque, intellectus & affectus. *Tob.* 13. Benedicti erunt qui ædificant te. Tu autem lætaberis in filiis tuis, quoniam omnes benedicentur, & congregabuntur ad Dominum, ipſum bonitatis fontem, Deum ſcilicet. *Amos* 5. Quærite bonum, & non malum, vt viuatis. Et quærite me, & inuenietis, ad quem nos perducat, &c.

IN CXXII. PSALMVM.

Canticum graduum.

1. *Confugit Propheta ad Deũ & ſupplex poſcit vt à præſentibus ærumnis liberetur.*

AD *te leuaui oculos meos.* Hic eſt Pſalmus 122. in toto libro, 22. in tertia parte libri, & inter Pſalmos Graduales quartus. Cum enim in primo actum ſit de clamore pro liberatione à miſeria præſenti, in ſecundo de fiducia liberationis, in tertio verò de lætitia ex conſideratione finis miſeriæ & tribulationis, ſubiungitur hîc de continuatione ſupplicationis pro liberatione à malo & præſentibus ærumnis. Titulus ſicut ſuperius expoſitus eſt, ſic eſt exponendus.

Diuiditur autem Pſalmus in duas partes. In prima exprimit deſiderij ſui vehementiam. In ſecunda ſubiungit petitionẽ, ibi, *Miſerere noſtri.* Vehementiam deſiderij oſtendit ex duobus. Ex intentionis rectitudine, & poſt ex continuatione, & ſollicitudine intendendi, ibi, *Et ſicut oculi.* Dicit ergo: Sic lætatus ſum, finem laboris attendendo, & vlterius aſcendens, ô tu *qui habitas in cœlis*, materialibus per maiorem tui manifeſtationem. *Iſa. vlt.* Cœlum mihi ſedes eſt, ſed terra ſcabellum pedum meorum. Suprà in *Pſal.* Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum. Et in ſpiritualibus, ſcilicet Angelis per fruitionem. *Ierem.* 33. Cœlum, angelicam ſcilicet creaturam: & terram, inferiorem ſcilicet: ego impleo: & hominibus ſanctis, in quibus habitas, per amorem. *Pſal.* Dominus in cœlo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes eius. Anima enim iuſti ſedes eſt ſapientiæ. *Sapient.* 7. In animas ſanctas ſe transfert. *Matth.* 6. Pater noſter qui eſt in cœlis.

Ad

Ad te leuaui oculos meos, interiores intentionem totam in te, & ad te dirigendo, non ad opes terrenas, quæ poſſideri non poſſunt. *Prou.*23. Ne erigas oculos tuos ad opes, &c. Quas habere non potes. *Prou.* 17. Oculi ſtultorum in finibus terræ. Sed *Eccl.*6.dicitur: Oculi ſapientis in capite eius. *Thren.*3. Leuemus corda noſtra cum manibus ad Deum. In cœlo. *Dan.* 4. Oculos meos ad cœlum leuaui, & ſenſus meus redditus eſt mihi.

Leuandi ad Deum oculi multiplicitèr.

Leuandi autem ſunt oculi ad ipſum, tanquam ad ſpeculum, vt ſordes noſtras certius cognoſcamus. *Sap.*7. Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula. Tanquam ad librum, in quo quomodo ſordes lauandæ ſint legamus. Hic eſt liber ſcriptus intus in diuinitate, vt ibi legat Angelus: & foris in humanitate, vt ibi legat homo. *Ezech.* 2. Tanquam ad exemplar, vt quid agendum fuerit poſt emundationem plenius cognoſcamus. *Exod.*25. Inſpice, & fac omnia ſecundum exemplar,quod tibi in monte monſtratum eſt. Tanquam ad adiutorem in omnibus his, vt totum ei tribuamus. *Act.* 7. Stephanus ad ipſum ſtantem in cœlis oculos leuauit, & erexit. Tanquam ad finem & amorem noſtrum,vt ei hæreamus,quia vbi amor,ibi oculus. *Mat.*6.Vbi eſt theſaurus tuus,ibi eſt,&c.

2. *Ecce ſicut oculi.* Hîc ſecundum,in quo oſtendit vehementiam deſiderij ex continuatione, & ſollicitudine,& hoc exemplo duplici. Exemplo ſerui primò in Dominum intendentis, vt per ipſum à flagellis liberetur. Exemplo ancillæ expectantis mercedem à domina, vt ab ea remuneretur, ibi, *Sicut oculi ancillæ.* Dicit ergo: Sic leuaui oculos meos, intentionem dirigens in te, & non ſine ſollicitudine,quia *ecce ſicut oculi ſeruorum*, flagellatorum, vel afflictorum, *in manibus dominorum ſuorum*, intendunt ſup. diligenter & ſollicitè. Et *ſicut oculi ancillæ*, in officio humiliatæ, *in manibus dominæ ſuæ*, à qua remunerationem expectat ex labore: *ita oculi noſtri*,interiores, *ad Dominum Deum noſtrum.*

Hic ergo aduertendum, quoniam homo ſecundum corpus dici poteſt ſeruus, & ancilla quantum ad animam. *Sap.*9. Noli me reprobare à pueris tuis, quoniam ſeruus tuus ego ſum, quantum ad corporis miſeriam. *Prou.vlt.* Dedit prædam domeſticis ſuis, Angelis: & cibaria ancillis ſuis, animabus ſanctis. Dei autem manus eſt eius potentia.2.*Par.*21.Melius eſt vt incidam in manus Domini, quia multæ miſerationes eius, quam in manus hominum. Iterum in eodem: Tu dominaris omnium, in manu tua virtus & potentia, & in manu tua magnitudo. Oculus autem noſter interior eſt intentio & voluntas: & eſt dexter & ſiniſter. *Matth.*6. Si oculus tuus, intentio & voluntas, fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Hi debent omninò in Deum dirigi. *Pſal.*ſuprà: Oculi mei ſemper ad Dominum,quoniam ipſe eueller, &c. 2.*Par.*20. Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te.

Et hoc, *donec miſereatur noſtri*, non quod poſteà non ſint ad Dominum oculi leuandi, poſtquam fuerit miſertus,ſicut ibi: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos,&c. Vel notandum, quod *donec* aliquando ponitur excluſiuè, ſicut *Ioan.vlt.* Sic eum volo manere, donec veniam: vt cum venero, iam ſic non maneat. Aliquando incluſiuè, ſicut dicitur: Non pœnituit donec venit ad mortem: nec propter hoc intelligitur, quod in morte pœnituerit. Sic poteſt hic accipi. Aliquando accipitur pro vt, & ſpecialiter hîc, vt dicatur: Oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri, id eſt, vt miſereatur noſtri. Ad hunc ergo oculi leuandi, & ab ipſo miſericordia expectanda. *Ioël.*1. Beſtiæ agri, quaſi area ſitiens imbrem, ſuſpexerunt ad te. Quia *Eccleſ.* 35. dicitur: Specioſa eſt miſericordia in tempore tribulationis, quaſi nubes pluuiæ in tempore ſiccitatis.

Donec ſuperatur multa media.

Miſerere noſtri Domine. Hîc ſecunda pars 3.
Pſalmi: præmiſſa enim deſiderij vehementia, ſubiungitur petitio ex deſiderio orta. Duo autem dicuntur. Primò petitio. Secundo neceſſitatem ſuæ petitionis oſtendit, ibi, *Quia multum repleti.* Dicit ergo: Sic ad te Domine oculos leuaui, dicens: *Miſerere noſtri Domine*, miſerias corporis amouendo: *miſerere noſtri*, miſerias animæ annullando. *Eccleſ.* 36. Miſerere noſtri omnium Deus, & reſpice in nos. *Iſa.*33. Domine miſerere noſtri: te enim expectamus. *Iſa.* 30. Miſerans miſerebitur tui: ad vocem clamoris tui ſtatim vt audierit, reſpondebit tibi.

Quia multum. Hîc tangitur petendi neceſſitas. Et primò ex parte miſeriarum. Secundò ex parte miſerias infligentium, ibi, *Opprobrium abundantibus.* In prima duo. Primò miſerias tangit generaliter.Secundò animæ ſpecialiter, ibi, *Quia multum repleta eſt anima.* Dicit ergo: Sic dico, Miſerere noſtri, & neceſſe habeo clamare, *quia multum repleti ſumus deſpectione*, cauſis ſcilicet deſpectionis, multiplicibus ſcilicet miſeriis & magnis. *Num.*4. Audi Domine Deus noſter, quia facti ſumus deſpectio. *Iob* 12. Effudit deſpectionem ſuper principes, ſuper ſanctos & iuſtos. Sed ad cumulum meriti illorum. *Iſa.*40. Pro eo quod fuiſti deſpecta, & odio habita, & derelicta,&c. Et verè omni deſpectione pleni ſumus. *Bernar.* In ſordibus generamur, in menſtruis confouemur, in doloribus parturimur,ante exitum miſeras matres noſtras oneramus,in exitu more viperæ laceramus: & mirum quod non ipſi pariter laceramur: naſcimur plerumque leproſi, ſurdi, muti, mutilati, deformes, monſtruoſi. Concipit mulier cum immunditia & fœtore, parit cum triſtitia & dolore,nutrit cum anguſtia & labore,cuſtodit cum ſollicitudine & timore. Ingreſſus in hanc vitam eſt miſerabilis, progreſſus culpabilis,egreſſus damnabilis.

Homò valdè contemptibilis.

Quia multum repleta eſt. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic repleti ſumus deſpectione, propter quod clamo, & etiam *anima noſtra multum repleta eſt* miſeriis, non ſolum corpus. *Thren.* 3. Repleta eſt amaritudine anima noſtra. Et in *Pſal.*ſuprà: Repleta eſt malis anima mea.

Opprobrium abundantibus. Hîc ratio ſecunda, in qua à parte infligentium miſerias monſtrat clamandi neceſſitatem. Et conſtruatur ſic: Multum repleta eſt miſeriis, anima, inquam, facta *opprobrium abundantibus*, diuitibus

tibus ſcilicet huius mundi, & facta *deſpectio ſuperbis. Iob* 12. Deridetur iuſti ſimplicitas, lampas contempta apud cogitationes diuitum. *Prou.*29. Abominantur impij eos, qui recta gradiuntur via. 1. *Cor.*4. Tanquam purgamenta facti ſumus huius mundi, omnium peripſema vſque adhuc. Michol deſpexit humilem Dauid 2. *Reg.* 6. Et Herodes Chriſtum. Sed in caput illorum ſua deſpectio conuertetur. *Iſa.* 33. Væ qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris? cum fatigatus deſieris contemnere, contemneris. *Neem.*4. Audi Deus quia facti ſumus deſpectio: conuerte opprobrium ſuper caput illorum.

IN CXXIII. PSALMVM.

Canticum graduum.

1. *Niſi quia Dominus.* Hic eſt Pſalmus 123. in toto libro, in tertia parte libri 23. & in Gradualibus quintus, vltimus inter quinque primos, qui pertinent ad receſſum à malo. Poſtquam enim clamauit ad Dominum pro liberatione ſui à malo, poſtmodum aſcendit ad confidentiam de liberatione, & vlterius ad lætitiam pro liberationis fine, & adhuc plus ad orationis continuationem & feruorem, hîc agitur, de eo quod vltimum, ſcilicet de gratiarum actione pro liberatione, præmiſſo titulo conſueto, & conſueto modo exponendo.

Propheta gratias agit Deo, quod eius miſericordia à malis ſit ereptus.

Diuiditur autem Pſalmus in duas partes. Primò inuitatio omnium generaliter ereptorum à Deo à malis, ad gratiarum actionem. Secundò ſolutio gratiarum pro omnibus, ibi, *Benedictus Dominus.* In prima duo. Primò monet gratias agere pro liberatione à perſecutoribus. Secundò pro liberatione à tentationibus, ibi, *Torrentem.* In prima duo. Primò inuitat ad gratiarum actionem pro liberatione à perſecutione maiorum. Secundò minorum, ibi, *Cum iraſceretur furor.*

2. & 3. Duorum verſuum qui ſunt in pirma parte, pendet conſtructio, vt dicatur ſic: *Iſraël*, populus ſcilicet videns Deum, *dicat nunc*, gratias referendo: *Cum homines*, potentes, & in ſuperficie rationabiles, *exurgerent in nos*, id eſt, contra nos, verbis, & factis nos perſequendo, *forte deglutiſſent nos*, in malum ſcilicet induxiſſent, & hoc *viuos*, ſcientes, & prudentes, & malum certiſſimè cognoſcentes, *niſi quia Dominus erat in nobis*, dans virtutem ſuperandi.

Nota ergo, quòd diabolus per ſuos qui mala ſuggerunt, aliquando bonos deglutit, & incorporat ſibi. Sic è contrario Deus per prædicatores ſuos, malos. *Act.* 10. dictum eſt Petro, Macta, & manduca, omnia genera reptilium, & ſerpentium. Hic autem eſt ordo. Primò ponit quaſi in ore ſuo, per mali ſuggeſtionem, maſticat per deliberationem, ſed deglutit per conſenſum, & viuum, quando mali quod facit, habet cognitionem. *Prou.* 1. Deglutiamus eum, quaſi infernus viuentem. *Ion.*2. Præparauit Dominus piſcem grandem, vt deglutiret Ionam. *Num.*16. Dathan, & Abiron viui deſcenderunt in infernum. Hoc autem fit niſi Dominus ſit in ſuis: ſed quando eſt in ipſis, ſeruat eos. *Ierem.* 14. Tu in nobis es Domine, & nomen ſanctum tuum inuocatum eſt ſuper nos. Eſt autem in illis per naturæ conformitatem, & in omnibus hominibus. *Iſa.* 7. Vocabitur nomen eius Emanuel, hoc eſt, nobiſcum Deus. *Bar.*3. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Sed ſpecialiter per gratiæ ſuæ infuſionem. *Zach.*2. Ecce ego venio, & habito in medio tui, ait Dominus. *Rom.* 8. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris. Sed in eodem: Si Deus pro nobis, quis contra nos?

Deus eſt in hominibus per naturæ conformitatem & gratiæ infuſionem.

4. *Cum iraſceretur.* Hîc ſecundum, & conſtrue ſic: Et etiam Iſraël dicat nunc, quoniam *aqua*, populus ſcilicet labilis, & fluxibilis. *Apoc.* 19. Aquæ ſuper quas meretrix ſedet, tribus ſunt, & linguæ. Vel *aqua*, tribulatio à populis immiſſa in abundantia ſicut aqua. *Exod.*15. Submerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus. *Pſal.* Intrauerunt aquæ vſque ad animam meam. *Abſorbuiſſet nos. Ierem.*51. Abſorbuit me quaſi draco. *Iſa.* 49. Longe effugabuntur qui abſorbebant te. Et hoc *forſitan*, nota eſt liberi arbitrij. *Cum furor eorum*, ipſi furibundi, *iraſceretur in nos. Prou.* 27. Ira non habet miſericordiam, nec erumpens furor, & impetum concitati ſpiritus quis poterit ſuſtinere? Mali enim ſine miſericordia tanquam beſtiæ ferociſſimæ inſurgunt contra bonos. *Iob* 16. Collegit furorem ſuum in me, & comminans mihi infremuit contra me dentibus. *Pſal.* Peccator videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet.

5. *Torrentem pertranſiuit.* Hîc ſecundum, in quo monet ad gratiarum actionem pro liberatione à tentatione. Et primò à tentatione, quæ ab hoſte. Secundò à tentatione, quæ à carne. *Forſitan pertranſiſſet.* Dicit ergo: Sic dicat Iſraël præcedentia, & etiam dicat, *Animæ noſtra pertranſiit*, perfectè tranſiit, *torrentem*, tribulationem cito tranſitoriam, ſicut torrens citò tranſit, quæ infertur ab hoſtibus. Hic torrens quo caput noſtrum abundantiſſimè eſt potatum. *Pſal.* De torrente in via bibit. *Iſa.*43. Dominus dedit in mari viam, & in aquis torrentibus, in tribulationibus ſcilicet tranſitoriis, ſemitam. *Ierem.*31. Deducam eos per torrentes aquarum.

Forſitan. Ecce ſecundum: & ſicut vult *Gloſſa*, *forſitan* ſumitur pro *putaſne?* Et eſt ſenſus: Sic autem pertranſiit torrentem, & putaſne *anima noſtra pertranſiſſet*, perfectè tranſiſſet, niſi quia Dominus erat in nobis, *aquam intolerabilem?* Quaſi diceret: Nullo modo. Aquam autem intolerabilem appellat tentationem, ſeu tribulationem à carne. *Iſa.* 43. Cum tranſieris per aquas, tecum ero. Et 51. Poſuiſti profundi maris viam, & tranſibunt per eam liberati. Aquæ autem iſtæ aliquando quaſi intolerabiles, quando fortes carnis ingruunt tribulationes, Dei permiſſione. *Iſa.* 8. In die illa adducet Dominus, id eſt, adduci permittet, aquas fluminis, fluentis & inſtabilis carnis, multas, & magnas. Sed Dominus aliquando temperat, & ſuſtinere facit. 1. ad *Cor.* 10. Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari ſuprà id quod poteſtis, &c.

6. *Benedictus Dominus, qui non dedit.* Hîc eſt ſecunda pars Pſalmi, in qua poſtquam præceſſit inuitatio ad gratiarum actionem, ſubiungitur gratiarum

gratiarum actio : vt sicut inuitauit verbo, sic etiam inuitet exemplo. Duo ergo dicuntur. Primò gratias agit. Secundò supponit beneficia, propter quæ sunt agenda, ibi, *Qui non dedit nos.* Dicit ergo : Sic monui Israël ad agendum gratias, & ipse dico primus : *Benedictus Dominus.* Suprà in *Psal.* Benedic anima mea Domino. 2.*Cor.*1. Benedictus Dominus & Pater Domini nostri IESV CHRISTI.

Qui non dedit nos. Hîc supponit beneficia propter quæ sunt agenda: & sunt duo. Primum, liberatio ab aperta persequutione, quæ significatur in dentibus. Secundum, ab occulta, quæ in laqueo designatur, ibi, *Anima nostra.* Dicit ergo : Sic dico, quòd benedictus es Deus, *qui*, id est, quia ille *non dedit nos*, id est, dari permisit, *in captionem dentibus eorum*, imò magis eripuit, sicut in persona eius dicitur *Iob* 29. Conterebam molam iniqui, & de dentibus eius auferebam prædam. Dentes dæmonum, aperti persequutores. *Ioël.* 1. Dentes eius vt dentes leonis. *Dan.*7. De ore vrsi apparebant tres ordines dentium. Nocent enim, & deuorant blanditiis, minis, & tandem morsibus, factis scilicet, & violentia. Sed Dominus suos eripit. *Isa.*49. Nunquid tolletur à forte præda : aut quod captum est à robusto, saluum esse poterit ? Equidem tolletur à forti præda, & quod captum à robusto fuerat, saluabitur.

Dentes dæmonũ, aperti persequutores.

7. *Anima nostra sicut passer.* Hîc secundum beneficium, in quo tanguntur duo. Primò ereptio plena & liberatio à tentatione occulta. Secundò per quem facta est liberatio, ibi, *Adiutorium.* In prima duo. Primò beneficium ereptionis à tentatione occulta. Secundò plenæ & perfectæ liberationis, ibi, *Laqueus contritus est.* In prima tria. Primò secundum quid sunt erepti, quia secundum animam, non secundum corpus. Secundò quomodo sunt erepti, quia *sicut passer.* Tertiò à quo sunt erepti. *De laqueo.* Dicit ergo : Sic non dedit nos in captionem dentibus, & etiam *anima nostra*, quicquid sit de corpore. *Iob* 9. Terra tradita est in manus impij. *Iob* 1. Verumtamen animam illius serua. *Erepta est sicut passer* eripitur, qui etsi relinquat plumam, tamen auolat aliquando. Sic sancti amittunt res, relinquunt corpora, & auolat anima. *Leuit.*14. Pro leprosi emundatione, vnus passer, caro scilicet immolabatur, & alius sinebatur auolare. *De laqueo venantium*, de tentatione occulta dæmonum. Hîc est laqueus, de quo *Isa.*24. Formido & fouea, & laqueus super te qui habitator es terræ. Super habitatores terræ dicitur esse. *Thren.* 3. Venatione ceperunt me, quasi auem. Non super sanctos volantes in aëre: quia *Prou.* 1. dicitur : Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. *Ier.*1. Inuenti sunt in populo meo viri impij ponentes laqueos, & pedicas ad capiendos viros. *Sap.* 13. dicitur : Factæ sunt in muscipulam pedibus insipientium.

Laqueus contritus est. Hîc monstratur plena & perfecta ereptio in duobus. In laquei contritione primò. Secundò in ereptorum libertate. *Et nos.* Dicit ergo : Sic dico, quòd anima nostra erepta est sicut passer, & perfectè & plenè, quia *laqueus* etiam *contritus est*, diuitiarum, honorum, & deliciarum : totum enim transit, & annihilatur. 1.*Cor.*7. Transit mundus & concupiscentia eius. *Isa.* 10. Computrescet iugum à facie olei. *Ier.*30. Conteram iugum eius de collo tuo, & vincula tua disrumpam. Diabolus enim hominem illaqueat, cum deiicit in culpam, sed quando inducit in consuetudinem, quasi in carcerem claudit : sed Dominus laqueum conterit, & carcerem frangit. *Isa.* 45. Conteram ante eum portas æreas, & vectes ferreos confringam.

Et nos liberati sumus. 1. *Mach.* 2. Daniel in simplicitate sua de ore leonum liberatus est.

Adiutorium nostrum. Hîc secundum, scilicet liberatoris descriptio : in quo tangitur primò quis sit, quia Dominus dominio singulari. Secundò qualis, quia potens potentia vniuersali super omnem superiorem & inferiorem creaturam. *Qui fecit cœlum.* Dicit ergo : Sic sumus liberati, sed à quo ? Ecce : *Adiutorium nostrum*, non à nobis, nec in nobis fuit, *sed in nomine*, id est, in inuocatione, *Domini*, contra quem nullus potest prævalere omninò. *Prou.*21. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Deum. *Rom.*8. Si Deus pro nobis, quis contra nos ? *Iob* 41. Quis est iste, qui resistet vultui meo ?

8.

Qui fecit cœlum. Quasi diceret: Sic in nomine singularis Domini sumus adiuti, & potentis, *qui*, id est, quia ille *fecit cœlum*, omnem scilicet superiorem creaturam, *& terram*, scilicet inferiorem. *Genes.*1. In principio creauit, &c. *Esth.*13. In ditione tua Domine cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati tuæ.

Nota ergo, quòd à Deo liberantur qui sunt passeres, scilicet illi qui sunt modici per humilitatem. *Matth.*19. Sinite paruulos venire ad me. Leues per temporalium abrenuntiationem. *Ierem.*2. Cursor leuis explicans vias suas. Agiles per charitatem. *Isa.*60. Qui sunt isti qui vt nubes volant ? Habitantes in foraminibus petrarum, per iugem passionis Christi meditationem. *Isa.*3. Ingredere in petram, abscondere in fossa humo. *Cant.*2. In foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.

Liberantur à Deo qui passerus habent propriotates.

IN CXXIV. PSALMVM.

Canticum graduum.

QVi confidunt in Domino. Hic est Psalmus 124. in toto libro, in parte vero tertia 24. & est sextus in Psalmis Gradualibus, & primus inter illos qui pertinent ad operationem boni, siue ad perfectionem in bono. Primus enim gradus est firmitas propositi perseuerandi in bono, ex confidentia habita in Deo, & adiutorio gratiæ, & consideratione pœnæ deuiantium à bono. Præposito ergo titulo consueto, primò tangitur firmitas propositi, ex confidentia habita in Deo. Secundò petitio gratiæ diuinæ, sine qua firmitas non potest stare, ibi, *Benefac Domine.* Tertiò expressio pœnæ deuiantium à bono inchoato, ibi, *Declinantes autem.* In prima duo. Primò notatur confidentium in Deo firmitas. Secundò firmitatis perpetuitas. *Non commouebitur.* Dicit ergo: *Qui confidunt in Domino*, non in mundo, sunt firmi & stabiles sup. *Sicut mons Sion. Ierem.*17. Beatus vir qui confidit in Domino. Propter

1.

Argumentũ Psalmi, confidentis in Deo firmitas & perseuerantiæ in bono.

quod dicitur *Eccl.*12. Confide in Domino, & mane in loco tuo. *Eccl.*39. Qui confidit in Domino, non minoratus erit, ſed ſtabit firmus.

Non commouebitur. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Qui confidit, ſtabilis erit: & *qui habitat in Ieruſalem*, illa ſuperna per ſpem & confidentiam, *non commouebitur in æternum. Prou.* 12. Radix iuſtorum non commouebitur. 2. *Machab.*2. Qui ſperat in Domino, non infirmatur. *Prou.*2. Iuſtus quaſi fundamentum ſempiternum. Sed opponitur: quia multi habuerunt confidentiam, & in æternis ſpem, qui tamen poſtea moti ſunt. Si dicatur, quòd coniunctim intelligendum, hoc nihil eſt: quia non eſſet hoc magnum: dum enim confidit, certum eſt, quòd non cadet. Propter hoc dicendum, quòd hoc dicitur propter charitatem, quæ ſufficiens eſt omni tentationi reſiſtere. Aliter autem exponitur in *Gloſſa*, dupliciter ſecundum duplicem literam. Vna habet vtrumque verbum in plurali, *confidunt*, & *commouebuntur*. Alia habet in ſingulari vtrumque, *confidit*, & *commouebitur*.

2. *Montes in circuitu eius.* Hîc eſt ſecundum, in quo monſtratur firmitas in patiendis. Et primò tangitur firmitatis oratio, protectio ſcilicet à Deo, & à ſanctis. Secundò à quo ſit illa protectio, ibi, *Quia non relinquet.* In prima duo ſecundum duplicem rationem protegendi. Primò ſanctorum cuſtodia, vel hominum, vel Angelorum. Secundò ipſius Dei, in quo eſt potestas prima protegendi. *Et Dominus in circuitu.* Dicit ergo: Sic firmatus eſt qui confidit in Domino, vt faciat bonum, & etiam *montes*, ſancti ſcilicet vita eminentiores, *in circuitu eius*, ad quos oculos ſuperius leuauit ſuprà: Leuaui oculos meos in montes. *Zach.*9. Circumdabo domum meam ex his qui militant mihi. *Iudith* 7. Filij Iſraël non in lancea aut ſagittis confidunt, ſed ſed montes defendunt eos.

Et Dominus. Hîc ſecundum, ſcilicet protectio ab ipſo Domino. Et tangitur primò protectio. Secundò protectionis duratio. *Ex hoc nunc.* Dicit ergo: Sic ſancti exiſtentes in circuitu eos protegunt, *&* etiam *Dominus* eſt *in circuitu populi ſui. Zach.*2. Ero eis murus ignis in circuitu. *Iſa.* 26. Vibs fortitudinis noſtræ Sion, Saluator ponetur in ea, murus & antemurale. Neceſſe eſt enim Dominum cuſtodire ſuos, & eos circuire: quia 1. *Pet.* 5. dicitur: Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, &c. Et membra, ſcilicet diaboli circumeunt. *Pſal.* ſuprà: In circuitu, iuſtorum ſup. impij ambulant, ad ſubuerſionem illorum.

Ex hoc nunc, & vſque in ſæculum, futurum poſt iſtud. Hæc eſt duratio, hoc eſt quod promittit *Matth.vlt.* Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.

3. *Quia non relinquet.* Hîc ſecundum, in quo oſtenditur à quo proteguntur: à Deo & à Sanctis. Primò quia à pœna malis inflicta. Secundò quia à culpa, ne cadant per impatientiam, vel alio modo in illa, ibi, *Vt non extendant.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd Dominus eſt in circuitu ſuorum: quod patet, *quia non relinquet Dominus*, qui auferre poteſt, *ſuper ſortem iuſtorum*, id eſt, ſuper ſanctos, qui ſunt eius ſors, vel de ſorte eius. *Coloſſ.*1. Dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum, in lumine. *Virgam peccatorum*, id eſt, poteſtatiuam afflictionem, Dominus enim aliquando ſuper ſuos poteſtatem malorum dimittit, vt ab illis tanquam à quadam virga corrigantur. *Iſa.*10. Væ Aſſur, virga furoris mei, ipſe eſt in manu mea. Sed hanc virgam Dominus non relinquit diu ſuper ſuos, ſed amouet illam. *Iſa.*14. Contriuit Dominus virgam dominantium, baculum impiorum. *Naum* 1. Conteram virgam eius de dorſo tuo. *Iſa.*30. Erit tranſitus virgæ fundatus.

Vt non extendant. Hîc protectio à culpa. Quaſi diceret: Sic virgam non relinquet, *vt* iuſti *non extendant manus ſuas ad iniquitatem.* Ad iniquitatem manus ſuas iuſtus extendit, quando in perſequutionibus per impatientiam cadit: ſed non extendit, quando ſuſtinet, & attendit, quod vtilis ſit illa tribulatio, conſiderans illud 2. *Cor.*4. Id quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternæ gloriæ pondus operabitur in nobis. Et illud *Hebr.* 12. Omnis diſciplina in præſenti quidem, non videtur eſſe gaudij, ſed mœroris, poſtea vero fructum pacatiſſimum affert exercitatis ſecundum illam. Et illud *Naum* 1. Non conſurget duplex tribulatio. Ad iniquitatem etiam manum non extendunt, ſed fugiunt tanquam à ſerpente venenoſo. *Eccl.*21. Quaſi à facie colubri fuge peccatum.

Benefac Domine. Hîc ſecunda pars totius huius Pſalmi, in qua ſubiungitur ſupplicatio pro gratia impetranda, ad hoc vt prædicta firmitas teneatur. Duo ergo petit. Primò, quòd Dominus benefaciat bonis in opere. Secundò, quòd etiam rectis in intelligentia. Ait enim: Sic qui confidunt, firmi ſunt, & ad bonum faciendum, & ad malum ſuſtinendũ: ſed quia non poſſunt hoc ex ſe, ô Domine, rogo *benefac*, gratiam infundendo, vel infuſam augmentando, *bonis*, in operatione. 2. *Mach.*1. ſimilis eſt oratio: Benefaciat nobis Deus, & meminerit teſtamenti ſui, quod habuit ad Abraham, Iſaac, & Iacob. Sicut etiam facit *Zach.*8. Conuerſus ſum, & cogitaui in diebus illis, vt benefaciam domui Iuda. *Et rectis corde*, interiori ſcilicet intentione: recta enim intentio ad hoc exigitur, vt meritoria ſit operatio. *Prou.* 21. Qui rectus eſt, corrigit viam ſuam. *Cant.*1. Recti diligunt te. Benefacit eis Deus in præſenti gratiam augmentando, benefaciet in futuro pro intentione recta, in anima: pro bono opere, in corpore glorificando. *Sap.* 10. Reddet Deus iuſtis mercedem laborum ſuorum. Et pro vtroque *Iſa.*62. In terra ſua duplicia poſſidebunt. 4.

Declinantes autem. Hîc tertium, in quo inſinuatur de præmio bonorum & malorum: per hoc enim non modicum confirmantur ſancti. Tangitur ergo primò malorum punitio. Secundò bonorum remuneratio, ibi, *Pax ſuper Iſrael.* In prima autem tangitur malorum punitio peccantium peccato omiſſionis. Secundò peccantium peccato commiſſionis. *Cum operantibus.* Dicit ergo: Sic ſancti confidentes in Deo erunt ſtabiles, & rogo, vt illis Domine des gratiam perſiſtendi: & bonum eſt ſtare, quia *Dominus adducet declinantes in obligationẽ*, id eſt, qui ab iis declinant ad quæ ſe obligauerunt, & ſic peccato omiſſionis peccant. *Pſal.* Ipſi obligati ſunt, 5.

ſunt, & ceciderunt. Propter hoc monet Eliu *Iob* 36. Caue ne declines ad iniquitatem: hanc enim cœpiſti tenere poſt miſeriam. *Ierem.* 5. Iniquitates veſtræ declinauerunt, & prohibuerunt bonum à vobis. *Cum operantibus iniquitatem*, vt ſimul cum illis puniantur. Operantes enim iniquitatem puniet pro ſuis iniquitatibus. *Matth.* 25. Ite maledicti in ignem æternum. *Iſa.* 31. Conſurget contra domum peſſimorum, & contra auxilium operantium iniquitatem. *Prou.* 5. Iniquitates ſuæ capiunt impium.

Sed *pax* erit ſup. *ſuper Iſraël*, ſuper populum ſcilicet fide formata videntem Deum. *Iſa.* 3. Dicite iuſto, quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum ſuarum comedet. *Galat. vlt.* Quicumque autem hanc regulam ſequuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia, & ſuper Iſraël Dei. *Iſa.* 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis. *Phil.* 4. Et pax Chriſti, quæ exuperat, &c.

IN CXXV. PSALMVM.

Canticum graduum.

Argumentũ Pſalmi, lætitia & deuotio ex liberatione à miſeria & captiuitate.

1. IN *conuertendo Dominus.* Hic eſt Pſalmus 125. In Gradualibus Pſalmus 7. ſecundus in illis qui pertinent ad profectum in bono. Poſt firmitatem propoſiti de perſeuerando in bono, ſequitur gradus ſecundus, & neceſſarius ad hoc vt proficiat aliquis, ſcilicet deuotio in operando bonum. Præmiſſo ergo titulo eodem, ſicut ſuprà, in hoc Pſalmo agitur de deuotione proficientis in opere bono. Duo ergo dicuntur. Primò ergo exprimit affectum deuotionis. Secundò profectum bonæ operationis, ibi, *Qui ſeminant.* In prima duo. Primò exprimit affectum deuotionis, & feruoris cum habet. Secundò petit maiorem feruorem ſibi dari, & ab omni tepore ſolui, ibi, *Conuerte Domine.* In prima duo ſecundum cauſam duplicem, quam tangit lætitiæ & conſolationis. Prima eſt liberatio animæ à captiuitate culpæ. Secunda magnificatio liberatæ, ibi, *Tunc dicent.* In prima tria. Primò tangitur cauſa conſolationis. Secundò ipſa conſolatio, ibi, *Facti ſumus.* Tertiò modus, ibi, *Tunc repletum eſt.*

Dicit ergo: Sic facti aſcendunt ad ſextum gradum, qui eſt firmitas boni propoſiti, & in in agendis, & in patiendis: & etiam *Dominus in conuertendo*, id eſt, cum conuerterit, *captiuitatem Sion*, animæ ad contemplandum Deum, & ſpeculandum natæ. Et quod ſic exponendum, patet per aliam literam, quæ ſic habet apertè: *Cum conuerterit Dominus.* Nec hoc dicit Propheta intendens liberationem illam literalem à captiuitate Babylonica, de qua *Ierem.* 31. Adhuc dicent in vrbibus Iuda, cum conuertero captiuitatem eorum: Benedicat tibi Dominus pulchritudo iuſtitiæ. Et in 28. Reducam omnem tranſmigrationem Iudæ, qui ingreſſi ſunt in Babylonem. Sed intendens in ea conuerſionẽ animæ à captiuitate peccati. *Amos* 9. Conuertam captiuitatem populi mei Iſraël. Et *Ierem.* 30. Ecce ego adducam eos de terra Aquilonis, & congregabo ab extremis terræ. Terra Aquilonis venti frigidi, conuerſatio peccatoris, extremum terræ cupiditas in ſummo, & quaſi in extremitate. Quo autem conuertantur, dicitur *Ierem.* 30. Conuertam eos ad terram, ad Eccleſiæ ſummitatem, quam dedi patribus eorum.

Facti ſumus. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Cum ſic Dominus conuerterit Dominus Sion, tunc *facti ſumus ſicut conſolati*, id eſt, verè conſolati. *Sicut* enim non eſt nota ſimilitudinis, ſed expreſſiuum veritatis. *Iſa.* 12. Conuerſus eſt eſt furor tuus, & conſolatus es me. Suprà in *Pſal.* Cum conuerterit Dominus captiuitatem plebis ſuæ, exultabit Iacob, & lætabitur Iſraël. *Matth.* 5. Beati qui lugent, ecce eorum conuerſio à peccato: quoniam ipſi conſolabuntur, eo ipſo. Nec mirum ſi gaudet homo & conſolatur, in propria vel alterius hominis conuerſione: quia ipſe Angelus gaudet. *Luc.* 15. Maius gaudium eſt in cœlo Angelis Dei, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, &c. Gaudet etiam Deus: vnde eodem *Luc.* dicit paterfamilias: Epulari, & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus eſt.

2. *Tunc repletum eſt.* Hîc tertium, in quo ſubiungitur conſolationis modus in duobus. In interiori gaudio in affectu, & in exteriori in effectu, ibi, *Et lingua noſtra.* Dicit ergo: Sic dico, quòd conſolati ſumus, ex illa conuerſione, & *tunc repletum eſt os noſtrum*, interius ſcilicet os cordis, hoc eſt, affectus, qui ſaporat res. *Matth.* 15. de hoc ore: Quæ de ore exeunt, hæc coinquinant hominem.

Et lingua noſtra. Ad literam lingua carnis, exultatione exteriori: quaſi quodam iubilo. *Matth.* 12. Ex abundantia cordis os loquitur. *Iob* 8. Deus non proiiciet ſimplicem, nec portiget manum malignis, donec impleatur riſu os tuum, & labia tua iubilo. Ecce magna conſolatio. Notandum enim, quòd eſt conſolatio mundi, quæ eſt vana. *Luc.* 6. Væ vobis diuitibus, qui habetis conſolationem veſtram. Et eſt conſolatio ſpei, quæ eſt vera, & certa. *Pſal.* Hæc me conſolata eſt in humilitate mea. Et eſt conſolatio Dei, quæ eſt plena & perfecta, de qua *Matth.* 5. Beati qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur.

Tunc dicent inter Gentes. Hîc ſecundum, in quo ſecunda cauſa conſolationis, & lætitiæ tangitur, ſcilicet magnificatio liberatæ, quam oſtendit ex duplici confeſſione. Primò ex aliena. Secundò ex propria, ibi, *Magnificauit Dominus.* Dicit ergo: Sic ſumus lætati, & conſolati ex conuerſione animæ à captiuitate, nec nos ſolum, imò conuerſione completa, *tunc dicent inter Gentes*, id eſt, aliquid de Gentilibus, & non omnes: *Magnificauit Dominus facere cum eis*, hoc eſt, cum eis magna facere voluit, id eſt, magnam gratiam, & ad magna operandum gratiam infudit. Ad *Rom.* 8. Quos vocauit, hos & iuſtificauit: & quos iuſtificauit, hos & magnificauit. *Iudith* 13. In omni gente quæ audierit nomen tuum, magnificabitur ſuper te Deus Iſraël, id eſt, magnus prædicabitur. *Iſa.* 12. Cantate Domino, quia magnificè fecit. *Luc.* 1. Vicini & cognati congratulabuntur ei, quia magnificauit Dominus cum illa miſericordiam ſuam.

3. *Magnificauit Dominus.* Hîc ſecundum primæ partis, ſcilicet propria confeſſio: & tan-

guntur duo. Primò confeſſio gratiæ ex magnitudine. Secundò generata ex hoc exultatio,ibi, *Facti ſumus*. Dicit ergo : Sic dicent Gentes, & etiam nos dicemus : *Dominus magnificauit facere nobiſcum*, hoc eſt, nobis magna facere ex ſua gratia voluit. *Iudith* 13. Vobiſcum eſt Deus,qui fecit virtutem magnam in Iſraël. *Tob.*13. Ego in terra captiuitatis meæ benedicam illi. Quare ? Quoniam ingentem oſtendit maieſtatem ſuam. *Mal.*2. Magnificetur Dominus ſuper terram Iſraël.

Facti ſumus, & hoc, *lætantis*. *Ioël.*2. Exulta, & lauda, quia magnificauit Dominus vt faceret. *Iſa.*12. Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui. Et 58. Delectaberis ſuper Domino Deo tuo, ecce lætitia : & ſubditur cauſa, Extollam te ſuper altitudinem terræ.

4. *Conuerte Domine*. Hîc ſecundum primæ partis, in quo oſtenſa lætitia & deuotione, ex liberatione à miſeria & captiuitate, ſubdit petitionem pro perfecta liberatione. Duo ergo dicuntur. Primò petit abſolui à captiuitate. Secundò addit modum, quo liberari quærit, ibi, *Sicut torrens*. Dicit ergo : Sic lætati & conſolati ſumus de noſtra liberatione, & magnifica gratiæ collatione : tamen quia ſemper inſurgunt pugnæ, ô *Domine*, qui potes ſolus, *conuerte*, plenius, & perfectius, *captiuitatem noſtram*, id eſt, nos captiuos, emphaticè captiuitatem dictos, ſicut ſuprà in *Pſal.* Captiuam duxit captiuitatem. *Thren. vlt.* Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. *Soph. vlt.* Dabo vos in laudem & in nomen omnibus populis terræ, cum conuertero captiuitatem veſtram. *Ierem.* 31. Conuerte me Domine, & conuertar.

Sicut torrens in auſtro. Hîc adiungit modum. Dicit ergo : Sic conuerte vt ſimus fluentes lachrymis, *ſicut torrens in auſtro*, fluit, qui Aquilone flanti congelatur, hoc eſt, ſic conuertamur aduenientе flatu Spiritus ſancti calido, vt toti in lachrymas reſoluamur. In Pſalmo infrà: Flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ. Spiritus,inquam, ſanctus, ille ventus auſtralis. *Cant.*4. Surge Aquilo, ventus frigide, diabole, recede, & veni Auſter. Ab hoc auſtro venit Deus. *Abac.*3. Deus ab auſtro veniet. *Iob* 38. Nunquid veſtimenta tua ſunt calida, cum perflata fuerit terra auſtro ?

5. *Qui ſeminant in lachrymis*. Hîc eſt ſecunda pars Pſalmi, in qua ſubiungit de profectu operationis, per ſimilitudinem ſeminantis. Et poteſt referre quicquid dicitur hîc ad opus prædicationis, vel etiam pietatis : & dicuntur tria. Primò tangit actum ſeminationis, & fructum. Secundò modum ſeminandi magis declarat,ibi, *Euntes ibant*. Tertiò modum recipiendi & colligendi fructum, ibi, *Venientes autem*. In prima duo. Primò tangit actum ſeminationis, qui eſt vel prædicare, vel eleemoſynas dare ex compaſſione. Secundò fructum, ibi, *In exultatione*. Dicit ergo : Sic Domine rogo vt des gratiam lachrymarum in abundantia: quia *qui ſeminant in lachrymis*, id eſt, qui prædicant ex compaſſione cordis, lachrymas effundendo, vel opera miſericordiæ faciunt.

Varii varia ſeminant. Sciendum enim,quòd ſeminat Deus gratias, & virtutes *Matth.* 13. Domine nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo ? Et ſeminat homo Chriſtus exemplum bonum. *Iſa.*1. Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen,quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus. Seminat Prælatus ſemen verbi Dei, & doctrinæ. *Luc.*8. Exiit qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum. Homo iuſtus opera miſericordiæ & iuſtitiæ. *Prou.*11. Seminanti bonum merces fidelis. *Eccleſ.*11. Manè ſemina ſemen tuum,& veſperè non ceſſet manus tua. Homo malus opera carnis. *Gal.*5. Qui ſeminat in carne, de carne & metet corruptionem. Diabolus vitia, hæreſes, & ſchiſmata. *Matth.*13. Cum autem dormirent homines, venit inimicus homo, & ſuperſeminauit zizania in medio tritico. Qui ergo verbum prædicationis, vel opera pietatis ſeminant, lachrymis irrigando quod ſeminant, *metent in exultatione*. *Prou.*10. Expectatio iuſtorum lætitia 31. Et ridebit in die nouiſſimo : quippe vitam metet æternam ex tam modico ſemine. 2. *Cor.*9. Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus metet vitam æternam. *Galat. vlt.* Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet.

Euntes ibant. Hîc ſecundum, in quo tacto actu ſeminationis, & fructu ſatis breuiter, & vtroque cum modo ſuo, tangit ſeminationis modum diffuſius : & tanguntur quatuor. Primò receſſus à peccato. Secundò acceſſus ad bonum. *Ibant*. Tertiò compaſſio. *Et flebant*. Quartò ſeminatio vel verborum in prædicatione, vel operum miſericordiæ in eleemoſynarum largitione, ibi, *Mittentes*. Dicit ergo : Sic dixi,quòd ſancti ſeminant in lachrymis : & verum dixi, quia ſancti viri antiquitus *euntes*, à malo recedendo, *ibant* de bono in melius procedendo. Vel *euntes*, à contemplationis quiete deſcendentes, *ibant*, actioni inſudantes. *Matth.*10. Ite, ecce ego mitto vos. *Ioan.*15. Elegi vos, & poſui vos vt eatis. Prædicatori enim eundum eſt, non quieſcendum, & omni ſimiliter homini. *Matth.*20. Quid hic ſtatis tota die otioſi? *Prou.*4. Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens, proficit, & creſcit vſque ad perfectam diem. *Et flebant*, exterius oculis corporalibus. *Iob* 30. Flebam quondam ſuper eo,qui afflictus erat,& anima mea compatiebatur pauperi. Et interius ſuſpiriis, & gemitibus. *Rom.*8. Et nos ipſi intra noſmetipſos ingemiſcimus, primitias ſpiritus habentes. *Mittentes ſemina ſua*, prædicationis, & elemoſynarum. *Iſa.*32. Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas. Aquæ autem proprie ſunt pauperes, circa terram defluentes. *Eccleſ.*11. Mitte panem miſericordiæ ſuper omnes aquas, & poſt tempora multa inuenies illum. *Iſa.*58. Frange eſurienti, &c.

Venientes autem venient. Hîc tertium huius partis, in quo ſubiungit, de modo colligendi, & recipiendi præmium : & tanguntur tria. Primò exitus à præſenti miſeria. Secundò aduentus lætus ad æterna bona. *Venient cum exultatione*. Tertiò quaſi ratio & cauſa, ſcilicet præſentatio bonorum meritorum aperta, ibi, *Portantes*. Dicit ergo : Sic ibant ſemina mittentes, & poſt *venientes* ab inſtanti & præſenti miſeria. *Bar.*5. Venient collecti ab Oriente vſque in Occidentem. *Venient cum exultatione*, ad æternam lætitiam.

lætitiam. *Isa.*35. Venient in Sion cum laude, & lætitia sempiterna super capita eorum. Et in vlt. Venient, & videbunt gloriam meam. Et ponam in eis signum, cum dicetur eis illud *Matth.*25. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis, &c.

Portantes manipulos suos, bonorum operum collectiones, pro quibus erit eis merces. *Apoc.*14. Opera illorum sequuntur illos. *Exod.*23. Non apparebis in conspectu meo vacuus. *Prou. vlt.* Date illi de fructu manuum suarum. *Gal.*6. Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. *Leuit.*23. Cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & messueritis segetes, feretis manipulos vestros, &c. *Bar.* 4. Redire faciet vos Dominus cum gaudio ac iocunditate, cum gaudio de bene gestis, ac cum iocunditate de adeptis. Ad quæ nos perducere dignetur, qui est benedictus, &c.

IN CXXVI. PSALMVM.

Canticum graduum Salomonis.

1. *Nisi Dominus ædificauerit.* Hic est Psalmus 126. in toto libro, in tertia vero parte 26. in Psalmis Gradualibus 8. tertius verò in illis Grandualibus Psalmis, qui pertinent ad profectum in bono. Proficienti enim post firmitatem in bono proposito, post lætitiam in agendo quod bonum est, necessaria est illi in omnibus recta intentio, vt totum ad Deum referatur, de qua relatione, siue intentione agitur in hoc Psalmo. Ergo titulo consueto, addito *Salomonis*, quia de ædificatione spirituali agitur hîc figurata in illa materiali quam fecit Salomon, supponitur *Psal.* qui diuiditur in duas partes. Primò enim confitetur, & profectum, & perseuerantiam in bono esse à Deo. Secundò ab eodem præmium expectandum in futuro, ibi, *Vanum est vobis.* In prima duo. Primò sub typo loquens ostendit omnem profectum in bono esse à Deo. Secundò omnem perseuerantiam in illo, ibi, *Nisi Dominus custodierit.*

Argumentū Psalmi, recta intentio ad consequendū præmium necessaria.

Dicit ergo: Sic firmati sumus in bono proposito, & in bono lætati, sed totum ad Deum referendum, quia *nisi Dominus*, qui solus scit & potest, *ædificauerit Domum*, Ecclesiam, & quamcumque animam, ad hoc vt sit sua habitatio, *in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Prou.*9. Sapientia ædificauit sibi domum, excidit in illa columnas septem. Et in 24. Sapientia ædificabitur domus, & prudentia roborabitur. *Zach.*6. Ecce vir, Oriens nomen eius: & subter eum orietur. Et ipse ædificabit templum Domino. Propter hoc dicitur *Amos* 7. quòd videbat eum super murum latum, & in manu sua trullam cæmentarij. Propter quod etiam dicit Paulus: Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. *Ephes.* 2. Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarū. Tamen adiutores vult in hoc ædificio: quilibet enim debet eum adiuuare pro seipso. Sed quidam qui volunt quod totum faciat Deus, dicentes: Orate pro me, tamen nec digitum mouere volunt, de quibus *Eccles.*21. Qui ædificat domum suam stipendiis alienis, quasi qui colligit lapides in hyeme. Lapides in hyeme collecti, ad ædificium sunt inepti. Adiutores autem ad hoc ædificium Dei, debent esse Prælati. 1. *Cor.* 3. Dei adiutores sumus. Sed magis sunt destructores. *Isa.*49. Venerunt structores tui destruentes te: quippe ædificant in sanguine, & in carne, *Mich.*3. Ædificatis Sion in sanguinibus, & Ierusalem in iniquitate. Qui ergo sine Deo ædificant, in vanum laborant, sicut ædificantes turrem Babel. *Genes.* 11. *Act.*5. Si fuerit ex hominibus consilium, dissoluetur: si autem ex Deo, stabit.

Nisi Dominus custodierit. Hîc secundum, in quo ostendit, quòd ex Deo sit in bono perseuerantia per simile. Ait enim: Nisi ædificauerit, nihil valet: & etiam, *nisi Dominus custodierit ciuitatem*, vt in bono perseueret: *frustra vigilat qui custodit eam.* Ipse enim custos est, de quo *Isa.* 21. Custos quid de nocte? qui habet custodes sub se, scilicet Angelos & Prælatos. *Isa.*62. Super muros tuos Ierusalem constitui custodes. *Cant.*8. Vinea fuit pacifico, tradidit eam custodibus.

Et nota, quod ad custodiam ciuitatis perfectam necesse est ista concurrere. Primò vt sint ibi vigiles, de quibus *Cant.* 6. Inuenerunt me vigiles qui custodiunt ciuitatem. Et vigilia etiam est necessaria: quid enim agerent vigiles sine vigilia? *Mar.* 13. Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate. Portarum custodia. *Naum* 2. Portæ fluuiorum apertæ sunt, templum detectum est, & miles captiuus ductus est. Propter hoc Iob suas portas claudebat 31. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Arma. *Eph.*6. Induite vos armaturam Dei, vt possitis in omnibus perfecti stare. Ciuium concordia & vnitas. *Matth.* 12. Ciuitas, & domus contra se diuisa desolabitur. *Ephes.*4. Solliciti seruare vnitatem spiritus, in vinculo pacis. Sed hæc omnia non valent, nisi super omnia sit regnantis authoritas. *Prou.*29. Princeps qui iudicat in veritate, thronus eius in æternum firmabitur.

Ad custodiā ciuitatis necessaria.

Vanum est vobis. Hîc est secunda pars Psalmi, in qua ostendit à Deo præmium expectandum in futuro, non in præsenti: vnde dicuntur duo. Primò infructuositas hîc quærētium præmium. Secundò quando, & quo ordine sit quærendum, ibi, *Surgite postquam.* Dicit ergo: Sic à Deo est præmium, & perseuerantia in bono merito: & etiam *vobis* qui festinatis, *est vanum surgere*, ad gloriam, & exultationem, & hoc, *ante lucem*, antequam veniat lux vera, quæ Christus est, ad iudicium, & illuminandum corda: Christus enim lux est. *Ioan.*8. Ego sum lux mundi. Et in primo: Erat lux vera. Hæc lux surget in iudicio, & illuminabit omnia. 1. *Cor.*4. Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Tunc surgendum erit per gloriæ appetitum, nunc autem non, sed iacendum humiliter. *Iob* 22. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria. Vel *nolite surgere ante lucem*, id est, ante Christum, vt velitis ante Christum exaltari, & illi præponi: quia *Prou.*29. dicitur: Superbum sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria. 2.

Surgite postquam. Hîc secundum, in quo ostendit

oſtendit quo ordine, & quando præmium ſit quærendum, & à quibus. Primò multas conditiones ad hoc concurrentes determinat. Secundò beatificat ſic peruenientes, ibi, *Beatus vir qui impleuit.* In prima ergo primò oſtendit quo ordine ad præmium peruenitur. Secundò quo merito, & à quibus. *Qui manducatis.* Tertiò quando. *Cum dederit.* Quartò quale, & quod ſit præmium. *Ecce hæreditas.* Quintò per quos ſecundum vnam lecturam, vel qualiter ſecundum aliam, ibi, *Sicut ſagittæ.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd vanum eſt feſtinare, ſed *poſtquam ſederitis*, id eſt, humiliati fueritis, ſeſſio enim hic appellatur humiliatio, *ſurgite*, id eſt, ſurgetis ad participationem gloriæ. *Luc.*14. Qui ſe humiliat, exaltabitur. *Mich.vlt.* Conſurgam cum ſedero in tenebris, lux mea Dominus. In *Pſal.* infrà: Tu cognouiſti ſeſſionem meam, id eſt, humilitatem: & reſurrectionem meam, operatus es. *Qui manducatis*, delectabiliter ſuſtinendo, ac ſi vos reficeretis, *panem doloris*, afflictionem ſcilicet & miſeriam. Ecce quibus, & qualibus, quia in tribulatione gaudentibus. Hic panis de quo ſuprà in *Pſal.* Cibabis nos pane lachrymarum. Hic cibus quo reficiebatur *Iob* in 3. Antequam commedam, ſuſpiro. *Gen.*3. In ſudore vultus tui viſceris pane tuo.

3. *Cur mors ſanctorum dicitur ſomnus.*

Cum dederit dilectis. Hîc tangitur tempus. Quaſi diceret: Sic dixi, quod primò ſedeatis, quia cum Dominus *dederit ſomnum*, mortis ſup. *dilectis ſuis.* Mors ergo ſanctorum dicitur ſomnus, quia multum dulcis eſt illis. *Ierem.*31. Somnus meus dulcis eſt mihi. *Eccleſ.*5. Dulcis eſt ſomnus operanti. Requies etiã eſt illis. *Apoc.*14. A modo iam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis. Et ſecuritas. *Iob* 11. Et defoſſus ſecurus dormiet, nec erit qui te exterreat. Hoc ſomno Stephanus obdormiuit in Domino. *Act.*7.

Ecce hæreditas. Hîc quartum, quod & quale præmium, quia perpetuum: erit enim hæreditas: quia condignum, quia merces. Et conſtrue ſic: Cum dederit dilectis ſomnum, *ecce* tunc *hæreditas filij*, iuſti ſcilicet, qui eſt filius Dei: & ecce *merces*, retributio, *fructus ventris*, id eſt, iuſti, qui eſt fructus ventris Eccleſiæ. Mali enim, etſi naſcantur aliquando de Eccleſia, non ſunt fructus, ſed tantum boni, & iuſti, qui in bono perſeuerant. Hi ſunt filij renati ſecundum illud *Ioan.* 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto. Sed aliqui poſtea ſunt mali, qui non ſunt dicendi fructus. *Gen.* 4. Eua, quæ fuit formata de latere Adæ dormientis. *Geneſ.*2. generauit Cain peſſimum, & Abel iuſtum. Sed veris filiis, qui ſunt fructus, datur hæreditas. *Geneſ.*25. Abraham Iſaac filio ſuo dedit hæreditatem, filiis autem concubinarum largitus eſt munera. *Gal.*4. Non enim erit hæres filius ancillæ, cum filio liberæ. His ergo datur hæreditas Chriſti. *Rom.*8. Quod ſi filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.

Vel ſic poteſt legi: *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum*, tunc, hoc eſt, *ecce hæreditas Domini, filij*, venient ad præmium æternum, ſcilicet iuſti: quæ, inquam, hæreditas, id eſt, qui iuſti, ſunt *merces fructus ventris*, id eſt, Chriſti hominis, qui fuit fructus ventris virginalis. *Pſal.* Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam.

Sicut ſagittæ. Hîc quintum, & vltimum, in quo oſtendit per quos ſecundum vnam lecturam *Gloſſæ* venietur ad illam retributionem: & tanguntur quaſi duo media. Primò Apoſtoli. Secundò Apoſtolorum ſpirituales filij. *Ita filij excuſſorum.* Ait enim: Sic dico, quòd dabitur poſt ſomnum hæreditas, & merces. Et vnde hoc? Quia *ſicut ſagittæ*, id eſt, acuti & penetrabiles Apoſtoli, *in manu*, id eſt, à manu *potentis*, id eſt, Chriſti, ſunt excuſſæ ſup. id eſt, per mundum ad prædicandum miſſæ. Iſtæ ſunt ſagittæ de quibus *Abac.*3. In luce ſagittarum tuarum ibunt. Et excuſſæ ſunt & miſſæ. *Marc. vlt.* Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ. Et in *Matth.*10. Ecce ego mitto vos. *Pſal.* Miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos. 4.

Ita filij excuſſorum, id eſt, Apoſtolorum ſunt ſup. excuſſi, & miſſi per mundum vniuerſum, Dionyſius, & Quintinus, & Firminus, & Prædicatores alij. *Pſal.* Pro patribus tuis, Apoſtolis ſcilicet, nati ſunt tibi filij, ſucceſſores alij. Sic etiam poſſet legi: *Sicut ſagittæ in manu potentis*, fortiter emittuntur, *ita filij excuſſorum*, id eſt, Apoſtolorum, qui excuſſi ſunt & diſperſi, & de ciuitate in ciuitatem deiecti, emittunt ſup. fortiter ſagittas ſcripturarum. Scriptura enim eſt ſagitta: in ſagitta enim tria ſunt: ferrum, quod eſt conſtantia voluntatis: haſta, operatio bona: pennulæ, cognitio & intentio, quæ totum dirigunt. Vel ſic melius fortè totum poſſet intelligi, vt monſtraret modum veniendi ad præmium. Quaſi diceret: Sic dixi, quòd dabitur merces poſt ſomnum: & nunquid erit mora longa? Non, imò ſicut ſagitta in manu, id eſt, à manu potentis fortiter & valdè cito & quaſi imperceptibiliter tranſit, ita filij excuſſorum valdè cito pertranſibunt ad præmium.

Beatus vir qui impleuit. Hîc ſecundum, in quo beatificat ſic peruenientes ad præmium, ſicut dictum eſt. Beatos autem eos prædicat, & pronuntiat à duobus. Primò ab adeptione boni. Secundò à remotione mali, ibi, *Non confundetur.* Dicit ergo: Sic dabitur hæreditas poſt ſomnum ſatis velociter, & tunc *beatus vir*, cui hæc hæreditas dabitur, *qui*, id eſt, quia ille, *impleuit deſiderium ſuum*, & hoc, *ex ipſis*, id eſt, per ipſos Prædicatores. Vel, *ex ipſis*, bonis à Prædicatoribus nuntiatis, qui ſunt ſagittæ. *Pſal.* ſupra: Qui replet in bonis deſiderium tuum. *Eccleſ.*2. Plenitudo à fructibus illius. Per hoc enim quod audiũt ab ipſis, & ex ipſis hauriunt, ſunt beati, quoniam illud eſt ſapientia, de qua dicitur *Pron.*3. Beatus homo, qui inuenit ſapientiam, & qui affluit prudentia. Et in 8. Beatus homo qui audit me, dicit ipſa. 5.

Non confundetur. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Beatus eſt, quia impleuit deſiderium, & etiam *cum loquetur inimicis*, & hoc, *in porta*, id eſt, in Chriſto, qui porta eſt ſiue oſtium. *Sap.*6. Qui didicerint iuſtitiam, inuenient quid reſpondeant. *Eccl.*6. Diuitiæ & gloria in ſermone ſenſati. Datur enim intellectus, & ſic potentia ſatisfaciendi omnibus. *Eccleſ.*5. Si eſt tibi intellectus, reſponde proximo tuo: ſin autem, ſit manus tua ſuper os tuum.

Vel certe, *non confundetur*, in fine *cum loquetur*

loquetur inimicis ſuis, dæmonibus ſcilicet accuſantibus, *in porta*, in iudicio ſcilicet : iudicia enim ſolebant in portis fieri. *Deut.7. Prou. vlt.* Laudent eam in portis opera eius. *Iſa* 45. Non confundemini, nec erubeſcetis, vſque in ſæculum ſæculi. *Iſa.*49. Ego Dominus, ſuper quo non confunduntur qui expectant eum. *Ier.* 17. Confundantur qui me perſequuntur, & non confundar ego. Ecce beatitudo, ad quam nos perducat, qui eſt benedictus per omnia ſæcula ſæculorum.

IN CXXVII. PSALMVM.

Canticum graduum.

1. *Argumentũ Pſalmi, timor Dei, ex quo diligentia in operando.*

Beati omnes. Hic eſt Pſalmus 127. in tertia parte libri, 27. in Pſalmis Gradualibus, in illis qui pertinent ad profectum boni, quartus. Cum enim actum ſit de firmitate in bono proposito, de deuotione in operatione, de recta intentione, ſubiungitur de quarto, ſcilicet de de diligentia bene operandi, quæ eſt in timore Domini, qui facit diligentem, ſecundum illud *Iob* 9. Verebar omnia opera mea, ſciens quòd non parceret delinquenti. *Eccleſ.*7. Qui timet Deum, nihil negligit. Ait ergo hic de diuino timore, & bonis, quæ facit in anima, tanquam de eo per quæ eſt diligentia in operatione bona, promittendo titulum à principio Graduum expoſitum.

Diuiditur autem Pſalmus in duas partes. Primò beatificat timentes Deum, aſſignans beatitudinem generalem. Secundò aſſignat beneficia ex timore Domini prouenientia in ſpirituali, ibi, *Labores manuum.* In prima duo. Primò timentes Deum beatificat. Secundò aſſignat cauſam quare, ibi, *Qui ambulant.* Dicit ergo : Sic ad Dominum totum eſt referendum, ab ipſo tale præmium poſt mortem expectandum, ad quæ non peruenitur niſi in operando magna diligentia adhibeatur, quod facit timor : vnde *beati* ſunt *qui timent Dominum.* Suprà in *Pſal.* Beatus vir qui timet Dominum. *Prou.* 28. Beatus vir qui ſemper eſt pauidus. *Eccleſ.* 8. Ego cognoui quod erit bonum timentibus Deum, his qui verentur faciem eius. Et in 40. Timor Domini, ſicut paradiſus benedictionis. Cauſa autem vna in promptu eſt: quia beatus eſt, ſicut dicit *Auguſt.* cui omnia optata ſuccedunt. Sed in *Pſal.* dicitur, quod timentibus Deum nihil deeſt.

Qui ambulant. Hic cauſa ſupponitur. *Qui*, id eſt, quia illi, *ambulant in viis eius*, Domini ſcilicet. Nec mirum, quia ad ambulandum in via Domini, pertinet primò à malo recedere, quia *Eccleſ.* 1. Timor Domini expellit peccatum. Et bona poſtea facere. In eodem 15. Qui timet Deum, faciet bona. *Eccleſiaſt.*23. Nihil melius, quàm timore Domini, & nihil dulcius, quàm reſpicere in mandatis eius. Quid eſt ergo niſi paradiſus ? Et hoc facit timor. Et hoc notatur in ambulatione, quæ eſt velox motus, & ſuauis. Poteſt enim timor dicere illud *Prou.* 4. Ducam te per ſemitas æquitatis, quas cum ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum.

Labores manuum. Hic tanguntur cauſæ in ſpeciali. Primò quantum ad merita. Secundò quantum ad præmia, ibi, *Benedicat tibi.* In prima duo. Primò tangit illorum merita. Secundò oſtendit eſſe cauſam beatitudinis illam, in ſpe tamen, ibi, *Ecce ſic benedicetur.* In prima dicuntur tria. Primò tangit meritum eorum ex parte ſenſualitatis, quæ debet ſubiici rationi. *Vxor tua.* Tertiò ex parte operationis, ibi, *Filij tui.* In prima duo. Beatificatio delectans ſecundum rationem in bono opere. Beatificatio, inquam, ſpei, & viæ. Secundò rei in futuro, & patriæ, ibi, *Et bene tibi erit.* Dicit ergo : Sic beati ſunt qui timent, quia ſic ambulant, & ô tu qui times Deum, *quia manducabis*, interius te paſcendo, ſecundum paſſionem delectando, *labores manuum tuarum*, vel *fructuum* ſecundum aliam literam, *beatus es*, iam in præſenti per ſpem : anima enim, quæ bonis operibus delectatur, & in illis reficitur, iam certa ſpe tenet æterna. Propter hoc dicebat *Paulus* 2. *Tim.* 2. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus ſuis percipere. 2. *Tim.*2. Labora ſicut bonus miles Chriſti. Et Dominus *Ioan.*6. Operamini cibum, qui non perit, ſed permanet in vitam æternam, vt inde reficiamini, quia *Iſa.*3. dicitur : Dicite iuſto, quoniam bene, fructum adinuentionum ſuarum comedet. Propter hoc dicitur *Sapient.*3. Bonorum laborum glorioſus eſt, non tantum erit, fructus. Quis autem, tangitur *Prou.*15. Secura mens, quæ relinquitur ex bonis laboribus, quaſi iuge conuiuium.

2.

De labore etiam corporali poteſt non inconuenienter intelligi. Beatus enim qui laborat propriis manibus vt paſcatur. 1. *Theſſ.*4. Operamini manibus veſtris, ſicut præceptum eſt vobis. Et ipſe dicebat de ſeipſo *Act.*20. Mihi, & iis, qui mecum ſunt, manus iſtæ miniſtrauerunt. Sic enim malum inopiæ à ſe repellit ac fugat. *Prou.*13. Qui operatur terram ſuam, ſaturabitur panibus.

Et bene tibi erit, in futuro, ſcilicet æterna remuneratio. *Eccl.*6. In operibus illis exiguum laborabis, & ſtatim, ſcilicet poſt hanc vitam, quæ nihil durat, edes de fructibus illis. *Sap.*10. Reddet Deus iuſtis mercedem laborum ſuorum. Quæ autem ſit illa merces, dicitur *Matth.* 19. Centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.

Vxor tua. Hic tangitur meritum ex parte ſenſualitatis. Nec hoc dico, quia meritum ſit in ſenſualitate, ſed in ratione comparatione ad illam, quando ratio ipſam facit in ſuis operibus ordinatis abundare. Ait enim : Sic beatus eris, qui in bono opere delectaberis ſecundum rationem, nec erunt pauca opera, imo, *vxor tua*, ſenſualitas quæ debet ſubiici rationi, *ſicut vitis abundans*, per multiplicationem bonorum operum, *vitis*, inquam, exiſtens *in lateribus domus tuæ*, per promptitudinem. Et verè talis beatus. *Eccleſ.* 16. Mulieris bonæ beatus vir. Bona autem eſt mulier cum bene viro fuerit ſubiecta, ſecundum illud *Geneſ.*3. Sub viri poteſtate eris. *Zach.*8. Vinea, anima ſcilicet pro illa parte, quæ inclinatur ad terrena, dabit fructum ſuum. Et abundanter. 1. ad *Corinth.*15. Abundantes in omni opere bono. 1. *Theſſ. vlt.* Sic ambuletis vt abundetis magis. Vel hæc

Vxor eſt ſenſualitas vel ſapientia.

vxor poteſt intelligi ſapientia , quæ vxor eſt viri iuſti , & in ipſo viro modò fructificat,tanquam fertiliſſima vinea. *Sap.*8. Quæſiui illam mihi ſponſam aſſumere , & amator factus ſum formæ illius. Hæc fructificat vt vinea in iuſtis, vt dicat illud *Eccleſ.* 24. Ego quaſi vitis fructificaui , &c.

Filij tui ſicut nouellæ. Hîc tangitur meritum exterioris operationis. Et tangitur primò bonorum operum in fide & charitate factorum multiplicatio. Secundò refectio cauſata ex talibus , ſicut ſuprà tactum eſt in ipſa ratione, ibi, *In circuitu.* Dicit ergo : Sic beatus cum times, quia interius delectatur ratio , & ſenſualitas abundat in bono , & etiam *filij tui* , opera ſcilicet exteriora , ex ratione ſenſualitatem mouente genita , ſunt *ſicut nouellæ oliuarum* , fide ſcilicet virentia, & charitate vnctuoſa,quæ duo ſunt in oliua : aliter enim non placerent. Sine fide non , quia *Hebr.* 11. dicitur : Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Non item ſine charitate , quia dicitur 1. *Cor.*13. Si diſtribuero omnes ſubſtantias meas in cibos pauperum, charitatem autem non habeam , nihil mihi prodeſt. *Prou.* 11. Iuſti quaſi virens folium germinabunt. *Ierem.*11. Oliuam vberem,pulchram,fructiferam , ſpecioſam vocauit Dominus nomen tuum. Et hoc *in circuitu menſæ tuæ*, hoc eſt, vt ſint tibi menſa rotunda , & circularis, vt ex illis paſcaris, ſicut ſuperius ſatis expoſitum eſt.

Vel *filij*,fideles & iuſti dicuntur,qui generati ſunt de matrimonio Chriſti , & Eccleſiæ , & ſunt ſicut nouellæ oliuarum pacifici : ſignum enim pacis oliua. *Geneſ.*8. Columba ramum oliuæ apportauit ad arcam in ſignum reconciliationis. Et hoc *in circuitu menſæ tuæ* , menſæ quidem altaris , cuius efficiuntur participes , & menſæ corporalis : & refertur lectura ad caput.

Multiplex menſa. Eſt enim menſa corporalis refectionis , quæ à Deo ſuis datur, etſi ſimul malis etiam concedatur,de qua 2.*Reg.*9. Miphiboſeth filius Domini tui,ſemper comedet panẽ ſuper menſam meam, *Eccleſ.*6. Eſt amicus ſocius menſæ, & non permanebit in die neceſſitatis. Sacræ ſcripturæ. *Pſal.* Paraſti in conſpectu meo menſam.*Prou.*9. Propoſuit menſam, dicitur de ſapientia,miſcuit vinum. Euchariſtiæ. 1. *Cor.* 10. Non poteſtis eſſe participes menſæ Domini , & menſæ dæmoniorum. Verum eſt rem ſacramenti participando, etſi participes , participando ſacramentum. Et veræ refectionis. *Luc.* 21. Diſpono vobis , ſicut diſpoſuit mihi pater meus , vt edatis , & bibatis , ſuper menſam meam in regno meo.

Ecce ſic benedicetur. Hîc ſecundum , in quo oſtendit præmiſſa benedictionis eſſe cauſam & beatitudinis in timente Deum , & hoc in ſpe. Ait enim : Sic labores manducabis , vxor abundabit vt vitis , filij vt nouellæ oliuarum. *Ecce* ergo *ſic benedicetur* , hîc in ſpe , *qui timet Dominum* , in quo præcedentia ex timore Domini ſunt. *Eccleſ.* 1. Timenti Deum bene erit in extremis,& in diebus defunctionis benedicetur. Et in 15. Beatus homo , cui donatum eſt habere timorem Domini.

5. *Benedicat tibi Dominus.*Hîc ſecundum ſecundæ partis Pſalmi,in qua ſubiungitur de præmio timentium ſub deſiderio , & optatione : & dicuntur duo. Primò optat timenti tali , qualem deſcripſit , præmium æternum , quantum ad adeptionem omnis boni. Secundò quantum ad remotionem omnis mali , ibi , *Pacem ſuper Iſrael.* In prima duo. Primò optat ei boni præſentiam abſolutè. Secundò comparatione ad alios , vel bonum in aliis , ibi , *Et videas filios.* In prima duo. Primò optat ei beatitudinem quantum ad affectum.Secundò quantum ad intellectum , ibi , *Et videas bona.*

Dicit ergo : Sic erunt hæc merito timenti in præſenti , & ô tu timens rogo , & opto , *Benedicat tibi Dominus* , & hoc , *ex Sion* , id eſt , benedictione ex Sion, ſcilicet ex cœleſtibus.Hæc benedictio de qua *Prou.*10. Benedictio Domini diuites facit. Et *Matth.* 25. Venite benedicti Patris mei.

Vel ſic : *Benedicat tibi Dominus* , qui venit *ex Sion* , qui natus eſt ſcilicet ex Iudæis. *Pſal.* Ex Sion ſpecies decoris eius. *Tob.* 9. Benedicat te Dominus Deus Iſraël. *Deut.*33.Benedictio eius, qui apparuit in rubo ſuper caput Ioſeph. *Prou.* 3. Habitaculo iuſtorum benedicentur.

Et videas. Ecce ſecundum. Quaſi diceret : Sic benedictionẽ infundat in affectus, & etiam *videas* , quantum ad intellectum , *bona Ieruſalem* , illius ſupernæ , *omnibus diebus vitæ tuæ*, iugiter ſcilicet & continuè, quod non poſſet dici, de bonis præſentis vitæ : tranſeunt enim inceſſanter. Et ſic replebitur intellectus *Iſa.*60.Tunc videbis, & affluës, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum. Hæc viſio eſt vita æterna. *Ioan.*17. Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te.Ipſe enim eſt omnia bona. *Iſa.* 33. Regem in decore ſuo videbunt.

Et videas filios. Hîc ſecundum , in quo optat ei gloriam de aliis , & in aliis. Ait enim : Sic te Dominus benedicat, conſolationem in affectu infundendo , ſic cognitione intellectum illuſtrando, *& etiam videas filios* ſpirituales,vel etiam terræ carnales , *filiorum tuorum*, in cœlo glorificatos. *Tob.* 9. Videatis filios veſtros, & filios filiorum veſtrorum , vſque in tertiam , & quartam generationem. Magna enim gloria, videre ibi filios carnaliter genitos, ad literam: ſed multò maior ſpiritualiter. 2. *Theſ.*2. Quæ eſt enim ſpes noſtra , aut gaudium , aut corona gloriæ ? Nonne vos in die Domini noſtri Iesv Christi ? Secundum vtramque acceptionem corona ſenum filij filiorum. Fructus etiam bonorum operum , ſunt filij filiorum , quos optat videri. *Prou. vlt.* Date illi de fructu manuum.

Pacem ſuper Iſrael. Ecce ſecundum , in quo optat amotionem omnis mali. Pax enim vera amouet,& expellit omnia mala & aſpera. Dicit ergo : Sic videas filios , vt in illis glorieris, & videas *pacem* veram , omne ſcilicet malum excludentem , *ſuper Iſrael* exiſtentem. Pacem, quam ſuperius petebam : fiat pax in virtute tua.

Pax reconciliationis, pectoris, & æternitatis. Et nota , quòd eſt pax reconciliationis, quæ eſt pax inter Iſraël , quam facit Deus inter Angelos & homines , inter homines & homines in fide & ritu diuerſos. *Eph.* 2. Ipſe eſt pax noſtra , qui fecit vtraque vnum. Et eſt pax pectoris , quæ eſt pax in Iſraël. *Luc.* 2. In terra pax hominibus bonæ voluntatis.Conſtat,quòd de pace pectoris loquitur : multam enim habet

frequenter

frequenter exterius turbationem. *Ioan.* 14. Pacem relinquo vobis. Et est pax æternitatis, pro qua petit hîc, quæ est pax super Israël. *Isa. vlt.* Ecce ego declinabo super eam, quasi flumen pacis. *Gal. vlt.* Pax super illos, & misericordia, & super Israël Dei. Hæc est illa, de qua *Phil.* 4. Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras. Ad quam nos perducat, qua nos perfundat, qui est benedictus, &c.

IN CXXVIII. PSALMVM.

Canticum graduum.

1. *Sæpe expugnauerunt me.* Hic est Psalmus 128. in Psalmis Gradualibus 10. in illis qui pertinent ad profectum in bono, quintus & vltimus. Sicut enim necessaria est volenti proficere, primò propositi firmitas, postmodum lætitia, tertiò spes & confidentia: sic vltimum & consummatiuum exigitur, scilicet in aduersis patientia fortis. *Iacob.* 1. Patientia opus perfectum habet.

Argumentū Psalmi, patientia in aduersis.

Præmisso ergo titulo, supponitur Psalmus in duas partes diuidendus. Primò quidem ostendit mala, quæ ab aduersariis per tribulationum frequentiam perueniunt. Secundò fraudulentiam expugnantium, ibi, *Supra dorsum.* Tertiò tribulationum intensionem, ibi, *Prolongauerunt.* In prima duo. Primò exprimit tribulationum frequentiam, quia ab initio Ecclesiæ semper iustus à malo tribulationem patitur. Secundò frustrationem sic persequentium, ibi, *Etenim non potuerunt.* In prima duo. Primò tangit frequentiam impugnationum, in auferendo bona. Secundo in infligendo mala, ibi, *Sæpe expugnauerunt.*

Dicit ergo: Sic necessarium est, quòd Deus ædificet, quod Deus conseruet, aliter stare non possumus: tamen nemo desperet in me, imò *dicat nunc*, hic in præsenti, in futuro enim non erit necesse dicere, *Israël*, populus Deum videns formata fide: *Expugnauerunt me*, diabolus. *Apocal.* 1. Draco pugnabat contra mulierem masculum parituram. 1. *Pet.* 5. Aduersarius vester diabolus circuit quærens quem deuoret. Hæreticus. *Genes.* 19. Domus Loth Christi ad nos declinantis, Loth enim interpretatur declinans: obsessa est à Sodomitis. Hæretici Sodomitæ sunt, contra naturam peccant, vel diuinam, vel humanam in Christo. Tyrannus. *Iob* 1. Chaldæi, qui interpretantur feroces, fecerunt tres turmas, & inuaserunt camelos humiles, & obedientes. Frater falsus. 1. *Cant.* 1. Filij matris meæ, pugnauerunt contra me.

Et hoc *sæpe*, scilicet *à iuuentute mea*: ex quo enim cœpit Ecclesia, ab iis quatuor impugnatur. Quando adhuc iuuenis erat, scilicet in Abel. *Iob* 27. Mane primò consurgit homicida. Postmodum legitur, quod Ismaël persequutus est Isaac. *Gen.* 21. Et Esau Iacob in 27. Filij quoque Israël persequutionem ab Ægyptiis passi sunt, intantum vt ad amaritudinem animas eorum prouocarent. *Exod.* 2. Propter hoc dicitur *Eccles.* 2. Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & præpara animam statim ad tentationem.

Sæpe expugnauerunt. Ecce secundum. Quasi diceret: Sic expugnauerunt bona auferendo, & etiam *sæpe expugnauerunt me*, infligendo mala. *Apocal.* 12. Postquam mulier peperit masculum, statim cum incipit aliquis in actum producere bonum propositum, cœpit eam draco impugnare. A principio dictum est *Genes.* 3. Inimicitias ponam inter te, & mulierem. *Eccles.* 40. Iugum graue super filios Adam à die exitus sui de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium. *Iob* 8. Militia est vita hominis super terram.

Etenim non potuerunt mihi. Præmissa impugnatione, sequitur impugnantium frustratio. Ait enim: Sic impugnauerunt, *etenim*, sed *non potuerunt mihi*, Deo me conseruante. *Eccles.* 4. Vsque ad mortem certa pro iustitia, & Dominus expugnabit inimicos tuos. *Cant.* 8. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. *Rom.* 8. Quis nos separabit à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu? Nihil si volumus. Propter hoc dicit Ioannes quibusdam. 1. *Cano.* 2. Scribo vobis iuuenes, quoniam fortes estis, & vicistis malignum. *Hebr.* 11. Sancti per fidem vicerunt regna. Imò magis augmentantur, & multiplicantur. *Matth.* 16. Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam. 2.

Supra dorsum. Hîc secundum, in quo subiungit de fraudulentia impugnantium. Ait enim: Sic impugnauerunt me frequenter, impugnauerunt & fraudulenter, quia *peccatores fabricauerunt*, non ab antè, sed *super dorsum*, tanquam à posteriori, & latenter me persequentes. Fabricatores ergo sunt persequutores. *Eccles.* 11. Attende tibi à pestifero: fabricat enim mala, verum est, pœnas, supra dorsum tuum. *Ezech.* 22. Dabo te in manus fabricantium interitum. Fabricant etiam malum culpæ, falsitates, & mendacia. *Iob* 13. Ostendam vos fabricatores mendacij. Et præter intentionem ex eorum fabricatione surgunt sancti in vasa glorioſissima, & dilatata. Suprà in *Psal.* In tribulatione dilatasti mihi. *Rom.* 5. Tribulatio patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet. *Iacob.* 1. *Isa.* 54. Ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus suum. 3.

Prolongauerunt. Hîc tertium, in quo subiungit de intentione tribulationum. Ait enim: Sic iniqui fabricauerunt super dorsum meum, & *prolongauerunt*, longam ipsam facientes, *iniquitatem suam. Isa.* 5. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis. Vel *prolongauerunt*, id est, longè à me, dicit iustorum congregatio, fecerunt *iniquitatem suam.* Magna enim iniquitas longè est à iustis. *Ierem.* 2. Elongauerunt à me, & ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt.

Dominus iustus concidet. Hîc secunda pars totius huius Psalmi, in qua præmissa constantia in persequutionibus à malis, subiungit de pœna, quæ retribuetur eis à iusto iudice Deo: & tangitur triplex. Prima, eorum humiliatio in morte. Secunda, confusio in iudicio, ibi, *Confundantur.* Tertia, æterna 4.

damnatio in gehenna, ibi, *Fiant ſicut fœnum.* Dicit ergo: Sic perſequuti ſunt ab initio, nec præualuerunt, nec ſemper perſequentur, quoniam *Dominus iuſtus. Ierem.* 12. Iuſtus es tu Domine, ſi diſputem tecum. Et inſtruas diligens. *Pſal.* Iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit, iuſte omnia ordinans & diſponens. *Sapient.* 12. Cum ſis iuſtus Domine, iuſtè omnia diſponis. *Concidet*, id eſt, humiliabit, *ceruices*, id eſt, ceruicoſitates, *peccatorum*, ſuperborum ſcilicet nos perſequentium. In ceruice enim ſuperbia intelligitur. *Iob* 15. Cucurrit aduerſus Deum erecto collo, & pingui ceruice armatus eſt. Et *Gregor.* dicit: Nihil tam diſplicet Deo, quàm ceruix erecta poſt peccatum. Sed Dominus hanc confringit & humiliat. *Iob* 23. Redigentur in luctum, vel lutum ceruices veſtræ, quantumcumque fuerint exaltatæ. In 20. Si aſcenderit in cœlum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur. Et optimè dicit, *Succidet*: ſuperbi enim flecti non poſſunt, & propter hoc neceſſe eſt ſuccidi. *Iſa.* 10. Excelſi ſtatura ſuccidentur.

5. *Confundantur.* Hîc ſecundum, ſcilicet eorum confuſio in iudicio. Et tangitur primò confuſio per modum deprecationis. Secundò ratio, ibi, *Et conuertantur.* Dicit enim: Sic in morte ceruices concidentur, & etiam in iudicio generali *confundantur*, id eſt, confundentur. *Oſeæ* 11. Confuſio Ephraïm capiet eum, & confundentur Iſraël. *Ierem.* 17. Confundantur qui me perſequuntur.

Et conuertantur. Hîc ratio confuſionis, cognitio ſui defectus, & impotentiæ, qui prius potentes videbantur. Ait enim: Sic confundantur: *&*, id eſt, quia, *conuertantur retrorſum*, vt inefficaces, hoc eſt, impotentes appareant, dicit *Gloſſa*, qui prius aliquid videbantur. *Omnes qui oderunt Sion*, Eccleſiam ſcilicet, & iuſtorum congregationem. In *Pſal.* ſuprà: Conuertantur retrorſum, qui volunt mihi mala. *Ierem.* 8. Facti ſunt in retrorſum, & non in antè.

6. *Fiant ſicut fœnum.* Hîc tertium, ſcilicet æterna damnatio, in quo tanguntur duo, ſcilicet cauſa, & ratio damnationis, ſcilicet proſperitas tranſitoria. Secundò damnatio, ibi, *De quo non impleuit.* Dicit ergo: Sic concidatur ceruix in morte, confuſio ſit eis in iudicij diſcuſſione, & etiam *fiant* in hac vita, *ſicut fœnum*, virentes ſcilicet & glorioſi in exteriorum proſperitate, & apparentia. *Iſa.* 40. Omnis caro fœnum, & omnis gloria quaſi flos fœni. *Fœnum*, inquam, *tectorum*, id eſt, ſuper tecta creſcens: & loquitur ad modum Palæſtinæ, vbi tecta plana ſunt, & creſcunt in illa planitie ſæpe fœna. *Quod*, inquam, fœnum, *exaruit* frequenter priuſquam euellatur, id eſt, antequam ad euulſionum commoditatem perducatur. *Iſa.* 28. Væ coronæ ſuperbiæ Ephraïm, & flori decidenti. *Pſal.* Tanquam fœnum velociter areſcent, & quemadmodum olera herbarum citò decident. *Iacob.* 1. Sicut flos fœni tranſibit. *Eccl.* 11. Omnis potentatus, ecce fœnum tectorum, *breuis vita*, ecce quàm citò areſcet.

7. *De quo non impleuit.* Hîc ſecundum, æterna damnatio ſequens ex tranſitoria proſperitate illa. Et primò tangitur illorum excluſio è vita æterna. Secundò etiam à præſenti gratia, ibi, *Et non dixerunt.* In prima duo. Primò innuit priuandos deductione ad gloriam, ſeu portatione, quæ fit per Angelos ſanctos colligentes, & quaſi metentes. Secundò collocatione in illa, ibi, *Nec ſinum ſuum.* Dicit ergo: Sic citò ſuccidantur, in morte, & etiam fiant ſicut fœnum, *de quo non impleuit manum ſuam qui metit*, ſcilicet Angelos, in fine mundi, quando iuſſionem habebunt Angeli de metendo omnes. *Matth.* 13. Tunc ducam meſſoribus: Alligate primum zizania in faſciculos ad comburendum, non impleatis manum veſtram ad præſentandum coram me. *Apoc* 13. dictum eſt Angelo: Mitte falcem tuam, & mete, quoniam maturuit meſſis.

Et de quo non impleuit *ſinum ſuum*, eos in gloria collocando, *qui manipulos colligit*, in ſinum gloriæ ſuæ, ſcilicet iuſtos. In illo, inquam, ſinu, de quo *Iſa.* 40. Agnos in ſinu leuabit. De quo etiam *Luc.* 16. Factum eſt autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis, à meſſoribus, in ſinum, Abrahæ, ſicut manipulus in granchiam, & granum in horreum. *Matth.* 13. Triticum autem ponite in horreum meum.

8. *Et non dixerunt qui præteribant.* Hîc ſecundum, in quo monſtratur illorum excluſio à gratia in præſenti. Primò quia nec à ſanctis ſunt in ſuis operibus benedicti. Secundò quia nec in ſeipſis, ibi, *Benediximus vobis.* Dicit ergo: Sic excludantur ab æterna vita, *&* etiam *qui præteribant*, per vitam præſentem, tanquam per alienam. *Eccleſiaſt.* 29. Tranſi hoſpes: & quæ tenes in manu, ciba cæteros. Et de Apoſtolis dicitur. *Act.* 8. Pertranſibant euangelizantes verbum Dei. *Non dixerunt: Benedictio Domini ſuper vos*, operantes: antiquitus enim tranſeuntes operantibus gratiam optabant in operando, & diuinum adiutorium. Sic Booz meſſoribus in 2. *Ruth* dixit, Dominus vobiſcum.

Benediximus vobis, in perſonis veſtris, *in nomine Domini*, ſicut ſanctus Iacob benedicebat filio ſuo Ioſeph. Hæc impleta ſunt in peſſimis Iudæis, & quotidie implentur in repellentibus verbum Dei. Sancti enim prædicatores nec talium operibus, nec perſonis eorumdem benedicent, ſed ab eis recedere debent, ſicut præceptum eſt *Matth.* 10. *Luc.* 9. Et ſicut Apoſtoli fecerunt *Act.* 13. Quoniam repellitis verbum Dei, & indignos vos iudicaſtis vitæ æternæ, ecce conuertimur ad Gentes. Sed pietati aſſentientes, benedicunt, gratiam illis optando, ad quam nos perducat, &c.

Nota, quòd Eccleſia aduerſis eleuatur. *Gen.* 8. Aqua diluuij eleuauerunt arcam in ſublime. Multiplicatur. *Exod.* 1. Filij Iſraël afflicti ab Ægyptiis multiplicabantur. *Ioan.* 12. Niſi granum frumenti, &c. Dilatatur. In *Pſal.* In tribulatione dilataſti mihi. *Iob* 60. Dilatabitur cor tuum, quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris. Infortiatur. Ad *Hebr.* 11. Fortes facti ſunt in bello. Ad *Rom.* 5. Tribulatio patientiam operatur. *Iſa.* 54. Ego creaui fabrum ſufflantem in ignem prunas, & proferentem

Eccleſia multiũ proficit ex aduerſis.

vas

vas in opus suum. Nutritur. *Iob* 10. Si iustus fuero, non leuabo caput saturatus afflictione; & miseria. Ditatur. *Iob* 37. Ab Aquilone venit aurum. Prudentior efficitur. *Isa.* 28. Vexatio dabit intellectum. Ad Deum ire compellitur. In *Psal.* Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea, &c. *Greg.* Mala, quæ nos hîc premunt, ad Deum nos ire compellunt.

IN CXXIX. PSALMVM.

Canticum graduum.

1. *De profundis clamaui.* Hic est Psalmus 129. in toto libro, in tertia verò parte 29. inter Graduales Psal. 11. Primus inter illos quinque, qui pertinent ad perfectionem boni. Cum enim nullus sit tam perfectus, qui non peccet. 1. *Pet.* 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Primus gradus est in peccato, orationis confidentia, orationis, inquam, pro liberatione factæ, de profundo miseriæ præsentis. Et dico confidentiam, vt experti iam in pluribus misericordiam Dei, & bonitatem: hoc enim est perfectorum.

Argumentū Psalmi, confidentia orantis vt de profundo peccatorum liberetur.

Primò ergo præmisso titulo consueto, confidenter se orasse monstrat. Secundò excitat alios ad confidentiam in bono, ibi, *A custodia matutina.* In prima duo. Primò, quòd orauit. Secundò, quòd confisus sit cùm orauerit in Domino, ibi, *Quia apud te.* In prima dicuntur tria. Primò causam orationis exprimit & clamoris. Secundò formam. *Domine exaudi.* Tertiò ostendit necessitatem, ibi, *Si iniquitates.*

Dicit ergo: *ô Domine*, ad quem solum est recursus verus, *clamaui*, feruore cordis, *ad te*, & hoc *de profundis* peccatorum, in quibus pressus lateo, quandiu in hac misera vita viuo. *Ion.* 2. De ventre inferi clamaui ad Dominum, & exaudiuit vocem meam.

Multiplex profundum.

Notandum enim, quòd est profundum quod non attingimus, scilicet diuinæ prouidentiæ. *Iob* 11. Profundior inferno est, & quid facies? *Psal.* Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Et est profundum, quod inquirimus, scilicet profundum Scripturæ. *Eccl.* 7. Alta profunditas, quis inueniet eam? Et Deus reuelat sicut vult. *Iob* 12. Quis reuelat profunda de tenebris? Et est profundum humanæ adinuentionis, de quo *Isa.* 29. Væ qui profundi estis corde, vt abscondatis à Domino consilium. Et desperationis. *Prou.* 18. Peccator cum venerit in profundum, peccatorum scilicet, contemnit. Et profundum humanæ miseriæ, de quo hîc, & suprà in *Psal.* Non me absorbeat profundum, neque vrgeat super me, &c. Et gehennalis. *Isa.* 7. Pete tibi signum à Domino Deo tuo, in profundum inferni, siue in excelsum suprà. *Iob* 17. In profundissimum inferni descendent omnia mea. *Exod.* 15. Descenderunt in profundum quasi lapis. Et charitatis. *Ephes.* 3. In charitate radicati & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum. *De profundis* ergo, quia de profundo culpæ in quo penè mergor, de profundis miseriæ, in quo totus sum, *clamaui ad te Domine*, cum Petro. *Matth.* 14. Et cum cœpisset mergi, clamauit dicens, &c.

Domine exaudi. Hîc secundum, forma orationis, hoc est, quid orauerit. Primum vt audiat orationem pro bonis adipiscendis. Secundò vt intendat deprecationi pro malis amouendis, ibi, *Fiant aures.* Dicit ergo: Sic clamaui vrgente miseria, sed quomodo? Sic *Domine exaudi vocem meam*, orantem vt mihi bona conferantur. *Dan.* 9. Exaudi Domine orationem serui tui. *Iudith* 9. Exaudi me miseram, & de tua misericordia confidentem. 2.

Fiant aures tuæ. Hîc secundum. Quasi diceret: Sic clamaui, vt exaudiret vocem, dicens etiam hoc: Fiant aures tuæ. Anthropathos est. 3. *Reg.* 8. Sint oculi tui aperti, & aures tuæ intentæ. *Intendentes. Dan.* 9. Exaudi Domine, attende, & fac. *In vocem deprecationis meæ*, pro amouendis miseriis factæ, & culpæ & pœnæ. Suprà in *Psal.* Auribus percipe deprecationem meam.

Si iniquitates. Hîc tertium huius partis, in quo ostendit clamandi necessitatem. Dicit sic: De profundis clamaui, vt audirer de bonis adipiscendis, & malis amouendis. Et necesse habui, quia ô *Domine*, cui nullus resistere potest, *si obseruaueris.* Obseruantia diligentiam importat, id est, ad iudicium seruaueris, *iniquitates*, in quibus sumus, quas continuè facimus, *quis sustinebit*? id est, sustinere poterit? Verè nullus. *Greg.* Si districtè nobiscum ageret, natura humana fragilis nullatenus sustineret. *Iob* 9. Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere vnum pro mille. Nullus sustinebit: quia nullus est qui non sit peccatis oppressus. Suprà in *Psal.* Iniquitates meæ sicut onus graue grauatæ sunt super me. Nullus est, qui non sit immundus. *Prou.* 20. Quis potest dicere, Mundum est cor meum, purus sum à peccato? Nullus. *Isa.* 64. Facti sumus vt immundi omnes nos, & omnes iustitiæ nostræ tanquam pannus menstruatæ. Propter hoc dicit *Iob* in 23. Nolo multa fortitudine contendat mecum. Sed illud *Psal.* Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine. 3.

Quia apud te. Hîc secundum, in quo postquam ostendit, quod orauerit, ostendit, quòd fiduciam habuerit in orando: & tanguntur quatuor causæ confidentiæ & spei. Dei pietas, qua peccata dimittit. Eiusdem charitas, qua gratiam infundit. *Et propter legem.* Et veritas, quæ promissum soluit, ibi, *Sustinuit anima mea.* Et potestas, quæ potenter defendit, ibi, *Sperauit anima mea.* Dicit ergo: Sic necessitate pressus orani, nec diffidentiam habui, imò ô *Domine sustinui*, expectando per spem, & confidentiam, *quia apud te est propitiatio*, qua peccata dimittis. *Dan.* 9. Domino Deo nostro propitiatio & misericordia, nobis autem confusio. Nec modica, imò, maxima. *Eccles.* 17. Quam magna misericordia Domini, & propitiatio ipsius conuertentibus ad se. Imò totus est propitiatio. 1. *Ioan.* 1. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. 4.

Et propter legem. Ecce secunda causa. Quasi diceret: Sic sustinui propter pietatem, & etiam *sustinui te propter legem tuam*, charitatis scilicet, & clementiæ, qua gratiam infundis, non acri-

ter punis, ſicut in lege ſeueritatis. Charitas enim lex eius eſt, de qua *Iob* 11. Oſtendet tibi, quod multiplex ſit lex eius. *Prou. vlt.* Lex clementiæ in lingua eius. Hæc lex Chriſti. *Gal.6.* Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.

Suſtinuit anima mea. Ecce tertium. Quaſi diceret: Suſtinui, quia apud te pietas, apud te charitas, & etiam *anima mea ſuſtinuit*, confidenter ſecundum illud *Eccl.*2. Metuentes Dominum ſuſtinere miſericordiam eius. Et in eodem: Suſtine ſuſtentationes Dei. Sperans, *in in verbo eius*, quo promittis ſuſtinentibus adiutorium, imò regnum, per Apoſtolum. 1.*Tim.*2. Si ſuſtinebimus, & conregnabimus. Et non mentiris. *Num.*23. Non eſt Deus vt homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur.

5. *Sperauit anima.* Ecce quartum. Quaſi diceret: Sic ſpero, quia pius es, charitatiuus, & verax: & etiam *anima mea ſperauit*, non in alio, ſed *in Domino*, qui potens eſt eripere & liberare ab omni malo. *Prou.* 26. Qui ſperat in Domino, beatus eſt. Et *Ierem.* 17. dicitur: Beatus homo qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. *Eccl.* 14. Spes illorum in ſaluantem illos. Et 32. Qui confidit in illo, non minorabitur.

6. *A cuſtodia matutina.* Hîc eſt ſecunda pars Pſalmi, in qua alios monet & excitat ad confidendum. Duo ergo dicuntur. Primò admonitio de confidentia continua, & perſeueranti. Secundò ratio quare confidendum, ibi, *Quia apud Dominum.* Dicit ergo: Sic confidenter oraui, & *Iſraël*, populus videns Deum per fidem 1.*Cor.*14. Videmus nunc per ſpeculum, & in ænigmate. *Speret in Domino*, & hoc, *à cuſtodia matutina*, à fine ſcilicet noctis, quæ eſt matutina, vel *vigilia* ſecundum aliam literam, *vſque ad noctem*, hoc eſt, per totam diem continue. *Eccleſ.*11. Mane ſemina ſemen tuum, ſemen bonæ ſpei, & confidentiæ in Deum, & veſpere ne ceſſet manus tua: in veſpere ſperare non ceſſa. Vigilia etiam vel cuſtodia matutina poteſt dici iuuentus, tunc enim eſt mane, veſperè verò ſenectus. A iuuentute ergo vſque ad ſenecturem in Domino ſperandum. In *Pſal.* ſuprà: Domine ſpes mea à iuuentute mea, in te confirmatus ſum ex vtero. Et rurſus in alio: Ne proiicias me in tempore ſenectutis cum defecerit virtus mea, &c. Vel vigilia matutina, collatio gratiæ: nox vero conſummatio in morte. Ergo ab inſtanti, in quo confertur gratia, vſque ad mortem ſperandum. Hæc eſt vigilia matutina, de qua *Exod.*24. Factum eſt in vigilia matutina, & ecce reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum in columna ignis, & nubis, gratia accendente ad bonum, & concupiſcentiam refrigerante. Et *Mat.* 10. & 24. Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. *Leuit.*3. & 4. caput hoſtiæ & cauda præcipiebatur offerri Domino.

7. *Quia apud Dominum.* Hîc ſecundum, ratio, quare ſperandum Iſraëli in ipſo. Primò beneficium iam acceptum. Secundò accipiendum, ibi, *Et ipſe redimet.* Acceptum duplex beneficium, ſcilicet incarnationis primò, & beneficium paſſionis ſecundò. *Et copioſa.* Dicit ergo: Sic perſeueranter ſperet Iſraël in Domino: & iuſtum eſt, *quia apud Dominum miſericordia*, quia voluit incarnari & homo fieri. *Ioël.*2. Benignus & miſericors eſt. *Tit.*3. Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit. *Pſal.* Deus meus miſericordia mea.

Et copioſa apud eum redemptio. Sanguine in paſſione effuſo. In *Pſal.* ſuprà: Redemptionem miſit Dominus populo ſuo. *Eph.* 1. Habentes redemptionem per ſanguinem eius. 1.*Cor.*1. Factus eſt nobis à Deo patre ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. 1.*Pet.*1. Non enim corruptibilibus auro & argento redempti eſtis de veſtra vana conuerſatione, ſed pretioſo ſanguine agni immaculati & incontaminati Chriſti Ieſu. *Et copioſa*, ſufficiens pro toto mundo. Copioſa fuit illa redemptio, propter rei oblatæ quantitatem. 1. *Ioan.* 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. Item propter offerendi qualitatem. *Sap.*2. Morte turpiſſima condemnemus eum. Item propter oblationis vtilitatem: fuit enim non ſolum redemptio, ſed & lotio. *Apoc.*1. Dilexit nos, & lauit à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Et refectio. *Ambroſ.* De latere Chriſti aqua & ſanguis exiuit: illa vt diluat, iſte vt redimat: bibamus ergo pretium noſtrum, & bibendo redimamur. Chriſtus enim pro peccatis noſtris ſemel mortuus eſt, quotidie peccata populi redempturus. Propter liberatorum generalitatem. 1. *Ioan.* 2. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non ſolum pro noſtris, ſed pro totius mundi. Propter inimicorum ſubuerſionem, & deiectionem. *Iſa.*51. Tu vulneraſti ſuperbum, percuſſiſti draconem. *Exod.*15, Equum, & aſcenſorem proiecit in mare. Propter præmij magnitudinem. *Iſa.*4. 1. *Cor.* 2. Oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te.

Et ipſe redimet. Hîc ſubiungit de beneficio in futuro exhibendo. Quaſi diceret: Sic confitendum, quia incarnatus, quia paſſus: & etiam ipſe *redimet Iſraël*, populum fide formata videntem ſe, *ex omnibus iniquitatibus eius*, quod fiet plene in generali reſurrectione. Redemit quidem per paſſionem, ſicut iam ſuperius tactum fuit. *Iſa.* 49. Redemit Dominus Iacob. Et *Ierem.*31. Redemit Dominus Iacob de manu potentioris. Et *Iſa.* 44. Reuertere ad me, quia redemi te. *Greg.* Nullum peccatorem reuertentem deſpicit, quia peccatores redimere venit. Sed tandem plenius redimet in generali reſurrectione. *Roman.* 8. Nos autem intra noſmetipſos ingemiſcimus, adoptionem filiorum expectantes, redemptionem corporis noſtri. *Iſa.* 44. Ego ſum qui deleo iniquitates, &c.

IN CXXX. PSALMVM.

Canticum graduum Dauid.

Argumentũ Pſalmi, confidentis mãſuetudo & humilitas.

D*Omine non eſt exaltatum cor ſuum.* Hic eſt Pſalmus 130. in toto libro, & ſic 30. in 3. parte libri, in Pſalmis Gradualibus 12. ſecundus in illis, qui pertinent ad conſummationem in bono. Cum enim actum ſit in Pſalmo præcedenti de confidentia ſupplicantis, hîc agitur de humilitate confidentis, ne fortè ſuperbia credatur illa confidentia, & præſumptio, vbi dicuntur duo. Præmiſſo titulo communi, poſt exprimit 1.

exprimit suam humilitatem, loquens in persona omnium perfectorum. Secundò ex hoc infert inuitationem ad confidentiam, ibi, *Speret Israel*. In prima duo. Primò remouet à se omnem elationem, & superbiam. Secundò ostendit suam humilitatem, ibi, *Si non humiliter*. In prima duo. Primò remouet à se interiorem superbiam. Secundò exteriorem, ibi, *Neque elati*.

Dicit ergo: Sic confisus sum, & oraui, nec tamen superbiui, imò ô *Domine, cor meum*, sicut tu scis, *non est exaltatum*, per superbiam interiorem, sicut Nabuchodonosor. *Iudith* 1. Eleuatum est cor Nabuchodonosor. Sed Dominus citò deiecit illam superbiam. *Isa.* 10. Visitabo super fructum magnifici cordis Assur. *Prou.* 17. Qui exaltat ostium suum, quærit ruinam. Et in 16. Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatio spiritus. *Iob* 15. Quid te eleuat cor tuum, & quasi magna cogitans attonitos habes oculos?

Superbia interior.

Neque elati sunt. Hîc remouet exteriorem, quæ est duplex: vel in signo, & hanc remouet primò: vel in facto, & hanc secundò. *Neque ambulaui.* Dicit ergo: Sic cor non est exaltatum, *nec elati sunt oculi mei*, vt esset superbia in signo exteriori. *Eccl* 23. Extollentiam oculorum ne dederis mihi. Tales enim in generatione malorum computantur. *Prou.* 30. Generatio, cuius excelsi sunt oculi, & palpebræ in altum porrectæ. A Deo odiuntur. *Prou.* 6. Oculos sublimes odit Deus. Ab ipso deiiciũtur. *Isa.* 2. Oculi sublimis homnis humiliati sunt. *Greg.* Omnis superbia tantò in imo iacet, quãtò in altum se erigit.

Superbia exterior.

Neque ambulaui. Hîc amouet exteriorem superbiam in facto. Et primò in facto, in quod est humana potentia. Secundò in facto, quod est super humanam, ibi, *Neque in mirabilibus*. Dicit ergo: Sic oculi mei non sunt exaltati vt esset superbia in signo: *neque* etiam *ambulaui in magnis*, operibus & pompis, in quibus ambulant superbi ad ostentationem, sicut illi, de quibus Dominus. *Luc.* 20. Attendite à Scribis, qui volunt ambulare in stolis, & amant salutari in foro. *Amos* 2. Viam humilium declinant. Et in 6. Optimates capita populorum ingredientes pompaticè domum Israël.

Nec in mirabilibus. Ecce secundum. Quasi diceret: Sic non ambulaui in magnis, *nec* ambulaui, repete, *in mirabilibus super me*, super vires meas existentibus, & statum meum, quod est magna superbia. *Eccles.* 3. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Superbi super se semper nituntur ascendere. *Isa.* 16. Audiuimus superbiam Moab, superbus est valde: superbia eius, & arrogantia eius, plusquam fortitudo eius. Tales fuerunt magi Pharaonis, qui voluerunt facere cyniphes, quas non poterant. *Exod.* 8. Talis erat Simon magus, qui volebat facere miracula sicut Petrus. *Act.* 8. Talis erit Antichristus, qui ostendet se tanquam sit Deus. *Dan.* 11. Eleuabitur & magnificabitur aduersus omnem deum. Et dicit *Hieron.* Hoc propriè supercilio Episcoporum conuenit, qui operibus dedecorant nominis dignitatem, pro humilitate superbiam assumentes, non attendentes illud *Luc.* 16. Quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum.

2. *Si non humiliter.* Hîc secundum, in quo duo: Primò asserit de se humilitatem. Secundò subiungit imprecationem, si non ita sit sicut dixit. *Sicut ablactatus.* In prima duo. Primò asserit se sensisse humiliter de seipso. Secundò nullam exaltationem fuisse pro quocumque Dei beneficio, quod est magna humilitas. *Sed exaltaui.* Dicit ergo: Sic non superbiui, nec interius in animo, nec exterius in signo vel facto, imò *si non sentiebam humiliter de meipso. Rom.* 11. Noli altum sapere, sed time. Et 12. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. *Isa.* 5. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismet ipsis prudentes. *Greg.* Proprium electorum specialissimum esse solet, vera de Deo credere, humilia de se sentire, sicut magister eorum Christus. *Phil.* 2. Hoc sentite in vobis, quod & in CHRISTO IESV.

Sed exaltaui animam meam, de diuinis me beneficiis extollendo, sciens illud 1. *Cor.* 4. Quid habes, quod non accepisti? quod si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Sic Abraham, qui multa bona acceperat, non se exaltabat. *Gen.* 18. Loquar ad Dominum meum cum sim puluis & cinis? Et *Iob* 31. Si vidi solem, magni beneficij fulgorem, cum fulgeret, & lunam incedentem clarè, minoris beneficij apparentiam.

Sicut ablactatus. Hîc secundum, scilicet imprecatio, contra seipsum, si non fuerit humilis, sicut dixit. Ait enim: Si non sensi humiliter, & exaltaui animam, *fiat retributio in anima mea*, non in corpore tantum, vt impleatur in me illud *Isa.* 3. Væ impio in malum, retributio manuum eius fiet ei. *Ita* me miseriæ & morti expono, sicut *super matrem suam*, incumbens sup. paruulus, morti exponitur, *ablactatus*, à matris lacte separatus: statim enim perit. *Thren.* 3. Adhæsit lingua lactentis ad palatum eius in siti.

Lactis variæ acceptiones.

Et nota hîc, quod est lac adulationis, de quo *Prou.* 16. Vir iniquus lactat amicum suum, & ducit illum per viam non bonam. Ab hoc bonum est separari. *Prou.* 1. Fili, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. Et est lac carnalis voluptatis, & prudentiæ sæcularis, & hæreticæ peruersitatis, de quo *Thren.* 4. Lamiæ nudauerunt mammas, caro, mundus, & hæreticus: lactauerunt catulos suos. Et ab hoc ablactandi sumus. *Isa.* 11. Super foramina aspidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, ponet manum suam. Et est lac abundantiæ temporalis. *Exod.* 3. Educam vos de afflictione Ægypti, & inducam vos in terram fluentem lac & mel. Et ab hoc non lactari perfectum. *Isa.* 28. Quem docebis scientiam, & quem intelligere facies auditum? ablactatos à lacte, &c. Et est lac doctrinæ simplicis. 1. ad *Corinth.* 3. Tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam. Ad *Hebr.* 5. Facti estis, quibus lacte opus est, non solido cibo. Hoc debemus lactari. 1. *Petr.* 2. Quasi modo geniti infantes, lac concupiscite. Hoc lactant nos sacri Doctores vt nutrices. 2. *Thess.* 2. Facti sumus in medio vestri, tanquam si nutrix foueat paruulos, vberibus duorum testamentorum. *Cant.* 1. Meliora sunt vbera tua vino. Et est lac diuinæ consolationis, quo mirabiliter pascitur, & reficitur affectus. *Oseæ* 2. Lactabo eam, adducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius. *Isa. vlt.* Sugatis vt repleamini ab vberibus consolationis.

3. *Speret Iſraël.* Hîc ſecunda pars totius Pſalmi, in qua ſubiungitur aliorum inuitatio ad ſperandum, & perſeueranter: & dicuntur duo. Primò inuitat. Secundò declarat quandiu ſit ſperandum, ibi, *Ex hoc nunc.* Dicit ergo: Sic confiſus ſum in Domino, & nihilominus humilis factus ſum: ſed admonendo dico: *Speret Iſraël in Domino. Thren.* 3. Bonus eſt Dominus ſperantibus in ſe. *Eccleſ.* 2. Quis ſperauit in illo, & confuſus eſt? 1. *Machab.* 2. Cogitate per generationem, & generationem, quoniam qui ſperant in illum, non infirmantur. Et hoc, *ex hoc nunc, & vſque in ſæculum. Oſeæ* 12. Miſericordiam, & iudicium cuſtodi, & ſpera in Domino Deo ſemper. *Pſal.* Sub vmbra alarum tuarum ſperabo donec tranſeat iniquitas, hoc eſt, vſque ad finem, imò vltrà: non enim omnino tranſibit iniquitas, imò in inferno manebit.

IN CXXXI. PSALMVM.

Canticum graduum.

1. MEmento *Domine Dauid.* Hic eſt Pſalmus 131. in toto libro, in tertia vero parte 31. in Pſalmis Gradualibus 13. in illis qui pertinent ad perfectionem boni, tertius. Cum enim actum ſit de confidentia ſupplicantis, poſtmodum de vera humilitate confidentis, hîc tertio agitur de deſiderio profectus aliorum, & promotionis Eccleſiæ Dei ſub typo domus, cuius ædificatio vehementer deſideratur. Hoc enim deſiderio ſancti inflammantur. Præmiſſo ergo titulo, ſuperius frequenter expoſito, & in nullo mutato, duo dicuntur in Pſalmo. Primò exprimit loquens in perſona iuſti perfecti, vehemens deſiderium ædificandi domum Dei, ab ædificatore vero, Chriſto ſcilicet ſub typo Dauid. Secundò lætus aſſerit deſiderij ſui complementum, ibi, *Iurauit Dominus Dauid.* In prima parte demonſtrat exprimens deſiderium, & petit vt ædificatoris memoriam habeat Deus. Secundò ipſum excitat quem rogitauit, vt adiutorium præbeat, ibi, *Surge Domine in requiem.* In prima duo. Primò ſupplicat vt ædificatoris habeat memoriam Secundò demonſtrat ex quibus nouerit fiendam ædificationem, ibi, *Ecce audiuimus.* In prima tria dicuntur. Primò rogat vt memoriam habeat de ædificatore. Secundò cauſam aſſignat quare debeat habere. *Et omnis manſuetudinis.* Tertiò ad quid velit ipſum habere eius memoriam; & in quo, ibi, *Sicut iurauit.*

Argumentũ Pſalmi, deſiderium ædificationis Eccleſiæ.

Dicit ergo: Sic Domine confido, & me humiliter nihil eſſe ſcio, ſed ô *Domine*, rogo *memento Dauid*, ſpiritualis ædificatoris Eccleſiæ, ſcilicet Chriſti. Ipſe enim verus Dauid, manu fortis ſcilicet. *Prou. vlt.* Manum ſuam miſit ad fortia. *Mich.* 3. dicitur in perſona ipſius: Repletus ſum fortitudine ſpiritus Domini. Et aſpectu deſiderabilis. *Cant.* 2. Oſtende mihi faciem tuam, exteriorem, quæ valdè pulchra fuit. *Pſal.* Speciouſus forma, &c. Et interiorem, propter quod dicitur *Ierem.* 31. Benedicat tibi Dominus pulchritudo iuſtitiæ. Propter quod dicit Petrus 1. *Petr.* 1. In ipſum deſiderant Angeli proſpicere.

Et omnis manſuetudinis eius. Quaſi diceret: Ipſa manſuetudo ſua cauſa ſit recordationis, ad literam. Literalis Dauid multum fuit manſuetus, quod probatur, quod pepercit Saüli tam crudeli perſecutori. 1. *Reg.* 24. Sed multò manſuetior fuit ſpiritualis Dauid Chriſtus, cui datum erat à Patre præceptum manſuetudinis. *Eccleſ.* 3. Fili, in manſuetudine opera tua perfice. Qui dixit *Matth.* 11. Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. *Ierem.* 11. Ego quaſi agnus, qui portatur ad victimam.

2. *Sicut iurauit Domino.* Hic tertium, in quo oſtendit ſuper quo vult haberi memoriam: ſuper hoc vt det gratiam implendi promiſſum: vnde duo dicuntur. Primò vt det gratiam implendi quod promiſit. Secundò ſpecificat quid illud ſit, ibi, *Si introiero.* In prima duo, ſecundum duplicem modum promittendi, iuramento, vel promiſſo. Ait enim: Sic dico: Memento, ad hoc vt impleat, Dauid, *ſicut iurauit Domino*, literalis Dauid. Quod ipſe aliquid iurauerit Domino, & vouerit, poteſt eſſe. 1. *Reg.* 28. Cogitaui vt ædificarem domum, in qua requieſceret arca fœderis Domini. Sed ſpiritualis, Chriſtus, quando vouit, vel iurauit: Reſponſio: Si non in ſe, tamen in membris ſuis, in iuſtis qui promittunt Deo, & vouent ſe ædificaturos Eccleſiam. Vnde ipſa Eccleſia iurat & vouet ædificaturam ſeipſam. Hæc iuramenta, de quibus *Matth.* 5. Reddas Domino iuramenta tua. *Eccl.* 23. Si in vacuum iurauerit, non iuſtificabitur.

Votum vouit. Et impleat, repete, ſicut *vouit votum* Domino *Deo Iacob*, votum enim oportet reddere. *Eccleſ.* 5. Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere: diſplicet enim Deo infidelis, & ſtulta promiſſio. *Deut.* 23. Quod ſemel egreſſum eſt de labiis tuis, obſeruabis, & facies. Hæc autem vota ædificandi Eccleſiam Deo ſunt placentia. *Prou.* 15. Vota iuſtorum placabilia. Sed oportet, quòd adiuuet ad iuramenta implendum, & ad vota. *Ioan.* 15. Sine me nihil poteſtis facere. *Iſa.* 25. Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine.

3. *Si introiero.* Hîc ſecundum, in quo ſpecificat quid iurauerit, & quid vouerit, ſcilicet quod non retrahetur à procuratione domus fabricandæ. Duo ergo dicuntur. Primò per quæ non retrahetur. Secundò à quo non retrahetur, ibi, *Donec inueniam.* In prima tria ſecundum tria per quæ ſolent retrahi homines ab ædificando. Primum eſt cura rei familiaris: hoc primò remouet. Secundũ, cura voluptatis explendæ, ibi, *Si aſcendero in lectum.* Tertiò cura quietis habendæ, ibi, *Si dedero ſomnum.* Dicit ergo: Dixi, quòd iurauit & vouit Dauid dicens: *Si introiero*, tanquam curam agens, & ſollicitudinem, *in tabernaculum domus meæ*, familiæ propriæ, male mihi accidat ſup. nolo enim quærere propria primò & principaliter. 1. *Cor.* 3. Charitas non quærit quæ ſua ſunt. Propter hoc conqueritur Deus per Aggæum, in 1. Domus mea, ſcilicet Eccleſia eſt, & vos feſtinatis vnuſquiſque in domum ſuam. Magna enim cum cura multi procurant propria tabernacula, non curantes de Eccleſia Dei quomodo vadat. Sed *Iob* 8. Tabernaculum impiorum non ſubſiſtet. Et 18. Auellatur de tabernaculo ſuo fiducia eius. *Greg.* De

tabernaculo

tabernaculo suo auellitur, quando qui multa parauerat, repentina morte dissipatur. Intrauerat tabernaculum, & procurauerat domum optimè, qui dicebat: Anima mea habes multa bona in annos plurimos. Et illi dictum est statim: Sulte, hac nocte repetent animam tuam à te. *Luc.* 12.

Si ascendero. Hîc secundum, *in lectum stati mei*, ad delectationes corporales procurandum. Non est intrandum in hunc lectum, sed potius est tollendus. *Matth.* 9. Surge, tolle lectum tuum, carnalem scilicet voluptatem ab iis: & vade in domum tuam, in conscientiam. Hunc lectum ascendere noluit Vrias vt bonus miles. 2. *Reg.* 11. Hunc lectum ascendit Hisboseth 2. *Reg.* 5. & percussus in inguine, interfectus est. Ad ascendendum hunc lectum inuitat caro misera, mulier garrula. *Poou.* 7. Intexui lectulum meum tapetibus ex Ægypto, &c.

4. *Si dedero somnum.* Hîc tertium, quod non retrahetur, propter quietis curam, vel simpliciter quærendam, & hoc primò: vel etiam aliqualiter. *Et palpebris*, & hoc secundò. Et in his habebit toto tempore perseuerantiam, & hoc tertiò, ibi, *Et requiem temporibus.* Dicit ergo: Sic non retrahar propter curam familiarem, nec etiam propter carnalem voluptatem. Et etiam malè mihi accidat, *si dedero somnum oculis meis*, hoc est, si in temporalibus quietem meam posuero, sicut illi, de quibus dicitur in *Psal.* Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.

Et palpebris meis, saltem, *dormitationem*, vt in illis vel aliquantulum requiescam, male mihi accidat. Dormitat anima, cum inferior pars rationis in transitoriis pausat & requiescit: sed dormit, cum superior consentit, contra illud quod dicitur. *Prou.* 6. Ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. *Prou.* 6. Vsquequo piger dormies? quando consurges de somno tuo? paululum dormies, paululum dormitabis.

5. *Et requiem.* Hîc tertium. Quasi diceret: Sic si dedero somnum oculis meis, vel dormitationem palpebris: & si etiam *temporibus meis requiem*, vt etiam aliquo tempore quiescere in temporalibus quæram, malè mihi accidat. *Thr.* 3. Ne des requiem tibi. 1. *Cor.* 1. Nullam habuit requiem caro mea.

Donec inueniam. Hîc secundum, in quo ostendit à quo non retrahetur, quia non ab inquisitione loci, in quo domus Dei fiat. Secundò, quòd nec à fabricatione tabernaculi, ibi, *Tabernaculum.* Dicit ergo: Sic nullis præcedentium intendere volo, sed mihi malè accidat, si attendero, *donec inueniam locum Domino*, aptum ad ei tabernaculum faciendum, vt inhabitet ipsum. Hic locus est animus quietus & pacificus. *Psal.* suprà: In pace factus est locus eius, habitatio eius in Sion.

Inueniam etiam, vel fabricem, *tabernaculum Deo Iacob*, non deo recenti, & de nouo inuento. Qualia sunt corda obedientia. *Apoc.* 3. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi, intrabo ad eum & cœnabo cum illo, & ipse mecum. *Apoc.* 21. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum illis. Propter hoc dicitur 2. *Reg.* 8. Quis ego sum vt ædificem domum Domino? Cum autem bene fuerit præparata, tunc impletur illud *Num.* 24. Quam pulchra tabernacula tua Iacob, tentoria tua Israël! In illis enim cordibus Dominus pugnat & impugnat. Ecce ergo tabernaculum in alia acceptione, quàm paulò antè.

Nota ergo, quòd est materiale tabernaculum. *Isa.* 38. Generatio mea ablata est à me, quasi tabernaculum pastorum. Corpus. 2. *Pet.* 2. Scio quod velox est depositio tabernaculi mei. Gloriosæ virginis vterus. *Eccl.* 24. Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. Militans Ecclesia. *Isa.* 4. Erit tabernaculum in vmbraculum diei ab æstu. *Psal.* Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus. Et triumphans. *Isa.* 34. Tabernaculum, quod nequaquam transferre poterit. *Hebr* 8. Tabernaculum quod fixit Deus, & non homo. Temporalium rerum cura. Parum ante: Si introiero in tabernaculum domus meæ. Fidelis anima, sicut hic dicitur. *Multiplex tabernaculum.*

Ecce audiuimus. Hîc secundum, in quo ostendit ex quibus ædificanda sit. Et primò ex Iudæis. Secundò, quòd ex Gentibus, ibi, *Inuenimus eam.* Tertiò probat dictum, ibi, *Introibimus in tabernaculum.* Dicit ergo: Sic rogo, vt memoriam habeas de Dauid ædificaturo tibi domum, vt iurauit & vouit: & verè ædificabit, quia *audiuimus*, auribus cordis, *in Ephrata*, id est, in scripturis, *ea*, domum vel locum Domini, futura: vel *eam*, scilicet domum audiuimus futuram. Hoc autem adiuimus *in Ephrata*, in scripturis scilicet. Prophetæ enim non cessabant hoc clamare. *Isa.* 55. Audite audientes me, qui apud Iudæos erant. *Rom.* 2. Credita sunt eis eloquia. Vel sic secundum dictam diuisionem: *Audiuimus eam*, id est, domum futuram, *in Ephrata*, id est, ibi per natiuitatem Saluatoris inchoandam, iuxta illud *Mich.* 5. Et tu Bethleem Ephrata nequaquam minima es in millibus Iuda, vel in tribubus: ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israël. 6.

Inuenimus eam. Hîc secundum. Quasi diceret: Sic audiuimus in Iudæis, inchoandam domum Dei, & postmodum *inuenimus eam in campis sylluæ* in Gentilitate scilicet, quæ erat *campus* per peccandi licentiam: *sylua*, quia sine cultura in omnibus peccatis, tanquam frutetis plena. *Isa.* 55. Omnia ligna regionis, ecce sylua: plaudent manu. Et 64. Erunt campestria in caulas gregum. Relicta enim Ephrata, in qua auditum est de eo, transibit ad syluam, ad Gentilitatem, & ab illis inuenietur. *Isa.* 64. Inuenerunt me qui non quæsiuerunt me. Et 32. Erit desertum in Charmel, & Charmel in saltum reputabitur. Charmel enim mollis, & tractabilis, in desertum est reputata. *Rom.* 9. Gentes, quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, Israël verò sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit. Ephrata speculum, Clerici & prælati, in quibus est auditus Deus. Multa enim dicunt & audiunt. Inter illos auditur verbis. *Matth.* 23. qui dicunt facite. Sed inuenitur in pauperum, & humilium exemplis. *Cant.* 1. Ego flos campi, & lilium conuallium.

Introibimus in tabernaculum. Hîc probatio eius, quod dictum est, per duo quæ tangit. Primò, quòd introibunt fide in Ecclesiæ vnitatem.

Secundò, quòd adorabunt deuotione, ibi, *Adorabimus.* Dicit ergo: Sic dixi, quod audita eſt futura in Iudæis, inuenta in Gentibus: & verum dixi, quia *introibimus*, & Iudæi & Gentes, *in tabernaculum eius*, Dei Iacob ſcilicet, hoc eſt, in Eccleſiam, per fidei vnitatem. *Sap.* 8. Intrans in domum meam, Eccleſiam quæ eſt omnium fidelium vna domus, conquieſcam cum illa, ſcilicet cum ſapientia. Signatus eſt autem introitus Iudæorum. *Exod.* 33. vbi dicitur: Ingrediebatur Moyſes tabernaculum fœderis. Gentium expreſſus eſt. *Zach.*8. Apprehendent ſeptem viri fimbriam viri Iudæi dicentes: Ibimus vobiſcum, vidimus enim Dominum eſſe vobiſcum. Hæc enim domus communiter omnes recipit, & tenet, ſed in ſupernam, non intrant niſi mundiſſimi. *Apoc. vlt.* Non intrabit in illam aliquid coinquinatum.

Nec tantum intrabimus fide, imo etiam *adorabimus*, corde, & interiori deuotione, *in loco vbi ſteterunt pedes eius.* Pedes in illis ſtant, qui in bono opere, & fide recta perſeuerant. Ibi adorãdum,& in collegio horum ſacrificandum. *Deut.* 12. Caue ne offeras in omni loco, ſed in loco illo, quem elegerit Dominus Deus tuus. Et *Exod.*33. Ecce locus eſt apud me, ſcilicet Eccleſia. Et ſtãs ſupra petram firmaberis,in Chriſto per perſeuerantiam. 1. *Cor.* 10. Petra autem erat Chriſtus. Adorabimus etiam modo, quo odorandum, in ſpiritu, & veritate. *Ioan.*4. Vere adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate.

8. *Surge Domine.* Hîc ſecundum primæ partis totius huius Pſalmi. Monſtrato enim deſiderio quod habet ad hoc vt ædificetur domus Dei, ſubiungitur ædificatori inuitatio ad hoc vt ipſam ædificet. Primò ergo inuitat Chriſtum, per quem ædificatio. Secundò orat vt repellat à domo illam gentem Iudaicam. Vel Deum Patrem inuitat vt Filium mittat,ibi,*Propter Dauid ſeruum.* In prima duo. Primò inuitat Chriſtum vt ſe præparet ad ædificandum Eccleſiam per reſurrectionem. Secundò vt miniſtros ædificationis ordinet,ibi, *Sacerdotes tui.* In prima duo. Primò inuitat Chriſtum vt reſurgat in re. Secundò vt ſuos etiam faciat reſurgere in ſpe,ibi, *Tu & arca.* Dicit ergo: Sic Domine cognouimus Eccleſiam, quæ domus Dei eſt, ex Iudæis & Gentibus colligendam. Ergo *Domine* vt hoc fiat, *ſurge*, à mortuis exurge, *in requiem tuam*, vt iam nullam timeas à Iudæis conturbationem, vt & factum eſt. *Rom.* 6. Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur. 1. *Cor.*15. Chriſtus reſurgens à mortuis, primitiæ dormientium. Hæc autem reſurrectio requies,imò ante reſurrectionem ſtatim poſt mortem. *Apoc.* 14. A modò iam dicit Spiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis.

Tu & arca. Quaſi diceret: Sic ſurge, *tu* primò per rem, *& arca ſanctificationis tuæ*, id eſt, Eccleſia, per te, & ſecundum ſpem. 2.*Paral.*6. Surge Domine in fortitudine tua, tu & arca ſanctificationis tuæ. Ipſe enim primus, & alij poſt eum. *Mich.*1. Aſcendet pandens iter ante eos. *Sophon.*3. Expecta me, dicit Dominus, in die reſurrectionis meæ in futurum.

Comparatio Eccleſiæ cum arca. Bene autem per arcam ſignificatur Eccleſia: in arca erat Manhu: in Eccleſia panis de cœlo. *Ioan.* 6. Et tabulæ Teſtamenti: ſic in Eccleſia vtriuſque poſſeſſio per cognitionem veram. *Luc. vlt.* Aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas. Et virga Aaron: ſic in Eccleſia ſacerdotalis poteſtas. *Matth.* 16. Quodcumque ligaueris ſuper terram,erit,&c. Per arcam etiam Noë fluctibus tribulationum concuſſam, animalia omnis generis continentem, figurata eſt *Geneſ.*7.

Sacerdotes tui. Hîc ſecundum, in quo petito quod ſe præparet, petit vt miniſtros ordinet: & dicuntur duò. Primò vt Apoſtolis ſpiritum infundat. Secundò vt ex infuſione illa, lætitia ſurgat in cordibus, vt ſint gratioſi, vel iuſti, & læti, ibi ſecundum, *Et ſancti tui.* Dicit ergo: Sic Domine ſurge, & præpara te, & *ſacerdotes tui*, Apoſtoli à te in ſacerdotes conſecrati, quando dixiſti *Matth.*26. Hoc facite in meam commemorationem.Et *Luc.*22.In quibus completum fuit illud *Iſa.*61. Vos vocabimini ſacerdotes Domini, miniſtri Dei. Vt dicatur vobis 1. *Petr.*2. Vos eſtis genus electum,regale ſacerdotium. *Induantur*, à te eam deſuper influente per Spiritum ſanctum, *iuſtitiam*, tanquam pulchram veſtem. *Luc. vlt.* Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto, ſcilicet iuſtitia, vt poſſint dicere illud *Iob* 29. Iuſtitia indutus ſum. Hæc veſtitura eſt fortis armatura. *Rom.* 13. Induamur arma lucis. Si ſic eſſent induti Prælati, bene irent ſubditi. *Pſal.* Induti ſunt arietes ouium, Prælati ſcilicet,indumento iuſtitiæ: & valles abundabunt frumento,id eſt, ſubditi & humiles. 9.

Et ſancti tui, ipſimet, qui ſacerdotes ſunt dicti, *exultent*,interiori lætitia pro conuerſione Gentium perfuſi *Prou.*11.In bonis iuſtorum,ad fidem conuerſorum, exaltabitur ciuitas, maiorum vnitas: ſic è contrario multa lætitia eſt ſubditis de profectu, & perfectione maiorum. *Prou.*24.In exaltatione iuſtorum,in prælatione, lætitia, ſubditorum, ſup.

Propter Dauid ſeruum. Hîc ſecundum, in quo poſtquam inuitauit Dominum ad ædificandum, orat pro plebe Iudaica, ne ab ædificio repellatur. Dicit ergo: Sic ſurge Domine, ſic ſacerdotes ordina, & virtutibus reple, vt ædificetur Eccleſia: & ô Domine *non auertas faciem*, cognitionem, *Chriſti tui*, à Iudæis,à quibus eſt naſciturus. 2. *Par.*7. Non auertas Domine faciem tuam à reliquiis Iſraël.Quod non feciſſet niſi per eos ſtetiſſet: ſed oppoſitum inuenerunt: vnde *Ierem.* 18. Dorſum & non faciem oſtendam eis. Quod factum eſt *Act.*13. quando dictum eſt: Quoniam repellitis verbum Dei, ecce conuertimur ad Gentes. Intelligitur tamen quod hîc dicitur finaliter, quod & fiet. Reliquiæ enim conuertentur. Et hoc *propter Dauid*, id eſt, propter meipſum ſeruum tuum, cui promiſiſti 3. *Reg.*11. In diebus tuis non diſpergam regnum tuum, propter Dauid ſeruum meum, & Ieruſalem quam elegi. 10.

Iurauit Dominus Dauid. Hîc eſt ſecunda pars totius huius Pſalmi, in qua lætus aſſerit complendum deſiderium quod ſuperius expreſſit, oſtendens conſummandam Eccleſiam à Deo, & tria ei bona præcipua conferenda, & ſecundum hoc, hæc pars diuiſa eſt in tres partes. Primò ergo aſſerit lætus conferendam Eccleſiæ in 11.

capite

capite ſuo, & in ſe perpetuam poteſtatem. Secundò per abundantiam gratiæ, intelligentiæ veritatem, ibi, *Viduam eius.* Tertiò ſanctitatis perfectionem, ſiue bonitatis, ibi, *Sacerdotes eius induam.* In prima duo. Primò tangitur diuina & firma promiſſio. Secundò de quo eſt illa promiſſio, ibi, *De fructu ventris.* In prima duo. Primò tangitur promiſſio firma & ſtabilis. Secundò irreuocabilis, ibi, *Et non fruſtrabitur.* Dicit ergo: Sic petij vt domus ædificetur: & ſic fiet, quia *Dominus*, qui non mentitur, *iurauit Dauid*, materiali ſcilicet filio Iſai per ſeipſum promiſit. Ad *Hebr.6.* Quia non habuit maius, per quod iuraret, iurauit per ſemetipſum, &c. Hoc autem iuratum fuit 1. *Paral.17.*

Et non fruſtrabitur eum, vel ſaltem commutando. Alia litera, *Non pœnitebit.* Suprà in *Pſal.* Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum. 1. *Reg.16.* Triumphator in Iſraël non parcet, nec pœnitudine flectetur. Nec enim homo eſt vt agat pœnitentiam. *Num.23.* Non eſt Deus vt homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur.

De fructu. Ecce quid iurauit: *De fructu ventris tui.* Non dicit de fructu femoris tui, quia non per generationem, ex femore alicuius filiorum Dauid Chriſtus ſeminatus eſt, ſed per ventrem virginalem ſine ſemine virili, *ponam*, firmiter & æternaliter ſtabiliendo, *ſuper ſedem tuam*, in regia ſcilicet poteſtate, & dignitate. 2. *Reg.7.* Suſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius. *Iſa.9.* Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet, & corroboret illud amodò, & vſque in ſempiternum. 3. *Reg.2.* Thronus Dauid erit ſtabilis coram me in ſempiternum.

12. *Si cuſtodierint.* Hîc ſecundum, in quo promittitur poteſtatis perpetuitas membris Eccleſiæ ſub conditione, quod non fuit in capite, ſed ſimplex fuit promiſſio. In capite enim non erat futura poſſibilitas ad peccandum, ſicut in membris. Duo ergo dicuntur in hac parte. Primò promiſſio ſub conditione. Secundò ratio promiſſionis & cauſa, ibi, *Quoniam elegit Dominus.* In prima duo. Primò conditio ſuper qua promiſſio fit. Secundò ipſa promiſſio, ibi, *Vſque in ſæculum.* Vel ibi, *Sedebunt*, ſecundum aliam literam, quæ etiam eſt prima in *Gloſſa.* In prima duo. Primò in conditione ponitur pacti & præcepti conſeruatio. Secundò perſeuerantia & duratio in conſeruatione, ibi, *Et filij eorum.* In prima duo, ſecundum duo quæ ponuntur in conditione. Primò pacti conſeruatio facti in baptiſmate. Secundò præcepti ſcripti in lege, ibi, *Et teſtimonia.* Dicit ergo: Sic iurauit caput perpetuò & in ſe regnaturum, & etiam iurauit, quod *filij ſedebunt*, firmiter ſtabiliti, *ſuper ſedem tuam*, regiam poteſtatem ſcilicet. *Ier.33.* Si irritum poteſt fieri pactũ meum cum nocte, & non ſit dies & nox in tempore ſuo, & pactum meum irritum eſſe poterit, cum Dauid ſeruo meo, vt non ſit ex eo filius, qui regnet in throno eius. *Si cuſtodierint filij tui*, ô tu Dauid, *teſtamentum meum*, pactum ſcilicet in baptiſmate promiſſum. *Deut.7.* Si poſtquã audieris hæc iudicia, cuſtodieris ea & feceris, cuſtodiet Dominus Deus tuus tibi pactum, & miſericordiam quam iurauit patribus tuis. *Et cuſtodierint*, repete, *teſtimonia mea*, leges ſcilicet, & præcepta, quæ docebo eos. 3. *Reg.3.* Si ambulaueris in viis meis, & cuſtodieris præcepta mea, ſicut ambulauit pater tuus, longos faciam dies tuos.

Et filij eorum, non ſolum primi filij, *vſque in ſæculum*, ſucceſſuri. Ecce perſeuerantia & perduratio, ſicut etiam fiet in Eccleſia ſemper. 2. *Reg.7.* Fidelis erit domus tua, & regnum tuum vſque in æternum. Hoc etiam quod dicit, *In ſæculum*, poteſt iungi cum ſequenti litera. Quaſi diceret: Si cuſtodierint filij, *& filij eorum*, tunc *ſedebunt in ſæculum.* 3. *Reg.11.* Ducem ponam eum Catholicum, propter Dauid ſeruum meum, cunctis diebus vitæ ſuæ. Item ſi pactum cuſtoditur, & præcepta ſeruantur, in throno regni cœleſtis collocatur, qui ſic cuſtodit. *Apocalypſ.3.* Qui vicerit, dabo illi ſedere in throno meo, ſicut ego vici, & ſedi in throno Patris mei.

Quoniam elegit. Hîc ſecundum, ſcilicet cauſa 13.
& ratio talis promiſſionis, qua tangitur quaſi triplex, ſcilicet triplex electio. Prima ergo cauſa eſt electio per prædeſtinationem. Secunda electio per præſentem iuſtificationem, & inhabitationem per gratiam, ibi, *Elegit eam in habitationem.* Tertia electio per finalem perſeuerantiam in gratia primò, poſt modum in gloria. Dicit ergo: Sic dico, quòd filij ſedebunt ſi ſic fecerint: nec hoc aliquis imputet eorum meritis, quia hæc erunt, *quoniam Dominus elegit*, ab æterno prædeſtinando, *Sion*, Eccleſiam ſuam ſcilicet. *Epheſ.1.* Elegit nos ante mundi conſtitutionem. *Ioan.15.* Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, &c.

Elegit eam. Ecce ſecundum, ad quod ordinatum eſt primum. Quaſi diceret: Elegit prædeſtinatione. Ad quid: *Elegit eam in habitationem ſibi*, per gratiæ infuſionem. 2. ad *Theſſ.2.* Elegit nos in ſalutem primitias ſpiritus in ſanctificationem. Et ſanctificat, quia habitari vult. *Iſa.62.* Et terra tua inhabitabitur. *Zachar.2.* Inhabitabo in medio tui. *Apoc.21.* Habitabit cum eis, & ipſi populus eius erunt. Sic implet quod promiſit *Matth. vlt.* Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.

Hæc requies mea. Hîc tertium. Et primò elec- 14.
tio ad perpetuitatem in gratia. Secundò in gloria, vt requies referatur ad gratiam, habitatio hîc ad gloriam. Dicit ergo: Sic dixi, quòd elegit Sion prædeſtinatione, elegit per gratiæ infuſionem, dicens: *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi*, emphaticè loquitur, id eſt, locus refectionis meæ. *Iſa. vlt.* Quis eſt locus requietionis meæ, & ſuper quem requieſcet ſpiritus meus? Super Sion. *Prou.14.* In corde prudentis, ecce Sion: requieſcet ſapientia. Hanc requiem quærit. *Eccleſ.14.* In omnibus requiem quæſiui, & in hæreditate Domini morabor, hoc eſt, Sion. *Prou.8.* Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum, non pecudum.

Hîc habitabo. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic habitabit dicens: Hæc requies mea: & etiam *hîc habitabo*, per gloriam, *quoniam elegi eam*, ad hoc vt ſic in illa habitem. *Iſa.62.* Complacuit Domino cito Sion habitare in te, per gloriam. *Iſa.12.* Exulta, & lauda habitatio Sion, ſuperna, quia magnus in medio tui ſanctus

Iſraël.

Iſraël. *Ezech. vlt.* Nomen ciuitatis ex illa die, Dominus ibidem.

15. *Viduam eius.* Hîc ſecundum, in quo promittit abundantiam gratiæ, ad intelligentiam ſcilicet veritatis: vnde duo dicuntur. Primò promittitur abundantia gratiæ. Secundò finis illius abundantiæ. *Pauperes eius.* Dicit ergo: Sic de poteſtate, & etiam *benedicens*, gratiam infundendo, *benedicam*, abundantiam largiendo, *viduam eius*, Sion ſcilicet, animam auxilio humano deſtitutam, & in homine ſpem non ponentem. *Iſa.* 49. Viduæ tuæ in me ſperabunt. 1. *Tim.* 5. Quæ verè deſolata eſt, & vidua, ſperet in Deum viuum. *Eccleſ.* 35. Non deſpiciet preces populi, nec viduam ſi effundat loquelam gemitus: imò plena benedictione benedicet. *Eph.* 17. Benedicet nos omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus, id eſt, à cœleſtibus influente.

Pauperes eius. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic benedicens benedicet. Ad quid? Ecce: *Pauperes eius*, ſcilicet Sion, quales ſunt omnes qui verè ſunt in ea, *ſaturabo panibus*, veræ intelligentiæ. *Eccleſ.* 15. Cibauit illum, pauperem in Eccleſia & famelicum, pane vitæ & intellectus. *Iſa.* 15. In ipſo ſperabunt pauperes populi eius. Sed quid? Saturari illis panibus, qui verè reficiunt. *Luc.* 11. Amice, commoda mihi tres panes, Vetus Teſtamentum & Nouum, & ſanctorum expoſitiones. Non illis doctrinis quæ non ſunt panes. *Iſa.* 55. Quare expenditis argentum veſtrum non in panibus, & laborem veſtrum non in ſaturitate? *Iſa.* 56. Canes impudentiſſimi neſcierunt ſaturitatem. Sed in Pſalmo dicitur: Edent pauperes, & ſaturabuntur. *Gloſſa* hoc exponere & intelligere videtur de pane Euchariſtiæ, ſicut in ea patet.

16. *Sacerdotes eius induam.* Hîc tertium, ſcilicet promiſſio perfectæ ſanctitatis, ſiue bonitatis: & dicuntur duo. Primò promiſſio. Secundò modus exhibitionis, & cauſæ ſeu ratio, ibi, *Illuc producam.* In prima duo. Primò promiſſio ſanctitatis. Secundò lætitiæ in illa ſanctitate, quod conſummat totum, ibi, *Et ſancti eius.* Dicit ergo: Sic de poteſtate, ſic de veritatis cognitione, & etiam *induam ſacerdotes eius*, maiores, & Prælatos, in quibus poterit eſſe perfecta ſanctitas, *ſalutari*, Chriſto ſcilicet, id eſt, Chriſti imitatione. 2. *Par.* 6. Sacerdotes tui Domine Deus induantur ſalutem, virtutibus ſalutem, quæ Chriſtus eſt, eos imitari facientibus. *Iſa.* 61. Induit me veſtimentis ſalutis. *Rom.* 13. Induamini Dominum IESVM CHRISTVM, formam & imitationem Domini noſtri IESV CHISTI. Sic in ſuis ſacerdotibus eſt Eccleſia mulier illa, quam Ioannes videbat *Apoc.* 14.

Et ſancti eius. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Induantur ſalutari, *& ſancti eius*, ipſimet, qui ſacerdotes ſunt dicti, *exultatione exultabunt.* Replicatio abundantiam importat exultationis. *Ierem.* 31. Inebriabo animas ſacerdotum pinguedine, ſpirituali ſcilicet exultatione. *Iſa.* 51. Gaudium & lætitia inuenientur in ea. *Iſa.* 65. Serui mei laudabunt præ exultatione cordis. Et in vlt. Lætamini cum Ieruſalem, & exultate in ea.

Veſtimenta ſacerdotum

Hîc notandum, quòd indui debent ſacerdotes ſpiritualiter, ſicut antiquitus induebantur materialiter. Maximè ſunt hi ſacerdotes Epiſcopi. Primum indumentum, femoralia linea, hoc eſt, pudicitia. 1. *Tim.* 3. Oportet Epiſcopum pudicum eſſe. Secundum, linea ſtricta, totius corporis munditia. *Iſa.* 52. Mundamini qui fertis vaſa Domini. Tertium, cingulum, ſcilicet iuſtitia. *Iſa.* 11. Erit iuſtitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius. Quartum, tunica hyacinthina, ſcilicet conuerſatio cœleſtis. *Phil.* 3. Conuerſatio noſtra in cœlis eſt. Quintum, ſuperhumerale, labor ſcilicet & patientia. 2. *Tim.* 2. Labora ſicut bonus miles Chriſti. Sextum, rationale, iudicij ſobrietas & intelligentia. *Rom.* 12. Non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem. Septimum, lamina aurea, in qua ſcriptum erat nomen Domini, circumloquens paſſionem Chriſti: & in fronte, ſcilicet audax confeſſio fidei, & aperta. *Luc.* 9. Qui me erubuerit, & ſermones meos, & filius hominis erubeſcet eum cum venerit in maieſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum.

veteris legis ſignificant virtutes in ſacerdotibus nouæ legis requiſitas.

17. *Illuc producam.* Hîc ſubiungitur ratio & cauſa tantorum bonorum, ſcilicet Chriſti præſentia, & beneficia illis exhibita: vnde dicuntur duo. Primò præſentia Chriſti. Secundò beneficia exhibenda, ibi, *Inimicos eius.* In prima duo. Primò promittitur præſentia Chriſti in ſe. Secundò in ſui præcurſore, ibi, *Parauí lucernam.* Dicit ergo: Sic proficiam ſanctitate, & bonitate. Nec mirum, quia *illuc*, in ipſa ſcilicet Eccleſia, *producam cornu Dauid*, id eſt, Chriſtum, qui dicitur cornu ſalutis, quia ſalubriter defendit. 2. *Reg.* 22. Scutum meum, & cornu ſalutis meæ. Et cornu Dauid, id eſt, de Dauid ortum. *Luc.* 1. Erexit nobis cornu ſalutis, in domo Dauid pueri ſui. *Rom.* 1. Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid. Et dicit, *producam*, procul ab aliis ducam. Vt ſit omnibus ſublimior, omnibus fortior. *Eph.* 1. Omnia ſubiecit ſub pedibus eius. *Hebr.* 2. In eo quod omnia ei ſubiecit, nihil dimiſit non ſubiectum. 1. *Cor.* 2. Sublimabit cornu Chriſti, ſup.

Parauí lucernam. Hîc ſecundum, in quo tangitur præſentia in ſui præcurſore. Quaſi diceret: Sic producam cornu Dauid, id eſt, Chriſtum, & ante hoc *parauí lucernam Chriſto meo*, ipſi præambulam, & ipſi præcurrentem, ſcilicet Ioannem Baptiſtam. *Ioan.* 5. Ille erat lucerna ardens, & lucens. *Bernar.* Tantum lucere eſt vanum, tantum ardere parum: ardere & lucere perfectum. Quia lucens, fugat tenebras ſuperbiæ, ſuperbus enim in tenebris eſt: quia ardens, comburit ſpinas auaritiæ, deſiccat humidum luxuriæ: quiſquis eſt qui vult à lucerna illuminari, & calefieri, ad ipſam oculos cordis erigat per intentionis rectitudinem, feneſtras cordis aperiat per deſiderij dilatationem, & appropinquet per boni operis imitationem. Hanc lucernam parauit Dominus teſtam fabricando in Ioannis conceptione, candelam non accenſam interponendo in animæ infuſione, ipſam accendendo in vterina Ioannis ſanctificatione, de ſecreto educendo in ipſius natiuitate, ſuper candelabrum ponendo in officij prædicandi executione.

Inimicos eius. Hîc ſecundum, ſcilicet beneficia 18.

producto

producto Chriſto exhibenda, quæ tanguntur duo. Primum eſt inimicorum confuſio. Secundum, ipſius ſanctificatio, & glorificatio ſuper omnes, ibi, *Super ipſum autem.* Dicit ergo: Sic producam Chriſtum lucerna præmiſſa, & etiam *inimicos eius induam confuſione*, non tantum confundam, vt vndique habeant confuſionem. *Iob.*8. Qui oderunt te, induantur *confuſione. Mich. vlt.* Aſpiciet ad me inimica mea, & induetur confuſione. *Pſal.* Induantur ſicut diploide confuſione ſua.

Super ipſum. Hîc ſecundum quod erit quaſi cauſa primi. Quaſi diceret: Sic inimicos confundam, ſed *ſanctificatio mea*, à me in eo facta, *efflorebit*, extra florida apparebit per gloriam, *ſuper ipſum*: ipſe enim flos immarceſcibilis: flos quidem natiuitate. *Iſa.* 11. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius ſcendet. Flos in odorifera conuerſatione. *Cant.* 2. Ego flos campi, & lilium conuallium. Flos in ſua paſſione, & roſa rubea. *Eccleſ.* 24. Quaſi plantatio roſæ in Ierico. Sed refloruit hic flos in reſurrectione. Suprà in *Pſal.* Et refloruit caro mea, &c. ſed efflorebit extra ſe, in nos efflorebit in generali reſurrectione. Noſtra enim gloria erit quædam ſuæ gloriæ redundantia, vt ſicut ☞ gratia, ſic poſſimus dicere de gloria: Et nos de plenitudine eius omnes accepimus.

Efflorebit ergo ipſe, qui eſt in præſenti ſanctificatio Dei Patris, quia per ipſum ſanctificat omnes quotquot ſunt ſanctificati. 1. *Cor.* 1. Qui factus eſt nobis à Deo Patre ſanctificatio, & iuſtificatio, & redemptio. Ipſe enim primò ſanctificatur. *Ioan.*7. Quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum, &c. Et per ipſum alij. *Hebr.* 2. Qui ſanctificat, & qui ſanctificantur ex vno omnes. Qua ſanctificatione, vt poſt floreamus in reſurrectione, nos ſanctificet qui eſt benedictus Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

IN CXXXII. PSALMVM.

Canticum graduum Dauid.

Argumentũ Pſalmi, fraterna charitas & vnanimis habitatio.

1. ECce *quam bonum.* Hic eſt Pſalmus 132. in toto libro, in tertia vero parte libri. 32. in Pſalmis Gradualibus 14. quartus autem inter illos, qui pertinent ad conſummationem in bono. Cum enim actum ſit de confidentia orantis primò, ſecundò de humilitate confidentis, tertiò de appetitu, & deſiderio ædificationis Eccleſiæ, hîc ſubiungitur de commendatione fraternæ charitatis: hanc enim diligit, hanc commendat perfectus vir: hæc etiam eſt quæ ædificat Eccleſiam & compaginat. Primò ergo ſupernam charitatem, & vnionem commendat, præmiſſo titulo conſueto. Secundò probat commendationem dictam, ibi, *Sicut vnguentum.* In prima duo. Primò commendando dicit illam valde vtilem. Secundò delectabilem. *Et quam iocundum.*

Dicit ergo: Sic ædificatis in Chriſto, & coniunctis euenient prædicta bona per Chriſtum: ergo *ecce*, in promptu eſt, *quàm bonum*, id eſt, quàm vtile, *& quàm iocundum*, id eſt, quàm delectabile, *habitare fratres in vnum*, quàmuis ſuis gradibus & officiis ſint diſtincti. Bonum ergo erat & iocundum, habitare in primitiua Eccleſia, de qua dicitur. *Act* 4. Erat illis cor vnum, & anima vna. *Eccleſ.*4. Melius eſt eſſe duos ſimul, quàm vnum: habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ: ſi vnus ceciderit, ab alio fulcietur. Dicitur autem *Pro.*18. Frater qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma. Propter hoc monet Paulus *Phil.* 2. ad hanc vnitatem: Idem ſapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes id ipſum ſentientes. Pro hac vt ſuis detur à Patre orat Chriſtus. *Ioan.*17. Claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus. Sed certè vix inuenitur hæc vnitas vtilis & iocunda in poſſidentibus terrena. Dicitur enim *Gen.* 15 quòd animalia fuerunt diuiſa in ſacrificio Abrahæ: aues autem diuiſæ non fuerunt, hoc eſt, ſæculares, & terrena poſſidentes diuiſi ſunt ab inuicem ſicut poſſeſſione, ſic certè dilectione. *Geneſ.*13. Rixa facta eſt inter paſtores gregum, Abrahæ & Loth. Sed aues, id eſt, viri contemplatiui, vacantes, terrena dimittentes, non ſunt diuiſi.

Sicut vnguentum. Hîc ſecundum, in quo probat præmiſſam commendationem per exemplum primò. Secundò per fructum, ibi, *Quoniam illic mandauit.* Exemplum autem duplex ponit. Primum eſt de vnctione ſummorum ſacerdotum. Secundum, de irroratione montium. *Sicut ros Hermon.* Vnctio impinguat, & irroratio fœcundat. Primum ſit in ſignum honoris, ſacerdotalis ſcilicet dignitatis. Secundum, ad vtilitatem fertilitatum. In prima duo dicuntur. Primò per exemplum oſtendit cui ſimilis eſt illa charitatiua vnio. Secundò in quo ſit illa ſimilitudo. *Quod deſcendit.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd fratres in vnum habitare eſt bonum, & vtile, quia eſt *ſicut vnguentum* exiſtens *in capite* ſummi ſacerdotis *Aaron. Leuit.* 8. in figuram vnctionis ſpiritualis, quæ fuit in Chriſto, qui eſt caput. *Coloſ.*1. Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ. Caput inunctum vnctione ſpirituali. *Pſal.* ſuprà: Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ. *Iſa.*61. Spiritus Domini ſuper me: propter quod vnxit me, vnctione ſua odorifera valdè, & attractiua. *Cant.* 1. Curremus in odore vnguentorum. 2.

Quod deſcendit. Hîc oſtendit, in quo ſimilitudo, quia in duobus. In diffuſione huius vnguenti in proximos, & priores ſanctos. Secundò in extenſione etiam in poſtremos, ibi, *Quod deſcendit in oram.* Dicit ergo: Sic eſt ſicut vnguentum in capite, *quod* vnguentum ſup. *deſcendit* à capite, *in barbam*: ſic ad litteram fiebat in ſummi ſacerdotis materiali vnctione. Sic à Chriſto capite vnctio charitatis, in barbam deſcendit, in Apoſtolorum ſcilicet congregationem, qui tanquam barbam oſtenderunt Chriſti fortitudinem. *Ioan.* 3. Filio non dat Deus ſpiritum ad menſuram, ſed redundantem vt effluat in barbam eius. Quando filius oſtendit ſe hominem factum, ab ipſo capite deſcendit gratia in cœtum Apoſtolicum.

Barbam Aaaron. Hæc barbæ replicatio duplicem deſignat fortitudinem, in ſanctis primis, firmis ſcilicet Apoſtolis, in opere, & in fidei confeſſione. Prima carent fideles infirmi:

ſecunda

Secunda verò hæretici : vnde quaſi dimidiam barbam habent tantum. 2. *Reg.* 10. Amon raſit dimidiam barbam ſeruorum Dauid.

Quod deſcendit. Ecce ſecundum. Quaſi diceret : Vnio charitatis, eſt ſicut vnguentum ſpirituale, quod à Chriſto deſcendit in ſanctos primitiuæ Eccleſiæ. *Quod* etiam *deſcendit in oram veſtimenti eius* : & materialis Aaron vnguentum materiale, & ſpiritualis ſpirituale. Nota ergo, quòd veſtis Chriſti ſunt fideles, & maximè Apoſtolis ſuccedentes : illi enim fuerunt barba, ſicut dictum eſt. *Iſa.* 49. Viuit Dominus, quia omnibus his, quaſi ornamento veſtieris. *Galat.* 3. Quotquot baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, actiuè. Ora ergo veſtimenti poſſunt dici perfecti : ora enim veſtis perficit veſtem. Vel concordiâ ad inuicem coniuncti : in ora enim eſt partium coniunctio. Vel extremi in Eccleſia ſancti : ora enim magis propriè appellatur conſummatio, & finis veſtimenti. Sed in omnes illos deſcendit à capite Chriſto ſpiritualis vnctio barba mediante. *Ioan.* 1. Et nos de plenitudine eius omnes accepimus. *Iob* 29. Petra mihi fundebat riuos olei : propter quod dicebat Ioannes quibuſdam. 1. *Ioan.* 3. Vnctio docebit vos de omnibus. Vnctio ergo illuminatiua, vnctio ſanatiua. *Eccl.* 38. Vnguentarius vnctiones conficiet ſanitatis.

3. *Sicut ros Hermon.* Hîc ſubiungitur exemplum aliud de irroratione montium, alterius trans Iordanem exiſtentis, qui appellatur Hermon, alterius citra exiſtentis in terra promiſſionis, qui vocatur Sion. Et quamuis *Auguſtinus* nitatur probare, quòd nullo modo ad literam poſſit intelligi, quia ab Hermon in Sion ros non poſſet deſcendere, cum ſint montes ſeiuncti & diſtantes, tamen poſſet dici, quòd ſit duplex relatio, vt ſit ſenſus : *Sicut ros Hermon* eſt vnio charitatis, *qui* etiam ros *deſcendit in montem Sion*, non ille idem numero, ſed ſimilis ſpecie. Melius autem intelligitur ſpiritualiter. Hermon enim interpretatur lumen exaltatum : & Chriſtus lumen eſt. Suprà in *Pſal.* In lumine tuo videbimus lumen. Et exaltatum primò ſuper crucis candelabrum. *Ioan.* 3. Ego autem ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me. Secundò ſuper exercitum omnium Angelorum. *Pſal.* Exaltare ſuper cœlos Deus. *Phil.* 2. Propter quod & Deus exaltauit illum. Et ipſe mons eſt. *Iſa.* 2. Erit in illis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. In hunc ergo montem Hermon deſcendit ros gratiæ, de quo *Eccleſ.* 44. Obuians ros ab ardore vehementi humilem efficiet eum. Et *Iſa.* 26. Ros lucis, ros tuus. Et ab ipſo Chriſto deſcendit in Eccleſiam quæ per Sion, ſicut frequenter dictum eſt, deſignatur. *Indic.* 6. Ros à vellere venit in concham.

Gratia collata cũ rore. Et notâ, quòd gratia ros dicitur. Primò quia deſuper deſcendit. *Iſa.* 45. Rorate cœli deſuper. *Iacob* 1. Omne datum optimum, &c. Suauiter influit. *Indic.* 6. Ros influit in vellus, in qua influentia nullus potuit eſſe ſtrepitus. *Deut.* 32. Fluat vt ros eloquium meum, id eſt, dulciter, & ſuauiter. Coruos donec nigreſcant nutrit : hæc omnes homines donec peccent. *Sap.* 16. In omnia transfigurata, omniũ nutrici gratiæ tuæ deſeruiebat. Propter hoc dicitur *Iob* 38. Quis præparat coruo eſcam, quãdo pulli eius ad eum clamant, niſi ego ? De nocte deſcendit. *Exod.* 16. Factumque veſpere & aſcendens coturnix operuit caſtra : mane quoque ros iacuit per circuitum caſtrorum. Sic gratia miſericordiæ in tribulatione. Et fœcundat. *Oſe. vlt.* Ego quaſi ros, & *Iſraël* germinabit quaſi lilium, pro quo etiam datur. Refrigerat. *Eccleſ.* 18. Nonne ardorem refrigerat ros ? Quaſi diceret : Sic.

Quoniam illic. Hîc ſecundum ſecundæ partis, ſcilicet probatio vtilitatis, & iocunditatis, per ipſum fructum. Et primò per fructum in præſenti habitum. Secundò per habendum in futuro. Dicit ergo : Sic oſtendi per exemplum, quoniam bonum & iocundum, & hoc verum : *quoniam illic*, in concordia & vnitate fratrum, *mandauit Dominus benedictionem*, ſui ſcilicet laudem, fieri ſup. à talibus enim placet ei laus, & benedictio, non ab aliis. *Matth.* 5. Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, &c. *Greg.* Quàm grauis culpa eſt diſcordia, per quam nec munus à Deo accipitur. *Eccleſ.* 15. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Sed exiſtentes in Sion per vnitatem, & concordiam, hi poſſunt laudare. *Iſa.* 12. Exulta, & lauda habitatio Sion. Et 35. Venient in Sion cum laude.

Et vitam. Ecce ſecundum. Quaſi diceret : Sic mandauit benedictionem in præſenti, & mandauit ſe daturum, ſic dignè benedicentibus, *vitam* : vitam, inquam, duraturam *vſque in ſæculum*, id eſt, in æternum, hoc eſt, vitam æternam, de qua *Ioan.* 17. Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti IESVM CHRISTVM. Ad hanc peruenitur per concordiæ vnitatem. 1. *Ioan.* 3. Scimus quòd tranſlati ſumus de morte ad vitam. Quare ? quoniam diligimus fratres. *Ioan.* 10. Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant, æternam & apertam. *Oſe.* 6. Viuemus in conſpectu eius. Ad quam nos perducat, &c.

IN CXXXIII. PSALMVM.

Canticum graduum.

1. *Argumẽtũ Pſalmi, hortatio ad benedicendũ Deum.*

ECce *nunc benedicite.* Hic eſt Pſalmus 133. in toto libro, in 3. parte 33. in Pſalmis Gradualibus 15. vltimus in illis quinque, qui pertinent ad perfectionem in bono. Charitas enim Dei, & conuerſio totius mentis ad ipſum laudandum, totum perficit & conſummat. Præmiſſo enim titulo ſæpius prænotato, ſubiungitur Pſalmus, qui diuiditur in duas partes principaliter. In prima inuitat ad benedicendum Deum, corde, & opere, & ore, Secundò optat ſic benedicentibus æternam remunerationem, ibi, *Benedicat te Dominus.* In prima inuitat ad benedicendum Deum ſimpliciter. Secundò ad benedicendum & opere & ore, in aduerſis ſpecialiter, ibi, *In noctibus.* In prima duo. Primò inuitat omnes indifferenter. Secundò diſtinctè maiores & minores, ibi, *Qui ſtatis in domo.*

Dicit ergo : Sic per Chriſtum eſt ædificatio Eccleſiæ, quæ eſt ex concordia & vnitate Deum dignè benedicentium, & æternam remunerationẽex hac benedictione expectantium. Ergo vos *omnes ſerui Domini*, generaliter, tam maiores, quàm

quàm minores,*ecce*,in præſenti monte, *benedicite Dominum nunc*,expectantes in futuro. *Dan.*3. ſimilis admonitio : Benedicite ſerui Domini Domino.*Tob.*13. Benedicite Dominũ omnes electi eius,electi,inquã, ad hoc vt ſeruiatis ei. *Et nunc* benedicite in hoc tempore apto ad benedicendum. 2.*Cor* 6. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Et omnes.*Rom.*15. Vt vnanimes,vno ore, honorificetis Deum.

Qui ſtatis in domo Domini. Hîc ſecundum : & primò inuitat maiores. Secundò minores,ibi,*In atriis.* Dicit ergo : Sic omnes benedicite Dominum. Primò vos *qui ſtatis*, tanquam ſeruientes, & obedire parati, quod eſt bonorum ſeruorum, *in domo Domini*,in domo interiori,tanquam perfecti.*Eph.*3.State ergo ſuccincti lumbos veſtros. Et qui ſic ſtatis,videte quod in domo ſitis,aliter nihil valeret. *Iſa.* 56. Lætificabo eos in domo orationis meæ. Extra,nõ,ſed ſi ſtatis,& in domo eſtis, verè benedicere & poteſtis,& debetis,quia beati eſtis. 3.*Reg.*10. Beati ſerui tui hi, qui ſtant coram te ſemper. Bonus enim ſeruus , quamuis ſit hic in terra , ſtat attingens vſque ad cœlum. *Sap.*18. Vſque ad cœlum attingebat ſtans in terra. 3. *Reg.* 18. dicebat Elias : Viuit Dominus in cuius conſpectu ſto,&c.

In atriis domus. Ecce ſecundum,Quaſi diceret: Sic benedicite vos maiores, & etiam qui ſtatis, repete, *in atriis domus Dei noſtri*, non in intimis, ſed incipientes, & imperfecti : atria enim ſunt in introitu domus:qui dicere poteſtis illud ſuprà in *Pſal.* Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Ieruſalem. Et in alio : In atriis eius , ſecundum vnam literam, in hymnis confitemini illis. Vel atria, charitas eſt quæ lata eſt.

2. *In noctibus.* Hîc ſecunda pars primæ partis huius Pſalmi , in qua poſtquam monuit omnes ad benedicendum Deum generaliter in omni ſtatu , hîc monet ad benedicendum in ſtatu tribulationis & aduerſitatis ſpecialiter. Et primò monet ad benedicendum opere. Secundò ore. *Et benedicite.* Ait ergo:Sic omnes benedicite Dominum,& omni tempore,& etiam *in noctibus*,in tribulationibus ſcilicet.Tribulatio enim nox eſt. Suprà in *Pſal.* Per diem ſol non vret te , neque luna per noctẽ.*Iſa.*21.Venit mane,proſperitatis: & nox,aduerſitatis. *Extollite*, ſurſum ad Deum, *manus veſtras* : & hoc,*in ſancta*, id eſt,ad ſancta, quæ verè ſancta ſunt, ſcilicet æterna, & ſuperna acquirenda:ſicut monet Ieremias *Thren.*3.Leuemus corda noſtra cum manibus ad Deũ.1.*Tim.*2. Volo viros leuare puras manus in omni loco. Qui ſic leuat , aduerſarium ſuperat. *Exod.* 17. Moyſes leuabat manus , & vincebat Amalec. *Ioſue* 8.Leua clypeum,qui in manu tua eſt,fidem quam in operibus tenes , contra Hai.

Et benedicite Dominum. Ecce ſecundum. Quaſi diceret : Sic benedicite opere manus ad ſancta leuando : *& benedicite*, ore ſic, *Dominum.Iob* 35. Dedit in nocte carmina. *Pſal.* Mandauit in die miſericordiam ſuam , & nocte canticum eius. *Tob.*12. Filiis veſtris mandate,vt faciant iuſtitias, & eleemoſynas,& benedicant Dominũ in omni tempore , etiam aduerſitatis.

3. *Benedicat te.* Hîc eſt ſecunda pars Pſalmi , in qua orat vt ſic Deum diligentibus,& ipſum benedicentibus æterna benedictione Dominus benedicat : & dicuntur duo. Primò orat vt æterna benedictione talibus Dominus benedicat. Secũdò inſinuat quod poſſit,ibi, *Qui fecit cœlũ.* Dicit ergo , loquens tanquam vni ſingulari,quia omnes diligentes vnum ſunt. *Act.* 4. Erat illis cor vnum. Suprà : Ecce quàm bonum,& quàm iocundum.Benedicat tibi Dominus.*Tob.*9.Benedicat te Deus Iſraël. Et hoc *ex Sion*,id eſt,benedictione illa,quæ eſt vera Sion,quæ eſt benedictio æterna,de qua *Mat.*25. Venite benedicti Patris mei. Vel *ex Sion* benedictione gratiæ , qualem benedictionem deſiderabat Iacob cum dicebat *Gen.*32. Non dimittam te,niſi benedixeris mihi.

Qui fecit cœlum & terram. Ecce ſecundũ. Quaſi diceret:Sic te benedicat,& poteſt,*qui*,id eſt,quia ille *fecit cœlum* , omnem ſuperiorem creaturam, *& terram*, omnem ſcilicet inferiorem. *Gen.*1. In principio creauit Deus cœlum & terram.

IN CXXXIV. PSALMVM.

Alleluia.

1. LAudate nomen Domini. Hic eſt Pſalmus 134. Cum enim præceſſerit in præcedẽtibus Pſalmis enumeratio bonorũ à Deo collatorum, non reſtat niſi conuerſio in Dei laudem pro tot & talibus beneficiis , & irriſio deorum qui nulla poſſunt exhibere beneficia. Ergo in hoc Pſalmo agitur de Dei laude pro tantis beneficiis, & tot: vnde rectè præmittitur titulus *alleluia*, quod interpretatur, *laudate Deum.* Et diuiditur Pſalmus ſecundũ *Gloſſam* in tres partes. Primò inuitatio generaliter ſeruientium Deo ad eius laudem.Secundò falſorum deorum,qui nulla poſſunt exhibere beneficia,irriſio,ibi, *Simulachra.* Tertiò repetitio inuitationis, ordines ſeruientium diſtinguendo,vt vnuſquiſque ordo ſecundũ modulum ſuum laudet, ibi, *Domus Iſrael benedicite.* Prima iterum ſubdiuiditur ſecundum modum duplicẽ inuitando ad laudem.Primò quidem inuitat verbo. Secundò exemplo, ibi, *Domine nomen tuum*, dans etiam laudandi formam.In prima duo.Primò inuitat ad laudẽ quemcumque ſeruum Dei, aſſignans rationes,quare laudandus eſt.Secundò quæſtionem eliminat,quæ poſſet fieri,quomodo ſic audeat inuitare ad laudẽ Dei,& ſic magnum ipſum aſſerat,ibi,*Quia ego cognoui.* In prima tria. Primò monet ad laudandum ore.Secundò corde. *Laudate Dominum.* Tertiò opere.*Pſallite.* In prima duo. Primò monet , & inuitat ad laudem. Secundò determinat quos, ibi, *Laudate ſerui.*

Pſalmus monet laudare Deum, ipſius magnalia commemorans.

Dicit ergo : Hæc beneficia confert Deus,quæ ſuperius ſunt præmiſſa:ergo *laudate nomen*,id eſt, nominabilem potentiam Domini.1.*Par.*16.Laudate nomen eius. *Iudith* 13. Laudate Dominum Deum noſtrum,qui non deſeruit ſperantes in ſe. *Eccl.*39. Date nomini eius magnificentiam.Nominabilis enim eius potentia eſt , quæ ſola ſaluat , ſola liberat. *Act.* 4. Non eſt aliud nomen ſub cœlo, in quo oporteat ſaluos fieri.

Laudate ſerui. Hîc ſecundũ,in quo determinat quos inuitet.Primò ergo tãgit ſeruos generaliter. Secundò quodã modo ſpecificat illos.*Qui ſtatis.* Dicit ergo : Sic monui laudare,ſed quia,ſicut dicitur *Eccl.*15. non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, *laudate vos ſerui Domini* , vel *Dominum*: ad hoc enim vos creauit & condidit. *Iſa.* 43. Populum iſtum condidit mihi laudem meam narrabit. Et rurſus in eodem : Omnem qui inuocat nomen meum, in gloriam meam, narratam ſup. creaui & formaui & feci eum.

2. *Qui ſtatis in domo.* Hîc ſpecificat , ſimul innuens etiam , quare debeant laudare. Et primò

tangit maiores. Secundò minores. *In atriis.* Dicit ergo: Sic moneo vt laudetis vos, qui eſtis ſerui, *qui ſtatis*, tanquam maiores & perfectiores, & ob hoc magis incumbit vobis laudare, *in domo Domini*, meditatione, & conuerſatione, de qua *Bar.3.* O Iſraël, quàm magna eſt domus Domini. Et in *Pſal.* Beati qui habitant in domo tua Domine. Sic ille qui dicebat *Phil.3.* Conuerſatio noſtra in cœlis eſt. Et dicit, *ſtatis*, non iacetis ſubſtrati carni, aſino veſtro, ſed ſuper ipſam eſtis: qui vos obtuliſtis diſcrimini, benedicite Domino, paruipendentes mortem corporis veſtri, qui aſcendiſtis ſuper nitentes aſinos. *Iud.5.3. Reg.18.* dixit Elias: Viuit Dominus, in cuius conſpectu ſto.

2. *In atriis.* Ecce ſecundum. Et repete: Non ſolum vos qui ſtatis tanquam perfecti, ſed etiam vos qui ſtatis *in atriis domus Dei noſtri*, hoc eſt, in Eccleſia militanti, adhuc tanquam cuſtodes. *Iſa. 62.* Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes. *Ierem.4.* Quaſi cuſtodes agrorum facti ſunt ſuper eam in gyro. Cuſtodum autem eſt ſtare. *Abac.2.* Super cuſtodiam meam ſtabo, ſtatis autem tanquam miniſtrantes: miniſtri enim ſtant, non ſedent. *1.Cor.4.* Sic nos exiſtimet homo tanquam miniſtros Dei. *Luc.vlt.* Stetit IESVS, qui venerat miniſtrare, non miniſtrari, in medio Diſcipulorum. Vel quicumque in ea eſtis in bono perſeuerantes. *Iſa. 6.* Semen ſanctum eſt quod ſteterit in ea.

3. *Laudate Dominum.* Hîc ſecundum, in quo inuitat ad laudandum ore. Et primò inuitat ad laudem cordis. Secundò aſſignat rationem laudis. *Quia bonus Dominus.* Dicit ergo: Sic laudate Dominum ore, *laudate* etiam *Dominum* corde. Infrà in *Pſal.* Lauda anima mea Dominum. Et ſuprà: Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, &c. *Quia bonus* Dominus eſſentialiter, & ex ſe. *Mar.10.* Nemo bonus niſi ſolus Deus. Bonus etiam in nobis. *Sap. 12.* O quàm bonus, & quàm ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus in nobis. *Thren.3.* Bonus eſt Dominus ſperantibus in ſe, animæ quærenti illum.

Pſallite nomini. Hîc monet ad laudandũ opere: & dicuntur duo. Primò admonitio. Secundò ratio quare acquieſcendum. *Quoniam ſuaue.* Ait ergo: Sic laudetis corde, & etiam pſallite, laudando opere. Pſallere enim dicitur à ψάλλειν, quod eſt tangere, *nomini eius*, nominabili potentiæ eius. *1.Par.26.* Cantate ei, & pſallite ei, narrate omnia mirabilia eius. *Neem.10.* Benedicant nomini excelſo gloriæ tuæ, in omni benedictione & laude.

Quoniam ſuaue. Hîc ſecundum, ſcilicet cauſa, & ratio laudis, quæ aſſignatur duplex. Primò ſui exhibitio per incarnationem ad ſuauiter pertractandum. Secundò fortium electio, ibi, *Quoniam Iacob.* Dicit ergo: Sic nomini eius pſallite, *quoniam nomen eius ſuaue*, ſcilicet *Saluator:* quid enim dulcius melle ori, melodia auri, & iubilo cordi? Et *Bernar.* dicit, quod Ieſus eſt melos in aure, mel in ore, iubilus in corde. Quid ſuauius oleo? Et *Cant.1.* dicitur: Oleum effuſum nomen tuum. Alia litera habet, *ſuauis:* & ſecundum hoc ſatis dictum fuit ſuprà, ibi: Laudate nomen eius, quoniam ſuauis eſt Dominus.

4. *Quoniam Iacob elegit.* Hîc ſecunda ratio, luctatorũ electio: & tanguntur duo. Primò, quòd tales elegerit. Secũdò ad quid ipſos elegerit, ibi, *Iſraël.* Ait ergo: Sic dico, quod benedicas opere nomen eius, quoniam ſuaue: & etiam, *quoniam Dominus elegit ſibi Iacob*, ad literam illum populum Iudaicum, vt ipſum, quaſi per ſeipſum excoleret, & data ſpeciali lege regeret. *Mal.1.* Iacob dilexi, Eſau vero odio habui. Vnde & ſubdit.

Iſraël, qui idem eſt quod Iacob, elegit, *in hæreditatem*, quæ excolitur, & regitur, *ſibi. Deut.26.* En Dominus elegit te hodie, vt ſis ei in populum peculiarem. *Iſa.43.* Audi ſerue meus Iacob, & Iſraël, quẽ elegi: Iſraël enim, qui Deum vera fide videt, & Iacob ſimul per operationem bonam Dominus elegit. *Iacob. 2.* Fides ſine operibus mortua eſt. Et rurſus *Hebr.11.* Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Sed diuites in fide elegit. *Iacob. 2.* Nonne pauperes elegit diuites in fide, hæredes regni? Et hos quantumcumque pauperes, facit fortiſſimos luctatores contra carnem, mundum, & diabolum. *1.Cor.1.* Infirma mundi elegit Deus, vt confunderet fortia. *Iſa.40.* Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem.

5. *Quia ego cognoui.* Hîc ſecundum totius illius partis, in qua inuitat verbo: cum enim inuitauerit ad laudandum Deum, aſſignans eius bonitatem, hîc oſtendit vnde occaſionem ſumat ipſos inuitandi, quia ſcilicet magnalia Dei non ignorat. Duo ergo dicuntur. Primò aſſerit ſe nouiſſe diuinam magnitudinem. Secundò explanat, & probat illã, ibi, *Omnia quæcumque.* In prima duo. Primò, quod cognouit ipſum magnum abſolutè. Secundò, quòd comparatione ad deos alios, ibi, *Et Deus noſter.* Dicit ergo: Sic inuito vos ad laudandum ore, & opere: nec poſſum continere, *quia ego* raptus ad diuinam contemplationem *cognoui* certiſſimè, *quod magnus eſt Dominus.* Infrà in *Pſal.* Magnus Dominus & laudabilis nimis. *Eccl 43.* Terribilis Dominus & magnus vehementer. *Pſal.* infrà: Magnus Dominus noſter, & magna virtus eius, & ſapientiæ eius, &c.

Et Deus noſter præ omnibus diis, eſt magnus. Suprà in *Pſal.* Non eſt ſimilis tibi in diis Domine, & non eſt ſecundum opera tua. *2.Reg.7.* Magnificatus es Dominus Deus, quia nõ eſt ſimilis tibi.

6. *Omnia quæcumque.* Hîc probat magnitudinem: & dicuntur duo. Primò quidem oſtendit magnitudinem eius in generali. Secundò in ſpeciali tangens quædam ſpeciali eius facta, ibi, *Educens nubes.* In prima duo. Primò enim tangit vniuerſalitatem operum. Secundò locorum, in quibus operatur, ibi, *In cœlo, & in terra.* Dicit ergo: Vere dixi, quia magnus Dominus, quia *omnia quæcumque voluit Dominus fecit. Iob 23.* Anima eius quæcunque voluit, hæc fecit. Anima autem eius, vis, & natura, quâ cuncta diſponit, quæ idem in eo eſt quod ipſe. *Greg.* Ea ipſa vis, qua cuncta diſpoſuit, anima vocatur. *Iſa.46.* Omne conſilium ſtabit, & omnis voluntas mea fuit. Et hoc eſt contra Manichæum, qui dicit eum non feciſſe omnia: contra ponentes omnia ex neceſſitate, quod dicit voluit. *Sap.12.* Subeſt tibi poſſe cum volueris.

In cœlo. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic omnia fecit quæ voluit, non tantum in vno loco, ſed *in cœlo*, in ſuperiori natura, *& in terra*, in inferiori: *& in omnibus abyſſis*, in omnibus aquis in mari. *Neem. 9.* Tu feciſti cœlum, & cœlum cœlorum, & omnem exercitum eorum: terram, & vniuerſa quæ in ea ſunt: maria, & omnia quæ in eis ſunt. Hoc contra idololatras, qui adorant deos factos, non qui fecerunt cœlũ & terram. Cœlum, ſpirituales: terra, carnales:

mare

mare, infideles: abyſſi, homines verſuti & corde profundi. De primis & ſecundis *Iſa. vlt.* Cœlum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. De tertiis. *Iſa.* 7. Cor impij, quaſi mare feruens. *Iob* 28. Et mare dicit, Non eſt in me. De quartis *Ier.* 17. Profundum eſt cor hominis, & inſcrutabile. In his Dominus facit ſicut vult.

7. *Educens nubes.* Hîc tangit facta ſpecialia. Primò ea quæ facta ſunt ad vtilitatem totius mundi. Secundò facta quædam ad vtilitatem populi ſui, ibi, *Qui percuſſit Ægyptum.* Facta autem ad vtilitatem mundi ſunt dupliciter, vel ad vtilitatem maioris, ſic ſunt nubes, quæ temperant ardorem ſolis. Si minoris mundi, aut ad vtilitatem ex parte animæ, vt fulgura ad timorem incutiẽdum: vel ex parte corporis, vt pluuia & venti, quæ ſunt ad nutriendum: pluuia facit fœcunditatem: venti præparant ad illam: vel conſtringendo terram, vt frigidi venti: vel aperiendo, vt calidi. Dicit ergo: Sic fecit quę voluit, & vbique, ipſe dico, *educens nubes*, ad refrigerium, propter ſolis ardorem, *ab extremis terræ. Eccl.* 43. In magnitudine ſua poſuit nubes. *Fulgura* etiam *fecit*, ad incutiendum terrorem: & hoc, *in pluuiam*, citò conuertendo ad conſolationem: facit enim aliquando ſimul cùm fulguribus pluuias, vel ſtatim poſt. *Ierem.* 10. Eleuat nubes ab extremitatibus: fulgura in pluuiam fecit.

Nubes ſunt prædicatores & Apoſtoli. *Iſa.* 5. Mandabo nubibus meis ne pluãt ſuper eam imbrem. *Iſa.* 60. Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant? Hos ab extremitatibus terræ eduxit, quia à paupertate, & vilitate, quaſi extrema aſſumpſit. 1. ad *Cor.* 1. Infirma mundi elegit Deus, vt confunderet fortia. Fulgura etiam, in pluuiam facit, quia poſt comminationem terribilem, etiam conſolationem immittit. *Tob.* 3. Poſt tempeſtatem tranquillum facit, &c. *Abac.* 3. Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.

Qui producit ventos, calidos & frigidos, rationibus dictis, *de theſauris ſuis*, de cauſis latentibus, & occultis, vt ſentias flantem, ſed neſcis vnde veniat, aut quo vadat. *Ioan.* 3. Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius auidis, &c. Et exponitur de vento ad literam. *Eccl.* 43. Aperti ſunt theſauri, & euolauerunt nubila. Venti etiam animæ ſunt. *Ierem.* 3. Formans montes, & creans ventum. Hos ſpiritus educit de theſauris præſcientiæ & prædeſtinationis ſuæ ad latitudinẽ æternæ gloriæ. *Rom.* 8. Nam quos prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & magnificauit: & quos magnificauit, hos & glorificauit. Sua autem præſentia & prædeſtinatio theſauri dicuntur: quia occultum nobis eſt quod ibi latet. *Rom.* 11. O altitudo ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius; & inueſtigabiles viæ eius!

8. *Qui percuſſit.* Hîc tangit quod fecit ad vtilitatem populi ſui, & exaltationem. Primò quæ in Ægypto. Secundò quæ in veniendo de Ægypto poſt exitum de deſerto, ibi, *Qui percuſſit gentes multas.* Tertiò quæ in termino viæ, ſcilicet in terra promiſſa, ibi, *Et omnia regna Chanaan.* In prima duo. Primò quid factum eſt in Ægypto quantum ad interfectionẽ primogenitorũ ſpecialiter, in quo populus maxime exaltatus fuit. Aut quantum ad alia flagella generaliter: hoc ſecundò, ibi, *Et miſit ſigna.* Dicit ergo: Ipſe eſt qui educit ventos de theſauris, *qui etiam percuſſit primogenita Ægypti*, non tantum quædã, *ſed ab homine vſque ad pecus. Exod.* 12. Factus eſt clamor magnus in Ægypto; nec enim erat domus in quo non iaceret mortuus. Et non tãtum hominũ paruuli mortui ſunt, ſed etiam iumentorum. *Oſeæ vlt.* Paruuli eorum elidantur, & fœtæ eius diſcindantur. Primogenita Ægypti in hominibus ſunt malitioſi huius mundi, alios mittentes in errorem; tanquam quædam pecora, quæ dicuntur pecorum primogenita: & vtróſque Dominus percutit. *Eccl.* 2. Æquè moritur doctus ſimiliter vt indoctus.

9. *Et miſit ſigna.* Hîc tangit alia flagella generaliter facta. Et primò tangit in generali flagella illa. Secundò in quibus ſunt facta, ibi, *In Pharaonem.* Ait enim: Sic primogenita percuſſit, *& miſit ſigna*, quantũ ad minores plagas, & facta minus mirabilia: *& prodigia*, quantum ad maiora: *in medio tui ô Ægypte*, à 7. *Exod.* vſque ad in 13. caput per totum. Et hoc, *in Pharaonem*, id eſt, contra Pharaonem, *& in*, id eſt, contra, *ſeruos eius* omnes: nullus enim euaſit, qui non afflictionem ſentiret. *Sap.* 11. Dediſti ſigna & portẽta in Pharaone, & in vniuerſis ſeruis eius. *Sap.* 16. Oportebat illis ſine excuſatione ſuperuenire interitum exercentibus tyrannidem. Per Pharaonem regem Ægypti, in malitia capitanei: per ſeruos, obedientes ad malum: ſed vtroſque Dominus deſtruxit. *Abac.* 3. Percuſſiſti caput de domo impij, denudaſti fundamentum eius vſque ad collum. *Naum* 1. Infirmatus eſt Baſan, & Carmelus, maiores & alti ſicut montes iſti: & flos Libani, minores ſcilicet, elanguit.

10. *Qui percuſſit gentes.* Hîc magnalia facta in via, tranſito deſerto, antequam ad Iordanem veniretur, omiſſis illis quæ fecit in deſerto. Si autem quæratur, quare hoc? Dicendum, quòd hîc intendit illa repetere, quæ fecit ad laudem & vtilitatem illius populi: ea autem quæ in deſerto ſunt facta, multum pertinent ad afflictionem, & occiſionem illius populi, propter quod ſilentur. Duo ergo dicuntur hic: mirabilia facta quantũ ad populum & minores. Secundò quantum ad maiores. *Et occidit reges.* Dicit ergo: Sic fecit in Ægypto, & etiam poſtquã exierunt de Ægypto, ipſe eſt *qui percuſſit gentes multas. Deut.* 9. Poſſidebis nationes maximas, & fortiores te.

Et occidit reges. Hîc magnalia quantũ ad maiores, quos tangit primum in generali. Secundò ſpecificat illos. *Sehon regem.* Dicit ergo: Sic percuſſit gẽtes multas, *& occidit reges fortes. Ioſuẽ* 10. Vniuerſos reges, & regiones eorum, vno impetu cepit, atque vaſtauit. *Ioſuẽ* 11. Reges eorũ cepit, atque percuſſit, atque deleuit. Gladius enim Dei, nulli parcit. Et minores atque maiores. *Apoc.* 19. Ex ore eius procedit gladius, ex vtraque parte acutus, vt in ipſo percutiat omnes gentes.

11. *Sehon regem.* Hîc ſpecificat illos reges. Quaſi diceret. Dixi, quòd percuſſit reges, & verum dixi: quia percuſſit *Sehon regem Amorrhæorum. Num.* 21. Tulit Iſraël omnes ciuitates eius, id eſt, Sehon, & habitauit in vrbibus Amorrhæi. *Neem.* 10. Dediſti eis regna, & populos. Et poſt: Poſſederunt regem Sehon, & terram regis Ezebon, & terram Og regis Baſan. Hoc eſt quod ſequitur: *Et Og regem Baſan.*

Et nota, quòd Sehon interpretatur tentatio oculorum, qui eſt rex fortiſſimus, multos deiiciens. Nonne ipſum Dauid, qui interpretatur

manu fortis, deiecit? 2. *Reg.* 11. Et ſenes, qui in concupiſcentiam Suſannæ exarſerunt? *Dan.* 14. Et bene Amorrhæorum rex dicitur. Amorrhæi amaricantes interpretantur. Præcedit enim oculorum tentatio: ſequitur ipſam tanquam regem proprium cordis multa amaritudo. Vnde Simoni Mago cupido dictum eſt *Act.* 8. à Petro: In multa amaritudine cordis video te eſſe. Og ergo concluſio interpretatur, & ſignat diabolum, qui concludit viam, ne ad Chriſtum veniatur. *Treu.* 3. Concluſit viam meam lapidibus quadris. Et hic eſt *rex Baſan*, id eſt confuſionis: ſic enim interpretatur Baſan. *Iob* 41. Ipſe eſt rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ. Nulla maior confuſio, quàm ſuperbia, quæ peruertit omnia. In ſuis ergo Dominus hos reges expugnat, oculorum concupiſcentiam, & dæmonem.

Et omnia regna. Hîc tertium, in quo tangit magnalia in facta termino viæ, quæ fuerunt duo, ſicut hîc tangitur. Primum regnorum Chanaan ſubiugatio. Secundò collatio ſubiugatorum in hæreditariam poſſeſſionem illi populo, ibi, *Et dedit terram.* Dicit ergo: Sic ſubiugauit hos reges, & percuſſit eos: *& omnia regna Chanaan. Num.* 21. Facies illi ſicut feciſti Sehoni regi Amorrhæorum, & habitatori Heſebon. Percuſſerunt ergo & hunc cum filiis ſuis, vniuerſúmque populum eius. Chanaan interpretatur *paratus humiliationi*: humiliationis, inquam, non virtutis, ſed iniquitatis. *Eccleſ.* 19. Eſt qui nequiter ſe humiliat, & interiora eius plena ſunt dolo. Vel paratus humiliationi pœnæ, & deiectionis, qualis eſt ſuperbus. *Luc.* 18. Qui ſe exaltat, humiliabitur. *Iſa.* 2. Oculi ſublimes hominis humiliabuntur. Et tales etiam Dominus percutit.

12. *Et dedit terram.* Hîc ſecundũ, in quo dicuntur duo. Primò terræ collatio ad iure hæreditario poſſidendam. Secundò ſpecificatio illorum, quibus data eſt, ibi, *Hæreditatem Iſraël.* Dicit ergo: Sic omnia regna Chanaan percuſſit: *&* illis percuſſis, *dedit terram eorum hæreditatem. Deut.* 3. Dominus Deus noſter dat nobis terram hanc in hæreditatem.

Hæreditatem Iſraël populo ſuo. Suprà in *Pſal.* Et eiecit à facie eorum Gentes, & diuiſit illis terram in funiculo diſtributionis. Ecce vno verbo quod dicitur *Eccleſ.* 10. Dominus enim ſuperbos deiecit, & loco eorum ſuos ſubſtituit: ſedes ducum ſuperborum deſtruxit, & ſedere fecit mites pro eis. *Luc.* 1. Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.

13. *Domine nomen tuum.* Hîc ſecunda pars primæ partis, totius huius Pſalmi. Poſtquam enim monuit verbo ad laudandum, monet conſequenter exemplo, quia conuertit ſe ad Deum, & laudat ipſemet: & dicuntur duo. Primò laudat. Secundò aſſignat rationem huius laudis, ibi, *Quia iudicabit.* In prima duo. Primò commendat potentiæ Dei æternitatem in ſeipſa. Secundò comparatione ad rationabilem creaturam. *Et memoriale tuum.* Dicit ergo: Sic inuitauit ſeruos Dei ad laudem, & ipſemet laudo dicens: *O Domine nomen tuum*, nominabilis ſcilicet potentia, *in æternum*, eſt ſup. *an* 7. Poteſtas eius poteſtas æterna.

Et memoriale tuum, reuocatio ſcilicet tua à rationabili creatura eſt, *in generatione*, præſenti, *in generationem* futuram extenſa. *Exod.* 3. Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob miſit me ad vos. Hoc nomen mihi eſt æternum. Hoc memoriale meum in generatione, in generationem. Memoriale dulce bonis. *Eccl.* 49. Memoria Ioſiæ in compoſitione odoris facta, quaſi mel in omni ore indulcabitur. *Oſe. vlt.* Memoriale eius ſicut vinum Libani. Et nota hîc, quod eſt generatio naturæ. *Eccl.* 1. Generatio præterit, & generatio aduenit: terra autem in æternum ſtat. Et eſt generatio culpæ, de qua *Mat.* 12. & *Luc.* 11. Generatio praua & peruerſa ſignum quærit. *Luc.* 9. O generatio infidelis, & peruerſa, quandiu vobiſcum ero? Et eſt generatio gratiæ. *Pſal.* Generatio rectorum benedicetur. *Sap.* 4. O quam pulchra es caſta generatio cũ claritate! In *Pſal.* Hæc eſt generatio quærentium Dominum. Et eſt generatio gloriæ. *Gen.* 15. Generatione quarta reuertentur huc. Quæ magis poteſt dici regeneratio. *Matth.* 19. In regeneratione cum ſederit filius hominis, &c. In prima generat homo. *Matth.* 1. Abraham genuit Iſaac. In ſecunda diabolus. *Ioan.* 8. Vox ex patre diabolo eſtis. Sed in tertia, & in quarta generat Deus. *Iacob.* 1. Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, &c.

Generatio naturæ, culpæ, gratiæ & gloriæ.

14. *Quia iudicabit.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur laudis huius cauſa, ſcilicet malorum damnatio in futuro, quibus tot bona contulit, nec aliquid valuit. Secundò bonorum remuneratio. *Et in ſeruis.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd potentia Dei æterna, & memoria illius ſimiliter: & hoc dignum: *quia Dominus iudicabit*, iudicio æternæ damnationis, & *populum ſuum*, qui ingratus tot beneficiis extitit. *Ioan.* 5. Qui non credit, iam iudicatus eſt. In eodem: Procedent qui bona egerunt in reſurrectionem vitæ: qui qui vero mala egerunt, in reſurrectionem iudicij. Vel iudicio diſcuſſionis in generali iudicio. *Ioël.* 3. Conſurgant & aſcendant gentes in vallem Ioſaphat, quia ibi ſedebo, vt iudicent omnes gentes in circuitu. *Iſa.* 42. Educet in veritate iudicium. Iudicia etiam diſcretionis in præſenti ipſos bonos de populo ſuo diſcernens, à malis, hos ad fidem vocando, illos in errore dimittendo, de quo iudicio in *Pſal.* Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam, &c.

Et in ſeruis ſuis deprecabitur. Vel, *in ſeruis ſuis conſolabitur*, eis bona talia conferendo, vnde conſoletur. *Iſa. vlt.* Ecce ego conſolabor vos. Vel ſic: Dixi, quod iudicabit populum ſuum iudicio diſcretionis, vt quoſdam in errore ſuo dimittat, tamen *in ſeruis ſuis*, tandem *deprecabitur*, hoc eſt, ſerui conuertentur ad eum, & ipſum peccabuntur, vel aduocabunt: ad ipſos enim in fine mundi conuertetur, & ipſi ad illum. *Iſa.* 10. Reliquiæ Iſraël conuertentur. Reliquiæ, inquam, Iacob ad Dominum, &c.

15. *Simulachra Gentium.* Hîc ſecunda pars principalis totius Pſalmi, in qua poſtquam præceſſit inuitatio ad laudem Dei, ſubiungitur idololatriæ deteſtatio: & dicuntur duo. Primò deteſtatio idolorũ. Secundò irriſio idololatrarum, ibi, *Similes illis.* In prima duo. Primò oſtendit oculorum vanitatem in ſe, & abſolutè, quia omninò ſunt ſine vita. Secundò inutilitatem, quia ſine ſenſu ſunt & motu, ibi, *Os habent.* In prima oſtendit vanitatem à parte cauſæ materialis. Secundò à parte cauſæ efficiẽtis, ibi, *Opera manuum.* Dicit ergo: Sic ad laudandum Deum inuito, & ipſum laudo, non Gentium deos, quia *ſimulachra Gentium* ſunt *argentum, & aurum*, non viuentia,

viuentia,vel vita,imò viliſſimũ elementum,quia terra ſunt:aurum enim & argentum,nihil aliud ſunt quàm terra. *Ierem.*4. Aſpexi terram,& ecce vacua erat, & nihili. *Bar. vlt.* Videbimus in Babylonia deos aureos, & argenteos.

Opera manuum. Ecce ſecundum. Quaſi diceret:Non tantum ſunt terra vaniſſima,ſed etiam ſunt *opera manuum hominum.* Multum ergo vana,cum homo non tantum vanum quid ſit,imò vanitas ipſa. *Pſal.* Verumtamen vniuerſa vanitas omnis homo viuens. Et ipſe facit ſimulachra: ergo ipſa multo vaniora. *Oſeæ* 8. Argentum ſuum, & aurum fecerunt ſibi idola, vt interirent. *Bar. vlt.* Artifices qui faciunt ea, non ſunt multi temporis:nunquid ergo poſſunt quæ ab ipſis fabricata ſunt, eſſe dij?

16. *Os habent, & non loquentur.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit illorum inutilitatem, & hoc per carentiam ſenſuum. Primò ergo oſtendit eos carere ſenſibus animalium vitam perfectam habentium. Secundò habentium imperfectum, ibi, *Nec enim eſt ſpiritus.* In prima duo. Primò, quod carent ſenſibus animalium perfectam vitam habentium rationabilium. Secundò irrationabilium, ibi, *Oculos habent.* Dicit ergo:Sic in ſe vana ſunt, & inutilia etiam,quia *os habent*, hoc eſt,oris ſimilitudinem,*& non loquentur*,tanquam rationabilia. *Bar. vlt.* Lingua eorum polita à fabro: ipſa etiam inaurata,& inargentata falſa ſunt, & non poſſunt loqui.

Oculos habent. Hîc oſtendit eos carere ſenſibus animalium irrationabilium: & his duplicibus,viſu ſcilicet,& auditu, ibi ſecundum. *Aures habent, & non audient.* Dicit ergo:Sic dixi,quòd os habent, & non loquentur, & *oculos habent*, id eſt,ſimilitudinem oculorum, *& non videbunt. Sapient.* 15. Quibus nec oculorum vſus eſt ad videndum.

17. *Aures habent,& non audient.* Ecce ſecundum. Quaſi diceret:Sic oculis non vtuntur, & etiam *habent aures*, veris auribus ſimiles, *& non audient. Sapient.*15. Quibus non ſunt aures ad audiendum.

Neque enim eſt ſpiritus, vitalis, *in ore ipſorum*, in facie, vt ſenſus aliquos det eis, ſicut eſt ſaltem in animalibus imperfectis, quæ ſpiritum habent, aliquod alimentum ad vitam ſuſtentandam attrahentem. *Ierem.*10. & 51. Non eſt ſpiritus in eis. Et rurſus ibidem: Vana ſunt, & opus riſu dignum. *Ioan.*4. Deus ſpiritus eſt. Si ergo ſpiritus in eis non eſt, dij non ſunt. Sic ad literam.

Deſcriptio praui Prælati. Spiritualiter autem hic eſt deſcriptio praui Prælati, quia in principio ipſe eſt tanquam ſimulachrum, ſiue idolum. *Zach.*11. O paſtor & idolum derelinquens gregem! Cum tamen in Eccleſia non deberent eſſe tales. *Num.* 23. Non eſt idolum in Iacob,id eſt, non debet eſſe, nec videtur, id eſt, nec videri debet, ſimulachrum in Iſraël. Sed heu! Rachel,id eſt,Eccleſia, furata eſt idola patris ſui, Gentilis ſcilicet populi. *Geneſ.* 31. Et ideo ſunt opera manuum hominum, non Dei artificio, imò & fraudulentiis hominum, & humana potentia fabricantur. *Bar. vlt.* Non ſunt dij, ſed opera manuum hominum,& nullum opus Dei cum illis. *Os habent, & non loquentur*, aliquid vtile, ſed imperioſum, & comminatorium. *Apoc.*13. Os eius ſicut os leonis, quod fœtet per crapulam, lacerat per detractionem, rugit per comminationem, ſed de prædicatione nihil. *Iſa.*56. Canes muti non valentes latrare. *Oculos habent*, ad videndum temporalia: *& non videbunt*, aliquid de ſpiritualibus bonis. *Num.*23. Qui cadit, & apertos habet oculos. *Matth.*15. Sinite eos: cæci ſunt, & duces cæcorum. *Aures habent*, ad adulationes, *& non audient*, correctiones. 1. *Tim.* 4. A veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur *Prou.*15. Non amat peſtilens eum, qui ſe corripit. Sed Dominus minatur eis per *Ieremiam* in 12. Si non audierint, euellam gentem illam euulſione, & perditione, dicit Dominus. *Nec eſt ſpiritus*,bonis, ſup.*in ore ipſorum.* Ille, de quo *Ioan.*6. Cum autem venerit ille ſpiritus veritatis,docebit vos omnem veritatem.Sed ſpiritus vanitatis,de quo 1. *Reg.* 18. Inuaſit ſpiritus Dei malus Saül, & prophetabat in medio domus ſuæ.

Similes illis. Hîc imprecatio primò talium factoribus. Secundò cultoribus. *Et omnes.* Dicit ergo: Tam vana ſunt ſimulachra, & tam inutilia, & *qui faciunt ea*, hac intentione, vt colantur ab hominibus, ſicut illis ſimiles, vt reddantur omnino vani & inutiles. *Sapient.*14. Per manus quod fit idolum, maledictum eſt, & ipſum, & qui fecit illud. 18.

Et omnes qui confidunt in eis, colentes ea tanquam deos veros. *Iſa.*42. Confundantur confuſione, qui confidunt in ſculptili. *Deuteron.*7. Non inferes quicquam de idolo in domo tua, ne ſis anathema,ſicut illud. Sic idolorum amatores, ſcilicet malorum Prælatorum,& ipſorum fautores, maledicti ſunt ſicut illi, & vtrique deferuentes, & ipſi, & ipſorum fabricatores. *Sap.*14. Similiter ſunt odio Deo impius, & impietas eius. *Oſeæ* 9. Facti ſunt abominabiles, ſicut ea quæ dilexerunt.

Domus Iſraël. Hîc eſt tertia pars Pſalmi, in qua inuitat ad laudem Dei diuerſos, & diſtinctos.Et primò ſic:In prima parte inuitat verbo. Secundò facto & exemplo, ibi, *Benedictus ex Sion.* In prima dicuntur duo. Primò omnes in vnum inuitat ad laudandum. Secundò ſtatim ſubdiuidit,ibi,*Domus Aaron.* Vbi primò inuitat maiores & alios Prælatos. Secundò miniſtros ſub illis conſtitutos, ibi, *Domus Leui.* Tertiò minores, & ſubditos, ibi, *Qui timetis.* Dicit ergo: Talia ſunt idola, & petij quod ſimiles fiant colentes illa, ſed vos qui eſtis *Domus Iſraël*, id eſt, Deum videntes fide formata, *benedicite Dominum. Dan.*3. Benedicat Iſraël Dominum, opera eius & magnificentiam commendando. *Eccleſ.* 29. Benedicite Dominum, in operibus, ſup. date nomini eius magnificentiam. 19.

Domus Aaron, maiores ſcilicet, & in ſacerdotali dignitate conſtituti, *benedicite Domino. Dan.*3. Benedicite ſacerdotes Domini Domino.

Domus Leui, miniſtrorum collectio,& familia ſub ſacerdotibus conſtituta. *Ezech.*40. Iſti ſunt filij Sadoc, qui accedunt de filiis Leui ad Dominum, vt miniſtrent ibi. 1. *Paralip.* 15. Illicitum eſt vt à quocumque portetur arca Domini niſi à Leuitis. Et 16. Dereliquit coram arca Domini Aſaph, & fratres eius, qui erant de Leuitis, vt miniſtrarent in conſpectu arcæ iugiter,

iugiter. Et rurſum: Conſtituit coram arca de Leuitis, qui miniſtrarent, & recordarentur operum eius, & glorificarent atque laudarent Deum Iſraël.

Qui timetis Deum, vos minores, *benedicite Domino. Ierem.*4. Benedicent eum omnes Gentes, ipsúmque laudabunt. Laus autem ipſa eſt, vt veraciter Deum colant. Cultus autem ſecundum *Auguſtinum*, eſt fides, & ſpes, & charitas. Propter hoc dicitur *Eccleſ.*2. Qui timetis Dominum, credite illi. Et poſt: Qui timetis Dominum, ſperate in illum. Et rurſus: Qui timetis Dominum, diligite illum.

21. *Benedictus Dominus.* Hîc ſecundum, in quo poſtquam inuitauit eos verbo, inuitat & eos facto: vnde ipſe benedicit adiungens benedidictionis cauſam duplicem. Prima eſt beneficium incarnationis. Secunda, beneficium cohabitionis & conuerſationis cum hominibus, ibi, *Qui habitat.* Dicit ergo: Sic monui, & ſic ipſemet facio, quia dico: *Benedictus Dominus*, ſit, ſup. qui venit, ſup. *ex Sion*, id eſt, quia venit ex Sion, ex Iudæis, ex quibus carnem ſumpſit, quod fuit ſuum venire. *Pſal.* Ex Sion ſpecies decoris eius. *Ioan.* 14. Salus ex Iudæis eſt.

Qui etiam *habitat*, conuerſando, *in Ieruſalem*, vbi prædicabat & docebat. *Baruch.*3. Poſt hoc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Propter hoc dicebat *Aggæus* in 2. Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ pluſquam primæ. Habitat etiam in ſuperna Ieruſalem. Et nota, quòd ad laudem Dei exigitur munditia in laudante. *Eccleſ.* 15. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Intentio pura. *Matth.* 6. Si oculus tuus fuerit ſimplex, &c. Diſcretio. *Mar.* 9. Omnis victima ſalietur ſale. Humilitas. *Eccleſiaſt.*35. Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit. Perſeuerantia. *Dan.* 3. Laudate, & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Ad laudem Dei requiſita, & excitantia.

Ad laudandum autem excitat tribulatio. *Dan.* 3. Tres pueri laudabant Deum in camino ignis. Suprà in *Pſal.* In noctibus extollite manus veſtras in ſancta. Lectio. *Pſal.* In meditatione mea exardeſcet ignis. Bonorum conſortium. *Matth.* 16. Petrus laudauit exiſtens in collegio Apoſtolorum. Sanctorum exemplum. 1.*Reg.*10. Saül prophetauit cum cuneo Prophetarum. E diuerſo retrahit proſperitas. *Ierem.*5. Saturaui eos, & mœchati ſunt. Sæcularis occupatio. Infrà in *Pſal.* Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? 1. *Tim.* 6. Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus. Mala conſortia. *Matth.* 26. Petrus negauit inter malos Dominum. Et ipſorum exempla. *Eccleſ.*13. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.

IN CXXXV. PSALMVM.

Alleluia.

1. *Pſalmus inuitat ad laudem Dei ex diuina miſericordia excellentia*

Confitemini Domino, quoniam bonus. Hic eſt Pſalmus 135. in toto libro, 35. in tertia parte libri. Cum enim in præcedenti Pſalmo ad laudem Dei inuitauerit, aſſignando pro ratione laudis opera diuina, & beneficia mundo & ſpeciali. Dei populo exhibita, hîc ad eandem laudem inuitat, eadem beneficia repetendo, ſed ſingulis addendo cauſam exhibitionis beneficij, æternam ſcilicet Dei miſericordiam. Vnde ſecundum *Auguſt. in Gloſſa*, ad quemlibet verſuum ſubintelligendum eſt: Quoniam in æternum miſericordia eius, in fine verſus, ſicut in principio: Confitemini Domino, &c. Quia ergo ad laudem inuitat addita modica differentia ad præcedentem Pſalmum, eundem omnino proponit titulum, ſcilicet *Alleluia*, quod idem eſt, ſicut dictum fuit ſuprà, quod laudate Deum. *in operum magnitudine & diuerſitate.*

Quantum autem Deo placeat pſalmodia, maximè huius Pſalmi, miſericordiam Dei ſpecialiter replicantis, oſtenditur optimè, ſicut dicit *Gloſſa*, in illo facto, quod legitur 2.*Par.*5. quia cum cœpiſſent filij Iſraël laudare Deum, & dicere, *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum*, &c. ecce ſtatim impleuit gloria templum Dei. Sic ſpirituale templum, ſcilicet cor humanum. 1. *Cor.* 3. Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos: cum pſallitur, gloria repletur. Cordi enim tali diuina reuelantur. Suprà in *Pſal.* Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quò oſtendam illi ſalutare Dei. 3.*Reg.*3. Eliſeus ad vocem pſalterij futura cognouit, tanquam repletus gloria Domini. *Iſaias* autem in 6. poſtquam dixerat ſe audiuiſſe voces dicentium, Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus exercituum, ſtatim ſubdit: Et repleta eſt omnis terra gloria Domini.

Diuiditur autem Pſalmus in duas partes. Primò monet ad laudis diuinæ confeſſionem. Secundò addit laudis cauſam, ſcilicet diuinæ miſericordiæ excellentiam, ibi, *Quoniam bonus.* Dicit ergo: Sic monui laudare Deum, & adhuc dico: *Confitemini*, confeſſione laudis, quam libenter Deus audit, & ore, & opere. *Tob.* 13. Confitemini illi, ore, ſup. regémque regum exaltate, in operibus veſtris, vt confiteamini opere. Confitemini etiam Domino confeſſione peccati primò, ſine qua non valet prima: quia *Eccleſ.*15. dicitur: Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Et intelligitur peccata confiteri nolentis. Et tunc Deus dimittit. *Prou.* 28. Qui autem ea confeſſus fuerit, & reliquerit, veniam conſequetur. Et ſic ſequitur laus, propter quod dicit *Ioſuë* ad Achan in 7. Fili, da gloriam Deo Iſraël, & confitere, confeſſione laudis, ſup. Et hoc vt dignè poſſis, indica quid feceris. *Iſa.*43. Narra ſi quid habes, iniquitatis, & culpæ: vt iuſtificeris.

Quoniam bonus. Hîc ſupponit laudis rationem, ſcilicet diuinam bonitatem, imò magis bonitatis excellentiam. Primò ergo tangit diuinam bonitatem. Secundò diuinæ bonitatis excellentiam, ibi, *Quoniam in æternum.* Dicit ergo: Sic confitemini, & debetis, *quoniam bonus*, eſt, ſup. eſſentialiter & in ſe. *Matth.* 19. Vnus eſt bonus Deus. *Marc.*10. Nemo bonus niſi ſolus Deus. Bonus etiam in nobis. *Thren.*3. Bonus eſt Dominus ſperantibus in ſe. Quia ſuauis in tranquillitate. *Sapient.* 12. O quàm bonus, & ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus in nobis. Et confortans in tribulatione. *Naum* 1. Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis.

Quoniam in æternum. Hîc monſtratur bonitatis

tatis excellentia, & tripliciter. Primò, à duratione bonitatis, & misericordia. Secundò, ab intensione super omnes misericordes, ibi, *Confitemini Deo.* Tertiò ab operum magnitudine, & multiplicatione, ibi, *Qui facit mirabilia.* Dicit ergo: Sic confitemini Domino, quoniam bonus, & etiam *quoniam misericordia eius*, hoc est, bonitas, non est temporalis & transitoria sicut vestra. *Oseæ 6.* Misericordia vestra quasi nubes matutina, & sicut ros mane pertransiens. Sed *in æternum*, id est, in præsenti sæculo, & in futuro. *Eccles. 40.* Gratia sicut paradisus in benedictionibus, & misericordia in æternum permanet. *Eccl. 17.* Quam magna est misericordia Dei, & propitiatio conuertentibus ad se. Ibi coronans. *Psal.* Qui coronat te in misericordia, & miserationibus. Vel potest referri totum ad futurum, & tangitur laudis præmium. Quasi diceret: Sic lauda bonum, nec hoc erit frustrà, nec pro temporali, sed pro æterno. *Quoniam in æternum*, id est, ad æterna bona conferendum, *misericordia eius.* Modo enim tantummodo stillare videtur Dei misericordia, sed tunc plenissimè effundetur. In *Psal.* suprà: Mirificauit misericordiam suam in ciuitate munita.

2. *Confitemini Deo.* Hîc ab intensione monstratur bonitatis excellentia. Primò comparatione ad omnes excellentes in scientia. Secundò ad excellentes in potentia, ibi, *Confitemini Domino.* Dicit ergo: Sic eius bonitas est æterna, vnde ei confitendum, & etiam *confitemini Deo deorum*, fortiori, & rectori. Deos appellat homines diuina sapientia eruditos, siue boni sint, siue mali. *Ioan. 10.* Illos dixit deos, scriptura, sup. ad quos sermo Dei factus est. Notandum enim, quòd quinque dij appellãtur. Idola. Suprà in *Psal.* Omnes dij gentium dæmonia. *Exod. 13.* Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices. A Deo instructi in diuina lege. *Psal.* Ego dixi: Dij estis, & filij Excelsi omnes. Potestate miraculorum præditi. *Exod. 3.* Ego constitui te Deum Pharaonis, id est, ad hoc te statui, vt facias contra Pharaonem, quæcumque volueris. De his omnibus potest intelligi quod hîc dicitur.

Quinque appellãtur dij.

3. *Confitemini Domino.* Ecce potentia. Quasi diceret: *Confitemini Domino dominorum*, factori, sua excellentissima bonitate. *Deut. 10.* Dominus Deus noster: ipse est, Deus deorum, & Dominus dominantium. *Apoc. 19.* Rex regum & Dominus dominantium. *1. Cor. 12.* Diuisiones administrationum sunt, idem autem Dominus. *Eph. 4.* Vnus Dominus, qui habet in omnibus, & super omnia potestatem. *Matth. vlt.* Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.

4. *Qui facit mirabilia.* Hîc tertium, in quo ostendit bonitatis excellentiam, in operum magnitudine & diuersitate. Et primò quantum ad primum. Secundò quantum ad secundum, ibi, *Qui fecit cœlos.* Ait ergo, Sic confitemini: & etiam confitemini, *qui*, id est, quia ille *facit mirabilia magna solus. Iob 5.* Qui facit magna, & inscrutabilia, & mirabilia absque numero. *Deut. 10.* Ipse est laus tua, & Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnalia.

Sed quomodo dicitur, quòd solus facit, cum etiam magi legantur fecisse multa mirabilia, & Angeli multi, & homines sancti? *Glossa* soluit, quòd solus dicitur facere, quia quæcumque faciunt, per eum faciunt illa. *Eccl. 43.* Magnus vehementer, & mirabilis potentia illius. *Apoc. 15.* Magna & mirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens.

Qui fecit cœlos. Ostensa excellentia, ex operum magnitudine, hîc ex diuersitate. Et primò tangit à solo Deo facta. Secundò ab eo per ministrum edita, ibi, *Qui percussit Ægyptum.* In prima tria secundum tria genera operum, quæ fecit per seipsum Dominus. Primum est opus creationis. Secundum, distinctionis, ibi, *Qui firmauit.* Tertium, ornatus, ibi, *Qui fecit luminaria.* Dicit ergo: Sic illi confitemini, qui fecit solus mirabilia, & etiam *qui fecit cœlos in intellectu*, id est, qui fecit cœlos nobis inuisibiles, quamuis sint corporales, sicut cœlum empyreum, & etiam crystallinum, qui duo sunt inter cœlos factos super ipsum firmamentum. *Iob 35.* Suspice cœlum, & intuere, & contemplare æthera, quòd altior te sit, id est, tuo intellectu. Vel sic: Cœlos fecit in intellectu suo, non in aliquo altero ipsum instruente. *Ierem. 10.* Prudentia sua, non instructione aliena, extendit cœlos. *Isa. 44.* Extendens cœlos solus. Cœli Clerici sunt, qui ad hoc à Deo sunt facti, vt intelligant. *Prou. 14.* Acceptus est regi minister intelligens. Et sic gubernent subditos. *Prou. 1.* Intelligens gubernacula possidebit. Et vlterius faciant quæ docent: quia *Luc. 12.* dicitur: Seruus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, plagis vapulabit multis. 5.

Qui firmauit terram. Hîc tangitur opus distinctionis, per hoc quod dicit, terram factam super aquas, & subtus. Ait enim: Confitemini illi, *qui firmauit terram*, ordinans illam, *super aquas.* Et est secundum *Glossam* modus loquendi, id est, *iuxta.* Tamen si attendamus, terra super aquas fundata est, quia per aqueum humorem intimas partes penetrantem firmatur terra, & stabilitur. *Isa. 44.* Stabiliens terram, & nullus meum. *Ierem. 10.* Fecit terram in fortitudine sua. *Iob. 38.* Vbi eras, &c. 6.

Prælati eum terra cõparati.

Si cœli Clerici, sic terra possunt dici prælati boni. Primò propter stabilitatem & constantiam. *Eccles. 1.* Generatio præterit, generatio aduenit, terra autem in æternum stat. Propter aliorum supportationem. *Iob 9.* Sub quo curuantur qui portant orbem. *Rom. 13.* Debemus nos fortiores, aliorum imbecillitatem supportare. Propter aliorum ministrationem. *Ioan. vlt.* dictum est Petro: Pasce oues meas. Hinc pastores dicti sunt. Propter ariditatem ab omni humore peccati. *Genes. 1.* Et vocauit aridam, terram. Propter summam humilitatem, quæ in eis debet esse, sicut in terra. *Eccl. 3.* Quantò magnus es, humilia te in omnibus. Propter cadentium susceptionem. Debent enim dicere illud *Mat. 11.* Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis. Propter tribulationum & amaritudinum circundationem. *Iob 18.* In amaritudinibus moratur oculus meus, id est, prælatus meus. Hæc terra debet esse super aquas doctrinæ, vt in illis iugiter studeat: concupiscentiarum, vt illas reprimat: rerum temporalium, vt aliis eas distribuat, & sub pede penitus habeat: tribulationum, vt nulla ratione succumbat.

7. *Qui fecit luminaria.* Hîc tangitur de opere ornatus : maximè autem ad ornatum mundi pertinent luminaria. Tangitur autem primò ipſorum conditio ad ornatum mundi. Secundò fructus & diſtinctio illorum, ibi, *Solem.* Dicit ergo : Sic illi confitemini, qui fecit præcedentia : *qui* etiam *fecit luminaria magna. Geneſ.* 1. Fiant luminaria in firmamento. *Eccl.*43. Mundum illuminans in excelſis Dominus. Luminaria magna, Prædicatores & Doctores. *Phil.* 2. Inter quos lucetis tanquam luminaria in mundo. *Matth.* 5. Vos eſtis lux mundi. Hæc non ſunt ſub modio cupiditatis, vel carnalis voluptatis ponenda. *Matth.* 5. Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio. *Greg.* Sub modio ponere eſt, ſub temporali commodo gratiam prædicationis abſcondere, quod nemo electorum vtique facit.

8. *Solem in poteſtatem.* Hîc oſtenditur & diſtinctio conditorum & fructus. Quaſi diceret : Sic fecit, vnde confitendum, cum luminaria condidit : & etiam quia fecit *ſolem in poteſtatem diei,* ad diſcernendum res, & cognoſcendum, ad calorem influendum, ad attrahendum vapores, ad deſiccandum mollia, ad indurandum fluxa.

9. *Lunam & ſtellas.* Repete ſemper : Confitemini illi qui fecit, *lunam & ſtellas in poteſtatem noctis*, vt ipſam poſſint illuminare pro modulo ſuo, ſicut & ſol in die. *Ierem.* 31. Qui dat ſolem in lumine diei, ordinem lunæ & ſtellarum in poteſtate noctis. Per ſolem maior Prælatus intelligitur, cuius eſt illuminare diem, & veritatis cognitionem, de quibus diebus ſuprà in *Pſal.* Dies diei eructat verbum. Sed *Ioël.*2. dicitur : Sol conuertetur in tenebras. Et *Amos* 8. Occidet ſol in meridie, id eſt, in ardenti tentatione. *Apoc.* 6. Factus eſt ſol ſicut ſaccus cilicinus. Luna autem minor Prælatus, qui recipit lumen poteſtatis à maiori, ſicut luna à ſole, qui poteſtatem habet in nocte, in ſubditis, & ignaris, qui dicuntur nox. Supra in *Pſal.* Nox nocti indicat ſcientiam. Sed hæc etiam luna obſcurata eſt multum. *Iob* 31. Si vidi ſolem cum fulgeret, & lunam incedentem clarè, ſcilicet minorem Prælatum. Stellæ autem ſimplices Clerici. Suprà in *Pſal.* Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti. Sed Epiſcopus circuit & diſcurrit. 1.*Cor.*15. Differt ſtella à ſtella in claritate. Sed *Apoc.* 6. dicitur : Luna tota facta eſt ſicut ſanguis, & ſtellæ de cœlo ceciderunt in terram.

10. *Qui percuſſit Ægyptum.* Hîc oſtendit excellentiam bonitatis, & miſericordiæ, per opera per miniſtrum patrata, & maximè circa populum Domini. Et primò tangit multa, & magna beneficia, & opera. Secundò concludit excellentiam laudandi, & cauſam generalem laudis, ibi, *Confitemini Domino.* In prima tangit primò magnifica opera, quæ fecit populi ſui eductione de Ægypto. Secundò in deductione per deſertum, ibi, *Qui traduxit.* Tertiò quæ in introductione in terram promiſſam, ibi, *Et dedit terram.* In prima quatuor. Primùm, Ægyptiorum afflictio. Secundò ab afflictis ſeparatio, ibi, *Qui eduxit Iſraël.* Tertiò ſeparatorum deductio per diuiſum mare, ibi, *Qui diuiſit.* Quartò inimicorum ſubmerſio in diuiſo. *Et excuſſit Pharaonem.* Dicit ergo : Sic facienti præcedentia per ſeipſum, confitemini, & ei etiam, *qui percuſſit Ægyptum*, diuerſis & variis plagis, à 7. *Exod.* vſque ad 11. *cum primogenitis eorum*, quos percuſſit in 12. Et hoc per Moyſen, & Aaron miniſtros ſuos.

Breuiter Ægyptus eſt peccatum. Interpretatur enim Ægyptus tenebræ, & dominatur populo Iſraëlitico, electis ſcilicet à Deo, donec tranſierunt aquas Baptiſmatis. *Eph.*2. Omnes naſcimur filij iræ. Sed Dominus peccatum percurit, vt in nobis non regnet, ſecundum illud *Rom.*6. Peccatum non regnet in veſtro mortali corpore. Primogenita autem peccati ſunt motus primi, quos Dominus occidit in perfectis. *Cant.* 2. Capite nobis vulpes paruulas. *Hieron.* Nihil langoris, nihil priſtinæ ruinæ relinquas, ne mali ſeminis pullulent plantaria.

11. *Qui eduxit Iſraël.* Hîc ſecundum beneficium : & dicuntur duo. Primò eductio de Ægypto. Secũdò in quo fuit illa eductio, & per quid, ibi, *In manu.* Dicit ergo : Sic confitemini percutienti aduerſarios, & etiam illi, *qui eduxit Iſraël de medio eorum. Ierem.* 11. Eduxi vos de terra Ægypti. Suprà in *Pſal.* Et eduxit eos cum argento & auro. De medio peccatorum eduxit ſuos, primis motibus ſuffocatis. *Sap.* 4. Properauit educere illum de medio iniquitatum. Initium enim Ægyptiorum ſunt primi motus, vltimum autem æterna damnatio : ſed medium & progreſſus eſt conſenſus, actus conſuetudo. Sed ab hoc medio Dominus ſuos liberat, vt non aſſueſcant, imò vt non agant, imò in corde non conſentiant : & ſic annihilantur, vt non viuant primi motus, & occidantur. Propter hoc vt hoc medium fugiamus, clamat *Zach.* in 2. O, ô, ô fugite de medio Babylonis.

12. *In manu potentis.* Ecce ſecundum, in quo oſtendit, in quo fuit illa eductio, ſeu ſeparatio, quia in duobus. In operatione forti quæ ſignificatur in manu potenti. In potentia ſingulari, quæ ſignificatur in brachio excelſo. Fortis fuit operatio, cum eos, vellent nollent Ægyptij, licentiam habere fecit recedendi, per nouem plagas ſed potentia ſingularis, quando eos compelli fecit ad exeundum per decem. Spiritualiter autem brachium & manus eſt Dei filius. Manus, inquam, quam petebat Dauid in *Pſal.* Emitte manum tuam de alto. Idem etiam filius eſt brachium. *Iſa.* 53. Et brachium Domini cui reuelatum eſt ? In hac autem manu, & in hoc brachio excelſo, hoc eſt, in cruce eleuato, Dominus ſuos eduxit de Ægypto peccati. *Exod.*6. Eruam te de ſeruitute, ac redimam te in brachio excelſo. *Iſa.*30. Exaltabitur hæc manus, & hoc brachium parcens vobis, imò quod plus eſt, ad ſuperna trahens. *Ioan.*12. Ego autem ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.

13. *Qui diuiſit.* Hîc tangitur tertium beneficium, ſcilicet deductio ſeparatorum per mare rubrum. Et primò maris præparatio per diuiſionem. Secundò deductio per præparatum. *Et eduxit.* Dicit ergo : Sic prædicta exhibenti beneficia confitemini : & etiam illi, *qui diuiſit mare rubrum*, non in vno loco tantum, ſed *in diuiſiones*, duodecim, ſicut vult *Gloſſa*, propter duodecim tribus, vt quælibet ingrederetur diuiſionem ſuam. *Exod.* 14. Diuiſa eſt aqua, & ingreſſi ſunt filij Iſraël per medium ſicci maris.

Et

14. *Et eduxit Israël.* Ecce secundum. Quasi diceret: Sic diuisit mare, *& eduxit Israël per medium eius*, sicco pede. *Sap.* 10. Transtulit illos per mare rubrum, & transuexit illos per aquam nimiam. *Isa.* 13. Dedi in mari viam, & in aquis torrentibus semitam. Sicut Deus mare tribulationis facit paruum, quod etiam significatum fuit *Dan.* 3. vbi medium fornacis fecit quasi medium roris flantem. Principium maris & fornacis est culpa, vltimum est gehenna: sed medium est pœnitentia & tribulatio pro peccatis: sed Deus fornacem mitigat per Angelum quem mittit, id est, per spem salutis, quam infundit. *Rom.* 8. Spe salui facti sumus. Et amaritudinem in dulcedinem conuertit, immittendo lignum, memoriam scilicet crucis & propriæ passionis, sicut aquæ Marach dulces factæ sunt per ligni impositionem. *Exod.* 16.

15. *Et excussit Pharaonem.* Hîc quartum beneficium apertè tangitur, scilicet inimicorum suffocatio. Ait enim: Sic mare diuisit, & illos transduxit: *&* post hoc *excussit Pharaonem*, per eandem viam insequentem, *& virtutem eius*, exercitum scilicet suum, *in mari rubro. Exod.* 15. Currum Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare. Pharao dissipator diabolum signat, qui nititur ad dissipationem legis, & pacti Dei. *Isa.* 24. Dissipauerunt fœdus sempiternum. Et alios dissipare facit, secundum illud *Psal.* Tempus faciendi Domine, dissipauerunt &c. Et post dissipat illos, secundum illud *Psal.* Dissipata sunt ossa secus infernum, id est, virtutes nostræ. Sed hunc Deus in aquis lachrymarum, & omnem virtutem eius annihilat. Suprà in *Psal.* Contriuisti capita draconum in aquis.

16. *Qui traduxit.* Hîc tangitur opera, & beneficia illis exhibita, in deductione per desertum, quæ tanguntur duo. Primò deductio illorum columna nubis præcedente. Secundò inimicorum illis resistentium deiectio. *Qui percussit.* Dicit ergo: Sic confitemini prædicta facienti, & etiam illi, *qui transduxit*, præcedente columna ignis in nocte, & nubis in die, *populum suum*, ab Ægyptiis ereptum, *per desertum. Ierem.* 2. Transduxit vos per desertum, per terram inhabitabilem, & inuiam, per terram sitis, & imaginem mortis. *Sap.* 11. Iter fecerunt per desertum, quod non habitatur, & in locis desertis fecerunt casas. Sic postquam suos eripuit à peccato, & virtutem diaboli annihilauit, per desertum pœnitentiæ Deus suos transduxit. *Sap.* 10. Deduxit eos in via mirabili, & fuit illis in velamento diei & luce stellarum nocte. *Isa.* 43. Ponam in deserto viam, & in inuio, homini per naturam, flumina iocunditatis, & consolationis.

17. *Qui percussit reges.* Hîc secundum, inimicorum deiectio. Primò ergo ostendit deiectorum dignitatem, & fortitudinem in generali. Secundò specificat illas secundum propriam nominationem, & locum, ibi, *Sehon regem.* Et in prima primò tangit illorum dignitatem. Secundò potestatem. *Et occidit.* Dicit ergo: Sic confitemini, qui talia, & tanta fecit mirabilia: & etiam illi, *qui percussit reges magnos*, dignitate. Et nota, quòd Dominus dicitur in scriptura, percutere arguendo. *Isa.* 11. Percutiet terram virga oris sui. Sed fortius percutit tri-

Deus variis modis percutit.

bulando. *Iob* 5. Ipse vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabit. Sed periculosius excæcando. *Ierem.* 5. Percussisti eos, & noluerunt recipere disciplinam. Vires debilitando. Sic percussit diabolum. *Abac.* 3. Percussisti caput de domo impij. Morti exponendo. *Zach.* 13. Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Occidendo, sicut hîc dictum est, vnde & subditur.

Et occidit, ne fortè credas, quod tantum af- 18.
flixerit, vel excæcauerit, *reges fortes*, potentia & virtute. Magnus rex dignitate est diabolus, & complices sui, qui regnant super elatos, & superbos huius mundi. *Iob* 41. Ipse est rex super omnes filios superbiæ. Magnus fortitudine, de quo ibidem: Non est potestas super terram, quæ ei valeat comparari, qui factus est vt nullum timeret. Sed hos percussit in sua passione noster *Iosue* in 12. Cepit Iosue omnem terram montanam, & reges eorum percussit.

Sehon regem. Hîc describit eos ex nominibus 19.
propriis, & locis, in quibus pugnabant. Dicit ergo: Sic percussit magnos reges, & fortes, *Sehon* scilicet *regem Amorrhæorum*, ad literam, qui magnæ reputabatur dignitatis.

Et Og regem Basan, qui magnæ dicebatur 20.
fortitudinis, & virtutis. De percussione primi. *Amos* 2. Ego exterminaui à facie eorum Amorrhæum. De secundo. *Num.* 21. Occurrit ei Og rex Basan, cum omni populo suo pugnaturus. Percusserunt ergo hunc cum filiis suis, & vniuersum populum eius. Hæc in Psalmo præcedenti fuerunt exposita.

Spiritualiter tamen rex amaritudinis, peccatum luxuriæ. Amorrhæi enim amaricantes interpretantur. *Eccles.* 7. Inueni mulierem morte amariorem. *Prou.* 5. Nouissima eius amara quasi absynthium. Et diuersitates huius peccati, diuersæ amaritudines, quamuis dulcedines videantur. *Ose.* 12. Ephraim prouocauit me in amaritudinibus suis. Og coaceruans, significat peccatum auaritiæ quod coaceruare non cessat, & impleri non potest. *Eccles.* 5. Auarus non implebitur pecunia. *Abac.* 2. Væ qui congregat non sua: vsquequo congregat aduersum se densum lutum? *Eccles.* 2. Coaceruaui mihi aurum & argentum. Sed hos Dominus in suis occidit. Primò exemplo suæ mundissimæ castitatis. Secundò exemplo verissimæ paupertatis.

Et dedit terram eorum. Hîc tertium. Præmis- 21.
sis enim operibus magnificis, & beneficiis quæ fecit in eductione populi de Ægypto, secundò in deductione per desertum, tertiò, scilicet hîc, quæ fecit in introductione in terram inimicorum. Et sunt quinque. Primum est terræ collatio. Secundum, liberatio à multis miseriis & tribulationibus, ibi, *Quia in humilitate.* Tertium, liberatio à tributis & exactionibus, ibi, *Et redemit nos.* Quartum, abundans cibariorum exhibitio, ibi, *Qui dat escam.* Quintum post hæc omnia, etiam cœli sui expositio, ibi, *Confitemini Deo cœli.* In prima duo. Primò terræ collatio ad habitandum. Secundò cui hæreditandam, ibi, *Hæreditatem Israël.* Dicit ergo: Sic reges magnos dignitate & potentia fortes occidit, *& dedit terram eorum*, non ad tempus, quantum in se fuit, sed *in hæreditatem*, vt veri sint possessores.

Hæreditatem.

22. *Hæreditatem.* Hîc ſpecificat quibus. Quaſi diceret: Sic dedit hæreditatem, *hæreditatem*, non cuilibet, ſed *Iſraël ſeruo ſuo*, id eſt, populo de Iſraël ſeruo ſuo nato, ſcilicet Ruben, & Gad, & dimidiæ tribui Manaſſe. *Num.* 34. Duæ & ſemis tribus acceperunt partem ſuam trans Iordanem. *Deut.* 3. Ciuitates illius dedi Ruben, & Gadi: reliquam autem partem Galaad, & omnem Baſan regni Og, tradidi mediæ tribui *Manaſſe*. Spiritualiter autem, & breuiter, non alij, quam ſeruo Dei, datur illa vera & ſuperna hæreditas. *Eph.* 5. Hoc ſcitote intelligentes, quoniam omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus, non habebit hæreditatem in regno Chriſti & Dei. Sed auferetur à tali, & dabitur ſeruo Dei. *Mat.* 21. Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.

23. *Quia in humilitate.* Hîc ſecundum beneficium. Quaſi diceret: Præcedentia facienti, confitemini confeſſione laudis, peccati, & etiam *quia memor fuit noſtri*, nos à multis miſeriis & tribulationibus liberando, *in humilitate noſtra*, in deiectione & labore noſtro: cum deiectis enim & afflictis Deus eſt, nec cito eorum poteſt obliuiſci, cum quibus eſt. Suprà in *Pſal.* Cum ipſo ſum in tribulatione. *Iſa.* 43. Cum tranſieris per aquas, tecum ero. In humilitate etiam, quæ virtus eſt, memor eſt ſuorum, vt ipſos exaltet. *Eccleſ.* 10. Eſt qui ab humilitate leuabit caput. 2. *Paral.* 32. Humiliatus eſt poſtea tam ipſe, quam habitatores Ieruſalem. Et ideò non venit ira Dei ſuper illos in diebus Ezechiæ. Propter hoc dicit 1. *Pet.* 5. Humiliamini ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet. Et *Greg.* Paruus eſto in oculis tuis, vt ſis magnus in oculis Dei.

24. *Et redemit nos.* Hîc tertium, ſcilicet liberatio à tributis & exactionibus. Quaſi diceret: Propter præcedentia confitemini, & etiam *quia redemit nos*, libertatem dando, *ab inimicis noſtris*, tributa & exactiones iniuſtas petentibus: vnde illa vox gratulabunda *Iſa.* 14. Quomodo ceſſauit exactor, quieuit tributum? Hoc tamen magis propriè, ſicut dicit *Gloſſa*, reſpicit ad populum Chriſtianum, qui redemptus eſt: tamen ad omnem, quantum in Deo fuit. Pro omnibus enim fuit ſufficiens redemptio. *Exod.* 15. Dux fuiſti in miſericordia populo tuo quem redemiſti. *Iſa.* 52. Grates venundati eſtis, & ſine argento redimemini. *Oſe.* 13. De manu mortis liberabo eos, & de morte redimam eos, ſanguine proprio. 1. *Pet.* 1. Non enim corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis de veſtra vana conuerſatione, ſed pretioſo ſanguine, &c. Hæc redemptio omnibus eſt ſufficientiſſima ſecundum illud *Pſal.* ſuprà: Copioſa apud eum redemptio.

25. *Qui dat eſcam.* Hîc eſt quartum beneficium, abundans exhibitio ciborum. Ait enim: Sic confitemini redimenti, & etiam *qui dat eſcam*, ciborum abundantiam, *omni carni*, introducendo nos in terram lacte & melle manantem. *Exod.* 3. *Pſal.* Omnia à te expectant vt des illis eſcam in tempore, etiam corui. Melius autem intelligitur de eſca verbi Dei, quæ præparatur, & datur omni homini, vt ex illa viuat. *Deut.* 8. *Matth.* & *Luc.* 3. Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit ex ore Dei. *Iob* 36. Quui dat eſcam cunctis mortalibus. Vel de eſca corporis proprie, ſicut vult *Gloſ. Ioan.* 6. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. *Sap.* 16. Panem de cœlo præſtitiſti eis, habentem in ſe omne delectamentum, & omnem ſaporis ſuauitatem.

Confitemini Deo. Ecce quintum beneficium, ſcilicet cœli ſui expoſitio. Quaſi diceret: Confitemini præcedentia beneficia exhibenti, etiam *confitemini Deo cœli*, promiſſori, quod eſt locus eius quaſi proprius. Suprà in *Pſal.* Cœlum cœli Domino, terram, &c. *Deut.* 10. En Domini Dei tui cœlum eſt, & cœlum cœlorum. *Iſa. vlt.* Cœlum mihi ſedes eſt. Certè qui corpus ſuum in cibum dat, cœlum ſuum nobis non negat. Multò enim eſt charius ſibi corpus proprium, quam ipſum cœlum.

Confitemini Domino. Hîc ſecundum, in quo concludit poſt tot beneficiorum enumerationem, concludit, inquam, in deſcriptionem vniuerſalem laudandi, quam tangit cum dicit, *Confitemini Domino*: & cauſam laudis, quam addit, cum ſubdit: *quoniam in æternum.* Et exponenda ſunt hæc ſicut ſuprà. Hoc tamen adde, quoniam à laude inchoat Pſalmus iſte, & in laude terminatur, ad monſtrandum, quòd iſte laudatur, qui eſt principium, & finis. *Apoc.* 1. Ego ſum Alpha & ω, principium & finis. Ad demonſtrandum etiam, quòd & principium boni operis, & finis ſimiliter ei offerri debet. *Exod.* 29. præcipiebatur vt ſacrificium & manè, & veſperè offerretur. Et *Leuit.* 1. caput cum cauda offerri præcipiebatur. 26.

IN CXXXVI. PSALMVM.

Pſalmus Dauid, propter Ieremiam.

1. *Argumentum Pſalmi, gemitus viatorum cœli ſuſpirantium.*

SVper flumina Babylonis. Hic eſt Pſalmus 136. in toto libro, in tertia vero parte 36. Cum enim ad laudandum Deum, in duobus præcedentibus Pſalmis inuitauerit, quia in præſenti miſeria difficile eſt laudare, maximè propter inſultantes, & blaſphemantes, hîc ſubiungitur reſponſio præmiſſæ admonitioni, ſcilicet quod in hac Babylonia, in qua capitiui tenemur, organa diuinæ laudis aliquo modo ſuſpenduntur, maximè apud blaſphemantes, etſi ſupernæ illius Ieruſalem, iugis memoria habeatur: ſed magis lamentationis tempus eſt, & ſtatus, ſicut captiuatis quondam Iudæis in Babylonia literali. Vnde rectè huic Pſalmo præponitur titulus: *Pſalmus Dauid, propter Ieremiam.* Et eſt ſenſus tituli: *Pſalmus* ſubiectus, qui eſt Dauid vt actoris exterioris, eſt editus *propter Ieremiam*, id eſt, iuxta Ieremiam: quia ſicut literalem captiuitatem Iudæorum lamentatus eſt Ieremias quadruplici Alphabeto, ſicut patet in libro Threnorum, ita & hîc quodammodo lamentandum dicit, non cantandum, propter ſpiritualem captiuitatem veri populi Dei in Babylonia ſpirituali.

Diuiditur autem Pſalmus in duas partes principaliter. In prima exprimitur afflictio & miſeria ſanctorum in hac vita captiuatorum. In ſecunda imprecatur perſequentibus, & confuſioni

mundi

mundi per amorem adhærentibus, ibi, *Memor esto.* In prima autem parte dicuntur duo. Primò exprimit sanctorum miseriam, & tristitiam in præsenti vita confusione plena. Secundo nihilominus iugem supernæ ciuitatis memoriam, ibi, *Si oblitus fuero:*. In prima duo. Primò exprimit fletum, & miseriam. Secundò causam, insultationem scilicet à malis. *Quia illic interrogauerunt.* In prima duo. Primò exprimitur miseria & afflictio. Secundò cessatio à consolatione, & gaudio, ibi, *In salicibus.* In prima tanguntur quatuor. Primò tangitur locus miseriæ & afflictionis. Secundò status afflictorum *illic sedimus.* Tertiò modus afflictionis. *Et fleuimus.* Quartò tempus, in quo maximè affligebantur. *Dum recordaremur.* Vel etiam causa.

Dicit ergo: Sic mones vt laudemus, & confiteamur, sed heu *super flumina Babylonis*, existentes. Sic ad literam in materiali Babylonia erant flumina, & sic super illa erant Iudæi captiuati.

Illic sedimus. Ecce status, illorum humiliatio scilicet: in sessione enim humiliatio designatur. *Et fleuimus*, ecce modus afflictionis & miseriæ, scilicet vsque ad fletum, *dum recordaremur tui Sion*, ad literam: ecce tempus, quando recordabantur ciuitatis, à qua deiecti erant.

Babylon multipliciter sumitur.

Et nota, quòd hic primò Babylon appellatur aliquando Gentilitas. Suprà in *Psal.* Memor ero Raab, & Babylonis, &c. Omnium malorum collectio. *Apoc.* 18. Cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum. Confusio de peccatis. *Miche.* 3. Venies vsque in Babylonem, ibique liberaberis. Et mundus iste, in quo boni mixti sunt cum malis, sicut accipitur hîc, & *Isa.* 21. Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum. Huius Babylonis sunt flumina, omnia temporalia, quæ Sancti transeunt sicut flumen. *Soph.* 3. Vltra flumina Æthiopiæ, id est, mundi, supplices mei sunt. Et alia tria deteriora his, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ fluunt à fomitis fonte. Hæc sunt de quibus *Abac.* Nunquid in fluminibus iratus es Domine? Certè ita. Propter hoc monet *Isa.* 47. Transi flumina, denuda turpitudinem, reuela crura. Alij autem sunt sub fluminibus illis, & vident, & gaudent vehementer. *Exod.* 15. Subuersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. Quidam suprà, qui perfecti sunt. *Daniel.* 12. Dixi viro, qui erat indutus lineis, qui stabat super aquas fluminis. Quidam iuxta adhuc, qui incipiunt, & proficiunt. *Exech.* 3. Sedi vbi illi sedebant iuxta fluuium Chobar. Sed omnibus est flendum, dum recordantur supernæ ciuitatis Ierusalem. *Eccleſiaſt.* 3. Est tempus flendi, & tempus ridendi.

2. *In salicibus.* Præmissa miseria & lamentatione, subiungitur de cessatione gaudij, & lætitiæ, & loquitur metaphoricè. Ait enim: Sic fleuimus super flumina sedentes, & *suspendimus organa nostra*, vt iam non gauderemus, nec cantaremus, *in medio eius*, Babylonis scilicet: & hoc, *in salicibus.* Et notatur in hoc doloris exaggeratio, quando illud quo consolari solebant se in doloribus, suspenditur. *Iob* 30. simile: Versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium. *Isa.* 24. Cessauit gaudium tympanorum, quieuit sonitus lætantium.

Reprobi cum salicibus collati.

Et nota, quòd salices dicuntur mali & reprobi, propter amaritudinem. *Ierem.* 2. Vide quam malum, & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum. Propter infructiositatem. *Rom.* 6. Quem fructum habuistis tunc in illis in quibus erubescitis nunc? Propter humoris mali abundantiam. *Iob* 40. Sub vmbra dormit, in secreto calami, in locis humentibus. Et rursum: Circundant eum, Behemoth scilicet, salices torrentis. Propter viriditatem, quam habent in foliis, hoc est, in verbis, quamuis sint sine fructu. *Geneſ.* 27. Vox quidem, vox Iacob est, sed manus, manus sunt Esau. Hæ salices in medio Babylonis sunt, quando maximo amore mundum diligunt, & spiritualia contemnunt. In his suspendenda sunt organa: quia in talibus suspendenda est prædicatio de spirituali lætitia. *Matth.* 7. Nolite sanctum dare canibus, nec margaritas spargatis ante porcos.

Quia illic. Hic secundum. Postquam enim 3. expressit miseriam, & miseriæ exaggerationem in Babylonia, hîc subiungit causam, & fletus, & suspensionis organorum, scilicet ironicam carnalium & salicum interrogationem: & tamen ne Sancti videantur omnino confusi, prudentem eorum responsionem. Duo ergo dicuntur in hac parte. Primò stultorum irrisoria petio à sanctis. Secundò prudens ipsorum responsio, ibi, *Quomodo cantabimus?* In prima duo. Primò ironica postulatio canticorum ab afflictis. Secundò specificatio illorum canticorum ad irrisionem maiorem, ibi, *Et qui abduxerunt nos.* In prima tangitur conditio postulantium; primò. Secundò quid petant. *Verba.* Dicit ergo: Sic fleuimus, sic organa suspendimus: nec mirum, *quia illic*, in Babylone scilicet, *interrogauerunt nos*, id est, petierunt à nobis, *qui captiuos duxerunt nos*, nobis irridentes. Et quid? *Verba cantionum.* Quasi à captiuatis esset lætandum & cantandum, non magis plorandum. Sic dæmones captiuatos volunt non curare de sua captiuitate, & seruitute, de quo *Ioan.* 8. Qui facit peccatum, seruus est peccati. Hoc significatum fuit *Geneſ.* 34. vbi dicitur, quod Sichen filius Emor corruptam Dinam blanditiis deliniuit. Dominus autem non vocat ad canticum, sed sicut dicit *Isa.* 22. In die illa vocabit Dominus ad fletum, & ad planctum, ad caluitium, & ad cingulum sacci. *Ierem.* 21. Perdam ex eis vocem gaudij. *Iacob* 4. Miseri estote, & lugete.

Et qui abduxerunt. Hîc specificat, quod canticum, vel quam petebant cantationem. Ait enim: *Et qui abduxerunt nos* de terra nostra, petebant dicentes, *Hymnum cantate nobis*, non quemcumque, sed *de canticis Sion*, ad literam sic potuit esse in Ierusalem. Dæmones autem à terra nostra, ab Ecclesia, abducunt nos per culpam. *Bar.* 4. Ducti sunt vt grex directus ab inimicis. 1. *Mach.* 2. Vasa gloriæ, id est, ipsi Prælati, captiua abducta sunt. Post hoc irridentur à dæmonibus. *Iob* 30. Nunc in canticum eorum versus sum tota die, omnes subsannant me. Et facit eos cantare cantica spiritualia, vt credant se bonos, & sanctos. *Amos* 6. Secut Dauid putauerunt se habere vasa cantici. Et tunc magis irridet eos. *Thren.* 1. Viderunt

eam

eam hoſtes, & deriſerunt ſabbata eius.

4. *Quomodo cantabimus.* Hîc ſecundum huius partis, ſcilicet prudens reſponſio interrogatorum interrogatione irriſoria. Quaſi diceret: Sic dicunt vt cantemus in Babylonia canticum Sion, quibus dicimus: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena:* exiſtentes, ſup. Quaſi diceret: Non poſſumus, nec debemus, quia *Eccleſ.* 22. dicitur: Muſica in luctu, importuna narratio. Et modo nobis lugendum. *Ezech.* 26. Ceſſare faciam multitudinem cantorum tuorum, & faciam te gemere, & rugire. *Iſa.* 59. Rugiemus quaſi vrſi omnes, & quaſi columbæ meditantes gememus. Quia poſiti extra terram propriam, & in aliena. *Bar.* 3. Quid eſt Iſraël, quod in terra inimicorum es? Inueteraſti in terra aliena. Tibi etiam, qui irriſor es, quomodo cantabo? quia *Prou.* 25. Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi peruerſo.

5. *Si oblitus fuero.* Hîc ſecunda pars totius primæ partis huius Pſalmi. Poſtquam enim præmiſit de ſanctorum miſeria, & afflictione in Babylonia, ſubiungitur de ſupernæ Sion recordatione, & lætitia in illa, quæ eſt ſanctorum conſolatio, dum ſunt in via. Duo autem dicuntur. Primò imprecatur ſibi, ſi careat ipſius Ieruſalem recordatione. Secundò ſi careat lætitia & exultatione in illa, ibi, *Si non propoſuero.* In prima duo. Primò imprecatur ſibi æternæ vitæ amiſſionem, ſi non habuerit memoriam ipſius Ieruſalem. Secundò loquelæ amiſſionem, ibi, *Adhæreat lingua.* Dicit ergo: Sic non poſſumus in aliena terra cantare, tamen ô tu *Ieruſalem*, vel materialis quantum ad materialiter captiuatos, vel ſpiritualis quantum ad detentos in ſpirituali Babylonia, quaſi in captiuitate, *ſi oblitus fuero tui, obliuioni detur dextera mea*, id eſt, vita æterna, vt non ſim particeps illius, nec in illa ſim ſicut agnus. *Matth.* 25. Agnos quidem ponet à dextris, hœdos autem à ſiniſtris. Vt non ſim amplexatus ab illa, ſicut illa anima, quæ dicebat *Cant.* 2. Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Summè enim cauendum eſt homini, vt in miſeria bonorum recordetur. *Eccl.* 11. In die bonorum, non immemor ſis malorum, &c. *Ambr.* Oportet multoties reminiſci, quod mundus cogit obliuiſci. Aliter citò incurrit homo illam maledictionem. *Iob* 24. Obliuiſcatur illius miſericordia. *Ierem.* 51. Nolite flere, recordamini ſolij Domini, & Ieruſalem aſcendat ſuper cor veſtrum.

6. *Adhæreat lingua.* Hîc ſecundum, in quo imprecatur ſibi loquelæ amiſſionem, propter amiſſionem memoriæ. Quaſi diceret: Non tantum dextera obliuiſcatur me in futuro, imò & miſericordia in præſenti. *Adhæreat lingua mea faucibus meis:* vt omnino mutus fiam, *ſi non meminero tui.* Primò mutus efficitur homo propter peccatum proprium. *Mich. vlt.* Ponent manum ſuper os. *Gloſſa:* Mutus fit, quia memor Dei non eſt. *Greg.* Neceſſe eſt vt ſileat lingua, vbi ægra eſt conſcientia. Et propter alienum, vt dictum eſt. *Ezech.* in 3. Adhærere faciam linguam tuam palato tuo, & eris tacens, & non poteris loqui: quia domus exaſperans eſt. Propter hoc non erat mutus *Iſaias*, qui dicebat in 6. Memoriale tuum in deſiderio animæ, conſtat, quod ſuæ. Et *Ieremias* dicebat *Thren.* 3. Memoria memor ero. Et *Oſeæ vlt.* Memoriale tuum, quaſi vinum Libani.

Si non propoſuero. Hîc ſecundum totius huius partis, in quo imprecatur ſibi, ſi careat ſpirituali lætitia illa, & principaliori. Ait enim: Sic amittam vitam æternam, & loquelam, ſi non habuero Ieruſalem recordationem, & etiam *ſi non habuero*, lætitiam tui, ô *Ieruſalem*, & hoc *in principio lætitiæ meæ*, hoc eſt, ſi non primò & principaliter in te gauiſus fuero, accidant mihi prædicta. Illa ergo ſuperna Ieruſalem prima omnium eſt quærenda. *Matth.* 6. Primum quærite regnum Dei. Et in noſtris lætitiis præponenda, ſicut hîc dicitur. *Tob.* 13. Beati omnes qui diligunt te, & qui gaudent ſuper pacem tuam. *Iſa. vlt.* Lætamini cum Ieruſalem, & exultate in ea omnes qui diligitis eam. Hanc lætitiam ſpiritualem non curant ſacerdotes mali, ſed magis in his, quæ ad Babyloniam pertinent, exultant. 2. *Mach.* 4. Sacerdotes contempto templo, & ſacrificiis neglectis, feſtinabant participes fieri palæſtræ. *Prou.* 1. Lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis.

7. *Memor eſto Domine.* Hîc ſecunda pars totius huius Pſalmi, in qua poſtquam oſtendit ſanctorum miſeriam in hac vita, cum conſolatione tamen aliqua, inuehitur contra malos. Primò illis imprecando vt puniantur hîc pro malis propriis. Secundò inſultando illis, ibi, *Filia Babylonis.* In prima duo. Primò ſupplicatio vt puniantur pro malitia in bonos exercitata. Secundò ſpecificatio illius malitiæ, ibi, *Qui dicunt, Exinanite.* Dicit ergo: Exiſtentes in Babylonia cantare non poſſumus, etſi aliquam conſolationem habeamus: nunc autem rogamus, ô *Domine memor eſto*, ad pœnam, *filiorum Edom*, & hoc, *in die Ieruſalem*, ab eis deſtructæ adiuuantibus Babyloniis. Sic ad literam fuit, quia Idumæi adiuuerunt Babylonios. Vel, *in die Ieruſalem*, id eſt, quando reſtitues Ieruſalem. Et ſic factum eſt ad literam: multum enim afflicti ſunt propter peccatum, quod in fratres commiſerant. Deſcenderunt enim ab Eſau, qui alio nomine dictus eſt Edom. *Threm. vlt.* Gaude & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus: ad te quoque perueniet calix, inebriaberis, atque nudaberis. Et *Ierem.* 49. Ego diſcooperui Eſau, reuelaui abſcondita eius. *Abd.* Propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob, operiet te confuſio, & peribis in æternum. Sic Sancti clamant conformantes ſe diuinæ iuſtitiæ, pro afflictione impiorum. *Apocal.* 6. Vſquequo Domine Deus non vindicas ſanguinem noſtrum? &c. Vindicabit, & memoriam de malis habebit, ad eorum vindictam. *Apoc.* 16. Babylon magna venit in memoriam ante Dominum. Date illi calicem vini indignationis iræ eius.

Qui dicunt, Exinanite. Hîc ſecundum, in quo ſpecificat illorum malitiam, quæ fuit mutua exhortatio ad vehementem Ieruſalem deſtructionem. Duo ergo dicuntur. Primò mutua exhortatio ad deſtructionem Ieruſalem. Secundò ad deſtructionis vehementiam, ibi, *Exinanite.* Ait enim: Exinanite Ieruſalem, id eſt, vacuam, & annihilatam reddite in habitatoribus: *exinanite*

nite eam *vſque ad fundamentum in ea*, exiſtens, vt nec inueniatur fundamentum. *Abd.* Quando capiebant alieni exercitum eius, & extranei ingrediebantur portas eius, & ſuper Ieruſalem mittebant ſortem, tu quoque eras quaſi vnus ex eis. Sic mali ſe mutuò exhortantur ad deſtructionem Eccleſiæ, vſque ad fundamentum, ſcilicet vſque ad fidem. Sicut enim ſuprà fundamentum fabrica, ſic ſuprà fidem opera. *Apoc. vlt.* Fundamentum eius iaſpis, qui eſt viridis coloris. Sed non ſufficit opera deſtruere in nobis, noſtris perſecutoribus, niſi & fundamentum deſtruatur, hoc eſt, niſi corrumpatur. *Ier.* 2. Filij Mempheos & Taphnes, conſtuprauerunt te vſque ad verticē. *Eccl.* 13. Confundet te in verbis, in perſuaſionibus ſuis, vt deſtruat opera bona, quouſque exinaniat te, corrumpendo fidei fundamenta.

8. *Filia Babylonis.* Hîc ſecundum. Præmiſſa enim imprecatione contra inimicos, hîc ſubiungitur de eorundem irriſione: & tanguntur tria. Primò prædicit citò futuram miſeriam Babyloñicam. Secundò beatum ipſam affligentem, ibi, *Beatus qui retribuet.* Tertiò cauſam tantæ miſeriæ, & beatitudinis impugnantium eam, ibi, *Beatus qui tenebit.* Dicit ergo: Sic rogaui, quod Dominus filiorū Edom, & per hoc omnium aduerſariorum noſtrorum recordetur, & dico ô *filia Babylonis*, id eſt, Babylon: filia enim frequenter ſuperfluit *miſera*, es, ſup. & illa materialis, & ſpiritualis propter peccatum, quod verè miſeriam inducit. *Prou.* 14. Miſeros facit populos peccatum. Omnes autem peccatores dicuntur optimè filia, quia generantur ex patre diabolo, & carnali concupiſcentia. *Ezech.* 16. Patre tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. *Ioan.* 8. Vos ex patre diabolo eſtis.

Beatus qui retribuet. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic tu es miſera, ſed *qui*, id eſt, quicumque *retribuerit retributionem tuam, quam retribuiſti nobis, beatus*, erit ſup. Vel eſt: quia ipſe eſt ipſe Deus, & Dominus noſter, qui & illis literalibus inimicis retribuit, & ſpiritualibus retribuet. De literali quidem dictum eſt *Ier.* 51. Collidis mihi tu vaſa belli, meos acriter impugnando, & ego collidam in te Gentes. De ſpirituali autem dicitur *Iſa.* 27. In menſura contra menſuram, cum abiecta fuerit, iudicabo eam. *Matth.* 7. Eadem quippe menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis. *Apoc.* 18. Quantum glorificauit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum. 1. *Mach.* 2. Retribuit retributionem Gentibus.

9. *Beatus qui tenebit.* Hîc tertium, in quo aſſignat tantæ miſeriæ cauſam, & beatitudinis impugnantium illam. Ait enim: Sic dixi, quòd miſera es ô Babylon, & *beatus qui tibi retribuet*: & verum dixi: quia *qui tenebit paruulos tuos*, captos vt non fugiant, & *allidet* illos *ad petram*, vt illos interficiat, beatus erit, ſup. Si eſt ibi, *ſuos*, non mutatur ſenſus, ſed quaſi conuerſus ad alios loquitur Propheta, vel ad ipſam Babylonem ſic, beatus erit in te, qui tenebit paruulos ſuos, & allidet illos, ne alij interficiant illos. *Oſe. vlt.* In gladio parcat, & gladij eorum elidantur. Beatus etiam, qui paruulos Babylonis, id eſt, mundi, tenet, ne ruant in peccatis, & allidit eos ad petram Chriſtum; eos ad illum conuertens, & illi coniungens, quia *Iacob.* 5. dicitur: Scire debet qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, quòd ſaluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum. Beatus etiam in mundo eſt, qui paruulos, motus ſcilicet primos, non ſequitur, nec creſcere permittit: ſed allidit illos ad petram Chriſtum. 1. *Cor.* 10. Petra autem erat Chriſtus. *Eccl.* 18. Fili poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere: ſed magis elide illas ad petram, cogitando de eius paſſione. 1. *Pet.* 2. Chriſto ergo in carne paſſo, & vos eâdem cogitatione armamini.

Et nota, quòd eſt paruulus, malitia. 1. *Cor.* 14. Paruuli malitia eſtote. Et eſt paruulus ſapientia. *Hebr.* 5. Omnis qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ, paruulus enim eſt. Et fragilitate. *Thren.* 1. Paruuli eius ducti ſunt in captiuitatem ante faciem tribulantis. Et imperfectione. *Thren.* 4. Paruuli petierunt panem, & non fuit qui frangeret eis. Deſpectione. *Abd.* Ecce paruulum dedi te in gentibus, contemptibilis tu es valde. Humilitate. *Matth.* 18. Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Temporalium dilectione. *Iob* 5. Virum ſtultum interficit iracundia, & paruulum occidit inuidia. Et vltimò naturali origine, ſicut accipitur hic. Sic etiam primi motus paruuli appellantur, qui ad Chriſtum allidendi ſunt, vt oculo mentis purgato Deus videatur, ipſo præſente, qui eſt benedictus, &c.

Paruulus multipliciter dicitur.

IN CXXXVII. PSALMVM.

Pſalmus ipſi Dauid.

1. CONfitebor *tibi Domine.* Hic eſt Pſalmus 137. in toto libro, 37. in tertia parte libri. Poſtquam enim inuitauerat ad Dei laudem, & ſubiunxerat aliquorum excuſationem, qui magis lugendum ſibi credunt in Babylonia, quam cantandum, quia tamen hoc non eſt generale, perfecti enim viri, à ſeruitute quodammodo liberi ſunt, & tales poſſunt cantare, & confeſſione laudis confiteri, in hoc Pſalmo Propheta tanquam vnus de talibus confitetur, & laudat, & ſibi ſimiles ad laudem inuitat: vnde titulo præpoſito, qui talis eſt, *Pſalmus ipſi Dauid*, hic ſenſus poteſt competere. *Pſalmus* ſubiectus competit *ipſi Dauid*, id eſt, illi, qui eſt verus Dauid, vir ſcilicet perfectus, manu fortis, & aſpectu deſiderabilis. Et etiam ipſi Dauid, id eſt, Chriſto, à quo eſt talis perfectio, eſt cantandum.

Propheta Deum laudat, & perfectos ſibi ſimiles ad eum laudandum inuitat

Diuiditur autem Pſalmus in duas partes. Primò confitetur ipſemet & laudat. Secundò optat vt alij perfecti confiteantur, & laudent, ibi, *Confiteantur tibi Domine omnes.* In prima duo. Primò promittit ſe laudaturum. Secundò petit fructum, qui debet ſequi ex diuina laude ſic ſoluta, ibi, *In quacumque die.* In prima duo. Primò promittit confeſſionem laudis. Secundò determinat modum, & qualitatem confeſſionis, ibi, *In toto corde.*

Dicit ergo: Si vos alij excuſatis vos, quòd cantare canticum Sion, laudem ſcilicet Dei in Babylonia non poteſtis, ſed ô Domine quicquid agant alij, *confitebor tibi. Eccl.* 50. Confitebor tibi

Domine rex, confeſſione laudis delectabilis, & me reficientis. Suprà in *Pſal.* In voce exultationis, & confeſſionis, ſonus epulantis.

In toto corde meo. Hîc ſecundum, in quo determinat laudandi qualitatem, quia in corde integro. Secundò quia puro, ibi, *In conſpectu Angelorum.* Tertiò quia deuoto, ibi, *Adorabo ad templum.* In prima duo. Primò promittit cordis integritatem. Secundò addit rationem, ibi, *Quoniam audiſti.* Dicit ergo: Sic laudabo: ſed quomodo? Nonne labiis tantum, ſicut illi, de quibus *Iſa.* 29. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Et *Ieremias* de talibus in 12. Prope es tu Domine ori eorum, longè autem à renibus eorum? Non. Imò, *in toto corde meo. Iudith* 4. Ex toto corde ſuo omnes orabant Dominum. *Dan.*3. Nunc ſequimur te in toto corde, & timemus te in toto corde, non diuiſo: quia *Oſeæ* 10. Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt. Non duplici, ſicut illi, de quibus in *Pſal.* In corde & corde loquuti ſunt. *Eccl.*2. Væ duplici corde. *In toto corde*, nihil de eo retinendo, ſed totum effundendo. *Thren.*2. Effunde cor tuum ſicut aquam in conſpectu Domini. Quare?

Quoniam audiſti, ſicut expertus loquor, *verba oris mei. Iſa.*30. Ad vocem clamoris tui, ſtatim vt audierit, reſpondebit tibi. *Iſa.* 65. Adhuc illis loquentibus ego exaudiam. Vnde non dicitur hoc propter hoc quod Dominus exaudiat vocem oris, ſine voce cordis, ſed propter audiendi velocitatem, quia adhuc voce exiſtente in ore, exaudit.

In conſpectu Angelorum. Ecce ſecundum, quod puro. Ait enim: Sic confitebor in toto corde, & etiam *pſallam*, laudando, & verbo, & facto, & hoc, *in conſpectu Angelorum*, mihi Angelos proponendo, vt ad imitationem illorum, nihil terrenum quæram, ſed te tantum ſicut ipſi. 1. *Cor.*14. Pſallam ſpiritu, pſallam & mente. Et hoc, *in conſpectu Angelorum. Apoc.* 7. Ceciderunt in conſpectu throni in facies ſuas, & adorauerunt Deum. Et multum delectantur in tali oratione Angeli, quæ fit corde integro, & puro. Suprà in *Pſal.* Præuenerunt principes coniuncti pſallentibus. *Cant.vlt.* Quæ habitas in hortis, fac me audire vocem tuam: amici auſcultant te.

2. *Adorabo ad templum.* Hîc tertium, in quo promittit ſe laudaturum corde deuoto, quia intimo, & timido. Intimo, vt ſe ab omnibus retrahat: timido, vt retractum cor comprimat. Ait ergo: Sic pſallam corde puro, & *Adorabo*, aſcendens *ad templum ſanctum tuum*, ad cor meum proprium, prius ſanctificatum: ibi enim vis adorari. *Ioan.*4. Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate. Spiritus autem templum Dei eſt. 1. *Cor.*3. Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Ibi qui orat, exauditur. 3. *Reg.*8. Quicumque orauerit in loco iſto, exaudietur. *Ioël.*3. Omnis qui inuocauerit, intus vocauerit, nomen Domini, ſaluus erit.

Et confitebor, ingreſſus templum, *nomini tuo*, nominabili potentiæ tuæ. *Eccl. vlt.* Confitebor nomini tuo. *Act.* 4. Non eſt aliud nomen ſub cœlo, in quo oporteat homines ſaluos fieri.

Super miſericordia tua. Hîc præmiſſæ laudis materiam. Hæc autem ſunt tria. Peccatorum vocatio ad pœnitentiam. Secundum, promiſſorum ſolutio. *Et veritate.* Tertiò eius per quem vtrumque factum eſt, exaltatio, ibi, *Quoniam magnificaſti.* Dicit ergo: Sic confitebor: & hoc, *ſuper miſericordia tua*, id eſt, de miſericordia tua laudans te, qua vocas peccatores ad pœnitetiam. *Amos* 9. Qui vocat aquas maris, fluxibiles, & amaros peccatores: & effundit eas ſuper faciem terræ, ad literam reſoluens illos in lachrymas.

Et veritate tua, qua remuneras, & reddis promiſſa. *Num.*23. Non eſt Deus vt homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur. Suprà in *Pſal.* Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas. *Prou.*14. Miſericordia & veritas præparant bona. Et in 16. Miſericordia & veritate redimitur iniquitas.

Quoniam magnificaſti. Hîc tertium, exaltatio eius, per quem miſericordia & veritas facta eſt. Quaſi diceret: Dico, quòd confitebor ſuper miſericordia & veritate, quæ facta eſt, *quoniam magnificaſti ſanctum tuum*, Chriſtum, de quo ſuprà in *Pſal.* Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. *Super omne nomen*, hoc eſt, ſuper omne, quod nominabile creatum eſt. *Phil.* 2. Dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine IESV omne genuflectatur, &c. *Iſa.*7. Eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes. Et 60. Gens & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit. *Matth.vlt.* Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.

In quacunque die. Hîc ſecundum, in quo poſt- 3.
quam promiſit ſe laudaturum, petit vt exaudiat, & fructum laudis afferat: & dicuntur duo. Primò rogat vt petentem ſemper exaudiat. Secundò ſpecificat in quo velit exaudiri. *Multiplicabit.* Dicit ergo: Sic promitto me landaturum, & rogo Domine exaudi me, non aliquando tantum, vel ſemel, ſed *in quacumque die inuocauero te.* Suprà in *Pſal.* In quacumque die inuocauero te, velociter exaudi me. Quod ſi feceris, ſcio, quòd *multiplicabis in anima mea*, te laudante, & tibi confitente: *virtutem.* Vel ſic, vt ſumatur verbum pro verbo: Sic rogo, vt exaudias, in quacumque die inuocauero, & in hac *multiplicabis*, id eſt, multiplica, *in anima mea virtutem.* Et nota, quòd qui orat ſine nube cupiditatis, & culpæ, quod eſt orare in die, Dominus in anima ſua multiplicat virtutem. *Eccl.* 1. Multiplicationem ingreſſus eius quis intellexit? Quaſi diceret: Nullus. *Iſa.*58. dicitur purgato à peccatis, per ieiunium, & eleemoſynas: Implebit ſplendoribus animam tuam. Si petieris quid ſint ſplendores, virtutes ſunt: hæc eſt multiplicatio & abundantia, de qua *Iob* 5. Ingrédieris in abundantia ſepulchrum.

Confiteantur tibi Domine. Hîc ſecunda pars 4.
principalis totius huius Pſalmi. Poſtquam promiſit ſe laudaturum, optat vt alij perfecti laudent ſicut ipſe, & probat quod debent. Duo autem dicuntur. Primò enim monet ad confitendum ſimpliciter, vel optat eos ſimpliciter confiteri. Secundò laudare, & confiteri lætanter, quia cum cantu, ibi, *Et cantent.* In prima duo. Primò optat vt laudent. Secundò probat, quòd debent, ibi, *Quia audierunt.* Dicit ergo: Sic confitebor, & ô *Domine* opto, *confiteantur tibi omnes reges terræ*, omnes ſancti, & ſe bene regentes, tanquam regnum regi. *Apoc.*1. Princeps regum terræ. Et 19.

Rex

Rex regum,& Dominus dominantium. *Prou.* 21. Sicut diuiſiones aquarum,ita cor regis in manu Domini: quocumque volet, vertet illud. Reges autem terræ ſunt, qui motus carnales & terrenos reprimunt, & coërcent, ſecundum illud *Geneſ.*9. Sit terror veſter ſuper cuncta animalia terræ.

Quia audierunt. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic laudent, & debent: *quia audierunt*, obediendo, & libenter à prædicatoribus recipiendo, *verba oris tui*, quæ prius audierunt ſoli Iudæi, cum dixerunt illud *Exod.* 24. Omnia quæcumque ſuſſerit Dominus, faciemus. Hæc ad omnes reges poſtmodum facta ſunt. *Sap.* 6. Audite reges & intelligite,, & propter hoc vitauerunt confuſionem. *Eccl.*24. Qui audit me, non confundetur. Et adepti ſunt beatitudines, ſaltem ſpe. *Luc.*11. Beati qui audiunt verbum Dei, &c.

5. *Et cantent in viis.* Hîc ſecundum,in quo optat eis laudem lætam. Et primò quod cantent. Secundò, quid cantare debeant oſtendit. Tertiò probat, quòd ſic debent laudare. Ibi ſecundum, *Quoniam magna eſt.* Ibi tertium, *Quoniam excelſus.* Dicit ergo: Sic opto, quod laudent, & etiam *cantent*: ipſi, dico, exiſtentes, *in viis Domini*, in miſericordia ſcilicet & veritate, vt ſint miſericordes & veraces. Hæ viæ pulchræ, & ſemitæ eius pacificæ cognitæ:quia *Iſa.*2. Docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius. Et propter hoc ibi cantandum.*Tob.*13. Per vicos eius,Eccleſiæ ſcilicet, quæ ſunt miſericordia & veritas, cantabunt Alleluia.

Quoniam magna. Ecce quid cantabunt: hoc, *quoniam gloria Domini eſt magna*, non ſua. *Iſa.*6. Plena eſt omnis terra gloria eius. Sequentes per vias bene poſſunt hæc cantare, quia *Iob* 23. dicitur: Gloria magna eſt ſequi Dominum.

6. *Quoniam excelſus Dominus.* Hîc tertium, in quo probat, quod laudare debent, valde lætanter, & ſumuntur rationes à tribus. Prima ab ipſius maieſtate. Secunda à benignitate. *Et humilia.* Tertia à ſeueritate, ibi, *Et alta.* Quartò probat ſecundum quod eſt benignus, ibi, *Si ambulauero.* Quintò tertium, ibi, *Et ſuper iram.* Sextò primum. *Et ſaluum me fecit.* Dicit ergo: Sic opto, quod cantando laudent, & debent, *quoniam Dominus*, eſt, ſup. *excelſus*, maieſtate. Verè excelſus. *Iſa.* 55. Sicut exaltantur cœli à terra, ita exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris. Imò plus. *Iob* 11. Excelſior cœlo eſt,& quid facies? Et 26.dixit Eliu: Ecce Deus, Deus excelſus in fortitudine ſua.

Et humilia reſpicit, oculo miſericordiæ & pietatis, in quo monſtratur eius benignitas. *Gen.*29. Vidit Deus humilitatem meam. *Luc.*1. Reſpexit, inquit, humilitatem ancillæ ſuæ. *Iſa. vlt.* Ad quem reſpiciam, oculo miſericordiæ, niſi ad pauperculum, & humilem. *Sap.*6. Exiguo conceditur miſericordia.

Et alta, per ſuperbiam, *cognoſcit à longè*, tanquam indignans eis: in quo monſtratur eius ſeueritas. *Iacob.*4.& 1.*Pet.*4. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus, &c.

7. *Si ambulauero.* Hîc quartum, in quo probat, quòd verè benignus, & reſpicit humliia. Quaſi diceret: Sic dixi, quod benignus, & verè: quia *ſi ambulauero in medio tribulationis*, tanquam in fornace ignis ardentis,ô Domine,*viuificabis me*, *Iſa.*38. Corripies me, & viuificabis me. Et 43. Cum ambulaueris in igne, tribulationis, & tentationis, non combureris, me gratiam infundente, quia viuificaberis. *Greg.* Cum Dominus nos exterius affligit, interius nos reficit: cum enim exterius virtutem carnis humiliat, interius intentionem ſpiritus exaltat. 1. *Reg.* 2. Dominus mortificat,& viuificat: mortificat flagellando, & viuificat gratiam infundendo.

Et ſuper iram. Hîc probat tertium, ſcilicet, quod ſecurus. Quaſi diceret: Sic viuificat cum tribulor,vnde apparet,quod benignus. *Et* etiam ô Domine *extendiſti manum tuam*, eos affligendo; *ſuper iram inimicorum meorum*, id eſt, ſuper iracundos inimicos meos,vnde apparet ſeuerus. *Ezech.*25. Extendam manum meam ſuper Idumæam, & auferam de ea hominem, & iumentum. *Naum* 1. Vlciſcens Dominus ſuper inimicos ſuos.

Et ſaluum. Hîc probat primum: & dicuntur duo. Primò aſſerit ab eius potentia ſe ſaluatam. Secundò oſtendit ſalutis modum, ibi, *Dominus retribuet.* Quaſi diceret: Verè excelſum dixi: quia poſtquam me Domine viuificaſti in tribulatione, & ſuper inimicos manum extendiſti, *dextera tua*, poteſtas, & maieſtas tua, *ſaluum me fecit*, quod ab alio nequaquam fieri potuit. Dextera Patris, ſicut frequenter dictum eſt, eſt Filius, in quo ſaluat. *Iſa.*41. Auxiliatus ſum tibi, & ſuſcepit te dextera iuſti mei, vt ſit conſtructio intranſitiua. Hæc eſt dextera, de quâ *Sap.*5.Dextera ſua proteget eos.Et *Prou* 3. Longitudo dierum, quia æternitas, in dextera illius: dator enim eſt filius longitudinis dierum,id eſt, æternitatis.

Dominus retribuet pro me. Hîc ſecundum, in quo oſtendit ſalutis modum, vel cauſas tres. Prima, debiti ſolutio pro genere humano. Secunda, miſericordiæ continuatio in conſeruando, ibi, *Domine miſericordia tua.* Tertia,dilectio ad creaturam ſuam, ibi, *Opera manuum.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd ſaluum me fecit, iam ſpe certiſſima. Quomodo? Quia *Dominus retribuet pro me*, debitum ſoluendo pœnarum, ad quas non ſufficio. *Iob* 9. Non reſpondebo vnum pro mille. *Mich.*6. Quid dignum offeram Domino? curuabo genu Deo meo.*Rom.*8. Pro nobis omnibus tradidit illum. 1. *Cor.* 6. Empti enim eſtis pretio magno. *Eccl.*29. Gratiam fideiuſſoris ne obliuiſcaris: dedit enim pro te animam ſuam: non poteras retribuere, & ipſe retribuit. Vel ſic: *Dominus retribuet. Pſal.* Dominus retribuet abundanter à facientibus ſuperbiam. Et hoc, *pro me*: non intromittam me. 1. *Theſſ.* 5. Nulli malum pro malo reddentes. *Rom.* 12. idem: ſed Deus reddet. *Deuter.* 32. Mihi vindictam, & ego retribuam eis in tempore. 2. *Theſſ.* 1. Si quidem iuſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem his, qui vos tribulant. 8.

Domine miſericordia tua. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic Dominus retribuet,nec propter hoc ceſſabit eius miſericordia, imò ô tu *Domine miſericordia tua. Eccl.*4. Gratia ſicut paradiſus in benedictione, & miſericordia in ſæculum permanet.

Opera manuum. Ecce tertium. Quaſi diceret: Sic ſolues debitum, & miſericordiam exhibebis, propriè tuam: & ô Domine, *opera manuum tuarum*, quæ nos ſumus, *non deſpicias*, ſed diligas ſemper, & quantum eſt in te promoueas. *Iſa.* 64. Et nunc Domine pater noſter es tu, nos vero lutum: fictor noſter, & opera manuum tuarum omnes nos. *Iob* 10. Manus tuæ Domine fecerunt me, & plaſmauerunt me. Hæc ergo opera ne deſpicias, ſi iacent in luto præſentis miſeriæ, ſed magis dexteram porrige. *Iob* 14. Operi manuum tuarum porrige dexteram, ad eripiendum, & in æternam gloriam deducendũ, ipſo præſtante, qui eſt benedicta dextera tua, &c.

IN CXXXVIII. PSALMVM.

In finem, Pſalmus Dauid.

1. *Argumentũ Pſalmi, obſirmata voluntas nunquam recedendi à Deo.*

Domine probaſti me. Hic eſt Pſalmus 138. in toto libro, 38. in tertia parte libri. Cum enim in præcedenti Pſalmo, ſe laudaturum promiſit perfectus vir, & à peccati captiuitate liberatus, & alios ad hoc ipſum inuitauerit, hic oſtendit ſe non receſſurum amplius à Deo, nec rediturum ad captiuitatem Babylonicam, ſed in Deum progreſſurum magis, tanquam in finem ſuum. Vnde bene præponitur titulus: *In finem, Pſalmus Dauid*, qui ſic poteſt exponi: *Pſalmus* ſubiectus ipſius *Dauid*, vt actoris eſt: vel *Dauid*, id eſt, viro profecto competit, ordinans ipſum *in finem*, Chriſtum, vt ad ipſum tendat, & ſemper ei magis ac magis adhæreat.

Diuiditur autem Pſalmus in duas partes, ſecundum quatuor cauſas, de quibus agit, propter quas non recedet amplius à Deo. Prima, propter eius mirabilem ſcientiam, & cognitionem, omnia penetrantem. Secunda, propter Dei potentiam omnia complectentem, ibi, *Quò ibo à ſpiritu?* Tertia, propter infinitam eius miſericordiam, omnia attrahentem, & ſibi aſtringentem, ibi, *Confitebor tibi, quia terribiliter.* Quarta, propter diſtrictam eius iuſtitiam, nihil penitus inultum relinquentem. *Si occideris Deus.* In prima autem dicuntur tria. Primò oſtendit in Deo ſapientiæ & ſcientiæ generalitatem. Secundò eminentiam, ibi, *Ecce Domine tu cognouiſti.* Tertiò ſingularitatem, ibi, *Mirabilis facta eſt.* In prima tria, ſecundum triplicem modum cognoſcendi. Primò quod cognoſcit ipſum qui loquitur, cognitione experientiæ & probationis. Secundò approbationis, ibi, *Tu cognouiſti ſeſſionem.* Tertiò notitiæ ſimplicis, ibi, *Intellexiſti cogitationes.*

Dicit ergo, vt caput Chriſtus loquatur: Confitebor tibi Domine, quia ô *Domine* pater, *probaſti me*, in mea paſſione, & ſic *cognouiſti me*, talem qui dignus eſſem reſuſcitari, vnde probaſti, & approbaſti. *Act.* 2. IESVM Nazarenum approbatum à Deo, ſicut & ſuos omnes Dominus ſemper probat. *Eccl.* 27. Vaſa figuli probat fornax, & viros iuſtos tentatio tribulationis. *Tob.* 12. dixit Angelus ad Tobiam: Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit vt tentatio probaret te. *Iob* 7. Viſitas eum diluculo, & ſubitò probas illum. Et *Sapient.* 3. Tanquam aurum in fornace probauit eos, &c. Et *Iob* de ſeipſo dicit in 23. Ipſe ſcit viam meam, & probauit me quaſi aurum, quod per ignem tranſit. Et ſic cognoſcit cognitione probationis, & experientiæ, & alios etiam cognoſcere facit. 1. *Tim.* 2. Nouit Dominus qui ſunt eius. *Geneſ.* 12. Nunc cognoui, id eſt, cognoſcere te feci, & alios de te, quod timeas Deum.

2. *Tu cognouiſti.* Hîc oſtenditur in Deo cognitio approbationis, & tangit duo, quæ approbat Deus in vero pœnitente, humilitatem, & erectionem ſui ad æterna. Primum ſignificatur in ſeſſione. Secundum in reſurrectione. In Chriſto autem capite ſignificatur approbatio paſſionis, & reſurrectionis. Ait enim: Sic probaſti me, & cognouiſti: & ô Domine *tu cognouiſti*, cognitione approbationis, *ſeſſionem meam*, paſſionem ſcilicet meam, ſecundum quod caput loquitur, & *reſurrectionem meam*, tertia die factam. Secundum quod loquitur pœnitens: *Tu cognouiſti* approbando, *ſeſſionem meam*, humilitatem, quæ anima manente erecta corpus deiicit, & *reſurrectionem meam*, erectionem ſcilicet ad æterna. *Mich. vlt.* Conſurgam cum ſedero in tenebris: Dominus lux mea eſt. *Pſal.* Surgite, ad æterna deſideranda, poſtquam ſederitis, humiliando vos & deiiciendo, qui manducatis panem, &c. *Thren.* 3. Seſſionem eorum, & reſurrectionem vide.

Deum multipliciter probat ſanctos.

Nota, quòd probat Dominus ſanctos vt vtrẽ, ſi infuſa retinet. *Eccleſ.* 21. Cor fatui quaſi vas confractum, omnem ſapientiam non tenebit. Si clarè ſonat, agendo gratias ſicut *Iob* 1. Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum. Vt vas igne exponendo, ſi ſolidatum fuerit. *Eccl.* 27. Vaſa figuli probat fornax, & viros iuſtos tentatio tribulationis. Si purificatum bene. *Eccl.* 1. In igne probatur aurum & argentum, homines vero receptibiles, in camino humiliationis. Vt amicum, ſi in malis non deſerat. *Eccl.* 6. Si poſſides amicum, in tentatione poſſide illum. Et in 12. In bonis non agnoſcitur amicus. Item ſi malum pro ſe libenter ſuſtineat. *Cant.* 8. Si dederit homo omnem ſubſtantiam ſuam pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.

3. *Intellexiſti cogitationes.* Hîc ſubiungitur de tertio modo cognoſcendi, per ſimplicem ſcilicet notitiam. Et primò tangitur cognitio cogitationum. Secundò affectionum, quibus in occulto, vel itur ad Deum, vel receditur à Deo. *Semitam meam.* Tertiò quantitatis meritorum. *Et funiculum.* Quartò actuum. *Et omnes vias meas.* Quintò intentionum. *Quia non eſt ſermo.* Dicit ergo: Sic cognitione approbationis cognoſcis me, & etiam *intellexiſti*, ſimplici notitia cognoſcendo, *cogitationes meas*, & hoc *de longè*, hoc eſt, cum adhuc eſſem in ſtatu culpæ. *Eccl.* 43. Non præterit illum vllus cogitatus. *Pſal.* Dominus ſcit cogitationes hominum. 1. *Paral.* 28. Omnia ſcrutatur Dominus, & vniuerſas mentium cogitationes intelligit.

Semitam meam. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic intellexiſti cogitationes, & *inueſtigaſti ſemitam meam*, occultum ſcilicet conſenſum meum, quo aliquando receſſi à te, ſicut filius prodigus à pio patre. *Luc.* 15. *Eccl.* 7. Non te iuſtifices ante Deum, quia agnitor cordis ipſe eſt. 1. *Reg.* 16. Homo videt ea quæ parent, Deus autem intuetur cor. *Iob* 14. Signaſti quaſi in ſacculo delicta mea.

Et

Et funiculum meum, mensuram scilicet peccati mei, *inuestigasti*, quantum in illo demerueram. *Isa.* 5. de tali funiculo: Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis. *Ezech.*47. Ecce vir egrediebatur ad Orientem, & funiculus mensoris in manu eius, vt mensuret pœnam secundum mensuram iniquitatis. *Luc.*6. In qua mensura mensi fueritis, &c.

4. *Et omnes vias meas*. Ecce quartum. Quasi diceret: Sic cognouisti cogitationes & affectiones, & ipsarum quantitates: *& etiam omnes vias meas*, operationes scilicet, *præuidisti*. *Iob* 34. Oculi eius super omnes vias hominum. *Prou.*16. Omnes viæ hominum patent oculis eius. *Eccles.* 23. Oculi eius multò plus lucidiores super solem circumspicientes omnes vias hominum, imò præuidentes. In eodem: Domino Deo nostro antequam crearentur, omnia sunt cognita.

Quia non est sermo. Hîc quartum, scilicet cognitio intentionum, & potest sic continuari ad præcedentia: Intellexisti & hoc etiam, *quia non est sermo*, fraudulentiæ, *in lingua mea*, vt vnum dicam, & aliud intendam. Scio enim illud *Prouerb.* 12. Abominatio Domini labia mendacia. *Sap.*1. Sermo obscurus, qui intentionem operit, non aperit, non ibit in vanum. Sed si de capite intelligatur, verissimum est: in lingua enim sua non fuit dolus. *Isa.*53. 1. *Pet.*2. Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Sic etiam posset legi. Habes cognitionem cogitationum, affectionum, actionum, & etiam sermonum, *quia non est sermo in lingua mea*, qui te lateat. *Eccl.*42. Non abscondit se ab eo omnis sermo.

5. *Ecce Domine tu cognouisti*. Hîc secunda pars primæ partis, in qua ostensa scientiæ Domini generalitate, ostendit eminentiam illius scientiæ. Et primò asserit eminentiam. Secundò probat assertam. *Tu formasti*. In prima duo tanguntur, per quæ eminentia scientiæ asseritur, cognitio scilicet futurorum in vltimis temporibus, & cognitio præteritorum in antiquis. Ait enim: Sic cognoscis omnia, quæ prædixi: nec dicat aliquis, illa cognoscis, quia præsentia, quia ô *Domine ecce*, in aperto est, *tu cognouisti omnia nouissima*, temporibus scilicet nouissimis fienda, *& antiqua*, scilicet à principio mundi facta. Tibi enim nihil præterit, nihil futurum succedit, totum præsens est tibi. *Exod.*3. Ego sum qui sum. Et in eodem: Qui est, misit me ad vos. Hinc dicitur idolis. *Isa.*41. Priora, quæ fuerunt, nuntiate, & ponemus cor nostrum, & sciemus nouissima eorum: & quæ futura sunt, nuntiate nobis. Cognouisti antiqua, quomodo per primum præuaricatorem, hominem ruimus in peccatum omnes. *Rom.*5. Per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi. Et cognouisti nouissima, pœnam & mortalitatem, quæ in omnibus est sequuta. *Rom.*5. Per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors. *Gen.*3. In sudore vultus tui, &c. *Iob* 5. Homo nascitur ad laborem.

Tu formasti. Hîc probat eminentiam dictam, & hoc per duo. Per formationem & creationem hominis: quis enim factor ignorat facturam? Et per inflictam pœnam. *Et posuisti*. Dicit ergo: Sic omnia cognouisti, & prima: & hoc patet, quia, sup. *tu*, non alius, *formasti me* & omnes alios in primo parente, & etiam certe in vteris matrum nostrarum omnes nos.

Et posuisti, affligendo, vnde alia litera habet: *Aggrauasti super me manum tuam*. *Iob* 19. Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Et 23. Manus plagæ meæ aggrauata est.

Mirabilis facta est. Hîc tertium, in quo ostendit scientiæ Dei singularitatem. Duo ergo dicuntur. Primò dicit mirabilem, quasi singularem, & insolitam: hoc est enim mirabile. Secundò probat per duo. Per immutabilitatem. *Confortata est*. Et incomprehensibilitatem, ibi, *Et non potero ad eam*. Dicit ergo: Sic scientiæ habes vniuersalitatem, & eminentiam, & singularitatem: quia ô Domine, *scientia tua est mirabilis*, & hoc, *ex me*, id est, ex peccato meo. Quasi diceret: Sic peccatum meum me excæcauit, vt scientia tua non sit omnino attingibilis à meo intellectu: tenebræ enim super cor meum factæ sunt. *Gen.*1. Tenebræ erant super faciem abyssi. Et *Iob* 16. Palpebræ meæ caligauerunt. *Iob* 17. In tenebris straui lectulum meum. 6.

Confortata est, immutabiliter stabilis. *Mal.vlt.* Ego Deus, & non mutor. *Iacob.*1. Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.

Et non potero ad eam, vt eam comprehendam, quasi essem sine culpa. *Iob* 36. Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram. Et 24. Ex quo absconderit vultum suum, non est qui contempletur eum. *Rom.* 11. O altitudo sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!

Quò ibo à spiritu tuo? Hîc est secunda pars totius huius Psalmi, secundum diuisionem superius dictam, in qua ostendit non esse fugiendum à Deo, propter eius potentiam omnia complectentem, & vbique fugientem comprehendere potentem. Primò ergo quærit, quò fugere possit à Deo recedens, ostendens quod nusquam. Secundò consilium inuenit secundum *Glossam*, quid facturus sit, ibi, *Si sumpsero*. Vel ostendit, quòd nec latere possit, quantumcumque profundis tenebris circumdatus sit, ibi, *Et dixi: Forsitan*. In prima duo. Primò quærit si fugere possit iram Dei. Secundò si præsentiam, ibi, *Et quò à facie tua*. Dicit ergo: Sic habes mirabilem omnium cognitionem, & etiam, *quò ibo à spiritu tuo?* ira scilicet tua, quæ spiritus appellatur. *Genes.*6. Non permanebit spiritus meus in homine, eò quòd caro est. *Quò ibo* etiam *à spiritu tuo*, volens recedere, qui totum replet. *Sap.*1. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. *Et quò à facie tua*, à præsentia scilicet tua *fugiam?* Quasi diceret: Nusquam. *Amos* 2. Peribit fuga à veloce. Et in 9. Non erit fuga eis, & qui fugerit, non saluabitur ex eis. *Sap.*16. Manum tuam effugere est impossibile. Propter hoc fatuus erat Ionas, & humanum aliquid patiebatur, qui surrexit vt refugeret in Tharsis, à facie Domini. *Ion.* 1. *Greg.* Quia Deus vbique est, locus vbi fugiatur, non est. 7.

Si ascendero in cœlum. Hîc secundum, in quo ostendit, quod fugere non possit: & dicuntur tria secundum triplicem locum, ad quem non 8.

valebit fuga: altum, qualis eſt cœlum: profundum, qualis eſt infernus. *Si deſcendero.* Remotum ab habitatione hominum, qualis eſt in extremis maris, ibi, *Si ſumpſero.* Dicit ergo: Sic dixi, quod fugere non poſſum, & verum dixi, quia *ſi aſcendero in cœlum*, & locus altus, *tu illic es.* 2.*Par.*2. Cœlum, & cœli cœlorum te capere non poſſunt. *Ierem.* 23. Cœlum & terram ego impleo. *Iſa. vlt.* Cœlum mihi ſedes eſt. *Iob* 11. Excelſior cœlo eſt, & quid facies? aſcendendo in illud. Quaſi diceret: Nihil. *Si deſcendero in infernum, ades. Iob* 23. Nudus eſt infernus coram eo. *Iob* 11. Profundior eſt inferno, & vnde cognoſces?

9. *Si ſumpſero pennas.* Ecce tertium, quod nec in remoto ab habitatione hominum, & loquitur metaphoricè, & pendet conſtructio duorum verſuum. Quaſi diceret: Surſum non poſſum euadere tuam potentiam, nec deorſum, & etiam *ſi ſumpſero pennas meas diluculo*, id eſt, ſi velox fuero tanquam auicula pennata in mane, quando vacua eſt: *& habitauero in extremis maris*, vbi nulli hominum eſt habitatio.

10. *Etenim illuc manus tua deducet me*, ſine te tranſire non potero, *& tenebit me*, ibi deductum, *dextera tua*, potentia ſcilicet tua: nec terra, nec mare mihi aliquid valere non poterunt, quia totum occupas, totum penetras. *Iob* 11. Longior terra menſura eius, & latior mari. *Pſal.* In mari via tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis. *Eccleſ.* 24. dicere poteſt Dei potentia: Gyrum cœli circuiui ſola, & profundum abyſſi penetraui, & in fluctibus maris ambulaui.

Triplex ſtatus, in quo non poteſt homo Deum euadere.

Triplex autem ſtatus ſignificatur, in quo non poteſt homo Deum euadere. Superbiæ, *Si aſcendero in cœlum*, cum illo qui dicit *Iſa.* 14. Aſcendam in cœlum, ſuper aſtra cœli exaltabo ſolium meum. Illic bene inuenies me. *Iob* 20. Si aſcenderit in cœlum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur. *Si deſcendero in infernum*, per deſperationem deorſum, dicens illud *Iſa.*14. Verumtamen ad infernum detraheris. Et illud *Iob* 17. In profundiſſimum infernum deſcendent omnia mea: tamen inde poteris educere me. *Amos* 9. Si deſcenderit vſque ad infernum, inde manus mea educet illos: & ſi aſcenderint vſque ad cœlum, inde detraham illos. Sed *ſi ſumpſero pennas meas*, virtutem meam charitatis geminam, ſecundum illud *Iſa.* 40. Qui ſperant in te, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ. *Apoc.* 12. Datæ ſunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ. *Et habitauero in extremis maris*, in extrema ſcilicet amaritudine contritionis. *Geneſ. penult.* Zabulon in littore maris habitabit. Vel mare, mundus. *Eccleſiaſt.* 43. Qui nauigant mare, enarrent pericula eius. In huius maris extremitate habitat, qui omnibus propter Chriſtum renuntiat. *Matth.*19. Vade, & vende omnia quæ habes, &c. Et hoc *diluculò*, in ortu ſcilicet nouæ gratiæ illuminantis animam. *Oſeæ* 6. Quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus eius, ad extremitates maris. Illuc manus Domini deducit. *Deut.*8. Ductor tuus fuit, in ſolutudine magna atque horribili. Illic tenet dextera, ſola ſcilicet Dei potentia. In *Pſal.* ſuprà: Saluum me fecit dextera tua. *Phil.*2. Qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.

Et dixi: Forſitan tenebræ. Oſtenſo quòd non poſſit effugere Dei potentiam, hîc oſtendit quod nec latere: & dicuntur duo hîc. Primò quòd aliquo modo poſſe latere cogitando contulerit. Secundò reſponder, quòd nihil valere poſſit, ibi, *Quia tenebræ.* In prima duo. Primò deliberatio, quòd tenebris abſcondetur à Deo. Secundò, quòd in illis deliciis perfruetur, ibi, *Et nox illuminatio.* Dicit ergo: Sic fugere non poſſum tuam potentiam, ſed nunquid latere præſentiam? Nullo modo: quia *& dixi*, deliberando, & conferendo apud meipſum: *Tenebræ conculcabunt me*, abſcondent me, ſicut quod conculcatur à petra abſconditur. *Iob* 37. Nos quippe inuoluimur tenebris. *Et* ſic, *nox*, erit ſup. *illuminatio mea in deliciis meis*, perpetrandis, id eſt, liberè, & audacter fruar omnibus deliciis in illis tenebris: nec aliam quæram illuminationem. *Ioan.* 3. Qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem vt non arguantur opera eius. Et in eodem: Dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. Vel ſic ſecundum *Gloſſam:* Aduerti, quòd ſi ſumptis pennis auolauero, tunc me deduces & tenebis: & tamen dixi timens volare: *Forſitan tenebræ*, tribulationum, & miſeriarum huius vitæ, *conculcabunt me*, deiicient volantem. Vel ipſi mali homines huius mundi, qui dicuntur tenebræ. *Epheſ.*5. Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Et conculcant. *Abac.* 1. Quare taces impio conculcante iuſtiorem ſe?

11. *Et nox.* Quaſi diceret: Sic timui, quod non poſſem volare, & tranſire propter noctem, de meis viribus non confidens, & ideò propter hanc, ſcilicet humilitatem, *nox* præſentis miſeriæ, facta eſt *illuminatio mea*, conuerſa eſt mihi miſeria in inſtructionem. *Iſa.*28. Sola vexatio dabit intellectum auditui. *Tob.*11. Fel piſcis illuminauit oculos Tobiæ. *Eccl.*24. Mittit diſciplinam, miſerias & tribulationes huius vitæ, quaſi lucem. *Ierem.* 6. Per omne flagellum erudieris Ieruſalem. *Thren.* 1. De excelſo miſit ignem, tribulationis, ſup. & erudiuit me. Et hoc *in deliciis meis*, id eſt, in Chriſto conſideratis, & ante oculos poſitis: Chriſtus enim debet eſſe deliciæ Chriſtianorum, per cauſam: quia præbet eis delicias. *Geneſ.*49. Aſſer, pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus. Et ſeipſum facit eorum delicias. *Iob* 22. Super Omnipotentem deliciis affluës, id eſt, affluës deliciis de ipſo Omnipotente habitis.

12. *Quia tenebræ.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit quòd nihil valet, quod cogitauerit latere, quia tenebræ nihil ſunt ad lucem quæ Deus eſt. Duo ergo dicuntur. Primò manifeſtatio tenebratum, & omnium quæ in illis ſunt æquè ac diei quantum ad Deum. Secundò probatio, quod ſic eſt, ibi, *Quoniam tu poſſedisti.* In prima tria. Primò quia tenebræ illi non ſunt obſcuræ. Secundò quòd imò quoad Deum ſicut dies. *Et ſicut dies.* Tertiò breuiter indifferentia vtriuſque quantum ad Deum, ibi, *Sicut tenebræ eius.* Dicit ergo: Sic nihil fuit quod cogitaui, *quia tenebræ*, quantumcumque profundæ, *non obſcurabuntur à te*, id eſt, à tua præſentia, id eſt, te in præſentia exiſtente, ſicut me, vel aliquo

quo alio: *& nox illuminabitur*, illuminata scilicet reddetur, *sicut dies:* nihil enim refert vtrum dies, vel nox quantum ad te. Vnde subdit: *Sicut Tenebræ eius*, diei scilicet naturalis apud te, *ita & lumen eius.* Sic potest legi secundum consequentiam literæ.

Vel sic: Dixi, quòd tenebræ erunt mihi lux, attendenti delicias, quæ sunt ipse Christus: *quia tenebræ*, id est, tribulationes, ô tu Christus, *à te*, immissæ, sup. *non obscurabuntur à te*, flagellante, sed magis illuminabuntur. *Naum* 1. Onus Niniuæ, tribulatio scilicet mundi, liber visionis, est sup. *Isa.* 9. Habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. 2. *Cor.* 4. Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit cordibus vestris. *Et nox*, peccati, vel homo peccator, *illuminabitur à te*, vera luce, *sicut dies:* omnes enim illuminas. *Ioan.* 1. Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Non solum iustos, & innocentes illuminat, sed etiam peccatores. *Matth* 9. Non veni vocare iustos, sed peccatores. *Ezech.* 18. Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat. Vel noctem appellat hîc aduersitatem, & diem prosperitatem, quæ duo sunt in hac misera vita: sed Deus vtramque illuminat, quoniam stabilitatem animæ dat, siue in aduersitate, siue in prosperitate. 1. *Reg.* 1. Vultus illius non sunt amplius in diuersa mutati. *Phil.* 4. Didici in quibus sum sufficiens esse, scio humiliari, scio & abundare.

Sicut tenebræ eius, huius scilicet vitæ aduersitate, *ita & lumen eius*, id est, prosperitates. *Prou.* 12. Non contristabit iustum quicquid ei acciderit. *Prou.* 28. Iustus quasi leo confidens, absque terrore erit. *Exod.* 13. Dominus dat suis columnam nubis in die, & ignis lucentis in nocte, vt in vtraque sint bene instituti.

13. *Quia tu possedisti.* Hîc secundum, scilicet probatio primi, quod latere scilicet non possit in tenebris, imò ipse sit æquè cognitus à Deo, sicut in die. Et probat hoc per duo. Primò per dominium, & possessionem cordis. Secundò per eductionem de vtero propriæ matris. *Suscepisti me.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd sicut tenebræ, ita & lumen: & è contrario, vnde ibi latere non possum. *Quia tu possedisti renes meos*, id est, interiores affectiones meas, & voluntates omnes habes in tua potestate. *Ierem.* 20. Probator iusti, qui vides renes & corda. Et etiam *suscepisti me*, tanquam tuum, & à te conseruandum; *de vtero matris meæ.* Suprà in *Psal.* In te proiectus sum ex vtero, de ventre matris meæ tu es susceptor meus.

Vel secundum aliam lecturam: sicut prosperitas, sic aduersitas: in omnibus te faciente illuminamur & stamus. Et hoc est ô Domine: *quoniam tu possedisti renes meos*, possessor per gratiam meatum affectionum fuisti, vt restringens in me omnem luxuriam. *Sap.* 8. Aliter non possum esse continens, nisi Deus dederit. *Prou.* 21. Cor regis in manu Domini. *Leuit.* 2. Reticulum iecoris cum reminiculis, omnem scilicet delectationem interiorem, adolebunt coram Domino. Hi sunt renes, de quibus *Exod.* 12. Renes vestros accingetis.

Suscepisti me, sursum ad te cepisti, *de vtero*, de consuetudine praua, in qua iacebam, *matris meæ*, ciuitatis Babylonicæ, in qua mansi tanquam filius. *Isa.* 42. Ecce seruus meus, suscipiam eum. Et 41. Suscepi te dextera iusti mei. *Gal.* 1. Cum autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ.

Confitebor tibi. Hîc est tertia pars principalis Psalmi, in qua ostendit, quòd non recedet à Deo, sed magis laudabit propter beneficia, & largam ipsius misericordiam. Tria ergo dicuntur. Primò promittit laudem. Secundò subiungit laudis vniuersalem rationem. *Quia terribiliter.* Tertiò descendit & specificat illam. *Et anima mea.* Dicit ergo: Tantæ potentiæ es Domine, & tantæ sapientiæ, non possum te effugere, vel latere: propter hoc ego non fugiam, imò *confitebor tibi*, confessione veræ fidei, & laudis. 14.

Quia terribiliter magnificatus es. Hîc tangit laudis causam vniuersaliter. Et primò Dei magnificentiam in se. Secundò in suis operibus. *Mirabilia.* Ait enim: Sic confitebor, & iustum est: *quia magnificatus es*, vel *mirificatus*, alia litera: non enim possumus te considerare, quin magnum & mirificum inueniamus. Magnificum & mirificum inuenerat *Daniel*, qui dicebat in 10. Domine mi in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, & nihil in me remansit virium. *Deut.* 10. Deus magnus, & potens, & terribilis, magnificatus potestate. *Dan.* 7. Potestas eius potestas æterna. Magnificatus potestate. *Phil.* 2. Factus est Patri obediens vsque ad mortem. Propter hoc & Deus exaltauit illum. *Hebr.* 2. Videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum. Et propter hoc, quia magnificatus isto modo, scilicet per passionem, terribiliter magnificatus est dæmonibus, & malis hominibus: quia *Luc.* 23. Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet?

Mirabilia. Quasi diceret: Non solum in te magnificatus es & mirificus, sed etiam *opera tua*, sup. sunt *mirabilia. Iob* 5. Qui facit magna, & inscrutabilia, & mirabilia, quorum non est numerus. *Apoc.* 15. Magna & mirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens. Sub veteri lege, fuere proprie signa. 1. *Cor.* 1. Iudæi signa quærunt. Sed in noua, mirabilia facta sunt. *Eccl.* 36. Innoua signa, & immuta mirabilia.

Et anima mea. Hîc tertium, in quo specificat Dei magnificam bonitatem, per opera multa, quæ enumerat ad pietatem Dei pertinentia: & loquitur in persona totius corporis Ecclesiæ. Primò ergo tangitur illustratio fidei. Secundò quorundam in Ecclesia in constantia perfectio, ibi, *Non est occultatum.* Tertiò infirmorum pia supportatio, ibi, *Imperfectum meum.* Quartò ad vitam prædestinatio, tam perfectorum, quam imperfectorum, ibi, *Et in libro tuo.* Quintò imperfectorum perfectio & informatio ad similitudinem sui, ibi, *Dies formabuntur.* Sextò & vltimò perfectorum exaltatio, ibi, *Mihi autem nimis.* Dicit ergo: Sic mirificus in te, & in tuis operibus: *& anima mea*, infundente te fidei lucem, *cognoscet nimis*, id est, valde. 1. *Cor.* 13. Videmus nunc per speculum in ænigmate. Quomodo dicit se nimis cognoscere? Respon. Hoc dicit comparatione ad cognitiones alias inferiores, quæ sunt per rerum species,

quales ſunt ſcientia, & opimio. Vel hoc dicit, quia nullus ſcit, quanta ſit certitudo fidei, niſi qui intus ſentit. *Apocal.* 2. Nemo nouit, niſi qui accipit. *Iſa.* 24. Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi.

15. *Non eſt occultatum.* Hîc ſecundum beneficium, perfectio quorundam in conſtantia fidei: & tangitur primò perfectio. Secundò monſtratur beneficij magnitudo. *Et ſubſtantia mea.* Dicit ergo: Sic anima mea cognoſcit, &, ô Domine, *os meum* (os oſſis) id eſt, fortes in corpore meo, dicit Eccleſia, *quod feciſti in occulto*, latent enim conſtantes & fortes in fide, qui occidi poſſunt, flecti nequeunt. *Rom.* 8. Quis nos ſeparabit à charitate Dei, quæ in CHRISTO IESV? Scio quod neque mors, neque vita, &c. Inter carnales, *non eſt occultatum à te*: tu enim omnia noſti. Hæc ſunt oſſa, de quibus. *Iob* 7. Suſpendium elegit anima mea, ſuſpendium contemplationis: & mortem oſſa mea, non fugiunt ipſam. Et 10. Oſſibus & neruis compegiſti me. Oſſa conſtantes: nerui qui flexibiles ſunt, compatientes. Sed hæc non te latent, quia tu vides corda, etſi homines lateant. 1. *Reg.* 16. Homines vident ea quæ parent, Deus autem intuetur cor. Nullus ergo ſe debilem dicat, quia Deus nouit, in quo poſuit fortitudinem. *Prou.* 24. Si dixeris, Vires non ſupetunt, qui inſpector eſt eſt cordis, ipſe intelligit.

Et ſubſtantia mea. Hîc monſtratur beneficij magnitudo, quia data ſibi talis perfectio adhuc in carne corruptibili exiſtenti. Ait enim: Sic os non eſt occultatum, quod feciſti: & tamen, ſup. *ſubſtantia mea*, eſt adhuc, *in inferioribus terra*, id eſt, adhuc ſubſiſto in corruptibili carne, & puluere. *Gen.* 3. Puluis es, & in puluerem reuerteris. *Iob* 10. Memento quæſo, quòd ſicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me.

16. *Imperfectum meum.* Hîc tertium beneficium, ſcilicet imperfectorum pia ſupportatio, quod ſignificatur in intuitu oculorum. Ait enim: Sic fortes feciſti, & etiam *oculi tui*, miſericordiæ & pietatis, *viderunt*, gratiam infundendo, & miſericordiam, *imperfectum meum.* Sic infirmum reſpexit Petrum. *Luc.* 23. & Mathæum ſedentem in telonio *Matth.* 9. *Sap.* 4. Et reſpectus in electos illius. *Eccl.* 24. Inſpiciam omnes dormientes, imperfectos qui torpent: & illuminabo omnes ſperantes in Domino, gratiam infundendo. Nonne *Matt.* 14. extendit manum, vt Petrum eriperet adhuc imperfectum? Vnde & ibidem ſubditur: Modicæ fidei, quare dubitaſti?

Et in libro tuo. Hîc beneficium quartum, ſcilicet vtrorumque prædeſtinatio, perfectorum ſcilicet, & imperfectorum. Ait enim: Sic perfectos feciſti, imperfectos oculo miſericordiæ reſpicis: & *in libro tuo*, prædeſtinationis ſcilicet, *omnes ſcribentur*, tam perfecti, quam imperfecti: non enim ſolum perfecti ſaluabuntur, ſed etiam imperfecti. *Gen.* 7. Arca non ſolum homines continebat, ſed etiam animalia. Sed qui non ſcribetur, damnabitur. *Apoc.* 20. Qui non eſt inuentus ſcriptus in libro vitæ, miſſus eſt in ſtagnum ignis. Sed electi, ſine deletione in illo ſcribuntur. *Apoc.* 3. Qui vicerit, veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ. Vnde ſi loquitur Chriſtus hîc pro membris, idem eſt ac ſi diceret: In me omnes ſcribentur: ipſe enim eſt liber. *Apoc.* 20. Alius liber apertus eſt, qui eſt liber vitæ, ſcriptus intus & foris. Intus quoad diuinitatem, exterius quoad humanitatem.

Dies formabuntur. Hîc quintum opus mirificum, imperfectorum perfectio, ad ſui ſimilitudinem. Ait enim: Sic omnes ſcribentur tam perfecti, quam imperfecti: & illi qui perfecti erunt, in te perficientur: quia *dies*, Apoſtoli ſcilicet, de quibus dicitur in *Pſal.* Dies diei eructat verbum. Dies clari, fertiles, & calidi, nonne ipſi ſunt, quibus dictum eſt: Vos eſtis lux mundi? Lux autem clara, fertilis, & clara eſt. Et habent horas duodecim. *Ioan.* 11. Nonne duodecim horæ ſunt diei? Ita illi duodecim, qui numerantur *Gal.* 5. duodecim ſcilicet fructus ſpiritus. *Formabuntur*, in te, in tua gratia renati, & à tuo nomine nominati. *Ioan.* 17. Claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis, tanquam formans eos. *Iſa.* 61. Vos ſacerdotes Domini vocabimini: Miniſtri Dei noſtri, dicetur vobis. *Cur Apoſtoli dicũtur dies.*

Et nemo in eis, formabitur, ſed in te: non enim gratiam infundunt, nec ab ipſis erunt nominati, vt à Petro dicantur Petrini, à Paulo Paulini. *Ioan.* 1. Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem, hic eſt qui baptizat, & non alius. *Act.* 4. Non eſt aliud nomen ſub cœlo, in quo oporteat homines ſaluos fieri.

17. *Mihi autem nimis.* Hîc eſt ſextum opus miſericordiæ, & mirificum, ſcilicet perfectorum exaltatio: & tanguntur duo. Primò ipſorum exaltatio. Secundò cauſa, & ratio, ibi, *Reſurrexi.* In prima dicuntur tria. Primò ipſorum ſublimatio. Secundò in ſublimatione confirmatio, ibi, *Nimis confortatus eſt.* Tertiò ſublimatorum & confirmatorum multiplicatio vehemens, ibi, *Dinumerabo eos.* Dicit ergo: Sic perficientur in te Apoſtoli, & omnes perfecti: & nullus in eis, tamen non propter hoc credantur viles: quia *amici tui*, ô *Deus honorati ſunt nimis*, id eſt, valdè: & hoc, *mihi*, id eſt, mea reputatione: omnes enim veraciter in Chriſtum credentes multum honorantur. *Rom.* 3. Gloria, & honor, & incorruptio omni credenti. Sed multo fortius illi primitiui, qui verè amici fuerunt. *Ioan.* 15. Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos. Hos autem Dominus honorauit per ſeipſum, non per Angelos, vt Patriarchas, & Prophetas, vocando ad Apoſtolatum. *Matth.* 4. Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum. *Matt.* 9. Sequere me. In familiaritate & amicitia vocatos recipiendo. *Ioan.* 15. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis. 1. *Ioan.* 1. Manus noſtræ attrectauerunt de verbo vitæ. Poteſtatem faciendi miracula pleniſſimam conferendo. *Matth.* 10. Dedit eis poteſtatem ſpirituum immundorum, vt eiicerent eos, & curarent omnem langorem, & omnem infirmitatem. Principatum Eccleſiæ conferendo. Suprà in *Pſal.* Conſtitues eos principes ſuper omnem terram. *Matth.* 16. Quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. *Ioan.* 20. Quorum remiſeritis, &c. Audaciam tribuendo contra principes totius mundi. *Matth.* 10. *Quomodo Apoſtoli à Chriſto honorati.*

Nolite

Nolite timere eos, qui occidunt corpus, &c. *Iſa.* 51. Quis tu vt timeas ab homine mortali? Propter hoc dicebant audacter *Act.* 5. Non poſſumus, quæ audiuimus, & vidimus, non loqui. Poteſtatem iudiciariam in fine mundi tribuendo. *Matth.* 19. Vos qui reliquiſtis omnia, & ſequuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim iudicantes, &c. Tandem, quod verè maximum fuit, eis miniſtrando. *Luc.* 22. Ego in medio veſtri ſum tanquam qui miniſtrat. etiam vſque ad lotionem pedum. *Eſther* 6. Sic honorabitur, quem rex voluerit honorare.

Nimis confortatus eſt. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic nimis ſunt honorati, nec citò honor eorum deficiet, quia *nimis*, id eſt, valdè *confortatus eſt principatus eorum.* Quippe *Eccl.* 10. dicitur: Principatus ſenſati ſtabilis erit. Datus enim fuit eis ſpiritus ad robur in die Pentecoſtes. *Luc. vlt.* Sedete hîc in ciuitate, donec induamini virtute ex alto. *Luc.* 21. Dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere aduerſarij veſtri. *Act.* 7. Non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui loquebatur.

18. *Dinumerabo eos.* Ecce tertium, ſcilicet ſublimatorum & confirmatorum multiplicatio: & probatur multiplicatio comparatione ad Deum, à cuius ſola ſapientia numerabiles erunt. Secundò comparatione ad populum Iudaicum. *Et ſuper arenam.* Dicit ergo: Sic ſublimati ſunt amici tui, ô Deus, ſic eorum principatus confortatus, & tu dicere potes: *Dinumerabo eos:* ego cuius ſapientia infinita, qui numero multitudinem ſtellarum: & ipſi ſunt ſtellæ. *Gen.* 22. Multiplicabo ſemen tuum, per imitationem, dictum eſt Abrahæ, ſicut ſtellas cœli. Mali autem non ſunt numerabiles. *Eccleſ.* 1. Stultorum infinitus eſt numerus. Sed primo Numerorum, qui poterant ad bella procedere, hi numerati ſunt.

Et ſuper arenam. Quaſi diceret: Sic mihi ſoli erunt numerabiles: *& multiplicabuntur ſuper arenam maris*, ſuper plebem Iudaicam, quæ arenæ ſterili & infructuoſæ comparatur. *Iſa.* 54. Multi filij deſertæ, Gentilitatis ad Deũ conuerſæ, magis quàm eius quæ habebat virum, Iudææ.

Exurrexi. Hîc tangitur cauſa, & ratio tantæ multiplicationis: & hoc dupliciter, Chriſti ſcilicet reſurrectio, & communicatio virtutis & potentiæ cum Deo Patre.

Et adhuc. Et ſecundum hoc ſic lege: Ita amici ſunt honorati, & in honore confortati, & vehementer multiplicati, & *exurrexi* à morte: *& adhuc ſum tecum*, manens idem in potentia & virtute, propter quæ tanta credentium facta eſt multiplicatio. *Rom.* 6. Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur: mors illi vltrà, &c. *Ioan.* 10. Ego & Pater vnum ſumus. Et in 8. Qui me miſit, mecum eſt. Vel ſic, vt ſit cauſa huius vltimi, ſcilicet quare magis multiplicati quàm Iudæi. Quaſi diceret: Bene dico, quòd multiplicabuntur ſuper arenam, quia *exurrexi* à mortuis ſcilicet, & *adhuc ſum tecum*, lateo, & manifeſtè glorioſus appareo. Propter quod Iudæi ſunt arena adhuc. *Iſa.* 45. Vere tu es Deus abſconditus, Iudæis excæcatis vſque in finem mundi. *Soph.* 3. Expecta me, dicit Dominus, in die reſurrectionis meæ in futurum.

19. *Si occideris Deus peccatores.* Hîc eſt quarta pars *Pſal.* in qua agit de diuina iuſtitia, ad monmonſtrandum, quòd non vult fugere, nec ſeparari à Deo. Et tangitur diuina iuſtitia, & interficiendo ſpiritualiter per ſubtractionem gratiæ, & æternaliter damnando in gehenna. Et in prima lectura loquitur Eccleſia tota, in ſecunda caput Eccleſiæ. Duo ergo dicuntur, ſecundum primam lecturam. Primò demonſtrat diuinam iuſtitiam, cui concordat. Secundò orat, ibi, *Proba me Deus.* In prima dicuntur tria. Primò occiſorum à Deo ſpiritualiter ruina, & deiectio in maiorem culpam. Secundò occaſio tangitur ruinæ illorum, ſcilicet praua intelligentia verbi Dei. *Viri ſanguinum.* Tertiò probatio, quòd verè peruersè intelligunt, ibi, *Nonne qui oderunt?* Dicit ergo: Domine tam ſapiens, tam potens, & tam benignus es, & iuſtus, quia *ô Deus ſi occideris* gratiam, quæ eſt vita animæ, ſubtrahendo, *peccatores*, hæreticos homines, & peruerſos, *accipient ciuitates ſuas*, congregationes ſuas, ſuorum credentium, *in vanitate*, id eſt, de vanis hominibus, & vana diligentibus conuenticula congregabunt. Deus peccatores odit. *Eccl.* 12. Altiſſimus odio habet peccatores. Et propter hoc gratiam eis ſubtrahit, & ſic occidit. *Deut.* 32. Ego occidam, & ego viuere faciam. Et tunc miſeri ruent, & alios ad perditionem ſecum trahent. 2. *Petr.* 2. Fuerunt Pſeudo-prophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt magiſtri mendaces, introducentes ſectas perditionis, & ſecum vanos homines trahentes, ſicut hîc dicitur, hoc eſt, ignaros diuinæ ſapientiæ. *Sap.* 13. Vani ſunt homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei. *Ierem.* 2. Ambulauerunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt.

Et hoc *quia dicos*, alia litera, *in cognitione* 20.
tuorum: *Viri ſanguinum declinate à me*, hoc eſt eos facies intelligere, quia à viris ſanguinum eſt recedendum: & hoc ipſum dicere. *Iſa.* 52. Recedite, recedite, pollutum nolite tangere. *Ierem.* 51. Fugite de medio Babylonis, vt ſaluet vnuſquiſque animam ſuam. Et hoc facit Dominus, ne inquinentur culpa. 1. *Cor.* 5. & *Gal.* 5. Modicum fermenti totam maſſam corrumpit. 1. *Cor.* 5. Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Et ſint participes in pœna. *Num.* 16. Recedatis à tabernaculis hominum impiorum, & ne tangatis, quod ad eos pertinet, ne ſimul inuoluamini cum eis.

Nonne qui oderunt te. Hîc tertium, in quo 21.
probat, quòd verè malè intelligunt: & hoc probat coram Domino, per quæſtionem quam facit primò, & reſponſionem, quam addit illi quæſtioni, ibi, *Perfecto odio.* In prima duo. Primò quærit ſi non ſit ſeparatus corde, quamuis non corpore à malis, ſicut ſeparandos putant hæretici iuſtos. Secundò ſi non vehementer ſeparatus, ibi, *Et ſuper inimicos.* Dicit ergo: Sic occaſionem ſumunt ſibi conuenticula colligendi, quod tuos iubes à malis ſeparari, ſed malè intelligunt, quia ô *Domine, nonne oderam* ego ſemper, *qui te oderant?* vt eſſem ab eis ſeparatus corde, quamuis non corpore. Quaſi diceret: Sic. Scio enim improperatum regi Ioſaphat à Propheta. 2. *Paral.* 19. Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Deum, amicitia iungeris. Et *Apoc.* 2. commendatur cui dicitur: Hoc nomen habes quod odiſti facta Nicolaitarum,

rum, quæ & ego odi. *Deut.7.* Non inibis cum eis fœdus, cum inimicis ſcilicet Dei. Inimici autem ſunt, qui legem eius non cuſtodiunt. *Greg.* Non regem diligimus, ſi legem eius odio habemus.

Et ſuper inimicos tuos tabeſcebam, repete, nonne, & hoc ex ingenti odio illorum. Suprà in *Pſal.* Vidi præuaricantes, & tabeſcebam. 2. ad *Cor.* 11. Qui ſcandalizatur, & ego non vror?

22. *Perfecto odio oderam.* Hîc datur reſponſio quæſtioni præmiſſæ. Et primò reſponſio ad primum. Secundò ad ſecundum. *Inimici facti ſunt.* Dicit ergo: Sic quæro ſi non odio malos, vt ſim ab eis ſeparatus corde, & reſpondeo: *Perfecto odio oderam illos.* Notandum enim, quòd eſt odium malum, & malorum, quando oditur natura. 1. *Ioan.*3. Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Et eſt odium bonum, & hoc duplex. Imperfectum, & imperfectorum, quando rancor cordis dimittitur, tamen ſatisfactio repetitur. *Matth.* 5. Scriptum eſt, Odio habebis inimicum. Aliud perfectum, & perfectorum, quando totum dimittitur, & ſola culpa perſequitur, & eſt ira per zelum. De hac loquitur hic. Hanc habuit Phinees *Num.*25. & Moyſes *Exod.* 23. quamuis etiam natura non euaſerit impunita.

Odium malum & bonum.

Inimici. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Bene quæſiui, ſi non tabeſcebam, quia verè ſic: quia ipſi qui te oderunt, *facti ſunt mihi inimci*, non ſolum tibi, vt poſſem dicere illud *Luc.*20. Qui te ſpernit, me ſpernit.

Poſſunt legi hi quatuor verſus de capite Chriſto facilius, vt oſtendat Chriſtus ſe inimicos Dei Patris, & malos occiſurum, ſicut & Pater illos occidit morte æterna. Et primò facit quæſtionem. Secundò reſponſione ſuppoſita addit probationem, quòd vere reſponſum ſit, ibi, *Nonne qui oderunt?* Et in prima tangit tria. Primò occiſionem, per æternam mortem. Secundò modum occiſionis, ibi, *Viri ſanguinum.* Tertiò cauſam, ibi, *Quia dicitis.* Dicit ergo: Sic tecum ſum poſtquam reſurrexi, non tantum manſione, ſed veritatis identitate: quia ô *Deus* Pater, *ſi occideris peccatores*, eos æternaliter damnando, ſicut & diabolum, ſicut ſcriptum eſt *Iſa.*27. Occidet tecum qui in mari eſt. Dicens, ſup. *Viri ſanguinum declinate à me.* Ecce modus occidendi prolatio ſententiæ ſeparantis. *Matth.* 25. Ite maledicti in ignem æternum. Et appellantur viri ſanguinum carnales homines, & carnaliter affecti ad parentes affectione damnabili, ſicut Prælati, quia ſanguis affectio eſt carnalis. *Abac.*2. Væ qui ædificat ciuitatem in ſanguinibus. Et omnes peccatores generaliter, quia ſanguis peccatum eſt. *Oſeæ* 4. Sanguis ſanguinem tetigit. Et homicidæ ſpecialiter. 2. *Reg.* 7. Non ædificabis mihi domum, quia vir ſanguinum es. *Mich. vlt.* Omnes ſanguini inſidiantur.

Quia dicitis. Ecce cauſa. Quaſi diceret: Si occideris, *quia* vos *dicitis*, ô miſeri, *in cogitatione*, & conſenſu, quod eſt verum loqui, ſicut probat *Auguſt.* in 15. de Trinitate: *Accipient*, iſti præcones, & prædicatores veritatis, *in vanitate ciuitates ſuas*, æterna quæ ſibi promittunt bona. In *Pſal.* ſuprà: Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei. Vel ciuitates dicit populorum congregationes. *Act. vlt.* dicebant de ſecta hac: Notum eſt, quoniam vbique ei omnibus contradicitur. Sancti enim ſunt in contemptum, & quicquid prædicant, vanitas reputatur. *Sap.*5. Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum: nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Si hos, inquam, occideris, nunquid & ego illos non occidam? Quaſi diceret: Sic: quia *nonne qui oderunt te?* Et legitur omninò ſicut ſuprà.

Dominus ergo IESVS ipſe occidet malos, & impios gladio oris ſui. *Iſa.*11. Spiritu labiorum eorum interficiet impium. *Apoc.*1. Ex ore eius procedebat gladius ex vtraque parte acutus, ſcindens animam & corpus. Propter hoc dicitur *Apocal.* 19. Fugite à facie gladij, quoniam vltor iniquitatum eſt gladius.

Proba me Domine. Hîc orat poſt demonſtratam Dei iuſtitiam, vt inter impios manens, ex ipſorum conſortio fructum aſſequatur, & proficiat. Diuiditur autem pars iſta in ſex partes, ſecundum ſex bona quæ ſolent prouenire ex tribulatione à malis immiſſa. Primum, purgatio, & hanc primò petit. Secundum, approbatio à Deo: purgatos enim approbat Deus. *Et ſcito cor.* Tertiò conuerſio ſui ad ſe per inquiſitionem ſtatus, & conſcientiam, & hoc tertiò. *Interroga me.* Quartum, cognitio infirmitatis propriæ, & hoc quartò. *Et cognoſce.* Quintò apprehenſio iniquitatis & culpæ, ſi aliqua eſt, & hoc quintò. *Et vide ſi via.* Sextò & vltimò deductio ad æternam vitam, & hoc petit ſextò, ibi, *Et deduc me.* Dicit ergo: Sic Domine, quicquid ſentiant hæretici, inter malos manens corpore, & ſeparatus mente, rogo, *Proba me*, per illos, per tribulationes ſcilicet ab illis immiſſas. *Rom.*5. Tribulatio patientiam operatur, patientia verò probationem. *Sap.*3. Tanquam aurum in fornace probauit electos Dominus. Propter hoc dicit *Greg.* Si ſe ſalutari melius per tribulationem non noſſet, Pſalmiſta non diceret: Proba me Deus & tenta me. 23.

Et ſcito, ſcientia approbationis, *cor meum:* approba ipſum tanquam vas aptum ad reponendum liquorem optimum gratiæ tuæ, imò teipſum. *Sap.* 3. poſtquam dixerat: Tanquam aurum in fornace probauit electos, addit: Et inuenit illos dignos ſe, id eſt, in quibus per gratiam ſuam inhabitet. E contrario de fatuo: Quaſi vas confractum omnem ſapientiam non tenebit.

Interroga me, hoc eſt, interius diſcute, id eſt, diſcutere me fac diligenter, & inquirere: hoc eſt enim tuum interrogare. Suprà in *Pſal.* Dominus interrogat iuſtum, & impium. Et hoc facit optimè tribulatione mediante. *Sapient.*2. Contumelia & tormento interrogemus eum. *Gregor.* Pœna interrrogat, ſi quis in proſperitate me poſitus veraciter amat.

Et cognoſce, hoc eſt, cognoſcere me fac, *ſemitas meas*, cogitationes, & conſilia de corde meo pullulantia. Hæ ſunt ſemitæ, de quibus *Prou.*2. Seruans ſemitas iuſtitiæ, & vias iuſtorum cuſtodiens.

Et vide ſi via. Hîc quintum. Quaſi diceret: Sic ſemitas fac cognoſcere, & poſt *vide*, id eſt, videre me fac, *ſi in me*, in meis cogitationibus, 24.

&

& affectionibus, *eſt via iniquitatis*, & purga illam, & dirige per tribulationem. In *Pſal.* ſuprà: Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte: igne me examinaſti, & ſic non eſt inuenta in me iniquitas, quæ eſt torta in via, ſed iuſtitia, quæ eſt recta. *Iſa.* 26. Semita iuſti recta eſt, rectus callis iuſti ad ambulandum.

Et deduc me. Ecce ſextum & vltimum. Quaſi diceret: Sic purga, approba, diſcute, cognoſcere fac infirmitatem, & mores, & ſic tandem, *deduc me*, ad vitam æternam, iuxta illud *Prou.* 4. Ducam te per ſemitas æquitatis. Et me, inquam, exiſtentem, *in via æterna. Abac.* 3. Super excelſa deducet me victor, in Pſalmis canentem.

Legitur & de capite Chriſto, & eſt plana litera in *Gloſſ.* Securè enim homo Chriſtus petiit, & petere potuit Patrem, vt probaretur, cognoſceretur, & diſcuteretur: quia in ipſo via iniquitatis non poterat inueniri: & vt à Verbo cui vniebatur, tandem in dextera Patris collocaretur, ſicut & factum eſt in die Aſcenſionis eius, quò & ipſe deducat nos, qui eſt benedictus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

IN CXXXIX. PSALMVM.

In finem, Pſalmus Dauid.

1. *Propheta inter malos conſtitutus, ab eis eripi poſtulat.*

Eripe me Domine ab homine malo. Hic eſt Pſalmus 139. in toto libro, 39. in 3. parte libri. Poſtquam enim in Pſalmo præcedenti oſtendit ſe à Don non receſſurum, nec coniungendum malis mente, etſi coniungatur illis corpore, quia boni adhuc coniuncti malis corpore, multa ſuſtinent ab eis, hîc petit eripi ab eis, & inter illos interim conſeruari, non attribuens viribus ſuis, ſed magis potentiæ diuinæ conſeruationem ſui: & præponitur titulus ſatis planus, ſcilicet hic: *In finem, Pſalmus Dauid.* Et eſt ſenſus: Hic *Pſalmus* ordinans nos *in finem*, id eſt, Chriſtum, qui eſt ſicut dicitur *Rom.* 10. finis legis omni credenti, eſt *Dauid*, congregationis iuſtorum, in Eccleſia ad Deum clamantium, qui bene dicitur Dauid propter fortitudinem & ſpiritualem pulchritudinem. Fortitudine ſtat contra aduerſarium, pulchritudine placet Deo.

Diuiditur autem Pſalmus in duas partes principaliter. In prima petit ab iniquis & malis perfectè liberari. In ſecunda deſcribit diligentius mala malorum, bonos perſequentium, & bona iuſtorum, quos ipſi perſequuntur, ibi, *Caput circuitus eorum.* In prima autem dicuntur duo. Primò enim petit eripi à pœna, & miſeria, quam infligunt mali. Secundò ab ipſa culpa, in quam deiicere intendunt, ibi, *Dixi Domino: Deus.* In prima duo, Primò petit. Secundò neceſſitatem, qua petit, oſtendit, ibi, *Qui cogitauerunt.* In prima duo. Primò petit eripi à malo generaliter, qui nocet ſibi vel alij. Secundò ab iniquo ſpecialiter, qui nocet alij propriè, ibi, *A viro iniquo.*

Dicit ergo: Sic Domine fugere te non poſſum, inter malos habito corpore, etſi ſim ſeparatus mente: ſed ô *Domine*, rogo, *eripe me ab homine malo*, ſingulare ponit pro plurali, id eſt, ab hominibus malis. Sicut in *Pſal.* Dixit, & venit locuſta, & bruchus. Homo malus, etiam ipſe diabolus poteſt dici, ſicut vult hîc *Gloſſa*, qui homo dicitur. *Matth.* 13. Inimicus homo hoc fecit. Qui dicitur homo, vel ab homine, quem deiicit: ſicut Scipio Affricanus. Vel quia voce articulata, quæ eſt hominis propria, contra primum hominem vſus eſt. Vel quia ſub ſimilitudine rationis decepit. De hoc dicitur in *Pſal.* Exurge Domine, non confortetur homo. Et ab hoc Dominus ſuos eripit tanquam bonus paſtor ouiculam à ſæuiſſimo leone. *Amos* 4. Quomodo ſi eruat paſtor de ore leonis duo crura, aut partem auriculæ: ſic eruentur filij Iſraël. Vel ab homine malo propriè, quocumque ſcilicet peccatore, qui malus eſt ſibi nocendo, etſi iniquus non ſit alij malum inferendo.

Et *à viro iniquo*, diabolo, qui vir etiam poteſt dici, propter peruerſam, quam habet, fortitudinem. Ipſe eſt de quo dicitur *Luc.* 11. Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, &c. Vel *à viro iniquo*, homine ſcilicet alij nocente, *eripe me*, ſicut & facit *Iob* 36. Eripiet pauperem de anguſtia ſua. Et vlt. Eripuiſti me de tempore iniquo. Et Petrus *Act.* 12. Eripuit me de manu Herodis.

3. *Qui cogitauerunt iniquitatem.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit petitionis neceſſitatem, ſcilicet aduerſariorum malitiam. Et primò oſtendit malitiam cordis. Secundò oris. *Acuerunt.* Tertiò operis. *Cuſtodi me.* Malitiam cordis notat eſſe occultam. *Qui cogitauerunt iniquitates in corde.* Continuam. *Tota die.* Et firmatam. *Conſtituebant.* Ait ergo: Sic peto neceſſitate compulſus, *qui*, id eſt, quia illi, ſcilicet mali, & iniqui, *cogitauerunt iniquitatem in corde*, interius in profundo, & occulto. *Ierem.* 17. Profundum eſt cor hominis, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? *Sap.* 1. In cogitationibus impij interrogatio erit, à ſummo & vero iudice. *Mich.* 2. Væ qui cogitatis inutile. Ergo multò magis, Væ qui cogitatis iniquitatem. *Eccl.* 12. In corde ſuo inſidiatur, vt ſubuertat in te foueam. *Ier.* 11. Cogitauerunt ſuper me conſilia iniqua.

Tota die, continuè, *conſtituebant*, firmiter ſtatuendo, *prælia aduerſum me*, vt me impugnarent, diſcordias ſeminarent, & diſſentiones. Quantum ad primum. *Ierem.* 20. Prævaleamus aduerſus eum, & conſequamur vltionem. *Ierem.* 18. Tu Domine ſcis omne conſilium eorum aduerſum me in mortem. Quantum ad ſecundum. *Prou.* 6. Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur. Et illud eſt: Eum qui ſeminat inter fratres diſcordias. *Ierem.* 11. Inuenta eſt coniuratio in viris Iuda, & in habitantibus Ieruſalem.

4. *Acuerunt linguas ſuas.* Hîc tangit perſequutionem oris. Et primò oſtendit eſſe acerbam. Secundò doloſam. *Sicut ſerpentes.* Tertiò malignam. *Venenum aſpidum.* Ait ergo: Sic perſequuntur corde, & etiam *acuerunt linguas ſuas*, acerbis verbis, vt maledictis penetrantibus. Suprà in *Pſal.* Exacuerunt vt gladium linguas ſuas: quas docent loqui mendacia. *Ierem.* 9. Docuerunt linguam ſuam loqui mendacium. Et hoc, *ſicut ſerpentes. Eccleſ.* 10. Quomodo ſi mordeat ſerpens in ſilentio, nihilominus haber, qui

qui occultè detrahit. *Prou.* 23. Ingreditur blandè, ſed in ſiue mordebit vt coluber.

Venenum aſpidum, ecce tertium, *ſub labiis eorum*, ſub verbis de labiis eorum procedentibus. *Deut.* 32. Venenum aſpidum inſanabile. *Iob.* 20. Cum dulce fuerit in ore eius malum, abſcondit illud ſub lingua ſua.

Cuſtodi me Domine. Hîc tangitur malitia & perſequutio in opere. Et dicuntur quatuor. Primò perſequutio. Secundò perſequutionis intentio. Tertiò modus. *Abſconderunt.* Quartò finis, ibi, *Et funes.* Dicit ergo: Sic cogitant, ſic loquuntur, & etiam ô *Domine cuſtodi me de manu*, de poteſtate, *peccatoris*, ſcilicet dæmonis, qui dicitur rectè peccator, & propter conſuetudinem peccandi, non enim ceſſauit ab initio: & propter quantitatem peccati, quia homicida. *Ioan.* 8. Ille homicida erat ab initio. *Aba.* 2. Et interficere Gentes non ceſſat. Sed de manu eius ſuos liberat. *Gen.* 9. Sanguinem animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum. *Ier.* 15. Eruam, dicit Dominus, & liberabo te de manu peſſimorum, & redimam te de manu fortium. 5.

Et ab hominibus iniquis, exterius nocentibus opere, *eripe me.* 1. *Reg.* 17. Dominus qui eripuit me de manu leonis & vrſi, ipſe liberabit me de manu Philliſtæi huius. *Iob* 5. Saluum faciet egenum à gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem.

Qui cogitauerunt. Hîc tangitur perſequentium intentio. Quaſi diceret: Sic me cuſtodi ab his perſequentibus me facto & opere, *qui cogitauerunt ſupplantare greſſus meos*, quibus ambulabam in via Dei, abſtrahendo me ab illa. Ecce eorum intentio. *Prou.* 4. Non rapitur ſomnus ab eis, niſi ſupplantauerint. *Ierem.* 9. Omnis frater ſupplantans ſupplantabit, ſi poteſt: ſed Dominus ſuos cuſtodit. In *Pſal.* ſuprà: Lex Dei eius in corde ipſius, & non ſupplantabuntur greſſus eius.

Abſconderunt ſuperbi. Hîc modus ſupplantandi, quia latenter. Ait enim: Sic perſequuntur, & hac intentione, & hoc modo, *ſuperbi* dæmones, & homines mali, & elati, *abſconderunt*, latenter *laqueum mihi*, ipſam ſcilicet perſequutionem, per ipſam intendentes me deiicere in culpam impatientiæ, & blaſphemiæ. *Ierem.* 5. Inuenti ſunt in populo meo viri impij inſidiantes, quaſi accupes, ponentes laqueos, & pedicas, ad capiendum viros. *Iob* 18. Abſcondita eſt in terra pedica eius, & decipula illius ſuper ſemitam. Et diabolus ſimiliter. *Gen.* 3. Tu inſidiaberis calcaneo eius. *Vel abſconderunt*, ſub proſperitate laqueum ſuperbiæ. 1. *Tim.* 3. Non neophytum, ne in ſuperbiam elatus, incidat in laqueum & tentationem diaboli. 6.

Et funes. Hic quartum, in quo oſtendit quis finis perſequutionis, quia vt illaqueent per culpam. Secundò vt illaqueatum deiiciant, & ruere faciant in gehennam, ibi, *Iuxta iter.* Dicit ergo: Sic perſequuntur latenter, *& extenderunt funes*, propriorum peccatorum, qui in me operantur me affligendo, vel mihi oſtendendo *in laqueum*, trahentem ruereque facientem in culpam. *Prou.* 5. Funibus peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur. *Prou.* 7. Intexui funibus lectulum meum, cor meum ſcilicet, in quo quieſcere debui. *Eccl.* 4. Funiculus triplex difficile rumpitur: peccatum cordis, oris, operis.

Iuxta iter. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Extenderunt funes, vt illaqueent faciendo ruere in culpam, & etiam *poſuerunt ſcandalum*, in quo cæſpitarem, & ruerem in infernum, *mihi iuxta iter*, non in itinere. Laqueus & ſcandalum ruere faciens in infernum, eſt perſeuerans peccatum: ſed iuxta iter eſt, quando videtur eſſe bonum, vel modicum malum. Vera enim via, verum iter eundi ad Deum, ſunt eius præcepta. *Iſa.* 35. Hæc erit vobis directa via, vt ſtulti non errent per eam. Et in 30. Ambulate in ea, nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram. Iuxta viam ergo ponitur ſcandalum, quando proponitur malum, quod apparet bonum. *Auguſt.* ad *Hieron.* Quædam ſunt vitia virtutibus ſimilia, vt prudentiæ aſtutia, tentacitas parcimoniæ, audacia fortitudini, pertinacia conſtantiæ.

Dixi Domino. Hîc ſecunda pars primæ partis huius Pſalmi, in qua vt liberatus non recidat, petiit, ſicut ipſemet dicit. Quatuor autem dicuntur in hac parte. Primò quod dirigens cor ad Deum ipſum, verè Deum confeſſus ſit. Secundò quòd exaudiri petiit, ibi, *Exaudi Domine.* Tertiò quare Deum ipſum confeſſus ſit, ibi, *Domine Domine virtus.* Quartò quid petierit, ibi, *Ne tradas me à deſiderio.* Dicit ergo: Sic Domine eripe me vt petij, & ô vos omnes ſcire debetis, quoniam *dixi Domino*, cor dirigens ad ipſum: *Deus meus es tu. Bar.* 3. Tu es Dominus Deus noſter, & laudabimus te Domine. *Dent.* 26. Dominum elegiſti, vt ſit Dominus Deus tuus. Et hoc etiam dixi: *Exaudi Domine vocem deprecationis meæ.* Quia humilio me in hac confeſſione, & hoc tibi placet. *Iudith.* 8. Humilium, & manſuetorum, tibi placuit ſemper deprecatio. *Dan.* 9. Exaudi Deus orationem ſerui tui. 7.

Domine Domine virtus. Hîc aſſignat cauſas ſuæ confeſſionis, ſcilicet quare Deum ſuum, & Dominum reputat: & ſunt duæ. Prima, quia gratiam veniendi ad ſalutem præſtat. Secunda, quia in æſtu tribulationum, & tentationum ardore refrigerat, ibi, *Obumbraſti ſuper.* Dicit ergo: Dixi, quòd Deus meus es tu, & verum dixi: quia ô *Domine, Domine*: Domine per creationem, Domine per recreationem, tu es, ſup. *virtus ſalutis meæ*, virtus ſcilicet, qua peruenitur ad ſalutem. *Dan.* 3. Sapientia & fortitudo ipſius ſunt. 2. *Reg.* 22. Dominus petra mea, & robur meum, & ſaluator meus.

Obumbraſti ſuper. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic veritatem præſtas, & etiam *obumbraſti*, refrigerium præſtando, *ſuper caput meum*, mentem ſcilicet meam, robur gratiæ & rorem infundendo, *in die belli*, contra tentationum & tribulationum ardorem. *Sap. vlt.* Nubes caſtra eorum obumbrabat. *Eccleſ.* 34. Protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegumen ardoris, vmbraculum meridiani. Et *Iſa.* 4. Super hominem gloriæ protectio, & tabernaculum erit in vmbraculum diei. Ab æſtu belli tentationum, & tribulationum. De quo *Iob. vlt.* Memento belli, & non addas vltra loqui. *Iſa.* 28. Erit Dominus fortitudo reuertentibus de bello ad portam.

9. *Ne tradas me.* Hìc quartum, in quo determinat quid à Deo petierit, quia duo. Primò ne tradatur per recidiuum culpæ, in manus diaboli. Secundò ne dimittatur si fortè contingat recidiuare, ibi, *Ne derelinquas me.* In prima duo. Primò determinat quid petat. Secundò causam assignat quare debeat exaudiri, ibi, *Cogitauerunt contra me.* Dicit ergo: Sic Dominum rogaui, vt exaudiret, vocans ipsum Deum meum, dicens in petitione mea hoc: O *Domine ne tradas me*, id est, ne permittas me tradi *peccatori*, id est, diabolo: & hoc, *à desiderio meo*, id est, per desiderium meum. Quasi diceret: Ad hoc vt iterum non tradar diabolo, si ereptus à te fuero, oportet quod interueniat desiderium meum. Et hoc verum est. *Eccl.* 18. dicitur propter hoc: Fili post concupiscentias tuas non eas. Et 23. Omne desiderium ante te à me. Et *Isa.* 51. Incuruare vt transeamus. Quasi diceret: non possumus transire, nisi te incurues. Et est argumentum, quòd diabolus non est immissor malarum cogitationum, sed tantum incensor malorum desideriorum. *Isa.* 54. Ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas.

Cogitauerunt. Ecce ratio quare debet exaudiri. Ait enim: Sic non me tradas, nec debes propter eorum malitiam: quia *cogitauerunt contra me*: & non dicit quid, vt innuat quod omne malum cogitauerunt simul. *Ierem.* 11. Tu scis Domine omnes cogitationes eorum aduersum me. Hic iam tertiò repetit de mala eorum cogitatione, quia cogitant subuertere per illum infamem ternarium, de quo 1. *Ioan.* 2. Quicquid est in mundo, aut est concupiscentia carnis, &c.

Ne derelinquas me. Hìc secundum, in quo petit, quòd non reliquatur. Et primò petitio. Secundò persuasio, ibi, *Ne fortè.* Dicit ergo: Sic rogo Domine, Ne me tradas, & etiam si tradideris, *ne derelinquas me*, in eorum manibus, ne cogar dicere illud *Isa.* 49. Et dixit Sion: Dereliquit me Dominus. *Iosuë* 1. Non te deseram, nec te derelinquam.

Ne fortè. Ecce secundum. Quasi diceret: Sic ne derelinquas me: & hoc Domine si non alia ratione, tamen ista fac: *Ne fortè exaltentur. Deut.* 32. Propter iram inimicorum distuli, ne fortè superbirent hostes eorum, & dicerent: Manus, &c. *Esth. vlt.* Ne tradas Domine sceptrum tuum his, qui non sunt, ne redeant ad ruinam nostram. *Eccl.* 23. Ne incidam in conspectu aduersariorum nostrorum, & gaudeat aduersarius meus.

10. *Caput circuitus.* Hìc secunda pars totius huius Psalmi, in qua describit mala persequentium bonos. Secundò bona & præmia persequutorum, scilicet iustorum. Et secundum hoc dicuntur duo. Primò tanguntur impiorum mala. Secundò iustorum bona, ibi, *Cognoui quia.* Et sunt septem, & secundum hoc, septem dicuntur in hac parte. Primum malum est intentionis illorum frustratio. Secundum, labor in mentiendo, cooperiendo iniquitatem suam, ibi, *Labor labiorum.* Tertium, naturalium bonorum corruptio per peccatum, ibi, *Cadent super eos.* Quartum, in peccatum præcipitatio, ibi, *In ignem deiicies.* Quintum, defectio in tribulationibus, ibi, *In miseriis.* Sextum, ineptitudo ad correctionem, ibi, *Vir linguosus.* Septimum, æterna damnatio, ibi, *Virum iniustum.* Dicit ergo: Sic Domine rogaui eripi, non tradi, non derelinqui in manus iniquorum. *Caput enim*, id est, intentio, *eorum* est *circuitus*, id est, sine fine, & quasi circularis, non intendit in directum ad te. Vel aliter secundum *Glossam* duobus modis. Vno modo, vt circuitus sit genitiui casus, & continuatur sic: O Domine, obumbrasti super caput meum, sed caput omnium vitiorum, scilicet superbia. *Tob.* 4. Superbiam in tuo sensu iniquam dominari non permitte: quia ex ipsa sumpsit initium omnis perditio. Est vmbraculum *circuitus illorum*, vitæ scilicet eorum, quæ tota est in circuitu. *Iudic.* 16. Samson excæcatus à Philistæis, positus est ad molam. *Psal.* In circuitu impij ambulant. *Isa.* 29. Miscuit Dominus in medio Ægypti spiritum vertiginis. Vel sic, vt iterum sit nominatiui casus: Domine conuertas caput meum, sed caput malorum est circuitus, id est, diabolus, qui emphaticè dicitur circuitus, quia circuire non cessat. *Iob* 1. Circuiui terram, & perambulaui eam. 1. *Pet.* 5. Aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, &c.

Labor labiorum. Hìc secundum. Quasi diceret: Sic intentio eorum circularis & frustrata, quia finem non habet: & etiam *labor labiorum ipsorum*, quæ sunt labia mendacia, hoc est, mendacium magno labore paratum, & multiplicatum. *Ose.* 12. Tota die mendacium, & vastitatem multiplicat. *Operiet eos*, defendet scilicet eos. *Prou.* 10. Os impiorum operit iniquitas. *Isa.* 28. Mendacio protecti sumus.

Cadent super eos. Hìc tertium, scilicet bonorum naturalium corruptio, per concupiscentiæ ardorem. Ait enim: Sic frustrabitur eorum intentio, & mendacio laborioso protegentur, & etiam *carbones*, concupiscentiæ ardentes, *cadent super eos*, comburent scilicet, & inflammabunt eos. Hi carbones, de quibus *Prou.* 6. Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ita vt vestimenta eius non ardeant? aut ambulare super prunas, ita vt non comburantur plantæ eius? Et *Isa.* 54. Ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas. Vel carbones in bono possunt accipi, vt sit sensus: *Carbones*, sancti scilicet, per ignem Spiritus sancti viuificati, *cadent super illos*, illos oppriment, sicut bonos promouent. Hi carbones, de quibus suprà: Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis, 11.

Carbones in bonâ & malam partem sumuntur.

In ignem deiicies eos, permittendo quod ruant in culpam: de quo igne suprà in *Psal.* Supercecidit ignis, & non viderunt solem. *Ioël.* 1. Ignis comedit speciosa deserti. *Thren.* 2. Succendit in Iacob, quasi ignem flammæ deuorantis in gyro.

In miseriis. Ecce quintum, defectio in aduersitatibus. Ait enim: Sic carbones cadent super eos, & ipsi *non subsistent*, tanquam virtutibus & patientia stabiliti, *in miseriis*, in aduersitatibus, in tribulationibus suis, sed magis ruent: quippe *Matth.* 7. dicitur: Venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt super domum illam, & cecidit, quoniam super arenam, non super petram Christum fundata erat. *Thren.* 1. Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est.

Vir linguosus. Hic tangitur sextum malum, scilicet ad correctionem ineptitudo. Ait enim: Sic cadent per impatientiam: & verè, quia *vir linguosus*, cui voluptas sine attentione & deliberatione loqui, *non dirigetur* per correctionem, *in terra*, hac in qua miseri degimus. Linguosus enim patitur egestatem omnis boni. *Prou.* 14 Vbi verba plurima, ibi frequenter egestas. Acquirit 12.

Mala quibus vir linguosus est obnoxius.

quirit cordis immunditiam. *Num.*19. Vas quod non habuerit operculum, vel ligaturam deſurſum, immundum erit. Animæ anguſtiam. *Prou.* 21. Qui cuſtodit os ſuum, & linguam ſuam, cuſtodit animam ſuam. Ab anguſtiis deiicitur in culpam. *Prou.*10. In multiloquio non deerit peccatum. Accendit propriam concupiſcentiam. *Iacob.*3. Lingua modicum membrum eſt, & magna exaltat, & inflammat totam natiuitatis noſtræ. Odit correptionem. *Eccl.*23. Homo aſſuetus in verbis improperij, omnibus diebus ſuis non erudietur.

Virum iniuſtum. Hîc tangitur ſeptimum & vltimum. Ait enim: Hæc mala erunt impio, & iniuſto in præſenti, & tandem *in interitu capient mala virum iniuſtum*, ſi hîc capiunt iuſtum, tamen in morte euadet illa. *Prou.*14. Pœnæ & miſeriæ pro ſuis iniquitatibus capiunt impium in morte. Et tunc à Deo irridebuntur. *Prou.*1. Omnes increpationes meas neglexiſtis, ego verò in interitu veſtro ridebo. *Pſal.* Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus, &c. Et confundentur, capti à ſuis iniquitatibus. *Ierem.*2. Quomodo confunditur fur, quando comprehenditur, ſic confuſi ſunt domus Iſraël. *Amos* 9. Sicut aues capiuntur laqueo & piſces homo, ſic capientur homines in tempore malo.

13. *Cognoui quia faciet.* Hîc ſubiungit de bonis, & præmiis iuſtorum. Et tanguntur quatuor. Primum, probatio ſententiæ pro ſe, & contra inimicos in iudicio. Secundum, vltio de ipſis inimicis, qui eos afflixerunt, ibi, *Et vindictam.* Tertium, confeſſio laudis pro iudicio, & vindicta, ibi, *Veruntamen iuſti.* Quartum, aperta Dei cognitio, ibi, *Et habitabunt.* Dicit ergo: Hæc erunt malis, & impiis, quæ enumeraui: ſed ego *cognoui*, certa cognitione fidei, *quia* Dominus *faciet iudicium inopis*, oppreſſi à potente. Nec appellatur inops, qui deficit rebus, ſed qui virtutes eſurit & ſitit. *Iſa.*11. Iudicabit in iuſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ. *Prou.*22. Non facias violentiam pauperi, quia pauper eſt: nec conteras egenum in porta, quia iudicabit Dominus cauſam eius. Et 23. Non attingas terminos pupillorum, & agrum paruulorum ne introeas. Propinquus eius fortis eſt, & ipſe iudicabit contra te cauſam illorum.

Et vindictam. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Dabit ſententiam inopis, & etiam faciet *vindictam pauperum*, hoc eſt, pro pauperibus. *Deut.*32. & *Rom.*12. Mihi vidictam, & ego retribuam. *Eccl.*28. Qui vindicari vult à Domino, inueniet vindictam.

14. *Veruntamen iuſti.* Hîc tertium. Quaſi diceret: Iudicabuntur pro iuſtis, & iudicabuntur: *veruntamen* ipſi *iuſti*, non attribuentes ſibi bona illa, *confitebuntur*, confeſſione laudis, & gratiarum actionis, *nomini tuo*, nominabili potentiæ, & benignitati tuæ, dicentes illud *Apoc.*19. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam Deo. *Iſa.* 35. Venient in Sion cum laude. Et rurſus: Gaudium, & lætitia inuenientur in ea, gratiarum actio, & vox laudis.

Et habitabunt. Hîc eſt quartum beneficium. Quaſi diceret: Sic laudabunt, *& recti*, ipſimet qui iuſti dicti ſunt, *habitabunt cum vultu tuo*, hoc eſt, in præſentia vultus tui; quem videre eſt ſumma delectatio & æterna vita. *Ioan.*17. Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te, aperta viſione, verum Deum, & quem miſiſti IESVM CHRISTVM. *Iſa.*32. Regem in decore ſuo videbunt. 1. *Cor.*13. Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem, &c. 1. *Ioan.*3. Videbimus eum ſicuti eſt. Et eſt vera ſatietas ſine faſtidio. In *Pſal.* ſuprà: Satiabor cum apparuerit gloria tua. *Iſa.*60. Tunc videbis & affluues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum. Ad quam viſionem & affluentiam perducat nos, qui eſt benedictus, &c.

IN CXL. PSALMVM.

Pſalmus Dauid.

1. DOmine clamaui ad te. Hic eſt Pſalmus 140. in toto libro, in tertia verò parte 40. Secundum *Gloſſam* autem, non diuerſa dicuntur in hoc Pſalmo, quam in aliis præcedentibus, maximè ad orationem pertinentibus, ſed aliis verbis repetitur, quod ſuperius dictum eſt: quia ſicut dicit *Gloſſa*, ſæpius oportet commemorari, quod cogit mundus obliuiſci. Et propterea non ſufficit ſemel oraſſe, ſed neceſſe eſt in oratione perſeuerare, ſicut Dominus docuit diſcipulos ſuos *Luc.*18. Oportet ſemper orare, & nunquam deficere. 2. *Theſſ.vlt.* Sine intermiſſione orate. Hic igitur petit, quod ſuperius petiit, ſcilicet liberari à præſentibus miſeriis huius mundi, vt poſſit diuinis laudibus liberius vacare.

Propheta iterum petit vt à miſeriis huius ſæculi liberetur.

Præpoſito ergo titulo communi, & plano, vt patet, *Pſalmus Dauid*, ſupponitur Pſalmus in duas partes diuiſus. In prima enim excitat iudicem. Secundò excitato iudice, explanat quid petat. *Pone Domine cuſtodiam.* In prima tria dicuntur. Primò petit vt audiat orationem. Secundò quòd exaudiendæ attendat, ibi, *Intende voci meæ.* Tertiò vt acceptam habeat poſt attentionem, ibi, *Dirigatur oratio.* In prima duo dicuntur. Primò præmittit rationem, quare debeat audiri. Secundò addit exequutionem. *Exaudi me.*

Dicit ergo: *Domine clamaui*, tam diu eſt, non modò clamo primo, *ad te*, & non ad alium. In hoc quod dicit, *Clamo*, monſtrat orationem ſuam fuiſſe deuotam. In hoc quod dicit, *Ad te*, directam: & propter hoc,

Exaudi me, bona ratio: audit enim Deus libenter clamorem conqueſtionis, de quo *Ioël.*1: Ad te Domine clamaui, quia ignis comedit ſpecioſa deſerti. Et clamorem neceſſitatis, quo clamabant filij Iſraël. *Exod.*3. Clamorem eorum, qui dura neceſſitate opprimebantur in Ægypto, audiui. Sed libentius valde clamorem deuotionis, de quo hîc, & *Exod.* 14. dictum eſt ad Moyſen ex deuotione cordis clamantem: Quid clamas ad me? Et propter hoc dicitur *Iſa.*58. Vocabis, & Dominus exaudiet, clamabis, & dicet, Ecce adſum.

Intende voci. Ecce ſecundum, in quo petit, quòd intendat. Et primò petit. Secundò determinat tempus, quando potiſſimè debeat intendere. *Dum clamauero.* Ait ergo: Sic exaudi, & etiam *intende voci meæ. Dan.*9. Attende Domine, placare, vt fac. Quando? *dum clamauero ad te*, clamoribus prædictis, & potiſſimè ſi clamauero clamore laudis, de quo *Iſa.*6. Clamabant alter ad alterum, Sanctus, ſanctus, ſanctus, &c.

2. *Dirigatur oratio.* Hîc tertium, in quo petit quod acceptam habeat. Et primò quòd acceptet, orationem oris. Secundò orationem operis, ibi,

Eleuatio

Eleuatio. Dicit ergo: Sic audi, sic attende, & etiam *oratione mea dirigatur in conspectu tuo*, tanquam tibi placens: & hoc, *sicut incensum*, dirigitur sursum vt procedat fumus deuotionis, de igne charitatis. *Apoc.*8. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini. Et in quinto: Habentes phialas aureas, corda charitatiua, plenas odoramentorum deuotionis, quæ sunt orationes sanctorum. Propter hoc dicitur de sancta anima *Prou.* 3. Quæ est ista quæ ascendit per desertum, non in se, sed in sua oratione, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris? Et nota ordinem, quòd primò debent esse aromata mirrhæ, mortificationis scilicet propriæ carnis: & postea thuris, scilicet deuotæ orationis. Hinc est quod in dispositione tabernaculi *Exod.* 25. de altari holocaustorum procedebant ad altare incensorum.

Orationem debet præcedere carnis mortificatio

Eleuatio. Ecce secundum. Quasi diceret: Sic sit oratio accepta in ore, *& eleuatio manuum mearum*, sit tibi *sacrificium vespertinum*, hoc est, placeat tibi, sicut illud sacrificium. Eleuatio manuum est bona operatio. *Thren.*3. Leuemus corda nostra cum manibus ad Deum. 1. *Tim.*2. Volo viros leuare puras manus ad Deum in omni loco. Hanc eleuationem vult Deo esse placitam, sicut sacrificium vespertinum. Erat enim sacrificium matutinum, & vespertinum, sicut legitur *Exod.*19. Sed vespertinum plus placebat in figura illius sacrificij oblati in fine mundi, scilicet filij Dei, quod super omnia Deo placuit, & propter sacrificium, & seruitium, quod offertur Deo in Nouo Testamento, quod plus placet Deo, quàm illud quod in Veteri offerebatur. In Nouo enim seruitur pro æternis: vnde lectiones Noui Testamenti eleuando terminantur in Ecclesia, sed Veteris deprimuntur, quia pro temporalibus seruiebant.

3. *Pone Domine.* Hìc secunda pars Psalmi, in quia specificat quid tam instanter petat: & dicuntur duo. Primò petit. Secundò ostendit fructum consequentem, si adeptus fuerit quod petit, ibi, *Et non communicabo.* In prima duo. Primò petit oris custodiam. Secundò ad quid vult ordinari illam custodiam. *Non declinet cor.* In prima duo. Primò petit oris custodiam. Secundò custodiæ diligentiam, ibi, *Et ostium circumstantiæ.* Dicit ergo: Sic Domine orationem audias, auditæ intendas, & placitam habeas, & acceptam. Et quid rogas? Ecce, ô *Domine pone ori meo*, & interiori cordis, & exteriori corporis, *custodiam. Eccles.*22. Quis dabit ori meo custodiam, & supra labia mea signaculum certum? Benè autem custodia indiget: quia Paulus monet *Ephes.*4. Omnis seruo malus ex ore vestro non procedat. Et *Iacob.* dicit in 3. Vniuersitas iniquitatis, lingua constituitur in membris nostris.

Et pone *ostium circunstantiæ.* In hoc notatur diligentia. Alia litera habet, *continentiæ labiis meis. Prouerb.*10. Qui moderatur labia sua, quod notatur in ostio, quod modò clauditur, & modò aperitur, prudentissimus est. *Eccl.* 3. Est tempus tacendi, & tempus loquendi. Vnde non petit se fieri mutum, vt nunquam loquatur, sed ostium, quod aliquandò aperitur, & aliquandò clauditur: quia nec semper apertum esse debet. Quia *Prouerb.*25. Sicut vrbs patens absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. *Eccl.*28. Et ori tuo facito ostia.

Non declines. Hìc secundum, in quo ostendit, ad quid illam custodiam ordinari velit: & dicuntur tria. Primò quia ad hoc vt ad verba malitiæ generaliter non procedat. Secundò determinat specialiter cuius malitiæ, scilicet excusationis culpæ, ibi, *Ad excusandas.* Ait ergo: Rogo vt os custodias, & ad hoc vt cor meum, de cuius abundantia os loquitur *Mat.* 12. *non declinet in verba malitiæ. Ierem.*44. Nolite facere verbum abominationis. Verba malitiæ sunt dicere bona mala, & mala bona. *Isa.*5. Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum. Et hoc, *ad excusandas excusationes*, hoc est, ad faciendum & fabricandum excusationes, *in peccatis*, sicut illi, qui dicunt peccata & facta sua esse à casu, dicentes illud *Abac.* 1. Facies homines sicut pisces maris, & quasi reptilia non habentia ducem. Alij propter diuitias, & paupertatem. *Prouerb.* 30. Diuitias & paupertatem ne dederis mihi, ne forte sauciatus alliciar ad negandum, & dicam, Quis est Dominus? & egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei. Vel propter societatem malam, sicut Adam *Gen.*3. Mulier quam dedisti mihi, sociam, decepit me, dedit mihi de ligno, & comedi. Alij per aliorum similitudinem, dicentes illud 3. *Reg.* 19. Nec ego melior sum quàm patres mei. Alij propter propriam conditionem, contra quos *Eccl.* 15. Ne dicas, Ille me implanauit: non enim sunt ei necessarij homines impij. Sed *Hieron.* Dimitte excusationem, nemo peccat inuitus.

4. *Nulla est excusatio peccati.*

Cum hominibus operantibus. Nota, quòd hoc pendet ex præcedenti, sic: Non declinet cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis, *cum hominibus operantibus iniquitatem*, id est, sicut faciunt, & fecerunt multi, qui iniquitates proprias excusauerunt: Adam, sicut factum est *Genes.*3. & Saül 1. *Reg.*18. Vidi, quod omnis populus dilaberetur à me, & tu non veniebas iuxtá placitos dies. Hoc enim est peccatum satis generale. *Luc.*14. Et cœperunt omnes excusare.

Et non communicabo. Præmissa petitione vt caueatur illi à peccato oris, subiungitur fructus sequens ex præcedenti bono si concedatur. Primò in ipso qui petit. Secundò in aliis, tamen aliis causis interuenientibus, ibi, *Quoniam adhuc.* In prima tria secundum triplicem vtilitatem, quam tangit. Prima, separatio sui à malis. Secunda, susceptio correctionis, ibi, *Corripiet me.* Tertia, vitatio adulationis, ibi, *Oleum autem.* Dicit ergo: Sic me perfice, vt os meum non loquatur peccati excusationem: & tunc *non communicabo*, in peccato, *cum electis eorum*, operantium scilicet iniquitatem, non Dei: quia *Eccl.*13. dicitur: Quæ communicatio sancto homini ad canem? Et rursus: Quid communicabit cacabus ad ollam? 2. *Cor.*6. Quæ communicatio lucis ad tenebras? Et hoc faciam secundum cõsilium Pauli 1. *Tim.*5. Non communicaueris peccatis alienis. *Prou.*1. Fili me ambules cum eis. Et dicit, *Electis eorum*, quia aliquandò pessimos iudicant optimos. *Mich. vlt.* Qui optimus est in eis, quasi palmus: & qui rectus est, quasi spina de sepe.

5. *Corripiet me.* Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic non communicabo, & etiam *corripiet me*, hoc me volente, *iuſtus in miſericordia*, & hoc verberibus & factis ſi opus ſit. Sed bene addit, *In miſericordia.* Suprà in *Pſal.* Quoniam ſuperuenit manſuetudo, & corripiemur. *Galat.vlt.* Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, corripietis huiuſmodi in ſpiritu lenitatis. Tunc rumpitur iniquitas à facie olei miſericordiæ. *Iſa.* 10. Computreſcet iugum à facie olei. Propter hoc dicitur *Iſa.* 16. Præparabitur in miſericordia ſolium.

Et increpabit me, verbis. *Prou.* 9. Argue ſapientem, & diliget te. 2.*Tim.*4. Argue, obſecra, increpa. Sed tamen ſemper in miſericordia. *Eccl.* 8. Ne deſpicias hominem auertentem ſe à peccato,& ne improperes ei. Memento quoniam omnes in corruptione ſumus.

Oleum autem. Hîc tertium, ſcilicet fuga adulationis & vitatio. Quaſi diceret: Sic me corripiet, & increpabit iuſtus, & acquieſcam. *Oleum autem peccatoris*, falſa miſericordia, & adulationis verba, *non impinguet*, vel melius, *non impinguabit caput meum*, mentem ſcilicet meam, vt ipſam tali oleo inungi ſuſtineam, ſicut ille, de quo *Oſeæ* 7. In malitia lætificauerunt regem, & in mendaciis principes. Hoc oleum, quo libenter mundani homines & ſuperbi inungi volunt, & carè emunt illud. *Oſeæ* 12. de adulatore:Fœdus cum Aſſyriis, cum ſuperbis,iniit,& oleum in Ægyptum, ad tenebroſos & obſcuratos peccato,ferebat. Sed *Prou.*27.dicitur: Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis. *Eccleſ.* 7. Melius eſt à ſapiente corrigi, quàm ſtultorum adulatione decipi.

Quoniam adhuc eſt oratio. Hîc oſtenditur etiam fructus in aliis, adiunctis ſimul cauſis aliis, ad hoc potiſſimè valentibus. Primò ergo tangitur aliorum profectus. Secundò cauſa & ratio promouens ad profectum illum, ibi, *Audient verba mea.* In prima duo. Primò infidelium, & malorum conuerſio. Secundò deſpectio & cõtemptus doctrinæ philoſophicæ comparatione ad Euangelicam, ibi, *Abſorpti ſunt.* Dicit ergo: Sic non communicabo, correctionem diligam, & adulationem fugiam: & etiam *oratio mea*, qua nunc oro pro æternis, & ad illa tendo. Vel *oratio mea*, id eſt,mei capitis Chriſti, quam pro me facit interpellans apud Patrem. 1. *Ioan.* 1. Aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum iuſtum. Vel quã me docuit orare *Mat.6.* erit, *adhuc in beneplacitis eorum*, operantium iniquitatem, & electorum eorum, hoc eſt, bene placebit adhuc illis. *Soph.* 3. Reddam populis nunc impiis & infidelibus labium electum, vt inuocent Dominum,&c. Vel melius certè legitur de oratione prædicationis. Quaſi diceret: *Oratio mea*, id eſt, prædicatio,quæ oratio,id eſt, oris ratio, erit *adhuc in beneplacitis eorum*, vt libenter illam audiant. *Ioſ.*22. Placuit ſermo cunctis audientibus. *Eccl.*21. Verbum ſapiens quodcũque audierit ſcius, laudabit,& adiiciet adhuc.

6. *Abſorpti ſunt.* Ecce ſecundum, quod optime ſequitur ex vltima lectura. Quaſi diceret: Sic placebit prædicatio, & tunc *abſorpti ſunt iudices eorum*, magni,ſcilicet Philoſophi, vt nihil omninò eorum doctrina reputetur: & hoc, *iuncti petræ*, id eſt, Chriſto comparati, doctrinæ ſcilicet Chriſti. *Iſa.* 42. Diſſipabo & abſorbebo ſimul, deſertos faciam montes excelſos. *Iob* 28. Non comparabitur ei, veræ ſcilicet ſapientiæ, topazius de Æthiopia, omnis ſcilicet claritas philoſophica. *Sap.* 7. Omne aurum in comparatione illius, quaſi arena exigua. Et *Iſa.*29. Peribit ſapientia à ſapientibus. *Exod.*7. Virga Aaron deuorauit virgas magorum. *Iſa.*41. dicit Philoſophus: Abſorbuit me, Chriſtus, quaſi draco.

Audient verba mea. Hîc tanguntur promouentes cauſæ ad hæc bona. Prima, virtus diuini verbi & ſermonis. Secunda, virtus martyrij, & mortis ſanctorum, ibi, *Sicut craſſitudo.* Dicit ergo: Sic audient libenter prædicationem, & nihil reputabunt philoſophiæ ſapientiam, & hoc fiet, *quoniam*: hîc reſume: *quoniam audient verba mea*, prædicationis, *quoniam potuerunt*, illa verba, id eſt, poteſtatiua fuerunt. Audient, inquam, auditu obedientiæ interiori. *Iſa.*55. Audite audientes me. *Ioan.*8. Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Verba quidem Eccleſiæ in prædicatoribus poteſtatiua ſunt,& efficacia. *Eccleſ.*8. Sermo eius poteſtate plenus eſt. Tamen in ore Chriſti verè poteſtatiua fuerunt, ſicut aqua in ipſo fonte. *Matth.*7. Erat docens tanquam poteſtatem habens, non ſicut Scribæ & Phariſæi. Sanabant. *Sap.*16. Nec herba, nec malagina ſanauit eos, ſed omnipotens ſermo tuus, qui ſanat omnia. Viuificabant. *Ioan.* 6. Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Inflammabant. *Luc.vlt.* Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, de IESV, dum loqueretur nobis in via, & aperiret nobis ſcripturas? *Verba Chriſti poteſtatiua & efficacia.*

7. *Sicut craſſitudo.* Hîc tangitur cauſa ſecunda, ſcilicet mors, & diſſipatio ſanctorum, quantum ad corpora: & conſtrue vſque, ibi, *Quia ad te Domine.* Ita audient verba poteſtatiua, ex quo ſequentur præcedentia bona: & etiam, *oſſa noſtra*, ad literam, *ſunt diſſipata ſecus infernum*, in mundo, qui prope infernum eſt. Et hoc *ſicut craſſitudo terræ erupta eſt*, vel *erepta eſt ſuper terram*, faciens ipſam fœcundare. Quaſi diceret: Quaſi quædam impinguatio Eccleſiæ, vt multiplicaretur, & fructificaret, eſt mors noſtra per martyrium, & diſſipatio oſſium. *Iudic.*16. Samſon plures interfecit moriens, quàm viuens occidiſſet. Mortes enim ſanctorum ſunt valdè fructiferæ. *Ioan.*12. Si autem mortuum fuerit,multum fructum affert. *Iob* 11. Cum te conſumptum putaueris, orieris vt Lucifer. *Iſa.* 18. Offeretur Domino exercituum munus à populo diuulſo, & dilacerato, à populo terribili, à ſanctis ſcilicet Martyribus, quia oſſa eorum diſſipata pullularunt. *Iſa.vlt.* Et oſſa veſtra quaſi herba germinabunt. Benè autem ſecus infernum dicuntur diſſipata, quia in mundo diſſipantur. Mundus enim quaſi quidam infernus eſt. *Prou.*1. Deglutiamus eum quaſi infernus viuentem. Deglutiunt autem ſanctos tanquam lupi oues. *Mat.*10. Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum.

8. *Quia ad te Domine.* Hîc eſt ſecunda pars ſecundæ partis, in qua petit animæ ipſius cuſtodiam, ne illaqueetur à diabolo, ſicut mali: & dicuntur duo. Primò petit cuſtodiam. Secundò oſtendit cuſtodiæ neceſſitatem, ibi, *Cadent in retiaculo.* In prima duo. Primò petit cuſtodiri à Deo ſimpliciter. Secundò verò determinat à quibus velit eam cuſtodiri ſpecialiter, ibi, *Cuſtodi*

ſtodi me à laqueo. In prima duo. Primò perſuaſio. Secundò petitio. *Non auferas.* Perſuadet autem à duobus : ab intentione recta, quam dirigit in Deum, & à ſpe quam habet in ipſum, ibi, *In te ſperaui.* Dicit ergo : Sic Domine petij vt ponas ori meo cuſtodiam, & ô *Domine*, per creationem, quia me de nihilo feciſti : vel *Domine*, per recreationem, quia me redemiſti: vel bis dicit *Domine*, propter duplicem naturam: *ad te*, non ad aliud, *oculi mei*, ſunt directi, ſup. Oculi, inquam, interiores, intentiones mentis meæ. 2. *Paral.* 20. Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros leuemus ad te, vel dirigamus. *Iſa.*38. Defecerunt oculi mei ſuſpicientes in Excelſo.

In te ſperaui. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Intentionem direxi, & *in te*, non in homine, *ſperaui. Dan.*3. Non eſt confuſio confidentibus in te. Ad *Rom.*5. Spes non confundit. *Eccleſ.*2. Nemo ſperauit in eo, & confuſus eſt. Et quia ſic eſt, *non auferas animam meam*, id eſt, auferri non permittas. 3. *Reg.* 19. Quærunt animam meam vt auferant eam. Suprà in *Pſal.* Fortes quæſierunt animam meam.

9. *Cuſtodi me.* Hîc ſpecificat à quibus vult cuſtodiri, quia à duobus: ab occultis malorum tam hominum, quam dæmonum inſidiis, & hoc primò : & ab apertis illorum malitiis, hoc ſecundò, ibi, *Et à ſcandalis.* Dicit ergo : Sic petij vt auferri non permittas animam, ſed magis cuſtodias : & *cuſtodi me à laqueo*, occultis ſcilicet inſidiis, *quem ſtatuerunt mihi*, dæmones, & mali homines. *Eccl.*9. Communionem mortis ſcito, quoniam in medio laqueorum ingredieris. Laqueus autem, quem prætendunt dæmones, & mali, ipſæ creaturæ delectabiles. *Sap.*14. Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & tentationem animæ hominum. Sed prudentes laqueos declinant. *Prou.*15. Qui cauet laqueos, ſecurus erit.

Et à ſcandalis, ab apertis malis, *operantium iniquitatem. Matth.*18. Væ mundo à ſcandalis. Primo enim peccator ſcandalizatur in creaturæ pulchritudine. *Eccl.*9. Virginem ne conſpicias, ne ſcandalizeris in decore illius. Poſtea alij in eius opere, quando manifeſtum eſt, maximè puſilli. *Matth.*18. Quicumque ſcandalizauerit vnum de puſillis illis, qui in me credunt, expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria collo eius, & proiiciatur in mare.

10. *Cadent in retiaculo.* Hîc ſecundum huius partis, in quo poſtquam præmiſit petitionem, ſubiungit petendi neceſſitatem duplicem. Vna, multitudo pereuntium, & captorum in laqueo inimici. Alia, veritas adiuuantium, ibi, *Singulariter ſum.* Dicit ergo : Sic rogo, nec mirum, quia *peccatores*, quorum magna eſt multitudo, *cadent in retiaculo eius*, dæmonis, adulatoris in reti dæmonis : quia *Abac.* 1. dicitur: Congregauit in rete ſuum. Super hoc lætabitur. Adulatoris, de quo *Prou.* 29. Homo qui blandis fictiſque ſermonibus loquitur cum amico ſuo, expandit rete pedibus ſuis. In his capiuntur peccatores, quia non vident. *Prou.* 3. Via impiorum tenebroſa : neſciunt vbi corruant. Sed Sancti non, quia oculati ſunt vndique. *Ezechiel.* 9. Animalia ſancta habebant oculos ante & retrò. Et pennati : vnde ſurſum ſunt eleuati. *Prou.*1. Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum.

Singulariter ſum. Ecce ſecundum. Quaſi diceret : Sic eſt captorum magna multitudo, & etiam *ego ſum ſingulariter*, ſine adiutorio, *donec tranſeam*, viam huius mundi. *Eccl. vlt.* Aſpiciens eram ad adiutorium hominum, & non erat. Infrà in *Pſal.* Conſiderabam ad dexteram, & videbam, & non erat qui cognoſceret me. Vel *ſingulariter ſum*, videns quod conuerſatio inter homines, nociua eſt. Suprà in *Pſal.* Elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine. *Thren.*3. Sedebit ſolitarius, & tacebit. Et hoc *donec tranſeam*, tanquam flos agri. *Iacob.* 1. Sicut flos fœni tranſibit.

De Chriſto etiam legitur, cuius Apoſtoli ceciderunt in retiaculo peccatoris, dæmonis ſcilicet, quando relicto eo, omnes fugerunt. *Matth.*26. Et ſolus pependit in cruce ſine viri ſocietate. *Iſa.*63. Torcular calcaui ſolus : & de gentibus non eſt vir mecum. Etſi eſſent forſan mulieres aliquæ. *Iob* 19. Pelli meæ conſumptis carnibus adhæſit os meum, &c. Sed hoc donec tranſiit illo tranſitu, de quo *Ioan.* 13. Sciens IESVS, quia venit hora eius vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem. Sed poſt tranſitum ſolus non fuit, confluentibus hinc inde Iudæis & Gentibus, vt poſſit dicere illud *Geneſ.*32. In baculo meo tranſiui Iordanem illum, in cruce, vel morte: & nunc cum duabus turmis egredior ad Patrem. Secum enim ducit ad vitam Iudæos, & Gentiles, de quorum numero nos faciat ipſe, qui eſt benedictus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

IN CXLI. PSALMVM.

Intellectus Dauid, cum eſſet in ſpelunca, oratio.

VOce mea. Hîc eſt Pſalmus 141. in toto libro, in parte verò tertia 41. & ſecundum *Gloſſam* adhuc inſtat orationi, & quod ſuperius iam in duobus primis petierat, ſcilicet liberari à malis, adhuc hîc replicat tanquam mundum animal ruminans cibum ſuum. *Leuit.* 11. Et implens in ſe illud *Prou.* 21. ſecundum aliam literam : Theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore ſapientis, verba ſcilicet ſacræ ſcripturæ: vir autem ſtultus glutit illum. Intitulatur autem ab oratione, ſicut & alij quatuor. Primus, *Exaudi Domine iuſtitiam meam.* Secundus, *Inclina aurem tuam mihi, & exaudi me.* Tertius, *Dominus refugium factus eſt nobis.* Quartus, *Domine exaudi orationem meam, & clamor.* Eſt enim talis titulus : *Intellectus Dauid, cum eſſet in ſpelunca, oratio.* Eſt ſenſus ſecundum *Gloſſam* : In ſubiecto Pſalmo eſt *intellectus Dauid*, & literalis, & ſpiritualis, ſcilicet totius corporis Eccleſiæ, vel ipſius capiti : *cum eſſet in ſpelunca*, vel ille literalis in literali ſpelunca, quando fugiebat Saül. 1. *Reg.*22. Vel ſpiritualis Dauid, congregatio ſcilicet iuſtorum, in mundo vel corpore, vel Chriſtus in ſepulchro. Et eſt hic intellectus, *oratio.* Vel fortè planius inielligitur, ſi hoc quod dicitur, *intellectus*, intelligitur genitiui caſus, vt ſit ſenſus : *Oratio* ſuppoſita, eſt *intellectus*

1. *Propheta adhuc inſtat orationi idē petens quod duobus ſuperioribus Pſalmis.*

ctus ipſius *Dauid*, eleuati in Deum, *dum eſſet ſterilunca*. Hoc non mutatur.

Diuiditur autem Pſalmus. Primò petit liberari à culpa. Secundò penitus à præſenti miſeria, vt ſcilicet educatur de carne iſta mortali, ibi, *Clamaui ad te*. In prima oratio. Secundò perſuaſio, ibi, *Conſiderabam ad dexteram*. In prima duo. Primò oratio, ſiue orationis continuatio, quia orauit, & adhuc orat. Secundò neceſſitas orandi, ibi, *In via hac qua ambulabam*. In prima duo. Primò quod orauerit, & quomodo. Secundò quod adhuc inſiſtit orationi, ibi, *Effundo in conſpectu*. In prima duo. Primò quod clamauerit. Secundò quo clamore diſtinguitur. *Voce mea ad Dominum*.

Dicit ergo: *Voce mea*, non aliena. *Ioan.9.* Ætatem habet, pro ſe loquatur. Non ſicut illi, qui per vicarios volunt deſeruire, contra quos dicebat bonus cantor: Si non vis habere vicarium in præmio, non habeas vicarium in merito. *Ad Dominum* ipſum, non ad regem terrenum, ſicut Perſæ dixerunt *Dan.6.* Quicumque petierit aliquam petitionem, vſque ad triginta dies, niſi à te ô Rex, mittatur in lacum leonum. *Clamaui*, corde inſtigando: aliter non eſt clamor qui ſonet in aure Dei. *Auguſt.* Quid valet ſtrepitus verborum, vbi mutum eſt cor? Et quidam dixit: Non vox, ſed votum: non cordula muſica, ſed cor: non clamor, ſed amor clamat in aure Dei.

Voce mea. Hîc diſtinguit, quo clamore clamauerit, quia clamore deprecationis, non murmuris, & blaſphemiæ. Ait enim: Sic clamaui ad Dominum, & *voce mea deprecatus ſum*: vnde clamor fuit deprecationis. *Iob 5.* Ego deprecabor Dominum, & ad Deum meum ponam eloquium meum. 4. *Reg.12.* Ioſaphat deprecatus eſt faciem Domini, & audiuit eum Dominus. *Sap.18.* Per incenſum deprecationem allegans reſtitit iræ Dei.

3. *Effundo in conſpectu eius.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit, quòd orationem adhuc continuat: & dicuntur duo. Primum, quod adhuc orat, & qualiter. Secundum, quòd Deum non lateat oratio, ſed veraciter ſciat quod ſic eſt. *Et tu cognouiſti.* In prima tria ſecundum triplicem orationis conditionem quam determinat. Primò, quòd orat lachrymabiliter. Secundò, quòd amare. *Et tribulationem.* Tertiò, quòd humiliter, ibi, *In deficiendo.* Dicit ergo: Sic oraui, & etiam adhuc *effundo orationem meam*: copiosè, dicit *Gloſſa*, vt purum fontem. Dicitur autem oratio effundi, quando in orando lachrymæ effunduntur, quæ ſunt quaſi quædam verba deprecatoria, ex oculis procedentia. *Thren.2.* Non taceat pupilla oculi tui. Notandum enim hîc, quòd mali effundunt ſe per gulam, contra illud *Eccleſ.27.* Ne effundas te ſuper omnem eſcam. *Ierem.50.* Effuſi eſtis ſicut vituli ſuper herbam. Per luxuriam. *Gen.49.* Ruben effuſus es ſicut aqua non creſcens: aqua effuſa terram conuertit in lutum. Per cupiditatem. *Thren.2.* Effuſum eſt in terra iecur meum. *Iudæ in Canon.* 2. Væ qui in via Cain abierũt, & errore Balaam mercede effuſi ſunt. Per ſuperbiam, & loquacitatem. *Eccleſ.20.* Sapiens in verbis amabilem ſe facit, gratiæ autem fatuorum effunduntur. Per inuidiam. *Act.1.* de inuido Iuda: Suſpenſus crepuit medius, & effuſa ſunt omnia viſcera eius. Sed boni effundunt ſe in conſpectu Domini, per confeſſionem peccati. *Thren.2.* Effunde ſicut aquam cor tuum coram Domino. Per compaſſionem & pietatem. *Iſa.58.* Cum effuderis eſurienti animam tuam. Per orationem, vt hîc. 1. *Reg.2.* Omne quod inebriare poteſt, non bibi, ſed effudi animam meam in conſpectu Domini.

Mali ſicut & boni ſe effundũt ſed diuerſo modo.

Et tribulationem. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic lachrymabiliter rogo, & etiam *tribulationem meam*, cordis ſcilicet mei amaritudinem, *ante ipſum pronuntio*. *Oſe.6.* In tribulatione ſua manè conſurgent ad me. *Ionæ 2.* Clamaui ad Dominum in tribulatione mea.

In deficiendo. Hîc tertium, ſcilicet quod orat humiliter: defectio enim ſpiritus eſt humiliatio. Ait ergo: Sic adhuc oro lachymabiliter, oro amarè, & etiam oro humiliter, quia *in deficiendo ſpiritum meum*, id eſt, dum deficit ſpiritus meus, alia litera: & hoc ſui reputatione. *Iob 17.* Spiritus meus attenuabitur. Dominus enim humilium aliquando totum ſpiritum fugit, & ad ſe trahit, vt nihil omninò ſe reputent. *Iob 34.* Si direxerit ad Deum cor ſuum, totum ſpiritum eius, & flatum ad ſe trahet. Et hoc per verbum prædicationis. *Ioſ.2.* Nec remanſit in nobis ſpiritus ad introitum veſtrum, dicitur Ioſue. Et per intuitum contemplationis. 3. *Reg.* 10. Regina Saba, vt vidit ordinem ſeruorum Salomonis, & cibos menſæ eius, non habuit vltrà ſpiritum. Et *Matth.5.* dicitur: Beati pauperes ſpititu. 4.

Et tu cognouiſti. Hîc ſecundum totius huius partis, in quo quaſi affirmat quod præmiſit, oſtendendo quod hoc Deum non lateat, quod dixit. Ait enim: Sic dico, nec mentior, quia & *tu* ipſe, *cognouiſti ſemitas meas*, ſtrictas cogitationes & affectiones. *Iob 34.* Oculi Domini ſuper vias hominum. Suprà in *Pſal.* Omnes vias meas præuidiſti. Vel ſic ſecundum *Gloſſam*: Sic dico in me deficere ſpiritum, nec tamen propter hoc reprobus & perditus ſum, ſicut aliqui poſſunt credere: quia & *tu* ipſe *cognouiſti* cognitione approbationis, *ſemitas meas*, iuſtitiæ ſcilicet, & præceptorum Dei. *Prou.4.* Vias quæ à dextris ſunt, nouit Dominus.

In via hac. Præmiſſa oratione, & in quo orauerit, & quod adhuc orat, hîc oſtendit neceſſitatem orationis, ſcilicet inſidias latentis & inimici, & perſequutoris. Ait enim: Sic oraui, & adhuc oro: Nec mirum, quia *abſconderunt*, aduerſarij ſup. *laqueum*, fraudulentæ deceptionis, mihi. 1. *Mach.1.* Facti ſunt in laqueum magnum in Iſraël. Et hoc, *in via qua ambulabã*, æſtimatione ſua: in via enim qua itur ad Deum, laqueus nec eſt, nec eſſe poteſt. Suprà in antecedenti *Pſal.* Iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi. Hæc via poteſt dici Chriſtus, iuxta quam, nec in qua ſcandalum poteſt poni. *Ioan.14.* Ego ſum via, veritas, & vita. Vel fides de Chriſto vera. 2. *Cor.5.* Ambulamus per fidem, & non per ſpeciem. Vel charitas de qua 1. *Cor.12.* Adhuc excellentiorem viam demonſtro vobis.

5. *Conſiderabam ad dexteram.* Præmiſſa orationis continuatione, ſubiungitur hîc perſuaſio, vt acquieſcat oranti, & perſuadet à duobus: à

contemplatione

contemplatione æternorum interna & occulta, & à ſingulari conſtantia, ibi, *Periit fuga.* In prima duo tanguntur. Primò æternorum meditatio. Secundò meditationis occultatio. *Et non erat.* Dicit ergo: Sic rogaui, & rogo, prædicta neceſſitate compulſus, & tu exaudire debes, quia in tanta impulſione, *conſiderabam*, conſiderationem ſcilicet conuertebam, *ad dexteram*, ſcilicet ad æterna, quæ ſunt in dextera. *Cant.* 2. Læua eius ſub capite meo', & dextera illius amplexabitur me. *Prou.* 3. Longitudo dierum in dextera illius. *Et videbam*, ipſam dexteram, ſicut Stephanus iu pugna vidit cœlos apertos, & IESVM ſtatem. In dextera enim vera illuminatio eſt. *Iob* 38. Indica mihi ſi noſti, in quavia lux habitet. Et in eodem: Per quam viam ſpargitur lux. Et poſſet reſponderi: In dextera habitat, & ſpargitur per dexteram. *Bar.* 3. monet nos ad illam remittere mentem: Vt ſcias, inquit, vbi ſit longiturnitas vitæ, & victus: vbi ſit lumen oculorum, & pax.

Et non erat qui cognoſceret me, ſic conſiderantem. Suprà in *Pſal.* Et meditatus ſum nocte eum corde meo, & exercitabar, &c. Sic etiam poſſet legi vt perſuadeat à raritate adiutorum, & ſit verbum capitis morientis in cruce. Quaſi diceret: *Conſiderabam ad dexteram*, ad literam, *& videbam*, ſi fortè adeſſent adiutores, ſi fortè Apoſtoli mihi adhærentes: *& non erat qui cognoſceret me*, etiam ipſe Petrus. *Matth.* 26. negauit cum iuramento dicens: Non noui hominem. *Iſa.* 63. Circumſpexi, & non erat auxiliator. *Eccleſ. vlt.* Aſpiciens eram ad adiutorium hominum, & non erat. Si obiiciatur: Imò ſtabant ixta crucem IESV mater eius, &c. Reſpon. Non aſtabant ad defendendum: & de talibus loquitur hîc.

Periit fuga. Hîc perſuadet à ſingulari conſtantia. Primò ergo tangit conſtantiam. Secundò conſtantiæ ſingularitatem. *Et non eſt.* Dicit ergo: Sic æterna meditabar, & etiam *periit fuga à me*, non quia concluſus, ſed quia conſtans, & ſtabilis, & fortis. *Amos* 2. Periit fuga à veloce: quia ſi bonus paſtor eſt, debet ſtare, non fugere. *Ioan.* 10. Bonus paſtor ponit animam ſuam pro ouibus ſuis: mercenarius autem videt lupum venientem, & fugit. *Ierem.* 25. Periit fuga à paſtoribus. Et ſi opponatur illud *Matth.* 10. Si vos perſequuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. 2. ad *Cor.* 11. Paulus per murum in ſporta dimiſſus eſt. Reſponſio eſt in *Gloſſa*, quòd loquitur de mentali fuga, quæ nunquam debet adeſſe, non de corporali, quæ competit pro loco & tempore.

Et non eſt qui requirat, ad intuitandum, *animam meam*, & ſi bene ſit qui quærat ad perdendum. *Iſa.* 56. Iuſtus moritur, ſcilicet in ſua cõſtantia: & non eſt qui recogitet in corde ſuo, imò magis expellitur. Conſtanti & firmata fide tendens ad patriam. *Luc.* 9. Samaritæ non receperunt Dominum, quoniam facies eius erat euntis in Ieruſalem.

6. *Clamaui ad te.* Hîc eſt ſecunda pars totius Pſalmi, in qua petit liberari penitus à præſenti miſeria. Primò ergo ponitur perſuaſio vt iudicem moueat. Secundò petitio, ibi, *Intende ad deprecationem.* Perſuadet autem à deuotione, & hoc primò. Secundò à confidentia. *Dixi*, *Tu es ſpes mea.* Tertiò à deuotione longamini, & perſeueranti, ibi, *Portio mea.* Dicit ergo: Sic & petij, & adhuc peto liberari à culpa, & à laqueo aduerſarij, & etiam *Domine clamaui ad te*, ecce cordis deuotio in clamore. *Thren.* 2. Clamauit ad Dominum cor eorum, ſuper muros filiæ Ieruſalem.

Dixi, *Tu es.* Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic clamaui ad te: *dixi*, in corde meo, *Tu es ſpes mea. Ierem.* 17. Spes mea tu in die afflictionis. *Eſther vlt.* Exaudi vocem illorum, qui nullam aliam ſpem habent niſi in te.

Portio mea. Ecce tertium. Et dixi, Tu es *portio mea*, quam expecto, quam deſidero, ecce amor, non hîc, ſed *in terra viuentium*, ecce longanimitas in amore. Suprà in *Pſal.* Dominus pars hæreditatis meæ. *Num.* 18. Ego pars, & hæreditas tua in medio filiorum Iſraël. *Thren.* 3. Pars mea Dominus, dixit anima mea. *Sed in terra viuentium*, non morientium, quæ eſt hîc, & mortuorum, quæ eſt infernus. Suprà in *Pſal.* Credo videre bona Domini in terra viuentium, &c.

Intende ad deprecationem. Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur petitio. Petit autem tria. Attentionem iudicis. Ereptionem à malis, ibi, *Libera me.* Et eductionem de habitaculo carnis, ibi, *Educ de cuſtodia.* In prima petitio. In ſecunda quare ratio debeat audiri. *Quia humiliatus ſum.* Quaſi diceret: Ad te clamaui, in te ſperaui, te elegi: ergo *Domine intende ad deprecationem meam*, ad implendum, & debes, *quia humiliatus ſum nimis*, id eſt, valdè, ſecundum morem ſcripturæ. Vel *nimis*, quia humiliatus ſum interius in corde, & exterius in corpore. Primum eſt virtutis. Secundum deiectionis & afflictionis. *Iudith* 9. Humilium & manſuetorum tibi Domine ſemper placuit deprecatio. *Dan.* 3. In animo contrito, & ſpiritu humilitatis ſuſcipiamur à te Domine. 7.

Libera me. Hîc ſecundum, in quo petit ab aduerſariis liberationem: & dicuntur duo. Primò petitio. Secundò ratio quare debeat audiri. *Quia confortati ſunt.* Ait enim: Sic intende ad deprecationem, & etiam *libera me à perſequentibus me. Ierem.* 5. Erue me ab his, qui perſequuntur me, ſicut conſueuiſti. *Ierem.* 20. Liberauit animam pauperis de manu malorum. Et eſt bene liberatus, quem tu liberas. *Ioan.* 8. Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis: quod maius eſt quam liberari. *Eccleſ. vltim.* Eruis ſuſtinentes te, & liberas eos de manu anguſtiæ.

Educ de cuſtodia. Hîc tertium, in quo petit ereptionem de carnis habitaculo. Et ponit primò petitionem. Secundò addit vtilitatem duplicem, ibi, *Ad confitendum.* Prima eſt vt inde Deus laudetur. *Ad confitendum nomini tuo.* Secunda vt proximus ædificetur. *Me expectant iuſti.* Dicit ergo: Sic peto à perſequutoribus liberari, & etiam hoc peto: *Educ de cuſtodia*, alia litera, *de carcere*, carnis: corpus enim carcer eſt animæ ſanctæ ad æterna ſuſpirantis. *Iob* 7. Nunquid mare ſum ego, aut cetus, quia circumdediſti me carcere? Mare peccator, cetus diabolus, de quibus non eſt mirum ſi carcere circumdantur, cum tendant ad malum, ſed de illo qui non tendebat niſi in bonum, mirum 8. *Corpus eſt carcer animæ.*

eſt. In hoc carcere gemebat qui dicebat *Rom.* 7. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Nec mirum: quia in hoc carcere fame & ſiti cruciatur. *Matth.* 5. Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, in carcere corporis. Leonibus ad deuorandum exponitur, ſcilicet motibus carnalibus. *Dan.* 6. Daniel miſſus eſt in lacum leonum. Tenebris excæcatur. *Iſa.* 20. Emarcuit cor meum, tenebræ ſtupefecerunt me. Luto ſordidarum affectionum immergitur. In *Pſal.* ſuprà: Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia. Et nota, quòd ſi reus eſt, ad maiorem pœnam cuſtoditur: ad gloriam, ſi electus, ſicut pincerna Pharaonis & piſtor. *Gen.* 40. quorum alter eductus de carcere, ſuſpenſus eſt, alter vero priſtino honori, & forte ampliori reſtitutus.

Ad confitendum nomini. Hîc eſt ſecundum, finis eductionis. Primus ſcilicet vt laudetur Deus. Ait enim: Sic educ animam meam de cuſtodia: & hoc, *ad confitendum*, confeſſione laudis, *nomini tuo*, nominabili potentiæ & benignitati tuæ. *Iſa.* 38. Viuens viuens ipſe confitebitur tibi. *Exod.* 15. Filij Iſraël liberati de Ægypto, cantauerunt canticum Domino. *Iſa.* 51. Venient in Sion gaudentes.

Me expectant iuſti. Ecce alius finis, & dicitur in perſona capitis magis propriè. Quaſi diceret: Sic me libera de carcere ad laudem nominis tui, & etiam ad lætificandum iuſtos, & ædificandum, quia *me expectant iuſti donec tu mihi retribuas*, vt ædificentur, & exultent. Hoc verum eſt de Martyribus, de quorum gloria poſt eductionem de corpore lætantur iuſti, & ædificantur, & potiſſimè de capite, quorum gloria poſt mortem fuit ædificatio totius. *Iſa.* 51. Me inſulæ, ſancti ſcilicet vndique amaritudinibus tanquam quibuſdam vndis concuſſi expectant. Et in 30. Beati omnes qui expectant eum. *Ierem.* 14. Expectatio Iſraël ſaluator eius in tempore tribulationis. Expectant me, vt reformentur anima & corpore. *Phil.* 3. Saluatorem expectamus Dominum IESVM CHRISTVM, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. Ad quam reformationem glorioſam nos perducat glorioſus filius Dei, qui eſt benedictus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

IN CXLII. PSALMVM.

Pſalmus Dauid, quando perſequebatur eum Abſalon filius eius.

1. *Propheta ad orationẽ & pœnitentiã confugit.*

DOmine *exaudi orationem.* Hic eſt Pſalmus 142. in toto libro, in tertia vero parte libri 42. Eſt autem inter Pſalmos pœnitentiales ſeptimus, & vltimus. Pſalmi enim pœnitentiales, in tali numero ſunt, quia ad delendum in nobis 7. peccata conſtituti ſunt: vel ad ſatisfaciendum pro delictis 7. quibus obligamur in 7. diebus, quibus currit totum huius mundi tempus. Si autem quæratur ab aliquo, quare hi Pſalmi magis pœnitentiales appellantur quàm alij? poteſt dici, quòd in pœnitentia ſunt duo, ſcilicet ſpes, & timor, inter quæ duo, tanquam inter duas molas molitur peccator, & conteritur. Quia ergo in huiuſmodi Pſalmis præmittuntur triſtia procedentia ex timore, in fine vero ſubiunguntur læta procedentia ex certa ſpe, rectè Pſalmi pœnitentiales appellantur.

Quare Pſalmi pœnitentiales ſic appellantur.

Titulus autem magis reſpicit ad primam partem: ſic enim habet: *Pſalmus Dauid, quando perſequebatur eum Abſalon filius eius.* Et eſt ſenſus tituli: *Pſalmus* ſubiectus, *eſt Dauid*, materialis vt miniſtri à Spiritu ſancto moti, *quando perſequebatur eum*, &c. Et tangit hiſtoriam, quæ habetur 2. *Reg.* 15. & 16. & 17. & 18. etſi etiam potuit eſſe, quod tunc compoſuit Pſalmum iſtum poſitus in anguſtia, & perſequutione graui: tamen magis reſpicit Pſalmus ad ſignificatum: magis enim agit de hoc quod in illa perſequutione figuratum fuit, quàm de eo, quod literaliter factum fuit. Notandum enim, quòd Dauid tres inimicos habuiſſe legitur, ſiue tria inimicorum genera. Alienigenas, Moabitas ſcilicet: & nos ſimiliter dæmones, contra quos fuit ſpecialiter oratio in Pſalmo illo, *Domine clamaui.* Et Saülem, qui interpretatur petitio, & ſignat mundum: & contra hunc ſpecialiter in illo, *Voce mea ad Dominum.* Tertiò Abſalonem proximum ſuum, & ſignat carnem: & hîc propriè orat, & lamentatur pœnitens oppreſſus iſto. Communiter orauit contra omnes in illo, *eripe me Domine.*

Diuiditur autem Pſalmus in duas partes principaliter, ſicut tactum eſt. Primò lamentabilis petitio ad Deum. Secundò læta concluſio de certitudine impetrandi petitum, ibi, *Spiritus tuus bonus.* In prima duo. Primò petit non diſtrictè iudicari in futuro. Secundò ſibi conferri bona, & non mala in præſenti, ibi, *Expandi manus.* In prima duo. Primò petit. Secundò neceſſitatem qua petit, oſtendit, ſubiungens perſuaſionem, ibi, *Quia perſequutus eſt.* In prima adhuc duo. Primò poſtulat vt exaudiatur. Secundò determinat in quo debeat exaudiri, ibi, *Et non intres.* In prima duo. Primò petit efficaciter audiri. Secundò addit rationes, quare ſic audiri debeat, ibi, *In veritate.* In prima duo. Primò petit orationem ſuam audiri. Secundò auditam clementer ſuſcipi, ibi, *Auribus percipe.*

Dicit ergo: O *Domine*, cuius eſt potentia, *exaudi orationem meam.* 3. *Reg.* 8. Reſpice ad orationem ſerui tui, & ad preces eius Domine Deus meus. *Dan.* 9. Exaudi Domine Deus noſter orationem ſerui tui. Nec tantum exaudi, imò.

Auribus, clementiæ tuæ, *percipe obſecrationem meam*, orationem cum atteſtatione ſacrorum tibi factam. Sic orabant ſancti. *Dan.* 6. Tribus temporibus per diem orat obſecratione ſua. *Phil.* 4. In omni oratione & obſecratione cum gratiarum actione, orationes veſtræ innoteſcunt apud Deum.

In veritate tua. Ecce quare debeat exaudiri, & allegat duo: Dei veritatem, qua promiſit iſtud, & iuſtitiam, quam infudit & dedit fruſtra, ſi humilem & iuſtum damnare præſumit. Ait enim: Sic exaudi, & benignè orationem recipe: & *exaudi me in veritate tua*, id eſt, propter veritatem tuam tenendam, vt ſemper inueniaris verax. Veritas autem falli non poteſt, fallere non nouit. 2. *Tim.* 2. Fidelis eſt, ſeipſum negare non poteſt.

In tua iuſtitia. Exaudi me, id eſt, per tuam iuſtitiam, quam mihi infudiſti, quæ eſt iuſtitia fidei, quam pro nihilo habeo, ſi non exaudior. *Iſa.45.* Meæ ſunt iuſtitiæ & imperium.

2. *Et non intres.* Ecce ſecundum, in quo determinat quid petat, non diſtrictè iudicari, hoc eſt, iudicari comparatione ad diuinam puritatem. Et primò petitio declaratur. Secundò petitioni ratio aſſignatur. *Quia non iuſtificabitur.* Dicit ergo: Sic peto vt audias, & attendas, & hoc ô Domine, *non intres in iudicium cum ſeruo tuo*, vt comparatione tui me velis iudicare. Notandum enim, quod Dominus bene vult ſubire nobiſcum iudicium. *Iſa.5.* Iudicate inter me, & vineam meam habitatores Ieruſalem, & viri Iuda. *Iob 31.* Si contempſi ſubire iudicium cum ſeruo meo. Nos tamen non debemus velle iudicari cum ipſo: tales enim arguit. *Ierem.2.* Quid vultis mecum cum iudicio contendere? omnes dereliquiſtis me.

Multiplex cauſa quare nolit Propheta venire ad iudicium cũ Domino.

Quia non iuſtificabitur. Ecce cauſa. Quaſi diceret: Non me iudices tui comparatione: *quia omnis viuens*, vita naturæ, *non iuſtificabitur in conſpectu tuo*, id eſt, tibi comparatus propter multiplicem rationem. Primò propter peccati neceſſariam adhærentiam, originalis ſcilicet. *Eph.2.* Omnes naſcimur filij iræ. Etiam baptizati retinemus ſeruitutem. *Rom.8.* Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Secundò propter peccatorum actualiũ ſuperadditionem. *1.Ioan. 1.* Si dixerimus, quia peccatum non habemus, noſmetipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Tertiò propter additorum multitudinem. *2.Par.vlt.* Super numerum arenæ maris multiplicatæ ſunt iniquitates meæ. Quartò propter peccandi continuitatem. *Oſeæ 4.* Fornicati ſunt, & non ceſſauerunt. Quintò eſto quod nullum peccatum habemus, quia beneficiis Dei non reſpondemus. *Iob 9.* Si voluerit contendere cum eo, non reſpondebit vnum pro mille. Sextò, quia ſi reſponderemus, nullum tamen bonum à nobis haberemus, ſed totum eſt ex Deo. *1. ad Cor.4.* Quid habes quod non accepiſti? Propter hoc dicitur *Iob 4.* Nunquid iuſtificabitur homo comparatione Dei? Et *25.* Non iuſtificari poteſt homo comparatus Deo. Et infrà: Luna non ſplendet, & ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius. *Iob 9.* Si lotus fuero quaſi aquis niuis, tamen ſordibus intinges me.

3. *Quia perſequutus eſt.* Hîc ſecundum', in quo præmiſſa petitione, ſubiungit neceſſitatem petitionis, ſecundum duplicem tribulationem: exteriorem ab inimico illatam, & interiorem ex meditatione æternorum contractam, ibi, *Anxiatus eſt ſuper me.* Primam autem tribulationem aggrauat à parte ipſius perſequentis, & à parte eius quod perſequitur. *Animam meam.* Et ab intentione perſequentium, quam tangit duplicem. Prima eſt vt immergat in amorem terrenorum. Secunda vt ſpiritualem viſum auferat, ibi, *Collocauit me in obſcuris.* Dicit ergo: Sic Domine rogo, & clamo, & compellor: *quia inimicus*, id eſt, diabolus, *perſequutus eſt*, non corpus tantum, ſed *animam meam. 2.Reg.17.* dixit Architophel ad Abſalon, diabolus ad carnalem concupiſcentiam: Eligam mihi 12000. virorum, & perſequar Dauid, & peremptam eum, & animam eius. *Gen.13.* Da mihi animas, cætera tolle tibi. *Gregor.* Parum ſe feciſſe æſtimat, cum animam non ſauciat.

Humiliauit. Ecce intentio. Quaſi diceret: Sic animam perſequutus eſt, & quantum in ſe eſt, *humiliauit animam meam in terra*, ipſam inclinando ad terrena. *Iſa.29.* Humiliaberis, de terra loqueris, & de terra muſſitabit eloquium tuum. *Thren.3.* Sederunt in terra, conticuerunt ſenes filiæ Iuda. Nec eſt contrarium ſi muſſitant, & loquuntur de terrenis, & conticeſcunt de æternis: imò vnum ſequens eſt ex altero.

Collocauit me. Hîc ſecundum, quod pertinet ad intentionem, quia vt poſſint excæcare: & tanguntur duo. Primò intentio de excæcando. Secundò de modo. *Sicut mortuos ſæculi.* Ait ergo: Sic quantum ad ipſos humilior ad terrena, & etiam quantum in ſe eſt, *collocauit me*, ſic humiliatum, *in obſcuris*, non ſicut viuos, qui ſtatim inde prodire poſſunt, ſed *ſicut mortuos ſæculi*, qui in illis perſeuerant. *Thren. 3.* In tenebroſis collocauit me, quaſi mortuos ſempiternos. Verè in tenebris ſunt peccatores. *Prou.4.* Via impiorum tenebroſa. Quia ipſi non diligunt, niſi tenebras. *Ioan. 3.* Qui male agit, odit lucem. Nemo vadit libenter per viam quam odit. Ibi collocantur, ibi placitum eſt eis, tanquam in luce clara. Suprà in *Pſal.* Et nox illuminatio mea in deliciis meis. *Mich. 3.* Nox nobis pro viſione erit, & tenebræ vobis pro diuinatione.

Et anxiatus eſt. Hîc tangitur interior tribu- 4.
latio, propter quam neceſſe eſt orare, & petere. Tanguntur autem tria. Primò interior anxietas & turbatio. Secundò modus turbationis & finis, quia ad pœnitentiam, ibi, *In me turbatum eſt.* Tertiò cauſa & ratio turbationis, ibi, *Memor fui.* Dicit ergo: Sic exterius perſequutus eſt inimicus, *& ſpiritus meus ſuper me*, extenſus & eleuatus, *anxiatus eſt.* Hæc eſt ſyndereſis, quæ ſuper omnes animæ vires eleuatur. *Ezech. 1.* Et facies hominis deſuper ipſorum quatuor. Per hominem vis rationalis, per bonum concupiſcibilis, per leonem iraſcibilis, per aquilam ſyndereſis, quæ ſuper omnes animæ vires eleuatur. *Rom. 8.* Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Baruc.3.* Anima in anguſtiis poſita, & ſpiritus anxius clamat ad te. *Iſa.61.* Spiritus ſuper me. *Thren.3.* Leuauit ſe ſuper ſe.

In me turbatum. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, & *cor mecum conturbatum eſt*, ad pœnitentiam, *in me.* Ecce bona anxietas & triſtitia. *2. ad Cor. 7.* Triſtitia quæ ſecundum Deum eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. *Ierem. 4.* Senſus cordis mei turbati ſunt in me. Et hoc iuſtiſſimum. *Gregor.* Iuſtum eſt vt in ſe mœrores inueniat, qui relicto vero gaudio in ſe gaudia quærebat.

Memor fui dierum. Hîc tangit huius anxie- 5.
tatis cauſam, & conſolationem. Et primò cauſam. Secundò conſolationem. *Meditatus ſum.* Dicit ergo: Sic anxiatus eſt ſpiritus, & turbatum eſt cor, quia *memor fui dierum antiquorum*, iudiciorum ſcilicet tuorum antiquorum, quibus tam potenter dæmonem in cœlo peccantem crudeliter puniuiſti. *Geneſ. 3. Zachar. 13.* Homo agricola ego ſum: quoniam Adam

exemplum

exemplum meum ab adoleſcentia mea. In *Pſal.* ſuprà: Memor fuit iudiciorum tuorum à ſæculo Domine.

Meditatus ſum. Hîc tangit anxietatis ſuæ conſolationem duplicem, ſcilicet operum Dei recordationem primò. Secundò recordationis continuationem, ibi, *In factis.* Dicit ergo: Sic memor dierum timui, ſed poſt in conſolationem meam, *meditatus ſum in omnibus operibus tuis*, quæ ſunt propriè opera miſericordiæ: & hoc continuè, quia & *in factis manuum tuarum meditabor*, non ſicut illi, quibus dicitur *Iſa.5.* Opus Domini non reſpicitis, & opera manuum eius non conſideratis. De quibus *Sap.* 8. In operibus manuum eius honeſtas ſine defectione. *Pſal.* Delectaſti me Domine in factura tua. *Eccleſ.*42. Memor ero operum Domini. Et Moyſes dicit *Deut.6.* Docete filios veſtros vt illa meditentur. Valde enim bona ſunt. *Gen.*1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Ducit enim talis meditatio ad cognitionem Dei, quæ eſt valdè delectabilis. *Sap.* 13. A magnitudine ſpeciei & creaturæ poterat creator eorum viſibiliter cognoſci. *Rom.*1. Inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus eius, ac diuinitas.

6. *Expandi manus.* Hîc ſecunda pars primæ partis totius Pſalmi, in qua petit ſibi conferri bona, & mala auferri: & dicuntur duo. Primò modum orandi & dandi determinat. Secundò ſpecificat petitum, ibi, *Non auertas.* In prima duo. Primò modum orandi determinat. Secundò dandi quod poſtulat, ibi, *Velocitate exaudi.* Modum orandi duplicem tangit, cum bona operatione, & forti adhæſione cum Deo, ibi, *anima mea.* Dicit ergo: Sic petij Domine, non iudicari à te in iudicio, & etiam *expandi*, bona faciendo, *manus meas ad te. Thren.* 1. Expandit Sion manus ſuas, non eſt qui conſoletur eam. *Eſdræ* 9. Expandi manus meas ad Dominum Deum meum. Bene autem ad Deum manum expandit, qui illam pauperi propter Deum porrigit. *Prou. vlt.* Manus ſuas extendit ad pauperem. *Matth.* 12. Extende manum tuam, dictum eſt paralytico, & extendit, & reſtituta eſt ſanitati.

Anima mea. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic manus expandi, & etiam *anima mea tibi*, hæret ſup. *ſicut terra ſine aqua*, vt ipſam irriges, quia à me irrigari non poteſt. *Num.*11. Anima noſtra arida eſt, & nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo, & cito morietur niſi à te irrigetur. *Iob* 8. Nunquid poteſt virere ſcirpus abſque humore? Quaſi diceret: Non: aut creſcere carectum abſque aqua? Sed cum Deus irrigat arida, tunc virent. *Oſeæ vlt.* Ero quaſi ros, & Iſraël germinabit quaſi lilium. Propter hoc dicitur *Ioel.*1. Omnes beſtiæ agri, quaſi area ſitiens imbrem ſuſpexerunt ad te. Dicitur enim *Iſa.* 55. quod imber, gratiæ, deſcendit de cœlo, & inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit.

7. *Velociter exaudi.* Hîc determinat audiendi modum: & dicuntur duo. Primò tangit modum, quo deſiderat audire. Secundò addit rationem illius modi. *Defecit Spiritus meus.* Dicit ergo: Sic peto, & ô Domine rogo, *velociter exaudi me.* Suprà in *Pſal.* In quacumque die inuocauero te, velociter exaudi me, ſicut promittit ſeruus tuus *Iſa.* 3. Ad vocem clamoris tui, ſtatim vt audierit, reſpondebit tibi. Et 65. Adhuc illis loquentibus ego exaudiam.

Defecit ſpiritus meus. Hîc ratio. Quaſi diceret: Ideò audi, quia rogando, ſuſpirando, *defecit ſpiritus meus. Iob* 17. Spiritus meus attenuabitur, dies mei breuiabuntur. Suprà in antecedenti *Pſal.* In deficiendo ex me ſpiritum meum. Spiritus, inquam, elationis, & ſuperbiæ, de quo *Matth.*5. Beati pauperes ſpiritu.

Non auertas faciem. Hîc determinat, & ſpecificat petitum. Et primò petit Dei certam notitiam. Secundò de Dei miſericordia certitudinem, ibi, *Auditam.* Tertiò viæ, qua itur ad Deum miſericordem, notitiam, ibi, *Notam fac mihi.* Quartò ab inimicis ereptionem, ibi, *Eripe Domine.* Quintò inſtructionem in facienda diuina voluntate, ibi, *Doce me facere.* In prima duo. Primò petit ſibi conferri Dei notitiam. Secundò addit talis petiti cauſam. *Et ſimilis ero.* Dicit ergo: Sic Domine velociter exaudi. In quo exaudiam? Ecce, *Non auertas faciem tuam*, quin te oculo interiori videam, & & cognoſcam, *à me*, humili, ſicut feciſti à ſuperbo aliquando, & peccatore. Dicit enim *Zach.*1. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. *Exod.*33. Si inueni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam, plena eſt enim gratia. *Eſther vlt.* Facies tua plena eſt gratiarum, plena vita. *Oſeæ* 6. Viuemus in conſpectu eius.

Et ſimilis. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic non auertas, *&*, pro quia, ſi auertis, *ſimilis ero deſcendentibis in lacum*, id eſt, in peccati profundum. *Exod.*15. Deſcenderunt in profundum, peccati ſup. quaſi lapis. Et tunc indurantur. *Thren.*3. Lapſa eſt in lacum vita mea, poſuerunt lapidem ſuper me, hoc eſt, cordis duritiam: & contemnunt. *Prouerb.* 18. Peccator cum venerit in profundum peccatorum, contemnit.

Auditam fac. Hîc ſecundum, in quo petit certam miſericordiæ cognitionem. Et primò petit. Secundò rationem adiungit. *Quia in te.* Dicit ergo: Sic da tui cognitionem, vel in habita me conſerua, & etiam *fac mihi auditam*, in aure cordis interiori, *miſericordiam tuam*, vt poſſim dicere illud Pſalmi: Miſericordia Domini magna eſt ſuper me. Et hoc, *mane*, in ortu ſcilicet gratiæ tuæ in corde meo. *Exod.*14. Factum eſt in vigilia matutina, reſpexit Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum. *Oſeæ.6.* Quaſi diluculum egreſſus eius, ad animam per gratiam ſuam. Vel *mane*, poſt finem ſæculi huius, in quo omninò recedunt tenebræ: mane enim tantum propter hoc dicitur: plena autem meridies erit, quantum ad cognitionem, & ardorem. *Iſa.*58. Tenebræ tuæ erunt quaſi meridies. 1. *Reg.*11. Cras erit vobis ſalus cum incaluerit ſol. Et tamen erit quaſi mane, quia tunc orietur homo ad gloriam. *Iob* 11. Cum te conſumptum putaueris, orieris vt lucifer. 8.

Qui in te ſperaui. Ecce cauſa quare confidenter peto. *Eccleſ.*2. Nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt. *Rom.* 5. Spes non confundit.

Notam fac mihi viam. Hîc tertium, in quo petit

petit viæ qua itur ad misericordem, ostensionem: & dicuntur duo. Primò petit. Secundò addit causam quare debeat obtinere. *Quia ad te leuaui.* Dicit ergo: Sic te cognoscere fac, & tuam misericordiam, & etiam *fac mihi notam*, tu, non alius, *via, in qua ambulem*, ad te. *Isa.*2. Docebit vos vias suas,& ambulabitis in semitis eius. Doce & ostende quia lux es. *Ioan.*8. Ego sum lux mundi. *Tob.*4. Pete ab eo vt vias tuas dirigat. *Eccles.*36. Dirige nos in viam iustitiæ. *Ioan.* 12. Ambulate dum lucem habetis, viam vobis ostendentem, & non offendetis. *Greg.* Inoffenso pede iter agitur, si Deus & proximus diligatur.

Quia ad te, non ad alium, *leuaui animam meam*, per desiderium. *Thren.*3. Corda nostra cum manibus leuemus ad Deum, quod facit Spiritus sancti gratia. *Ezech.*2.Leuauit me spiritus, & assumpsit me.

9. *Eripe me de inimicis meis Domine.* Hîc quartum,in quo petit ab inimicis liberari. Et primò petit. Secundò causam addit, ibi, *Ad te confugi.* Dicit ergo: Sic da tui cognitionem, & misericordiæ tuæ sensum, & experientiam, & ostende viam, sed ne impediar, ô *Domine eripe me de inimicis meis*, dæmone, & exercitu suo me vallante. 4. *Reg.* 25. Nabuchodonosor & exercitus eius circumdederunt Ieruſalem. *Eccl.*9. Ciuitas parua, & pauci in ea viri. Venit rex magnus aduersus eam, & posuit obsidionem, sed tu libera & eripe. 2.*Reg.*22.Liberauit me ab inimico meo potentissimo. *Eccles.*51. Eruis sustinentes te Domine.

A te confugi. Ecce secundum. Quasi diceret: Sic rogo quod eripias, & debes, quia sup. *Ad te*, non ad alium, *confugi. Ierem.*16. Refugium in die tribulationis. *Confugi*, cum omnibus meis fugi, & sic ex toto fugi. *Ierem.*17. Dominus fortitudo mea, & refugium meum. In Babylonia non remansi. Eodem libro: O, o, o, fugite de medio Babylonis. Tu ciuitas refugij. *Num.*35.

10. *Doce me facere.* Hîc est quintum petitorum. Et primò petit. Secundò addit causam, quare exaudiendus. *Quia Deus meus.* Ait ergo: Sic eripe, vt in via possim liberè ambulare, *& doce me*, ambulantem iam voluntate interiori, *facere*, in exteriori opere, *voluntatem tuam*: scire enim viam,& liberam esse, nisi contingat opere ambulare, parum prodest, imò fortè plus nocet. *Luc.*12. Seruus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, plagis vapulabit multis.Sed in Psalmo de facientibus dicitur: Intellectus bonus omnibus facientibus eum.

Quia Deus meus. Ecce secundum. Quasi diceret: Sic doce me ideo, *quia Deus meus es tu.* Et si non docueris me facere voluntatem tuam, faciam meam. *Deut.*32. Nunquid non ipse pater tuus, qui fecit, & creauit, & possedit te? quod plus est etiam,quàm esse Deum. *Isa.*64. Et nunc Domine pater noster es tu, nos vero lutum, fictor noster, & opera manuum nostrarum omnes nos.

Spiritus tuus bonus. Hîc secunda pars totius huius Psalmi, in qua postquam præcessit petitio, subiungitur læta conclusio de certitudine petitorum.Primò ergo ostendit se exaudiendum in deductione per viam ad Deum. Secundò in largitione vitæ gratiæ, ibi, *Viuificabis me.* Tertiò in liberatione à tribulatione, ibi, *Educes de tribulatione.* Quartò in inimicorum subiectione. *Et in misericordia tua disperdes.* Quintò in ipsorum damnatione, ibi, *Et perdes omnes qui tribulant animam.* In prima duo. Primò certitudo de deductione ipsius per viam ad Deum ducentem. Secundò ratio tanti beneficij, sola ipsius misericordia, ibi, *Propter nomen tuum.* Dicit ergo: Sic petij, nec in vanum, quia ô Domine *Spiritus tuus bonus*, non meus malus. *Sap.*12. O quàm bonus, & suauis est Domine spiritus tuus in nobis! *Deducet me*, viam ostendendo, in ostensa adiuuando, *in terram rectam. Neem.*10. Spiritum tuum bonum dedisti eis, qui doceret eos, & duceret. *Isa.*63.Spiritus tuus ductor eius fuit. *Ierem.*31. Adducam eos per torrentes aquarum in via recta. *Sap.* 10. Iustum deduxit Dominus per vias rectas, &c. Qui ab illo non ducitur, errat in via supernæ ciuitatis, & affligitur in illa. *Eccles.*10. Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in vrbem pergere.

Et hanc deductionem facies Domine, non propter me, *sed propter nomen tuum*, propter nominabilem potentiam tuam. De hoc nomine *Isa.*47. Sanctum nomen eius in excelso. 11.

Viuificabis. Ecce secundum, scilicet viuificatio per gratiam: & tangitur primò viuificatio. Secundò ratio. *In æquitate.*Dicit ergo: Sic Domine spiritus tuus deducet me, & etiam, *viuificabis me*, vita gratiæ. *Isa.*38. Corripies me, & viuificabis me. *Eph.*2.Cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo. Et in eodem: Propter nimiam charitatem suam, conuificauit nos in Christo. Et hoc, *in æquitate tua*, hoc est, propter æquitatem tuam, non propter mea merita. Et est æquitas iustitia, tamen misericordia temperata. *Tit.* 3. Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed, &c.

Educes de tribulatione. Hîc tertium bonum. Quasi diceret: Sic viam ostendes, sic præbebis vitam, & etiam *educes animam meam de tribulatione. Isa.*42. Vt educeres de conclusione vinctum, de domo carceris, sedentes in tenebris. *Iob* 5. In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum. Educes autem ad tranquillitatem. *Tob.*4. Post tempestatem tranquillum facis. Educes ad lætitiam. Ibidem: Post lamentationem & fletum, exultationem immittis. *Mal. vlt.* Egrediemini & salietis sicut vitulus de armento. Educes ad lucem. *Mich.vlt.* Educet me ad lucem, videbo iustitiam eius, quæ nunc me latet. 12.

Et in misericordia tua. Hîc quartum. Quasi diceret: Sic deducet spiritus viuificans, à tribulatione eripies, *& disperdes omnes inimicos meos*, vt nihil mihi nocere possint: & hoc, *in misecordia tua. Zach.*9. Disperdam superbiam Philistinorum. *Ierem.* 17. Confundantur qui me persequuntur. Et in 2. Qui me persequuntur,cadent, & infirmi erunt.

Et perdes omnes. Hîc quintum, inimicorum perditio in futuro: & tangitur primò illorum perditio. Secundò ratio sic perdendi eos. *Quoniam ego seruus.* Ait ergo: Sic liberabis à tribulatione, sic disperdes inimicos: *& perdes omnes qui tribulant animam meam*, in infernum eos deiiciendo. *Iob* 21.Ad diem perditionis seruatur

malus

malus, & ad diem furoris ducetur, quando dicet eis illud *Matth.* 25. Ite maledicti in ignem æternum.

Et merito eos perdes: *quoniam ſeruus tuus ego ſum*, quem ipſi ita tribulant. Seruus, inquam, tuus, non peccati, etſi aliquando fui. *Rom.*6. Cum eſſetis ſerui peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ, *Ioan.*8. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Non mundi: quia *Matth.* 6. dicitur: Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Non ventris, ſicut illi, de quibus dicitur *Rom.vlt.* Huiuſmodi non Chriſto Domino ſeruiunt, ſed ſuo ventri. Sed ego ſum ſeruus tuus. *Sap.*9. Seruus tuus ego ſum, & filius ancillæ tuæ, quia tibi ſeruire eſt regnare hic per gratiam, in præſenti, & meretur regnum gloriæ in futuro, ad quod nos perducat, &c.

IN CXLIII. PSALMVM.

Pſalmus Dauid, ad Goliam.

1. *Propheta gratias agit, quod virtute Dei Goliam vicerit.*

Benedictus Dominus Deus meus. Hic eſt Pſalmus 143. Poſtquam enim petiuit ab inimicis liberari, & ſimul ab omnibus, & ſigillatim & diuiſim ab vnoquoque in quatuor præcedentibus Pſalmis, hîc petit figuratam liberationem adimpleri, agens gratias pro figura. Sciendum enim, quòd in illa victoria, qua deuicit Dauid Goliam 1. *Reg.* 17. In funda, & lapide, & ei caput proprio gladio amputauit, figuratam intellexit victoriam de diabolo per Chriſtum factam. Agens ergo gratias pro figura iam adimpleta, petit adimplei figuratam in ea veritatem, promittendo laudem cum lætitia, ſi fuerit exauditus. Et patet titulus ex iam dictis: ſic enim habet: *Pſalmus Dauid, ad Goliam.* Eſt enim ſenſus: *Pſalmus* ſubditus *Dauid* vt actoris, eſt *ad Goliam*, id eſt, contra Goliam editus: tangit enim deiectionem, & literalis Goliæ à literali Dauid, & ſpiritualis à ſpirituali petit deiectionem.

Pſalmus autem ſecundum quod iam tactum eſt, diuiſus eſt in tres partes. Primò gratias agit pro victoria literali. Secundò petit ſpiritualem, per illam figuratam, ibi, *Domine inclina cœlos.* Tertiò ſe laudaturum ſi impetrauerit, ibi, *Deus canticum nouum.* In prima parte duo dicuntur. Primò gratiarum actio pro beneficiis liberationis in pugna. Secundò admiratio vel admiratiua quæſtio de tanta bonitate, qua tam gratis largitur bona, ibi, *Domine quid eſt homo?* In prima tria. Primò gratiarum actio pro liberatione. Secundò probatio, quòd benè ſunt agendæ gratiæ, quia non ex debito ſunt exhibita, ſed ex miſericordia, ibi, *Miſericordia mea.* Tertiò adhuc aliorum beneficiorum expectatio ab excitato per illa. *Et in ipſo ſperaui.* In prima duo. Primò gratiarum actio pro liberatione ſui, & pro inſtructione in pugna de propinquo: hæc enim dicitur prælium propriè. Secundò pro inſtructione in pugna à remoto, ibi, *Et digitos meos.* In prima duo. Primò gratiarum actio. Secundò inſtructio ipſius in pugna de propinquo, ibi, *Qui docet manus meas.*

Dicit ergo: Sic cogitaui me ab inimicis liberari, & ſigillatim & ſimul, & *benedictus*, ſit à me, & omni creatura, *Dominus* qui potuit. *Deus* qui ſciuit, *meus* qui voluit. *Dan.*3. Benedicite omnia opera Domini, Domino. Suprà in *Pſal.* Benedic anima mea Domino. *Luc.*1. Benedictus Dominus Deus Iſraël.

Qui docet manus meas. Ecce ſecundum, *qui*, id eſt, quia ille *docet manus meas ad prælium*, quod fit de propinquo. 2. *Reg.*22. Docens manus meas ad prælium. Et in eodem: Accingis me fortitudine ad prælium. *Et digitos meos*, docet ſup. ad bellum, quod fit à remotis, vbi doctrina & eruditione opus eſt. *Prou.* 20. Gubernaculis tractanda ſunt bella. Et 24. Cum diſpoſitione itur ad bellum. Prælium de propinquo eſt infeſtatio carnis: bellum à remotis, infeſtatio dæmonis, de quo *Iob* 40. Memento belli, & non adiicias vltrà loqui. Docet autem Dominus hominem in prælio & bello multipliciter. Per propriam rationem. *Iſa.*43. Redite præuaricatores ad cor. *Ioan.*4. Voca virum tuum. Per internam inſpirationem. *Pſal.* Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. *Oſeæ* 2. Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius. Per gratiæ infuſionem. 1. *Ioan.*3. Vnctio docebit vos de omnibus. Per ſcripturam. *Pſal.* Beatus quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Per proprium verbum. *Matth.* 10. Eſtote fortes in bello. Et per exemplum. *Ioan.* 13. Exemplum dedi vobis, &c. *Matth.*11. Diſcite à me quia mitis ſum, &c. Et per exercitium in tribulatione. *Ier.* 6. Per omne flagellum & dolorem erudieris Iſraël.

2. *Miſericordia mea.* Hîc ſecundum. Poſtquam enim egit gratias pro inſtructione ſui in pugna vtraque, ſubiungitur hîc probatio, quòd verè ſunt agendæ per gratias ſibi factas à Deo, quas enumerat hîc per ordinem. Prima miſericordia eſt, quòd ipſum prælegerit omnibus in regem. 1. *Reg.*16. Secunda, refugium, quando conſtantiam ei dedit contra Goliam. 1. *Reg.*18. *Et refugium.* Tertia, ſuſceptio ipſius quem ſurſum cepit, ei dando gratiam coram Saüle vt ei daret filiam. 1. *Reg.*18. *Suſceptor meus.* Quarta, liberatio ipſius ab ira Saül, ipſum perſequentis. 1. *Reg.*19. *Et liberator meus.* Quinta, protectio ab impugnatione aliorum pro miſericordia quam fecit in inimicum, ibi, *Protector meus.* Dicit ergo: Sic gratias ago, & dignum eſt, quia Dominus Deus meus ipſe eſt *miſericordia mea*, me miſericorditer eligendo in regem ſuper omnes fratres meos. *Sap.* 10. In filios miſericordiam fortem cuſtodiuit. Vel *miſericordia mea*, per effectum. Quaſi diceret: In me miſericordiam infundis, qua me ſanas à præcedentibus peccatis. *Sap.*16. Miſericordia tua Domine adueniens ſanabat illos. *Luc.* 10. Samaritanus infundit ſauciato vinum, & oleum. Vel miſericordiam contuliſti, qua ſum aliis pius, & miſericors. *Iſa.*5. Miſericordia Dauid fidelis, vel fideles.

Et refugium meum, me ab impugnatione Goliæ conſeruando. 1. *Reg.*18. *Prou.*18. Turris fortiſſima nomen Domini, ad ipſum currit iuſtus, & exaltabitur. Et hoc dignum erat, vt Dominus fieret illi refugium, quem ipſe refugium aliis præparabat. De ipſo enim Dauid legitur poſtea 1. *Reg.* 21. Conuenerunt ad Dauid omnes qui erant obligati ære alieno, & in anguſtia conſtituti.

Suſceptor meus, me vſque ad hoc quod gener

Regis

Regis eſſem exaltando. *Iſa.* 42. Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum. Suſcepit etiam gratiam ad bene operandum, & propterea, quæ ſurſum ſunt infundendo. *Eccleſ.* 4. Suſcepit exquirentes ſe.

Et liberator meus, ab inimico meo Saüle me perſequente poſt exaltationem ex inuidia. Suprà in *Pſal.* Liberator meus de inimicis meis iracundis. Liberator etiam meus ab inimico ſpirituali, poſt datam gratiam magis feruente, & acrius impugnante. *Gen.* 14. Abraham liberauit Loth iterum ab impugnatione alienorum. *Iſa.* 19. Mittet eis ſaluatorem, & propugnatorem, qui liberet eos.

Protector meus. Ecce quintum. Quaſi diceret: Sic liberator eſt à Saüle perſequente, & *protector meus*, ab omni alio me poſtea perſequente merito illo, quo ei peperci cum inueni eum purgantem ventrem in foſſa. 1. *Reg.* 24. Suprà in *Pſal.* Protexiſti me à conuentu malignantium. Protector etiam, quia non ſolum liberaſti me à dæmone, poſt collatam gratiam impugnante, ſed protexiſti me à carne & mundo infeſtante. *Eccl.* 2. Protector eſt omnibus exquirentibus ſe in veritate.

Et in ipſo ſperaui. Hîc ſecundum. Præmiſſa enim gratiarum actione, pro beneficiis acceptis, ſubiungitur aliorum expectatio: & tanguntur duo. Expectatio, & motiuum ad ipſam, ibi, *Qui ſubdis.* Ait ergo: Sic gratias ago pro dictis beneficiis, ſicut dictum eſt, *&* etiam *in ipſo*, adhuc *ſperaui*, quod accipiam alia. Quare? *qui*, id eſt, quia ille, *ſubdit populum meum ſub me*, eos ſubiiciendo, me in regno confirmando. 2. *Reg.* 22. Scutum eſt omnium ſperantium in ſe. Ibid. Deieciſti populos meos ſub me. Signum autem, quòd ſecurè in Deo ſperandum eſt, quando motus noſtros arbitrio noſtro ſubiicit, ſecundum illud *Geneſ.* 3. Subtus te erit appetitus tuus. Et tunc impletur illud ad *Rom.* 5. Spes non confundit. *Geneſ.* 41. Ad tui oris imperium cunctus populus obediet. *Ioſuè* 10. Ponite pedes veſtros ſuper colla regum iſtorum, motuum malorum regnare volentium.

3. *Domine quid eſt homo?* Præmiſſa gratiarum actione pro tantis beneficiis, & adhuc aliorum expectatione, ſubditur hîc admiratio de tanta Dei bonitate. Duo ergo dicuntur. Primò admiratio. Secundò ratio admirationis, ibi, *Homo vanitati.* In prima duo. Primò admiratio de bono cognitionis, quod homini ſe exhibuit cognoſcendum. Secundò de beneficio dilectionis, ibi, *Aut filius hominis.* Dicit ergo: Hæc beneficia Dominus contulit, & adhuc ſpero alia, ſed ô Domine, *quid eſt homo*, tam fragilis, & vanus per ſe, *quia innotuiſti*, innoteſcere voluiſti *ei?* Quaſi diceret: Nihil. Ad hoc *Eccleſiaſt.* 18. Quid eſt homo, & quæ gratia eius? Et poſſet reſponderi, vas luteum quoddam, & fragile, & immundum. *Geneſ.* 2. Formauit igitur Deus hominem de luto. Innotuiſti autem ei per creaturas, & illarum pulchram ordinationem, & potiſſimè per ipſam animam. Ad *Roman.* 1. Inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Per prædicationem. *Pſal.* In omnem terram exiuit ſonus eorum. *Matth.*

Deus variis modis innoteſcit homini.

vltim. Euntes in mundum vniuerſum, prædicate, &c. Per præſentiam corporalem exhibitam. *Bar.* 3. Poſt hoc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Per interiorem mentis illuminationem in aſpectu, & guſtationem in affectu. In *Pſal.* ſuprà: Dominus illuminatio mea, &c. In futuro per ipſam ſui ſpeciem. 1. ad *Cor.* 13. Videmus nunc per ſpeculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.

Aut filius. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic miror de notitia, & etiam quid eſt *filius hominis*, de luto conditi, *quia reputas eum*, ad dilectionem: cum ſcriptum ſit *Iob* 25. Homo putredo, & filius hominis vermis. Tantum autem reputas eum, vt proprium pro ipſo tradas filium. *Ioan.* 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. *Iob* 7. Quid eſt homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? Et in *Pſal.* ſuprà: Quid eſt homo, quòd memor es eius, aut filius hominis quia viſitas eum? illa viſitatione, de qua *Luc.* 1. Viſitauit nos Oriens ex alto.

Homo vanitati. Præmiſſa admonitione, ſubiungitur ratio admirationis duplex. Hominis vanitas, & vitæ breuitas. *Dies eius.* Dicit ergo: Sic admirando quæſiui quid eſt quod homini innoteſcis, ipſum diligis, & bene admiror, quia *homo ſimilis factus eſt*, peccando, *vanitati. Iob* 11. Ipſe nouit hominum vanitatem. In *Pſal.* ſuprà: Verumtamen vniuerſa vanitas, omnis homo viuens. Et omnia alia reddidit vana. *Eccleſ.* 1. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, dixit Eccleſiaſtes. Propter hominis culpam. Ad *Roman.* 8. Vanitati ſubiecta eſt creatura non volens. 4.

Dies eius prætereunt, & valde citò, quia *ſicut vmbra. Iob* 13. Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis. *Sap.* 5. Omnia tranſierunt velut vmbra, dicturi ſunt mali *Iacob.* 4. Quæ eſt enim vita noſtra? Vapor eſt ad modicum parens. *Iſa.* 38. De mane vſque ad veſperam finies me. Et probat hoc ſecundum, primum. Illud enim verè vanitas eſt, quod continuè tendit in mortem, & diſſolutionem. *Auguſt.* Quid eſt viuere, niſi de vita tranſire?

Domine inclina cœlos. Hîc ſecunda pars principalis totius huius Pſalmi. Poſtquam enim egit gratias pro beneficio figurante, ſupplicat & petit pro adimplenda figurata veritate. Et primò dirigit petitionem ad Filium, vt carnem aſſumat. Secundò quia ſcit Filium nihil habere niſi à Patre, nihil poſſe ſine Patre, ad Patrem, vt ipſum Filium mittat, qui figuratum adimplebit, ibi, *Emitte manum tuam.* Vel vt totum dirigatur ad Filium. Primò petit aduentum primum. Secundò petit ſecundum. In prima duo. Primò petit Filij incarnationē ab ipſo Filio. Secundò ſupponit vtilitatem, vt ſuadeat, ibi, *Tange montes.* Duo autem concurrunt ad Filij Dei incarnationem. Deitatis inclinatio, & aſſumptio carnis humilis in illa inclinatione. *Et deſcende.* Dicit ergo: Sic Domine gratias dico de beneficio, quo me erudiſti ad bellum & prælium: ſed quia hoc figuratum intelligo victoriæ tuæ contra diabolum, rogo, *Inclina cœlos tuos*, deitatem 5.

tuam, quæ eſt caſa tua: in ipſa enim habitas. 1.*Cor.* 2. Lucem inhabitat inacceſſibilem. Hoc eſt cœlum cœli, de quo ſuprà in *Pſal.* Cœlum cœli Domino. Hîc petit cœlos inclinari, *Iſaias* verò petit diſrumpi in 64. Vtinam diſrumperes cœlos, & deſcenderes. Quaſi enim quædam cœlorum diſruptio facta eſt, quando illa perſona incarnata eſt, & aliæ non.

Et deſcende, carnem aſſumendo. Suprà in *Pſal.* Inclinauit cœlos, & deſcendit. *Ioan.* 3. Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, &c.

Tange montes. Hîc ſubiungit incarnationis fructum, & vtilitatem, ſuperborum ſcilicet commotionem, ad compunctionem: vnde tanguntur tria. Infuſio gratiæ in ſuperbos priùs. Secundò illorum commotio ad compunctionem, ibi, *Et fumigabunt.* Tertiò compunctorum humiliatio, ibi, *Fulgura coruſcationem.* Dicit ergo: Sic deſcende, & *tange*, id eſt, tanges, *montes*, ſuperbos, & claros gratia tua interiùs. *Gen.*27. Accede huc, vt tangam te fili mi.

Et fumigabunt, commoti compunctione præcedentium delictorum. *Exod.* 19. Totus mons fumigabat, eò quòd deſcendiſſet ſuper eum Dominus. Placet Domino fumus iſte. *Iſa.* 42. Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet. *Iſa.* 6. Repleta eſt domus Domini tota fumo. Fumus magnus eſt ſignum magni ignis, & magni hoſpitis. *Ioan.*14. Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. *Apoc.*8. Aſcendit fumus in conſpectu Domini.

6. *Fulgura coruſcationem.* Hîc tertium, ipſorum ſcilicet humiliatio, & per duo. Per miraculorum coruſcationem primò. Secundò per prædicationis inſtantiam. *Emitte ſagittas.* Dicit ergo: Sic tange montes, & fumigabunt, & etiam *fulgura*. id eſt, fulgora, id eſt, clarifica, *coruſcationem*, id eſt, miracula, quæ ſunt quædam coruſcatio, declara & demonſtra, ſicut per *Ioël* promiſſum eſt in ſecundo: Dabo prodigia in cœlo ſurſum, & ſigna in terra deorſum. *Eccleſ.*36. Innoua ſigna, & immuta mirabilia. Et ſic factum eſt *Marc. vlt.* Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. *Iob* 36. Si voluerit extendere nubes quaſi tentorium ſuum, & fulgurare lumine ſuo deſuper, cardines quoque cœli operiet. Hoc eſt quod addit, *Et diſſipabis eos*, qui prius erant contra te colligati. *Iudic.*15. Vulpes Samſonis caudas habebant ad inuicem colligatas. *Iob* 38. Nerui teſticulorum Leuiathan perplexi ſunt, niſi diſrumpantur per miracula.

Emitte ſagittas. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic coruſca miracula, & etiam *emitte ſagittas*, acutas authoritates ſacræ ſcripturæ, de quibus *Iſa.* 13. Sagittis paruulos interficient. *Et conturbabis eos*, ad bonum, & ad pœnitentiam. 4. *Reg.* 7. Sagitta ſalutis Domini contra Syriam. *Abac.*3. In luce ſagittarum tuarum, ſacrarum ſcilicet authoritatum, ibunt. Vel ſagittas appellat ipſos prædicatores, quos emittit de pharetra prouidentiæ. *Iſa.*49. Poſuit me quaſi ſagittam electam.

7. *Emitte manum.* Hîc ſecundum, in quo petit à Patre vt mittat Filium, cui iam ſupplicauit vt deſcenderet: & dicuntur duo. Primò petitio ad patrem, vt mittat filium. Secundò perſuaſio, vel ratio quare petit, ibi, *Eripe me de aquis.* Dicit ergo: Sic Domine rogaui filium vt deſcenderet: & quid autem faceret ſine voluntate tua, cum eſt vna & eadem tecum voluntas? Scio quod nihil: propter quod rogo Domine Pater, *Emitte*, extra mitte. *Sap.*9. Mitte illam de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ. Hæc eſt manus, quæ quamuis incuruetur, non tamen abbreuiatur. *Iſa.* 50. Nunquid abbreuiata eſt manus Domini, vt ſaluare non poſſit? Imò multo melius, & paratius potuit incarnata, quàm antè. Huius manus quinque ſunt digiti. Pollex primus: quando enim Chriſtus promittebat, quaſi pollicem extendebat hæc manus: pollex enim à pollicendo dicitur. *Matth.*4. Agite pœnitentiam, appropinquabit enim regnum cœlorum. Secundus, index, quem extendit Chriſtus nobis Patrem demonſtrando. *Ioan.*1. Filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit nobis. Tertius, medicus. Hunc extendit hæc manus, quando orationibus & interceſſionibus mediatorem ſe fecit noſtri, & Dei. 1. *Tim.*2. Mediator Dei & hominum homo CHRISTVS IESVS. Quartus, medicus. Hunc extendit quando infirmitates ſanauit, maximè ſpirituales. *Matth.*9. Non eſt opus valentibus medico. *Luc.*5. ſimiliter. Quintus, auricularis, qui remouet ab auribus impedimentum. Hunc extendit noſtra manus, aperiendo aures & materiales, & ſpirituales. *Iſa.*35. de primis: Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. De ſecundis *Luc. vlt.* Aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas.

Qui ſint digiti manus Chriſti.

Eripe me. Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur ratio, quare petit, duplex. Prima eſt ereptio ab aduerſitatibus impugnantibus. Secunda, ab impugnatoribus. *Et de manu.* Ait ergo: Sic manum mitte, & per eam *eripe me de aquis multis*, tribulationibus ſcilicet & tentationibus: per filium enim vera libertas. *Ioan.*8. Si Filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Quare? quia dabit ſpiritum libertatis. *Rom.*8. Vbi ſpiritus, ibi libertas. 2. *Petr.*3. Nouit Dominus ſuos de tentatione eripere.

Et libera me. Hîc ſecundum: hoc enim reſpicit ad ſequens: ſingula enim verba ſingulis clauſulis ſunt reddenda. Et primò petit ab inimicis ereptionem. Secundò inimicorum ſubiungit deſcriptionem, ibi, *Quorum os.* Ait enim: Sic eripe de tribulationibus, *& libera me*, per eandem manum, *de manu*, de poteſtate, *filiorum alienorum*, dæmonum ſcilicet, qui multos alios generant in hoc mundo tribulantes & affligentes bonos. *Ioan.* 8. Vos ex patre diabolo eſtis. Ab his alienis libera me, vt ſequar exhortationem illam. *Prou.*5. Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli. Et *Bar.*4. Ne tradas alteri gloriam tuam, & dignitatem tuam genti alienæ: ne fias alienus ſicut ipſi. *Oſeæ* 9. Ab alienati ſunt in confuſione, & facti ſunt abominabiles.

Quorum os loquutum eſt. Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur inimicorum deſcriptio à duobus. A vana loquacitate primò, & à peruerſitate operis ſecundò, ibi, *Et dextera eorum.* Dicit ergo: Sic rogaui vt me liberes de manu filiorum alienorum, *quorum os loquutum eſt vanitatem.* In *Pſal.* 8.

suprà: Vana loquuti sunt vnusquisque ad proximum suum. 1. *Tim.* 1. Conuersi sunt in vaniloquium. Vaniloquium est quicquid est impertinens ad scientiam, & scientiam Dei. *Sap.* 13. Vani sunt omnes homines, in quibus non est scientia Dei.

Et dextera eorum, eorum scilicet operatio, quæ iudicio suo videtur dextera, *dextera iniquitatis.* Suprà in *Psal.* In quorum manibus iniquitates sunt. *Isa.* 1. Manus vestræ plenæ sanguine sunt.

9. *Deus canticum.* Hîc tertia pars totius huius Psalmi, in qua subiungitur laudis promissio si impetrata fuerit, ab hoste liberatio: vnde dicuntur duo. Primò promissio. Secundò vt monstretur ad quid promittit hoc, petitionis de liberatione repetitio, ibi, *De gladio.* In prima autem dicuntur duo. Primò promissio laudis. Secundò ratio quare bene laudandus est, ibi, *Qui das salutem.* In prima duo. Primò promissio laudis, & cantici. Secundò determinatio instrumenti, in quo cantabit, ibi, *In psalterio.* Dicit ergo: Sic gratias egi pro figura, petij veritatem adimpleri, & ô *Deus cantabo tibi*, non alij, nec etiam mihi. Sibi enim cantat, qui pro mercede temporali cantat, de quibus dicitur *Matth.* 6. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Et hoc *canticum nouum*, noui scilicet hominis per gratiam renouati, non inueterati in peccato. *Isa.* 42. Cantate Domino canticum nouum, laus eius ab extremis terræ. *Apoc.* 14. Cantabant quasi canticum nouum. Laudare Deum in prosperis, hoc procul dubio canticum est, sed vetus est: ab antiquo enim benefici à recipientibus beneficia laudantur. *Psal.* Confitebitur tibi cum benefeceris ei. Sed laudare in aduersis, hoc est canticum nouum: hoc enim Iacobus adinuenisse videtur. *Iacob.* 1. Omne gaudium existimate fratres, cum in varias, &c. Paulus *Rom.* 12. In tribulationibus gaudentes.

In psalterio. Hîc instrumenti determinatio. Quasi diceret: Sic canticum nouum cantabo, & *psallam tibi in psalterio decachordo*, in operibus legis per decem præcepta distinctis: in lege enim præceptorum laudat, qui legem consummat, hoc est, qui diligit & amat. *Rom.* 13. Plenitudo legis est dilectio. Aliter non impletur. 1. *Cor.* 13. Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.

10. *Qui das salutem.* Hîc secundum, scilicet ratio quare laudandus, quia saluat reges: vnde tanguntur duo. Primò regum saluatio. Secundum, probatio quòd ita sit per exemplum, ibi, *Qui redemisti Dauid.* Dicit ergo: Sic cantabo, & dignum est: *qui*, id est, quia tu *das salutem regibus. Prou.* 21. Cor regis in manu Domini. Regibus etiam, hoc est, omnibus seipsos regentibus. *Iob* 3. Requiescam cum regibus & consulibus terræ: omnes enim obtemperantes sibi, & reges sibi sunt, & ab eo saluantur. *Hebr.* 6. Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.

Qui redemisti. Ecce secundum, in quo ponit exemplum. Quasi diceret: Bene dico, quòd das salutem regibus, quia tu es *qui redemisti Dauid seruum tuum*, quamuis rex esset. Suprà in *Psal.* Redemisti me Domine Deus veritatis, dixit Dauid. Dauid etiam potest accipi pro toto corpore Ecclesiæ cum ipso capite. Vnde in *Glossa*, *Dauid*, id est, totum Christum, caput scilicet cum corpore. Ergo Christus redemit seipsum. Ad hoc videtur facere quod dicitur *Ezech.* 45. In die illo faciet princeps pro se, & pro populo suo vitulum pro peccato. Contra *Hebr.* 9. Offeret pro sua, & populi ignorantia. *Glossa*: Christus pro populo obtulit, pro se vero non nisi in membris. Responsio. Redemit seipsum quantum ad pœnam, nos autem quantum ad culpam. *Isa.* 43. Noli timere seruus meus Iacob, quia redemi te. 1. *Pet.* 1. Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vestra vana conuersatione, sed pretioso sanguine, &c.

De gladio. Hîc secundum, in quo subiungitur petitionis repetitio, vt monstretur ratio petitionis. Duo ergo dicuntur. Primò petitio ereptionis ab aduersariis. Secundò diligens illorum descriptio, ibi, *Quorum os loquutum est.* Et in prima duo. Primò petit eripi à malignis. Secundò ab extraneis. *Et erue me.* Dicit ergo: Sic promisi, & tu Domine *de gladio maligno*, id est, maligni, *eripe me.* Hic est gladius de quo *Iob* 27. Si multiplicati fuerint filij eius, in gladio erunt. Gladius malignus est iniquitas. *Eccles.* 21. Quasi rumphæa bis acuta omnis iniquitas. Et dicitur malignus, ad differentiam gladij boni, de quo *Matth.* 10. Non veni pacem mittere in terram, sed gladium. Et de quo *Ephes. vlt.* Et gladium spiritus, quod est verbum Dei. Ad differentiam gladij iusti, de quo dicitur *Iob* 19. Fugite à facie gladij, quoniam vltor iniquitatum est gladius. Et *Apocal.* 1. De ore eius procedebat gladius ex vtraque parte acutus. 11.

Et erue me. Hîc secundum. Quasi diceret: Sic erue de gladio maligno, qui si familiaris esset, fortè parceret, & propter hoc rogo, *Erue me de manu filiorum alienorum* (filiorum, pro nihilo sumitur) sicut promittis. *Ierem.* 15. Eruam te, & liberabo te, dicit Dominus, de manu pessimorum. *Ose.* 5. Præuaricati sunt in me, quia filios alienos genuerunt.

Quorum os loquutum. Hîc subiungitur horum descriptio à tribus. Primò à vanitate loquutionis. Secundò à peruersitate operis. *Et dextera.* Tertiò à falsitate prosperitatis, ibi, *Quorum filij.* Exponere autem non oportet duo prima, sed expone sicut fuere suprà exposita.

Quorum filij. Hîc tertium, in quo describuntur à temporali fœlicitate: & dicuntur tria. Primò abundantiam bonorum suorum describit. Secundò hanc abundantiam ostendit esse fœlicitatem vulgari opinione, ibi, *Beatum dixerunt.* Tertiò diffinit quid inde sentit, ibi, *Beatus populus.* In prima duo. Primò ostendit abundantiam in prole. Secundò in possessione, ibi, *Promptuaria eorum.* Dicit ergo: Erue me de manu eorum, quorum os loquitur vanitatem, & dextera operatur iniquitatem. *Quorum* etiam *filij*, sunt *sicut nouellæ plantationes*, constabilitæ, & firmæ in iuuentute sua. *Iob* 21. Egrediuntur quasi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus. Vel melius legatur sic: *quorum filij* sunt *in iuuentute sua sicut nouellæ plantationes*, quæ cito 12.

eradicantur. *Sapient.* 4. Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, nec ſtabile fundamentum collocabunt. Ne diſcrepat à *Gloſſa. Eccleſ.*40. Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos: cito enim eradicantur, etſi ad modicum aliquid viroris habeant. *Mat.* 15. Omnis plantatio,quam non plantauit pater meus, eradicabitur.

Filiæ eorum compoſitæ. Hîc felicitas quantum ad ſexum fœmininum: & tanguntur duo. Primò filiarum compoſitio. Secundò determinatio compoſitionis, & ornatus,ibi, *Circumornatæ.* Dicit ergo: Sic filij eorum, & *filiæ eorum* ſunt *compoſitæ*, id eſt, ornatæ ſicut Ieſabel. 4.*Reg.*9. Ieſabel depinxit ſtibio oculos ſuos, & ornauit caput ſuum.

Circumornatæ, & in capillis, & in capite, *vt ſimilitudo templi*, auro ſcilicet & ſericis, quibus ornatur templum. 1. *Tim.* 2. Ornantes ſe non in tortis crinibus, & auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa. Talis enim Chriſto vana eſt. *Ierem.* 4. Cum veſtieris te coccino, cum ornata fueris monili aureo, & ornaueris ſtibio oculos tuos, fruſtra componeris. Imò damnoſa frequenter, quia rarò fit, quin fiat vt infirmis ſit ſcandalum, & ruina. *Iſa.*3. Pro eo ambulauerunt collo extento, & nutibus oculorum ibant, & compoſito gradu incedebant,decaluabit Dominus verticem capilli filiarum Sion. 1. *Petr.* 3. Quarum non ſit capillatura, aut circumdatio auri & argenti.

13. *Promptuaria eorum.* Hîc ſecundum, in quo oſtenſa fœcunditate in prole, addit de abundantia in temporali poſſeſſione. Primò in mobilibus. Secundò in immobilibus, ibi, *Non eſt ruina.* In prima duo. Primò abundantia mobilium interiorum. Secundò exteriorum, ibi, *Oues eorum.* In prima duo. Primò tangitur mobilium interiorum abundantia. Secundò abundantiæ vehementia. *Eructantia.* Dicit ergo: Sic proſperantur in filiis, & filiabus, & etiam *promptuaria*, loca ad reponendum victualia, *eorum plena*, tritico, vino, & talibus, ſicut illius, qui dicebat *Luc.* 12. Anima mea habes multa bona repoſita in annos plurimos. Ita aliquando malorum abundant horrea, & cellaria ſicut & iuſtorum, quibus dicitur *Prou.* 3. Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitiis frugum tuarum da pauperibus, & replebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia redundabunt.Propter hoc dicitur *Iob* 12. Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum. Et rurſus 21. Sublimati ſunt confortatique diuitiis.

Eructantia, præ nimia plenitudine, *ex hoc in illud. Ierem.*5. Domus eorum plenæ ſunt dolo, id eſt, per dolum acquiſitis,vel in dolo retentis.

Oues eorum. Hîc tangitur abundantia mobilium exteriorum, qualia ſunt oues, & boues. Vnde primò oſtendit felicitatem quantum ad greges. Secundum quantum ad armenta,ibi, *Et boues.* Dicit ergo: *Oues* eorum fœtoſæ, id eſt, fœcundæ. Et *Gloſſ.* ſeq. *abundantes in egreſſibus ſuis*, in fœtibus, qui ab eis egrediuntur. *Geneſ.*13.Loth fuerunt greges, & armenta, & tabernacula. *Iob* 21. Bos eorum concepit, & & non abortiuit, & vinea eorum non eſt priuata fœtu ſuo.

Boues eorum craſſæ. Ecce felicitas quantum ad armenta. Ita craſſæ ſicut illæ quas videbat Pharao aſcendere de flumine. *Gen.*40. Aſcendebant ſeptem boues pulchræ, & craſſæ nimis. 14.

Non eſt ruina maceriæ. Hîc eſt tertium, in tangitur proſperitas in habitatione. Et primò tangitur habitaculorum firmitas.Secundò tranquillitas ex illis habita, & pax, ibi, *Neque clamor.* Ait enim: Sic felices ſunt in filiis, & & filiabus, & in rebus mobilibus, & quantum ad immobiles, *non eſt ruina maceriæ*, vt penitus, & ſubitò diſſoluatur: *neque tranſitus*, vt ſaltem ſucceſſiuè diſſipetur. Non accidit domui eorum ſicut domui Iob: in illam namque ventus vehemens irruit, & omnes occidit. *Neque clamor in plateis eorum*, tanta eſt tranquillitas, & pax. *Iob* 21. Domus eorum ſecuræ ſunt, & pacatæ.

Legi etiam poteſt totum ab illo loco: *Quorum filij*, de hæreticis, quorum filij ſunt nouellæ plantationes in nouitate doctrinæ hæreſeos generati, non in antiquitate doctrinæ ſacræ, & Apoſtolicæ. Hanc nouitatem Apoſtolus docet deuitare diſcipulum 1. *Tim.* 1. Prophanas, inquit, vocum nouitates deuita. 1. *Ioan.*2. Chariſſimi, non mandatum nouum do vobis, ſed mandatum vetus, quod habuiſtis ab initio. *Filiæ* autem *eorum*, animæ ſcilicet, & inconſtantes animæ ab eis deceptæ, *compoſitæ* ſunt & circumornatæ, in exteriori apparentia ſanctitatem ſimulatam oſtendendo, *vt ſimilitudo templi*, non ſicut verum templum, quod ſunt veraciter ſancti. 1. ad *Corinth.*3. Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Hi ornantur veris virtutibus: ſed hæreticorum filij, vt ſimilitudo talium. *Matth.* 23. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui eſtis tanquam ſepulchra dealbata, intus autem pleni ſunt ſpurcitia & immunditia. *Promptuaria* autem *eorum*, id eſt, corda ad omne malum prompta, *plena*, malitia, & illam *eructantia. Eccleſ.*12. Eructant præcordia fœtentium malum verbum, ſicut bonorum bonum verbum,ſecundum illud *Pſal.* Eructauit cor meum verbum bonum, ſic malorum malum verbum, ſecundum illud *Matth.* 12. Ex abundantia cordis os loquitur. Et bene *ex hoc in illud*, ſupplendum enim eſt fugientes: cum enim eructantes malum in aliquo confuſi fuerint, ſtatim fugiunt ad aliud, tanquam vulpeculæ diuerſa quærentes diuerticula, ſecundum illud *Cantic.* 2. Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas. *Oues* autem *eorum*, ſunt ſimplices exterius inter eos, qui ſua ſimplicitate falſa, multos generant & attrahunt: vnde oues fœtoſæ dicuntur. Propter hanc ſimplicitatem dicitur de eis *Matth.*6. Attendite à falſis Prophetis,qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Bene autem dicuntur in egreſſibus abundare, non in ingreſſibus: quia quos generant,non ingrediuntur,nec intrant ad vitam,ſed magis ipſi cum ſuis Doctoribus excluduntur. *Mat.*23.Væ vobis Scribæ,& Phariſæi hypocritæ, qui tuliſtis clauem regni cœlorum, nec vos intratis, nec alios intrare permittitis. *Boues* autem *eorum*,Doctores ſcilicet eorum, & prædicatores.*Iob* 1.Boues arabant & aſinæ paſcebantur iuxta illos, *craſſæ*, ad literam otio impinguati,

vel

vel magis pinguedine ſuperbiæ inflati. *Iob* 15. Operuit faciem eius craſſitudo. *Non eſt ruina maceriæ*, id eſt, coniunctionis ipſorum ad inuicem, ſine charitatis cæmento. Vel ſcientiæ eorum philoſophicæ, niſi tu diruas illam qui ſolus potes, ſecundum illud *Iſa.* 5. Diruam maceriem eius, & erit in conculcationem: murus tamen Ieruſalem ab eis diſſipatur. *Neem.* 3. Ingreſſus ſum ad portam ſtercoris, & conſiderabam murum Ieruſalem diſſipatum. Nec eſt inter eos *clamor*, ad exhortandum ad pugnam contra diabolum. *Exod.* 32. Non eſt clamor exhortantium ad pugnam, ſed magis pax mala, de qua *Iſa.* 38. In pace amaritudo mea amariſſima.

Beatum dixerunt. Hîc ſecundum totius huius partis, in quo deſcripta eorum proſperitate, oſtendit ipſam eſſe beatitudinem vulgari æſtimatione. Ait enim: Hæc bona habent, in his temporalibus abundant, *& dixerunt*, homines carnales terrena ſapientes, *populum*, *cui hæc ſunt*, *beatum*, ipſum decipientes. *Iſa.* 3. Populе meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt: quia non beatitudo, ſed infelicitas eſt. *Auguſt.* Nihil infelicius felicitate peccantium. *Prou.* 1. Proſperitas ſtultorum perdet eos.

Beatus populus. Hîc tertium, in quo definit quid inde ſentit. Quaſi diceret: Sic talem populum beatum dicunt, vulgus, quod ego non dico. Imò *populus* ille *beatus* eſt, *cuius eſt Dominus*, faciens eos de familia ſua, *Deus eius*, creatione, & recreatione. Hæc eſt ſententia reginæ Saba 3. *Reg.* 10. Beati ſerui tui, & beati viri tui, qui ſtant coram te ſemper. Nota ergo, quòd diuitiæ non poſſunt facere beatum. Primò quia citò tranſeunt. *Iob* 5. Vidi ſtultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius ſtatim. Steriles ſunt, etiam quantumcumque durent. *Sap.* 5. Quid nobis profuit ſapientia noſtra, aut diuitiarum iactantia quid profuit nobis? Introitum ad beatitudinem regni cœleſtis impediunt. *Matth.* 19. Facilius eſt camelum intrare per foramen acus, quàm diuitem in regnum cœlorum. Contra poſſeſſorem teſtes ſunt, quòd non debeant recipi. *Iacob.* 5. Aurum veſtrum, & argentum æruginauit, & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit. In inferuum includunt, & ſepeliunt. *Luc.* 16. Mortuus eſt autem diues, & ſepultus in inferno.

Diuitiæ nequeũt facere beatum.

Diffinitur qui ſit verè beatus.

Sed beatum facit fidei auditus, ſecundum illud *Prou.* 8. Beatus homo qui audit me. Robur ſpei. *Prou.* 16. Qui ſperat in Domino, beatus eſt. Reuerentia timoris Domini. *Eccleſ.* 26. Beatus, cui datum eſt habere timorem Domini. Et obedientia charitatis. *Prou.* 29. Qui cuſtodit legem, ex charitate ſup. beatus eſt, aliter non eſſet. Talium enim Dominus eſt: & ob hoc beati ſunt iam in ſpe, poſtmodum beatificandi ab eo re ipſa, ipſo præſtante qui eſt benedictus per omnia ſæcula ſæculorum.

IN CXLIV. PSALMVM.

Laudatio ipſi Dauid.

Argumentũ Pſalmi.

EXaltabo te Deus meus rex. Hic eſt Pſalmus 144. in toto libro, 44. in tertia parte libri.

D. Alb. Mag. Comment. in Pſal.

Poſtquam enim in præcedenti Pſalmo Filij Dei incarnationem petiit, & ſe promiſit laudaturum, ſi aſſequutus fuerit petitum, ad ipſum Chriſtum, tanquam iam videat incarnatum, ſermonem conuertit, promittens ſe laudaturum, & oſtendens quòd laudandus ſit, & inuitans alios ad laudandum. In 7. Pſalmis à perfectis viris diuina laus completur, & maximè Chriſti pro nobis incarnati, 7. donis Spiritus ſancti repleti, & replentis ſuos. Vnde titulus competens hic præponitur, qui talis eſt: *Laudatio ipſi Dauid.* Sicut enim ſuperius dictum fuit, quando ei quod eſt *Dauid*, additur *ipſi*, tunc Chriſtus deſignatur: ipſe enim eſt verus Dauid. Senſus ergo eſt: *Laudatio*, ſubiecto Pſalmo expreſſa conuenit, *ipſi Dauid*, id eſt, Chriſto: ipſi enim debetur omnis laus, omnis gloria, ſicut dicitur *Tim. vlt.*

quòd Deus laudãdus ſit, & eius laus à nouo locis petenda.

Diuiditur autem Pſalmus in tres partes. Primò pomittit ſe vehementer laudaturum. Secundò diſtinguit diuerſos laudandi locos, id eſt, diuerſas cauſas, ex quibus laudes ſumendæ ſunt, ibi, *Generatio*, *& generatio.* Tertiò exponit & explanat magis propoſitos locos, vel cauſas laudandi, ibi, *Miſerator & miſericors.* In prima duo. Primò promiſſio. Secundò promiſſionis ratio. *Magnus Dominus.* In prima duo. Primò promittit laudis ſublimitatem. Secundò ſubiungit ſic laudandi vtilitatem. *Et benedicam tibi.* Dicit ergo: Sic Domine veni, & incarneris, & ſic redime, & eripe, & ego ô *Deus meus*, creatione, *rex*, gubernatione, *exaltabo*, laude ſublimi laudabo te *Deus meus*, eſt Chriſtus. *Exod.* 15. Iſte Deus meus, & exaltabo eum. *Iſa.* 25. Domine Deus meus es tu, & exaltabo te, & confitebor tibi. Ipſe rex natus de tribu Inda, radix Dauid. Nec tantum rex, imò ſicut *Apoc.* 19. dicitur, Rex regum, & Dominus dominantium: Rex, quia coronatur corona naturæ, mundiſſima & ſanctiſſima carne, quam traxit de Virgine. *Cant.* 3. Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua. Corona miſeriæ. *Ioan.* 19. IESVS autem exiuit portans coronam ſpineam. Et tandem corona gloriæ in reſurrectione. *Pſal.* Gloria & honore coronaſti eum Domine. Exaltetur ergo hic Rex. *Eccleſ.* 43. Exaltate illum quantum poteſtis, maior enim eſt omni laude. *Dan.* 3. Benedictum nomen gloriæ tuæ quod eſt ſanctum, & ſuperexaltatum in omnibus ſæculis.

Et benedicam. Ecce magnificæ laudis vtilitas. Quaſi diceret: Sic exaltabo, & merito huius exaltationis *benedicam nomini tuo*, tuæ glorioſæ notitiæ qua fruar: & hoc, *in ſæculum ſæculi*; conſecutiuum, & hoc in futuro ſæculo. *Iſa.* 65. Serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos præ contritione ſpiritus vlulabitis. *Iſa.* 25. Confitebor nomini tuo, non confeſſione benedictionis, & laudis: quoniam feciſti magnalia. *Dan.* 3. Benedictum ſit nomen gloriæ tuæ quod eſt ſanctum. Et hoc *in ſæculum ſæculi*. *Dan.* 3. Benedicat Iſraël Dominum, laudet & ſuperexaltet eum in ſæcula.

Per ſingulos dies. Hîc ſecundum. Præmiſſa enim laudis ſublimitate, & excellentia, promitti-

mittit laudis frequentiam & continuationem: & tanguntur ſimiliter duo. Primò promiſſio frequentiæ in laude. Secundò fructus & vtilitas ſequens ex promiſſione, ibi, *Et laudabo.* Dicit ergo: Sic dixi, quòd exaltabo te Deus meus & rex, & etiam *benedicam tibi per ſingulos dies.* Quaſi diceret: Benedicam tibi continuè & frequenter. *Eccleſ.*14. Non defrauderis à die bono, & particula boni diei non te prætereat, quin ſemper Deum laudes, & ei pro beneficiis acceptis benedicas. *Greg.* Non ceſſemus gratias agere, quia non ceſſat bene facere. *Neem.* 9. Quater in die, & quater in nocte confitebuntur, & laudabunt Dominum Deum ſuum. Dies autem ſpirituales, in quibus benedicendus eſt Deus, ſunt ſeptem, ſicut dies naturales, ſcilicet ſeptem Spiritus ſancti dona, quæ facit in nobis verus ſol Chriſtus, ſcilicet timor, pietas, ſcientia, fortitudo, conſilium, intellectus, & ſapientia. Vel ſeptem virtutes, fides, ſpes, charitas, prudentia, fortitudo, temperantia, iuſtitia.

Et laudabo. Ecce fructus, & vtilitas. Ait enim: Sic benedicam te per dies ſingulos, *& laudabo nomen tuum,* laude iucundiſſima, & ſuauiſſima, *in ſæculum* futurum, *& in ſæculum ſæculi,* conſequutiuum, hoc eſt, in æternitate: qui enim hîc nititur Deum laudare continuè, merebitur laudare in æternitate. *Iſa.*38. Pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ in domo, &c. Et 52. Gaudium & lætitia inuenientur in ea, gratiarum actio, & vox laudis. Propter hoc dicebat *Eccleſiaſticus in vlt.* volens ad hunc fructum peruenire: Laudabit vſque ad mortem anima mea Dominum. Et in eodem: Laudabo nomen tuum aſſidue.

3. *Magnus Dominus.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur laudis ratio in generabili triplex. Prima, ipſius magnitudo abſoluta. Secunda, in bonitate excellentia. *Et laudabilis nimis.* Tertia, incomprehenſibilitas in magnitudine dicta, ibi, *Et magnitudinis.* Dicit ergo: Sic laudabo laude excellenti, & frequenti: & hoc quia *magnus Dominus*, eſt ſup. *Ierem.*32. Fortiſſime, magna potentiæ, Dominus exercituum tibi. *Dan. vlt.* Magnus es Domine Deus. *Et laudabilis nimis,* propter tui excellentiam in bonitate, & valore. *Apoc.*4. Dignus es Domine accipere gloriam, & honorem. 1. *Par.*16. Idem omnino: Magnus Dominus, & laudabilis nimis. *Et magnitudinis eius*, quam iam tetigi abſolutè, *non eſt finis. Eccl.* 43. Terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipſius. *Iob* 36. Ecce Deus magnus vincens ſcientiam noſtram, numerus annorum eius inæſtimabilis. Nec ſolum carens fine in magnitudine potentiæ, ſed in magnitudine regiæ dignitatis. *Dan.*7. Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur. *Luc.*1. Regni eius non erit finis.

4. *Septem loci ex quibus petitur laus Dei.*

Generatio eius. Hîc ſecunda pars principalis, in qua poſtquam promiſit ſe magnificè laudaturum, diſtinguit locos ex quibus amanti ſupmenda eſt laus, & ſunt 9. loci. Et primus locus diuina operatio. Secundus, potentia. *Et potentiam.* Tertius, glorioſa magnificentia, ibi, *Magnificentiam.* Quartus, ſanctitas. *Sanctitatis.* Quintus, operatio miraculoſa. *Et mirabilia.* Sextus, virtus deterrens malos, ibi, *Et virtus terribilium.* Septimus, magnitudo. *Et magnitudinem.* Octauus, ſuauitas, ibi, *Memoriam abundantiæ.* Nonus, iuſtitia. *Et iuſtitia tua exultabunt.* De his dicit *Caſſiod.* Hos nouem modos poſſumus appellare cataractas diuini eloquij, fontes verborum cœleſtium, vbera beata præconij. Dicit ergo: Sic exaltabo, & benedicam te Deus meus rex, & *generatio,* præterita *& generatio,* futura, hoc eſt, omnis generatio: quia, ſicut dicit *Gloſſa*, repetitio dicentis, in infinitum miſit animum cogitantis, *laudabit opera tua*, ſibi narrata, à ſe viſa. *Deut.*4. Docebis ea filios tuos ac nepotes, vt continuentur in generationibus, quæ operatus eſt Deus. Et in 11. Docete filios veſtros vt illa meditentur. *Rom.*1. Inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Et in his ſic nuntiatis, & viſis laudandus eſt actor. *Eccl.*9. In manu artificis, non in ſe, opera laudabuntur. Et è conuerſo artifex in ſuis operibus. *Eccl.*39. Benedicite Dominum in operibus ſuis.

Et potentiam tuam, vt inde laudem ſumant, *pronuntiabunt*, dicentes illud *Eccl.*3. Quam magna potentia Dei ſolius. *Eccl.*43. Mirabilis potentia ipſius.

Magnificentiam gloriæ. Hîc tertius. Quaſi 5.
diceret: Sic opera laudabunt, & potentiam, & etiam *loquentur*, prædicando, enumerando, *manificentiam gloriæ*, dicentes illud: Cantate Domino, quoniam magnifice fecit. *Eccleſ.* 43. Mirabilis magnificentia eius. Et loquentur, repete, *magnificentiam ſanctitatis tuæ*, qua omnes ſanctos excellis. 1. *Reg.* 2. Non eſt ſanctus vt eſt Dominus. Qua alios eſſe ſanctos præcipis. *Leuit.*19. Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum. Quia etiam alios magnificè ſanctos facis. *Exod.* 15. Quis ſimilis tibi? magnificus in ſactitate. *Et mirabilia tua*, quæ ſuper naturam operaris, *narrabunt*, inde ſumentes laudis materiam, dicentes illud *Eccl.* 12. Mirabilia opera Altiſſimi ſolius. 1. *Paral.* 16. Narrate omnia mirabilia eius.

Et virtutem. Hîc ſextus locus, virtus terrens 6.
malos. Quaſi diceret: Sic opera, potentiam, magnificentiam gloriæ, & ſanctitatem, & mirabilia narrabunt: *& dicent virtutem terribiliam tuorum*, terribilem virtutem tuam, malis timorem incutientem. *Exod.*15. Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi? Quaſi diceret: Nullus. Tantæ enim virtutis eſt terror ille, vt videatur ſemper malorum auribus inſonare. *Iob* 15. Sonitus terroris ſemper in auribus eius eſt.

Et magnitudinem. Ecce ſeptimus locus. Quaſi diceret: Sic dicent virtutem terribilem, *& narrabunt*, ad laudem tuam, *magnitudinem tuam*, ſcilicet virtuti tuæ, de qua proloquutus ſum, excellentiam. *Eccl.*18. Virtutem autem magnitudinis eius quis enarrabit? Sed ſi infinita eſt magnitudo ſua, ſicut ſuprà, & magnitudinis eius non eſt finis, quomodo poterit enarrare? Reſpon. Per hoc quod tactum eſt, quia ſecundum ſe eius magnitudinis non eſt finis, ſed non punit, niſi ſecundum poſſibilitatem punitorum, & merita, & ſic eſt enarrabilis.

Memoriam abundantiæ. Hîc eſt octauus lo- 7.
cus. Quaſi diceret: Sic à præcedentibus laudabunt, & etiam *eructabunt*, laudando, & de cordis

dis abundantia, tanquam ructum proferendo. *Matth.*12. Ex abundantia cordis os loquitur. *Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ*, ſuauis enim es. Suprà in *Pſal.* Quoniam tu Domine ſuauis & mitis. *Sapient.*8. Attingis à fine vſque ad finem fortiter, & diſponis omnia ſuauiter. Ecce ſuauitatis abundantia, cuius memoria etiam ſuauis eſt, ſicut viſum eſt. *Oſeæ vlt.* Memoria tua ſicut vinum Libani. Vnde recordata tanta ſuauitate, tabeſcit iuſti anima deſiderantis immergi in ſuauitate illa. *Thren.* 3. Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea.

Et iuſtitia tua. Ecce vltimus locus & nonus. Quaſi diceret: Sic ſuauitatem eructabunt, quæ ſpectat ad bonos, ſicut terror ad malos, & terroris magnitudo: *& exultabunt iuſtitia tua*, id eſt, extrà tantam prætendent ex iuſtitia lætitiam, quod eam apertè commendabunt. Et iuſtitiam tuam, qua punis malos. *Pſal.* Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam. Vel iuſtitiam cordibus ſuis infuſam, attendentes, te laudabunt, qui illam dediſti. Ad *Rom* 8. Quos vocauit, hos & iuſtificauit. Vel retribuentem ſecundum merita, iuxta illud *Matth.*20. Ite & vos in vineam meam, & quod iuſtum fuerit, dabo vobis.

8. *Miſerator & miſericors.* Hîc eſt tertia pars Pſalmi, in qua explicat & proponit locos diſpoſitos diligentius, & prolixius. Et primò explicat primum tangens quod pertinet ad opus recreationis. Secundò creationis. *Et miſericors.* Ait enim: Sic dixi, quòd laudabunt, rationem laudis ſumendo ab operibus, & dignum eſt, quia *Dominus* eſt *miſerator*, in actu miſericordiam exhibendo, quod facit cum nos recreat, *& miſericors*, per naturam propriam, qua nos creauit. De primo. *Iſa.* 49. Miſerator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos. De ſecundo. *Iſa.*54. Miſericordia mea non recedet à te. Quia hæc eſt natura ſua, quia non poteſt relinquere creaturam ſuam.

Patiens & multum miſericors. Hîc explicatur quod pertinet ad potentiam, & ſunt duo. Patientia & miſericordiæ abundantia. Quaſi diceret: Verè etiam potentiam tuam pronuntiabunt, quia tu es patiens. Potentia enim ſiue patientia furor eſt. *Eccl.*11. Altiſſimus patiens redditor eſt. *Rom.*2. An diuitias bonitatis eius, & longanimitatis ignoras? & neſcis, quod patientia eius ad pœnitentiam te adducit? *Et multum miſericors*, quod non poſſet eſſe, niſi eſſet mirabilis potentiæ. *Sap.*11. Miſereris omnium, quoniam omnia potes.

9. *Suauis Dominus.* Hîc exponit quod pertinet ad magnificentiam, & ſunt duo. Suauitas miſericordiæ exhibitæ, & multiplicitas miſerendi omnibus. *Et miſerationes.* Ait enim: Sic commendabunt opera, & potentiam, & etiam magnificentiam: quia *Dominus* eſt *ſuauis vniuerſis*, etiam malis, quos citrà condignum punit. *Sap.*15. Tu Domine noſter ſuauis: ſed maximè guſtantibus te. *Sapient.*12. O quàm bonus eſt, & quàm ſuauis, Domine, ſpiritus tuus in nobis!

Et miſerationes eius, non vna tantum miſeratio, hoc eſt, miſericordiæ exhibitio, *ſuper omnia opera eius*, non tantum ſuper quædam, vt maior appareat ſuauitas miſerendi. *Eccleſ.* 47. Deus non relinquet miſericordiam, & non corrumpet, nec delebit opera ſua. *Pſal.* Non eſt qui ſe abſcondat à calore eius.

Confiteantur tibi. Hîc quod pertinet ad quartum locum, ſcilicet ſanctitatem, qua exigit ab creatura confeſſionem laudis generaliter. Secundò à creatura rationabili, & ſanctificata à Deo ſpecialiter, ibi, *Et ſancti tui.* Dicit ergo: Sic laudabunt propter magnificandam gloriam, & etiam propter magnificentiam ſanctitatis tuæ, *confiteantur tibi*, confeſſione laudis, *omnia opera*, actiua confeſſione quæ poſſunt confiteri: materiam laudis præſtando, quæ non poſſunt. Suprà in *Pſal.* Benedicite Domino omnia opera eius, in omni loco dominationis eius. Et *Dan.*3. Benedicite omnia opera Domini Domino. 10.

Et ſancti tui, tam homines, quam Angeli, à te ſanctitatis fonte ſanctificati, *benedicant tibi. Dan.* 3. Benedicite ſancti, & humiles corde Domino. Talium enim, qui ſancti ſunt, eſt benedicere, aliorum autem non. *Eccl.*15. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.

Gloriam regni. Hic quod ad quintum locum pertinet, quæ ſunt duo. Gloria quam exhibet in regno æterno, & ſuperiori, & potentia qua mirabiliter regit & ordinat inferiora, ibi, *Et potentiam.* Ait enim: Sic confitebuntur ſanctitati tuæ omnia opera tua, homines ſcilicet & Angeli, & præcipuè Sancti, & etiam volentes te ex mirabilibus laudare, *gloriam regni tui*, quam das ſaluatis, *dicent. Prou.*4. Gloriam ſapientes poſſidebunt. Omnes enim Dominus gloriosos reges facit. *Sap.*5. Accipient regnum decoris, & diadema regni de manu Domini. *Eſther* 1. Aſſuerus fecit conuiuium cunctis principibus & tribunis, vt oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui, ac magnitudinem atque iactantiam patriæ ſuæ. 11.

Et potentiam tuam, qua regis & ordinas omnia, non ſolum ſuperiora, ſed etiam inferiora, *loquentur.* Suprà in *Pſal.* Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius?

Vt notam faciant. Hîc explicat quod pertinet ad ſextum: ad virtutem enim Domini terribilem pertinet agnitio potentiæ affligentis per pœnam ſenſus. Et hæc tangitur primò. Et per pœnam damni, & hæc ſecundò, ibi, *Et gloriam magnificentiæ.* Dicit ergo: Sic dicent & loquentur, quæ pertinent ad operationem mirabilium: & hoc *vt* vlterius *notam faciant filiis hominum*, carnalibus ſcilicet, & terrenis, *potentiam tuam*, quia miſeros crucias in inferno, & affligis quantumcumque potentes fuerint. *Sapient.* 6. Potentes potenter tormenta patientur. Vt terreantur, & timeant te. *Luc.*12. Hunc timete, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam. 12.

Et gloriam magnificentiæ regni tui, quam amittunt. Gloria regni, charitas regni æterni eſt. Gloria enim dicitur quaſi claria, ſicut dicit *Iſidor.* Ibi enim verum eſt quod dicitur *Eccl.*43. Gloria Domini plenum eſt opus eius. Hanc oſtendit prædicando, & notum facit, ſicut Angelus Ioanni *Apoc.*21. Oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Ieruſalem, deſcendentem de cœlo, habentem claritatem Dei.

13. *Regnum tuum.* Hîc eſt quod pertinet ad ſeptimum locum, ſcilicet ad Dei magnitudinem, ſcilicet regni ipſius æterna duratio, & eiuſdem amplitudo, ibi, *Et dominatio.* Ait ergo: Sic notam facient terribilem virtutem per prædicta, & etiam dicent, quod *regnum tuum*, eſt *regnum*, non huius temporis, ſed *omnium ſæculorum*, & ſic æternum. *Dan.*7. Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur.

Et dominatio tua, non in vna tantum generatione, ſed *in generatione*, extenſa *in generationem. Pſal.* Et dominabitur à mari vſque ad mare. Et alibi: Et regnum ipſius omnibus dominabitur. *Dan.*7. Omnes gentes, tribus, & linguæ ſeruient ei. Gloria ergo regni cœleſtis eſt, vt hic dicitur, in duratione, & dilatatione, & præter hoc in multis aliis, quæ hîc notanda ſunt. Primò in multorum Angelorum, & ſanctorum ſocietate. Ad *Hebr.*12. Acceſſiſtis ad ciuitatem Dei viuentis, Ieruſalem cœleſtem, & multorum millium frequentiam. *Dan.*7. Millia millium miniſtrabunt ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei. In ſapientia, & certa omnium cogitione. *Iſa.*26. Omnis error abiit, dicitur pro ſtatu illo. Et 33. Populum imprudentem non videbis. *Gregor.* Quid eſt quod ignoret, qui videntem omnia videt? In omni pulchritudine, & decore. *Matth.*13. Fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno patris mei. *Dan.* 12. Tunc iuſti fulgebunt ſicut firmamentum, & qui ad iuſtitiam erudierint, &c. In eorumdem nobilitate: omnes enim erunt filij Dei. *Matth.*5. Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur. *Ioan.* 1. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. In eorumdem perfecta libertate. Ad *Roman.* 8. Creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. *Galat.*4. Ieruſalem, quæ ſurſum eſt, mater noſtra, libera eſt. In pacis tranquillitate, & ſumma concordia. Infrà in *Pſal.* Qui poſuit fines tuos pacem. *Iſa.*32. Sedebit populus in pulchritudine pacis. In omnium bonorum abundantia & plenitudine. Suprà in *Pſal.* Replebuntur in bonis domus tuæ. Et iterum: Satiabor cum apparuerit gloria tua.

In quibus conſiſtit gloria regni cœleſtis.

Fidelis Dominus. Hîc explicat quod pertinet ad octauum locum, ſcilicet ad abundantem ſuauitatem: & ſunt quatuor. Fidelitas in reddendo quod promittit. Sanctitas in purificando quidquid facit. *Et ſanctus.* Benignitas in cauendo illi qui ruere incipit, ne penitus ruat, ibi, *Alleuat Dominus.* Et perfecta pietas, in releuando illum, qui iam caruit, & peccauit, ibi, *Et erigit.* Dicit ergo: Sic laudabitur ex iis, quæ pertinent ad Dei magnitudinem, & etiam ex iis, quæ ad ſuauitatem: dicent enim: *Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis*, vt impleat penitus quod promittit. *Deut.*32. Fidelis Deus, & abſque vlla iniquitate. *Num.*23. Non eſt Deus vt homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur. Ad *Rom.*3. Omnis homo mendax, Deus autem verax. 1. ad *Cor.* 10. Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari, ſupra id quod poteſtis.

Et ſanctus, firmus, & purus, *in omnibus operibus ſuis*, non ſicut nos, qui ſi fideles ſumus in reddendo quod promiſimus, tamen multum impurum eſt quod reddimus. *Iſa.*64. Facti ſumus immundi omnes nos, & omnes iuſtitiæ noſtræ tanquam pannus menſtruatæ. *Exod.*15. Quis ſimilis tui? magnificus in ſanctitate. *Leuit.*11. Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter.

14. *Alleuat Dominus.* Hîc monſtratur benignitas in cauendo labenti, ne penitus ruat. Ait enim: Sic eſt verax, & ſanctus: & etiam *alleuat Dominus omnes qui corruunt*, id eſt, qui in corruendo ſunt. *Ion.*2. Subleuabis de corruptione animam meam. Suprà in *Pſal.* Cum ceciderit, id eſt, cadere incœperit, iuſtus, non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam. Sed ſecundum hoc videtur, quòd nulli caderent in peccatum, ſi omnes alleuantur. Propter hoc intelligendum eſt, *Alleuat omnes qui corruunt*, qui alleuantur, ſicut illud *Ioan.*1. Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Et erigit. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Suæ ſuauitatis eſt, vt cadentes à caſu eripiat, & etiam *erigit omnes eliſos*, qui iam ceciderunt, & in caſu ſuo eliſi ſunt. *Iob* 5. Ponit humiles in ſublimi, & mœrentes, pro ſua eliſione, erigit ſoſpitate. Suum enim eſt mentes erigere, ſicut hic dicitur, & erectis hilaritatem infundere. *Tob.*4. Poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lamentationem & fletum, exultationem infundis. Intelligi etiam poteſt de cadentibus in miſeriam pœnæ, & de his, qui iam corruerunt in illam. Quaſi enim iam ruebat in miſeriam Tobias, qui erat excæcatus, vel vilipendebatur ab vxore, tamen adhuc filium bonum, & poſſeſſiones aliquas habebat: ſed Iob eliſus erat, & in omnem miſeriam cecidetat, qui & poſſeſſionem omnem, & liberos cum filiabus amiſerat, & vxorem, & amicos contrarios, & impugnantes habebat, & toto corpore percuſſus erat vulnere peſſimo, & in ſterquilinio iacebat: vnde gemens dicebat *Iob* 30. Et quaſi ſuper ventum ponens eliſiſti me valdè.

15. *Oculi omnium.* Hîc quod pertinet ad locum nonum, ſcilicet ad iuſtitiam, explicatur. Et primò ad generalem, quia prouidet omnibus creaturis animatis. Secundò ad ſpecialem, qua reddit debitum rationalibus ſolis, ibi, *Iuſtus Dominus*, vel ibi, ſecundum *Gloſſ. Aperis tu manum tuam.* In prima duo. Primò oſtendit animalium omnium deſiderium, & ordinationem quandam ad Deum. Secundò exhibitionem debiti, & iuſtitiam. *Et tu das eſcam.* Ait enim: Sic ſuauitas per antecedentia commendatur, & iuſtitia per ſequentia: quia dicunt volentes laudare iuſtitiam, *O Domine oculi omnium ſperant in te*, omnium, inquam, animatorum pro cibo habendo. Natura enim eſt, vt oculos dirigamus ad illum, vnde aliquid ſperamus, iuxta illud *Ioël.* 1. Omnes beſtiæ agri, quaſi area ſitiens imbrem, ſuſpexerunt ad te.

Et tu das. Hîc ſecundum, exhibitio debiti: & dicuntur duo. Primò exhibitio. Secundò modus exhibendi, ibi, *Aperis tu.* Dicit ergo: *Et tu das*, tanquam ſoluens eis debitum, *eſcam illorum*, non paſſim, & indifferenter, ſed *in tempore opportuno. Matth.*6. Conſiderate volatilia cœli, non ſerunt, nec metunt, nec congregant in horrea, & Pater veſter paſcit illa,

magna

magna abundantia, & etiam faciat illa pascere homines aliquando. 3. *Reg.* 17. Corui deferebant panem & carnes Eliæ in manè, & panem & carnes vesperè. Si sic animalia irrationalia debent dirigere oculos ad Deum, multò fortius rationabilia debent hoc facere. *Prou.* 4. Oculi tui recta videant incedentes in Deum. *Eccles.* 2. Oculi sapientis in capite eius, & Dominus dabit escam temporibus suis.

16. *Aperis tu manum.* Hîc tangitur modus soluendi debitum, quia abundanter eis tribuit cibum. Primò ergo benignitatis & potentiæ larga expositio. Secundò quod sequens est, veri sustentamenti abundans exhibitio. *Et imples.* Ait ergo: Sic dixi, quòd das escam: & verum dixi, quia *tu aperis manum tuam*, benignitatis tuæ potentiam quasi exponis. *Prou.* 1. Extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret.

Et imples omne animal benedictione, bonis temporalibus, quæ te benedicendum probant, & ostendunt. Suprà in *Psal.* Aperiente te autem manum tuam., omnia implebuntur bonitate. Beneficia autem dicuntur benedictio, sicut eleemosyna. 2. *Cor.* 9. Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet, &c. Quia sicut dans eleemosynam à recipiente debet benedici, sic Deus in beneficiorū exhibitione, maxime in cibo. Suprà in *Psal.* Edent pauperes, & saturabūtur, & laudabūt Dominum qui requirunt eum. Vel possunt hîc tangi quæ pertinent ad iustitiam specialem, iustitiam scilicet rationabilibus exhibendam. Et primò tangitur effectus iustitiæ comparatione ad omnem creaturam rationabilem, tam bonam, quam malam. Secundò comparatione ad iustam, ibi, *Iustus Dominus.* Tertiò comparatione ad impiam, ibi, *Et omnes peccatores.* Dicit ergo: Sic manum benignitatis, & potentiæ aperis, & *imples omne animal*, benedictionis susceptibile, *benedictione*, vel cœlesti, quæ est benedictio gratiæ, de qua suprà in *Psal.* Viduam eius benedicens benedicam. Vel temporalis substantiæ, & eorum quæ necessaria sunt, etiam impium, de qua dicitur ad Esau *Gen.* 27. In pinguedine terræ, & rore cœli desuper erit benedictio tua. 2. *Reg.* 6. Benedixit Dominus Obededon, hoc est, bona eius temporalia multiplicauit. *Gen.* 29. Cognoui quòd benedixit mihi Dominus ad introitum tuum, dixit Laban ad Iacob.

17. *Iustus Dominus.* Hîc secundum, in quo tanguntur effectus iustitiæ quoad bonos. Primus est ipsorum correctio per pœnam inflictam. Secundus, correctorum purgatio per correptionem illam, ibi, *Et sanctus.* Tertius, promptitudo exaudiendi correctos, ibi, *Prope est Dominus.* Quartus, desideriorum ipsorum adimpletio, ibi, *Voluntatem timentium.* Quintus est post adimpletionem voluntatum, ipsorum conseruatio, ibi, *Custodit Dominus.*

Dicit ergo: Sic omne animal benedictione implet eius iustitia, & etiam *Dominus iustus*, est puniendo, & flagellando, *in omnibus viis suis*: quia *Dan.* 3. dicitur: Iustus es Domine in omnibus quæ fecisti nobis nos affligendo, &c.

Et sanctus. Ecce secundum. Quasi diceret: Sic iustus es affligendo, & etiam *sanctus* es non solum in te, sed etiam *in omnibus operibus tuis*, quibus nos corrigis: quia nos sanctos, & mundos facis. *Isa.* 6. Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth, hoc est exercituum, bellorum, & tribulationum. Sanctus nos sanctificans à peccato cordis, sanctus nos sanctificans à peccato oris, sanctus tertiò nos sanctificans à peccato operis.

Prope est Dominus. Hîc tertium, scilicet promptitudo ad audiendum: & dicuntur duo. Primò promptitudo ad audiendum asseritur. Secundò specificatur qui sunt qui audiuntur, ibi, *Omnibus inuocantibus*, secundò repetitum. Ait ergo: Sic iustè affligit ad correctionem, sic sanctificat per illam, & etiam *Dominus est propè*, tanquam promptus ad audiendum. Omnibus inuocantibus se propè est: quia *Phil.* 4. dicitur: Dominus propè est, nihil soliciti sitis. *Act.* 17. Cum non longè sit ab vnoquoque nostrum. Tamen magis prope orantibus. *Iacob.* 4. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Appropinquate per orationem, & ipse appropinquabit per petiti largitionem. *Isa.* 55. Inuoca eum dum prope est. 18.

Omnibus Ecce secundum. Quasi diceret: Sic inuocantibus prope est, *omnibus*, inquam, *inuocantibus*, non tantum ore, sicut illi, de quibus *Isa.* 29. Populus hic ore suo, & labiis, me honorat, cor autem eorum longè est à me. Et *Ierem.* 12. Prope es tu Domine ori eorum, longè autem à renibus eorum. Sed *in veritate*, quales sunt inuocantes intus in corde, & ex syncera, & firmata fide. *Ioël.* 3. Et erit, quicumque inuocauerit, modo dicto, Deum, hic saluus erit. Aliter prope non est, sed longè: quia *Prou.* 15. dicitur: Longè est Dominus ab impiis, qui inuocant eum in fidei falsitate.

Voluntatem timentium se. Hîc est effectus diuinæ misericordiæ quartus, adimpletio scilicet desideriorum iustorum: & dicuntur duo. Primò desideriorum adimpletio. Secundò specificatio illorum, ibi, *Et deprecationem.* Et tangitur duplex desiderium. Vnum de malis præteritis amouendis, vel præsentibus. Secundò de cauendo sibi à futuris, ibi, *Et saluos.* Dicit ergo: Sic promptus est ad exaudiendum, & etiam *voluntatem*, id est, desiderium: *faciet*, non omnium, quia quorundam mala sunt, *sed timentium se. Eccl.* 2. Qui timetis Dominum, credite illi, & non euacuabitur merces vestra. *Prouerb.* 23. In timore Domini esto tota die, quî habebis spem in nouissimis, & præstolatio tua non auferetur. 19.

Et deprecationem eorum, pro malis præsentibus amouendis, *exaudiet.* Vnde suprà in Psalmo pœnitentiali, id est, postquam tremebundus præmisit pœnitens, Domine ne in furore tuo arguas me, &c. subiunxit in fine: Exaudiuit Dominus deprecationem meam. *Eccl.* 38. Oculi Domini super metuentes eum, vt à malis eripiat illos.

Et saluos faciet eos. Suprà in *Psal.* Tu populum humilem (hic est populus timens) saluum facies. *Ier.* 31. Tempus tribulationis Iacob, & ex ipsô saluabitur.

Custodit Dominus. Hîc est quintus effectus, scilicet conseruatio ipsorum in præmissis bonis. Ait enim: Sic voluntatem faciet, etiam *omnes diligentes* (apparet de quibus diligentibus loquebatur, quia de timentibus timore filiali & casto, 20.

eaſto, vel ſaltem initiali) *cuſtodit Dominus. Prou.* 4. de ſapientia: Dilige eam, & ſeruabit te. Et in 2. Cuſtodit rectorum ſalutem Dominus. Recti autem ſunt diligentes. *Cant.* 1. Recti diligunt te. Rem enim quam diligimus, cuſtodimus. Et *Prou.* 8. dicitur: Ego diligentes me diligo.

Et omnes. Hîc tertium, in quo oſtenditur iuſtitiæ effectus, comparatione ad malos: & cum tetigerit plures effectus iuſtitiæ quantum ad bonos, tamen non tangit niſi vnum quantum ad malos, vt monſtret Deum proniorem ad miſerendum, quam ad affligendum. Dicit ergo: Sic laudabitur iuſtitia propter prædicta bona, quæ confert bonis, & etiam quia *omnes peccatores diſperdet.* Perdet quidem eos, iuxta illud *Prou.* 2. Impij de terra perdentur. Et in 1. Proſperitas ſtultorum perdet eos. Et quod plus eſt, *diſperdet*, in diuerſas partes perdet, in anima ſcilicet & corpore. *Apoc.* 1. Ex ore illius procedebat gladius ex vtraque parte acutus. Vel *diſperdet*, quia per diuerſa tormenta perdet, iuxta illud *Iob* 24. Tranſierunt ab aquis niuium ad calorem nimium.

20. *Laudationem Domini.* Hîc ſecundum tertiæ partis totius Pſalmi, in quo poſtquam diſtinxit quaſi diuerſos locos laudandi Deum, ſiue cauſas diſtinctas explicauit, hîc concludit diuinam laudem, promittendo quod laudabit etiam alios ad hoc ipſum inuitando: vnde dicuntur duo. Primò promiſſio. Secundò aliorum inuitatio ad laudandum. *Et benedicat.* Dicit ergo: Sic omnis generatio præmiſſis rationibus laudabit, & à dictis locis per hæc quæ dixi laudem ſumet, & ipſum *os meum*, nolo abſolui à Dei laude, *laudationem Domini loquetur*, vt mihi poſſit dici illud *Iſa.* 60. Occupabit ſalus, ſalutifera laus, muros tuos, factos ex dentibus, & portas tuas, labia tua, laudatio: & impleatur quod ſuprà petebas: Repleatur os meum laude. Et alibi: Labiis exultationis laudabit os meum.

Et benedicat omnis. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic laudabit os, & exemplo meo *omnis caro*, non tantum aliqui. Vel de omni carne, id eſt, de omni gente aliqui, *benedicat nomini ſancto eius*, nominabili ſanctitati eius: & hoc, *in ſæculum* præſens, & *in ſæculum ſæculi* conſecutiuum, vt ſit laus perpetua: dignum enim eſt. *Dan.* 3. Nomen gloriæ tuæ ſanctum, læudabile, & glorioſum, & ſuperexaltatum, ſit ſup in ſæcula, & in hoc præſenti ſæculo, & in futuro Amen.

IN CXLV. PSALMVM.

1. *Alleluia.*

2. *Argumentũ Pſalmi, pars ſuperior animæ inuitat inferiorem ad laudem Dei.*

LAuda anima mea Dominum. Hic eſt Pſalmus in toto libro 145. in tertia verò parte 45. Poſtquam enim præcedenti Pſalmo ſe laudaturum Deum vehementer promiſit, quia vehemens laus non eſt niſi cum anima tota in Deum tranſit, & in omnibus, quæ agit, Deum quærit, inuitat in hoc Pſalmo pars ſuperior rationis inferiorem, ad Dei laudem. Laudat autem inferior pars animæ Deum, quando in agendis inferioribus, quibus intendit, in ſolo Deo ſpem ponit, & propter hoc ipſum cuncta facit. Huic ergo Pſalmo præponitur in titulo *Alleluia*, ac ſi pars ſuperior rationis, dicat viribus inferioribus: Ego in Deum intendens eius dulcedinem iam præguſtans, vos moneo mecum laudare Deum, vt totum, quod meum eſt, laudet Deum, & tranſeat in ipſum.

Pſalmus autem diuiditur in duas partes principaliter. Primò pars ſuperior inferiorem admonet. Secundò docet, quomodo poterit laudare, ſi in ipſo ſcilicet ſolo ſpem poſuerit, ibi, *Nolite confidere.* In prima duo. Primò exhortatio partis inferioris à ſuperiori. Secundò reſponſio inferioris ſuperiori conſentientis, ibi, *Laudabo Dominum.*

Dicit ergo: Sic ſuperius promiſi me magnificè laudaturum, & propter hoc ô *anima mea*, inferioribus rebus intenta, *lauda Dominum.* Suprà in *Pſal.* Benedic anima mea Domino, & omnia, &c. *Tob.* 13. Anima mea benedic Dominum. *Gloſſa Caſſiod.* Vox iſta, in qua ſeipſam inuitat anima, muſica ſalutaris eſt, quæ non ſolum mortalium permulcet auditum, ſed etiam intellectum delectat angelicum. Dicat ergo ſuperior pars inferiori per diuerſarum rerum creatarum diſtractæ deſideria, *Iſa.* 23. Sume citharam, circui ciuitatem, meretrix obliuioni tradita: bene cane, frequenta canticum, vt memoria tui ſit.

Laudabo Dominum. Hîc ſecundum, ſcilicet inferioris reſponſio: & dicuntur duo in hac reſponſione. Primò promittit ſe laudaturum veraciter. Secundò quod perſeueranter. *Pſallam Deo.* Dicit ergo: Sic mones vt laudem Deum, ô pars ſuperior, & ego reſpondeo: *Laudabo Dominum*, non tantum ore, ſicut illi, de quibus *Iſa.* 29. Populus hic ore ſuo, & labiis me honorat, cor autem, &c. ſed *in vita mea*: quia *Eccleſ.* 17. dicitur: Viuens & ſanus confiteberis Domino, & laudabis Deum. Et *Iſa.* 38. Viuens viuens, vita naturæ & gratiæ, ipſe confitebitur tibi, laudis confeſſione. Et tandem in *Pſal.* dicitur: Non mortui laudabunt te Domine. Vel vt ad futurum iuxta *Gloſſam* referatur: *Laudabo Deum in vita mea*, in æterna vita, quæ verè vita eſt, & quæ mea, quia finis meus eſt: tunc enim veræ vitæ adhærebo, & ſic laudare potero: illi, inquam, qui dicit *Ioan.* 14. Ego ſum via, veritas, & vita. Et verè viuificabor ea, quia *Ioan.* 17. dicitur: Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti IESVM CHRISTVM.

Pſallam Deo meo. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic laudabo veraciter, quia in vita laudabo, non in ore tantum: & *pſallam Deo meo*, operabor ad laudem Dei mei, *quandiu fuero*, vſque ſcilicet ad finem vitæ perſeuerando. *Iudic.* 5. Ego ſum qui Domino canam, pſallam Domino Deo Iſraël. Quomodo? Vſque ad finem. Quia *Hebr. vlt.* dicitur: Offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo. *Eccleſ. vlt.* Laudabit vſque ad mortem anima mea Dominum.

Nolite confidere. Hîc ſecunda pars Pſalmi, in qua poſtquam ſuperior inferiorem monuit ad laudem, nunc ipſam inſtruit quomodo etiam laudare poſſit, ſi ſpem ſuam non in ſemine, ſed in Deo poſuerit. Primò ergo monet, vt in homine ſpem non ponat. Secundò beatificat ſperantem in Deo, vt ſic ſuadeat ſperare in illo, ibi, *Beatus vir cuius.* In prima duo. Primò docet

ſpem

ſpem non ponere in homine. Secundò aſſignat rationes, quare, ibi, *In quibus non eſt ſalus.* In prima duo. Primò docet non confidere in maioribus. Secundò in omnibus generaliter. *In filiis hominum.* Dicit ergo: Sic moneo vos vires inferiores animæ meæ Deum laudare, quod vt poſſitis: *nolite confidere in principibus*, in ipſis ſpem ponendo, quamuis principes ſint, & maiores. Suprà in *Pſal.* Bonum eſt ſperare in Domino, quàm ſperare in principibus. *Mich.*3. Nolite confidere in duce. Quare? quia *Exod.* 15. dicitur de mundi principibus: Electi principes eius ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus.

Non confidẽdũ in hominibus.

3. *Nec in filiis hominum*, quibuſcumque: quia *Ierem.* 17. Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum. Suprà in *Pſal.* Bonum eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine. Citò cadit & frangitur, & confidentia perit. *Iſa.* 36. Confidis in baculo iſto confracto Ægypto, cui ſi innixus fuerit homo, confringetur. *Iſa.*30. Omnes confiſi ſunt ſuper populo, qui ei prodeſſe non poterit. Malitia enim plena ſunt hominum corda, quæ ſolida non ſunt, ſed valde vana. *Eccl.*9. Corda filiorum hominum implentur malitia, & contemptu in vita ſua.

In quibus non eſt ſalus. Hîc multiplex ratio, quare non confidendum. Prima, ſaluandi impoſſibilitas. Secunda, mortalitas. *Exibit ſpiritus eius.* Tertia, carnis eotruptibilitas poſt mortem. *Et reuertetur.* Quarta, cogitationum inutilitas, ibi, *In illa die peribunt.* Dicit ergo: Nolite confidere in filiis hominum, *in quibus*, id eſt, quia in illis, *non eſt ſalus*: Suprà in *Pſal.* Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana ſalus hominis. *Act.*4. Non eſt aliud nomen ſub cœlo, in quo oporteat nos ſaluos fieri, quàm IESVS: vnde confidentes etiam in Baptiſmis ſuis arguuntur. 1.*Cor.*1.

4. *Exibit ſpiritus eius.* Ecce ratio ſecunda. Quaſi diceret: Sic non ſaluant, & etiam *ſpiritus eius*, anima ſcilicet propria, *exibit* à domo proprij corporis, velit nolit. *Eccl.*8. Non eſt in hominis poteſtate prohibere ſpiritum ſuum. Et exibit ſine reuerſione, donec Deus voluerit. *Sap.* 16. Cum exierit ſpiritus, non reuertetur. Noluiſſet exire ſpiritum ſuum diues plenus diuitiis. *Luc.*12. Sed ei dictum eſt: ſtulte, hac nocte repetent animam tuam à te: quæ autem paraſti, cuius erunt?

Et reuertetur. Ecce tertium. Quaſi diceret: Exibit ſpiritus, & ſic morietur: & etiam *reuertetur*, tunc corpus, vel homo ſecundum corpus, *in terram ſuam*, de qua primus habuit originem, vnde omnes alij deſcenderunt. *Eccleſ. vlt.* Redeat ſpiritus ad Deum qui dedit illum, & reuertatur puluis in terram ſuam, vnde erat. *Gen.*3. Donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es, quia puluis es, &c. *Eccleſ.*7. Omnia pergunt ad vnum locum, de terra facta ſunt, & in terram pariter reuertuntur.

In illa die, qua ſpiritus exibit, *peribunt omnes cogitationes eorum. Iſa.*59. Cogitationes eorum cogitationes inutiles. *Mich.*2. Væ qui cogitatis inutile. Nec mirum ſi pereant cogitationes, quoniam ipſimet peribunt. *Ierem.*10. In die viſitationis ſuæ peribunt. *Iob* 6. Ambulabunt in vacuum, & peribunt. Suprà in *Pſal.* Iter impiorum peribit.

5. *Beatus cuius Deus.* Hîc ſecundum, in quo ſperantes in Deum beatificat. Duo ergo dicuntur. Primò beatificat, vel beatum pronuntiat ſperantem in Domino. Secundò multiplicem cauſam aſſignat, ibi, *Qui fecit cœlum.* In prima duo. Primò beatum pronuntiat adiutum à Deo ſicut Iacob. Secundò aſſignat cauſam, quia Dominum Deum poſuit ſpem ſuam, ibi, *Spes eius in Domino Deo ipſius.* Dicit ergo: Dixi quòd non eſt confidendum in homine, ſed *beatus cuius Deus Iacob*, qui eſt Deus adiuuans, *adiutor eius.* Eius ſuperfluit more Hebraico. In *Pſal.* ſuprà: Beata gens cuius eſt Dominus Deus eius. *Deut.* 3 Beatus es tu Iſraël. Quis ſimilis tui popule qui ſaluaris in Domino, & à Domino, ſicut pater tuus Iacob, cui dixit *Geneſ.*28. Ero cuſtos tuus quocumque perrexeris? *Ierem.* 15. Bellabunt aduerſum te, & non præualebunt, quia ego tecum ſum, & eruam te, & ſaluabo te, dicit Domnus. *Deut.*33. Aſcenſor cœli auxiliator tuus.

Spes eius. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic dico beatum adiutum à Deo, quia *ſpes eius in Domino Deo ipſius. Prou.*16. Qui ſperat in Domino, beatus eſt. *Ierem.*17. Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius.

6. *Qui fecit.* Hîc ſecundum, in quo poſtquam ſperantes beatificauit, cauſas beatificationis oſtendit. Primà, Dei omnipotentia. Secunda, omnipotentis iuſtitia, ibi, *Qui cuſtodit.* Tertia, æternitatis gloria in potente & iuſto, ibi, *Regnabit Dominus.* In prima monſtrarur primò omnipotentia à creatione continentium. Secundò à creatione contentorum, ibi, *Et omnia.* In prima tangitur primo creatio continentis ſuperioris. Secundò inferioris. *Et tetram.* Tertiò medij. *Mare.* Ait ergo: Sic dixi beatum qui ſperat in Deo, *qui*, id eſt, quia ille, in quem ſperat, *fecit cœlum*, ſuperius continens, *& terram*, continens inferius, *mare*, continens medium. *Gen.*1. In principio creauit Deus, &c. Et infrà in eodem: Congregationeſque aquarum appellauit maria.

Et omnia quæ in eis ſunt, contenta. *Iſa.*40. Qui menſus eſt pugillo aquas, & palmo cœlos ponderauit, qui appendit tribus digitis molem terræ. Tales non ſunt dij gentium. *Ierem.* 10. Dij qui non fecerunt cœlum & terram, pereant de terra. *Eſth.* 13. Tu feciſti cœlum, & terram, & omnia quæ cœli ambitu continentur.

7. *Qui cuſtodit veritatem.* Hîc oſtenditur Omnipotentis iuſtitia, vel magis veritas. Primò in generali. Secundò relatione ad diuerſos ſtatus, *Facit iudicium.* Dicit ergo: Sic Dominus omnipotentiæ ratione eſt, in quo ſperandum, & etiam ipſe eſt, *qui cuſtodit veritatem*, in ſe, non enim mentiri poteſt. *Num.*23. Non eſt Deus vt homo vt mentiatur. *Rom.*3. Omnis homo mendax, Deus autem verax. Quomodo non cuſtodiret ſeipſum? ipſe enim veritas eſt. *Ioan.*14. Ego ſum via, veritas, & vita.

Facit iudicium. Hîc ſecundum, in quo oſtendit Dei veritatem, comparatione ad ſtatuum diuerſitatem. Primò comparatione ad electos. Secundò comparatione ad reprobos, ibi, *Et vias peccatorum.* In prima tanguntur octo, ſecundum octo beneficia octo generibus miſerorum exhibita.

bita. Primum eſt vltio oppreſſorum iniuſtè. Secundum, refectio eſurientium. *Dat eſcam.* Tertium, ſolutio compeditorum. *Dominus ſoluit.* Quartum, ignorantium inſtructio. *Dominus illuminat.* Quintum, confractorum erectio. *Dominus erigit.* Sextum, directio iam iuſtorum. *Dominus dirigit.* Septimum, conſeruatio aduenarum. *Dominus cuſtodit aduenas.* Octauum, ſuſceptio pupillorum, & viduarum. *Pupillum & viduam.* Dicit ergo: Sic veritatem cuſtodit in æternum, & *facit iudicium*, vindicando eos ab iniuriantibus, *patientibus iniuriam*, aliter iniuſtus eſſet, ſi tandem non faceret iudicium. Sed *Iob* 34. Verè Deus non cõdemnabit fruſtrà, nec Omnipotens ſubuertet iudicium. *Iſa.*49. Eos qui iudicauerint te, ego iudicabo. Omnes enim iniuriam patientibus facientes iniuriam Dominus vindicabit. *Prou.* 22. Non facias violentiam pauperi, quia pauper eſt: neque conteras egenum in porta, quia Dominus iudicabit cauſam eius: & maximè Prælatos, qui ex officio tenentur facere iuſtitiam. *Sap.* 6. Iudicium duriſſimum his qui præſunt, fiet.

Dat eſcam. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic iudicabis pro patientibus, & etiam ipſe *dat eſcam* temporalem. Suprà in *Pſal.* Qui dat eſcam omni carni. *Eſurientibus. Iſa.*59. Frange eſurièti, &c. Et etiam ſpiritualem eſurientibus iuſtitiam. *Matth.*5. Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur, pane cœleſti. *Sap.*16. Paratum panem de cœlo dediſti eis. *Bar.*2. Anima eſuriens dabit tibi gloriam. *Ierem.* 31. Erit anima eorum quaſi hortus irriguus, & vltra non eſurient.

Dominus ſoluit. Hîc tertium. Quaſi diceret: Sic vindicat & reficit, & etiam *Dominus ſoluit compeditos*, ſicut ſoluit tres pueros, qui miſſi fuerant in compedibus in fornacem. *Dan.*3. Video quatuor viros ſoluros in medio ignis, & nihil corruptionis eſt in eis. Et nota, quòd ſunt compedes pœnæ. *Thren.*3. Aggrauauit compedem ſuum ſuper me. Et ſunt compedes culpæ. Suprà in *Pſal.* Humiliauerunt in compedibus pedes eius. *Ierem.*39. Rex Babylonis oculos Sedechiæ eruit, & vinxit eum vt duceretur in Babylonem. Sub his compedibus & culpæ & pœnæ gemebat Paulus *Rom.*7. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Dominus autem liberat à compedibus culpæ in præſenti per gratiam. *Matth.*21. Soluite, & adducite eum. *Pſal.* Miſit rex, & ſoluit eum. In futuro verò ſoluet à compedibus pœna, per gloriam. *Iſa.*35. Fugiet dolor & gemitus. 1.*Cor.*15. Mortale hoc oportet induere immortalitatem, & corruptibile hoc incorruptionem.

8. *Dominus illuminat.* Ecce quartum. Quaſi diceret: Sic ſoluit, vnde confidendum in eo: & *Dominus* etiam *illuminat cæcos*, ſapientiam infundendo cordibus. *Ioan.*9. dicit Sapientia: Ego in iudicium veni in munerum, vt & qui non vident, videant. Quippe ipſe eſt lux. *Ioan.*1. Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Dtminus erigit. Ecce quartum, ſcilicet eliſorum erectio. Quaſi diceret: Sic cæcos illuminat, & etiam *Dominus erigit eliſos*, in terram. Eliſi ſunt in terram, per cupiditatem ad terrena inclinati. *Naum* 3. Paruuli eorum eliſi ſunt in capite omnium platearum. *Iob* 30. Quaſi ſuper ventum ponens eliſiſti me validè. Hos erigit ad cœleſtia, faciens terrena relinquere. *Iob* 5. Humiles ponit in ſublime, & mentes erigit ſoſpitate. *Prou.*29. Rex iuſtus erigit terram.

Dominus dirigit iuſtos. Ecce ſextum. Quaſi diceret: Sic erigit eliſos, & poſtquam illos erexerit, & iuſtos fecerit, tunc dirigit eos: & hoc eſt quod dicit, *Dominus dirigit iuſtos*, ad ſalutem vt proficiant & procedant. *Oſeæ vlt.* Ego exaudiam, & dirigam eum. *Prou.* 4. Ipſe rectos facit greſſus meos.

Dominus cuſtodit. Hîc ſeptimum, extraneorum conſeruatio, ne videatur apud eum acceptio perſonarum. Ait enim: Sic dirigit iuſtos: nec credas quod de Ieruſalem tantum, & vicinos tantum templo ſuo, imò *Dominus cuſtodit aduenas*, ipſos aduenas, inquam, Iudæis, ſed non ſibi. *Act.*10. In veritate comperi, quod non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. *Gal.*5. Non eſt Iudæus, nec Græcus, nec ſeruus, nec liber. 9.

Pupillum & viduam. Ecce octauum, & vltimum. Quaſi diceret: Sic non accipit perſonam, cum hæc bona faciat, nec munera, quia *pupillum & viduam*, perſonas & pauperes & auxilio deſtitutas, *ſuſcipiet*, ſurſum ad ſe capiet. *Iſa.*49. Relinque pupillos tuos, & ego eos viuere faciam, & viduæ tuæ in me ſperabunt. Et pro ipſis iubet *Iſa.*1. Iudicate pupillo, defendite viduam. Et nocentibus aduerſatur. *Exod.* 22. Viduæ & pupillo non nocebitis, ſi læſeritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum.

Et viam peccatorum diſperdet. Ecce veritas comparatione ad malos, & expone ſicut ſuprà in antecedenti Pſalmo.

Regnabit Dominus. Hîc tangitur cauſa tertia beatitudinis, ſperantium in Deum, ſcilicet æternitatis eius gloria: & tanguntur duo. Primò aſſerit perpetuò regnaturum. Secundò explanat & exponit quod dixerat, ibi, *In generatione.* Dicit ergo: Tanta eſt eius potentia, talis veritas & iuſtitia, & etiam ô *Sion*, non Babylonia, *Dominus Deus tuus*, quem colis, in quem credis, *regnabit*, non ad modicum ſicut reges mundani. *Eccl.* 10. Regnum à gente in gentem transfertur. Et *Dan.* 5. dictum eſt Nabuchodonoſor: Diuiſum eſt regnum tuum à te, &c. Et in quarto: Tibi dicitur Nabuchodonoſor: Regnum tuum tranſiit à te. Sed *in ſæcula.* Et exponit ſe, *in generatione* conſequente ſup. *generationem* hanc præſentem, ſed in æterna generatione. *Sap.*3. Regnabit Dominus illorum in perpetuum. Ipſi etiam regnabunt. *Dan.*7. Suſcipient regnum ſancti Dei altiſſimi, & obtinebunt regnum vſque in ſæcula ſæculorum. Regnum, inquam, non terrenum, ſed cœleſte, de quo *Ioan.*18. Regnum meum non eſt de hoc mundo, ſed de cœlo. De quo regno nos faciat, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen. 10.

IN CXLVI. PSALMVM.

Alleluia.

Laudate Dominum, quoniam bonus eſt Pſalmus. Hic eſt Pſalmus 146. in toto libro, in tertia verò parte libri 46. Poſtquam enim propriam animam

Propheta monet omnes generaliter ad laudem Dei.

animam ad Dei laudem excitauit,& inſtruens eam de modo laudis, hîc ſubiungit aliorum inuitationem loquens ad omnes generaliter. Et quia ad laudem eſt inuitatio, recte præponitur titulus,qui prius, ſcilicet *Alleluia.*

Pſalmus autem diuiditur ſecundum *Gloſſam.* Primò quidem ſimpliciter inuitat ad Dei laudem iucundam & decoram. Secundò informat de modo laudandi,& pigritiam excitat,ibi,*Præcinite Domino.* In prima duo.Primò inuitat ad laudem ſimpliciter. Secundò ad laudis iocunditatem, & decentiam, ibi, *Deo meo.* In prima duo. Primò inuitatio. Secundò ratio quare acquieſcendum, quaſi quædam perſuaſio,ibi, *Quoniam bonus eſt Pſalmus.*

Dicit ergo : Sic animam meam monui vt laudet,quod & ipſa promiſit : ſed omnibus dico,*laudate Dominum. Iſa.*49.Laudate cœli,& exultet terra, iubilate montes laudem. Et 44. Iubilate extrema terræ, reſonate montes laudationem, ſaltus, & omne lignum eius;quoniam redemit Dominus Iacob, & Iſraël gloriabitur.

*Quoniam bonus eſt.*Ecce ſecundum, ſcilicet ratio quare laudandus.Quaſi diceret:Sic moneo, vt laudetis, & debetis, *quoniam Pſalmus,* pſalmodia ſcilicet & cordis & oris, *eſt bonus* : & etiam operis, quia habet ſuauitatem, & dulcedinem, iam hîc annexam, & meretur æternam iocunditatem. Propter hoc dicebat *Paulus* 1.*Cor.*14.Pſallam ſpiritu, pſallam & mente. Et de laude & pſalmodia oris dicitur *Iob.*39. Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo eius hinnitum? Et *Iſa.*43. Populum iſtum formaui, mihi laudem narrabit.De pſalmodia operis ſupra in *Pſal.* Pſallite ſapienter.

*Deo noſtro.*Hîc ſecundum,in quo inuitat ad laudis iocunditatem & decentiã. Et primò inuitatio. Secundò ratio inuitationis, ibi, *Ædificans Ieruſalem.* Dicit ergo : Sic laudate, & etiam *laudatiò iocunda & decora,* aliter enim iocunda non eſt, *ſit Deo noſtro.* Primò enim oporter orationem eſſe decoram per peccati remotionem,quod fit in confeſſione,& poſtmodum eſt Deo placens,& iocunda. *Cant.*2. Oſtende mihi faciem tuam, primo in confeſſione : ſonet vox tua in auribus meis, poſtmodum in oratione.*Eccl.*15.Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Oratio enim non libenter in immunditiis ſe ingerit:mundiſſimum enim quid eſt.*Thren.*3.Oppoſuiſti nubem ne tranſiret oratio.

2. *Ædificans Ieruſalem Dominus.* Hîc ſecundum, in quo ſubiungitur multiplex ratio,quare ei fienda ſit talis laudatio ; & tangitur quadruplex. Prima eſt Eccleſiæ ædificatio. Secunda, meritorum diſtinctio in ædificata, ibi ; *Qui numerat.* Tertia, manſuetorum exaltatio in merito ſuper alios, ibi, *Suſcipiens.* Quarta & vltima, malorum depreſſio, ibi, *Humilians autem.* In prima duo. Primò tangitur ædificatio. Secundò modus ædificandi. *Diſperſiones Iſraëlis.* Dicit ergo : Sic ſit laudatio iucunda & decora Deo meo, quia *Dominus*, qui eſt Deus noſter, eſt *ædificans Ieruſalem*, id eſt, Eccleſiam & militantem, & triumphantem. *Prou.*9. Sapientia ædificauit ſibi domum. Et alibi 14. Sapiens mulier ædificat domum ſuam. *Amos vlt.*Suſcitabo tabernaculum Dauid quod ceciderat, & reædificabo aperturas murorum eius. Ædificat autem eam de viuis lapidibus ordinans ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ſeipſo omnibus ſuppoſito. *Eph.*2. Superædificati ſuper fundamentũ Apoſtolorum & Prophetarum,ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu. Sed quantũ ædificat ex vna parte,multi deſtruũt ex altera. *Eccl.*34.Vnus ædificãs,& alius deſtruens,quid prodeſt niſi labor?

Diſperſiones. Hîc tangitur modus & ordo ædificandi. Primò ergo congregatio diſperſorum per prædicationem. Secundò ſanatio congregatorum poſt contritionem de peccatis,ibi, *Qui ſanat.*Tertiò alligatio ſanatorum per ſacramentorum appoſitionem, ibi, *Et alligat contritiones.* Dicit ergo:Sic dico,quòd ædificans eſt,& erit Eccleſiam : & hoc modo *diſperſiones Iſraëlis*, fidelis ſcilicet populi, hoc eſt, ad fidem electi, *congregabit* in vnitatem fidei. *Thren.*4. Diſperſi ſunt lapides ſanctuarij, ex quibus ſcilicet eſt ſanctuarium ædificandum, in capite omnium platearum. Sed ipſe congregabit eos.*Ezech.*11.Congregabo vos de populis,& adunabo de terris, in quibus diſperſi eſtis. *Oſe.* 1. Congregabuntur filij Iuda, & Iſraël,& ponent ſibi caput.Vnde *Iſa.*11.Leuabit ſignum in nationes procul, & congregabit profugos Iſraël.

3. *Qui ſanat contritos corde.* Ecce ſecundum.Quaſi diceret:Sic dico,quòd congregabit,*qui ſanat,* poſtquam ad fidem congregauerit, aliter non conterentur, *contritos corde.Iſa.*61.Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, ad euangelizandum pauperibus miſit me, vt mederer contritis corde. *Oſe.*14. Sanabo contritiones eorum. Ad hos enim propriè venit ſummus medicus. *Matth.*9.Non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus. Propter hoc dicebat *Dan.*in 3.In animo contrito, & ſpiritu humilitatis, ſuſcipiamur à te Domine, ſicut in holocauſto arietum, & taurorum, &c.

Et alligat. Ecce tertium Quaſi diceret: Sic fideles primò,& per fidem contritos de peccato ſanat, *& alligat*, ſacramenta apponendo, *contritiones eorum. Eccl.*6. Alligatura illius, alligatura ſanitatis. Propter hoc miratur de noſtra plaga & confractura.*Ier.*8. Nunquid non eſt reſina in Galaad? id eſt,in Eccleſia?Galaad enim interpretatur aceruus teſtimonij ; Eccleſiam ſignat. Reſina, quæ corruptionem attrahit, confeſſionis & pœnitentiæ ſacramentum. Aut medicus, Chriſtus vel prælatus, qui reſinam apponat, non eſt ibi ? Quaſi diceret: Imò eſt. Cur ergo non eſt obducta cicatrix populi mei ? *Ezech.*34.Quod confractum fuerit,alligabo. *Iſa.*56. In ſancto habitat, & cum contrito & humili, vt viuificet ſpiritum humilium, & viuificet cor contritorum.

4. *Qui numerat.*Hîc ſecundum,ſcilicet meritorum diſtinctio in ædificata : & tanguntur duo. Diſtinctio meritorum, & ordinatio ad diſtinctionem præmiorum. Secundò probatio, quòd hoc poſſit Dominus, & ſciat,ibi,*Magnus Dominus.* In prima duo.Primò tangitur meritorum diſtinctio abſoluta. Secundò in comparatione ad præmia.*Et omnibus eis.*Dicit ergo : Sic ædificat Eccleſiam,& etiam ipſe eſt, *qui numerat*, diſtinguendo, diſcernendo, *multitudinem ſtellarum*, hoc eſt,ſanctorum,ex quibus eſt ædificata Eccleſia *Iſa.*40.Educit in numero militiam eorum, loquitur de ſtellis.*Et omnibus eis nomina vocat.*1.*Cor.*15.Differt ſtella à ſtella in claritate. Intantum has ſtellas diſtinguit, & diſcernit, vt omnia eorum merita cognoſcat & videat. *Hebr.*4. Diſcretor cogitationum, & intentionum cordis. Nouit enim quò tendant corda, & quantum. *Prou.*6. Spirituum ponderator eſt Dominus. Hanc numerationem figurabat illa *Num.*26. Hic eſt numerus filiorum Iſraël, qui deſcripti ſunt à Moyſe, & Eleazar ſacerdote. Hanc audiuit *Ioan. Apoc.* 7. Audiui numerum ſignatorum centum quadraginta quatuor millia ſignati.

Et omnibus. Ecce ſecundum. Quaſi diceret:Sic diſtinguit merita, & etiam *omnibus eis*, ſtellis ſcilicet, & ſanctis, *nomina vocat.* Nominum vocatio, eſt ipſorum adſcriptio in æternitate. *Exod.*33.Te ipſum noui ex nomine, id eſt, teipſum approbans adſcripſi in mea prædeſtinatione ab æterno. *Luc.* 10. In hoc gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. *Phil.* 4. Quorum nomina ſunt in libro vitæ. *Iſa.*65.Seruos ſuos vocabit alio nomine, alio quàm ſibi à patrinis impoſito nomine, ſcilicet meriti ad præmium ordinato.

5. *Magnus Dominus.* Hîc ſecundum, in quo oſtendit, quòd hoc poſſit Dominus, & ſciat: & ſecundum hoc dicuntur duo. Primò,quòd poſſit, oſtendendo eius magnitudinem. Secundò, quòd ſciat,oſtendendo ſapientiæ infinitatem,ibi, *Et ſapientiæ eius.* In prima autem primò oſtendit magnitudinem Dei ſimpliciter. Secundò in operatione ſpecialiter. *Et magna.* Dicit ergo:Sic dixi,quòd multitudinem ſtellarum dinumerat, & ad præmium ordinat. Et hoc poteſt, quia *Dominus*, eſt ſup. *magnus*,in ſe,& *magna virtus eius*,in operatione. *Eccleſ.*43. Magnus vehementer, & mirabilis potentia eius. *Eccl.*3. Quàm magna potentia Dei ſolius! Et ab humilibus honoratur. 2.*Machab.*7. Videbis magnam poteſtatem ipſius.

Et ſapientiæ. Quaſi diceret: Sic poteſt cum ſit tantæ potentiæ:& *ſapientiæ eius non eſt numerus*, vt ſit dicere, tantum ſapit, nec plus. *Eccl.*1. Sapientiam Dei præcedentem omnia, quis inueſtigabit? *Iſa.* 40. Non eſt inueſtigatio ſapientiæ eius. Ad *Rom.* 11. O altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei! aſcendit ſuper omnem numerum.

6. *Suſcipiens manſuetos.* Hîc tertium, ſcilicet manſuetorum in merito exaltatio. Ait enim:Sic Eccleſiam ædificat, in ædificata diſtinguit merita, & ordinat, & etiam *Dominus* eſt *ſuſcipiens*, ſurſum ſcilicet capiens, ad domum præmij,& meriti altitudinem, *manſuetos. Prou.*6. Manſuetis dabit gratiam:ad cumulum meriti dat & ſapientiam. *Num.* 12. Moyſes erat manſuetiſſimus hominum, qui erant in terra. Et data eſt ſapientiæ diuinæ præeminentia. *Eccl.*5. Eſto manſuetus ad audiendum verbum Dei,vt intelligas. *Iacob.*1.In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum. Et in die iudicij, ſicut dicitur *Iſa.* 11. Arguet in æquitate pro manſuetis terræ.Et poſt iudicium implebitur illud *Matth.*21. Ecce rex tuus venit tibi obuiam, manſuetus.

Humilians autem. Hîc quartum,ſcilicet malorum depreſſio,& hoc in futuro. Ait enim:Sic mãſuetos ſuſcipit,*humilians autẽ* eſt *peccatores*,immittes manſuetis contrarios,& immiſericordes,*vſque ad terrã*, in præſenti, vt iam nihil niſi terrena ſapiant, & loquantur. *Iſa.*29. Humiliaberis,de terra loqueris, & de terra muſſitabit eloquium tuum. In futuro vſque ad gehennam. *Iſa.*45. Glorioſos terræ humiliabo. Sed quantum? In 15. dicitur: Humiliabuntur, & deſtruentur vſque ad terram, verum eſt vltimam,quæ eſt infernus.

7. *Præcinite Domino.* Hîc ſecunda pars Pſalmi, in qua quaſi pigritãtes excitat, & ad laudandi modũ informat. Primò ergo cum intentione ſiue incitatione informatio. Secundò ratio multiplex,quare laudandus,ibi, *Qui operit cœlum.* In prima duo. Primò quòd laudant Deum, in confeſſione peccati præcedente. Secundò quòd in bono opere ſubſequente,ibi, *Pſallite Deo.* Dicit ergo:Sic monui ad laudem Dei: ſed pigri eſtis, & de modo forſitan dubitatis, propter hoc dico: *Præcinite Domino.* Quaſi diceret:Cantate Deo, ſed præcinite *in confeſſione* peccati: confeſſionis enim eſt præcedere. *Iudic.* 1. Quis aſcendet ante nos contra Chananæum,& erit dux belli?Et dixit:Iudas aſcendet.Et *Gen.*46. Iacob ante ſe præmiſit Iudam ad Ioſeph. 2.*Machab.*2. Iudas erit princeps veſter. *Prou.*18. Iuſtus in principio accuſator eſt ſui.

Pſallite Deo. Hîc ſecundum,in quo monet laudare etiam bona operatione. Quaſi diceret: Sic prius peccata confitemini, & laudate,& poſt *pſallite*,bonum operamini,hoc eſt enim veraciter pſallere:& hoc, *in cithara*, in decem mandatorum adimpletione. Lex enim de decem mandatis eſt quaſi cithara in decem chordis. Suprà in *Pſal.* Pſallite Domino in cithara. *Iſa.*23. Sume citharam,legem decem mandatorum. Qui in hac cithara citharizat, dulciter Deo cantat. *Apocal.* 14. Et vocem quam audiui,ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis.

Qui operit cœlum. Hîc ſecundum, ſcilicet cauſa & ratio ſic laudandi Deum, ſcilicet beneficiorum exhibito, quibus ſunt, & non exhibitio, quibus non ſunt exhibenda. Duo ergo dicuntur in hac parte. Primò quibus qualia exhibet beneficia, & quibus non. Secundò quare talibus. *Beneplacitum eſt Domino.* In prima duo. Primò quæ beneficia exhibet. Secundò qualibus,ibi, *Non in fortitudine.* In prima tria. Primò beneficij ſpiritualis præparatio,ſcilicet ſcripturarum. Secundò corporalis exhibitio,ibi, *Qui producit.* Tertiò exhibitio ſpiritualis, ibi, *Qui dat eſcam iumentis.* In prima duo. Primò veritatis repoſitio in ſcripturis. Secundò ratio & finis repoſitionis illius. *Et parat.* Dicit ergo: Sic illi præcinite, *qui*,id eſt, quia ille,*operit cœlum*, ſacræ ſcripturæ veritatem, in qua latet Deus tanquam in cœlo,*nubibus*,ſacramentalibus ſcilicet figuris. Quod enim cœlum ſit veritas ſcripturarum, habetur *Apoc.*8. Audiui vocem vnius aquilæ volantis per medium cœlum. Sed Dominus hoc cœlum nubibus operit. *Iſa.* 50. Induam cœlos tenebris. *Iob* 36. In manibus ſuis abſcondit lucem, & præcipit illi vt rurſus adueniat. *Dan.*12. Claudè ſermone, & ſigna librum, vſque ad tempus ſtatutum. *Apoc.*5. de libro ſignato. 8.

Et parat. Hîc ſecundum. Quaſi diceret:Sic veritates in ſacra ſcriptura reponit, & ſic *parat terræ pluuiam*, id eſt, doctrinam Eccleſiæ ſanctæ. *Pſal.* Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata eſt. *Iob* 38. Quis eſt pluuiæ pater, & ſtillas roris quis genuit? *Ezech.*34. Et pluuiæ benedictionis erunt.

Qui producit in montibus. Hîc ſecundum, exhibitio beneficij corporalis:& tanguntur duo. Primò temporalium bonorum productio. Secundò quibus, ibi, *Seruituti.* Dicit ergo: Sic ſcripturam præparauit,& etiam ipſe eſt, *qui producit in montibus*, in magnis huius mundi,& diuitibus, *fœnum*, iam magis maturum, vt ſit ſuſtentamentum maiorum, & *herbam*, magis teneram, vt ſit ſuſtentamentum minorum: hoc eſt breuiter, abundantia temporalium. *Prou.*27. Apparuerunt herbæ virentes, & collecta ſunt fœna de montibus. Montes enim ſunt alti in mundo, & potentes, de quibus *Iſa.*54. Montes commouebuntur, & colles. Sed iſti ferunt herbas & fœna rerum temporalium. *Iob* 40. Huic montes herbas ferunt.

Seruituti hominum. Ecce quibus, vt ſeruiant in iſtis hominibus prædicatoribus, & doctoribus, vt impleatur illud *Gen.* 15. Maior ſeruiet minori, in temporalibus, & minor, humilis, & pauper, maiori in ſpiritualibus. 1.*Cor.*9. Si nos vobis ſpiritualia

ritualia ſeminamus, magna eſt ſi carnalia veſtra metamus? *Iſa* 49. Erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ.

9. *Qui dat iumentis.* Hîc tertium, ſcilicet beneficij ſpiritualis exhibitio. Et primò exhibitio ſpiritualis cibi ſimplicibus. Secundò peccatorum ſucceſſoribus. *Et pullis coruorum.* Dicit ergo: Sic dat doctoribus beneficium corporale à montibus: & ipſe eſt etiam, *qui dat iumentis*, ſimplicibus in Eccleſia, de quibus ſuprà in *Pſal.* Homines & iumenta ſaluabis Domine. Et *Ioël.* 2. Nolite timere animalia regionis, quia germinauerunt ſpecioſa deſerti. *Ion.* in fine: Non parcam Niniuæ, in qua ſunt pluſquam centum & vinginti millia hominum, & paruuli qui neſciunt quid eſt inter dexteram, & ſiniſtram, & iumenta multa?

Et pullis coruorum, dat eſcam repete, id eſt, filiis gentilium, peccatis nigrorum & horribilium, *inuocantibus eum.* Corui fuerunt patres noſtri, qui morientes in peccato idololatriæ, noluerunt ad arcam reuerti. *Gen.* 8. Coruus non eſt reuerſus ad arcam. Quorum filij ſunt qui conuerti tardant, vel procraſtinant. *Soph.* 2. Vox cantantis in feneſtra, coruus in ſuperliminari, contra illud *Eccl.* 5. Ne tardes cõuerti ad Dominum. Sed ſunt filij coruorum conuerſi, & clamantes ad Deum, pro cibo ſpirituali, de quibus hîc loquitur. *Iſa.* 60. Venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te.

Corui etiam boni, quia ſunt reputatione ſua peccatis nigri, ſunt Doctores, & Apoſtoli ſancti, quibus Deus eſcam præparat, & filiis eorum. *Iob* 38. Quis præparauit coruo eſcam ſuam, quando pulli eius ad ipſum clamant, vagantes, eò quod non habeant cibos? *Luc.* 12. Conſiderate coruos, quia non ſeminant nec metunt, quibus non eſt cellarium, nec horreum, & Deus paſcit illos.

10. *Non in fortitudine equi.* Hîc ſecundum, in quo oſtenſo quibus talia beneficia exhibet, oſtendit quibus non. Primò, quòd non præparat contumacibus, & ſuperbis. Secundò, quòd non audacibus, & incompoſitis hominibus, ibi, *Nec in tibiis.* Ait ergo: Sic dat eſcam ſimplicibus filiis peccatorum petentibus, ſed *non habebit voluntatem*, conferendi hoc, *in fortitudine equi*; id eſt, illi qui habet equi fortitudinem, quales ſunt contumaces & ſuperbi. *Eccl.* 10. Odibilis coram Deo & hominibus omnis ſuperbia. Et propter hoc talibus magis reſiſtit. *Iacob.* 4. Deus ſuperbis reſiſtit, quia & ipſi illi. *Iob* 15. Cucurrit aduerſus Deum erecto collo.

Nec in tibiis. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic non complacet in ſuperbia, & contumacibus: *nec beneplacitum erit ei in tibiis viri*, in viris audacibus, & incompoſitis, qui oſtendunt tibias ſuas tanquam ſint fortes & validi. Ipſe enim inceſſus multorum oſtendit corda illorum. *Eccl.* 19. Amictus corporis, & riſus dentium, & inceſſus hominis enuntiant de illo. *Iſa.* 3. Pro eo quod ambulauerunt filiæ Sion extento collo, &c.

11. *Beneplacitum eſt.* Hîc eſt ſecunda pars totius illius, in qua tanguntur beneficia. Oſtenſa enim collatione beneficiorum aliquibus, & aliquibus non, ſubiungitur hîc ratio conferendi talibus. Primò complacentia Dei, & voluntas in timentibus. Secundò in ſperantibus ſimul. *Et in eis qui ſperant.* Ait ergo: Sic confert prædicta, & talibus non: cur hoc? Ecce: *Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum*, quales ſunt illi. *Eccl.* 1. Timenti Deum bene erit, & in diebus conſolationis illius benedicetur. Et dicitur dies conſolationis, dies iudicij, vel dies mortis. *Eccl.* 25. Beatus eſt, cui datum eſt habere timorem Dei. Hoc ergo eſt beneplacitum, de quo Paulus *Eph.* 5. Probantes quid ſit beneplacitũ Deo.

Et in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius: aliter timor non placeret, ſi ſine ſpe eſſet. Propter hoc dicit *Eccleſiaſticus* in 2. Qui timetis Deum, ſperate in eum. *Deut.* 24. Non accipies pro pignore ſuperiorem vel inferiorem molam. Superior eſt ſpes, inferior verò eſt timor. *Greg.* Spes ad alta ſubuehit, timor deſurſum premit: & ſic homo molitur vt fiat cibus Dei, & transferatur ad æternæ gloriæ menſam: ad quam nos perducat, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

IN CXLVII. PSALMVM.

Alleluia Aggæi & Zachariæ.

12. *Propheta hortatur ſpecialiter fideles ad laudem Dei.*

L*Auda Ieruſalem Dominum.* Hic eſt Pſalmus 147. Poſtquam enim inuitauit ad laudem Dei omnes generaliter, hîc inuitat filios Eccleſiæ ſpecialiter. Et primò inuitatio eorum ad laudem Dei. Secundò enumeratio beneficiorum Eccleſiæ collatorum, propter quæ eſt laudandus Dominus: & illa beneficia potiſſimè tangit, quæ pertinent ad reædificationem Eccleſiæ, ſicut ea quæ tacta ſunt in præcedenti ad ædificationem. Reædificatio autem figurata fuit in illa reædificatione templi, quæ fuit facta tempore Aggæi, & Zachariæ Prophetarum, & ad illam reædificationem exhortantium. Et hoc eſt quod innuitur in titulo qui talis eſt: *Alleluia Aggæi & Zachariæ*, hoc eſt, hîc, id eſt, in Pſalmo ſubiecto, eſt laus Dei, qualis fuit Aggæi, & Zachariæ Prophetarum, qui Deum laudauerunt pro templi reædificatione, vel reparatione, hanc reædificationem figurante, de qua hîc agitur.

Diuiditur autem Pſalmus in duas partes. Primò enim inuitat ad laudem non omnes iam generaliter, ſed tantum illos qui ſunt de Eccleſia. Secundò aſſignat pro cauſa laudis, multiplicia beneficia à Deo ſuæ Eccleſiæ exhibita, ibi, *Quoniam confortauit.* In prima duo. Poſſumus enim dicere, quod primò inuitat ad laudem Eccleſiam triumphantem. Secundò militantem, ibi, *Lauda Deum.*

Dicit ergo: Sic monui omnes generaliter laudare Dominum, ſed nunc dico tibi, ſpecialiter ô *Ieruſalem*, ſuperna ſcilicet ciuitas, quæ etſi fuiſti hîc in perturbatione, & afflictione modò in pace & ſuauitate ſumma, *lauda Dominum. Tob.* 13. Ieruſalem ciuitas Dei, caſtigauit te Dominus in operibus manuum tuarum: confitere Deo confeſſione laudis in bonis eius, & benedic Deum ſæculorum. Et ita fit, & implebitur illud *Tob.* 13. Per vicos eius ſupernæ ſcilicet Ieruſalem, cantabitur Alleluia.

Lauda Deum tuum Sion. Ecce ſecundum. Sic lauda ô Ieruſalem, & ô tu *Sion*, Eccleſia ſcilicet militans adhuc in terris, *lauda Deum tuum. Soph.* 3. Lauda filia Sion, iubila Iſraël. *Zach.* 2. Lauda & lætare filia Sion. Per Ieruſalem autem bene ſuperior Eccleſia deſignatur. Ieruſalem enim viſio pacis interpretatur, & ibi apertè videtur ille, de quo dicitur *Eph.* 2. Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum. Sion autem ſpecula, vel ſpeculatio interpretatur, & ſignat illam, quæ tanquam de longinquo, & per creaturas tanquam per ſpeculum Deum contemplatur, ſecundum illud Pauli 1. ad *Cor.* 13. Videmus enim nunc per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.

Quoniam confortauit. Hîc ſeccundum, in quo aſſignat beneficia multa pro ratione lapidis. Et primò exhibita Eccleſiæ triumphanti. Secundò exhibita militanti, ibi, *Qui emittit.* In prima quatuor

tuor ſecundum quatuor beneficia quæ tangit. Primum eſt in gratiis confirmatio. Secundum, multiplicatio confirmatorum. *Benedixit.* Tertium, perfecta pax, & ſecuritas. *Qui poſuit fines.* Quartum, delicata ſatietas. *Et adipe frumenti.* Dicit ergo: Sic lauda ô Ieruſalem, & debes laudare, *quia Dominus confortauit*, vel *confirmauit*, ſecundum aliam literam, *ſeras portarum tuarum*, gratias Angelorum, qui in te ſunt. Portæ enim ſunt Angeli ſancti, & animæ quæ ibi ſunt. *Pſal.* ſuprà: Eleuamini portæ æternales. Et *Iſa.*60. Occupabit ſalus muros tuos, & portas tuas laudatio. Harum portarum ſeræ ſunt gratiæ, Dei ſcilicet cognitio & dilectio, quas confortauit & confirmauit, ne aliquando deſiſtere poſſent cognoſcere vel amare. *Eccl.*49. Stare fecit ſeras, & portas.

Benedixit. Ecce ſecundum beneficium. Quaſi diceret: Sic confirmauit in gratiis portas, Angelos, & homines ſanctos, & etiam *benedixit*, dando multiplicia bona ſpiritualia, & æterna, *filiis tuis in te*, exiſtentibus ſup. *Tob.*13. Lætaberis in filiis tuis, quoniam omnes benedicentur, & congregabuntur ad Dominum Deum tuum. *Iſa.*61. Iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus.

14. *Qui poſuit.* Hîc tangitur tertium. Quaſi diceret: Sic confirmauit in bonis, & multiplicauit bona, & etiam ipſe eſt, *qui poſuit fines tuos pacem*, vt ex nulla parte poſſis cõcuti vel turbari, vt impletum ſit in te illud *Leuit.*26. Dabo pacem in finibus veſtris. Et illud *Iſa.*26. Domine dabis pacem nobis. Pacem dabis interiùs, & pacem dabis exteriùs in finibus. *Tob.*13. Anima mea benedic Dominum, quia liberauit Ieruſalem à cunctis tribulationibus ſuis, vt ſit in ſumma pace & quiete. *Iſa.vlt.* Declinabo ſuper eam, quaſi flumen pacis.

Et adipe. Ecce quartum. Quaſi diceret: Sic eſt in te perfecta ſecuritas, & pax à Domino Deo tuo: & etiam ipſe eſt, qui *ſatiat te*, dando ſecuritatem plenam: & hoc, *adipe frumenti*, intima ſcilicet dulcedine Chriſti filij Dei, qui de ſeipſo dixit *Ioan.*12. Niſi granum frumenti cadens in terrã, mortuum fuerit. Suprà in *Pſal.* Cibauit illos ex adipe frumenti, & de petra, &c. Sed nunquid non eſt ibi ſatietas niſi de frumenti adipe? Porrò *Deut.* 8. & *Matth.* & *Luc.*4. Non in ſolo pane viuit homo. Reſponſio. Primum & præcipuum inter reficientia nominauit, non totum dixit. *Ierem.*31. Laudabunt in monte Sion, & confluent ad bona Domini, ſuper frumento, vino, & oleo, bonitate, veritate, & miſericordia. Frumentum, Dei bonitas: vinum, ipſius veritas: oleum verò, pietas. *Prou.*1. Qui audierit me, requieſcet, & abundantia perfruetur, malorum terrore ſublato. *Iſa.*32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta.

15. *Qui emittit eloquium.* Hîc ſecundum, in quo tangit beneficia Eccleſiæ militanti exhibita, & tangit quatuor. Primum eſt filij Dei incarnatio. Secundum, verbi Dei prædicatio. *Velociter currit.* Tertium, peccatorum cõuerſio, ibi, *Qui dat niuem.* Quartum, iudiciorum ſuorum reuelatio ſuis, ibi, *Qui annuntiat verbum.* Dicit ergo: Sic lauda ô Ieruſalem propter prædicta beneficia, & tu lauda Sion, militans ſcilicet Eccleſia. *Qui*, id eſt, quia ille *emittit eloquium ſuum*, Filium ſcilicet ſuum, *terræ.* Ad literam ad terram voluit filium venire. Hanc emiſſionem petebant antiqui modò ſub typo manus diuinæ. *Pſal.* ſup. Emitte manum tuam de alto. Modò ſub nomine ſapientiæ. *Sap.*9. Emitte illam ce cœlis ſanctis tuis. Modò ſub figura agni. *Iſa.*16. Emitte magnum Domine. Et ſic fecit, ad terras filium miſit. *Sap.*18. Dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus Domine à regalibus ſedibus venit. *Bar.*3. Poſt hoc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.

Antiqui ſub diuerſis figuris petebant incarnationem.

Velociter. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic mittit filium, & *ſermo eius*, eloquij ſcilicet à Deo Patre emiſſi, *currit velociter*: modò reprehendit, modò de reprehenſione ad admonitionem tranſilit, modò ab admonitione ad conſolationem, de conſolatione ad comminationem ſalit, & currit de vitio ad virtutem, modò de virtute ad virtutem, vbique penetrat, vbique ſe ingerit. *Heb.*5. Viuus eſt ſermo Dei & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti. *Iob* 38. Quis dedit vehementiſſimo imbri curſum ſuum? Et Paulus petebat 2.*Theſſ.*3. Orate vt ſermo Dei currat, & clarificetur. Nec mirum ſi currit, & clarus fit, quia ignitus eſt. *Pſal.* Ignitum eloquium tuum vehementer. *Prou.* 30. Sermo Dei ignitus clypeus eſt. Imò ignis. *Ierem.*23. Nonne verba mea quaſi ignis?

Qui dat niuem. Hîc tertium beneficium, peccatorum ſcilicet conuerſio: & tanguntur duo. Primò conuerſio. Secundò cõuerſionis modus. *Emittet verbum ſuum.* In prima duo. Primò tangitur peccatorum conuerſio. Secundò exaggeratio peccati eorũ, & culpæ, vt appareat maius beneficium, ibi, *Ante faciem frigoris.* In prima tria, ſecundum tria genera peccatorum, quorum tangit cõuerſionem. Primò conuerſio peccantium per fragilitatem. Secundò peccantium per ignorantiam, ibi, *Nebulam.* Tertiò peccantium per obſtinationem, & certam malitiam. *Mittit cryſtallum.* Dicit ergo: Sic filium mittit, vel miſit, & ſermo cucurrit, & etiam ipſe eſt, *qui dat niuem*, peccatorem frigidum & fragilem ſicut nix eſt, *ſicut lanam*, vt ſit quaſi lana, quæ eſt materia veſtis, vt inde veſtiatur Deus. Peccatores ergo nix ſunt, quos Deus reſeruat, vt in lanam conuertat. *Iob* 38. Nunquid conſideraſti theſauros niuis, aut theſauros grandinis aſpexiſti? *Pſal.* Ponens in theſauris abyſſos. *Iob* 24. Tranſierunt ab aquis niuium, ad calorem nimium, à ſtatu ſcilicet peccatorum, ad calorem nimium charitatis. Ecce veſtis. 16.

Nebulam, nebuloſum & obſcurum peccatorem per ignorantiam, *ſpargit ſicut cinerem*, id eſt, ſic verè pœnitentem, quod ſe reputat cinerem. Nebula dicitur peccator: quia à Deo citò ſoluitur, ſicut à ſole nebula. *Iſa.*44. Deleui iniquitates, & quaſi nebulam peccata tua. *Eccl.*43. Aperti ſunt theſauri, diuinæ miſericordiæ, & euolauerunt nebulæ quaſi aues, id eſt, peccatores ad alta ſunt eleuati. Hoc eſt quod hîc dicuntur ſpargi ſicut cinis, id eſt, pœnitens verus, quia *Ion.*3. dicitur: Abiecit rex veſtimentum ſuum, & ſedit in ſacco & cinere. Et Abraham verè humilis dicebat. *Gen.* 18. Loquar ad Dominum meum, cum ſim puluis & cinis.

Mittit cryſtallum ſuam. Hîc tertium, ſcilicet obſtinatorum ipſorum cõuerſio. Ait enim: Sic niuem in lanam, nebulam verò conuertit in cinerem, & *mittiet* per mundum ad alios reficiendum & paſcendum, *cryſtallum ſuam*, vel *ſuum* (melius enim dicitur hoc cryſtallum ſecundum Priſcianum, quàm hæc criſtallus, vel hic) *ſicut buccellas*, quæ reficiunt, vel panis fruſta. Cryſtallus ergo dicitur peccator obſtinatus & in malitia ſtante diabolo congelatus. *Eccl.*43. Frigidus ventus Aquilo flauit, & gelauit cryſtallus ab aqua. Sed hunc aliquando Dominus conuertit, non tantum vt ſit fidelis 17.

Peccatoris comparatio cum cryſtallo.

fidelis,ſed vt ſit doctor. *Iob.28.* Lapis,cryſtallinus ſup. calore ſancti Spiritus ſolutus, in æs conuertitur, quod ſonat. Et in 12. Producit in lucem,vt alios illuminet verbo,& doctrina: vmbram mortis, obſcuriſſimum peccatorem. Sic factum fuit in Paulo. *1.Tim.1.* Fidelem me exiſtimauit ponens in miniſterio, qui prius fui blaſphemus & perſequutor, & contumelioſus, ſed miſericordiam Dei conſequutus ſum.

Ante faciem frigoris. Hîc ſecundum,in quo ſubiungitur peccati eorum exaggeratio,ad oſtendendam maiorem gratiam. Ait enim: Sic conuertit niuem in lanam, nebulam in cryſtallum,quæ non modica frigiditate conſtricta ſunt in malo: quia *quis ſuſtinebit*,id eſt, ſuſtinere poterit, *ante faciem*, id eſt,præſentiam,*frigoris eius*? peccati ſcilicet infrigidantis, quod dicitur Dei permiſſione immiſſum. *Mat.23.* Refrigeſcet charitas multorum. *Ier. 6.* Sicut ciſterna frigidam fecit malitiam ſuam.

16. *Emittet verbũ ſuum.* Hîc ſecundũ,in quo tangitur conuerſionis modus,& per quid fit, quia per duo. Per Filij Dei incarnationem,& Spiritus ſancti inſufflationem,ibi,*Flabit ſpiritus eius.* Ait enim: Sic conuertuntur maximè peccatores,ſed quomodo? Ecce: *Emittet verbum ſuum*, ſicut paulò antè dictum eſt: *& liquefaciet ea*,talium ſcilicet peccatorum corda emittet, de ſinu ſuo, ſed tamen non amittet, quia remanebit in ſinu. *Ioan.1.* Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris,ipſe enarrabit,&c.1. *Ioan. 2.* In hoc apparuit Filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli. Ad hoc verbum ignitum,imò igneum liqueſcit nix,& cryſtallus. *Cant.5.* Anima mea liquefacta eſt,vt dilectus loquutus eſt. Et impletur illud *Eccl.3.* Sicut in ſereno glacies,peccata ſoluuntur.

Flabit ſpiritus eius. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic mitte filium,& liquefient: & etiam *flabit*, interius in huiuſmodi corda, *ſpiritus eius*, qui flat vbi vult. *Ioan.3.* Spiritus vbi vult ſpirat. *Et fluent aquæ*, cordibus congelatis reſolutis. Hunc flatum quærebat qui dicebat *Cant.5.* Surge Aquilo, ventus frigide,& pernicioſe,& veni Auſter. Et *Iob.38.* Nunquid per ſapientiam tuam plumeſcit accipiter expandens alas ſuas ad Auſtrum? Nec tantum fluẽt aquæ lachrymarum interiores,ſeu etiam exteriores,ſed doctrinarum,vt ipſi quoque fiant doctores. *Ioel.2.* Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ. Et ſecundum hoc tanguntur tres cauſæ conuerſionis filij. Incarnatio, Spiritus ſancti miſſio, & prædicatio.

19. *Qui annuntiat.* Hîc tangitur quartum beneficium, militanti Eccleſiæ exhibitum, ſcilicet iudiciorum Dei reuelatio. Primò ergo oſtenditur beneficium. Secundò oſtenſum extollitur, ibi, *Non fecit taliter.* In prima dicuntur duo. Primò verborum annuntiatio. Secundò expoſitio quorum,ſcilicet iudiciorum,& iuſtitiæ,ibi,*Iuſtitias.* Ait ergo: Sic præmiſſa fecit beneficia, & etiam ipſe eſt, *qui annuntiat verbum ſuum Iacob*, iunior ſcilicet populus Chriſtianorum. *Iſa.9.* Verbum miſit Dominus in Iacob. *Bar.3.* Adinuenit omnem viam diſciplinæ,& tradidit eam Iacob puero ſuo. Verbum etiam incarnatum annuntiauit per Angelos Iacob,laborantibus paſtoribus & vigilantibus. *Luc. 1.* Ecce annuntio vobis gaudium magnum.

Iuſtitias. Hîc ſecundum. Quaſi diceret: Sic annuntiat verbum: quod eſt illud verbum? *Iuſtitias ſuas*,quibus diſcernit & bonos & malos, & *iudicia ſua*, ex illis iuſtitiis procedentia, *Iſraël*, populo fideli & Deum videnti. Intelligere enim eos facit illud *Prou.16.* Pondus & ſtatera iudicia Domini. Vnde dicunt illud *Rom. 2.* Reddet vnicuique ſecundum opera ſua. Imò facit etiam eos intelligere, quod affligit bonos etiam ſine culpa, vt augeantur eorum merita. *Ierem.49.* Ecce quibus non erat iudicium, bibentes bibent. *Iſa. 19.* Erit terra Iuda Æ gypto in pauorem.

20. *Non fecit taliter.* Hîc attollitur beneficium, quia alij ab illo ſunt excluſi. Duo ergo dicuntur. Primò quòd alij ſunt excluſi à beneficio. Secundò ſpecificatur à quo. *Et iudicia ſua.* Ait ergo: Sic reuelauit Iacob, & Iſraël hæc beneficia, ſed *non fecit taliter omni nationi*, ſicut Iacob, & Iſraël, quos redemit. *2. Reg.7.* Quæ eſt gens vt populus Iſraël in terra, propter quam iuit Deus, vt redimeret eam ſibi in populum,& redemptam inſtrueret. *Deut.4.* Quæ eſt alia gens ſic inclyta,quæ habeat cæremonias,iuſtaque iudicia? Vnde ſpecificando ſubdit.

Et iudicia ſua, quæ facit in bonis & malis, *non manifeſtauit eis*, ſicut populo huic ſibi ſpeciali. *Deut.26.* En Dominus Deus tuus elegit te, vt ſis ei populus peculiaris: & huic reuelauit *Deut.12.* Hæc ſunt præcepta atque iudicia, quæ facere debetis: ad hoc enim reuelata ſunt. *Bar. 4.* Beati ſumus Iſraël, quoniam quæ Deo placita ſunt,manifeſta ſunt nobis, vt illa facientes beatificemur in gloria, ipſo præſtante qui eſt benedictus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

IN CXLVIII. PSALMVM.

Alleluia Aggæi & Zachariæ.

1. LAudate Dominum de cœlis. Pſalmus 148.in toto libro. Cum enim in Pſalmo antecedenti inuitauerit ad laudem Dei Eccleſiam,tam militantem, quam iam in cœlis triumphantem, & hoc pro reparatione ipſius Eccleſiæ, in reparatione ſub Aggæo & Zacharia figurata,hîc inuitat omnem creaturam,quæ inuitatio non eſt, niſi quædam oſtenſio, quòd omnis creatura diuinæ laudis ſit materia, ex eo quod erit reparata à corruptione,in illa reædificatione,in qua eſt vt Eccleſia reædificata & reſtituta poſt iudicium. Vnde idem titulus præponitur, qui & prius, *Alleluia Aggæi & Zachariæ*, pro reparatione templi facta,plena ſcilicet & perfecta. Et diuiditur Pſalmus in duas partes. Primò quidem inuitat ad laudem Dei, creaturas ſigillatim. Secundò coniunctim, ibi, *Confeſſio eius.* In prima duo. Primò inuitat creaturas ſuperiores. Secundò inferiores, ibi, *Laudate Dominum de terra* In prima duo. Primò inuitantur. Secundò ſubditur ratio inuitationis. *Quia ipſe dixit.* Iterum in prima primò inuitatio creaturarum ſuperiorum ſpiritualium. Secundò corporaliũ. *Laudate eum ſol.* In prima tria. Primò inuitat ſpirituales creaturas, tangendo illarum originem. Secundò tangendo dignitatem, ibi,*Laudate eum in excelſis.* Tertiò tangendo officium & operationem. *Laudate eum omnes Angeli.* Dicit ergo: Sic ſupra monui ad laudem Ieruſalem,& Sion;ſed vos *de cœlis*, origine ſcilicet Angeli, qui facti fuiſtis in cœlis empyreis,*laudate Dominum.* Sed quia quamuis omnes de cœlo origine eſtis, non tamen ibi habitatis, ſed quidam corruerunt,qui non aſcenderunt poſtea,nec aſcendent, vos *in excelſis*, inuito: vos, inquam, *laudate Dominum*,ſicut à principio eſt factum. *Iob 38.* Vbi eras cum me laudarent aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei? ſicut facturi eſtis in Saluatoris natiuitate. *Luc.2.* Facta eſt cum Angelo multitudo cœleſtis exercitus,laudantium Deum,& dicentium:

Monet omnem creaturam laudare Deum, vel materiã laudis eſſe oſtendit.

centium : Gloria in excelſis Deo,&c. Aure cordis has laudes audiebat *Ioan.Apoc.19.* Audiui vocem quaſi turbarum multarum in cœlo dicentium,Alleluia,laus,& virtus,& gloria Deo noſtro.Et *Iſa.6.* Clamabant alter ad alterum,Sanctus,ſanctus,ſanctus, Dominus Deus Sabaoth. Et nota, quòd quidam ſunt naturaliter de cœlis,& per gratiam manent in excelſis,ſicut boni Angeli : quidam naturaliter de cœlis,nec manent per gratiam in excelſis, ſicut mali Angeli : quidam non ſunt naturaliter de cœlis,& tamen manent per gratiam in excelſis , ſcilicet homines ſancti : quidam nec ſunt per naturam de cœlis,nec manent per gratiam in excelſis , ſicut homines mali. Et nota, quòd verbum imperatiui modi , non eſt imperatiuum propriè hîc,ſed congratulatiuum,ſicut iam dicetur.

2. *Laudate eum omnes.* Hîc tertium, & primò tangit officium.Secundò quod reſpicit propriè actum. *Laudate eum omnes virtutes.*Dicit ergo:Sic laudate de cœlis exiſtentes generaliter, qui tamen ibi per gratiam habitatis, & etiam *laudate eum omnes Angeli,* id eſt, nuntij, *eius,*ad reuelandum ipſius bonitatem.*Dan.*3.Benedicite Angeli Domini Domino. Angelus autem nomen eſt officij.Sup.in *Pſal.*Qui facit Angelos ſuos ſpiritus. *Greg.* Cœleſtis patriæ ſpiritus ſemper ſpiritus ſunt,ſed Angeli ſemper vocari non poſſunt.Tunc autem rectè Angeli nominantur,cum per eos nobis aliqua nuntiantur.Ecce quod reuelant.Suprà in *Pſal.* Benedicite Domino omnes Angeli eius,potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem ſermonum eius.

Laudate eum omnes virtutes , id eſt, ipſi Angeli, ad exercendas operationes mirabiles conſtituti, *eius,*creatione & regimine. Suprà in *Pſal.* Benedicite Domino omnes virtutes eius , miniſtri eius, qui facitis,&c.2.*Par.vlt.* Laudate eum omnes virtutes cœlorum. *Dan.*3. Benedicite omnes virtutes Domini Domino. Sed quomodo hîc imperat Angelis , cum non videatur maior illis ? Reſponſio eſt, quòd verbum imperatiui modi aliquando ſumitur propriè, ſeu imperatiuè. *Exod.*20. Honora patrem,& matrem. *Luc.*10. Hoc fac,& viues. Aliquando conſultiuè. *Matth.*9. Vade,& vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Aliquando hortatiuè. *Eph.*5. Videte quomodo cautè ambuletis, & nolite fieti imprudentes.Aliquando prædictiuè. *Ioan.*2. Soluite templum hoc ,& in tribus diebus excitabo illud *Ioan.*13. Quod facis,fac citius.Aliquando ironicè, & irriſoriè. 3.*Reg.vlt.*Reſpondit Michæas regi Iſraël quærenti ſi aſcenderet in Ramoth Galaad : Aſcende , & vade proſpere , quia tradet illam in manus tuas.Aliquando deprecatoriè. Suprà : Miſerere mei Deus. *Iob* 10. Parce mihi Domine. Aliquando congratulatoriè , ſicut hîc, ſicut vult *Gloſſa.* Aliquando deteſtatiuè. *Matth.*7. Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis. Aliquando inuitatoriè, vel ad gratiam.*Matth.*11.Venite ad me omnes,qui laboratis.Vel ad gloriam. *Matth.*25. Venite benedicti.

Verbum imperatiui modi multipliciter ſumitur.

3. *Laudate eum ſol.* Hîc ſecundum, in quo inuitat ad laudem ſuperiores creaturas corporales : & dicuntur tria ſecundum triplicem cœli differentiam quam tangit. Primò ſydereum in ornatu ſuo. Secundò empyreum, ibi , *Laudate eum cœli cœlorum.* Tertiò cryſtallinum,quod eſt medium inter duos. *Et aquæ quæ ſuper cœlos.* Et in prima parte tangit primò luminare maius , ſcilicet ſolem. Secundò mediocre,ſcilicet lunam. Tertium minimum , ſcilicet ſtellas. Ait ergo : Sic laudate creaturæ ſpirituales ſuperiores, & etiam *laudate eum,*vos ſcilicet ſol luminare maius , *&* *luna* luminare mediocre, *laudate eum omnes ſtellæ.* Et non ſolũ vos in veſtris ſubſtantiis laudetis , ſed in ipſo effectu : vnde addit, *Et lumen,*quod cauſatur à ſole,luna, & ſtellis: creator enim veſter eſt.*Gen.*1. Fecit Deus luminaria magna : luminare maius, vt præeſſet diei , & luminare minus, vt præeſſet nocti, & ſtellas.*Dan.* 3.Benedicite ſol & luna Domino,benedicite ſtellę cœli Domino.Nec mirum ſi hic addit lumen,cum ibi etiam tenebræ inuitentur ad laudem. *Dan.*3. Benedicite lux ex tenebræ Domino.

*Laudate eum cœli.*Hîc tangit ſecundum , cœlorum differentiam. Quaſi diceret: Sic laudate pertinentia ad cœlum ſydereum , & etiam *cœli cœlorum,* ſcilicet cœli empyrei , qui eſtis ſuper omnes cœlos,& illos continentes, *laudate eum,*cuius magnitudinem capere non poteſtis.3.*Reg.*8.Cœlum, & cœli cœlorum te capere non poſſunt. Sed ſunt alij cœli his in infinitum excellentiores, cœli Trinitatis , qui ipſam comprehendunt. *Deut.*10. En Domini Dei tui ſunt cœli , & cœlum cœlorum. Suprà in *Pſal.* Cœlum cœli Domino. 4.

*Et aquæ quæ ſuper cœlos ſunt,laudent nomen Domini.*Ecce quod pertinet ad cœlum aqueum:aquæ enim ponuntur à Sanctis, ſuper cœlum ſydereum, ad modũ cryſtalli ſolidiſſimæ,& ex omni parte ab influentia lucis empyrei illuſtratæ.*Dan.*3.Benedicite aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt, Domino. 5.

Sol, Chriſtus. *Mal.*3. Vobis timentibus Deum orietur ſol iuſtitiæ. Hic laudat. *Matth.*11. Confiteor tibi Pater. *Luna,* Maria. *Cant.*4. Pulchra vt luna luna,quæ non eclipſatur.*Pſal.* Luna perfecta in æternum. Hæc laudat. *Luc.*1.Magnificat anima mea Dominum. Per ſtellas ſacerdotes & prælati. *Bar.* 3. Stellæ dederunt lumen in cuſtodiis. Iſtæ laudant. *Eccl.*47. de Dauid in figura prælatorum: De omni corde ſuo laudauit Deum. Per luminare boni ſubditi,qui quaſi effectus ſunt bonorum prælatorum. *Eph.*5. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Et iſti laudant. *Luc.*17.Et omnis plebs vt vidit,dedit laudem Deo. Per cœlos cœlorum,Apoſtoli,& Prophetæ. *Iob.*26. Spiritus Domini ornauit cœlos. Hi laudant. 2.*Par.*20. Filij Core,decaluari in Caluaria,Core enim interpretatur Caluaria , laudabant Deum Iſraël voce magna. Per aquas ſuper cœlos , Sancti minores. *Apoc.*19. Aquæ multæ, populi multi. Hi laudant. *Eccl.* 24. In multitudine electorũ habebit laudem. *Iſa.*43. de omnibus ſimul:Populum iſtum formaui mihi, laudem meam narrabit. *Apoc.*19. Laudem dicite deo noſtro omnes ſancti eius, & qui timetis Deum, puſilli & magni. *Iſa.*65. Serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos, &c.

*Quia ipſe dixit.*Hîc ſecundum,ſcilicet quare laudandus ab iis :& tangitur duplex ratio.Prima,collatio eſſendi ſimpliciter. Secunda, eſſendi ordinabiliter. Statuit ea.In prima primò tangit naturale eſſe corporalium. Secundò ſpiritualium , ibi, *Ipſe mandauit.* Dicit ergo : Laudate creaturæ corporales ſuperiores : *quia ipſe dixit ; & facta ſunt* , corporalia.*Gen.*1.Dixit Deus,Fiat,& factum eſt.Suum autem dicere eſt velle vt ita ſit , vel verbum ab æterno generare,in quo omnia facta ſunt.*Aug. in lib.Conf.* Verbo tuo æterno dicis omnia quæ dicis, nec aliter quàm dicendo facis.

Ipſe mandauit, rationabilibus : talibus enim fit mandatum , *&* *creata ſunt.* De hac creatione in principio *Gen.*1. In principio creauit cœlum. De vtroque ſimul *Iudith* 16.Tibi Domine ſeruiat omnis creatura,quia dixiſti, & facta ſunt:miſiſti ſpiritum

ritum tuum,& creata ſunt.Et ſuprà in *Pſal.*omninò ſimile. Sed quare non primo dicuntur creata quàm facta, cum creatio ſit prius quàm factio, & etiam ſpirituales creaturæ prius ſunt dignitate, quàm corporales?Reſp. Quia Propheta ſenſibiliter procedit, & ſecundum quod eſt via cognoſcendi in nobis: corporalia autem priuſquàm ſpiritualia ſentimus. 1. *Cor.* 15. Prius autem quod animale eſt, deinde verò quod ſpirituale.

6. *Statuit ea.*Hîc tangitur collatio eſſendi ordinabiliter. Et primò creatis irrationabilibus ſuperioribus. Secundò rationabilibus,ibi, *Præceptum poſuit*:ſtatutum enim propriè fit creaturæ irrationabili corporali, præceptum rationabili.Dicit ergo: Sic laudate, quia dedit eſſe ſimpliciter: & etiam *ſtatuit ea*, corpora ſcilicet ſuperiora in locis ſuis, vt ibi immutabiliter perſeuerent, & in ordinibus ſuis: vnde addit, *In æternum,&*, id eſt, *in ſæculum* conſequutiuum, *ſæculi.* Nec eſt contrarium quod dicitur *Matth.* 24. Cœlum & terra tranſibunt. Tranſibunt enim non ſecundum ſuam ſubſtantiam,ſed ſecundum ſuam figuram.1.*Cor.*7. Præterit figura huius mundi. *Ierem.*31. Hæc dicit Dominus,qui dat ſolem in lumine diei,ordinem lunę & ſtellarum in lumine noctis: ſi defecerint leges iſtæ coram me, dicit Dominus, &c.

Præceptum poſuit, creaturis ſuperioribus rationabilibus, *& non præteribit*, ipſum præceptum illa creatura.Sed quod eſt hoc præceptum?Vt illi obediant, ipſum laudent, quod faciunt in æternum. *Eccl.*42. Omnia viuunt,& manent in ſæculum,& in omni neceſſitate obediunt ei: non fecit quicquam deeſſe, & vniuſcuiuſque confirmauit bona.

7. *Laudate Dominum.*Hîc ſecũda pars primæ partis Pſalmi,in qua indiſtinctè inuitat ad laudẽ, vel mõſtrat eſſe laudis materiam creaturas inferiores. Et primò creaturas habentes monſtruoſam generationem. Secundò habentes regularem, ibi, *Et omnes abyſſi.* Dicit ergo:Sic vos ſuperiores,creaturæ laudate,& etiã *dracones laudate Dominum.* Dracones tangit pro omni monſtruoſorũ genere,quia ſicut dicit *Gloſſa*, ingentiſſimi ſunt inter omnia animalia. Dracones,inquam,*de terra*,orti: habent enim originem de terra,ſed verſantur in aquis, & prodeuntes de ſpeluncis volant per aëra,& ipſum inficiunt. Iſti ſunt creatura. Suprà in *Pſal.* Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei.

*Et omnes abyſſi.*Hîc inuitat regulariter generata. Et primò inanimita. Secundò animata, ibi, *Ligna fructifera.*In prima quatuor ſecundũ quatuor elementa quæ tangit.Primò aquam.Secundò ignem. *Ignis.* Tertiò aërem. *Grando, nix.* Quartò terram. *Montes & omnes colles.* Dicit ergo:Sic laudate dracones,& etiam vos *omnes abyſſi*,omnia maria,omnium aquarum profunditates. *Dan.* 3. Benedicite fontes Domino,benedicite maria & flumina Domino,qui vos creauit.2.*Paral.vlt.* Tu Domine ſignaſti mare verbo præcepti tui, & concluſiſti abyſſum, & ſignaſti terribili,& laudabili nomine

8. ſancto tuo,quod omnes pauent.

*Ignis.*Ecce ſecundum.Quaſi diceret:Et tu ignis lauda. *Dan.*3.Benedicite ignis & æſtus Domino.

*Grando.*Hîc tangit aërem per quatuor differentias impreſſionum, quæ in ipſo fiunt, *grando, nix*, & *glacies* in aëre ex vaporibus frigidis & humidis, *ſpiritus procellarum*,ex vaporibus frigidis & ſiccis: grando enim fit in parte aëris ſuperiori,glacies in inferiori,& nix in media.Hæc autem omnia,ſicut vult *Gloſſa*, etſi mutabilia & turbida ſint,habent tamen locum, & ordinem ſuum,& creaturæ ſunt. *Ier.*10. Grando, & ignis iuxta patiter ferebantur. Vnde patet, quia etiam obediunt.*Iob* 37. Præcipit niui,& deſcendit ſuper terram.Et in eodem:Flante Deo concreſcit gelu.*Ezech.*13. Erumpere faciam ſpiritum tempeſtatũ in indignatione mea. Et hoc eſt quod addit hîc: *Quæ faciunt verbum eius.* In *Pſal.*ſuprà: Dixit,& ſtetit ſpiritus procellæ,&c.

9. *Montes & omnes colles. Montes*,maiores eleuationes terræ,*colles* verò,minores. *Dan.*3.Benedicite montes & colles Domino. *Iſa.*55.Montes & colles cantabunt coram Deo laudem.

*Ligna fructifera.*Hîc inuitat animata,vel materiam laudis eſſe monſtrat.Et primò vegetabilia.Secũdò ſenſibilia,ibi,*Beſtiæ.* Tertiò rationabilia,ibi, *Reges terræ.*Vegetabilium tãgit duo genera.Primò quæ ſunt ad eſum.Secundò quæ ad ædificium. Et omnes cedri. Prima contra conſumptiuum interius data ſunt homini.Alia contra afflictiuum exterius.Et hæc omnia ſunt creaturæ.*Gen.*2. Produxit Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu & ad veſcendum ſuaue, & dedit homini in eſum. *Gen.* 2. Dedi vobis omnia ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam. Similiter cedros, & talia ligna, in ædificium apta creauit,& homini dedit. *Iſa.*41. Dabo in ſolitudine cedrum, & ſpinam. Et maxime cedri debent laudare, quæ fuerunt in ædificatione templi Dei. 3.*Reg.*5.6. & 7.

10. *Beſtiæ,& vniuerſa pecora.*Hîc inuitat ſenſibilia. Et primò greſſibilia. Secundò reptilia. *Serpentes.* Tertiò volatilia, ibi, *Volucres.* Et in prima tangit primò maiora greſſibilia.*Beſtiæ.*Secundò minora. *Et vniuerſa pecora.*Hæc enim ſunt creaturæ.*Gen.*1. Producat terra animã viuentem in genere ſuo, & beſtias terræ,auéſque multiplicentur ſuper terram.

Aliter ab illo loco, *Laudate Dominum de terra dracones.*Draco,diabolus.*Apoc.*12.Draco traxit tertiam partem ſtellarum,de terra viuentium,in qua conditus fuit, in terram mortuorum & tenebroſam;& opertam mortis caligine.*Iob* 10.Sed hic eſt laudis materia cum omnibus ſuis, qui ordinatus eſt à Deo in pœna. *Ezech.*29.Ecce ego ad te draco magne qui cubas in medio fluminum Ægypti. Et *Apoc.*20. Apprehendit Angelus draconem,qui eſt ſerpens antiquus,& ligauit eum. Et infrà:Miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris, vbi cruciabitur in ſæcula ſæculorum.

Omnes abyſſi. Abyſſi ſunt peccatores, maximè voluptuoſi.*Iob* 28.Abyſſus dicit,Non eſt in me,vera ſapientia:& verũ dicit.*Eccl.*1.Profundũ abyſſi, quis dimenſus eſt? Ille qui etiam talium opera in laudem ſuam conuertit, vnde ipſa quodammodo laudant,quia ſecundũ ipſorum delicias,illos punit. *Apoc.*18.Quantũ glorificauit ſe,& in deliciis fuit, tantum date illi tormentum,& luctum. Et ſequitur 19. Laus & virtus Deo noſtro,qui vindicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram.

11. *Ignis.* Hîc tanguntur cupidi per quinque differentias tentationum in hoc peccato. Per ignem, feruens appetitus. *Prou.*30. Ignis nunquam dicit, Sufficit. Per grandinem, labor & anxietas in acquirendo. *Exod.*9.Percuſſit grando in omni terra Ægypti,& cuncta quæ fuerunt in agris,in laboribus acquirendi. Et nota quod dicitur ibi, quod ignis & grando paritèr ferebantur,quia ardentem appetitum habendi comitatur anxietas acquirendi. Per niuem ſignificatur metus amittendi. De hac *Prou.*31.Non timebit domui ſuæ à frigoribus niuis, dicitur de ſancta anima temporalia contemnente.Per glaciem,auaritia in retinendo,quæ non

poteſt diſſolui,ſicut nec glacies,quicquid habuerit. *Sap.*16. Ingrati ſpes,diuitiæ in quibus ſperat, tanquam hyemalis glacies tabeſcet.Per ſpiritum procellarum,dolor in amittẽdo,& commotio,& tempeſtas.3.*Reg.*19.Poſt ſpiritum commotio. Non in commotione Dominus.*Iſa.*19.Diſrumpetur ſpiritus Ægypti in viſceribus ſuis.Hi autẽ ſunt materia laudis,quando conuertuntur,quia eorum malum Deus conuertit in bonum. *Gen.vlt.*Vos cogitaſtis de me malum,& Deus conuertit illud in bonum. Vel quando in pœnis ordinabuntur,ſed non permanebunt,cũ implebitur illud ſuprà in *Pſal.*Pluet ſuper peccatores laqueos,ignis,ſulphur, &c.

Per montes & colles tangitur tertia differentia peccatorum,ſcilicet ſuperbi,qui ſimiliter ſunt laudis materia,quando ſunt humiliati,vel per gratiã, humilitate quæ virtus eſt,vel per pœnam humilitate quæ deiectio eſt.*Iſa.*40. Omnis mons,& collis humiliabitur.Et 44.Reſonate montes laudationem.Et 49.Iubilate montes laudem,quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum,& pauperũ ſuorum miſerebitur.Humiliati etiam in pœna, laudis materia fuerunt, & laudauerunt, ſicut habetur exemplũ de Antiocho,qui percuſſus ait.1.*Mach.* 9. Iuſtum eſt mortalem non paria Deo ſentire, & Deo ſubditum eſſe. Et Nabuchodonoſor *Dan.*4. Poſtquam percuſſus eſt, dixit: Leuaui oculos meos ad cœlum, & ſenſus meus redditus eſt mihi, & benedixi Altiſſimo, & viuentem in ſæcula ſæculorum laudaui, & glorificaui.

Ligna fructifera, Prælati per fructificationem. *Coloſ.*1.Fructificantes,& creſcentes in ſcientia Dei. *Cedri* per odorem bonæ vitæ.2.*Cor.*2. Chriſti bonus odor ſumus in omni loco. Hæc laudant. *Iſa.* 55.Omnia ligna regionis plaudent manu.

Per beſtias,& pecora, & ſerpentes,actiui,ſed per greſſibilia,proficientes de bono in melius.Per ſerpentes, cauti. Hæc autem laudant Deum. *Iſa.*44. Glorificabit me beſtia agri,maiores in laborãdo,& vniuerſa pecora,minores. *Iſa.*60.Omne pecus Cedar congregabitur tibi.Serpentes cauti.*Matth.*10. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes.Per volucres pennatas contẽplatiui.*Prou.*1.Fruſtrà iacitur rete ante oculos pennatorum.Propter hoc debent laudare. *Dan.*3. Benedicite omnes volucres cœli Domino.

11. *Reges terræ.* Hîc inuitat rationabilia,ſiue homines,quos deſcribit tripliciter. Primò per dignitatem.Secundò per ſexum. *Iuuenes.* Tertiò per ætatem.*Senes cum iunioribus.*Et quartò addit rationem laudis,ibi,*Quia exaltatum.*In prima tria ſecundum triplicem præeminentiam,quam tangit: poteſtatis primò per reges, bonitatis ſecundò per principes, ſapientiæ tertiò per iudices. Ait ergo: Sic laudate præcedentia,& vos *Reges terræ*,laudate:& addit reſpectu cuius eſt præeminentia. *Et omnes populi.* Reges laudant. Exemplum Dauid 1.*Par.vlt.* Rex Dauid lætatus eſt cum gaudio magno,& benedixit Domino, & ait:Benedictus es Domine.*Dan.*4. de Nabuchodonoſor:Ego Nabuchodonoſor laudo & magnifico Regem cœli.

*Et omnes populi. Iſa.*43. Populum iſtum creaui mihi,laudem meam narrabit. *Principes.*1.*Paral.*15. dixit Dauid principibus Leuitarũ, vt conſtituerent de fratribus ſuis,cantores in organis muſicorum.

Et omnes iudices terræ. Iudices laudant Deum, eum rectè iudicãt,facientes,quod dicitur *Deut.*16. Iudices, & magiſtros conſtitue in portis, vt iuſtè iudicent populũ,nec in alteram partem declinent. Blaſphemant, qui malè iudicant, ſicut illi, de quibus *Dan.*13. Egreſſa eſt iniquitas à ſenioribus iudicibus,&c. Et de quibus *Sop.*2.Iudices eius lupi in veſperè, non reliquerunt aliquid in manè.

*Iuuenes & virgines.*Hîc quantum ad ſexum,primò tangens maſculinum. Secundò fœmininum. 12. Laudare debent iuuenes. *Eccl.*11. Lætare iuuenis in adoleſcentia tua,& in bono ſit cor tuum,in diebus iuuentutis tuæ. *Et virgines.Exod.*15. Sumpſit Maria prophetiſſa tympanum in manu, & egreſſæ ſunt mulieres poſt eam canentes & dicentes, Cantemus Domino, gloriosè enim, &c.

Senes cum iunioribus. Hîc reſpicit ad ætatem, ſecundum duplicem differentiam ſenectutis & iuuentutis.Senes debent laudare pro data ſibi ſapientia.*Iob* 12. In antiquis eſt ſapientia.*Eccl.*25.Corona ſenum in multa peritia.*Cum iunioribus*,ſimul:in ipſis enim diuina laus conſummatur. In *Pſal.* ſuprà: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. Suprà in *Pſal.* Laudate pueri Dominum. *Ierem.*31. Lætabitur virgo in choro, iuuenes, & virgines ſimul.

Quia exaltatum eſt. Hîc ratio:*quia exaltatum eſt* 13. *nomen eius ſolius*,Filius ſcilicet,qui eſt nomen,quia per ipſum diuinitas innotuit.1.*Ioan.*1.Filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit nobis. *Phil.*2. Deus exaltauit illum,& dedit illi nomen,quod eſt ſuper omne nomen.*Iſa.*52.Ecce puer meus,exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit valde: & ſublimitate ſingulari. *Iſa.* 2. Exaltabitur Dominus ſolus in die illa.

Confeſſio eius. Hîc ſecundum Pſalmi. Poſtquam 14. enim oſtendit creaturas eſſe diuinæ laudis materiam, & diuiſim, hîc idem oſtendit coniunctim, non exprimendo aliquam nominatim & ſpecialiter: & dicuntur tria, propter quæ maximè Deus laudandus eſt. Primò ſcilicet opus creationis. Secundò recreationis, ibi, *Et exaltauit cornu.* Tertiò glorificationis,ibi,*Hymnus omnibus.*Dicit ergo:Sic laudate ſigillatim, & etiam laudate omnes ſimul, quia *confeſſio eius*,eſt ſup.*ſuper cœlum & terram*, id eſt,ſuper omnia creata,id eſt, de omnibus creaturis, tam ſuperioribus, quàm inferioribus eſt laudandus.Et etiam *ſuper cœlum & terram*,id eſt,pluſquàm cœleſtis, vel terrena poſſet exprimere creatura. *Abac.*3. Operuit cœlos gloria eius,& laudis eius plena eſt terra. 2. *Paral.vlt.* Domine Deus omnipotens, qui feciſti cœlum & terram, cum omni ornatu eorum, laudabo te ſuper his, omnibus diebus vitæ meæ.

Et exaltabit. Hîc tangitur opus recreationis. Quaſi diceret:Sic cœlum & terram tu feciſti,vnde laudandus:& etiã *exaltauit cornu*,id eſt,Chriſtum, per propriam paſſionem. 1.*Reg.*2. Dabit imperium regi ſuo,& ſublimabit cornu Chriſti ſui.Et in eodem: Exaltatũ eſt cornu meum in Deo Ieſu meo. *Populi ſui*, redemptorẽ ſup.in ipſa ſua exaltatione. *Ioan.*3.Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto,ita exaltari oportet filium hominis.Ad quid? Vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Et in 12. Ego autem ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.

Vel cornu appellat poteſtatem & dignitatem nominis Chriſtiani,quam mukum exaltauit. *Luc.* 1. Erexit nobis cornu ſalutis,in domo Dauid pueri ſui, id eſt, in Eccleſia.

Hymnus omnibus. Hîc ſubditur pro glorificatione laus, & tangitur quaſi triplex glorificandorum differentia. Sancti,filij Iſraël,& appropinquantes Deo.Et innuuntur in his ſubtiliter conſideratis tres animæ dotes. Sancti enim ſunt qui purgati ſunt ab omni amore terreno, & per amo-

me

rem syncerum inhærent æternis: filij autem Israël, illi iidem sunt per visionem, & cognitionem plenam summæ veritatis : appropinquantes autem, & quasi se totos ingerentes, per fruitionem diuinæ bonitatis. Dicit ergo : Sic laudate propter opera creationis, & recreationis, & etiam, *quoniam hymnus*, & lætitia, laus scilicet Dei cum cantico. 1. *Mach.* 4. Hymnum canebant, & benedicebant Deum, in cœlum, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius. Et rursus de hymno. 1. *Mach.* 2. In hymnis, & confessionibus benedicebant Dominum, qui fecit magna in Israël. *Iudith vlt.* Hymnum nouum cantemus Deo nostro. Est, & erit *omnibus sanctis eius*, omnibus scilicet puro & sancto amore ei inhærentibus. *Apoc.* 19. Vox exiuit de throno dicens: Laudem dicite Deo omnes sancti eius, & qui timetis Deum, &c.

Filij Israël. Ecce secundum. Quasi diceret: Hymnus erit Sanctis. Sanctis, inquam, *filiis Israël*, id est, Deum apertè videntibus. *Tob.* 13. Confitemini Domino Israël. *Isa.* 51. Venient in Sion, in speculatione æternorum laudantes. Et 52. Simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, &c.

Populo, scilicet *appropinquanti sibi*, per æternam fruitionem : fruens enim totus transit in Deum. *Eccl.* 24. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini : spiritus enim meus super mel dulcis. *Ier.* 32. Populus meus adimplebitur bonis. *Iacob.* 4. Appropinquate Deo, desiderium extendendo, sancti qui estis in patria : & ipse appropinquabit vobis, suam dulcedinem infundendo, quam & ipse tandem nobis infundere dignetur, qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

IN CXLIX. PSALMVM.

Alleluia.

Argumentũ Psalmi, hortatio ad laudem Dei ex iustitia in impios exercenda.

1. CAntate Domino. Hic est Psalmus 149. in toto libro, in 3. vero parte 49. Postquam enim inuitauit omnes creaturas generaliter ad Dei laudẽ, & hoc propter ipsius laudandi gloriam, hic inuitat populum Dei specialiter ad laudandum pro iustitia Dei, in impios exercenda, in sequẽti verò pro misericordia iustis impendenda. Nihil autem noui innuitur in hoc titulo, sed tantum ibi ponitur *Alleluia*. Quasi diceret : In subiecto Psalmo laus Dei continetur, & hoc verum est pro iusto iudicio, & iustitia, quam in reprobis exercebit. *Apoc.* 16. dicturi sunt sancti : Iudex es Domine, qui es, & qui eras sanctus, qui hoc iudicasti: quia sanginem sanctorum & prophetarum fuderunt, & sangninem dedisti eis libere : digni enim sunt.

Duo autem dicuntur in hoc *Psal.* Primò inuitat ad laudem. Secundò subdit inuitationis rationem, ibi, *Quia beneplacitum est Domino in populo suo.* In prima autẽ primò tangitur materia laudis. Secundò locus in quo laudãdus. *Laus eius in Ecclesia sanctorum.* Tertiò affectus laudantis, ibi, *Lætetur Israël.* Quartò modus laudis, ibi, *Laudẽt nomẽ eius in choro.*

Dicit ergo simul iungens inuitationẽ, & laudis materiam : O vos Israëlitæ *cantate Domino*, ipsum laudando : & quid ? *canticum nouum. Isa.* 42. Cantate Domino canticum nouum, laus eius ab extremis terræ. *Iudith* 9. Modulamini illi nouum Psalmum. Canticum vetus est cantare pro vanis, & de vanis, & noxiis huius mundi, sed tale non curat. *Amos* 1. Auferà me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non exaudiam. *Amos* 8. Conuertã omnes festiuitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum. Vult autem nouum canticum de nouis, & pro nouis miraculis à Deo Patre tempore gratiæ factis. *Ioan.* 6. A sæculo non est auditum, vt aperiret quis oculos cæci. Nam pro nouis, & inauditis factis. *Matth.* 5. Benedicite his qui oderunt vos. Pro nouis & inauditis patientiis. Si quis te percusserit in vna maxilla, præbe ei & alteram. Pro nouis & inauditis consiliis. *Matth.* 19. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & veni, sequere me. Pro nouis & inauditis promissis. *Matth.* 19. Amen dico vobis, quòd vos qui sequuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede, &c.

Laus eius. Ecce secundum, scilicet locus laudis apertè. Suprà in *Psal.* In Ecclesiis benedicam te Domine. Et iterum : In medio Ecclesiæ laudabo te. Et rursus in alio : In Ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israël. *Eccl.* 24. In medio electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur. Sola enim Ecclesia locus laudis est. Alij autem blasphemant, vt sic possit dici, Inter gentes nomen meũ iugiter tota die blasphematur. *Isa.* 52.

Lætetur Israël. Hîc tertium, in quo tangitur affectus laudantis, scilicet affectus lætitiæ & exultationis. Lætitia interius est, cuius effectus est exultatio exterior : lætitia interior in Deo propriè; exultatio verò exterior propriè in homine Christo. Secundum, ibi, *Et filiæ Sion.* Dicit ergo : Sic monui ad canticum nouum cantandũ, & determinaui locum cantus, & etiam *Israël*, populus videns Deum, hic per speculum, & tandem per speciem in futuro, *lætetur*, interiori cordis lætitia, & hoc in præsenti, & tandẽ in futuro plenè, & perfectè, *in eo qui fecit eum*, & secundum id quod est, & secundũ quod Israël est. *Soph.* 3. Lætare & exulta Israël in omni corde tuo. *Isa.* 56. Lætificabo eos in domo orationis meę. *Isa.* 61. Gaudẽs gaudebo in Domino. 2.

Et filiæ Sion, animæ Deum speculantes, hîc per fidem, ibi per speciem, *exultent*, extrà saltent, *in rege suo*, Christo, videntes eius humanitatem gloriosam. *Isa.* 33. Regem in decore suo videbunt, & tunc non se continebunt ab exteriori iocunditate, dicentes illud *Apoc.* 19. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei. De vtroque dicitur *Isa.* 62. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo. *Abac.* 3. Ego autem gaudebo in Domino, & exultabo in Deo Iesu meo, & rege meo, sicut dictum est, & sacerdote meo. *Hebr.* 7. Melchisedech Salem, & sacerdos Dei summi. 3.

Laudent nomen eius. Hîc determinat modum laudis. Primò vt sit in choro charitatis, & concordiæ quoad proximum. Secundò in tympano mortificationis carnis quantum ad seipsum, ibi, *In tympano.* In obedientia decem præceptorum quantum ad obedientiam ad Deum, ibi, *Et in psalterio.* Dicit ergo : Sic moneo ad canticum nouum cantandum, & determinati locum, & etiam moneo: *Laudent nomen eius in choro. Gloss.* In concordia morum, & vnitate charitatis. Chorus est consona humanarum vocum relatio, & signat concordiam morum, quam multum diligit. *Eccl.* 25. In tribus placitum est cordi meo, quæ sunt placita coram Deo & hominibus. Concordia fratrum, & amor proximorum. Et hanc in suis facit. *Iob* 25. Qui facit concordiam in sublimibus suis, quam diabolus abhorret & fugit. *Cant.* 7. Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum ? armatos charitatẽ & concordia contra diabolum.

Et tympano, carnis scilicet mortificationis sicut ille, cum tympano laudabat, qui dicebat 1. *Cor.* 9.

Castigo

Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo. Et *Gal. vlt.* Stigmata Domini mei Ieſu Chriſti in corpore meo porto. Hoc eſt de quo *Exod.*15. Maria ſoror Moyſi ſumpſit tympanum,& egreſſæ ſunt mulieres poſt eam cum tympanis & choris.

Et pſalterio, decem mandatorum adimpletione, *pſallant ei.* Suprà in *Pſal.* In pſalterio decem chordarum pſallite illi. Et in alio:Pſallite Domino omnes ſancti eius,& confitemini, &c. Et rurſum:Sumite Pſalmum, & date tympanum,pſalterium iocundum cum cithara.

4. *Quia beneplacitum eſt.* Hîc eſt ſecundum,ſcilicet ratio & cauſa laudis, iuſtitia ſcilicet diuina in punitione reproborum, quæ fiet per ſanctos tanquam per miniſtros:vnde hîc introducuntur ſancti iudices & miniſtri.Duo ergo dicuntur. Primò ſanctorum gloria pro collatione poteſtatis eis à Deo datæ de iudicãdis impiis. Secundò pro exequutione, ibi, *Ad faciendam vindictam.*In prima tria. Primò cauſa collationis tantæ poteſtatis,diuinum ſcilicet beneplacitum.Secundò collatio ipſa. *Et exaltauit.* Tertiò lætitia & exultatio pro collatione illa, ibi, *Exultabunt ſancti.* Dicit ergo : Sic laudetur Deus,*quia beneplacitum eſt Domino in populo ſuo.*Suprà in *Pſal.* Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis, &c. *Sap.*4. Placens Deo factus dilectus, & viuens inter peccatores tranſlatus eſt.Ex hoc enim quod placet Deo,confert bona,non meo merito.*Luc.*12. Nolite timere puſillus grex, quia cõplacuit patri meo dare vobis regnum,id eſt, poteſtatem & iudicium ſuper impios.*Sap.*3. Iudicabunt Sancti nationes, & dominabuntur populis.

*Et exultabit manſuetos.*Hîc ſecundum.Quaſi diceret:Sic eſt beneplacitum,& propter hoc *exaltabit manſuetos*, perfectos qui in manu Dei aſſueti ſunt accipere ab eo æterna, & interna bona : & hoc in die iudicij, quando eos faciet aſſeſſores. 1. *Pet.*5. Humiliamini ſub potenti manu Dei,vt vos exaltet in tempore viſitationis.*Luc.*14.& 18. Qui ſe exaltat,humiliabitur:& qui ſe humiliat, exaltabitur:tunc enim deponentur potentes de ſede, & exaltabuntur humiles. *Luc.*1. *Eſther vlt.* Humiles exaltati ſunt,& deuorauerũt inclytos.Hæc autem exaltatio erit *in ſalutem*, quãdo ſalus æterna dabitur iuſtis. *Iſa.*45.Dabo in Sion ſalutẽ,& in Ieruſalẽ gloriam meam. Et erunt ſic exaltati manſueti. In *Pſal.*ſuprà:Suſcipiens,ſursũ capiens,manſuetos.Et in alio:Manſueti autem hæreditabunt terram,&c.

5. *Exultabunt ſancti.* Hîc eſt tertium, ſanctorum ſcilicet lætitia & exultatio pro exaltatione illa. Et oſtenditur primò lætitia, ſiue exultatio in corde. Secundò in ore, ibi, *Exultationes Dei.* Tertiò in opere,ibi;*Et gladij ancipites.* In prima autem tangitur lætitia in intellectu.Secundo in affectu. *Lætabuntur in cubilibus ſuis.* Dicit ergo : Sic Domino bene placent ſancti, propter quod & ipſos exaltabit, & tunc *ſancti in* hac *gloria* exaltationis ſuæ *exultabunt*, in datore illius gloriæ,ipſum cõmendantes,dicentes illud *Apoc.*19. Regnauit Dominus Deus noſter,& demus gloriã ei.*Iſa.*35. Exultabit lætabunda & gaudẽs. Gloria Libani data eſt ei,decor Carmeli & Saron.Ipſi videbunt gloriam Domini, in ſeipſis:& decorẽ Dei noſtri, in ſeipſo.

Lætabuntur,lætitia inenarrabili, de qua *Iſai.*15. Venient in Sion laudantes, & lætitia ſempiterna ſuper capita eorum. In eodem : Gaudium & lætitia inuenientur in ea, gratiarum actio, & vox laudis. Et hoc pro iuſtitia diuina. *Pſal.* Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam. Et hoc *in cubilibus ſuis*,id eſt,in quiete æternæ conſolationis,& æternæ in affectu ſuo interiori.Tunc plenè implebitur, quod dicitur 2.*Cor.*1.Gloria noſtra hęc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.*Iſa.*24.Secretum meum mihi.Hi ſunt,de quibus Dominus *Luc.*11.Oſtium clauſum eſt,vt iam non ſit introitus ad regnum,& pueri mei mecum ſunt in cubili.*Cant.*8.Apprehendam eum,& ducam eum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. *Iſa.*57. A facie malitiæ collectus eſt iuſtus:veniat pax,& requieſcat in cubili ſuo. Et *Iſa.*35. In cubilibus vbi habitabant dracones, viror iunci & calami orietur. 6.

Exultationes Dei. Hîc lætitia quantum ad os. Ait ergo : Sic lætabũtur in cõrde, & etiam *exultationes Dei*, non mundi,non carnis, non diaboli, *in gutture eorum*:alia litera, *in faucibus eorum. Pſal.* ſuprà : Exultabunt labia mea cum cantauero tibi. *Oſe.*8.In gutture tuo ſit tuba laudis, & exultationis.*Prou.*3.Miſericordia & veritas,id'eſt,diuina iuſtitia,nõ te deſerant:circundantes in gutture tuo.

Et gladij. Hîc tertium, lætitia pro gloria in opere,vel in ipſo opere. Ait enim : Sic exultabunt in corde,& in ore,& etiam exterius in opere, quia *Gladij ancipites*, in ambabus partibus ſecantes, *in manibus eorum.* Iſti gladij ſermones ſunt. Sermo enim Dei gladius eſt.*Epheſ.vlt.* Et gladium ſpiritus,quod eſt verbum Dei. *Hebr.*4. Viuus eſt ſermo Dei,& efficax, pertingens vſque ad diuiſionẽ animæ & ſpiritus.Et ſancti ſimiliter accipient tunc ſermonem poteſtatiuum, & iudicatiuum.*Cant.*3. Lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt,ex fortibus Iſraël, omnes tenentes gladios. Quilibet habebit gladium exacuatum,& limatum.*Eze.*21. Gladius exacuatus eſt & limatus, vt cædat victimas. Et erit in manu, in poteſtate ſanctorum. *Ezech.*21.Iſte eſt exacuatus gladius,vt ſit in manu interficientis.

Ad faciendam vindictam. Hîc ſecundum torius huius partis, in qua agitur de cauſa laudis. Præmiſſa enim collatione iudiciariæ poteſtatis ipſis ſanctis facta, hîc ſubiungitur de exequutione : & tanguntur duo. Primò poteſtatis exequutio. Secundò illatio, vel aſſertio, quòd fit in gloria ſanctorum,ibi, *Gloria hæc eſt.* In prima tangitur exequutio poteſtatis reſpectu minorum in facto. Secundò in verbo,ibi, *Increpationes.* Dicit ergo : Sic gladij ancipites in manibus eorum:vnde *lætabuntur*, & hoc, *ad faciendam vindictam in nationibus*; in hominibus,qui in concupiſcentia carnis,in qua nati ſunt finaliter permanſerunt. Suprà in *Pſal.* Iudicabit in nationibus,replebit ruinas,&c.*Sap.*3. Iudicabunt Sancti nationes,& dominabuntur populis.Sed quomodo dicit hoc,cum Dei ſolius ſit vindicta ? *Deut.*32.& *Rom.*12. Mihi vindictam,& ego retribuam eis.Et *Eccl.*28.Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictã.Et Sancti hoc ipſum petũt. *Apoc.*6.Vſquequo Deus ſanctus & verus, non vindicas ſanguinem noſtrum ? Et eſt reſponſio, quod ſolius Dei erit vindicta authoritate:ſanctorum autem Angelorum & hominũ, miniſterio.2.*Reg.*22. Exaltabitur Deus ſalutis meæ. Deus qui dat vindictas mihi,& ſubdit populos ſub me. Hoc ſignificatum fuit.*Eſth.*6.vbi dictum eſt:Aſſignata eſt dies vltionis in omnibus terris,& populis, qui regis Aſſueri ſubiacebant imperio, vt notum fieret paratos eſſe Iudæos,ad capiendam vindictam de hoſtibus ſuis. Hæc dies, de qua *Prou.*6. Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ. Et *Eccl.*5.Ne tardes conuerti ad Dominũ, & ne differas de die in diem, quia ſubitò veniet ira illius, 7.

&

diſperdet te in die vindictæ. Nec mirum ſi Sancti facient vindictam, quia omnes creaturæ facient vindictã. *Eccl.* 39. Omnia ad vindictã creata ſunt, beſtiarum dentes, ſcorpij & ſerpentes, rumphæa vindicans in exterminium impios.

Increpationes in populis. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Sic videbunt in facto, & etiã *increpationes in populis*, quæ ſunt in verbo. 4. *Reg.* 19. Dies increpationis & tribulationis dies iſte: tunc enim dire increpabuntur, qui hic increpationes audire nolunt, de quibus *Prou.* 1. Increpationes meas neglexiſtis, ego autem in interitu veſtro ridebo. *Peou.* 5. Ne des alienis laborem tuum, & annos tuos crudeli. Et infrà: Ne gemas in nouiſſimis, & dicas, Cur deteſtatus ſum diſciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum?

Ad alligãdos reges. Hîc exequutio poteſtatis quantũ ad maiores: & tãguntur duo. Primò poteſtatis exequutio. Secundò exequutionis finis & ratio, ibi, *Vt faciant.* In prima duo, ſecundum duplex genus excellentiæ & maioritatis. Primum, excellentia poteſtatis, ibi, *Reges.* Secundum, generis nobilitas, ibi, *Et nobiles eorum.* Dicit ergo: Sic habent poteſtatẽ ad hoc faciendum in minoribus, & etiam *ad alligandos reges eorum*, maiores maiorum poteſtate, *in compedibus*, quia detruſi in inferno, quaſi compediti, procul dubio nihil poterunt boni velle, nec ad literam, ambulare. Iſti ſunt compedes quibus Nabuchodonoſor ligauit Sedechiã 3. *Reg. vlt.* Et hoc iuſtiſſimum, quia doctrinam Chriſti compedes reputauerunt. *Eccl.* 21. Compedes in pedibus ſtulti doctrina.

8. *Et nobiles eorum*, maiores ſcilicet nobilitate generis, *in manicis ferreis*: quod ſunt pedibus compedes, hoc ſunt manibus manicæ ferreæ. *Iudith* 8. Ligauerunt ſerui Olophernis Achior ad arborem manibus & pedibus. Mali enim quantumcumque magni, procul dubio ligabuntur prolata ſententia iudicij. *Mat.* 22. Ligatis manibus & pedibus proiicite eum in tenebras exteriores. Sed ad quid erit iſta ligatio? Ecce.

9. *Vt faciant in eis iudicium*, non quodcumque, ſed *conſcriptum*, & derminatum in Scripturis, illud ſcilicet *Sap.* 3. Iudicabunt Sancti nationes. Et *Iob* 36. Iudicium pauperibus tribuit. 1. *Cor.* 6. An neſcitis quia Sancti de hoc ſæculo iudicabunt? Et *Mat.* 12. & *Luc.* 11. Propterea ipſi iudices veſtri erunt. *Iſa.* 3. Dominus ad iudicium veniet cum ſenioribus populi ſui. *Abd.* in fine: Aſcendent ſaluatores in montem Sion, iudicare montem Eſau.

Gloria hæc eſt. Ecce ſecundum totius huius partis, in qua tangitur de exequutione ſententiæ. Ait enim: Sic Sancti poteſtatem habebunt & in minores, & in maiores nationũ. *Hæc eſt gloria*, ſcilicet poſſe, *omnibus ſanctis eius*, perfectis ſcilicet, qui pro Chriſto omnia reliquerunt. *Gloſſa*: Ecce quanta gloria Sanctorum, & gaudiũ tunc erit, quando pauperes, qui hic fuerunt deriſui, poteſtatem habebunt vindicandi in ſuperbos. *Sap.* 5. dicturi ſunt damnati: Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij: ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. *Sap.* 5. Accipient regnum decoris, & diadema honoris de manu Domini, quod & nos ab eodem accipere mereamur, qui eſt benedictus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

IN CL. PSALMVM.

Alleluia.

1 LAudate *Dominum in Sanctis eius.* Hic eſt Pſalmus 150. in toto libro & vltimus, in quo, ſicut ſuperius dictum fuit, poſt quã monuit ad laudem Dei pro iuſtitia in impios à Sãctis exercẽda, hîc monet ad eandem laudẽm, pro miſericordia piis exhibenda, tanquã videret iam exhibitã, ex qua potiſſimè Deus laudandus eſt: vnde bene hîc proponitur titulus *Alleluia.* *Argumentũ Pſalmi, hortatio ad laudem Dei ex miſericordia piis exhibenda.*

Diuiditur autẽ Pſalmus in duas partes. Primò inuitatio ad laudẽ Dei. Secundò expreſſio modi laudãdi, ibi, *Laudate eum in ſono tubæ.* In prima duo. Primò inuitat ad laudandum, addens rationem laudis, gloriam ſanctis exhibitã generaliter. Secundò ſanctis quibuſdã ſpecialiter, & Angelis. *Laudate eum in firmamento.*

Dicit ergo: Sic monui laudare Deum ſuprà pro iuſtitia, quam per ſanctos exercet in impiis, & adhuc dico, omnes electi eius, vel potius omnes creaturæ eius, *laudate Dominum*, & hoc, *In ſanctis eius*, quibus tantam miſericordiam præſtitit. *Sap.* 4. Gratia & miſericordia in ſanctos eius, & reſpectus in electos illius, quorum animas ad ſe de periculis mundi traxit. *Sap.* 3. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tãget illos, &c. *Deut.* 33. Omnes ſancti in manu illius ſunt. Et tractos & in manu poſitos mirabiliter glorificauit. *Pſal.* Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, &c.

Laudate eum in firmamento. Hîc ſecundum, in quo ponitur ſpecialis ratio, quæ pro ſanctis ſpecialibus aſſignatur. Et primò inuitat ad laudandum pro gloria Chriſto capiti exhibita. Secundò pro gloria exhibita Angelis, ibi, *Laudate eũ in virtutibus.* Tertiò pro exhibita hominibus electis, ibi, *Laudate eum ſecundũ multitudinem.* Dicit ergo: Sic laudate eum in ſanctis eius, & *laudate eum in firmamento*, id eſt, pro gloria in firmamento collata, firmamento, inquam, *virtutis eius*, ſcilicet Dei, hoc eſt, Chriſto capiti. Ipſe enim firmamentum eſt, & cauſaliter & eſſentialiter. Cauſaliter 2. *Reg.* 22. Factus eſt Dominus firmamentum meum. Et eſſentialiter. Suprà in *Pſal.* Etit firmamentum in terra, in ummis montium. *Eccl.* 43. Altitudinis firmamentum, pulch itudo eius.

Similiter vtroque modo virtus dicitur: cauſaliter. Suprà: Domine Domine virtus ſalutis meæ. 2 *Reg.* 22. Dominus petra mea, & robur meum. Eſſentialiter. 1. *Cor.* 1. Prædicamus Ieſum Dei virtutem, & Dei ſapientiam. *Rom.* 1. Inuiſibillia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus eius, & diuinitas.

Laudate eum in virtutibus. Ecce ſecundum. Quaſi diceret: Laudate pro gloria homini Chriſto exhibita, & etiã *laudate eum in virtutibus eius*, hoc eſt, pro gloria virtutibus Angelicis data, quæ ſuæ ſunt creationẽ, & confirmatione in gloria, pro qua gloria & ipſæ virtutes laudant. 2. *Par. vlt.* Laudabo te Domine omnibus diebus vitæ meæ, quoniam te laudat omnis virtus cœlorum. 2

Laudate eum. Hîc tertium, quod patet ex ipſo moloquendi, ſcilicet inuitatio ad laudem pro collatione gloriæ omnibus electis. Ait enim: Sic laudate pro gloria homini Chriſto exhibita, & ſanctis Angelis, & etiam *laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis eius*, id eſt, ſecundum gloriam, quam extendit ad omnem multitudinem electorum ex diuerſis partibus, & diuerſis conditionibus huius mundi, iterum oſtenditur multitudo magnitudinis diuinæ in hominum ſalute qui tam miſerabiliter corruerunt in primo homine. *Eph.* 2. Propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, cum eſſemus mortui, conuiuificauit nos Chriſto. *Thren.* 3. Miſericordiæ Domini eſt, quia non ſumus conſumpti: multæ enim ſunt miſerationes eius.

Laudate eum in ſono tubæ. Hîc ſecunda pars Pſalmi, 3 in qua inuitat addendo modum. Secundò oſtendit ſic laudandi dignum, ibi, *Omnis ſpiritus.* Prima pars poſſet diuidi in 8. ſecundum 8. genera modorum antandi per ordinem in litera.

Aliter

Aliter etiã poſſet diuidi Pſalmus iſte, vt primò inuitet ad laudandũ Deum pro gloria ſanctorũ,addens rationem generalem,ſicut dictum eſt,& expoſitũ.Secundò addendo ſpecialẽ.Et primò pro gloria Virgini Matri exhibita.Secundò pro gloria ſanctis Angelis collata,ſicut & prius, ibi, *Laudate eum in virtutibus.* Tertiò pro collata hominibus electis, ibi, *Laudate eum ſecundum multitudinem* Et iſta iam ſubdiuiditur. Sed primam exponamus de B.Virgine. Ait enim:Sic dixi,quòd laudetis Dominum in ſanctis eius,& incipite laudare pro gloria Mariæ:vnde *laudate eum in firmamento virtutis eius.* Ipſa enim dicitur firmamentũ. *Ezech.*1. Supra firmamentum quod erat imminens capiti animaliũ, quaſi aſpectus lapidis Saphiri. Et eſt firmamentũ virtutis,quia omnibus aliis in fide hæſitantibus in hora paſſionis, ipſa perſtitit tanquam virtute firmata.*Luc.*1.Virtus Altiſſimi obũbrabit tibi.

Beata Virg. firmamentum.

Laudate eum in virtutibus eius. Hoc ad gloriã Angelorum pertinet,& eſt expoſitũ.*Laudate eum ſecundum multitudinem.* Hîc pro gloria electis hominibus collata:& diuiditur hæc pars ſecundum diuiſionem electorum : vnde pro gloria ſanctis Patriarchis expoſita,in quibus relucet multitudo magnitudinis diuinæ bonitatis. Ipſi enim fuerunt fidei fundatores: Chriſtus enim de eis carnem aſſumpſit, eis promiſſiones fecit, ipſos à limbo eduxit, & in cœlum perduxit. Secundum hanc ergo magnitudinis multitudinem laudandus eſt. Sic laudabat Dauid 1.*Par.vlt.* Benedixit Dauid coram vniuerſa multitudine, & ait: Benedictus es Domine Deus Iſraël patris noſtri, ab æterno, & vſque in æternum magnificentia tua, & poteſtas,& laus in manu tua, virtus & potentia.

Laudate eum in ſono. Hîc pro gloria collata Apoſtolis inuitat ad laudandum. Ait enim: Sic laudate ſecundum multitudinem magnitudinis, & etiam *laudate eum in ſono tubæ*, in tubali Apoſtolorum, & glorioſa prædicatione, vel in gloria Apoſtolis collata, qui fuerunt ſonus tubæ : vnde & per tubas ſunt deſignati principaliores inter eos. *Num.*10. Fac tibi duas tubas argenteas.Vel quilibet etiam eorũm,quia in binario numero miſſi ſunt ad prædicandum, ſicut dicit *Gloſſa* ſuper *Matth.* Et ſicut miſit binos diſcipulos ante faciem ſuam.*Luc.*10. Et hoc vt charitatis perfectio ſignaretur, ſicut dicit beatus *Greg.*

Laudate eum in pſalterio, id eſt, propter gloriam his,qui per pſalterium deſignantur, collatam. Quinam ſunt iſti, niſi ſancti Euangeliſtæ de agendis,& moribus plenius inſtruentes? Hoc eſt pſalterium,in quo fugatur dæmon.1.*Reg.*16.

Et cithara, id eſt, pro gloria ſanctis innocentibus collata. Cithara enim dulciſſimè ſonat:quid dulciùs quàm omninò innocentes pro omninò innocente mori,& eidem teſtimonium perhibere?Vnde de ipſis innocentibus dicitur *Apoc.*13. Vocem quam audiui, ſicut citharœdorum citharizantium citharis ſuis : & nemo poterat dicere canticum illi, niſi illa centum quadraginta quatuor millia,qui empti ſunt de terra: virgines enim ſunt.Et 15.Habebant citharas Dei cantantes canticum Agni,& canticum Moyſi ſerui Dei.

4. *Laudate eum in tympano*, id eſt,pro tympano, hoc eſt, pro collegio Martyrum, qui ſicut tympanum martyrio ſunt extenſi. *Ierem.* 31. Virgo Iſraël adhuc ornaberis tympanis tuis.

Et choro, id eſt,pro gloria collata choro,id eſt,ſacris virginibus,quarum eſt propriè dicere choros, & in ipſis exultare. Vnde *Ier.*31.ſtatim vt dixit, Adhuc ornaberis tympanis tuis,adiecit:Et egredieris in choro ludentium.2.*Reg.*6.Erant cum Dauid ſeptem hori, & victima vituli, quando deducebat arcam fœderis Domini.Hi ſeptem chori poſſunt eſſe ſeptẽ modi virginitatem conſeruandi,vel magis ſeptem dona Spiritus ſancti, verè conſeruantibus virginitatem collata.

Laudate eum in chordis,hoc eſt,pro gloria Confeſſoribus ſanctis exhibita : ipſi enim fuerunt chordæ mirabiliter extenſæ per carnis mortificationem,& ab humore culpæ deſiccatæ, & pro talibus laus eſt exigenda. *Dan.*13. Helcias & vxor eius in illa die laudauerunt Dominum, pro filia ſua Suſanna, cum Ioachim marito ſuo, & cognatis eius omnibus,quia non eſſet inuenta in ea res turpis.

Et organo,id eſt, pro gloria sãctis Doctoribus collata,qui rectè orgnano cõparantur.In organis diuerſi ſoni emittũtur per diuerſas fiſtulas,& melodia efficitur,& cõcordantia.Sicà Doctoribus multæ ſententiæ Veteris Teſtamenti,Prophetarũ,Salomonis,& Noui, modò de Euangelio,modò de Epiſtolis,vel Apocalypſi proferuntur,vnam facientes cõcordiam & melodiam.Hi ſunt ergo,de quibus dicitur 2.*Par.*23.Electi ſunt & diſtributi in miniſteriũ domus Domini,ianitores & pſalmiſtæ,canentes Domino,in organis,quæ portabant in armo:quia Doctores debent quod docẽt,opere adimplere.*Matth.*5.Qui fecerit& docuerit ſic homines,hic magnus vocabitur in regno cœlorũ.

Laudate eum in cymbalis. Cymbalum appellatur 5.
prędicator appellans homines ad æternum conuiuiũ, Sed duo ſunt prædicatorum genera:quidã prædicant ore,& opere inuitando,& ſunt cymbala bene ſonantia.Quidã qui inuitant in cordis exultatione,& ſunt cymbala iubilationis.Pro gloria ergo vtriſque collata, monet laudare dicens : *Laudate eum in cymbalis bene ſonantibus*, id eſt, pro gloria collata prædicatoribus,ex charitate implentibus ea,ad quæ monẽt alios, ne ſint cymbala ſe conſumentia. 1.*Cor.*13. Si linguis hominum loquar, aut Angelorum, charitatem autẽ non habeam,factus ſum velut æs ſonans,aut cymbalum tinniens.Ne ſint de illis,qui dicturi ſunt in die iudicij, Domine nonne in plateis tuis prædicauimus,& in nomine tuo miracula fecimus? Amen dico vobis, neſcio vos. *Matth.*7.

Laudate eum in cymbalis iubilationibus, id eſt, in gloria, & pro gloria prædicatorum in lætitia cordis prædicantiũ:taliter enim vult Deus ſibi ſeruiri.*Eccl.* 35.In omni dato hilarem fac vultum tuum. 2.*Cor.*9. Hilarem datorẽ diligit Deus.De iis dicitur 1.*Eſdr.*3: Steterunt ſacerdotes in ornatu ſuo cum tubis,& Leuitæ filij Aſaph,in cymbalis,vt laudarent Deum in manibus Dauid regis, & concinebant in hymnis, & confeſſione Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius. 2.*Paral.*5. Sacerdotes canebant voce, & cymbalis.

*Omnis ſpiritus.*Ecce ſecundum totius huius partis, 6.
in quo addit qui debeat potiſſimè his modis laudare,quia ſpirituales,non carnales.Ait enim:His modis laudetur,& etiam *omnis ſpiritus*,omnis ſcilicet viuens ſpiritualiter,& Deo ſpiritualiter ſeruiens,non carnem ſequens,ſicut ille qui dicebat *Phil.*3.Nos ſumus circumciſio,qui ſpiritu ſeruimus Deo, & gloriamur in Chriſto Ieſu.*Laudet Dominum*,pro his bonis,nõ caro & peccator. *Eccl.* 15. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Sed *Dan.*3.dicitur:Benedicite,laudando, & glorificando,ſpiritus,& animę iuſtorum Domino, & hymnum dicite Deo noſtro. Caro autem ſi facta ſit ſpiritualis,gaudeat & exulter.Suprà in *Pſal.* Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Omnis ergo ſpiritus laudet, & hîc in præſenti, & in futuro potiſſimè quando toti tranſibunt ad laudem Dei : ad quem ſtatum nos perducat, qui eſt benedictus per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

INDEX

INDEX

Rerum notabilium, quæ in Commentariis in Pſalmos continentur.

A

ABIMELECH nomen, Iudæos ſignificat. pſal.33.verſ.2
Quare Abraham ſignanter dicitur ſeruus Dei. pſ.104.v.6
Triplex Abundantia, mala iniquitatis, indifferens diuitiarum, bona virtutum. pſ.29.v.7
Abyſſus abyſſum inuocat, Vetus Teſtamentum, Nouum. pſ.41.v.8
Actiones noſtræ à gratia, & voluntate. pſ.24. v.2.
Adeps in bonam aut malam partem multiplex. pſ.16.v.10.
Duplex Dei Adiutorium in opportunitate.p.9. v.10.
Adiutorium humani generis in Chriſto. pſ. 88. v.20.
Triplex Adiutorium Dei, ante,& poſt pugnam, & in pugna. pſ.7.v.11
Adminiſtratio Dei qua mundus regitur. pſ.108. v.28.
Quadruplex cauſa, quare Deus debeat Adorari. pſ.24.v.7
De Aduentu per amorem. pſ.17.v.9
De ſecundo Aduentu in carnem & reditu in cœlum. pſ.17.v.10
Cur antiqui patres Chriſti Aduentum optabant. pſ.12.v.1.
Triplex Adulandi genus. pſ.9.v.23
Aduerſitas Deum obliuiſci non ſinit.pſ.43.v.18
Aduocati ranis comparati. pſ.104.v.31
Ægypti Hebræis inuidiam habuerunt ſæuiſſimam. pſ.104.v.25
Tribus Ægypti ciuitatibus tres Iudæ ciuitates oppoſitæ. pſ.68.v.36
Afflictio ad correctionem vtilis. pſ.82.v.17
De Afflictis,& de martyribus,qui ſunt filij Core, id eſt, Chriſti paſſi in Caluaria. pſ. 43. v.1.
Alæ Chriſti,duo Teſtamenta. pſ.35.v.8
Alæ Dei,charitas & miſericordia. pſ.16.v.7
Alæ Dei, iuſtitia & miſericordia. pſ.60.v.5
Alleluia carmen Angelicum. pſ.104.v.1
Altaria holocauſtorum, & thymiamatis in Chriſto. pſ.83.v.4
Altitudo diei eſt felicitas temporalis. pſ.55.v.4
Ambitionis elegans deſcriptio. pſ.90.v.6
Amici recedunt à nobis in aduerſitate conſtitutis. pſ.87.v.18
De Amicis fictis, & Iuda proditore. pſ.40.v.7
Amor temporalium ſimilis lethargiæ. pſ. 75. v.6.
Quomodo Amor neſcit vel patitur ſuperiorem. pſ.17.v.2
Angeli per Chriſtum reparati. pſ.107.v.5
Angeli mediatores inter Deum & homines. pſ.102.v.20.
Angeli annuntiant voluntatem Dei hominibus. pſ.103.v.4.
Mandatum Angelis, vt nos cuſtodiant. pſ. 90. v.11.
Effectus cuſtodiæ Angelorum. pſ.90.v.12
Anima iuſti eſt Dei facies irradiata virtutibus. pſ.30.v.17.
Anima cum horto comparatur. pſ.103.v.22
Deformitas Animæ peccatricis. pſ.16.v.9
Anima Chriſti cur dicitur framea,id eſt,gladius vtrinque acutus. pſ.16.v.12
Cur Anima iuſti dicatur cœlum & ſedes Dei. pſ.2.v.4.
Septem liquoribus abluitur Anima. pſ.6.v.7
Non ſolum Anima iuſti,ſed etiam caro in exultationem Domini prorumpit. pſ.83.v.3
Releuanda eſt Anima à triplici terra. pſ.24.v.2
Triplex viſio Animæ. pſ.18.v.14
Anima eripienda eſt vel auellenda à terrenis. pſ.6.v.5.
Quomodo & quare Anima debet ſubiici Deo. pſ.61.v.2.
Quædam Animalia ex putis elementis aluntur. pſ.22.v.3.
Annus in bonam, & malam partem acceptus. pſ.60.v.7.
Cur Deus ſinet bonos opprimi ab Antichriſto. pſ.9.v.21.
Antiqui ſub diuerſis figuris petebant incarnationem. pſ.146.v.15
Eliditur error Apollinariſtarum Chriſtum animam habere negantium. pſ.85.v.2
Cur Apoſtoli vocantur flumina. pſ.92.v.3
Effectus præparationis Apoſtolorum. pſ.64.v.9
Apoſtoli comparantur montibus. pſ.113.v.4

Index rerum.

Quare Apoſtoli dicuntur arietes. pſ.28.v.1
Apoſtolorum miracula. pſ.17.v.15
Actoritas Apoſtolorum in ordinanda Eccleſia. pſ.67.v.13.
Conuerſio Apoſtolorum prædicitur. pſ.67.v.28
Diſperſio Apoſtolorum. pſ.21.v.15
Cauſa huius diſperſionis. ibid.
Cur Apoſtoli dicuntur dies. pſ.138.v.16
Quomodo Apoſtoli à Chriſto honorati. pſ.138. v.17.
Virtus Dei Apoſtoli. pſ.67.v.29
Apoſtoli myſticè cœli. pſ.18.v.1
Aqua non patitur violentiam, incluſa vt daret locum homini. pſ.32.v.7
Aquæ incluſæ ſunt ſicut perſecutiones. ibid.
Compenſatur tripliciter eius damnum. pſ. 32. v.7.
Reſtrictio Aquæ commendat hoſpitalitatem. ibid.
Aquæ contradictionis, ſcientia legum. pſ.105. v.32.
Aquæ multiplex acceptio ex ſcriptura. pſ.77. v.16.
Quæ ſint Aquæ contradictionis. pſ.80.v.8.
Triplex argenti purgatio, doctrinæ accomodata. pſ.11.v.7
Arietes Apoſtoli induti exultatione aut charitate. pſ.64v.14.
Aſcenſio Chriſti. pſ.67,v.19
Variæ Chriſti Aſcenſiones. pſ.46.v.6
Attentio in oratione deſideratur. pſ.69.v.2
Mira oſtendit Deus ſua Attributa, præſertim miſericordiam erga nos. pſ.16.v.6
Triplex Auerſio à Deo remouetur à iuſtis. pſ.43. v.18.
In Aure obedientia, in oculo ſapientia. pſ.93. v.9.
Aures Dei præſentia illius. pſ.5.v.2
Auris obedientiam ſignificat. pſ.39.v.7
Aurum cauſa præliorum. pſ.26.v.3
Duplex Auxilium contra impugnantes Chriſtum, conſolatio diuina, & oratio. pſ.3.v.4

B

BAbylon multipliciter ſumitur. pſ.136.v.1
In ſacramento Baptiſmi infunduntur virtutes. pſ.70.v.6
Diffinitur qui ſit verè Beatus. pſ.143.v.15
Beatus qui per flagella à Deo eruditur, & per legem docetur. pſ.93.v.12
Beatus qui recte inter carnem, & ſpiritum iudicat. pſ.105.v.3.
Beati in via vitæ, fidei, & Chriſti exiſtentes, immaculati. pſ.118.v.1
Beatitudo hominis iuſtificati. pſ.31.v.2
Beatitudo quinque partibus conſtat. pſ.1.v.1
Partes quibus conſtat Beatitudo. pſ.83.v.5
Immobilitas Beatitudinis. pſ.10.v.5
Beelphegor ſimulacrum libidinis. pſ.105.v.28
Multiplex in hac vita Bellum, & in cœlo pax. pſ.36.v.11.
Benedicendus Deus triplici de cauſa. pſ. 71. v.17.
Benedictio quinque modis ſumitur. pſ.84.v.2.
Tria Beneficia Chriſto collata. pſ.15.v.9
Sex Beneficia Iudæis diuinitus collata. pſ.104. v.7.
Beneficiorum Dei enarratio. pſ.77.v.3
Beneficia Dei iugiter recolenda. pſ.102.v.2. Item pſ.76.v.12
Quatuor Beneficia Eccleſiæ poſt reſurrectionem collata, doctrina, miſſio Spiritus ſancti, miracula, Eccleſiæ dilatatio. pſ.67.v.8.
Tria Beneficia conſideranda. pſ.65.v.6
Quædam Dei Beneficia in particulari recenſentur. pſ.77.v.12.
Facilis Beneficiorum obliuio & iniuriarum recordatio. pſ.77.v.11
Benignitatis, ac amoris impenſioris in homines ſuperabudantia. pſ.41.v.9
Boni cur hæreditas Chriſti dicantur. pſ.2.v.6
Inuitatur Bonus ad mali odium. p.96.v.20
Bona temporalia, & vitia carnalia dicuntur ſtercora. pſ.112.v.7
De Bonis huius vitæ, & futuræ. pſ.30.v.20
Declinatur à Bono multis modis. pſ.13.v.3
Omnia Bona à Deo, & primo bona naturæ. pſ.35.v.7.
Item Bona gratiæ & gloriæ ſunt à Deo. pſ.35. v.8.
Bona multi præcipiunt quæ non faciunt. pſ.49. v.16.
Bona vitæ æternæ quæ ſint. pſ.26.v.13
Bona hic iuſtis collata. pſ.30.v.21
Quadruplex Bonum animæ beatæ. pſ.24.v.13
Multa reſiſtunt operanti Bonum. pſ.24.v.18
Multiplex Bonum. pſ.117.v.9
Præmia Bonorum. pſ.62.v.12
Caſus Bonorum affligit, qui bene oſſibus emotis, corruptis, & fractis comparatur. pſ.41. v.11.
Quid ante & poſt mortem Bonis contingat. pſ. 36.v.37.
Extra Eccleſiam nulla Bonitas. pſ.36.v.3
Bonitas Dei diffunditur in omnibus Animæ facultatibus. pſ.117.v.29
Quid ſit facere Bonitatem. pſ.36.v.3
Bonitatis partes, iuſtitia, & miſericordia. pſ.17. v.47.
Laudanda Dei Bonitas & potentia. pſ.32.v.4
Quatuor Brachij acceptiones. pſ.9.v.35
Filius brachium patris. pſ.70.v.18.

C

CAlcaneum vltimum vitæ, vel corporis ſignificat. pſ.28.v.6
Calceamentum bonum & malum. pſ.59.v.10
Quare Calix ſanguinis Chriſti dicitur præclarus. pſ.22.v.5
Nomine Calicis intelligitur lex vel poteſtas iudiciaria Chriſti. pſ.74.v.9
Quare Deo Cantandum non mundo. pſ.39.v.4.
Canticum nouum eſt legis nouæ obedientia. pſ.32.v.2.
Triplex ratio quare debeamus Cantate Domino
Canticum nouum. pſ.97.v.1
Multiplex Canticum. pſ.70.v.6
Canticum nuptiale in laudem Chriſti, & ſponſæ, humanitatis vel Eccleſiæ. pſ.44.v.1.
Iuſtum eſt vt Canticum nouum cantetur ei qui ſe fecit nouum hominem. pſ.95.v.1
Cur Cantorum nomina pſalmis præfiguntur. pſ.38.v.1.

Index rerum.

Caput ſumitur in bonam ; & malam partem. pſ.82.v.3.
Carbones in bonam, & malam partem ſumuntur. pſ.139.v.11.
Caro humana floruit in ſtatu innocentiæ, emarcuit per peccatum, per reſurrectionem refloreſcit. pſ.27.v.7.
Quare in Carne humana non eſt ſanitas. pſ.37. v.4.
Caſtra mala, & bona. pſ.105.v.16
Cathedræ compoſitio moraliter applicata. pſ.1. v.1.
Charitas hic gemens, & ad Deum aſpirans. pſ.41.v.1.
Charitas finis virtutum. pſ.9.v.7
Charitas eſt lex in cordibus noſtris ſcripta. pſ.77.v.5.
Charitas ad æterna aſpirans. pſ.41.v.1
Chriſtus primogenitus. pſ.88.v.29
Tria ſpectant ad ius primogeniti. ibid.
Hoſtes Chriſti multi & varie multiplicati. pſ. 3.v.2.
Chriſtus pro ſua reſurrectione rogat. pſ.29.v.9
Exurgit Chriſtus quadrupliciter. pſ.7.v.8
Chriſtus dicitur filius dextræ triplici de cauſa. pſ.79.v.18.
Chriſtus in Euchariſtia arrha, cibus, medicina, comes, pax, hoſtia. pſ.110.v.5
Chriſtus à ſuis derelictus & ab inimicis deriſus. pſ.30.v.12.
Quæ Chriſtus poſt mortem paſſus eſt, obliuio & deſpecatio de reſurrectione. pſ.30.v.13
Chriſtus à corde non ore multorum excidit. pſ.30.v.13.
Chriſtus vas dicitur bellicum & aliis modis. pſ.30.v.13.
Oratio Chriſti qua petit liberari ab malis. pſ.30. v.15.
Chriſtus à ſuis derelictus, & ab inimicis deriſus. pſ.30.v.3.
Chriſtus dux noſter aufert triplicem in morte metum. pſ.47.v.15
Chriſtus vbique pulcher. pſ.44.v.3
Dicitur Chriſtus vermis multis de cauſis. pſ.21. v.7.
Criſtus patitur irriſiones à militibus, & etiam in ſuis ſeruis. pſ.21.v.8
Exurgit Chriſtus in exemplum efficaciſſimum. pſ.7.v.10.
Dicitur mons Chriſtus: laus eius doctrinæ. pſ.67. v.16.
Priuilegia Chriſti: in illo habitat diuinitas corporalis. pſ.67.v.17
De fructibus Chriſti aduentus, in capite & membris. pſ.17.v.11
Doctrina Chriſti ceræ comparata. pſ.21.v.15
Quæ dona Chriſtus nobis ſuo primo aduentu contulit. pſ.84.v.10
Chriſtus veritas & iuſtitia. pſ.84.v.12
Reditus populi à Babylone vel peccato per Chriſti ſanguinem. pſ.22.v.1
Nouem Chriſti virtutes celebrandæ. pſ. 20. v.14.
Quinquies Chriſtus effudit ſanguinem propter totidem cauſas. pſ.21.v.1
Chriſti triplex eſuries. pſ.49.v.12
Quare Chriſtus vocat ſe ſeruum. pſ.108.v.28
Caro Chriſti cilicium. pſ.34.v.13
Chriſti patientia & humilitas in paſſione. ibidem.
Poteſtas vitæ, & mortis in Chriſto. pſ. 67. v.21.
Deſtructio inimicorum Chriſti. pſ.67 v.22
Chriſti humilitas. pſ.37.v.19
Tres Chriſti pro ſe petitiones, & totidem pro nobis. pſ.19.v.7
Chriſtus fons vitæ. pſ.35.v.10
Quomodo & quam vitam dat nobis Chriſtus. pſ.29.v.6.
Tribus modis orat Chriſtus pro nobis. pſ.2.v.8
Cur Chriſtus dicatur vir. pſ.1.v.1
Chriſtus à multis traditus, ſed diuerſa intentione. pſ.57.v.9
Chriſtus conqueritur de diſcipulis. pſ.37 v.12
Chriſtus ſoluit quod Adam rapuit. pſ.68.v.5
Chriſtus panis vitæ. pſ.103.v.15
Manifeſtatio Diuinitatis Chriſti. pſ.17.v.16
Chriſtus dicitur ſedere ex multiplici capite. pſ.44.v.7. pſ.16.v.1
Chriſtus non inuenitur à malis, vel à bonis, cum quæritur vbi non eſt. pſ.9.v.11
Chriſtus ſacerdos ſacrificans pro incremento Eccleſiæ.
Chriſtus in vtroque aduentu caligine inuolutus. pſ.96.v.2
Chriſtus, Moyſes electus, ſtans, & confractus. pſ.105.v.23
Triplex charitatis Chriſti argumentum. pſ.37. v.18.
Mirabilis vbique Chriſtus. pſ.8.v.2
Chriſtus ſemper in medio. pſ.73.v.12
Chriſti incarnatio. pſ.18.v.5
Chriſtus fecit magnalia in incarnatione, mirabilia in conuerſatione, terribilia in morte. pſ.105.v.22.
Chriſti paſſio, eſt beatitudo ſperantium in illum. pſ.40.v.1
Non eodem animo omnes Chriſtum ſequuntur. pſ.7.v.8
Quomodo Chriſtus orat contra inimicos. pſ.34. v.1.
Qui ſunt inimici Chriſti. pſ.8.v.4
Chriſtus non legitur indutus cilicio. pſ. 68. v.11.
Nominis Chriſti excellentia. pſ.98.v.3
Manifeſtatio Chriſti Iudicis. pſ.96.v.6
Laus Chriſti à veritate. pſ.92.v.5
Chriſtus perfectus noſter aduocatus. pſ. 34. v.23.
Chriſtus via per quam Deus veuit ad nos, & nos ad ipſum. pſ.76.v.14.
Tres Chriſti egreſſus, à patre, à virgine, & egreſſus ad ſalutem gentium per prædicationem. pſ.67.v.8
Quare Chriſtus dicitur lumen. pſ.111.v.4
Chriſtus toto vitæ decurſu mirabilis. pſ. 4. v.4.
Chriſtus non inuenitur vbi non eſt niſi mors. pſ.68.v.33.
Cur Chriſtus ad regnum Gentilium non Iudæorum oratione peruenerit. pſ.2.v.6
Mira Chriſti perſecutio, quia gratuitò mala. pſ.3.v.3.
Chriſtus Iudæis ignotus. pſ.2.v.1
Chriſtus Dauidi comparatur, & Iudas Abſaloni. pſ.3.v.2.

Index rerum.

Christus sacerdos secundum ordinem Melchisedech. psl.109.v.4
Christus reparauit ruinas hominum,& Angelorum. psl.109.v.6
Quatuor Christi coronæ. psl.8.v.6
Pedes Christi. psl.8.v.8
Triplex in Christo studium, plastæ, pictoris, & doctoris. psl.9.v.12
Regia dignitas Christi, & potestas. psl.92.v.1
Mors Christi aqua effusa: quia lauat, & rigat bonos, & quoad malos lubricum iter reddit. psl.21.v.25
Christi regnum occultum, & apertum. psl.9. v.36.
De Christi reditu & eius virtutibus. psl. 64. v.6.
Christus spes omnium per miracula & doctrinam. psl.64.v.7
Quando Christus montes, id est, Apostolos præparauit. psl.64.v.7
Verba Christi potestatiua, & efficacia. psl. 104. v.6.
Christus parauit primitiuæ Ecclesiæ & Apostolis diuersos cibos. psl.64.v.10
Præsertim Eucharistiam, cuius præparatio est mirabilis. ibid.
Cur dicitur Christus dextera Patris. psl.16.v.7
Item dicitur Christus pupilla sex de causis.ibid.
Alæ Christi duo testamenta. psl.35.v.8
Christus sanctus in se, & in suis membris, sed differenti sanctitate. psl.85.v.2
Tria in Christo iustis imitanda, lætitia, fortitudo, velocitas. psl.18.v.6
De aduentu Christi ad iudicium. psl.74.v.2
Christus cum iusto, vt sol cum sole. psl.71.v.5
Quadruplex Christi ortus. psl.103.v.22
Christus in cruce velut cithara septem verba, iuxta septem dona Spiritus sancti, vt dulces sonos edit. psl.56.v.9
Quid, vbi, quomodo Christus prædicauit. psl.39.v.10.
Christus panis Angelorum,& hominum. psl.77. v.25.
De Christi oratione & passione. psl.30.v.1
Progressus laudis Christi. psl.8.v.3
Regnum Christi cruce partum. psl.56.v.2
Christus multiplici titulo dicitur sanctus.psl.76. v.13.
Christi in cruce egestas summa. psl.30.v.11
Multiplex Christi mutatio. psl.88.v.52
Opera Christi mirabilia. psl.74.v.2
In Christo sola quies. psl.106.v.4
Preces Christi glorificati. psl.19.v.7
Christus vnius personæ, & duplicis naturæ. psl.20.v.1.
Corona Christi ex lapide quadruplici in passione. psl.20.v 4
Resurrectio Christi. psl.20.v.5
Manifestatio nominis Christi, & sessio ad dexteram Patris. psl.20.v.6
Quare Christus petit quod certo sciebat se habiturum. psl.27.v.1
Christi & sanctorum comparatio cum petra in aquas conuersa. psl.113.v.6
Conditiones sacrificij Christi. psl.19.v.4
Pingue fit sacrificium Christi vt inflammet, humectet, exhilaret animas. psl.19.v.4
Christus variis modis regit. psl.22.v.1
Christus proximus Iudæis, naturæ conditione, consanguinitate,& beneficiorum exhibitione. psl.27.v.3.
Fructus ex Christi sanguine. psl.29.v.10
Cur caro Christi dicitur saccus. psl.29.v.12
Passionis Christi descriptio. psl.30.v.10
Christi imperium in Ecclesiam quam è captiuitate eripuit. psl.23.v.1
Aduersarij Christi comparati canibus. psl.21. v.17.
Christus crucifixus. psl.21.v.18
Orat Christus pro resurrectione. psl.37.v.16
Vox Christi triplex in virtute. psl.67.v.35
Christus à patre, & à matre misericors. psl.32. v.5.
Christus à variis traditus, non eadem intentione. psl.27.v.3
Insultant Christo Iudæi. psl.21.v.19
Christus defendi petit à morte, & Iudæo, & dæmone. psl.21.v.21
Manifestatio Christi per Apostolos. psl.17.v.13
Quare Christus dicitur vnicornis & rhinoceros. psl.17.v.3.
Quæ seruitus competit Christo. psl.85.v.2
Christi diuersa officia. psl.84.v.8
Mirabilia quæ operatus est Christus. psl.96.v.1
Christus hyssopo comparatur. psl.50.v.9
Christus solo intuitu sanat. psl.30.v.8
Christus orat pro nobis. psl.27.v.9
Brachium Patris Christus. psl.88.v.11
Quare Christus dicitur puer. psl.68.v.18
Christus spes nostra & refugium nostrum. psl. 90.v.9.
Christianis instar ouis pugnandum. psl.43.v.22
Multiplex Christi clamor. psl.87.v.10
Beneficia Christi in Ecclesiam. psl.45.v.1
Quare homo regem Angelorum suum vocat Christum. psl.43.v.5
Christus fundator Ecclesiæ. psl.86.v.5
Latus spirituale Christi, assessores in iudicio. psl.90.v.7.
Christus quadrupliciter crucifigitur.psl.68.v.27
Ter Christus clamauit. psl.16.v.6
Duplex Christi dignitas, scilicet ex parte corporis & animæ. psl.88.v.46
Christi prædicatio humiliat superbos. psl.28.v.6
Quare Christus dicitur cornu. psl.43.v.6
Quare Christus dicitur puer. psl.85.v.16
Christus spiritualis petra, quæ vitales aquas emanat. psl.104.v.41
Multiplici Cibo reficiuntur humiles. psl.106.v.9
Multipliciter peccatur in sumptione Cibi.psl.77. v.30.
Multi fastidiunt Cibum spiritualem, quare, & quam periculosè. psl.106.v.18
Cilicium vtile ad multa. psl.34.v.13
Per Cineres reliquiæ peccatorum designantur. psl.101.v.10.
Multiplex Circuitus, bonus & malus. psl.11. v.9.
Cithara est caro mortificata. psl.32.v.2
Quibus partibus constat Cithara spiritualis. psl. 42.v.5.
Multiplex Ciuitas habitationis. psl.106.v.36
Quatuor de causis Clamor noster non exauditur. psl.16.v.6
Varij Clamores. psl.76.v.2
Claustrum deserto comparatum. psl.106.v.35

Clerici

Index rerum.

Clerici Christo multipliciter proximi. pſ. 37. v.13.
Clerici poſſident diuitias ſanctorum laboribus acquiſitas. pſ.104.v.44
Cur bona temporalia dantur Clericis. pſ.104. v.45.
Clerici debent à laicis ſeparari quantum ad affectum, habitum, officium, & vitam. pſ.105. v.35.
Clericorum peccata grauiora. pſ.30.v.12
Quare Clerici non audiunt vocem Dei. pſ.80. v.12.
Qualiter Cœli mutabuntur. pſ.101.v.27
Cur Cœlum terra dicitur. pſ.1.v.5
Quinque notanda in laude Cœlorum. pſ.18. v.1.
Multiplex Cœlum gloriam Dei enarrat. pſ.18. v.1.
Cogitatio de peccatis ad multa vtilis. pſ.37. v.19.
Communio ore, & corde facienda. pſ.33.v.9
Compaſſio Chriſti exhibita inimicis. pſ.34.v.14
Concordia multum diligenda, & appetenda. pſ.101.v.23.
Confeſſio peccatorum bona, & mala. pſ.99. v.2.
Item Confeſſio laudis bona, & mala. ibidem.
Confeſſionis fructus. pſ.31.v.5. item pſ.42.v.5. & pſ.66.v.5.
Quater iteratur idem verbum propter quatuor Confeſſionis effectus. pſ.66.v.6
Confeſſio peccatorum multum vtilis. pſ.91. v.2.
Debemus frequenter confiteri, & integre. pſ.74. v.2.
In vtroque tempore, proſpero ſcilicet, & aduerſo debemus laudes Domini Confiteri. pſ.91.v.3.
Quomodo ſit Confitendum. pſ.118.v.7
Effectus tres Confidentiæ. pſ.12.v.6
Quadruplex Congregatio, culpæ, gratiæ, iuſtitiæ, gloriæ. pſ.47.v.5
Conſideratio ſtatus peccati, & gloriæ valde vtilis. pſ.7.v.6
Conſummationis multiplex acceptio. pſ.118. v.95.
De Contemptu & tædio terrenorum. pſ.41.v.6
Contritio collata dolori parturientis. pſ.47.v.8
Conturbatio multiplex: quæ ex ebrietate, valde culpabilis & damnoſa. pſ.106.v.27
Conuerſio gentilium. pſ.71.v.9
Conuerſio perfecta quatuor exigit. pſ.79.v.20
Variæ Conuerſionis ſpecies. pſ.79.v.8
Cauſa Conuerſionis. pſ.67.v.9
Conuerſorum perfectio & eorum martyrium. pſ.67.v.24.
Multitudo Conuerſorum omnis conditionis & ſexus. pſ.67.v.26
Cor peccatoris cum mari comparatur. pſ.105. v.9.
Quare lætabitur Cor noſtrum in Chriſto. pſ.32. v.21.
Tria quæ parant Cor ad ſpem. pſ.111.v.7
Cor dicitur altare. pſ.25.v.6
Cor dupliciter præparandum, vt digne laudare poſſit. pſ.56.v.8
Quomodo & ad quid debet Cor parari. pſ. 107. v.2.
Mala Cordis & bona effuſio. pſ.61.v.9
Triplex Cordis præparatio. pſ.9.v.37
Multorum Corda lapidea, & ſabulo comparanda. pſ.94.v.8
Cornu ſymbolum potentiæ, & gratiæ. pſ.17. v.3.
Cornua malorum, potentia, diuitiæ, & prudentia. pſ.74.v.11
Cornua iuſtorum, fides, ſpes, charitas. pſ.74. v.11.
Miſeria Corporalis quintuplex. pſ.8.v.5
Corpus eſt Carcer animæ. pſ.141.v.8
Correptio duplex, leuis in virga, grauis in baculo. pſ.22.v.4
Modus Corripiendi, prius chamo quam fræno vtendum. pſ.31.v.10
Quintuplex Corruptio. pſ.13.v.1
Omnis Creatura eſt materia laudis. pſ.26.v.5
Quinque falſa Crimina Chriſto obiecta. pſ.37. v.13.
Nouem modis poteſt quis eſſe particeps alieni Criminis. pſ.49.v.18
Crux vmbra vitæ. pſ.22.v.4
Argumentum concionis de Crucis exaltatione, virgo eſt virga, crux baculus. pſ.22.v.4
Quare culpa dicitur lacus. pſ.27.v.1
Cultus Dei per ſacrificium nouum. pſ.33.v.2
Cultus gentium in Chriſtum. pſ.17.v.45
Curioſi & auari cum aranea collati. pſ.89.v.9
Cuſtodia Angeli tutelaris. pſ.33.v.8
Ad Cuſtodiam ciuitatis neceſſaria. pſ.126.v.1

D

Dæmon ſigna ſua ponit in externis partibus hominis. pſ.73.v.5
Quare Dæmon acrius in fine vitæ nos impetit. pſ.55.v.7
Dæmon leoni comparatur. pſ.7.v.3
Dæmonum collatio cum vulpibus. pſ.62.v.11
Dæmon, caro, mundus figurati tribus inimicis Dauid. pſ.34.v.1
Locus moralis de inſultu Dæmonum. pſ.3.v.4
Dæmon leoni comparatur. pſ.21.v.22
Fortitudo Dæmonis tribus tentationibus conſtat. pſ.17.v.18
Dæmon acrius ſæuit in bonos, & pœnitentes. pſ.30.v.3
In manu non in voluntate Dæmonis ſunt ſerui Dei. pſ.40.v.3.
Damnatio iuſti ab homine ſemper vtilis. pſ.36. v.33.
Damnatio impij. pſ.36.v.34
Damnatus videtur non eſſe: deficit à triplici eſſe, naturali, gratiæ, & gloriæ. pſ.38. v.14.
Quies Damnatorum ſine requie. pſ.75.v.9
Varia Damnatorum ſupplicia. pſ.6.v.2
Comparatio Dauidis cum Chriſto ex duplici capite. pſ.2.v.1
Pſalmorum Dauidis commendatio. In prolo.
Dauidis mira electio in regem & prophetã. ibid.
Triplex inunctio Dauidis. pſ.26.v.1
Defectus magis eſt inſpiciendus quam profectus. pſ.38.v.5
Multi male Delectantur in facturis Dei aſpiciendis, guſtandis, tangendis, audiendis, & olfaciendis. pſ.91.v.5

entes Dæmonum, aperti perſecutores. pſ.123. v.6.
Dentibus raptores interdum, vel prædicatores ex ſcriptura ſignificantur, & varia vtriuſque comparationis ratio. pſ.3.v.8
Detractio graue peccatum. pſ.108.v.4
Tria Detractionis genera. pſ.37. v.21
Duplex Detractionis malum. pſ.49.v.20
Detractor variis figuris pingitur. pſ.5.v.12
Prauitas Detractoris. pſ.37.v.2
Deus ſemper, humiliter, ſuauiter laudandus. pſ.33.v.3.
Quare Deus preces non exaudit. pſ. 21. v.3.
Deus multipliciter vlciſcitur homines. pſ.95. v.1.
Variè à variis laudatur Deus. pſ.70.v.6
Variè exaudit Deus, ad votum, & meritum & exitum. pſ.4.v.2
Seruire Deo iuſtum, honeſtum, & vtile. pſ.2. v.12.
Multiplex Dei dicere. pſ.2.v.7
Quatuor beneficia bonis confert Deus. pſ. 67. v.6.
Deus interius, & exterius conſolatur afflictos. pſ.70.v 21.
A Deo patientia tripliciter. pſ.6.iv.6
Dei multiplex acceptio. pſ.49.v.1
Quare Deus vota noſtra differt. pſ.87.v.15
Deus multipliciter probat Sanctos. pſ.138,v.2
Deus nobiſcum multis modis. pſ.45.v.8
Deus multis modis arguit. pſ.93.v.10
Deus à principio correxit orbem terræ, nec corrigere ceſſat. pſ.95.v.12
Deus in aduerſis benedicendus. pſ.65.v.8
Laudatur Deus in Eccleſia cœleſti, & militante quæ Sion dicitur, multis de cauſis. pſ.64.v.2.
Deus magnificus in operibus naturæ. pſ.103. v.1.
Deus multis modis præſentes miſerias mitigat. pſ.84.v.3.
Deus animam diligentiſſimè cuſtodit. pſ.85.v.2
Tria quæ gratum Deo faciunt. pſ.50.v.19
Nullus Deo ſimilis, in ſapientia, & potentia. pſ.39.v.6.
Quomodo Deus nos adiuuat. pſ.90.v.2
Qualiter Deus immittit famem in mundum. pſ. 104. v 16.
Marabilia opera Dei, & humano intellectu inſcrutabilia. pſ.91.v.6
Quid ſit Deus in ſe, & in aliis. pſ.45.v.11
Deus timendus. pſ.87.v.17
Memoranda opera manus Dei. pſ.77.v.42
Prophera perſuadet Deo vt remittat, à confeſſione peccati. pſ.50.v.5
Variis gradibus itur ad Deum. pſ.72.v.17
Deus multipliciter ſtare dicitur. pſ.81.v.1
Triplici de cauſa benedicendus Deus. pſ.71, v.17.
Deus vbique bonus. pſ.72.v.1
Deus venientem ad ſe non repellit. pſ.94.v.3
Deus ex miſericordia nos corripit. pſ.89.v.10
Deus educit nos in ſpe à tenebris peccatorum. pſ.77.v.53.
Deus adiutor ad bonum cogitandum, volendum, & operandum. pſ.80.v.2
Deus terribilis in iudicio. pſ.75.v.8
Deus nullius indiget. pſ.49.v.10
Dei potentia. pſ.64.v.3
Deus eſt in hominibus per naturæ conformitatem, & gratiæ infuſionem. pſ.123.v.3
Deus multis modis glorificatur. pſ.88.v.8
Qualiter Deus perficit animam. pſ.79.v.15
Deus hæreditas noſtra. pſ.60.v.6
Cur eloquia Dei cum ſint dulciſſima, reſpuuntur. pſ.18.v.11
Liberantur à Deo qui paſſeris habent proprietates. pſ.123.v.8
Dubium an Deus poſſit præueniri. pſ.87.v.14
Qui maximè Deum irritant. pſ.94.v.10
Solius Dei eſt dare intellectum. pſ.118.v.73
Deus multis modis ſitit & ſitire facit. pſ. 68. v.22.
Mirabilis Deus in ſe, & in operibus ſuis. pſ.92. v.4.
Quomodo Deus peccatum ignorat. pſ.34.v.11
Deus multipliciter aduerſa mitigat. pſ.93.v.13
Qui maximè dicantur inimici Dei. pſ.91.v.10
Prius laudandus Deus quam inuocandus. pſ.17. v.4.
Deus corrigit vt pater. pſ.102.v.13
Deus immutabilis pſ.101.v.28
Cur Deus Iudæis ſacrificia non bona præcipiebat. p.39.v.8
Viuit Deus multis modis. pſ.17.v.47
Quærendus Deus diligenter, ſolus & continuo. pſ.33.v.5.
Præſentia Dei in iuſtis variè figurata. pſ. 13. v.6.
Ad hanc præſentiam neceſſaria eſt gratia. pſ.13. v.6.
Reſpicit Deus per prædicatorem, & hic reſpectus eſt ad tria vtilis. pſ.32.v.15
Nullus ſimilis Deo in natura, & potentia. pſ.85. v 8. item pſ.88.v.7.
Deus non eligit nobiles, nec diuites, ſed humiles. pſ.77.v.67
Tripliciter Deus inclinat prædicatores ad nos. pſ.17.v.10.
Mira poteſtas iræ Dei, & cognitu difficilis. pſ.89.v.11.
Deus pater & mater nobis eſt. pſ.26.v.10
Deus proximus humilibus. pſ.33.v.29
Quare Deus dicitur potius ſedere ſuper Cherubin quam ſuper Seraphin. pſ.79 v 2
Deus humilia, nos autem alta reſpicimus, diabolo ſimiles. pſ.30.v.8
Comparatio Dei cum firmamento. pſ. 24. v.14.
Deus variis modis ſcitur. pſ.35.v.11
Quare dicitur Deus Iacob. pſ.83.v.9
Deus eſt Dominus terræ, quia illius eſt fundator ſuper mare. pſ.23.v.2
Quando Deus hic pupit, miſeretur. pſ. 25. v.3.
In Deo omne bonum. pſ.33.v.11
Per fidem venit ad nos Deus, nos ad illum per charitatem. pſ.17.v.33
Triplex Dei reſpectus. pſ.24.v.19
Deus fonti comparatur. pſ.41.v.3
Beneficia malis collata: exoluit illos Deus vinculis prauæ conſuetudinis. pſ.67.v.7
Quid & quale ſit conſilium Dei. pſ.19.v.6
Deus ſemper quærendus. pſ.23.v 6
Bonorum cauſa Dei intuitus. pſ.65 v.7

Cur

Index rerum.

Cur Deus tentet. pſ.25.v.2
Quare ad Deum ſit feſtinandum. pſ.15.v.3
Terribilia Dei opera, bonis, & malis. pſ.65. v.3.
Mirabilis Deus in operanda ſalute. pſ.67.v.36
Aſpectus Dei cauſa ſalutis. pſ.72.v.4
Deus variis modis innoteſcit homini. pſ.143. v.3.
Scientia Dei nouit omnia quæ ſunt hominis. pſ.32.v.13.
Quinque appellantur Dij. pſ.135.v.2
Multiplex Dextera, hominis & Dei. pſ.15.v.8
Diabolus venator, homo beſtia quam venatur. pſ.90.v.3.
Quomodo ſophiſticè concludit, Diabolus, mundus, caro. pſ.30.v.9
Quare Diabolus dicitur beſtia. pſ.73.v.19
Diabolus aliis eſt à ſiniſtris, aliis à dextris, aliis ante, aliis à tergo, aliis ſupra, aliis infra. pſ.108.v.6.
Quare Diabolus dicitur draco. pſ.103.v.26
Sæuiens in Chriſtum Diabolus, nihil lucratus eſt. pſ.88.v.23
Quæ ſint Diaboli potentiæ. pſ.75.v.4
Diuerſimodè vincitur, & illuditur Diabolus. pſ.73.v.14.
Quare Diabolus dicitur antonomaſticè peccator. pſ.108.v.6.
Quomodo præualet Diabolus. pſ.12.v.5
Arctat Diabolus diuitiis, & paupertate. pſ.34. v.5.
Dies mala & bona. pſ.117.v.24
Dies Dominica multis nominibus celebris. pſ.22. v.1.
Dies noſtri mali & breues. pſ.89.v.10
Longitudo Dieum, æternitas quam nullus terminat finis. pſ.90.v.16
Qui ſunt digiti manus Dei. pſ.143.v.7
Dilatatio culpæ, & meriti. pſ.115.v.32
Perfectæ Dilectionis partes. pſ.114.v.1
Triplex Diluuium, erroris, concupiſcentiæ & miſeriæ. pſ.31.v.6
Duplex Diſciplina, per inſtructionem, & correctionem. pſ.2.v.12
Diſcipuli ſunt filij. pſ.33.v.12
De Diuinitate & humanitate paſſa. pſ.40.v.2.
Quomodo Diuini plebis ſunt. pſ.44.v.13
Diuiti morienti, tria valde grauia. pſ.48.v.19
Diuitiæ temporales equo comparatæ. pſ. 32. v.16.
Diuitiæ multipliciter mendaces. pſ.4.v.3
Diuitiæ ſpirituales. ibidem.
Diuitiæ nequeunt facere beatum. pſ.143.v.14
Docti cauere debent ne peccent adulatione, vel auaritia, vel iactantia, vel loquacitate incauta. pſ.115.v.11
Duplex Doctrina, fidei, & morum. pſ.11.v.6.
Diuiſio Doloris in genera, ſpecies, & numerum. pſ.24.v.19
Dolor ex carentia bonorum. pſ.37.v.10
Quadruplex animæ Dolor. pſ.41.v.10
Circunſtantiæ veri Doloris. pſ.37.v.7
Dolores ex malorum præſentia. pſ.37.v.6
Secundum Dolores Deus conſolatoria remedia præſtat. pſ.93.v.19
Dominus in nube ſuſpiciendus. pſ.103.v.3
Magnus Dominus capacitate, duratione, & largitate. pſ.95.v.4
Dominus eſt refugium iuſtis, & Domina peccatoribus. pſ.89.v.2
Multis modis dicitur Dominus excitari. pſ.77. v.65.
Magna efficacia vultus Domini. pſ.79.v.17
Dominus viuificat nos multis modis. pſ.105. v.4.
Triplex expoſitio huius verſus, Domine à paucis. pſ.16.v.14
Dominium Dei ſuaue. pſ.17.v.2
Domus Dei Eccleſia, religio, hoſpitale, ſcriptura. pſ.92.v.6
Quinque Domus Dei, & totidem ingreſſus. pſ.5.v.9.
Domus Dei ampla, & omni bono referta. pſ.121.v.1.
Diſtinguendæ Domus Dei, vel gradus in ea ordinandi. pſ.47.v.14
Donec ſumitur multis modis. pſ.122.v.2.
Doctoris exhibitio. pſ.77.v.14
Dulcis Deus omnibus ſenſibus. pſ.30.v.20
Abſcondit Dulcedinem vt excutiat torporem. ibid.
Spe non timore guſtatur Dulcedo. ibid.
Dulcedinis diuinæ varij effectus. ibid.

E

Eccleſia magna multis modis. pſ.39.v.10
Eccleſiæ amplitudo. pſ.47.v.3
Commendatio Eccleſiæ à ſex circunſtantiis. pſ.47.v.2.
Eccleſia inſtruitur, & poſt duplicem extaſim peccata ſua cognoſcit & plangit. pſ.31.v.1
Notanda Eccleſiæ charitas. pſ.24.v.20
Dedicatio Eccleſiæ perfectæ. pſ.29.v.1
Eccleſia eſt flumen. pſ.64.v.10
Quare Eccleſia dicatur luna. pſ.8.v.4
Regis Eccleſiæ benignitas. pſ.47.v.4
Eccleſiæ collatio cum vinea. pſ.79.v.9.
Commendatio Eccleſiæ ab æternitate. pſ. 47. v.9.
Gratiarum actio pro bonis Eccleſiæ. pſ. 47. v.10.
Tria ſigna primitiuæ Eccleſiæ. pſ.73.v.9
Inebriat riuos, maiores Eccleſiæ. pſ.64.v.11.
Eccleſia nunc in pomorum cuſtodiam poſita. pſ.78.v.1.
Quibus conſtat decor Eccleſiæ. pſ.25.v.8.
Multiplex Eccleſiæ afflictio. pſ.43.v.11
Diuerſæ Eccleſiæ ætates, & modo ſeneſcit. pſ.36.v.25.
Contra miniſtros Eccleſiæ. pſ.77.v.60
Quare Eccleſia dicitur orbis. pſ.92.v.1
Eccleſia cur nomine torcularis ſignificatur. pſ.8.v.1.
Irridetur Eccleſia. pſ.43.v.14
Eccleſia dicitur orbis terrarum: quia vniuerſalis & immobilis. pſ.17.v.16
Eccleſia bonis cumulata. pſ.17.v.20.
Tres plagæ Eccleſiæ. pſ.34.v.26
Oratio Eccleſiæ afflictæ. pſ.43.v.23
Cur Eccleſia dicitur templum. pſ.10.v.5
Quare Eccleſia dicitur celebris. pſ.23.v.1.
Diuitiæ Eccleſiæ. pſ.36.v.3
Eccleſiæ dilatatio. 107.v.10
Hic membra Eccleſiæ gemunt. pſ.30.v.11
Eccleſia terræ comparata. pſ.23.v.4

Comparatio Eccleſiæ cum arca. pſ.131.v.8.
Eccleſia militans inhabitat diluuium peccatorum, id eſt, habet prælatos malos, vel eſt inter aduerſa, & tamen virtute diuina ſeruatur. pſ.28.v.10
Tres hoſtes Eccleſiæ. pſ.10.v.1
Eccleſia dicitur columba. pſ.67.v.13
Eccleſiæ ſubtilitas. pſ.103.v.5
Myſticè inſinuatur Eccleſiæ lætitia de Iudæis ſpuriis, & rebellibus filiis reiectis. pſ.9.v.1
Eccleſia multum proficit ex aduerſis. pſ.128.v.8.
Bona toti Eccleſiæ & membris eius collata. pſ.64.v.12.
Eccleſia eſt ſuperior aquis dulcibus, & ſalſis, id eſt, aduerſis & proſperis. pſ.23.v.2
Effectus eloquij diuini. pſ.104.v.20
Triplex effectus verbi Dei. pſ.28.v.8
Duplex Electio: vna qua eligimur à Deo, alia qua illum eligimus. pſ.17.v.27
Multiplex Dei Electio. pſ.64.v.5
Eleemoſyna ordinatur. pſ.111.v.9
Effectus Eleemoſynæ. ibid.
Quæ Eliciuntur viſa malorum proſperitate, & iniquitate. pſ.72.v.10
Qui Eligendi vt educant populum de Ægypto. pſ.104.v.26.
Cur Eloquium Domini dicitur ignitum. pſ.118.v.140.
Vncti dicuntur Epiſcopi, & ſacerdotes, quos prohibet Dominus tangi. pſ.104.v.16
Triplex Eſca qua Deus reficit. pſ.68.v.22
Cur Euangelium dicitur teſtamentum æternum. pſ.110.v.9
Euchariſtia à malo liberat. pſ.33.v.7
De Euchariſtiæ præſtantia, & fructu. pſ.21.v.27.
De vſu Euchariſtiæ à malis ſumptæ. pſ.21.v.30.
Prius Euchariſtia guſtatur quam videatur. pſal.33.v.9.
Euge multipliciter accipitur. pſ.69.v.9
Exaudire quatuor modis accipitur. pſ.5.v.4
Contra maximum vitium Excuſationis. pſ.74.v.5.
Exhortatio ad imitandum Chriſtum patientem & ſe immolantem. pſ.28.v.1.
Exhortatio ad fidem. pſ.45.v.9
Exhortatio ad pœnitentiam exemplo prophetæ. pſ.37.v.1.
Exhortatio ad cultum & amorem. pſ.32.v.12
In Expectatione voluntas, & deſiderij feruor. pſ.68.v.21.
Duplex Extaſis, ex pauore inferiorum, & deſiderio æternorum: de vtraque agit. pſ.30.v.1.

F

CVr à Facie non à manibus inimicorum petit liberari. pſ.16.v.9
De Fame damnatorum. p.36.v.19
Triplex Fames in qua nos Deus alit. pſ.32.v.19.
Quare Felicitas impiorum breuis eſt. pſ.36.v.10.
Vitæ huius Felicitas herbæ comparatur. pſ.36.v.2.
Mirum quod Feræ manſueſcunt, & peccatores non conuertuntur. pſ.89.v.10
Ferrum indicat duram tribulationem. pſ.104.v.18.
Quæ Feſta ſint maximè exoſa diabolo. pſ.73.v.8.
Ex ſponſæ obedientia ſeu Eccleſiæ Fide triplex fructus. pſ.44.v.12
Corona, Fidelium congregatio. pſ.64.v.12
Fiducia de remiſſione peccati, & ſpirituali conſolatione. pſ.50.v.9
Filius brachium patris. pſ.70.v.18
Varia nominis Filij acceptio tum metaphorica tum propria. pſ.2.v.7
Finis cogitatio ad multa vtilis. pſ.38.v.5
Finis duplex, conſumens & conſummans. pſal.30.v.1.
Fit plerumque vt cum verum dicitur, vita proximi grauetur. pſ.1.v.5
Quomodo Flendum. pſ.41.v.4
Propter quid Flendum. pſ.118.v.136
Flumen Dei eſt eius miſericordia. pſ.64.v.10
Quare dicitur, Foderunt, ſcilicet vt terra foſſa fructificet, & aqua hauriatur inde, & ſit nobis habitaculum, & theſaurus. pſ.21.v.18.
Foliorum comparatio cum verbis. pſ.1.v.4
Folij compoſitio charitati accommodata. pſ.1.v.4.
Cauſa naturalis defluxus Foliorum, excidij charitatis ſymbolum. pſ.1.v.4
Fons multiplex. pſ.67.v.27
Quadruplex Fornicatio. pſ.72.v.27
Triplex in Chriſto Fortitudo. pſ.23.v.8
Quid diſcriminis inter Fremere & frendere. pſ.2.v.1.
Fructus ex primo Chriſti aduentu. pſ.71.v.6
Triplex Fructus ex malorum pœna. pſ.57.v.11
Multiplex Fructus ex irrito conatu Iudæorum. pſ.63.v.9.
Duodecim Fructus iuſtitiæ in hac vita. pſ.57.v.12.
Fructus ex aduerſis. pſ.22.v.4
Fructus ex adhæſione ad Deum. pſ.72.v.28
Fructus ex ruina hæreticorum, manifeſtatio bonorum. pſ.67.v.31.
Variæ Frumenti acceptiones ex ſcriptura. pſ.4.v.8.
Fuga maioribus cauenda propter tria. pſ.43.v.11.

G

GAudium beatorum comparatur ebrietati. pſ.35.v.9.
Ad obtinendum ſpirituale Gaudium tria neceſſaria. pſ.36.v.4
Progreſſus Gaudij in iubilantibus. pſ.12.v.6. item pſ.31.v.11. & pſ.70.v.8.
Gaudium timore eſſe temperandum. pſ.48.v.2
Differentia Gaudij. pſ.31.v.11
Gemitus à cauſa gemina fletus. pſ.6.v.7
Gemitus de miſeria præſente. pſ.50.v.16
Generatio naturæ, culpæ, gratiæ, & gloriæ. pſ.134.v.13.
Duplex Generatio, tranſiens, & permanens. pſ.84.v.6.
Genimina filij ad fidem conuerſi. pſ.64.v.11
Gentiles in paſſione ſunt manus motæ à Iudæis veluti

veluti à corde. pſ.27.v.4
Conuerſio Gentilium. pſ.88.v.13
Prædicitur Gentium conuerſio per Chriſti prædicationem. pſ.64.v.10
Conuerſio Gentium ad fidem. pſ.45.v.7
Germinans eſt iuſtus incipiens. pſ.64.v.11
Gladius Chriſtus primo aduentu tectus rubigine mortalitatis, in ſecundo ſplendens. pſ.7.v.13.
Gloria cœleſtis diuerſis nominibus expreſſa. pſ.83.v.4.
Gloria nominis Chriſtiani. pſ.19.v.6
Oſtenditur Gloriam reſurrectionis, obtineri etiam à Chriſto per paſſionem. pſ.27.v.1
Quadruplex Gloria. pſ.7.v.8
Bona futuræ Gloriæ. pſ.67.v.4
Gradus Gloriæ. pſ.20.v.6
In quibus conſiſtit Gloria regni cœleſtis. pſ.144. v.15.
Gloriatio mala & aliquando bona. pſ.25.v.1
Glorioſa dicta de ciuitate Dei referuntur. pſ.86. v.3.
Gradus ad corporis incinerationem. pſ.29.v.10
Gradus ad beatitudinem. pſ.83.v.6
Gratia, ſpiritualis ros, & pruina refrigerans concupiſcentiam. pſ.118.v.83
Duplex Gratia, incipiens, & adiuuans. pſ.18. v.15.
Quadruplex Gratia velut egreſſus quatuor fluuiorum de paradiſo. pſ.66.v.2
Gratia collata cum rore. pſ.132.v.3
Quadruplex gratia neceſſaria. pſ.27.v.9
Gratiarum actio pro bonis collatis, & oratio pro futuris. pſ.26.v.1
Effectus Gratiæ, infirmitatis agnitio. pſ.67. v.10.
Gratia dominans, regens, & continens. pſ.89. v.17.
Gratiæ ortus in anima dicitur manè multis de cauſis. pſ.5.v.5
Duplex Gratia ad ſalutem neceſſaria. pſ. 98. v.4.
Gratia liberans ab infirmitatibus. pſ.15.v.1
Modus liberantis Gratiæ. pſ.15.v.3
Quadruplex Gratia à Chriſto Eccleſiæ collata. pſ.22.v.1.
Quadruplex Grauitas, culpæ, miſeriæ, naturæ, & gratiæ. pſ.4.v.3.

H

SVmus Dei Hæreditas ratione diffuſionis nominis & culturæ. pſ.32.v.12
Herba multipliciter dicitur. pſ.89.v.6
Per Herodium intelliguntur pauperes, per ceruos contemplatiui. pſ.103.v.17
Homo valde contemptibilis. pſ.122.v.3
Bona Homini à Deo collata. pſ.36.v.21
Multiplex miſeria Hominis. pſ.8.v.5
Quare non licet Homini ſacramentorum obligationibus ſe obligare. pſ.88.v.4
Duplex Hominis miſeria. pſ.102.v.14
Hominis vita breuis, & proſperitas inſtabilis. pſ.102.v.15.
Quatuor ſtatus Hominum. pſ.104.v.11
Tria Hominum genera. pſ.39.v.2
Homo terra dicitur triplici ratione. pſ.32.v.8
Homines diuerſimodè compediti. pſ.78.v.11
Multis modis Homines Domino mentiuntur. pſ.80.v.16.
Patres miſeriæ Hominis, breuitas vitæ, ſollicitudo, vanitas, & mutabilitas. pſ.89.v.3
Non confidendum in Hominibus. pſ.145.v.2
Quatuor Hominum genera. pſ.68.v.35
Homo inutilis quadrupliciter. pſ.13.v.6
Homo valdè humiliatus per peccatum. pſ.105. v.42.
Partes in Homine iuſto requiſitæ. pſ.23.v.4
Quatuor genera hominum quibus prædicatum eſt Euangelium. pſ.72.v.20
Hoſtium Dei & Eccleſiæ inſignia. pſ.82.v.9
Duplex cauſa Humanæ miſeriæ. pſ.89 v.7
Miſeria intellectus Humani. pſ.89.v.9
Humanitas eſt tabernaculum in quo petit Pſalmiſta abſcondi. pſ.26.v.5
Coniugium Humanitatis cum Deo. pſ.18.v.6
Multiplex naturæ Humiliatio ex peccato. pſ.37. v.9.
Varia Humiliationis genera. pſ.89.v.3
Vera Humilitas eſt ordinatiua, vrbana, fidelis, & prudens. pſ.118.v.75
In Humilitate hominum aquæ diuinæ ſemper æſtuant. pſ.103.v.10
Hypocrita hirco comparatur. pſ.49.v.9
Omnis Hypocrita præſumptuoſus. pſ.104.v.35
De perſecutione Hypocritarum pro octaua, id eſt, die iudicij, quo debet Eccleſia librari. pſ.11.v.2.

I

MVlti malè Ieiunant. pſ.34.v.13
Bona cœleſtis Ieruſalem & domus Dei, id eſt, Eccleſiæ, Chriſti corporis, Deiparæ. pſ.64.v.5.
Bonum cœleſtis Ieruſalem totum, & immutabile participatur ab omnibus, & ſingulis cibus. pſ.121 v.3
Aliqua Ignorantia eſt peccatum. pſ.68 v.6
Miſeria Ignorantiæ triplex. pſ.8.v.6
Filios dæmoniis Immolat, qui bona facit vt inde laudem acquirat. pſ.105.v.38
Impius tribus conteritur, ira, gula, & æſtu animi. pſ.36.v.17
Impius cedro comparatur. pſ.36.v.35
Quæſtio laborioſa, quare prouenit Impiis proſperitas. pſ.72.v.16
Impugnatio duplex, fidei & morum. pſ. 13. v.1.
Prima item duplex. ibid.
Incuruatio compaſſionis, iniquitatis, pœnalitatis, & humilitatis. pſ.56.v.7
Effectus Incarnationis. pſ.17.v.17
Incarnatio Prophetis reuelata. pſ.77.v.23
Cur Incarnatio hoc verbo petitur, exurge, cum ſit deſcenſus. pſ.7.v.9
Increpatio diuina æquo animo ferenda. pſ. 38. v.12.
Increpationem vocat occultum diuinitatis imperium. pſ.105.v.9
Magna Indignatio Dei, peccantes non corrigere. pſ.80.v.13
Infernus multipliciter dicitur. p.85.v.13
Multi Infideles in teſtamento Dei. pſ.77.v.37
Cauſa conuerſionis Infidelium. pſ.67.v.25
Quintuplex Infirmitas. pſ.6.v.3

Index rerum.

Infirmos Deus ſuſcipit: cuius rei figuram nota. pſ.9.v.34.
Ingrati in Chriſtum Iudæi. pſ.34.v.12
Quinque gradus Ingratitudinis. pſ.37.v.21
Ingreſſus Dei in animam per ſex virtutes. pſ.23. v.9.
Duo genera Inimicorum, contra quos, vel pro quibus orandum. pſ.30.v.16
Iniqui quomodo pereant. pſ.1.v.6
Triplex gradus Innocentiæ. pſ.100.v.2
Triplex Innouatio. pſ.95.v.1
Multiplex damnum ex Inobedientiæ. pſ.80. v.12.
Inopia vtilis ad multa. pſ.106.v.41
Inopia diuitum duplex. pſ.33.v.11
Inopia tuta, diuitem omnia infeſtant. pſ.34. v.10.
Multiplex inquinamentum. pſ.9.v.25
Iræ Dei incrementa. pſ.2.v.13
Effectus Iræ per zelum. pſ.4.v.5
Quid ſit Ira in Deo. pſ.7.v.12
Inſania de malo lætantium. pſ.51.v.6
Quæ ſint falſæ inſaniæ. pſ.39.v.5
Inſtructio de merito & præmio. pſ.33.v.13
Tria Inſtructionis impedimenta. pſ.33.v.12
Intentio arcus, operatio ſagitta. pſ.77.v.57
Interpretatio de æterna, & mortali vita. pſ.38. v.5.
Interrogatio fit ex triplici capite. pſ.2.v.1
Inuerſus ordo verborum ad exprimendam malitiæ peruerſitatem. pſ.7.v.15
Remedia contra Inuidiam de malorum felicitate. pſ.36.v.6
Forma Inuocandi Deum. pſ.98.v.6
Quid ſit Iubilatio. pſ.88.v.16
Quare ſtatim poſt Iubilationem lamentatur. pſ.30.v.10.
Nota malitiam Iudæ. pſ.27.v.3
Cur Iudaicus populus dicitur manus Dei. pſ. 73.v.11.
Iudæi cum apibus collati. pſ.117.v.12
Conuerſio Iudæorum. pſ.58.v.15
Quare Iudæi dicuntur Aſſyrij. pſ.75.v.2
Peccata Iudæorum redundant in damnum filiorum. pſ.16.v.14
Iudæi exaſperant. pſ.65.v.7
Iudæi multipliciter Chriſto detraxerunt. pſ.108. v.3.
Malitia & miſeria Iudæorum Chriſtum perſequentium. pſ.57.v.2
Elongatio Iudæorum, & diſcipulorum à Chriſto. pſ.87.v.9
Quare Iudæi reſeruantur. pſ.58.v.12
Iudæi vt mare, mortuo non parcunt. pſ.30. v.3.
Populus Iudæorum fuit hæreditas Domini. pſ.73.v.2.
Iudæi vnicornes, quia vnum tantum recipiunt teſtamentum. pſ.28.v.6
Profundus limus Iudæi. pſ.68.v.3
Partes boni Iudicis. pſ.7.v.12
Conditiones Iudicis. pſ.93.v.2
Octaua, dies Iudicij ex duplici capite. pſ. 6. v.2.
Tria in malo Iudice. pſ.49.v.21
Iudicium ſeparationis à malis petendum. pſ.53. v.3.
Iudicij multiplex acceptio. pſ.1.v.6
Nullus poterit euadere Iudicium. pſ.74.v.7
Multiplex Iudicium. pſ.118.v.52
Multiplex cauſa quare nolit Propheta venire ad Iudicium cum Domino. pſ.142.v.2
De Iudicio cur Propheta loquatur quaſi de eo mentionem fecerit. pſ.2.v.5
Iudicium diuerſimode iniquum. pſ.93.v.21
Petit Iudicium ex fiducia Chriſti meritorum. pſ.7.v.9.
Iudicij timor, à quo pœnitentia incipit. pſ. 6. v.2.
Multiplex Iudicium hominum & Dei. pſ.34. v.1.
Cur dies Iudicij timendus. pſ.5.v.2
De Iuramenti vſu. pſ.14 v.5
Quibus de cauſis Iurandum. ibid.
Iure plus nobis præcipitur, quam antiquis, quia plura promittuntur, & gratia magis iuuamur & exemplo. pſ.32.v.3
Iuſti ceruis collati ex multiplici capite. pſ. 28. v.9.
Quadruplex Iuſtorum fames. pſ.58.v.7
Triplex Iuſtorum præmium. pſ.36.v.28
Iuſtus palmæ comparatur. pſ.91.v.13
Bona hic Iuſtis collata. pſ.29.v.21
Iuſtus columbæ comparatur. pſ.54.v.7
Duæ cauſæ perſecutionis Iuſtorum. pſ.9.v.21
Triplex Inunctio iuſti per gratiam & gloriam. pſ.26.v.1.
Quinque iuſti deſideria, pſ.9.v.37
Iuſtus quilibet rex eſt, à nomine, poſſeſſione, & dignitate. pſ.32.v.16
Quare Iuſtus oliuæ comparatur. pſ.51.v.10
Varia ſigna Iuſti. pſ.4.v.7
Gaudium Iuſtorum quatuor conſtat. pſ.5.v.14
Differentia Iuſtorum Veteris, & Noui Teſtamenti. pſ.43.v.1
Iuſtos tria caſtra protegunt. pſ.26.v.3
De Iuſto à Deo per duplicem extaſim proiecto. pſ.29.v.23
Comparatio Iuſtorum cum fluminibus. pſ.88. v.26.
Iuſtus eſt cœlum quod Deus multipliciter extendit. pſ.103.v.3
Præmia Iuſtorum futura. pſ.36.v.29
Iuſti montes dicuntur. pſ.35.v.7
Comparatio Iuſti cum terra. pſ.96.v.1
Comparatio Iuſtorum cum naui. pſ.103.v.26
Iuſtificatio impij miraculoſa. pſ.102.v.12
Septem notanda quæ ad Iuſtificationem conferunt. pſ.118.v.112
Iuſtitia conuertetur in iudicium quando diſcipuli Chriſti cum ipſo iudicabunt. pſ.93. v.15.
Quid differat Iuſtitia ab innocentia. pſ. 7. v.9.
Iuſtitiæ beneficia. pſ.17.v.48
Quales debent eſſe qui Iuſtitiam annuntiant. pſ.96.v.6.

L

MVta fiant Labia peccatorum ad læta, & bonorum deriſiones, non ad planctus. pſ.30.v.19.
Labor exercendus. pſ.87.v.16
Duplex Labor malus. pſ.6.v.7
Triplex Labor bonus. ibid.

Index rerum.

Vis Lachrymarum. pſ.6.v.9
Diuerſæ Lachrymarum ſpecies. pſ.55.v.9
Triplex genus Lachrymarum. pſ.6.v.7
Lactis variæ acceptiones. pſ.130.v.2
Variæ Laci acceptiones, præcipuè pro inferno, quadruplici de cauſa. pſ.7.v.15
Lamentatio duplex, ex timore, & dolore. pſ.37. v.2.
Lamentatio de Chriſti paſſione. pſ.37.v.12
Laqueus diaboli variis modis occultatur. pſ.30. v.5.
Multiplex Laqueus. pſ.24.v.16
Debemus Laudare Deum lætanter, ſuauiter, ſapienter, & glorianter. pſ.105 v.47
Quomodo poteſt Deus ſemper Laudari. pſ.33. v.2.
Laudandus Deus ob eius liberalitatem, & noſtram vtilitatem. pſ.33.v.4
Laudandus Deus à tota communitate. pſ. 33. v.3.
Modus Laudandi Deum. pſ.32.v.2. item pſ.104. v.2.
Deus ſemper, humiliter, ſuauiter Laudandus. ibid.
Varius Laudandi modus Deum, & creaturas. pſ.27.v.6.
Laudanda Dei bonitas & patientia. pſ. 32. v.4.
Laus ſponſi à quatuor. pſ.44.v.3
Laus ſponſi deinde ſponſæ. pſ.44.v.1
Quomodo Laudibus diuinis poſſit aliquid adiici. pſ.70.v.14
Ad Laudem Dei requiſita, & arctantia. pſ.134. v.21.
Quatuor conditiones ad Laudem neceſſariæ. pſ.33.v.2.
Laus cordis, oris, & operis. pſ.70.v.14.
Septem Loci ex quibus petitur laus Dei. pſ.144. v.4.
Variæ laudis cauſæ. pſ.46.v.3
Lex Dei charitas. pſ.93.v.12
Quadruplex eſt Lex, Dei, carnis, naturæ, & diaboli. pſ.24.v.12
Triplex Lex, Spiritus ſanctus, Chriſtus, Vetus Teſtamentum. pſ.18.v.7
Contra Legem dupliciter agitur. pſ.70.v.4
Præmia obedientiæ Legis. pſ.18.v.12
Obedientia Legis commendata ab affectu, effectu, & præmio. p.18.v.11
Liber viuentium quid ſit, & in eo ſcripti an deleri poſſint. pſ.68.v.29
Triplex Liber, ſcriptura, Chriſtus, cœlum. pſ.39.v.9.
Libri multiplex acceptio. pſ.68.v.29
Lingua tertia eſt diabolica. pſ.32.v.8
Triplex vitium Linguæ. pſ.49.v.19
Triplex Lingua, carnis, mundi, & detractoris. pſ.56.v.5.
Lingua delinquitur multipliciter. pſ.38.v.2
Miraculum Linguarum variè explicatum. pſ.18. v.4.
Mala quibus vir Linguoſus eſt obnoxius. pſ.139. v.12.
Loquacitas mala. pſ.37.v.13
Qui male Loquantur de Deo. pſ.77.v.19
Modus Loquendi præſcribitur. pſ.103.v.9
Lucerna Verbum increatum. pſ.118.v.105
Multiplex Lucerna. pſ.17.v.29
Luxuria luto collata. pſ.68.v.15
Peccatum Luxuriæ introductio in omne peccatum. pſ.105.v.29
Diuerſi gradus ignis luxuriæ. pſ.77.v.63

M

MAchinatio malorum contra Chriſtum. pſ.63.v.4.
Quadruplex Macula à bono opere remouenda. pſ.118.v.80.
Magnificentia Dei tribus conſtat. pſ.9.v.8
Oblatio Magorum exhibet perfectum honorem. pſ.28.v.2
Manhu figura expreſſa corporis Chriſti. pſ.77. v.24.
Maledicis aures obturandæ, & os claudendum. pſ.37.v.14.
Mala quæ ex temporali proſperitate conſequuntur. pſ.72.v.6
Mala quæ peccator incurrit. pſ.78.v.12
Malum in ſuum auctorem redit, ſicut cætera ad ſuam originem. p.36.v.15
Mali ſicut & boni ſe effundunt, ſed diuerſo modo. pſ.141.v.2
Qua ratione Mali ſatiuntur peccatis. pſ. 16. v.14.
Malus ſibi ſemper nocet, aliis non. pſ.34.v.8
Malus pudore, & timore conuertitur. pſ.6. v.11.
Mali patienter ferendi exemplo Dauid, & Chriſti. pſ.63.v.2
Quare bona temporalia dantur Malis. pſ.72. v.18.
Mali bonis inuident famam, vitam, & memoriam. pſ 40.v.6
Mali lætantur abſentia bonorum. pſ.104.v.38
Quinque notanda quibus abuntur Mali, corpus, mulier, tempus, dignitas, Dei bonitas. pſ.30.v.19.
Dilatantur Mali, & boni tripliciter: corde, ore, & opere. pſ.4.v.2
Multiplici de cauſa licet Malis imprecari. pſ.78. v.6.
Fugienda Malorum conſortia. pſ.100.v.5
Quatuor Malitiæ partes. pſ.5.v.11
Iudæorum in Chriſtum Malitia quadruplex. pſ.13.v.6.
Quid ſit Mandata Dei perſpicere. pſ.118.v.6
Manè varie ex ſcriptura acceptum. pſ.5.v.4
Status Martyrum in perſequutione. pſ.36.v.32
Sex cauſæ faciunt Martyrem. pſ.34.v.23
Medicus naturalis & ſpiritualis bonus & malus. pſ.87.v.11.
Meditatio continua commendata. pſ.1.v.1
Octo genera Mendaciorum ex Auguſtino. p.5.v.7.
Memoria futuræ quietis vtilis. pſ.37.v.2
Bona Mens Deum amat, amatum quærit, de inuento gaudet & laudat. pſ.39.v.17
Menſa multiplex. pſ.68.v.23
Multiplex Menſa nobis parata. pſ.77.v.20
Diſpoſitio Menſæ Exod. 26. moraliter explicata. pſ.22.v.5.
Comparatio & effectus triplicis Menſæ. ibidem.

Triplex

Triplex menſa, ſcriptura, Euchariſtia, ſpes gloriæ. pſ.22.v.6
Merces martyrum. pſ.43.v.9
De Meritis proficientium. pſ.115.v.33
Meritorum Chriſti opulentia. pſ.11.v.6
Miſeriæ triplex magnitudo. pſ.37.v.3
Multiplex Miſeria, pœnæ, & culpæ. pſ.11.v.6
Miſeriæ ex peccati reliquiis. pſ.37.v.8
Multiplex lacus miſeriæ. pſ.39.v.3
Miſericordia leuat à triplici defectu, naturæ, culpæ, & pœnæ. pſ.24.v.6
Quadruplex Miſericordia. pſ.6.v.3
Miſericordia Dei benigna, ſuauis, & ſpecioſa. pſ.68.v.17.
Miſericordiæ Dei antiquæ. pſ.88.v.50
Septem Miſericordiæ Domino cantandæ. pſ.88. v.2.
Magnitudo & multitudo Miſericordiæ Dei. pſ. 68.v.14.
Beneficia Miſericordiæ. pſ.17.v.51
Miſſio Apoſtolorum. pſ.17.v.15
Quare Empyreum dicitur Mons. pſ.14.v.1
Mors Chriſti aptiſſimè ſomnus dicitur. pſ. 3. v.5.
Cur Mors ſanctorum dicitur ſomnus. pſ.126. v.3.
Cur Mors ſanctorum dicitur pretioſa. pſ.115. v.15.
Gradus Mortis. pſ.6.v.6
Triplex Mors à qua Deus nos emit. pſ.32.v.19.
Quatuor Mortis portæ. pſ.9.v.15
Qui Mortui poſſint laudare Deum. pſ. 113. v.17.
Commendatur diſcreta carnis Mortificatio. pſ. 97.v.5.
Moyſes priuilegium habuit poteſtatis, Aaron ſanctitatis, Samuel prophetiæ. pſ.98.v.6
Munditia regum & rectorum Eccleſiæ. pſ. 67. v.15.
Mundus cum ciuitate munita comparatus. pſ. 107.v.11.
Cur Mundus dicitur mare. p.71.v.5. item pſ.106 v.24.
Merito Mundus dicitur locus afflictionis. pſ.43. v.20.
Ciuitas munita Mundus. pſ.30.v.22
Multiplex Munus. pſ.25.v.10
Murmur in bonam partem ſumitur. pſ.58.v.16
Triplex Mutatio laudabilis. pſ.76.v.11
Mutatio veteris cantici in nouum. pſ.39.v.4
Mutatio antiquorum ſacrificiorum in Chriſti ſanguinem, cui ſubſtituitur ſanguis cognatorum in ruinam Eccleſiæ. pſ.15.v.4

N

NAtura ad charitatem inclinat: nos illam corrumpimus. pſ.14.v.3
Duplicis Naturæ in Chriſto demonſtratio. pſ. 20.v.1.
Neceſſitas bene viuendi ex Dei intuitu. pſ.37. v.10.
Neceſſitates à quibus Chriſtus & eius Eccleſiæ liberantur. pſ.30.v.8
Negligentia in horis recitandis. pſ.26.v.7
Nomen ſeruorum Dei honorabile. pſ.71.v.15
Commonemur vt Nomen Domini magnificare non deſinamus. pſ.98.v.5

O

OBedientiæ deſcriptio. p.17.v.45
Multiplex Obligatio peccati ad pœnam. pſ.10.v.7.
Bona & mala Obliuio. pſ.9.v.18
Iudæorum Obſtinatio. pſ.17.v.46
Occulta filij, vel eius incarnatio, vel iudicia. pſ.9.v.1.
Oculus multiplex. pſ.6.v.7
Oculi in ſanctos intendendi. pſ.120.v.1
Leuandi ad Deum Oculi multipliciter. pſ.122. v.1.
Odium malum, & bonum. pſ.138.v.22
Odium Dei in peccatum. pſ.5.v.5
Oleum, lætitiæ, bonæ famæ, miſericordiæ, adulationis, & charitatis. pſ.44.v.8
Ollæ multiplex acceptio. pſ.59.v.10
Opera ex toto, & ex parte immunda. pſ.25.v.6
Tria genera Operum Dei, primum, medium, & vltimum, & quodlibet illorum triplex. pſ.43.v.2.
Operarij pauci in Eccleſia. pſ.104.v.12
Qui bene Operatur, intelligit quid ſibi vtile eſt. pſ.99.v.2
Opertorium multiplex bonum & malum. pſ. 101..v.28.
Variæ Opiniones de rerum ordine. pſ.29.v.10. item pſ.30.v.16.
Ordo, Oratio, deinde paſſio, quam ſequitur conſolatio. pſ.30.v.2
Oris oblatio extorta, ſimulatoria, & voluntaria. pſ.118.v.108
Qui Orat pro inimicis, exauditur. pſ.6.v.11
Quomodo Orandum Chriſtus docet exemplo. pſ.26.v.7.
Quomodo pro vita æterna Orandum. pſ.26. v.8.
Oranti adeſt Trinitas. pſ.6.v.10
Oratio Chriſti de ſe, de inimicis, & de ſuis. pſ. 34.v.17.
Oratio Chriſti qua petit liberari à malis. pſ.30. v.15.
Oratio munda eſſe debet. pſ.17.v.7
Fructus Orationis Chriſti, aduentus duplex, in animam, & in mundum. pſ.17.v.8
Quomodo in animas venit per terrorem & amorem. ibid.
Oratio Chriſti, vel Eccleſiæ pro ſua & inimicorum ſalute. pſ.55. v.2.
Oratio cum lachrymis commendanda. pſ. 38 v.13.
Oratio animæ pœnitentis. pſ.24.v.1
Oratio contra Eccleſiæ inimicos, & hæreticos, qui feræ dicuntur. pſ.67.v.31
Triplex Oratio Chriſti, pro ſe, pro ſuis, & pro inimicis. pſ.21.v.25
Conditiones Orationis bonæ. pſ.26.v.4
Oratio debet præcedere carnis mortificationem. pſ.104.v.2
Oratio Chriſti pro reſurrectione. pſ.21.v.20
Deus aliquando Orationem vel Orantem vel vtrumque abiicit. pſ.65.v.20
Oratio oris, & cordis, & operis, ex variis principiis. pſ.4.v.2
Oratio pro inimicis, opus præſtantiſſimum. pſal. 24.v.19.

Index rerum.

Tria quibus impeditur Oratio vt non exaudiatur. pſ.87.v.3
Sanctæ Orationis forma tribuitur. pſ.94.v.6
Partitio Orationis Dominicæ. pſ.19.v.7
Impedimenta Orationis. pſ.65.v.18
Cur humilis Oratio ſit efficax. pſ.9.v.14
Orationis multiplex effectus. pſ.76.v.3
Oratio pro dilatatione Eccleſiæ. pſ.67.v.29
Neceſſaria in Oratione. pſ.87.v.2
Triplex exaudiendæ Orationis ratio. pſ.15.v.1
Septem circunſtantiæ Orationi neceſſariæ. pſ.5. v.4.
Quatuor Orationis partes & circunſtantiæ.pſ.3. v.5.
Gratiarum actio pro bonis collatis, & Oratio pro futuris. pſ.26.v.1

P

PAnis multipliciter ſumitur. pſ.101.v.5
Panis lachrymarum quid ſit. pſ.79.v.6
Variæ Panis ſpecies quibus Deus nos reficit. pſ.77.v.20.
Paruulus multipliciter dicitur. pſ.136.v.9
Paruuli Deo dilecti. pſ.114.v.6
Paſſer actiuum, turtur vero contemplatiuum deſignat. pſ.83.v.4
Quid Paſcua ſpiritualia commendet. pſ.22.v.2
Paſſionis deſcriptio. pſ.37.v.12
Cur paſſio Chriſti dicatur calix. pſ.15.v.5
Paſſio Chriſti ſcutum. pſ.5.v.15
Fructus Paſſionis gratiarum actio. pſ.21.v.23
Quatuor paſſionem antecedentia. pſ.21.v.13
Quomodo paſtores paſcere debent ſubditos. pſ.23 v.5.
Patientiæ diffinitio. pſ.70.v.5
Patientia ſpei parens. ibid.
Patientia vel mitigat, vel fert, vel ignorat pœnam. pſ.34.v.15
Dona Patribus defunctis collata, è limbo liberantur &c. pſ.67v.19
Patrum deſcriptio in generali. pſ.77.v.8
Exemplum Pauli purgantis tripliciter eloquium. pſ.11.v.7.
Laus Apoſtoli Pauli,qui iure Beniamin dicitur. pſ.67.v.28.
Quare Pauper à diuite odio habetur, & opprimitur. pſ.36.v.14
Non eſt curandum Pauperi iuſto ſi diuitiæ multiplicantur iniuſto. pſ.48.v.17
Pauperum cauſæ neglectæ. pſ.34.v.24
Tria Pauperum genera, per tres aues declarantur. pſ.101.v.7
Paupertatis patientia germana. pſ.9.v.19
Voluntariæ Paupertatis bona. ibid.
Multiplex Paupertas, naturæ, indigentiæ, auaritiæ, &c. pſ.9.v.10
Pax reconciliationis, pectoris, & æternitatis. pſ.127.v.5.
Pax interior & exterior. pſ.72.v.3
Elegantiſſima pacis deſcriptio & multiplex acceptio. pſ.4.v.9
Peccare dicit non credere. pſ.77.v.17
Peccator fugit bonum ſuum. pſ.57.v.6
Status animæ Peccatricis. pſ.6.v.5
Peccator debet ſemper clamare, vt lauetur, propter tria. pſ.50.v.4
Duo lamentatur Peccator, ſua peccata, & pœnas Chriſti. pſ.37.v.2
Serpenti comparatur Peccator. pſ.57.v.5
Peccator brutis valde ſimilis. pſ.48.v.21
Cur Peccatores appellantur barbari. pſ. 113. v.1.
Viæ Peccatorum multipliciter malæ & viis Chriſti oppoſitæ. pſ.1.v.1
Vincula Peccatorum variis modis ſoluuntur. pſ. 105.v.16.
Infelicitas Peccatoris. pſ.31.v.3
Cur maximi Peccatores electi in prædicatores. pſ.50.v.15.
Peccatoribus non eſt commutatio à malo, quia ſunt obſtinati. pſ.54.v.21
Peccatum eſt contra omnem creaturam. pſ. 50. v.6.
Remedium contra Peccatum. pſ.29.v.4
Peccatum Angeli & Adæ tripliciter noxium. pſ.64.v.4.
Quare Peccatum dicitur vmbra mortis. pſ.106. v.14.
Comparatio Peccati cum oleo. pſ.108.v.18
Duplex origo Peccati. pſ.18.v.13
Triplex Peccatum occultum,triplex remedium. pſ.18.v.13.
Pro triplici genere Peccati erubeſcere debemus, & triplici de cauſa. pſ.69.v.4
Nulla eſt excuſatio Peccati. pſ.140.v.4
Quare Peccatum onus dicitur. pſ.37.v.5
Horribile Peccato conſentire ante tentationem. pſ.35.v.1.
In omni peccato triplex iniuſtitia. pſ.36.v.7
Quatuor in Peccato mala totidem pœnis punita. pſ.37.v.7.
Miſeriæ Peccati magnitudo. pſ.37.v.5.
Tria mala à peccato illata & illorum remedia. pſ.66.v.2.
Quomodo ſunt aliena Peccata euitanda. pſ.18. v.13. ibid.
Peccata vix vitantur & intelliguntur. ibid.
Peccata noſtra Deo notiſſima. pſ.89.v.8
Cauſa bellorum Peccata. pſ.71.v.8
Aliena Peccata iuſtis proſunt. pſ.7.v.10
Triplex miſeria peccatorum. pſ.67.v.23
Peccata ægre cognoſcuntur : quia aut excæcant, aut ſe variis modis occultant. pſ.50. v.5.
Abſcondita Deo dicuntur Peccata quibus impius expletur. pſ.16.v.14
Peccatorum obſtinatio variis nominibus expreſſa. pſ.87.v.11
Vana Peccatorum iactantia. pſ.93.v.3
Peccata literatorum. pſ.70.v.16
Peccata negotiatorum. ibid.
Muta fiant labia Peccatorum ad læta & bonorum deriſiones, non ad planctus. pſ.29. v.19.
Omnia Peccata habent ignorantiam adiunctam. pſ.24.v.6.
Qui dicuntur funes Peccatorum. pſ.118.v.61
Peccata multis modis teguntur. pſ.31.v.1
Proſperitas Peccatorum. pſ.72.v.3
Venialia Peccata vilem faciunt animam, quia ſunt veluti puluis, ſcabies, vrticæ. pſ.26. v.9.
Delentur Peccata de mente diuina,& Angelica,

Index rerum.

& dæmonum. pſ.50.v.11
De meritis Perfectorum. pſ.118.v.129
Perſcrutatio diuerſo fine. pſ.63.v.7
Perſecutio ſicut nouacula decorat. pſal. 51. v.4.
Iudæorum Perſecutio. pſ.13.v.1
Varia Perſecutionum & perſecutionem inferentium aut tolerantium genera. pſ.2.v.2
Perſecutores Chriſti. pſ.37.v.12
Irridentur Chriſti Perſecutores. pſ.63.v.8
Petra manauit fontem. pſ.77.v.15
Summa Philoſophia eſt continua mortis conſideratio. pſ.71.v.15
Infideles Philoſophi, eloquentiæ iniuſti poſſeſſores. pſ.104.v.37
Piger mulo comparatur. pſ.31.v.9
Pinguedo terræ periculoſa. pſ.64.v.13
Pinguedo Diabolica, delectari in malo. ibidem.
Varij Plaudendi modi. pſ.46.v.1
Pœna damni & ſenſus. pſ.7.v.16
Pœna finis peccati. pſ.9.v.7
Pœna impiorum inſeruit iuſtis ad multa. pſ.36. v.34.
Malum Pœnæ à Deo. pſ.43.v.12
Quadruplex Pœnæ genus quadruplici culpæ generi reſpondens. pſ.2.v.5
Pœnæ reproborum. pſ.33.v.22
Pœnæ æternæ magnitudo. pſ.30.v.24
Variæ damnatorum Pœnæ. pſ.2.v.5
Enumerantur Pœnæ damnatorum tres, quæ ad corpus, poſſeſſiones, & nomen pertinent. pſ.48.v.11.
Pœnitens, vt Dauid, eſt aſpectu deſiderabilis & manu fortis. pſ.31.v.1
Qui Pœnitentiis ſe affligit, irridetur ab aliis vt infamis. pſ.68.v.12
Comparatio Pœnitentis cum aranea. pſ. 38. v.12.
Pœnitentia duplex: interna, & externa. pſ.4. v.5.
Pœnitentia debet eſſe cum ſpe. pſ.36.v.5
Pœnitentia perfecta & imperfecta, adumbrata ſacrificiis antiquis. pſ.4.v.6
Effectus Pœnitentiæ. pſ.97.v.2
Pœnitentiam agentes à peccatoribus irridentur. pſ.101.v.7.
Potentia hyſſopo collata pſ.50.v.9
Vox pœnitentis clamantis in confeſſione, actione & prædicatione. pſ.68.v.4
Triplex Porta qua itur ad Deum. pſ. 117. v.20.
Diuturnior Poſſeſſio poſſeſſore. pſ.36.v.38
Potentia in vnione hypoſtatica. pſ.20.v.2
Potentia in ſuperiores, & inferiores mundi partes. pſ.32.v.6
Potentia in creatione quadrupliciter monſtratur. pſ.32.v.9.
Potentia in gubernatione. pſ.32.v.10
Triplex Potentia præcingenda. pſal. 17. v.33.
Poteſtas ſaluandi Deo propria. pſ.32.v.16
Præceptum Domini cuſtodiendum multiplici de cauſa. pſ.98.v.8
Differentia Præcepti & conſilij. pſ.24.v.4
Tres ſortes prædeſtinationis, gratiæ, & gloriæ pſ.30.v.16.
Prædicanda miſericordia, & iuſtitia. pſ.39. v.11.
Quid & qualiter Prædicandum. pſal. 95. v.2.
Quomodo Prædicandum. pſ.72.v.28
Diſpoſitio ad Prædicandum, obedientia & legis notitia. pſ.39.v.9
Conditio Prædicantium. pſ.67.v.13
Prædicatio Apoſtolorum. pſ.17.v.13
Prædicatio ad maiores. pſ.28.v.5
Prædicationis finis & forma. pſ.95.v.9
Prædicatio Chriſti. pſ.39.v.9
Prædicatio Chriſti per Apoſtolos, per quam transfertur regnum Chriſti à Iudæis, pſ.18. v.1.
Prædicationis modus diſcretas, & mirabilis. pſ.18.v.3.
Cum terrore Prædicatio ſalutaris. pſal. 28. v.3.
Miracula Prædicationis duo. pſ.18.v.4
Quinque Prædicationis fructus. pſ.95.v.6
Fructus Prædicationis, charitas dorſo deaurato ſignificata. pſ.67.v.14
Argumentum Prædicationis vtiliſſimum, myſteria quinque Chriſti. pſ.18.v.5.
Prædicatores de Gentibus conuerſi. pſal. 67. v.24.
Quinque partes in Prædicatore requiruntur. pſ. 9.v.11.
Duo cleri duo teſtamenta, vel hæreditas temporalis & æterna inter quæ dormiendum Prædicatori. pſ.67.v.17
Comparatio Prædicatoris cum cane. pſal. 58. v.15.
Dona Prædicatoribus donata, ſunt currus Deum portantes. pſ.67.v.18
Prædicatorum, & eorum virtus in prædicando, & hæc à Chriſto. pſ. 67. v. 12. & 13.
Prædicatores, tubæ corneæ. pſ.97.v.6
Comparatio Prædicatorum cum fluminibus. pſ. 97.v.8.
Multis de cauſis verbum veritatis aufertur de ore Prædicatoris. pſ.118.v.43
Quæ potiſſimum debent Prædicatores annuntiare. pſ.91.v.16.
Cur Prædicatores dicuntur cœli & firmamentum. pſ.18.v.1
Prædicatores ſunt legati ex Ægypto. pſ. 67. v.32.
Contra mutos Prædicatores. pſ.39.v.11
Cur Prædicatores dicuntur cœli. pſ.8.v.4
Prælatus oculus Eccleſiæ. pſ.6.v.8
Pœna mali prælati. pſ.49.v.21
Prælati fluminibus, & Religioſi imbribus comparantur. pſ.77.v.44
Prælati dij gentium & dæmonia. pſal. 95. v.5.
Prælati inſcij & peruerſi duplici capite arguuntur, ex promotione & conuerſatione. pſ.113. v.7.
Contra Prælatos. pſ.104.v.22
Quales debent eſſe Prælati. pſ.103.v.4
Qualis debet eſſe qui eligitur Prælatus. pſ.77. v.70.

Index rerum.

Qualiter Prælatus debet regere ſubditos. pſ.77. v.72.
Prælati ſunt portæ Eccleſiæ. pſ.73.v.6
Prælati cum terra comparati. pſ.135.v.6
Contra Prælatos bonorum ſpiritualium inopia laborantes. pſ.87.v.10
Duo in prælato neceſſaria, miſericordia, & veritas. pſ.88.v.25
Contra Prælatos, nepotulis conferentes dignitates Eccleſiaſticas. pſ.82.v.13
Contra Prælatos terrena inhiantes. pſ.68.v.24
Deſcriptio praui Prælati. pſ.134.v.17
Qui Prælati ſint idola fuſilia, & qui ſculptilia. pſ.77.v.58
Prælati confeſſiones audiendo, mortuos ſepeliunt. pſ.78.v.3
Signa zelantis Prælati. pſ.118.v.158
Duo Prælatis neceſſaria, pacem cuſtodire, & iuſtitiam adminiſtrare. pſ.71.v.2
Contra malos Prælatos. pſ.40.v.13
Duplex Præmium timoris & amoris, præſens, & futurum. pſ.24.v.13
Præmij magnitudo. pſ.64.v.5
Præparatio viæ. pſ.77.v.13
Triplex hominis Præſtantia peccato amiſſa. pſ. 48.v.13.
Principes leonibus comparati. pſ.34.v.17
Tria munia boni Principis per dona à magis oblata figurantur. pſ.2.v.10
Prodigia duo attendenda, deſtructio idololatriæ. pſ.45.v.10.
Proditio Iudæ. pſ.40.v.6
Multiplex Profundum. pſ.129.v.1
Progreſſus generationis peccati. pſ.7.v.15
Progreſſus ſcripturæ. pſ.10.v.4
Progreſſus verborum prophetæ. pſ.5.v.3
Progreſſus in tribulatione. pſ.26.v.3.
Inſtitutæ Eccleſiæ Progreſſus. pſ.17.v.17
Propheta petit liberari à periculis mundi, poteſtate diaboli, & infirmitate carnis, per diuinam miſericordiam in qua confidit. pſ.70. v.2.
Quare Propheta Deo totus inhiet. pſ.24.v.15
Petit Propheta ſeparari à malis hic & in futura vita. pſ.25.v.1
Cur Propheta appellat ad iudicem ſupremum. pſ.42.v.1.
Tria obtinet Propheta. pſ.6.v.9
Propheta captat beneuolentiam ab argumenti dignitate. pſ.28.v.4
Tres Prophetæ tria genera iuſtorum ſignificant. pſ.6.v.2
Prophetia de Chriſti aſcenſione, & reditu ad iudicium. pſ.67.v.33
Incarnatio Prophetis reuelata. pſ.77.v.23
Temporalis Proſperitas ſomnio comparatur. pſ. 72.v.20.
Omnia diuinæ Prouidentiæ ſubiecta. pſ. 94, v.4.
Contra negantes diuinam prouidentiam. pſ.93, v.8.
Bonum eſt Pſallendo laudare Deum. pſ.91.v.2
Quinque modis Pſallendum. pſ.46.v.8
Pſalmiſta perſuadet ab humana fragilitate. pſ.50. v.17.
Quomodo Pſalmiſta ſit in iniquitatibus conceptus, varie exponitur. ibid.
Pſalmiſta perſuadet à percepta Dei bonitate. ibi.v.8.
Pſalmiſta petit labia ſibi aperiri ad triplicem inſtructionem. ibi.v.17
Pſalmiſta perſuadet, à Dei miſericordia & promiſſis. ibi.v.6.
Pſalmiſta orat contra peccati memoriam. ibi. v.11.
Pſalmiſta petit liberari à duobus peccati effectibus. pſ.ibi.v.12
Pſalmi vaſis comparantur. pſ.70.v.22
Quare Pſalmi pœnitentiales ſic vocantur. pſ.142. v.1.
Quare Chriſtus dicitur puer. pſ.68.v.18
Pudoris figura elegans. pſ.6.v.12
Quinque ad Pugnam neceſſaria. pſ.17.v.35
Chriſtianis inſtar ouis pugnandum. pſ.43.v.22
Multiplex Pulueris acceptio in bonam & malam partem. pſ.1.v.5.
Chriſtus dicitur Pupilla ſex de cauſis. pſ.16.v.7
Purgatorium ex igne triplici. pſ.25.v.2
Purgatorij pœna grauior quam vitæ huius. pſ. 37.v.2.
Putredo non patitur conſortium. pſ.37.v.6

R

RAtio multiplex quare non debeamus quærere mundum. pſ.104.v.4
Receſſus Dei interdum vtilis. pſ.9.v.22
Recordatio Dei ex multiplici capite, primo à beneficiis diuinis. pſ.41.v.7
Rectus poteſtatis regiæ vſus nec in tyrannidem nec in ignauiam degenerantis. pſ.2. v.9.
A quo & quomodo ſumus Redempti. pſ. 106. v.2.
Chriſtus ſpes noſtra & Refugium noſtrum. pſ. 90.v.9.
Quare homo regem Angelorum ſuum vocat Chriſtum. pſ.43.v.5
Regis nomen diuerſis attributum. pſ.71.v.2
Quadruplex Regis nomen. pſ.18.v.8
Quinque boni Regis partes, quæ Chriſto competunt. pſ.2.v.6
Tria Regibus meditanda. pſ.2.v.10
Qui Reges contra Chriſtum aſtiterint. pſ.2.v.2
Cur Regnum Chriſti dicitur virga. pſ. 109, v.2.
Saül Regnum figura mortis ex triplici capite. pſ.17.v.2.
Signum Regni Chriſti in fronte. pſ.17.v.44
De Regno Chriſti, & Eccleſiæ, ibid.
Regreſſus Chriſti ad cœlum ad tria vtilis. pſ.7. v.8.
Remedium contra labia iniqua, & linguam doloſam. pſ.119.v.4
Remedium contra peccatum. pſ.29.v.4
Iuſtorum Remuneratio. pſ.14.v.1
Forma Renouationis. pſ.102.v.5
Quid ſignificet Repetitio in ſcriptura. pſ.17. v.10.
Reprobi cum ſalicibus collati. pſ.136.v.2
Signum Reprobationis incorrigibilitas. pſ. 88 v.45.
Prima miſeria Reproborum cæcitas mentis. pſ. 104.v.28.
Quatuor Res pretioſæ, Eccleſia, anima, opus bonum, vita æterna. pſ.61.v.5

Index rerum.

Reſurrectio eſt ſignum Chriſti. pſ.85.v.17
Quatuor Retributiones, iuxta quatuor leges Diaboli, carnis, mentis, & Dei. pſal. 7. v.5.
Quatuor ſpecies Retributionum. pſ.27.v.4
Ritus veterum ſacrificiorum myſtice à pœnitentibus vſurpandi. pſ.4.v.6.

S

VTrum Sacerdos valeat abſoluere à culpa & à reatu pœnæ æternæ. pſ.31.v.5
Attendenda Sacerdoti ad altare accedenti. pſ. 42.v.4.
Contra Sacerdotes. pſ.105.v.18
Sacramentum Altaris memoriale mirabilium Dei. pſ.110.v.4
Sacrificium cordis, & operis. pſ.4.v.6
Sacrificium ſumptum quadrupliciter. pſ.49.v.5
Multiplex ex ſcriptura Sacrificium. pſ.19.v.4
Sacrificium laudis præ omnibus acceptum. pſ. 49.v.14.
Aacceptius eſt Sacrificium laudis quam pecudum mactatio. pſ.68.v.32
Repudiatis Sacrificiis vitulorum, commendatur verum contriti cordis Sacrificium. pſ.50. v.1.
Seculi duo incommoda. pſ.62.v.3
Dei Sagittæ, afflictio, Scriptura, & conſolatio. pſ.10.v.3
Salomon figura Chriſti. pſ.71.v.2
Saluatoris cibus, conuerſio peccatoris. pſ.68. v.11.
Salus à ſolo Deo. pſ.32.v.18
Tria Salutis impedimenta. pſ.9.v.17
Qui non poſſunt expectare Salutem. pſal. 118. v.166.
Sancti in hac vita peregrini. pſ.118.v.54
Cur Sancti vocantur electi, gens Dei, & hæreditas. pſ.105.v.5
Quare Sancti non loquuntur tantum, ſed clamant ad Deum. pſ.33.v.18
Sancti columnis comparantur. pſ.74.v.4
Sapientia mundi & carnis contraria eſt ſapientiæ Dei. pſ.104.v.29
Comparatio Sapientiæ cum melle. pſal. 80. v.17.
Comparatio Sapientiæ cum oleo. pſ.54.v.22
Vera Sapientia eſt amare iuſtitiam. pſal. 118. v.20.
Satietas ſimilitudo cum Deo. pſ.16.v.15
Scientia Dei nouit omnia quæ hominis ſunt. pſ.32.v.17.
Malus & bonus vſus Scientiæ. pſ.35.v.4
Locutio Scripturæ familiaris, vendi ſine pretio. pſ.43.v.13.
Comparatio elegans Scripturæ cum arca. pſ.7. v.13.
Scutum multiplex pſ.5.v.15
Semen impiorum perit, quia non fructificant, & damnantur. pſ.36.v.28
Comparatio Seminis cum bono opere. pſ. 24. v.13.
Varij variè Seminant. pſ.125.v.5
Semitæ ſunt conſilia. pſ.22.v.3
Senes debent libenter opera miſericordiæ exercere. pſ.91.v.11
Rationem turbat Senſualitas tribus modis. pſ. 41.v.6.
Triplex Senſus illius dicti, ſuper maria. pſ. 23. v.2.
Sepes quæ prohibet introitum in animam. pſ. 88.v.41.
Triplex malorum Sepulchrum. pſ.48.v.12
Sermo medius inter cogitationem & opus, fit dupliciter doloſus. pſ.14.v.3
Seruus peccati, gratiæ, & reuerentiæ. pſ.118. v.65.
Seſſio ad dextram Patris. pſ.20.v.6
Tria Signa gratiæ animo infuſæ. pſ.50.v.10
Sitis creſcit purgatione, ſale, calore. pſ. 41. v.3.
Variæ Somni ex ſcriptura acceptiones. pſ. 3. v.5.
Comparatio Somni cum peccato. pſ.12.v.4
Cur Sonus ſurſum rapit animum. pſ.41.v.5
Tria Speranda. pſ.21.v.6
Triplex Spes. pſ.15.v.2
Spes & timor, duæ molæ quibus anima teritur. pſ.32.v.18.
Spes in tribulatione multis nominibus neceſſaria. pſ.37.v.16.
Quæ fuit Spes in Chriſto. pſ.68.v.4
Tota Spes in Domino ponenda. pſ.70.v.1
Motiua Spei in Deum. pſ.17.v.3
Spes ſacerdotum. pſ.113.v.10
Spinæ multiplex acceptio. pſ.31.v.4
Spiritus ſanctus comparatur Auſtro, & Affrico. pſ.77.v.26.
Quare Spiritus ſanctus dicitur ſpiritus iræ. pſ. 17.v.16.
Effectus ignis Spiritus ſancti. pſ.18.v.7
Spiritus Dei contra triplicem ſpiritum neceſſarius. pſ.50.v.14
Laus Sponſæ à nobilitate, & gloria. pſ. 44. v.14.
Laus Sponſæ à prolis abundantia, & nobilitate. pſ.44.v.17.
Multiplex Statera. pſ.61.v.10
Status bonorum & malorum in hoc ſeculo. pſ.62.v.7.
Quatuor Status Eccleſiæ per quatuor ætates deſignati. pſ.76.v.18
Status bonorum in aduerſis. pſ.62.v.8
Triplex Status, in quo non poteſt homo Deum euadere. pſ.138.v.10
Triplex Status pauperum. pſ.21.v.27
Status malorum & odium in bonos. pſ.62.v.10
Varij Status in Eccleſia. pſ.45.v.4
Triplex hominum Status ad flagella Dei. pſ.37. v.18.
Quid differt Stratum à lecto. pſ.6.v.7
Subſtantiæ multiplex acceptio. pſ.68.v.3
Superbus cedro collatus. pſ.28.v.5
Comparatio Superbi cum fumo. pſ.36.v.20.
Superbia interior, & exterior. pſ.130.v.1
Superbia mari comparatur. pſ.73.v.3
Superbia, & luxuria deſtruunt Eccleſiam. pſ.79. v.14.
Quare Superbia dicitur delictum maximum. pſ.18.v.14.
Superbia abſolute peccatum dicitur. pſ.7.v.4
Humana Superbia reprehenditur. pſ.68.v.2
Comparatur Superbia fumo. pſ.67.v.3
Virtutum quam diuitiarum Superbia periculoſior. pſ.28.v.7

Grauitas peccati ſuperbiæ. pſ.35.v.12
Suſpicio vitanda. pſ.118.v.39
Conſideratio à Sydere. pſ.21.v.19

T

MVltiplex Tabernaculum. pſ.131.v.5
Cur vtraque Eccleſia dicitur Tabernaculum. pſ.14.v.1.
Triplex Tabernaculum & triplici contradictione vindicatum. pſ.30.v.21
Tabernacula dicuntur Eccleſiæ militantes, congregationes Religioſorum, & cœleſtes manſiones. pſ.83.v.2
Templi multiplex acceptio. pſ.27.v.2
Multiplex Templum Dei, in quo varie ſuſcipitur. pſ.47.v.10
Quid ſit Tempus beneplaciti. pſ.68.v.14
Commendatur Tempus matutinum. pſ. 58. v.17.
Quadruplex Tentatio, ventis comparata. pſ 54. v.9.
Tentationum & afflictionum termini. pſ.103. v.9.
Quatuor Tentationum genera. pſ.90.v.5
Tentationes pereunt cum reſpicimus in finem, id eſt, Chriſtum. pſ.9.v.7
Terra viuentium, morientium, & mortuorum. pſ.36.v.29
Terra deſiderabilis Virgo beata, caro Chriſti, vita beata. pſ.105.v.24
Multiplex Terræ acceptio. pſ.84.v.2
Triplex Terra, inferior, media, & ſuprema: quomodo quælibet regenda. pſ.2.v.11
Terribilia Dei opera bonis & malis. pſ. 65. v.3.
Deus terribilis in iudicio. pſ.75.v.8
Nouum Teſtamentum finis ſcripturæ tripliciter, terminans, conſumens, & conſummans vetus. pſ.39.v.1
Thema pro feſto Natiuitatis beatæ virginis. pſ. 73.v.16.
Thema pro concione Synodali. pſ.98.v.6
Thema pro feſto Epiphaniæ, & Natiuitatis Domini, & beatæ Virginis Mariæ. pſal.96. v.11.
Thema pro feſto ſanctorum. pſ.44.v.5
Thema pro feſto ſancti Stephani. pſ.101.v.15
Thema pro feſto Cathedræ ſancti Petri. pſ.106. v.32.
Qui dicuntur Throni Dei. pſ.88.v.38
Timor multiplex. pſ.18.v.10
Timor optime iungitur cum ſpe. pſ.113.v.11
Quid differt Timor à trepidatione. pſ.26.v.1
Timor ad iuſtificationem neceſſarius. pſ. 69. v.3.
Sicut fumus ex aqua & igne fit, ſic Timor & pœnitentia ex aqua peccati & igne charitatis. pſ.17.v.9
Quinque Timoris fructus. pſ.2.v.12
Caſti Timoris triplex fructus & actus qui manet in patria, actus reuerentiæ. pſ. 18. v.10.
Titulus pſalmi. 7. de Chriſto explicandus, & de mortis eius ſacramento, Iudæis occultato, piis aperto.
Topazij proprietates. pſ.118.v.127
Torrentes iniquitatis, pronitates ad peccatum. pſ.17.v.5.
Turres Eccleſiæ, prædicatores. pſal. 47. v.13.
Tranſiliens mundum, primo à mundo in ſe, ſecundo à ſe in Deum. pſ.38.v.1
Tranſitus à ſe in Deum. pſ.38.v.4
Tremor quid ſit. pſ.2.v.12
Tribulatio igni comparata. pſ.65.v.10
Tribulatio iter ad cœlum. pſ.65.v.13
Tribulatio dies eſt. pſ.49 v.15
Tribulatio, aquæ comparatur, quia purgat ſordes vitiorum, & aliis de cauſis. pſ. 41. v.8.
Quare Tribulatio dicitur dies, & nox. pſ.76. v.3.
Tribulatio vtilis & ſalutaris. pſ.114.v.4
Tribulatio ad multa vtilis. pſ.70.v.20
Quare tribulatio dicitur opportunitas. pſ. 9. v.21.
Tribulatio iuſti habet conſolationem, finem, & fructum. pſ.33.v.18
In Tribulationibus lætandum multis de cauſis. pſ 89.v.15.
Tribulationis bona. pſ.31.v.7
Trinitas exprimitur per appropriata. pſ. 94. v.1.
Opera Trinitatis indiuiſa. pſ.27.v.7

V

VAlles minores Eccleſiæ. pſ.64.v.14
Quid differunt Vani ab iniquis, & impiis. pſ.25.v.5
Triplex Vanitas, mutabilitatis, pœnæ, & malitiæ, & hæc multiplex. pſ.38.v.6
Vanitatis partes tres. pſ.4.v.3
Vaſa & ſagittæ variè pro hæreticis & orthodoxis interpretantur. pſ.7.v.14
Vaſorum diuerſa genera moraliter explicata. pſ. 11.v.6.
Multiplex Velamen. pſ.62.v.8
Verbum Dei ſagittæ comparatum. pſ. 37. v.5.
Quadruplex Dei Verbum manet in quadruplici cœlo in æternum. pſ.118.v.89
Verbum Dei creatum & increatum ſanat, & eripit à morte. pſ.106.v.20
Verbum imperatiui modi multipliciter ſumitur. pſ.148.v.2
Triplex Verbum aſperum, à quo Deus ſuos liberat. pſ.90.v.3.
Quæ Verba potiſſimum in nobis ſpem generent. pſ.115.v.49
Verba Chriſti poteſtatiua & efficacia. pſal.104. v.6.
Verborum bonus vſus quomodo ſectandus. pſ. 1.v.4.
Veritas triplex, vitæ, doctrinæ, & iuſtitiæ, diminuta per triplicem errorem. pſ.11. v.2.
Triplex Veritas à Deo requiritur, vitæ ab omnibus, iuſtitiæ à prælatis, doctrinæ à doctoribus: hæc triplex Veritas à Chriſto exhibita. pſ.30.v.24
Triplex Veritas, vitæ, doctrinæ, & confeſſionis. pſ.50.v.8

Index rerum.

Veſtimenta ſacerdotum veteris legis ſignificant virtutes in ſacerdotibus nouæ legis requiſitas. pſ.131.v.16.

Diſtractio Veſtium ad literam, & moralis. pſ.21.v.19.

Via iuſtorum ſeptem donis Spiritus ſancti munita. pſ.1.v.6

Viæ peccatorum multipliciter malæ & viis Chriſti oppoſitæ. pſ.1.v.1

Viæ præparatio. pſ.77.v.13

Quæ ſint Viæ hominum, Dæmonum, Angelorum, & Dei. pſ.90.v.11

Decem Viatori neceſſaria. pſ.22.v.6

Victoria à Deo eſt. pſ.17.v.40

Conditiones Victori neceſſariæ. pſ.17.v.38

Vigiliarum vſus & vtilitas. pſ.62.v.2

Vincula peccatorum variis modis ſoluuntur. pſ.105.v.16.

Vinea, Eccleſia, mori in Vinea, clerici. pſ.77.v.47.

Multiplex Vinum. pſ.103.v.15

Vinum Chriſti. pſ.59.v.5

Quomodo Virga iuſtitia flexibilis ſit, & inflexibilis. pſ.2.v.9

Beata Virgo terra dicitur. pſ.66.v.7

Quo tempore fructum tulit. ibid.

Beata Virgo, firmamentum. pſ.150.v.3

Beata Virgo velleri comparata. pſ.71.v.6

Quare Beata Virgo dicitur homo. pſ.79.v.18

Dolor B. Virginis ob mortem Filij. pſ.29.v.6

Collatio beatæ Virginis cum campo. pſal. 77.v.12.

Adiutorium altiſſimi beata Virgo. pſ.90.v.2

Fructus ex Virgine Maria. pſ.84.v.12

Quæ bona nobis Virgo contulit. pſ.64.v.5

Virgines ducuntur, viduæ afferentur. pſ.44.v.15.

Qui ſunt Viri ſanguinum. pſ.25.v.9

Virtutum multiplex acceptio. pſ.23.v.9

Viſio Dei vita æterna. pſ.90.v.16

Viſitatio Dei quadruplex. pſ.8.v.5

Variæ Viſitationis ſpecies. pſ.58.v.6

Vita humana nocturnis comparata excubiis. pſ.89.v.4.

Vita noſtra vmbræ collata. pſ.101.v.12

Vita actiua & contemplatiua. pſ.13.v.7

Quadruplex Vita ſignificata quatuor animalibus. pſ.62.v.4

In fine Vitæ triplex tranſitus. ibid.

Quatuor ad Vitam impedimenta amouet. pſ.26.v.14.

De bonis huius Vitæ, & futuræ. pſ.29.v.20

Portæ ad Vitam. pſ.9.v.15

Malignitas Vitæ noſtræ per ſimilitudinem declarata. pſ.89.v.9

Quid longiorem Vitam faciat. pſ.60.v.7

Vndecim Vitia vndecim gentibus deſignata. pſ.82.v.6.

Voluntatis ad legem habitudo quadruplex, ſupra legem, in lege, ſub lege, contra legem. pſ.1.v.1.

Multiplex in Chriſto Voluntas. pſ.15.v.3

Duplex Votum. pſ.75.v.12

Vſura multiplex bona, & mala. pſ.71.v.14

Rapacitas Vſurarij variis ſimilitudinibus expreſſa. pſ.54.v.12.

Vſus donorum Spiritus ſancti. pſ.5.v.10

Bonus, & malus afflictionum Vſus. pſ.15.v.3

Vtilitas ex tribulatione. pſ.59.v.13

Vulnus pœnæ, & culpæ, & gratiæ. pſ.87.v.6

Vxor eſt ſenſualitas, vel ſapientia. pſ.127.v.2

Z

DEus Zelotes. pſ.68.v.10

Zelus dilectionis, indignationis, iræ, & inuidiæ. pſ.68.v.10

Triplex cauſa Zeli. pſ.118.v.139

INDEX

INDEX

Locorum Scripturæ, qui in Commentariis in Pſalmos explicantur.

EX VETERI TESTAMENTO.

Geneſis.

Cap. 1. IN principio creauit Deus cœlum & terram. pſ.113.v.15
ibid. *Terra autem erat inanis & vacua.* pſ.2.v.1
ibid. *Fecit duo luminaria magna in firmamento cœli, luminare maius vt præeſſet diei, & luminare minus vt præeſſet nocti.* pſ.73.v.16
2 *Formauit ergo Deus hominem de limo terræ.* pſ.68.v.3.
4 *Sanguis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* pſ.2.v.8
6 *Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt.* pſ.8.v.5
22 *Nunc cognoui quod timeas Dominum.* pſ.40. v.12.
37 *Vendiderunt Ioſeph Iſmaëlitis.* pſ.104.v.17.

Exodi.

2 *FIlij Iſraël diſperſi ſunt per Ægyptum ad colligendas paleas.* pſ.105.v.27
ibid. *Exaudiuit Dominus & rocordatus eſt fœderis, & reſpexit filios Iſraël.* pſ.12.v.3
3 *Obſecro Domine mitte quem miſſurus es.* pſ. 56.v.4.
ibid. *Vidi afflictionem populi mei qui eſt in Ægypto, & gemitum eorum audiui.* pſ.105.v.43
9 *Cum egreſſus fuero de vrbe, & extendam palmas meas ad Dominum.* pſ.27.v.2
15 *Plantaſti eos in monte hæreditatis tuæ, firmiſſimo habitaculo tuo quod operatus es Domine.* pſ.44.v.3
32 *Fecerunt vitulum conflatilem, atque immolantes dixerunt: Hi ſunt dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* pſ.104. v.19.

Leuitici.

1 *HOſtiam offeretis de bobus, & de ouibus.* pſ.95.v.8.
11 *Sancti eſtote, quia & ego ſanctus ſum.* pſ.93. v.4.
18 *Non polluamini in omnibus, in quibus contaminatæ ſunt vniuerſæ Gentes, & in quibus polluta eſt terra.* pſ.105.v.39

Numeri.

11 *VEntus autem egrediens à Domino arreptas vltra mare coturnices detulit, & dimiſit in caſtra, itinere quantum vno die confici poteſt, ex omni parte caſtrorum per circuitum, volabántque duobus cubitis ſuper terram.* pſ.77.v.28
ibid. *Manducauerunt carnes coturnicum in maxima abundantia.* pſ.77.v.29
ibid. *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini concitatus in populum, percuſſit eum plaga magna.* pſ.77.v.31
12 *Deſcendet Dominus in columna nubis.* pſ.93. v.7.
16 *Confeſtim dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & deuorauit eos, cum omni ſubſtantia eorum, deſcenderúntque viui in infernum operti humo.* pſ.104.v.17
23 *Non eſt Deus ſicut homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur.* pſ.2.v.7
24 *Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſraël.* pſ.83.v.2

Deuteronomij.

4 *DEus noſter ignis conſumens eſt.* pſ.12.v.4
7 *Elegit te Dominus Deus tuus, vt ſis ei populus peculiaris.* pſ.32.v.12
10 *Et nunc Iſraël quid petit Dominus à te niſi vt diligas eum?* pſ.31.v.23
32 *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima.* pſ.10.v.7
ibid. *Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.* pſ.68.v.13

Ioſuë.

6 *HOdie abſtuli opprobrium Ægypti à vobis.* pſ.118.v.39.
8 *Leua clypeum qui in manu tua eſt, contra vrbem Hai.* pſ.134.v.2
14 *Adam, maximus ibi ſepultus eſt, in terra Anachim & ceſſauit terra ex præliis.* pſ.26. v.3.
15 *Terram arentem dediſti mihi.* pſ.94.v.5
21 *Dominus Deus eorum dedit eis terram, & poſſederunt eam.* pſ.34.v.4
24 *Seruiemus Domino, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter.* pſ.94.v.7

Iudicum.

2 *FEcerunt filij Iſrael malum, & ſeruierunt Baalim in idolo facto opere ſculptili cum diligentia magna.* pſ.77.v.58
4 *Addiderunt filij Iſraël malum facere coram Domino, & tradidit eos in manu Iabin regis Chanaan.* pſ.105.v.41
6 *Humiliatus eſt Iſraël valde in conſpectu Madian.* pſ.105.v.42

Index ſacræ Scripturæ.

Ruth.

2 NE quæſo aduerſeris mihi, vt relinquam te & abeam. pſ.90.v.19

vlt. Acceſſit Booz ad portam vbi erant iudices. pſ.68.v.13.

Regum 1.

1 MVtaberis in virum alterum & prophetabis. pſ.76.v.11

2 Famelici ſaturati ſunt. pſ.32.v.19

3 Cognouerunt omnes à Dan vſque Berſabee, quod fidelis Samuel propheta eſſet Domini. pſ.93.v.6.

5 Grauiſſima manus Domini facta eſt ſuper Azotios. pſ.31.v.4

17 Tu venis ad me cum gladio & haſta & clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, agminum Iſraël. pſ. 117.v.10.

Regum 2.

1 QVare non timuiſti mittere manum tuam, vt interficeres Chriſtum Domini. pſ. 104.v.15.

22 Dominus ſcutum meum & robur meum.pſ.90. v.5.

ibid. Dominus robur meum & petra mea. pſ.117. v.14.

24 Ego ſum qui peccaui. pſ.31.v.5

Regum 3.

2 VNam paruulam portionem peto à te ne confundas faciem tuam. pſ.73.v.21

3 Vix autem inuenitur vir conſtitutus in dignitate qui intelligat. pſ.2 v.10

18 Ecce nubecula aſcendebat de mari.pſ.103.v.3

23 Rex Iſraël ſtetit in curru ſuo contra nos.pſ.23. v.8.

Regum 4.

2 VIuit Dominus & viuit anima tua, quia non derelinquam te. pſ.79.v.19

22 Dereliquerunt me, & libauerunt diis alienis. pſ.105.v.38.

73 Factum eſt verbum Domini contra Manaſſe, propter peccata quæ fecit, propter vniuerſum ſanguinem quem effudit, & impleuit ſanguinem cruore innocentium. pſ.105.v.38

Paralipomen. 1.

4 HI ſunt ſinguli habitantes in ſepibus. pſ.88.v.41.

16 Benedictus Dominus ab æterno, & vſque in æternum. pſ.105.v.48

29 Immolauerunt hoſtias Domino, & obtulerunt holocauſta. pſ.95.v.8

Paralip. 2.

16 OCuli Domini contemplantur vniuerſam terram, & præbent fortitudinem. pſ.33.v.16.

19 Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, ſed Domini. pſ.71.v.2

20 Clamabimus ad te in tribulationibus noſtris, & exaudies nos ſaluóſque nos facies. pſ.85. v.7.

vlt. Saluabis me indignum ſecundum magnam miſericordiam tuam. pſ.105.v.45

Eſdræ 1.

9 NVnquid iratus es nobis vſque ad conſummationem? pſ.118.v.96

Neemiæ.

4 AVdi Deus quia facti ſumus deſpectio: conuerte opprobrium ſuper caput illorum. pſ.122.v.3

8 Dies ſanctificatus eſt Domino, nolite contriſtari, & nolite lugere, quia dies ſanctus Domini eſt. pſ.118.v.3

9 In tempore tribulationis ſuæ clamauerunt ad te, & tu de cœlo exaudiſti eos. pſ.106.v.19

ibid. Non eſt in iudicio eius iniquum quid. pſ.118. v.172.

Tobiæ.

4 NOli auertere faciem tuam ab vllo paupere, ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini. pſ.21.v.24

ibid. Omni tempore benedic Dominum. pſ.54.v.18

13 Ego & anima mea in Deo latabimur. pſ.70. v.23.

ibid. Confitemini Domino omnes electi eius, agite dies lætitiæ, & confitemini. pſ.106.v.1

Iudith.

9 MAnſuetorum & humilium tibi ſemper placita fuit deprecatio. pſ.101.v.18

12 Orabat Iudith Dominum Deum Iſraël, vt dirigeret eum ad liberationem populi ſui Iſraël. pſ.59.v.6

13 Laudate Dominum Deum noſtrum, qui non derelinquit ſperantes in ſe. pſ.33.v.23

Eſther.

6 ASſignata eſt dies vltionis in omnibus terris & populis, qui regis Aſſueri ſubiacebant imperio, vt notum fieret paratos eſſe Iudæos, ad capiendam vindictam de hoſtibus ſuis. pſ.150.v.7

14 Libera nos Domine manu tua, & adiuua me, nullum habentem auxilium, niſi in te Domine. pſ.106.v.13

15 Ingreſſa eſt cuncta per ordinem oſtia, & ſtetit ante regem. pſ.117.v.20

vlt. Mirabilis es Domine, & facies tua plena eſt gratiarum. pſ.93.v.4

ibid. Ne tradas Domine ſceptrum tuum his qui non ſunt, ne redeant ad ruinam noſtram. pſ.139.v.9.

Iob.

9 SI venerit ad me, non videbo eum: & ſi abierit, non intelligam. pſ.5.v.10

10 Antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine. pſ.38.v.14.

13 Etſi occiderit me, in ipſo ſperabo. pſ.30.v.3

14 Quaſi peregrinus factus ſum in oculis eorum. pſ.68.v.9.

17 Saccum conſui ſuper cutem meam. pſ.68.v.12

ibid. Libera me & pone me iuxta te. pſ.68.v.19

20 Deuorabit eos ignis qui non ſuccenditur. pſ.10. v.7.

41 Cor eius indurabitur quaſi malleatoris incus. pſ.94.v.8.

Prouerbiorum.

8 PEr me reges regnant, & legis conditores iura decernunt. pſ.2.v.10

11 Qui confidit in diuitiis ſuis, corruet. pſ.4.v.3

16 Qui fodit aliis foueam, incidet in eam.pſ.56.v.7

ibid. Omnes viæ hominũ patent oculis eius.pſ.10.v.5

Index locorum Scripturæ.

24 *Fili ingrediatur ad doctrinam cor tuum, & aures tuæ ad verba prudentiæ. pſ.43.v.2*
28 *Omnis qui ſperat in Domino, ſanabitur. pſ.33. v.23.*

Eccleſiaſtæ.

1 *VAnitas vanitatum & omnia vanitas. pſ.3.v.3.*
9 *Inuentus eſt in ea vir pauper & ſapiens. pſ.1.v.1*
curua illos à pueritia illorum. pſ.2.10

Canticorum.

1 *OLeum effuſum nomen tuum. pſ.44.v.8*
ibid. *OIndica mihi quem diligit anima mea,*
3 *In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea. pſ.26.v.8*

Sapientiæ.

1 *OS quod mentitur, occidit animam. pſ.58. v.13.*
2 *Non agnitus quid ſit reuerſus ab inferis. pſ.4. v.6.*
17 *Vna catena tenebrarum omnes erant colligati. pſ.54.v.13.*

Eccleſiaſtici.

5 *AVarus non implebitur pecunia. pſ.4.v.3*
7 *AFilij tui ſunt, erudi illos doctrina, & vbi paſcas, vbi cubes in meridie. pſ.54.v.18*
9 *Ne des fornicariis animam tuam in vllo, ne perdas te & animam tuam & hæreditatem tuam. pſ.49.v.18*
27 *Ego ex ore Altiſſimi prodiui primogenita ante omnem creaturam. pſ.2.v.8*

Iſaiæ.

4 *APprehenderunt ſeptem mulieres virum vnum in die illa. pſ.1.v.1*
14 *Perdam Babylonis nomen, progeniem & germen. pſ.15.v.5*
19 *Vota vouebunt Domino & ſoluent. pſ.21.v.26*
23 *Sume citharam, circui ciuitatem. pſ.11.v.9*
26 *Contriuiſti eos & perdidiſti omnem memoriam eorum. pſ.33.v.17*
34 *Formido & fouea & laqueus ſuper te qui habitator es terræ. pſ.17.v.6*
38 *Attenuati ſunt oculi mei ſuſpicientes in excelſo. pſ.5.v.8*
44 *Non eſt Deus ſaluans præter me. pſ.34.v.3*
59 *Cogitationes eorum cogitationes inutiles. pſ.32. v.10.*
61 *Surge, illuminare Ieruſalem. pſ.33.v.6*

Ieremiæ.

2 *ECce dedi verba mea in ore tuo. pſ.39.v.4*
15 *ESolus ſedebam, quoniam amaritudine repleſti me. pſ.68.v.21*
17 *Erit tanquam lignum quod tranſplatatum eſt ſecus aquas. pſ.1.v.3*
ibid. *Beatus vir qui confidit in Domino. pſ.10.v.1*
ibid. *Facta eſt hæreditas mea quaſi leo in ſilua, pſ.16.v.12.*
ibid. *Saluum me fac & ſaluus ero pſ.68.v.2*
20 *Factus ſum in opprobrium tota die, & omnes ſubſannant me. pſ.78.v.4*
22 *Ecce turbo Domini indignationis egreditur & procella ruens ſuper capita impiorũ. pſ.10.v.7*
31 *Qui dat ſolem in lumine diei, ordinem lunæ & ſtellarum in lumine noctis. pſ.73.v.16*
38 *Fumibus extractus eſt Ieremias de lacu. pſ.15. v.6.*

Baruch.

2 *DOmine ſecundum omnem bonitatem tuam feciſti nobis. pſ.118.v.65*
3 *Et nunc Domine Deus Iſraël anima in angſtiis, & ſpiritus anxius clamat ad te. pſ.85.v.7*
ibid. *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius ab eo. pſ.49.v.3*
vlt. *Lingua eorum polita à fabro. pſ.113.v.5*

Ezechielis.

3 *MAnſi ibi tacens. pſ.76.v.5*
22 *MDedi te in opprobrium gentibus, in vniuerſis inſulis quæ iuxta te ſunt & procul. pſ.88.v.42*
23 *Oblitus es mei, & proiecisti me poſt tergum tuum. pſ.16.v.11*
23 *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, pſ.5.v.7.*
ibid. *Confundimini & erubeſcite ſuper viis veſtris, pſ.5.v.10.*

Danielis.

3 *BEnedictum nomen gloriæ tuæ, & laudabile, & ſuperexaltatum in omnibus ſæculis. pſ.112.v.2*
7 *Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur. pſ.93.v.2*
9 *Mirificauit enim ipſum in conceptione. pſ.3.v.*
13 *Declinauerunt oculos ſuos vt non viderent cœlum, neque recordarentur iudiciorum iuſtorum. pſ.16.v.11*

Oſeæ.

1 *SCindetur ſicut cera à facie ignis. pſ.67.v.3*
2 *SDucam eam in ſolitudinem & loquar ad cor eius. pſ.26.v.8*
7 *Facti ſunt ſicut arcus doloſus. pſ.36.v.14*
12 *Ephraim paſcit ventum, & ſequitur æſtum, & tota die mendacium & vanitatem multiplicat. pſ.4.v.3*
13 *De manu mortis liberabo eos. pſ.59.v.6*
14 *Aufer omnem iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum. pſ.115.v.17.*

Ioëlis.

1 *FLete & vlulate qui bibitis vinum in dulcedine. pſ 68.v.13*
ibid. *Ignis deuorauit ſpecioſa deſerti. pſ.104.v.18*
2 *Laudabitis nomen Domini Dei veſtri, qui fecit vobiſcum mirabilia. pſ.112.v.1*
4 *Quicumque inuocauerit, ſaluus erit. pſ.114.v.2*

Amos.

5 *QVærite Dominum, & viuetis. pſ.68.v.33*
ibid. *QQuærite me, & inuenietis, & non confundemini. pſ.68.v.7*
9 *Readificabo operturas eius, & ea quæ corruerunt reſtaurabo. pſ.68.v.36*
ibid. *Conuertam captiuitatem populi mei Iſraël. pſ.125.v.1.*

Abdiæ.

PRopter iniquitatem in Patrem tuum Iacob, operiet te confuſio, & peribis in æternum. pſ.136.v.7
Si vindemiatores intraſſent ad te, nunquid non racemum reliquiſſent in te. pſ.70.v.13
8 *Perdam ſapientes de Idumæa, & prudentiam de monte Eſaü. pſ.74.v.11*

Index locorum Scripturæ.

Ionæ.

2 SVbleuabis de corruptione animam meam Domine Deus meus. pſ.16.v.10
ibid. Præparauit Dominus piſcem grandem, vt deglutiret Ionam. pſ.124.v.3

Michææ.

6 QVod dignum offeram Domino? curuabo illi genu meum. pſ.114.v.12
ibid. Diuites eius repleti ſunt iniquitate. pſ. 36. v.7.& pſ.73.v.20.
7 Vnuſquiſque fratrem ſuum venatur ad mortem. pſ.35.v.3
ibid. Deponet iniquitates noſtra & proiiciet. pſ.102. v.11.

Naum.

1 DEus in tempeſtate & turbine veniet. pſ.83.v.16.
ibid. Bonus Dominus & confortans in die tribulationis. pſ.85.v.7
ibid. Vlciſcens Dominus in hoſtes ſuos. pſ.93.v.1
2 Et miles captiuus eſt. pſ.77.v.61

Habacuc.

1 NOn peruenit ad finem iudicium, quia impius prænalet aduerſus iuſtum. pſ.12.v.4
3 Audiui & cõturbatus eſt venter meus. pſ.5.v.8
ibid. Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. pſ.76.v.10.

Sophoniæ.

1 AMbulabunt vt cæci. pſ.34.v.6
ibid. Corpora eorum ſicut ſtecora. pſ.113.v.7
2 Quærite Dominum omnes manſueti terræ, qui operati eſtis iuſtitiam. pſ.68.v.33
3 Principes eius in medio eius quaſi leones rugientes. pſ.16.v.12

Aggæi.

1 VEniet deſideratus cunctis gentibus. pſ.33. v.11.
2 Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ pluſquam primæ. ibid.

Zachariæ.

4 ZElatus ſum Sion, & Ieruſalem zelo magno. pſ.68.v.10
9 Dominus Deus exercituum proteget eos. pſ.30. v.21.
ibid. Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui, eduxiſti vinctos de lacu in quo non erat aqua. pſ.39.v.3.& pſ.67.v.19.
22 Super domum Iuda aperiam oculos meos. pſ.33.v.16.

Malachiæ.

1 A Solis ortu vſque ad occaſum, magnum nomen meum in gentibus. pſ.112.v.3
3 Ego Dominus & non mutor. pſ.101.v.27

Machabæorum 1.

1 AScendit Ieruſalem in multitudine graui, & coinquinauerunt ſancta. pſ.33.v.23
ibid. Effuderunt ſanguinem innocentem pſ.78.v.1
2 Omnes qui ſperant in eum, non infirmabuntur. pſ.33.v.23
3 Sancta tua conculcata ſunt, & contaminata. pſ.88.v.40.

Machabæorum 2.

1 BEnefaciat nobis Deus, & meminerit teſtamenti ſui quod loquutus eſt ad Abraham. pſ.125.v.4
3 Ille qui in cœlo habet habitationem, adiutor eſt loci illius. pſ.117.v.7

Ex Nouo Teſtamento.

Matthæi.

2 VIDENTES ſtellam Magi, gauiſi ſunt gaudio magno. pſ.18.v.2
ibid. Et procidentes adorauerunt eum. pſ.32.v.19
4. Non in ſolo pane viuit homo, ſed ex omni verbo quod procedit ex ore Dei. pſ.32.v.19
7 Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem. pſ.13.v.4
19 Nemo bonus, niſi ſolus Deus. pſ.13.v.2
27 Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. pſ.16.v.14.
vlt. Euntes in mundũ vniuerſum prædicate. pſ.8.v.6

Marci.

13 MIttet Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala. pſ.49.v.5
ibid. Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate. pſ.126.v.1.
vlt. Aſcendit in cœlum, & ſedet à dextris Dei. pſ.109.v.1.
vlt. Et Dominus quidem Ieſus, poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum. pſ.104.v.23

Lucæ.

1 EXultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. pſ.61.v.8
ibid. Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ. pſ.65.v.1.
ibid. Erexit nobis cornu ſalutis in domo Dauid pueri ſui. pſ.74.v.11
8 Qui autem in terram bonam, hi ſunt qui in corde bono & optimo audientes verbum, fructum afferunt & in patientia. pſ.15.v.3
21 Videbunt filium hominis venientem eum virtute magna & maieſtate. pſ.67.v.35
23 Pater ignoſce eis, quia neſciunt quid faciunt. pſ.30.v.20.

Ioannis.

1 ERat lux vera quæ illuminat omnem hominem. pſ.37.v.11
6 Ego ſum panis vitæ qui de cœlo deſcendi. pſ. 103.v.14.
10 Circumdederunt Ieſum Iudæi dicentes: Si tu es Chriſtus, dic nobis palam. pſ.117.v.11
12 Non veni in mundum, vt iudicem mundum, ſed vt ſaluificem ipſum. pſ.67.v.21
14 Ego ſum via, veritas, & vita. pſ.56.v.2. & pſ.85.v.11.

Act. Apoſtolorum.

4 ERat multitudinis credentium cor vnum, & anima vna. pſ.61.v.11
ibid. Non eſt aliud nomen ſub cœlo, in quo oporteat homines ſaluos fieri. pſ.98.v.3
17 Non indigens aliquo cum ipſe det omnibus vitam & inſpirationem. pſ.15.v.2
20 Paratus ſum mori in Ieruſalem pro nomine Domini Ieſu Chriſti. pſ.108.v.60

Ad Romanos.

8 QVos prædeſtinauit, hos & iuſtificauit: & quos iuſtificauit, hos & glorificauit. pſ.32.

Index locorum Scripturæ.

psſ.32.v.12.

13 *Non in commeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis.* *psſ.4.v.5*

15 *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia.* *psſ.77.v.38*

ibid. *Laudate Dominum omnes gentes, & magnificate eum omnes populi.* *psſ.116.v.1*

1. ad Corinthios.

2 *SI cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* *psſ.27.v.5*

8 *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* *psſ.36.v.18*

10 *Siue ergo manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* *psſ.35.v.28.*

2. ad Corinthios.

1 *BEnedictus Deus Pater Domini noſtri* IESV CHRISTI, &c. *psſ.65.v.20*

ibid. *Sicut abundant Chriſti paſſiones in nobis, ita per Chriſtũ abundãt conſolationes.psſ.94.v.19*

4 *Nos autem reuelata facie gloriam Dei contemplantes.* *psſ.118.v.18*

Ad Galatas.

4 *FIlioli quos iterum parturio donec formetur Chriſtus in vobis.* *psſ.90.v.16*

5 *Qui ſeminat in carne, de carne & metet corruptionem.* *psſ.125.v.5*

ibid. *Si inuicem mordetis & comeditis, videte ne conſummamini.* *psſ.77.v.45*

Ad Epheſios.

2 *SVperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum.* *psſ.126.v.1*

4 *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat.* *psſ.16.v.4*

ibid. *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ.* *psſ.95.v.1*

5 *Nec auarus, quod eſt idolorũ ſeruitus.psſ.55.v.5*

Ad Philippenſes.

2 *DEdit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* *psſ.98.v.3*

3 *Conuerſatio noſtra in cœlis eſt.* *psſ.118.v.19*

4 *Dominus prope eſt, nihil ſolliciti ſitis.* *psſ.144.v.18.*

vlt. *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete.* *psſ.98.v.3*

Ad Colloſſenſes.

1 *FRuctificantes & creſcentes in ſcientia Dei.* *psſ.149.v.10*

3 *Cum apparuerit Chriſtus vita noſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.psſ.16.v.15*

ibid. *Quæ ſurſum ſunt quærite.* *psſ.105.v.24*

4 *Orate vt Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ſui ad loquendum.* *psſ.117.v.19*

1. ad Theſſalonicenſes.

4 *OPeramini manibus veſtris ſicut præceptum eſt vobis.* *psſ.127.v.2*

2. ad Theſſalonicenſes.

3 *DOminus autem dirigat corda & corpora noſtra in charitate Dei & patientia Chriſti.* *psſ.89.v.17*

ibid. *Orate vt ſermo Dei currat & clarificetur.* *psſ.147.v.15.*

1. ad Timotheum.

1 *FInis præcepti eſt charitas.* *psſ.98.v.8*

2 *Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur.* *psſ.34.v.20*

4 *Exercitatio corporalis ad modicum valet.* *psſ.54.v.3.*

2. ad Timotheum.

2 *DAbit tibi Dominus intellectum in omnibus.* *psſ.118.v.34*

4 *A veritate autem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* *psſ.118.v.85*

Ad Hebræos.

1 *SEdet à dextris Dei in excelſis.psſ.109.v.1*

3 *SNon poterant intrare in requiem illam, propter incrudelitatem ſuam.* *psſ.105.v.24*

4 *Omnia nuda ſunt & aperta oculis eius.* *psſ.37.v.10.*

Iacobi.

1 *SI quis autem perſpexerit in lege perfectæ libertatis, non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit.* *psſ.118.v.6.*

2 *Iudicium ſine miſericordia fiet illi, qui non fecit miſericordiam.* *psſ.108.v.12*

3 *Qui non offendit in verbo, ille perfectus eſt.* *psſ.5.v.7.*

ibid. *Lingua malum inquietum, plena veneno mortifero.* *psſ.37.v.14*

ibid. *Linguam nullus hominum domare poteſt.* *psſ.119.v.3.*

1. Petri.

5 *ADuerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* *psſ.9.v.9.*

ibid. *Humiliamini ſub potente manu Dei.* *psſ.118.v.107.*

2. Petri.

1 *DOnec illuceſcat dies, & lucifer oriatur in cordibus veſtris.* *psſ.29.v.6*

2 *Nouit Deus ſuos de tentatione eripere.* *psſ.118.v.153.*

1. Ioannis.

3 *SCimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, & videbimus eum ſicuti eſt.* *psſ.16.v.15.*

ibid. *Vnctio docebit vos de omnibus.* *psſ.143.v.1*

Apocalypſis.

1 *ECce veniet in nubibus, & videbit eum omnis populus.* *psſ.49.v.3*

ibid. *Vox eius tanquam vox aquarum multarum.* *psſ.67.v.35.*

ibid. *Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* *psſ.96.v.6*

3 *Tu dicis quia diues ego, & nullius egeo.* *psſ.88.v.16.*

4 *Sedes poſita erat in cœlo, & ſuper ſedem ſedens.* *psſ.109.v.1*

13 *Datum eſt ei os loquens magna, & blaſphemias.* *psſ.9.v.7*

14 *Sine macula ſunt ante thronum Dei.* *psſ.17.v.24.*

vlt. *Beati qui intrant per portam.* *psſ.117.v.20*

FINIS.

REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL - BIBLIOTECA PROVINCIAL - PALENCIA

LVGDVNI,

Sumpt. { Claudij Proſt, ſub ſigno Occaſionis.
Petri & Claudij Rigaud, ſub ſigno Fortunæ.
Hieronymi de la Garde, ſub ſigno Spei.
Ioan. Ant. Huguetan, ſub ſigno Sphæræ. } *in vico Mercatorio.*

M. DC. L.

2.117